F. DIDACI

STELLAE MINORITANI

DE OBSERVANTIA,

IN SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM, DOCTISSIMA PARITER & piissima Commentaria,

Hactenus deprauatissimè excusa, nunc verò marginalibus notationibus illustrata, ac longè copiosiore Indice locupletata, & plus mille, ac quingentis maximi mométi erroribus, non modò sensum interturbantibus, sed etiam sæpissimè contrarium significantibus, expurgata, ac suo candori restituta.

Eorum hic est

TOMVS PRIOR.

Ex Legato Illustriss.i Foccini.

LVGDVNI,

APVD IOANNAM IACOBI IVNTÆ F.

M. D. LXXXIII.

Bibliopola Lectori S.

INter libros recens scriptos, nullus (nisi fallor) toties typographicũ prælum subiit, nullus qui pluriũ manibus conteratur, nullus qui magis lectorem vera pietate inflãmet, quàm hic, quẽ modò nos publicæ vtilitati post tot editiones postremò damus. Sed nescio quo infortunio sit factũ, vt auctor ita dignus, qui cum omnibus suis ornamentis appareret, semper inquinatior, semper miserabiliori facie lucem aspexerit, si lucem illum vidisse dicẽdum sit, qui tam tenebricosum aspectum præ se ferat. Nam, cum primùm prodiit, fuerat ille quidem oscitantia operarum, rem typographicam curantium, non paucis mendis respersus: sequutæ sunt mox aliæ editiones, sed posterior semper priore deprauatior: non enim præcedentibus peccatis correctis, alia non pauciora accumulauit: vnde profectum est, vt errores erroribus superadditi, in tantum excreuerint, vt vnicum mendum totus liber à principio vsque ad finem esse videretur: qua ex re vt plurimum sensus corruptissimus reddebatur, imò & nonnunquam hæresim redolens. Hoc nos videntes, rem Theologicam promouere mirum in modum auidi, maximis sumptibus errores illos, qui penitus inhæserant, curauimus abstergendos, & suæ sanitati librum omnino restituẽdum, non mediocrem quoque curam adhibentes, vt marginalibus adnotationibus, & locorum citationibus, necnon indice longè locupletiori prodiret. Quod tibi, amice lector, vt sit exploratum ita esse, hanc nostram cum cæteris editionibus confer, & tunc à nobis tibi fucum non esse factum intelliges. Hæc sunt, quæ te præmonitum volebam. Vale.

APPROBATIO DOCTISSIMI PATRIS, F. FRANCISCI A CACERES,

instituti D. Francisci regularis obseruantiæ, in sacra Theologia Doctoris, atque apud inclytam Lusitanorum Vniuersitatem Coimbricensem Cathedræ Scoti publici moderatoris.

Legi hoc opus insigne, quod vir eruditissimus & ecclesiastes egregius Didacus Stellæ, in communē totius Reipublicæ Christianæ vtilitatem, maximè autem eorum qui sacris concionibus sunt addicti, superioribus diebus produxit in lucem. Et dum (per lectores beneuolos) meam liceat interponere sententiā, ingenuè dicere possum, nullū videlicet id munus hactenus suscepisse, quippe tam ingenti hominum applausu & acclamatione (absit inuidia verbo) publicæ expectationi atque desiderio fecisse satis eo potissimè quod super D. Lucam commentarij perpauci, iidémque maiori ex parte mutili & sanctorum patrum sententiis aliorúmque lucubrationibus atque ex propria officina insertis laboribus parum referti, imò & prorsus ieiuni inuenirentur. Quocirca Didacus noster, vir certè de literis benemeritus, moribus & religione excultus, cum secum tacitus animaduerteret eos qui docti sunt, aliorúmve cultura necnon institutioni insudauerint, siderum instar promicaturos (iuxta Danielis vaticinium) sapienter decreuit, curas, studia, cogitatus, labores omnes in Rempub. Christianam illustri emolumento conferre. Etenim se suáque, animum scilicet, corpus, cum ingenij vires ac demum fortunas (si in paupere monacho istiusmodi phrasis locum habet) Ecclesiæ commodis vir vndique suscipiendus videtur deuouisse. Nam præterquam quòd inter Theologiæ alumnos nobili loco semper est potitus, & quotidianas præterea præclarissimas cōciones in insignioribus Hispaniæ locis erogare non destitit: ne sibi quicquam ad meriti consummationem deesse videretur, hosce nobiles commentarios aggressus, tandem quorundam sui nominis studiosorum precibus in vulgus edere curauit. Vbi & eruditione scatet, allegoriis parcissimè vtitur, moresque hominum omnifariæ conditionis instituit. Cæterum ea est huius tempestatis deprauata quorundam hominum consuetudo (qui rabidos canes imitati, quæcunque attigerint, venenata saliua inficiunt, vipereóque detractionis dente corrodunt) vt quātumuis ad sanctuarij pondus librata, quantúmque limata, quantumlibet ad amussim recognita: ni fortè ex seipsis prodierint, vituperio dare ac damnare contendant: acsi vir multis nominibus Catholicus vel minimam hæreseos, aut alicuius erroris, suspitionisve notam vllo vnquam tempore subierit. Quapropter huiusmodi genimina serpentum procul abigentes, vos lectores candidi, quibus sacræ ad plebem habenda sunt conciones, hanc postremam in D. Lucam editionem, nocturna diurnáque manu si versabitis, & rei vestræ totiúsque populi Christiani commodis vehementer accrescent. Valete, & proficite.

ILLVSTREM D. STELLAM, VIRVM RELIGIONE ET SACRARVM literarum cognitione clariss. necnon rarum ac celeberrimum diuini verbi concionatorem, Licentiatus Ioan. de Cordoua, in Academia Complutensi Collega Theologus, heroico laudat Encomio.

CEu, quando auricomus consurgit ab æquore Titan
Vere nouo, pulchram rubicundo illuminat ore
Tellurem, campósque rosis & floribus ornat,
Haud secus, ô nostro vir laudatissime sæclo,
Donec ad æthereos populos, celsúmque Sionem
Carpis iter, salicésque fugis Babylonis & vndas,
Qua te cunque pedes ducunt fulgentia cuncta
Reddis, & humanas facis efflorescere mentes
Exemplo verbóque tuo: regit vnica nanque
Virtus clara tuos ardenti lampade gressus,
At linguam sacer afflatus delapsus Olympo.
Nam cùm plena loco fundis, ceu Paulus, ab alto
Flumina doctrinæ, quis non stupefactus ab ore
Pendet? & attonitus, quanuis sit ferreus, intus
Diuina sentit, sese mollescere flamma?
Ecquis in Hesperia tota est, cui cedere possis
Eloquio sancto, & mixto grauitate lepôre?
Corde gerit silicem, quisquis tua fulmina sentit,
Et non flectit iter, lachrymisque fluentibus ora
Mœsta rigat, solymámque ardet Ierichunte reuerti.
Sed quò notitia sacrarum surgere rerum,
Et calamo possis, non est ostendere promptum,
Sit sentire satis, pro me toto orbe loquetur
Hoc opus, ergo, pater, cum sis clarissimus almæ
Doctrina fidei, lingua, candoréque vitæ,
Et genere illustri (nam te quoque sanguis auorum
Stemmate condecorat) Stellam te iure vocamus,
Téque suo fœlix Nauarra exultat alumno.

LAVS DEO.

BEATI LVCÆ EVANGELISTÆ, IN EVANGELIVM SVVM,

PRAEFATIO.

QVONIAM quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt rerum, ſicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis: Viſum eſt & mihi aſſequuto omnia à principio diligēter & ordinatè tibi ſcribere optime Theophile: vt agnoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

AVTHORIS ENARRATIO.

EA EST admirabilis Dei bonitas & clementia, vt nō ſolùm dignatus fuerit in hunc mundum deſcendere ad inuiſendum hominē, quem à miſera dęmonis, & mortis tyrannide eripuit: *Ad quid venit Chriſtus.* verùm eiuſdem hominis intellectum diuini ſui luminis radiis illuſtrare, & ab eo, omnes ignorantiæ tenebras repellere, altiſſimo decreuit conſilio: vt vel ſic vnuſquiſque facillimo negotio veritatis doctrinam poſſet apprehendere, & ſanctis inſtitutis ſeipſum componere, vt tandem fœlicem illum beatorum ſtatum (quem ſignato lumine nouimus ipſi homini conditum) non ſine magno fœnore glorioſus ſibi obtineat. Nam non ſolùm propter crimen primi noſtri parentis voluntas hominis violata, & ex praua natura malè affecta extitit: *Adæ peccatū quid in homines.* Verumetiam ipſius intellectus acumen ea cæcitatis pœna obtuſum, & hebetatum manſit, vt in rebus cognoſcendis nihil aliud calleat, quàm oculi noctuę ad lumen ſolis. Quamobrem ſi ignorat homo quæ ſunt cognitu facillima, & per ea repit quæ natura ſua maniſeſtiſſima ſunt: nónne in diuini numinis altiſſima contemplatione, quæ humanum captum prorſus ſuperat, ignoranter errabit? *Chriſtus venit vt redemptor & doctor.* Quapropter vnigenitus Dei filius homini cæco & perdito non ſolùm redemptor, verùm & doctor ſuauiſſimus venit: qui ſuo precioſo ſanguine nos redemit, ſua nos pauit doctrina, & ignorātiam noſtram expulit, vitam ſua morte tribuit, & in libertatem aſſeruit, & tandem moriens cœlum aperuit, docens quo pacto illud ſimus conſequuturi. At quid rogo nobis conduceret cœlum nobis maniſeſtum eſſe, niſi cognoſceremus ſimul quid nobis faciendū eſſet vt ad id conſcenderemus? Idcirco cùm in omnibus operibus ſuis Deus abſolutiſſimus ſit, & perfectus, cum nos redemit, ſimul etiam noſtræ ſalutis remedium præſtitit: *Oſee 10.* quod & ipſe per Oſeam prophetam multis retrò temporibus iam prędixerat. Tempus autem requirendi dominum cùm venerit qui docebit vos iuſtitiam. *Math. 4.* Hanc ſacram Euāgelicam doctrinam diuinus concionator, qui ſimul & magiſter venit, per vniuerſum Iudææ regnum, & per Galilææ prouinciam prædicauit: quā cæleſtem doctrinam ſanctiſſima, & puriſſima vita confirmauit, necnon clariſſimis miraculis illuſtrem reddidit. Vnde neceſſum erat vt poſt Chriſti ſermones ad homines habitos poſtq́ue eius aſcenſionem in cęlum, eſſent ſcriptores, & Euangeliſtæ, qui vniuerſam Chriſti ante actā vitā deſcriberēt, ipſiusq́ue præclara geſta. Et quanquā Chriſti doctrina per ſuos diſcipulos, & Apoſtolos fuit ab ore in os tranſlata: nihilominus operæpretium erat libros Euangeliorum ſcribere, tam ad fidem liberam & incolumem ſeruandam, quàm ad ſtatum noui teſtamēti, & ſanctam morum inſtitutionem. Namq́ue articuli fidei non per ſe ſimul colliguntur, ſed ex aliquibus longis narrationibus habētur, quas Euangeliſtæ audierunt, & viderunt, & poſteà tanquam miniſtri ſermonis ſacris literarum monumentis conſecrarunt. Neque aliter impios hæreticos perfricatæ frontis poteramus conuincere, niſi ſacros haberemus codices, ex quibus clara veritas nobis eluceſceret, quibusq́ue paganorum & hæreticorum impetus valeremus reprimere. Quod ſi ſcire cupias, quid Euangelium ſacrum ſit, id tibi eſſe intelligas, munitiſſimam armorū aulam, quam nobis reliquit dominus ad ſui nominis defenſionem. Præterea, quia non ſolùm erat nobis neceſſaria fides ad vitam æternam conſequendam, ſed etiam recta opera: idcircò legem nobis dedit, quæ actiones noſtras dirigeret, & gubernaret, & hæc in ſacro cōtinetur Euangelio. Multi autem in ipſa primitiua eccleſia pſeudoprophetæ ſurrexerūt, qui ſcripſerunt Euangelia, vt Baſilides, & Appelles. Itemq́ue & alij falsò titulo Euangelium à Bartholomæo & Mathia ſcriptum ſuum eſſe dicebāt. Fuit etiam & aliud euangelium Nazaræorum, & quod vocant Euangelium ſecundum Ægyptios, & Euāgelium ſecūdum duodecim. At eccleſia ſancta Dei diuino illuſtrata ſpiritu hæc omnia Euangelia tanquam apocrypha reiicit, & ſacratiſſima quatuor Euangeliſtarum volumina Mathæi ſcilicet, Marci, Lucæ, & Ioannis ſuſcipit, non quòd authoritatem habeant ab Eccleſia (quamuis non ſine Eccleſia) quæ ſic iudicauit. Quod quidē appoſitiſſimo ſimili tibi oſtendam. *Similitudo.* Gemma ab his reperta qui gemmarum pretium ignorant, licet ſuum valorem habeat ex natura ſua, attamen eis qui inuenerūt nullius eſt prætij, donec peritorum iudicium in hac re accedat.

accedat. Adducam etiam & aliud ex sacra pagina
3. Reg. 3. exemplum non minus elegans: Nam cùm duæ illæ meretrices ad regem Salomonem accessẽrunt de puero contendẽtes vtrius esset filius, cùm prudentissimus rex puerum dedit ei, quæ verè mater erat, non id efficit, vt puer propriæ matris esset filius: at decreto iudiciali declarauit, vt deinceps filius illius mulieris reputaretur, & quòd de illa re nūquā amplius contenderetur. Sic sancta Ecclesia iudicat & definit de scriptura, & hāc habet authoritatẽ, quia prior est Ecclesia quàm scriptura, quæ quidem excipiens doctrinam Christi, necnon Apostolorum suorum, vidensque tanta támque diuina miracula quibus cælitùs comprobata fuit, rectè potuit iudicare de traditionibus scripturarum, quę posteà fiebant an conformes essent ei doctrinæ quam ab Apostolis acceperat. Nam si tu audisses Christi doctrinam, eiusque adfuisses miraculis, nónne posteà iudicare posses de scriptura, vbi hæc recōderentur vera essent, necne? Potuit ergo primitiua Ecclesia hanc ob causam de scriptura iudicare, dicente do-
Ioan 15. mino, Et vos testimonium perhibebitis, quia ab
1. Ioan. 1. initio mecum estis. Vnde Ioānes non immeritò inquit, Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, annūciamus, &c. Et beatus Lucas in hac præfatione, Sicut tradiderunt (inquit) nobis, qui viderūt. Ita sanè Ecclesia catholica quatuor hæc Euangelia gemmas pretiosissimas iudicauit, & definiuit: alia autem nihil faciēda duxit. Sancta hæc quatuor
Gen. 2. Euangelia quatuor sunt vastissimi fluuij è terreno paradiso promanantes: hoc est, ex sacratissimo pectore Christi redemptoris nostri, quę vniuersam catholicam Ecclesiā lauacro regenerationis inun-
Ezech. 1. dant, & altis radicibus propagant. Hæc sunt quatuor illa sancta animalia, quæ, vbi erat impetus spiritus, gradiebantur: quique repleti spiritu sancto, eodemque dictante tāquam illius viua organa plena fide & veritate, sacrosancta Euangelia conscripserunt. ¶ Porrò quantæ excellentiæ sit & dignitatis hoc Euangelium Lucæ inter reliqua alia non ita facile esset dictu: Verum omnia præteribo, tria tantum commemorans, quibus beatissimus Lucas reliquos Euangelistas antecellit. Primùm adeò eleganti procedit sermone, vt dicat sacer Hieronym. quòd redolet quandam secularem eloquentiam. Neque id mirum cùm fuerit philosophus & medicus, & Gręci sermonis non ignarus. Deinde beatus
Luc. 1. Lucas cancellarius fuit virginis matris, necnon secretarius eiusdem & Christi redemptoris nostri. Solus hic scripsit angeli Gabrielis salutationem, colloquium virginis cum angelo, visitationem Mariæ
Luc. 2. ad Elisabeth, canticum Magnificat, Benedictus dominus, Nunc dimittis, conceptum Saluatoris, eius natiuitatem, circuncisionem, virginis purificationem, laudes Annæ & Simeonis, & quicquid ad infantiam & pueritiam Christi pertinet: quę omnia à virgine Dei genitrice audiuit, cui familiaris semper extitit. Præterea sanctus hic Euangelista dulcior & suauior est, dum Christi misericordiam & pietatem magnificat & commendat. Hic est qui maioribus criminibus grauatos & afflictos dulci consolatur eloquio. Hic vires ipsis peccatorib⁹ addit, ne de pietate & misericordia diuina desperent, eamque co-
Luc. 7. & 19. pioso sermone pertractat. Solus hic scribit Magdalenæ & Zachæi conuersionem, vbi maxima pars
Luc. 15. illius diuinæ bonitatis relucet: Solus enarrat quomodo publicani & peccatores appropinquabant vt audirent Iesum, vbi parabolam centum ouium & drachmæ apponit. Solus parabolam illam filij prodigi amoris dulcedine & suauitate plenam scribit ita graphicè & artificiosè, vt dura hominū obstinatorum corda, ea audita, tanquàm cera liquescant, & in diuini numinis dilectionem rapiātur & eleuentur. Solus hic scripsit, quomodo Christus in Luc. 23.
cruce pendens, non oblitus suorum crucifixorum pro illis ad patrem orauit. Deniq; solus hic meminit, quomodo Christ⁹ latroni in cruce dixit, Hodie mecum eris in paradiso: & tādem scribit quomodo Christus misericordia motus, dixit viduæ, noli flerè: & turbis, Estote misericordes sicut pater vester Luc. 7. Luc. 6.
misericors est, & damnationem & pœnam illius di- Luc. 16.
uitis, qui pauperis Lazari non est misertus.

¶ Quapropter ego non potui hoc Euangelium præ cęteris omnibus summo non prosequi amore: quod etiam omnes peccatores facere tenentur, quandoquidem portæ cœli & diuinæ misericordię clariùs in eo, quàm in aliis nobis patent. Vnde vt aliquid persoluam huic sacro Euangelistæ pro mea in illum deuotione (etsi nostrarum virium imbecillitati multùm sit impar) opere prætium duxi illum interpretari, dùm diuinum numen calamum simul & mentem direxerit. Sed interim id nobis summis precibus est orandum, vt veniens agnus de tribu Apoc. 5.
Iuda signatum librum dignetur aperire: vt intelligamus, quid ipse per secretarium suum Lucam nobis voluerit commendare, & vt possimus legis intelligentiam spiritualem percallere, cum eo qui dixit, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia Psal. 118.
de lege tua. Accedamus igitur pro ingenij nostri tenuitate ad textus explicationem.

Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem. Solus beatus Lucas inter cæteros Euangelistas suo Euāgelio præfationem præmittit: quia specialiter ad vnum hominem illud dirigebat: Alij autem Euāgelistæ sine vlla speciali ratione scripserunt. Vbi statim animaduertendum sese offert, quanta sit charitatis vis atque potentia: Etenim beatus Lucas non recusat vnius hominis gratia tantum oneris & laboris sibi assumere, vt vel sic eū in accepta fide confirmaret, cui etiam acta Apostolorum consecrat. Ad eundem modum Christus Ioan. 4.
propter vnam Samaritanam defatigatus ex itinere prædicauit, & post resurrectionem propter vnum Thomam incredulum apparet, multi (inquit) cona- Ioan. 20.
ti sunt ordinare narrationem: Non Matthæus, non Marcus: sed Basilides, Apelles, & alij. Isti cœperunt sed non perfecerunt: cum diuina gratia illis abesset. Mali propria virtute sua opera incipiunt: vnde euenit, vt frustrà & sine fructu laborent. Quod diuinus vates Hiere. prædicit, Vt iniquè agerent, la- Hiere. 9.
borauerunt. Sic etiam & alij sub Pauli nomine epi- 2. Tess. 2.
stolas scripserunt, vt ipse fatetur. Quod quidem de se nimis præsumentes sunt aggressi, vt hoc modo suas hæreses suaderent, quo effecerunt, vt laborem tātum non fructum colligerent. Non sic laborauit beatus Euangelista: sed diuino spiritu sermonis vbertatem ministrante, dictorum simul & factorum, fœliciter cœpta compleuit. Admonet iste locus, vt quicquid velimus incipere, sub Christi nomine id incipiamus, non nostro freti auxilio, sed diuino lumine pręuio, quod omnes cæcitatis tenebras & errorum præcipitia potens est auertere. Hinc est q̄d dicit Apostolus, Omnia in gloriam Dei facite. Illi 1. Cor. 10.
nanq; qui nomen suum gloriosum in terra esse voluerunt,

luerunt, quique cœperunt turrim Babel in Senaar ædificare: quia in nomine domini non cœperunt,
Gen. 11. penitus confusi sunt. Lucebunt opera tua & optatum finem assequētur, si sub nomine Christi initiū feceris, vbi diligēter animaduerte quàm citò angelus Satanæ in Ecclesiam Dei falsam doctrinam voluit inserere, & pestiferum venenum diffundere. Ea etenim est huius maligni hostis natura, vt semper
Gen. 3. nostris inceptis insidietur. Sic primum nostrū parentem in terreno paradiso deiecit, sic cum secundo ingentes habuit congressus. Sic & innocentes
Math. 2. pueros interfici fecit. Sic denique initio nascentis Ecclesiæ molitus est hæreses, errores, & mendacia
Act. 6. disseminare. Nicolaus vnus ex septem diaconis ab Apostolis electi hęresim docuit. Et Ebionitę surrexerunt negantes Christi saluatoris nostri diuinita-
Apoc. 2. tem, aduersus quos Ioannes Euangelium scripsit, & multi alij, vt noster Lucas ait, conati sūt proprio ducti spiritu, Christi gesta narrare. Sic etiam nobiscum impius hic & nefarius Satan consueuit agere: nam quando in virtute infantes sumus, & Deo seruire incipimus, tunc maximas suas tentationes nobis parat, vt facilius nos in virtute debiles & imbecilles vincat. Quocirca cùm Deū colere cupieris, ab eo discede, & Ecclesiasticum dicentem audi. Fili accedens ad seruitutem Dei præpara animam
Eccl. 2. tuam ad tentationem. Bonis enim inceptis semper
Gen. 31. insidiatur: quod experimento in Iacob comperies,
Exod. 14. quem fugientem Laban est persequutus. Sic Pharao Israelem abeuntem persequitur. Nunquam dęmon eum persequitur, qui iam captus est, & in eius seruitute detentus: sed tunc potissimè, quādo Deo seruire cupis & illū deserere. Vbi (si ita loqui licet) ipse diabolus nō monet: nam eo modo quo in virtute debiles nos tentat, ita etiam principio oportet nos eas vincere, quando minorem vim habent. Tunc enim rectè serpentem aliquem interficies, si caput eius obtruncaueris: sic benè ipsum dæmonē infernalem serpentem morti trades, si eius caput abscideris: quod quidem tūc abscinditur, si in principio fuerit victus. Vnde dominus de muliere loquutus, ad serpentem dixit, Ipsa conteret caput
Gen. 3. tuum. Lubricus est antiquus serpens, qui nisi capite apprehendatur, facilè labitur. Vnde dominus in
Cant. 2. Canticis iubet capi vulpeculas antequàm fiāt vul-
1. Reg. 7. pes: Dauid quoque Gigantem Goliath in fronte percutit: qui initio tētationis illum vincit. Pharao
Exod. 1. etiam populum Dei in morte primogenitorum liberum reliquit abire, quod in aliis plagis non fecerat. Nec diabolus populum Christianum omnino dimittet, donec sancta mater Ecclesia correctioni paruulorum studeat, & laboret, vt interficiant peccata & tentationes dum recentia sunt. ¶ Aduerte etiam quòd diabolus non solū initio nostra bona studia destruere satagit: sed etiam fucata & palliata pelle se induit, vt sub specie virtutis & recti vitia inferat. Sic isti sub nomine Christi conati sunt Euangelium scribere, vt aliquibus veritatibus mendacia ingererent, & zizaniam inter triticum seminarent:
Math. 13. Sicut vxor Hieroboan, quę mutata veste voluit de-
3. Reg. 14. cipere Abiam prophetam. Sed Deus reuelauit veritatem prophetæ, & ostendit veritatem simulātis. Et beato Lucæ veritatem euangelij manifestauit, vt detegeret aliorum insidias & fucata verba. Nec diabolus hac nostra tempestate assueta relinquit: nam etiam nunc multi specie boni & recti tentantur, & decipiuntur. Ita nimirùm, quod sub specie pietatis furtum suadet vt eleemosynam de alieno tribuas indigēti & inter virum & vxorem dissidias seminat sub specie deuotionis, quando ipsis mulieribus prædicat abstinentias quasdam, pœnitentias, & peregrinationes. Quando inter duos principes, Christianum videlicet, & Turcam, bellum aliquod nauale agitūr, si fortè Christianos nauigantes & à longè per mare veniētes videāt, statim ficta principis Christiani vexilla erigunt, vt ipsi Christiani securiùs ad Turcas accedant, vt vel sic falsi & delusi captiui capiantur. Sic non dissimiliter Christiani hominis sunt arma & signa charitas, oratio, ieiunium, &c. diabolus autem inimicus noster fallax & astutus multoties nobis prædicat, & hortatur ieiunium, eleemosynā, & peregrinationes, vt quanquam inimicus sit, amicum eum esse putes, cui sic omnia tua credes, vt etiā vitam in eius manus constituas, vt tandem tibi in eis sit pereundum. Multi 2. Cor. 11.
certè stulti & amētes cū ignorent angelū Satanam in angelum lucis figurari, dæmonis tentationem, diuini spiritus motū esse existimant, & hac de causa multoties à via veritatis aberrant, & toto falluntur iudicio, cùm à diaboli tentatione vincātur. Tamen cum ecclesia semper iudex fuerit, & rectè cognouerit veras scripturas à falsis distinguere, & apocrypha & mendacia reprobare: ita tu viros doctos & probatæ fidei cōsule, quos sequi debes, nec tuo niti iudicio. Atque ita nisi omnino velis, crede re te oportebit ecclesiæ, illud euangelium esse diui Lucæ, illudque falsò beato Bartholomæo adscribi. Ita tu qui inscius es, & arcana scripturarū non nosti, tuas tentationes cum doctis & senioribus hominibus verses, quorum consilio iudicium tuum submittes. Vnde fiet, vt nisi tibi fideris, non errabis. Namque isti tibi aperient hanc esse dæmonis tentationem, & qua via poteris illam euadere, quæ legi diuinæ minimè subiecta est: licet boni similitudinem afferat: & illud malum esse licet boni similitudinem prę se ferat. Iam igitur ad contextum reuertamur, *Quæ in nobis completa sunt rerum*. Rerum ait nō verborum: elegantia nanque scripturæ non est in verbis, sed in factis. Si rhetores, poëtas, & humanarum rerum historiographos legeris, in eorū phrasi magnam verborum elegantiam, & apparatum inuenies: at verè nihil vtilitatis aut fructus inde videbis, nisi mera mendacia fucatis verbis inuoluta, & tanquam malus cibus toto hoc indiget condimento, vt comedi valeat. At verò sacra scriptura animæ nostræ cibus & substantia est succo plenissima, quę nullum sibi postulat obsonium vt libenter comedatur. Veritas quippe quemadmodum ipsa per se pulchra est, ita nullo ornatu habet opus, & ea maximè, q̄ in sacris literis nobis aperitur. Ipsa etenim sua natura ita iucunda est & suauis, vt nullo addito stibio reliquas omnes facilimo negotio antecellat. ¶ Aduertes præterea quod non dicit Lucas à nobis: sibi nihil, Deo omnia tribuens. Quo admonemur loco, vt quidquid fecerimus soli Deo adscribamus: à quo omne bonū nobis promanat. Apostolus nanque post longos labores susceptos, & maximas tentationes superatas dixit, Non ego, sed gratia Dei mecum. Quapropter vel vnico hoc 1. Cor. 15.
exemplo liquidum tibi erit, quomodo sancti collati honoris gratiam Deo potius, quàm sibi referūt. Sic sanctissima illa fœmina Iudith, postquàm impium Holofernem trucidauit, dixit, In manu fœ- Iudith. 13.
minæ percussit illum dominus. Non dixit ego percussi,

cussi,sed dominus, ipsi Deo honorem tribuẽs.Vn-
1.Cor.3. de etiam Paulus, Non sumus sufficientes cogitare
aliquid ex nobis tanquam ex nobis:sed sufficientia
Esa.10. nostra ex Deo est. Et per Esaiam, Nunquid gloria-
bitur securis contra eum, qui secat in ea:aut exal-
Ioh.15. tabitur serra contra eú, à quo trahitur? Et ipsemet
Similitudo. dominus inquit,Sine me nihil potestis facere.Nam
quãuis sanus sit oculus,nihil potest cernere,nisi lu-
cis claritate sit adiut⁹.sic etiã & nos, nisi diuo lu-
mine cælitus fuerimus adiuti,nihil possumus ope-
rari æterna salute dignum, etiã si bonum oculum,
Math.17. hoc est, etiam si liberũ habemus arbitrium. Quid
igitur est quod tu ipse de bono facto gloriaris?Ita-
que sicut serra non habet vnde glorietur, sed arti-
fex qui secat in ea:sic tu nõ glorieris de dono quod
Phil.2. Deus per te operatus est: Vnde meritò diuus Pau-
lus,Deus est,qui operatur in nobis velle & perfice-
re. Nam in quolibet genere ad vnum primum de-
uenimus,à quo tanquam à suo principio omnia il-
lius generis descendũt: quod quidem apertũ est in
motu:nã omnis motus à motu primi mobilis est.Et
item dicendũ est de motore, de mouentibus quip-
pe & motis non resultat processus in infinitum,sed
deueniendũ est ad aliquem motorẽ primũ. Sic etiã
omnia bona opera necessariò debẽt deriuari ab il-
la prima & inexhausta bonitate. Vnde gratia sem-
per Deo agẽda est, de quocũq; opere quod ipse per
Psal.117. nos fuerit operatus. Quapropter Dauid toties idẽ,
Psalm.93. diuersis replicat, Fortitudo mea & laus mea domi-
Psal.70. nus, & factus est mihi in salutẽ:Et nisi quia domi-
Psal.43. nus adiuuisset me,&c.Et factus est dominus firma
mentũ meum,& refugium meum.Simile etiã est il-
lud,In te inimicos nostros ventilabimus cornu.Nõ
dixit nostra virtute,sed in te:hoc est,in virtute tua,
& in dextera tua.Iam hîc vides omnia in Deum re-
Num.20. ferri, tanquã in authorẽ vitæ & salutis: Quia verò
Moyses & Aaron hunc honorem nõ tribuerũt, nõ
introduxit illos dominus in terram promissionis.
Si Moyses & Aaron,qui maximam cũ domino inie-
rant amicitiam,ita puniti sunt:quid tecũ faciet,qui
teipsum laudas, & quodcũque bonum opus à tuis
viribus profectũ esse dicis?Sed de his aliàs.*Sicut tra-
diderunt nobis, qui ab initio viderunt, & ministri fuerunt
sermonis.* Vt ex illis verbis,scilicet, Ipsi viderunt,do-
ctrinam & scientiam significet: ex illis verò mini-
stri fuerunt sermonis,opera ostendat.Nam cùm di-
cit,sicut tradiderunt nobis qui ab initio viderunt,
ostendit,se dominum in carne nõ vidisse:quia bea-
tus Lucas post Christi mortem ad fidem fuit con-
uersus,& Paulum sequutus.Quapropter qui dicũt
Lucam vnum fuisse ex duobus eũtibus in Emaus,
omnino errant:cùm dicat hîc ab Apostolis didicis-
Luc.24. se Euangelium. Etenim si Lucas esset vnus ex illis
duobus,quibus dominus interpretabatur scriptu-
ras,non dixisset, Sicut tradiderunt nobis qui vide-
runt:sed dixisset vtique, sicut tradidit nobis Chri-
stus. Accepit namque euangelium à beato Paulo,
qui illud per reuelationem habuerat:accepit etiam
Galat.1. ab aliis Apostolis, qui dominum in carne sequuti
sunt,quod Paulus nõ fecit.Etenim nõ solus Lucas
& Marcus auditu didicerunt q̃ scripserũt,sed etiam
Mathæus & Ioannes multa de infantia, de pueri-
tia,& genealogia Saluatoris aliis narrantibus lite-
Math.17. ris consecrarũt. Mathæus nanque nõ vidit transfi-
gurationẽ domini, nec passionem:nec Ioãnes vidit
quomodo Christus Magdalenæ apparuit,nec eorũ
aliquis vidit resurrectionẽ domini, quæ tamẽ scri-

pserũt. Verùm licèt apostoli & euangelistæ multa Ioan.20.
ab hominibus didicerint, fides non est nisi à solo
Deo,& donum nobis ab ipso collatũ.Etenim fides Rom.10.
ex auditu est,quantum ad cogitare de creditis,cir-
ca quæ est fides,& est ab illuminatione diuina,quã
tum ad cõsensum, qui est in fide.Et sic beatissimus
Lucas,quamuis audierit à virgine Dei para, & ab
Apostolis, nihilominus Spiritu sancto dictante &
mouente scripsit:quod quidẽ ipse sub silentio præ-
teriuit, vt superbiam & iactantiam euitaret. Viri
nanque boni non audent dicere in suis operibus se
à diuino spiritu dirigi: nisi ab aliis cogantur super
re aliqua,quę ad laudem & gloriam Dei spectet.Sic
beatus Paulus, loquutus ad Corinth. & grauiter 2.Cor.13.
propter eorum peccata indignatus dicit, An expe-
rimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chri-
stus? Vbi videas rogo sacri Euangelistæ Lucæ hu-
militatem, qui vt humiliter loqueretur, potiùs di-
xit se ab hominibus eruditum, quàm à Spiritu
sancto dirigi:qui dicendi modus conueniẽtior est,
& maiorem humilitatem ostendit. Id autem opor-
tebit te cõsiderare quod Lucas dicit de Apostolis,
& vidisse,& ministros fuisse sermonis, nam in ho-
minibus perfectis gemina virtus est,visio scilicet &
actio. Factores etenim fuerunt sancti Apostoli eo-
rum quę viderunt & audierunt,illud Iacobi atten-
dentes,Estote factores verbi,& non auditores tan- Iac.1.
tum, fallentes vosmetipsos:nam si quis auditor est
verbi,& non factor, &c. Docemur etiam iuxta ea,
quæ audiuimus,& credimus,operari. Namque do- Leuit.1.
minus præcepit in Leuit.vt os turturis sub abscel-
la torqueretur,vt hoc significaret, ori coniungen-
dam esse actionem. ¶ Expende etiam dixisse, mini-
stros fuisse sermonis.Sermones vocat res gestas,qui
modus dicendi à sacris literis non est alienus: nam
in libris Regum sic legimus de Dauide,Non decli- 3 Reg.15.
nauit ab omnibus quæ præceperat ei dominus
cunctis diebus vitæ suæ,excepto sermone Vriæ Æ-
thæi.Ministri fuerunt Apostoli earum rerum,quas
viderũt.Certissimus est testis oculatus, & Aposto-
li & discipuli vani testes non fuerunt, quorum vi-
tam miracula declarabãt.Non enim quæ Christus
gessit,vulgariter tradita sunt,sed omni certitudine
& indubitata fide sunt edocta.*Visum est mihi assequu-
to omnia.* Omnia inquam non quæ Christus in vita Ioan.21.
gessit:nam si singula scriberentur,nec ipse mundus
capere posset libros vbi scriberentur. Et quamuis
Lucas dicat assequutum esse omnia,non tamen in-
telligas quòd omnia necessaria ad salutem in suo
Euangelio tradiderit. Nam de fide tenendum est, Ioan.2.
ita vt quis saluus esse non possit nisi id crediderit, Ioan.9.
quòd Christus conuertit aquam in vinum, & Ioan.11.
quòd illuminauit cæcum à natiuitate, & Lazarum
iam mortuum suscitasse, & plura alia quæ Lucas
non scripsit: sed Ioannes transactis iam sexaginta
annis post mortem Christi. Nec Ioannes, nec Lu-
cas,nec omnes simul scriptores tradiderunt omnia
mysteria fidei: nam plura viua traditione, ac velut
per manum transfusa, in omnem ætatem custo-
diuntur.Paulus enim ait,Tenete traditiones, quas 2.Thess.2.
didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam.
Vidésne quomodo Thessalonicenses moneat, vt
teneant quæ per sermonem audierunt. Corinthiis 1.Cor.11.
etiam ait, Laudo vos fratres,vt per omnia memo-
res mei estis: & sicut tradidi vobis præcepta mea,
tenebitis. Laudantur, qui tenent præcepta sine
scriptura. Sine scriptura dico, quia epistola, qua
eos

eos laudat, prima eſt ad eos ſcripta , quos non per ſcripturam,ſed viua traditione docuerat.Quę loca *Chry.ho.4.ep. Theſſa. to. 4.* verſans D.Chryſ. ſic ait,Hinc patet,quòd non omnia per epiſtolam,ſed multa etiam ſine literis Apoſtoli Chriſti tradiderunt. Quorũ alibi ſæpè meminit Apoſt. At verò tanta fide hęc,quàm illa ſunt digna. Ita quoque traditionẽ eccleſiæ dignã putauimus:traditio eſt,nihil quęras amplius.Hęc ille.Eadem ferè verba dicunt in hũc locũ Pauli,Theophilactus,& Vulgarius vetuſtus author probatę eruditionis, & D. Damaſcenus in quarto libro fidei orthodoxæ.Itaq; vt finẽ dicẽdi faciã in hac re,ſi omnia credenda & agenda ſufficiẽter ſcripta erãt in euangeliũ Math.Marci,& Lucæ,quid eſt:quod beatus Ioannes neceſſariũ exiſtimauit in extrema ſua ſenecta quartũ euãgeliũ eſſe ſuperaddẽdũ:Rurſum, Si ſcripturis quatuor euãgeliorũ omnia cõprehẽdebãtur:ad quid erat opus,vt Apoſtoli multa detegerẽt in ſuis epiſtolis?Cur Lucas ſcripſit Acta Apoſtolorũ,& Ioannes Apocalypſim? Deinde ſi omnia ad ſalutẽ ſcripta ſunt in codicibus noui teſtamẽti: *1.Cor.11.* cur dicit Paulus,cętera cũ venero,diſponã?cur Ioã- *D.1.Ioan.* nes dicit,multa habeo vobis ſcribere:ſed nolui per chartã?Cur monent,vt perſiſtãt in traditionib' per ſermonẽ, vt teneãt etiã præcepta tradita quorum nulla extat ſcriptura? Ex quo manifeſtum apparet, quàm nullum ſit argumentum quod negatiuè ſumitur ab authoritate ſcripturę.Non legitur hoc in ſcripturis ſacris, ergo non pertinet ad veritatẽ religionis Chriſtianæ.Hoc autẽ alienũ eſt ab omni bona argumẽtatione, nã illatio negatiua ab authoritate nihil cõcludit:Etenim non rectè ſequitur, Cicero parens eloquentię nõ fuit eo pacto loquutus: igitur nemo ſic dixit Latinè.Similiter nõ ſequitur, Chriſtus viuẽs in terris nihil tale docuit: igitur nõ *Ioan.16.* eſt credendũ.Ipſe etenim dixit,Multa habeo vobis loqui, quæ non poteſtis portare modò. Valet tamen hæc illatio.Chriſtus hoc non docuit,nec prophetæ ante Chriſtũ,nec Apoſtoli poſt Chriſtũ,nec ſancta eccleſia diuino illuminata ſpiritu hoc tradidit,ergo non pertinet ad veritatem religionis. Iam enim argumentũ nectitur per ſufficientẽ inductionem,à renocatione omniũ,quibus in hac parte de- *Lege Aug. cont.ep. Fundamenti, & ad Ianuariũ.* betur authoritas. Nã ſi ex eo quod aliquid non inueniretur in ſcriptura ob id non eſſet credendũ,ſequeretur inde,ꝙ antequã Mathęus ſcriberet ſuum euãgeliũ,qui primus omniũ ſcripſit, nihil eſſe credendũ per totũ illud ſpacium quindecim annorum poſt Chriſti aſcẽſionẽ,in quibus nulla erat noui teſtamẽti ſcriptura : qđ quidẽ ineptiſſimũ eſt aſſerere.Denique ſi hæretici nõ credunt,niſi ſoli ſcripturæ,ſequitur ꝙ nihil credũt.Nam quis illis dixit hęc euangelia eſſe Mathæi,Marci,Lucæ & Ioannis,niſi eccleſia?Si ergo eccleſiæ nõ credũt, ergo nihil credunt.Verũ ſi ſcripturæ credũt,eò quòd dicit eccleſia ſcripturæ diuinę eſſe credendũ,credãt & aliis ab ipſa eccleſia traditis:Sed de his ſatis.Iam euangeliſtam audiamus Theophilo vlterius dicẽtem,*A principio diligenter ex ordine tibi ſcriptura optime Theophile.* A principio ait,quia Lucas ordinẽ ſeruat hiſtoricũ,& ſuũ euangeliũ exorditur à conceptione beati Ioannis Baptiſtæ, quod nemo alius euangeliſta facit:nã Marcus & Ioãnes à prædicatiõe beati Baptiſtę cœperunt:Mathæus à Chriſti natiuitate:Lucas verò à cõceptione præcurſoris,& incarnatione verbi initiũ euangelij ſumit.Atq; ideò dixit à principio tibi ſcribere:Vbi iã ſingula verba notanda veniũt.Diligẽter inquit:nã materiæ altitudo,& grauitas huius operis,& hominẽ circũſpectũ & reuerẽter loquentem poſtulabant,vt maledictionem Ierem. fugeret *Iere.48.* dicẽtis, Maledictus ille qui opus Dei negligẽter facit:Nã quãto diuiniora & altiora ſunt quę tractantur,tanto diligẽtiùs ſcribẽda ſunt.Qui locus docet operibus Dei diligẽter,nõ ſegniter eſſe incumbendũ.Vnde Paulus,Cũ ſollicitudine ſpiritu feruẽtes, *Rom.12.* domino ſeruiẽtes.Petit dominus in noſtris operib' & ſpiritũ & feruorẽ, nimirũ quia gratior & iucundior eſt illi vna hora feruidè & ardẽter in eius obſequio cõſumpta,quã ſi mille diſpẽderis dies,ſegniter,& tepidè collocatos:etenim quia potiùs attendit ſpiritũ quo illũ colimus,quã tẽpus conſumptũ. Breui quippe tẽporis ſpacio,ſi ardẽter & cũ charitate laboraueris, maiori eris dign' mercede,quàm ſi multũ male cõſumpſeris.Paruũ qdẽ fuit momentũ *Luc.23.* tẽporis quo latro inſignis in cruce pendẽs,Chriſto ſeruiuit:tamẽ propter ſedulã diligentiam,qua Deo mirificè placuit, ampliſſima retributiõe fuit dign'. Nec abſq; magno ſacramẽto paſchalis agnus pro- *Exo.12.* perãter & cũ feſtinatione comedi præcipiebatur, vt nobis ſignificaret omni ſemota pigritia illi eſſe inſeruiendũ.Addit inſuper beatus Lucas ex ordine velle ſcribere : quod multũ confert ad clariorẽ ſermonis intelligentiã.Nã Apoſtolus ait, Quæ à Deo *Rom.8.* ſunt,ordinata ſunt.Sic in Leui.in oblationibus,& *Leui.1.* ſacrificiis ordinẽ ſeruari voluit. Sic Moyſes loquutus de ſacrificiis,dixit.Subiiciet in altari ignẽ,ſtruet lignorũ arte compoſita,& mẽbra quæ ſunt cæſa deſuper ordinãtes. Vbi iam vides quomodo nihil incõpoſitũ aut inordinatũ velit dominus in ſuis ſacrificiis.Vt nos doctiſſimus in omnibus rectũ,& debitum ordinẽ ſeruare.Omnia in nobis (dicit Paulus) *1.Cor.14.* ſecundũ ordinẽ fiant. Sapiẽtis enim eſt & verbis & factis ordinẽ ſeruare.¶ Porrò Theophilus hic præſul Antiochenus ſeptimus fuit, ex qua vrbe Lucas ſuã originẽ traxit:cuius precibus acquieſcẽs euangeliũ hoc ſcripſit , necnõ etiã eidẽ acta Apoſtolorũ dicauit.Nec dubiũ eſt quin Gręco ſermone ſcripſerit in partibus Bœotiæ & Achaiæ.Quapropter iuxta ſanctorũ Patrũ doctrinã:ſi qua difficultas oritur *Amb.lib.de ſpirituſancto c.6.Augu.li.2. doct. Chriſti. 11.* in ſacris literis ad fontes Hebræorum, & Græcorũ (vt vis verbi melius intelligatur)recurrẽdũ eſt.Multa enim ſunt in exẽplaribus , quæ Latinè nec plenè nec perfectè trãsferri poſſunt.Nã literæ noſtrę non ex æquo reſpondẽt Hebręo,& habet ſuas peculiares phraſes vnaquæq; lingua,vt teſtis eſt D. Hiero. *Hierom.con. Helui. & ſuper Ezec.c.8. Hiero.epiſto. ad Tit.ca.3.* Nam multa ſunt in ſcriptura ſacra loca,quę niſi ad Hebraicam, Græcã linguam te cõtuleris, vix ea intelligere poteris.Vt eſt illud Pſal.Inimici defecerũt *Pſal.9.* frameæ in finẽ:vt ciuitates eorum deſtruxiſti.Nam inimici iuxta aliquorũ ſentẽtiã eſt nominatiui pluralis caſus,ſed melius eſt , vt ſit genitiuus in hunc ſenſum.Inimicorũ noſtrorum vires fractæ, debilitatęq; ſunt. At verò iuxta Hebraicã veritatẽ vocatiuus eſt & inimicè legendũ.Atq; iis error irrepſit, ex affinitate literarum.Loquitur aduerſus Goliath Philiſtim,atq, irridẽs vires eius , miratur quomodo tã celeriter fuerint fractę.Et in alio Pſalmo,Ecce *Pſal.125.* hæreditas domini filij merces, fructus ventris.Nomẽ filij poteſt eſſe genitiuus ſingularis , aut nominatiuus pluralis,quod rectius videtur , ac ſi dicat, Hæreditas domini ſunt filij,nam hæc erat fœlicitas veteris legis.Et ſubdit, qui filij ſunt merces & fructus ventris materni.Et alibi etiam, Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Primum nomẽ *Pſal.44.* (vt Hieron. ait ad Principiam virginem)eſt in vocatiuo ad hunc ſenſum,Propterea ô Deus, vnxit te

Deus tuus oleo lætitiæ. Et nisi breuitati consulerem plura & ferè innumera scripturæ loca afferre possem, vbi lingua Hebræa & Græca necessariò cõsulendæ essent, vt exactè possunt interpretari. *Vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es veritatem.* Hic est scopus & ratio scribẽdi, vt ad veritatis agnitionem veniamus. Solemus quando quis nobiscũ loquitur sine scripturis suspicari, ne quid mendacij illis verbis admixtum sit: quando verò quæ loquitur scribit, tunc credimus quòd non scriberet, nisi vera diceret. Propterea igitur scripsit tibi euangeliũ: vt veritatem, de qua sine scripturis eruditus es, maiori securitate conserues. Quocirca quàm recto ordine, quàm à principio, qua dexterè, exactè, eleganter, & diligenter Sp. sancto dictante beatiss. hic euangelista Lucas hoc volumen scripserit, satis ostendit. Ad cuius explanationem, finita iam præfatiuncula, accedamus.

CAPVT I.

DESCRIPTVRVS Lucas ea quæ Christus gessit in terris, à natiuitate Ioan. exordium sumit. Ioan. 1. Ad hoc venerat Ioannes vt testimonium de eo perhiberet. De ipso namque scriptum est, Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine. Sed nunquid testis vnus sat erit vt fidem faciat, cùm scriptura dicat: in ore duorum, vel trium Deut. 17. stat omne verum? Nónne rectiùs esset duos, vel tres præcursores à domino mitti, vt suæ diuinitatis sufficiens testimonium ostenderẽt? Ad quod dubium facile tibi sume responsum. Tantę tamque probatę fidei & integritatis potest esse vnicus testis, vt eius testimonium plus valeat, quàm decẽ alia testimonia contrarium asserentia. Beatiss. Baptista tanta fuit præditus sanctitate, tanto morum & vitæ candore, tam cælesti & admiranda vita, vt vniuersus populus potiùs ei soli crederet, quàm mille aliis testibus. Quapropter quando vitæ integritas testem commendat, qualis fuit b. Baptistæ: dignus est, vt ei soli fides adhibeatur. Etenim insanus & amens esset ille, qui tanto támque probato viro nó crederet: qui præter sanctissimam ipsius vitam, viriliter & magna cum audacia ipsos phariseos & primates Hierusalem increpabat, appellans eos genimina vipeMath. 3. rarum: Qui tam amicus fuit veritatis, vt aduersus Mat. 14. impium Herodem non dubitauerit eam dicere. & tandem pro ea defendenda in capitis & vitæ discrimen seipsum offerre. Intentio igitur euangelistæ fuit, nobis significare & tradere Iesum esse speratum illum Messiam à prophetis & sanctis patribus desideratum, eundemque esse filium Dei & mundi redemptorem. Quod statim initio sui euangelij ex duplici capite probat. Primò ex testimonio beatiss. Ioann. qui hoc asseruit: & vt D. Ioannes testimoniũ magnificet, priùs eius personã laudat & extollit, dicẽs illũ esse ortum ex sanctissimis parentibus iam senibus & in sterili ætate constitutis, fuisséque Sp. sancto plenũ antequã ex vtero materno in lucem prodiret. Cuius rei causa rationis vsus in eo ipsum naturæ ordinẽ superauit: qui tandẽ cum in deserta loca recederet, purissimã & admirãdã vitã degit, ita vt cũ angelis meritò, si velis, possis illum conferre. Quamobrẽ vix credibile est talẽ hominẽ in rebus tanti ponderis, & momenti aliquo modo mentiri posse: Vult enim sacer euangelista D. Ioann. personã summopere cómendare, vt maiorẽ authoritatẽ suis dictis afferat: vt meritò tantã fidẽ illi adhibeas, quantũ decẽ aliis testibus possis adhibere. ¶Secundò probat beatus Lucas suã intentionẽ, testimonio prophetiæ: quam olim Iacob morti appropinquãs ꝓdixit. Nõ auferetur (inquit) sceptrũ de Iuda, & dux Gen. 49. de fœmore eius: donec veniat q mittẽdus est: & ipse erit expectatio gentiũ. Ostendit igitur Euangelista Ioã. excellentiã vt maiorẽ ei adhibeas fidẽ, postquã dicẽtẽ audieris, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit pec- Ioan. 1. cata mundi. Ostendit insuper eo tẽpore quo Christus cõceptus & natus fuit impletã esse prophetiã Iacob, & finitũ esse sceptrum regni Iuda: quia tunc imperabat in Iudęa Herodes Alienigena, qui natione erat Idumæus. His duobus innitens fundamentis probat Euangelista, Iesum verum Messiam, & filium Dei, qui tollit peccata mũdi & ita inquit, *Fuit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias.* Ad qđ vsque tempus huius Herodis rex vel dux in Iuda, de eius tribu, nunquã defuit. Nã in captiuitate Babylonię, mortuo Sedechia, cœpit regnare Zorobabel: qui de stirpe Dauid erat, & de domo Iuda. Et quãquã in Babylonia suũ imperiũ exequi non poterat, impediẽte captiuitate: tamẽ postea in patriã suã reuersus, cœpit regnare, & sceptrum regni accipere, vt liquidò constat in Zacharia & in Zach. 10. Aggeo. Agg. 2. Postea autem successit Neemias, & successores, vsq; ad summos sacerdotes, qui populo imperare cœperũt, vt in Mathatia & in filiis eorum Machabæis. Et isti erãt de tribu Iudæ, nã summi sacerdotes ducebant vxores de tribu regia, de filiabus regum, vel de stirpe regali: vt constat in Aaron qui duxit Elisabeth filiã Aminadab, & sororem Naa- Num. 2. son ex principibus tribus Iuda. Et temporibus regum Iuda, idem factum cõstat, quia Iosabeth regis 4 Reg. 15. Ochoziæ soror, Ioiadæ sũmi sacerdotis vxor erat: q̃ Ioas regem abscondit. Et mortuis trib. fratribus Machabæis, regnauit Ioãnes Hyrcanus, filius Simonis Machabæi, qui sibi ipsi regis coronã imposuit. Postea autẽ regnauit Aristobolus, deinde Iannæus, deinde vxor eius Alexãdra, & postea Hyrcanus vlti- 1 Mac. 16. mus Iudæorum naturalis rex. Statim verò post oẽs hos, Herodes iste Alienigena regnũ suscepit, & 30. annis superbè & tyrannicè contra Iudæorum voluntatem imperauit: Qui iam tã dura seruitute defessi, vltrò abstringentes illi in posterum suã fidem & obedientiã. Anno igitur 32. regni Herodis, & sui legitimi principatus anno 1. natus est Christus. Nec frustrà euãgelista noster dicit tũ temporis regnasse Herodem in Iudæa: vt intelligas iã adesse tẽpus Messiæ. Porrò hic erat Herodes, Ascalonita vocatus: qui infantes in Bethleẽ interfecit. Alius fuit Math. 2. Herodes Antipas, filius huius, qui Ioãnem iugulo Mar. 6. tradidit, & Christũ in passione derisit. Tertius autẽ Mat. 26. fuit Herodes Agrippa, qui Iacobũ decollauit, & Pe- Act. 12. trũ in carcerẽ detrusit: qui tandẽ ab angelo percussus, vermib⁹ cõsumptus est. Tamen quia postquã in hoc D. Lucę opere cótextũ euãgelij fuero interpretatus, statim cõuersurus sum eius doctrinã ad mores cóponendos, & ad cómodũ & ad vtilitatem animarũ: nã vt Paul⁹ ait, quidquid scriptũ est, ad no- Rom. 15. strã doctrinã scriptũ est: statim hìc in principio aliqua esse censeo, ad nostrã eruditionẽ notatu digna. Et in primis offert se verbũ illud, fuit. ꝑteriti temporis, à quo noster Lucas exorsus est euangeliũ suum: quod certè cõsideratione dignum videtur. Verum nãq; illud est: nullum esse verbum in tota sacra pagina, vbi aliquid nõ lateat mysteriũ: plena qppe est multis sacramentis, licet nobis propter angustiam ingenij nostri ignotis. Contingit enim aliquãdo vt Ori. hom. 8. super Leui. in agro pastorem videas recũbẽtem super floribus,

& eos

& eas terentem cũ earũ virtuté atq; naturã prorsus ignoret, tamé si accedat pharmocopola eas magnipendit vtpote necessarias, & vtiles ad præciosa medicamenda conficienda: Sic scriptura sacra insciis hominibus mysteriis carere visa est: attamen qui penitùs, & alta mente illam contemplantur, (si humiliter sibi inuocent diuinum spiritum) nullũ verbum inuenient sine mysterio, nullam denique literam sine causa appositam. Deus dixit Abrahæ, Nõ vocaberis vltra Abram, sed Abraham. Et Sarai, sed Sara. Vide quo pacto in vnica tantùm litera in h. aspiratione, vel A. significauerit aliquod magnũ latere mysterium. Lucas igitur à verbo præteriti tẽporis exorditur: Ioannes autem suum euangelium incipit per verbũ erat, imperfecti temporis, dicens, in principio erat verbũ: in quo aliquid mysterij esse absconditum intelligas. Illud nempè quia cũ Ioannes à diuinis incipiat, vsus est verbo, erat, ad significandam diuinarum personarum æternitatem. Lucas autem ab humanis exordium sumens, per verbum fuit, incipit, propter earũ transitionem, & mutabilitatem. Etenim diuina manent, humana transeunt, & deficiunt. Quod egregius Psaltes loquens de Creatore, & creaturis, Deo dixit, Ipsi peribũt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimẽtum veterascent: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Deus enim semper est permansurus: creatura verò fuit, & desinit esse. Quo nimirum docemur, vt omnes nos, & amicitiam nostram in Deum conferamus: vtpote quæ firma & stabilis erit: nõ verò in homines, in mundum, nec in creaturas: quia natura sua deficiẽtes, non perpetuæ sunt. Nomen namque Deo magis propriũ, & peculiare: est nomẽ subsistentię & substãtiæ: Ideò ad Moysem ait, Ego sum qui sum: & iuxta Hebraicam translationẽ, Ero qui ero. Et Moyses populo dixit, Qui erit misit me ad vos, id est, qui semper futurus est. Etenim voluit significare in Deum esse, cuius vita æterna est: & nõ esse, sicut sunt dij gentium. Deus itaque est, qui est & qui erit, mũdus aũt nõ est: nã in sacris literis (vt optimè D. Hiero. annotat) ea quę pereũt, quæq; pe-ritura sunt, nõ esse meritò dicuntur. Vnde Abdias inquit, Viuẽt omnes gentes iugiter, & erunt, quasi non sint. Et in libro Hester legimus, Non tradas domine regnum tuum his qui non sunt. Et loquẽs scriptura sacra de vocatione gentium ait, Ipsi me irritauerunt in his qui non sunt dij: & ego eos irritabo super gentẽ quæ non est. Dicuntur impij nõ esse propter eorum nullam vitã: quòd de omni fas est dicere. Etenim vnus ex his, quibus maximis tenẽtur homines erroribus, is est, existimare in hac vita res aliquas firmas, & stabiles esse. Si nihil in mũdo stat, si nihil æquè consistit, si omnia cõtinuò currũt quî fieri potest vt firmum sit id quod nũquam firmo pede consistit: Homo (inquit sanctissimus Iob) fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Non dicit, homo mouetur, sed fugit: vt innuat velocitatem, & breuitatem vitæ. Nec dicit fugit, velut corpus aliquod solidũ, sed vt vmbra: qua nihil inconstantius, nihil fugatius. Dauid etiam inquit, In imagine pertrãsit homo. Et Apostolus, Præterit figura huius mundi. Non ait substantia, sed figura, vmbra, & imago. Vnde si vt prudens de alicuius vita interrogaueris, ne dixeris, quot habet annos: sed quot nõ habet. Vnde B. Augustinus, Res cũ crescunt, & tendunt esse: quo magis crescũt, vt sint, eo magis festinant, vt nõ sint. Et Gregorius, Viuere (inquit) est à vita transire. Si cursor quidam maxima cum celeritate ciuitatem hanc pertransiret, qui magnis clamoribus, & alta voce prædicaret, dicens, mea est hæc ciuitas Salmantina: qui protinus ab eadem ciuitate discedens, nusquam amplius appareret: nonne huius imperiũ ridiculum existimaretis? Nõne dignus esset homo iste vt amens, & insanus iudicaretur: Talia igitur imperia, & potestas huius mundi debetis iudicare. Ita rex quidam Hispaniæ, & statim alius, quẽ tertius est sequutus breuissimè transierunt: Quòd si mihi in hac te nolis fidem prẽstare: Iob dictis vellẽ te acquiescere, qui inquit, Dies mei velociores transierunt cursore. Dixit velociores cursore: quia etiam si maximam celeritatem & breuitatem in currendo seruet: tamen tẽporis aliquantulum, & in comedendo, & in dormiẽdo cõsumit: cuius rei causa aliquantulam moram facit. Tamen dies hominis, modo comedat, modo dormiat tam celeri, & veloci cursu in mortem tendunt, vt vix hæc quæ prosequor, valeas intelligere. Quapropter sanctissimus Iob verissimè fuit loquutus, dicẽs, dies hominis cursoribus, & equis pẽnatis velociores esse. Quòd si hoc ita vero consonat, nónne mundi regna & principatus vmbra sunt, & vanitas? Cito omnia prętereunt, & in momento tẽporis iam non sunt. Nondum ad signatum terminũ cursores deuenerunt, quando iã inde proficisci coguntur. Ita omnes res mundi cum primum nascũtur, iam earum vitæ finis imponitur. Quamobrem salubre erit consiliũ, vt ne in huius mundi res oculos aut mentem coniicias, vtpote quæ cras sine dubio peribunt, téque solum derelinquent. Illum non esse hominem dicimus, qui in rebus peragendis inconstans, & mutabilis est: ob quã causam eius amicitiam nemo cupit. Huiusmodi sunt omnia terrena in quibus nullam constantiam nullámque stabilitatem inuenies. Quocirca res constãtes, & quæ natura sua permanentes sunt, nimio amore prosequi debes: eas vero odio prosequi, quæ cũ mutabiles sint, & inconstantes, nullũ esse habent. Nam si nũc mũdanæ res tibi arrideant, lætámque tibi frontẽ ostendant: nihilominus eis nec credas, nec fidas: fit enim vt venturo die earum causa in lectum & in planctũ te conuertas. Nam si hodie diligeris, crastino die odio habeberis. Itaque maximè tibi est obseruãdum vt eum eligas amicum, qui semper in tua amicitia perseuerat, quique nunquam nec in periculoso, neque in tuto loco te deserat. Cuius cõditionis, & ingenij solum Deum reperies, cui te credere cuiusque amicitiam tibi adiungere possis, cum in perpetuum sit duratura. ¶ Vbi animaduertere debes Dei curã & diligentiã, qui nunquã mundũ dereliquit. Priùs quidẽ iustorũ hominum ministerio ecclesiæ prouidit, vt si forte malorũ vitia, & peccata te perterruerint, bonorũ virtus, & eorũ studiosæ actiones te in charitate solidũ & firmum reddãt. Tẽpore Herodis iniqui, vixit ẽt Zacharias bonus, ac rectus: nã si te malus, & iniquus ad male agẽdũ prouocat, boni exemplo ad virtutẽ sectandã inciteris. Sic dedit Heliã tẽporib⁹ Acab: Sic Esaiã tẽporibus Manasses: Ieremiã tẽpore Sedechię, qui oẽs iniqui & scelerati fuerunt. Et cũ ad id tẽporis mundus deuenisset, vt oẽs caro corrũperet viã suã, inuẽtus est Noe vir iustus & sanctus. Neq; id ĩ hoc loco silẽtio prętereũdũ, ꝙ cũ Helias putaret se solũ seruũ Dei in terra manere, dixit illi dñs, Dereliqui mihi in Israel, 7000. virorũ, quorum genua non sunt incuruata ante Baal. Ma-lis

Margin notes: Gene. 17. — Ioan. 1. — Psalm. 101. — Exod. 3. — Hieron. in comment. Abdia. — Hester. 14. — Deute. 32. — Psal. 38. — Iob. 14. — August. lib. confessio. — Lib. 25. Moral. caput. 1. — 1. Cor. 7. — Iob. 9. — 3. Reg. 17. — 4. Reg. 21. — 4. Reg. 24. — Gene. 6. — 3. Reg. 19.

lis regnātibus, mittit dominus viros iustos,& probos ad malitiam reprimendam:& vt plebi suæ prouideat.Habet etenim dominus suorum curam : ita vt quamuis mali & improbi in mundo reperiātur, non desunt etiam multi boni & probi, quorū virtutes,& sequi & imitari possimus.Etsi multi ignorantes,& inscij sunt,multos doctos,& eruditos inuenies,quos possit pro tui ingenij tenuitate consulere. Quòd si pauperes,& egeni sunt:diuites multi adsunt qui succurrere possint pauperum egestati.

¶ Vbi tertio loco operæpretium erit animaduertere, quòd sub impij regis imperio erat sanctus sacerdos Zacharias: & ita sæpè in mundo contingit malos dominari bonis, & sapientes à stultis regi. Quod quam ratione sit dissonum, vel etiā cęcus videre poterit.Neq; id sub silentio præteriit Ieremias
Threm. 1. dicens,Serui dānati sunt nobis. Neq; id nouum in mundo est,aut inusitatum: nam Salomon cum tot iniqua & scelerata in mundo miraretur:inquit,Vi-
Eccle. 10. di malum sub sole, positū stultū in dignitate sublimi,& diuites sedere deorsum. Vidi seruos in equis: & principes ambulātes super terram, quasi seruos. Hunc tamen deprauatum ordinem adhuc in mundo fieri videmus.In illa namque frondosa,& altissi-
Dan. 4. ma arbore quam vidit Nabuchodonosor in ramis erant aues,& subtus eam habitabant animalia, & bestiæ.Sed quid quæso hoc genus mōstri est, quòd vrsi,leones,& quælibet alia fera animantia sursum per superiores ramos hinc inde ferunt : at volatilia inuerso naturæ ordine(quē Deus in omnibus præ-
Psal. 36. stituit)in imis,& infimis præmantur locis?Quoties
Math. 17. ego vidi impium exaltatum super cedros Libani? Non sic Christus dominus qui in sua transfiguratione præstātiores Apostolos Petrum videlicet, Iacobum & Ioannem secum duxit in montem excel-
Chryso. hom. 57. in Math. sum,quia vt Chrysostomus ait, digniores erāt aliis relictis. At nunc hac nostra misera tempestate Iudas impius in altam dignitatem ascendit, Petrus autem in puluere sedens iacet. Sed de his inferius cap.9.Iā ad contextum reuertamur. Et quia Euangelista dixerat,Zachariam fuisse sacerdotem,modo cuius classis, & ordinis fuerit, declarat dicens, *De*
1. Par. 24. *vice Abia.* Cum Dauid ordinare vellet cultum Dei elegit sibi ex viginti quatuor generationibus viginti quatuor sacerdotes, qui temporis successu per hebdomadas in templo domini seruirent : & octaua sors cecidit super Abiā, à quo descendit Zacharias.Discat igitur prelatus,qui Christi vices in terris gerit,quo pactu moribus & vita illi studeat esse similis,nemini præbens scandalum,aut offensionis
2. Cor. 6. causam:vt sicut Paulus inquit, nō vituperetur ministerium eius.Quia si Ioseph ab Arimathia extin-
Math. 27. ctum Christi corpus in munda,& candida sindone inuoluit: & illud sepeliuit in monumento in quo nullū aliud fuerat positū:quanto maiori iure Christi corpus viuum in visceribus,mundis & anima tu debes recondere,vbi nec cadauer nec aliquod peccatum mortale sit?Magna equidem debet esse mūditia tam corporis quàm spiritus illius,qui frequēter corpus domini & manibus, & mente cōtrectat.
Nume. 8. Quod clarè ostenditur à domino dicente, Leuitas ter lotos debere esse,vt vitulum pro peccato offerrent. *Et vxor eius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth.* Non solum carnem, & sanguinem Aaron in hæreditatem accepit,sed etiam religionem & sanctitatem:de Aaron namq; scriptura inquit, Prope-
Sap. 18. rans homo sine querela.Et de Elisabeth,& Zacharia ait noster hic Euāgelista,quòd sine querela erāt. Quapropter tu qui nobilis es, & te ex illustri sanguine ortum magnificas, tuorum maiorum studiosa facta & sequi,& imitari cures, & ita virtutib' imbutus esse,quales illi fuerūt. Nobilitas namque census quidam perpetuus est virtuti debitus,quem ex nobilibus progeniti per vniuersum tempus suæ vitæ exoluere tenentur. Si ex nobilibus parentibus ortum trahis, maiori detentus es obligatione, vt bonus,& studiosus sis:vt bonis à te gestis operibus clarum tuæ nobilitatis argumentum exhibeas. Ex eadem radice rosa nascitur,& spina, & ex eadē matre filius nobilis vel ignobilis nasci potest.Benè poteris tu ex pulchra & nobili radice orginē ducere: & nihilomin' venenosa spina, & pessimus aculeus videri poteris. Fratres nobiles,& parentes nobiles Cain,Cam,& Esau fuerunt:tamē ipsi eorumdēque filij viles homines,& pagani fuerunt, quiq; macula eximia dignitatem suam contaminarunt. Quod si domum construas, studiosum opus est:si tamen eam perdas,vitiosum.Vnde tu iniquus cum sis,tuā domum quā maiores condiderunt destruis, & perdis.Melius est initium familiæ facere,quàm familiā finiri. Quo circa bon' esse studeas, & a te ea nobilitas incipiet:qua tui superiores caruerunt. Si verò fueris vitiosus, etiam si ex nobilissimis parentibus duxeris ortum, tui causa genus tuum, & splendorē & nobilitatem amittit.Hæc illustris ex Aarone viro sanctissimo originem duxerat, qua simul & maiorum probitatem imitata est.

¶ Notabis etiā quòd proprio nomine eā Euangelista appellat,vt intelligas prophetico spiritu claruisse.Nomina autē matrū Esaiæ,& Ieremiæ nō referuntur,sed patrū tātummodò:nā vt Hieronymus *Hieron. in*
annotat,patres horum prophetarū, prophetæ etiā *commen. Sopho. c. 1.*
non verò matres fuerunt. Vt cum dicit visio Esaiæ *Esa. 1.*
filij Amos,intelligas prophetam fuisse. At verò & patris,& matris nomina beatissimi Ioannis hîc apponuntur, quia vterque Propheta fuit. *Erant ambo* *Psal. 54.*
iusti ante Deum. Si igitur scriptum est,Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuēs:quomodo coram Deo quis potest dici iustus?Si iustitia attendatur,quatenus aliquid culpæ habet admixtum,nul- *Iaco. 3.*
lus iustificabitur:quia in multis offendim' omnes, *Esaia 46.*
& quasi pannus mēstruatæ sunt omnes iustitiæ nostræ. Item si collationem feceris nostræ iustitiæ ad iustitiam diuinam,nullus equidem saluus fiet. Vnde Iob sanctissimus inquit, Nunquid homo, Dei *Iob. 4.*
comparatione iustificabitur : At si secundū modū humanæ conditioni commensuratum hæc iustitia consideretur,sic electi,& omnes qui in diuina amicitia existunt aliquo modo iusti dicūtur apud Deū. Parū aut nihil est corā hominibus esse iustū,vt sunt hypocritæ, qui foris iusti apparēt:intus autē omni virtute sunt vacui. Magni autē faciendū est, aliquē corā Deo iustū esse: vt parentes beati Ioānis, quorum laus(vt inquit Paulus)non ex hominibus, sed ex Deo erat.Pharisæi ieiunātes iusti videbātur, sed quales illi fuerint Christus ostēdit dicēs,Væ vobis *Roma. 2.*
qui similes estis sepulchris dealbatis,&c.Homines vident faciem,Deus autē intuetur cor.Illi enim ve- *Math. 23.*
rè iusti dici possunt, qui Deo curant placere. Iusti *1. Reg. 16.*
namq; (vt inquit Sapiēs) in perpetuū viuēt. Sequitur. Cogitatio eorū apud altissimū: Tota solicitu- *Sap. 15.*
do,& diligentia iustorum circa id versatur, vt Deo placeant. Quapropter Paulus Romanis cōsulit di- *Rom. 13.*
cēs,Induimini dominū Iesum Christum. Nō dicit,

Induite

Induite vos Christi veste: nam hoc est habitu tātū & ceremoniis se induere: vt hypocritæ qui vestem induūt Iesu Christi. Nam vt sancti loquūtur in eorū sermone, in incessu, in ficta humilitate, & in pallore vultus iusti videntur: intus autem si eos aspexeris, non Iesum Christum sed diabolum ferūt. Tamen indui aliquem Iesu Christo est, illum in secretioribus animæ, & in intimis penetralibus adducere: quę quidem vera iustitia, & vera sanctitas est. Verùm sicut plurimi Pharisæi non induebant Christū nisi tantum exteriori habitu, & iusti erant coram hominibus, non coram Deo: dixit Iesus turbis, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorū. *Mat.5.* Id autem hoc loco cauere debes, ne existimes nos damnare exteriorem sanctitatis compositionem, nec ceremonias: sed tātum id vitio vertimus, quòd multi vacui interiori virtute, solū hominibus placere student. At qui exteriori cultu religiosè, & sanctè incedunt, & Ecclesiæ ceremonias, & præcepta obseruant, & his addunt interiorem animi candorem, & munditiam, digni equidem sunt isti omni laude & veneratione. At exteriorem lauare cuticulam, & quæ corporis sunt tantum curare: hoc impiissimū & nefarium facinus est. Qui corde iustus est, sui ipsius curam habet, vt Deo placeat. *Psalm.83.* Ideò de viro iusto dicitur in Psalmis, Ascensiones in corde suo disposuit. *Psal.eodem.* Et has ascensiones intelligas, de quibus ibidem dicit. Ibunt de virtute in virtuté: videbitur Deus Deorum in Sion: sicut ascendebāt Angeli per scalam illam quā vidit Iacob à terra in cœlum tāgentem. *Gen.28.* Quas quidem ascēsiones vir iustus posuit in corde per virtutum gradus. At quæ sit vera iustitia, & quæ falsa in fine huius vitæ, & in hora mortis clarius elucescet, Tunc enim manifestabūtur abscondita tenebrarum & reuelabūtur obscura cordium. *1.Cor.4.* Vnde dominus per Psalmistam ait, Cū accepero tempus, ego iustitias iudicabo. *Psal.74.* Iudicabo inquam & videbitur quis sit iustus coram Deo, & quis coram hominibus. Et addidit vlterius, Liquefacta est terra & omnes qui habitant in ea.

Quasi velit nos reminisci, quòd tēpore niuis omnis terra candida & pulchra est: at cum venerit sol, & liquefecerit niuem, tota terra apparet deformis, immūda, & loca vbi sunt cadauera, & serpētes clarè conspiciuntur. *Simil.* Sic hypocritæ falsa iustitia, & cādore externi cultus sua peccata, & immundos mores dissimulant, & pulchri & sancti videntur coram hominibus, sicut terra cooperta niue. At cū Christus verus sol iustitiæ apparuerit, *Mala.4.* sicut nix liquefit ad solis radios (vt inquit Dauid) ita liquefacta est terra: hoc est homines terreni, & eorum opera exteriora in nihilum conuertentur, & interiora corda apparebunt dolo plena. At iusti, & recti viri, qui nō terra, sed marmoreæ columnæ sunt in altum erectæ, quorum conuersatio in hoc sęculo, viuendo in cœlis est, tunc in gratia confirmabuntur: iam enim cadere ab amicitia diuina non poterunt, sed perpetuo in gloria manebunt. Atque ideò subdit Dauid, Ego confirmaui columnas eius. Vocantur iusti columnæ terræ, quia illi sustinent impios in terra: & propter eorum merita multoties dominus cū magna patientia suffert peccatores. *Exod.32.* Nónne fuit Moyses plusquam columna marmorea vniuerso populo Israel, nā cùm vellet dominus illos perdere, orationibus Moysi pepercit illis: sic & sanctus Loth, Sodomam sustinebat. Et quomodo substerniculo totum ruit ædificium: ita vniuersa ciuitas Sodoma, statim vt ipse ab illa discessit funditus euersa, & combusta est. *Gene.19.* Ideò velim vt intelligas, quantum oporteat, vt iustitia tua abundet plusquam Scribarum, & Pharisæorum, ne in die illa tremenda in damnationem æternam abeas. Non erant Zacharias, & Elisabeth, sicut illi de quibus Christus dicit, Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus: *Luc.16.* sed similes Noë, de quo in Genesi dicitur, Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis: Cum Deo ambulauit, &c. *Gen.6.* Salomon fenestras fecit obliquas in templum: & templum Ezechielis fenestras habebat obliquas, in thalamos: *3.Reg.6.* *Eze.41.* foris enim latæ erant, intus verò strictæ, vt parum exterioris luminis reciperent: diuino nāque splendore potius quàm corporeo lumine illustrabantur. Et si vtrunque lumen bonum sit interius per conscientiam, & exterius per exemplum: tamen multo præstantius est interius quàm exterius. Omnis gloria filiæ regis ab intus (inquit Dauid) in fimbriis aureis circum amicta varietatibus: *Psal.44.* Ac si vellet dicere, Omins decor, & pulchritudo interius in anima debet esse claris virtutibus insignata. Et quia curat etiam exteriorem ornatum, vult aureas fimbrias, & exemplorū bonorum varietatem in operibus exterioribus relucentem. Bonus itaque est vterque splendor, sed ille longè præstantior qui in rectis, & sanctis operibus inuenitur. IdquePaulus asseuerat, Hæc (inquit) est gloria nostra testimonium cōscientiæ nostræ. *2.Cor.1.* Quemadmodum pyri & nucis nucleum comedimus, putamina verò in terram reiicimus: *Simile.* sic virtute oblectamur, speciem autem virtutis ab ipsa virtute separatam contemnimus. Vera virtus solum Deum quærit, & ipsi placere satagit sicut Zacharias, & Elisabeth qui ambo coram Deo iusti erant.

¶ Potest etiam locus iste exponi ad modum loquendi linguæ Hebraicæ, coram domino: Idest, quòd vndequaque absolutam, & perfectam habebant virtutem. Cùm enim diuinæ scripturæ aliquid magnum, aut excellens significare volunt, vsitata phrasi dicunt coram domino, vt est illud Genesis, Robustus venator coram domino: *Gene.10.* Id est excellens venator. Et illud de Sodomitis, Erant peccatores corā domino: id est, maximi & abominabiles peccatores. *Gene.13.*

¶ Demum vt concludam illud in hoc loco obseruatione dignum esse censeo: nimirùm quòd vterque, & Zacharias, & Elisabeth erant iusti. Beata illa domus dici potest, in qua vterque coniux eiusdem sunt voluntatis, & vnum quærunt, vt in præceptis domini ambulant, & in iustificationibus suis, vt mox dicit Euangelista. *Coniuges viri, quales.* Vbi verò alter coniugum claudicat, & a recto deuiat ordine, accidit id quod in boum iugo, si alter fugiat, tunc enim nihil rectè fieri potest. Sic fuerunt illi duo Abraham & Sara sancto matrimonij iugo copulati, qui in seruiendo hospitibus, & peregrinis ambo erant simul. *Gen.18.* Nec solus Zacharias iustus erat coram domino, aut Elisabeth, sed ambo simul: Sed quomodo iusti coram domino? Si hoc ab impiis Lutheranis peteres, facilè tibi respōderent, quod sola fide: sed si à beato Luca petiueris, ipse tibi respondebit, *Incedētes in omnibus mandatis, & iustificationibus domini.* *Lutheri error.* Vides iā quomodo nō sola fide iusti sumus, sed obseruatione etiā mandatorū Dei: Concedimus

Fides disponit ad gratiã iustificationis. dimus enim quòd sine fide impossibile est placere domino. Radix enim & origo iustificationis est. Ideò Petrus de fide ait, quòd purificat corda: nępè *Hebr. 11.* ab infidelitate: & illa ad iustificationis gratiam pręparat *Act. 15.* suscipiendam, qua gratia impius fit iustus. Verùm iustificatio non fit per solam fidem, sed per gratiam, & bona opera quæ fructus sunt charitatis, *Ioan. 14.* iuxta illud, Siquis diligit me sermonem meum seruabit: obseruatio autem mandatorum, charitatis est fructus: & sic etiam cætera bona opera. Itaque à charitate procedit hæc obseruatio mandatorum, quæ hominem iustum efficit. Et Ioannes inquit, *1. Ioan. 3.* Qui habuerit substantiã huius mũdi, & viderit fratrẽ suũ necesse habere, & clauserit viscera sua *Opera bona à charitate procedunt.* ab eo: quomodo charitas Dei manet in illo? Nõ dicit, quomodò fides Dei, sed quomodo charitas Dei manet in illo: siquidem opera bona sunt fructus, nõ fidei, sed charitatis. Demum doctori illi qui petebat à Christo, quid facturus erat, vt vitam æternã possideret, *Luc. 10.* Respondit Christus, per illam parabolam descendentis à Ierusalem in Ierico, & Samaritani exemplo dixit, Hoc fac & viues. Ideò qui exercet opera misericordiæ: exercet charitatem, quæ vitã præstat, non tamen sola fides sufficit. Igitur mandatorũ obseruantia homo iustus fit, & anima ex charitate viuit, aliàs mortua esset, vt Iacobus testatur. *Iacob. 2.* *Math. 24.* Hoc autẽ est, quod omnis scriptura proclamat dicente domino, Filius hominis venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua. Non dicit, secundum fidem eius, sed secundum opera eius. Quæ doctrina clarior, & illustrior redditur verbis illis Mathæi, *Math. 7.* quibus multi dicent in illa die, Domine in nomine tuo dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus. Non poterant equidem isti prophetare, nec dæmonia eijcere, nec miracula facere, nisi fidem haberẽt: qui tamen cum sua fide separantur à domino, quoniam inanem, & vacuam sine diuina charitate eam habuerunt. Et in die illa finalis iudicij de operibus erit tantum disceptatio: dicet enim dominus iustis, *Math. 25.* Esuriui, & dedistis mihi mãducare: Sitiui, &c. fides igitur sine operibus non saluum facit, nec vnit aliquem cum Deo. Et quia inferius in capite septimo huius de fide, & iustificatione dicturi sumus, hæc satis sufficiant.

¶ Disce exemplo parentum beati Ioannis Baptistæ non segniter te habere in viis mandatorum domini, sed sanctis, & rectis operibus incumbe. Nihil tibi proderit, si fidem tantùm nudam, & informem *Similitud.* habeas. Nam quid prosunt in naui oculi: nisi essent manus? Quid proderit, nautam in gubernationis chartam respicere, aut solis altitudinem metiri: nisi adsit qui puppim voluat, aut restim nauis apprehendat, aut qui vela complicet, aut extẽdat? Sit aliquis qui velum dirigat, tamen quid hoc prodesset, nisi esset simul, qui ad nauis carchesion ascenderet? Sic etiam quid proderit quòd in cœlum respicias, & quòd intellectum habes, vt Deum cognoscas, & vt credas etiam quidquid ecclesia tenet: si manus, & pedes colligatos habueris, vt ne quid boni proximo facias? Quid vtilitatis tibi accidit, quòd credas Deum in cœlis esse? si tu ita vitam agis, ac si Deus non esset?

¶ Obserua etiam quòd non solùm incedebant in aliquibus mandatis, sed in omnibus: nam quicumque vniuersam legem seruauerit, dum in vno offen *Iaco. 2.* derit, factus est omnium reus. Videbis etenim plurimos castos, benè compositos, qui nemini maledicunt, rebus sacris assistentes: at verò auaros, & rei alienæ cupidissimos, qui etsi pauperem videant fame pereuntem, nec obolum ei tribuunt. Alios idem magnificos, & liberales videas, qui mundi & perfecti apparent: quorum viscera ambitionis, & dignitatis honor crudelissimè corrodit. Et denique inuenies plurimos multis virtutibus circundatos, quos alia etiam vitia comitantur: quæ virtutes coinquinant, & labefactant. Quorum status adeò periculosus est, vt periculosior sit eorum statu, qui omnino perditi sunt: nam si omnino mali essent, aliquando suæ conscientiæ scrupulus eos à peccatis seduceret. Tamen isti priores, bonis quæ fecerunt, nituntur, & patrata scelera non aduertunt: & cum se bonos existiment, malorum quæ fecerunt nunquam pœnitentia subit. Et quod deterius est, contingit sæpiùs diabolum christianis hominibus bona opera consulere, vt his fidentes operibus incauti viuant: quò fit, vt laqueo diaboli detenti magis quieti, & tranquilli sint. Facit ad hoc illud Leuitici quòd dominus dixit, Si effloruerit discurrens lepra in cute, & opperuerit omnem carnem, &c. homo mundus erit. Quando verò caro viuẽns in eo apparuerit, tunc sacerdotis iudicio polluetur: & inter immundos reputabitur: Hæc in Leuitico. *Leui. 13.* Mirum equidem videtur quòd corpus omni ex parte scabie plenũ, sanum & integrũ iudicetur: nõ autem id quod lepra aliqua parte tetigerit. Quo nimirum ostenditur eum in maiori versari periculo, qui aliquas partes habet læsas, aliquas verò intactas: quia iste talis de malis non curat, fiduciam habens in reliquis bonis. *Tepidorũ status periculosus.* Nolite (inquit Ieremias) confidere in verbis mendacij, dicẽtes, templum domini templum domini est: Putabãt namque Iudæi omnia illis esse tuta, si boues, & arietes in templo mactarent, si calẽdas celebrarent. *Hiere. 23.* At dominus per Esaiã has oblationes, & obsequia detestatur, quia manus eorum sanguine erant plenæ. *Esaia 1.* Sic Simõ ille Pharisæus, quia aliqua operabatur bona, & in parte lepra infectus erat, sanũ se existimabat: at Magdalena, quæ vndique coinquinata erat, & tota leprosa, sanitatem adipiscitur. *Luc. 7.* Christus sacerdos, & iustus iudex hanc mundã esse iudicauit: illũ verò in mũdum, & lepra percussum diffiniuit: Cùm piscator magnũ aliquẽ piscem habet captũ, non statim violenter extrahit, sed funiculum extendit, donec piscis hamum simul & escã deglutiuerit: nã si confestim nimis compresserit, scindetur funiculus, & aufugiet piscis. Sic cum diabolus inimicus noster *Similitu.* aliquẽ peccatorẽ suo hamo deuinctũ habet, scilicet scelere aliquo mortifero constrictum, & voluptatum illecebris alligatum: non illum statim vehementer opprimit, aut discrutiat, ne vel hoc irritatus obrumpat vincula, & celeriter euadat: sed potiùs demulcet illum, & finit aliquibus virtutum actionibus incumbere, & quoad fieri potest funiculum extendit, vt securius illum teneat, & possideat. De Herode ait Marcus, quòd audiebat Ioannem, & audito eo multa bona faciebat: *Marc. 5.* Permittebat namque Herodi iste nefarius nebulo, quem hamo suo habebat apprehensum, vt Ioannem Baptistam audiret, & eius cõsilio nõnulla facta ad iustitiã dirigeret: at habebat illum irretitũ fortissimis vinculis. Nã quemadmodũ auis si alterum pedem ligatum habebat, nequaquã volare potest: ita homo licet ad eleemosinã largiendã, & ad preces fun- *Similitu.*
dendas

dendas, liber esse videatur: nihilominus totus ligatus, & vndique deuinctus, si vel solo vno vitio fuerit detentus. Nec mirum est, si Dauid noluerit videre eos, qui dimidiam barbam rasam habebant: sed præceperit eis, vt manerent in Ierico. Sic dominus nequaquam eos conspicere potest, qui aliquam sui partem intactam, aliquam verò coinquinatam habent.

Ezech.1. bent. Nec illud quod in Ezechiele legitur mysterio vacat: scilicet, quòd pennæ sanctorū animaliū copulatæ erant vnius ad alterum. Vt vel hoc nobis significaretur, virtutes, quæ ad modū alarum se habent, quibus ad cœlum conscendimus, debere sibi mutuò cohærere. Quapropter apprimè necessariū tibi est, vt omnes virtutes tibi copulatas habeas, omnia etiam præcepta Dei obserues, si talis esse cu-

Mat 13. pis, quales Zacharias, & Elisabeth fuerunt: Etenim Euangelicus ille negotiator inuenta sibi præciosa margarita, vniuersa quæ habuit, vendidit: Et Apostoli Christi obseruantissimi sectatores nō partem aliquam, sed omnia bona derelinquerunt. Ecce (inquit angulare fundamentum ecclesiæ) nos reliqui-

Mat.19. mus omnia. Nec immeritò Ananias, & Saphira puniti sunt subita, & impræuisa morte: eo quòd partem prætij venditi agri tulerunt Apostolis, & par-

Actu.5. tem sibi reseruarūt: Quod si infœlices illi nihil sibi reseruassent, non vtique mortui essent. Sic multi se omnino negare nolunt: adimplent etenim volūtatem prælati, in eis, in quibus per omnia nō coguntur: in his autem in quibus potissimè se negare debuissent: suo palato satisfaciunt, suamque voluntatem exequuntur. In aliquibus sunt obtemperātes, in aliis verò obedire recusant: partim diuina mandata custodiunt, partim verò ea trangredi nō magnifaciunt. Quid rogo, tibi proderit si vniuersas ciuitatis portas clauseris, vnam tamen patentem reliqueris, qua inimici ingredi, & ciuitatem capere possint, & vitam simul & animam auferre? Ad quid conducet te nouem decalogi præcepta obseruantissimè custodire, si vnum illorum fregeris: Maximi enim refert omnia simul custodire. Vnde Dauid cā-

Psal.118. tabat domino dicens, Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. Et Christus legem appellauit iugum omnium præcepto-

Mat.11. rum: Tollite (inquit) iugum meum super vos. Vbi

Obseruatio: mandatorum debet esse integra. diligenter est animaduertendum, quod non dicit, tollite iugum super collum vestrum, aut super humeros vestros, sed super vos totos. Vniuersa enim Christiani hominis pars iugum legis asportare debet. Quo sane argumento concludimus, quod qui huius oneris partem recusauerit, sciat se totum iu-

Psalm.34. gum abiecisse. Rectè Dauid totum hoc onus supra

Psal.102. se sentiebat, cùm dixit, Omnia ossa dicēt: Domine quis similis tibi? quia videlicet Deum gerebat super omnia. Et rursum, Benedic anima mea dominū

Actu.9. & omnia interiora nomen sanctum eius. Qua ratione cùm Paulus iret Damascum circundatus est luce cœli: vt insinuaret illum oportere, in omnibus mandatis incedere. Aliquos circuit lux cœli, nō totos, sed partē: hoc est, quia partim lucidi sunt, partim verò tenebrosi. Oportet enim vt cœlesti lumine totus fulgeas, nullam habens partem obscuritatis. Omnia vitia, & peccata in te extincta esse de-

Exod.14. bēt: Nam cum Pharao periit im mari, simul & vniuersus exercitus suffocatus est, ita vt nec vnus ex eis remanserit. Sic & tu omnia vitia propellere de-

Leui.14. bes: Leprosus nanque qui mundandus erat, secundum legem omnes capillos tenebatur radere. Sic tu omnia vitia, & passiones debes scindere à corde tuo. Præcepit dominus Sauli vt omnes Amalechitas destrueret, & quòd nemini parceret: quia verò *1 Reg.15.* hæc non fecit, à domino reprobatus est. Tu autem quomodo à domino vis probari, qui vitia quæ tibi omnino non placent, destruis: illa verò quibus delectaris viua relinquis: quemadmodum Saul fecit, *Lege Grego. lib.11. Mor. cap.17.* qui omnia pecora & armenta pinguiora ex gregibus Amalech sibi reseruauit?

Quòd si Deo placere cupis, omnes Amalechitas debes interficere: hoc est omnia vitia & peccata in te extincta esse debent.

¶ Rursus hîc notabis quod non solùm dicit obseruantes seu custodientes omnia mandata, sed incedentes in mandatis: Singula enim verba suam emphasim habent. Non enim satis est vt omnia Dei præcepta custodias, sed opus est vt incedas & ambules in via mandatorum Dei. Ne igitur in chœnice sedeas, aut otio indulgeas: sed propera, ambula, & curre in via mandatorum Dei, & ita ibis de virtute in virtutem, & videbis Deum Deorum *Psal.83.* in Sion. In via domini non proficere, iactura est. Nam sancta illa animalia quæ vidit Ezechiel, vbi *Ezech.1.* erat impetus spiritus gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularent: Sic tu dum diuinus flauerit spiritus, de bono in melius debes proficere. Si- *Simil.* cut fluuius, qui semper in mare tendens nunquam ab itinere desistit, quousque ibi consistat: & sicut luna quæ semper crescens nunquàm cessat quousque complementum luminis attigerit. Et denique sicut ignis qui semper ascendit, vt quiescat in naturali sua sphera: Sic proculdubio nos nunquam ab incepto virtutum itinere debemus desistere, quousque ad mortis terminum deuenientes, ingrediamur illud gloriosum paradisi mare vbi in Deo (sphera nostra) quiescamus. Qui vltra non pro- *In via Dei non progredi & retrogredi* greditur, retrouertitur. Nam si rota putei non semper voluatur, statim retrouertitur, & mutatur: Sic humana mens nunquam in eodem consistit, quo circa si à virtutis profectu cessat, statim retrorsum in vitia abit. Sic Isaac proficiebat, donec magnus effectus est. Nec non etiam Dauid, qui robustior semper fiebat. Ideoque Angeli in scala Iacob ascen- *Gen 26. 2.Reg.3. Gen.28.* debant, & descendebant, vt inde tu intelligas quod in via mandatorum domini (quæ scala sunt cœli) nulla tibi est admittenda quies.

¶ Porro dixit Euangelista quòd incedebant in mandatis & in iustificationibus domini: mandata quippe ad præcepta moralia pertinent, iustificationes verò ad iudicialia, quibus & ad proximos, & ad Deum ritè ordinamur. Nam (vt Origeni pla- *Orig.lib.1. in Lucam.* cet) quando benè & rectè de aliquibus iudicamus in iustificationibus domini incedimus: sed quando hoc aut illud facimus in mandatis illius ambulamus. Vnde non immeritò Lucas prædicauit in his duobus laudem esse perfectam. Quibus man- *Psal.118.* datis & iustificationibus intentus erat Dauid, cùm dicebat, In mandatis tuis exercebor, & meditabor in iustificationibus tuis. Verumenimuero, quia maximum encomium est non solùm Deo placere, sed hominibus etiam esse gratum, subdit sacer Euangelista: *Sine querela.* Maxima profectò hæc est laus iustorum, nam multi boni sunt, & coram Deo iusti: tamen quia nec comites, nec benegni proximis sunt, ideò nec amabiles, nec grati hominibus sunt. Grande quidem negotium est, ita viuere, vt hominibus etiam improbis satisfacias.

Eccles.45. cijs. Nanque de Moyse scriptum est. Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est. Et de Iudith etiam dicitur. Erat in omnibus famosissima, quoniam timebat dominum valdè: nec erat qui loqueretur de ea verbum ma- *Iudit.8.* lum. Vnde diuus Paulus. Prouidens (inquit) bona, *Rom.12.* non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Nec absque consilio præcepit domi- *Genes.6.* nus Noe, vt ligna, ex quibus fabricanda erat arca, & intrinsecùs & extrinsecùs bitumine linirentur. Tales enim nos dominus desiderat, vt & intus munda conscientia splendeamus, foris sancta conuersatione hominibus placeamus. Discere igitur nos oportet horum iustorũ exemplo, sic de fratribus loqui, & cum illis agere, vt omnibus grati & *2.Cor.6.* dilecti simus: iuxta illud apostoli. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministeriũ *Philip.2.* nostrum. Sic idem Philippenses hortatur dicens. Omnia facite sine murmuratione vt sitis sine querela simplices filij Dei in medio nationis prauæ at- *Orig.hom. 2. in Luc.* que peruersæ. ¶ Potest & locus iste aliter explicari. Potest nãque ambulare aliquis in omnibus mandatis & iustificationibus domini, nõ tamen sine querela. Nam quando aliquis adimplet præcepta domini, & facit quod ipse iubet: at nõ propter Deum solum, sed potius vt hominibus placeat: is equidẽ non sine querela operatur. Ideò dominus. Iustè *Deute.16.* quod iustum est, persequeris. Nisi esset iustum aliquid quod non iustè sequeremur, nequaquã nobis preciperetur, vt iustè quod iustum est, sequeremur. Quãdo iusta Dei præcepta propter ipsum exequimur in mandatis domini incedimus & in iustificationibus suis sine querela, & tunc iustè quod iustũ est, adimplemus. Aduerte autem quod in græco est, amemptos, quod & actiuè & passiuè accipi potest: nec ipsi querebãtur, nec de ipsis aliqua erat querela. *Et non erat eis filius.* Quæ verba non absque digna commendatione sunt prætereunda. Nam cum res illis accidisset tam infœlix scilicet carere prole: nõ ob id à iustitia recedebant: nam sterilitas antiquis erat opprobrium, & inter præcipua vitæ mala nu- *Exodo.23.* merabatur. Sic dominus dixit. Non erit infœcun- *Deute.7.* da nec sterilis in terra tua. Et in Deuteronomio. Non erit sterilis apud te vtriusque sexus. Putabant enim eum populum à domino esse reiectum, cui fœlix aliqua proles non obtigisset. Quo sterilitatis opprobrio percussi sunt Zacharias, & Elisabeth, cum adhuc essent iusti apud dominum. vbi iam apertè vides, quomodo Deus dilectis suis afflictiones & tribulationes mittit. Sed quare? Quia infirmitatem nostræ carnis cognoscit: & intelligit multoties homines tum fauoribus, tum honoribus su- *Mat.16.* perbire, & hac de re radicitùs perdi. Quod si huius rei exempla vel ad oculum patere cupis: adducam tibi Petrum, qui cùm à Christo laudaretur, hac elatus laude, ausus est Christo cõtradicere, à quo laudatus fuerat. Sic etiam Moyses nimia prosperitate *Exod.33.* elatus, à Deo petiit, quem erat missurus cũ eo quãdo cum illo facie ad faciem loquebatur, & dixerat, Noui te ex nomine: quasi vellet Deum compellere, vt mysteria abscondita, & arcana sua illi reuelaret. Sic cum sponsus laudaret sponsam, audiens ab ore eius, quòd cæteris pulchrior, in audacem vocem *Cant.1.* prorupit dicens, Indica mihi, quem diligit anima mea: vbi pascbas, vbi cubes in meridie. Sic etiam fi- *Math.20.* lij Zebedæi quia affinitate cũ ipso Saluatore erant coniuncti, ausi sunt in regno dextram & sinistram petere. Qui omnes etsi asperum à domino responsum audierunt, vtile tamen, & quod spem suæ petitionis præbebat. Petrus nanque audiuit, Vade post me Satana. Moyses. Posteriora mea videbis. Sponsa. Si ignoras te. Et filij Zebedei. Non est meũ dare vobis sedere ad dexteram & sinistram. Nam *Similitudo.* quando alicui famulo vinum purum damnum infert: præcipit dominus antequam iterũ purũ porrigatur, parum aquæ illi admisceri, vt vini robur leniatur: Ita sanè dominus cùm intelligat in prosperis & fœlicibus superbire: & in multas insanias labi his tribulationes & afflictiones iungit, vt vel ita vires frangat & extinguat. Ita Moysi contigisse cernimus. Permisit nanque dominus & voluit septẽ die- *Exod.23.* rum spatio in mõte à Moyse expectari, quibus finitis in septimo illum vocauit dominus. Vt nimirum ne tanta familiaritate & amore elatus superbiret. Idem fecit cum Abrahã dilectissimo: ad quẽ, si ali- *Gen.19.* quando venire dignabatur, nunquã tamen domum eius ingredi voluit. Iustus quippe solet aliquando diuinis fauoribus insolescere, qua propter dominus eorum prosperitatem temperat, ne eos perdat, quos ardenter diligit. Quod vt tibi clariùs elucescat, vel collatione appositissima facilè demõstrabo. Nam si aliquis nobilis accipitrẽ habet, quem ma- *Quare amicis suis Deus mittat afflictiones.* ximi æstimat, propria manu ipse necessaria præstat: mira diligentia plumas componit, demulcet, & in eo videndo maximè delectatur. Nec his omnibus contentus dominus, compedibus accipitrẽ deuincit, & oculis apponit capitiũ. Quòd si quæras, qua de causa tantã curam & sollicitudinem erga illum habeat? respondebo tibi: quia miruminmodum illum diligit. Quod si iterum interrogas. Quid est, quòd compedibus & funibus illum cõstrictum teneat? responsum tibi accipe: ne dilectus accipiter fugam faciat. Quod quidẽ dominus cõsueuit facere cũ amicis & dilectis suis, vt est videre sancto Propheta Dauid: qui multis beneficiis & fauoribus af- *1 Reg.16.* fectus fuit à domino. Fuit nanque in regem vnctus *1.Reg.17.* à domino, & à custodia ouium eductus, datus fuit illi Propheticus sermo, & gloriosa victoria aduersus gigantem Goliat. Tandem effecit in eius gratiam, vt vniuersus populus in gloriam & laudẽ eius tympanis & psalteriis caneret ouãtibus virginib⁹: Saul percussit mille, & Dauid decem millia. Quæ omnia dominus in illum cõtulit, quia maximè illũ diligebat. At ne margarita hæc preciosa amitteretur, nec tot fauorib⁹ elatus superbiret, datus est illi Saul in persequutorẽ, cuius persecutionibus velut quibusdam cõpedibus opprimebatur. Adducã tibi alium ex non contemnẽdis dilectis & amicis Dei Ioseph: qui quemadmodùm patri suo Iacob amabilis fuit, ita etiam non minus iucundus & gratus extitit oculis domini sui Putifar. At ne tantus amor & in- *Gen.37.* dulgentia illũ perderet, à fratribus fuit in Ægiptum venditus. Ne autem tanta gratia & amicitia domi- *Gen.39.* ni sui inflaretur (videbatur nanque & sibi ipsi, & aliis dominus, cùm super vniuersam domum Putifar imperaret) in carcerem, & in ferreas cathenas *Psal.104.* fuit detrusus, veluti accipiter, qui à domino deuincitur, ne in fugam se conuertat. Humiliauit enim Deus (vt de ipso Dauid canit) compedibus animam eius. Familiaris etiam & charus amicus erat domino Propheta Helias, cũ quo sępissimè loquebatur, *3.Reg.19.* ne autem in superbum euaderet, immisit in illum persecutionem Iezabel, vt vel sic in sancta humilitate immobilis persisteret: & vt de hac re finem iam

iam dicendi faciam, audiamus Paulum dicentem,
2.Cor.12. Ne magnitudo reuelationum extollat me: datus
est mihi Angelus Satanæ qui me colaphizet, &c.
Sic igitur hos iustos sterilitatis opprobrio dñs hu-
miliauit: ne nimia prosperitate superbirent. Sic
etiam Propheta sanctus Ezechiel ne multis reuela-
tionibus elatus insolesceret, vocatur à domino sæ-
pè filius hominis. Ná filius hominis hebræa phrasi,
Ezech.2. verú hominem significat, obnoxiũ calamitatibus,
& doloribus, vt vel sic insolentiæ nullus locus de-
tur, neue tantum lumen propheticum magi lapsus
esset causa. Quod quidem non paruum est benefi-
cium in nos collatum ne secundis insolẽtes simus.
Vnde non abs re illud Ezechiẽlis erit in memoriã
reuocandum, nimirum quòd de igne egrediebatur
fulgur: quia ex amoris igne egreditur fulgur cala-
Ezech.1. mitatis. Et quemadmodum fulgur terram ferit &
cœlum illustrat: sic afflictio propter Deum corpus
Similitudo. debilitat, & dolore frangit, mẽtem autem purificat
& clariorem reddit. Vnde euenit, vt homo humi-
lietur, & seipsum cognoscat. Mittit igitur dominus
tribulationes pro tanto in nos amore, ne secundis
rebus in elationem animi descendamus.
¶ Secũdò tribuit dominus afflictiones amicis suis:
vt celeriùs ad Deum ire satagant: neue his terrenis
detineantur. Contingit nanque sæpius viatoribus
ex itinere fessis, vt si forte viderint amœna aliqua
loca, à recto itinere deuiẽt, & moras nectũt, allecti
pulchritudine loci, & animi requiescendi gratia.
Qua etiam de causa dominus dilectis suis iter ad
eum facientibus asperum iter facit, ne floribus, &
amœnitate huius vitæ detenti, ad Deum tendere
impediantur. Tribulationes sic mittit, vt omni su-
blata mora ad Deum celeriter tendant. Vult nanq;
dominus ab his terrenis, hominum animos auerte-
Exod.1. re: & ad ea inducere, quæ perpetuò sunt duratura.
Ad hoc enim permisit dominus, vt filij Israël à Pha-
raone persequerentur, vt terram promissionis ma-
ioribus conatibus cuperent, quos velut vilia man-
cipia tractabat, præcipiens illis, vt lateres efficerent
& paleas colligerent ad concoquendos lapides. Sic
nimirum, vt hæc terrena nobis displiceant, gratáq;
sint illa superna & immortalia bona permittit nos
in laboribus, & afflictionibus ambulare. Nam si in
insulam quis, aliquo dierum spacio segregatus es-
set, vbi omnia quæ vellet, quæq; placida illi essent
abundanter suppeterent: nulla equidem ampliùs
animum ipsius recordatio propriæ patriæ subiret.
At verò si misera fame & infœlicitatibus ibi præ-
meretur, sine dubio nihil magis, quàm propriã pa-
triam ardenter desideraret. Quæ vel vnico exem-
plo ex sacra pagine adducto nõ erit incommodum
tibi comprobare. Nam tantum temporis Iacob in
domo Laban permansit: quantum quę sibi placita
erant, fiebant: neque aliquãdo patriæ suæ recorda-
tus fuit: nisi cum domus illa iam illi incœpit displi-
cere. At verò quãdo Laban ipsum Iacob toruis, &
Gen.30. inimicis oculis aspexit: statim dixit, Volo recedere:
non respicit me Laban sicut heri, & nudius tertius
Indéq; fit vt isti sancti cõiuges sterilitatis afflictio-
ne afficiantur, vt totam suam spem in vnicũ Deum
Chry.hom. 1. ad popul. Anti. reponant. Videbis de his Chrysostomum egregiè
loquentẽ. Iam igitur videtis, q̃ iustus, & rectus sit
dominus, & quomodo quos diligit flagellat: vt
omnia credas Dei incorruptissimo iudicio fieri.
Nec mireris, si aliquando videris simplicem & re-
ctum adolescentem immatura ætate surripi: & de-

prauatum peccatorem diu in sæculo viuere. Quo-
circa optimo iure canebat domino Propheta re- *Psal.118.*
gius, Omnia iudicia tua æquitas iniqui persequuti *Iob 1.*
sunt me. Nunquàm Iob proprias facultates amisis- *Malum pœnæ Deo permittente accidit piis.*
set nisi Dei voluntate traditus esset Satanæ. Sic
omnia mala pœnæ, quibus dominus nos affligit,
non sine eius voluntate fiunt: quam voluntatẽ cùm
tu nullatenus videas, & ignores, in murmurationẽ
prorumpis. Quis obsecro, si oculos coniiceret, in
bonitatem & simplicitatem Iob, non diceret, iustè
posse de Deo conqueri? At iudicia domini abyssus *Psal.35.*
multa. Nec ideò ipsam virtutem deserere statim de-
bes, si Dei seruos oppressos videri. Nã si deformi-
tas, & nubecula mulieris suo amatori grata est, cur
virtutem amantes, ea quæ ipsi sunt coniuncta &
amare, & summo prosequi studio nõ debent? ¶ Vo-
luit etiã alia de causa dñs, vt Zacharias & Elisabeth
tot annis steriles essent: vt postea de suscepto filio
maior esset alacritas & gaudium. Nam quæ magis
desiderata accidunt: maiorem voluptatẽ adducũt.
Voluit dominus hos sanctos ita spe affligi propter
hunc filium, vt postea maiori alacritate & gaudio
fruerẽtur. Sic Moyses eduxit mel de petra. Nec in- *Deute.32.*
uenimus populum de petra mel comedisse, sed *Optimum condimentũ fames.*
aquam bibisse: at cum populus siti defatigatus es-
set (vt ait Chrysostomus) aqua illa tanquam mel il- *Chrys.tom.5. hom.9. super illud, nemo læditur nisi à se ipso.*
lis sapuit. Mirum in modum id gustũ recreat, quod
fame comeditur. Ita dominus in hac vita vult nos
laboribus opprimi, vt quæ postea bona acceperi-
mus melius cognoscamus. Maiori nanque gaudio
affectus fuit Zacharias cũ suscepto filio in senectu-
te: quàm si in iuuentute daretur. Vnde dominus *Exod.12.*
præcipiebat, q. agnus lactucis admixtis comedere-
tur. Tribuebat dominus eius amarum condimen-
tum, vt in esu agni magis delectarẽtur. Nã post hye-
mis grandines, pluuias, & tẽpestates, veris claritas
magis æstimatur. Quocirca dominus in conferen-
dis beneficiis aliquãtulũ remoratur: priusq; labo-
res ad nos mittit, & alia quibus angimur infortu-
nia, vt posteà munus, quo à dño afficimur & pluris
fiat, & magis gratum nobis cõtingat. Quæ oĩa ite-
rum ex sacris eloquiis adductis testimoniis, nõ pi-
gebit demõstrare. Nã antequam dñs Abrahæ quie-
tem daret, in peregrinatione vitã egit. Et antequam
Iacob bono potiretur, seruiuit Laban. Et Ioseph *Genes.12.*
antequã dominaretur in Aegypto, multa passus est *Genes.39.*
infortunia. Et Dauid antequã regno potiretur, mi- *Gene.27. & 29*
rum est, quas calamitates & afflictiones sũstulerit. *4.Reg.9.*
Et filij Israel antequã desideratã terrã ingrederen-
tur: quibus laboribus & infortuniis fuerunt ob-
noxij? Denique libet aduertere quod quæ miracu-
lo fiunt, præstantiora sunt quàm quæ natura pro-
ducit. Sic vinum illud effectum à dño ex aqua in
nuptiis in Chanaa Galileæ præstantius fuit, quàm
à vitibus, vnquã productum. Vnde qui ex mulieri- *Ioan.2.*
bus sterilibus nati sunt, præstãtiores fuerunt, quam
reliqui alij illius tẽporis, vt Isaac, Ioseph, Sãson, Sa-
muel, & Ioãnes Baptista. Vt igitur mundo ostẽde-
ret Deus Ioannis Baptistæ sanctitatem, & parentes
ipsius lætos faceret, voluit, vt ex sterili nasceretur.
Causam autẽ cur non esset filius Zachariæ & Eli-
sabeth: subdit Euangelista dicens. *Eo quòd Elisabeth*
esset sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Hunc ser-
uat scriptura morem, vt siquid obscurè dixit, sta-
tim id explicat. Vt est videre in Genesi, vbi dicitur.
Erat Sarai sterilis, & id statim explicat, dicens. *Genes.15.*
Nec genuerat filios. Et iterum ait, quod dixit

Gen. 15. Abraham Deo. Ego vado spoliatus, & nudus, & filius procuratoris domus meæ. Et statim declarat, Mihi non dedisti semen. Et Esaias, Aspicite ad pa-*Esai. 51.* trem vnde excisi estis. Et subdit explicans, Attendi-*Deut. 7.* te ad Abraham, &c. Et in Deuteronomio, Non connubia iunges cum eis, scilicet, cum Cananæis. Non dabis filiam tuam filio eius. Sic Et sequitur, in præsentiarum; non erat eis filius. Declarat seipsum dicens, Eò quòd Elisabet esset sterilis, & ambo processissent in dieb' suis, ex duplici causa naturaliter filium habere non poterant. Primò quia natura sua erat sterilis, cùm neque in iuuentute concepisset: tum secundò, quia iam annus erat. Ideò concipiendi duplex impedimentum abstulit dominus. Hæc sunt diuina & admirabilia opera, nam vbi maior est naturalis difficultas, & vbi nulla prorsus spes desiderati relucet, ibi Deus maximè suā gloriā ostendit. Vbi discere oportet, nunquam esse de diuina misericordia desperādum, licet arduum & difficile negocium videatur. Dereliquit dominus filios Israël, quousque iam nullus apparebat aditus. *Iudith. 8.* Et cùm exercitus Assyriorum, duce Holoferne in obsidione premeret Bethuliam, ita vt cum desperati essent, iam decreuerant post quinque dies tradere ciuitatem: tunc dominus cùm iam de omni remedio esset desperatum, misit fortissimam fœminam Iudith, cuius manu eos liberauit. Et Apostolis *Matth. 14. Mar. 6.* qui tota nocte laborantes pernoctauerant, apparuit Iesus, nō in prima vigilia noctis, sed circa quartam vigiliam: cùm iam ferè de labore desperabant. Qui locus nos admonet, nunquàm de Deo, vel etiā *Abacuc. 2.* in maximis, & periculosis rebus desperādum. Nam licèt aduentum differat, vt experimentum faciat: veniens tamen veniet & non tardabit. Ideò si moram fecerit, expecta eum in omnibus angustiis, & tribulationibus, quemadmodum sancta illa fœmina Susanna: de qua dicitur, quòd eius cor erat fidu-*Dan. 13.* ciam habens in domino. Quis rogo crederet post tot sterilitatis annos futurum esse, vt Elisabeth pareret? Insuper & Zacharias iam ad senilem deuenerat ætatem, vt inde intelligas cóceptum magis desperatum esse. *Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum secūdum consuetudinem sacerdotij sorte exijt, vt incensum poneret: ingressus in templum domini.* Factum est, inquit. Hæc loquutionis forma frequens est apud Lucam: ac si diceret, Accidit. Porrò Zacharias ingressus est in templum domini, in festo expiationis, quod celebraba-*Leui. 23.* tur decima die Septembris. Ingressus est autem vt incēsum poneret, offerēs dona pro peccatis. At nostra hac tempestate multi relinquūt officium offe-*Non offerunt sed auferunt hodie.* rendi, & assumunt sibi munus auferēdi, & expoliādi templa domini. Hinc fit vt isti diuites & pingues fiāt bonis ecclesiasticis, & decimis: ipsæ verò ecclesiæ pauperrimæ: quorū domus miro artificio sunt elaboratæ: lectum & eius fulcra pauimentis aureis strata, altaria verò dominis omni ex parte neglecta. Qui denique argenteis & aureis vasis potum assumunt: calices verò multi ecclesiarum plumbo, & vili ære sunt confecti. Sed de his satis.

Ambros. & Beda super Luc. ¶ Ex hac autem diui Lucæ lectione existimarunt multi Zachariam fuisse summum sacerdotē & pontificem, quia incensum apponere semel in anno intra Sancta sanctorum tantummodo soli pontifici licebat. Sed quia nullus Iudæorū de huius pontificatu & sacerdotio loquens, aliquam mētionem sacerdotij Zachariæ facit, mihi rectiùs apparet, si dixero, illum non fuisse summum sacerdotem. Nam apponere incensum etiam minores sacerdotes facere poterant: quia quilibet lotis manibus, & pedibus, accipiens prunas de alteri holocaustorum intrans primam partem templi, quæ vocatur Sancta, *Leui. 16.* concremabat thymiama & tūc erat sacrificiū consummatum. In illam verò partē quæ vocatur Sancta sanctorū, solus summus sacerdos intrabat cum sanguine hirci, & vituli immolati pro peccato populi, vt illo sanguine propiciatorium aspergeret. At si Zacharias esset ingressus cum tali sanguine in Sancta sanctorum, non vtique euangelista tacuisset: cum id esset maximum inter omnia quæ ad officium summi sacerdotis pertinebant.

¶ Præterea Angelus apparuit ipsi, dum nūtium afferret, in præcipua parte, vbi suum officium exercebat: & hic dicitur quod apparuit ei stans a dextris altaris incensi, quod altare non erat intra Sancta sanctorū. Quod si dixeris soli summo sacerdoti licitum esse, apponere incensum intra Sācta sanctorum in die expiationis: dicendum id verum esse, sed illud aroma non ponebatur ad sacrificium, sed vt nebula inde consurgens operiret locum illum, dum pontifex aspergebat sanguinem hirci, & vituli. At Zacharias non posuit incēsum isto modo, sed offerens illud super altare incensi ad cōsummationem sacrificij. Denique in patrocinium meæ sententiæ facere intelligo id, quod in libro Paralipomenon secundo ad sacerdotes loquitur Ezechias, Nolite negligere filij mei. Vos elegit Deus, vt stetis coram eo & ministretis ei, colatis eū, & cremetis incensum. Hoc ergo incensum, cuius ministerium ad minores sacerdotes attinebat: posuit Zacharias accendendo thymiama prunis ardentibus, ponendo hoc incensum super altare incensi, quod item altare aureum appellatur. At si literam diui Lucæ introspexeris, satis constat quòd nō erat summus sacerdos cum dicitur illum esse de vice Abiæ, qui ex viginti quatuor sacerdotibus minoribus erat, quique sorte exiit, in ordine vicis suæ: quæ omnia ad minores sacerdotes pertinere clarè constat. *2. Para. 29.*

¶ Notabis etiam quòd sacerdotium illud sorte illi contigit, non vsurpatum aut male acquisitum. Vbi discas sacerdotium aut officium prælato non adeundum esse negotiatione, aut ambitu, sed tanquā alteri Aaron. Nam cum Ozias sacerdotis officium arroganter sibi assumeret, lepra coopertus est. Et Core cum suis consumptus est igni. Zacharias autem sorte exiit: Vnde sapiens ait, Dabitur illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. Illis autē verbis, quibus ait, in ordine vicis suæ docemur, ne in Ecclesia Dei ministeria sint confusa: sed vnusquisque ita ministerium suum exerceat, vt alienum nolit vsurpare. At sunt aliqui homines qui cùm ad sua munera obeūda minimè sufficientes sint, aliorum officia volunt facere, & sic contingit sæpiùs ministerium domini in ecclesia confundi, vnde etiā fit, vt inter ipsos ministros rixæ, & cōtentiones oriantur. Ideò dominus Aaroni de Leuitis loquutus ait, Ad vasa sanctuarij, & altare non ascendant, ne moriantur. Vult nanque dominus, vt vnusquisque suo proprio munere fungatur, nec cōfusio sit in ministerio domini. Vide etiā quod dixit, ordine vicis suæ ante Deum, hoc est, in conspectu domini. Nam certè quidquid agimus, in diuino cōspectu agimus, cùm omnia nuda, & aperta sint oculis eius. Quod quidem in omni opere & cogitatione tua

Sacerdotium quomodo amplectendum. *2. Para. 26.* *Num. 16.* *Sap. 5.* *Leui. 16.* *Hebr. 4.*

ne tua attentius considerare debes, cùm quidquid agas, coram Deo agas. Sed væ hominum impudentiæ qui maiori pudore corã hominibus suffunduntur, quàm coram Deo. Nam multa audemus facere in Dei conspectu, quæ puderet nos facere coram hominibus, sed beat⁹ est ille (Ecclesiasticus inquit) *Eccle. 14.* qui videt circunspectionem Dei. Deuenit nanque peccator in stupidum id genus stultitiæ: vt existimet, quòd cum ipse non videat Deum, nec ipse videtur à domino: in cuius gratiam hæc insana verba proferuntur. Quis videt me? Tenebræ circundunt me, & parietes cooperiunt me, & nemo cir- *Eccle. 23.* cunspicit me. Quem vereor? Delictorum meorum non memoratur altissimus. Et non intellexit quoniam omnia videt oculus illius. Vnde putabat Iudas filius Iacob peccatum suum occultum esse: sed Thamar misit annulum & baculum, & patefactum *Gene. 38.* est. Sic Dauid dixit Nathan, Tu fecisti abscondité, *2. Reg. 12.* ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel. *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.* Hoc est in atrio templi: quia non licebat secundum legem, populum ingredi Sãcta, aut Sancta sanctorum, id est secũdam partem templi: Tres nãque habebat templũ Salomonis potissimas partes. Priorem partem Sancta sanctorum vocabant: Secũdam verò, Sancta, vbi omnes ministri & sacerdotes ingrediebantur: Tertiam verò partẽ Atrium appellabant, in quam vniuersus populus cógregabatur. Sic etiã & olim in nostris obseruabatur templis, & ecclesiis: in cuius rei gratiam quoddam de- *De consec. dist. 1. ca. sacerdotum.* cretum erat sancitum, vt laïci inter clericos non sederent, interim dum sacra peraguntur: quod quidem sanctè & religiosè institutum est. Nam si tanta reuerentia volebat dominus, vt in illo templo antiquo omnes incederent, vt dum sacra celebrabantur, non licebat populo templum ingredi, cum omnia illa vmbra essent & figura eorum, quæ faciéda erant in templo nostro: vbi Christus verus Deus, & hostia immaculata pro peccatis offertur: quantò maiori reuerentia deberet Christianus populus sacris interesse? Tamen ad id genus impudentię multi seculares deuenerunt, vt ita sint altaribus proximi, vt celebrantibus sacerdotibus maximo sint impedimento, vt ad cornua altaris non possint volui. O vtinã, Ecclesia nostra plures haberet Ambrosios: qui sanctissimus vir vel ipsi imperatori Theodosio concedere noluit, vt prope altare accederet: sed iussit illi, vt recederet in locũ ipsi populo signatum. Et illa olim memoria digna erat consuetudo, quòd interim dum lectiones, & euangelia legebantur, vniuersus in templo aderat populus: posteà tamen dum sacerdos Christi corpus conficiebat, ejiciebãtur foras cathecumeni: nunc etiam non solùm seculares & mulieres, sed etiam canes vsque ad aras ingrediuntur. Sed de his aliàs. Vbi autem dicit sacerdotem esse intra Sancta, populum autem foris: datur nobis intelligi, quòd Christi sacerdos mysteria domini & arcana magis callere debet, quàm populus: & cum proximus Deo sit, tractare debet ea frequentiùs, & profundiùs penetrare. Is enim debet esse pastor & vitæ integritate, moribus incorruptis, vt ipsius comparatione cæteri greges dicantur. Tenẽtur nãque sacerdotes quæ Dei sunt altiùs & profundiùs cognoscere, quàm reliqui alij homines. Vtinam non à popularibus edoceamur, neuè propinquiores Deo sint quàm nos, cùm multis negotiis secularibus, & exterioribus impediti simus. Vtinam cum fatuis virginibus non exclu- *Math. 25.* damur: & seculares cum Christo sponso ad gloriam admittantur. *Apparuit illi autem Angelus domini stans à* *Ambro. super Luc.* *dextris altaris incensi.* Bene apparuisse dicitur ei (vt Augustinus disserit) quando quidem repentè cum *Aug. de videndo Deum epi. 112. c. 5.* aspexit. Quod quidem scriptura diuina de Angelis, aut de Deo loquens consueuit dicere: vt quod præuideri nequit, apparere dicatur. Sic in Genesi dicitur, Apparuit Deus Abrahæ in conualle Mambræ. *Gen. 18.* Apparuit autem ad altaris dextram Angelus læta nunciaturus: nam quæ dextra sunt fœlicitatis nomen sortiuntur. Talem enim locum Angelus elegit, qualia erant nuncia, ab ipso allata. Vbi non abs re notandum erit: quòd nusquam angeli certiùs inueniuntur, quàm vbi sanctis, & piis operibus vacatur. Qualem operum tuarum desideras inspectorem, talia operare. Vbi nanque conuiuiis, epulationibus, mendaciis, & carnis voluptatibus datur locus: ibi non Angelus domini, sed Satan apparebit, quia ipsius operibus assistitur.

¶ Præterea non omnibus, sed mundis corde & sanctis apparuit, qualis erat Zacharias. Apparuit illi oranti, & ab amplexibus abstinenti, & à mundana turba separato. Sic nimirum si tu cœlestibus cupis frui gaudiis, à terrenis necessum est teipsum abstinere.

¶ Denique id diligenter obserua, quòd dùm Zacharias suo officio & munere fungeretur, apparuit illi Angelus domini. Quia bono muneri erat intentus, meruit Angelũ domini videre. Fauet enim dominus hominibus qui sanctis muneribus funguntur. Sic dominus Petrum & Andræam piscantes vocauit: quos discipulos, & Apostolos suos fecit. Nec sine mysterio intelligas Euangelistam dixisse, Erant *Math. 4.* enim piscatores. Quid enim ad nos facit scire, vel non scire illos esse piscatores? Quod certè dictum fuit, vt sciamus multos aliquando ad piscãdum ire, qui quidem piscatores non sunt, funguntur enim piscatorio munere vt delectentur, nó vt eo viuant. Petrus verò & Andræas piscabãtur, quia eo munere necessaria vitæ comparabant. Quod quidem Euangelista expressit, vt doceat Deum, suis officiis, & muneribus intentis fauere: & iis qui suis manibus, non alienis officia sua exequuntur. Sed tu qui Episcopus es, quid ad hæc dices? Et tu qui benefi- *Episcopi officium.* cium habes, & animarũ curam: quid est quòd eas tradis manibus códucti mercenarij? quid est quòd eas nõn visitas, nó lactas, non pascis, nec sacramenta porrigis? Quare pastor cum sis, pastoris officio non fungeris? Quare oues iugulo tradis, postquam sanguinem suxisti? Quare Ecclesiæ tuæ non assistis? Tibi profectò non angelus lucis apparebit à dextris: sed Angelus Satanæ in articulo mortis à sinistris: & sicut perpetuò absens es à tua Ecclesia: ita perpetuò diuino regno destitueris. Nec id faceres, si intellexisses, quantam perniciem tuo gregi inferas, cum tua absentia. Nam absente Moyse populus idolatriæ seruiuit: quod vtique non fecisset si ipse Moyses adfuisset. Nec mirum si in actis apostolicis *Praelatorum residentia necessaria.* legamus, quod vmbra Petri sanitatem dabat infirmis, vt intelligas quantum intersit, vt prælati semper suis ouibus custodiendis assistant: cùm vel sola *Exod. 32.* vmbra sanos eos faciat. In regalibus curiis prælati nihil aliud mihi videntur, quàm mortuæ caluariæ. Quãdo canis molossus, cui data cura est pecus cu- *Actu 5.* stodiendi relicto grege in monte domum petit, vt panis quadram, vel aliud quid possit capere: solent filij

filij familias, & famuli, vocibus obstrepẽtes canem è domo eiicere, & illum fustibus cædere dicentes, Abi ad pecus, abi ad pecus, vt iterum ad custodiendas oues abeat. Ita in regum, & aliorũ secularium principũ curiis plures prælatos, & antistites videbis, quibus animarum cura data est, qui semper habent in faciẽ regis oculos coniectos, vt si forte pinguior episcopatus, vel alia opima dignitas vacet: quos quidem valdè similes ego esse iudico canibus qui buccellam panis à manibus domini sui ab ore ipsius pendentes expectant. Quos certè principes, & vniuersi homines à ciuitate vocibus: & clamoribus deberent expellere, dicentes, Canes nequam & proditores pergite ad vestras oues custodiendas, nolite amplius hic demorari. Solent aliquando mulieres, præsertim illæ quæ delicatam nimis, & mollem vitam instituunt, postquã infantem pepererũt, nutricibus alendum tradere, & illis imponunt omnem laborem, & diligentiam, quam ipsæ deberent præstare. Et id nulla alia de causa faciunt nisi quia iterum ipsæ volũt grauidæ fieri, cum maritis carnaliter & vitiosè accũbendo: vt vel sic nullam curam erga filios nutriendos adhibẽntes totas se libidini voluptatibúsque tradant. Similes his mulieribus sunt multi Ecclesiastici in regũ curiis, qui vt in libertate & sine labore viuãt oues sibi creditas, conductis ministris & mercenariis tradunt, vt secundum regulas carnis in aulis regalibúsque domibus assistant. Quòd si dixeris te aliũ Ecclesiæ in tuum locũ substituisse, qui rectè officio tuo possit fungi, quem quidem non immeritò omnes credant pro te eandem diligentiam, quam tu præstaturum: Quæro à te, si tibi tanquam digno, & literato huiusmodi officium collatum est, tu verò alium substituis, qui te indignior sit, nonnè oues tibi cõmissas manifesta iniuria afficis? Si verò mercenarius substitutus ita est dignus, vt tu, & vel fortè dignior maiórque præmio afficiendus: nunquid illi iniuriam non infers, si nõ donaueris illi omnes fructus beneficij, quos tu ociosus colligis, cùm illi potiùs essent tribuendi: quandoquidem ita doctus, & dignus sicut tu, vel forte dignior, omne pondus, & laborem sustinet, quem tu ignauia & pigritia perditus subterfugis? Quod si hæc quæ dicimus vera sunt, quid est quod omnes fructus beneficij ab eo poscis, nihil ei relinquens, quo vitæ suæ possit consulere? Qui non laborat (inquit Paulus) nõ manducet. At si tu non laboras, quare mãducas? In Numeris legitur, dixisse dominum sacerdotibus, & Leuitis, Excubate in custodia sanctuarij. Nam quemadmodum ianitor, ianuæ ipsi debet assistere, & nauis gubernator in puppi sedere: ita etiam præsul adesse debet suæ Ecclesiæ, vt oues suas doctrina & exemplo pascat, quod proculdubio vel non, vel summa cum difficultate absens præstare poterit. Quis non videt, hæc quæ diximus proprium hominẽ requirere? Qui episcopatũ desiderat (inquit Paulus) bonum opus desiderat, Non dicit bonam dignitatem aut diuitias bonas, voluptates, nec redditus (quæ omnia, quanuis non damnanda, tamen non est in eis omnis pastoralis cura constituenda) sed bonum opus, & bonum laborem. Per præsentiã suam suscitauit dominus filiam archisynagogi, filium viduæ, & Lazarum: nõ tamen per procuratorem, aut substitutum. Qua de causa dominum nostrum Christum, vt nobis sempiternum documentum relinqueret suo exemplo: quum per alium salutem largiri posset, nunquam legimus valitudinẽ præstitisse, singulis manus imponens (ait noster Euangelista) curabat eos. Iacob reddens rationem quomodo oues Labam custodierat, dixit, Noctu diúque gelu vrgebar, & somnus fugiebat ab oculis meis. Cum dicit, se oues custodisse, non dicit se habitasse in aula regia, nec in Pontificis curia, néue somnos delicatos & dulces cœpisse, aut per ministerium alicuius oues obseruasse: tunc nanque non diceret: & somnus fugiebat ab oculis meis. Ita nimirum necessum est vt semper pastor ouibus custodiẽdis adsit. Nam Samaritani tamdiu morsibus leonum fuerunt infestati: quandiu inter eos sacerdos non fuit: sed postquã ad eos venit sacerdos domini, qui cultum diuinum eos docuit: ira leonum fugit ab eis. Ita enim præsentia prælatorum admodum est necessaria, vt illis absentibus, prorsus ignoret populus diuinum cultum, & obseruantiam diuinorum mandatorum: sicut contigit illis Samaritanis. Vnde in Prouerbiis habetur, Vbi non est gubernator, corruet populus. Quando multas dignitates te habere dicis, ridiculũ est, vt fatearis, in pluribus posse simul locis esse. Quando in Dei Ecclesia deficerent homines, non mirum esset, si vnus homo Episcopus, & Cardinalis, & abbas esset: itémque plura haberet beneficia. Tamen immensæ gratiæ ob id Deo agendæ sunt eò quòd permultos & sapientes viros, & in Theologia, & in sacris iuribus nobis dedit, tum etiam sanctis moribus imbutos, qui nec buccellam panis ad comedendum habẽt. Sed quare tria vel quatuor beneficia simul habere vis, cùm nec tres homines in illis sint, de quibus cura tibi sit habenda: præcipuè cùm pluribus sacerdotibus abundet Ecclesia Dei, qui in misera paupertate vitam agunt, quique ad id beneficium obtinendum te digniores & præstantiores sunt. Quòd si generosum & illustrẽ te esse dicis, & tuæ personæ dignitati omnes illos redditus esse necessarios: assumens tibi omnes redditus, quos vel ditissimus episcopatus habet, vt tuam libidinem & auaritiam explere possis: O nefandum dictum, & dæmonis laqueus astutissimus: cùm velint isti Christi patrimonio vanitatibus mũdi, & insaniæ suæ deseruire. Quod certè nihil aliud mihi videtur, quam hominẽ velle esse Centaurum, aut Minotaurum: hoc est mediam feram, & medium hominẽ. Nam ecclesiasticus cum sis, & mundo renunciaueris, adhuc mũdo imperare cupis, & suis voluptatibus immisceri, non attendens dictum domini, Regnum meum nõ est de hoc mundo. Quapropter si saluus esse cupis, vnum tibi sufficiens sit: cætera autem in bonos & doctos viros conferas; cuméque tuæ ecclesiæ inseruieris, & in eo laboraueris, postea refectionem accipe, cum dignus sit mercenarius mercede sua. Nãque luna cũ minor sit stellis, plus tamen mouet hæc inferiora, quàm quælibet illarũ: non quòd natura sua efficaciorem habeat virtutẽ, sed quia proximior est nobis in infimo orbe constituta. Vbi iam videris quãtum valeat propinquitas ad mouendum. Eodem modo præsul debet præsentia sua subditos regere, nec ab eis discedere, vt eos possit ad virtutem inclinare, quibus ita familiariter debet agere, vt ipsorũ nomina comperta habeat. Quòd si dominus voluit vt Adam subditorum animãtium nomina cognosceret: quid respõdebit prælatus, qui per totum annum ecclesiam non videt? Quomodo nomina eorum cognoscet? Quod si quantum valeat prælatorum

Marginal notes: Similitudo. — 2. Thes. 3. — Num. 18. — Episcopor. est non opes sed opus desiderare. 1. Tim. 3. — Matth. 9. Luc. 7. Ioan. 11. — Luc. 4. — Gen. 31. — 4. Reg. 17. — Episcoporum absentia ouibus exitiosa. — Prou. 11. — Beneficiorum pluralitas damnabilis. — Ioan. 19. — Matth. 10. — Similitudo. — Gen. 2.

torum persona in omnibus agẽdis velis intelligere, scias Giezi nõ potuisse baculo Elisei mortuũ puerum suscitare, quousque ipse Eliseus domũ adiuit. Præsentia prælati vel mortuos suscitare valet: ipsi* verò absentia nefanda scelera cõmittuntur. Quis etiam tam stupidus & mentis inops est, vt non intelligat perpetuã prælatorũ absentiã à suis ouibus contra legem diuinam, naturalem & positiuã esse? Etenim scriptura diuina, sacra concilia, necnon & naturalis id nobis demonstrat, prælatos teneri suis ecclesiis assistere. Quòd si placuerit, legas aliquando de hac re beatum Augustinum, Gregorium Nazianzenum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, Chrisostomum, Bernardum, & tandẽ plura alia concilia sacrum Concilium Tridentinum eleganter de hac re loquutum. Et nihilominus licet hæc ita sint, non desunt plurimi Theologi qui in oppositam sententiam abeãt, etiam si stimulus cõscientiæ eos pungat, hoc argumento moti, vt episcoporum gratiam sibi concilient, & vt rudi plebi suam scientiam & acumen ingenij ostendant. Id enim est hominum ingeniũ, vt tunc existiment coram rudibus & ignorantibus aliquod magnum facinus perfecisse, si singularem aliquam opinionẽ, quantum vires valuerint, defenderint. Nã id quod alij tenent sibi commune videtur, & non se peritos existimant, nisi peculiarem aliquam opinionem tueantur, etiam si ex diametro cum ipsa veritate pugnet. Quos insipiens & stolidum vulgus scientes appellat, cùm aduersus communem sententiã insurgunt. Quod hominum genus, arrogantiam & superbiam tanquam humilitatem amat: nec mirũ si tales aliquando in periculosas hæreses & miseros delabantur errores.

4. Reg. 4. — *Episcoporum residentia de iure diuino.* — *Aug. lib. de past. Nazi. in oratiõe de statu epi. Concil. Tridẽ sessi. 6. & sessiõe 23. in decreto de reformatione.*

Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.

Quod contigit ex subito & insolito angeli aspectu, & ex humana fragilitate: sicut Danieli cõtigit, qui viso angelo dixit, Nõ remansit in me fortitudo, sed species mea immutata est in me, & non habui quidquã virium. Nec subinde mireris, si audieris Zachariam viso angelo turbatũ esse: nã vulgo celebratum erat, eum hominem statim moriturũ, qui Deum vidisset & angelum eius. Quod verum esse historia Gedeonis manifestè nobis indicat: Nã videns Gedeon quòd angelus ei fuisset locutus: dixit, Heu mihi domine Deus, quia vidi angelum domini facie ad faciem: Dixitque illi dominus, Ne timeas, non morieris. Sic etiam Manue pater Sansonis intellexit sibi angelum apparuisse: dixitque ad vxorem suam, morte moriemur, quia vidimus dominum.

Dan. 10. — *Iud. 6.*

Ait autem ad illum Angelus, Ne timeas Zacharia.

Multum interest inter boni angeli, & mali visionem: Nam Angeli boni initio visionis terrorem & timorem incutiunt: postea reficiũt & consolãtur. Nam cùm primùm hic Angelus bonus Zachariæ apparuit, illum deterruit, statim verò illum consolatur dicens, Ne timeas, & illum lætum facit, promittens illi futurũ filium, gloriam & decus totius sæculi. Apparuit etiam bonus angelus beatissimæ virgini, quæ licet statim tremuerit: subinde tamẽ tanto, & tam incredibili gaudio illam perfudit, vt humanis verbis explicari nequeat. Apparuit etiam pastoribus, qui etsi principio turbati fuerũt, tamen postea incredibili gaudio sunt perfusi cũ læto nũcio natiuitatis saluatoris. Ita quæ sunt Dei, nimis põderosa & grauia principio apparẽt: vt sunt virtutes, quæ earum nouos cultores deterrent: tamẽ si ipsum finem respicias, delectabilis, gratus, & suauis est. Si toracem nouum induis, caligas, vel tunicam, prima die defatigatus incedis, ita vt teipsum mouere non possis: at si tres vel quatuor dies hæc assueueris, grata tibi & iucunda videntur. Vnde diuus Paulus dicebat, Induimini dominum Iesum Christum. Qui quidem vestris nostra est, nobisque ipsis cõfecta: qui si in principio visus fuerit, nõ tibi cõmensuratus, perseuerandũ tamen tibi est, túncq; æquè illum & corpore & anima indues. At dæmõ & carnis vitia multò aliter sese habent: nam principio dulcia, amica, & iucunda accedunt, posteà tamen animam torquent. Induit enim se dæmon: cùm ad tentandum accedit, læto & amœno vultu, tamen in fine animam ipsam tristem relinquit, & inquinamentis carnis contaminatam. Statua illa, quam vidit Nabuchodonosor, caput habebat aureum, pedes verò terreos: quia vitia omnia aureis & prætiosis vestibus induta, nobis ostendit, pulchra & decora facie picta: quæ (si attentiùs consideres) finem habent vilem, miserum & infœlicem qualis est peccati. Vnde memorem te esse oportet in visione tam angeli quàm dæmonis ipsius finis: Virtus namque in fine delectat, vitium verò torquet. Verùm vt scias, quomodo sancti angeli fortes reddunt illos, quibus apparuerunt, postquàm angelus Zachariæ dixit, noli timere: statim illum consolatur, dicens,

Iud. 13. — *Luc. 2.* — *Apparitio angelorũ bonorũ in initio terribilis.* — *Similitudo.* — *Rom. 13.* — *Malorũ angelorũ apparitio iucũda.* — *Dan. 2.*

Quoniam exaudita est deprecatio tua.

In primis certum id est, Zachariam non orasse, eò quòd dominus illi prolem concederet, quando de ea angeli promittenti desperabat. Quocirca dici solet, quod orabat pro populi salute, qui exauditus est, cum filius datur: nanque natiuitas Ioannis Baptistæ initiũ fuit libertatis populi. Verùm quantum ego coniicere possum, orabat, vt Messias daretur, tanquàm alter Simeon: & ideò subditur ab angelo, *Et Elisabeth pariet tibi filium.*

Aug. de quæstio. Euangel.

Quorum verborũ sensum intelligo. Messiam pro quo oras, dabitur: & vltra hoc Elisabeth pariet tibi filium, huius Messiæ præcursorem, cuius tu pater eris. Et post pauca addit angelus. Ipse præcedet ante illum. Hoc est præcedet Messiã, pro cuius aduentu deprecatus es. Quæ sententia apertè conuincit: quia relatiuum, illum nõ refert nisi Christũ, quem Ioannes ante iuit, quem Zacharias summis precibus postulabat: & cõiunctio, &, additionem significat, scilicet, ꝙ pater esset Zacharias præcursoris domini. Vbi obserua, quòd quando angelus hic loquutus est Ioseph, de partu virginis, non dixit, pariet tibi, sed pariet absolutè: quia Ioseph nihil ibi operatus est. At Zachariæ dixit, pariet tibi filium: hoc est, pariet filium à te genitum.

Et vocabis nomen eius Ioannem.

Quod quidem magnum priuilegium est, vt ab ipso domino Ioanni nomen imponatur: quod dominus non consueuit facere, nisi cum dilectissimis amicis suis, vt cum Abrahã & beato Petro. Innuit nanque dominus, cùm nomen alicui imponit, donum aliquod diuinitùs illi esse cõcessum. Sic dictũ est Abrahæ, Appellaberis Abrahã, quia patrẽ multarum gentium constitui te. Et Petro, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Imponitur enim huic viro nomẽ aptissimum, & sibi conueniens: futurus nanque erat Ioannes, vt co-

Gen. 17. — *Math. 16.* — *Chrisost. in Ioan.* — *Cõueniũt rebus nomina sæpe suis.*

ram vniuerſo mundo gratia & donis diuinitùs cóceſſis, illuſtris, & ſplendidus eſſet. *Gene. 2.* Nam ſicut Adam nomen omnib. rebus impoſuit, cóueniens earum qualitatib. & naturæ: nomen igitur à Deo alicui impoſitum aptius & conuenientius illi adaptabitur. *Pſalm. 148.* Vnde Pſalmiſta loquẽs de Deo, inquit, Qui numerat multitudinem ſtellarum, & eis nomina vocat. *Gregor hom. 13. ſuper Gen.* Omnes nanque angelos (quos hîc nomine ſtellarum intelligit) proprio vocat nomine: quamuis ſcriptura tantùm trium meminerit: Tamen ſi per omnium angelorum & hominum nomina (duob. exceptis) diſcurſum feceris, nullum ita ſublime, ita magnificum & illuſtre inuenies ſicut Ioannis. *Ioãnis etimol.* Ioannes quippe gratum ſignificat, gratia plenum, miris indultis, immunitatib. & priuilegiis inſignitũ. Etenim in humana creatura nihil magis magnificũ, aut excellentius inueniri poteſt quàm Deo placere: Nam ſi ij, qui in cælis & in ſanctorum habitaculo ſedent, Deo non placuiſſent, nequaquã vlla beatitudo illis eſſet: & ſi qui in infernis torquentur aliquid diuinæ gratiæ participarẽt, vtique miſeri non eſſent, ſicut qui in purgatorio detinentur, nó ſunt miſeri. Verè Ioãnes beatus & fœlix dici poteſt, qui tale nomen conſequi meruit: nó ab ore hominum, aut angelorum impoſitũ, ſed ab ore Dei. Et quemadmodum hoc nomen maius & excellentius eſt omnibus aliis nominib. ita ille, cui nomẽ eſt impoſitum, maior & illuſtrior eſt omnibus hominibus.

Prouer. 10. *Et erit gaudium tibi & exultatio*: Nam vt inquit Salomon, filius ſapiens lætificat patrẽ: filius verò ſtultus mœſtitia eſt matri ſuæ. Zacharias quippe protinùs, vt vidit filiũ, maximè lætatus eſt: & vt ſuæ lætitiæ ſignum manifeſtum oſtenderet, cantauit, Benedictus dominus Deus Iſrael, quia viſitauit, &c. *Prouer. 23.* Sic in prouerbiis legimus, Exultet in gaudio pater iuſti: & qui genuit ſapientem lætabitur in eo.

Et multi in natiuitate eius gaudebunt. Et inferiùs dicit noſter Lucas, quòd vicini omnes audientes magnificaſſe dominum miſericordiam ſuam cum illa, cógratulabãtur ei. Quod quidẽ eueniebat: nam cum Zacharias & Eliſabeth iuſti & ſine querela eſſent, & nemini malum inferrent: ab omnibus diligebantur, & de bono Zachariæ omnes lætabantur. Gaudebant etiam videntes miraculum nouiter factum de conceptu ſterilis mulieris, & cùm cognoſcerent maximã vtilitatẽ venturã populo, & conſiderabant diuinã viſionẽ, quã habuit Zacharias in tẽplo, completã eſſe in puero nato. Hoc quidẽ in huius ſancti natiuitate cómendatione dignum exiſtimo: quòd *Bernard. in ſer. de na. S. Ioannis.* non ſolũ Chriſtianus populus, ſed vniuerſus terrarum orbis Mauri, Turcę, & infideles in feſto natiuitatis eius miris lætitiæ & exultationis ſignis exultant. *Et erit magnus coram domino.* Mirabile dictu angelum dixiſſe Ioãnem futurũ magnum coram domino. Audite obſecro, qualis & quãtæ excellentiæ ſit iſte, de quo nobis eſt ſermo. Nam ſi collatione regis terreni nullus ſubditorũ dicitur magnus: qualem illum exiſtimatis: qui coram Deo, ante cuius conſpectũ vniuerſi imperatores & reges terræ nihil ſunt, magnus appellatur? Audias obſecro ſapientem, *Sap. 11.* qui Deum alloquitur dicens, Tanquam momentum ſtateræ, *Eſa. 40.* ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris, qui cadit in terrã. Et ſanctus Eſaias, Omnes gentes quaſi nó ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei. Omnes fluuij ingredientes mare nomen ſuũ amittũt: nam cùm mare ita vaſtũ ſit & profundum, omnes ingurgitat: Sic nimirum magnitudo & excellentia *Similitudo.* Dei ita grandis & incomprehẽſibilis eſt: vt ſi quid magnum in nobis eſſe dixerimus comparatione facta ad ipſius magnitudinem, ſtatim magnitudinis nomen amittet, & nihili nomen aſſumet. Nam ſi liberalitatem noſtram cum diuina cóferre velis, auaritiæ nomen meritò ſortietur: ſi bonitatem noſtram cum diuina æquiparare nitaris, malitiæ nomen & peruerſitatis induet: ſi denique noſtrum eſſe & diuinum æqua lance perpendas, iam noſtrum nihil, & tanquam vmbram eſſe meritò dices. Sed velim certè intelligere, quid eſt, quòd diuus Ioannes non ſolum magnus appelletur, ſed magnus coram Domino? Hæc quidem magnitudo in admirationem me rapit, vt magnus appelletur iſte, in illius conſpectu ante quẽ vniuerſæ creaturæ nihil ſunt. Magnus hic fuit nó natura, ſed æſtimatione. *Ioannes magnus non natura ſed æſtimatione.* Multi coram oculis ſuis magni ſunt, vt ſuperbi, qui & magnos ſe eſſe putant, & ad grandia natos: de quib. in Eſaia dicitur, Væ qui eſtis magni coram oculis veſtris. *Eſai. 5.* Sic fuit Lucifer, qui ſibi ipſi placens dæmon factus eſt: *Eſai. 14.* Sic fuit Nabuchodonoſor qui tantam ſui ipſius *Dan. 4.* voluptatem cœpit, vt in irrationale animal fuerit conuerſus. Hi ſibi ipſis ſunt cauſa, vt luant pœnas, cùm ſe aliquid eſſe putantes, nihil ſint. Putantes ſapientes ſe eſſe, ſtulti facti ſunt. *Rom. 1.* Huiuſmodi erat epiſcopus ille, de quo in Apocalypſi habetur ſermo, *Apoc. 3.* Dicis quod diues ſum, & nullius egeo: & neſcis quòd pauper es, & nudus, & cæcus. Solus ille verè magnus habendus, qui à domino plurimi ſit, quique domini ſtatera & incorruptiſſimo ſuo iudicio perfectus iudicatus fuerit. Vnde egregiè diuus Paulus, Non qui ſeipſum cómendat, ille probatus eſt, ſed quem *2. Cor. 7.* Deus commendat: ſicut beatiſſimus Ioannes commendatus fuit. Sed quem obſecro Deus vnquam ſicut Ioannem commendauit? Neminem vtique. *Mat. 11.* Commendauit, & laudauit Nathanaelem dicens, Hic verè Iſrael ita eſt, in quo dolus nó eſt. Et Magdalenæ dixit, Sinite illam, bonum enim opus operata *Ioan. 1.* eſt in me: Et Petro, Beatus es Simon Bariona: Centurioni, Non inueni tantam fidem in Iſrael: Paulo, *Mar. 14.* Vas electionis es mihi. *Mat. 16.* Et Cananææ, O mulier, magna eſt fides tua. *Mat. 8.* Verùmenimuerò has laudes dñs *Act. 9.* obiter & velut in tranſcurſu protulit, quæ duo tan- *Mat. 15.* tùm vel tria verba continent. At verò nó ita ſe geſſit laudib. Ioannis Baptiſtæ: ſed pleno ore, & abſoluto *Mat. 11.* ſermone in laudes eius prorupit: & poſtquã illum laudauit, de vitæ conſtantia, de aſperitate, & ſanctimonia, eum angelum, prophetã, & pluſquam prophetam, & inter natos mulierũ maiorẽ appellauit. Talib. encomiis à domino celebrari, magnæ laudis eſt. In quo obſecro diuus Ioãnes magnus fuit: Imo in quo non magnus fuit? Magnus in conceptione, magnus in natiuitate, magnus in vita, magnus in doctrina, magnus in officio & ſanctitate, & magnus in ſua morte. Habuit nanque ſacros euangeliſtas ſuorũ geſtorum ſcriptores, & Chriſtũ ſuarum virtutum egregiũ concionatorẽ. Nec illud ſilentio prætereundum, quòd cum Ioãnes Euang. tanquam aquila volaſſet, & poſtquã myſteria diuinitatis, originẽ & natiuitatẽ verbi pertrãſiſſet, ad humanas res deſcendẽs, prior, in qua gradũ ſiſtit, fuit Ioan. Bapt. *Ioan. 1.* tanquam in ſublimiori vertice & cacumine totius mundi. Quãdo quis in lucem reſpicit, & oculos luce circunfuſos habet, ſi tunc auertat à ſole oculos, & aliò transferat, nihil videt, vel maxima debet eſſe res, vt aliquid videre queat: quo argumento colligitur

ligitur magnam & ſublimem rem eſſe Ioannem
Baptiſtam. Nam cum ſacer Euangeliſta oculos re-
moueret à radio ſolis (cum ſicut aquila in ſolẽ reſ-
Ioh. 1. pexiſſet) ſtatim ad Ioannem Baptiſtam ſe conuer-
tit & dixit, Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen
erat Ioannes. Vt videas quis Ioannes Baptiſta ſit,
& quàm propinquus ſit Deo. Si aliquando videres
regẽ à principib. & magnatib. comitatum per pu-
blicam viam incedentem, nonne illum magis fami-
liarem regi diceres & magis amicum, qui propin-
quior regi eſſet? Corã Chriſto rege æterno omnes
veteris teſtamenti patres audierunt, & poſt eum o-
Gen. 17. mnes homines noui teſtamenti. Sic Abrahæ dixit,
Eſai. 38. Ambula corã me. Et Ezechias dixit dño, Memen-
Math. 4. to quòd ambulauerim coram te. At verò omnib.
Math. 9. noui teſtamenti dicit, Sequimini me. Petro & An-
Luc. 9. dreæ dixit, Venite poſt me. Idem dixit Mathæo, &
omnibus aliis diſcipulis. Similiter nobis dicit, Qui
vult venire poſt me, abneget ſemetipſum. Tamen
Ioannes non eſt ex illis qui præeunt, aut qui illum
Mat. 11. ſequuntur. Fuit nãque finis veteris teſtamenti, quia
lex & prophetæ vſque ad Ioannem Baptiſtam du-
rauerunt: at fuit principium noui teſtamenti, quia
ipſe incœpit prædicare regnum cœlorum. Et de il-
Luc. 16. lo dixit Chriſtus, A dieb. Ioannis Baptiſtæ regnum
cœlorum vim patitur. Ideò nec corã rege, nec poſt
regem, ſed proximus regi venit, vt magnũ & opti-
matem illum iudicemus. Et hinc illud eſt, quod
omnes veteris teſtamenti de futuro prædixerint,
Eſai. 40. Veniet rex. Eſaias, Ecce dñs veniet. Sic Dauid, ſic &
Pſalm. 49. alij prophetæ. Tamen omnes noui teſtamenti, qui
illum ſequuntur, dixerunt regem veniſſe de præte-
Galat. 4. rito & iam præceſſiſſe. Sic Paulus, Miſit Deus filium
ſuum. Tamen cùm Ioannes proximus ſit regi, in-
quit de præſenti illum digito demonſtrans, Ecce
Ioan. 1. agnus Dei. Sed cùm de excellentia Ioannis multa
poſſemus dicere, breuitatis cauſa ea omittimus, &
quia in viſitatione ſanctæ Eliſabeth aliqua etiam
dicemus. *Et vinum & ſiceram non bibet.* Diuites huius
ſæculi omnem ſuam fœlicitatem, laborem & indu-
ſtriam collocant in parãdis ſibi cibis lautis & opi-
paris, potúque frigida niue commixto vt magnitu-
dinem ſuam oſtendant: quæ res nihil nobilitatis in
ſe habet, imò ruſticitatem & ignobilitatem. Nam
Ioan. 10. diui Ioannis magnitudo & excellentia ea fuit, vt ſe
pauciſſimo cibo & potu aleret: vt mirum ſit, quo-
modo vita ipſa conſiſtere potuit. Ioannes non fecit
miraculum, quia omnis eius vita miraculoſa erat.
Beda. Nam ſiue vitam, ſiue eſum, ſiue potum, ſiue deni-
que indumentum reſpicias: hæc omnia miracula
Sicera ſignificatio. ſunt, & portento ſimillima. Porrò ſicera apud He-
bræos nomen genericum eſt, omne id ſignificans
quod inebriare poteſt: dicitur enim à verbo שכר
ſachar, quod eſt inebriare. Quo verbo angelus vo-
luit ſignificare, diuum Ioãnem ita abſtinẽtiſſimum
eſſe, vt nec vinum, nec aliquid aliud biberet, quod
ad ebrietatem ſpectaret. Sic etiam angelus appa-
rens vxori Manue, quæ erat cõceptura Samſonem,
qui ſaluaturus erat populum, præcepit ne ipſa vi-
num biberet. Et ſimiliter idem angelus apparens
Iud. 13. Manue præcepit ne permitteret filium eius, qui na-
ſciturus erat, bibere vnquam vinum in omni vita:
debebat enim eſſe Nazaræus, hoc eſt domino con-
ſecratus. Quanto melius Ioannes Baptiſta, qui ab
vtero fuit domino conſecratus, & qui nunciaturus
erat mundi ſaluatorem, oportebat, vt mirabili ab-
ſtinentia polleret? Nam cùm totus deberet eſſe in
deſerto intẽtus altiſſimæ contẽplationi, ideo opor-
tebat à cibis & vino abſtinere: quia impedimento
ſunt, ne mens à terrenis ad cœleſtia euolet. Vnde in
lege veteri ſacerdotes prohibebantur vinum bibe-
re: quãdo ingreſſuri eſſent ſanctuariũ domini. Qui *Luc. 10.*
locus admonet vt ebrietates & nimios cibos fu-
giamus, ſi Deo vacare volumus. Vnde Paul. Nolite *Ephe. 5.*
inebriari vino, in quo eſt luxuria. Noë, quia vinum *Gen. 9.*
biberat, nudus iacuit, & irriſus fuit à filio. Holofer- *Iud. 13.*
nes etiã vino ſopitus, ſua ebrietate extinctus fuit.
& filij Iob comedentes & bibentes in domo fratris *Iob. 1.*
maioris, cecidit domus vbi erat conuiuium: & o-
mnes periierũt ſimul. Quid dicã de Loth: quem ab-
ſtinentia ab incendio Sodomæ liberauit? At in mõ- *Gen. 19.*
te poſtquam vino inebriatus eſt, ad filias acceſſit,
& cum illis rem habuit. Et Amon filius Dauid cum
in conuiuio temulentus eſſet, miſerè occiſus fuit: *2. Reg. 13.*
& multi alij ſic infœliciter vitã finierunt, quos lon-
gum eſſet recenſere. Vnde meritò Eccleſiaſticum
dixiſſe intelligas, Multi per crapulam perierunt.
Et ſpiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. *Eccl. 37.*
Quemadmodum ſpeculum nulla contagionis ma-
cula mundum eſſe oportet, vt ad viuũ, imaginẽ ex-
preſſam referat: ſic nimirum beatiſſimum Ioannem
purum eſſe oportebat & mundum, vtpote qui ſpe-
culum eſſe debebat & mundum, quòd Deum de-
bebat exprimere, & vbi ipſe Deus relucere debe-
bat: & ideò ab vtero matris ſanctificatus, & ſpiritu
ſancto repletus fuit, iuxta illud Ieremiæ, Antequam *Hier. 1.*
exires de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in
gentibus dedi te. Dicitur autem ſpiritus ſanctus in-
fundi & dari, quib. dona gratum facientia infun-
duntur: illos verò implere dicitur, quos ſingulari &
abundanti perficit gratia: *Et multos filiorum Iſrael* *Mat. 3.*
conuertet ad dominum Deum ipſorum. In euangeliis *Marc. 1.*
etiam legimus, quòd egrediebatur ad Ioannem o- *Luc. 3.*
mnis Iudææ regio, Hieroſolimitani vniuerſi, & ba-
ptizabantur ab eo. Noſter etiã Euangeliſta inquit,
quòd milites & publicani veniebant ad eũ, dicẽtes,
quid eſſent facturi, vt ſalui fierent. Inſtruebat & ba-
ptizabat omnes cõfitentes peccata ſua, quia verba
eius ſpiritu ſancto erant plena, & hominum corda
penetrabant: ita vt ea renouaret, & ſanctis inſtitu-
tionib. cõponeret. Ideò vt quę dixerat angelus pro-
baret, ſ. ad prædicationem multos eſſe conuerten-
dos, & illum potentem & illuſtrem in ſua prædica-
tione futurũ, ſubdit dicens: *Et ipſe præcedet ante illum*
in ſpiritu & virtute Heliæ. Duob. prophetis expreſſius
figura Ioannis contigit, eò quòd in vtero materno
vterque ſanctificatus fuit: Ieremiæ quippe dictũ eſt, *Ierem. 1.*
Antequã exires de vulua, ſanctificaui te. Cùm am-
bo ex genere ſacerdotali fuerint. Heliæ verò ſimilis
fuit vitæ auſteritate, & libertate correctionis. Sicut
Helias fuit præco iudicis, ſic Ioannes fuit pręco re-
dẽptoris. Ambo in deſerto vixerũt parciſſimo victu, *3. Reg. 1.*
inculti veſtitu, ambo regũ inſaniã reprehẽderũt. Ille
Iordanẽ diuiſit, cœlũ petiturus: hic ad lauacrũ re-
generationis, quo cœlũ aditur, hominũ corda con- *4. Reg. 2.*
uertit. Ille virili pectore, & incredibili libertate vi- *Math. 3.*
tia regis Achab arguebat, hic acerrimus erat ac- *Ambroſ. in Luc.*
cuſator flagitiorũ Herodis. Ille cum dño gaudebat
in gloria: hic cũ eo conuerſabatur in terris. Ille per- *3. Reg. 18.*
ſequutus fuit à Iezabel: hic ab Herodiade. Demum *Mat. 6.*
de Helia dicitur, ꝙ erant verba eius ſicut facula ar- *Eccl. 48.*
dens: de Ioanne verò ſaluator inquit eſſe lucernam *Ioan. 5.*
ardentem. Ambo eodem ſpiritu & virtute vene-
runt, & efficax erat verbum eorum. Nominantur

hic parentes Ioannis. Helias verò sine parentib. in- [3. Reg. 17.] troducitur, sicut Melchisedech: quia Ioannes præ- [Gen. 14.] uenit aduentum in testimonium carnalis generationis Christi. Helias verò secundum, vbi carnalis generatio nullum locum habebit, sed spiritualis. [Mat. 19.] Vnde ipse saluator: In regeneratione cùm sederit filius hominis, &c.

¶ Sed vnum hîc aduertendum est, quòd cùm dicit angelus in virtute & spiritu Ioannē venisse: nomine virtutis non intelligitur aliqua virtus moralis, aut Theologica: sed per virtutē intelligit hîc fortitudinem, siue animi vim: nam Beatus Ioannes virili & audaci fuit pectore ad vitia principum & magnatum carpenda: quemadmodum Helias fecisse dicitur: & hoc animi robur & fortitudinem vocauit angelus spiritum & virtutem, quæ ita magna fuit, vt dixerit angelus. *Vt conuertat corda patrum in filios & incredulos ad prudentiam iustorum.* Vt alter [Exod. 19.] Moses, qui præparabat corda filiorum Israël vt acciperent legem Dei, dicens, Estote parati in diem tertium. Sic Ioannes dicitur Christo præparasse viam. Nam si quis noctu domum perueniat, non ab omnibus excipitur, sed solùm à vigilantibus. Sic Ioannes præparauit populum Domino.

¶ Aduertendum autem tibi est, Ioannem ad duo venisse: primùm, vt pararet populum ad suscipiendum Messiam: deinde verò, vt ostenderet hunc Christum esse Messiam illum à sanctis prophetis & patriarchis desideratum. Primùm præstitit prædicando baptismum pœnitentiæ: secūdùm verò, quā do homines peccata detestabantur & disponebantur ad vitæ perfectionem: quod efficitur, quando homines se inuicem diligunt, & inter se concordant. Ideò dicitur, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum. Secundum efficit negando se esse Messiam & suo sermone saluatorem ostendens, cùm dixit, medius vestrū stetit, quem vos nescitis. Altera autem die videns Ioannes saluatorem ad se venientem dicit, Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Et tamen nemo potest peccata tollere nisi Deus. Ideò clarissimum testimonium perhibuit, illum, quem ipse ostendebat esse Messiam. Quod quidem Ioannes non semel, sed sæpissimè populis significauit.

¶ Porrò conuertere corda patrū in filios, est efficere vt Iudæi illius temporis essent amabiles & cōformes patriarchis & prophetis iam defunctis, inducendo illos ad Christi fidem & baptismum. Et incredulos, hoc est perfidos Iudæos, conuertat ad prudētiam iustorum: hoc est ad veram sapientiam euangelicámque doctrinam, spiritualémque scripturarum intelligentiam, ne legem carnaliter intel- [1. Cor. 3.] ligant, ne literam, quæ occidit, sequantur. Vera autem scientia, prudentia est iustorū: qua Deo rationabili obsequio inseruiunt. De qua prudentia lo- [Rom. 8.] quitur Paulus cùm inquit, Prudentia spiritus, vita & pax. In hac autē reformatione cordium per pœnitentiam, vtilitas, quæ inde sequitur, est præparatio viæ ad susceptionem Messiæ. Ideò sequitur in contextu, *Parare domino plebem perfectam.*

Per illam conuersionem ad prudentiam iustorum disponit eos ad euangelicæ legis obseruātiam, per quam fiat plebs Christi perfecta: quia neminem [Hebræ. 7.] ad perfectum duxit lex, vt Paulus Hebræis inquit, Ideò illa lex dicitur lex timoris: quia imperfectorum est, timore pœnæ à malis retrahi. Lex autem euangelica dicitur lex amoris, quia perfectorum est retrahi à malis amore boni. Hæc igitur est narratio angeli, qua laudat sanctissimum domini præcursorem, & ostendit virtutem & fructum prædicationis eius. Quæ omnia si diligēter euāgelia legeris, inuenies à diuo Ioāne perfecta esse. Sed vnde rogo tanta virtus Ioanni inerat, vt suis verbis corda patrum in filios cōuerteret, & vt præpararet domino plebem perfectam? Ioannes non aliud euangelium, quàm nos prædicabat, nec magis subtilia, nec altiora, quā nos proferebat: sed cur tot homines ad Christi perfectionem inducebat, nos verò nullos aut paucos? Fiebat vtique cum morib. & vita prædicaret. Cur Heliæ verbis rex Achab pessimus obtemperauit? [3. Reg. 18.] Certè quia in suo cōspectu hominē videbat pœnitentia pallidum, rigidū, squalidum, perizomate & cilicio indutum, & noctu diúque altissimæ contemplationi vacantem. Quis etiā non crederet beatissimo Ioanni caprinis pellib. induto, & aspera pœnitentia cōfecto? Tremebāt homines, & corda eorum in admirationem rapiebātur, dum viderent tantam vitæ sanctimoniā & tam diuinum spiritum semper in cœlestia eleuatū. Itaque iam cōcluditur beatum Ioannē vitæ sanctimonia & asperitate plus prædicasse quàm verbis. Vnde discas prædicator charissime, vt semper vita verbis tuis respōdeat, si velis animas ad Christi mandata & ad eius suauissimum iugum flectere. Sed quia de his inferius acturi sumus, [Cap. 3. 8. & 10.] vbi opportunus se obtulerit locus, audiamus nūc, quid angelo respōdeat Zacharias. *Et dixit Zacharias ad angelum, Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex & vxor mea processit in dieb. suis.* Quibus verbis hominū ingratitudo iam reprehendenda venit, nam cū pro tāto beneficio & læto nuncio, Zacharias gratias esset acturus: id incredulitate rependit. Quod non multum alienū est à nobis, nam multoties Dei nunciis & inspirationibus ingrati sumus. Amō derisit nuncios Dauid, atque ideò punitus fuit: & sic etiā Za- [2. Reg. 10.] charias, vt statim in sequētib. videbimus. Nos itidē si nuncios Dei & ipsius sanctas inspirationes contemnimus, acri plectemur supplicio. Quā rem Zacharias ratione naturali metiebatur, atq; ita ipsi naturæ repugnans videbatur, vt cùm eius vxor sterilis & senio esset confecta, & cōcipere, & parere posset. Non eius conditionis fuit Abraham qui (vt Paulus ait) non est infirmatus in fide, nec considerauit cor- [Rom. 4.] pus suum emortuum, quia considerauit diuinam potentiam. Sed Zacharias hæsitauit: quia tantùm humanam rationem considerauit. Vt fidei diuinæ credas, nequaquā humanæ rationi est tibi acquiescendum: quòd si huic aures tuas attētas præstiteris, nequaquam poteris in fide constans esse. Quam ob causam necessum tibi erit, naturalem rationem prorsus non admittere. Nam quemadmodum, qui plantare vult vitem aliquam, priùs extracta terra [Similitudo.] foueam facit, & statim subtus foueam vitem ponit: quo facto iterum terram in suum locum admouet, vt planta fixa & bene consita maneat: ita nimirum ad fidem plantandam, & inserendam cordib. rationes naturales (quæ terra sunt) explodere debes: postquam verò plantaueris, rationes naturales, poteris iterum admouere, quibus eam corrobores, & confirmes. Nam si ratio naturalis fidē præcesserit, mirum in modum offenditur: quod si post fidem sequatur, & augetur multū, & illustratur. Vnde tuo iudicio adhibito res fidei nūquam metiaris: excellunt quippe, & longo interuallo superant omnem humanum captum. Præcipiebat nanque dominus

Exod. 12. nus in Exodo, vt os quoddam paschalis agni dentibus non frangeretur, sed vt deglutiretur intactū & integrum. Ita tu res, quas ecclesia tradit credendas integras, deuora si nolis te ipsum præcipitem
Exod. 34. dare. Moyses dominum alloquuturus velamen an-
1. Cor. 13. te faciem ponebat. Sic nunc videre nos oportet in ænigmate, Si fixis oculis solē aspexeris, statim visu priuaberis, in cælis autem illum facie ad faciem videbis. Tūc (ait Paulus) cognoscam sicut & cognitus sum, id est, sicut cognitus sum modo à Deo distinctè & clarè: ita tunc ego cognoscam clara & aperta visione. Nolis obsecro, potentiam Dei infinitam tuo fragili iudicio metiri. Quia mirabilia eius nequaquam intelligere potes: hoc ideò maximè illi est credendum, quàm si comprehendisses. Quod cùm ita cognitū sit, milliades milliadum hominum in mundo sunt, qui ei non credunt. Mirum quidem valdè est, quòd verbis dæmonis sine visis signis, si-
Præposterū hominū iudicium. ne miraculis credimus: Deo autem post tot confirmationis signa non credimus. Nunquid quādo dæmon primo homini immortalitatem promisit, de-
Genes. 3. dit aliqua signa? simplici verbo credidit. At Zacharias signum petiit dicens: vnde hoc sciam? Sed vnde rogo originem in nobis habuit tanta diffidētia? Arbitror equidem ex malitia nostra natam esse: nam quemadmodum nos fallaces sumus, ita credimus & alios fallaces esse. Nanque cum multoties ego & Deo & hominibus fuerim in promissis mētitus, sic idem de aliis iudico. Meritò itaque punitus est Zacharias, quia tot aderant signa, vt absque peccato suam incredulitatem saluare nequeat. Nam angelus apparuit ei in loco sacro, ministerio diuino assistenti, & nunciabat ea, quæ ad hominum salutem pertinebant, & ad Dei gloriam: quæ omnia Zachariæ argumento esse deberent, illum bonum esse angelum, perindéque mentiri non posse. Crediderim tamen quod solùm venialiter deliquit. *Et respondens angelus dixit ei. Ego sum Gabriel qui asto ante Deum.* Ac si diceret, Simul hic, & ante Deum asto. Non sum angelus expulsus à facie domini: vnde nec mentiri queo, cùm semper videam dominum, & eo fruar. Quibus etiam verbis significat, se paratum esse ad implenda Dei iussa. Et ita docemur semper debere esse promptissimos, ad implendum diuina mandata. Hāc animi promptitudinem habebat Dauid cum
Psalm. 118. dixit: Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Parati quidem erant & prom-
2. Mac. 7. pti illi Machabęi ad implēdas iustificationes domini, cùm dicebant, Parati sumus mori magis quàm patrias & Dei leges præuaricari. Nec non Esaias
Esai. 6. ita erat paratus quando illi dixit dominus, Quem
Hierem. 8. mittam? Et quis ibit nobis. Et dixit, Ecce ego, Mit-
Actu. 9. te me. Et Saulus dixit, Domine quid me vis facere? Sed vbi nunc inuenies tales Paulos, tales Esaias, & Machabęos? Inuenies equidem plurimos ad nefanda scelera & flagitia paratissimos. Pedes, eorum (in-
Prouer. 1. quit Salomon) ad malum currūt: & veloces (inquit
Hier. 8. Dauid) ad effundendum sanguinem. Et Hieremias, omnes conuersi sunt ad cursum suum: quasi equus impetu vadens ad prælium. At oportet, vt sicut volumus cum angelis in cœlo gaudere, ita illis similes simus coram Deo adstantes, & præceptis ipsius obsequentes. *Et missus sum loqui ad te: hac tibi euangelizare.* Cùm lætum nuncium afferret, verbo euāgelizare vsus est: nam verbum euāgelium bonum nuncium sonat. *Ecce.* Quæ demonstratiua particula in sacris literis semper magnum aliquid significat. *Eris tacens & non loquens vsque in diem, quo hac fiant.* Iam appropinquabat tempus, quando incredula synagoga debebat obmutescere. Vnde hac pœna in Zachariam animaduertitur, vt ostendatur in aduentu Christi legi veteri impositum esse silentiū, & locum fieri legi euangelicæ. Nec mirum est, si obmutuerit ob propriam incredulitatem: cum Ezechie- Ezec. 3.
lem mutum reddiderit aliena incredulitas. Deus nāque dixit illi, Eris mutus, nec quasi vir obiurgās: quia domus exasperans est. Ad tuam autem eruditionem aduertere debes, quanto odio sit Domino peccatum: ita vt nec veniale in suis amicis reliquerit impunitum. Nō enim angelis (vt inquit Petrus) pepercit: sed eos æternis ignibus reliquit cruciandos. Non dimisit peccatum Adæ impunitum, licèt sanctissimus esset. Non peccatum Dauid, licet arctissimo amicitiæ vinculo cum eo esset constrictus. Non denique peccatum Moysi, licet dilectissimus ei esset. Quomodo ergo Deus tua scelera & flagitia silentio præteribit? Non dereliquit peccatū Zachariæ impunitum cùm veniale fuerit: & putas quòd tua mortalia manebūt impunita? Quod quidem non absque diuino consilio sanctissimus Lucas perpetuis literarum monumentis consecrauit, vt discas omne peccatum fugere, vt fugias etiam pœnam, quam alieno capiti infligi vides. Etenim fœlix ille est, qui alieno periculo fit cautus. In Numeris legimus præcepisse dominū Eleazar, vt tolleret thuribula ænea, in quibus obtulerāt illi, quos incendium deuorauerat, & vt produceret ea in laminas: vt haberent posteà filij Israël, quo recordarentur. Voluit etenim dominus, vt ista punitio non excideret à memoria, & laminas illas esse ante oculos filiorum Israël: vt cauerent posteà in talia crimina incidere, quibus dominus vehementer offenditur, & cùm in tales peccatores grauiter soleat animaduertere. Ita nimirū beatus Lucas hæc scripsit vt diuinam punitionem debitam mortali peccato fugias: præsertim cùm ita seuerè se in illis puniendis gerat, vt Zachariam reddiderit mutum per menses, propter veniale peccatum. Secundò docemur prædestinationis esse signum amicitiæ cū Deo quempiam in hac vita puniri. In qua re ignoranter errant multi, se fœlices & gratos Deo existimantes, cum omnia secundum palatum illis contingunt: qui si attentiùs rem istam perpenderent, intelligerent vtique, nullum certius esse signum, aliquem ex numero damnatorum esse quàm cum ei omnia prospera & fœlicia in hac vita contingunt. Peccaui (inquit peccator) & nihil triste accidit mihi. Qui si responsum huius sui amentissimi sermonis à me peteret, dicerem ei, si nihil triste & calamitosum in hac vita tibi accidit, sempiterna te manet miseria & stridor dentium. Quòd si id quod Deo nobiscum contingit, exemplo appositissimo videre cupias, audi. Solet aliquādo pater, qui charissimos & amantissimos filios sibi habet, ob leuem rem, vel minimā negligentiam grauiter eos affligere: quòd si publica via incedés, forte alios videat grauia scelera committentes, velut nihil videns silentio ea præterit & incepta via pergit: cuius ratio est, quia istorum nulla est illi cura, illos verò maximè diligit. Eodē modo Deus vel ob leuem culpā & ignorantiam eos qui sui gregis sunt, acerrimè corrigit & velut amantissimos filios & castigat: extraneos verò vel grauissimis sceleribus cōtaminatos non curat, imo tradit eos suæ libidini & voluntati. Quorū infœli

Marginal notes (right column): 2. Pet. 2. Genes. 3. — 1. Reg. 12. Num. 24. — Num. 16. — Prædestinationis & reprobationis signa. — Eccl. 5.

infœlicitas dignis lamentis esset celebranda. Vnde iam videbis argumentum efficax, quòd si deliqueris, & non punitus fueris, intelligas te à Domino esse oblitum, & in libro vitæ tuum nomẽ deletũ esse. Quod si huius rei pulcherrimum exemplum in sacra pagina audire velis, legenda tibi erit prophetæ Ionæ historia, cui cùm dominus præcepisset, vt abiret prædicaturus ad Niniuitas, ipse aliud sibi elegit iter, & mare fuit ingressus: cuius causa ingẽs inter ventos & in mari orta fuit tẽpestas. Ità vt ipse *Iona. 1.* Ionas dixerit, Propter me tempestas hæc orta est. Qui cũ eiectus esset è naui, statim sedata fuit tempestas: quæ nauis, vbi Dei propheta nauigabat, plena erat hominib⁹ idolatris, pessimis & infidelibus, & certũ est illos fuisse Gentiles, cùm ex ipsa historia constet. Etenim illi dixerunt prophetæ, Surge, inuoca Deum tuum. Et etiam Ionas dixit, Hebręus ego sum, & Dominũ cœli & terræ ego timeo. Vbi vides quomodo impiissimis idololatris Deus parcit, & inobedientiam Ionæ ita grauiter punit. Quæ quidem maris pacatio & tranquillitas prosperitatem peccatorũ significat. Sic etiam dominus multa bona temporalia in homines peccatores confert, & in Christianos & pios homines multa flagella. Nec ideò propter hoc Christicolæ animus inconstans esse debet: nec putare debemus illorũ dominũ recordari, nos verò obliuioni tradidisse: imò è contrario credendum nobis est, nos tanquam dilectos filios corrigi. Cuius rei, typus est populus ille Israëliticus, quẽ dominus per manus impij Pharaonis puniebat, per Nabuchodonosor, per Assur, *Exod. 1.* per Philistim, & denique vt vno concludam verbo, *4. Reg. 25.* per alias barbaras & gentiles nationes. Suffert Do- *Esai. 10.* minus multa patientia inimicos suos, quorum ani- *1. Mac. 1.* *Num. 12.* maduersionẽ in infernum seruat: dilectis verò suis, *2. Reg. 12.* statim, vt flagitium committunt, punitionem mit- *2. Mac. 6.* tit. Sic animaduertit in peccatũ Moysi, sic Mariam *Num. 12.* sororem eius lepra percussit, sic dilectissimum Da- *2. Reg. 12.* *2. Mac. 6.* uid, peccatum etiam Ionæ, denique & peccatum Zachariæ. Facit etiam ad nostrum propositum id, quod in libris Machabæorũ legitur. Etenim multo tempore non sinere peccatores ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, vt eas cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita & in nobis, &c. Voluit dominus iustam vltionem de peccato Zachariæ sumere: vt sciant peccatores, qui impunè delicta sua transeunt, grauissima tormenta *Luc. 23.* illis parata esse. Nam si in ligno viridi hoc fit, in sicco autem, quid fiet? Tamen sciant iusti & amici Dei hanc illis inflictam animaduersionem paternam esse: quodque si vna manu de illis supplicium sumit, altera eos ad se allicit, & suis flagellis medetur. Quod quidem luce clariùs ex hoc textu colligitur: quia postquam dixit angelus, eris tacens, & non poteris loqui: statim terminum pœnæ imposuit, dicens, Vsque in diem quo hæc fiant. Quasi diceret. Non perpetua erit pœna, nec durabit multũ temporis spatium, cócedet nanque tibi Dominus filiũ, cum quo etiam restituetur loquela, & erit tibi ingens gaudium & lætitia. Vbi iam vides, quo pacto Dominus iustos consoletur in suis laboribus & afflictionibus, & quomodo iustitiæ suæ rigorem pia quadã cósolatione mitiget. Ideò ipse ait, Ego per- *Deuter. 32.* cutiã, & ego sanabo. Moyses & Aaron peccauerũt, *Num. 20.* cuius causa in pœnam delicti in terram promissionis nõ sunt ingressi: quorum pœnam ita sedauit, & ambos cósolatus est, cùm permiserit, vt Eleazarus filius Aaronis ei in sacerdotio succederet, cùmq; eũ viderit sacerdotalibus vestibus indutũ. Parenti nãque in extrema vitæ parte constituto, maximũ solatium est, vt filius eandem dignitatẽ & munus, subeat, quod ipse. Consolatus est etiã dominus Moy- *Deut. 34.* sem, cùm ostenderet illi terram promissionis antequam moreretur. Ideò in Psalmo habetur, Si autẽ *Psalm. 88.* dereliquerint filij eius legem meam, &c. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Videas ergo quomodo dominus iustitiã suam cum misericordia temperet: nam subdit statim. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Nec aliis testimoniis tibi opus erit hanc veritatem cóprobare, scilicet, quòd quamuis Dominus in præsenti vita iustos corrigat: statim in eadẽ eos consolatur & fouet, quemadmodum fecisse legimus, cũ Iob, Zacharia, & multis aliis, quos mo- *Iob. 42.* do longum esset recensere: tamen peccatores, qui in hac vita flagella Dei nõ sentiunt, sine vlla misericordia illa in inferno experientur. *Pro eo quòd nõ credideris verbis meis, quæ implebuntur tempore suo.* Vt intelligas verba domini per seruos suos probata non esse contemnenda: nam ipse dicit, Ecce ego mitto angelum meum. Et sequitur, Obserua eum & audi *Exod. 23.* vocem eius: nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris, & est nomẽ meũ in eo. Sic per sponsam Christi dilectam ecclesiã catholicam nos docet, quam impij hæretici non audiunt. Qui *Luc. 10.* vos audit (inquit Christus Prælatis ecclesię) me audit. *Et erat plebs expectans Zachariam & mirabantur, quòd tardaret ipse in templo.* Vide populi huius deuotionem: Nam quamuis sacerdos, moras faciebat, non ideò templum deserunt, & domum abeunt, sed expectant donec finita sit oblatio. At hisce nostris temporibus tam exigua deuotio est, vt si cócionator plusquam horam concionem protulerit, vel fastidium ingerit, vel saltim ab ecclesia discedũt. Volunt isti pro exigua sua deuotione sacrificium breue, nec expectãt sibi copiam à sacerdote fieri, quousque dicat, Itẽ missa est. Quæ misera consuetudo in multis Hispaniæ locis iam inualuit, vt post communicationem factam à sacerdote, vnus tantùm vel alter in ecclesia remaneat, in missis, quas vulgò cantadas vocant. De populo antiquo temporibus Samuelis sacerdotis, habetur in primo regum, Non comesturus est populus panem, donec ille veniat, *1. Reg. 9.* & benedicat hostiæ. Sic Christianus populus non debet ab ecclesia recedere, nisi accepta à sacerdote licentia, cùm dixerit, Ite, missa est. Vbi statim benedictionem præbet, vt fœlices & in pace vadãt. *Egressus autem non poterat loqui ad illos.* Quod idem, sed diuersimodè accidere solet eis, qui in diuinam contemplationem rapiuntur: Moyses enim domino dixit, Ex quo loquutus es ad seruum tuum impedi- *Exod. 4.* tioris & tardioris linguæ sum. Et Daniel, In visio- *Dan. 10.* ne tua dissolutę sunt cópages meę, & nihil in me remansit viriũ: sed & halitus meus intercluditur. Propter quod in notitiã veritatis deuenerũt, & ideo sequitur. *Et cognouerunt quòd visionem vidisset in templo.* Quod vtique cognouerunt ex facta mora in tẽplo: ex subita mutatióe vultus, ex colloquio cũ angelo: ex priuatione loquelæ. Porrò voluit dñs vt populus sciret, angelum apparuisse Zachariæ, vt posteà cognita veritate de cóceptione beatissimi Ioannis, iã populus se disponeret ad suscipiẽdã fidẽ Messiæ.

¶ Aduerte

¶ Aduerte autem quòd nó dicit populum cognouisse quòd Zacharias esset incredulus: sed quòd vidisset visionem in templo. Etenim non vult Dominus, vt vulgus hominum cognoscat sacerdotum & magnatum defectus: sed quoad fieri potest, eos ab-
Psalm. 30. scondit & occultat. Abscondit eos in abscondito faciei suæ à côturbatione linguarum. Ita Deus noluit, vt Aaron in medio congregationis populi Israël moreretur: sed iam moriturus iubet, vt ascêdat verticê môtis. Et Moysi & Aaroni principibus po-
Num. 20. puli, quando ad aquas côtradictionis peccauerût, non statim principatum abstulit, sed post multos dies. Nec crediderim quod eos publicè arguerit,
Num. 16. sed secretò & occultè. Vt inde videre possis, quanti faciat dominus suorum sacerdotum honorem. *Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus.* Per ea, quibus quis peccat, punitur. Quia nô obedierat, factus est surdus: & quia contradixerat, damnatur, vt teneat silentium. Quas punitiones silentio non prætereit hic euangelista. *Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam.* Postquam tam lætum, tanque iucundum nuncium accepit, non tanta lætitia elatus superbit, nec ad amplexus vxoris currit: sed expectat, vt adimpleantur dies muneris & ministerij sui, & postea domum proficiscitur. Vt inde coniicias, viros sanctos, & coniunctos Deo omnia maturè facere, grauiter & circunspectè. Erant quippe sacerdotes illi separati ab vxoribus, Deo in templo seruientes: quousque côplerentur dies sui ministerij. Vide obsecro & tu ô sacerdotes veteris legis, quorum sacerdotium collatione nostri vile & vmbraticum erat, si ita se à propriis vxoribus abstinebant: quàm abominandi sunt sacerdotes Euágelici, qui sanctissimum Christi corpus consecrátes, & suis manibus côtrectátes, vilia scorta in suis domibus habêt? Si diuites huius seculi mundos sibi eligunt seruos, qui eis ad mensam ministrent: quanto
Cant. 3. magis munditiæ amoris eritis, de quo in Canticis dicitur, quod pascitur inter lilia: hoc est, qui inter
Ministrorū Christi integritas. cádorem castitatis delectatur? Nónne æquissimum tibi videtur, & rationi consonum, vt is, qui Christi corpus consecrat, contrectat, & in pastum animæ
1. Reg. 21. sumit, nullatenus mulieribus immisceatur? Quæsiuit à Dauide Abimelech sacerdos, cùm esuriret ipse, & qui cum eo erant: an mundi essent pueri, vt panes propositionis possent comedere. Maiori igitur ratione à mulieribus se abstinere debet, qui sacratissimum Christi corpus tangit, & conficit, & ministrat fidelibus. Nunquam legitur aliquem post susceptos sacros ordines vxorem duxisse: licuit tamen initio nascentis Ecclesiæ, qui vnicam vxorem
Sacerdotū testimonia. duxerat, eamque virginem, vbi illa extremum obiisset diem ad sacerdotium, & Episcopatum posse ascendere: aliàs nunquàm licuit sacerdoti vxorem
1. Tim. 3. ducere. Et hoc est quod Paulus petit ab episcopo, & diacono, quòd sint vnius vxoris viri. Quoniam qui ad secundas nuptias transiit, tanquam de castitate suspectus, non admittitur ad sacerdotium, nec ad diaconi ministerium. Audi igitur Dñm Deum
Exod. 19. tuum, tu qui ad sacra accedis. Sacerdotes (inquit)
Esai. 52. qui accedunt ad dñm, sanctificentur: ne percutiam eos. Et per Esaiam, Mundamini, qui fertis vasa domini. *Post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius.* In mense Septembri, octauo Calendas Octobris, luna vndecima, in æquinoctio autumnali. Vide quomodo Dominus inter flagella dat filium, & aufert
Abac. 3. opprobrium sterilitatis. Sic Deo dixit Abacuch, Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Sic primis nostris parentibus post punitionem fecit Genes. 3. illis perizomata, vt defenderentur à frigore & calore. Ex quo loco prælati discere debent: vt postquàm subditos ob peccata correxerint, eis etiam amoris & pietatis signa ostendant: nec propterea victum: & quæ necessaria illis sunt, auferant. Nam si peccator puniendus est, homo tamen fouendus, & amoris & pietatis signis tractandus, qui mos antiquus & familiaris est Domino. Nam in Esaia legimus quòd cùm propheta ex mandato Domini populum obiurgasset, dixit statim ei, Consolamini, Esai. 40. consolamini popule meus. Idem legitur in Osee, vbi post plures reprehésiones plebem Israëliticam Osea. 2. consolatur, dicens. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.

¶ Obserua etiam quòd post dies muneris sacerdotalis côcepit, in quo ostenditur spiritualia anteponendá esse carnalibus. Priùs nanque spiritualia compleuit, deinde operibus carnis inseruiuit. Vnde cùm Martha solicitudinem rerum têporalium po- Luc. 10. tiùs curaret, quàm spiritualium, increpata fuit à Matth. 6. Domino. Quocirca Christus ait, Primum quærite regnum Dei & hæc omnia, videlicet temporalia adiicientur vobis: Quod Dominus quibusdá dixit, qui relictis ecclesiis suis, & rebus diuinis, circa res exteriores toti erát intenti: sic inquit, Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisq; in do- Aggei. 1. mum suam: propter hoc prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum. Quia pro temporalibus dereliquistis spiritualia: propter id vtrunque perdidistis. Non sic côtingit Apostolis, qui spiritualia temporalibus præferentes dixerunt, Non est nobis æquum relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. *Et occultabat se mensibus quinque.* Quantæ curæ fuerit sanctis viris & Act. 6. & mulieribus pudor & verecundia, vel ex istis verbis colligi potest: quia & ipsa Elizabeth de re honesta & sancta adeò erubuit, vt vel quinque mensibus se occultaret, ne prauis hominibus speciem præberet mali. Namque malorum, id est, ingenium honoris proprij nullam habere rationem, ita gaudeant cùm malè fecerint & exultent in rebus pessi- Prouerb. 2. mis. Peccandi côsuetudo sanctum & honestum pudorem tollit. Sic virtus tantam honestatem in se continet, vt non solùm quod peccatum est facere vereatur, verùm etiam id quod affine carni & sanguini (licet licitum sit) facere pertimescat. Cognouerat enim benè hæc sancta & cauta mulier, quàm promptú sit hominú vulgus ad malè de quacumque re iudicandum & loquendum, quod vel leui etiam occasione, quodcúque sese offert, nulla adhibita consideratione, statim profert. Sic Paulo contigit, cû Mileti exciperetur, cúmque viperá in ma- Act. 28. nu eius vidissent, statim dicere cœperunt illú homicidá esse. Quibus docemur sancta ꝓposita & cogitationes, necnô dona spiritualia per aliquod têpus occultáda esse: ne initio spiritualis vitę inaniter extollamur, & boni incepti faciamus iacturá. Abscôditur à sanctis spiritualis conceptio, tanquá lumen sub modio, ne ventus inanis gloriæ illud extinguat. Vbi côsideres oportet, quod iniuria afficiebatur ꝓpter conceptú in senecta ætate: putabat quippe indecorú esse in tali ætate filiú generare. Si grauida fieret têpore iuuétutis, nô vtiq; ob id erubesceret. At tu deberes erubescere, quia adolescens cùm sis, & robustas vires habeas ad pœnitentiá agendá, decrepitam

pitam ætatem expectas. Age igitur pœnitentiā in
Non differēda pœnitētia. adolescentiæ tua, nec expectes in senili ætate bonas
cogitationes: concipere: ne sterilis semper sis, nec
sine fructu potiores vitæ tuæ annos consumas. Il-
lum tu verum pudorem existima, quem concipies,
cū ante iudicis tribunal fueris præsentatus, quàm
iste quē beata Elisabeth de se concepit, cum is mi-
raculosus omnino fuerit. *Quoniam sic fecit mihi domi-
nus.* Non dixit: sic fecit mihi maritus meus: sed sic
fecit mihi Dominus: sed gratia Dei totum est tri-
buendum: ita nō dicatur. Ego sum Cephæ, ego ve-
1.Cor.1. rò Pauli: sed cum Esaia, Omnia opera nostra opera-
Esa.25. tus es in nobis. Vbi docemur: omnia quæ Deus
operatur in nobis, ipsi Deo adscribi debere, nō no-
bis. Nā cùm Moyses & Aaron miraculum in petra
factum non Deo tribuissent: dixit illis Dominus,
Num.20. Quia nō credidistis mihi, vt sanctificaretis me corā
filiis Israël, non introducetis hos populos in terrā
quam dabo eis. Nabuchodonosor seipsum laudans
Dan.4. dixit. Nónne hæc est Babylon ciuitas magna, quā
ego ædificaui in domum regni in robore fortitudi-
nis meæ, & in gloria decoris mei? Et statim audiuit
vocem de cœlo dicentem, Regnum tuum transibit
Iudith 15. à te: & ab hominibus eiicieris &c. Samson propter
quandam victoriam, quæ illi à Domino fuit cōces-
sa, dicebat. In mandibula asini percussi eos: & ideò
punitus fuit tali pœna, vt ferè siti fuerit peremptus.
Act.12. Sic Angelus Domini percussit Herodem, eo quòd
Genes.24. non dederit honorem Deo: & consumptus vermi-
bus vitam finiuit: Eliezer seruus Abrahæ omnia
bona domini sui ipsi Deo adscribebat. Ita in Exo-
Exod.15. do scriptum est in illo Cantico populi Israëlitici.
Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est
mihi in salutem. Vbi rex Ezechias iam taxandus
venit: nam cùm per nuncios à rege Babylonis visi-
Esa.39. taretur, non dedit gloriam Deo, sed dixit, Venerūt
ad me de longinquo: quod quidem non debuisset
facere, si sanæ mentis esset: sed potius in diuinum
miraculum referre. Nā cùm mirabiliter conualuis-
set, cumque sol retrorsum esset versus, misit rex Ba-
bylonis legatos ad illum. Ob quā causam obseruā-
dum tibi puto, quòd semper in omnibus quæ tui
causa Dominus operatur, illi te fidelem præstes, nec
auferas gloriam Deo, tanquam fur & latro. Præ-
terea admonet locus iste quanti faciēda sint bene-
ficia Dei præsertim soboles. Dedit tibi dñs vitam &
salutem, & opes, & non solùm ei gratias non agis,
sed nec cognouisti talia beneficia tibi ab eo esse
collata. Demum est hic considerandum, quàm pa-
tienter Zacharias, & Elisabeth opprobrium sterili-
tatis sustinuerunt. Vnde discere oportet, vt om-
nia aduersa in multa patientia animi tui tolleres. *In
diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter ho-*
Genes.20. *mines.* Opprobrium scilicet sterilitatis. Eodem mo-
Tob.3. do loquuta fuit Rachel, Abstulit Deus opprobriū
meum: & Sara vxor Tobiæ iunioris. Peto Domine
vt de vinculo improprij huius absoluas me. Vbi
aduertas, quòd respicere pro misereri sumitur. Sic
Psal.4. Dauid in Psalmo. Respice in me, & miserere mei:
quia vnicus & pauper sum ego: & inferius scribit
Lucas, quendā dixisse Iesu, Obsecro domine respi-
Luc.9. ce in filium meum, id est, miserere ei, & sana: & li-
bera illum à dæmone: & facit etiā illud. Respexit
Matth.26. dñs Petrum, quia misertus est illi. Et in psalmo ha-
Psal.101. betur, Respexit Dominus super filios pauperum,
Exod.14. & non spreuit preces eorum. Aliquando solet Dñs
Genes.19. respicere iratus. Sic respexit super castra Aegyptio-
rum, & omnes in fluctus deiecit. Respexit etiam *Psalm.103.*
Dominus Sodomam & Gomorram, & subuertit
eas. Et in psalmo scriptum est. Respicis super terrā,
& facis eam tremere. ¶ Expende etiam pro maio-
ri huius literæ declaratione, quod dixit Elisabeth
inter homines, non apud Deum: quia infœcundi
nō erant apud Deum maledicti: cùm nec Ieremias,
nec Helias viri sanctissimi habuerint vxores: sed
maledictio illa fuit erga homines opprobriū: quo-
niam veluti quidam pudor est, cōiugio copulatos,
nuptiarum fructu carere. Quod in lege gratiæ nul- *Matth.19.*
latenus est intelligendum: nam sunt eunuchi, qui
se castrauerunt propter regnū cæleste. Etenim per-
fectior status est continentiæ, quàm coniugiū. Quā
sterilitatē ipse Sapiens fœlicē esse ait, dum inquit. *Sap.3.*
Fœlix sterilis & coinquinata, quæ nesciuit torum
in delicto. ¶ Sed iam nunc pedetentim ad narra-
tionē sacratissimæ incarnationis diuini verbi gra-
dum faciamus. Postquam Angelus Gabriel præ-
cursoris Christi nunciauit conceptum, subditur.
In mense autem sexto. A conceptione Ioannis, qui *Beda in Ho-*
Martius erat: vt sic eo tempore, quo mundus con- *mil.*
ditus erat eodem reparatus esset. Porrò velim intel-
ligas senarium numerum nō vacare mysterio. Quia
enim perfectus est homo inter cætera opera Dei.
sexto die conditus est. Ideò Christus venit sexta *Senarij my-*
mundi ætate & sexto numero annorum, & sexto *sterium.*
mense cōceptus, & sexta feria passus, & sexta hora
in cruce suspēsus, vt vel sic significaretur venisse in
plenitudine temporum, & perfectione. Distulit au-
tem dñs incarnationem: quia voluit vt intellectus
cognosceret peccatum: & voluit, vt voluntas ha-
beret remedij desiderium, Ideò duram legē Moysi
dedit, vt cognoscerent grauitatem peccati: & etiam
alia ratione aspera & ponderosa fuit, vt ab illa libe-
rari cuperent, & clamantes peterent aduentum
Christi, & in eo maximè gauderent. ¶ At postquā *Galat.4.*
venit plenitudo temporis, scilicet, à Deo æterno
electi. Venit enim tempus clementiæ, & benignita-
tis, tempus miserendi eius, tempus acceptabile &
dies salutis. Audiens igitur pater misericordiarum, *2.Cor.6.*
& Deus totius consolationis, gemitus compedito- *2.Cor.1.*
rum & clamorem oppressorum: & videns homi- *Psalm.11.*
nes, quos impius Pharao in miseram constituerat *Exod.1.*
seruitutem, non potuit amplius in ira sua persiste-
re, nec misericordiam suam continere, & ideò de-
creuit filium suum in terram mittere, vt mundus
per illum reconciliaretur. Dignus autem nuntius
legationis huius. *Missus est angelus Gabriel à Deo.* Iuris
regula singularis est, vt per easdem causas, quibus
aliquid fit, dissoluatur. Ita per easdem causas, qui-
bus in mundum ingressa fuit mors, per easdē egre-
deretur. Mors igitur mūdum intrauit propter dia-
logum habitum inter angelum & mulierem: vita
itidem ex simili colloquio angeli, scilicet & mulie-
ris. Et sicut per fœminam transgressio facta fuit (à *Eccle.25.*
muliere quippe initium omnis peccati est) ita per
fœminam opus reparationis contingit. Nam qui
vult ex aliqua arbore ramum scindere, non trun-
cum aut fortiorem partem arboris sibi sumit: sed
debilem & delicatum ramū eligit, vt faciliùs pro-
positi compos euadat. Itá nimirum inimicus no-
ster (vtpote qui sagax & supra modum astutus est)
volens hominem à sua radice & origine segrega-
re, non incipit ab Adam, qui fortior erat & Deo *Genes.3.*
coniunctior: sed ipsam mulierem fuit aggressus,
quæ quidem infirmior & fragilior erat, vt vel sic
post

post eam ipsum virũ ad peccãdum induceret. Quia Rom. 13. autem ea, quæ à Deo sunt, sapienter & miro ordine Sap. 8. disposita sunt: cùm videret ab ipso hominẽ per mulierem separatum: ita & ipse, vt hominem sibi vniat, mulierem in instrumentum sibi assumit. Vt vel sic eo ordine, quo diabolus fefellit, & ipse falsus sit. Principium nãque interitus nostri ortũ habuit ex colloquio Euę cum serpente: principium autem reparationis ex colloquio virginis Mariæ cum Gabriele. Ille angelus malus: hic angelus bonus, Ille per terrã repsit: hic è summo cœlo à Deo mittitur. Ad hoc (inquit Ioãnes) venit filius Dei, vt dissoluat 1. Ioan. 3. opera diaboli. Et sicut regina Vasthi cõturbauit re- Hester 1. gem Assuerũ superbia sua: ita Hester placuit ei sua humilitate. Et sicut Eua occidendo obfuit: ita Maria viuificando profuit. Et tandem per eandem viã, per quam noster interitus ingressus fuit, per eandẽ Aug. in ser. 2. assum. virg. fi. 10. vitam. Quę omnia ad id adduximus, vt discas, si spiritualiter mortuus es, vitã quęrere ea via, qua mortem inuenimus. Quòd si mala cupias fugere: egredere per portã, qua intrasti, & vestigia dissolue, quibus malum comparasti. Nec mirum si cùm agitatur taurus, semper ad portam, qua ingressus est, redeat: naturali quippe instinctu docetur, per illã viã à laboribus esse euadendum. Quapropter si à mundo exagitatus es, respice portam, qua ingressus es, scilicet malitiam tuam, & voluntatis tuæ cõsensum, & eo egredere peccati pœnitentia ductus, hoc est, quòd tibi Deus præcepit, quãdo tibi dicit, Pœnitẽtiam age: vt nimirum voluntas quæ in peccato cõ- Luc. 13. sensit, postea repugnet. Et quemadmodum cõsensus voluntatis dæmoni per peccatum portam aperuit: ita etiam det Christo consensum pœnitentiæ.

¶ Sed quare Deus angelum mittit? Nónne posset ipse Deus hoc mysterium ipsi virgini reuelare? Poterat quidem, sed voluit angelũ mittere. Primò, vt manifesta sit nobis charitas, & amor, quibus nos prosequitur, ita vt ministerio angelorum nostram Heb. 1. redemptionem curet, Sic Paulus. Nónne omnes ad ministratorij spiritus sunt, propter eos, qui hęreditatem capiunt salutis? Ex quo loco iam argumentum potest elicere homo, vt seipsum magnifaciat, & plurimi æstimet, quandoquidẽ ipsi cœlestes spiritus ad ipsius ministerium mittuntur. Si puer aliquis pædagogum haberet episcopum, vel optimatem aliquem, vtique statim puerum illum, vel regis vel imperatoris filium esse existimares, quẽ etiam Hiere. super ca 18. Math. plurimi faceres. Quod exemplũ ideò adducimus, vt cõsideres, quomodo cœlestes spiritus tuo ministerio adsunt, vt te custodiant, defendant, & in omnibus viis tuis quasi manu ducant. Quapropter ne obsecro vilibus huius mũdi rebus teipsum tradas: cùm gloriari possis de nobilitate, & illustri sanguine. Nam si princeps aliquis vel comes se in terram abiiceret: vt colligeret micas quæ ex mensa ceciderunt: cõtemnendus profectò esset, & nihili æstimãdus. Sic tu qui illustris & generosus à Deo es factus, cùm tibi angelos ministros habeas, flecti nõ debes in hæc terrena, quæ vilia sunt, & nihili æstimãda. Si homo aliquis rusticus infimę sortis, & media plebe natus, sollicitus ambularet, vt ad suũ amorem reginam aliquam mulierem alliceret: nõ solùm talis mulier precibus huius rustici non acquiesceret, verùm etiam contra rusticum indignata eũ fustibus cædi præciperet. Sic igitur corpus tuum rusticum, fœdum, & vile, si aliquando animam excellentẽ reginam & principem ad turpe aliquod patrandã facinus incitauerit: non solùm anima consentire nõ debet, verùm fustibus illud & pœnitentia corrigere, vt insana eius audacia & temeritas, debitas pœnas luat. Quòd si iterum contra stimulum velit cal- Act. 9. citrare, lachrymis, verberibus, vigiliis, ieiuniis, & orationibus, in illud est animaduertendũ, vt obediẽs sit, ne postea resiliat, & animi compos euadat.

¶ Mittitur secundò angelus, vt maximo honore ipsa angelica natura efferatur. Etenim angeli erant quasi iniuria lacessiti, cùm viderẽt à se prodiisse illum, qui tantã perniciem nobis moliebatur, vt fuit Lucifer malus angelus, qui in paradiso terreno pri- Gen 3. mos nostros parentes tentauit. Atque ita dominus decernit nunc angelos honorare: vt quemadmodũ angelus fuit causa nostri damni & miseriæ: ita etiã angelus sit author nostræ fœlicitatis, vt de illis neutiquam conqueri possimus: nã si vnus parauit nobis damnum & interitum, alter gloriam & vtilitatẽ afferat. Quòd si tuo intellectui scãdalũ ingerit angelus, qui Euã fefellit, te constantem possit reddere angelus, qui hodie Mariã alloquitur. Vt inde intelligas nequaquam tibi esse murmurandũ, si aliquos malos videris, nam statim aderit vnus, & alter bonus. Quod vitium frequentissimum est hominibus secularibus, qui si aliquando vident religiosum aliquem, vel in minimũ peccatum delinquẽtem, protinus vniuersum monasterium, & totam congregationem condemnãt: illud peccatum omnibus narrantes, & de bonorum afflictionibus gaudentes. Quemadmodum amænus & fructifer ortus non Similitudo ideò contemnẽdus est, & eradicandus, eo quòd vrtica inter alia olera nascatur: sic nec damnanda est religio, si inter multos viros sapiẽtia & virtute prę-stãtes, quidam inueniatur voluptatis, aut ambitionis igne contactus. Nam in sacro Christi collegio fuerunt apostatæ, qui Christum dereliquerunt, nec vnquam redierunt. Fuerunt etiam gloriæ humanæ cupidi, qui dextram & sinistrã in regno petierunt. Fuit etiam alter, qui illum iuramento asseueranter Ioan 6. negarit: fuit etiam quidam proditor, qui Christum Matt. 20. triginta argenteis tradidit, qui postea miserè & infæliciter vitã finiuit. Sed nũquid rogo, quia isti ma- Mar 14. Math. 26. li fuerũt, vniuerso Apostolico collegio detracturus es, necnon sanctissimæ domini doctrinæ? Nunquid sacras religiones cõdemnabis, quæ marmoreæ columnæ sunt, quibus bona pars totius Ecclesiæ nititur, propter vnum vel alterum, qui flagitiosus sit? Sed iam hos tam perfrictæ frontis homines nihili facio, neque cum illis vlterius sermonem contexã, ne cum belluis digladiari videar.

¶ Tertiò non absque cõsilio ad hanc salutationem Angelus mittitur, cùm lapsus angelorum per Christum incarnatum restaurãdi essent: iuxta illud diui Pauli, Quoniam proposuit in eo in dispẽsatio- Ephes. 1. ne plenitudinis temporũ instaurare omnia in Christo: quæ in cœlis & quæ in terra sunt in ipso. Et in Psalmo dicitur. Iudicabit in nationibus & implebit rui- Psal. 106. nas. Nam cùm ex singulis choris, & ex singulis speciebus aliqui ceciderint, consentaneum fuit, angelum nuncium mitti, qui negotium ageret attinens ad restaurationem suæ naturæ.

¶ Missus fuit Gabriel potiùs, quàm alius, vt promissis dominus staret: nam sicut per hũc angelum mysterium hoc fuit Danieli prædictũ, sic per eundem manifestatũ fuit virgini. Ecce (inquit Daniel) Dan. 9. vir Gabriel, quem viderã in visione à principio citò volans, tetigit me tẽpore sacrificij vespertini, & docuit

cuit me:& ſequitur, Septuaginta hebdomadæ ab-
breuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper ſan-
ctam vrbem tuam, &c.

¶ Prætereà quia inquit euangeliſta, miſſus fuit à
Deo, exiſtimarunt aliqui hunc angelum eſſe ex ſu-
premis Seraphinorum choris: quòd ego nõ credo,
cùm illa ſuperiora agmina ab intimis nunquam di
ſcedãt. Angeli enim infimę Hierarchiæ à Deo mit-
tuntur, & omnes mittuntur ad intra, vel ad extra,
mediatè, vel immediatè ab ipſo Deo. Crediderim
tamen hũc Gabrielem maximum eſſe inter omnes
ſuæ Hierarchiæ, vtpote qui nũciaturus erat tantũ,
& tam diuinum myſterium virgini, tantæ & tã exi-
miæ virtutis. Vbi etiam cõſideres oportet, quomo-
do Angeli non dedignentur nobis ipſis miniſtrare:
cùm videãt & ipſum regem cœli iam propter nos
hominem velle fieri. Quia quando famuli regis ali-
quem hominem vident à rege diligi, & maximi ha-
beri, omnes illum honoribus afficiũt, & de eius vti
Gen. 3. litate ſunt ſolliciti. Vnde Angeli qui Adã & Euam
Gen. 19. è paradiſo eiecerunt, & qui Sodomam caſtigabãt,
cùm modo videant nos à Domino honorari, & ipſi
noſtram ſalutem quærunt. Sic tu amicos Dei quo
potueris, honore, afficere debes: ſicut ſanctus ille
Pſal. 138. Dauid qui dicebat. Mihi autẽ nimis honorati ſunt
amici tui Deus, &c. Apparuit autem Angelus hic
beatiſſimę virgini humana ſpecie indutus, pulcher
rima & decora facie, iuuenili ætate & candida veſte
ornatus. Facta autem fuit hæc ſalutatio vigeſima
quinta die Martij, feria ſexta, ante ſolis ortum, vt ſi-
gnificaret nobis angelus, verũ ſolem iuſtitiæ Chri-
ſtum redemptorem noſtrum iamiam naſciturum.
Beda in Hõ. Sed quo mittitur?

In ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.

Non in agro, aut in quouis alio loco Dominus
concipi voluit: ſed in ciuitate, quæ hominũ habita-
tio eſt: vtpote qui propter nos homines, & propter
noſtram ſalutem deſcẽdit de cœlis. Et quia carnem
ſumpſit, vt Iudæos & Gentiles ſaluos faceret: pro-
pterea in Galilæa, quã hi duo populi tunc incole-
bant, annunciari & concipi voluit.

¶ Præterea nõ abſque cauſa ciuitas, in qua Chri-
ſtus concipitur, vocatur Nazareth, quę florẽ ſonat:
Cant. 2. cùm ipſe ſit, qui in Canticis alloquitur ſpõſam di-
cens. Ego flos campi, Non hortorum, quia flores
hortorum humana diligentia, & induſtria naſcun-
tur: at Chriſtus nullo opere interueniente viri, ſed
ſpiritu ſancto conceptus eſt. Secũdò flos cãpi om-
nibus patet: ſic Chriſtus pro omnibus carnẽ aſſu-
mit, & omnibus ſeipſum præbet. Tertiò bruta ani-
malia flores conculcãt, & ſuper eis recumbunt, ſed
homo prudẽs colligit: ſic Chriſtus ab impiis qui vi
tam agunt beſtiarum more conculcatur, & à iuſtis
honore afficitur. Ideò flos campi, & non hortorum
dicitur.

Luc 2. ¶ Vbi iam expendes quanti Deus faciat humi-
Pſal. 137. lia & abiecta. Elegit nanque Nazareth ciuitatẽ par-
uulam, vt cõciperetur: & in minima Bethleem na-
ſci pro ſua miſericordia dignatus eſt: qui humilia re
ſpicit, & alta à longè cognoſcit. Ab initio quippe
mundi hoc dominus habuit ingenium, vt amator
Gen. 4. eſſet humilitatis. Et vt teſtimoniis ſacrę paginę cõ-
Gen. 25. probetur hæc veritas, ſcias quòd ex prioribus fra-
Gen. 27. tribus, qui in mundo geniti ſunt Cain ſcilicet, & A-
Gen 41. bel, dominus minorem elegit: & ex filiis Abraham,
Iſaac elegit, qui minor quàm Iſmael erat: & ex filiis
Iſaac elegit Iacob, q minoris erat ætatis quã Eſau.
Et ex duodecim filiis Iacob elegit Ioſeph, vt domi- 1. Reg. 16.
naretur Ægypto, qui etiam ex minoribus fratribus 1. Reg. 9.
erat. Et ex octo filiis quos Iſai genuerat, ſibi Daui-
dẽ aſſumpſit, vt eſſet rex, & magnus propheta: qui
antea paruulus paſtor erat, & coram hominibus
contemptus. Elegit etiam dominus Saulem in re-
gem, qui ex minori tribu erat, & ex inferiori domo,
& familia Iſrael. Et denique in mundum veniens Math. 4.
hic ſanctiſſimus humilitatis amator, nõ magnates
aut principes ſibi aſſociauit, ſed humiles & paupe-
res piſcatores. Nouit minimũ animal formica triti-
ci vim regeneratiuam abrodere, ne naſcatur & cre-
ſcat, & ipſum ad ſolem producere, ne putrefiat, &
ſpeluncam claudere, ne aqua introeat: & denique
alia multa, quæ longum eſſet recenſere; quã ſcien-
tiam & cognitionem Deus, nec elephãti dedit, nec
boui, nec equo, nec maioribus animantibus. Et in-
ter volatilia quid mirabilius cerni poteſt, quã apũ
induſtria in fabricandis fauis: vt ſi hæc contemple-
ris, in diuini artificis amorem neutiquam non ra-
piaris? Hãc ſcientiam & induſtriam, nec aquilę, nec
maioribus aliis volatilib⁹ donauit. At ſi mũdi crea- Gen. 1.
tionem velis inſpicere, iam ex materia prima re vi-
liſſima vniuerſum tam pulchrũ, tãque diuino arti-
ficio elaboratum videbis condidiſſe. Et tandẽ ſi cla
ro teſtimonio, hæc quę diximus comprobari velis,
conuertas oculos in pręclarum, & maximum opus
quod pro nobis fecit libentiſſimè: Nanque pro no- Phil. 2.
bis moriturus ignominioſius mortis genus ſubiit,
ita vt ſeipſum humilians vſque ad mortem crucis,
factus fuerit obediens. Ita dominus paruulorũ fuit
ſemper amicus, vt diceret, Sinite paruulos venire Math. 19.
ad me, iſtorum enim eſt regnum cœlorũ: ſuperbiã
autem, & elationem Capharnaum exprobrãs, in-
quit, Et tu Capharnaum, nunquid vſque in cœlum
exaltaberis? vſque in infernũ deſcẽdes? Et tu Beth- Math. 12.
leem humilis & paruula nequaquam minima es in Math. 2.
milibus Iudæ: ex te enim exiet dux qui regat Iſrael. Mich. 5.
Nam etiã ſi parua ſis, non ideò te ipſam vilipẽdas.
Hac quippe de cauſa Deo gratior & iucũdior eris:
afferet quippe natalis eius tibi ipſi nobilitatem, & Ioan. 2.
ſplendorem. Et à Nazareth exigua & contẽpta (vt
pote quã Nathanael illudens dixerit. A Nazareth
poteſt aliquid boni eſſe?) exibit cõceptus Chriſtus,
qui illuſtrẽ illam & ſplẽdidam faciat. Quod ſi pro-
pter paruitatem & cõtemptum ſuũ Nazareth co-
rã oculis domini tantũ meruit: ſi pauper & humilis
es, cur te iſtius paupertatis pœnitere debet? Ex quo
loco humilitatem & abiectionem ſemper teneris
diligere. Nam quanto profundior eſt puteus, tan- Math. 8.
to eius aqua dulcior eſt: quãto humilior fueris, tã-
to Deo gratior & iucundior. Nam cùm Cẽturio de
ſeipſo humiliter ſentiret, cumque nõ ſe dignũ exi-
ſtimaret, vt Chriſtus domũ ſuã ingrederetur, om-
nibus Iudęis illũ Dominus antetulit. Et Paulus qui
ſe minimũ apoſtolorũ vocauit, præſtãtiori vi in cõ- 1. Cor. 15.
cionãdo polluit, & plus omnibus laborauit. Et Pe- Luc. 4.
trus, q ſe indignũ Chriſti cõſortio iudicauit, factus
eſt Apoſtolorũ princeps, & Eccleſiæ maximus Põ-
tifex. Et Ioannes qui dixit. Non ſum dignus ſoluere Ioan. 1.
corrigiã calceamẽti eius: meruit, vt corã eo Chriſt⁹
genibus flexis in Iordãne inclinaretur. Diligit itaq;
Chriſt⁹ humilitatẽ: & loca humilia velut Nazareth
amplectitur, & honorat. ¶ Vbi nec illud tibi ſub ſi-
lẽtio prætereã, quod in humili Nazareth cõceptus
fuit Chriſtus: & in ſuperba Hieruſalẽ crudeliſſima
morte interemptus. A cordibus humilibus cõcipi-
tur

tur Christus, & à superbis interficitur. Quapropter esto semper humilitatis amator, & ipsum Christũ in anima tua concipies. Quòd si ipsum audire velis per Esaiam loquentem, fieri non poterit, quin in ipsius amorem totus rapiaris. Ad quẽ (inquit) ego respiciam, nisi ad cõtritum, & humilem & trementem sermones meos? *Esa.66.*

¶ Secundò in hac re cautus esse debes, vt nunquã glorieris te ex nobili ciuitate natum, quemadmodum multi stolidi & amentes facere consueuerunt. Potuisset nanque dominus, si vellet in ditissimis & potentissimis ciuitatibus nasci, videlicet Romæ, quæ regina est & princeps vniuersi: aut Athenis, vbi tum temporis florebãt multi, & sapientissimi & acutissimi philosophi, aut Hierusalem, vbi tũc sanctitas & religio inualescebat: sed ad Nazareth mittitur angelus, quæ erat parua & cõtempta ciuitas, vt ostendat se mundana non quærere, sed potiùs ea contemnere, & tantum humilia diligere. Amauit igitur Christus humilitatem in conceptione, amauit etiam in natiuitate, amauit in vita, amauit in morte: necnon etiam post mortem eiusdem amore tenetur. *Luc.9.* In conceptione humilem Nazareth elegit in natiuitate paruam Bethleem, in vita non habuit vbi caput reclinaret, & iamiam moriturus admirabili humilitatis exemplo pedes discipulorum lauit: quod fecit vt innueret, quanto amore illam prosequebatur. *Ioan.3.* Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, & post mortem hanc virtutem non tradidit obliuioni. *Phil.2.* Nam Magdalenę dixit, Dic fratribus meis. Ascẽdo ad patrem, &c. *Ioan.20.* Poterat bene illos vocare discipulos & seruos, sicut ipsi vocabant illum magistrum & dominum: sed noluit, vt humilitatem nobis commendaret. Denique & post Ascensionẽ ad cœlos non est oblitus huius virtutis, sed Saulo persecutori dixit, Saule, cur me persequeris: causam discipulorum pauperum propriam iudicans. *Act.9.* Meritò ergo & ipse clamat, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Mat.11.* Iam igitur vidimus, quis mittitur, & à quo mittitur: restat inuestigare ad quem mittatur. *Ad verginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* Viro dixit non homini: viri nanque nomen fortitudinem, animi robur, & virtutem significat. Ea enim vxor vnicuique danda est secundum suam sortem & conditionem, Regi quippe aut duci, aut illustri viro non ancillam, aut Æthopissam dares. Sic nimirum dominus (vtpote in cuius operibus semper admirabilem sapientiam & consilium inuenies) volens primo nostro parenti sodalem tribuere, oculos coniecit in vniuersas creaturas: cunque nullam eius dignitati & altitudini similẽ inuenisset, quæque ipsius Dei capax esset, vt Adam, decreuit ex Adæ costa similem ei efficere. *Gen.2.* Sic nimirum ipse dominus: vt daret socium & sponsum beatissimæ virgini, non quæsiuit hominẽ humanis rebus intentum, aut voluptatibus sæculi deditum, sed virum optimum, virtute & sanctitate perfectum, & omnibus suis numeris absolutum. *Iosephi encomium.* Nã sicut Dominus eam mulierem elegit, vt mater esset filij sui, qua melior aut similis in vniuerso non reperiretur: ita etiam talem virum in sponsum illi matri dedit, quo sanctior, aut purior vix queat reperiri, cùm etiam & filij sui custos & pedagogus deberet esse. Et sicut rex custodem filij sui prǽstantissimum & optimum hominem constituit, sic etiam dominus virum purissimum & sanctissimum filio suo præfecit. Nam semper dominus ad sua ministeria idoneos sibi quærit. Idoneos (inquit Paulus) nos fecit Deus ministros noui testamenti. *2.Cor.3.* Cùm igitur Ioseph Christi pædagogus futurus esset, nec non maritus eius mulieris, quæ Christi sponsa erat: potest ne aliquis sanę mẽtis homo existimare ipsum Dominũ in tali electione errauisse? Hoc certè stultissimum esset, & ab omni prorsus humano intellectu alienum. Ipse nanque fuit primus omnium hominum, qui Christũ in carne vidit, & adorauit. Extollitur miris laudibus Ioannes Euangelista, & meritò quidem, eò quòd matrẽ suam illi dominus cõmendauerit: sed Ioanni cõmendata fuit, cùm iam virgo adoleuisset & ad maiores annos ætatis suæ peruenisset: at Iosepho tradita est iunioribus suæ adolescentiæ annis. *Ioan.19.* In quo quidem apparet maxima ipsius Ioseph commendatio. Ioannes etiam paucis annis cum ea habitauit: Ioseph verò spatio triginta annorum. Ex hoc itaque coniugio tãtum honoris & laudis ipse Ioseph comparauit: vt matrem Dei in subditam habuerit, simul & filium. Nam vt inferius videre est in nostro Luca, Christus erat subditus illis, scilicet Marię & Iosepho. *Luc.2.* Quòd si verum est illud quod asseuerat regius propheta, scilicet, Cum sancto sanctus eris: quid iudicandũ erit de Ioseph, qui familiarissimè intra eandem domum tot annis cum Christo, & sanctissima eius Matre angelicam & purissimam vitã egit? *Psalm.17.* Cum nullo homine Christus & sanctissima ipsius mater in hac mortali vita ita familiariter egerunt. Certè verè loquutus est Christus in illis verbis cũ dixit, Qui mihi ministrat me sequatur, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus: iste in cęlos inter supremos videtur collocãdus, qui in terris ipsi Christo familiari obsequio seruiuit, & fidelior omnibus post Mariam inuentus est. *Ioan.12.* Quòd si Christus Apostolis dixit, Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, quanto præstãtius obsecro est, nõ solùm videre, sed etiam tangere? *Luc.10.* Quanto beatior est Ioseph, qui non solùm Christum vidit, sed eum sæpiùs fuit osculatus? *Matth.10.* Si ille qui prophetæ dederit vas aquę frigidę, mercedem ab ipso propheta accipiet: quam mercedem is accipiet, qui non solùm vnum vas aquę dedit, sed multa, panẽ & obsonium ipsi prophetarum domino? Denique vt ad alia quæ nos expectant gradum faciamus, meruit in terris Christi pater appellari, vt inferius capite sequenti noster Lucas inquit: & nullam puram creaturam, adeò dilexit beatissima virgo sicut sanctum Ioseph. *Luc.2.*

¶ His omnibus adiicies aduertendum non solum Iosephum ab Euangelista tanquam patrem putatiuum hîc positum esse, sed tanquam verum patrem: non naturalem, sed legalem. Cùmque talis esset Ioseph, ipsius genealogiam narrandam sumpserunt Euangelistæ, licet virginis matris naturalis esset filius. Et hoc ita fuit, quia Christus in temporalibus succedebat Ioseph, cuius hæres legalis erat. Vnde illi qui asserunt scripturæ morem non esse genealogiam ex parte mulierum, sed virorum computare, non videntur prorsus satisfacere, quia multoties in sacris literis cùm narratur genealogia alicuius, dicitur, talis mulieris fuit filius. Et quãuis in aliis hoc non fieret, conueniens fuit in hoc loco cùm Christus ab homine non fuerit genitus, sed tantum à virgine.

¶ Primò autem beatissima virgo desponsata fuit, ne conceptionis causa, honori & famæ ipsius detrimentum paterentur: quia si innupta conciperet, mala mulier reputaretur. Ne verò sacratissima vir-

go aliqua infamiæ labe contaminaretur, voluit dominus eam viro coniungi. Vbi docemur famam alicuius, nunquam eſſe contemnendam, iuxta illud *Eccl.41.* Sapientis, Cura de bono nomine. Nam qui famam *Curandũ de bono nomine.* cõtẽnit flagitioſus eſt, aut prorſus inhumanus. Arguendi quippe ſunt illi, qui dicunt: mea intentio & cogitatio ſãcta eſt, & ſyncera: dicat autẽ vnuſquiſque quæ pro libito voluerit. Quid enim refert tuã intentionẽ bonam eſſe, ſi factum tuum anſam præbet, vt de te homines male ſuſpicentur, & ſentiant? Homines quidem intentionem non vident, ſed exterius opus, quo eis ſcandalum præbes: cũ prudentiam in dictis tuis non ſerues. Et id quod dicimus Dominus commendauit, cùm diſcipulos rogauit, *Math.16.* dicens, Quem dicũt homines eſſe filium hominis? Bene ipſe ſciebat quid homines dicerent: ſed id fecit, vt nos intelligeremus ſemper curam habendam eſſe de bono nomine. Vbi videre licet, quàm bonus amicus ſit dominus dilectis ſuis: Mauult, enim dominus aliquãtulum detrimenti pati, quàm vt patiantur amici. *Ambr. lib.2. Com. in Luc. ca.1.* Maluit dominus (vt inquit Ambroſius) de ſuo ortu, quàm de matris pudore dubitari. O quàm fidelis amicus nobis eſt Deus, & quanti ſuorum honorem facit: item vt non velit cum alterius iniuria honorem ſibi comparare. Curandum igitur tibi maximè eſt, vt Deo amicus ſis, præſertim cùm tanto te proſequatur amore: & mundum fugito & eius amicitiam, quando datam fidem non *Zacha.9.* ſeruat. Perierunt principes Edom, memoria Ama- *Exod.17.* lech euanuit, & ſuperbia Philiſtinorũ diſperſa eſt: tamen ſacroſancta Eccleſia & honor amicorum Dei nunquam finietur: permanet in ſęculum ſæculi, & vſque in ſempiternum.

¶ Secundò voluit dominus vt ſacratiſſima virgo viro nuberet, vt in Ioſeph cuſtodia eſſet. & honeſtas virgini. Nã ſicut frõdes arboris defendunt fructus ab iniuriis cœli: ſic Ioſeph virginem protegebat, ex qua ſicut amœniſſim⁹ flos egreſſus eſt Chriſtus. Et quia flos aliquando in medio foliorum naſcitur, ne exiſtimares, quòd de Ioſeph Chriſtus na- *Eſai.11.* tus eſt, dixit Eſaias, Egredietur virga de radice Ieſſe & flos de radice eius aſcendet, Non inquam de folio, ſed flos, qui Chriſtus eſt de radice: id eſt de virgine natus eſt, nõ autem ex Ioſepho. *De domo Dauid.* Videas obſecro quibus terminis & fine continentur regna, imperia, & totius mũdi principatus. Regia & opulenta domus Dauid, tam potens & magna, cui alij reges obedientiæ ſigna præſtabant: vbi eſt, aut quo termino & fine clauditur? vtique fabro pauperculo contenta eſt: qui etſi diues & iuſtus coram Deo, tamen hominum oculis egenus. Quot quantique erunt in Hiſpania homines, qui originẽ ducant ex illuſtri Gothorum ſanguine: ipſi tamen ſutores, ſartores, & pauperrimi ſint. Vtique apparet hic, quomodo principatus & imperia mundi, & omnis eius nobilitas & potentia lapſu temporis finiuntur: quia mortalem finem ſortiri debent. Sic etiam illuſtre & pręclarum Corinthiorum regnum finitum eſt, & potẽtiſſima Aſſyriorum Monarchia, Medorum item & Perſarum temporũ iniuria corruerunt. Vt diſcas omnia hæc mundana paruifacere, & tantum Deo placere ſtudeas: quippe memoria iuſtorum vſque in ſæculum ſæculi: & in æternum permanet.

Pſal.131. ¶ Dixit autẽ Ioſeph eſſe de domo Dauid, vt oſtẽdat Chriſtum ex ſemine Dauid deſcendiſſe, ſicut ei Dominus promiſit. Iurauit Dominus Dauid veritatẽ & nõ fruſtrabitur eũ, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedẽ tuam. Et Eſaias, Super ſolium Da- *Eſai.9.* uid, & ſuper regnum eius ſedebit. Et rurſus in Iere- *Iere.23.* mia, Suſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit. Quamuis autem Ioſeph nihil in conceptione Chriſti operatus ſit, ex hoc colligitur virginem fuiſſe ex eadem domo: Nam mulieres in hęreditate paterna ſuccedentes non poterant contrahere matrimonium, niſi cũ viris ſuæ tribus, ne fieret confuſio inter ſortes, vt habetur ex Domini *Nu.36.* ſententia. Iã igitur videas quomodo Dominus ad- *Deut 7.* implet promiſſa, cũ mittat filium ſuum ex ſemine Dauid. Promiſit Dominus populo Iſraelitico filiũ ſuũ ſe daturum: populus autem promiſit Domino ipſius præcepta ſeſe obſeruare: at quãuis Iſrael datam fidem non ſeruauit, nihilominus Deus verbũ ſuum adimplet. Promiſit Dominus Dauid, filium *Pſal.131.* ſuum hominibus miſſurum, ne autem cùm homi- *2.Reg.11.* nes viderent Dauid homicidam & adulterum, exiſtimarent, dominum fœdifragum futurum, filium ſuum nobis donauit, & cum eo innumerabilia bona. At ſi dominus cum eis qui illi fidem frangunt, promiſſis ſtat: quantò melius gloriam tibi dabit, ſi præcepta eius cuſtodieris?

¶ Præterea obſeruandum tibi eſt, quòd Chriſtus *Gen.22.* potius dicitur filius Dauid quàm filius Abrahæ, cũ etiam facta fuerit promiſſio Abrahæ: vt nos doceret dominus, quãto amore Deus proſequitur peccatorem ad ſe pœnitentia conuerſum, vt tu nõ dubites quantumuis flagitiis & ſceleribus ſis contaminatus, ad illum accedere. De peccatis Abrahæ nihil legimus, imò conſtat, ſemper domino obediẽtem fuiſſe: at Dauid grauiter Deum offendit. Nihilominus, vt dominus ad pœnitentiam peccatores alliceret, maiori honore Dauid affecit, quàm ipſum Abraham. Quando nobilis aliquis ad venationem *Similitu.* tẽdit, ſi forte ſylueſtrem ſuem interficiat, plus gaudet ipſe & eius famuli, quàm ſi arietem vel bouem ad comedendum interficerent: Ita nimirum viri iuſti ſunt domeſtica animalia domus Dei, & quanuis alicuius delicti in quod ceciderunt, ſubeat eos pœnitentia: non ideò tantum gaudium fit, quantũ per conuerſionem vnius peccatoris, qui tanquam ruſticum & ſylueſtre animal eſt, qui appetitum ſuũ ſequens, vſque ad præcipitium non ſinit currere. Quando igitur dominus huiuſmodi peccatorem *Luc.15.* venatur, maximum fit gaudium ſuper eo pœnitentiam agẽte, &c. Sic Dauid, qui prius carnem & appetitus ſuos ſequebatur, cõuerſus eſt ad dominum per pœnitẽtiam: atque ita maiori honore illum affecit quàm Abraham: etſi ab ambobus ſecundum carnem deſcenderit.

¶ Præterea cùm ait Euangeliſta, de domo Dauid: de familia, ſanguine & generatione Dauid intelligendum eſt. Et ſic intelligendum puto id quod in Exodo dicitur de obſtetricib⁹ Ægypti, quòd Deus *Exo.1.* ædificauit illis domos. Hoc eſt, quòd dedit eis generationem & ſucceſſionem. Nam quia ipſę pepercerunt filiis Hebræorum, dedit illis dominus filios vt factum illud more talionis ſolueret. Ædificare enim eſt dare poſteritatem: quare familia vocatur domus, quia ad modum domus ædificatur: vt in ſcriptura, multiplicato ſobolẽ dicitur ędificare domũ. Sic Nathan dixit, Domũ faciet tibi, id eſt fa- *2 Reg.7.* miliã multiplicabit. Et paulo inferius, Domus ſerui tui ſtabilita erit corã tę. Et Rachel dixit Iacob, In- *Gen.30.* gredere ad ancillam, & ædificabor (vt Hebraiſmus habet)

Deut.25. habet)in ea.Et in Deutero. de muliere quæ spuebat in faciem viri habetur,quòd dicebat,Sic fiet homini qui non ædificauit domum fratris sui.Et in libro Ruth.4. Ruth dicitur de Sara & Lia, eas ædificasse domos Israel. ¶ Denique pulchrè Euangelista regalem generationem,& originem Ioseph,& virginis Mariæ expressit:ne Christi paretum paupertas despiceretur:quia quãuis pauperes essent,tamé nobiles erãt. Sed hac misera nostra tempestate ille solus nobilis est,qui multas habet pecunias. Nam quãtumcunque aliquis nobilis sit,si paupertate premitur, vel ipsis fratribus & cõsanguineis odio habetur,& despicitur.Filij nãq; huius sæculi solas diuitias in honore habent.Demum expendas Christum voluisse & nobilé & pauperé esse.Nobilis,quia nobilitas ad virtutem obligat.Diuitiæ autem(vt Apostolus ait) laquei sunt diaboli.Ideò Christi parentes & nobiles,& pauperes fuerunt. *Et nomen virginis Maria.* Huius nominis sororem habuit Moyses mulieré præstantissimam,omnium earum,quæ transierunt per mare rubrum: quæ quidem gloriosò cãtico dominum magnificauit dicens, Cantemus domino gloriosè enim magnificatus est,&c. Hęc autem secundi legislatoris mater diuinis laudibus & cãticis dominum suum exaltauit.¶ Porrò non solùm nomen sponsi,sed etiam sponsæ Euangelista expressit:nam sicut dominus illos coniunxerat in matrimonium, ita nec hîc separandi erant ab Euangelista.Nomen autem Ioseph priori loco apponitur:qui vir caput mulieris est.Sic etiam Maria postea honorem contulit ipsi Ioseph dicens, Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.Et iterum, Erant pater eius & mater mirãtes. Sic & Sara virum suum Abraham dominum vocauit.Sed iam in nostra Hispania dolendum est,vt viri suarum vxorum mancipia videãtur, incedunt quippe ornatæ & cõpositę ad similitudinem tépli:ita vt si maritos videris simul cũ eis ambulantes,illas reginas iudicabis, eos verò famulos & seruos. Quis obsecro vnquam vidit talem cõfusionem, aut tale monstrum:vt pedes sint caput,caput autem pedes ? Vtique prouenit ex carnis concupiscẽtia, quæ adeò creuit,vt homines carnis appetitum & desiderium sicut Deum adorent, & seipsos mulieribus sicut bruta animantia tradant.

Christus nobilis,sed pauper. *1.Tim.6.* *Exod.15.* *Ephes.5.* *Luc.2.* *Gen.18.* *Psal.143.* *Ordo praeposterus.*

¶Præterea id obiter annotabis,sacrum Euangelistam & nomé prouinciæ nominasse, ciuitatis,angeli,virginis, & etiam spõsi:vt intelligas miram diligentiam habuisse in scribendo hanc historiã.Pręterea tot circunstantias, & verborum ambages adducit, vt inde veritatis certitudo clarius eluceret. Si enim in ciuilib⁹ causis tã seriò agitur,vt ipsi scribæ locum apponãt,tempus,testes,& eorum nomina:deinde traduntur libelli,& appenduntur sigilla, vt dictis & narratis fides adhibeatur:quãto potiori iure hoc fieri debet in tam ardua causa,nempe in incarnatione diuini verbi, vt nos de promissionib⁹ certos redderet,& hæreticorum impetus, & Hebræorũ obstinatio conuinceretur?Signũ enim manifestæ veritatis est,cùm quis tibi aliquid narrat, si locum & personam,vbi id contigit, significauerit. Est nãque quoddam hominũ genus, qui amicorũ prætextu,te ipsum dictis suis lacessunt,mentientes illa ab aliis audisse,& cũ ipsi authores sint, in alios Dan.13. culpã reiiciũt.Illi nãque senes,qui falsò Susannam accusarũt, cõuicti postea de mẽdacio fuerunt:quia vnus dixerat vidisse Susannam adulterãtem sub cino: alter verò sub pino testificabatur. Ita tu cautè verbis mendacibus detractoris attendere debes,vt sic facilè ipsum de mendacio conuincas.

Et ingressus angelus ad eam dixit. Equidem manifestissimæ insaniæ veniet reprehendendus,qui conatus fuerit ad Mariam ingredi, nisi angelicã puritatem prorsus redoluerit. Etenim si in Moysi faciem Israelitæ non poterant oculos intendere propter gloriam vultus eius:quanto minus humanus oculus amictam sole poterit intueri ? In quo loco illud attenta animi cõsideratione debes aduertere, scilicet,quàm procul distaret sacratissima virgo ab humanis solicitudinibus,quàm à tergo relictis humanis honoribus,quantum orationi & cõtemplationi vacans, quando Deus ad altissimam & supremã omnium dignitatem illam euexit, nempe vt ipsius mater esset. Nec solicitus erat Ioannes in quærẽdis honoribus,cùm factum fuit illi verbum domini in deserto,vt eius præcursor,& cõcionator esset. Nec vlla sollicitudo Abraham vexabat,cùm eduxit illũ dominus de terra sua, & eũ fecit in gentẽ magnam. Et ipse Moyses cùm pascendis ouibus curam intenderet,cùm ei appareret dominus constitutus est in principem populi sui.Et denique Dauid sanctus in deserto oues pascebat,quando ad gubernãdum regnũ fuit vocatus. Ex his omnibus intelligas,quòd si honores & dignitates à tergo reliqueris, & Deo inseruieris,ipse te opportunè vocabit.Nec quisquã (ait Paulus)sibi sumit honoré,sed qui vocatur tanquam Aaron. Sicut Christus nõ semetipsum clarificauit,&c. Quod si honorem fugeris,illũ facilè obtinebis:si eius fueris oblit⁹, Deus recordabitur tui. Nam cũ sacratissima virgo in secretiori cubili esset clausa,tantæ dignitatis oblita, tunc mater Dei eligitur. Cùm auté angelus dicit quòd ingressus fuit ad virginem,manifestè ostendit, beatam virginem intra clausum ostium esse,& in secreto cubili.

Exo.34. *Apoc.12.* *Luc 3.* *Gen.12.* *Exo.3.* *1.Reg.16.* *Hebr.5.*

¶Qui locus nos docet, quòd si nos Deo tradere cupimus,humani strepitus,& humana cõuersationes sunt nobis omnino fugiẽdæ. Nam vt dominus Abrahæ nota faceret beneficia,quibus illũ volebat afficere, ab hominum conuersatione illum eduxit. Et Moysen perduxit dominus ad verticem montis Sinai, & præcepit etiam ne quis ad mõtem appropinquaret.Et in solitudine montis apparuit Angelus Agar, & Helias ab hominum consortio procul aberat,quando angelũ domini vidit.Etenim,quando dominus cor nostrũ solum, & omnibus terrenis exutum inuenit,mox veniés cœnat cum eo.Ingrediamur igitur ad cor nostrum, & ipsius aditum negotiis & murmurationibus claudamus,si colloquiis angelicis,& diuina familiaritate frui volum⁹.

Gen.12. *Exo.19.* *Gen.21.* *1.Reg.18.*

¶Vnde discant oportet puellæ,exemplo sanctissimæ virginis clausas esse, & sui obseruãtissimã custodiam habere: Adeo hæc quæ modo diximus in fœmineo sexu dominus requirit,vt pręcipiat in veteri lege homines ter in anno ad templum venire, mulieribus auté nec semel in tota vita. Vt inde intelligas oculis domini pergratũ esse mulierũ obsequium (& præcipuè virginũ) si intra priuatos parietes fiat.Ideò Beatus Ambro.ait, beatam virginẽ cum festinatione ascendisse in montanã, vt visitaret Elizabeth,vtpote quæ ab hominum conuentu videri renuebat. Ita infructuosæ arbores in mediis cãpis & in mõtibus sunt consitæ,nec vlla adest illis custodia:at arboribus, à quibus fructus in maturo tempore colligi expectatur, & sepibus & custodia prouidetur.Nec Dina prætiosam virginitatẽ amitteret,

Solitudo Deo grata. *Exo.23.* *Amb libr.2. Com. in Luc. ca.2.* *Gen.34.*

teret, nisi egrederetur ad videndas mulieres regionis illius. Nec immeritò Salomonē de mulieribus, quibus & cōsortia & itinera grata sūt dixisse scias. Ecce occurrit ei mulier in ornatu meretricio, præparata ad decipiēdas animas: garrula & vaga, quietis impatiens, non valens in domibus cōsistere pedibus suis. Nunc foris, nunc in plateis, &c. At beata virgo meritò dicitur, & anima, & corpore hort⁹ cōclusus, tāquam bona & fructuosa arbor. Non inuenit eam angelus in plateis, non in foro, nec in conuiuiis: sed in cubiculo orantem. Orabat beatissima virgo patrem in abscondito clauso super se ostio. Nam si conceptio præcursoris annunciata fuit patri sacrificiis & oblationibus intento: probabilius multò iudicandum est, conceptionem Saluatoris virgini annunciatam esse in oratione & cōtemplatione existenti. Quod si Iudith in secretiori parte domus suæ recondita erat: & Sara vxor Tobiæ iunioris in supremas domus suæ partes ascendēs, tribus diebus & noctibus assiduis lachrymis dominū orabat, vt eam ab omni angustia liberaret: quanto meliùs de sacratissima virgine dicendum erit, eam ab aliis separatam in oratione pernoctasse? Erat tū temporis virgo sancta non solùm intellectu in Deū transformata, contemplans mysterium incarnationis (vtpote quæ nouerat ex scripturis iamiam illam appropinquare) verū & ipsa volūtate, quæ eiusmodi naturę est, quæ potius & magis est vbi amat quā vbi animat: nanque vbi animat adest quantum ad esse quod habet: at autem vbi amat, quantum ad ipsam operationem. Mirabile quidē visu esset, tum temporis virginis pulchritudinē aspicere, illius faciem solē & lunā splendore longo interuallo superantem, & denique sanctam ipsius animam in diuinum illud verbum trāslatam, quod statim erat cōceptura. Credite enim mihi animam nec pulchriorem nec deformiorem esse re illa, quam studio & amore ꝓsequitur: nec magis graphicè ab aliquo pictore depingi posse, quàm ibi, vbi ꝑ dilectionē adest. Quod si ita verū est cùm diuinitas sculpta esset in preciosissima virginis anima, ab eo desumēs excellentiam, quod in se translatum erat: quam obsecro pulchritudinem & decorē haberet anima illa, cuius Deus imago & idea erat? Talē igitur intelligite fuisse conceptū, qualis in anima fuerat cōtemplatus. Et ita diuina virgo in admirabilem extasim eleuata, mente & spiritu in Deum trāsformata, incredibili gaudio orans dominum, psallebat, Mitte domine quem missurus es. Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuū da nobis. Veni ad liberādum nos, domine Deus virtutum. Qui regis Israel intēde, qui deducis velut ouem Ioseph: q sedes super Cherubin, Beniamin, & Manassē. Excita potentiā tuā & veni, vt saluos facias nos Deus: conuerte nos, & ostēde faciem tuā & salui erimus. Ecce sceptrum de Iuda ablatum est, & dux de femore eius. Danielis hebdomadę impletę sunt: veni ergo domine & noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ Israel. Exurge igitur domine & miserere Sion: quia tempus miserēdi eius, quia venit tēpus. Exaudi domine, placare domine: attende, & fac. Ne moreris propter temetipsum Deus misericordia mea, spes mea à iuuentute mea, & vsque nunc & in ęternū. Talibus & similibus orabat virgo, cùm fuit ab angelo salutata. Qui humano & aëreo corpore indutus iuuenili ætate, iucunda facie, maxima humilitate & reuerentia salutans virginem, dignitatem & ipsius admiratus, colens & honorans illam ait, *Aue gratia plena.* Similis salutatio nulla inuenitur in sacris literis, nec etiam inuenitur cur dictum fuerit, aue: quæ sola salutatio beatissimæ virgini fuit reseruata. Rex Artaxerxes salutatus fuit à dicentibus, Rex in æternum viue. Et Absalon salutatur, Salue rex. Et Ruth, Benedicat tibi dominus. Tobias, Gaudium sit tibi semper. At salutatio hæc virginis noua est, & meritò ab ea principium sumit. Quia væ, & calamitas quam propter peccatum introduxit Eua, hæc sacratissima virgo in causa fuit vt cessaret. Ideò non immeritò virgini dicitur, Aue, quod idem est, quod, sine væ, sine miseria, sine infœlicitate. Nomen quippe Euæ à contrario sumitur: quia beata virgo per diuersam & contrariam viam remedium miseriæ contulit, quam Eua antea adduxerat: vt iam diximus. Eua quippe propter leuitatem, inobediētiam, & garrulitatem multa perdidit: virgo autem maxima humilitate resarciuit quidquid Eua amiserat. Quocirca angelus à nomine Euæ initium salutationis sumit. Salutat enim eam secundum suam qualitatē & merita. At mundus (quæ sua superbia est) omnes titulos elationis, maxima tyrannide sibi assumit. In fine quippe sortis & conditionis homo magnifici titulum sortitur, quem nobiles soliti fuerunt sibi assumere. Nobilis autem, illustris vult appellari, sicut potens dux aut comes: & hi magnates non contenti illustrium nomine, excellentiæ titulum sibi ascribunt. Et denique ad id impudentiæ genus reges peruenerunt, vt diuinum nomen (quod incommunicabile est) arroganter vsurpent. At Angelus virginem appellat eo nomine, quod illi decens erat, & conueniens. Nam, quia in vrbanitate domus Dei omnia rectissimo ordine sunt constituta: & quia beata virgo omnibus aliis puris creaturis excellentior erat, hæc salutatio fuit illi reseruata. Verbum nanque χαῖρε apud Græcos significat valere. Aue (inquit Angelus) ab omni vel tenuissimo peccato originali etiam prorsus immunis. Aue tota pulchra, tota immaculata, tota gratia plena: ita vt nunquam in te, vel pro temporis momēto, vel ad ictum oculi quicquam fuerit, quod Deo displicuerit: vt nimirum verissimum sit, quòd te totam gratia occupauit, & quod te totam gratia possedit.

¶ Habuit nāque beatissima virgo gratiam habitualem gratum faciētem: cuius donis & virtutibus eis annexis diuinitus fuit circōmunita. Et licet de beato Stephano dixerit Lucas fuisse plenū gratia, & idē referat Ioānes de Christo Saluatore nostro, non tamē Maria habuit eam gratiæ plenitudinem: quam Christus, licet maiorem Stephano. Quippe gratiæ plenitudo multiplex est. Est enim plenitudo gratiæ quoad sufficientiam, quæ alicui secundum suum statum, & merita sufficiēs est, qua ille & contētus, & satiatus est. At hæc in omnibus sanctis est, quam alius vberiorem, alius verò minorem habuit: sua tamen gloria vnusquisque gaudet & cōtentus est. Maria autem gratia omnes puras creaturas lōgo discrimine superauit. Nam quanto quis in vnoquoque genere primo principio est coniunctior & propinquior, tantò magis effectum illius principij participat. Ideò angeli vtpote qui propinquiores sunt Deo, ipsius bonitatis magis participes sūt. Vnde cū sacra virgo Deo fuerit coniunctior omni alia quacunque creatura, relinquitur certum, eam maiorem gratiæ habuisse plenitudinem. Nam cùm diuina

Marginal notes: Prou. 7 — Cant. 4. — Math. 6. — Iudith. 8. — Tob. 3. — Psal. 16. — Psal. 84. — Psalm. 79. — Gen. 49. — Dan. 9. — Psal. 14. — Abacu. 2. — Psal. 101. — Danie. 9. — Psalm. 70. — Neem. 2. — 2. Reg. 16. — Ruth 3. — Tob. 5. — B. virg. excellentia. — Act. 6. — Ioan. 1. — De cornum & gratiarū inequalitat.

Prouerb. 8. uina sapientia fateatur, se cum filiis hominū in hoc sæculo delectari, id vtique non posset facere nisi in sacris virtutibus, & ipsarum effectibus: cum igitur præ cæteris, cum hac præclara virgine magis delectetur, decebat eam præ cunctis gratiæ donis & titulis exornari. Verùm licèt Maria ab instanti suæ purissimæ conceptionis hanc habuerit gratiæ plenitudinem: crediderim tamen agelum hîc non loqui, nisi de magna familiaritate, qua beata virgo Deo erat coniuncta. Et ita in Græco sermone vnica tantùm dictio est, gratia plena: quæ dictio participium est præteriti passiuę vocis cuiusdam verbi qđ acariciar, significat, quòd Latinè dicitur beneficiis allicere vel beneficiis exornare: Verbum namque χαρίω indulgere significat. Hispanus nāque noster sermo ex Græco sermone multas dictiones sumpsit, inter quas est hæc dictio, acariciar, quod vocabulū idē est Græcè, qđ & Græco sermone dicitur, κεχαριτωμένη, significatque aliquam gratiosam fuisse factā. Vnde interpres qui hîc vertit, Aue gratiosa, rectè transtulit. Et huius salutationis propria explicatio hæc est. Fœlix sit allecta, quæ fuit domino & grata. Aue gratiosa, beneficis à domino affecta, iucunda, placida, indulgentiis & immunitatibus decorata: quę maiores fauores & gratias à domino cōsequuta es, quàm omnes quæ fuerunt, quæque in posterum sunt venturæ. Et hic sensus qui germanus, & genuinus est literæ, nihil à virginis honore detrahit, imò ipsius honor maximè hac explicatione augetur: quia dicere illam esse gratia plenam, si solùm de gratia gratum faciente intelligamus, etiam de quolibet iusto dici potest, vel de infantulo solùm octo diebus nato, qui iam baptismum suscepit. At quòd dicat angelus magnum fauorem illam obtinuisse erga Deum, maximum quidem est. Maius quippe est aliquem regi familiarem & amicum, quàm si subditus sit, vel si alicui ministerio in regali domo sit signatus. Nam rex suos subditos diligit, at familiares & amicos maiori amore prosequitur. Hoc autē quod angelus dicit, insinuat virginē gratiam gratum facientē, & Dei amicitiam habere: nam certū est regi familiarem regis gratiā habere, & quòd maius est ipsius consuetudinem. Et de hac familiaritate, quæ gratiā præsupponit, loquutus est angelus, quando dixit, κεχαριτωμένη, vocans eā gratiosam, allectam, & iucundam oculis domini.

Gratia gratum faciens.

¶ Sed cur angelus proprio nomine nō illam appellauit: dicens, Aue Maria, sed tātùm inquit, Aue? Primò, quia per Antonomasiam earum personarū nomen intelligimus, quæ dignitate aliqua sunt insignes. Ita si dixeris, hoc sapiēs dixit, intelligeretur Salomon: nēpe quia mirabili sapientia fuit clarus. Sic nimirùm cùm angelus dixit, Aue gratia plena, intelligitur virgo Maria, vtpote quæ omnes puras creaturas dignitate gratiæ superauit: quod quidem in honorem cedit virginis, scilicet quòd angelus eā non nominauerit. Nam maiori honore sactū Euāgelistam Ioannem afficeres, si illū appellares discipulum dilectum Iesu: quia statim insinuas inter dilectos à domino, illū magis fuisse dilectum. Sic virginem vocat angelus gratiosam. quia inter omnes plenior gratia, inter familiares, familiarior, inter pulchras pulchrior, & inter omnes dilectas dilectissima. Ita vt si cētum virgines ibi adessent protinus, vt angelus diceret, Aue gratiosa, intelligeretur, angelum de ea fuisse loquutū; cùm ipsa gratiosior & iucundior domino esset.

¶ Secundò non eam proprio nomine nuncupauit propter suæ dignitatis altitudinem & excellentiam, quia personas in sublimem dignitatis gradum constitutas titulo dignitatis haud nominamus. Sicut dicimus rex, vel dux, vel episcopus talis ciuitatis hoc fecit: quia propter dignitatē, propriū nomē omittitur. Dignitas quippe sanctissimę virginis talis ac tanta fuit, vt cuncta sua potentia altiorē maternitatem alicui dare Deus non potuerit. Nam sicut fieri non potest quemquā æterno verbo meliorē esse: ita fieri nequit, vt altior maternitas, aut dignitate sublimior reperiatur. Et ita propter magnitudinem excellentis dignitatis, nomen omisit. Postea verò cùm vidisset angelus beatam virginē pro eximia sua humilitate timidā & pauētem, prudentissimè eā salutauit & proprium nomē expressit, dicens, Ne timeas Maria, quasi dignitatis ipsius oblitus, vt illi responderet. ¶ Tertiò non proprio nomine illam salutauit quia cum ea, tāquam cum ciue cœlesti egit. In hac quippe misera & caduca vita omnes propria nomina habemus: nam si aliter fieret, nihil aliud mundus esset, quàm chaos & cōfusio, & nulla esset cōuersatio inter ipsos homines. Vnde primus noster parens Adam prudentissimè rebus omnibus nomina imposuit, & vnum ex filiis vocauit Cain, alium Abel, tertium verò Seth. Sic & Abraham filio suo nomen imposuit. Quod vtiq; fit propter ingenij nostri tenuitatem, & intellectus angustiam. At in beata illa cœlesti patria, vbi habitantes sunt perspicacissimi intellectus, nulla sunt propria nomina. Quando autem in scripturis imponitur nomen alicui angelo: id fit cum ad certam mittitur, vt aliquo munere fungatur: propter quod nomen illi datur quod anteà non habebat. Sic ille angelus qui labia Esaiæ calculo ignito tetigit, vocatus est Seraphin, cum talis non esset: & ille qui missus est ad Tobiam vocatus est Raphael, id est, videns: quia illū illuminauit. Et hic qui mittitur ad Mariā vocatur Gabriel, vtpote qui potētiā, & fortitudinē domini ostēsurus erat, quā hoc nomē significabat. Itaq; loquitur angelus cū beata virgine tāquā cū cœlesti ciue, quibus nullū est impositū nomē. Nā sicut Angeli in gratia fuerunt creati, sic virgo Maria: & sicut angeli purissimi, ita & virgo Maria purissima, ad quam ita loquitur angelus, quia etiam si mortali carne erat induta, & in hac lachrymarum valle vitam degebat, tamen cum purissimis angelis conuersabatur, & cœlesti contemplatione tota imbibebatur. *Dominus tecū.* Per modū deprecātis loquitur, acsi diceret, dominus tecum sit. Intellexit autem singularissimo modo, scilicet per verbi incarnationem: ac modum explicandum posteà reseruauit. Dominus (inquit) tecum non tantùm per essentiam, potentiam, & præsentiam, vt est in omnibus rebus, nec solùm per gratiam, vt est in aliis hominibus, sed per carnis assumptionē, quia corpus diuinitati vnitum fuit formatum ex beatæ virginis purissimis visceribus & sanguine, & per nouem mensium spatium intra eadem viscera latuit. Nullus dolor, nullaque miseria, ô sacra virgo cruciare te poterit, cùm in te singulari modo tanquam in proprio tabernaculo requiescat Deus. Nathan dixit Dauidi regi, Quidquid in corde tuo est, vade, age, & perfice illud: tecum enim dominus est. Eodem modo salutauit angelus Gedeonem dicens, Dominus tecum: Cuius verbi virtute percussit ille castra Madianitarum. Quanto

Genes. 2. Genes. 3. Genes. 11.

Nominū impositio ad quod.

Esa. 6.

Tob. 5.

2. Reg. 7.

Iudic. 6.

obsecro veriùs potuit angelus virgini dicere, Dominus tecum? Vnde tu adhibeas oportet diligentiam, vt dominus tecum sit, túc quippe omnia poteris. Qui Deum habet, omnia habet: nā cùm Deus omnia habeat, si illum tenueris, nihil tibi deerit. Nā si diuitias, opes, honores, aut voluptates sitis: si requiem, lætitiā, gaudiū, & consolationem desideras, si pulchritudine delectaris, hic vnus hæc omnia abundanter suppetet: deò quanto potueris conatu age, vt tecum sit. Vnde Dauid qui Dominum habebat, dixit, Domin⁹ regit me, & nihil mihi deerit. Solus ille qui Deum possidet, dicere poterit, Nihil mihi deerit. Nitere igitur, vt tecū sit dominus. Multi narrant sanctorū vitas, & eorum præclara gesta, & quomodo Deus cum illis fecerit: cū ipsi procul sint à Deo, Quid tibi prodest, aut quod emolumentum inde tu excerpis, quòd dominus cum aliis fuerit, si tecum non est? Mihi crede omnia bona cum illo habebis, nec præsentiam suam tibi denegabit, dummodo feceris, quātum tuæ vires valuerint: nā facientem quod in se est, nūquam Dominus deseret. ¶ Expende etiam, quàm rectè subdiderit angelus, Dominus tecum, postquam dixit, gratia plena. Quia quemadmodum sine Deo nihil possumus facere, aut habere: ita nec sine eo acquisita conseruare. Ideò post datam gratiam, necesse est, vt nobiscū adsit, vt custodiat, quod ipse dedit. Etenim quamuis ipse in danda gratia nos præueniat, tamen adiutores sumus in custodiendo eam: nec vigilat super nos, nisi vigilemus cum eo. ¶ Rursus expendas quòd domin⁹ Gabrielē virgini miserat: sed ipse Dominus priusquā Gabriel, iam virgini aderat. Quod considerans angelus, non dixit, dominus veniet ad te, para ei hospitium, exorna cordis tui thalamum, sed ostendens hæc omnia iam parata esse, & dominum ante ipsum venisse, dixit, Dominus tecum. De aliis sanctis dicitur, quòd cum Deo sunt, quòd eius voluntati obediunt, & quòd faciunt ea, quæ domino sunt placita. Sic Enoch coram domino ambulauit: sed Mariæ dicitur, Dominus tecum: quia Maria super omnes ipsius voluntati obtemperauit.

Psal. 22.

Gen. 5.

Benedicta tu in mulieribus. Obserua tibi in his verbis, quòd benedicta nullam desinat vocalem laudem, nec sumitur pro benedictione, quæ cōmuni vocabulo dicitur benedicere, nec etiam pro laudare aliquē, aliquā bonitatē vel perfectionē illi tribuēs: tamen benedicta idem est ac si diceret, cui dominus benefecit, id est, quæ à domino maxima & diuina beneficia accepit: ita vt nulla in vniuerso beneficiorum cumulo illi fuerit æqualis. In Hebræo est Beru cha, ברוכה id est, benedicta: quæ dictio donum, vel beneficiū, vel munus propriè significat. Nec solùm in hoc loco, sed in variis scripturæ locis benedictio pro beneficio & munere accipitur. Vbi statim offert se illud primi regum, vbi legitur, quòd postquā Abigail obuiam Dauid fuit, & obtulit ei munus suum, nempè ducentos panes & duos vini vtercu los, & quinque arietes, cū aliis rebus: postquā Abigail illum salutauit, dixit, Quapropter suscipe benedictionem hāc, quam attulit tibi ancilla tua domino meo. Vbi clarum est benedictionem ibi pro dono, vel munere accipi. Idem in Genesi inuenies in benedictione, Isaac & Iacob: quam benedictionē non existimas, aliquam oris laudem esse, vel quid aliud: sed translationem, quam facturus erat Isaac suæ primogenituræ & substantiæ, quæ sub nomine benedictionis significatur. Idem dixit Iacob Esau

Benedictio pro dono aut munere.

1 Reg. 25.

Gen. 27.

de Mesopotamia redeunti, cùm illum maximo beneficio affecit, Esto mihi propitius, & suscipe benedictionem, quàm attuli tibi. Et Naaman Syrus offerens munera Elisæo dixit, Obsecro vt accipias benedictionem à seruo tuo. Sic igitur benedictio Dei, collatio suorum munerum est. Ad quod illud facit. Benedixit dominus domui Aegyptij propter Ioseph: & multiplicauit tam in ædibus quā in agris cunctam eius substantiam. Et iterum. Benedicat te Deus Deus tuus in cunctis frugibus, &c. Item domin⁹ benedixit nouissimis Iob magis, quàm principio eius. Sequitur, Facta sunt illi quatuordecim millia ouium, sex millia camelorum, &c. Itaque cū benedictio Dei sit collocatio munerum, & eorumdem multiplicatio: tanto beatior est virgo Maria, quantò maiora & altiora munera à domino accepit. Vnde ipsa tam magnificè ab angelo salutatur non solùm propter præsentem dignitatem & merita, sed propter mox futuram dignitatem, quæ in prædestinatione fuerat æterna. Quomodo Ozias laudauit Iudith dicens, Benedicta es tu filia à domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. Quod ideò dixit, quia dominus multa dona contulit Iudith, quæ & castitatē amauit, & Holofernem iugulauit. Sed multo beatior virgo fuit, quando dominus illam in matrē elegit. Fecit namque Deus sanctos suos suis muneribus idoneos. Vnde diuus Paulus, Idoneos nos fecit ministros noui testamenti. At mundi reges & principes, etsi maxima officia & munera suis inferioribus tribuāt: tamen sufficientes & dignos illis officiis non reddunt eos: quia in eorum potestate nō est, hanc sufficientiam illis conferre. Summus namque pontifex etsi possit episcopum & cardinalem eligere, tamen non potest eundē illa dignitate dignū & aptū facere. At quando dominus officiū aliquod impartitur, prius illum aptum reddit ad illa munera obtinenda, eundémque idoneum efficit, vt dignè illo munere fungatur. Vnde quando in aliquē apostolum oculos conieceris, non statim prima frōte illū apostolū cōsiderare debes: at considerandus homo talis tibi est, eis virtutibus abundans, & præditus, vt meritò ad apostolatus dignitatē potuerit ascendere. Et idem de euangelista, & de virgine matre existimandum est: quā dominus ita præparauit, ita exornauit, ita illustrauit, vt dignè mater Dei potuerit esse. Vnde manifestè colligitur, quòd cū hęc virgo tanta puritate polluerit, tanta sanctitate fuerit clara, tanta animi munditiæ fulgens, & deniq; tantis virtutū titulis insignita, vt eam Deus in filij sui matrē elegerit: post Christum dominū nullā puram creaturam illi fuisse æqualē. Ideò beatus Anselmus inquit, Decuit virginem ea puritate nitere, qua maior nequit sub Deo intelligi. Vnde aliquatenus virginis matris dignitas infinita dici potest propter partum filij Dei: quoniam in alia creatura alia dignitas inueniri nequit cū qua ista conferatur. Et ideò admirāda maximè & suspiciēda venit sanctissimæ virginis puritas & integritas, ita vt infinita hæc appellare possis. Non quia hæc omnia ex sui natura ad eum gradum, ad quem gratia, peruenire possint, quia hoc Christi proprium est: tamē infinita dicuntur, si personam attenderis cui insunt. Si namque id aduerteris, matrem Dei puram creaturā fuisse, intelliges, quod nulla maiori gratia splendere potuit: habuit tamen eam puritatem, quæ in puram creaturam potest cadere, relicta semper absoluta

Genes 33.

4. Reg. 5.

Gen. 39.

Deut. 28.

Iob 42.

Iudit. 13.

2. Cor. 3.

Ansel. de concep. virg. cap. 18.

absoluta & diuina potẽtia: loquor solùm de ordinaria. Itaque tantam gratiam Deus virgini contulit, quantam puræ creaturę dare decreuit. Quia credere non est dignum, quidquam gratiæ virgini Deũ denegasse, quàm secundum potentiam suam puræ creaturæ dare potest. Lege de hac re diuum Thomam. Vnde Hieronymus, Cæteris virginibus præstatur gratia per partes: Mariæ verò, tota se infundit plenitudo gratiæ. Et beatus Anselmus alloquitur virginem dicens, Nihil tibi domina est æquale, nihil comparabile. Omne enim quod est: aut suprà te est, aut infrà te est. Quod suprà te est, solus Deus est: quod infrà te est, omne quod Deus non est. Cõsiderate ergo hanc virginem, & non statim matrẽ Dei: tamen tam sanctam mulierem, tam puram, tam singularem, vt digna mater Dei esse possit. Animaduertite etiam quot quantisque beneficiis à domino fuerit affecta: quàm benedicta, quàm diues gratia, quàm insignis singularibus virtutibus, quantis immunitatibus, & priuilegiis decorata, quàm deniq; gratia plena Sed dicas, rogo: his omnibus beneficiis quæ virgini à domino sunt collata, nũquid diuinæ bonitatis fons exhaustus est. Nunquid potentia Dei diminuta? Nunquid manus eius abbreuiata? Nihil minus. Plura namque & modo potest cõferre, quàm tu valeas accipere: nec ipsi voluntas deest, vt te suis beneficiis exornet. At quid est in causa, quòd tanta beneficia tibi non impartit, quãta virgini, & aliis sanctis? Respondebis, quia non vult, aut quia non potest: Minimè, sed quoniam tu manum non porrigis, vt ea accipias. Ipse namque est qui singulis dicit, Aperi os tuum & ego adimplebo illud. Sed quare non implet os? quia tu non aperis illud. Deus namq; sanctis suis impartit gratiã & multa cum ea beneficia, ipsi verò cum & arbitrium disponant, & pro acceptis laudem referãt, vberiorem & maiorem illis confert: & hæc est causa quare in domo domini tot sancti & illustres viri fuerunt. Tamen cùm tu ingratus sis, & limina cordis tui domino claudis: fieri nequit, vt aptus sis suis donis & mũneribus accipiendis. Opus est, vt pandas cordis tui ostia: si vis, vt dominus gratiam suam illi infundat. Ad quod subseruiet illud Elisæi exemplum: qui viduæ præcepit, vt omnia vasa vacua oleo impleret: tandiuque oleum abundauit, quandiu vasa apponebantur vacua. Cumque iam omnia vasa essent plena, dixit vidua filio suo, Affer mihi aliud vas: tuncq; cùm nullum vacuum superesset, defecit oleum. Dum vasa vacua erant, dumq; apponebantur, non defuit oleum: tamen finitis vasis, & oleum finitum est. Quod nimirum insinuat, quòd si tu obtuleris domino cor tuum vacuũ, terrenis cogitationibus, & ab omni carnis inquinamẽto mundum: tunc ipse præsto adest, vt misericordiæ suę oleum, & beneficiorum suorum gratiam in illud infundat: cùm ipse sit bonorum omnium fons perpetuò saturiens. Namque si oleum cessauit, nõ ideo est, quia diuina magnitudo finita est, sed quia vasa, quibus oleum erat infundendum defuerunt: quia sicut filij viduæ vasa illa solùm adimplẽda obtulerunt, totidem si offerunt, non dubium quin diuina munificẽtia & liberalitate adimplerentur. Sãcti ideò multum recipiebant, quia multum offerebant: tu verò nihil recipis, quia cor tuum mũdum Deo non offers, & ab omni mundano amore longè remotum. Primùm enim mundanum amorẽ à corde tuo oportet expellere, vt cor tuum vacuum domino offeras. Virgo namq; Maria cum amore terrestri vacua esset, meruit prorsus diuina gratia impleri. Quapropter angelus tot laudibus illam salutat, & gratia plenam illam vocat, & benedictam inter mulieres: hoc est plusquam omnes mulieres.

3. part. q. 7. art. 10. *Hier. serm. assum. vir.* *Anselm. de concep. virg.* *Psal. 80.* *4. Reg. 4.*

¶ Potest etiam locus iste benedicta inter mulieres aliter interpretari: Sæpè enim benedicere in sacro eloquio sumitur pro eo quod est generationẽ dare. Vnde Dauid in Psalmo ait, Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Sequitur statim, Ecce sic benedicetur homo, qui timet dominũ. Vbi apertè egregius Psaltes dare prolem benedictionem vocat. In alio etiam Psalmo inquit idem regi[9] Propheta. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum: Hoc est, propter dulcedinem labiorum tuorum excellentiãmque doctrinæ tuæ. O rex Christe, conuertetur ad te vniuersus orbis: dabitq; tibi Deus plurimos spirituales filios, fide & aqua baptismatis regeneratos: qui in æternum viuent. Et illud quod dominus loquutus est Abrahæ dicens, Benedicentur in semine tuo omnes gentes. Sic etiam intelligendum puto, quod dominus dixit Adæ & Euæ. Benedixitq; illis Deus, & ait, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Marcus quoq; Euangelista refert Petrũ dixisse Christo, Ecce ficus cui maledixisti aruit. Quid autem maledicere significet, declarat Mathæus describens Christum dixisse ficui, Nunquã ex te fructus nascantur. Itaq; si maledicere sterilitatem insinuat, ecõtra benedicere prolem dare significabit. Sensus igitur huius loci est. Tu virgo Maria benedicta eris inter omnes mulieres: quia dabit tibi dominus præexcellentem, præstantissimamq; generationem: eris enim mater filij Dei, quod vtique nulli mulieri accident. Quapropter cæteris mulieribus beatior: quia erit tibi benedictionis fructus omniũ filiorũ, quos partus in lucẽ edidit: quia quod ex te nascetur sanctũ, vocabitur filius Dei. Hic mihi cõgruus & genuinus huius literæ sensus visus est: Nã quisque politicus adducens nũcium aliquod, postquam intrauit & salutauit illum, ad quem missus est, statim absque verborum ambage nunciat rem sibi prædictam, neq; debet verba intexere quæ abs re sint. Vt si eques famulũ mitteret nunciare vxori, si hic postquã exibuit veniã dominæ, salutauitque eam, statim ei diceret, tu speciosior aliis huius ciuitatis fœminis es, insignis, nobilisq;, & omnib[9] prudentior: huiusmodi fatuus iudicaretur esse, diceretque ei domina. Nũcia ad quid venisti, ne verba cõsumas. Sic paranymphus Dei nũcius missus vt verbi diuini incarnationem nunciaret virgini, nõ decebat statim, vt ingressus est ad eã laudare dicens, Tu ô domina ab omnibus benediceris, aut inter omnes preciosa, & alia huiusmodi, quæ lõgè aberãt à fine propter quẽ missus est: vnde dico ꝙ postquã eam vrbanè salutauit dicens, Aue gratia plena, statim egit de eo, ad quod fuerat missus dicens, quòd eam prælegerat Deus in matrem, & ꝙ electa erat ad maiorem benedictionem prolis, quæ sub cœlo futura erat, neque fuerat vsque adhuc: quippe quæ futura erat mater vnigeniti filij Dei, & hoc voluit angelus significare sub nomine benedictionis. Sed satis sit de hac re. Nunc quid beata virgo egerit, audiamus. Ait noster Euangelista Luca, *Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius.* Græcè habetur, quæ cũ vidisset, idẽ idousa, & hoc modo in vetustis exẽplaribus

Psalm. 127. *Psal. 44.* *Benedicere est aliquando generationẽ dare.* *Gene. 22.* *Gen. 1.* *Mar. 11.* *Math. 21.* *Forte honorẽ aut reuerentiam.*

Lib. 1. offic. cap. 18.

plaribus scriptum reperitur: & sic legit D. Ambrosius. Sed propter excellentiā sensus visus multoties in scriptura ea, quæ audiuntur vel quæ tanguntur,

Exod. 20. Videre pro audire.

videri dicūtur. De priori exemplū est in libro Exodi, vbi dicitur quòd omnis populus videbat voces domini, vbi videre pro audire sumitur. De secundo exemplū habes in Euangeliis, vbi de Thoma apostolo dicitur, quòd vidit vulnera domini. Quia vi-

Ioan. 20.

disti me (inquit Christus) Thoma credidisti: vbi videre pro tangere sumitur. Interpres autem noster transtulit, quæ cùm audisset. Nā in Græco exēplari videre pro audire sumitur. Nā ex sermone angeli, quem audierat, turbata fuit beata virgo: quæ quidē turbatio ex virginea verecundia, & vera humilitate processit. Verùm ex sermone turbata dicitur, nō ex visione, sicut Zacharias: quia virgo solita erat multoties angelos videre. Sermo autē Angeli turbationis fuit causa, cum se tam excellēter audiret laudari, cumq́ue ipsa tā humiliter de se sentiret. Quia (vt inquit Chrysostomus) vir sapiens cùm laudatur in facie, percutitur in mēte. Hæc enim vera humilitas est, vt quantò quis profundiores, & altiores, in virtute egerit radices, tātò de se humiliùs iudicet. Huius autē ratio est, quia nunquàm quis progredi po-

Hom. 27. in opere imperfecto.

terit vlteriùs in recta vita, nisi intellexerit, plura & maiora superesse, quàm quæ hactenus superauit.

Matth. 1.

Nam in literarum studio quantò quis doctior est,

Ignorātia cō-comitātē habet audaciā.

tantò magis suam ignorātiam conoscit, cùm intelligat multa alia illi restare, quæ intellectu sunt difficilima. At verò indocti, qui, nondum scientiarum limina salutarunt, iam elati existimant se ingentes fecisse progressus. Ità similiter contingit in ratione bonorum operum, nam qui maiorem vitæ partem in studio vitiorū, quam virtutum cōsumpsit, vehemēter insolescit. Sic auari cùm maiores opes congesserunt, eo maiori semper cupiditate inflammātur. Cernūt nāque illo pecuniarum, & facultatum incremento aliud maius maiúsque superesse. Quæ quidem insatiabilis sitis rerum humanarum semper digna reprehensione non vacat: atsi iste inexhaustus appetitus verorū sit animi bonorum, quæ hominem fœlicem & beatú reddunt, maximis encomiis est celebrandus, vt pote qui summum illud bonum quantum fieri potest conatur imitari. Hāc igitur ob causam prudētissima virgo quamuis mirabili præconio esset digna: tamen ei videbatur hāc salutationem suæ humilitatis terminum & lineam prorsus transcēdere. Turbata itaque fuit beata virgo hac salutione, & ipsius cor percussum, cū se lau-

Fortè laudā.

dari videret. Humilis nanque ægriùs fert honorem, quàm contemptum superbus: & hic quando contemnitur, leuiori pœnā afficitur, quàm ille cū laudibus extollitur. Quid obsecro sentire potuit Lucifer superbissimus, quando à cœlo ejectus est? Nihil minus existimo pro eximia sua humilitate virginē sensisse, quando angelus dixit illi, Aue gratia plena, &c. Nec extollitur, sed in humilitate progreditur,

Prouerb. 27.

& turbatur. Nam vt sapiens inquit, Sicut argētum igne probatur, sic virtus ore laudantis. Quod purum argentum est, si ignis accedat, facilè examinatur: at quod alchymia vel immundicies est, in fumū conuertitur. Ita insanus cum laudatur, facilè deuanescit: humilis verò si laudibus extollitur, tunc de se abiectus existimat. Quæ enim hic virgo gessit, &

Ioan. 12.

Christū fecisse in Ioannis euangelio legimus: Nam cum eum quærerent gentiles quidam & illum magnificarent dixit, Núc anima mea turbata est. Quid nos miseri dicturi sumus, qui multis virtutibus prorsus vacui, humanas laudes semper sitimus, maiori studio & diligētia, quàm Epicurus voluptatē quærebat: & tunc potissimè conturbamur, quādo quis non benè sentit de nobis? *Et cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Nouerat nāque virgo beata Satanæ ange-

2. Cor. 11.

lum in angelum lucis aliquando se transfigurare: ideò antequā responderet, prudenter considerauit, quid hoc esset, iuxta illud quod Ioānes monet di-

1. Ioan. 4.

cens, Nollite credere omni spiritui: sed probate, an ex deo sit. Quod virginis exemplū nos docet, vt in

Præcipitatio & temeritas.

agendis rebus cauti & prouidi simus. Nō vult dominus, vt præcipitanter aliquid faciamus: sed vt priùs maturo, & cordato consilio quid faciendum sit iudicemus. Requirit dominus prudentiā & considerationem in nostris operibus: quia qui futura non prospicit, in posterum egere cogetur. Quippe

Deut. 32.

scriptum est, Gens sine cōsilio, & prudentia. Nam si Dauid repēte non credidisset Sibæ, non vtique protulisset iniustam sententiā aduersus Miphiboseth.

2. Reg. 2.

Non cuiquam repente fidē adhibeas: quia qui citò credit, leuis corde est. Ne mouearis ab omni vento,

Eccle. 19.

ne incedas omni via. Vnde Paulus consulit dicens, Videte fratres quomodo cautè ambuletis: nō quasi

Ephe. 5.

insipientes, sed vt sapiētes. Ideò priusquam aliquid facias, id cōsidera, quia si prudentiā non habueris, in tenebris, & extra viā curres: & tanto maiori periculo curris, quanto maiori impetu proficisceris. Et hac de causa priusquā aliquid facias, id perpendas, & antequam promittas, ad quid adstringaris. Hísque omnibus ita consideratis neutiquā in agen-

Ioan. 8.

dis errabitur. Quando mulier adultera corā saluatore fuit adducta, priusquam accusantibus responderet digito in terra scribebat. Quod sanè exemplum fuit, vt priusquam de aliqua re sententiā proferas, aut aliquid faciendū decreueris, te priùs contineas: & digito considerationis aduertas, quid te oporteat facere. Et antequā ad interrogata responderis, rectè excogita: sicut beata virgo fecit, quæ cogitabat qualis esset ista salutatio priusquam angelo responderet. Secundò docemur, nunquā nos debere loqui dum animū aliqua perturbatio inuaserit: nam sæpè contigit homines ira præcipiti multa fecisse & dixisse, de quibus posteà grauissima subit pœnitentia. Quod quidē si appositissimo exemplo sacræ paginæ audire cupis, attēde. Dixit domi-

Esa. 40.

nus Esaiæ, Clama ne cesses: At vero sanctus Esaias antequā clamaret, voluit scire quid esset dicturus, ideò dixit, Quid clamabo? Et audiuit, omnis caro fœnū. Vide quomodo antequam loqueretur voluit scire, quid esset dicturus. Tu autem loqueris quidquid venit in os: ideò tace, & cogita priusquam loquaris. Quòd si quispiam dixerit de te multa audiuisse, quæ ad honorē tuū attinent, existimare debes vel alio tendere, vel diuerso fine esse prolata, quā tu indicas. Et tunc in mentē illud adducas de Christo Saluatore multa & maiora mala dicta esse, quàm de te dici poterunt: qua via gloriam tibi, & immortalem vitam consequeris. Considera etiam multa secreta flagitia de te pandi posse, quorum manifestatione dignus es: quodque si cognitus esses ab hominibus multa peiora de te possent prędicare. Attende etiam quòd si minus cautè corā hominibus fueris loquutus, stolidus iudicaberis: quòd si tacueris, & linguam compresseris, & iniustas hominū contumelias patienti animo tuleris, prudens reputareris. Audi regium prophetam, Turbatus sum, & non

sum

Psal. 76. ſum loquutus. Videns itaq; angelus virginem pa-
uentem & trepidantem, fortem illam reddit, & ani-
mum reſtituit, & aufert ab ea omnẽ timorẽ dicens,
Ne timeas Maria. Ne timeas; quia non affero ignitum
Gene. 3. gladium, vt claudã portã paradiſi: imò annuntio eũ,
qui aperturus eſt ianuas paradiſi. Ne timeas, quia
non ſum miſſus ad puniẽdum peccatores, ſicut illi
angeli qui venerunt, vt Gomorrã, & Sodomã euer-
Gene. 19. terent: ſed illius nuntium affero, qui tollet peccata
mundi. Ne timeas quoniam non affero legem one-
ris & timoris, ſicut ille angelus, qui apparuit Moy-
ſi in monte Sinai domini vices gerens: ſed affero le-
Ioan. 1. *Exod. 19.* giſlatorem ſuauiſſimũ, qui mandata dabit amoris.
Ne timeas, quia nõ venio necẽ daturus, ſed denun-
ciaturus authorem vitæ. Ne timeas, quia non veni,
vt obmuteſcas, ſicut Zacharias, quia meis dictis fi-
dem nõ adhibuit: ſed vt meo nuntio læteris: & vni-
uerſum orbem iucunditate adimpleas.

¶ Iam verò illud venit obſeruandum, quod ſu-
perius tetigimus: cùm idẽ hic angelus ſimilia verba
diceret Zachariæ, ſcilicet, ne timeret. Solent nãque
Angeli boni initio, dum apparent, terrere: at in fine
maximã cõſolationẽ & lætitiã relinquere: quod fa-
cilè eſt videre in beata virgine in hoc loco, & cum
Zacharia, necnon cũ paſtoribus, & cum aliis mul-
tis. Viſio autem & apparitio angeli Sathanæ, viſio-
ni angeli boni cõtraria eſt. Quia omnia mundana-
rum rerum principia iucunda & delectabilia ſunt:
finis autẽ triſtis & amarus eſt: virtutes verò in prin-
cipio duræ & aſperæ ſunt, in fine perfectũ gaudium
gignunt. Quod ſi hæc, quæ proſequimur exemplo
ſacræ paginæ videre cupias, audi: Amõ ingẽti amo-
2. Reg. 13. re ſororẽ ſuã Thamar proſequebatur: & poſtquam
cum illa accubuit, tãtum illius odium concepit, vt
dicat ſcriptura, hoc odium maius eſſe, quàm fuit
Prouer. 5. amor, quo illam proſequebatur. Ideo in Prouerbiis
dicitur, Fauus diſtillãs labia meretricis: & nitidius
oleo guttur eius: nouiſſima autẽ illius amara quaſi
abſinthium. Ne coniicias oculos in pulchritudinẽ
peccati: quod ſicut vinum inebriat, calet nãque, &
illo homines euaneſcunt, & ſuorũ ſenſuũ impotẽ-
tes efficiuntur, & virus tãquã Baſiliſcus diffundit.
Prouerb. 23. Ideò angelus præcepit Loth, & vxori ipſius, filiis &
Gene. 19. filiabus vt domum citiùs exirent: & vt neque ocu-
los retrò verterẽt in ciuitates, quæ igne combure-
bantur. Fœlicius nãque vxori Loth contingeret, ſi
iter ſuum inſequens non retrò aſpiceret: vitia enim
natura ſua homines alliciunt, & attrahunt: ita vt ſi
in ea reſpexeris, omnino detinearis. Quod ſi ad vi-
Quæ ardua in primis, diffi- tia reſpexeris, non tã principia, quã exitus illorum
cillima. cõſidera: at ſi virtutẽ, nõ initium, ſed finẽ: nã princi-
pio forſan difficilis via tibi videtur. Arcta eſt via,
ſed id attendas, quòd ad vitã ducit. Non ſinas hanc
Math. 7. corticẽ aperire & frangere. Intus nãque medullam
& cibũ ſuauiſſimũ inuenies. Nã malũ punicum etiã
ſi corticẽ amarã & inſipidẽ habeat, non ideò eſt re-
Similitu. iiciẽdum. Quod ſi agricola hyemẽ horridã grãdine
& pluuiis abundantẽ expaueſceret, non vtiq; meſ-
ſes in maturo tẽpore colligeret. Reſpicit tẽpus fru-
ctus, tempus Auguſti, in quo maximè delectatur &
gaudet: ſic nos attendere debemus ad virtutis exi-
tus, ne ſi principia inſpicimus, ab incepto deſiſte-
Exod. 3. mus, earum aſperitate deterriti. Paſcebat oues Moy-
ſes, cum apparuit illi dominus, & dixit, vt proiice-
ret virgã in terrã, quæ cùm proiiceretur conuerſa
fuit in colubrum: at Moyſe caudã colubri apprehẽ-
dẽte, iterũ coluber in virgam fuit conuerſus. Quod
inſinuat, vt ſi virtutis principia apprehenderis ex-
paueſces, & trepidabis, illã colubrũ & baſiliſcũ iu-
dicãs: at ſi finẽ intuearis facilis tibi tanquã virga vi-
debitur. Vnde ſi quis audiat dicere, Beati paupe- *Math. 5.*
res, beati humiles, beati qui lugent, qui perſequu- *Luc. 6.*
tionẽ patiuntur, prima facie protinus mirabitur &
deterrebitur: at ſi finẽ attendat, & conſideret, quo-
niã ipſorũ eſt regnũ cœlorũ, & quoniã ipſi conſola-
buntur, gaudebit vtiq; & animus eius lætitia reſi-
cietur, necnon intelliget, quòd ex amara virtutis
radice dulciſſimi, & ſuauiſſimi fructus colliguntur.
in virtutis exitu, vas illud electionis coniectos ha-
bebat oculos, quando Corinthiis ſuis dicebat, Cõ-
ſiderantibus nobis non ea, quæ videntur, ſed quæ *2. Cor. 4.*
non videntur: ea verò quæ videntur, momentanea
ſunt: quæ non videntur, æterna. ¶ Vbi iam tandẽ in
his angeli verbis conſiderandũ venit, vt in viſione
angeli principio beatã virgo timuerit, in fine autẽ
angelus illa cõſolatur, & timorem propellit, ita vt
mater Dei virgo manſerit, & in altiſſima omnium
dignitatũ conſtituta: vt inde intelligas, quã beatum
& fœlicẽ finẽ ipſa virtus ſibi ſortiatur. Subdit dein-
de angel⁹, vt virgines gaudiũ magis augeat. *Inueni-
ſti gratiã apud Deũ.* Reddit angelus rationem, quarè
non debeat timere. Timeant illi, qui ſunt ſceleribus
& flagitiis contaminati, timeant peccatores ſeuerũ
iudicium domini, timeant malefactores ſubire tri-
bunal iudicis: tu verò, qui gratiã apud dominũ in-
ueniſti gaude & letare, tantũ abeſt, vt aliquis timor
animũ tuũ poſſit inuadere. Qui Deũ non timet, re-
liqua omnia mundi timere debet: at tu qui Deũ ti-
mes, immunis manes à reliquis aliis timorib⁹. Cain
protinus vt timorem domini amiſit, totus animo
linquebatur, ita vt dixerit, Omnis qui inuenerit
me, occidet me. Mirabile quidẽ eſt, vt qui animum
habuit & vires, ad occidendũ crudeliſſimè fratrẽ, iã *Gen. 4.*
ſe fatetur animi deliquiũ pati ad vniuerſas res mũ-
di. Quemadmodũ enim miles ſcuto & haſta amiſſis *Similitu.*
magno timore corripitur: & vt nauta fracto guber-
naculo in mediis fluctibus cõſtitutus, maximo me-
tu deterretur: ſic homo diuinis gratiæ armis ſpolia-
tus, & timore domini amiſſo pertimeſcit, ne flucti-
bus inferni abſorbeatur. Qui verò Dei gratiam ha-
buerit, nihil eſt quòd timeat. Quocirca dominus
Eſaiæ dixit, Ne timeas, quia ego tecũ ſum. Iacob cũ *Eſaiæ 41.*
exiſtimaret ſe forſitan aliqua culpa teneri, cũ Labam
idola ſua quærebat, tacuit: at cũ omni culpa vacare
intellexit, timore repulſo audacter eum reprehẽdit.
In quo facto cõſiderare debes quã fortẽ reddat ani- *Gen. 31.*
mũ recta conſcientia. Quod ſi recta conſcientia nõ
eſt, tunc ſuppliciũ times, fulmẽ times, & infernũ, &
deniq; tuorũ ſanctorum reddere rationẽ formidas.
Sapiens ait, Fugit impius, neminẽ perſequente: iu-
ſtus autem vt leo confidit. Tu autẽ beata virgo no- *Prouer. 28.*
li timere, quia inueniſti gratiã apud Dominũ. Rex
cũ comitatus incedit hominib⁹ illis haſtatis, & en-
ſibus munitis, omnẽ timorẽ procul expellit, neſcio
autem cur timeat homo, cũ Deum in cuſtodẽ ſuum
habeat. Si quando cum amicis & ſodalibus incedis,
nihil formidas: minus multò timere debes, cũ Deũ
in cuſtodiam habeas. Etenim regius vates inquit, *Pſal. 26.*
Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?
Dominus ſalus mea, quem timebo?

¶ Iam verò hæc verba angeli, ſcilicet, quòd apud
Deum gratiã inuenit, ſingula æqua lance ſunt per-
pẽdenda. Multi namq; quærunt gratiam, non apud
Deum, ſed apud mundũ, cuius certè gratia & men-
dax,

Prouerb. 31. dax,& fallax est. O bone Deus quàm anxio labore & sollicitudine ab istis gratia quæritur,& quāto labore hæc eadem gratia sustinetur,& quanto animi dolore tandem relinquitur. Vtinam vt Deo essent grati, tam anxiam curam & sollicitudinem præstarent. Hi certè videntur terrena hæc & caduca æternis illis, & nunquam perituris bonis anteponere. Qui quidem admodū similes sunt Iudæis illis qui tyrannidē Pharaonis in Aegypto ferre maluerunt, potiusquam aliquantulum laboris sustinentes,terram promissionis ingredi. Similes etiam sunt isti conuiuiis illis,de quibus legitur in Euangelio,qui pluris habuerunt sua negotia cōficere:quàm summa animi requie & lætitia regis æterni nuptiis interesse. Omnes vtique huic soli rei operā intendūt, in id vires & neruos exhauriunt,vt gratiam principum & magnatum concilient, gratiam autem Dei vel nihili pendunt. Quod certè studium hominum stupidorum & amentium est. Viri autem iusti eam diligentiam,quàm mali adhibent, vt grati & iucūdi sint hominibus sæculi,eandem ipsi impēdunt,vt grati & chari sint Deo. Quæ quidem sollicitudo & diligentia à beata virgine non fuit aliena, ipsa etenim maiorem gratiam, quàm reliquæ omnes mulieres apud Deum fuit consecuta. Sed iam angelus postquam timorem expulit à virgine,incepit suum nuntium declarare dicens, *Ecce concipies in vtero*. Expende,quòd nō dixit solùm:ecce cōcipies, sed subdidit, in vtero: vt ostenderet ipsam parituram sua virginitate intacta & integra permanente. Sola hæc virgo in vtero concepit: reliquæ namque mulieres,licèt fœtus suos in vtero portent,tamen non concipiunt in vtero, sed extra vterum. Virgo non sic:sed ipsa sola nullo interueniente opere viri, sed Spiritu sancto assistente concepit. Quòd si conceptum tibi annuntio, nulla macula aut iniuria tuæ virginitati fiet:quia nō sicut aliæ mulieres,sed iuxta Esaiæ vaticinium, spiritu sancto obumbrata cōcipies. Benè igitur addidit angelus, in vtero: nam cùm beata virgo cogitaret, esset ne illa salutatio ab angelo lucis,vel à dæmone, cùm virginitatis votū promisisset, existimaret forsan illum dæmonē esse, nisi in vtero adderet,cùm suaderet,vt votum virginitatis frangeret. Ideò sapienter angelus suam salutationem pronunciauit, acsi diceret. Quia quē paritura es, vnicus est filius Dei, & verus homo, ita modus nascendi peregrinus & inauditus erit, quia matris gaudio frueris, nec ideò amittes coronam virginitatis:quia hoc opus miraculosum erit,factū à Spiritu sancto. Ideò diuinus Psaltes inquit,Homo natus est in ea,ipse fundauit eam altissimus. Præterea non superuacaneè addidit in vtero, vt ostenderet diuinum verbum ex virginalis vteri substantia carnem sumpsisse, & ex purissimo ipsius sanguine sacratissimum corpus fuisse formatum. *Et paries filium*. Tui ipsius Saluatorem,& omnium hominum redemptorem,& fiet absque aliquo dolore, & pudore tuæ virginitatis. Nam sicut in conceptione libido non erit:ita neque in partu corruptio. *Et vocabis nomen eius Iesum*. In Hebræo יֵשׁוּעַ Iesuah, quod est Saluator:quæ dictio Latinè significat eripere,vel aliquid ex aliquo periculo liberare. Itaque Saluator liberatorem vel ereptorem ab aliquo periculo significat. Et ita duces illi cōstituti à domino super populum Israëliticum, de quibus fit mentio in libro Iudicum,vt Samson,Iepte, Gedeon,& alij qui liberabant filios Israël in aliqua necessitate cōstitutos, Saluatores vocabantur. Suscitauit illis dominus Saluatorem:hoc est virum qui illis ab inimicis eripuit. Sic Christus vocatur Iesus: id est saluator,qui à dæmonis seruitute nos liberauit. Quemadmodum enim Romani duces illustria nomina sunt sortiti,vt Britannici, Africani, Germani, eo q animi sui virtute has nationes debellarūt:ita Christus inuictissimus dux,rectè Saluatoris nomen sibi accepit, quandoquidem humanum genus à morte & imperio dæmonis eripuit. At Christ⁹ multo potiori iure. Quia cæteri Romani imperatores à deuastatione,à destructione, & à morte honorē vsurparunt: Christus autem à reparatione, à restauratione,& vita honoris titulum sibi ascisçit. Namque Scipio ille,qui cognomento Africanus fuit vocatus,hoc cognomen sortitus est,quia Romano imperio Africam subiecit. Christus autem, quia diabolum vicit,& animas tulit, quæ ipsius erāt spolia, hominum Saluator appellatus est. Qua de causa meritissimò, inquit apostolus, Dedit illi Deus nomen,quod est super omne nomen,vt in nomine Iesu omne genu flectatur,&c. Notabis autem, quòd non dixit angelus, impones illi nomen, sed vocabis: quia hoc nomē iam illi erat impositum à Deo patre,iuxta illud. Vocabitur tibi nomen nouum, quod os domini nominauit.

Iudic. 3. Luc. 11. Philip. 2. Esaiæ 62.

¶ Denique obseruandum hic est,quòd quando angelus loquutus fuit cum Iosepho virginis spōso, de hoc sanctissimo & benedicto nomine Iesus dixit,Vocabis nomē eius Iesum: ipse enim faciet populum suum liberum à peccatis eorum. Vbi iā vides quomodo angelus Ioseph & nomen pueri & eius declarationem aperuit. Quod cū virgine neutiquam fecit: tum propter virginis excellens ingenium,cùm ipsa ita omnia percalleret, vt nulla emēdicata expositione indigeret: tum etiam, quia angelus peccatum nominare noluit coram ea, quæ libera ab omni peccati cōtagione nata fuit. At verò cùm nec ipse Angelus coram beata virgine ausus fuerit peccatum nominare:tamē multi sunt seipsos discruciantes, qui maxima curiositate voluūt & reuoluunt libros, vt in ea peccatum inueniant. Quæretur peccatum illius, & non inuenietur. Sed post nominis impositionem, qualis futurus sit saluator,subdit Angelus dicens, *Hic erit magnus*. Tot tantique illi erunt virtutū tituli,vt nemini alij, quā homini & Deo conuenire possint. Vnde nec consentaneū rationi esset,vt eo honore,quo Deus vnigenitum filium suum decorauit,reliquum aliū illustraret. Namq; maximum argumentū erat ad probandum Christi diuinitatem, humanitatis ipsius claritatem cōsiderare. Quodquidem efficax argumentum Diuus Ioannes cognouit, cùm dixit, *Verbum caro factum est*. Sequitur. Vidimus gloriā eius: gloriā quasi vnigeniti à patre. Vbi dictio illa, quasi, neutiquā diminutiua est:at sonat idem quod tāquam. Nec adiungenda est nomini vnigeniti ita vt efficiat sensum. Vidimus gloriam eius, quæ tam egregia,ac tanta est, ac si esset gloria vnigeniti filij Dei. Quiquidē non bonus sensus est, quia verè fuit gloria,nō quasi vnigeniti,ita quòd particula,quasi, diminutionem significet, sed tanquam vnigeniti: quia gloria Christi verè & purè fuit vnigeniti filij Dei gloria. Itaque dictio, quasi, non connectenda aut iungenda est genitiuo vnigeniti, sed accusatiuo, gloriam, & tunc reddit sensum, data est illi gloria, quæ decebat vnigenitum patris æterni

Numer. 14. Math. 22. Esaiæ 7. Psal. 86. Math. 1. Ioan. 1.

ni, qui soli illi conueniebat, vel quæ in eum solum cadere poterat, vel quæ sibi, & non alij tribui poterat, cum esset filius Dei. Filio enim Dei cōueniebat, ex ea matre nasci, quæ ante partum, & in partu, & post partum virgo existeret: & ipsum solū decebat, *Luc. 2.* vt in natali suo angeli canerent, vt eū reges adora- *Mat. 2.* rent. Ipse solus est, qui meruit à Simeone, & Anna *Mat. 3.* magnificis laudibus extolli, à magno Baptista prædicari, & testimonio patris filius declarari, cū dixit, Hic est filius meus dilectus: q̄ vtiq; laus & honor ipsi soli conueniebat. Huic soli miracula illa portētosa tribuenda erāt, quæ in morte sua, passione, & resurrectione acciderunt. Itaq; illius humanitas talibus titulis fuit illustrata, qualibus oportebat filiū Dei decorari. Ideò rectè dixit angelus, Erit magnus. Et quid vlteriùs addit? *Et filius altissimi vocabitur.* Ac si diceret, Ita illustris & magnus erit, vt facilè possit colligi, eum esse naturalem altissimi filiū. Et hinc est, quòd ipsius gloria & claritas, tāta erit, quanta decuerit filium altissimi patris. Antea filius altissimi erat, sed postquam carnem assumpsit, vo- *Math. 16.* catus est à multis, vt à Petro, Martha, Centurione *Ioan. 11.* & multis aliis. Ideò non dixit, erit, quia antea iam *Math. 17.* erat: sed vocabitur. Non autē adoptiuus, vt cæteri: sed naturalis, coæternus, vnicus, & coæqualis, iuxta illud, Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego *Psal. 2.* hodie genui te. ¶ Expende autē quòd quando angelus loquitur de magnitudine apponit verbum, erit, futuri temporis: at cum loquitur de filiatione inquit, filius altissimi vocabitur: vt scias, q̄ quando dixit, magn⁹, de Christo homine intellexit, quia si de Christo Deo intelligeret, nō opus esset dicere, magnus erit, sed solū, hic est magnus. Itaque cū dixit, filius altissimi vocabitur, de ipsius diuinitate fuit loquutus, qui semper & ab æterno filius eius naturalis extitit, ideò non dixit, erit, sed vocabitur, vt æternus pater illum vocabit, & Centurio, & alij. *Math. 3.* *Math. 17.* *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Conditionem describit, statum & dignitatem, quā habiturus erat Messias. Dabit (inquit) sedem Dauid. *Sedes pro statu.* Vbi sedes pro statu sumitur. Ita ad eundem modū dicimus, sedes vacans, cum summus Pontificatus, vel aliud quoduis imperium vacat. Ita consuetum est dici, Papa sedit annis decem, quia tanto temporis interuallo Pontificatum gubernauit. Sic intelli- *Exo. 11.* gendum est illud Exodi à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius vsque ad primogenitum ancillæ, quę est ad molam, hoc est, à primogenito, qui gubernat. Sic Christus quatenus homo sedit in domo Dauid, quia sceptrum habuit domus suæ & do- *Esa. 9.* minus fuit Dauid, quatenus Deus. Ideo Esaias ait, Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit: vt cōfirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia. Vbi animaduertas, Prophetam non dixisse in acquisitione gloriæ temporalis, aut diuitiarum terrenarum: nam temporalis gloria fluxa, & momētanea est: sed dixit, in iudicio & iustitia. Per hæc enim regnū Christi in omnibus suis fidelibus confirmatur & permanet. Quocirca Romanorum regnū, defectu iustitię cecidit, & plura alia regna quę longum esset commemorare. *Et regnabit in domo Ia-* *Psal. 144.* *cob in æternum.* De hoc Christi regno ait Psalmista, Regnum tuum regnum omniū sæculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generationē. *Esa 9.* Et Esaias, Multiplicabitur eius imperium & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt cōfirmet illud. Et Daniel, Magnum *Dan. 3.* eius regnum sempiternum, &c. Et Michæas, Regna- *Mic. 3.* bit (inquit) super eos in mōte Sion ex hoc nunc & vsque in sęculum. Aduerte autē, quod loquens angelus de Christo, non dixit, illum regnaturū in domo Abrahæ, quāuis pater fidei fuerit: nec in domo Isaac, cui factæ fuerunt repromissiones: quia Abraham habuit filiū Ismael à quo Ismaelitæ (gens idololatra & infidelis) ortum duxerūt. Similiter Isaac filium habuit Esau, à quo processit rex Edom cum populo suo Gentili idololatra & infideli. At filij Iacob omnes fuerunt fideles, à quibus originem traxit Dei populus, & in quo Deus, & notus erat, & adorabatur. Propter infidelitatē filiorum Abrahæ, & Isaac non regnauit Christus in domo Abrahæ aut Isaac, non propter peccata: nā in domo Iacob etiam peccatores fuerunt. Omnes nanque Christi fideles licèt peccatores sint, dummodo salua & incolumis in illis fides maneat, ad Christi regnū pertinent. Infideles autem hæretici, & perfidi Iudæi, *Mali in ecclesia.* diabolum habēt regem: nos tamen Christum & regem & ducem nostrum sequimur, qui in sua Sācta & catholica regnat Ecclesia. Diximus superiùs omnem illum, qui Christi fidem, incolumem habet, etiā si aliquo peccati inquinamēto obnoxius sit, nihilominus eiusdē Christi esse membrum, licet mortuum. Namque in arca Ecclesiæ animalia sunt mū- *Gen. 8.* da & immunda, & in eadem triticum est paleis ad- *Math. 13.* mixtum: & item sagena est, vbi sunt pisces boni & mali. Quod ideò prosequimur, vt totis viribus nitaris, nè huius regni mortuus ciuis sis per mortuā fidem: & id præ oculis semper habeas, quod Christus dicit, Filij regni eiicientur in tenebras exterio- *Matth. 8.* res. Vbi manifestè innuit, quo pacto fides sola non sufficiat ad consequendam vitam æternam: nam Israelitæ illi, de quibus Christi est sermo, per fidem erant filij regni, tamē defectu operum exclusi sunt à regno cœlesti: nam cùm congregauerit paterfamilias triticum in horreo suo, paleas cōburet igni inextinguibili. Vt intelligat Christicola nequaquā illi de sola fide esse gloriādum. Quòd si te sola fide *Matt. 13.* dignum honore putaueris, fortasse continget, vt illā amittas: iuxta illud beatissimi Pauli, de quibusdam hæreticis Timotheo scribentis, Habentes bo- *1. Tim. 1.* nam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt. Si bonā amittis consciētiam: etiam post conscientiam fortassè fidem perdes. Cōtinget quippe illud tibi, quod pomis recōditis, quòd quando vnum corrumpitur, corrumpitur etiam alterum illi adiunctum: ita sanè voluntate viciata ex multitudine & affinitate vitiorū, multoties & fides in intellectu corrūpitur. Intellectus *Psal. 110.* bonus omnibus facientibus ea: qui enim mandata Dei custodit (inquit Dauid) bonum habebit intellectum ab ipsorum mandatorum obseruantia, & ab ipsa legis custodia: nam dominus non permittit, vt in hæresim labatur, qui Christo obtēperat. Qui manum supra oculos suos ponit, ipse sibi est impedimēto, nè à solis radiis illuminetur. Quod vtique multi ex catholicis fecerunt, qui inter oculos suos & lumen fidei multa flagitia & scelera constituentes, non lucēte illis sole iustitiæ, fuerunt in causa, vt miserum illorum cor excæcaretur, & vt in Barathrum hæresum laberentur. Princeps huius cateruæ fuit Lutherus nostri sęculi miseranda pestis, qui priusquam in hæresim laberetur, superbus fuit, luxuriosus, & multis aliis flagitiis & sceleribus con-

taminatus. Homini spurcitiis carnis dedito facilè persuadebis, simplicem fornicationem non esse peccatum. Nec erit ab re illud relatum à diuo Augustino, quod quidam nomine Aërius qui episcopatum ambiebat, cùm non posset illum attingere, in id insaniæ descendit, vt assereret simplicem sacerdotem tantum habere potestatem sicut episcopus. Intellectus nanque cùm nostræ volũtati assentitur protinus, vt in aliquam rem inclinatur, etiam si mala sit, tanquam bonam approbat. Vnde Esaias, quem beatus Ioannes citat, ait. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde: & cõuertantur, & sanem eos. Sed de his aliàs. ¶ Pro maiori autem huius literæ explanatione meminisse oportet & historiam tertij libri Regum recolere, vbi habetur quod domus Iacob Dei cultoris diuisa fuerit in duo regna temporibus Roboam nepotis Dauid: & habuit duos reges scilicet Ieroboam, quem sequuti sunt decem tribus & vocatus est ipse, & eius successores rex Israel, & duæ tribus sequutæ sunt Roboam, qui vocatus est rex Iuda. Ideò ne existimaret beata virgo, quod in regno Iudæ solum esset Christus regnaturus, cuius successio est illa, quæ profecta est à Dauid, & non in reliquis tribubus: ideò inquam, postquam dixit, in domo Dauid patris eius, addidit Angelus, regnabit in domo Iacob. vt inde intelligas Christum regnaturum super duodecim tribus, & vtrumque regnum & imperium Iudæ & Israel complexurum, quæ tribus omnes erant successores & filij Iacob patriarchæ.

Aug. lib. de hæresibus.
Esa. 6.
Ioan. 12.
3. Reg. 1.

¶ Vbi autem dicit hoc Christi regnum esse æternum, manifestè insinuat nõ temporale, sicut multi falso existimarunt: scilicet Messiam copulaturum omnes duodecim tribus, quæ anteà sparsæ & diffusæ erant per diuersas nationes & imperaturum omnibus duodecim tribubus, quemadmodum Dauid & Salomon. Ita Christum interrogauerunt discipuli dicentes, Domine si in tempore hoc restitues Israel? Ita credidit Herodes, & ideò turbatus est, ne forsan perderet temporale suum regnum.

Christi regnũ spirituale.
Act. 1.
Math. 2.

Item cùm dixit Angelus regnũ eius æternũ fore, insinuauit clare illud futurum esse spirituale: quia temporalia æterna non sunt. Sic Daniel de Christi regno inquit, Regnum eius potestas æterna. Dauid etiam in Psalmo quem de Christo in sensu literali allegat Paulus, dixit, Sedes tua Deus in sæculum sæculi virga æquitatis, &c. Ferè nihil erat Christo ab aliquo imperatore regnum temporale auferre, sicut abstulit à Pharaone: at temporale regnum, & omnia quæ in eo sunt nihil penditur à Christo. Sed hac nostra misera tempestate, omnis fons & origo discordiæ inter reges Christianos est: quis eorum maiori dominaturus sit imperio, aut quis magis aucturus, aut locupletaturus sit suũ regnum. Si quatuor palliola ex vili lana confecta (volentibus tragediam representare in medium) adducerentur: & protinus inter eos rixa oriretur, quis meliori lana confectum pallium esset induturus: nonnè manifestissima insania hæc esset, & omnino isti mentis impotẽtes iudicarẽtur? Omnia nanque palliola ex eadem lana sunt confecta, & peracta comœdia ibi manere debent, quia mutuata fuerunt. De nihilo alio certè reges inter se pugnant quàm de lana caprina, quis maiora regna possideat, quis pluribus gentibus dominetur. Ideò oportet aduertere, ne quis rerum mundanarũ imagine capiatur, omnia nanque palliola sunt vili lana contexta, & omnia hic relinquenda sunt. Quocirca optimo iure Christus hanc controuersiam noluit acceptare: imò fugit quando Iudæi illum in regem eligere voluerunt. ¶ Admonet locus iste, vt temporalia fugiamus, & vt amemus cœlestia. Hæc enim quæ videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna.

Dan. 2.
Hebr. 1.
Psalm. 44.
Ioan. 6.
2. Cor. 4.

Quid enim obsecro aliud est aurũ & argentum nisi terræ immunditia? Quibus hæc quibus induimur, nisi ferarum & brutorum coria? Quid bombicinum, & sericum, quibus prætiosę vestes cõficiuntur, nisi vilium vermium stercora? Quid prætiosæ purpuræ & regalia indumenta nisi animalium velleta? Quid denique supremæ arces altissimis mœniis vallata, quid fortia castella, quid laquearia miro artificio elaborata, quid nisi terra sunt? Omnia quę sub cœlo sunt vile stercus & vanitas sunt. Talia Apostolus iudicauit cum dixit, Omnia arbitratus sum, vt stercora. Et regius vates hos miratus qui superbas istas domos nimis amant dicit, Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. Vanitatem diligitis & quæritis mendacium: quia hæ non sunt permanentes nec veræ diuitiæ. Quod si hæc ita sunt, quot & quantos in mundo inuenies, qui harum terrenarum rerum amore depereunt, & superbia elati nimis euanescũt? Vnde regius Propheta, postquam de impiis multa mala dixerat, statim de ipsorum moribus adiecit dicens, De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Nam si regiam domum vel alterius nobilis ingrediaris, protinus omnia cubilia videbis præciosis ornata pauimentis, vasa omnia nitida & fulgẽtia, lectum & fulcra miro artificio elaborata: tecta denique eburneis, & aureis laquearibus fabricata, quæ omnia si rectè consideres videbis materiam ab ipso opere superari. At verò si conieceris oculos in alia ministeria infima, non apparent, cum tamen & his domus etiã abundet: quæ nunquam propter earum vilitatem ante conspectum domini adducũtur. Sic nimirum amor Dei sanctus, virtutes & multa alia illustria dona in publicum sunt collata, tanquam spellectilia magnifica, & tanquam margaritæ præciosę, quę in conspectu Domini sunt: vt omnibus notæ fiant. Tamen aurum & argentum & aliæ præciosæ margaritæ humanis oculis in pretio habitæ, diuinis autem contemptæ, in inferioribus terræ partibus reponuntur, vt in ipsius visceribus, & in marinis conchis, vbi ipsæ generantur. Ait itaque Dauid Domino, Vide & considera quales isti sunt, quorum venter & animus de absconditis tuis adimpletur. His nanque rebus, quæ ob earundem vtilitatem in infimis terræ partibus sunt reconditæ, vt aurum, argentum, gemmæ, & alia huiusmodi, his inquam eorum animus & venter est repletus: quibus superbi & elati incedunt, necnon & eas magni faciunt. Qui certè non alio solidiori cibo, quàm vento alũtur. Et dimiserunt (inquit) reliquias suas paruulis suis. Hæc quippe bona filiis & hæredibus suis impartiuntur, alij domum, alij vineam, alij fundum, quorum singuli singulis sunt contenti.

Phil. 3.
Psalm. 4.
Psalm. 16.

Quod si à diuino vate quæras, nũquid eius vẽter his omnibus satietur? respõdebit, vtique, Ego autẽ satiabor cùm apparuerit gloria tua. His namque bonis spiritualibus (inquit Dauid) delector, & deinde diuinis & nunquam perituris satis ero contentus. At verò, quia de his vberiorem fecimus sermonem

nem in prima parte libri quem de vanitate mundi nos scripsimus superiori anno, quæ tu videre poteris, ad contextum Euangelij sancti gradum iam facimus.

Et regni eius non erit finis. Quæ verba & superflua & angelo indigna per transennam considerata videbuntur. Quia cùm prius dixisset, & regnabit in domo Iacob in æternum: quid vlteriùs opus erat addere, & regni eius non erit finis? Quia quòd æternum est, apertè constat idem finē non habiturum. Quam obiectionem facili negocio dilues: si aduertetis cõiunctionem &, expositiuam esse. Hæc enim nomina æternum, & sempiternum, multoties in sacra pagina non pro perpetuitate temporis, sed pro multorum annorum spacio vsurpantur. Nā de circuncisione dixit, dominus esse pactum sempiternū quæ tamen modò mortifera est. Si circuncidimini (inquit Paulus) Christus nihil vobis proderit. Et loquutus de sacrificiis dixit, esse legitimum sempiternum: quibus non obstantibus finita sunt iam sacrificia illa deleta & mortifera. Vnde necessariò cõficitur legitimum sempiternum in tempus finitum & limitatum debere resolui. In Exodo etiam dicitur, quòd seruus nolens libertatem maneat seruus in sæculum: & tamen in anno Iubilęi omnes sua libertate fruebantur, vt habetur in Leuitico. Idē de festo paschali dicitur in Exodo, & de Sabbatho, & de sacrificiis in libro Numerorum. Et plura alia loca in sacra scriptura inuenies, in quibus æternum & sempiternum, nõ pro perpetuitate temporis, sed pro longo aliquo interuallo accipiūtur. Itaque cõiunctio, &, in hoc loco expositiua est, præcedentia verba declarans. Alia etiam loca inuenies in sacris literis his simillima, vt est illud Genesis. Benedixit di ei septimo, & sequitur, Et sanctificauit illum. Hoc enim est benedicere. Et in Mathæo colligent de regno suo omnia scādala: & declarans id Euangelista dicit, Et eos qui faciūt iniquitatē, mittēt in caminū ignis. Et in Apocalypsi. Fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo. Vbi coniunctio, &, exponit Deum esse patrem Iesu Christi filij sui. Ne igitur beata virgo existimaret regnū Christi aliquo tēpore finē habiturū, addidit angelus, & regni eius non erit finis. Ac si diceret, Tali modo æternum erit, vt nullis terminis aut finibus claudatur. ¶ Siue aliter tibi placuerit respōdeo, quòd etiamsi æternū significet infinitum tempus: dico tamē quod licet æternū sumatur pro tempore perpetuo & semper duraturo: accipitur hic, regni eius non erit finis pro extēsione, latitudine & magnitudine regni ei⁹. Quod regnū nullis terminis aut regionibus claudetur, nõ solùm quantū ad durationē temporis verùm etiam tam amplū, tam latū, tam extensum, vt nulla possit circūscribi mēsura. Regno quippè Hispaniæ Pirenæi montes finē imponunt. Francorū verò Alpes: & alia itidē regna suis finibus continētur. At regnū Christi nec Hispania, nec Gallia, nec Italia, nec Cõstantinopoli finitur, quia regni eius (inquit angelus) non erit finis: sed in omnē terram, in quālibet remotissimā regionē vbi aliquis Christi fidelis fuerit se extēdit eius imperiū. Vnde & ipse inquit, Regnū cœlorū intra vos est. Non habet circunscriptū locū regnū eius, quia possessio eius vbique est. Dominabitur, (inquit Psalmus) à mari vsque ad mare: & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarū. ¶ Tertiò huic difficultati potest satisfieri, quòd cùm dixit: & regnabit in domo Iacob in æternum, intellexit de rege Christo: nūc verò cū dicit, & regni eius non erit finis, loquitur de regno eius, hoc est de subditis suis, atque ita rex, & ipsius regnū nullū finem habebunt. Quod priùs est, ad regē pertinet: secundū verò ad eius subditos. Poterit ne Hispanus, vel Frācus Rex alicui subditorū dicere. Nūquā morieris? An poterit hūc eūdē à morte eripere, & perpetuū facere? Minimè Christi autē potentiæ, vel hoc parū est, qui suis dicit, Capillus de capite vestro nō peribit: oēs enim sunt numerati. Nam Christi subditi, qui in cœlo cū sanctis regnāt, nūquā mortem agnoscent. Quòd si tu perpetuus esse vis, Christi seruus esto: quandoquidē humana diligentia nihil aliud magis curat quā seipsam perpetuam facere: quod vtique consequetur is, qui ex Christi regno fuerit. Si autē mundanus fueris, peribis: siquidem & mūdus periit, *Dixit autem Maria ad angelum.* Licet angeli verbis firmiter crederet de cōceptione filij: quia tamen nō exactè modū concipiendi angelus explicuit, idcirco rogat beatissima virgo. *Quomodo fiet istud:* Principio turbata est, quia cognouerat Satanā aliquando figurā gerere angeli lucis, & poterat eā tentare, sicut & ipse Christus tētatus fuit. At cū nedū ipse angelus sermonē finiuisset, cognouit diuina reuelatione tunc facta, illū non esse dæmonē, sed angelū bonū. Atque ita non dubitauit, sed fidē verbis præstitit. Non sicut Sara, quæ in risum prorupit & in illusionē: nec sicut Zacharias, qui dubitauit, cùm vterq; sciret angelū esse bonū, qui illis apparuit. Ideò dixit ei Elizabeth. Beata quę credidisti: nanque virginē non latebat Esaiam multò antea prædixisse, Ecce virgo concipiet, & pariet filiū. At (vt inquit sacer. Augu.) modum quo conceptura erat, ignorabat. Et hoc est quod modò ipsa quærit: quomodo fiet istud de facto non dubitans, sed prudenter modum inuestigās, rationem subdit suæ interrogationis. *Quoniā virum nō cognosco.* Quasi diceret intra se, Si meę virginitatis iacturā aliquam sum passura, & promissum votum violare, nolo esse mater Dei: at verò, quia scio dominū potentem esse, vt mea virginitate intacta manēte possim pare re: quæro quomodo dominus id facere disposuerit. Vbi protinus aduertere debes, quam curam & solicitudinem habeat beata virgo de obseruādo virginitatis voto, & virginali puritate: dicit nanque angelo, se tantam dignitatem & honorem neutiquam ascendere velle, si aliquantulum detrimenti suæ puritatis & virginitatis passura esset. Quòd si quæras a beata virgine, nunquid malit virginitatē custodire, quàm matrem Dei esse: non dubito quin tibi respondeat, melius & salubrius esse, cordis syncęritate, & animi virtutibus splendere, quàm dignitatem aliquā quantumuis sublimem & excellētem subire. Omnes nanque dignitates & honores paruipendendi sunt, si diuinis mandatis, vel minima aliqua offensa irrogetur. Sed ô mundum omnino perditum, & amentem: quid de te, deque ingenij tui moribus dicam! prorsus ignoro. Quis enim hac nostra misera tēpestate hominū reperiretur, cui si regalis dignitas oblata esset, quàm vel grauissimis flagitiis esset ascēsurus, prorsus renueret? Sed quid dico regem? contentus esset ille si minimus daretur redditus. Nam multos hodie inuenies, qui propter lucrandum teruntium, vel minimum aliquod stipendium, grandia facinora perpetrabunt, imò quotidiè perpetrāt. At virtus nūc paruipenditur: & gratia sine aliqua necessitate à nobis maximè offendi

Marginalia (left): Gen. 17. Gal. 5. Exod. 28. & 30. Leuit. 16. & 27. Exod. 21. Leui. 25. Exo. 12. Exo. 31. Nu. 28. Genes. 2. Math. 13. Apoc. 1. Luc. 17. Psalm. 71.

Marginalia (right): Math. 10. Luc. 12. 1. Ioan. 2. 2. Cor. 11. Math. 4. Genes. 18. Esai. 9. Aug. li. 16. ciui. ca. 24.

fenditur. Quæ res in causa est, vt beata virgo tam so licitè & diligenter, rem hanc requirat, ne fortè aliquod ibi lateret incommodum, quòd suæ virginitati & puritati nociuum esse posset. Quam vtinā curam virgines nostri temporis tam solicitam haberent suæ virginitatis seruandæ, & religiosè seruandi vota, quæ domino suo vouerūt. *votū virginitatis.* Quod autē beata virgo votum fecerit virginitatis apertè ex hoc loco colligitur. Nam si solùm hoc intelligeret ipsa de præterita virginitate, quam hactenus custodierat: esset nihil dicere. Quia virgo quæ nuptias expectat, & nubendi propositum habet, non reputabit inconuenies, dicenti filium se parituram esse, virginitatatem hactenus obseruasse. Nā si ipsa diceret, virgo sum, facilè ei posset responderi. Poteris nubere viro & filium parere. Ideò cùm Maria iudicauerit ad id inconueniens esse virginitatem: clarè constat, propositum illam habere custodiendi promissam virginitatem. Nam cùm dixit, Virum non cognosco, idem est, ac si dixisset, nec cognitura sum. Quæ quidē loquutio Hebraismus est, & apud nos vsitatus loquendi modus. Sic Pharao dixit filiis Is-
Exod.5. rael. Non do vobis paleas, id est, nec dabo: vt reuera nunquàm illis dedit, Sic Ioannes cùm misit discipulos suos Christo, vt interrogarent, an ille esset,
Math.11. qui venturus erat: ibi venturus in Hebræa veritate est participiū præsentis, ac si dicerent, es tu veniēs? Et Christus Petro, & Ioanni dixit, Tempus meum
Math.26. prope est, apud te facio pascha: Hoc est, decreui pascha vobiscum celebrare. Et alibi, A Galilæa pro-
Ioan.7. pheta non surgit: pro præterito, surrexit: Sicut & aliquando ponitur præsens pro futuro. Qui loquendi modus frequenter vtitur: nam cum aliquem inuitamus, vt vinum bibat, solet respondere, Ego nō bibo vinum: quasi velit dicere: nec bibiturus sum. Vt si aliquem Chartusiensem monachum inuitares ad comedendas carnes, responderet: nō comedo carnes, id est, nūquā comesturus sum illas, quia ex voto & instituto ordinis non possum illas comedere. Sic modo beata virgo inquit, Nō cognosco virum, id est, nec illum vnquam cognoscam. Ex
Augu. lib. de virgi. cap. 1. Bern. ser 4. in cant. Beda super Luc. quibus verbis colligunt sancti Patres, Augu. Bern. & Beda voto se castitatis & virginitatis astrinxisse. Quia non solum id in animo habuit scilicet, virginem esse, sed hanc suam virginitatem stabili voto consecrauit. Nam cùm fides catholica teneat Mariam perpetuò virginem fuisse, optima ratione elicitur, perfectissimum statum virginitatis habuisse, qualem Dei matrem decebat. Status autem firmitatem sonat: firmitas verò non nisi per votum stabilitur, quo certum est virginem seipsam astrinxisse. Hoc enim discriminis est inter bonos & malos: quòd boni ita mala decernunt facere, vt facilè ab instituto recedant. Non iurant mala facere, nec ad illa voto obligantur: ad bona autem faciēda etiam teneri volunt. Sic Abraham iurauit se non nocitu-
Gen.20. rum Regi Abimelech. Et Dauid. Iuraui (inquit) &
Psal.118. statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Et alibi, Vo-
Psal.131. tum vouit Deo Iacob: nunquam ingressurum lectum strati sui, donec inueniret locum domino. Mali verò bona ita faciunt, aut facere proponunt, vt facilè ab incepto desistant: ad mala autem patranda (si opus est) arctissimo se adstringunt voto. Quemadmodum illi: qui promiserant, se nec co-
Act 23. mesturos, nec bibituros, donec occiderent Pau-
3.Reg 19. lum: Et Iezabel promittens & iurans, se Heliam occisurā dixit, Hæc faciant mihi Dij, & hæc addant si non, &c. Et quod deterius est, ita se his votis obligāt, vt nunquā velint ab eis recedere: sicut impius Herodes, qui iurauit se daturū saltatrici quidquid peteret. Beata itaque virgo de re iusta votum fecit, *Mar.6.* quod semper integrum inuiolatūque seruauit. Vnde oportet discere, vt nō mala, sed bona domino promittas, & ea firmo & stabili animo semper seruare. Hieremias propheta, vt habetur in capite vlt. Baruch, qui fuit scriba Hieremiæ, mittens episto- *Bar.6.* lā populo Israelitico in Babylonia captiuo, adducit illis in memoriā differētiā, quæ est inter Deū Israel, & Deos quos Babyloniæ colebant. Dij Babyloniæ sunt lignei, lapidei, aurei, & argentei: si quis illis votum vouerit, neque id reddiderit, nunquā id requirēt. Videte igitur quid facitis, quia agitis cum Deo Israel, Deo viuo & vero, qui vobis fidē promissam petet: & grauiter in vos animaduertet, nisi steteritis promissis. Quia Deus lapideus aut surdus non est, vt nō audiat votū quod tu religiosè ei promisisti: nec sine memoria est, nec elinguis, aut mutus, vt non possit exactè rationē voti petere. Itaque cuilibet religioso aut moniali existimādum est, cū Deo viuo se agere, vt à memoria non excidant vota ab eo promissa. Vult nāque dominus vt adimpleamus vota, etiam si inde nullū cōmodum ipsi eueniat. Nā cùm dominus iustus sit, diligit propriū honorem: vt sic honor Dei cultoribus suis prosit. Nam si homo, qui vermis terrenus est, iniuria afficitur, cū promissis illi non statur: ita dominus ægrè fert, vt illi promissa nō adimpleantur. Vult etiam dominus, vt vota persoluamus propter propriam vtilitatē nostram, quia maxima vtilitas homini accidit, si Deo promissis satisfecerit. ❡ Aliud autem inde notabis, & ad tuam doctrinam disces, quàm optimum sit, aliquod bonū incipere. Maria nanque prima omnium virginitatem vouit domino, quā postea multæ aliæ sunt sequutæ iuxta illud Psalmi, Adducen- *Psal.44.* tur regi virgines post eā, proximæ eius offerentur tibi. Nec dominus tāti obsequij immemor, grandia beneficia in eos cōfert, qui boni alicuius authores fuerunt. Vt est videre in Aminadab, qui in exitu Is- *Exod.14.* rael de Ægypto primus ipse fuit, qui cū sua tribu mare rubrum fuit ingressus. Quapropter tribus Iuda meruit princeps esse inter alias tribus, cū natu non esset maior: & ipse princeps fuit nobilioris tribus, ex qua reges originem duxerunt. Quo fit vt sponsa in Canticis dicat. Anima mea turbata est *Cant.1.* propter quadrigas Aminadab. Et in Psalmo, In exi- *Psalm.113.* tu Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro: facta est Iudæa sanctificatio eius. Tūc enim elegit dominus tribū Iuda in regiā dignitatē, ex qua *3.Reg.6.* Christus humanā induens vestem natus est. Deseruiet etiam nobis in huius rei exemplū tēplū illud, qđ Salomon Hierosolymis ædificauit, licet à Chal- *4.Reg 25.* dæis destructū fuerit, & in reædificatione Hierusa- *1.Esd.1.* lem post transmigrationē Babylonis, aliud fuerit à Zorobabel ædificatū: nihilominus templū illud Salomonis nomē retinuit. Quod & cōfirmat euāgeliū Ioannis qui inquit, ambulasse Iesum in porticu *Ioan.10.* Salomonis. Quē honorem sibi Salomō comparauit, eo quòd primum templum ædificauerit: quanuis non illud, in quo redemptor noster ambulabat. Cuius etiam honoris beatus Ioannes baptista fuit *Math.3.* particeps, quia prior fuit, qui regnum cœlorum *Mar.1.* nunciauit, & pœnitentiam prædicauit. Quem numerum etiam ingreditur sanctus Dei martyr Stephanus, qui antesignanus fuit, qui pro Christi

Act.7. nomine incredibili gaudio sanguinem effudit. Nec memoria tibi excidat, quibus honoribus, quibus laudibus, quibus encomiis celebrantur modò, & per sæculi immortalitatem celebrabuntur sanctissimi religionum principes & fundatores, vt Benedictus, Augustinus, Franciscus, & Dominicus, & alij etiā sancti, qui lapides angulares fuerunt Christianæ nostræ religionis. Itaque cùm beatissima virgo prior fuerit, quæ sanctā suam virginitatem Deo cōsecrauit, dici non potest, quibus encomiis, quibusque laudibus digna est, vt celebretur. Vnde tibi curandum est, vt ad quodcunque opus bonum prior & paratior inueniaris. Ita vt si ad rem sacram pulsetur iam tu alios in itinere præcedas. Si eleemosyna est alicui erogāda, nūquàm moras nectas, dicens, cras istud faciam sub inde repetens: vt vel ita bono exēplo alios multos allicias ad idem faciendum. Nec dubites quin futurus sis particeps horum etiam meritorum in cœlo, vbi aduētitium præmium tibi augebitur, cùm alios videas, qui tuis honoribus cœlum conscenderunt.

¶Dispari autem modo cum eis agitur, qui principes sunt & authores alicuius mali, qui maiori plectūtur supplicio, & in inferno manet illos, aliud accidentarium. Venit iam præ oculis rei huius exemplum. Nam Ieroboam ne populus reuerteretur ad domum Dauid, ascendens vt adoraret Deum Hierosolymis, vt ipse & posteri sui regno tēporali po- 3.Reg.12. tirētur, aureos vitulos fecit, vt eos adoraret Israel: quem iniquum regem ipsiusque exemplū sequuti sunt illius successores, quorū multi idololatræ fuerunt. Vbi aduertas quòd sæpius scriptura horū scelera Ieroboam ipsi tribuit: nam cùm de aliquo scelerato rege loquitur, inquit, Non recessit à viis Ieroboā, qui peccare fecit Israel. Vbi scriptura sacra culpā reiicit in Ieroboam, nam ipse prior fuit, qui vitulos conflauit, cùm aliis peccandi ansam præbuerit. Vnde & tormenta Ieroboam in damnatio- Num 15. ne istorum augebantur. Idem etiam in lib. Numerorum habetur, quòd cùm filij Israel inuenissent quendam colligentem ligna in die sabbathi, cum iussu domini lapidauerunt, quia (vt inquit glossa) primus sabbathi violator fuit, & occasionem aliis Luc.16. præbuit violandi festos dies. Sic etiam diues ille epulo, qui suo malo exemplo quinque fratres corruperat, rogauit Abraham vt mitteret aliquē, qui eos auerteret à via iniqua, ne ad loca tormentorum peruenirent: quod quidē non motus charitate fecit (cū nulla in inferno habitet) sed propterea quòd timuit, ne eorum aduentu grauioribus suppliciis torqueretur. Vnde cauēdum tibi est, vt ne aliis occasionem delinquendi præbeas: nanque hoc tibi imputabitur, vt acrioribus pœnis plectaris. *Et respondens angelus dixit ei. Spiritus sanctus superueniet in te.* In hoc admirabili & diuino opere sancta Trinitas operabitur sine alicuius interuentu: cumque opera Trinitatis externa indiuisa sint, id quod actionis fuit in incarnationis mysterio toti Trinitati tribuē- Incarnatio Christi quare opus spiritus sancti. dum venit. Vocatur autem opus spiritus sancti per appropriationem: quia spiritui sancto donum gratiæ tribuitur, & meritò cùm hoc fuerit supremum quòd in vniuerso ipse operatus fuerit. Nāque cùm diuinus spiritus distributor sit omnium donorum & gratiarum, quorum omnium cū in Christo summa plenitudo fuerit, ideò spiritus sanctus author cōceptionis Christi dicitur: Nam non solū anima Christi sed etiā ipsius caro viuificat, & vitā spiritualem largitur, dignè eā comedēti: cū verū sit Christi humanitatē gratiā tribuere meritoriè, & etiā efficiēter. Meritò ergo illa humanitas de spiritu sancto est, quæ in spiritū ita absorpta erat, & rapta, vt spiritū largiretur. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Qui tenent beatā virginē in originali peccato cōceptam esse: in hāc abeūt sententiā, vt obūbrare in hoc loco idē sit, quod fomitē extinguere. Nā cum munus vmbræ refrigerare sit, ita obūbrare nihil aliud est, quā refrigerare incēdiū (quòd est fomes) quē nullū post Christi cōceptū sensit. Alij autē de maiori gratia ei collata ista verba interpretantur. Verum hæc nihil ad rē nostrā attinent, sed standum est in sensu literali & proposito in quo angelus fuit loquutus. Nāque Maria nō quærit, quæ gratia illi donabitur in verbi incarnatione, aut quod bonū Christi aduētu sit susceptura: sed inuestigat, quomodo hoc fiet. Itaque sensus huius loci legitimus est. Si interrogas ô sacra virgo, quomodo istud fiet: dico quòd spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, id est, spiritus sanctus geret vicē viri: & in hac sanctissima conceptione tota trinitas operabitur. Aderit ibi sacra trinitas, nā de eius cōceptu agimus, qui verus Deus erit. In re hac nullū viri opus interueniet: nam diuina virtus id totum præstabit. Ideò apposuit duo verba quæ matrimonij actionē significant: nimirū superueniet & obūbrabit. Quæ duo verba viro ratione mulieris competunt, scilicet mulierē obūbrare, & pallio illā operire, qui actus est matrimonij. Quod licet videre in libro Ruth, quæ cū ad pedes Booz obdormiret, & Ruth.3. eā ipse sentiret, admiratus est: ipsa autem rogabat eum, vt vellet eā in vxorē ducere, quæ in petitione sua his verbis vsa est dicens, Extēde pallium super ancillā tuā, quia propinquus es. Quod idē fuit, ac si diceret, Ducas me in vxorem. Et idem intellexit Booz, vt ex ipsius verbis patet. Quiesce nocte, & facto mane si te voluerit propinquitatis iure. Lege caput tertiū libri Ruth: ibique clarè colliges, quòd extēdere palliū, & obumbrare, & vmbram facere, ad actus matrimonij pertineant: nēpe ad amplexū & ad amorem, quibus vir & mulier copulantur, vt fiāt caro vna, & cor vnū, qui amor ad matrimoniū pernecessarius est. Vnde cū in Exodo dicitur do- Exod.21. minum non habere potestatem vēdendi ancillam, cuius honorem contemptui dederit, verti poterit, quoniam operuit eā, id est, quasi si maritus fuisset, cum illa egit. Nam in Hebræo est verbum Bagad, quod est tegere & operire. Vnde & Beged, בגד id est vestis, qua quis tegitur & operitur. Mos nāque erat Israelitarum, vt quàm primum aliquis vxorem vellet ducere, extenderet pallium, & cooperiret eā in signū matrimonij: hanc protectionē & tutelam significās, quam vir præstat vxori. Itaque altissimi virtus obumbrabit tibi: quippe in hoc opere sancta Trinitas viri fungetur officio, & tu sacra virgo in conceptione hac concurres, sicut & cæteræ mulieres in cōceptionibus filiorū. Id tamen non in tēpore, sed in instanti fiet: & ita fiet vt naturalis & supernaturalis mater Dei sis. Supernaturalis, quia concipies sine virili semine, & naturalis, quia verè ex substantia tua saluatorem gignes. Vnde & dicēdum est plus beatam virginem fuisse operatam, quàm reliquæ aliæ mulieres, quia ex solo virginis purissimo sanguine Christi corpus formatum fuit: quia secundum carnem Christus non fuit filius alterius personæ sed solius virginis, quod quidē nun

quam in mundo accidisse constat. Aduerte tamen quòd licèt posset angelus dicere, Deus viri munus præstabit in hac conceptione, vsus tamen est verbo obumbrare, hoc est, protegere: vt intelligas taliter Deum in hac incarnatione interuenisse, vt sacra virgo & actiuè & passiuè cócurrerit. Ná quemadmodum multoties contingit, vt lucidissimis solis radiis caligent nostri oculi, vt nihil operis conficere valeamus: tamen interuentu alicuius nubeculæ iam oculi suo munere funguntur: nanque nubes illa calorem solis téperat, & mitigat, & radiorum eius vires debilitat. Ita virtus diuina non aliter, vt ostendimus in hoc opere adfuit, & vices viri gessit. Si autem diuina sola potétia opus hoc efficeret, & nihil virgo operaretur, non cú tanta proprietate diceretur mater Dei: ideò temperat Deus potentiam & virtutem suam, vt virgo possit operari, & reuera operetur. Posset vtique Deus (si vellet) carnem humanam sumere absque aliquo interuentu virginis & ipsius labore: tamé seipsum comprimere voluit, vt & ipsa operis esset particeps, & tali honore & excellentia gauderet.

Simile.

¶ Vbi iam Dei bonitatem, & clementiam expédere licet, quæ talis & tanta est, vt aliquando suæ potentiæ vires reprimat, vt amicos & dilectos suos honoribus afficiat. Nam cùm ipse sit author huius diuini operis: vult tamen quòd virgo suam partem accipiat, vt verè titulo matris Dei gaudeat. Quod idem frequenter consueuit facere in aliis multis operibus, quorú etsi ipse præcipuus author sit, nó in eis secundum omnem potentiam suam operatur: sed aliquid amicis suis faciendum relinquit, vt eiusdem laudis & honoris sint participes. Nec opus esset rem istam aliis exemplis illustrare, quàm ipsomet experimento. Quid enim Deo erat opus, vt Moyses mare virga percuteret, vt populus liber & incolumis transiret, nisi dominus vellet ipsum Moysen & laudibus & honoribus afficere? Posset etiam sine ministerio pallij Elisæi Iordanem aperire, id tamen voluit, vt suæ virtutis diuini radij in sanctis suis mirabiliter splendeant. Nec illud silentio prætereundum, quòd Gedeon fecit, vt expugnaret fortissimum exercitum Madian: sonare fecit tubas, buccinas tangi, lagenas frangi, quæ omnia infirma & debilia erant ad tantum exercitum debellandum, nisi dominus sua virtute vires inimicorum infringeret: nihilominus voluit, vt Gedeon laboris aliquid applicaret, vt insigni victoria illustris redderetur. ¶ Nec suú ingenium adhuc dominus mutauit: id nanque qùod antiquitus fecit, & nobiscum etiam modò facit. Posset nanque dominus sine aliquo nostro impenso labore, ad illá beatorum patriam, vel solo nutu nos ducere, & nos ab omni peccato immunes, & in gratia confirmatos condere: tamen id renuit, vt nostris etiam laboribus patriam illá cóscendamus, vt illustrior, vt grádior, & vt nobis copiosior laus & gloria inde consurgat: quia melius & laudabiliꝰ est, gloriá nostris meritis adipisci, quàm gratis, & in cathedra sedentibus. Quod etiam manifesta veritate videre licet in duobus filiis Zebedæi, quibus noluit cócedere honorem illú, qué gratia consanguinitatis petebant, nisi prius passionis calicé degustarent. In quo etiá domini benignitas & amor admiranda liberalitate, multis nominibus splendet, qui plus donauit duobus fratribus, quàm ipsi postulabant: animus quippe illorú honoré afflagitabat sine aliquo merito & labore. Ipse verò dominus certos promissi fecit, martyrij lauream illis designans, quod mortis genus, necessariò gloria consequitur. Facilè enim posset dominus petitioni eorú acquiescere: tamen potentiá suá mirabili modo compressit, & sine martyrij discrimine gloriá non tribuit, vt verè cú Paulo cooperatores Christi possint dici. Non sunt (inquit) condignæ passiones huius sæculi, ad futuram gloriá: tamé quæ Dei bonitas est, & clementia pro tanto in nos amore illam libéter nobis donat: vult tamen & aliquid laboris nos impendere, vt & gloriosius donetur nobis brauium. Ita vmbræ interstitio inter virginem & suæ potentiæ vires vsus est dominus: vt non solùm ipse, sed etiá beatissima virgo suum adderet laboré, vt meritò tali gloria & honore illustraretur, *Ideóque quod nascetur ex te sanctum.*

Exod. 14. *4. Reg. 2.* *Iudi. 7.* *Math. 20.* *Rom. 8.*

Christú sanctú vocat, ad differétiam sanctitatis, quæ in nobis est. Christus nanque fons & origo est totius sanctitatis: à quo, tanquá à principio, sanctitas reliquorú iustorú deriuatur: nos autè licet sancti simus, & hoc nomen nobis sortiamur, non ita propriè assumimus (cùm tanquam arúdines simus mutabiles) sed quadam participatione illius, quę in Christo capite nostro residet. Lumen quippe à sole ortum lógo interuallo differt ab eo, quod procedit ab igne. Nam quod ab igne est, semper fumum sibi habet admixtum, & aliquam imperfectionem. Nam cùm Christus sit lumen de lumine, quemadmodú lux à sole oritur absque aliqua corruptione: non aliter Christus limpidissimum speculú ab hac beata virgine sanctum nascitur. *Vocabitur filius Dei,* Pro huius literæ clariori intellectu, operæ pretium est animaduertere, ꝙ solet aliquando in quæstionem verti: vtrùm Christus quatenus homo sit naturalis filius Dei, aut adoptiuus. Quæ quæstio responsionem habet, esse filiú Dei naturalem: nam filiatio sué fundamentú habet in supposito & persona, non auté in natura. In Christo verò non sunt duo supposita, quanuis duabus naturis constet, sed vna tantùm persona, eáq; simplicissima. Et perinde manifestò concluditur, non posse habere hanc filiationem adoptionis, cùm naturalis illi propria sit. Nihil tamen obstat, quòd eam gratiam habeat, quæ in nobis sufficiens est causa, vt filij adoptiui dicamur. Qui tamé etiam si virgo, doctor, & martyr fuerit: tamé illum habuisse aureolas non dicimus: quia aureolæ significát participationem perfectionis in actu, cú ipse non habuerit participationem perfectionis, cú fons & origo sit, à quo omnes perfectiones emendicauerint. Sic etiam in corpore immortali surrexit, impassibili, claro, subtili: tamen in ipso non vocantur dotes corporis gloriosi propter connotationem vocabuli. Sic etiam vocandus venit filius naturalis Dei: quia adoptio videtur naturalitatem negare. Aliqui nanque dicere voluerút filiú Dei adoptiuú etiam debere nominari, eo ꝙ sanctissima trinitas sine viri ministerio operata fuerat. Literá hác malè intellexerút isti, assumentes illá particulá, ideóque in rigore ita quòd significaret causam præteriti, ad id quòd sequens est: vt si diceres, Ego sum homo, ideo risibilis. Simili etiam modo dicút: Spiritus sáctus superueniet: ideò quod ex te nascetur filius Dei vocabitur. Quia etsi spiritus sanctus non veniret, erat nihilominus Christus filius Dei naturalis: ergo (inquiunt ipsi) de alia filiatione intelligendum est. Hi certè falso & infirmo utuntur argumento, quia ibi particula, ideò, non dicit causam

Christus quatenus homo filius Dei naturalis.

causam verborum præcedéctium; imò differitur ab effectu ad causam, vt si dixeris, Dies est, ergo lux & claritas est. Et ita intelligendus est locus iste: Spiritus sáctus superueniet in te: & virt⁹, &c. ideoq;, &c. scilicet, Quia ipse filius naturalis Dei est, ideò spiritus sanctus superueniet in te. Ideò cognoscet múdus Dei naturalem filium esse. Sic ecclesia hunc locum interpretatur: nam in quodam respósorio, loco ideóque posuit, quod enim ex te nascetur sanctum, &c. Sequitur, *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concipiet filiũ in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.* Exemplo nó erat opus illi quæ firmiter credebat: quocirca hic locus dupliciter exponendus venit. Primò, dico hoc exemplum adduxisse, non vt crederet, sed ad maiorem lætitiam & gaudium virginis, ad maiorem firmitatem eorum quæ circa fidem ipsi virgini dixerat: Quia fides à ratione offenditur, quàm ipsa ratio præcedit: tamé secùs contingit, quando sequitur. Nam postquam credimus quòd naturali ratione non probatur, ratio quæ post fidem sequitur, iuuat & fortiorem efficit ipsam fidem. Et ita post susceptam fidem, quæ adducuntur rationes, non sunt, vt per eas credamus: sed vt cognoscat fidelis, id quod credit consonum rationi esse, etsi humanum prorsus excedat intellectum. Itaque nó adduxit hæc angelus virgini, vt crederet: sed vt eius animus reficeretur, & vt intelligeret id mysterium secundum rationem esse. Vbi aduertes particulas illas, & ipsa, maxima emphasi pollere. Nam si ipsa concepit à fortiori & tu concipies, vt tibi dixi, Ex parte Dei nullum est miraculum: quia quidquid producit, libera sua volũtate producit. Ex parte autem nostra maius erat miraculũ, vt conciperet Elisabeth: ná duo erant illi impedimenta, alterum sterilitas, alterum verò senectus. Nihil enim vnũ miraculum sufficeret; quia etsi viginti annis natu esset, non pareret propter sterilitatem: & licèt fœcunda, non pareret propter senilem ætatem. At vt virgo pareret, vno tantum miraculo fuit opus: quia nec sterilis, nec ad senectã peruenerat. Rectè igitur angelus disputat, & sumit argumentum à minori ad maius, recensens vtrunque miraculum: alterum quando dixit, concepit filium in senectute sua: alterum verò cùm subdit: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis. Ac si diceret, Si solius hominis conceptionem duo præcedunt miracula, quid mirum si conceptionem veri Dei vnum miraculum antecat? Secũdò, locus hic venit exponẽdus: nam cùm angelus in hac re summopere virginis consensum optaret, intendebat, vt breuiter ipsi responsum daretur, etenim cupiebat, vt quàm citissimè donum acceptaret: & ideò dixit: Ecce Elisabeth cognata tua. Nec particula, ecce, sua emphasi caret, acsi diceret, Considera ô gloriosa virgo Elisabeth cognatam tuam filij tui præcursorem ab hinc sex mésibus cócepisse, vt vel sic virgo sacra dictis annueret. ¶ Sed offert se statim dubium, quomodo Elisabeth cognationem habuerit cum beata virgine, cũ lex prohiberet eos, qui diuersæ tribus erant matrimonio copulari, &
Nume. 36. virgo, vt ex priori capite Matthæi constat, erat de tribu Iuda, & de domo Dauid: Elisabeth verò vxor fuit sacerdotis, qui ex tribu Leui ortum ducebat. Satis fit autem huic obiectioni si aduerteris, hanc diuisionem factam fuisse propter cõfusionem pos-
Num. vlt. sessionum, vt habetur in Numeris. Sed tribus Leui, non habebat possessionem: ideò poterat contrahere matrimonium cũ aliis tribubus. Mos verò erat sacerdotibus, vt semper contraherent cum filiab. de tribu Iuda, quæ & regalis, & nobilior erat. Sic Aarõ *Exod. 6.*
qui erat ex tribu Leui, accepit in vxorem Elisabeth sororem Naason, filiam verò Aminadab, qui erat princeps tribus Iuda. Et Ioyada summus sacerdos duxit vxorem Iosabeth filiam forã regis Ochoziæ, qui erat ex tribu Iuda. Ideo quamuis Zacharias es- *2. Paral. 22.*
set de tribu Leui, benè poterat vxor eius beata Elisabeth esse de tribu Iuda. Fuit enim mater Elisabeth soror Annæ matris Mariæ virginis, sed natu minor, quæ virum habuit Aaronitem, ex qua nata est Elisabeth, & sic cognata fuit virginis Mariæ. Nã vt Augustinus ait, caro Christi ex vtroque genere *Aug. lib. 2. de consen. euang. c. 2.*
regum, scilicet & sacerdotũ fuit propagata: & Maria virgo Aaronitica erat, & ex semine Dauid regis. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quia non solùm id quod fit, sed id etiam quod cogitatu comprehendi potest facta facilè domino est: cùm verbum & oris, & mentis opus ambiat. Ita enim licèt diuinam maiestatem venerari & suscipere, vt quemadmodum angelus absolutè dixit, omne verbum: ita intelligas nullum esse verbum, quod Deo factu impossibile sit. Ipse enim est qui dixit, & facta *Psalm. 148.*
sunt: qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ *Rom. 4.*
sunt: qui imperium habet sicut & vitæ, ita & mortis. Vnde nec dixit angelus, nulla res est ei impossibilis, sed verbum, quia dicere Dei est facere. Homines multa consuescunt dicere, quę facere neutiquã possunt. Esaias dixit, Ecce virgo concipiet. Dixit *Esaiæ 7.*
ipse, & factum est à spiritu sancto. Nihil Deo factu difficilè, in cuius potentia per obedientiam est omnis creatura. Ieremias inquit, Non erit tibi difficile *Hiere. 32.*
omne verbum, qui facis misericordiã in millibus. Et diuinus Psaltes, Omnia quæcunque voluit, fe- *Psal. 113.*
cit. ¶ Aduerte autem omne verbũ, in hoc loco, idẽ valere quod nullum, acsi diceret, Nullum verbum est impossibile. Sæpè enim in scriptura sacra particula, non, quæ præcedit aut sequitur post dictioné omnis, significat idẽ quod nullus. Vt ad Ephesios ait Paulus, Omnis sermo malus ab ore vestro non *Ephe. 4.*
procedat, id est, nullus sermo malus. Et Abacuch, *Abac. 1.*
Omnis spiritus non est in eo, id est, nullus spiritus. Et in Ecclesiaste, Non est omne nouum sub sole. Et *Eccle. 1.*
in Exodo dominus ait, Omnem viduam & pupillũ *Exod. 22.*
non affligeris. Et in Leuitico, Omnem adipem & *Leui. 3.*
omnem sanguiné nõ comedetis. Et iterũ in Exod. *Exod. 20.*
Non facietis omne sculptile. Et Ioánes. Omnis qui *1. Ioan. 3.*
peccat, non videt Deũ. Et in Genesi, Vt non interfi- *Genes. 4.*
ceret eũ, omnis qui inueniret eũ. Sic in præsentiarum, Nõ erit impossibile apud Deũ omne verbum. ¶ Sed ad maioré huius loci explanationẽ, nó parua videtur hîc oriri difficultas. Videtur itaq; quod angelus his verbis velit, paruæ fidei nota ipsã virginé innuere, vel saltem desperationis crimine. Inquit enim, nihil esse Deo impossibile: quasi ipsa de hoc dubitauerit, vel crediderit, aliquid esse Deo impossibile. Nã si virgo credidit hæc omnia esse Deo possibilia: quid opus erat, vt angelus hæc verba subderet: Solutio hui⁹ dubitationis tibi erit, q; illa verba quæ angel⁹ fuit loquutus, dãtur in responsioné his, quib. virgo interrogauit, cum dixit, Quomodo fiet istud. Ac si diceret, Iã tibi modo dixi, s. spiritũ sanctũ in te venturũ esse, & Deũ habiturũ loco viri: & non solũ hunc modum, sed & alios plures dominus habet, quos nec possem cõprehẽdere, & meipsum latent: hoc tamen vnum scio, nihil difficilè, aut im-

possibile esse admirabili suæ potentiæ, cum multis & variis modis idipsum possit præstare, tamen hic modus conuenientior fuit.

¶ Sed his omnibus prætermissis, aduertat hic Christianus lector, hæc verba. Nihil apud Deũ impossibile, maximum esse nobis solatium. Semper namque dominus vult & potest nobis, vel iam desperatis suppetias ferre. Non possum non eorũ animos reprehendere, qui in suis vitiis & peccatis iacentes existimant se nunquam posse ad meliorem vitæ conditionem resipiscere. Aliud hominum genus est, qui nunquam læti incedunt, & iudicant vix fieri posse, vt eorum animos aliquando exultatio salutet. Alij verò sunt ita mentis impotes, & vitio carnis dediti, vt vel monstrum esse fingant, posse vel vno die sine mulieribus conuersari, vel castum & mundum esse. Qui omnes si attentis auribus suæ inscitiæ reprehensionem velint auscultare: audiant vas illud electionis Paulum dicentem, Omnia pos-
Philip. 4. sum in eo qui me confortat. Libenter namque tibi, quicunque fueris concedimus sine Deo, adiutorio nostro parum aut nihil imbecillam nostram & fragilem naturam posse: tamen si ipse dominus nobis adest, quod pelagus non audebimus intrare? aut quod periculum non aggrediemur? Illud autem in omni angustia, aut infirmitate agendum tibi est, vt semper rogationibus instes, vrgeas, ores, illum inuocando: potens quippe est, & castitatem tuam custodire, & te obseruare immunem à peccato, & ingentem spiritus consolationem præbere, nisi fortè tu fidei imbecillitate ipsi obstaculo fueris. In quorum omnium gratiam, si tibi placuerit, leges septimum caput libri quarti Regum, vbi eleganter videbis, quomodo omnia domino sint facilia, etiam si humanis viribus longè ardua & impossibilia videantur: Dixit enim Elisæus, In tempore hoc erit modius, simile vni stateræ. Respondit autem incredulus quidam, Si dominus etiam fecerit catharac-
4. Reg. 7. tas in cælo, nunquid poterit esse quod loqueris? Nihilominus factum est, vt dixerat propheta, & incredulus ille mortuus est. Quocirca tibi laborandum est, Deũ semper exorare, vt velit te ad seipsum conuertere, & neruos tuos in id debes intendere: vt adimpleas ea, ad quæ teneris: tuncque videbis omnia negotia tua fœliciter succedere, etsi hodie tristis es, crastino die lætus eris, *Dixit autem Maria.* Tunc beatissima virgo auditis verbis angeli, quæ profundissima sua erat humilitas genibus flexis, manibus corporis simul, & mente leuata, dixit. *Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Statimq; prolatis verbis angeli & ipsius virginis consensu adhibito quatuor miracula fuerũt facta. Primũ, corporis Christi ex puro virginis sanguine cõceptio & formatio. Secundũ, animæ Christi ex nihilo creatio. Tertiũ, animæ ad corpus vnio, siue infusio. Quartum, assumptio humanitatis nostræ à diuinitate. Quemadmodũ enim terrę vapor solis præstanti vi in sublime fertur, vbi sub aurora cõcretus in rorẽ conuertitur, qui decidens terrã fertilẽ & lætã reddit. Sic purissimus sanguis virginis gloriosæ virtute spiritus sancti vterũ influens sine vlla virilis seminis cõmixtione creuit in corpus Christi, qui editus in lucem terrã ingenti gaudio affecit, & generi humano spiritus fœcunditatẽ tribuit. Quod
Esaiæ 45. intuens Esaias dixit, Rorate cæli desuper, &c. Aduerte autẽ hæc quatuor in eodẽ instanti fuisse facta: quia in his non fuit priùs aut posteriùs tẽpore: sed naturæ tantũ. Nãque non per temporis incrementum formatũ fuit corpus Christi sanctissimũ, sicut cætera humana corpora, nec anima facta completis quadraginta diebus: sed vnico temporis momẽto Iesus Christus filius Dei factus est perfectus homo, assumens verbũ diuinũ naturã humanã in vnitate suppositi, in quo eodem instanti celebratæ fuerunt in vtero intemeratæ virginis nuptiæ hypostaticæ vnionis. O admirãda erga miseriã & fragilitatẽ hominum diuina dilectio. O diuinus amor, qui ex duobus vnum efficit. In primitiua ecclesia erat cor vnũ & anima vna. Quod factũ intelligendũ venit, Act. 4.
vel in voluntatibus, vel in pijs affectionibus, quod re vera nõ ex duobus vnũ cõficit: quia etsi duo fratres ardentissimo inter se coniungantur amore: at hic amor finitus cũ sit neutiquã ex duobus vnum faciet. Verumtamen diuinus ille & supernus amor, quo Deus nos fuit prosequutus, cum nullis finibus aut terminis clauderetur ex duobus naturis personam fecit: quia Christus non duplex, sed vna tãtum simplicissima persona est. Descẽdit Dei filius factu- Psal. 71.
rus ex duobus vnum: sicut descendit pluuia in vellus. Non autem sicut descendit pluuia in terrã, nam tunc sonitũ reddit: super vellus autẽ nullũ. Cũ igitur filius Dei descenderit non cũ sonitu & strepitu, ideò ait egregius Psaltes descendisse, sicut pluuia in vellus cũ magno silentio & taciturnitate, ita vt ipsũ dæmonẽ latuerit ingressus eius in virginalẽ aulam.

¶ Præterea descẽdit pluuia in vellus, nullo iniecto discrimine in ipsum, sed integro & intacto manente. Sic Christus descendit in virginis vterũ, ipsius virginitate intacta & incorrupta manente.

¶ Tertiò, extrahitur aqua à vellere sine corruptione velleris. Sic Christ^9 ab vtero matris micãs exiit, ipsius virginitate ex omni parte integra manente.

¶ Quartò, purius & nitidius propter pluuiam manet vellus. Sic beata virgo sanctior, melior & excellentior fuit post partum quàm anteà. Addidit vlterius Psalmista. Et sicut stillicidia stillãtia super terrã: Nimbus si magnus est submergit & vitiat terrã: tamẽ stillicidiũ cadẽs eã vberiorẽ reddit. Quod quidẽ misterium sancta ecclesia significare voluit, cum inquit, Quãdo natus es ineffabiliter ex virgine, tũc impletæ sunt scripturę sicut pluuia in vellus descẽdisti. De cui^9 pluuię fructu sequitur: vt saluũ faceres genus humanũ. ¶ Verũenimuero iã erit operæpretiũ singula verba huius tanti mysterij discurrere: & protinus videbun^9 singulares virtutes, quas virgo sacro his excellentib. verbis pãdit. Et in primis obserua particulã ecce, idẽ esse ꝙ vtiq;, siue sanè: estq; significatiua obtẽperantis seu dedẽtis se in Dei obsequiũ. Vnde Esaias dixit, Ecce ego, mitte me. Et in Esa. 6.
Psalm. Tũc dixi, ecce venio. Et quãdo dominus ap- Psal. 39.
paruit Samueli, respõdit Samuel, Ecce ego. Ac si di- 1. Reg. 3.
ceret, Paratus sum tuos iussus adimplere. Et in hoc sensu sumitur in isto loco. Significat enim prõptũ, paratũ, sollicitũ, diligentẽ seruũ, qui paratus est vt sine difficultate obediat. Ecce ego nõ fugio, nõ me abscondo, prõpta sum, & parata. Paratũ cor meum Deus, paratũ cor meum. ¶ Vtitur etiam verbo, fiat: Psal. 107.
Per primum fiat, conditus est mundus, & per secũdũ Mariæ reparatus. Hoc verbo fiat, vsus est dominus creatur^9, cœlũ, terrã, & lucẽ. Videtur tamẽ excellentiorẽ & præstantiorem fortitudinẽ habuisse hoc virginis, fiat: quã illud quo mundus est conditus. Nã illo domini, fiat, factæ fuerunt omnes creaturæ: hoc autem, fiat, virginis, vniuersi creator homo factus

mo factus est: qui æternus cùm esset, nostram mortalitatem induere fuit dignatus.

¶ Obserua etiam non dixisse, fiat in me, sed mihi: cùm & optimo iure posset dicere, fiat in me: quandoquidem in ipsa operatus est dominus illud diuinum mysterium, & in ipsius ventre Christus cōceptus fuit. Sic angelus, Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. *Matth.1.* Et in Psalmo. *Psal.86.* Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea. Ideo iure optimo posset dicere: fiat in me secundum verbum tuū, sed noluit ita dicere, sed fiat mihi, id est, in meum bonum, in meum honorem, & vtilitatem. Omnes afficiuntur donis hac sancta virginis obedientia, quia omnibus remedium præbuit: tamē maioribus me ornauit beneficiis: qui me elegit in matrem excellenti modo gratia sua me ipsam præseruans.

¶ Aduerte autem domini nomen esse in hoc loco, ecce ancilla domini, nomen proprium. Propriū quo sciendum Deum in scriptura sacra multa nomina habere, quæ aliis communicantur. Nam nomen אלהים elohim, Deo proprium est, nihilominus angelis & iudicibus tribuitur. Tamen vnū solùm nomen tetragrammaton incōmunicabile aliis præter Deum est, quod quatuor literis cōstat י iod ה he ו vau ה he, quod est יהוה Iehouah, quod ineffabile erat apud Hebræos, vel eo quòd literæ quæ nomen componunt, quiescentes & insonæ sint, & nullam per seipsas articulatam vocem possint exprimere, vel propter diuinæ maiestatis reuerentiā: cuius propriissimum nomen nec audire, nec nominare fas putant. Et quia antiqui gētium poetæ audierant Deum appellari Iehouah, finxerunt Deum suum, quem vocauerunt Iouem deductum à Iehouah. *Exod.28.* Quod nomen Dei proprium portabat sacerdos in lamina aurea. Ne autem tam potens & ineffabile nomen Iudæi nominarēt, loco Iehouah vtebātur nomine אדני Adonai, quod significat idem quod dominus: quia dominus & Deus appellatiua sunt: quia Deus commune nomen, & non singulare est, etsi de vno tantum verificetur, sed id propter suam significationem non est, sed quia dij plures non sunt. Sicuti sol qui verificari non potest, nisi de hoc sole, quem dominus condidit: quod nomē appellatiuum est, quia si plures soles essent, quilibet isto nomine gauderet. Eodem modo hoc nomen dominus, appellatiuum est, & conuenit Deo respectu creaturarum, in quas omnes dominium habet. Tamen nomē Iehouah proprium Deo est, & ipsius naturæ, & significat vnitatem naturalem essentiæ in trinitate personarū sine aliquo respectu ad creaturas, & sine relatione ad extraneam rem. Significat etiam summam entitatem sine dependentia: significat tandem fontem & originem totius esse. Tanto enim honore nomen hoc apud Hebræos habebatur, vt si legentes scripturas ipsum inuenirēt, non voce, sed mente tantum illud proferebant, ita vt dignos se non iudicarent ad tantum nomen exprimendum, & ita loco nominis Iehouah, vtebantur nomine Dominus. Et ita in versionibus transferebant, Dominus. Virgo autem Maria totum sermonem istum habuit Hebræa lingua. Et ita dixit, Ecce ancilla Iehouah, fiat mihi secundū verbū tuū.

¶ Iam verò videre restat, quas virtutes sacra virgo verbis istis manifestauerit. Primò namque mirabilis obedientia ipsius splendet, cùm se ipsam totā in domini manus committit, vt pro libito in ipsa operetur. Ex qua obedientia poteris tu exemplum elicere, vt prælatis & superioribus obtemperes. Nam, sapiens inquit, Vir obediens loquetur victoriam. *Prouerb.21.* Vnde tempore quo Adam obtemperans erat Domino, ipsi omnia subiiciebantur. At verò postquam mandatis Domini non acquieuit, animalia etiam obedientiam illi denegarunt. *Genes.3.* Nec mireris, si aduersus inobedientem Ionam ipsum turbulentum mare, nauis & venti insurgāt, & resistant: *Ionæ.1.* postquàm verò domino se subiecit, piscis qui ipsum deuorauerat, illum euomuit, & Niniuitę se ipsi subiecerunt, & eius dictis obtemperarunt, *Dan.14. 3.Reg.17. Dan.3.* Leones subiecti sunt Danieli: corui seruiebant Heliæ: nec pueros in caminum iniectos, ignis combussit. *Ambros. in Lucam. Eusebius vt supra.* Et quod maius est ipsemet dominus homini obtemperanti obediuit: nam ad vocem Iosue stetit sol in cœlo cōtra Gabaon. *Iosue.10.*

¶ Secundò humilitas eius ostenditur: nam cum in reginam cæli, & matrem Dei eligitur, ancillam se vocat. Quod quidem ingenium est iustorum & sanctorum virorum, qui dum magis laudib. extollūtur, ipsi abiectiùs & humiliùs de se sentiūt. Cuius rei exemplum in rege Dauide experieris, cui cum Nathan egregia & preclara dixisset, ingressus templum in terra humiliter sedens dixit, *2.Reg.7.* Quis ego sum domine, &c. Sic & Abigail cùm in vxorem à Dauide acciperetur, in terram prona humiliter respondisse fertur seruis Dauid. Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei. *1.Reg.25.* Quēadmodum enim superbi cùm laudantur, & honoribus afficiuntur, magis ac magis insolescunt: sic viri perfecti altiùs in virtute radices agunt. Artifex namque paruam domum constructurus, non altū iacit fundamentum, quia parietes non multum erigendi sunt. At ædificaturus templum, turrim, aut arcem, profunda mittit fundamenta. Sic dominus quando vult aliquem pro sua ingenti in nos liberalitate sanctissimū efficere: prius humilitatis sanctis documentis illum instituit, ita vt quanto perfectior & sanctior fuerit, tanto sit in humilitate profundior. Nec longè huius rei testimonium habes in Ioanne: qui cùm exemplar sanctitatis esset: dixit, Non sum dignus soluere corrigiā calceamenti, &c. *Ioan.1.* Et Paulus Apostolus, Ego sum minimus Apostolorum: *1.Cor.15.* qui non sum dignus vocari Apostolus. Et alibi: Christus Iesus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. *1.Tim.1.* Et sanctissimus ille fidei pater. Loquar ad dominum meum, cum sim puluis & cinis. *Genes.19.* Nec beatissima virgo super omnes angelorum choros exaltata esset, nisi prius infrà omnes homines se ipsam abiiceret. *Humilitatis meritum.* Cùm igitur beata mater promouenda esset ad tantam dignitatis celsitudinem: ideò profundissima humilitate decuit exornari. Verùm enimuero si in hac re mundanum morem attenderis, videbis eum ad similitudinem falsi artificis operari. Nam quos mūdus extollit, nullis iactis humilitatis fundamentis, citò corruunt. Et in hoc facilè dignosces eos, qui vel à mundo, vel à Deo extolluntur. Quippe quos dominus ad dignitates & excelsa munera eligit, ij suis officiis humiliter præsunt: & in suis honoribus, nec latum vnguem ab humilitate discedūt. At electi à mundo superbè imperant. Vnde beata virgo sicut dignitate omnes antecelluit: sic omnibus humilitate præstantior. Et ita ab Angelo salutata, & à Deo exaltata respondit, Ecce ancilla domini. Nec mirum videri debet, quòd in infirmo statu aliquis constitutus humilis sit: sed illud maximum est, &

est, & omni laude digniſſimum, vt inter honores
Obiectio. & dignitates ſedens, humilitatis documentum in
ipſo ſplendeat. Quòd ſi forſitan dixeris Dei matrẽ
non fuiſſe humilem, quia maior humilitas eſt honores à ſe abiicere, quàm acceptare illos: vt eſt videre in illis, quibus epiſcopatus, & maximæ dignitates offerũtur, quas renuunt: & Chriſtus humiliter ſe geſſit, quando in regẽ illum voluerunt, eligere. Quod ſi Maria humilis erat: quid eſt, cur hanc di
Ioan. 6. gnitatem acceptauit? Ad quod attẽdas rogo. Aliter namq; cum hominibus, aliter cum Deo agendum,
Respons. quia dignitates, quæ ab hominibus tribuuntur, cẽdunt multoties in acceptantium diſpẽdium & periculum. At quod Deus iubet, in noſtram vtilitatẽ redũdat, & humilitas eſt, id amplecti: eſſet autem ſuperbum obicem apponere. Si autem Deo contradiceres, venires arguẽdus ſuperbiæ, cùm ſignificares, Deum in præceptis errare, te verò non falli. Vnde
Ioan. 13. Chriſtus dominus meritò Petrum reprehendit, cũ nollet, vt eius pedes lauaret. Exiſtimabat Petrus, dominum id quod faciebat non rectè agere: quod genus ſuperbiæ eſt. Si magnatum aliquis famulo ſuo præciperet, vt in ſcabello ſederet, volens illius pedes lauare, ſi tunc famulus reſiſteret, ſuperbus eſſet: quia exiſtimaret ſe recto conſilio duci, dominum autem ſuum aberrare. Humilitas exercetur, cùm de voluntate ſuperioris conſtat ipſi obedientiam præſtari: cùm vero virgini diuina reuelatione conſtaret, illum eſſe angelum domini, & velle dominum virginem in matrem ſuſcipere: quanquam ipſi videbatur ſe tanti honoris eſſe indignam, tamen ſe ipſam diuinæ voluntati obtulit templum immaculatum. Poteſt etiam reſponderi appetitum noſtrum honoris ſitientem duabus indui virtutibus, humilitate ſcilicet, quæ retrahit ne voluntas aliquem honorem ambiat præter debitum ordinẽ. Ex altera autem parte adeſt huic appetitui magnanimitatis virtus, quæ animum addit & ſtimulum
D. Verba cũ humilitate magnanimitas. voluntati, ne dignitatem ſubire timeat, quando illam dominus confert in multorum vtilitatem, Quę duæ virtutes in virgine ſacra micarunt: namq; magnanima fuit acceptando dignitatem, quæ futura erat remedium humani generis. Item & humilitate fuit præclara: quia nec dignitatem cupiuit, nec ſollicita de illa fuit, ſed ex diuina domini voluntate virgini confertur. Quo facto non ſolùm obedientiæ & humilitatis exemplum dedit, ſed etiam præclarę magnanimitatis: cuius munus eſt alta & egregia ſua lance conferre.

¶ Oſtendit etiam animi ſui fiduciam. Poſſet namque tunc temporis virgo Angelo reſpondere. Videas, me parentes habere, quibus huius rei rationem ſum redditura. Quid enim Ioſeph vir meus dicet, ſi grauidam me viderit? Quid ſecum cogitabit? Si autem aſtruero opus eſſe ſpiritus ſancti, nequaquam dictis meis fides dabitur. Iudicabor blaſphema. Confidit virgo in domino: & ſe omniáque ſua in eius manus commendauit pro nimia ſpe & fiducia animi ſui. Sic de Suſanna legitur, quòd cũ falsò accuſaretur, cor eius habebat fiduciam in domi-
Dan. 13. no. Et denique vt breuiùs agamus in hac incarnationis hiſtoria nouem præclaras & excellentes virtutes de virgine ſacra narrat Euangeliſta. Virginitatem, cum inquit, Miſſus eſt Angelus Gabriel ad
Nouem hic in D. Virgine virtutes. virginem. Vitæ ſuæ honeſtatem, cùm dicit: ingreſſus Angelus ad eam. Verecundiam, his verbis, Turbata eſt in ſermone eius. Silentium, his, cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Prudentiam, vbi inquit, Quomodo fiet iſtud Obedientiam. Fiat mihi. Humilitatem, ſe ipſam domini ancillam vocans Magnanimitatem: quia pro vniuerſi generis humani ſalute matris dignitatem acceptauit. Fiduciã, quia ſe totam Deo commiſit.

¶ Poſtquam Angelus legationem ſuam abſoluit, cùm iam in virginis vtero filius Dei eſſet cõceptus incredibili lętitia, quaſi licentiam poſtulans à regina ſua, quàm vt Dei matrem iam venerabatur. *Diſceſſit Angelus ab ea.* Crediderim ego maioris reuerentiæ ſigna Angelũ in diſceſſu oſtendiſſe, quàm principio ſalutationis: nam priùs futuræ matris Dei cultum præbuit, poſteà verò ipſam veneratus eſt, vtpote quæ iam reuera domini mater effecta erat.

¶ Scias autem oportet præter omnes virtutes enarratas ſacram virginẽ excellenti charitate fuiſſe præditam, quæ regina eſt, & princeps omnium virtutum: Nam protinus poſt Angeli diſceſſum, non montium aſperitate detenta omni difficultate itineris aut laboris procul reiecta aſcendit in montana. Proprium quippe charitatis ingenium eſt, omnia ferre, omnia inuicto animo tolerare. Abiit per Charitatis eminentia in natura.
loca aſpera, inuia, & quæ virum alioqui robuſtum 1. Cor. 13.
& fortem à tanto labore poſſent deterrere, vt viſitaret Eliſabeth: quia locus vbi Zacharias morabatur altior erat Galilæa, à qua receſſit Maria. Ideo ſequitur. *Exurgens Maria, abiit in montana.* Cum rex ad aliud regnum proficiſcitur, nemini non eſt notum, quò profectionem ſuam dirigat, ita vt nihil aliud in omnium ora incidat, quàm regis profectio, & omnes incedũt, dicẽtes, Quid ſibi vult hoc inopinatũ regis iter? Quod eſt modo negotium ita arduum & difficile, vt poſſit regẽ à proprio regno & à propria patria commouere? Huius autem rei cauſa ea eſt, quia nobiles & principes in altis locis & in ſublimi ſunt conſtituti, ita vt greſſus eorum non poſſint non ab omnibus iudicari: & ſi aliquãdo pro imbecillitate oculorũ exiſtiment ſe à nemine videri. Ecce nũc rex regum, & dominus dominantium
proficiſcitur in breui virginis vtero à Galilæa in Iu Apoc. 19.
dæã, à prouincia in prouinciam, non deterritus itineris aſperitate. Equidem non ſine cauſa, non altiſſimo conſilio, tales ac tanti viatores iter aggrediũtur. Duabus igitur moti rationibus tendunt à Galilæa in Iudæam. Primum ea voluntate motus vt ei operi initiũ daret ad quod in mundũ venit vt peccatores ſaluos faceret. Proficiſcitur iã diuinus hic
mercator animã Ioannis lucraturus. Incipit iã ſuo 1. Tim. 1.
diuino redẽptoris munere fungi: & initium faciet
libertatis peccati ab anima diui Ioannis. Vnde poſt Origenes.
quam Eſaias dixit, Ecce virgo cõcipiet, & pariet fi- Iſa. 9.
lium, prophetans natiuitatem Domini: ſubdit ſtatim, Accelera, feſtina, prædare, antequã puer ſciat vocare patrem, aut matrẽ, auferetur fortitudo Damaſci. Auferet vires diabolo, & prædã ab ore ipſius extrahet. Et in Pſalmo egregius vates poſtquam de
Chriſti natiuitate fuit loquutus, inquit, Et ipſe tã- Pſal. 18.
quam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Et ſubdit. Exultauit vt gigas ad currendam viã. Quod idẽ inſinuauit Mathæus dicens, Cũ natus eſſet Ieſus in
Betheleẽ Iudæ, ecce Magi ab Oriente venerunt. Ac Math. 2.
ſi diceret, Statim vt natus eſt Chriſtus vocauit gẽtes, venerunt ab Oriente. Nõ diſtulit eorũ vocationẽ, nec procraſtinauit in diſtribuendis ſuæ pietatis & miſericordiæ theſauris: nam nondũ natus, Magis ſe oſtendit: & ſtatim conceptus Ioannẽ Baptiſtam vocauit.

vocauit. Certè inertia nostra & segnities digna reprehensione:nã cùm Christus ita diligenter se gerat in nostra salute seruanda,nihil magis nos posteriori manticæ mandamus, cùm sit nobis Diuus
2.Tim.4. Paulus exemplum præsentissimum, qui inquit,
Psal.118. Cursum consummaui. Et Dauid, Viam mandatorum cucurri. Benè igitur Esaias inquit, Deprædare, accelera spolia. Nam si adhuc infantulus manibus & pedibus deuinctis, in ventre clausus,ô sanctissime redemptor, talem prædam à draconis faucibus eripuisti: quid de te in Caluario apertis brachiis poterimus expectare?Non possum equidem non mirari, ô bone Christe, tuam istam sedulam diligentiam, & solicitudinem: quam erga oues tuas lucrandas attulisti.Nam cùm posses Ioãnem à Nazareth sanctum efficere,& gratiam tuam illi conferre,dignatus es ad illum proficisci: vt maiori donorum cumulo tibi deuinctus teneretur. Rectè Dauid in persona Ioannis inquit, Dominus
Psal.39. solicitus est mei. Non dixit, quòd illius curam habebat: sicut rex suorũ subditorum habet, aut alius quispiam:sed solicitus est.Vt rectè verba verbis, & promissa promissis consonent. Quia non dormita-
Psalm.120. bit,neque dormiet,qui custodit Israel.

¶ In cuius loci consideratione gradum sistas oportet, & videas quanto odio peccata dominus prosequatur:nam protinùs, vt in virgineo vtero carnem assumpsit,incepit ipsum peccatum expugnare.

Qui locus nihil aliud nos admonet, quàm vt semper peccata tanquam perniciosissimam pestem detestemur, vel eo maximè, quia Iesus Christus maximis laboribus,& tanto suæ vitæ discrimine id ab animabus relegauit.Quòd si videre cupis, quo gradu ipsum peccatum oderit,pluribus possem demõstrare: sed vt reliquis patientes aures mihi accommodes,breuibus tecum agam modò. Ita dominus peccatum detestatur, vt illius causa filium suum interfecerit. Vt peccatum destrueret, & ab animabus nostris relegaret, filium vnigenitum morti exposuit. Quæ ratio deberet teipsum ita conuincere, & commouere, vt nihil magis à te alienum esset, quàm flagitium committere. ¶Secundò proficiscitur virgo in domũ Zachariæ, vt semper in illa maiora beneficia & honores cumularentur.Vult enim dominus,vt virginis dignitas & excellentia,quæ ab angelis erat solùm cognita, nota sit etiam hominibus,vt ipsa tanquam mater Dei laudetur.

Postquã enim angelus matris honore illam salutauerat,vult etiam vt à beata Elisabeth laudetur,& debita veneratione colatur, cum dixit, Vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Vbi diligenter aduertas obsecro,quantam adhibeat dominus diligentiam in colendis suis amicis, & in manifestandis mundo ipsorum virtutibus, quas ipsi propter humilitatis virtutem abscondunt.

Quis enim valebit dicere, etiam si flumen ingenij pro animi sententia ei natura concesserit, quibus encomiis,quibus laudibus & honoribus sanctũ Ioseph in Aegypto venditum extulerit? Quis benefi-
Gen.41. cia Dauidi collata (etiam si lacteus eloquẽtiæ fons illi fœliciter contigerit)poterit enarrare? Quis de-
1.Reg.16. nique attingere audebit laudum Moysi enarratio-
Exod.3. nem,qui electus à domino fuit in ducem populi Israel? Nec mirum si tecum paratissimus sit id facere,si vanas mundi laudes nõ captaueris,& soli Deo placere studueris. Nãque officium domini & munus est,abscõdita mundi inuestigare,vbi sanctis vitæ documentis serui sui delitescũt,vt eorum nomina per totum terrarum orbẽ celebret & prædicet. Iraq; exurgens beatissima virgo abiit in montana, nõ de verbis angeli incerta,sed lumine cælesti illustrata dictis angeli fidẽ adhibens: vt vel sic per eius aduentum ea Ioanni contingerent, quæ Angelus Gabriel prædixerat, scilicet:vt adimpleretur Spiritu sancto. Quod autem verbo,exurgere,vtatur,Hebræa loquutio est,aliquid agendum significans. *Exurgere quid significat.* Vt est illud Cãticorum, Surge propera amica mea. Et Cant.2.
in Psalmis,Surge Domine in requiem tuã, tu & arca sanctificationis tuæ.Et iterum,Exurge domine Psal.131. Psal.9.
non præualeat homo. Et exurgat Deus,& dissipentur omnes inimici eius. Psal.69. Et possemus idem sexcentis aliis locis comprobare. ¶ Quòd si attentiùs hunc locum considerare velis,inuenies aliquid adhuc quod possit in tuum lucrum & emolumẽtum cedere. Nam sicut beata virgo cũ primum iter aggreditur montes & laboriosa loca inuenit, nec his omnibus ab incepto destitit:sic tu si aliquod virtutis opus facere inceperis, scias multos labores paratos tibi esse,multa obstacula & impedimẽta,quæ omnia leuissima esse debẽt, vt te ipsum possint deterrere. *Initia virtutum grauia.* Omnes nãq; qui piè volunt viuere in Christo,persequutionem patiuntur. 2.Tim.3. Vnde iã te persuasum esse velim, vt nolis per mollia & blanda vitæ tuæ cursum peragere, nolis vitiis & voluptatibus peccato animo indulgere:sed manu semper apprehende ea,quæ difficilia & aspera sunt,vt per semitã virtutis recto tramite ad culmen gloriæ valeas peruenire.Secundò aduertas, ne vnquam difficultatis causa à bono incepto discedas: quia non sine labore ascenditur ad montana loca. Nam Saluatoris est dictum, Arcta est via,quæ ducit ad vitã. Math.7. Huius nãq; difficultatis & laboris consideratio à bonis inceptis gradũ retrahit. Israëlitæ etenim audientes fertilitatem terræ promissionis gauisi sunt valde, & se Num.14.
ipsos parauerunt ad possidendum eam, & ad præliandum:at postquam difficultatem & laboriosum iter inspexerunt,ingenti timore sunt perculsi. Tertiò scias oportet nõ satis esse vt omnia tibi sint prospera & fœlicia,& quod nihil tibi desit: sed etiã est pernecessarium,vt fratrum & vicinorum tuorum curã semper habeas: vt & in laboribus & afflictionibus eos consoleris,& in necessitatibus liberali, & amica manu eis subuenias.Abiit Dauid, vt visitaret fra 1.Reg.17.
tres suos in prælio constitutos, & interfecit Goliã. Gen.37.
Abiit etiam Ioseph,vt inuiseret fratres suos, & quã uis priùs venditus fuit,inde tamen consequutus est sedem regni.Licet etiam aliquãdo vitam contemplatiuã relinquere,vt actiuæ possis ministeria præstare.Etenim etsi contẽplatiua excellentior sit actiua,nihilominus multoties propter cõmodum proximi eam licèt deserere. *Actiua vitæ cum contemplatiua comparatio.* Vt est exemplum sacræ virginis,quæ vt visitaret Elisabeth contemplationem relinquit. Nec intelligas magis meritoriam semper esse contemplatiuam vitam,quàm actiuam. Huius autẽ rei ratio est, nam meritũ charitatis perpendiculo mẽsuratur.Vnde cũ aliquis ita feruidus in Dei amore actiuo operi possit incumbere, aliàs verè remissè & tepidè cõtẽplationi vacare:inde manifestò elicitur eo casu actiuã vitã suis gradib⁹ cõtẽplatiuã antecellere.Hinc fit,vt beatissimus Paulus dicat, se velle à suauitate cõtẽplationis abduci propter salutẽ fratrum, Rom.9. quibus prædicãdi munere maiorẽ diei partem consumebat: quod quidẽ actiuæ vitæ præclarũ exercitium est, & magnum pietatis & misericordiæ

cordiæ opus. Hæ duæ nanque vitæ ita mutuis officiis ſe adiuuant, vt nequeat contemplatiuus dici, qui actiuæ non ſuccurrerit, vidēs proximum in neceſſitate conſtitutum. ¶ Quinto loco curādum tibi eſt, ne dona tibi à domino collata parca manu tuis fratribus communices. Ne tibi cōtingat, quòd

Math.25.

ſeruo illi in euangelio, qui damnatus fuit, eo quod talentum à domino traditum abſcondit. Ad cuius rei recordationem te facilè adducet pulchritudo, & ornatus cœli, Sol, luna, ſtellæ, arbores, & deniq; vniuerſæ creaturæ, quę omnia ſedulo miniſterio, & ſui creatoris nutui obediunt, & nobis ſuas virtutes communicant. Cur igitur dedignaberis tu, eruditione & doctrina tua alios inſtruere, non recordatus Pauli dictum: diſpenſatóres ſumus miniſteriorum Dei. Non dicit, domini ſumus, ſed diſpenſatores.

1.Cor.4.

Voluit beatiſſima virgo donum Dei communicare ſanctis Zachariæ & Eliſabeth: vt eius aduētu Ioannes ſpiritu ſancto adimpleretur, & vt Zacharias & Eliſabeth ſpiritu prophetico clari eſſent. ¶ Vt autem intelligas Deo eſſe ſeruiendum non tepidè aut ignauè, ſubdit ſtatim euāgeliſta virginem adiiſſe, *Cum feſtinatione.* Quid verba hæc ſibi volūt, vt virgo honeſtiſſima, itineris inimica, cubilis amatrix, cum tanta feſtinatione proficiſcatur? Certè id altiſſimo myſterio non vacat.

Proclivior Deus ad veniam quã ad vindictam.

Ex omnibus, quæ protinus & incitare & inuitare nos deberent, vt in domini obſequium dilıgētes eſſemus, id vnum eſt, cùm videamus pro eximio ſuo in nos amore, eum pigrum eſſe ad vindictam ſumēdam: liberalem autem & magnificum in venia condonanda. Nam cū primum, primus noſter parens in delictum incidit, inquit ſcriptura, ꝙ deambulabat dominus ad auram poſt meridiem: quando venerat ſumpturus de ſcelere vindictam. Non dicit ſcriptura, quòd currebat, ſed ambulabat: vt intelligas, pedetētim, & pluſquàm teſtudineo gradu incedere, cū vult ſuppliciū infligere. Cuius rei exemplum videre licet. Nam cū eſſet in animo grauiter in Sodomitas animaduertere, ad Abraham loquitur, & fit illi obuiam: vt pro tam iniquo populo rogaret.

Gen.3.

Gen. 19.

Cuius volūtatis ſignum euidentiſſimū eſt, vt dixerit, quòd ſi decem iuſti in ciuitatibus illis inuenirentur, ſe relicturum illas ciuitates liberas & incolumes. Et cū decreuit vniuerſum aquis diluuij ſubuertere, centum annis ante ſubuerſionem id Noë manifeſtauit. Et Pharaonem ſepties monuit priuſquàm in mari rubro illum ſubmergeret. Et Niniuitas etiam priùs monuit & miſit ad eos Ionam prædicaturum. Contrarium autem morem obſeruat, cùm tendit ſua miſericordia cum aliquo vſurus: feſtinat, accelerat ſolicitus & anxius tēdit. Nam Zachæo dixit, Zachæe feſtinans deſcende. Quare cùm feſtinatione: quia tendebat ad iuſtificandum peccatorem: in his autem quæ ſpectant ad miſericordiam non opus eſt mora. Et impio illi ac nefario Iudæ dixit, Quod facturus es, fac citiùs. Cupiebat iam piiſſimus redemptor prætium noſtræ ſalutis perſoluere. Et ipſe dominus ait, Baptiſmo habeo baptizari: & quomodo coarctor donec perficiam illum? Loquebatur de ſua paſſione, & redemptione noſtra. Sic ſpiritus ſanctus repentè deſcendit ſuper Apoſtolos eos ſanctificaturus. Nec id ſilentio prętereundum quòd centum & quinquaginta diebus diluuium durauit, paucioribus verò aquæ defecerunt: vt oſtenderet ſe magis pronum eſſe ad miſerendum quàm ad flagellandum, & vix ferre poſ-

Geneſ.7. *Exod.14.* *Ion.3.* *Luc.19.* *Ioan.13.* *Luc.12.* *Act.2.* *Geneſ.8.*

ſit ſemper in punitione perſiſtere. Et Eſaias inquit, Prædicate annum placabilem domino, & diem vltionis Deo noſtro. Vbi elegantibus verbis iam videris, vltionem vnica tantum die claudi: expiationem verò & miſericordiam per anni ſpatium.

Eſa.14.

Quod etiam idem Eſaias confirmauit dicens, In momento indignationis abſcondi faciem meam à te: & in miſericordiis ſempiternis congregabo te. *Perpendas* autem quomodo indignatio per temporis momentum duret: miſericordia autem ſempiterna ſit. Nec mirum ſi dominus pronior ſit ad miſerendum quàm ad vindicandum. Nec mirum etiá ſi piger & cum tarditate ad puniendum abeat: ad condonandum verò cum properatione. Nam ſi lapidem ſurſum velis in altum ædificium collocare magnis ingeniis, machinis, & funibus opus eſt. Quod ſi in centrum vſque velis eum proiicere: non alia re indiget, niſi vt à manu excidat, cùm grauis natura deorſum ſit tendere, leuis autem ſurſum. Ita ſanè ſicuti lapidi proprium eſt nulla facta mora deſcendere: ita Deo proprium miſerationibus vti.

Eſa. 54.

Vnde eccleſia ſancta diuino ſpiritu gubernata domino canit, Deus, cui proprium eſt miſereri, ſemper & parcere. Peccatoribus iraſci, & in eos animaduertere, opus Deo alienū eſt, vt inquit Eſaias: quia ei aduentitium eſt ratione tráſgreſſionis mandatorum. Ideò quaſi coactus, & noſtris flagitiis, exigentibus dolens punit, vt ipſemet per Eſaiam inquit, Heu cōſolabor ſuper hoſtibus meis: & vindicabor de inimicis meis. Ratio autem cur domini proprium ſit miſereri, ea eſt: quia ad completam rationē effectus miſericordiæ, non requiritur actus, vel meritum noſtrum, ſed ſolùm quòd Dei eſt. Ad rationem autem effectus iuſtitiæ, & demeritorum exigentia requiritur. Ideò proprium eſt ei parcere & miſereri, alienum autem punire. Vnde idem Eſaias hoc domini ingenium clarioribus verbis expreſſit dicēs, Egredietur Deus de loco ſuo, dum punit. Et Ieremias in Threnis dicit non ex corde ſuo abieciſſe filios hominum. Diligens itaque eſt dum miſeretur. Hac de cauſa virgo beata properat in domum Zachariæ cum feſtinatione. Mouebat Chriſtus greſſus matris, vt feſtinanter incederet, quia ibat ad perdendum peccatum. Ad quid ô beata virgo cum tanta feſtinatione properas? Non certè, vt aliquem occidat, non vt vindictam ſumat: ſed vt Chriſtus parcat, & vt miſericordia vtatur. Ingenium hoc eſt filij tui, vt feſtinanter pergat ad cōdonandū, quod idem à te non eſſe alienum exiſtimo.

Eſa.28. *Miſereri Deo propriū, iraſci aduentitium.* *Eſa.1.* *Infra 65.* *Eſaie 25.* *Thre.3.*

¶ At nos ad nihil aliud videmur voluntatem Dei cognoſcere, niſi vt in omnibus, & per omnia aduerſarij illi ſumus. Velociſſimi nanque ſunt pedes noſtri ad vindictam de illatis iniuriis repoſcēdam, ad debita exigenda vt appetitus noſtri ſemper adimpleantur, & vt voluptatibus noſtris latiſſimus pateat cāpus: diligens mercator ſurgit primo mane, vt diuitias ſibi cumulet. Impiger extremos currit mercator ad Indos, per mare pauperiem fugiens, per ſaxa per ignes. Et alius, vt illatam iniuriam vindicet, noctu dieq; in cogitationibus euaneſcit: ita vt velociſſimo curſu vadat ad effundendum ſanguinem. Et ſapiens inquit, Pedes impiorum ad malum currunt. Et Ieremias? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium. Mirum enim eſt videre quot quantique ſunt, qui vel vno die, immò vnica tantum hora multos & varios aſcendunt equos, vt celeriùs, vt breuiùs,

Propenſiores mortales ad vindictā quã miſericordiā. *Hor.epi.1.* *Pſalm.13.* *Prouerb.1.* *Iere.8.*

& vt maiori impetu in infernum prolabatur. Currentes properant à peccato in peccatum, & mille fœditatum & abominationum genera inueniunt, vt grauiùs contra se Deum incitent. Ità currunt vt brauium constitutum videatur ei, qui priùs ad illum miserũ & infœlicem locum appulerit. Vt autem Deo seruiant, non est opus meis dictis, vt videas quàm segniter se habeant in via mandatorum domini. Non ità faciebat ille, qui dixit, Viam mandatorum tuorum cucurri. Et Paulus, vt moneat nos in via mandatorum domini esse incedendum [Psal.118.] inquit, Sic currite, vt comprehendatis. Sed iam vl- [1.Cor.9.] teriùs progrediamur, vt innotescat nobis, quo tam properanter sacra virgo abeat. *In ciuitatem Iuda.* Vbi erat domus Zachariæ. *Et intrauit in domum Zacharia.* Qui senex & mutus erat. Vt nobis datur exẽplum, eos, qui recta valetudine fruuntur, ituros esse, vt videant, vt consolentur, & vt subueniant ægrotis, & [Eccl.7.] indigẽtibus. Ità vt in nobis adimpleatur illud, Non te pigeat ministrare infirmo, ex hoc enim in dilectione firmaberis. Et expende quod dicit, intrauit, Ingrederis tu domum amici vel familiaris tui nulla licentia impetrata, aut vt plerunque contingit hospite insalutato. At ignoti domum vt intres vel inimici, prius ad fores pulsas & clamas. Ità dominus domum Zachariæ iusti ingreditur sine pulsatione, tanquàm domum familiaris sui: quia ianuam apertam inuenit. At peccatorum ianuas priùs pulsat, & foris ad postes stat, expectans & rogans an velint illi aditum præbere, vt amicitiam cum eis ineat. Vt facilè videre est in illo Apocalypsis loco. [Apoc.3.] Ego sto ad ostium & pulso: si quis aperuit mihi, &c. Fœlix ille nuncupari potest, qui portas animæ suæ patentes habet, vt Deum excipiat. Et verè beatum eum dicere possis, qui in corde suo nullum obicẽ posuerit, vt dominus dignetur ingredi: tamen sunt multi eiusmodi ingenij & cõditionis, ad cuius fores per multũ temporis spatiũ dominus clamat, nec ipsi aditus datur. Quòd si nos tanta dona & beneficia, quibus quotidie afficimur, vel aliquo obsequij genere penderemus, videremus certè quomodo amicorum suorũ domos dignetur visitare, cùm nec vocatus, nec inuitatus fuerit. Imò ipse est qui maximis bonis cumulaturus, nos inuitat, vt videre [Luce 19.] licet in hoc sacro euãgelio Lucę, vbi legitur ad Za- [Luc.10.] chæum dixisse, Hodie in domo tua oportet me manere. Sic etiã in domũ Marthæ & Mariæ tendebat, vt beneficio hospitalitatis gauderẽt. Ità nec Zacharias nec Elisabeth dominũ inuitarunt, vt ad eos veniret: ipse tamen gaudens & libens proficiscitur: nam eius moris est vt semper maximã, & solicitam curam adhibeat erga ea, quæ suorũ amicorũ sunt. *Et salutauit Elisabeth.* Quid dixerit, Euangelista non explicat. Sed ego crediderim alterũ duorũ dixisse. [Ioan.20.] Pax vobis: vel, Pax huic domui. Primo salutãdi mo- [Luc.24.] do vsus est Christus: secundũ autẽ ipse docuit disci- [Luc.10.] pulos, vt ingrediẽtes aliquã domũ eo vterẽtur. Hoc [Vide in legẽdis quam Apostolis.] verisimile videtur, quia vt inquit Augustin⁹. prius beatæ virgini fuit Christus magister, *quàm filius.* Et [Mat.10.] ideò quod posteà docuit discipulos, docet & nunc matrem. Et si discipulis dixit, Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis: quãtò potiùs id modo faceret, cũ diuino spiritu matris lingua moueretur? Filius loquitur per os matris, & sicut posteà ipse dixit, pax vobis, ità & nunc. Hæc nostra salutatio debuerat esse, & hic loquendi modus: sicut Paulus multoties, vt inquit in episto-

lis suis salutabat. Mundi, heu, vanitas Christi sermonem suffocat, & stultus iam habetur & irridetur qui ad exemplum Christi loquitur. ¶ Vbi virginis matris pietas iam venit multis nominibus prædicanda, quæ tantum sibi sumit laborem, vt cõgratuletur Elisabeth de Ioannis cõceptione. Namque vera pietas potiùs congaudet de fœlicitate aliena, quàm studeat iactare suam. Vnde diuino incensus amore Paulus dicebat, Quis infirmatur, & [2.Cor.11.] ego nõ infirmor? Nec mirum si regis summi mater militis matrem salutet, & ministret: vt sanctissimis humilitatis documẽtis nos instituat. Quia humilitatis magister inquit, Quicũque voluerit inter vos maior fieri, sit vester seruus. [Mat.20.] Quod faciebat Paulus cùm dixit, Cùm liber essem ex omnibus, omnium [Luc 22.] me feci seruum. [1.Cor.9.] Quod idem piissimus redemptor adimpleuit qui de se ipso inquit, Non veni ministra- [Mat.20.] ri, sed ministrare. Et iterum, Ecce ego in medio vobiscum sum tanquam qui ministrat. ¶ Verùm enim vero hæc salutatio non tam dicenda est virginis ad Elisabeth, quàm Christi ad Ioannem. Sed non potest non factum istud me ipsum in admirationẽ rapere. Id nanque quod priùs fecit Christus post incarnationem, fuit Ioannem visitare. Nec dubitandum est, captum fuisse dominum Ioannis amore, quandoquidem protinus vt humanam induit vestem, ad ipsum accedit. [Hester 1.] Rex Assuerus maiori fuit amore prosequutus Susam ciuitatem, quam reliquas omnes sui imperij, ea tantum ductus ratione, quia regni sui principium fuerat: vnde singulis annis ibi omnibus splendida conuiuia solebat facere. Dauid etiam nimio amore ciuitatis Sion teneba- [2.Reg.5.] tur, & ita speciali priuilegio illam suam esse voca- [2.Reg.6.] bat, quia prior erat, quam ipse acquisierat: & ita arcam fœderis eo tulit, vt arcæ præsentia, benediceretur ciuitas. Id namque quod magis diligimus, & maiori ipsius amore tenemur, maioribus afficimus beneficiis. Sic prior ciuitas quam dominus expugnauit fuit Ioannes Baptista, & sui regni principiũ: & ità gratior & dilectior regi Christo præ cæteris aliis fuit. Nonne magnum quidem, regem primo mane surgere ante ortam lucem iturus ad visitandum seruum? Magnam certè familiaritatem videtur exprimere. Nonnè satis esset seruum accersere? Non equidem, si dominus nimio ipsius teneatur amore. Ità dominus sua præsentia Ioannem visitat: nec id immeritò, cùm dixerit angelus eum magnũ esse coram domino. Hæc enim est differentia inter mediæ plebis homines & magnates: quod ad ma- [Mat.4.] gnatum & nobiliũ domos vadit magister, eos docturus: alij verò domum magistri petunt. Christum docturum Apostolos ipsi sequũtur relictis retibus & domibus: at in domum Ioannis magister cęlestis properat, vt eum doceat. Vbi iam vides, quomodo dominus cum Ioanne agat tanquàm cum magnate & principe regni sui. Vnde in maximam admirationem rapiebatur sanctissimus Iob, cùm dixit. [Iob.7.] Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid? &c. Quis est, ô Christe sancte, iste Ioãnes, qui cũ sit homo, tot tãtisque honoris ornamentis à te afficitur? Ad cuius cor nullo verborum strepitu & murmure ità loqueris quẽ ita diligẽter & solicitè inquiris, vt ante diluculũ illũ visites, vt rectè admiretur Iob (visitas eum diluculo) nec in his gradum sistas, sed subito probes illũ? Quod si inquirat aliquis, quomodo probatur Ioãnes, intelligat ità probari, vt Chri- [Ioan.11.] sti honor in ipsius manibus fuerit constitutus. Ec- [Ioan.19.]

Mat. 27. clesiam dominus commisit Petro, & suum vicariũ
Ioan. 12. illum constituit: & matrem suam Ioanni Euangelistæ credidit, corpus suũ Ioseph ab Arimathia, crumenam suam Iudæ: at honorem (qui totius humanæ vitæ pódus est, & quo nihil pretiosius, nihil excellentius, aut pulchrius hominibus existimatur) Ioanni Baptistæ tradidit. Nanq; cùm rogatur, sitne
Ioan. 1. ipse Christus, clarè & verè respondit, non esse: imò nec esse dignũ, vt soluat Christi calciaméta. Quod si interrogationis affirmatiuam partem astrueret, nihil dubites, protinus ipsum tãquàm Christũ coli & suscipi. Vbi iam videris quomodo Christi honor totus ab ore & responsione Ioannis pendeat. *Et factũ est.* Ac si dixisset, Accidit vel cótingit. *Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Cùm spiritus domini malus exagitabat Sau-
1. Reg. 16. lem (vt legitur in primo regum) accipiebat Dauid citharam, & statim spiritus nequam ab eo recedebat. Sic Christus velut alter Dauid accipiens vt instrumentum sanctissimam matrem, labia ipsius mouendo propulsauit à Ioanne spiritum nequã: & sic ad virginis salutationem exultat infans in vtero repletus spiritu sancto. ¶ Vbi iam expendere libet quàm magnum beneficiũ domini fuerit incarnatio Christi, cùm voluerit spiritus sanctus tãto cultu & obseruantia per hunc puerum manifestari & celebrari. Docemur itidem, quid singuli facturi simus maiores natu, & ætate perfecti, quandoquidem inter breues corporis angustias puer iste clausus talem habuit obseruantiam. Exultauit gaudio, ita vt externis corporis signis internum gaudiũ demon-
2. Reg. 6. strauerit. Si rex sanctus Dauid coram arca domini constitutus canebat & saltabat: quo iubilo, quibus
Ioan. 8. gaudiis credẽdum est virginem sacram, & Christũ à Ioanne fuisse acceptos? Si gauisus fuit Abraham, hunc diem in spiritu videns: qui iam præsentẽ eundem habebat, quid credas eum fecisse: O quàm diligens seruus diuus Ioannes appellari potest: qui cũ nondum cœlum & terram vidisset, iam cœli & ter-
Vide Aurn. stinum ser. 3. Ioan. bap. ræ creatorem adorabat. Vix erat ei spiritus vitæ, & iam inerat spiritus gratiæ. Insinuauit illi gratia, quę natura nequiuit attingere: & latentem in vtero regem, parentis euangelizauit eloquio. Ab vtero matris, præcursoris officio fungi incipiebat: nam cùm
Ioan. 1. esset homo, ostẽdẽs Iesum digito dixit, Ecce agnus Dei. Sic modo cùm intueretur illum oculis animæ, corporis obsequio eundem demonstrauit: & quem verbis salutare nó potuit, prophetico cognouit spi-
Simile. ritu. Sicut enim in horologiis solaribus contingit, vt cùm index vitio ex aliqua parte laborat, cũ primum à magnete tangitur, statim correctus ad septentrionalem polum vertitur, certam horam designãs: sic beatissimus Ioannes in ventre matris delitescens, Spiritus sancti gratia tactus, digito Saluatoré indicat, & tempus iam aduenisse, in quo mundum perditum visitandum esse censuit, cùm & rationis vsu ipsi diuino beneficio fuerit acceleratus. Vnde & ipsius pater Zacharias cum eo loquens dicit, Tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim, &c. Sed mirabeteris forsitan, quod de rebus tãti ponderis & momenti cum puero agat, nec puer cùm sit de puerilibus sit sermo: at neutiquam mirari oportet: quia etsi Ioannes infans erat nó eum latent, quæ proferuntur à patre. Nanque quod multi viri iusti & sancti fecerunt adhuc ad senectuté peruenićtes, ipse diuinitus adiutus à matris vtero præstitit. Mirum etenim non est, quod quis ad triginta, vel quadraginta annorum numerum accedens, iudicio & intellectu polleat: at si his in vtero matris vtatur, omnem prorsus admirationé superat. Contingit enim frequenter, vt aliquibus viginti annis natis iudiciũ accedat, aliis triginta, aliis verò quadraginta: aliis verò post sexaginta & septuaginta nondum illud cótingit. Nec mirum si post tempus hoc cùm iam senuerint, ornati incedant, compti, & perpoliti, & in id dementiæ & stultitiæ genus lapsi sint, vt mulierum amatores efficiantur. At nostro Ioanni priusquam nasceretur iudicium contingit, & vsus illius. Ab vtero materno dominum cognouit, & cubicularij ministerio præcipuo regi gloriæ Christo deseruiuit in cubiculo virginalis vteri cóclusus. Vnde de eo canit Ecclesia, Ventris abstruso recubans cubili, Senseras regem thalamo manentem. Sed mirabile est, quod sequitur, Hinc parens nati, meritis vterque Abdita pãdit. Quemadmodũ enim antiquitùs accepit dominus de spiritu Moysi, Exod. 18.
quem inter septuaginta viros diuisit: sic modo de spiritu Ioannis accepit, quem parentibus suis impartitus est. Tantum Moyses & Ioannes apud dominum meruerunt, vt ipsi aliis etiam spiritum meruerint. Itaque non quia parentes Ioannis Prophetæ fuerunt, ideò & Ioannes propheta fuit: sed è diuerso intelligere debes. Et ex abundantia gratiæ filij partis aliquid in parentes redundauit, ita vt in sequentibus verbis subditur, *Repleta Spiritu sancto Elisabeth.* Nihil mirũm si Christi aduẽtu & ipsius præsentia diuino spiritu, & multis aliis donis repleatur. Nã si olim dominus ob præsentiã Iacob multa bo- Genes. 31.
na cótulit Labã, & ob præsentiã Ioseph largitus est Genes. 39.
multa Putifar: quanto potius Christi aduẽtu repleri debet Spiritu sancto Elisabeth? Et ita, *Exclamauit voce magna & dixit,* Ex plenitudine internæ deuotio Luc. 6.
nis in altas voces prorupit: namque ex abundantia cordis os loquitur. Qui Deũ secum habet, de Deo loquitur: qui verò Satanæ spiritũ, blasphemat, malè dicit, peierat, & proximi sui famam ignominiosis verbis intingit. Quilibet enim homo suo sermone satis apertè demonstrat, qualis sit, aut quo ducatur spiritu. Sicut æs ex sono cognoscitur quale sit, & an habeat aliquod metallũ, quod rationi sonitus non bene adaptetur: & quemadmodum, si intus horo- Simile.
logij rotæ benè cópositæ sunt, etiam cymbalũ foris debitũ sonitũ emittit: ita etiam homo ex verbis rationi rectæ dissonis clare demonstrat intus nullũ ordinem in cõscientia habere. At Sancta Elisabeth, vtpote quæ plena erat Spiritu sancto, in domini laudes prorumpit: necnon sanctissimæ matris eius. *Benedicta tu in mulieribus.* Sunt mulieres benedictæ in nouo testamento propter donum & aureolam virginitatis: & in veteri testamento propter fœcunditatem. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus Psal. 127.
domus tuæ, &c. Ecce sic benedicetur homo qui timet dominum. Sed tu ô sacra virgo maiorem benedictionem es adepta: quia & intacta virgo existis, & fœcundissimæ prolis mater. Vnde in Canticis dicitur, Omnia poma noua & vetera seruaui tibi. Po- Cant. 7.
mum vetus est, matrem esse: pomum verò nouũ esse virginẽ. Aliæ mulieres vel virgines, sunt, vel matris munere funguntur, & propter alterum benedicuntur: sed tu alterutram benedictionem attingis, quia mater es, & virgo. ¶ Non solum autem inter omnes benedicta, quia mater est, & virgo: sed quia, vt beatus Hieronymus ait, cæteris virginibus præstatur gratia per partes, Mariæ verò tota se infudit Maria quibus mulieribus illustribus comparetur. Ser. assum. virg.

fudit plenitudo gratiæ. Solēt omnes virtutes diuisæ
reperiri in cæteris mulieribus: sed in vna Maria o-
mnes simul tanquā in cumulum cōuenerunt. Nam
si de hac re discursum velis facere, nulla tibi tanta
naturæ & eloquentiæ subsidia cōtigerint, vt possis
fœlici pede rem ita difficillimam pro sui magnitu-
dine & excellentia exprimere. Etenim si vrbanita-
tem & humilitatem quæras, inuenies alteram Re-
Genes. 26. beccam à qua cùm famulus ille Abraham aquam
efflagitasset, respondit, se non solum illi, sed etiam
camelis omnibus libenter cōcedere. Si animi con-
stantiam & iudicium ad gubernandum expectes,
Iudic. 4. quis hæc præstātiori modo habuit, quàm Debora,
Iudith. 14. Iudith, & Esther: quæ imperatorum officiis functæ
Hester. 5. 1. Reg. 25. sunt? Si prudentiam, quis maiorem quàm Abigail?
Iosue 2. Si hospitalitatē, nulla maior quā in Raab, & Su-
4. Reg. 4. namite. Et in nouo testamento Lidia Purpuraria,
Act. 9. Thabita, Priscilla, & mulieres illæ, quæ Christum
Act. 18. Luc. 8. sequutæ sunt insignibus virtutibus floruerūt. Pau-
Hebræ. 11. lus laudat Saræ fidem, quia fide cōcepit sterilis: sed
Gen. 18. dignior laude est sacra virgo, quia Sara risit, & vir-
go credidit Angelo. Et ideò dixit ei Elisabeth, Bea-
ta quæ credidisti. Istæ mulieres singulæ singulis
virtutibus excellentes fuerunt: sed virgo Maria o-
mnes, quas temporis obliuio non deleuit, quæque
in posterum venturæ sunt facillimo negotio longo
interuallo superat. Namque ipsa sola omnes gra-
tias, quas reliquæ habuerūt dispersas in cumulum
comparauit. Quemadmodum egregius ille pictor
Zeuxis graphicè & appositè volens Iunonis figu-
ram depingere omnibus virginibus Agrigentinis
inspectis quinque illarum elegit, ex quibus quod
præstantius & pulchriùs erat penicillo expressit, vt
imaginem, absolutam & perfectissimam effingeret:
ita dominus pro admirabili sua sapientia omnes
fœminarum perfectiones & gratias visus est in vir-
ginem matrem cumulasse, cuius splendescens co-
rona vniuersum mulierum opprobrium abstulit, in
qua sola plus reperitur eximia laude dignū, quàm
in omnibus, vt vituperetur.

Itaque excedit longo discrimine beata virgo reli-
quas alias mulieres, quarum laudes à sacra pagina
decantantur. Vnde spiritus angelici alter ad alte-
Cant. 6. rum admirati dicebant, Quæ est ista quæ ascendit,
pulchra, vt luna, electa vt sol, &c. Sedes solis in me-
Simile. dio planetarum habitat: tres subtus se habet, tres
verò supra se. Ita sanè altiori ordine supra virginem
nihil aliud pulchriùs constitutum est, nisi diuinæ
illæ tres personæ: sub se verò tres angelorum hie-
rarchias habet, & omnia quæ à domino effecta
sunt: ideóque præstantior angelis & hominibus.
Sic ascendit in montana Iudææ pulchra, vt luna,
electa vt sol, & terribilis varia virtutum supellectile
circummunita. Et ideò meritissimè laude eximia
inuenta est inter omnes mulieres.

¶ Ex quo loco iam aliud documētum tibi subori-
tur, vt semper probos laudibus afficias, & eorum
virtutes insignibus ornamentis prosequaris. Nam
Angelus & beata Elisabeth spiritu diuino repleta
in virginis laudes prorumpunt, & illam benedicūt,
Eccle. 44. illud Ecclesiastici recordati, Laudemus viros glo-
riosos, & parentes nostros in generatione sua. Sed
de his vberior alibi continget sermo: nunc autem
historiā prosequamur, & dictis Elisabeth aures ac-
commodemus, quæ vlterius addit, *Et benedictus fru-
ctus ventris tui.* Quæ verba Angelus non protulit,
quia tunc nondum beata virgo filium Dei conce-
perat: sed expendas obsecro differētiam. Nam Ma-
riam benedictam appellat cum limitatione & re- Collatio Christi & Mariæ.
strictione inter mulieres dicens: at verò ipsum Ie-
sum benedictum dicit, sine aliquo termino, sine li-
mitatione, nulla denique facta collatione. Vbi ob-
seruabis, quod quando Deus in peccatum Adæ Gen. 3.
animaduertit, maledictionem intulit in serpentem:
homini autē non maledixit, sed terræ propterea.
Cuius rei mysterium est, nam dominus bene noue-
rat se aliquando sumpturum carnem, quapropter
humanam naturam noluit maledictionis nota inu-
rere: fructus enim virginis multis benedictionibus
erat afficiendus. Prętereà Christus secundum vtrā-
que naturam benedictus est, quamuis diuerso mo-
do. Nam quatenus diuinitatis est compos per na-
turam benedictus est & sanctus: iuxta illud, Benedi
ctus es domine Deus patrū nostrorum. Secundum Dan. 3.
verò humanam naturam per gratiam dicitur bene-
dictus, quænam plenitudo gratiæ ipsi fuit collata
nullis terminis, aut mensura clausa. Sed id aduer-
tas, quod fructus non benedicitur propter arborē,
sed arbor propter fructum. Vnde Christus non ma-
tris causa benedicitur: imò mater ipsius causa, ab-
soluta & perfecta benedictiōe decoratur. Quapro-
pter coniunctio, &, valet pro, quia. Acsi diceret, Be-
nedicta tu in mulieribus, quia benedictus fructus
ventris tui. Consueuit namque scriptura cōiunctio- Coniunctio & pro quia.
nem, &, accipere pro quia, vt hîc: & in Marci Euan-
gelio, vbi dicitur, Annuncia illis quanta tibi fecerit Mar. 5.
Deus, & misertus est tui, id est, quia misertus est tui.
Et in Psalmo. Da nobis auxilium: & vana salus ho-
minum, id est, quia vana salus est ab homine. Et Psal. 59.
Esaias, Tu iratus fuisti: & nos peccauimus, id est, Esai. 64.
quia nos peccauimus. Et in Ioāne habetur, Christū Ioan. 8.
dixisse, scio illum: & mandata eius seruo. Sic etiam
illud intelligendū esse puto, Gloria in excelsis Deo, Luc. 2.
& in terra pax hominibus, id est quia in terra pax:
quæ contingit pro bona Dei voluntate erga homi-
nes, aut hominum erga Deum. Quem locum ita in-
terpretatur Gregorius Nisenus in homilia natalis
domini. *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad
me?* Quemadmodum Ruth mirabatur, quando ve-
nit ad Booz, dicebat enim, Vnde mihi hoc vt inue- Ruth. 3.
nirem gratiā ante oculos tuos: & nosse me digne-
ris peregrinam mulierē? Petrus etiam expauescens
Christi præsentiā dixit, Exi à me domine, quia ho-
mo peccator sum. Et Centurio, ipsius maiestatem Luc. 5.
admiratus dixit, Domine non sum dignus, vt intres Mat. 8.
sub tectū meum, &c. Sic sancta Elisabeth cum So-
lis & Lunæ claritatē intueretur, suæ paruitatis ve-
nit in cognitionem: & ita his verbis exclamat. Vn-
de hoc mihi? Duos humilitatis modos esse compe-
rimus. Alterum ad quem deueniunt serui & mini-
stri fustibus & flagellis icti, quæ humilitas tribula-
tionum, & persequutionum causa in eis nascitur:
quæ potiùs humiliationis (vt ita loquar) & abie-
ctionis nomē meretur, quàm humilitatis. Alter est
nobilis & vrbanus, qui nō tantum coactione, & vi
fit, quantum bono hominis arbitrio. Hanc humili-
tatem habuit beata virgo, Ioānes, & Elisabeth. Mi-
rantur aliqui diuum Ioannem, cum ita humilis, ita
sanctus & omnibus gratissimus fuerit: sed ego in Humilitatis duo genera.
maiorem admirationem rapior, quare humiles nō
sumus, quando ita peccatis & flagitiis sumus de-
tenti. Peccatori nanque facilè erit suum humilita-
tis fontem inuenire, quia in medio sui locatus est.
Tamen in his, qui innocenti & immaculata vita vi-
xerunt, vt Ioannes & Elisabeth, vnde hoc princi-
pium & ortum habet? A Deo quidem, & è cœ-

lo manat & à consideratione diuinæ potentiæ & magnitudinis. Animaduertas rogo id virorũ proborum & rectorũ ingenium: nam quæcunque ipsi habent & possident, omnia existimant à Deo sibi tradita esse, nihilque boni suis viribus comparasse. Si ferrum igne accẽsum cum ipso igne vellet competere: vtique diceret ignis: quod tibi mutuatum, & emẽdicatum à me est, depone: & statim videbis, quantum valeas, & quousque tuæ se extendant vires. Sic viri sancti & iusti quãto sanctitatis & iustitiæ magis participes sunt, quanto Dei altiorem cognitionem sunt assequuti: tanto humiliùs & abiectiùs de se ipsis iudicant & sentiunt. Quocirca sanctissimus & humillimus Iob dicebat, Oculus meus videt te, propterea ego in cinere & fauilla pœnitẽtiam ago. Quia domine vidi & cognoui quàm magnus & potens sis, propterea me ipsum puluerem iudicaui. Gloriatur quis maximè de suis natalibus & aliquod imperium habere videtur: at si iste ad regis vel imperatoris curiã accedat, statim in suæ inscitiæ & amentiæ cognitionem venit, nec vllam collationem cum his, quæ diximus habere. Nobilis quippe si à propria patria non recesserit, magnum se existimat, & potentem: in curia verò nemini notus, paruiducitur & habetur. Ita nimirum quantumuis aliquis homo potentissimus & ditissimus sit, si cum domino velit comparari nomen potiùs amentis & insipientis subibit, quàm aliquid faciat, ex quo vel minimum laudis sibi comparet. Nam cum longo discrimine à Deo distemus, ideò fit, vt nostra æstimatione & iudicio plurimi ducimur: & hoc ex superbia nostra ortũ ducit: tamen si ad diuinum illius fontis lumen accedamus, nihil nos esse fatebimur. Vnde factum est, vt qui iustiores & sanctiores erant, potissime de humilitate gloriabãtur: tanto enim quis sibi humilior videtur, quanto propinquior & cõiunctior est Deo. Sic Abraham, Loquar ad dominum meum, cùm sim puluis & cinis. Vnde fit, vt beata Elisabeth cum sanctissima esset, ita humiliter & reuerenter loquitur. Quia repleta Spiritu sancto ipso inspirante matrem Dei cognouit. Edocta nanque diuino spiritu cognouit illã & hominis & Dei esse matrem: quo fit, vt tanta reuerentia & obseruantia puerum & matrem coleret. At tu cùm Deum ignores, nulla obseruatione & reuerentia erga illum vteris. Veluti rusticus & agrestis, qui obuius in agro regi fit, nulla veneratione illum afficit, cùm incognitus illi sit. Anima nostra multoties ipsum Deum contemnit: quia altitudinem ipsius nõ attigit, nec vnquam, quis sit, cognouit. Nobilis autem, qui semper & regẽ alloquitur, & in ipsius ministerio diu vixit maxima veneratione & reuerentia ipsum regem veneratur, cùm & illum cognouerit, familiariter egerit, & denique cũ nimio ipsius amore teneatur. Sic viri sancti & iusti, vtpote qui in regia aula nutriti & educati humiliter ipsum colũt: at peccatores, qui admodum similes sunt rusticis hominibus in syluis educatis, quibus semper custodia porcorum curæ est, Deum & dominum suum despiciunt, & ipsum nulla vrbanitate prosequuntur. At beata Elisabeth virginis matris dignitatem considerans, summa reuerentia excepit illam. Vbi discere oportet, vt non negligenter, non ignauè, sed attentissimè virginem beatam colas & obserues. Nam si à tota cælesti curia summo venerationis studio prosequitur: quantò potiùs nos, qui virtutis sumus inopes, studiosissimè illam venerari oportet?

Iob. 42.

Gen. 19.

¶ Perpende autem quòd ex verbis sanctæ Elisabeth apertè colligitur Christum redemptorem nostrum in instanti suæ conceptionis perfectum fuisse hominem: nam ista verba prolata sunt paucis diebus post incarnationem: sed si imperfecta prolis inchoatio esset in virgine, sicut & in aliis mulieribus, in quibus transeunt saltim quadraginta dies antequàm corpus infantuli organizetur, & anima infundatur: tunc beata Elisabeth, imò diuinus spiritus, qui ipsius labia mouit, non dixisset mater domini mei, sed mater embrionis. Vide etiam, quibus laudibus, & encomiis sacra virgo ab Elisabeth tam breuibus & succinctis verbis extollatur. Aliqui dicunt sacros euangelistas in virginis laudibus laconismo fuisse vsos. Qui certè nulla verisimili ratione mouentur, quia etsi in eius laudibus pauca verba cumularunt, nihilo seciùs hac tanta breuitate altissimas & heroicas ipsius virtutes decantarunt. Quibus obsecro verborũ ambagibus, aut quibus eloquentiæ & facundiæ luminibus altiùs posset extollere virginis matris encomia sacer euangelista Mathæus, quam breuiloquio illo: ex qua natus est Iesus, qui vocatur Christus? Quid magis supremũ quid diuiniùs, aut excellẽtiùs de illa posset canere? Equidem vnico verbo id omne protulit, quod in pura creatura laude dignum inueniri potest. Sic in isto loco beata Elisabeth, cùm Mariã matrem Dei appellat, tacitè dicit virgini matri maiorẽ gratiam fuisse collatam, quàm puræ alij creaturæ. Itaque esse Apostolum, Euangelistam, Prophetã, martyrem, Angelum, Seraphin, & Cherubin, velut nihilũ reputabis hæc omnia, si matris Dei dignitatem cum illis velis componere. Nec mirùm si hæc constanti animo asseramus, quando nobiscum consentit Angelicus doctor diuus Thomas, qui dicit, matrẽ Dei infinitam dignitatem habere, propter infinitũ bonum, qui Deus est. Nihil enim beatiùs & egregiùs, quam mater Dei, inquãtum terminatur in Deum: quia finis & terminus dignitatis virginis, Deus est. Et hoc, esse matrem Dei, excellentiã quandam, magnitudinẽ, atque dignitatẽ supremã secũ affert. Nã cùm cuiusuis mater significet illius esse autorem & principiũ, quamuis nõ actiuum sed passiuũ principium sit: sic matrem Dei esse aliquo modo principium, & rei causam & autorem Dei denotat esse: in quo Deus aliquo modo virgini subiectus existit, quia eius filius est. Quocirca noster Lucas dixit, Christũ subditũ fuisse virgini. Nihilominus quàuis omnia hæc dicta sint humanitatis titulo, etiam meritissimo & pleno ore matrem Dei illã appellamus: nam etsi hominem cõcepit, hic homo Deus etiam erat. Res equidem non parua admiratione digna: nam beata virgo vnico solo partu præcipuũ locum & magis excellentem inter omnes creaturas obtinuit, ita vt nihil sit illi æquale, nisi solus Deus, qui virginem super omnem modum excedit. Nec mireris si Ioannes in Apocalypsi illã viderit amictam sole iustitiæ Christo Redẽptore nostro, & sub eius pedibus lunam: quia vniuersæ creaturæ, quæ mutabiles sunt sicut luna, inferiores sunt illa. Graphicè igitur & appositè beata Elisabeth virginẽ laudauit, matris domini titulo, ex quo omnes excellentiæ, immunitates, gratiæ & priuilegia ipsi concessa tanquam à suo fonte & origine dimanarunt.

B. Virginis ex Euangelistis encomia.

Mat. 1.

1. par. q. 25. art. vltimo, ad. 4.

Luc. 2.

Apoc. 12.

¶ Vbi iã aduertere libet, quomodo magnũ illud & diuinũ incarnationis mysterium vniuersis homini-

bus

bus absconditum mutuò à duabus sanctis mulieribus explicetur & proferatur. Cuius facti non possum nō magnopere mirari, cùm apud Plutarchum legerim, libro de viris illustribus, Catonem illum Censorinum dixisse, se de tribus facturū pœnitentiam, si aliquando per totum vitæ suæ spatium illi contigissent. Quorum primum erat, si mulieri aliquod arcanum aliquando detexisset. At cōtrarium factum videmus à Christo, qui & sapientior & prudentior erat Catone: mysterium incarnationis humanæ omni sapientiæ incognitum duabus mulieribus reuelauit, & de quo inuicem ab illis cōfertur. Nam quando mulieres sunt prudentes, non inconuenit negotia illis pandere, cùm audiamus Ecclesiasticum dicentem. Mulier sensata & tacita non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. Sed iam opus est attendas aures Elisabeth præstare, *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Protinùs, vt facta est vox. O quàm mirum & citissimum est opus diuini spiritus. Statim, vt facta est vox. In illo instāti, eo temporis momento, quo vox facta est, gaudium infantis nascitur: quia statim vt vox aurium intima penetrauit, eodem tēporis articulo virtus spiritualis attigit cordis penetralia audientis. Nec solùm genitricem sed & genitum in Dei aduenientis amorem accendit. Prosiliit puer nondum natus, velut occurrere gestiens domino suo, ac debitum honoris officium exhibere: & applaudens voci, quam Adam in paradiso timuit audire. Adam de publico in absconditum fugit: Ioannes verò de abscondito in lucem gestit, vt omnibus manifestet agnum, qui tollit peccata mundi. Sentiens Ioannes domini præsentiam exultat. Christus largitur illi gratiam, Ioannésque ipsi gratiam rependit ob acceptum beneficium: ita vt vterque infans inuicem certabāt, alter gratiam tribuendo, alter verò gratū animum ostēdendo ob acceptum beneficiū: & in posterum ardentissimi obsequij signa demonstrando. Quorum infantum pugna lōgo distat discrimine, ab ea, quæ fuit inter Iacob & Esau. Pugnabant nanque illi vter esset priùs in Lucem euasurus: at certamen istud amoris pugna est. Vbi aduertas oportet ex hoc motu, Spiritu sancto reuelante matrem collegisse diuinam virtutem in puerum esse infusam, ob maximā reuerentiam in eius cōditorem. Erat quippe Hebræis mos in diuino cultu motum corporis ex spirituali lætitia colligere. Vnde legimus hac incredibili animi exultatione Dauidem coram arca domini saltasse. Existimabat nanque gloriosissimus ille vates rem dignissimam esse deposito regali sceptro coram arca testamenti tripudiare. Quanto rogo meliori iure coram arca viua oportebat externis signis internum animi gaudiū demonstrare? Nā si Magi illi (vt refert Mathæus) videntes stellā gaudio magno sunt gauisi: quid illū facere oporteret, qui iustitiæ solem verū præsentē habebat? Quod si euāgelicus ille negotiator inuēto thesauro præ gaudio nimio abiit, & vendidit omnia quæ habuit: quid decuit Ioannē facere, cùm iam sibi inuenisset fontē illum, in quo omnes thesauri sapientiæ & sciētiæ Dei sunt? Quēadmodum enim Zachæus ingenti spiritus gaudio Christum excepit: sic oportebat, vt lætus & gaudēs ipsum susciperet, ita vt signa interioris lætitiæ in externa prodirent: in quo motu ipsa Elisabeth Spiritu sancto reuelante cognouit Christū esse clausum inter breues virginis vteri angustias.

Quibus incarnationis mysteriū reuelatum primo.

Eccle. 26. Gene. 3. Ioan. 1. Genes. 25. 2. Reg. 6. Mat. 2. Mat. 13. Colo. 3. Luc. 19.

¶ Vbi diligenter obseruandum est, quomodo ad Christi & ipsius matris aduentum, & Elisabeth, & Ioannes exultant. Nemo quippe verè exultare potest, nisi Christi præsentia. Omnia læta, omnia fœlicia, tranquilla & tuta sunt Christo præsente: quia ipse perfectum & absolutū est gaudium animi nostri: at verò sine ipso omnia tristia & misera sunt. Nec mirum si ipse regius vates, ita absentiam domini lamentetur dicens, Fuerunt (inquit) lachrymæ meæ panes die ac nocte. Sed quid est in causa, quod huiusmodi lachrymas ita fuderit Dauid sanctus? Si ab ipso quæsieris, respondebit tibi, Dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. Nihil aliud restat miseris peccatoribus, qui propter scelera & flagitia exterminati sunt à domino, nisi suam tristitiam & solitudinem dignis lamentis celebrare. Exemplum huius rei appositissimum in sacris literis erit nobis filius ille prodigus, qui domum paternā egressus, nihil aliud inuenit nisi famem, miseriam, & dolorē: at reuersus inuenit vitulum saginatum, tympana & choræas. Ita sanè peccator si à domo domini fugerit: non valebit numerare quot ærumnas, quot miserias, quot calamitates & angustias sibi paratas habet. Verùm si ad paternam domum in animo fuerit reuerti, omnia gaudio plena sine dubio inueniet. Sed quid de te dicam insane, qui per huius mundi deuia & peritura lætitiam quæris: cùm fieri non possit, vt in his vera lætitia & gaudium possit consistere? Reuertere, reuertere, ne ita cæcus in miseras inferni tenebras incidas: & solum Christum quære, vbi verum iubilum, propriam sedem habet. Sed de his inferius in parabola filij prodigi continget sermo.

Psal. 4. Luc. 15.

¶ Vlteriùs verò operæpretium est aduertas, non solùm dixisse beatam Elisabeth, infans exultauit, sed addidit, in gaudio: quod quidem digna cōsideratione non vacat. Omnes nanque tam boni, quàm mali lætantur & gaudēt: sed id est discriminis, quod boni exultāt in gaudio, mali verò minimè. Id enim de peccatoribus in prouerbiis dictum est, Lætantur cùm malè fecerint, & exultāt in rebus pessimis. Sed proh dolor, gaudet peccator quia illatam iniuriam digna compensatione vindicauit, aliùs verò quia obscœnum & iniquum suorum desideriorum pelagus expleuit: & tādem alius, quia cùm diuitias sitibundus concupisceret, eas sibi comparauit. Sed vt vera dicam, hæc lætitia & exultatio vana est, quæ à rebus infirmis & perituris suam originem ducit: exultatio autem iusti firmum & stabile substerniculum habet in gaudio interiori rectæ & immaculatæ conscientiæ. Vnde Paulus, Gaudiū nostrum (inquit) hoc est, testimoniū conscientiæ nostræ. Ideò enim mundi gaudiū nullius momēti est, quia infirmum sibi iacit fundamentum: quo fit, vt citò cadat & arescat. Defuit Ismaheli aqua, q filius erat Abrahæ secundum carnē: tamen Isaac non defuit, quia filius spiritualis erat. Mūdi solatia & gaudia carnis facilè carnalibus hominibus finiuntur: tamen iustorū gaudia fontes sunt aquæ viuæ perpetuò scaturientes, sicut putei Isaac, qui nunquam exhausti sunt. Vana enim mundi oblectamēta & voluptatēs minimè animi interiora attingunt. Nā si adusta febri laboranti guttas minimas aquæ dederis, vt palato satisfaciat, nequaquā sitis extinguitur, imò magis ac magis videtur exardescere: quippe nimius calor guttas illas minimas prius consumit, quàm

Cap. 15. Prou. 2. *Lætitia mūdana & spiritualis differentia.* 2. Cor. 1. Gen. 16. Gen. 26.

ad stomachum perueniant. Ita non dissimiliter malos & flagitiosos mundi voluptates non satiāt: quia non vlterius, quàm ad corporis sensus pertranseūt. Nam si homini fame pereunti ciborum multitudinem in pectus coniiceres, vtique famen illius non subtraheres, quia cibus in loco suo non est repositus. Quod quidem manifesta ratio conuincit, cùm fames intra ipsum hominem sit, cibus autem exteriùs adsit. Sic nimirum gaudium & voluptas & omnia ista bona mūdi in corporis sensib⁹ sunt, quæ perfectam lætitiam non generant: at gaudium animæ quia ad cor peruenit, perfectum est, & idcircò iusti exultant in illo, quemadmodū Ioannes: quæ quidem exultatio propria est iustorum. Sed iam illam vlterius procedentem audiamus. *Et beata quæ credidisti.* Virtutis fidem in ipsa cōmendat, quæ veluti annulus est, quo anima Christo coniungitur: quā beatissima virgo Dei genitrix & sponsa gloriosa mirabili & supremo modo habuit. Nam cū fides lumen quoddā sit animæ nostræ in caligine mundi huius degenti, clarùm est beatam virginem præ omnibus fuisse illuminatam, quando fidei lumine super omnes illustrata fuit. Beata autē dicitur, quia credidit: quia cognitio per fidē, inchoatio quædam est cognitionis beatæ in patria: ipsum quoque credere ex charitate meritorium est beatitudinis consummatæ, & ad illud dirigitur tanquā meritum ad præmiū. Quemadmodū enim clara & aperta visio summi illius rerum omnium conditoris in ciuitate illa sanctorū, patriæ beatitudo dicitur: ita sanè cognitio fidei & beatitudo viæ, quia initium est beatitudinis, beatitudo nuncupatur, quæ auriga est ducens nos in ciuitatem illam Hierusalem cœlestē. Sicut enim fructus in virtute sunt in semine: sic in virtute continetur beatitudo nostra, & fœlicitas in fide. Omniū primū est credere, vnde diuinus amor continuò proficiscitur & deriuatur: amorem verò ipsa opera sequuntur: ex operibus verò in diuina amicitia factis, fœlicitas & beatitudo nostra consurgit: quo fit vt meritò credentes beati dicantur, Vnde facillimum est colligere fidei cognitionem præstantiorem esse, quacunque alia scientiarum & rerum omniū notitia: quia hæc nullam fœlicitatem stabilem secum afferunt, illa verò beatos in patria cœlesti nos efficit. Qua ratione ductus spiritus sanctus in Canticis Ecclesiam laudat dicens. Meliora sunt vbera tua vino. Multū interest inter lac quod infantulus ex matris vberibus sugit & vinum: quia quando vinum bibimus cōtinuò nobis innotescit quem colorē sortiatur album sit necne, vel rubrū, vel flauum: at puer neutiquam percipere potest cuius coloris sit lac. Omnes humanæ scientiæ veluti Philosophia, Astrologia, Cosmographia, & sciētiæ illæ, quæ de rebus humanis tractant sunt veluti vinum, quæ & ipso experimento cognoscūtur. Nam si tibi dixerit Philosophus, nihil esse vacuum in natura vel cœlum esse rotundum, vel minimā stellam maiorem esse terra: vel alias similes propositiones, nullo modo illi fidem adhibebis, nisi id tibi firma ratione probauerit. Itaque quando his propositionibus assentiris, oculis internis ipsius intellectus eas conspicis: nam alias, non præstares illis fidem. At si fidelis homo dicat tibi Deum esse trinum & vnum, si huius rei rationem petas, nulla tibi reddetur, quia trinitas in diuinis nulla ratione naturali tibi probabitur. Eodē pacto neque aliquis tibi probabit vlla ratione naturali quātumuis subtili & peregrina aliquem articulum fidei, Et ideò aduertere oportet fidem esse veluti lac, quod ex vberibus sanctissimæ nostræ matris Ecclesiæ sugere oportet, captiuantes intellectum in ipsius obsequium. ¶ Sed nunquid puer dicit matri, cùm ab ea propriis vberibus lactatur, vt ostendat illi cuius coloris sit lac? minimè. Sic nimirùm tu nulla ratione licet, vt ab Ecclesia postules, quid est, quod credis, aut quomodo id propriis oculis cognosces. Sed potiùs audire debes principem Ecclesiæ Petrum tibi dicentem. Quasi modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite. Benè igitur & eleganter inquit, Meliora sunt vbera tua vino. Acsi clariùs diceret, O sancta Ecclesia catholica, quod filiis tuis docendum proponis, omni scientia præstantiùs & excellentiùs est. Fides igitur melior est, quàm reliquæ omnes scientiæ naturales. Sed iā id percontari libet qua ratione præstantior, & excellentior sit? Ea sanè, quia in fide & propter fidem digni sumus præmio, aliis verò scientiis nihil meremur. Sed si à me roges, si Lunā dixero maiorem, quàm terrā esse, idque probauero tibi ratione naturali: si meis rationibus assenseris, mereris aliquid. Nihil prorsus. Quòd si itidem in natura nihil esse vacuum dixero, & manifesta experientia tibi cōprobauero: qua mercede ob id rogo ero dignus? nulla certè. Tamen si Deum optimū maximum, dixerim tibi mortem libenti animo subiisse, & mortuos iterū debere resurgere, quid merebor? summam illam fœlicitatem. Meliora igitur sunt vbera tua vino: quia meliora sunt ea, quæ homines beatos faciunt, quam illa, quæ fœlices reddere nequeunt. Beata igitur Maria, quæ credidisti, & assensum præbuisti his, quæ omnem prorsus humani ingenij capacitatem superabant. Beata enim es, quia hæc tua fides initium est illius beatitudinis, quam posteà tanto angelolum gaudio, & cœlestium spirituum iubilo consequutura es.

Fides initiū beatitudinis.

Beatitudo patriæ & viæ.

Fidei cognitio euidentissima.

Cant. 1.

2. Cor. 10.

1. Pet. 2.

¶ Sed iam etiam opus est aduertere, beatam virginem non laudari ab Elisabeth ob grandem diuitiarum suppellectilem, aut propter mundi huius prosperitatem: quemadmodū consueuerunt facere mundani, & amentes homines, qui dixerunt. Beatus populus cui hæc sunt: sed eam commendat ob eximias, & admirabiles virtutes, quę in ipsa relucebant, & præcipuè de fide, quæ radix est omniū aliarum virtutum. At multò aliter mundus, qui carnis pulchritudinem laudat, vitia & peccata, vt solent facere scurræ & gnatones, qui principū & magnatum pessimos mores eximiis laudibus prosequuntur, vt ex eorū bonis stomacho suo satisfaciāt. ¶ Itidem obseruandū est in hoc loco, quod ex his, quæ hic loquitur sancta Elisabeth, ostendit perfectum habuisse spiritum prophetiæ. Triplex nāque est (vt optimè explicat D. Gregorius) spiritus prophetiæ: de præterito, de præsenti, & de futuro. De preterito prophetauit Moyses cùm dixit. In principio creauit Deus cœlū & terrā. De futuro Esais dicens, Ecce virgo concipiet & pariet filiū. De præsenti verò cùm Paulus dixit. Si autē oēs prophetāt intret autē quis infidelis vel idiota, cōuincitur ab omnibus: diiudicatur ab omnib⁹, occulta enim cordis eius manifesta fiūt. Cū dicit, occulta cordis eius manifesta fiūt, ostēditur per hunc modū prophetiæ spiritū nō prædicere quòd futurū est, sed ꝙ iam est. Rectè prophetia dicitur, nō quia prædicit ventura: sed quia prædicit occulta. Ventura enim res vēturo tempore occultatur, præsens autē cogitatio absconditur in latenti

Psal. 143.

Triplex prophetia.

Homi. 1. super Ezech.

Gen. 1.

Esai. 7.

1. Cor. 14.

in latenti corde. Est enim prophetia præsens, cũ res quælibet non per animũ, sed per absentẽ locũ tegitur, quæ tamẽ per spiritũ denudatur, & ibi fit præsens prophetãtis animus, vbi per præsentiã non est *4. Reg. 5.* corpus. Nam Giezi lõgè à propheta recesserat cùm Naamã Syri munera percipiebat, cui tamen idem propheta dixit, Nonne cor meũ in presenti erat, quando reuersus est homo de cursu suo in occur- *Elizabeth triplex prophetia donũ.* sum tui? itaque manifestò colligitur beatam Elisabeth de præterito prophetasse, cùm dixit Beata quę credidisti, scilicet, verbis angeli. Nouit enim illustrata diuino Spiritu habitũ colloquium inter angelũ & virginẽ. De præsenti verò prophetiã explicuit, cùm dixit, Vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Namque diuino spiritu cognouit illã quam oculis intuebatur, esse matrẽ Dei & hominis. Prophetiam etiã de futuro pandit, cùm virgini nunciauit, adimplenda esse quæ angelus illi promiserat, dicens, *Quoniam perficientur quæ dicta sunt tibi à domino.* Quia verbis angeli integrã fidem præstitisti, omnia dicta tibi ab Angelo suo tẽpore à domino cõplebuntur. Obserua autẽ quòd ex fide duplici modo procedunt opera perfectionis, & miraculorum. Primò per dispositionis modũ, quia fides est dispositio ad operationes perfectas, & naturam transcendentes. Quippe grande & superbũ ædificium nequit stabiliri, nisi priùs firmissima fundamenta fuerint iacta. Oportet igitur fidem stabilem *Psalm. 32.* permanere, in eo, qui perfectis operibus illam corroborauit. Idcircò diuinus vates, Omnia opera eius in fide. Quia verò Maria firma stetit in fide credens angelo nuncianti ex parte domini, inde factum est, vt in ea diuina & mirabilia opera facta fuerint. Alio modo procedunt opera per modum meriti. Nam multorum fides meruit, vt Christus in eis operaretur & exteriùs, & interiùs: vt videre licet in Magdalena, Cananæa, Centurione, Paralytico, & in mul- *Luc. 7. Mat. 15. Matth. 8. Ioan. 5.* tis aliis, qui propter fidem in pristinam valetudinẽ sunt redacti. Sic etiã beatissima virgo fide meruit, vt in ea perficerẽtur q̃ dicta sunt ab angelo. Optimè igitur hęc diuina miracula tribuit fidei beata Elisabeth, dicẽs, Beata quæ credidisti, quoniã perficientur ea, &c. ¶ Sed iam rogo quid erat quod adhuc restabat perfici, an non iam erat mater Dei? Audi. Octo dixerat Angelus virgini Mariæ, & vnum tantum cùm hæc loquebatur ei Elisabeth erat adimpletum: alia verò septẽ adimplenda & perficienda erant. Primùm dixit Angelus, Ecce cõcipies in vtero: quod iam peractum erat. Secundò dixit, & paries filium: quod adimpletũ fuit in Christi natiuitate. Tertium dixit, Et vocabis nomen eius Iesum: hoc impletũ fuit in eius circuncisione. Quartùm dixit, hic erit magnus: quod sanè tunc temporis factum est, quando Christus insignia miracula faciebat & prædicabat: nã tunc effectus est magnus coram hominibus, qui dicebant. Propheta magnus *Luc. 7.* surrexit in nobis. Quintò loco dixit, Filius altissimi vocabitur: quod factũ est, quando Petrus, Martha, *Matt. 16. Ioan. 11. Matth. 26. Matth. 28.* & Centurio dixerunt illum esse filium Dei. Sextò subdidit. Et dabit illi dominus Deus sedẽ Dauid patris eius: hoc quidem adimpletum est, post resurrectionẽ, cum ipse discipulis dicit. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Septimo. Regnabit in domo Iacob in æternum, quod factum fuit, cùm assumptus est in cœlum, & sedet à dextris altissimi. *Mar. 16.* Octauò, dixit. Et regni eius non erit finis. Regnum *Psal. 144.* eius (vt inquit Dauit) regnũ omniũ sæculorũ: quod

sanè quotidie videmus adimpleri, nã Christus per sæculorum omnium immortalitatem, supremus iudex regnabit. Vides igitur quàm rectè dixerit Elisabeth, perficienda esse in Maria ea quæ dicta sunt ab angelo, cùm ex omnibus vnum tantum, idque primum opere esset completum. Nunc ergo beata virgo si in te laudamus silentium, & solitudinẽ videas obsecro optimè à sapiẽte dictum, tẽpus *Eccle. 3.* loquendi, tempus tacendi. Modo iam ô beatissima virgo tempus est loquendi, ne diuinis in te collatis beneficiis videaris ingrata. Nam si Anna mater Samuelis post sterilitatis opprobrium, quia cõceperat prophetam, laudauit dominum & cãticum cecinit dicens: Exultauit cor meum in domino: quã- *1. Reg. 2.* tò potius tu id facere debes, qui prophetarum doctorem, & summum totius vniuersi opificem ge- *Iudith. 5.* nuisti. Cecinit Debora canticum domino: cecinit, *Iudith. 10.* & casta Iudith pro victoriis, nunc & tu primas non feres inter omnes tuo mirabili cantico. *Et ait Maria.* Canunt sancti, & celebrant suum dominũ propter summa beneficia in eos collata, sicuti Dauid qui psalmos composuit, & beatissima virgo: nos verò sicut ingrati & immemores beneficiorum domini ea silentio inuoluimus. Expende etiam quòd ante Ioannem prophetat Elisabeth, & ante ortũ saluatoris prophetat Maria. Quia sicuti peccatum incepit à muliere, & deinde descẽdit in virũ: sic & principium salutis à mulieribus habuit ortum. Itaque ne forsitan ingrati animi sacra virgo argui posset, vt pote quæ gratum & promptum animum super omnes domino suo semper ostendit, in ipsius laudes cõcinit. *Magnificat anima mea dominum.* Si tu sancta Elisabeth me ipsam laudibus effers, si magnis *Aug. ser. 2. assũpti. virg. to. 10.* me celebras encomiis: verùm sciam me nihil boni habere, vniuersa ista, quæ tu in me coniicis, ego in dominum meum refero: ipsumque immensum & *Magnificari Deũ quomodo oporteat.* summum dominum fateor. Deum magnificare dicimur, cùm ipsius maiestatem, sanctitatem, & diuinitatis suæ altitudinem nostris verbis, & operibus ostendimus. Vnde fit quòd impij dicantur sanctum *Eze. 36.* nomen domini polluere: quoniam quãtum pro viribus possunt, illum dedecorãt & inhonestant: Itaque magnificamus Deum, siue Deus magnificatur in nobis, nõ quod ei aliquid accrescat: sed quia magnificatur in nobis per actus nostro diuino suo iuuamine affectos. Regis nanque imperium non in ipsius persona, sed in subditorum obediẽtia consistit. Sic dixit Esaias. Erit sicut seruus dominus, & si- *Esai. 24.* cut ancilla domina eius. Illi igitur, qui non tantummodo sunt contenti obsequio & obedientia domini, sed vlterius gradum mouent, exhibentes ei alia excellentiora officia, ij sanè magnum & potentem *Psalm. 63.* dominum faciunt. Quo fit, vt rex sanctus dicat: Accedet homo ad cor altũ, & exaltabitur Deus. Etenim vniuersis naturæ bonis renunciare, & nihil de futurum iudicare magnanimi, & excellentis viri cogitatio est. At verò mundani homines abiectum & infirmum animum habent, custodientes hæc bona sicut pupillam oculi, & existimantes sibi omnia defutura, qui Deum ipsum terminis, & mensura claudunt, de ipsius potentia desperantes. At verò quando quis virili animo rebus omnibus huius mundi contemptis, patria substantia, parentibus, & amicis post habitis religionem ingreditur, tunc temporis magnificatur: quia magis illum suspicimus, & veneramur. In maiorem & excellentiorem dignitatis altitudinem Deus nõ po-

teſt aſcendere: tamen aliquo modo poteſt creſcere
in famulis,& ſeruis ſuis, ſi illorum numerus magis
ac magis creſcat, & multiplicetur. Imperium nan-
que, quidam reſpectus eſt creaturarũ ad dominum:
& ſicut creaturæ non ſunt æternæ, ita nec domina-
tio in Deo eſt æterna: quia Dominus quis nõ dici-
tur, niſi ſeruũ & famulitiũ habeat: & ita Deus cre-
ſcit in imperio ſuo, quando homo ipſe in obedien-
tia domini creſcit & augetur. Beata igitur Maria
omnes ſuas potentias offerẽs domino ſuo, & exhi-
bens ipſi quantam poterat obedientiam, magnifi-
cat & extollit domini imperium. Et ideò vocauit
illum dominum,& nõ Deum, quia eius dominium
magnificatur, non autem maieſtas, nec deitas.

¶ Secundò, quia ante incarnationem eius domi-
nium breuioribus terminis claudebatur: quia no-
Pſalm.75. tus in Iudæa Deus: ſed poſt incarnationem magni-
ficatus eſt ſuper omnem terram. Idcircò agens bea-
ta virgo de incarnatione, per quam notus factus eſt
Deus per totum orbem, magnificat & prædicat ip-
ſius dominium. ¶ Tertiò cùm Chriſtus imago ſit
Dei inuiſibilis, & anima noſtra imago ſit illius:
cùm illum cognitione & operibus veneramur, tum
imago noſtra in nobis grandis efficitur, & ipſe do-
minus in nobis magnificatur. Nec mirum ſi Maria
hoc fecerit exemplo ſanctiſſimi Dauidis: qui dixit,
Orig. hom. 8. Magnificate dominũ mecum,& exaltemus nomen
ſuper Luc. eius in id ipſum. Sed cùm ſingula verba huius cãti-
Pſalm.33. ci digniſſima ſint conſideratione, operæpretium
erit ea expẽdere. Anima (inquit) mea: & merito cum
Deus potius mente & animo, quàm voce ſit laudã-
dus, iuxta illud Pauli, Cantantes in cordibus veſtris
Epheſ. 4. Deo. Vnde etiam dicebat, Pſallã in ſpiritu, pſallam
1.Cor.14. & in mẽte. Magnificat (inquit) anima mea. Quia lin
gua balbutiens eſt, vt tanta in me collata beneficia
poſſit numerare: ideò interiorem animi affectum in
agendis gratiarum laudibus offero. Anima inquit
Gregor. in mea. Quaſi diceret, Mirabilia quæ Deus protulit, in
Hom. meo copore exercebit: ſed nõ infructifera erit ani-
ma mea apud Deum. Conuenit nanque mihi & vo-
luntatis fructum producere. Nam quanto amplio-
ri doceor miraculo, tanto maiori vinculo teneor
eum glorificare, qui talia in me operatur. Vbi do-
cemur Deum potius laudãdum eſſe animo & men-
te, quàm corpore. Sed multi habent vocis & oris
orationem tantum, nõ autem cordis, quibus domi-
nus dicit, Populus hic labiis me honorat, cor autẽ
Matt.15. eorum longe eſt à me. Similes admodum ſunt iſti
Eſai. 29. leoni illi, quem Sãſon interfecit, qui habebat in ore
mel: & ipſe non comedebat, ſed pater eius, & mater
& ipſe Sanſon. Sic multi modò canunt ſuauiter in
choro, & habent mel in ore: ſed ipſi non percipiunt
internam animi dulcedinem: imò potius ſi aliqui
Iudicum.14. ſentiunt, ſæculares ſunt veniẽtes ad Eccleſiam, qui
ſpirituali lætitia gaudent: ſicut Samſon & parentes
eius, qui comederũt de melle oris leonis, ipſe vero
leo ieiunus manſit. ¶ Sed modò aduertere debes
beatam virginem non fuiſſe ſuam animam exhor-
Exod.15. tatam, vt Deum magnificaret: ſicut legimus Ma-
riam ſororem Moyſi feciſſe: quæ prouocans aliàs
mulieres dixit, Cantemus domino, glorioſè enim
magnificatus eſt. Neque vti Dauid, qui in plurimis
pſalmis exhortatur & inuitat animam ſuam, vt ve-
Pſal. 145. lit Deum laudare. Vt ibi, Lauda anima mea domi-
Pſal. 102. num. Et iterum, Benedic anima dominum. Et ſæ-
Pſalm. 33. pius ait in pſalmis, Benedicam dominum in omni
tempore. At beata virgo non dixit, lauda, magnifi-
ca, ſeu benedic, ſed magnificat: quia ipſo actu in illo
inſtanti erat laudans & benedicẽs dominum: nam
auditis his, quæ dicebãtur ab Eliſabeth, & viſis illis
myſteriis in domo Zachariæ ſanctiſſima ipſius ani-
ma in dominum ſuum erat tranſlata: quod fuit in
cauſa, ne eſſet opus ſe ipſam incitare in domini ſui
laudes. Obſerua etiam non tantum dixiſſe, Magni-
ficat anima: ſed addidit, mea. Nanque ille ſolus po-
teſt dicere anima mea, qui immunem illam habue-
rit ab omni ſceleris, & flagitij cõtagione. Nã etiam
ſi multi exiſtiment ſe animã habere, fallũtur omni-
no: quia pro mundano amore, próque vanis & pe-
rituris voluptatibus illam vendiderũt. Amor quip-
pe diſtrahit amantem propter rem amatam: ita vt
amans non ſit ſuiipſius, ſed potiùs illius rei, quam
ſtudio & amore proſequitur. Quocirca præceptum Matt. 22.
eſt à domino, vt illum ſuper omnia diligeremus: nõ
autem ob id, quia amoribus noſtris indiget, ſed ob
id ſolum, quia de noſtro lucro, de vtilitate, & ho-
nore agitur. Quia cùm volũtas ocioſa eſſe nõ poſ-
ſit, cúmque neceſſum ſit aliquid diligere: fit conſe-
quens quòd quãdo diuitiarum amore teneris, ani-
mam tuã pro opibus vendis, cúmque ipſa pretio-
ſior ſit omnibus mundi opibus, pro vili ſtercore il-
lam mutuas, tanquam puer vberibus matris lacta-
tus, qui lapidem pretioſum cõtemnit, ſi pomum ei
offeratur. Quã ob rem præcepit dominus, vt illum
toto pectore, & totis animi viribus diligamus, vt
hanc miſeram mutuationem tollat honoris, quam
in nobis mundus efficit, qua quidem & fallimur, &
decipimur. Idcircò, ſi animã tuam theſaurum pre-
tioſiſſimum, Dei compotem & participem pro mi-
ſeris voluptatibus tradidiſti: iterum eam redde do-
mino ſuo, vt vel ita non ſolùm ore, ſed etiam anima
tua ipſum dominum magnificare poſſis, tanquam
re & poſſeſſione propria, cuius dominus es.

¶ Notabis præterea vlteriùs non dixiſſe beatam
virginem, Magnificat anima mea filium, ſponſum,
vel Deum, vel dominum meum: ſed abſolutè dixit
dominum. Vbi intelliges pſalmum iſtum altiſſimis
myſteriis non vacare, & vnumquodque ipſius ver-
bum proprium pondus ſecum habere. Non dicit
virgo ſponſum filium, aut patrem, quanuis ſingula,
& omnia verè dicere potuerit: ſed tantum dicit do-
minum, vt omnibus & per omnia laudes proprias
fugeret. Etenim ſi dixiſſet dominum ſuum, humili-
tatem tacuiſſet: ſi autem dixiſſet ſponſum, patrem,
vel filium, multum laudis ſibi adſcriberet. Idcircò
dominum appoſuit, quod ad ſeruum & ancillam
reſpectum habet: quòd etiam nomẽ quandam vili-
tatem & abiectionem ſecum importat. Dicens do-
minum, ſe ipſam ancillam vocauit. Et quemadmo-
dum reſpondens angelo dixit, ecce ancilla domini:
ita modo in ſuo Cantico non dedignata eſt id no-
men ſibi ſumere. Dominum etiam dixit abſolutè,
quia non eſt loquuta de aliquo domino, qui ali-
quam huius mundi partem poſſidebat: ſed de illo
de quo eſt ſcriptum, Dominus vniuerſorum tu es: Heſter 13.
& in ditione tua cuncta ſunt poſita. Dominum iti-
dem dixit, vt ſuam mentem ad illius timorem &
reuerentiam excitaret: quia initium ſapientiæ ti- Sap. 1.
mor domini.

¶ Age & tu vt Deus ſanctus, & omnipotẽs ſit domi- Deus multorũ est Deus, sed non dominus.
nus tuus. Quid obſecro tibi proderit ſi vniuerſorũ
ſit dominus, ſuper te verò nullum habeat dominiũ?
Multi nãque ſunt, qui illum in Deũ habent, nõ autẽ
in dominum. Credunt etenim Chriſtiani illum eſſe
Deum,

Deum,& illum tanquam Deum verum adorát : sed
diabolum habent dominum, cui inseruiunt, & ad
nutum obtemperant. Sed id obsecrò, vt quemad-
modum Deus tuus est, ita & sit dominus : & tunc
erit dominus tuus, si ipsius mádata sedula diligen-
tia obseruaueris, si in omnibus,& per omnia illi pla
cere studueris. Meritò quidem regius vates inquit,
Psal. 143. Beatus cuius Deus, dominus illorum est. Beatus
populus, qui habet Deum in dominum. Vt igitur
omnia dicta in compendium redigamus, quia pri-
mus fructus spiritus est pax & gaudiú,& virgo san-
cta totam sibi auferat spiritus gratiam: meritò sub-
Anima & spiritus vnũ natura, sed ratione diuersa. iungit, *Et exultauit spiritus meus.* Id est, anima ratio-
nalis. Idem sonat anima & spiritus, sed anima dici-
tur eo quod viuificat corpus. Vnde fit, vt vitæ inte-
gritate & sanctitate hæc Deum magnificat, qui fe-
cit illam. Dicitur autem spiritus, propterea quòd
cœlestia & altissima contemplatur, cuius est pro-
prium in Deo exultare. Anima enim talem vim ha-
bet, vt possit se à corpore segregare, atque in Deum
suum conuerti : & tunc in spiritum transit, & tunc
vocatur spiritus. Quod si ab igne similitudinem ve-
lis accipere, cũ ignis ligno admouetur, vt in id pos-
sit agere, primum ad id se applicat & extendit, vt
illud inflãmet : deinde verò curat, vt ab ipso separe-
tur, vt seorsum in spheram suam euolet : Sic anima
dum vitam corpori præstat, illi se communicat, at-
que ob id tum temporis multum corporeæ naturæ
esse videtur : verùm dum separatur à corpore tan-
quam in propriam naturam conuersa, tanquã for-
tissimus spiritus alta & sublimia petit diuina cha-
ritate incensus. Atque spiritus hic est acumẽ ipsius
rationis & quodammodo intellectu superior, quo
imprimis ipse Deus à nobis percipitur. Sic Aposto-
lus distinxit inter spiritum & animam cum Thessa-
1. Thes. 5. lonicensibus dixit, Vt integer spiritus vester & ani-
ma & corpus sine querela in aduentu domini no-
stri Iesu Christi seruetur. Vnde per spiritum intelli-
gere possumus præcipuam & potissimam hominis
partem, qua diuina percipit: anima verò ea pars di-
catur, quæ naturales exercet ratiocinationes : cor-
pus verò affectus, qui nescio quid corporeum sa-
piunt: qui nisi regãtur & frænentur, hominẽ ipsum
ferum & immanem reddunt. Quá ob causam apud
eundem Paulum reperies, alios homines spiritua-
les appellari, alios animales, alios verò carnales: spi-
1. Cor. 3. ritualem dicit omnia diiudicare, ipsum verò à ne-
mine diiudicari, vtpote cuius mens diuinis illustra
ta fulgoribus omnibus superior sit. Animalem ve-
rò qui ductum rationis sequitur: tamen caret diui-
nis & supernaturalibus illustrationibus: quales fue
runt ethnici illi philosophi, quãuis multa acutissi-
mè & sapienter excogitarunt, non tamen illam su-
premam diuini spiritus altitudinem assequebãtur.
Quo fit, vt diuus Paulus dixerit, Animalis homo nõ
1. Cor. 2. percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Carnalis verò di-
citur, qui contempta & pro nihilo habita ratione
affectus immoderatos carnis sequitur. Quare eos
carnales appellabat Paulus, qui æmulationibus,&
1. Cor. 3. contentionibus operam dabant. Cùm in vobis (in-
quit) sit æmulatio & cõtentio : nõne carnales estis,
& secundum hominem ambulatis? Quod si hæc ita
se habent, quantum existimas procul esse à diuino
spiritu eos, qui carnales sunt,& nihil aliud quã car-
nem & terram sapiunt? Discamus ex beatissima vir
gine Deum nostrũ & anima & spiritu summis lau-
dibus prosequi: ita vt possimus verè cũ regio pro-
pheta canere, Benedic anima mea dño : & omnia, *Psal. 1[?]3.*
quę intra me sunt, nomini sancto eius. Omnia inte-
riora nostra, cor, animam, mentem, & affectus do-
mino Deo nostro offeramus. Dicere etiam nos o-
portet Deum omni tempore laudare, corde, ore,&
spiritu. Paulus nanque & Silas ardentissimi in diui- *Act. 1[?].*
no amore, per mediæ noctis silentium, quãdo cor-
pora in quiete debebant esse, tum temporis in Dei
laudes erumpunt. Et tres pueri in camino ignis in-
ter medias flammas constituti, studiosissime Deo
benedicebant. Et patientissimus ille Iob in ipsa re- *Dan. 3.*
rum omnium & filiorum iactura, generosa illa ver- *Iob. 1.*
ba protulit, Dominus dedit,&c. Nec Ionas in ven- *Ionæ. 2.*
tre immanis piscis clausus, est oblitus nouo hy-
mno Dei magnificentiã prædicare. Vnde Esaias in *Esa. 12.*
quit, Confitebor tibi domine cum iratus es mihi.
¶ Exultet itaque spiritus Mariæ in Deo : hæc enim
exultatio est futuræ vitæ quoddã pignus & repræ-
sentatio: de qua scribitur, In æternum exultabis,&
habitabis in ea, Et rursus. Exultabunt sancti in glo-
ria, lætabuntur in cubilibus suis, Exultationes Dei *Psal. 5.*
in gutture eorum. Nam Exultare in Deo non pos- *Psal. 149.*
sunt nisi qui totos sese illi dedicauerũt: & idcircò vt
statim videbimus salutare suũ appellat, quod in scri
pturis sacris frequens est. Vt, lætabimur in salutari *Psal. 19.*
tuo. Et, super salutare tuum exultabunt vehemen- *Psalm. 2[?].*
ter. Et, ab ipso enim salutare meum. Et in Cantico
Annæ, Lætata sum in salutari tuo. Quam exultatio
nem & lætitiam insanus mundus nõ intelligit: qui
in rebus pessimis lætatur,& gloriatur. Sic gloriaba *1. Reg. 2.*
tur Arphaxat in ingẽti copia diuitiarũ, & in multi- *Prouerb. 2.*
tudine quadrigarum suarum. In hoc breuissimo vi- *Iudit. 1.*
tæ nostræ tempore gaudere & lætari in mundi vo-
luptatibus falsis, insanire potius est, quã aliud face-
re. Qui certè admodũ similes sunt eis, qui cũ phre-
nesis grauissimo morbo infestẽtur iã proximi mor-
ti delirio capitis rident & cachinantur. An forsitan
hæc exultatio beatæ virginis ꝓuenit ex aliquo mũ-
di honore, quo afficitur: ex carnis aliquo falso oble
ctamento? Ex generis nobilitate: Ex formæ eximia
pulchritudine, vel ex mũdi ꝓsperis & fœlicib⁹? Nõ
æ quidem, sed, *In Deo salutari meo.* Quod gaudiũ est in
Deo tãquã in obiecto, causa, & fine, nõ autem in se
neque in aliquo alio, Quo fit, vt Apostol. dicat, Qui
gloriatur, in domino glorietur. Et iterum, Gaudete
in domino semper, iterum dico gaudete. Sic Dauid
in psalmo, In via testimoniorum tuorũ delectatus
sum, sicut in omnib⁹ diuitiis. Alij in vestibus, alij in *1. Cor. 1[?].*
possessionibus, alij in agris: in diuersis denique ha- *Philip. 4.*
bẽt singuli suas delectationes: sed vir sanctus in via *Psalm. 118.*
testimoniorum Dei delectatur. Itaque beatæ virgi- *Leg. Aug.*
nis non solùm anima, sed etiam spiritus exultat in *ser. 2 Assum.*
Deo salutari suo. Meliùs equidem ipsa quàm Dauid *ptæ virg.*
posset dicere, Cor meum & caro mea exultauerũt
in Deum viuum. Quòd quidẽ magnũ priuilegium
est iustorũ, vt nõ solũ spiritus, sed & anima sensitiua
& caro insurgant cũ spiritu in diuinas laudes: quæ
quanuis mortalis sit, tamẽ in Deo gaudet. ¶ Porrò *Psalm. 83.*
dominus dicitur ratione gubernationis : Deus ra- *Deus & dominus qua ratione dicatur.*
tione creationis: & tãdẽ salutare siue salutaris, ratio
ne iustificationis. Singulari tamẽ modo fuit Deus,
dominus, & salutare Mariæ: propter singularia do-
na & beneficia illi collata. Fuit duobus potissimis
modis salutare suũ. Primò quia eam solã singulari
quodam modo redemit: quia ipsam ab omni pecca
to immunem tam actuali quàm originali seruauit.
Secundò, quia ipsa sola dedit illum nobis in carne,
vt omni

vt omnibus mederetur: vt redimeret: & vt à captiuitate in pristinam libertatem nos assereret. Vnde antonomasticè Christus virginis salutare dicitur. *Psalm. 70.* Quare in ipsius persona inquit Dauid, Exultabunt labia mea cum cantauero tibi:& anima mea, quam redemisti. Si enim Patriarchæ & Prophetæ adeò exultauerunt propter huius salutaris expectationem,& Abraham exultauit vt videret diem hunc: quantò potiori iure internis animi iubilis gaudere *Ioan. 8.* debuit, quæ incarnatum iam in vtero suo hoc diuinum verbú videbat? Sed neque his omnibus contemplatis, velim obliuiscaris, Deum per amorem *Abacuc. 3.* tuum facere, ita, vt possis cũ Abacuch dicere, Gaudebo in Deo Iesu meo. Et etiam huius memor esto ne Christi sanguis pretiosissimus in te pereat: sed quemadmodum pro omnibus mortem libẽtissimè subiit,& omniũ est salutare: ita tibi dominus,& redemptor sit, vt ipsius crux, claui,& passio, debitam vtilitatem afferant. Nihil tibi proderit Deus nisi ad maiorem damnationem, si ipsum tanquã tuum salutare non fueris amplexus. Omnibus Christus seipsum præbet & nemini se occultat & negat: ita vt si illum quæsieris, sine dubio illum tecum habebis, & si in hoc sæculo illũ habueris, in sempiternũ illo frueris. Itaque beatæ virginis exemplo omnis noster spiritus exultet in Deo salutari suo: totis virib⁹ ipsum magnificans. Magnificet illum memoria nostra recolẽdo ipsius in nos diuina beneficia: intellectus noster, ipsius excellentiam contemplando; voluntas, in eius amorẽ accẽdatur: lingua & vox, eum laudet. Modo autem causam subdit beatissima virgo, quare tot laudib. & encomiis ipsum prosequatur ipsius beneficia recolẽdo, *Quia respexit humilitatẽ ancillæ suæ.* Id est, meam exiguitatem & paruitatem. Et quantum coniectare possum, fuerit mea sententia sacram virginem in hoc loco nõ fuisse locutam *Humilitas pro abiectiõe.* de humilitatis virtute. Nam in Græco codice habetur, ταπείνωσιν, quòd vocabulum paruitatem sonat. Ac si dixisset clariùs, Quanuis paruula sim & minima ancilla domini, ipse tamen adeò est humilitatis *Psalm. 112.* amator, vt oculos coniiciat in infimam ancillam suam. Quis enim sicut dominus Deus noster, qui in altis habitat:& humilia respicit in cœlo & in terra, hoc est, infima & abiecta respicit è cœlo: quòd vt cognoscamus ita esse subdidit. Suscitans à terra inopem,& de stercore erigẽs pauperẽ: vt collocet eum cum principibus, cũ principib. populi sui. Regius Psaltes de seipso loquitur, qui de abiecto humiliq; ouium custode ad apicem celsitudinis regni peruenerat. Neque vbi dicit humilia, intelligas laudabilẽ cuiusque abiectionem & suæ miseriæ agnitionem: nam vt sic nõ diceretur humilitas, sed potiùs superbia, seipsum prædicare humilẽ. Sed ibi abiectionem *Iob. 5.* & sui contemptum apud homines demonstrat. Vnde sanctus Iob depingens genium Dei inquit, Qui ponit humiles in sublime. Hic humiles quasi mũdi peripsema & abiectos intelligit, qui pro nihilo habentur apud homines. In quo etiã sensu illa sancta fœmina Lya cõtemnebatur à viro suo Iacob, dũ ar- *Genes. 28.* denti amore prosequebatur speciosam Rachel. Post quàm ergo peperit Ruben Lya dixit, Vidit Deus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. Ecce humilitas ibi significat idem quod contemptus & abiectio erga virũ suum, propter eius deformitatem. In hoc sensu etiam sumitur hic quod beata virgo paulò inferius in hoc Cãtico dicit in septimo versu, Deposuit potentes de sede,& exaltauit humiles. Si enim per humiles ibi virtute humilitatis insignitos intelligeret, nõ vtique dixisset: deposuit potentes de sede, sed deposuit superbos: cùm secundũ veram nominum oppositionem potentiæ diuitum huius sæculi & opulentiæ, nõ opponitur humilitas virtus, sed potius abiectio quæ in pauperibus est. Ad hoc facit quòd Diogenes Laërtius in vita Aesopi Phrigij scribit, quòd cùm idẽ ipse Philosophus quæreret ab alio philosopho sciret ne quidnam Iupiter in cœlo faceret, ille respondisse fertur: exaltare humilia,& fortia quæque deprimere. Itaque nõ seipsam gloriatur aut iactat sancta virgo de humilitatis virtute: et si aliquando viris perfectis & virtute præcellentibus liceat hoc facere: vt ipse Paulus *2. Cor. 12.* multoties fecisse legitur: sed hìc mater Dei non loquitur nisi de sua paruitate. Ex quo facilè vnicuique erit colligere, quàm alto & supremo gradu, in humilitatis virtute radices egerat: quando cum tã præclaris virtutum dotibus illustris, se infimam ancillam existimabat. Atque ita quãuis his verbis virtus humilitatis virginis nõ significatur voce: tamẽ ipso opere exercetur. Nec contenta fuit sacra virgo pro sua eximia humilitatis virtute dicere: respexit ancillam suam, sed exiguitatem ancillæ suæ. Et hãc exiguitatem quo ad merita debes attendere: quippe quæ se ipsam nullius meriti nulliúsque virtutis existimabat. Neque id fictè aut falsò, quoniam considerabat non suarum virium præstantiam: sed ex parte Dei dona in ipsam collata. Hæc enim consideratio mater est humilis cordis, cuius radix in ipsa anima est. Qua quidem humili consideratione, quam virgo de se ipsa concepit, digna fuit vt tot donis,& priuilegiis ab ipso domino illustraretur: adeò vt ipsius mater fuerit effecta. Hanc à longe respicit Deus propter cordis humilitatem. Sic Sa- *1. Reg. 15.* muel Sauli dixit, Cùm eras paruulus in oculis tuis, caput in filiis Israel factus es, &c.

Respicere Dei est misereri. ¶ Præterea id tibi aduertendum est quòd respicere in sacris literis plus aliquid significat quàm videre. Significat enim misereri, auxiliari,& dona conferre. Vnde in Exodo dicitur, Respexit dominus *Exo. 3.* filios Israel:& vide quid statim sequatur. Et liberauit (inquit) eos. Et Iudith domino dixit, Respice ad humilitatem nostram, hoc est. Respice abiectionem nostram:& adiuua nos. Et in psal. Respexit dominus orationem humilium,& nõ spreuit preces eo- *Iudith.* rum. Et iterum, De cœlo respexit dominus,& vidit *Psal. 101.* omnes filios hominum. Quapropter subdit statim, *Psalm. 32.* Quoniam adiutor eorum,& protector eorum est. Ex quo iam planè colliges quòd respicere adiuuare sit, auxiliari, misereri,& dona elargiri. Cùm autem egregius vates hoc domini ingeniũ benè nouisset, quòd cum aliquẽ respicit, aliis vberioribus,& excellẽtioribus bonis cumulat, in maximis angustiis & necessitatibus constitutus ad dominum clamabat dicens, Deus, Deus meus respice in me: quare me dereliquisti. Aspice rogo & oculos tuæ pie- *Psalm. 21.* tatis,& misericordiæ ad me conuerte: scio enim & cum his multa bona mihi esse ventura. Et ali- *Psalm. 24.* bi ipse diuinus vates inquit, Respice in me & mi- *Genes. 4.* serere mei, q̃a vnicus,& pauper sum ego. Et in Genesi dicitur. Respexit dominus ad Abel,& ad munera eius: idque propter fauorem & beneficium, quod in eum contulit, acceptando ipsius oblationes. Ad Cain autem neutiquam respexit, quia illius dona non suscepit. Itaque cùm audieris dominum oculos suos in aliquem iustum coniicere, nullatenus

tenus dubites ipsius aures paratas, & attentissimas esse ad exaudiendas illius preces. Vnde in psalmo, Psal. 33. Oculi domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Longum autẽ est discrimen inter aspectum Dei & principum mũdi: fit enim vt multi homines

Aspectus Dei & principum diuersus. alios intueantur, nec aliqua bona illis tribuunt. Solent enim ad se inuicẽ dicere illi, qui in curiis regũ versantur, An aspexit te rex? & respõdet ille, Etiam. Veruntamen multi quotidie aspiciuntur, nulli tamen aliquid confertur. Bonum esset, & æquum vt cùm rex te infirmum aspiceret, ipsius visione ab infirmitate tua liber & incolumis euaderes. Sed multò & excellẽtior & efficatior est Dei visio: quia infirmum, quem respicit sanat & erigit. Si pauper est, amplissimis diuitiis auctum ac locupletatum reddit: si peccator & flagitiis coopertus, ignoscit, & lauat: si fortè ad lapidem offendit, onus releuat, & fouet.

Mar. 14. Respexit Christus Petrum, & liquefactum est cor illius, & ad dominum cõuersum. Mat. 9. Respexit Mathæum: & protinus ab instituto munere fuit reuocatus, & in altiorem dignitatem euectus. Mat. 4. Coniecit oculos in discipulos piscatores, eósque vocauit: qui relictis retibus, & omnibus quę possidebãt, sequuti sunt Christum. Ioan. 9. Respexit cœcũ illum à sua natiuitate: statim visus illi restitut⁹ est. Mat. 5. Respexit turbas, quæ sequebantur eum, & ascendens in mõtem docebat eos dicens, Beati pauperes, &c. cum quibus longũ sermonis discursum habuit. Et alia die cũ leuasset oculos Iesus, & vidisset multitudinem magnam ad Ioan. 6. se venientem, dixit Philippo, Vnde ememus panes, vt manducent hi? Et denique necessaria illis ad victum ministrauit, mittens illos in domos suas. Et nunc beatissima virgo. Respexit (inquit) humilitatem ancillæ suæ. Et subdit statim, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quod si à beata virgine interroges, quid fuerit consequuta ex eo, quod suam paruitatem & abiectionem aspexerit: respondebit tibi. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ac si diceret, Quia respexit me dominus (cuius aspectus nihil est aliud quã beneficiorum collatio) hac de causa omnes generationes me beatam dicent. Quamobrem non incautè, imò prouidè, & sapienter feceris, si tui clamores tanti fuerint, vt ad aures domini pertingãt, vt te velit respicere: exemplo illius regij vatis, qui dicebat, Psal. 24. Respice in me & miserere mei: quia vnicus, & pauper sum ego. Si illi qui negotiũ aliquod cũ rege, vel cum aliquo ex domesticis ipsius habent, coram se constituunt, vt non possint nõ videri, ita vt rex non sit eorum immemor, vtque negotia faciliùs expediantur: quàm maiori ratione tibi est opus, vt corã oculis domini patẽs sis: vt tuis negotiis prouideat, vtque tuæ necessitati succurrat? Si pauperes ita sese in mediis viis diuitibus offerunt, vt vel possint in illos offendere, & vulnera sua illis ostẽdunt, vt diuites illis subueniant, & misereantur: quantis iustioribus de causis debes te ante dominum sistere, & vulnera, & afflictiones tuas præsentes illi facere, vt sua ineffabili misericordia velit tecum vti. Ne obsecro te abscõdas, ne fugias ab oculis domini, quia benignus, & misericors est: vt & in te oculos suæ misericordiæ coniciat, & vt tuis vulneribus possit mederi.

¶ Expende etiam, quòd beatissima virgo ab omnibus benedicitur: quia suis oculis paruula, & abiecta Psal. 137. fuit. Humilia enim subleuat, & alta à longe cognoscit. In quo quidem nõ aliud docemur, nisi quòd si magni esse volumus, & ab omnibus in pretio haberi, oportet nos sanctissimã humilitatis virtutem amplecti. Nãque ij omnes, quos modo mũdus prædicat, quósque summis laudibus celebrat & encomiis, non alia potissima & certiori via hoc dignitatis fastigium ascenderunt, quàm sanctis humilitatis amplexibus fugiẽtes vanos, & perituros sæculi honores. Nemo sanè ita honore dignus est, quàm is, qui ipsum honorem fugit: nec ditior aliquis, quàm qui minimo cũ Christo cõtentus: nec altior quis, quàm qui contemni cupit: nec vllus sanè (vt omnia suo perpendiculo metiamur) ita ab hominum memoria deletus, vt ille qui suum nomen in hoc sæculo æternum esse studuerit. Grãdis quidem error est honorem quærere inter ignominiosam mundi huius conditionem: nanque tum maximè confundimur vbi lucrum sectamur. Humilem autẽ Mariam, quæ gloriam mundi non sitiebat, omnes generationes beatam prædicant. Non famam aut nomen huius mũdi quærebat, nec in linguis hominum sedem habere desiderabat: quo factum est, vt modo ab omnib⁹ per sæculi æternitatẽ celebretur. Videor nãque mihi illud de Iosia rege, & virgini sacræ aptiùs posse accommodari, In omni ore quasi mel indul- Eccl. 49. corabitur eius memoria: & vt musica in conuiuio vini. ¶ Præterea aduertere oportet, quòd ab omni generatione benedicitur tam ab angelis, quàm hominibus: ita vt vel inter ipsos immanes & barbaros homines cõmendetur. Omnes nãque nationes Theoph. in Luc. beatam & fœlicem illam prædicant: nam ex omni natione aliqui salui fiunt: dignatur enim dominus pro sua pietate singulari, aliquos suæ fidei diuinis radiis illustrare, vt verùm sit illud, Viderunt omnes Psalm. 97. fines terræ salutare Dei nostri. Ne autem beatissima virgo suis meritis videretur adscribere has tantas & tam supremas laudes, referens illas in proprium autorem inquit, *Quia fecit mihi magna.* Quemadmodum est consuetudo bonorum diuina opera magnificare & extollere, ita impiorum diminuere, & labefactare. Moyses vir sanctus & iustus terram promissionis maximopere cõmendauit, sed quidã impij Israelitæ dixerunt, Non dedisti nobis hæreditatem agri & vini. Virgo autẽ beata opera Dei in ipsa facta summis laudibus effert. Num. 16. Non inquit, per me aut in me facit magna, sed mihi inquit fecit. Quod enim in ea ad omnium salutem factum est, hoc priuilegio electionis ad ipsius gloriam singulariter est ordinatum. Et idcirco dicit, magna, nec dicit, qualia: quia cùm omnia Dei opera humani sensus capacitatem exuperent, inter ea omnia magnum locum obtinet sacramẽtum incarnationis verbi. Incarnatio Christi mira culorũ omniũ maximum. Nihil vnquàm in vniuerso ita factũ esse mirabile, quã quòd Deus fieret homo: & qui naturæ erat incompræhensibilis, ita corporis substantiam sibi vniret, vt nec illi fuerit additum quidquam. Hæc adeò magna sunt, vt si ea velis explicare in medio itineris, gradum sistas oportet, quo vadas omnino nescius, & ignarus. Nec mirum si beatissima virgo breui verborum compendio fuerit vsa, nam plus tacens quàm aliquid dicens expressit. Sic diuus Paulus raptus in tertium cœlum plus dixit tacendo, quã lo- 2. Cor. 11. quendo posset exprimere: quia lingua nostra balbutiens & inepta est, vt in diuinorũ mysteriorum explicatione aliquid valeat. Vnde Esaias huius rei cõtemplatione ductus, cum eius anima plena esset dulcedine diuini spiritus, dicebat. Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Nam internæ ani- Esa. 24. mi inspira

mi inſpirationes, & dulcedines illæ iuſtorum, & amicorum Dei, melius ſignificantur ſilentio, quàm ſi verborum ambage miſceantur. Sancti quippe, & amici Dei diſſimiles ſunt hominibus huius noſtræ tempeſtatis, qui ſtatim vt interiorem animi lætitiam & impulſum ſentiũt, iam ſanctitatem ipſam videntur edocere, & omnibus continuò prædicant id, quod in oratione dominus eis communicauit. Contingit aliquãdo ei, qui graui dolore infeſtatur vt nequat illum exprimere, propterea quòd ipſius grauitas ſenſum impedit, nè lingua exprimat quod ſentit. Sic Dauid ſuſpenſam dicit orationem, Anima mea turbata eſt valde: ſed tu domine vſque quo? *Pſalm. 6.* id eſt, quouſque me ipſum adiuuabis, aut obliuiſceris? Eodem modo in alio pſalmo, *Pſal. 50.* Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Quod ſi ab illo roges, quid eſt tibi, cuius velis miſereri? Neſciet exprimere, nec poteſt propter doloris magnitudinem. Multo ergo magis multitudo beneficiorum Dei impedit propriam narrationem. Quis obſecro adeò ingenio & dexteritate dicendi valebit, vt narrare poſſit quanta fecerit mihi dominus? Quæ ſunt iſta? Præ ipſorum magnitudine dicere non valeo.

¶ Vbi inſigne documentum tibi iam ſuboriri poterit, quod quanuis hæc omnia dicta ſint de virgine Maria: nemo tamen noſtrum eſt, qui non poſſit eadem dicere, Quia fecit mihi magna. Si res magna tibi videtur (vt reuera eſt) virginem geſtaſſe in vtero filium Dei, atque vberibus ſuis fuiſſe lactatum: cùm quædam mulier dixiſſet, beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Subdit ipſe Chriſtus *Luc. 11.* ſtatim, Quinimo beati qui audiunt verbum Dei. Eodem paradoxo alibi vſus eſt, cum dicenti, ecce mater tua & fratres tui foris ſtant, quærentes loqui tibi, reſpondit, Quæ eſt mater mea & fratres mei? *Mat. 12.* Qui fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt. Quare ſi quis inuidet tãtæ fœlicitati huius virginis, eo quod fuerit mater Dei: audiat ab ipſo Dei filio ſe poſſe aſſequi hãc beatitudinem, vt ſpiritualis mater ſit. Ideo qui domini voluntati obtemperauerit, poterit di- *Geneſ 1.* cere: fecit mihi magna. Nonne tecum fecit magna, *Ioan. 3.* qui creauit te ad imaginem & ſimilitudinem ſuam qui miſit filium ſuum de cœlo, vt te à morte liberaret, qui in vtero matris te cuſtodiuit, qui baptiſmatis fonte lauauit? Sed proh dolor, horum omnium immemores ſumus, & tantum cura nobis eſt honoris, & pecuniæ. Ait ergo beata virgo non ſolùm loquens de incarnatione, ſed de beneficiis quæ Deus priuatim illi contulit. Magna in me contulit beneficia dominus: vt niſi ipſius omnipotentiam conſideres, meis dictis non præſtabis fidem, idcirco addit modo, *Qui potens eſt.* Non propter mea merita voluit in me talia operari, ſed quia ipſe eſt cunctipotens. Acſi clariùs diceret, Si mea vobis cõceptio in cauſa eſt, vt miremini, neque eam poteſtis intelligere: hoc ideò fit quia potentiam domini nõ contemplamini. Quocirca humilitate induimini, & attendite Deum plus poſſe facere quàm vos poteſtis intelligere. Quod ſi neque valetis comprehendere quomodo cum ſim mater, etiam virgo remãſerim, & cùm ſim creatura, creatoris etiam mater ſim, conſiderate Dei potentiam infinitam, & ſic veſtræ hæſitationi erit ſatisfactũ. Ille qui ex nihilo omnia *Rom. 4.* fecit, qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt: ille in me tanta & tam præclara operatus eſt.

¶ Expende etiam, non dixiſſe beatam virginem, hoc vel illud potens, ſed potẽs eſt: vt omnipotẽtem eũ eſſe intelligas, qui nulla exceptione facta omnia poteſt: de quo quidem veriſſimè dicitur immenſum eſſe. Abeãt ergo modo qui de ſuo ſenſu gloriãtur, quique diuina opera humana ratiõe diſcutiũt, exiſtimantes ipſius potentiam aliquibus terminis aut regionibus poſſe cõtineri. *Et ſanctum nomen eius.* Sanctum eſt in ſe, & in nobis: dum nos in nomine ipſius ſanctificationem accipimus. Sed iam rogo quod eſt nomen eius? Vtique fama ipſius, cognitio eius, fides eius. Hoc nomẽ cum ſanctis ſanctum eſt: quia à ſanctis magnificatur & benedicitur, ab ini- *Eſai. 1.* quis verò, & ſceleratis hominibus blaſphematur. *Rom. 2.* Et nomẽ Dei per vos blaſphematur in gẽtibus. Igitur quia magna fecit ſanctificatum eſt nomen eius: quia dum verbũ in carne mirabiliter naſcitur, gloria Dei per verbum in hominibus declaratur.

¶ Aduerte autem virginem Mariam diuini nominis ſanctitatem cum poteſtate adiunxiſſe, & copulaſſe: quia imperium & poteſtas ſine ſanctitate ty- *Poteſtas diuina cũ ſanctitate.* rannis eſt: cuiuſmodi habuerũt Pharao, Nabuchodonoſor, Antiochus, Aman, & alij. Itaque Deus noſter in nihilo cõmunicat cum potentibus huius ſæculi: quia ipſe ſanctus ſimul & potens eſt. San- *Pſal 110.* ctum, & terribile nomẽ eius. Et alibi idem prophe- *Pſalm. 98.* ta, Confiteantur nomini tuo magno: quoniam terribile, & ſanctum eſt. Sanctitatem ſemper iungere oportet cum poteſtate: ne poteſtas ſine virtute & ſanctitate, in crudelem tyrannidem euadat. Nemo enim verè de hoc magnifico, & diuino opere gloriari poteſt: ſed omnis laus, & gloria, quæ inde conſurgit in illius artificem reiicienda eſt. Docemur itidem ſanctæ virginis documento, magnalia Dei prædicare, & omnia ſuæ potentiæ adſcribere, non autem noſtris meritis. Gloriam in ipſum Deum de- *Ioſue 7.* bes refundere tanquã præcipuum autorem totius boni: ne vſurpare velis id, quod nemini largiri vo- *Eſai. 10.* luit, ipſe enim eſt qui ait, Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur?

¶ Præterea id vnum inter omnia reliqua tibi commendare lubet, vt quando diuinum nomen audis ſanctum & immaculatum eſſe, ne tuis labiis illud polluas & dedecores: nam huius criminis maximè conqueritur dominus (ſignum quidem euidentiſſimum, grauiter animaduerſurũ in eos qui ſanctum *Eſai. 52.* nomen eius polluunt) inquit enim, Nomen meum *Leui. 20.* per vos quotidie blaſphematur. Ne accipias nomẽ Dei in vanum: ſed audi rogo illum dicentem, Sancti eſtote: quoniam ego ſanctus ſum. Diſce etiam timorẽ domini in tuo corde ſemper obſeruare, & in eo confidere, & ſperare, cùm audias eum potentem eſſe: quia vires habet, vt flagitioſorum hominũ peccata puniat: & vt liberet te à malis omnibus. Poterit quidem de tuis peccatis dignam animaduerſionem ſumere, ſicut exemplo tibi eſſe poteſt ſceleratus ille Pharao, Core, Datan, & Abiron, & alij mul- *Exod. 14.* ti quorum mentionem ſacra pagina refert. Poterit etiam te liberare à malis, & ſolatium in tuis miſeriis præbere: ſicut liberauit filios Iſrael à ſeruitute *Exod. 14.* Ægyptiorum, Loth à Sodomitica gente, Iob ab vl- *Gene. 19.* ceribus, & calamitatibus ſuis, & quemadmodum *Iob 42.* eripuit Danielem ab vnguibus Leonũ, & tres pue- *Dan. 14.* ros in camino ignis intactos & liberos ſeruauit: Da *Dan. 2.* uid à perſequutione Saulis, Heliam à manibus Ie- *1. Reg 16.* *3. Reg 18.* zabelis, Suſannam à falſo crimine. Petrum à carce- *Dan. 3.*

re: He

2.Cor.1. rodis,& Paulū à multis periculis,ita vt in hæc verba proruperit. Sicut abundant Christi passiones in nobis,ita & per Christum abundant consolatio nostra. Potens quippe dominus est facere omnem Actu.11. 2 Cor.1. 2.Cor.9. gratiam in nobis abundare. Nam si aliquo animi mœrore tristis es, poterit dominus hanc tristitiam in ingens animi gaudium conuertere. Quod si aliqua graui infirmitate laboras, poterit Deus in ictu oculi in pristinam & antiquam valetudinem teipsum reuocare. Si autem dixeris, te magno flagitiorum & scelerum pelago esse submersum: poterit dominus sua omnipotenti virtute animam tuam mundare. Neque vnquàm tibi desperandum est in tuis laboribus & afflictionibus de diuina benignitate & misericordia: quin potius fidendum tibi est,cùm ipse sit potens ab his omnibus te liberare. Nanque multos vidimus in carceribus constrictos, & alieno ære grauatos, posteà in altas & sublimes dignitates euectos. Sed forsitan his dictis obiicies. Non me latet Deum infinitam habere virtutem,& facillimè posse me ab his omnibus incolumem seruare: sed maximum timorē id incutit, quod maximus peccator sum,& indignus sua gratia, & ita existimo me omnino à libro vitæ deletū esse, & Deū mei esse immemorē. Si de his timidus & pauidus es, audi obsecro in fiduciā & spem animi tui, sanctissimam virginem dicentem. *Et misericordia eius à progenie in progenies.* Domini misericordia infinita est, nec aliquibus terminis aut finibus potest contineri:& ideò potens est,vt saluos nos faciat,& vt nostri misereatur. Mihi(inquit)fecit, non tamen soli singulariter, sed vni excellenti quodam modo:veruntamen eius misericordia à progenie in progenies. Nemo à gratia excluditur, sed per omnes gentes eius pietas & misericordia dispergitur. Act.10. Joan.4. Vnde dicebat Apostolus Petrus. In veritate comperi,quia Deus acceptator personarum non est. A progenie inquam Iudæorum, quia salus ex Iudæis est, & opus incarnationis effecta est in virgine,natione Iudæa:in progenies gētium,quia incarnationis dominicę beneficium in totum mundum quasi torrens variis aquarum riuulis diffunditur. Quod quidem abditissimum mysterium regius vates illis Psal.118. verbis expressit. Misericordia domini plena est terra. Non dixit cœlum, sed terra: quia diuinum verbum non assumpsit carnis nostræ vestem propter angelicos spiritus:sed propter nos homines,& pro Hebr.2. pter nostram salutē descendit de cœlis. Nunquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, ita vt effectus æternæ pietatis & gratiæ diuini illius pectoris ad omnem progeniem ostenderetur.¶ Vbi aduertere oportet,quod beneficium Incarnatio Christi quare misericordia vocetur. incarnationis misericordiā vocatur:quia tale & tam diuinum opus sub nullo merito comprehenditur, sed sola diuina misericordia factum est. Vnde fit vt Paulus dicat, Commendat autem Deus charitatē Rom.5. suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores, Psal.84. &c. Et idcircò sanctus Dauid cupiens Dei filiū incarnatum videre, à domino petebat, Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Ostendisti enim potentiam tuā,cùm omnia ex nihilo creasti:sapientiā mirabilem in gubernatione:rectam & sanctā iustitiam, in peccatorum punitione:at restat domine, vt misericordiam tuā, (quę thesaurus est inexhaustus & abundantissimus diuitiarum tuarum)in filij tui incarnatione liberali animo ostendas. Et salutare tuum da nobis, qui in crucis ramis nostram operetur salutem,quique redimat nos pretiosi sanguinis sui numismate. Sic beata virgo in superioribus, & sanctus Simeon salutare vocauerunt verbum incarnatū, & nobis datum: quod idem dari petebat rex sanctus Dauid. Luc.2. ¶ Expende etiam quòd postquam sua recolit beneficia:in hoc carmine & sequentibus magnificat Deum pro tantis sibi & aliis omnibus collatis beneficiis. Non inuidēdū alienæ fœlicitati. Quod quidem ingenium est iustorum, vt sic de alieno bono gaudeant,tanquam de peculiari & proprio.Quo charitatis amore Paulus accensus dicebat.Quis infirmatur,& ego nū infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror? Gratias agit beata 2.Cor.11. virgo pro beneficiis aliis exhibitis, quia gaudet tanquam si in ipsam essent collata. Vtinam & nos hæc eadem vestigia insequeremur,nec inuidia bonorum proximi,nostra viscera torque[...]. Verùm, quia beneficium incarnationis,quanuis sufficienti virtute ad omnes extendatur:quia non extenditur ad omnes quoad efficaciam,subdit,dicens,*Timentibus eum.* Ac si diceret, Non omnes huius beneficij gratiam consequentur:sed illi solùm,qui timorem domini custodiunt in cordibus suis. In hac gratia omnis homo cōmunicat, siue natione sit Græcus, siue Scyta,siue Italus,siue Hispanus,siue Gallus,siue seruus,aut liber:seu denique apud barbaras gētes,& in Indis extremis regionibus sit natus,dummodo timore domini eius anima fuerit exornata. Theophil. in Luc. Beneficiū incarnationis quibus applicetur. Nunquid pro vno solùm Deus carnem sumpsit, & mortuus est,& non pro omnibus. Minime. Misericordia eius à progenie in progenies. Sed libet modo interrogare,quæ sit causa, quare omnes non salui fiant, & quare omnes non ex æquo participes fiunt sanguinis huius agni pretiosissimi pro nobis effusi? Vtique quia salui esse nolunt. Quia si flumen Simile. abundantibus aquæ riuulis aliquam ciuitatem per transiret,ita,vt sufficiens esset, vt sitim extingueret & mitigaret omnium habitantium illius ciuitatis: nunquid si aliquis nollet seipsum incuruare & inclinare,vt aquā hauriret, & ita siti periisset, aliqua culpa in fluuiū esset retorquenda? Nullatenus, Fluuius quippe abundantissimus est, vt satiare possit omniū sitim:tamen qui tantæ ignauiæ fuerit & neglīgētiæ,vt nolit capere aquam, peribit sine dubio siti. Sic Christus perēnis fluuius vitæ & salutis omnes vocat & dicit, Qui sitit, veniat ad me,& bibat Joan.7. Veniat,vt gratiam accipiat,& emolumentum tantæ passionis, & incarnationis. Omnes vocat, omnes recipit & amplectitur,omnibus opitulatur:erit tamen reiiciendum in tuam culpam,nisi his tantis beneficiis perfrui volueris. Misericordia Dei omnes vocat, tamen ea non omnes fruuntur, nisi illi Psal.120. solū, qui timorem domini vigilantissimè obseruauerint. Misericordia domini(inquit regius vates)ab æterno & vsque in æternum, super timentes eum. Ab æterno & vsque in æternum, quoad sufficientiam ad omnes: & super timentes eum, quantum ad efficaciam. Sic propheta Malachias loquens de incarnatione & ortu Saluatoris inquit, Orietur sol iustitiæ, vobis timentibus nomen suum. Ea enim Mala.4. est solis natura, vt non solum ægrotos oculos non recreet,verùm eos vehementer offendat & noceat. Sic sanè Christi redemptoris nostri humilitas,paupertas,& sanctissimum vitæ suæ institutum,multis molestum,est ingratum & iniocundum. Et idcircò Malachias rectissimè, oritur sol iustitiæ timētibus nomen suum. Quod idem beatissima virgo conci-

nit suo diuino carmine, vt vel sic merito, nemo hominum huius rei ignorantiam possit pati. Ita, vt si libenter fatemur misericordiam domini infinitam esse, & nullis terminis comprehendi: ita etiam fateamur oportet, infinitam eius iustitiam, ne forsitã in misericordiæ anchora confidentes, iustitiam cõ-

Simile. temnamus. Ne forsitan nobis contingat id, quod euenire solet illis, qui ob infirmitatem oculorum specillis vtuntur, vt res sibi maiores & grandiores appareant: quique per angustum pontem transire volunt, existimantes latum esse & amplum in aëre pedes figunt, & ita in profundum fluuij cadunt, &

Misericordia Domini pons est paradisi. obruuntur. Quod exemplum tibi adducimus, vt intelligas diuinam misericordiam nihil aliud esse nisi pontem, sine quo ex hac mortali vita ad illam quæ fœlicissima est beatorum patria, transire non possumus. In qua si specillis nostræ vanæ fiduciæ vsi fuerimus, adeò vt de diuina misericordia maximè gloriemur, nihil diuinæ iustitiæ tribuẽtes, proculdubio peribimus. Fit enim vt scelera sceleribus addentes, figamus in aërem pedes, ita vt in miserum calamitatum locum præcipitemur. In diuina igitur pietate & benignitate ita nobis sperandum est, vt nec latum vnguem ab ipsius iustitia oculos diuertamus. Vnde postquàm beatissima virgo diuinam misericordiam altissimè diuino spiritu afflata cecinit, in sequentibus verbis occasionẽ lapsus peccatoribus adimit diuinæ iustitiç potentissimas vires ob oculos ponit, *Fecit potentiam in brachio suo.*

Ostendit iam beatissima virgo, quid Deus hoc altissimo incarnationis mysterio erga genus humanum facere decreuerit. Superbis namque & magnatibus huius sæculi brachium suæ potẽtiæ ostendit, vt eos deprimat, humiles verò vt subleuet, & exaltet, & pauperes ingente diuitiarum supellectile di-

Esa. 1. tet. Quæ quidem noui testamenti dispositio est. Nam in veteri testamento diuitiæ promittebãtur: sed in nouo nulla diuitiarum aut opum commemoratio fit: sed potiùs pauperum piscatorũ sequela maximè commendatur. Primum itaque opus po-

Ioan. 4. tentiæ est, robur cõstituisse in brachio suo. Vbi primum aduertendum tibi est, Deum spiritum esse, nec habere brachia, oculos, aut pedes, sicuti homines: sed multoties sacra scriptura metaphoricè loquitur, vt qualem, qualem cognitionem diuinorum operum attingamus. Nam licèt hæc membra referat scriptura non iuxta literã intelligenda sunt: sed inde inuestiganda sunt latentia & alta secreta rebus illis significata. Itaque cùm audis in Deo caput esse, per id intelligas diuinam essentiam, quæ omnia nullis terminis præcedit. cumq; audieris oculis illum esse ornatum, scias illum talem & tam perspicacem cognitionem habere, ita vt nihil eum latere possit: vtpote cuius oculis omnia nuda & a-

Hebr. 4. perta sunt. Et cũ audis auribus pollere, id insinuat nullum verbum quantumuis submissè prolatũ ab eo non audiri: de cuius auribus à sapiente dicitur.

Sap. 1. Auris Dei audit omnia: & tumultus murmurationis non abscondetur. Itaque domini brachium & robur & imperium ipsius est, quod vtrunque signi-

Opus incarnationis quare brachij opus. ficat verbum, κράτος. ¶ Vbi etiã non silentio illud est prætereundum, nõ sine maximo mysterio opus incarnationis virginem vocasse potẽtiam brachij & roboris. Etenim ea, quæ per potentiam paruam fieri possunt, etiam vel solo digito adimplere valebis. Nam è solo paleam digito leuabis: si autem velis magnum aliquod pondus assumere, & viribus & brachiis tibi erit opus. Vnde beata virgo, vt ostenderet magnitudinem & celsitudinem altissimi mysterij incarnationis dixit dominum potentiam & virtutẽ suã in brachio forti demõstrasse: qa hoc nõ fuit digitorũ opus, veluti illa, quæ in cõditione & cõstitutione mundi fuerunt facta, vt creare cœlos, solẽ & lunam, & reliquã planetarũ pulchritudinẽ. Quod quidẽ elegãter regius vates insinuauit *Psal. 8.* cùm dixit. Quoniã videbo cœlos tuos, opera digitorũ tuorũ: lunam & stellas quæ tu fundasti. Deus *Psal. 148.* nãque sua omnipotẽti virtute minimũ opus iudicauit, solẽ, lunã, stellas, & reliquas vniuersi creaturas, vel solo nutu condere, ipse enim dixit & facta sunt: tamẽ diuini verbi incarnatio nullis verbis exprimi põt quãti roboris, quantæque virtutis fuerit opus: atque ideò non opus digitorum, sed brachij Dei potentissimi esse dicit. ¶ Solet etiã ab aliqui- *Christus brachium Dei. Beda in Hom.* bus per brachiũ, Dei filius intelligi, qui Dei robur, & fortitudo patris est. Quod sanè pulchrè in Psal- *Psal. 76.* mis ostẽditur, cùm dicitur, Redemisti enim in brachio tuo domine populum tuum. Et apud Esaiam, *Esa. 40.* Dominus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Et rursus idẽ, Parauit dominus bra- *Esa. 50.* chiũ sanctum suum, in oculis omnium gentiũ. Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Per ipsum nãque vniuersa creauit, per ipsũ rede- *Psal. 97. Theophil. in Luc.* mit mundũ, diaboli caput fregit, inferni portas dissipauit, cœlũ aperuit: & tandẽ per ipsum stupenda miracula, & inaudita mirabilia operatus est. Vult igitur dicere beata virgo, Iam non erit sicut temporibus Moysi & Iosue, quibus per seruos & mini- *4. Reg. 19.* stros suos magna operabatur dominus, & vincebat reges: iam non per manum Angeli vincet exercitũ Sennacherib, sed per manũ filij sui, qui robur & fortitudo & brachiũ eius est, destruet inimicos nostros. ¶ Verùm postquàm Deum ratione suç potentiæ & clementiç cõmendauit eum iterum commendat ab effectibus suæ iustitiæ. Vt autẽ scias in *Ezech. 1.* eo esse & faciẽ hominis, & faciẽ leonis, ne fortè ab ipsius miserationibus, ansam peccãdi sumas suç iustitiæ vires inexpertus subdit statim: *Dispersit superbos mente cordis sui.* Potenter se gessit dominus erga potentes veteris testamẽti, & ad nihilũ reduxit cõsilia eorũ. An nõ in nihilũ redigit Babylonicos illos, *Gen. 11.* qui eo superbiæ & insaniæ deuenerunt, vt dixerint: Venite faciamus nobis ciuitatẽ & turrim, cuius culmẽ pertingat cœlũ, & celebremus nomẽ nostrũ antequã diuidamur in vniuersas terras? Nũquid simile amẽtiã aliquãdo audisti? Sed destruxit domin⁹ cõsilia eorũ. Ait enim, Venite descẽdamus & cõfundamus linguã eorũ, vt nõ audiat vnusquisq; vocẽ proximi sui. Eodẽ mõ destruxit Pharaonis, Sẽnacherib, *Exo. 14.* & Achitophelis cõsilia. Possumus etiã in hoc loco *4. Reg. 19. 2. Reg. 17.* non incommodè intelligere superbos Iudæos, qui *Ioan. 8.* gloriabantur se de stirpe Abrahã descendere, & de *Rom. 10.* ipsius iustitia nimis præsumebant. Istos ergo super *Rom. 3.* bos facta potẽtia in brachio suo dispersit mẽte cordis sui. Vnde cõuenienter adiunxit. *Deposuit potentes de sede.* Quia Iudæos impios, qui sedem regni habebant ignominiosè deturbauit: & humiles, hoc est, Gentiles exaltauit: quia gentes quæ abiectæ erant, per humilẽ confessionem in cõsortium regni, atq; in filiorũ adoptionẽ assumpsit: factum est enim, vt Iudæi qui prius electi erant, posteà reprobarentur: & Gentiles, qui prius erant reprobi, posteà assumerentur. Hoc itaque profundo & altissimo consilio factũ est, vt omnia sub peccato concluderet Deus, vti

Rom.11. vti omniū misereretur. Quocirca Apostolus in cō-
sideratione huius pelagi tam profundi sapiētiæ ex-
clamans, dicit, O altitudo diuitiarum sapientiæ, &
scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia, &c.

Nō magistratus sed vitia reprehēdēda. ¶ Obserua præterea quod non dicit, deposuit se-
des potentiū, sed deposuit potentes: quia magistra-
Math.23. tus & scientia non merentur vituperium. At super-
bi literati, qui se ipsos de sapientia iactant, quales
erant illi scribæ & legis doctores, abiiciendi sunt &
irridēdi, Super cathedram Moysi (inquit Christus)
sederunt scribæ & pharisæi, quæ dixerint vobis fa-
cite: secundum autem opera eorum nolite facere.
Non damnat Christus cathedram Moysi, aut do-
ctrinam: sed superbiam, & praua opera scribarum,
& pharisæorum. Vnde fit, quòd beata virgo nō di-
cat, deposuisse sedes potentium, quia sedes optima
est, sed potentes dicit abiecisse ab honoribus & di
gnitatibus, & eos in cinerē & fauillā redegisse. Con
uertuntur in terram, qui in hoc mūdo res terrenas
ambiunt & sectantur. Vox enim dum profertur, ali-
quid magnum videtur, nam ad ipsam multa con-
currunt, scilicet, lingua, dētes, palatum & labia: quā
si rectè consideraueris inuenies nil aliud esse quàm
aërem verberatum. Sic superbi principes quamdiu
gubernationis sceptrū tenēt, multa cōcurrunt, quę
eos in sua potentia, in opibus & mundi gloria am-
plificare & stabilire videntur: at postquam in angu
sto sepulcri domicilio recondūtur, vbi veritas elu-
cescit, continuò cognosces eos, qui potētes & illu-
stres se gloriabātur, puluerem & cinerē esse & ver-
miū pastū. Quos si roges, vbi sit gloria illa & pom-
pa mundi, in qua veluti in marmoreis colūnis cō-
fidebāt: si roges, vbi sit honor & dignitas, in quorū
anchoris totam suam fiduciam reponebāt: vbi de-
nique sit tantum & tam superbū famulitiū, vbi ar-
gētea & aurea vasa, vbi lectus pretiosissim⁹, & eius
fulcra miro artificio elaborata: vtique respondebūt
Sap.5. tibi, Transierunt omnia illa, sicut vmbra, & tanquā
nūcius percurrēs. Sic dominus solet animos super-
borū cōstringere, eorū ambitionē deponere. Vnde
1.Reg.2. Anna illa mater Samuelis in suo cātico dicebat, Ar-
cus fortiū superatus est: & infirmi accincti sunt ro-
bore. ¶ Sed forsitan nō incōcinne obiiciet aliquis.
Si similitudo amicitiā cōciliare solet, & Deus sum-
mè potens & magnus sit (vt beata virgo in hoc cā-
tico retulit) quid est, quod potentes deiicit, humi-
les vero exaltat & fouet? Quia mos scripturæ est:
in ea significatione nominibus vti, quę hominibus
Quot mōdis indicet poten tes & diuites. in cōsuetudine habētur. Diuites namque homines
appellamus eos, qui pecunias, agros, domos magni
ficas, & cętera huiusmodi possident: pauperes verò
qui his omnibus sunt destituti. Potentes vocamus
eos, qui damna possunt aliis inferre, & etiā eos, qui
magnis beneficiis alios possunt afficere: imbecilles
verò, qui ista non valent perficere. Sic pulchros ap-
pellamus eos, qui præstāti corporis forma pollent,
qui viribus & integra corporis valetudine præstāt:
eos verò qui his nō valēt, inualidos & infirmos ap-
pellamus. At cū ista hominem exteriorem tantum
exornēt, & vera hominis ratio in animi bonis inter
nis sit cōstituta, cúmque Deus rerum amet verita-
tem, cū ipse sit summa & infallibilis veritas, nō re-
putat potētes, diuites, aut fortes eos, qui vulgo ta-
les nominātur, quoniā vt verè loquar, nihil in se ha
bēt talibus nominibus dignū: sed solæ illæ veræ di-
uitiæ dicēdæ sunt vera pulchritudo, robur & forti-
tudo, quæ ipsum animū hominis illustrē condeco-
rant, exornant & perficiunt. Etenim is non verè po
tens & diues dicēdus est, qui infinitā pecunię mul-
titudinem congestam habet in arca, cuius animus
summa penuria & egestate laborat. Quid prodest
(ait Salomon) stulto habere diuitias, cum sapien- Prou.17.
tiam emere non possit? Videbis sanè aliquando ho-
minem, qui intus nihilo ab equo vel asino differat:
corpore tamen incedit purpura, bombicino, gem-
mis, & auro ornatus. Nunquid appellabis hunc di-
uitem? Quo iure? An nō quia magnum pretium in
corpore gestat? Quod si hæc ita se habent & meri-
tissimè etiam poteris asinum argento & auro onu-
stum, diuitem & potentem appellare. Si hæc verò,
quæ modo subdidi, ridicula existimas, nihilominus
teneris astruere, hominem omni virtute destitutū,
& nullis animi bonis illustratum, ferum animal in
ipsis syluis nutritum. Rursus si potētem & fortem
eum dicis, qui vrbes expugnare possit, qui leones
interficere, quique cum hostibus manus conserere
audeat: ex altera verò parte eum ostendis ita luxu-
ria, auaritia & superbia deuinctum, vt nullo in tem
pore se in libertatem redigat: in Salomonis senten-
tiam incides, qui inquit, Melior est patiēs viro for-
ti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vr-
bium. Merito ergo dominus huiusmodi potentes à Prou.16.
sedibus suis deturbauit, quia istud nomen iniustè
sibi vendicant: humiles verò ad eas exaltauit, vtpo-
te qui magni sunt apud dominum, qui non verba,
aut nomen, sed ipsa opera attendit. Verū enim verò
iam libet te ipsum exorare vt audias quid potens
& diues, sed humilis Dauid dicat, Non enim in ar-
cu meo sperabo & gladius meus non seruabit me:
sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio
vultus tui. Et iterum, Fortitudinem meam ad te cu- Psal.43.
stodiam. Sed mirum est, quòd cum tanta roboris &
virium magnitudine polleret: vt vel ipsis manibus
vrsos & leones confringeret, non in illa fortitudine Psal.58.
sibi placebat, sed omnia Deo referebat accepta. Do
minus (inquit) qui eripuit me de manu leonis & de 1.Reg.17.
manu vrsi, ipse liberabit me de manu Philisthęi hu
ius. Non dixit: ego qui obtruncaui leonē & vrsum, Potentes vere qui sint.
etiam hunc Philisthæum facilè superabo. Verè illi
potentes & magni appellandi sunt, qui se ipsos in-
tra suos terminos ita continent, vt omnem fortitu
dinem suam & robur Deum esse confiteantur, exi-
stimantes ob momentaneam accessionem diuitia-
rum non maiores, aut potentiores esse, memores
communis naturæ cursus. Ob quam causam pa-
tientissimus ille & ditissimus Iob non dedignaba- Iob 31.
tur iudiciū subire cū seruo & ancilla sua. Et sanctus Gene.18.
patriarcha Abraham, qui ingēti diuitiarū supelle-
ctile cumulatus erat: ipse in gregē abiuit, & attulit
vitulū, & illū parauit in cōuiuiū. & Sara vxor ipsius
subcinericios panes fecit vt peregrinis ministraret.
Hi sanè licēt diuitias ingentes possidebant, tamen Vera diuitia.
humiles erant, & verè potentes: nòn propter exter
nas opes, sed quia virtutibus & sanctitate erant in-
signes. Cum autē hæc sit vera hominis magnitu-
do, idcirco dominus eos tanquā magnos & poten
tes ad suprema illa cœlestiū spirituū habitacula e-ue
xit. Eos verò, qui belluinam conditionē & arrogā-
tiā induerunt de externis corporis bonis se iactan-
tes in bruta animantia redegit, vt contigit, Nabu-
chodonosor, qui elatus & superbiens potentia ma-
gna in hanc amentiam descendit, vt dixerit, Nónne Dan.4.
hæc est ciuitas magna quam ædificaui in robore
fortitudinis meę, & in gloria decoris mei? Cui pro-

tinus insonuit vox de cœlo dicens, Tibi dicitur Nabuchodonosor, Regnum tuum transibit à te. Videant obsecro qui literis, opibus, & potentia fidūt, in quot miseris ignorantiæ tenebris vitam degunt: discántque si magni esse volunt in humilitate persistere.

[Gloria humana in tribus consistit. Glossa ordi.] ¶ Sed iam aduertas oportet, quòd plerúque homines de tribus solent gloriari: de sapientia scilicet, de potentia, de facultatibus huius mundi: vt autem scias & cognoscas quàm potens sit dominus, nulla est sapientia quam dominus destruere non possit: nulla potentia est, quam vel solo nutu non possit subuertere: nullæ denique diuitiæ, quas si velit [Hiere.9.] non possit perdere: quod quidem beata virgo his tribus versibus aperit, iuxta illud Ieremiæ, Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis. Primum horum dixit Maria, cùm inquit, dispersit superbos mente cordis sui. Secūdum cùm ait, deposuit potentes de sede, hoc est, sapientes à cathedra magistrali. Tertium dixit cum post hæc in versiculo sequēti ait, diuites dimisit inanes. Hos sapientes, potentes, & diuites superbos contemnit Deus: & loco istorum exaltat humiles, & [Esai.2.] esurientes implet bonis. Ideo sequitur, *Et exaltauit humiles.* Hoc Esaias prædixit debere fieri in aduentu Christi. Incuruabitur (inquit) sublimitas hominū, & humiliabitur altitudo virorum. [1.Reg.2.] Et Anna mater Samuelis ait, Dominus suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Exaltauit humiles, id est, apostolos, quos & constituit principes [Psal.44.] super omnem terram: de quibus scriptum est, Quo[Psal.46.]niam dij fortes terræ eleuati sunt vehementer. Nō solum exaltauit discipulos suos in vita illa beata, [Luc.10.] sed etiam in hac peregrinatione dedit eis virtutem calcandi serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.

¶ Præterea etiam ambobus oculis id intueri licet, quòd Deus aliquando in hac vita (vt modo retulimus) superbos humiliat, vt fecit cū Nabuchodonosore, qui ob animi elationē expulsus à regno [Gen.41.] inter bruta animantia vitam degebat ad morem il[1.Reg.17.]lorum pascens, oculis in terrā pronis, ne fortè eleuatis, iram sui conditoris, quem summè offenderat, aduersus se prouocaret. Humiles verò exaltat, sicut Ioseph & Dauid. Quod in plurimum non fit in hac vita, sed futura: quia cum multis in hac vita dissimulat, ita vt cum sint superbi, non deprimuntur: [1.Reg.31.] neque alij humiles exaltantur. Sed id tibi firmissi[3.Reg.31.]mum statue, quòd in futura vitæ vtrisque remetie[Luc.16.]tur, prout facta sua meruerint, vt videre est in Saule & Achab, & etiam in Lazaro paupere & diuite epulone.

[Prophetia euidentia.] ¶ Sed vnum hic diligenter est obseruandū, quod cum virgo sacra de venturis prophetauerit, dicens ea, quæ à Christo erant adimplenda in suo aduētu, de præterito loquitur, dispersit, deposuit, exaltauit: quod ideo fecit propter certitudinem, & infallibilitatem prophetię. Qua loquēdi phrasi vsi sunt prophetæ, quia sicut nihil certius nobis est quàm prę teritum: ita prophetæ vti præterita ventura prædi[Psal.21.]cebāt. Sic regius propheta locutus de Christi passione inquit, Super vestem meam miserunt sortem. Dinumerauerunt omnia ossa mea. Foderunt ma[Hiero. In 14. & Esai.]nus meas & pedes meos, &c. Et multa alia his similia in psalmis, in Esaia, & in aliis locis inuenies. Nā D. Hiero. in commenta. super Esaiam inquit, Tam certa sunt quæ futura dicūtur, vt putētur esse præterita. Quia sicut fieri nequit, quæ iam facta sunt, facta non esse: sic etiam impossibile est, ita non fore hæc, quæ dicuntur. *Esurientes impleuit bonis.* Non dicit opibus, aut facultatibus, sed bonis. Bona nāque ea sunt, quæ possessoribus suis semper prosunt, & nūquam obsunt. At huius sæculi diuitiæ, honores, dignitates, magistratus, regna, & imperia, hæc plerumque suos possessores in mille pericula & præcipitia ferunt. Bona autem, quibus isti esurientes implentur, sunt pax illa (quam Paulus dicit omnem [Phili.4.] mentem superare:) animi trāquillitas, spes certa eorum bonorū (quibus illi carēt) quæ post huius vitæ curriculum se assequuturos certò sciūt. Beatus ergo Aug. dicit, quod hi filij esuriētes humiles & ab[Aug. li. 50. ho. 44.]iectissimi quique sunt, sese prorsus inanes & vacuos gratia reputātes. Hos implet spiritus domini, & horum habitat corda & animos. Nam vt Sapiēs [Sap.1.] inquit, Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, transfigurat autem se in animas sanctas. Humilitas quippe Deum esurit, & spiritualia bona auidè cupit. Vnde fit, vt humiles famelici dicātur: quia fatē[Luc.5.]tur se ex omnibus partibus egenos, & nihil boni habere. Sic beatissimus ille Petrus dicebat, Exi à me domine, quia homo peccator sum. Et Saul, Quis ego sum, aut quæ cognatio patris mei? [1.Reg.9.] Hos dominus spiritualibus diuitiis, & veris animi bonis implet. Quo fit, vt Christus dicat, Abscōdisti hæc à sa[Matth.11.]pientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. [Luc.10.] Et per Esaiam dominus dicit, Ad quem ego respi[Esai.66.]ciam nisi ad cōtritum & humiliatum? Et sicut implet bonis humiles esurientes, ita diuites superbos vacuos dimittit. Et ideò sequitur, *Et diuites.* Hoc est temporalium bonorum nimis cupidos amatores, spiritualibus, ea quæ terrena sunt præferētes, Diuites inquam in cogitationibus suis, quāuis pauperes & miseros coram Deo, *Dimisit inanes.* Sicut vasa ignominiæ, quæ in hac vita misericordiæ non fuerunt recordata, in interitum sunt reiecta. Inanes illos dimisit, quia omni diuina gratia vacui fuerūt: & omnibus rebus temporalibus: quia auaro tam deest id quod habet, quàm quod non habet: ita vt nemo sit pauperior ipso, quia dominus nō est eorum, quæ sunt in sua potestate. Sunt enim auari veluti pueri, qui suam vitam cōsumunt propter adeptionem vnius plumę per aërem volantis: quibus postquam nox aduenit, nihil aliud quàm importunus labor domi remanet: & sæpiùs contingit, pedibus lapides offendere, & sua capita comminuere, & ita his laboribus perpessis domum plorantes redeunt. Sic huius sæculi diuites perpetuo labore difatigati post mundi diuitias & honores, vētos subsequūtur & bibūt, quas postquā iā acquisierunt, immenso labore à latronibus & tinea defendunt. At cum mors subito foribus aderit, protinus intelligēt suum laborem inanem & nullius momenti fuisse: quandoquidē si ad manus coniecerint oculos, vacuas omnino reperiēt, quo fiet, vt in infernum, perpetuum miseriarū pelagus, vlulātes descēdāt. Etenim, vt re[Psal.75.]gius propheta inquit, viri diuitiarū dormierūt somnū suum, nihil inuenerūt in manibus suis. Vbi elegāter sāctus propheta eos viros diuitiarū appellat: quia nō domini erāt, sed diuitiarū serui. Quēadmodum in sacra pagina sancti, viri Dei vocantur, quia Deo fidele obsequiū præstiterunt, sic auari viri di[4.Reg.1.]uitiarū dicūtur, quia eis perpetuo ministerio sunt [4.Reg.4.]

mancipa

Exod.11. mãcipati. Sic populus Iſraeliticus humilis & con-
temptus Ægyptios ſpoliauit, & Ægyptij manſerũt
inanes. Quapropter Sapientiæ decimo dicitur, Iu-
ſti tulerunt ſpolia impiorum. Sed iam beata virgo
in cantico vlterius progrediens ſpeciali beneficia
exhibita populo Iudæorum recolit, *Suſcepit Iſrael
puerum ſuum*. Suſcipere idem ſonat atque liberare,
Pſal.146. protegere, vel auxiliari: vt in Pſalmis inuenitur. Su-
ſcipiens manſuetos dominus: humiliatus ſum, &
liberauit me. Porrò à Latinis in dubium vertitur
cuius caſus ſit nomen Iſrael: ſed dubitari non de-
bet: quin ſit in accuſatiuo. Et eſt ſenſus, Deus ſuſce-
pit puerum ſuum Iſrael. Hactenus enim videbatur
Deus & miſericordiæ ſuæ, & gentis noſtræ oblitus.
videbatur vniuerſum Iſrael reieciſſe: at modo ſuã
mentem aperuit oſtendens, nunquam ſui populi
immemorem fuiſſe, neque exuiſſe miſericordiam,
de qua maximè ipſe gloriatur. Suſcepit igitur Iſrael,
id eſt, curam ipſius. Adeò namque erga illum do-
minus eſt affectus, vt in ipſo populo carnẽ ſuſcipe-
re voluerit. ¶ Vbi expendas rogo virginis humilita-
tem, quæ verbis tectis loquitur de incarnationis
beneficio. Poterat enim dicere, Ego ſum mater fi-
lij Dei, ego electa ſum, vt Meſſiã vniuerſo orbi pa-
rerem, & vt miniſterio meo mundi ſalus peragere-
tur. At non tam apertis verbis loquitur, vtpote quę
humilitatis exemplum aliis eſſe debebat: ſed hoc
Beneficia mecum fecit, *Recordatus miſericordiæ ſuæ*. Vt carnis no
Dei gratuita. ſtræ mortalitatem indueret, non coniecit oculos
ad peccata hominum, nec ad eorum ingratitudi-
nem: ſed diuinam ſuam miſericordiam attendit, &
huius recordatione omnia illa obliuiſcitur, quæ
huic diuino operi poterant eſſe impedimento. Vn-
Pſal.58. de fit vt egregi⁹ Pſaltes dicat, Miſericordia eius ſu-
per omnia opera eius. Quẽadmodum enim oleum
in ſublime fertur ſuper omnes reliquos liquores:
ita ſanè diuina miſericordia ſuper omnia opera e-
ius. Nam cum in ſe iuſtitiã ſuã contraheret, ſuã mi-
Suprà 48. ca. 2. ſericordiã in nos protẽdit. Nãque hoc illi propriũ
eſt ingenium (vt ſancta eccleſia de illo cõcinit) mi-
ſereri ſemper & parcere. Nã ſi te punit, tua eſt cul-
pa, cũ id & maius aliud ſuppliciũ, tua peccata ex-
poſtulent: verũ vt tibi peccata remittantur, non tu
ſolus ſufficis, niſi dominus adueniat ſua tecũ vſu-
rus miſericordia. Ne igitur exiſtimaret aliquis no-
ſtris meritis Deũ miſiſſe filium ſuũ, ſed tãtum diui-
na ſua miſeratione motus dixit, recordatus miſeri-
1. Ioan.4. cordiæ ſuæ. Sic B. Ioannes, In hoc apparet charitas
Dei in nobis, quoniã filium ſuum vnigenitum mi-
ſit Deus in mundũ, vt viuamus per eum. Et rurſus,
Ibidem. Ipſe priùs dilexit nos, & miſit filiũ ſuum propitia-
Ioan.3. tionem pro peccatis noſtris. Et ipſemet Chriſtus
in euangelio, Sic Deus dilexit mundum: vt filium
ſuum vnigenitum daret. Dedit itaque illum miſeri
cordię ſuæ recordatus. Ex quo loco id tu tibi docu
mentum debes elicere, vt non recorderis iniuria-
rum, quas quis in te contulit, vt de illis vindictam
ſumas: ſed vt ipſius fragilitatẽ & miſeriam in men-
tẽ adducas. Etenim dominus delictorum noſtrorũ
memor non eſt, vt in nos animaduertat: ſed vt mi-
Gen.42. ſereatur, & condoleat. Nam de ſanctiſſimo illo Io-
ſeph ſacra pagina inquit, fuiſſe recordatũ ſomnio-
rum, quæ aliquando viderat: neque dicitur recor-
datum eſſe iniuriarum, ſed ſomniorum. ¶ Porrò in
Deo non habet locum recordatio aut obliuio, ſed
Greg. li.17. Deus habet ſe ad modum recordationis, dum miſe
mor. ca.1. reri non differt: & per modum obliuiſcentis, dum
differt: nã ſcriptura ſacra cũ ad homines loquitur,
more humano loquitur. Et ſic dicit, Deum iraſci, *Obliuionis &*
Deũ pœnitere, & his ſimilibus vtitur modis loquẽ *memoria no-*
di: nõ eo, q̃ tales affectiones in Deũ cadere poſſint, *minæ in Deo*
ſed vt iam diximus, more humano loquitur, vt vel *non habẽt lo-*
ſic domini ingenium intelligamus. Sic & nunc cũ *cum.*
ſint coſtam Deo omnia præſentia dicitur recorda-
ri miſericordiæ, quia non diſtulit miſereri. Recor-
datus enim eſt cùm miſit filium patribus antiquis
promiſſum. Et idcircò ſubditur, *Sicut locutus eſt ad
patres noſtros Abraham & ſemini eius in ſæcula.* Poſtquã
beata virgo aliquantulum temporis in prædican-
dis factis diuinis mirificis encomiis conſumpſerat:
reuertitur modo ad id cuius cauſa ſuum canticum
inceperat, ita vt his vltimis verſibus compendium
facere videatur: Ait igitur, Sicut loquutus eſt ad pa
tres noſtros, &c. Ac ſi diceret. Non hic quicquam
fortè fortuna factum eſt: ſed quod dominus an-
tiquitus promiſerat, id facto impleuit, tanquam
is, qui nec fallere, nec falli vnquam aſſueuit. Nam *Gen.21.*
ſanctiſſimo illi patriarchæ Abrahæ dictum eſt, In *Pſal.131.*
ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Et Dauid, *Eſa.11.*
Iurauit dominus Dauid veritatem, &c. Et Eſaias,
Egredietur virga de radice Ieſſe, &c. Et iterum, Ec- *Eſa.7.*
ce virgo concipiet, & pariet filium. Et Ieremias, *Ierem.30.*
Nouum faciet dominus ſuper terram, mulier cir-
cundabit virum. Et Baruch, Poſtea in terris viſus
eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Vbi iam vi- *Baruch.3.*
des, quomodo Deus promiſſa firmiſſimis factis cõ-
pleuit. Etenim ipſe eſt, qui ait. Quæ procedunt de
labiis meis, nõ faciam irrita. Nam inter cætera mi-
rabilia, quę in Deo tanquam in primo ſuo fonte &
origine relucent, id vnum eſt veritas: vt ea quæ pro *Pſal.88.*
miſit infallibili ratione cõpleat. Sed id nõ poſſum
non iniquum & ſceleratum iudicare, vt nos domi-
no promiſſa non adimpleamus: ipſe verò in nihilo
nobiſcum deficiat. Videre nanque oportet, vt quẽ-
admodum dominus patribus noſtris promiſſa ad-
impleuit: ita tu memor ſis, vt vota adimpleas, qui-
bus te ipſi Deo aſtrinxiſti & obligaſti. ¶ Vbi etiam *Mundi falla-*
docemur neutiquam cum mundo tutum eſſe ami- *cia & incon-*
citiam inire, ſed tantum cum ſolo Deo: quia id eſt *ſtantia.*
hominum ingenium, vt ſemper gaudeant, cum eis
conuerſari, in quorum ore ſemper veritas inueni-
tur: è contra verò eos ſummè deteſtantur, qui men-
dacij & falſitatis ſunt amatores. Cuiuſmodi condi-
tionis mundus eſt, qui mõtes aureos promittit, po
ſteà verò naſcitur ridiculus mus. Omnia bona &
fœlicia promittit, poſteà verò ſtatuto tempore in
mala cõuertuntur. Promittit quietem, & tranquil-
litatẽ animi, & in his mille laboribus & anguſtiis te
onerat, Quod ſi iterum lætitiam & voluptates ad
nutum tibi promittat, certè nihil falſius, nihilque
magis ridendum credas: nã ſtatim tibi in foribus a-
derunt mœror, triſtitia, luctus, & afflictio, quæ om-
nia nuncij certiſſimi ſunt eorũ, quæ animus patie-
tur. At tãdem ſi in abundantia & rerum humana-
rum affluentia longæuã vitam tibi aſtruxerit, nihil
credas procul à veritate diſtare, cũ & ociùs & velo
ciùs currat naui fluctuanti per aquas, cuius veſti-
gium ob tantã breuitatem nullatenus oportet in-
quirere. Quod quidẽ exemplo ſacrę ſcripturæ libet
tibi demonſtrare. Nã cùm ſanctus Iacob ſeptennio
temporis ſpatio vitam egiſſet in miniſterio Laban
ſoceri ſui, vt pulchritudine & decore formoſæ Ra-
chelis matrimonij vinculo gauderet: in temporis
plenitudine falſus Laban Liam obtulit, quæ & de-

formis erat,& lippis oculis suam deformitaté osté-
Gen.26. debat. Cuius conditionis & ingenij iam tibi osten-
dimus apertè miserum mundú esse,qui alta & præ-
tiosa promittens,vilia & abiecta largitur;At qui in
mundo sunt,& ipsius ministerio se totos consecra-
runt,hanc ipsius palliatam fraudé non agnoscunt:
quovsque huius sæculi transacta nocte (quę & ob-
scurissima est, & mundanos in tanta caligine deti-
net) à somno expergefacti oculos & mentem ape-
riãt, quibus mundi fraudes facilè possint intellige-
re. Ex quo id tibi sume documentum,vt nunquam
ipsius verbis acquiescas, nam semper falsa promit-
tit: sed fiduciam in Deum táquam in tutissimá an-
chorá cõiice, qui recta nouit & promittere,& mul
toties plusquam promisit,concedere. Nec eius ani-
mi est, vt aliquando promissi pœniteat : & idcircò
dixit in sęcula. Quia quod semel assumpsit,nunquá
dimisit:ita vt perpetuo humana caro Deo maneat
coniuncta. ¶His igitur verbis virgo sacra suum cá-
ticum absoluit:quod & decé versibus clauditur,vt
hoc verbis prophetæ consonet,qui dixit, Deus can
ticum nouum cantabo tibi:in psalterio decachor-
Psal.143. do psallam tibi. Omnia cantica quæ ante hoc tem-
pus cani solebant, tristia erant:solus nãque ille vo-
luptatis & lætitiæ carmina cantare potest, qui verè
lætus & iocundus est,cum musica,& ipsi cordi cõ-
formis sit. Vnde meritissimè beata virgo sola,læti-
tiæ & alacritatis canticum psallere potest, cum, &
ipsa sola peccati & sceleris tristitia caruerit. Cãtica,
quę temporibus retrò actis concini solebant,mœ-
rorem & tristitiam afferebant , propter cantores,
qui sceleribus & flagitiis erant contaminati:at car
men hoc ideo lætitia & iubilo est plenum, cú can-
tatrix immunis prorsus fuerit ab omni sceleris cõ-
tagione. Decachordo enim cecinit carmine vt Dei
mirabilia proferat. In primo itaque diuinam & su-
premam diuinitatis altitudinem dulci modulo ca-
nit dicens, Magnificat anima mea dominum. In se-
cundo verò redemptionis maximum beneficium,
dicens , Exultauit spiritus meus in Deo salutari
meo. In tertio verò liberalitatem & magnificen-
tiá,qua nostras respicit miserias, Quia respexit hu-
militatem,&c. In quarto verò suorum operum sta-
bilitatem, dicens , Quia fecit mihi magna,qui po-
tens est. Et in quinto suæ misericordiæ patentes fo
res ostédit. Et misericordia eius à progenie in pro-
genies timentibus eum. In sexto suæ virtutis & iu-
stitiæ rectitudinem commemorat,cú dicit, Disper-
sit superbos mente cordis sui. In septimo brachium
suæ potentiæ ostendit,subdens, Deposuit potentes
de sede. In octauo suorum beneficiorum magnitu-
dinem recordatur. Esurientes impleuit bonis. In
nono clementiæ suæ nos esse memores vult, Susce-
pit Israel puerú suum. Decimo verò carmine clau-
dit verborum suorum adimplementum subiiciens,
Sicut loquutus est ad patres nostros Abrahã, &c.
Hæc igitur dicta sint de cantico beatæ virginis:núc
autẽ sacrum euangelistã audiamus prosequentem
hystoriam nostræ redemptionis , *Mansit autem Ma-
ria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum
suam.* In Nazareth , scilicet prouinciæ Galilææ , in
qua diuinum verbum concepit,& à qua recesserat
Bonorũ soda- vt cognatam suam Elizabeth visitaret. Vbi docu-
litiũ nõ facile mentum nobis est:vt non cito bonorum consortiú
nec statim re- dimittamus , vbi facultas est per aliquod tempus
linquendum. commorari :nec leuitate animi discedendum est
ab his, in quibus sanctum vitæ institutum esse co-
gnoscitur. Porrò antequam cõplerentur tres men-
ses , domum suam reuertitur , quia iam appropin-
quabat partus Elizabeth,nãque tum temporis cõ-
ueniebant alię mulieres,& idcirco sanctissimæ vir-
ginis obsequium non erat adeò necessarium. Ne-
que ob id Maria ingeniú mutauerat, quia cú clau-
si cubilis & solitudinis esset amatrix tantæ multitu
dinis conueniẽtis strepitum ad partum Elizabeth
ferre non poterat : & ideò maximè , quia cum eius
cõceptio miraculosa esset,nouitatibus amica mul-
titudo, quotidie accedebat. Fiebat etiam id alia de
causa, quia beata Elizabeth summopere ab omni-
bus diligebatur,& grata erat coram oculis omniú:
idcirco tot tantique cõcurrebant , vt aliquo mini-
sterio ipsi obtẽperarent , virgo autẽ Maria (vt mo-
do retulimus) cum pudicitiam semper sectaretur, *Theophil. in*
& cubilis penetralia diligeret : paucis diebus an- *Luc.*
te partum domum suam adire statuit, & à tumul-
tibus gẽtium fugere. Vbi iam videre licet,quomo-
do bonorum hominũ consuetudo & amicitia sem-
per in maximum nostrum commodum redundet.
Nã statim in ipso virginis ingressu in domum Za-
chariæ tantum bonum oritur,vt ad virginis saluta-
tionem puer in vtero exultauerit, & spiritu sancto
infantis mater repleretur. Quid igitur dicendum *Hospitalita-*
est de tot tantisque vtilitatibus & commodis in tẽ *tis merita.*
poris discursu subsequutis propter virginis præsen
tiam? Facit ad hoc id, quod legitur secundo regum, *2.Reg.6.*
scilicet,quòd arca fœderis domini mansit in domo
Obededon sacerdotis trium mensium spatio:& be
nedixit dominus Obededon , & omnem domum
eius : ita vt cùm hæc videret sanctus rex Dauid de-
creuerit ferre illam in domum suam. Sed quantò
maius bonorum culmen tibi credendum est do-
minum contulisse domui Zachariæ spatio trium
illorum mensium , quibus sanctissima illa arca fœ-
deris Maria virgo ibi mansit , quæ angelorum pa-
nem intra sua claustra portabat ? Benedixit itaque
Deus sacerdoti Zachariæ , & domui eius propter
arcam,quam domi tenuit tribus illis mensibus, ad
cuius etiam præsentiam filius suus sanctificatus
est , vxor repleta diuino spiritu , & ipse Zacharias
illustratus est altissimo dono prophetiæ. Vbi non
immerito monemur , vt semper nobis cura sit ho-
spitio sanctos viros recipere, vtpote qui semper no
bis maximas vtilitates afferant. Sic factum est cum
Laban , eo quod in domo habuit sanctum Iacob,
vnde eidem posteà dictum fuit , Modicum habui-
sti antequam venirem ad te:& nunc diues effectus
es:benedixitque tibi Deus ad introitum meum. Et
iterum in Genesi, Benedixit dominus domui Æ- *Gen.30.*
gyptij propter Ioseph:& multiplicauit tam in ædi- *Gen.39.*
bus,quàm in agris,cunctam eius substantiam:Nec
his consideratis immemor sis egregij illius facti,
quomodo dominus multiplicauit oleum & fari-
nam Sareptanæ illius viduæ,quæ victum ministra-
uit Heliæ. Si igitur Deus tot bona contulit reci- *3.Reg.17.*
pientibus seruos suos : quanto meliùs credendum
est maioribus & locupletioribus bonis cumulatu-
rum eos , qui ipsum Christum receperint ? Vtique
cum hospitio suscipis pauperes , Christú suscipis:
nam ipse est,qui dicit, Esuriui,& dedistis mihi má- *Matth.25.*
ducare,&c. & subdit statim, Quod vni ex minimis
meis fecistis , mihi fecistis. Ex quo quidem id tibi
documentum summa diligentia elicere debes , vt
semper digneris pauperibus , & egenis subuenire,
vt & tecú in omnibus dominus sit , & vt multipli-
cet

cet tibi tam spiritualia, quàm temporalia bona: quam doctrinam, nisi animus esset breuitati cósulere, variis sanctarum literarum exemplis tibi comprobarem. ¶ Vbi etiam expendere debes quantum gaudium secum afferat iustorum præsentia. Ioannes nanque protinus exultat in gaudio, & omnes qui in domo Zachariæ sunt. Vnde egregius Psaltes in persona virginis dicebat, Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur. Qui timent te (inquit) quia cum boni semper timorem domini in cordibus afferant, lætantur: mali verò torquentur, quia iustorum vita tacitè malorum mores & instituta reprehendit. Quo fiebat vt ipse Christus, qui oculis Simeonis, Annæ, & apostolorum sua præsentia lætificabat, alios offendebat: vt visum est in illis Genezarenis, qui rogauerũt, vt ab eis discederet. Alij noluerunt illum excipere, vt Samaritani. At iusti (vt hîc Dauid inquit) videntes iustũ lætantur. Est namque bonorum proprium suas virtutes in aliis dirigere. Paulus enim ascẽdit Hierosolymam vt iustos videret, & cum Petro mansit diebus quindecim, vt ex eius familiaritate aliquid sanctitatis sibi compararet. Vnde etiam factum est, vt adeò Mileti profecissent in D. Pauli doctrina & conuersatione, vt cum vellet ab eis discedere Hierosolymam iturus valde fuerint contristati, ita vt multis lachrymis fusis illum ad nauem duxerint. Quod idem credendum est sanctos illos fecisse in discessu beatissimæ virginis, vtpote qui tot bonis ipsius aduentu erant cumulati. Sed quid post hæc factum sit audiamus. *Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.* Aliqui dicunt quòd phrasis hæc (impletum est tempus) modus loquendi accommodatus est tempori iustorum: quia isti dies suos plenos, & non vacuos habent: peccatores verò vacuos & inanes dies possident, iuxta illud Iob, Dies vacuos enumeraui. At iste interpretandi modus violenter extortus est à vero & genuino literæ sensu. Sed verè id explicabis si dixeris euangelistam docere voluisse, quòd cum iuuenis erat Elisabeth, nondum erat tempus pariendi, nec tempus aduenisse quo Deus illam parituram decreuerat: quia eius partus in maiorem temporis maturitatem statutus erat, scilicet, in senectutem. Vbi aduertere debes, nunquam de diuina pietate & misericordia esse diffidendum: quia licèt aliquando lento gradu incedere videatur, non id facit vt suis beneficiis nos destituat, sed vt maiora & locupletiora dona conferat. Detinet se dominus in conferendo, vt in nobis crescat & augeat meritum, vt digniores simus beneficiis suis suscipiendis. Patiens esto, & in sanctis petitionibus persiste: copiosiora nanque bona tibi elargietur, quam expostulas. Zacharias quippe & Elisabeth quolibet filio illis dato contenti essent, & cum filia etiam, vt sterilitatis opprobrium à se exterminarent: tamẽ dominus, vtpote qui semper pietate & misericordia nouit vti, plus petito & optato concessit, quia talem filium dedit vt meritò inter natos mulierum maior aut sanctior nõ reperiretur. ¶ Præterea ex hoc loco apertè colligitur, virginem Mariam nõ adfuisse natiuitati Ioannis: quia postquã dixit euãgelista, & reuersa est Maria in domum suam, subdit, impletum fuisse Elisabeth tempus pariendi. Ex quibus verbis facilè est colligere, ante Elisabeth partũ virginem domũ suam abiisse. ¶ Aduerte etiam in hoc loco domini bonitatem, qui non solum ex bonis bona, verum ex malis bona producit. Voluit nanque ex sterilitatis opprobrio Ioannem Baptistam oriri, & ex ingenti tristitia gaudium magnum erexit: quale fuit illud, quo omnes in natiuitate Ioannis sunt gauisi. Ita etiam ex peccatis humilitatem, & vigilantiam educere solet, quibus peccatores non labantur in pristina peccata. Petrus quippe qui se fortem & magnanimum asseuerabat, maxima cum arrogantia, postquam peccauit, & pœnitentiam commissi criminis egit, ita prudens & cautus permansit, vt rogatus à Christo, plus ne cæteris illum diligeret, sanctissimo humilitatis documento Christo respondit, Tu scis domine quia amo te. Nulla in alios illata iniuria respondit. Et Dauid etiam ex perpetrato peccato humilitatem eduxit. Et B. Paulus ex graui persecutione in qua versabatur, tantam sibi humilitatem comparauit, vt dixerit se omnibus peccatoribus maiorem esse. Itaque hæc omnia relata ideo intelligas, vt scias diuinam misericordiam ex ipsis malis bona producere: vti ex peccatis humilitatem, & ex sterilitatis opprobrio excellentem & illustrem virum, ita vt ipsius causa dixerit euangelista, *Audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.* Post opprobrium sterilitatis, misericordiam facit. Nunquam dominus flagellum suum mittit, quin suæ misericordiæ recordetur. Vnde in Psalmo postquam dominus minatus est flagellis, subdit, dicens: Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Et in Esaia legitur, quòd postquam dominus populum Israeliticum arguit, dicit, Idcirco hæc dicit dominus, Ecce ego mittam in fundamẽtis Sion lapidem, id est Christum. Posset nanque rectè dicere, O impij & scelerati Iudæi, quia mei fuistis immemores, Ecce ego funditus euertam vos, aut mittam in vos lupos aut leones, qui diripiant & absumant vos: sed potiùs dixit, Quoniam mei estis immemores, & scelere & flagitio paciscimini, ego mittam vestrum saluatorem. Etenim digni erãt Israelitę punitione & tormentis, quorum loco misit illis dominus saluatorem. Et in Osea legitur, quòd ibat post amatores suos, & Dei obliuiscebatur, &c. Propter hoc etiam, ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Vides iam quomodo dominus nunquam tam iratus incedit, vindictam de aliquo sumpturus, quin in medio itineris, suæ misericordiæ & pietatis recordetur? Sic modò inter flagella sterilitatis, & inter amissionem loquelæ Zachariæ, suam misericordiã magnificat, tribuens illis fructum benedictionis desideratum.

¶ Præterea vocat Euangelista hũc Elisabeth partum misericordiam, Magna quippe & excellẽs misericordia est domini, in mũdũ iustos mittere. Quid enim factũ esset de Aegypto septẽ illis annis, quãdo vniuersam terrã fames occupauerat, nisi altissimus dominus tum temporis mitteret illis Ioseph, qui & eriperet eos, & suæ necessitati præsentissimo remedio prouideret. Quid de Eliphaz, & de duobus amicis Iob, si sanctissimus Iob pro illis non exorasset? Quid actum fuisset de Israelitico populo, quando Deus loquutus Mosi, dixit, se illum destruere velle, & alium maiorem ædificare, ni Moses pro illis exorasset? Orauit Moses, placatúsq; est ne faceret malum, quod loquutus fuerat aduersus populum suũ. Quid iterũ de eodẽ populo factũ fuisset, quãdo prouocata domini ira cœpit ipsos corrigere & interficere:

Marginalia (left column): *Iustorum præsentia vtilis.* — *Psalm. 118.* — *Matth. 8.* — *Luc. 9.* — *Galat. 1.* — *Act. 20.* — *Ambr. in Lucam.* — *Iob 7.* — *Deus aliquãdo differt beneficia sua.* — *Math. 11.*

Marginalia (right column): *Deus ex bonis bona, & ex malis bona facit.* — *Math. 26.* — *Ioan. 21.* — *Psal. 118.* — *1. Tim. 1.* — *Psalm. 88.* — *Esa. 28.* — *Osee 8.* — *Iustorum missio salutaris, & misericordia Dei vocatur.* — *Genes. 41.* — *Iob 42.* — *Exod. 32.* — *Nume. 16.*

cere: nisi Aaron intercessisset pro populo Dei. Vides igitur quàm magna misericordia domini sit, cum mittit iustos in mundum: quod signum erit, in nos animaduertere velle, cùm iniquos & sceleratos miserit, & de medio tulerit rectos. *Genes.19.* Ita Sodomã euersurus de medio rapuit Loth: & quando Ægyptum, *4.Reg.22.* etiam Israeliticum populũ eduxit de regno, *Exod.14.* & de Ierusalem sanctum Iosiam, cum vellet illam subuertere. Fuit namque mors Iosiæ signum vltionis, quam Deus volebat sumere. Rapit iustos de mundo illum subuersurus. Iustis quippe (vt inquit *Hebr.11.* Paulus) mundus non est dignus. Imò ipse cum & in factis & in cogitationibus sit cœcus, ipsos iustos quorum beneficio & viuit & sustinetur, plusquam nouercali odio prosequitur. ¶ Audientes autem cognati & vicini Elisabeth hãc domini factam misericordiam, congratulabantur ipsi Elisabeth præcipue. Sciebant enim illam sterilem semper fuisse, & iam ætate prouectam, & idcirco ei congratulabantur: eo quòd dominus, illustri progenie, gloriã & honorem illi dederat. Quod nisi particulari gratia & beneficio fieri non poterat, vt prolis fructum ederet. Sic enim angelus Zachariæ prędixerat, Multi in natiuitate eius gaudebunt. Nam in montibus illis Iudææ, multa lætitiæ carmina resonabant, & *Silentium Zachariæ & eius mysterium.* potiùs vicini & cognati Elisabeth cælestes habitatores, quàm terrestres videbãtur. Vidẽtur sane gaudium hoc referre aues & passerculi, qui in principio veris tota nocte taciti secum silẽtia reuoluunt: quod si roges, quis tale silentium illis imposuerit: vtique noctis obscuritas & tristitia. At prima luce adueniente mirum est quam dulci & sonoro cantu adinuicem modulentur, suis vocibus prænunciantes iam esse ortum solem. Clarum enim est secun- *Roman.13.* dum Apostoli dictum veterẽ legem noctem fuisse, nouam vero clarum & relucentem diem. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Nec mirum si tenebris & obscuritati natali diui Ioannis finis impositus fuerit, qui non aliter ac lucifer ortus est, denuncians Christum redemptoerm nostrum, qui suo admirabili ortu diẽ gratiæ significabat appro- *Math.11.* pinquare. Idcirco dominus dixit, Lex & prophetæ vsque ad Ioannẽ Baptistam. In vniuerso tẽpore noctis veteris legis magnum fuit silentiũ, tristitia, & *Exod.3.* linguarum defectus. Moyses nãque vir magnus & populi Israelitici dux dixit Deo, Incircuncisus la- *Esa.6.* biis ego sum. Et angelus ad Esaiam venit, qui diuino prophetiæ lumine maximè erat illustratus, & forcipibus prunam cœpit, & labia eius purificauit. Et Hieremias qui superno beneficio in ventre matris fuerat sanctificatus conqueritur, dicẽs se loqui *Hierem.1.* nescire. A, a, a, domine Deus, ecce ego nescio loqui. Vides iam quo pacto illius temporis potiores, & optimates conquerũtur ex defectu linguarũ: Quod silentium apertissimè significauit taciturnitas Zachariæ, quæ legem veterem mutam & noctis tristitiam designabat. Quid emolumenti natiuitas Ioannis secum affert: Vtique linguarum defectum supplet, & cum nascitur, Zacharias linguam soluit, & cecinit, Benedictus dominus Deus Israel, &c. Tum præterea omnes illius temporis summis lau- *Bernardus in sermone de Nat. Ioãnis.* dibus Deũ extollere cœperũt. Sic enim mũdus lætatus est nouo Ioannis natali, vt illi gaudere solent, qui inaudita & iucunda nuncia recipiunt: quibus & vtilitas, & ingens bonum subsequitur. Et ideo sancta mater ecclesia solennibus hymnis, & exultationis canticis diem natalis Ioãnis celebrat. In eo quippe saluatoris & redemptoris aduentus, nobis Christianis denunciatus est, & ipse Ioannes prior omnibus regnum cœlorum prædicauit. Ob idque factũ est, vt nemo fuerit qui tãto in natali nõ exultauerit, & gauisus fuerit. ¶ Sed iam tu videas oportet vt sic vitam agas, vt in omnibus domino gratus & iucũdus sis: & non solum eis, qui bono & modesto sunt animo, sed etiam illis, qui hæc non sapiunt. Cum autem Elisabeth & sanctis vitæ institutis, & candidis moribus esset imbuta, ita vt nemini malediceret nec rixã pararet alicui, ideo omnes pro tanto illi collato beneficio lætabãtur. Quod si tu illius exemplo, vitã velis componere, ita viuas vt nemo de illata iniuria, de commisso crimine, iniecto malo possit conqueri de te. Non eo modo quo tyranni & superbi huius mundi, quibus pauperes maledicunt: de quibus viduæ frequenter querelas afferũt, & mortem illis exoptant, necnon in calamitatibus & infortuniis eorum maximè lætantur. ¶ Vbi id debes iam aduertere, quòd vicini & cognati congratulabãtur ei, in natali beatissimi Ioãnis: & meritò id faciũt illi, qui cũ eo deliciis, voluptatibus, & *Gaudendum cum gaudentibus.* vanis huius mũdi fœlicitatibus bellum indixerũt. Nãque qui conuiuiis & oblectamẽtis carnis toto temporis curriculo indulgẽt, pro genio nõ merito lætabuntur in beatissimi Ioannis ortu. Nemo enim qui vitam suam peccatis & flagitiis coinquinauerit, his nunciis gaudere poterit: cùm & eius vitæ asperitas, peccatorum delicias damnet, & sancta pœnitentia ipsius, cõfusionem eisdẽ pariat. ¶ Aspice etiam illorum temporum synceritatem & charitatem, qua vicini & cognati erga bonum proximorum afficiebantur. Potuisset dixere Elisabeth id quod Sara dixerat olim, Omnis qui audierit, corri- *Genes.21.* debit mihi. Ex quo etiam disce, vt tristeris cum flentibus, & gaudeas cũ gaudentibus. Sic Iethro sacerdos Madiã lætatus est cũ Mose pro beneficiis factis *Exod.16.* populo Israelitico: & non solũ lætatus est, sed etiã gratias domino egit. Benedictus (inquit) Deus, qui eruit vos, &c. Sed, ô huius nostri seculi inuidiam detestandam, ita vt nemo cũ proximi bono & au- *Inuidia vitiũ detestãdum.* gmento gaudeat: adeò vt si tuas facultates augeri videant siue cũ regibus & magnatibus fauorẽ comparasse, ipsi vicini & cognati primi sunt qui misera inuidia intus torquẽtur. Hæc enim inuidia (quæ tãquã mortifera pestis vniuersum orbẽ inuadit) murmuratorũ linguas disertas facit: cũ & hæc eadẽ fue- *Genes.37.* rit quæ Ioseph vẽdidit, quæ Dauid mille persequu- *1.Reg.18.* tionibus affecit: & tandẽ (quod magis mirandũ est) ipsum Christũ dominũ cruci affixit. Sciebat enim Pilatus, quod per inuidiã tradidissent eũ. Inuidia *Math.17.* namque tale induit ingeniũ vt existimet honorem proximo collatum, sibi ipsi auferri. Estnẽ obsecro aliud maius sceleris & flagitij genus, quàm vt aliquẽ pœniteat, Deum esse bonũ? Estnẽ aliquid aliud maiore detestatione dignius, quàm vt creaturã pœniteat de sui cõditoris & redẽptoris bonitate. Quid est igitur ô insane quod te pœniteat, Deum bonũ esse & pium in conferendis proximo tuo honoribus, diuitiis, & ingenio? Nunquid tibi aufert, quod proximo elargitur? Nunquid tibi debitor existit? Quid est obsecro quod cũ Deus liberalitate & munificentia sua cum aliis vtatur, tu flagitiosam & sceleratam mentem induis? Equidem nullum censeo flagitiũ hac inuidia tristius aut miserius: aut quod (si ita fas est loqui) minus emolumentum suis amatoribus afferat. Nam etsi alij peccatores post huius

huius vitæ cursum miserè in inferno torqueantur, viuentes tamen aliquod sibi commodum proponunt, & lætantur in vitiis & voluptatibus quibus dediti sunt.

Inuidiæ non alijs comparatio.

Luxuriosus quippe corporis voluptatem quærit, auarus auri & argenti copiam, ambitiosus ad honores & dignitates aspirat, & tandem gulæ amator sese ingurgitat cibis. At miser & infœlix inuidus nullum honorem, nullam voluptaté, nullas opes aut facultates sibi propter inuidiam comparat. Piscator etenim sub fallaci cibo hamum occultat, vt vel sic attractus piscis eius manibus succumbat: sic dæmon hamo mortis piscatur auarum, abscondens illum sub dulci diuitiarum siti, quæ tam anxios & solicitos ipsos mortales efficit: superbum verbo honoribus & dignitatibus ad se allicit: quę quidem esca nō minus sapit hominibus, quàm modò relata. Et tandem libidini deditos, ipsis voluptatibus carnis vel lanę filo faciliùs trahit: at ipse infœlix inuidus nullo cibi genere comprehenditur, ipse enim sibi inimicus, se ipsum tradit. Ita, vt peiorem induerit conditionem omnibus bestiis maris: quia nullus ita ignarus & sine sensu est, vt nullo apposito cibo hamum ore comprehendat. Quibus omnibus iam videre licet quàm improuidus, quàm amens, & stultus sit inuidus: quādoquidem mortis & inferni hamum imbibit nullis circumscriptum diuitiis, nullis palliatum honoribus, aut huius sæculi voluptatibus inuolutum. Nam si inuidiæ tristitia est causa alieni boni, qui superest ipso inuido lucri: Si alij peccant, sectantur bonum ad minus apparens: inuidus tamen nudo hamo comprehenditur: qui & in hac vita tormentum, & in futura perpetuos cruciatus patitur.

Inuidus duplicem gehēnam patitur.

Nec mirum si duplicem sibi parauerit gehennam, & in hac & in futura vita. Sed & aliud restat illis maius malum. Nam fieri nō potest, vt illum possit capere cœlum: quia si ipsum inuidum de bono proximi pœnitet, cum omnes in illa ciuitate sancta læti, fœlices, diuites & opulenti sint, quid obsecro ibi faciet? Certè viscera eius inuidiæ igne comburentur, & misera morte peribit, cùm videat omnes prosperos & fœlices. Et idcirco locus illi adaptatus est in inferno, vbi nihil aliud miser videbit, quàm perpetuum luctum & dentium stridorem. Fiet igitur, vt deinceps ab hac pestilenti bestia procul fugias: nam si hæc cor tuum comprehenderit, nihil sanè efficere poteris quod Deo gratū & iucundum sit, cùm & ipse summa charitas, & bonitas sit. Nam si venenum hoc animum tuum tetigerit, omnia bona, quæ feceris proculdubio inficiet. Facies igitur horum vicinorum exēplo, vt semper de bono proximi gaudeas, & eis congratuleris, & tūc dignabitur dominus maiora tibi conferre. ¶ *Et factum est die octauo, venerunt circuncidere puerum.* Ex quo facto liquido cōstat, olim circuncisionem nō fieri in templo, sed in priuatis domibus: nam aderat hîc Elisabeth, quæ vsque ad quadragesimum diem nequibat ingredi templum. Octauo autem die circunciditur, iuxta domini mandatum, qui ait, Infans octo dierum circūcidetur in vobis.

Genes. 17.

Vbi manifestè docemur in diebus festis & lætitiæ neutiquam nos obliuisci debere mandatorum domini. Etenim cùm omnes tunc implerentur lætitia ob Ioānis natiuitatem, nihilominus non dabant neglectui domini mandatum, Nam postquam sancti isti sua desideria finem habuisse viderunt, non Dei obliuiscūtur, nec eorum, quæ dominus in lege præceperat. At modo sunt multi, qui filios à domino petunt, qui in pristinam valetudinem restitui desiderant, vel aliquod imminēs periculum euadere: quorum causa magna vota Deo promittunt: sed cùm hæc obtinuerunt, datam fidem frangunt, & voti prorsus immemores sunt. O quòd quantique sunt qui humanis fœlicitatibus, & honoribus adeptis, Dei sui obliuiscūtur: cùm eum anteà tribulationis, & calamitatis tempore in suum patrocinium, & auxilium aduocauerint. Cuius rei appositissimum exemplum nobis erit Pharao, qui in die tribulationis cum corrigebatur à Domino, ipsum inuocabat, & exorabat: at cùm se à plagarum labore ereptum videret, & in pristinam salutem restitutum, vtique Deum non agnoscebat.

Exod. 8.

Et multi etiam in festo natiuitatis Ioānis, sic in vitiis & voluptatibus, & in taurorum agitatione gaudent: vt nec rē sacram, nec cōcionem audiant. Quo fit, vt in huiusmodi diebus pauci homines in ecclesias conueniāt, cum & illa dies & nox etiam suis vanitatibus, deliciis, & insaniis ab eis sit consecrata. Sed prôh dolor, vt nesciant iam homines Christiani voluptatem, & gaudium sumere, nisi in suum dominum & conditorē peccando: & frangendo ipsius diuina mandata. Nunquid istæ sunt festiuitates Christianis hominibus in diuinum honorem consecratæ? Nunquid neomenias istas & sabbata ista non odit dominus? Sed væ illis, qui his flagitiis & sceleribus dies sanctos domino consecratos violant.

Esaie 1.

Obserua (inquit dominus populo Israelitico) ne quando obliuiscaris domini Dei tui, & negligas mādata eius, & iudicia atque cæremonias, quas ego præcipio tibi, ne postquam comederis, & satiatus fueris, & domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habuerisque armenta boum, & ouiū greges, argenti, & auri cunctarumque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & nō reminiscaris domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis.

Deut. 8.

Sed diui Baptistæ parentes etsi fœlices & læti erant propter sublatum sterilitatis opprobrium, & talem donatū filium nihilominus non ob id obliuiscuntur, id quod in lege à domino præceptum erat. *Et vocabat nomine patris sui Zachariam.* Nam sicuti hodie fieri solet, vt filij cū baptizantur proprium sortiantur nomē: ita fiebat tunc in circuncisione.

Multa obseruantur sine expresso Dei verbo.

Vbi summè notandum est aduersus hæreticos nostri temporis, qui clamant nihil in ecclesia tentādum, quod expresso Dei verbo non sit mādatum. Nulla nanque extat scriptura sancta, quæ dicat Iudæis in die circūcisionis nomina imponenda esse filiis: tamen id ex pia consuetudine faciebant, & obseruabant. Reprehendant igitur Zachariam & Elisabeth, & alios patriarchas, qui hoc fecerunt. Reprehendant & Apostolos, qui sine expresso Christi verbo vestes asinæ, qua Christus erat insessurus imposuerunt. Sed quia initio huius libri de his vidimus, ad alia faciamus gradū.

Math. 21.

¶ Appellabant (inquit Lucas) beatissimum hunc infantem nomine patris sui Zachariam. Id nanque consuetudo iam obtinuit, vt filij, maximè primogeniti nomine paterno vocentur. Ex quo loco discas oportet, quod priùs circuncidebatur puer: & posteà imponebatur illi nomē: quia priùs signaculum Domini imponendum est, quàm quoduis aliud. Præterea circuncisio, quædam erat carnis abcissio: vt significetur nullum esse dignum vocari militem Dei, & in libro vitæ nomen eius scribi: nisi priùs carnalia abiecerit, & amputauerit.

Chrisostomus.

Verùm

Verùm cognati isti & vicini Elisabeth pro libito id faciebant, nondũ cõscij cœlestis mysterij quo iam pridem illi erat designatum nomen: quod non debetet humano mutari consilio. Itaque cùm videret beata Elisabeth eos in nominis impositione à diuina voluntate dissentire, vt pote quæ diuino spiritu nouerat qui vocandus esset, illis continuo restitit.

Diuina voluntas nostræ anteponẽda.

Et respondens mater eius dicit, Nequaquam sed vocabitur Ioannes. Bono animo atque intentione vicini volebant puero nomẽ patris imponere, quia primogenitus erat, sed aliud visum est Elisabeth: nõ quod mariti nomen displiceret, sed quia id diuino nouerat spiritu. Vbi statim docemur in omnibus diuinã voluntatẽ nostræ anteponere: Sic Christus cùm videret humanam voluntatem diuinæ contradicentem, dixit, Non mea volũtas, sed tua fiat. Et iterum, Non veni facere voluntatẽ meã, sed eius qui misit me. Et erudiens nos, modum, quẽ seruare debemus in petitionibus nostris, dixit ita esse orandum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Saul, qui vocem domini non audiuit, reprehensus à Samuele, dictum est illi, Nunquid vult dominus holocausta, & victimas: & non potius vt obediatur voci domini? Ecce Elisabeth, quæ maritum tenerè diligebat, volũtatem Dei mariti prætulit dilectioni: & nomẽ Ioannes, vult vt infanti imponatur iuxta diuinam voluntatem. Multæ enim sunt mulieres, quæ maritorũ placita diuinæ voluntati anteferunt: & vt gratæ ipsis maritis appareant, mille modis ipsum dominum offendunt. Et tunc quidem amor carnis, amori Dei anteponitur: & humana volũtas pluris, quàm diuina habetur. Cuius rei non erit inutile exemplũ illud Iezabelæ, quæ cum Achab regẽ virum suũ videret tristẽ, vt ei placeret, & faceret lætũ, id sceleris patrauit, vt illius causa Naboth fuerit interfectus, & vinea sua illi ablata. Zares vxor Amã vt viro suo placeret, crucem Mardochæo parandã decreuit. Istę mulieres maritis suis cum Dei offensa & iniuria placere voluerunt. Nos verò eam curam & solicitudinem adhibeamus oportet, vt potius diuinæ quàm nostræ voluntati placeamus. Ita Elisabeth fecit, Ita sanctus ille Ioseph, qui cogebatur impudicum amorem dominæ suæ effugere. Et etiã virili animo præstitit sanctissimum illud castitatis exemplum Susannæ, quando ad turpem amorem à falsis senibus compellebatur. Idẽ fecerunt sancti illi Machabæi: qui crudeliter pati potius maluerunt, quàm voluntatẽ Dei transgredi. Et idem fecisse legimus beatum Petrũ ecclesiæ principẽ, qui respondit magistratibus, Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus. De excellentia verò nominis Ioannis iam in superioribus loquuti sumus, vt Angelus Zachariæ dixit. Vocabis nomen eius Ioannẽ, sed forsitan inferiùs aliqua adiiciemus. *Et dixerunt ad illam, Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Ex his verbis intelligitur, quare cognati parentis nomen puero vellent imponere: ne forsitan à nominibus suæ cognationis viderẽtur discedere, & aliud nomẽ inuestigare. Et ob id matris dictis nõ acquiescebãt, ignorãtes id fieri Spiritus sancti operę. Qui locus docet, vt semper nouitates fugiamus, & eas potissimum, quæ ratione nõ nituntur. Sed in hac re illud accidit, quod Esaias reprehendens ait, Væ qui dicitis malũ bonum & bonum malum, & appellatis, &c. Ex quo textu etiã licet colligere Ioãnem euangelistam hoc nomen sortiri propter Baptistam: & propter ipsius respectum & obseruationem. Quia Salome mater Ioannis euangelistæ soror erat virginis Mariæ, & Maria (vt angelus illi dixit) cognata erat Elisabet, vnde factum est, vt Ioannes Baptista & Euangelista cognati essent. Quòd si Ioannes Euangelista prius natus fuisset quàm Baptista, non vtique dicerent isti, nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Vnde apertè constat Euangelistam post Baptistam natum fuisse. Quo factum est, vt cum tanta miraculosa facta in natali Ioannis diuulgarentur: multi admirati & præcipuè cognati filiis suis nomen Ioannis imponebant, quasi nomen à cœlo missum, & ab angelo nunciatum ob reuerentiam beati Baptistæ. Itaque quemadmodum tu, qui deuotione pia affectus es in beatum Petrum, Petri nomen filio tuo imponis: & ille, qui deuotionem cum diuo Antonio habet, filium suum Antonium nuncupat: Ioannis Euangelistæ parentes tantam miraculorum magnitudinem venerati, filium suum Ioannem appellauerunt.

Math 26. Ioan.6. 1. Reg 15. Mathe.6. Luca.1. 3. Reg 21. Hester.5. Genes 39. Dan.13. 2. Macha.7. Act.4. Esaie.5.

Prior natu Baptista quã Euangelista.

Nominum impositio ex deuotione.

¶ Expende etiam, quod quemadmodum cognati illi Elisabeth volebant, vt præcursor Christi Zacharias vocaretur, & mirabãtur, quod mater, Ioannis, nomẽ imponeret, quia nemo in tota cognatione tali nomine ostendebatur: ita modò multi sunt, qui pios & Christianos parentes arguunt, si filios suos religioni, & sanctitati studere faciunt, & non mundanis lucris. Voluisti, quòd si parentes mercatorum officio funguntur, quod etiam filij eadem vestigia sectentur. Si verò in sacram & tutissimam religionis anchoram se conferunt, mœrore & tristitia seipsos conficiunt: existentes filios illos fructum esse inanem & omnino perditum. *Innuebant patri eius, quem vellet vocari eum.* O quantus clamor in nominis impositione suboritur: nanque non satis fuit, vt declararet mater, sed etiam patris voluntatem dignoscere cupiũt: vt ipsius licentia & authoritate filio nomen imponatur. Sed mirum est: quantum insanit mundus circa nominis impositionem. Nam etiã si homo vilis sit & infimo genere natus, nihilominus illustrẽ & nobilem titulum sibi asciscit. Quod si nobiliorem sortem ex matris, quàm ex patris sanguine compararunt, matris nomen assumunt. Neque his solum contenti auorũ & proauorum stirpem scrutantur, vt vel fortè nobilitatem aliquam inde possint sibi mendicare. Nunc equidem (quod magnum & ingens delirij genus est) tota fœlicitas mundi, in nominis & sanguinis dignitate constituitur: neque id curatur, quomodo id nomen insignibus virtutibus antiqui sibi compararunt, vt vel virtutum amore incendantur & inflammentur. Pluris enim facere debes bonam & studiosam vitam, quàm bonum nomen. Nam bona opera, non nomina, illustres & generosos viros pariunt. Quid enim tibi proderit, si bonum nomẽ, & vilia & abiecta opera habueris. Quæ certè conditio propria mundi est, qui in externo nomine suam constituit solicitudinem, cum & intus vacuus sit omni virtute & nobilitate. *Et postulans pugillarem scripsit dicens,* Pugillarem, idest, tabellam ceratam, in his enim olim scribebatur: pugillar est quàm Græci πινακίδιον vocant Sed si erat mutus, quomodo loquebatur? Id referendum est ad Zachariam, non lingua, sed scripto loquentẽ, *Ioannes est nomen eius.* Vides quàm verè dixerit euangelista Zachariam, & Elisabeth iustos esse coram domino? Nanque inter matrimonio cõiunctos dummodo

Superstitio circa nominũ impositionẽ.

modo concordia adsit, amor in bono persistit. Quod maritus, idem & vxor vult, & è contrario. Nomen quod ipsa vxor imposuerat, vir confirmauit Qui locus edocet mulierem auscultandam esse quando secundum voluntatem Dei loquitur. Dixit dominus Abrahæ, In omnibus, quæ dixerit tibi Sa-
Genes. 21. ra, audi vocem eius. Maximum bonum habitat inter matrimonio ligatos, si pacis semper fuerint amatores. Nam benè cordata musica dulcem auribus generat sonum, & lyra tunc grata auribus audientium est, quando ex proportione chordarum melos & suauis concentus auribus sonat. Itaque nunquam cordatam harmoniā facient ij, qui inter se fuerint discordantes. Vnde vbi concordia est inter virū & mulierem, ibi Deus habitat, vbi autem deficit procul dominus abest, quia Deus charitas
1. Ioan. 4. est, & vbi amor est, ibi Deus est. Sic in die resurre-
Ioan. 20. ctionis apparuit dominus vbi erant discipuli congregati, & non solum in corporibus, verū etiam in voluntatibus. Sed proh dolor, quantæ sunt domus, in quibus Christus nunquā habitat, sed diabolus: quia sæpiùs multa iurgia & discordię inter cōiuges
Quare Ioannes vocatus. oriri solent. ¶ Sed dubium statim consurgit, quare voluit Dominus hunc puerū, Ioannem, & non Zachariam vocari, quod nomē erat patris, quādoquidem multi & insignes viri hoc nomine fuerūt nuncupati, vt fuit Zacharias filius Ioiadæ sacerdotis, qui tāta fuit sanctitate præditus, vt ipse Christus de
2. Paral. 24. ea mentionem fecerit, & alter etiā Zacharias pro-
Matth. 23. pheta domini sanctus? Ad quod dicendum censeo, quod si cū Ioanne mansisset lex vetus & antiquum sacerdotium, consentaneū fuisset, vt Zacharias vocaretur. Sed cū Ioānes esset finis veteris legis (quia lex & prophetę vsque ad Ioannē) & principium le-
Matth. 11. gis gratiæ, quia à diebus Ioānis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, ideo non decuit nomen paternum illi imponere. Ideo angelus in Ioānis conceptione nouum nomē denunciat, nomē inquam, nouæ gratiæ, populo nouo, nouoque sacerdotio maxime accommodatum. Ioannes igitur quamuis sacerdotis filius, in officio tamen sacerdotali, nec in nomine successit patri, quia Deus dixerat, Ecce
Apoc. 21. noua facio omnia Nam sicut in Ioanne finitum est sacerdotium & lex vetus, quippe, vt inquit Paulus, translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio
Heb. 7. fiat: sic finitum est nomen Zachariæ. Et quia multiplex fuit gratia in domini præcursore & tempus gratiæ inchoabat, rectè vocatus est Ioannes. Ipse enim prior omnibus regnum cœlorum prædica-
Math. 3. uit dicens, Pœnitentiam agite, appropinquabit re-
Marc 1. gnum cælorum. Aptè itaque dictus est Ioannes qui mūdo sub ira Dei laboranti gratiam per Christum conciliandam prædixit. Idque non vt relinqui prophetæ de longinquo & obscuris sermonibus. & ænigmaticis, sed planè & manifestis signis ipsum gratiæ authorem verbo prophetauit, quem etiam digito demonstrauit. Meritò ergo nomen gratiæ habuit ille qui tantum cumulum gratiæ habiturus erat. ¶ Obserua autem Zachariam non dixisse, imponamus illi nomen, vel voco illum Ioannem, quia iam ab ipso domino erat impositum & ab angelo nunciatū, sed dixit, Ioannes est nomen eius. Tanquam si clarioribus dixisset verbis. Non est opus, vt humano more illi nomen imponamus, quando quidem ipse Deus proprium nomen illi dedit nec nos nomen nouum imponimus, sed quod à Deo accepimus imponendum declaramus. *Et mirati sunt vniuersi.* Eo quod placeret nouum nomen, & id etiam, quia pater mutus, cum matre in nomine cōuenissent. Mirabantur, vt homines, quia ignorabant, quid cum infante diuinitus ageretur. Sed vt magis mirarētur: audi quid sequitur, *Apertum est autem illico os eius & lingua eius.* Hoc est, data est illi facultas, vt loqueretur. Phrasis enim scripturæ est, Aperiens os suum loquebatur. Sic in Mathæo legimus, aperiēs Christus os suum, docebat eos, idest Math. 5.
loquebatur ad illos. Et in libro Iudicū dixit Iepte, quoniam vouerat se occisurum quidquid ei reuer- Iudi. 11.
tenti de prælio occurrisset. Aperui (inquit) os meū ad dominum. Sic etiam in libro Iob. Post hæc ape- Iob. 3.
ruit Iob os suum & locutus est. Et in Psalmo. Ape- Psalm. 77.
riam in parabolis os meum, loquar propositiones Eccles. 39.
ab initio. Et in Ecclesiastico. Aperiet os suum in Actu. 8.
oratione. Et in actis, aperiens Philipus os suum, Actu. 10.
& incipiens à scriptura ista euangelizauit illis Iesum. Iterumque aperiens Petrus os suum dixit. In veritate comperi, quia Deus, &c. Apertum est igitur os Zachariæ, sed à quo? Nunquid à Deo, vel à dæmone. Id certe cognosces ex sequētibus verbis, *Et loquebatur benedicens Deum.* Vides iam quomodo à domino os eius fuerit apertum, quādo ipsius Dei laudes prorupit, Sanctorum os dominus aperit, & implet illud eloquio suo sicut cum Moyse fecit Exod. 4.
quādo illi dixit. Ego aperiam os tuum, & instruam te, quæ te oportet loqui. Sed per Dauidem etiā inquit dominus, Dilata os tuum & ego adimplebo Psalm. 80.
illud. Et beatissimus Paulus dicebat, Vt detur mihi Ephes. 6.
sermo in adapertionem oris mei. Illi igitur os habent apertum à domino, qui in ipsius laudes prorumpunt. Alij autem multi sunt, quorum ora diabolus aperuit, quia mendacia loquuntur aduersus proximum, effrænato impetu insurgūt, & aliorum famam in ictu oculi diripiunt. Quod si vis vt ostendam, quomodo diabolus istorum ora aperiat, audi: nam diabolus dixit falsis prophetis Achab. Ego 3. Reg. 22.
spiritus ero mendax in ore omnium prophetarum Ioan. 13.
eius. Et de scelerato illo Iuda dicit Ioannes, diabolum misisse in cor eius, vt traderet dominum. Ipse enim aperuit os eius, vt loqueretur cum principibus sacerdotum & Pharisæis, quomodo Christum esset traditurus accepta pecunia. Zacharias loquitur vt laudet dominum, tu vero illum offendas. Satiùs enim tibi foret, quando istum pessimum loquendi modum induisti, vt mutus & elinguis fieres vt vel sic in tantam conditoris tui ignominiam intrepidus non curreres.

¶ Vbi aduerte, oportet quòd ipsa loquela vnumquemque manifestum facit, cuius sit, Nam ancilla illa ostiaria dixit Petro. Tu Galilæus es, nam & lo- Math. 26.
quela tua te manifestum facit.

Vniusquisque enim materno loquitur sermone, Gallus enim Gallico, Hispanus Hispano, &c. Nam cœlestis lingua tota in laudibus sui creatoris versatur, inferni verò lingua in blasphemias, nugas, & mendacia prorumpit.

Quod si tu semper fœda & scelera verba loqueris, signum euidēs est te ex numero electorum non esse, imo consortiū habere cum illis, qui in perpetua miseria & luctu detinētur. Si autē ad illam cœlestem patriā peruenire cupis in diuinis encomiis continuus esto, nā Paulus in multis suarum epistolarum locis hortatur semper dominum esse benedicendum. ¶ Secundò obseruandum est, quod id, quod primo Ioannes audit à patre suo, idest, sanctissi

sanctissimis verbis & benedictionibus Deum extolli. Vtinam modo priora verba, quæ pueri à parētibus audiunt, similia essent. At (quod maximè dolendum est) his nostris temporibus, priùs pueri nouerunt maledicere, & nomē Satanæ in oribus suis ferre, quàm dulcissimū & suauissimū Iesu nomen: & priùs fœda & obscœna cantica didicerūt, quàm Dominicam orationem, quia mendaciis & diuini nominis offensione gaudēt, & hæc priora sunt, quę adhuc lactantes in vberibus matris pueri didicerunt. ¶ Admonemur itidem, quòd quemadmodum Zacharias statim restituta sibi loquela domino benedixit propter acceptum beneficium: sic nos illi gratias agamus, quia nos eripuit à malis, & tantis muneribus ornauit. Alioquin ingratitudinis vitio Deo maximè inuiso veniemus taxandi. Vnde fit quod ipse Dominus per Esayam cōqueratur, dicens, Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Primum vitiū carpendum à quo Propheta exordiū sumpsit, fuit ingratitudo. Cœlum & terram in testes adducit, vt ostēdat nullum malum simile huic esse. Et Dominus per Hieremiam, Nunquid reddetur pro bono malum? Igitur vt huius vitij non arguaris, gratias semper agas Domino. ¶ Tertio loco animaduertendum venit, quàm breui tempore beatus Ioānes suū munus cœpit exercere. Fuit enim Ioannes secundus pœnitentiæ dux, & ipse fuit qui vexilla pœnitentiæ statim in circuncisione in altum leuauit: etiam si nullo scelere esset contaminatus, Qui etiā in sua natiuitate pœnitentiam prędicare voluit: & cùm pro ætatis imbecillitate non posset, id muneris parenti suo demandauit, cuius os cùm mutum esset, apertum est, & prophetauit, Quādo aliquis infans rector eligitur, pręcipit rex, vt aliquis nobilis gubernationem accipiat, quousque puer ad maturiorē ætatē deueniat, in qua puer iam grandis factus munus suum rectè exercere valeat. Ita sanè cùm paruulus esset Ioānes ad prædicationis officium, illud onus patri imponitur: quo factū est, vt illustratus prophetiæ munere ipsum Messiam denunciat, & insignia pœnitentiæ effert. ¶ Quartò tibi obseruandum est, quo pacto restituta est loquela Zachariæ, qua anteà priuatus erat, propter peccatū factus est mutus, & propter pœnitentiam restitutus in pristinam dignitatem. Donat enim dominus libenter gratiam peccatori per pœnitentiam, quàm per peccatum perdiderat, & non solùm gratiam, sed omnia quæ in statu gratiæ meruerat, tribuit illi. Quid obsecro Zacharias perdidit per peccatum? Loquelā vtique: modo autem (quæ domini clementia est & benignitas) non solùm loquelam restituit, verùm etiam altissimum prophetiæ spiritum tribuit, quem anteà non habebat. Si igitur dominus tanta liberalitate & magnificentia vtitur erga eos, qui ad se cōuertuntur, quid est cur ad illum non conuerteris? Quare in posterū distrahis pœnitentiam? &c. Nunc autem pro maiori literæ explanatione dubitari potest: quòd cùm Zacharias punitus fuerit propter incredulitatis peccatū cùm verbis angeli nō credidit, posteà verò cùm vidit filium natum, fidem adhibuit, de culpa emendatus est, quid inquam est in causa, quare in die natiuitatis Ioannis, ipsi parenti non fuit loquela restituta, sed protracta est vsque in diem circuncisionis filij, idest, vsque ad diem octauum post natiuitatem? Ad quod facile est dicendum, Deum voluisse grādi honore Ioannem afficere, & ipsi mundo sanctitatem eius ostendere, vt gratus acceptúsque sit hominū oculis. Nāque munus & officium Ioannis, ad quod venerat, fuit vt testimonium perhiberet de Christo, & ad hoc testimonium oportebat, vt ipsi Ioanni magna fides adhiberetur. Itaque voluit dominus, vt hæc miracula nota & patentia essent, vt ipse Ioannes magis commēdaretur. Quocirca si hoc miraculum factum fuisset in natali diui Ioannis, illud quidem paucis notū esset, sed solùm illis qui in domo habitabant. At cùm peruolasset fama illis diebus sterilem Elisabeth peperisse, multa gentium multitudo per illos octo dies conuenit in domum Zachariæ: & in illa solennitate voluit dominus linguam Zachariæ soluere, vt & mirabilia diceret, & de aduentu Messiæ prophetaret. Sic miraculū hoc sparsum est, ita vt dixerit Euāgelista, quòd in omnia mōtana Iudæę diuulgabātur omnia verba hæc. Hoc enim domini erat intentum, vt viso hoc miraculo dictis & verbis Ioannis fides adhiberetur, vt pote qui Christum erat prædicaturus, vt ipsius fidem omnes amplecterentur. Et hac de causa oportuit miraculum hoc in eius circuncisione fieri, vt omnibus patens esset. Secundò etiam responderi potest, quòd in natiuitate Ioannis nondum verba Angeli in totum erant adimpleta. Quia Angelus nō solùm dixit ipsi Zachariæ nasciturum esse filium, sed etiam nomine Ioannis appellādum, & multa alia prædixit, scilicet, quòd multi gauisuri essent in sua natiuitate. Quæ omnia in die natalis nō fuerūt adimpleta, quia Angelus vsque ad nominis impositionem dixit eum mutū permansurum, dicens, Donec hæc omnia fiāt: & ideo mutus vsque ad illum diem permansit. Sed iam tot prodigiis visis, *Factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudaeæ diuulgabantur omnia verba hæc.* De rebus nouis, ac præter vsitatum naturæ cursum accidentibus, mirari solent homines ac timere: hic autem multa erant, quæ meritò generare poterant ingentem admirationem. Itaque vicini omnes timebant, ignorantes quid sibi omnia illa vellēt. Videbantur etenim ibi diuinæ potentiæ argumenta efficacia quā plurima, & hæc cælestis mysterij ignaris timorem iniiciebant. Mox verò cuncta hæc per loca illa diuulgabātur, & alij aliis vel quæ viderant, vel quæ audierant, enarrabant: idque fiebat non sine oculto Dei mysterio, vt maioris essent fidei apud omnes illa, quæ multorum testimonio confirmabantur. Sic fides nostra sanctissima & verissima (vt pote quæ Deum ipsum infallibilē veritatem, suum assertorem & doctorem habet) clarissimis semper est fulcita testimoniis: ita vt nihil apud nos incertum, nihil obscurum, nihílque commentitium sit. Vbi docemur Dei mirabilia & bona proximorum nota facere, vt ipse dominus magis laudetur & extollatur. Sic dictum fuit Tobiæ ab Angelo, Opera Dei reuelare honorificum est. Sed iam his nostris temporibus non eum animum induerunt, vt beneficia à domino collata, & à proximis accepta narrent, sed potius si quid est defectus & vitij, id omnibus notum & manifestū faciunt. Statua illa quam vidit Nabuchodonosor habebat caput aureū, brachia argentea, & ex metallis multis reliqua erāt fabricata, pedes verò luteos habebat, in quos cecidit lapis. Ita mali non caput aureum, non argētea brachia, non ventrem æreum, per quem virtutes, gratiæ, & alia naturæ dona significātur, pertingunt, sed ad debilia & abiecta oculos coniiciunt, vt si quid mali

Marginalia: *Esa. 1.* — *Ierem. 18.* — *Ioannes pœnitentiæ antesignanus.* — *Zacharias plura per pœnitentiā obtinuit, quā per peccatum perdiderat.* — *Ioan. 1.* — *Tob. 12.* — *Dan. 2.*

mali in proximis videant, id omnibus notum faciant: virtutes verò secum taciti reuoluunt: cuiusmodi hominibus mundus plenus est. *Et posuerunt omnes qui audierunt in corde suo dicentes.* Vtinam & nos omnia verba & mysteria domini in corde nostro
Psal. 118. seruaremus: iuxta illud prophetæ, In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Tamen Dei verba, quemadmodum per vnam aurem ingrediuntur, ita per alteram obliuionis aurem exeunt. Et hinc euenit, vt ex tantis auditis concionibus, tantis prædicatorum vocibus parum vel nihil fructus reportetur: quia nulla nobis cura est, verba Dei in penetralibus animæ recondere, vt vel sic, vberrimos & salutiferos fructus nobis pariant: Sed quia de his inferius octauo & vndecimo capitibus habendus erit sermo, modo videamus, quid isti vicini & cognati Ioannis, qui hæc miracula audierunt, ad inuicem inter se loquantur. *Quis putas, puer iste erit?* Quòd si huius pueri à sanctissimo Dauide vate sententiam quæras hyperbolycos fuisse loquutum in eius sanctitate demonstranda, Iustitia (inquit) ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos. Si au-
Psalm. 84. tem à Malachia rogaueris, qualis sit iste puer: vti-
Mala. 4. que respondebit tibi, Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuã ante te: nõ tamen ex his verbis intelligas beatũ Ioannem natura Angelum fuisse, sed potiùs vitæ puritate & integritate conscientiæ: Ità enim sanctissimè & purissimè vixit, vt in hac miseriarum valle vitã degens, meruit cœlestibus spiritibus assimilari, quando eius vita, & conuersatio patriam illam beatam & sanctam potiùs redolebat, quàm miserum hoc nostrum calamitatũ pelagus. Si hoc ab angelo Gabriele petieris, eum magnum futurum esse coram domino: ita, vt visus fuerit ipsius naturæ prodigium cum & terrenis, & cœlestibus habitatoribus admirationem pepererit: Quòd si rogaueris, in quo beatus Ioannes magnus fuerit, rogabo itidem & te, in quo ma-
Ioãnis magnitudo in quib. gnus nõ fuerit? Magnus & admirabilis in cõceptione, magnus in suo natali, magnus in vita, magnus in doctrina: in officio, in dignitate, & authoritate, in morte & in gloria, Ita sanè magnus fuit, vt existi-
Ioan. 1. marent multi illum esse Messiam: & idcirco missi sunt ad eum sacerdotes, & Leuitæ à Iudæis, vt ab eo quærerent vtrum esset Christus. Hinc certè clarè colligitur quanta fuerit ipsius Baptistæ maiestas, quantus vitæ candor & splendor: vt concepta esset opinio illum esse Messiã, & perinde Deum. Ex quo loco etiã facillimo negotio illam peruulgatã quæstionem poteris componere. Vter scilicet, fuerit sanctior Ioannes Baptista, an Euangelista: Etenim baptista non contendit, nec certamen init cum aliquo sanctorum: nam homines suam sanctitatẽ videntes nõ cum alio, quàm cum filio Dei illum conferunt. Hoc sanè satis dictum putes de laudibus Baptistæ, vt illũ omnibus præferas in gloria & honore, factam fuisse collationẽ inter eum & Christum esset ne ille filius Dei, an non. Quòd si inter sapientes, & eruditos viros dubitatio esset in hac re: sufficit tamen in nostrum propositũ à populo Messiam indicari. Et ita inquit Lucas capite tertio, Existimã-
Luc. 3. te autem populo an esset Christus: Sunt enim aliqua corpora ita parua, vt à longa distantia minimè videantur: alia verò etsi magna sint, tamen propter hebetem oculorum aciem non videntur: alia denique ita maxima, & clara sunt: vt etiam si longè distent, tamen à quocunque videri & cognosci pos-
sunt. Ita sunt aliqui sancti, quorũ iustitia & sanctitas in ecclesia Christi cognoscitur, & sua festa celebrat. Alij autem sunt, qui etsi numerati adsint cœlestibus illis ciuibus & cũ Deo regnẽt in sæcula: tamen ecclesia nec eos videt, nec suam bonitatem & sanctitatem indicauit. Tertio verò ordine sunt alij ita sanctissimi & illustres, vt à longè distantes ab omnibus cognoscuntur, qualis fuit Ioãnes Baptista: Nanque non solũ nos, qui vberibus ecclesiæ Christi tanquam proprij filij lactati sumus, quíque fidei lumen diuinitùs infusum mentibus nostris habemus: Verùm illi, qui extra ecclesiam sunt delitescẽtes in miseris ignorantiæ & cæcitatis tenebris, vt
Turca, & Sarraceni, beatum Ioannem Baptistam Bernard. in serm. de natiuit. S. Ioãn.
sanctissimum esse cognoscunt, quem maximè honorant & illi festum celebrant: de cuius magnitudine & excellentia in superioribus multa diximus, in verbis illis angeli, Erit magnus coram domino.
¶ Si verò à patre Zacharia quæsieris qualis ille sit, Ioannis Baptist. encomia
dicet tibi, Et tu puer propheta altissimi vocaberis: præibis enim, &c. Et si à matre idem rogaueris, respondebit, Vocabitur Ioães: in quo est gratia, quia totus plenus fuit gratia, & Spiritu sancto, vt is, qui in vtero sanctificatus fuit. Si autem Euangelistam roges, dicet tibi, Fuit homo missus à Deo cui no-
men erat Ioannes. Apostoli etiam erant missi, ta- Ioan. 1.
men hi propter officium: Ioannes verò, per natiuitatem: qui ad hoc de ventre matris natus est, & ad
hoc venit in mundum, vt testimonium perhiberet Ioan. 19.
de lumine. Quod solùm de filio Dei dicitur, Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Idcircò Apostolus vocari potest Dei patris: Illi verò electi sunt à filio Dei, vt nomen suum manifestum facerent: tamen Ioannes natus est apostolus & missus à patre, vt filium suum manifestum faceret in omnem mundum. Verè quidem de Ioanne dici potest quòd ad magna-
lia fuerit natus. Si quæras à filio Dei, quis putas Mat. 11.
puer iste erit? Respõdebit protinus, quod inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Quàm magnus fuerit diuus Ioannes: quantáque eius excellentia & dignitas, infrà in capite septimo in expositione horum verborum dicemus. Si deni-
que à me quæsieris, quis puer iste erit, statim dicam Qualis fuerit Ioãnes Bapt.
tibi, futurum esse patriarcham, apostolum, martyrem, virginem, confessorem, eremitã, præcursorem, scholam virtutum, magistrum vitæ, sanctitatis formam, normam iustitiæ, pudicitiç titulum, virginitatis speculũ, castitatis exemplum, pœnitentiæ viam, peccatorum veniam, fidei disciplinam, maiorem homine, parem angelo, legis summam, euangelij sanctionem, apostolorum vocem, silentiũ prophetarum, lucernam mundi, Christi mediatorem, domini testem & totius Trinitatis medium. Denique cum aduersariorum testimonium maximi sit momenti, si ab Herode quæras, qui crudelissimus hostis Ioanni fuit, quíque ipsum interfecit: quid de puero isto sentiat? virtutibus eius conuictus & coactus dicet tibi, Quem ego decollaui Ioannes resurrexit à mortuis, & virtutes operãtur in illo: Scie-
bat enim Herodes Ioannem virum sanctum, & iu- Mat. 14.
stum, & libenter audiebat eum. Tanta fuit beatissimi Ioannis sanctitas, vt eius occisor, & inimicus
clarum de illo testimonium reddiderit. Demum si Mar. 6.
à turbis quæras, quis puer iste erit: vide quid respõdeant. ¶ *Et enim manus domini erat cum illo.* Manus (inquit) domini, id est, virtus Dei operatrix miraculo-

rum, in eius annunciatione, cõceptione, & natiuitate. Ex quibus probabili ratione arguebant quod in processu temporis magnus futurus esset. Rex
4. Reg. 13. Ioas misit sagittam salutis, sed posuit Elisæus manus. Sic verba Ioannis erant sicut sagittæ, sicuti
Esai. 49. Esaias de ipso inquit, Posuit me dominus quasi sagittam electã. Sed manus domini erat cum illo, sicut manus Elisæi: atque ideò tot corda & animos penetrabat. Sic tu quicunque fueris prædicator, nõ poteris auditorum corda verbo Dei penetrare, nisi dominus posuerit manus super te. Iste autem modus loquendi hebraismus est frequẽs in sacris literis. Solet etiam manus non solùm accipi pro virtute operatiua miraculorum, vt modo diximus: sed etiam in aliis significationibus. Solet enim aliquãdo manus accipi pro opere, vt in Psalmo. Qui docet
Psalm 143. manus meas ad prælium, Et in Ecclesiaste, Stul-
Eccles. 4. tus complicat manus suas. Manus complicare est illas ad opera non extendere, sed turpi otio & quieti se tradere: carnes autem suas comedere est carnis operibus oblectari, & carnis prudentiam sequi:
Rom 8. quam meritò diuus Paulus mortem appellat, eò quòd aduersus dominum, qui vita est, effrænato impetu feratur: nam subdit statim, Sapientia carnis inimica est Deo: vel, vt potest etiam ex Græco verti, inimica est aduersus Deum. Qui virtutibus nõ studet, manus. id est, opera claudit, & contrahit: & carnibus suis pascitur & oblectatur. Vbi iam vides apertè quomodo manus pro ipso opere accipiatur.
Aggæi. Ità capite primo Aggæi prophetæ. Factum est verbum dñi in manu Aggæi prophetæ, hoc est, loquutus est dominus Aggæo: qui talia fecit opera, vt dignatus fuerit dominus cum ipso loqui. Aliquando
Prou. 18. etiam manus sumitur pro officio, vt in Prouerbiis.
Iosue 9. Mors & vita in manibus linguæ. Aliquãdo pro potestate, vt apud Iosue. Et nunc ecce nos in manu tua. Aliquando pro flagello & percussione, vt apud
Esai 1. Esaiam. Cõuertam manum meam ad te. Et in psalmo, Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis:
Psalm. 20. dextera tua inueniat eos qui te oderũt. Et Iob, Manus domini tetigit me. Aliquãdo & pro spiritu pro-
Iob 19. phetico sumitur, vt in Ezechiele, Cecidit super me manus domini, hoc est, fui diuino lumine illustra-
Ezec. 8. tus, & raptus, & splẽdore interno spiritus prophetici repletus. Denique manus domini accipitur pro diuina consolatione, & auxilio: vt est videre apud eundem Ezechielẽ, Manus domini erat mecũ confortans me. Et Esaias, In manu (inquit) forti erudi-
Ezec. 3. uit me. Et in psalmo, Posuisti super me manũ tuã,
Esai 8. & manus tua deducet me. Accipitur hìc manus pro
Psal. 138. fauore, protectione, cura, & auxilio. Nemo enim vnquam tam fortis & magnus est, vt quemadmodum infantes nutricis auxilio egent, ita & ipsi diuino fauore & substerniculo: qui certè si ignorant quã necessaria illis sit hæc manus proculdubio miserè & infœliciter corruent. Quod cùm benè intelligeret propheta, ita cũ domino agit, velut infans, qui matris substerniculo audet pedetentim ambulare. Domine (inquit) non est exultatum cor meum nec elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in mira-
Psal. 130. bilibus, &c. Sicut ablactatus super matrẽ suam, ita retributio in anima mea. Quid ergo? speret Israel in domino, ex hoc nunc & vsque in sæculum. Et quis est tam insolens (dicet aliquis) qui non ingenuè fateatur se hac Dei manu egere? Certè bona hominũ pars videtur mihi hoc in errore versari. Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarũ suarum gloriantur. Qui dicunt, auferte à me viam, de- Psalm. 48.
clinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Esai. 30.
Israel. An nõ eiusmodi sunt, qui peruerso itinere, & ab angelicis legibus alieno gradiuntur, & nullum scelerum genus reiiciunt? modo opes congerant, facultates augeant, honores adipiscantur, qui malunt suis cogitationibus, quàm diuinis cõsiliis fidere. Tunc dicere audebis ab illius manu velle duci: qui cum manum porrigat, tu eam contrahis: Vtique non tu auscultas Prophetam, qui inquit, Proiice cogitatum tuum in dominum, & ipse te enu- Psal. 54.
triet. Hæc verba quid aliud sunt, nisi quædam manus porrectio: à qua rogaris vt velis illam tanquàm ducem & sustentaculum amplecti? Tu verò omnia tentare cupis potiùs, quàm illius auxilium: admo- Math. 6.
neris in Euangelio, ne solicitus sis, quid manducabis, aut quo operieris: sed id etiam, vt quæras regnũm Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia tibi statim adiicientur. Tu verò potiùs areæ tuæ & horreo pleno, quàm diuinis verbis fides. Hoc quidem non est velle duci Dei manu. *Et Zacharias pater eius impletus est Spiritu sancto: & prophetauit dicens.* Superius hoc eodem capite scripserat sanctus Lucas Zachariam virum iustum fuisse: iustus autem esse non poterat, nisi sancto Spiritu indutus esset. Cur igitur hìc dicit impletum esse Spiritu sancto? Intelligendũ est, abundantiori Spiritus sancti gratia: nam prophetiæ munus accepit. Obserua autem priùs dixisse repletum esse Spiritu sancto, posteà verò illum prophetasse: quia prophetare opus Dei est, iuxta illud Petri, Non volũtate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, loquuti 1. Pet. 1.
sunt sancti Dei omnes. Quocirca operæ pretium erat, vt priùs spiritu sancto repleretur, quàm prophetaret. Vbi aduertas etiam beatam Elisabeth reple- Ambr. in Lucam.
tam fuisse Spiritu sancto, & prophetasse, vt in superioribus ostendimus: sed paucis sermonem absoluit. Zacharias autem prolixiori canticò prophetauit, & in laudes domini prorupit. In qua re docemur mulieres paucis debere loqui, nec munus prædicationis illis esse cõmittendum: vti sunt aliquæ, quæ publicè prædicare verbum Dei populo assuescunt. Aliæ autem sunt mulieres: quæ in libellis publicis suam sententiam proferunt: existimantes se aliquid scire, cùm nihil sapiant, & ita superbiunt & inflantur, vt velint prolixos de Deo sermones aliis prædicare, neque in his pro sua insania, & amentia sistunt, sed cõcionatorum verba examinare nituntur, & suis vanis capitulis in medio proferre sentẽtiam, & denique interpretes fiunt eorũ, quæ sacerdotes in Ecclesia Christi proferunt. Quæ quidem si Apostolum Paulum audissent, suæ dementiæ damnationẽ audirent. Mulieres (inquit) in ecclesia ta- 1. Cor. 14.
ceant, nõ enim permittitur eis loqui: si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Et iterum, Mulier cum silentio discat, in omni subiectio- 1. Tim. 2.
ne, &c. Sed iam videndum superest, quid Zacharias dicat, Demonstrat etenim quid Christus nondum natus suo tempore facturus esset: adiungens etiam de puero Ioanne, id quod iam pridem ab Angelo didicerat, *Benedictus dominus Deus Israel.* Quando nobis consuetum est dicere, Laudetur Deus, siue Deo sit laus: Iudæis est mos dicere, Benedictus Deus. Sic 1. Cor. 1.
diuus Paulus, Benedictus Deus, & pater domini no Psal. 143.
stri Iesu Christi. Et in psalmo legit. Benedictus do- Psal. 102.
minus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium. Et iterum, Benedic anima mea dominum, id est lauda

est, lauda, magnifica, & magnalia ipsius prædica: Nanque benedicere, laudare significat. Laudibus immensis Deus est extollendus, qui pro tanta sua pietate & misericordia dignatus est inaudito & mirabili modo populum suum inuisere, qui miseræ pristinæque seruitutis tædio laborabat: aduersus quem peccatum & mundus inualuerunt, necnon ipse Satanas Christiani nominis acerrimus hostis, adeò vt nulla spes esset in lege, quæ ad perfectum in cæremoniis suis non adduxit.

Deus quare dominus. ¶ Præterea dominum vocat iure possessionis: de ipso nanque scriptum est, dominus vniuersorũ tu
Hebr. 7. es: Et rursus, Domine rex omnipotens, in ditione
Hester. 13. tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ. Et in Sapientia dicitur, Tu autem
Sap. 12. dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos. Dominus etiam est ratione imperij, vt dicitur in libro Iob, Quẽ
Iob. 34. constituit alium super terram, aut posuit super orbem quem fabricatus est? Ratione quoque gubernationis dominus est: iuxta illud psalmi, Dominus
Psalm. 67. nomen illi: Vocatur item & Deus ratione creationis. In principio creauit Deus cœlum & Terram.
Genes. 1. Et Esaias inquit, Ego ipse, ego ipse primus & nouis-
Esai. 48. simus. Et insuper Deus Israël vocatur potissimè quàm alterius cuiusuis nationis, duabus de causis: Tum quia solus populus Iudæorum vnum Deum colebat verum. Vnde Deus Israël sæpiùs in sacris
Psalm. 75. literis appellatur, vt est illud psalmi, Notus in Iudæa Deus, & in Israël magnum nomen eius. Et in
Deut. 6. Deuteronomio, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et iterum in psalmo, Qui annun-
Psal. 147. ciat verbũ suũ Iacob, iustitias & iudicia sua Israel. Secundò non ob id solum, quia potissimè à populo Israel colebatur, Deus Israel dicitur: sed etiam propter peculiaria beneficia huic populo exhibita.
Deut. 7. Vnde in Deuteronomio Moses huic populo inquit, Te elegit dominus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram, quia di-
Psal. 147. lexit te dominus: Non enim (vt regius psalmographus ait) fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Quod apertè ipse dominus ostendit eis dicẽs, Ego enim sum dñs Deus tuus, qui
Psalm. 80. eduxi te de terra Aegypti: Ac si diceret, Peculiari quodammodo Deus tuus sum, quia maxima & illustria beneficia in te contuli. Id autem vnum magnum fuit, quòd eduxi te de terra Ægypti: vbi manus tuæ seruierunt, & linguam, quam non noueras audisti. Huc etiam pertinet id, quod in Mathæo le-
Mat. 15. gitur, dominum dixisse mulieri Cananææ, Nõ sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Quòd si peculiariter dict⁹ est dominus Deus Israel, quia singularia beneficia contulit in illum populum: quid est, quod non potiùs Deum tuum, & dominum tuum illum appelles, cùm pluribus & maioribus nominibus id tu possis facere, quandoquidem cum tantis sis flagitiis & sceleribus coopertus toties te liberauit, & in pristinam animi valetudinem restituit? Si illos eduxit de Ægypto & de ser-
Exod. 14. uitute impij Pharaonis: te autem ab infidelitate, ab ignorantiæ tenebris & à dæmonis tyrãnide liberalissimè eripuit, & in suæ ecclesiæ libertatem te constituit, vt possis tãdem hæreditatem illam adipisci, in qua ipse cum sanctis suis gloriosissimè habitat. Quòd si familiariter cum illis agebat, tecum etiam propinquiùs & familiariùs agit: quia in sacratissimo altaris mysterio illum sumis, quod quidem humanis verbis neutiquam exprimi potest, quãntæ familiaritatis, & amicitiæ signũ euidens sit. Illi quidem dicebant, Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos propinquantes sibi, sicut Deus noster Deut. 4.
adest nobis. De qua re meliùs tu gloriari poteris cũ Deum & redemptorem tuum ita tibi coniunctum habeas. Quemadmodũ igitur quilibet sua propria bona diligit: ita tu Deum diligere debes, qui adeò tuus est, vt se ipsum totum sibi se tradiderit, corpus & sanguinem præbens. Quid igitur est, quòd si tuum esse dicis, tu illi non te tradis, vt ipsius voluntati obtemperes? Nequibis enim illius esse miles, si carni & rerum mundanarum amoribus te ipsum consecraueris. Modo autem subdit Zacharias causam, quare dominus laudandus & colendus sit:
Quia visitauit. Visitauit nos non aliter ac peritus me- Dominus verus medicus.
dicus iacentem infirmum, vt illum subleuet, sanita-
tem restituat, & vt doloribus & angoribus suis finẽ Beda in Hom.
imponat. Quod quidem eleganter in Exodo expri- Exod. 3.
mitur, Visitando visitaui vos, & vidi afflictionẽ vestram. Et Sophonias, Visitabit (inquit) eos domi- Sopho. 2.
nus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum. Et regius vates ad dominum clamabat dicens, Vi- Psal. 105.
sita nos in salutari tuo. Hoc ipse olim per prophetã Eze. 101.
suum promiserat, dicens, Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas. Quod dixerat adimple- Eze. 34.
uit, quando humanitate assumpta venit quærere, & Luc. 4.
saluare afflictos corde. Sic enim turba clamauit, videns tanta miracula. Deus visitauit plebem suam. Luc. 7.
De illo nanque (vt noster Lucas ait) exibat virtus, Luc. 6.
& sanabat omnes: Vbi diligenter aduertere debes, ne talem visitationem contemnas. Caue ne cũ tanta ægritudine laboraueris ipsi cœlesti medico fores claudas: Etenim si illum benignũ & misericordem contemnis, timeo certè ne posteà illum iracundum nõ valeas sustinere. Nam ipse dicit, In die afflictio- Exod. 32.
nis visitabo, & hoc peccatum eorum. Et in Leuiti- Leu. 26.
co, Quod si non audieritis me, sed spreueritis leges meas, &c. Visitabo vos velociter in egestate, & ardore, &c. Et in psalmo ipsemet, Si iustitias meas Psalm 88.
prophanauerint, & mandata mea nõ custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Quid est, quòd tam acerbum supplicium minatur dominus? Certè non ob aliud, Luc. 19.
nisi quia, vt ipse saluator ait, non cognouit tempus visitationis suæ. O quàm diuino amore, quantis ad ostium clamoribus, quantis inspirationibus supernus iste medicus te visitat: qui cùm si adeò tuam salutem & incolumitatem desideret, si cum his in melius non proficis, vlterius in curatione persistit, & alia antidota componit, scilicet, infirmitates amicorum & parentum subitas mortes. Quæ sanè omnia ea ratione adductus facit, nè in tremenda illa die extremi iudicij in manus eius incidas, qui tãquàm rectissimus medicus te iudicaturus veniet. De qua die beatissimus Petrus ait, Humiliamini 1. Petr. 5.
sub potenti manu Dei: vt vos exaltet in die visitationis. Sed vlterius progrediamur, vt videamus, quid cœlestis iste medicus in sua visitatione fecerit vtrum opera an sola verba fuerint. *Et fecit redemptionem plebis suæ.* Vt videremus quanta sit differentia in visitationibus prophetarum, & in suo aduentu, in quo sacratissimum incarnationis mysterium fuit factum: Ille enim amor, quo semper nos prosequutus fuerat, non verba solum nobis non dedit, sed etiam admirandũ opus perfecit: Fecit enim sanctissima sua passione redemptionẽ talem, quæ tale pre-

tium postulabat: nimirum sanguinem illum immaculati agni, qui pro nobis in ara crucis fuit effusus. Vbi tu discere debes, ne debita solum verbis rependas, & etiam id semper præ oculis constituendum putes: vt animam tuam plurimi facias, quando tanti constitit, vt nō minus, quàm Dei sanguis pro illa fuerit solutus. Empti enim estis (inquit Apostolus
1. Cor. 6. Paulus) pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro. Quod si intelligere cupis quanti valoris pretium hoc fuerit, audi Apostolū Petrum ecclesiæ principem. Non enim corruptibilibus au-
1. Pet. 1. ro & argento redempti estis, de vana vestra cōuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.

Esaiæ [?] prophetia vt supra 64. ¶ Fecit præterea redemptionem, non quam veniēs suam inuenit: sed quam visitādo & redimendo suā fecit. Obserua etiam dixisse factam redemptionem quia in foribus aderat, cum ei Angelus dixit filium suum Messiā præcessurū in spiritu & virtute Heliç:
Beda in Homil. vel eo certè, quod Spiritu sancto repletus intellexerit, ipsum Messiā in virginis vtero iam esse cōceptū. Dixit itaque iam factam propter certitudinē euentus. Id etiam sanctus Dauid ob certitudinem redēptionis futurę multis retro sæculis dixit, Redēptionem misit dominus populo suo. Et alibi ob candē causam ad noua cantica inuitat, dicens, Cantate
Psalm. 110. domino cāticum nouum, quia mirabilia fecit, Saluauit sibi, &c. Notū fecit dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Vi-
Psal. 97. derunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. Iā vides quomodo regius vates pro tanta rei certitudine, mirabili encomio ea prædicet, quæ multis posteà tēporibus erant adimplenda. Sic etiam sanctus Esaias hanc fœlicitatem toti orbi venturā quasi præsentem contemplans dicebat, Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus, &c. Et alibi, prosperam ecclesiæ fœcundi-
Esa. 40. tatem intuēs ait. Exulta sterilis, quæ non paris, &c. Et videns Israelitici populi angustam habitationē propter tantam gentis multitudinem, quę conuer-
Esa. 54. tenda erat ad fidem, inquit, Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. Ne parcas, lōgos fac funiculos tuos, & clauos tuos cōsolida. Ad dexteram enim & leuam penetrabis, & semen gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit. Et contemplans apostolos & euangelicos prædicatores, qui orbem terrarum erant peragraturi, inquit, Quam pulchri sunt super mōtes pedes annunciantis, & prædicātis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, Re-
Esa. 52. gnabit Deus tuus. Hæc illi tot ante sæcula gratulātes canebant. Nos verò qui hæc omnia impleta cernimus tam ingrati sumus, vt mirum sit si quando eorum contemplatio animos nostros subeat.

¶ Perpende etiam quomodo beneficia suo generi collata priuatis anteponit. Non lætatur, non gratulatur obsusceptum filium, ac tantum filium, quantum futurum audierat ab angelo: sed præparatæ redemptionis duntaxat suo populo meminit. Benedictus (inquit) dominus Deus Israel. Quare? Non quia dedit mihi filium, nō quia restituit loquelam, & abstulit opprobrium sterilitatis: sed quia fecit redemptionem populo suo. ¶ *Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui.* Cùm lingua Hebræa ve-
Cornu Dei fortitudinem sumit. tustissima sit, tales sibi habet vsitatos loquēdi modos, qui in aliis linguis nō inueniuntur: qui quidē nisi rectè intelligātur impediunt, proculdubio sanctarum scripturam sensum: ob cuius causam multi in miseros errores fuerunt lapsi. Nam cum significare vult, aliquem vitam suam discrimini mortis offerre: dicit habere vel ponere animam in manibus. Vt est illud, Anima mea in manibus meis sem- Psal. 118.
per, & legem tuam nō sum oblitus. Hoc est, quamuis cunctis periculis expositus essem, nunquam tamen oblitus sum tuæ legis. Et de Dauide dixit Io- 1. Reg. 20.
natas patri suo, Posuit animam in manu tua, id est, 1. Reg. 28.
se obtulit morti propter te. Sic Pythonissa eidem Sauli, posui animam meam in manu tua. Item pro eo quod est facultates, & familiam augere, hæc lin- Psal. 126.
gua dicit, ædificāt sibi domum. Vt est illud. Nisi dominus ædificauerit sibi domum. Et cum Ruth fuit Rut. 4.
data Booz in vxorem, dicebant vicini. Faciat tibi dominus sicut Liæ, & Racheli: quę ædificauerūt domum Israel. Et in Exodo de obstetricibus quæ fa- Exod. 1.
uerunt Israelitis: ædificauit (inquit) illis dominus Exod. 2.
domos. Et in eodem de Mose dicitur, Fuit in manibus eius fidelitas, id est, fuerunt manus eius firmiter extentæ. Vocant dominum verborum, eum qui habeat causas: præcipites corde, vocant pusillanimes: dicunt mutare fortitudinē, pro armare se responsis vocant eos, qui coram iudice habēt causam discutiendam: appellant vestes libertatis nobiles: vocant primogenitum mortis dolorem grauissimum. Multáque his similia dicunt, quæ cum à nostro sermone aliena sunt aduertenda esse oportet à sacræ paginæ studiosis, ni errare & decipi velint. Hoc in loco cornu accipitur pro fortitudine, victo- Chrisost.
ria, virtute, gloria & regno, potentia & maiestate. Quadrupedum nanque animalium robur & virtus cornua sunt, quibus huiusmodi bestiæ aduersus alia animalia bella gerunt & superbiūt. Reges enim sancto oleo cornu vngebātur. Sic ille propheta antiquus Zacharias ait, Ecce quatuor cornua, id est, Zacha. 2.
regna. Et in Threnis dicitur, Confregit in ira sua o- Thren. 2.
mne cornu Israel, id est, omnē fortitudinem. Et Anna mater Samuelis in suo cantico sic dicit, Domi- 1. Reg. 2.
nus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo: & sublimabit cornu Christi sui, hoc est regnū & potestatem Christi sublimabit. Itaque in hoc loco cornu pro fortitudine & regia potentia sumitur, vt sit sensus. Excitabit potentissimum & fortissimum regem, in domo Dauid Regis: qui tantum viribus præstet, vt manus conferens cum inimico Satana ipsum superet & vincat. Potens erat tyrannus, qui plurimo satellitio stipatus omne genus hominū expugnabat, à quo viribus humanis vindicari non poterat libertas Israelitarum. Solus Deus hoste potentior dedit infirmis robur mittens potentissimum & inuictissimum ducem, qui diuinæ virtutis cornu opes & vires aduersariorum infringeret & labefactaret.

¶ In domo Dauid inquit: quia hoc beneficium Dauidi promiserat dicens, De fructu ventris tui Psalm. 131.
ponam super sedem tuam: peruenturum hunc ad omnes, qui iuxta spiritum promerentur esse filij Dauid, non degenerantes a veritate patris. Huius pugnæ præludium fuit pugna Dauidis aduersus illum superbissimum Goliath, & huius meminit 1. Reg. 17.
Christus cùm dixit, Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace, &c. Huius etiam pugnæ Luc. 11.
meminit Paulus dicens; Et vos cum essetis mortui Coloss. 2.
in delictis, & in præputio carnis vestræ: hoc est in gentilitate & in idololatria vestra, conuiuificauit Deus cum Christo, donans vobis omnia delicta,

delens

delens quòd erat aduersus vos chirographum decreti, quod erat contrarium vobis, &c. Vbi eleganter diuus Paulus hoc in loco aduersarios nostros à Christo non tantum victos, sed etiam omnibus armis & præsidiis spoliatos, id quod sacrum euangelium ostendit. Et Paulus ad Hebræos testatur Christum per mortem suam eum destruxisse, qui mortis habebat imperium. Etenim quis posset nos à dæmonis potestate & seruitute eripere: cùm de ipso dicat Iob nullam esse potentiam super terram, quæ cum illo valeat comparari? Benè quidem dicit patientissimus Iob super terram, huius crudelissimi tyranni expertus vires: nam filius Dei à summo cœlo descendit incredibili, & diuina virtute eum destructurus. ¶ *Sicut loquutus est per os sanctorum qui à sæculo sunt prophetarum eius.* Sic in actis legimus. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent. Et iterum, Deus qui prænunciauit per os omnium prophetarum pati Christum, adimpleuit sic. Obseruas autem, non dixisse per ora, sed per os: vt scias quòd quanuis diuersis temporibus, vno tamen ore omnes prophetæ loquuti sunt, & eadem docuerunt, & concordi animo de filios Dei prophetarunt. Vbi etiam nec illius obliuisci debes quod sanctos appellat prophetas, vt eos semper summa veneratione colas, & suspicias. Præterea longum id esset modo omnia testimonia, quæ de Christo loquuntur in sacra pagina in medium adducere. Nihil enim egit, aut passus est, quod anteà non fuerit in veteri lege prophetatum. Nam eius incarnatio, natiuitas, Magorum aduentus, doctrina, miracula, passio, resurrectio à mortuis, ascensio in cœlum, spiritus sancti missio, & denique cætera alia longe antea à prophetis prædicta fuerunt. Vnde merito ipse Christus dixit, Scrutamini scripturas, quia illæ testimonium perhibent de me. Et iterum, Si Mosi crederetis, vtique & mihi: de me enim ille scripsit. Et rursum Quoniam sic scriptum est, & ita oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Sed videamus quod vlterius addat. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.* Quod Zacharias anteà obscuris verbis dixerat de cornu erectione, idem modo interpretatur. Erectum est cornu, sed non frustra: quoniam cum ipso restituta est nobis salus ab inimicis, ne vltra animas violenter raperent. Liberauit nos Christus dominus ab hostibus nostris. Hanc salutem ex inimicis promiserat olim Deus ecclesiæ suæ dicens, Exaltabitur manus tua super hostes tuos: & omnes inimici tui interibunt. Et beatus Ioannes ait, In hoc apparet filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Quod sanè non de corporalibus inimicis intelligendum venit, sed de spiritualibus: qui semper nos maximo odio persequuntur. Hos Christus vicit in cruce, & de eis insigni & gloriosa victoria triumphauit, vt ipse posteà dixit: qui & dedit virtutem suis calcandi super serpentes, & scorpiones, & supra virtutem omnem inimici.

Hebr. 2. *Iob. 41.* *Act. 10.* *Act. 3.* *Os prophetarum & non ora.* *Ioan. 5.* *Luc. 24.* *Mich. 5.* *1. Ioan. 3.*

¶ Vbi obseruandum est quod dæmones non odio nos habent, quia aliquid mali ipsis intulimus, sed quia ipsi oderunt Deum, & quia sciunt ipsum velle sanctificationem nostram: ne autem voluntas domini adimpleatur, impedimenta ponunt iustificationi nostræ. Obstinatus enim & sua malitia induratus pro viribus suis diuinæ voluntati resistit, & in id conatum adhibet, vt nunquàm adimpleatur. Expende etiam quòd Deus odio haberi minimè potest ratione suæ Deitatis: nam cùm voluntatis obiectum sit bonum, impossibile est, vt Deus, qui per essentiam bonus est, odio à sua creatura habeatur. Habetur enim odio à damnatis, & peccatoribus, & præcipuè à dæmonibus per quosdam effectus, qui repugnant inordinatæ volũtati? sicut inflictio pœnæ, & etiam cohibitio peccatorum per legem diuinam, quæ repugnant voluntati deprauatæ per peccatum: & quantum ad considerationem talium effectuũ odio haberi potest Deus, in quãtum apprehenditur, vt peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor. Sic in psalmo dicitur, Superbia eorũ, qui te oderunt, ascẽdit semper. Et apud Ioannem Christus de Pharisæis inquit. Nunc autem viderunt, & oderunt me, & patrem meum, vt impleatur quod in lege eorum scriptum est. Quia odio habuerunt me gratis. Hoc peccatũ grauissimum est: nam hæc voluntaria auersio à Deo per se ipsam diuinum odium importat, in aliis autẽ participatiuè & secundum aliud: Quemadmodum enim volũtas ei inhæret quod amat, ita per se refugit id quod odit: & idcirco quando aliquis odit Deum, voluntas ipsius per se, ab eo auertitur. At in aliis peccatis sicut in furto aut in fornicatione nõ auertitur per se à Deo sed per aliud: in quantum appetit inordinatũ commodum, aut delectationem, quæ habet adiunctam auersionem à Deo. Semper autem id, quod est per se, priùs est quàm id, quod est per aliud: quapropter odium Dei inter alia peccata grauius est. Dæmones igitur nos persequuntur: quia scelerato hoc vitio sunt pleni. Venit igitur dominus. ¶ *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.* Neque adscribendam putes hanc liberationẽ ab inimicis tuis meritis, nihil enim nobis debebat: sed sua tãtum benignitate motus, carnem mortalem induere fuit dignatus, vt ab inimicis nostris nos eriperet. Nullo sub merito cadere potest diuini verbi incarnat. Vnde D. Paulus, Propter nimiam charitatẽ suam, qua dilexit nos Deus, misit filium suum vnigenitũ natum ex muliere, factum sub lege, &c. Et iterum, Nõ ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundũ suam misericordiam saluos nos fecit: per lauacrum regenerationis quam effudit in nos abunde. Et Dauid loquutus de incarnatione inquit, Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Misericordiam (inquit) fecit Deus cum patribus nostris: quia incarnatio, redemptio, & liberatio à dæmonis tyrannide opus fuit ineffabilis misericordiæ, & maximæ pietatis Dei: quamuis de cõgruo meruerunt sancti patres desiderando & petendo, vt de populo Israëlitico carnem assumeret filius Dei, congruum enim erat, vt Deus exaudiret eos, qui ipsius mandatis obediebant. Facienda erat cum sanctis patribus misericordia, qui fidem verã, & obediẽtiam promptam domino seruauerunt cum omnibus sanctis prophetis, qui hæc prædixerunt futura, & pro veritate ludibria, mortem, & ignominiosa tormenta passi sunt. Prolata est hæc misericordia, vt magis ac magis cresceret desiderium eorum, & vt magis eorum affectus inflammarentur. Propterea testamentum sanctum, cuius memor fuit, promissio est futurorum, promissio inquam filij sui sancti sanctorum, & firma pollicitatio bonorum cœlestium, cuius memor fuit, cùm plenitudo temporis venit, hoc est, quod petebat Dauid dicens, Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti. Ex

Luc. 10. *Odium Dei, grauiss. peccatorum.* *Psalm. 73.* *Ioan. 15.* *Psal. 34.* *Incarnatio Christi opus Dei gratuitum.* *Ephe. 2.* *Tit. 3.* *Psal. 84.* *Psal. 118.*

verbo datur ſpes: & ideò Dauid fiduciam & ſpem habebat in verbo, cuius memorem dominum eſſe vult. Aduerte autem quòd aliud eſt teſtamentum

Teſtamẽtum ſanctum, & ſancti ſui quomodo differant. ſanctum; & aliud teſtamẽtum ſancti ſui, Teſtamentum ſanctum, eſt teſtamentum vetus, ab homine datum: ſed teſtamentum ſancti ſui eſt teſtamentum Chriſti redemptoris noſtri, quod eſt nouum: Sic

Pſal. 72. Dauid, Reſpice in teſtamentum tuum, id eſt: illud quod propoſuit per filium ſuum ſanctum: cuius Zacharias dicit dominum memorari. De hoc etiam

Ierem. 31. loquitur Ieremias dicens, Ecce dies veniunt dicit dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda pactum nouum, aliàs, teſtamẽtum nouum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti. Teſtamentum ſanctum ſanguinem habet hircorum, taurorum, vitulorum, & aliorum animalium, nec liberationem captiuorum: ſed in nouo inſtrumento fuit ſanguis filij Dei, & libertas animarum, ſicut prædictum fuerat per

Zachar. 2. alium Zachariam prophetam, Tu quoque (inquit) in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu,

Luca. 22. in quo non erat aqua. De quo ſanguine dominus ait diſcipulis, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamen-

Hebre. 9. ti: qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. In vita enim poteſt teſtator aliud inſtituere teſtamentum firmius: ideóque teſtamentum ſanctum reuocatum eſt, teſtamentúmque ſancti ſui morte teſtatoris confirmatum eſt, & ideo irreuocabile quòd Chriſti morte fuit ſignatũ.

Eſai. 52. Vbi obſeruabis quòd memorari ſui teſtamenti ſancti dicitur, quia habuit ſe ad modũ recordationis, quãdo diuinum illud pactũ impleuit. Vnde Eſaias, Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum. Sed quia inter patres promiſſio illa, quæ Abrahę facta fuerat, celebratiſſima habebatur, meritò in ſequentib. Zacharias addidit dicens, *Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis.* Hic modus loquendi ſcilicet, iuſiurandum quod iurauit: frequẽs eſt in ſacris literis, vt expectans expectaui, exultatione exultabunt, benedicẽs benedicam, multiplicans multiplicabo dolores tuos. Quidam dicunt hoc eſſe idioma Hebraicæ linguæ: alij verò dicunt quandam vehementiam & cõfirmationem ſenten-

Geneſ. 22. tiæ ſignificare, vt videns vidi, id eſt optimè vidi: cognoſcẽdo cognoui, id eſt valde vel maximè cognoui. Sic & in propoſito iuſiurandum, quod iurauit: quia vehementi quodam affectu iurauit Abrahæ

Galat. 3. Chriſtum ex eius ſemine eſſe naſciturum. Per me-

Hebr. 6. metipſum iuraui (inquit dominus) quia feciſti hãc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, propter me, benedicam tibi & multiplicabo, &c. Hoc etiam aſſeruit D. Paulus ad Galatas & Hebræos. Poſtquã dixerat Zacharias miſericordiam feciſſe cum patribus noſtris, vbi opus miſericordiæ oſtendit incarnationem fuiſſe: modò cum dicit in hoc verſiculo, iuſiurãdum quod iurauit, addit promiſſionem ſub iuramento factam Abrahæ. Ex quibus etiam colli

Opus incarnationis quomodo miſericordia & quomodo debiti. gimus opus incarnationis opus miſericordiæ fuiſſe & debiti. Sed dices protinus, ſi miſericordiæ fuit, quomodo & debiti, quomodo miſericordiæ? Audi, Debebat nobis, aut potiùs ſibi ipſi, quia promiſerat redemptionem: ſed eam promiſerat, non noſtris adductus meritis, nec noſtris demeritis prohibitus quod ſanè totũ miſericordiæ & gratiæ fuit. Sed iam obſecro, vt gratiã & miſericordiã videas. Adam &

Geneſ. 3. Eua primi noſtri parentes diuinũ mandatũ tranſgreſſi, merentur pœnam æternã: verũ Deus ab his nõ rogatus, nulliſq; meritis prouocatus, vltro pollicetur ſaluatorẽ dicens, Inimicitias ponam inter te & ſerpentẽ, & ſemẽ tuũ, & ſemẽ illius, & ipſum ſuũ ſemen conteret caput tuum. Hic promiſit ſaluatorem, qui ſerpẽtis caput, id eſt, diabolũ, cum quo loquebatur, contereret. Sicut igitur dñs ſua bonitate, & clementia adductus ipſum hominem cõdidit, ita eadẽmet ductus benignitate hominẽ ſuapte malitia lapſum reſtituit. Ideò redemptionis opus meritò miſericordiæ opus dicitur. Miſericordiæ enim eſt, eò quòd prom ſerat nullis noſtris meritis exigentibus: debiti tamẽ eò quòd promiſſa exhibuit. Idcircò Dauid promiſſum tanquã debitũ petit, dicens, Memor eſto verbi tui, in quo mihi ſpẽ dediſti. *Pſal. 118.*

Nemo nanque redẽptionem expectare poſſet, niſi dñs illam eſſet pollicitus: ſed pollicitatione facta, iam cõfidenter & audacter illã expectare poſſumus.

Iurauit Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum *Pſal. 131.*

de fructu vẽtris, &c. Et Abrahæ dixit, Per me ipſum iuraui, &c. His promiſſionibus nitebãtur patres veteris teſtamenti, & benè ſciebant illas non fore irritas, ſed rogabant, vt citò adimplerentur. Hinc il- *Geneſ. 22.*

læ voces, Vtinam dirũperes cœlos, & deſcenderes. *Pſal. 64.*

¶ Vbi diligenter obſeruabis quomodo promiſſa *Verax Deus in promiſſis, licet nos periuri.*

ſua dominus impleat, quãuis Iudæi pactum, quod illi promiſerant, non verũ fecerunt. Ipſi enim dixerunt Moſi, Quodcũque nobis iuſſerit Deus, faciemus. *Exod. 24.*

Nihilominus citò præuaricati ſunt pactũ, ſed ideò dominus promiſſa non reuocauit. Vide quàm firmæ & ſtabiles ſint diuinæ promiſſiones, quia adimplet quod pollicitus eſt, licet ij, quib' promiſſiones fiunt, nequaquam fidẽ datã cõpleant. Promiſe- *Pſalm. 131.*

rat Dauid Chriſtũ: cũ autẽ peccauit Dauid potuiſ- *2. Reg. 11.*

ſent multi exiſtimare, Deũ ſuã promiſſionẽ reuocaturũ: ſed dñs qui firmiſſimus eſt in ſuis verbis, quique nunquã falli nec fallere quemquã aſſueuit, promiſſis ſtetit. Hinc ipſe Dauid, Vt iuſtificeris (inquit) *Pſalm. 50.*

in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Ac ſi diceret, Præſta promiſſum tuũ, non quia ego dignus ſum, ſed vt appareat, & eluceſcat, quã verax & iuſt' ſis in tuis promiſſionibus. Sic in præſentia Zacharias inquit, dominũ promiſiſſe ſemini Abrahæ, ſalutẽ illis daturũ per Chriſtũ. Sed cũ ipſi reiicerent legem Dei, exiſtimare poſſent dñm verbũ ſuũ reuocaturũ: verũ incredulitas eorũ diuinũ pactũ nõ fregit, potens eſt quippe dominus quibuſcũque promiſſa ſua vera facere. Promiſerat igitur filiũ ſuũ daturum nobis: & in rei veritate, vt dixit, adimpleuit. Quia Deus pater ſeipſum dedit nobis in filio cum eiuſdẽ naturæ ſit, & ſubſtãtiæ cũ patre. Dicitur etiã ſe ipſum dare eis, quibus gratiã & charitatẽ infundit. Sicut enim datus eſt Iudæis, datus eſt etiam tibi per gratiã & charitatẽ. Ea enim eſt liberaliſſima dilectio, qua quis alteri ſeipſum præbet. Sic Ieremias, Dominus pars mea, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Vbi videre licet Dei liberalita- *Tren. 3.*

tem & magnificẽtiam. Si promiſſit daturum ſe no- *Eſai. 9.*

bis, & illũ dedit: quomodo cum illo, nõ omnia no- *Rom. 8.*

bis donauit? Sed forſitan dicet aliquis. Ad quid hoc ſpectabat? Quid hæc, quæ retulimus ſibi volunt? Quis redemptionis noſtræ finis? *Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi.* Liberauit nos dominus per crucem & paſſionem ſuam à morte, & à tanta dæmonis tyrannide, non vt ſimus toti intenti ebrietatibus, & delicijs, ſed, vt ſine

vt sine timore ipsi Deo seruiamus. Vult enim vt filiali illo timore, quo sancti Deo obsequuntur, seruiamus illi: non autem timore seruili, quem charitas foras mittit. Vt seruiamus illi, & nó alteri: vt videretur illud Deuteronomij recordari, Dominum Deum tuú adorabis, & illi soli seruies. Nemo nanque duobus dominis inter se tam longo discrimine dissidentibus seruire potest, vt sunt Deus & diabolus. Necesse erat prius liberari morte filij Dei de manu inimicorum nostrorum, qui dæmones sunt, quàm Deo seruiremus. Prius soluenda sunt peccatorum vincula, prius à carceribus & compedibus exire oportet, quàm vt possimus sedulum famulatum Deo exhibere. Et idcircò priùs ostendit, à qua seruitute liberandi sumus, scilicet, ab inimicorum manibus, & statim cui inseruiendum sit summa diligentia, & sollicitudine. Hoc est, quod Paulus inquit ad Romanos scribens, Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Et Abrahæ locutus est dominus in hunc modum dicens, Possidebit semé tuum portas inimicorum suorum. Hoc est occupabit ciuitates, & munitissima quæque loca inimicorú suorum. His concinit sanctus sacerdos dicens, Vt sine timore de manu inimicorú, &c. Quanuis hæc, quæ dicit Zacharias melius intelligenda putem de inimicis inuisibilibus: nam Christus non liberauit Israëlem à seruitute Romanorum. Nec temporalis fuit redemptio, vt multi Iudæorum, falsò existimabant, sed potiùs spiritualis: quia spiritualiter liberauit nos Christus sua morte à dæmonum potestate. ¶ Verùm antequam ad alium versum gradum faciamus, duo hic obseruáda sunt. Primùm est, ideò optandum esse ab hostiú molestiis liberari, vt tranquilliùs Deo vacare possimus, & maiori cum libertate illi seruire. Nunc verò ingratissimi homines tunc temporis potiùs à Deo procul fugiunt, cùm ab hostium tumultibus tuti & tranquilli sedent: cùm ab ipso Deo liberalissimo tot tantique inimici procul sint fugati. Et quòd non sine lachrymis dici potest, cùm maiori pace fruuntur, tanto maioribus vitiis contaminantur. Ob quam causam benignissimus dominus, qui salutem spiritualem animæ nostræ vehementer exoptat, bella, egestatem, & pestem immittit, vt solet pater sceleribus filij adductus in eum animaduertere, cùm licétia deterior fit. Quam rem pulchrè & eleganter exprimit Esaias cùm in persona vineæ de ingrato filio loquitur, Plantaui (inquit) vineam electá, ædificaui turrim, &c. Quid debui facere vineæ meæ, & nó feci? Quare expectáte me, vt faceret vuas, fecit labruscas? Sequitur, Auferá sæpem eius, & erit in direptionem, diruam materiá eius &c. Quid est igitur quòd dominus sic cum illa se habuit? Sequitur, Væ, qui cóiungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Primùm propter auaritiam, secundùm ob crapulam addidit. Idcircò ait, Væ, qui cósurgitis mane ad ebrietatem sectandam. Diuitiæ & saturitas sunt causa vitiorum, & idcircò flagellis animaduertit, vt meliorem vitæ conditionem induamus.

1. Ioan. 4. Deut. 6. Mat. 6. Rom. 6. Gen. 22. Pax & tranquillitas à Deo petenda vt seruiamus illi. Esai. 5.

¶ Secundò obserua tibi, quòd vt nos Deo tradamus, oportet, vt ipse priùs se nobis tradat: & vt illi seruiamus oportet, vt ipse priùs viam ostédat, quomodo illi sit inseruiendum. Et idcircò in versiculo præcedenti dixit se nobis daturum, & posteà dixit, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. Hoc est, ideò promisit dominus Abrahę se ipsum nobis daturum, & nos liberaturum de manibus inimicorum, vt seruiremus illi. Náque ni priùs ipse nobis aliquid præstiterit, quod ei possimus donare (itá natura sumus pauperes) nullo digno ministerio ei inseruire possemus. Hinc est quod in Psal. inquit Dauid, Quid retribuá dño, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Respódit dicens, Calicem salutaris accipiá, & nomé domini inuocabo. Vota mea domino reddá coram, &c. Dignum quidé admiratione est, quòd quando Dauid videtur diligentiam adhibere, vt quærat, quid retribuat domino: nihil aliud nouit dicere, nisi calicem salutaris accipiam: quo quidé facto maiori vinculo domino videbatur adstrictus, vt maiori obsequio illi inseruiret. Itaque verú est, quòd sancti nihil aliud inueniebant, de quo gloriari possent, nisi quòd debitis onusti essent, & tanto quis plus substátiæ habet: quanto minus aliis debet: qui verò aliquid possidet, & totú debet, se verè nihil possidere, affirmare poterit. Sácti igitur & amici Dei, qui omne quod habent, Deo debere fatentur: nihil habent, de quo iactari possint nisi de eo solùm, quod nihil à se ipsis habent, sed à Deo, & propter Deum. De plenitudine eius omnes accepimus (inquit Ioannes) gratiá pro gratia. Et quia illud donare possumus, quod à liberali manu ipsius Dei accepimus: postquàm Propheta dixit, Calicem salutaris accipiam, statim inuenit quid retribuere posset, & dixit, Vota mea domino reddam: quia cùm calicem domini recepisset, (non opere mortem obeundo, sed desiderio & voluntate) & se fortem in virtute nominis Dei inueniens, dixit protinus. Vota mea domino reddá coram omni populo eius, qui & hominib. & angelis constar. Nec ob id si pro eo moriar, multú faciam: quia nullis meritis prius vitá mihi donauit, & postea me liberalissimè redemit. Itaque lumine prophetiæ duplici titulo vitá meá ipsi debere, & quia de nihilo condidit, & quia suo sanguine iterum in captiuitate constitutum me ipsum redemit. Et hic sanè videtur mihi huius literæ sensus genuinus & proprius. Vnde aduertendum tibi est, vota in hoc loco non sumi pro aliquibus operibus maioris boni, sed pro ipso desiderio moriendi pro Christo: quod quilibet quadá animi præparatione habere debet. Nam etsi semper Deus nec vitam nec sanguinem petat, ego auté semper illi debitá existimo: & idcircò próptissimus semper esse debeo, vt si opus fuerit, libentissimè sanguiné pro ipso fundá. Colligas igitur ex dictis, quod, vt aliquid Deo tribuamus necesse est, vt pri⁹ se nobis det: & ita in hoc loco prius dixit Zacharias se ipsum nobis dedisse, & ab inimicis nostris liberasse: vt statim nos ipsos illius ministerio cósecremus. Verú vt scias quomodo liberatus à dæmone illi inseruiendú subdit statim. *In sanctitate & iustitia coram ipso.* Hoc est in puritate & integritate animi, habens Deum corá te, qui opera, & corda scrutatur. Tanta nanq; cóscientiæ rectitudine semper incedere debes, tanquá is, qui Deú præsenté habet. In hoc loco aduertere debes, quá circunspectus, & cautus esses, si coram rege in negotio aliquo sisteres: maiori certè cura deberes esse corá Deo qui reges & potentes omnes, & teipsum iudicaturus est. In sanctitate igitur & animi probitate viuere oportet: ná ipse dominus inquit, Sancti estote, quoniá ego sanctus sum. Et in Deut. Perfect⁹ (inquit) & absq; macula eris cú domino Deo tuo. Venit igitur Christus, vt per ipsius passioné liberè illi seruiamus, non vt in lege Mosi, quæ timoré suis seruato

Seruire Deo nemo potest sine gratia præueniente. Psal. 15. Ioan. 1. Leuit. 11. Deut. 18.

uatoribus incutiebat. Hæc autem est lex amoris, in qua in sanctitate & iustitia est seruiendum. Sed nunquid seruiendum est per vnum mensem, vel annum. *Omnibus diebus nostris*. Id est, nulla cunctatione, nullo temporis interstitio, sed omnibus diebus vitæ nostræ. Saul quidē benè incepit: & quia non perseuerauit omnibus diebus suis, damnatus est. Quid enim prodest homini vineā plantare, si priùs quam fructus producat, ab eius cultura desistit: ita vt posteà nullum fructū possit colligere? Et quid prodest bobus terrā arare, & frumētum debito modo spargere: si posteà maturo tempore negligit messem colligere? Aut quod emolumētum sequitur militi, si adueniente hoste vltrò arma capit, vt viriliter cū eo pugnet: si posteà nondū obtenta victoria cōtingat arma proiicere? Aut quid prodest nautæ, mari se committere, & flantibus ventis expandere vela, & fœlici cursu nauigare: si posteà in portu fracta naui perire contingat? Ex quibus liquidò constat, omnem laudem & gloriam in eo consistere, si finem belli fuerit consequutus. Idcircò monet Apostolus, Bonum facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus. Et iterum, Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Et Christus Saluator noster, Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.

Incipere & perficere oportet. *1. Reg. 6.* *1. Reg 15.* *Finis coronat opus.* *Galat. 6.* *2. Tim. 2.* *Mat. 10.*

¶ Obserua autem, tunc nos in sanctitate Deo seruire, cum illi firmiter credimus, cum illū ardenti amore diligimus, cùm laudamus, cùm timemus, & denique cum prauas & pestiferas cupiditates in nobis insurgentes mortificamus, cum veterem hominem exuimus, & illum cum omnibus suis concupiscentiis, & prauis affectibus cohibemus. Tunc autem Deo nostro in iustitia seruimus, quando proximo nostro opera impēdimus, quæ ipsi nobis desideramus: imò si talia contulerimus, qualia ipse dominus nobis fecit. Nemo autem est qui non desideret in peccatis cōpassionem, in grauaminibus auxilium, & in paupertate subsidium. Prout vultis, vt faciāt vobis homines, ita facite illis: inquit Christus, Quòd si videris aliquem in peccata prolabi, ne exultes, aut illum prouoces: sed potiùs eum instrue in spiritu lenitatis iuxta Pauli doctrinā, considerans nè fortè & ipse tenteris.

Fide & charitate Deo seruimus. *Colos. 3.* *Luc. 6.* *Galat. 6.*

¶ Aduerte etiam quòd tria bona enumerat, quæ nobis contulit Christi aduentus: scilicet, vt liberemur ab inimicis, vt seruiamus Deo in iustitia & sanctitate, & quòd hæc faciamus cūctis dieb⁹ nostris. Hæc tria ita cōnectuntur in recto vitæ instituto, vt si vnum deficiat, vita recta & perfecta constare non potest. Primùm à malo liberari, secūdum in sanctitate & iustitia seruire: tertiùm perseuerare omnibus diebus nostris. Vbi spiritus domini ibi libertas sancta: & quia inimicus semper bella gerit, Saluator noster docuit nos semper dicere, sed libera nos à malo. Vt autem nos liberet, factus est nobis cornu. Libertas nobis contingit, cum corruptibilibus exuitur affectus, & cum sanctitate & iustitia illi ministramus: tunc supra humanum sensum vita agitur, cùm mores sanctis virtutibus componuntur.

Tria ad seruitium domini necessaria. *2. Cor. 3.* *Math. 6.*

¶ Denique, vt concludam, vnum hic aduertendum est, nō solùm dixisse Zachariam, vt seruiamus Deo omnibus diebus nostris: quia tempus vitę huius mortalis, quod nobis conceditur, datum est nobis vt in illo nostris actibus vitam æternam consequamur. Nam veniet mors quando iam nō erit locus pœnitendi. Idcircò dominus, Operamini dum dies est, veniet nox quando nemo poterit operari.

Ioan. 9.

Vnde Paulus, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nūc dies salutis, in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros. Nunc autē ad filium conuertit suum sermonem Zacharias, dicens, *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis praibis enim ante faciem domini parare vias eius*. Zacharias plenus spiritu sancto duas prophetias prædicit: alteram de Christo, alteram verò de Ioanne. Hactenus dixerat, quanta dominus facturus erat populo suo per Messiam, multis retrò temporibus promissum: nunc autem ad puerū loquitur ea quæ ab angelo audierat. Vidimus enim in superioribus quomodo ante conceptionem ei dixerat Gabriēl. Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Heliæ parare domino plebem perfectā. Ita & hoc quod ad puerum loquitur potius est patefactio cœlestis oraculi, quàm canticum prophetiæ: quanquam ipse prophetico spiritu loqueretur. Id enim erat Ioānis munus, & ad hoc venerat in mūdum, vt disponeret hominū corda ad suscipiendum Messiam. Sed nemo ipsum Zachariam irrideat eò quòd cum infante octo nato dierum loquebatur, qui nec verba formare, nec ipsum patrem intelligere valebat. Sed non miteris quia ille, qui in vtero matris clausus regem suū agnouit, & exiliēs Christi nunciauit aduentum, & præter cursum naturæ communem rationis vsum habuit: benè poterat Deus facere vt patris verba perciperet & intelligeret: non quidem secundum naturalem suam virtutem, sed secundum eius potentiam, à quo in vtero fuerat sanctificatus. Sed ad verborum explicationem accedamus. Tu puer propheta altissimi vocaberis, &c. fuit Ioannes propheta & plusquam propheta: nam quem alij prophetæ venturum dixerūt, ipse digito ostendit Christū. Multis enim nominibus Ioannes fuit appellatus. Amicus sponsi, angelus, Christi præcursor, Baptista, propheta, & plusquam propheta, Helias, lucerna ardens & lucens. Sed si beatus Ioannes erat propheta, quid est, quod interrogatus an esset propheta, respondit, non esse prophetam? Ad quod dicendum, quòd cùm interrogatus fuit, an esset Christ⁹, & posteà an esset Helias: interrogatus etiā fuit, an esset ex priscis & antiquis prophetis. Et ideò non simpliciter interrogabatur an propheticum spiritum haberet, sed an esset ex illis antiquis prophetis. Et addit vltra Zacharias illum prȩiturū ante faciē, id est, ante Christi corporalē præsentiā, quia antequā Christus prædicaret, ipse prædicauit baptismū, pœnitentiā, & regnū cœlorū: præcessit etiā in limbo, quo fit, vt præcursor domini meritò dicatur. Nec mirū si tanta in huius viri cōmendationē proferamus, quandoquidem ipse Malachias de eo inquit. Ecce ego mitto angelū meū, qui præparabit viā ante faciē tuā. ¶ *Ad dandā scientiā salutis plebi eius*. Munus & officiū Ioannis erat ipsum populum erudire, quænam esset vera & certa via ad salutem comparandam. Fuit enim Ioannes tanquam ductor fasciculum ferens ardentem, quo venientem regem illuminat, vt ab omnibus videatur. Et id omne necessum erat, nam mundus tanta ignorantia & tenebris erat inuolutus, vt ministerio & directiōe Ioānis indigeret, vt veri luminis doctrina illustraretur. Expēde autē quòd nō dicit sanctus Zacharias ad dandā salutē, sed ad dandam scientiā salutis, id est, vt notū faceret ipsum saluatorem. Tu docebis (inquit pater) filios Abrahæ quid illos facere oporteat. Audit populus Israel per omne Sabbathum legem, & prophetas & audit, & nihil

2. Cor. 6. *Prosopopeia ad filium.* *Mat. 11.* *Ioan. 1.* *Mala. 4.* *Munus & officiū Ioan.* *Act. 13.*

nihil intelligit: quoniam nō habet qui syncerè erudiat. *In remissionem peccatorum.* Scribæ & pharisæi nō
Luc. 11. sic docēt, quia claudunt regnū cœlorum: tu autem nō sic, sed remissionem peccatorum prædica & cœleste regnum apertum. Obserua autem quod Ioannes suo baptismo non remittebat peccata, sed præparabat homines ad pœnitentiam: ideò in Græcis codicibus non est in remissionē, sed ἐν ἀφέσει, ostendit
Ioan. 1. illum qui peccata remittebat, cùm dixit, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Vbi dis-
Cōcionatoris munus. cant oportet sacri Euangelij cōcionatores, vt nunquam populo seipsos prædicent, aut vanitates, nec apochrypha vel faceta, quæ ad risum prouocēt: sed ea tantū quæ ad remissionem peccatorum adducere possunt, vt sunt lachrymæ, cōpunctio, & cætera huiusmodi. Multi in suis cōcionibus, varias mouēt Theologicas quæstiones & philosophicas, & allegant nomina authorū inaudita & exquisita: interdum propositiones obscuras & speculatiuas adducunt, & eas disserunt, vt vel sic maximi cōcionatores habeantur & à populo laudētur. Quod quidem
Hier. ad Nepotia. si rectè cōsideres vanitas & stultitia est. Laudes tuę, lachrymæ auditorū sint. Neque aliud quid concupiscas, quā animarū salutem & libertatē, vt faciebat Ioannes Baptista. Et hoc modo maiorē vtilitatem populo afferes, & gratior & iucūdior domino eris, quàm si elegātibus & perpolitis sermonibus ad populum loquaris. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Per misericordiam, & benignitatem suam, qua dignatus est in hūc mundum venire, ad visitandum nos: vt in illa ineffabili, & incomprehensibili dilectione tribuatur hominibus remissio peccatorum. Quia carnem suscipere, nasci, docere, & in patibulo crucis acerrimā mortē subire voluit, vt nostra peccata remitterentur. Expende quod quemadmodū beata virgo omnia beneficia, quæ accepimus, Dei misericordiæ tribuit, cùm dixit, Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ: ita & Zacharias dicēs, per viscera misericordiæ Dei nostri hæc nobis tribuit per suam charitatem & amorem. Non ex operibus iu-
Tit. 3. stitiæ quæ fecimus nos (inquit Paulus) sed secundū
Galat. 2. suam misericordiā saluos nos fecit, Et ad Galatas. Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sangui
Ephe. 2. ne suo. Et ad Ephesios inquit, Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus, filiū suū misit in mū-
Esai. 46. dum. Omnes enim iustitiæ nostræ tāquam pannus menstruatæ. Ideò cùm in se dominus suā contraheret iustitiā, super nos suā misericordiā extendit: & nostræ miseriæ & imbecillitati cōsuluit. Itaque misertus nostri dominus pro tanta sua clementia non potuit pati nos in tanta seruitute cōstrictos, & oppressos videre: imò non solum voluit sua viscera amoris plena demōstrare, verùm etiam profundam suam humilitatem, quando à cœlesti suo habitaculo descendere ad infima terræ voluit: & cum naturę esset immortalis & impassibilis, pro tanto in nos amore mortalis & passibilis fieri voluit. Hæc omnia tecum peccator reuolue, vt illum verearis offendere, qui tanta amoris pignora tibi dedit. Nam cùm esses infirmus, te à summo cœlo visitauit: & in hoc exilium descendit, & pro te, talem redemptionem soluit, vt non minus, quàm sumptibus sui pretiosissimi sanguinis salutem tuam operatus sit. Vide au-
Mala. 4. tem quod vocat Christum oriētem, iuxta illud Ma-
Zachar. 6. lachiæ. Orietur sol iustitiæ vobis timētibus nomē suum. Et in Zacharia, Ecce, vir oriens nomen eius. Et subter eum orietur ædificabit templum domino. Vbi Paraphrastes Chaldeus pro Oriente vertit Messiam. Oriēs itaque ex alto propter suam maximam misericordiam & nimiam charitatem dilexit nos: tribuens salutem suo sanguine pretiosissimo.

¶ *Illuminare his qui in tenebris & vmbra mortis sedent.* Christus sol & lux.
Prosequitur metaphoram, quo incœpit, dicens, ortum esse ex alto, tanquam sol; cuius natura est eos illuminare qui in tenebris & ignorātia sunt. Quod sanè ipse Esaias multo anteà prædixerat, Populus Esai. 9.
qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: ambulantib. in regione & in vmbra mortis lux orta est eis. Sed ne hoc de corporali luce intelligeremus, aut de corporalibus tenebris: dixit, vmbra mortis, vt insinuaret quod de spiritualibus animæ tenebris fuerit locutus. Christus enim velut verus sol iustitiæ suo aduentu tenebras ignorantiæ expulit, & profligauit caliginem peccatorum & frigida corda nostra igne charitatis suæ accendit. Nox (in- Rom. 13.
quit Paulus) præcessit, dies autē appropinquauit. Lex etenim Moysi, quam Paulus hic mortem appellat, iam præcessit, & orto vero sole iustitię Chri- 1. Cor. 10.
sto omnia illuminata fuerunt. Antea omnia erant vmbræ, & figuræ: nā vt inquit Paulus omnia in figura cōtingebāt illis: modo verò omnia clara sunt & aperta, & aduentu solis illuminata. Præterea iacebamus in tenebris, & non poteramus ad eū oculos leuare: sed cum ipse venit ad nos, sui luminis radiis in animos nostros immissis dies serenus ac clarus nobis illuxit. Qui priùs in tenebris peccatorū & in desperatiōe mortis sedebamus, excæcati idolatriis & cupiditatibus, terrena pro diuinis amplectētes, & vmbras rerum carnalium pro spiritualibus, ortus est sol iustitiæ, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1.
Sed vide quam longè anteà hoc idem prædixerat Esaias. Surge (inquit) illuminare Hierusalem, quia Esai. 4.
venit lumen tuum: & gloria domini super te orta est. Venit Ioannes Baptista, vt eos illuminaret, qui erant in tenebris, vt hanc splendidā & micātem lucem possint videre. Quia quemadmodum illi, qui in densas tenebras, & caliginem obscuram sunt iniecti, si ibi diu detineantur, nō possunt subitam solis claritatem intueri, sed oportet priùs aliquod minus lumen aspicere, alioquin obcæcabūtur repentino splendore: sic mortales scelerum maculis contaminati, & ignorantiæ tenebris sepulti nō possunt in excellentem illam claritatem Iesum Redemptorem nostrum oculos cōiicere, nisi priùs aliquo minori lumine fuerint illustrati. Christus enim verus Sol iustitiæ est, vt Malachias inquit. Ipse etiam est Mala. 4.
lux illa de qua inquit D. Ioannes. Ille erat lux vera, Ioan. 1.
quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum, de qua ait ipsemet Christus. Ego sum lux mundi. Eumque vocat Apostolus splendorem glo- Ioan 8. Hebr. 1.
riæ & figuram substantiæ eius. De Ioanne autem Ioan. 5.
Christus saluator noster dixit, esse lucernā ardentem & lucētem. Obcæcatus esset mundus pro oculorum suorum imbecillitatę, si repente vidisset solem iustitiæ Christum, quia excellēs sensibile corrumpit sensum. Igitur, vt mundus, qui in tenebris iacebat, posset Christum intueri ne obcæcaretur, oportebat vt Ioannes tanquā lucerna esset media, vt sic viderent homines solem iustitiæ Christum. Ideò ait pater ꝙ venit filius illuminare his, qui in tenebris sedent, vt lumine suæ doctrinæ pararet corda hominum vt Christum susciperent. Porrò Zachariæ

chariæ vaticinum non solum de illuminatione Iudæorum, sed etiam Gentilium intelligitur.

Methaphora mortis ab vmbra. ¶ In hoc autē quod dixit, sedere in vmbra mortis, non solum de spiritualibus tenebris loquitur, sed etiam in quandam secretiorem considerationem incidit. Mors enim est priuatio vitæ: & separatio animæ vitalis à corpore vitam habente: *Mortis diffinitio.* vmbra verò mortis est somnus siue dormitio, quæ propriè dicitur mortis imagō. Sic etiam mors est peccatū, quod nos separat à Deo, qui vita est animæ nostræ: *Greg. 4. moral.* vmbra verò mortis est quædam carentia veræ cognitionis, veritatis, fidei, & lucis æternæ. Fit enim vmbra in aëre ab obiecto corpore ipsi luci: quo remoto aëris pars clara manet. Sic fit in animabus hominum, quando aliquid supernæ & internæ luci obiicitur, vnde vmbra illa mortis generatur. Sed remoueri potest, dū viuitur quousq; animæ detrudātur in infernum. Potest etiā hic locus exponi, quod corpus sit mors corporalis, vmbra verò mortis, peccatū: nā sicut sequitur vmbra corpus, sic mors peccatū, quia peccatū secum mortem adduxit, per vnum hominē peccatum, & per peccatū mors, inquit Paulus, *Rom. 5.* & Christus ꝓpter peccata nostra mortuus non propter sua. Meritò igitur peccatum dicitur vmbra mortis, quia semper comitatur ipsum mors. *Energia verbi sedere.* Vt autem significaret quantum homines in peccatis suis & flagitiis detinentur, vsus est verbo, sedere, & non stare, quia plusquam quinque millia, annorum trāsacta erant, à quibus totum genus humanum deuinctum tenebatur in peccatis. ¶ *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Tenebris huiuscemodi depulsis, & vmbra mortis abiecta pedes nostri, id est, affectus & intellectus noster dirigantur in viam pacis. In viam illam scilicet pacis, quā mūdus non potest dare, quam mundus ignorat: quia superat omnem sensum & captum humanū, quamq uidem Christus suæ passioni proximus suis discipulis reliquit, dicens, Pacem meā do vobis: pacē relinquo vobis. *Ioan. 14.* Quis igitur nostrum in illam viam non accingatur, quæ secum habet omnia bona? omnia mundi bona bellum & perturbationes afferunt, tantum igitur abest, vt pacem afferre possint. Huic Christi paci vehementer aduersamur malumúsque perpetuis molestiis affici, quā ad tranquillum pacis oblatum portū nos recipere: digni sanè, vt in priores tenebras, quæ mūdum anteà occupauerant, relegemur. Rotæ illæ, super quas ambulabant illa quatuor sancta animalia, *Ezec. 10.* quatuor quidem erant, sed vna omnes videbantur: quia vna erat earum similitudo, & ita erat vna, vt quatuor esse viderentur. Ideò dixit Ezechiel. Et aspectus earum similitudo vna quatuor. Ac si diceret, Omnes quatuor habebant vnam & eandem similitudinē, similes erant inter se, & maximè conformes. Tales debent esse Christi fideles per has rotas significati. Quemadmodum enim in bono horologio rotæ ita cōpositæ sunt vt circulos suos æqualiter cōficiant, & mota vna aliæ itidem moueantur, & ad quietem vnius & reliquæ quiescunt, ita, vt multæ cùm numero, ordine & concordia vna sint: eodem modo in Christiana republica omnibus debet esse æqualis voluntas, & tanta omniū concordia, vt cū multa sint corpora, tamen vnus homo, conformibus voluntatibus iudicetur. Nā ad hoc venit Christus, vt dirigat pedes nostros in viā pacis. Quā ob rem monet D. Paulus: *Ephe. 4.* Vt simus solliciti seruare vnanimitatē spiritus in vinculo pacis. *Rom. 14.* Et alibi. Nō est (inquit) regnum Dei esca & potus: sed iustitia & pax. Sicut spiritus non vegetat membra, nisi fuerint coagmētata: sic spiritus sanctus nō viuificat ecclesiæ membra, nisi concordi pace fuerint colligata. Qui enim non diligit (vt inquit Ioannes) manet in morte. *1. Ioā. 3.* Sic quādo apostoli erāt cōgregati in Ierusalē, venit spiritus sanctꝰ in linguis igneis super eos. *Act. 2.* Impij verò, *Esa. 48.* quibus, vt Esaias inquit, non est pax, seminant discordias inter fratres: quod septimū erat, quod detestabatur dominus, vt inquit Salomon in Prouerbiis. *Prou. 6.*

¶ Hactenus sanctus senex locutus est, & his verbis suo cantico finem imposuit. Modò verò Euangelista Lucas prosequitur, quid post hæc beatissimus Ioannes fecerit vsque ad annum trigesimū, ex domini præcepto venit in Iordanē prædicans baptismū pœnitētiæ in remissionē peccatorū. *Puer autem crescebat & confortabatur spiritu.* Quemadmodum per ætatē beatus Ioānes corpore crescebat, ita per afflatū diuini numinis semper proficiebat in maiori spiritus firmitate & virtute. Quod sanè exēplum deberet nobis esse, vt quēadmodū quotidie maiori corporis quantitate augescimus, ita in mentis diuitiis facultates augeamus. Cuius rei exemplū habes in Apostolo Paulo cuius verba sunt. Cū essem paruulus sapiebam vt paruulus, & loquebar vt paruulus: *Gal. 4.* postquā autem factus sum vir, euacuaui ea, quæ sunt paruuli. Sed multò aliter id fit, quia crescunt modo homines ætate, & magis crescūt in flagitiis & peccatis: & quod peius & lamēto dignum est, quod in ipsis peccatis senescunt, & ita senescentes vt obstinati in eisdem moriuntur. Idcircò Ieremias. *Tren. 1.* Bonū est viro cum portauerit iugū ab adolescentia sua. Et in prouerbiis dicitur, Adolescēs iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. *Prou. 22.* Et idcircò oportet vt à pueritia sanctis moribus te induas: si deprauatam aliquam inclinationem habueris, eam depone priusquā senescas: nā tunc cum difficultate tollitur. Arbores nanque quādo tenellę sunt, si in curuitatem abierint, possunt dirigi, & de loco in locū deferri, vt inserantur: tamen si inueterascunt nullum adest remedium, nec dirigi, nec alio deferri possunt. Ita sane tu postquā senueris, maxima cum difficultate teipsum corrigere poteris, si vitam tuā peruersis moribus cosumpsisti. O sancte & beate puer, *Math. 11.* qui tam tenellus ætate humeris tuis, iugum domini suaue imposuisti, qui contemnens opulentā parentis domū, admirandā & horribilem pœnitentiā egisti: & quēadmodū omnes virtute & sanctitate superas, ita etiam facillimo negotio vitæ asperitate reliquos excedere videris. ¶ *Et erat in desertis vsq; in diem ostensionis suæ Israel.* Noluit in parentis domo diu commorari, sed ab ipsa statim pueritia, *Solitudo contēplationi aptissima Theophilac. in Lu.* in qua reliqui sibi indulgent, ab hominū frequentia procul fugit: ne vel ex vulgi commercio vel minimam labem contraheret, qui in materno vtero singulari beneficio fuerat sanctificatus. De quo sancta Ecclesia sic canit, Antra deserti teneris sub annis: Ciuium turmas, fugiens petisti, Ne leui saltē maculare vitam, Famine posses. Vbi statim docemur hominum tumultus, & mundi familiaritatem fugere, exemplo beatissimi præcursoris. Quod sanè exemplum & multi & alij sancti nobis præstāt. Dauid enim sic inquit, Elongaui fugiens, & mansi in solitudine: *Psalm. 54.* Esaias solus dominum exercituū videt, *Esai. 6.* & laudes Seraphin contemplatur. Moyses solus ascendit in montem: *Exod. 19.* & ibi cum domino familiariter *Genes. 19.* conuersatus, legē accepit. Et in deserto angelus dñi *3. Reg 19.*

conso

consolatus est Agar. Et Helias habitās in solitudine pascitur pane angelico. Talem vitā decebat agere, qui à dño mittebatur, vt vniuerso orbi pœnitentiā prædicaret: & locus ille deserti conuenientissimus erat prophetiæ, quā de ipso prædixerat Esaias, Vox clamantis in deserto. Hoc in loco sanctissimus puer latitabat, quo maior nullus inter natos mulierum erat. Hic silebat, vt in suo tépore maiori autoritate, & maiestate, & cū maiori animarū fructu posteà loqueretur. Mirandū quidem est, vt eo tempore quo reliqui pueri se, & mundū cognoscere incipiunt, & quando alij cachinnos mouēt, ludos quærunt pueriles, deliciis nutriūtur in gremio matrū: tunc temporis sanctissimus Baptista solus vitam agere in deserto inter syluestria animalia, inter feras & bestias, sine domo, sine igne, sine famulo, sine societate, sine pane & vino, sine aliquo alio cibo præter syluestre mel & locustas. Non lectulū habebat aureis pauimentis ornatum, sed in humido solo iacebat in cauernis, solis & frigoris iniurias patiebatur, & his omnibus iuuatus in oratione & contemplatione pernoctabat. O admirandū puerū, ô prodigiosum eremitā, ô diuinū monachum, qui omnē mundum tuo natali perterruisti! modo autem deserta habitans, tua angelica vita cœlū ipsum & angelos in admirationē prouocas. Quis obsecro angelorum aut supernorum spirituū à summo cœlo non descendit hoc tantū miraculū visurus. O quàm omnes rapiebantur admiratione in videndo puero, quantumq; in puero hoc diuinā sapientiā venerabantur, quam illi voluit infundere. Quæ rogo (vt tecū paucis agā sanctissimè puer) peccata, quæ homicidia, quæue adulteria perpetrasti: vt tā aspera & mirabili pœnitentia vitā ageres? Sed væ nobis miseris peccatoribus sub quorum pedibus ardet infernus, suisq; flāmis expectat, vt nos deuoret: qui cum onusti peccatis simus, & tanto flagitiorum & scelerū pelago submersi, diem ieiunij & sanctitatē simulamus, neque vel momentum pœnitentiæ facere volumus. O nos miseros & cæcos, qui tanta tenebrarum caligine laboramus, si huic puero propter raram sanctimoniam tantum honorem exhibemus, quare operibus nostris illum non imitamur? Non tantam pro peccatis agebat pœnitentiā: sed quia verus pœnitentiæ prædicator erat, id factis voluit ostendere, quod verbis posteà docturus erat: vt ipsum Christum sanctorū omniū magistrū videretur imitari, qui facere & docere cœpit. Cibus eius in tā parua erat quantitate, vt sine diuini numinis miraculo corpus illud sustineri & ali nequiuerit, & sic ipse Christus de eo dixit, Venit Ioannes non manducās nec bibens: quia eius cibus tam exiguus erat, acsi non comedisset, & eius potus ac si non bibisset: vestitus, vt si nihil prorsus induisset: & tandem vita magis angelica quàm humana.

Exod. 40. *Math. 11.* *Act. 1.* *Luc. 7.*

¶ Hoc igitur modo in ista solitudine viginti quinque annorum spatio vitam degit, quousque à deserto profectus, prædicaturus ad Iordanem venit. Quæ omnia vel eo diximus, vt nunquàm à memoria excidant, sed quoad potueris sanctissimum Christi præcursorem imiteris, quia ob hanc causam, sacri Euangelistę mirabilia Ioannis in nostram vtilitatem scripserunt, vt illius exemplo sanctis vitę documentis nostram vitam instituamus: quia paratus est dominus in omni tempore nostris votis & petitionibus annuere. Et ne longiùs quàm par est immoremur, præstet huic primo capitulo finem Iesus Christus Mariæ filius. Amen.

CAPVT II.

POSTQVAM Euangelista noster Lucas in superioribus egit de occulto Dei aduentu in hunc mundum per admirabilem verbi incarnationem, conuertit modo sermonem ad manifestum aduentū: qui fuit per natiuitatem ab vtero sanctissimæ virginis, in quo clausus per nouem mensium spatium latuerat. Aderat enim iam sancta illa plenitudo temporis, miserationis eius: cùm misit Deus filium suum primogenitum, natum ex muliere & factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret, & omnes homines beneficium gratiæ & redemptionis acciperent: illi potissimum, qui ad vitam æternam ab ipsa æternitate erant destinati, quosque Deus elegerat ante mundi constitutionem. Medio igitur tempore incarnationis & partus beatissimæ virginis multa huic natiuitati conuenientia cōtigerunt in commendationem tanti mysterij. Modo autem sacer Euangelista in sequentibus prosequitur, quomodo rex noster mutato habitu ingressus sit bellum, nec in ea gloria & maiestate, in qua vnus est cum patre & imago bonitatis illius: sed potiùs in humilitate nostra & in similitudinem carnis peccati, fortem illum deuicerit, qui mortis habebat imperium. Ad certitudinem autem historiæ narrat Euangelista eum qui tunc temporis imperabat orbi: illa dicendi facundia & grauitate, quæ tantum historicum decet, præcipuè cùm de re tam graui & excellenti suum instituat sermonem. *Factum est autem in diebus illis, exijt edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis.* In re tam seria conuenientissimum fuit, vt & tempora, & eius tēporis imperium Euangelista nobis designaret. Nam si quādo Ioannes exiit ad prædicationis munus, descripsit nobis imperium, & tetrarchas regni illius Iudæorum & itidem sacerdotium dicens, anno quinto decimo imperij Tiberij Cæsaris procurante Pontio Pilato Iudæa: quanto potiùs in Christi Saluatoris nostri natiuitate oportebat imperij & orbis dominium describere? vt vel sic ostenderet Euangelista, qua occasione Maria virgo & sanctissimus sponsus Ioseph ascenderint Bethleem, vt obtemperarēt sacris scripturis, quæ de Christi ortu scriptæ erant: mentionem facit Euāgelista de edicto Augusti Cæsaris. Notum est plusquam vt declaratione indigeat hūc Augustum, fuisse secundum Romanorum imperatorem, & successorem C. Iulij Cæsaris, qui fugato Pompeio inuasit imperium. Hic cum Octauianus proprio nomine appellaretur, Cæsar dictus est in recordationem & gratiam sui prædecessoris, à quo Imperatores Cæsares dicti sunt. Qui quidem Octauianus deuictis Cassio & Bruto ac deinde Marco Antonio & Lepido pacificè totius orbis dominus factus est. A domino certè factum est istud, & est mirabile in oculis nostris: vt vel ita Christi fides posteà propagaretur & vt altas ageret radices per doctrinam & ministerium Apostolorum, & discipulorum Christi. Quia cùm mundus existeret sub vnius imperio non fuit coarctata Euangelica prædicatio in vno tantum regno aut prouincia. Construxit hic Octauianus alta mœnia & superba templa in Romana vrbe, quæ bellorum ciuilium tumultu collapsa fuerant: vnde seipsum iactans dicere

Psal. 101. *Gala. 4.* *Ephe. 52.* *3. Reg. 22.* *Sap. 7.* *Phili. 2.* *Hebræ. 2.* *Tempus natiuitatis Chri.* *Luc. 3.* *Psalm 117.*

cere solitus erat. Vrbem latericiam inueni, marmoream relinquo. Quapropter cognomento dictus est Augustus, eò quòd ædificia, opes & imperium Romanorum magnificè amplificauit & auxit. Et idcirco tempore huius nascitur Christus secundum carnem: quia hunc inferiorem orbem admirandis & diuinis virtutibus auxit: superiorem verò, supra quam humanus captus capere possit excellentissimè decorauit. Et non solùm ipsum auxit & illustrauit: imò antequàm humanam vestem indueret mirabili artificio illum cōdidit: quia mundus per ipsum factus est, ipsúmque describit, quia *Ioan. 1.* cuncta cognoscit. Nec iste tyrannus est, vt Augustus Cæsar, aut iniquè vsurpat imperium, sed con- *Hebre. 1.* stitutus est ab æterno patre hæres vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Præterea venire voluit eo tempore, quo vniuersum vnius imperio tenebatur, cùm & ipse vniuersorum esset dominus, rex re- *Apoc. 19.* gum & dominus dominantium, & princeps re- *Psal. 109.* gum terræ: cuius pedibus pater omnia subiecit, & *Mat. 28.* omnem potestatem dedit in cœlo, & in terra. Pacato itaque toto terrarum orbe, exiit edictum à Cæsare Augusto vt cognosceret numerum eorum omniū, qui suo imperio subdebātur, vt sic ab eis tri- *2. Reg. 24.* butum exigeret. Idem legimus Dauid in suo regno fecisse, cùm superbia elatus iussit per manus Ioab omnem suum populum numerari. Quod Dauidis peccatum grauiter puniuit dominus magna grassante peste: peccatum autem Augusti Cæsaris reliquit impunitū, cùm maius esset peccato Dauidis. Nanque Dauid solum iussit numerare populum. *Heb. 12.* Octauianus autem auaritiæ igne incensus tributa ab omnibus exigebat. Et hinc colliges verissimum & indubitatum illud esse, quos diligit Deus corrigit, & flagellat omnem filiū, quem recipit. At cum iniquis & sceleratis peccatorib. dissimulat, quorū *Leuit. 24.* punitionem in inferos reseruat. Vnde in Leuitico *Orig. hom. 14. in Leu.* habetur, Qui maledixerit Deo, portabit peccatum suum: qui autem assumpserit nomē Dei, morte moriatur. Mirabile quidem est (vt Origines annotat) quòd qui maledicit nomini Dei, nō mulctatur pœna: qui autem nomen Dei assumpserit, non minus, *Peccatū Dauidis & Augusti.* quàm mortis pœna animaduertetur. Nonne multò grauiùs est Deo maledicere, quàm eum nominare quamuis in vanum? Equidem minus peccatum expiatur hîc pœna mortis, vt pœnam æterni ignis nō inueniat. Sed qui portat peccatum suum, & hîc nō persoluit: æterna supplicia inueniet. Grauius ergo est accipere peccatum, quàm morte mulctari. Hîc enim mors in vindictam accipitur, & apud iustum iudicem non vindicatur bis in idipsum. Vbi autem *Naum. 1.* non est soluta vindicta peccatū manet æternis ignibus exigēdum. Quod autē hæc verissima sint, adducam tibi in testes ex sacris literis Ruben & Iudā patriarchas: qui cum Beniamin vellent ducere in *Gene. 42.* Ægyptum propter fœdus quod pepigerant cum *Gene. 43.* fratre Ioseph, Ruben ita ad patrem loquitur, Duos filios meos occide, nisi adduxero ad te Beniamin. Iudas verò ait, Si non reduxero & reddidero eum tibi, ero reus peccati in te omni tēpore. Iacob ergo eorum pater, cum sciret multò esse grauius, quod promiserat Iudas dicens, ero peccati reus, quàm alterum occide filios meos. Ruben quidem non tradidit filium Beniamin tanquàm illi qui leuiorem elegerit pœnam: Iudæ verò tradidit, sciens grauius esse quod elegerat. Ideircò grauiùs punitur ille, qui eò quòd maledixit Deo, portat peccatum: quàm ille, qui occiditur. Sicut grauiùs punitur is, qui in hac vita non exoluit pœnas peccato debitas: quàm ille, qui multis afflictionibus & calamitatibus premitur. Et quis dubitat quin ille diues, qui quotidie *Luc. 16.* epulabatur splendidè, lautis & opiparis ciborum generibus vtens, purpura & bysso semper indutus grauiùs & acriùs sit punitus: quā Lazarus pauper, qui in hoc sæculo multis calamitatibus fuit flagellatus? Quòd si diues hîc nullas fuit passus ærūnas, *Lege Gregor. lib. 5. Mor. cap. 15.* nullas tribulationes & calamitates, tamen æternis gehennæ ignibus perpetuò cruciatur: cui sanè melius esset, vt in hac vita calamitatibus, & angustiis premeretur, ne posteà illa omnia æternis ignibus exolueret. Nāque hæc flagella, quæ hic iniiciuntur, momentanea sunt: illa verò perpetuò sunt duratura. Meliùs igitur & salubriùs actū est cum sanctissimo Dauide, quàm cum Augusto Cæsare. Dauid enim hîc fuit punitus, quia populū numerauit. At Augustus portauit secum peccatum suum: & reus fuit peccati, quem æternis ignis discruciat. Vt pro cōperto habeas grauiùs esse & lamentabiliùs peccatum secum ferre vsque ad inferos, quàm in hac vita aliqua mala pati in ipsius condonationē. Quocirca cùm hæc quæ diximus Paulum Apostolum non lateant, imò cōducentia esse fidelibus: de quodam, qui peccauerat inquit, Quem tradidi (inquit) *1. Cor. 5.* Satanæ in interitum carnis, hoc est pœna mortis eum mulctasse. Quis autē sit fructus huius mortis temporalis ostendit in sequentibus dicens, Vt spiritus saluus fiat in die domini nostri Iesu Christi. Vides ergo quàm eleganter vtilitatem temporalis mortis ostēderit. Sic ille Machabæus Antiocho re- *2. Mac. 4.* gi tyranno dixit, Nos propter nos ipsos hæc patimur, peccātes in Deum nostrum: tu autem ne existimes impunè futurum, quod contra Deum, &c.

¶ In quo loco gradum sistas oportet, & consi- *Afflictiones vt prædestinationum, ita fœlicitas temporalis reprobationis indicium.* deres, quanta dominus benignitate & pietate nobiscum vtatur, dum in hac vita flagellis & afflictionibus nos tradit, cùm & id indiciū sit nostræ prædestinationis: & ita contrarium argumentū in eos militat, qui cùm per totum vitæ spatium sceleribus & flagitiis se ipsos coinquinent, nulla eis afflictio immittitur, nulla calamitas, nullū denique supplicium. Equidem malorum fœlicitas & prosperitas sine punitione, incognitū quoddam & durissimum flagellum est. De quo si velis audi tibi Ieremiam di- *Ierem. 64.* centē, Dolore & flagello castigaberis Hierusalem: vti ne abscedat anima mea abs te. Hæc sanè vox est misericordiæ & amoris plena: sed audi iustitiam. Nam cùm multa sacrilega & nefaria numerasset, quæ populus commiserat, addidit, Propter quod non visitabo super filias vestras cùm mœchantur. Terribile enim est supplicij genus, ꝙ scilicet medicus non visitet infirmum: non tyriacam apponat, non purgationes præcipiat, nec sanguinis emissiones, cùm hæc omnia pristinæ saluti infirmum reducant. Nam cùm in peccatis abundaueris & excellueris, tunc dominus zelans auertit a te zelū suum. Auferetur (inquit) zelus meus à te, & non irascar, &c. Nec ideò fœliciorem te ipsum iudicare debes, *Ezec. 16.* si omnia secundum animi sententiam successerint: imò tunc temporis te ipsum lamentari debes. Nam quantò dominus arcum suæ punitionis intendit, tantò acriùs & fortiùs suæ punitionis & flagelli sagittam emittit. Quippe eos, quos protinus, vt delinquunt, punit, nequaquàm in æternū torquebit. At illis maximè est timēdum, quorum animaduer-

sionem

sionem in suum interitum seruat. Qui enim arcum flectit, nec totas vires exhaurit, certè is parùm aut nihil nocumẽti inijcere curat: at si acrius & fortiùs arcum intenderit, signum est vulnus futurum mortiferum & incurabile. Ita sanè dominus, dum in punitione moratur & animaduersionem differt, tantò peius & deteriùs. Quæ omnia exemplo tibi comprobabimus. Nam boues dum aratro & labori custodiuntur, fortibus funibus alligantur: at qui iugulo & morti sunt tradẽdi pro arbitrio suo in campis & floribus pascuntur. Et Augustin. super illud: *Augusti. in Psal.72.* Zelaui pacem peccatoribus, videns, inquit, Quot sunt, qui lasciuiis, vt boues & vaccę ad iugulũ tendunt: & canẽtes & saltãtes iter parãt ad infernum? Derelinquit dominus malos, vt suo palato in hac vita satisfaciant: atque ita bonos persequuntur, & *Psal.80.* eorum sententia præualet. Cuius rei sanctus vates non oblitus inquit, Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Et *Psal.77.* alibi. Mãducauerunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit Deus. Quando dominus aduersus filios Israel irascebatur, desideria sua adimplebat, & permittebat concupitis satiari. *Similitudo.* Nẽ si pater sceleratum filium ad rectæ vitæ institutum traducere nequit, eundem non impedit vt ampla sua desideria sequatur, suis voluptatib⁹ & deliciis frui: vt tandem sceleribus constrictus filius suspẽdatur patibulo. Quòd si aliqui superuenientes parẽti dixerint, quid est qđ tantis filiis tui flagitiis non obstas, hoc enim scelus fecisse dicitur, tunc pater respondet. Iste, quem vos dicitis, neutiquam est filius meus, nec cum eo quidquam mihi commune est. Sic dominus cum nostra scelera ad id itineris perueniũt, vt diuinã indignationem penitus mereantur, concedit nobis omnia secundũ palatum, quoúsque solus infernus perpetuum habitaculum nobis maneat. O bone & sancte Deus quid est, quòd non coniicis oculos in filium tuum, quem proprio sanguine redemisti? Sinite illum (inquit dominus) quia nec filius meus est, nec hęreditatis meę particeps. Dimisit illos secundum desideria cordis eorum. *Psal.80.* Vidistis igitur quomodo aduersitates & tribulationes animæ nostræ sint medelæ. Hinc illud *Tob.12.* est, quod Angelus Raphaël Tobiæ dixit, Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret *Iob.5.* te. Et patiẽtissimus Iob. Beatus homo, qui corripi- *Iudith.8.* tur à domino. Et sancta fœmina Iudith variis exẽplis docet, omnes qui Deo placuerunt per multas tribulationes transisse. Et Paulus hoc idem multis in locis suarum epistolarum docet. Et Apostolus *1 Cor.5.* Iacobus subscribit dicens, Omne gaudium existi- *1 Tim.1.* mate fratres mei, cùm in varias tentationes incide- *Rom.5. 1.Iac.1.* ritis. Igitur si tribulatio gaudium est, ne tristis incedas, dum tribulationibus visitaris. Nanque si aliquis domum suam igne succensam videret, quam ipse solus nequiret extinguere, libenti animo oblatam aquam susciperet, obsequium & domum, non persequutionem id existimaret. Quanto igitur potiori iure, cum domus consciẽtiæ tuæ igne cupiditatis ardet, tribulationis aquam, maximum beneficium & auxilium existimare debes, non autem calamitatem & aduersitatẽ cùm istud nõ aduersus te, imò pro te ipso facit? Contra vt sæpiùs tibi repetimus humanam prosperitatẽ signum esse diximus æternę indignationis. Quod Paulus docet, dum inquit, Quis enim filius, quẽ nõ corrigit pater? Quod si extra disciplinam estis, adulteri & non filij estis.

Et Psalmista, In labore hominum non sunt, & cum *Heb.12.* hominibus non flagellabuntur. Et sequitur, Ideò *Psal.72.* tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. Arborib⁹ enim bonis & fructuosis omnes virgulti eas suffocantes abscinduntur, ne sint impedimento, quominus ad sperati fructus maturitatem perueniat: at arbores infructiferæ, quales sunt vlmi & robora isto beneficio carent, nec cõcutiuntur, sed potiùs detruncatæ & abscissæ in ignẽ mittuntur. Sic boni qui filij Dei sunt, in hac vita varias patiuntur clamitates, vt reseruentur in cœlis: at qui hic non affliguntur, perpetuis ignibus cruciabuntur. Quocirca factum est, vt peccatum Dauidis sancti, in hac vita punitione non careret: peccatum autem Augusti Cæsaris tormentis inferni reseruatur, qui in hac vita grãdes sibi possedit diuitias, variis voluptatibus imbutus, vitam suam finiuit. Sed quia de his in superiori capite, in illis verbis Angeli ad Zachariam, multa diximus, nunc ad alia gradum faciamus.

¶ Secũdò libet aduertere, quod à principio mũ- *Populus Israel sapè ingratus.* di vsque ad aduentum Christi solus populus Israeliticus iussus est frequenter numerari, quod pote- *Nu.1.& 25.* rit colligi ex variis veteris testamenti locis: ita vt ostenderit dominus illorum solum curam sibi suscepisse quasi aliæ nationes ad ipsum non pertinerent. Quod quidem Amos, ex mandato diuino ex- *Amos 3.* pressit. Vos tantum cognoui ex omnibus nationibus terræ. At postquam venit plenitudo temporis, *Gal.4.* in quo omnium misereri disposuit Deus, totũ orbẽ describere voluit. Vnde per Psalmistam inquit, Memor ero Raab & Babylonis, scientium me. Ecce *Psal 86.* populus Æthiopũ, &c. Ac si apertius diceret, Ego, qui antea non recordabar Ægypti & Babylonis, quia ignorabãt me: iam nunc illorum memor ero, quia cognouerunt me. Et filij Palæstinorum & Tyrij & Æthiopes, qui antea in ciuitate mea hospites & aduenæ, iam nunc vocabũtur Hierosolymitani.

¶ Tertiò obseruabis id, quod dicit noster Lucas, Exiit edictum, vt vniuersus orbis scriberetur, non id dictũ intelligas de toto orbe terrarum: nã multæ erant tunc temporis prouinciæ, quæ nõ subdebantur Romano imperio. Quocirca vniuersus hic accipitur pro maiori parte orbis. Istæ nanque vni- *Amb.lib.3. de voc gen.* uersales loquutiones in sacris literis non totam vniuersitatem ambiunt, sed aliquam partẽ, vt sacri doctores intelligunt. Sic est illud quod, de Salomo- *2.Para.6.* ne legitur secundo libro Paralipomenõ: quod magnificatus est præ omnib. regibus vniuersæ terræ: quod quidẽ præ omnibus regionis illius intelligẽdum est. Et cum in Actis dicitur, futurã famem si- *Act.11.* gnificari in vniuerso orbe terrarum, intelligẽdum est de tota Idumæa per synecdocen. Nam vt inquit diuus Hiero. idioma commune est sacræ scripturę, *Hiere.in.ca.13.Esa.* vt per omnem terram, eam intelligat prouinciam, de qua sermo incidit. Et apud Esaiam, Dominus *Esa.13.* exercituum præcipit militiæ belli vt disperderet omnem terram: quod tantum de Babylone intelligitur, Et illud Genes. Vocauit Adam vxorem suam *Gen.2.* Euam, eò quòd mater esset cunctorum viuentium: quod ad irrationalia non extenditur. Et illud, Omnis terra venit in Ægyptum, Id est bona pars. Et Paulus, Fides vestra nunciatur in vniuerso orbe. Id est, multis in locis. Et illud, Eritis odio omnibus *Gene.14 Rom.1.* hominibus: cũ à multis fuerint dilecti apostoli. Et *Mat.24.* illud, Omnes qui ante me fuerunt, fures fuerunt & *Io.in 10.* latrones. Et etiam id, Omnes in Adãm peccauerũt:

Rom.5. dempta vnica virgine Maria: Et item illud ad Heb. Heb.11. Omnes sancti patres mortui sunt, Et tamen Enoch Gen.5. mortuus non est, quem in catalogo Paulus nominauit. Sed de his satis.

Quare Christus tempore pacis natus: Beda in Ho. ¶ Cæterùm tempore pacis Christus dignatus est nasci, quia omnibus in ipsum credētibus veram animi pacem, erat daturus, & eam annunciaturus, his qui propè, & his qui lōge erant: vt nos doceret Ephes.4. vnitatē spiritus seruare in vinculo pacis. Sicut enim ex virgine matre natus, virginalem gloriam & angelicum puritatis decus ostendit sibi esse gratissimum: sic quoque tranquillo tempore natus significationem dedit, pacis summopere amatorem esse. Et quemadmodum adueniente aquila, omnium auium principe, reliquę aues alas submittunt, & in pace quiescunt, nec pugnare audent: sic adueniēte Apoc.19. de cœlo aquila illa diuina Christo redemptore nostro, qui rex regum & dominus dominātium, omnes reges terræ conquieuerunt: quoniam iam ille apparebat, qui est vera pax, de quo Apostolus ait, Ephes.4. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Tunc præcepto Augusti clausum est templum Iani, quod non nisi in summa pace rerum omnium fieri solitū erat, vt testis est Suetonius Tranquillus in vita Augusti Cæsaris: quod quidem ab vrbe cōdita asseuerat semel tantum, aut bis clausum fuisse. Tempore igitur pacis nascitur Christus, vtpote qui conciliaturus erat pacem inter Deum & hominem, Iudæū quoque & Gentilem: quia ex vtrisque vnū erat facturus. Hanc sanctam pacem secum attulit, quam & Angeli in eius natiuitate hominibus prænūciarunt: quam postea & ipse prædicauit & discipulis Ioan.14. suis reliquit. Pacem (inquit) meam do vobis, pacem relinquo vobis. In qua pace populo suo benedixit, & sine qua nemo Deū Videbit. Quapropter pro- Psal.33. pheta singulis & omnibus inquit, Inquire pacē, & persequere eam. Denique hîc adimpletum legimus Esai.2. id quod in Esaia & Michęa prophetis scriptum est. Mic.4. Conflabūt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentē gladium. Et in libro Psalmorū. Orietur in diebus eius iusti- Psal.71. tia & abundātia pacis. Nullatenus cohærere posset secundum sine priori: nam vbi nulla viget iustitia, 3.Reg.4. pax esse non potest. Vnusquisque tūc sicut tempore Salomonis pacificè sub ficu sua viuebat: & tanta erat pax, vt omnia tuta essent itinera, nec vllus erat, qui auderet alicui damnum inferre. Sed nunc, prôh dolor, quot rapinæ, quot homicidia, furta, incēdia, & virginum oppreßiones fiunt! Vnde dominus per Esai.1. Esaiam, Principes tui infideles, socij furum, omnes Math.12. diligūt munera, sequūtur retributiones, &c. Sicut Niniuitæ & regina Sabba surgent in iudicium, vt condemnent gentem Iudæorum: Sic August. Cæsar surget & condemnabit principes Christianos, qui cùm Gentilis esset, & idolorum cultui cōsecratus, maiorem iustitiam cōseruauit in suo imperio, quā nostri principes Christiani. Sed de his satis: iā ad contextum reuertamur. *Hæc descriptio prima facta est à præside Cyriæ Cirino.* Si Cirino iussum esset, vt aliquam viduam à pœna debita absolueret, forsitan in adimplendo mandato detineretur, & moram faceret. Quod si de regis negotio agitur, etiam si iniustum sit, nihilominus sine mora aliqua exequutioni mādatur. Sic Ioab protinus, vt audiuit regis mādatum de morte Vriæ omni adhibita diligentia cū interfici fecit. Non sic Ionathas, qui cùm ei esset 1.Reg.19. præceptum à Saule rege, vt Dauidem interficeret: mortem eius distulit, & pro Dauidis partibus stetit dicens, Quid tibi mali fecit, &c. 1.Reg.19.

¶ Secundò diligenter expendas, quantum damni & calamitatis multis afferat, regis aut principis siue prelati peccatum. *Principis peccatum reipu. exitiosum.* Quod enim pręcepit Augustus imperator, illud statim Cirinus Syriæ præses fieri studet. Idēque ipsum Macedoniæ, Sclauoniæ, Africę, Hispanię & aliarum prouinciarum pręsides & gubernatores facere deberent. Nam ad motum maioris rotæ molendini, statim & mobilis lapis in circulum trahitur, & omnes etiam molēdini rotæ. Ita sanè propter peccatū principis vel prælati mouentur subditi: nec facere verentur subditi, quæ à principibus perpetrari viderunt. Regis ad imperiū (inquit Claudianus) facile componitur orbis, Mobile mutatur semper cū principe vulgus. Multoties quidem idque deteriùs est maiorem rotam quietā esse, minores verò semper moueri. Vt ille, qui cum semel moueat rotam ipse quietus manet, rota verò non ideò quiescit. Ita principis peccatum tantum mali & nocumenti infert reipublicæ, quod quāuis rex maneat & quiescat, & peccati pœniteat: nō ideò subditi à peccatis & murmurationibus desistunt. Vt vel his videas quantū mali pariat principis aut prælati peccatum. Quemadmodū enim mare præsertim Mediterraneum ipsum aërem imitatur, ita vt si aër tranquillus sit, maris quoque tranquillitas vigeat, quòd si procellosus est, etiam mare procellis huc & illuc agitatur: sic populus principem suū sequitur, qui semper bonum aut malū ipsius exemplum imitatur. Nam vt riuulus fontis sequitur naturā: sic populus principis ingenium. Et sicut turbato fonte, turbatur etiam riuulus: ita turbato rege, turbatur etiam populus. Quod quidē Mathæus insinuauit dicēs, Rex Herodes turbatus est & omnis Hierosolyma cum illo. Math.2. Vnde & in Ecclesia. habetur. Qualis est rector ciuitatis, tales habitantes Eccl.10. *Similitudo.* in ea. Idcircò cùm rex aut prælatus malis moribus est imbutus, plurimos seruorum suorum ad interitum secum manu ducit. Nāque si ab alto ruat paruulus lapis, ipse solus in inferiorem locum descendit: at si ex montis cacumine grande saxum in descensum reuoluatur, alios lapides minores secum trahit. *Prælatorum extra malorū exempla perniciosa.* Ita nimirum, quando subditus delinquit, ipse solus reus manet peccati sui: tamen quando princeps aut prælatus offendit, plurimos alios suo malo exemplo in interitū animæ defert. Nā quemadmodum in vita præsenti magnates & principes semper grandi famulitio incedunt stipati: ita sanè morientes non soli in infernum abeunt sed plurima comitatur eos caterua, quæ malo & deprauato eorum exemplo coinquinata fuit. Quando riuulus à cursu naturali & consueto aliquantulum deflectit, parum nocumenti facit: at si fluuius maximus à se exierit, si consuetū iter aufugerit, periclitantur sanè omnes vicini loci, quibus maximū infert damnum sua inūdatione. Ita quando subditus peccat vel nulli alij, quam sibi damnū infert: tamen si pręlatus ceciderit, grauissimi mali subditis est causa: cùm & subditi superiorum exempla & mores plerunque sequantur. Adeò hæc miseranda calamitas & lues humanum ingenium inuasit, vt non solùm subditi, principes suos in vestitu & ornatu sequantur (quod malū vtcūque tollerari posset) sed etiam eorū sectas & fidē sequūtur. Sic sanè Sichimitæ dominū suū in circuncisionē fuerunt sequuti. Et quia Gen.34. Emor princeps Sichem circūcisus est, ideò omnes sub

subditi sui circuncisi fuerunt, principis sui vestigia insequentes. At quam facilè propter exemplū principis mutent subditi religionem & nouam aliam amplectantur (quod non sine lachrymis est dicendum) facilè videre licet in Anglia & Germania. Angli etenim regem suum Henricum apostatam sunt sequuti, & Germania principes hæreticos sanctæ
1.Reg.31. Romanæ Ecclesiæ impudētissimos & nefarios inimicos. Vnde & in sacra pagina videas quod cùm Saul occisus esset, statim armiger eius seipsum interfecit: quia minores magnates curant imitari, vt miles hic, de quo modo diximus, & Cyrinus ipsum Cæsarem. Et in concilio illo maledicto, quod pontifices, & Pharisæi contra Christum collegerunt, magna de Christo incidit contradictio, alij nanque benè, & alij malè de ipso sentiebant. Tamen post-
Ioan.11. quā Caiphas pontifex dixit, Expedit vobis, vt vnus moriatur: ait Euāgelista, Omnes ab illa die cogitauerunt illum interficere. Sed considera quo pacto animus & sententia pontificis cæterorum iudicia secum detulit. Quam tem & modo in multis electionibus & decretis ipso experimento cognouimus. Nam quando subditi prælati voluntatem in partem alteram declinare vident, spontanei, & vltronei, illum sequuntur ita vt quod superior vult, nihil magis subditi in votis habeant. Quo fit, vt si prælatus in peccata labatur, facile & ipsi eos sequā-
Similitudo. tur. Nam si oliua consita sit in vineis, nihil damni ipsis vitibus infert, quia parū terræ occupat: quod si nucem plantes, inter ipsas vites, grande illis infert malum, cum & magnum terræ spatium ambiat. Sic nimirum si mediç plebis homo peccatum committat, parum aliis calamitatis infert: tamē si prælatus id faciat, cùm & magnus sit, & in sublimi loco cōstitutus, maximum damnum ipsi reipublicæ affert. Non aliter ac si ex superbo ædificio aliquis paruus lapis cadat, facile illud malum resarciri poterit: at si angularis petra ceciderit, certè tota ruet machina & solo æquabitur. Sic est prælatus, qui suo deprauato exemplo multos alios ad peccandum inducit.
2.Par.26. Lepra Oziæ regis in fronte erat, quæ omnibus erat
Exo.4. in propatulo. Moses autem ipsas manus lepra habebat infectas, quas facilè abscondere poterat, si eas in sinum intromitteret. Ita lepra & peccatū principis in fronte est, vt omnibus notum fiat: subditorum verò in omnibus quæ abscondi possunt. Et idcircò maximè illis curādum est vt sanctè & imma-
F.capital. ff. de pœnis. culatè vitam suam componant. Etenim maiorum actus, vt lex inquit: pro lege accipiuntur. Iosue & Caleb exploratores terræ promissionis non solùm fuerunt, verùm adduxerunt secum grandem & pinguem vuarum racemū: cuius facti ratione & opere & exemplo suorum dictorum veritatem compro-
Num.13. barent. Sic nimirū non satis est, vt prælati (qui aliorum sunt lucernæ) subditis suis bona gloriæ prædicent, doceant, & consolent: sed opus etiā, vt ipsorum operum exemplis eandem veritatem demon-
4.Reg.13. strent. Etenim Elisæus manus posuit super manus regis Ioas: & missa est sagitta salutis cōtra Syriam. Quod si huius exemplo prælati manus suas nostris adiungerent, vtique cæleri cursu sagitta, quæ bonū opus est, aduolaret: quia bona prælatorū exempla nostris operibus auxiliarētur, eaque fortia in dies, efficerent. Sed prôh dolor, quia nec digito suo subditorum opera, nec tangere, nec adiuuare volunt: sed potiùs sua ignauia & relaxatione ea impediūt,
Mat.23. & populum in confusionis barathrum mittūt. Sed

quàm grauiter in hos prælatos, & principes dominus sit animaduersurus: constat apertè ex illa Dauidis historia. Qui postquàm reprehensus est à Na- 2.Reg.12.
than, & pœnitentiam peccati cum fletu egit, redut ad eum Propheta ex mandato domini, & dixit. Dominus transtulit peccatum tuum à te. Verùm quia blasphemare fecisti inimicos nomen domini: propter verbū hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. Peccauit Dauid sibi accipiendo Bersabee: & licet in secreto peccasset, tamen peccata regum & principum in occulto esse nequeūt. Nam cùm subditi semper pendeant ab oculis principum, nihil committere possunt, quod ab ipsis non conspiciatur. Atque ita Dauidis peccatum etiam si secretum esset, nihilominus ipsi populo factū est notissimū. Vnde populus dementi iudicio falsus, peccatū Dauid, quod illi & fragilitati suæ erat imputandum, Deo ipsi tribuebat, dicēs, Male nobiscū fecit Deus: Psalm. 18.
quia abstulit à nobis Saul bonum regē, & reliquit nobis Dauid. Etenim Saul non rapiebat à cōsortio virorum vxores suas, nec eos interfici præcipiebat, &c. Ideò dixit Nathā Dauidi, Peccatū quod vt fragilis homo perpetrasti, iam tibi dominus id remittit per contritionem tuam: tamē quia blasphemare fecisti nomen Dei, hoc est, quia iniquo exemplo ipsis peccatoribus ansam dedisti, vt in nomen domini blasphemarent, hoc inquam scandalū animaduertat dominus grauiter in te. Sed iam videas, quàm leniter, & velut in trāsuersū Deus punit peccatum Dauid: grauiter autem exemplum iniquum aliis exhibitum. Sic sanctus Dauid posteà domino dicebat, Ab occultis meis munda me domine, & ab Psal.18.
alienis parce seruo tuo. De peccatis carnalibus & adulterij cōmissi loquebatur cùm dixit, Ab occultis meis mūda me: quia hæc peccata secreto & occulto committūtur. Ab alienis autem petit, vt parcat: quia aliis occasionem peccandi strauit. Quia verò peccata carnis adeò immūda & sordida sunt, vsus est verbo mundare. Petit itaque vt ei aliena peccata parcantur, quorum ipse fuit causa, cùm rectè sciret grauem pœnam illis esse paratā a domino. Vt videre licet in rege illo Ieroboam, qui graui 3.Reg.15.
supplicio fuit correctus, eò quòd vitulos aureos cōflauit, & alios induxit ad peccādū. Et sæpè scriptura sacra de aliis regibus loquens ipsi impingit peccatū, dicens, Non recessit à viis Ieroboam, qui peccare fecit Israel. Vbi diligenter est tibi aduertendū, quomodo dominus non tradat obliuioni eos, qui fuerūt in causa vt alij delinquerent, vt in hos pœnā aliis debitam contorqueat. Qua de causa quanuis 2.Mac.6.
Eleazar poterat carnes non porcinas comedere absque peccato: tamen ne aliis esset offensionis scādalū, potiùs mori voluit, quàm malū exhibere, cū & princeps constitutus esset. ¶ Sed vt ad id vnde di- Syria descriptio.
gressi sumus, reuertamur: hæc descriptio prima dicitur, quia tunc cœpit, quando Cyrinus missus est in Syriam à Cæsare Augusto. Nāque terra promissionis quędā pars est Syrię: quę Syria multas & potentes in se cōtinet regiones: quia Palæstinam, quæ Iudæa est, & Samariam & Phœnicē, cuius prouinciæ etiam Galilæa est, ita superior, vt inferior. Continet etiam Cœles Syriam Damasci, Idumęā, Mesopotamium & Traconitidem regionem: ita vt longitudo eius à Septentrione vsque ad Meridiem extendatur, ab Ægypto vsque ad Capadociam, & latitudo ab oriente vsque ad occidētem: id est, à mari Mediterraneo vsque ad magnum fluuium Eufra-

tem. Et omnis hęc terra his noſtris temporibus vocatur Suria penultima longa. ¶ Porrò Cyrinus hic (vt Ioſephus inquit) vnus fuit de his, qui conſultationi aderant: vir in magnis functionibus & officiis celebratus: qui in culmẽ dignitatis, & in aliis claris dignitatibus cõſtitutus, cum paucis in Syriam venit, cenſor gentis ab ipſo Cæſare deſtinatus. Cùm igitur hoc edictum promulgaretur, inquit Lucas, *Et ibant omnes, vt profiterentur, ſinguli in ciuitatem ſuam.* A qua vnuſquiſque originem trahebat. Quæ deſcriptio præcepta erat, vt fieret in præcipuis ciuitatibus, non ſolùm quantum ad numerum perſonarum, ſed etiam quantum ad determinationem ſtirpium nobiliũ, vt cognitus eſſet numerus determinatus virorũ nobiliũ & ignobiliũ, & hoc eſt, quod dicitur quòd ſinguli ibant in ciuitatẽ ſuam vt profiterentur. Dupliciter autem profitebantur ſubditos eſſe Romano imperio: ſcilicet ſcripto, quia eorum nomina ſcribebãtur: & facto, quia vectigal ſoluebant imperatori. Quapropter, ¶ *Aſcendit & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid quæ vocabatur Bethleẽ.* Vbi libet & ſuſpicere & admirari altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, iudicia enim Dei abyſſus multa. Ea nanque, quę Auguſtus & Cyrinus in ſuã vtilitatem faciunt, idem dominus reducit in commodũ & emolumentum totius vniuerſi. Omnium eſt enim artifex, omnem habens virtutem, omnia proſpiciẽs. Equidem dominus mirabilis & diuinus artifex eſt. Nunquid quando peritiſſimus artifex templum ſublime, aut ſuperbam domum cõſtruere vult, nónne priùs modellũ quendã efficit: poſtea verò lapides & ligna aptari iubet, & à ruſtico portari lapides præcipit? Quòd ſi ab eo roges, quid portas? Vtique reſpondebit tibi, Hunc lapidem fero ad talis domus vel templi ędificium. Quod ſi iterum petas, quomodo iſte lapis aptandus eſt? Subiiciet tibi, id ego ignoro: operis autem præfectus explicabit. Ipſe tantum (inquit ruſticus) meam mercedem quæro. Ita ſanè dominus permittit hanc deſcriptionem fieri per manus Octauiani & Cyrini: tamen ad ſupremum artificem ſpectat cognoſcere deſcriptionem totius fabricæ, quæ ad vtilitatẽ vniuerſi futura eſt. Dixerat enim Michęas, Et tu Bethleẽ Ephrata paruula es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael. Et Iudęi ipſi quanuis multis in rebus fuerint obcæcati: tamen hanc ſaltim intellexerunt, ſcilicet Meſſiam naſciturum eſſe in Bethleem: & ita reſponderunt Herodi roganti de natiuitate Chriſti. Et qui crediderunt Iudæi, Chriſtum eſſe à Nazareth de Galilæa & non à Bethleem: hac de cauſa noluerunt illi tanquam vero Meſſiæ credere, etſi & miracula eius viderũt, cognouerunt: ita vt in hęc verba prodirent. Nónne ſcriptura dicit quod de Bethleem de caſtello Dauid? Ideò quia hoc adimpleretur, exiit edictum à Cæſare Auguſto: & hoc adimpleri præcipit Cyrinus, vt deſcriptio adimpleatur, quam dominus efficit, vt Chriſtus naſceretur in Bethleem. Nam ſi edictum exiret decem menſibus poſt incarnationẽ, pareret virgo in Nazareth, & poſt natum Chriſtum aſcenderet Bethleem. Et ſi edictum ante incarnationem exiret, quanuis aſcenderet Bethleem, tamẽ rediret paritura Nazareth. At ſic dominus ordinauit, vt edictum exiret iam virgine partui propinqua: quò factum eſt, vt cùm perueniſſet Bethleem adimpleretur tempus pariendi, & prophetiarũ dictium Chriſtũ naſciturũ eſſe in Bethleem. Quòd ſi ab Octauiano quæreres, qd de hoc myſterio ſentiret, vtique ſe ignorare diceret: ſed nihil aliud quã ſuum commodum intendere. Quòd ſi idem à Cyrino poſtules, dicet tibi, id facere vt tantũ placeat palato imperatoris, nec aliud myſterium inde inueſtigare. An Cyrine non moliris, vt beata virgo exeat, vt pariat in Bethleem? dicet ſanè nihil minus quàm id mihi curæ eſt. Verumenimuero ſi ab ipſo ſancto Ioſeph virginis ſponſo rogares, quò iſtos duos lapides viuos tecum ducis? Fortaſſis reſponderet tibi, ſe maioris domini iuſſis obtemperare, & præfectum opificij id tantum ſcire: qui (vt ſemper conſueuit) omnia ſuo diuino ordine diſponit, vt Chriſtus redemptor noſter naſcatur in Bethleem, vt & nemo ambigat eum eſſe verũ Meſſiam in lege promiſſum. His itaque vſus eſt dominus tanquam inſtrumentis vt opus deſcriptionis perficeret, quam à ſummo cœlo & ab ipſa æternitate ſtatuerat ita, vt ipſi aliud cogitarent, aliud verò dominus efficeret, ita vt in altiorem finem eorum cogitatus eleuaret. Propheta Abacuc victum & potũ meſſoribus deferebat. Quo iſtum potum & cibum defers? Meſſoribus inquit: & quando prandium condiebat & parabat, id etiã pro miniſterio meſſorũ faciebat: at reuera nõ meſſorib. fuit paratũ, ſed Danieli, q in Babylonia inter vngues leonũ erat cõſtitut⁹. Alia erat hominũ mẽs, alius verò animus Deo. Parabat Abacuc prãdiũ meſſoribus: at diuinũ magiſtrũ nõ latebat, cui potus & cib⁹ pararetur. Sic etiã filiis Iacob accidit præter ſpẽ, alius enim erat Deo animus ab eorum mẽte. Ipſi machinantes deſtruere fratrẽ ſuũ Ioſeph vendẽtes eũ in Ægypto, diſpoſuit Deus ſua diuina prouidentia ꝙ ipſe hac via regnũ Ægypti à ventura fame liberaret. Deus optimus maximus de quo ſcriptum eſt quòd diſponit omnia ſuauiter mirificeque diſponit, abſque hoc quod hominibus innoteſcant: quod altiſſimo quidem eius cõſilio fit.

¶ Aduerte etiam quòd poſtquam ſacer Euangeliſta dixit, aſcendiſſe Ioſeph in ciuitatem Dauid, addidit ſubinde, quæ vocatur Bethleem: ad differentiam Sion, quę appellata eſt ciuitas Dauid, vt habetur regum ſecundo, Bethleem quippe fuit ciuitas Dauid ſecundum originem: Sion autem ſecundum regiam habitationem. ¶ Vbi etiam operæpretium eſt animaduertas Deum noſtrum fideliſſimum, & bonum eſſe amicum: ita, vt nec poſt mortem ſuorũ obliuiſcatur, vt cõſueuit mundus facere: imò ſemper eos memoria inuoluit per millia milliũ annorum. Oſtẽdit enim dominus ſeipſum ita gratum & memorem miniſterij Dauid ſerui ſui, ita, vt cùm velit illum grandi honore afficere, ab eius patria libet ortum ducere, & de ſemine Dauid ſecundum carnẽ deſcẽdere. Egregiè quidem diuinus Pſaltes de Deo cecinit, dicẽs, Nimis honorati ſunt amici tui Deus. Et peccata Salomonis impunita relinquens, dixit illi Deus, Scindã regnum tuum: ſed in diebus tuis non faciam, propter Dauid ſeruum meum, qui cuſtodiuit præcepta mea. Sic honorauit Moſen, cùm arguit Mariam & Aaron, ipſum vſque ad aſtra laudibus efferẽs. Sic etiam, vt honorẽ conſerret Ioanni Baptiſtæ Iudæam reliquit, & petiuit Galilæam: vt Ioannes eum baptizaret & audiretur, &c.

Eò quòd eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria vxore ſibi prægnante. Quomodo autem Maria & Ioſeph eſſent de domo Dauid, déque Chriſti ſtirpe

Marginalia: Ioſ. li. 18. ant. cap. 1. — Deſcriptionis cauſa. — Conſideratio conſiliorũ diuinorum. — Rom 11. — Pſal. 35. — Sap. 1. — Similitudo. — Mic. 5. — Math. 2. — Ioan. 6. — Dan. 14. — Gen. 37. — Sap. 8. — 2. Reg. 5. — Pſal. 138. — 3. Reg. 11. — Nu. 12. — Ioan. 4.

stirpe in sequenti capite iuuãte domino explicabimus: vbi noster Lucas singulari quodam ingenio Christi domini genealogiã describit. Interim verò hîc vnum adnotabis. Descendẽtes à mulieribus ex Dauid de domo Dauid erant, non autem ex familia Dauidis: at qui descendebãt per lineam masculinã, isti de domo & familia Dauidis erant. Vt autẽ sacer euãgelista nobis exponeret, Iosephum per masculinam lineam descẽdisse, dixit, de domo & familia.

¶ Insuper aduertendum est, quòd id quod dicitur, vt profiteretur, ad Ioseph tantum referendum est, quia soli viri profitebantur: & cùm dicitur hic cum Maria, refertur ad verbum ascendit, non tamẽ ad verbũ profiteretur. Et licet sanctissima Dei mater iter susciperet triginta quinque parasangarum, quibus distat Bethleẽ à Nazareth, tamen ob id non grauabatur: tanquã auis quæ nõ oneratur, nec grauatur plumis suis, sed his & leuior & agilior est.

D. virginis Mariæ peregrinatio laboriosa. ¶ Vbi iam obsecro & obtestor, vt tenerã virginem consideres longo itinere defessam & defatigatam, & nullum inuenientem hospitium. Mundus enim mundo arridet, nec aliis, quàm suæ factioni fauet. In propria veniens nõ cognouit mundus suũ *Ioan. 1.* auctorem. Aduerte etiam quẽ laborem virgo sacra in hoc itinere passura erat, cùm tempus illi contrarium esset, & parsimonia cibi & paupertate laboraret. Ex quibus omnibus & tu documentum elicere debes, vt huiusmodi virginis gressus, & iter pro te susceptum imiteris: nec piger sis vt tantis & tam diuinis peregrinis aliquo pio ministerio subuenias. Cõsideres etiam oportet, quomodo adinuicem de Deo loquuntur in labore itineris: quãdoque orant, aliquando contemplantur, & dulciter loquuntur, vt vel sic tãtum itineris laborem vincerent. Ioseph in labore itineris virginem adiuuat, & hac de causa illi fuit desponsata, vt illum in omnibus laboribus suis pro suæ ætatis infantia eũdem comitem & adiutorem haberet.

Christus obedit magistratus nobis in exemplum. ¶ Nos autem in hoc loco docemur primùm hoc Christi domini facto, regiam potestatem à domino esse, quę & honore & obseruantia digna est. Sic hîc cẽsum Cæsari soluit, & exactoribus Cæsaris voluit *Math. 17.* per Petrum dari tributum: & iterum interrogatus, *Mat. 22.* an tributum reddendũ esset Cæsari, respõdit, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Voluit etenim ab ipso suæ natiuitatis exordio legibus subiici: ne qui aliis futurus erat & vitæ & sanctitatis exemplum, ipsam rempublicam conturbaret: qui etiam venerat, vt iacturam resarciret: vt etiã insinuaret iustũ imperium, sanctiones habere omnibus acceptas, dum in pace atque iustitia respublica conseruatur. Et ob id neminem mortalium potestatibus aduersari debere, cum eis, Christus, humilitatis exemplum, subiici voluerit.

¶ Secundò docemur prælatis nostris obedire, nõ *1. Pet. 2.* solũ bonis & modestis, sed etiã discolis, vt Petrus inquit: cùm & ipse Christus rex regum & dominus dominantium, & Ioseph sponsus, & sacra virgo nõ fuerint dedignati imperatori ethnico & profano *Mat. 3.* obedire. Vt meritò sanctissima virgo cum puero possent dicere. Sic decet nos implere omnem iustitiam: docentes nos obtemperare omni potestati sublimiori. Nec enim quid grande facies, quanuis literatus, sapiens aut nobilis sis, si propter diuinum amorem illi obtemperaueris, qui te aut minor aut inferior fuerit: quando omnipotens dominus tui ipsius causa homini gentili obedire voluit. Quod si asperum & difficile tibi videtur prælato obtemperare, Deũ ipsum dilige: fiet nanq; vt diuinus ipsius amor hæc omnia dulcia & suauia tibi reddat. Nanque si in cardines portæ, quæ strepitum facit, dum aperitur & clauditur, oleum diffuderis, nihil postea audies. Si verò ignauo animo & voluntate ea comples, quæ tibi præcipiuntur, immitte obsecro in cor tuum oleum diuini amoris, & tecum meditare hoc Christi & virginis matris iter, & tunc suauiter spiritus & animi consolatione facies quidquid tibi fuerit iussum. Etenim prælatus locum Dei obtinet, & quod præcipit, dummodo id non fuerit contra legem. In ipso nãque Deũ honorare debes, cùm & eius personam sustineat: nã etsi ipse malus sit prælatus, officium eius sanctum est. Dauid honorabat *1. Reg 24.* Saulem, quia & rex & eius dominus erat: quanquã eundẽ sciebat & malum esse & à domino reprobatum. Ait enim dominus. Qui vos audit, & qui vos spernit: me spernit. *Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret.* Benè quidem & verissimè in- *Luc. 10.* quit sacer euangelista, impleti: quia in plenitudine temporis fuit Christus conceptus & natus. Vnde Paulus. At postquã venit plenitudo temporis, misit Deus filium suũ natũ ex muliere, factũ sub lege, &c. Animaduerte autem dixisse Euangelistam, impleti *Gala. 4.* sunt dies. Posset nanque dicere, impletũ est tempus pariendi, vt de Elizabeth dixit, vel adimpletos esse nouẽ menses. Nihil tale dixit, sed impleti sunt dies, vt vel sic aliquo modo insinuaret, quanta lux suborta est hominibus in natali Christi. Nam sicut in ortu solis lucescit dies: sic Saluatoris natali noua & diuina luce perfundimur, & dies ille sanctificatus nobis illuxit. Ortus est nobis sol iustitiæ, vt *Templa Christianorũ ad orientem.* Malach. prædixerat: qui omnes nostrę animæ tenebras fugauit: & vero gaudio & luce mẽtes illustra- *Mala. 4.* uit. Vnde nec mysterio vacat ecclesias & tẽpla nostra ad orientem respicere: cũ præceperit dominus Moysi, vt legis veteris tabernaculum situm esset ad *Exo. 25.* occidẽtem: quod iusta de causa obseruauit Moses, quippe omnes statim, vt moriebantur in limbum descendebant, & nemo ad cœlum nascebatur, vt frueretur luce illa vera Christo redemptore nostro: quousque venit ille, qui oriens vocatur secundum Zachar. id est is, qui nascitur, qui & Iesus Christus *Zach 6.* Saluator noster est natus de sanctissima virgine. Et idcircò cùm in Ecclesiis oramus, facies nostras ad orientem dirigimus, vbi natus est nobis verus sol iustitiæ Christus. Approximãte igitur die illo cunctis mortalibus fœlicissimo & fausto plusquam humanus captus intelligere aut explicare valebit, inquit noster Euangelista, quòd gloriosa & immaculata virgo Maria,

Peperit filium suum primogenitum. O breuia & compendiosa verba, quæ nisi ipso diuino spiritu, quo & dicta sunt, & literis mandata neutiquam explicari poterit, quanta & quàm profunda mysteria & sacramenta in ipsis sint recondita. O diuinum & admirabile beneficium ipsis hominibus nullo modo debitum. Fœlix terra, quam Christus sua præsentia sanctificauit. Vbi protinus ô homo peccator considerare debes filium Dei vnigenitũ, ipsi patri æterno coæqualẽ, propter te iã hominẽ esse factũ. Credo equidẽ inter ipsos choros cœlestes nullũ remãsisse spiritum, qui non descenderit tantum miraculum visurus. Descendebant enim tanquam agmina certatim, & tanquam apes ad mellis fauum confluunt, sic angeli in angustum & pauperrimũ illud

Bethleemiticum domiciliū. Rapta igitur beatissima virgo diuina contēplatione vsque ad supremos cœlos, plena quadam inaudita cœlestis gloriæ, cōsolatione & dulcedine (cui nullam similē habuisse dicendam est) sine dolore & corruptione cœlestis aulæ regem Angelorū & totius vitæ nostræ restauratorē peperit. Requiesce igitur in hoc loco, & siste gradū parumper anima mea: effunde lachrymarum fontem sine cunctatione, & huius infantis pedes laua, qui, vt te ipsam quæreret, pro immenso in nos amore, è summo cœlo descendit, vestem nostrā sumpturus, nec sine vitæ suæ maximo dispendio. Quod enim nimis diligitur, etiā cum dolore quæritur: & ob id Christus teipsum multo labore, lachrymis, paupertate & doloribus quęsiuit, nec quietem agnouit, donec teipsum ouē perditam ad ouile reduxit. Quod si ô anima mea Deum tuum cognoscere cupis, considera rogo quid ipse pro te, & quid tu ipsius causa sis. Ipse nanque cùm esset Deus, tui causa pauper & mortalis effectus est: tu verò propter illum ex paupere mendico, & abiecto, factus es consors angelorum & cœlestis beatitudinis particeps. Itaque beatissima virgo filium Dei & orbis reparatorem peperit in die dominico & media nocte: quem & antequam tāgeret pro sua profunda humilitate genu flexo & in terrā prona adorauit. Deinde summa quadam lætitia sancto timori coniūcta, animo in admirationem rapto, infantem manibus & amplexu cœpit, vt & videre possis reginam cœli & matrem Dei, quæ ab angelis deberet ministrari ipsam sibi & filio ministranti.

Christus natus die dominico.

Christus quare media nocte natus.

¶ Aduerte autem Christum media nocte fuisse natum ea noctis hora, qua homines rerum omniū & sui etiā obliti in vtramuis dormiunt aurem, cum nulla vexat illos sollicitudo. Tunc igitur singulare hoc beneficiū piissimus dominus hominibus præstat. Vnde meritò in Cant. dicitur, Ego dormio, & cor meū vigilat: ait sponsa adolescentulis. Ego dormio, & cor meum, id est, sponsus meus, dilectus meus, amor meus, qui cor meum est, en ipse vigilat. Cùm igitur in vtrauis aurem dormirem & sponsi mei oblita essem: ipse conferens in me beneficia vigilabat. Cùm obdormiret mundus in peccatis, tanto amore illum prosequutus est dominus, vt nasci fuerit dignatus ex tanta virgine. Vnde in Sap. dicitur, Dū mediū silencium tenerent omnia, & nox in suo cursu, &c. Vt nimirum per hæc intelligamus, quòd dum ipse peccator in vitiis & peccatis demergitur, tūc ipse dominus in eū cōfert beneficia. Natus itaque est in nocte, vt noctē nostram illuminaret: hic lumine diuinæ gratiæ, illic autem luce æternę gloriæ. Insuper & hyeme natus est, vt pectora nostra frigida diuini sui amoris flāma incēderet. Deniq; filius Dei fact᷒ est fili᷒ hominis, vt ipse homo fili᷒ Dei efficeretur. Sed iā singula verba cōsiderāda veniūt.

Cant. 5.

Sap. 18.

¶ Peperit (inquit) filium suum primogenitum. Non dixit parturiuit, quia significat verbum hoc cum dolore parere, & angustias partus sentire. Peperit sacra virgo eum sine dolore, quem sine corruptione concepit. Nec infans nascens aliquo dolore matrem affecit, qui futurus erat gaudium vniuerso mundo. Et hoc est, quod vt præteritum Esai. prædixit, Antequam parturiret, peperit. Non inuenit locum in sancta virgine maledictio illa Euę, cui dominus dixit, In dolore paries filios: nam beata virgo summa quadā lætitia filiū Dei peperit. Filiū etiā suū peperisse dicitur: cùm in propriis visceribus & vtero illum conceperit & gestauerit. Denique primogenitum eum vocat, quia nullum antea pepererat, nec postea aliquem peperit, & virgo tandem permansit. Dicitur enim ille in scriptura primogenitus, qui prior nascitur, etiam si nullus alius frater ipsum sequatur: non tamē is, quem & alij sequuntur: sed ante quē nullus est. Quod sanè conuincitur ex illo numerorū. Quidquid primū erūpet è vulua cūctæ carnis, quā offerunt domino, siue ex hominibus, siue ex pecoribus fuerit, sui iuris erit: ita dūtaxat, vt pro primogenito hominis pretium accipias. Vbi dominus definiuit, quis sit primogenitus, dum inquit, quidquid primū erumpet de vulua. Ad hoc enim, vt primogenitus sit, non sunt conijciēdi oculi ad eos, qui oriri debent, sed ad iam natum. Hoc idem fatetur Hieronym. in primum caput Mathæi. Quod si græcū textū cōsulimus, vbi nos habemus primogenitus, habetur protótochos, quod omnes interpretantur primogenitus, & rectè: est enim cōpositū à Protos quod est primum seu primo & Tochos, quod est fœtus seu partus. Et sic stando in significationis rigore, intelligimus primū partū seu primo nascentē. Idē enim est primogenitus & vnigenitus. Nā in phrasi hebræa vnus idē est atq; primus. Vt est videre in illo Gen. Factus est dies vnus, id est, primus. Sic Iosephus interpretatur libro primo antiquitatum capite primo. Vnde postquam in textu dicitur, dies vnus, subiungitur statim, dies secundus, dies tertius, dies quartus, &c. Et in capite 29. vbi septuaginta ex Hebræo transtulerunt Ketomioni to eddomo mi ais minos, Hierony. vertit, mensis enim septimi prima die. Et similiter in capite primo Aggæi, vbi vulgata editio habet in die vna mensis, quidam vertit, in die prima mensis. Et in Mathæo initio capitis vigesimi octaui ait, eís mia sabbathon, Theophilactus trāstulit, prima sabbatorum. Itaque vnigenitus idem est quod primogenitus. Cuius vocabuli interpretationi iuristę arrident. Demum, vt cōcludā si vt impius Heluidius ausus est blasphemare in Dei matrē, si primogenitus intelligitur ratione aliorum subsequentiū, sequeretur quod iura primogeniti nō haberent locū in primogenito: nā tunc tēporis expectandus esset alius secundus filius, vt primogenitus esset offerendus in tēplo. Quid si alius filius esset expectādus, ad hoc quod primogenitus esset offerendus, quadragesimo die post suū natale, quomodo poterat lex seruari cū in natiuitate secundi iam ferè vnū haberet annū primogenitus? Et licet omnes masculi, vt plerunque quadragesima die offerrentur: tamē primogeniti consecrabantur domino, eò quòd dominus percussit primogenitos Ægyptiorū, & primogenitos de tribu Leui seruire iugiter Deo. Aliarum verò tribuū primogeniti offerebantur, & quinque siclis redimebātur. Quę lex nullo pacto seruari posset si primogenitus diceretur respectu aliorū subsequentium. Nā Hebræi primo filio nato, hoc facere tenebātur, licet postea nullum aliū filium haberēt: qui primogenitus vocatur, eò quòd ante illū nullus sit natus, licet vnigenitus esset, nō habēs postea fratrem. Deniq; in Exodo legimus dominum percussisse primogenitum in omni regno Ægypti, nec erat domus, in qua nō iaceret defunctus. Nunquid in omni domo plures erant filij? Aliquæ sanè essent vbi vnicus solùm esset filius qui mortuus fuit, quia primogenitus erat. *Et pannis eum inuoluit.*

Esai. 66.

Gen. 3.

Primogeniti ethimol.

Nu. 18.

Gen. 1.

Iosephus in ant. ca. 1.

Pauor. an. Iosephs. de ver. sig. & in l. cum duob. in prin. ff. de vulg. & pupil. sub. & Bald. l. 1. C de iure. emphit.

Exo. 12.

Aliqui pia quadam deuotione ducti existimant

Christus honestis pannis inuolutus.

mãt Christum dominum inuolutum fuisse vilibus & dissipatis pannis, quia vocabulum pannus id significare videtur, quod quidem mihi verum nõ videtur. Nã licèt sacratissima virgo pauperrima fuerit, at ex sua paupertate (quia prouida & potentissima erat) parata habebat munda lintea: quibus filium inuolueret. Nulla quidem ita pauper mulier est, cui aliqui boni & mundi panni non sint ad inuoluendum filium aliquibus retrò diebus parati, & id præcipuè cùm in tali ætate infantes diligãtur grãdi amore, & vt beata virgo filium suum amauit. In originali Græco est, esparganosen, quòd sonat infasciauit, id est, fasciculis inuoluit: nequis existimaret dissipatos pãnos. ¶ Obserua autẽ multoties contingere, vt homines ingredientes domos, & tẽpla detineantur in contemplandis imaginibus, picturis, & aliis huiusmodi. At Christus in vili tugurio natus nihil põpę habere voluit, vt ipsum solũ contemplemur, & aspiciamus. Nam externus cultus solet mentem distrahere, vt modo hîc, modo alibi aduertat, eo neglecto quod potissimum expetẽdum erat. Christus autem in sua natiuitate ita pauper & abiectus est, vt nihil velit præter ipsum considerari. Nihil aliud ô Christiane tibi considerandũ propone, nisi vnum Christum pro te in præsepio natum inter ipsa bruta animãtia in medio hyemis, frigore trementem pauperem, abiectum & culpas tuas, & flagitia tua plorantem.

Vestis inuenta propter peccatum tegendum.

Genes. 3.

¶ Obseruabis autem quòd cùm Adam vitam degebat in illo innocentiæ statu, nudus erat, nec ob id erubescebat: at postquam peccauit, ministrauit illi dominus perizomata quibus operiretur. Quia peccauit homo, data est illi vestis, qua tegeretur: ita vt indumentum signum euidentissimum sit peccati. Considera igitur dominum, peccatoris insignibus, & indumentis vestitum. Quia peccauit homo, dedit illi dominus pannos, quibus vlcera ligaret: vt & Christum etiam videas vittis, & pãnis inuolutũ vti peccatorem & plagatum: cum peccatũ ex diametro cum illo pugnet, & distet ab eo plusquã bis diapasson. Vnde diuus Paulus inquit venisse Christum in similitudinem carnis peccati. Peccatoris vestem induerat, etsi peccator non esset. Serpens ille, quem Moses in monte in sublime erexit serpẽtis tantum figuram habebat, venenũ verò minimè. Sic Christus in similitudinẽ venit peccati, & indutus peccatoris veste: cum ipse ab omni peccati labe prorsus esset immunis. Ita sanè siquis eum vittis ligatum conspexerit, vlcera habere intelliget: cum reuera non sit ita. Videbit tamen in illo veritatem expressam figuræ Iacob iusti & sancti, qui vestibus Esau peccatoris indutus erat: vt patris æterni benedictionem, omnibus fratribus post illũ venturis accipiat, qui sanè illi sunt, qui fidei ratione Christi filij, & fratres appellantur. O quantum te Deo debere existimandum est, quando non solùm pro te humanam carnem dignatus fueris accipere: verũ pãnis inuolui & alligari, veluti habens vulnera, & id quidem vt tua propria sanaret. Quod si peccati vestibus dominus est indutus: quid est, quod te ipsum iactes de tuo vestitu? Quid est, quod marthas, purpurã, sericas, & bõbicinas vestes induis? Sunt quidã pueri, qui cùm famosi latrones sint, & meritò possent suspendi, ob ætatis paruitatem rigore legis nõ valent puniri: tamẽ super istorum caput in latronis signum appenditur cymbalum quoddã ferreis virgis adiunctum. Quod si quis ita stupidus, & amens

Galat. 4.

Num. 21.

Genes. 27.

esset, vt de huiusmodi signo se ipsum iactaret: nonnè meritò irridẽdus esset? At si vestis signum est infamiæ & ignominiæ, sicut cymbalũ nota latronis, quid est quod in ipso dedecore honorem quæris? Stultus sanè ille appellãdus est, qui de signis fragilitatis, & vlceris sui se ipsum iactat. In quo loco iam manifesto docemur quãta insania sit, prætiosas vestes quærere, & multum tẽporis in corporis ornatu consumere: quando quidem ille, qui claris sideribus, & stellarum iubare cœlum illustrauit, auibus plumas coloribus variis relucentes dedit, & fortibus pellibus animalia induit, sibi elegit pãnis pauperrimis, & vilibus indui vestibus. Considera tandem Christum in brumali tempore natum, ita fiet, vt à te multas curas & sollicitudines reiicias. *Et reclinauit eum in præsepio.* Non in blãdo & eburneo lecto, aureis pauimentis, & fulcris exornato, vt faciunt homines lasciuientes, qui ventri suo deseruiũt. Nõ equidẽ reclinauit eum in lectulo tapetibus ex Indorum extremis regionibus strato: non in sindonibus odoriferis aquis delibutis: non in cunis bysso aut purpura compositis, sed potius in præsepio, in antro quodam ex viuo lapide exciso. Sed iam obsecro, vt Christi paupertatem & charitatem aduertas, Quæ maior audita vnquam est humilitas, quã in stabulo nasci? Quæ maior paupertas, quã inuolui tam paupetibus pannis? Quæ maior asperitas, quàm in tam tenera ætate in præsepio reclinari? Quæ maior charitas, quàm vniuersarum rerum dominum tam grandes labores pro te pati? Equidem in suo natali nõ habuit domum, sed vile stabulum: & in morte in alieno sepulchro positus, & in vita non habuit, vbi caput suũ reclinaret: tu autem cum vilis terræ vermiculus sis, alta palatia ædificas, domos superbas construis? Væ illi qui dicit, ædificabo mihi domum latam, & spatiosa cœnacula. Vnde Amos in persona domini, Detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi. Ecce in hoc paruo terræ spatio cœlorum conditor natus est: hîc visus à pastoribus, hîc ostensus à stella, hîc adoratus à Magis. Ille cuius pugillo mundus cõplectitur, præsepij cõtinetur angustia. ¶ At libet & tecum, ô regina cœlorum, parumper loqui, Quæ tam dura & rigida mater es, quæ filium suum modo natum, sine indulgentia tractet? Quod si dixeris non esse locum in diuersorio, nunquid in vlnis tuis non est locus? Credo equidẽ ibi contentus erit, & potiùs quàm in cũctis regalibus aulis. Cur illũ ab vberibus semoues, & in præsepio collocas? Cur beatissima virgo puerum tenellum tã rigidè tractauit? Vtiq; edocta à filio id fecit. Sic enim illi fuit placitũ. Modo autẽ ad filiũ libet sermonem cõuertere & interrogare. Cur ô cœlestis puer ab vlnis matris tolli, & in præsepio collocari voluisti? Vtiq; nõ sine alto cõsilio id fecit: & vtinã his omnibus quod à nobis desiderat cõsequeretur. Quare in præsepio animalium & bestiarũ loco? Quia Adã erat in paradiso terreno & cum honore: cũ autẽ miserè lapsus fuit, animal factus est & in locũ animaliũ eiectus. Homo enim cũ in honore esset, nõ intellexit, cõparatus est iumẽtis insipiẽtibus, & similis factus est illis. Cũ autẽ puer iste hominẽ perditũ quęrat, eũ in loco suo quęrit. Pręsepiũ enim locus est iumẽtorũ. Cõsideret rogo peccator ibi dominũ esse voluisse: vbi sua peccata illũ collocauerant. Voluit sanè diuina bonitas, & maiestas eo vsq; descẽdere, quousq; per peccatũ homo descẽderat. Et idcirco ad pręsepiũ vadit, vbi illũ inuẽturus

Luc. 9.
Ierem. 22.
Amos. 6.

Christus quare in præsepio positus.

Psal. 48.

erat.¶ Præterea cū Christus venerit facere & docere: cūque docturus esset posteà, cùm inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco: ita ipse modo protinus vt nascitur, recumbit in humili, & nouissimo loco: vt nos profundæ & inauditæ humilitatis exemplo doceret. ¶ Expēde etiam præsepium nō hominibus, sed animalibus fuisse factum. Christus nāque sua facit multò aliter, quàm mundus. Pauper enim re vnica ad duo officia fungitur: nam si pallium non habet, lecti capit lodicem, vt se cooperiat: ita, vt lodix pro pallio etiam deseruiat. Sicut enim pauper ex lodice pallium facit, ita Christus ex præsepio canas. Tanta enim dominus fuit operatus, vt nos in humilitate perficeret, vt difficilè sit ea explicare. Nihil enim priùs, quàm hominis & angeli superbiam offendit: quælibet res considerāda est, & secundum qualitatem delicti castiganda. Nāque si superficie tenus rem ipsam perpēdamus, videbitur sanè ipse dominus magis acriter & asperè cum Angelis, quàm cum hominibus, seipsum habuisse: cùm reuera ego crediderim duriùs & acriùs hominum naturam, quàm angelorum esse punitā. Nec de pœna loquor, in quā incidit Adam & eius successores, sed de pœna vnius Christi. Et in hunc maiorem fuisse animaduersionem, quàm in omnes dæmones. Nec dicere valet angelorum pœnam ipsum infernum fuisse: quia tandem non tantum descenderunt, quātum voluerunt ascendere. Nam (vt de Lucifero loquamur) vt iustam suæ insaniæ susciperet mercedem, infinito quodam modo à Deo esset deiiciendus: quia contra infinitè potentem cor suum eleuauit. Et idcircò, quia huic pœnę locus nō fuit: non pleno rigore fuit adimpleta sententia diuina. Factus tamē Christus homo, in animaliū præsepio locatus, in vniuersum soluit, quod ipse homo peccauerat, & magis natura humana in Christo homine humiliata fuit, quā natura angelica, ideoque hominis peccatū grauius fuit in Christo homine punitum, quàm angelorum. Et istæ hominis pœnæ tali modo medicamentum attulerūt, vt satisfactoriæ fuerint: quia pro nobis exoluit Christus atque hæc solutio summa medela fuit nostræ elationis, & superbiæ. Quæ obsecro maior medela esse potuit ad nostram superbiam curandam? Quid vehementiùs in humilitatis amorem nos incendere potuisset: quàm cùm Christum videamus inter bruta animantia in medio præsepio constitutum? Et quamuis in ecclesia cantetur Deum mūdum vniuersum cōdidisse: & fecisse angelos, silētio preterit, & creasse homines audit. Tamen cùm dicitur, & homo factus est, omnis homo genu flectit, & sese ipsum incuruat: in venerationem & obseruantiam tanti & tam diuini misterij. O hominum superbiā detestādam, qui in cognitione tanti beneficij non elationem suam deponūt. In quo quidē loco nihil dicendum existimo de humilitate sanctorum: nam si cū hac Christi redemptoris nostri conferatur, potiùs appellanda veniet superbia quàm humilitas. Vocatur terra humilis, quia pedibus cōteritur, cùm proprius locus illi sit: tamen si cœlū cum terra cōiungeretur, magnam istam diceres declinationem, & humilitatem. Homo enim nō potest ampliùs inclinari cum omnibus virtutibus sit destitutus. Tamē tu cœlum cōsidera in terram ipsam inclinatum: ita sanè Christus Dei verbum seipsum humiliauit, vt non solùm paruul⁹ puer factus fuerit, sed in præsepio locari voluit. Induit filius Dei carnem, vt nos vbertatem spiritus indueremus. Descendit de cœlo ad terram: vt nos de terra ad cœlum eleuaret. Scribi voluit in terra, vt nomina nostra scriberētur in cœlis: & ciuitatem ascendit, vt nos ad patriā cœlestem ascendamus. Etenim nō habemus hic ciuitatem manentem, sed futurā inquirimus: & ille qui totum mundum vario vestit ornatu pānis inuoluitur: vt nos stolam primam reciperemus: manus pedésque sui fasciculis adstringuntur, vt nostræ manus ad opus bonū exerceantur, & nostri pedes dirigantur in viam pacis. Denique in præsepio collocari voluit, vt nos è bestiis homines efficeret, & humilitatem doceret. Si rex in aurea lectica vel triumphali curru iter ageret, præciperetque, vt omnes potentes & magnates regni nullis equis nec mulis ascensis illum comitarentur, dicerent ipsi neutiquā illum comitari velle tanquam talares serui. Tamen si rex iter suum ageret non ascendens equum, mulam, aut currum, omnes alij magnates illum comitarentur vltronei: & quāuis ipsi iam equos ascendissent eos deponerent. Sic legitur quod cùm magnus ille Alexander Persię regnum debellaret, tanta nix & tēpestas cecidisse, dicitur, vt nullus militū iter agere auderet Quod cùm ipse Alexander videret, ab equo descendit, & per medium gelu iter pādit, & inquit Curtius quod erubescētes omnes sequuti sunt eum: amici priùs, deinde copiarum duces, & vltimo loco milites. Cōsidera igitur Christū regem gloriæ, qui cùm mundi huius vanam pompam & apparatum videret: vt nos ad humilitatem adduceret, & ad honorum, & vanitatum contemptum, ipse priùs in humili præsepio locatur. Quod si milites illi Alexandri erubuerunt, dominum suū vidētes ab equo descēdisse: vt quid tu qui & Christianus es, & de Christianismo gloriaris, istam pōpam & vanum apparatum nō deponis? Vrias dixit, Dauid, Dominus meus Ioab est super terræ faciem: & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & dormiam cum vxore mea? Sed quid est, quòd tu nō pudore suffunderis, in mundi voluptatibus, & deliciis viuendo: cùm Christum ducem tuum videas in duro præsepio iacentem, & aspero frigore trementem? Statim cùm nascitur iste puer, vt doctor è cathedra, sic ipse à præsepio humilitatis lectionē legit, non verbis, sed ipsius operibus nos instruēs, vt vehementius nos ipsos excitaret ad illum imitandum. At postquam humilitatis lectione nos instruxit, docet etiam diuitiarum contemptum, quando in loco pauperrimo & abiecto nasci dignatus est. Mira quidē & superna lectione nos docet omnia, quæ in mundo sunt contemptui esse habenda, Clamat vile stabulum, clamat arctum præsepe, clamat alienum, & cōmune hospitium. Si quis non renunciauerit omnibus, quæ possidet: non potest meus esse discipulus. Anteposuit infantulus iste humilē paupertatem, cunctis mundi diuitiis.

¶ Tertiò loco docet, carnis prudentiam mortem propinare: & quòd qui secundum carnem vixerit, morte morietur. Propterea ipse elegit, quæ aspera & dura sunt. Clamat hoc noctis hyemis, & peregrinationis asperitas, Clamat fames, vagitus & lachrymæ. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum ¶ Docuit quartò amorem nostrum transferendum esse à mundanis, & terrenis ad cœlestia: nihil enim mundanum, nihil carnis, nihil temporale in hoc sæculo Christus habere voluit. O beata paupertas à Dei filio & eius sanctissima

Hominis peccatū grauius punitum quā angelorum.

Hebræ.13.

Christi humilitas & paupertas.

Q.Cur. li. 5.

Exemplum Alexandri.

2.Reg.11.

Luc.4.

Rom.8.

Math.14.

mam atre consecrata. Fecit Deus pater, vt magister Geometriæ, qui cùm videat discipulos nec proficere nec intelligere ea, quæ dicuntur, figuras proponit in terra: vt vel sic ipsi scholastici aliquod emolumentum excerpant. Sic etiam dominus olim loquutus patribus in prophetis de sancta humilitate, de paupertate, de mundi contemptu, parum aut nihil proficiebant: quocirca factum est, vt modo in isto puero quidquid anteà prædicauerat, ostenderit in terra, mirabili quodam exemplo. O gloriosissimè & sanctissimè puer, quàm benè dixisti Pilato.

Ioan.19.

Regnum meum non est de hoc mundo. Et vt vera loquar, quamuis alia ratio nõ esset, ad mundi vanitatem propellendam, hæc sola deberet sufficere ad eorum confusionem, qui de nomine Christianorũ gloriãtur. Sed respondeas mihi tu qui homo Christianus es: es ne tu prudentior, quàm Deus? Ideò attende, vt semper id eligas quod Christus elegit: si hanc mundi vanitatem reiicere cupis. Nãque præsepium hoc durum, delicias huius mũdi condemnat: hoc stabulum efficaciter demonstrat quã vani sint honores mundani: & viles illi panni quibus diuina maiestas fuit inuoluta, nobis ostendũt qualis cõditionis sint diuitiæ huius sæculi. At si tu ô anima Christiana videris Isaac sponsum tuum per terram peregrinantem, debes cooperiri pallio sicut altera Rebecca, erubescens, cùm videas Christum in

Gen.24.

præsepio duro iacentem, teque in camelo alto huius mundi honoris, & potentiæ: & ita descendens sicut altera Rebecca fecit & contemnendo vanitates sæculi præsentis vitã redemptoris tui insequere, quandoquidem nosti illum errare non posse. Sed iam subdit causam sanctus euãgelista, cur beata virgo infantem in præsepio reposuerit, scilicet, *Quia non erat ei locus in diuersorio.* Diuersorium domus est, ad quam hospitandi gratia ab itinere quis diuertit: quòd Hispanicè vocatur, meson. At quoniam multi causa professionis in Bethlehem venerant, & diuersoria occupauerant: nullus locus superfuit sacræ virgini statim filiũ Dei parituræ. Necessè igitur fuit ad stabulum diuertere: & idcircò dicitur, nõ erat locus in diuersorio, id est, in hospitio conducto. Vbi manifestè apparet quòd præsepium erat extra diuersorium siue hospitium. Nam cùm dicitur, non erat locus in diuersorio, apertè significatur, nullum locũ esse illis in hospitio, & perinde præsepium esse extra hospitium. Nam si intra diuersorium esset, non vtiq; dixisset, nõ erat ei alius locus in diuersorio. Totum quippe diuersoriũ occupabatur ab aliis, cumque pauperes illi essent, nemo eos excipere voluit: & idcircò necessum fuit foras progredi, & pauperrimo tugurio, & vili stabulo sese recipere nostri amoris causa. Sed pietate animi motus, dices forsitan, Si ego illic essem, vtique eos reciperẽ. Sed quomodo illud facies, cùm quotidie clamet ad ostiũ cordis tui, nec aperis illi? Claudis Christo portã, & diabolo ipsius inimico aperis: & dicis te illis daturum hospitiũ? Sed insuper quomodo tu illos exciperes, si pauperes non excipis? Tu Christianus? Quod si Euangelio credis dicenti, quod vni ex minimis meis fecisti, mihi fecistis: quid

Math.25.

est quòd pauperẽ non excipis, qui nudus, & in medio gelu ambulat: cũ & ex eodẽ Euangelio sis edoctus, quòd si hunc excipis, & Christum excipis. Isti enim pauperes, pro quibus Christus sanguinẽ suũ effudit, nullum operimentũ habent, nec domum, in porticu domus tuæ tota nocte frigore pereũtes: tu autem dormis, & stertis in lecto purpureis pauimẽtis, & tapetibus ornato. At dolendum est, vt quod illi Bethlehemitici cum domino fecerunt, quẽ non cognoscebant, idem tu cum eo facis quem lumine fidei cognoscis: nec eum recipis, qui mutatis vestibus venit in paupere. Sed iam vlteriùs progrediamur. *Pastores erant in eadem regione.* Oportebat enim vt post natum infantem Iesum, vt eius natiuitas nõ esset occulta, sed aliquibus manifestaretur: nam nõ decebat tantũ & tam grande bonum cunctis mortalibus occultari. Sic enim Raphaël angel⁹ inquit, Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare honorificum est. Nemo lucernam ardentem ponit sub vase, sed super cãdelabrũ, vt intrantes domum, lumen videant. At egressus Iesus ab vtero matris tanquã lãpas igne diuini amoris incensus, venit, vt ardeat in cordibus nostris. Idcircò Euangelista ostendit, quomodo natus Iesus, hic fuerit pastoribus nunciatus. Quẽ & posteà Apostoli vbiq; & omni creaturæ regnum cœlorũ prædicantes, manifestauerũt: & tunc viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Expende etiam, quod non solùm Christus exaltatus à terra omnia traxit ad se, sed etiã reclinatus in humili præsepio. Potentior voluit videri Christus in humilitate, & paupertate, quàm in maiestate. In cruce pẽdens adduxit latronem, & Centurionem, & plurimos alios qui percutientes pectora sua reuertebantur: & positus in præsepio adduxit pastores, & Magos ab oriente. Dicit ergo Euangelista, quòd pastores erãt in regione eadem, *Vigilantes, & custodientes vigilias noctis.* Distabant isti pastores à Bethlehem mille passus: & in planicie quadam pascebant greges iuxta turrim inter Bethlehem & Ierusalem, vbi Iacob ex Mesopotamia rediens commoratus est cũ suis gregibus: vbi etiam mortua & sepulta est Rachel. Dicebatur turris gregis: de qua illud Michææ exponitur. Et tu turris gregis nebulosa filia Sion ad te veni. Verùm hîc aliqua erunt obseruãda. ¶ Et non indignum consideratione est, quomodo ea, quæ Dei sunt longo interuallo differant ab his, quæ mundi sunt. Nuncia namq; priùs regibus, imperatoribus, principibus, & magnatibus deferuntur, deinde ad nobiles, & alios deriuantur: quãdo verò ad pauperes perueniunt, iam veterascunt. Sed multò aliter fit in domo domini, nã nũcia natalis Christi nõ imperatori Cæsari Augusto, nõ principibus & magnatibus qui erant in Ierusalẽ deferũtur: sed pauperibus pastoribus, qui posteà aliis nũciẽt & ipsis principibus: Ea nãq; quæ diuina sunt & suprema, nõ superbis, sed humilibus reuelãtur. Sic Christus respõdit discipulis Ioãnis, Pauperes euangelizãtur. Aduerte quòd bona gloriæ, & nuncia regni cœlestis humilibus, & non superbis diuitibus dantur. Namque per horum prædicationem fieri debet notum istis regnum cœlorum. Sic loquutus Christus cũ æterno patre inquit. Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus: & reuelasti ea paruulis. Non per sapientiam, sed per sanctam humilitatem diuina cognoscuntur mysteria. Sic apostolis, & pauperrimis discipulis reuelauit dominus, quod potẽtibus huius sæculi aperire noluit. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo, &c. Ideò Paulus, Non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt, &c. Secundò denunciata est priùs natiuitas pastoribus, quàm aliis, qu a pastoris est nascentes agniculos inter dumẽta quærere, & saxa. Ite

Quibus manifestata Christi natiuitas.
Tobia.12.
Math.7.
Psal.71.
Luc.12.
Marc.16.
Psal.97.
Luca.23.
Math.8.
Math.2.
Locus manifestationis.
Gen.33.
Mich.5.
Natiuitas Christi priùs pauperibus nunciata.
Luc.7.
Math.11.
Ioan.15.
1.Cor.1.

Ite ergo & dicite pastoribus, vt agniculum Bethlehemitica porticu natum veniant quærere. Illum inquam, de quo Esaias, Quasi agnus coram tondente, &c. Et Ioannes. Ecce agnus Dei. ¶ Tertiò pastorum vita, pauper, dura, & pœnitens est. His enim Deus manifestum se facit: & hos vult, suæ natiuitatis futuros prædicatores. Sic vult dominus prædicatores suos abstinentes esse, pauperes, & à mundo abiectos. Et non sicut plurimi, qui hac nostra tempestate subuculis olandæis & bombicinis vestibus induti tendunt, prædicatori aliis paupertatem, & pœnitentiam. Non sic sancti apostoli: qui euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Sine baculo, pera, & calceamentis misit illos dominus: & nudi nomen Dei portauerunt. Istis sanè humilibus, & pauperculis pastoribus conueniens est reuelatio diuinorum, & prædicatio euangelij.

Esa. 53. Ioan. 1. Psal. 125. Luc. 9.

¶ Quartò pastores elegit, vt his priùs suæ sacratissimæ natiuitatis sacramentum ostenderet: quia iā tempus aderat, quo solus ipse & verus pastor promiserat per prophetam dicens, Ecce ego requiram oues meas, & visitabo eas sicut pastor visitat gregem suū, &c. Et post pauca. Et suscitabo super eas pastorem vnum: qui pascat eas, seruum meum Dauid, &c. Et cessare faciam, &c. Quod neutiquàm intelligi potest de Dauide illo rege Israel, qui iā multis retro annis mortuus fuerat, nec iterum suscitandus erat. Quocirca ad literam intelligenda venit de Christo illa prophetia, qui idem dicit, Ego sum pastor bonus. Aduerte autem quod istis pastoribus vigilantibus, & non dormientibus, apparuit angelus domini, vt discas in mandatis domini semper vigilare. Vnde Paulus Timothæo ait, Tu semper vigila, in omnibus labora. Hinc Petrus, Vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, &c. Et Christus, Videte, vigilate, & orate. Et iterū, Beatus ille seruus, quē cùm venerit dominus eius, inuenerit vigilantem. Sed hoc præcipuè ad prælatos spectat: qui animarū custodes, & pastores sunt. Sed quia ipsi dormiebāt, sicut Saul prælatus, & rex Israel, cui abstulit Dauid lanceam & cyphum aquæ: sic quia prælati ecclesiæ dormiebant, venit Lutherus impius inimicus, & disseminauit zizaniam in medio tritici: vt intelligas quantum referat reges, & prælatos vigilare semper in custodia gregis sui. Vtique vigilanti Mosi & gregem custodienti apparuit Deus, quem populi sui principem constituit. Et cum gregem obseruaret Dauid, in regem Israel fuit electus. Et Amos pecora custodiebat, cum efficitur à domino propheta: vt verè ex his intelligas eos esse tali munere & officio dignos, qui semper vigilant, & laborant, neq; vnquam otiosi sunt. His verò temporibus prælati, qui deberent potiùs greges custodire, in regalibus curiis maiorem partem vitæ consumunt, & commissas oues arbitrio mercenarij regendas tradunt, vt vel sic ipsi prælati in vtrāuis dormiant aurem: quo factum est, vt tanta vitia & errores ecclesiam Dei fuerint ingressi. Etenim multa quæ vicarij exercere non possunt, poterunt & ipsi iuxta spiritualem vitam subditorum.

Manifestatur natiuitas Christi per pastorum vigilantiam. Eze. 34. Ioan. 10. 2. Tim. 4. 1. Petr. 5. Math. 13. Math. 24. 1. Reg. 26. Math. 13. Exod. 3. 1. Reg. 16. Amos. 1. Prelatorū residentia vtilis.

Nāque Eliseus præsens suscitauit puerum Sunamitis, quem Giezi baculo suscitare nō potuit. Medici etiam corporales melius, & aptius sanitatem conferunt, si ipsi infirmos visitent, & malè affectam partem tangant. Sic dominus ipse non legitur per alium infirmos curasse. Qui Lazarum absens suscitare poterat, suam præsentiam adhibuit. Et Centurioni dixit, Ego veniam & curabo eum. Et leprosum propria manu tetigit. Et in nostro Luca legimus, quòd singulis manus imponens curabat eos, Subditi enim semper quærunt prælatos suos, sicut mulier Sunamitis Eliseum. Sed his iam omissis, videamus quid addat vlterius noster Euangelista.

4. Reg. 4. Ioan. 11. Math. 8. Mar. 7. Luc. 4.

Super gregem suum. Non super alienum. Non tibi ratio exigetur de alieno grege: sed de tuo. Nam seruo illi dominus dixit, Redde rationē villicationis tuæ. Nam non parum efficies, si te ipsum corrigis, tuásque oues custodieris: nec opus est corrigere id, quod ad te nō attinet. Ideò inuigilandum semper super gregem tuum & alienus dimittēdus. *Ecce angelus domini stetit iuxta illos.* Decebat certè vt sanctā natiuiaatem sanctus angelus prænūciaret: eò quòd exinde homines adducendi erant per Christum.

Luc. 16.

Pax etiam reformata est per beneficium incarnationis inter angelos, & homines. Ideóque rectè dixit, quòd stetit angelus iuxta illos quasi amicus, & in hoc familiaris illis: & in hoc familiaritatem & æqualitatē ostendit. Non suprà illos stetit sicut ante exaltationem humanæ naturæ in Christo, quia permittebāt angeli se adorari, vt factū est ab Abraham & ab aliis: quod quidem minimè fecerūt post assumptam à verbo humanitatem. Nam Ioannes Euangelista relegatus in insulam Pathmos, volens angelum, qui ei apparuerat adorare, dixit illi angelus, Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Honorauerunt angeli naturam humanam post verbi diuini incarnationem. Expēde etiam quòd non absolutè vocauit illum angelū, sed angelum domini: quia venerat nunciaturus ea solùm quæ domini erāt. Ipse enim erat angelus Gabriel, qui nunciauit præcursorē, qui missus fuit ad virginem: & idem ipse est, qui modo venit Iesum iā natum pastoribus nūciaturus, corpore ex aëre formato. Qui quidem duplici honoris signo ab angelo affecti sunt, scilicet cōsortio & loquutione, & claritatis diuinæ illustratione. Qua de causa inquit Euangelista. *Et claritas Dei circumfulsit illos.* Ad incremētum maioris gaudij visus est claritate, quod antiquis patribus nunquam contigit. Exortum est in tenebris lumen rectis corde: & sic nato nouo lumine in hoc mundo, decens erat, vt qui illud nunciaret, nouo luminis radio eos illustraret: quod nec prophetis nec patriarchis cōtigerat. Nā in vniuerso veteri instrumēto non inuenitur, quòd talis lux circumfulserit homines, sicut modo pastores. Post hoc etiā lux de cœlo circumfulsit Paulum: & Petro lumen refulsit in cubili carceris detento. Itaq; tribus de causis angelus tanto lumine apparuit. Primò quia verum lumen nūciabat, ipse enim ait, Ego sum lux mundi. Vnde æternus pater ad illum, In splendoribus sanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te. Et vt litera Hebræa habet, in splēdoribus sanctitatum. At quia hæc obscura sunt, explicatione indigent. Si enim in patre producēte filium vnicum esset attributum quod splenderet, aut vnica sanctitas, quæ splendorem emitteret: rectè diceretur, in splendore illius sanctitatis genui te. Sed cùm pater in sua diuinitate rerum omnium naturas cōprehendat (non corporaliter sed eminenter) sintq; in patre infinitæ perfectiones, & sanctitates, (licèt omnes illæ vnum sint) idcirco omnes illæ creaturæ & omnes illæ perfectiones sunt sanctitates in Deo splendētes. Cùm primū namq; pater in sua æternitate contemplatus est se & suas perfectiones, & rerum

Gen. 18. Apo. 22. Tribus de causis angelus tanta splēdore apparuit. Psal. 109. Act. 10. Act. 12. Ioan. 8. Psal. 109.

rerum naturas quas in se continebat: tunc illa omnia intellectui diuino splenduerunt, & plenissimè sunt à diuina mente concepta, ex quorum omnium notitia, & intuitu verbum diuinum prodiit. Rectè ergo verbum diuinum genitum est non in vnico splendore tantum diuinę essentiæ, sed in splendoribus omnium rerum sanctarum, quas pater in se cõtinebat & intelligebat. Itaq; quia filius non tantũ è cognitione diuinæ essentiæ est egressus, sed etiam ex cognitione bonitatis, sapientiæ & potentiæ, & demum omnium creaturarũ, dicit Psalmus, in splẽdoribus sanctorum vel sanctitatum genui te. Igitur filius Dei, qui ex tot splendoribus genitus erat: & *Hebr. 1.* quidem, ipse (vt ait Paulus) cum splendor esset gloriæ, nobis ex alto ortus est sicut sol refulgẽs in suis splendoribus totum orbem illuminans. Ille enim qui ex splendoribus sanctorum genitus est ab æterno, tanquam sol ortus est nobis, & à mentibus nostris tenebras ignorantiæ fugauit: & tantis tamque diuinis splendoribus intellectum illuminauit. Et *Esaiæ 9.* idcircò Esaias loquutus de Christi natiuitate hanc lucem vaticinatus est, dicens, Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, ambulantibus in regione, & vmbra mortis, lux orta est eis. Is qui malè agit & de malo dolet, & compungitur, is in tenebris est: nondum sedet, sed ambulat adhuc: at is, qui lætatur dum mala efficit, is sedet in tenebris, *Psal. 1.* quia peccatis assuescit, & in vmbra mortis. Beatus ille qui non abiit in consilio impiorum, nec stetit nec sedet: Sed verè miser qui in via peccati vel stat vel sedet. Tales erant homines: nam quidam illorum ambulabant in peccatis suis, & bona pars sedebat in eis: & hic status peccati, planè est mortis, & inferni. Qui verò compungitur cùm peccat vmbram habet vitæ: sed qui in profundum peccatorũ *Prouer. 18.* venit, & contemnit, is sanè miserè iacet in inferni vmbra. His igitur in Christi natiuitate lux orta est.

Prætereà non dicit populum, qui ambulabat in tenebris illuminatum, sed dicit, populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucẽ, & nõ solum lucem, sed lucem magnam: nec dicit habitantibus in regione mortis lux orta est, sed lux est eis orta. Et ideò sancta Ecclesia diuino spiritu gubernata in ingressu missæ secundæ solemnitatis natiuitatis dominicæ canit. Lux fulgebit hodie super nos, quia natus est nobis hodie, &c. Quapropter nos, quia hęc lux nobis illuxit meritò cũ rege Dauid canere possumus. *Psalm. 117.* Benedictus qui venit in nomine domini: Deus dominus, & illuxit nobis. Ideòq; pastores isti circundati sunt tanta luce: quia lucem mundi nunciabat illis angelus, & iam apparuerat natus Christus in Bethlehem. Secundò tanta claritate, & splendore angelus apparuit illuminans pastores non solùm in corpore, sed etiam in corde, vt minimè parui penderent tam insolitum factum, quod tanto claritatis lumine demonstrabatur.

Claritatis diuinæ præsagium. Tertiò tanta apparuit claritate, quia illustrãdus erat mundus nouis doctrinis, sacramentis, atq; decretis tanti, & tam magni principis, qui ad præclara facta nascebatur: & vt depelleret omnes idololatriç tenebras, & cunctas prauitates à corde credentium, vt vera lux meritò posset dici, illuminãs om- *Ioan. 1.* nem hominem venientem in hunc mundum. Vide autem quòd hanc lucem vocauit Euangelista claritatẽ Dei, quia magna erat, Hebraicæ linguæ more quæ magna appellare consueuit diuina: vt montes Dei, cedros Dei, hoc est, ingẽtes, & excelsas. Cęterum dicitur etiam hæc claritas Dei: quia diuina virtute fuit facta. *Et timuerunt timore magno.* Ob angeli maiestatem, & luminis claritatem timuerunt. Qui timor ex humana fragilitate prouenit, quę peccatum insequitur. Idque sanè mirabile est, nõ timore percuti eorum, quæ consolationem nobis afferunt. Sic illi tres apostoli visa domini transfiguratione, ceciderunt in terram. *Math. 17.* Et Paulus in apparitione luminis cæcus factus est, & cecidit. *Act. 9.* Et Daniel inquit, *Dan. 10.* Vidit visionem grandẽ, & non remansit in me fortitudo: sed species quoque immutata est in me, nec habui quidquam virium. Et Ezechiel in visione concidit, *Eze. 2.* donec spiritus eius reuersus erigeret eum in pedes suos. Equidem manifestum est, quomodo natura nostra corruerit à sua tanta nobilitate, & dignitate, & ideò pastores deterriti sunt, quãdo potissimum & ingens solatiũ suscipere deberẽt. Sicut timuerũt mulieres, quæ in die resurrectionis, se ad monumentum contulerunt, cũ viderũt angelos. *Mar. 16.* Certè dignitas hominũ per peccatum cecidit: quandoquidẽ is qui ad intuendũ Deum natus est, nec angeli aspectum ferre valet.

¶ Expẽde quod isti pastores deterriti fuerũt priùs & timuerunt valde, sed citò consolatus est illos angelus. Sic dominus aliquãdo videtur dilectos suos derelinquere, vt eos probet: sed citò cõsolatur eos. Sic egit cum patriarcha Abraham, cùm præcepit illi vt filium suum in sacrificium offerret. *Gen. 22.* Sic etiam fecit cum filiis Israel in deserto cum audierunt sonitum buccinæ, voces, & tonitrua, montemq́ue fumigantem, timuerunt, & perterriti sunt: quibus dixit Moses, Nolite timere, vt enim probaret vos, venit Deus. *Exod. 20.* Idem enim experimentum fecit in Tobia: quare Raphael angelus dixit ei, Quia acceptus eras Deo, *Tob. 12.* necesse fuit, vt tentatio probaret te. Sic etiã sępè dominus tibi immittit flagella, & tribulationes, vt vel ipso experimẽto cognoscas quã altas radices egeris in virtute. Tamẽ semper cõstanti esto animo in tribulationib', nec ideò delinquas: quia opportuno tẽpore iuuabit dominus te ipsum & consolabitur. Sed vide quo pacto angelus fortes reddiderit dicens, *Ecce ego euangelizo vobis gaudium magnum.* Euangelizare est bona & læta nuntiare: quo verbo optimè vsus est angelus, qui tantũ & grande bonũ pastoribus nunciabat. *Natiuitas Christi læta, iucunda & salutaris, principum cruenta.* Fœlix & in prosperitate erat homo in terreno paradiso: at cum miserè peccauit, versa est in luctũ cithara nostra, & organũ nostrũ in vocẽ flentium. *Iob. 30.* Sed cũ Dei filius iã nascitur, vt nos ab exilio in pristinã libertatẽ astrueret, meritò hominib' gaudiũ angeli nũciãt. Christi nãq; natiuitas verũ gaudiũ attulit mũdo: quia venit, vt tribueret eis verã vitã. Fecit gaudiũ rex Pharao in Aegypto, sed *Gene. 40.* in illa tanta natalis sui festiuitate occisus est pistor, & sanguis humanus effusus. Celebrauit quoq; festũ natalis sui Herodes, & ibi occisus est Ioãnes Baptista: *Mar. 6.* quia isti nõ nati sunt saluatores, sed interẽptores. Et nõ solũ isti, sed etiam viri sancti (vt Ieremias *Iere. 20.* qui in materno vtero sãctificatus fuit) dixit, Maledictus dies, in quo natus sum, & nox in qua dictũ est, cõceptus est homo. Et sanctissimus Iob, Pereat dies *Iob. 3.* in qua natus sum, &c. At Christi natiuitas gaudiũ attulit vniuerso mũdo, & idcircò gaudiũ nũciatur in eius natiuitate futurũ. ¶ Vide etiã, q̃ nõ solũ gaudiũ nunciauit, sed id magnũ. Propter duo gaudium *Læta nostra duabus de causis.* hoc magnũ est. Primò, quia verũ, & perpetuò duraturũ est, ad differentiã mũdani gaudij, quòd momẽtaneũ est. Esaias, enim inquit, Ingemiscẽt oẽs qui *Esa. 24.* lætabau

lætabantur corde. Cessauit gaudium tympanorum & quieuit sonitus lætantium. Quemadmodũ gaudium auium fallax & mendax est, dum sub retibus grana tritici comedunt: & piscium dum iacto hamo escam degluriunt, quando nõ minus, quàm vita hâc lætitiam exoluunt: ita mundanorum hominum exultatio vana, breuis, fallax, & mendax est, cum ipsam mortẽ & infernum sub voluptate propinet. Vana quidem est huius mundi voluptas, cũ inter immẽsa viuamus pericula. Dicit enim sapiẽs. Risum reputaui errorem, & gaudio dixi. Quid frustra deciperis: Quocirca gaudium Dei, magni nomen meretur: quia animæ gaudiũ est perpetuo duraturum. Propterea Apostolus admonet, Qui gloriatur, domino glorietur. Et iterum gaudete in domino semper, iterum dico gaudete. Solum domini gaudium certum & securum est, de quo ait dominus. Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Eccle. 2.
2. Cor. 10.
Ephe. 4.
Ioan. 16.

Secundò gaudium hoc magnum dicitur, quia vniuersale est. Bonum nanque ex propria natura habet, vt se ipsum diffundat & communicet: & propterea, quia hoc gaudium optimum & vniuersale, ideò magnum.

¶ Et quia ad omnes, & in omnes diffunditur, addidit Angelus *Quod erit omni populo.* Non dicit, quòd erit gaudium multis sicut de Ioanne Baptista dixerat: sed dixit omni populo: scilicet Iudæis, & gentibus, & omni populo, & omnibus hominibus cuiuscunque nationis aut conditionis sint: quia pro omnibus natus, & mortuus est. Propterea obseruãdum, quòd omnis distributio est accommoda: non pro generibus singulorum. Nam quãuis Christus pro omnibus natus, & mortuus sit, nõ tamen consequuti sunt effectum salutis: quia non omnes beneficio Dei sufficientissimo vti voluerunt. Quapropter iusti illi cadentes ad pedes agni dixerunt, Redemisti nos domine ex omni tribu, populo & lingua, & natione. Non dixit quoad efficaciã omnem tribum, omnem nationem esse redemptam. Sed ex omni populo aliqui effectum & gratiam cõsequuti sunt. Ex quo loco docemur bonum commune semper quærere, & vtilitatem proximorum, neminem ab orationibus nostris excludẽdo: quãdoquidem redemptor noster pro omnibus nasci voluit: & angelus nunciat gaudium natiuitatis futurum esse omni populo. Itaque Christus pro omnibus nascitur. Homines verò hac nostra tempestate sibi ipsis solùm nati videntur, non verò aliis. Infœlix ille, qui sibi soli natus est. Sunt enim quidam homines ita natura sua miseri & auari, qui solũ suo commodo & non alieno inseruiunt. Nihil aliud es tu qui hoc modo viuis, ac si natus nõ esses. Nulli amicus nisi tibi solùm es. Considera obsecro nõ solum tibi, sed & aliis natum esse: & considera Christum qui omnibus nascitur, & se totum cũctorum vtilitati accommodat: & ita tu vtilis esto omnibus proximis tuis. Obserua etiã gaudium natiuitatis Christi commune esse omni populo, cuiusmodi non est gaudium mundi: nam quando vnus nascitur, alter flet. Victor suum celebrat triumphũ: & victus suam lamentatur miseriam. Vnus in triumphali curru ouat, alius in vinculis cõstrictus manet. Vnus in dignitatem ascendit: & qui cadit, tristis est. Gaudet & lætatur hæres: & plangit & moritur, qui hæreditatem deponit. Alij diuites, & læti sunt: alij pauperes & tristes. Alij cum gaudio viuunt: alij in infœlicitate, & amaritudine vitæ: Itaque mũdus, ita pauper & egenus est, vt si quem ditare velit, alium necessum est, vt in paupertatem constituat: & si quem in Hispaniæ regem exaltat, alium à dignitate deponit. Et idcircò gaudium mundi nõ est omni populo, sed aliquibus. At Christi gaudium plenum est: & vniuerso populo venit. Gaudium (inquit Angelus) erit omni populo. Qui seruiunt Deo, omnes gaudent: quia multa habet Deus bona, quibus eos amplificet & locupletet, cùm ditissimus sit: & omnes potest voluptatibus, & lætitia afficere, alterius voluptate non diminuta. Percurre igitur si libet omnem huius mundi gloriam, & facilè inuenies vnius fœlicitatem, alterius esse luctum: & gaudium alterius, dolorem alteri parare: & vnius salus, alteri mortem parat. Et idcirco nullum præter hoc diuinum gaudium est omni populo.

Luc. 2.
Gaudium de Christi natiuitate, vniuersale.
Apo. 5.
Christus nobis natus, at non nobis ipsis & non aliis.

¶ Sed vt his cõcludam, obsecro, vt animaduertas, quod si magnum gaudium est, Christum, considerare pauperem infantem, pannis inuolutum, positum in præsepio: quod gaudium erit illum videre inter ipsos angelicos choros gloriosum & exaltatũ in cœlo? Certè id gaudium tale erit, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit: nec in cor hominis ascendit. Ibi perfectũ possidebis gaudium, & omnes rationes illius, sine vllo timore tristitiæ. Id gaudiũ tale erit, quod si obtinueris, nemo à te auferet, in cuius comparatione omnis lætitia tristitia est, omnis suauitas dolor: dulcedo est amaritudo: pulchritudo, deformitas: & angor spiritus, id omne quod oblectare potest. Vnde subdit angelus, 1. Cor. 2.

Quia natus est vobis hodie Saluator mundi.

O quam bona nuncia hic angelus mundo attulit. Ille qui æternus erat, & sine principio voluit nasci, & terrenus ciuis fieri: vt consortem cœlestis patriæ te ipsum efficeret. Paruulus nanque datus est nobis & filius natus est nobis. Paruulus facilè placatur. Si infantem contumelia affeceris, re leui, & paruo aliquo dono iniuriam remittet. Contemplare igitur filium Dei pauperẽ, & humilem, peccata plangentem, quæ tu deberes plangere, plorat autem ipse ne tu in infernum abeas ploraturus. Nõ districto nascitur ense, quia non ad vindictam, sed ad condonationem viuit. Modo sane ad illum accedere potes, dum pater æternus de illo dicat. Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus: in quo benè complacuit animæ meæ. Sequitur, Non contendet ad modum mali & seueri iudicis, nec clamabit. Equidẽ opportunum est tempus, vt ab eo veniam efflagites. Caue ne oblatam amittas occasionem: ne posteà illum acerrimum iudicem experiaris: quia nunc nõ contendet ad modum iudicis nec clamabit. Sicut Eliseus descendens de monte, puero mortuo fuit coniunctus, vt illum suscitaret: ita verbum Dei descendens à summo cœlo, nostræ mensuræ se accommodauit, vt nos à morte culpæ eriperet, & nobis gratiæ, & gloriæ vitam daret. Natus est (inquit) vobis. Primò exponitur, vobis omnibus natus est, hodie, sed ab ipsa æternitate. Si enim dixisset, tantum, natus est hodie: vtique dedisset ansam hæreticis, existimandi, eum hodie cœpisse esse: sed cũ vobis subdidit, manifesto innuit ab ipsa æternitate illũ fuisse. Vobis natus est à matre virgine in tempore, qui nobis semper nascitur, & natus est à patre æterno. Vobis est in Bethlehem natus, nobis in cœlo: vobis natus est paruulus, sed nos illũ possidemus magnũ, & potẽtem: vos pannis inuolutum habetis, nos verò illum

Christus paruulus quia facile placabilis.
Esai. 24.
4. Reg. 4.

rò illum gloria vestitum tenemus.

¶ Secundò vobis inquit: hoc est, ad vestram vtilitatem & commodum. Ideò Zachar. Ecce rex tuus *Zach.9.* tibi venit mansuetus & humilis. *Heb.2.* Nunquam enim angelos apprehēdit, sed semen Abrahæ apprehendit. Non dicit assumpsit, aut accepit, sed apprehendit. Tunc dicimus aliquem posse apprehēdi, quando cursu possumus illum attingere. Exules eramus per carnis desideria, & tandem apprehendit nos. Totus itaque noster est. Eius lachrymæ, nostræ: gemitus, nostri: labores, nostri: & nostra etiam ipsius mors: & nostra redemptio, quam ipse in ligno crucis fuit operatus: nā propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.

¶ Sed considera tu & animaduerte qui diues es, Christum non sibi, sed tibi natum: & ita tu nō tibi soli natum esse existimes, pauperibus & proximis eleemosynam elargiendo. Sed de his iam multa diximus. ¶ Tertiò exponitur vobis, hoc est, vobis humilibus, pauperibus, & simplicibus pastoribus: qui à mundanis hominibus despecti estis, qui vestro labore & sudore viuitis. *Quibus nascitur Christus.* Non superbis diuitibus, auaris, otiosis, carnalibus, & impudicis, nec illis qui primas cathedras diligunt. *Matt.23.* Non ad istorum consolationē Christus nascitur: quia viles panni saluatoris mūdi contēnuntur ab eis, qui delicatissimis linteis & holādis carni suæ indulgēt, qui fucū & odorifera vnguenta sibi parant. Præsepium durum nō cōsolatur eos qui tota nocte leuibus dormiūt ceruicalibus: nec eos, qui media die cōsurgunt. Equidem paupertas Christi minimè consolatur eos, qui inexhaustam habent diuitiarum sitim. Nec humile & abiectum præsepium eos cōsolari potest qui per totum vitæ discursum contendunt, vter in potiori loco sedebit. *Malach.4.* Propterea Malach. locutus de Christi natiuitate non dixit, quòd Christus nasciturus esset in omnium consolationem: sed terminum imposuit dicēs, Orietur sol iustitiæ. Quibus obsecro? an superbis, auaris, & voluptatibus deditis? Minimè sed vobis timentibus nomen suum. Istis tātum nascitur & isti eius natiuitate gaudent, & eius fructū consequuntur. Oritur Sol mane, & quanuis omnibus oriatur: tamen si quis in cauernis terræ fuerit absconditus, nequaquam isti oritur, nec illi etiā, qui fenestram domus claudit, nec permittit illū introire, nec illi etiam oritur, qui infirmitate oculorum laborat: qui tātum abest, vt illi oriatur, vt etiā eius oculos offendat. Ita Christ⁹ verus sol iustitiæ, quāuis omnibus oriatur, nec vlli suū lumē & splendorem deneget: tamen non iis nascitur, qui odio & mala voluntate sunt pleni, quique vitā suam flagitiorum inquinamentis polluerunt. Solū illis nascitur, quantum ad effectum, qui timēt nomē domini. Quare aduertendum tibi est maximè, quòd qui sole frui voluerit, opus est, vt vmbram fugiat, & terga illi vertat. Sic omnia hęc terrena sunt velut vmbra, & transeunt velut vmbra. Terga verte mundo, vmbrā & vanitatē illius contēnēs, & frueris splendidissimo sole iustitiæ tibi nato, cui⁹ radij te ipsum consolabuntur. Nemo sanè tanto solis istius splendore gaudet, nisi is qui mundum reliquerit.

Expende etiā quòd nobis nasci voluit, vt nostrū amorem cōciliaret. Diligitur enim aliquis propter similitudinem, nā similitudo causa amoris est, Hac ratiōe Deus similis nobis in nostra apparuit humanitate, vt à nobis diligeretur: & idcircò nō est factus angelus, sed homo, quia plus dilexit naturā humanam quàm angelicā, vt nos illū summo prosequeremur amore. Excellētioris naturæ sunt angeli, tamen nos plus dilexit dominus quā illos. Si cui manus amputaretur, & eidem daretur altera aurea & lapidibus pretiosis confecta, hanc secundam eligeret: nullus ita insanæ mentis homo esset, qui vellet sibi propriā manum amputari, vt aurea vel argētea illi donaretur. Nam quanuis manus argento confecta vel auro maioris sit valoris: tamen carnea, est propria eius substantia à venis, neruis, & sanguine roborata. Ita nos sumus Christi membra, & manus eius carnea, angeli verò sicut aurea manus & argētea: & quanuis metalli genus pretiosum sit, tamen Deus maiori amore nos diligit, tāquam ipsius manum carneam. Itaque si similitudo, amorē generat, iam videas filium Dei propter te hominem factū & tibi similem. Antea quidē grādis dissimilitudo erat: nā ille immortalis erat, & tu mortalis: ille inuisibilis, tu visibilis: ille impassibilis, tu passibilis. At modo nobis donatus est visibilis, mortalis, passibilis, & nobis similis, dēpto ipso peccato, à quo prorsus immunis fuit. Secūdò ea quæ nobis pręsentia sunt magis diliguntur: cum & obiectū pręsens fortius moueat potentiam, quàm absens: & quę absentia sunt, multoties solemus obliuisci, cū à nobis nō videantur. Nam quanuis Deus antea vbique esset per suā potentiā, præsentiam, & essentiam: sed cum non videbamus, quo fiebat vt tanquam absens à multis reputaretur. At modò in humanitate assumpta adest nobis præsens & visibilis: & cum ad patrē abire oportuit, sacrū eucharistiæ mysterium nobis instituit, vt semper corporalem ipsius præsentiā nobiscum haberemus. Idcircò nasci nobis dicitur, vt cū nobis esset similis & semper nobis adesset præsens, nostrum amorē conciliaret ille, qui adeò nos dilexit, vt nostrum lapsum reparauerit, potiùs quā angelorum: & illos sine remedio reliquit, nos autē nimio complexus est amore. ¶ Denique vt concludam, hoc vnū restat animaduertere, non dixisse angelū, natus est vobis saluator in hac nocte, sed hodie: quia rem lætam nūciabat. *Nomine diei prospera & læta significantur.* Non enim pro qualitate temporis dicit hodie, sed pro qualitate rei. Vbi enim de reb⁹ tristibus agitur, nox nominatur: vt est illud, Omnes vos scādalum patiemini in ista nocte. *Math.26.* Et alibi, Priusquam Gallus cātet in hac nocte, ter me negabis. *Marc.14.* Et de Iuda traditore inquit Ioannes, Cùm accepisset bucellam exiuit continuò. *Ioan.13.* Sequitur, Erat autem nox. Sic etiam diuiti auaro dictum est, Stulte hac nocte tollēt animam tuam à te: quia anima, quæ ad tenebras ducitur, nō in die sed in nocte aufertur. *Luc.12.* Sic etiam Salomon sapientiā non permansurā nō in die sed in nocte accepit. *3.Reg.3.* Nicodemus etiam nocte venit ad Christum: quia lōgè erat à vera Christi cognitione. Prospera autē & læta nomē diei accipiunt: vt optimè notat D. Ambr. *Ambr. super ca.22.Luc.* Nam cum Petrus nocte Christū negasset in die illum cōfessus est, dicens, Tu scis domine, quia amo te. *Ioan.21.* Angeli etiā ad Abrahā meridie veniunt: puniturī autē Sodomā vespere venisse dicuntur. *Gen.18.* *Gen.19.* Et patiētissimus Iob dicitur eam tentationem, quę cum victoria finiebatur, in die sumpsisse. Quadā die cū venissent filij Dei & assisterēt corā domino. Et cū die, inquit, ostēdit fœliciter Iob euenturā illā tentationē. *Iob.1.* Et illi quatuor leprosi, quanuis in nocte inuenerūt castra Assyriorum plena cibis & diuitiis dixerunt. *4.Reg.7.* Hæc dies boni nūcij est: si tacuerimus vsque mane, &c. lætā noctē diē vocauerūt. Ideoque angelus, quia fœlicia & læta

ta nunciabat, non dixit hac nocte licet reuera nox
esset: sed dixit hodiè. Secundò etiam hoc dixit, quia
Christi natiuitas noctē illam in diem conuerterat.
Psal.138. Verè enim dies est, cū sol oritur super terram. Nox
(inquit propheta) sicut dies illuminabitur, sole iu-
stitiæ Christo mirabili quodammodo illustrata.
¶ Præterea mundi saluator Christus ab angelo
appellatur, quia ipse est saluator noster: nā secundū
diuinā naturā per auctoritatem & efficiētiam prin-
cipalem dator est salutis & gratię: & secundum hu-
manitatem assumptam, est saluator per efficiētiam
instrumentalem, & velut meritoria causa gratiæ &
salutis. Sua enim passione abstersit peccata nostra,
& saluauit nos, & contulit gratiam & salutem, libe-
rauit tandem nos à diaboli & mortis seruitute. Nā-
que saluator is dicitur, qui aliquē ab aliquo pericu
Osea13. lo eripit. Ideóque dominus per Osæam inquit, Ego
sum dominus Deꝰ tuus, & saluator nō est alius prę-
Esai.35. ter me. Et Esaias, Deus ipse veniet & saluabit nos.
¶ Expende etiam, quia non dixit eum esse salua-
torem ab hoc vel illo malo, sed absolutè: ad signifi-
cādū, quòd est nobis saluator & liberator ab omni
periculo & malo. Sed iam angelum audiamus se-
ipsum declarantem, *Qui est Christus dominus in ciuitate*
Dauid. Hebræū vocabulū משיח Messiach, signifi-
cat Græcis Christum, & Latinis, vnctū. Vngeban-
tur enim apud Hebræos reges vt videre est in Sau-
1.Reg.10. le, Dauide, Salomone, & Iehu: Vngebantur etiā sa-
1.Reg.16. cerdotes, vt habetur in Leuit. & apertius in Exod.
3.Reg.1. 4.Reg.9. Vngebantur etiam prophetæ vt Helias, qui de mā-
Leui.8. dato domini vnxit Elisæum in prophetam. Chri-
Exod.20. stus tamen hoc materiali oleo non est vnctus, quia
regnum eius, sapientia, & sacerdotiū ęternum erat:
non quemadmodum fuit regnum istorum tempo-
rale, & breuissimum. Non vngitur oleo Aarō, cuius
sacerdotium finitum est: sed oleo æterno Melchise-
dech, de quo in Psal. dicitur, Tu es sacerdos in ęter-
num secūdum ordinē Melchisedech. Vnctus enim
Psal 109. fuit Christus oleo sancti spiritus, de quo ad literam
Esai.61. inquit Esai. Spiritus domini super me, euangeliza-
Luc.4. re pauperibus misit me. Et secundū humanitatem
vnctus est diuina & supernaturali vnctione & ple-
nitudine gratiæ, necnō spiritus sancti donis iuxta
Psal.44. illud prophetæ, Vnxit te Deꝰ, Deus tuꝰ oleo lætitiæ
Colos.2. præ consortibus tuis. Etenim nō ad mensurā datus
est illi spiritus, de cuius plenitudine omnes accepi
Apoc 19 mus. Quia ipse erat rex regū & dominus dominan-
tiū: desideratus cunctis gētibus, qui mittēdus erat.
Agge.2. Quo adueniēte iuxta Aggæi vaticinium vnctio Iu-
dæorum cessare debebat, & sceptrum de Iuda: quē-
Gen.49. admodum Iacob prophetauerat esse auferendum.
Et ideò vt omnia in Christo confirmarentur factus
est ipse rex & sacerdos in æternum. ¶ Præterea vo-
cat illum angelus dominum, dicēs, qui est Christus
dominus, quia secundum vtrāque naturā dominus
est: quamuis diuerso modo. Quia vt Deus est domi-
nus per indepēdētē auctoritatē: & secūdū humani-
tatē est dominus, per potestatē & gratiā tēporaliter
Mat.28. datā, creatā & instrumētalem. Ideò ipse ait, Data est
Christus dicitur vnctus, qa man. æter. mihi omnis potestas in cœlo & in terra. ¶ Obserua
verò, ꝙ licèt alij in scriptura sacra vocati sint domi-
ni & Christi, antonomaticè tamē solus Iesus Salua
tor, & redēptor noster dicitur Christus dominus,
quia vt est rex regum & sacerdos in ęternum, ita est
Heb.7. dominus omnium & nobis vnicus sacerdos. Vnde
Paulus. Alij plures facti sunt sacerdotes: hic autem,
quia manet in ęternū, sempiternum habet sacerdo-
tium. Expende autem & considera Dei bonitatē &
clementiā, & quā mutata sint tempora. Ille autem, Exo.20.
qui antea vocabatur Zelotes, vindicās peccata pa- Psal.94.
trum in filios vsque ad quartam generationē, & do Psal.2.
minus exercituum, & Deus vltionū. Et ille qui an- Psal.113. Dan.7.
tea in virga ferrea regebat, vocatur iā vnctus, man- Psalm.49.
suetus, & lenis. Ille qui respicit terram, & facit eam Psalm.17.
tremere, ille cui adstāt millia milliū, & ignis à facie Abacu.1.
eius exardescit, qui de cœlo intonat & mittit sagit- Psal.113.
tas & dissipat hostes, fulgura multiplicat, & cōtur-
bat eos: qui si aspicit, dissoluit gentes, & conterit
montes sæculi, qui tangit montes & fumigāt: ecce
māsuetus adest & humilis, oleo begninitatis & mi-
sericordiæ vnctus, clemēs, & pius, in præsepio vagiēs.
Vnde tibi maximè est cauendum, ne in hac lege, &
in hac noua gratia malus & peccator sis: nā coges
dominum tuis peccatis, vt Christi nomen deserat,
& vt sumat sibi nomē atiquū seueri iudicis, & exa-
ctoris. ¶ Denique quia Dauid natus & nutritus fuit
in Bethleē, vocatur ciuitas Dauid Bethleē: Christus 1.Reg.16.
tamē quia filius eius erat, oportuit, vt in Bethleem
nasceretur iuxta prophetiam. Signū tamen vt à pa- Mic.5.
storibus inueniri possit (quia iuxta Paulū Iudæi si- 1.Cor.1.
gna petunt) dedit Angelus dicens, *Hoc vobis signum,*
Inuenietis infantē pannis inuolutū, & positum in præsepio.
Quid hoc sibi vult minister Dei? quia cùm vrbanus Christus saluator non pu-
sis & ciuis cœlestis natus, ad rusticos & agrestes ve gnādo sed pa-
nis, vt eos derideas? Quæ signa sunt hæc? Si saluator tiendo.
iste est, quē tu dicis, & ad saluādos homines venit:
vbi sunt illi inexpugnabiles, & fortes milites, & vbi
sunt copiæ eius? Vbi sunt vexilla sua, vbi armorum
strepitus, vbi tormenta, vbi tandē instrumenta om-
nia bellica? Vbi thesaurus opulentus, quo mercedē
militibus exoluat? Vbi ducis nostri fortitudo, qua
nos erepturus est à potestate inimicorum? Vbi stre
pitus aduenientis cū eo curiæ? Vbi magnates & prin
cipes regni ipsi famulantes? Vbi est illa mundi sub-
uersio & cōturbatio, qua inimicū persequitur? An
exercitus eius est virgo tenera & sanctus senex Io-
seph: & eorū paupertas thesaurus? Nūquid vexilla
extēsa, sunt telæ illæ aranearū in stabulo extensę? Vi
de quid dicas angele, an irrides nos? *Hoc vobis signum*
inuenietis, &c. Hoc maximū argumentū est & neces-
sarium signum, vt cognoscatur. Etenim nō est quid
magnum, aut magnam arguit fortitudinem, vt po-
tēs princeps inexpugnabili exercitu in fugam ini-
micum vertat & captum ad se reducat: nec etiā est
mirum, vt magno tormētorū strepitu fortes subuer
teret muros. At non ingenti copia, nec fortibus ar-
mis indutus, sed humana imbecillitate adiutus in
præsepio positus, superbum vincere inimicum: hoc
quidem maximæ potentiæ est tribuēdum, & ducis
Christi virili brachio. Ideò iste est rex potens & sal- Math.2.
uator vester: qui pannis inuolutus tyrānos treme-
re facit: & in præsepio repositꝰ, cœlos prouocat: &
puerilibus pannis, vt diximus inuolutus, inimicos
in certamina vocat: & priùs eos vincit, quàm cer-
tamen aggrediatur. Et ita suo aduentu mūdi prin-
ceps ostenditur, & omnium creaturarum posses-
sor: vt angeli & sidera cœli ad nutum illi obtēpera-
re non dubitent. Hoc erit signū euidētissimū quod
vobis ostendere possum, inquit angelus: nā hoc est
genus armorum Dei, vt Esa. inquit, Lætabūtur co- Esai.9.
ram te sicut lætantur in messe, &c. Iugū enim one-
ris eius & virgam humeri eius, & sceptrum exacto-
ris eius superasti: sicut in die Madiam. Legitur in li- Iud.7.
bro Iudicum, Gedeonem trecentis viris sibi assum-
ptis

ptis vicisse exercitum Madianitarum? qui non pugnauerunt lancea, gladio, aut sagitta: sed tenentes lanceas in manibus & tubas clangentes. Non isti pugnabant armis percutientes, sed ferentes: non aggredientes, sed resistentes vicerunt. Sic Christus sicut in die Madian non pugnans, sed sustinens vicit. O sanctissime rex Messias, ô gloriose infans & saluator noster, hæc tua facinora, has victorias & triumphos nequeo intelligere (inquit Esaias) quibus possim ea omnia conferre, nisi cum victoria Madian. Ibi ego similitudinem tuę victorię, & triũphi vidi. Nam sicut illi non pugnantes, sed ferentes & resistentes potentẽ Madian exercitum vicerunt, ita tu sine armis, & nudus, solis lachrymis, & à pręsepio vagiens potentem Satanę exercitum debellasti. *Arma Christi.* Frigus illud, lachrymę & labores, certè arma sũt quibus vicisti. Vires tibi sunt non in armis: sed in virtute cordis, & in fortitudine animi. Nanque si bicipitem ensem arripis debili & infirmo brachio, nihil mali inferes. Sãson sine armis quacunque alia re sumpta viriliter pugnabat: & timorem inferebat: *Iudi. 15.* propter suam fortitudinem: nam cum asini mandibula mille interfecit viros. Qui infinita potentia nascitur, quibus libuerit armis vincere poterit. Idcircò angelus hæc signa dedit, vt pastores intelligerent illum verum esse Messiam, & mundi redemptorem. *Esai. 40.* Vnde sanctus propheta Esai. de hac Christi saluatoris natiuitate alloquitur dicens, Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Siõ: exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Hierusalem. Concionator qui aliis prædicas caue tibi vt vita tua doctrinæ correspondeat, & excelsa cacumina mõtis virtutum ascendas & fortitudine hoc est in spiritu & virtute populo prædices. Et qd loquar ad eos domine: Dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus vester, Ecce dominus Deus in fortitudine veniet. Quid est sanctissime vates hoc quòd in fortitudine veniet dominus: Meliùs forte diceres, veniet in lachrymis, in paupertate, in debilitate, & in opprobrio, & contemptu. Rectè dixi quòd in fortitudine veniet: siquidẽ infans iste in Bethlehem natus & iacens in præsepio, maiorem ipso Deo virtutem ostendit. *Deus homo, fortior Deo simpliciter.* Quasi dicam, Fortior est Deus factus infans, quàm solus Deus. Nanque Dei summæ virtuti addi, neque detrahi quicquam potest: Deus enim est summè fortis, omnipotens, &c. Atqui maiorem fortitudinem, Deus factus homo demõstrat, quàm antequam humanam carnem assumeret. Veluti si gigas ingens valdè, armatúsque arrectaque claua, & ictu alicuius molas detesque constringeret, quid magnum: Atsi infans quidam nudus omnino idipsum faceret, magnum quidẽ opus patraret. Quod etiam mirabiliùs multò esset si nudus, manibus pedibusque ligatis. *Exo. 14.* Sic etiam quòd omnipotens maximusque Deus ictu quodam, malos de cœlo angelos præcipitauerit, & Pharaonem cum equitatu & exercitu in mari submerserit, & quòd millia de exercitu Senacherib occiderit, *4. Reg. 19.* & alia huiusmodi passim fecerit mirabilia: non mirum, cùm eius sit ingens virtus & infinita potentia. Sed mirabilius illud est quòd hic infans ab ipso præsepio horresce re faciat infernum, tremere tartara: & manibus pedibusque fasciæ deuinctis, deuicto mortis aculeo morsu mortem destruxerit, ictuque laniauerit: non vulgare opus, sed eximiæ virtutis fuit. *Apoc. 5.* In Apoc. habetur in illa apostoli Ioannis mira visione quòd vidit in dextera super thronum librum intus & foris scriptum & signatum sigillis septem. Viditque angelum fortem prædicantem voce magna & dicentem. Quis est dignus aperire librum, &c. Et cum nullus reperiretur, dixit beatus Ioannes. Propter qđ ego flebã multum. Optabat enim inuenire quis aperiret librum, & cognosceret literaturam. Et vnus de senioribus dixit mihi. Noli flere, Ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid, aperire librũ & soluere signacula eius. Et vidi, & ecce in medio throni & quatuor animaliũ, & in medio seniorũ agnũ stãtẽ. Et venit & accepit de dextera sedẽtis in throno librũ, & cùm aperuisset librũ &c. Vide & diligẽter aduerte quòd leo aperit librũ, & soluit septem signacula eius, sed factus agnus. Ipse Deus, rigidus, fortis, & perquã fortissimus leo, hæc operatur mirabilia, obtinetque victorias & trophæa pãgit, cuius diuina virtus instar ferocissimi leonis est: at hoc debet intelligi factus humilis & mãsuetus agnus. Infans iacẽs in præsepio, dominus virtutũ leóq; fortissimus est. Vagit inter arcta positus præsepia, & fulget in cœlo & tartara corã ipso tremuerunt. Meritò ergo ait Esaias, quòd dominus Deus noster in fortitudine veniet. Adeò enim fortis est & præpotens, quòd inimicorũ profligat agmina, & trepidare facit inferna. Et siquidẽ in debili admodum fragiliq; natura suã præmõstrat virtutẽ: inde est quod ipsum verum esse Messiã ac redẽptorẽ magis ostendat. ¶ Insuper nõ potuit angelus potiora ostendere signa, vt significaret eũ esse mũdi saluatorẽ: nisi ostẽdens eundẽ pauperẽ, abiectũ & in præsepio natum. *Signũ Christi nati paupertas.* Duo quippe præcipui saluatores Israel nati sũt sic. Moses qui liberauit populũ à seruitute ægyptiorũ: *Exo. 2.* sic natus est: qui inuẽtus est à Pharaonis filia morti expositus & in flumine proiectus in fiscella iũcea. *Esdr. 1.* Cyrus etiã rex qui liberauit eos de captiuitate Babylonica, statim post natiuitatẽ ab Astiage rege Medorũ auo suo (vt Iustinus refert) interfici iussus est: Et Arpago quodã miles in quodã nemore puerũ dimisit à bestiis & ab auibus dilacerãdũ & comedendum. *Iusti. li. 1. Abbrev. Trog. Pomp. Xenophon in Pedia Hero. li. Clio.* Et idcircò angelus in natiuitate domini signum dedit abiectionis & paupertatis dicens, Inuenietis infantẽ pãnis inuolutum, &c. Acsi diceret, Cõsiderate ô pastores eos, qui à duplici captiuitate Ægypti & Babyl. vos liberauerũt Mosẽ videlicet & Cyrũ sic natos esse. Et vt credatis hunc vestrũ esse saluatorem: attendite quod vobis abhibeo signum, nõ quidem pompæ honoris, aut diuitiarũ, sed paupertatis & abiectionis. Hæc propria signa sunt saluatorum Israel, sed quia hic liberaturus est vos à potestate dæmonis & mortis, quorum vires potentiores sunt, quàm humanæ, Deus est: & quia redemptio vestra est, ideò factus est homo: & rectè quidem in fragilitate carnis & despectu vestium esse saluatorem ostẽdit Filius Dei, quia ad liberandum hominẽ venit, natus est homo, & mortalitatis signa gerebat, ea videlicet quæ Angelus pdixerat. Cognoscitur enim quis à quo sanguine ortum ducat ex insigniis & stemmatis quæ in tapetibus defert. Leones namque & Castellæ Hispaniæ reges significant: & flores vulgo de Lis, Franciæ reges sunt insignia, & ita ex insigniis cognoscitur quis à quo sanguine genus suum deducat. Sic si Christus nasceretur gloriosus & potens, magnus vt gigas, vel *Christi insignia.* nasceretur solũ immortalis & impassibilis, non vtique à multis haberetur homo. Ideò opus erat pauperem nasci, passibilẽ & frigore tremẽtẽ, vt illũ hominẽ esse cognosceremus & ex genere hominum

ortum. Vnde actū est, vt protinus arma & insignia, quibus nascitur, ostendat, vt his signis ostensis veritatem assumptæ humanitatis dignoscas, cumque verum esse saluatorem & redemptorem. Sic saluatorem tuum pānis inuolutum videbis, & lachrymis madidum, vt vel cognoscas iam incipere exoluere pœnam tuis flagitiis debitam: & vt etiam videas munus saluatoris exequentē! O fœlices panni quibus diuina maiestas inuoluitur & clauditur! O ferox leo, qui iā humilis & mansuetus agnus factus es! O iterum fœlices pāni, qui fortis & vastissimi gigantis manus deuinxerunt, ne nostra puniret delicta O! fœlices iterū, quibus nostra vulnera fuerint ligata! O Panni semel, bis, terque quaterque beati, quibus sanguis nostrorum vulnerū fuit restrictus! Ierem.38. Beati tandem, quibus vt alter Iere. à lacu liberatus: sic à profunditate & puteo culpæ productum fuit genus humanum. Beati etiam luctus & lachrymæ quibus saluator mundi ignem profundi lacus extinxit. Fœlices gemitus, quibus Christus nos à luctu æterno liberauit. Fœlix plāctus, qui nostrorum delictorum sorporem lauit. Iam tandem fœlix præsepium, quod reclinatorium esse meruit illius, qui sola manu & cœlum & terrā sustinet! O sancte nate Dei, qui mundum ingressus crucem iam sustines & portas, & ea perpeti iuuat, quæ carnales homines abhorrent: vt sic priùs exemplo & opere postea vero sermone doceas, arctam esse viam quæ duxit ad vitam, & regnum cœlorum vim pati, & quod violenti rapiunt illud. Sic sanè docuisti, bonum esse viro, si portauerit iugum ab adolescentia sua, & etiā ab infantia, imò à materno vtero, vt tu fecisti. Nos vero miseri curam tantum in voluptatibus & deliciis carnis constituimus, omni oblectamento fruimur: nihil oculi nostri desiderant, quod eis ad libitum non ostendamus. &c. *Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentiū*, Ne vnicus solùm angelus videretur assistere, ad auctoritatis comprobationem multitudo angelorum fuit adiuncta. Quòd si in ore duorum vel trium stat omne verum: quantò potiùs tantæ multitudini fides erit adhibenda? Mirabatur quidem cœlestis illa militia ducem suum talibus armis indutum: & vocibus laudat quod admirabatur. Nam mos est assistentium ministrorum regem suum laudare: illique applaudere: noua induto veste. Ne autem crederēt, iste homo de terra terrenus, sed de cœlo cœlestis, idcirco militia cœlestis, cum laudibus & canticis adest. Quæ idcircò militia cœlestis dicitur, quia sequitur militiæ ducem, qui contra principes mundi, & rectores tenebrarum debellaturus mundum ingreditur. Præliantur ipsi cōtra inimicos nostros, & ad tutelam nostram sunt destinati: vt custodiant nos in omnibus viis nostris, ne ad offensionis lapidē aut ad scādali petrā verbo aut opere incidamus. Rectè ergo angeli descenderunt à cœlo in terram, eò quòd angelorum rex nascebatur in terra. ¶ Expende etiam quòd in hac natiuitate angeli Deum laudant, & homines ad laudandum inuitant: quia non solum humanum genus redemptum est, sed etiam angelorum ruina reparata. Quia igitur vtriq; creaturæ communis saluator natus est: meritò vtrique simul gaudent, & se mutuò ad laudādum prouocant. Ideò non mirādum si angeli in Christi natiuitate exultant, quando nostra redemptio illorū reparatio est. Nulla enim erat creatura nec in cœlo, nec in terra, à qua angelorū ruina ressarciri posset nisi ab homine. Et ad hoc Deus hominem creauit, vt possideret quæ diabolus perdiderat. Et quāuis diabolū de huiusmodi hominis fœlicitate pœnitebat, nihil non intētauit vt huiusmodi Dei propositum impediret: tamen diuina bonitas multis bonis diaboli malitiam superauit. Imò vt ipse diabolus videret hoc diuinum propositum sine aliqua mutatione permāsurum, Deus ipse humanam naturam assumpsit, & aduersus diabolum in medio campo gradum sistit, donec illum vinceret. Vt vel ex his omnibus homo Christianus discat suam redemptionem magnificare. Nam si angeli tanti ęstimarunt ruinæ suæ reparationem, quanti nos facere debemus nostram reparationem? Erant enim illi beati: & beati permansissent, quāuis Deus non fieret homo. Quantò igitur maius argumentum habemus, vt pro tanto dono in nos collato Deo gratias agamus? Cantemus igitur illi cum Dauid canticum nouum, quia mirabilia fecit. Notum fecit dominus salutare suū, &c. Etenim antequàm Christus nasceretur, nulla alia, quàm luctus & tristitiæ erat causa. Nihil aliud nisi peccatum videbatur: & nullus qui auxilium conferret. Nunc autem nato iam Christo tempus lætitiæ & exultationis est, & tempus canendi. Hic attullit nobis gaudium, vitā, gratiam, & benedictionem & omne bonū. Cantemus igitur cum angelis: quia mirabilia fecit. Quid obsecro mirabiliùs, quā vt is, qui cœlū terrámque regit, puer efficiatur? quàm vt creator omnium efficiatur creatura? qui Deus erat & est, hominis mortalitatem assumat, sapientia & verbum patris infans efficitur, & qui omnipotens erat infirmus & æger. Qui dicit, cœlū & terram ego impleo, iacet in humili & arcto præsepio: qui vita est & fons vitę, mortalis fit: & qui verbo virtutis suæ omnia portat, in vlnis gestatur à matre. Cuius terra est & plenitudo eius, in stabulo nascitur: qui omnibus facultates tribuit, pauper efficitur: & qui animalibus & vniuersis creaturis pascua suggerit, lacte materno alitur: & qui omnia mirabili varietate vestit, nudus & frigori exponitur. Et vt vno verbo omnia dicta complectar, qui summus erat fit infimus. Equidem mirabilia fecit dominus in mundi cōstitutione, & cum Israeliticis magna fuit operatus, nihil tamen collationis habent cum his, quæ nobiscum egit. Etenim vnum hoc maioris ponderis & valoris est, quàm reliqua omnia. Deus homo factus est. Nobis & inauditis mirabilibus nouum canticum conuenit. Cantemus ergo & nos cum angelis magnificantes dominum, cum & maior ratio horum encomiorum nostræ curæ sit imposita, *Gloria in altissimis Deo*, Mirabile quidem est, vt in præsepio iacens, angeli gloriam in altissimis cantent. Vbi manifestatur eius potētia & magnitudo simul. Iacob in carnalibus virgas posuit: quarum aliquę cortice erāt coopertæ, aliæ verò sine cortice. Sic Christus hîc fecit. Quid rogo magis occultum aut inauditum quàm vt Christus tanquam peccator ploret? Et quid manifestiùs quàm gloriam eius angelos cantare, & illum pleno ore Saluatorem dicere? Obserua, quòd Christus tacet, & canunt angeli. Sic tu laudes tuas silentio prætereas, vt alienum os tua encomia exaltet. Secundò obserua, quòd dum quis ab vno laudatur, statim ab aliis multis laudibus prosequitur. Sic tu lauda Deum, vt alios ad ipsius laudes prouoces. Sic Maria soror Mosi accepit tympanum in manu, egressæque sunt omnes mulieres cum illa, cum

Marginalia (left): Ierem.38. — Math.7. Mat.11. Trem.3. — Militia cœlestis dicitur Beda in Hom. — Deut 17. — Philip 1. Psal 90. 1.Pet.2. — Nostra redēptio angelorū reparatio. Greg 28. mo. ca.7.

Marginalia (right): Psal.97. — Ierem.23. Hebr.1. Psal.33. — Gen.30. — Prou.27. — Exo.14.

cum tympanis & choris cantantes, Sic etiam viuere te oportet, vt tuo exemplo alios exhorteris, vt vitam suam sanctè componant. Ideo dominus, Luceat lux vestra corá hominibus: vt videát opera vestra, &c. *Math.5.* Sic etiá vnus angelus laudás Christú natú, alios ad laudē prouocauit: qui omnes simul cecinerūt. Gloria in excelsis Deo. ¶ Aduerte autē dominū tria sibi soli reseruasse, quæ nulli alij communicare voluit. *Tria sibi reseruat Deus.* Primum est vindicta de illatis iniuriis. Ipse enim ait, Mihi vindictam, & ego retribuam. Et iterum, Mea est vltio, & ego retribuá in tempore. *Rom.12.* Nó quando vobis, sed tunc quando mihi placuerit. *Hester 10.* Secundo sibi reseruauit iudicium de occultis, imò de omnibus malis: *Ioan.5. 1.Cor.4. Rom.14.* & ideò ipsemet: Pater omne iudicium dedit filio. *Luc.6.* Quocirca Paulus admonet: Nolite ante tempus iudicare. *Esa.44.* Et rursum, Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Et dominus, Nolite iudicare & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Tertio reseruabit sibi gloriam. Cum ipse dicat, Gloriam meam alteri non dabo. In omnibus, (inquit Paulus) glorificetur Deus per Iesum Christum dominum nostrum. *Rom.1.* Sic etiam idem apostolus de Romanis & Philosophis ait, Non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor corū. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. *Ioan.5.* Et Pharisæi qui gloriam ab inuicem accipiebant, excæcati sunt. Ex quo loco dicere oportet in omni re, & euētu vni Deo soli gloriam tribuere: neque talis animum tuum inuadat cogitatio, vt eam ipsi rapere velis, quia grauissimo plectēris supplicio. Etenim in quocunque bono, quod feceris duo considerantur, & honor & commodum: ex quibus Deus voluit sibi honorē eligere, tibi autem commodum & lucrum reseruare. *Honor ex bono ipsi Deo, lucrū nobis cedit.* Et ideo quia honorem Deo debitum violenta & sacrilega manu rapis præmium quod tuum erat, auferet dominus à te. Itaque si hoc grāde facinus perpetraueris, non solum non eris munere dignus, verum grauissimè in te animaduertet. Sic Herodem, vt in actis scribit Lucas, percussit angelus, eò quòd non dedit honorem Deo, *Act.12.* Manifestum quippe furtum & latrocinium est, propriū Deo debitum honorem surripere: nihilminus quàm vicino vas argenteum subtrahere. *Phil.2.* Sic Paulus loquutus de Christo, ad id se referens furtum quod Lucifer intentauit facere, dixit, Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: sed seipsum exinaniuit, &c. Sub forma Dei nihil pter Deū esse poterit: sicut sub forma solis, est sol. Cum ergo Deus esset sub forma Dei erat Deus: & quod Christus similem se faceret Deo, non furtum erat sicut illud Luciferi, qui erat sub forma angeli, & voluit esse sub forma Dei. Ita fecisse Iezabel, sacra refert pagina, quæ violenta manu sumpsit vineam Naboth. *3.Reg.21.* Caue autem ne tale committas scelus, quia tāquam latro punieris qui non solum quod abstulit restituere compellitur, verum etiam bonorum suorum septuplum exoluit: & hac de causa dominus in teipsum animaduertit, auferens tibi commodum, quia tu illi honorem abstulisti. Sanctus ille Ioseph quando impudica eius domina ad eum ad peccandum inducebat, sic dixit, Dominus meus tradidit mihi omnia præter te, quę vxor eius es: quomodo possum peccare in dominū meum? *Gen.39.* Sic etiam Deus tradidit tibi omnia præter gloriam suam, quæ vxor eius est: quomodo ergo peccare poteris in Deū tuū eripiēdo illi gloriā suā? Vide ergo quod sicut Ioseph noluit dominam suā, quia vxor domini sui erat: ita nec tu gloriā domini tibi impudenter ambias, quia vxor eius est, & illam sibi soli reseruauit. In secūdo libro Regum legitur, *2.Reg.12.* quòd dux Ioab habebat captam ciuitatē Rabbat, & tūc misit ad Dauid, Obside ciuitatē & cape eam: vt cum à me vastata fuerit vrbs, nomini tuo adscribatur victoria. Fidelis subditus Dauid fuit Ioab: qui quanquam deuastatam ciuitatem iam habebat quia eius rex & dominus erat Dauid, & bellum inceptum erat ipsius expensis, gloriam & honorem victoriæ voluit tribuere Dauid: quāuis qui pugnabat & fortitudinē animi ostendebat erat ipse Ioab. Sic tu qui militas diuinis stipēdiis, & fauore aduersus carnē pugnas, mūdum, & diabolum, & eos vincis: gloriā tribue Deo, quia miles eius es: & in nomine eius vincis & pugnas. Ne autem ab inani gloria & mundi vanitate opera nostra bona extinguantur, admonuit nos Christus dicens. Attēdite ne iustitiam vestram faciatis corá hominib. vt videamini ab eis. *Math.6.* Sic opus est, iustitiam tuā, hoc est bona opera tua abscondas, ita vt nesciat sinistra, quid faciat dextera tua. Nisi enim hoc feceris, continget tibi quod filiis Israel in Ægypto qui filios mares statim, vt in lucem prodibant eos submergebāt aquis, *Exo.1.& 2.* qua de causa matres eosdem in occulto nutriebāt. Ita nisi opus tuum bonum quod quasi conceptum est animæ occultaueris, diripietur ab Ægyptiis: & in flumen iactabitur, ibique vndis & fluctibus demergetur. Ideoque si eleemosynam vel aliud quoduis opus bonum effeceris, curandum tibi est, vt nō causa hominum id facias, neq; laudem hominum quæras: nam si id in occulto feceris, commodum, & vtilitatē accipies. Diuus Paulus vt ex multis locis colligi potest in omnibus gratias Deo agebat & illi gloriam dabat. Et Moses & Aaron, qui gratias Deo non egerunt ad aquas contradictionis, non meruerunt ingredi in desideratā promissionis terram. *Nu.20.* Sic nec tu terram viuentium ingredieris tibi promissam, vbi sancti gaudent diuinam vidētes essentiam, si in omni opere bono ipsi Deo gloriam non tribueris. Dominus præcepit Gedeoni, vt dimitteret multitudinē populi ne gloriaretur dicens: *Iud.7.* meis viribus liberatus sum. ¶ Sed quid est quod dominus tam sollicitus sit gloriæ suæ? Intelligas ô homo id dominū nō facere sui causa, sed propter nos: *Deus Zelotypus nō ratione sui sed nostra vtilitate causa.* nā periculosum esset nobis placere, quia inde possemus superbiæ ansam sumere. Ille autem, qui super omnia habitat, quacūque se extollat non potest superbire: nec quātūcunq; se laudet magis extollitur, igitur quidquid boni egeris, & quidquid laude dignum, ibi cognoscas dominum Deum tuum, & te ipsum inutilē seruū cōsidera & vile instrumētū gratiæ suæ. *Luc.17.* Et quanuis Deo seruias his donis, quæ liberali sua manu tibi largitus est, aduerte, quòd si ipsis peccatoribus ea concederet, fortè melius, quàm tu operarentur: & ita te seruum inutilem iudicare debes cum tepidè & remissè domino inseruias, quando tātis nominibus illis sis deuinctus. Regi enim sęculorum (vt inquit Paulus) immortali & inuisibili: soli Deo sit honor & gloria in sæcula sæculorum. *1.Tim.1.* *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Pacem angeli nunciant, quam Christus sæpe commendauit: & à nobis discendens tanquam testamentum illam nobis summopere cōmendauit dicens, *Beda in Luc. ca.2.to.5.* Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. *Ioan.14.* Sed quia impiis & sceleratis (vt inquit Esaias) non est pax, non omni- *Esa.48.*

bus sed hominibus bonæ voluntatis prædicatur, Illi enim qui recta animi voluntate suscipiũt Christum, sicut isti simplices pastores: veram Christi pacem habent & possidẽt. *Math.2.* Herodes verò, qui Christi aduentu turbatus est, non suscepit Christum, imò ipsum fuit persequutus. *Prou.6.* Sic modò illũ persequũtur qui ira commouentur, furiosi, & qui semper rixantur. & qui seminãt inter fratres discordias: quique sunt diaboli ministri, & pacis Christi subuersores, qui ad nihil aliud valent magis quàm ad confabulationes nectendas. Præterea per voluntatis bonitatẽ potiùs dicitur quis bonus, quàm per alias potentias: quia voluntas cæteras potentias mouet ad operandũ: & ideò bonitas aut malitia eius in alias potẽtias diffunditur, sicut influxus primæ causæ in alias causas à prima motas. *Boni & mali vnde dicamur.* A volũtate enim dicitur quis bonus aut malus: quia ratio meriti vel demeriti depẽdet à volũtate tanquam à radice, ea ratione quia libertas directè ipsi voluntati competit. Quare vbi nulla est libertas nec mereri nec demereri aliquis potest. Et idcirco pax ista non malis sed rectis competit. *Esai 57.* Cor enim impij quasi mare feruẽs, quod nunquam nec manet nec quiescit. *Apoc.4.* In Apocal. dicitur, quòd omnes illi, qui adorauerunt bestiam, requiem non habebant: sicut nec illi, qui belluinos suos appetitus sequuntur animi pacem vnquam possident. Nanque sicut in mari tumentes fluctus nunquam quiescunt: sic mundi administratores semper fluctuant, nec vanis suis cogitationibus quietam conscientiã possidẽt. *Ioan.16.* Vera quippe est sententia saluatoris dicentis, In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Etenim infirmus homo etiam si varia cubilia mutet & lectos, non ob id quiescit: quia quoquo se vertat infirmitatem secũ ducit, quæ inquietudinis causa est. Sic sanè etiã si in hoc mundo per multum temporis spatiũ viuas nunquam pacem & requiẽ habebis, quousque malos & deprauatos humores expellas: hoc est tuæ prauæ affectionis vitia, quæ te æstuantẽ & inquietum reddunt: quod si hęc feceris veram Christi pacem & quietem possidebis. Pax illa, quæ tum temporis erat in mundo cum Christus natus est, & cũ exiit edictum à Cæsare Augusto, figura erat huius spiritualis pacis. *Mic.5.* Quod pulchrè Michæas prædixerat dicens, Pax erit in terra nostra cùm venerit, & quando calcauerit in domibus nostris. Itaque quia non peccatoribus sed bonis datur hæc pax: & boni non nisi à voluntate sunt boni: idcirco angeli pacẽ nunciãt hominibus bonæ volũtatis. Porro in Græco originali Lucæ sic habetur, kai en gis eiryni ennoropois endokia: id est & in terra pax, in hominibus bona voluntas. *Nihil magis in nostra potestate quã voluntas.* Quapropter in manu & potestate tua est hãc pacẽ habere: cũ & in manu tua sit hæc voluntas. Nihil enim est tam in potestate voluntatis, quam ipsa volũtas: vt egregiè disserit eximius ecclesiæ doctor Augu. Et ideò sicut dominus es tuæ voluntatis, ita poteris habere malam vel bonam voluntatẽ. Bona erit, si bonum virtutis prosequeris: mala, si flagitia & scelera fueris amplexus. Sicut Chamæleon eum sortitur colorem, qui ei in conspectu est: sic voluntas talis erit: quale illud fuerit, cui per amorem iungitur. Nullam aliam vel bonitatem vel malitiam habes, præter id, quod amore vel odio prosequeris. De qua te elegãtissimè vates Dauid. *Psalm.72.* Transierunt (inquit) in affectum cordis. *Math.5.* Transiit intellectus & reliquæ potentiæ ad factionem volũtatis, ad approbandũ vel comprobãdum voluntatis desiderium. De corde exeũt fornicationes, furta, adulteria, &c. Sed quia voluntas fons est & radix à qua proficiscuntur omnia mala & bona, idcirco angeli exoptant nobis bonam voluntatem, vt omnia in nobis bona sint.

¶ Obserua autem quòd per hæc tria beneficia, tres effectus verbi incarnati significantur. Gloria, pax & bona voluntas. *Natiuitas Christi tria bona attulit.* Gloria in excelsis, pax in terra, hominibus bona voluntas: ad quæ tria natus est Christus, pro tanto suo in nos amore & dilectione. Ad gloriã inquã, in superioribus, vbi cõprehenduntur omnes beati. Secundo ad trãquilitatẽ ordinis inferioris nomine terrę significati: eò quòd terra infima pars est vbi compræhendũtur omnia inferiora etiam condẽnatis, qui velint nolint ad tranquillum ordinem per pœnas deducuntur. Et prætereа tranquillus ordo inferiorũ qui pax vocatur, licet non ipsis, tamẽ Deo erit. Ordinatur tertiò ad bonã voluntatẽ in hominibus qua genus humanũ sine Christo carebat & caret: quia finis verbi incarnati est, vt Deus sit omnia in omnibus. ¶ Obserua etiã non interponi coniunctionem &, inter terram & homines, sicut interponitur, inter excelsa & terrã cũ dicitur, & in terra, nec dicitur, & in hominibus, ad significãdũ ad eãdẽ vniuersi partẽ inferiorẽ vtrumque pertinere, scilicet tam pacẽ, quàm bonã hominibus voluntatẽ. *Et factum est, vt discesserunt angeli in cælum.* Peracto suo munere sicut Raphael angelus dixit Tobiæ, Tempus est, vt reuertar ad eum qui me misit. *Tob.12.* *Pastores loquebantur ad inuicẽ.* Sententia est sapiẽtis. Sapientia abscõsa & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Nihil emolumẽti dicendũ est, sciẽtiã illius afferre posse, quæ nulli vtilitati deseruit: & pecunia etiã nihil ferè est, q̃ nõ expẽditur ad hominum vtilitatem. *Eccl.10.* Frustrà quippe illa potẽtia facta censetur, quæ ad operationẽ nõ transit. Natus est redemptor mundi, sed tanto silentio & sine vlla põpa & strepitu, vt vel ipsos vicinos tale mysteriũ latuerit. Sed cũ nos tanto & tam admirabili beneficio (nisi nobis esset patefactũ) non gratularemur: ideò oportuit, diuinã sapientiã nõ esse abscõditam, & thesaurũ hũc diuinũ hominibus communicare. Etenim sicut lumẽ sufficiẽs per seipsũ est vt cũctis manifestetur: ita Saluator mũdi suam cõmunicans bonitatẽ voluit seipsum pandere. Quia sicut resurrectionem eius non omnibus oportuit manifestari sed (vt inquit Petrus) testibus præordinatis à Deo: ita quidem admirabilis eius natiuitas æquũ fuit, vt nõ omnibus manifestaretur, quia nõ omnes digni erãt, sed aliqui, quibus occulto Dei iudicio voluit natiuitatẽ suã aperire. *Act.10.* Isti fuerunt simplices quidã pastores, quibus vigilantibus in regione illa apparuit angelus, & natiuitatem redemptionis denunciauit. Isti igitur ingenti quadam animi lætitia & gaudio, postquã angeli ascenderũt in cœlum ad inuicẽ loquebantur. ¶ *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factũ est, quod fecit dominus.* Vbi diligenter obserua, quòd beata virgo ex regia Dauidis stirpe nata, à nemine in sæculo cognita, abiectissima mundo, in vili stabulo sedet & tacet, & nihil de se loquitur: sed quos homines negligũt, cœlestes ciues honorant, & inquirũt. *Dominus nostri honoris maiorẽ curã habet quam nos ipsi.* Vbi animaduertas curã & sollicitudinẽ domini, vt suorũ seruorũ notã faciat mũdo virtutem: nã quãuis ipsi absconditur, ipse dominus notos eos facit in vniuerso mũdo. Erat enim beata virgo abscondita in occulto & secreto loco, existimãs gloriosum illum partum nemini

nemini mortalium cognitum:quem angeli iã concinũt,& de quo pastores inter se colloquuntur. Si benè viuis,si labores sustines,si oras,si plangis,tace:quia hæc omnia opportuno tempore in vtilitatem tuam manifestabit dominus. Mirabile quidem est,quòd dum seruus Dei abscondita quærit,& infirma loca:ipse dominus tantam illius gerit curam, vt vniuerso mundo laudes suas prædicet.O inconsideratus & stultus hominũ error,qui dũ honorem solliciti quærunt & desiderant, eundem amittunt, & dum nominis immortalitatẽ ambiũt,à memoria hominum penitùs delentur.Ea enim quæ ad conseruationem nostrã eligimus, conducunt plurimũ ad perditionem: & vbi lucrum inuenire existimamus,ibi maiorem iacturam facimus Qui paruuli & abiecti propriis oculis sunt,honore inueniũtur di-
Prouer.17. gni apud Deũ & homines.Quocirca si honoris lucrũ sitibundus quæris,illũ fugito. Laudet te alienũ os,non tuum. Facito, quod debes & in manus domini te ipsum cõiice:ipse nãq; tui honoris sollicitã curã habebit. Vbi iam rogo animaduertas, quanta fuerit ipsi domino cura vt honore & laude afficeret
Genes.12. seruũ suũ Iacob relegatũ,& laboribus onustum
Genes.41. in Mesopotamia.Ita et ã recordatus est Ioseph vin-
1.Reg.16. culis & cathenis constrictũ in Aegypto: & Dauid
1.Reg.17. custodiæ ouium destinatũ in desertis locis & montibus in publicum produxit, quem excellenti victoria aduersus Goliat gigantem decorauit. Denique,vt vnico verbo omnia dicta complectar, virginem absconditam & humili loco clausam dominus notam facit,& angelis cæli, & pastoribus terræ. Et quanuis initio pastores fuerunt deterriti de tam subita angeli apparitione, iam in lætitiam redacti colloquuntur, quo pacto ituri sunt, in Bethlehemiticam porticum. ¶Obserua prætereã ange-
Fides sine operibus mortua. los non dixisse pastoribus, vt irent in Bethlehẽ:nihilominus ipsi viam aggrediuntur,& infantẽ inuenerunt.Vbi diligẽter aduertas,quod ad vitæ perfectionẽ nõ satis est Deũ cognoscere per fidẽ, sed opus est ad illũ tẽdere per sancta opera. Certè isti pastores dictis angeli fidẽ adhibuerunt,nihilominus vadunt ad illum.Non satis est credere,nisi simul operis.Per fidem namque & bona opera Deo nos ap-
Rom.13. proximamus.Fertur enim anima nostra amore quocunque fertur. Trãseamus inquam in Bethlehem. Appropinquemus Deo,& appropinquabit ipse nobis.Docemur etiã,vt nullæ rerum cupidines nobis ipsis possint esse impedimento, vt Deo appropinquemus.Isti nãque pastores non fuerunt impediti à grege suo,vt in Christũ tenderent: omnia reliquerunt, & nulla facta mora ad præsepium accesserũt. Sed multi sunt modo qui ad Christum animi cupidine ire cõtendunt, nihilominus permittũt se impediri ab honoribus, diuitiis & vanitatibus huius sæculi.In quibus omnibus summè considerare deberes,cuius rei iacturam facis,& quarum rerũ causa,hanc iacturam facis.Omittis ad Deũ ire,sed propter quid:Propter mundum. Si propter rem aliquã illum omitteres, non mirarer tantum, sed omittis Deum,qui summum bonum est,eundemque postponis stercoribus terræ. Imprudentis est sententiã ferre inauditiis partibus. Peccatores sententiam pronunciant in fauorem mundi, & bonum esse dicunt mundo inseruire: & Dei partem relinquũt, quæ cum non audiatur, facilè condemnationem patitur. Namq; si isti,diuini cibi nectar & Ambrosiam degustassent,cognoscerent quidem maiorem

dulcedinem in amaritudine esse quàm in dulcoribus & suauitatibus mundi.Gustato spiritu, desipit omnis caro. Sic Paulus à Deo vocatus rerum mũ- *Act.9.*
danarum dulcedinem, absinthij amaritudinem iudicat:& contemnit epistolas in Damascum & dixit, Domine quid me vis facere. Quid igitur est quòd tu mundum non deseris,quandoquidem isti pastores gregem reliquerunt: Mathæus thelonium, Pe- *Math.9.*
trus retia,vt Christum audirent. Itaq; omnia sunt *Math.4.*
contemnanda & relinquenda, & iter aggredi de- *Math.13.*
bemus.Negotiator ille euangelicus non fuit otiosus sed lætatur præ gaudio inuento thesauro, sicut isti pastores.Charitas non languida est, non quiescit,non est otiosa: sed Christum quærit summa diligentia.¶ Sed iam verba pastorum explicemus.Videamus(inquiunt)Verbum quod factum est, quod *Verbum pro opere.*
fecit dominus Verbũ in hoc loco nõ sumitur pro diuino verbo,siue filio Dei, sicut quidam malè interpretati sunt:sed sumitur pro re aliqua, aut facto vel opere.Sæpe enim in scriptura sacra verbi nomine opus vel factum aliquod intelligitur. Cuius rei exemplis pleni sunt libri regũ, vbi cũ agitur de rebus gestis à regibus Israel vel Iudææ,dicitur, Reliqua quæ fecit scripta sunt in libro verborum regũ Iuda vel Israel.In secundo etiam libro regum dicitur,regẽ Dauid dixisse Amalechitæ rogantẽ de bel- *2.Reg.1.*
licis factis, Indica mihi verbum quod factum est. Manifesto apparet quòd non rogabat Dauid, quid in bello diceretur, sed de factis & gestis in bello. Quod etiã verum esse apparet per datã responsionẽ ab Amalechita nuntio: quo significauit mortuum esse Saulẽ & Ionathã & perditum populum Israe- *3.Reg.20.*
liticum.Præterea cum rex Ezechias ostẽdit thesauros domus suæ seruis regis Babyloniæ, inquit scriptura, Non erat verbum in domo sua quod non ostenderit eis,id est, nulla res. Impossibile namque reputaui hæc,& alia multa scripturæ loca huic similia pro verbo posse intelligi,sed pro opere.Et secundum hunc sensum,quẽ verissimum arbitror,literę explicatio est,Eamus in Bethlehẽ,& videamus *Ambro.lib.*
hoc opus Dei:magnũ hoc opus factũ à domino vi- *1. in Lucam*
deamus,Videamus inquiũt,Deũ qui inuisibilis est, *5.tom.*
hominẽ iã factũ visibilẽ nostra mortalitate indutũ. Ros qui nascitur in alta aëris regione,nunquam in *Similitud.*
suo descensu videri potest, nisi quando sedet vel in herbis vel in foliis arborum. Sic filius Dei ab æterno genitus est à patre nunquam apparuit visibilis quousque in gremio virgineo sedit: & ibi descendit sicut ros super herbam virentem viriditate omnium virtutum. Videamus ergo hoc verbũ, quòd factum est quod fecit dominus. ¶ *Et ostendit nobis.* Nobis inquam simplicibus pastoribus.Multi prin- *Pauperes citius Christum quærunt quã diuites.*
cipes & viri literati erant in Hierusalem, & nemini illorũ apparuit angelus, sed pastoribus super gregem suum vigilantibus. Certè dici nõ potest, quin angelus fuerit prudentissimus quando istis & non illis principibus apparuit. Quia si angelus huiusmodi diuitibus hanc domini natiuitatem prænunciaret, qui in cute curanda ferè totam vitam consumunt, nunquã in tota vita iter illud aggrederentur, quippè qui tũc à famulis rogarent serenúmne esset tempus,an cœlum nubibus coopertum, si responsum acciperent, vel aërem vel cœlũ pluuiã denunciare, vtiq; iterũ in vtrãuis aurẽ obdormirent, & alto & profundo somno,vt facere solẽt, cõquiescerent:quod si id delicatis mulierib.denũciaret, priusquam stibium & fucum apponerent, iam sol alta

montis cacumina pertingeret. Si igitur istis natiuitatem domini angelus denunciaret: prius sol ad occasum tenderet, quàm pararent ire in Bethlehē. Ideo sapienter fecit angelus apparens pastoribus, qui statim nulla facta mora festinant in Bethlehē. *Diuites difficilius Christū inueniūt.* Nihil erat quòd eos remorari posset: nam inducti dormiebant, nec in suauibus lectulis iacebant, non phaleratis equis indigebant, non curribus, quin potius nec aeri nec niui, nec frigori parcebant, sed tanquam homines omnibus terrenis orbati, ea hora qua Angelus apparuit, sine alicuius rei consideratione quæ illos detinere posset Bethlehem proficiscūtur, *Math. 2.* diuites autē relicti sunt in Ierusalem, nec vocantur, vt hoc tantum & tam diuinum misteriū videant. Sed obiicies forsitan, dicens, Nonne regibus apparuit stella & duxit illos in Bethlehē: Verū id fateor, sed rogo aduertas diligenter, quāto labore peruenerunt in Bethlehem itinere tredecim dierum defessi: vt vel ex hoc colligere sit nobis facile, quāto maiori labore & difficultate diuites ad Deū accedunt, quàm pauperes. Nanque isti pastores ea nocte qua Christus natus est, illum adorauerunt, reges verò post tredecim dies ad Christum veniūt, *Verba factis respondeant.* *& venerunt festinantes.* Quòd erant venturi dixerunt prius, nam loquebātur adinuicē dicentes. Trāseamus vsque Bethlehem agentes de modo quo ituri erant, promissam fidem compleuerunt. In mundo sanè multa sunt verba, & nulla opera. Fallax enim mundus vniuersis hominibus se ipsum amicum & familiarissimū promittit, montésque aureos pollicetur, at in necessitatis articulo oēs deserit, nulli datam fidē complet: isti verò pastores adimplēt factis, quod verbis promiserāt. Nō sicut tu, qui quotidie proponis & promittis ad meliorē vitæ conditionem te rediturū, & nihil minus quā adimples. Proponis alienū restituere, & cōfessario id promittis: tamē protinus id obliuioni tradis. Proponis accedere Christū. & nunquam accedis. Accidit tibi in hoc negotio sicut nautis in portu, qui semper proponunt vela ventis dare, & de die in diem nauigationem distrahunt, & habentes tempus, aliud fœlicius sibi futurum expectāt, donec præterito nauigandi tempore iam nauis in portu putrescit. ¶ Secundò obserua quòd non solū venerunt pastores, sed etiā festinanter venerunt: nō pigri aut negligētes fuerunt in quærendo domino. Namque dominus orandi solicitudine aduertit, quo feruore, & quanta volūtatis prōptitudine opera ministerij sui exequamur. Pater ille qui duos habebat filios, quorū minor natu cū dissipasset bonā partē suę sub *Luce. 15.* stantiæ, cùm à domum rediit famelicus & pannosus, maius gaudiū cum hoc suscepit quā cum illo, quē domi semper habuit: nā dominus neutiquā attendit quanto tēporis spatio illi seruimus, sed quāto spiritu, & quāto animi feruore. Et ita verum est, aliquē in vnica hora maiori præmio posse esse dignum, quàm alius mille annis: nā dominus pluris æstimat parum & feruēs ministerium, quā multum & remissum: Idcirco filius ille prodigus tanto spiritu & feruore in Deum conuertitur, & suos reliquit, quorum custodiæ deditus erat, vt locupletiori & maiori præmio dignus in oculis paternis fuerit inuentus, quā alter frater: quo factū est vt maioribus honoribus fuerit affectus, quā is qui parenti tepidè ministrabat. Quibus omnibus exemplis docemur non segniter aut ignauè in mandatis domini nos ipsos debere exercere. Plus duplo cōsumpsit Salomon in ædificio propriæ domus quàm in ædificando templo, quod in obsequium dñi construebat, In quo insinuatur res diuinas maiori diligentia efficiendas esse, quàm nostræ propriæ. Equidem *3. Reg. 6.* non oportet ei tepidè aut remissè inseruire, qui tāto feruore & amore venit è cœlo, vt nos quæreret, frigida noctè nasci voluit. Præceperat dominus vt *Exod. 12.* paschalis agnus festinanter comederetur: quia vult nos in sanctis operibus cum festinatione operari. Nam si grandis summa argenti vel auri tribuenda tibi esset, postquam ad finem peruenires alicuius *3. Reg. 17.* incepti itineris: nonne rebus aliis contemptis, quæ sese tibi in via possent offerre veloci cursu iter ageres: Cōsidera igitur longuā tibi restare viam, & tēpus vitæ breue. Quapropter oportet non tepidè iter agere, sed summa adhibita diligentia & sollicitudine, quandoquidem mercedis retributio tanti ponderis & valoris est, vt nullo argento, nullo auro, nullis pretiosis margaritis conferri aut componi possit. Vtinā in his mandatis domini tanto cum feruore incederes, vt posses cum propheta dicere. Viam mandatorum tuorū cucurri. *Psal. 118.* Non tāta ignauia quanta tu, rex sanctus in via domini incedebat, nec inseruiebat ea cunctatione & mora, qua tu. Accipitres in regione Nouergiæ optimi sunt: quia cū in ea regione parui sint dies, properant dum dies est in captandis auibus. Ità tibi faciendum existimo, cum dies huius vitæ breuissimus sit plusquam dici potest, sanctis & rectis operibus incumbendo, priusquam nox mortis adueniat, in qua nemo poterit operari. Etenim quidā sapiēs loquutus, vt exēplum discipulis suis daret, dixit, Vita breuis, ars verò longa, experimentum fallax, iudicium difficile, *Iudicium de arte medica. Hypocrat. Amphori.* &c. Et non dixit, vt discipuli sui studium medicinæ relinquerent, sed potiùs vt in studendo festinarent, cùm scientia difficilis, vita verò breuis esset. Ità sanè tu festinanter Deo inseruire debes, qñ vita nostra adeò breuis est, id verò quod fieri debet longū. Iusta quidem ratione incusari debet Pharao, quia cum domus eius tota, & regnum vniuersum ranis esset plenum, hortatus à Mose dicente, constitue *Exod. 8.* mihi tempus qñ deprecē pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, respōdit, Cras. Iustum quidē esset, vt medelam suæ infirmitati statim peteret, qñ tam iniqua plagat erat obsessus. Tñ ea verba ab homine expectabantur, cuius corpus breuissimè in profundo maris erat submergendum, & eius anima in profundo inferni. Itaque oēs nos festinare oportet in nostræ salutis opere, quia protinus etiam operari, serò iudicandum est: nanque bona nostra ea sunt, vt valeant Deo ipsi restituere id obsequium & honorem, quē tantis peccatis illi abstulimus, De his hactenus. Sed quid isti boni pastores festinantes viderunt: Quid inuenerunt videntes regē natum: Nunquid palatiū aliquod marmoreū, aut matrē reginā diademate fulgentē, aut eam aureo lecto recumbentē: Viderūt ne puerū purpura & bisso inuolutū, aut curiā multis aulicis abundantē: *Et inuenerūt Mariā & Ioseph & infantem positū in præsepio.* Iā hic vides sanctorū patrum *Desideriū primorum completum.* desiderium adimpletū, & quō Deus eorū petitionibus acquieuit. Audi prophetā Esaiā, Desiderauimus cū despectū, & nouissimū virorū. *Esaia. 53.* Nōnne meliùs foret, vt diues veniret, vt nos diuitiis impleret? *Leg. Augu. lib. 1 doct. Christ. 14.* Nōnne meliùs esset vt cū summa potētia veniret, vt nostras iniurias vindicaret? Minimè. Isto eni pacto non illū desideramus, sed humanū, pauperē, & abiectum:

ie&tum,namq́ue contraria, contrariis optima sunt medicamenta.Cecidit Adam superbia,& illum humilem exoptamus, vt nostræ medeatur superbiæ. Ille voluit esse magnus, & idcircò hūc ego pauperem,paruum & abiectū desidero,vt vel sic his contrariis tiriacis curetur hominis superbia & auaritia.Qua de causa rectissimè inquit Esaias,desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum,vt quantò ipse abiectiùs descenderit: tantò altiùs ego ascendam.Ideo patientissimus Iob,Vtinam appenderentur peccata mea,& calamitas quam patior in statera: Nónne Iob peccata, caro aut fructus sunt, vt appendantur in statera? Peccatum nihil est positiuum,sed priuatio vel negatio quædā, quæ est carētia rectitudinis debitæ in esse.Sed quomodo appenduntur?Audi, Dum in aliqua stateræ lance aliquod pondus est, in terram inclinatur, altera verò lanx quæ vacua est in altū eleuatur.Idcirco, vt quæ eleuata est in imum descendat,necesse est, vt alteri maius pondus apponatur.Omnes cecidimus propter peccati grauitatem & pōdus, & descendimus omnes ad inferni tenebras,vt igitur nos ascenderemus necessum fuit,vt Christus descenderet humiliatus.Ita sanè quantò vna statera descendit, tantò alia in sublime rapitur.Cecideramus nos in profundū, & Christus in alta gloria sedem habebat:& idcircò descēdit Christus, vt nos aduolarem⁹ ad cœlum.Qua de causa desiderat Iob, vt nostra appendantur peccata, & constituantur in vna statera, in altera verò Christi lachrymæ, paupertas, nuditas, durum præsepium,frigiditas,& omnes alij labores: quia rectè nouerat Iob plus pōderis esse hæc Christi merita,quàm omnia nostra delicta.Quapropter Iob hoc experimentum fieri desiderat,& Esaias,nō in sublimi loco,sed despectum, humilem, & abiectum illum desiderabat. Quocirca possemus dicere.Veni Esaia,ad præceptum Bethlehem,& videbis tua desideria adimpleta.Inuenerunt pastores filium Dei positum in præsepio,non in aulis,aureis pauimentis compositis,non in preciosis cubiculis, sed positū in præsepio. Certè quilibet homo qui hæc considerauerit, penitùs admirabitur, dum videat Dei filium in tantum contemptum deuenisse,vt in stabulo dignatus fuerit habitare, animaliumq; socium fieri propter hominū salutē. Tu domine qui cœlum pulchris sideribus ornasti, & herbas campi,& flores gratis coloribus induisti, & aues variis plumis exornasti, gaudes in præsepio esse pānis inuolutus:Quomodo cùm gaudium & exultatio angelorum sis, lachrymis madidus es?nondum natus es,quando delicta mea plangis.Non solùm cùm sis Deus homo fieri voluisti: verùm in maiori hyemis rigore natus es,media nocte, & in tanta paupertate.Nihil sanè dubito,quin nox illa, qua Christ⁹ natus est,frigidior & asperior fuerit,quàm alia vnquā. Quòd si ratio non valuerit,nec capitis sententia valeat, quia diuinum verbum cū humanitate simul accepit omnes nostras miserias & pœnalitates peccato excepto: & has miserias in maximo contemptu & abiectione.Itaq; nō solùm pauper, sed pauperrimus fuit:nec solùm mori, sed mortem crucis ignominiosam pati voluit.Itaque sicut volēs mori, genus mortis ignominiosissimum elegit:ita volens nasci,noctem rigidissimam elegit. O quātum tibi, ô gloriosè puer debēt homines. Quomodo anima mea in tuum non rapitur amorem? Quomodo cor meum sicut cera non liquescit, dum propter suum amorem videt Deum in præsepio inter bruta animantia positum: Hæc omnia amoris nostri causa dominus facit, & vtinam intentum consequatur. Et non solùm in tanta humilitate & paupertate ex virgine voluit nasci,vt nostram abiectionem & miseriam exaltaret: sed vt exemplo vitæ suæ nostram componeret. Sic prædixerat dominus per Zachariam prophetam,Perpendiculum extendetur super Hierusalem. Hæc quidem verba peccatores ipsos vehementer deterrent, at qui vitam Christi sequūtur magnæ sunt consolationis & gaudij,quādo dicit omnes metiendos esse sua vita.Si villicus reddidicturus rationem de expensis maximo timore cōcutitur,quid erit quando vitæ nostræ ratio arctissima exigatur: Malam rationem reddet ille, qui modo nec secum, nec cum Deo vllam amicitiam habet. Solent artifices plumbeum perpendiculum apponere,vt vel sic videant,an ędificium rectitudine careat. Vita Christi nobis perpendiculum est, vt nostras actiones moderemur & regamus. Quādo dominus ad iudicium venerit, vniuersum ædificium quod sine regula & perpēdiculo inuenerit factum subuerti præcipiet.Hoc Christi prę́sepium paupertas, & humilitas, nostram metientur vitam. Sed ô sancte & admirabilis redemptor,dum meipsum tibi volo conferre. pudore prorsus suffundor, quàm fœda & contaminata mea puritas sit, quàm superba mea humilitas, quàm cupida mea paupertas, quàm crudelis mea misericordia, quàm frigida & tepida mea charitas,quàm ridiculę meæ lachrymę, quàm sine deuotione mea oratio, & nomen Christicolæ fictum,quàm sterilis & sine fructu meæ vitę discursus,si tuæ innocētissimæ & immaculatæ vitæ cum mea velim collationem facere. *Videntes autem cognouerunt de verbo,quod dictum erat illis de verbo hoc.* Verbum erat dictū ab Angelo, quòd Christus erat natus in Bethlehem: quòdq; positus erat in præsepio,& pannis inuolutus: quæ omnia quamuis antea fide crediderunt (nam si non credidissent, non venissent)videntes cognouerunt. Vnde iam isti pastores angelo dicere poterant, id quod Samaritani dixerunt mulieri,Iam non propter tuam loquelam credimus,sed nos ipsi vidim⁹, quia hic est saluator mundi.Vidimus enim Saluatorem sæculorum, regē angelorū,solem iustitiæ inter nebulas fulgētem, & inter præsepij angustiā, cœlū terramq; regentē.

¶ Modò autem ad tuā eruditionē perpendas obsecro,quā rectè dixerit Paulus,Diligentibus Deum omnia cooperantūr in bonum. Isti enim pastores dominū quęsierūt recta & syncera animi intētione: & quod quærebāt inuenerūt domino permittente & volēte.Sic tu syncerè & non fictè dominū Deum tuū quære,& illū inuenies.Vnde Sapiens admonet dicens,Sentite de domino in bonitate & simplicitate cordis, quærite illū:apparet enim eis,qui fidē habēt in illum, & iustitia simplicis dirigit viā eius. Et iterū,Deus non proiiciet simplicē. Prætereà obserua, quòd cùm isti pastores Deo obtēperauerint, facientes id quod Angelus pręcepit,ideo dominus fecit quod illi exoptabant. Bona námque fœlicitas in omnib. illis contingit, sicut angelus eis prædixerat. Vis tua omnia tibi fœliciter & faustè cōtingere,fac qđ dn̄s p̄cipit, & pro palato tibi omnia euenient.Etenim scriptura dicit, Voluntatē timentiū se faciet dominus.Quòd si diuinæ volūtati repugnas,quid est vt velis tuā dominus adimpleat; Obtempera Deo,& quæ volueris peto. Multi sunt, qui

(Marginal notes: Iob.6. — Peccatū quid — Christi actio, nostra institutio. — Zacha.1. — Vita Christi nobis speculū & perpendiculum. — Ioan.4 — Perfi. ient.ib. Dei voluntatem fœliciter succedūt omnia. — Rom.8. — Sap.1. — Prouerb.19. — Psal.144.)

qui grandes dignitates & alta munera obire contendunt, cùm & in sceleribus & flagitiis viuant coinquinati, mirantur verò si hæc, quæ desiderãt, non consequãtur. Alij verò immensas lites connectunt, & aduersarios suos mille modis calumniantur: qui quidem litigandi modus iniquus & sceleratus est. Et idcircò permittit dominus, vt quamuis à tuis partibus iustitia stet, nunquã tamen pro te sententia feratur, quia cum Dei offensa & iniuria, tua vis cõficere negotia. Vera auté via, vt omnia tua negotia rectè expediãtur ea est, vt in eis administrandis id facias, quod dominus præcipit: & ita dominus iis quas ignoras viis negotia tua ad fœlicem exitũ perducet. *Omnes qui audierant mirati sunt de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Obserua, quòd angeli pastoribus, & pastores aliis, Christi natiuitatem annunciant: vt sic Deus ministerio hominum homines doceat. Multi sanè nolunt literis operam incumbere, nec magistros audire, existimantes in ipsa oratione & contemplatione, qua eleuati sunt, dominum inspiraturũ illis & docturum scientias, quod certè temere agunt, & Deum ipsum amenter tentant noles ab aliis edoceri. Necessum enim fuit apostolos miraculosè à domino edoceri, infundens illis Spiritum sanctum, cum non haberent, qui eos edoceret. Tamen cum in ecclesia Dei multi sint literati & sapientes: Deum tentant, qui sine necessitate miracula efflagitant. Vult dominus per causas secundas agere, & quòd homines ab hominibus discant, & quòd humiliter eis subiiciantur, laborantes & libros reuoluentes. Nónne Moses amicus & familiaris domino erat, & quotidiè cum eo loquebatur quasi amicus ad amicum suum, tamen voluit, vt à Ietro sacerdote Madian edisceret, quomodo recturus erat & gubernaturus populũ: & suo consilio vsus cõstituit Moses decenos, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, qui populum iudicarent. Sic etiam Eunuchus ille reginæ Aethiopiæ voluit edoceri per Philippum: nam spiritus dixit Philippo, Accede & adiũge te ad currum istum: & posteaquam euangelizauit ei, baptizauit illum. Nónne ipse domini spiritus, qui præcepit Philippo vt accederet ad currũ, poterat illum docere? Planè potuit: sed voluit, vt à Philippo doceretur. Eodem modo Paulum, cui dominus in via Damasci apparuit, poterat instruere in fide: tamen misit illum ad Ananiam discipulum, vt ab eo disceret: quid illum facere oporteret. Cornelio etiam apparuit angelus domini, & instruxit, vt mitteret ad Petrum qui erat in Ioppe: qui cum accederet prædicauit Cornelio Centurioni, & his, qui cum eo erant, docens eos in fide, & baptizauit. Denique voluit Deus, vt isti pastores edocti ab angelo, & viso saluatore, alios docerẽt: quia vult vt homines ab hominibus discant. Et quamuis sanctissimum & optimum sit orare, vt Deus tuũ illuminet intellectũ: hoc tamen vtile erit, si te ipsum adiuuaueris & feceris quod in te est: hoc est, operam literis dãdo & laborando. Vide de his si placuerit diuũ Augustinum. ¶ Docet etiam locus iste, opera Dei & magnalia eius extollere, & aliis enarrare. Sic Moses fertilitatem terræ promissionis populo narrauit, & mirabilia eius. Sic angelus Raphael dixit Tobiæ, Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est. Et Dauid in Psalmo, Narrantes laudes domini & virtutes eius, & mirabilia ei⁹ quæ fecit. Obseruandũ hic etiam est, quòd isti summoperè mirabantur, & rapiebãtur in admirationẽ, audientes illa quæ dicta erant à pastoribus. Nec mirũ quia cũ propheta Esaias fuerit vaticinat⁹ de Christi aduentu, inter multa alia & præclara quidẽ, dixit, Paruulus datus est nobis, &c. Et statim subiunxit, Vocabitur nomé eius admirabilis. Sicut enim regina Sabba videns sapientiam Salomonis & domum quam ædificauerat, & cibos eius, ita fuit in admirationem rapta, vt spiritus deficeret: sic isti summoperè mirabantur, & non immeritò. Vnde egregius Psaltes inquit, Cantate domino cãticum nouum quia mirabilia fecit. Et ita isti non immeritò mirabantur. Sed quid mirabantur? Ea quæ dicta erant à pastoribus. Sed quid dixerunt pastores: Quod viderant in Bethlehem. Sed quid in Bethlehem viderunt? Ipsam patris sapientiam obmutescentem: fortissimum, imbecillem: magnum, vilem, humilem, & abiectum: impassibilem, passibilem: diuitem, pauperem: & tandem infinitum, finitũ conspexerunt. Nunquid iniustè aut immeritò mirabãtur? Iusta quidem ratione admirati sunt. Non mirareris & tu si aliquem infantem tibi demonstrarẽ, & dicerem, puer iste quem vides, antiquior matre est: & natus est hodie, nec principium habet. Pauper est, & similiter diues: magnus & paruus: omnipotens, & parum potens: impassibilis, & passibilis: perit frigore, & omnem calorem secum habet: illum cœlum nec terra capit, & breui comprehenditur præsepio. Nónne omnia iusta de causa mirareris? O inaudita & stupenda miracula: quòd mater & virgo sit. Quis talia dicere audiuit? Veniant mũdi philosophi suis axiomatis dicentes, quòd locus & locatum debent habere proportionẽ: tamen hîc locus præsepium est: & quem præsepium capit, tota mundi machina cõprehendere nequit. Omnes qui audierunt mirati sunt, & non immeritò. Venit Iacob ad patrem suum Isaac, qui senex erat & cæcus: pater autem existimans illum esse Esau dixit, Vox quidem, vox Iacob, manus autem manus Esau: Sed qui fieri potest, vt Iacob & Esau, idẽ sint? Admirabatur Isaac. Videte igitur filium Dei tanquam alter Iacob, indutum vestibus peccatoris Esau, Sic Paulus id affirmat, habitu inuentus, vt homo. In habitu hominis peccatoris in similitudinẽ carnis peccati. Reuera Iacob non erat Esau, sed similitudinẽ Esau gerebat, & veras vestes etiam Esau. Sic Christus non erat peccator, sed similitudinem habebat peccati, & humanitatem veram, quia verus homo erat. Ideò si ad eum respicis, audies vocẽm esse Iacob, manus autem Esau. Audi vocem: Gloria in altissimis Deo: Vox quidẽ vox Iacob. Vox hæc vox Dei est. Tamen si tangis, videbis eum frigore trementem, & manus Esau esse. Videbis alio modo eum ab angelis adorari. Et cum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, Adorent eũ omnes angeli eius, Ex altera autem parte videbis eum lachrymas fundentem, & in præsepio inter paleas iacentem. Vna via sidus mittitur per aëra volitans, vt reges vocet, vt veniant ad Christum adorandũ, & vt cognoscant eum regem & dominum: alia verò via ita necessitatibus nostris vrgetur vt immensum frigus patiatur, nec domum habet, qua ab iniuriis cœli seipsum tueri possit. Modò videbis huius pueri causa Herodem magnopere timere: modò verò ipse à frigore opprimitur. Ex alia parte homo, ex alia Deus ostenditur esse. Ex vna parte Iacob, ex altera verò Esau apparet. Miremur igitur omnes Deum hominem factum: & duo inter sese maxima

Hominem ab homine discere conuenit.

Exod. 18.

Act. 8.

Act. 9.

Act. 10.

Aug. in prolo. lib. doc. Christiana.

Deuter.

Tob. 12.

Psalm. 77.

Esaias 6.

3. Reg. 10.

Iustæ admirationis causa.

Psal. 97.

Gen. 27.

Philip. 2.

Hebr. 1.

Math. 2.

Repugnantia conuenire mirandum est. maxima repugnantia iam inter ſe coire. Miretur Iſaac, miretur cœlum & terra, mirentur angeli, mirentur ſtellæ & planetæ, mirentur elementa, & omnes creaturę ſenſibiles & inſenſibiles. Omnia volatilia cœli alas ſuas comprimant & contrahant: nec viridem herbam paſcant animalia, ſuóſque ſuſpendant actus, ſtupeſcant & eleuentur tanta cùm videant miracula. Sic rapiebatur in maximam admirationem propheta ille Abacuc dicens, Cóſideraui *Abac. 3. iuxta 70. interp.* opera tua, & obſtupui. O Deus meus, & Deus cordis mei, O ſponſus & dilectus animæ meæ: cóſideraui ego vermis terræ opera tua, & in eorũ inquiſitione prorſus intellectus meus defecit. Vide quod dixit, conſideraſſe opera domini, & idcirco expauiſſe: quia admiratio ex rerum cõtẽplatione procedit. Cóſideremus & nos modo ſanctiſſimi huius natalis myſteria: ne ſicut homines gẽtiles aut ethnici vitam agamus tãtis & tam diuinis myſteriis ingrati. Miremur & admiremur tãtam domini bonitatẽ & clementiã, quẽadmodum iſti paſtores: cùm è ſummo cœlo, in noſtra tuguria dignatus fuerit deſcendere, & tantos labores propter nos ipſos ſumpſiſſe. Miremur tam profundã humilitatẽ & abiectionẽ. Videamus quis ſit iſte, qui naſcitur, & quomodo naſcitur, & quorum cauſa naſcitur. Quibus omnibus rectè conſideratis, & oculis noſtris in iuſtitiæ ſole cóiectis, cõmouebuntur alæ, noſtri cordis & contemplationis, & ſicut auis phœnix, igne diuini ſui amoris inflammabimur, & altiſſimis cogitationibus in diuinam illam benignitatem & bonitatem rapiemur, & cóburetur cor noſtrum igne *Pſal. 38.* amoris exardeſcens, ſecundũ illud Pſalmi, In meditatione mea exardeſcit ignis: & ita conuertemur in cinerem cognoſcentes nos eſſe cinerẽ, & viles vermes terræ: & ita fruemur tanto & tã diuino fructu huius ſanctiſſimi natalis, qui eſt gloria & æterna beatitudo, exẽplum ſumentes à virgine. De qua ait *Math. 2.* Euangeliſta, *Maria conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* *Ambro. lib. 2. in Luc. to. 5. & gloſſa ordin.* Verba ſumuntur hîc etiã pro rebus geſtis: conſiderabat enim prudentiſſima virgo paſtorum, Regumque orientalium aduentum, angelorum apparitionem: & ea, quæ in ſe geſſerat præpotens Deus. Sciebat præterea illud, quod multò *Eſaiæ 11.* antè propheta dixerat, videlicet, Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & ſeipſam de radice Ieſſe, déque eius ſtirpe profectam *Mich. 5.* eſſe Maria virgo cognouerat: Ac proinde illud Michææ prędictũ optimè tenebat. Tu Bethlehẽ Effrata paruula es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël. Quapropter ſe in Bethlehem dominatorem Iſraël pariturã eſſe certò ſciebat. Comparat ergo verba factis, vetera nouis, vmbram rei ſignificandæ, figuram veritati: pollicitationes deniq; rebus exhibitis, in quibus omnibus varia, atque diuerſa catholica fidei argumẽta reperiũtur. Hæc igitur omnia piiſſima virgo ſapienter quidẽ ponderabat, & conferebat: vt ea poſteà ſacroſanctæ eccleſiæ enuntiaret: & ſic omnes Chriſti fideles vberrimos inde fructus, maximáque perciperent vtilitatem. Non habuit prudentiſſima *Eccleſ. 21.* virgo cor fatui, & ſtulti: de quo ſapiens ait, Et ſicut vas confractũ, & nullã ſapientiã tenet. Sed erat tanquã arca fœderis, vbi tam ſecundę legis Euangeliũ, quã legis antiquæ tabulæ ponebantur. Nam quæcunque de Chriſto optimo & maximo dicebãtur, *Hebræ. 9.* vel quæ ipſe Saluator noſter aperiens os ſuum, diſcipulos ſuos, imperitámque multitudinem docebat, ea omnia ſereniſſima virgo indefeſſa ſecũ, fidelique mente tenuit, & ruminauit. Diſcamus igitur beatiſſimæ virginis exemplo cócitati meditari cœleſtia, réſque diuinas mente, & cogitatione concipere: quod egregiè fecerimus, ſi conſideratione aſſidua diuina myſteria cótemplati fuerimus. In lege veteri animalia, quæ non ruminabant, veluti ſus, & *Math. 5.* eiuſcemodi alia, immunda erãt, & illa nequaquam ex domini præcepto filij Iſrael poterant comedere. Sic tu illa, quæ pro te fecit rerum omnium conditor, ac fabricator Deus ruminare perpetuò debes: *Deute. 14.* nempè quomodo hominis formam induerit, acerbiſſimámque mortem pro te miſero peccatore ſubierit. Sed ad contextum, *Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ viderant, ſicut dictum eſt ad illos.* Non quidem paſtores ingrati *Beda in cap. 2. Luc. ca. 6.* extiterunt, tanti, tamque admirabilis beneficij immemores: ſed quæcunque ab Angelo audierunt, & in Bethlehem viderunt, ea omnia voce magna prędicauerunt clamantes, & laudantes dominum, ingentéſq; Deo gratias referẽtes pro glorioſa vnigeniti filij ſui natiuitate. Diſce præcor horũ exemplo cómotus, pro tot, ac tantis in te collatis beneficiis immortales Deo gratias agere. Sic Paulus Epheſiis *Ephe. 5.* ait, Impleamini Spiritu ſancto loquẽtes vobiſmetipſis in Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallẽtes in cordibus veſtris domino, gratias agẽtes ſemper pro omnibus in nomine domini Ieſu Chriſti Deo patri. Præterea ait, quod ſicut dictum erat illis, & ſicut audierant, ita viderũt: vnde iure æquiſſimo poterant hi ſanctiſſimi paſtores illud Pſalmi proferre. Sicut audiuimus, ita & vi- *Pſal. 47.* dimus in ciuitate Dei noſtri, in ciuitate domini virtutum. Et quanquam cœli, terræque fabricatorem pauperem, vilique in pręſepio reclinatum paſtores inuenerunt, non tamen vllum de eius paupertate ſcandalum cœperunt: quinimò diuinas opes, quæ ſub paupertate illa abſconditæ deliteſcebant, fide nimia, quæ in eorũ pectoribus ardebat, cótemplabantur: qua de cauſa glorificantes & laudãtes Deũ venerũt. Oportebat quidem tales priores illos Eccleſiæ lapides eſſe, oportebat inquã, vt fidei catholicæ radiis illuſtrarentur, inque ſancto Dei ſeruitio arderent, vt prompti, atque grati in eiuſdem beneficiis euulgandis exiſterent: & verborum Dei præ- *Philip. 3.* cones facti beneficia in genus humanum à Deo collata publicarent. Trãſeamus & nos iſta temporalia, & quæ retrò ſunt obliuiſcentes ad brauium ſupernæ vocationis Dei, Chriſto Ieſu feſtinantes: eamus & videamus quantam humilitatem, & paupertatem pro nobis Rex gloriæ ſuſceperit. Simus grati beneficiis eius verbo, & opere ipſum imitando, cum angelicis ſpiritibus ipſum laudando quãtum poſſimus: nam ipſe maior omni laude eſt. Ca- *Eccle. 43.* namus cum Dauide, Benedic anima mea dominũ, *Pſal. 102.* & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Quamobrem ſi diuini paſtores ſola Chriſti natiuitate cognita reuerſi ſunt gaudentes, quãto magis nos, qui totam incarnationis ſeriem tenemus: & Chriſti ſacramentis imbuti ſumus, eidem gloriam ſempiternam dare debemus: quin potius nullo vnquã tempore, de eius laudibus conticeſſere tenemur. Ideò enim noſtram naturam adeò incredibili coniunctionis vinculo ſibi copulauit, vt Deus fieret verus homo. Quorſum autẽ hoc fecit? vt vniuerſum genus humanũ ab omni veſtigio ſceleris expiaret, & ab omni flagitio tutum ac ſanctum redderet. Sed

hæc

hæc satis sint de Christi Saluatoris nostri natiuitate: nunc tamen ne prolixior in dicendo videar, quã oportet, ad alia eiusdem redemptoris mysteria explicanda pergamus, de quibus cõsequenter Euangelista noster Lucas ait,

Postquam consummati sunt dies octo vt circunderetur puer.

Maximè quidem nos mouere, imò & compellere debet, vt Deum ex toto corde diligamus, illique soli fideliter seruiamus, legis elargitio, in qua viuamus, nobis ab eodem domino concessa. *Nostra vita, sine Dei lege, miserabilis.* Nam quãuis donum, vt nos crearet ad imaginem & similitudinem suam, & æterni domicilij capaces efficeret, quãuis inquam hoc donum magnum sit, & excellens: si tamen nobis Deus legẽ non dedisset, in qua suam nobis exponeret voluntatem, explanando simul, quid nos facere oporteret, vt beatitudinem ad quam creati fuimus tandem consequeremur, nostra proculdubio vita tristis esset, & misera. Si rex diceret alicui meam si feceris voluntatem clarissimis te dignitatum titulis exornabo, ita vt te vno præstãtior nullus in meo regno comperiatur: contra verò meæ si aduerseris voluntati, non impunè feres, imò durissimis constrictus vinculis in obscuro carcere pestilenti morte consepultus miserè tãdem peribis. Quam iniret viam vir iste? Quod caperet consilium? Curaret quidem, & singulari industria curaret regis voluntatem in primis cognoscere: deinde vt eam adimpleret omni studio contenderet, hoc enim itinere maximũ lucraretur bonum, cõtrariò verò dedecus sempiternum. Verùm si rex quid amaret, vel quid odio haberet huic homini, nequaquam vellet aperire, miseram sanè vitã vir hic traduceret & squalidam, donec in cognitionem regiæ voluntatis deueniret. Sic Nabuchodonosor sapientibus, sub pœna capitis præcepit, vt
Dan. 2. quod somniarat somnium diuinarẽt. Verumenim verò si rex huic homini omnia sua sensa declararet, corque suum fideliter aperiret: quanta vir iste lætitia exultaret; quantóque gaudio triumpharet: quãdoquidem iam suatum voluptatum ianuam apertam cernebat? Scimus & certò scimus tam fide, quàm etiã ratione ducti, ꝙ vnus solummodo Deus in rerum natura existit: & hunc bonum, pium, iustumque esse nemo est, qui dubitet. Scimus præterea illos, qui obtemperant voluntati huius sanctissimi Dei maximis præmiis in superno illo beatorum domicilio condecorari: & ècontra illos, qui eundẽ dominum sceleribus, & flagitiis impudentissimè lædunt, in perpetuam tenebrosi carceris miseriam summa cum ignominia deturbari. Si nobis Deus legem non dedisset, qua, tam illa quæ erant fugienda, quàm illa quæ erant adamanda explicaret: tristis certè esset hominum vita & ærumnosa. Nam etiam si ad beatitudinem nos esse creatos intelligeremus, quo nobis tamen eundem esset prorsus ignoraremus. Singulare igitur atque præclarum in nos contulit beneficium summus ille parens atque rerum dominus: quandoquidem suã legẽ promulgauit, ex qua omnes Christiani apertissimè intelligerent, quid ad beatam vitam comparandã oportebat, quid verò ad obscurissimas inferni tenebras fugiẽdas requirebatur. Sic egregius Psaltes loquẽs
Psal. 118. de Deo dixit, Propter legẽ tuã sustinui te domine. Si legem mihi non dedisses, nequaquam vitã hanc ferre possem. Sic idem Psalmista. Lucerna pedibus meis verbũ tuum & lumẽ semitis meis. Non parui momenti fuit diuinum illud beneficiũ, quo Deus mortales deuixit cũ legẽ illis dedit: ad cuius normã omnes suas actiones fingere, & accõmodare possent. Verùm ne lex ista, quàm hominibus seruandã dabat, contemneretur: eidem se priùs subiecit, qua quidem subiectione legem suã voluit honorare, vt intelligeremus quãti ipse legem æstimaret suã. Nã cum obseruationi legis, quam promulgauerat, minimè cogeretur, ipse tamẽ legis auctor eidem sese libentissimè submisit in circuncisione. Si virũ aliquẽ potentem, diuitiisque affluẽtem vidisses, qui nobili pompa, regalique apparatu seruiebatur: verum si eũdem postmodum in regis curia genibus flexis insidentem, manus osculantem, regi denique in omnibus obtemperantẽ cerneres, in quæ verba prorumperes? Diceres sanè esse regem: magna res est. Regi enim potentissimi principes, nobilissimique clientes seruiunt & obtemperant. Vis scire quãtas vires, quãtámq; magnitudinem lex summi Dei habeat: Paululum tecum ipse considera, quod ipsemet Deus eidem subiici, & obtemperare non dedignatur. Quandã legem Deus ediderat, quæ se in hunc *Gen. 17.*
modum habebat. Infans octo dierum circuncidetur in vobis, Christus verò, vt legem extolleret suã dicit euangelista: quod filius Dei circunciditur & legi subiicitur. Sic Paulus, At postquã venit pleni- *Galat. 4.*
tudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factũ sub lege. Vnigenitũ filium suum misit æternus pater legi subiectum, vt legem cõmendaret & honoraret: nos docens quanti æstimanda sint mandata Dei, quantaque vigilantia custodienda & honorãda: & quantũ ne nos in vastissimũ flagitiorũ pelagus ingurgitemus facere teneamur. O tempora, ô mores, ô teterrimi peccatores. Præcepta enim quibus Deus libentissimè subiicitur, frãgere, & comminuere non dubitatis. Leges carnis vigilãtissimè seruatis, spiritus autẽ frangere non perhorrescitis: præualẽt cacodæmonis leges, Dei verò destruuntur, & abolentur. Plorandũ quidẽ est: inanissimis enim de causis inuiolabiles Dei leges perfrãgimus. Audi quod scriptum sit. Maledictus homo, *Deute. 27.*
qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Lycurgus postquã Lacedæmonibus leges publicauit, eas obseruandas esse dixit, quousq; reuerteretur ab illa regione, in quã proficiscebatur, Cretamque illico profectus nunquã redijt: Nã ibi è vita discedens ipsius ossa cõburi, & cineres in mare mitti præcepit, opinabatur enim quòd si corpus non asportaretur, eius leges perpetuo seruarentur. Si igitur philosophus hic tam ardenter desiderabat, vt seruarentur leges, quas condiderat: cur Deus non volet legem suam custodiri? Vnde Dauid ait, Tu mandasti, mandata tua custo- *Psal. 118.*
diri nimis. Tantùmque legis huius obseruantiam commendauit Deus, vt ipsemet eandem voluerit plenissimè custodire. Verùm hac nostra tempestate mortales non solùm pedibus sanctissimas Dei leges proculcant, sed quod peius est easdem custodire ignominiosum putant. Bone Deus? quousq; non ferenda hominum in peccando licentia peruenit? Infamem se esse putat homo, si Dei præceptis obtemperauerit. Vis hoc luce clariùs inspicere? attende. Ait lex Christi, Diligite inimicos vestros, &c. Tã- *Math. 5.*
ti verò hanc legem fecit Deus, vt iamiam in crucis patibulo moriturus patrẽ æternum mitem atque propiciũ suos in hostes redderet. Tamẽ miseri homines hanc legem seruare indecorũ esse opinãtur. *Luc. 23.*

Mundi

Mundi honos in hoc ſitus eſt, & locatus, vt inimicos immaniter quiſque perſequatur, nullámque iniuriam illatam ſibi impunitã relinquat. Si autem aliquis reperitur: qui infernalem hanc nõ imbiberit opinionem, infamis atque ſtultus illicò, & habetur & appellatur. Itaque quod Deus fieri iuſſit, vt eius præcepta adimplerentur, iniurioſum reputatur. Tamen iſti legis Dei tranſgreſſores non exiſtiment perpetuò eorum impudentiam eſſe ferẽdam. Vnde dominus eos per pſalmiſtam terret, dicens, Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, viſitabo in virga iniquitates eorũ, & in verberibus peccata eorum. Igitur magni legem Dei faciamus, quandoquidem ipſe, vt eam nobis commendatam relinqueret, voluit eidem ſe priùs ſubiicere.

Pſalm. 88.

¶ Porrò circunciſio à Deo, Abrahæ & ſemini eius data fuit propter duo. Primo in remedium peccati originalis: nam per circunciſionis ſacramentũ peccatum originale tollebatur. Secundo circunciſio data fuit in ſignum. Verùm, vt de his duabus cauſis aliqua dicamus neceſſe eſt. Quod igitur ad primam attinet, Si circunciſio eſt ad peccati remiſſionem, quidnam Chriſtus commune habet cum circunciſione? Etenim quemadmodum nõ habet peccatum ille, qui ad remittenda peccata venit, eodem modo ſua nihil intererat circunciſio. Erat quippe teterrimi peccati & morbi ſingularis ac vera medicina: voluit Deus cum ſanus eſſet, ignis cauterium veluti vlceratus recipere, vt noſtra vulnera ſanaret: & veluti ſeruus, ferri nota ſignari voluit, & ſicut mancipium vendi, vt nos iam deuorandos è faucibus diaboli eriperet, & in priſtinam libertatẽ, per peccatum amiſſam vendicaret. In incarnatione, carnem Chriſtus ſuſcepit humanam: nunc verò circuncidi non recuſat, vt hac ratione noſtram ſuperbiam, & arrogãtiam cohibeat, & refrænet. Vult dominus peccator videri, cùm reuera nõ ſit: & nos cùm peccatores ſimus, iuſti haberi volumus. O quã decepti viuimus: & vita noſtra, quàm contraria eſt vitæ Chriſti. Nam cùm turpiſſimis ſceleribꝰ inquinati ſimus, probi atque caſti haberi volumus: cúmque omni dedecore, & ignominia digniſſimi ſimus, humanas tamen laudes quærimus, fucatóſque honores ambimus. Superbe peccator, quæ verba proferes corã humili Ieſu in tremenda illa die iudicij? Præpondera tecum ipſe, quòd propter te Chriſtus peccator reputatur, cum omni ſceleris veſtigio careat. Amor, quo Emor filius Sichem Dinam proſequebatur, effecit, vt ſe circuncideret: cum tamẽ ad circunciſionem minimè teneretur. Ita amor, quo Deus mortales dilexit, ipſummet cõpulit quodammodo, vt circunciſioni ſeſe ſubmitteret: cùm tamẽ ad eam nõ obligaretur. Incredibile fuit illud amoris ſignum, quod Deus hominibus demonſtrauit, cùm naturam ſuſcepit humanam: tamen hodiernũ beneficium multò maius eſt, & excellentiùs: pro nobis enim Chriſtus ſacratiſſimũ ſanguinem ſuum profudit, & tanquàm peccator voluit circuncidi. Placuit illi cùm ſanus eſſet, infirmi hominis medicina curari: quod ſine honoris ſui detrimẽto atque iactura fieri non poterat. Num magni amoris ſignũ hoc nõ fuit? Detinetur in carcere aliquis homo propter nefandiſſimum delictum, ignorat quando ob perpetratum crimen punietur. Interim tamen filiũ regis tranſeuntem cernit, cuius fauorem & auxiliũ miſerabili voce imprecatur, dicens, Domine miſerere mei. Tunc princeps huc & illuc cõuertens oculos, tãdem rogat, Quid hoc? Reſpondẽt circumeũtes, Domine homo quidam eſt, quem pater tuus ob commiſſum crimẽ detinet in carcere. Soluatur, inquit regis filius, & è vinculis exeat: nã eius crimen ego meis humeris ſuſcipio, imò potiùs cruciabor illa eadémque pœna, quæ illi à lege erat imponenda. Forſitan nõ eſt hic amor inauditus, & propè incredibilis? Cùm in carcere peccati miſerrimè incluſus eſſes, audit Deus gemitus compeditorũ: & cum ſis reus, ipſemet tuis oneratur vinculis, & pœnalitatibus, neque his ſatiatus circũciſionis tormẽtum ſubdit. Tu peccas, ille plectitur: & cùm non ſit peccator, flagitioſus oſtenditur. Sic ille per prophetam alloquens patrem ait, Saluum me fac Deus, quoniã introierunt aquæ vſque ad animam meam: infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Non de aquis materialibus loquitur, quoniã hæ animam, quæ ſpiritus eſt, ingredi non poſſunt: ſed metaphoricè per aquas intelligit triſtitias, pœnas, & anguſtias. Sic ſub nomine aquarũ intelligit Ezechiel tribulationes, & anguſtias: cùm dixit contra Tyrum, prophetico ſpiritu correptus, Et adduxero ſuper te abyſſum. Subiungit, & non eſt ſubſtantia, hoc eſt non habeo culpam. Eſſentia enim & ſubſtãtia peccati culpa eſt, quæ eſt illa voluntatis malitia, quando aſſentimur offenſioni, præpotẽti Deo factæ: accidentale verò peccati pœna eſt. Inquit enim nunc filius æterno patri, Saluum me fac Deus, quoniam &c. quia falſæ aquæ hoc eſt amariſſimæ pœnæ & anguſtiæ intrauerũt vſque ad animã meam, Infixus ſum in limo profundi. Ac ſi diceret, Ad tantam perueni abiectionem & paupertatem, vt vbi naſcerer non habuerim, niſi viliſſimum quoddam animaliũ ſtabulum inuenirem. Nec ſolum è cœlo deſcendi cum Deus eſſem, vt homo fierem: verum etiam ad inferius aliud abiectionis genus in mundum veni, videlicet, vt circunciderer, & non eſt ſubſtantia, id eſt, non eſt culpa, tamen grauiſſimam pœnam fero. Non eſt peccatum, & pœnam peccato debitam patior: innocens ego ſum, & peccatum nõ habeo, verum ſingulari afficior infamia: & denique cum ſim ab omni peccati genere liber & immunis, peccator tamen exiſtimor. In ſimilitudinem carnis peccati, dixit Paulus ſicut æneus ſerpens, quem fecerat in deſerto Moſes, habebat ſimilitudinem ſerpẽtis, tamen virtutẽ non habebat: ita Chriſtus habuit ſimilitudinem peccati, & in ſe ſuſcepit omnem pœnam peccato debitam. Cõſidera ergo peccator quo pacto Chriſtus omne tuorum peccatorum onus ſuis humeris aſportauerit, ita vt eum tua nefandiſſima ſcelera in hoc ſtatu collocauerint: quia nunquam Dei filius humi iaceret, ploraret, atque ſuum ſanguinem effunderet, niſi peccaret homo. Acrius hominem iuſtum peccatorum onus diſcruciat, & ſeuerius affligit, quàm ſceleratiſſimum peccatorem, qui humeris portat grauiſſimam peccatorum ſarcinam. Nullum elementum in ſua ſphera eſt graue. Si profundum pelagus ingrediatur quis ad natandum, nõ ille ſentiet aquarum pondus etiam ſi infinitam aquarum copiam deſuper habeat. Extra fluuium verò ſi ſe vtriculo aquæ oneret, aquæ grauitatem ſuſtinere nõ poterit: quia tunc eſt aqua extra ſuam ſpheram. Si vas ligneum in puteum ad hauriendam aquã miſeris, leue nimis erit, ita vt puerulus illud extrahat etiam ſi in profundo putei ſit: verum dum ad ſummitatem aquæ aſcendit, dúmque à ſuo

Circunciſionis inſtitutio & eius effectus. Beda in Homil. de circ.

Nos debitores & Chriſtus exoluit noſtra debita.

Geneſ. 35.

Pſal. 101.

Pſal. 68.

Eze. 31.

Philip. 2.
Num. 21.

Elementa in ſua ſphera nõ ſunt grauia ſimilia.

à suo exit elemento robustiores vires ad illud extrahendum sunt necessariæ, valdè enim grauat. Similiter ille, qui allium manducauit, eius odoré non sentit: verum ille, qui foris est fœtorem statim olfaciendo cognoscit. Considera peccator, quod turpissimum peccati allium deuorasti, nec est, qui tuæ famæ detestandum odorem patiatur, nisi tu quoniam illo spurcissimo odore non grauaris: nec mirum est nam obduxisti iam in peccãdo callum, sicque peccati fœtorẽ, & illius graue pondus non sentis: quia praua hæc consuetudo in naturam conuersa est. *2. Reg 11.* Dauid quando illa homicidij, & adulterij scelera perpetrauit, onus peccatorum, quod humeris portabat non sentiebat: tamen postquam cõuersus pœnitentiam egit, statim dixit, *Psalm.37.* Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meũ: & sicut onus graue, grauatæ sunt super me. *Exod. 32.* Sic Moses, qui iustus erat, sentit onus peccatorum populi, cũ dixit Deo. Dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ, & peccata non erant sua, sed populi. Itaque solummodo ille, qui peccator est, scelera non sentit. *Forte extra suã spheram.* In Christo erant tua peccata extra suum elementum, eáque in se ipse suscepit, & maximo eorum pondere grauatus est in limo profundi, & grauissimas patitur pœnas, suúmque effundit sanguinem, *Esai. 43. Esai. 53.* sentiens quæ tu non sentis. Ideo ipse per Esaiam, Seruire me fecisti in peccatis tuis. Et iterum Esaias de illo. Vere languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. De malis corporis, & animæ locutus est. Cùm enim dicit verè languores nostros ipse tulit, de corporalibus intellexit: & cum add dit dolores nostros ipse portauit, de peccatis loquitur. Hostes enim corporis, & animæ Christus fugauit. Quid est, quod languores corporis timemus: cum iam non sint languores, sed cœli merita? Quid est quod tot scelera patramus? Cur hostem in patriam reuocamus, quem Christus tanto sudore relegauit? His Iesu lachrymis, his doloribus, his denique cruciatibus: peccatũ, languores, & infirmitates nostræ extinctæ sunt. Cur ego illas renasci patimur? Has autem infirmitates quas reliquit, infirmitates non sunt appellandæ, sed perfectiones virtutum: virtus enim in infirmitate perficitur. *2 Cor. 12.*

Animæ nostræ dignitas & pretiositas ¶ Expende igitur dolores: quos in hac acerbissima circuncisione tollerauit noster redemptor. Eius enim naturæ Christus erat, vt eius sacratissima caro delicatior esset omnium hominum corporibus, quod mirandum nõ est: nam eius purissimum corpus à spiritu sancto in virginis vtero formatum fuit. Neque obstante prædicta ratione, considera vtrum puerulus, qui vix dũ octo dies egit, sit tener atque delicatus, & inde poteris colligere, quos dolores in hac circuncisione pro te Christus subierit. Aduerte simul peccator quã magno pretio te Christus emerit, & audi Paulum dicentem, Empti estis pretio magno. Quo pretio? Non corruptibilibus *1. Cor. 6. 1. Pet. 1.* auro, & argento (ait Petrus) empti estis: sed pretioso sanguine agni immaculati. Hoc vellem memoria repeterent illi, qui propter quemcunque honorem, vel temporale bonum proprias animas cacodæmoni vendunt: cùm tamé illæ magni sint æstimandæ. Nam sicut [illegible] parte corporis humiles esse debemus, terra enim sumus: ita cõsiderata æstimatione, quæ pro nostris animabus tradita fuit, quædam sancta in nobis arrogãtia debet reperiri, quandoquidem tam alto pretio redempta fuit anima nostra, videlicet pretioso sanguine Iesu Christi, qui pro nobis traditus fuit. Tamen peccator nihil vilius esse putat anima sua: illam enim quocunque pretio vendit. Si qui amplissimas domos iure hæreditario sibi à patre relictas possideret, quæ triginta millia ducatorum pretium excederent, si is hæres eas duobus argenteis venderet, num stultus non haberetur? Maximè quidem. Tu verò imprudentior es, & stultior: nam cum pretio inæstimabili sanguinis Iesu Christi emptus sis, animam fœdo appetitu vendere non dubitas, absque vlla consideratione pretij, quo empta fuit. Meditare obsecro magnitudinem infirmitatis peccati, quãdoquidem immortalem fieri mortalis oportuit, vt sanguinem suum pro nostris vlceribus, & plagis sanãdis effunderet: ex meditatione stimulus ad non peccandum sumere debemus, cùm tam obscœna & insanabilis res peccatum sit, vt ad eius medelam sanguis Christi necessarius fuerit.

¶ Vide etiam quomodo primo suæ natiuitatis die lachrymas, & die octauo sanguinem Christus effuderit. Contemplare quàm serò filius Dei cœperit *Exod. 4.* concionari, & quàm citò sanguinolentas subierit angustias, & tribulationes. Nam vt concionaretur triginta annorum spatium priùs transactum fuit, at vt redimeret vix erant octo dies transacti.

¶ Expende etiam quod sponsus sanguinis incipit *Genes. 3.* sanguinem pro ecclesia sponsa sua effundere, & sicut sponsus antequam sponsam domũ ducat priùs illi arras tribuit: ita Christus antequàm patiatur factis statim cum ecclesia sponsalibus, singularem ei donat margaritam pro eius redemptione sanguinem suum effundendo. Iam hic secũdus Adam exiens à terrestri paradiso, scilicet à sacratissimo ventre matris suæ incipit bonum, & malum cognoscere: & hic potens mercator & generis humani redemptor, iam incipit pignus venturæ solutionis dare, paruum istum sanguinem effundendo, & pignori dando, in signum multitudinis sanguinis, quem postea effusurus est.

¶ Secundò principaliter circũcisio fuit data Abrahæ in signũ: quæ in ipso cœpit, & in Christo desiit. *Circũcisio data in signum.* Quando semen lactucæ vel caulis seruandum est, apponitur illis signum. Sic quia Abraham seruabatur in carne: vt Christus de illo nasceretur, quia etiam seruabatur semen, illud Deus circuncisionis signo notauit. Nóne (vt Paulus ait) Abrahã, signum accepit circuncisionis. *Rom. 8.* Eduxit dominus Abraham de terra sua, & cognatione sua, vt peregrinaretur in terra Canaã: post variósque labores, & assiduas pe- *Genes. 12.* regrinationes, pro tantorum mercede laborum, dixit ei dominus, Noli timere Abraham, ego merces tua magna nimis. Rursúsque dixit ei, In semine tuo *Genes. 15.* benedicẽtur omnes gentes. Hoc de Christo domino debet intelligi (teste diuo Paulo) qui promissus est Abrahæ. *Galat. 3.* Quod vt cognosceret sanctissimus Patriarcha promissum sibi à Deo certissimũ fore: addidit dicens, *Genes. 17.* Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me & vos, & semẽ tuum post te. Circuncidetur ex vobis omne masculinum, &c. Igitur circuncisio signum erat posteris Abrahæ: vnde ex quo Christus circuncisus est, testimonium præbet quod stetit promissis Abrahæ factis, nempe ab eo secundum carnem fore nasciturum.

¶ Obseruandũ præterea quòd voluit, vt Abraham *Cultus diuinus nõ in interno sed externo signo consistit.* circũcideretur, vt signaretur amicus eius signo exteriori. Non enim solummodo placet Deo, vt interiores amici eius simus: cùm etiam vult vt exteriùs

Genes. 4. illius esse amicos nos ostẽdamus. Abel sanctus quidem erat, iustúsque in oculis Dei: ad hæc autẽ placuit Deo, vt in oblationibus, suam exteriùs iustitiã demõstraret. Iustus ac pius erat Noë, cui dominus
Genes. 7. dixit, Te inueni iustum coram me in generatione hac. Nec proinde satis erat ei, intrinsecus Deo placere fidem viuam, integrámque in pectore seruando: sed statim vt de arca egressus fuit ostensionem fidei iustitiæque fecit, sacrificium offerens Deo. Hac de
Genes. 9. causa præcepit Deus filiis Israel, vt tingerent super liminaria seu domorum postes sanguine: quo signo dignoscerentur, & ab Ægyptiis, gentilibúsque di-
Exod. 12. stinguerentur. Sic faciẽdum est cuique fideli. Non enim satis tibi est quòd habeas fidem integram in pectore fixam: sed etiam oportet, vt facias opera digna Christi fidelium. De fide etiam certis signatísque temporibus testimonium præbere, ipsámque ore confiteri tenemur: insuper & hãc animi præparationem habere, nempe vitæ periculũ si oportuerit pro eius confessione subire. Hinc est quòd dicit
Roman. 10. Paulus, Corde creditur ad iustitiam, ore autẽ confessio fit ad salutẽ. Si ex fide viua iustificamur: quid est quòd dicit, quòd oris cõfessione salutem consequemur? Nunquid iustitia nõ est salus? Verum quidem est quòd fide viua charitate informata iustificatur homo: sed nullus quãtumuis iustus sit in præsenti vita omnino integram atque perfectam obtinet sanitatem, quia vel ab ea labi possunt ac deficere, vel certè venialia peccata committere, atque alia multa facere, quæ cum absoluta perfectáque iustitia pugnãt. Hanc in patria omnibus numeris absolutam perfectámque obtinebit iustitiã & gratiam consummatam, ad quam infallibiliter deueniet si ore confiteatur quod in corde fixum tenet, & operibus verbísque, & ornatu eius testimonium reddat. Ecce cur Deus voluit, vt Abraham eiusque posteri qui fideles vtique erant, suam fidem etiam signo circuncisionis externo manifestarent. Qua etiam de causa præcepit nobis, vt illum diligamus, & ei seruiamus bene operando, & signum fidelium Christi dignum exhibentes: ipsa nanque opera testimoniũ fidei religionísque nostræ præbeãt oportet. Si hoc ita se habet, quàm parua Christianitatis demonstratio inter nos est? In Christianis populis, & plateis nihil nisi iuramenta, blasphemias, mendacia, latrocinia, ludos, & vanitates audies, ita vt dice-
Osee. 4. re possimus illud Oseæ prophetæ, Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictũ & homicidium, & mendaciũ, & furtum, & adulteriũ inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Si Turca vel alius, qui à vera religione aberrat per hanc ciuitatem deambularet, qua in re nos seipso meliores esse dignosceret? Plus veritatis inter infideles, quàm inter nos reperitur. Si es Christianus, signum Christiani ostende. Ostende mihi
Iacob. 2. fidem tuam ex operibus. Ideo Christus, Luceat lux
Mat. 25. vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona: & glorificent patrẽ vestrum qui in cœlis est. Nonne tibi contigit aliquando agrũ petere, ibique benè cultam vineam, & parietibus obsessam cũ vidisses, dicere, Hæc vinea bonum atque sedulum habet possessorem: etenim video eã benè amputatam, & suo debito more cultã. Ita tu futurus es bonus, castus, deuotus, humilis, modestus, vt infideles qui te viderint, dicant, Magnus domin' debet esse Deus Christianorum, quãdoquidem hos famulos habet. Itaque vult Deus quòd famuli eius non solũ in interioribus illum ament, verumetiam in exterioribus amorem, quem erga illum habent bonis exemplis demonstrent. Ideóque nõ solũ voluit, vt Abrahã & eius descendentes qui erant electi à Deo illum fide cognoscerent, verũetiam vt in exterioribus signati signo circuncisionis essent. Quæ circũcisio erat discrimen inter Iudaicum, & Gentilicum populum.
¶ Præterea circũcisio signũ erat venturi domini ex semine Abrahæ, qui omnibus populis salutem erat allaturus: verũ cum iã venisset, æquũ erat, vt circũcisio ampliùs nõ valeret, quandoquidẽ id quod designabat impletum erat. Pactũ quod Deus pepigerat cũ Abrahã deficere nõ poterat: & ita signũ dat illius quod ꝓmiserat. Verùm quãuis promissiões omnes in Christo fuerunt cõpletæ: circuncisio non statim cessauit in Christi circũcisione quia nõdũ cõpleuerat omnia, quæ illi promiserat Deus: ideo mori, & pati priùs oportuit. Sed nũc Christiani iã nihil debẽt, quia quicquid Abrahę ꝓmiserat Deus, in Christo adimpleuit. Chirographũ deleuit, illud affigens Cruci, vbi debita iã soluta sunt. Iã Messias venit, & *Colos. 2.*
ideo nõ est opus circũcisione: & qui circuncisionẽ recepit, declarat, quòd Messias nõdum venit. Vnde Paul. Si circuncidimini, nihil Christus vobis pro- *Galat. 5.*
dest. Sunt quidã vici & rura vbi nullus nobilis, vulgo hijodalgo, nec habitare, nec vicin' eisdẽ esse potest: & si habitare in illis vult ascribendus est, & publicã exactionẽ, & vectigal soluere tenet', sicut rusticus singulis annis solitus est soluere. Filius itaq; Dei, nostro in rure habitans etiã si varias, & priuilegiis plenas libertates secũ duxit eisdem tamẽ fungi noluit, sed esse ascriptitius, & rusticus sicut alij potiùs elegit. Quapropter tributũ soluẽs, séque rusticũ, & tributariũ faciẽs circunciditur: vt fidẽ adimpleat, quã anteà dederat Abrahæ. Prouide modo, vt Christi sanguis quẽ pro te fudit tibi prosit: in quo facienti: ꝙ in se est, est plena redemptio. Sanguis iusti Abel clamabat ad dominum, quem sæuè occidit *Genes. 4*
Cain. In Apocalypsi quoque scriptum est quòd in- *Apoc. 6.*
sontiũ sanguis effusus clamabat aduersus impiam nimiúmque sæuã interfectorũ manum. Vidi (inquit Ioannes) sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei: & clamabant voce magna dicentes, Vsquequo domine vindicas sanguinẽ nostrum? Obserua modo, Si Deus qui pronior est ad miserẽdum quã ad puniendũ ipséque audit voces suorum ad se clamãntium & vindictã postulantium aduersus impios carnifices: quanto magis exaudiet clamantem ad se vnigeniti filij sui sanguinẽ, qui coràm *Rom. 8.*
interpellat pro nobis, veniámque nostrorũ postulat peccatorũ. Vnde Paul. ait, quòd mortuus Christus interpellat pro nobis: quia sanguis eius remissionem peccatorũ nostrorum petit. Habeamus igitur nos in isto sanguine firmã spẽ ne in vanũ illũ recipiamus: si neglectis operib. bonis ociosè vixeri- *Hebr. 9.*
mus. Nam vt ipse Dei Apostolus arguit & acutè satis in epistola ad Hebræos, si sanguis hircorũ & taurorũ & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationẽ carnis: quãto magis sanguis Christi emundabit conscientiã nostrã ab operibus mortuis ad seruiendũ Deo viuẽti. Aspice ergo vt tantus tibi prosit pro te fusus cruor, eáque Dei charitatẽ, bonitatémque altiùs expẽde: qui cũ sit terræ cœlique cõditor tãquã rusticanus ignobilisq; plebeius vult subjici tributo, vt nos in cœlesti regno nobiles efficiat. ¶ Sed iã nunc viso ꝙ circũcisio data est in remediũ peccati originalis, & in signũ: pauca dicamus

Margin: Circuncisio quando abroganda erat.

De circuncisionis tẽpore. Genes. 17. camus de tẽpore circuncisionis. Fiebat enim iuxta legis præceptum die octaua, & sic ait hîc Euangelium quòd die octaua Christus circũcisus est. Præceperat olim Deus, quòd agnus paschalis per septẽ dies cum matre sua esset, & octaua die, quòd posset offerri. *Exod. 12.* Sed iam nunc vide agnum sine macula, qui *Ioan. 1.* suo sanguine tollit peccata mundi quomodo sacrificandus offertur, vt sanguinem in hac circuncisione profundat. Expende etiã, quòd die octaua voluit sanguinẽ effundere, qui primus anni est: vt toto anno fixũ in nostra memoria haberemus sanguinem, quẽ hodie pro nostra salute effundit Deus. Nã sicut in frõte domus vestra arma & stẽmata iubetis, vt figãtur: ita Deus in principio anni vult, vt Christi san *Exod. 12.* guinẽ contẽplemur, ne beneficia in nos collata vlla vnquam deleat obliuio. In Ægypto angelus eos omnes interfecit, q domus limina sanguine vncta nõ habebãt. Sed ô quàm acriter animaduersum erit in illos qui hũc sanguinẽ veri agni, qui Christ⁹ est, effusum, præ oculis nõ habuerint. Præterea tã citò hoc est octaua die pati voluit Christus, vt doceret nos Christi crucẽ, & pœnitentiã in nostra pueritia esse ferendã & portandã, neque senectutẽ esse expectandã, sed à primis vnguiculis incũbendũ esse virtuti. *Leuit. 26.* Vnde voluit dominus, vt Leuitæ, qui eius seruitio destinati erant, à pueritia diuino cultui totos sese traderent: puerilis enim ætas tenera est, & facilè in illa probi mores imprimũtur, in senili verò nõ tam facilè. Vnde Eccl. Curua ceruicẽ filij tui in iuuẽtu- *Eccles. 30.* te, & tũde latera, &c. Virga quando est tenera facilè ad rectitudinẽ duci potest: trabs verò postquam exsiccata est minimè. Magna illorũ insania, & fatuitas est, qui in futurũ tẽpus virtutẽ differũt: stultus enim esset is, qui diceret, nolo equũ meũ itineri & deãbulationi assuefacere, donec insenescat, neque in foueã præcipitet, & collum frãgat. Sic insanus est ille, qui corpus suũ in iuuẽtute domare nõ vult, donec in turpissimã peccati foueã spiritum præcipitet, & quasi collũ frãgat, dãdo ei peccati mortalis occasio- *A teneris assuescere multum.* nẽ. Serò etenim, vt dicũt, morbo medicina paratur cum mala per lõgas inualuere moras. Serò quidem abluũtur vestes, quę ex diuturnis sordibus iã cõputruerunt. Amẽs esset ille, qui habẽs vas aureũ balsamum sibi oblatũ nollet in eo collocare, donec luteũ & nõ quodcũque luteum, sed vetustissimũ possideret, in quo illud reponeret. Sic fatuus est, qui gratiã Dei in pueritia nõ vult recipere, sed vult vsq; ad senectutis tẽpus vas esse peccati & immunditiæ. Serò enim resistitur hostibus, postquã totã vrbẽ occupauerũt: & serò etiã sal adhibetur carnibus, quę iã vermibus scaturiũt. In his rebus, & similib. sciũt homines tẽpus opportunũ eligere: verũ de tẽpore saluti propriæ opportuno nõ curant. Nihil enim est eisdẽ vilius. Vestiũtur quidẽ homines magnificè, incedũt superbè, verbis vtũtur sesquipedalib⁹: denique vestes summo cũ artificio mirè & nouè quotidie conficiunt: verũ de exornatione animæ nõ curant. Ita- *Fortè, alceos. Threm. 3.* que multò chariores se ipsis habent sotulares suos, & vestes. Itaque bonũ est viro cum portauerit iugũ ab adolescẽtia sua: quia vt sapiẽs ait, adolescẽs iuxta viã suã etiã cùm senuerit, nõ recedet ab ea. Christus *Prou. 22.* nõ solũ in adolescẽtia, sed etiã in pueritia imò in sua infantia, & statim in sua natiuitate suis humeris crucẽ imposuit: & octaua die sanguinẽ effudit. Qui optime equitaturus est, vt ab ætate decem annorum equum ascendere incipiat necesse est: & qui pastor futurus est, etiã debet scire à pueritia, perã & fundã iacere, & in mõtib. altissimis imbrium frigorúmq; *Ioan. 10. Luc. 15.* iniurias ferre. Christus autẽ qui erat magnus eques cum venisset ad genus humanũ de ore leonis liberandum, & ad oues suas reficiendas, qui ad ouẽ perditã quærendã venerat: quã ab ore lupi detracturus erat, sic à principio incipit portare arma, & exercet officium pastoris. Ideò tu disce statim tuis humeris iugum pœnitentiæ suscipere tradendo tibi virtuti. Amor ille magnus quẽ in nos habet Deus benè quidem apparet: statim enim post ortum suũ vult pro nostris miseriis tormenta pati: nec putat se horã visurum, qua nostra causa cruci sit affigẽdus. Ne negligẽter illi seruias, qui tãto animi feruore te quæsiuit, neque triginta, & tres eius vitę annos serò vẽturos esse arbitreris: quia horã mortis iam peruenisse vellet, vt tibi vitam ipse daret. ¶ Attende hîc etiam quòd illum non vocat Euangelista regem, omnipotentem, Messiã, vel quid simile, nisi puerum. Ait enim, Postquam consummati sunt dies octo, vt circunciderетur puer. Cõsidera nunc quòd rex gloriæ, & filius Dei, cœli, terræq; moderator & rector solo nomine pueri contentus est: & sub nomine pueri recõdita est celsitudo, & magnitudo vnigeniti filij Dei. O paruum nomen & humile, quãtam in te cõtines maiestatem. Vbi nunc reuerẽdissimi, excellẽtissimi, regiæ maiestates & stultitiæ mũdi sunt? Hoc humile nomen nimis superbiã & arrogãtiam mundi deprimit, atque confundit: qui nunquã tam præceps in interitum: & ruinam properauit, vt nostra hac misera, & calamitosa tempestate. Quiuis enim nobilis vult appellari illustris: & si forte fortuna in literarum subscriptione illustrẽ se fuisse vocatum nõ reperit, nequaquam eas legere, quinimò nec videre vult. Quod mirum nõ est quãdoquidem vsque adeò progressa est hominũ audacia & superbia, vt ad sepulchrum (vbi utinam simus vermes ostendunt) hanc detulerint labilem, & detestãdam mundi vanã gloriã. Mille titulos & vanitates nõ quibuscũq; literis, sed aureis depingũt in monumẽtis. ¶ Verum vt scias dominũ humiles extollere: puero huic humili & paruo imposuit Deus nomen, ante quod omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ideò sequitur in contextu. *Vocatum est nomen eius Iesus.* De quo nomine Paulus ait, In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, &c. *Philip. 2. Nominis Iesu, maiestas. Orig. hom. 14. in Lucã.* Quanuis enim Deum, æternum, trinũ, omnipotentem, & alios titulos nominantẽ audias, non humiliaris, ne flectis genua: tamẽ audito nomine Iesu, statim flectis. Cur hoc? Quia hoc nomẽ pluris ei constitit, quã cætera nomina. Nil etenim Deo cætera nomina cõstiterunt, tamẽ hoc nomen eius sanguine, vita, & honore emptum fuit: & quia tãto pretio emptũ fuit, ideò nos esse gratos Deus iubet, humiliando, & abiiciendo nosmetipsos: sicut ille se humiliauit, & abiecit, vt nobis hoc nomen quæreret factus homo, & saluator mundi. O dulcissimum nomen, saluator & redemptor captiuorum! Cõueniẽs fuit, dato quòd venerat ad nos saluãdũ, & eius sanguinẽ effundẽdum p nostra redẽptione, vt nomen ipsimet imponeretur, congruum, & cõsonans illi operi, quod facere cupiebat. Venit vt nos saluos faciat, & ideo inditur illi saluatoris nomẽ. Si captiuis Christianis in locis infidelium, & Turcarum, literas rex misisset, quibus anno venturo dixisset se filium suum manu potẽti, & copioso exercitu missurum esse, vt eos à captiuitate liberaret, dic precor nonne hi summo gaudio triumpharent? Imò nimis oblon

oblongum illum annum esse putarent: & quãcunque nauiculam, promissum exercitum esse putarẽt. Sed quid esset, si primo cuiusdam diei crepusculo copiæ & exercitus ad ripas maris apparerẽt signis regiis extensis & explicatis? Bone Deus quamtam hi captiui voluptatem caperent, quandoquidem clarissimum optatæ salutis prognosticon viderent! Ante ortum Christi omnes captiui eramus, tãque misera captiuitate opprimebamur, vt eam nec nos nec patres nostri portare potuerint: nam mortales
Act.19. omnes etiam si prestantissimis corruscarent virtutibus, post ortum obitum in obscurissimum carcerem mittebantur. Omnes enim ad Limbum descendebant, ibique nec solem nec lunam videre poterant. Tamen quod eos consolabatur, erat quædam scheda, qua cũ vnigenito suo loquitur æternus pater dicens, Tu quoque in sanguine testamenti tui
Zachar.9. eduxisti vinctos de lacu. Hac spe consolabantur, his etiam literis futuram libertatem sperabant Christiani viri: sed nũc iam in portu videtis soluisse exercitum, & angelos fœlicissimum nunciũ pastoribus denunciasse dicentes regis signa iam extẽsa in portu esse? Tamen cum signa illa lachrymis madescerent, erant occulta, nec in totum poterant appare-
Tit.3. re: etiam si Paulus clamat, dicẽs. Apparuit benignitas & humilitas saluatoris nostri Dei: Tamen quia rubeus color valdè extenditur, apparent hodie signa rubea, & sanguine tincta: vt cũ ea homines vi-
Vexilla Christi et insignia rubea. deant sui saluatoris signa recognoscant. Iã in terra Christus est, iã suũ effundit sanguinẽ, lætẽtur bono hoc nuncio captiui. Sed dato quod venit sciamus vtrum sufficiens ad nos liberandũ ferat imperium. Sumus enim sub potestate principis tenebrarum, qui nos habet vinctos durissimis cathenis. Ad hoc respondeo, quòd vocatur Iesus, id est, saluator. Et quanuis in veteri lege fuerũt aliqui qui sic vocabãtur, nullus tamen eorũ homines saluos fecit à peccatis, nisi Christus: vt angelus dixit Iosepho. Voca-
Mat.1. bis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Non hoc fecerunt Iesus Nauê, nec Iesus Iosedech, nec Iesus Sirach.
Esai.62. Ideo Esaias, Vocabitur tibi nomẽ, quod os domini nominauit. Nomen nouum: quia noua redemptio, & salus data est per Christum. Aliis etiam qui hoc nomine vocati sunt dedit illis nomen Moses: sicut Iosue, & alij hoc nomen in sua circũcisione adepti sunt. Christi tamẽ nomen hoc ab æterno patre datum est, teste Dauid. Sit nomẽ domini benedictum
Psal.71. in sæcula: ante solem permanet nomen eius. Vnde
Esai.63. Esaias, Tu domine pater noster, & redẽptor noster: ab æterno est nomẽ tuũ. Ideò hîc nõ dicitur, posuerunt illi nomẽ Iesu, sed vocatum est illi nomẽ Iesus: quod est saluator: Nã si saluator est peccatorũ, non potest esse nisi Deus. Si enim homo purus esset peccator nasceretur: dicique peccator & saluator non benè cõueniunt, & quanuis redẽptus esset in vtero, & etiam à peccato originali præseruatus, nõ posset saluare: nã nõ coherent redẽptus, & redẽptor. Itaq;
Saluatoris officia. si saluator est Christus, & redemptor peccatorũ, sequitur quod est Deus. Ideóq; vocatus est saluator, tanquã Dei filius. Saluatoris est cõfligere cũ hoste,
Esai.8. & de illo victoriã reportare: quapropter Christ' in Esaia dictus est velox spoliator, seu prædator. Tertiò saluatoris est, vt doctrina & cõsilio nobis ꝓdesse
Esai.9. se possit: ob quòd etiã Christus admirabilis, & consiliarius dici potest. Quartò saluatoris est nobis fortitudinem dare: vnde Christus fortis Deus nũcupatur. Quintò saluatoris est cõscientiam nostrã tranquillam & pacatam reddere, & nos Deo recõciliare: qua de causa Christus princeps pacis vocatur. Sextò saluatoris est non tantum semel auxiliari, sed omni tempore: nec solum in hac mortali vita gratiã dare, verumetiam in futura æternam gloriã & fœlicitatem: & propterea Christus æternus pater, seu pater futuri sæculi nominatur. Septimò saluatoris est non vnum tantummodo, sed multos & cunctos mortales saluare, ideóque de Christo dicitur, quòd potestas eius latè propaganda sit. Postremò saluatoris est non ad tempus modo, sed semper opitulari: quod de Christo etiã fertur, quòd pacis illius nõ sit futurus finis. Hęc omnia, quę Esaias dixit in no-
mine Iesu continentur, quo nihil suauiùs atque iu- Nominis Iesu efficacia.
cundiùs vnquã audire possumus. Sed quia hoc nomen lætũ dulcéque est, & hæc omnia bona peccatoribus sunt nunciata similauit Salomõ hoc nomẽ
oleo effuso: quo significauit cõscientias hominum Cant.1.
exhilaraturum, & corda emoliturũ, & deuotionem acturum, totúmque hominem cõfortaturum: & reuera sic se habet. Sensit hoc D. Paulus: qua de causa in omnibus suis epistolis toties tãque honorificè huius nominis mentionem facit. Hoc idem sanctus
Stephanus, & omnes martyres senserunt, & simul Act.7.
experti sunt quas vires hoc nomẽ haberet, ad acerbissimos cruciatus mites, & lenes reddendos. Sic
etiam Apostoli alacres, & gaudentes discedebant à Act.4.
conspectu consilij Iudæorum: eò quòd digni habiti sint pro nomine Iesu contumeliam pati.

¶ Aduerte præterea quòd nomina rebus accõmo- Conueniunt rebus nomina sæpe sua.
dantur secundum earum proprietatem. Sic Adam
posuit nomina rebus iuxta proprietatem eorũ. Sic Genes.2.
etiam Esau, quia rufus, & hispidus erat admodum, Genes.25.
vocatus est Esau. Sic quoque Baptista Pharisæos, Mat.3.
qui erant hypocritæ viperas appellauit: quæ pellem variis coloribus de pinctã habent, intus vero præsentaneum venenum retinent. Christus Herodem
subdolam vulpem appellauit: eò quòd Herodes nõ Luc.13.
simplex erat: sed fraudulentus. Quidam Madianitarum princeps filiam suam Cozbi vocauit, eò quòd
loquax & mendax esset. Christus quoque Iesus est Num.25.
nuncupatus, eò quòd est saluator noster. Si modo Adam resurgeret, & in mũdum veniret, vt poneret nomina rebus: quæro, quod nomẽ imponeret mulieri fucatis coloribus exornatæ: & illi quæ nunquã domi est, imò fermè semper per plateas vagabunda deambulat? adulteram eam proculdubio vocaret. Quod verò nomẽ imponeret vsurario, & mercatori: qui pecuniam vendũt, & pauperes decipiũt? Latrones eos appellaret, &c. Turpiùs tamen atque detestabiliùs omnium nominũ est peccatoris nomen: & ita Esaias cum populi scelera videret hoc ei tur-
pissimũ nomen imposuit, dicẽs, Væ genti peccatri- Esai.1.
ci. Ita viuamus, vt bonũ nomẽ adipisci mereamur: De bono nomine curandum.
quodquidẽ omni ex parte bonis, atque suauissimis moribus cõueniat. Christus secũdum suã proprietatem Iesus fuit appellatus: de cuius dulcissimo, & benedicto nomine multa dicere poteramus quæ longũ esset recẽsere, sed nos breuitati cõsulentes ea omittimus. Hoc tantũ vltimo loco mihi obseruandum videt, qđ in his paucis verbis ꝓponitur nobis hic lex & euãgeliũ: & tota sacra scriptura quid habet nisi legẽ, & euãgeliũ. Vtrãq; rẽ cernis hic, videlicet, legis finẽ, & euãgelij initiũ. Nãque ideò Christ' circũciditur, & Iesus vocat', vt cesset omnino circũcisionis lex, nouásque vires euãgeliũ sumat. ¶ Por-

rò circuncisio probat veritatem susceptæ humanitatis, & nomen Iesu indicat veritatem diuinitatis: quia nemo vt diximus saluare potest, nisi Deus. Circuncisus est igitur Christus tanquã Abrahæ filius: & vocatus est Iesus tanquã Dei filius. Nomẽ declarat eum saluatorẽ esse, & circuncisio mõstrat quomodo nos saluare velit, nimirũ passione, obediẽtia, pœnitentia, & sanguinis effusione. Igitur quia hoc nomẽ Deus posuit dilectissimo filio, & angelo præcepit, vt beatissimæ virgini, & Iosepho sponso eius nunciaret, ideò sequitur in cõtextu, *Quod vocatum est ab angelo prius quã in vtero cõciperetur.* Quod verissimũ esse satis cõstat ex capite præcedẽti, & ex Euãgelio Mathæi. *Mat. 1.* Nã in superiorib. vidimus quomodo Angelus dixerit virgini Mariæ, Vocabis nomẽ eius Iesum. *Esai. 49.* *Quare nomẽ Iesu ab angelo.* Posteà etiã Iosepho dixit, Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluũ faciet populum suũ à peccatis eorũ. Sic enim Esaias prædixerat in persona saluatoris, Dominus ab vtero vocauit me, & de vẽtre matris meæ recordatus est nominis mei. *Orig. hom. 14 in Lucã.* Aliis imponitur nomẽ post ortũ, mihi autẽ priusquã nascar: imò ante cõceptionẽ. Propterea nomẽ Iesu potiùs vocatũ est ab angelo, quã ab homine. Primò, quia secundũ Origenẽ, primò in ipso & per ipsum saluati sunt angeli: & ideò primò cõduxit angelos saluatorem nominare, qui priùs ipsius salutis senserãt effectũ. *Psam. 8.* Secundò, quia creatura dignior nominari solet à persona maioris reuerẽtiæ. Inde quòd Adã à Deo nominatus est, & quia dominus paulò minus minoratus est ab angelis in humanitate nostra cõstitutus: inde conueniens fuit, vt ab angelo priusquã ab homine nominaretur. Tertiò, quia decet illum, nomen rei imponere, qui eius proprietatẽ cognoscit. *Genes. 2.* Sic Adã nomina rebus imposuit: & quia homo nominis huius proprietatẽ nõ cognouerat, & Angelus iam expertus fuerat quia erat saluum facere, quod perierat: ideò ab Angelo nominatus est. Nemo enim potest rem veraciter nominare, nisi proprietatẽ rei veraciter cognoscat. Considera igitur Christũ saluatoris nomen habere, & ad redimendũ venire, & natũ octo diebus incipere redẽptionem, sanguinem suum in hac circuncisione effundendo. Ideò accede ad Christũ, ne opulẽtus iste thesaurus, nempe sanguis Christi tua causa perdatur: imò eo vtere, quicquã tollerãdo in recõpensationẽ illorum laborũ, quos ipse pro te passus est. Sed hęc sufficiẽt, tam de mysterio circuncisionis, quã de nominis Iesu nuncupatione. Nũc cætera nostræ redemptionis mysteria prosequamur: quæ omnia ordinatè (vt in præfatione dixerat beatus Lucas Theophilo) euangelista prosequitur. Iã ergo post Christi circuncisionẽ agit de beatissimæ virginis secundùm legem purificatione, dicens, *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Mosi.* *Peccatũ Adæ occasio incarnationis Christi.* Certum & notum quidem est, quòd saltem in passibili carne filius Dei non fuisset incarnatus, nec in mundum venisset, si homo nõ peccauisset. Peccatum enim Adam nobis Christum incarnatũ, mortalem, & passibilẽ dedit. Ideò aduentus Christi nõ fuit nisi ad nostri vulneris remedium, & generis humani redemptionem. Quod propter magnũ amorẽ, quem in illud habuit redimere voluit sua morte, & passione. Sed cùm ad nos curãdum veniret, & contraria cõtrariis curantur, decebat quòd arma peccatis cõtraria sumeret, quibus vinceret cacodæmonem, qui mortales subactos, atque depressos tenebat. Principiũ enim nostræ miseriæ & calamitatis fuit superbia primi parentis, cũ præceptum quod seruare debuerat custodire recusauit. *Genes. 3.* Maluit enim suam, quàm Dei voluntatem facere. Ideò cum Deus venerat ad nos redimendum, illũ humilem ad nostram curãdum insolentiam venire, & obedientem ad sanãdam nostram inobedientiam oportebat, quæ inobediẽtia totius mali causa & origo fuit. Nihil ardet in inferno nisi propria voluntas quam adimplere potius homo vult, quàm Dei. Sic ipse dominus, A sæculo confregisti iugum, rupisti vincula mea, & dixisti, Non seruiam domino, sed post cogitationes meas ibo. *Ierem. 2.* A minimo vsque ad maximum omnes adimplere suas volũtates volũt. Quiuis proprio iudicio regitur, & quod sibi videtur faciendum, facit. Peccatum quidem hanc propriã nutrit voluntatẽ: quæ nihil aliud est, nisi quædã inobediẽtia, & legis Dei trãgressio. Ideò sicut Adã, quæ custodire tenebatur, nõ seruauit: sic Christus ad hoc malũ curandũ venit, & obedire legi voluit, cũ ad eius obseruationem minimè teneretur. Noluit homo præpotenti Deo obedire, Deus hominib. paret: vt tãta sit humilitas, & Christi obedientia, quanta fuit superbia & inobediẽtia prioris parentis. Ideò Paul. Misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege. *Galat. 4.* Et alibi, Factus obediens vsque ad mortem, mortem autẽ Crucis. *Philip. 2.* Primũ quidem hoc est quod proponitur nobis de Christo ab Euãgelista dicente, quòd Christus legi non obligatus obedit, & ei subiicitur offerens se ipsum in templo. Et hoc factum esse ait secundum legẽ Mosi, non pro obligatione, sed secũdum legem Mosi: cui Christus obedit, vt sua obedientia curet nostram inobedientiã. Præceptũ erat in lege Mosi, *Leuit 12.* *Christus se legi subiicit, vt nos à legis iugo liberet. Beda in Luc. 5.* quòd mulier, quæ suscepto semine masculum peperisset, immunda esset septem diebus: immunda quidẽ à consortio hominum & ingressu templi, & die octaua circuncidebatur infantulus: & tunc ipsa munda efficiebatur, quo ad consortium hominum, licet nõ quo ad ingressum tẽpli. Sed post septẽ dies præfatos manebat mulier adhuc triginta tribus diebus in sanguine purgationis suæ, se abstinens ab introitu templi: & sic quadragesima die præsentabat puerũ in tẽplo, offerens simul munera pro se & pro illo. Porrò si fœminã peperisset duplicabantur dies, tam quoad cõsortium hominũ, quàm quo ad ingressum templi. ¶ Aduerte autẽ quòd beata virgo, quia non in sanguinis purgatione manebat, & Christus qui Deus erat, & dñs legis non subiiciebantur legi: at vt nos docerent obedientiam, quam subditi præpositis, & vt legi subiiceremur, sic præsentari voluerunt. Disce præcepta maiorum seruare, licet aliquãdo ex lege ad ea non tenearis. Nã bonus obediens sicut Christus & eius beatissima mater nõ tantũ ea ad quæ tenetur facit: sed adhuc plura alia propter bonum exemplum, & ad scandalum tyronum euitandum. Disce ex his prædictis tuam prælato subiicere volũtatem, quãdoquidem Christus, & eius mater subiici tua causa ceremoniis legis nõ dubitauerunt. Præterea purificauit se beata virgo Maria, quæ nihil labis, & peccati habuit, nos erudiens, vt ab omni inquinamento, carnis, & spiritus mundemur, & sanctificationem nostram in timore Dei perficiamus. *1. Cor. 2.* Hæc enim ad nostrã doctrinam fecerunt, & ad nostram doctrinã scripta sunt, *2. Cor. 6.* non ad suam necessitatem, sed ad nostrã vtilitatem. *Iaco. 2.* In multis enim, vt Iacobus ait offendimus omnes. Rursus, si volumus templum gloriæ ingredi, debemus stolas nostras dealbare in sanguine agni: nihil enim

Apoc. 2. 1. Ioan. 2. 1. Cor. 15. enim coinquinatum intrabit in illud. Expurgemus vetus fermentum,& simus azimi. Hæc enim est voluntas Dei sanctificatio nostra. Purificemus igitur *Math. 23.* nos intus & foris: mũdemus prius id, quod interius est, vt fiat id, quod exterius est mũdum, &c. Obseruandũ hic est quod benè sciebat sanctus Euãgelista, quòd beatissima virgo non indigebat purificatione: sed vsus est vocabulo purgationis, quia secũdum populi existimationem purgabatur, licet non secundũ rei veritatẽ. Sæpè enim scriptura dicit aliqua esse non secundum veritatẽ, sed secundũ existimationẽ. Sic dicitur Ioseph pater Christi, nõ quod esset pater eius, sed quia sic putabatur. Similiter *Math 24.* etiã dicitur in Euangelio, quòd stellæ de cœlo cadent, cum stella, quæ fixa est in cœlo, sicut nodus in tabula cadere non possit: sed quia sic populus existimabit, & videbitur ei stellas cadere videntes cometas currentes. Est enim cõsuetudo scripturæ gesta ita referre, quomodo tunc quando fiebant, fieri putabantur: quod multis aliis exẽplis probare possumus. Verũ quia de his inferius in literali expositione parabolæ filij Prodigi Deo dante dicturi sumus: nunc ad contextum accedamus. Prosequitur nanque historiã hanc beatus Lucas, dicẽs, *Tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum domino sicut scriptum est in lege domini.* Nunc Christus in tẽplo iam diuulgatur. Sicut sol qui illuminans suos cursus ascẽdit: ita Christus per nouẽ menses in vẽtre virginis fuit absconditus: tamen nascitur, & pastores illuminat, *Reddere Deo quod ab ipso accepimus cõuenit exẽplo Diuæ Virgin.* octauáque die terrã suo sanguine incipit rubefacere. Sed nunc ascẽdere in altum sol incipit, & publicè in templo omnibus ostenditur. ¶ Obserua quomodo beata virgo munus, quod à domino acceperat, offert domino. Sic & nos, quæ de manu eius accepimus, per gratiarũ actionem ei reddere & offerre debemus. Omnia enim gratiarũ flumina è vastissimo illo infinitæ misericordiæ mari exeunt, & affluenter ea Deus distribuit, & in nos largiter effun- *Eccles. 1.* dit. Ita ergo sicut flumina redeunt ad mare, vnde exierũt, omnia bona nostra Deo offerre debemus: quia ab ipso dimanarunt. Quis enim plantat vineã, & de fructu eius non comedit? Quem amaturus es, *1. Cor. 9.* nisi illum, qui potentiam tibi ad amandum dedit? Sed Deus cur fructu amoris non fruetur, quando quidem in anima tua voluntatem plantauit, qua eum amares. Si bona opera facis, & habes virtutes, *Iac. 1.* gratias & ingenia, audi quid dicat Iacobus, Omne datum optimũ, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. Et si bonas aliquas cogitatiões habes, etiam Dei sunt: sicut ait *2. Cor. 3.* Apostolus, Non sumus sufficiẽtes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Redde ergo, quæ sunt Dei, Deo: sicut *Mat. 22.* hîc virginem fecisse cõstat. Ne sis tyrannus, nec bona Dei vsurpes: sed illa redde Deo, qui illa tibi gratis dedit. Multi animam in vano suscipiunt, cùm illam Deo non reddunt à quo susceperũt. Vnde Da- *Psalm. 23.* uid, Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Respondet ipse, Qui non accepit in vano animam suam. In vano res recipitur, quando ea non vtitur eo modo, ad quem facta est. Consuisti vestem, nec ea indueris, eam frustra consuisti: quia vestis ad induendum facta est. Emisti equum, nec vnquam illum ascendis, frustra emisti, quia eo non vteris ad id, ad quod factus & inuentus fuit. Intellectum tibi dominus dedit, vt illum cognosceres, & voluntatem, qua amares, & memoriam, qua illius recorderis. Tu verò quia tuum implicas intellectum in rebus sæculi dignoscendis, in lucrandis opibus, in honoribus ambiendis, rebus humanis quærendis: voluntatémque in amanda carne, & bonis sæcularibus occupas: & memoriam in iniuriis, repetendis, quæ tibi illatæ fuerunt, exerces, vt eas impunitas non relinquas. His quidem consideratis sequitur, quòd frustrà has potentias recepisti: quandoquidem Deus easdem non ad hoc, sed ad illi seruiendum creauit. Illi quidem in vano animas recipiunt, qui sicut si animas non haberent, viuunt, tradentes sese auaritiæ, luxuriæ, & ambitioni, &c. Cõsidera igitur quòd si vis ad montem Dei ascendere, ne animam tuam in vano recipias, sed illam reddas Deo, qui tibi anteà donauit, amando illum ex toto corde, & ex toto animo seruiendo: eidem cor & voluntatem offerendo: quandoquidem tibi eandem elargitus est, sicut sanctissima virgo, quæ Deo filium obtulit, cuius manibus exceperat. Expende interim quòd quando duo homines sunt inimici & inter se pacem & amicitiam volunt componere, vt amicitia conseruetur, mutuò ad se consuescunt munera mittere. Sic Abraham dedit Abimelech oues, & boues & percusserunt ambo fœdus. Sic etiam Iacob confederatus est cum socero Labam: & posteà cum fratre Esau, dedit eis munera. Hoc enim ipsum quotidie ad amicitiam firmandam cõtingere videmus. Magna quidem erat discordia, quæ inter Deum & hominem fuit, ita vt diceret Iob neminem audere ponere manum inter illos, postquam à terrestri paradiso homo fuit eiectus. Tamen vbi primùm Deus nostram sumpsit carnem, illico pax inter eum & hominem composita fuit. Pacem enim in nocte natalitia angeli prædicant, & ad maiorem huius amicitiæ confirmationem ab vna ad alteram partem dona communicantur. Offert Deus generi humano donum & munus maximum scilicet filium suum, vt mundus cognoscat & videat se a Deo amari: & humana natura offert verbum incarnatum Deo in templo sancto suo, & etiam offert ei sacratissimam verbi humanitatem. Filium suum virgo offerens totam nostram etiam offert naturam, & hanc oblationem acceptans Deus & sacrificium, etiam omnia munera oblationis causa acceptat. Nam propter demonstrationem panni, & eius culturam bono ingenio operatam manet Deus contentus. Hic impletum esse credo illud, quod olim Deus promisit populo suo Israelitico in manu Ezechielis & Aggæi prophetarum eius dicens, Bonis donabo maioribus, quàm habuistis à principio. Et Aggæus cùm reuersus esset cum Hebræis suis ex Babylonica captiuitate & videret templum quòd Hierosolymis ædificabatur, afflatus diuino spiritu dixit, Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquã primę dicit dominus exercituũ. Quid est, in quo maior est hæc secundi templi gloria? nõ certè in diuitiis, nec templi maiestate, nõ in ceremoniis, nec in sacerdotum sanctitate: nõ denique in diuinorum vatum oraculis: Nam omnia hæc multò illustriora fuerunt in primo tẽplo. Quando enim hoc secundũ templum instaurabatur, senes qui aderãt, & viderãt primum templũ Salomonis recordati amplitudinis & præstantiæ templi primi, videntes paupertatem secundi lamentabantur, & non poterant lachrymas continere. Quæ est igitur hæc gloria secundi templi: & quod est hoc præstãtius bonũ, de quo loquebantur

Facultatibus & potentijs animi non abutendum.

Genes. 20. Genes. 32.

Munera pacis ineundæ, aut cõtinuãdæ, media sunt.

Iob. 9.

Munera reci proca inter Deũ & hõies.

Ezec. 36.

Aggæi. 2.

1. Esd. 3.

Aggæus, & Ezechiel? De nullo certè loquebantur alio, nisi de hac gloria huius secūdi templi, in quod Christus filios Dei cum nostræ carnis substantia hodie ingressus est. Videbant mentis oculis Ezechiel & Aggæus per spiritum propheticum tempus fore, cùm Deus factus homo intra mœnia Hierusalem in secundo illo Iudæorum tēplo sese videndum in carne passibili mortalibus præberet, præsentatus à matre virgine Maria, & à Simeone sene iusto in brachiis portandus. Hæc fuit gloria Hierusalē, hæc fuit illustrior illa dignitas, & illud præstātiùs bonū, quod Deus in secūdo templo promisit. O verè maior gloria huius secundi templi, quàm primi! Subdidit statim Aggæus, Et venit desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istā gloria, dicit dn̄s exercituum. Apertè dicit hoc templū gloriosius esse primo, q̄a Christus in illud erat ingressurus. Præterea cùm hoc templum secundū sit funditus euersum, apertissimè ostēditur venisse Messiā, qui iuxta Aggæi oraculum erat ad templum illud venturus. Si Deus promisit per Aggæum venturū esse Messiā ad templū illud dum extaret, templū verò illud est modo destructū, nec est tale templū, nec lapis super lapidem: vbi est insania expectantium Messiam. Ad quod templū secundū venturus est, si iam corruit, si est omnino * restinctū, si neque talis tēpli inuenitur vestigium? Nec dicere possunt Iudæi se habituros templum aliud ad quod Christus veniet, nam Aggæus eorum propheta de eo ipso templo loquutus est, quòd tunc Hierosolymis cōstruebatur, & nō de alio: vt eius verba planè testātur, imò apertè dixit nullum aliud futurum esse. Nam cōiciens oculos in templum ipsum dixit, Magna est gloria domus istius nouissimæ, quàm primę. Clarè & apertissimè asserit propheta templum illud nouissimum esse & vltimū: vltra quòd nullum aliud esset eis futurum. Quod hodie impletum aspicimus: nullum enim habent Iudæi templum, nec regem, sacerdotem, nec sacrificium. Adimpletum itaque cernimus in hac Christi præsentatione in templo prophetiā Ezechielis, & Aggæi. Sed iam ad contextum. *Quia omne masculum adaperiens vuluam sanctum domino vocabitur & vt darent hostiam secundum quod scriptum est in lege domini par turturum, aut duos pullos columbarū.* Pro huius literæ clariori explicatione aduerte, quòd in veteri lege circa pueros natos duo fiebant: vnū generale & commune omnibus: quia filio nato vel filia cōpletis diebus purificationis offerebant sacrificiū. Aliud erat circa primogenitos, qui erant Deo consecrati, eò quòd percussisset dn̄s primogenitos Ægyptiorum, & cōseruasset primogenita filiorum Israël ab exterminatore. Sed inter primogenitos, qui erant de tribu Leui, & alios hoc erat discrimen. Quia primogeniti tribus Leui offerebantur, & seruiebāt iugiter domino, sed primogeniti aliarū tribuū offerebātur, & quinq; siclis redimebātur. Christus, qui ex tribu Iuda erat oblatus est, & redēptus quinq; siclis. Sic intellige literam, Omne masculinum adaperiens vuluā, id est, omne primogenitum: quia primogenitus est, qui in suo ortu aperit vuluā matris, Sanctū domino vocabitur, id est, cōsecrabitur Deo. Vnde per Mosen dominus ait, Pro quo percussi omne primogenitū Aegypti, tam in hominibus, quā in iumentis, sanctificaui mihi omne quod primo aperit vuluā in Israël, tam in hominib. quàm in iumētis. Ideò ait Euangelista, Omne masculinum adaperiens vuluā sanctum domino vocabitur. De secundo autē quod erat generale, & fiebat, pro primogenitis, & etiam pro aliis omnibus dixit, & vt darent hostiam par turturum, aut duos pullos columbarum. Offerebant pauperes par turturum, aut duos pullos columbarū: nam diuites agnum offerebant. Postquam dominus dixit & præceperat, vt offerretur agnus anniculus in holocaustum ait sic, Quòd si non inuenerit manus eius, nec poterit offerre agnum, sumet duos turtures, aut duos pullos columbarum, vnum in holocaustum & alium pro peccato: orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur. ¶ Verum hic aliqua obseruāda sunt. Primū horum est, quod hic peccatū nō accipitur pro culpa, aut pro Dei offensa: sed pro immūditia. Solet enim in scriptura accipi peccatum pro pœna: vt est illud quod Nathan dixit Dauidi, Dominus trāstulit peccatum tuum à te, id est, pœnā peccato debitam. Et illud quod Paul. ait de Christo Iesu, Qui peccatum nō nouerat, peccatum fecit, id est, pœnam sustinuit. Et Ieremias in trenis, Maior est iniquitas, id est, pœna iniquitatis populi mei, peccato, id est, punitione Sodomorum. Voluit dicere, quòd maior erat pœna Israëlitarum, quàm Sodomorum: quoniam illi in momento submersi sunt cum vrbe sua: ciuitas verò sancta multis diebus priùs ferreis machinamentis, bellicisque tormentis fuit oppugnata & tandem euersa. Et iterum idem Ieremias, Patres nostri peccauerunt: & nos iniquitates, id est, punitiones eorū portauimus. Et in Genesi dicit Deus nōdum completas esse iniquitates Amorrhæorum, id est, tempus ad puniendum. Cain quoque dixit, Maior est iniquitas mea, id est, punitio, quàm vt feram: id est, eam possim ferre viuus. Sumitur etiam sæpè peccatum pro immunditia legali scilicet sanguinis, aut seminis aut contactus mortui, vt sumitur hic cum fœmina pariens masculum offerri iubetur par turturum pro peccato, id est, pro immunditia: nam nullum peccatum: si culpam pro peccato accipis, præcessit in fœmina. Non enim cōgressus cum propria vxore prolis gratia, peccatum erat aut parturitio, sed sola puerperij immunditia peccatū expiandum dicitur: Sic etiam de leproso, qui sine culpa sua lepra laborabat, iubetur in leuitico offerre passerem pro peccato, id est, pro immunditia. Secundò obserua quòd in eo quod ait, adaperiens vuluam, satis ostendit Christum legi non obligari: quia ipse vuluam matris non aperuit: nam clauso virginali vtero exiuit absque matris corruptione. Tertiò expende quòd Christus hîc tanquam peccator redimi voluit, vt nos à morte & inferno liberaret, & vt sic redemptus nobis totaliter offerretur, & totus noster esset ad vendendum, flagellandum, & crucifigendum. In natiuitate enim habuit se Christus Iesus, vt pauper homo: in circūcisione, vt pauper homo, & peccator: sed hîc habuit se vt pauper homo, peccator, & seruus. Pauperē se ostendit, in eo quòd oblationem pauperum obtulit: peccator, qui cum matre voluit expiari: seruus, quia sicut talis redimi voluit. Vt ergo nos redimeret à seruitute legis antiquæ voluit se legi subiicere, vt Paulus ait, vt eos, qui sub lege erant redimeret. Attende ô homo, qui à tam nobili redemptore redemptus es quantum tam illustri redemptori debeas: nam propter te cùm sit dominus, seruus efficitur, & pauperum cùm sit diues oblationem offert. Propter nos enim vt inquit Paulus, egenus factus est, vt eius inopia diuites essemus. Sed nunquid Magi, qui ab Oriente venerunt:

Templi Hierosolimitani præstantia.

**Fortè destructum.*

Duo circa recenter natos in vet. lege fiebant.

Exod. 12.

Leu. 12.

Peccatū pro immunditia.

2. Reg. 12.

2. Cor. 5.

Tren. 4.

Nominis peccati acceptiones variæ.

Ibidem.

Genes. 15.

Genes. 4.

Leuit. 14.

Beda in Hom. de purificat. B. Mariæ.

Galat. 4.

2. Cor. 8.

Mat.2. venerunt: non obtulerunt beatæ Mariæ munera? Quomodo tam citò tantã auri copiã expendit? Eam ferè totã pauperibus, & egenis erogauit. Ex hoc cõtextu discamus primò humiles esse exemplo Christi Saluatoris nostri: qui vt iã diximus humilis, peccator, & seruus apparuit, cùm esset diues, & dominus vniuersæ terræ. Nos autem cùm simus peccatores & omni scelere coinquinati, probi volumus, & magni coram mundo apparere. O quàm nostra superbia in hoc Christi hodierno opere reprehensa est! Hic nos hanc virtutem, & opere & exemplo docuit & homo factus dixit, Discite à me quia mitis
Mat.11.
sum & humilis corde. Aliud est enim esse humilem intellectu, & aliud esse humilẽ volũtate. Multi sunt, qui agnoscunt se esse peccatores, & dignos æterno supplicio, sed nolunt sic ab aliis reputari: imò vehementer exoptant coram imperita multitudine maximum sanctitatis nomen comparare, & quodcunque bonũ publicari: malum autẽ vt sepeliatur desiderant. Isti sunt humiles intellectu, quia seipsos cognoscunt, & de se non esse bonos, sed malos intelligunt: tamen nolũt tales haberi. Verùm humilis voluntate est ille, qui sicut seipsum fragilẽ esse cognoscit: ita etiam gaudet in eadem æstimatione ab omnibus reputari, & ab eisdem cõtemni & parui fieri. Sic Christus verè fuit humilis corde: quia quòd gloria & diuinus honos erat, occultabat: & mortalitatem, passibilitatem, & fragilitatem, quam vt verus homo habebat, manifestabat. Sic hic fecit & in transfiguratione quando in monte excelso coram tribus Apostolis suum voluit splendorẽ, & gloriam demonstrare: verùm mortis ignominiam, & passionis suæ tormentum coram infinita propemodum hominum multitudine, imò tẽpore paschali voluit subire, vt ab omnibus videretur. Sic etiam in natiuitate paucis, id est, pastoribus ostendit ministerio Angelorum gloriam suam: sed paupertatem suam hic in templo publicè ostẽdit coram multis astantibus. Nos verò tanquã superbi ignominiã nostram paucis, vel nullis ostẽdimus: gloriam autem publicamus, & per plateas decantari facimus. Et quia pauci sunt, qui Christum humilem corde sequantur & imitentur, clamat ipse, Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Docemur secundò exemplo beatæ virginis Mariç adducere filios in tẽplum, instituendo illos bonis moribus: iuxta illud, Filij tibi sunt, erudi eos: & incurua eos, à pueritia eorum. Sed multi potiùs offerũt filios diabolo, quàm Deo: illos sumptuosè vestibus, & exquisitissimis epulis educando, & multis vitiis, & malis moribus assuefaciẽdo: iuxta illud Psalmi, Immolauerũt filios suos & filias suas dæmoniis. Tertiò vt primogenita, idest, principium vitæ nostræ offeramus Deo. Mira est peruersitas illorum, qui florem iuuentutis suæ volunt offerre diabolo, fæces verò senectutis suæ Deo. Ideóq; in inferno fæces calicis iræ Dei bibẽt. De quibus in psalmo, Veruntamen fæx eius nõ est exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Ideò Ieremias ait, Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Quapropter tu qui iuuenis es, offer Deo bonos tuæ adolescentiæ annos: neque in senium pœnitentiam releges. Tunc enim pœnitere si velis senio grauatus nõ poteris: iuxta prouerbiũ illud, Adolescens iuxta viam suam etiã cùm senuerit non recedet ab ea. Longa enim peccãdi consuetudo te constrictum tenet, & magna quidem cum difficultate te emẽdare, & corrigere poteris. Quòd

Leg. Greg. li 22. mor. c. 14.

Differentia inter humiles intellectu & voluntate.

Math.17.

Eccles.7.

Psal.105.

Psal.74.

Thren. 3.

Non procrastinanda pœnitentia.

Prou. 22.

si mihi fidem nõ adhibes, audi Ieremiam, Sicut Aethiops non potest mutare pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum. Quando peruenit ad ripam nauis non sunt vela extendenda, sed tunc anchora est iacienda: Tamen tu quando ad vltimã ætatis tuæ metam perueneris, tunc post vitam consumptã speras posse pœnitentiæ vela tendere: sed longè te tua fallit opinio: nam modo dum iuuenis es vela pœnitẽtiæ sunt extendenda, nõ verò senectus est expectanda. Quapropter primogenita, quæ sunt priores anni vitæ tuæ offer Deo, & priores operũ tuorum fructus, qui posteà licet velis difficilimè poteris. Docemur quarto magnã rationẽ circa dei legẽ nobis esse habendam, & magnam curam circa nostra opera corrigenda & emẽdanda propter præcepta, quæ in diuinis literis, scripta reperimus. Nã Christus dñs cùm esset Deus, & à lege exemptus, quòd legi consentaneum est facit. In his paucis verbis ter dicit Euãgelista secundum legem dñi. Primò secundum legẽ Mosi: secundò, sicut scriptum est in lege domini: & tertiò secundum quod dictum est in lege dñi. In quo Euangelista nobis significare voluit quam meditati debeãt esse nostri cogitatus, & nostra verba & opera, quomodo debeant legi Dei cõformari, quandoquidem ipse Christus quæcũque facit sunt secundum legem. Quod Dauid explicauit dicens in Psalmo, Quomodo dilexi legem tuam domine, tota die meditatio mea est. Cùm peccatũ vt Augustinus ait, est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei: ideò tribus vicibus dixit, secundum legem dñi. At nunc lex Dei paruipenditur: & nostris temporibus plus homines cogitant de causis forẽsibus, quàm de lege Dei: potiùs legib. mundi reguntur, quæ dicunt iniurias esse vindicandas: quàm lege Dei, quç dicit, Diligite inimicos vestros: & benefacite his, qui oderunt vos. Plus appetunt magnates in pompis & mundi vanitatibus viuere, quàm soluere debita & sumptus superfluas expensas comprimendo: & tanquam venenosas resecando, & satis est, quod in rebus omnibus lex carnis præfertur legi spiritus, &c. Docemur etiam quinto, & vltimo ceremonias ecclesiç sanctæ traditas à sanctis patribus studiosè seruare, & venerari: siquidem Christus has legis sanctiones, & ceremonias ita ad vnguẽ vt dicũt, seruauit: Nam quòd mulier quadragesimò die in templo præsentaretur post partum, & has auiculas offerret, non erat præceptũ morale, nec iudiciale, sed ceremoniale: quod vtique Christus Saluator noster (cuius actiones instructiones nostræ sunt) nõ contempsit. Ad has antiquas veteris legis ceremonias sacrosancta Ecclesia Romana spiritu sancto gubernata, alias adiunxit & instituit cessante veteri lege: vt sunt ceremoniæ quibus vtimur in sacrificio missæ, & in aliis sacramentis, quæ maximè cõducunt ad veneratione sacramentorũ. Scio quod in his ceremoniis non cõsistit perfectio, tamen sunt vt seps, quæ hortum circũuallat, & fructus custodit: ita hæ ceremoniæ custodiũt deuotionem, animósque hominũ cõmouent ad res diuinas inquirẽdas: & hac de causa sicut fauores & auxilia spiritualia custodienda, æstimãda, & summa obseruatione colẽda sunt. Næuus quem formosa mulier habet in facie eandem pulchriorem reddit. Parua quidem res est næuus, tamẽ iuncta pulchræ mulieri illam formosiorem efficit: ita ceremoniæ quãuis de essentia rei nõ sint, tamen nimis exornant sacramenta

Ierem.13.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Triplex mentio legis quid nobis isinuet.

Psal.118.

Lib. 22. con. Faus. cap. 27.

Peccati diffinitio.

Mat. 5.

Ceremonia ecclesiastica nõ reijcienda.

menta & noſtræ fidei myſteria. Has ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ceremonias impius Lutherus tãquam apertiſſimus hoſtis Eccleſiæ, & totius ſanctimonię, & bonitatis infeſtiſſimus aduerſarius damnat, & deſtruit. Sed ille in tenebricoſo inferni carcere perpetuò iacebit: ceremoniæ verò eccleſiæ quicquid Lutherani moliantur, in ſempiterna ſæculorum ſæcula manebunt.

¶ Demum vt concludã poſt quadraginta dies offerebatur filius in templo, & poſt octoginta offerebatur filia: quia poſt ipſos quadraginta infundit Deus animam pueris in ventre matris, & fœminis poſt octoginta. Sic etiam poſtquam nati ſunt, vult Deus vt eos offerant & non anteà: Deus enim non

Piſcium oblatio ingrata Deo, quare. *Leu. 1.*

acceptat opera noſtra mortua ſed viua, factáque in ſtatu gratiæ. Ideóque in lege nõ præcepit, vt offerrentur ei piſces maris aut aliunde, ſed arietes, agni, vituli, auéſque & huiuſmodi alia. Cuius ratio eſt, quia piſces ſtatim vt de aqua educuntur, moriũtur: Deus autem odit ſacrificia mortua, & acceptat viua ſacrificia. Itaque offer tu Deo viua ſacrificia, hoc eſt, opera viua charitate: ſiquidem hæc tantummodo ſunt meritoria gratiæ & vitæ æternæ, Deóque grata. *Et ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon.* Iam hic Euangeliſta incipit agere de teſtibus fide digniſſimis, quos Chriſtus habuit in prçſentatione

Homo verus quis ſit.

prædicta. Sed ſingula verba Euangeliſtæ annotanda, & diſcutienda ſunt. Per demõſtrationem oſtenditur magnum notabile & attentione dignum. Inquit enim Euangeliſta: ecce homo erat. Hominem vocat illum. Mundus eos, qui per ſummam audaciam, intolerandámque licentiam deteſtanda ſcelera perpetrant hos contrucidando, illos probris & iniuriis lacerando, hos mundus fortes & magnanimos ſolet appellare, quos quidẽ ſacra ſcriptura nõ homines, ſed ferociſſimos leones, immaniſſimóſque tigres appellat: illum verò hominem, qui timet Deum, iuſtum atque ſanctum nuncupat. Non ille dicitur homo, qui habet duos pedes, duas manus, & duos oculos: ſed qui iuſtitiam ſequitur, & ratione vtitur iuxta hominis diffinitionem. De iuſto &

Iob. 1. ſancto Iob ait ſcriptura, Fuit vir in terra Hus, nomine Iob: non dicit quòd habet pedes, aut duo brachia: ſed quòd erat ſimplex, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhærens bono.

¶ In Hieruſalem dicit, quod erat: quia hic vigebat cultus diuinus, ſtudiúmque legis ac prophetarũ. In hac ciuitate ſancta erat hic ſanctus ſenex. Vide etiam & tu, qui clericus, aut monachus es, vt talis ſis, qualis eſt locus in quo habitas. Monaſterium ſanctum eſt, & ibidẽ multi ſanctimoniæ dediti habitarunt: & nunc honeſtè & religioſè viuũt. Locus in quo vitã degis terra ſancta eſt: habes plurimos, qui peccata etiam leuiſſima confitentur, rem diuinam quotidie faciunt, Dei laudibus, & pſalmodiis in choro aſſiſtunt, orationi & lectioni vacant. Ideò tu quare ignauè & remiſsè viuis, cũ inter ſanctos, & in choro coram ſanctiſſimo ſacramẽto, & in loco tam ſancto vitã agas? Quare inter bonos malus exiſtis? Et tẽpore, quo alij religioſi viri inter ſanctos angelos ſunt Deũ laudantes, tu malis cogitatibus illum offendis? Idẽ, quẽ habitas locũ, te damnat, & arguit. Deniq; vocabatur Simeõ, qui inter ſacerdotes famoſus erat atque notiſſimus: ſenectute iam frigidus, ſpiritu tamen feruens: inclinato corpore, ſed animo erecto: ætate marcidus, ſed vitæ innocentia floridus. Sed audi quid vltra de ſancto iſto Simeone dicat Euangeliſta. *Et homo iſte iuſtus, & timoratus.* Duo dicit, Primò quòd erat iuſtus: ſecundò quòd erat timoratus. Sed ſingula expendamus. Iu- *Iuſtus quis.*

ſtus calceus dicitur, quando pedi, & menſuræ eius conformis eſt, ita vt nec laxus, nec etiam cõſtrictus ſit. Curialẽ hominẽ & perpolitũ videbis tam iuſtos & conformes calceos ferentẽ, vt ſi fortè lappillus, lenticula, vel quæcunque res aliqua intromittũtur in calceos, maximum ſentiat dolorem, & ſic ſtatim vir iſte calceum excalciat, lapidémque extrahit: Tamẽ agaſo vel ruſticus, qui calceos laxos, vel ocreas oblongas & arena refertas portat, hunc dolorem nõ ſentit, nam licet lapilli & arena intromittantur, non tamẽ ruſticum diſcruciabunt: quia calcei laxi ſunt, & pedibus mordaciter non adhærent. Sic vir iuſtus & bonus non ferre poteſt vel minimum peccatũ veniale: nã cùm iuſtus ſit, & iuſtã habeat conſcientiã, quæuis res etiam minima illum torquet & angit, & ſic illicò tollit calceos, & ad ſacrum cõfeſſionis fontem, vt mundetur ab illo peccato recurrit. Tamẽ in improbo homine cũ vſuræ, luxuriç, infamiæ, & mẽdacia dominẽtur, & regnent, ne quidquam hæc illũ mordent, & lancinant: imò propriæ conſcientiæ detrimentũ & iacturã non ſentit. Dormit, requieſcit, & delectatur ſine ſcrupulo conſciẽtiæ, & ſine ſenſu & cõſideratione peccatorum, quæ patrauit: At ſanctus Simeõ vir iuſtus, & timoratus, quamcunque Dei offenſionẽ & perhorreſcebat, & cõſiderabat: & ideò addidit illud verbũ, & timora- *Bed. in 2. ca. Luc. to. 5.*

tus: quia qui ſine timore eſt non poterit iuſtificari. *Eccl. 1.*

Aliqui ſunt iuſti quorũ iuſtitia declinat in vitium præſumptionis, quia de ſua iuſtitia nimis præſumunt: ideò ad hoc remouendũ addit ꝙ erat timoratus, ſciens quòd omnes iuſtitiæ noſtræ ſunt tanquã *Iuſtitia cum timore coniuncta eſſe debet.*

pannus menſtruatæ. Nullus dum mortali hac aura *Eſa. 24.*

fruitur, debet de propriis meritis, aut de ſua ſanctitate præſumere, ſed potiùs occulta Dei iudicia for- *1. Reg. 24. & 26.*

midare. Ad tantã ſanctitatem peruenerat Dauid, vt cum bis poſſet occidere Saulẽ perſecutorẽ & inimi- *1 Reg 16.*

cum, noluerit, quin potiùs prohibuit Abiſai, ne occideret Semei, qui maledicebat Dauid, & lapides mittebat, ſed nihilominus de ſe præſumpſit, & elatus dixit, Ego dixi in abundantia mea, non moue- *Pſal. 29.*

bor. Sed vt experientia ſciret, Dauid, quòd iuſtitia conſeruanda erat Dei timore, formidando ſemper interitum, & ruinã, derelict⁹ eſt à Deo in ſuo ſenſu, & Vriã optimũ militẽ occidere fecit. Quis tale pu- *2. Reg. 11.*

taret de viro vtiq; ſanctiſſimo. Quis crederet, quòd ille qui inimicis pepercerat amicũ necaret? Qui ſtat *1. Cor. 10.*

(inquit apoſtolus) videat, ne cadat. Quia iuſtitiã cũ Dei timore Dauid nõ conſeruabat, ideò ſubmerſus eſt. Quare nõ in propriis meritis confide, ſed in Dei miſericordia, timẽs ſemper ruinã. Neſcis enim quãto tẽpore perſeueraturus es in bono opere incepto. Ideóq; nõ abſq; cauſa Euãgeliſta ait, quòd Simeon nõ tãtũ iuſtus, ſed & timoratus erat. Qui quidẽ ſanctus Dei timor iuſtitiã & ſanctitatẽ cõſeruat, ſicut cinis ignẽ. De ipſa enim ſanctitate exit timor filialis, qui charitatis ignẽ cõſeruat. Expende etiã quòd quãuis iſte iuſtus Simeõ omnibus polleret virtutibus, tamẽ peculiariter ſuã iuſtitiã cõmendat noſter Euangeliſta, laudãs illum, dicens in Dei timore eſſe perfectum: ſecundũ ꝙ dicitur quilibet ſanctorũ, in aliqua virtute ampliùs ſplẽduiſſe. Propter quod de vno quoque illorum canit mater Eccleſia illud Eccleſiaſtici, Non eſt inuentus ſimilis illi, qui con- *Eccl. 44.*

ſeruaret legem excelſi. Vnde Paulus, Vnuſquiſque *1. Cor. 7.*

enim

enim ſuum donum habet à Deo. In his duabus vir-
Iuſtitia quid. tutibus peculiariter ſanctus Simeon præeminebat,
& de his commendatur: videlicet de iuſtitia, quę eſt
virtus cardinalis & ſpecialis, qua vnicuique datur
quod ſuum eſt: vel de inſtitia quæ eſt virtus genera-
lis, & virtualiter de omni virtute qui omni virtutũ
genere fuit exornatus, fuitque præcipuè charita-
tiuus, & iuſtus: nõ enim propriũ, priuatúmque ali-
quo modo ſed bonum commune, & vniuerſalem o-
mnium ſalutẽ deſiderauit. Laudatur etiam quia ti-
moratus fuit, ſanctum enim timorẽ & filialem ha-
Eccleſ. 25. buit timens ne Deum læderet. De hoc Eccleſiaſti-
Pſal. 36. cus ait, Nihil melius, quàm timere Deũ. Et in pſal.
Timere Deum omnes ſancti eius, quoniã nihil de-
eſt timentibus eum. Itaque iuſtus fuit erga proxi-
Pſalm. 33. mum & timoratus erga Deum. Per timorem diuer-
tit à malo, & per iuſtitiam fecit bonum: iuxta illud
pſalmi, Diuerte à malo & fac bonũ. Verum vt ſcias
quàm verè dixit Euangeliſta: quòd Simeon erat iu-
ſtus, & timoratus: audi quid de illo dicat, *Expectans*
conſolationem Iſrael. Quam per Meſſiam quem iam
expectabat ſciebat eſſe venturam. Verè iuſtus &
pius erat hic ſenex: quia non propriam ſalutem, ſed
1. Cor. 10. populi Iſraël conſolationem expectabat, Non pro-
prium commodum, ſed bonum commune quære-
bat: quod proprium eſt iuſtorum. Sic Paulus. Non
quod mihi vtile eſt, ſed quod multis. Pauci imò
pauciſſimi ſunt qui zelãt bonum cõmune. Omnes
Phil. 2. enim quærunt quæ ſua ſunt: & hinc fit, vt nõ bene
reſpublicæ gubernentur, & vt nullum fermè veſti-
gium iuſtitiæ in mundo reperiatur: quia nullus eſt,
qui reipublicæ conſulat. Bonus vir: & reipublicæ
vtilis erat Moſes qui dicebat, Dimitte illis hanc no-
xam aut dele me de libro vitæ. Et Paulus, Cupio
anathema eſſe pro fratribus meis. Et iterum, Quis
infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandaliza-
Exod. 32. tur, & ego non vror? Non contentus eſt Deus, vt
Rom. 9. quiſque ſibi viuat, nam quãuis Chriſtianus reipu-
2. Cor. 11. blicæ officialis eſt: nec ſutor & ſartor tantum ſibi
viuunt, ſed reipublicæ. Sic tu qui Chriſtianæ reipu-
blicæ officialis es, non tibi, ſed aliis viuito. Vnde
Paulus, Nemo quod ſuũ eſt, quærat: ſed quod pro-
ximi. Et alibi, Vnuſquiſq; veſtrũ proximo ſuo pla-
1. Cor. 10. ceat in ædificationem. Hoc autem quod Paulus ore
Roma. 15. prædicabat, opere adimplebat: atque ideò dixit, Cu-
pio diſſolui & eſſe cum Chriſto, manere autem in
carne propter vos. Ideò Petrus vocat homines la-
pides viuos. Nam ſicut in ædificio vnus lapis ſuſti-
Phil. 1. net alium, & habet aliũ ſupra ſe, & ipſe ab alio etiã
ſuſtinetur: ſic nos ſuſtinere & adiuuare alios debe-
mus, & eodem modo proximi nos, & quidam aliis,
1. Pet. 2. alij verò aliis fauere etiam tenemur: vt illud quod
conſulit Apoſtolus facere poſſimus. Alter alterius
onera portate: & ſic adimplebitis legẽ Chriſti. Lex
Chriſti amoris eſt, quia præcipit, vt nos inuicẽ ad-
iuuemus, & vt proximorum noſtrorum ſalutem
Galat. 6. procuremus, & eorum commoda pro viribus tuea-
mur. Talis erat ſenex hic Simeon, qui proximorum
Meũ & tuũ ſalutẽ, prætendebat, & deſiderabat. Sed miſera hac
odioſa inter noſtra tempeſtate (quod plorandum eſt) oppoſitũ
chriſtianos fermè quotidie videmus: vnuſquiſque enim ſuam
pronomina. quærit vtilitatem, nec quiſquam eſt, qui niſi ſuum
commodum prætendat. Vnde Eſaias, Væ qui con-
iungitis domum ad domum, & agrum agro copu-
latis. Quod ſi rectè aduertimus, reperiemus totum
Eſai. 5. hunc Labyrinthum ex nimio amore, quo nos ipſos
proſequimur, dimanare: & hic proprius amor ma-
lorum omnium, quæ in mundo fiunt principium
eſt, atque fons. Quod benè Paulus Timotheo ſcri- *2. Tim. 3.*
bens demonſtrat, quando dicit, In nouiſſimis die-
bus inſtabunt tempora periculoſa, erunt homines
ſeipſos amantes, cupidi, elati, blaſphemi, parẽtibus
non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine
pace, criminatores, &c. Cõſidera igitur, quòd pro-
prius amor cauſa eſt malorum omnium, quam ibi
depingit Paulus: & ideò hunc amorem in princi-
pio collocauit Apoſtolus vti baſim & fundamen-
tum, quo omnia vitia & peccata nituntur. Nihil
acriùs homini nocet, quàm propria voluntas. Ipſa
quidem eſt, ſupra quam reſidet tota peccatorum
inordinatio, & vbi mundi amor requieſcit. Tolle *Ioſue. 6.*
fundamentum proprij amoris, & omnes muri Ieri- *Amoris ſui-*
co cadent: qui ſunt ſtultitiæ & vanitates, quarum *ipſius peruerſi*
amore flagras: Iudicium præuertit proprius amor, *effectus.*
confundit rationem, obſcurat intellectum, inficit
voluntatem, & viã ſalutis intercludit. Hic proprius
amor Deum non cognoſcit, proximum ignorat, re-
legat virtutes, quærit honores, & mundum diligit.
Qui ſic diligit animam ſuam (ait dominus) perdet
eam. Radix tandẽ totius iniquitatis amor proprius *Ioan. 12.*
eſt. Eſau, Saul, & Antiochus non obtinuerunt ſuo- *1. Reg. 15.*
rum peccatorum veniam: quia magis ſuam perdi- *2. Mac. 12.*
tionem, & ruinam conſiderabant, quàm Dei offen-
ſionem, & eorum dolor, & pœnitentia ex proprio
amore procedebat. In rebus omnibus quęre Deum
& bonum proximorum, & tui obliuiſcere pro-
prium & non commune bonum mortales quæ-
runt: & hinc fit, vt omnia, vt videmus ad perditio-
nem tendant. Vtinam nunc plures eſſent Moſes,
multi Pauli, & Simeones, qui tantis vulneribus
medicinam adhiberent. Sed de his ſatis.

¶ Expende etiam quod ſanctus hic ſenex non *Conſolatio*
expectabat conſolationem temporalem Iſrael, vt *Iſrael qualis.*
multi putabant: ſed ſpiritualem conſolationem a-
nimarum, quam iam credebat venturam. Ideóque
ante mortem deſiderabat ſaluatorem cernere ocu-
lis corporalibus. Fama erat tunc apud populum
Iudaïcum tempus adeſſe venturi Meſſię: & ideo ſa-
cerdotes & Leuitæ miſerunt Ioanni interrogantes
an eſſet Chriſtus. Sic etiam tunc multi ſe fecerunt *Ioan. 1.*
Meſſias, & dixerunt ſeſe eſſe Chriſtus. Videbant
ſceptrum regni Iuda veniſſe ad Herodem alienige-
nam, iuxta ſignũ quod eis dederat Iacob. Videbant
etiam Danielis hebdomadas, quas decreuerat ad- *Geneſ. 46.*
uentui Chriſti propemodum euolutas eſſe: quibus *Dan 9.*
argumentis ſuffultus Simeon conſolationẽ populi
Iſraelitici expectabat, Chriſti aduentu iam appro-
pinquante: & vltra hæc, reuelationem quoque ſpi-
ritus ſancti habebat: atque ideò ſubditur. *Et ſpiritus*
ſanctus erat in eo. Non ſolum per eſſentiã, potentiam
& præſentiam, quomodo eſt in omni creatura: nec
ſolum, per charitatẽ, & gratiã qualencunque prout
eſt in eo, qui eſt in charitate, quæ vita eſt animę: ſed
per gratiã eminentem, & charitatem ardentem ſe-
cundum quod eſt in viris Heroïcis & perfectis.

¶ Obſerua autem quod duplici de cauſa noſter *Sacerdotum*
Euangeliſta profert laudes & præconia de ſancto *puritas &*
Simeone: videlicet quod ſit iuſtus, & timoratus, & *ſanctimonia.*
expectans conſolationem Iſrael, & quod Spiritus
ſanctus erat in eo. Prima eſt, quia Simeõ erat Chri-
ſtum benedicturus, eiúſque laudes decantaturus:
Deus autẽ non vult ab improbis laudari, ſed à viris
timoratis & virtutibus excultis. Quamobrẽ priùs
etiam Euangeliſta laudauit Annam propheiiſſam,
& poſteà

Cap. 4. in illud non sinebat ea loqui. & posteà subdidit quod confitebatur domino. Sed de his suo loco oportuniùs inferiùs dicemus. Secúda ratio est, quia Simeon Christú in manibus erat gestaturus. Expende igitur & tu, quàm sanctus, purúsque debet esse sacerdos ille, qui Christum ferè quotidie manibus mentéque tractat, nempe iustus, timoratus, & Spiritu sancto plenus: siquidé de Simeone Christum gestaturo tot laudes refert Euangelista, eiúsque heroicas canit virtutes. *Exod. 19.* Si Deus in veteri lege præcipiebat filiis Israël, vt lauarent vestimenta sua ad suscipiendam legem: quanto maior sinceritas animi requiritur ad suscipiendum in se ipsum legislatorem? Nimis exultabat Aman ille, *Hester. 5* quod regina Hester inuitasset eum, vt in regio sederet côuiuio. O quanto opulentiùs est regis nostri conuiuium, in quo Christus ipse sumitur, & sacerdos sedit ibidem, &c. Sed de his satis. Quid autem de sancto isto Simeone dicat Euágelista, audiamus. *Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum domini.* Verè hic senex præ magnitudine desiderij expectans salutare *Psal. 118.* Dei, deficiebat cor eius & anima eius: & cum Dauide dicebat, Defecit in salutare tuú anima mea, & in verbum tuum supersperaui. *Desideriũ & votũ Simeonis.* Absentia dilecti parit animæ defectionem: sed quo ampliùs laxatur effectus, eo ampliùs amor crescit: & quo diutiùs abest qui desideratur eo expectantis desideria, maiori quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit in hoc sene: sed cupiditas augetur. Expectabat sicut vxor *Tob. 11.* Tobiæ desiderabat filium peregrinantem, & sedebat in supercilio montis vnde respicere poterat de longinquo venientem filium. Sed hic senex sanctissimus verbo Dei fretus responsum & promissum expectabat: nam deficiens, sese in spe diuini promissi erigebat. Expende etiam quòd si sanctus iste senex tollerauit huius vitæ miserias, quę acerbæ sunt iustis, vt Christum in carne non in perpetuum, sed per horam videret: quantum niti debemus, vt beatifica summi Dei visione in supremo illo beatorum *Roma. 8.* domicilio fruamur? Non sunt condignæ passiones *Psalm. 89.* huius sæculi (inquit Paulus) ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vita hominũ octoginta transactis annis (inquit Dauid) non est nisi labor, & dolor, & plus mori, quã viuere: & hos vitæ labores patiẽter tulit Simeon, vt vna hora Christum in carne mortali, & passibili videret. Ideò tu considera, quantos debes pati labores, vt in cœlo immortalẽ Christũ perpetuò videas. Tamẽ ne existimet mundus probos atque sanctos, quanuis in hac vita varius laboribus affligentur, ne inquam opinetur illos à summo Deo esse côtemptos: inquit hic Euangelista hunc senem propter responsum à Spiritu sancto acceptum esse retentũ, vbi certè promissum erat se visurum, quod exoptabat. Nunquam bonos Deus destitutos relinquit: quia inter anxios huius vitæ labores eosdem maximis donis & beneficiis ditat, & cumulat, & reuelationibus spiritualibus eosdem quàm sæpissimè solatur: quibus spiritualibus deliciis in hac vita sustentantur, & aluntur. Sic iste Simeon responso Dei accepto recreabatur, & hoc verbo sibi promisso triumphans quodammodo alebatur.

¶ Sed cum responsum non detur nisi roganti: quando interrogauit hic senex? Intelligẽs prophetias orabat clauso ostio in secreto loco, magis verò in cubiculo cordis, vt nõ videret corporis mortem antequam in corpore omnium vitam Christũ cerneret. Hoc expectans, atque obnixè petens accepit responsum à Spiritu sancto per occultam reuelationem, non visurum se mortem in corpore, nisi videret vitam in carne. Quanuis enim opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, tamen appropriantur Spiritui sancto reuelationes huiusmodi. *Reuelationes peculiariter Spiritui sancto attribuũtur.* Credidit Simeon scripturis, quæ de Messia loquebantur: ac deinde habuit reuelationem. Docemur eos esse dignos reuelatione, qui credentes scripturis assequũtur, quæ credunt, & faciunt ea. Secundò quòd illæ reuelationes sunt certæ, quæ non dissentiunt à scripturis. Tertiò quòd Deus iustas & sanctas petitiones libenter exaudit: quando ea, quæ ab ipso petimus ad gloriam Dei proximíque vtilitatem dirigimus. Quia sanctus hic Simeon bonum commune desiderabat, ideò meruit exaudiri & auribus suis percipere responsum à Deo. Nos verò propterea non exaudimur, qui nocitura nobis & proximis nostris postulamus. Expende etiam hic Dei bonitatem & clementiam, quod iustos ex hac vita desolatos proficisci non patitur. *Num. 17.* Sic Mosi antequam migraret ad dominum, terram promissionis ostendit. *Num. 20.* Sic Aaron vidit antequam moreretur filium suum Eleazarum summum sacerdotem, & vestibus sacerdotij indutum. Dauid quoque in senectute iamiam morti propinquus vidit filium suum Salomonem regnantem: *3. Reg. 1.* & hic Simeon Christum in carne vidit: & gaudiis & oblectamentis spiritualibus plenus, in pace tandem quieuit.

¶ Vide etiam quomodo Deus quemcunque vocat, eum eisdem rebus commonet, quas manibus assiduè contrectat: & ideò Iudæos, qui rerum diuinarum cognitionem habebant, & circuncisionem atque legem obseruabant, per Angelum qui mentis & rationis cõpos est, eos Deus vocauit: *Diuersis modis ad Christi cognitionẽ appellamur.* qui Iudæi perspicaci, & bono erãt intellectu, & Deũ præterea nouerant. Itaque angelus eduxit eos de terra Ægypti, & illis desertum commonstrauit. *Exod. 14.* Pastoribus etiam, qui Iudæi erant, Saluatoris natiuitatem Angelus denũciauit. *Luc. 1.* *Mat. 2.* Magos quoque qui Astrologi erant per stellam vocauit, & stella eduxit eos ex Oriente ad Christum. Annã denique & Simeonẽ, qui contemplantes orationibus indefessè vacabãt, per reuelationem vocauit, & eos adduxit ad Christum dominum. Sic quoque tu homines eisdem rebus, circa quas versantur ad virtutẽ allicere, & attrahere debes. Si hominem infimum veluti fabrum ferrarium cõsulueris, vt factam sibi iniuriam remittat, alium infimum opificem, non verò potentem magnatem missurus es. Etenim hac ratione quicquid volueris impetrabis. Nam si equitem vel nobilem miseris parum vel nihil consequeris: multum enim valeat ad hominum animos cõciliandos morum, vitæ, officij denique similitudo & pariformitas. Nam postquàm simul biberint & comederint hi duo opifices, si alter illi, qui est iniuria affectus dixerit, Amice iniurias tibi illatas benignè remittito: facili, imò facillimo negotio, quicquid volet, impetrabit. Itaque nobilẽ nobilis conciliat: & sutor sutorem ad beneuolẽtiam & amicitiã trahit. Si Deus luxuriosum vel ambitiosum hominẽ inspirationibus recrearet, putaret ambitiosus aliquas esse cacodæmonis machinationes: vtróque eas tanquam inutiles, & perniciosas reiiceret. Quapropter summus ille rerum omnium parens, filium nunc luxuriosi viri trucidat, & nunc ambitiosi carissimam vxorem interimit, illúmque dignitatibus & honoribus,

ribus, si quos fortè possidet omnino spoliatum relinquit, & hoc modo peccatores ad sese adducit & trahit. Nā si inspirationibus essent hi scelerati homines ad virtutē commouendi, cū illi rerum diuinarum gustum & saporē nō sentiant, frustrà tēpus absumeretur. *Act. 9.* Itaque Deus illis eisdē negotiis, quæ tractant mortales illis inquā iisdem, commouet ad virtutē. Et ideò inspirationibus & reuelationibus Simeonem ad se traxit: quia vir spiritualis, & contēplatiuus erat. At verò reprehēsione & punitione Saulum commouit qui superbiebat, obcæcando illum, & in terrā mittendo, dicens, Saule, Saule, cur me persequeris, &c.

Gen. 32.

Petere cōducibilia nos oportet & salutaria, vt impetremus.

¶ Trutinare etiā quòd cōcedit Deus Simeoni, quod petit: rem enim bonā, vtilem, & conducibilem petebat, nā vt diximus nō solum suam, sed populi gratiā & consolationē expectabat & petebat. Si verò nos quod petimus, nō impetramus, est, quia vanitates & res inutiles nostris animabus & proximis postulamus. Cū Iacob quæsiuit nomē Angeli, nō obtinuit quod petebat: quia inutilis erat petitio, scire videlicet nomen angeli. *Luc. 10.* Sed cū petiit à domino vt benediceret ei, obtinuit benedictionē: quia rē vtilē petebat. Martha cū postulauit, vt Maria Soror, quæ verbū Dei audiebat, adiuuaret eā in administrando, non fuit ad votum *Ioan. 11.* exaudita: quia inutilem rē petebat. At cùm pro Lazaro orabat, quia bonū & vtilitatē proximi cupiebat, meruit exaudiri, & fratrem suscitatum videre. Sic filij Zebedei, qui honorē ambiebāt, & primatū *Math. 20.* petierunt: nō assequuti sunt, quod petebāt. Quando Dei fauorē imprecamur, & sanctū aliquē, vt pro nobis intercedat, assumimus: ideò postulata nobis nō cōcedūtur, quia cōcedēda nō postulamus. Quapropter cum perniciosa petamus sancti nō intercedunt: etenim nō nisi ea quæ sunt iuxta Dei voluntatē petere cōsuescunt: ideò clamamꝰ, & qd petimꝰ, nō cōsequimur, quia nec bonum, neq; vtile postulamus. Petit vxor à Deo sanitatē marito, & eā non obtinet: quia scit Deus quòd si maritus reconualescat: futurum esse concubinarium, alæatorē, latronē, vel quid simile, propter quòd melius est, vt infirmetur: Et sic de aliis. Igitur quia iustus Simeō rem bonā petebat, scilicet in carne videre Christū (qui salus omnium, & populi Israel cōsolatio erat) exauditus est, & responsum accepit à spiritu sancto, nō visurum se mortem, nisi prius videret Christum.

Mortē videre, & à morte videri differunt.

¶ Obseruandum est, quod non dixit illum non esse moriturum, nisi videret Christū domini: sed quod nō esset mortem visurus donec videret Christum domini. Aliud est enim videre mortem, & aliud à morte videri. Ille mortē videt, qui illā in vita considerat, & ille etiam videtur à morte qui sine eius cōsideratione repētè inuaditur, & capitur ab eadē. Qui aggressorem videt, illius iram & furorem facilè retardat, & eundem quod maius est, aliquando contrucidat: verùm si venientem inimicum nō videt, illùsque inopinatum aduētum non præuidet, facili negotio ab inuasore interfectus peribit. Admirandæ virtutis homines dum his miseris compagibus constricti tenentur mortē indefessa consideratione, assiduaque meditatione intuentur: & ita eā fermè quotidie venietē perspiciunt. Multorū enim morti, præsentes intersunt: quòd si aliquando ab ea inuaditur, ipsam vulneratam & occisam relinquunt. Nā licet moriantur, eorum mori viuere est. Tamen flagitiosi homines, qui repētinum mortis aduentum nunquàm considerant ab hac ferocissima bestia imparati, aliquando deuorantur: & quod peiùs est ipsa de eisdem sæpè sæpius triumphat. Sicut pisces capiuntur hamo, sic iniqui capiuntur tempore malo.

Antidotum contra mortē.

Indignus consolatione est in morte, ille, qui nunquam in vita contemplatus est eā, & mors quando venerit superabitur, si priusquam veniat attentè præuideatur. *Eccl. 9.* Nihil te mortis dolore liberabit, quā frequēs eius meditatio. Sapiētis vita est meditatio mortis. Ideò sapiens admonet dicens, *Eccl. 11.* Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint vanitatis arguētur præterita. Pulchrum est vitam antequam mors veniat consumere, & expectare postea securè tui temporis aliā partem. Si mortem memoria teneres, nunquam fallacibus huius vitę mēdaciis deciperere: imò præpotenti Deo seruiendo religiosius viueres. Igitur venturæ mortis recordare, & paratus, semper viuito veluti si hic vltimus tuæ vitæ esset dies: quia sic paratus mortem appropinquantem videbis & eius cōsideratione iamiam venientem superabis: Sed historiā prosequamur. *Et venit in spiritu in templum.*

Qui spiritus duxerit Simeonem. & quo spiritu multi eo ducantur.

Hoc est, Spiritus sancti instinctu, quo reuelante intellexit adesse horam, in qua erant adimplenda omnia, quę de Christi visione sibi promissa erant, & per spiritus sancti vnctionem acceperat reuelationem adesse iam Christum domini sibi promissum. Eadem ergo gratia, qua vēturum Messiam prænouerat, præsentem quoq; cognouit. Habuit namque hic beatus senex Spiritum habitatorē, doctorem & ductorem! O quam fœlices sunt illi, qui spiritu fornicationis, & spiritu malignitatis nō reguntur, sed domini spiritu gubernātur. Hi enim filij Dei vocantur, iuxta illud Pauli, Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt: Quòd si *Rom. 8.* filij, hæredes per Deum. Sicut enim vento vela inflata videmus, cum illa ab eodem implentur, & impellūtur: sic manifestatur in homine præsentia Spiritus sancti, cùm hominis voluntas ad ea, quę sunt bona perurgetur. In templum autē venit: qui Spiritus sancti instinctu, & ex prophetis Aggęo, & Malachia sciebat illum vēturum. Aggæus enim dixit, *Agge. 2.* Hæc dixit dominus, Adhuc vnum modicum est, & ego mouebo cœlum & terram & mare & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria. Magna erit gloria domus istius nouissimę, plusquā primæ: & in loco isto dabo pacem: dicit dominus exercituum. Idem quoque asserit Mala. *Mala. 3.* Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad tēplum sanctum suum dominator, quem vos queritis, & angelus testamenti, quem vos vultis. Veni tu quoque peccator in templum domini, cum sancto sene Simeone in spiritu, & inuenies puerum Iesum, vt illo fruaris. Non enim abscōdit se dominus Iesus his, qui quærunt illum in corde perfecto, quoniam appropinquat his, qui in simplicitate quærunt illum. *Sap. 1.* Non venit Simeon in spiritu superbiæ sicut ambitiosi: qui ambiunt primos accubitus, & vsurpant dignitates Ecclesiasticas. Nō in spiritu auaritiæ sicut Simon Magus: *Act. 8.* nō in spiritu garrulationis, sicut multi qui solum ad ecclesias veniunt causā peragendi negotia, & ipsi nec rem diuinam audiunt, nec alios audire suis confabulationibus relinquunt, & suo malo exemplo populum scandalizant. Non in spiritu vanitatis & arrogantiæ: sicut multi, qui tape-

tes, strata puluinaria & alia id genus ad ecclesias ferri præcipiunt, tantaque regnat in eorum corde vanitas, vt deinceps putem paulatim mollia quibus dormiunt ceruicalia recumbēdi gratia eorum iussu ad Ecclesias esse ferenda. Non auderēt hi, hoc modo esse coram rege. Sed quare sic coram Deo recumbunt? hæc grauitas & auctoritas coram hominibus est habenda: at ingressum verò ecclesiæ relinquenda. Quare erga Deum hæc non obseruatur auctoritas. Itaque illud quod coram Deo peracturus non es, tanquam vipereum relinquito, etiam si bonum videatur. Dauid saltans coram arca dixit, 2.Reg.6. Vilior fiam, quia in Dei præsentia nulla est auctoritas. Familiam regere & de rebus domesticis curam habere bonum & vtile est: tamen ad Ecclesiæ limina relinquenda sunt hæc omnia. Domus mea (ait Luc.19. Christus) domus orationis est. Emere, & vendere bonaque temporalia tractare malum non est: tamē Mar.11. hæc in domo orationis exercenda nō sunt. In Marci Euangelio legimus, quòd non sinebat Christus, vt quisquam vas per templum transferret. Quòd si templum illud sacrificiis animalium deputatum, voluit Deus vt tanta reuerentia coleretur: quanto maiori vellet sacrosanctam coli Ecclesiam, quę non animalium sacrificiis, sed eidem Deo destinata est? Sed de his satis. Sequitur, *Et cum inducerēt puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo.* Scilicet vt offerrēt par turturum, aut duos pullos columbarum & redimerent puerum quinque siclis, vt iam dictum est, *Accepit eum in vlnas suas.* *Cæremonia & ritus ecclesiastici obseruandi.* Hoc est, inter brachia. In hoc quod ait, quòd duxerunt Iesum secundum legis consuetudinem, docemur sanctos ecclesiæ mores, & sanctorum patrum traditiones obseruare. Ne fidem adhibeas istis nouarum consuetudinum inuentoribus. An credendum est: quòd reliquerit Deus dilectissimam suam ecclesiam, quam sanguine suo redemit, tot annis errare, vsq; ad annum decimum septimum, post mille & quingentos, in quo cœpit Lutherus (vt perfidi Lutherani dicunt) illam illuminare? Sed dimisso impiissimo hæresiarcha, senem iustum & pium videamus Christum suis brachiis portantem, amplectentem, osculantem, & propter nimium gaudium triumphantem. Senex quis tibi tantam concessit Prou.8. facultatem? Rectè quidem ego scio esse illum, qui dicit, Deliciæ meæ sunt cum filiis hominum. Vult se à nobis ita tractari: nam ad hoc homo factus est. Cant.8. Sponsa quidem cognouerat benè huius sponsi naturam, & conditionem quando dicebat, Quis mihi det fratrem meum suggentem vbera matris meæ: vt osculer te, & apprehendam te, &c. Deus noster non est sicut homines huius mundi: nam vt peragas aliquod negotium ad eorum domos accedās milies necesse est, & quod incomportabilius est, tātum abest, vt aliquid concludas: quin potius neque ab illis audiaris! O quàm bonum habemus Deum, quàm amabilem, quàm affabilem, & benignum! O quàm fœlix & ineffabile gaudium pium illud Simeonis pectus sensit, quādo puerum Iesum tot millibus annorum expectatum pro beneplacito suæ volūtatis amplexabatur! O leue onus, quod portabat Simeon: à quo portabatur, & regebatur ipse senex. Sic etiam & Rex debet clientes portare, & èconuerso clientes Regem. Sic quoque prælatus portet defectus subditorum: sic subditi prælati naturam patiātur, iuxta illud Apostoli, Alter alterius Gal.6. onera portate. Et Simeō iste cognouit puerum Iesum inter alios plures pueros Spiritus sancti doctrina: sic nos in venturo sæculo, quos inhabitabit ille spiritus cognoscemus in promptu, etiam si eos nūquàm viderimus. Quare poterat hic senex dicere illud Cant. Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Cant.3. Expende autem quàm magna sit Dei misericordia, vt nostris velit manibus collocari. Psal.47. Suscepimus enim Deus misericordiam tuam, in medio templi tui. Si manus tuas, vt fecit hic Simeon, aperire & extendere velles, ad misericordiam Dei excipiendam, eam proculdubio sicut Simeon reciperes, verum non vis. Magnum commodum adeptus est Simeon portans Christum in vlnis. Nā *Orige. Hom. 15 in Luc.* si mulier illa Hæmorrhoissa solo tactu fimbriæ Mat.9. Christi, tātum vtilitatis adepta est, vt statim ad pristinam restituta fuerit sanitatem, & à fluxu sanguinis omnino liberata, quantò maius commodum beatum hunc senē comparasse, qui totam Christi personam portauit credēdum est? Mēs eius ineffabili gaudio repleta est, cor eius in Dei amore exarsit: vnde incredibili exultatione repletus securus de morte, quam omnes vt terribilissimū malū timent, lætus & gaudens exultauit, & cāticū cecinit. Hæc quoque bona Deus tibi etiā dabit, si illum in manibus portaueris. Extēde manus tuas, & cor tuū amplia: quia Dei misericordia nec exhausta, nec finita est. Vtraque manu, & tota virtute nostra domino Neem.4. famulemur: sicut illi, qui vna manu pugnabant, & alia faciebant opus. Deus vult se tibi dare, tamen vt manus extendas necesse est: sicut fecit Simeon, & cū eo simul multa suscipies bona. Aperi os tuū, ait Psalm.80. ipse, & ego adimplebo illud, &c. ¶ Obserua etiam quā verè locutus sit Paulus cùm dixit, Diligētibus Deū, omnia cooperantur in bonū. Faciet Deus voluntatē seruorū suorum. Iā habet beatus hic Simeō Rom.8. in manibus quòd optabat: ideò si vis vt Deus, quod desideras faciat, & si cupis, vt omnia tibi prosperè succedant, cura in omnibus Dei obedire volūtati, quod si feceris omnia pro votis tibi succedent: voluntatem enim timentium se faciet Deus. Psal.144. Obserua iterū quā magnificus sit Deus in adimplendo fidē, quam semel dedit: nō solùm ꝙ promittit adimplet, verum etiam alia quam plurima pręter promissum *Plura donat Deus quā promittit.* dare solitus est, magnificentior enim in dādo, quàm in promittendo est. Promisit Deus Simeoni, quòd 4.Reg.19. non moreretur priusquam videret Christum, & nunc illum non solùm videt Simeon, verum tangit, & in vlnis etiam portat. Plus est tangere, & in brachiis portare, quàm videre. Vis tibi multa ac varia huiuscemodi exempla demōstrem in sacra scriptura? attende. Ezechias Rex cum se à potenti Assyriorum exercitu obsessum videret summa tristitia afficiebatur, cui iussu Dei dixit Esai. Hæc dicit Esai.37. dominus de rege Assyriorum, Nō ingredietur vrbē hanc, nec mittet in ea sagittā, nec occupabit eā clypeus. Promittit Deus Ezechiæ inimicos ciuitatem nō occupaturos, nec intra ciuitatem sagittā missuros: tamē considera, ꝙ plus fecit, quā promisit: quia in eadē nocte angelus interfecit centum octoginta quinque millia illorum. Cōtentus fuisset Ezechias solum ꝙ tolleretur obsessio ciuitatis & aufugerent inimici, & factis his fidem suam adimplebat dominus. Plus tamen fecit, nam illos interficere etiam voluit. In Numeris etiam legimus, quòd illis, qui Num.17. digni fuissent sacerdotio promittebantur flores in virga, & nō solū dedit flores in virga Aaron, vt promiserat, sed etiam dedit fructus, quos non promisit.

Esa.55. sit. Ideò dominus per Esa. Venite, inquit ad aquas omnes sitientes, & qui non habetis argentum properate, &c. Vocat sitientes, vt veniant ad bibẽdum aquas: sed dat non solum potum, sed etiam pastum. Ideò dixit comedite bonum, & dilatabitur in crassitudine anima vestra. Vocat eos ad potum: verum illos quoque ad pastum inuitat. Mundus autem è contrario se habet: etenim liberalis est in promittendo, arctus in promissionibus adimplendis. Multos quidem inuenies homines, qui tua causa montes aureos se facturos promittunt, teque verbis sesquipedalibus obruant: tamẽ cum ad opus deuentũ sit, nihil omnino perficitur. Promittũt se facturos, ad vltimum tamẽ nihil faciunt: & huiusmodi homines infiniti propemodum in orbe reperiuntur. Verum religiosi viri ad summi Dei imitationem sunt in verbis arctissimi, verum in operibus amplissimi: promittunt pauca, & multa cõcedunt. Ita legimus fecisse Abraham, quãdo angelos in hominum forma per domum suam trãseuntes inuitauit, quibus dixit, Offeram bucellam panis vt confortetur cor *Gen.18.* vestrum. Non promittit nisi bucellam panis: tamẽ coram eis posuit vitulum tenerrimum, optimum butyrum & lac. Crede ergo Deo & ius amicis, non verò verbosis hominibus: qui in omnes nihil aliud per illud turpissimum os eiiciũt, nisi verba mẽdosa *Beda in Luc. tom.5.* falsa. ¶ Expende etiam diligenter, quod non sufficit videre Christum oculis fidei, nisi etiam portaueris *Exod.14. Iosu.7.& 8.* eum in manibus. Non contentus fuit Simeon sola visione, sed vlterius progressus est donec illum suis manibus excepit: atq; ideò iustus sicut fidẽ habet, *Non sufficit Christum cognoscere sed à manibus contractare.* ita & bona opera. Multi Christum in ore ferunt, diabolum verò in corde portãt. Multi etiam Deum per fidem cognoscunt & omnes fidẽ adhibent illis rebus, quas sacrosancta mater ecclesia tenet, & amplectitur, tamen manus eorum dicit dominus per *Esa.1.* Esai. sanguine plenæ sunt. In actibus suis crudeles sunt tyranni, & auari, & quãuis Christianũ nomẽ habeant, & in re vera Christiani sint per baptismũ, tamẽ si eorum opera & vitam consideres, eos infideles & paganos vocabis. Ignea illa columna, quæ erat in nube & ducebat filios Israel, eos ab Ægypto eduxit & per desertum comitata fuit: tamen in terram promissionis eosdem non introduxit, quam filij Israel armis expugnauerunt contra gentes debellantes, quæ eandem possidebãt. Ita fides catholica sicut illa columna nubis Israel educit è densissimis tenebris & infidelitate Ægypti, téque ex infideli fidelem Christianum facit, & per desertum huius mundi te ducit: tamen ad introeundum cœlum quod nobis promissum est, opus est non solum debellare, sed etiam expugnare cœlum vi armorum, dæmonem, mundum, carnémque superãdo: & veluti egregij milites bonis operibus laborãtes & pugnãtes comparaturi sumus gloriam eò modò, quo sancti eadem consecuti fuere. Quid tibi fides pro- *Math.13.* derit, nisi etiam bona opera habeas? Sed qua causa putes Christum comparauisse fidem grano sinapis? Si respondes, quia paruum est: etiam granum milij & lini, & orizæ paruum est. Comparauit fidẽ grano sinapis: quia vltra quòd paruũ est granum sinapis, habet etiam calorem: illudque si dentibus extenuaueris & comederis protinus tibi oris intima comburet. Vult Deus quòd fides vrat & calorem habeat, & retineat charitatis & amoris ignem: & bonis operib. & charitatiuis stipata sit. Ne tibi sola fides placeat, q̃ sola nequaquã sufficit ad animæ tuæ salutẽ. Quinimo, quã habes fidẽ forte perdes, *Diffinitio fidei.* nisi bonis eã suffulseris operibus. Ad domum construendã & ædificandã, cæmẽto opus est: postea parietibus & tecto. Sic in spirituali ædificio, sedes fundamentum est. Vnde Paulus, Fides (inquit) est substantia rerum, argumentum non apparentiũ. Non propriè substantia est, tamen eam substantiam vocauit, cum proprietatẽ substantię habeat: quia substãtia accidentiũ fundamentum est, cõstruitur totum spirituale ædificium. Ita fides est quędam sub- *Heb 11.* stantia super qua veluti super fundamẽto costruũ- *Fides quare substantia.* tur & collocantur cæteræ virtutes: Ideoq; vbi Paulus dicit, substantia, eius discipulus Dionysius vnicum fundamentum rerum sperandarum dixit, Si ab aliquo domus euertatur contrario modo solo æquabitur ab eò, quo cœpit ædificari, nam quod vltimò loco factum est, rectum fuit, & ita à recto incipiet ruina. Eodẽ modo dæmon à bonis operibus incipit animæ ruinam desiderans. Tollit eleemosynam, orationem, ieiunium & castitatẽ, &c. quousque ad cæmentũ deueniat, quod fides est quæ manet sola sine parietibus, vt vsurarij & concubinarij, *Psal. 136.* & scelerati homines Christiani. Exinanite, exinanite, vsque ad fundamentum in ea. Postea autem dæmon aggreditur fundamentũ quod fides est, & ruit. Antequam Martinus Lutherus in hæresim laberetur, superbus, ambitiosus, lubricus, flagitiosus & omni scelere coinquinatus erat: ac deinde hæreticus euasit. Totã domũ priùs dæmon demolitus est, videlicet, castitatem, charitatẽ, & humilitatem cæterasque virtutes, & discooperto fundamento aggressus est fidẽ & ita mansit hæreticus. Sic Paulus suum Timothæum monitum vult dicens, Hoc præceptũ cõmendo tibi, fili Timothææ, vt milites *1.Tim.1.* bonam militiã, habens fidem & bonam conscientiam: quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt: Quia bonam conscientiã à se repulerunt, naufragauerunt in fide. Vtitur Paulus metaphora nauigantium, qui quando rationem gubernaculi habent, & nauis clauus sanus est, remedium habent, si anchoras in mare mittunt & nauem exonerant: tamen perdito & amisso gubernaculo, nihil remedij manet. Ita qui sunt virtute exornati, quanuis vnã amittunt & quandoque aliam, adhuc salus manet: verum amissa fide, vitiorũ tempestas exoritur & nauigantes in profundo mari submerguntur. Sunt veluti mercatores, qui quãuis hoc & *Similitudo.* altero anno non lucrentur: tamen si aliquod venit tẽpus, quo perditã fidẽ recuperent sustentantur & aluntur. Tamen si recuperatã fidẽ perdunt, iterum corruũt omnino, quia quare merces agant non habent. Fides fundamentũ Christianorũ est: si verò hanc perdunt nihil illis restat, quo super naturalia bona lucrentur, quid quidẽ ex nimia scelerum pepetratione nascitur. Intellectus bonus omnibus fa- *Psal.110.* cientibus ea, ait regius vates: quia nõ permittit dominus deprauatũ intellectum aliquẽ habere circa legem Dei, dummodo illã custodiat & seruet. Hinc *Deut.29.* est quod data lege filiis Israel peractisque miraculis: cũ non intelligerent Israelitæ, dixit illis Moses, Custodite ergo verba pacti huius & implete ea: vt intelligatis vniuersa, quæ facitis. Quibus verbis satis apertè docuit Moses transgressionem mandatorum Dei potissimam esse causam, vt non intelligerent nec viderent, quanta fecisset illis Deus. Fuerunt Angli & Germani aliquando catholici: sed postquam illarum regionum homines ebrieta-

tibus & vitiis se tradiderunt, fidem protinus amiserunt. Et ne idem nostræ Hispaniæ eueniat, quæ nunc catholica est, vehementer perhorresco: nam ab Hispania fides discedere & effugere potest, & in Indos aduolare, quia tot ac tanta sunt vitia, tot & improbi & scelerati homines, vt quem exitū simus habituri prorsus ignoremus, nisi nosmetipsos ad meliorem frugem per virtutem receperimus. Ideoq́ue fidem toto corde amplectimini, eadéque ne fugiat bonis operibus firmiter apprehendite: Quare ne contenti sitis sola Dei cognitione, nec etiam satis esse putetis illum nuda fide videre, sed Christum vestris manibus deferendo tanquam veri & probi Christiani viuite, alter alterum amando, bonaque opera exercendo: sicut Simeonē fecisse scimus, qui in templo Christum non solum vidit & credidit, sed brachiis excepit & in manibus portauit, quem dicit euangelista esse iustum, quia fidem simul cum operibus habebat, quæ hominem iustificat. Sequitur, *Et benedixit Deum & ait*, Laudat & gratias agit Deo, & sequens canticum cecinit pro impletione diuini promissi: quia patribus antiquis in rebus arduis & magnis mos erat diuinis laudibus Deum extollere, & cantica diuina componere. Sic Moses

Exo.15. & Aaron quando profecti fuerunt ab Ægypto, & Ægyptios mortuos & in mari rubro suffocatos atque submersos viderunt, Psalmum protulerunt dicentes: Cantemus domino, gloriosè enim magnificatus est, &c. Si etiam cecinit Debbora prophetissa post acceptam victoriam contra Sisaram principem exercitus regis Iabin dicens, Qui spōte obtulistis animas vestras. Sic Anna mater Samuelis. Exultauit cor meum in Domino. Sic Ezechias rex Israel propter acceptum beneficium de vitæ longitudine: & Tobias propter donum de adepto visu oculorum. Magnus es domine in æternum, & in omnia sæcula. Sic etiam Iudith trūcato Holopherne post partam victoriā: & pueri in fornace Babyloniæ. Denique vt concludam cùm Moses vidisset terram promissionis & cognouisset se citò moriturum exultans in spiritu dixit, Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Sic sanctus iste senex veluti alter Moses videns terram promissionis, verbum, scilicet diuinum natura humana indutum & sciens tamiam moriturum cœpit canere, Deum laudare, & illi gratias agere, dicens: *Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuū in pace.* Nunc domine, iam nunc in pace moriar: quia oculi mei viderūt salutare tuū. Vsque nūc domine mors erat hominibus horribilis, quia erat fortis & potēs tyrānus, qui obcæcabat animas & eas in infernum præcipitabat: at nunc aduentu Christi iam dulcis mors est, quia Christus fortem tyrannum debellauit debellatumq́ue trucidauit. Itaque interclusum iter aperuit, & facilem viam in cœlum nobis expediuit. Vsquequo omnium terribilissimū erat mors, quia omnes, etsi sanctissimi in limbum descendebant, & gloria priuabantur: at nunc quandoquidē oculi mei vident mortis interemptorem, in pace moriar, Quamobrem in eo, quòd ait, nunc magnā differentiam ostēdit quod est inter tempus veteris legis & nouæ legis: quia tunc clausum erat cœlum, & ideò mors tristis erat, sed nūc cùm reseratum sit cœleste domicilium lætus moriar, quia vidi oculis meis mortis euersorem. Et nota, quod nūc, aduerbium temporis emphasim habet. Christus morte sua nostram mortem sic dulcissimam reddidit, vt

Iud.5. 4 Reg.2. 4.Reg.20. Esai.38. Tob.13. Iud.16. Dan.3. Deut.31.

Mors nūc nō ita terribilis.

mors mortis nomen amiserit, & nomen vitæ suscepit. Ideoque domine non vsque adeò sed nūc lætus moriar in pace: quia meis oculis vidi auctorem vitæ. Sine me lætū mori, ne postea tristis moriar: si te flagellatum, spinis coronatum, & cruci affixum videro. Cum sene Iacob quando filium suum Ioseph vidit, dicere poterat hic sanctus Simeon, Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam. Lætatur & cātat: quia dominū viderat. Anteà sicut superi⁹ enarrate incepimus, cecinit cū regio Psalte: Defecit in salutare tuum anima mea, prę magnitudine desiderij: defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes. quando consolaberis me. Nam (vt Ambr. optimè disserit) cum aliquem speramus dilectum, illuc tendimus oculos, vnde putamus illum venturum: & ob lōgam expectationem lacerati deficimus. Sic Anna vxor Tob. circunspiciebat in via filij aduentum. Sic Dauid currente de prælio altero post alterum de Absalone sollicitus præ amore filij non cor quietum sed incitatum habebat, & propterea à venientibus & redeantibus de salute filij quærebat. Sic vxor teneræ ætatis maritum expectans de specula litorali indefessa expectatione prętolatur aduentum, vt quancunque nauem viderit putet illac coniugem nauigare, metuitq́ue ne videndi gratia dilecti alius ante aduertat, vt ipsa possit prima dicere, video te marite. Ipsa sola omnibus domesticis ablegatis occupationibus, semitas viatoris quærit. Sic Simeon in responso, quod à spiritu sancto acceperat. deficiebat præ magnitudine desiderij: expectabat, desiderabat, æstuabat in desideriis, & videre illum cupiebat. At nunc saltat, tripudiat, cantat, lætatur & exultat. Considera igitur illud quòd sentiret senex sanctissimus cum se clarissimis illis luminibus matre, scilicet & filio circunseptum videret. Delectabile quidem visu esset, suauitatem & deuotionem videre, qua iste senex suum cecinit canticum, quo tota euangelij summa clausa est! O quam fortunati domine Deus sunt illi qui te amant & obsequium tibi pręstant, & quam bene consumpti sunt eorum labores: quādoquidem iam in hoc sæculo præsentiunt miram quandam venturæ gloriæ suauitatem & dulcedinem. Sola stellæ visione magi lętabantur, adeò, vt gauderent gaudio magno valde, quæ nihil erat nisi dux quidam, qui eos ducebat ad videndum illum quem manibus suis excepit Simeon. Quantò maiori gaudio triumphasse credēdum est Simeonem, qui puerum Iesum in vlnis suis suscipiebat? Si tantum etiam gauisus est ille, qui inuenit thesaurū quòd præ gaudio abiit & vendidit vniuersa, quæ habuit, nec tum quidē temporis habebat thesaurum, quanto maiori gaudio exultauit Simeon quando habuit diuinum hunc thesaurum, & illud propriis manibus portabat? Si maxima festa & amplissima conuiuia fecisse scimus patremfamilias propter aduentū filij prodigi quādo domum rediuit: quanto maiorem fuisse senis lętitiam existimabimus, quando in brachiis suis filiū Dei habuit? Quod si tantum lætatus est Salomō & omnis populus Israel, cū intulerunt arcam fœderis domini in oraculum templi: quantò magis lætatus est hic senex & gaudio repletus, videns veram fœderis arcam in templo domini, &c. Porrò vt ad alia transeamus secundum verbum tuum dixit hoc beneficium mihi fecisti: secundum verbū promissum, quòd spiritus sanctus dederat illi. Sic enim domin⁹ per Esa. ait, Verbum meum quod egredietur de ore meo,

Theophil. Lucam. Gen.46. Psal.118. Amb.ser.11. in Psal.118. Tob.11. 2.Reg.18. Math.3. Math.13. 3.Reg.8. 2.Par.5. Esa.55.

Psal. 118 meo, nõ reuertetur ad me vacuũ. Ideoq; dicere poterat illud, Bonitatẽ fecisti cum seruo tuo domine, secundum verbũ tuum. Addidit etiam in pace. Nõ enim simpliciter dixit nunc dimittis seruũ tuũ, sed dixit, in pace: qđ propriũ est iustorũ: Abrahæ enim dictũ est. Tu autẽ vades ad patres tuos in pace, nutritus in senectute bona. Ille nãque moritur in pace, qui habet hic illam pacẽ de qua Paulus, Et pax Dei quæ exuperat omnẽ sensum custodiat intelligẽtias vestras. Vis ergo in pace mori? Pacẽ in hac vita cũ Deo & tua conscientia compone, & cõtra vitia atrocissimũ pręliũ moue. Qui in hac vita pacem cũ vitiis inierũt, postea in morte dimicant, tamẽ illi qui dũ vixerunt clypeo fidei & hasta bellũ cũ mundo, carne, & dæmone habuerũt, in pace tandẽ moriuntur. Pręliemur igitur, & in hac vita difficillima carnis expugnemus, si postea in pace mori exoptamus, & eò modò, vt dicere cũ propheta possimus, In pace in idipsum dormiã & requiescã. ¶ Attende quod postquam Simeon vidit Christũ, iã nihil pręter ipsum vult videre. Fastidiunt ei omnia, quę mũdus habet postquam Christum vidit. Multi quidẽ res caducas, & puncto temporis interituras magni æstimant: hinc oritur quædã veluti nausea, quæ regnat in eorũ animis ita, vt nullũ summi boni gustũ sentiãt. Nam si paululum gustassent Dei suauitatẽ facilè quæ sunt in mundo despicerent: quia vt Paulus ait, Gustato spiritu desipit omnis caro. Stultorum hominum est vtrisque partibus nõ auditis iudicare. Sic hæc terrena putas esse dulcia & suauia id certè contingere credo, quia Dei suauitatem & dulcedinẽ non delibasti. Paulus, qui diuinas res gustauerat de terrenis dixit, Omnia arbitratus sum vt stercora. Tu autem si hæc terrena magno precio æstimas, id fit, quia quanti sint cœlestia æstimanda prorsus ignoras. Flagitiosi homines mundi delicias & vanitates miris ad cœlum vsque laudibus extollunt: diuinas autem nullo loco habendas esse putant: quod contingit, quia mundus auditur, Deus verò reiicitur. Plurimi magni faciunt mundũ, quia Dei potentiam non vident. Ideoque si tu inciperes gustare quæ sunt Dei, citò præsentem vitam odisses, sicut hic faciebat Simeon: qui viso Deo noluit amplius mundum videre. Aduertendũ quoque est quòd boni desiderant separari à vinculis humani carceris, quam Simeon iste iam sicut Paulus cupiebat dissolui & esse cum Christo. Et iterum ipsemet Paulus ait, Infœlix homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Dauid quoque ait, Heu mihi qa incolatus meus prolongatus est, habitaui cũ habitantibus Cedar, &c. Sicut hierax, qui volans rostrũ & vngues iniecit in ardeam, quam captam ducere voluit, locúsque ei dilaniandi auem relictus est, statim inopinato aucupum aduentu coreatus cucullus hieraci imponitur & vincula, quibus vinculis pedibus hieracis impositis collatur in loco vbi cæteræ aues, quæ captãt collocari consueuerũt. Hieracéque tũc in suo loco posito eius plumæ manent erectæ & suis vngulis excusso coreato cucullo inclinatur in suo, & auibus destituto loco & nullus est, qui illum quietum reddat. Sic Paulus cùm ad tertium cœlum ductus fuit, diuinamque essentiam vidit & gustauit se in hoc mundo videns loco corporibus destituto & cum cuculo carnis nõ potest quiescere, & omnia frãgere volebat, vt iret ad Christum. Sic Dauid, sic Simeon postquam vidit Christum, vult etiam volare & iam ei hæc vita fastidit: & tãdem vult dimitti & esse cum Christo. Vt enim auicula conclusa in cauea quamuis pretiosa sit ex cedro, ebore, vel auro confecta exire tamen cupit, & prę desiderio egrediendi rostellum iterum atque iterum foras extra rete caueæ emittit: sic anima pij viri qualis Simeon erat diuino amore incensa inclusa tamen tenebatur misera hac corporis cauea: & licet omnibus diuitiis circumfluat, patriam tamen suam hoc est cœlum ardenter appetit, quare piis illuc eundi suspiriis ac desideriis flebili gemitu societatis diu noctuque inflammatur, vt finito huius vitæ exilio, in sempiterno illo beatorum domicilio tandem requiescat. Lætantur morte iusti, eam cupiunt & à vinculis huius corporis egredientes exultantes triumphant. Tamen impijècontra: nam sicut latrones, qui iudices & prætores timent, ita isti scelerati homines à propria conscientia reprehensi fugiunt mortem metuẽtes, ne appareant coram iudice. Si duo in carcere detineantur, alter innocens vel leuissimæ rei causa, & alter propter homicidium aut flagitium enorme: qui propter lęuissimam rem detinetur cum sit vir probus carcerem odit, & de illo conqueritur cuius causa detẽtus est. At sceleratus & facinorosus gaudet in vinculis nec à carcere exire vult, quia se exiturũ ad mortis supplicium præcognoscit. Nostra anima detenta est à carcere huius corporis veluti aliquis, cui propria domus in carcerem datur. Sic Adam antequã peccaret hoc corpus tanquam propriã domum habebat, cuius dominus ipse erat & effrænati appetitus obedientes erant rationi. Tamẽ cùm peccauit Adã tradidit illi Deus propriam domum in carcerem: itaq; corpus quod antea habitatio iucunda animæ erat, postquam peccauit, molestissimus carcer est. Carcerem corpus esse putabat ille, qui dixit, Nunquid mare ego sum aut cæte: quia circundedisti me carcere: & propheta regius domino ait, Educ de custodia animam meam. Boni & mali sumus omnes in hac vita vinculis huius corporis constricti. Boni tamen summa afficiuntur molestia, eò q̃ se vinctos cernant, quare exire summopere cupiũt, quia eorũ obitum & exitum ad libertatem & vitã esse præintelligũt, quamobrem morte lætantur. Ideò Paulus cùm dixit, Cupio dissolui, statim addidit, Et esse cũ Christo: nam alias nõ cuperet dissolui. At homicida eligit potiùs in carcere manere, quã solui & exire: & ita si audit reserare ostium carceris, statim putat esse suspendendum. Sic impius nondum laborat febri vel capitis dolore, quãdo vitam cum morte commutaturum opinatur. Et sicut homicidam pœnitet, q̃ sibi soluãtur catenæ, quia existimat indicium esse venturi supplicij: ita sceleratum pœnitet propter corporis huius solutionem quãdo oppressus infirmitate existimat esse mortem. Et veluti homicida ait, O meæ dulces catenæ, ó iucunda vincula! O lætus carcer! Quis mihi daret hic esse, nec vos dimittere? Sic quoq; improbus ait, O meæ dulcissimæ deliciæ! ô suauissima vita! O indultum corpus, quanta molestia afficiar si te dereliquero? Sed quæ est causa quare vir bonus morte delectatur, impius verò tristatur? Eam Salomon ponit in Prouerbiis dicẽs, In malitia sua expellitur impius: iustus autem sperat in morte sua. Quamobrẽ cũ te moriturũ certò scias, da operã vt benè viuas, nam bona & integra vita, signum certissimum est mortis fœlicis. Simeon qui iustus & sanctus erat canit, & exultat cũ mortis nũcio: & gaudet: quia scit se ci-

Marginalia: Psal. 118. — Orige. Hom. 15. in Luc. — Gen. 15. — Phil. 4. — Psal. 4. — Piis vilescũt mundana. — Rom. 8. — Phil. 3. — Piorum desiderium. — Phil. 1. — Rom. 7. — Psal. 119. — 1. Cor. 12. — Psal. 119. — Impijs mors est horribilis. — Gen. 3. — Iob. 7. — Psal. 141. — Phil. 1.

to moriturum, gaudénsque mortem expecta. Cātat cygnus cum morti appropinquat, maris serena fiet & gemitibus incitatur: quia (vt Philosophus ait in problematibus) in morte accedit sanguis ad cor, & sanguis cygni generosus est, & vilis sanguis serenæ: atque ideò serena clamat & vociferat, cygnus verò dulciter canit. Sic impij malum habent sanguinem, quia peccatum sanguinem corrumpit & vitam cōstuprat, & ideò morte contristantur: iusti autē cum habeant bonum & generosum sanguinē ideo lętantur & exultant in morte. Generosum igitur sanguinem habere contende & da operam vt possis cum iusto Simeone in morte cantare. Si in vita ploraueris & pœnitentiam egeris, bonum sanguinem tenuem, pœnitētiam & lachrymis purum nutries: quem si habueris, absque dubio in morte cantabis. Expende igitur quod qui flet in vita, cantat in morte: & qui ridet, gaudet, & cantat in vita, flebit tandem miserè in morte. Simeon vir sanctus, qui in hac lachrymarum valle flebat, nūc cantādo moritur: tamen qui rides, ludis, & in hac vita gaudes, non dubites quin flendo moriturus sis, dicente
Luc. 6. Math. 5. domino. Væ qui nunc ridetis, quoniam flebitis. Et de iustis, Beati qui lugent, quoniā ipsi consolabuntur. Sed ad contextum. *Quia viderunt oculi mei saluta-*
Theophil. in Luc. *re tuum.* Iam causam tanti gaudij reddit. Causa autē est, quia viderunt oculi mei salutare tuum. Iure æquissimo potuit lætari & gaudere: quia Christus
Luc. 10. Ioan. 8. Gen. 46. etiam dixit apostolis, Beati oculi qui vident quæ vos videtis! O si illum vidisset Abraham, qui tātum desiderauit videre diem domini. Quid si illum videret Iacob: qui hoc desiderio moriens dixit, Salutare tuum expectabo domine. Abrahā videt & gauisus est, tamen de lōgè Christum prospexit: senex verò iste propè erat. Quando rex simulatus venit aliquem ludum & torneamentum visurus, magno afficit beneficio illum qui se manifestat & cognitū facit. Ita Simeon pluris hoc æstimauit beneficium, quia rex gloriæ Christus in hunc mundum veniēs nostra cum humanitate incognitus se manifestare sancto seni Simeoni voluit. Hoc quidem gratulatur Simeon, quia eius oculi ita fœlices fuerunt, vt Christum videre, digni habiti fuerint. Deuotissima quidem res esset nunc senem videre, efferētem laudibus Christum & dicentem: Nunc dimittis. Quid secum cogitarent, qui erant in templo cum viderent suum sacerdotem senio iam confectum & omni dignum reuerentia habentem hunc sermonem cum puero, filio pauperculę & incognitę mulieris? Mirarentur quidem cum præ gaudio plorantem illum, & cantantem cernerent. Quis nō obstupefactus adhiberet diligentiam in huius rei veritate inquirenda? O obstinata malitia Iudæorum! qui hæc omnia videbāt, & tanquam cęci non considerabāt. Nec miror hoc ab eis non considerari nec aduerti: nā veluti surdi & cæci illum Magorum aduentum
Math. 2. non considerauerunt, &c. ¶ Aduerte etiam quòd salutare nostrum salutare Dei vocat, quia propter ipsum decreuit Deus mundum saluare, omniúmq; salutem constituit in eo, de quo fertur in Psalmo,
Psal. 41. Notum fecit dominus salutare suum, in conspectu
Gen. 49. gentium reuelauit iustitiam suam. Et in Gen. Iacob patriarcha, Salutare tuum expectabo domine. Cui
Esa. 49. salutari loquitur pater per Esai. Dedi te lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Denique de isto sancto sene Simeone locutus Dauid
Psal. 20. in Psalmo, Desiderium animæ eius tribuisti: ei & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Longitudine dierum adimplebo eum, & ostendam illi salutare meum. ¶ Perpende etiam ad tuam eruditionem, quomodo in solo Deo vera inuenitur pax, verum gaudium & lætitia. Quia enim Christum viderat iam in pace quiescit. Causam pacis dicit esse videre Christum: quia solum in eo est pax. Ionas Iona. 2.
à Deo discedens, quietem inuenire non potuit, & fugiens in naui, statim vehemens tempestas suborta est: quia vbi Deus non adest, ibi viget tempestas. Orauit ab vtero cæte, & ereptus est à præteritis laboribus. Ne in huius vitæ rebus requiem quæras, nec in hoc mundo verum gaudium posse inueniri existimes, quamobrem ad dominum reuertere, nā breuiùs iter certiùs est Christus, ad inueniendam consolationem, quàm tuus spiritus exoptat. Toto tempore, quo Iacob fuit in domo Laban, multis Gen. 32.
fuit lacessitus laboribus: tamen ab eo discedēs, statim angelos inuenit. Qui mundo inseruiunt non nisi laborem & desolationem capient, veluti Iacob in obsequio soceri Laban: quapropter domini famulus redeat in domum patris sui qui Deus est, vbi diuinas inueniet consolationes. Sequitur, *Quod parasti, ante faciem omnium populorum.* Ante incarnationem solùm hoc salutare erat ante faciē Israel: quia Psal. 75.
notus in Iudæa Deus, & in Israel nomen magnum eius. Solum enim Iudæi Deum cognoscebant: illi soli Deum venerabantur, & illis solis Deus dederat legem. Solummodo ante faciem Israel erat hoc lumen paratum, vt illud in versiculo sequenti vocat Simeon: sed incarnatus est vt redimeret omnes, & omnibus notitiam sui præberet, & sic omnes ad se traheret, tàm Iudæos quàm Gentiles: ita vt sit distributio accomodata pro generibus singulorum & non pro singulis generum, sicut in Daniele legi- Dan. 7.
mus. Omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei. Et in Esaia, Parauit dominus brachium sanctum Esa. 53.
suum, in oculis omnium gentium. Brachium domini est vnicus filius Dei patris, per quem pater omnia fecit: de quo brachio ait Psalm. Saluauit sibi Psal. 75.
dextera eius, & brachium sanctum eius. Pater parauit hoc brachium ante faciem omnium populorum, quibus prædicaturus erat Christus per apostolos: iuxta illud Psal. In omnem terram exiuit so- Psal. 18.
nus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Et rursus, Viderunt omnes fines terræ Salutare Dei Psal. 79.
nostri. Et Esa. Videbit omnis caro salutare Dei no- Esai. 53.
stri. Parauit illum incarnatione: vt in carne illum videre, alloqui, & communicare possemus, vt tractabilis & vtilis omnibus esset. Nam si gloriosus & cum maiestate, & æterna auctoritate, quam cum patre habet, veniret: quis in eum oculos conicere posset? Nullus coram diuina maiestate esse auderet: Tamen benedictus Deus qui ita nobis filiū suū Luc. 15.
paratum dedit, vt eo in similitudinem peccati viso accedere ad eum publicani, & peccatores, claudi, cæci, leprosi, Iudęi, & Gētiles possent: denique omnes populi cuiúsque status fuerint & conditionis.

¶ Præterea in sola Iudæa erat cùm Simeon hæc Christus quādo cognitus.
narrabat: sed positum fuit hoc lumen in crucis cādelabro, & tunc cognitus fuit ab omnibus populis. Tunc Centurio cognouit, & dixit, Verè filius Dei Matt. 15.
erat iste: & prædicatio Euangelij diffusa est. Ideoq; non dixit posuisti, sed parasti: quia paratus erat, vt proponeretur postea ante faciem omnium populorum in cruce, vt ab omnibus cognosceretur. Quemadmodum Heli non poterat videre lucernam,

[1. Reg. 4.] cernam,donec extingueretur:sic nec Christus cognitus est à mundo, donec per mortem extinctus est in cruce. In conspectu omnium populorum dixit,quia omnes populi illum expectabant. [Isa. 63.] De Iudæis, Vtinam dirumperes cœlos & descenderes. [Genes. 49.] De gentibus tamen ait Iacob, Ipse erit expectatio gentium. [Agg. 2.] Et Aggæus, Venit desideratus cunctis gẽtibus. [Roman. 3.] Et Paulus, An Iudæorum Deus tãtum? Nonne & gentium? [Act. 10.] Et princeps apostolorum Petrus, In veritate comperi, quia non est acceptio personarũ apud Deum:sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam,acceptus est illi. Ideo Dominus, [Act. 1.] Eritis mihi testes in Iudæa,& in Hierusalem,& Samaria, & vsque ad vltimum terræ. [Esaia 43.] Apud Esaiam quoque legimus,Dedi te in lucem gentium: vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Ideóque quia Christus vt hìc fatetur Esaias veniebat ad illuminandum gentes,subdidit sanctus Simeon, *Lumen ad reuelationem gentium & gloriam plebis tuæ Israel.* [Christus gentibus lumen & gloria Iudæis.] Rectè diuidit dans lumen gentibus & gloriam Israëli, quia gentes erant in tenebris infidelitatis, & illis ignotus erat Deus. [Esaia 9.] [Math. 2.] Quapropter Esaias loquens de aduentu Messiæ & illuminatione gentium,ait, Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam ambulantibus in regione & in vmbra mortis, lux orta est eis. Hac de causa, Gentiles per stellam vocati sunt ad Christum: Iudæi autem habẽtes legem & Dei cognitionem & fidei lumen, erant legis præuaricatores & violatores: ideóq; gloria indigebant. Gloria enim Iudæorũ fuit Christus, quia ex eis natus est:& omnes à peccatis liberauit. [Psal. 3.] Susceptor meus gloria mea,& exaltans caput meum, scilicet à peccatis. [Esaia 4.] Optimè hoc testatus est Esaias, Erit germen domini magnificẽtia,& gloria fructus terræ sublimis, & exultatio his,qui saluati sunt ex Israel. Igitur ad hoc venit Christus in mundum vt oculis gentium cæcis, veritas ignota ostenderetur: & Israel promissum,& desideratum excipiens,glorietur. [Beda in Luc. tomo 5.] Proponitur autem reuelatio gentium gloriæ Israel: quia plenitudo gentium priùs introduceretur,quàm reliquiæ Israel saluę fiant. Paulus enim [Roman. 11.] ait. Cum plenitudo temporis intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet. Populus itaque gentium illuminatus est Christi aduẽtu,quod olim Esaias [Esaia 9.] prædixerat dicens,Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam,ambulantibus in regione & vmbra mortis,lux orta est eis. Sed quæ lux est hæc, Subdidit dicens, paruulus natus est nobis & filius [Math. 2.] datus est nobis, &c. Hoc incepit facere statim in suo ortu cum vocauit Magos ab Oriente stella duce,qui fuerunt primitiæ gentium: vbi latera Aquilonis (vt Dauid ait) facta est ciuitas regis magni. Per quæ latera Dauid intelligit populos gentium. Nam [Psal. 47.] in populos gẽtium dominabatur ille superbus Lucifer, qui dixit: in lateribus Aquilonis ponam solium meum. Inter gentes posuit diabolus solium [Esa. 14.] regni sui:& à gentibus idolatris adorabatur. Et veluti de maximo amico alicuius dicimus,quòd non recedit ab eius latere: quia cum illo & iuxta illud incedit: sic populus gentium latera erat diaboli, propter eius coniunctam amicitiam: Hæc latera Aquilonis in Christi natali facta sunt ciuitas regis [Math. 2.] magni Christi,cum gentes venerunt ab Oriente & offerentes aurum,thus,& myrrham, adorauerunt eum. Erat hoc lumen in vtero virginis absconditũ: sed nascens fuit positum super candelabrum & illuminauit totum orbem. Ad hoc natus est Christus, vt omnes illuminaret, præsertim cæcos Gentiles,vt hìc dicit Simeon,vt sua doctrina & apostolorum prædicatione detegeret, dæmonis fallacias atq; idolatriã destrueret, & sic illuminarẽtur auferens eorum cæcitatem & ignorantiam,quia Christus mundi saluator & dominus fuit lumẽ ad reuelationẽ gentium. ¶ Expẽde hìc & vide ꝙ lumẽ illuminans positum est antè conspectum hominũ: ergo si tu non rectè ambulas lumini non imputetur sed tuæ negligentiæ, quia videns lumẽ & viam habens,recta via non vis incedere. Pauci iam ignorãtia peccant. Nunquã tot in ecclesia extiterunt concionatores nec tot reperti fuerũt theologi & literati:nec tã pauca vt nostris temporibus bona opera inuenta fuerunt. Abundanti scientia nunc pollent viri ecclesiastici,sed charitate exigua. Sunt quidem homines hac nostra tempestate illuminati intellectus:frigescunt tamẽ voluntates. Ita nunc homines incidunt in peccata, sicut Balaam qui apertis oculis cadebat: [Nume. 23.] quia cùm legem Dei cognoscãt & quod facere teneantur intelligant,nolunt à voluntate peccandi desistere, sed in peccatorum voraginẽ se coniiciunt. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint: [Math. 6.] ne igitur vitam malis tuis operibus obscurã facias. Sed de his alio in loco. ¶ Verùm,vt hoc canticum concludamus,aduerte quòd magnificatur Christus in hoc hymno à beato isto sene sub ratione salutis omnium, lucis gentium,& gloriæ Iudæorum. [De quibus laudetur Christus.] Primum clementiam, secũdum, sapientiam,tertium verò potentiam manifestat sub ratione pacis. Ideò laudatur in hoc cantico,vt pax, vt salus,vt lux,& vt gloria. Pax est, quia mediator: salus, quia redemptor: lux,quia doctor: & gloria, quia premiator. Et in his quatuor consistit perfecta Christi commendatio & magnificẽtia: imò totius euangelicæ historiæ quædam breuissima cõprehensio,& veluti epilogus. Quãtum ad incarnationem, in pace: prædicationem, in luce: redẽptionem,in salute:& resurrectionem,in gloriã. Et quia canticum hoc continet plenitudinem laudis Christi,& consolationem mortis Simeonis: ideò singulas post vesperas cantatur in completorio. Iam verò quid post hoc canticum actũ sit audiamus Lucã historiam prosequentẽ. Ait enim, *Et erat pater eius & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* [Admirationis causa.] Admiratio euenit quia viso effectu, causa non cognoscitur: sicut admiratur rusticus de eclipsi Solis,& Lunæ,astrologus verò minimè, quia scit causam eclipsis. [Genes. 41.] Miratus fuit Pharao quando septem illas vidit spicas, & septẽ vaccas pingues: [Dan. 4.] & Nabuchodonosor cum vidit arborẽ & statuã, [Dan. 5.] & Balthasar digitos scribentes in pariete:quia hi ignorabãt quidnã hæres significarẽt. Sed cur Maria & Ioseph mirabãtur: si ipsi sciebant Christũ esse verũ Deum, mundi saluatorem,lumen gentium,& gloriam Israel? Mirabantur ex ampliori notitia rerũ diuinarũ. Opera enim Dei quãtò amplius cognoscuntur tãtò admirabiliùs mentem suspendunt. Obstupebãt etiã admiratione congratulationis & reuerentiæ. Bonitatem & Dei misericordiam admirabantur, necnon diuinam eius sapientiam & potentiam quibus humanam salutem tam mirabiliter instituerat: & admirabantur ea quæ passim de isto puero dicebantur. [3. Reg. 10.] [Sap. 10.] Sicut regina Sabba mirabatur sapientiam Salomonis propter cibos mensæ eius,habitacula seruorum,ordinis ministrantium & similium: sic Deipara virgo qũo sapientia diuina ita innumero pon-

dere & mensura omnia disposuerat, & admirabatur pulcherrimum horum omniū cōsensum, quidquid pastores, quidquid angeli, quidquid Magi, quidquid Simeon retulerunt: denique quidquid prædixerant prophætæ optime inter se congruere. Hinc admiratio nascebatur & gaudium: ita vt me- *Esaiæ 66.* ritò dicere potuissent illud Esaiæ, Quis vnquā au- *Psal. 103.* diuit tale. Quis vidit huic simile? Et in Psalmo, Quā magnificata sunt opera tua domine? omnia in sa- *Roman. 11.* pientia fecisti. Et Paulus, O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt, &c. Diligamus opera Dei mirari, & considerare. Vtinam & nobis non stulta & contemptibilia *1.Cor. 1.* videantur: quæ illis mirabilia erant. Verbum enim crucis (inquit Paulus) pereuntibus stultitia est: his autem, qui salui fiunt Dei virtus. Multi non mirantur Christi paupertatē, humilitatem, abiectionem, *1.Reg. 6.* imò contēnunt eam: sicut Michol, quæ cū Dauidis humilitatem mirari oporteret, quando coram arca testamenti saltabat, non solùm non est mirata, sed illum despexit. Sic etiam & nunc à multis Christi humilitas contemnitur: & vilipenditur euangelica paupertas. Aliis etiam arridet patientia, quàm cum hominibus Deus habet. Nam quia ipsorum cōuersionem expectat & patientiā habet, vt tolleret ipsorū grauissima peccata audaciam & inanem fiduciā arripiunt, vt grauiùs indies magis ac magis peccent. ¶ Præterea non miramur res diuinas: quia ab eis distamus. Vt enim Appenninus mōs altissimus à Genua nobili Liguriæ emporio incipiens paruus, apparet Mediterraneum mare procul nauigātibus magno interiecto spatio: sic opera Dei cum sint sublimia, adeò vt nubes transcendant, quia longè distamus ab eis, & cogitationem & considerationem nostram rebus istis terrenis implicamus, ideò non miramur magna opera Dei. At homo pius miratur sublimia Dei opera: sicut Maria virgo & Ioseph mirabantur, super his: quæ de illo dicebantur. Primus & verus fructus qui ex verbo Dei percipitur animi est admiratio & conscientiæ lætitia, idque omnes electi semper experti sunt: nósque experti essemus si opera Dei, & verbum eius studio quàm *Psal. 118.* maximo meditaremur. Vnde Dauid. Mirabilia opera tua, ideo scrutata est ea anima mea. Contemplamini igitur omnes res Dei: nā quāto magis intellexeritis, tāto magis in admirationem rapiemini. Beneficia Dei nunquam miramur: quia ea non consideramus & expendimus. Non mirandum est Deum per vnum & alterum annum ferre peccatores cum millies ab eis turpissimè inhonoretur. Hæresim cōtra Deū profers, de eo blasphemiam dicis, & idemmet dominus, quē tu offendis tunc acria mala medica creat, vt tuā téperes bilim. Miror sanè quoties expendo patientiam, quam Deus habet in ferendis peccatoribus, &c. Cæterum de his aliàs. Verùm in *Beda in Luc. tomo 5.* eo quod Iosephum patrem Christi vocat iam in superioribus admonui, & in capite quintodecimo hu9 in parabola filij prodigi latiùs explicabo, quod in sacris literis plurimæ res vocātur non vt sunt in rei veritate: sed quia ita æstimantur & reputantur. *Benedictionis nomen in scriptura multa significat.* Sed ad contextum. ¶ *Et benedixit illis Simeon.* Consuetudo fuit sacerdotum veteris legis benedicere parentibus, qui infantem in templo offerebāt. Non *Numer 6.* habemus qua benedictione illis benedixit: crediderim tamen illam fuisse, quæ in libro Numerorum habetur, Benedicat tibi dominus, & custodiat te: ostendat dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: cōuertat dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Potest etiam dici quòd hæc benedictio sit imprecatio bonorum. Benedictio enim in sacra scriptura si sit hominis ad hominem, est bona precari: si verū est hominis ad Deum, est laudare: Dei verò ad hominem est benefacere. Cuius rei testimonia per ordinem citabimus. De primo in Genesi *Gen. 14.* habetur quòd benedixit Melchisedech Abrahæ, *Genes. 24.* id est, bona illi imprecatus est. Et in eodem habetur quòd fratres Rebeccæ benedixerunt ei, id est, bona imprecati sunt illi dicentes, Crescas in millibus, &c. De secūdo exēplum habes in multis Psal- *Psal. 102.* mis, Benedic anima mea dominum. Et etiam hìc *Psal. 103.* dicitur de Simeone: quòd benedixerit Deū dicens, Nunc dimittis. &c. id est, laudauit Deum. De tertio scriptura plena est. Seruus Abrahæ dixit, Dominus benedixit domino meo, id est, benefecit in agris, *Gen. 23.* ouibus, &c. Idem dicit scriptura de Putifari domi- *Genes. 39.* no Ioseph, cui benedixit dominus, hoc est, multiplicauit bona propter Ioseph. Et idem dicit de Laban, de Iob, & de multis aliis Itaque hìc benedicere idem est quòd bona precari. ¶ Aduerte etiam, *Benedicere pro maledicere.* quòd benedicere aliquando sumitur in sacris literis in malam partē pro maledicere, vt est illud tertij regum, vbi scribens Iezabel ad principes dixit, *3.Reg. 21.* de Naboth Israelita, Benedixit Deo & regi. Intelligendum est à contrario sensu: pro maledixit: sicut illa verba execrabilia vxoris Iob, cum dixit, Bene- *Iob. 1.* dic Deo & morere, id est, maledic: Et illud etiā ipsi9 *Ibidem.* Iob dicentis. Ne fortè peccauerint filij mei, benedicentes Deo in cordibus suis. Et illud Satanæ ad Deum de Iob, Nisi in faciem benedixerit tibi. Est etiā verbū, benedic, apud Hebræos de numero illarum dictionum quæ tā in bonam partē quàm in malam accipiuntur: sicut apud Græcos anathema, *Anathema sacer & sacrum.* quòd est donarium Deo in templo appēsum, & extremam detestationem significat. Et apud Latinos sacer & sacrum in malā partem interdū accipiūtur, pro execrando & detestando, iuxta quam significationē dixit Poëta, Quid nō mortalia pectora cogis auri sacra fames? Hic nō est dubiū quin benedicere in bonā partē accipiatur: & sumitur hìc pro bona imprecari. Obseruata autem quòd licèt maiores essent Maria & Ioseph Simeone in sanctitate & excellentia, tamen Simeon erat maior in sacerdotio atque ideò benedixit: quia ex officio illi incumbebat. Docemur honorare sacerdotes, tametsi aliqui minus boni sunt sæcularibus: tamē officij & dignitatis causa, honores digni sunt: quia Christ9 & beata virgo licèt præstātiores essent, subiiciuntur ei & ab eo benedictionē accipiūt. Quāuis sacerdos impiè viuat, obseruatione nihilominus dignus est, atque ideò sacerdoti misit Christ9 leprosum quē curauit, & Caiphas, quia pōtifex erat prophetico spiritu est illustratus. Discamus etiā non contemnere *Math. 8.* benedictiones ecclesiæ, & sanctorum patrum, sed *Ioan 18.* eas amplecti: sicut olim filij desiderabant benedi- *Gen. 27.* *Genes. 49.* ctiones patrum & matrum. Sic Iacob & Esau con- *Eccles. 3.* tendebant de patris benedictione. Idem legimus de filiis Iacob: quia vt Sapiens ait, benedictio patris firmat domos filiorum. Et e conuerso timendę sunt maledictiones: nam sequitur ibidem, Maledictio autem matris eradicat fundamenta. Et licèt non semper contingat imprecatio maledictionis, tamē formidandum ne post multas maledictiones eueniat. Præterea obseruandum quoque est, quòd locuturus Simeon de Christi passione priùs benedi

benedicit: vt doceat per redemptoris passionem nos ab omni maledicto esse liberatos. *Galat.3.* Sic Paulus, Christus nos liberauit de maledicto legis, factus pro nobis maledictus, *Et dixit ad Mariam matrẽ eius.* Ad quam prophetico spiritu loquitur de futuris potiùs quàm ad Ioseph, quia sciebat quòd vera esset genitrix Christi saluatoris nostri: de quo beatus hic senex quinque prophetauit. Primò quia in aduentu eius ruerent multi ex inimicis. Secundò, quod sublimarentur amici. Tertiò, quod nihilominus haberet multos aduersarios. Quartò, quod cum magna angustia matris occideretur. Quintò, quod in aduentu eius pateret qui essent amici, & qui inimici. Sed singula expendamus. Ait itaque ad virginem. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* Seuera vtique hæc prædicatio est quam omnes qui Christiani sumus, sæpè contemplari debemus, vt videamus quid in nobis operetur agnitio Christi: an ad meliora pergamus, an verò in deteriora ruamus. Huius itaque orationis singula verba discutiamus. Ecce (inquit) positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel. Auditu horribile est quod Christus in ruinam futurus sit, horribilissimum quod non vni sed multis id accidit: & longè horribiliùs est, quod idipsum non simpliciter de hominibus ac gentibus, sed de Israele dicitur: hoc est, de his, in quos nulla eius rei suspicio propemodum cadere posse aliquis arbitretur, Nec hoc solùm Simeon dicit: dictum quoque anteà fuit ab Esaia: *Esa.8.* cuius verba sunt, Erit dominus in lapidem offensionis, & in Petram scandali duabus domibus Israel: in laqueum & in ruinam habitantibus Hierusalem. Et offendent ex eis plurimi & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. Hæc prophetia non nisi de Messia intelligenda est. Quod autem Simeon hæc prophetiæ verba ad Christum transtulerit manifestum est: quia illum pro vero Messia habuit & credidit. Illud verò quod ait de ruina non intelligendum est, quod ipse præbuerit alicui occasionem ruinæ: Deus enim neminem sollicitat ad malum, nec impellit ad peccandum, quia cùm ipse nullius mali auctor sit, ita peccare nequit. Sed ipsi homines sua propria malitia in causa existente ruunt, dum Christum redemptorem & saluatorem nostrum illis datum, non tantum per infidelitatem non recipiunt, sed illi & eius mandatis resistunt, scelera patrando. Sic *Math.15.* Pharisæi audientes Christi doctrinam scandalizati sunt. *1.Cor.1.* Et Paulus ait, Nos prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipse enim non est causa ruinæ. Lapis positus est in itinere, & ostendit iter: tu si impingis in illum, tibi imputabitur: ex malitia enim tua prouenit. Prædicabat Christus, & *Math.5. & 23.* impij Pharisæi malè interpretabantur: multi enim data opera conabantur illum loco mouere, in quo posuerat Deus: & huic lapidi si credere nolebant, & eum pro Messia agnoscere recusabant, erat eò quòd humilis veniebat & apparebat, Phariszi illum repudiabant: propterea quod hypocrisim eorum falsam & fucatam iustitiam arguebat, & *Christus nulli est causa ruinæ.* solidam iustitiam docebat. Gentiles contemnebant eum, & quòd in cruce moreretur stultum iudicabant eum, qui tali supplicio affectus esset adorare. Præpotentes oderant & execrabantur illum, quòd metuerent se per illum fore à potestate & imperio deijciendos. Idolorum cultores ferre nequibant, eò quòd omnia idola damnabat: & plerique omnes aduersabantur, quorum studium erat fraudulentum & malum, eò quòd vitia in illis redarguebat, alitérque docebat quàm ipsi vellent. His omnibus Christus factus est in ruinam superioribus temporibus: & quòd calamitosiùs est etiam nunc multis factus est in ruinam in eo, quod quidam norunt, & vident verbum Dei atque veritatem: tamẽ propter proprium commodum & emolumentum, manifestè veritati reluctari audent. Nonnulli cùm Euangelium gratiæ audiunt, ignauiæ, voluptati, & ociosè dedunt, & flagitia virtutem esse putant. Alij si aliquando ob peccata pœnam luere coguntur, statim Christum aut Dei verbum fastidire incipiunt: &c. Vnde fit vt Christus his etiam & temporibus multis sit in ruinam. Ipsi quidem cadunt: sed lapis Christus integer manet, mansurus in omnia sæculorum sæcula. Timeamus & nos ne pariter in Christum impingamus. *Et in resurrectionem multorum in Israel.* Hæc vox blandior est, & maioris consolationis, quàm præterita: imò in hac voce verùm habemus fructum aduentus Christi. Ego (inquit ipse) veni, vt vitam habeant: & abundantiùs habeant. *Ioan.10.* Rursus Deus misit filium suum, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mũdus per ipsum. *Ioan.3.* Idem quoque sentit Simeon in hoc verbo, positus est in resurrectionem multorum. Auxilio huius pueri multi se erigent & resurgent: qui longo tempore peccatis immersi iacent. Hæc prophetia effectum sortita est, & in dies adhuc impletur Experti hoc sunt multi miserrimi peccatores, vt Zachæus, Mathæus, Petrus, Paulus, latro in cruce, & alij. Quis etiam & nunc à peccatis resurget, nisi adiutus eius auxilio? Ideóque Deo acceptum ferre debemus, qui nobis hunc Christum in resurrectionem dedit: vt in illo & per illum possimus ressurgere: Est enim propitiatio pro peccatis nostris. Et ipse quidem ait, Ego sum resurrectio & vita. *Ioan.11.* Admonet locus iste, nequis quãtumuis sibi videatur stare nimis confidat: potest enim cadere. Nemo etiam quamuis sit vitiis suffocatus, & iam in barathro peccatorum sepultus desperet: positus est enim Christus in resurrectionem multorum. Non est resurrectio quin præcesserit ruina. Cecidisti, peccasti, ne desperes: nam Christus positus est in resurrectionem, & ideò resurgere poteris. Audi Paulum, Si commortui sumus, & conuiuemus. *Rom.6.* ¶ Aduerte autem quod non dicit, in resurrectionem omnium, sed in resurrectionem multorũ: *Orige. Hom. 17. in Lucã.* quia licet venit ad saluandos omnes, hos tamen tantummodo saluauit, qui credituri erant in nomine ipsius. Venit inquam in ruinam & in resurrectionem multorum. Ac si diceret beatæ virgini. Filius hic tuus, quanquam datus est à Deo ad hoc, vt *1.Timo.2.* salutem conferat omnibus: tamen hominum vitio fiet, vt quemadmodum multos Dei donum amplectentes erecturus est ad spem salutis æternæ, ita multos Israelitas despicientes Dei magnificentiam deiicient in exitium sempiternum: Ab omnibus enim Israeliticis expectatus est, sed non ab omnibus suscipietur. Credentibus veniet in resurrectionem, non credentibus verò in ruinam. Vnde Paulus Romanis ait, Quid ergo dicemus? *Rom.10.* Quod gentes qui non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ est in fide: Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem

gem iustitiæ non peruenit. Sic etiam sæpè cótingit, vt qui maiorem sanctitatem & perfectionem profitētur, aliquādo peiores sint, & cæteris deteriores: & vbi iure maiori debuit esse virtus, minorem inuenies. Venit ergo in resurrectionem fidelium & electorum, & in ruinam infideliū & improborum,
Differentia inter occasionem & causam. sed nō vniformiter. Nam in ruinam occasionaliter: & in resurrectionē causaliter & directè. Sic domin° per Oseam, Perditio tua ex te Israel: tantummodo
Osee.13. auxilium tuū ex me. Ad hoc pertinet quod ipse ait:
Ioan.9. In iudicium veni in hunc mundū, vt qui nō vidēt, videant, & qui vident, cæci fiant. Illuminat enim Christus cæcos, & excæcat videntes. Videntes sunt qui in oculis propriis sapientes sunt: quia qui rationi suæ plus credunt quàm verbo Dei, merentur excæcari, iuxta illud, Abscondisti hæc à sapientibus
Math.11. & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Non vidētes sunt simplices & indocti: imò paruuli illi, quibus pater arcana sua reuelat. Ideò Christus positus est diuino iudicio in ruinam superborum, & in humilium resurrectionē. Sic Paulus, Aliis sumus odor
2.Cor.2. mortis ad mortem: & aliis odor vitæ in vitā. Sicut odor vineæ florentis iuxta naturam suam dulcis est hominibus, sed intolerabilis est serpētibus: sic Christus dominus & bonis odor vitæ est in vitā, & malis est odor mortis in mortē. Nā sicut agens naturale in quantum est de se semper producit suum effectum naturalē: tamē si materia variatur in se vel in suis qualitatiuis dispositionibus, secundum hoc diuersi effectus producuntur: sic secundum quod homines diuersimodè afficiuntur ad Christum, diuersi effectus resultant: sicut lux quæ de se est lætificatiua, sed oculis ægris odiosa est, sanis autē amabilis. ¶ Vide autem quod non dicit positum in ruinam in Babylone, sed in Israel: quia Christus magis
Ioan.18. offenditur ab his in quos maiora cōtulit. Sic in domo Annæ percutiēti maxillam dixit, Si malè locutus sum testimonium, &c. Quamuis plures reportauerat colaphos, tamen hunc cæteris plus sensit, quia huic Malcho sanauerat abscissam auriculam: sicq; grauiùs Israelitæ casum sensit quàm Gentilis, & plus Christiani, & grauiùs etiam religiosi: quia hi maiora à Deo receperunt dona, & qui plus accepit, maius tenetur obsequium præstare.

¶ Perpende etiam quod sicut Christus multis est causa resurrectionis: nam peccatores plurimi vidētes Dei misericordiā, & quomodo indulget peccatoribus resurgūt à peccatis: sed aliis est in ruinā, quia videntes ꝙ Christus, misericors est, abutentes eius misericordia fiunt deteriores, & bonitate Dei qua conuertendi erant, abutūtur, & peiores fiunt,
Esa.42. Ideo dominus minatur hos per Esaiam dicēs, Dominus sicut fortis egredietur, sicut præliator suscitabit zelū, vociferabitur & clamabit: super inimicos suos confortabitur. Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. Considera, quod quāuis nunc tacet, posteà tamen suum obseruabit honorem: & cum acceperit tēpus, iustitias iudicabit.
Psalm.74. Caue ne Christi bonitas & patiētia sit tibi in ruinā: ita vt ex bonitate & longanimitate illius occasionem sumas adaugēdi peccata peccatis. Sed au-
Signū quod. Origi.lib. 4. epist. Rom. Aug. 2 de. Christi. diamus quid vltra Simeon dicat de Christo. *Et in signum cui cōtradicetur.* Signum vt Origenes & Augustinus dicunt est quod præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud offert intellectui. Ideóq; positus est Christus in signū fidei, quo ad intellectū vt credatur esse verus Deus & homo. Significabat enim voluntatem Dei patris, de qua ipse, Hæc est voluntas Dei patris, vt credatis in eum quem misit ille: de quo Esaias, In die illa erit radix Iesse, qui stat Esaia11.
in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur. Sic omnis Christi vita, omnia miracula, & Ioan.6.
quidquid gessit ad hoc, fuit vt ostenderet se esse Deum, & in eum crederent tāquam in Deum. Hoc signabant illa miraculorum signa. ¶ Passiones & pœnalitates hominum assumpsit, & mortem subire voluit, vt declararet se esse verum hominem. Qui ergo negant hæc, vel contradicūt huic signo? Huic signo contradixerunt Iudæi, quòd admiratus Dauid multò ante tempore prædixit in Psalmo, Qua- Psalm.2.
re fremuerunt gentes, &c. Astiterunt reges terræ, & principes cōuenerunt in vnum, &c. Nolumus (vociferabantur Iudæi) hunc regnare super nos. Et Luc.19.
Christo dicebant, Tu testimonium perhibes de te Ioan.8.
ipso, testimonium non est verum. Item, Nónne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Et iterum, Dæmonium habet & insa- Ioan.10.
nit, quid eum auditis? Et coram Pilato, Si non esset Ioan.18.
hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Post Iudæos contradixerunt Ethnici: post Ethnicos, hæretici: denique ab omni populo & lingua passus est contradictionem. Si Paulo dum esset Romæ, dixerūt quidam, De secta hac notum est nobis, quod vbique ei contradicitur. Nec solùm sermone lex Act.28.
Christi contradictionem passa est, sed etiam opere: dum tyranni aquis vsi sunt, igne, lapidibus, feris, & gladio, ad euellendum euangelium.

¶ Præterea non solùm, quo ad finem, sed etiā quo Christus quare signum dicitur.
ad charitatem & effectum & exemplum imitationis positus est in signū Christus, vt per ipsum cursum nostrum dirigamus. Posuit me (inquit Iere- Thren.3.
mias) sicut signum ad sagittas. Sicut sagittarius vnum oculum claudit, vt rectiùs sagittam emittat: ita nos quoque sinistrum oculum claudamus, vt non respicientes transitoria ad Christum recto itinere eamus. Est enim Christus sicut signum crucis in via positum, vt per ipsum dirigamur: ne erremus in via morum. Omnis enim vita Christi disciplina morum fuit. Sed vbique ei contradicitur, nam maxima hominum pars ei contradicit: nā quod Christus laudat, fugit, & quod damnat, amplectitur. Positus est enim Christus in signum humilitatis in præsepio: in signum paupertatis, in purificatione: & in signum patientiæ, & charitatis in passione. Sed huic signo humilitatis, patientiæ, paupertatis, & charitatis contradicunt superbi, iracundi, auari, & inuidi: deniq; omnes peccatores. Vniuersus orbis ei cōtradicit: quia à maximo, vsq; ad minimum, omnes auaritiæ student. Dicūt enim impij inter se, Sap.2.
Venite perfruamur bonis, quæ sunt, & vtamur Ierem.6.
creatura. Quis dicere poterit quomodo paupertati Christi, humilitati, & eius vitæ contradicitur, non solùm ab hæreticis, & infidelibus, sed etiā à Christianis? Ab his, qui filium Dei fatentur Christum, despicitur eius paupertas, vita & doctrina: quia indecorum esse putant nō vindicare statim iniurias, & fragilis animi esse homines ob peccata non contrucidare. Putant præterea se infamia notandos fore, si crucifixi vitam sectentur. Sed ad contextum. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Dolores Orig. Hom. 17. in Lucā.
quos non habuisti partu vt sentires te esse matrem exolues in morte filij sentiens te esse matrem: nam ex cōpassione ad filium in cruce pendētem, crudeliter in corde affligeris. Vt autem intelli-

gas

gas quàm maximus fuerit dolor virginis, non sine causa dicit, quòd non corpus sed animã pertransibit gladius: quia beata virgo in ea parte passa est quæ impassibilis habetur, ideóq; plusquam martyr fuit. Quia dolor passionis oritur à læsione carnis cũ perceptione sensus & redundat in animam. Dolor verò compassionis oritur & incipit in anima, & redundat in sensum & carnẽ. Quãtò igitur anima est potentior & magis dominans super carnem, & caro est delicatior & magis subiecta animæ, tanto fit maior redundantia: & maior dolor est ille, qui incipit ab anima, quã ille, qui incipit à carne. Quia igitur ita erat in gloriosa virgine maior fuit compassionis in ipsa, quàm dolor passionis, qui est ex parte naturæ corruptibilis. In ipsa enim vera martyre anima patiebatur, & qui moriebatur erat qui occidebat: carnifex erat amor. & non mori, omnibus malis mors maior erat. Non solùm quia beata virgo patiebatur in anima, dolor eius maximus fuit: sed etiam ostenditur maximum fuisse, ex duplici ratione. Primò ex magnitudine amoris ad Christũ. Quo enim ampliùs aliquid diligimus, eo magis dolemus de infortunio, aut eius perditione & quẽadmodum nullꝰ homo purus alium ita dilexit deipara virgo quàm dilectissimum filium suum, ita in eius passione supra modũ & super omnes cruciata est. Secundò ostenditur magnum fuisse eius dolorem ex præsentia Christi patientis. Obiectum enim præsens fortiùs mouet potentiam, quàm absens: & si obiectum est causa tristitiæ & afflictiuum tristitiæ, maximè mouet potentiam ad tristandum. Amarè fleuit Iacob mortem filij sui Ioseph quando cæteri filij tunicam sanguine tinctam patri obtulerunt: tamen multò grauiùs fleuisset si oculis suis feram illam vidisset præsentem, quam ipse Iacob dilaniasse filium suum Ioseph & comedisse existimabat. Aegrè dolebat Dauid Absalonem filium suum, cum lachrymis obortis flens dicebat, Absalon fili mi, fili mi Absalon: Tamẽ grauiùs doluisset si oculis propriis Absalonem ex quercu pendẽtem vidisset, & tribus lanceis cor eius transfixũ. Agar discessit ne filium suum Ismaëlem videret. At beata virgo præsens iuxta crucẽ stabat, & propriis oculis mori videbat sine vlla remedij ope, quẽ ipsa ardentissimè amabat. Bene ergo Simeõ dixit, doloris gladius eius animam pertransiret. ¶ Expende quanta amaritudine plenæ humanæ consolationes sint. Læta erat virgo beatissima, & gaudebat videns se matrẽ tanti filij, & etiam contenta Cantica Simeonis cõcernens, & simul audiens, quomodo vnigenitus eius filius laudabatur. Verùm vt aduertas in vita hac præsenti nullum gaudium diu permanere, hos inter honores & laudes, prædicit ei Simeon res tristes & dolorem, quem in filij passione passura erat. Hinc discamus tempore fœlici paratos esse, quandoquidem tristitia propinqua est: iuxta illud sapiẽtis, In die bonorum, memor esto malorum. Lætus erat Aman, cum conuiuia esset reginæ Hester: tamen statim effectus est tristis, quia non honorauit illum Mardochæus. Comitatur enim tristitia omne huius vitæ gaudium. Sola quidẽ amaritudinis consideratio, quæ per huius vitæ delectationes sparsa est, sufficit vt omnis mũdana & sensualis cõsolatio odio habeatur. Valdè quidem lætatur dux, quãdo spolia inter suos diuidit milites, ita vt Esaias ad significandum quantopere illo optatissimo redemptoris aduentu lætaretur mundus dixerit, Lætabuntur in te sicut victores capta præda, quando diuidunt spolia. Sed cũ in postrema gaudia luctus occupet: sic sanè Dauid Regi accidit, cui simili hac lætitia gaudenti, & inter suos milites spolia diuidẽti, subitò & inopinato quidam venit lamentabilis nuncius, Saulis nimirum mortem, & Ionathæ, & perditionem totius Israel denuncians: cuius rei gratia tota eorum lætitia conuersa est in luctum. Vnde inter gaudia illa victoriæ fecerunt Dauid, & sui planctum, & ieiunauerũt, sciderúntq; vestimẽta sua. Vides & tu iam, quòd in hac vita nihil gaudij sit quod per longum duret tempus? In beata virgine quidem rectè hoc ostenditur: nã inter laudes & honores nũcia statim crudelissimi audit martyrij. Igitur illud Apostoli, seruemus omnes fideles: ita vt qui gaudent, tanquã non gaudentes sint: & qui vtuntur hoc mundo, tanquã non vtãtur. Præterit enim figura huius mundi, &c. ¶ Obseruandũ est etiã quomodo Deus etsi suos aliquãdo corripere videatur, in hoc profectò demonstrat amorẽ, quẽ in eos habet, vt apertissimè videre est in beatissima virgine: nullus siquidẽ viuentium sanctior illa fuit, neq; tantis ac talibus cruciatibus ac internis martyriis afflictior, imò nunquã aliqua mater ob vnicũ filiũ tot dolores ac tãtos passa est, quot hæc veneranda mater. Statim in ipsa eius infantia Christũ filium secũ ferẽs in Aegyptum fugere coacta est, & inter peregrinos & extraneos totum septennium commorari in exilio. Post multas denique persecutiones ac animi perturbationes, quæ longissimũ esset recensere, amantissimũ filiũ acerbissima morte interfectum inter duos latrones affixũ, tãtus amor videre coẽgit. ¶ Aduertendũ quoq; est, quòd Deus eo quod probè satis arrogantiam nostram & inflationem noui t in præbendo nobis auxilia, sic se habet, vt prosperitatem & fauorem effrænet, & in angustias deuenire nos permittat, vt apertè cognoscamus, nihil ex nobis posse. & miseria nostra latè pateat. Lætissimus profectò beatꝰ Petrus effectus est, quia ei Christus dixerat, beatus es Simon Bariona, ita vt paruo post tempore trãsacto ausus fuerit impedire passionem Christi. Quapropter ab eodẽ domino grauissimè fuit reprehensus. Ita Dauid vano de se cogitatu inflatus, quã plurimum apud Deum valere putans ita, vt de se confidens dixerit, Ego dixi, in abundantia mea non mouebor in æternum. Tamen vt congnosceret se nihil sine Deo esse dereliquit eũ dominus. & sic cecidit, & exclamauit dicens, Auertisti faciem tuam à me, & factus sum cõturbatus. Sic enim euenire solet natanti tyroni, qui à peritiori in arte illa per barbam in fluuio ducitur & docetur. Si talis stultè inflatus putans se iam peritum, cùm ita non sit, relinquatur à magistro, statim submergitur & apertè fatetur illius auxilio indigere. Ita hominẽ proculdubio oportet non semper esse prosperum, ne ideò superbiat & èmergatur: imò potiùs, quòd aliquando dolores & persecutiones patiatur, vt se cognoscat. Nimia quidẽ prosperitas damni illatiua esse solet: & sic Deus homines illa priuare misericorditer intendit. Sic sponsa in Canticis ait dilecto, Fuge dilecte mi: assimilare capræ hinnulóque ceruorum. Ac si diceret, Das mihi sponsè in tua præsentia tantam suauitatem, vt timeam his rebus te mihi obsequia mea velle soluere: ideo fuge. Aufer à me delicias, vt patientiæ occasionem habeam: & potiar te tàm in prosperis quàm in aduersis. Assimilatur spõsus hinnulo ceruorum.

Marginalia: *Dolores animi maiores quàm corporis.* — *Dolores D. Virginis extremi.* — *Gen.37.* — *2.Reg.18.* — *Gen.21.* — *Miscentur tristia lætis.* — *Eccles.18.* — *Hester.5.* — *Esa.9.* — *Prou.14.* — *2.Reg.1.* — *1.Cor.7.* — *Math.15.* — *Math.16.* — *Psal.29.* — *Psal.28.* — *Can.8.*

uorum, quodquidem anima fugit à venatoribus & canibus, & quando ab eis per aliquod distat spatium se detinet & caput vertit, vt persecutorem videat. Ita tu domine à me fuge, id est, ne tantas mihi elargiaris delicias, tamen tua fuga sit similis capræ hinnulóque ceruorum, vt quando longè à me fueris, me expectes, appelles, in tuámque gratiam reuoces. Sic igitur agit Christus dominus cū suis, vt se agnoscant, & ad Deum omnipotentem cōfugiant, qui fons totius miserationis est. Sequitur in contextu: *Vt reuelentur multis cordibus cogitationes.* Verbum istud intricatum est, referríque potest ad particulam immediatè præhabitam: vel ad id quod dixerat Simeon, positus est hic in ruinam. Ex hoc enim quòd Christus venit & in quorundam salutē & ad aliquorum malorum damnationem occasionaliter, item ex passione ipsius cōpassionéque matris, eius, factum est, vt multorum hominum cogitationes, quæ ante à latebant, reuelarétur: id est, per quosdam effectus aliis proderentur ac declararentur: In tempore enim passionis manifestatum est quid in pectore celabāt Iudas, Caiphas, & Annas: & quid in animo fuerit Nicodemi, Iosephi Arimathiæ & sanctarum mulierum, quæ secutæ fuerant Christum à Galilæa. Scribæ etiam & Pharisæi multa
Luc. 8. gratulantes de aduentu Christi narrabant: sed in
Osea 6. eius morte gauisi sunt. Sic olim prædixerat Oseas propheta. Cū sanare vellē Israel, reuelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ. ¶ Aduerte quàm apertè tribulatio & angustia ostendat quisnam verus & falsus amicus sit. Arctus enim amicus tēpe-
Eccles. 6. state notatur. O quàm pauci nostris temporibus veri amici sunt. Tales inuenies plurimos, qualis ab Ecclesiastico dicitur, Amicus mensæ, non permanebit tempore tribulationis. Quando Hierusalem temporibus Dauidis & Salomonis & aliorum regum in sua vigebat prosperitate, alij reges proximi cedebant ei, & mittebant dona, visitabāt, & honorabant, suáque lætabantur & amicitia: tamē aduersa vrgente fortuna, vbi eandem afflictam, persecutam, & quasi desertam viderunt, in medio suæ an-
Thren. 1. gustiæ dereliquerunt. Ideóque Ieremias inter alia, quæ de perditione Hierusalē plorabat, dixit, Omnes amici eius spreuerunt eā, & facti sunt ei inimici. Clarè ergo constat, quòd amicitia illa quā cum
Macha. 21. Hierusalem inierunt, non fuit vera: quandoquidem eam in aduersis deseruerunt. Multi comitabantur Christum in solēni illa processione, quando populus Hebræorum cum ramis exit obuiā ei, nec apostoli eum dereliquerunt: sed appropinquante passione & morte, relicto eo omnes fugerunt. Et ideò
Psal. 37. de eis conquerebat Christus dicens, Amici mei & proximi mei recesserūt à me. Maior quidē angustia, & quæ plus patientissimum Iob pūgit, fuit separatio illa amicorū qui principio ad eius cōsolationē venerant, & quòd ei contrarij fuerint, & reprehenderint, & iniuriosa verba dixerint: & de hoc cōqueritur ipse dicēs, Quare persequimini me sicut Deus
Iob. 37. & carnibus meis saturamini? Multi quidē ab amicis decipiuntur: nam cùm amicitiam veram existiment, arcana sua ostendunt, & egentias similiter vt amici subueniant, ipsi verò recedunt, & excusationes afferunt. In angustiis veri cognoscuntur amici: atque ideo in Christi passione (vt Simeō ait) cognitæ fuerunt cogitationes multorum, & eorum simulata amicitia patefacta est. Consequenter nunc recitatur testimonium Christo impertitum à quadam fœmina, probatæ authoritatis, de qua noster Lucas. *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu* Theoph. in
Aser. Nomina ista & particulæ positæ sunt ad indicandam rei certitudinē: & vt ab aliis, qui simili nomine vocabantur distingueretur. Aser vnus fuit ex Lucam.
duodecim patriarchis filiorum Iacob. Tribui huic: Deut. 33.
de qua hæc Anna erat, data est benedictio in filiis. Moses enim antè obitum benedixerat ei, dicēs, Benedictus in filiis Aser, sit placēs in fratrib9 suis, &c. Sicut dies (inquit) iuuētutis tuæ, ita & senectus tua. Vides quā plenè hæc impleta sunt in hac filia Aser: quia (vt statim dicemus) à iuuentute in senectam vsq; Deo inseruiuit? Porrò Phanuel pater suus no- Gen. 32.
men accepit à loco, vbi sanctus Iacob luctatus est cum angelo. Dicitur autem in Genesi post luctam. Vocauit Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens, Vidi dominum facie ad faciē & salua facta est anima mea. ¶ Aduerte hîc quod decebat Christi ad- Amb. lib. 2.
uentum testimonium habere ab omni genere per- in Luc.
sonarum, vt inexcusabiles fiant qui Euangelio non credunt. Habuit enim testimonium à natura ange- Math. 2.
lica. Facta est enim cum angelo multitudo cœlestis exercitus. Et à natura cœlesti, Vidimus stellam eius in Oriente. Et à simplicibus pastoribus, nā omnes qui audierunt, mirati sunt de his, quæ dicta erāt illis à pastoribus. A sene sacerdote Simeone, Et benè dixit eis Simeon, Et etiā Anna vidua & sancta, quæ loquebatur de illo omnibus, qui expectabant consolationem Israel. Infantuli quoque innocētes non loquendo, sed moriendo Christū confessi sunt. Denique testimonium Christus habuit tam à viris quàm à mulieribus, vt ostenderet, quòd vterq; sexus redemptionem expectabat: sicut & vterque ceciderat. Vide etiā quā rari, sunt qui charitatis opus exercent. Nam ex tota illa Hierosolimitana multitudine quatuor tantummodo personæ videlicet Maria, Ioseph, Simeon, & Anna commotæ sunt ad exercendum charitatis opus erga dominum. Similiter hodiè rari in hoc genere inueniuntur charitatis, qui proximis subueniant. Multiplicasti gentem (inquit Esaias) & nō magnificasti lætitiā. Auctori- Esaia 9.
tas igitur Annæ insinuatur ex nobilitate generis, & spiritu prophetico, & morum sanctitate, & ex statu suo. Ex his omnibus euangelista illam cōmendat. Primū igitur de generis nobilitate, quæ etsi apud Deum nihil valeat cum vera nobilitas sola virtus appelletur, tamē nobiles quasi quadam necessitate coguntur ne degenerent à maiorū nobilitate, quia nobilitas de se ad sequendam virtutem inuitat, in bono sicut gemma in aureo annulo locatur, & è diuerso in malo, sicut gladius in manibus furiosi, qui quidem eo ad crimina perpetranda abutitur. Tales certè sunt nobiles multi, qui à sua nobilitate & potestate ansam sumunt ad superbiam, vanitatē, tyrannidē & in vilipendium pauperū & crudelitatem erga proximos & alij id genus. Multi ergo nobiles & nobiliū filij sunt his similes. Cain verò, Cā, Ismael, & Esau à patribus probis, sanctis, & hone- 4. Reg. 18.
stis, ipsi verò ex propria malitia improbi extiterūt, & è cōtrario Ezechias vir bonus fuit, de quo dicit scriptura, quod fecit bonum corā domino. Achaz autē filius improbus, qui filium proprium per ignē traiiciēs sacrificauit idolis. Quod si ignobilis es da operā virtuti, ita vt maiores tui à te incipiāt initiū memoriæ suæ, quod erit tibi gloria maior. Si verò à progenie & ortu nobilis es, stude maiorū imitari nobilitatem, obligationem considerans, vt studiosus

sus sis, ne tuis operib' improbis inhærēs nobilitatem deleas, quam à maioribus tuis accepisti. Beata verò Anna patrem suum tum in maioribus, tum virtutibus est secuta. Sequitur, *Hac processerat in diebus multis.* *Prou.26.* Econtrario quidem tempus frustra terit impius: nā sicut ostium vertitur in cardine, ita inquit Salomon, piger in lectulo suo. *Consenescere in malo, periculosum.* Ita muli sunt, quorum gratia multi prætereūt dies & anni, & hoc vt homines corrigantur, & pœnitentiam de malo agant: tamen ipsi quanuis anni labantur & prætereant semper in sua manent iuuentute, & peccati viriditate: ita vt nec vnquā vitā corrigere studeant, nec prudētiā senio adispicantur. *Esa.65.* Pueri centum annorū maledicti sunt: ait Esa. Nō sic beata ista prophetissa, imo ad pares angulos cū tēpore currebat: ideoq; euangelista de ea ait, quod processerat, quia cum annorū cursu etiā accesserat prudētia, & sicut anni iuuētutis præterierunt, ita etiā mundi vanitates in ipsa extinctæ fuerunt. ¶ Porrò vt intelligas, ꝙ castitas nō solum animæ saluti prodest, verumetiā lōgam tribuit corpori sanitatem & vitā, sicut è diuerso libidinosi actus vitā breuem: postquā euangelista dixerat multos vixisse annos quasi causam reddens longitudinis vitæ, castitatis & honestitatis illam laudat dicens, *Et vixerat cū viro suo annis septem à virginitate sua.* Hoc est, à tempore quo eam adhuc virginem assumpsit in coniugē: septem enim annis vixit cum viro suo in matrimonio, post cuius obitum octoginta & quatuor superstes castissimè vixit. Iurè id quidē dicit, quòd vixerat cum viro suo, in quo innuitur habuisse erga illum pacificam conuersationem: nam si non fuisset inter eos cōcordia & pax, nec fuisset vita imo potius mors. Beatæ equidem sunt pacificæ & benè cordatæ vxores. Tales profectò rarissimè inuenies: imò insolentes & furiosas, quibuscum habitare potius est dicendum mori *Eccl.12.* & asperrimè mori quàm viuere. Et ideò apud eccle- *Eccl.30.* siasticū habetur, Cōmorari leoni & draconi plus placebit, quā habitare cum muliere nequam. Et alibi adiungit, Melior est mors quā vita amara: qualis est illa quam homo habet cum muliere litigiosa.

Castimonia cœlestiū & diuinarū rerum indagatrix. ¶ Vocat autem euangelista beatam istam castissimam, quia castitas & corporis pudicitia maxima dispositio est ad scrutāda & penetrāda cœlestia arcana. Hęc siquidē virtus nimis animam disponit ad receptionem diuinarum reuelationum: sicut è contrariò luxuria hebetat intellectū, turpē & crassum ad talia acquirenda reddit. Sic legitur de Ezechiele propheta (asserēte Hieronymo) *Hier. li.1.cō. Iouini.* qui mortua vxore eleuatus est à domino, & vidit arcana, & cęlestia: quod tamē euenit minimè illa viuēte, & matrimonio stante. Ioseph quoq; castissimus interpres somniorum fuit. Præterea inter duodecim Apostolos (vt inquit Ambr.) *Amb super 2. ca. epist. 1. ad Cor.* solus Ioannes fuit virgo, & sic in pectore Christi recumbens meruit eleuari ad tam alta diuina & inscrutabilia secreta: sicque altiora cæteris scripsit, asserente beato Aug. *Aug. lib. 1. de cons. euan. ca.7.* inter omnes scripturas euangelium Ioannis eminentissimum esse. Et inter cęteros Apostolos etiam Paulus virgo *2.Cor.12.* fuit: ideoque raptus in tertium vsque cœlum & vidit diuinam essentiam. Sanctus verò Thomas Aquinas angelicus doctor, ob hanc prętātissimam virtutem resplenduit in ecclesia Dei admirabili quadam sapientia: cuius doctrina ita illuminat ecclesiam, vt sol & lumina, Sibillæ, verò illæ satis notæ *Libr. 1. adu. Iouini.* etiam si Gētiles, donum veræ prophetiæ habuerūt: & hoc (vt inquit Diuus Hiero.) quia castitatem dilexerunt & fuerunt virgines. Similiter credo Annam nostram eò quòd à iuuētute castissimè & honestissimè vixit, *Orig. homil. 17. in Luc.* spiritum quoq; propheticum meruisse: ideoque euāgelista postquam prophetissam vocauit statim de multis annis, quibus castissimè vixit, memoriam fecit.

¶ Secūdò & principaliter laudat ab statu dicens, *Et hæc vidua erat.* Et quod talis status viduarum sit probus pater, quia Deus in sacris literis sæpè commendat viduas: & iudicibus iubet vt causam viduarum defendāt. Viduæ, inquit, & pupillo nō nocebitis: *Exo.22.* si læseritis eos vociferabunt ad me, & ego audiā clamorē eorum. Non enim despiciet dominus preces populi & viduarū: si effundāt loquelā gemitus. Qua ratione inter peccata populi Israelitici numerat Esa. *Esa.1.* viduas indefensas fuisse dicens, Non iudicant causam viduæ. Paulus quoque tanto æstimat eas vt cōmuneret etiā cum virginibus. *1. Cor. 7.* Mulier (ait) innupta virgo cogitat, ꝗ domini sunt: vt sit sancta corpore & spiritu. Et egregius Psaltes, Viduam eius benedicēs benedicā. *Psal.131.* Verum vt intelligatur perseuerantia casta viduitatis huius beatæ, subdidit euāgelista. *Vsque ad annos octoginta quatuor.* Hic annorum numerus non ad ætatem Annæ referendus, sed ad spatiū viduitatis. *Ætas D. Annæ.* Nec fuit leuis nec temeraria puella, imò mulier grauis & prouectę ætatis. Et sacrę & profanæ literæ plus sapiētiæ solēt tribuere senioribus quā adolescētioribus. De ætate verò Annæ cōstare potest ex eò quòd euangelista ait, videlicet ipsam septē annos vixisse cū viro suo à virginitate sua & in viduitate egisse vsq; annos octoginta quatuor. Si vero addideris annos, quos vixit ante nuptias inuenies quod saltē cōpleuerat cētū & sex annos seruata vsque ad hāc ætatē, in Christi Saluatoris obsequiū. Maximum tandem castitatis exēplum nobis hæc sancta reliquit: nec fecit sicut huius tēpestatis vxores quāplures, quæ nondum benè exequias primas cōpleuerunt: quādo iterum secundò nubunt: quod etiā si illicitum non sit, non tamē decorū, quia talibus viduis nō datur annulus aureus, nec benedicūtur nuptiæ, nec post mortē talis vxoris viduæ ad sacros ordines potest vir promoueri.

¶ Tertiò euangelista illam laudat de beata vita & modo viuendi dicens de beata ista, *Quæ non discedebat de templo.* Nec ex hoc intelligatur semper in templo residere: *Status viduarū qualis esse debeat.* sed quod crebrò frequētabat. Quod nos etiam de aliquibus talia facientibus dicere solemus: & si non semper adsint in ecclesia. Sic etiā Paulus Rom. ait, *Rom.8.* Sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis. Et ad Thess. *1.Thess.5.* Sine intermissione orate: Quasi dicat, Sedulò orationem facite. Nam si semper Anna in tēplo resideret, nō diceret euangelista, ꝙ in ipsa hora superuenit in templum. Discant hinc viduæ nostræ nō diuagare de domo in domū, & de loco in locū: sed manere domi & frequētare ecclesiam. Est enim vidua, quasi monialis: idq; indicare videtur vidualis vestis, quæ lugubris & mœsta & quasi à sæcularibus separata esse debet: ostendens per hoc renunciasse mundanis deliciis. Talis tandem sancta ista erat, vt à suo cubiculo & templo non discedebat: quod quidem in nostri temporis viduis non ita videmus, quæ etsi liberæ sint & expeditæ ad ista, nolūt ad hoc libertate sua vti, nec in hoc tempus cōsumere: imo per vias, plateas & hortulos, diuagare, amicas visitare, & propria desideria adimplere: & si secundas nuptias recusent, non causa castitatis seruan

seruandæ: imò libertates potiendæ, id faciunt. Audiant ergo tales beatum Paulum dicentem, Vidua
1.Tim.5. in deliciis viuēs, mortua est. Sed de his satis, Quartò laudat eandem ieiunio & oratione, ideo sequitur in cōtextu. *Ieiuniis & orationibus seruiens nocte & die,* Adiūgit ieiuniū cū oratione, quia in ieiunio sanantur pestes corporis, in oratione vero ægritudines a-
Tob.4. nimæ. Sicut apud Tob. Bona est oratio cū ieiunio. Vult enim Deus quòd orationem comitentur bona opera. Ideò Psal. ait, Vnā petij à domino hāc requirā. Et postquam dixit quòd orās petebat (si quidē oratio petitio est) statim addidit hāc requirā: Vt inhabitē in domo domini, omnib' dieb' vitæ meę.

Beatitudo quib' media acquiratur. Beatitudo cælestis oratione petenda est: sed tamen quærere operando necesse est: Ideò in Ezech.
Ezech.10. habetur, quòd illa sancta animalia manus & pēnas ad similitudinem hominis habebant: vbi datur intelligi opera nostra secūdum rationem, & in iustitiam facta cum orationis ala comitanda esse: ideóque erat manus hominis quæ est opus rationale. Vtrumque verò ab ista sancta fiebat: legē enim domini meditabatur & opere illam exequebatur. Vn-
Psal.125.
Psal.38. de Dauid, Et meditabor in mandatis tuis, quę dilexi. Sequitur, Et leuaui manus meas ad mādata tua quæ dilexi, & exercebor in iustificationibus tuis. Vide ergo appositissimū ordinē, Priùs meditatur, & postea diligit: quia vt alibi dicit, in meditatione mea exardescit ignis. Et quamuis amorem præcedit meditatio, cùm ad orationem & perseuerātiam in ea opus sit ieiunio, quòd nimirum mentē eleuat, similiter ieiunium & abstinētia necessaria sunt, vt
Ieiunium iuuat orationē. in his exercitiis perseueremus. Quod profectò sequēs exemplum illustrabit. Si in ignem ouum sanū
Similitudo. vel castanea absq; vlla fractione mittantur agente in ea igne, dehiscūt, frāguntur, & extra ignē saliūt: si verò ante calefactionē paululū frāgatur nō itē. Similiter de homine ad amorē & Christi feruorē accedēte dicendū est. Si talis fuerit san', pinguis, integer corpore, nō vero fract' ieiuniis, orationib. & vigiliis, citò quidē deficiet, & ab oratione & cōtēplatione discedet. Si verò fract' & ieiunio abstinētiaq; armatus orauerit, minimè recedet: imò promptè & delectabiliter orans perseuerabit. Abstinētes erant
Dan.1. & ieiunabant illi pueri Babylonici, nec cibos mēsæ regalis comedere volebant, sed legumina tantum: & quasi castaneæ missi sunt in fornacē iussu Nabuchodonosoris: ibíque sine metu aliquo in medio ignis positi & absque aliqua combustione, imò canentes laudes diuinas erant perseuerantes & dicē-
Dan.3. tes, Benedicite omnia opera domini domino, &c.
Exo.24. Et liberati sunt. Ita etiam Moses fuit in monte quadraginta dies sine cibo & potu, sola diuina conuer-
Deut.4. satione suffultus. Sic & ista Anna sanctissima abstinens & ieiunans orabat & à templo nō discedebat quia mortificatā habebat carnem ieiuniis & à Deo qui ignis ardētissimus charitatis est, veluti castanea fracta non discedebat. Discamus & nos in lege domini meditari nec acquiescamus de cętero secularibus illecebris, nec occupemur variis impedimētis, sed semper ad legem Christi simus intenti. Scriptū
Psal.136. est enim, Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudiciū. Quam meditationem maximè sacerdotibus necessariā esse Apostolus Paulus
Tit. 1. ostendit, ad Tit. dicens, quòd debet episcopus am-
2 Tim.4. plecti eum, qui secundum doctrinā, &c. Et ad Tim.
Psal.118. Attende lectioni & exhortationi doctrinæ. Ideóq; Dauid, Veniāt mihi miserationes tuæ & viuam: qa lex tua meditatio mea est. Cui lex Dei meditatio est, huic quidē præstò sunt misericordiæ vt viuat in æternū: nullus enim beatus esse potest absque miseratione diuina, &c. ¶ Docemur secundò in bonis Perseuerātia necessaria.
actibus perseuerare, veluti Anna, quæ incessanter per tot annos in ieiuniis, & orationibus se Deo dedicauit. Ideóque si seruire Deo inceperis, in fidem vsq; perseuerare teneris: Arbor enim quæ sæpè inseritur non mittet radices, nec fructū aliquem afferet. Ita sanè tibi eueniet si ab incepto bono recesseris, virtutū fructus, nec bonorum operū producere poteris. Virtus siquidem habitus est, cuius actus per bona opera sunt multiplicādi: aliàs habitus generari nō potest. Vnde Eccle. ait, Homo sensatus in Eccl.27.
sapientia manet sicut sol, stultus autem sicut luna mutatur. Stabiles quidem sunt iusti & sancti viri: & talis fuit sanctus ille pater Abraham, qui cùm in sacrificio à muscarum cohorte maximè infestaretur, Gen.15.
nihilominus inceptū, quod fecit nō reliquit. Disce ergo ab eo & ab Anna sancta infestas muscas, cogitationes varias, & impedimēta, quæ sese statim Dei ministris offerunt prorsus expellere & per calcata perge ista. Qui enim ad finem vsq; perseuerauerit, Mat.10.
saluus erit. ¶ Tertiò admonet locus iste ieiunare & Abstinētiæ effectus.
carnē macerare, sicut hæc sancta fœmina fecit: ista enim media sunt satis cōgrua ad finem illū propter mirabiles effectus, quos in nobis gignūt & excitāt, vt satis probè experti experiūtur: cōtrariū enim vitium periculosum est valdè, testāte Apostolo. Si se- Rom.8.
cundū carnem vixeritis, moriemini. Affligenda caro est, ieiunio & oratione maceranda, ne se extollat & iugulet nos. Si enim nauis graui pōdere oneretur, in profundum culpæ deducet: ansamq; assumet diabolus vt te decipiat, veluti primos parentes per gulam à statu innocentiæ eiecit. Expedit ergo, vt Gen.3.
abstinentia caro coerceatur. Hæc enim est Eua nos Gen.39.
ad pomum prohibitum inuitans. Hæc est Ægyptia Iud.4.
illa Putipharis, innocentem Ioseph ad turpitudinem prouocans. Hæc est Iael Sisaram ficto amore seducens, & verè occidens. Hæc est Dalida quæ Sā- Iud.16.
sonem in gremio blandè excepit & falsò tradidit Philisthæis, vt cæcus ad ignominiam adduceretur. Hæc est puella saltatrix, quæ Ioannis caput petiuit. Hæc tādem est ancilla ostiaria, ad cuius vocē Chri- Marc.6.
stum negamus. Hanc prorsus debemus coërcere & Math.26.
castigare, vt fecit Apostolus ad Cor. dicens, Casti- 1.Cor.9.
go corpus meum & in seruitutem redigo. Quòd si Christi Apostolus & eius electionis vas corpus suū castigabat: maiori quidem iure nos peccatores de nostra salute incerti id efficere debemus. Cū enim Rom.15.
ea, quæ scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sint tenemur, vt diximus corpus castigare, ieiuniū & orationem insectare. His armis armata Hester, Hester.4.
Israeliticum populum à tyrannide Aman liberauit: Iud.13.
& Iud. fortissimum ducem Holophernem trucida- Dan.12.
uit. Dan. etiam ex eo frui multis Dei mysteriis me- Tob.12.
ruit: & Angelus domini de hac monuit beatū Tob. 1.Tim.5.
& Paulus Timoth. ¶ Denium, vt concludam vnum hic obseruatione dignum arbitror. Quorsum Euāgelista moras protrahit in laudib' huius Annæ, qa de nobilitate illam laudat, abstinētia, castitate, &c. Nempe propter firmandum testimonium quod de Christo dederat, vt maximè æstimes & facias, quæ hæc mulier dixerit; quia credendum minimè erat mulierem vitæ tam integerrimæ leuia dicturam esse, & res dictu indignas nec veras. Nullus mentis compos in eius dictis & testimonio dubitare

poterat:

poterat: quandoquidem inculpatæ vitæ hæc Anna erat. Quamobrem priusquam Euãgelista dicat testimoniũ quod de Christo dedit eius describit encomia, præclara gesta & mores, vt plurimi quod dixerit æstimes. Noluit Christus, quod dæmones, de eo testimonium ferrent, cum illum filium Dei testificabantur, quia ab impiis laudari non vult, sed à bonis. *Luc. 4.* Laudatur Christ' à Simeone & Anna, quos Euangelista laudibus extollit, priusquam illorum testimonium in medium ferat. Tu etiã nõ parui facias bonorum laudes nec maximi ducas impiorũ honores: nam (vt Seneca ait) tam turpe tibi sit laudari à turpibus, quàm si lauderis ob turpia. Sed de his nonnihil inferius capite quarto, Deo dante dicemus. Igitur postquam Euangelista noster Lucas vitæ probitaté huius sanctissimæ mulieris insinuauit, nũc in medium profert testimoniũ illius: ideóque consequenter ait, *Et hæc ipsa hora superueniens.* Nõ casu, vel ab homine vocata venit, sed in spiritu sicut Simeõ. Suggesserat enim illi Spiritus sanctus iam natum Christum, iam adesse puerum, tot sæculis expectatum. *Cõfitebatur domino.* Hoc est, de Christo testimonium perhibebat. Sicut ad præsentiam solis & à virtute ab eo emanente arbores frondescunt, germinant, & fructus faciunt: sic veniens in hunc mũdum, sol iustitiæ Christus fructum mirabilem erga suos producens, ipsi verò accipientes, in laudes & gratiarum actiones proruperũt. Tum enim Angeli, pastores, reges, Simeõ & Anna decãtauerunt, & dominum laudauerunt. Sed Simeonis testificatio explicitè describitur, & per modum præconij, Annę verò implicitè & per modum confessionis: quia docere in Ecclesia fœminis non permittitur, sed viris. Prophetauerunt, ergo de Christo Simeon, Zacharias, beatissima virgo, Elizabeth cõiugata, & Anna vidua: operæpretium enim fuit, vt ab vtroque sexu id efficeretur.

Conueniunt boni in beneficitudo, mali discordant. ¶ Vide etiã & perpende quomodo fideles, boni, & probi, mutuò ad inuicem se adiuuant in Dei ministerio. Erat enim Simeon laudans & prædicans Christum, & ecce Anna ad hoc efficiendũ diligenter superuenit. *Exo. 4.* Sic Aaron præsto fuit Mosi, cui blęsa erat lingua in eius adiutorium. Mali vero & improbi è contrario efficiunt: tales enim non modò non adiuuant, quin potius impedimento sunt bonis, eósque impedire, & à Dei obsequio depellere ac reuocare conantur. Iidemque ipsi adinuicem se impediunt mordent, famamque corrodunt, ait, vt simul cohabitare nequeant propter crebras & infestas discordias quas inter sese habent, iuxta illud, quod Salomon in Prou. ait, *Prou. 15.* Domus impij plurima conturbatio. Ex quo fit vt mali sæpè congregentur ad perpetrandum malum sicut filij Iacob vt fratrẽ *Gen. 37.* suum Ioseph, Ismaelitis venderent: & ædificatores *Gen. 11.* turris Babel ad stultitiam illam & vanitatem. Disce præterea quod Christus ex eo quod homo & infantulus factus, serui formam accipiens, à pastoribus & angelis in præsepio summis effertur laudibus, & à Simeone in vlnis: ita, vt beatissima virgo & eius sponsus vehementer mirarentur. *De Christo magis credendis, quæ auditu percipimus quam visu.* Sed nos Christũ non ex his, quæ foris apparent, sed quæ de illo sacra eloquia & catholica fides testãtur firmiter credentes admiremur, iuxta illud, Custodi pedem tuũ, ingrediens domum Dei: & appropinqua, vt audias. *Eccl. 4.* Maiestatem enim diuinam corporeis oculis cernere nec mente tota comprehendere nequaquam valemus, sed fide & auditu absq; aliquo alio processu nec scrutinio. Præcaueas illud, Scrutator diuinæ maiestatis, opprimetur à gloria. *Prou. 25.* Sic certè oppressi sunt, allucinati, & decepti, Iudæi multi, philosophi, atque ethnici: qui nolentes captiuare intellectum in obsequium Christi, & sicut cognouerunt adorare, in errores & hæreses quamplurimas inciderũt. *1. Cor. 10.* Sicut enim in Isaac iam sene, omnes sensus decepti erant cum benedixit filio Iacob præter auditum: *Gen. 27.* sic erga Christi Saluatoris nostri intellectionem omnes humani sensus præter auditum decipiuntur. Vox (inquit) est vox Iacob. In hoc vno verum dixit: falsum verò in eo quod dixit, manus verò manus Esau. Sicut tu fidelis, cùm audis Simeonem dicentem Christum mundi salutem & lumen, *Diuinitas sub sensum nõ cadit.* & Annam confitentem regem esse Israel, & expectatum redemptorem iam venisse, hæc vera esse crede: nam auditus non est deceptus in Isaac. Nec in nobis quidem: quia non tangitur diuinitas nec odoratur, non videtur, nec corporeo sensu gustatur: nihilominus in deitatem, quam audis crede, etiam si oculis corporeis percipere nequeas. Crede etiam testibus locupletissimis qui hanc veritatem testificantur: videlicet sanctis Simeoni & Annæ, sanctæ ecclesiæ catholicæ Romanæ, doctoribus, martyribusque quàm plurimis, qui hanc veritatem confitebantur: & pro illa tuenda sanguinem suum fundere non dubitarunt. Sed ad contextum, *Et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel.* Videlicet quòd ipse esset verus redemptor eorum iamdiu desideratus. *Stulti loquiũ fugiendum.* Sed priùs confitebatur confessione laudis, & postea loquebatur expectantibus eum: quod egregiè in persona eius regius propheta testatur dicens, Confitebor domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum. *Psal. 108.* Aduerte quòd duo ait hìc Euangelista, Primum est quod loquebatur de illo: scilicet de puero Iesu. Secundum quòd hoc non omnibus loquebatur: sed tãtum expectantibus redemptionem Israel. Erga primum expẽde quòd de Deo loquebatur, nõ de vanitatibus fabulis caducisque euentibus, vt faciunt stulti homines & fatuæ vetulæ tempus frustra terentes: non de luxu, aut de carnis illecebris, non quomodo decipiendus proximus, nec alia id genus superuacanea. Si quis loquitur (ait beatus Petrus) quasi sermones Dei. *1. Pet. 4.* Admonemur hic verba nostra casta esse debere & pia, vt expedit seruis Dei, memores illud saluatoris, quòd de omni verbo otioso reddituri sumus rationem. Nam si inhonesta & otiosa verba non vitaueris, parum in diuino proficies obsequio. Verba equidem sancta & spiritualia inflammant cor, dicẽte Psalmista, Ignitum eloquium tuum vehementer. *Math. 12. Psal. 118.* E diuerso vana & inutilia charitatem & dilectionem extinguunt. Vnde Apostolus Paulus ad Timothæum ait, Profana & vaniloquia deuita: multum enim proficiũt ad impietatem. *2. Tim. 2.* Si homines communiter vrbani turpia & inhonesta verba reprobare solent: maiori iure Christi ministri id prorsus efficere tenentur, cùm ex prauis verbis praua sequantur opera, asserente apostolo, Colloquia praua corrumpunt bonos mores. *1. Cor. 15.* Et Ecclesiasticus. Sit omnis enarratio tua in præceptis altissimi, &c. *Eccl. 9.* ¶ Secundò hæc sancta mulier Anna de Deo loquebatur: sed non omnibus, sed illis solummodo, qui redemptionem Israel expectabant. Cum istis tantum loquebatur, quia nouerat quòd margaritæ non erant proiiciendæ ante porcos, nec est dandum sanctum ca- *Math. 7.*

nibus. Cœlestia enim nō sunt hominibus, qui bestialiter viuunt communicanda, tales profectò capaces non sunt cœlestium donorum: quoniam teste Apostolo carnalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. *1 Cor. 2.* *Esa. 28.* Hoc est etiam quod in Esaia habetur, Quem docebit hominem scietiam? Et quem intelligere faciet auditum. Ablactatos à lacte, auulsos ab vbere. *1. Cor. 2.* Hinc etiam Apostolus, Sapientiam loquimur inter perfectos. Atque ideò his, qui expectabant redemptionem Israel loquebatur. Multi etiam & non expectant redemptionem malorum, in quibus viuunt, quia gaudent in deliciis & peccatis: & quia iam in profundum peccatorum venerunt, medicinam & redemptionem contemnunt. *Prou. 18.* Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Talibus prædicare est aërem verberare & laterem lauare: sed illis prædicandum est potissimè, qui peccatorum suorum pondus sentiunt & excutere desiderant: nunquam enim dulcedo illa atque cœlestis consolatio degustatur, quousque mundana amara videatur. *Math. 11.* Hinc Christus, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Non vocat eos, qui pondus mundi putant quietem & leuitatem, tales enim conuerti nequeunt: sed eos, qui sentiunt mundi onera grauia & periculosa, & laboriosum seruire mundo arbitrantur: quia hi facilè mundi pondus & eius labores relinquunt, & ad Deum confugiunt, atque ideo dixit, qui laboratis & onerati estis. His, qui onera mundi sentiunt regnum Dei prædicandum est: illis inquam, quibus peccatum fastidium est, & exire ab eius vinculo cupiunt, & ad hoc disponi incipiunt. Admonet etiam hîc ne indignis mysteria *Math. 13.* Dei pandamus. Dei enim mysteria thesaurus est absconditus in agro cordis nostri, in quo vult Deus seruari. Quòd si Babyloniis, hoc est indignis propalaueris contra Dei voluntatem efficies, & dice- *4. Reg. 20.* tur tibi id, quòd ex parte Dei dixit Esaias Ezechiæ *Esaia 9.* regi, eò quòd thesaurus domus suæ ostendit nunciis regis Babylonis. Filij tui erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Verba enim & tempus perdis, & teipsum seruum facis. Sed iam ad cōtextum. *Et vt perfecerunt omnia secundum legem domini.* Hoc est postquam Maria & Ioseph omnia illa adimplerunt quæ secundum legis præcepta ad ritum purificationis spectabant. ¶ *Reuersi sunt in Galilaam in ciuitatem suam Nazareth.* *Non incipere sed perficere laudabile est.* Benè dicit, perfecerunt: quia non quomodocunque mater Christi adimpleuit, sed perfectè. Disce ex Christi parentibus ad perfectionem vsque quæcunque inceperis perducere. Si domum ædificare intendis iactaque sunt fundamenta & parietes, sed quid proderit rogo si sine tecto domum reliqueris? Quid similiter proderit incipere seruire Deo, nisi incepto perseueraueris bono? Irridebunt te sanè dæmones, & de te dicent illud, *Luc. 9.* Hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare. *Iob. 27.* Ideò beatus Iob inquit, Donec deficiam nunquam recedam ab innocentia mea: & iustificationem, quam cœpi tenere, non deseram. Sic etiam *2. Tim. 4.* & Paulus, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, &c. Deus enim in omnibus perfectus est, perfectaque opera nostra petit. Estote (inquit) per- *Math. 5.* fecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est. Tu verò videris parturire monstra & in lucem prodere filios bonorum operum, videlicet virtutum & charitatis: sed tamen ista adolere nequeunt eò quod in via deficis, & ab incepto bono gradum reuocas.

¶ Multa præterea omittit sanctus Euangelista Lucas, quæ nouit scripta à Mathæo quo modo scilicet Iesus post hæc sit in Ægyptum translatus, ne ab Herode occideretur: & post mortem Herodis quomodo reuersus sit in Nazareth: vnus enim Euangelista supplere solet quod ab alio prætermittitur. *Beda in Luc. tom. 5.* Peracto itaque purificationis ministerio reuersi sunt in Bethlehem, & ibi Angelus apparuit Iosepho, cui dixit vt iret in Ægyptum: & post mortem Herodis cùm reuerteretur monitus est vt iret in Galilæam, & tunc (Mathæo alibi asserente & Luca hic) reuersus est in Nazareth Galilææ. Hæc enim reuersio, de qua hîc noster Lucas, non fuit immediatè post purificationem, sed post septem annos: nam manserunt in Iudæa vsque ad monitionem Angeli & ierunt in Ægyptum, & postea reuertentes ab Ægypto & Iudæam petentes, quia Archelaus regnabat, illuc ire timuerunt: & ideò abierunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. *August. li. 2. de consen. euang. cap. 9.* Nam si de Galilæa exissent vt irent in Ægyptum, cum reuertebantur recto tramite irent in Nazareth & non intendissent ire in Iudæam, vbi domum nullam habebant. Nam volens Ioseph ire in Iudæam cùm reuerteretur ab Ægypto, conspicuum est quòd ex Iudæa recessit in Ægyptum: ideóque cum Euangelista noster dicit quòd reuersi sunt in Galilæam in Nazareth, intelligendum est postquam venerunt de Aegypto. Illa enim quæ facta sunt inter purificationem & hanc reuersionem in Nazareth, scribit Mathæus in secundo capite sui Euangelij: quæ ideò à Luca hic prętermittuntur. Sequitur, *Puer autem crescebat.* Aetate & corporis quantitate, quatenus homo. *Et confortabatur.* Robore corporis, videlicet secundum incrementi mensuram, quanuis in quocunque instanti poterat tantam corporis fortitudinem assumere & accrescere quantum placuisset, vtpote Deus omnipotens: vel etiam vt homo comprehensor secundum superiorem suæ animæ portionem, vtpote deitate fruentem. *Theophila. in Luc.* Tanta enim extitit beatitudo animæ Christi, vt redundaret in corpus communicando illi quatuor illas dotes mirabiles corporis glorificati: nisi dispensatiuè Deus hoc impediret. Confortabatur itaque non per gratiæ vel virtutis augmentum siue profectum, secundùm quod apparebat: in ipso enim (vt ait Paulus) sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Et ideò ait, *Plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.* *Col. 2.* Ad pleniorem tam huius loci quàm alterius infrà huius capitis intelligentiam vbi habetur, quòd Christus proficiebat sapientia, & gratia coram Deo & hominibus: aduertendum est quòd sicut in Christo erant duæ naturæ, duo intellectus & duæ voluntates in vna persona: ita erat in eo duplex sapientia, vna scilicet increata, hoc est, ipsum verbum diuinum, æternum, atque diuina essentia, altera verò creata sapientia. *Sap. in Christo multiplex propter duarum naturarum concurrentiam.* Ista autem sapientia Christi creata multiplex est. Vna quidem dicitur sapientia bonorum, quæ à principio creationis animæ suæ ipse secundum animam Deo fruentem, omnia cognouit in verbo, seu in diuina essentia sicut beati in patria: imò multo excellentius eis. Item fuit in Christi anima à suæ creationis initio sapientia indita seu infusa, qua cognoscit res per proprias earum species sibi concreatas suæque animæ connaturales & proportionatas. Nulla enim naturalis perfectio defuit animæ Christi. Vnde sicut Verbum æternum seu Deus à principio in

didit

didit mentibus angelicis intelligibiles rerum species, per quas cognoscunt res cognitione vespertina præter cognitionem matutinam, in qua res cognoscunt in verbo: sic Verbum animæ Christi sibi vnitæ indidit species intelligibiles naturales. Præter has autem sapientias seu scientias ponitur in anima Christi scientia acquisita siue experimentalis: quia nihil desiit Christo eorum, quæ Deus naturæ humanæ ad sui perfectionem & essentiam tribuit & concessit: ideóque Christus habuit intellectum agentem eiusque operationem. Operatio autem intellectus agentis, est à phantasmatibus intelligibiles species abstrahere, atque in intellectu possibili eas locare. Ita in intellectu possibili animę Christi fuerunt species intelligibiles ab intellectu agente illi impressæ, quod est scientia acquisita, quam quidem vocant experimentalem in Christo consistere, quæ habetur per modum humanum naturaléque lumen: de quo Apostolus ad Hebræos de Christo domino ait, Didicit ex his, quæ passus est obedientiam. Et sumitur ibi discere pro experiri. Christus enim non didicit ab aliis scientiam acquisitam: sed per propriam adinuentionem adeptus est. Ex his colligitur quòd Christus in nulla scientia seu sapientia prænominata crescebat aut proficiebat, sed tantùm in acquisita. Reliquam autem sapientiam quam habebat paulatim demonstrabat, & hoc vocat Euangelista incrementum: quia non modo Christus crescebat in corpore, verum etiã in effectibus ad extra: demonstrabat enim paulatim infinitam eius sapientiam. ¶ Dedit nobis Christus exemplum, vt nos etiam adolentes corpore, accrescamus simul bonis moribus atque virtutibus à bono in meliùs proficientes: iuxta illud Pauli, In omni opere bono fructificantes & crescentes. Quid vnquam proderit corporaliter nasci: nisi incrementum & robur sequatur, cùm planè infans debilis & exiguus nascatur? Et ideò post sacramentum baptismi & pœnitentiæ, quæ pertinent ad spirituale natalitium & regenerationem, institutum est sacramentum eucharistiæ conferens gratiam, robur, & vires ad rectè viuendum. Debemus ergo in bono progressus facere sicut de sancto rege Dauide dicit scriptura, Semper ibat proficiens & crescens, & erat seipso robustior. Et ipsemet alibi, Fortitudinem meam ad te custodiam. Sequitur, *Et ibant parentes eius * in omnes annos in Hierusalem.* Duo hic dubitanda occurrunt pro maiori huius literæ explanatione. Primum horum est, Si virgo beatissima Maria & Ioseph cum puero Iesu septem annis morati sunt in Aegypto: quomodo singulis annis pueritiæ Iesu in Hierusalem profecti sunt? Secundò, lex præcipit, vt tribus vicibus in quolibet anno omne masculinum Iudæorum appareret coram domino in loco ad hoc electo, hoc est, in loco præcipuo cultus diuini, qui fuit Hierusalem: præsertim postquam ibidem constructum est templum. Ergo qua ratione semel tantum ascendebant Hierusalem? Videtur, quòd ter ascendere debuissent. ¶ Ad primum dicendum quòd Lucas loquitur de tempore, quo Maria & Ioseph in Nazareth Galilææ sunt commorati. Ad secundum quòd lex in Exodo iussit vt omnis masculus Iudæorum in tribus solennitatibus, paschæ scilicet, pentecostes, & tabernaculorum coram domino appareret, sed cum his qui remotè à loco præfato habitabant, dispensabatur quo ad duas solennitates minus principales: scilicet Pentecostes, & tabernaculorum. Beata autem virgo & Ioseph remotè morabantur, idcircò ad principalem duntaxat solennitatem veniebant legi obedientes: & obediendi exemplum præbentes, in quo docemur Christi saluatoris exemplo festa ecclesiæ celebrare: & horis canonicis interesse. Sed de hoc post pauca in sequentibus agemus. Iam nunc Euangelista narrare incipit quomodo Iesus saluator noster & redemptor suam sapientiam declarare seu manifestare inceperit. Ait itaque, *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim.* Vidimus in superioribus quomodo testimonium præbuerunt de Christo domino, angeli, pastores, Simeõ, & Anna: addit nunc tempus, vt ipsemet prodatur & in publico videatur, audiatúrque. Quorsum enim attinet si alij de eo testificarentur: ipse verò perpetuum seruaret silentium? Heliu in libro Iob arbitrabatur iam se satis Iob & tribus eius amicis aures suas accommodasse: quapropter tempus esse (existimabat ille) vt ipse aliquid in medium proferret. Plenus sum (inquit) sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. Hem venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit, loquar & respirabo paululum. Nimis defatigabatur iste ob loquendum: & nihil interesse: loqueretur vel taceret. Sed hoc in loco plurimum refert vt Christus ipsemet sese hominum oculis & auribus exponat: quandoquidem omnis nostra salus ab eo pendet. Hunc nobis Lucas in templo docentem & disputantem ostẽdit: vbi ita gratissimè gessit, vt nõ solũ Maria & Ioseph, verùm omnes, qui circunstabant admirarentur: imò doctissimi quique obstupescerent, ob inauditam illius in respondendo sapiẽtiam. Quæ res satis probabat angelos, pastores, Simeonem & Annam non frustrà pronunciasse tanta támque miranda de illo. ¶ Sed cur in anno ætatis duodecimo hæc signa deitatis ostendere voluit: & post, subditus parentibus se occultare voluit vsque ad annum trigesimum? Vt conformarentur in fide, qui ex his quæ à pastoribus & Simeone & Anna audierant conceperant spem, puerum hunc verum Messiam fore. Si enim in totum siluisset vsq; trigesimum annum: pro nugis & figmentis habuissent omnia, quæ ab initio de illo fuissent dicta. Secundò quoque Christus per hoc indicare voluit, quantum ipsum desiderium teneret, gloriam Dei & salutem hominum promouere ac maturare: ita vt tempus ad hanc rem destinatum vix expectare posset, quemadmodum ex nimia cupiditate redimẽdi genus humanum non poterat expectare donec sanguis suus ab hostibus funderetur: sed priusquam vis hostium adesset, ipsemet sanguinis sui salutiferum liquorem in monte Oliueti emisit, sicut prædixerat antea, Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur? Et iterum, Desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum. ¶ Docuit Christus maturis suis auspiciis non esse deferendum diu, aut cunctandum vbi honor Dei & animarum salus promoueri potest: siquidem nihil meliùs aut magis pium fieri, & nihil maiori cum periculo intermitti potest.

¶ Obseruent hæc homines ab omni cura otiosi & negligẽtes: qui ex sese prognatos non illicò primis annis sanctimoniæ ac pietati assuefaciunt, sed in omnibus peccatis & vitiis adolescere sinunt, cùm tamen scriptura dicat homini summo opere cõducere, vt iugum domini ab adolescentia sua portet.

Heb. 5.
In quo scientia genere Christus profecerit.
Phil. 3.
** aliàs Per*
2. Reg. 3.
Psal. 58
Aug. li. 2 de cons. euan. ca. 10.
Exo. 23.
Festa ecclesiæ Christi exemplo celebrãda.
Iob 32.
Quare Christus sese 12. anno manifestet.
De hac quæst. vide Amb. li. 2. in Luc. & Beda in Luc. ca. 8.
Luc. 12
Luc. 22.

Thren.1. Prou.22. Ná adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea. ¶ Docet etiam vt secundum ætatem & vires humanas vnusquisque sapiat, & conuersetur. Christus, qui in instanti conceptionis suæ erat plenus sapientia poterat illam ostendere cum matris vbera suggebat, & in quinto & in septimo suæ ætatis anno: sed hæc ætas non est intelligẽdi sicut ætas duodecim annorum. Et licet in hac ætate ostenderet maiorem sapientiam, quam expediret ætati duodecim annorum: tamẽ nihilominus duodecim annorum ætas est intelligendi & percipiendi. Sunt aliqui, qui ex nimia ingenij acrimonia varias pertingunt res, & aliqua etiam discunt, quæ eorum superant vires, & grauiora sibi onera imponunt, quam supportare valeãt. Vnumquemque solum vult Deus deferre quòd possit ætati temporique se accommodare. Ecce hæ sunt causæ quare Christus in ætate duodecim annorũ & in ipsa puetia inceperit & non antea. ¶ Sed cur post hæc siluit vsque ad annum trigesimum? Duo hominum sunt extrema. Alij pigri & negligẽtes (vt Ionas) qui propter maximam laxitudinem de rebus ecclesię & officiis eorum non curant. Alij sunt nimis ingenio acres & diligentes, qui nondum nati, quando iam prædicare, docere & alios regere volunt: & videntur sibi omnia perdita esse nisi ipsi loquantur, & similes Heliu demonstrentur. Istorum genus vtrunque carpit Christus. Quod tam cito ætate, videlicet duodecim annorum, negotiũ patris aggressus est, taxat pastores negligentes: quòd autem euãgelicam doctrinam palam non prædicat vsque ad trigesimum annum, redarguit eos, qui temeritate & præsumptione ad ecclesiæ ministerium, ipsi sese inferunt & irrũpunt. In hac igitur ætate voluit Christus ascendere, & ostendere suam sapientiam. Nam in hac ætate ratio hominis incipit illuminari, & ita ęquum est vt quia homo ratione incipit vti, Deum cognoscat vt conditorem suum, eique soli seruiat.

Iona 1. *Causa silentij in Christo.*

1.2.q.89.ar.6. Extat diui Thomę ratio q̃ probat hominem ipsum statim vt rationis oculos aperuit obligari, vt conuertat se ad Deum in omnibus actibus suis, aliter mortaliter peccabit. Potest nanque ad eum statum deuenire in quo dicat, Ego me offero tibi domine. Quod si non fecerit, satis est quòd actus virtutum Psal.118. operetur dirigẽdo eos in Deum. Vnde Psalmographus ait, In quo corrigit adolescentior viam suam, in custodiẽdo sermones tuos. Quomodo sciet puer viam qua iturus est? Respondet Dauid, quòd per viã mandatorum Dei. Hæc est via qua hominis leua & adultera inclinatio corrigitur. Si pictor imaginem depingeret in cuius manu esset, visum tribuere imagini si vellet: nónne par esset vt hęc imago illum respiceret à quo beneficium accepit & gratias pro tãto dono referret? Non secus nobiscum facit Deus q̃ indies infantium rationem præparat, probet intellectũ, illumque perficiat, ad hæc rationis vsum donat. Nónne decet si hæc ita se habent vt illius seruitio præ omnibus se tradat? Hac igitur ratione, statim vt puer rationis campos euadit oportet vt conuertatur ad Deum, &c. Sed ad contextum. *Ascẽdentibus illis Hierosolymam.* In quibus verbis insinuat noster Euangelista vti Ioseph & Maria educabant Iesum: vel vt melius dicam vti parentes suos debeant educare liberos. Si petit Ecclesiã pater vt rẽ sacram seu verbum Dei audiat, secũ ducat filium. Si pergit vt egenos & pauperum infirmorum visitet hospitalia, eius similiter adhæreat latere filius. Abraham patruelis Loth à cuius latere nusquam discessit nepos in terra promissionis, pergensq́; cum eo in Ægyptum & iterum rediens in Canaam: semper est illum comitatus. Vnde cùm venirẽt angeli vt diuerterent in domum Abrahæ, posteà discedentes rectà via perrexerũt in domum Loth. Et eadem prorsus quæ gesta sunt cùm Abraham fecerunt cũ Loth: in quibus seruitiis exhibitis præcibusq́; dicere videbantur, Consulamus modo an rectè hic adhæserit Abrahæ, & experiamur an comitè apud eũ educatus fuerit. Ita Anna noluit ascendere in templũ donec ablactatus est infans Samuel. Vnde inquit Salomon, Adolescens iuxta viam suam, & cùm senuerit non recedet ab ea. Sed malè educatus & corruptis moribus nutritus etiam cum ipso in puluere dormiet, ait sanctus & patientissimus Iob.

Educatio parentum.

Gen.18. *Gen.19.* *1.Reg.1.* *Prou.22.* *Iob 20.*

¶ Obserua autem quòd ascenderunt Christi parentes priùs & postea Christus: sic tu qui pater es, debes priùs ascendere, vt postea ascendant filij tui ad statum virtutis. Sed nunc nó sic, quia patres solúmodo verbis docent virtutẽ filios suos: non opere & exẽplo. Inquit enim pater filio, Considera fili, ne ludo te immisceas, & videt puerulus abacum ludi in domo patris sui per totã noctẽ & diẽ. Tu qui pater es priùs ad missam & sermonem proficiscere & ad Ecclesiam, & tunc tui te filij sequẽtur & gressus tuos vti Iesus cum parentibus ipsis ascendentibus ascendit. Expende autẽ quòd non adduxerũt Christum vsque ad annum duodecimũ ad templum. Ne pueros minimos ad ecclesiam deferatis, qui concionatores & sacerdotes diuina celebrãtes perturbant, vsquequo ad ætatem discretionis pertingant.

Parẽtũ erga filios officium.

¶ Obserua etiam quòd non tenebãtur beata virgo eò quòd mulier erat, nec Christus quia etiam infans erat ad hoc festum ire: sed tantum deuotionis causa hunc laborem sibi sumpserunt. Ad ea quippe, quæ sancta & pia sunt, non est necesse vt seruus Dei præceptis adstringatur nec excommunicationibus: nec similiter curiosè percunctari debet. An citra extremam necessitatem teneatur eleemosynam erogare, an præter festos dies sacris debeat interesse, vel reliquo tempore anni præter quadragesimam cõfiteri: vt à Christo & eius sanctissima matre discat, qui cum nullo legis præcepto essent constricti ad festum abierunt. Ita nimirum tu etiam si non tenearis ad audiendum sacrum hoc vel illo die, qui festus non est: nihilominus non desinas sacro adesse. Idem dico in largitione eleemosynæ, & reliquis aliis operibus piis & sanctis: nam iusto (vt beatus Paulus inquit) non est posita lex. Ne sis vt multi qui diligenter inuestigant & inquirunt, teneantur ne ad hoc faciendum, nec ne: nam etiam si lex non præcipiat, non ideò id à tergo debes relinquerę. Nam nullus dominus, qui famulitium sustentet: qui nó velit & gaudeat multa fieri, quæ ad eius seruitium spectãt, priusquã ipse pręcipiat: nam miserũ & laboriosum esset, si semper præceptũ deberet imponere ad ea, quæ à famulis essent faciẽda. Molestia enim & tædio illius serui dominus afficeretur, qui nihil faceret nisi flagelli metu, vel crucis & tormenti timore. Similis est christicola & Deo magis intollerabilis & fastidiosus, qui nihil boni facit, nisi mortis æternæ & tormẽtorũ gehẽnæ metu: qui deberet recordari se Deo dicere, Non secundũ peccata quæ fecimus nos: sed secũdum tuam misericordiã saluos nos fac. Nó acceperat Dauid pręceptum vt templũ ædificaret domino, & voluit illud construe

Multa vltrò facere debemus licet lex non pracipiat.

1.Tim.1. *Psal.131.*

construere: tantáque sollicitudine tenebatur, vt diceret, Si dedero somnum oculis meis. &c. donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob. Et siquidem tu Deum exoras, ne legis rigore te iudicet: ita etiam tu non deberes Deum rigore legis metiri, sed multa bona opera facere quæ in lege nõ præcipiuntur. Et quemadmodũ tu gaudes ne Deus tecum faciat, quod de iustitia potest, sed potiùs suã misericordiam imploras: ita etiam ipse Deus non vult, vt serui sui cũ illo ad rigorem legis attendant, sed potiùs vt vrbani sint. Nam si tu in hãc phrenesim rapiaris, vt Deo audeas dicere, Nolo confiteri nisi tempore quadragesimæ: etiam Deus tibi dicet cum in aliquod mortale peccatum incideris, Volo,
2. Reg. 7. vt terra aperiatur & te deuoret, & cõsumat. Quòd
Psal. 131. si tu dixeris id esse nimis asperum & nõ ferendum, non est quòd de Deo conqueraris, nam secundum suam iustitiam id rectè potest facere. Quòd si id nõ facit ideò est, quia misericordia & benignitate sua
Tren. 3. vtitur. Misericordia domini, quia non sumus con-
Iaco. 2. sumpti. Iudicium enim sine misericordia fiet ei qui
Luca 6. non fecerit misericordiam. Etiam dominus ait, Eadem mensura, qua aliis mensi fueritis, remetietur
Parentum in educandis filiis in pietate, sollicitudo. & vobis. ¶ In eo autẽ, quòd secum duxerunt puerũ Iesum, debes discere vt in omni via, in omni peregrinatione teipsum comitetur dulcissimus Iesus: præ oculis illum semper intuere, nihil mundanum tuam mentem subeat, nisi ipse in omnibus negotiis semper tuam mentem & cogitationem tanquã in scopum dirigito. Discant etiam hi, qui filios & familiam habent, vt semper secum ad ecclesiam deferant famulos & famulas, & maiores natu: nè cer-
Ezech. 34. tam Dei iram expectent, qui per prophetam minatur se ab eis requisiturum sanguinẽ omnium pereuntium, quorum causa id contingerit. Etenim nõ satis est, vt tu bonus sis, & vita tua inculpata & absque macula inueniatur: sed etiam est opus, vt filios tuos, vel consanguineos, vel eos, qui tuæ sunt curæ commendati sanctis moribus, bona indolẽ & christianis dogmatibus imbuas & instituas vt sic ipsis in ætate crescentibus, crescat etiam in illis Dei
Eccl. 7. amor & cultus pietatis: iuxta illud sapientis, Filij tibi sunt, erudi eos, & curua illos à pueritia eorum. Beata enim virgo & Ioseph secum tulerunt puerũ Iesum in templum Hierusalem. Vbi iam acriter parentes veniunt obiurgandi, qui semper filias domi clausas relinquunt, vt moris est in multis locis huius nostræ Hispaniæ: & solet fieri, vt multi pertransẽãt mẽses & anni, quibus sacris nõ intersint, & sic veluti barbaræ & immanes gentes in cãpis & syluis vitã degentes procreãtur. Nã si id faciunt, vt meliùs eas obseruẽt, & custodiãt: magis sanum esset consilium si secũ eas deferrẽt, vbi semper corã oculis eas habent præsentes. Quòd si de hoc facto parẽtes velis reprehendere, respõdẽt ipsi, Hunc esse morẽ talis populi vel ciuitatis. Quòd sine risu nõ possum prætetire, qui cũ iudicãdi sint & corrigẽdi diuinis legibus & præceptis, pro suis partibus & in suũ fauorẽ humanũ morẽ & instituta adducant & quod peiùs in hac re videtur, est: quòd cũ rebus diuinis & tẽplis cultui diuino dicatis tales virgines clausæ sint, nõ tamẽ ad mundi spectacula vt aut tauros agitandos, equos currendos: & ad alia huiusmodi ire desi-
Educatio filiorum, in diuinis gratissima Deo. nunt. Quãti verò Deus habeat hãc rẽ, quãta & quã magna beneficia his parentibus inferat, qui filios sanctè, piè & religiosè instituũt, vel ex eo facilè co-
Gen. 18. gnosci potest, quòd Deus Abrahæ dixit, Scio quòd Abraham sit præcepturus filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiãt viã domini, & faciant iudicium & iustitiam: & adducat dominus propter Abrahã omnia, quæ loquutus est ad eum. Vbi diligenter est perpendendum, quãta acceperit Abrahã, & quare? Quia præceptur' erat filiis & domesticis, vt custodirent viam domini. Is enim, qui principium præbet, & initia dirigit, eorum, quæ posteà sequuntur, auctor est. Cursus verò omnia, quæ filij dereliquerint propter malã doctrinam parentũ, vel propter malũ exẽplum, posteà ab ipsis parẽtibus exigetur, eò quòd nõ erudierint nec corripuerint filios suos: Sic Heli sacerdos morte subitanea punitus est, & domus eius multis plagis, eò quòd filios suos non castigauerit. ¶ Notandum etiam est quòd quãuis 1. Reg. 4.
Christus & sanctissimi eius parẽtes rectè scirẽt impium Archelaum regnare in Iudęa pro Herode, qui simul cum regno sæuitiam & inclementiam patris hæreditauit (cuius timore perterriti, vt Mathæus, ait: non sunt ausi in Iudæam ire sed in Galilæam, & in Nazareth habitarunt) nihilominus tamẽ ea, quæ Math. 2.
ad Dei gloriam spectabant, causa timoris non desinunt adimplere: sed Hierosolymam, quæ metropolis Iudææ erat audacter peruenerunt, vbi etiã docemur pro Dei gloria vitam corporalem parui esse faciendam: honores & quæcunq; alia. Necnon etiã Math. 2.
spiritualia temporalibus esse anteponenda. Sic etiã cùm in morte Lazari Apostoli Christo dixissent, ne in Iudæam iret, quia Iudæi volebant illum interficere, non ideò eorum cõsilio acquieuit, sed abiit ad suscitandum Lazarum, ex quo facto sciebat grandem gloriam & honorem Deo euenturum, nam vt Ioan. 11.
clarè constat viso miraculo multi crediderunt. Similiter etiam cùm sciret aduersus eum congregatum esse consilium, mortem contemnens ingressus est Hierusalem, & eiecit ementes & vendentes de templo, vt gloria Dei exaltaretur. Sic etiam Paulus cùm audisset ab Agabo propheta, quòd alligandus esset in Hierusalem, cúmque discipuli rogarent, ne Math. 21.
ascenderet Hierosolymam respondit, Ego non solùm alligari sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen domini Iesu. Sed nunc cùm iam charitas adeò sit remissa, pauci sunt, qui mortis pe- Act. 21.
riculo pro Christo se velint exponere. Sed quid dico vitam exponere? necdum inimicis parcere, vel parum frigoris vel caloris sustinere: vel sitim vel famem perpeti volunt. *Secundum consuetudinem diei festi.* Præcipiebat Deus in Exodo, vt ter in anno om- *Nouitates cauenda.*
ne masculinum in templo pręsentaretur coram do- Exod. 23.
mino, & quòd tria festa celebrarent: sanctum, scilicet, diem paschatis, festum tabernaculorum, & diẽ Pentecostes. Quamuis hoc graue esset præceptum, pręsertim iis, qui longè ab Hierosolymis distabant, nihilominùs validè, vtile ac necessarium erat. Fiebat enim hoc, hac de causa, vt doctrina, & ceremoniæ, quæ ad cultum diuinum pertinebant, meliùs conseruari possent: ne quisquam pro suo libito intra priuatos parietes noua dogmata, & nouos ritus statueret. Sed vt quemadmodum omnibus non nisi vnus Deus erat cognitus, ita etiam nõ nisi vna fides, vna doctrina, & iidem ritus constarent. Quòd fieri non poterat, nisi simul conuenirent. Nam si vnaquæque ciuitas sua festa celebrasset, facilè esset, discordiam suboriri: aliis alios mores approbantibus.

Sic Paulus inquit se profecturum fuisse Hierosolymã, & contulisse euangelium cùm reliquis Apo-

Galat. 2. stolis, Ne fortè in vacuum currerem (inquit) aut cucurrissem. Locus scripturæ appositissimus est ad hanc rem comprobandam: In libro Numerorum,
Nume. 32. vbi habetur quòd venerunt filij Ruben & filij Gad, & dimidia pars de tribu Manasses in Galaad nolétes transire Iordanem eò quod peccora habebant, &c. Postquam autem terra promissionis fuit expugnata reuersi sunt in Galaad.
Iosue. 22. Hi cùm se longè abesse à templo Dei cernerent vt illuc se cóferrent, fecerunt ibi altare superbæ magnitudinis iuxta Iordanem cótra filios Israël, quod isti ægrè ferentes volebant contra eos pugnare, & consilio facto miserunt ad eos nuncios, qui facti eos reprehenderent, qui dixerunt, Cur reliquistis dominum Deű Israël ædificátes altare sacrilegum, & à cultu illius recedentes?? Quibus illi, Nos non ædificamus altare vt à vobis recedamus, sed tantùm vt seruiamus domino in testimonium nobis & vobis: non vt holocausta offeramus, sed vt omnes eundem esse populum videamus. Quo audito alij placati sunt. Ecce quàm ægrè tulerunt illi credentes hos ædificare altare sacrilegum & alienű. Si hodiè vigent hæreses, & pullulant errores vndequaque, hoc est, quia recedunt ab ipso ecclesiæ capite, qui est summus pontifex, à quo nisi recederent, haud errare possent. Similiter
Exod. 25. in Exodo dedit dominus Moysi exemplar vt ædificaret tabernaculum dicens, Inspice & fac secundum exemplar quod in monte monstratum tibi est, neque declines ab eo. Non parùm interest vt ab ecclesiæ sanctæ Romanæ cultu nec iota vnum prætereas: & subindè ne nouitates introducantur secundum cuiusque placitum. Ita Maria & Ioseph quamuis procul & remoti habitarét, Hierosolymá tendunt, vt adimpleant domini præceptum. Minùs certè distat ecclesia à domo tua, quá Nazareth ab Hierusalem, sed facis, vt sacrum domi tuæ celebretur: vbi conuiuia sunt, ludi profani, aleæ, & plurima alia, quæ in Dei cótumeliam exercentur, Deus vbique est, & vbi ius poteris illi fundere preces: sed potiùs sua dona liberaliùs largitur, spem scilicet, fidé & charitatem, & gratiá in populo Christiano, quá inter infideles, & potiùs in téplo, vbi per sacramenta gratia cófertur, quàm in domibus & in plateis. In templo enim magis adest: quia ibi frequentior
3. Reg. 9. est & liberalior. Et ita Salomoni dixit, Sanctificaui domum hanc, quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi vsque in sempiternum, & erút oculi mei ibi, &c. Potiorem imaginé habebat beata virgo filium suum, & meliùs oratorium domi suæ, quá tu: nihilominus tamé in templum abiit, vt celebraret
Nota. festum, vbi meliùs diuina officia aguntur. Vtinam summus pontifex non ita liberaliter magnatibus & eorum vxoribus facultatem faceret, vt in suis domibus sacrum possent celebrari: qui cùm nullá habeant necessitatem, nec aliqua infirmitate laborét, solùm vitij & indulgentiæ causa domi sacrum audiunt, nec toto anni tempore nec vni concioni volunt interesse: qui quidem iustissimo iudicio mererentur, vt post mortem non sepelirentur in ecclesiis, quandoquidem in vita eas odio habuerunt.
Cósuetudines bona obseruãda & corruptela extirpanda. ¶ Cæterùm in eo quòd ait hoc factum fuisse secúdum consuetudinem festi, obseruandum est, Christum sollicitum fuisse, simul & eius parétes in obseruandis piis, & sanctis cósuetudinibus. Nos verò quasi ex diametro cű Christo pugnamus, seruátes consuetudinem, & ritum tantùm in vestibus, vsuris & cótractibus illicitis. Deberemus in hac re id cósiderare, an tales consuetudines cum euangelio cóueniát, necne: quòd si non conueniant, relinquendæ essent à nobis, si verò cum ipso componátur sequendæ. Lex enim Dei debet esse regula & norma, qua quælibet consuetudo & ritus est examinãdus. Praua quippè consuetudo nó est lex, sed prauè ipsa lege abuti. Quapropter sine necessitate non debet omitti. Nunc secundum consuetudinem diei festi ascendunt Hierosolymam: vt etiam anteà secundű consuetudinem legis obtulerunt pro puero oblationes, dum eum in templo domino consecrarunt. Math. 26.
Iesus etiam secundum consuetudinem ibat in móntem oliuarum, orandi causa. Item Apostolus consuetudinem allegat mulierum, dum in ecclesiá orádi causa cóueniunt. Pilatus etiam pro libertate innocentis Iesu consuetudinem adducit Iudæorum. 1. Cor. 11. Mar. 27.
Festus etiam tribunus affert consuetudinem Romanam contra Iudæos, qui mortem apostolo moliebantur, atque ita insontem & sine culpa ab eorű insidiis liberauit. Act. 25.
Zacharias etiam secundum consuetudinem sacerdotij sorte exiit vt poneret incensum. Luc. 1.
Et ecce filius Dei seruauit consuetudiné boná sanctá, rationi consoná, piá, & honestá, quá parétes eius obseruarűt, cum sancti essent atq; deuoti: quá consuetudiné maximi fecerunt omnes ecclesiæ columnæ & doctores, quamq; miris laudibus, & encomiis omnes ecclesiæ constitutiones in cœlű efferunt, & extollunt. Lutherus hostis bonarum consuetudinum.
Hác Lutherus filius perditionis, semen adulterinum, arbor à sua natura degenerans, viperarum genimen, inimicus omnis iustitiæ, pacis perturbator, vniuersæ Christianæ reipublicæ pestis, sacræ religionis euersor, viarum domini labefactator, inuerecunda & procaci fronte ecclesiæ catholicæ Romanæ sanctas consuetudines deridet: docétque execrabiles & impios errores, imò mille mendaciis & hæresibus, & quibusdá nouitatibus rudem plebem seducit. *Consummatisque diebus cum redirent.* Cùm iam iter inciperent ab Hierusalem in Galilęam consummatis diebus ad solemnitaté festi spectantibus, quòd per spatium septem dierum durabat, iuxta illud Deuteronomij, Septé diebus comedetis absque fermento. In diuinis perseuerandum. Deut. 16.
Non desunt aliqui dicétes hoc festum durare per octo dierum spatiű: quòd verùm est, si numeremus dié illum immediatè precedétem reliquos septé, in quo immolabatur Phase Luna decimaquarta, vt in Exodo fuit præceptum. Exod. 12.
Expende tamen quòd quamuis dies festi consummati essent, nó exiit Christus de templo: quoniam & si festum transiit, eius tamé pia deuotio nó coarctabatur. O quàm ingens zelus ecclesiæ honorisq; Dei Christum consumpserat, ita vt per octo dierum spatium non saturatur, neque dies festus apud eum finem accipit. Nam qui Deum degustauit eiúsque fruitur dulcedine, illius sponsam deserere non potest Ecclesiam. Beata illa perquam deuota Magdalena à pedibus domini discedere non poterat: & quamuis Martha diceret Christo, Dic illi vt me adiuuet, non perindè discessit. Luc. 10.
Et suspiria & flamigera Dauidis desideria & præparationes cordis eius dum canebat dicens, Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum. Psalm. 83.
Sic Anna prophetissa, de qua suprà diximus, non discedebat à templo. Núc ergo eo modo festum cópletur, sed in Christo deuotio nó deficit. Similiter licèt festa finé habeát, haud finiatur in te deuotio & ardor

cœlestis

cœlestis desiderij. Beatissima etiam virgo Maria &
Ioseph non redierunt in domum suam, donec dies
festi consumerentur. Quorum exẽplo ad tuam eru-
ditionem notabis differentiam, quæ est inter bo-
nos & malos. Nam boni omnia benè perficiunt &
absoluunt, mala verò imperfectè relinquunt: quod
2.Reg.6. quidem sacrę scripturæ exemplo tibi ostendã. Nam
cum Dauid apud se statuisset arcam Dei ducere in
ciuitatem suam, cumque in itinere Oza esset per-
cussus, non ideò destitit à bono incœpto: licèt ali-
quando mansisset in domo Obededon Gethæi: sed
finem operi imponẽs duxit illam in domum suam.
Vnde ipse, qui semper sollicitus erat de voluntate
Psal.31. domini, spiritus ardore in hæc verba prorumpit, Si
dedero somnum oculis meis & palpebris meis dor-
mitationem & requiem temporibus meis: donec
inueniã locum domino, tabernaculum Deo Iacob,
Quãdo verò opus malum aggrediuntur: in medio
itinere, quacunque data occasione ab opere desi-
1.Reg.25. stunt. Quod in eodem Dauid optimè demonstrari
potest: qui cominatus Nabal Carmel, cùm viam
suam insequeretur, vt illum & omnem familiã de-
strueret, fuit illi obuiam Abigail, & compressa ira
vltionem dimisit, nec quidquam mali fecit. ¶ Id ta-
men est ingenium & conditio malorum, vt si quod
malum aggrediuntur, nunquam ab eo vsque in fi-
nem desistunt. Sic de ædificatoribus turris Baby-
Genes.11. loniæ dixit Deus. Non desistent à cogitationibus
suis, donec eas opere compleãt. Nouerat enim op-
timè humani generis conditor, hãc esse hominum
conditionem & ingenium, mala incepta nunquam
velle desinere: ideò sua mirabili potentia opus illud
destruxit. Bona autem incepta nunquam finiunt,
Exod.15. sed quocunque vento huc & illuc facilè impellun-
tur. Sic filij Israël cantantes & gaudentes iter ince-
perunt in terram promissionis: sed cùm cibi defice-
rent, manum ab aratro voluerunt retrahere, & re-
Exod.16. uerti terram Aegypti, & aduersus Mosen & Aaron
sunt loquuti. At verò beatissima virgo, vtpote quæ
exemplar debebat esse totius virtutis cum sancto
eius sponso à solennitate festi non destiterunt, quo-
Exod.36. adusq; dies festi adimplerẽtur. Iubebat enim Deus,
vt in fimbriis vestimenti summi sacerdotis appo-
nerentur glãdes puniceæ. Solùm hoc genus fructus
inter reliqua alia corona insignitur, & hac de causa
iubet Deus apponi in fine vestimenti: vnde facilè
sit intelligere coronam victoriæ, nõ dari à Deo his,
qui inceperint, sed potius his, qui vt magnanimi
& strenui milites in victoria vsque ad finem perse-
uerauerint. *Et remansit puer Iesus in Hierusalem*, Eum
quippè qui bona indolè est natus, satis est vt viam
virtutis doceas, & ostendas: ipse enim posteà velut
equus in cursu positus à recto tramite non disce-
det. Quodquidem ostẽditur in puero Iesu, qui cùm
ductus esset in templum vt solennitati festi ades-
set, nõ solùm diebus, quibus festum celebratur, sed
etiam posteà ibi mansit? In quo nulla prorsus est
parentum negligentia: nec sanæ mentis erit qui ta-
lis suspicionis eos arguat. Fuit enim hoc factum
diuino consilio & prouidentia. Primò vt sapien-
tiam suam in gloriam & honorem æterni patris
manifestaret. Nam ipse dixit, Qui misit me, mecum
est: & non reliquit me solùm: quia quæ placita sunt
Ioan.8. ei facio semper. Item etiam vt zelum suum erga pa-
tris honorem ostenderet ab infantia & pueritia: de
quo ipse gloriatur, cùm inquit, Zelus domus tuæ
Ioan.2. comedit me, Denique vt omnibus, maximè pueris
exemplum daret assistẽdi templo & diuinis rebus:
vt illud sapientis recordarentur. Memento creato- Eccle.12.
ris tui in diebus iuuentutis tuæ antequam tene-
brescat, &c. ¶ Docemur etiam ne diuinis donis & *Dona Dei*
gratiis freti nimis confidamus, neque in vtramuis *quãto maio-*
aurem dormiamus securi. Nam quantò quis ma- *ra, tanto ma-*
ioribus donis est præditus, tantò altiùs & profun- *gis custodiẽ-*
diùs debet vigilare ne sibi rapiãtur. Cura & humi- *da.*
litate opus est: Nam qui stat (vt diuus monet Pau-
lus) videat ne cadat. Et alibi, Tu fide stas: noli altum 1.Cor.10.
sapere, sed time. Sapiẽs etiã, Beatus homo qui sem- Rom.11.
per est prouidus. Nemini mortaliũ in hac vita aut Prouer.28.
copiosiores dotes contigerunt, quàm virgini ma-
tri: cui cùm vnigenitum Dei filiũ illi dedisset æter-
nus pater & ipsius matrem antè sæcula statuisset
nunc illum amittit, quẽ cogitur mœrore plena in-
quirere, & tandem post tertium diem illum inue-
nit. Sic est adeò facilis iactura donorũ Dei, vbi ni-
mia securitas animum tenet: quamuis sanctissimæ
matri non id negligẽtiæ debeat verti. Nostra enim
causa id factum fuisse cẽsendum est, vt semper sol-
liciti simus in conseruandis dotibus nobis diuini-
tùs concessis. Etenim si Maria filium sibi à Deo da-
tũ amittere potuit: quid est quòd tu non possis do-
tes aliquando à Deo datas perdere? Quòd tamẽ hîc
puto esse dicẽdum id scilicet est, Christum pro ali-
quo tẽporis spatio à veneratione actuali matris dis-
cessisse: vt nos maiorẽ adhiberemus diligentiam &
solertiam in seruandis donis, quæ nobis à Deo cõ-
tigerunt. Adeóq; donum hoc eximium est, & pro-
pè diuinum peculiare Dei beneficium erga nos, vt
ab eo cognomen sibi sumpserit Deus: ideóq; spiri- Ioan.15.
tus sanctus paracletus cognominatus est, hoc est
animarum consolator. ¶ Perpende vlteriùs quòd
omne quodcunque Deus operatur illud est ad ho-
minis commodum & vtilitatem. Et sicut plerumq;
in retribuendis donis munificentissimus est, irà &
piissimus est dum denegat quod aliàs nociuum foret
homini. Vtrunq; animo æquo ferebat sanctissimus
Iob, Vnde pro omnibus gratias agebat, dicens, Do- Iob.1.
minus dedit, dominus abstulit, sicut domino pla- A
cuit ita factũ est, sit nomen domini benedictum. Tã
tenebatur domino, quã si dimitteretur onustus, hoc
est tanti faciebat dominus abstulit, quàm dominus
dedit. Ita sponsus se spõsæ donabat dum ei dicebat,
Aperi mihi soror mea, tandémque abiens ab ea di- Cant.5.
scessit sponsus, vt sedulò quærat illum, eiúsque fla-
gret amore, vt postquam eum inuenerit magis cõ-
gaudeat. Non est enim gaudium sub cœlo quod æque-
tur huic, vtpotè inuenire Deũ, postquã à nobis se-
mel discessit. Ideóq; virgo prudẽtissima ingẽti gau-
dio perfusa est dum Christũ inter doctores inuenit.
¶ Expende quoq; quòd se abscõdit Deus à matre,
manens cũ ea: neq; latet dum fugit, neque fugit dũ
perdit eũ. Mansit cũ ea semper cuius gratiã nunquã
amisit: neque fecit quicquam, quo illam perdere
mereretur. Mulier illa quæ drachmam perditam Luc.15.
quærebat, forsan secum gerebat illam & non vide-
bat vel saltem domi eam habebat. Virgo mater in-
uenit quod non perdidit: latet ei quem nunquam
gestare desiit. Quòd si tam amarè flebat virgo quę-
rens quod non amisit, & requirẽs quem secum ge-
rebat: quem tu dolorem deberes habere dum per-
dis illum qui tecum nõ manet? Quàm sedulò opor-
tueret te illum quærere qui fugit à te, quàm enixè
quærebat illa quem ille dimisit nunquam. Quære
igitur Deum diligenter, & cum dolore valido, in- Esa.55.
uoca

Aliter pios reliquit Deus aliter impios.

uoca cùm propè est. ¶ Obserua autem diligenter, quòd filius à matre discedit, & postea à doctoribus. Sed multò differentiùs: nam à matre discedebat per paruum tempus, clã & sine matris culpa: vt maiùs desiderium & feruentiùs in matre exardesceret. A Iudæis verò & scribis palàm discedebat eorum culpa: quia tantúmodò illũ suspensi admirabantur, nihil altiùs nec excellentiùs de ipso cogitãtes: cùm tamẽ ex his, quæ Christus loquebatur & faciebat, satis illum cognoscere potuissent. Idem etiam nunc bonis & malis solet contingere: nam multoties Dei præsentiam viri sancti desiderant, & multis lachrymis & suspiriis expostulãt, vt ait propheta sanctus, *Psal. 29.* Auertisti faciem tuam à me, & factus sum cõturbatus. *Psalm 16.* Et iterũ inquit, Ad te clamaui, & exaudisti me. *Genes 19.* Sic similiter per breue tẽporis spatium deseruit Ioseph, Iob, & Tobiã: *Iob. 1. Tob. 2. 2. Par. 12.* sed mox tanto gloriosius rediit cum eorum consolatione. Hoc enim semper electi experti sunt, *Deut 31.* Improbis autem dicit Deus, *Psal. 80.* Vos reliquistis me, & ego reliqui vos, Et iterum, Abscondã faciem meam ab eis, & cõsiderabo nouissima eorũ, Item, Non audiuit populus meus vocem meam: & dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Hos reliquit in æternum: bonos autem ad tempus. Væ illis, quos Deus in perpetuum derelinquit. Vehementer ab illo expostula, & si opus fuerit lachrymarum fontem effunde: ne sua misericordiæ manu te dimittat. Sic discessit à virgine matre, vt eius amorem & desiderium magis ac magis incenderet. Videris mihi domine quasi velis iocari cum tua sanctissima matre: & fortè eius voluisti amorem examinare, vel dolorem, quem de tua absentia habuit curiosè tentare. Habet mi domine colũba tua satis probatum suum erga te animum: quamque feruenter amet te, tibi non latet. Ita se solet gerere Deus cum amicis suis magnis & deuotis, cósq; tẽtare solet, an firmiter illum diligant. Ideò dominus *Ierem. 2.* per Ieremiam: Recordatus sui tui, miserans adolescentiam tuam & charitatẽ dispensationis tuæ, quãdo sequuta es me in deserto, in terra quę non seminatur. Tentat suos Deus sterilitate deserti, vt videat si hac via in suo obsequio perseuerent.

Christus clàm in prosperis, quàm aduersis amittitur.

¶ Aduerte etiam quòd nunquàm beata virgo Christũ amisit cùm à persecutione Herodis fugeret in Aegyptum, *Math. 2.* nec ibi existens, aut rediens: sed in festo & maxima solẽnitate. In quo facilè innuitur quàm mala sit nobis mundi fœlicitas & affluentia, quandoquidem in ea potiùs quàm in persequutionibus & tribulationibus Christus amittitur. Adam cùm in paradiso terreno esset, magnis honoribus cõstitutus, omnium rerum dominus, Deo dilectus, quem angeli in magno precio habebant, quẽ dæmones timebãt, & omnes creaturæ venerabãtur, his omnibus immunitatibus & priuilegiis præditus & grauissimè in dominum Deum suum peccauit. *Genes. 3.* Econtrà verò patiẽtissimus Iob multoties sibi data ansa & occasione, vt inter tot tantásq; tentationes & afflictiones dominũ Deũ suum offenderet, maluit viriliter pugnare, taliter, vt scriptura dicat, In omnibus his *Iob. 2.* non peccauit Iob. Quis obsecro magis rectus fuit Dauid, an Salomõ? Certũ est quòd Dauid sanctior fuit: quandoquidem quòd Christo gaudeat, & eius beatitudine fruatur, nemo est qui ambigat. De Salomone autem nobis nõ constat, an damnatus fuerit, an saluus. Omnis enim sanctissimi regis Dauid vita non nisi multis laboribus, persecutionibus, & calamitatibus, constitit. Nam in exilium abiit, famen & sitim fuit passus, adeò vt cogeretur à Nabal *1. Reg. 25.* & à sacerdote Abimelech panẽ mendicare. Postea verò quum iam in regem electus esset omnis vita *1. Reg. 21.* multis lachrymis & mœrore fuit mixta. Fecit enim planctum propter Amon, & Absalon qui filij eius: *2. Reg. 13. 2. Reg. 8.* grauissimas iniurias ipsi intulerunt, nam vnus vim *3. Reg. 1.* intulit sorori: alter fratrem suum occidit. Adonias *2. Reg. 16.* regnum volebat vsurpare: Absalõ bellum gessit ad- *2. Reg. 20.* uersus eũ, & è domo eiecit: *2. Reg. 24.* Semel illi maledixit & contra eum insurrexit: & deniq; super omnia hæc Deus immittit illi pestẽ & flagella grauissima. Ecõtrà verò Salomon fœliciter & prosperè regnauit, deliciis nutritus, & recta valetudine fuit potitus, nemo illi fuit molestus, omnes seruiebãt illi cũ gaudio, vixit fœlicissimus & gloriosus, à nemine fuit persequutus: nunquã labores, ærũnas, aut calamitates fuit passus. *3. Reg. 8. & 9.* Diuitiis abũdauit, cõcubinis, hortos amœnissimos, campos & syluas habuit: domos eburneis laquearibus & zaphiro constructas. Aspice igitur quã inimica sit prosperitas & fœlicitas ipsi animæ: nam cùm Salomon sapientissimus atque amicus Dei esset, adeò est hæc prosperitas tã atrox & fera bestia, vt nulla sapientia posset seipsum liberare, quin in grauissima peccata & flagitia non laberetur: ita vt multi credant (quæ probabilior est opinio) in infernum descendisse. Quemadmodum labores & afflictiones salutem Dauid promouerũt: ita fœlicitas in magnum constituit discrimen filiũ eius Salomonem. In quo clarè videbis quomodo Deus magis offenditur in mundi gloria & prosperitate, quã in vilitate & contemptu. Quòd si Ethnicorũ liceat exempla in medium afferre, vt etiã illis hæc veritas magis confirmetur, aspice magnum illum Alexandrũ, qui cũ excellenti virtute esset præditus, postquã in tantorũ regnorũ principem fuit electus, adeò superbus, crudelis, & vitiosus fuit factus. Quippè qui Permenidem amicũ suũ occidit, Pilotam, & venerandum senem Clitum patri suo multis de causis amicissimũ, simul etiã condiscipulum suum Calisthenẽ, Athalum, Eupilochũ, Pausaniam, multósq; alios Macedoniæ principes excellẽtes: quorum malorum causa fuit, quia cultum Deo debitum ipsi tribuere noluerũt. Quam ob causam Paulus Orosius eum appellat magnum miseriarũ gurgitem, & totius Orientis atrocissimum turbinem. Vbi maximè deberemus mirari, quemadmodum rerum affluentia, status, altitudo, imperium, & sceptrum excellentissimum principem in id adduxerũt, vt grauissima crimina perpetraret. Nulla qui dẽ collatione magnates & principes tot tantisq; diuitiis circumuallati, in deliciis, & voluptatibus vitã degẽtes grauiùs Deũ offendunt quã pauperculi & miseri, qui in sudore vultus sui panẽ quæritant. Magis Deus inhonoratur diebus festis & feriatis, in quibus de nihilo agitur: quã de ociositate, quæ sanctis exercitiis inimica est de ludo, de cantu, de cibis, & Bacchanaliis, quę omnia animæ pestes sunt, & nouercæ virtutũ: quã in aliis diebus, in quibus vnúsquisq; suo se applicat exercitio. Ideò nõ vacat mysterio, qđ Christus in hac festiuitate amittatur, vbi oẽs gaudebant, lætabantur, & in cõuiuiis cibo potóq; se ingurgitabãt. Vnde intelligas quòd similibus temporibus homines soleãt ipsum amittere.

Parẽtes quomodo & quãdo negligi possint.

¶ Remãsit itaq; Iesus sine parentũ licentia, quibus nihil voluit dicere, sicut Sãson noluit patri nec patri dicere, se sumpsisse mel de ore leonis. *Iudi. 14.* Sed dubiũ statim hìc insurgit. Quare non à matre licentiam

petierit,

petierit, vt ſic remanere poſſet? Nónne hoc meliùs
Exod. 20. eſſet: quàm diſcedere, nihil eis dicens? Si ipſe eſt qui parẽtes præcipit venerari: quid eſt quod tanti mœroris fuerit cauſa ſanctiſſimæ matri, & ſponſo Ioſeph, cum vnico verbo poſſet huic triſtitiæ ſatisfacere? Hoc Chriſtus fecit, vt nobis inſinuaret ea quę ad ſalutem noſtræ animæ pertinẽt, & quæ ſpiritualia ſunt, temporalibus eſſe anteponẽda. Non petiit licentiam, quia ad ea, quæ ſunt Dei non opus eſt illam expreſsè poſtulare. Nam ſi velis monachatũ adire, nõ eſt opus, vt priùs parentes cõſulas. Atque ita poſteà dixit illis Chriſtus, Neſciebatis quòd in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe. Lege de hac re Hieronymũ ſcribentem ad Heliodorum: cuius epiſtolæ aliqua verba libet referre Licet paruulus (ait ille Heliodoro) ex collo pendeat nepos, licèt ſparſo crine & ſciſſis veſtibus vbera quibus te nutrierat mater oſtendat: licèt in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillũ crucis euola. Solũ pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. Veniet, veniet poſteà dies, quo victor reuertaris in patriam: quo Hieroſolymam cœleſtem vir fortis coronatus incedas. Tunc municipium cũ Paulò capies: tunc & parẽtibus tuis eiuſdem ciuitatis ius petes: tũc & pro me rogabis, qui te vt vinceres incitaui. Hæc Hieronymus, Vbi veniunt parentes illi taxandi, qui de filijs conqueruntur, eò quòd facultatem non expoſtulauerint, vt religionẽ ingrediantur. Nam ipſi parentes ſunt corporis, nõ animæ: qui contemni, & reiici debent, ſi contradixerint noſtræ animæ vtilibus, & conuenientibus: ſecundum illud redemptoris. Qui nõ odit patrem ſuum, & matrem ſuam propter me non eſt me dignus. Nam in tali caſu crudelitate vti, eſt miſericordiam exercere. Sic olim Moſes loquens cũ domino dixit, Qui dixit patri ſuo & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis ignoro illos: & neſcierunt filios ſuos: hi cuſtodierunt eloquiũ tuũ, & pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Iſraël. Sic igitur dominus remanſit in Hieruſalẽ. *Et non cognouerunt parentes eius.* Nam ſi cognouiſſent, nõ vtiq; amiſiſſent. Multi etiã nunc amittunt Chriſtũ qui cùm non cognoſcant bonũ, ex ignorantia peccant. Vnde Eſaias, Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Omnis nãque malus eſt ignorans: non quia omne peccatũ ex ignorantia procedat (nã multa ſunt, quæ vel ex malitia, vel fragilitate proueniant) ſed quia omnis qui peccat ignorat principia practica. Nam quando quis ex malitia delinquit, id prouenit, quia nouit principia ſpeculatiua. Vt qui ſcit vſuram eſſe peccatum, dans ad vſuram peccat ex malitia, & nõ ex ignorãtia principij ſpeculatiui. Nihilominus tamen peccat ex ignorantia, quæ ibi inuoluitur: quia licèt non ignoret vſuram eſſe peccatum, ignorat tamen quanta ſit pœna illius peccati: & denique ignorat quanto & quàm ineffabilis ſit bonitas Dei, & quàm grauiter ipſe offendatur. Vnde Chriſtus, Hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me. Sola enim conſideratio tantæ malitiæ, & abominationis, quæ in ipſo peccato includitur ſatis deberet eſſe, vt vniuerſi homines peccatum odiret, & tanquam pernicioſam peſtem deteſtarentur. Sed cùm iam peccatores in id malum peruenerint, vt obcæcati ſint, & mentis oculis careant, audent peccata committere cum hæc illius ignorantia. In cuius conſiderationem tu quiſquis es, qui Deum audes offendere, fac illud quod Angelus Raphaël conſuluit Tobiæ, Exentera (inquit) piſcem, & tolle fel: bonum enim eſt ad viſum. Sic tu exentera peccatum, vt videre poſſis ipſius amaritudinẽ, quo facto expelles ignorãtiã, & oculos aperies, & videbis quanta ſit peccati malitia & fœditas. Sola hæc cognitio ſatis eſſet, vt nemo auderet ita ſe præcipitem in peccatum dare. Fuit enim quidam doctor Theologus qui dixit, quòd ſolùm manifeſtatis & apertis circunſtantiis quæ in peccato mortali ſunt, confirmauit Deus apoſtolos, vt nõ poſſent in peccatum labi. Et quanquam hæc non videatur mihi ſufficiens cauſã & ratio, quare apoſtoli fuerint cõfirmati: ſed tamen ſola animaduerſio malitiæ, peccati & pœnæ, quàm ſecum annexam affert, magna quidem eſt pars, vt homo ſe auertat à peccato, & quia magna eſt negligentia huius conſiderationis, ſolet fieri, vt omnes peccent ignorantes principia practica. Et quia ipſe Chriſtus volebat docere, ſe ab hominibus amitti ignorantiæ cauſa, voluit manere in Hieruſalem, & quòd parentes ſuos lateret. Nam certum eſt neminẽ Deum amittere niſi qui eius cognitione & grauitate peccati & inferni pœnis caret. Gloriantur homines & ſtudent honoribus acquirendis, atque diuitiis, & in mundanarum rerum ſapientia altas agunt radices: in eis verò quæ ad cultum, & honorem Dei ſpectãt hebetes & inepti reddũtur. Similes valdè ſunt talpis, quæ ſubtus terram viã aperiunt, in media verò luce cæci & obtenebrati ambulant. Heli adeò cæcitate laborabat: vt nec lucernã poſſet videre, donec extincta erat. Ita hi, qui terrenarum rerum ſapientiam atque cæcitatem mundi induerant: & diuinarum ignorantes Deum amittunt, & eum in Hieruſalem relinquunt: quia neſciunt, nec intelligunt, nec cognoſcunt. Sed iam ad hiſtoriam reuertamur. *Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu venerunt iter diei.* Mos erat filiis Iſrael (& vtinam apud nos etiam eſſet) in diebus feſtis euntes Hieruſalem, vel ab ea redeuntes, differentibus viis homines & mulieres tenderent: idque fiebat honeſtatis cauſa. Infantes autem, & pueri indifferenter vtrumque parentem poterãt comitari: & hoc fuit in cauſa, vt ſanctus Ioſeph exiſtimaret puerum Ieſum cum matre abiiſſe: necnon etiam beatiſſimam virginem contraria ſuſpicio fefellit, & ſic ambo ab Hieruſalem receſſerunt in Nazareth toto die ambulantes, putantes puerum ſimul aduenire. Cúmque in fine diei vterque aduerteret cùm neutro puerum venire, anguſtia & mœrore confecti quærebant illum.

¶ Vbi doctrina tibi proponitur maximè tuæ animæ neceſſaria: ita vt non ſis contentus, quòd Chriſtus cum alio ſit, niſi tecum etiam habitet. Nec ea negligentia capiaris, vt exiſtimes ſatis eſſe cum alio tendere, ſi etiam tecum non abeat. Gloriantur quippè multi & ſe iactant, principes & patronos ſuæ religionis ſanctiſſimos fuiſſe, & in viis domini directè ambulaſſe. Sed quid tibi proderit eos ſanctè & integrè vitã degiſſe, & cum Deo ambulaſſe: niſi tu eorum veſtigia ſequaris, & Deum tecum duxeris? Diligenter Deum debes inquirere, & talia operari, vt ipſe non dedignetur tecum ſimul abire: & tua familiaritate gaudere. Nam ſi ea fiducia ſolùm es contentus, vt cùm aliis abeat, & negligens fueris in inquiſitione illius: quando huius vitæ iam finis aduenerit, & hac communi luce fueris priuatus eo amiſſo, ſi illum quæſieris,

Margin notes: *Epi. 1. de vita erem. quãto tempore.* — *Luc. 9.* — *Deut. 33.* — *Ignorãtia ex cauſat aliquãdo à peccato, aliquãdo nõ* — *Eſaiæ 5.* — *Ioan. 16.* — *Tob. 6.* — *1. Reg. 3.* — *Non tam curandum vtrũ cum alio ſit Chriſtus modo nobiſcum habitet.*

tis, non inuenies. Sed iam videndum est, postquam illum amiserunt, quid fecerint. *Et requirebant eum inter cognatos & notos.* Et inter hos non inuenerunt eũ. Vt intelligatur quòd nec caro, nec sanguis potuerunt illum inuenire. Verùm si Christus non inuenitur inter cognatos & notos, quid est quod plerique religiosam vitam professi, postquam parentes suos cognatos & mũdum propter Deum reliquerint: cœnobiis suis relictis inter cognatos & notos in sæculo vagari conspiciuntur? Si Christus non est inuentus inter cognatos & notos: qui fieri potest, vt inter cognatos & notos tu illum reperias? His enim, qui sanctam vitam & castam sunt professi, di-
Math. 5. xit Christus. Vos estis sal terræ. Sal extracta maris aqua & cógelata solis calore fit: ita monachi & re-
Similitud. ligiosi, qui ab hoc mũdo, tempestuoso mari erepti sunt, orationis calore, & radiis contemplationis percussi in salem conuertuntur. At verò si acceperis salẽ, & eum in mare proieceris dissoluetur totus & in aquam conuertetur. Ita monachus, qui postquàm religionis habitum induit, & in monasterio iam factus sal, iterum in mũdum egreditur, & cum sæcularibus conuersatur, sæcularis iterum conuertitur & mundanus fit, vt erat anteà. Et quanquam exteriori veste induatur, quæ illum monachum & religiosum repræsentat, nihilominus ipse peior effectus est omnibus sęcularibus: quandoquidẽ religionis fuco & sanctitatis specie sua vitia tegit, & dissimulat. Itaque tu, qui sanctã religionẽ es ingressus, non Christum quæras inter cognatos: sed in secreto monasterij tui cubili, lachrymis, oratione, ieiunio, & disciplina.

¶ Notabis autem, quòd quamuis beata virgo rectè sciret, Iesum nequaquã posse amitti: quia priùs sua prædicatione & miraculis oportebat, vt mũdo manifestaretur, & quòd mortem acerbissimam patiẽs humanum genus debebat redimere: nihilominus tamen cùm hæc omnia rectè nosset, quantum ipsa potuit, effecit, vt illum inueniret. Quoquidem egregium documentum nobis ob oculos ponitur, vt quamuis sciamus Deum nos adiuuaturum, nihilominus quantũ vires nostrę valuerint, conemur eũ reperire. Cuius rei exemplum sacra pagina nobis subministrat. Nam cũ Iacob certo certiùs habe-
Genes. 21. ret Deum esse cum illo, & fratrem suum futurũ esse superiorẽ. Et sciebat etiã quod Deus arguerat Laban, & quòd præcepit ne asperè ei loqueretur, ni-
Genes. 32. hilominus tamen facit quod in se est, & mittit munera Esau, vt illum placaret, & inueniret gratiã co-
1. Reg. 27. rã oculis eius, Hæc dicetis domino meo Esau &c. Dauid quoque certò sciens se regnaturum post Saulẽ, & quòd dominus ei auxiliabatur, nihilominus fugiebat à facie eius & abscondebatur, & abiit ad Achis regem Geth, &c. *Et non inuenientes regressi sunt in Hierusalem requirentes eum.* Quod igitur nunc piis lachrymis & deuota mente est considerandum scilicet, quibus doloribus & tormẽtis, cor virginis fuerit sauciatum his tribus diebus, quibus absentia sui amãtissimi filij fuit passa. Quas lachrymas, quæ suspiria, quos gemitus emisit, quando oculos in filium conuertit, & eum non vidit. Iam hîc sacratissima virgo incipiebat crudelissimos & acerbissimos dolores experiri, quos in eius morte erat passura: de quibus Simeon iã anteà prophetauerat dicens, Tuã ipsius animã doloris gladius pertrãsibit. Nesciebat quid ageret sanctissima mater angustiis & doloribus circundata, cum thesaurum illum, sa-

Dolor D. Virg. de perdito filio extremus.

pientiam æterni patris, quem Deus in custodiam illi dederat, amisisset. Quocirca gemitibus & vocibus magnis potuit illa verba referre, quæ Ruben dixit, Puer non comparet, & ego quo ibo? Quòd si
Ruben tam dirè flebat, videns quòd Ioseph nõ in- *Genes. 37.*
ueniretur: quos putas lachrymarum riuulos beatissima virgo pro vnigenito filio fudit, dũ illum, quẽ vnicè diligebat, oculis nõ videbat suis? Sapiens ait,
in Prouerbiis, quòd filius sapiens lætificat patrẽ, fi- *Prou. 10.*
lius verò stultus mœstitia est matri suæ. Ita omne gaudium, omnẽmque lętitiã quã beatissima virgo de filio habuit vnicus hic dolor omnia excessit. Si tãtum doluit Dauid, fleuítque seriò mortem fidelis
sui verique amici Ionathæ: quid putas virgo mater *2. Reg. 1.*
sensit, dum tantò solatio priuatam se vidit? Egrè satis tulit mater iunioris Tobiæ videns quod moras faceret filius, & diem statutum approximare, flebat
Anna lachrymis irremediabilibus dicens, Heu me *Tob. 10.*
fili mi, vt quid te misimus peregrinari: lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spes senectutis nostræ. Si egestatem doloremque patiebamur, tua præsentia omnia sustinebamus. O nate, lumen & solatiũ nostrum, posteritatis nostrę: omnia simul in te vno habẽtes, te nõ debuimus dimittere à nobis! Et nullo modo poterat consolari. Cui vir suus dixit, Noli flere, sanus est filius tu⁹. Quis dubitat quin sanctus Ioseph consolaretur virginem: at illa consolari non poterat veluti mater Tobiæ, sed circunspiciebat, & circumibat vias. Nolite detinere me, quia dies cõpu-
to, &c. Putabat sanctissima mater filiũ amisisse, eò *Genes. 37.*
fortè, quia ipsa (non vt par erat filio Dei vnigenito) debitũ obsequium & ministerium præstitisset. Quapropter posteà illi dixit, Quid fecisti nobis sic? hoc est: quæ causa fuit vt nos omitteres: Dic mihi, quid peccaui? aut in quo aduersus te delinqui vt posteà me corrigam? Vbi beatissimę virginis humilitatem debes admirari, quòd cùm eius obsequium & seruitium magis Deo placeret, quàm cuiuscunque alterius supremi angeli: nihilominus tamẽ ipsa anceps & dubia manet, non intelligens an fortè aliquid fecisset, quo Christi oculis displiceret. Tu verè qui quotidie in mille defectus & peccata incidis contentus & lętus viuis, existimans tuis factis Deũ amicum & propicium habere. Ex quo loco disces semper cautum in hac vita oportere viuere. Tantum abest, vt securus & cõtentus viuas. Vide etiam quibus doloribus & angustiis dilectissima mater afflicta sit: Solet enim Deus frequẽter & amicis suis labores & afflictiones immittere, quanti sit valoris eorum virtus cognosci possit: Nam qui pondus aliquod auri vel argenti solet appendere, vt clariùs cognoscat, quantas habeat drachmas aurum illud, solet transmutare aurum in stateram vbi perpẽdicula erant, & econtrà perpendicula, vbi aurum. Ita
similiter contigit Deo cum patientissimo Iob, qui *Iob. 1.*
dedit illi abundãtes diuitias rectam corporis valetudinem, & multos filios, & constituit illum stateram totius humanæ fœlicitatis. Et quãquam multi qui in hac statera collocantur, solent deficere à vera ponderis mensura, quemadmodum Pharao, Saul, Salomon, Aman, & alij multi, tamen sancti patriarchæ Iob, pondus stetit magni valoris: quia omnibus his bonis nunquam superbiit. At verò vt rectiùs & exactiùs examinaretur, transtulit illum dominus in staterem tribulationũ & laborũ, vbi fidelis seruus fuit inuictus. Quocirca de eo scri-

Iob.1. ptura inquit, In omnibus his non peccauit Iob, nec stultum quid contra dominum loquutus est: sed potius Deum laudabat & glorificabat, dicens, Dominus dedit, dominus abstulit, &c. Sic beatissimam virginem, post tanta dona concessa, post honores, & gloriam, quam possidebat, cùm haberet Christũ filium suum, in statera tribulationis illam constituit: vt virtus eius atque patientia cognosceretur, & vt ipsa filij absentiam sentiret, quæ eius præsen-
Hebr.12. tia semper alacris fuerat. Quos enim diligit corrigit, vt eorum virtus magis elucescat. Vt nos non tristemur quando aduersæ nobis aduenerint: quandoquidem sanctissimam matrem ab his non liberauit, vtpote moris illius est, dilectos & amicos suos his nunciis salutare: quod quidem indicium est summi amoris Dei erga illos.

Perdit' christus quomodo rursum inueniatur. ¶ Ad tuam hîc eruditionem debes animaduertere, quòd si Christũ amisisti, & vis illum inuenire, per eandem viam debes retrò vertere. Virgo nanque beatissima & sanctus Ioseph sic facientes, meruerunt eum inuenire. Sic tu cùm à Deo te auerteris, & illum per peccatum perdideris: nihil est salubriùs, quàm si eandem viam ambulaueris pœnitentiam agens, dolore & lachrymis eam irrigãdo. Ideò
Ephe.4. præclarè Paulus, Deponẽtes vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem secundum spiritum mentis vestræ: & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mẽdacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Et paulo post, Qui furabatur iam nõ furetur. Quasi dicat Paulus, Sinite istos antiquos mores, deponite iam veteris hominis malitiam: & qui auarus erat, iam posthac liberalitatem exerceat, libidini vacans, iam castus sit, & puram mentem Deo conseruet, qui inuidiam sectabatur, iam inde charitatẽ induat. Superbus & lau-
4.Reg.20. dis cupidus, iam humiliter & abiectè de se sentiat.
Esa.37. Nam cum rex Ezechias morte esset damnatus, in se conuersus deplorauit: quo meruit audire. Non morieris. Solet enim dominus sententiam mutare, si tu mutaueris delictum. Si in risu & gaudio Deum amisisti, reuertere, & in planctu & fletu illum inuenies. Si escis & cibis superfluis Deum offendisti sobrietate & ieiunio illum placabis. Est enim axioma
Ioan.3. medicorum famosum: Contraria cõtrariis esse curanda, Sic Niniuitæ facientes, Deum in suã gratiam
Esa.55. conciliauerunt. Quapropter dominus per Esaiã inquit, Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad dominum. *Et factum est, post triduum inuenerunt illum.* Cõsumatis die-
Mysterium tridui. bus paschæ vna die venerunt parentes Christi, qui fuit prima dierum trium, sequenti vero die quæsierunt illum inter cognatos & notos, tertia verò die reuersi sunt per eandem viam, qua in Hierusalem venerunt: die verò sequenti, quarta scilicet, eum inuenerunt. Probè satis diligentérque numerat sanctus euangelista dies quibus Christus absens fuit: at diligentiùs multo computabat mater. Quam rectè iustus enumerat dies quibus ab eo Deus discessit, & dies laborum quàm diligẽter supputat: quósque dies etiam Deus enumerat, neque patitur suos plusquam triduo in labore esse, & eius absentiam sustinere. Ità piissimus dominus dixit, Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. Nõ
Mar.8. patitur Deus vt illum plusquam triduo spectes. Ob idque noluit in sepulchro iacere plusquam triduo: cuius ingens pietas non tulit discipulos suos multum tristari propter necem absentiámque suam. Quibus omnibus manifestat amorẽ suum & quantam curã gerat & sollicitudinem adhibeat nostris sauendis necessitudinibus. Oportuerat quidẽ nos erubescere & multum confundi, si profundè expenderemus, quàm parum sit quòd pro Dei amore operis exhibemus, & dicam omnino nihil & quàm remissè illum expectamus, & nimiũ quòd ipse Deus sustinet nos. Non enim iam patiebantur viscera piissimi Iesu, beatissimæ virginis angustias & dolores longius protendi, ne acerrimi doloris cruciatu tabescens amplius cruciaretur. Nec voluit statim inueniri: quia maius gaudium adferunt illa, quæ cariùs emuntur. Ita Deus sæpe internas animi consolationes aufert amicis, atque electis suis: nõ quia malum illis vult, sed vt eorum virtutem examinet, acuat, & confirmet. Qui cum sciat in nobis nõ esse solidam stabilem atque firmam virtutem non per multum temporis nos deserit nec à nobis abest, sed statim nobiscum adest. Vix explicari vllo pacto potest ingens illud virginis gaudium, quando suum filiũ suis oculis præsentẽ aspexit. Taceat gaudium *Mat.2.*
illud, quo reges illi Magi fuerunt perfusi, quando stellam amissam inter reliquas cæli viderunt apparere: etiam si euãgelista dicat, quòd gauisi sunt gaudio magno valdè. Sileat etiam gaudium illud, quod habuit mulier, quæ dragmam perdiderat, illa iam inuenta. Taceat etiam lætitiam suam & alacritatem *Luc.15.*
pater ille, qui filium prodigũ iam amissum, brachiis extensis in sinum suum recepit. Nam omnium ho- *Ioan.10.*
rum lætitia nullo modo cum ea quam beatissima *Luc.15.*
virgo habuit venit comparanda. Ibi sanctissimæ matris lachrymæ doloris & lætitiæ, se inuicem obuiarunt. Recordabatur ibi transacti doloris, quia illũ amiserat, & lachrymas proferebat gaudij, præsentem illum intuens. Ex quo elicies non esse perpetuam tristitiam seruorum Dei: nam etiã si labores & ærumnas hîc patiantur, posteà spiritus consolationes & gaudia immittit. Ita se habuit cum Iacob, Ioseph, Dauide, & Helia, quos tandem mille gaudiorum generibus visitauit, ita vt meritò dicere potuerint, Secũdum multitudinem dolorum meo- *Psal.93.*
rum cõsolationes tuæ lætificarunt animam meam. Finem habent labores bonorum, labores autem malorum & ærumnæ timendæ sunt: quia perpetuæ sunt, & fine carentes. Sic sanctorum Machabæo- *2.Mach.7.*
rum frater minor tyranno dixit, Fratres mei modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu verò iudicio Dei iustas superbiæ tuæ pœnas exolues. Illas ergo æternas pœnas fuge, non has, quæ parum durant: quæ fœlicem finem & gaudium sortiuntur.

Tristitia & afflictio piorũ momẽtanea.

¶ Disce etiam ex hoc loco, ne animi deliquium patiaris: si aliquando dominus aufugerit, aut oculorum tuorum aciem præterierit (volo enim dicere, quando à te sustulerit internam hanc animi consolationem) quandoquidem sanctissima virgo ea caruit, omni culpa vacans, sola diuina voluntate atque dispensatione. Disce etiam te commendare in manus & voluntatem istius domini, quando eius consolationem amiseris, paratus ferre martyrium huius absentiæ, per omne tempus quod ipse voluerit: nihilominus firmus & stabilis esto, nec ab illo discedas: sed potiùs toto hoc tempore cum magna cura & diligentia debes incedere, inquirens quod

perdidisti. Quemadmodū beata virgo quæ per aliquod tempus caruit hoc tāto thesauro in nostrum solatium, posteà verò quæsiuit, vt nobis relinqueret exemplum, & denique illū inuenit, vt animum nostrū ad simile opus corroboraret. Et hac de causa has absentias dominus facit, vt nobis materiam exhibeat: qua in tantis virtutibus nos possimus exercere. Abit, vt nos humiliet: venit, vt nos consoletur: moram facit vt virtutis nostræ periculum faciat. Nam si trium dierum spatio tristes illum quæsierunt: bene posteà nō sine magno fœnore rependit quandoquidem tantum gaudium illis attulit, cum eum inuenerunt inter doctores acutè disserētem magno omnium adstantiū applausu. Tantam enim consolationem Deus nobis tribuit, quantus fuit labor, quem pro ipso sumus perpessi. Nam si in

Ioan. 2. Cana Galilææ quemadmodum erant sex hydriæ aqua plenæ, centum fuissent: omnes proculdubio posset in vinū conuertere. Ita vt persuasum tibi habeas, quod vbi maior fuerit quātitas aquæ, ibi dominus vini superaddet maiorē quantitatem: & vbi plures lachrymę & afflictiones fuerint, plures consolationes & gaudia spiritualia dñs mittet: & vbi minores fuerint labores, pœnæ & ærumnæ minorem gratiæ lætitiam, & minus gloriæ gaudiū retri-

2. Cor. 1. buet. Vnde Paul. sicut abundāt Christi passiones in nobis, ita per Christum abundat cōsolatio nostra.

Miscetur tristia lætis. ¶ Vbi diligenter debes perpendere: quomodo Deus misceat læta tristibus. Vnde apud Esaiā Deus

Esai. 1. inquit, Væ genti peccatrici populo graui iniquitate, &c. Desolabitur sicut in vastitate hostili, & derelinquetur filia Sion sicut vmbraculū in vinea & sicut tugurium in cucumerario. Et paulo post, Lauamini, mundi estote. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Eodem

Amos. 5. modo Amos propheta. Leuo super vos planctum domus Israël. Cecidit, & nō adiiciet vt resurgat virgo Israël. Et paulo post, Hæc dicit dominus Deus,

Psal. 88. Quærite me & viuetis. Et in psalmo, Si derelinquerint filij eius legem meam & in iudiciis meis non ambulauerint, si iustitias meas profanauerint, &c. Sequitur, Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Sed oculos iam in misericordiam & benignitatem Dei conuerte. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, nec nocebo in veritate mea. Quod enim nobiscū quotidie facit, fecit olim cum primo nostro parente.

Genes. 3. Nam Adæ dixit, In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et imponens finem laboribus suis, subdidit dicens, Donec reuertaris de terra, de qua sumptus es. Et cum eosdem parentes nostros vellet è paradiso voluptatis eiicere, fecit eis tunicas pelliceas, vt protegerentur à frigore, &c. Sic misericors Deus eos quos punit, solet consolari: & post tribulationem consolationem immittit: quod omne in beata virgine possumus contemplari.

Christus pro nobis mendicauit. ¶ Sed licet percontari: quomodo Christus in illo triduo quo fuit in Hierusalem se sustentauerit: aut quis illi dederit cibum? Respondebo cum Basilio & Bernardo & aliis ecclesiæ doctorib⁹, Christū

Basil. interroga. 262. Ber. in ser. Bona. in apol. paupe. resp. 1. ar. 1. Ale. Ale. ostiatim mendicasse. Et Paulus Corinthiis ait de Christo, quòd propter nos egenus factus est. Vbi in Gręco habet mendicus. Et sic legit Basilius. Verba autem Bernardi libet referre, Vt te domine per omnia nostræ paupertati conformares, quasi vnus de turba pauperum stipem per ostia mendicabas. 4. part. q. 107. mem. 1.

Quis dabit me buccellarū mendicatarū participem fieri & illius edulij reliquiis? Et si aliquis dixerit, quòd 2. Corint. 8.

dominus in veteri lege præcipit dicens, Non erit Deut. 15.

mendicus inter vos. Respondeo quòd loquebatur diuitibus: ac si eis diceret, Ita diligētes sitis in subueniendo necessitatibus pauperum, vt nullam habeant necessitatem mendicādi: nam satis carè emit, qui petit: quandoquidem pro precio suam verecundiam exhibet. Et certè si diuites tales essent, vt deberent: non tot peterent ostiatim mendici, nam ipsi taliter suas diuitias impartirent, vt nullam pauperes haberent necessitatem mēdicandi. Contemplare igitur hanc Christi mendicitatem pectore & animo Christiano: nam si illam rectè perpendis & consideras, non existimo te adeò lapideo & adamantino esse pectore, quin si superbo animo & elato fueris, non humilieris: cum videas Deum illum infinitæ maiestatis (in cuius conspectu angeli & cælestes spiritus contremiscunt) pro te humilitatis vestem induisse & mendicum voluisse apparere: iuxta illud, Pauper ego sum & mendicus. Quæ ver- Psal. 39.

ba ad literam Augustinus super hunc psalmum de Christo intelligit. Voluit hic esse mendicus, vt in patria illa cœlesti te ipsum abundātibus diuitiis ditaret. Allegat sanctus Bonauētura, & refert illa ver- Bona. apol. pau. resp. 1. ar. 1.

ba Bernardi, quæ modo enarrauimus. Theophilactus etiam iuxta antiquam translationem, qua vtitur Thomas in catena aurea super illud Lucæ. In Luc. 10.

eadem domo manete, manducātes & bibentes quæ apud illos sunt, ita hunc locum exponit. Vide (inquit) qualiter discipulos mendicare instituit, & pro precio nutrimentum eos habere voluit. Ioannes autem OEcolampadius, qui Theophilactum corrupit, ex industria verbum mendicādi mutauit: eò quod patrocinari videbatur piæ monachorum mendicitati. Mendicauit itaque Christus. Primò vt satisfaceret abundè, & vt exolueret absolutum precium & perfectum pro superbia & petulantia nostra. Nos quippe arrogāti & elato animo arripimus cibum non nostrum sed prohibitum (quod & assiduè facimus) ipse verò quod suum erat submissè & humiliter quasi alienum petit sibi gratis dari. Deinde vt nobis humilitatis præberet exemplum, & vt Luc. 22.

superbiam nostram domaret, mendicauit locum Math. 21.

vbi cum discipulis pascha erat celebraturus: mendicauit asellū cum Hierusalē voluit ingredi: mendicauit hospitiū in domo Zachæi, à muliere etiam Luc. 19.

Samaritana aquam petiit: & mulieribus ipsi mini- Ioan. 4.

strantibus mendicauit victum. Luc. 8.

¶ Sed his iam dimissis considerans Christi paupertatem, humilitatem & abiectionem, mecum diligenter reuoluo, quid fieret de insania & vanitate mundi: si Christus venisset magnus, diues, atque potens, si cum venerit ita pauper, mendicus, & abiectus omnes illi, qui de Christianismo gloriantur: ita sint laudis cupidi, diuitiarum sitientissimi, elati, atque superbi: Quis obsecro auderet religionē ingredi, paupertatem profiteri, & cum mendicitate, panē & cibū quærere, si Christus diues venisset? Si cum multi Christiani videāt in nostra factione habere Christum pauperē, mendicū & indigentē, nihilominus tamen nos ipsos contemnunt, irrident, & persequuntur: quid obsecro facerēt si Christum diuitem pro suis partibus haberent? Si paupertas & mundi contemptus, quem Christus dilexit, non satis adhuc fuit ad frænandam multorum Christianorum

norum cupidinem eorum culpa: quid facerent si Christus in potentia & diuitiis aduenisset? Magna quidē est & deploranda multorū perditio, qui cum legem Christi sint professi, ignominiosum iudicant eundē Christū sequi, & vilē existimant paupertatē, quam ipse dilexit & amauit: & quod peiùs est & lamento digniùs, vitā apostolicam & sanctam quam ipse degit contemnunt, & pro nihilo faciunt. Sed iam ad historiam deueniamus. Postquā igitur Maria & Ioseph puerum inuenerunt. *In templo sedentem in medio doctorum audientem illos & interrogantem.*

¶ Nimis studuit Deus, vt eius saluberrimus omnibus innotesceret aduentus: ideóque passim faciebat signa, varia edebat exempla, quibus suam diuinitatem manifestabat, vt homines in eum intendentes illum agnoscerent. Et inter pleraque signa hoc vnum peculiariter demonstrauit mirabile satis, qui adhuc puer cùm esset annorum duodecim, cùm homines vix vti ratione incipiunt: hic nimirum sapientes & eruditos viros cœpit docere. Et quidem nisi eos malitia eorum excæcasset, illum satis nosse potuissent: nam secundum vaticinia sanctorum patrum quæ eos minimè latebāt, iam temporis plenitudo venisset, in quo Christus venturus erat. Hoc satis erat illi in testimonium rei sapientiam supra hominum omnium mentem in puero experiri, & extra naturæ ordinem, vt illum Messiam esse credere cogerentur. Et ita vt reor ex tunc Pharisæorum viguit obstinata malitia.

¶ Obserua præterea diligentiā Christi studiúmque magnū adhuc puer cum esset erga vicarios, ecclesiæque ministros & doctores: eámq; summā adhibet curā, vt à tenera ætate iam cœpit eos visitare, quęstiones habere, & inter eos residere, quonam modo pascantur oues requirere, quámque doctrinam populo prædicent diligenter examinare. In lege præcipiebat Deus vt cum mane sacerdos templique minister surgeret, luminaria múgeret atque
Exod.30. purgaret. Sic Christus summus pontifex & sacerdos summo mane ætatis suæ surgens lucernas ecclesiæ purgare mundaréque cæpit. Hi quippe sunt ministri ecclesiæque doctores, quorū luce illuminantur cæteri, & quidem multum interest vt ipsi lux sint vt alios illuminent. Vide itaque sacerdos & doctor, ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Quod si
Mat.6. ille qui aliorum est quasi lumen tenebrescat, quid erit populo? Ideóque opportunè satis eos mundat Christus. Rursus præcipitur in lege, vt specula essent in templo eáque mundarēt. Proponebat Christus, & ipse faciebat satis: & nō tantum respondēdo eos docebat, sed etiā in propositis sibi quæstionibus illos erudiebat. Vnde cum semel ab eis quæreret de seipso quid vobis videtur de Christo, cuius
Math.22. filius est, illi dixerunt, Dauid. Rursus ad illos dominus, Quomodo ergo Dauid dominū eum vocat dicens, Dixit dominus domino meo? Si dominū eum vocat, quomodo filius eius est? Referebat enim non parū vt cognoscerent Christū esse, & illius regnum non temporale, sed potius spirituale & cæleste esse: idque voluit eos docere in præfata quæstione: vnde ipse proponit, ipseque respondet, vt ad veram sui cognitionem audientes trahat. Præterea mos erat apud Iudæos in diebus paschatis de lege disputare: & sic paschata in tempore illo celebrantur. Nunc autē his diebus certamē initur de aleis, taxillis, cōuiuiis, & de proximorum vita. Illa autē disputatio, quam Iudæi habebant, nō fuit casu, sed moris erat.

Atq; ita parentes secū filios ducebant, vt ibi discerent. Hic inuentus fuit Christus in loco sancto & *Christus vbi inuentus.* orationis: non vt nostri huius tēporis adolescentes, qui in domibus ludo, & blasphemiis dedicatis sæpiùs solent inueniri. Et non mirum debet nobis videri, quòd Christum ibi repererint. Nam filius libenter in domo patris sui manet. Ex quo sequitur quod ille, qui libenti animo ecclesiā habitat, filius Dei est, quia est in domo patris, qui illum creauit: sed qui libenter est in locis ocio & libidini vacantibus, signum est filium esse diaboli, quia in domo patris sui detineri vult. Sunt aliqua animalia, vt crocodilli & anates, quæ etiam si terram incolunt, libenter etiam submerguntur in aquam, & ibi gaudent esse. Sic Christus etiam si vt homo, qui educatus fuerat in terra, & cum parētibus suis ipsam habitabat: statim vt tēplum videbat, quod quidē domus patris sui æterni erat, vt verus filius in ipsum ingreditur, & ibi gaudet, matrē pro patre relinquēs: nam hoc est magis conueniens suæ naturæ & inclinationi: vt filij anatum qui etiā si ab aliqua gallina fuerint procreati, visa aqua statim eam ingrediūtur & submerguntur. ¶ Obserua autē, quod est tēplum sine doctoribus, & doctores sine tēplo: & templum cum doctoribus: Templum sine doctoribus illa ecclesia appellatur, in qua nulli sapientes homines, *Templū sine doctoribus.* nec docti sunt. Vt hodie multæ ecclesiæ sunt, quæ plenæ sunt clericis insipiētibus & ineptis: qui cùm nec sacros Canones, nec Theologiam, nec Grammaticam didicerint, in sacros ordines promouentur. Inter hos nequaquam Christus habitat, qui ob suam ignorantiam & inscitiam in administratione sacramentorum in grauissima peccata dilabuntur. Doctores sine templo sunt docti, & literati, qui ex- *Doctores sine templo.* tra gremium ecclesiæ sunt: vt sunt sapientes hæretici: scismatici: inter quos minimè Christus est, quandoquidem ipse in templo inuenitur. Templū cum doctoribus est illud, in quo adsunt catholici homines simul & docti, inter quos inuenitur Christus in medio doctorū. Sed in quam paucis eccle- *Templū cum doctoribus.* siis hoc inueniatur vos videtis. Nam multæ ecclesiæ sunt plenæ pueris & adolescētibus indoctis: nā Episcopi & Canonici resignant suas præbendas in consobrinos & consanguineos suos, cùm sint multi doctores theologi & probi viri versantes in academiis qui nec buccellam panis in victum habeāt. Graue iudicium & tremendum hos expectat, & infernus faucibus apertis talibus est paratus.

¶ Nota etiam quod non solum erat inter docto- *Christus in medio.* res, sed in medio illorum. Fons enim, qui in media platea cūctis patet, plus commodi omnibus affert, quàm is, qui absconditus est: & horologiū etiam in alta turri, melius ab omnibus auditur: Ita Christus semper reperitur in medio. In medio trium diuinarum personarum locum habet: in natiuitate, in medio duorum animalium positus erat: in morte, in- *Luc. 23.* ter duos latrones, & salutem operatus est in medio *Psal. 73.* terræ, & post resurrectionem, in medio discipulorū *Ioan. 20.* stetit. Post ascensionem etiam apparuit Ioāni inter *Apoc. 1.* septem candelabra aurea. *1. Tim. 2.* Vt illud quòd Paulus ait in ipso optimè adimpleretur. Ipse enim est mediator inter Deum & homines. Et hic in medio doctorum inuentus est. Quocirca debes animaduertere, quòd si proximo iniuriam intuleris, aut manu eum percutis, Christus in medio tui & illius est, & priùs eū percutis, quā proximū, & priùs maxillā Christi ictus ferit, quā maxillā proximi. Ideóq; nemo pro-

ximū offendit & lędit, quin priùs Christū offendat. Quapropter iram cōprime, nec proximū offendas, *Roma. 12.* quādoquidē Deū priùs offendis. Si verò tu iniuria fueris affectus, tace: Deus enim qui priùs iniuriam *Ezech. 9.* *Deut. 32.* accepit, ipse vindicabit, cum dicat, Mihi vindictam & ego retribuā. Vellē ego, vt diuites hoc secum animo reuoluerent, quod cum pauperē conuiciantur: aut magnates infimū persequuntur, & in carcerem agricolā detrudunt, & sanguinē & substantiā ebibunt, Deū esse qui talia patitur, quique vt iustus iu- *Math. 25.* dex iniurias sibi illatas vindicabit: cū dicat, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. ¶ Potest etiam & forte meliùs locus iste interpretari. Non quod obsessus esset vndique tanquā in curriculo à circunsedentibus doctoribus: sed esse in medio est dicere, reddere seipsum, vt inueniatur ab omnibus, videatúrque ab omnibus, & interrogātibus satisfaciat. Et secundū sensum hūc quem veriorē esse existimo dico, quòd benè poterat adhærere parieti, aut alicubi esse. Et hæc est phrasis scripturæ sacræ: in cuius rei testimonium inter multa, quæ possent loca adducere, pauca pro modulo referam. In Ge- *Genes. 2.* nesi dicitur quòd erat lignū vitæ in medio paradisi. Hoc est, locatus in paradiso, & omnibus patens. Et *Leuit. 26.* in Leuitico, Ponā tabernaculū meū in medio vestri. Hoc est, inter vos. Et rursus ibidē, Mittā pestilentiā in medio vestri. Ac si diceret, Mittā pestilentiā, quæ *1. Reg. 7.* vos omnes capiat. In primo quoq; volumine regū habetur. Auferte de medio vestri deos alienos. Et in quarto libro regū de illa Sunamite Helisæi hospi- *4. Reg. 4.* ta habetur sic. Dixit ei propheta, Habes ne aliquod negotiū: & vis vt loquar regi, siue principi militiæ? Cui illa respondit, In medio populi mei habito, id *Genes. 18.* est, omnibus nota sum. Et in Genesi loquitur Deus ad Abraham dicēs, Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittā omni loco propter eos. Ecce planè constat quod non vult dicere Deus quòd hi quinquaginta viri iusti essent in foro aut in plateis Sodomæ: aut secundū ambitum loci ciuitatis in medio sisterent velut pūctus in medio circuli. Sed hoc sibi vult duntaxat. Si inuenero quinquaginta iustos qui innotescāt Sodomæ frugi boniq; nominis, non sibi solū vtiles, sed etiā omnibus: Nāque iusti viri laudabile nomē & bonū exēplū pluris est apud Deū, & ideò nihil est ꝙ ei Deus non præbeat: diligit enim Deus iustū cuius opera, vt lux coram hominibus lucet, iuxta illud Saluatoris, Luceat lux vestra corā hominibus, vt videant o- *Math. 5.* pera vestra, &c. Igitur esse in medio doctorū nihil aliud esse censeo nisi inter eos esse, & omnibus illis notus & manifestus. Sed iam videndū est, quid Christus faceret inter doctores. Erat audiens, interrogās & docens. ¶ Vide quod Christus in ecclesia loquitur: extra ecclesiam verò, nō Christus, sed diabolus *Eccles. 15.* *Christus docet in ecclesia, diabolus extra.* docet: imo seducit. Christus autē in medio ecclesiæ aperuit os suū: quia impletus erat spiritu sapientiæ & intellectus. Agebat de aduentu Messiæ, & de prophetiis, quas prophetæ prædixerāt. Docet hîc Christus consiliū sapientū & prudētiū esse auscultandū nō ad disceptandū, sed ad conferendum. Ideò dicit quòd audiebat illos & interrogabat. Interrogabat, non vt doceretur, sed vt potiùs doceret prudenter interrogans: vt ex eorū responsionibus occasionē acciperet docēdi eos scripturas, & præcipue aduētum Messiæ. Priùs audit & deinde interrogat: vt suppeditet exemplum priùs nos debere discere, quàm *Eccles. 18.* docere: iuxta illud Ecclesiastici, Ante quàm loquaris, disce. Colliges etiā ex hoc loco alios audire, & sententiā eorum non contēnere: quanuis ignorantes & insipientes sint. Nunquid tu adeò sapientia cæteros excellis, sicut Christus hos doctores? Mo- *Exod. 18.* ses etiam si sapientissimus & Dei lumine illuminatus esset, audiuit Ietro sacerdotē Madiam, nec consilium eius cōtēpsit. Naaman Syrus cùm nondum eius animus quietus esset Helisæi responsione, ser- *4. Reg. 5.* uos suos audiuit: & sic meruit à lepra mūdari. Multi prælati hac nostra tēpestate suo iudicio & scietia nimis præsumentes, in manifestissimas insanias & ineptias dilabuntur: nolentes audire suos subditos: atque ita volentes suā propriā voluntatē adimplere, sapiētes & doctos à se reiiciunt, simul & religiosos: nā prioribus prælati adiūcti subditi sunt, secundis verò domini. Fit enim hoc ita quia ignorantes, & inepti in nihilo illis contradicunt. Et quantū à scopo rectæ rationis isti aberrent, manifestè liquet, nam deberēt ipsi attendere, se homines esse, qui natura in mille defectus & errores sunt procliues, ideóque audiant & interrogent, quandoquidē Christus idem faciebat. Nā cum Christus vellet Petrū suę ec- *Ioan. 21.* clesiæ in prælatum eligere, priùs eum examinauit, dicens, Petre amas me plus his? Ac si Christus diceret, Volo à te scire, quē te ipsum iudices, & quanti hos alios facias. Nā si te ipsum plurimi habes, hos verò parui æstimas, non es dignus, vt pascas oues meas. Si verò credis te esse fragilē, pasce oues meas. Ideò à te quæro, vtrū plus his me diligas, collationem fecit cū aliis, vt inde colligere posset, quid Petrus de aliis sentiret. Nā non est dignus prælati nomine, qui se maximi æstimat, alios verò contemnit. ***Stupebant autē omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius.*** Nec mirum erat, nam apud Marcum *Indoles Christi differens à nostra.* legimus, ꝙ in sabbatho cœpit Iesus in synagoga do- *Marc. 6.* cere: & multi audientes mirabantur doctrinā eius dicentes, Vnde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia, quæ data est illi? Et in Ioanne legimus, Iam autē mediante die festo, ascendit Iesus in tēplum, & do- *Ioan. 7.* cebat & mirabantur Iudæi dicētes, Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Nā si sic mirabantur doctrinā adulti, cur non mirarentur doctrinā pueri? Audierant sublimem & altā sapientiam, vidētes autē teneram illius ætatem mirabantur. Fœlices & beati illi doctores essent si scrutari diligenter vellēt sanctas scripturas: vbi videre possent, quis quātusque ille puer erat. Nā per Esaiā prædictum inuenis- *Esai. 9.* sent, Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius admirabilis. Et hoc argumento facilè colligerēt illum esse Messiā mundique redemptorem. Hoc idem contigit discipulis, nam principes sacerdotū sapientiā Petri & Ioannis *Act. 4.* mirabantur: cognoscētes eos esse homines illiteratos & nunquam in academiis versatos. At mundus iam non habet similes pueros, de quorū sapientia aut virtute possit admirari: sed potiùs multos, de quibus dices, Quomodo in tam paruo puero, tanta libido? Quomodo tot iuramenta: mendacia & furta? Vnde tātam malitiam sibi inuenit puer, tam infantilis ætatis? Accipiunt hæc sine dubio à parentibus: sicut Christus suam sapientiam & quidquid habebat, accepit à patre: & corpus à matre.

¶ Aduertendum etiam est hic, quòd Christus *Sapiētia Christi præsagiū.* opus suum non solùm cum summa seueritate sed etiam cum sapientia incepit: ita vt ij, qui doctissimi erant mirarentur & stuperent. Significabat res illa, quòd per doctrinam & sapientiā Christi, totius orbis

Esai. 26. bis ſapientia erat obſcuranda. Quemadmodum per
Eſaiam Deus prædixerat. Perdã ſapientiam ſapien-
tum, & prudentiam prudentum reprobabo. Horũ
verborum meminit Paulus in ſuis epiſtolis, Vbi ſa-
piens (inquit) vbi ſcriba: vbi inquiſitor huius ſæcu-
1. Cor. 1. li? Nam cum mundus in ſapiẽtia Dei ipſum Deum
non cognouit: placuit Deo per ſtultitiam prædica-
tionis ſaluos facere credentes. Mirandũ igitur non
eſt, quòd ſapientes Iudæi admirati fuerint & obſtu-
puerint videntes rarã Chriſti ſapientiam, Chriſtus
veram ſapientiã mundo attulit. Hic eſt Deus noſter
Baruch. 3. (inquit Baruch) hic adinuenit omnem viã diſcipli-
næ: & tradidit illã Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto
ſuo. Imò ipſemet factus eſt nobis, ſapientia, iuſtitia,
1. Cor. 1. ſanctificatio, & redemptio, vt Paulus ait. Cæterum
cum iſti ſuam doctrinam admirentur: nõ ideò cre-
dunt, nec conuertuntur: Sic multi nunc videntes
doctrinã prædicatoris ſtupent & admirantur, lau-
dant & extollunt illum: ſed non à flagitiis & pecca-
tis recedunt, cum Chriſtum illi audientes, nõ con-
uerterentur. Sed multò aliter Petrus Chriſti doctri-
nam ſuſcipiens & eius mirabilia verba, inquit, Do-
Ioan. 6. mine quo ibimus? verba vitæ habes. Non dixit lo-
queris. Quia hoc multi faciunt: ſed habes. Ac ſi di-
ceret, Tua ſunt iſta, quæ profers: nõ ab alio mutua-
ta. Corda hominum percutis, quando loqueris: &
verba tua omnia ſagittæ ſunt igneæ. Ideò ſequat te
quocunque ieris. Denique non ſolùm illi doctores
admirati ſunt: ſed & parẽtes eius ideóque ait euan-
geliſta. *Et videntes admirati ſunt.* Scilicet propter rei
nouitatem, quia nunquam ſimile viderant eum fe-
ciſſe. Propter quòd beatiſſima mater ingẽti gaudio
affecta immenſas gratias Deo agebat. Filius autem
cum chariſſimam matrem aſpexit, acceſſit ad eam
ſtatim: quem ipſa brachiis extentis ſuauiſſimis am-
plexibus excipit, & oſculatur. *Et dixit mater eius ad
illum.* Tacet Ioſeph cum ſciret nihil iuris in partu
ſponſæ ſuę habuiſſe. Mater verò pro authoritate &
dolore ab eo quærit. Loquuta eſt etiam beatiſſima
virgo propter exceſſum amoris, quo filiũ vnicum
diligebat pluſquam Ioſeph: atque ita hoc amore
coacta loquuta eſt. Primum autem verbũ, quod ab
ore emiſit ſignũ fuit illius ſummi amoris: nã dixit,
Fili quid feciſti nobis ſic? Quod verbum fili, in Græco,
idem quod amor eſt. Atque ita in hoc primo verbo
non potuit virgo non oſtendere amorem illum,
quem erga filium habebat. Quo verbo non virgo
conqueritur, ſed interrogat. Si autem querela fuit,
ex maternis viſceribus & amore exiit: propter quã
beata virgo potiùs actionẽ gratiarũ meruit, quàm
reprehẽſionem. Sit igitur vel interrogatio vel que-
rela: certum id eſt fuiſſe prolatã ea humilitate, quæ
verbis explicari minimè poteſt: & fundamentũ ha-
buiſſe in illo intimo cordis amore, ſuper quem fun-
dauerat dolorem illum, cuius cauſa abſentia trium
dierum fuerat, quæ quidem, etiam ſi paruum illud
temporis ſpacium durauit, maior & lõgior viſa fuit
illi quàm videri poterat omnibus hominibus hu-
ius mundi, ſi per multos annos rebus ſibi dilectiſ-
ſimis & amantiſſimis priuarentur.

Exaggeratio doloris Diu. Virginis. ¶ Expende etiam in his verbis antequam vltra
progrediamur quod in hoc verbo fili denotatur
quædam ratio grãdis propè diuina virginis quæru-
lantis qua virgo ſanctiſſima ſuum maximum dolo-
rem oſtendebat. Quando Chriſtus orabat in horto
protulit hoc verbum dicens: pater, in quo verbo
Math. 26. latebat quædam diuina quærela, ac ſi diceret, Tu ô
pater, meus pater cum ſis, me tantùm permittis bi-
bere calicem? Sic etiam & nunc beata virgo. Tu na-
te, filius meus cum ſis, potuiſti tibi perſuadere, vt
tantum in nobis cauſares dolorem? Quaſi dicat,
Non hoc à te commerui fili. Nec meo huic erga te,
patem amorem repẽdis. Cur ergo feciſti nobis ſic?

¶ Nunc autem volo ô ſanctiſſima virgo tuæ quæ-
ſtioni ſatisfacere. Interrogas, Quid feciſti nobis ſic?
Ad quod reſpondeo, rectè filium tuum ſcire, quod
nec ipſi angeli ſic benè quemadmodum & tu, illũ
ſeruierũt: noluit enim tibi hanc afflictionẽ immit-
tere, quoniam propter aliquid tibi iraſcatur: ſed
quia quẽ magis diligit, maiores dolores illi infert.
Nam ſanctum illũ patriarchã Abraham ingenti tri- *Geneſ. 22.*
ſtitia & dolore affecit, præcipiẽs, vt filiũ vnigeni-
tum ſacrificaret: quodquidem clarum & apertum
ſignum fuit magni amoris, quo illum proſequeba-
tur, & etiam illius quem ipſe patriarcha erga Deum
habebat. Sanctus etiam Iacob martyrium ſuſcepit *Geneſ. 27.*
cauſa filij ſui Ioſeph: quem exiſtimauerat deuora-
tum eſſe à fera, & dolore affectus multis annis ſu-
per illum planxit. Tobias etiam propter filiũ mul-
tùm mœroris & triſtitiæ paſſus eſt. Exẽpla habes ô *Iob. 10.*
beatiſſima virgo cur tecum ſic fuerit factum, ex ni-
mio amore hoc emanauit: & vt ſis exemplum aliis
matribus vt in patientia exerceantur, quando diui-
næ voluntati placuerit chariſſimos filios de medio
tollere. Denique his tribus diebus voluit te ſic angi
& macerari: vt fortitudine & animi robore te in-
duas & præpares, vt ferre queas tres alios dies ſuæ
mortis, vbi non ſicut modo inuenies illum inter
doctores, ſed inter latrones & carnifices crucifixũ,
flagellatum, & corona ſentium inſignitum. Sed
iam audiamus, quid amplius beata virgo filio dixe-
rit, *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*

¶ Si beatam virginem non latebat Chriſtum *Certus de ſua ſalute adhuc debet operari bonum.*
Deum eſſe, & proinde perdi non poſſe: quare illum
quærebat quaſi Deus non eſſet. Reſpõderet vtique
beatiſſima mater. Nonnè cum mihi cõmiſſus tradi-
túſque ſit, debeo illum quærere? Rectè ſe res habet,
neque me latet quod perdere illum non poſſum: ad
hæc tamen quantum mea intereſt, debeo facere vt
illum inueniam. Vult Deus ne ſimus ocioſi, neque
in vanitatibus degamus vitam, ſed quod in nobis
eſt, & in bonis operibus nos exerceamus: quod ea
hactenus verum eſt, quod quanuis cuipiam reue-
latum eſſet prædeſtinatum electúmque eſſe ad glo-
riam, cum hac tamen certitudine ſuæ ſalutis debet
quantum in ſe eſt bona opera facere quæ ad ſalutẽ
ſunt neceſſaria. Nam Deus qui prædeſtinauit fines,
prædeſtinauit etiam media ad hos fines obtinen-
dos: etenim nullus adultorum adhuc cœlum in-
greſſus eſt, quin priùs in bonis operibus ſe exer-
cuerit. Certus enim erat Paulus de ſua ſalute: vnde
Timothæo dixit, Bonum certamen certaui, curſum *1. Tim. 4.*
conſummaui, fidem ſeruaui. De cætero repoſita eſt
mihi corona iuſtitiæ: quam reddet mihi dominus
in illa die iuſtus iudex. Nihilominus tamen Corin-
thios alloquitur in hunc modum dicens, Caſtigo *1. Cor. 9.*
corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum
aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Quanuis
enim reuelationem habebat de ſua ſalute: timebat
tamen ne ſi bene operari deſineret, eius periclitare-
tur ſalus. Hoc ipſum eſt quod princeps apoſtolo-
rum Petrus inquit. Satagite, vt per veſtra bona o-
pera certam veſtram vocationem faciatis. Nam per
maiora bona opera certiorem faciebant ſuam beati *2. Pet. 1.*

salutem. Præcepit dominus populo suo Israël: vt *Iosue. 6.* irruat aduersus Hierico & expugnet ciuitatem: hęc enim erat prima ac principalis ciuitas quam offenderunt in terram promissionis. Præcepitque eis dominus, vt septies eam circumirent, & clangerent tubis, & circunduceretur arca Dei: & peractis diebus septē ceciderūt mu i Hierico, expugnauerúntque ciuitatem. Vt quid domine tot cæremoniæ cū absque omnibus iis ruerent muri? Hoc vt cognoscamus ita nobis esse operandum, ac si per eadem nobis opera conferenda sit gratia. Taliter enim Deus operatur in nobis, quod vult nos ipsi coope- *1. Cor. 3.* rari. Hinc Paulus, Adiutores Dei sumus. Sic etiam modo beatissima virgo quanuis non ignoret filium suum perdi non posse, vt pote quia Deus erat: cæterum vt faciat quod in se est, quærit illum dicens, Fili dolentes quærebamus te. Quæ verba manifestè indicant ex amore & dolore procedere. Rogat, cur voluerit sua absentia eos sic tristari, cuius præsentia super omnes mundi delicias sibi dulcis erat. Ioseph tamen non pater Iesu erat (vt sæpè diximus) sed quia putabatur, sic illum appellauit: quem beatissima virgo sibi præposuit humilitatis & reuerentiæ causa, quia vt beatus Paulus inquit, Caput mu- *Ephe. 5.* lieris vir est. Sic Sara Abraham virum suum domi- *Genes. 18.* num suum vocauit, dicens, Postquam senui, & dominus meus vetulus est, &c. Ex quo mulieres debent discere virginis exemplo suos viros honorare: *Hester 1.* quod quia regina Vasthi non fecit, ignominiose à regno Persarum expulsa est.

Nulla grauior iactura quā Dei perditio. ¶ Dolentes ait & non immeritò: quia quanto aliqua res amissa charior est, tanto maiori dolore quæritur. Oriebatur quidem dolor hic ex dilectionis magnitudine. Vbi duo potissimum nobis docentur, Primum quàm grauis dolor & iactura sit Deum amittere, & eius dulcissima præsentia carere: secūdum verò quomodo eum debeamus quærere. Quàm triste & infœlix sit Deum perdere & ab *Ierem. 2.* eius præsentia segregari, benè quidem illud Hieremiæ nobis ostēdit. cum inquit, Vide quàm malum *Psalm. 76.* & amarum sit reliquisse te dominum. Et Dauid hoc idē expertus dicebat, Renuit consolari anima mea. Adeò sanctissimus Rex tristis & mœstus erat, vt nullum solatij genus admitteret, & anima eius omnem consolationem reiiciebat. Sed cur tam tristis? causam inquiramus. Audi quomodo antequam hæc diceret, psalmum inceperit, ex antecedētibus namque rectiùs hoc intelligetur. Voce mea ad dominū clamaui: voce mea ad Deum deprecatus sum. Quicunque homo nisi mente & intellectu careat, altera duarum causarum vociferari debet: vel quia ille, cum quo loquitur, surdus est: vel quia longe ab eo distat. Deus autem non est surdus, quia eius aures *Sap. 1.* omnia audiunt. Causa igitur tantorum clamorum est, quia procul ab eo distat. Hæc igitur est causa quare Dauid clamaret, & diceret, Voce mea ad dominum clamaui. Et cognoscens quantum & quàm graue malum sit sine Deo esse, dixit, Renuit consolari anima mea. Nulla est tanta in hoc mundo tristitia cui aliquo remedio non possit prouideri. Sola Dei iactura illa est, quæ solatium non habet. Nam si tristis es, quia domus passa est incendium, vel quia rem & substantiam latrones surripuerint, hoc solatium habes, quia iterum bona resarcis. Si tristis es, quia ægritudine laboras, offendis statim medicum adeò bonum qui te in pristinam valetudinem valeat restituere. Si tristis es, quia vxor obiit, cōtinuò alia tibi aduenict, quæ prudentior, cautior, & magis conformis tuæ voluntati sit. Denique nulla est in hac vita adeò grauis iactura, cui discursu temporis non solatium adueniat. Sed si Deum amittis, quod solatium erit? quod remedij genus? Nullum. Ideò renuit consolari anima mea: quia sub cœlo nullum est solatium, quod huic rei possit satisfacere. Quidquid non est Deus, id omne mendicitas, paupertas & indigentia animæ nostræ est: sine quo fieri non potest, vt animæ nostræ aliquid gaudij aut voluptatis adueniat. Ideò ipsemet in alio psalmo *Psal. 41.* dicebat, Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. Dole etiam & plora lachrymis tuis totus madidus, eò quòd per peccatum mortale Deum amiseris. Sed multi solum lamentantur rem & substantiam amissam: & mœsti sunt, quia in lusu pecuniā perdiderint, propter Deum autem amissum, quæ grauissima omnium est iactura potiùs gaudent, & lætantur. Sed non tam mirari debemus propterea quod aliquis Deum amittat, quàm quòd non sentiat iacturam, & quàm grauis illa sit.

¶ Quid igitur remedij erit, vt tantum damnum *Christus perditus vbi, & quomodo quærendus.* resarciatur, quod de iactura Dei animæ nostræ accrescit? Illum quærere. Sed quomodo? Beatam virginem aspice, & eiusdem vestigia insequere. Cum mœrore quæsiuit, & ideo meruit inuenire. Dolentes (inquit) quærebamus te. Ne obsecro Deum inquiras inter oblectamenta, & voluptates mundi huius, quandoquidem sanctus Moses in rubo & *Exod 3.* inter vepres illum reperit, hoc est, inter pœnitentiam & asperitatem mundi. Nam multi eum quærunt inter vireta, inter flores & rosas, in voluptatibus & deliciis viuentes, qui quidem ob id non sunt digni, vt ei obuiam veniant. Aspice igitur quòd Christus in festis & gaudiis huius mundi amittitur, dolore autem & angustia cordis inuenitur. La- *Ioan. 20.* chrymis & gemitibus inquirebat eum Magdalena *Marc. 14.* in domo Pharisæi, & ideo meruit reperire. Ità bea- *Luc. 23.* tus Petrus, ità & bonus latro, illum inuenit in cru- *Cant. 3.* ce: & sic omnes qui illum per peccatum amiserūt. Sponsa quippe cùm quæreret: & eum non inueniret, dixit, In lectulo meo quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. O amens & insana quantum abes, vt mentem & intellectum habeas, quādoquidem existimas te posse sponsum inuenire in lectuli deliciis, & voluptatibus, cum tu ipsa fatearis, quòd dilectus tuus est candidus & rubicundus: quòd si pulcher est & formosus, in mediis viis & plateis debes illum inquirere: nā qui forma præstantes sunt & corporis habitu dispositi, videri ab omnibus cupiunt & laudari. Quapropter ipsa statim subdit. Quæsiui illū per vicos & plateas, & nō inueni. Non inuenitur Deus in plateis nec in congregationibus hominū. Et ita beata virgo non inuenit illū in comitatu. Sed paululū (inquit) cum pertransissem, inueni quē diligit anima mea. Omne quod sub cœlo est, ita paruum est vt sapiens dixerit. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Obiter & *Eccles. 1.* velut in trāscursu omnes res huius mūdi præteri, te ipsum cōtemnens: & ita Deū poteris inuenire. Trāsi hoc paululū mundi, quod in Dei collatione fere nihil est, & ita eum inuenies. Quære illum dolore tui cordis, pœnitentia, & lachrymis, nam culpa vacās, ita illum quæsiuit beatissima virgo. Quanto meliori iure tu debes id facere, cum per peccatum amiseris. Sed iam nunc videamus quid Christus ad hanc vir

virginis quæstionẽ responderit. *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quòd in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Cùm dominus intelligeret matris interrogationem à beneuolo pectore processisse: eodem tenore respondet non solùm vt ostenderet interrogationem matris dignam esse responsione, sed etiã, vt ei satisfieret: nam cùm prudenter, & sapienter interrogauerit: prudenter & sapienter ipse respondit, Maria præposuerat Christo patrem Ioseph: qui pater non erat, sed virginis sponsus. Christus autem vicissim nominat alium sublimiorem & præstantiorem patrem scilicet Deum. *Ioan. 6.* Vnde alibi ipse ait, Descendi de cœlo, non vt faciam volũtatem meam: sed voluntatem eius, qui misit me. Vnde non miremini, si dimiserim vos propter æternum patrem. *Actu. 4.* Obedire enim potiùs oportet Deo, quàm hominibus: & ideo cùm non vobiscum essem, in domo patris mei eram inueniendus. *Honores non mutãt mores.* ¶ Obserua autem quod hîc incipit Christus Deum patrem vocare publicè & in confesso. Non tamen dixit noster, sed meus. Vbi ostendit se filium esse Dei naturalem & nõ adoptiuum, sicut nos sumus. Notabis etiã quòd cũ Christus hîc esset constitutus in tanto honore inter hos doctores: hic fuit inuentus à Maria & Ioseph, qui pauperes erãt rebus tẽporalibus: quibus ipse Christus non dedignatus est respondere, obtẽperare, & cum eis abire. Sed iam ad eam tẽporis iniquitatem & malitiam deuenimus: vt sint multi, qui cũ ad honores, & dignitates ascenderint, parentes suos non agnoscunt neque pauperes consanguineos, quot contemnunt, & pro nihilo habent. Non ea humilitate, & synceritate, qua præditus erat sanctus Ioseph: qui cum magnus princeps in regno Aegypti esset habitus, & secũdus à rege, fratres suos cognouit, & honorauit. *Genes. 45.* Nec dedignatus est dicere quòd erant pastores ouium: quod genus officij apud Aegyptios in contemptu habebatur, sicut etiam modo apud nos. *Exod. 18.* Sic Moses qui princeps erat totius populi Israelitici cognouit socerũ Ietro Aethiopem & illum honorauit. *Et ipsi non intellexerunt verbũ quod loquutus est ad eos.* Non igitur de aliis mirandum, qui nihil intelligerent de patre æterno Christi Iesu: sed de Maria & Ioseph mirandum est, quòd cum scirẽt Christum habere patrem in cœlo non intelligant. *Prouerb. 17.* Tantum erat illis gaudium de inuento puero, vt nihil amplius cogitarẽt, nec eius animus aliis verbis acquiesceret: lætitia absorpti, verba pueri non capiebãt. *Exo. 7. & 8.* Nam vt in prouerbiis habetur, Desiderium si compleatur, delectat animam. ¶ Ad tuam eruditionem nota, quod temporale gaudium distrahit mentem, vt nequeat verba Dei percipere. Sic Pharao cum omnia illi ex animi sententia euenirent, non audiebat verbum Dei, quod Moses illi prædicabat. Vnde & tibi cauẽdum, ne nimia lætitia affectus rerum mundi citò euolantium, cœlestium diuitiarum obliuiscaris. *Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Aduerte quod Christus ad templũ Dei proficiscitur, quasi illum oporteat, sicut cæteros, Dei gratiam quærere: cùm tamẽ ipse idem sit, qui cuncta gratiæ dona cõfert: & de cuius plenitudine omnes nos accepimus. *Ioan. 1.* In medio doctorum sedebat: audiẽs illos & interrogãs. Quasi nunc dicere cogat, qui ipsum Dei verbũ & sapientia erat. Cũ parẽtibus rediit, & illis subditus erat. Nõne hęc maxima sunt humilitatis exempla? Christus verbis nondum prædicabat, sed efficaciùs ipsa opera, quæ faciebat humilitatis exhibebãt exemplum: quibus ostendebat hãc esse potissimam & certissimã viam, vt Dei gloriam possimus consequi. *In Christo duæ naturæ.* ¶ Præterea in huius historiæ discursu clarè Christus ostendit habere duas naturas: cùm aliqua operaretur, ita sublimia & alta quæ solùm ad diuinitatem pertinerent: alia verò minora, quæ ad fragilitatem humanã spectabãt. Vt homo ascẽdit in Hierusalem cũ parentibus suis: vt Deus verò in templo mansit sua propria authoritate. Vt homo, sapientes, & seniores interrogat: vt Deus verò ad quæstiones ita diuinitus, & sublimius respondebat, vt omnes doctores in magnam admirationem raperet. Vt filius Dei mãsit in tẽplo patris sui æterni: sed vt filius virginis cum parentibus rediit: quò ipsi voluerunt, & eorum imperio & volũtati parebat. Discãt hinc prælati, discant & subditi. Prælati discant humiliari quãdo viderint quod Maria & Ioseph Christum habẽt subditum. Ne superbia efferantur: quia plerunque contingit, vt subditi melioris sint conditionis, & sortis, quàm prælati. Nam si prælatus secum cõsideret subditos habere meliores se, atque præstãtiores: nõ superbia inflabitur, etiam si in alta dignitate, & gradu sit cõstitutus. Discant & subditi obedire maioribus suis, cùm videãt totius orbis redemptorem, & dominũ subditum Ioseph & Mariæ. Vbi creator creaturam veneratur, & reueretur. Magnũ quidem & nũquam satis laudatum exemplum humilitatis nobis hîc redemptor exhibuit: nã cùm esset totius orbis princeps, & imperator, cui cuncta parent, & obediunt: tanta humilitate voluit suos parentes suspicere, & venerari. Cur ergo filij non obediunt suis parentibus, cùm Christum videãt verum Deum esse, & Iosepho, Mariæque tam humiliter subiectũ? In Deuteronomio scriptum est præcepisse Deum, *Deut. 21.* Si genuerit homo filium cõtumacem & proteruum qui nõ audiat vocem patris ac matris imperium, & coërcitus obedire contempserit, &c. lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatur malum de medio vestri. Sic Sapiens ait, *Prouerb. 28.* Qui aliquid à parente subtrahit homicidium committit. Sed quid dicemus de filio qui lites aduersus patrem exercet: & quòd detestabiliùs est, qui iniuriis afficit & maledicit aut percutit? *Obediendum parẽtibus, & magistratui.* Licurgus ille qui legẽ dedit Lacedemoniis non statuit legem de pœna irroganda filiis, qui sacrilegas mouerent manus in suos parẽtes dicẽs, quòd talis lex superflua esset: videbatur enim ei fieri non posse quẽquã esse qui tantum facinus aggredi cogitaret. Neque tantũ parentibus qui nos genuerũt obedire parerẽque debemus, sed etiam parentibus spiritualibus subiici: vt prælatis, sacerdotibus, & maioribus, qui vices Dei gerunt. Non igitur tibi molestum sit subditum esse homini propter Deum: quãdoquidem pro te Deus ipse voluit hominibus subiici. Nam si oculos conuertis, & videre velis quãto minores dignitate erãt illi, quibus Christus parebat, nõ molestè feres, aliis te multò minoribus obedire. Quapropter ex huius rei inaduertentia cõquereris quia ei es subditus, qui nõ scientia, & literis est imbutus, vt tu, Ionas Deo non obediuit: nam cùm præcepisset ei, vt abiret Niniuæ *Ion. 1.* ipse Tharsis se conuertit. O in quanta mala ille labitur, qui inobediens est: & omnia etiam illi contradicunt, qui nescit obedire. Terra noluit sustinere *Num. 16.* Dathan & Abiron, sed viuos deuorauit eos, simul cum vxoribus, & filiis, nam omnes simul rebellioni consenserunt. Ionam etiam aqua non potuit ferre, nec aër, nec nauis. *Philip. 2.* Aspice igitur Christum obe-

dientem Mariæ & Ioseph: & ita obediétem, vt Paulus de eo dicat, *Philip. 2.* Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: & hæc omnia pro te libentissimè sustinuit. Si subditi huius doctrinæ documentum vellent intelligere, gauderét certè prælato obedire: qui Dei vicem gerit. Sed de his aliàs.

¶ Expende etiam quantum & quàm magnã dignitatem habuerit beatissima virgo: cùm eius subditus fuerit ille, cui omnis creatura paret, seruit, & colit, quémque omnes angeli venerantur, & suspiciunt. *Et mater conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* *Diua Virgin. encomium.* Clariùs in hoc apparet quanta sapientia beata virgo fuerit prædita: nam stulti audita conseruare non possunt, *Eccl. 21.* iuxta illud sapientis, Cor fatui quasi vas confractum: & omnem sapientiam non tenebit. Præclara laus beatæ virginis potest hæc appellari. Nam mulierum ingenium est nihil prorsus tacere, sed tantùm id quod non norunt. Præterea non vnũ solùm sed omnia hæc verba conseruabat. Quo docemur, vt rapti in admirationẽ de his quæ in Christo videmus, & audimus, ipsum laudare debemus. Magnificare enim debet homo, extollere atque laudare ea omnia, quæ vel à Christo audit, vel in ipso conspicit. Et omnia hæc non modo audire, verumetiam conseruare operæpreciũ est, & animo secum reuoluere: nõ hoc aut illud, sed omnia. Sic fecit beata virgo quod diuus Lucas ipsius virginis laudi tribuit: quod quidem nõ immerito laude dignum est iudicãdum. Quid obsecro melius homo facere potest? aut qua re pius animus melius cognosci poterit? Imò & ipsemet Christus testatur, verbum Dei audire & conseruare, veri in Deum amoris esse argumentum: imò indicium esse hominis ex Deo nati, *Ioan. 8.* cùm inquit: Beati qui audiũt verbum Dei & cu-
Luc. 11. stodiunt illud. Quare nõ est mirãdum si diuus Lucas bis repetat Mariam hæc verba audire, & cõseruare illa. Nam suprà postquam pastores puerũ adorarunt, dixit, Maria conseruabat omnia verba hæc. Et iterum hæc eadem verba nunc repetit, cùm venerunt Nazareth. Primum respicit ea, quę de Christo dicebantur, Secundum ea quæ gessit. Duo hæc iam nobis veniunt consideranda. Quid de Christo dicatur, & quid ab eo factum sit. Ambo quippe ad perfectam Christi cognitionem pertinent: Quorũ alterum cùm consideratur, iam dimidia Christi cognitio attingitur. Vnde tot furta, tot flagitia, tot mendacia, &c. nisi quia nõ cõseruamus omnia verba, quæ à Christo dicuntur? Credimus, & cõseruamus, quæ dixerint pastores Simeõ & Anna scilicet, quòd Christus sit Deus & homo, lumen & gloria, &c. quia fidem horum habemus tãquam Christiani. Sed quæ Christus gessit, quæ operatus est, quæ in nostram eruditionem & doctrinam reliquit, vt humilitatẽ, obedientiam, paupertatem, prudẽtiam, & ea, quæ ad mores pertinent componendos, non
2 Tit. 2. curamus. Ideò non boni nec perfecti Christiani sumus: sed tales qui Christum ore confitemur, factis
Luc 6. autem negamus. Dicunt, Domine, domine, & quæ
1. Cor. 4. dicunt nõ faciunt, Cùm tamen Paulus asserat non in sermone esse verbum Dei, sed in virtute. Et diuus
Iaco. 1. Iacobus etiam, Non auditores verbi, sed legis fa-
Math. 25. ctores simus. Quinimo Christus à se fugat, & tan-
Math. 7. quã inutiles: proiicit virgines quæ lampades habebant sine oleo: & eos etiam qui in nomine ipsius miracula faciunt, dũ tamen perpetuò maneãt operarij iniquitatis. Quare si volumus, vt Christus nobis in salutem veniat: non secus ac Maria facere debemus: quæ non vnum verbum solum, sed omnia conseruabat, & nõ tantum ea, quæ ad fidem spectabant, sed etiã quæ ad bonos mores. Rursus piã domini matrẽ imitemur, quæ omnia filij facta diurna & nocturna assidua meditatione secũ reuoluebat. Fixiùs etiã & tenaciùs nobis memoriæ hæreant beneficia omnia, quę nobis cõtulit, & quotidie cõfert, liberando nos à peccatis, & cõmissa remittendo, vt vel hac exercitatione post hac, vitã in meliùs mutemus, & in meliorem mentem resipiscamus. *Et Iesus proficiebat sapientia.* Quoad intellectum, quamuis etiã ab instãti cõceptionis quatenus homo plenus esset sapientia patris. Sed proficiebat sapientia illa, quæ per experimentum adquiritur. *Et ætate.* Quo ad corporis incrementum. *Et gratia.* Quo ad voluntatem & affectum. *Apud Deum.* Ad gloriam, scilicet, Dei & laudem. *Et homines.* Hominibus verò ad salutẽ proficiet semper. Ad laudem inquam Dei: & ad hominum salutẽ proficiebat. Agebat enim ea, quæ Deo placita erant: & quæ laudabantur ab hominibus.

¶ Obserua autem quòd sapientia experimentali Christus proficiebat, vt Paulus ait. Didicit ex his, *Hebræ. 5.*
quæ passus est obedientiam. Optimus quidem modus discendi obedientiam, est per experientiã. Nam videbis theologum egregiè de obedientia disputãtem & cõcionantem: si autem ei præcipias aliquid facere, quod eius nutui nõ arrideat, statim sicut vipera insurgit. Ideò Christus etiã si rectè sciret, quid esset obedientia, per experientiam voluit eam discere, Ille qui postquàm chirurgiam didicit, gladio cæditur, cùm ipse in curatione dolorem iam sit expertus, quando ipse alios curat, dolet, & pietatẽ habet. ¶ Dico etiam quòd proficiebat sapientia & gratia coram hominibus, quia per actus proficiscẽtes à sua sapientia & gratia habituali, quanto plus ætate crescebat, magis nobis merebatur. Maiorem enim gloriam & gratiam meruit nobis Christus in die illa, qua crucifixus fuit quàm in die, quo in templo disputabat. Ideò gratia, gloria & ætate indies magis proficiebat prædicando, orando, ieiunando, & morti pro nobis se offerendo. Et etiam si illa tria substantiua ablatiui sint casus, & hunc sensum reddat illa oratio: scilicet, quòd proficiebat in ætate, in gratia, & in sapiẽtia: sed meliùs est dicere quòd sunt effectiui casus, & hunc sensum reddere. Quòd Christus proficiebat nobis magis quotidie adquirens maiora merita nobis coram Deo. Et hoc meritum sua sapiẽtia efficiebat, & sua gratia. ¶ Expende etiã quod priùs dixit, coram Deo, & posteà corã hominibus: quia priùs Deo oportet placere & posteà ho-
minibus. Sic inquit Paulus, Prouidemus bona non *Rom. 12.*
solùm coram Deo, sed etiam corã omnibus hominibus. Docet etiã hîc Christus à primis iustitiæ rudimentis semper debere progredi ad perfectiora. Quẽadmodũ enim corpus habet actus suos, quousque ad perfectũ staturæ modum perfectásque vires deueniat. Ità & pietas incrementa habet donec perfectionẽ attingat & plenitudinẽ Christi. Grandis fit Christus in nobis, & adolescit cũ perfectionem acquirimus cum iam relicto lacte carnis, solidum cibum spiritus appetimus, cum relictis, & neglectis terrenis ad cœlestia aspiramus. Igitur qui semel Christum induerit, oportet ad illius exẽplum semper ad meliora progredi: quo simul & animi puritate sese Dei oculis gratũ efficiet, & famã honestã sibi apud homines parabit. Ità vt de eo, quéadmodũ de Samuele possit dici, Puer Samuel proficiebat

atque crescebat, & placebat tam Deo, quàm hominibus. Sic Dauid erat proficiés, & seipso robustior. (1. Reg. 2.) (2. Reg. 3.) Ne igitur semper pueri simus, sed quotidie in melius proficiamus. Sic Paulus, Cùm essem paruulus (1. Cor. 13.) loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus: cùm autem factus sum vir, euacuaui quæ sunt paruuli. (2. Pet. 3.) Diuus etiam Petrus vult nos conari, vt assiduè crescamus in gratia & agnitione Dei. Paulus flexis genibus orabat pro fidelibus Deum, (Ephes. 3.) vt secundum sanctum suum spiritum, iuxta internum hominem, corroborari possent. Hoc igitur est quod homo Christianus apud se debet statuere, nempe quod de Christo puero dictum est, scilicet, quòd non solùm corpore atque viribus, verumetiam gratia & spiritu ac cœlestibus donis creuerit & auctus fuerit. Deprecemur igitur Christum, vt nobis gratiam & auxilium præstet, vt proficere possimus: euntes (Psalm. 83.) de virtute in virtutem, vt postea videamus Deum Deorum in Sion. Quod faxit Deus, vt nobis omnibus contingat. Amen.

CAPVT III.

Sicvt Euangelista Lucas antequam scriberet annunciationem Christi factã per angelum, & ipsius natiuitatẽ, præmisit annunciationẽ & natiuitatẽ præcursoris tanquam priora: sic modò scripturus prædicationẽ Christi, præmittit beatissimi Ioãnis prædicationem. Nã sicut beatus Ioãnes suo ortu Christi natale præuenit, ita prædicans baptismum pœnitentiæ, corda hominũ disposuit, ad suscipiendum Christi baptisma. Baptismus quippe Christi & prędicatio non erat res tam parui momenti & ponderis, quin priùs aliquis magnus, & egregius concionator anteiret, qui hominum corda pararet & disponeret. Expediebat etiã vt hoc insigne opus, quale erat Christi redemptoris nostri prædicatio alicui priùs manifestaretur: qui ipsum Christum præueniret, & mũdo annunciaret. (Amos. 3.) Sic enim est scriptum. Non faciet dñs Deus verbũ: nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas. De eis nãque quæ maximi sunt põderis, & momẽti, amicos suos (Genes. 6.) prophetas Deus certiores facit. Sic Noë mũdi euersionem per aquas diluuij futuram reuelauit. Sic A(Genes. 18.)brahæ incendium Sodomæ. Sic Mosi quando missurus erat Iudæis manna. (Exod. 16.) Ita etiam iustum & consentaneum rationi erat, vt tantum atque tam magnum beneficiũ facturus mundo (vt erat regni Dei prædicatio) priùs alicui sancto & dilecto prophetæ tantum opus manifestaret. Cùm igitur aduẽtus hic tanti præcursoris adeò esset solennis & celebris in veteri instrumẽto, vt ad literam de eo dixerit Mala(Malach. 4.)chias, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te, ita etiam noster Lucas debita maiestate & splendore exitum (Mala. 4.) diui Ioãnis à deserto scribit, prædicaturi pœnitentiam, & aduentum redemptoris prædicaturi, dicẽs, *Anno quinto decimo imperij Tiberij Cæsaris.* Peractis bellis ciuilibus, & Põpeio magno superato, omnibus est notum Romani imperij sceptrum Iulium Cæsarem habuisse. Cui successit Octauianus dictus Cæsar Augustus, qui quinquaginta septem annis imperauit, & reliquit successorem hunc Tiberium filium Liuiæ vxoris Augusti Cæsaris. Anno verò quadragesimo secundo imperij Augusti Cæsaris Christus, & Ioãnes nati sunt: si verò regnauit quinquaginta septem annis, & diuus Ioann. exierit prædicaturus in desertum decimo quinto anno imperij Tiberij, manifestè constat, Ioannem trigesimum egisse annum, quando iam incepit prædicare: nam quindecim Octauiani & quindecim Tiberij trigesimum numerum implent: in qua ætate Christus & sanctus Baptista exierunt prædicare. Hunc eundem annorum numerum compleuerat Ioseph, quando (Genes. 41.) steterit coram Pharaone. Eundem Dauid cùm regnare incepit. (2. Reg. 5.) Et in hac ætate vidit Ezechiel mirabiles (Hieron. in pro. Eze.) visiones, & vaticinari & prædicare incepit: nam iuniorem ætatem neque prælati officium postulat, neque prædicationis munus decet. Non sic multi iuuenes hac nostra tẽpestate faciunt, qui cùm primum theologiam degustarunt, statim concionari volunt, & aliis suam scientiam ostentare. Nonne beatus Ioannes decimo quinto, vel decimo sexto suæ ætatis anno prædicare potuisset? Nonne Deo plenus, & ipsa diuina sapiẽtia illi erat infusa? In hoc quidem ambitionem adolescẽtum huius temporis reprehendit: & docet prædicationis euãgelicæ munus non nisi perfectis hominibus committendam esse. Vt poma immatura, quæ ab arboribus vento deiiciuntur, quæ nec suauitatem habent: nec stomacho prosunt, quæ verò sunt matura, hæc grata & suauia sunt: sic concionatores isti iuuenes, nec dulcedinem habent spiritualem, nec vtilitatẽ mentibus afferunt: sed quæ sunt tempore maturo è sacris literis collecta hæc vtilia sunt & salubria.

¶ Obserua secundò quòd non dixit, anno regni Tiberij, sed imperij. Romani antiquitus à regibus gubernabantur: posteà verò cõmoti tyrannide sexti Tarquinij vltimi eorum regis noluerũt reges acceptare: sed per senatum & cõsules, quos ipsi eligebant, regebantur. Et Iulius Cæsar qui imperiũ Romanum vsurpauit, cùm sciret nomen regis illis esse odiosum, noluit rex appellari, sed imperator. Vnde videre licet, quomodo Romani vt minus malum euaderent, in aliud maius inciderunt: nam imperatoris nomen maiorem superbiam & arrogantiam dicit, quàm regis nomen: quandoquidem regere & gubernare maiorem humilitatem præ se fert, quàm imperare, & præcipere, quod nomen dominium & imperium significat. Ita etiã & hodie multis cõtingit, qui vt minora mala fugiãt, in maiora incidunt. Vnde sanctus Iob, Qui timet pruinam: veniet super (Iob. 6.) eum nix. Timent præsentis vitæ pœnas, & futuræ tormenta nõ pauent. Nam pruina in his inferiorib. fit: nix autem de superioribus venit. Quocirca per pruinam intelligit Iob mala præsentis seculi, per niuem autẽ tormẽta quæ peccatoribus in alia vita restant: cúmque peccatores huius mundi labores fugiant, cæci & amentes in æternos præcipitantur. Illic enim trepidauerũt timore, vbi non erat timor. (Psal. 13.) Sic etiam multi peccatores infœlicem corporis valetudinem timẽt, vel paruum etiam dolorem capitis. Vnde nec ieiunare vołũt, nec corpus suum macerare: peccata autem & animæ grauissimas ægritudines nõ timent. Hi homines infantibus, & pueris similes sunt, qui araneam vel paruum quoddam aliud animal timent, in ignem tamen manus conieciunt. ¶ Tertiò aduerte (si Suetonio & aliis historiographis credideris) hunc Tiberium crudelissimum hominem fuisse, homicidam, impium, & omni scelere contaminatum. Vide obsecro & diligenter considera quàm parui faciat dominus huius sæculi diuitias, gloriam, & honores: quãdoquidem homini

homini tam ſcelerato ea omnia commiſit. Nam ſi hæc bona terrena alicuius eſſent pōderis, vel in ali- *Math. 4.* quo pretio eſſent habenda, non ita facile Chriſtus ſuis diſcipulis & charis amicis iuſſiſſet ea relinquere, nec ea cōcederet iniquis & perditiſſimis hominibus, Tiberio, ſcilicet, Caligulæ, Claudio, Neroni, Cōmodo, Heliogabalo, & aliis ſimilib⁹. Hæc enim terrena quæ tu bona appellas, & quæ quæris, & de quibus ſollicitus ambulas: ſine dubio ſtercora ſunt & furfures domus Dei. Vis ne vt liquidò tibi cōſtet, quàm nihili Deus omnia hęc pendat? Abſtulit vniuerſa illa dominus à nimis charo & dilecto amico *Iob. 1. & 2.* ſuo Iob, petitione facta ab impio & crudeliſſimo *Geneſ. 25.* inimico diabolo. Rogauit dominū Satan, vt vniuerſam ſubſtantiam Iob euerteret, ſtatimque dominus id conceſſit. Abraham filiis cōcubinarum largitus eſt munera: Iſaac verò primogenituram & omnem ſupellectilem hæreditauit. Ità dominus ſpuriis filiis qui de huius ſæculi diuitiis & honorib. tantū ſunt ſollicitì hæc terrena bona cōcedit: bonos autem & legitimos filios qui vana & caduca huius mūdi cōtemnunt, diuinis & nunquam perituris diuitiis auget, & locupletatos reddit. Contēti ſint mali, & ſatis illis ſint bona hæc fluxa & caduca terræ: ab hæreditate verò cœleſti alienētur, & ſemoueātur. bona nāque illa diuina, ſolis filiis charis amicis reſer- *Pſalm. 72.* uantur. Audi Pſalmiſtam, Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo obtinuerūt diuitias. Vnde ex hoc loco diſcere debes, vt terrena deſpicias, contemnas, & pro nihilo facias: cœleſtia verò ames, diligas, & omni ſtudio proſequaris. Hæc quippe, quā mundus opulentiā, copiam, abundantiā, & diuitias vocat, non niſi ſumma paupertas, mēdicitas, & indigētia eſt. Ne obſecro in ſtercus huius ſæculi oculos nec mentē coniicias: ſed in ſolum Deū animum tuum conuerte: ſiquidem erecto vultu teipſum dominus cōdidit, vt ad cœleſtia ſemper aſpirares. Cū enim cōmodum & vtilitatē tuam Deus reſpiciat, omnia ea, quæ tibi ſunt opus ſuper terrā cōſtituit, vt panis, vinū, & caro, vt facili negotio ea poſſes adipiſci: ſuperflua verò vt ſunt aurū, & argentū, ſubtus terram abſcondit, ne ipſa vehementer cupias & deſideres. Ne ſeriò futilia & ridicula ames & quæras: nam egregius pſaltes vehementi raptus admiratione. cum videret ea quibus homines tā auidè & an- *Pſalm. 4.* xiè ſtudent, inquit, Fili hominum vſquequo graui corde: vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quaſi diuinus vates vellet hominū amentiam explicare, ac ſi diceret, Cū ſitis filij hominū, rationis, & intellectus participes: ne quaſi ratiōis expertes ſitis, cōſtituentes vltimum finem in his terrenis & perituris: quādoquidē à terrenis bonis fruēdis condicti & effecti eſtis. Mendaciū amas cū terrena amore proſequeris: aurū nanque & argentum etiam ſi hominum oculis alicuius ſit æſtimationis, vile tamen & nullius momenti dominus iudicat.

Meſſiæ aduentus. *Procurante Pontio Pilato Iudæam.* His verbis manifeſtiſſimè oſtendit beatus Euangeliſta Chriſtum eſſe verū Meſſiā promiſſum in lege. Vnde operæpreciū eſt aduertere, inter Iudæos duas ꝓphetias fuiſſe celebratiſſimas circa aduentum Meſſiæ, quē expectabant, Altera erat illa Iacob, Nō auferetur ſceptrum *Geneſ. 49.* de tribu Iuda, &c. Altera verò non minus celebris *Deut. 18.* illa erat, quæ habetur in Deuteronomio, Prophetā ſuſcitabo eis de medio fratrū tuorum ſimilē tui: & ponā verba mea in ore eius. Quæ duæ authoritates ſecundū omnium rabinorū ſententiam de Chriſto, & de ipſius aduentu intelliguntur. Altera nanque iſtarum aiebat, Meſſiam venturū eſſe, quādo nullus eſſet rex in Iudæa, altera verò hūc Meſſiā magnum futurum prophetam, & oriundū ex Iudaico populo. Deum enim repreſentare debebat futurus Meſſias, alterum ſcilicet quod futurus eſſet propheta & natione Iudæus: alterū verò eſſe venturum, quādo nullus eſſet rex naturalis in Iudæa. Naſcitur Eſaias propheta in Hebræo populo: ne autē aliquis falsò exiſtimaret ipſum eſſe Meſſiā, in principio ſuæ prophetiæ inquit, Viſio Eſaiæ filij Amos, quam vidit *Eſai. 1.* ſuper Iudam & Hieruſalē: in diebus Oziæ, Ioathā, Acaz, & Ezechiæ regū Iuda. Ac ſi prudens diceret, Etiā ſi ſim propheta & à vobis ortus, ne tamen putetis me eſſe Meſſiā: nam ego prædicare & prophetare incipio naturalibus regibus Iudææ ſceptrū & imperium tenentibus. Et Ieremias etiam, Verba Ie- *Ierem. 1.* remiæ filij Helchiæ de ſacerdotibus qui fuerunt in Anatoth, in terra Beniamin. Factum eſt verbū domini ad eum in diebus Ioſiæ filij Amon, regis Iuda. Baruch quoque legit. Verba libri huius ad aures Ie- *Baruch. 1.* coniæ filij Ioachim, regis Iuda. In Ezechiele etiam *Ezec. 1.* habetur, Ipſe eſt annus quintus trāſmigrationis regis Ioachim. Et Daniel, Anno tertio regni Ioachim *Dan. 1.* regis Iuda. Quod ſi diligēter alios prophetas reuolueris, inuenies omnes prophetaſſe tempore, quo erant reges vel duces de tribu Iuda qui populū gubernarent. Non enim defuerūt ante Chriſtum natum in illo populo reges vel duces, qui regerent Iſraelē: vt ſtatim initio huius operis oſtēdimus. Igitur prophetæ ſancti vt tollerent à populo ſuſpicionem, ne aliquem ipſorum putaret eſſe Meſſiā (cùm inter illos nati & educati eſſent) diligēter literis mādarunt reges Iudæ, ſub quorum dominio prophetabant. Sed diuus Lucas oſtendit diuum Ioannē prædicantem maximū illum prophetā promiſſum Iudæis. Sed ſub quo rege Iudæ? Procurāte (inquit) Pōtio Pilato Iudæā. Iam nō eſt rex in Iudæa, nō eſt ſceptrum regale, nō eſt corona. Sed quid? procurator quidam, ſiue prorex, quem hodie conſtituit imperator: quem etiam ſi ſequenti die libuerit auferet, ipſe autem non naturalis, ſed ex populo gentilicio, & aduena erat. Vides igitur quomodo in quouis euangeliſtæ verbo magnum claudatur myſterium?

¶ Conuincit hic Iudæos, & ipſorū cæcitatē repre- *Ignorātia & cæcitas Iudæorū vnde.* hendit, probátque ex ipſorū prophetiis & teſtimonüs Chriſtum eſſe Meſſiam: quem ipſi expectabāt. Nihilominus ipſi tam cæci & tam ignorantes ſunt, vt nolint cognoſcere ſuum ſaluatorē: mittunt nuncios, qui interrogēt diuum Ioannē, an ſit ipſe Meſ- *Ioan. 1.* ſias in lege promiſſus: cùm ſecundū rei veritatē potius deberēt diuo Ioanni credere dicenti Ieſum eſſe verum Meſſiā, quā ſi de ſeipſo id affirmaret. Nā teſtimonium quod aliquis de ſeipſo exhibet, non tātum fidem facit, quantam haberet ſi de altero id affirmaret: & ſiquidem Iudæi diuo Ioāni credidiſſent ſi dixiſſet ipſum eſſe Chriſtum, potiori ratione Ioānis verbis debebāt adhibere fidē dicētis Ieſū Chriſtum in lege promiſſum. Sed vnde Iudæis iſtis tāta proueniebat cæcitas & obſcuritas? Ex peccatis quidem, vt Sophonias aiebat. Ambulauerunt, vt cæci, *Sopho. 1.* quia dño peccauerūt. Mundanis nāque & terrenis dediti, ſolùm externa cōſiderantes, Chriſti paupertatem deſpiciebāt: & quia pauper & humilis venit id fuit in cauſa, vt eum nō cognouerint: ſimiles illi qui manū ſupra oculos ponit, ne ſolis radiis offendantur: nec ab ipſo illuminentur. Ita etiam hi inter ſuum

ter suum intellectum & diuinam lucē pessimā cōstituerunt, & ideò obtenebrati sunt, & cæci facti, & ita cæci vt cùm viderent omnes prophetias, quæ de ipso loquebantur, iam adimpletas esse, cúmque etiam ipsum Messiam coram oculis haberent, illum Ioan. 9. ignorabant. Ego veni (inquit Christus) vt qui non vident videant: & qui vident, cæci fiant. Oculi nanque vanitatis mundi allucinati rerū mundanarum amore: diuinam & inaccessibilem lucem non valēt intueri. Hæc est illa cæcitas & obscuritas, quā mi- Exod. 10. sit dominus in Aegyptios: de quibus scriptura asserit, neminem spacio trium dierum fratrem suum vidisse, nec ab vno loco motum fuisse. Nisi Iudæi isti cæci essent, non vtique in suo euangelio Ioannes dixisset, Mundus Christum non cognouit. Non Ioan. 1. mirum erat, quod ita cæci & deliri erant in cognitione Messiæ: siquidem tantum pondus pulueris amoris mundi, carnis, & sanguinis, oculis suis inie- Thre. 4. cerant, de quibus Ieremias dixit, Errauerunt, vt cæci in plateis. Iniquioris conditions est hæc cæcitas, quàm quæuis alia corporalis: nam qui corporis cæcitate laborant, seipsos agnoscunt, at qui interiori Ioan. 9. cæcitate tenentur, existimant se videre, cùm nihil videant. Quocirca redemptor noster his dixit, Si Eccl. 21. cæci essetis, non haberitis peccatum: nunc verò dicitis quia videmus, ideò peccatum vestrum manet. Caue & tu tanquàm à facie colubri à peccatis: ne in hanc teterrimam cæcitatem incidas: vt Deum Genes. 12. & 15. non cognoscas, & teipsum ignores, &c.

Translatio regnorum.

¶ Expende etiam quòd hæc terra Iudææ vbi Pilatus præsidebat, illa erat, quam olim Deus Abrahæ promisit, cùm dixit, Ego sum dominus qui eduxi- Iosue. 7. te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram hanc, vt possideres eam, Iosue autem possessionem huius terræ tradidit filiis Abrahæ, postquàm Moses eduxit illos de Ægypto. Sed aspicite quomodo Deus aliis regna propter sua scelera tollit & aliis tribuit: quod videri potest in Saule, cui dominus regnum hoc de quo loquimur, sustulit, Dauidi autem con- 1. Par. 10. cessit: secundùm illud quod scriptum est: Mortuus est Saul propter iniquitates suas eò quòd præuaricatus est pactum domini, & non custodierit illud: propter quòd interfecit illum, & transtulit regnum eius ad Dauid filium Isai. Cùm Saul rectitudinem animi seruabat, dedit illi regnum: at cùm à mandatis domini recessit, regno orbatus est. Quod cum Dauid rectè animo perpendisset, dixit Salomoni 3. Reg. 2. successori ipsius cùm morti esset propinquus, Obserua vt custodias mandata domini, vt confirmet dominus sermones suos quos loquutus est de me dicens, Si custodierint filij tui viā meam, & ambulauerint in veritate: non auferetur tibi vir de solio Israel. Cùm enim rex præsidem aliquem constituit siue ciuitati siue arci, beneficium illud donat illi & successoribus illius: dūmodo tales ipsius regis non sint proditores: nam si sint, vitam simul & gratiam datam amittunt. Ita dominus dedit Abrahamo hāc terram, & ipse fuit primus, & fidelissimus præses: posteá verò Isaac. Iacob & alij ipsius successores fideles, & recti, quos dominus in officio sustentauit. At cùm traditores essent, abstulit dominus ab eis possessionem, & dedit eā Romano imperatori: qui dominiū ipsius tenebat, quique hunc præsidem illi constituit. Similiter Deus nobiscum faciet: si ipsius præcepta nō seruauerimus. Atque ita debent intelligi omnia à Deo nobis promissa, ea lege vt quæ ipse præcipit, diligēter obseruemus. Peccata Iudæorum eos in tam infœlicē statum adduxerant & ita tu si in peccatis persistiteris, exul à gloria in miseram captiuitatem incides. Audi dominū, Filij regni eii- Math. 8. cientur foras. Nec inertia detentus in hæc insaua & amētissima verba prorumpas. Christianus sum, vita æterna mihi hæreditas est, ad regnum sanctum pertineo: mihiq; iure proprio debetur, nāque quēadmodum promissam terram Iudæis abstulit propter scelera & flagitia quibus seipsos cōtaminarūt, ita regnum gloriæ (quanuis tibi promissum in hæreditatem sit) non dubitabit auferre, nisi tanquam filius Dei sanctis vitæ documentis & institutis vitā tuam composueris. Sed iam hystoriam prosequamur. *Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autē fratre eius Tetrarcha Itureæ & Traconitidis regionis, & Lisania Abilinæ Tetrarcha.* Inter plures filios quos magnus ille Herodes Ascalonita habuit, post ipsius mortem soli tres viui remanserunt, Archelaus, scilicet, Herodes, & Philippus: cæteros nanque ipse dum viueret interfecit. Post mortem patris cōtentio fuit orta de regni successione. Cæsar in quatuor partes regnum Iudæorū diuisit, dans Archelao Iudæam & Idumæam, Herodi Galilæam: & Philippo, Ituræā, & Traconitidem regionē: & sic Tetrarchæ facti sunt. Tetrarchia enim quarta pars regni est, & Tetrarcha vocatur princeps quartæ partis regni: Archelaus autem qui in Iudæa regnabat suis erigētib. sceleribus à regno eiectus, & relegatus est: túnque Iudæa administrata fuit per procuratores Ethnicos, quorum primus fuit Componius, secūdus Annius Rufus, tertius Valerius, quartus Marcus, quintus verò Ioseph li. 3. de bel. Iud. ca. 16. Pōtius Pilatus qui teste Iosepho anno duodecimo Tiberij Cæsaris procurator Iudeæ constitutus est: cuius tempore cū Herodes & frater eius Philippus essent Tetrarchæ, venit Ioannes prædicās baptismū pœnitentiæ, porrò aliqui dixerunt Lisaniam istorū fratrē fuisse, & filiū Herodis Ascalonitæ: alij vero eius nepotē, vtpote filiū Ptholomæi cuiusdā ex Alexandria sorore præfati Herodis. Quomodocunque autem illud sit, parū ad propositū refert. Sed his dimissis ad nostrā eruditionē aliqua sunt obseruāda.

Malè partū malè dilabitur.

¶ In primis quomodo ij qui iniquo & prauo animo dignitates, honores, & diuitias acquirunt, & mala fide possident breui tempore iis fruantur. De rebus enim male acquisitis, non gaudebit tertius hæres. Ingræssus est Herodes Ascalonita in Iudæā per tyrannidē, & regnū iniustè vsurpauit: at iusto Dei iudicio nondū mortuus erat, cū iā regnū in quatuor partes diuideretur: & præcipuā regni partem, quæ erat Iudæa per procuratorē regitur, & gubernatur, qui aduena & gentilis erat. Ex quo docemur, vt nihil in hac vita malis artibus & dolo acquiramus: nam quod mala fide possidetur, diu stare nō potest: nec quod inhonestū est, vtile vllo pacto esse potest. Quod omne sacræ paginæ testimonio & exemplo Iudi. 9. apertissimè demōstrari potest. Nam Abimelech Gedeonis filius qui regnandi cupiditate septuaginta fratres interfecit miserū & infœlicem finē sortitus est: quippe qui à muliere fuit occisus. Vide etiam 3. Reg. 12. quem exitū habuerit Hieroboā, qui aduersus dñm 4. Reg. 9. suum Roboam surrexit & vitulos aureos confecit, 4 Reg. 11. quos populus adoraret: vt se tueri & cōseruare posset in regno suo. Idē exemplū tibi afferā de Achab: cuius domū diripuit Iehu & neminē viuū reliquit. Idem contigit Athaliæ: & omnibus illis qui malo titulo dominari voluerunt. Et hoc etiam quotidie experimur in hominibus ecclesiasticis, qui bonis ecclesiæ

ecclesiæ & pauperum rem suam & substantiam augent & amplificant, & memoriam sui in hac vita relinquunt, quocirca permittit dominus, vt his bonis hæredes prodigi & epulones succedát, qui illa breui temporis spatio deuorent, & consumant.

Mundus nūquā ita vitiosus quin aliqui reperiantur boni.

¶ Aduerte etiam quòd omnes hi principes, & sacerdotes quos euangelista describit flagitiosissimi homines fuerunt, & supra quàm dici potest grauissimis peccatis impliciti: qui dignas factorum in inferis pœnas luunt. Qui cùm mali essent & ipse populus pessimis moribus erat imbutus, vbi pauca vel nulla prorsus iustitia locū aliquem vendicabat. His igitur temporibus Baptista quidem inuenitur omnigena virtutum supellectile abundás, & claris vitæ potentiis illustratus: nam etsi reliqui omnes mali sint, nihil vetat quin tu bonus, & sanctus esse possis. Nec ideò inferas, te iniquum & sceleratum esse, nec ad bonam vitam te applicare posse, quia reliqui perditionis viam & iter inferni elegerunt: quandoquidem cum isti mali essent, Ioánes iustus inter eos inuentus est. Nequissimi erant homines tempore Noë, ipse verò sanctus, cui dominus dixit,
Genes. 7. Te inueni iustum coram me ex omnibus gétibus. Et in terra Hus, vbi omnes iniquitatem sectabátur,
Iob. 1. inuenitur Iob vir rectus, & iustus: vt meritò beatus
Greg. lib. 1. mor. cap. 1. Gregorius annotat & póderat super sanctum Iob. Quòd si iniquorum & flagitiosorum consortium, & amplexus, tibi ipsi culpam impures, non temporum iniuriæ: quádoquidem in quocunque tempore rectum vitæ tramitē insequi poteris, vt fecit sanctissimus Baptista eo tempore quo perditissimus erat mundus, quomodo tam sceleratis & iniquis hominibus regebatur? Quid enim obsecro nocumenti aliena iniquitas tibi iniicere potest? Audi Petrum Ecclesiæ principem & antistitem summum,
1. Pet. 3. Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter iustitiā beati. Nihilo seciùs tamen etiam si in mundo plurimas tyrannides videas, & habentes sceptrum nulla puritate cōscientiæ inductos, non ideò virtutem (quæ per se ipsam pulcherrima merces est) deseras, & abiicias. Sed ad id vnū oculos efficaces moueas. Deū esse iustissimum & æquissimum iudicē, qui singulorum opera metitur & debita solutione rependit. Nunc autem patiens esto & cum videas mala principum & prælatorum pro eis ad dominum ora & semper virtutum gradibus insiste: & cùm videris in hoc sæculo iustitiam periclitari mentem & oculos
Psalm. 70. in cœlum reuoca, & cum Psalmista dic, Introibo in potentias domini, memorabor iustitiæ tuæ solius. Id solum Deo relinque vbi iustitiæ lumen habitat: etiam si nullum in terra appareat.

Discordia exitium regni Iudaici.

¶ Propterea, hæc diuisio significabat, citò vniuersum regnum venturum esse in ruinam. Nam venit illa Christi sententia adimplenda, Omne regnum
Luc. 11. in se diuisum desolabitur, vt experimēto in Iudæorum regno demōstrari potest. Discordia enim quæ orta fuit inter hos fratres Herodis Ascalonitæ filios, fuit in causa vt regnū diuideretur: diuisio autem initium fuit vtriusque deuastationis regni. Nam concordia paruæ res crescūt: discordia verò maxi-
Genes. 11. mę dilabuntur. Si linguarū discordia illud magnificum & superbum opus turris Babyloniç destruxit: quátò vehementiùs voluntatū discordia, omnia destruet? Ad generationem rerum naturalium necesse est, vt conueniant elementa, & sedata discordia inter se quadam amicitia copulentur, ex qua vnita concordia gignūtur lapides preciosi, aurum, & argentum, & cætera metalla pulchra; quæ meritò, & ipsorum conditorem & summum opificem, admirantur. Quid Apollineæ facultatis dogmata & canones docent: nisi ex cōcordia quatuor humorum rectam valetudinem & incolumitatē corporis constare, ex discordia autem mille ægritudines, dolores, & mortem prouenire? In quo enim recta ratio Musicæ consistit, nisi in cōcordia, & harmonia vocum? Natura vt docta rerum omnium magistra in lapide Thirreo hoc insinuare voluit qui in aquam coniectus, si integer sit, quanuis magnus enatat: at verò diuisus in profundum demergitur. Sic nos integri & concordes permanemus, diuisi verò & discordes submergimur & deperimus. Vnaquaque acies suum habet vexillū, quo cognoscatur, & quęlibet nobilis familia suum stemma: sic Christiana familia amorem & concordiā habet signum. Ideò redemptor noster, In hoc cognoscent, quod mei di- *Ioan. 13.*
scipuli estis, si dilectionem habueritis adinuicem. Experimentum in capite alieno debemus facere, cùm videamus hos fratres causa inimicitiæ & iurgij regnum patris perdidisse: tenemúrque pacem & amorē diligere, quem Christus summopere commēdauit. Obserua rursus Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, & reliquos prophetas nominasse reges Iudææ tantum, scilicet eos in quorū temporibus prophetabant: nam eorum doctrina & prędicatio præcipuè in illum populum Iudæorum dirigebatur. At beatus Euangelista, hîc ponit reges, & principes, tam Iudæos quàm gentiles: nam Christus vtrique populo venit, & euangelica prædicatio Iudæis & gentibus datur. Scripsit Tiberium qui imperator & dominus orbis erat: siquidem prædicatio Euangelij per ministerium apostolorum nota vniuerso mundo debebat fieri. Mortuus est Christus, vt omnes saluos faceret, & omnibus legē suam dedit: & ita decebat, vt in hoc loco mentio fieret omnium principum tam Iudæorū, quàm gentilium. Et quia Christus non solùm rex erat, verumetiam summus sacerdos, numerat etiam sacerdotes, qui tunc in tēplo ministrabant, dicens, *Sub principibus sacerdotum Anna & Caipha.* Sacerdotium statui sæculari præstat & maior quidē authoritas in Papa residet, quá in cunctis regibus & imperatoribus mūdi. Sed cum maiori honore digni sint: priùs Euangelista scribit principes sæculares, & in vltimo loco hos summos sacerdotes: & id nō sine diuino cōsilio, vt videas quátum de alicuius dignitate & honore peccata minuant. Fuerunt nanque isti Pontifices Annas & Caiphas simoniaci, & ita digni fuerunt tali dedecore quod præferuntur illis nequissimi sæculares & peccatores. Quot sunt etiam nunc in Ecclesia Dei sacerdotes, religiosi, & Episcopi, quibus corā Dei oculis multi publicani & pecca- *Mat. 8.*
tores præferuntur: Vtinam multi sæculares nobis post terga relictis, victoriam regni Dei non deferant. Quocirca diuus Paulus, nobiscum loquitur dicens, Nemini dantes vllam offensionem, vt non *2. Cor. 6.*
vituperetur ministerium nostrum. Vnde si sæculares digno honore non afficiunt nos: id euenit quia vident nostra opera suis non præferri: nam conspiciunt nos garrulantes, confabulantésque sicut ipsi: vident etiam nos epulari, & iocari, sicut ipsi: atque ita paruifaciunt, & contemnunt nos.

¶ Aduerte etiá quòd summus sacerdos secundùm legem perpetuus erat, & pro toto tempore suæ vitæ funge

tæ fungebatur officio at tãtum inualuerat ambitio & cupiditas, vt singulis annis singuli sacerdotes eligerentur: & ita tẽpore, quo beatus Ioannes incepit prædicare, erat Pontifex Annas. Anno verò quo Christus mortuus est, obtinebat Pontificatũ Caiphas: & propterea, vtrũque beatus Euãgelista nominauit. Herodes nanque cùm videret cõmodum & vtilitatem inde sequi, venale fecit sacerdotium. Ex quo liquido constat, quanta suboriantur mala. Erat enim Herodes, sicut & cæteri reges sub tributo Imperatoris Romani, & etiam muneribus & donis emerat regnum, & principatum comparauerat: ideò opus erat, vt omne hoc surriperet à templo. Sicut modo qui officia emunt, necesse est vt iustè vel iniustè substantia pauperum & plebis soluantur. Quod graue malũ in multis prouinciis cernimus. Altera ratio est quia cũ officia venundentur pecuniis, ab indignis plerunque possidẽtur: quãdoquidem non meritis talis hominis attenditur, sed pecuniæ suæ. Altera est ratio, quia is qui officiũ emit, pondere tributorum & pecuniarum oneratur, vt soluat pactum & conuẽtum. Sic Herodes pecuniis & redditibus Ecclesiæ sua debita vult persoluere. ¶ At si iniquè agebant hi principes sæculares dantes sacerdotium pro pecuniis: quãtò peiùs ipsi clerici faciebant, siquidem pecunias pro pontificatu exhibebant. Contemplare obsecro qualiter tum temporis Ecclesiæ conditio & status iacebat. His igitur calamitosis & miserãdis temporibus eximij prædicatores venerũt, Christus Redemptor noster & beatus Baptista. O vtinam & nunc dominus Iesus dignaretur ex alto descendere vt Ecclesiam suã visitaret! Magna quidem alia peccata fuerant in Israel, quibus medẽdis misit dominus Esa. postea verò misit Heliam, Helisæum. Hierem. Ezech. & alios plurimos & sanctos viros. Nunc verò cũ sapientissimus ille atque expertus medicus videret ægritudines vsque ad interitũ peruenire, cũq; intueretur ipsos sacerdotes, qui aliis deberent esse exemplo, auaritiæ, ambitioni, & simoniæ deseruire: ipse proprius de cœlo descendit, vt huic pestilenti morbo pharmacum adhibeat: & ante se mittat, nõ quemcunque concionatorem, sed magnum & sanctitate præexcellẽtem, vt corda hominum disponat, & sacerdotum vitia reprehendat: post illum verò Christus venit vt peccata ministrorum tẽpli propulset. Quocirca cùm dixisset Euangelista, quòd Annas & Caiphas erant Pontifices, cùm solus vnus deberet esse perpetuus: statim apponit remedium, & egregium quendam & sanctissimum hominem, dicens, *Factum est verbum domini super Ioannem filium Zachariæ in deserto.* Quot reges & principes designat hîc Euangelista, vt dicat, Christum misisse Ioãnem prædicaturum? Cùm Christi natiuitatem scripsit, tãtum Romani Cæsaris meminit: Ioannis autẽ natiuitatẽ narrat nullius principis facta mẽtione: cùm verò prædicationis officium recenset, non tantum Cęsaris, sed & sacerdotum, & minorum principum recordatur. Nimirum vt innueret, quanti esset momenti alicuius sancti prophetæ aut prædicatoris Euangelici creatio. Magnum & præclarum opus est officium prædicationis: ad cuius functionem perfectam, non satis est habitum religionis induere, in scholis arguere, & scripturam legere: sed necessaria est vitæ sanctitas, morum integritas, & vitæ perfectio. Quòd Deus cõdat hominẽ suæ admirabili potẽtię velut nihil est, at cõcionatorẽ efficere

Maius opus Dei, prædicatorem quàm hominem purum condere.

hoc quidẽ grãde opus est, nã cõstituit hominẽ omnibus suis numeris pfectũ & absolutũ. Ideò Moses quãuis sanctissimus esset, cùm dominus illum mitteret ad prædicãdũ Pharaoni, se à tali munere quãtũ potest abstinet, nã cùm humilis esset, se ineptum tãto officio iudicat, quod etiam Iere. secum reuoluens tantum officium humeris sui impar existimabat. Quod idem Ion. fecit, & omnes, illi qui altitudinẽ excellẽtiã huius muneris agnoscunt, & humanã imbecillitatẽ percallent. Nunc autem nõ desunt multi qui hunc honorem & dignitatem appetant, cum illo prorsus indigni sint. Igitur vt intelligas magis laboriosum esse, rectum prædicatorem condere & efficere, quàm alium quemuis hominem tãquam rem maioris momenti & ponderis, apposuit, hîc Euãgelista tot principes in electione beati Ioãnis Baptistæ, in concionatorem, & nullã mentionẽ fecit alicuius principis vel regis, dũ ipsius natiuitatẽ scriberet. ¶ Perpende autem hîc primò quòd diuus Ioannes non exiit prædicare nisi iussus. Non temerè aut præsumptuosè vsurpauit officium, vt Ozias qui percussus fuit lepra, eò quòd surripuit officium sacerdotale. Vnde in Euangelio cuidam dicitur. Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Sed multi cùm non vocati sint à Deo, talia munera sibi arroganter assumunt. Vnde dominus per Ieremiam dicit, Non misi eos, & nõ pręcepi eis: neque loquutus sum ad eos. Ioannes autẽ vocatus tanquam Aaron exiit ad prædicandum.

Exod. 3.
Iere. 1.
Ionæ 1.
2. Par. 26.
Math. 22.

¶ Aduertendum quoque est hîc tempus quo Ioannes venit prædicans: & locus in quo erat, quando præcepit dominus illi vt prædicaret. Factũ est enim verbum super Ioannem, & venit prædicans baptismum pœnitentiæ, quãdo in principibus & primatibus mundi dominabatur tyrannis, & in sacerdotibus simonia, & quando regnum Israel diuisum erat in quatuor partes, & vniuersus orbis ita perditus erat: vt iam ferè in præcipitium inferni abiret: tunc factum est verbum domini super Ioannem. In quo quidem diuinam misericordiam & pietatem (Christianis oculis si velis intuere) relucere videbis: nam in maioribus necessitatibus & in maximis constitutos periculis nunquam obliuiscitur: etiam si nos tali auxilio simus indigni. Ipse enim cognouit figmentum nostrum: recordatus, quoniam puluis sumis, & sicut miseretur pater filiorum, misertus est nobis! O quoties pius & misericors dominus iamiã tibi in interitum tẽdẽti, manum præstat & succurrit: nã sæpe sæpiùs cùm peccare vis, ad ostium cordis tui pulsat, & tũc factum est verbũ domini super te, mittẽs tibi sanctã inspirationẽ: ne vltra vanis & iniquis cogitationibus progrediaris. Sæpissimè enim iam in infernum esses lapsus, nisi pietas & misericordia domini tecum fuisset: nam etiã si mũdus blasphemus sit, & trãgressor mandatorum domini, nõ ideò dominus illum deserit tendẽtem ad interitum. Ex quo loco discere debes, vt semper in domino spem tuã reponas, nec vnquã tibi de eius infinita misericordia est desperandum. Patiẽs enim est & præstabilis super malitiam. Fide igitur eo quippe, qui nũquã in maioribus necessitatibus tibi deerit: quemadmodum vniuerso orbi succurrit, mittẽs Beatũ Ioannẽ Baptistam ad prędicandũ. Quod etiã sacræ paginæ testimonio clarissimo tibi ob oculos ponã. Nã cũ sanctus Ioseph iniustè exularet à patria, cúmque vẽditus esset à propriis fratribus, & falsò accusatus, & in vinculis detentus,

Tẽpus & locus vocationis, Ioannis.
Psal. 102.
Ioel. 2.
Gen. 37. & 39.

tentus, quando nulla spes remedij affulgebat: recordatus est illius dominus, & à vinculis eum eripuit, & constituit illum in altissimũ regni soliũ & dignitatem, ita vt post regem nulli maior honor, gloria,
Gen. 41. & dignitas tribueretur. Vnde etiam quando Israel grauiter opprimebatur & persequebatur à Pharaone in Ægypto, tũc dominum memoria illius subiit, & dixit Mosi, Vidi afflictionem populi mei in Æ-
Exo. 3. gypto, & clamorem eius audiui. Nũquam enim de ipsius diuina misericordia desperare debes: sed firmo & virili animo in ipso confidere. Sic de illa ca-
Dan. 13. stissima fœmina Susanna legimus in Dã. quod erat cor eius fiduciã habẽs in domino: atque ita cũ omni prorsus humano auxilio esset destituta, tunc liberali manu dominus illi subuenit, atque à tanto periculo liberauit. Ideóque meminisse oportet il-
Abac. 2. lius dicti Abac. Si moram fecerit expecta eum, veniens enim veniet & non tardabit. O quàm grauissimè sæpiùs Deus offenditur: cum in illo non speras! Videtur nanque virgini pauperi & ipsius matri quòd nemo eam in vxorem ducet, cum dotem nec supellectilem habeant: atque ita decernunt carnaliter & cum Dei offensa viuere: quasi ipsius Dei manus sit abreuiata, vt non possit earum necessitati aliquo modo subuenire: Dei consilio & decreto terminum assignant, & secum tacitè hæc mẽte reuoluunt. Si tali tempore, vel tali anno, vel mense nobis non fuerit prouisum, non est quod speremus: sed mũdi vanitatibus & deliciis nos tradamus. Ita fecerunt illi Israelitæ, qui cùm in magno discrimine essent constituti, & obsessi ab exercitu Assyriorũ, iam secum decreuerant se ipsos in potestatẽ Holophernis tradere: quos acriter sancta & virilis Iud. re-
Iud. 7. prehendit, dicẽs, Quod est hoc verbum quod consensit Ozias: vt tradat ciuitatem Assyriis: si intra quinque dies nõ venerit vobis adiutoriũ? qui estis vos qui tentatis dominum? Igitur ne Deo diffidas vnquam, nam in maioribus periculis, maximísque imminentibus calamitatibus, magis propicium & amicum illum inuenies: quemadmodum eum mũdo fecit, quando maioribus vitiis & iniquitatibus abundabat, mittens Ioannem Baptistam.

Gloria sequitur fugientem. ¶ Sed vbi erat quando factum est verbum domini super eum? In deserto. Vbi attentiùs perspicere debes, quòd vocat dominus diuum Baptistam cùm procul recessisset ab hominibus in deserto, & constituit illum prædicatorem & præcursorem suum. Vbi etiam notare debes quomodo fugiendum sit à gloria huius mundi, & ab eius honoribus, & vanitatibus: hos enim dominus quærit, & in publicum iactat, & eosdem honorat, & amicos suos prædicat. Hos nãque maximo honore afficit, qui ipsum honorem contemnunt: & eos maximi facit, qui abie-
Gen. 12. ctos & humiles se esse iudicant. Abraham nanque cùm à patria recessisset: & per exteras gentes fuisset peregrinatus in extraneis terris, cõstituit illum do-
Exod. 3. minus magnum principem. Moses etiam qui regiã domum Pharaonis contempsit, cùm solus esset in deserto, seruandis ouibus intentus, factus est à domino magnus princeps: & electus dux toties Israel. Quis obsecro memoriam hominum minus subierat, aut quis mortalium magis obliuioni erat traditus, quàm Dauid, qui pascens solus in deserto oues,
1. Reg. 16. vnctus est in regem à domino, & magnis in bello reportatis triumphis in preclarum principem eua-
1. Reg. 10. sit? Abscõditus erat Saul in domo sua, & humilem se iudicabat, nec volebat in regem eligi: sed dominus ipse manifestauit, & in regem constituit. Cur igitur tu honores ambis: cũ tu videas non dari nisi his, qui eos negligunt & aspernãtur? Diuum Ioannem intuere in syluis bestiarum more vitã degentem, quem dominus manifestat & illustrat, vt omnis mundus ipsum veneretur, & laudet. Ita dominus consueuit eos honoribus afficere, qui eosdem fugiunt & negligunt propter ipsius amorem.

¶ Præterea in deserto factum est illi verbum Dei: *Solitudo & silentiũ aras devotionis.* nam ille qui diuinis consolationibus & inspirationibus frui vult, opus est vt vitam solitariam amet, & omnes humanas cõuersationes longiùs propellat. Nunquam dominus permisit vt in eodem altari *1. Reg. 5.* arca testamenti & idola Dagonis simul essent, & cũ Philisthæi id conati essent, nunquam tamen id efficere potuerũt: nam non patitur dominus vt dulcia atque suauia suæ gloriæ & diuinitatis gaudia misceantur carnis & mundi familiaritatibus. Cuidam animæ sanctæ cui dominus voluit sua secreta reuelare, dixit per Ose. Ducam eam in solitudi- *Ose. 2.* nem, & loquar ad cor eius. Vt dominus cum anima nostra loquatur, non opus habet testes. Et volens ad Mosem loqui, duxit illum in sublimem mõtem Sinai. Et in solitudine deserti apparuit angelus Agar. Et Helias extra vrbem erat, & omni prorsus *Exo. 19.* humana conuersatione carens, quando Angelum *Gen. 21.* vidit. Quando dominus cor nostrum solum inue- *3. Reg. 16.* nit, statim cœnaturus cum illo sedet. Et cum animã nostram à mundi curis & sollicitudinibus separatam: statim magna mirabilia & secreta illi pandit: quæ neutiquam reseraret, si negotiis implicatam inueniret. Equidem si scires quàm grauem iacturã facias cum te rebus mundanis tradis, dubio procul non magni laboris rem iudicares, soli Deo adhærere: nam si conuersationem humanam reieceris, diuinam inuenies: silentium nanque & solitudo fortissimi muri sunt deuotionis. Si volueris iam comparatam deuotionem conseruare, solitudinem dilige: nam quãtò maiora & ampliora beneficia beatus Ioannes acceperat, tanto melius existimabat in desertum recedere: vt gratiam cõseruaret. Iob enim ait, Lampas cõtempla apud cogitationes diuitum. *Iob 12.* Si lampas accensa est, statim tegitur ne flante aëre intereat. Iusti sunt lampades accensæ: & de Ioanne, dixit Christus, quòd erat lucerna ardens & lucens. Iusti nanque ne vento inanis gloriæ & humanæ laudis offendatur, abscondunt & celant sua bona opera. Ioã. quippe, vt aptiùs & commodiùs se Deo *Ioan. 5.* traderet in desertum secessit. Nouerat enim prudẽs ac sanctus vir difficillimum esse inter hominum turbas intactè & purè viuere: ideò solitudinem petiit, vt peccandi irritamenta fugeret. Quid hîc dicturi sunt stolidi & insipientes homines, qui cùm in vitia & peccata sint nimis procliues: eos qui religionis habitum induunt, impudenter irrident? Christus etiam verus Deus & homo hominum cõsortia fugiebat: non quòd ipsi esset opus, sed vt nobis fugienda demonstraret. Hoc etiam multi sanctissimi viri fecerunt: nam Heliseus ita has familiaritates fugiebat, vt etiam ipsa hospes quæ multoties domi eum receperat, nomen ipsius ignorabat, & cùm iussisset Giezi eam accersere, non proprio nomine nuncupauit, sed nomine ciuitatis, in qua ipsa nata erat, scilicet, Sunna: & ideò vocauit eam Sunnamitem. Fuge igitur humana consortia & *4. Reg. 4.* consuetudines: & esto mundo externus & aduena, & amicus & familiaris deserto. Melius quidem

est

est inter immanes bestias in deserto & solitudine vitã degere: quã in ciuitatibus & populis inter iniquos homines. In hac ergo solitudine verbum domini factum est super Ioannem. Sic tu si volueris verbum domini audire, fuge à consortio & tumultu hominum.

Act. 1.

Exemplo etiam Christi Saluatoris nostri, priùs cœpit Ioannes facere quàm docere: nã priùs sanctissimam & purissimã egit in deserto vitã multis annis ieiunans, & orans: postea verò alios docuit. Sic oportet vt tu antequam alios doceas, teipsum doceas, vt possis aliis non tantum verbis: sed facto prodesse. Sed iam singula verba expendamus.

Rom. 2.

¶ Factum est (inquit) verbum domini, super Ioannem filium Zachariæ in deserto. Multoties inuenies in prophetis verbum quod factum est. Sæpè etiam onus, vel pódus: vt in initio prophetarum Abac. & Malac. & in Esaia & in Zach. in medio & circa finem.

Hiero. super Esa. c. 13. & Ierem. 23.

Discrimen autem est (vt Hier. ait) quod vbicunque est graue, quod dominus comminatur, & plenum ponderis & laboris, quod per verbum pódus designatur: minarum autem plena sunt, quæ per verbum onus innuũtur. At verò vbicũque dominus prospera pollicetur, siue post comminationem meliora promittit, ibi non pondus aut onus, sed factum esse verbum domini dicitur. Ideóque quia Ioannes prospera nunciabat, nempe aduentũ Messiæ, & regnum cœlorum, & iter præparabat vt Christum susciperent, non onus sed factum est verbum domini super Ioannem dicitur. Super Ioannẽ inquit, quia verbum illud super Ioannem descendebat. Esaias enim ait, Quomodo descendit imber & nix de cœlo, &c. Sic erit verbum quòd egredietur de ore meo. Particula, super, sublimitatem notat: quia in cor hominis verbum Dei non ascendit: sed verbum descendit ad cor, & cor ascendit ad verbum. Et quod est verbum quòd descendit super Ioannem. Vade & prędica baptismum pœnitentię.

Ioannes imitator & hæres paternæ pietatis.

Esa. 55.

¶ Exprimitur etiam nomen patris dicens filium esse Zachariæ: quia Ioannes sanctitatis paternæ fuit imitator & hæres. Quãdoquidem Zacharias cum vxore sua purè & innocenter vixit: ambo quippe iusti erant coram domino. In quo quidem aduertere debes, quomodo teneantur ij qui ex probis & sanctis parentibus sunt orti, eorum vitam, quoad fieri possit imitari. Vnde si tu teipsum iudicas ab egregia parentum stirpe descendere, ipsorum virtutes imitari curabis. At si non ex nobilibus parentibus descendis: talia opera facito, vt noua & egregia proles à te incipiat. *Et venit in omnem regionem Iordanis.* Hoc est, ad loca Iudææ iuxta flumina Iordanis. Quoniam gratia baptizandi venerat, ad loca abundantia aquis accedere debebat: ne aquæ defectu illi qui ad eius prædicationem conuertebantur, baptismo carerent. Cum enim rectè nosset, quanta gentium copia ad ipsius baptismum erat properatura, loca aquis abundantia sibi elegit.

Loca deuotioni & cultui diuino cõmoda, seligenda.

Esa. 38.

¶ Discamus hic beatissimi Ioannis exemplo eum locum quærere, qui magis aptus semper sit ad recta opera facienda, & qui nobis ansam & occasionem præbeat sanctis operibus nos exercendi. Cum enim grauiter ęgrotaret rex Ezechias, Esaias propheta ad eum accessit ex parte Dei dicens; Dispone domui tuæ quia morieris tu, & non viues. Qui conuertit faciẽ suam ad parietem & fleuit.

Hier. in Chro. lib. 2. ca. 38.

Cui (inquit Hiero.) conuersus est ad parietẽ vt fleret, & oraret: Quia quando Salomon hoc templum absoluit, regiam suam domum condidit coniunctam, ita vt ipse paries templi ex altera parte domum regiam conficiebat, ad hoc vt negotia quæ regi offerrentur cum Deo posset facile communicare. Ideò Ezechias oraturus ad parietem templi se conuertit. Ita Episcopi & hi, quibus animarum cura est commendata, domos suas iuxta Ecclesiam deberent habere, vt faciliùs sacramenta possent administrare: vt faciebat Ioannes, vt commodiùs posset baptizare.

Nu. 1. & 3.

In libro Nu. dicebat Deus sacerdotibus atque Leuitis, Excubate in hostio sanctuarij. Ianitor quippe iuxta ianuã debet sedere & gubernator iuxta clauum: & sacerdos iuxta ecclesiam. Sic nos iuxta locum vbi faciliùs possimus Deo seruire, habitare debemus. Abraham sedebat in meridie in ostio tabernaculi sui, vbi itinerantes posset videre, & hospitari. Ita etiam à contrario is locus est nobis fugiendus, qui ad malum occasionem præbeat. Fugite (inquit Paulus) ab omni fornicatione.

Gen. 18.

Thamar nurus Iudæ sedit in biuio vbi meretrices sedere solebant, & sic Iudam ad peccandum allexit. Sic etiam præcepit dominus populo suo ne facerent sculptile, & simulacra: ne illa adorarent: & ne nuberent alienigenis mulieribus, nè Deos earum adorarent. Quemadmodum enim boni occasiones & loca magis conducentia quærunt, vbi meliùs Dei seruitio vacare possint: sic mali vt meliùs auaritiæ & cupidini studere possint loca aptiora quærunt: vt mercatores consueuerunt facere qui mercibus vẽdendis in mediis plateis domos incolunt.

1. Cor. 6.

Gen. 38.

Gen. 26.

Exod. 34.

Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Quia baptismus Ioannis non erat sacramentum, per quòd dabatur gratia sed erat in remissionem peccatorum, non causaliter & directè, sed dispositiuè seu præparatiuè: quia præparabat homines ad Christi baptismum.

Baptismus Ioãnis disponebat ad gratiam nõ autẽ dabat.

Fuit tamen ipse Ioannes institutor sui baptismi: sed tamen ex præcepto diuino vt ipse dixit, Qui misit me baptizare, ille mihi dixit, &c.

Ioan. 1.

Vnde institutio eius fuit à Deo per auctoritatem: & à Ioãne per ministerium: ita tamen quòd Ioannes non fuit nudus minister, vt ministri sacramentorum Christi, qui nihil aliud faciunt, quàm applicare sacramẽta, sed fuit institutor ex diuino præcepto.

Institutio.

Quorum vtrunque docuit nos Christus, dicens, Baptismus Ioannis à quo est, è cœlo an ex hominibus? Quasi dixisset, Ioãnis erat, tanquã institutoris & ministri: cœlitùs tamen præceptum acceperat. Nam si ritum baptizandi consideres familiari Spiritus sancti reuelatione fuit ad id ministerium missus, si autem effectum, nihil in eo fuit, quòd Ioannes ipse non posset præstare: nam gratiam non conferebat, sed abluebat tantum corpora. Oportuit autem Ioannem tanta sanctimonia fulgentem, baptismum incipere: quia durissimum erat Iudæis circuncisionem relinquere, & auscultare Christo baptizanti. Et ideò oportuit etiam, vt Ioãnes de genere sacerdotum, quos oportebat circuncisionem tueri, illo baptizandi ritu vti: vt populum demulceret, & ad Christ. baptisma alliceret.

Forma.

Act. 19.

Forma huius baptismi erat, Ego te baptizo in nomine venturi. Qui baptismus etiam si non obligabat ad sui susceptionem, obligabat tamẽ ad hoc, vt nequis ipsum contemneret: quia contemnens consilium, contemnit consiliantem. At Ioãnes missus erat à Deo, & ita qui spernebat baptismũ Ioannis, per consequens & illum qui eum miserat, contempturi habebat.

Baptismus pœnitentiæ.

¶ Vocabatur autem baptismus pœnitentiæ, quia quos baptizabat, pœnitere, docebat: & pœnitentiam prædicabat: Hanc à nobis

exigit Deus, quia voluntas, q̃ in peccata consentit, ipsa eadem ea abneget: ita vt quemadmodum per volūtatem ingressum fuit malum, per eandē etiam
Num.21. bonum nobis adueniat. Sic Moses in deserto fecit serpentem ęneum vt curarentur qui erant à serpentibus morsi. Serpens momorderat; & serpēte à morsu curauit. Cor superbum & elatum offerat cor humile: & voluntas iniqua & deprauata Deo obediat
Luc.7. & subiiciatur illi. Nam Beata Magdalena ita fecit, eis nanque rebus quibus vanitati mundi inseruierat, eisdem prorsus se ipsam Deo reconciliauit. De hac re capite septimo in conuersione Magdalenæ oportunius dicemus. itaq; cor tuum quòd dæmoni per peccatum consecrasti, id ipsum Deo debes
Cor à nobis exigit Deus. i. voluntatē. tribuere: ipse namque ait, Præbe mihi cor tuum. Tā quam magnus dominus petit Deus id quòd vult. & id quod magis illi placet. Non à nobis suppellecti-
Prou.23. lia petit, nō rem, manum, aut pedem: sed præcipuū quòd in homine est, sine quo ipse homo nihil est. Non petit, vt illud ad tempus mutuemus, sed quòd id prebeamus: non enim vult, vt solum tēpore quatragesimæ pœnitentiam agamus, vel per certum tēpus, sed toto vitæ curriculo. Nec petit vt illud vendamus, quandoquidem Deus liberaliter id nobis tribuit: nec vlla mercede accepta nos redemit. Sed quia cor nostrum adeò infirmum & ęgrum per peccatum extitit, operępreciū erit illud dolore & contritione afficere: ideò acceptabit illud cōtritum & humiliatum, aliàs enim nunquam illud acceptabit. Cùm Deus non possit peccatori sine pœnitentia peccata remittere, quia remittere homini peccata, est illum in sua amicitia & gratia reuocare: sed nullum hominem in suam amicitiam reuocat nisi sit bonus & iustus, quòd fieri non potest, nisi volūtatem quam à Deo habebat auersam in ipsum cōuertat, q̧ fit per solā detestationē peccati, quæ est pœnitentia. Fieri igitur nō potest, vt peccatū remittatur, nisi facta priùs pœnitētia. Et licèt paruulis ante vsum rationis, remittatur peccatū, tamē quia originale non propria voluntate commiserant, possunt absque proprio motu à Deo iustificari. Benè tamen potest Deus peccatori condonare pœnas, & nolle punire absque pœnitentia: sed hoc non est peccata remittere. Nec pœnas peccato debitas cōdonabit, nisi peccator priùs egerit pœnitentiā. Vnde sanctis-
Iob 9. simus Iob: Verebar opera mea sciens q̧ non parceres delinquēti. Nónne parcet dominus delinquēti? Nōne delinquerūt Dauid, Petrus, Mathęus, & multi alij? ideò dominus dicitur nō parcere delinquēti quia delictū nūquā sine vltione relinquit: aut ipse homo seipsum punit, aut Deꝰ vindicās castigat. Tu ergo è duobus vnū elige, & cum in media electione fueris constitutus, memineris obsecro illud Pauli: Horrēdū esse incidere in manus Dei viuentis. Si tu mediocriter teipsū punieris, Deus in te nō animad uertet. Nam vt Apostolus ait, si nos ipsos iudicare-
Hebr 10. 1.Cor.11. mus, vtiq; non iudicaremur. Quibus verbis satis apertè ostendit Paulus, q̧ iudicamur à domino, quia nos ipsos nūquā iudicamus, nec punimꝰ. Quocirca enitendū tibi maxime est, vt sanctā pœnitētiā agas & peccata tua plangas. Deus nāq; vt qui benignus & misericors est, bis eundē nō punit. Quòd si tuam culpā correxeris, nō iterū dominꝰ in illā animaduer
Num.2. teret. Vnde sanctus Dauid, qui domini ingeniū &
Psal.118. animū rectè nouerat, inquit, Feci iudicium, & iusti-
Psalm.74. tiam: non tradas me calūniantibus me. Calix enim est in manu dñi, vini meri plenus mixto. Peccatores nanque, qui in hac vita pœnitentiam egerunt, calicem mixtum bibunt multis & maximis diuinis cōsolationibus. Ideò Ioannes cùm hanc pœniten-
Act.7. tiā prædicabat, adiunxit, Appropinquabit regnum cœlorum. Et beatus Stephanus in sua passione vidit cœlos apertos. Et Paulus ait, Sicut abūdāt Chri 2.Cor.1.
sti passiones in nobis: ita per Christum abundat cōsolatio nostra. Si verò hic pœnitentiam nō egeris, durissima te in inferno sperat pœna. Bibes nāq; fæces calicis durissimæ passionis: nam si ieiunare noluisti, ibi perpetuā patieris inediā: si noluisti lugere, ibi lachrymis & gemitibꝰ nūquā carebis &c. Habet se dominus cum peccatoribus, quemadmo- Similitudo.
dū barbæ tonsor cum hominibus rusticis: nā iubet illis vt comam pectant priùs ipsi, ne si eos accipiat, capillos extrahat. Ne igitur speres, vt dominus priꝰ in te animaduertat: nā durè, & asperè tecum aget: at tu priùs in hac vita de te pœnas sume, agēs pœnitentiā. Hanc autē salubrem pœnitentiā Ioannes sanctissimus populis prædicabat. Sed expende sancti præcursoris prudentiam. Prædicans nāque pœnitentiam maximis & induratis peccatoribus dicebat, Genimina viperarum: quis docebit vos fugere Math.3.
à ventura ira? Populis verò ignorantibus & insciis blandè loquutus est. Qui habet (dicebat) duas tunicas, det vnam non habenti. Et militibus aliā ostendit viam. Sic prædicator pœnas inferni aliquando prædicet, aliquando beatitudinem cœlestem, quādoque etiam diuinam erga genus humanum misericordiam. Ideò habetur in lege, quòd in veste sum- Exo.28.
mi sacerdotis erāt tintinabula Ad quid hoc? Cymbala nanque & tintinabula non eundem sonitum quem tubæ, cornua, & organa, & alia instrumenta reddūt: sed diuersum. Aliquando enim cymbalum pulsatur ad prędicationem, aliquando ad obsequia mortuorum, aliquando ad festa & solennitates: sic itáque diuersa sonat & demonstrat. Sic concionator aliquando sonitum mortis efficiat, ostendens populo cineres, in quo citiùs est conuertēdus: aliquando infernum pronunciet, &c. & pœnitentiam velut Ioannes populo prædicet: quandoquidem tantis vitiis abundat, furtis, rapinis, adulteriis, & aliis grauissimis peccatis. O vtinā dominus his tēporibus mūdo mitteret similes prædicatores sicut Ioannes! qui ipsi mūdo pœnitentiā prædicarēt audacissimè, siquidē tantum iam dominatur iniquitas. Non est (inquit Ose.) veritas, non est misericor- Ose.4.
dia, & nō est scientia Dei in terra. Maledictū & homicidium, & mendacium, &c. ¶ Expende etiam & vide sanctissimi Ioānis dignitatem & laudem: nam primus ipse fuit, qui in mundo prædicās pœnitētiā promisit regnum cœlorum, & remissionem peccatorum. In libro Num. habetur, quòd timentes filij Num.13.
Israel ingressum terræ promissionis, quia erant ibi gigantes, animati sunt per Caleb, & postea per Iosue. Sic beatus Ioannes fuit primus: qui nobis cœlum manifestauit, patriam nobis promissam: & postea sequutus est illū Christus, sicut alter Iesus Naue. Hinc ortum est, quòd beatissimus Ioannes inter alios sanctos totius beatæ patriæ tantum splendeat & fulgeat. Nam lex est cōstituta & stabilita in bellis, vt is qui priùs exierit manus congressurus cum hoste, vel ciuitatem expugnauerit, totius lucri primas partes, & sedem accipiat: sicut Dauid fecit 2.Reg.7.
cum Ioab. Secundum igitur hanc legem Ioannes fuit primus qui debellauit & inuenit hos diuinos Indos, qui primus remissionē peccatorū & regnū Dei

Dei prædicauit: quia verò in expugnatione huius regni cœlestis primo ipse fuit, ideò meruit, vt post Christum huius regni regem, primũ locum in ipso obtineat, Mariam semper excipio. Ne verò existimes, quòd beatus Ioannes nulla impetrata auctoritate prædicabat, cum Esaia suam confirmat doctrinam: & ideò sequitur in textu. *Sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ Prophetæ.* Esaiæ librum rectè Lucas appellat librum sermonum, propter ipsius eloquentiam & sententiarum maiestatem: item etiã ob libri magnitudinem, qui numero capitulorum cæteros excellit prophetas. Obserua etiam quod beatus Ioannes ad confirmandum ea, quæ prædicabat, adducit in testem Esaiã prophetam & sacræ scripturæ auctoritate dicta sua probat. Hoc etiam fecerunt apostoli, qui suas conciones scripturæ testimoniis fulciebant, quibus firmiorem pariebant fidem credentibus, cùm nihil aliud docerent, nisi quod multis retro sæculis Deus futurum prædixit.
Act. 23. & 10. Sic fecisse Petrum in multis locis Actuum Apostolorum cõstat. Sic etiam Sthephanus, sic etiam Pau-
Act. 7. lus. Denique ipse Christus variis scripturarum vti
Mat. 49. 12. & 19. tur testimoniis. Non sic modo multi, qui suis dictis volunt adhiberi fidem nullo demonstrato testimonio. Nã absentis famæ detrahunt, dicentes: mendacem esse, ebrium, lusorem: si autẽ ab eis petas vt illa dicta probent: nihil minus, quàm ineptè & insipiẽter respondent, quod ipsi id fatentur & affirmant, & satis sit illos hæc dicere. Prôh dolor quòd tanta mendacia ferri possint, nam in hac re peiores sunt homines quàm diabolus, qui quando in terreno paradiso matri nostræ Euæ mẽtitus fuit, erubuit ita facie ad faciem mẽdacium proferre, atque ita ima-
Gen. 3. ginem serpentis sibi assumpsit. Sed tu nullo contracto pudore mentiris: nam si tibi dicitur, quòd probes testimoniis veracibus id ꝙ affirmas, nullũ adducis testimonium. Si Ioannes Baptista sanctificat⁹ in vtero quo maior nemo est, testimonio Esaiæ dictum probat: quid est quòd velis, vt tibi credatur nullo adducto testimonio? Sãctitas beatissimi Ioãnis tanta erat vt sui ipsius auctoritas ad id probandum sufficeret: nihilominus tamen quod dicit au-
Mat. 11. ctoritate prophetæ confirmat. Tu autem cùm garrulus & detractor sis, tuis dictis præstari vis fidem? Proba igitur quod dicis, & tibi statim credemus, ita nimirum quãdo aliquis tibi dixerit, malè te audire in populo, & quod multa dicunt, nisi testes tibi demonstrauerit, falsa omnia esse crede: & quod is idem, qui ea tibi narrat falsò ea tibi etiam imponit, nam sicut apud nos dicitur, Qui carmen canit, ipse composuit. Sed de his satis. ¶ Obserua etiam quòd Ioannes frequentiùs Esaiam allegat quam alios prophetas, quia prę aliis clariùs prędixit Christi aduentum, vitam, & doctrinam, miracula, & passionem: & regni eius progressum. Vnde potiùs E-
Hier. in prologo super Esa. uangelista (vt Hier. ait) dici meretur, quàm propheta: nam ita vniuersa Christi ecclesiæque mysteria clarè prosequutus vt non putemus eum de futuro
Ioãnes nihil nisi vox: singula prædicabant in Ioãne. vaticinari, sed de præteritis historiam texere. Sed quid in persona Ioãnis Esaias loquatur audiamus. *Ego vox clamantis in deserto.* Hebraismus est. idẽ enim est vox clamantis, vt vox clamans. Sicut terra promissionis, terra promissa: virga æquitatis, virga equa: populus acquisitionis, populus acquisitus: vas electionis, vas electum: & si qua sunt horum similia. Sensus est, ista est prædicatio, clamor, sermo Ioannis in eræmo prędicantis. Obserua etiam prę-

ter hæc quod Ioannes erat vox, quia quidquid erat in Ioanne erat vox: Vestis, manus, pedes, caput, & lingua, totus Ioannes erat vox clamans, & dicens. Pœnitentiam agite. Eius cibus, potus, lectus, cilicium, inedia, os denique & facies prædicabant. Nã etiam si os non loqueretur, quidquid in ipso erat prædicabat contemptum mundi, pœnitentiam, & amorem diuinum. Totus ipse à calce vsque ad caput vox erat dicens, Pœnitentiam agite: conuertimini ô peccatores in dominum! O qualis prædicator Ioannes: equidem non illi dici poterat, Medice *Luc. 4.*
cura te ipsum. Benè beatissimus Ioannes ambitionẽ poterat reprehẽdere, siquidem cùm illi offerrent honorem Messię neutiquam acceptauit. Benè qui- *Ioan. 1.*
dem carnis blandiméta & indulgentiã nimiam taxare poterat, siquidem melle syluestri seipsum alebat, & sustentabat, & camelorũ pellibus vestes cõficiebat. Benè quidem auaritiam poterat execrari & reprehendere, quandoquidem à puero diuitias cõtempsit, & domum paternam reliquit, & in eremum abiit. Omnia quidẽ vitia dubio procul opti- *Math. 3.*
mo iure taxare poterat: qui exemplar totius virtutis & sanctitatis erat! O mirabilis cõcionator. Sunt quippe multi concionatores, qui vocem habent, & clamant, sed non sunt ipsi vox: quia si verbis prædicant, non factis id ipsum insinuant. Aliud prædicat vox, aliud vestitus, cib⁹, domus, somnũ, & opus externũ. Quibus Paul⁹ mirificè loquitur. Qui prædi- *Rom. 2.*
cas nõ furãdũ, furaris: qui dicis nõ mœchãdũ, mœcharis. Sũt etiã multi, qui quasi inertes musici solo oris flatu, nõ item digitis incõditè sonãt iustitiam, sobrietatem, pudicitiã, humilitatẽ, & denique omnes virtutes: atque hi aures obtundunt harmoniæ dulcedine, sed mentes non recreant. Non sic euangelicus tibicem Ioannes, qui quasi alter Orpheus durissima saxa, id est, durissima corda, & antiquæ peccandi cõsuetudinis glaciem diuinis verbis fugabat: ita vt publicani, & peccatores & milites ad eũ venirent toto corde pœnitentiã acturi. Ex quo loco tu qui de officio & munere cõcionatoris gloriaris, discere debes, eam vitam facere, quę dictis & prædicationi sit cõformis: & quemadmodũ lingua prædicas, ita etiam manibus facias. Quid obsecro *Math. 3.*
cogitas fuisse in causa, quòd Helias tremore cõcusserat cor regis Achab & quid est, ꝙ ausus fuit ipsi *3. Reg. 19.*
regi dicere, Tu & dom⁹ patris tui qui dereliquistis dominum & sequuti estis Baalim; Nam videbat rex in conspectu suo hominem diuinum potiùs quàm humanam imbecillem, languidũ, pœnitentia & lachrymis pallidum, & cõfectum, indutum animantium pellibus. Hic equidem tremore & mœrore regẽ concutiebat: Helias & beatus Ioãnes non vtique maiores veritates prædicabant, quàm nos, nec meliùs euangelium: at vberem & copiosum fructũ ex animabus reportabant vitæ sanctimonia & exẽplo. Omnia enim, quæ ad obsequium tẽpli spectabant, ex purissimo auro erant confecta, & etiã forcipes. Nõnne satis esset, si ferro essent conflatæ: Nõ equidem: nam his qui alterius vitia carpere debet ab omni reprehensionis labe intactum se seruare tenetur. Oportet enim vt totus aureus sit, sancta vi- *Carere debet vitio, qui in alterum paratus est dicere.*
ta & præclaris virtutibus munitus, qui alios mundare debet: quamobrem forcipes aureæ erant. Qui fieri potest, vt immundus cùm sis: aliorum spurcitiam valeas propellere? indignum enim est quòd iniquus peccatorem corrigas, & quòd malus in malum linguam coniiciat. Quòd si volueris per-

pendere sacræ scripturæ exemplo tibi ostendam. Nam quando Iudas filius Iacob vidit quòd fornicata esset Thamar nurus sua, expauescens & horrés delictum dixit, Comburatur. At postquã illa misit ei baculum & annulũ, & Iudas cognouit pignora & peccatum suum proprium dixit, Iustior me est. Quoquidem facto docemur nũquam vnius peccatoris, linguam aptam esse ad condemnendũ alium peccatorem: atque ita Iudas postquam peccatum suum agnouit, nunquã ausus fuit Thamar cõdemnare, existimauit enim se maiorem peccatoré, quã illa. Audi si vis alium scripturæ locũ: Quando Ioab misit nunciũ regi Dauid de gestis in bello, ipsi nuncio dixit, Si videris eum indignari, & dixerit, quare accessistis ad murum, &c. Dices, Etiam seruus tuus Vrias mortuus est. Vt enim disertus Ioab os Dauid comprimeret, ne auderet ignauiã militũ & ducum reprehendere, in memoriam Dauid reuocauit graue illud peccatum quòd commiserat, iubés interfici ipsum Vriam. Dic inquã illi (dixit Ioab nuncio) quod seruus Vrias, & fidelis miles mortuus est: tali bus quippe dictis tacebit, & pudebit illũ, minimũ defectum suorum ducum carpere qui ducem suũ interfici iussit. Carere enim debet omni vitio qui in alterum dicere paratus est. Sed de his ista sufficiãt. Itaque totus ipse Ioannes vox clamans erat, vt pœnitentiam agerent, & vt domino præpararent corda. Sed vbi clamabat, in deserto, Vox inquam clamans in deserto. ¶ Videas obsecro quòd Ioannes nunquam dicitur prædicare in ciuitate, sed in deserto: quia Ioannes ea sola prædicabat, quæ hominibus à Deo desertis, & longè remotis conueniebant, hoc est pœnitentiam peccatorum. Sed Christus nõ tãtum prædicat hæc, sed ea etiam quæ ciuibus Dei congruunt: & ideò prædicat in desertis, & in ciuitate. Præterea Ioannes prædicat in deserto, quia in ciuitate tot sunt peccata, tot sordes, vt Ioãnes eas ferre nequeat. Stomachabatur Ioãnes, nec tot poterat ferre peccata, adeò vt cùm videret Pharisæos, eos ferre nequiret, sed euomuerit dicés, Genimina viperarũ, quis, &c. Porro Christus grãdioris stomachi est, in ferendis iniquitatibus, & languoribus nostris curãdis: vt qui toto affectu & toto corde nos amat, & dissimulat peccata hominum propter pœnitẽtiam. Quid obsecro diuus Ioannes diceret, si per ciuitatem hanc deambularet, & tot videret fieri latrocinia, tot vsuras, tot mendacia, tot denique homines luxuriæ & vanitatibus huius sæculi deseruire. Certè existimo linguam etsi indefessam, non posse illi sufficere tot vitiis carpendis: nesciret vtique qua esset incepturus, atque ita sine dubio deficeret, tot iniquitates admirans. Hac igitur commotus de causa in deserto prædicabat: nec ciuitates audebat ingredi, vt non videret mechanicos artifices mentientes, & vsuras mercatorum, & vanitatem & pompam, qua nobiles incedunt, &c. ¶ Vide etiam quàm egregius & magnus prędicator erat Ioannes, siquidem per deserta tendebãt, ipsum audituri. Tanta erat vis & virtus suæ prędicationis, vt deserta quasi populum & ciuitatem gẽtium cõcursu efficeret: secundum illud Esa. Conuertetur Libanus in Carmel: & Carmel in saltum reputabitur. Virtute suæ prædicationis effecit, vt ciuitates Iudæ in solitudine manerent. Quia vt Mar. ait, Exibat ad eum omnis Hierosolyma & Iudæa & obliti filiorum & domorum ad eum concurrebant. Aspice igitur ô tu peccator, quod dominus nunquam ecclesiam suam deserait: & quemadmodum tunc misit Ioannem ad curandum spirituales hominum languores: etiam nunc multos ministros & prædicatores mittit, qui animæ tuæ medeantur, iuxta illud quod ipsemet dominus ait, Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Si voces prædicantium voces Dei sunt: & ipse Deus est, qui in interioribus tui cordis clamat. Vox Dei est, quæ sonat in deserto animæ tuæ, eius gratia & donorum destituta. Ingentes voces emisit Ioannes in deserto, & nunc etiam emittunt concionatores, & Deus in anima tua: placeat tamen ipsi per infinitam ipsius pietatem, & misericordiam, ne sit (vt aiunt) in deserto prædicare. Potiùs auditur ab hominibus sibilus serpentis: & mundi clamor, & vox carnis, quàm Dei verbum. Ideò per prophetam conqueritur dominus dicens, Clamaui, & non erat qui audiret. Quare? Quia sunt multi qui clamant in domo peccatoris. Contingit enim vt in aliqua domo multi sint saltantes, canentes, & gaudentes, dum tamen aliquis tum temporis ostium pulsat, non exauditur propter magnum tumultum & strepitum eorum, qui intra domum sunt. Ita nimirum, intra ipsam peccatoris animam semper habitat quædam vox, quæ, inordinatus est diuitiarum appetitus, qui semper clamat: & est alia vox quæ vindictam inimicorum postulat, alia verò quæ honores, alia denique quæ voluptates & blandimenta carnis desiderat: & hinc est, quod cum plena sit inordinatorum appetituum, quando Deus vocat, non exaudiatur. Quod autem hæc animę desideria voces sint, clarè constat. Nam cùm oraret Moses nec aperiret os, nec labia, dixit illi dominus, Quare clamas ad me? Anna enim mater Samuëlis cùm oraret in templo, non aperiebat os suum, nihilominus tamen magnos clamores suorum desideriorum mittebat Deo. Dauid quoque ait, Desiderium pauperum exaudiuit Deus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Igitur hæc animæ desideria clamores & voces sunt. Clamant desideria carnis & sanguinis: cumque magnus sit strepitus in ipsa anima peccatoris, etiam si dominus ad ostium pulset, non exauditur. Nec mirum quod non exaudiatur, vbi sic dominantur & imperant inordinatæ libidines. Et quòd peiùs est, quòd etiam si dederis his inordinatis desideriis quòd petunt, nunquam tamen cessant voces emittere. Auari nanque, cupidi & mundani, etiam si consequantur omnia illa, quæ cor suum desiderat, semper ampliùs atque ampliùs petunt. Remedium autem præsentaneum, vt Deum clamantem possis audire, est facere vt taceant omnes illi qui intùs clamitant: Nunquàm tuis appetitibus quòd volunt concedas, quia neutiquam tacebunt. Linguam tuorum desideriorum scinde, breuitatem vitæ considerans. Christi humilitatem & paupertatem, tuncque cessabũt: atq; ita cùm amorem mũdi à corde tuo remoueris, pacificũ & quietum erit: atque ita vocé domini cũ vocauerit exaudies, & cum sancto Iob poteris dicere, Vocabis me & ego respondebo tibi. Vide dominum dicentem. Ego sto ad ostium & pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum & cœnabo cum illo. Cùm enim dominus dicitur ad ostium stare, manifestè insinuat secum peccatore loqui: nam iustus & amicus Dei domus ipsius est, quam ipse libenti animo habitat. Et in hoc quidem apparet quàm inurbanus

Marginal notes:
Gen. 38.
2. Reg. 11.
Quare Ioãnes in deserto solo, Christus verò in deserto & ciuitatib[us] prædicet.
Math. 3.
Esa. 29.
Mar. 1.
Math. 10.
Vox prædicatorum, vox Dei.
Esa. 50.
Exod. 14.
1. Reg. 1.
Psal. 9.
Iob. 14.
Apoc. 3.

Aliter Christus desiderat habitare, nobiscum aliter diabolus.

nus cùm Deo ipse peccator sit: nam cùm sit ad ostiũ pulsans, expectare illum facit, & non vult aperire. Cùm autem dicit, si quis aperuerit, liberum hominis arbitrium ostendit, quando in sua potestate reliquit quòd possit aperire, vel nolit. Quia verò non cogitet, quòd venit vt illum interficiat: siquidem sua peccata id merentur, inquit, & cœnabo cùm illo. Venit quippè vt animam ditet, & vt mille donis, & beneficiis cumulet. Ipse cœnam affert, & omne symbolum soluit. Auceps namque aues inuitat, sed non minoris quã ipsa vita prandium emũt. Ita dæmon nostros primos parentes in paradiso inuitauit: sed carè fructum emerunt. *Genes. 3.* Ideò Ieremias, Venatione cœperũt me sicut auis. *Thren. 3.* Christus autem tecũ cœnaturus, cœnã affert, nihil aliud vult, nisi quòd aperias illi ianuas tuæ voluntatis. Quid est igitur, quòd illis non aperis? Quare illum non audis? Vtique quia magnus strepitus est in anima tua amoris mundi, & carnis: & inordinatorum appetituum. Illos igitur scindè, & silentium impone animæ tuę, & tunc rectè audies dominũ teipsum millies vocãtem. Sic olim clamabat Deus per Ioannem, sic & nunc clamat ad aures peccatorũ. Vide igitur, quãdo in tuam vtilitatem & commodum cedit, quòd illum audias libenti & spontaneo animo: nam si in hac vita cùm te nimio amore vocat, illum non audieris: posteà volens nolens illum audies, quando dixerit terribili & horrenda voce peccatoribus, Ite maledicti in ignem æternum. *Math. 25.* Sed iam audiamus Ioannem clamantem atque dicentem. *Parate viam domini.* Antè medici aduentum monetur ægrotus: vt cognoscens morbum, medicũ venientem reuerenter accipiat, seseque illi morigerum & dicto obaudientem præbeat. Et quẽadmodum antè Ioseph ibat præco vt omnes genua flecterent, *Genes. 41.* sic Ioannes coram Christo præibat clamans, vt corda homines pararent & Christum adorarent Saluatorem, quod non solùm Aegyptus, sed totus mundus, & ei obedirent, atque morem gererent. Hoc erat Ioannis officium, ad hoc venerat: *Luc. 1.* vt Angelus dixerat Zachariæ ipse præibit antè illum, in virtute & spiritu Heliæ: parare domino plebem perfectam. Præparabat corda hominum, vt Christum susciperent. Quid est viam in corde præparare? Ex rebus temporalibus cernimus & cognoscimus, quomodo sternitur via, & quomodo plana fiat: ita circa interiora nostra idem agamus, amouentes peccatorum malorúmque affectum scopulos, quo via sit parata domino, hoc est, absque vllo impediméto & molestia dominus ad nos venire possit, & nos ire ad eũ. Via itaque domini ad homines veniens, est voluntas nostra, ipse homo est domus, in qua Deus habitat, in quantum iustificabitur, & est via in quantũ disponitur ad iustificationem.

Via per quam dominus intrat ad nos est voluntas nostra.

Et sicut via est necessaria venienti: ita dispositio & voluntas est necessaria ad iustificationẽ: vt Deus veniat ad hominem, itaque nullus adultus potest iustificari sine propria voluntate. Hæc autem via paratur per vitã studiosam & pœnitentiam, quæ virtus facit cõscientiam & animã cõponi cùm recta ratione, quæ est regula humanæ vitæ: & quia homo cùm studiosè viuit cõformatur regulæ rectæ, dicitur via recta & præparata. Præparemus & nos viam domino, vt excluso peccato dominũ suscipiamus. ¶ Obserua autem, quòd dicit præparatè, libertatem insinuat liberi hominis arbitrij, in potestate tua est parare, vel non parare viam domino. Deus namq; nemini suã gratiam denegat nec deserit facientem quod in se est: ille qui paratus est omnibus subuenire. Tu autem benè vtere libero tuo arbitrio, & para cor tuum domino: vt iter faciat, & habitet in anima tua. Obserua iterum quòd non dicit beatus Ioannes, quòd paremur quamcúmq; viam, sed viam domini. Alia est enim via domini, & alia via nostra: vitia & peccata sunt viæ nostræ: via autem domini, virtus. Sic apud Esaiam dominus dicit, Nõ sunt viæ meæ, viæ vestræ, & cogitationes meæ, cogitationes vestrę: sed sicut exaltantur cœli, &c. *Esa. 55.* Via domini quæ ducit ad vitam arcta est: via autem impiorum, quæ ducit ad interitum lata & spatiosa est. *Math. 7.* Via impiorum tenebrosa: iuxta illud sapientis, Via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus domini persequens eos. *Prouerb. 4.* Ambulant impij sicut cæci sine lumine, in mille lapides & scopulos quotidiè offendẽtes: hoc est in mille peccata & abominationes incidentes, quoúsque in foueam inferni præcipitentur. Quapropter in Ecclesiastico habetur, Via peccatorum complantata est, &c. *Eccl. 21.* via verò iustorum est quasi lux splendens. Auertamus igitur pedes nostros à via iniquitatis, & relinquamus vias nostras ad æternos cruciatus tendentes: & præparemus viam domini ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Luc. 1.* Sed quid vlteriùs ex Esaia beatissimus Christi præcursor addat, audiamus: *Rectas facite semitas eius.* Viæ domini sunt præcepta, semitæ verò eius cõsilia.

Viæ Domini eius præcepta sunt, semitæ verò consilia.

Præceptum quippe domini est in extrema necessitate eleemosynam erogare, consilium autem euangelicum omnia bona tua vendere, & dare illa pauperibus. Ad pręcepta enim obseruanda omnes tenentur: ad cõsilia auté non nisi ij, qui propria voluntate seipsos adstrinxerint. Hæc quidem consilia vocantur semitæ, nam magis arctæ & angustæ sunt: & sic eorum vita & institutio, qui consilia hæc sequuntur magis arcta est: nam præter eam obligationem, quàm habent ad implenda præcepta, tenentur etiã & obligantur ad obseruanda consilia. Et quemadmodum semitæ quædam compendia sunt, vt citiùs ad expectatum finem perueniatur: sic etiam qui seipsos ad consilia adstringunt magis merentur, & citiùs in beatam sanctorum patriam perueniunt. Cùm auté cõpendium nequeat esse sine dispendio: si magis hi coram Deo merentur, magis etiã laborãt. Vide auté ꝙ cùm dominus loquebatur de via non dixit, quod esset recta, sed de semitis dixit: quòd facerẽt semitas rectas. Hoc quippè laboris est illis, qui consilia sequuntur, quiq; faciũt opera maioris supererogationis, quòd sæpissimè tentantur à dæmone vana & inani gloria, potiùs quã reliqui alij: ea etenim opera quæ à communi hominum institutione discedunt, & altiorem vitæ cõditionem sequuntur, multoties laudantur & extolluntur ab hominibus: atq; ita qui per has semitas iter faciũt, maiores habẽt lapsus occasiones & amissionis meriti qđ cõtingit sæpius his, qui per semitas itinerare solẽt. Nõ quis laudatur, quia tẽpore quadragesimæ ieiunat, quia id ab ecclesia est præceptũ: sed si aliis tẽporibus ieiunet, hoc est maioris supererogationis & ab omnibus laudatur: quia verò multi, qui nõ ita perfecti & recti sunt intentionẽ distorquent, & meritũ amittunt, laudibus & humana gloria allecti, ait Ioannes, Rectas facite semitas eius. Et etiã si opus sit, vt viæ sint rectæ: nam opera obligatoria necessum est, vt propter Deum fiãt: quia verò in præceptis non adeò hæc monitio requiritur, cùm

minor sit tẽtatio vanæ laudis & gloriæ. Beatus Ioãnes ad id quòd magis necessariũ est properat dicẽs, quòd in operibus maioris supererogationis animus & intẽtio nostra in solũ Deũ dirigatur. Quòd autẽ in semitis maius sit periculum clarũ est, quia inimicus dæmon frequentiùs viros sanctitate & religione perfectos tentat & persequitur, quàm reliquos alios: *Genes. 49.* Nã (inquit Iacob) coluber in via & cerastes in semita: vt mordeat vngulas equi, & cadat ascensor eius retrorsum. Cerastes pessimus serpens est habẽs quatuor cornicula in capite, & in arena abscõditus insidiosè mordet. Sic maximè tẽtat diabolus viros perfectos, potiùs quàm alios: quia cõmuni via mandata seruant. Ideò prioribus est sicut coluber qui parum habet veneni: & ambulantibus in semita est cerastes, qui multũ nocet abscõditus, quia viros perfectos absconditè & insidiosè tẽtat, aliquando sub specie boni latitans in occulto vel de bono opere tentãs. Mordet cerastes hic in intẽtione ac fine, quẽ habes in operibus bonis: quocirca ait, quòd in vngulis equi mordet, quæ extremæ partes sunt animalis: sicut finis seu intentio operis vltimum est operationum nostrarum. Finis enim (vt Aristoteles ait) primus est in intentione, & vltimus in executione, Et sic cadit vir, & corruit in semita: quapropter recta semita incedendum est superando omnem sæculi tentationem, & cogitantes quod quidquid boni faciunt, à Deo venit, iuxta illud Pauli, *2. Cor. 3.* Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. De hac etiam via & semita habetur in Prouerbiis, *Prouer. 3.* Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. In Psalmo quoq; loquitur Dauid domino dicens, *Psal. 24.* Vias tuas domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me. ¶ Verũ quomodocunq; viã vel semitam intelligas, opus est in hac vita, quæ via est, per quàm ad aliam vitam tendimus recto incedere gradu: hoc est vitia & peccata euellere: & cor nostrum ab omni sorde & inquinamẽto mundum habere. *Vita hæc præsens, via est ad futuram.* Etenim ille omnibus aliis omissis recto itinere graditur, qui in charitate ambulat: & taliter viuit qualis cupit & vult in morte inueniri. Hunc enim arbitror recto itinere ambulare. Ad hoc quippe vt via vel iter rectum sit opus est vt medium extremis conforme sit. Nam si aliquis vellet à Parisiis Romam tendere, magnũ faceret dispendiũ si Neapoli transiret, in hac vita omnes sumus viatores: & scriptura sacra multis in locis confert nos cùm viatoribus, & itinerãtibus. Vnde Paulus, *2. Cor. 5.* Dum sumus in hoc corpore peregrinamur à domino. Et ad Hebræos, *Hebr. 13.* Non habemus hic ciuitatem manentem inquit, sed futuram inquirimus. Petrus etiam ait, *1. Pet. 2.* Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinete, vos, &c. Sic scholastici theologi vocãt nos viatores, illos autem qui sunt in patria, vocãt cõprehensores: nam nascendo iter incipimus, & ad finem in morte peruenimus. Qualia obsecro fuere exordia nostri itineris? Audi Salomonem, *Sap. 7.* Et ego (inquit) natus accepi communem aërem, & primam vocẽ omnibus emisi plorans. Et Paulò post, Similis erit exitus. Quæ obsecro est via recta? illa cuius mediũ cùm initio & fine componitur. Natus es plorans & vagiẽs: & multis suspiriis & gemitibus vitã finies. Si autem vitã egeris ridens & gaudens: per deuia & lubricosa incedis loca. Si autem pauper nudus & egenus natus es, nullãmq; suppellectilẽ in mũdum attulisti, modo verò diues vis fieri: per minus rectũ tendis iter. De iusto dixit, Sapiens: *Sap. 10.* Iustum deduxit dominus per vias rectas: & ostendit illi regnum Dei. Et quòd est iter rectum? Honestauit illum in laboribus. Rectum iter ille agit, qui sicut natus est, ita viuit, vt moriturus. In laboribus natus es, plorans, pauper, nudus, & humilis: & morieris mille doloribus, angustiis, & calamitatibus circundatus. Opus enim est si rectum iter agere volueris in lachrymis viuas, orationibus & gemitibus, humilis & pacificus. Statim cùm natus fuisti paruo incunabolo capiebaris, in morte verò constitutus parua sepultura: modo verò magnæ & superbæ domus non possunt te capere: & fortè eo peruenies insaniæ, vt tibi etiam mundus paruus videatur. Quando natus es, non manu habebas hastam, aut ensem, nec aduersus aliquem irascebaris: & in morte etiam macilentus, infirmus, & debilis eris: modo verò superbiam tanquam habitum induisti, vindictam, & mortem. Non iustum, quem dominus per vias rectas deduxit insequeris, sed de illis es, de quibus Dauid in Psalmo dixit, *Psalm. 11.* In circuitu impij ambulant. Ne nimio diuitiarum amore capiaris: siquidem vides Iob dicentem, *Iob. 1.* Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Non dignitatem aut altitudinem huius mundi persequaris, quandoquidem tã humilis & pusillus natus es: & talis etiam es moriturus. Non sic sanctissimus Iob faciebat, quando dixit, *Iob. 10.* Dimitte me domine, Et ad quid obsecro tẽpus hoc postulas? & ad quid vitam? nunquid ad ridendum, & gaudendum? Non equidem, sed vt plangam paululum dolorem meum. Ad hoc etenim vitam impetrabat sanctus Iob, non ad vanitates & gaudia. Talis vita tua debet esse & ad hoc illam teneris petere. Aspice igitur beatum Baptistam: qui tot annis in scholis cæli studuit. Cúmque tam diuina & alta Philosophia & Theologia esset imbutus, relictis omnibus subtilibus quæstionibus, nihil aliud prædicat nisi, Rectas facite semitas eius: His namque breuibus & compendiosis verbis cõplectitur omnem reformationem vitæ nostræ, dicens, quòd per viam rectam ambulemus: ita viuẽtes, vt sumus morituri. Quomodo autem via præparanda sit, & recto itinere ambulandum, declarat Ioannes dicens, *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Non intelligendum est hoc: vt litera sonat: nam non semper in scripturis diuinis, historialis consequentia stare potest, sed nonnunquam deficit, vt dicitur in Prouerbiis, *Prouerb. 26.* Spinæ nascuntur in manu ebriosi, id est, homo iracundus iurgia & contentiones seminat. Et illud Esaiæ, *Esaiæ 14.* Abietes super te lætatæ sunt: & cedri Libani. Lege de hac re si placet Origenem & Augustinum. *Orig. hom. 2. in Gen. & 4. li. periar. c. 2. Augu. lib. 3. doct. Christ. cap. 11. & in Psalmo. 103 versus finem.* Itaque hæc quæ Ioannes hic ait non materialiter, & vt litera sonat interpretanda sunt: quia Christus non venit vt materiales vias & itinera corrigeret, sed vt mẽtes hominũ emendaret, & animas illorum sanaret. Ideóq; hæc est metaphora, per quã intelligere vult, quomodo præparandũ sit cor nostrũ, vt Christũ Saluatorẽ recipiamus. Cùm igitur dicit, quòd vallis implebitur, significat tollẽdam esse pusillanimitatem: & cùm dicit quòd omnis mons & collis humiliabitur, significat superbos humiliãdos esse in aduentum Messiæ. *Pusillanimitas & superbia obstacula Dei.* Multi hic dicunt quòd per valles intelligit humiles: quodquidẽ neutiquã stare potest, quia hic Ioannes de defectibus viæ loquitur, qui corrigendi sunt, humilitas verò non

est

est defectus, sed potius eximia virtus: hîc autẽ Ioãnes loquitur, qui præparare nos debeamus, & de reformatione spirituali, quàm Christus efficiet in animis nostris in suo aduentu, corrigens omnes defectus & lapsus nostros. Ideóque clarè intelliges beatum Ioannẽ hîc esse loquutũ de pusillanimitate & superbia, quæ vitia sunt, & defectus viæ, vt in Deũ finem nostrum tendamus, & hæc duo vitia intelligit per vallem, montẽ & collẽ. Multoties quippe pusillanimitas timidos homines facit, & impedit commodum & vtilitatem spiritualem. Hæc fuit

Num. 14.

causa, vt filij Israel mirarentur magnitudinem gigantum terræ promissionis, & lamentabãtur murmurantes, & volentes redire in Aegyptum, non cõsiderantes sese dextera excelsi liberatos fuisse à potestate Pharaonis, & miraculosè eduxisse eos de Aegypto. Hæc eadẽ pusillanimitas in causa est etiã vt multi suis vitiis & peccatis hæreant, existimant namq; se nõ posse diu persistere in bono, quin statim ad antiquam consuetudinem mali deueniant. Equidem vt verum fatear superbia graue obstaculum & impedimentũ est huic viæ. Vnde dominus

Esaiæ 66.

per Esaiam, Ad quem ego respiciam nisi ad pauperculum & humilem, &c. Hæc duo maximè nobis sunt curanda, vt de media via tollãtur, vt possit dominus liberè, & nullo opposito obice in animas nostras venire. Reiiciamus igitur à nobis hanc pusillanimitatẽ, cõsiderantes, quã exiguæ & imbecilles sunt vires nostræ, & quã fortis & potens est dominus, cuius fauore & auxilio pusillus pastor gigã-

1 Reg. 17. Iudit. 13.

tẽ illũ Goliath interfecit: & imbecillis fœmina Holofernem trucidauit, &c. *Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas.* Hoc est, ea quę per legis asperitatem difficilia videbantur, & impedita: per fidem, & euangelicam gratiam expedita fient & facilia. Vitiorũ & malarũ cupiditatum aspera, cõuertentur in vias leues & planas. Mentes iracundæ & immites ad mansuetudinem per infusionem gratię redibũt. Aspera verò per Christi charitatem reddẽtur leuia. Nam qui anteà iniustitiæ & prauitatibus operam dabant, qui iura violabant, & fundamenta iustitiæ peruertebant, erunt iusti, & actiones suas sanctis normis & regulis component, iniustitiam appellat

Esaiæ 27.

viam obliquã, & flexuosam: vt alio in loco Esaias, principem iniustum serpentem flexuosum appellauit. Ait itaque quòd Christus conuertet iniustitiã in æquitatem, & aspera in vias planas: hoc est homines insolentes, superbos, & elatos futuros esse modestos, mites, & blandos. Sunt quippè quidam homines, qui in te aliqua beneficia contulerunt, sed ita elati, vt priùs sua asperitate te vulnerent, quã beneficia concedant: similes arboribus spinosis, quæ priùs te pungunt, quàm fructum ab eis euellas. At diuina gratia comes fient: blandi & suaues,

Similitud.

Quatuor viarum deformitates.

itaque omnes deformitates viarum tollit Ioannes, Dicit namque quatuor deformitates viarum, per quas corporaliter gradimur corrigẽdas, vt via omnino sit suauis. Deformitas enim est viæ, si habeat in medio aliquem montem, per quem oporteat ascendere, & hanc corrigit dicendo, quòd omnis mons & collis humiliabitur. Alia est deformitas si sit aliqua vallis, in quàm oporteat descendere: & hanc corrigit dicendo, omnis vallis implebitur. Montibus namque & collibus æquatis, reddetur via plana. Tertia est deformitas si flexuosum & ambagibus sit plenum iter, & hanc corrigit dicens, Et erunt praua in directa. Denique alia est deformitas si aspera via sit & spinis plena: & hanc corrigit dicendo, Et aspera in vias planas. Significatur autem (vt vno verbo dicta complectamur) per huiusmodi metaphoras tollendas omnes fœditates morũ esse, tollẽdam pusillanimitatẽ, iniustitiã, & reliqua alia, quæ noxia sunt moribus. Prophetatúrq; hæc tunc fieri debere, cùm venerit Messias, vt ex his materialibus figuris & dispositionibus viç, insinuat quales debeãt esse mores & cõscientiæ ad parandã viã, qua dominus ad nos venturus est, nam si aliqua istarũ cõditionum desit, nõ vtiq; parata in nobis erit via vt Messias veniat. Et meritò quia gratia præsupponit naturã, & bonitas meritoria pręsupponit bonitatẽ moralẽ: Scopus igitur & præcipuum intẽtum Ioannis prædicationis illud est, vt quantũ in nobis fieri possit domino ad nos venturo viam præparemus, qui veniens omnia impedimenta tollet: ita vt illa via quæ anteà erat aspera & spinosa, sit posteà iucunda, alacris & læta: ꝙ quidem omne Christus

Math. 11.

suo sanctissimo aduẽtu cõpleuit, ita vt ausus sit dicere, iugũ meum suaue est, & onus meum leue. Hoc modo amouit impedimenta Christus suo gloriosissimo aduentu: quia morte sua viã asperã planissimã fecit & leuem. Quia postquã Christus pro nobis mortuus est, iucundum est mori pro eo, & pro suo nomine dulcissimũ est pati labores & persequutiones.

Via ad vitam immortalem, non ita difficilis, vt antè Christi aduentum.

Hoc iter quòd anteà asperrimum erat, ob cuius difficultatem à paucis terebatur: postquàm Christus id pertransiuit, ita planum, suaue, & iucũdum fuit effectũ: vt innumeræ virgines tenerrimæ, & in florenti ætate, gaudentes, & lætãtes per ipsum ambulauerint. Quid obsecro tam dulce martyriũ fecit? Vtique Christi aduentus in mundum. Dulce quidem est hoc iter ambulare, & propter Christũ pati: postquàm ipse pro nobis passus est. Nónne aliquando tibi iter facienti contigit socium itineris inuenire, qui ita dulcem & suauem habeat conuersationem, vt potiùs iucundus & delectabilis sit itineris labor quàm laboriosus? Sic nimirum dulcis Christi conuersatio, qui vna nobiscum iter agit, quando propter ipsum aliquid laboris suscipimus, huius vitæ labores & afflictiones dulces & suaues reddit.

Psalm. 127.

Quapropter Dauid in Psalmo loquitur dicens, Beati omnes qui timẽt dominum, qui ambulant in viis eius, Vide & attentè cõsidera, quomodo Dauid non vocat beatos solummodo eos, qui iam in patria fruuntur diuina essentia: sed illos etiã qui dum in hac vita ambulant, & per vias domini tendũt. Et quare id? Nõ quidẽ ob aliud, nisi quia hic in laboribus suis tantã dulcedinẽ & suauitatem inueniũt, vt iamiã fruãtur illa beatitudine & gloria, quã sancti possidẽt in cœlo: ideò ipsius regius vates addidit: Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit. Obserua quòd non dicit, Manducabis fructum laborum, sed manducabis labores. Agri enim cultor non laborem, sed fructum laboris comedit. Arat, & semina in hyberno tempore spargit: vt maturo tẽpore veris metat. Labor quippè est vineam fodere, fructus verò est vindemia: ita in seruitute Dei labor est ieiunium, fructus verò laborum est saturitas in cœlo. Labor in hac vita sunt lachrymæ, fructus verò gaudium sempiternum: labor est persequutio, fructus verò æterna beatitudo. Et vide quod non solùm dicit Dauid quòd qui ambulant in viis domini, fructum laborũ comedent in gloria, sed etiã quòd manducabunt labores. Nam nõ solũ serui Dei post hac vitam fru-

ctu

ctu laborum gaudebunt in cœlo, sed etiam in hac vita illis gaudent, & seipsos pascunt, & pinguescũt in gloriam, animam suam. Non solùm fruentur fructu laborum, persequutionis & ieiunij in cœlo: sed etiam in hac vita ipsum ieiunium & persequutio dulcis cibus est & esca, quæ illos pingues reddit: ideò ait, quòd manducant suos labores. Maiores námque consolationes spirituales inter labores & angustias in hac vita habent iusti, quã impij in suis deliciis & voluptatibus. Vnde Augustinus hũc locum exponens inquit, *August. in Psal. 127.* Dulciores sunt lachrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum. Plana quidem est via cœli: delectabilior, & iucundior omnibus floribus & deliciis mundi, illi qui nunquam huius itineris ingressum inceperunt, durum, & asperũ illum esse dicunt. Maior fides adhibenda est illi, qui apud Indos commoratus est, de rebus quæ aguntur illic: quàm ei, qui nunquam ad eos nauigauit. Etenim sancti, qui iter domini & semitas ipsius ambulauerunt, suis literis & monimentis mandarunt, dulce esse & suaue Deo seruire. Auarus durum iudicat eleemosynam erogare: & libidini vacans, castum esse, & prælatus honoris cupidus, subditum fieri. His asperum & durũ videtur iter cœleste, quia nunquam id ingressi sunt, nec sciunt quid sit Christo desseruire. Cui si seipsos consecrassent, ipsa experientia certò viderent, iucundiùs esse & delectabiliùs hoc iter ambulare Dei, quàm suis vacare vitiis & voluptatibus. Nónne aliquando tibi contigit, statim cũ à confessarij pedibus surgis tuis mundatus peccatis, ita contentum, & lætum fuisse, vt prorsus videaris in ipso cœlo iam constitutus, propter sarcinã peccatorum, quã deposuisti. O vtinam vlteriùs per ipsam Dei viam progredereris, vt videres quanta in ipsa adsit dulcedo: quandoquidem in ipso itineris initio, hoc est relinquens anteactam vitam, tantã inuenisti animæ consolationẽ. Quãdo *Numer. 10.* filij Israel tendebant in terram promissionis, arca domini ibat antè illos, ad explorandum illis requiẽ, & nubes etiam protegebat eos. Duo etenim cũ eis qui ambulant viam suam, dominus facit: quærit eis requiem, & mitigat illorum laborem in via. Vnde *Psal. 118.* sanctus Dauid, in via mandatorum tuorum delectatus sum. Sicut in omnibus diuitiis, Per viã mandatorum ibat Dauid, sed nimio gaudio & lætitia, ita vt caneret, delectatus sum sicut in omnibus diuitiis. Etenim etiam si in via domini sit aliquis labor, vt mali & boni vna in hac vita ærumnas & labores patiantur, nulla tamen est collatio inter eos. *Sopho. 1.* Clarum námq; est, maiorem esse laborẽ sine lumi- *Prou. 4.* ne & in tenebris ambulare: scriptura enim de malis inquit, quòd ambulãt vt cæci, quia domino peccauerunt. Salomon autem ait, iustorum semita est quasi lux splendens. Vident boni vbi pedes suos iaciant & cũ alacritate incedunt, ideò Dauid sæpissimè de hac via in illo Psalmo centesimo decimo octauo loquitur dicens, Et ambulabam in latitudi- *Math. 7.* ne: quia mandata tua exquisiui. Licèt arcta sit via, quæ ducit ad vitam: ego tamen in latitudine cordis & lætitia eam ambulabam, cùm tecum vna irem. Si enim corpus meum laboribus afflictum & cõtractum est, cor tamen meum dilatatum est. Ideò subdidit, Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. Cũ tu mecum adires socius hanc viã, quæ locus est peregrinationis & laboris psallens ducebã. Eo enim modo dominus cũ seruis suis agit, tanquã dominus qui inuitat ad prãdium aliquẽ amicum suũ magnum, qui cùm ad cõuiuiũ accedit & venit hora mãducãdi, si cibus nõ tã citò est paratus, iubet statim dominus, vt antè prãdiũ aliquod obsonium afferatur, quo interim famẽ sustineat, ita nimirum domin⁹ iustis & amicis suis magnũ & sublime cœli cõuiuiũ habet paratũ, interim tamen ne ieiuni sint, néue in expectatione deficiãt, mittit illis in hac vita obsoniũ cõsolationũ spiritualium, & gaudiorũ animæ, ita Iacob cùm à fratre suo persequeretur in via vidit scalã illã attingẽtẽ cœlum, & dominum innixum scalæ. Hãc visionẽ, nũquã vidit Esau, etiã si magnis diuitiarum copiis *Genes. 28.* abundaret: neq; mali videbunt nisi scalã descendẽtẽ ad inferos, & dæmonem innixũ scalæ, & paratũ, (quẽadmodũ nõ videt nisi scala crucis, &) carnificem super illã. *Ista videntur supernacanea quæ hac parenthesi clauduntur.* Relinquite iterum ô peccatores hãc viã inferni per quã tenditis, & viã domini quærite, & per eã ambulate, viam domino præparantes, rũpentes scopulos vestrarum passionum, & frangentes lapides vestri cordis, & antiquorum morũ muros. Christus namq; sua dulci & suaui consuetudine hanc viam leuem & amabilem facit. Sed de his iã sit satis, ad alia gradum faciamus. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Caro hic pro toto homine sumitur sicut etiã aliquando anima pro eo quod omnis homo, vt in Genesi dicitur, *Genes. 18.* Omnis anima, quæ non circunciditur, & hoc per synecdochen: quæ figura sæpè scriptura vtitur: de cuius vsu vide si placet Augustinũ & Chrysostomũ. *Aug. tract. 105. super Ioã & de orig. animæ ca. 17. & libro 83. quæst. q. 80. Chr. ho. 63. in Gen. Ori. lib. 9. in epist. ad Ro. cap. 15.* Verùm vt pulchrè annotat Origenes cùm homo nominatur à principaliori parte dicitur spiritus: cùm autem ab inferiori dicitur anima, à deteriori verò dicitur caro. Vnde Paulus ad Galatas ait, *Gala. 5.* Manifesta sunt opera carnis, hoc est hominis. Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. Scriptura etiã alibi ait, *Gen. 6.* Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, hoc est terrenus, vitiosus, & impius: & totus voluptatibus deditus. Lege Ambrosium. *Amb. ca. 3. com. epist. ad Rom.* ¶ Obserua etiam, quòd omnis hic accipiendum est iuxta generis distributionem, incompletè: vt dialectici aiunt: vt sit distributio pro generibus singulorum. Nam non omnes viderunt Christum: sed ex omni populo, lingua, & natione aliqui: ita quod nulla sit natio, aut lingua, de qua nõ saluentur, neq; aliqua prouincia est in toto orbe vbi euãgeliũ nõ sit prædicatũ, & ad quã Christi notitia nõ peruenerit. Sic in Apocalypsi legim⁹, quòd illi senes adorãtes agnũ dixerunt, Redemisti nos domine ex omni tribu, lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum. *Apoc. 5.* Expende quòd non dixerunt, redemisti omnem tribum, omnem linguam, neq; omnẽ populum: sed ex omni tribu, & ex omni lingua, & populo: quia ex omni lingua aliqui, ex omni populo aliqui, ex omni natione aliqui in Christum crediderunt, & illum per fidem cognouerunt, & salui sunt facti. *Videre hic de fide visione dicitur non corporali aut sensuali.* ¶ Quamuis hoc etiã intelligi possit quo ad sufficientiam, licèt non quo ad efficaciam: nam Christus pro omnibus mortuus est, sufficienter omnibus dans salutẽ & redemptionem, quãuis non omnes suæ passionis fructum deprompserunt. Sic in præsentiarum omnibus visibilis apparuit, & illum omnis caro videbit: nam quantum in se est, omnibus patet, omnibus ostenditur, nemini denegatur. Quemadmodum sol qui omnibus oritur in omnes suum splẽdorem & radios mittit: at si tu fenestram claudis, vel cubiculum abis, tuæ imputabitur culpæ, si solẽ nõ videas. Omnis itaq; caro videbit salutare Dei:

quia

quia omnis qui illum voluerit videre, videbit: hoc
Ephe.2. est qui voluerit credere credet. Nam fides, quæ do-
num Dei est, non negabitur facienti quòd in se est.
Ioel.2. Sic etiam intelligendum puto illud Ioëlis. Effundã
de spiritu meo super omnem carnem. Quòd autem
hæc visio de visione fidei intelligenda sit, quã vide-
mus hîc (vt inquit Paulus) in speculo in ænigmate,
1.Cor.13. nemini dubium est: cùm Christus in carne passibi-
li à paucis visus sit, & nõ ab omni natione. Hoc etiã
egregiè satis vaticinatus est Dauid dicens, Viderũt
Psal.67. omnes fines terræ, salutare Dei nostri. Porrò salu-
tare vocatur hîc à Dauide, & ab euangelista, & à Si-
meone cùm dixit, Viderunt oculi mei salutare tuú,
Luc.2. & à Iacob cùm dixit, Salutare tuum expectabo do-
Genes.45. mine, quia salutem nobis tribuit & incolumitatẽ.
Omnes nos maxima premebamur infirmitate, quia
tota species humana corruerat, & ita detinebamur
Osea.4. peccatis, vt Oseas diceret, Non est veritas, non est
misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledi-
ctum, & mendacium, &c. Sicut cùm Ezechias in-
firmaretur iam morti propinquus, quem vt curaret
in signum salutis sol descendit lineas: sic Christus
Esaia 38. Iesus verus sol iustitiæ & salutare nostrum descen-
dit vt languores nostros & infirmitates curaret. Se-
metipsum exinaniuit formam serui accipiens, &
Malac.4. habitu inuentus, vt homo, &c. Non immeritò ille,
qui salutem humano generi tribuit, salutare voca-
Phi.2. tur. Vide igitur tu quanta animi lætitia & alacrita-
te æger medicum, qui illum sanare potest, accipit,
præcipuè si sciat, tantam medicum habere poten-
tiam, vt salutem præstare possit. Sic tu toto pecto-
ris & animi conatu Christum debes suscipere ve-
nientem sanare vulnera & languores animæ tuæ.
Amplectere igitur medicum hunc salutarem. Ipse
enim est, qui ait: Salus populi ego sum: de quacun-
que tribulatione clamauerint ad me exaudiã eos.
Præpara ergo cor tuum, & dignũ ei hospitium, vt
veniẽtem posteà seuerum iudicem securè illum vi-
Math.3. deas vsque in sæcula in cœlo regnantem, &c. Sed
iam videamus, quid vltrà beatissimus Christi præ-
cursor populo prædicet. *Dicebat ergo ad turbas quæ
exibant vt baptizarentur ab eo.* Etenim (vt inquit Ma-
thæus) magna erat multitudo gentiũ, quæ ad Ioan-
nem concurrebãt in deserto, vt baptizarentur. Tũc
exibant ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, &
omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab
eo in Iordane, cõfitentes peccata sua. Sed quid Ioã-
nes dicebat, audiamus: *Genimina viperarum.* Mirum
quidẽ est, vt cùm Ioãnes ad turbas loqui velit, tã as-
pero vtatur exordio: vt genimina viperarum vocet
populum. Sed sciendũ est, aliã esse rationẽ alloquẽ-
di suos, aliã eos, qui ad fidẽ sunt introducti, & aliã
deniq; ad eos, qui iamdudum crediderunt. Hæc in
scripturis sacris veteris & noui instrumenti facilè
reperies, vbi prophetæ suos Israëlitas seuerissimè
reprehenderunt, Esaias ad suos in prophetiæ exor-
Esaia 1. dio statim asperè loquitur, dicens, Væ genti pecca-
Ion 3. trici, populo graui, &c. Ionas autem missus ad Ni-
niuem ciuitatẽ externã, cõtentus fuit admonuisse
vltionis, quæ post quadraginta dies ciuitati immi-
nebat: & pepercit reprehensionibus, Sic Paulus
Act.17. Areopagũ introductum studuit suæ philosophiæ,
rationẽ quã ab eo postulabant reddi: & in increpa-
tiones nõ prorũpit, quarũ tunc erãt incapaces ex-
terni Athenienses: sed cùm alloquitur Corinthios
qui iam erant sui, summa vtitur seueritate, maximè
1.Cor.5. cùm illo scortatore qui nouercam duxerat, verbis

agit & factis, & cùm eis qui tantum scelus nutriri
passi sunt. Sic Stephanus cùm cerneret Iudæos tã
obstinato animo resistere veritati, in acrẽ prorum-
pit reprehensionem dicens, Duri ceruice, & incir- Act.7.
cumcisi corde, vos semper spiritu sancto restitistis.
Hæc differentia, quæ ad suos, vel ad externos perti-
net, seruari etiã debet, inter eos, qui vel modo cre-
diderunt, vel iam diu in fide sunt versati. Etenim Act.16.
videmus in actis apostolicis ob eos qui noui erant
in fide: Paulum quasdam seruasse legis ceremonias:
quas tamen in Galatis reprehendit, qui ob tempus Galat.3.
debuerant esse in fide solidiores. Sic in epistola ad
Hebræos acriùs inuehitur in quosdam. Cùm debe- Hebr.5.
retis (inquit) esse magistri pro tẽporis ratione: rur-
sum opus habetis, vt doceamus vos, quæ sint ele-
menta initij eloquiorum Dei. Sic etiam nunc Ioan-
nes Iudæos in lege domini nutritos, qui à via veri-
tatis deuiabant, durè arguit & increpat, vocans eos
genimina viperarum, &c. ¶ Nomen ferarum scri- Chry.hom.13.
ptura (vt Chrysostomus ait) sæpè his, qui ratione & 23.in Ge.
sunt præditi imponit, propter eorum pessimas in-
clinationes. Canes ob impudentiam & impetum.
Sic Esaias, Canes muti non valentes latrare. Inter- Esaia 57.
dum equos ob libidinem. Vt Ieremias, Equi insa- Ierem.5.
nientes vnusquisque ad vxorem proximi sui. Inter-
dum asinos ob stupiditatẽ. Ideò in Psalmo dicitur. Psalm.48.
Homo cum in honore esset, & non intellexit, com-
paratus est iumentis, &c. Interdum Leones, & Par-
dos, & alia id generis. Vnde dominus dixit Eze- Ezech.2.
chieli, Subuersores & increduli sunt tecum: & cum
scorpionibus habitas. Multa exempla de hac re af-
ferunt Basilius & Tertullianus, Diuus autem Ioã- Basil. in exa.
nes licèt essent alia multa animalia, cùm quib⁹ eos hom.8. & 9.
conferre poterat, voluit tamen viperis potiùs eos Tert. contra
assimilare quàm alijs animalibus propter duo. Pri- Iudæ.ca.4.
mùm, quia viperę cùm aliquem mordent, statim ad
aquam decurrunt, quã si non inueniunt, intereunt.
Sic isti pharisæi & saducæi quibus Ioannes hæc di-
cebat, peccata mortifera committentes currebant
ad baptismum, sicut viperę, vt per aquam solùm, si-
ne pœnitentia, periculum mortis euaderent: quòd
quidem quã esset ridiculum, vel cæco apparet, spe-
rare peccatorum veniam & remissionem sine pœ-
nitentia per solùm Ioãnis baptismum. Secundò, vt
viperæ exteriùs formosæ & pulchræ sunt, intus au-
tem mortifero veneno plenæ. Ita isti exteriori vul-
tu sanctitatis speciem & imaginem ferebant: intus
verò omni dolo & fallacia erant induti. Sic domi-
nus eis loquebatur, dicẽs, Væ vobis scribæ & pha- Math.23.
risæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris deal-
batis, quæ de foris apparent hominibus speciosa.
Et postquam eorum hypocrisim arguerat, statim
subdidit dominus eadem verba quæ nunc Ioannes
alloquitur, dicens illis, Genimina viperarum, &c.
Voluit Ioannes hos humiliare in ea re, de qua ipsi
nimis efferebantur & superbiebant. Nã isti gloria-
bantur & seipsos iactabant filios esse Abrahæ, &
per hoc existimabant ipsi nulla dignos esse pœna,
etiam si nulla bona facerent. Ioannes autem volens
istos deprimere & humiliare, ne de progenie & stir-
pè superbirent, appellauit illos genimina viperarũ,
quasi dedignans illorũ progeniẽ. Ac si diceret, Non
estis progenies Abrahæ, sed progenies viperarũ. Et
quòd ista fuerit mẽs Ioãnis & sensus germanus hu-
ius loci patet, quia Ioannes statim dixit, Ne velitis
dicere patrẽ habemus Abrahã, &c. Potiùs nãmque
dicendi estis filij viperarũ, cũ ipsarum mores & cõ-
suetu

suetudines referatis, quàm Abrahæ. Multi etiam nunc sunt similes istis qui de parentum sanguine & testamentis gloriantur, & facta bona parentum extollunt & laudant: cùm ipsi pleni sint peccatis & sceleribus, & nobili suorum sanguine abutantur.

¶ Considera autem ad quantam miseriam homo per peccatum deuenerit. Quid enim obsecro miserabiliùs, aut lamentatione digniùs, quàm quòd homo omittat nomen hominis, & asciscat sibi nomẽ bruti & irrationalis. Homo namque animal est rationale: quando verò non vtitur ratione, iam ho-
Iob. 1. minis dignitate priuatur. Sic Iob erat homo: & addidit scriptura quòd erat simplex & rectus. Hoc quippè est esse hominem, habere animi rectitudinẽ & candorem: nam qui hanc non habet confertur à
Psal. 48. Dauide cùm bestiis in Psalmo dicenti, Homo cùm in honore esset & non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Nõ dicit iumento in singulari, sed iumentis, quia omnia vitia animalium solus homo iniquus & sceleratus habet. Luporum enim habet cauillationem & voracitatem: leonum crudelitatem, & viperarum
Esa. 1. venenum. Vnde Esaias nequiorem bestiis hominẽ appellauit, dicens, Cognouit bos possessorẽ suum, & asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus nõ intellexit. Et Dauid, comparatus est, dixit, Peiùs námque est comparari quàm nasci: nam nasci naturæ ipsi tribuendum est, comparari verò vitio, &c. Sed iam Ioannem audiamus, *Quis ostendit vobis fugere à vẽtura ira?* Viperam si tractes eius morsu morieris. O summum miracu-
Esa. 53. lum, quòd Deus velit homines vipereos tractare. Tanta est ipsius bonitas & clementia, vt etiam si ipsorum morsu sciat se moriturum, nihilominus cùm eis agere non dedignatur. Etenim certum est morsibus, id est pœnis peccatorum nostrorũ Christum mortuum esse: Peccata nostra ipse tulit, & ab eis dilaniatus est. Quis obsecro vnquam vobiscũ tanta humanitate & clementia est vsus, vt proprio mortis periculo vos tractaret, & à ventura ira fugere demonstraret: Pharisæi & saducæi erant isti, vt patet in Mathæo, & miratur Ioannes de eorũ conuersione. De saducæis quia negabant immortalitatem animæ & futuram vitam: vt hæretici raro cõuertuntur, quamuis aliquando simulent confessionẽ mortis & vitæ timore. Atque ideò mirãdum est, cùm conuertantur, Berengarius & Hieronymus de
Math. 3. Praga, post abiurationem sicut canes reuersi sunt ad vomitũ. Pharisæi verò quamuis catholici essent & resurrectionẽ crederent: tamen quia vitiis & ini-
Prouerb 23. quitatibus erãt assuefacti multis iam retrò diebus
2. Pet. 2. de ipsorum conuersione erat maximè mirandum. Acsi diceret, Cùm tam longè à Deo recesseritis, mirum est quòd appropinquatis ad pœnitẽtiam. Caue ergo & tu ab his duobus statibus. Etenim difficulter hæretici & ille qui iam in vitiis obcalluit, ad pœnitentiam conuertitur. Mala quippè consuetudo post se ad quemcunque ventum huc & illuc rapit, & post se ducit in peccatũ, ita vt sæpiùs in hæreses & mille flagitia eum impellat. ¶ Expende etiã quò pœnis vitæ futuræ minatur Ioannes pharisæos & saducæos: quia nullus istorum futuras pœnas timebat. Etenim saducæi nullã post hanc nobis manere vitam existimabãt, & inde nullas pœnas, Pharisæi verò licèt crederent pœnam futuram, tamen non timebant illã: quia ipsi in sua æstimatione iusti erant, & in suam iustitiam fidebant. Et idcircò mi-

ratur Ioannes, quis apud vos tãtum valuit, vt mõstraret vobis timẽdas pœnas iræ futuræ? Isti autem nõ alius est nisi Deus, quia ipse pulsat hominũ corda, & erudit eos: vt recedãt à malo. ¶ Obserua autẽ quòd fugere à ventura ira, est fugere à vindicta extremi & vltimi iudicij, in quo nemini de sua iustitia vel iniustitia defraudabitur, sed omnibus iuxta merita vel demerita reddetur. Stat namque beatus Iob nos admonens, Fugite à facie gladij: quoniã vl- Iob. 19.
tor iniquitatem gladius est. Vt hanc venturam irã possis subterfugere, opus est, vt in hac vita vitia & peccata subterfugias. Quis fugit à ventura ira? Ille quidem qui in hac vita à vitiis & peccatis procul recesserit. Nam ira & indignatio non super iustos, sed super peccatores venient. Cadẽt enim in retia- Psalm. 140.
culo eius peccatores. Fuge ergo huius mundi gaudia, illecebras, honores, & sæculi vanitates, vt Ieremias admonet dicens, Fugite de medio Babylonis. Ierem. 51.
Optimè & graphicè mũdum Babylonem appellat, quia plenus confusione est: vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Nónnè meritò hanc confusionem dices, vbi pluris æstimatur aurum, quàm virtus: & vbi terrena & caduca bona, spiritualibus & veris bonis anteferuntur? Si mundus talis est, illum fugias: ne in venturam iram incidas. Quẽ vt fugerẽt sancti monachi & heremitæ, à mũdi tumultibus illecebris & honoribus recesserunt: cõtenti solũ tunicis silicinis, & frondibus arborum ad vitam transigendã, arctissimam agentes pœnitẽtiam, vt venturam domini iram possent euadere. Quare igitur tu in peccatis viuens & deliciis, hanc iram putas euadere. Fuge ergo ab huius mundi vanitatibus, & dùm viuis pœnitentiam agito, vt ventura pœna non te maneat. Quòd beatus Ioannes sequentibus verbis docet, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Q. D. Si ab ira ventura vultis fugere pœ- *Digni fructus pœnitentiæ qui sint.*
nitentiam agite, quodquidem signa ostenditis, vos illam agere velle perfectè igitur illam operamini. Et idcircò dixit, facite fructus dignos pœnitentiæ. Fruct⁹ est qui ab ipsa re prouenit: & est post ipsam rem. Pharisæi & saducæi pœnitentiam habebant, cum accedebant ad baptismum Ioannis, sed illam imperfectam. Profitebantur se esse peccatores, sed ab vsuris & sceleribus nequiebant recedere: vnde Ioannes illos admonebat, vt peccata detestarentur, Prouer. 26.
& nunquam facies suas ad ea conuerterent, & vt pro peccatis dignam satisfactionem facerent. Quocirca obseruandum est fructus hic dixisse, & non flores, contra illos, qui flores tantum pœnitentiæ faciunt: & isti sunt qui incipiunt ad Deum se conuertere, & bonorum motuum flores emittunt, quibus apparent se iam esse conuersos. Sed, prôh dolor! quòd mouentur isti & trahuntur sicut ostium 3. Reg. 21.
in cardine: nam nunquam illi motus & proposita ad expectatam maturitatem perueniũt: nec dignos proferunt pœnitẽtiæ fructus. Atque ita multi onusti frigidis & immaturis intentionibus in infernũ præcipitantur. Talis fuit pœnitẽtia Achab, incepit náque seipsum in dominum conuertere: sed in medio itinere defecit. Quapropter dixit dominus Heliæ: Nónne vidisti Achab humiliatum coram me? Ideóque in diebus eius non immittam mala. At Achab mortuus est in vitiis & peccatis: quia fructus pœnitentiæ non fecit, nec illam ad maturitatem perduxit. Prætereà non tantum fructus pœnitentiæ, sed dignos fructus admonet Ioannes esse faciendos, quòd dupliciter intelligi potest. Primò

de

de pœna satisfactoria, vt quanta fuerunt peccata, tanta sit satisfactio, quæ peccatis correspondeat. Nam sicut per peccatum concessit homo voluntati suæ plusquam debuit:ita iustitia exigit, vt aduersus voluntatem suā tantum faciat seipsum puniendo. Sic in Apoc. habetur, Quantum se glorificauit in deliciis, tantum date illi de torméto. Et in Deut. Pro mensura peccati, erit & plagarū modus. ¶ Aduertendum tamen quòd est contritio & satisfactio æquiualens offensæ seu culpæ, æqualitate proportionis per respectum ad hominis possibilitatem: hæc requiritur à nobis, non autem æquiparantiæ offensæ. ¶ Secúdò potest exponi, facite dignos fructus, propter charitatem, quia pœnitētia debet esse propter Deum summè dilectum, & procedere ex radice dilectionis diuinæ. Nam qui ex charitate nō dolet, nō agit fructus dignos pœnitentię. Sic fructū egit pœnitētiæ Antiochus, non tamen dignū: quia non ex dilectione processit, ideóq; nō fuit dignus, vt exaudiretur à Deo, nec misericordiam fuit consequutus. Sic etiam Paulus loquitur de Esau, dicés non inuenisse locum pœnitentiæ: etiam si cum lachrymis postulasset. Præterea Saul & Dauid reges Israel ambo fuerunt peccatores, ambo à prophetis correcti, & ambo pœnitentiam egerunt: sed Dauid misericordiam est consequutus, non tamen Saul. Cur dominus acceptauit pœnitentiam Dauid, nō autem Saulis? Vtique quia Dauidis pœnitentia ex diuino amore procedebat, non tamen Saulis: quia ea de causa dolebat, & angebatur, quia regnum temporale perdebat. Dauid autem pœnitebat, quia tantum & tam bonum Deum offenderat & fructus dignos egit pœnitentiæ, atque ideo remissionem peccatorum adeptus. Facite (inquit) fructus dignos pœnitentiæ, hoc est cor & spiritum per pœnitentiam, & bona opera cum Dei gratia renouate. Hoc ait: non quia homo per se & ex suis viribus tātummodo id facere queat, quoniam gratiæ infusio à solo Deo est: sed quia homo ad gratiam se disponere possit per liberum arbitrium, & attritionem cum Dei auxilio. Et facienti quòd in se est Deus non denegat gratiam. Quid ad hæc dicunt Lutherani? Si nihil possumus efficere, cur Ioannes spiritu sancto afflatus & plenus nobis præcipit, vt faciamus fructus dignos pœnitentiæ? Deus non præcipit nobis impossibilia, qui alibi dicit, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Nam si impossibilia præcepisset esset impius & iniustus: ergo id nobis præcipit quòd est in potestate nostra constitutū: & præcipit hoc à nobis fieri, ergo possumus illud facere & operari. Restat igitur vt nos id opere compleamus. Deus naq; adiuuabit nos gratia sua: quia hæc innouatio non potest fieri absq; Deo, vt egregius canebat vates, Cor mūdum crea in me Deus, & spiritū rectum innoua in visceribus meis, &c. *Et ne cœperitis dicere, patrē habemus Abraham.* Falsò nanq; & amentissimè putabant multi ex Pharisęis, quòd etiā si grauissima peccata cómisissent, nó ideò erát puniédi, etiā si nullā agerēt pœnitentiam, quia filij Abrahæ erát: quòd quidé quā ridiculū sit, nemo sanæ mentis homo id non iudicabit. Ideóque Ioánes húc errorē ab illis expellit, dicés, ne in hac re multū fidant: si ipsi ex sua parte non satisfecerint. Nam cú ipsi pessima opera facerēt, nō filij sancti patriarchæ Abraham erát reputádi, sed dæmonis, vt ipse Christus dixit, Vos ex patre diabolo estis. Sic etiam parentibus horum Iudæorum olim dixit Ezechiel;

Apoc.18. Deut.25. 1.Mac.9. Heb.12. 1.Reg.15. 2.Reg.12. Luc.13. Psal.50. Ioan.8. Ezec.16.

Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Harū barbarum nationum vocat Deus populū Israel filium: nō quòd talis esset per naturam, sed imitationem. Inaniter gloriabantur isti se patrem habere Abrahamum, cùm tam dissimiles essent in moribus. Quid prodest riuulo si profluat ex puro & salutari fonte, si ipse sit spurcitiis & immūditia plenus? Quid prodest filio parentū nobilitas, si ipse deprauatis & turpibus moribus sit imbutus? Sed de istis nonnihil postea dicemus. ¶ Nunc autem perpende quomodo homines omnibus Dei beneficiis abutūtur. Decreuerat Deus vnā gentē ex omni fæce generis humani eligere, per quā exerceret mysteria, quæ ad salutē generis humani pertinerēt, & ex qua ipse filius Dei carnē acciperet, & salutē operaretur in medio terræ. Hoc tā ingens beneficiū intelligere debuissent Iudæi, & rectis atq; honestis factis præ aliis gētibus ita illustres esse, vt gloriari possent, ac dicere, Notus in Iudæa Deus, & in Israel nomē magnū eius. Et factus est in pace locus eius, &c. At illi genus quidē suum iactabát: sed facta tanto genere digna præstare, non erat illis curæ. Húc illorum tu morem reprehendebat olim Hiere. dicens, Nolite confidere in verbis mendacij dicentes: templum domini, templum domini, templum domini est. Et enim existimabant illi, nunquam permissurum dominū, vt memoria gentis illius aboleretur, propter magnificum illud & egregiū templum, quod suo nomini Hierosolymis erat dicatum: cúmque propheta eis minaretur interitum, respódebát ei, Absit vt dominus propter peccata nostra deuastari permittat templum: quod suum est, magis quā nostrum. Quapropter monebat illos propheta ne fiderent his mēdaciis & vanitatibus: ostēdebátq; illis, quid deberent facere, vt propitium & aduocatū Dei haberent. Bonas (inquit) facite vias vestras, & studia vestra: & habitabo vobiscū in loco isto, dicit dominus exercituū Deus Israel. In eundē modū inuenies illos iactantes in euágelio, & dicentes, Semen Abrahæ sumus, nemini seruiuimus vnquā: & quomodo tu dicis, liberi eritis? Dominus verò non ignoscētibus aliā nobilitatem nisi corporis, docuit illos eā verè seruitutem esse, quæ à peccato proficiscitur: atq; ita dixit illis, Amen dico vobis, omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Ioánes itaq; sciens Iudæos hoc morbo laborare, admonet ne frustrà glorientur, se patrem habere Abraham: nisi addant facta tanto parente digna. An nō erat bonū vt Iudæi cōfiderēt in patre suo Abrahamo? Nónè sancti orāt pro peccatoribus? Nónè Stephanus orauit pro Paulo? Verū est, & bona est oratio, & intercessio sanctorū: sed oportet vt tu etiā, quidquid in te fuerit supellectilis addas. Etenim sācti in cœlo pro impiis intercedunt: sed cum eorū intercessio Deū nō obliget, vt faciat quæ ipsi orāt & petūt: cōsiliū est saluberrimū & prudētissimū, vt nemo solūmodo illi baculo innitatur: sed pro virili cōtendat iniquitatē fugere ne in ea moriatur. Vnde Petrus, Dabo operā frequēter habere vos post obitū meū: vt horū omnium memoriā habeatis. Quòd Petrus promisit in carne, præstat in cœlo. Orabit & orat pro omnibus, sed nō omnes eius oratione saluantur, sed tantum illi, qui electi & pręordinati sunt in vitam æternam. Noluit Deus acceptare preces Samuelis, qui pro Saule orabat: quem Deus abiicere statuit, nec preces Ieremię suscepit pro populo deprecanti, quem relinquere decreuit. Ita sancti pro omnibus

Fidei religio nil nō fidēdū, si opera virtutū nō respōdeant. Psal.75. Psal.75. Hiere 7. Ioan.8. Acto.7. Sancti orant pro nobis: at si exorēt, nobis incertum est. 1.Petr.1. 1.Reg.15. Ier.7 & 11.

omnibus orant:sed vnde tu scis , ex eis esse,quibus
Petri vel sanctorum oratio proderit:Noli ergo ora-
tionibus sanctorum solum cōfidere:si iniquus esse
vis.Sed ad Deum conuersus,inuoca sanctos patro-
nos,non aliàs:nam si tuorum peccatorum stercore
adhuc es inuolutus,quid sanctorum meritis confi-
dis?Vana est hęc tua confidentia.Sic isti Iudæi cùm
malè & pessimè viuerent cōfidebant meritis & ora
tionibus Abrahæ , cuius præcibus sese saluandos
existimabāt:quod erroneum erat,& ineptissimum.
Qui error inde prouenire poterat , ex eò quòd ha-
Leuit.26. betur in Leuit. Nam cùm Deus numerasset omnia
mala , quæ missurus erat populo illi , dixit in fine.
Tunc recordabor fœderis mei , quòd pepigi cum
Abraham,Isaac, & Iacob. Quòd illi intelligere de-
berent facientes pœnitentiam , ad illius modum q
aliquam rem recordatur,illis parceret,quia miseri-
cors est:& diligit semen Abrahę quòd non permit-
tit perire.Nam cùm haberent patrem Abraham de
suis meritis confidentes,iniquam & turpem dege-
bant vitam, solùm hoc contenti quòd filij Abrahæ
haberentur. Quos quidem multi etiam monachi,
imitantur,dicentes Patrem habemus Bened.ctum,
Augustinum, Hieronymum, Frācíscum,& Domi-
nicum : & dicunt sicut Iudæi patrem habemus A-
braham.Patrem (inquiunt) habemus Dominicum
vel Franciscum,& aliis narrant egregia facta & mi-
rificis encomiis prædicant laudes fundatorum re-
ligionum. Et dicūt , Noster ordo tot habet sanctos
in sanctorum cathalogo scriptos , tot summos pō-
tifices,tot cardinales,episcopos, & magistros,& in
his gaudent, & inaniter gloriantur:cùm nimium à
vera sanctorū patrum virtute,sua impietate,& mo-
Ioan.8. rū tepiditate degenerēt.Quibus meritò dicere pos-
sumus,illud,quòd Christus Iudæis,Si filij Abrahæ
estis,opera Abrahæ facite. Quos etiam hîc beatus
Ioannes monet,ne vana spe fallantur. *Dico enim vo-
bis quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios A-*
Acto 1. *brahæ.* Abrahæ est in datiuo, sicut illud Act.aposto-
Quæstio. lorum.Nunquid in hoc tempore restitues regnum
Israel:pro ipsi Israeli.Sed mirum videtur quomodo
possit Deus hoc facere,cùm Abraham iam obierit:
& carnales filij ex carnali semine propagētur.Nam
benè Deus ex lapibus quos tunc Ioannes digito o-
stēdebat poterat homines facere,& ex nihilo crea-
re:sed quòd isti homines sic facti & creati essent fi-
lij Abrahę,impossibile videbatur.Sed cùm Deo ni-
hil impossibile sit,& potestas eius sit infinita, mul-
tis modis hoc facere potuit. Primo , quia potest
transsubstantiando conuertere vnum in aliud sub-
sistens,sicut quotidie facit, in sacro sancto Eucha-
ristiæ sacramento , vbi fit transsubstantiatio , nam
substantia panis conuertitur in substantiam cor-
pòris Christi.Et sic lapides in Iudæos tunc vel nūc
existentes conuertere poterat. Item potuit hoc fa-
cere suscitando Abraham,& lapides in semen eius
conuertere. Multis etiam aliis modis nobis igno-
Vera nobilitas in virtute nō à maioribus, cōsistit. tis poterat Deus hoc efficere. ¶ Ad nostram tamen
eruditionem ex hoc licet loco colligere,non de pa-
rētum stemmatis aut sanguine gloriari : sed ita bo-
ni & virtutibus imbuti simus , vt à nobis ipsis no-
bilitas generis incipiat,quamuis progenitores no-
stri nobiles nō fuerint. Esto tu studiosus & a te no-
bilitas tuæ sobolis orietur quamuis attaui tui eam
non habuerint:nam si moribus & vita deterior es,
in te finitur tuorum parentum antiqua nobilitas.
Etenim melius est,principiū esse nobilitatis,quā fi-
nis,& melius est nouam domum nouis & egregiis
factis erigere, quàm antiquam obscuris sceleribus
demoliri.Virtus est virtutibus domum condere,&
vitium illā destruere.Etenim ad videndū non quę-
ras lucē in oculis alienis,nisi in propriis oculis illā
habueris:nihil enim aut parū claritas , & celsitudo
alienæ nobilitatis tibi proderit , nisi tecum illam
habueris.Quocirca optimum est, bonum & nobi-
lem esse,quàm à bonis & nobilibus descēdere.Ma-
gnum quippe signum est,te non esse bonum, quā-
doquidem alienam bonitatem opus habes emen-
dicare:& quia veram in te nobilitatem non habes,
à tuis parentibus illam petis.Argumētum quidem
euidentissimum est nimis pauperum , & egenum
nobilitatis esse : quandoquidem aliorum factis &
virtutibus teipsum locupletare vis.Illa vera nobili-
tas est, quæ sanctis & bonis moribus animā ipsam
pulchram & formosam reddit:nam morum & vitæ
claritas& splendor hominem gratum Deo efficiūt.
Gloria eorum(inquit Ose.) à partu,& ab vtero,& à *Osea.9.*
conceptu. Ea etenim quæ sibi deberent esse argu-
mentum,vt studiosè & castè viuerent , occasio illis
sunt vt peiores & deteriores euadant.Nanque san-
guinis & prolis nobilitas nobiles cogit , vt ipsam
virtutem sequantur , vt attaui & proaui fecerunt.
Nobilitas quippe est pactum quoddam & iuramē-
tum , quod tales obseruare in perpetuum debēt ad
insequendam & sectandam virtutèm:atqui id non
faciunt,veluti monstra sunt, & à vera natura dege-
nerantes.Ne igitur teipsum iactes, nec glorieris de *1.Reg.9.*
antiquorum stemmatis:quia audientibus testimo-
nium exhibes tuæ insaniæ & inscitiæ. Dominus
enim Saulem elegit in regem Israel cùm ex infima
familia & ex minima tribu illius populi esset. Po-
tiùs dominus ad hominem attendit,quàm ad illius
nobilitatem. Et cùm Christus in mundum venit *1 Cor.1.*
non elegit nobiles (vt inquit Paulus) sed ignobi- *Math.4.*
les & contemptos,quales fuerunt piscatores illis &
discipuli eius. Et ipse redemptor vt eorum arrogā-
tes animos & elatam superbiam reprimeret, qui in
similibus vanitatibus confidunt, & de eis glorian-
tur,dixit se esse pastorem. Proiice à te quæso hanc *Ioan.10.*
insaniam , & reminiscere te vilem puluerem & ci-
nerem esse, & quod nec tibi ignoscent vermes:qui
etiam eos qui te genuerunt, degluriunt.Nobilitas
nanque quam ab illis accepisti , est mortalitas &
corruptio. Hæc sunt arma quæ in tuis stemmatis *Arma nobilium.*
debes depingere,nec illa supra portas domus con-
stituas, sed potius in tui cordis abditis & penetra-
libus reconde. Hi Pharisæi & Saducæi gloriaban-
tur se patrem habere Abraham , & ab illo ortum
ducere:quod quidem in maiorem illorum cedebat
ignominiam:quandoquidem secundum rei verita-
tem ex ipsis lapidibus poterat Deus filios Abrahæ
efficere,Sed iam ad contextum. *Iam securis ad radicē
arboris posita est.* Ac si diceret , Iam securis posita est *Securis iram Dei significat.*
ad radicem arboris diu tolleratæ. Succindetur à
stirpe populus Abrahæ,& inserentur gentes.Secu-
ris diuinum est iudicium,& ira Dei,indignos à vita
resecans , nisi pœniteant. Admota tamen est secu-
ris radici, non ramis aut trunco : quia funditùs est
euertenda nisi fructus dignos pœnitentiæ egerit.
Poterāt enim dicere Pharisęi,Volumus facere pœ-
nitentiam, sed non opus est vt statim ad hoc cone-
mur,quia adhuc manet nobis tempus,Ioannes au-
tem dicit non esse expectandum , quia iam venit
tempus, & securis ad radicem arboris posita est,&
appro

appropinquat tempus exitij. Dicebat hoc Ioannes quia præcisio eorum iam appropinquabat. Vaticinatur quippe exilium Iudæorum. Iam appropinquat tẽpus desolationis Iudęorũ, & cessabit sacrificium vestrum, & ceremoniæ vestrę, & synagoga sepelietur. Potens est enim Deus ex lapidibus gentiũ suscitare filios Abrahæ: hoc est veros Israëlitas fideles & credentes, sicut fuit Abraham, qui quamuis non sint ex eius semine propagati, tamen fide erũt filij eius fideles. Nam omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, & ardebit. Ideóq; statim facite fructus dignos pœnitentiæ. Nõ ait iam secat, sed iam posita est ad arborem, vt significetur in hac vita esse tẽpus huius iræ per pœnitentiam fugiendæ. Nec ait securim hanc admotam ad arboris ramos, vt maneat post mortẽ spes aliqua pullulãdi: sed ad radicem vt funditùs euellatur, & in ignem extinguibilem mittatur, sine vlla spe remedij aut pœnitentiæ: sicut est arbor radicitus secata.

Timor seruilis, qui ad resipiscentiã cogit bonus.

¶Iam hic vides quomodo pœnitentia ex timore facta non sit mala: vt impiè docẽt Lutherani. Nam Ioannes timorem mortis & gehennæ hic incutit peccatoribus. Etenim si peccatorũ dolor & pœnitentia quæ à timore seruili inchoatur, bona non esset, nunquam Christus peccatores ad pœnitentiam hortaretur, dicens inferius, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. *Luc.13. Math.24. & 25.* De hoc mortis & iudicij timore multa etiam disserit Christus apud Mathæum. Et in illa parabola cum misit vocare inuitatos, iussit vt compellerentur ad intrandum: vbi non suaui tractione, se per quãdam vim & violentiam ad ingressum compelli iussit. *Math.18.* In illa etiam parabola de impio illo seruo, qui fratri suo centum denarios dimittere noluit, iubens illũ in carcerem detrudi timorem & terrorem incutit Christus. Igitur apertè ex his omnibus constat nõ esse malam pœnitentiã ex timore procedentem. Vt enim ab inordinato amore creaturarum reuocetur peccator, bonus & salutaris est timor gehennæ: vel alterius cuiuscunque terribilis pœnæ. Sicut bruta animalia ab escis quas maximè concupiscũt coërcentur. Etenim si cani ad cibum currenti baculum proiicias, statim pedem sistit, si mineris acriùs, retrahit paulatim pedes: si acerbiùs agas, vehementiori impetu contra illum insurgas, prorsus derelicto, quem concupiscebat cibo, fugam capescit. Sic etiam timore pœnarũ possunt cohiberi peccatores à suis illecebris & voluptatibus. Verùm licet mala non sit hæc pœnitentia ex timore facta: tamen non remittit peccatum nisi vltra progrediatur, scilicet, nisi ex timore transierit ad amorem. ¶Admonet locus iste vt bonum semper insequamur, & fructus bonorum operum edamus: ne inutilitatis, & sterilitatis arguamur. Nanque si arbor non producit fructus, ad nihil aliud prodest, nisi vt scindatur, & in ignẽ mittatur: quemadmodum de ficu illa sterili quam dominus tribus annis expectauit: at videns eius infœcunditatem scindi iussit. *Luc.13.* Vidisti vnquam obsecro pyrũ abundantem & fœcundam pyris in ignem mittere? Vtinã ne tãquã arbores infructuosas nos ignem Deus mittat, & vitæ cursum impediat, & rapiat tanquam ab indignis possessoribus.

Nõ procrastinanda pœnitentia.

¶ Docemur etiam vt protinùs manus ad aratrum mittamus, & agamus pœnitentiam: quandoquidẽ nescimus qua die, vel qua hora mors sit ventura: iuxta illud Eccl. *Eccle.5.* Ne tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem pœnitentiã: quia subitò venit ira Dei, & destruet te in die vindictæ: Vę illis, qui cum securis iam posita sit ad arborem, & caput eorum canis sit plenũ: non vident quomodo citò transit dies & hora pœnitentiæ, nec aduertunt quomodo dies salutis abeat. Mirum est te tam pigrũ & inertem videre, cùm mors ad ostium domus tuæ sit. Attende obsecrò & vide, quòd iam securis ad radicẽ arboris posita sit. Respondeas oro & obtestor quicunque sis, qui hæc legas, quando securi arborẽ scideris, in quã partem arbor cadet? Equidem ad eam partem inquam antea procliuior erat. Nam si magna aliqua arbor in sinistrã partem omnem suam molẽ & ramos incuruat, si hęc talis scindatur, dubio procul in sinistrã manum cadet. Si igitur tu omnia desideria tua, affectiones, & cogitatus in res mundanas conijcis, & omnes curę & sollicitudines tuæ non nisi honoribus, diuitiis, & voluptatibus student, dùm hæc tibi durat vita: quî fieri tibi potest, vt cum mors venerit in dextrã Dei, fœlicissimã beatorũ sortẽ cadas? Difficile erit in vitam intrare: Væ illis qui in vitiis & peccatis vitã degentes, vanè confidunt futuros esse cœli, & beatarũ sedium incolas: nã illa sors illis sæpe numerò cõtinget, quam semper in vita amarunt & dilexerunt. Quocirca maximè curandum tibi est, vt talis viuas qualis cupis in morte reperiri. Hoc igitur cùm ventura die cõtingere possit, quãdo iam securis ad radicem arboris posita est, vitam tuam sanctis institutis & moribus dirige, nec dicas: cras istud faciã, subinde repetens: nam de quocúque temporis momento arctissima tibi exigetur ratio. Totis igitur neruis incumbe, vt ad bonam partem cadas: nam vbi ceciderit arbor, ibi perpetuò manebit, iuxta illud, Vbi ceciderit lignum ibi erit, siue ad Austrum, *Eccl.11.* siue ad Aquilonem. Hæc omnia dicta diligenter obserua: nam si rursus feceris, aduersus te sententia Ioannis fulminatur. *Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Hoc est, Omnis homo adultus, & rationis compos, qui nõ seruat pręcepta, & mandata Dei, excidetur & separabitur à consortio electorum: iuxta illud Esa. *Esai.26.* Tolletur impius, ne videat gloriam Dei, Et in ignem infernalẽ in iudicio hoc particulari anima eius mittetur: in iudicio verò vniuersali anima simul, & corpus. Vnde saluator, Omnem (inquit) palmitem in *Ioan.15.* me non ferentem fructum, tollet eum, & in ignem mittet & ardet. Omnis homo siue iustus ille sit, siue peccator: quasi quædam arbor censetur, & tali nomine in scriptura sacra nuncupatur, Vtrunque enim iustum & peccatorem arboris appellatione Deus significauit, cum per Ezec. ait, Ego dominus *Ezec.17.* humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile. Quod apertiùs Christus dixit, Qui se exaltat, *Luc.14. & 18.* humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur: Fructus huius arboris sunt opera: radix siue bona siue mala est appetitus siue bonus siue malus. Præscinduntur rami, quando desinit iustus bona facere, vel facit mala: & etiam quando malus non agit malum, vel facit bonum. Sed quia radix in eo manet, scilicet bona voluntas in iusto, & mala in peccatore, statim ad odorem aquæ spiritualis in bonũ germinat. Cùm enim de Deo audit, & mortem meditatur, operatur bonum: quia radix in eo manebat. Exẽplum huius rei est in Dauide, qui peccans, præscissus est à Deo: non tamen sine germinandi spe. Nãcũ Nathã illũ de peccato redarguit, ad odorem *2 Reg.12.* illius aquæ reuixit, & flores pœnitẽtię germinauit.

Iob 14. Vnde Iob. Lignũ habet ſpem, ſi præſciſſum fuerit: ruſum vireſcit, & rami eius pullulant. Similiter peccator licet rami eius præſcindantur, niſi eradicetur ſpem habet, nam ad priora peccata ſe cõuerteret: etenim oblata occaſione ad vitia priſtina redibit. Et tales ſunt qui in ſancto quadrageſimæ tẽpore à vitiis purgantur, aduentante autem paſchate: *1. Pet. 2.* tanquam canes ad vomitum præcipites irrunt. Sicut bonus facit comam, vt ait Iob: quia melior, & ſanctior fuit: ſic malus facit comã, quia tanta multitudine vitiorum obruitur, quãta priùs premebatur. Sed iã ſingula verba vtpote myſteriis plena attentius veniunt perpendenda. ¶Omnis (inquit) arbor. Omnis ſiue nobilis ſit, ſiue diues, rex, ſiue paſtor, cuiuſcunq; ille ſit ſtatus, aut conditionis non effugiet à vẽtura ira. Omnes enim in manꝰ domini cadẽt. Exiſtimas ne tu quãuis ditiſſimus & potẽtiſſimus ſis, niſi rectè egeris vitam, iram domini euadere? Etenim magnates, & potentes iudicãt, quòd quemadmodum proſperè & fœliciter & ſecundis rebus fortunæ hãc vitã tranſeunt, nunquã viſuros eſſe mala, non aduertentes ad id quod ſcriptura di- *Sap. 6.* cit, Potentes potenter tormenta patientur. Oculos igitur mentis aperiant, & videant: quòd omnis arbor quantumuis maxima illa ſit, & quanuis altiſſimas egerit radices: & quanuis frondibus, & pulchritudine ramorum rideat, tandem ſi fructus non emiſerit bonos, excidetur, & in ignem inferni deportabitur. Manus igitur habeant liberales in pauperes, & egenorum & pauperum miſereãtur, à blãdis & delicatis lectulis ſurgant, & ſanctis operibus ſe exerceant: nam etiam infernus illis patet variis, & magnis gurgitibus. ¶Fructum etiam dicit bonũ, nõ ſolũ: quia Deus non tãtum ab homine Chriſtiano verba bona petit, ſed recta & ſancta opera. Eſai. etenim diuino ore loquutus non dixit, Diſcite benè loqui, ſed diſcite benè facere. Etenim perfectio *Eſai. 1.* Chriſtiana nõ verbis ſed operibus cõſtat: nunc autem quæ huius tempeſtatis infœlicitas eſt, nõ aliud in multis hominibus inuenies, quàm verborũ frondes, non autem bonorum operũ fructus.

Fructus Chriſtiana arboris non in verbis ſolum, ſed operibus conſideratur.

¶Obſeruet ã quòd nõ dixit, quem fructũ arbor productura eſſet, q̃a vnicuiq; arbori datur ſpecialis fructus. *Epheſ. 4* Vnicuiq; enim diuiſit Deus menſurã ſpiritus, diuidẽs ſingulis prout vult: ideóq; vnuſquiſq; iuxta talentũ ſibi traditum afferat fructum. ¶Præterea non dicit, quæ nõ fecit, vel quæ non fecerit, ſed quę non facit fructum, vel non faciens in præſenti, non autẽ in præterito, aut in futuro: quia non ſufficit ſemel aut bis bonum feciſſe, niſi ſemper facias, & in eo perſeueres. Nec dicit fructum magnũ, ſed fructum bonũ. Non enim in iudicio à te quæretur ſi plures eccleſias ædificaueris, vel monumenta poſteritati mandaueris, ſed ſi inimicos dilexiſti, & fame pereũtes adiuuaſti, &c. Quia licet pium ſit opus eccleſias & Xonodochia ædificare, præſtantiùs tamen inimicos diligere & proximo extremè indigenti ſubuenire. Hæc oportet facere, & illud non omittere. *Math. 25.* ¶Expende etiam, quòd non dicit: Arbor quæ fecerit malos fructus, ſcilicet homicidia, furta, & id genus alia: ſed quę nõ facit fructũ bonum, quare peccata omiſſionis damnantur hîc. Itaque ſi peccatũ omiſſionis dignum eſt igne inferni, quàm acerrimè punientur peccata cõmiſſionis in inferno. Si inutilem arborem, quæ bonum facere negligit, ſic Deus caſtigãt: quomodo putas quòd punientur adulteri, & homicidæ? Ex hoc loco ſatis apertè cõſtat quòd ſola omiſſio committit peccatum mortale: nam hîc de omiſſionis peccato loquitur: quia nõ tantum ille qui malum facit, damnabitur: ſed etiam qui bonum omiſerit, ad quòd tenetur. Cuius rei exemplum eſt ille inutilis ſeruus, de quo dominus in euangelio Mat. ait, Inutilem ſeruum proiicite in tenebras exteriores. *Math. 25.* In iudicio nãq; generali & extremo peccata omiſſionis cõtra malos ſunt diſcutienda. Arguentur etenim de bonis quæ non egerunt. Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi bibere, &c.

Peccatum omiſſionis damnatur.

¶Ruſus aduertendum eſt, quòd non dicit arborem eradicandam, ſed excindendam: quia vir impius cum moritur radices relinquit in terra. Nam radix quæ voluntas, ſeu affectus, ſiue appetitus eſt, mortuo impio manet in terra: nã licet pereat, quia in vita ſua deſideria in terra collocauerat, in terra manent deſideria illa, opes, diuitiæ, & memoria, obſtinatus in malo, & plenus iſtis deſideriis: & ſic in æuũ permanet inuolutus ſuis terrenis deſideriis. Sed iuſtus quia ea q̃ optauerat erãt cœleſtia, non reliquit radices ſuas in terra: nõ excinditur, ſed totus in cœlum euoluat. Nihil in terra amatum reliquit, ſiquidem nihil in terram concupiuit.

Impij radicibus morituri in terra manet, iuſti in cælo.

¶Denique obſeruandum, q̃ vltimò dicit, q̃ in ignẽ mittetur: quia arbor quæ igne bono & cœleſti, hoc eſt Dei dilectione & amore caleſieri noluit, igne malo & infernali cõburatur: vt pœna correſpondeat delicto. Imo verò arbor quæ malo igne & carnali exarſit, igne vehemẽtiore torqueatur. Mitti autẽ dicit: quia in eius poteſtate nõ eſt, non mitti: ſicut lignum quod in poteſtate eſt mittentis. Etenim illa miſera anima quæ poterat voluntariè pedẽ ab igne ſubtrahere in hac vita, & noluit: quãuis poſt mortem nolit, in ignẽ mittetur, nec facultatem habebit poſtea ab igne euadendi, ſicut non habet arbor in rogum coniecta. Vt igitur arbor quæ in ignem conicitur, per ſe ignem euadere non poteſt: ita nec miſera anima vbi infernum deſcendit. Tunc enim quos ignis tanti amoris diuini non calefecit: ignis tanti doloris exuret. Vt quos ignis charitatis & amoris caminꝰ æternitatis nõ excepit, excipiat ignis ille furoris & indignationis domini. Væ igitur peccatori, qui tã male elegit. Nãque ſi ignem charitatis eligeret, qui ſicut ignis materialis ſaporem omnibus cõdimentis confert: iucundã vitam in hoc ſæculo degeret. Quia amor omnia dulcia facit, & nomen difficultatis ignorat: poſtea verò in ſeraphicis choris cum angelis lætaretur. Sed maluit ſtultus & demens hîc ardere, & torqueri igne cupiditatis & ambitionis, quo igne peccatores hîc cruciantur, & poſtea in inferno cõburi: quàm hic cũ Chriſto exultare, & cum ſanctis gaudere: & poſtea in ęternum lętari. Sed iam de his ſit ſatis: ſequentia videamus. Cum igitur Ioannes hæc populo prędicaret, tãta erat ipſius verborũ efficacia, vt audiẽtes cõuerſi ſalutẽ & remediũ petentes concurrerent. *Et interrogabant eum turbæ dicentes, Quid ergo faciemus?* Vulgus hominũ ſimplex interrogat, ſicut in Act. apoſtolorũ legimus, q̃ compuncti corde dixerunt apoſtolis: Quid faciemus viri fratres? *Act. 2.* Sed Phariſęi & Scribę non hoc fecerunt, quia difficulter corrigũtur ſapiẽtes & magno in ſuo ſenſu cõfiſi, ſicut apud Ioãnem dixerunt, Nunquid ex principibꝰ credidit in eũ, aut ex Phariſæis? *Ioan. 7.* Sed turba hæc quæ nõ nouit legem, maledicti ſunt. Quod etiã quotidie fieri videmus. Etenim literati ſe ipſos de ſua ſciẽtia gloriãtes, & ſapiẽtes in oculis ſuis, ſæpè irri

pè irridét homines, qui cóuertuntur, ipsi verò suo ingenio inflati indurati manét. Diuites potétes posteriores sunt in obsequio Dei, cũ in deliciis & voluptatibus huius sæculi detineãtur. ¶Ex quo docemur potius nos debere gaudere si in hoc sæculo simus ex sorte humiliũ, & contéptorũ: quàm si optimates & capita populorum iudicemur: quãdoquidem paruuli in obsequio domini priores sunt. Vnde diuus Paulus, Noli altum sapere, sed time. Si vis in cœlo magnus esse: humilis in mundo esto. Igitur hæc turba videns sanctimoniã Ioánis, & vitam arctissimã, & quòd nihil nisi eorũ saluté intenderet verbis eius fidem præstitit: idcirco petétes cõsiliũ, quærebant ab eo, quid facturi essent, Ac si dicerét: Siquidem tam asperè & acriter nos increpasti, & tãtum dicis nobis imminere periculum: quòd nobis exhibes consilium, vt euadamus mala quæ cóminaris. ¶Obserua auté quòd nó dixerũt, Quid dicemus, sed quid faciemus? Melius quidé & rectiùs intellexerunt hi, qua in cœlum esset eundum via, quã impius ille & sceleratus Lutherus, qui solá fidé satis esse dicebat sine operibus ad salutem. At hi quoniã cognouerũt necessaria esse bona opera: interrogarunt quid facere deberent: vt fierent salui. *Respondens autem dicebat illis. Qui habet duas tunicas, det non habenti & qui habet escas similiter faciat,* Interrogatus Ioannes de salute obtinenda, ab operibus misericordiæ inchoat: nã de illis in vltimo iudicio peccatores arguentur. Tunc enim vt in Math. habetur his qui à sinistris erunt dicet iudex, Esuriui & non dedistis mihi manducare, sitiui & non, &c. Breuis est Ioannes in verbis, sed abundant eius verba mysteriis. Primò enim hisce verbis eleemosynam cómendat: secũdò cui faciédã sit, ostédit. Tertiò charitaté & ordiné faciendi eleemosynã insinuat. Sed singula iam expendamus. Formidanda ęquidé sunt verba Ioannis. Si enim quod superfluit de vestimento, cibo, & potu, & aliis similibus misericorditer est pauperibus erogádũ: quid in diuino iudicio respósuri sunt, qui tot vestibus preciosis non necessariis abundét, qui tot ferculorũ genera quotidie parant, qui tantã sibi pecuniã congregãt, pauperibus verò parũ aut ferè nihil impendunt. Verũ si de patrimonio proprio seu possessione propria sic agere, tam impium est atq; damnabile: quis alioquin queat de patrimonio crucifixi, de bonis ecclesię, quę pauperibus sunt cósecrata, preciosa, curiosa, & superflua vestimenta habere, delicatè ac splendidè epulari, pauperibus aut parum aut nihil præstare? Sed horũ vana cogitatio & error est: nam existimant, quòd id quod pauperibus tribuunt, amittunt, & perdũt, & quod in nullam eorum vtilitatem cadit: nã in arca iam non inueniũt quòd pauperi dederũt. Quoquidé signa magnifesta exhibẽt suæ paruę fidei, quãdo quidé nó credũt Deo: quæ in scriptura sacra sæpiùs dicit, quòd non amittitur id quòd in pauperes distribuitur, sed potiùs tutissimo loco conseruatur, & multiplicat illud dominus nó sine magno fœnore. Vnde egregius Psaltes, Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sęculum sęculi. Dispersit dicit virũ iustũ res suas in diuersos pauperes, sed eleemosyna sua nó est perdita, sed manet in sęculũ sęculi. Et in Prou. Qui dat pauperi nó indigebit: qui despicit sustinebit penuriam. Illi viduæ quæ Heliæ hospitiũ dedit nec oleum nec farina defuerunt. Etenim quia homo misericors benè dispensat pauca bona sibi cómissa, ideò meritò super multa constituitur iuxta illu(d) quod Saluator dixit seruo fideli, Euge serue bone & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, suprà multa te cóstituã. Hac de causa in scriptura semini cóparatur sicut apostolus de eleemosyna ait ad Corin. scribens, Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Semen enim videtur perdi cum seminatur: sed multò meliùs seruatur, & multiplicatur. Sic eleemosyna cum datur, cum vsuris acquiritur. Ideò Eccl. Perde pecuniam propter fratrem, & non abscondas illam. Vide quàm bonum consilium sit date pauperi: nam res nostras amittimus, quæ diu durare non possunt, facimus illas æternas & immortales. Si frumentum seruas, illud perdis: & si perdideris, seminãs renouas: solas enim quas dederis, semper habebis opes. Præterea semé absconditur: sic eleemosyna occultè eroganda est. Vnde in Eccl. habetur, Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Et dominus in euangelio, Attédite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Quod declarans dixit, Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te. Item in vno anno seminatur, & in alio colligitur. Sic eleemosyna in hyeme huius vitæ seminatur, & in vere gloriæ colligitur anno venturo vitæ æternæ. Deinde semen gelu pressum & retardatum vberius fructificat. Sic eleemosyna quæ aduersitate premitur, maiorem habitura est remunerationem: & sic eleemosyna quæ occultè fit, digna est maiori remuneratione, quàm illa quæ laudatur. Denique & hoc mirabile est quòd semen eleemosynę magis multiplicatur & augetur in sterili terra, quàm in abundãti & pingui: nam si eam in diuites erogas, illam amittis: si autem eam largiris pauperi, inopi, & percusso, centũ pro vno accipies. Vnde Christus, Cùm facis conuiuium, vocat pauperes, & debiles. Quod etiam Ioannes in his verbis dixit, scilicet, date escas & vestes non habenti consideratione dignissimum est. Non enim dixit, date habẽti, sed non habenti: quia eleemosyna non est erogáda diuitibus, sed pauperib⁹, & egenis. Quapropter Heliseus propheta iussit ponere oleum in vasis vacuis, non plenis: nam quòd ponitur in plenis diffunditur. Itaque reponenda est eleemosyna in vasis vacuis: hoc est in pauperibus, quorum crumenæ vacuæ sunt pecuniis, quorũ arculæ vacuæ sunt vestibus: quorũ domus vacuæ sunt supellectilibus, & tapetis. In vasis vacuis oleũ est fundendum, & cum illis misericordia est exercenda: non autem in vasis plenis, hoc est in diuitibus qui pleni sunt bonis téporalibus. Nã in istis vasis plenis diffunditur oleũ, & perditur meritum: quia nullá inuenies retributionem, Nunc autem vt est mundi Labyrinthus & chaos, dona & munera non mittuntur nisi diuitibus & potentibus, vt homines in illorum gratiam possint deuenire. Terra arida, & sicca irriganda est: non auté quę pluuiis & roribus madida est. Pauperi & inopi, qui sitit & aret, cũ superfluis bonis subuenire debes: non autem diuitibus: nam qui id faciunt, nihilo faciunt sapiẽtiùs quàm qui in aquã in mare ferunt. Et hoc est secundum quòd docuit Ioánes ostendens quibus sit erogáda eleemosyna. Tertiò charitatem & ordinem faciendi eleemosynam ostendit. Nam non dixit, qui habet vnam tunicam det illam non habenti, & ipse maneat nudus: hoc enim esset contra charitatis ordinem. Nam non solùm charitas, sed ordo diligendi est in præcepto:

Marginalia: Rom. 11. — *Praedicatio Ioannis à poenitẽtia & operibus misericordia.* — Math. 25. — Psal. 111. — Prou. 22. — 3. Reg. 17. — Math. 25. — 1. Cor. 9. — Eccl. 29. — Eccl. 29. — Math. 6. — Luc. 14. — 4. Reg. 4.

vt homo super omnia diligat Deū, deinde seipsum, postremò proximum, secundum quòd magis vel minus sibi coniuncti sunt, aut maior est ratio dilectionis. Ideò debet homo primùm sibiipsi necessaria minstrare, deinde quod superest indigentibus porrigere: eodem modò vt ipse vellet sibi fieri si in eadem vel simili constitutus esset necessitate: nam fraterna charitas hoc requirit. *Venerunt autem publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum.* Publicani erant qui à fisco aliquid cōducunt, & præcipuè qui vectigalia conducunt. Iudæi hos exosos habebant, & officium hoc vile & abiectum habebatur apud illos: qui vi, rapina, & fraude non rarò peccabant: plus ab hominibus exigentes, quàm leges superiorum præscripserant. Et hi qui peccatores erant, se conuerterunt, & ad baptismum Ioannis veniebāt: sed Pharisæi sua superbia tumescentes nō conuertebantur. Ideò dominus dixit eis; Publicani & pec-
Math.8. catores præcedent vos in regno Dei. Dicebant itaque Ioanni, *Magister quid faciemus?* Benè, fructuosè, & vtiliter quærunt. Multi curiosa & inutilia quærūt. Vitam suam conterunt in sapiendis curiosis & inutilibus: ea verò à tergo relinquunt, quę ad salutem animæ & saluationem conducunt: quiquidem vt
Iere.6. pudore suffunderentur, deberēt audire Iere. dicentem, State super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. At isti quia prudenter interrogabant, digni erant vt eis responderetur, quæ ad salutem conducerent. Etenim Ioannes vt eius præcursor, qui neminem quamuis grauissimum peccatorē reiecit, publicanis suauiter & benignè respondebat, dicens, *Nihil*
Fraus & rapina telonariorū peccata propria. *amplius quàm cōstitutum est vobis faciatis.* A fraude quasi familiare illorum peccatum præ cæteris omnibus dehortatur, monens ne vltra quàm constitutum est faciant. Ac si diceret, Si non potestis vestra largiri, sit tamen ille primus gradus ad melius vitæ vestræ institutū, vt abstineatis vos à rapiendis alienis, Habetis enim mercedem præscriptam à rege, illā solū & non aliud à populo exigatis. Ne ampliùs extorqueatis in vestrū vsum & lucrū, vltra id quod præscriptum est. Nullus itaque vestrum legem sibi præstitutam, nec terminos officij sui trāsgrediatur, ne præsumptionis sit reus, & malè apud populum audiat. Sed quod sibi incūbit obseruet, nec aliena
Prou.22. inuadat: iuxta illud quòd in Prou. legitur. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt pa-
Deut 19. tres tui. Et in Deut. etiam habetur: Non transferes terminos quos fixerunt priores in possessione tua.
Iob 24. Etenim de his qui cōtra hęc agunt in libro Iob dicitur, Alij terminos transtulerunt. ¶ Aduertendum hîc est diligenter, quòd Ioannes baptista non damnat vectigalia regum & principum, sed potiùs videtur ea approbare. Nam si reges non possent sua vectigalia & exactiones reposcere, nō vtique Ioannes diceret, Nihil ampliùs q̄ constitutum est vobis faciatis, Sed Ioannes non prohibet exactiones, sed excessus earū, & quòd iure reprobari nequit. Nam principib. & regib. lege diuina & naturali vectigalia debentur. Et quòd publicanis dictum est, etiā de aliis officiis intelligēdum venit. Indiget nāq; orbis gubernatione principū, & constitutione legum: ne malorū improbitas insurgēs, innocētibus perniciē machinetur. Etenim vnus vel alter homo, siue ille sit Cæsar inuictissimus, quid solus efficere valebit, nisi sibi coadiutores habuerit, quorum ministerio probos defendat, improbos verò puniat? Ad hunc

Vectigalium acceptio licita, si sit moderata.

locū forsassis pertinet quòd de emptionibus & venditionibus dici poterat. Nam vendere, & emere licitum est: dummodo fiat iuxta maiorum leges. Sed de his satis. Accedant alij, *Interrogabant autem & milites dicentes. Quid faciemus & nos?* Isti sub Romano imperio militabāt, & rempublicam & patriam defendebāt: qui etiam conuersi sunt ad Ioannis prædicationem. Tres nanque fuerunt ordines interrogantium Ioannem. Vnus turbarum, alter publicanorum, & tertius militum: quibus omnibus Ioannes commodum & aptum dedit respōsum. De aliis iam vidimus, sed de istis audiamus. *Et ait illis, Neminem concutiatis.* Opprimēdo, & corporaliter affligēdo, siue iniurias inferendo. Frequēter enim fieri solet vt arma quæ princeps dedit in defensionem publicæ honestatis, in ciuium damnum & perniciem conuertantur. Nam frequenter milites prædantur, domos incēdunt, abigunt, vt cōstuprant fœminas, abrumpunt fores, & alia id genus perpetrant facinora, quæ credunt licita esse. Alij mandata falsò deferunt ad principes & duces: vt quæ aliorum bona in fiscum rapiuntur, sibi aliqua pars eorū accrescat & accedat, in laborē & mercedē calūniæ. Ideóque addidit, *Neque calumniā faciatis.* Multi istorū non solum reposcunt, quòd eis debetur: sed etiam id volunt extorquere, quòd minimè eis debetur. Huic igitur hominum generi Ioannes ostēdit quid facere soleant: & quid post hæc vitare debeant: si velint effugere vindictam Dei. Dixit itaque illis, *Contenti estote stipendiis vestris.* Hoc est mercede seu retributione vobis ab imperatore statuta pro militiæ laboribus, quibus pro reipublicæ incolumitate dimicatis, ne aliquid vltra extorqueatis. Vbi animaduertēdum venit, quomodo homines in diuersis statibus constituti, salui fieri possint: nam alij istorum erant publicani, alij milites, & alij de media plebe & turba, diuersis conditionibus officiorum seruiētes: & omnibus his est aditus ad salutem: dūmodo vnusquisque iuxta talentum sibi traditum, & gratiam donatam fideliter laboret. Nā nō legimus, ad quòd officij genus mercenarij illi fuerint conducti, quos dominus in vinea misit. An ad fodiēdum, an ad vites amputandas. Quòd credo dominum fecisse, vt Mat.20.
moneret nos, quemlibet pro suarum virium robore in ecclesia hac militāti debere laborare, si velit post hanc vitam denario diurno frui, & retributione gaudere, iuxta illud Pet. Vnusquisque prout ac- 1.Pet.4.
cepit gratiam à domino, in alterutrum illam administrantes: sicut boni dispēsatores multiformis gratiæ Dei. Sed militibus de quibus nunc agitur tria præcepit ad eorū statum concernentia. Primò prohibet ne violentiam alicui inferant, dicens, Neminem concutiatis. Deinde fraudem: dicens: neq; calumniam faciatis. Demum contenti (inquit) estote stipendiis vestris. ¶ Porro autem circa res militiæ tria in hoc loco maximè consideranda sunt. Primum omnium quòd militia de se non est mala: nam si mala esset, non vtique Ioannes illam permisisset, nec diceret, Contenti estote stipēdiis vestris, sed potiùs diceret, Ne militiam exerceatis. Etenim sanctissimi homines quos tā vet⁹ quā nouū instrumentū cōmemorat bella multa gesserunt, vt Abrahā, Moses, Iosue, Gedeō, Sanson, Iepte: & multi alij quos diuus Paulus enumerat in sanctorū numero, in epistola ad Hebræos. Et in nouo testamento nec Centurio in euangeliis, nec Cornelius in actis malitiæ taxantur. Etenim milites publici ministri sunt

Violenta militibus propria.

Leg. Aug. de verbis do. ser. 19. Bellū pro pace reipub. & religione licitū.

Hebr.11. Math.8. Act.10.

sunt ad defensionem bonorum,& vindictam malorum ordinati: vt de publicanis diximus. Sunt autẽ in militia leges præstitutæ, quæ si non transgrediatur,minimè bellum vituperandum venit. Loquor autem de bello,quod iusta & legitima causa suscipitur:hoc est, si pro defensione publicæ tranquillitatis, si pro tuenda Christiana religione, vel taliter sit ortum vt minime vitari possit, &c. Taceat ergo suo ore imprudentissimo huius nostri tẽporis Hæresiarcha Oecolampadius dicens,non licere homini Christiano bellum gerere, cùm videat Christi præcursorem Ioannem partem aientẽ,quòd possumus bella gerere. Namque Diuus Ioannes bellum non prohibuit,sed militibus regulam & modũ tradidit. Vnde etiam Paulus ad Romanos ait, Omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta sit,non enim est potestas nisi à Deo. Et Paulò post,Si autẽ malum feceris,time:nõ enim sine causa gladiũ portat, Dei enim minister est, & vindex in iram ei qui malè agit. Christus etiam redemptor noster Herodianis quærẽtibus,vtrũ liceret tributum dare Cæsari,respondit, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Hac enim de causa tributa redduntur: vt indè militibus ad pacis conseruationem necessariò stipendium soluatur. Et filij Israel non nisi debellãtes obtinuerunt terrã promissionis: vt patet in libris Iosue,Iudicum,& Regum. Imò voluit Deus vt continuum haberent bellũ cõtra infideles. Vnde in libro Iudicum habetur. Hæ sunt gentes quas dominus dereliquit,vt erudiret in eis Israelem:vt omnes qui non nouerunt bella Cananæorum,vt posteà discerent filij Israel certare cùm hostibus,& habere consuetudinẽ prælιãdi. Et in Ieremia scriptum est. Maledictus qui prohibet gladium suũ à sanguine. Et in primo libro Regum dominus loquutus est Sauli regi Israel,per manum Samuelis. Recensui quæ fecit Amalech Israëli, &c. Lege libros Regũ primum,& secundum, vbi Dauid sæpè cõsulebat dominũ,irétne præliaturus,an non:& dominus præcipiebat,vt iret. Percussit Amalechitas qui spoliauerunt, & incenderunt Sicelech,& abstulit spolia iussu & præcepto Dei. Quomodo ergo inire præliũ nõ est licitum,si dominus id præcipiebat? Dic mihi obsecro quare modo nõ põt dominus punire Turcas manibus & ense Christianorũ:sicut tũc puniuit Amalechitas per Iudæos? Deniq; si nullo pacto bellũ esset licitum: sequeretur inde qd si peccator aliquis publicus & sceleratus esset interficiendus à Iudice,dũ se ipsum vellet defendere ne in carcerẽ detruderetur:quòd tũc Iudex malè ageret bellũ gerẽdo: hoc autẽ fateri esset nimis absurdum,& totius trãquillitatis Christianæ exitiũ, & sacris literis & naturali rationi apertissimè cõtrariũ. Sanctissimũ ergo est, contra peccatores bellare & multò meliùs pro fide cõtra Turcas & Saracenos, & optimũ cõtra hæreticos,qui Turcis deteriores sunt. ¶ Obseruandum hîc est etiã quàm cautè Ioannes fuerit loquutus:nã turbas quæ bonæ erant, docet facere bonum:milites autẽ qui mali erant,docet nõ malũ facere. Cuilibet ad se accedẽti,secundũ illius cõditionẽ & capacitatem loquebatur, Siquidẽ publicanis ac militibus qui maioribus solẽt vitiis implicari quàm reliqui homines, facilia proponit præcepta,& à malis coërcet:docens eos primò vt ab eis peccatis recedant,ad quæ proniores esse solẽt,vt eos sic paulatim ad bona agenda induceret, & vt aliis misericorditer etiã doceret subuenire. Ad maiorem enim perfectionẽ omnes hos volebat Ioannes inducere, sed non erãt dispositi neq; idonei: ideò minora illis proponit,nam si maiora proponeret nihil facerent. Nã vt de extremo ad extremum eatur mediũ insequendũ. Si enim maiora proferret,nõ eis intenderet. Sic & Paulus Corinthiis suis aiebat, Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquã paruulis in Christo lac vobis potũ dedi,nõ escã: nondũ enim poteratis. Et in actis Paulus regi Agrippæ dixit volens illũ ad fidẽ Christi cõuertere. Opto apud Deum,& in modico & in magno non tantũ te sed etiã omnes qui audiũt hodiè fieri tales qualis & ego sum, exceptis vinculis his. Si igitur diuus Paulus sic labores,tribulationes,& vincula laudabat, & adeò cõuersionẽ gentiũ optabat,vt desideraret omnes fieri Christianos,sanctos & perfectos, vt ipse erat:quare etiã nõ volebat vt Agrippa & reliqui alij in carcere essent detenti,& eosdem labores pati,quos ipse? Cur dixit exceptis vinculis his? Si cathenæ, & vincula bona erant,& ipse sibi ea desiderabat: cur aliis illa nolebat? Vtique quia Paulus iã erat perfectus, & in obsequio domini multùm versatus:& habebat virtutẽ & spiritũ vt vincula posset tollerare læto & alacri animo. At verò eis qui in fide infantes, & teneri erant in fide,nolebat ostendere vincula sua, ne eis timorẽ incuteret. Oportebat enim vt nouos & paruulos in fide,suauitate duceret paulatim & pedetẽtim. Ideóq; dixit, Exceptis vinculis his. Tunc enim nõdum erat tẽpus, vsquequo arma pœnitentiæ inducerẽtur,& laborib⁹ seipsos exercerẽt:nã nõ omnes ita erãt forti,& virili animo vt D. Paulus,vt gauderẽt in carcerẽ detrudi, & pro Christo cõtumeliã pati. Hanc normã & prudentiã diu. Ioãnis & Pauli, vellẽ ego vt multi prælati discerent:sic vt paruulos & imbecilles suauitate quadã & moderatione tractarent,ita vt paruulorum defectus prudenter valeant sustinere:& id oneris eis imponãt quantũ suę vires ferre potuerint. At tãta est aliquorum asperitas seueritasq; vt ita humeros imbecillium onerẽt, vt ita oneri succumbãt,tãta est prælatorum imprudentia & inscitia. Sed nos iuxta Esaiæ doctrinã calamum quassatum ne cõteramus, nec lignum fumigans extinguamus:adimplentes illud apostoli, Debemus nos firmiores portare imbecillitates infirmorum:& non nobis placere. Quòd etiã Ecclesiasticus admonet dicẽs, Recupera proximum tuum. ¶ Tertiò aduertendum hic est,& cõsideratione dignum, videre Ioannẽ pellibus camelorũ indutum, cuius cibus erat mel syluestre & locustæ,quiq; tam asperrimã agebat vitam,quiq; sibi ipsi parcissimus erat, tam benignus & suauis proximis. Quod quidẽ proprium & quasi naturale est omnibus sanctis & iustis. Econtrà verò omnes illi qui suo indulgent genio,& qui delicatè & lautè viuunt, omnibus aliis acerrimi & tyranni sunt. Quod ego sæpè sæpiùs vidi, nam ij prælati qui secũdum animi sententiam viuunt,qui nec claustrum nec legẽ vllã seruant, subditos adeò præceptis & obseruationibus onerãt,vt eos deficere faciãt.& volũt isti prælati vt subditi sexcẽta præcepta obseruẽt, cùm nec vnum ipsi adimpleant. Tales erant Pharisæi illi de quibus Saluator dixit, Alligãt onera incõportabilia, & imponunt in humeris subditorũ, digito autẽ suo nolunt illa leuare. Oppositum autẽ videmus facere viros rectos & sanctos: qui cum sibi asperi sint, arctissimam agentes vitam cum proximis suauita-

Margin notes: Roman. 13. — Math. 22. — Iudi. 3. — Ierem. 48. — 1. Reg. 15. — 1. Reg. 30. — Prælatorum discretio in castigandis vitiis. — 1. Cor. 3. — Act. 26. — I.Q. Chrisost. ser. 9. epistola ad Ephe. to. 4. — Esaia 42. — Roman. 15. — Eccl. 29. — Prælati quãto sunt sanctiores tantò erga suos subditos magis benigni. — Math. 3. — Mar. 1.

te quadam & benignitate vtuntur. Cuius rei exemplum in Ioanne Baptista videmus, qui cùm ipse tã duram, & vix humeris hominis ferendam vitã transigeret, non dixit turbis, publicanis, aut militibus, Vestite vos ciliciis, ne carnes comedatis, neque bibatis vinũ, sicut nunquã ego bibi: non habeatis lectulos sed super nudam terram dormite, & facite quod me videtis facere. Quia ipse qui hæc faciebat aliis nõ imperabat, & forsitã si hæc ipse nõ faceret, aliis facienda consuleret: sicut prælati quidam quorum mores iam retulimus. Sed iam ad contextum. *Existimante autem populo & cogitantibus omnibus de Ioanne nè fortè ipse esset Christus.* Viderant miracula quæ Ioãnẽ fecerat in sua natiuitate. Viderunt enim quòd puer cùm esset in desertum abiit, videbant cibum, vestitum, & pœnitentiã, & ingẽtem spiritus sui virtutẽ, & verba efficacissima quæ prædicabat: ex quibus omnibus tantam opinionẽ induerunt de sanctitate Ioãnis Baptistæ, vt nõ solũ multi ex populo vt hîc ait Lucas putauerũt beatũ Ioãnẽ esse Christum: sed etiã multi Iudæi proceres synagogæ Ierosolymitanæ (vt Ioannes euangelista narrat) miserũt sacerdotes, & leuitas nuncios vt interrogarent eũ, tu quis es? existimantes illum esse Christum. Aduerte hîc tu & considera, quàm magnæ & potẽtes sint vires virtutis, quæ tã magna princeps & regina est, vt non solùm boni eam laudent, & venerentur, sed mali etiam illam laudibus extollunt, & in magno habent pretio. Certum est gentẽ Iudæorum fuisse iniquissimam: ipsi namque persequebãtur Esaiam, Amos, Barachiam, Micheam, & alios sanctos prophetas. Et Ieremiam in lacum coniecerunt: quem honorari iussit Nabuchodonosor, & curã illius demandauit Nabuzardam. Et prophetam sanctũ quã gentilis idololatra honorauit, ipsi eum persequuti sunt. In quo videre licèt quanta fuerit sanctitas & virtus Ioãnis Baptistæ, quòd cùm isti ità deprauati essent, illum esse iudicauerunt venturum Messiam. Aspice igitur quãtum valeat virtus: nam hi suis viribus coacti sunt illum tã grandi honore illustrare, ita tu si rectitudinem & animi cãdorem habueris: hac potiùs inimicos tuos superabis, quàm armis. Vide obsecro virtutis vires. Nam Dauid sola virtute inimicum suum Saulẽ superauit: & faciliùs quidem quàm si ferreis armis in certamine ageretur. Similiter cũ Dimas ille, qui cũ Christo erat in cruce magnam virtutem crucifixi videret, nã pro crucifixorib⁹ orabat, & quòd dicebat patri: Dimite illis, quia nesciũt quid faciũt: secum interiùs loquutus dixit, O quãta & quàm magna bonitas & sanctitas. Quòd quidẽ vt in Deũ se conuerteret, multũ valuit: nam hæc apud se cogitabat. Cũ tãta hic vtatur misericordia cum suis crucifixoribus, mecum eadẽ vtetur. Sic Paul⁹ virtute & bonis actibus suis gentes deuicit & conuertit. Vnde ipsemet ait, Ego sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, &c. Carbones mortui duplici modo incendi possunt. Vel imponendo illis prunã aut si vni cũ aliis collidãtur, nã ex motu ignis incendãtur. At primo modo faciliùs incẽdunt, quã secũdo. Ego (ait Paulus) nõ multo labore corda gentiliũ & peccatorũ incẽdo, vt ille qui verberando aërem ignem quærit: nã etiã si hoc modo ignis extrahatur: difficillimũ quidẽ est. At ego (inquit Paulus) etiã ignem charitatis & amoris injicio, vt exemplo bonę meæ vitæ alios incendam, castigans corpus meum: ne fortè cũ aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Virtus laudata tam à bonis quàm per versis.

Ioan.1.

Ierem.38 & 39.

1 Reg.24. & 25.

Luc.23.

1.Cor.9.

Nã etiam si verbis meis aërẽ percutiã, nisi ego ignẽ charitatis habuero, forsitã reprobus ero. Multi námque sunt qui feriunt suis verbis aërem, & qui ignẽ incendunt in audientium cordibus sua prędicatione. At faciliùs ignem extrahunt, qui simul cũ verbis sanctimonia vitæ & morũ integritate sunt præditi. Nam Paulus suæ virtutis exemplo alios ad virtutis amorẽ & studium incitabat. Ideò beatus Petrus, Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis quæ militant aduersus animam: conuersationem vestram habentes bonam inter gentes. Sic beatus Ioannes suæ vitæ asperis exemplis alios traxit: quòd etiam tu facies meliùs quàm si malus esses cum armis materialibus: nã maiores sunt vires virtutis quã reliqua humana potentia. ¶ Obserua etiam quãuis hi mali sint, quantã curam & diligentiã adhibẽt, vt dominũ quærant: tu verò in chœnice sedes nihil agens, & in vtramuis aurem dormiens. Non est qui requirat Deum (ait diuinus Psaltes) nõ est vsq; ad vnum. Et quòd peiùs est & maximè deplorãdũ, Deus clamat & vociferat, & nemo est qui respondeat aut quærat eum. Ideò ipse conqueritur per Ieremiã dicens, Quis miserebitur tui Ierusalem, aut quis contristabitur pro te, aut quis ibit ad rogandũ pro pace tua? Tu reliquisti me dicit domin⁹, & retrorsum abiisti & extendam manum meam super te, & interficiam te, laboraui rogans. Quærite ergo dominum, quærite faciem eius semper. ¶ Aduerte etiam & vide quomodo dilectio periculum habeat, si iustam regulam & modum transeat. Nesciunt homines seruare modum, nam quem diligunt, plusquam par est, diligunt: & quem odiunt, suprà modum odiunt. In actis apostolicis legimus quòd in Licaonia Paulum & Barnabam tãquã Deos colere cœperunt, dicentes: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercuriũ, quia erat dux verbi: & vix potuerunt sedare turbas, ne eis sacrificarẽt. Sed vide vulgi mutabilitatem & leuitatem. Statim post tantum & tam maximum honorem datum Paulo, eundem lapidauerunt: & eiecerunt illum extra ciuitatem & reliquerunt tanquam mortuum. Similè ferè contigit Paulo in Mileto insula, quem Deum Mileti putauerunt, quem dixerant homicidam, & peccatorem. Nesciunt homines seruare modum: nã semper in extremis ambulant. Ioanni quẽ diligunt honorem Messiæ debitum tribuunt: & Christum quem odiunt, vocant peccatorem. Diligebãt Ioannem, & meritò: sed excedebant in modo, nã illum plusquam hominem iudicabant: & aliqui hæretici non hominem, sed Angelum natura illum esse dixerunt. Hanc inordinatam charitatem apostolus Paulus pertimescens de ipso dicebat, Timeo autem ne quis de me cogitet, super id quod videt in me, aut audit ex me: & ne magnitudo reuelationum extollat me, &c. Necesse enim dilectioni frænum imponere. Ideò Saluator cum de Dei dilectione fuit loquutus, dixit, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima & mente. Sed cum loquutus est de proximi dilectione non dixit, ex toto corde, aut ex tota anima, sed sicut te ipsum: ostendens modum quendam, & regulam debere obseruari. Opus enim est sobriè, & cautè diligere. Horum autem extremorum odij, & amoris deteriùs est id quòd ab amore procedit; ita vt ego potiùs vellem odio esse habitus,

1 Pet.2.

Psal.13.

Ierem.15.

Vulgus immoderatè amat si quem amet: vide Orig. Ho.25. in Lucam.

Act.14.

Act.28.

Ioan.9.

2.Cor.12.

Luc.10.

Nimius amor carnalis nocentior est nobis odio extremo.

habitus quàm nimis diligi. Nam ille qui alterum plus æquo diligit in summos honores illum cōstituit & dignitates, quousq; illum in infernum præcipitat. Si autem quē odis, persequeris, in sui ipsius cognitionem illum adducis: si verò patientiā amittit, seipsum amittit, & perdit. Sed si indigno honorem & dignitatem tribuis, suos defectus pandis, ita vt cunctis nescientibus pateant. Quare iam cōstat, quomodo nimius amor magis nociuus sit, quàm odium. Atque ita actiùs & fortiùs isti beatum Ioānnem tentauerunt, offerentes illi hunc honorē, quā Herodes quādo illum in carcerem detrusit: & maior fuit hæc tētatio & periculosior quàm Herodis: Nā mundus plures perdit & destruit constituendo illos in honores, quàm affligendo eos persequutionibus. Vnde is honor qui Ioanni offerebatur acutissima & potentissima fuit tentatio: adeò vt plures iustos, quos tentationes & persequutiones nō valuerunt deuincere, hic honor facilè eos superaret, & ad sui amplexum alliceret. Atque ita isti nō fuerunt amici Ioannis sed potiùs inimici: quandoquidem in tantum atque tam graue periculum illum induxerunt. Sichimitæ elegerūt Abimelech filium Ierobaal in regem, quod quidem cessit in damnum & perditionem ipsius Abimelech, quia ipse interiit & Sichem destruxit. Nō fuerunt hi amici Abimelech quando seipsos, & illum destruxerunt. Neque isti etiam boni amici Ioannis fuerunt, offerentes illi istū honorem. ¶ Expende etiam quàm periculosum sit proximum esse rebus, quas possis malè cōcupiscere. Etenim rusticus non solet ambire aliquod regnum: nec simplex sacerdos pontificatum summum: sed duces & cardinales ambiunt quæ sibi videntur proxima esse. Sic Pharisæi videntes Ioānis sanctitatem, credentes parum à Messia distare, tentāt illū, an nomen Messiæ desideret. Sic etiā diabolus de mundi imperio & monarchia Christū tētauit: quia illum magnum & egregiū virum videbat, & putabat facilè fieri vt monarchiā appeteret. Sic, Core, Dathā, & Abiron ambierunt primatum populi & summum sacerdotium: quorū alteri parū deerat, vt ad summum sacerdotium perueniret, alteri verò in principem constitueretur, cùm primogenitus esset. Humilis autē Baptista gloriam Christo tribuens sicut fidelis Christi seruus, illam acceptare noluit. Quapropter dicit euangelista, *Respondit Ioannes dicens omnibus.* Quāuis euangelista Ioannes dicat quòd hoc respondit legatis: tamen multi aderāt ibi, qui venerāt vt audirēt illū. Et Lucas noster dicit hîc ꝙ populus illū existimabat esse Christū, atq; ideò omnibus scilicet sacerdotib⁹ & Leuitis, qui missi fuerāt à Iudæis à Ierosolyma, & populis qui hoc existimabant, respondit omnibus istis dicens, *Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me post me, cuius nō sum dignus soluere corrigiā calciamentorum eius, ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne.* Ac si vellet dicere, Vos magni me habetis & æstimatis, propter ea quæ videtis, ex cibo scilicet, potu, vestitu, baptismo, & doctrina fideli & solida: sed longè sunt efficaciora quæ nō videntur. Ego tātum aqua baptizo vos, tamen non remitto peccata: sed præparo vos efficaciori baptismo, quē accipietis ab eo, cuius aduentum vobis prædico. Tēpore enim maior sum eo, & prædicationis ordine prior, sed potētia & virtute, sanctitate, & iustitia, longè inferior. Is nāq; qui me sequitur tāto me præstātior est, vt ego quem magnum vos iudicatis, indignus sim soluere corrigiam calciamentorū eius. Et addit rationem, & causam. Ego enim baptizo vos tantùm aqua, & ipse baptizabit vos Spiritu sancto & igne. Sed antequam vlteriùs progrediamur hîc aliqua obseruāda sunt. ¶ In primis quare dicat Ioannes Christum venturum esse post illum: quia quando Ioānes ista dicebat, iam Christus venerat, & annum suæ ætatis trigesimum agebat. Dicendum quòd iā venerat quātum ad subsistentiā personalē: non tamē quantū ad opus ad quòd mittebatur. Christus enim non venit in mundum vt homo esset, sed vt salutem nostram operaretur. Igitur quia nihil fecerat illius ad quòd venerat, rectè dixit Ioannes nondum venisse. Opera enim quæ Christus fecit ad salutem & reparationem nostrā, fuerunt prædicatio, legis latio, miracula & prodigia, & denique ipsa mors qua omnia legalia consummauit. Ista cœperunt in baptismo Christi, quando Ioannes manifestauit eum dicens, Ecce agnus Dei. Hic est enim de quo dixi vobis, post me veniet vir, qui antè me factus est. Sicut cùm Thamar pariebat Phares & Zaram, priùs Zaram manus emisit, sed Phares priùs fuit egressus, quia retraxit manum Zaram. Sic qui ortu corporis fuit posterior, scilicet, Christus Iesus, virtute & veritate primus extitit. Ideò primò protulit manū, vincebat enim alium, & studiosior illo erat. Quapropter dicit hîc Ioannes quòd fortior eo, veniet post illum: quòd non solùm debes intelligere secūdum diuinitatem, sed etiam secundum quòd homo erat. Non enim est datus ei spiritus ad mensuram, quia humanitas eius vnita erat verbo hypostatica vnione: ita quòd in eodem esse in quo verbum patris æternaliter est subsistens, ipsa quoque à principio incarnationis subsistat. Ideóq; ascendēs Christus in cœlum angelis interrogantibus, quis est iste rex gloriæ? responderunt angeli dicentes, Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio, & ita fortis vt inimicum suum proprijs armis deuiceerit & superauerit: vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Præterea fortior debuit esse Ioanne, qui erat reseraturus cœlum, impleturus orbem, mundaturus peccatum, prostraturus diabolum, spoliaturus infernum, excitaturus seipsum à sepulchro. Necesse enim erat Christum Ioanne esse fortiorem, qui nostra scelera & flagitia sustineret, & propter pœnitentiam dissimularet. Nisi enim in Christo illa esset charitas, quæ omnia sustinet: fieri nequiret, vt tot orbis peccata ita eum prouocassent, vt eum redegissent in nihilum. Ipse enim peccata nostra tulit, & iniquitates nostras ipse portauit. Dominus quippè posuit super eum omnium nostrorum iniquitates. Hanc credo fuisse causam, ob quam Ioannes dixit Christum fortiorē se, & nō sanctiorem, seu meliorem: quia cùm nemo ascendat in cœlū nisi filius hominis, qui est in cœlo, nos ascendere non potuimus in cœlum, nisi portemur à Christo in humeris, sicut ouis perdita à pastore. Fortis igitur est, qui adeò grauem sarcinam in cœlum deportare valet. ¶ Præterea in eo quòd ait, nō sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius: aduerte ex hoc non sequi Christum vsum fuisse calciamentis, cum mittens discipulos ad prædicandum, ea prohibuerit. Etenim in cœna dixit illis, Quando misi vos sine sacculo & pera, & calciamentis: nunquid aliquid defuit vobis? Christus namque qui priùs cœpit facere, & docere, non vsus fuit calciamentis, qui noluit discipulos

Margin notes: Iudi. 9. — Math. 4. — Num. 16. — Ioan. 1. — Quæstio. — Ioan. 1. — Genes. 38. — Ioan. 3. — Psal. 23. — Esa. 53. — Ioan. 3. — Luc. 22.

los

Act. 1. los illi vti. Idcóque dictum Ioannis, iuxta modum loquendi accipiendum est. Nam sensus literalis nõ semper est ille qui immediatè per verba significatur, sed interdum qui per similitudinem insinuatur
Math. 18. aut per res verbis expressas significatur. Sic & illud quòd dominus ait, Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proiice abs te, & si pes tuus, &c. Occasiones peccatorum esse fugiendas docet: ne nobis ipsis, aut aliis simus scandalo. Etenim non vult Christus, vt quis oculos suos sibi eruat, sed vult vt ita oculos nostros à vanis mundi rebus abstineamus, ne vt alter Dauid illorum causa Deum offendamus. Sic etiam non vt litera sonat accipiendum
Ierem. 31. est illud Ieremiæ & Ezechielis, Patres eorũ come-
Ezech. 18. derunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt: sed de pœna filiorum propter peccata pa-
Vide Augu. rentum intelligendum est. Sic in præsentiarũ Ioan-
de cõsen. euãg. nes loquebatur iuxta communem modum loquẽ-
lib. 2. ca. 12. di, quo aliquis minorem alio se vult ostendere, aut humiliorem præstare: asserit se indignũ esse, vt eius calciamenta soluat, vel aliud id generis obsequium promittit. In quo profundissima beati præcursoris patet humilitas: quia cùm talis ac tantus ab hominibus indicaretur, seipsum coram omnibus voluit deprimere & humiliare. Quando in bello aliqua iacitur sagitta, cùm ad se venientem illam intuentur milites, seipsos deprimunt: atque ita sagitta illis intactis per aërem euolat. Ita beatissimus Ioannes cùm periculosissimam sagittã honoris in eum illi iacerent, seipsum in terram deiecit, & humiliauit, dicens, se non esse dignum nec aptum vt tanti atque tam magni domini calciamenta posset dis-
In prosperis non superbiendum. soluere. ¶ Disce tu à beatissimo Ioanne in prosperis ac secundis fortunæ honoribus humiliari. Hæc enim vera humilitas est quæ oblatis honorib⁹ mi-
1. Reg. 9. cat, & splendet. Sic humilis fuit Saul cũ electus in
1. Reg. 10. Regem, dixit Samueli, Nunquid filius Gemini ego sum de minima tribu Israel: & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin. Sic etiam Dauid locutus est, cum rex Saul dabat ei fi-
1. Reg. 25. liam in vxorem, Quis ego sum vt sim gener regis: Abigail quoque cum Dauid voluit accipere illam in vxorem, Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei. Moses etiam cùm dominus præcepit vt iret ad Pharaonem, & cõstituit
Exod. 3. Deum Pharaonis. Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Aegypto: Denique & beatissima virgo Maria ab Angelo salutata,
Luc. 1. & in matrem Dei electa, humiliter respondit, Ecce ancilla domini. Verus humilis sicut Ioãnes nõ fle-
Luc. 1. ctitur honoribus: nec mundanis laudibus effertur. Quocirca meritissimò altissimum illud soliũ quòd Lucifer ille cadens de cœlo perdidit ob superbiam & animi elationem, datum est humillimo Ioanni Baptistæ. Ille enim impius & sceleratus cùm creatura esset, diuinum honorẽ voluit rapere, qui suus non erat: hic autem Ioannes cui hic honor datus est, eum noluit vsurpare. Quòd ille appetiuit, huic datur: quapropter quòd ille perdidit, meritò Ioanni datum esse credimus. Et illam manum quã Ioãnes existimabat indignam esse vt solueret Christi calciamenta ipse Christus non in calciamentis imò super caput suum posuit, cum in Iordane fuit baptizatus. Ex quo disce in omnibus humiliari, maximè cùm aliquis honor tibi offertur: nam humiles
Math. 3. exaltat & extollit Deus, sicut superbos deprimit,
Psal. 137. & humiliat, Humilia enim respicit, & alta à longè cognoscit. Et detestans Christus superbiã & animi elationem Capharnaum maledixit, dicens, Væ tibi Capharnaum, nunquid vsq; in cœlum exaltaberis? Math. 11.
Vsque in infernum descendes. Et quemadmodum superbia Deo & hominibus odiosa est: ita humilitas grata & formosa in oculis omniũ. Et quemadmodum cinis ignem conseruat: ita humilitas Spiritus sancti gratiam. Abraham domino loquebatur dicens, Loquar ad dominum meum cùm sim pul- Genes. 18.
uis & cinis. Humilẽ tui ipsius cognitionẽ præsta & maiora dona accipes à Deo. Humilis esto, & paruulus: nam humilem Baptistã in altissimum dignitatis solium dominus constituit: & superbum Luciferum in ima tartara detrudit. Stat enim sentẽtia, Luc. 14. & 18.
Qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur. Discãt ergo principes & vniuersi Christiani, non sibi licere falsis titulis aliorum dignitates & officia vsurpare, quin potiùs exemplo Ioãnis oblatas recusare. Vnde Paulus ad Hebræos, Nemo Heb. 5.
assumat honorẽ, sed qui vocatur à Deo tanquã Aa- Iudi. 9.
rõ, Abimelec fili⁹ Ieroboal, Absalõ, Adonias, Atha- 2. Reg. 18.
lia, & cæteri omnes qui principatũ vsurpare cona- 3. Reg. 1.
ti sunt, infœlici morte vitã finierunt. ¶ Docemur 4. Reg. 11. Propria laus sordet.
etiã hoc loco nõ laudare nosmetipsos. Etenim Ioãnes poterat dicere, Ego sum sanctificatus in vtero matris, ego nunquã letale peccatũ cõmisi: ego cùm feris in deserto viginti quinq; annis vitã degi, ego sum propheta: & plusquã propheta, ego sum angelus missus antè dominum, ego sum lucerna ardens, & lucẽs, & multa alia egregia & præclara de se ipso fari poterat se ipsum laudãs, & meritò. At quia prudens, & sapiens erat, noluit talia de se prædicare, sed potiùs dixit non esse dignum vt solueret eius calciamenta. Ne laudes temetipsum, nam laus in ore proprio vilescit: & omnes qui te audiunt, vanum & amentem iudicabunt. Aspice igitur quàm amẽs & insipiens sit, qui seipsum laudat. Laudat seipsum quis, vt inde laudes suas prædicet, & honorem sibi comparet, quòd multò aliter euenit ac ipse cogitat: nam non nisi ignominiam & opprobriũ inde colligit. Ita quòd non consequitur, quòd ipse intendit, sed quòd non vult: nam audientes, illum irrident, & molestè ferunt suas verborum ambages, & vanitates. Ego autem sæpiùs audiui illi attentionem præstari, qui de alicuius fama & honore loquitur, ac detrahit vnius horæ spatio. At qui seipsum laudat, nec per breue temporis spatium à nemine potest audiri: nam omnes illum molestè ferunt, & omnium aures offendit. Atque ideò quando coram te aliquis seipsum laudat, scias quòd ille te insanum iudicat & amentẽ. Atq; ideò tanquã iniuriam tibi factam illã debes accipere, quòd coram te aliquis seipsum exaltet & prædicet. Etenim cùm homo sapiens irrideat, seipsum laudantem, sui laudator amẽtem aliquem quærit, coram quo suas proprias laudes possit securius exprimere: nam solus insipiens non offenditur si aliquem audiat proprias laudes decãtare. In duobus tamẽ casibus po- In quibus casibus seipsum laudare liceat aliquando.
test homo seipsum laudare. Primò cùm maxima aliqua tribulatione præmitur, ne spiritus ei⁹ deficiat, vt eius animus aliquantulum subleuetur. Sic cum Iob. 13.
vxor Iob dixit ei, Maledic Deo: & morere: respõdit Iob 26.
sanctus Iob: Etiã si occiderit me in ipso sperabo. Et laudãs seipsum & erigens spiritũ dixit, Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater erã pauperũ, & causam Leg. Gre. lib.
quã nesciebã, &c. Seipsũ laudabat, dicẽs, quomodo 14. mo. ca.
misericordia fuerat vsus: quia amici opprimebant 17.
eum,

eum,& calumniabantur. Secundò potest quis seipsum laudare propter commune bonum. Sic Dauid coram Saule seipsum laudauit, dicens, Leonē & vrsum interfeci ego seruus tuus. (2.Reg.17.) Nam si hæc non diceret nec fortitudinem suam laudaret, minimè facultatem faceret Saul illi, vt cum Goliath Philisthæo iret dimicaturus: qui si non pugnassent, non vinceret Israel. Hac etiam ratione sæpè Paulus se ipsum extollit in suis epistolis, dicens, Plus omnibus laboraui. Et castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Et multa alia his similia. Sed de his satis. (1.Cor.15.) (1.Cor.9.) ¶ Cæterum id quòd ait Ioannes Christum baptizaturum in Spiritu sancto & igne, intelligēdum est quòd baptizauit per suos discipulos: nam in euangelio Ioannis scriptum est, quòd Iesus non baptizabat, sed discipuli eius. (Ioan. 4.) ¶ Obserua autem quòd quamuis baptismus Christi sit in aqua & spiritu sancto, vt ipse dixit Nicodemo, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto: noluit tamen Ioānes dicere in Spiritu sancto & aqua: sed in Spiritu sancto & igne: (Ioan.3.) quia intendebat assignare differentiā sui baptismi qui fiebat in aqua a Baptismate Christi, & excellentiam baptismi Christi. Idcircò non nominauit elementum aquæ in quo fiebat. Vnde ignem non sumit pro igne materiali, sed pro igne intelligit Spiritum sanctum qui mentem inflammat. Sicque coniunctio, & tenetur expositiuè. *Cuius ventilabrum in manu eius.* Hoc dicit propter iudiciariam potestatem, qua discernuntur boni à malis. Sicut per ventilabrum purgantur frumenta à scoriis, ita separabuntur de facto ad pœnam & meritum. Sic Ieremias in persona domini loquitur, Dispergam eos ventilabro in portis terræ. (Ierem.15.) (Mala.3.) Malachias etiam ait, Ecce veniet, dicit dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans: & quasi herba fullonum. Expende autem, quòd hæc verba de Christo saluatore ait Ioannes: quia vt ipse Saluator ait, pater omne iudicium dedit filio: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. (Ioan.5.) Verùm quia potestas hæc iudiciaria est, segregare bonos à malis, vt bonos glorificet, & malos puniat: ideò quantū ad separationem, executionem & discretionem dicitur. (Ioan.5.) *Et purgabit aream suam.* Hoc est ecclesiam militantē vbi grana cùm paleis sunt mixta: in præsentis enim ecclesiæ area triticum & paleæ, hoc est pij & impij mixti conuertuntur. At tempore messis, tempore inquam consummationis sæculi aliud videbimus, aliud perpetiemur. Id quòd non tantum hac Ioannis similitudine docemur. (Math.13.) Nouimus enim quid dominus aliis in locis dixerit discipulis bonis, & malis, tritico & zizaniæ virginibus sapientibus, & stultis, ouibus & hœdis: (Math.125.) quibus omnibus idem persuadet dominus, quòd Ioannes hic admonere tendit. Magnum quidem est in baptismo peccatorum accipere remissionem: tamen si relaberis in pristinum peccati cœnum, nec pœnitentiam feceris, vētilabrum Christi te ab horreo cœlesti expellet. Nec enim ideò tibi peccata pristina remissa sunt, vt nouis te dedas peccatis, sed vt post hæc innocenter viuas, & voluptates huius sæculi contemnas. Vides hic paleas cum tritico admixtas: sic in ecclesia militanti boni cum malis mixti sunt. Sic ex duobus filiis Adæ Abel bonus & iustus erat, & Cain malus. (Genes.4.) Et ex filiis Noë vnus malus, & alij boni fuerunt. (Gen.8.) Duos etiam habuit filios Isaac: vnus bonus, & alter malus extitit. (Gen.28.) Apostoli etiam non omnes fuerunt boni, quia ex illis vnus fuit teterrimus, & sceleratissimus. (Math.27.) Ex septem etiam diaconibus quos apostoli elegerūt, vnus illorum author extitit erroris. (Act.6.) In hac igitur ecclesia militanti, boni & mali permixti sunt. Sustinet autem dominus in hac vita malos expectans eos, vel si aliquando conuertantur: & bonis operibus eos allicit, vt vel sic eos ad se attrahat: (Benignitas Dei in reuocando peccatores.) vt sic, cùm tanta beneficia à manu Dei illis videant contingere, in ipsum tanquam in parentem amantissimum conuertantur. Nam quando accipiter procul euolauit ac fugit è domini manibus, non illum fustè ad se vocat & attrahit dominus, sed potiùs carnem in manibus ostendit, & signa amoris insinuat. Ita mali fugitiui ambulant à manu domini. Deus verò cuius tāta est in nos charitas & dilectio, ne isti mali perdantur: bonis operibus, & cumulatis beneficiis eos ad se allicit, & conuertit. Itaque sustinet Deus peccatores, & illos expectat vt aliquando conuertantur. Nam si latronē qui à dextris Iesu in cruce pendebat cùm alios interficiebat, & aliena furabatur, in interitum dominus adduceret, nō vtique saluus fieret, nec tam fœlicem & beatum finē cōsequeretur. (Luc.23.) Si Paulū etiam dominus interfecisset, cùm Christianos vexabat, & ecclesiam persequebatur: non vtique rātum & tam insignem Apostolum gentium prædicatorem haberemus: (Act. 9.) nec Ecclesiā gauderet tam sublimi suarum epistolarum doctrina. ¶ Secundò dominus malos sustinet: quia cedit in bonorum vtilitatem. (Leg.Gre.lib. 5 mor.ca 25. Causa quare Deus permittat viuere malos.) Ne autem extra metaphoram, qua hîc vtitur diuus Ioannes, egrediamur, clarè constat paleam vtilissimam esse tritico: nam palea illud cooperit & defendit cùm tenerū est, à nimio solis calore, & ab aëre, & illud conseruat. Ita etiam mali vtiles sunt in hac vita bonis. Nam virtus nisi exerceatur, arescit. Ensis itidem si semper vagina claudatur nec euaginetur, rubigine cooperitur. (Similitud.) Ita opus est vt virtus exerceatur, & probetur, nec otiosa sit. Vnde beatus Petrus. Vt probatio fidei vestræ preciosior sit auro & argento, quod per ignem probatur. His ergo duabus de causis sinit Deus malos viuere, vt videlicet ipsi conuertātur: vel per ipsos boni exerceantur: (1.Pet.1.) vt ait Augustinus. Sinit modo Deus crescere zizaniam: sed cùm venerit tempus messis, id est, iudicij dies: dicet messoribus. Colligite zizaniam in fasciculos ad comburendum. (Aug.super Psalm. 63.) Exibunt enim Angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: & sic purgabitur Ecclesia. (Math.13.) Vide ergo & tu quòd sis granum, nec palea efficiaris. Etenim grana ad pedes ventilantis suo pondere cadunt: sed paleas longè ventus impellit. Si igitur in tribulatione ad Christi pedes cadis, eius voluntati penitùs subiectus, granum es. Si verò tribulatio à Christo te semouet, palea es. Etiam in hac vita tribulatio probat, quis sit granum, ad horreum cœleste destinatum: & quis palea, igne æterno comburēda. Christus etenim ventilabatur à tribulatione dū erat in horto: sed procidit in faciem suam dicens, Pater si possibile est, transfer à me calicem istum. (Math.26.) Non vides in Christo granum ad pedes ventilantis proiectū? Sic te ipsum proiice in tribulatione tua ad pedes Iesu Christi: quòd si id non feceris, palea es. ¶ Expende autem hîc & diligenter considera: si illi qui in sua tribulatione ad pedes Dei non cadunt, igne inextinguibili sunt comburendi: quid erit de his qui nulla tribula

tribulatione acti, mala committunt? Quo obsecro igne comburentur, qui deprauata sua voluntate vitiis se tradiderunt? Istæ paleæ inutiles comburẽtur in die vltionis: granum verò seruabitur. Atque ideò sequitur in contextu, *Et congregabit triticum in horreum suum*. Id est, iustos in beatitudinem. Rectè autem iusti tritico assimilantur, quia fructificant, & vtiles sunt proximis in Ecclesia Dei. Etenim triticum molitur, coaptatur, coquitur, & denique in minutissimas particulas diuiditur: vt ipsum hominem sustentet, & illi vtilitati sit. Sic sancti propter salutem proximorum seipsos dilacerant, & consumunt, vigilantes, studentes, laborãtes, & vitas suas & salutem pro bono & vtilitate ecclesiæ in discri-
2. Cor. 12. men inducentes. Sic Paulus Corinthiis inquit, Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar
Iob. 5. ipse pro animabus vestris. Iob etiam sic inquit, Ingredieris in abundantia sepulchrum: sicut infertur aceruus tritici in tempore suo. Sed quid de paleis? *Paleas autem comburet igni inextinguibili*. Paleas reprobos vocat qui sunt materia combustionis, & ita sunt pabulum ignis sempiterni, qui nunquam extinguitur. Hæc autem palearum adustio longè erit à tritico congregato: quia isti erunt in inferno, boni autem in gloria. Congregabit (ait) bonos, quòd de reprobis non dixit, quia boni hîc congregantur & vniti sunt, quasi, cor vnum & anima vna, in dilectione, & charitate, & gratia. Mali verò dispersi sunt: quia non est pax impiis, nec in aliquo conue-
Act. 4. niunt. Dispersos peccatores in diuersos fasciculos
Esaia 48. mittet in stagnum ignis & sulfuris: iusti verò congregati in horreum Dei, in æterna beatitudine manebunt. Grandis & longa erit differentia inter bonos & malos, non solùm in loco, sed etiam in mo-
Ierem. 23. do. Sic in Hieremia habetur, Quid paleis ad triti-
Iudi. 12. cum dicit dominus? In libro etiam Iudicum habetur fuisse bellum quoddam inter Galaaditas & Ephraitas: & vincentibus Galaaditis fugerunt Ephraitæ. Et Galaaditæ occupauerunt transitum quendam ad fluuium Iordanem, qua Ephraitæ redituri erant in patriam suam, qui cùm fugientes venissent, singuli dicebant, Obsecro vt me transire permittas. Galaaditæ autem respondebant, Nunquid Ephraitæus tu es: timore autem perterriti dicebant, non: Galaaditæ autem vt certi de hac re essent, iubebant illis, vt hoc nomen Sibolech proferrent: qui autem hoc nomen rectè pronunciabant impunes transibant: quia autẽ nesciebant, in fluuio decollabantur, atq; ita quadraginta duo millia illorum interfecerũt. Omnes quidem angustum & difficilem mortis transitum subire debemus. Omnes nos oportet præsentari antè
2. Cor. 5. tribunal Christi (ait Paulus) vt vnusquisq; reddat rationem de his quæ gessit in corpore siue bonum siue malum. Hîc autẽ sunt inimici nostri qui examinabunt nos. Qui verè protulerit Sibbolech, hoc est spica cùm grano, vtique transibit: nam illi qui grana sunt, & in hac vita sanctis se tradiderint operibus, liberi transibunt in horreum Dei. Qui verò dixerit: Ziboseth, hoc est spica cum palea & sine grano comburetur: sicut palea igne inextinguibili, &c.

¶ Obseruandũ etiã hîc est, quòd cùm multæ sint pœnæ damnatorum, ita vt in Psalmo habeatur,
Psal. 10. Ignis, sulphur, spiritus procellarum, &c. potiùs tamen de pœna ignis loquutus est dominus, quia punitio ignis inter corporalia grauior est pœna, & nomine ignis grauissima pœna intelligitur. Et non solùm ignis, sed æternus. Ideò Ioãnes ignem inextinguibilem dixit, quia nunquam extinguetur: sed vsque in sæculum sæculi ardebit, crucians damnatos: At si tu nunc per breue tẽporis spatium nequis digitum in igne sustinere: qui ô infœlix peccator perpetuò ferre valebis inferni ignẽ: qui si cũ materiali hoc conferatur, vtique materialis velut pictus apparebit? At si in lectulo blando floribus & rosis circundato iaceres, ibique varia musica instrumenta tibi deseruirent dulci & cordato concentu, ea tamen lege, vt quadraginta annorum spatio à lecto non surgeres: nónne tormentum hoc intollerabile iudicares? Quomodo igitur poteris ferre igneis cathenis esse ligatum in obscœno illo inferni loco: à quo nunquam in æternum surges? Sine vlla spe viuere, & certo scire, nullum esse remedium: tristissimum quidem est, & lamentabile. Sed hæc missa faciamus.

¶ Obserua etiam quòd solus Christus habet vẽtilabrum in manu sua, & ille solus habet potestatem triticum à paleis separare, vt in totum mundũ sit triticum: quòd quidem vt diximus in consummatione sæculi tandẽ fiet. ¶ Præterea cauendum tibi maximè est, ne derelinquas areã domini propter leuitatẽ palearũ: sed potiùs stude quãtum in te fuerit, vt paleas in triticum cõuertas. Etenim in Ecclesia catholica quæ area domini est, paleæ vt iam di- Math. 13.
ximus sunt homines mali, abusus sunt, superstitiones, vitia, & peccata: Nunquid propter hoc fugiendum est ab ecclesia? Absit. Noë propter malitiã Cã Genes. 9.
non deseruit arcam. Nec Petrus ob Iudæ improbitatem deseruit apostolatum. Si in ecclesia non foret peccatum, quid opus esset remissione peccatorum? An quia aliqui malè viuunt, totam Christi calumniaberis ecclesiam? Noli contemnere rete euãgelicũ propter malos pisces. In ecclesia nostra maxima quidem videntur scelera, sed nihilominus vera ac euãgelica seruatur doctrina. Scelera operibus pœnitentiæ abluenda sunt: & doctrina sectãda. Sed extra ecclesiam impurissima scelera videbis, & frustrà quæres sanã doctrinã. Sed de his satis. *Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo*. Nõ est du- Vid. Orig. Hom. 27. in Lucam.
bium quin ipse longiori fuerit vsus sermone: Nam Euangelistę non scribunt nisi fundamenta, themata & conclusiones sermonum. Etenim certũ quòd cũ diuus Ioannes à deserto exiret plenus scientia & diuino spiritu, non hæc solùm dixisset, ibi sistens: nã super hæc verba, & super illa, pœnitentiã agite, appropinquabit regnũ cælorũ, multos ac egregios pœnitentiæ prædicauit sermones: & mirabiliter de hac materia fuit loquutus: Sic cùm dicit Mathæus Math. 5.
quòd in monte prædicauit Christus illas beatitudines, beati pauperes spiritu, &c. multa de his beatitudinibus protulit, quæ longũ esset recensere: sed Euangelista fundamenta tãtum materiæ posuit, & conclusiones. Ideóq; in Euãgelio Ioannis scriptum habetur. Multa & alia signa fecit Iesus, quę nõ sunt Multa habemus ex traditione quæ nõ sunt in verbo Dei expresso. Ioan. 21.
scripta in libro hoc. Disce ex hoc multa statuta, ceremonias, & consuetudines habere nunc Romanã Ecclesiam catholicam, quæ ab Apostolis deriuata sunt: & venerunt ab ore in os, ab ipso domino nostro Iesu Christo. Nam sicut Euangelista non scribit omnia quæ Ioannes Baptista prædicauit, quia dicit quod multa alia exhortãs prædicabat, & hoc vnico verbo illa omnia concludit: multò meliùs hoc de Christo dicere poterat, quòd multa alia

euan

euangelizauit, & docuit, quod etiam Euangeliſta Ioannes dixit, Ideóque non quæras vbi habetur in Euágelio de ordine diaconatus, & ſubdiaconatus, & acolytorum,& vbi tractent Euágeliſtæ de chriſma,aut de perpetua beatæ Mariæ virginitate.Plura enim habet Eccleſia quæ non ſunt expreſſa in ſcriptura:nam ſi nihil aliud eſſet credendum niſi quod eſt in ſcriptura,ſequeretur quod antequã Mathæus (qui primus ſcripſit euágelium poſt quindecim an nos à Chriſti aſcenſione)ſcriberet,nihil erat credédum,quia tunc nihil erat ſcriptum. Et poſt multos
Ioan. 11. annos non tenebamur credere Lazari reſurrectionem,quia nondum Ioannes illam ſcripſerat.De his in præfatione beati Lucæ in initio huius diximus, Nunc autem ſatis tibi ſit ſcire quod ab ipſo Deo & Chriſto Ieſu acceperunt apoſtoli,quæ ſuis diſcipulis prędicauerunt,& illi aliis:atque ita Eccleſia Romana ea accepit,& obſeruat:quę cum diuino ſpiritu regatur,minimè errare poteſt,nec vnquam errauit,etiam ſi aliæ errauerint. Sic Lucas Euangeliſta
Act. 1. in actis, quando Chriſtus voluit cœlos aſcendere, ait, quod loquebatur ſuis de regno Dei, id eſt, de ſtatu Eccleſiæ militantis. Quod autem loquebatur non exprimit.Cùm iam ad patrem vellet diſcedere, cum illis de gubernatione Eccleſiæ egit , de ſacramentis,de ordinibus,de Epiſcopis,& ſacerdotibus, & de aliis multis quæ Euangeliſta ſiluit. At illa vnico ſolo verbo comprehendit, dicens, Loquebatur de regno Dei. Pudefiant igitur iſti Lutherani omniũ hæreticorũ,& quos terra ſuſtinet, impudentiſſimi, & procaciſſimi, qui in omnibus expreſſam authoritatem Euangelij poſtulant,nolentes credere eccleſiæ: cum nó videant cæci,& duces cæcorũ
Math. 15. quod ſcriptura ſuſcepit autoritatem ab eccleſia. At hos ſinamus, quandoquidem tantum in infernum feſtinãt,& expoſitioné ſequamur beati Lucæ, qui poſtquam de prædicatione Ioannis egit modo inquit, ***Herodes autem Tetrarcha cùm corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris ſui, & de omnibus malis quæ fe-***
Math. 14. *Marc.* 6. ***cit Herodes.*** Solus Lucas meminit quod Ioannes reprehenderit Herodem de aliis criminibus : nã Mathæus,& Marcus ſolum de inceſtu cum Herodiade tractãt. Quæ autem fuerint alia crimina neſcimus.
Luc. 13. Fuiſſe autem illum hominẽ impium & ſceleratum non ſolum ex domini verbis qui illũ appellat vulpem, ſed ex pœna priuationis tetrarchiæ, & exilij perpetui apud Lugdũnum à Caio imperatore inflicta colligi poteſt.De Herodiade ſolum hîc agit mẽ-
Herodes decreto Cæſaris exulauit Lugduni. *Vide Hiſtor. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 13. tionem,non adducens in medium reliqua ipſius vitia nec eorum qualitates:nam reprehenſio Ioannis de hoc crimine,fuit cauſa ſuæ mortis.Etenim Herodes Antipas Herodiadem fratris ſui Philippi vxorem tulerat,quod turpiſſimum connubium beatus Ioannes non poterat non reprehendere. Nanque beatus Ioannes non erat, vt multi huius temporis, qui vitia paruulorum taxant,& puniunt:& potentium peccata diſſimulant. Ioannes autem non ſolũ peccata populi,phariſæorum & publicanorum exterminat, ſed etiam peccata principis declarat. Vbi venit ſtatim conſideranda Ioannis charitas, & impietas Herodis. Ioannes quippe volebat Herodem ſaluum fieri , ſed Herodes volebat Ioannẽ deſtrue-
3. *Reg.* 18. re. Quid aliud Ioannis animum mouebat niſi Dei dilectio & amor? Angelus enim de eo dixerat véturum eſſe in ſpiritu & virtute Heliæ, qui regis Achab arguebat peccata : licet ſciret odium, & perſequutionem excitaturum. Perfectus Dei miniſter pluris

facit Dei honorem, quàm propriam vtilitatem, & commodum:imò pluris quàm vitam & ſalutẽ propriam : faciliúſque omnium rerum ſuarum iacturã, & diſpẽdium faciet,cruciatus,& mortem feret:quã ignominioſas in Deum calumnias. Quemadmodũ *Eſai.* 37.
in Ezechia videre licet,qui ſcidit veſtimenta ſua,cũ legeret literas in quibus Rapſaces legatus regis Aſſyriorum dura cõuicia euomuerat,contra ſanctum Deum Iſrael. Sic Ioannes tantum ſcelus ferre non valens,& ſaluti ipſius Herodis conſulens,ipſum argũebat: ſed Herodes ei qui vitam animæ illi volue- *Veritas odiũ*
rat reſtituere,vitam aufert. Hæc eſt retributio ma- *parit.*
lorum in bonos.Vnde in pſalmo inquit Dauid,Po- *Pſal.* 108.
ſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odiũ pro dilectione mea. Vide quàm parum proſit in peccatoribus obſtinatis charitatiua , & fraterna correctio.In duro & deprauato corde nihil prodeſt monitio ſancta bonorum.Quando Pharao nolebat di- *Exod.* 7.
mittere populum domini , vt ſacrificaret domino Deo ſuo,miſit Deus Moſem cũ virga in manu ſua, quam cùm in terram proiiceret coram Pharaone, conuerſa eſt in colubrum. Correctionem & reprehenſionem vocauit Iob virgam,dicens, Quare im- *Iob.* 21.
pij eleuati ſunt, &c. Non eſt virga Dei ſuper illos. Hanc virgam,quæ correctio eſt,ſi coram obſtinato Pharaone proiicias, hoc eſt coram peccatis obſtinatio,in colubrem conuertitur , hoc eſt in peccatũ lætale : quia non ſponte correctionem accipit. At notandum eſt, quod cum Moſes habuit virgam in manu non cõuerſa fuit in colubrum, quouſque illam in terram proiecit. Ita nimirũ ſi acceperis correctionem quam quis tibi præbet,non coluber eſt, ſed virga in manu:at ſi à te ipſam proieceris, in colubrum,hoc eſt in peccatum conuertitur. Et quale eſt illud. Viro (ait ſapiens) qui dura ceruice corri- *Prouerb.* 29.
pientem contemnit, repentinus ei ſuperueniet in- *Eccleſ.* 5.
teritus.Et in Eccleſiaſtico etiam habetur. Qui odit correctionem, minuetur vita eius. Breuior erit illi vita corporis, nam parum temporis viuet : & vita etiam gratiæ,quia in peccato morietur. Quid ergo erit remedij ? Vt caudam colubri accipias quemadmodum Moſes fecit,& in virgam conuertetur. Colubrem iterum accipere, eſt reprehẽſionem admittere:& ex cauda apprehẽdere, & finem & intentionem illius cõſiderare qui reprehendit:túncque coluber in virgã ſalutiferam cõuertetur. Hoc deberet impius & ſceleratus Herodes conſiderare,& quan- *Eccl.* 7.
tum , & quàm magnũ eſſet beneficiũ amica & be- *Pſal.* 147.
neuola exhortatio. Melius eſt enim à ſapiente corripi : quàm ſtultorũ adulatione decipi. Ideò Dauid cupit à iuſto in miſericordia increpari. At ea eſt mũ- *Amos.* 5.
di vanitas,& inſipientia,vt ſemper veritatis amato- *Iud.* 5.
res odiat, & fugiat. Odio habuerunt corripientem 3. *Reg.* 22.
in porta.Sic Achior propter veritatẽ ab Holopherne ligatus , & Michæas alapa percuſſus eſt. Sic & Eſaias,Hierem. Helias, Barachias filius Ioiadæ. Sic & Amos,& omnes ſancti prophetæ perſequutionẽ paſſi ſunt:& ſemper à mundo veritas odio fuit habita,& contẽpta.Vnde Paulus Galatis ſuis ſcribens *Galat.* 4.
ait,Inimicus factus ſum vobis,verũ dicẽs. Ideóque *Ioan.* 8.
ad Iudæos ſaluator dicebat, Si veritatẽ dico vobis, quare nõ creditis mihi?Beatus Ioãnes quia verũ dicit,perſequitur ab Herode, quouſque in capitis diſcrimẽ illum intulit. ¶ Quærũt autẽ ad hoc facinus perpetrãdũ hãc occaſionẽ,vt puella quædã ſaltatura exeat,& petat Ioãnis caput. In hoc mundo boni pro nihilo habẽtur. Vnde Paulus. Aeſtimati ſumus *Rom* 8.

sicut oues occisionis. Qui lapides pretiosos non agnoscit, smaragdum, qui decem millia ducatorum valet, pro decem vel duodecim ducatis æstimat. Ità mundus tanquam ignorans & insipiens iustorū valorem & precium non nouit: cùm secundum veritatem lapides pretiosi sint inæstimabilis valoris, in beatitudinis ædificium coaptandi. Ideò Paulus loquutus de mūdi iudicio & sententia dicit, Aestimati sumus sicut oues occisionis. O mūdi vanitas execranda, vt sanctissimo viro Ioanni Baptistæ caput auferatur, propterea quod puella exeat ad saltandum: cùm reuera nec ouiculæ esset auferēdum. Ne autem existimes quod quia Herodes illum cōtemnit, Deus illius obliuiscitur. Nam quemadmodum ille qui turrim altissimam vult cōdere, priùs fundamenta profundissima iacit: ita volēs Deus super omnes choros angelicos beatū Baptistam collocare voluit, vt in morte humilior esset omnibus aliis. Nā nemo omnium tam vili & abiecta occasione mortuus est, scilicet, ob videndam puellam saltātem filiam cuiusdam meretricis. Caput autem huius tam (Math. 11.) celeberrimi viri, quo inter natos mulierum nō surrexit maior, oblatum fuit fœdis & adulteris mulieribus, &c. Vt igitur ad vitia & peccata Herodis reuertamur, inquit Euangelista, *Adiecit, & hac super omnis.* (Vnū peccatū causa alterius peccati.) Vbi maximè aduertere debes, quomodo vnū peccatum alterius sit causa peccati, & quantam veritatem in se contineat dictum illud beati Gregorij (Greg. lib. 25. mor. ca. 12.) quod peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Herodes peccatis prioribus alia adiecit peccata: quia abyssus abyssum inuocat, & vnum post se alterum trahit peccatum. (Psalm. 41. Eccles. 3.) Vnde in Ecclesiastico habetur. Cor nequam grauabitur in doloribus: & peccator adijciet ad peccandum. Et hoc iusto Dei iudicio. Quia cùm misericordiarū domini nolit occasionē oblatam accipere, meritò à Deo derelinquitur, vt suos appetitus, & libidinem sequatur, & vt peccata peccatis addat. Etenim (vt inquit Augustinus) vnū peccatum est pœna alterius peccati. (Aug. lib. 5. con Iul. c. 3.) Et vnū peccatum dominus permittit, vt aliud puniāt: iuxta illud Apocalypsis. Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Si autem huius rei appositissima exempla in sacra pagina videre velis, audi. (Apoc. 22.) Nam cū Caim fratri suo Abel maximè inuideret: cúmque huius peccati pœnitētiam nō egisset, in aliud maius & grauius præcipitē se dedit, scilicet in homicidiū sui proprij fratris. (Genes. 4.) Nec in hoc gradū sistit, sed eo insaniæ & temeritatis deuenit, vt existimaret Deum ignorantē & nescientem esse: ita vt dixerit, Nunquid ego sum custos fratris mei? Et his omnibus peccatis aliud addidit omnium pessimum scilicet, dicere, Maior est iniquitas meā quàm vt veniā merear. Dauid etiam protinùs vt Bersabee cōcupiuit, secundo loco adulterauit, tandem tertio homicida fuit. Petrus etiam primò simpliciter negauit Christum: secundò addidit iuramētum, & tertio anathematizauit. (2. Reg. 11. Marc. 14.) Sic etiā Iudas fur erat, & loculos habebat, vt ait Ioānes: deinde murmurator, & detractor: deinde dnm suum vendidit: postremò seipsum suspēdit. (Ioan. 12. Math. 27.) Ne obsecro in peccatis detineatis: quia tantas eorū sarcinas assumis, vt oneri sit tibi succumbendū. Vnde regius, & diuinus psaltes. (Psalm. 37.) Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meū: & sicut onus graue, grauatæ sunt super me. Tantum tēporis in peccatis hærebis, vt in profundum malorum deuenias. Vnde Daniel seni iniquo dixit, (Dan. 13.) Nunc venerunt peccata tua quæ operabaris priùs super te, iudicans iudicia iniusta. Ex vno in aliud deuenit peccatum, & vnum peccatū aliud impellit: & nullum finem nec terminum hoc genus mali haberet, nisi diuina misericordia nostris peccatis imponat finem. Quemadmodum lapide projecto in aquas excitatur fluctus, qui simul vt oritur alterum secū excitat, & ille alterū quousque in magnum & penè infinitum numerū fluctus perueniāt nisi scopulus aliquis fluctibus obsistat, ne fluctus vltra progrediantur, sic ex vno peccato commisso aliud oritur, & ex illo aliud, vt fluctus: ibique hæc fluctuatio in immensum, nisi diuina misericordia (Osea. 4.) his peccatorum fluctibus resistat. Hinc propheta (Leg. Gregor. lib. 13. mor. cap. 10.) Oseas peccata Israelitici populi narrās inquit, Maledictum mendacium, periuriū, &c. sanguis sanguinem tetigit. (Iudi. 16.) Tunc sanguis sanguinē tangit: cū peccatum vnum ad peccatum aliud impellit. Ligatura Samsonis semper de malo in deterius procedebat: nam priùs fuit ligatus decem neruiceis funibus: secundo nouis funibus: tandem vltimo, clauo in terram defixo fuit ligatus à crinibus. Sic peccator de vno in aliud peccatum tendens, semper eius status, deterioris fit cōditionis, & fortius ligatur à dæmone ligamentis, & funibus peccatorum: ita vt mentis tenebris obcæcatus in circuitu diabolo seruiat. Quapropter dominus per Matthæum malos cōtulit cum hædis, (Math. 25.) quia hædus semper procedit de malo in peius: nam quantò magis hædus adolescit, tāto peior fit ad manducandum: ita vt quando ad maturam ætatē peruenit, comedi à nemine possit. Sic mali semper in peius prodeunt: quousq; in profundum malorum deueniunt. Ideò cauendum est diligenter à prioribus peccatis: nam licet parua tibi in principio videantur, paulatim & sensim in grauissima incides, in profundum malorū, Ideò Ecclesiasticus ait. (Eccles. 21.) Tanquam à facie colubri fuge peccatum. Videbitur forsan tibi parum commendasse fugam peccati: siquidem nō dixit, fuge peccatum tanquā ab vnguibus leonis, aut tāquam à tigridis dētibus, aut tanquam à facie draconis: nam coluber parum veneni habet, nec ab illo fugiunt nisi pueri. Per colubrum qui inter animalia venenosa minus veneni habet: intelligit hic Ecclesiasticus paruū peccatum à quo fugere debes. Quare? Quia Esaias dicit, quòd (Esai. 14.) ex radice colubri egredietur regulus. Basiliscus inter reliqua animalia venenosissimū est, & adeò malus est, vt solo intuitu homines interficiat, atque ita per illud intelligitur grauissimū, omnium peccatorum. Fuge igitur à paruis & prioribus peccatis, ne fortè oculis Basilisci interficiaris: siquidem ex paruis peccatis: grauissima oriūtur. (Exod. 8.) In Aegyptum misit dominus Cynifes, quæ musculæ sunt paruæ. At posteà magnas muscas misit. Vt inde intelligas post parua mala grauiora subsequi. Quod si à prioribus nō caueris, in maiora incides. Vnde Ecclesiast. (Eccles. 19.) Qui spernit modica, paulatim decidet. Nam qui cōsueuit minora damna contemnere, maiora non sentit: & tantò minùs grauiores culpas timet, quantò in minimis nihil sentiebat. Beatus Paul. ne Corinthij (1. Cor. 1.) in grauia mala præcipitarentur, quia parua cōtemnebant, ait eis, Sedit populus manducare, & bibere: & surrexerūt ludere. Quia in modico cibo & potu sunt vsi, in idololatriam abierunt. Malum paruum time: nam qui inimicum contemnit, ab eo plerunque interficitur. (Esai. 5.) Vnde Esaias, Væ qui trahitis in funiculis vanitatis iniquitatē. Meritò iniquitas in funiculis vanitatis trahitur, quia peccata peccatis cōnectun

Psal. 41. nectuntur. Abyssus abyssum inuocat, & vnum peccatum aliud trahit: & parua scintilla montē incendit, & ex paruis occasionibus maxima mala nascūtur. Solet etiam fieri, si locum prauæ cogitationi in tuo corde dederis, vel iocosæ confabulationi, paulatim ad iurgia & inimicitias peruenias, & multoties ad mortem & interitū. Herodes denique multa mala fecit, & vxorem fratri suo abstulit, & super omnia hæc dicit Euangelista, quòd adiecit ad hæc. Et quid adiecit ad mala pristina? *Et inclusit Ioannem in carcerem.* Scelera sua omnia hoc vno absoluit, cōprehendens sanctiorem virum, & iustiorē quo neminem in terris reperires, præter Christū & sanctissimam ipsius matrē. Non colliguntur de spinis vuæ nec de tribulis ficus: nec à simili homine sceleratissimo alius meliùs sperari poterat. Quomodo cunque malum tractaueris, semper deteriorem partem reportabis: nec bonus & iustus ab impio & obstinato peccatore alia maiora beneficia sibi cōparabit. Ideò Esaias ait, Ne formides à duabus caudis titionum fumigantium. Mali titionibus cōparantur. Caudas appellat extremitates torriūm in quibus est ignis. Vide quòd qui peccatores sunt & principes superbia ac tyrāni titionibus similes sunt non lucentibus, sed fumigantibus. Econtra boni lucentes, lux mūdi sunt: sed iniquus torris est, nullū splendorem emittēs, sed cōburens, exulcerās, fumigans, oculos grauās, & ad lachrymas prouocās, nigredinem efficiens, & totam cōgregationem hominum dissipans. Et dicit, ex vtraque parte fumigans: quoniam ex nulla parte eum accipies, quin comburaris. Si eum mones, & corripis, persequitur te: si laudas, & adulationib. fallis, te ipsum perdis. Nullum est his medium: nec aliquid maioris emolumēti, ab eis capies, quàm id quod Ioannes Baptista. In deserto feræ nec animantia bruta in nihilo virum sanctum lædebāt. At hic inferni torris nullum habuit suæ sanctitati respectū, nec mirabili eius doctrinæ: sed tanquam latronē aut homicidam in carcerem illum coniecit. Ex qua doctrina prospicere attentè debes quæ viscera charitatis, & benignitatis Deus habeat, tā erga pios & sanctos: quàm erga iniquos, & prauos peccatores. Nam Ioannes præcursor domini, vox verbi, angelus missus ante faciem suam, in carcerem coniicitur: & quod magis est propter rem ridiculam caput amputauerūt. Herodes filius perditionis, studet deliciis, & lætatur. Quis iudicabit bonis benè esse, malis autem malè, cùm contrarium prorsus videatur? Hinc igitur impij accipiunt occasionem ac in sua malitia roborātur, sicut olim Israelitæ dicentes, Bene nobis erat cum seruiremus militiæ cœli, ideò nō audiemus vocem tuam. Item illud, Recede à nobis. Quid enim prodest nobis si adorauerimus eum? Itémque illud Malachiæ, Vanus est qui seruit Deo. Verùm non te moueāt hæc. Certū est enim Deum odire peccatores, etiam si omnibus mundi bonis perfruantur: & ecōtra diligit bonos, etiā si omnibus malis eos subiiciat. Hic necesse est, vt rem hanc oculi fidei attentissimè introspiciant. Sed vt clarè hoc appareat Ioannem cum Herode conferamus. Dic igitur cui eorum melius erat? Herodi an Ioāni? Profectò si rem benè inspicis Ioāni etiam in carcere vincto. Ioānes quanuis vinctus securus erat, nec regem timebat. At Herodes licet liber esset Ioannem timebat. Item Herodes diuitias habebat, sed non satietatem: tamen Ioannes nihil horum possidens cōtentus erat, nihil amplius

Matth. 7. *Esai. 7.* *Ierem. 44.* *Iob. 21.* *Malac. 3.* *Collatio Ioānis cum Herode.*

quærens. Solet enim Deus aliis tribuere dona, aliis fructum donorum. Vnde Iob. Si cōportauerit impius quasi puluerem argentum ipse congregabit, sed innocēti diuidetur. Deinde quid malefecit Herodes? Coniecit illum in carcerem. At Ioanni totus mundus carcer erat. Coniecit in tenebras, cui priùs exosa erat externa illa lux. Abstulit vitam: sed hanc ipse despiciebat, & mundo mortuus erat, cupiens dissolui, & esse cum Christo. Tertiò, Quis eorū fortior fuit? Vtique Ioannes. Vinxit illum Herodes, sed non potuit ligāre linguam: abstulit vitam, sed non potuit auferre iustitiam, fidem, nec Deum ipsum. Quartò, Quis eorum nunc melius habet? Ioannes certè: nec eum sequuta est semper aduersitas, nec Herodem prosperitas. Ioannes modico tēpore tribulatus, quiescit in æternū: Herodes modico tempore gauisus, tristatur in æternum. Etenim impius cùm moritur, non secum rapit opes. Nihil hinc auferre licet nisi quòd iustitia aut peccato rapitur. Pius in gratia discedēs, omnia Christi bona secum rapit. Abūde igitur diues est, qui cum Christo pauper est, nec penuriā timere potest. Sed impius cum suo peccato omnia diaboli mala secum affert, & sic omnium miserrimus est. Vides ergo quàm aptè dictum sit quòd impiis non benè sit: nec piis malè in hac vita: hoc autem caro nō cognoscit. ¶ Herodes timebat Ioannem, vt Marcus ait: at Ioannes non timebat Herodem. Dignum equidem consideratione est quantū mali, bonos timeant. Nulla est columba quæ sic adeò accipitrem pertimescat, nec ouis aut agnus lupum: vt iniquus, & peccator iustū. Videtur enim bonus dominiū quoddam & imperium habere super malos: quod quidem quotidie experimento videmus. Decreuit Ionathas, & socius eius inimicos inuadere, & vt in castra vbi inimici erant transirent, ascendit per scopulos: at cùm caput erexit, & cùm Philistæi Dei inimici faciem Ionathę viderunt (vt inquit scriptura) solo illius aspectu ferè mortui sunt. Videntes faciem Ionathæ alij cadebāt ante pedes eius, &c. Etenim rectè nouerunt mali, quantū valent & possint boni coram Deo, ita vt si ignem petant à cœlo descēdere aduersus eos, statim dominus cōcedet, vt fecit Helias. Quod si petierint vt terra apperiatur, & malos deuoret: vtique faciet dominus: vt concessit Mosi, vt deuoraret Dathan & Abyron. At si pluuias petunt, de cœlo descendent: si autem sterilitatem ob nostra peccata, id etiā fiet. Sic timebat Saul Dauidem: & Herodes Ioannem: licet in vinculis esset coniectus. ¶ Iam igitur vides quomodo boni etiam si pauperes & egeni sunt, & humano destituti auxilio: nihilominus fœliciores, & beatiores sunt, quàm impij. Nunc autem operæ erit, pretium, vt Ioānis honorem in carcere retenti restauremus. Nam si tu videres quòd mādato regio aliquis homo qui ab omnibus iustus, & sanctus iudicabatur in carcerem detruditur: nonne scandalizaberis? semper pro iustitia benè præsumendū est: dum autem nobis non contrarium cōstiterit, semper iustitiam benefacere, iudicādum est. Aspice igitur nunc beatum Baptistam in carcere deuinctum, & ipsius famā & honorem magnum detrimentum pati. Opus igitur est, siquidem iniustè, & immeritò iniuriā patitur, & in carcere deuincitur, vt innocētiam suā, & synceritatē probet. Ioannes igitur septē testes pro partibus suis adducit: & his probat rectū & iustum esse, & cōtra omne ius in carcere detineri. Primus testis venit præsentādus pro innocentia

Iob. 27. *Philip. 1.* *Psalm. 75.* *Mali metuūt bonos.* *Marc. 6.* *1. Reg. 14.* *4. Reg. 1.* *Num. 16.* *3. Reg 18.* *1. Reg. 18.* *Purgatio Ioannis.* *Testes innocentia S. Ioānis.*

Malach.3. Baptistæ. Propheta Malachias qui dicit de Ioanne Baptista. Ecce ego mitto angelum meum, qui, &c. Tanta est huius hominis puritas, & innocentia, vt meritò cum angelis conferatur. Secundus, & non *Psalm.84.* contemnendus testis est regius Propheta, qui considerans Ioannis sanctitatem in psalmo dixit, Iustitia ante eũ ambulabit, & ponet in via gressus suos. Tertius accedat testis angelus Gabriel qui dicit, *Luc.1.* Erit magnus coram domino. Quartus Zacharias pater eius, qui repletus spiritu sancto filio dixit, Tu puer propheta altissimi vocaberis. Quintus & non minoris authoritatis testis est vox populi qui dice- *Matt.11.* bat, Manus domini erat cum illo. Sextus ipsa veritas Christus redemptor noster qui ait, Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Septimus accedat testis ipsemet Herodes inimicus, & persequutor Ioannis: nullum quippe maius est signum veritatis, nisi quod à propriis inimicis profertur. Herodes inimicus Ioannis, iustitiæ, & veritatis, de ipsa veritate testimoniũ perhibet: nã de illo ait Marcus, Herodes metuebat Ioannem: sciebat *Marc.6.* illum virũ iustũ & sanctum. Et Herodes dixit etiam *Luca 9.* de Ioanne, Virtutes operãtur in eo. His testimoniis Ioannis sanctitas probabatur, & quòd iniustè ab Herode sit in carcere detentus. Et cùm ita hæc sese habeant, nihilominus Herodes Ioannẽ quem sciebat iustum esse in carcerem deiecit, & decollauit: quia eum de peccato arguebat. Periculis expositus regum status est. Nunquam ad eos ingreditur veritas, dum assentatoribus ab illis accessus datur: & accedit illis quòd his vsu venit qui in eminentiori aliqua turri positi, dum in terram inspiciunt attoniti tanto & tam magno hiatu inter iacente obstupescunt, & quasi extra suos sensus exeunt. Ij putant omnes illis debere, & reliquos homines quasi alterius generis animantia despiciunt. Quidquid volunt & cupiunt, nimis cupiunt: nec curant rectum *Dan.2.* sit, an iniquum quod postulãt. Vide qualem Nabuchodonosor habuerit insolentiam: qui sapientes omnes interfici iussit, quia somnium suum non diuinabant. Omnia volũt ad nutum & ex animi sententia fieri, etiam si sit contra fas vel nefas. Si alicui contradixeris morieris, sicut Ioannes Baptista.

Quare euangelista multa de Ioanne pauca de D. Virgine scripserunt. ¶ Sed his dimissis, vt ad alia properemus: hic obseruandum est, quòd multa de Ioanne Baptista scripserunt Euangelistæ, & plura quàm de virgine Maria. Nã licet de virgine, vt in superioribus vidimus, multa dicat noster Lucas, Marcus tamen nihil omnino dicit, Matthæus verò & Ioãnes paucissima. De Ioanne tamen omnes quatuor Euãgelistæ multa dixerunt. Scripserunt nanque cõceptionem, natiuitatem, vitam, prædicationem, mortem, & sepulturam. Ratio est, quia intentio Euangelistarum fuit narrare omnia gesta & dicta Christi, in quantũ illa sunt necessaria vel vtilia ad nostram salutem. Quia tamen interdum illa non possunt enarrari, nisi interponantur quædam pertinentia ad alios quatenus aliquo modo tangunt gesta Christi, oportet, vt de illis dicant, Nullius autem quantumcunque sanctissimus sit, gesta describuntur: nisi quatenus tangunt historiam Christi. Ideò de beata virgine quædam narrantur, quædam verò subticentur: narratur quomodo Christum concepit, & peperit. Cætera verò de beata virgine vt assumptio eius ad cœlos, & alia quæ ad Christi historiam nõ pertinent licet illa essent relatu dignissima, nullus euangelistarum tetigit: quia erat eis alienum, & præter intẽtionem eorum. De Ioanne etiam eodem modo dicendum est, quòd de eo Euangelistæ aliquid dixerunt non propter sanctitatem suam: sed in quantũ gesta eius pertinebãt ad Christum: & quia plura suorum gestorum ad Christum pertinebant, plura de eo scripserunt Euangelistæ. Sed satis digressi sumus: nunc autem ad contextum. *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus.* Iã hic clarè vides quomodo Euan- *Vid. Bed. in not.3 Luc. c. 10. tom.5.* gelista non seruat ordinẽ historiæ. Nam clarum est quòd id quod de baptismo dicit, non fuit post carcerem & vincula Baptistæ, sed anteà: quod sæpè nõ solũ Lucas, sed etiam alij Euangelistæ facere solent, ducti spiritu diuino. Sic etiam D. Augustinus sentire videtur quòd Iudas post Christi mortem laqueo se suspenderit, nam visis miraculis quæ in Christi *August. q. ex nouo test. q. 94.* morte fiebant compunctus est: nam antea nõ erant principes sacerdotum in tẽplo, vt daret illis pecunias: quia assistebant in Christi morte. Hoc autem Matthæus scribit ante Christi mortẽ. Ioãnes etiam *Matth.27. Ioan.11.* euangelista ait ante Lazari suscitationem Mariam vnxisse pedes Iesu: qđ accidit posteà: ante sex dies Paschæ. In Genesi quoque dixit Iacob Ioseph filio suo, Nunquid ego & mater tua adorabimus te su- *Genes.37.* per terram? Cùm ergo tunc esset viua Rachel, scriptura ante hoc in capite trigesimoquinto scribit mortem Rachel, quæ posteà fuit. Nam si cùm hæc dixit Iacob Iosepho mortua esset Rachel, non esset Ioseph filius senectutis, sed Beniamin. Et etiã quod habetur Exodi vigesimoquarto, Et venit Moses, & narrauit populo, omnia verba, ponenda sunt in fine capitis præcedentis, ante initium capitis vigesimiquarti. Nã post datas leges descẽdit Moses de monte, vbi cum domino fuerat. Plura alia scripturæ loca in medium adducere possem, nisi breuitati consulerem. ¶ Sed his dimissis obserua quòd licet Lu- *Omnis nõ vniuersos sed maiorem partem significat.* cas dicat quòd omnis populus baptizabatur à Ioãne: dictio, omnis, non pro omnibus nullo dempto accipienda est: sed pro maiori parte: nam certũ est aliquos nõ fuisse à Ioanne baptizatos. Vniuersales loquutiones in scriptura non ita vniuersaliter, vt litera sonat accipiẽdæ sunt, nec in rigore dialectico. Sic Esaias, Videbit omnis cãro quod os domini lo- *Esai.4.* quutũ est. Et Paulus sese omnibus omnia factũ esse *1.Cor.9.* prædicat, vt omnes lucrifaceret. Atque in alio loco ait, Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu *Philip.2.* Christi. Dominus etiã, Omnes qui ante me fuerũt, *Ioan.10.* fures fuerunt, & latrones. Nunquid fur fuit Dauid, Esaias, Ieremias, & Ioãnes Baptista? Absit. Loci isti & vniuersales loquutiones non de omnibus, sed de pluribus intelligendæ sunt. Ex quo patet quàm debile sit fundamentum eorum, qui probare volunt, beatam virginem conceptam in originali peccato ex illo Pauli Omnes in Adam peccauerunt. Ex opposito contra ipsos adduci potest illud quod Iaco- *Rom.5.* bus ait, Omnes in multis deficimus. Vbi Iacobus *Iaco.3.* de peccatis actualibus loquitur, quia pluraliter loquitur: peccatũ tamẽ originale vnum in vnoquoque tantum est. Si ergo omnes nullo excepto intelligendum est quod in multis delinquimus: cõcedere tenẽtur authoritate Iacobi conuicti quòd beata virgo habuerit multa peccata actualia. Et si dicant quod Iacobi dictũ interpretãdũ est excepta Dei para virgine: cur etiã & authoritas Pauli sic interpretãda nõ erit? Igitur Iacobus, & oẽs authoritates quas citauimus, excepta Pauli authoritate quę omnes includit dẽpta virgine intelligẽdę sunt, vt in plurimũ: nam multi excipiũtur ab illa generalitate. Iste etiã modus

modus loquendi frequens,& visitatus est apud nos. Nam si plures sequuntur aliquē egregium concionatorem dicere solemus. Omnes sequuntur illum: scilicet,maxima populi pars. Sic etiā omnis populus baptizabatur à Ioanne, id est, maxima populi multitudo: & maior populi pars veniebat ad Ioannem & baptizabatur ab eo. *Et Iesu baptizato*. Expende Christi bonitatē & humilitatem, nam Ioannes peccatores baptizabat,& prædicabat illis pœnitētiam:& Christus ac si peccator esset,inter multitudinem peccatorum baptizari voluit à Ioāne. In circuncisione tanquàm peccator circūcidi voluit: sed illam humilitatem coram paucis ostendit. Verū hic coram multitudine populorum tanquàm si peccator esset,nudari & baptizari voluit à seruo. Mercator vbi lucri spes affulget currit celeriter,& nihil in tentatum relinquit, quo citiùs vadat. Ita Christus vbi humilitatem assequi poterat, accelerat, & properat: vt hanc sibi spōsam copularet. Atque ita inter peccatores constitui voluit, vt vnus eorum,qui rex erat ecclesiæ. Voluit itaque dominus baptizari vt exemplum humilitatis præberet. Item nō vt sanctificaretur ab aquis:sed vt vim regeneratiuā aquis conferret. Item vt innotesceret Ioanni determinatè:nam quanuis sciret Ioānes Christum in mundo esse,tamen quia oculis corporeis illum nō viderat, nesciebat quis esset. Atque ideò posteà dixit, Ego nesciebam eum sed qui misit mē baptizare, ille mihi dixit,Super quē videris spiritum descendentem, & manētem super eum: hic est qui baptizat in spiritu sancto. Venit itaque Christus longo itinere à Galilæa vsq; in Iordanē vt baptizaretur: vt doceat nos, qua humilitate & reuerentia suscepturi simus ecclesiæ sacramenta, quādoquidem baptismū hunc (qui futuri vmbra,& imago erat) tanta humilitate Christus suscepit, à longinquo veniens. Nunc autem omnes volunt sacrum domi celebrare, vbi ludunt,comedunt,& bibunt. ¶ Quemadmodū Christus ad baptismum tendit, tu fac similiter. Nónne manifestissima esset infamia,quod vellet aliquis regem in domum suā venire ad cōuersandum? Tu teneris ad illum ire, ille autem ad te nequaquā tenetur. Nunc autem sacerdos iam est indutus sacris vestibus expectans te vt à lecto surgas,& manus & faciem laues: nonne hoc est Deum ad te venire,vt te inuisat & alloquatur? Ità Christus ad baptismū venit,iter à longe faciens tanquam alius quiuis particularis homo: vt intelligas qua reuerentia ecclesiæ sacramenta sint suscipienda. Ex ea autem humilitate qua baptismum suscipit,discere debes, quomodo in Ecclesia debeas esse. Nunc autem maximè deplorandum quanta irreuerētia multi sint in Ecclesia: magnas sedes secum ferunt,puluinos, & alia id genus superflua & vana. Aspice igitur Christū quomodo inter alios peccatores baptismū suscipit: tu verò sacramētū inter alios nō vis accipere: sed quia nobilis es (& insanus & amens potius quā nobilis) solus eucharistiæ sacramentum vis suscipere: quasi videat' tuæ authoritati aliquid derogari si cū aliis accedas ad tantum & tam ineffabile sacramentum. ¶ Aduerte autem quòd quemadmodum duo fortes & ad pugnā instructissimi homines ex auditis solū & fama se cognoscunt, desiderant tamē facie ad faciem se ipsos videre,& suarum viriū in cōgressū aliquo experimentū facere: ita duo hi potētissimi homines Christus, & beatus Ioānes de humilitate in hoc baptismo quasi certāt, quis eorū humilior appareat. Ioannes ait, Ego à te debeo baptizari,& tu venis ad me? Et rursus ait, Non sum dignus soluere corrigiam calceamēti. Sed Christus, Vis ne mecum de humilitate certare? Ad id quod dicis,tu venis ad me: dico quod ego veniam vt quærā te: & manum eam quam dicis nō esse dignam soluere corrigiam calceamentorum meorum super caput meum ponam in baptismo,&c. *Et orante*. Nullā Christus habebat necessitatem vt oraret: sed vt exēplum præberet, & simul doceret orationē nobis esse faciendam,post ablutionem peccatorum,& in statu gratiæ & nō in peccatis,in quo statu nullū opus meritorium vitæ æternæ fieri potest. Etenim habetur in Esaia dominum dixisse. Cū multiplicaueritis orationem non exaudiam. Et adiecit, Lauamini,mundi estote,auferte malū,&c. Secundò,orat Christus, vt scias post baptismum esse hominibus orandum vt introeāt cœlum. Quia licet per baptismum aperiatur cœlum, & detur nobis gratia & remittantur peccata: manet tamen fomes peccati nobiscum pugnans interiùs,& mūdus,& dæmones qui exteriùs apertissimum bellum aduersus nos gerunt: contra quos antidotus saluberrimus & necessarius est oratio. Sic beatus Petrus admonet dicens, Sobrij estote & vigilate,quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit,quærens,&c. Ideòque vigilate in orationibus? Nam vt Paulus ait, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinē,sed aduersus principes, & potestates tenebrarum harum. Sciendum autem est, antequam vltra progrediamur formam baptismi Ioannis esse, in nomine venturi, scilicet,Iesu Christi, vt in actis apostolorū habetur: sed hæc forma nō erat Christo cōueniens, ideoque incertū est sub qua forma illum baptizauerit. Cùm baptizaretur tamen,& oraret,ait noster Lucas,quòd *Apertum est cœlum*. Non realiter,sed secundum apparentiam: sicut alibi dicitur de tempore diei iudicij quod stellæ de cœlo cadent. Oportebat enim vt secūdum intellectum simplicium, quibus scriptura suas loquutiones accōmodat,vt possint intelligere,vt exiret columba illa,& crederetur illa vox de cœlo venire,vt diceretur cœlū apertum fuisse. Ideò sæpè in scriptura dicitur Deum habere pedes,& manus: cùm nihil horū habeat. Et iste modus de apertione cœli est satis vulgatus in scriptura. Sic in Genesi dicitur, Cataractę cœli apertę sunt, & facta est pluuia magna. Et in Deuteronomio, Aperiet dominus thesaurum suum optimum, cælum,vt tribuat pluuiā terræ tempore suo. In quarto quoque volumine regum scriptum est quod cùm diceret Heliseus sequenti die futuram esse abundātiam panis in Samaria,respondit quidam,Si dominus fecerit cataractas in cœlo, non esse poterit quod loqueris. Sed ista visio de apertione cœli fuit corporaliter, licet nō aperirētur cœli realiter: tamen videbatur hominibus quòd aperirentur realiter propter aliquem motum vel figuram factā in nubibus. Nā naturaliter & sæpè hoc fit,& vocantur tales impressiones hiatus. Hanc autem apertionē nō solùm Christus,sed omnes qui illic aderāt quando Christus baptizatus est,viderunt: nam aliàs frustrà cœli aperirentur,quia apertio facta fuit, vt illic astantes aliquid noui possēt cognoscere. Voluit tamē Deus vt in baptismo cœli aperirentur: primò vt ostēderet quòd virtus cœlestis descēdebat de cœlo ad baptismum sanctificandū, & super quēcunq; baptizatū. Secūdò,quia in baptismo ꝓfitemur fidē, & baptis-

Marginalia (left column): *Quare Christus baptizari voluit.* — *Vide Ambr. lib. 2. in Luc. tom. 3.* — *Ioan. 1.* — *Matth. 3.*

Marginalia (right column): *Ioan. 1.* — *Esai. 1.* — *1. Pet. 5.* — *Ephe. 6.* — *Act. 19.* — *Apertio ista cœli visibilis non tamē realis.* — *Matth. 24.* — *Psalm. 109.* — *Genes. 7.* — *Deut. 28.* — *4 Reg. 7.* — *Quarè aperti sunt cœli vide Bedā in hunc textum.*

mus fidei sacramentum dicitur: per fidem autē inspicimus cœlestia quę sensum & rationē humanam excedūt. Ideóque cœlum apertum est, quia in baptismo fides nobis datur, per quam cœlestia cognoscimus: quæ sine fide per humanam rationē cognosci nō poterant. Tertiò, quia per baptismum datur nobis introitus ad regnum cœleste, quod per peccatum clausum fuerat. Præterea quemadmodū primi hominis superbia cœlum clausit: sic Christi humilitas illud aperuit, & aditum ad id nobis patefecit. ¶ Obserua etiam quòd hic cœlum aperiri dicitur, non tamen in Christi passione, in qua apertum fuit cœlum & tenebris obscuratum: cum reuera in Christi passione omnibus nobis apertum sit, & latroni patuit, cui Christus dixit, Hodie mecum eris in paradiso. Tunc enim ita fuit apertum & anteà sic erat clausum, vt neque Ioanni Baptistæ ad illud ingressus esset. Multò meliùs in passione cœli aperiēdi erant, quàm in baptismo. Sed audi, Quātum fuit ex merito Christi tunc in baptismo cæli patuerūt: tantum enim fuit meritum illud, & tanta humilitas in hoc baptismo, vt vix pater potuerit se cohibere, quin cœlos aperiret Christo se aquis immergente. Sed in die crucis cœli non mōstrantur aperti, quia dies illa fuit dies iræ, dies vltionis domini, qua vindictā sumpsit de peccatis nostris in filio suo. Ita in Esaia, Dies vltionis, dies redēptionis dicitur. Item in cruce corpus Christi, quod quidem præstantiùs erat cœlo rumpitur, & aperitur: ideò ne quæras alterius cœli apertionem. Vbi maiora aperiuntur, nō est necesse vt minora aperiantur. *Et descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* Ex quo patet quod non fuit vera columba, quia species nō accipitur hic pro natura specifica, sed pro similitudine alicuius rei. Ex quo innuitur, quod nō erat illud corpus verum quod ostendebatur, sed species illius: id est, similitudo. Sicut non dicimus quod Christus venit ad nos specie corporea, sed quod venit in corpore. Sic si spiritus sanctus apparuisset in vera columba, sicut Christus in verò corpore: non diceretur quòd descendisset in corporali specie, sed quod descēdit in corpore vel corporaliter. Etenim angelus aliquis assumpsit illam similitudinem columbæ cōflatam ex aere, non descendens de cœlo, sed de aliqua parte altissima aeris, & mouit illā vsque ad Christum: & ob hoc putabatur ex cœlo descēdisse, quæ peracto suo munere in eam abiit materiam, ex qua fuerat cōposita. Deus enim immutabilis, & incircunscriptibilis nō mouetur, neque descēdit, dicitur tamē quòd spiritus sanctus descēdit, quia illa species columbæ seu similitudo spiritum sanctū repræsentans verè descendit, significādo spiritum sanctū descendere super Christū: qui tamen nō descendebat, quia in Christo realiter erat. ¶ Obserua autē quod spiritus sanctus super apostolos in linguis igneis venit, quia venit illuminare apostolos, & purgare eorum peccata: sed super Christū in columbæ specie descēdit, vt Christi innocētiam demonstraret. In cuius rei typum scriptum habetur in Genesi, quòd columba post diluuium attulit virentis oliuæ ramū: per quam intelligitur innocētia mansuetudinis cum gratia vnctionis. Venit inquā spiritus sanctus non vt gratiā Christo daret, qui ad plenitudinē acceperat, sed ad manifestādum dignitatē, excellentiā & gloriā Christi. Et quia tunc magis peccatoribus se accōmodabat, decuit eius innocentiam, & sanctitatē ostendi per colūbæ descēsum. Præterea in colūbæ specie spiritus sanctus super Christum apparere voluit: quia nō venit, vt peccata per zelum percuteret, sed vt per māsuetudinē tolleraret. Vnde ipse Ioanni & Iacobo volentibus Samaritanos incendere, dixit, Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Rursus hìc ostenditur quales animas amat, qualésq; reddit spiritus ille cœlestis. Nihil columba simpliciùs, aut a pugna raptúque alienus: tales amat talésque spiritus mansuetudinis facit: hoc est modestos, mites, & mansuetos, &c. Denique, vt cōcludam, columba nō venit ad hominē, nisi cùm est ipsi homini familiaris, domestica, & amica. Ita venit spiritus sanctus ad nos, vt familiaris, vt domesticus, & vt amicus. O rem inauditam! Deus homini se familiarem præstat, vt familiaris est columba, quæ ad hominis manus sine vllo metu accedit. Credo certissimè hoc voluisse dominum per columbæ in se aduētum indicare, quod spiritus sanctus olim antiquis hominibus erat velut ferus, velut intractabilis: sed per Christū factus est hominibus amicus. Itā vt sicut inter domesticas opes habent homines suas columbas: ita nunc homines inter domesticas sibi diuitias spiritum sanctum habere se putent. O vere diuitem, qui Deum possidet. Et quidem colūba fœcundissima est: non tamē sibi, sed domino suo parit. Ita spiritus sanctus in nobis fœcūdissimus est, quia fœcundos nos reddit: eā tamē fœcunditatē, nō in suā, sed in nostrā vult cedere vtilitatē. Ex quibus habes Christiani hominis mores, colūbini sunt, mites, atque fœcundi. Sed de his satis. *Et vox de cœlo facta est.* Hæc vox non fuit formata à patre, nec ab aliqua diuina persona. Deus etenim nō pōt aliquā vocē formare, quia Deus nihil potest facere cū successione: formare tñ vocē fieri nō pōt nisi cū successione, quia vox est quidam sonus cōtinuus, & quādiu durat iste sonus oportet ꝓvocās actualiter impellat & frangat aerē ad formationē vocis, & sic est actio cum successione, quodquidē Deo nō cōuenit. Quapropter hæc vox formata fuit ab aliquo angelo, qui potest formare voces in corpore assumpto, vt patet de angelo Gabriele, qui verè loquutus est beatæ virgini Marię, & de multis aliis. Cōuenit autē hoc angelis, quia ipsi sunt Dei ministri, vt Psal. ait, & Paul. etiā ad Hebræos. Et quia ea quæ quis facit p ministrū suū, dicitur, quod ipse facit: sic quia angelus formauit istā vocē loco patris, dicitur patrē loquutū fuisse. Sic in scriptura dicitur, quòd Salomon ædificauit tēplum domino: tamē ipse nihil laboris contulit, sed ministri eius. Qui modus loquēdi frequēs est, & vsitatus in scriptura, quia multoties dicitur quòd dominus fuit loquutus Abrahæ, & Iacob & Mosi, & Dauid, & aliis: & erat angelus qui loquebatur eis, vt beatus Stephanus dicit in Actis, & Paul. ad Galatas. Quia ille angelus loquebatur loco Dei & vices illius gerebat: in illo actu dicitᷣ quòd Deus loquebatur. Sic ista vox formata fuit ab angelo in aere propinquo iuxta Christum. Dicitur hæc vox facta de cœlis, non quod de cœlo venerit, sed quia venit de aere. Aer enim in scriptura cœlum dicitur, sicut infra noster Lucas ait de semine illo, quod cecidit secus viam, quod volucres cœli comederunt. Sed quid hæc vox dixit, audiamus. *Tu es filius meus dilectus.* Consubstantialis, coæternus, naturalis, & vnicus. Dilectus inquā, quia quatenus Deus illum diligo amore infinito, & æterno, sicut me ipsum. Secundū verò humanitatē assumptā diligo eū magis quam

Marginal notes: *Quare cœli nō aperti in passione Christi.* — *Luc. 23.* — *Esai. 63.* — *Columba spiritū sanctum repræsētabat.* — *Act. 2.* — *Spiritus sanctus super Christū venit in columbæ specie: super apostolos verò in linguis igneis.* — *Genes. 8.* — *Aug. 15 de Trinit. ca. 26.* — *Luc. 9.* — *Vox quid.* — *Psal. 103.* — *Hebre. 1.* — *1. Reg. 6.* — *2. Par. 2.* — *Act. 7.* — *Galat. 3.* — *Luc. 8.*

quā totum vniuersum: quoniā maius bonū côtuli illi soli, quā totis creaturis simul, népe personalem vnionē cū verbo, & gratiā sine mensura. *In te cōplacui mihi.* Id est, in quo volūtas mea implebitur, quātum ad reparationē generis humani: propter quod saluator ipse ait, Quæ placita sunt ei, facio semper.
Ioan. 7. Si enim lætatur Deus in operibus suis, & si bene-
Psal. 103. placitū est domino in populo suo: quantò magis in filio suo vnigenito delectabitur, & complacebit: in quo nihil dissimilitudinis, nihil contrarietatis, nihil deniq; mali inuenitur? Demū secundū diuinitatem Christi cōplacet sibi pater in filio cōplacentia infinita: secundū verò humanitatē assumptā habet in eo cōplacentiā singularē tanquā in filio obedien-
Esai. 42. tissimo. Hoc est, quod p Esaiā pater loquitur Christo, dicēs, Ecce puer meus suscipiā eū, electus meus cōplacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritū meum super eum. Bonitas etiā diuini amoris notatur, cùm ait, In quo mihi cōplacui. Sunt enim sæpè in nobis cōplacentiæ voluntatis nō secundū rationē, ideoq; non bonæ: Deus verò quodcunq; vult, illud est bonum, quippe eius voluntas omnimoda ratione abundat, & cuius ratio bona semper quærit. ¶ Per-
Genes. 22. pende autē quod sæpè in scriptura præteritū ponitur pro præsenti: vt hic cōplacui, habetur pro complaceo. Et tolle filiū tuum quē dilexisti, vt est in Hebræo, habetur pro diligis. Est etiā pulcherrimū exēplum in Ioanne, cū Christus dixit Mariæ Magdale-
Ioan. 20. næ, Noli me tangere, nondū enim ascendi ad patrē meū. Ascendi pro ascendo ponitur, hoc est, quadraginta dies apud vos cōmoraturus sum: & ideò ne sis in me tangendo occupata: sed propera, curre, & annuncia discipulis meis, præcipuè Petro, me iam à
Matth 28 mortuis surrexisse. Alioquin nūquā se tangi à Mag-
Amb. li. de dalena prohibuisset, qui libēter se posteà tangi per-
Abrah. c. 8. misit à Magdalena, & aliis mulierib. Lege Ambr.

¶ Porrò Matt. dixit, Hic est filius meus dilectus: sed Luc. ait, Tu es filius meus dilectus. Ad eandem sententiā explicādā valet. Vox etenim cœlestis vnū horum dixit: sed Matth. ostendere voluit, ad id valere verba, quæ dicta sunt, vt illis potiùs qui audiebāt indicaretur, quod ipse esset filius Dei. Non enim Christo indicabatur, quod ipse iam rectè nouerat: sed vt qui aderant, audirent: propter quos facta est hæc vox. Præterea vox patris solum Christum designat, & de illo dicit, Hic est filius meus dilectus, vt hoc veluti maximo testimonio & solatio confir-
Mat. 17. mati, illi crederemus, neque dubitaremus omnem
Quare hæc nostrā spem in illo collocare. ¶ Obserua quòd hæc
vox bina vice vox patris & sub his verbis in baptismo tantū, & in
auditur. Christi transfiguratione audita est. In baptismo facta est ad significandū, quod in baptismo efficitur homo filius Dei adoptiuus. Adoptio autē filiorum Dei, quæ est per quandā conformitatē imaginis ad filiū Dei naturalē, fit per gratiā in hoc sæculo, quæ est cōformitas imperfecta, & per gloriā in alio sæculo, quæ erit perfecta: Iuxta illud Ioannis, Nunc filij
1. Ioan. 3. Dei sumus, & nondū apparuit quid erimus. Scimus nanq; quod cùm apparuerit similes ei erimus, quoniā videbimus eū sicuti est. Igitur quia gratiā consequimur in baptismo, & in transfiguratione claritatem gloriæ: ideò tantùm in baptismo, & in trāsfiguratione demōstratur Christi filiatio, & auditum est, hic est filius meus dilectus. ¶ Ad nostram autem eruditionē hic diligenter obseruandū est, ꝙ Christus in hoc baptismo, vbi tātam ostēdit humilitatē, & rerū mundanarū cōtemptū, vocē patris audiuit, & spiritus sanctus in specie colūbæ apparuit: ita vt à patre simul & spiritu sancto honoratus & exaltatus fuerit. Vbi clarè & manifestè docemur, ꝙ si honoribus & gloriæ studemus, vt illos faciliùs assequamur, operæ pretiū est eos contemnere & fugere. In hac tanta animi humilitate & abiectione, vox patris audita est dicēs, Hic est filius meus dilectus. Ac si diceret, Hic nō est peccator, vt vos putatis: sed filius est Dei. Colūba quæ sine felle est, ostēdit quòd hic humilis Iesus caret felle peccati. Vides iam quo modo per eā viā, quā accepit vt honorē contemneret, per eandē illum inuenit. Hoc idē Christus cōsequutus fuit in quocunq; negotio & re suscepta in vita sua: nā vbicunq; seipsum magis humiliauit, ibi *Luc. 2.*
maiorē gloriā fuit adeptus. Nascitur in stabulo, tūcque laudatur ab angelis & canunt. Cū tanquā peccator circunciditur, statim ibi imponitur illi nomē Iesus, hoc est Saluator. Morit in cruce tanquā sceleratus inter duos latrones, ibiq; gloriā suā Deus ostēdit obscurās cœlū, solē, & stellas: & Centurio illum *Matt. 27.*
glorificauit & magnificauit. Hic autē cum tāquam peccator baptizaretur: à patre filius Dei vocatur, & extollitur. Vt hinc discant omnes qui membra Dei sunt hac via cōtemptus & humilitatis incedere, vt inde immortale sibi nomen & gloriā cōsequantur.
Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta. Habe- *Ætas Christi.*
bat viginti nouē annos & tredecim dies, quia sexta
die Ianuarij in eadē die, qua Magi venerūt ab Oriē- *Matth. 2.*
te adorare Christū: baptizatus est à Ioāne in Iordanis flumine. Hæc enim est ætas pfecta in qua homo probus vel improbus cognoscitur. Ideoq; filij Ger- *Num. 4.*
son nō nisi ab annis triginta vsque ad quadraginta numerabātur. Sed iā ad Christi Genealog. deueniamus. *Et putabatur filius Ioseph: qui fuit Heli, qui fuit Mattath, qui fuit Leui &c.* Qui. s. Ioseph fuit fili' Heli, qui Heli fuit filius Mattath: q Mattath fuit filius Leui: & sic deinceps de omnib. aliis loquēdum est vsque in finē. Hic describit Lucas Christi genealogiā incipiens ab inferiori ad superiorē scilicet à Ioseph & finem faciēs in Deo patre. Sed antequā de hac genea- *Quæstio.*
logia discutiamus operæpretiū est scire, cur Lucas, & Matt. etiā scribunt Christi genealogiā cum Paul. contrarium doceat: ait enim Thimot. scribens. Rogaui te vt maneres Ephesi cū irē in Macedoniā, vt *1. Tim. 1.*
denunciares quibusdā, ne intenderēt fabulis & genealogiis. Tito etiā ait, Stultas aūt quæstiōes & ge- *Tit. 3.*
nealogias deuita: sunt enim inutiles & vanæ. Si igi- *Responsio.*
tur hoc ita se habet, estq; vanitas & amentia de genere & stirpe agere: quare euangelista noster ita serio genealogiā Christi narrat? Nulla est cōtradictio inter D. Lucā & Paulū: quādoquidem vterq; diuino afflatus spiritu scripserunt. Sed ad hæc respōdetur ꝙ inter Iudæos multæ erāt quæstiōes & dissidia de genere & sanguine: alij nāq; gloriabātur à Mose descendere, alij à Iosue, alij à Caleb: & super hac re magna erat disceptatio. Quapropter Paulus tantis dissidiis voluit esse obstaculum. At verò opus erat facto, vt euangelista Christi genealogiā scriberet, vt ostēderet Iudæis, ꝙ Iesus erat Messias promissus in *Descriptio genealogiæ Christi necessaria.*
lege, descendens ab Abrahā, & à domo Dauid: nam aliter nō illū, vt Messiā & Christū accepissent. Necessariū erat fidei nostræ, vt videremus hunc fuisse Christū promissum patribus veteris testamēti, & ꝙ secundum carnē erat filius Dauid & Abrahā. Ideoque aduerte, quod cū in Genesi Deus dixisset, subuersurū esse cunctū orbē aquis diluuij, nunquā pro hominibus Deū orauit Noe. At verò ē contra Mo-

Genes. 6. ses eùm dixisset illi dominus, populú Israeliticum velle subuertere, magnis precibus & orationibus *Exod. 32.* ad Deum factis pro populo rogauit dicens, Parce populo, aut dele me de libro vitæ. Quare igitur Moses Deum orauit pro populo, & nó Noë? Maior nanque fuit iactura tempore Noë, quandoquidem omne genus humanum obruebatur, exceptis octo hominibus. At tempore Mosi non nisi Israël perdebatur. Nihilominus orauit Moses & non Noë, nam tempore Noë non erat promissio Christi facta, vt tempore Mosi. Promiserat dominus Abrahæ ex generatione sua venturum Christum, videbat autem *Genes. 12. & 15.* Moses in illo populo esse omnem generationem Abrahæ, ex qua nasciturus erat Christus: at si ille populus destrueretur diuina promissio non adimpleretur, quodquidem inconueniens erat, & vt malum hoc vitaret, orabat Moses tanta instantia, hoc promissum in memoriá repetens, dicens, Recordare Abrahá, Isaac, Israel seruorum tuorú, quibus iurasti per temetipsum dicens, Multiplicabo, &c. Hac igitur de causa cú deceret vt dominus verbú suum adimpleret: tanta cura & diligentia hanc genealogiá scribit vt ostendat Deú veracem esse in promissionibus suis: & Christú esse filiú Abrahę, & Dauid & reliquorum patrú, quibus factú fuit promissum. *Genealogia Christi continet 76. personas.* Sed iá Christi genealogiá consideremus. ¶ Tota genealogia computato Christo & Deo continet septuaginta sex personas secundú generationes quinque ætatú ordine inuerso procedédo. Quintæ ætatis finis est Christus & primus Salatiel post tráſmigrationem Babylonis. Generationis quartæ ætatis finis est Salatiel in transmigratione Babylonis, & principium Dauid. Generationis tertiæ ætatis finis est Dauid, principiú tamen Abrahá. Generationis secundæ ætatis finis est Abrahá: & principiú Noë. Generationis primæ ætatis finis est Noë, & principium Adam. Christi autem genealogiá duo euágelistæ scripserunt: Matthęus videlicet & Lucas. Matthæus enim ad eos, qui ex circuncisione erant scribens non altiùs quàm ad Abraham genealogiá deduxit: sed hoc principio sumpto vsque ad Christú descendens, ostendit solú quòd ex semine Abrahæ & Dauid natus esset secúdum promissa ad illos facta. Nihil enim æquè eos delectabat, qui ex Iudæis crediderant, atque audire quòd ex semine Abrahæ & Dauid natus esset Christus. Lucas verò perfectá tradit generationem, incipiens à Christo, vsque ad Adam ascendens, vt demonstraret quot generationibus separatus sit nouus Adam à veteri, & super quot generationes dominiú habuerit peccatú. Differentia igitur rerú demonstratarú, differentiá fecit demóstrantiú. Siquidé Matthæus necessariò faciés mentionem Abrahæ, ab hoc meritò descendit ad Christú: cuius genealogia describitur. Lucas verò qui ad huiusmodi necessitatem mentionis Abrahæ faciendæ, nó inducebatur necessariò, à Christo inchoans erat apud Hebræos consuetú quod diligéter exquisiuit: & iuxta id quod exquisierat, genealogiá contexuit. Matthæus scripsit Hebræis, quorú affectibus sciebat fore gratissimum, si perspexissent Christú esse filiú Abrahæ & Dauid. Lucas autem, quia gétibus scripsit ab Adá vsque ad Christú protendit genealogiæ seriem: vt intelligas Christi gratiam nó ad Iudæos solú, sed ad vniuersum mortaliú genus peruenisse. ¶ Præterea Matthęus descédédo, & Lucas ascédendo narrant Christi genealogiam: quia natura est principiú propagandi, & gratia reducendi. Matthæus ab exordio incipit: & Lucas ab anno trigesimo: quia ille tractat de exordio nascendi, hic verò reconciliandi. Matthæus à principio, Lucas à baptismo: quia ille generationem, hic verò regenerationé, præcipuè attendit. Matthæus vsque ad Abrahá. & Lucas vsque ad Deum describit: quia ille naturam scribit, iste gratiam, quæ filios sanctificat. Tractat igitur Matthæus de Christi generatione prout descendit ad nos: Lucas tamen de Christi generatione quodammodo speciali, prout per eam ad Deú ascédimus. Ideo incipit post Christi baptismum, quia in baptismo spiritualiter regeneramur, talis auté regeneratio fit per gratiá ascendédo. Ideò Matth. ponit aliquas mulieres vt Thamar, Ruth, Bersabe, Raab, quia carnalem Christi ad nos descensum determinat, in quo mulieres concurrunt. Lucas autem nullá mulierem describit, quia de generatione tractat, per quá ad Deú ascédimus: quem ascensum mulieres impediunt, potiùs quá iuuant.

¶ Deinde aduertendum quòd in hac genealogia non ponuntur primogeniti Adam Abrahá, Isaac, & Iacob: sed secúdogeniti Abrahę & Isaac: quia Israel reprobandus erat, quia erat primogenitus. Vnde dominus dixit Mosi in Madian, vt diceret Pharaoni, Hæc dicit dominus, Filius meus primogenitus Israel. Fuit populus Iudaïcus adumbratus in Caino, Ismaele, & Esau primogenitis. Gétilicus verò in Abrahá, Isaac, & Iacob secundogenitis. Reprobádus erat Israel in sua perfidia manés: gentilicus verò eligendus. Quotquot auté receperút eum, dedit: *Ioan. 1.* eis potestatem filios Dei fieri. Ideò Isaac dixit primogenito Esau, Fratri tuo seruies. Futurum erat, vt *Genes. 27.* populus Israel primogenitus seruiret gentilico, vt nunc videmus. Sed de his hactenus. ¶ Igitur omnibus his omissis, vt hæc genealogia integrè & perfectè cognosci & capi possit: sub breui epilogo eam describere placuit, in tui gratiá & claritatem, & in euangelistarum concordiam. Priùs ergo secundum Lucam ab Adam vsque ad Abraham singulas generationes scribemus, in quibus nulla vel parua difficultas inuenitur: vt in subiecto indice patebit.

¶ Devs creauit Adam.	Genes. 1.
1 Adam genuit Seth.	
2 Seth genuit Enos.	
3 Enos genuit Cainam.	
4 Cainam genuit Malaleel.	
5 Malaleel genuit Iared.	
6 Iared genuit Enoch.	Gen. 5. &
7 Enoch genuit Mathusalem.	1. Para. 1.
8 Mathusalem genuit Lamech.	
9 Lamech genuit Noë.	Gen. 1. &
10 Noë genuit Sem.	1. Paral. 1.
11 Sem genuit Arphaxat.	

12 Arphaxat genuit Cainam, Cainam genuit Sale, qui cognominatus est Cainam: idem enim est post diluuium Sale & Cainam, quanuis aliqui putauerunt vt August. 16. de ciuita. Dei c. 10. Duos fuisse viros, quia sic inuenit in codicibus Græcis quibus vtebatur Augustinus vbi superfluè ponitur Cainam, & putantes duos esse viros aliqui errauerunt.
13 Sale, qui cognominat' est Cainá, genuit Heber.
14 Heber genuit Phalech.
15 Phalech genuit Rheu vel Ragau.
16 Rheu genuit Saruch.
17 Saruch genuit Nachor.
18 Nachor genuit Thare.
19 Thare genuit Abraham.

¶ *Secundum*

¶ Secundum Lucam, & Matthaeum simul sequentes generationes vsque ad Dauid inclusiuè, nullam dissonantiam pratendunt.

20 Abraham genuit Isaac.
21 Isaac genuit Iacob.
22 Iacob genuit Iudam.
23 Iudas genuit Phares.
24 Phares genuit Esron.
25 Esron genuit Aram.
26 Aram genuit Aminadab.
27 Aminadab genuit Naason.
28 Naason genuit Salmon.
29 Salmon genuit Booz.
30 Booz genuit Obeth.
31 Obeth genuit Iesse.
32 Iesse siue Isai genuit Dauid.

Rut. 4. & 1. Para. 2.

33 Dauid Rex genuit Nathan & Salomonem ex Bersabee.

Vtrunque, Hic enim Nathan ex cuius linea sequitur Lucas genealogiam diuertens Lucas à Matthæo: multi putauerunt fuisse illum sanctum prophetam Nathan, quem ob sanctitatem adoptauit Dauid in filium: quod falsissimum est. Nam Nathan filius fuit legitimus Dauid & frater Salomonis ex eadem matre genitus: vt habetur in primo libro Paralipomen. capit. 3. Ad huius Nathan posteritatem regnum pertinebat ex adiecto Dauid quando Salomonis stirps defecisset: quod colligi potest ex 3. Reg. capit. 4. vbi Nathan Ahisar institutus dicitur, hoc est, regiæ stirpis instaurator. Nunc sequitur Lucas lineam Nathan, & Matthæus lineam Salomonis.

Regni successores.

34 Nathan. 2. Reg. 15. & 1. Par. 3.
35 Mathat, qui & Abiasar. 3. Reg. 4.
36 Menna.
37 Melcha.
38 Heliachin.
39 Ionas.
40 Ioseph.
41 Iudas.

Ex Luca, & Philone.

Reges ex successione.

42 Simeon qui & Ioas, & Heli. 4. Reg. 11.
43 Leui qui & Amasias. 4. Reg. 14.
44 Mathat, qui Azarias & Ozias. 4. Reg. 15.
45 Iorim, qui & Ioathan. 4. Reg. 15.
46 Eliezer, qui & Achaz 4. Reg. 16.
47 Iesus, qui Ezechias. 4. Reg. 18.
48 Her, qui & Manasses. 4. Reg. 21.
49 Helmadam, qui & Amon. 4. Reg. 21.
50 Thosan, qui & Iosias. 4. Reg. 22.
51 Addi, qui & Ioachaz. 4. Reg. 23.
52 Melchi, qui & Ioakim, vel Eliachim. 4. Reg. 23.
53 Neri, qui & Ioakim, Ieconias & Heli. 4. Reg. 24.
54 Salatiel, qui & Mesezebeel. 1. Paral. 3. & Neemi. 3.
55 Zorobabel, qui & Barachias genuit Rhesa & Abiud fratres, videlicet Mosollam, & Ananiam. 1. Paral. 3. & Neemiæ. 3.

Sequitur Lucas lineam Rhesa.

56 Rhesa, qui & Mosollam. 1. Paral. 3.
57 Ioannaben, Rhesa.
58 Iudas cognomine Hyrcanus.
59 Ioseph vel Iosephus.
60 Semei, qui Abner.
61 Marathias, qui Helih.
62 Maat, qui & Asar.
63 Nage vel Nagit, qui & Artaxat.

Ex Luca. & Philone.

Reges Iuda.

Salomon. 2. Reg. 12. & 1. Paral. 3.
Roboam. 3. Reg. 14.
Abias. 3. Reg. 15.
Asa. 3. Reg. 15.
Iosaphat. 3 Reg. 22.
Ioram. 4. Reg. 8.
Ochozias, qui & Ioachaz. 2. Parali. 21. In hoc defecit linea Salomonis, & ideo Matthæus ad lineam Nathan diuertit cum Luca relinquens tres Reges, scilicet, Ochoziam, Ioas, & Amasiam.

Ex Luca, & Philone, & ex Matthæo.

Sequitur Matthaeus lineam Abiud.

Abiud, qui & Ananias.
Eliachim.
Azor.
Sadoch.
Achim.
Eliud.
Eleazar.
Mathan.

Ex Matthæo.

64 Helih,

64 Helih, qui & Aggai.
65 Naum, qui & Moslot.
66 Amos, qui & Sirach.
67 Mathatias, qui & Siloa.
68 Ioseph vel Iosephus Iunior, qui Arses.
69 Ioanne, qui & Ianæus, qui & secundus Hyrcanus.
70 Melchi.
71 Leui.
72 Mathat.
73 Heli, qui & Ioachim pater Mariæ.
74 Maria virgo, mater Christi.
75 Iesus Christus, filius eius.

Iacob.
Ioseph vir Mariæ, de qua natus est Christus.

Ex Luca, & Syrorum libris.

LVcas ergo Euangelista prosequitur generationes omnes iuxta naturam procedentes directè secundum lineam Nathan, & incepit à patre beatæ virginis qui dictus est Heli & Ioachim, fuit enim binomius vt refert diuus Augustinus. *Li.2.q.euāg. cap.5.* Philo etiam Iudæus ait quòd apud Syrios Ioachim, Heli, & Eliachim, idem sunt. Euangelista noster Lucas proprium nomen accepit quòd fuit Heli, sed ecclesia nomen eius vulgare quòd fuit Iehoachim siue Ioachim. Quia multi ex Hebræis fuerunt binomij, multi errauerunt: nam scripturæ consuetudo est vt Hieron. annotat contra Heluidium eundem hominem diuersis nominibus nuncupare. Raguel socer Mosi & Ietro dicitur: Gedeon nullis causis prætermissis subitò vocatur Ieroboal: *Iudi.6.* pater quoque Dauid Isai, Iesse, & Naas appellatur. Et etiam mons Tabor Ithabiricum dicitur: & Hermon Phenices cognominant Sanior, & Amorreus cognominat eum Sanir. In nouo etiam testamento Petrus dicitur Simon & Cephas: & Iudas Zelores in alio euangelio Thaddæus dicitur, & sic illum vocabit Marcus: & Matthæus vocat illum Iebbæum, & Lucas Iudam Iacobi. Certum est autem euangelistas non errasse in nominibus apostolorum: sed quia moris erat binis vel ternis nominibus vti apud Hebræos. In titulo etiam psalm. septimi inuenitur scriptum, Psalmus Dauid quem cecinit domino pro verbis Chusi filij Gemini. Et in libris regum legimus fuisse filium Arachi: *2. Reg 17.* duplex enim nomen habuit pater Chusi. *Matth. 1.* Aminadab etiam à Matthæo & Luca vocatur filius Aram: *Luc.3.* & in primo Paralipomenon hic Aram pater Aminadab vocatur Ram. *2.Paral.2.* Sed de his satis, nam huiuscemodi innumerabilia exépla quisque si studium & diligentiam adhibeat ex scripturis poterit erogare. Et multi interpretantes scripturam allucinantur propter nominum varietatem, & æquiuocationem. Lege si placet diuum Hieronymum. *Hierony. in Ezec.cap.25.* Hac de causa quā plurimi, quia dicit Lucas de Ioseph qui fuit Heli dixerunt quod Iacob & Heli fuerunt fratres, mortuóque Heli absque liberis quòd Iacob frater eius, vt semen ac nomen eius suscitaret (vt lex præceperat) eius vxorem duxit ex qua ipsum Ioseph genuit: eam ob rem alterum secundum naturam, alterum secundum legem ei patrem fuisse dicunt, Sed certè nimium falluntur, quia Iacob & Heli licet ex eadē tribu fuerint atque ex Dauidica stirpe prodierint: fratres tamen esse non potuerunt: cùm alter per lineam Abiud & alter per lineam Rhese descenderint à Zorobabel, ideóque valdè distantes erant. Quapropter cum hic dicitur, fuit, intellige quod fuit filius: & in primo, fuit, & in vltimo non accipitur sicut in aliis. In vltimo fuit, scilicet qui fuit Dei, intellige qui fuit creatura Dei: & in primo cùm dicit, qui fuit Heli, intellige quod fuit gener Heli: quia scriptura generos consueuit filios nominare, vt in Genesi dicitur de Iacob iuxta Hebraicam veritatem. *Genes. 37.* Surrexerunt omnes filij eius & omnes filiæ eius, vt consolarentur eum. Et translatio septuaginta interpretum sic habet. Venerunt omnes filij eius & filiæ, & cœperunt cōsolari eum. Iacob tamen Dinam vnicam filiam habuit: sed scriptura vxores filiorum, filias vocat.

¶ Aduerte etiam quod Lucas scribit generationem Christi naturalem per viam Nathan: Matthæus verò describit primo generationes secūdum lineam Salomonis regis vsque ad eius extinctionem: qua deficiente posteà coactus est diuertere ad lineam Nathan, quia ex eo erāt geniti regni successores. Ideoque Christus verissimum est quod descendit à Dauid, nam vt Paulus ait, factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, *Rom. 1.* sed non fuit Christus filius Salomonis, vt ego existimo: nam linea Salomonis defecit interfecto à Iehu Ochozia, & hoc fuit, peccatis suis existentibus in causa. Sed ipse Christus processit ex Dauid per lineam Nathan filij Dauid legitimi, & fratris Salomonis. Nam interfecto Ochozia & cæsa Athalia successit in regnum Ioas qui descēdit ex linea Nathan. *4.Reg.10. & 11.* Siquidem orta lite inter filios Dauid quos ex Bersabe habuit qui fuerunt quatuor. s. Simma, Sobab, Nathan & Salomon, *1.Par. 3.* quis in regno præcederet: Dauid edicto statuit à iunioribus inchoari, & vt alter alteri succederet, si posteritas naturalis deficeret. Itaque à Salomone minimo cœptum est, & à Nathan illi natu proximiore filio dicto Abiasar & Mathat & posteris eius Abiasarim, atque Mathatim, id est, vt omnes dicerētur & essent fratres principis, & donati tempore ad succedendum. Hinc vsque ad Iosaphat & Ochoziam posteritas Natham semper dicta est Abiasarim. *1.Par. 21.* Nam quos occidit Ioram posteros Nathan, quos pater in tribu Iuda, præter decretū honorauerat, filij Iosaphat fratres Ioram dicti sunt. Similiter infantes eorū quos Ioram liberos quidem sed redditu vacuos in tribu Iuda reliquerat, *2. Par. 22. 4.Reg. 11.* dicti sunt fratres & filiæ Ochoziæ: cum tamē Ochozias vnicus solus ex Ioram & Salomone superstes esset. Quo perempto omnem stirpem regiam Abiasarim Athalia conata est delere, nisi prouidētia Iosabeth sororis Ochoziæ saluatus fuisset minimus ex Abiasarim infans Helih qui & Ioas primus ex domo Dauid & posteritate Nathan. Pro quo Mizmor, id est, psalmus

psalmus à dextro & læuo choro decantatus fuit, qui à septuaginta senioribus septuagesimus quartus positus est, & sub Ioiada institutus, ne disperderet Deus funditùs domum Dauid, vbi finierat proles Salomonis. Ab isto Ioa atque deinceps in memorationem reges semper binomij & trinomij fuerunt. Nam iste primus dictus est Heli, Ioas, & Simeon sicut Iesus dictus est Ezechias, & Her vocatus est Manasses. Itaque Ioas quanuis scriptura dicat quòd fuit filius Ochoziæ, non erat filius Ochoziæ genitus ab eo, sed adoptiuus siue regni successor & hæres: qui nempe successores in sacris literis vocantur filij & geniti à patribus. Nam Michol filia Saul certum est quod fuit perpetuò sterilis, vt habetur in secundo volumine regum capite sexto: ex ea enim non sunt nati filij: tum quia irriserat Dauidem, tum etiam ob patris culpam, de stirpe enim Saul noluit dominus vt maneret memoria, & inconueniens maximum erat vt crucifigeretur filius Dauid si aliquis nasceretur ex Michol, cùm dominus præcepit vt posteri Saul crucifigerentur. 2. Reg. 21. Verum capite vigesimoprimo eiusdem libri secundi regum dicitur quod Michol genuit quinque filios ex Hadriele: sed isti quinque filij erant adoptiui, quia Hadriel duxit vxorem Merob filiam Saul natu maiorem, vt habetur in primo libro regum, ex qua habuit quinque filios 1. Reg 18. quos Michol adoptauit in filios post mortem parentum. Nec est credendum quod Athalia occiderit filios genitos à filio suo Ochozia: nullam enim reperies mulierem quę videns mortuũ filium suum non exoptet suum regnare nepotem, præcipuè tamen cum multæ sint auæ quæ plus diligunt suos nepotes quàm filios, vnde regnare malunt eos. Verum quia vidit Athalia quod non remansit ei hæres filij sui Ochoziæ, & proinde domum Dauid & regnum Iuda transire in domum Nathan, voluit omnes è medio tollere, vt sola regnaret, nisi solicitudine Iosabeth seruatus fuisset Ioas ex posteris Nathan & regni successor. Igitur Ioas non fuit filius Ochoziæ ab eo genitus, sicut nec illi filij Hadrielis fuerunt filij Michol: sed more scripturæ vocantur filij, quia erant adoptiui & hæredes. Igitur Matthæus cum Luca conuenit vsque ad Dauid: & tunc Matthæus sequitur lineam Salomonis vsque ad Ochoziam, & Lucas lineam Nathan, & post Ochoziam conuenit Matthæus cum Luca vsque ad Zorobabel filium Salathiel, qui genuit duos filios scilicet Resa & Abiud. Tunc diuertit Matthæus à Luca & sequitur lineam Abiud, & Lucas lineam Resa. Ex Resa descendit virgo Maria, & ex Abiud descẽdit Ioseph. Itaque vterque tam Ioseph quàm Maria descendit à Dauid per lineam Nathan: sed vnus descendit per vnum ramum, scilicet Maria per Rhesa, & Ioseph per alium ramum, scilicet per Abiud: qui Rhesa & Abiud fratres fuerunt, ambo filij Zorobabel.

¶ Præterea Salatiel qui à Matthæo, dicitur filius Ieconiæ, idem est cum Salatiele qui à Luca dicitur filius Neri: quia idem vir dictus est Ieconias, Neri, Ioachim, & Heli. Nam Ieconias qui & Neri, cognominatus est Salathiel in ipsa captiuitate: hoc est, post septuaginta annos à desolatione templi. Cùm ergo Matthæus dicit, post transmigrationem Babylonis Ieconias genuit Salathiel, non est intelligendum quòd soluta captiuitate genuit eum: sed facta transmigratione in ipso captiuitatis tempore.

¶ Rursus obseruandum quòd descendentes de Rhesa citiùs genuerunt, & geniti ex Abiud tardiùs concessum est eis generare: & ideò plures generationes sunt iuxta Lucam quàm iuxta Matthæum. Nulla ergo dissonantia reperitur inter Matthæum & Lucam, sed vterque veram Christi genealogiam rectè descripsit: nec oportet dicere quòd Lucas filios posuit legales & adoptiuos, vt multi falsò dixerunt: cum Lucas sicut & Matthæus ponat filios naturaliter genitos, nisi tantum vnum Ioseph sponsum virginis: quem filium ait esse Heli. i. Ioachim. Filius inquam non naturalis: sed gener eius. Sed iam colligenda sunt vela: & finis huic capiti imponendus. Ad explanationem ergo sequentis capitis accedamus.

CAPVT IIII.

NARRATIS iam tandem his, quæ pertinent ad ingressum saluatoris in hunc mundum, nunc euangelista describit ea, quæ Christus gessit in tribus vltimis annis vitę suæ. Matth. 3. Ioan. 1. Aderat iam tempus in quo lucerna posita super candelabrum, i. luminaret omnem hominem venientem in hunc Ioan. 1. mundum: vt ad agnitionem sui omnes attraheret qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant. Iam ergo Lucas agit de Christi progressu per hũc mundum; de eius ieiunio, prædicatione, & miraculorũ operatione. Act. 1. Cum autem in actis apostolorum Lucas noster dicat de Christo, cœpit facere & docere: priùs nunc ipse ieiunat, tanquã strenuus & magnanimus dux, qui milites suos ad bellum volens incendere & inflammare, aduersus primos inimicorum impetus in acie se cõstituit: priùs inquam ipse ieiunat quadraginta diebus in deserto, antequam populis ieiunium & pœnitentiam prædicet. Quo nimirum facto prædicatores verbi domini monet, quid facere debeant, antequam populo verbum Dei proponant, vt dignè & vtiliter prædicent, Priùs nanque ipsi vitio carere debent: & tanquam aurum seipsos purgare pœnitentia & ieiunio. Sic ille eximius prædicator huius exempli non immemor faciebat, qui dixit, 1. Cor. 9. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Etenim lux in lampade oleo sustentatur: sic prædicatorum doctrina quæ lux est splendidissima lippos humanarum mẽtium oculos illuminans, & tenebras caliginosas peccati fugans & expellens, oportet vt oleo misericordiæ, pietatis, & bonorum operum foueatur & sustentetur. Mirabile quippe esset, & res monstro quam simillima, si aliquis maiorem haberet linguam, quàm manus, siquidem maior est manus quàm lingua: & si quis ita magnam haberet linguam, vel manum ita paruam, vt lingua manum excederet, res esset proculdubio admiratione dignissima. Simile. Sic est prædicator, qui multa docet, & parũ aut nihil operatur. Christus iam annum trigesimũ attingerat, & nihil verbo prædicauerat, sed multa opere & re docuerat, quæ posteà prædicauit. Triginta annorum spacio diuinis se exercuit operibus, & tribus tãtum annis prædicat: vt vel hinc discas, multa operari, & posteà docere. Nunc autem Christus antequã quidquam doceat,

doceat, quadraginta diebus ac noctibus ieiunat, postéaque multas passus aduersitates, tentationes, & naufragia, post bella, atque victorias, ea quæ fecerat, exiit aliis prædicare, & docere. Quæ omnia antequam in publicum prodiret egregiè euangelista noster Lucas describit, dicens, *Iesus autem plenus spiritu sancto regressus est à Iordane.* Non dicit, afflatus spiritu sancto, sed plenus, quia in ipso habitat plenitudo diuinitatis corporaliter: nó enim ad mensuram dat Deus spiritum ipsi scilicet Christo, in vtero virginis mansit in eo totus spiritus: nunc autem ipsis operibus declarare incipit plenitudinem in se manere. Et sic regressus est à Iordane, quia regnum principis mundi aggressus est destruere à baptismo: regnúmque suum in orbe nouum construere. Plenus itaq; spiritu sancto regressus est à Iordane, plenus inquam non plenitudine sufficientiæ, vt beatus Stephanus: nec plenitudine prærogatiuæ, vt beata virgo: sed plenitudine superabundantiæ, qua Christus fuit plenus, ita quòd tota animæ eius capacitas fuit repleta, sic vt proficere vlteriùs non potuerit in habitu gratiarũ, atque virtutem. Nam in quantum Deus, spiritus sanctus plenè in ipso est, quia vna diuina persona est quæ est incircunscriptibilis, & immensa. Christus etiam in quantum homo plenus est spiritu sancto: non sicut aliæ creaturę rationales, in quibus per dona sua spiritus sanctus habitat, sed plenus spiritu sancto plenitudine superabundantiæ, vt iam diximus, *Et agebatur à spiritu in deserto.* A spiritu, scilicet, sancto agitur, quo immediatè dixerat Lucas Christum esse plenum: quapropter ex hoc contextu apertè constat, à Spiritu sancto, & nõ ab alio spiritu ductum esse in desertum. Mathæus dicit, quod ductus sit à spiritu, Marcus, expulit eum spiritus: Lucas verò noster quod agebatur à Spiritu sancto. In quo clarè ostenduntur indiuisa opera Trinitatis. Etenim eum expulit potentia patris, duxit eum sapientia filij: & agebatur ad hoc opus, benignitate Spiritus sancti. Nam pater in filio manens eius opera facit: sapientia, quæ est ipse, per semitas æquitatis eum duxit: Spiritus verò sanctus qui super eum requieuit, diuinitùs ipsum egit. Vnde ex ipso patre tanquam à principio mouente, per ipsum filium tanquam sapientiam regulantem secundum Dei voluntatem, & in ipso Spiritu sancto tanquam in fine quietante sunt omnia opera eius facta. ¶ Docemur nos eodem modo facere secundum exemplum, quod nobis exhibuit. Habes enim à Deo posse scire & velle bonum. Hoc age, ne desis gratiæ Dei, ne gratiam Dei in vacuum recipias, aut negligas, aut (quod deterius est) abiicias. Omnes nanque qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Vide in operibus tuis, quo agaris spiritu, vt inde scias an sis filius Dei, necne. Illa sancta quatuor animalia vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur. Sic iusti vadunt spiritu Dei ducti. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectã. Hoc sancto spiritu moueri debes, quemadmodum senex ille sanctus Simeon, qui venit in spiritu in templum. ¶ Attende autem quod tunc aliquis Dei spiritu ducitur, cùm regitur diuina voluntate: quæ regula est & mensura omnium operationum nostrarum. Nam nõ omne id bonum est, quod boni vmbram refert: sed illud solum quod diuina voluntate cõponitur, & mensuratur. Existimabat etenim Saul se domino magnũ obsequium præstare, offeredo illi boues Amalech: quare dominus maximè fuit offensus. Vide ne secundum voluntatis tuæ placitũ dirigaris, sed secũ dum id quod dominus vult, & iubet: nam si spiritu Dei ambulas, cũ Christo ambulas. Præterea qui hoc spiritu ambulant dulciter ambulant: non pigri sunt, sed strenui ac diligentes. Sed multi sunt malis arboribus similes, quæ non nisi fustibus cõcussæ, fructum expectatum reddunt, vt sunt nuces, & amygdali, &c. Sic multi nisi coacti nihil boni faciunt: quia nõ diuino spiritu aguntur, erogant eleemosynam nunquam, vel serò: nec de peccatis confitentur nisi in fine quadragesimæ. Vbi obseruandum est, homines in suis actionibus agere: animalia verò potius agũtur, quàm agũt. Quid ergo est, quod hîc Lucas noster dicit, quod agebatur Christus? Equidem attente hîc gradus est sistendus, si vberes fructus ex hac consideratione volueris reportare: nam homines qui in diuinis mandatis exequendis strenuè ac diligenter se exercuerũt, quíque diuino amore incensi & inflammati ad culmen perfectionis aspirant, aliquando aguntur, & nõ ipsi agunt, vt intelligas talia opera eorum vires superare. Chistus itaque agebatur, ad innuendum quod tantum atque tam magnum facinus (cum quo collata angelorum bonorum cum malis pugna minima est,) vires humanas superat: & longo antecellit interuallo. Opera Christi potiùs actionis nomine appellãda sunt, quã passionis: passiões quoque martyrum fortitæ quoque sunt actionem, sed plus passionis habuerunt, quàm actionis: quòd in Christo è contra venit intelligendum. Martyrium & crucis tormẽtum nihil redemptioni nostræ profuissent, nisi actionem habuissent: quod est velle flagellari, & velle crucifigi.

¶ Obserua etiam quòd Christus agebatur à spiritu in desertũ, vt ibi tentaretur à diabolo: vt tu discas, nõ semper tua voluntate, imò ductus Spiritusancto sæpiùs periculũ debere aggredi, ibique fortiter & viriliter pugnãdum quotiescunque res & ratio id postulauerint. Etenim nemini licet se periculo exponere sine causa, sed quando spiritu diuino fuerit ductus, hoc est, cùm res & ratio postulauerint, ibi tunc fortiter & viriliter est dimicandũ. Vide etiam quod Christus ad tentatorem tendit, & quærit illum. Homines diabolus aggreditur vt eos tentet, non homines diabolum, vt tententur ab ipso: quoniam ad Christum diabolus ire nõ poterat, ideo Christus contra dæmonẽ tendit. Et quo abiit? *In deserto.* Quãdo quis alium in pugnam prouocat, qui prouocat locum eligit, prouocatus verò arma. Ita cùm Christus victurus venerit Satanam: ipse locum desertum sibi eligit, Satanas verò arma. Vt autem gloriosior victoria, campum Christus elegit, (quod in dæmonis fauorem cedit) & ideo abiit in desertum, vt ibi tentaretur. Non tendit Christus in sancta sanctorũ, neque in altare templi, vbi peccatores Deo reconciliantur, & vbi dæmonis vires, & potentia franguntur. Sed abiit in desertum, vbi dæmon ambulare solet, iuxta illud quod dicitur, quòd exiẽs ab homine ambulat per loca arida & deserta.

¶ In hunc locum Christus proficiscitur, in quem etiam dilectos & amicos suos ducit. Agar cum sola esset in deserto apparuit angelus. Et Helias in populo & societate Iezabel fame periebat: postquam autem in solitudinem Bethsabe Iuda recessit, ibi cælesti pane pastus, angeli consolatione fruebatur.

Multa

Marginalia: Colo. 2. Ioan. 3. In Christo plenitudo superabundantiæ. Act. 6. Math. 4. Marc. 1. Ioan. 6. Roma. 8. Ezech. 1. Psal. 142. Luc. 2. Qui nam spiritum Dei agantur. 1. Reg. 15. Luc. 11. Gen. 21. 3. Reg.

Multa eaq; diuina & abscódita in solitudine spósus spósę reuelat, q̃ in publico & corã multis non propalat. Ita Christus animæ nostræ, mirabilia secreta pandit cùm eam inuenit ab omni cura mundana semotam, & à mundi tumultibus expeditam. Sic dixit animæ dilectæ, Ducam eam in solitudinẽ, & loquar ad cor eius. ¶ In desertum tẽdit dæmon, Christum tẽtaturus: nam in plateis & locis publicis ciuitatis nihil illi est negotij, nihil est ibi laboris, nam ea omnia tranquillè & quietè possidet: nec eos qui sui sunt tentat, sed eos qui in solitudinẽ discedẽtes ab ipso fugiũt. Itaque dæmon viros solitariè vitam agentes aggreditur: cũque Christus sciret, quod ibi dæmon acies suas cõstituit, quodque ibi neruos & vires exercet, hac de causa hũc locum eligit vt gloriosior sit victoria, & victoris fama illustrior reddatur. Quo facto docemur quòd si volumus aduersus Satanam dimicare, debemus mundũ relinquere: nã qui adhuc amori mũdi adhęrẽt, iam isti securè possidentur, & victi sunt, iuxta illud, Qui voluerit amicus esse huius mũdi, inimic⁹ Dei cõstituitur. Et apostolus monet, Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus. Et rursus, Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Tempus verò quo fuit in deserto assignat euangelista, dicens, *Diebus quadraginta.* Quadragenarius numer⁹ (teste Hier. in commentariis super Ezech.) sæpissimè in sacris literis afflictioni, & pœnitentiæ legitur accommodatus. Nam quadraginta diebus durauerunt aquæ diluuij, filij Israel quadraginta annorum spacio desertum incoluerunt: inique multa mala passi sunt, antequam ingrederentur terram promissionis. Niniuitis quadraginta dies pœnitentiæ imponuntur, in peccati condonationem, & Ezech. quadraginta diebus pro tribu Iuda in latus dextrum inclinatus dormiuit. Deinde hoc tempus tam in lege, quàm in prophetis, & euangelio ieiuniis cõsecratum est. Moses legem accepturus ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Et Helias fugiens iram Iezabellę quadraginta diebus, & noctibus legitur non comedisse. Sic Christus prophetarum & legis interpres & consommator totidem diebus cum Satana præliaturus à victu se abstinet. Vbi obseruandum est, quòd in Deuter. ita dominus præcipiebat. Iudices Israel si eum qui peccauerit, dignũ inuenerint plagis facient eum verberari, ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant. Vtrum Iudęi misericordes sese ostenderent vt hunc numerum non attingerent: ideo Paulus Chor. suis scribens dicebat, A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi: quia Paulum oderant, non nisi vnam condonarunt. Igitur sicut pro peccatis quadraginta plagæ debebãtur, ita quadraginta diebus Christus ieiunauit: vt satisfaceret pro peccatis nostris, debitis plagis. Vide etiã quomodo Christ⁹ ieiunat nõ duobus, aut tribus dieb⁹, sed quadraginta cõtinuis, in quibus nec buccellã panis, nec calicem aquæ frigidę degustauit: non equidẽ, vt tu qui cùm nondum fames aduenerit, iam appositos habes cibos, Christus famem passus est, & non vtcunque, sed illam ingentem inter saxa & bestias vitam degens, vt Marc. ait: & in hoc deserto in quo Christus suum mirabile ieiunium compleuit, multa sunt animalia reptibilia. O quàm minimam famem nos volumus pro Christo pati! qui vel in vno die ieiunij deficimus, & concionem fastidimus: si autem opus fuerit, vt seruiamus appetitui nostro, vel per vnius hebdomadæ spacium nec dormire, nec comedere, id quidem præsenti animo perficiemus. Prophetæ illi Baal à summo mane vsque in medium diem dicebant, Baal exaudi nos, scindentes venas suas cultris & lãceolis, donec perfundebantur sanguine: omnia autem hæc alacri & iucundo animo pro diabolo patiebantur. Sed prôh dolor! quot quantique sunt hodie his simillimi: quotque sunt mulieres, quæ volsellis, & diabolicis inuentis sibi ipsi martyrium inferunt, & carnem suam ac membra in sacrificium dæmoni offerunt: vt vel sic amentur, & pulchræ humanis oculis appareant. Si vero obesæ sunt & pingues si opus est, vt delicatiores & magis compositæ in corporis habitu videantur, vt vanitati deseruiant, asperè ieiunabunt, solùm panem & aquam edẽtes: at ob Christi amorem pauci vel nulli sunt qui aliquantulum famis vel laboris velint sustinere. Non equidem sanctus ille rex Dauid ita faciebat, sed Christum in suo ieiunio sequebatur dicens, Genua mea infirmata sunt præ ieiunio. Sed de ieiunio postea pauca subdemus: nunc autem de numero dierum hæc satis sint. *Et tentabatur à diabolo.* Quãdo imperator exercitus siue dux militi alicui campum designat, vt manus conserat cum hoste fortissimo, vel cum immani gigante, vt animum & stimulos addat ad pugnam, coram militibus suis illum laudat, eius magnanimitatem commendãs. Sic mihi videtur æternum patrem fecisse, qui Christum in baptismo laudauit, dicens, Hic est filius meus dilectus, cùm illũ vellet aduersus Satanam in campum inducere, vt illum prosterneret, ac superaret: atque ita post baptismum & patris æterni egregias laudes, ingressus in desertũ tentabatur à diabolo. Vbi colliges quòd antequam his tribus tentationibus aperte tentaretur, multis aliis tentationibus antea per spatium quadraginta dierum fuit tentatus. Cui rei fauet id, quod Lucas inferius ait, scilicet quòd expleta omni tentatione recessit diabolus: quia non solum illis vltimis tribus tentationibus fuit Christus inuasus, sed variis artibus & machinamentis diabolus totis quadraginta diebus in Christum sæuit. Cui sententiæ Paulus suffragatur dicens, Christum tentatum per omnia per similitudinem absque peccato. Si autem tentatus est per omnia, nullum non genus tentationis est expertus. Quia exemplum erat omnibus tentatis, & meritum, omnes tẽtationes expertus est. Quomodo autem fuerit tentatus, aut quàm grauia fuerint, aut qualia hæc tentationum genera, nescimus: quæ ideo forsitan sub silentio sunt prætérita, quia maiora erant, quàm quæ literis possent vllo pacto exprimi: nam sicut ait Ioãnes, si scriberentur ea quæ fecit Iesus, totus mundus non posset libros capere. Sic quadraginta dierum tentationes, quibus diabolus Christum tentauit mundus ferre nõ posset, si scriptura explicuisset. Satis nobis scire sit, per totum hoc tempus variis acerrimisque tentationibus fuisse circumuentum. Dicere enim potuit, Circundederunt me canes multi, &c. libera à cornibus vnicornium humilitatem meam. Hic incipit pati à dæmone illam sæuitiam, quàm passus est in passione à membris suis. Vide tu miser peccator, quanta pro te Christus fuerit passus, quot mortes, quot angustias, ac labores: omnes pœnas nobis debitas Christus assumpsit. Vnde Paulus, Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatũ

Marginalia: Osea 2. — *Damõ citius & magis solitarios tentat.* — Iacob 4. — 1. Tim. 2. — 1. Cor. 9. — *Numer⁹ quadragenarius, pœnitentiæ dicatus.* — Hiere. in ca. 29. Eze. — Gen. 8. — Ion. 3. — Num. 32. — Ioan. 3. — Ezec. 4. — Exod. 19. — 3. Reg. 19. — Deut. 25. — 2. Cor. 11. — Marc. 1. — 3 Reg. 18. — Psal. 108. — *Christus plures cũ diabolo habuit conflictus quã tres.* — Luc. 3. — Hebr. 4. — Ioan. 21. — Psal. 21. — Hebr. 4.

autem per omnia pro similitudine absq; peccato. *Hebr. 12.* Ideo & nos deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamē aspiciētes in authorem fidei & consummatorem Iesum: qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. *Omnis tentatio in tribus consistit.* Obserua tamen quòd cùm omnis tentatio fiat suggestione, delectatiōe & cōsensu, & delectatio & cōsensus sint semper cū culpa: ideò saluator sola suggestione tentatus est: & sic omnis eius tentatio externa, non interna fuit. Obserua etiam quòd in nostra voluntate non est tentari, vel non tentari, quāuis in nostra voluntate sit consentire, vel non consentire: sed mundi saluatorem etiam per suggestionem diabolus tentare non potuit: nisi volentem. Nam non potuisset, neque ausus fuisset, tentare *Matth. 14* eum nisi ipse permisisset. Vnde Matth. ait, vt tentaretur à diabolo: non tamen dicit, vt diabolus tentaret eum. ¶ Ex quo loco operæpretium erit discere ad nostram eruditionem, primò, vt nosmetipsos muniamus aduersus diaboli insidias, & tentationes, ieiuniis, orationibus & vigiliis: Christus nanque antequam tentaretur, ieiunauit, & ieiuniis & orationibus se muniuit, vt discas cautè viuere, nec *Exo. 12* inermis à dæmone inueniaris, & victus sis. Sic Moses vt hoc præueniret tempus agnum ante immolauit, hoc est vespere: vt manducantes eū. & pascha Domini celebrantes non occuparētur exterminatoris insidiis: ne inermes & vacuos spiritualis alimēti nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent. *Diabolus accedentibus ad Dei seruitia magis insidiatur.* ¶ Secundò discamus, in ipso statim exordio, vt Deo seruire cœperimus expectare dæmonis, & mundi tentationem: scriptum quippe est. Accedens ad seruitutem Dei præpara animam tuam ad tentatio- *Eccle. 2. Leg. Greg. li. 4. mo... 14.* nem. Statim vt Christus in solitudinem recessit, & vt ieiunare incipit, tentatus est à diabolo. Persequitur dæmon eum, à quo dæmon ipse deseritur. Cu- *Exod. 5* ius rei exemplum nobis erit Pharao rex Ægypti, qui etiam si in regno suo Israeliticum populū semper oppressit, sed tunc multo acriùs eum fuit persequutus, cùm videret à potestate sua populum fugere: si quidem laborem illi auxit, posteà verò ma- *Exo. 14* gno exercitus eum fuit persequutus. Idē fecit Laban cum Iacob qui etiamsi nō benè cum illo egit, dùm viginti annorum spacio domi haberet: at cùm videret a domo fugere, congregauit amicos suos & consanguineos, & persequutus est eum quousque *Gen. 31.* in mōte Galaad illum est assequutus. Ita nimirum etiamsi hi, qui mundo adhærent magnos patiantur labores: tamen maiores illos experiuntur cùm mundum relinquunt, & Christi mādata sequūtur. Adueniente aurora fit ventus, quia vapor ventum faciens est collectus, & radius solis appropinquans percutit aërem gelidum. Sed in prima noctis parte fit ventus, quia ille vapor non est perfectè collectus. Sic qui ad Christum, qui vera lux est incipit accedere, sicut aurora gratiæ cùm expellit noctem peccati, & illucescit ei dies iustitiæ, tunc diabolus magis tentationis ventum suscitare conatur: sed existente homine in tenebris & nocte peccati rarò fit ventus, quia parum tentat diabolus. Quapro- *Greg. li. 24. mor. ca. 12.* pter Gregor. in illis verbis, fili accedens ad seruitutem Dei, sic inquit, Hostis noster nos adhuc in hac vita positos, quantò magis sibi rebellare conspicit, tantò ampliùs expugnare contēdit. Illos enim pulsare negligit, quos quieto iure possidere sentit. Igitur quemadmodum Christus protinus, vt baptizatus fuit, & desertum ingressus, tentatus est: sic tu vt primùm Deo seruire inceperis graues passurus es tentationes. Nec mireris si statim dæmon te inuaserit, ideo enim data sunt tibi arma, vt prælieris: nec ob id tristeris, nam dæmon non eos expugnat, qui sui sunt. Canis domesticos non mordet, sed eos, qui foris sunt: sic diabolus non tentat, nec persequitur eos, quos quietè possidet, sed iustos ac bonos: Nunquam fur furatus ingreditur loca vbi paleæ sunt & stercora, nam ex eis nihil hauriet nisi puluerem in calceis: at mercatorum domos ingreditur, & vasis sacris insidiatur, atque æraria publica quærit, ex quibus locis, facilè diues exire potest. Mundani homines onusti & impliciti, negotiis carnis nunquam tentantur, quia pauperes sunt & ferè nullius valoris, ex quibus dæmon parum vel nihil lucri reportat, quandoquidem nullis sunt virtutibus nec meritis insigniti: Christum verò, qui eximiis virtutum dotibus fulgebat quique in solitudinem deserti recedit, dæmon tentat. Sic bonos qui mundum contemnunt & relinquunt Satanas persequitur. Agricolæ vuas colligunt, & in domo sua seruant: at palmites in agro tanquam inutiles reiiciunt. Ita boni tanquam vuæ pretiosę reseruantur: mali verò in mediis plateis ambulant. Hos igitur Dei amicos aucupari vult dæmō, has vuas quęrit, hosque ipse persequitur, & tentat. Sic angelus Raphaël dixit Tob. Quia acceptus eras Deo, neces- *Tob. 12.* se fuit, vt tentatio probaret te. Nam quemadmodū turca bellum non gerit aduersus turcas, sed aduersus Christianos: & quemadmodum nemo aduersus amicos & domesticos in surgit, sed aduersus inimicos: ita diabol⁹ nō eos expugnat qui sui sunt, sed eos, qui sub vexillo ducis Christi ambulant. Quando pulchra illa fœmina Iud. vidit principem *Iud. 11.* Holofernem sedentem in tentorio in maiestatis solio, lapillis & smaragdis circūdatum, cœpit ipsa timere, cui Holofernes dixit, Æquo animo esto, & noli pauere in corde tuo: quoniam ego nunquam nocui viro, qui voluit seruire Nabuchodonosor regi; Populus autem tuus, si nō contēpsisset me, non leuassem lanceam meam contra eum. Nam quemadmodum Holofernes bellum non inferebat illis, qui regi suo seruiebant, & obtemperabant, sed rebellibus: sic diabolus non tentat nec persequitur eos, qui sub imperio suo sunt, sed iustos, & Dei amicos. Quocirca statim vt Deo obedieris & obtēperaueris, & eius mādata fueris amplexus, acriter teipsum inuadet: quemadmodum Christum protinus, vt in desertum abiuit. ¶ Ex quo etiam tertiò loco oportebit discere quòd cùm magis prosperi, *In prosperis & secundis magis nobis timendum.* & fœliciores, & magis dilecti à Deo fuerimus, tunc magis cauendus est casus, & maiori diligentia nos tueri debemus à mundi, dæmonis, & carnis tentationibus. Quid est homo (inquit Iob) quia magnificas eum: aut quid apponis circa eum cor tuum? Vi- *Iob 7.* sitas eum diluculo, & subito probas illum. Licet omnibus hominibus timenda sit tentatio, illis tamen potissimum qui à Deo extolluntur, & illi sunt familiares: nā cū Christus à patre in baptismo præclara suarum laudum audiret encomia, cùm ei diceretur, hic est filius meus dilectus: statim ductus est in desertum, vt tentaretur à diabolo. Eodem etiam modò cùm diabolus audiret virtutem & excellentiam sancti Iob, quod esset rectus, nullusque ei similis: statim variis tentationibus fuit percussus. Sic etiam postquam dominus sanctum virum Abrahā

tot bene

tot beneficiis, ac donis magnum & illustrem reddi-
derat, grauissima tẽtatione eius animum pulsauit.
Gen. 22. Optimè quidem euangelista Matt. hæc omnia ex-
Matth 4. pendit vnico verbo dicens, Tunc ductus est Iesus
Matth. 3. in desertum, vt tentaretur à diabolo. Tũc ait, Quã-
do tunc? Quando pater filij sui testimonium clarũ
exhibuit. Tunc quando Spiritus sanctus in colum-
bę specie visus est. Tunc, quãdo cœli aperti sunt su-
12. per eum. Tunc inquã, quãdo æternus pater filij in-
nocentiæ testimonium exhibuit, quando eũ hono-
rauit, & exaltauit: tunc abijt in desertũ & grauiter
à diabolo tentatus est. Vide Christi humilitatem,
& à tãto atque tam sancto saluatore disce, vt in ho-
noribus & dignitatibus constitutus scias humilia-
ri. Commendat maximè euangelista Christi Salua-
toris nostri humilitatem: qui cùm talis ac tãtus es-
set, filius Dei declaratus & manifestatus: sic se hu-
miliauit, vt ab immundissimo & impio dæmone
Joan. 1. impugnari voluerit. Hoc idem Ioannes de ipso insi-
nuare voluit cùm dixit, In principio erat verbum,
& verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum,
Omnia per ipsum facta sunt. Postquàm verò tanti
verbi maiestatem & dignitatem commendauit: vt
humilitatem ostenderet subdidit dicens, Et verbũ
caro factum est. Ac si diceret, Videte quantum Dei
filius se humiliauerit, qui cùm tantus ac talis esset,
non horruit virginis vterũ. & propter nimiam cha-
ritatem, qua nos dilexit, homo factus est propter
Joan. 13. hominem. Et idem Ioannes postquàm Christum
exaltauit, & magnificauit dicens, à Deo exiuit, &
ad eum vadit, dixit quòd misit aquam in peluim, &
lauit pedes discipulorũ: vt in his clarè Christi hu-
Phil. 2. militatem ostenderet. Quòd idem Paulus de Chri-
sto cõfirmat: qui cũ in forma Dei esset semetipsum
Hebr. 1. exinaniuit, formam serui accipiẽs, &c. Humiliauit
semetipsum factus obediens, &c. Hic enim cùm sit
splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, traditur
peruersissimo inimico, vt tentetur. Disce itaque in
rebus prosperis tentationem timere & expectare.
Disce in honoribus humiliari, & vestigia Christi se
qui. Mirandum quidem est quòd videas Christum
ducem tuum mœstum ac pallidum inter bestias &
scorpiones vitam degere: tu verò in deliciis viuas,
voluptatibus, & vitiis deditus, illius solertis militis
& fidelis serui sui regis Vriæ recordat⁹, qui noluit
ire in domum suam, vt ibi quieti & ocio per noctis
spacium indulgeret, sed potius dixit Dominus me⁹
2. Reg 11. Ioab manet super faciem terræ: & ego ingrediar do
mum meam, & comedam, & bibam, & dormiam
cum vxore mea? Si dominũ tuum, & ducem tuum
vides in prælio pugnantem, & supra petram dor-
mientem: quomodo non erubescis in deliciis, &
voluptatibus viuere? Signum clarissimum est, te nõ
militare sub eius vexillo nec ex suis militibus esse:
quocirca stipendium suę glorię, nec gloriosam co-
ronam, quæ donatur militibus suis non tibi dabit.
¶ Quintò discamus tunc potissimum cor nostrum
custodire, & profectui spirituali vacare: cum aliquã
gratiam, aut donum à Deo fuerimus assequuti. Tẽ-
Apoc. 16. ne (ait Ioannes) quòd habes: ne alius accipiat coro-
nam tuam. Quapropter Christus post baptismum
incrementum recedit, vt tu scias post gratiam su-
sceptam, post communionem sacram: vt diuinum
spiritum conserues à mundo recedere, & procul ab
Luc. 16. eo fugere. ¶ Discamus sextò verissimum illud esse
Mundus iste Christi dictum quòd regnum cœlorũ vim patitur,
desertum est. & quòd violenti rapiunt illud. Post baptismũ tẽta-
tur Christus: & multis aliis tẽtationibus atque la-
boribus, regnũ cœlorũ nobis meruit. Sic filij Israel Exo. 17.
postquã dominus illos eduxit ab Ægypto: & post Nu. 13.
trãsitũ maris rubri multos labores, & plurima bel- & 21.
la sunt experti in itinere: vt regnũ, iure belli acqui- Iosue 7.
rerẽt. Sic nos post peccatorũ tenebras, post lauacrũ
baptismi à potestate Pharaonis educti, opus est vt
militiã sub duce Christo exerceamus, multis gene-
ribus tẽtationũ oppressi. & pugnemus cõtra Ama-
lech, Madiã, Cananæos, Cethęos, Amorręos, & ad-
uersus multa alia genera vitiorũ, vt illos prosternẽ-
tes, terrã cœlorum nobis promissam possideamus.
Hac vi acquiritur regnum cœlorum. Nunc in de-
serto sumus, per quòd filij Israel iter faciebant, &
Christus in deserto fuit. Illi pugnabãt, & Christus
pugnauit: illi tentabantur, & Christus tentatus est,
vt discamus, quòd desertũ vitæ huius locus est ten-
tationis. ¶ Vltimò colligendum est, tentationes no- Tentatio vti-
bis vtiles esse, cùm dominus illas mittat propter cõ lis.
modum nostrum. Christus tentari voluit, vt nos e-
tiam sciamus: quòd per tentationem paratur nobis
via ad vitam capessendam. Ita similiter in hac vita
misit dominus tentationes dilectis suis Abraham,
Iacob, Dauid, Iob, Heliæ, Esaię, Ieremię, Ezechieli,
Danieli, Susannæ, & omnibus suis amicis, tam vete
ris quàm noui instrumenti. Ne pœniteat te, quòd
tenteris: sed illud maximè tibi cauendum ne illi cõ-
sentias, & vincaris. Nihil enim prodest si excusoriũ
ferramentum silicem feriat, nisi fomes applicetur
vt accendatur. Ita nimirum etiam si dæmon excu-
sorio ferramento suæ tẽtationis, lapidem tuæ sen-
sualitatis feriat, nisi fomitem consensus tuæ volun-
tatis applicueris, nũquam ignem excutiet, quo pos
sis comburi. Nunquam tibi petendum à domino
est, ne tentationes tibi mittat, id tamen orandum, vt
gratiam tibi subministret, qua possis illa superare,
dicens, Et ne nos inducas in tentationem. Callidus Matt. 6.
quippe cùm sit inimicus, solet in angelũ lucis trãs- 2. Cor. 11.
figurari, & habitum mutat, quemadmodum vxor 3. Reg. 14.
Ieroboam, quæ mutatis vestibus voluit decipere
prophetam Abiam. Opus est cautè & prudẽter ad-
uertere, vt non fallaris: priùs examina sit ne tenta-
tio dæmonis, an diuina inspiratio. Vnde Ioannes 1. Ioan. 4.
huius rei memores nos faciens inquit, Nolite cre-
dere omni spiritui sed probate, an ex Deo sit. Vena-
tor nanque solum escam ostendit, laqueum autem
cooperit. Sic dæmon sub virtutis vmbra tẽtat, quẽ-
admodum æmuli Dan. sub obseruatione legis, & 2. Dan. 13.
prætextu zeli & religionis. Diuersæ sunt dæmonis
artes & insidiæ: nam vnam partem solet aggredi,
aliam autem ferire: vt si alteram partem cooperias,
aliam apertam relinquas: quam possit infringere.
Solet enim contingere, vt tentatione carnis dęmon
te inuaserit: tu verò victor cùm extiteris, victoriam
laudas, & magnificas. In quo diligenter debes ad-
uertere, quod etiam si tibi fuerit visum dæmonem
de carne te voluisse tentare, non id ipse curauit, sed
potiùs vana gloria & superbia: tu verò cùm te mu-
nieris contra tẽtationem carnis, inani gloria & su-
perbia fuisti victus. Postea verò fingit se abire, & à
te discedere, vt te incautum & in vtramuis aurem
dormientem inueniat. Si tentatio te reliquerit, nè
tunc dormias, quia maiori impetu te vult inuade-
re. Tempore pacis cautiùs tibi viuendum est, quàm
tempore belli. Maius periculum patitur nauis tẽm-
pore quo mare est tranquillum, quã tempore tem-
pestatis: nã tempestatis multa sunt remedia, nullũ

Tentatio omniũ maxima non pati tentationem. autem tempore tranquillitatis. Maxima omnium tentationum est, nullam pati tentationem. Tunc potiùs existima maiores habere te tentationes, quando nulla tibi adest. Statim vt cibus stomachũ ingreditur, natiuus calor cum illo pugnat, quoúsq; illum in substantiam conuertit: si autem ad se rediens nullum cibum inuenit, quo cum bellum gerat, contra seipsum bellum init, si verò cibum ei nõ ministrat, secum vsque ad interitum pugnat. Ita nimirùm tu si foris nullas habueris tentationes, tecum ipse in corde tuo interiùs habebis. Ne pœniteat, si tenteris, si tribulationes & angustias fueris passus: nam tunc dominus, si tu viriliter pugnaueris, auxilium subministrabit: nã dominus vult propter emolumentum tuum, vt tenteris. Scriptum enim est, Nõ coronabitur nisi qui legitimè certauerit. *2.Tim.2.* Quomodo bellum erit, nisi bellatores fuerint? Non potest esse gloria, sine victoria: nec victoria sine bello. *Iacob.1.* Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ: quam repromisit Deus diligentibus se. Breuis quidem est labor tentationis, fructus autẽ copiosior: & merces magna nimis quàm inde reportabis si viceris. Tentatio permittitur à Deo: Deus autem non permittit nec patitur, vt tenteris suprà id quod potes, secundum illud Apostoli, *1.Cor.10.* Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Non protendit vires dæmon, nisi tantum ad id quòd diuina prouidentia vult. Leonáque ille qui interfecit prophetam inobedientem redeuntẽ *3.Reg.13.* à Bethel, non tetigit corpus mortui, nec iumẽtum ipsum ferens: atque ita cùm ad sepeliendum corpus venerunt, inuentum est corpus integrum & *1.Pet.5.* iumẽtum viuum. Quodquidem factum paradigma est, quòd limitatam potentiam habeat & vires, leo ille rugiens, qui circuit quęrẽs quem deuoret. Quo quidem significatur, si victus fueris, in tuam culpã esse reiiciendum: quando victor cùm possis esse, nõ vis. Vult dominus vt tentemur, vt victores existentes, triumphi palmam, & coronã accipiamus. Vnde *Iob 7.* sanctissimus Iob dixit, Militia est vita hominis super terram. Vita nanque hominis Christiani militia est, in qua nullum est pactũ, nulla quies, nullum denique fœdus percussum. Cuius quidem rei non mirari debemus (inquit Chrysostomus) sed potius mirandum est, quòd non grauiores & maiores sint tentationes. Nam si tu serpentem percuteres, non deberes mirari quòd ipse aduersus te insurgeret, sed potiùs mirari deberes si quietus maneret. Cùm igitur serpens ille antiquus tantam aduersus nos cóceperit inuidiam nostrorum bonorum operum, non mirari debes si aduersus nos insurgat: si quidem quocunque bono opere à nobis perfecto grauissimè illum percutimus. ¶Sed insurgit nunc gra- *Quæstio.* uis quęstio: nam si dominus scit, dęmonem ita pœnitere nostrorum bonorum operum: adeò vt aduersus nos insurgat, tentaturus, & cùm rectè etiam sciat dominus quòd propter has tentationes multi deficiunt, & vincuntur, & etiam quòd plures sunt victi quàm victores: quid est in causa cur dæmonem non annihilauit, cùm illum è cœlo deiecit? Cur dominus patitur, vt tentemur: quandoquidem tanti homines tentationibus dæmonis cedũt? *Chrys. li.1. de prouidentia.* Cui quęstioni suo ore aureo Chrysostomus respõdet dicens: non solùm non dominum visum fuisse nobiscum sęuitia, sed potius benignitate atque misericordia sua. Nam si dæmon coactos nos vinceret: vtique meritò de Deo nos conqueri deberemus, quando dæmoni potestatem dederat vt nos vinceret. At vincit nos spontaneos & non inuitos: nam si nos non cõsentimus fragiles sunt eius vires & potentiæ: quòd quidem clarum conspicitur in historia huius euangelij, cùm Christum tentauit non vi illi lapides intromisit in os: sed dixit, Dic, vt lapides isti panes fiant. Et quando illum tentâuit vt *Math.4.* se à summitate templi præcipitaret, nõ vi illum incitauit, vt id faceret. Et idem contigit in tertia tentatione. Quocirca cùm diabolus neminem cogat, *Nemo peccat inuitus nec coactus.* non est sufficiens excusatio dicere, dæmon me peccare fecit: quod dictum apertissimum mendacium est: nam benè posses à peccato teipsum abstinere, nisi tuæ voluntatis consensum illi dedisses. Nam etiam si dominus rectè sciret, omnes homines defecturos & casuros in tentationibus, siquidem dæmon neminem impellit, benè nobiscum factum esset si tentaremur. Nihilominus non omnes vincit, sed potiùs multi in virtute proficiunt: atque ita diuina fuit factum prouidentia vt tentaremur, vt agnoscatur firmitas, fides, & virtus bonorum, & etiã vt nota sit pigritia, inertia, & prauitas malorum. Nã si velis, clarè videbis quomodo qui peccãt, peccent ob defectum virtutis, non autem ob virium defectum, audi: Si adessent hîc duo homines ęqualibus viribus pollẽtes, alter verò magnum lapidem reuolueret, alter verò non: qui lapidem nõ leuauit, clarùm est id fecisse, cùm nollet, siquidem æquales vires cum altero habebat. Omnes homines eadem natura constamus, & æquales vires habemus naturales. Deus autem paratus est nobis omnibus fauere, si ęqualiter simus dispositi. Cùm autem multi probi ac sanctissimi viri nos præcesserint, argumẽtum est cùm nobiscum eadẽ fuerint natura, quòd si mali sumus, nõ est quod aliter non possimus, sed quòd non velimus. Vnde multitudo castorum & pudicorũ virorum, multitudinẽ eorum qui luxuriam & libidinem sequuntũr cõfundit: & multitudo humilium, multitudinem superborum reprehẽdit. Atque ita cùm tentatio & bellũ, causa sit bonis augmenti gratiæ, non est dubium, quin si Deus per impossibile posset iniuriam irrogare, irrogaret vtique iustis, si tentationem illis adimeret, siquidem cum illa tantum merentur. Quam etiam iniuriam malis inferret, si tentationem illis non daret, etiam si vincendi essent, quippe, vt diximus, tentatio nemini vim infert. Vis videre vt tentatio neminẽ cogat, nec dominus, eam permittẽdo, Dic mihi quot sunt, qui suis oculis Deum offenderũt? Eua, Dauid, *Genes.3.* & alij multi, &c. Mors intrauit per fenestras nostras. *2.Reg.11. Iere.9.* Quot sunt qui Deum auribus offenderunt? Quot qui lingua? Infiniti qui famæ proximorum detrahunt. Respondeas igitur obsecro: egitne nobiscum malè dominus, præbens nobis aures, oculos, & linguam? nõ equidem. Quot sunt qui virtutibus pec- *Luc.19.* carunt? nõ dico executiuè, sed occasionaliter? multi sanè, vt fuit Pharisæus qui ex illis sumpsit sibi ansam ad superbiendum. Sunt igitur virtutes malæ? Non ita. Quot sunt qui solis, lunæ, & ornatus cœli causa in Deum grauissimè peccauerint, hæc omnia tanquam Deum colentes? Nemo autem erit tam inops mentis, qui dicat Deũ malè fecisse illa creando. Igitur quemadmodũ multi his rebus peccarũt, nec ideò illæ malæ sunt, nec causa peccandi, sed earum malus usus: ita etiam si tu tentatione pecces, si

quidem

I. … 2. quidem illa non te cogit, nec Deus habet culpam qui eã dedit, sed tu qui facilè succubuisti. *Matth. 7. Luc. 6.* Hoc Christus insinuauit dicens, quòd homo sapiens ędificat domum suam supra petram, & venerũt flumina, & flauerũt venti, & irruerũt in domũ illã, & non cecidit: fundata quippe erat super petram. Stultus verò ædificauit domũ suã super arenã. & venerunt venti & descẽdit pluuia, & flauerũt, &c. Dic mihi quis illã domũ demolitus est? *Leg. Chrysos. ho. 4. ad pop. Ant. & præcip. 10. 5. ho. 9. in illud, Nemo læditur nisi à semetipso.* Nõ equidẽ sola tempestas, nec vẽtus: nã si verũ id esset, altera etiã domus destrueretur, nã eadem tempestas in alterutrã irruit: sed causa fuit malum fundamentum vnius, & bonũ alterius. Fragile fundamentum occasus fuit causa. Ita nimirum tentationes, quæ probos & malos aggrediuntur eædẽ sunt: qui autem cadit, malum fundamentum ei est causa. Quod idẽ in area videri potest: nam cùm ventus sufflat, paleas secum fert, triticum autẽ manet. Quis paleas fundit: vẽtus. Non vtiq; quia etiam triticum secum ferret. Causa fuit palearum leuitas. Te non ducit tentatio, sed tua voluntas quæ nihil ponderis habet in virtute. Leuis quidẽ est tua virtus, atque ita tentatio te quo voluit duxit, nõ autem iustum. ¶ Obserua autẽ quòd *Malis tentatio non obest: sed prodest.* tẽtatio nihil mali intulit malis, etiam si cum illa cadant: sed potius multum vtilitatis. Dic mihi quale maius piaculum est: in peccatum incidere cum tẽtatione, an sine illa? Clarum est, multo grauiùs esse sine tentatione peccare, quàm cum illa: nam maior imbecillitas esset cadere me non impulso quàm vi illata. Cùm igitur Deus rectè nosset malos casuros etiã nulla facta vi, nec tentatione illata: atq; ita maiorem futuram illorum culpam, & per consequens pœnam, vt aliquam portionem pœnæ illis adimeret, permisit dominus vt tentarentur. Illa domus quam suprà retulimus, etiam si pluuiæ & venti in eam non irruerẽt, paucis transactis diebus ruinam minaretur, & tandem caderet: cùm super arenam fundata esset. Ita nimirum malus etiam si à dæmone non tẽtetur, tamen ob imbecillitatem suam casurus esset: nã qui tam citò lapsus est dæmonis tentatione, paucis ab hinc diebus sua voluntate cadet nemine impellente. Dicis te luxuriosum, & inimicum odio habere, quia difficilia sunt mandata inimicum diligere, & castitatẽ seruare. Vide etiam quòd proximorum famam cõtaminas, & alia peccata cõmittis, quę nullam secũ voluptatem afferunt: quod signum est, quòd in alia priora peccata nõ incidis, nisi ob imbecillatem & deprauatum morem. Si igitur nulla oblata tentatione in talia peccata solum ob leuitatem & inconstantiam casurus eras: clarum est, quòd dominus vtetur tecum sua benignitate & misericordia, offerendo tibi tentationem, qua illaqueatus incidas: atque ita minor sit culpa, & inde minor pœna. Nihilominus tamẽ Deus semper tibi adest in tuum auxilium præbẽs tibi arma, quibus vincas, sacramẽta, & sanctas inspirationes: & denique angelum custodiæ tibi semper assistentem. *Arma cõtra diabolum.* Dimicandũ igitur tibi maximè erit, vt vincas: nam diuino præsente auxilio facilis est victoria [illegible] vtiliter & Christiano animo dimicaueris. Quia igitur ad prosternendum diabolũ fortissimũ telum est ieiunium, & ad superandas ipsius tẽtationes plurimũ valet, ingreditur Christus desertũ, tibi ieiunet: Canit nanq; ecclesia, quæ diuino spiritu regitur & gubernatur. Qui corporali ieiunio vitia comprimis, &c. Hęc arma Christus tibi assumit ad superãdas tẽtationes, & hæc vult vt accipias, si triumphi palmã, & victoriã velis consequi. *Et nihil manducauit in diebus illis & cõsummatis illis postea esuriit.* Quomodo poterat tantum tempus ieiunare? cui sine dubio respondendum est, tantam fuisse famis afflictionem quam Christus passus est post quadraginta dies, quànta fuit quãdo ingressus est desertum, siue à tẽpore illo, quo cœptum est ieiunium: quia toto tempore medio, impedita fuit actio naturalium agentium disponentium ad famem & fuit illud tempus, quasi nũquam fuisset. Christus enim erat dominus naturæ suæ, & poterat manere semper sine cibo & potu in oratione, vt hic fecit: & intentus eidem rei potuisse sic manere per decem annos, & conseruaretur in eo natura humana in sua integritate. Supernaturaliter igitur potuit se à fame tueri: & transactis quadraginta diebus cœpit esurire, & tunc naturaliter alterabatur corpus eius quantum posset alterari corpus alterius hominis eiusdem dispositionis & complexionis. Et tamen Christus tollerauit famem, à tempore quo cœpit esurire vsque ad tentationes finitas: quia nihil manducauit quoúsq; angeli venerunt ad ministrãdum ei. ¶ Ieiunauit itaque Christus, vt nostram ingluuiem destrueret ieiunio suo. In solitudine vitã degebat, vt nostras iniquas cõuersationes dissiparet: orabat, vt nostra purgaret peccata. Oratio quippe illa, & ieiunium illud victoriam nobis attulerunt. Pro nobis enim orat, & pro nobis ieiunat. Vnde ipse dominus per Ose. *Osee 11.* ait, Ego quasi nutricius Efraim portabam eos in brachiis meis: & nescierunt, quòd curarem eos. Vt curaret, & sanaret nos, recessit in desertum. Et quẽadmodum nutrici dum paruulus infirmatur exhibetur medicina, porrigitur amara potio, vt paruulus in pristinam valetudinem redeat. Sic dominus, quasi noster nutricius laboriosa ieiunia, indefessam vigiliam, & orationem sustinet: non pro suis quæ non patrauit peccatis: sed pro nostris. Vbi maximè obseruandum est, quòd Christus in deserto orat, & ieiunat: & in ciuitatibus comedit & bibit. *Hypocritarũ abstinentia.* Non sic hypochritæ: qui in occulto cùm nõ adsunt testes comedunt: at, publicè ieiunant. In occulto peccãt, foris autem fictam sanctitatem ostendunt. Meritò etiam à ieiunio incipit Christus vitam spiritualẽ: vt eodẽ modo quo mors intrauit in mũdum, intraret & vita. Per cibum parentũ nostrorũ intrauit mors in orbem terrarũ: sic etiam optimo ordine mortis destructor, & vitæ nostræ reparator à ieiunio salutem & redemptionem inchoat. *Gen. 3.* Sic etiam prima tẽtatio, quam Diabolus obtulit Iob, fuit in conuiuio filij maioris natu. *Chrys. ho. 3. & 4. ad pop. Antio. Iob 1.* Quicunque huic vitio laxas prębuerit habenas, facilè à reliquis superabitur. Et queadmodum dæmon per cibum incipit, sic Christus per ieiunium: vt optimè illud experiatur contraria contrariis curãtur. *Dan. 14.* Priùs Dan. destruxit idolum Babyloniæ: postea verò draconem, qui in illo absconditus erat. Quo exemplo ducis, & Saluatoris nostri Christi & nos discere deberemus, priùs idolum carnis destruere: si facilè volumus de aliis vitiis triumphare. Loth qui cùm abstinẽtia se ab incendio Sodomæ incolumen seruauerat, quia in *Gen. 19.* monte non abstinens fuit, grauissimũ incestũ cum filiabus cõmisit. Prima & potissima arma, quibus indui debemus aduersus aduersarium nostrũ sunt ieiunium: & ab hoc gradu incipienda est vita spiritualis. Sancti quippe tàm veteris, quàm noui instrumenti his armis potentissimos exercitus superarũt. Quis vicit exercitum Assyriorum? Ieiunium

Iudith 9. Iudith. Quis populū Israeliticū liberauit à mortis
Hester 4. sententia aduersus illū statuta? Ieiuniū Hester. Quis
Dan. 9. *Ionæ 3.* Dan. tāta ac tā magna secreta reuelauit? Ieiuniū. Et
Niniuitæ cùm essent gens infidelis ieiunio Dei iusti
tiam mitigarunt. Paulus etiā in sua cōuersione per
ieiunium vitā spiritualem incœpit, & tribus diebus
Act. 9. ac noctibus nec manducauit, nec bibit. Vnde factū
2 Cor. 12. est vt in tertium cœlum raperetur. Adam ieiunus in
Gen. 3. paradiso erat: satur autem foras fuit eiectus. Moses
Exo. 20. ieiunus legem Dei accepit: populus autē cibo me-
Exo. 32. róque ingurgitatus vitulum cōflauit, vt eum ado-
1. Reg. 1. raret. Anna etiam prophetam Samuelem concepit.
Per oppositum autem, vt scriptura ait, multi per e-
brietatem perierunt. Holofernes iugulatus fuit, A-
mō filius regis Dauid cibo meróq; potatus periit.
Balthasar rex Babyloniæ mortis sententiā audiuit,
Iud. 13. & regni amissionem. Regina Vasthi authoritatem
2. Reg. 13. suam amisit, & regno orbata est. Sunt qui lautè &
Dan. 5. opiparè comedunt, ac bibunt: similes iis, quibus
Hester 1. propter crassitiē quā in brachiis habēnt, non inue-
nitur vena, ex qua possit sanguinis missio fieri: atq;
ita contingit sæpiùs cum vena illis non inueniatur
ad interitum venire. Ita qui semper cibo & potu in
hac vita suo genio indulgēt, ita vitiosi sunt, vt priùs
quàm spiritualis medicina pœnitētiæ illis adhibea
tur, vel moriuntur, vel truncati manent, antequàm
Iudi. 3. à culpis recedāt. Eglon cùm nimis pinguis & cras-
sus esset ab vno loco non poterat discedere, atque
ita ibi interfectus est. Strenuus ac diligens dux sta-
tiones visitat: & ibi maiora fulcimenta apponit, vbi
pars imbecillior est, & inimici maiores ac fortio-
Iudi. 15. res. Cum igitur imbecillior pars sit caro nostra: ibi
cum ieiunio fauendum est. Samson sola asini mādi-
bula mille viros interfecit. Sic tu multos occides
inimicos, si dominus oris tui fueris. Quoniā autem
de hac materia multa sunt q̄ dici possunt: & multi
multa scripserunt: ego breuitatis causa solas duas
rationes adducam, quibus tibi persuasum habeas
Iob 7. ieiunium. ¶Prima ratio illa est ob vtilitatem, quam
Animæ victoria vtilis est, & animæ & corpori: ad corporis victoria perditio vtriusque. non solū efficis in anima, verumetiam in corpore.
Iam præsupposito, vt suprà diximus, quòd vita hęc
est militia quædam & continua tentatio super ter-
ram: & quòd dominus ita fidelis est, vt nūquàm pa-
tiatur nos tentari suprà id quòd possumus, nunc
1. Cor. 10. quæro à te, Si duo homines viribus & dexteritate,
& diligentia, & armis pares præliaturi exirent, vnus
contra alterum: quinam istorum vincet? Certū est
quòd vincet ille, qui fautus fuerit: nam alter neque
alter vincet, cùm in omnib⁹ æquales sint. Ita simili-
ter corpus & anima in hac vita in cōtinuo sunt bel-
lo: caro cōcupiscit aduersus spiritū, & spiritus ad-
uersus carnē: at Deus non permittit, vt tētatio car-
Galat. 5. nis valentior sit, vt vires spiritus superet. Quis igi-
tur horum vincet? Sine dubio, in cuius fauorem &
auxilium aliquis accesserit amicus. Si corpori faue
ris cibo, potu, & somno, & deniq; deliciis, & volu-
ptatibus: corpus victor existet, anima verò victa. At
si in animæ auxilium descēderis, ieiuniis, vigiliis, &
orationibus, sine dubio anima triumphabit cū vi-
ctoria de corpore. Cui igitur auxiliū præstabimus?
Animæ cū ieiuniis & orationibus: Nā si vincit ani-
ma, ipsa cū corpore in cęlo diuina beatitudine gau
debit. At si corp⁹ triūphauerit, torquebitur in infer
no cū anima victa. Secundū quòd plus emolumēti
corpori euenit si vincatur: quā si ipsum vincat: nam
si vincitur coronatur, at si vincit torquetur. Igno-
miniosa est victoria eius, gloriosum autē ab anima
vinci. Si vincit, perdit: si vincitur, lucratur. Quocir- *Rom. 8.*
ca diuus Paulus. Si secūdum carnē vixeritis, morie-
mini: si autem spiritu vitia carnis mortificaueritis,
viuetis. Nā si malè & asperè cum corpore te gesse-
ris, benè illi facis: at si blādè & delicatè illud tracta-
ueris, malū illi inferes. Ideò Christus, Qui odit ani-
mam suā, perdet eā: & qui perdiderit animam suam
in vitam æternā custodit eam. Qui eā diligit, sum- *Ioan. 12.*
mo odio ipsam prosequitur: & qui eam odit, tener-
rimè illam amat. Si tui ipsius amicus es & carnem
tuam christianè diligis, eam ieiuniis & orationibus
castiga. Quamobrē exēplo Christi Saluatoris no-
stri (cuius actiones in nostram eruditionem fiebāt)
debemus ieiunare, & macerare carnem & spiritui
eam subiigere: nā si spiritui auxilium præstamus: &
carnem spiritui subiicimus & sensualitatē rationi,
vincet vtique anima, & gloriosè in cœlo cum cor-
pore æterna beatitudine gaudebit. ¶Secundò ieiu- *Ieiunio alacriores sumus ad ascēdēdum mōtē domini.*
nare debemus vt pōdus, quod corpus humeris suis
fert, auferamus. Nam si videres hominē, qui ascen-
dere vult mōtis alicuius magni summitatem, & hic
homo pondus magnum humeris suis ferens, aliud
maius pondus etiam ascensurus assumeret, diceres
vtique, iste homo sine dubio nō vult hunc mōtem
ascendere. Quid aliud cogitas, hāc vitā esse, nisi viā
arduā & difficilem quæ tēdit in altitudinē cœli? (&
vtinā hæc quæ modo protulimus sibi persuaderēt,
nec viuerēt quasi post hanc, alia nō maneret nobis
vita.) Pōdus magnum humeris nostris ferimus: qđ
quidē corpus nostrum est. Antequā primus noster
parens peccaret, non erat pōdus, quia spiritui ma-
ximè vniebatur & cum illo gratā & iucundā socie-
tatem inierat: nā si spiritum iuuabat ieiunare, idem
& corpus cupiebat: nunc autem cōtradicit corpus
animæ & sensualitas rationi resistit: si adeò, vt diu⁹
Paulus hanc contradictionē maximè in se sentiret, *Rom. 7.*
cū dicebat, Sentio aliā legem in membris meis re-
pugnantem, &c. Quemadmodū enim nullū est pō-
dus brachium, cum corpori vnitū sit, nec vllā mo-
lestiam infert: at si scinderetur & super humerum
apponeretur, molestiā & pōdus inferret: ita nimirū
antequam Adam peccaret, nullum pōdus erat cor-
pus: at post peccatum maximum est pōdus propter
diuisionem, quam cum anima habet. Corpus quod *Sap. 9.*
corrumpitur aggrauat animā. Antea incorruptibi- *Rom. 7.*
le erat, & nihil grauitatis habebat: at postea ita pō-
derosum est factum vt dixerit Paulus, Infœlix ego
quis me liberabit à corpore mortis huius? Si vigila-
re vis, ieiunare, aut orare: renuit corpus. Vide igitur
quòd dùm magis ac magis illi blāditus fueris, ma-
ius pōdus super teipsum imponis. Si igitur cū ma-
gnū pōdus corporis tui feras, volēs ascēdere in mō-
tem domini, potum & cibum illi superfluè dederis:
nónne pondus ponderi addis? Si quis oneratus in-
cedit, & maius pōdus sibi assumit, nō vult montem
ascendere: quomodo dicendum est quod qui cibo
meróq; se ingurgitāt, in cœlū volūt ascendere? At-
que ita iudico, quòd hi tales nō cupiunt cœlū con-
scendere: quādoquidē cum deberent onus corpori
detrahere, vigiliis, ieiuniis, & orationibus potiùs il-
lud augent: vt spiritus à carne oppressus nequeat
in altū euolare. ¶Præterea cōtra omne ius & ratio- *Indignū est vt maior seruiat minori: ita quoque vt anima corpori seruiat.*
nem videtur, quòd cū habeas duos seruos, alterum
sapientē, alterum verò ineptum & amētē, compel-
leres sapientē ignorāti seruire. Quod quidē exeque
ris cùm facis spiritum carni obedire. Quocirca cu-
rādū tibi est, vt ieiuniis & orationib⁹ carnē spiritui
subiicias,

subiicias, si verò caro aduersus spiritum surrexerit, *Capit. 16.* castigabis illam ieiuniis. Sed quia de his inferius de diuite illo epulone sumus dicturi: nunc ad contextum accedamus. *Dixit autem illi diabolus.* Cùm dæmon videret Christum fame opprimi, accessit ad illum corpus sibi aëreum assumens, in forma cuiusdam deuoti viri aut sancti eremitæ, vt callidiùs illũ falleret. In quo aduertere debes quomodo mali opportunum tempus sibi expectant, vt malitiam suam *Gene. 4.* exerceant. Ita impius Cain tempus opportunum quæsiuit, vt fratrem Abel interficeret: atque ita duxit eum in campum, vt ibi sine testibus, nefarij *Genes. 39.* delicti necem fratri inferret. Vxor Putifar expectauit etiam tempus in quo castum Ioseph solùm inueniret, vt illum ad turpitudinem patrandam alliceret. Iudas etiam quærebat opportunitatem vt Iesum *Matth. 26.* traderet. Ita dæmon cùm videret Christum fame comprimi: opportunum satis tẽpus fuit illi visum, vt tentatione gulæ illum aggrederetur. Quod idem nobiscum iniquus facit: nam quando videt nos saturos & benè potos, luxuria nos tentat: si fame oppressos, gula & impatientia nos aggreditur: quãdo fœlices & prosperos, superbia & ambitione nos in-*Genes. 34.*uadit. Sic filij Iacob acceptis gladiis depopulati sunt vrbem Sichem: quando erat grauissimus dolor vulnerum. Ita dęmon cùm virtus in nobis debilior & infirmior est, nos tentat & inuadit. Scit enim tẽpus expectare sibi ad tentationem aptum. Vtinam boni ita benè scirent nó amittere occasionem boni faciendi. *Gen. 18.* Sanctus Abraham media die in foribus tabernaculi sedebat expectãs an aliquis veniret peregrinus vt ei cibum ministraret: nam tempus illud opportunum erat, in quo peregrini & viatores solẽt *Genes. 19.* ab itinere quiescere. Loth etiam, qui nutritus erat in domo sanctissimi patriarchæ Abraham ab eo didicerat vesperi hospites expectare, quando iam itineris finem faciunt, & noctè volunt conquiescere, &c. Sed de his aliàs.

¶ *Diaboli suspitio de Christo.* Cùm igitur dæmon inimicus humani generis intelligeret aliquo tempore futurũ esse, vt homo recuperaretur, quódq; dominus cùm illo misericordia vtens repleturus erat sedes, quas angeli perdiderant: animabus sanctis tanquam Dei & nostrorum omnium inimicus timens perditionem & deuastationem regni sui, quæ fieri debebat per Christum Iesum, à mundi cõstitutione sollicitus ambulabat, vt sciret, quis nunc esset qui regnũ dæmonis erat destructurus, & vitam nostram repa-*Luc. 2.*raturus, vt nostram redemptioné impediret. Atque ita cùm vitæ hominum insidiaretur, vidit natale Christi, & cantica, & festa ab angelis facta: tuncque miratus valdè & turbatus extitit. Expectauit igitur & vidit illum sanguinem fundere in circuncisione, & per pueritiam transire tanquam purus homo nullis datis suæ diuinitatis signis vsque ad duodecimum annum, quãdo inter doctores legis in templo suam diuinam & admirabilem sapientiã demõstrauit. Insidiatus est illi vsque in trigesimum annũ suæ ætatis, cúmque toto illo tempore vidisset nulla dedisse signa suæ diuinitatis, quieuit & secur⁹ mãsit: atque ita videbatur illi Christũ non esse filium Dei, sed purũ hominé. At cum in baptismo audisset *Matth. 3.* vocé patris dicẽtis, hic est filius meus dilectus, turbatus fuit & confusus: cúmq; etiã vidisset illũ in deserto quadraginta diebus & noctibus ieiunasse, vehementius multò admiratus est: tuncq; sine dubio credidit illũ esse filiũ Dei, à quo destruẽdus & vincendus erat. Sed cùm videret eum fame discruciari, valdè gauisus est, cùm intelligeret illum esse verùm hominem morti subiectum, & reliquis aliis passionibus humanis. Cùm autem dæmon in eo vidisset alia hominis signa, alia verò Dei: ita perplexus & confusus mansit, vt nesciret in quam se inclinaret partem: nam mysterium incarnationis dæmones non intellexerũt, quousque audierunt euangelium prædicarĩ ab apostolis, secundum illud Pauli. Vt innotescat principibus & potestatibus in cœle-*Ephe. 3.*stibus per ecclesiã multiformis sapientia Dei. Quod quidem non de angelis sanctis (vt aliqui existima-*Ca. 11. infrà date eleemosynam.*runt) intelligendum est, sed de dæmonibus, vt nos latiùs differemus. Christus igitur sic suam deitatem abscondit vt à dæmone cognosci non potuit. Vnde sponsa in canticis de sponso suo Christo ait, En ipse stat post parietem nostrum: respiciens per fenestram, prospiciens per cancellos. Cùm aliquis *Cant. 2.* est in fenestra per cancellos & rimulas aspiciẽs partim videtur, & partim non videtur: ita, vt etiam si videas ibi aliquem esse, non potest percipi nec cognosci quisnam ille sit: Ita verbum diuinũ prospiciens erat per cancellos humanitatis, quòd etiam si signa aliqua sui ipsius ostendebat, & aliqui cognouerunt illum, valdè inclusus erat: etiam si per cancellos humanitatis splendoré suæ diuinitatis emittebat, miracula stupenda faciens, quibus seipsum cognosci dabat. Ita tentator Sathanas cùm videret eum esse hominem, & ex altera parte deitatis & diuinitatis radios emittere, decreuit hoc negotium clarum efficere, cum iam defatigatus esset tanto tempore illum persequi. Vt autem hoc negotium adeò arduum & difficilè aggrederetur, vt animum assumeret, hanc secum fecit coniecturam: Magnam semper suspicionem habemus omnes, hunc esse filium Dei, & valdè timet princeps noster ab hoc esse destruẽdum. Ego igitur nunc decertiere volo negotium hoc: nam vel ero victus, vel non. Si victus fuero, non mihi ignominiosum erit, à tanto atque tam sancto viro vinci, in quo vnquam nec vnum veniale peccatum fuit inuentum. At si multi homines, qui peccatores fuerunt, me quotidiè vincunt: non multum erit à tam sanctissimo viro vinci. At si victor euasero, maximã mihi palmam arripio, quã nullus vnquam dæmon fuit consequutus. Qualis obsecro maior gloria mihi cõtiget quàm si principem meum certiorem fecero, hunc hominem non esse filium Dei? Vbi igitur tantum poterit esse lucri, iactura verò nulla vel minima, ignauia erit, illũ non aggredi: nunc præcipuè quando fame præmitur, & aptus est tempus tentationi. Ita tentator habitu religionis & honestatis, accipiens manibus suis lapides, obuiam exiit Christo, dicẽs, *Si filius Dei es dic lapidi huic vt panis fiat.* Ne credas quòd statim, vt illum vidit dæmõ, hac quæstione fuit aggressus: nã euangelistæ breuitatis causa solùm conclusiones rerum scribunt. Aliis ambagibus & circũloquiis ingressus dæmõ, priusquã suam tentationé propalaret. Priùs igitur illum salutauit amicis verbis, & posteà dixit illi, Etiam si me nó agnoscas, multi aguntur iã dies ex quibus ad me tui fama & notitia peruenit. Volat etenim per vniuersum orbẽ tuæ bonitatis, & sanctitatis nomen & fama: nunc præcipuè cum tanto atq; tam mirabili ieiunio. Miror equidẽ valdè tuæ vitæ asperitatem, si adeò vt credam, té non esse nisi Dei filium & Messiam; quem Iudæi expectamus. Si tu is es, quem ego suspicor, nullo opportuniori tempore posses venire: nam mundus ita perditus

eſt vt ego propter tot tantáque ſcelera, vt ſunt in Ieruſalem, ab ea fugere & aliquibus diebus in deſertum recedere volui, vt meliùs longè procul à negotijs mũdi, Deo poſſim vacare: at iam in domum meam recedere volo. Cũ autem tu poſſis tuæ vitæ ſanctimonia & exemplo, tot atque tantas animas perditas lucrari, & à peccato reducere: videtur mihi meliùs & magis acceptum Deo eſſe obſequium, ſi Ieruſalem tendas, & pœnitentiam prædices, quã hîc in deſerto eſſe abſcõditum. Cùm autem ita macilentus ſis, & adeò fame opprimaris, hic verò nemo adſit, qui cibum poſſit miniſtrare, quouſque illuc perueniamus: ſiquidem filius Dei es dic vt lapides iſti panis fiant. Filius Dei mutauit Moſi virgã in ſerpentem, aquas Aegypti in ſanguinem, & vxorem Loth in ſtatuam ſalis. Dic iubens: nam de Deo ſcriptum eſt: Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. Vnico ſolo verbo, fiat, vniuerſa condidiſti, & nunc eodem modo iube, & dic fiat: & cõuertentur lapides iſti in panem.

Exod. 4. Exod. 7. Geneſ. 19. Pſal. 148. Geneſ. 1.

Diabolus piſcator.

¶ Perpende autem diabolum hanc proprietatem habere: quia vt cognoſcat ſecreta cordis: habet ſe ſicut piſcator cùm piſcibus quos vult capere. Nam piſcator hamum mittit in fluuium, qui etiam ſi nõ videt piſces, tamẽ cùm videt ſignum demergi, intelligit captum eſſe piſcem: atq; ita extrahit illum ab aqua. Simili modo cor noſtrũ fluuius eſt profundiſſimus, cùm autem dæmon ob eius profunditatem nõ videat, nec cognoſcat ipſius ſecreta (hoc quippè ſoli Deo competit) hamum mittit eſca coopertum, expectátque an in cibum præcipites feramur. Nunc vt experitur an carnales ſimus, eſcam carnis apponit, intenditq; diligenter, quòd illius amorem cupiamus. Si autem videt nos in libidinem inclinari, occaſiones quærit: vt ſæpiùs in id peccatum incidamus. Cùm igitur dæmon ſcire vellet, an Chriſtus filius Dei eſſet, volebátque illum inducere ſi miraculum aliquòd faceret, quo cognoſcere poſſet, eſſétne Dei filius: Ideò ait illi, Dic lapidi huic, vt panis fiat. ¶ Diſce ô homo quòd quando dæmõ occaſionem obtulerit vt Deum offendas, nihil aliud eſt quàm palliatus hamus, quo animam tuam vult capere. Si autem piſcis ſentiens ſe eſſe captum conatur hamum effugere: cur tu non curabis Satanæ tentationẽ euadere? Statim ab eo debes fugere, & à ſuis compedibus liberari: quia hic crudelis piſcator ad nihil aliud te cupit, niſi in mortẽ & tormenta. Ita in hoc loco voluit tentare Chriſtum vt ſciret an filius Dei eſſet, vt vel ſic poſſet noſtræ ſaluti & redemptioni eſſe impedimento. Ita igitur aggreſſus eſt illũ dicẽs ſi filius Dei es, &c. ea oratione & verborum ambagibus quas anteà retulimus. Hæc fuit tentatio dęmonis. At verò antequam vlterius procedamus, & videamus quid Chriſtus reſpondit; operæ pretium erit aliqua iſtorum verborum expendere.

Similitud.

Intellectus diaboli ligatus, in pœnã peccati.

¶ Primò apparet ex his verbis dæmonis intellectum ligatũ ſeu impeditum eſſe à Deo in pœnã ſui peccati: ita quòd non ſolũ potentia eorum ſit ligata: ſed etiam vis intellectiua: taliter vt nequeat cognoſcere, quæ ex vi naturali ſui luminis cognoſcere poſſent. Nam ex eo quòd ex verbis angeli ad virginẽ factis, & verbis angeli ad paſtores, & ex verbis in baptiſmo prolatis dæmõ non cognouit Ieſum eſſe filiũ Dei (cum id nunc curet miraculo cognoſcere) clarè colligitur ea omnia teſtimonia non intellexiſſe: nam nullã maiorem certitudinem ex illo miraculo haberet, quòd Chriſtus eſſet filius Dei, quam ex illis teſtimoniis. Sciebat enim diabolus angelos cœleſtes non mentiri.

¶ Præterea diſcutiẽdum nobis eſt, vnde diabolus ex hoc miraculo poterat ſcire Ieſum eſſe filium Dei: Nam alij viri ſancti, alia maiora miracula fecerũt, nec aliquis eorum ideò fuit filius Dei habitus: vt fuerunt Helias & Heliſæus, Moſes, & Ioſue. Dixerunt aliqui quòd dæmõ rectè ſciebat, quod propter hoc miraculum non cognouiſſet Chriſtũ eſſe filium Dei: ſed quòd modum & formã faciendi miraculi expectabat. Nam maximum diſcrimen eſt, ſi fiat miraculum per imperantis modum, vel per deprecantis & orantis: nam imperare eſt domini, orare verò & deprecari eſt ſerui. Vnum autem illud in quo Chriſtus oſtendit ſe eſſe filium Dei, fuit faciẽs miracula per modum imperantis tanquam dominus, & Deus: quòd alij ſancti nõ fecerunt, ſed Deũ orantes & deprecantes tanquam ſerui & miniſtri, hinc factum eſt, vt Sathanas modum & formã miraculi expectaret, vt inde colligeret, eſſétne Chriſtus fili' Dei néćne. At hæc ratio mihi nõ placet: & nullam vim habet, nam poſſet Chriſtus hoc miraculum facere vt ipſe vellet, vel iubens, vel orans, interius in cogitatione ſua: tuncq; dæmõ videret lapides in panẽ conuerſos, nec ſciret modũ ac formã qua miraculum fuit factũ: atque ita inſcius & ignarus maneret. Ideóq; vt hãc tentationem intelligas aduerte, quòd in quibuſcunq; miraculis potiùs attendi debet cauſa miraculi, quàm ipſum miraculũ. Miraculum namque quòd fit in comprobationem teſtimonium alicuius concluſionis, illam concluſionem efficit infallibilis veritatis: nam cùm Deus qui auctor eſt miraculorum, qui teſtimonium non poteſt proferre mendacij ſi in teſtem illius concluſionis adducatur: concluſio manet veritatis infallibilis. Quãdo beatus Petrus Apoſtolus prædicabat, Deum humanam naturam ſibi copulaſſe, Deus autem in teſtimonium & probationem huius articuli aliquod operaretur miraculum: hæc propoſitio, Deus humanam ſumpſit carnem, infallibilis veritatis maneret: quãdoquidem Deus, qui ſumma veritas eſt, ipſo miraculo teſtimonium protulit. Cũ igitur dæmõ hãc rectè didiciſſet theologiam, dixit Chriſto. Si filius Dei es, dic, &c. Ac ſi diceret. In teſtimonium huius veritatis, quòd tu filius Dei es, miraculum operare: faciens, vt lapis hic in panem conuertatur. Quòd autẽ Chriſtus lapides in panẽ conuerteret, hoc quidem non probaret, illum eſſe filiũ Dei: at ex lapidibus panẽ facere cũ hoc addito, ſcilicet, vt oſtẽdatur miraculo veritas iſtius propoſitionis, tu es filius Dei: optimè probaretur Chriſtũ eſſe filiũ Dei. Quòd verò miraculum eſſet lapides in panẽ cõuertere, vel aliud quoduis parum refert: nã quodcunq; miraculũ ſi id factũ eſſet in teſtimoniũ quòd Chriſtus erat filius Dei, vtiq; probabat infallibiter illũ eſſe filiũ Dei. Itaq; hæc fuit ars & calũnia, qua dæmõ Chriſtũ tẽtauit.

3. Reg. 7. 4. Reg. 4. Geneſ. 8. Ioſue. 10.

¶ Expende autẽ in his verbis, quòd Lucas hîc loquitur in numero ſingulari dicẽs: Dic lapidi huic vt panis fiat. Matthęus verò in plurali loquutus eſt, dic vt lapides iſti panes fiãt in hoc autẽ nulla eſt cõtradictio, nã Lucas numerũ ſingulare pro plurali accipit, qui mos ſcripturæ diuinæ eſt. In Exodo quippè legitur, venit muſca grauiſſima, id eſt, multitudo muſcarũ. Itaq; Matthæus propriè loquutus eſt, referens eadẽ verba quæ diabolus dixit: Lucas autem ſignificatiuè loquutus eſt ponens ſingulare pro plurali. Ideò

Matth. 4.

Exod. 8.

vtro

vtroq; modo benè stare potest cùm similia in scriptura reperiamus. ¶ Obserua etiam quomodo diabolus curat seruos Dei à diuinorum consortio, in corporis curas & sollicitudines retorquere. Dei enim studium est, nos è terrenis ad cœlestia prouocare: diaboli autem studium in carnis amorem deflectere. *1. Cor. 15.* Deus vult, vt edamus, ad euangelizandum: diabolus verò vt euangelizemus ad edẽdum. Deus mundum subdidit homini, vt à mundo ascenderet in Deũ: *Roma. 8.* diabolus vellet, vt miracula omnia & mundum ipsum ad edendum homo destinaret. Sed prudentia carnis inimica est Deo: legi enim Dei nõ est subiecta, neque enim potest. ¶ Aduertendum etiam venit, non dixisse dæmonem Christo, vt ex lapidibus capones faceret, nec pauos, nec alios cibos his similes, qui pretiosi sunt, & magni sumptus: sed q̃ faciat panem: nam dæmon si parua re te capere potuerit, nũquam pretiosam tibi dabit. Si te in infernum potest detrudere, si vnum solùm argenteũ sumeris: non vtiq; mille tradet ducatos. Nescit seruis suis multum dare, sed minimas: nihilominus tamen vult diligenter ministrari: & ob parua vult nos in infernum ducere. *Luc. 15.* Sic filius prodigus cupiebat siliquas: *Deut. 9.* & dæmon, cui seruiebat, illi non dabat. Voluptates in pondere, & mensura hominibus tribuit. Sed iam Christus quid diabolo responderit audiamus. *Et respondit ad illum Iesus, Scriptum est quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* *Vide Theophilact: in hunc locum.* Multi hic nescio quid de anima & corpore differunt dicentes, quòd sicut corpus indiget cibo corporali, ita anima verbo Dei: quòd cibus est ipsius: quæ responsio esset extra propositum. Nam dæmon non hîc de cibo animæ, sed corporis loquebatur: nam anima benè saturata erat quadraginta diebus cõtinuis ieiuniis & orationibus: atq; ita manifesta insania esset si diceret ei dæmon habéri famem corporalem, quòd conuerteret lapides in panem, vt comederet, si Christus responderet, animam necessitatem habere verbi Dei. Sensus igitur est iste. Ac si diceret illi dominus, Non constringitur Deus, vt solo pane hominem possit sustinere: quia homo potest viuere non in solo pane, sed in omni verbo: hoc est, in quacunque re. *Exo. 16.* Nónne sustentauit filios Israel quadraginta annis in deserto sine pane? Ita etiam me pascere & sustentare potest frondibus harum arborum, & herbis campi, & alia quacunq; re: nã diuina potentia non vnico tantũ cibo constringitur, aut arctatur: siquidem hominẽ pascere & alere potest, quacunque alia re. Et dico tibi quòd non solùm quacunque re potest me sustentare: sed in omni verbo: hoc est, in sua veritate, etiã si nihil comedam, ac bibam. Deus enim potens est quem voluerit, sine cibo sustentare. *Verbum pro virtute, Item pro re.* Vnde verbum in hoc loco accipi potest pro virtute, iuxta illud Pauli, Portánsque omnia verbo virtutis suæ. *Hebre. 1.* Et quòd verbum accipiatur etiã pro re: innumera sunt loca scripturæ, id manifestantia. *Esaia 39.* Vt est illud Esaiæ, Non fuit verbũ, quod nõ ostenderit eis Ezechias. Et post pauca ait scriptura quòd dixerit rex Ezechias Esaiæ, Nõ fuit res, quam nõ ostenderim eis: in thesauris meis. Vbi apertè vides, quomodo in priori loco verbum sumitur pro re. *2. Reg. 1.* Sic Dauid, Dixit Amalechitæ, quærẽs de rebus, quę acciderant in bello. Quod est verbum quod factũ est? Indica mihi. Qui ait, Fugit populus ex prælio; & multi corruentes mortui sunt. Multa alia loca adduci possent ex scriptura, vbi verbũ sumitur pro re: nunc autem, vt fastidium vitẽ ea prudens prætereo. Sæpè enim in libris regum dicitur, Reliqua autem, quæ fecit talis rex, nónne scripta sunt in libro verborũ regũ Israel, vel regũ Iuda: hoc est in libro gestorum, vel rerũ. Igitur in omni verbo *Exod. 34.* id est, in quacunq; re: vel sine re aliqua potest Deus hominẽ sustentare absq; pane, sicut sustẽtauit Mosem quadraginta diebus, sine aliquo cibo: quẽ etiã poterat sustentare centum annos si voluisset.

¶ Ad nostram eruditionem discamus ex hoc loco vitã nostram non ex communi rerum vsu pendere, sed ex diuino beneplacito: nã si velit Deus, rebus pugnantibus suos sustentabit. *Numer. 20.* Quis credidisset aquam eductam de petra, aut Marath dulces posse *Exod. 15.* aquas effundere? Sed non in communi rerum ordine vita spiritualium consistit: sed in diuina voluntate. Ita equidem cùm te in extremo discrimine conspexeris, cũ nec panis nec alia res tibi sit, in qua fiduciam habere possis: intellige Deum esse potentem, ita vt sine pane, nec aliqua alia re possit te sustentare. *Matth. 6.* Nõ in cura rerum temporalium viuas: sed primùm quære regnum Dei, & iustitiã eius, & hæc omnia adiicientur tibi.

¶ Discamus etiam in nulla re dæmoni consentire, etiam si bonum appareat, quòd suadet: *Diabolo non consentiendũ licet suadenti bonum.* exemplo Christi, qui non acquieuit dictis ipsius. Nec ab impiis quidquam accipiamus, sicut Christus noluit accipere quod diabolus offerebat. Noluit sanctus Abraham ditari à rege Sodomorum: sed à Deo solo: *Genes. 14.* atque ideò dixit, Leuo manum meã ad dominum meum excelsum, possessorem cœli & terræ, quòd à filo sub tegminis vsque ad corrigiã caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt. Nec Rebecca *Gen. 24.* ditari voluit auro Bathuelis, sed in domo Abrahæ ditari voluit. Nihil accipiendum tibi est nisi à Deo. Sic Dauid cùm malediceretur à Semei: Dominus *2. Reg 16.* præcepit ei, vt malediceret Dauid. Et Iob, Si bona *Iob. 2.* domini suscepimus, mala autem quare nõ sustineamus? Mala & bona à Deo tantum volunt accipere iusti, & nihil à mundo. Nullum sit nobis commer- *Luc. 9.* cium cum mundo, sed etiã puluerẽ pedũ nostrorũ excutiamus corã eo: & nihil suorum bonorum aut malorũ accipiamus, aut concupiscamus. ¶ Deniq; discamus, modestè respõdere aduersariis nostris eò *Responsio lenis mitigat iram.* quòd potiùs vincũtur rationibus, quàm contumeliis. Poterat Christus vincere diabolũ sua potestate, & illum reprehendere, & contumeliis afficere: sed noluit illum viribus, sed ratione superare: nã defendere se authoritate scripturæ, est ratione se tueri. Multi nunc animo obstinato & superbo, cùm non habeãt quid possint respondere obiectionibus, statim cõtumeliis & conuitiis aduersarios afficiũt, qui mos hæreticorũ est. Sic etiã Iudæi sæpè Christo respondebãt, & conuicti ratione vocabãt illũ dæmo- *Ioan. 8.* niacum, & Samaritanum: & etiã confusi ratione, lapides sumebant aduersus eũ. Prælati etiã & magistratus discant, vt non verbis contumeliosis subditos cõuincant, sed ratione. *Et duxit illũ diabolus in mõtem excelsum.* Iã vides, quòd inter Matthæum & Lu- *Concordia Matth. & Lucæ.* cam non seruatur ordo tẽtationum; quia Matthęus secundã posuit tẽtationẽ, quæ fuit in pinnaculo tẽpli: & tertiã & vltimã in monte. Et Lucas secundã ponit eam, quæ fuit in monte, tertiã verò, quæ fuit in pinnaculo. Sed nulla est discordia inter eos: quia licet necessum sit, quòd alter eorũ mutauerit ordinem naturalẽ rerum gestarum: non ideò errat, aut alteri contradicit: quia ordo naturalis rerum sæpè mutatur in scriptura, & in aliis scripturis per an-

ticipa

ticipationē & alios modos: cū ordo artificialis in ratione rerū sæpè sit vtilior ad intelligendū, quàm *Ioan.13.* ordo naturalis. Sic inquit Ioānes, quòd cœpit Christus lauare pedes discipulorum suorum & posteà dicit, quòd venit ad Simonem Petrum. Primò omnium Petrum lauit, sed quòd primò dixerat, quòd cœpit lauare pedes, per recapitulationem dixit. Lucas igitur non seruat hìc ordinē historiæ, sicut nec in capite præcedenti, cùm primò egit de carcere Ioannis Baptistæ & deinde quomodo Christum baptizauit: vt ibi iam disseruimus. Matthæus verò sequutus est ordinem naturalem in narratione harum tentationum: quia secunda fuit in pinnaculo templi, & tertia in monte, & hunc ordinem nō seruat Lucas. Et quod hoc ita se habeat, patet satis: quia Matthęus postquam egit de priori tentatione dixit, Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem: & statuit eum suprà pinnaculum templi. Ergo videtur quòd immediatè fuit. Sed Lucas sic non dicit, sed post tentationem lapidum ait, Et duxit illum diabolus in montem: qua finita ait, Et duxit illum in Hierusalem. Et sic nō posuit Lucas aliquam dictionem significantem ordinem temporis aut continuationem: sed Matthęus illam posuit dicens, tunc assumpsit eum diabolus. &c. Ergo credēdum est potius Matthæum seruasse ordinem historiæ, quàm Lucam. Nos verò tātummodo in narratione tentationum ordinem Matthæi sequemur.

Replica ad Christi responsionem. ¶ Igitur diabolus postquàm priùs tentauit illū in deserto, duxit illum in pinnaculum templi, & dixit ei, vt mitteret se deorsum: quæ tentatio replica est contra responsionem quàm responderat in priori tentatione. Dixerat enim Christus quòd nō in solo pane viuit homo. Contra hoc arguit diabolus sic, Ita necessarius est panis, vt homo sustētetur, quàm scala ad descendendum ab hoc pinnaculo: si igitur tu dicis quòd sine pane potest Deus te ipsum sustentare, etiam dices sine scala posse infrà descendere. Si ita igitur in Deo confidis vt existimes, eum te posse sine pane alere, & sustentare: confide etiam quòd sine scala poteris descendere, cùm non sit maior ratio de vno quàm de alio. Si autem ad id, quòd tu dicis, non in solo pane hominem viuere, *Deute. 8.* locum scripturæ in Deuteronomio adducis: etiam *Psal.90.* locus scripturæ aliud probat. Angelis scilicet suis mandauit de te, &c. Cùm igitur ambo hæc æqualis potentiæ Deo sint, & ambo sua loca scripturæ habent: & credis quòd sine pane possit te alere, crede etiam te sine scala posse descendere, atque ita mitte te deorsum.

¶ Aduerte quòd dæmon in priori tentatione nō adduxit scripturam, nunc autē adduxit: quia Christus in data responsione scripturā allegauerat. Nam poss͡et dicere Christus, quòd illi priori, non in solo pane viuit homo, erat locus scripturæ: ad secūdum verò quòd se præcipitaret, nullum esse locum.

¶ Tertia etiam tentatio ad propositum maximè facit: nam postquā Christus respondit, Non tētabis dominum Deum tuum: duxit illum in sublimem montem: & ostendens ei omnia regna mundi, dixit illi, Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me. Ac si diceret, Verè in his paucis quæ tecū egi, clarè cognoui, te hominem doctum ac sanctum esse: nūc igitur siquidem tu dignus es, volo me tibi manifestum facere quis sim. Scias me hominem ditissimū esse & adeò potentem, vt omnia hæc regna, diuitias & imperia, quæ vides, mea sunt, eáque possum donare cui libuerit. Vt igitur à tātis curis mundanæ gubernationis me seiūgam, & vt meliùs possim Deo vacare, quæsiui hominem studiosum & probum cui hæc omnia possem tradere: tu autē is mihi visus es, vt his omnibus sis dignus: atq; ita ea omnia tibi libet donare. At est hic quoddam inconueniens: nam timeo quòd tanto honore & dignitate mutabis tuos mores: quia honores mutant mores. Nam Saul, qui sanctus erat & humilis statim vt vidit se in regē electum superbus ac malus fuit: quia *1 Reg.6.* igitur aliud simile huic tibi non contingat, nolo vt rex absolutus sis, sed quòd mihi subiiciaris, & me dominum agnoscas: atque ita hæc omnia tibi volo tradere, si obsequium & dominiū præstiteris. Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me. Hæc est phrasis & enarratio trium harum tentationū: nunc verò iuxta contextum beati Lucæ hæc omnia & singula latiùs discutiamus: ait ergo Lucas, ***Et duxit illum diabolus in montem excelsum & ostendit ei omnia regna orbis terræ in momento temporis, & ait illi.*** Prior tentatio fuit in deserto quodam, quòd est inter Hierusalem & Hierico: & hæc tentatio montis fuit duobus milliaris propè illum locum. Multi hìc errauerunt, dicentes: quòd diabolus ostēderit digito omnia regna dicens, In tali loco est tale regnum & in tali talis prouincia, & in tali hæc ciuitas, & hæ diuitiæ. Vel quòd ostendit in mappa mundi. Quòd nullo modo stare potest: quia textus nō dicit quòd narrauit, vel enumerauit, sed quòd ostendit: hoc est, oculis corporeis vidit visibiliter omnia regna mūdi & diuitias eorum. Præterea si in momento mōstrauit, vt hìc Lucas noster dicit: non vtique digito ostendit, dicens hic est Roma, illic Antiochia, ibi Alexandria, Rhodos, Athenæ, &c. quia hoc in momento tēporis fieri non poterat. Sed quòd in mappa ostenderit hoc nihil erat. Quapropter dicēdum est quòd arte magica & incantationibus fecit diabolus, vt in mōtis illius spatio omnes ciuitates mūdi opulentissimæ apparerent, omne aurum, argentum, & quidquid mundus amat. Non tamen intelligas quòd statim illa apparitio opum, regnorum & diuitiarum ab oculis Christi euanuit, sed quòd durauit toto tempore, quo durauit tentatio: sed in Christi phantasia nihil operatus est. ¶ Expende autem quòd diabolus vt Christum tentaret, quē maximum sanctum esse credidit, omnia mundi regna & gloriā eorū, & diuitias ostendit: sed nos non tātis diuitiis & honoribus tentat, sed vili & abiecta re, qua sola nos superat & vincit. O quot quantiq; sunt homines, qui diabolū adorāt vilissimo pretio, pro vilissimo scorto: & pro parua pecunia! Quot mercatores & vēditores vnico solo argēteo se diabolo subdunt iurantes, mentientes, & emptorē decipientes! &c. ¶ Præterea regna illa, & diuitiæ non veræ fuerunt (vt modo dixi) sed fictitiæ: Sic mundi honor, diuitię, & quicquid sub cœlo est, vanum est, & vt Iacobus ait, vapor est ad modicum apparens. *Iaco.4.* Hæ tēporales diuitiæ vmbra sunt illarum diuinarum atque cœlestium. Vanę sunt, & temporales diuitiæ, quandoquidem tam vanum finē sortiuntur. Dormierunt somnum suum viri diuitiarū: & nihil *Psal. 75.* inuenerunt in manibus suis. Vanum, id est & caducum, quòd à tanto atq; tā diuino bono (vt Deus est) *Psalm. 4.* te seducit. Ideo Dauid, Filij hominum vsquequo graui corde: vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? tanquam vile stercus Apostolus illas iudicabat, qui dixit, Omnia arbitratus sum vt *Philip.3.* stercora.

Locus tentationis Christi & modus.

Vide Theophi. in hoc loco.

stercora. Quapropter si veri diuites esse cupitis, veras diuitias amate. Puer pluris habet equum cõfectum de arundine, quã omnes equos regis: & puella pluris habet pupulam, quàm omnes mundi mulieres pulchras atque formosas. At tu qui homo es, quid est, quòd diuitias terrestres, cùm vanę illæ sint & perituræ diligis, & cupis? Vnde Salomon valdè homines miratus, qui has res terrenas diligunt & veras relinquunt, inquit: Vsquequo paruuli diligitis infantiam. Nõ sic Paulus qui dicebat, Cùm erã paruulus loquebar vt paruulus, sapiebam, vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erãt paruuli. Si in tragœdia aliqua Faber ferrarius vel sutor ingrederetur regalibus vestibus indutus: nónne, qui illum, vt regem coleret, insanus & amẽs indicaretur? Reges igitur huius mundi nihil aliud sunt, nisi reges comœdiæ & ficti: & omnes eorũ diuitię (si eas conferas cum veris & æternis) fictæ atque falsæ sunt. Ne simus pueri, siquidem homines adulti sumus: ne simus ignari, siquidem sapiẽtes & prudentes volumus haberi: tuncq; pueri & infantes erimus, quando terrenas diuitias plus æternis & veris dilexerimus. Nam sicut hæ diuitiæ, quas diabolus obtulit Deo, non erant veræ, sed magicæ atque fictitiæ: sic etiam sunt diuitiæ huius sæculi, & quidquid mundus continet.

Sap. 1. Gala. 4.

¶ Obserua etiam quòd aptè in momento tẽporis sæcularia & terrena demonstrãtur: in quo caducæ fragilitatis potestas humana declaratur. In momento enim hęc temporalia transeunt, & sæpè honor huius sæculi transit, antequam adueniat. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cùm ipsa sæcula nõ sint diuturna? Discamus has mundi diuitias cõtemnere non solùm ob earum falsitatem, & vanitatem, sed etiam propter earum breuitatem. Non solùm hæ diuitiæ quas diabolus Christo ostẽdit, falsæ erãt & imaginariæ, sed in momento ostẽsæ breuiter euanuerũt. Sic honor, sic potestas, sic diuitiæ, sic denique quidquid mundus habet citò transit & fugit. Vnde Paulus, Præterit enim figura huius mũdi. Inconstans est gloria eius, & bona sua momẽtanea & futilia. Ideo Iob, Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorũ breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar pũcti. Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius & caput eius nubes tetigerit: quasi sterquiliniũ in fine perdetur, & qui eũ viderint, dicent, Vbi est, velut somnium euolans nõ inuenietur, trãsiit sicut visio nocturna. Non potuit Iob aptiùs conferre breuitatẽ, qua cũcti honores, diuitiæ, & voluptates huius sæculi prætereunt, quàm puncto. Sola consideratio breuitatis, qua omnia huius præsentis vitæ dilabũtur, satis esset, vt illum cõtemneremus. Vidi impiũ exaltatum super cedros libani, & ecce iam nõ erat. Vnde in Prouerbiis dicitur, Quasi tempestas transiens non erit impius: iustus autẽ quasi fundamentum sempiternum. Quemadmodum tonitrua magnum strepitum faciunt: at cùm nubes in aquam conuertitur, tempus serenum manet: ita pompa & gloria huius mundi, vel vnico puncto præterit. Tãquam vmbra omnia quæ hìc videntur pretereunt: tãquam radius cœli qui in ictu oculi trãsit, ita sunt omnia regna & tempora mundi. Vanitati subiecta est omnis creatura. Nihil stabile aut firmũ sub terra est, ex qua Adam & filij eius conditi sunt. Mũdi enim prosperitas est serenitas hyemis: tranquillitas maris, & stabilitas lunæ: sicut hæc facilè mutantur: ita opum & humanarum rerum status nullam habent firmitatem, aut constantiam: transeunt omnia illa sicut vmbra (ait sapiens) & tanquam nuncius præcurrens. Igitur tu queadmodum alter Tobias, sedens in littore fluuij Tigris attenta consideratione, debes tecũ reuoluere qua velocitate omnes mundi honores currant, & pretereant. Fluuius ille ita appellatur ob maximam velocitatem & celeritatem, qua eius aquæ fluunt: quæquidem velocitas nec conferri potest cùm illa qua dies tui fecunt currẽtes celeriter in mortem, nec cum celeritate qua cũcti honores, diuitię, & voluptates huius sæculi prætereunt. Cùm hac cõsideratione lauabis pedes affectionum animæ tuæ: & cum hac cõtemplatione puluerem mundabis, quo inquinatus fuisti cum mundi amore agebaris. Omnia huius vitæ, vt vmbra transeunt, & voluptas, quæ inde capitur, ita breuis est, vt antequam ad desideratum finem perueniat, iam transiit: tormenta autem quæ peccatorem manent ob hanc voluptatem nullum nouerunt finem. Voluptas, quæ hìc capitur temporalis est: quòd autem in alia vita cruciat, æternum est. Quid obsecro est stabile, aut quid in hac vita durat, & permanet? Durarúntne diuitiæ multùm tẽporis? Permansitnè gloria huius mundi? Audi obsecro dicentis vocem, Dies mei velociores fuerunt cursore. Quemadmodum tabellarius nondum venit, quando iam iterum proficiscitur: ita vita nostra & omnes voluptates & honores eius, nondum venerunt, quando in temporis puncto iam abeunt. Magnum igitur cùm dispendium fecerimus ad cõtextum reuertamur, & videamus quid diabolus dixerit Christo, postquam omnia regna & gloriam mundi illi ostendit.

Beda in Luc. lib. 4. ca. 5.

Diuitiæ & honores huius transitorij & inconstantes.

1. Cor. 7.

Iob. 20.

Psal. 36.

Prouerb. 10.

Eccles. 3.

Sap. 5. Tob. 9.

Iob. 9.

Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam eorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Tu ergo procidens si adoraueris coram me erunt tua omnia. Obserua, quòd in hac tentatione nõ dixit, Si filius Dei es, sicut in aliis: sed tanquam homini loquitur. Secum enim sagax tentator cogitauit. Si filius Dei est, fortè mihi pœnas imponet, & asperè & potenter loquetur, cùm ausus sim contra diuinitatem agere. Si autem homo est, vel credet mihi vel non. Si crediderit, adorabit, & sciam illum hominẽ esse & peccatorem. Si non crediderit promissis, aut impossibilia videbuntur, ea quæ dixi: loquetur mecum & confabulabitur: quomodo possim ea quæ promisi donare, & fortè dicet, sufficiet mihi si me dominum alicuius partis vel regni mundi constituas. Et ex verbis ipsius eliciam: an purus homo sit an Deus & homo.

¶ Præterea vide quomodo diabolus semper auget tentationes. Primò tentauit illum in deserto, vt lapides conuerteret in panem. Secundò grauiùs tentauit in Hierusalem cùm dixit, mitte te deorsum. Nunc tertiò grauissimè tentat, cùm adorari petit. Ita dæmon semper auget tentationes: quocirca qui non nouerit se à minoribus tẽtationibus tueri, in maiores incidet. Pharaoni misit dominus paruos ciniphes in plagam: quibus superuenerunt grandes muscæ. Docet locus iste, vt minima timeamus, si nolumus, in maiora mala incidere. Sic Herodi regi contingit: qui priùs adulter fuit, ac deinde maiora mala addidit, & Ioannem in carcerẽ detrusit. Sic loquitur de eo noster Lucas in capite precedẽti cũ ait: Herodes adiecit ad hoc: & quia ibi iã de his loquuti sum⁹: nũc ad aliagradũ faciamus.

Diabolus pedetentim & gradatim tentat.

Exod. 8.

¶ Adora

¶ Adorari petiit, vt intelligas, quòd omnes, qui diabolo consentiunt, illum adorant. O si hæc attéderet peccator, & videret quomodo impiissimo dæmoni & vili creaturæ se subiicit. ¶ Deniq; obseruabis, quàm fallax & mendax sit dæmon in omnibus quæ promittit. Mendax fuit in omnibus quæ hic dixit: nam regna & diuitiæ, quas ostendit non suæ erant. Et etiam mendax fuit dicens, quòd omnia hæc dabat cui ipse volebat: & quòd item daret ea Christo, si eum adoraret. Similes sunt dæmoni, qui gloriantur de nobilitatibus, gratiis, & bonis, quæ non habent: & ea dicunt fecisse, quæ núquam fecerút. Similes etiá sunt dæmoni, qui ea nó adimplent quæ promittunt. ¶ Ad nostram autem eruditionem admonet locus iste, ne credamus diabolo, mundo, aut carni: & omnia quæ nobis promittút, falsa esse, & vana. Nunquam promissis stat, & quòd promittit nunquam facit, & in omnibus dictis mendax est. Humiliat se, & interiora eius plena dolo. Ne credas eius dictis, nec cogites posse tecum amicitiam habere. Ne fidas Ioab, nec credas quòd dæmon & mundus amici tui sint: nam si credis illis, & in eis cófidis, tibi necé inferet osculo & salutatione pacis, tanquam alteri Amasa. Quicquid mundus dicit & consulit tibi, falsum est & mendax: vt claré videtur in omnibus quæ dæmon hîc dixit Christo. Plurimi prophetæ falsi adulabantur regi promittétes ei vitam & victoriam, si in bellum iret: & omnia hæc vt ad libitum loquerentur. Omnia quæ mundus consulit, & omnia quæ appetitus imperat fallaciæ sunt tibi dicentes, quòd etiá si malè viuas, bene potes vitam æternam expectare. Morieris tanquam Achab: si falsis prophetis credideris. Hi sunt falsi testes, quos Iezabel adducit: qui si credantur, spiritú interficiút. Animaduerte quòd omnia, quæ tecum mundus facit blandiméta sunt falsa & ficta: quibus capere solet incautos & improuidos. Confidit Sisara Iaeli: quia autem illi credit, miserè interfectus fuit. Deus inquit, Popule meus, qui te beatú dicunt: ipsi te decipiút. Propheta ille qui venit à Iudæa, quia credidit falsò prophetæ, interfectus fuit à leone. Solet dæmó tanquam propheta ille falsus & senex vt magis decipiebat dicere quòd Deus iubet, & scripturam sacrá in comprobationem adducere, vt faciebat quando dominum tentabat. ¶ Aduerte quòd piscatores solent esca hamum cooperire vt pisces capiát, & decipiát, & vide quòd omnia múdi blandimenta sunt in tuam perniciem & damnum, & quòd sub virenti herba coluber est absconditus. Mulier namq; illa, quam Apocalypsis refert, in vase aureo propinabat venenum. O quot & quátos hoc maledictum venenum suorum pręstig orum interfecit: & quanti bibunt morté in honorum, diuitiarum, & voluptatú vasis. Aureo vase ignaros & insipientes fallit: qui non agnoscunt venenum suum. Ecclesiasticus enim ait, Multos destituxit iniqua promissio eius. Surgant (si volueris) omnes mortui & dicant: an aliquando in hac vita gaudiú sine dolore possederint, pacem sine discordia, quieté sine metu, valetudinem sine infirmitate, panem sine dolore, & gaudiú sine tristitia. Omnia bona promittit, & cuncta præbet mala: gaudiú promittit, & tristitiam tribuit: & diuturnam vitam promittit, breuissimam donat. Septem annorum spatio seruierat Iacob Laban, vt pulchram & formosam Rachel in vxorem duceret: at derisor socer dedit illi Liá, quæ lippos habebat oculos. Talis est dæmon, qui aliud promittit, aliud dat. Hanc fallaciam non agnoscút, qui ei seruiunt: quousque clarum mane aduenit, Transacta iá obscuritate vitæ præsentis, cùm mors aperiet oculos, cognoscent vt alter Iacob mendacia dæmonis, & fallaciam in qua vixerunt: tunc cognoscút quàm perditè ambulauerint seruiétes dæmoni mendaci. Multi etiam si agnoscunt fallacias dæmonis, nihilominus gaudent in eis viuere, vt Balaam, qui apertis oculis ad lapides offendebat. Nónne claré vides, quomodo hîc Christo métitus est, cùm ea promitteret, quæ dare nequiebat? Ita tecum facit, tentans te. Loquitur ad aures dicens tibi, quòd in vitiis est gaudium & voluptas: cùm secundum veritatem tormenta conscientiæ sint, & tandem dolores æternos ingenerent. Disce igitur à tuo redemptore & magistro, vt non credas fallaciis suis: sed potiùs illum à te reiice procul, talia, vt dominus illi dicens, *Scriptum est, Dominum Deum tuú adorabis & illi soli seruies*. Hoc scriptum habetur in Deuteronomio, ex quo libro omnes tres respósiones ad tres tétationes excerpsit Christus: vt doceat sacram scripturam arma habere cótra aduersarios, & inimicos veritatis. Nonnè seruiendum est dominis? vtique: sed quando iubent aliquid, quod est contra Deum, Deo potius quàm illis seruies. Secúdò intelligendum est, illi soli seruies: scilicet seruiture latriæ, quę soli Deo debetur: ita vt nulli homini seruire liceat hac seruitute latriæ. Sic Augustinus loquitur libro decimo de ciuitate Dei: atque ideo coniunxit illi soli seruies cum adoratione, vt intelligas quod de hoc obsequio adorationis latrię loquutus sit. At multi Christiani sunt, qui apertè huic præcepto aduersentur inseruientes suis appetitibus, quos tanquam vt Deos colunt. Adorant & venerantur auaritiá, iuxta illud Pauli, Auaritia quæ est idolorum seruitus. Alij sunt vt idem Apostolus ait, quorum Deus venter est. Videbis nanque plurimos christicolas, quorum si consideres occupationes, negotia, & loquelas non dubitabis quin ventris sui idololatræ sint: quandoquidem nesciunt à primo mane vsque ad noctem aliud loqui, nisi de cibo, & potu, & oblectamento sui corporis: tanquá si Deus Iudex in cœlo non esset, & vt post hanc vitá alia excellentior non maneret legitimè certátibus. Deum, verum Deum esse agnoscunt; at non solum illum volunt adorare, sed etiam carnem suam & vilem mulierem tanquam Deum colunt: similis illis Samaritanis, de quibus ait scriptura, quod timebát Deum, sed habebant idola quæ adorabant. Sed stat sententia, Nemo potest duobus dominis seruire. Et duobus dominis sic contrariis quales sunt diabolus & Christus, caro & spiritus, múdus & Deus, nullatenus seruire poteris: quia solus Deus est ab homine colendus, vt illi soli seruias, & diabolum impiissimum tyrannú abiicias, & ipsius iugum onerosum. Quomodo autem duobus dominis nó possimus seruire, sed soli Deo: infra in suo loco Deo dante dicemus. Et hæc satis sint de tertia tentatione, nunc autem de secunda agamus: quia vt iam diximus Lucas noster non seruat ordinem historiæ in narratione harum tentationum. Ait ergo, *Et duxit illum in Hierusalem, & statuit eum supra pinnam templi.* Pinnam Grecè significat alam illam ex leui ferro có fectá, quæ supra summa tecta solet collocari, cuius motu differentiæ ventorú discernuntur. Itaque super templum est tectum, & super tecti summitatem est pinna seu pinnaculum, seu ala. Expende autem homi

Margin notes (left column): Diabolus mendax & proditor. — Eccle. 19. — 3. Reg. 22. — 3. Reg. 21. — Iudi. 4. — Esaia 4. — 3. Reg. 13. — Apoca. 17. — Eccl. 26. — Gen. 29.

Margin notes (right column): Numer. 22. — Deut. 4. — Au. li. 10. ciui. cap. 1. — Colo. 3. — Philip. 3. — 4. Reg. 17. — Math. 6. — Cap. 16.

Num. 23 hominum impiorum ingenium nihil intentatum relinquunt, vt malitiam suam expleant. Balac rex Moabitarũ in alio & alio loco ter ædificauit altare & apposuit vitulum, & arietẽ, vt malediceret Balaã populo Israeli. Visum est ei quòd si mutaret locum, mutaretur etiam Balaam: & id quòd in vno loco non potuit assequi, in alio existimauit assequuturũ. Ita dæmoni visum est, nam cùm in deserto nõ esset consequutus à Christo id quòd intendebat, forè posse existimauit id consequi in pinnaculo. Postea verò cùm nec in hoc loco intẽtionem suam expleuisset, tanquam alter Balac, tertiò duxit illum in montem; & in tribus locis tria altaria ædificauit, *Ioan. 9.* quæ sunt tres suæ tentationes. Sic Iudæi fecerunt cum illo cæco à natiuitate, quem Christus illuminauit, iterum atque iterum importunè interrogando illum, vt vel aliquid aduersus Christum inuenirent. Hoc quotidie faciunt impij, cùm bonos persequuntur: vt nihil intentatum relinquant, vt vel eis possint nocere.

Superbi & inobedientes supra conscendunt. ¶ Obserua etiam & vide diaboli ingenium, semper enim suprà pinnam collocat. Non decet, vt homines suprà res diuinas sint, res autem diuinæ super homines oportet vt sint. Solius domini est, vt excelsus sit, & eleuatus. Qui prælatis suis non obediunt vices Dei gerentibus, suprà pinnam sunt: nõ sub Deo. Imò vt generaliter loquar, omnis tentatio de quocunque peccato illa sit, id intendit, vt hominem suprà pinnam collocet. Omne enim peccatum mortale, est voluntarius suprà pinnam conscensus: id est, vt contra obedientiam Dei teipsum erigas. Denique sicut nullus est locus excelsus tutus: sic tu qui contra Deum ceruice erecta insurgis, timere debes occasum inferni. Sic diabolus superbiens di- C *Esa. 14.* xit, Super astra Dei exaltabo solium meum: & sedebo in monte testamenti, &c. Sed vide quòd sequatur. Veruntamẽ ad infernum detraheris, in profundum laci. Hoc modo sicut ipse exaltatus cecidit, vult homines exaltare, vt cadant sicut ipse. Ducit itaque diabolus homines in altitudinem superbię, *Similitudo.* vt lapsu grauiori cadant. Aquila in altum surgit & eleuat testudinem, & inter lapides deiicit, vt vel ita fractum possit illum manducare. Ita dæmon plurimos in honores & dignitates eleuat: vt maior sit in *Iob 29.* infernum casus. Sic Iob agens personam superbi, inquit, Eleuasti me: & quasi super ventum tollens allisisti me validè. Sicut vas luteum quòd frangere vis, extollis à terra vt fortiùs comminuatur: sic dia- *Prou. 16.* bolus extollit vt proiiciat in infernũ. Vnde in Prouer. dicitur, Ante ruinam exaltatur cor. Si quando aliquem videris in honoribus & mundanis rebus ascendere, cùm virtutibus non sit munitus: mihi crede illud esse, vt maior sit casus, & vt ab altiori *Psal. 36.* loco pręcipitetur. Ideo Dauid inquit, Vidi impium exaltatum super cedros libani, & ecce iam nõ erat. Quando duo magni luctatores in arenam descendunt, viribus prosternere se nequeunt: at qui dexteritatem in lucta habet, contrarium in aërem leuat, atque ita illum prosternit. Sic diabolus tanquam magnus luctator, quos pauperes nequit prosternere, quia humiles sunt: eos eleuat diuitiis, honoribus & dignitatibus, vt in abyssum inferni eos detrudat. Hoc quotidie videmus in multis pauperibus, qui recti sunt & humiles: at prælati facti, Ne- *Dæm. ad externa duxit nõ ad interna.* rones fiunt & Diocletiani. ¶ Obseruandum quoq; est dæmonem Christum non duxisse in sancta sanctorum, neque in altare templi: sed in exterius & in pinnaculum, quòd superfluum erat & ad nihilum nisi ad ornatum deseruiebat. In qua re debes hoc vnum aduertere: dæmonis esse ingenium, homines allicere, & ducere in res exteriores, & non ad internas: quin potiùs rebus externis homines excæcat, ne interiores videant. Luxuriæ & libidini dedito, huius vitij voluptates ob oculos ponit: nõ autem pœnitentiam & tristitiam, quæ post illud peccatum remanet. Auaro pulchritudinem & nobilitatem auri repræsentat: at non ob oculos ponit diuitum curas, & scrupulum quo diuitiæ acquiruntur. Alteri dicit, esto prælatus, esto episcopus, & harum dignitatum honores ob oculos illi ponit, at non manifestat huic quàm grauia sint horum statuum pondera, quàmque arcta ratio ab his sit exigenda. Nunquam dæmon teipsum inuitabit, tui ipsius humili cognitione, nec morsu & reformatiõne conscientię tuę: sed rebus vanis & exterioribus, vt erat pinnaculum templi. Nam si homo blandimentis carnis deditus, vt considerat voluptatem exteriorem, recordaretur etiam quid hoc peccatum turpitudinis secum afferat, non vtique illud patraret: at dæmon hominibus exteriora tantum ostendit, vt vel sic eos semper falsos habeat. Moses *Exo. 3.* seruus Dei, spiritu diuino ductus gregem mittebat in interiora deserti. Iubebat etiam dominus vt ani- *Leui. 1.* mal quòd ei offerebatur sine pelle esset: dæmon autem vult, vt obsequium quòd ei præstas pelle voluptatis cooperias, vt interiora illius vitij & peccati non videas. At tu teneris id facere quod Deus iussit, scilicet auferre vitio pellem voluptatis: tuncque clarè agnosces, quæ fallaciæ, quæ turpitudines sint absconditæ in eo quod mundus repræsentat. Crede mihi quòd omne malum tuum inde pendet, quòd non aufers peccato pellem. Corticem ei aufer, & in interiora eius ingredere: tuncque clarè videbis, quanta sit pestis & abominatio abscondita, subter id quod nunc desideras. Vnde Angelus To- *Tob. 6.* biæ dixit, Exentera piscem & cor eius & fel, sunt enim hæc necessaria ad medicamenta. Sic exentera peccatum, & fel videbis cæcis oculis medicinam: confertque multum vt malitiam peccati agnoscas & mundi vanitatem. Sed de his satis. Constituit itaque Iesum in pinnaculum templi diabolus. *Et dixit eis, Si filius Dei es mitte te hinc deorsum.* Suadere po- *Diabolus ad descensum nõ ascensum hortatur.* test, non præcipitare. Præterea non ad ascensum, sed ad descensum suadet: quia omnes secum cadere optat. Ipso cœlo eiectus, in infernum corruit: & id miser ipse molitus vt omnes cogitatus nostros, opera & vestigia in terram conuertamus, sequentes illam impiam Pythagoręorum sentẽtiam, Quæ suprà nos, nihil ad nos. Expende etiam quanti fecerit diabolus Christum: non enim eum tentat de luxuria aut de infidelitate, sed de nimia fiducia & confidentia: qua tentatione non nisi viros perfectos solet aggredi. Quando enim cognoscit malignus hostis aliquem religioni, & egregiis virtutibus vacare, vt illum tumore superbiæ inflet, confidentiæ & arrogantiæ argumentum apponit. Sic *Luc. 18.* tentauit illum Pharisæum qui ieiunabat, decimas dabat & multa bona faciebat. Iam diabolus expertus fuerat Christi virtutem in deserto: ideò nunquam de iactantia tentat. Sancti autem, vt inimicum vincant, nihil sibi arrogent: sed omnia Deo adscribant. Sic apostoli non in suo, sed in Christi nomine dæmones expellebant: ne arrogare sibi aliquid viderentur: Sic Petrus claudum curauit di-

cens, In nomine Iesu Nazareni, surge, & ambula.
Act.3. Sic Paulus fugiens iactantiam dixit, Scio hominẽ
2.Cor.12. siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque in tertium cœlum. Vide quomodo suum nomen sub silentio inuoluat: vt vanitatem & iactantiam fugiat. Sic diabolus, quia Christum iustum videt, & fortem expertus est: de iactantia illum tentat. Et vt magis suadeat & alliciat ad id faciẽdum: sicut Christus scripturam adduxit. Sic etiã ipse Psalmum nonagesimum affert. *Scriptum est enim, quod angelis suis mandauit de te vt conseruent te, & quia in manibus tollent te ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Scit diabolus quod timor pœ-
Oderũt peccare mali formidine pœnæ. næ præseruat à malo. Multi enim non faciunt malum, quod facerent, nisi timerẽt Deum: vel pœnam peccato debitam. Ideò vt à malo auerteret beatus Baptista peccatores æternam minabatur pœnam,
Matth 3. dicens, Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor non faciens fructum bonum excide-
Luc.13. tur, & in ignẽ mittetur & ardebit. Et Christus, Nisi pœnitentiam egeretis, omnes simul peribitis. Hæc mundi Saluator & præcursor eius prædicabant, vt homines à vitiis suis malis auerterent? quod idem prophetæ olim facere cõsueuerunt. Diabolus autẽ cùm homines ad peccãdum vult inducere, quantũ potest conatur timorem & metum illis auferre, vt se in peccata præcipitent: hoc modo Christum hîc tentat dicens, Scriptum est, quoniam angelis suis
Gen.3. Deus mandauit de te, &c. Hoc idẽ versipellis fecit cum Eua matre nostra, cui timorẽ mortis adimens, dixit, Nequaquam moriemini. Hoc sæpè nobiscum facit callidus insidiator, quia nouit multos seruare Dei præcepta potiùs timore pœnæ, quàm amore & dilectione diuina: & adimit timorem dicens, Ne timeas mortem, neq; infernum, quia recta valetudine & sanitate frueris, iuuenis es, non tã citò morieris: nunc inebriare quantum volueris, libidini vaca, postea verò locus pœnitentiæ superest. Ne timeas. Nos verò si ab eius manibus liberari volumus, diligamus Deũ, & omnia potiùs diuino amore quàm timore faciamus. Cùm autẽ voluerit nobis timorem adimere vt peccemus, dicamus ei, Diligo Deum meũ super omnia, ideò nolo illum of-
Gen.39. fendere. Sic illa impudica fœmina, diaboli instrumẽtum, cùm solus esset sanctus iuuenis Ioseph, suadebat & alliciebat eum ad peccandum, cùm testem non haberet, quem timere posset. Dei autem fidelis seruus non timorem, sed dilectionem Dei obiecit dicens, Quomodo possum peccare in dominum meum, qui tanta mihi contulit bona? Sic etiam illi falsi senes per quorũ ora diabolus loquebatur Su-
Dan.13. sannæ dixerunt, Ecce ostia pomerij clausa sunt, & nemo nos videt: Quòd si non feceris dicemus aduersus te falsum testimonium. Hæc omnia dixerũt, vt tollerent timorem dicentes, quòd portæ erant clausæ: & timorem infamiæ & mortis iniecerunt, vt peccato consentiret. At illa, quæ castitatem seruabat non propter mundi timorem, sed propter Deum ne illum offenderet, mortem potiùs elegit. Quot autẽ obsecro nunc sunt fœminæ quæ in maxima laberentur peccata: nisi timerent perdere famam, honorem, aut parentes, aut fratres, aut viros suos? Qui bonum operatur, & malum sibi cauet solum propter timorem, proximus est vt peccet: quia sublato timore, Deum offendet. Sed qui Deum amat, cùm vbique ille sit, hic in nullo loco eum offendet. Quapropter si Deum dilexerimus multas diaboli tentationes vitabimus. Sed de his aliàs.

Ad quæ diabolus [illegible] ad decipiendum. ¶ Nunc operepretium est inuestigare, vnde diabolus sciuit quòd hæc scripta sunt? Vnde tibi ô diabole contingit lectio scripturæ? nũquid legisti prophetas aut diuina eloquia cognouisti? Legit quidẽ diabolus, sed non vt ex lectione sanctorum melior fieret: sed vt simplicitate eos qui tantum corticis & literæ amici sunt interficiat. Multi etiam nunc dant operam literis, non vt sanctiores fiant: sed vt alios decipiant, sicut multi iuris periti & aduocati, qui lucernã & vigiliã tota nocte sustinent, vt pauperem spolient, & iustitiam conturbent, & iura violant, vt ipsi aucti & locupletati euadant. Sic etiam legunt scripturas hæretici, vt alios decipiant. Laborant omnes hæretici suas hæreses probare authoritate scripturę: sensum verum retorquentes (& vt Paulus inquit) adulterant verbum Dei. Citant quidem di- 2.Cor.4.
uinas scripturas, sed in deprauatum sensum, vt suas confirment hæreses. Vt qui regis imaginem ex auro & gemmis confectam dissoluunt, postea verò ex eodem auro canis figuram & imaginem cõficiunt. Sic hæretici imaginem fidei dissoluunt, & ex eisdẽ *Hæretici dæmonis discipuli.*
scripturæ authoritatibus falsò expositis imaginem perfidiæ conficiunt, & ornãt, & dicunt illam esse fidei & veritatis imaginem, cum cõstructa sit ex eisdem scripturæ sacræ locis, & fallunt homines simplices dicentes: illam turpem canis imaginem esse veritatis imaginem. Hac similitudine vtitur Irenæus libro primo aduersus Valentinum. Sed iam nunc vide diabolum patrem hęreticorum, qui scripturam falsò, ad suum propositum allegat: hęretici enim scripturis perperam intellectis, suas falsitates, & errores defendere volũt. Hæc enim quę Psalmista hic enarrat, de viro iusto, nõ de filio Dei intelligẽda sunt: quia viri iusti quamuis sancti & recti sint, nihilominus adiutorio diuino, & angelorũ indigent, non tamen filius Dei, qui custos est angelorum, & dominus eorum. Quare hæc quæ Psalmista Psal.90.
ait in hoc Psalmo, qui habitat in adiutorio altissimi, &c. de homine iusto intelligenda sint, no de filio Dei, satis cuilibet intuenti apparet.

Præterea illud quod contra se erat, scilicet, super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, tacuit diabolus: ne suo gladio seipsum iugularet, hæc enim potestas contra ipsum, non solũ viris iustis in veteri testamento data est, sed etiam in nouo: cùm dominus dixit suis discipulis, Ecce dedi vobis potestatem super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimi- Luc.10.
ci: & nihil vobis nocebit. Denique & multi sunt nũc theologi prædicatores verbi Dei, qui sicut diabolus scripturas portant prædicãtes in ore, & alios docentes: non tamen illas portant in corde: quibus Paulus ait, Qui alios doces, te ipsum nõ doces? So- Rom.2.
let aliquãdo, vt in aquis nasturcia aquatica videas, pallida, & in terram submissa, quæ nihil crescunt. Quæ autem est causa cur istæ herbæ non crescunt? Quia pluuia de cęlo nõ descendit super ipsas. Nónne sufficientem aquam habent, quando sunt intra riuum? non vtique ista aqua sufficit: nam opus est, vt cœlestis aqua super illas descendat, túncque statim in altũ crescent. Attende igitur verbi Dei prædicator, quod etiam si abundes aqua philosophiæ & theologiæ, & magnos in his facultatibus feceris progressus: hoc tamen parum prodest, vt tibi ipsi, & cæteris vtilitatem afferas: nisi ab alto scientia descẽderit, & spiritus atque deuotio, quo in amorem diuinum

uinum accēdaris: vt aliis proficere possis. Opus est vt deuotus & spiritualis sis, & vt orationi & contemplationi vaces, si fructum tuorum laborum videre velis. Vide ne dæmonem imiteris, qui scripturam in ore tanquam doctus habebat, malitiam verò & calumniam in corde. Discamus etiam in hoc loco, ne nos in res viles & turpes abiiciamus: quādoquidem tanti nos facit Deus, vt angelos suos in custodiam nostram tribuat, quia scriptum est, angelis suis Deus mādauit de te vt custodiant te, &c.
Psal.9. Colligitur enim ex hoc loco magnam esse hominum dignitatem, cùm angeli ad eorum ministeriū deputentur. Quapropter quemadmodum ex parte corporis nosmetipsos humiliare debemus, contemnendo nos, siquidem cinis & corruptio sumus: ita ex ea parte, qua similes Deo sumus, magni nos ipsos facere debemus: nec abiicere nos debemus in viles res huius mundi: quandoquidem anima nostra tantæ est dignitatis, & excellentiæ, vt etiam cœlestes angeli, ei ministrent. Sed iam Christum audiamus. *Et respondens Iesus, ait illi, Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum.* Ille Deum tentat, qui petit miraculum fieri sine necessitate, & qui exponit se periculo, quod potest naturaliter vitare. Ideò Christus dixit suis, Cùm vos persequuti fuerint in vnam ciuitatē, fugite in aliam. Sicut Christus fugit paruulus in Ægyptum, & postea factus vir idem sæpè fecit. Sic Paulus summissus in sporta euasit. Sed cum humanum auxilium defecerit, tunc ad Deum confugiendum est: non tentando, sed deuotè & humiliter confitendo infirmitatem nostram. Sic ille rex pius dicebat, Cùm ignoremus, quid agere debeamus hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Sic Deum tentat qui miraculum citra necessitatem petit, vt hic dæmō petebat: cùm scalæ essent ad descendendum, ab alto volebat eum præcipitare, dicens, quòd cùm maximè Deo confideret, vt diceret Deum posse hominem sine pane sustentare, quod eodem modo facere posset, vt ipse sine scalis descenderet. Benè posset Deus Noë & suos in nubem eleuare: at cum essent tabulæ & architecti & in arca possent saluari, non erat cur dominus miraculum in ea re operaretur. Quando filij Israel erant iuxta mare rubrum, & inimici non procul ab eis aberant, tunc quādo nullum erat naturale remediū, vt Pharaonis manus euadere possent, apertum fuit mare, miraculo portentoso facto. Et in deserto cum nullus esset cibus fecit etiam miraculum, mittens panem cœlestem. Petere à domino vt faciat miraculum, quando naturale aliquod suppetit remedium, officium est dæmonis. Clarum quippe & naturale est, quòd si aliquis paries ruinā minatur in sinistram partem quod in eadem cadet. Quî igitur fieri potest, vt cum tu malè viuas toto tuæ vitæ discursu à Deo miracula petens, in Dei sortem existimas posse cadere. Miraculum sine dubio petis: nam miraculum quidem & illud grande est, quòd cùm malè viuas, fœliciter & benè vitā finias. At Christus illi respondit, Non tentabis, &c. Acsi diceret ei, Malè quidem ô incautè arguis: quia nō est par ratio de vno atque de alio, nam in deserto vbi nō erat, vt Deus sua virtute nos sustentaret, aut quacunque alia re sibi placita. At hic sunt scalæ, quibus ascendimus: nam si scalæ postquam nos ascendimus, iam fractæ essent, nullum mihi est dubium, nisi quod posset efficere, vt nos intacti & incolumes descenderemus. At cùm scalæ sint, non est cur ego id faciam, quod dicis: id enim esset dominū tentare: miraculum sine necessitate petendo. ¶ Aduerte autem quod multi sunt qui tentant Deum sicut diabolus. Tentant quippe hi Dei clementiam, qui negligenter orant, & sine deuotione. Iuxta illud Eccl. Ante orationem præpara animam tuam: & noli esse quasi qui tentat Deum. Alij tentant Dei patientiam: quia perseuerāt in peccatis. Vnde Psal. Tentauerunt, & exarcerbauerunt Deum excelsum, & testamentum eius non custodierunt. Alij tentāt Dei iustitiam deprecantes vindictam alicuius. Vnde duo apostoli dixerunt Christo, Vis dicimus vt descendat ignis de cœlo? Alij tentant Dei potentiā, vt temerarij in periculis. Ideo Iudi. quibusdam, qui Deo assignabant tempus dixit, Qui estis vos, qui tentatis dominum? Multi etiam tētant Dei sapientiam, qui volunt sine studio & lectione librorum scire & alios docere, quòd certè tentare dominum est. Vide August. in prologo de doctrina christiana optimè de hac re differentem. Vult enim Deus vt homines ab hominibus discant: nam contrariū agere, temerarium est, & Deum velle tētare. ¶ Obseruandum præterea, quòd quia diabolus se tuebatur authoritate scripturæ, Christus etiam cum scriptura respondet, adducens hoc quòd in Deut. scriptum est, scilicet: non tentabis dominum Deum tuum. Gloriosum victoriæ genus est, inimicum suis propriis armis prosternere. Cùm diabolus armis se induisset scripturæ aduersus Christum: eisdem se ipsum Christus induit, & vicit illum. Vt etiam fecit in paradiso, vbi dæmon primos parentes per lignū vicerat, sic & per lignum crucis ipsum dæmonem vicit: nam ipse dæmon fuit faber lignarius, qui crucem confecit, quique per ora Iudæorum vociferabatur, dicens, crucifige, crucifige eum. Sed his armis vt iam dictum est ipse dæmō fuit victus: quemadmodum in hoc loco cū scriptura à Christo allata. Docet eisdem armis dæmonem esse vincendum. Cùm diabolus scripturam aduersus nos attulerit, nos etiam cōtra ipsum scripturam afferamus. Cùm tentauerit te de superbia: illud tibi ex scriptura adducet. Curam habet de bono nomine. Cum tentauerit de auaritia: adducet illud, quòd Salomon ait de formica, quæ cōgregat in messe quòd comedat. Si de luxuria, Crescite & multiplicate, &c. De gula, Ecce dedi vobis omnem herbam & lignum, vt sint vobis in escam, &c. Et sic de aliis peccatis, Nos verò è cōtra eisdem armis illum vincamus & interficiamus, dicentes ex scriptura contra superbiam. Quid superbis puluis & cinis? Contra auaritiam illud Pauli, Nihil intulimus in hunc mundum. Et illud Eccles. Sicut egressus est homo nudus de vtero matris, &c. Contra luxuriam dic, Omnis fornicator aut immundus non habebit hæreditatem in regno Christi & Dei. De gula ait scriptura, Adhuc escæ erant in ore ipsorum & ira Dei descendit super illos, &c. Sed ad contextum, *Et consummata omni tentatione.* Iam initio diximus quod antequam diabolus visibiliter in assumpto corpore aggrederetur dominum, tentauit illum multis grauissimis tentationibus: de quibus hæc, quæ nunc ait verificantur, *Diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.* Quia tempore passionis rediit ad tentandum: quamuis illa nō fuit tentatio propriè dicta, prout est suggestio diaboli ad malum: sed fuit aperta persequutio, incitando Iudæos contra Christum. Sed nunc nónne vides quomodo diabolus cedit virtuti? Et si inuidere

Marginalia (left column): *Petitio miraculi sine necessitate tentatio Dei est.* — Matth.10. — Matth.2. — 2.Par.20. — Gen.7. — Exod.14. — Exod.16.

Marginalia (right column): Eccl.18. — Psal.76. — Luc.9. — Iud.8. — *Diabolo per scripturā fallenti, per scripturam respōdendum.* — Deut.6. — Gen.3. — Matth.27. — Eccl.41. — Prou.6. — Gen.1. — Eccle.5. — 1.Tim.6. — Eccl.10. — Ephes.5. — Num.11.

dere non desinat, tamen instare formidat: quia frequentiùs refugit triumphari. Audito nanque nomine Dei recessit vsq; ad tẽpus postea non tẽtaturus, sed apertè pugnaturus in passione. ¶ Docemur non tantùm aduersus carnem & sanguinem: sed etiam contra nequitias spirituales esse nobis certamen.

Ephes. 6.

De diabolo etiam post victoriam nostrã, metuendum.

Nemo potest coronari nisi priùs vicerit: & nemo vincere nisi pugnauerit. Discamus omni tempore vigilare, & esse cautos. Quamuis vincas, non tis sine cura & sollicitudine ociosè viuẽs: quia diabolus non recedit vsque in finem non reuersurus, sed vsque ad certum tempus: fingit enim se fugere,

Iosue 8.

sicut Ios. cùm cœpit ciuitatem Hai: sed reuertitur ad tempus, vt fortiùs & aptiùs vincat. Caue ne tibi contingat sicut Philisthæis illis, qui epulabãtur celebrantes victoriam, quã obtinuerant de Samson, nec attendebãt ad malum quòd illis euenire poterat

Iud. 16.

& fuerũt victi & mortui. Similiter Amalechitę lætabantur super victoriam, quam obtinuerant Sicelech, quam igne combusserant, & spoliauerãt, &

1. Reg. 30.

erant super faciem terræ quasi festum celebrantes: quos Dauid superueniẽs vicit, & occidit & abstulit spolia. Quando viceris, tunc timidior debes esse & experge factus, nam iterum redidit dæmon præliaturus tecum: & facilè vinceris, si incautum inuenerit, quamuis priùs victor euaseris. Et multoties contingit, vt ipse dæmon, vtpote qui sagacissimus & callidissimus est se sinat vinci, vt postea melius ipse vincat, & maiorem victoriã consequatur. Vt facere solent hi qui alearum aut taxillorum ludum exercent, qui fingunt se perdere, & paruam pecuniæ quantitatem amittunt, vt postea maiori lucro aduersarium capiant. Multi sunt qui statim vt confessionem suorum peccatorum fecerunt, alacres sunt & gaudentes cum victoria, quam de dæmone assequuti sunt, qui eos ridet, nam cùm eos improuidos & incautos videat, redit iterũ eos tẽtaturus, atq; ita eos vincit facilè, & captiuos possidet. Vide ne post victoriam obdormias: nam tunc solet dæmon maioribus viribus & potentia inuadere. ¶ Obserua etiam quòd quinq; vitia diaboli notantur in hac historia: Primum, quòd sit curiosus speculator, an videlicet Christus esset filius Dei: quòd scire cupiebat non vt veneraretur, sed vt iactanter miraretur, & vt redemptionem nostram (si posset) impediret. Secũdum, quòd sit vanus, quia propter gloriæ vanitatẽ suasit casum. Tertium, quòd sit importunus: semel & bis repulsus, iterum accedit tentare. Quartum, quòd sit fallax, quia promisit se daturum, quod dare non poterat. Quintum, quòd sit arrogans & su-

Matth. 4.

perbus, quia petit adorari. Matt. narrat angelos accessisse & ministrasse, &c. Sed dices, nunquid tam magnum fuit dæmonem à Deo vinci, vt adeò propterea tantum magnificetur? Respõdeo, quòd non vicit illum in quantum Deus erat: quia hoc parum esset, & poterat annihilare illum: neque in quantũ erat beatus homo, quia quicunque beatus, maiores vires habet, quàm omnes dęmones: sed inquantum homo mortalis vicit eum: secundum quam naturam quamuis minor esset diabolo (quia iste nõ perdidit essentialia) in gratuitis tamen maior fuit Christus illo & sapientior omnibus philosophis. & sic vicit illum. Præterea in tentationibus Christus ostendebat se hominem esse: nunc angeli illi ministrant, vt ostendatur eius dignitas atque diuinitas. Et etiam hoc est factum vt discas, quòd quãdo à diabolo tentaris, quòd angeli tibi præsentes sunt, & desiderãt nostram victoriam: & postquam vicerimus quasi congratulãtes nobis, ad nos accedunt. Sed iam historiam prosequamur, *Et egressus est Iesus in virtute spiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuersam regionẽ de illo.* Venit in virtute spiritus: nã ille qui plenus erat ab instanti conceptionis Spiritu

Beda in 4. c. Luc ca. 12.

sancto nunc clarè ostẽdit spiritum in miraculorum operatione. Itaque virtus spiritus est virtus operatiua signorum, quæ datur à spiritu sancto. Vnde in libris Regũ dicitur, quòd spiritus Heliæ requieuit

4. Reg. 2.

super Helisæum. Porrò Christi, quatenus Deus est, & Spiritus sancti, vna est virtus, atque omnipotentia, & quoad hoc Christus propria virtute fecit miracula. Et secundum naturam assumptam: à Spiritu sancto, imò à tota Trinitate data est potestas super omnem creaturam, vt ipse ait, Data est mihi potestas in cœlo, & in terra.

Matt. 28.

¶ Disce & tu vt ductorem habeas spiritum sanctum in omnibus, quæ agis.

Rom. 8.

Ioan. 8.

Vnde Paulus, Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Sed qui spiritu maligno & carnis concupiscẽtiis obtemperant, non sunt filij Dei, sed eis dicitur, Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere. Fama autem eius exiit per vniuersam regionem: nam probitas lucem quandam secũ affert, quæ homines vel inuitos cogit. Non potest

Matt. 5.

(ait dominus) ciuitas abscondi supra montem posita. Et sicut sol primum radios suos emittit super faciem terræ, minimè latere potest, cum à suismet radiis prodatur: sic homines spirituales, quique ex familiaritate quam cum Deo habent plurimum lucis acceperunt, etiam si conentur lucem illam abscondere, minimè poterunt. Cuius rei exemplum erit nobis Moses, cuius facies ex habita cum Deo

Exod. 34.

conuersione clarissimos radios emittebat: quapropter necesse erat velamen ponere, sicut ipse ponebat: sed splendor eius aliquãdo foras exibat. Quod idem vides nunc in Christo Iesu adimpletum: quia gloria eius & fama indies crescebat & augebatur, licet ipse eam occultaret velamine humilitatis. Vbi est ignis ibi erit fumus, qui illum manifestabit: & vbi vera virtus & probitas, ibi fama & gloria erũt, quæ virtutem absconditam manifestabunt. Sic cũ Christus post baptismum, & ieiunium reuerteretur in Galilæam, creuit fama eius, & exiit per omnẽ regionem. Huic consentit alius euangelista qui ait,

Matt. 4.

Abiit opinio eius in totam Syriam. Sic de Salomone dicitur quòd omnes reges terræ desiderabãt vi-

2. Par. 9.

dere faciem Salomonis. Et Iob, Auribus nostris au-

Iob 28.

diuimus famam eius. Age & tu vt bonus, odor famæ tuæ exeat in regionem. Vnde dominus suis ait,

Matt. 5.

Luceat lux vestra corã hominibus: vt videãt opera vestra bona: & glorificẽt patrẽ vestrũ q in cœlis est. ¶ Obserua autem, quòd hæc fama Christi non fuit propter eius prædicationẽ, propter ipsius miracula: nam Christus non prędicauit nisi postquã Ioannes in carcere erat detentus, vt Mar. ait: Postquam

Marc. 1.

traditus est Ioãnes venit Iesus in Galilæã prædicãs Euangelium. Fecit autem aliqua miracula antequã publicè prædicaret: nam conuertit aquam in vinũ, quod fuit primum miraculum, & eiecit ementes & vendentes de templo, in quadam diuina potestate: & multa alia signa fecit in die festo coram Iudæis.

Ioan. 2.

Et tunc venit ad eum Nicodemus, & Galilæi, & receperũt eum, vidẽtes quæ fecerat Hierosolymis. Et

Ioan. 3.

primò Christus hoc fecit, vt opinionẽ sui in plebe generaret, vt doctrinæ ab eo prædicandæ crederetur: nam si incepisset prædicare, nullis præcedentibus

bus miraculis, fortè sermo eius nullius esset authoritatis propter tantam excellentiam prædicationis Ioannis, qui ante eum prædicauerat. Cùm igitur Christus, primò multa miracula fecisset in Galilæa & postea in Iudæa, cùm reuerteretur à Iudęa in Galilæam, in itinere audiuit Ioannem esse traditum, & tunc incepit suam prędicationem in terra Galilęæ, quæ erat Zabulon & terra Neptalim, vt adimpleretur illud Esa. Terra Zabulō & terra Neptalim, &c. vt Matt. dicit allegans Esai. prophetā, *Et ipse docebat in Synagogis eorū & magnificabatur ab omnibus.* Sapientia foris prędicat, & in plateis dat vocem suam. Noluit dominus in occulto prædicare sed publicè in synagogis corā omni plebe: tū vt multos doceret, qui propter omnes venerat, tum etiam, ne eius inimici inuidi doctrinam diuinam calumniarentur. Vnde principi sacerdotū de doctrina ipsius interroganti respondit, Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in templo & synagoga, vbi omnes Iudæi conueniunt. Sic publicè prædicans ostēdit suæ doctrinæ synceritatem, quia non clandulè (vt hæretici & seductores facere solent) sed in synagogis coram multitudine neminem veritus, veritatem doceret securus. *Et venit Nazareth vbi erat nutritus.* Aduerte quòd Christus stetit in Nazareth ferè per spacium totius suæ vitæ vsque ad principium anni trigesimi ætatis suæ. Tunc baptizante Ioanne iuit Christus ad eū vt baptizaretur: & postquàm fuit baptizatus non est reuersus in Nazareth, sed confestim iuit in desertum ad ieiunandum, Finito verò ieiunio rediit ad Ioannem qui erat ibidem in Iudæa, & ibi congregauit sibi Petrum, Andræam, Philippum, & Nathanaelem, & cum eis profectus est in Galilęam, vt ait Ioan. & abiit in Nazareth. Et quanuis Ioann. dicat quòd iuerit, & vbi aquam in vinum conuertit, & ibi descenderit in Capharnaū: credendum est tamen prius iuisse in Nazareth, quā in Cana & Capharnaum. Quod patet, quia Ioānes dicit, quòd de Cana Galilææ descenderunt in Capharnaum mater eius cum suis discipulis: & tamen Christi mater habitabat in Nazareth, & quando rediit in Galilæam iuit ipsa cum illo in Capharnaum. Postea reuersus in Iudæam fecit miracula plurima Hierosolymis die festo: & rediens secundò Capharnaum in Galilæam nunciatum est illi in itinere quomodo dilectus Ioānes in carcere detinebatur: & cœpit ibi prædicare & exiit fama prædicationis eius, sicut & de miraculis iam antea exierat vt Lucas dixit: & tunc iterum venit Nazareth. De hoc secundo aduentu in Nazareth postquam prædicauerat, & miracula fecerat in Capharnaum, loquitur hîc euangelista Lucas: quòd manifestum est, quia Nazaraītæ dixerunt ei nunc. Quanta cognouimus facta fuisse in Capharnaum, fac hic in patria tua. *Et intrauit secundum consuetudinem suam die sabbathi in synagogam, & surrexit legere.* Inter diem sabbathi, & diem sabbathorum hæc est differentia, quòd omnis dies sabbathorum est dies sabbathi: non tamen è conuerso. Nam dies sabbathi significat quēcunque diem festum: dies autem sabbathorum significat solum diem festum, qui ideò vocatur dies sabbathorum, quia semper est dies sabbathi ad differentiam diei festi, quinti, quarti, &c. quorum nullus est semper, sed quandoque, sic quandoque non dies est sabbathi hoc est quietis. Prædicabat autem die sabbathi, quia tunc potius conueniebant Iudęi ad audiendum verbum Dei: sicut nunc Christiani faciunt in die Dominico. Diebus festis ab occupationibus cessatur, vt homines diuinis exercitiis quietiùs deuotiusque intendant: & vt ea emendēt, quæ ferialibus diebus peccauerunt, Deo adhærentes & ecclesiæ sanctæ eius. Sed prôh dolor, nam id quòd datum est in medicinam, conuersum est in venenum: nam in diebus festis multi potius vacant ebrietatibus, epulis, iocis, choræis, quàm inferialibus diebus. Hoc lamentatur dominus per Esaiam. Sabbatha vestra odiuit anima mea. Surrexit autem legere Christus, vt ostendat quòd prædicator concionem suam in sacra debet fundare scriptura. Vnde beatus Petrus, Non enim indoctas fabulas sequuti, notam facimus vobis domini nostri Iesu Christi virtutem. Sed multi nunc, vt ostendant suā variam lectionem & elegantiam, vel vt veriùs dicant suam vanitatem, & arrogantiam omnem concionem implent versibus poëtarum, & fabulis Ethnicorum: adeò, vt totus gentilicus sit sermo. *Et traditus est illi liber Esaiæ prophetæ, & vt reuoluit librum inuenit locum vbi scriptum erat.* Non solum operibus, sed diuinis scripturis, probauit dominus se Christum esse. Præterea non indigebat Christus libro, cùm ipse sit in quo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: sed accepit codicem, vt nobis sacræ scripturæ studium commendaret. Non tamen casu illum locum scripturæ obuiat, erat nanque id iam diuina prouidentia dispositum. Nemo quippe prophetarum de Christo euidentius, aut clariùs, quàm Esaias vaticinatus est. Locus verò scripturæ is erat, *Spiritus domini super me.* Hæc verba de Christo quatenus homo est, intelligenda esse censeo. Regula enim scripturarum de filio Dei est, vt distinguamus quid in eis sonet secundum formam Dei, in qua æqualis est patri: & quid secundum formam quam accepit, in qua minor est patre: & non turbabimur tanquam contrariis inter se sanctorum librorum sententiis. Secundum formam serui dicit, pater maior me est: sed secundum formam Dei, ego & pater vnum sumus: Secundum formam serui, non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me: sed secundùm formam Dei: Sicut pater habet vitam in semetipso: sic filius habet vitam in semetipso. Secundūm formam serui Christus factus est obediens vsque ad mortem, & tristis est (inquit) anima mea vsque ad mortem. Sed secundum formam Dei, omnia quæ habet pater ipsius sunt, & omnia tua mea sunt, & mea tua. Secundum formam serui dicit, mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me: & secundum formam Dei, ante luciferum genui te, Etiam inquantum Deus ęqualis Spiritui sancto, dicit: Spiritus paracletus quem mittet pater in nomine meo: modo interpretamur. Spiritus domini super me: Ita hæc exponit & interpretatur diuinus Augustinus. Ex quo hæc quæ diximus excerpsimus. Ait itaque, Ille spiritus, qui est patris, & filij, quo spiritu dominus repleuit orbem terrarum, habitat in me, Secundùm quòd homo sum: quia Christi anima ab instanti conceptionis plena fuit spiritusancto. Vnde spiritus sanctus per existentiam donorum suorum dicitur super Christum hominem requieuisse. Ideò alio in loco ait Esaias, Requieuit super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, &c. ¶ Obserua autem quòd Christus habuit spiritum domini super se vt authorem & præceptorem, sed multi non habent

Marginalia: Esa. 9. Matth. 4. Sap. 1. — Ioan. 18. — Ioan. 1. Ioan. 2. — Beda in c. 4 Luc ca 12. — Esa. 1. — 2. Pet. 1. — Colo. 2. — Orige. ho. 32. in Luc. — Esa. 61. — Vide Amb. lib. 4 in Luc. — Ioan. 10. — Ioan. 5. — Phil. 2. Matth. 26. Ioan. 17. — Ioan. 7. Psal. 109. Ioan. 14. — Aug. libr. 2. de Trin. ca. 11. Sap. 1. — Esa. 11.

spiritum sanctum super se ei obediendo, sed sub pedibus ipsius cōtemnendo inspirationes. [Heb. 10.] Ideò Paulus, Et spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Obseruandum quoque est, quòd hæc verba, quæ hîc refert noster Lucas ex Esaia habentur in capite sexagesimo primo eiusdem prophetæ, licet sub aliis verbis: [Hier. sup. 7. Esa. & Amos. 5. & ad Ephes. 5.] nam euangelistæ (vt Hieronimus ait) cùm allegant veterem scripturam non sub eisdem verbis & syllabis sed sensum exprimunt, vt est in Matthæo. Et tu bethlehem terra Iuda: sub aliis verbis est in Michæa. Et illud quod Esaias dixit, Ecce virgo concipiet: [Matt. 2. Mich. 5. Esa. 7 Matt. 1. Ephes. 5.] allegat Matthæus: Ecce virgo in vtero habebit. Et illud Pauli ad Ephesios, propter hoc relinquet homo patrem & matrem: alibi habetur in Genesi. Nam Apostolus pro eo quod ibi habetur enequentouton posuit antitouton, quòd latinè aliis verbis dici non potest. Deinde pro patre suo & matre sua pronomina abstulit, & quod in medio dixit, adhærebit vxori suæ penitùs prætermisit. Sic quod hîc refert Lucas, sub aliis verbis refert Esaias, *Propter quòd vnxit me.* Quia placuit spiritui sancto quiescere super eum: ideò plenitudine gratiarum perfudit & impleuit, quemadmodum scriptum est, [Psal. 44.] Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. [Act. 10.] Et in Act. Vnxit eum Deus spiritu sancto & virtute. Denique Christus non solùm plenus fuit donis gratiæ gratum facientis, sed donis gratiæ gratis datæ. Ideò dicitur vnctus in regem, in pontificem, & prophetam: quòd totum illi contigit in instanti conceptionis suæ. [Ephes. 5.] Et si aliquando postea contigisse legatur, intelligitur quantum ad manifestationem. Nam sicut in passione obtulit se per effectum tanquam oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis: ita cœpit hoc facere in principio creationis animæ suæ, quia tunc cœpit intercessor esse & pontifex inter Deum & hominem. Obserua autem, quòd oleo ferrum lenitur: Ideo Christus vnctus est & lenis, vt asperrima mundi postquam Christo hæserunt, blanda fierent. Iam enim crux, tormenta, mors, dulcia sunt: ex quo vncto Christo coniuncta sunt. Intellige, quòd si adhuc non blandus es quòd nec tibi hæsit Christus: & si hæserit iniuriam illi facis, qui cùm blandam crucem effecerit, te blandum nondum effecit. [Vnde Origen. hom. 12. in Luc. & hoc ac citre 4. in Luc. ca. 12.] *Euangelizare pauperibus misit me.* Idest regnum cœleste prædicare hominibus, siue pauperibus euangelicis: qui propter regnum cœleste contempserunt terrena. Sic quòd Christus ostendit se non accipere personas, dùm non præfert diuites pauperibus, sed omnibus indifferenter euangelizat. Non sic faciunt multi prædicatores, qui nolunt nisi diuitibus & principibus prædicare, & pauperes agricolæ ferè nunquam audiunt conciones, ita vt eis dici possit. [Thren. 4. Matt. 16.] Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Sed mirum hîc videtur, quòd cum euangelium toti creaturæ prædicetur: quomodo tantum pauperibus dicitur hîc prędicari, perinde acsi diuitibus hæc prædicatio non aduenerit? Et reuera ita est: nam causa diuitum, qui huius euangelij parum aut nihil recordantur, dominus dixit, facilius est camelum per foramen acus transire, &c. [Matt. 19.] Et ob hanc causam in tota ferè sacra pagina diuites malè audiunt, cùm de illis sæpè hæc particula, væ, dicatur. Pauperum verò curam Deo esse, vbique commemorant scripturæ. [Psal. 71 Psal. 21. Psal. 9.] Parcet (inquit) pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Et illud, Edent pauperes & saturabuntur. Et, tibi derelictus est pauper. [Psal. 10.] Et, oculi eius in pauperem respiciunt. [Psal. 73.] Et alia possem multa afferre loca. Nec id mirum, nam ij sunt, qui Deum agnoscūt, & Deum prædicant. Pauper (inquit Dauid) & inops laudabant nomen tuum. Diuites autem non sic. Nam cernimus quotidie, quòd quantò homines plus habent diuitiarum, tantò ipsorum animus à Deo procul abest: Toti affixi terræ sunt, cogitationes eorum, verba & facta tantum terram sapiunt: de quibus Iacobus pulchrè scribit dicens, [Iaco. 2.] Nónne diuites tyrannidem exercent in vos? Et idem, Trahunt vos ad tribunalia, &c, Quem diuitem inuenies ad Ecclesiam sæpiùs conuenire? Malunt tempore concionis in lectulis eburneis dormire, aut in foro deambulare, aut risui & nugis vacare, quàm vel spacio vnius horæ in Ecclesiam sedentes sacram Philosophiam audire. Qui cùm magis grati Deo esse deberent, ob maiora ab eo accepta beneficia magis ingrati omnibus aliis sunt: atque in Deum & Christum magis iniurij. Nam ferè semper hi blasphemi sunt, adulteri, vindicatiui, omnis pietatis inimici, & omnibus vitiis, & peccatis obnoxij. Meritò ergo cùm euangelij prædicatio promittitur, mentio diuitum nulla fit, sed pauperum duntaxat: de quibus idem Iacobus ait, [Iaco. 5.] Nónne Deus elegit pauperes mundi huius: diuites in fide & hæredes regni. [Psal. 48. Psal. 2.] Aduerte autem quòd Hebræa dictio significat non solùm pauperes, sed etiam humiles, mitens, afflictos, oppressos: quæ nomina his conuenire non possunt, qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur, & qui in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, ideò tenuit eos superbia, &c. Hæc de his diuitibus sunt dicta quos diuites huius mundi cum Paulo appellare possumus: [1. Tim. 6. Coloss. 3.] qui pecunias tanquam Deum venerantur: quorum studium rectè idem Paulus simulachrorum cultum vocat. Non de his qui diuitiis vtuntur, sicut Christianum hominem decet, & gratias agūt Deo, & diuina iudicia reuerentur. Sed de his iam satis, [Psal. 50.] nunc ad quid aliud venerit Christus audiamus. *Sanare contritos corde.* Qui sunt verè pœnitentes, iuxta illud, [Beda li. 4. in Luc. ca. 12.] Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Quanuis per contritionem sanati sint à culpa, nihilominus tamen ab effectibus, qui sunt pronitas ad malum, debilitatio, & de cæteris debent curari: quod potissimè fit per septem dona spiritus sancti, quæ à capite Christi in sua membra descendunt. Vnde egregius Psaltes, [Psal. 146.] Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Sic sacramentis alligat Christus peccata, quæ sunt vulnera animarum, sicut Samaritanus vulnera illius, qui incidit in latrones. [Luc. 10.] ¶ Expende autem quòd non dicit omnibus mederi, sed contritis corde: quia quandiu est cor durum & sceleribus obstinatum, nullam habet salutem. Ideóque oportet, vt corda nostra lachrymis molliamus, nósque ad gratiam Dei præparemus, &c. *Prædicare captiuis remissionem.* Id est, his qui vitiis & peccatis sunt impliciti. Ideò in Prouerbiis ait Salomon, [Prou. 5.] Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringetur. [Orig. ho. 3. in Lucam.] Sicut peccator tenetur captiuus à diabolo, & cùm quidquid operetur, nihil ex eo sibi acquirit, quia nihil sibi mereri potest: quocirca nullum opus dignum vita æterna & nihil facere potest. Vnde Paulus, Si distribuero substantias meas in cibos pauperum, & tradidero corpus meum [1. Cor. 13.]

ita

ita vt ardeam,charitatem autem, &c. *Et cæcis visum.*
Hoc quamuis de corporali cęcitate possit intelligi,
quia Christus plures cæcos illuminauit, verũ po-
tiùs de spirituali,& interiori mentis cæcitate intel-
ligendum esse puto.Erat enim mundus cæcus & in
Luc.1. tenebris ignorantiæ sedẽs quem Christus venit il-
Ioan.8. luminare. Vnde ipsemet lux mũdi:qui sequitur me
non ambulat in tenebris.Nam sicut rex Babylonis
4.Reg.25. captum Sedechiam filios eius iugulauit, & eruit
Ierem.52. oculos Sedechiæ,& duxit illum vinctum in Baby-
loniam:sic diabolus peccatorem captiuans omnia
opera quæ fecerat bona destruit,& excæcat pecca-
torẽ,& illum in vinculis captiuũ detinet. Christus
autem venit è cœlo,vt hęc omnia opera destrueret,
1.Ioan.3. iuxta illud Ioannis, In hoc apparuit filius Dei, vt
dissoluat opera diaboli.Hæc sunt,quæ Esaias enar-
rat de Christo in hac authoritate. Alibi etiã idem
Esaia 42. Esaias inquit,Dedi te in fœdus populi in lucẽ gen-
tiũ,vt aperires oculos cæcorũ & educeres de inclu
sione vinctũ,de domo carceris sedẽtes in tenebris.
*Dimittere cõfractos in remissionem.*Id est, aduersitatibus
defatigatos,legalium obseruantiarũ oneribus pres-
sos deducere ad spiritualẽ consolationẽ & leuamẽ.
Christus nãq; nos ab obseruantia ceremoniarũ le-
gis,per euãgelicæ legis gratiam subleuauit,iuxta il-
Actu.15. lud,Quid tentatis imponere iugum super ceruices
discipulorum: quod neque nos neq; patres nostri
portare potuimus? Sed per gratiam domini nostri
Iesu Christi credim⁹ saluos fieri.Hinc est quod per
Matth.11. Matthæũ ait saluator, Venite ad me omnes qui la-
boratis & onerati estis, & ego reficiã vos. *Prædicare*
Orig. vt su- *annum domini acceptum.*Id est, ostendere tempus ple-
prà. nitudinis gratiæ aduenisse, in quo Deus placabilis
redditur pœnitentibus. Sepulta enim synagoga,
Christus legẽ gratiæ prędicauit mundo.Vnde Pau-
lus,At postquã venit plenitudo tẽporis misit Deus
Galat.4. filium suũ,&c.Et beatus Petr⁹ in Actis ait, Omnes
Act.3. prophetæ à Samuel annunciauerũt dies istos.Ecce
2.Cor.6. nunc tempus acceptabile,ecce nũc dies salutis. Ait
Esaia.49. enim scriptura:tẽpore accepto exaudiui te. In quo
enim fœlicissimo tempore annunciatur regnũ cœ-
lorum, quod nunquam anteà prædicatum fuerat.
Pœnitentiam agite(ait Ioãnes) appropinquabit re-
gnum cœlorum. Et quia Christus venit daturus
Matth.3 omnibus pacem,ne populi videntes Christi pieta-
Ephe.2. tem & clementiam, auderent eum offendere:ostẽ-
dit etiam suam iustitiam dicens,*Et diem retributionis.*
Hoc est diem iudicij, in quo vnusquisque accipiet
iuxta mensuram meritorum suorum. Hunc diem
prædicauit Christus sæpè. Venit hora, in qua om-
Ioan 5. nes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij
Matth. 24. Dei,&c.Et in Matthæo & in nostro Luca multa de
& 25. die retributionis scripta sunt.Hacten⁹ de hac Esaiæ
Luc.1. authoritate,quam Christus coram omnibus legit,
quam cùm legisset sequitur in contextu. *Et cùm plicuisset librum reddidit ministro & sedit.*Librum scriptu-
ræ sacræ magna cum reuerentia tractauit, vt discas
quam debeas reuerentiam sacræ scripturæ exhibe-
re: & arguendi sunt qui non solùm libros veteris
instrumenti, sed euangelia irreuerentiùs tractant
quàm libros gentilium damnatorum. *Et omnium in*
*synagoga oculi erant intendentes in eum.*Quia delectabi-
Psal. 44. lis fuit ad intuendum tanquã speciosus forma præ
filiis hominũ,in cuius vultu fulgur interioris per-
fectionis, ac gratiæ micabat. Sed & suauitate elo-
quentiæ suæ corda eorum attraxit. Audierunt etiã
famam prædicationis suæ, & nouerant, non didi-
cisse literas,qui quidem apud illos nutritus fuerat,
atque ideò expectabant,& intuebantur quid dice-
ret.*Cœpit autem dicere ad illos,quia hodiè impleta est scri-*
*ptura hæc in auribus vestris.*Per hoc, quod audistis me *Modestia &*
vobis euangelizantem,& corda vestra illuminantẽ *simplicitas*
& gratiã benignitatis diuinæ annuntiãtem, aliquo *Christi.*
modo impletum est quod in superiori prophetia
erat prędictum.In hoc docuit Christus dicta atque
promissa prophetarum in Christi aduẽtu spirituali,
videlicet liberatione à potestate diaboli, & iugo
Romanorum, vt cõmuniter multi Iudæorum exi-
stimabant in Christi aduentu à corporali seruitute
liberandos fore,& cunctis gentibus dominaturos.
Sed tu vide Christi redemptoris nostri modestiam.
Non enim dicit, is ego sum quem audisti in Esaia
loquentem,ne videretur seipsum iactare.Verũ quia
opus erat, vt aliquando cognosceretur, vt in eum
crederent,vsus est verbis minus apertis, nihilomi-
nus idem significantibus,& suo tempore intelligẽ-
dis,quamuis tunc non fuissent intellecta. Sed satis
interim fuit si ea verba secũ ipsi reuoluerent,atque
ex ea cogitatione aptiores fierent huic euangelicæ
veritati percipiendæ:quia si rem apertè explicaret,
cùm non essent capaces tantæ doctrinæ & verita-
tis,offenderentur potiùs quàm erudirentur.Hi do-
mini mores atq; exempla proposita nobis ad imi-
tandum ea: vt sermones nostros semper cùm iudi-
cio disponamus. Neque enim satis est rem de qua
sumus verba facturi,esse sua natura bonam:sed vi-
dendum superest, si temporis ratio & audientium
animus eam postulent. Ob quam causam diuinus *Psal. 38.*
vates aiebat,se & à bonis multis abstinuisse, ne vel
aduersarij etiam ob id calumniarentur. Omnis *Ephesi.4.*
sermo malus ex ore vestro non procedat:sed si quis
bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam au-
dientibus. Et nolite contristare spiritum sanctum: *Loquacitas*
ait Paulus,Quid de his dicendum est,qui quidquid *& stultilo-*
in buccam venit, sine vllo iudicio proferunt? De *quium.*
quibus scriptum est,Sepulchrum patens est guttur *Psalm.5.*
eorum,linguis suis dolosè agebant, venenũ aspidũ
sub labiis eorum.Paulus præcepit his qui ad Chri- *Ephe.5.*
stum venerant, vt non solùm se ab obscœnis ver-
bis abstinerent: verumetiam ab his quæ faceta &
vrbana vocantur.Stultiloquium (inquit) & scurri-
litas quæ ad rem non pertinet, nec nominetur in
vobis. Et alibi admonet dicens, Sermo Christi ha- *Colos.3.*
bitet in vobis abundè,cum omni sapientia docete,
& commonete inuicem, in hymnis, laudibus, &
cantibus spiritualibus cùm gratia canentes in cor-
de vestro domino,&c.Sed de his aliàs,nunc euan-
gelistam audiamus vltra progredientem. *Et omnes*
testimonium illi dicebant, & mirabantur in verbis gratiæ,
*quæ procedebant de ore ipsius.*Non mirum quia de ipso
scriptum erat,Diffusa est gratia in labiis tuis.Et ita *Psal. 44.*
hoc fuit verùm,quòd inimici Christi volentes eum
capere, cùm audissent illum,ita vehementer admi-
rati sunt,vt dixerint, Nunquam sic loquutus est
homo.Quantò enim Christi beatissima anima ple- *Ioan. 7.*
nior gratia fuit,tantò diuiniora proferebat verba.
Obserua autem quòd non dicit eos admirari in
gratiam verborum,sed in verbis gratiæ. Multi ha-
bent gratiam in verbis, quia expediti sunt ad lo-
quendnm ea,quæ volunt, & quomodo volunt,sed
non habent verbum gratiæ:quia non gratiam dare
sed contumeliam dicere student. *Et dicebant, Nonne*
hic est filius Ioseph? Hoc scribæ & Pharisæi pleni
inuidia dicebant. Sicut terra arenosa, quæ quan-

tò magis pluuiam recipit, tantò plus aret. Sic isti quantò plus prædicationis pluuiam Christus fundebat, tantò sicciores & deteriores reddebantur: nam cum mirari deberent, quòd filius Ioseph qui nunquam operam dederat literis, talia proferebat ipsi potiùs irridebant. Quomodo huius doctrinam velut sacram admirari possumus: cùm filius sit Ioseph & non sit doctorali dignitate insignitus? Nec enim est magister noster, doctor aut rabbi: ac proinde videtur nullam operá in bonas litteras collocasse. Vnde igitur eruditio hæc tanta? Vnde verborum & rerum diuinarum & admirabilium tá locu plex copia & thesaurus: Ita enim solet caro inscia domini spiritus, quæ supra naturam sunt admirari, & admirando contemnere tanquam quædam magica & superstitiosa, cú diuina sint oracula. Existimant quippè omnia sensibili cognitioni subiici: neque quicquam esse quod alibi emendicari possit nisi id quod per organa sensuum percipitur. Contra quos ait psalmus, Intelligite insipiétes in populo, & stulti aliquádo sapite. ¶ Vide etiam quod cú populus laudat, scribæ & pharisęi detrahunt, & inuident. Magna quidé hæc est cæcitas, ná eum, qué mirabilé & diuinum doctorem intuétur, ob solam generis agnitioné conténút: quia illum apud se viderant nutritum, sicut illi, qui dicebant. Quænam res accidit filio Cis? num poterit nos saluare iste? Illa re offendebantur, quæ nullius erat momenti: neq; diuinam virtutem inspiciebant, quæ ex diuinis dictis & factis admiranda erat. Quod idem nunc sæpè accidit: nam homines nihil aliud attendunt, quàm exteriorem hunc rerum splendorem, & gloriam: cernút hominé multa possidenté, stipatú satellitibus, preciosis vestibus indutum: eúq; ie venerantur, quamuis impudicus sit, ebrius, tyrannus, & omni vitiorum genere obscœnus: alium verò virtute excellentem & cultum conténunt si pauper sit. De qua re indignatus sapiés vir aiebat. Loquutus est pauper sensatè & nó datus est ei locus. Diues loquutus est, & omnes tacuerút, & verbum illius vsque ad nubes perducunt. Pauper loquutus est, & dicút, Quis est hic nonne (inquiút) hic est filius Ioseph? nóne hic est faber ille & licet faber sit, quid inde? Múdus illos solos, egregios viros magnificat, qui nihil agunt, & ociosi tota die per forú ambulát, & ludis ac iocis operá dant, iéq; esse ignominiosam arbitrantur si in aliquam artem incúbant. Conténitur hîc Christus & eius doctrina, eò quòd Ioseph pauper erat, & cibum arte quærebat. Pessimus error est cótemnere prædicationem propter paupertatem parentum prædicantis: ac si gratia & donum prædicationis pecunijs emeretur. Iam hic pessimus mos & impia cósuetudo múdum inuasit. Si pauper doctissimus sit & sapiés, non exauditur: eius sentétiæ & dicta licet mirabilia sint & erudita contemnuntur. Non æstimatur nec perpéditur hominis sentétia nisi iuxta fauorem & diuitias illius, qui loquutus est. Nam si quis pauper in curiis regú optimum consiliú & vitæ institutum dederit, minimè exauditur, sed potiùs irridetur. Stupebant itaque isti in Christi doctrina & miraculis: sed id illi deesse, quod non diuitiis & nobilitate generis conspicuus erat. Sic Nathanael offensus est Christi patria cú dixit, A Nazareth potest aliquid boni esse? Expende etiam vulgi mutabilitatem. Modo náque ait euágelista quòd mirabantur: & statim ait, quòd despiciebant illum. Sed vnde exorta sit tam subita & magna mutatio nó scribitur: fortè fuit quia subiunxit Christus in concione aliquas reprehensionis notas, vel eò quòd aliqui superuenerunt inuidi. qui animos audientium mutauerunt, dicentes populo Christum vilem esse hominé, & filium fabri, & calumniando miracula, dicentes, non vera illum operari miracula, quia si vera essent miracula, quæ de illo prædicabantur, faceret ea in sua patria. Hæc duo ab euangelista tanguntur, ex quibus apparet, aliquos inuidos superuenisse, & mutasse animos benè dispositos: *Et ait illis, Vtique dicetis mihi, & hanc similitudinem, Medice cura teipsum.* Tu qui curas alienigenas, cura ciues tuos. Et quod sit sensus manifestè patet, quia statim dixerunt quanta cognouimus facta fuisse in Capharnaum: fac hic in patria tua. Nam si medicus ægritudinem patiatur, qua & alij laborant, si seipsum non curet, nec alios creditur curare posse: sed in contumeliam scientiæ sua dicitur illi, Medice cura teipsum. Iuxta hác similitudinem dicebant isti ad Iesum. Si potes miracula cum aliis facere fac etiam cum te ipso: hoc est, in tua ciuitate. Ideo dicunt declarantes seipsos. *Quanta audiuimus facta in Capharnaum fac hic in patria tua.* Quamuis Christus hæc dicebat, & referebat, & nó ipsi: tamé isti hoc dicebát in cordibus suis, & Christus quæ in cogitatione dicebant, núc exteriùs narrabat. Hæc enim verba quantum ad sensum & sententiam erant horum Nazareorum: recitata autem sunt à domino sub hac similitudinis forma. Obserua quòd nó dicunt quanta scimus, sed quáta audiuimus: vt ostédant se nonnihil dubitare, an vera essét, vt dicebatur, quocirca si similia nó fecerit apud suos, videbitur aut nó velle, aut non posse. Quòd si nolet, ingratus in patriam suam existet, quòd si nó potest, clarú est quod excæcauit Capharnaitas suis magicis artibus, sic vt putauerint id posse facere, quod minime potest. Hæ erát impiæ cogitationes Nazareitarú. Aduerte auté, quòd noluit dominus miracula facere in Nazareth: quia in omni actione naturali non solú requiritur virtus seu potétia agétis, sed etiá requiritur dispositio materiæ: ná actus actiuorum sunt in patiente bene disposito, vt patet de igne cuius virtus est cóburere, sed nó nisi in materia disposita, quia nó cóburit lapides. Sic in miraculis non solum requiritur potétia, sed fides etiam requiritur & deuotio in illo, qui vult accipere sanitatem. Cùm ergo Christus haberet infinitá potentiam & virtutem ad faciendum miracula, adhuc tamen volebat dispositionem in materia. Et quia isti Nazaræi æ nó erát dispositi: cùm non haberent fidem in Christo nec in eum crederét, ideò non fecit miracula. Imò quod peiùs est nó solú nó credebát, sed irridebant eum dicentes. Nóne hic est filius Ioseph? Aliud autem erat in Capharnaum, vbi illum credebant, & honorabant. Sic Chrisostomus asserit quòd propter eorum incredulitatem non fecit miracula in Nazareth: quod satis patet exemplis à Christo adductis post hæc verba, de Naamá Syro, & vidua Sareptana, quæ statim videbimus. Præterea indigni erát isti vt Christus apud eos faceret miracula, nec vt eorum infirmos sanaret: quia alienæ gloriæ inuidebant. Dolebat eò quòd Capharnaum potiretur illa gratia miraculorú. Nó expectes opem cœlestis auxilij, si proximo inuides. Aspernatur dominus inuidos, & miracula suę potentiæ auertit ab eis, qui in aliis diuina beneficia videre non vellent. Inuidia enim opponitur charitati, quæ omnium virtu

Psal. 93. Mundi iudicium simistrú.

1. Reg. 10.

Eccle. 13.

Chryso. hom. 49 in Math.

Ioan. 1.

Glossa ord. in hunc locum Lucæ.

Chryso. hom. 49 in Math.

Ambr. lib. 4 in Lucá. tomo 5.

Inuidi amici diaboli & familiares. virtutum pulcherrima & excellentissima est: quapropter deteriùs est, quàm auaritia: nam auarus si non vult communicare sua, tamen vult, quòd alia sua communicent. Inuidus namque Dei bonitate dolet eò quòd non auarè illam cùm hominibus exerceat, sibi tamẽ vult largam & magnificam esse. *Genes. 3.* Atque ideò inuidi diabolo assimilantur, qui inuidebat parentibus nostris: quapropter Sapiens di- *Sapien. 2.* xit, Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Et ita inuidus diabolo maxima amicitia est cõiunctus, quia idem velle, & idem nolle cum diabolo habet: nã hæc est lex amicitiæ, iuxta Ciceronis sententiam, idem velle, & idem nolle. Sic inuidi quando diabolus lucratur, gaudent: & lucrũ ipsius quasi proprium suum reputant. Quando verò diabolus perdit: dolẽt damnum eius, quasi suum proprium. Ideò amici familiares sunt diaboli. Ideò igni Græco assimilatur inuidia, qui in aquis gratiarum accenditur. Et sicut diabolus primis parentibus qui insontes erant, non perpecit: sic inuidus bonis *Gene. 4.* inuidet. & eos calumniatur. Sic Cain non pepercit innocenti Abel: sed propter conceptam inuidiam *Genes. 37.* illum occidit. Nec filij Iacob pepercerunt fratri suo Ioseph innocenti, quin potiùs eum vendiderunt. *1. Reg. 18.* Nec Saul voluit parcere Dauid, qui ei vtilis erat: *Ioan. 19.* nec Iudæi Christo, quem ob inuidiá interfecerunt. ¶ Disce ex hoc loco non expectare opem misericordiæ cœlestis, si alienæ virtutis fructibus inuides. Inuidebant isti Capharnaitis, & quærunt cum hac inuidia mercedem à domino: quam non receperũt, quia inuidia indignos eos reddiderat. Non poterat Christus ciues non amare. qui omnes summa dilectione prosequebatur, sed ipsi sua inuidia indignos se fecerunt. Vide etiam quòd hæc ciuitas digna fuit quòd Christus in ea conciperetur, & nutriretur: sed ob inuidiam indigna fuit, vt in ea Christus miracula faceret. Quamuis maius miraculum in hac ciuitate fuerit factum, quàm in Capharnaum: nam hic verbum diuinum assumpsit naturam humanam. Nónne tibi grande miraculum videtur, ô Nazareth, quòd vna sit persona, & vnum suppositum cùm tres sint substantiæ: & quòd nulla sit compositio, vbi duæ naturæ adsunt & duæ voluntates, & quòd de vno & eodem verificetur, quòd sit paruus & magnus, passibilis & impassibilis, mortalis & immortalis? Sed Christum audiamus: *Ait autem Amen dico vobis quia nemo propheta acceptus in patria sua.* Reddit Christus rationem cur in Nazareth non faciebat miracula acsi diceret, Alia est ratio eorum qui sunt in Capharnaum, & alia istorum: quia vos *Marc. 6.* non creditis & illi credunt. Vnde Marcus ait. Abiit Iesus in patriam suam, & sequebantur eum discipuli eius, & non poterat ibi virtutem aliquam facere, nisi quia paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum. Non poterat inquam de potentia ordinata: quia requiritur dispositio, vt iam diximus. Hanc dispositionem non habebant Nazaræitæ, quia Christus inter eos erat nutritus: & viderant, & tractauerant eum. Tales sunt hominum affectus, vt nouitate gaudeant: & si aliquid à longinquo venit, id venerantur & honorant, nõ autem propria, quæ potiùs fastidiunt. Martha quæ soror erat Lazari, priùs sensit fœtorem fratris, quàm alij: quia ipsa so- *Ioan. 11.* la dixit, Quatriduanus est, iam fœtet. ¶ Præterea quodammodo naturale est ciues ciuibus inuidere. Non considerant hominis opera atque virtutem, sed fragilem recordantur infantiam. Vndè faciliùs promouentur in patriam alienam, quàm in suam propriam. Affligitur Ioseph in patria sua & à fratri- *Genes. 37.* bus suis, & exul mittitur in Aegyptũ: & à Pharao- *Genes. 41.* ne alienigena exaltatur. Sic Ieremias in lacum per *Ierem. 38.* consiliarios Sedechiæ missus: sed per Abdemelech Aethiopem fuit extractus à lacu, & posteà à Nabuchodonosor honorificè tractatus. Vnde dominus *4. Reg. 18.* loquutus Ezechieli de populis gentilibus & igno- *Ezech. 3.* tæ linguæ. Si ad illos mitteretis, ipsi audirent te: domus autem Israel nolunt audire te. Maria & Aaron fratres Mosi, contra Mosem rixantur: ei autem *Nume. 12.* alieni obediũt. Ideò dominus dixit Abrahæ, Egre- *Gen. 12.* dere de terra tua, & de cognatione tua, & faciam te in gentem magnam. Vide quomodo inter alienigenas factus fuerit Abraham magnus. ¶ Sed aliquis forsitam obiiciet quòd Ezechias & populus eius in magno honore habuerunt Esaiá prophetã, & ideò Ecclesiasticus dixit, Fortiter iuit Ezechias *Eccle 18.* in via Dauid patris sui quá mandauit ei Esaias pro- *2. Reg. 12.* pheta magnus. Dauid etiam sanctus Nathã, & Gad prophetas veneratus est. Ideóq; hæc Christi verba non sunt intelligenda, quòd semper sine aliqua exceptione ita sit: sed quia plerunq; sancti prophetæ contemnuntur inter suos. Sic Salomon in Prouer- *Prouerb. 1.* biis multa affirmat: nõ quòd vniuersaliter circa singulos ita se habeant, sed quia frequẽter sic accidit. Sed multi & ferè omnes prophetæ in aliena terra plus honorantur vt Daniel, Mardochęus, Ioseph, & alij. Quomodo autem magis crediderunt Capharnaitæ quàm Nazaræitæ probat Christus duobus exemplis scripturæ: quorum primum est. *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sarepta Sidonis ad mulierem viduã.* Hoc exemplo & sequenti probat Christus quòd dixerat, nemo propheta est in patria acceptus, vel si fortè his narrationibus errorem suum intelligerent. Docétq; iustam ob causam se non edere signa, quæ alibi edidisset: ipsósque huius rei in causa esse, ob suam incredulam mentem. Hoc autẽ exemplum & sequens in historia regum posita sunt, quæ silẽ- *4. Reg. 17.* tio hic prætereõ cùm nota ab omnibus sint: liceat tamen aliqua breuiter annotare. Dicitur hìc quòd Heliæ verbis cœlum fuit clausum. Per cœlum hic intelligitur aër, vbi coguntur nubes, vt inde dimittatur pluuia. Dicitur autem cœlum claudi metaphoricè: cũ non det quæ dare consueuit, sicut aperiri dicitur, cum dat, aut cùm inde aliquid apparet. Vidua hæc Sareptana magnam fidem habuit: nam Heliæ viri ignoti & alienæ gentis fidem dedit nulla facta attestatione miraculi, nihilq; hæsitauit. Deinde eius liberalitas ostenditur: quæ cùm in tãta esset necessitate cõstituta, de victu sibi & filio suo necessario. Heliæ sit panem elargita: & priùs illum pauit, quàm & filium suum. Ideò digna fuit, vt dominus ei remuneraret: & miraculũ vidit, & paupertati & inopiè illius succurrit dominus. Credidit quippè hęc promissis hominis ignoti, & obtulit panẽ in tãta necessitate. Nos verò habemus ipsam veritatẽ filiũ Dei promittentẽ omnia ad victũ, & cultũ neces- *Math. 6.* saria: & nullã veræ fidei præbemus significationẽ. Abũdat arca pecuniis, horrea tritico, vino torcularia, & vestes à tinea rodũtur: & in tãta abũdãtia nec superflua dare volumus pauperib. in obsequiũ Christi. Mulier erat hęc infirmi sexus, marito destituta,

pauper

pauper & inops. & filium habebat summa inopia alendum, & nihil supererat, nisi pugillus farinæ: & in tanta angustia voci prophetæ nunquã anteà cogniti obediuit. Sicut Niniuitæ in die iudicij cõdemnabunt gentem Iudæorum: sic ista auaros diuites quibus dominus dicit, Esuriui & non dedistis mihi manducare, sitiui, &c. Non mittitur Helias ad aliquam multarum viduarum, quæ erant in Israel, nisi ad hanc viduam Sareptanam: nec Christus ad Nazaræitas, quib⁹ loquitur, nisi ad Capharnaum: Deus enim merita & fidem hominum respicit, non patriam, non sanguinẽ, nõ natale. Plus valent apud Deum extranei & bonis moribus induti, quã propinqui sceleribus coinquinati. ¶ Disce ex hoc loco non de patria, aut generis nobilitate gloriari, vt multi inaniter & arrogãter in his gloriantur. Apud Deum plus valet animus, quàm genus. Plus valuit hæc vidua alienigena coram Deo, quàm viduæ Israel, quæ erant ex patria sua: & plus Capharnaum, quàm conciues eius Nazaræitæ. Plus & nũc haberi solet in oculis Dei pastor, & pauper agricola probi: quàm rex vel papa, si improbi sint. In euangelio Matthæi tres reges tollũtur de medio, nẽpe Ochozias, Ioas, & Amasias in Christi genealogia: quia se miscuerant cum sanguine impiissimæ Iezabelis, vt Hieronymus testatur. Sic dominus abominatur peccatum, vt isti reges Iuda nobilissimi de medio tollãtur in detestationem peccati, vt deleretur memoria Iezabelis vsque ad quartam generationem. Non considerat Deus consanguinitatem, non patriam, non genus, non dignitatem, sed virtutem & pietatem, &c. Porrò Sarepta vrbs parua fuit inter Tyrum & Sidonem. Sidon verò vrbs fuit, à qua illa regio vocata est Sidonia. Demum pia dispensatione fecit Deus, vt Helias tam longum iter susciperet vsque in Sareptam: vt videns hominum pestẽ, peteret à domino pluuiam. Sic ait Chrysostomus. Sed iam secundum exemplum quòd Christus adducit audiamus. *Et multi leprosi erant in Israel sub Helisæo propheta, & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.* Erant siquidem illi quatuor leprosi, qui cogente fame in castra regis Syrię venerunt: & alij etiã quos scriptura non commemorat, quos non curauit Helisæus. Cur ergo nõ curabat fratres & conciues? Núquid Helias & Helisęus maiori amore prosequebãtur extraneos, quàm conciues? minimè, sed fides Naaman meruit beneficiũ: credidit enim hoc posse præstare Deum per suos seruos, & obediuit iussus mergi in Iordanem. Si talem fiduciam haberent Israëlitæ sensissent vtique diuinam benedictionem. Sed super hanc hystoriam breuiter aliqua consideremus. Puella Hebræa à latrunculis Syriæ captiua ducta est, cuius verbis domina eius per mota virũ est alloquuta, & ille regem: atq; hoc modo veri Dei maiestas inter ethnicos declarata est: verè enim omnia seruiunt ei, & nihil fit in regno quòd nõ summam secum afferat sapientiam: & ex his, quæ nobis mala videntur, maxima bona prodire facit. Cogitemus ergo omnia nobis aduersa in maximam nostram vtilitatem conuerti. Quis obsecro non doleret Ioseph postquam fratrum inuidia venditus fuit, & cùm posteà dominæ suæ calumnia in carcerem fuit detrusus? At per ista media in magnam gloriam & maiestatem fuit euectus, & secundus à rege constitutus, & saluator mundi fuit appellatus. Attendamus nos paternam Dei curam & prouidentiam eò solùm spectare, vt bona nobis semper eueniant, quamuis interea aliquid accidat quòd sensibus nostris cõtrarium appareat. Nam & pueris multa prohibentur quę optãt, quin & plerumq; à parentibus cæduntur: & tamen hæc omnia in eorum vtilitatem faciunt. Hæc puella priùs exul à patria & captiua erat: sed posteà eam ob acceptum beneficium liberam dimisit: & Aman leprosus mũdari meruit, restitutáq; est caro eius sicut caro pueri, & Deum cognouit: & salutẽ animæ consecutus est. Ingẽtia munera obtulit Helisæo: & posteà cùm fœnore dona dedit Giezi puero Helisęi. Ex tam generosa grati animi significatione, nihil est dubij, quin puella dimissa sit libera: vel si remansit, libens & volens remãsit, eò quòd benè & liberaliter cùm illa ageretur, & meliùs in domo tanti principis haberetur, quàm in sua patria, vbi fieri posset vt pauperum vitam ageret. ¶ Obseruandum quoque est quòd per Naaman dominus dedit salutem Syriæ. In quibus verbis duo docemur. Primùm vt in omnibus rerum euentibus quidquid boni acciderit Deo ascribatur. Ecce enim hìc cùm dixit magnus & honoratus apud dominum suum expectabatur, vt bellica sua virtute saluauerit Syriam: sed hoc nõ dixit, sed quòd per illum dederit dominus salutem Syriæ: quòd plurimum refert & ad pietatem, & ad viuendi vsum Nam hoc pacto non insolescunt homines, si omne bonum Deo acceptum referant: & cùm intelligamũs omnia à Deo gubernari, æquo animo, quidquid acciderit patienter feramus. Sic Dauid, In te ventilabimus cornu. Non dixit ego, sed in te, id est, tuo præsidio adiutus: Sic Iudith. In manu fœminæ percussit illú dominus. Nabuchodonosor insolenter dixit, Nónne hæc est ciuitas, quàm ego ædificaui in robore meo? Sed vox statim de cælo audita est, &c. ¶ Alterum: quòd ex illis verbis docemur est, quòd etsi gentes ignorabant Deũ, & esse sine Deo dicebãtur, & quòd dimiserit Deus ingredi viis suis, eos tamen regebat ac eorum regna. Quare cum cernimus Turcas & Christiani nominis hostes nos premere, ad id nobis statim est recurrendum quòd omnia Dei imperio aguntur, qui permittit aduersarios nostros ob scelera nostra nobis esse superiores: quæ sancta cogitatio nos ad pœnitentiam & ad melius vitæ institutum inuitabit. Sic populum Israëliticum puniuit per Syriam, & captiuam duxerunt ethnici puellam Israëliticam. Sic per Eglon, Iabin, & Amon, & alios gentiles puniebat olim Israëlem: & quando se conuertebant suscitabat dominus saluatorẽ vt Aioth, Samson, Gedeon, & alios. Sciamus quòd mala, quæ patimur peccata nostra meruerunt. ¶ Sed forsitan aliquis mirabitur in hac historia, cur Helisęus ad tanti principis aduentum non surrexit? Ob duas credo id fecisse causas. Prima vt prophetiæ dignitas seruaretur: in qua diuinæ maiestatis virtus elucebat. Nam & regum legati dignitatem & maiorem grauitatem seruant dum legationis officio funguntur, quàm vbi eam deposuerunt: quia dùm hoc sibi munus est iniunctum, personam regis agunt. Altera causa est, vt doceamur homines hanc externarum rerum pompam, quam ipsi plurimi habent, apud Deum nullius esse momenti. Ad mulierem autem Sunnamitem abiit vsque in domum eius, & filium suscitauit. Sic etiã Helias, qui regem superbũ asperè corripuerat, abiit ad pauperculam viduam. Et Christus omnium magister non abiit in domum reguli (vt Gregorius annotat) licet rogatus: & tamen

Marginalia: Matth. 12. Matth. 25. — Animus magis quàm genus apud Deum æstimatur. — Matth. 1. — Hiero. lib. 1. commen. in Matth. c. 1. — Chryso. hom. 42. in Gen. — 4. Reg. 5. — 4. Reg. 7. — 4. Reg. 5. — Bona & pia etiam aduersa bene cedunt. — Genes. 37. — Genes. 39. — Genes. 41. — Psal. 43. — Iudi. 16. — Danie. 4. — Iud. 3. 7. & 9. — 4. Reg. 4. — 3. Reg. 18. — 3. Reg. 17. — Ioan 4. — Greg. hom. in euang.

tamen abiit in domũ Centurionis. Quare quidã ei
dixerunt, Non aspicis personam hominũ: nõ diui-
Math. 22. tias, non honores. Tantũ merita vniuscuiusq; con-
siderat. Aliter mundus facit, qui non nisi diuites, &
auro fulgẽtes nouit honorare. Accessit hic Naamã
in curru suo diuitiis abundãs, famulis stipatus: sed
nihil hæc exteriora quæ momento temporis vilef-
cunt sanctum virum mouerunt. ¶ Vide etiam quòd
serui Naaman patrem appellarunt dominum suũ:
quia vir bonus & clemens seruos, nõ sicut canes &
sicut iumenta, sed sicut homines tractabit. At mul-
tos inuenies nunc seruos, qui dominos suos nõ pa-
tres, sed Tyrãnos, Nerones, Tiberios, poterũt appel-
lare. Infirmos seruos nõ curant: imò in hospitium,
vt citiùs moriantur, mittunt. ¶ Expende etiã, quòd
non dedignatus est consilium seruorum accipere,
& audire eos: ideò meruit curari. Sic sanctissimus
Moses, & prudens, omni diuina & humana sapiẽtia
excultus, qui cum domino loquebatur tanquam si
esset aliquis amicus, tamen accepit consilium Ietro
Exod. 18. sacerdotis Madian hominis barbari, & ethnici. Sed
tanta est aliquorum superbia vt inferiores despi-
ciant, & eos audire nolunt. Consilio itaq; seruorũ
accepto, descẽdit & lauit, & cùm sanus esset, dixit,
Verè scio, quòd non sit alius Deus in vniuersa ter-
ra, nisi tantum in Israel. O fœlix lepra, quæ veri Dei
agnitionem in huius viri mentem introduxit: quæ
si defuisset, neque morbo laborasset vllo, in illo si-
Infirmitatũ vtilitas. mulacrorum cultu perdurasset. ¶ Docemur hinc
quàm vtiles sint infirmitates, quæ salutem animæ
conferunt, sicut lepra Naaman dedit illi cognitio-
Eccle. 31. nem veri Dei. Vnde sapiens, Infirmitas grauis so-
briam facit animam. Ideò qui spiritu Dei aguntur
etiam gratias agunt ob afflictiones & infirmitates.
Esaia 12. Confitebor tibi domine (ait) quoniam iratus es mi-
Iaco. 1. hi. Et Paulus gloriabatur in infirmitatib⁹. Et Iaco-
1. Para. 8. bus: Omne gaudium existimate fratres cùm in gra-
ues tentationes incideritis. Quare? Illud scientes
quòd probatio fidei vestræ parit patiẽtiam. De vti-
litate infirmitatum multa in libro Vanitatis sæculi
disseruimus: quapropter nunc ad alia properemus.
Math. 12. ¶ His igitur duobus exemplis viduæ scilicet Sare-
ptanæ, & Naaman Syri, Christus dominus noster
causam suam tutatus est aduersus illos Nazaræitas.
Luc. 6. Sic & discipulos euellentes sabbatho spicas alibi
excusat à murmuratione Pharisæorum exemplo
Dauidis, qui olim panes propositionis comederat,
quos non licebat ei edere, neq; his, qui cum eo erãt
Ioan. 10. sed solis sacerdotibus. Et in euãgelio Ioannis blas-
phemiæ accusatus, quòd se filium Dei appellaue-
rit, obiicit alios olim vocatos Deos, ad quos sermo
Dei factus fuerat. Tu itaq; vitam & mores tuos sic
institue, vt contra maleuolos te exemplo bonorum
virorum defendere possis. Caue autem ne tibi ma-
Act. 9. gis arrideat Saulus ecclesiæ persequutor, quã Pau-
lus ecclesiæ propugnator & defensor. Multi enim
sua peccata tegere volunt, & defendere, exemplo
Dauidis, Magdalenæ, Latronis in cruce pendentis,
& aliorum pœnitentiam imitari oportebat, nõ eo-
rum peccata. Christus defendit seipsum exemplo
bonorum factorum Heliæ & Helisæi: & arguit im-
pios incredulos exẽplo viduæ Sareptanæ, & Naa-
mã Syri: quos oporteret Nazaræitas imitari. Sic tu
vterè exemplis bonorum, illósque in bonis actibus
imitare. Sed iam ad nostrum euangelistam Lucam
reuertamur. Itaque cùm illi Nazaræitæ audissent
hæc, quæ Christus prædicabat, vide quid egerint.

Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes. Non
sunt emendati, sed irati. Vnde propheta, Odio ha- Amos. 5.
buerunt corripientem in porta. Qui obstinato sunt Exod. 5.
animo deteriores fiunt correctione: sicut Pharao Eccl. 2.
rex Aegypti. Vnde per sapientem dicitur, Peruersi Eccle. 19.
difficilè corriguntur. Ecclesiasticus etiam ait, Qui
odit correctionem, minuetur vita eius. *Et surrexe-
runt & eiecerunt illum extra ciuitatem: & duxerunt illum
vsque ad supercilium montis super quem ciuitas illorum
erat ædificata, vt præcipitarent eum.* Aspice obsecro quã Veritas odiũ
retributionem mundus det sanctis & studiosis vi- parit, repre-
ris. Semper mundus reddit mala pro bonis. Vnde hensio ingrata.
Psalmista, Qui retribuunt mala pro bonis detrahe- Psal. 33.
bant mihi, quoniam sequebar bonitatem. Et Iere- Ierem. 18.
mia, Nunquid redditur pro bono malum, quia fo-
derunt foueam animæ meæ? Prædicabat Christus,
vt eos à præcipitio inferni liberaret: ipsi autem ab
alto ciuitatis volebant eum præcipitare. Multi etiã
& nũc principes, episcopi, clerici, & sæculares præ-
cipitant prædicatores, murmurantes, & detrahen-
tes eis, quia sua vitia destruunt & detestantur. So-
lent autem huiusmodi homines aduersus prædica-
tores dicere, Nihil habebat quòd prædicaret, obli-
tus est concionis. Benè autem dictum est per Sa-
pientem. Non amat pestilens eum, qui se corripit.
Libenter audierunt isti de aduentu Messiæ, erant Prouerb. 15.
quippè hæc ipsis exoptatissima. Cùm autem Chri-
stus accessit ad morum correctionem, non potue-
runt æquo animo ferre. Sic olim Esaias dixit, Lo- Esaia 30.
quimini nobis placẽtia. Habet etiam hoc nostrum
sæculum tam delicatas aures, vt libenter audiat
quæstiones theologicas, verba curiosa: sed si eorũ
vitia prædicator arguerit, indignantur, & irascun-
tur, & quòd non sine lachrymis dici potest, mini-
stros Dei persequuntur. Placet illis, & auribus suis
dulce eloquiũ est audire sermonẽ elegãtẽ de diuina
benignitate & misericordia: disserentem autem de
vindicta Dei in peccatores, molesto & ægro animo
ferunt. Clerici cõciones amant, in quibus laici cor-
riguntur: laici autem èconuerso. Quòd si verbi mi-
nister liberam habuerit linguam, acerrimúsq; fue-
rit vitiorum insectator: hoc certò sciat illi debere
contingere, quemadmodum Christo contigit. Dũ
prædicator illorum vitia nõ carpit, ipsum laudant,
dicentes, alium diuum Paulum esse: at dùm repre-
hendit illos iniquissimum esse dicunt. Sic isti quã-
do Christus de aduentu Messiæ loquebatur, eius
verba suspiciebant, & venerabantur: at statim vt il-
lorum taxauit vitia, volunt illum præcipitare. Hoc
mihi crede, quòd quicunque is fuerit prædicator,
qui veritatem diligat, semper martyrium patietur.
Attenti erant hi Nazaræitæ & laudabãt Christum,
cum illis aperiebat auctoritatẽ Esaiæ. Spiritus do-
mini super me propter quòd vnxit me, &c. Nũc au-
tem cùm illos reprehendit, volunt illũ præcipitare.
Odio enim habetur veritas. Vnde beatus Paulus, Gala. 4.
inimicus factus sum vobis, verũ dicens. Sic Michæã 3. Reg. 22.
Achab persequutus est, quia veritatẽ dixerat Non
prophetat (inquit) mihi bonum, sed malũ. Verũ hic
aliqua obseruanda sunt. ¶ Primum horum est quòd Beda in 4. in
isti Nazaræitæ peiores fuerunt magistro suo dia- Luc. ca. 12.
bolo. Diabolus quippè suggestione & verbo tantũ tomo 5.
tentauit dominum: sed isti Iudæi facto. Ille dixit Matth. 4.
saluatori in pinnaculo tẽpli, mitte te deorsum: sed
isti apertè mittere illũ deorsum nituntur. Diabolus
quoq; vt statim videbimus, dominũ cõfitebatur &
dicebat illũ esse filium Dei: & isti ei nolũt credere.
Et ita

Et ita cæcus factus est populus iste, vt eum ignorét
& negent, quem vel ipsi dæmones confitentur. In
quo quidem nequitia & deprauata mens Iudæorū
conspicitur. ❡ Secundò obserua, quòd à propriis
ciuibus maximam ignominiā Christus est passus.
Matth. 8. Genezareni quamuis amiserant duo millia suum,
nihil tamen ausi sunt aduersus Iesum loqui: sed ro-
gauerunt vt ab eis discederet: Nazareni verò nullū
Matth. 10. damnum passi, præcipitare eum volunt. Optimè
quidem Christus dixit, Inimici hominis domestici
eius. Maxima est illa tribulatio, quæ à propriis ami-
cis & necessariis infertur. Sic Pilatus, qui gentilis
& alienigena erat, voluit Christum absoluere, iudé
Herodes teste. Pilato nullā mortis causam inuenit
Matth. 27. in eo: ea propter liberum illum ad Pilatū misit. Iu-
dæi autem nulla facta cessatione cùm ex eadē gente
esset clamabant, vt crucifigeretur. Quapropter di-
xit ei Pilatus, Gens tua & Pontifices tui tradiderūt
Ioan. 19. te mihi. Sic Ioseph honoribus exaltatus à Pharao-
Genes. 41. ne rege Ægypti, & in magno pretio habit⁹ ab Ægy-
Genes. 37. ptiis, à fratribus suis venditus est. Stephanum etiā
Act. 6. & sui persequuti sunt: nā surrexerunt (ait scriptura)
quidam de synagoga, &c. Et synagoga inquā egres-
si sunt. Eisdem vestigiis mundus incedit: nam hi,
qui magis familiares, magis domestici, & amici ti-
bi sunt, tibi priùs detrahunt, tua secreta pandunt.
Potiùs in extraneo & in ignoto virtutem & bene-
ficium inuenies, quàm in amico & consanguineo:
nam extraneus quidquid boni illi feceris gratula-
bitur: consanguineus tamé nullo modo gratus tibi
existet, imò videtur illi, te nihil fecisse, etiam si ma-
gnum beneficium illi contuleris. Quòd si meis di-
ctis nolis acquiescere, euangelistæ sancto necessum
est credas: & attende, quanto in honore sit saluator
ab extraneis habitus: à suis verò Nazaræitis in nul-
lo. ❡ Aduerte tertiò causam cur Christus repulsam
patitur, & abiicitur à patria sua, & ipse illam deserit.
Mirabile enim videtur quòd Messiam, qui tam de-
sideratus, & expectatus à Iudæis fuerat, nūc eiiciāt.
Messiam desiderabant isti, protinùs autem vt se il-
lis pandit, ipsum à se reiiciunt & expellunt. Si tan-
tum illum & tam anxiè desiderans: si modo eum
habetis, cur expellitur & reiicitur à vobis? In qua re
id aduertendum tibi est, quòd omnes Iudæi Chri-
stum anxiè postulabant, & desiderabant, at vole-
bant, vt Messias ad eorum placitum & libitum illis
adueniret: cùm iam verò aduenisset, & eorum mo-
res deprauatos & opera reprehenderet, illum abii-
ciunt, & expellunt. Dum Deus illis secunda donat,
dùm illis benefacit: eum laudant, atque prædicant:
sed dùm illis & eorum moribus aduersatur, in illū
conuiciantur. Vnde David alloquitur dominum
dicens, Confitebuntur, cum benefeceris eis. Sic isti
Psal. 48. Israëlitæ cùm diuites exirent ab Aegypto spoliatis
Ab Aegyptiis, & videntes inimicos mortuos præ
nimia lætitia & gaudio cantantes dixerunt, Cante-
Exod. 15. mus domino, gloriosè enim magnificatus est. Cum
autē ad comedendum nihil inuenerunt, murmurā-
Exo. 15. tes dicūt, Vtinā mortui essemus in Aegypto. Chri-
stum à patria isti expellunt, quia eorum voluntati
erat cōtrarius, & quia eorum vitia nō approbabat.
Hac etiā potissimum ratione Christū a se Maurus
expellit: & impius & sceleratus Christianus. Nā si
Mauro dicas, quòd credat Deū esse, tecū cōsentiet:
si autem dixeris, quòd credat, hunc Deum trinum
esse & vnum, in eandem tecum ibit sententiam. At
si illi dixeris, quòd qui huic legi est astrictus, tene-
tur inimicum diligere: resiliet statim & dicet se hāc
legem nolle amplecti, nec Christianum esse. Quid
est in causa, quòd Maurus nolit esse Christianus:
nec Christum vult accipere? causa vtique est, quia
lex Christi non est conformis suo appetitui. Quare
tā ingés infidelium multitudo in Christū non cre-
dit? Vtique quia secundum carnis legem viuunt, &
Christi lex non carni fauet, imò illi aduersatur, &
contrariatur. Azotij eiecerunt arcam domini Dei Israel
1. Reg. 5. ex téplo suo, ex patria sua, & à suis finibus: eò quòd
malè se habuerat cum idolo suo Dagon. Sic infide-
les & mali Christiani Christum abiiciunt: quia eo-
rū turpitudines & vitia abominatur. Qua de causa
Christus à Iudæis abiicitur, sicut ab istis Nazaræi-
tis. Ideò ipsemet ait, Ego veni, vt qui non vident,
Ioan. 9. videant: & videntes, cæci fiant. Et Paulus, Nos præ-
1. Cor. 1. dicamus Christum crucifixum: Iudæis scandalum,
& Gentibus stultitiam. Si Christus dicta & facta
Pharisæorum laudaret, & cum illis consentiret: vti-
que ipsi eum laudarent, & acciperēt: sed quia Chri-
stus non fauet peccatis, sanguini, nec carni: ideò à
Nazareth eiicitur, & à Iudæa & ab infidelibus &
malis Christianis. Malus namq; & sceleratus Chri-
stianus statim, vt Christus sensualitati suæ contra-
dicit, illum ab anima sua expellit. Nam quemad-
modum sartor vestem non scindit ad suum libi-
tum, modum, nec mensuram, sed secundum eius
voluntatem, qui vestem debet induere: ita tu vel-
les, vt Deus tuæ voluntati conformis esset, tu verò
cum diuina non vis consentire. Iudæi Messiam vo-
lebant: at volebant illum secundum suam volun-
tatem. Nolunt ipsi cum diuina voluntate consen-
tire, at volunt vt Christus illis conformis esset. Cū
autem isti miseri Christum expulerunt: simul cum
ciuitate & regnum, & sacerdotium, & Dei fauorem
amiserunt. ❡ Quartò in hoc loco obseruandum est, *Vnum peccatum alterius causa.*
quomodo vnum peccatum sit causa alterius. Pri-
mò namq; isti Nazaræitæ inuidi fuerunt, quia Ca-
pharnaitis inuidebant, eò quòd Christus apud eos
seruum Centurionis sanauerat, & dæmoniacum,
& alia multa signa in Capharnaum fecerat, quocir-
ca dixerunt, Quanta audiuimus facta fuisse in Ca-
pharnaum. Secundò ambitiosi fuerunt, & honoris
cupidi, & ideò dixerunt, Fac hic in patria tua. Vo-
luerunt vt patriam illustraret. Tertiò ira fuerunt
impleti, & demum volunt Christum præcipitare.
Vnde fit, vt qui peccata priora non emendauerit,
in alia & alia maiora incidat, quousque in profun-
Eccle. 3. dum malorum deueniat. Quocirca Ecclesiasticus
ait, Cor nequam grauabitur in doloribus, & pec-
cator adiiciet ad peccandum. Quòd quidem iusto
Dei iudicio fit, qui solet aliquando vnū peccatum
cum alio punire: & sæpiùs permittit quòd peccator
in vnum peccatum, cadat in pœnam alterius. Vnde
Grego. li. 25. moral. ca. 12. in illud. Herodes adiecit. beatus Gregorius, ait, quòd peccatū quod per pœ-
nitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud
trahit. Sed quia de his in capite præcedenti loqu-
ti sumus, nunc ad contextum reuertamur. *Ipse autē
transiens per medium illorum ibat.* Reddidit se eis inui-
sibilem, quemadmodum per Ioannem dicitur. Ie-
Ioan. 8. sus autem abscondit se, & exiuit de templo Chri-
stus in hoc facto docet: primò quòd voluntariè
passus est, non enim modo passionem fugit, sed
tempus expectat: nam quod nunc fecit, poterat
etiam tempore passionis facere, sed tūc voluit mo-
Ioan. 10. ri, nunc autem non. Potestatem habeo (ait ipse) po-
nendi animam meam, & iterum sumendi eam:

Prius-

Priùs enim quã pateretur, voluit prædicare, & docere regnum Dei. Nihil poterat aduersus Christum humana malitia, nisi sua sponte sese obtulisset capiendum & occidendum: Ideò Esaias: Oblatus est: quia ipse voluit. Nanque si totus mundus insurgeret aduersus eum, non posset ei nocere, illo inuito. Quocirca nihil isti aduersus Christum valuerunt. Sic neque Herodes cum pueros innocentes interfecit, illum occidere potuit. Nec cùm bis lapidare illum Iudæi voluissent, id eorum malitia potuit. Ex quo manifestè liquet ad confundendos infideles, & ethnicos Christum voluntate propria fuisse passum, nam quãdo illum in horto cœperunt, poterat (sicut modo fecit) per medium illorum transire: sed noluit, quia iam aderat tempus, quo seipsum in sacrificium sanctum & Deo acceptum, pro hominum salute volebat offerre. Etenim quando vult capitur, quando vult se abscõdit: quando vult crucifigitur, quando vult, à nemine cogitur.

Esai. 53. *Matt. 2.* *Amb. lib. 4. in Lucã cade indignatione Iudaeorũ, ca. 5*

¶ Secundò, Christus docet, vt aduersariis nostris cedamus, & iræ & malitiæ eorum locum demus, vt Paulus docet: ne amplius eos ad iram lacessamus, cum inflammati & accensi sint. Est quippe charitatis opus non semper aduersus furiosos & ira percitos nos ipsos opponere: & fortitudine nostra maximè cum illis tunc est vtendum, ne maioris mali ansam præbeamus: nam charitas, quæ sua sunt non quærit. Obiectum præsens potiùs mouet potentiam, quàm absens: & tunc sol maiori vi radios suos emittit, cùm aliquid contrarium ei resistit. Atque ita cùm Christus his præsens adesset ira eorum magis accendebatur, & magis aduersus illum indignabantur. Ideo misericordia sua cum illis vtens fugit, ne ampliùs peccarent, & deteriores fierent: atque ita Deus magis offenderetur. Sic Iacob fugit à præsentia Esau, & Moses ab Aegypto, Dauid à Saule, Helias à Iezabel, & Paulus Damasci submissus est in sporta. Sed Deus istis dedit refugium: nam Iacob inuenit in domo Laban refugium, & Deus ditauit illum, & dedit vxores. Moses eodem modo socrum inuenit principem Madian & diuitem, Dauid regnum, Helias angelum, & Paulus diuinas consolationes. Ideò dominus suis cõsuluit dicens, Si vos fuerint persequuti in vnam ciuitatem, fugite in aliam. Abiit itaque Christus ne plus eius inimici sæuirent.

Rom. 12. *Dare oportet locum iræ.* *1 Cor. 13.* *Genes. 28.* *Exod. 2.* *1. Reg. 19.* *3. Reg. 19.* *Act. 9.* *Matth. 10.*

¶ Hinc quoque licet animaduertere non semper esse iram: sed sæpenumerò manifestam gratiam, quando Deus homini materiam peccandi subtrahit. Non enim id facit, propterea quòd nobis inuideat: sed ne grauioribus pœnis nos afficiat, si peccatis peccata cumulauerimus. Imò hanc ipsam ob causam Deus homini non vitam protendit, ita vt qui priùs & ab initio nongentos viuebant annos, nunc vix septuagesimum attingant annum, vt Dauid ait. Dies annorum nostrorum esse septuaginta annos: si quid autẽ eò ampliùs vita nostra protenditur, dolorem esse & laborem. Id autem non ideò fit, quod vitæ hominum Deus inuidiam concipiat, sed ne ampliùs peccet, & se in maiorem condemnationem tradat. Eam ipsam ob causam Deus quandoque & alia nobis subtrahit, quorũ occasione & labi possemus: quo cõsilio modo Nazaræitis suam præsentiam subtrahit, ne grauiùs delinquerent. Solet etiam & sæpè dominus suam præsentiam in pœnam peccati tollere: vt impij indigni facti pœnitentia, ampliùs puniantur. Vnde in Numerorum libro ait Moses, quòd postquam dominus redarguit Aaronem, & Mariam, iratus contra eos abiit: nubes quoque recedere fecit, quæ erant super tabernaculum. Cùm autem Deus recessisset apparuit Maria leprosa. Vbi clare vides quomodo cùm Deus peccatoribus irascitur, recedit ab eis: vt grauiùs eos puniat. Vnde tibi cauendum erit maximè ne à te ob ingratitudinem tuam recedat, vt puniat. ¶ Præterea abscondit se vt doceat à furiosis & ira cõmotis fugiendũ esse: quod quidem nõ in ignominiam, sed potiùs in honorem & laudem nobis cedit: veluti qui à leone, vel vrso saucio fugit nõ ignominia illi est, sed potiùs magna prudentia. Quid igitur est quòd tu ignominiam existimes fugere ab homine furioso: qui nihil differt à feris animantibus? Quando olla feruet, & ius omne diffunditur, præsens est remedium si à prunis eam abstuleris. Sic furiosis hominibus ne ampliùs furiat, remedium erit materiam abstrahere, quæ ignis est patientiæ tuæ: quandoquidem cum illa magis ac magis inflammantur: quod nõ ignominiosum est, imo gloriosum, & laudabile, vt sapiens ait, Honor est homini, qui separat se à cõtentionibus. Victoria & triumphus est à malis fugere, & eos cõtemnere. In psalmo tertio cuius titulus est, Psalmus Dauid cum fugeret à facie Absalon filij sui, canit Dauid victoriã, & ait, Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti. Qui locus non in paruam me rapit admirationem: nam si hæc Dauid sanctus caneret, cum gigantem illum vastum Goliath superauit, apta quidem & idonea verba viderentur: mirum autem est quòd fugiens hoc dicat, Verum enim verò hæc victoria maxima omnium est & præclara, quæ nomine victorię digna est, peccatores derelinquere, fugere mũdum, se ipsum vincere, propriam passionem & iram temperare: magnanimitas quidem est quandoque fugere, & inimicum relinquere, cum aliàs possis illum vincere. Potẽs & fortis erat Dauid, siquidem plurimos leones, vrsos, & philisteos interfecerat, nihilominus tamen ab Absalone fugit, & celebrẽ hãc & gloriosam victoriã canit, quam de se ipso assequutus est. Helias fugit à Iezabel & in desertum abiit: nõ illius metu: quando homo erat, & ità virili animo præditus, vt facie ad faciem ausus fuerit superbum regem Achab reprehendere. Paulus Damasci fugit, quia vidit tum temporis conueniẽs esse: qui posteà cum apertus carcer esset, & rogatus à custodia noluit fugere. Et is, qui tam constanti fuit animo, vt dixerit, ego non solùm alligari, sed mori in Hierusalem paratus sum: quando opus fuit Cæsarem appellauit. Sic Christus qui seipsum obtulit exiẽs obuiam inimicis, nunc transiens per medium illorum ibat: quia nõdum venerat hora eius. Docet etiam Christus hoc facto apostolos suos omnia omnibus debere fieri. Nec volentes reiicit, nec inuitos alligat: nec eiicientibus reluctatur, nec rogantibus deest.

Psal. 89. *Num. 12.* *Litem fugere laudabile.* *Prouer. 20.* *Psal. 3.* *1. Reg. 17.* *2. Reg. 16.* *3. Reg. 19.* *1 Cor. 11.* *Act. 9.* *Act. 16.* *Act. 25.*

¶ Deinde docet quomodo contra veritatem nihil possit humana malitia. Scriptum enim est: super omnia vincit veritas. Quid profuit istis, vt contra Christum insurgerent? Nihil hominũ potentia valet aduersus veritatem. Paulus plenus fortitudine dicebat, Omnia possum in eo, qui me cõfortat. Videns autem fortitudinem veritatis ait, Nihil possumus aduersus veritatem. Nec vniuersa synagoga poterat resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur per Stephanum: nec vniuersus mundus aliquid aduer

3. Esd. 3. *Phil. 4.* *Act. 7.* *2. Cor. 13.*

aduersus te valebit, si Deum tecum habueris. ¶Denique vt de hac re finem dicendi faciam docet locus iste Deum nō à nobis abire, nisi nos ipsum flagitiis nostris à nobis semoueamus, quòd in Nazaræitis istis videmus, apud quos Christus manebat, & docebat, & mansit donec illum expulerunt. Sic olim fecisse dominū videmus: qui multoties, licèt filij Israël grauissimè peccarent, non tamen recedebat Deus ab eis, donec ipsimet Deum deserebant atque propulsabant: nam conflantes aureū vitulum grauissimè deliquerunt: adeò vt timeret Moses ne promissiones suas reuocaret propter tam graue scelus. Et ob hanc causam dicebat Deo, Aut dimit-

Exod. 32. te illis hoc peccatū: aut dele me de libro, quē scripsisti. Ac si clariùs dixisset, Si nō dimittis peccatum illis, iam de me & aliis hominibus actum est, quod ad æternam salutem attinet. Id ipsum quoque ti-

2. Cor. 11. mebat Dauid cùm adulterium & homicidium pa-

Psal. 50. trauit, vt diceret, Tibi soli peccaui, & malū coram te feci: vt iustificeris in sermonib. tuis, & vincas cū iudicaris. Et hoc modo Israëlitæ sæpenumerò in Deū peccauerant, & digni fuerunt, vt Deus ab illis recederet: eò potissimum, quòd omnes prophetas missos ad annunciandū verbū domini persequebātur, & occidebāt: quemadmodū illis non solū bea-

Act. 7. tissimus Stephanus, sed etiam Christus dominus

Matth. 23. obiiciebat. Veruntamen non recessit Deus ab eis, donec ipsi suum verbum & vnigenitū filium cru-

Luc. 19. cifixerunt, & dixerunt, Nolumus hunc regnare super nos. Et ad Pilatum, Tolle eum, nō habemus re-

Matth 27. gem, nisi Cæsarem. Ideò apostoli Iudæis dixerunt,

Act. 13. Vobis oportuit primum loqui verbū Dei, quia autem reiecistis, ecce conuertimur ad gentes, quoniā hoc mandatum habemus. Vnde impletū videmus

Eccl. 5. quod sapiens dicit, Altissimus est patiens redditor.

Rom. 2. Et quod Paulus dicit, An ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundū autē duritiam tuam & impœnitens cor tuum, &c. Similem quoque bonitatem Dei experimur in nobis ipsis. Quoties enim obsecro Dei ira, detestatiōe, & indignatione digni fuimus? Attamen Christus non recedit à nobis nostram expectans resipiscentiam & pœnitentiam: quam nisi egerimus, miserè pereundum nobis restat. Sed iam ad contextum reuerta-

Luc. 11. mur. *Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ: ibique docebat illos sabbathis.* Quia Nazaræitæ audire nolebāt, dereliquit eos: quia loqui in aures audire no-

Eccles. 32. lentium non est æquum. Vbi enim auditus non est (ait sapiens) ne effundas sermonem. Nam si cùm seminandum est triticū terræ aptitudo & maturitas expectatur: potiori ratione ad seminandū verbum Dei tempus aptum expectandū est: & id cauendum quod potissimè dominus commendat. Nolite sanctum dare canibus: neque proiiciatis margaritas ante porcos. Quibus verbis duo genera hominum exprimit, quibus hæc mysteria (quæ ob dignitatem

Matth. 7. sancta, & ob pulchritudinem margaritas Christus appellat) non sunt cōmunicanda infidelibus, & eis, qui suum vitā agunt. Etenim cùm in nobis duę partes sint præcipuæ intellectus, atque affectus: vt verbum Dei in his ambabus fructificet, oportet priùs, vt intellectus vim suam subiiciat diuinæ authoritati, neque terminos sibi præfixos progredi audiat. Deinde opus est, vt affectus sit purgatus: alioquin quidquid animus vitiosis affectibus obnoxius cōmittit, cōfestim corrumpitur. Et ij sunt qui margaritas pedibus calcant: nam cernimus plurimos, qui fidem Christi profitentur, & teterrimis affectibus sunt pleni, præsertim, qui carnis lasciuiæ sunt dediti, nā audientes Christiana mysteria ea cōtemnentes veluti pedibus calcant. Ideò porcos eos appellauit. Canes autem sunt hi philosophi, qui vim intelligendi habebant, & nulli sententiæ assentiebantur, nisi ei, quæ suis opinionibus & argumentis nitebatur. Hi ergo cùm non assequerentur cælestem hanc philosophiam (etiam animalis homo non per- 1. Cor. 2.
cipit ea, quæ sunt spiritus Dei) eam dilacerabant, detrahendo: & quò diuiniora & altiora erant mysteria, eò magis irridebāt. Sic resurrectionem mortuorum, quam Paulus prædicabat, negabant & de- Act. 13.
ridebant. Istis ergo suibus & canibus diuina verba non sunt danda: quia ea vituperant. Ideò ab istis Nazaræitis tollit Christus verbum Dei: & abiit, eos vacuos derelinquens. *Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ: ibique docebat illos sabbathis.* Expende hîc Ambr. lib. 4. in Luc. & de cōfirmatione doctrina Christi, tom. 5.
Christi redemptoris nostri clemētiam & benignitatem: qui nec indignatione commotus, nec scelere offensus, nec iniuria violatus, Galilæam deserit: quin imò immemor iniuriæ, memor autem suæ clementiæ nunc docēdo, nunc sanando omnibus benefacit, & bono malum vincere studet. Non impietas Nazaræorum, nec atrox culpa efficere potuit, vt euangelij munus ad gentes transferret: sed ipsis o- Matth. 10.
peribus præstitit, quòd posteà docuit suos discipulos nimirum vt eiecti ab vna ciuitate in aliam migrarent, nihil de vindicta cogitantes, sed de incremento euangelij: vt vel sic eiicientium malitia proficeret etiam ad celeritatem diuulgandæ professionis euangelicæ. Descendit autem in hanc ciuitatem potius, quàm in aliam: quia maritima erat, plena diuitiis, voluptatibus, & luxuria, vt plerunque cōtingere solet ciuitatibus iuxta mare positis. Et cum animaduertentia dixit, prouinciæ Galilææ, quia tunc Galilæa à multis gētibus incolebatur, & multi etiam ex Hebræis in idololatriam abierant, & pluribus aliis moribus deprauatis imbuti erāt, tractis ab aliis nationibus, quapropter corruptissima & perditissima erat terra. Hic prædicat Christus, quia maximè hæc gens doctrina indigebat.

¶Expende etiā quomodo Christus maiora miracula fecerit, & plures sermones prædicauerit in Capharnaū, quā alibi. In quo maximè Christi beni- Rom. 5.
gnitas consideranda tibi est, quia vbi magis offendebatur, ibi maiora suæ bonitatis fundebat beneficia. Vbi abundauit delictum, superabūdauit & gratia. Disce ex hoc loco Deū summo prosequi amore. Quis enim non amabit Deū adeò nos amantē, qui ibi amare nō horret, vbi min⁹ amari se sentit. Quod obsecro iam erit pectus tam adamātinū & ferreum, quod de diuina misericordia desperet, postquā videt Deū tot sordes & detestanda flagitia non horruisse? *Et stupebant in doctrina eius.* Certū est diuinam fuisse sapientiam, & inauditā planè, quæ auditores rapuit in admirationē. Sic solent mirari & stupere, qui numinis diuini potentiam ignorant. Nō solum mirabātur sed stupebant in doctrina eius. Causam verò tantæ admirationis subdidit dicens, *Quia in potestate erat sermo ipsius.* Non enim dicebat, hæc dicit dominus, vt alij prophetæ antiquitùs facere solebant. Sed loquebatur cum eis tanquā Deus maxima authoritate atque diuina potestate, dicens, Ego autē dico vobis. Sic Matthæus dicit, quòd postquā Matth. 7.
Christus finiuit sermonem in monte, admirabantur turbæ super doctrina eius, erat enim docēs eos

sicut

Psal. 28. sicut potestatem habens, & nō sicut scribæ & pharisæi. Præterea Christi verba spiritualē habebāt virtutē, quæ corda ipsa penetrare valebant, vt cōuerterētur, & pœniterēt. Vnde egregius psaltes, Dabit voci eius vocē virtutis. *Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna dicens,*

Dæmonum nomen & bonis & malis spiritibus conuenit.

Nomen dæmonium secundum propriam ipsius significationē cōmune est bonis & malis spiritibus: nam significat scientiā: & propterea addidit euangelista, immundū, ad significādū, se de maligno spiritu loqui. Vsus autem loquentiū iam nomen hoc vsurpauit, vt tantū malignos significet spiritus. Præterea in synagoga dicit esse diabolū, vt scias nullam esse congregationē, vbi aliquis non sit habēs spiritum nequā. Inter auditores causarū semper est aliquis habens spiritū cōtradictionis, qui omnia perturbet. *Iob. 1.* In libro Iob scribitur quòd inter filios Dei adfuit & Satan. Christus etiā dixit discipulis, *Ioan. 6.* Nōne ego duodecim vos elegi, vnus autē vestrum diabolus est? Et quod peiùs est dæmoniaci ligantur: sed isti qui spiritū habent cōtradictionis & discordiæ, liberi ambulant omnia perturbantes, & zizaniam *Matt. 13.* seminantes. Verùm nouit diabolus quantū damni sibi afferat verbum Dei: & ideò Christi concioni adfuit, vt omnia perturbaret, aut si posset diuinum verbum à cordibus eorum auerteret. Etenim multi audiunt verbum Dei: sed ne credentes salui fiant, adest diabolus, vt auferat bonum semen à cordibus *Luc. 8.* eorum. Sic omnibus bonis aduersatur. Ità nūc sentiens diuini verbi virtutem cœpit vociferare vexatus à Christi virtute dicens, *Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos: Scio te, quia sis sanctus Dei.* Adulatione dæmoniū vtitur: vt vel sic eū sineret illic manere. Sic multi adulantur prælatis ecclesiæ vt sinant illos in suis peccatis, & vitiis manere. Præterea quod Iesum confitentur, bonæ est naturæ, quam sortiti sunt: quod verò aduersantur malæ voluntatis est. Coniunxit autē hæc duo verba, Iesu Nazarene: quia gaudet in nouitate, & studet semper in adinuentione nouitatis, homines circumuenire: vt vel sic eos alliciat iucunditate nouitatis, vt faciliùs in errorē inducat.

Amb lib. 4. ca cōfirmatio doctrina Christi.

Sanctum Dei vocat, hoc est, tu es ille sanctus Dei, qui expectatur à Iudæis *Dan. 9.* Messias scilicet. Sic in libro Daniel vocatur ab angelo, vt vngatur sanctus sanctorum. Et in Psalmo, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Obserua deinde, quòd Christus statim in principio *Psal. 15.* ostendit, quanam causa venerit, nimirum vt de Satana triumpharet, & regnum eius destrueret. *Et increpauit illum Iesus dicens, Obmutesce, & exi ab eo.* Increpans illū exire præcepit, quibus docet ne præbeamus aures adulatoribus, imo arguendi sunt & increpandi. Diabolus nanque licet verum diceret, tamen mentiebatur, quia ipse nō credebat Christum esse filium Dei, sed voluit illi adulari, vt in suam gratiam cōciliaretur. Secundo præcepit vt exiret, quia non erat tempus. vt illius ore Christi diuinitas in carne latens astrueretur. Et quia volebat ostendere, quales ipse postularet præcones, certè pios atq; mundos: non eos qui omniū vitiorum immunditia polluti sunt. Deinde ne populus sibi persuaderet, diabolum posse vera dicere, & posteà ab ipso mendace seducerentur: nam etiam si vera prædicet Satan, minimè audiendus est, quia omnia eo animo facit, vt nos decipiat. *Et cùm proiecisset illum dæmonium in medium, exijt ab illo: nihilque ei nocuit.* Quanuis enim ante egressionē hominem illū affligeret: iuxta illud

Athan. vt recitat S. Thom. in cate. aurea.

Marci, discerpens eum spiritus immundus tamen postquam egressus est dæmon prior illa afflictio diuina virtute cessauit, & requieuit homo. *Marc. 1. Beda in cap. 4. Luc tom. 5.* Furēs itaque dæmonium istud, proiecit hominem illum in medium iam exiturus. Interdum verò torquent, ac discerpūt in ipso egressu: vt quas possunt ab hominibus sumāt pœnas. Huiusmodi sunt homines qui cum altero litē habentes nō desistunt à lite, quousque vi cōpelluntur, vt ità quo possint damno aduersarium afficiāt. Hi sunt veri dæmonum imitatores, quorum mores, per totam vitam sequentes nō credunt se illis etiā in æterno igne futuros esse socios: & audituros vocem illam. Itē maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. *Matt. 25.* *Et factus est pauor in omnibus.* Admirabātur qui hoc miraculum viderūt modo, quo Christus dæmonium illud expulit: cū exorzistæ apud illos dæmones eiicerent non imperatiuè, nec tanta authoritate, vti Christus. Porro homini naturale est visis magnis & insolitis rebus timere: quanuis diuerso modo Boni namque visis mirabilibus Dei timorē concipiunt quadam cum reuerētia: impiorum autē conscientia citò terretur, ne quid secundum eorum merita illis contingat: præsertim dum diuinæ potestatis aduertit præsentiam. Vnde in actis apostolorū habetur, *Act. 2.* Fiebat autem omni animæ timor, videlicet visis miraculis apostolorum. Quia vero Christus imperando faciebat miracula, illi in magnā inde rapiebantur admirationem. Et colloquebantur ad inuicem dicentes, *Quid est hoc verbum.* Verbum hîc accipitur pro re significata per verbū, sicut in scripturis frequenter accipitur. Itaque dicunt, quid est hoc verbum: id est, quàm mirabile est opus istud? Cur? *Quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus & exeunt.* Hoc est sermone imperatiuo & potentia efficaci dæmonia eiicit. Nihil obstāte eo, quod de dæmonio scribitur in libro Iob: nullā esse potestatem *Iob. 4.* super terram, quæ cum illo valeat conferri. Sed non mirum, quia hæc de habitantibus miseram hāc lachrymarum vallem dicuntur: qui autem de cœlo venit, super omnes est. Christus enim diuina, cælesti, & supernaturali potestate hæc fecit: nam creata Christi potestas tanta est, vt summis angelis possit imperare, imperētque spiritibus, sicut & anima ipsius illuminat multóque altiùs, quàm aliquis angelus superior inferiorem. Obserua autem quod quanuis Christus vnū curauerit, pluraliter loquebantur dicentes: quod imperabat spiritibus immūdis, quia plurale pro singulari ponebāt, vt sæpè cōsuetum est in sanctis scripturis, & in communi modo loquēdi. *Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.* Scilicet in regionem Galilææ vbi Christus hoc miraculū fecerat: quod Marcus expressit dicēs, Et processit rumor eius statim in omnē regionem Galilææ. Statim post hæc verba aliud miraculum Lucas recitat dicens, *Surgens autem Iesus de synagoga introiuit in domum Simonis.* *Marc. 1.* Protinus egrediens de synagoga, ostendere voluit se non ambire applausum & gloriam hominum in operandis miraculis: longè aliter faciens, quàm multi, qui statim, vt aliquod bonum vel egregium opus faciunt, nō à foro discedunt, sed ibi omnibus sua egregia facta ostentant. Præterea ille, qui tam egregiè in synagoga prædicauerat, nunc opera charitatis exercet, visitans pauperes infirmos: & sanans, ac curans, vt doceat prædicatorem verbi Dei non solùm verbis, sed etiam factis & operibus charitatis populū erudire debe-

Chry. in va-rys Matth. locis ho. 6. re. Denique non diu manet Christus in loco publico, sed statim ingreditur cum quatuor discipulis domum Simonis Petri. mirum hoc est (vt Chrysostomus ait) quòd hospitandi gratia, & vt cibum sumeret, hoc fecit, quòd satis innuitur ex verbis quæ euangelista subdit, quòd surgens socrus Simonis ministrabat eis. Etenim ipse dominus, qui auibus nidos, & brutis animantibus domicilia parat, nullam propriam domum habebat, vt ipse alibi *Luc. 9.* dicit, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis, &c.

Christus Petrum honorat. ¶ Intrauit autem in domum Simonis, potius quàm in aliam: quia Christus his honorem impendit, à quibus ipse honoratur. Vnde olim dixit, Quicunque honorauerit me, glorificabo eum: qui au*1. Reg. 2.* tem cõtemnunt me, erunt ignobiles. Petrus Chri*Matt. 4.* stum honorauit, relinquẽs domum, retia & omnia, quæ possidebat, sequens illum. Ideò Christus illum *Luc. 7.* vult summo honore afficere. Sic Magdalena cùm Christum quæsiuisset in domo Pharisæi, Christus magni illam fecit, & illam humanitùs & benignè accepit, & à Pharisæo illam tutatus est. Ità nimirum si tu Christum magnificeres ipse te ipsum in summos eueheret honores: at cùm ita Dei oblitus viuas, non mireris si tuiipsius Deus obliuiscatur.

Christus pauperes nõ spernit. ¶ Obserua etiam pauperes non esse contemnendos, nec qui secundum populi vocem inopes sunt. Nónne pauperes eligit Deus, diuites in fide? Vnde *Iac. 2.* dominus per Esaiam, Quæ est ista domus quam *Esai. 66.* ædificatis mihi? Ad quem ego respiciam nisi ad contritum & humilitatum, & tremẽtem sermones meos? Mundani homines nesciunt circuire nisi alta palatia & deauratas domos: vt diuitibus blandiantur: & fauorem magnatum sibi cõcilient. At Christus qui docet superba contemnere: & mundi vanitatem paruifacere: non diuitum nec principum domos ingreditur: nec aulas regum quærit: sed in domum Simonis piscatoris & pauperis ingreditur. Pauper quidem in suppellectili erat: sed diues cum Christo. Honorat Christus potius virtutes quàm diuitias. Non sic mundus consueuit facere: qui non nouit, nisi diuitibus honorem præbere. At vt quidam dixit, probitas laudatur, & alget. Itaque Christus ingreditur in domum viri iusti, & pauperis. Humiles respicit Deus, sicut aquila pisciculos in mari perambulantes.

¶ In hoc etiam Christus significabat, quòd repudianda esset synagoga, & futurum esse, vt Christus ad gentes transiret per euangelij prædicationem, & ex gentibus constituendam fore ecclesiam, cuius caput Petrus erat. Ideò Christus synagogam reliquit, & abit in domum Petri: quod factũ Esaias olim prædixerat, Venite (inquit) ascendamus ad *Esai. 2.* montem domini, & ad domum Dei Iacob, &c. Sequitur, Iudicabit gẽtes, & arguet populos multos. Proiecisti enim populum tuum domum Iacob.

¶ Aduerte autem quòd intrauit in domum Simonis (vt Chysostomus ait) vt hoc beneficio disci*Chrys. hom. 28. in Matt.* puli affecti maiorem præstarent diligentiam in Dei seruitio. Petro voluit hoc beneficium donare, vt ipsum magis ad sui obsequium deuinciret. Grande quidem beneficium dominus illi impendit, in cuius domum ingredi vult, & cum illo sedere: & huius recordatus Centurio dixit, Domine non sum dignus, &c. Et Abraham quando dixit, si inueni *Matth. 8.* gratiam in oculis tuis. Ideò dominus loquutus de *Genes. 18.* eo, à quo ipse diligitur, tanquam magnum quid dicens, subdit, Ad eum veniemus, & mãsionem apud eum faciemus. Hinc omnia bona nobis eueniunt, *Ioan. 14.* quandoquidem suo aduentu animam nostram auget, & locupletat. Moses, qui pusillanimis erat qui- *Exod. 2.* que metu Pharaonis fugit in Aegyptum: postquam *Exod. 3.* dominus ad illum venit, & ei in mõte apparuit, audaci & virili pectore loquutus est ad Pharaonem. *Exod. 5.* *Genes. 28.* Iacob etiam, qui nimis timebat Esau, quique ob illius metum à domo patris recessit: póstquã luctam cum angelo est ingressus fortis extitit. Magnum equidem beneficium dominus impendit Petro: & magnum etiam est, vt dominus velit te sodalem & hospitem habere. At tu peccator hoc ingens beneficium non vis agnoscere: nec Deo, qui ad postes ostij tui pulsat, vis aperire: cum dicat, Ego sto ad ostium & pulso. Aperi mihi soror mea, &c. Si quis aperuerit intrabo ad illum, & cœnabo cum illo.

¶ Obserua etiam quod beatus Petrus non rogabat Christum vt in domum suam veniret: cum in- *Apoc. 3.* firmam socrum haberet, & febre laborátem. Quare obsecro Petrus Christum non rogabat? Hæc est sanctorum perfectio, vt sua propria obliti, nullam *Hierony. super Matth.* rationem habẽt nisi alienorum bonorum. Sic Moses, cui dominus maiora promittebat: hæc omnia oblitus, tantum de populi vtilitate curabat, & dicebat domino, Parce populo: aut dele me de libro, *Exod. 32.* quem scripsisti. Et Paulus etiam Corinthiis ait, Ego *2. Cor. 12.* autem libenter impendam & superimpendar pro animabus vestris. Et iterum. Cupio anathema esse pro fratribus meis. Et Christus cùm captus fuit in horto, Si me quæritis, sinite hos abire. Et ad filias Ierusalem, Nolite (inquit) flere super me sed super vos. Sed nos multo aliter, qui nostri magnã curam habemus, ita vt pro vtilitate proximi nullum veli- *Roma. 9.* mus subire laborem. Sed vide quam curam Chri- *Ioan 18.* stus suorum habeat: ita vt non rogatus in domum *Luc. 23.* Petri abeat. Gerit nanque dominus specialem curam eorum, qui sui & suarum rerum propter Christi amorem obliuiscuntur. Ita solertem curam eorum habuit, qui eum in desertum sequebantur sine vllo victu, quos quinque panibus & duobus piscibus satiauit: quia suæ necessitatis obliti, illũ sequebantur. Cùm autem Petrus nullã curam ad se per- *Ioan. 6.* tinentiũ haberet, abiit Christus in eius domum: & socrum sanauit de qua noster euangelista inquit, *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*: Quia habebat socrum, quidam hæretici putarunt apostolos post apostolatum cõiugatos fuisse, quòd falsum est: quia cùm omnia temporalia dimisissent, etiam vxores dimiserunt, & ex vtriusque consensu mulieris scilicet & viri, cœlibem peragebant vitam. Sic affirmat & asserit diuus Hieronymus in primo *Hieronimus.* libro aduersus Iouinianum: & de beato Petro specialiter hoc asserit in epistola consolatoria ad Iulianum. Et in epistola septuagesima quarta ad Pãmachium in fine concludit dicens, quòd apostoli vel virgines vel continentes fuerunt. Sed de his alias.

¶ Verũ in his verbis duo obseruatiõe sunt digna. Primũ, quòd non ait, quòd tenebat febres, sed quòd tenebatur à febribus. Sic peccator tenetur à suis passionibus & peccatis, ita vt captiuus teneatur, ne id quod vult facere possit. Vnde in persona pecca- *Psal. 118.* toris ait egregius psaltes, Funes peccatorũ circumplexi sunt me. ¶ Secundò, non qualicunque sed magnis frebribus tenebatur. Febris magna vt erat hęc, qua laborabat socrus Petri, citò curatur: at febris quæ in ossibus latet, hæc vitã rapit, & ad interitum ducit.

ducit. Ità magnū peccatū rarò nos in infernū ducit: nā ipsius magnitudo nos terret, ita vt in cognitionē eius veniamus: quo fit: vt illius pœnitentiā agamus cum mētis nostræ meliori resipiscētia. At hæc peccata parua: in qua quotidie dilabimur, & ad quę ob ipsorum paruitatē non respicimus: hæc inquā sunt, quæ in interitū celeri cursu nos vocāt, vt sunt murmurationes, & infamiæ proximorū, quorū cùm nō pœniteamus, paulatim & sensim in crucem inferni nos inducunt. ¶ Infirmatur itaque socrus Petri: in quo expende quomodo Deus dilectis suis labores, ægritudines, & afflictiones mittit. Vnde de Lazaro sorores eius per nunciū dixerunt, Ecce quem amas infirmatur. Et Paulus, Ne magnitudo reuelationū extollat me: datus est mihi angelus satanæ, qui me colaphizet, &c. Etenim infirmitas dilectis Dei valdè vtilis est. Primo nanque animā purgat à prauis moribus, tanquam à malis humoribus. Vnde Salomon, Liuor vulneris absterget mala. Sicut enim in infirmitate praui humores consumuntur, & euacuantur: ita, vt transacta ægritudine homo in meliorem valetudinē perueniat: sic infirmitas corporis animā humoribus peccatorū & prauarum affectionū vacuat, & purgat. Sed de his alias. *Et rogauerunt illum pro ea.* Offerunt pro illa preces sancti apostoli non fictas aut simulatas: sicut familiares principū facere cōsueuerunt. Etenim vt maiore posteà calore pro suis & suorū negotiis interpellādi sit locus, negotia pauperum frigidissimis verbis regibus exponunt: sua verò propria negotia, & eorū qui se suæ fidei cōmendarunt, bone Deus, quot ambagibus quot mendaciis in longissimas moras protrahunt. Pauperibus verò dicunt, corā rege suas causas perorasse, cū nec vnū verbū sint loquuti. Ne suis prauis cōmodis aliquid minuatur, & simulant nescio quæ impedimenta & obstacula, quæ iā ferè per actum negotiū disturbarunt: quo fit, vt nec miseris pauperibus subsidio sint, neque aliorū necessitatibus finē imponāt, hos & illos variis modis illudentes. Munera ab eis accipiunt, quorū negotia promittunt tractaturos: at posteà vacuos & illusos mittūt. Non sic fecisse legimus sanctos apostolos, quibus similes regū priuati & amici esse deberent, vt semper pro miseris & pauperibus intercederent. At isti de quibus anteà loquebamur ad nihil aliud deseruiunt, nisi vt susurrones sint: & vt irasci & indignari faciāt prælatos aduersus subditos. Ità iniquus ille Doeg regis Saul priuatus regi nunciauit se vidisse sacerdotē Abimelech panes propositionis dedisse Dauid: quæ verba in tantū cesserūt damnū sacerdotis, vt interfectus fuerit cū aliis octuaginta quinque sacerdotibus, & populus Nobe ex tribu sacerdotali accensus fuit, & alia innumera mala cōtigerunt. Mendacia nanq; domesticorū & amicorū tanquam euangelia credunt, veritatem autē subditi, cui malè volunt, mendaciū iudicat: nisi hos magnates familiares & amicos habueris, nihil in omni negotio cōficies. Hi omnia sua tyrannide efficiunt. Dolendum quidē est, vt ita cæci & obnubilati sint principes, & prælati, vt hoc tantū malū non videant: nā hi quos ipsi amicos, coniunctos, & familiares existimant, hi inquā eos tradunt, decipiunt: & semper ad populū malè de illis nunciant. ¶ Perpende autē ex hoc colligi loco vtilē & sanctā esse sanctorū intercessionē: nā precibus apostolorū Christus hanc mulierē sanauit. Ordo nanque diuinæ est sapientiæ, vt per superiora inferiora dispenset & gubernet. Quocirca vt per cœlestes orbes terrena ista fœcundat: ita per angelos & fœlices animas, quæ in patria triūphantes requiescunt res nostras sæpè nobis dispensat. In qua re nō modo nihil honoris Deo detrahitur, imò multū ei defertur: quippe eo honore seruos suos dignos effecit, vt quæ sua ipse authoritate facturus erat, per ipsos, tanquā per veros amicos velit dispensare. Abrahā pro rege Abimelech Deū deprecatus, veniā illi obtinuit: & Moses populo veniā impetrauit de vitulo conflato. Et in libro Iob legimus. Voca, si est qui tibi respondeat, & ad aliquē sanctorum conuertere. Quæ quidē verba, quanuis Eliphat ad Iob dixerit, non tamen Iob ea reprehendit: sed consiliū datū libenter suscipit, cùm tamen aliàs de maledictis anteà ab ipso reprehensus fuerit. Et in eodē libro post descriptā omnē disputationē, quā Iob habuit cū suis amicis, in qua illi amici Deū offenderāt statim ponitur præceptū Dei, quo iussit illos abire ad ipsum Iob, vt rogarent illū vt pro eis ad Deū intercederet. Quod cum illi (vt dominus præceperat) fecissent, Iob pro illis orans exauditus est. Et Cēturio qui puerū habebat paralyticū, seniores Iudæorum misit ad Christū, vt pro salute pueri deprecarentur. Et Stephanus pro inimicis orat dominū, & apostoli nunc orant pro socero Simonis, sicut & anteà pro Chananæa: in quibus orationib. obtinuerunt quod petebāt. Sed dices, Verū est hæc sanctos consequutos esse dum viuerent: sed non modò qui iam dormiunt. Si dùm vixerunt poterāt: multò melius nunc. Charitas enim nunquā excidit: & quāuis corpora exuerint, non tamē deposuerunt affectum pietatis erga patriā, gentem, fratres, cęterósque credentes: quibus optant, vt idē regnū, quod ipsi, adipiscantur. Vnde egregius ac diuinus vates, Pro hoc orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno. Illud est tempus opportunū, quo graui febri laboramus: quo grauibus necessitatibus premimur. Si autē in hac vita sancti pro aliis orant, dum etiam de se solliciti esse debent: quantò meliùs orabunt post triumphum & victoriā, quā fieri minime potest, vt amittāt: Iacob postquàm nepotibus benedixit ait, Angelus, qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meū: nomina quoque patrum meorū Abrahā, & Isaac. Vbi docemur tam angelos quàm sanctos defunctos inuocato eorum nomine, nobis esse subsidio. Benè quidē merita Abrahæ, Isaac, & Iacob, sanctus Moses posuit ante oculos Dei, vt populo parceret. Et Azarias positus in ardenti fornace: Ne quæsumus, inquit, tradas nos in perpetuum propter nomen tuū: & ne auferas misericordiā tuā à nobis propter Abraham dilectum tuum, & propter Isaac seruum tuum, & Iacob sanctū tuum. Si ergo sanctorū merita nobis præsidio sunt & auxilio: cur ad eos preces nobis magnopere nō erit cōfugiendū. Sic in secūdo Machabæorū habetur quòd Onias & Ieremias orabant pro populo Dei. Et in Apocalypsi, ascendit fumus orationū sanctorū de manu angeli corā Deo.

¶ Docemur etiam pietatem & misericordiam exercere erga infirmos, vt sancti apostoli fecerūt orantes Christum pro hac infirma. Visita eos, & cōsolare, & adiuua in eorū tribulatione & necessitate: sicut scriptura monet. Non te pigeat visitare infirmū: ex his enim in dilectione firmaberis. Et Iacobus, Religio munda & immaculata apud Deum & patrē, hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorū. ¶ Præterea obseruandū hic est, dominū

Deus suis immittit afflictiones. — *Ioan. 11.* — *2. Cor. 12.* — *Pro. 20.* — *Bonorum & iniquorū intercessorū officia.* — *1. Reg. 22.* — *Angeli & sancti tā viui quàm defuncti orant pro nobis.* — *Gen. 20.* — *Exod. 32.* — *Iob 5.* — *Iob. 42.* — *Luc 7.* — *Act. 7.* — *Matt. 15.* — *1. Cor. 13.* — *Psal. 31.* — *Genes. 48.* — *Exod. 32.* — *Dan. 3.* — *2. Mac. 15.* — *Apoc. 8.* — *Visitatio infirmorū opus pietatis.* — *Eccles. 17.* — *Iac. 1.*

Animas peccatrices triplici medio curat Deus.

aliquando curasse sine precibus sola sua clementia motum, vt dęmoniacum, de quo nunc diximus: aliquando precibus alienis vt fecit cum socru Simonis: aliquando precibus propriis, vt leprosũ, de quo in sequenti capite dicetur. Sic animas peccatrices tripliciter curare solet. Primò interueniente sola be- *Rom. 2.* nignitate suæ clemétię, vt Paulus ait, Ignoras, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundò interueniente oratione ecclesiæ. Ideò Iacobus, *Iacob. 5.* Infirmatur quis in vobis: inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, &c. Tertiò interueniéte *Exod. 6.* proprio dolore & gemitu. Vnde dominus, Ego au- *4. Reg. 20.* diui gemitum filiorum Israël. Et Ezechiæ regi ait, Audiui orationem tuá, & vidi lachrymas tuas: ecce *Psal. 29.* sanaui te. Ideò dicebat Dauid, Domine Deus meus, clamaui ad te: & sanasti me. *Et stans super illam imperauit febri, & dimisit illam.* Incubuit super illam inflexo corpore, velut eam dormientem excitans. Imperans autem febri, cognoscitur Christus Deus esse: qui imperando miracula operabatur. Attéde etiam quantum profuerit huic mulieri, beatum Petrũ generum habere. Beatus Petrus non erat diues sed sanctus: & tantum hæc mulier lucrata est copulans coniugio filiam suam cum beato Petro, vt meruerit in domo sua Christum habere, & diuina virtute miraculo facto sanari. Núc autem in coniugiis plus rationis habetur de pecunia quàm de virtute. Etenim quæruntur diuitiæ, non candidi mores. Vide *1. Reg. 25.* quantum profuerit Nabali Carmelo vxorem duxisse prudentissimá, & virtutis cultricem: quandoquidem illũ à morte liberauit. Dixit etenim Dauid ad Abigail, Benedictus dominus Deus Israël: qui misit te hodie in occursum meum: & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem. Præterea memento Christum hospitem tuum suscipere, vt extinguat febrem tuæ libidinis, & ardorem iræ tuæ, & auaritiæ: vt vel sic possis incolumis ei seruire, vt hęc mulier fecit, de qua subdit euangelista. *Et continuò surgés ministrabat illis.* Duo hic obseruanda sunt. Primum quod statim surrexit, in quo diuina virtus, & potentia cernitur in miraculis à Christo factis: nam quanuis febris relinquat infirmum, tamen molestiá sentit ægritudinis & debilitaté, ita vt paulatim: in pristinam valetudinem perueniat: sed sanitas miraculosa, quæ datur à diuino medico, statim perfectè sanat, & integrum robur tribuit. Quo facto etiam arguitur & reprehenditur contumacia voluntatis humanæ: quia omnis creatura sensibilis diuinis obedit mandatis, quibus miser homo contradicit.

Singula quę Deus donat, ad eius obsequium sunt elocanda.

¶ Secundò, quòd statim, vt salutem consequuta est ministrabat eis: quo facto discere te oportet, vt eam incolumitatem & optimam valetudinem, quá dominus tibi præbet, in Dei obsequio & ipsius diuinis mandatis exerceas. Sæpe etenim contingit, vt infirmus sis, & à domino salutem petis: quá tamen ipse tibi denegat, quia scit, cum recta valetudine te illum offensurum. Meliùs est & salubriùs animæ, vt infirmeris: si tamen Deum offendere debet cum sanitate. Quis plantat vineam: & de fructu eius non *1. Cor. 9.* comedit? Si igitur dominus salutem pręb et, ęquum est, vt cum illa domino seruias: vt fructus colligat arborum quas plantauit. Præterea non acceptat Deus opera facta in infirmitate peccati. Priùs restituta est illi sanitas, & posteà Deo seruiuit. Sic priùs animæ tuæ infirmitatibus medere, & dic cum Dauid. Miserere mei Deus quoniá infirmus sum: sana animam meam, quia peccaui tibi. *Psalm. 6.* Postquam verò ab infirmitate animæ sanus fueris, tunc dignam poteris Deo offerre seruitutem. Est enim in hyeme quoddam genus pirorum quæ nisi assentur, ob nimiam duritiem & asperitatem comedi nõ possunt: at verò assata, sapida sunt & optima. Omnia opera nostra similia sunt his piris, quæ nisi igne charitatis crementur, nullius sunt valoris. Non acceptat dominus opera facta extra charitatem, vt vitam æternã pro illis donet. Respexit dominus ad Abel, & ad munera eius. Priùs Abel respexit, posteà obla- *Genes. 4.* ta dona. Priùs surge ab infirmitate animę & à lectulo malæ cóscientiæ: & posteà quàm surrexeris poteris sicut hæc mulier, Christo dignè ministrare, & obsequia grata ei offerre. Sed caue propter hoc etiam si in peccato mortali iaceas, ne dimittas bona opera facere: nam etiam si nec gratiam, nec gloriam merearis, neque de congruo neque de condigno: Deus autem dabit tibi gratiam suam, non ob meritum horum operum, sed propter eorum respectũ. *Dan. 4.* Sic Nabuchodonosor cùm in visione illa intueretur suæ damnationis imaginé, dixit ei Daniel. Peccata tua eleemosynis redime. Disce etiam semper Deo offerre dona illa & beneficia, quæ solũ ab eius manibus proueniunt. Ná si tibi donat scientiam, literas, vitá, saluté & alia multa, videas hęc esse talenta quæ seruis illis euangelicis dedit, & vult vt ea omnia illi reddas nõ sine fœnore & lucro. Non ea omnia dedit, vt illa abscondas, sed vt cum illis illi seruias, & eũ honores. Ná statim, vt mulieri huic salutem dedit, eam exercet in ipsius domini obsequio.

Accepti beneficij gratitudo.

¶ Demum vt concludam, grata fuit hæc mulier benedictori suo, nam pro accepto beneficio, Christo diligenter ministrauit. Non ingrata fuit, sed potiùs surgens ministrabat ei, qui beneficium contulerat. Sic ille sanctus rex faciebat, cùm dixit animæ *Psal. 102.* suæ, Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributióes eius. Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitã tuam. Vult Deus, vt grati simus eius beneficiis. Qua de causa dominus voluit vt Hebræi pascha illi celebrarent, vt recordarentur, quomodo dominus eduxerit eos de Aegypto. Si quis interrogaret Hebræum qua ratione pascha celebratur in Aegypto, respondet vtique quia obnoxij tenebamur seruituti Pharaonis: & ille agnꝰ vocauit in libertaté, & exsiccauit mare, vt ab Aegypto exire possemus: & posteà in recor- *Exod. 12.* dationem tanti beneficij agnum immolauimus. Sic opus est vt recordemur Christum suo sanguine à peccatis nos múdasse, & à seruitute diaboli: atq; ita gratias agere deberemus pro tot tantisque acceptis beneficiis. Nam si hæc mulier Christo domino & suis discipulis ministrabat pro salute accepta: quátò potiùs seruire deberemus ei, qui salutem restituit animæ nostræ? Denique omnia festa, quæ Hebræi celebrabant ad nihil aliud fiebant, nisi in recordationem tantorum beneficiorum, quæ à manu Dei receperant. Discamus igitur ab hac muliere gratos semper nos exhibere Deo. *Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus ducebant illos ad eum.* Cùm reges suas ciuitates ingrediuntur, offertur eis argentum, aurum, gemmæ, & quiquid preciosum in ciuitatibus est. Sed Christo redemptori nostro omnes fœtidi, saucij, & vulnerati offeruntur. Nec mirum cum nihil aliud ei nos offerre possimus. Et quid obsecro aliud nos habemus? Mater nostra putredo est, & sorores nostræ vermes. *Iob. 17.*

Et

Et cum his omnibus peccata offerimus horrenda. Nihilominus tamẽ ipse piissimus, & benignissimus Iesus non auertit oculos, nec terga dat, (vtpote qui infirmitatibus nostris mederi venit) imò cupit hæc sibi offerri, & exultat dicens, Congratulamini mihi, quia inueni ouem quæ perierat. Gaudet vtique talibus oblationibus, & quanuis ei non adhæreat lepra nostra, nõ propterea horret tangere nostram saniẽ: quapropter ei adhæsit non culpæ sanies, sed pœnæ.

Luc. 14.

Infirmitates & afflictiões causa sunt cõuersionis

¶ Obserua autem quàm vtiles sint infirmitates, & ęgritudines, quando nos ducunt in cognitionẽ Dei: & in causa sunt, vt quæramus illum. Quod manifestissimo exemplo sacratum literarũ tibi ostendam: nam Nabuchodonosor rex Babyloniæ tyrannus, & persequutor grauib. à Deo inflictis laboribus, & infirmitatibus se ipsum humiliauit, & pœnitentiã egit: & denique saluus fuit, vt beatus Augustinus ait, Filius etiam prodigus cum diues erat, reliquit domum paternam: sed in afflictione rediit ad Deum. Sic Ezechias rex in sua afflictione & infirmitate rediit ad Deum, & fleuit: posteà verò in prosperitate elatus est, Deóque pro acceptis beneficiis debitas gratias non egit. Veniebant itaque ad Iesum isti & sanabantur: sed hoc intelligitur, si Deus incẽdat afflictum animum igne cœlestis cuiusdam desiderij. Vt enim ex duro informique ferro nullũ elegans opus efficitur, in quo artifex suũ possit ingenium ostentare, quanuis illud malleo percutiat: nisi ferrum ipsum ignitum sit. Sic frigidus, & induratus animus nequaquã expoliri & excoli poterit, etiam si afflictionibus sit percussus, nisi igne diuini auxilij fuerit incensus. Christus eos vocabat, & recipiebat, & manum porrigebat, vt venirent & accederẽt & denique salutẽ animabus, & corporibus tribuebat. Nos etiã accedamus ad Christũ si cæci, si infirmi, si debiles, & cõfracti sumus. Vnde egregius psaltes admonet dicens, Accedite ad eum, illuminamini. Si scapha in medio maris est sine velis, & remis, huc & illuc à vẽtis agitatur & impellitur & tandem submergitur: sin autem funibus fuerit ligata, secura est & trãquilla. Sic etiam peccator à Deo separatus, & longè factus ab illo ambulat post sua desideria fluctuãs in medio mundi huc & illuc suis vitiis impulsus: & tandẽ demergitur in profundo maris. Sed si funibus Deo hæserit, & ligatus fuerit Christo per gratiam liber erit à perditione, & morte æterna.

Dan. 4.

Aug. habetur cap. Nabuchodonosor 23. q. 4.

Luc. 15.

2. Para. 32.

Similitudo.

Psalm. 33.

Praepostera hominũ sollicitudo in quaerendis remedijs.

¶ Vide etiã quod omnes qui habebant infirmos ducebant illos ad Iesum. Sed cũ sanitas animæ longo discrimine præferenda sit sanitati corporis, pauci sunt qui spiritualiter infirmos ducant ad Christum. Sed quid dico, ad Christũ adducunt? Imò venientes ad Christum impediunt. Multos etenim in mũdo reperies, qui suis prauis cõsiliis, & monitionibus volẽtes ad Deum venire, repellunt eos ne veniant: eósque à pœnitentia auertunt, & monent ne religionem ingrediantur. Contra quos ait Salomõ. Nolite prohibere benefacere eum, qui potest. Ducebant autem hos infirmos post solis occasum: ne verbũ Dei interrumperetur. Post prędicationẽ quã dominus tota die exercebat, medicinã quærebant, quod quidem exemplo nobis debet esse, quanti sit facienda diuinorum verborũ tractatio, quæ ob animarum salutem fit: & quãtò excellentior est anima corpore, tantò diligentiùs, & accuratiùs quærenda essent ea, quæ ad medendum ipsam animã spectant. Modo verò contrariũ fit. Nam si quis medicus veniret qui sine dubio morbos omnes corporis curaret, ô bone Deus, quanta hominũ frequẽtia, & multitudo concurreret ad medicum corporalẽ: sed vbi medela animorũ ꝓmittitur, iam videtis quã pauci accedant ad audiẽdum verbũ Dei. Præterea si quis corporis ægritudine laborat, optimos, & prudẽtiores medicos quærit: at ad peccata confitenda quæ ad sanitatem animæ spectant, quemcũque sacerdotem ignarum & qui citiùs absoluat, quærũt. O hominum miseranda calamitas. Sola corporis bona quærimus, ac si solo corpore essemus compositi.

Prou. 3.

Orig. quem citat S. Tho. in cathena.

¶ Potest etiã dici quòd ducebant illos ad Iesum post solis occasum, vel quia verecundiam habebãt vel timebant pharisæos, vel quia per diem circa alia negotia impediebantur, vel quia putabant nõ licere sanare in sabbatho nisi post solis occasum, quando iam licebat operari, propter timorem pharisæorum. Sed iam obsecro vt attentè Christi laborem consideres, & aspice bonũ & pium redemptorem: qui nunquã defatigatur in bono faciendo. Per totũ diem sine cessatione laborat, prędicat, ac multa miracula efficit: at quando nox aduenit, in qua laborantes, & mercenarij quiescunt, ipse Christus ac si per totum diem nihil egerit, incipit sanare cæcos, claudos, leprosos. Nos verò statim, vt aliquid laboris pro Christo suscipimus, illicò defatigamur, & ab incepto desistimus: magna putamus fecisse. Minimè oportet defatigari, vt ei seruiamus: qui nũquam cessat, nobis multa bona donare: nec finem labori imposuit, quousque sanguinem suum preciosissimum pro nobis effudit. *At ille singulis manus imponens curabat eos.* Supra Christus seipsum medicum appellauit, dicens medice cura te ipsum: & alibi dixit, non indigent qui sani sunt medico, sed qui malè habent: & applicans quæ dixerat ait. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Nunc autem quia medico se comparauerat, medici officium agit, curando infirmos: quod faciebat Christus (vt ait euangelista) imponens singulis manus. Erat enim eius humanitas instrumentum diuinitatis: quippe hæc miracula quæ facultatem totam naturæ superabant, fiebant sola diuina potestate. Ideò diuinus vates, Benedictus dominus Deus Israel: qui facit mirabilia magna solus. Multa tamen miracula Deus precibus sanctorũ fecit, & homines sancti illa coöperabantur meritoriè. Ita vt etiam sancti potestate eis cõcessa miracula fecerint, sicut Petrus, qui suscitauit Thabitam, & interfecit Ananiam & Saphiram: non prece, sed increpatione præmissa. Sic per gratiam adoptionis hominibus est datum fieri filios Dei, quod quidem maius est: nec mirum si detur eis potestas signa faciendi, quod etiã malis cõceditur, sicut Iudæ, qui dæmonia eiecit, & multa miracula fecit. Sicut enim sacramenta nouæ legis efficiunt quod designant: ita quòd quædam virtus in eis ponitur instrumentalis atque causalis cooperatiua ad producendum gratiam sacramentalem, vel saltem dispositionẽ ad eã puta characterẽ, cũ tamen sacramẽta ista in sensibus rebus cõsistãt: multò magis apparet quòd in animabus sanctorum sit virtus quædam instrumentali concausalitate ad operationem miraculorũ cõcurrens atque cooperans. Sed virtus ista nõ inest sanctis fixè seu permansiuè, vt habitus, sed per modum dispositionis passionis transeuntis, sicut prophetia. Propter quod nõ semper ad libitũ possunt miracula operari. Hæc igitur tãtò in Christi humanitate sublimiùs est ponẽda quãtò illa potiùs est instrumẽtum seu organũ diuinitatis: est enim organum

Christus medicus.

Matth. 9.

Psalm 7.

Act. 9.

Act. 5.

Ioan. 1.

Matt. 10.

num immediatum animatum, coniunctum, ac proprium sicut corpus meum est organú animæ meæ. Alij autem sancti sunt diuinitatis instrumenta separata, & communia sicut securis est instrumentum artificis. Itaque hæc miracula nó solú de diuina & increata Christi virtute principaliter operante: sed de supernaturali eius virtute creata miraculorú instrumétaliter productiua intelligi possunt. *4 Reg. 13.* Tangat Christus etiam nos, imò potiùs nos illú tangamus: vt nos ab omnibus infirmitatibus animæ liberet: nam sicut tactis ossib⁹ Heliseus mortuú suscitauit, multò efficaciùs dominus Iesus suscitabit suo tactu animã nostram, & sanabit illam. Docet etiam benignissimus Iesus, ne nobis languidi & infirmi tædio sint & fastidio: sicut multi faciunt, qui nolunt accedere ad videnda infirmorum vlcera. Poterat vtique Christus verbo sanare, & etiam sola sua voluntate, sed manibus tangere voluit, vt exéplo nobis esset, ne ad infirmos, & ægrotos accedere horreamus, sed charitate benigna illos curemus. *Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia, Quia tu es filius Dei.* Dæmones non crediderunt Christú esse filium Dei: quãuis aliquibus coniecturis id suspicabãtur. Sentiebant ab illo diuiná & admirabilem virtutem oriri, inde suspicabantur esse Messiá. Multi etiá sunt & nunc homines in operibus similes patri suo diabolo: qui de proximis multa mala dicút, & id affirmãt, eo solùm quia ipsi suspicantur. Etenim múdus plenus est hominibus, qui de proximis dicút, nó id quod sciunt, sed quæ ipsi secundum suá malitiá suspicantur: quiquidé potiùs sua imaginatione regútur, quá ipsa veritate. Sunt multi homines tá deprauatæ códitionis, vt quidquid in proximis vidét, semper in malá vertunt partem, secundú suá malitiam: & his nó cótenti, quéadmodú in cogitationib. suis mali sunt, ita linguá deteriorē habét ad destruendú honoré & famá proximorum, de eis non vera dicétes, sed id quod ipsi mãdaciter suspicarút. Qui quidem peiores quantú ad hoc sunt diabolo, qui etiam si id dixit quod suspicabatur, non auté quod certò sciebat: nihilominus nihil mali dixit: sed potiùs Christum laudauit, & dixit esse filiú Dei. At hi diabolum imitantur, id dicétes, quod suspicátur: peiores auté sunt illo quia de proximis nó bona, sed mala, infamatoria, impia, falsa, & médacia proferunt, quo fit, vt deteriores sint diabolo. ¶ Expende auté & vide, quomodo vexatio dat intellectú. Quia isti dæmones Christi præsentia torquebantur, cófitentur veritaté: nam dicebant, Quia tu es filius Dei. Sic Pharao antequá verberaretur dominum nesciebat: verberatus tamen confitebatur dño, & supplicare domino pro se rogat. Anteà dicebat, nescio dominum & Israel nó dimitto: & posteà dimisit, & nó solú dimisit, sed vrgebat, vt exiret de Aegypto. At nunc multi peiores sunt Pharaone, & peiores etiam diabolo, nam isti confitebantur dominum in tribulatione: sed multi homines in tribulatione nó solùm non confitentur dominú, imo murmurant, & blasphemant. Nullam habent patientiam in infirmitatibus: cóqueruntur de Deo, & sibi ipsis maledicunt & os suum in Deum & in cœlum ponunt. ¶ Aduertendum etiam quòd dæmones coacto animo timétes amplius puniri, Christú laudabát, vt vel his laudibus, & hac via possent Christi fauorem & amicitiam cóciliare, & ipsius beneuolentia frui. Sic modo multos inuenies, qui ad aures principum & magnatum adulantur & blandiuntur ea prædicantes, quæ intra pectus suum minimè cócipiunt: sed multo diuersa, quemadmodum hi dæmones cum Christo faciebát. Quæ omnia hi miseri homines faciunt vt suum fauorem, vel vt pecunias, honores, aut dignitates cósequantur: qui etiam cùm tá benè sciant adulari prælatis, multas euadunt pœnas, quæ peccata sua merebantur. Vnde in Prouerbiis dicitur, *Prou. 11.* Simulator ore, decipit amicum suum. Denique obseruandum quòd dæmones timétes dié iudicij exibant dicétes, Ad quid venisti ante tempus torquere nos? Si auté tu vides diabolú valdè timere diem iudicij, cur ergo tu illum diem non timeas? *Et increpans non sinebant ea loqui: quia sciebant illum esse Christú.* Iam diximus quòd diabolus certò nó sciebat Christum esse filium Dei: sed tantum id suspicabatur. Ideò in hoc loco, sciebát, tantum valet, ac si diceretur, suspicabantur, vel opinabátur. Iussit autem dominus dæmonibus, vt tacerent: primò quia vnum dicebant, & aliud credebant. Scrutator enim cordium est Deus. Non vult Deus ab eis laudari, qui aliud in ore, aliud in corde habent. Sed próh dolor! mundus plenus est hominibus adulatoribus, qui vanis laudibus homines decipiunt. Corá te laudant te ipsum, clam verò te védunt: & vnum tibi dicunt, aliud verò sentiút. Quibus hominib. ita plenus est mundus, & tot fallaciis, & technis abúdat, vt difficile sit cognoscere, cui fidé præstare debeas, vel cui credédum sit. Væ duplici corde (ait Ecclesiasticus) & labiis scelestis, & manibus maleficientibus, & peccatori terrã ingredienti duabus viis. Isti dæmones imitantur, de quibus, & suis imitatoribus ait psalmista, Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Vnde etiá Ecclesiasticus cósulit dicens, Ne accesseris ad illum duplici corde. Et concludit dicens, Accessisti malignè ad Deú, & cor tuum plenum est dolo & fallacia. ¶ Secúdò iussit tacere, quia hoc non recta intentione dicebant, Nam id aiebát, vt impedirét Christi passionem, & si populus sciret Christum esse filium Dei, nó vtique crucifixissent, vt Paulus ait, Si dominum gloriæ cognouissent, nó vtique crucifixissent. Hac de causa præcipit dominus discipulis, ne dicerent quis ipse esset: quádo Petrus illum cófessus est esse Christum filium Dei viui. Nam ait Lucas noster, Increpans eos præcipiebat, ne cui dicerent: hoc dicens, quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdorum, & scribis, & occidi.

¶ Tertiò noluit Christus à turpibus laudari: ná non est speciosa laus in ore peccatoris: quod idem Paulus fecit, vt in Actis Apostolorum legimus. Accidit (ait Lucas) euntibus nobis ad prædicationé, puellam quandam habentem spiritum pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinãdo. Hæc subsecuta Paulum, ad nos clamabat dicens, Isti⁹ homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus spiritui dixit, Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea: Et exiit eadem hora. Quanuis Pauli prædicationem commendaret spiritus ille, tamen noluit Paulus ab impiis laudari. Ideò ipse, Nolo vos fieri participes dæmoniorum. Nemo sanæ mentis ab impiis optat laudari: nam etiam si aues nocturnæ, vt noctuæ lucem fugiant, non ideò in lucis contumeliam hoc est tribuendum, imò in laudem ipsius. Ignominiosum tibi est, quod iniqui & scelerati te ipsum laudent: gloriosum au

Margin notes (left column): *Suspitio vitium diabolicum, sed hodie inueniuntur homines diabolo peiores.* — *Prou. 28.* — *Exod. 8.* — *Psalm. 72.* — *Diabolus metuit diem iudicij.*

Margin notes (right column): *Vide Bedam in ca. 4. Luca ca. 14. circa principium.* — *Rom. 8.* — *Eccles. 2.* — *Psal. 61.* — *Eccle. 1.* — *Beda in Lucam ca. 14.* — *1. Cor. 2.* — *Matth. 16.* *Luca. 9.* — *Chrys. hom. 5. in Matt. & Theophil. in hunc locu.* *Eccles. 5.* — *Act. 16.* — *1. Cor. 10.*

ſuum autem quando tibi detrahunt, & iſſurmurant: *Matth 28.* nam cùm Chriſtus nollet ab impiis laudari, iuſſit dæmonibus tacere. Et etiam noluit hac eadem ratione vt cuſtodes ſepulchri ſuam reſurrectioné prædicarent, quia in peccatis mortui erant: atque ideò *Ioan. 20.* permiſit, vt corrupti pecunia tacerent. At voluit vt *Luc. 2.* per apoſtolos, & ſanctas mulieres reſurrectio ſua prædicaretur. Nec in ſua infantia voluit laudari niſi à Simeone iuſto viro, & ab Anna propheteſſa. Quapropter Lucas antequã iſtorũ laudes in Chriſtum ſcriberet, priùs eorum vitam & ſanctitatem commẽdauit: vt latè in ſuperioribus annotauimus. Hac ratione adductus Antiſthenes (vt eſt apud Laërtiũ) cuidam dicenti, multi te laudant, reſpondit, Quid mali feci? Exiſtimabat quippe inſignis philoſophus turpè eſſe à turpibus laudari, eſſéque præſtantiùs in obſcuritate latere, quã à talibus hominibus eſſe cõmendatum. Nã quæ gloria obſecro alicui poteſt contingere ex eius laudibus, qui nõ niſi vitia, & flagitia nouit laudare? Malus enim, qui ſola vitia amat, hæc ex animo laudabit. Quô fiet, vt quidquid mali huiuſmodi homo de vitio protulerit ſuſpectũ ſit, & minimè credendum. Ideò oportet rectè ſcire quiſnam ille ſit, & qualis, qui laudat: & inde coniectare oportebit, qualis etiam ſit qui laudatur. Vnde ſicut gloria eſt bono viro ab alio bono viro laudari: ita etiam dedecus eſt à viro ſcelerato cõmendari. Ideò dedignatur dominus ab ore peccatoris *Pſal. 49.* laudari, dicens cuidam peccatori, Quare tu enar- *Leui. 13.* ras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Ideò dominus in veteri lege os leproſi claudere iuſſit. Sic & os peccatoris claudi iubet: ne per labia polluta trãſiens polluatur ipſa loquutio. Nam contigit ſæpè vt aqua clara tranſiens per immundum canalem, vt canalis malitiam imbibat. Sic etiam peccatoris os tanquam immundus canalis nonnihil detrahit diuinis laudibus ab eo pro- *Pſal. 136.* laris. Propter quod ipſi peccatores dicere poſſunt, Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Quomodo diſtantes, & maximè à Deo alieni ipſius laudes cãtabimus? Si igitur peccatores cantare non poſſunt: plangant, & plorent. Illic ergo ſe- *Thren. 2.* dimus, & fleuimus. Quid autẽ requiratur à peccatore, vt Deo dignas laudes offerat, Hieremias expreſſit dicens, Cõſurge lauda in nocte in principio vigiliarum tuarum. Priùs peccati ſomnum excutere admonet, & prius vigilare docet, quàm laudare. *Oſea. 14.* Hunc eundẽ ordinẽ deſcribit Oſeas dicẽs, Omnem aufer iniquitatẽ, & accipe bonũ: & reddemus vitulos labiorũ noſtrorum. Acſi diceret, Aufer domine à nobis quod noſtrũ eſt, & accipe à nobis, quod tuũ *Pſal. 50.* eſt: quoniam tua eſt laus, & tibi debetur honor, & gloria. Quocirca egregius vates antequam diceret, Domine labia mea aperies, præmiſit dicens, Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ. Et ſtatim ſubdidit, Et exultabit lingua mea iuſtitiã tuam, Domine labia mea aperies, &c. Ideo in Leuitico *Leuit. 13.* præcipitur leproſo vt habeat veſtimenta diſſoluta, caput nudum, & os veſte contectum. Omnes partes corporis nudas habere præcipitur, & os ſolum operire iubetur. Qui nudus eſt, & lepra peccatorũ ſuorum manifeſta cooperiat os: nam docẽdi authoritas ei interdicitur. Clauſum ergo peccator habet os ſuum, quia qui ſeipſum non docuit, docere alios non præſumat: & ideo os ſuum iubetur operire, qui malè agendo loquendi amiſit libertatem. Tacere ergo oportuit diabolum, qui impiiſſimus eſt, & nequam: nec ab eius ore volt Chriſtus laudari.

¶ Quartò præcepit, vt taceret: quia ſolet diabolus ſub fuco bonorum verborũ tentare, & decipere, ſicut Sirena cantu: aut vt fingunt poëtæ Circen dulcibus verbis ſocios Vlyſſis in beſtias conuertiſſe. Etenim ſolet Satanas ſe in angelum lucis trãsfi- *2. Cor. 11.* gurare, vt eo commodiùs fidem ſibi acquirat: faciliúſque ſimplicitatem credentium decipiat: ea propter nolebat Chriſtus, vt veritatem diceret, ne inter aliqua vera multa falſa miſceret. Sic prohibẽdi ſunt hæretici, & lutheranæ factionis patroni à verbi diuini miniſterio: nam quanquam euangelium, & multa ſcripturæ loca ad ſuum dogma ſtabiliendum adducant: cùm tamen hæc vel torqueant, vel corrumpant, vel alio deflectant à verò & germano eccleſiæ ſenſu: minimè audiendi ſunt, & arcendi procul à lectione ſanctarũ ſcripturarum, & à miniſterio diuini verb.. Et hoc munus nullis aliis tribuendũ eſt niſi his, qui vnitatem fidei fatentur, quique nõ falſa veris miſcent, ſed ſolidam & firmam doctrinam prædicat. Si hoc Chriſti exemplum imitati fuiſſent Germaniæ principes, non ſic miſerè tota incenderetur Germania. *Facta autem die egreſſus ibat in deſertum locum.* Admonet locus iſte apta, & ſecreta loca eſſe eligenda, vbi Deo meliùs poſſimus vacare. Filij enim prophetarum à populi tumultu fugiebant: & Ioannes Baptiſta (quo nemo maior) ne leue ſaltem *Matth. 11.* famine poſſet vitam maculare, antra petiit deſerti. Ioannes quoque euangeliſta in inſula Pathmos ha- *Apoc. 1.* buit reuelationes plurimas. Sed iam nũc multi qui vitam apoſtolicam & monachatum ſunt profeſſi, aulas principum, & palatia regum circuire ſolent.

¶ Docet ſecundò locus iſte ne præmium, aut re- *Gloriola vana fugienda.* tributionem expectemus ab his, qui docẽtur à nobis, aut ab his quibus benefecimus. Semper enim ſuſpicio inanis gloriæ fugienda eſt. Sed multi nõ ſolùm ſibi gratias agi pro collatis in alios beneficiis cupiunt, ſed pro eis etiam, quæ nunquam fecerunt, id ipſum cupiunt dicẽtes ſuo fauore & auxilio alios euectos eſſe ad honores, & in amplam dignitatem eſſe conſtitutos, cùm tamen in rei veritate apertiſſimè mentiantur. Non ſic Chriſtus, qui poſtquam tot præclara dixerat, & tanta miracula fecerat, ſtatim, vt dies facta eſt abiit in deſertũ fugiens humanas laudes & honorem ſeculi. Nolimus ergo exemplo Chriſti laudes hominũ, aut gloriã mundi quærere: ſed ad ſolum Deum oculi noſtri aſpiciãt, & ad eum mentem, animum, & intentionẽ cõuertamus. Vnde egregius pſaltes, Sicut oculi ancillæ in mani- *Pſal. 122.* bus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad dominũ Deum noſtrum. Acſi diceret, Quemadmodum ancilla nõ aliò oculos auertit, ſed ſemper dominam intuetur, quæ retribuere illi debet, & multa donare beneficia: ſic tu ad nihil aliud mũdanum, niſi in Deum ſolum oculos debes cõiicere. Quis obſecro tam ignarus, & ſtolidus eſſet homo, qui ſi lapidẽ precioſum inueniſſet, cum in manus ruſtici vel agricolæ tradeſet, vt valorem eius taxaret? Mundus quidam ruſticus eſt, qui valorem & intentionem operũ noſtrorum nõ cognoſcit, nec quantum Deum diligamus, ideoque nõ committas illi opera tua, Deo tantum ſtude placere, & fuge mundi laudes & ſæculi vanitates, exẽplo Chriſti ſaluatoris noſtri: qui ob hæc vitanda pericula fugit in deſertum. Et quid turbæ? *Et turbæ requirebant eum, & venerunt vſque ad ipſum, & detinebant illum ne diſcederet ab eis.* Nónne vides *Vide Theoph. in Luc. ca. 5.* quomodo honor eum ſequitur, qui ab ipſo fugit?

Optimè

Honor sequitur fugientem. Optimè quidem vmbræ assimilatur, nam ab eo fugit, qui ipsam sequitur: ipsa autem post eum sequitur, qui ab ipsa fugit. Fugit Christus honorem, ipse autem vsque in desertum Christum sequitur. Moses in deserto habitans pascebat oues suas, cùm à *Exod. 3.* palatiis Pharaonis fugisset, & ab Aegypti honore: quando electus fuit à domino in principem populi Israel. Ità etiam beatissima virgo Maria clausa erat in parua ciuitate Nazareth: & Ioannes etiam in de- *Luc. 1.* serto absconditus: quos tunc dominus ab eis vo- *Luc. 3.* cat locis, & alterum in præcursorem, alteram verò in matrem elegit. Sine dubio hi omnes valdè erant obliti tantorum honorum atque dignitatum, quibus dominus hæc omnia dedit, sine eo quod ipsi aliquid negotiarentur, aut ea curarent. Fac igitur, & tu quod in te fuerit, & te ipsum totum in manus Dei constitue, hæc omnia mundana reiiciēs, & nihili pendens: nam ipse sine dubio te honorabit in terra & in cœlo insignibus, & præclaris honoribus cum nullius rei tu sollicitus sis. Sācti illi heremitæ eremum habitantes, vt Hilarion, Paulus, Antonius fugientes mundum, cauernas & antra habitabant cum feris: quos vide quantum mundus celebret, & honoret. Disce itaque quomodo honor sequitur fugientem. Disce etiam ab hac turba quærere *Sap. 1.* Iesum per fidem, iuxta illud sapientiæ. Sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis, quærite illum. Postquam verò eum inueneris eum tene per charitatem, sponsam sequutus, quæ dicebat, *Cant. 3.* Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam. Disce etiam ab hac turba magna diligentia & cupiditate quærere verbum Dei. Turba enim omnibus aliis negotiis dimissis, solius verbi Dei curam habebat. Demum vt concludam nulla hîc mentio fit de principibus, magnatibus, diuitibus aut magistratibus: sed de turba. Diuitiæ nanque, honores, & voluptates non quærunt verbum Dei: hæc potiùs nanque impediunt verbum Dei, & quæ sunt spiritus eius. *Quibus ille ait, quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideò missus sum.* Sicut sol iste visibilis non in vno loco cœli persistit immobilis, sed vt claritate totū mundum illustret circuit orbem terrarum, ita Christus qui sol est iustitiæ, & vera lux mundi, vt omnes ve- *Malach. 4.* ritatis suæ luce ab ignorātiæ tenebris, quasi à quadam mortifera nocte vindicaret, quanuis rogatus noluit in vno loco manere, vtpote qui propter omnium hominum salutem in hunc mundum venerat. Vbi discere debent verbi Dei prædicatores non in vno loco quiescere: sed sicut seminator omnia loca percurrant seminantes verbum Dei in cordibus hominum.

¶ Obserua quòd poterat in vno loco manens omnes ab se trahere: non tamē id fecit, exemplum nobis relinquens, vt nunquam quiescamus, sed vt ipsi quæramus pereuntes. Sicut pastor qui quærit oues perditas, & sicut pius medicus ad infirmū accedit. Ait autem, quia ideo missus sum, scilicet, animæ infirmitates apud vos curem nō corporum: & ideo ad prædicandum missus sum, vt animis medicinam exhiberem, potiùs quàm corporibus. Si autem aliquando corpora curo, id facio, vt corpora suauiùs animæ inhæreant, vt homines visis mi- *Ioan. 3.* raculis veniant ad fidem. *Et erat prædicans in Synagogis* *Ioan. 18.* *Galilææ.* In Synagogis docuit, vbi multitudo populi confluebat. Veritas enim non appetit angulū, sicut Christus per Ioānem affirmat. Omnis qui facit veritatem venit ad lucē, vt manifestentur opera eius. Vnde Annæ interroganti de doctrina eius, respondit, Ego palam loquutus sum mundo, ego semper docui in templo & in Synagoga. Sed hæc de re plana dixisse sufficiat, & hæc de hoc capite: nunc de profectu verbi Dei in capite sequenti videamus.

CAPVT V.

CVM indies apud omnes fama prædicationis Christi magis ac magis cresceret: tanta erat hominū multitudo & frequētia superueniens, vt illis non esset locus in synagogis, vicis, & plateis. Ideóque tum propter sermonis dulcedinē, tum propter signa quæ faciebat extra oppida cogebantur eum sequi. Ipse enim docebat non sicut scribæ & pharisæi, sed tanquam potestatem habēs. Habebat etiam verba vitæ æter- *Matth. 7.* næ, vt Petrus ei dixerat, Quid mirum si eius verba, *Ioan. 6.* qui patris est sapiētia, & in quo omnes thesauri sa- *Colo. 2.* pientiæ & scientiæ Dei sunt reconditi, populum attraherent: cùm vel ipsa discipulorum verba tantam *Act. 2.* haberēt vim, vt in vno die Petrus ad Christi fidem tria millia hominum cōuerterit? Attrahebat itaque Christus ad se magno impetu & feruore turbas: vtpote in cuius labiis erat diffusa gratia, quapropter *Psal. 44.* ait noster Euāgelista. *Factū est autē cùm turba irruerent in eum, vt audirēt verbū Dei, & ipse stabat secus stagnū Genezareth.* Nunquā legitur tātus scribarum & pharisæorū ad Christū concursus: cū ad rudē plebem sermo habitus fuerit. Dulcedinē & gratiā suā abscon- *Matth. 11.* dit à sapiētibus, & prudētibus huius sæculi, & eam paruulis & humilibus reuelauit. Etenim Pharisæi & scribæ sua scientia inflati, verbum Dei cōtemne- *Rom. 1.* bāt: & putātes se omnia scire, stulti facti sunt. Aqua sapientię potauit dn̄s Iesus has turbas, quia simpli- *Sap. 1.* citate cordis ad illū veniebāt, & humiliter audientes verbum, refocillati sunt. Sed iam singula verba veniunt expendēda. ¶ Irruere, est cum impetu ferri: *Scire verbum Dei non tam refert, sed audire.* in quo feruorem turbarū considera, quæ tanta auiditate cupiebant verbū Dei, vt magno impetu currerent ad audiēdum illud. Non solùm in templo & in synagoga, intra mœnia ciuitatis audiebant verbum, sed per montes & ad deserta properabant, vt illud audirent. Nos autem iuxta ecclesias habitantes, parum itineris ambulare nolumus, vt conciones audiamus. Fastidimus enim quidquid spirituale & honestum est. Surgent vtique isti in die iudicij *Matth. 12.* sicut Niniuitæ aduersus impios & incredulos Iudæos, & condemnabunt nos: quia per cāpos vsque in mare isti properabant, vt audirent verbum Dei, nos verò vt id audiamus nec parū laboris volumus sustinere. A quibus discamus opera Dei non segniter & pigrè operari, sed cum magno ardore: tenemur enim Christum quærere & eum sequi, audientes verbum eius, quasi exeuntes ab igne. Quapro- *Iudæ. 8.* pter Iudas in epistola sua ait, Saluate illos, quasi de igne rapientes. Manum ne segniter & pigrè separabit, si cōburatur. At cùm nos viuamus quasi insensibiles & sine vita, damnum nostrum nō sentimus: nam si id sentiremus, nō vtique procrastinaremus. Attende obsecro qua diligentia & sollicitudine mundani mundo inseruiūt, & mundana quærunt: vt mercator mane surgit (qui nocte nec in lecto quiescit) quousque labores & pericula patitur, vt sibi pecunias compararet: quantáque tormenta patitur is, qui illatam iniuriā molitur vindicare, quantóque frigore miles in bello premitur, & quanta fame: & denique mirandū est, quàm innumeros labores

borethi qui mundo inseruiunt, patiuntur. Quid
igitur est cur tu in Dei obsequio non nihil laboris
nolis pati? At mundo seruientes diligentissimi su-
mus: Deo autẽ inertes, & ignauos nos præstamus.
Genes. 4. Quod Cain domino obtulit, id pigrè & segniter fe-
cit, serò & malè. Factum est (inquit scriptura) post
multos dies, vt Cain offerret domino de fructibus
terræ munera. Nõ sic sanctus patriarcha Abraham
Genes. 22. qui statim nocte consurgens, nec mane expectans,
abiit ad sacrificandum filium: quod iam illi à domi-
no erat iussum. Sic istæ turbæ fecerũt, quæ certatim
ad Christum properabant, vt verbo Dei satiaren-
tur. Aliqui dicunt nolo audire concionem, quia cũ
tali homine inimicitias gero, quousque odiũ hoc
deponam, & illius vindictam sumam: cùm etiam
& ego sapiens, & doctus sim, nec vllam habeam ne-
cessitatem audiendi concionem. O quantum falla-
tis homo qui hæc tecum cogitas, nescio verbis ex-
primere. Esto quantũuis doctus, nihilominus tamẽ
2. Reg. 11. viua vox habet nescio quid latentis energiæ. Dauid
sapientissimus erat, & magnam Dei cognitionem
attigit, & diuinis reuelationibus donabatur: nihil-
ominus hæc omnia nihil ei profuerũt toto tempo-
re, quo in peccato vixit. Sed tamen protinus, vt ad
2. Reg 12. eum venit Nathan propheta ad viuam vocem præ-
dicantis conuersus est, & dixit, Peccaui. Similiter
Dan. 4. Nabuchodonosor contemplabatur illam arborem
quæ statũ suum designabat, sed nihil ipse hac cogi-
tatione mouebatur: sed cùm adiuncta fuit visioni
& contẽplationi viua vox prophetæ Danielis, pœ-
Act 22. nitentiam egit. Doctus erat Paulus in lege, qui præ-
Act. 9. clarè didicerat ad pedes Gamalielis: sed nihil ei
profuerat: tamen cùm viuam vocem è cœlo dicen-
tem, Saule Saule cur me persequeris, audiuit, sta-
tim attonitus, & stupefactus cecidit dicens, Domi-
ne quid me vis facere? Vide quomodo illum quem
scripturæ lectio, & libri non cõuerterant, vox præ-
dicantis conuertit. Ne per Christi amorem dicas,
& per sanguinẽ suum prætiosissimum effusum, non
relinquam concubinã, frustra prædicator clamat,
nolo illũ audire nec interesse concioni: Impia enim
hæc vox est. Abierunt quidam impij peccatores, &
animo obstinati, vt caperent & apprehenderent Ie-
sum ex mandato pharisæorum, & inuenerũt Iesum
concionantem ad populum, quem audientes com-
puncti corde reuersi sunt, dicẽtes, Nunquam sic lo-
Ioan. 7. quutus est homo. Sic tibi accidere potest, sicut istis
& sicut Paulo. Nam si in peccatis iaces, consilium
salubre est, vt audias conciones. Si autem iustus, &
rectus es: aduertere debes, quòd sal nõ solùm mor-
tuas carnes conseruat, sed etiam viuas. Sic verbum
Dei non solùm eum qui in peccatis iacet iustum ef-
ficit: sed etiam iustum pascit, alit, & sustinet. Hæc
dixi, vt semper amici simus, & cupiamus audire ver
bum Dei, & id diligẽter inuestigemus, horũ exem-
plo qui Christũ tanto conatu, & ardore sequeban-
tur. ¶ Præterea quid mirum quòd desiderio audiẽ-
3 Reg. 10. di irruerint turbæ, cum de Salomone sit scriptum
Matth. 12. quòd omnis terra desiderabat audire sapientiam
eius? Sed ecce plusquam Salomon hic. *Et ipse stabat
secus stagnum Genezareth.* Optimum est memoriam
habere & recordari locorum illorum, quibus no-
bis Dei beneficia cõtingunt, vt diuina nobis colla-
ta beneficia semper commẽdent. Quod sanctos il-
Genes. 28. los antiquos fecisse legimus: Nam loco vbi Deus
apparuit Iacob, nomẽ Bethel, imposuit ipse Iacob,
& locũ designauit. Sic fecisse auum eius Abraham
scriptura commemorat. Stagnum autem Geneza-
reth est id, de quo scripturæ loquuntur, quã locun- *Genes. 22.*
que mare nominãt. Et est iste lacus inter Galilæam
ex parte occidentis, & terram duarum tribuum &
dimidiæ ex parte orientis. Per quem lacum transit
Iordanis fluuius. Vnde aquarum copia abundat, si-
cut aliqui lacus magni qui sunt in Germania, per
quos transeunt flumina magno impetu: sicut Rhe-
nus qui transit per Constantiam. Iordanis autem
oritur in parte Aquilonari terræ Iudæorũ ad radi-
ces mõtis Libani, iuxta ciuitatem, quæ dicitur Cæ-
sarea Philippi: & fluens peruenit in Galilæam, & ibi
transit per hunc magnum lacum: & vltra progre-
diens trãsit iuxta muros Hierico, & inde intrat ma-
re mortuum, & ibi absorbetur. Est autem hoc sta-
gnum duodecim leucarum spacio protensum, con-
trahitur autem octo leucarum spacio: habet autem
littus amœnissimum, palmis plenũ, & malis citreis:
aquam verò dulcem habet, & plurimos & optimos
pisces. Vocatur autem hoc stagnum Genezareth,
aliquando ab euangelistis fretum, vt à Matthæo, & *Matth 8.*
Marco: & interdum mare Genereth, & hoc est no- *Marc. 5.*
men illi antiquissimũ quo nomine in libro Nume- *Num. 34.*
rorum nuncupatur, & etiam in Iosue: à quadam ci- *Iosue. 11.*
uitate nomine Genereth, quæ erat in littore huius
maris à parte occidentali quæ posteà dicta est Ti-
berias. Hæc est ratio quare Euangelistæ nunquam
vocauerunt hoc mare Genereth sicut in veteri te-
stamento: quia quando euangelistæ scripserunt no- *Ioan. 6.*
men vrbis iam erat mutatum. Ideò Ioannes voca- *Matth. 1.*
uit mare Tiberiadis, & Marcus & Matthæus vocãt *Marc. 4.*
mare Galilææ, quod nomen commune erat, quia
istud mare est in Galilæa in finibus sortis Zabulon,
& sortis Nephtalim, vt Matthæus ait allegans Esa *Matth. 4.*
prophetam. Vocatur autem Genezareth a quadam *Beda in ca. 5*
ciuitate, quæ erat iuxta stagnũ vocata Genezareth, *Luc. tom. 5.*
siue Genezar: vel vt quibusdam placet sic est nun-
cupatum, quod flantibus ventis, crispãtibus vndis,
auram ex se generare videatur. Attende autẽ quod
Lucas hic non seruat ordinem historiæ: nam hæc
historia nõ contigit post curationem socrus Simo-
nis, & post alia signa quæ Lucas in præcedẽti capi-
te scripsit, sed anteà. Intẽtio autem euangelistarum
fuit, gesta & miracula, & prædicationem Christi ad
fidei firmitatem, & ædificationem ecclesiæ, & vtili-
tatem non credentiũ narrare. Ad hæc autẽ præstan-
da, nihil refert quid priùs præcesserit, aut quid po-
steà sequatur. *Et vidit duas naues stantes secus stagnum:
piscatores autem descenderant, & lauabant retia sua.*
Erant autẽ istæ naues iuxta littus, vt est moris nau-
tarum. Et Petrus, Iacobus, & Ioannes descendentes
à nauibus mundabant & lauabant retia sua: vt cõ-
plicarent ea, quia nihil cœperant, & volebant tem-
pus aptum expectare ad piscandum. *Ascendens autem
in vnam nauim, quæ erat Simonis rogauit eum à terra re-* *Theophil in*
ducere pusillum. Expẽde Christi bonitatem & humi- *cap. 5. Luc.*
litatem, rogat cum solo nutu possit adducere, aut
præcipere Petro: modestiæ & humilitatis exẽplum
præbens prælatis. Multa enim sunt quæ etiã si præ-
lati præcipere possint: rogare tamen debent subdi-
tos, vt ea faciãt. Sed multi sunt nũc domini & præ-
lati, de quibus conqueritur dominus per prophetã *Ezech. 34.*
dicẽs, Cùm austeritate imperabatis eis, & cum po-
tentia. ¶ Præterea quãuis Christus nauim adducere
posset, noluit tamẽ nisi rogare Petrum, vt ipse libe-
rè & ex sua voluntate daret eam petenti. In quo e-
tiam docuit mundi Saluator nullum esse opus Deo
acceptum

Gratuita & voluntaria dona Deo accepta. acceptum nisi sit voluntarium: nam opus bonū ex dilectione pensatur, nam hilarem datorem diligit Deus. Quantò plus dilectionis opus habuerit, tantò magis Deo erit acceptum & meritorium. Vnde *2. Cor. 9.* *Leui. 27.* in Leuitico præcipiebat dominus. Omnis æstimatio, siclo sanctuarij ponderabitur. Omne opus bonum, quod Deo offertur siclo diuini amoris ponderandum est. Si ieiunas, si oras, si eleemosynam tribuis, siclo diuini amoris hæc omnia sunt tibi ponderanda. *Aug. lib. 11. ciui. cap. 28.* Pondus meum (inquit Augustinus) amor meus. Si parum ponderis diuini amoris habuerit opus bonum tuum, parum mereberis. Si Deo tuo lachrymas obtuleris, si preces, ieiunia, & omne tuū studium, ponderetur in siclo Sanctuarij: vt eorum retributionem videas iuxta pondus amoris. Vt tu intelligas quomodo Deus ea quæ ex voluntate, & dilectione procedunt acceptat: non nauim vi rapit, sed eam petit: vt Petrus sua sponte illam præberet, nam aliàs dominus non eam acciperet. In voluntate tua sedet, & constitutum est, velle Deo dare vel nō: & illa tantùm ex manu hominis Deus accipiet, quæ ex voluntate oriantur. *Et sedens docebat de nauicula turbas.* *Christus prædicatorū exēplū & medicorum.* Sub diuo solis calori expositus, sine sede, sine subsellio, docet Iesus de nauicula turbas. At nunc quo apparatu, qua pompa, & maiestate, induti sericis, & bombicinis vestibus episcopi docent? Ad turbas autem etiamsi protecti sint à calore verba facere dedignantur. Non vtique authoritatem damno, sed superfluam pompam, maiestatē, & vanitatem aliquorum detestor. Sed iam singula verba quæ obseruatione sunt digna aduertamus. Primò ait quòd sedebat, deinde docebat, & vltimò loco de naui, sedit vtique primò, vt non perfunctoriè, & velut aliud agens: sed summa cura & maximo conatu infirmitatibus animæ tuæ medeatur suæ admirabilis doctrinæ excellentia. Videns itaque cœlestis medicus tantam gentis multitudinem ægram, & languentem, vt omnes curet quietus in nauicula sedet: in quo quidem si aduertere libet ingentem amorem, quo nos prosequitur, videbis relucere. Nam cùm aliquis medicus hominem pauperem & egenum accedit curaturus, celeriter, properè, & stans illum curat, & protinùs abit. At si infirmatur eius filius, vel amicus, vel vxor, quàm maturo gradu, quàm serio, & quanta cura & diligentia sedens in lectulo infirmi ægritudinem agnoscere studet: vt eam citiùs curet, & remedia necessaria adhibeat. O piissimum atque clementissimum nostrarum animarum medicum, qui vt nobis medeatur, & salutifera medicamenta apponat, sedet. Credo equidem quòd nisi nos tam anxiè, & tam paterno amore diligeres, non ita seriò curam animarum nostrarum susciperes.

¶ Prætereà sedit docens in nauicula Petri, vt insinuet semper se Ecclesiæ suæ assistere, quæ nauicula Petri est. Nunquam Christus Ecclesiam suam dilectissimam dereliquit: semper enim docet, & erudit eam. Ecce (inquit) ego vobiscum sum: vsque ad *Matth. 28.* consummationem sæculi. Incredibilis est dementia Lutheranorum, qui existimant Deum Ecclesię suæ fuisse oblitum plusquam mille & quingentos annos vsque ad tempora Lutheri: per quem illuminauit illam tanquam per virum apostolicum, & euangelicum. O detestādam cæcitatem & dementiam perditorum hominum!

¶ Secundò, obseruandum est, quod docebat Christus illas turbas: quid autem doceret, non explicat euangelista. Sicut etiam sub silentio præterierunt euangelistæ multa miracula & gesta Christi. Verùm multa, quæ nunc tenet ecclesia, quæ nec euangelistæ tradunt, certum est ea Christum tempore suæ prædicationis docuisse, & quod apostoli sicut ab ore Christi audierant, ita tradiderunt ecclesiæ.

¶ Tertiò, obseruandum quòd de nauicula docet, *Quare Christus de naui doces.* vt insinuet neminem posse docere, qui extra nauiculam Petri fuerit: nam qui extra ecclesiam docet, is non benè docet, sed potiùs seducit. Lutherus, & qui suę factionis sunt extra Petri nauē, non docent, imò potius homines seducunt. Secūdò de naui docet, vt scias nullum esse locum ineptum ad docendum quæ sunt Dei. Modo Christus in synagoga docet, modo in monte, modo in campo, & nunc in naui secus stagnū prædicat. Tertiò de nauicula prædicat, vt omnes posset rectè conspicere. Nos Deum à tergo reliquimus: ipse verò corā oculis nos semper habet, vt multa dona nobis impartiatur. Quartò, vt ostendat, quantam necessitatem ipsius habeamus. Quis obsecro alterius opus habet, aqua ne terra? an terra aqua? Certum est terram aqua indigere. Sic nos indigemus Christo, atque ideò ipse est in naui in aqua, & populus in terra iacens. Quintò, ex naui docet, vt ostendat periculum in quo prælati & prædicatores sunt constituti. Securiùs magis ambulant qui per terram iter faciunt, quā qui profundum mare ingrediuntur nauigaturi. Sic prædicatores maiora naufragia patiuntur ambitionis causa, vanæ gloriæ, & humanæ laudis, quàm plebis ignara & simplex. Sextò, Christus est in mari, populus autē omnis in terra: nam prædicationis munus, & status extra mundum & extra omnia quæ in eo sunt situs esse debet. Sæculares in terra sunt, sed in fine illius, & iuxta littus maris habitare debent, quia vt inquit Paulus, qui habent tanquā non *1. Cor. 7.* habentes sint, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, & qui habent vxores tanquam nō habentes. Sed prælati & prædicatores longè à rebus terrenis debent esse, omnia quæ in terra sunt contemnentes, & Deo solum vacantes. *Vt cessauit autem loqui dixit ad Simonem.* Vt vera esse ostendat, quæ anteà dixerat: post prædicationē, miraculū operatur. Confirmat quæ dixerat Christus insigni miraculo, vt de illius doctrina minimè dubitare possitis. Sic & *Marc. 16.* Apostoli profecti prædicauerunt vbique domino cooperante, & sermonem confirmante sequētibus *Chrysost. ho. 14. in Mat.* signis. Solet nāque Deus (vt Chrysostomus annotat) coram eis qui legem suam accipiunt, quasi pignora quædam suæ potentiæ miracula edere. Sic quando hominem fecit, priùs mundum creauit: & posteà homine iam condito, legem in paradiso de- *Genes. 2.* dit. Abrahæ quoque multa signa legitur pręstitisse, *Genes. 14.* vt duas illas regum victorias, insignem quoque ad- *Genes. 12.* uersus Pharaonem plagam: & etiam id quod de va- *Exod. 19.* riis periculis eum liberauit. Et cùm legem esset Iudæis daturus, priùs mirabilia illa magna, & signa multa ostēdit. Sic etiam in præsentiarum fecit. Præ- *Theophil. in cap. 5. Lucæ.* tereà primo verbum suum cibum mirabilem animabus dedit, deinde corporibus reficiendis pisces. Vide etiam quàm magnificus, & liberalis largitor sit dominus: prædicauerat de naui, sed non reliquit dominū nauis sine mercede & præmio. Duo quippe maxima beneficia in illum contulit. Primo nanque piscium multitudinem dedit: deinde eum constituit, & elegit in suū discipulum. Aspice obsecrò & aduer

& aduerte, quanto cum fœnore & lucro Deus rependit, quidquid pro illo facimus: nam pro conductione nauis, multitudinem piscium dedit Petro, & (quod plus est) mentem illius illuminauit, & fidem præbuit, ita quòd & retributionem corporalem & spiritualem donauit. Discamus igitur soli Deo seruire: quandoquidem tam bonus est remunerator. Nam quidquid pro mundo, vel pro hominibus feceris: in retributionem nõ nisi ingratitudinem ac-
Psal.34. cipies. Vnde egregius Psaltes, Dederunt mala pro bonis, & sterilitatem animæ meæ. Discamus grati esse, sicut Christus, qui pro minimo illo obsequio nauis præstitæ tot dona Petro contulit. Gratus fuit Ietro sacerdos Madian, cùm dixit filiabus, Quare
Exod.2. nõ introduxistis hominem? Gratus etiam Helisæus
4.Reg.4. hospiti cùm dixit, Si habes aliquod negotiũ cum rege, &c. ¶ Discamus etiam postquã diuinam concionem audierimus non ad Bacchanalia, Orgea, ludos, & choreas abire: sed potius ad sancta opera,
Prou.31. sicut beatus Petrus fecit. Vnde in Prou. dicitur, Panem ociosa non comedit. ¶ Discamus etiam prius quærere regnum Dei & iustitiam eius: postea quæ necessaria fuerit ad corporis honestum victum.
Matth.6. Priùs Christus egit de spirituali animæ cibo, & postea de corporali: quòd vtique fœlicissimo modo acquiritur, si laborem tuarum manuum manducaueris. Denique finitis sacris concionibus ne quæras cœnoporalia, nõ theatrũ: sed ea quibus honestè viuere possis, quæque aduersus domini præcepta non pugnant. *Duc in altum*, id est, in profundum. Sic
Ioan.4. in Ioãne, Puteus altus est, Et in Psal. Veni in altitu-
Psal.68. dinem maris. Et ideò vocatur altum, quia aqua distans à littore altior est: quod vt clarius intelligas fuit, ac si dixisset, Recedamus à littore, & in mediũ siue in profundum maris abeamus. *Et laxate retia vestra in capturam.* Habet & mundus sua retia, habet & Satanas piscatores suos, qui miseras animas carnis blandimentis in mortis carcerẽ coniiciunt: sed fœlices quas sagena Apostolica de profundo criminũ & errorum abducit, & è tenebris ad lucem: & è peccati sordibus ad pristinam & albam vitam reuocat. Non trahuntur ad mortem sed ad vitam, vt
2.Cor.12. Paulus inquit, Non quæro vestra, sed vos. *Et respondens Simon dixit illi, Præceptor per totam noctem laborãtes*
Theophil. vt supra. *nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* Vide obsecro Petri obediẽtiam & fidem quam in Christum habuit. Nouerat enim Petrus, vtpote qui peritus erat in arte piscatoria, quòd noctu pisces super aquas natant, adueniente autem die in profundum aquæ abeunt: cumq́ue tota nocte nec vnum piscẽ capere potuissent, multò minus in die caperẽt. Nihilominus tamen plus fidei præstans verbo Christi, quam naturali rationi, decernit rete suum in mare proiicere: nihil obstãte, quòd id quod Christus præcipiebat rationi videbatur aduersari: Hęc enim est natura fidei, vt credat ea, quæ supra rationem sunt humanam, quæque rationi aduersari vidẽtur. Non quia fides sit contra rationem: sed quòd eam superet, ac longo discrimine transcendat. Quocirca
Heb.11. diuus Paulus vocauit illam substantiam rerum nõ apparentium. In verbo tuo, dixit Petrus, quia fides
Rom.10. verbo Dei nititur: iuxta illud Pauli, Fides ex audi-
Ioan.1. tu, auditus autem per verbum Christi. Et Ioannes, Potestatem dedit eis filios Dei fieri, his qui credunt
1.Ioan.3. in nomine eius. Et idem in epistola prima, Hoc est præceptum Dei, vt credamus in nomine filij eius. Sed de his, quæ ad fidem attinent, quia aliis in locis multa diximus, & differuimus, nunc cætera cõsideremus. ¶ Discamus etiam a beato Petro promptius, vt aliquid ex parte domini fuerint pręceptum, illud opere complere, nulla facta mora. Abraham Deo obediuit, quamuis ea quæ videbantur aduersari promissionibus sibi factis Deus præciperet. Sic Petrus nunc paruit domini mandatis: quãuis contra artem piscandi præcepit: sicq́ue meruit innumeram piscium multitudinem colligere. Laborauerat tota nocte, & nihil cœperat: sed obediens domino omne tempus amissum recuperauit: ideóque repletum est rete piscibus. Poteris quidẽ tota nocte laborare, & nihil lucri inde reportare, & quidẽ etiam poteris vnico tãtum iactu retis in mare multitudinem piscium colligere. Ita nimirum poteris multum atque diu laborare, & parum mereri: & parum laborans poteris multum mereri. Si contra obediẽtiam multum laboris sustinueris, nihil mereberis: & si sola tua voluntate laboraueris, parum etiam mereberis: at si obedientiæ mandato laboraueris, ingenti retributione dignus eris. Quando beatus Petrus tota nocte laborauit, nihil piscatus est: at cùm Christi mandato parum suscepit laboris, meruit multitudinẽ piscium capere. Nolis igitur tu qui religiosus es prælatorũ obedientiam fugere, & a laboribus cõmunitatis te abstinere. Quis obsecro locus est magis sublimis, aut maioris dignitatis, quàm empyreũ cœlũ, in quo angeli conditi sunt, & à quo dæmones facti ceciderunt, cùm suã propriam voluntatem sequi vellẽt? Et optimus Gen.3.
locus terræ erat terrenus paradisus: à quo primi nostri parẽtes propter inobediẽtiã egressi sunt lamentantes. Qui obediens est, manducans ieiunat, dormiens vigilat, & in quiete laborat. Multi sunt qui existimãt, quòd sub obedientia degentes vitã, & ea facientes quæ prælati iubẽt exteriùs, esse perfectè obedientes: existimántque interiùs propriam voluntatem non esse abnegandam. Qui quidẽ manifestissimè falluntur, nam etiam si illa obedientia sancta sit, atque necessaria: non tamen ideo alia interior obedientia & multò excellẽtior excluditur: qua quidem anima tenetur diuinis inspirationibus obedire, ea omnia negando quæ sentit aduersari his quæ magis gratia, & placentia sunt Deo, tanto feruore & ardore vt non solùm his obediamus, quę clarè cognoscimus in diuinis literis esse à Deo præcepta: sed etiam his quæ vel nutu ipse à lõgè ostendit, dummodo certò sciamus sua esse. Sic Moses & Exod.5.
Aaron dixerunt Pharaoni, Deus Hebræorum occurrit nobis. Non dicunt Deus Hebræorum hoc pręcepit, sed occurrit: & statim quasi diuinãtes voluntatem eius volunt iter agere trium dierum. Sic vera obedientia est, quæ statim vt agnoscis voluntatem prælati, eam adimpleas, nedum ipso præcipiente. Modo autem quia in infinitum esset abire, si de fructu & bonis obedientiæ esset nobis agendum: aduerte cum beato Petro, quidquid feceris, vt in nomine Christi facias, quo fiet, vt fœliciter ea omnia assequaris quæ desideras. Omnes enim actiones & studia nostra in nomine domini exordienda sunt, vt fœlicem euentum videamus. Vnde beatus Paulus, Siue mãducatis, siue bibitis, vel aliud quid 1 Cor.10.
facitis, omnia in gloriã Dei facite. Et iterum, Omne Colo.3.
quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo. ¶ Sed iam alia circa hoc miraculum consideremus, vbi aduertenda & admiranda venit

Obediẽtiam retur præmiũ æternum & temporale. Gen.22.

Vt contraria contrariis in naturalibus ſanantur, ita & in ſpiritualibus.

diuina potentia atque ſapientia, quæ cõtraria contrariis curat: nam cùm tota nocte nihil cœpiſſent apoſtoli, iubet in die quando piſces in profundũ aquæ abeunt, retia in mare mittere, & ita multitudinem piſcium colligunt: vt vel ſic admiranda oſtendat opera ſua. Sic infirmitates ſolet cõtrariis curare. *Num. 21.* Vnde in Nu. legimus, quòd cùm filij Iſrael à ſerpẽtibus eſſent vulnerati, erexit Moſes ſerpentem æneum ardentem, quem aſpicientes filij Iſrael ſanabantur à morſibus ſerpentum. Fertur enim naturã eſſe æris candentis, vt ſi quis à ſerpente morſus illud intueatur, ſtatim moritur. Sed Deus vt illuſtrius faceret miraculum fecit vt cõtraria contrariis curarentur. Idẽ poſſemus dicere de aquis amaris, vbi *Exo. 15.* lignũ illud fuit proiectum: & de ſale quẽ miſit *4 Reg. 2.* Heliſeus in aquas Hierico, quæ natura non poterant eſſe dulces, ſed ſalſæ: cum proiectus eſſet in eas ſal: verum iſtæ aquæ quæ antea amaræ erãt, factæ ſunt dulces contra ordinem naturæ. Idem dicere poſſumus de maſſa ficorum, qua curatũ fuit vlcus regis Ezechiæ, quę certè cõtraria erat infirmitati. Sed ita Deus ſua opera ſolet facere, vt ſua omnipotentia *4. Reg. 20.* magis eluceſcat, & vt clarius miraculũ agnoſcatur.

¶ Præterea cũ dicit Petrus quòd in verbo Chriſti vult laxare retia, docet prædicatores, vt nõ philoſophorum argutiis, aut poëtarũ næuis retia prædicationis euangelicæ laxent, ſed in verbo Chriſti, quod in ſacris voluminibus abundat. Docet etiam prædicatores vt laxent rete prædicationis in verbo domini, non ad gloriam ſuam, neque ad quæſtum, non ad aliquod humanum deſiderium, ſed ad ſalutem eorum, qui capiuntur: ſed in laudem & gloriã *Hiere. 23.* Dei. Vnde Hier. ait, Propheta, qui habet ſomnium, narret ſomnium, qui habet ſermonem meum, narret ſermonem meum. ¶ Vltimò & poſtremò loco ad noſtram eruditionem præter iam dicta alia tria diſcutiẽda ſunt. Primò quomodo vbi Chriſtus abeſt, ibi maximus labor & calamitas eſt: quòd quidem manifeſtè apparet cùm dicitur, per totam noctem laborantes. Secundò eſt aduertendum, hunc laborem inutilem eſſe & inanẽ, quod exprimitur, cùm dicit euangeliſta nihil ceperunt. Tertiò docetur quòd Chriſti potentia & virtute labor noſter licet paruus tamen vtiliſſimus eſt, quod inſinuauit dicens, in verbo tuo laxabo rete. ¶ Attende primò

Sine Chriſto laborare poſſumus, nõ autem proficere.

quantum mundus ſuos amicos diſcruciet & quot labores perpeti faciat. Per totam (inquit) noctẽ laborauimus: Sine Chriſto laborant, & nihil fructus *Iere. 16.* colligunt. Homo ſine Deo multum laborat, & nullam mercedẽ inuenit. Seruietis diis alienis (inquit Ieremias) qui non dabũt vobis requiem die ac nocte. Obſequẽs tuis affectibus, nimis laboras, & maxima tormenta pateris. Ficta Dalidæ delinimenta *Iud. 16.* fortiſſimum Samſonem interitũ adduxerũt: quemque Philiſtæi obcæcarunt, & in molam aſinariam conduxerunt. Tu igitur, qui mundo diligenter inſeruis, quique ſuas diuitias & oblectamenta quæris, intellige te alterum eſſe Samſonem qui ligatis oculis molam aſinariam circuis. In circuitu impij *Pſal. 11.* ambulant, ait Pſal. nam peccatores non vias rectas *Sap. 10.* ambulant, quas Sapiens dixit iuſtos perambulare. Homines nanque mundani anxio labore degentes vitam in circuitu ambulant in mundo ſicut porta in cardine ſuo neq; vnquam à termino & fine ſuo- *Prou. 29.* rum peccatorum exeunt. Inuertitur illis caput, & tanquam gens ſine ſenſu vanitatem quærũt, & falſa oblectamenta concupiſcunt, & in ſuis vanitatibus laborant. Ideò Sapiens in perſona iſtorum inquit. *Sap. 5.* Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus in vias difficiles. Attẽde obſecro quod tota nocte huius vitæ, mundi vanitatibus inſeruis, à quo nihil aliud retributionis niſi pœnitẽtiam & confuſionem accipies. Solet enim contingere vt adoleſcens captus amore mancipij, illud in vxorem ducat, qui etiam ſi ſe videat omnino perdi, nihil facit ſuam perditionem. Ita nimirum voluntas noſtra diuini amoris oblita, adeò huius mundi amores concupiſcit, vt ſe ancillam & captiuam aſſerat illius, omnibus laboribus ſe ſubijciẽs. Nouerat enim benè fortiſſimus Samſon Dalidam ad nihil aliud velle ſcire, vbi ſuarũ virium robur & vim haberet, niſi vt eum ad interitum duceret: nihilominus tamen adeò illius capiebatur amore, vt potiùs elegerit captiuum & mancipium fieri, quàm Dalidæ eſſe moleſtum. Miſer equidem in interitum *Iud. 16.* ductus fuit cùm crederet Dalidæ mendacibus verbis. Quid obſecro aliud emancipatum te mundi obſequio habet: niſi fides, quam ſuis mendaciis & fallaciis præſtitiſti? Priora illa oblectamẽta & illecebræ, quibus ſuis amoris principio te tractabat, in labores, quos nunc pateris adduxerunt. Nunquàm mundus nec momentum quietis tibi dabit: etiam ſi per totam vitã ei diligenter inſeruias. Nullus maior labor, quàm ſuis affectibus ſeruire. Poſtquàm verò teipſum nimis diſcruciaueris tota nocte, quòd inde excerpis? nihil. Per totam noctem laborantes nihil cepimus.

Mũdo ſeruire, eſt præmiũ perdere.

¶ Vnum hîc illud maximè notandum eſt, quòd omnes qui mundo inſeruiũt, & ſine Deo laborant, gratis & nulla accepta mercede ſe diſcruciant. Vt autem nec latum vnguem ab hiſtoria, de qua nunc agimus, diſcedamus: quam rogo mercedem Philiſtæi retribuerunt Samſoni pro omni accepto labore? nullam vtique. In qua quidem re tu, qui mundo inſeruis, & ſuis fallaciis fidem præſtas, id aduertere debes quòd etiam ſi pro mundo toto tuæ vitæ diſcurſu te mille laboribus diſcruciaueris, nullum inde reportabis præmium. Multis quidem annis, & magnis perpeſſis laboribus Iacob ſeruiuit Laban: à *Gen. 31.* quo decies fuit deceptus, & mercedem illi debitam negauit. Multi ſunt huiuſmodi homines, qui diligentiſſimè omni ſemota pigritia ſe mundi mãcipia exhibent, ſemper honoribus & diuitiis intenti: at mundus negat illis mercedem quam promiſit. Mũdi ſarcina põderoſa eſt, & anxius labor, à quo nulla vtilitas reportatur. Ideò Eſaias, Telas araneæ te- *Eſa. 59.* xuerunt. Extendit ſe aranea, & maxima cura & ſollicitudine telam texit: omnia autem facit, vt muſcas capiat. Ita ambitioſum videas vel auarum, qui animum, mentem & cogitationes nihil aliud applicat, quàm ad diuitias, honores & dignitates: at poſtquàm hæc omnia conſequutus eſt, tanta ſuæ animæ & conſcientiæ iactura, quid rogo habet miſer? Quid adquiſiuit niſi muſcas. Per totam noctem laborantes, nihil cœpimus. Muſca pręter id, quod vilis eſt & immunda, importuna eſt & moleſta: nam ſi ſemel & bis illam à te repellas, iterum atque iterum redibit. Solet enim auarus in lecto ſuo per noctis quietẽ iacere protinúſque & improuiſo ſubit cũ cogitatio quomodo cariùs vendet triticum: at ipſe ſecum pugnat, an vel poſſit quietè ſomniũ capere, ſed iterum importuna muſca, id eſt anxia cura & cogitatio eum pũgit, ne dormiat, ne quieſcat, ne (ſi libuerit noctis trãquillitate) Deo vacet. Idẽ exẽ-

plum

plũ poteris de hominibus cupidis, & de eis, qui illatas iniurias vindicare curãt: O miserum peccatorẽ, qui tãta cura & sollicitudine, tot laboribus, & vigiliis tanquã aranea telam texuisti, & honores, & diuitias cõsequutus es? Nunc autẽ quid habes nisi muscas? postquam maximã iacturã corporis & animæ fecisti? grãdes curas, & sollicitudines lucratus es, & plures cõscientiæ tuæ morsus: qui tanquã importunæ muscæ te semper inuadẽt. Grauis calamitas, & crudele tormẽtũ est, vt seipsum homo discruciet, vt curas & sollicitudines acquirat. Ideo Esaias in eodẽ capite subdidit, Opera eorũ inutilia: cogi-
Iob.8. tationes eorum, cogitationes inutiles. Iob etiã ait,
Exo.8. Sicut tela aranearum fiducia eius. Grandis plaga illa fuit Ægypti, quando dominus muscas immisit: & maior plaga quàm nunc patiũtur diuites, prælati, & magnates huius sæculi illa est, scilicet, maximę curæ, & importunæ cogitationes, quæ semper hos discruciãt. Et denique hoc vno verbo vt omnibus his dicẽdi finem imponamus: postquam hi miseri per totam noctem huius vitæ tam anxiè laborarũt quid habent? habent equidem pauperẽ sindonem, & angustam sepulturam. Si resurgerent nunc à sepulchris Cæsar, Pompeius, Alexander, & omnes principes mũdi, quorum memoria vẽturis sæculis & præsentibus protensis historiis celebratur, quid dicerent? dicerent vtique, per totam noctem laborantes nihil cœpimus. Cęci ambulauimus in tenebris ignorantiæ nostræ, quærentes gloriam huius mundi: quæ velut fumus pertransiit, & nihil illius
Psal.75. habemus. Nihil inuenerũt viri diuitiarum in manibus suis. Laborant miseri per totam noctem huius vitæ: at postquam mors aduenit, nihil illis prosunt
Gen.29. omnia acquisita. Nam venit mane & agnoscũt fallaciam Laban, & iuxta se Liam vident omnes, qui mundo inseruierunt. Quod igitur remedium mihi præbes? Vt Deo seruias, & quidquid laboris sumpseris, pro eo accipias: nam parum laborãs, amplissimam mercedẽ tibi donabit, cùm in nomine suo laxaueris rete. Laborat Petrus tota nocte absente Christo & in nomine mũdi retia mittit, & nihil piscatur: at cùm in nomine Christi retia tẽdit, ingentem copiam piscium capit. Quantò inutiles sunt & nullius valoris omnes labores, quos pro mũdo suscipimus, tantò magis gloriosi & vtiles sunt ij, quos pro Christo amplectimur. Multum pro mundo laborãtes nihil meremur: at parum pro Christo, maxima retributione sumus digni. Quod manifestè videbis: nam beatus Petrus tota nocte piscationi dedit operam, & multoties retia in mare iactauit, & nihil cœpit: quia in nomine Christi nõ illa mittit. At postquam semel in nomine Christi retia tendit, vide quid euangelista dicat. *Et cùm hoc fecissent, cõcluserunt piscium multitudinem copiosam.* Iam vides quomodo omnis labor noster inutilis sit, vbi Deus nobiscum non operatur: sed vbi Christus assistit, gloriosus est fructus. Quapropter cùm diuinæ literæ laborem nostrum reiiciunt, non intelligas eo fieri animo, vt oscitantes simus, & laborẽ dimittamus: sed vt discamus in labore nostro Deum non solum respicere, & illi plus fidamus, quàm nostris factis, eiq; præcipuè fructũ laborũ nostrorũ ascribamus. Corpore igitur labora, & animũ tuum ad Deũ diri-
Prou.3. ge, & tunc omnia fœliciter tibi contingent. Vt est
Psal.36. sapiẽtis dictum, In omnibus viis tuis cogita Deum, & ipse diriget gressus tuos. Et pater ipsius Dauid, Reuela domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet. Vide etiam quàm magnus sit & copiosus obedientiæ sanctæ fructus: nam cùm dominus præceperit Petro vt mitteret rete in mare, quàm fœlix fuerit retis iactus iam vides. Sed nos nihili habentes domini mãdata, ea transgredimur, & violamus. Obediamus igitur diuinis præceptis, vt Petrus fecit: quandoquidem tanti Deus sua præcepta habet, vt potiùs velit cœlum ruere, & vniuersam terram subuerti, quàm minimum mandatum de lege violari. Qua obsecro ratione quilibet nostrum facilè & velut nihil agens violat diuina præcepta? scriptũ est enim de sole & luna & aliis creaturis. Statuit ea in æternũ: præceptum posuit, & non præteribunt.
Vniuersæ creaturæ à Deo conditæ & ipse Christus *Psal.48.*
filius Dei diuinum præceptum timent violare, & solus miserrimus homo paruipendit illud. Verum vt clarius miraculum elucesceret ait euangelista. *Rumpebatur autem rete eorum.* Tanta erat multitudo piscium, vt cùm sustinere eos non posset, rumperetur. Hoc est aliqua parte rumpi cœpit: nec aliquis excidit piscis, quod etiã miraculum fuit. *Et annuerunt sociis qui erant in alia naui, vt adiuuarent eos.* Annuerunt capita inclinantes, quia miraculum admirati, non potuerunt loqui. Quo facto docemur neminem in ecclesia sibi sufficere, sed alterum alterius opera & ope indigere, vt sic inuicem nos auxiliantes humiliemur. Non potest dicere oculus manui, *1.Cor.12.*
opera tua non indigeo: nec caput pedibus, nõ estis mihi necessarij: sed quæ multo infirmiora membra esse vidẽtur, magis necessaria sunt. Et iterum Paulus, Alter alterius onera portate. Vtinam Christia- *Gal.6.*
ni reges alterius opem ferrent, vt vel sic Christiani nominis inimicos turcas subuerterent.

¶ Docet etiam Petrus episcopos, aut prælatos ecclesię, ne vocent in ministerium & opem scurras aut cognatos: sed viros theologos, sapientes, similes Iacobo, & Ioanni. Nam si singuli Hispaniæ episcopi, qui ditissimi sunt, vel duos doctores theologos ad se vocassent, qui mensæ suę semper accumberẽt: cũ quibus sua negotia cõsultarẽt, & à quibus semper consiliũ peterẽt: nec tanti essent theologi pauperes, nec ecclesiæ istorum tam malè gubernarentur. At non ad se vocant nisi cõsanguineos & pueros, nec à bonis adiuuari volunt, sed omne pondus episcopatus humeris suis imponunt, et grauiori & maiori lapsu in infernum cadant. Præterea laboremus omnes nos, vt à fratribus nostris adiuuemur. Citò nãque rete nostrum rumpitur, si fratrum subsidium contemnitur. Vnde minores non sunt contemnendi cùm possint iuuare maiores. In Act. enim *Act.12.*
apostolicis legitur, quòd cũ Petrus detineretur in carcere Herodis, oratio fiebat sine intermissione ab ecclesia pro eo. Ideò in Prou. Salomõ ait, Frater qui *Prou.18.*
adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. *Et venerunt & impleuerũt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.* Qui locus non aliud videtur docere, nisi vt adiuuemus fratres nostros, cùm prosperi & alacres sunt, eis congratulantes, & simul congaudentes. Sic isti adiuuabant Petrum cum tanta multitudine piscium gaudentem & stupentem. Sic vicini montanæ Iudææ & cognati Elisabeth congratulabantur ei in
partu præcursoris domini. Sic Paulus Cori. suis ait, *Luc.1.* *2.Cor.1.*
Adiutores sumus gaudij vestri. In tempore autẽ tribulationes & angustię ibi magis est opus, vt proximũ adiuuemus. Rũpebatur rete, & adiuuabãt omnes. Tu autẽ q̃ diues es, & vides palliũ vicini tui pauperis rũpi, quare aliud nõ tribuis, nec illi subuenis?

Nemo ferè est qui pauperem adiuuet, nemo qui faueat illi: nemo qui iaceti manum porrigat. Pereunt pauperes cum tanta indigentia, nec vllus est qui illorum recordetur. Si diuites veri essent proximi, & Christi legis amatores, vel solo nutu proximorum necessitaté intelligerét: & velut Ioánes, & Iacobus qui solis signis intellexerunt beatum Petrum, proximorum necessitatibus subuenirent. At prôh dolor, non solùm nutu nó exaudiuntur: sed etiam clamantes alta voce contemnuntur. *Quòd cùm videret Simon Petrus procidit ad genua Iesu dicens, Exi à me domine: quia homo peccator sum.* Ex humilitate hoc fecit: ná
Matt 8.
Humilitas Petri.
videns Petrus tam ingens miraculum, virum sanctissimum Christum iudicauit, existimans nec sua præsentia dignú esse, sicut Centurio, qui dixit, Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meú. Et Abigail cùm nuncios misit ad eam Dauid volens illam in vxorem accipere, dixit, Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei.
1. Reg. 25.
Matt. 7.
Indignum igitur seipsum Petrus iudicauit Christi præsentia. Non sic Genezareni, rogauerunt Christum, vt discederet propter porcos quos amiserant. Cognouit Petrus Christum, & ideò lumine diuino illustratus seipsum agnoscit & humiliat. Aspectus regum terræ & eorum præsentia homines reddit superbos: at Dei visus & intuitus, humiles. Vidit
Esa 6.
Genes. 8.
Genes. 24.
Esa. dominum, & statim seipsum exinaniuit. Abraham etiam coram Deo seipsum humiliás dixit, Loquar ad dominum meum cùm sim puluis & cinis. Sic Rebecca viso Isaac descendit è camelo. Sic anima Christiana vidés Christum sponsum suum humilem, & vidés Dei gloriam & maiestatem descendit de camelo superbiæ & humiliatur. Sic sanctissimus Iob domino inquit, Oculus meus vidit te: idcirco ego me reprehendo, & pœnitentiam ago in cinere & fauilla. Sic in Ezec. legitur quòd statim vt
Iob. 43.
Ezec. 1.
fiebat vox super firmamentum, submittebant animalia alas suas. Consideratio enim operum Dei tria efficit in homine. Primò quendam defectum intellectus, vt nesciat homo quid loqui debeat, & hoc significatur, cum dicitur, exi à me. ¶ Secundò notitiam generat defectum propriorum, atque ideò ait, homo peccator sum. Ex tui cótemplatione & consideratione domine Iesu, qui sanctus es in omnibus operibus tuis, iudico me peccatorem. Ex applicatione perpendiculi cognoscit artifex operis bonitatem vel malitiam. Sic opera nostra, cum Dei operibus & cum regula suorum mandatorum librata pannus sunt menstruatæ. ¶ Tertiò Dei consideratio timorem quendam sanctum iniicit: nam sicut cætera animalia leonem verentur, & ad eius rugitus pedes sistunt: sic consideratio diuinorum operum secum affert timoré. Nullus est tá potens, tá fortis tá robustus, quem Dei potentia atque virtus nó timere faciat. Ideò ait Petrus, Domine, quod est nomen timoris. Vnde ipsemet dominus per Malac. ait, Si ego dominus, vbi est timor meus? ¶ Aduerte autem hoc interesse inter bonos & malos, quod mali in malis Deum agnoscunt, boni autem in bonis & in malis. Illi cùm mala, afflictiones, & calamitates in eos mittit: isti autem cùm multa dona & beneficia illis contulit. Deus in domibus eius cognoscetur, cùm susceperit eam, scilicet Sion. De reprobis verò ait, Erubescant & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur & pereant. Et cognoscant, quoniam nomen tibi dominus: tu solus altissimus in omnem terram. Si cùm in Exodo dominus mala

Cõtemplatio Dei quid efficiat in homine.
Esai. 64.
Mala. 1.
Psal. 47.
Psal. 82.
Exod. 14.

comminaretur Ægyptiis inquit, Et scient Ægyptij: quoniam ego dominus.

¶ Obserua etiam quòd Dei serui quátò Deo sunt propinquiores, tantò humiliores sunt. Moses magnus princeps & multitudinis gentium imperator adorauit Ietro, æthiopem Madian. Deus nanque cùm semper suos doceat humilitatem, conuersantes cum eo humilitaté discunt. Præterea si impius es, time iuxta te pios habere: nam mali coram Deo tunc manifestiùs apparét. Vnde vidua illa dixit Heliæ, Ingressus es ad me, vt rememoraretur iniquitates me. Sic Ægyptij eiiciebant à se Hebræos dicentes, Omnes moriemur. Quo facto, diuini verbi prędicatores discant, si viderint suis concionibus aliquos conuerti vt non extollátur: nam eorum perpolitus sermo, nec verborum ornatus id nó operatur: sed gratia Dei. Sed vt Petrus fecit, ad Christi pedes se conuertant, videntes multitudiné animarum reti prædicationis capi, & in hæc protumpant verba diuini amoris ardore accensi, Nó nobis domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Omnia Deo tribuenda sunt, & ad pedes Christi adducenda dans illi gratias teipsum peccatoré & mendicú confitendo, qui te organum diuinæ veritatis & sui verbi fecerit. Quamuis fœliciter tibi succedat opus prædicationis, tamé omnis laus & gloria vni Christo tribuenda est, cuius auspiciis lingua diserta fit ad loquédum: cuius spiritus diuinam vim dicentis pectori iniicit, cuius occulta vis mentes audiétium allicit, vt diuini verbi obseruatores se præbeant. Sic viginti quatuor seniores proiiciebant coronas suas ante pedes agni. Postremò feruoré & sanctitatem beati Petri considera, quia solus ipse procidit ad pedes Iesu: cùm etiam Iacobus & Ioannes & multi alij viderint miraculum. In horto quádo omnis malignorum cohors aduersus Christum irruit, solus ipse gladium accepit, & percussit seruú pontificis. Et in mare Tiberiadis solus seipsum iactauit, vt Christum videret. Ex quibus omnibus manifestè colligitur quàm feruentissimo amore, & quàm mirabili charitate Christum prosequebatur. *Stupor enim circumdederat eú, & omnes qui cum illo erant in captura piscium, quam ceperant.* Reddit rationem euangelista cur Petrus se proiecerit ad pedes Iesu: quia stupefactus fuit tanto atque tá magno miraculo, vnde stupor & timor reuerentiæ eum circundederat. Timédi sunt sancti Dei & honorádi. Sic in Exo. dicitur quod Aaró & filij Israel vidétes splendorem faciei Mosi, timuerunt propè accedere. Saul etiam cœpit timere Dauid, videns quòd prudens esset nimis. Sic Herodes timebat Ioannem, *Similiter etiam Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis.* Dum piscarentur timor & stupor eos circuibat, qui fieri posset in eodé loco tot capere pisces, vbi paulò antea nec ranúculam capere potuerant. Quod factum nó aliter visum est beato Petro, atque si Christus de nouo hos pisces creasset. *Et ait ad Simonem Iesus.* Quia solus Simon Petrus humiliatus est, solum Christus consolatur, & plus omnibus illum honorat Christus. *Noli timere.* Nó excludit timorem reuerentiæ (cum initium sapientiæ sit timor domini) sed pusillanimitatem & diffidétiam. Sic Abrahæ dixit, Noli timere Abraham, ego protector tuus sum: & merces tua magna nimis. *Ex hoc iam homines eris capiens.* Metaphora est: nam sicut pisces capiuntur hamo, & extrahuntur de mari: sic prædicatores verbi Dei educunt homines de amaritudi

Exod. 18.
3. Reg. 17.
Exod. 18.
Psal. 113.
Apoc. 4.
Matt. 26.
Ioan. 21.
Exod. 34.
1. Reg. 18.
Matt. 6.
Eccle. 1.
Gen. 14.
Piscatores hominu(m) q. sint.

ritudinibus iniquitatum huius sæculi, quod vocatur mare propter multitudinem fluctuum, & propter pericula multa, quæ omnia satis abundant in
Matt.13. hoc misero sæculo. Et in Matth. dominus homines assimilat piscibus dicens, Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare: & ex omni genere pis-
Ierem.16. cium, &c. Et Iere. Mittam in vos piscatores meos, & piscabunt vos. Quod maximè conuenit pisca-
Collatio piscationis spiritualis cum externa. toribus propter conditionem piscandi. Quia sicut piscator quando rete mittit in mare, nescit quem capturus sit piscem: nisi quem sors illi subiecerit: sic prædicator diuini verbi, nescit cui profecturus sit concione sua, sed illum capit quem Deus tenere vult. Verùm hæc piscatio quanuis spirituali valdè similis sit, tamen in duobus cum illa non conuenit. Nam in temporali piscatione minores pisces solent esse impedimento quominus maiores capiantur: nam si in mare magnus hamus cum esca iactetur, minimus piscis escam comedit, quo fit vt hamus appareat, & fugiāt maiores pisces. Sed in piscatione spirituali multo aliter contingit: nam pisces magni, paruos impediunt, quominus capiantur. Nam prælati, magnates, & diuites, impedimento sunt aliis hominibus ne conuertantur: præbentes illis suis deprauatis moribus & pessima vita peccādi exemplum. Secundò, pisces capiuntur ad mortem, & homines in bello ad seruitutem: sed in hac spirituali piscatione homines ad vitam & libertatem capiuntur. In mari pisces qui hamo vel retibus capiūtur, pereūt: rel qui autem viui manent. In hac autē piscatione cōtrario modo res se habet: nā qui capiuntur à prædicatore hamo prædicationis viuunt, reliqui autem intereunt. Obserua autem, quod in eo quod dicit, eris homines capiens, docet prædicatores, vt concionibus suis non quærant aurum, nec argentum, nō diuitias, honores, aut dignitates, nec hominum laudes: sed solùm animas. Sic faciebat il-
2.Cor.12. le egregius gentium prædicator, cùm dixit Corin. Ego non quæro quæ vestra sunt, sed vos.
Prærogatiua Petri & primatus. ¶ Obseruandum præterea quòd cùm ambæ nauiculæ piscibus implerentur, vt penè demergerentur, soli Petro dicitur, ex hoc eris homines capiens: cùm cæteri etiam essent piscatores, nam aderant ibi Ioannes & Iacobus: vt ostendat hunc fore principem & vicarium ecclesiæ. Eodem modo cū exige-
Matt.17. retur tributum, Christus dixit Petro, Vade ad mare: & mitte hamum & eum piscem qui primus ascenderit, tolle & aperto ore eius inuenies staterem, illum sume, & da eis pro me, & te. Petrum Christus tāquam post illum futurū vicarium nominat, nul-
Matt.14. la reliquorum facta mentione. Denique alij apostoli schapha ad Christum venerunt, sed Petrus super aquas maris ambulans ad Christū venit: quod quidem cùm vniuersale sit & omnē terrā ambiat, significat vniuersale ecclesiæ primatum, cæteri verò particulariū ecclesiarū præsides fuerūt. Triplici autē ratione ecclesiæ principatus Petro collatus fuit. Primò ratione humilitatis, digni enim sunt humiles vt aliis præsint q̃ officiū prælati humiliter exer-
1.Reg.15. cent: Vnde Sauli ex parte Dei dicitur, Nónne cùm paruulus eras in oculis tuis, caput in filiis Israel factus es? Secūdò, ratione cōfessionis cōstantis fidei,
Matt.16. Nam statim vt dixit, tu es Christus filius Dei viui, respondit Christus, Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Acsi diceret, Eò quòd tu me filium Dei es confessus, atque perinde primam petram & fundamentum huius ædificij quod fabricare intēdo: ego te Petrum, id est, secundam petram instituo: qui vices meas possis in terris gerere. Atque hoc (& non sine magno mysterio) significat illa verborum allusio, tu es Christus, tu es Petrus. Vbi vides quòd id quod natura Christo cōpetit, id Petro per gratiam tribuitur. Quapropter dum ait, tu es Petrus & super hanc petram, &c. demonstratio pronominis non refertur ad confessionem Petri, sed refertur ad ipsum Petrum. Acsi dixisset, Tu es petra, & super hanc petram, &c. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam, scilicet ecclesiam, super te fundatam. Et sicut ego habeo cla- *Esa.22.*
uem Dauid, qui occlusos cœlos aperturus modo sum, eorundem cœlorum ego tibi claues credam, vt quidquid tu solueris, meam gerens authoritatē, sit in terra solutum & in cœlo, & quidquid ligaueris, sit ligatum. Tertiò, ecclesiæ principatus Petro collatus est ratione feruentis in Christum dilectionis. Nam cùm Christus interrogasset Petrum dili- *Ioan.21.*
gis me plus his: tradidit ei ecclesiæ primatum, constituit eum principem domus suæ, sicut prædixe-
rat rex Dauid. Nam quod nunc promittit Christus *Psal.105.*
Petro, post resurrectionem suam adimpleuit, cùm dixit, Pasce oues meas. ¶ Tertiò, Aduertendū quàm dulciter & suauiter dominus suos dilectos in cœlum ducit: nam reges Magos qui rectè calluerant *Matth.2.*
scientiam astrologiæ, stella duce ad præsepe Christi pueri adduxit: & beatum Petrum, qui piscationem multis diebus exercuerat, allicit eum dicens, Ex hoc eris homines capiens: Acsi diceret, Nolo vt artem tuam deseras, imò eandem illustriorem reddā, nam si piscatores: aliud nobilius piscium genus tibi ostendā, quo possis artem tuā exercere. Ita etiam *Matt.10.*
non dicit discipulis vt omnino nolint timere: sed q̃ *Luc.12.*
non timeant homines sed eum qui postquam occiderit corpus, potest animam in gehennam mittere. Non tollit itaq; Deus affectus animæ, sed obiectū & causam mutat. Sicut in hoc loco non præcepit Petro, vt à piscatione desisteret, sed aliam piscationē nobiliorem ostendit & munus & officium illustrat. Sic cum voluit Deus populū ab Ægypto vocare, sciēs illum rudem atque carnalem, nimiisq; cibo potuique deditū (quod ostenditur cum statim egressi recordati sunt, quando sedebant super ollas carnis in Ægypto, & comedebant panem in satu- *Exod.16.*
ritate) sic eis dominus loquitur per Mosen, Dominus Deus patrum nostrorum, Deus Abrahā, Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos vt, &c. ad ter- *Exo.3.*
ram fluentem lacte & melle. Vides quomodo affectum nō tollit vi, sed materiam in meliorem mutat. Sic tu qui lasciuo & libidinoso amori deditus es, non cito amorem reiicias, sed illum in spiritualem muta. Sic Paulus Tim. ait, Præcipe diuitibus huius *1.Tim.6.*
sæculi, nō sperare in incerto diuitiarum sed in Deo viuo, &c. Vide sancti apostoli prudentiam. Non ab eis tollit spem: sed inquit, ne sperēt in incerto diuitiarum, sed quod spem suam in Deum collocent quæ certa est. Sic dominus iuueni dixit, Vēde quæ *Matt.19.*
habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo. Sic dominus cum Petro nō aliter quàm cum filiis Israel facit: qui cum illis alios cibos dulciores & meliores dedisset, huic munus aliud excellentius tribuit, & pisces maris in homines transfert. ¶ Expende quartò quòd ne homines putarēt se in vanū laborare in cultu veri Dei ostēdit se largum & liberalē suis seruis & ministris. Nouit enim pius ac misericors pater, nos nō aliter suo obsequio velle va-

care nisi præmio & mercede ob oculos posito. Ideo Petro promittit hominum piscationem: & in toto instrumento præmiis nos allicit, vt eum sequamur, Sic Abrahæ dixit, Ego merces tua magna nimis. Et *Gen.15.* alibi, Ego Deus liberalis, fortis, & beneficus. Docet *Gen.17.* hîc mundi Saluator qualiter homines alliciendi sint, non minis & terroribus: sed muneribus & promissionibus. Obserua etiam hominum diffidentiã, quia pauci volunt Deo seruire: nisi mercede & retributione ob oculos positis. Vide etiam quanto cum fœnore dominus rependit, si pro eo aliquid in discrimen exposueris. Deposuerunt isti retia, & dedit cœlum: deposuerunt pisces, & dedit homines. Sic Abraham filium suum mortis periculo exposuit & eum non amisit: & auxit dominus pro eo semen eius sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est *Genes.22.* in littore maris. Dixit illi dominus, Quia fecisti hãc rem & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi: & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. Vbi manifestè vides quomodo pro Deo perdere sit lucrum. *Propter Dei amorẽ aliqd perdere maximũ lucrũ est.* Quid perdidit Abraham? Exposuit filium periculo: sed illum perdidit, imo plura bona pro illo facto consequutus est. Perdidit Petrus pisces & retia: sed pro his cœlum lucratus est & hominum piscator est factus. Sic tu non existimes amitti eleemosynam quam pauperi tribuis, quia multo vberiorem & ampliorem mercedem accipies. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post *Eccle.11.* multa tempora inuenies. ¶Deniq;, vt finem dicendi faciam, attende ex hac historia quos elegerit dominus ad negotia sua. Nempe vt qui indocti vidẽtur, docti fiant vt sciant homines opera, ad quæ assumuntur non esse sua sed Dei. Qu s non mirabitur Deum, qui Mosen mittit hominem balbum, vt munus oratoris exerceat corã rege Pharaone: & quòd pastorem ouium constituat in ducem populi sui? *Exod.3.* Cogitaui sæpiùs quare Deus pastores in reges & piscatores in principes ecclesiæ commutauit? *Quare Deus pastores in reges & piscatores in principes ecclesiæ elegit.* Pondera attentè quæso singulas hominum artes & officia, & videbis nullum esse artis genus his duobus laboriosius, aut vbi maior curã & diligentia requiratur, nam pastores & piscatores in maximo semper versantur periculo. Pastor enim ferè semper oculis suis nullam dat quietem, semper vigilat, vix in toto mense mundam subuculam induit. Sic piscatores semper nudi, in vigiliis & laboribus ambulãt. Vt igitur principes, reges & pastores, scirent se non ad requiem, non ad voluptates, sed ad labores & vigilias esse assumptos: hos inter cæteros eligere cu- *Act.1.* rauit, vt Mosem, Dauidem, Petrum atque Andreã, Iacobum & Ioannem. Quid autem Petrus & cæteri fecerint, postquam Christus hæc dixit Petro audi, *Et subductis ad terram nauibus relictis omnibus sequuti sunt eum.* Mirabile quidem est, vt continuò omnia relinquerint nulla facta mora. Vnde serui Dei similes sunt angelis qui citissimi sunt. Qua de causa spiritus sanctus venit in similitudinem venti, & similitudinem ignis, & linguæ, quibus omnibus nihil *Luc.7.* est mobiliùs, velociùs, & faciliùs. Vbi enim spiritus venit, facile mouet, & continuò facit cuncta relin- *Psal.17.* quere. Quod eleganter dicit Dauid in Christi persona, Populus quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. Quasi dicat, Statim vt audiunt, obediunt. Magdalena statim vt audiuit, ad Christum venit, lachrymas fundens. Obserua quòd in hac vocatione sanctorum apostolorum habuit se Christus, vt mare cum conchis, quæ in littore remanent in ipsius maris recessu, quę radiis solis ipsas influentibus aperiuntur, & statim cõcrescit humor crystallinus & generantur Margaritæ. Sic isti discipuli tanquam clausæ cõchæ erãt in mari, simplices & ignorãtes, qui nec prima rudimẽta didicerãt: & cũ ita essent clausi, sol iustitiæ Christus redemptor noster in eos tanta vi suos radios immisit, vt aperiret eis mẽtes vt illũ cognoscerẽt, & volũtates, vt illũ amarẽt. Cúmq; ita essent aperti vt cõchæ, in animas eorum reuerberauit: & fidem infusam dedit, & multa alia dona & beneficia: ita vt preciosissimi lapides, & Margaritę, maximi valoris effecti manerẽt, & tales, vt in sacro collegio apostolorũ primas obtinuerint sedes. Cũ verò ait, relictis retibus, prædicatores admonet, vt relictis negotiis sæcularibus, se totos diuini verbi prædicationi tradãt. ¶Expende *Apostoli ter à Christo vocati.* autẽ, quòd hæc mundi renũciatio apostolorum nõ fuit perfecta, nã non reliquerunt, quæ possidebant, iterũ ad ea nõ redituri: quia Christo nõ adhęserunt modo nisi per aliquod tempus, quia postea reuersi sunt ad naues. Atq; ideò ait quòd subduxerunt eas. Nã illa vocatio, de qua loquitur Matt. in c.4. alia ab ista fuit, quia hîc nõ dicit, vt eum sequantur, ibi aũtem inquit, sequimini me. Et etiam non simul omnes vocauit, sed priùs Petrum, & Andreã, & procedens inde vocauit Iacobum & Ioannem. Quapropter aduerte, ꝙ isti apostoliter vocati sunt a Christo. Prior vocatio fuit ad solã Christi cognitionẽ, & *Ioan.1.* hãc scribit Ioannes cũ Andreas vocauit Petrum, & Philippus Nathanaëlem. Secũda vocatio fuit ad renunciationẽ sæculi, sed non perfecta: & hæc est quã nũc describit Lucas, cũ ait, quòd relictis omnibus sequuti sunt Christũ. Tertia vocatio fuit perfecta, cum apostoli omnino reliquerũt omnia, & Christo adhæserũt per totã vitã, nunquã ad ea redituri quæ reliquerant. Hanc vocationem tradit Matt. & solet *Matt.4.* hæc tertia vocatio cani in festo Andreæ apostoli in sancta ecclesia. Non ergo leuitatis sunt arguendi apostoli in sequẽdo Christum: quia iã illum cognouerant, & loquuti fuerant, & miracula viderant, & prædicantem audierant, & post hæc omnia eũ sunt sequuti. *Et factum est cùm esset in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Iesum, & procidens in faciem suã rogauit eum dicens.* Non seruat Lucas ordinem historiæ: quia hęc curatio leprosi fuit statim post sermonem domini habitum in monte, vt Matth. enarrat. Nã videns Iesus turbas ascẽdit in montẽ: & ibi turbis prædicauit. Beati pauperes spiritu, &c. Cúmque sermoni finem imponeret, descendit de monte & abiit in Capharnaum & in montis descensu antequã ingrederetur Capharnaũ fuit illi obuiã hic leprosus, & in itinere curauit eũ. Quapropter cum audis hîc Lucam dicentem, quòd erat Christus in vna ciuitatum, intellige Capharnaum, & tamen nondum ingressus erat Capharnaum, sed in itinere propè Capharnaum, quia leprosi ex domini præcepto non poterant esse intra ciuitates, sed extra muros. ¶ Ad mores autem componendos hinc discamus, quantum Deus detestetur peccatum & peccatorum immunditias, quas homo inuitus patitur, vt est lepra. Admonentur etiam rectores *Num.5.* ciuitatum, vt homines pestiferis morbis contactos expellant à ciuitatibus, & meretrices, quæ in mediis ciuitatibus domicilia habent, ne suis malis exemplis & deprauatis moribus alios coinquinent. Secundò, expende Christi Saluatoris nostri beniguitatem, qui postquam in monte turbas docuit,

docuit, núc descendit vt leprosum curet: cæterisq; medeatur infirmis. Ab altitudine montis, & in sublimitate sermonis, descédit múdi Saluator: vt egenos curet, atque illis subueniat. Vnde regius vates Psalm. 112 in Psalmo ait, Quis sicut dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Ex altera parte miratur Dauid magnitudiné & excellentiam Dei, ex altera parte prouidentiam & curam, quam etiam de rebus infimis habet. Formicam adiuuat dominus, vt ver suum cópleat, & perficiat. Sic postquam perfectis loquutus est in monte, nunc ad leprosos & infirmos descendit. Tertiò, huius leprosi humilitatem & reuerentiá, quam erga Christum habuit, considera, quia procidit in faciem suam & adorauit. Flectere genua, nudare caput, inclinare corpus, & aliæ cultus diuini ceremoniæ nó displicent Christo: imo eas approbat. Quare isti impij neochristiani hæc contemnunt?

Eccle 5. ¶ Denique perpende quod nó expectauit, vt Christus veniret ad locum vbi ipse erat, vel alio diuerteret, sed statim in itinere obuiam illi fuit, & salutem petiit: ne posteà forsitan si moram faceret, eum nó inueniret. Docemur, ne Christum transire permittamus, sed statim, vt ad domum animæ nostræ peruenerit, illum detineamus, & inuocemus: ipsius auxilium implorantes. Hester. 25. Vnde in Ecclesiastico dicitur. Non tardes conuerti ad dominum & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tépore vindictæ disperdet te. Sed quid ad Christi pedes orat leprosus? *Domine si vis potes me mundare.* Eius maiestatem cófessus est, dicens, Domine in ditione tua cúcta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere voluntati: Vide Amb. lib. 5. ca. 1. quoniam dominus vniuersorum tu es. Suam etiam potentiam fatetur dicens. Si vis, potes. Ac si diceret. De potestate non dubito: sed de voluntate. Non quia tuum non sit semper misereri: sed quia ego non sum dignus tua misericordia. Non dicit, si Deum obsecraueris, curabis me: sed si vis. Nemo est qui volútati tuæ possit resistere. Ideo Psalm. 29. Dauid, Vita in voluntate eius. Et Paulus Romanis ait, Volútati eius quis resistet? Et Salomon. Subest Roman 19. tibi cum volueris posse. Et iterum. Vitæ & mortis Sapient. 12. habet imperium. Non est in medicorum potesta- Sapient. 16. te pristinam valetudinem quando volunt infirmo restituere: tu autem si volueris mundare poteris: ná subest tibi cùm volueris posse. Ex quibus aliquib[9] visum est, huius leprosi fidem maiorem fuisse quàm Centurionis, qui Centurio credidit Christum posse curare solo verbo, isti auté sola voluntate, quod maius est. Centurio quasi cum termino verbi petiit Matth. 8. curationé serui sui, iste totum domino commisit: táquá sapientissimo mundi gubernatori qui rectè sciebat, quid cuique expediret. Merces & retributio spiritualis quam dedit medico spirituali fuit oratio fide plena. Priùs tamé quàm sanet, mercedem hanc postulat. Totum diuinæ dispositioni se ipsum commisit. Domine si vis. Quis enim potest facere Iob 14. mundum, de immundo conceptum semine? Nónne tu qui solus es? Non audebat dominum pro sanitate rogare. Eodem modo Magdalena & Martha fecerunt, mittentes nuncium ad Christum, & dicétes, Ecce quem amas, infirmatur. Non rogant vt sa- Ioan. 11. net, sed ægrum demonstrant, vt ipse faciat quod vo Hester. 15. luerit. Sic & Mardochæus. Si decreueris saluare nos cótinuò liberabimur. Sic & Christus postquá in oratione infirmitaté naturæ humanæ ostendit, subiungit quid esset in oratione præcipuú, & quod omnino ipse volebat. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. ¶ Domine (inquit) si vis. Si vis ait? Vtiná sic tu noluisses, sicut ille vult. Si tu vis, volet etiá ipse: nam de ipso scriptum est, Vult omnes ho- Matth. 26. mines saluos fieri. Non dubites nisi quòd quátum 1. Timo. 2. est in se, ipse vult, cupit, & ardenter expetit tuam salutem: quod autem superest, est vt tu velis. O vtiná homo vellet cum Deo se componere, ô quàm magna & mirabilia inciperet, & perficeret. Si nos bonum nostrum: desideraremus, vt ipse Deus: multò meliores essemus, quàm modo sumus, Deus vult bonum nostrum salutem nostram, ipse rogat: ipse ad postes pulsat: ipse paternis visceribus ad conuiuium æternæ gloriæ nos inuitat, Nos verò, qui dura sumus ceruice, & incircuncisi cordibus Spiritui sancto resistimus. Nos sumus qui nolumus. Vt auté scias quàm prompta sit domini voluntas, vt velit Act. 7. nostrá salutem, & quàm próptus sit, vt nobis subueniat: non moras fecit, nec salutem distulit de die in diem, sed statim adiuuauit, atque ideò subditur.

Et extendens manum tetigit eum dicens, Volo. Mundare. Vide Amb. lib. 5. in Luc. ca. 1. Poterat sola voluntate, aut verbo curare, sed eum tetigit. Primò, vt sciamus omnem salutem nostram ad nos venire per assumptam humanitatem: quia humanitatem assumpsit, per eam operatus est & in operando modo humano se habuit. Fuit enim cótactus manus suæ virtute plenus. Sic infrà ait Lucas, Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes. Et Matthæus, Quotquot tágebát eum sanabantur à quacunque infirmitate. Sic mulier illa, quæ sanguinis fluxum patiebatur, statim vt tetigit fimbriam vestimenti eius sanata est. Secundò, tetigit eum, vt fiduciam no- Luca. 6. bis daret accedendi ad eum, & omnem occasionem Math. 6. trepidatio tolleret. Nemo sit qui timeat, omnes ac- Matthæ. 9. cedant ad ipsum. Non horret Christus nostram lepram, & putredinem, sed excellentiori modo, quàm pater miseretur filiorum, nobis succurrit: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. ¶ Tertiò tetigit vt doceret nullum proximum tædio aut fastidio nobis esse debere, quàm grauibus infirmitati- Psalm. 102. bus & peccatis sit coinquinatus: sed benigne proximum esse tractandum, & Christiana charitate & pietate cum illo agendum. Magna quidem & admirãda fuit hæc benignitas Christi Saluatoris nostri. Si pharisæus aliquis esset, protinùs oculos & facié à leproso diuertisset: & vociferans statim præciperet hanc abominationem de medio tolli, & leprosum foras trudi. Propriam iustitiam nimis diligebant, & mirúmmodum sibi ipsis placebant. Christus benignè suscipit & manu tangit, in quo indicat paratam auxiliandi voluntatem. ¶ Porrò Christus tangendo leprosum omnibus dictum voluit, se verbo suo & spiritu omnes animorum morbos posse curare & propellere. Docuit etiam per hoc discipulos suos nósque omnes, coram quibuscunque hominibus rusticum pudorem esse deponendum, licet grauiter & turpiter peccauerimus: modo facti nos pœniteat, & veniam imploremus. Quasi Christus dicere voluerit discipulis suis, Videtis me tangere leprosum, quem vnico verbo sanare possem? Sed vestra id causa facio, vt vos discatis 2. Cor. 8. quid vobis faciendum sit. O illustre exemplum & omni laude dignissimum: Etenim si Christus, qui solus diues erat, propter nos factus est egenus, séque miseriæ & inopiæ nostræ consortem fecit, ità, vt nec infirmi & abiectissimi hominis eum

pauderit, nec à se abegerit: quantò cum maiori ratione nos pauperum infirmorum, egenorúmque hominum nihil fastidij nobis est suscipiendum, qui sumus ipsi miseri, egeni, & infirmi, quippe in multis peragendis rebus aliorum hominũ auxilio indigemus? Si Christus, qui solus à peccatorum lepra mundus erat non horruit infirmum tangere: quantò magis ipsius discipuli facere id deberent, quos ipse Christus à peccatorum lepra mundos reddidit: imo eos, qui peccatis adhuc obnoxij sunt, aut in peccata quotidie prolabi possunt, docet non alios homines morbo spirituali laborantes despicere, desereréue: sed omnem adhibere operam vt in sanitatem restituantur. ¶ Obseruandum deniq; est, quòd quanuis dominus præceperit in lege, ne quis tangeret leprosum, hoc fuit ne contaminaretur. Si quis autem tãgeret mortuum aut leprosum, & non solum nõ contaminaretur, sed illum curaret non esset legis violator: quia cessabat in tali casu ratio legis. Christus non solùm quia Deus erat, nõ subdebatur legi, verum quanuis Deus nõ esset, sed purus homo, cum tã sanctus esset non modo non à lepra contaminaretur, nedum faceret contra legem tangendo illos, siquidem suo tactu illos sanabat. Nam præceptum tantum obligabat eos, qui maculabantur. Similiter etiam erat prohibitum nequis tãgeret mortuum: & nihilominus Helias & Heliseus super mortuos incubuerunt, & non fecerunt cõtra legem. Magis enim attendendũ est ad rationẽ legis, quàm ad verba legis. Intentio enim legislatoris est lex viua. Causa autem propter quã prohibebatur tactus leprosi erat, ne inficeretur sanus. Dominus autem non poterat maculari, sed tactu suo fugabat sordes & leprã: ideo potuit tangere, & tangendo non fecit contra legẽ neque illã soluit. Cum autem tetigisset eum, dixit illi hæc duo verba, *Volo: Mũdare.* Dixerat leprosus, domine si vis: ad quẽ Christus respondit, volo. Dixerat prætereà, potes me mũdare: ad quod per verbũ imperatiui respõdit Christus. Mũdare. Sic cùm Thomas dixit, Nisi videro in manibus eius fixurã clauorum, &c. Dominus autẽ cum ei apparuit hæc omnia ostẽdit, & aspectum, & digitorum intromissionem, & manus, fidei mẽtionem fecit dicens, Infer digitũ tuum & vide manus meas, &c. Sic nũc fecit cum leproso isto. In quo nobis documentum dedit, vt in responsis dandis circunspectè & accuratè agamus. Volo itaque (ait) mundare. Voluntas Dei fuit mundare illum. Vnde Ezechiel, Nunquid voluntas mea est mors impij: dicit dominus? Ac si dicat, Non vtique sed vita eius. Quocirca quilibet Christianus hoc verbum infixum semper cordi suo habere debet, eiúsque meminisse q̃ Christus dicit, Volo, Mundare. Si aliqua afflictio, angustia, aut peccatorũ pondus, te angit, & in desperationem præcipitẽ agere conatur: hoc Christi verbum firmiter apprehende, eique firmiter inhære, & eripiet te. Etenim cuiusuis hominis cõscientiæ afflictæ iucundius quidpiam esse nõ potest aut alacriùs quàm hoc verbũ qđ Christus dicit volo Mundare. Huc pertinent & alia multa scripturæ diuinæ loca, vt sunt illa verba Ezechiëlis, Nolo mortem peccatoris. Et Hieremias, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Et illud Pauli, Deus vult omnes homines saluos fieri. Et illud Christi, Omne quod venit ad me, non eiiciam foras: Hæc est voluntas patris mei. ¶ Secundò verbũ hoc, solari, & animum præbere potest aduersus temporales afflictiones: nã idẽ est atque id quòd in psalmis dicit dominus. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te. Et rursus, Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eũ. Tertiò, hoc verbo quilibet Christianus animũ suũ munire confirmareq; potest in tempore persequutionis & omniũ aduersitatũ. Hic nãque dicit Christus volo, id est; me ità volente in hunc morbum incidisti. Sic etiã Dauid ait, dominũ aliquando irasci: & tamen nihil aliud vult, quàm vitam esse in voluntate eius. Id autẽ solum ob nostrã vtilitatẽ facit: nimirum ne nobis ipsis, sed Deo eiusque gratiæ fidamus. Ideoq; Paulus ait, Vt reformemur in nouitate sensus nostri & probemus quæ sit voluntas Dei bona. Nã cum nos affligit nihil aliud quærit, quàm vtilitatem & salutẽ nostram. Hoc etiam canit aptè Dauid, Bonũ mihi, quia humiliasti me. Ex his igitur perspicuũ est quãtũ solatij hoc vnicum Christi verbum, volo, secum afferat: per hoc enim nobis spõdet se semper subuẽturum nobis in omni necessitate tẽporali & corporali. *Et confestim lepra discessit ab illo.* Non est vllum medium inter opus Dei atque præceptum: quia simul cum præcepto coniũgitur opus. Ipse enim dixit & facta sunt. Volũtas ergo eius potestas est. Præterea istæ operationes Christi erant miraculosæ: miraculũ autẽ in instanti fit. Ideò non mirandum quòd statim hoc fieret, quia Deo proprium est in instanti agere. Etenim celeriùs hic natura Deo cessit, quàm euangeista potuerit exprimere. Hoc modo etiam Deus in spiritalibus festinat, reum à tormento conscientiæ absoluere, quasi plus eũ magis discruciet compassio miseri, quã miserum afflictio sua. In quo tu id debes aduertere vt in negotiis salutis animæ tuæ festines omni ignauia & pigritia semota. Vnde dominus, Frange esurienti panẽ tuũ & egenos vagósque introduc in domum tuam, &c. & sequitur. Tunc erumpet quasi mane lumẽ tuum & sanitas tua citiùs orietur. *Et ipse præcepit illi vt nemini diceret.* Hoc est, Nemini dicas quomodo te curauerint, quousque abeas ad sacerdotes: & tunc poteris dicere cui volueris. Docet etiam hoc facto mũdi Saluator, vt vanam mundi gloriã fugiamus: nec laudes hominum desideremus. Magna cura semper habenda est, vt quam virtutem exercueris, nemini propales, præcipuè si tyrũculus es in Dei obsequio. Quãdo aliquis pictor est in sua arte peritus, facilè & dexterrimè hominẽ nudũ depingit suis omnibus perfectionibus, suis omnibus venis & neruis: nec turbatur etiã si pingat corã aliis hominibus. At si artẽ pingendi discere incipit, & nouus in arte est pictor, docẽt illũ vt vestẽ depingat & clausus intra parietes, vt à nemine videatur, ne vel hoc in causa sit, vt vestẽ vel imaginem perdat. Sic similiter, qui iã se domini obsequio tradiderũt, quiq; in domo Dei veterani sunt milites: & perfectionẽ maximã consequuti, in quocũq; loco, in plateis, & in publico orare possunt, nec inde vanam gloriã sibi cõparant: nã hi iam suas domuerunt passiones, & laudes hominum sub pedibus posuerunt, & omnes mundi vanitates. At qui noui sunt, quique Deo incipiũt seruire, nõ nudè pingere debent, nec opera sua in publico facere, sed in secreto ne ab aliis videantur. Vnde dominus, Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrẽ tuum: nã ille qui inuenit thesaurũ in agro abscondit eum. Occultè inuenit, & occultè emit, & occultè fodit. Ne in publicum ostentes id quod habes,

Marginalia: 1. Petri. 2. — Leuit. 13. — Numer. 19. — 3. reg. 17. — 4. Reg. 4. — Verbum volo magnæ consolationis est. — Ioann. 20. — Ezechi. 18. — Ezechi. 18. — Hierem. 28. — 1. Timo. 2. — Ioan. 6. — Psalm. 49. — Psalm. 90. — Psalm. 29. — Roman. 12. — Psalm. 118. — Inter voluntatẽ Dei & eius concessionem nulla nomina, nec distãtia. — Psalm. 148. — Esai. 58. — Vana gloria. — Matt. 6. — Matth. 13.

4.Reg.20. bes, vt fecit Ezechias, qui thesauros suos manifestauit: atque ideò punitus est. Tyrunculi, qui statim suam virtutẽ ostendunt, sunt tanquam amygdalus, quæ florẽ citò emittit, & currẽs vẽtus secum vehit. Decet morũ imitari, quæ cũ serò emittat flores, non gelidi efficiuntur. Agricolæ in hyeme cũ gelu lætã-turnã terrã coagulat & radices triticũ emittit. Sic natura prouidit vt non esset in manu & potestate mulierũ parere: nã si quãdo ipsę vellent parerẽt, vtique multa monstra emitterẽt, atque ita aliæ spatio vnius mẽsis parerẽt, aliæ duorũ. Atq; ita opus est vt virtus elaboret, & sit sicut fœtus in vẽtre abscõdita & secreta, ne inanis gloriæ vẽtus secũ rapiat. Opus est tẽpus, velut mulier, expectare. Hac de causa mittit dñs gelu, tẽpestates, & labores sanctis & studiosis viris ne gelentur: vt vel ita coaguletur terra & vt profundas radices emittat: ne inanis gloriæ vel adulationis flatus eã possit lędere. *Ezech. 1.* Legimus in Ezechiele ꝙ vnũquódq; sanctorũ animaliũ habebat quatuor alas, quarũ duæ erectæ erant alterius ad alterum: duabus verò reliquis tegebant corpora sua: vt significetur quòd habebãt alas sursum erectas ad rectitudinẽ & charitatẽ: aliis verò duabus se tegebãt, vt ostendatur, quòd si in alios beneficia contulerimus, & sanctis virtutibus vacamus, inanis gloria sit fugiẽda. Est nãq; diabolus similis pauoni, qui oua gallinæ suæ quærit vt frãgat, & comedat: vt liberiùs libidini vacet: sed gallina oua abscondit, & seruat. Sic quia diabolus bona nostra conatur à nobis auferre, nos illa per humilitatem abscondamus, iuxta *Matth.6.* illud Matthæi, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. *Thesaurum qui ostendit facilè eũ perdit.* Qui iter faciunt, solẽt secũ duas crumenas ferre: quarũ altera monetã aureã ferunt & argenteã, & hanc semper ducunt abscònditã, altera verò minoris valoris monetã cõcludunt, & hãc in hospitiis manifestã hospitibus, ne à latronibus capiantur, & diripiãtur. Ita abscõdita debet esse virtus, vt sinistra manus nesciat quid faciat dextera. Nã cùm Christo omne peccati genus cõtrarium esset, nihilominus tamẽ opera sua abscõdebat: quãdo verò Dei honorẽ quærebãt, vt de eis loqueretur id faciebat magna modestia: vt vel hoc doceret, nos nõ hominibꝰ sed Deo debere placere. Vnde discipulis Ioãnis non dixit, ite & dicite Ioãni quę ego feci: sed quæ audistis, & vidistis. Et dæmoniaco illi, à quo legionẽ dęmonum expulerat, non dixit, narra quæ tibi feci: sed *Matth.11. Luc.8.* narra quãta fecit tibi Deꝰ. Quædã opera taceri iubebat, velut hoc, & resurrectionem filiæ Iairi archisynagogi: in aliis verò, quæ manifestari iubebat nõ suam gloriam cupiebat, sed æterni patris: quæ omnia cognosces, si videris & attẽderis modestiã, qua manifestari iubebat. Sic nos illa opera, quæ specialis sunt supererogationis, vt mẽtales orationes, secretum cilicium, & alia huiusmodi abscondere debemus: in aliis verò quæ publicè facimus, vt audire sacrum, eleemosynam erogare, vel alia ad quæ nos tenemur, hęc manifestare debemus, intentio autem sancta debet esse & secreta, vbi solus Deus laudetur & honoretur tanquam auctor ipsius operis, non autem homo, qui vile instrumentum est suæ gratiæ. Ideo dominus, Luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent *Matth.5.* patrem vestrum, qui in cœlis est. Quamuis opus publicum sit, tamen intentio sit vt solus Deus ibi honoretur & laudetur. De aliis vero operibus super erogationis ait, nesciat dextera tua quid faciat sinistra. *Sed vade & ostende te sacerdoti.* Præceptũ erat in lege, leprosis, vt quãuis sanarẽtur, ne se cum aliis *Leuit.13. & 14.* cõiungerent absque iudicio & sententia sacerdotũ: & quando hæc nõ adimplebant, tanquã transgressores legis puniebantur. Ideoque Christus voluit vt leprosus ad sacerdotes tenderet. Primo propter ipsum leprosum, nã si in domum suam se cõferret, quãuis iam mũdatus esset: tanquã in transgressorẽ legis animaduerteretur si eum accusarent, quod quidem molestum atque prolixum esset negotium. Vult itaque Christus, breuiter illum mittere nec differre negotia, vt multi aduocati nunc faciunt iudices & procuratores regis: qui serò vel nunquam lites tractantes in domos mittunt iam peracta lite. Christus statim sanat illum. Quod autẽ nunc præcipit est, vt breuius suum negotiũ conficiatur. Sic filios Zebedei petentes dexteram & sinistram cito expediuit, dicens, Nescitis quid petatis. *Matth. 20.* Nulla facta mora sententiã protulit: nec ad alios misit, nec distulit tempus, nec passus est vt menses vel annos in petitione consumerent. Et in cruce pendens grauissimè cruciatus, & acerbissimis contumeliis affectus, & morti proximus, rogãtẽ audiuit, eiq; statim respondit, Hodie mecum eris in paradiso. *Luc.23.* Quæ obsecro maior in absoluenda petitione poterat esse diligẽtia? Hoc docuit Iosaphat in oratione quã habuit ad eos, quos iudices constituerat. Videte (inquit) quid facitis, non enim hominis exercetis iudiciũ sed domini: & quodcunq; iudicaueritis in vos redundabit. Sit timor domini vobiscũ, & cũ diligẽtia cuncta facite. *2.Para 19.* ¶ Secundò hoc fecit Christus, vt doceat, ꝙ quanuis mundi simus à lepra peccati, ex nostra parte aliquid esse elaborandum, vt gloriam consequamur. *Non sufficit per contritionem & confessionem à peccatis absolutũ esse, nisi satisfactum sit.* Etenim sunt multi qui statim absolutionẽ peccatorũ in confessione impetrarunt, videtur illis nihil iam superesse faciẽdum, atq; ita incauti & improuidi viuunt, quô fit vt in priora peccata relabantur faciliter. Opus est, vt te in sanctis & bonis operibus exerceas, etiam si à lepra peccatorũ sis mundus. Nãque si nobilis aliquis vir regẽ grauiter offenderit, talia opera & obsequia illi præstare potest, vt nõ solùm condẽnatione culpæ dignus sit, sed etiam magna cum hoc accipiat à rege beneficia: at si obsequia non tãta atque tam egregia fuerint, vt ad hæc sufficiant veniam illi offensæ dabit, & in leue aliquod exilium mittit. Sic Dauid etiam si Absaloni pepercit, at non passus est vt faciem suam videret. *2.Reg 14.* Hoc modo dominus per contritionẽ, offensionem remittit & gratiam donat. Talis etiam ac tanta potest esse contritio, vt non solum det gratiam sed gloriam etiam sine alia pœna. Sed sæpissimè quamuis gratiam donet, non vult vt peccator regiam aulam ingrediatur, id est, in cœlũ, sicut Absalon, nisi priùs pœnitentiam egerit operibus pœnalibus, ieiuniis, & aliis piis operibus, vt immunis & liber ab omni pœna regis cœlestis faciem videat. Fieri poterit vt mundus sis à lepra peccatorũ & gratiam habere, nihilominus cum his non ingredi cœlum. Priùs purgatorium transiturus es, nisi in hac vita omnis tibi remissa fuerit pœna. Quocirca opus est, in hac vita pœnitentiam agere, etiam si sanus sis & Dei amicus. Vnde Christus huic præcipit laborare, & vt obediat, nam etiam si sanus sit à peccato hoc nõ sufficit, nisi etiam pœnitentiam egerit. Sed id attẽde, nam etiam quanuis nobis præcipiat, vt aliquid faciamus, parum id est, & nullius laboris si conferatur cum retributione. Quod magis horrendũ quàm lepra? & quid nobilius, quã ab ea mũdari?

dari? Ob hoc igitur atque tam magnũ beneficium
parum laboris leproso commendat, scilicet, vt ad
sacerdotes abeat. Sed quis dicere aut explicare po-
terit, ea quæ in cœlo habebimus: Angelorum cho-
ris interesse, beatissimis spiritibus assistere, vultum
Dei clarè cernere, &c. Et quid præcipit nisi vt vadas
Matth.11. ad sacerdotem? Certè præcepta domini grauia non
sunt, etenim ipse ait, Iugum meũ suaue est, & onus
meum leue. Parum præcipit, & multum promittit.
Deute.17. ¶ Tertiò mittit hunc ad sacerdotem, quia offi-
Sacerdotum cium sacerdotis erat distinguere inter lepram & le-
scientia. pram: sicut modo inter peccatum & peccatũ. Ne-
cesse est, vt sacerdotes habeant scientiam & sciant
distinguere inter peccatum & peccatum. Sed prôh
dolor quot insipientes, ignari atque inscij in sacer-
dotium modo promouentur? Vnde dominus per
Malach.2. Malachiam inquit, Labia sacerdotis custodiũt sciẽ-
1.Reg.2. tiam: legem requirant de ore eius. Filij Heli Ophni
& Phines filij Belial: nescientes dominum, neq; offi-
cium sacerdotum, misera morte perierũt. Vide etiã
quòd cùm dominus in Leuitico de peccatis popu-
Orig.hom.2. lo loqueretur dixit (vt optimè disserit Origenes)
in Leuit. quòd si turba Israel ignorauerit: quòd non dixit
Leuit.4. quãdo loquebatur de expiatione sacerdotis, nã lo-
quutus de peccato pontificis nõ addidit dominus
per ignorantiam: quia in eum ignorãtia non debet
cadere, qui electus & cõstitutus erat, vt alios doce-
ret: sed de peccato synagogę dixit, si per ignorantiã.
Facit etiam ad hoc antiquũ illud proloquiũ, cæcus
& claudus non ingredientur in templum. Sed iam
vsque ad aras ingrediũtur, & vsque ad episcopatus
2.Reg.5. cæci, claudi & leprosi, &c. ¶ Quartò mittit leprosũ
ad sacerdotem: vt sacerdotes honoraret. Sic Paulus
quãdo cõtra Ananiã sacerdotẽ loquutus est, igno-
rans eum esse sacerdotem, excusans se inquit, Ne-
Act.23. sciebam fratres, quòd princeps esset sacerdotum.
Scriptum est enim, Principi populi tui, ne maledi-
cas. Impius erat Ananias & ecclesiæ persequutor:
Exod.22. sed Paulus eũ honore dignum iudicat. Licèt aliqui
sacerdotes mali sint, tamen id cauendum est, vt ni-
hil illorum honori detrahatur, eò quòd Christum
Matth.5. portant in manibus suis. ¶ Quintò ad sacerdotem
Matth.12. mittit leprosum, vt ostẽdat se nõ esse legis trãsgres-
& Ioan.5. & sorem. Ipse enim ait, Nõ veni soluere legem, sed ad-
9. implere. Calumniabãtur Iudæi Christum, eò quòd
legem violaret: & ideò ad sacerdotem mittit tan-
quam legis obseruator: ne vel sacerdotes existima-
rent, Christum sibi assumere, quòd ad eos pertine-
bat: atque ita ansam haberent: vt aduersus eum ali-
quid molirentur. Quamuis à lege liber esset, tamen
ne aliquem offenderet, legi se subiicit, multáque fa-
ciebat, ad quæ ipse nõ tenebatur: & alia omittebat
quæ optimo iure facere potuisset. Docet itaq; nos
ne semper nostra vtamur libertate: sed aliorũ quo-
1.Cor.10. que hominũ rationẽ esse habẽdã, ne à nobis offen-
Roma.14. dãtur sicut Paulus ait, Omnia mihi licent, sed non
omnia expediũt. Et rursus, omnia sunt mũda mũ-
dis: sed malum est homini qui per offendiculũ mã-
ducat. Item, si esca scandalizat fratrem meum, non
1.Cor.8. manducabo carnem in æternum. Idipsum docet
Christus hoc suo exẽplo, dum ad vitandum offen-
diculum, leprosum ad sacerdotem mittit cùm illi
nõ esset necessum. ¶ Sextò mittit ad sacerdotem vt
miraculum istud magis clauesceret, vt viderẽt om-
nes non prę̨stigium, sed veritatem esse: quandoqui-
dem sacerdotes nihil aliud iudicare possent, quam
hominem illum verè à lepra esse mundum. Sic mi-
raculũ patefactum & omnibus notũ fuit, & à sacer-
dotibus tale confessum. ¶ Præterea hoc in loco ad
nostrã eruditionẽ obseruandũ est, multos nunc esse
sicut sacerdotes veteris legis, qui proximorum pec-
cata iudicare & rectè discernere nouerunt: sed ferè
nullus est, qui eis remedia adhibeat. Nõ sic Christus,
sed quos sacerdos leprosos iudicat, ipse mũdos de-
cernit. ¶ Docet etiam locus iste, vt post accepta à
Deo beneficia illi referamus gratias, ne ingratitu-
dinis) quòd grauissimũ peccatũ est) arguamur: nam
cum leprosus iste iam mundus esset, & salutẽ cõse-
quutus, voluit Christus vt sese Deo offerret. Vnde
dominus per Ezecielẽ præcipit, vt qui tẽplum in- Ezech.46.
grediebatur: per aliam portam egrederetur: ne pro-
piciatorio terga verteret, cùm à templo exiret: quia
qui eadẽ porta regreditur, terga vertit propiciato-
rio. Sũt multi qui in suis angustiis & necessitatibus
Deũ quærũt, vt illis remedia adhibeat: postquã au-
tem desideria sua sunt consequuti, terga Deo ver-
tunt, & illius penitùs obliuiscuntur, immemores
accepti beneficij. Vt qui aqua indigent præcipites
in fontẽ vadunt, in eũ oculos dirigentes: sed iã benè
potati reuertuntur, terga vertentes fonti. Sic multi
in sua siti & tribulatione fontẽ illũ quærunt, qui de
se ait, Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, Sed iã
liberati à periculo terga vertunt Deo & illum dere-
linquunt. Sic iste leprosus Deũ quæsiuit in sua in- Ierem. 2.
firmitate & adepta salute & munditia, ne statim be-
neficij oblitus, ad sua inquinamenta reuerteretur,
præcepit illi Christus, vt ad sacerdotes ad tẽplum
iret vt doceat nos nõ obliuisci beneficiorum Dei,
sed gratos semper esse. ¶ Docet etiam hæc historia
proximos leprosos & peccatores adducere ad sa-
cerdotes, vt ab eis videantur & iudicentur. ¶ Docet
sacerdotes non sese graues ostẽdere, sed è domibus
& vrbibus ad ægrotos exire. ¶ Docet non ad san-
ctorum consortium hominem esse admittendum,
qui diu in peccatis fuit: ne fortè sanus apparens in-
firmus sit, & alios inficiat lepra sua. Ideò hominem
à lepra sanatũ non statim admittit ad aliorum con-
sortium: sed priùs vult à sacerdote examinari, an
benè sanus sit. ¶ Docet etiam sacerdotes, qui alios
mundos esse ostendunt, mundi & ipsi vt sint. Sic in
Leuitico dicit dominus multa quæ ad munditiam Leuit.22.
pertinent sacerdotum. Audiant ergo illa sacerdo-
tes, vt mundi semper sint. Asperget (inquit) mũdus
super immundum. Licèt sacerdotes nostri in sacra-
mentis mundent, quamuis ipsi sint immundi: tamẽ
peccant & in damnationem incurrunt. Sed ad cõ-
textum. *Et offer pro emundatione tua, sicut præcipit Moses
in testimonium illis.* Hoc est in accusationẽ & condẽ-
nationem sacerdotũ. Cùm enim sacerdotes Iudæo-
rum Christi doctrinam & miracula calumniarẽtur,
voluit, vt hoc miraculum eis esset in testimonium:
vt cognoscant se iniustos esse & meritò ab eo cor-
ripi. Cui simile est quòd in Numeris legitur. Refert Nume.17.
(inquit,) virgam Aaron in tabernaculum testimo-
nij, vt seruetur in signum rebellionis filiorũ Israel.
Et in alio loco dixit Moses. Tollite librum istum, & Deute.31.
ponite in latere arcæ fœderis domini Dei vestri, vt
sit contra te in testimonium. Ego enim scio con-
tentionem tuam & ceruicem tuam durissimam.
Vide librum legis positum in testimonium, vt si
quis contra legem faceret, librum ipsum sui pecca-
ti esset testimonium. Sic Christus ait, Prædicabitur
hoc euangeliũ in testimonium omnibus gentibus.
Sic testimonium duritiæ & infidelitatis sacer- Matth.26.
dotum

dorum mittitur hic leprosus ad sacerdotes. Et quẽadmodum mundatus constituitur Iudex immundorum sacerdotũ: sic in vniuersali iudicio Regina
Matth.12. Sabba erit contra Iudæos, & Niniuitæ contra impœnitentes, & viri mundi aduersus immundos: nõ quòd semper mundi fuerint, sed quia mundatorem quæsierũt, adorauerũt & misericordiã impetrarũt, sicut hic de quo loquimur, leprosus. Hic leprosus dãnabit in iudicio hos sacerdotes, qui tam apertis miraculorũ testimoniis credere noluerunt. Vtinã & tibi idẽ nõ contingat. Multi nãq; eximij & egregij prædicatores, quos audisti, surgent contra te in iudicio in testimonium diuinæ misericordiæ & cõfundent te: quippe qui magnis obruti peccatis pœnitentiã egerunt, atq; misericordiã cõsequuti sunt: tu autẽ secundũ impœnitens cor tuũ thesaurizas in diem iræ & vindictæ. Testimonium etiam aduersus
Roma.2. te proferet in die iudicij de diuina misericordia mulier illa adultera, Magdalena etiam, latro, & plures alij, & condemnabunt tuam obstinationem &
Ioan.8. duritiã. Disce ex hoc loco, vt non omittas legis cir-
Luc.7. cunstantiã, quãtum tibi minima videatur: sed cuncta etiam minutula seruare memento, quoniam nihil sine ratione & diuino mysterio traditum tibi est. Quẽadmodum enim dominus in donandis beneficiis omnes liberalitatis circunstãtias obseruat: ita te in referendis gratiis vult omnes grati animi seruare conditiones. ¶ Discat etiam populus quòd tenetur ministros ecclesiæ sustentare, & dona offerre Deo pro suis peccatis: Sic dominus præcepit in
Numer 18. Numeris offerre sacerdotibus, sed pro opere tabernaculi. Sed sacerdos, qui animarũ curã habet, & nõ operatur in tabernaculo domini: hoc est qui in ecclesia non ministrat sacramenta, nec populo seruit, nec pascit gregem, qua verecundiæ facie comedit bona pauperũ? Præterea si sacerdos sciret se populi
Osee.4. peccata comedere, vt inquit Oseas: fel esset eius panis, & nõ deliciæ & voluptates. Porrò præcepit do-
Leuit.14. minus in Leuitico, vt curatus à lepra offerret duos agnos immaculatos & ouem agniculã absque macula: & tres decimas simile in sacrificium quæ conspersa sit oleo: & seorsum olei sextarium. *Perambulabat autem sermo magis de illo.* Hoc est fama & sapientia Christi quotidie magis diffundebatur, cũ alter ad alterum id nunciaret, atq; sapientissimè prædicaret
Math.7. Christi facta. Ideò factũ est quod subditur: *Et conuenerũt turbæ multæ, vt audirent eũ, & curarẽtur ab infirmi-*
Oratio quid. *tatibus suis.* Nõ q̃ omnes essent infirmi quia plurimi ibant, vt eũ audirẽt: quia docebat, tanquã potestatẽ habens. *Ipse autem secedebat in desertum & orabat.* Non quòd turba posset eum impedire, sed vt doceret fugiendã esse mundi conuersationẽ, & hominũ consortiũ, vt possis aptiùs Deo vacare. Præterea verum hominẽ se ostẽdebat orãdo, & exẽplũ prædicatoribus dedit non ita vacandũ prædicationis officio, vt obliuiscãtur ad contẽplationis quietẽ recurrere, & ad eleuandã in Deũ mentẽ. Etenim vtriusq; vitæ actiuæ & cõtẽplatiuæ actiones cõiungi oportere in prædicatione astruit proprio exemplo. Sic in horto orans, ter suos discipulos visitauit: & eos ad vigilã-
Math.26. dũ suasit. Simul & illis prædicabat, & monebat, & patrẽ æternũ orabat. Docet suo exẽplo vt mundum fugientes orationi vacemus. Nam oratio est quidã ascensus, seu volatus animæ in hac vita viuẽtis vsq; ad Deum, estq; quædã petitio, quam Deo nostro & regi nostro offerimus, ob quam in terra degentes in cœlis conuersamur, & à diuina clemẽtia & beni-

gnitate amplissimos thesauros consequimur. Venimus quippe in cognitionem ipsius, & nostram & noscimus nos puluerem esse & cinerem, si cum infinita ipsius maiestate conferamur. Quiq; dùm magis oramus, tantò maiorem cognitionẽ de ipso attingimus: & dùm maiorẽ cognitionẽ attingimus; tantò plus illũ diligimus: & quãto plus à nobis diligitur, eò magis mundi amorem à nobis propulsamus. Ita Iacob in sua oratione vocatus est Israel, hoc Genes.32.
est, videns Deum: ob maximam cognitionem quæ in ipsa oratione de Deo attingitur. Claudus autem factus est luctans cum angelo, quia claudi sunt viri cõtemplatiui in amore mundi. Docet etiam Christus ne popularem captemus gloriam: & ne gentis multitudinẽ eo nomine ad nos alliciamus: sed potiùs omni humanæ laudis vento spreto, soli Deo placere conemur. Sed iã aliud insigne miraculum: in quo Christus clarè suam diuinitatem ostendit, enarrat Lucas noster, ita magnificum & egregium, vt hanc ob causam ciuitatem, & locum & singula explicet dicens: *Et factum est in vna dierum & ipse sedebat docens. Et erant pharisæi sedentes, & legis doctores qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ & Hierusalem, & virtus domini erat ad sanandum eos.* In primis notandum quòd locus vbi Christus hoc miraculũ fecit erat ciuitas Capharnaũ, vt Marcus apertè testatur. Marc.2.
Hanc ciuitatem vocat ciuitatẽ Christi Matthæus: Matth.9.
dicens, quòd transfretauit Iesus & venit in ciuitatẽ suam: eò quòd ibi sæpè prædicauerat, & multa miracula fecerat. Quemadmodum enim Iesus Bethlehem suo ortu nobilitauit, & Nazareth educatione celebrem & illustrẽ reddidit: & Aegyptum sua fuga fœlicem fecit: ita Capharnaum frequenti prædicatione & miraculis adoptauit in patriam. Hanc non nominauit Matthæus, sed vocat illam Christi ciuitatem, quia audiebat verbum eius. Vt tu intelligas ex hoc quòd quia hic populus Dei verbũ audiebat, suus erat factus: tu autem cum id nolis audire alienus & exter factus es, iuxta illud, Qui ex Deo est, Ioan.8.
verba Dei audit, propterea vos non auditis: quia ex Deo non estis. Et alibi, Oues meæ vocem meã audiunt. In hoc cognoscitur, quis sub Christi vexillo ambulet, si aures prestet, vel nõ prestet suo verbo. Id autem quod ait, quòd venerant ex omni castello Ioan.10.
Galilææ & Iudææ accipiendum est sub distributione accommoda, vel hyperbolicè ad insinuãdum, q̃ ex plurimis castellis venerunt. *Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus & quærebant eum inferre & ponere ante eum.* Venerat Christus nauigio à regione Genezareth & offerũt paralyticũ. Hoc ne donũ illi offertis? Hãc leprã: Istã putredinẽ: Cibus Christi suauissimus & iucũdissimus est conuertere peccatores: ideò offerunt ei hunc paralyticum. Idque omnes offerre ei deberemus. Nã si nobilis aliquis vir infirmus est, & perdicem assatam comedere iuuat statim ministri & serui, qui suã salutẽ cupiunt, illã diligenter quærunt & ei afferunt. Ita vult dominus animas lassatas quæ ab vnguibus dæmonis sint ereptæ. Christi oblectamentũ, & deliciæ suæ animæ Ioan.4.
sunt vt ipse dicit, Ego habeo cibum manducare: quem vos nescitis. Quod dixit ob animas, quas cõuersurus erat illorum Samaritanorum. Hoc dono isti obsequium Christo præstant, & hunc cibum Psal.28.
nimis sapidum mundi redemptori offerunt. Ideò Dauid, Afferte domino filij Dei, afferte domino filios arietum. Sic nos offeramus illi in donum animas nostras peccatrices: vt eas comedat, & curet.

¶ Obserua

Mar. 2. ¶ Obserua etiam quòd vt Marcus ait à quatuor hominibus iste paralyticus portabatur. Vbi discrimen inter seruos Dei & alios homines clarè agnosces. *2. Cor. 11. Gala. 6.* Nam boni (vt erant hi portantes paralyticum) se inuicem adiuuant. Sic Paulus, Quis infirmatur, & ego non infirmor, Ideò cōsulit dicēs, Alter alterius onera portate. At mali non ad bonum faciendum se inuicem adiuuāt: imò tanquā lapides mali in quātum mali immobiles sunt. Vnde de illis scriptura inquit, Fiant immobiles sicut lapides. *Exod. 14.* Quatuor homines huic paralytico fuerunt adiutorio, vt ad Christum tenderet, & vt salutem animæ & corporis consequeretur: at nunc quatuor non inuenies qui te ad Christum ducant, imò bis ducentos qui te ab eo semoueant, & in infernum ducāt. Multos in mundo inuenies qui te vias inferni facilè doceant, quique te adiuuent, vt celeriùs in infernū abeas: at paucos vel nullos qui te obsequium Dei doceant, & in eo adiuuent. Plurimos inuenies qui te ad alearum & taxillorum ludum inuitent, ad cōuiuia & bacchanalia, ad luxuriam & libidinem, & ad obsequium dæmonis: perpaucos verò, qui te in obsequium Dei adiuuent, aut alliciant. Imò inuenies, si incipis Deo seruire, qui tibi dicat, & ad aures diabolico spiritu canat. Ne modo hoc cures, quia hypocrisis est. Nondum iniquus Siba finem verbis imposuerat, non est nobis pars in Dauid: cū statim omnis populus fuit eum sequutus. Eodem modo cū Abimelech regnū Israel vsurpauit in suū auxilium, statim habuit omnes vagos inopésq;, & populum Sichem. Sic etiam cùm perfidus Adonias regnū paternum voluit vsurpare (cum adhuc Dauid pater eius viueret) statim in suum auxilium venerunt Ioab: & Abiathar: qui magnates erant in regno. Ad malum plurimos fautores inuenies: quòd si in infernum præcipitare te volueris, non deerit, qui calcaria tibi admoueat. Vnde dominus per Zachariam eos minatur qui adiuuabant gentes in destructione Hierusalem dicens, Ira magna ego irascor super gentes opulētas: quia ego iratus sum parū, ipsi verò adiuuerunt in malum. Ad bonum verò non solùm non est qui adiuuet, sed multi sunt, qui impediunt: vt hic impediebat turba de qua statim dicemus.

Pauci sunt qui te ad Christum ducunt, sed infiniti qui ad diabolum te inuitabunt.

2. Reg. 20. Iud. 9. 3. Reg. 1. Zach. 1.

¶ Expende etiā quòd quatuor habuit hic paralyticus qui eum adiuuarent in sua ægritudine quique ad Christum ducerēt: de quo ego non dubito, nisi quòd diues esset, nam pauper solus ipse in cubili iacet, solus suam indigentiā patitur. Si diues infirmatur, à multis inuisitur: si ei vel vxor vel filius moritur, omnes eum consolantur, & ibi præsentes adsunt vt suæ tristitiæ medeantur. Iorā qui rex erat, statim cùm ægrotauit, venit ad eum visitādum rex Ochozias. *4. Reg. 9.* Etiam ad Ezechiam, qui diues erat, statim vt in ægritudinē incidit, Merodach rex Babyloniæ nuncios misit & munera. *4. Reg. 20.* Ita diuitibus nunquam desunt alij qui in suis infirmitatibus munera tribuāt, & eos consolētur: at pauper si ægrotat, nec medicus eū inuisit, quia pecuniā nō habet, & omnes amici fugiunt, & fastidiunt eū. Aegyptius ille quia mancipiū erat & pauper solus relinquitur cū ægrotaret: & moreretur vtiq; coactus fame & siti: nisi Dauid ei subueniret. O miserū pauperē qui in ægritudine ab omnibus solus relinquitur: in tribulatione & angustia non est, qui eū consoletur. *1. Reg. 30.* In labore & indigentia ab amicis non agnoscitur, in periculis spernitur: & deniq; miserā eius sortē sentio deplorandam super quē omnes labores & calamitates magno feruntur impetu. *Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba.* Turba impediebat ascēsum ad Christum. Sic in libro Esdræ habetur, quòd populus terræ impediebat populum Iudæ in ædificādo. *1. Esd. 4.* Populus terræ, scilicet qui terrena sapiunt & amant, impedit populum Dei. Vnde Ecclesiasticus ait, Ne pecces in multitudine, nec te immittas in populū. Discamus ergo ex hoc loco fugere turbā. *Eccle. 7.* Quocirca in Exodo dicitur, Ne sequaris turbā. *Exod. 23.* Vnde etiam in quarto libro regum legitur de quodā Principe Samariæ conculcatū esse à turba, & interemptū in ingressu portæ. *4. Reg. 7.* Quando aliquis chirurgus vulnerato mederi vult, omnem gentem à se semouet, nec in platea illum curat: at ingressus cubile, ibi medicamina apponit: ita dominus curaturus animam tuam, eam à multitudine populi segregat. Ita cùm dominus surdum illum & mutum curare voluit (vt inquit Marcus) segregauit illum à turbis. *Marc. 7.* Sic tu fuge à mūdi tumultu, & à sæculi negotiis: vt saluti animæ tuæ possis cōsulere, & aptiùs Deo vacare. Hanc etiam turbam dominus docuit semouendam à nobis, cùm scilicet puellam suscitauit. *Mat. 9.*

Diues ægrotans, si pauper [illegible] per se infirmus, [illegible] solitarius.

Turba fugienda.

Ascēderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum, cum lecto in medium ante Iesum. O diuinam charitatem, quàm potentes, quàm robustæ, & quanti valoris tuæ sunt vires! Nihil ei difficilè fit aut impossibile, quantum asperum & laboriosum sit. Videte obsecro quomodo nihil obstaculo charitati possit esse: & quomodo remediū quærit vt id faciat quod intendit. Etenim quāuis illa domus plena erat hominibus vt penè vinceretur vix fieri posse ad Christum introire, horum charitas remedium inuenit. Sic vtiq; nos, si charitatem haberemus, multa possemus perficere, quæ nobis difficilia videntur. Sed de his aliàs. ¶ Expende etiam quomodo omnes se benè in hoc negotio gesserunt. Nam qui infirmum docebant tanta erant charitate incensi, vt non obstante tam maximo impedimento (sic diuino spiritu & amore ardebant) infirmum corā Christo constituerunt. Docēt quomodo subueniēdum est proximis, cùm extremā patiuntur necessitatem. Hi nāque nō veriti sunt domum fodere, & tectum aperire: nec timuerunt an forsitam illa sua audacia animus domini offenderetur. Etiam tota illa multitudo gentis, quæ Christum audiebat se benè habuit, nā cū terra desuper caderet, & tegulæ de tecto tollerentur, nullū strepitum aut murmur fecerunt, sed quieti, & tranquillè concionem Christi audiebant. At nos vel sola musca in cōcionibus inquietos reddit, & deuotionem aufert. Christus etiam benè se habuit, quia mitissimus dominus importunitatem istorum non exprobrat: non stomachatur vidēs interruptum sermonem, sed potiùs approbat fidem baiulantium. Discamus à Christo patiēter ferre importunitates infirmorum, pauperū, & egenorum. Etenim videbis multos, qui cùm pauperes accedāt ad eos, suam indigentiam manifestantes, eos fastidiunt: & verbis ignominiosis afficiunt, & peiùs est fustibus cedunt. ¶ Discamus etiā ab his, qui paralyticum ferebant, quantum debemus facere pro salute animæ nostræ. Si hi tantum pro salute paralytici corporali fecerunt, vt etiam domum alienam confoderent, quid nobis pro salute animæ nostræ agendum esset? Si igitur pro salute corporali nullū non lapidem isti mouent: quantum laboris nobis esset impendēdum pro salute spirituali? Salus corporis, honor, & diuitiæ nihil sunt: si cū hac spirituali salute

Charitas baiulorum.

Si pro aliena salute solliciti, magis pro nostra simus.

Psal. 75. *Corradú vt sit mens sana in corpore sano.*

salute conferantur? Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis. Quis obsecro explicare valebit quanta & quàm difficilia homines patiantur pro salute corporali? Venas abscindi permittent, pharmacum, & potiones amaras absumunt, &c. Quãta & quàm maiori sollicitudine animæ salus curanda esset? Maximam curam habuit de corporis sanitate Ochozias rex Israel: nullam autem de recta animæ valetudine. In firmabatur in corpore simul & in anima: at ipse sollicitus tãtũ erat de corporis salute, atque ideò misit nuncios ad consulendum Beelzebub an viuere posset & sanus fieri ab illa infirmitate, & alios & alios nuncios misit. At nihil de anima regina agebatur. Hieroboam quoque rex Israel magnam curam habuit, de corporis incolumitate filij sui: quapropter Abiam prophetã consulit, & misit illi vxorem suam vt filij incolumitatem ageret. Vtinã homines tot atq; tanta facerent pro animæ salute. Sic Naaman Syrus venit in regnum Israel quærens salutem corporis: & longũ iter peregit, vt à lepra corporis mundaretur: & nunc etiam multi longiùs iter agunt, & cœlum mutant, & rem omnem consumũt optimósque quærunt medicos, vt salutem corpo- attingant: at nec tantillum laboris assumunt, vt cõcionem audiant, quæ animæ medicina est salutiferã. *Quorum fidem vt vidit dixit.* Maxima fide hi præditi erãt, qui paralyticum ferebãt ad Christum. Alij forsitã essent, qui humana ducti ratione, eis videretur satis esse, ad ianuam expectare quousque concio Christi finiretur. At fides multoties ea aggreditur facere, quæ intellectui humano manifestissimæ videntur insaniç: cùm potiùs summa prudentia & sapientia sit. Etenim vt Paulus inquit: sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Id autem maximè deplorandum est quod ad quçrendã corporis valetudinem nullã faciunt homines morã, nec consilia expectãt, quærenda sit, nec ne: at ad salutem animæ quçrendam vnusquisque suã profert sententiam, & cras istud faciendũ dicunt, & tẽpore quadragesimç cõfitendũ esse. Hi autẽ nec per dimidiæ horæ spacium expectarũt, cùm nõ esset in paruo tẽpore aliqua infirmi iactura. At cùm tãtum sit discrimẽ animæ si mora fiet in quærenda eius salute: nunc homines de mora & dilatione agunt, dùm animæ curãt salutẽ. ¶ Obserua autem quod infirmitas corporis benè sanari potest sine fide propria, si adsit alterius fides, & preces. Sic impetrauit Cẽturio sua ardenti fide seruo suo sanitatẽ. Vade (inquit Christus) & sicut credidisti fiat tibi. Eodẽ modo Chananæa filiæ suæ assequuta est sanitatẽ. Mulier (inquit) magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Ideò licet hic paralyticus fidem habuerit, poterat tamen sanari sola fide portãtium, quia ad curandã ægritudinem corporis, quæ omnino exterior est, nõ est necesse quod concurrant aliqui actus ipsius curandi. Sed si curãda sit anima, scilicet, vt remittantur ei peccata, necessaria est fides propria, quia neutiquam fieri potest vt alicui peccata remittantur sine propria fide. Nam in adulto, qui iam ad vsum rationis peruenit non satis est aliena fides. Hoc dico propter infantes, qui in aliena fide baptizantur. Huic autem paralitico nõ solùm restituit dominus pristinam corporis incolumitatem, sed etiam salutem animæ donauit, quapropter dicendum est fidem propriam habuisse, nec pateretur ab aliis portari, nisi fidem ipse haberet. Est autem duplex fides: scilicet altera, quã creditur: & hæc est virtus theologica, altera est fides, quæ confidentia quædam est, scilicet, qua credimus quod donauit dominus, id quod ab eo petimus: vtraq; autẽ requiritur in eo, cui peccata dimittẽda sunt. De priori patet, quia infideli manenti in sua infidelitate, non possunt peccata dimitti. Ideò in Mat. habetur. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò nõ crediderit, condẽnabitur. Et tamẽ si homini remittuntur peccata, necesse de lege est vt saluetur si in gratia discedat: infidelis autem saluus fieri nequit, ergo infideli nõ possunt peccata dimitti stando in sensu composito. Sic etiam per Ioan. inquit dominus, Qui non credit, iam iudicatus est, id est, condemnatus. Ergo prior fides per quam creditur quidquid credendum est, requiritur ad remissionem peccati. In paruulo autem licet nõ sit fides, quia non potest habere actum proprium, nulla est infidelitas: cùm infidelitas aliquid positiuũ afferat, & est per actum proprium ipsius hominis infidelis. Et quia illa inducta est per actum propriũ hominis, necesse est, vt per actum proprium tollatur: vel vt concurrat actus eius ad tollendum, consentiendo Deo illam tollenti. Paruuli autem non habent, nisi peccatum originale: illud autem non est peccatum proprie personale, cum factum non sit per proprium actum, sed per originem ab Adam transfusum. Cum ergo sine proprio actu peccatum in eos introductum sit, iustum est, vt sine proprio actu deleatur & sine fide propria, per solam fidem ecclesiæ, infundendo ei fidem, vt iam fidem propriã habeat. Peccata autẽ adultorum sunt propriè personalia, quia per proprium actum ex electione commissa sunt. Vnde consentaneum est rationi, vt non nisi per proprium actum deleantur. Ideò necesse est vt propriam fidẽ habeat is, cui peccata sunt remittenda, si adultus fuerit. Quia primus motus ad iustificationem est ipsius fidei, quæ quidem radix est, iustificationis. ¶ De altera autem fide, id est, de confidentia dicendum est, quod sine illa, non possunt peccata dimitti: nam quanuis aliquis credat omnia, quæ in sacra scriptura continentur, & quæ ecclesia credit: si non confidit dominum ei remissurum peccata si ipse doluerit, non vtique dimittentur. Imo etiam si peteret illa dimitti si non confideret, & certissimè crederet illa non sibi dimittenda, nunquam dimitteretur. Vnde Iacobus ait. Postulet in fide, nihil hæsitans. Obserua autẽ quod loquendo de fide, virtute Theologica, vt communiter solet accipi quandocunque in scriptura sacra de fide mentio fit, semper accipe pro fide viua, quæ est formata charitate. Quis enim adeò insanus est & stupidus, vt si hominem proferas non addẽdo pictum vel mortuum, hominem non accipiat pro homine viuo? tripliciter nanque hæc dictio de homine accipitur. De viuo in sua potissima significantia: & de homine mortuo, & de eo qui artificis manu depingitur. Si autẽ quis referret tibi in via se vidisse hominem, non vtique de mortuo aut picto id intelligeres, sed viuo: analogum enim per se sumptum stat pro famosiori significato. Itaque cum sit fides mortua & fides viua, cum de ea sermo inuitur, de viua intellige non de mortua. Quod autem sit fides mortua Iacob. attestatur, fides sine operibus mortua est. Illam autem, quæ per charitatem operatur vocamus viuam. Ideóque cum audieris in euangelio fidem iustificantem, vt cum dixit Christus Magdalenç, fides tua te saluã fecit: & aliis intellige de fi-

Marginal notes: *4. Reg. 1.* *3. Reg. 14.* *4. Reg. 5.* *Fides prompta in cõsilio quærẽdo. Ambros. lib. 5. in Luc.* *1. Cor. 1.* *Fides aliena iuuat ad corporis sanitatẽ ad animæ salutẽ propria & necessaria.* *Matt. 8.* *Matt. 15.* *Duplex fides.* *Mar. 14.* *Ioan. 3.* *Iaco. 1.* *Iaco 2.* *Luc. 7.*

de viua, hoc eſt charitate formata. Quòd perinde eſt ac ſi dicatur, Fides charitate viua iuſtificat, non per ſe ſola ſed per gratiam. Et virtus quę dat vitam fidei illa eſt gratia, quæ vitam dat iuſtificationi, & ea eſt quæ impium iuſtificat. Et cùm hic dicitur, videns fidem illorum intellige de fide viua. Et ideò etiam dixit, remittuntur tibi peccata tua: nam qui portabant, charitatem habuerunt in fructu, quę eſt miſericordia & opera charitatis à charitate procedētia, quia ſi charitatem non haberēt non vtique proximum infirmum tanto ardore & feruore ad Chriſtū duxiſſent. Et ipſemet paralyticusq portabatur, charitatem etiam interiorem habuit à Chriſto, & fidē formatam, quia hæc ſola iuſtificat.

Nō ſola fides iuſtificat.

¶ Sed cur fides per ſe ſola non poteſt iuſtificare? Audi obſecro reſponſionem: Peccatorem iuſtificari, nihil aliud eſt, quàm Deo in hac vita vniri: vt ſic manens vnitus, vniatur cum eò poſtea in gloria.

1. Ioan. 4.

Vnimur autem per charitatem. Ideò Ioan. Qui manet in charitate, in Deo manet: & Deus in eo. Non dixit qui manet in fide ſed qui manet in charitate. Amans ergo & amatus amore coniunguntur, non cognitione. Quapropter gratia vnit cū Deo, & iuſtificat impium.

Luc. 4.

Et Chriſtus etiā, Si quis diligit me, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Igitur iſti habuerunt priùs fidem ex dono Dei: quia fides vt Paulus ait, donum Dei eſt. Et ad Roma. Vnicuique diuiſit Deus fidei menſuram. Et iterum, Alteri datur fides in eodem ſpiritu. Et in Act. legitur, quòd prædicante Paulo & Barnaba Anthiochiæ crediderūt quotquot erant præordinati à Deo. Et in ciuitate Philippis, quæ eſt prima partis Macedonię ciuitas Colonia, loquente Paulo quædam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Tyatirenorum colens Deū audiuit. Cuius dominus aperuit cor vt intenderet his quæ dicebantur à Paulo. Hanc fidem vocant theologi infuſam. Eſt enim diuinitùs infuſa nullis humanis meritis acquiſita. Fides horum hominum inde cognoſcitur, quia credunt Chriſtum potentē ad illum ægrum ſanandum. Secundò, fuit his hominibus fides acquiſita, ex bona fama quam de Chriſto audierant, & conceperant. Audierant clementiſſimum & benigniſſimum eſſe, neminemque ad eum accedere. qui abſque conſolatione abiret. Audierant omnibus opem cōferre, & multa miracula mirabili poteſtate feciſſe. His igitur tam præclaris factis auditis, ad Chriſtum confugiunt ducētes ſecum paralyticum.

Ephes. 2. Roma. 12. 1 Cor. 12. Act. 13. Act. 16.

Rom. 10.

Fides (inquit Paulus) ex auditu, auditus autē per verbum Chriſti. Ex diuinis ſcripturis deprehēdimus verbum diuinū inſtrumētum eſſe quo Deus nos vocat ad fidem. Idem de miraculis patet in Sergio Paulo. Et Ioannes inquit multos Iudæorum crediſſe in nomine eius, vidētes ſigna quæ faciebat. Et Chriſtus dixit Iudæis, Si mihi nō vultis credere, operibus credite. Docemur vt firmiter credamus Chriſtū poſſe & velle nobis afflictis. & in quacūque tribulatione iacētibus opē ferre, modo ſuæ gloriæ promouēdæ & vtilitati animarum ſit profuturū, ob idque totā noſtram ſpem ſemper in ipſum eſſe reponendā. Ideò Paulus, Spes non confundit. Et in Pſal. In te confido non erubeſcam.

Act. 13. Ioan. 2. Ioan 10. Rom. 5. Pſal. 24.

Proximus afflictis inſeruiendum.

Docemur etiam vt proximis afflictis inſeruiamus, cunctiſque hominibus verbo & opere, cōſilio & auxilio. In his nanque duabus præclaris virtutibus fide & charitate ſimul, cùm ipſa vniuerſa ratio chriſtianæ vitæ conſiſtit, quę virtutes cùm ſeparari poſſint, altera ſine altera ad ſalutē nihil prodeſſe poteſt: Iam ad contextum reuertamur. *Homo remittuntur tibi peccata tua.* Matth. dicit eum vocaſſe filium. In quo oſtenditur propria fide formata illū fuiſſe ſaluū, hoc quippe nomine Chriſtus credentes appellauit, quibus dedit poteſtatem filios Dei fieri. Neminem leges in euangelio à Chriſto, neque ab apoſtolis vocatum fuiſſe filium niſi hunc paralyticum. Videas rogo quomodo Deus faueat pauperibus, afflictis, & infirmis: nam beneficium hoc, vt aliquem vocet filium non Chriſtus diuitibus mundi & optimis confert, ſed egenis & mœſtis, diuitibus autem in viua fide. O bonitatem immenſam & inauditam Chriſti ſaluatoris noſtri! Quis adeò obſcœnus peccator erit & tam iniquus, qui in Deum ſuum non conuertatur: cùm videat quā blandis & ſuauibus verbis hunc paralyticum alloquatur & eum conſoletur!

Matt. 9. Ioan. 1.

Peccata cauſa afflictionū.

¶ Obſerua autem quòd Chriſtus tanquàm agricola, herbam malam radicitùs euellit: & tanquàm expertus medicus, infirmitatis cauſam tollit. Hic nāque paralyticus ſalutem corporis volebat, & hanc deſiderabat: at Chriſtus priùs illi cōdonat peccata, quæ cauſa erant ægritudinis corporis. Quando chirurgus intra vulnus relinquit aſſulam lanceæ vel iaculi, hic talis non vtique verè ſanat, ſed apparenter & potius infirmum in ſepulturam mittit. Opus eſt interius malum extrahere. Nā cùm ſalutem à domino petis, cùm intus habeat cauſam infirmitatis, quæ peccatum eſt, te non vult exaudire. Non in priſtinam valetudinem deuenies, niſi priùs ferrum lanceę, quod tuam animam transfixam habet, euellas. Eſau magnis precibus Deum orabat, & lachrymas fundebat: at inquit Paul⁹, miſericordiam non eſt conſequutus. Quare obſecro? Quia peccatū intra animā habebat, & orabat cùm odio haberet fratrē ſuum.

Heb. 12.

Si ægrotas propter peccata tua: tolle priùs peccata & ſanus eris. Ita nanq; Chriſtus huic priùs ſanat animā, poſtea verò corpus. Nam etiamſi Deus ægritudines ſoleat immittere aliis multis rationib⁹, vt iuſtis, vt maiùs ſit eorum meritum, & vt magis eorum clareſcat virtus, vt fecit cùm Iob, & etiam vt gloriam ſuam manifeſtet, vt cùm cæco à natiuitate, & ad initium tormēti & crucis in hac vita, vt cum Antiocho & Herode: & denique aliis multis de cauſis: at hoc certum eſt ꝙ multoties ægritudines mittit ob noſtra ſcelera & peccata, vt ad meliorem mentem redeamus, & vt in viam mandatorum eius reuertamur. Et denique id plus quam certum eſt, quòd clementiſſim⁹ & benigniſſimus dominus his infirmitatibus ſalutem & commodum animæ noſtræ ſemper quærit. Nam propter peccata ſua iacuit triginta octo annos in piſcina ille infirmus, cui dominus dixit, Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare. Quod Moſes clariſſimis indicat verbis, dicens, Niſi audieris vocem domini Dei tui percutiet te peſtilentia, & morbis, ſcabie quoque & prurigine, &c.

Iob 1. Ioan 9. 1. Mat 9. Act. 12.

Ioan. 5. Deut. 28.

Quando tyrannus ille Aman populum Dei voluit euertere, quia non adorauit eū Mardochæus: cōuerſa ad dominū Heſter dixit, Peccauimus in conſpectu tuo, ideò traditi ſumus in manus inimicorum noſtrorū. Tātas atque tam graues animaduerſiones ſolùm in peccata reiecit ſancta illa fœmina: nam hæc acriùs inferebant bellū, quā rex, & ſuperbus Aman: & hęc erat cauſa potiſſima, radix, & origo omnium laborū, quos patiebantur. Atq; ita regina ſancta nō cōuerſa eſt aduerſus regē, neq; aduerſus Amā: ſed aduerſus

Heſter 14.

uersus scelera & flagitia populi. Legimus etiam de sancto Tob. quod cùm Iudæi captiui essent in Niniue à Salmanasar Assyriorum rege, quod cùm videret tanta mala, quæ Iudæi patiebātur, conuersus ad Deum dixit, Quoniam non obediuimus tibi, traditi sumus in direptionem & captiuitatē, & mortem. Labores omnes, mortē, & calamitates Israel, solùm Tobias peccatis tribuit. Ideò Salomon, Miseros facit peccatum populos. Sic ecclesia alloquēs Deum de populo Christiano ait, Nulla nocebit ei aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Ob scelera & flagitia populi mittit dominus mortem, famem & pestem in eum. Solet enim contingere vt aliquis dominus habeat multos seruos & ministros, quibus omnibus penarius victum quotidianum ministrat: at cùm aliquis delinquit, vel minus benè facit id ad quod tenetur, præcipit dominus, vt portio illius diei illi tollatur. Ita nimirum terra, aqua, & omnia elementa dispensatores sunt Dei, qui nobis seruis suis victum quotidianum ministrant: at quādo eius mandata non adimplemus, & aduersus sua præcepta delinquimus, præcipit terræ vt sterilis fiat & nubibus cœli ne pluant. Sic temporibus Achab & Iezabel propter eorū scelera & peccata nō pluit tribus annis, & sex mensibus: & facta est fames & sterilitas maxima. Sic Salomon in oratione, quam habuit domino Deo Israel in templo dixit, Si clauso cœlo pluuia non fluxerit, propter peccata populi tui: &c. Tanta mala & flagella quę dominus immisit in Sodomam facta fuerunt propter eorum scelera: nam si dominus in illis ciuitatibus decem iustos inuenisset, omnibus propter hos sine dubio pepercisset. Quod autē peccata sint causa flagellorū quæ nobis dominus mittit, apparet in hoc manifestè: nā cessantibus malis, cessant etiam flagella, nam ablata causa tollitur effectus. Huius autē rei vnicū tātum adducam exemplum. Præcepit dominus Ionæ, vt abiret in ciuitatē Niniue, & diceret, Adhuc quadraginta dies Niniue subuertetur. Cum rex & omnes Niniuitę cognoscerēt flagitia sua maiori esse digna supplicio, surrexit rex de solio suo, & pœnitētiā egit: tuncq; dominus, vt pius & misericors sentētiam reuocauit, quia ipsi delicta emēdarūt. Cessantibus peccatis cessauit flagellum. Si hoc igitur, ita verum est, quare non pœnitētiam agimus? Imo potiùs de nobis dici potest illud Esaiæ. Vocauit dominus exercituū in die illa ad fletum, plāctū, & caluitium & ad cingulum sacci, & ecce gaudium & lætitia, &c. Vnde discere nos oportet ex priori notabili, vt in quacūque infirmitate, angustia: & afflictione vitam emendemus, & peccata lachrymis & cōtritione deleamus. Hoc nanq; vnicum refugiū est, & sacratissima anchora, ad quā nobis est recurrendū. Sic iram domini & flagella fugerunt Niniuitæ. Sic filij Israel hoc vnico remedio euaserunt tyrannidē Chusa, Eglon, Iabin, Madiā, & Amon, & aliorum tyrannorum, qui grauiter eos opprimebant. Nam quando peccabant, statim hi gentiles suam sæuitiam in eos exercebant quandò autem conuertebantur, dabat eis dominus saluatorem, qui à manibus inimicorū eos liberabat. Statim vt fluui° hic clauditur, omnes riuuli ab eo procedentes desiccantur. Sic ecclesia sancta Dei præcipit medicis corporalibus, vt priùs gerant curam animarū eorum qui infirmantur, quā corporum: præcipientes, vt illius omnia ministrētur viatica sacramēta. ¶Discamus secundò patientiam habere in infirmitatibus & tribulationibus, considerantes peccata, quæ in Deū commisimus: & quod ea quæ patimur, digna sunt nostris flagitiis. Etenim si homines recordarentur, quibus digni sunt pœnis, ob quæ quotidie cōmittunt peccata nō conquererētur in infirmitatibus suis: nec grauiter & molestè ferrent pœnas, quas hîc patiūtur. Sciāt igitur homines peccatores, infirmitates & labores qui illis eueniūt, in pœnam peccatorum eis tribui. Ideò cogitandum tibi est si infirmus in lecto iaces, quod in pœnam tuorum peccatorum hæc tibi successit infirmitas. Quando autem proximos tuos ęgros videris, cogita illas infirmitates dominum ei misisse, vt eorum virtus probetur, & clariùs elucescat, & in testimonium suæ bonitatis & patientiæ. Ita dominus semper se habuit cum illis sanctis viris veteris testamenti, cùm Abel, Noë, Abrahā, Loth, Isaac, Iacob, Ioseph, Iob, Dauid, Tobia, Ieremia, & cū aliis multis iustis. His afflictio purgatio est reliquiarum, aut certè probatio Dei, qua manifestat se maximo amore erga tales affici. Corripit enim Deus, & flagellat filiū quē suscipit. Et Sapiēs, Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tētatio tribulationis. De quorum numero ij fuerunt, de quibus Paulus Hebr. ait, Secti sunt, tentati sunt, &c. Et Salomō, Et si corā hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis benè disponentur, &c. Hoc de proximis tuis iudicare decet, & credere, quòd immittit dominus illis tribulationes & labores, quia recti, & probi sunt: tibi autem infirmitates & dolores quia maioribus tormentis ob tua flagitia dignus es. ¶Discamus tertiò quam graue malum sit peccatum, quando illius tam acre est flagellum, vt est infirmitas paralysis, ob illud mittit. Si Deus in hac vita peccatum sic puniuit: quid in alia faciet? Quocirca tu qui dolores pateris ex aliqua graui infirmitate, vel stomachi, vel capitis, vel podagræ: recordare obsecro quàm grauiter Deus in alia vita in eos animaduertet, qui suam vitam peccatis contaminarunt: quandoquidem in hac sic eos puniuit. Vnde tuam mentem subibunt terribiles illi ignes inferni: & ita fiet, vt in odium & detestationem peccati prorumpas. Verum præter hanc doctrinam aliqua in his Christi verbis obseruatione digna sunt. ¶Primò, quàm liberalis & magnificus sit dominus, qui plura contulit beneficia huic paralytico quàm petebat; Ipse nāque solam corporis valetudinem desiderabat, & petebat: Christus verò & animæ & corporis restituit salutem. Sic Salomoni qui solam sapientiam petebat, dedit sapientiam & diuitias. Abrahæ, qui vitam tātum petebat Ismaeli dicens, vtinam viuat Ismael coram te: dedit illi Isaac, & reges orti sunt de Ismaele. Ezechiæ, qui vitam petebat, non solum dedit vitam, sed & addidit quindecim annos. Sic latro pēdens in cruce rogabat Christum vt eius memoriam haberet: quod non solùm donauit Christus, sed ęternam illam patriam, quam sancti martyres, & confessores mille passis tormentis, mille generibus ignominiæ sunt ingressi. Tres etiam reges pugnaturi contra Moab petierunt ab Heliseo vt rogaret dominum pro pluuia, quibus dixit dominus in manu Helisei, Hęc dicit dominus, Alueus replebitur aquis: & bibetis vos, & familiæ vestræ, & cūcta vestra. Parúmque est hoc in conspectu domini? Insuper tradet etiā Moab in manus vestras. Vide quomodo nō solùm aquam quam petebant, sed etiam victoriam donauit dominus

Marginal notes: Tob. 3. — Prou. 14. — 3. Reg. 18. — 3. Reg. 8. — Genes. 18. — Ion. 3. — Esa. 22. — De pæn. & remi. c. quum infirmitas. — Infirmitates non semper pœna peccatorum. — Hebræ. 12. — Eccle. 27. — Hebræ. 11. — Sapien. 3. — Plura Deus donat quàm nos petimus. — 3. Reg 19. — Gene. 17. — 4. Reg 20. — Luca 23. — 4 Reg. 3.

nus. Regulus etiam salutem filio petebat tantum: sed dominus & salutem filio dedit, & patri fidem *Exo.33.* quam non petebat. Sic Moses petiuit à domino vt suam gloriam videre illi concederet: ipse verò pollicetur vniuersa bona sua illi ostensurum. Non sic mundus qui magna promittit, largitur autem minima. Promittit vitam longæuam & fœlicem: cùm *Post nebula Phœbus.* breuis illa sit, & laboribus plena. ¶ Secundò obserua, quomodo quẽ Deus castigauit paralysi propter peccata, quomodo etiã postea eum cõsoletur, non solùm remittendo illi peccata, sed blandè eum alloquens, & filium vocans. Munus equidem, & officiũ boni pastoris est, mœstos ac tristes cõsolari: & quos superior corripit & arguit, vicarius inferior demul- *Deute.33.* cere debet. Sic in Deute. consolatur Moses Rubem *Genes.49.* potiùs quam alium, dicens, Viuat Rubem & non moriatur. Hunc filium pater Iacob grauiter corripuerat: quem substitutus Moses consolatur. Sic dominus qui Israelem corripuerat, consolatur eos per prophetas suos. Sic dominus postquã grauiter po- *Esai.40.* pulum suum arguerat, consolatur eum per Esai. dicens, Consolamini, consolamini popule meus, &c. *Deus in hac vita nostra placabilis, & post mortem nostram inexorabilis.* ¶ Tertiò expende quàm facilè Deus placatur. Vtinam homines tam facilè iram suam deponerẽt. Nemo est qui tam faciliter, & aliàs tam difficulter placetur sicut Deus. Audi Deum quasi nũquam iram suam depositurum. Non retrocedam neque parcã: *Ezec.24.* & non pœnitebit me. Et Ose. Ibunt cum bobus, & *Osea 4.* muneribus suis in gregibus suis, & in armentis suis vadent ad quærendum dominum: & non inueniẽt, ablatus est ab eis. Lege totum illud Oseæ caput & videbis Deum quasi nunquam placandum. Sed vide illum mitem, mansuetum, & blandum, & qui fa- *Iere.31.* cilè placatur, quique per Ierem. dicit, Nónne filius pretiosus est mihi Ephraim si puer delicatus ex quo *Esa.30.* loquutus sum de eo, &c. Et per Esai. Populus enim Sion habitauit in Ierusalem. Plorans nequaquam plorabis, miserens miserebitur tui. Ita dominus in hac vita facilè iram aduersus nos conceptam deponit nunc lachrymis, vel gemitu, vel cõtritione parcit peccatori, quantumuis inquinatus fuerit peccatis. At post mortem nũquam placabitur: fieri enim non potest, vt tecum sua benignitate & misericordia vtatur: nam etiamsi clamores extollas, si cœlum & terram inuoces, si sanctos omnes aduocatos interpelles, nihil proficiet, obturatas habebit aures. *Ezech.1.* Quocirca Ezech. propheta in mirabili illa visione dixit: quòd facies hominis & facies leonis à dextris ipsorum quatuor. Habet nanque dominus faciem hominis peccatoris qui in hac vita ad eum confugit: & habet etiã faciem leonis vt in eum animaduertat grauiter, nisi pœnitentiam egerit. Si igitur tu attẽte consideraueris Christi benignitatem & dulcia verba quibus infirmum alloquitur & eum consolatur: non dubito nisi quòd statim in manus suas te iactabis: nec tempus expectabis in quo illum inexorabilẽ inuenies, & implacabilem. ¶ Quartò aduerte quòd non satis erat dicere remittuntur peccata tua, nisi adderet tibi. Ac si diceret, Tibi remissa sunt peccata tua, absolutus ab eis manes. Quod deest tibi, vt satis facias, ego pro te rependam. Magna quidẽ solutio & precium pro satisfactione tuorum peccatorum erat necessaria: nam ex omni parte caperis à peccatis, & paralyticus es: at ego vt plenam faciam & integram satisfactionem, acerbissimam & ignominiosam crucem libenter amplectar, nam sola pœnitẽtia tua non est sufficiẽs. Sic Dauidi post-

quam pœnitentiã egit, dixit illi, Nathan propheta Dominus trãstulit peccatũ tuũ. In quẽ obsecro trã- *2.Reg.12.* stulit? In filiũ Dauid secundũ carnem, qui Christus redemptor noster est. Quasi dicat, Hæc satisfactio non sufficiẽs est, at cõiuncta cũ satisfactione Christi sufficientissima est. O beatum hominem, quem Deus liberauit à debito! quod soluturus erat in inferno. Vnde egregius vates, Beati quorum remissæ *Psal.31.* sunt iniquitates: & quorũ tecta sunt peccata. Primò dicit quòd sumus peccatores, nã aliàs non diceret, nisi beati qui non peccauerũt. Mundus beatos appellat diuites possidẽtes aurũ & argentũ: at Dauid eos beatos dicit, quib⁹ remissa sunt peccata. Beatus iste, qui audire meruit remittũtur tibi peccata tua. Quod idem tu audies si ad Christum abieris ea deuotione & fide qua hic incedebat, *Et caperũt cogitare scribæ & Pharisæi dicentes, Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Non audent manifestè loqui, timentes confundi à Christo: sed intra seipsos cogitabant & inuidebant. Obserua quàm dissimilem fructum miraculum istud attulerit. Pharisæis nanque scandalum erat, sed turbæ Deum laudauerunt: offendebantur, & in Christi humilitatẽ impingebant, quoniam nouerãt Deũ per prophetã dixisse. Ego sum, q deleo iniquitates *Esai.43.* tuas. In Christo autem videbant humanam fragilitatem: ideò credere minimè poterant, quòd peccata posset dimittere. Et talis de Christo cogitatio nunc etiam plurimos offendit, sicut illi qui de Saule dicebant. Nunquid poterit nos liberare iste? Sic om- *1.Reg.10.* nes infideles in Christo scandalizantur, & omnes mali Christiani: quoniam aiunt, A peccatis: & morte liberare poterit, qui nos in tantis periculis dereliquit? Alij autem dicunt, Quid solatij habere possumus ex promissionibus Christi, cùm contrarium experiamur? Sic offendit mundus ad Christi humilitatem. Ideò ipsemet ait, Beatus qui non fuerit scãdalizatus in me. Vide etiam quomodo ipsimet fateãtur Christum esse Deum. Quia si solus Deus po- *Matt.11.* test dimittere peccata, & hæc Christus dimittit, ergo Christus est Deus. Et quod dimittat probat ex miraculo facto, quia dixit quid est faciliùs, &c. Itaque Iudæi suam perfidiam produnt iudicio suo: vt opus astruant, personam negant. Ab ipsis etenim Christus Dei filius accepit testimonium: quanuis nec propter hoc crediderunt, quanuis apertum viderent testimonium. Perfidia nanque confiteri potest, credere autem minimè. Itaque testimonium non deest diuinitati, fides deest saluti. Nam firmiùs est ad finem quod cõfitentur inuiti, & perniciosiùs ad culpã quod negãt: quia nolunt credere in eum, quem ore confitentur esse filium Dei. Maxima igi- *Blasphemia quæ.* tur fuit horum amentia qui cùm cõfessi fuerint so- *3.Reg.18.* lius Dei esse peccata dimittere, non credunt Chri- *Esa.38.* sto, qui miraculo probat se peccata dimittere. Porrò blasphemia est quando Deo tribuitur quod ei non conuenit, vel negatur de Deo quòd ei conuenit. Blasphemia fuit illa Sẽnacherib cùm dixit, Non potest Deus vester facere quòd liberet vos de manibus meis. Et propter hanc blasphemiã occidit angelus domini in vna nocte de exercitu suo centum octaginta quinque millia. Et in lege veteri pœna *Leui.24.* mortis plectebantur blasphemi. Qui blasphemauerit nomen domini, morte moriatur. ¶ Expende au- *Temeraria sententia Pharisæorũ.* tem quod benè & malè loquuti sunt Pharisæi. Benè quidem quia blasphemiam abominãtur, & gloriæ Dei vindices sunt: malè autẽ, quia ex operib⁹ Christum

stum

stum non agnoscunt, sed temerè pronunciãt sentẽtiam. Exemplo ergo Pharisæorum oportet nos omnibus modis abominari blasphemos, & gloriam, quæ solius Dei est, alteri nõ dare. Pharisæi blasphemiã accusant, vbi blasphemia non est: nos verò impiissimos blasphemos accusare pudet. Deinde id maximè semper nobis cauendum, ne impiè aut temerè de quopiam iudicemus: aliàs nobis eueniet quod Pharisæis, qui blasphemiæ arguẽtes Christũ,
Leuit. 24. ipsi blasphemi facti sunt. Nam blasphemia erat dicere Christum non habere potestatem dimittendi peccata: quod peccatum quàm graue sit, vel videri potest in blasphemo illo, quem iussit dominus lapidare, per legem editam præcipientem, quod omnis
Matth. 12. blasphemus moreretur. Et per Matth. ait Saluator quòd spiritus blasphemiç non remittetur. Blasphemus nanque contumeliam infert Deo ipsi, cùm alij peccatores contumeliam faciant in rebus suis. Fur vel latro contumeliam irrogat Deo in possessionibus seruorum suorum, homicida in seruis suis, sed blasphemus in illum bonum diuinũ qui Deus est, contumeliã infert. Ideò maximè displicet Deo peccatum blasphemiæ. Non enim sicut alij peccatores præter intentionem blasphemi Deum offendunt, sed ex proposito & industria ipsum Deũ aggrediũtur. Nã alij peccatores appetunt delectationes, honores, vel aliud quippiã mundi, & vellent si possent his bonis mundi frui sine Dei offensa: sed blasphemus multò aliter: quia cõsultò & præmediatè contra Deũ insurgit. *Vt cognouit autẽ Iesus cogitationes eorum respondens dixit ad illos, Quid cogitatis in cordibus ve-*
Chrisost. ho. 30. in Math. *strũ?* Ex quibus Christi verbis nisi deprauato essent animo, poterant Pharisæi colligere Christum esse Deum, & posse dimittere peccata. Nam cùm solius Dei sit dimittere peccata, etiam solius Dei est cognoscere cogitationes hominũ. Solus etenim Deus
Psal. 7. regio testante vate, hominum cogitationes cogno-
1. Reg. 16. scit. Et dominus ad Samuelem ait, Homo videt quç
Hebr. 4. foris apparent, Deus autem intuetur cor. Paulus etiã huic consonat, Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Cùm igitur solius Dei sit videre hominum cogitationes: clarum est posse peccata dimittere: qui cogitationes videbat. Volens itaque Christus ostendere se posse peccata dimittere, voluit ad cogitationes respondere. Vnde tibi cogitandum est qui peccas in occulto, & existimas latere aliquid Deo, quod semper teipsum intuetur. O vtinam hęc aduerteret peccator & intelligeret! quod Deum habet inspectorẽ omnium, quæ agit. Multi corã Deo, multa facere audẽt, quos puderet ea coram hominibus ostendere. Existimat enim peccator quòd sicut ipse non videt Deum, quòd nec ipse videtur à Deo: & sicut ipse cæcus est, quòd ita etiã Deus habet oculos cæcos. Sed iam Christũ audiamus. *Quid est facilius dicere, dimittũtur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula: vt autem sciatis, quòd filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, tibi dico surge.* Videtur Christus nõ benè argumentari: nã maius est dimittere peccata quàm sanare infirmum: quia ad remissionẽ peccati necessaria est motio liberi arbitrij, quod vtique necessarium non est ad sanandũ corpus, grauius etenim est põdus in me, quod solus leuare non possum, quàm id quod nemine adiuuãte possum. Etenim vt vniuersum orbẽ cœlũ & terram conderet dominus non indiguit alterius ope, ipse solus sine alteri⁹ adiutorio cõdidit. Et idẽ dico ad sanandum quoduis ægrotũ corpus.

Ipse dixit & facta sunt. Nihil aliud est opus, quã sola Dei voluntas: nam statim vt vult, fit nullo cõtradicente, aut impediẽte. At vt Deus parcat peccatis non satis est si Deus velit: nam præter hoc requiritur ipsius peccatoris consensus, quandoquidem illo reluctãte nihil fieri in hac re potest. Ex quo manifestè liquet plus esse peccatorem iustum efficere: quàm vniuersitatẽ mundi condere. Et plus est huic paralytico peccata remittere, quàm paralysim curare. Ergo argumentũ Christi non valet, quia sic argumẽtatur, Possum facere quod min⁹ est, ergo possum facere quod maius est. Quia dicit possum sanare corpus, ergo & animam. Facit nãque istam consequẽtiam, Possum sanare hunc paralyticum ab infirmitate corporis: ergo possum sanare animam remittẽdo peccata. Ad quod responderi potest, quòd curare corpus isto modo scilicet imperatiuè, tibi dico surge, æqualis est potentiæ: quia sicut solius Dei est dimittere peccata, ita soli⁹ Dei est hoc modo sanare infirmum: nam tanta virtus requiritur ad faciendũ miraculum isto modo præcipiendo, sicut ad dimittendũ peccata: quia vtrunque est Dei. Præterea si sanare corporaliter accipiatur sub potentia naturæ creatç, quoad factũ & modũ, minus est sanare corporaliter quàm spiritualiter. Sed si accipiatur suprà posse naturæ creatæ & solitũ cursum, vel quo ad factũ, vel quo ad modum, sic æquè magnum est sanare corporaliter atq; spiritualiter. Sic in proposito iustificare maius dicitur, quã creare quo ad factum, sed quo ad modum faciendi potentiã facientis æquale est. Igitur vnũ miraculum non est maius alio ex ea parte, qua superat potestatẽ naturæ creatæ, quia fit per potẽtiam infinitam: & non est accipere in ea maius aut minus: & nullum est miraculũ quantumuis minimum quod non sibi postulet virtutem infinitã, quia aliàs nõ esset miraculum. Si autem cõsideretur miraculum ex parte rei in qua fit, vnũ maius altero potest dici: quia in aliis miraculis plus distat natura ab ipso opere, quàm in aliis. Vt si aliquis homo ignarus & nihil sciens in minimo tẽporis articulo efficiatur magnus philosophus miraculũ quidẽ est: sed si alius homo qui pœnitùs nec prima didicit rudimenta, omnes sciẽtias & sacram theologiam in temporis articulo percalleret, hoc vtique maius esset miraculum. Itaque ex parte potentiæ nõ est vnum miraculũ altero maius, quia res denominationem sibi asciscit ab eo, quod de per se est: non ab eo quod est de accidens. Quocirca benè argumẽtatur Christus, quia si authoritate mea possum hunc hominẽ in instanti sanare, possum etiam peccata dimittere. ¶ Aduerte autem quòd adhuc nihil probauimus, nisi quod ex parte potentiæ Dei vnum miraculum nõ sit maius alio: quodquidẽ difficultatem non euacuat: quia Christus argumentatur à maiori ad minus, quia vt esset bona cõsequẽtia argumẽtum in hunc modum deberet necti. Possum facere quod maius est, ergo quod minus. Possum leuare pondus duarum amphorarum, ergo & vnius potero. Igitur vt locus hic diui Lucæ benè explicatus maneat, & vt Christi argumẽtatio vim habeat, & robur operæpretiũ est: explicemus quomodo maioris potentiæ sit Christo corpus quàm animam sanare. Aliqui dixerunt, quòd sanare corpus secundum exteriorem apparẽtiam plus est, nam sanare corpus paralytici ipsis oculis cernebatur: at dimittere peccata, non ita: atque ita coram oculis istorũ maius videbatur opus corpus ipsum in pri-

Psal. 148.

Peccatorem iustificatio maius miraculum, quàm mundi creatio.

Maius nõ fit miraculũ corpus, an animam sanare.

ſtinam valetudinem reſtituere, quàm animam. Sed hoc vtique nihil valet: nam etiamſi corpus ſanare opus clariùs & euidétius eſſet, quia ipſis oculis cernebatur: at cùm Phariſæi fideles eſſent, & crederét quòd ſolus Deus poterat peccata dimittere: ſi oculis corporeis hoc non videbant, id tamen internis mentis oculis credebant: atque ita hoc opus, ſcilicet peccata remittere, difficillimum iudicabant, & ſolius diuinæ & ſupremæ potentiæ eſſe dicebãt: atque ita plus apud ipſos erat animam quàm corpus ſanare. Quapropter, ea qua nos poterimus breuitate probare conabimur, maius eſſe Chriſto corpus quàm animam ſanare. ¶ Ideò aduerte, quòd tantum poteſt Deus quátũ vult: & omne qđ vult, etiam poteſt. Omnia enim quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, & in omnibus abyſſis. Poténtia eius mẽſuratur ſua ſola voluntate: atque ita etiam ſi omnipotens ſit, hanc tamẽ omnipotentiã nõ extẽdit niſi ad id quod vult. Atque ita dum aliquid magis vult: magis ad illud omnipotẽtiam ſuã applicat: & ad id quod minus vult, minus potẽtiã ſuã applicat. Quod igitur dominus potiùs vult animę ſalutẽ, aut corporis? Manifeſtum eſt quòd animã potiùs ſanã cupit, & id vehementius deſiderat. Si igitur magis deſiderat ſalutem animæ, & eam magis vult, certum eſt quòd magis potentiam ſuam applicat erga ſalutem animæ: quandoquidem (vt modo diximus) potentię executio regulatur & menſuratur ſua volũtate. Ea igitur quę nos magis volumus & magis poſſumus, maiori facilitate operamur. Certum nanque eſt ſi amicus aliquis, quem ego ſummopere diligo, præciperet mihi vt pro eo vnius diei iter ambularem: me laborem illum nullum iudicaturum, ſuſcepturúmq; eum pro ſumma voluptate & oblectamento: nam amor, quo amicum meum vehementer proſequor, iter illud leuius & alacrius faceret. At verò ſi alius, cuius amicitiam nũquam inijui, idem iter pro eo ſuſcipiendum diceret, vtiq; ægrè & moleſtè ferrem id laboris pro eo ſubire. Hoc igitur non defectus potentiæ eſt: nam ita ſanus ſum, & ita valeo pro vno id iter ſuſcipere, quàm pro altero. Potentia enim eſt eadem. At quia plus vnum quàm aliũ diligo, inde euenit, vt maiori volũtate & conatu, maiori affectu & facilitate, pro vno laborem ſuſcipiã, quàm pro altero. Quod enim id tanto affectu faciã, ideò mihi faciliùs eſt. Ita in Deo eadem eſt potentia infinita, & omnia æquè faciliter operatur. At iuxta modum noſtrum loquẽdi (ſi quidem filius Dei hominibus loquebatur) facilius dicimus ei eſſe peccata dimittere, quàm ſanare corpus: nam magis optat animæ ſalutem, quàm corporis. Si igitur quod ipſe minus vult, ſcilicet corporis ſalutem, tam facilè id operatur, vt ſolo verbo, ſurge & ambula, ſtatim paralyticus ſanus fit: quantò meliùs & faciliùs peccata dimittet, quãdoquidem plus animæ ſalutem deſiderat, & potentiam ſuam magis ad hunc effectum extendit? Igitur ſi hoc quod minus vult, ſcilicet, ſanare paralyticum, tã facilè operatus eſt: multò meliùs ſalutem animarum operari poterit.

¶ Et ſatis probaſſe conſtat ex hoc miraculo filiũ Dei eſſe: quia miraculum factum fuit, ad probandũ quòd poſſet dimittere peccata. Ideò impoſſibile erat, vt fieret niſi verum eſſet illud ad quod inducebatur. Cauſa nanque miraculi conſideranda eſt. Nã ſi quis diceret, Petrus eſt ſaluatus, & ad hoc probãdum induceret miraculum, quãtumcunque minimum: eſſet hoc, ſcilicet, Petrus eſt ſaluatus veritatis infallibilis: quia Deus qui eſt infallibilis veritas adducitur in teſtem per illum miraculum. Sic Samuel dixit Iudæis, cùm oſtendere vellet eos peccaſſe petẽdo regem. Inuocabo dominum & dabit voces & pluuias: & ſcietis, & videbitis, quòd malè feciſtis petendo vobis regem. Et Helias dixit, Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo: & ita factum fuit. Hoc autem erat ad probandum quòd eſſet homo Dei. Cum enim omne miraculum à Deo ſit, & Deus nõ poſſit eſſe teſtis falſitatis: ideò miraculum non facit niſi ad confirmationem rei veræ. Sic autem hic contigit, quia Chriſtus dixerat, ſe remittere peccata: & induxit miraculum ad hoc probandum, ergo impoſſibile erat falſum eſſe quod dixerat. Quod manifeſtè patet, nam dixit, vt autem ſciatis quòd filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata, ait paralytico tibi dico ſurge, & ita factum eſt, ergo neceſſariò probauit ſe filium eſſe Dei. Nullus vnquã fecit miraculum, ad probandum quod poſſet peccata dimittere, niſi ſolus Chriſtus: ideò ex miraculis Chriſti etiam ſi nõ maiora eſſent quàm miracula prophetarum, ſufficiẽtiſſimè probauit eſſe Deũ, quia ad hoc probandum adducebantur. Ideò ipſe dixit Iudęis, Si non feciſſem opera quę nullus alius fecit, peccatum non haberent. Hoc eſt ea miracula feci ad virtutis meæ oſtenſionem, quæ nemo prophetarum fecit, ad oſtendendam ſuam potentiam, ſed ad Dei gloriam, vel ad alios fines. Hæc opera non poſſunt intelligi de ſola differentia magnitudinis operum ſuorum ab aliis: quia tũc potius crederemus aliquem illorum eſſe Deum, quàm Chriſtum: quia maiora opera fecerant aliqui quàm ipſe Chriſtus: vt Petrus, qui ſua vmbra infirmos ſanabat. Et dominus, Qui credit (inquit) in me, opera quæ ego facio ipſe faciet, & maiora horum faciet: tamen nemo apoſtolorum miracula faciebat ad oſtendendum poteſtatem vel deitatem ſuam, ſed ad oſtenſionem gloriæ Chriſti, & ad confirmationem legis quam prædicabant. Vnde Marcus, Illi autem profecti prædicauerunt vbique, domino cooperante & confirmante ſequentibus ſignis.

¶ Præterea quamuis Chriſtus (vt oſtendimus) hoc miraculo probauerit ſe eſſe filium Dei, tamen noluit apertè hoc dicere, ſed etiam filium hominis ſe vocauit vt magis occultum hoc eſſet, ne paſſio eius impediretur, nemo nanque eſſet qui Deum vellet occidere. Vnde Paulus, Si dominum gloriæ cognouiſſent, non vtique crucifixiſſent. Hoc autem eſſet maximum inconueniens: quia nos ſalui fieri non poteramus niſi per mortem Chriſti. Quocirca cùm beatus Petrus Chriſto dixit eum eſſe filium Dei, præcepit Chriſtus Petro nec cui hoc diceret: quia oportebat illum pati, & reprobari à ſenioribus. Ideò non apertè manifeſtauit ſe eſſe Meſſiam, aut Deum. Et licet Samaritanæ, aut cæco illi à natiuitate id dixerit, non ideo mors Chriſti impediebatur, ſecus autem ſi ſcirent Iudæi. Cùm autem iamiam morti eſſet proximus in publico manifeſtauit ſe eſſe Deum, nam quando ſacerdos interrogauit, eſſet ne filius Dei, clarè reſpondit dicens, Ego ſum. Quia iam ipſe benigniſſimus dominus rectè nouerat, quàm irati, quàm cupidi vindictæ eſſent aduerſus eum, qui quamuis tunc veritatem diceret, non ideò impediturì erant paſſionem, imò acriùs ſuam expleturi ſæuitiam, & crudelitatem putantes ſe filium Dei facere. Secundò nunc apertè hoc non dixit, quia magis ſcandaliza-

Marginalia: Pſal. 134. — Miracula ad confirmationem veritatis ſeruiunt. — 1. Reg. 12. — 4. Reg. 1. — Ioan. 15. — Act. 5. — Ioan. 14. — Mar. 16. — Leg. Aug. q. 17. in cap. 9. Matth. — Mat. 16. — Ioan. 4. — Ioan. 9. — Mat. 26.

lizarētur, & nemo audiret doctrinā eius, sed potiùs omnes simul ad occidendū eum insurgerent: nam aliquoties hoc obscurè etiā dicens ortū est ingens
Ioan. 8. scandalū, vt cùm dixit, Antequā Abrahā fieret, ego sum. Et cùm dixit, ego & pater vnū sumus, voluerūt lapides in eum reiicere, & causam lapidationis esse
Ioan. 10. dicebant, quia cùm homo esset, seipsum Deum faciebat. Ideò cautiùs hic fuit loquutus, & non ita apertè: tamē benè possent (si ipsi aduerterent) colligere eū esse filiū Dei. ¶ Expende etiā nō dixisse, ego possum dimittere peccata, sed filius hominis potest dimittere peccata: quòd ad laudem & exaltationē naturæ dixit, vt totā hominū vniuersitatē Christus ostenderet exaltatam, per illā humanitatē quā ipse assumpserat. Vt videatur, quod ista operatio cōmunicata est homini per vnionem humanæ naturæ ad
Matth. 26. diuinā personā, dicit filiū hominis. Sic Caïphæ re-
Matth. 24. spondit, Videbis filium hominis sedentem à dextris
Luc. 21. virtutis Dei. Sic significans potestatem iudicis sibi traditā super vniuersam creaturam dixit, Videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & maiestate. ¶ Deinde non dicit, potestatē accepit, sed habet: vt significet se æqualem esse Deo
Theophylac. in hoc loco. secundum naturā diuinam. ¶ Postremò obseruandum, quòd dicit, hāc potestatem habere super terram vt intelligas quòd Christus peccata dimittit his, qui sunt super terrā, & quandiu viuunt: quia si in mortali peccato decesseris & descēderis in abyssum, non vtique dimittet. Vide igitur quòd dùm in hac mortali peregrinatione ambulas, quantumuis peccatis coinquinatus fueris Christus tibi potest parcere, & peccata dimittere. Nam firma & stabilis est illa sententia. In inferno nulla est redemptio. Ideò sapiens admonet dicens, Memento creatoris tui in
Eccle. 12. die iuuentutis tuæ, antequā obtenebrescat sol. &c.
Tolle lectum tuum & vade in domum tuam. In domum suam misit illum, ne existimarēt Iudæi, quòd ei restituebat sanitatem, vt in ipsius obsequio & mini-
Matth. 8. sterio ambularet. Ideò Christus neminem eorum
Luc. 8. quos curauit, voluit habere discipulum (quamuis aliqui id rogauerunt, vt fuit ille, à quo legionē dæmonum expulerat) noluit mūdi saluator suum cōmodum quærere: sed nostram vtilitatē. Præthereà dicit, tolle lectum tuum, ac si dicat. Is lectus qui te infirmum sustinuit semper, & recepit: nūc tu eū portare debes humeris tuis, nam infirmos proximos adiuuare tenemur, cùm autem ipsi ab ægritudine valentes surrexerint tenētur etiam mutuum beneficium nobis præstare. Sic Paulus iubet, vt qui sani
1. Thess. 5. sunt & in integra valetudine infirmis laborēt. Dein de hoc mādato Christus miraculum illustrius reddit & celebrius: nam cùm præcipiat ferre grabatū, omnibus manifestum fiet eum verè sanatum: nam si membra firma & robusta non essent, nō vtiq; tulisset lectum. Declarat potentiam suæ diuinitatis, quæ neque temporum interualla, neque mortales respicit. Nam hoc medicorum ars præstare nō potest, vt homo omnibus membris destitutus in pristinum vitæ statum ad iubentis vocem restituatur: & ita sanus euadat, vt lectum possit ferre.

¶ Obserua autem quomodo gaudium huius paralytici obliuisci eum faciat lecti sui, cùm res admodum necessaria sit: vt necessarium sit, vt habeat qui id recordetur. In quo quidem sæpiùs aduertere soleo: quàm parū de supernis & cœlestibus, deque Deo ipso sentiamus: nam si aliquid horum degustaremus, vtique mens nostra tam ad eum eleuata esset, vt recordatore indigeremus: ad curandum ea quæ ad corpus attinent. Quòd gaudium in Romanis Paulus desiderabat, cùm dixit, Deus repleat vos Roma. 15.
omni gaudio, & pace in credendo, in virtute Spiritus sancti. Quid obsecro putatis esse, vt præceperit dominus primo nostro parenti, vt comederet? Nónne ipse sui haberet curā? Creauerat illum dominus in tanta perfectione & gratia, & dederat illi intellectum ita sublimem & in diuina eleuatum: vt accedens ad contemplationem tantum, & tam ingens sentiret gaudium: vt totus in Deum trāslatus nec comederet, nec biberet, quapropter præcepit illi, vt comederet. Si Deum degustaremus, non dubito quin omnia mandaremus obliuioni. Vnde ad conuiuium nos inuitans egregius Psaltes inquit, Psal. 33.
Gustate & videte, quàm suauis est dominus. Nam si terrenum gaudium ita facit homines suarum rerum obliuisci, vt recordatore indigeant, quid obsecro de gaudio illo supremo, & æterno dicemus? Quid de consequutione boni illius vbi nullus est iacturę timor, nullus metus ab alta dignitate & suprema cadendi? ¶ Denique aduertendum hic est, Obedientia
quòd duo dicit Christus huic paralytico. Primum, paralytici salutis.
surge: secūdo verò ait, tolle lectum tuum. Primùm delectabile erat & iucundum, posteriùs verò laboriosum & molestum. Priori mādato obediuit, item & secundò. Namq; quemadmodum hic obtemperauit in prosperis & iucundis: ita etiam in laboriosis, & molestis fecit. Sanum & valentem dulce erat, & iucundum: at molestum & graue lectum humeris ferre. At tu (quæ est malitia humana) Deo nō vis obedire nisi in his quæ palato tuo satisfaciunt. Nā si sacerdoti dederis beneficium pingue illud quidem & quòd multos habeat redditus, id sponte & alacri vultu acceptabit: quòd si illi dixeris aduerte hoc illi esse onus impositum, vt si opus fuerit ad administranda sacramenta, media nocte debes surgere, etiam si grandis pluuia cadat: in hoc quidem episcopo non vult obedire. Si etiam alicui dixeris, Visne ingredi hanc confraternitatem, in qua per anni discursum plurima cōuiuia fiunt, multæ epulæ: Libenter respondet, velle. At si illi dixeris, teneris in hac confraternitate semel, aut bis in anno flagellis cedi, neutiquam pactum acceptabit. Ita nimirum multi subditi prælatis obediunt præcipientibus ea quæ sibi arrident: in laboriosis autem & molestis minimè obtemperant. Samson vtiq; ille fortissimus in omnibus Deo obediuit. Nam cùm præciperet illi dominus vt tolleret portas Gazæ & Iudi. 14. &
in montē eas ferret: iussis obediuit. Præcepit etiam 15.
vt mandibula asini mille viros interficeret, & huic etiam mandato libenter obediuit. Eodē igitur modo quemadmodum in his honorificis rebus Deo obtemperauit, ita etiam in laboriosis obediuit: nam cùm iuberet illi dominus, columnas templi euelleret, & vt ibi cum Philistæis illis interiret (vbi Leg. Augu.
etiam de sua salute & de discrimine vitæ agebatur) lib. 1 de ciuit.
nihilominus tamen id mandatum spontaneus impleuit. cap. 26.
Obediuit vtique in prosperis & aduersis. D. etiam Paulus hanc diuinam regulam nolens prætermittere quemadmodum in honorificis obsequium præstitit, ita etiam in ignominiosis ab ea non discessit. Nam cùm illi diceret Agabo, quòd in Hie- Act. 5.
rusalem ligandus esset, & manibus, & pedibus, illis, qui dolentes flebant dixit, Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego non solum alligari, sed mori paratus sum propter nomen domini

domini Iesu. In omnibus Paulus obtẽperabat Deo: nos verò in salute & prosperitate illum laudamus, aliàs murmuramus. Nec erit ad hoc propositum inutile sanctissimi Iob exẽplum [Iob. 1.] qui cùm talis esset dicebat, Si bona suscepimus de manu domini, mala autem quare non sustinemus? Israelitici in prosperitate & fœlicitate dũ mortuos viderẽt Aegyptios, laudabant dominum & cantabant: at in tribulatione cũ indigebant victu aduersus dominũ & aduersus Mosem murmurabant. [Exo. 15. Exod. 16. 2. Cor. 6.] Vnde Paulus Corinthios admonet tã in prosperis quã in aduersis benefacere. Per arma iustitię à dextris & à sinistris, per infamiã & bonam famã, &c. Sic iste in prosperis & aduersis obediuit: & fecit quòd Christ⁹ imperauit.

¶ Demum discamus ab hoc paralytico non solùm credere, sed etiã à peccatis resurgere, & in via mãdatorum Dei ambulare: nec vnquam quiescere, donec ad domũ nostram, & veram patriam accedamus. Non satis est ei credere, sed opus est surgere, ambulare, & laborare, & omnibus suis præceptis obedire. Vt autem videas, quàm promptè obediendum sit Deo, audi quid vlteriùs noster euangelista dicat, [Psalm. 120.] *Et confestim consurgens coram illis tulit lectum, in quo iacebat, & abiit in domum suam magnificans Deum.* Sequutus exemplum illius regij vatis, qui dicebat, [Amicitia & fauor mũdanus inconstans.] Benedic anima mea domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Optima quidem ratione, meritò paralyticus hic hos versus Deo canere posset: quia à suis iniquitatibus illũ liberauit, & sua peccata dimisit: & integram corporis valetudinem illi restituit. Nos verò cur potiori iure hæc nõ canemus: quos quotidiè à tantis periculis tam animæ quã corporis eripit? Iã audisti euangelistã dicẽtẽ, quòd quando hic paralyticus infirmus iacebat nemo illorum qui in domo erant locũ ei dabat vt ad Christum posset transire: quousque super tectũ ascenderunt: nunc autẽ quãdo sanus est, omnes locũ concedunt, & absq; impedimento trãsit. O execrandã mundi consuetudinẽ & regulã: qui pauperẽ infirmum egenũ, & mẽdicum à suo cõsortio reiicit, nec illum agnoscit, nemo ei subuenit, nemo fauet, omnes eum cõtemnunt, & tanquã stercus reputãt! Nam si pauper in miseriam abit, in egestatem, vel in lapsum: vt citiùs cadat omnes adiuuant. At si sanus est, diues & fœlix: omnes illi fauent, vt vlteriùs in diuitiis & fœlicitate proficiat. Nescit mũdus fauere nisi eis qui fauorẽ habẽt: deiicere autẽ abiectũ, & humiliare humilẽ. Huic paralytico cũ infirmus erat & in lecto iacebat non concedebant locum, vt transiret: nunc verò cùm sanus est omnes discedũt & dant locum vt transeat. Meliorẽ locum nunc inuenit, quã cũ infirmus erat. Quã doctrinã vt manifestã intelligas sacræ paginæ exẽplo eã tibi ostendã. Nã cùm Ioseph afflictus esset, cõtẽptus, & in carcerem detrusus: nemo erat, qui illius recordaretur, & [Genes. 40.] pincerna Pharaonis etiã obliuioni eũ tradiderat, & fratres eũ vendiderant. At postquã honoratus fuit, & in amplissimã dignitatem euectus omnes illi genua flectebant: [Genes. 14.] & fratres eius ipsum adorabant. Et præter hæc populus Israel cũ vixit Ioseph in summo honore habebatur & æstimabatur in Aegypto: & in potiori sortè terræ viuebat: at mortuo Ioseph, [Exod. 1.] & fauore perempto quẽ cum rege habebat, statim mundus incœpit Israëlem persequi. Vnde aduertas oportet, quòd si multi nunc qui te diuitẽ vidẽt, fœlicẽ, & prosperum, vel in aliquã dignitatẽ constitutũ, honorẽ tibi summũ præstant: vide ne cœcus sis, & lippos habeas oculos: nã certiorẽ te facio, quòd hi qui maximè te honorant nunc, si de diuitiis, si de dignitate, aut officio cecideris, ij inquã priores erũt qui pedis ictu te cuntẽ in præcipitiũ adiuuabunt. Quòd igitur ex his omnibus cõcludo, id est, ne hominũ laudibus & honoribus capiaris: nã ad vtrãuis autẽ se flectũt, & is (aiunt) viuat, qui vincit. *Et stupor apprehendit omnes, & magnificabãt Deũ.* Magnificabant inquam Deum, qui talẽ potestatẽ dedit hominibus, vt possent peccata dimittere, & vnico verbo infirmos curare. Hãc eandẽ mirabilẽ potestatẽ dedit sacerdotibus qui Christi vices gerunt in terris: & ligandi atque absoluendi habent potestatẽ. [Ioan. 20.] Mirabilis quidẽ potestas, quã non habent angeli in cœlo, neque sancti, nec beatissima virgo Maximo igitur honore afficiendi sunt sacerdotes, qui talẽ habent potestatem, & corpus Christi consecrant, & fidelibus tradunt. Prætereà isti Deũ ampliùs magnificarent, si attenderent, quam dederit Deus hominibus potestatem, scilicet, vt filij eius sint. Dedit (inquit Ioannes) eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. [Ioan. 1.] Nec hoc solo cõtentus: de facto etiã filios Dei nos fecit, testante Ioanne. Videte (inquit) qualem charitatẽ dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus. [1. Ioan. 3.] *Et repleti sunt timore dicentes, quia vidimus mirabilia hodiè.* Mirabilia inquiunt, quia duplex miraculum fecerat: alterum sanando animã, alterum verò sanando corpus. Ideò meritissimè Esaias appellauit illum admirabilẽ, [Esaia 9.] quia multos in admirationem rapuit suis prodigiosis operibus & miraculis. Vnde regius vates in Psalmo, [Psal. 138.] Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.

¶ Obserua etiam quòd Pharisæi, qui inuidi erãt, [Similis simili gaudet.] videntes mirabilia Dei murmurabãt: populus verò gaudebat, & magnificabat Deum. Sic boni lætantur in his quibus cruciantur impij. Vnde Dauid agens Christi personã. [Psal. 11.] Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur. Nã si tanta est vis in naturalibus (vt Ambrosius ait) [Ambr. ser. 10 in Psalm. 118.] vt visum animal prosit ictericis, ita vt cornu huius animalis mortui prodesse dicatur his, qui in similem passionem deuenerint: quantò obsecro plus iusti aspectus proficiet? Si enim vilẽ animal tantam habet virtutem vt exiguo temporis momento hominem sanare possit: quomodo Christus, & quilibet alius vir sanctus ac iustus maiora horũ non faciet Eis nãque qui Christũ fideliter videre desiderant diuinã infundit virtutem: atque ita isti, qui recti & studiosi erant, lætati sunt. & stupefacti in iusti visione, & miraculorũ operatione. Ideò dicunt, vidimus mirabilia hodiè. Viderunt & lętati sunt. An ne omnes: Nõ inquã: sed qui timẽt te. Non Pharisæi, sed turbæ. Nam quemadmodum pudicitiæ amator gaudio afficitur, si fœminam vel virum pudicum videat: & sicut castus castitatem seruantẽ diligit: & sicut liberalis & magnificus alium liberalem virum desiderat sibi comitem, & sapiens sapiẽtem: ita ex diametro vir castus impudicũ torquet, liberalis auarum, & sobrius voracem & ebrium. Nam si prodesse dicimus mutum animal cùm videtur, ita obesse percipimus lupum si ipse nos priùs viderit. Nam ij, quos priùs lupus videt, vocem feruntur amittere. Aiunt etiam Basiliscum si quodcunque viderit priùs animal, id interficere, si homo visu præuidetur. Sed ipse serpens mori dicitur

citur si priùs eum homo viderit. Ergo si tanta virtus oculis serpentis vel hominis inest, vt si alter alterum viderit, possit occidere: quanta maior virtutis efficacia erit in oculis hominis iusti? Viderũt ergo illũ turbæ, & læti sunt atq; exultauerũt dicẽtes, Quia vidim⁹ mirabilia hodiè. Ex his igitur omnibus vt aliquid succi tibi maneat, aduerte, vt semper inuidiã fugias, & bonis fratrũ tuorũ gaude, & Dei magnalia cõsidera. Sed iam hæc satis sufficiant de hac historia: nunc de conuersione apostoli Matthæi, Lucã nostrũ differentem audiamus. *Et post hæc exiit, & vidit publicanũ nomine Leui sedentẽ ad teloneum, & ait illi.* Non fortè aut casu Christus ad eũ accessit locum, sed secũdùm suũ æternum propositum, quo ad suam gloriã, & ecclesiã, & apostolicam dignitatẽ augendã æterna sua prædestinatione hunc apostolũ præordinauit eligere. Vnde videre oportet, quomodo nos cũ non Christum quæramus, nec inueniamus: ipse nos tãquam perditos & errãtes quærit, *Rom. 11.* & inuenit. Tantũ igitur beneficiũ, & tantã gratiam admirantes cũ Paulo dicamus. O altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei, quã incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius. Sed iam singula verba huius contextus veniunt expendẽda: nã vnumquodq; suã emphasim secũ affert. Primò igitur ait quòd exiit: quod quidẽ magnũ argumentum est diuinæ bonitatis. Nã cùm Deus sciat se ita magnũ esse & incõprehensibilem, vt nos non possimus eũ attingere: ipse ad nos venit, & nos quærit. In quo amor diuinus erga nos ostẽditur. Elegit nos ab æterno, sed nõ nostris meritis, sed sola sua bonitate & gratia, Et vidẽs, quòd nos, quos oportebat *Ephe. 1.* ipsum quærere nõ quærimus, ipse venit ad nos. Cũ enim mortui essemus in peccato, Deus, qui diues est in misericordia sua nos viuificauit: Quòd quotidie nos experimur, nã sæpiùs sanctis inspirationibus nos vocat, pulsat, & quærit, inquiẽs, Aperi mihi spõsa mea, colũba mea, soror mea, &c. Et iterum. Solue vincula colli tui, captiua filia Siõ. Nõ possimus ad Deũ ire, nisi ipse priùs ad nos venerit, & nos vocauerit. Quocirca opus est, vt nos in bene- *Cant. 5.* dictionibus dulcedinis præueniat, sicut præuenit *Esaia 52.* Matthæũ. Ipse enim exit, & venit ad nos: vt nos ad *Psal. 20.* eũ possimus tendere. Alius quoq; euãgelista ait, ꝙ cũ transiret inde Iesus: noluit detineri in teloneo, neq; in domo negotiationis: quia in via peccatorũ non stetit, nec sedit in cathedra pestilẽtiæ, sed transibat, vt etiã Matthæus inde trãsiret. Tũc enim trã- *Matth. 9.* sit Iesus & in trãsitu peccatorẽ videt, quãdo eũ vo- *Psalm. 1.* cat per internã inspirationẽ. Nõ facit in eo mãsionẽ, donec inspiratio impleat opere: sicut Matthæus sequens suo conuiuio detinuit illũ. Discamus detinere Iesum ne prętereat. Væ illis, iuxta quos iterũ atq; iterũ Iesus transit, & non detinetur. Væ horum falsæ spei, qui cõfidunt in longitudine vitæ. ¶ Secũdò dicit euangelista, ꝙ vidit Iesus publicanũ. Ea est so- *Videre Christi est corda mouere.* lis virtus & natura vt penetrãs viscera terræ aurum & multa alia metalla generet. Sic virtute radiorum Christi, aurum fidei generatũ productũ est in corde huius apostoli. Nullus alius sensus aptior est vt trãsferatur imago rei visæ in aliã rem quã visus. Ita visus amantis qui vehementissimus est trãsfert cor amati in ipsum. Solent namque hanc ob causam ij qui se nimio amore diligũt quodam pudore effundi si se in viam, coniectis alter in alterum oculis intueantur. Et huius rei nõ est alia ratio nisi quia naturaliter si valdè intuemur quos diligim⁹, nos ipsos in dilectos transferimus. Ita Christus cũ hunc apostolum aspiceret, formatus mansit. Non enim vidit Matthæum sicut solent alij homines videre: nec vidit illum, sicut vidit Pilatum, Annam, & Caipham, & reliquos carnifices. Nam in hoc loco, sicut & in aliis multis scripturæ locis videre Christi nihil aliud est, quã corda mouere, & suã gratiam impartiri. Sic vidit & respexit Petrum, Andræam, Iacobũ *Matth. 4.* & Ioannem, Nathanaëlem, & hunc discipulũ Mat- *Ioan. 1.* thæum. Quibus etiã oculis misericordiæ & beni- *Genes. 12.* gnitatis vidit Abraham in Chaldęa, Loth in Sodo- *Genes. 19.* ma, Israëlitas in Aegypto, Zachæum in arbore, Pe- *Exod. 3.* trum in domo Caiphæ, latronem in cruce, & Paulũ *Luc. 19.* in itinere Damasci. Qui Christi aspectus ita perspicacissimus est, vt carnem penetret, sanguinem, ossa, spiritum, atque animam. O fœlix intuitus, de quo beatus Matthæus id dicere posset quod dixit Agar, *Marc. 14.* Tu Deus quia vidisti me, &c. *Act. 9.* Nec est iste intuitus Christi, simplex aliqua hominum cognitio: *Gen. 16.* sed est interioris cordis dulcissima & suauissima penetratio, quæ animam tãgit, & vulnerat: ita vt suo intuitu sanctorum mentes illustrauerit, vt in ipsum crederent: voluntatem ita inflammauit, vt ipsum amarent: animum ita perfecit, vt suis semper vestigiis illum insequerentur. O quàm diuinus, & mirabilis intuitus fuit hic: nam eo solo fecit vt Matthæi cor totum tremeret. *Iosue. 10.* Si stetit sol mandato Iosue, & clãgore tubarum diuino iussu muri Hiericho ceciderunt: non mirum (quandoquidem Dauid inquit, à *Iosue. 6.* facie domini mota est terra) vt solo Christi intuitu Matthæus pauescat, & tremat. Ideò iterum inquit regius vates. Qui respicit terram & facit eam tremere. *Psal. 113.* Quemadmodũ sol suorum radiorum virtute calefacit terrã, & eam pinguem reddit, & in ea generat multos fructus & herbas: *Psalm. 130.* ita etiam oculi domini qui (vt ait scriptura lucidiores sunt sole) multò *Eccle. 23.* fertiliorem & abundãtiorem reddiderunt animam huius apostoli, solo namque suo intuitu sol iustitiæ Christus redẽptor noster in anima huius apostoli amplissimas diuitias generauit. Vtinam Christus sic nos videat, vt corda nostra vulneret suo intuitu suisq́ue oculis quasi hamo nos capiat, atque ad eum sequendum amandúmque commoueat, sicut hunc Apostolum commouit. ¶ Tertiò dicitur, quòd vocabatur Leui, Et ipse Matthæus quia hanc suam vocationem scripsit nominat seipsum, dicens quòd vocabatur Matthæus. *Matth 9.* Habebat namque beatus apostolus duplex nomen: Matthæus, scilicet, & Leui. At magis cõmune nomen illi erat Matthæus: sed Lucas & Marcus vt sanctum honorarent euangelistam nominãt illum Leui, Ipse verò suæ humilitatis causa vocat seipsum Matthæum: quòd nomẽ magis notum & familiare illi erat. *Prouerb. 2.* Nõ lætatus Matthæus in peccatis, sicut illi, de quibus scriptura ait, quòd lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis: sed narrat sua peccata, vt Christi bonitatem ostendat, & suam misericordiam commẽdet. Sicut nos volentes aliquem magnum & peritum medicum laudare, solemus morbos ingentes quos curauit in medium adducere, vt clariùs eius peritiam & experientiam demonstremus. Sic Paulus sua peccata commemorat, vt Christi bonitatem exaltet, dicens, Christus Iesus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. *1. Tim. 1.* Et alibi, Ego sum minimus apostolorum, qui non sum di- *1. Cor. 15.* gnus vocari apostolus: quoniam persequutus sum Ecclesiam Dei, gratia autem eius sum id quòd sum.

Commen

Commendat Dei misericordiam, quæ omnia mala nostra & grauissima peccata superat, & lato antecellit discrimine: atque ita is idem de quo Dauid in Psalmo inquit, qui cõuertit petram in stagna aquarum & rupem in fontes aquarum: statim vt aspexit Matthæum illum conuertit, & ad se quasi magnes attraxit. Vndè egregius psaltes diuinitus canens ait
Psalm. 67. domino, Lingua canum tuorũ, ex inimicis ab ipso. Quasi dicat, Canes inimici crudeles ecclesiæ, amici eius & defensores facti sunt. Lingua canis cõmoda & vtilis est, ad reparandum id quod dentes perdiderũt. Nulla est sanior medicina quã si canis vulnus ipsum lingua tangat. Mordaces canes fuerunt ecclesiæ sanctæ, Paulus, Matthæus, Augustinus, & multi alij qui suis morsibus ecclesiã dilaniabant, & persequebantur: at posteà suis linguis illam curarunt, & sua prædicatione maximam illi vtilitatem attulerunt, docentes, & suis codicibus vtramque paginam illustrantes, &c. Quintò autem aduertendum hic est officium vel artẽ quã Matthæus exercebat. Sedebat etenim ad teloneum teloneiõ Græcè mensa erat publicanorum in qua vectigalia soluebantur. Peccabat Matthæus ex auaritia, ex cupidine, & amore nimio pecuniarum. Vnde publicanus erat, cuius erat munus vectigalia regis, & redditus colligere: atque ita habitabat Capharnaum, quæ ciuitas erat maritima, vbi maxima vectigalia exigebantur, eorum omnium, quæ mari vehuntur. Explicans autẽ euãgelista quo vitio esset coinquinatus Matthæus commendat medicinam mirabilẽ, quàm supernus & cœlestis medicus illi apposuit. Nam cum minus remedij habet infirmitas: maiorẽ gloriam & honorem sibi comparat medicus qui eã curat. Nullum igitur vitiũ est ita incurabile, quódque fortiùs & tenacius hominẽ teneat, quàm auaritia. Possessio nãque diuitis auari plus durat, quàm ipse, quocirca dùm viuit non soluitur neque relinquitur à peccato auaritiæ. Secundò quia pluribus stipitibus est ligatus, & multiplici funiculo detentus: quia non solùm amore proprio sed etiam amore filiorum est implicitus.
Exempla peccatorum nos erigũt in spẽ veniæ. ¶ Expende autem quòd dominus voluit peccata sanctorum suorum manifestari: vt nos de venia, & misericordia eius nõ desperemus. Nam videntes quòd dominus maximos peccatores illustres & sanctissimos viros reddiderit, & sui regni compotes fecerit: fiduciã nobis prębet, quòd etiam & nos possimus vitam & gratiam adipisci. Etenim cùm tu videris quã liberaliter famosissimo latroni regnum suum dominus donat:
Luc. 7. quámque misericorditer & benignè Magdalenam suspicit, & pro eo pharisæo respondet: cúmque etiã vides quæ mirabilia dominus operatur cùm carnifice Christiani nominis Saulo, & sanctæ Ecclesiæ
Acto. 9. persequutore, & quomodo se cum Petro habuerit,
Marc. 14. qui tanquam ignotum & inimicum Christũ negat quare obsecro hæc omnia audiens nõ de sua diuina misericordia confides: Nam si ciuitas aliqua aduersus dominum cõiurationem faceret: rex autem ita benignus esset & misericors, vt non solùm ciui, qui coniurationis totius caput fuit, liberaliter parceret, verum etiã in domo sua regia duo præcipua officia & munera donaret: nónne reliqui ciues populares magnam veniæ & condonationis spem cõciperent. Nimirum, nam rex ita benignus qui præcipuo traditori non solùm parcit: verumetiam eũ honorat: credẽdum est, non negaturum veniã reliquis ciuibus, qui tanta non sunt digni culpa. Si igitur tu iam audis & vides quomodo insignem auarum vt Matthæum quærit, aspicit, & peccata dimittit: & non solùm dimittit, sed in apostolum & euangelistam eligit: quid est quòd nos de diuina misericordia & benignitate desperabim⁹? O quàm bonus rex, & quàm clementissimus dominus hic est, qui non solùm peccata condonat, verum ipsos peccatores summis honoribus exaltat, &c. Sed Christum Matthæum vocantem audiamus, & dicentem illi, *Sequere me.* Videas obsecro quomodo Christus sit qui priùs nos quærit: & non solùm qui priùs nos quęrit, sed qui ad nostram conuersionem priusquam nos incipit loqui & vocare. Vbi aduertere debes quòd non ex meritis Matthæi, sed ex Roman. 9.
sola sua gratia vocatus est à Christo: iuxta illud Pauli, Non volentis est, neque currentis, sed miserentis Dei. Ex vno atque eodem fontè omnium vocatio proficiscitur. Etenim nos omnes gratia Dei vocati sumus, non ex operibus & meritis nostris præcedentibus. Vnde beatus Paulus, Gratia estis saluati per fidem: idque non ex vobis. Dei donum Ephe. 2.
est, non ex operibus, ne quis glorietur. Item Deus (inquit) saluos nos fecit: & vocauit vocatione sancta non secundum opera nostra: sed secundũ suum propositum & gratiam, quæ data quidem est nobis 2. Tim. 1.
per Christum Iesum. Consideremus itaque bonitatem Dei in nobis, laudemúsque illum super misericordia sua dicentes cum regio vate, Quomodo Psalm. 102.
miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se. Recordatus est quoniam puluis sumus, &c. Vnde nihil salutis meritis tribuendum est, aut alicui creaturæ: sed soli Christo omnem iustitiam nostram tribuamus. Vnde Baruch propheta, Domino Deo nostro iustitia: nobis autem con- Bar. 1.
fusio faciei nostræ. Si vocauit Matthęum id sua misericordia fecit, &c.

¶ Aduerte autem quòd non sit facta mentio de vocatione omniũ apostolorum, nisi horum quinque, scilicet Petri, Andreæ, Iacobi, Ioannis, & Matthæi: quia hi tantum vocati sunt à Christo. Nam apostoli non diuersis temporibus, aut diebus electi sunt in Apostolatum, sed vnico tantum die, & ideò non est vnus apostolus antiquior altero in apostolatu: quamuis in vocatione sit, aut in ingressu scholæ domini: nam Christus venientes ad se recipiebat, & sic cõgregauit magnum numerũ discipulorum. Posteà verò quadam die in vnum locum eos omnes congregauit, & ex omnibus hos duodecim elegit, quos apostolos nominauit. Cæteri autem manserunt in gradu discipulorum & posteà ex illis assumpsit sibi septuaginta alios discipulos. Luc. 6.
Singulos autem istorũ non vocauit ad se Christus, sicut hos quinque, quos iam retulimus: quia plurimi eorum visis Christi miraculis veniebãt ad eum, Luc. 10.
& fortè rogabãt, vt eos in discipulos haberet. Hoc patet in illo scriba qui dixit, Magister sequar te quocunque ieris. Sic Philippus qui posteà aposto- Matth. 8.
lus electus est, Christum sequutus fuit. Sic Natha- Luc. 9.
nael, Igitur quia tantum hi quinque apostoli voca- Ioan. 1.
ti sunt, reliqui autem ad Christum venerunt: ideò solùm illorum quinque vocatio scribitur. Si autem Ioan. 1.
aliqui vocati fuerunt, illa fuit leuis vocatio, sicut de Philippo, quem Christus inueniẽs dixit, Sequere me. *Et relictis omnibus surgens sequutus est eum.* Non Iaco. 2.
surdus auditor, sed factor operis extitit. Surrexi Psalm. 138.
& adhuc tecum sum. Hæc duo verba maximæ fuerunt virtutis: nam, illis auditis, statim surgens

gens ſequutus eſt eum. Non eſt mirum ſi ſolis præſentia gelu reſoluatur. O diuini verbi mirabilẽ efficaciam vt hæc duo verba, ſequere me: magis vinctum & ligatum attraxerũt beatum Matthæũ quã ſi duabus cathenis deuinceretur. Cuius verbi Dei *Pſalm. 28.* mirabilem virtutem expreſſit Dauid dicens, Dabit *Chryſ. hom. 33. in Matt.* voci ſuæ vocẽ virtutis: videbãt enim (vt diu⁹ Chryſoſtomus ait) aliquid diuinum apoſtoli in vultu Saluatoris, atque ſequebantur eum attracti Chriſti aſpectu: cum quo quem volebat ipſe, ad ſe attra- *Ezech. 11.* hebat. Nam ſicut in Ezechiele habetur, quòd cùm eleuabantur cherubin, eleuabantur etiam rotæ: ſic viri iuſti & charitate excellẽtes Chriſtum ſequuntur, cùm eos vocat, & attrahit voce virtutis ſuæ.

Peccatorum duo genera. ¶ Duo ſunt peccatorum genera, alterum eſt hominũ, qui imbecillitate naturæ in aliqua dilabũtur delicta, & hi faciles ſunt vt cõuertantur: hos dominus ſui diuini amoris igne conuertit mittens illis ſanctas inſpirationes, & dicẽs, Vide ô homo, quòd habeo gloriam, beatitudinem, gaudium, diuitias denique nunquam perituras, &c. Sic cõuertit Dauidem, Paulum, Petrum, & Matthęum, & Magdalenã. Aliud eſt peccatorum genus procaciſſimũ, meretricia incedens fronte, & dura ceruice, quos dominus conuertit turbine, & grãdine infirmitatum, laborum, & afflictionium. Talis fuit rex Manaſſes, & omnes hi, qui conſtituti in infirmitatibus & tribulationibus Deum quæſierunt. Quocirca Dauid *Pſalm. 17.* in Pſalmo, Intonuit de cœlo dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam: grando & carbones ignis. Quã- *Exod. 14. 4 Reg. 19. 1. Mac. 9.* do autem nullo modo conuerti volunt, vide quid Pſalmographus dicat, Et miſit ſagittas ſuas & diſſipauit eos: fulgura multiplicabit, & cõturbabit eos. Sic euertit Pharaonem, Sennacherib, Antiochum, & Iudam. Intonuit itaq; altiſſimus vocem ſuam, & *Matth. 27.* vocauit Matthæum: quem attraxit igne dilectionis ſuæ, & ſurgens ſequutus eſt Chriſtum. ¶ Aduerte rogo, quid Chriſti viſus & aſpectus fecerit. Statim vt dominus Matthæũ aſpexit, ſolutum eſt iugũ diaboli: & ſtatim Matthæus ab aſperrima dæmonis ſeruitute liberatus eſt, & Chriſtũ ſequutus. Quẽadmodũ ſi in dura cera ſigillo ſint impreſſa alta mœnia, turres & mõtes: hæc omnia diſſoluuntur, ſi radiis ſuis ſol aduenerit. Sic mundanæ opes, imperia, magiſtratus, & honor & gloria mundi, ſi in corde hominis depicta fuerint: ſi ſol iuſtitiæ Chriſt⁹ aſpiciat, vt aſpexit cor Matthæi, ſtatim colore diuini amoris diſſoluũtur, & in nihilum abeũt. Quocirca *Pſal. 85.* Dauid domino ait, Reſpice in me, & miſerere mei. *Leuit. 26.* Et dominus in Leuitico, Reſpiciam vos (inquit) & creſcere faciam. Ita ſuo aſpectu & duobus his verbis dominus Matthæi voluntatem inclinauit, ac ſi ex neceſſitate id fieret, quãuis liberè. Ita dominus vehementi amore cor eius mouit: vt meliꝰs ei videretur obedire, quàm omnia quæ habebat, & habere poterat: ideò nihil ſe facere putauit relinquẽs omnia, & ei vni adhærendo, vt vocantem ſequeretur.

Domino vocanti obtemperandum, ſtatim vide Chryſo. hom. 31. in Matth. ¶ Ex quo loco primo prælati, paſtores, & omnes principes diſcant, ſtatim, vt à domino fuerint vocati, ei libenter obtemperare: nam apoſtoli, & beatus Matthæus non pigri fuerunt, aut multoties vocari expectarunt: at ſemel vocati ipſi domino paruerũt. Nã prælati qui ſucceſſores ſunt apoſtolorum, non expectaturi ſunt vt Chriſtus eos multoties vocet, tanquam populum imperfectum: at ipſi, vtpotè qui perfectionis ſtatum habent, ſtatim Chriſtũ ſequuturi ſunt, vt fecerunt apoſtoli, quandoquidem eorũ ſucceſſores ſunt: ac proindè imitatores. Vnde dominus in Numeris præcepit Moſi, quando conflare *Num. 10.* iuſſit duas illas argenteas tubas. Si ſemel (inquit) clangueris venient ad te principes, & capita multitudinis Iſrael. Sin autem prolixior atq; cõciſus clãgor increpuerit, mouebũt caſtra primi qui ſunt ad orientalem plagam. Aduerte obſecro quomodo ad primũ clãgorẽ tubæ vult dominus vt omnes principes, & duces adueniant: at poſteà multiplicatis clangoribus omnis multitudo populi exibit. Ita prælatus ſtatim vt vocatur à domino, ad eum debet accedere: & tam in hoc quàm in aliis, quæ ad obſequium Dei ſpectauerint omnibus aliis priores eſſe debent, & coram ſubditis incedere. Nos etiam omnes poſt paſtores noſtros ſequamur Chriſtũ vocantem: & ne ſimus pigri. Nam magna gloria (vt inquit Eccleſiaſticus) eſt ſequi dominum: longitudo enim *Eccle. 23.* dierum aſſumetur ab eo. Sic gloriatus eſt Ieremias *Ierem. 17.* dicens, Non ſum turbatus te paſtorem ſequens, & diem hominis nõ deſideraui, tu ſcis: quoniã omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes à te in terra ſcribentur: quoniam dereliquerunt venã aquarum viuentium. ¶ Diſcamus etiã ex Matthæo *Mundo renũciandum, quia fallax.* vana mundi contemnere & deſpicere: nã tempore maioris neceſſitatis deſerent nos diuitiæ & opes. Ideò cùm eis te habere debes, quẽadmodum cùm exercitu militũ fit, de quibus pręſumitur & colligitur quòd traditores sũt, aut quòd in potiori, & periculoſiori parte belli terga debẽt inimicis vertere. Ita nimirũ mundũ hunc relinquere debes antequã ipſe te relinquat: ſiquidem fallax eſt & mendax, & omnes ſuos amatores irridet. Contẽne & relinque illum dum viuis: quandoquidẽ te ipſum conſtitutũ in mortis articulo relinquere debet. Si autem hæc quæ proſequimur non agnoſcis, ſi eius vanitatem non intelligis, ideò eſt: quia ipſum mundũ nõ vides, cauſa verò cur illũ nõ videas eſt, quia in ipſo ambulas, & ipſum diligis. Nam quemadmodum corporeus oculus videre non poteſt, ſi aliqua nõ ſit diſtãtia inter ipſum & rẽ viſam: ita hi, qui in mundo ſunt ipſum mundum videre non poſſunt: quoniam nullum eſt interuallum inter ipſos & mundũ. ¶ Aduerte autẽ quòd ita eũ relinquas vt nihil ſuarũ rerum tecũ feras. Iacob fugit de domo Labã: Sed Rachel *Geneſ. 31.* ſecũ tulit idola Labã, quia pręteritarũ imagines voluptatũ nõ ita citò delentur. Sed eas ſecũ ferre ſolet, is qui mũdũ fugit, & ſequitur Chriſtũ. ¶ Docemur etiam quomodo gloria potiùs ſanctis actionibus & operibus attingitur quã verbis. Legimus enim quæ fecerit Matthæus, non quæ dixerit. Quod dixit nihil fuit, quod autẽ fecit, multũ: quãdoquidẽ omnia reliquit, & Chriſtũ fuit ſequutus. Perfectio nãque Chriſtiana nõ verbis, ſed operibus cõſiſtit: nec cœlũ verbis rethoricis, & elegantibus emitur, ſed ſanctis operibus. Etenim ſancti gloriã adepti ſunt pauca loquentes, & multa bona operantes. Vt autẽ intelligas bona opera non defuiſſe Matthæo, audi quod ſequitur. *Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo ſua.* *3. Reg. 19.* Heliſęus vocatus ab Helia fecit conuiuiũ ſociis ſuis, ſic nũc Matthæus conuiuiũ fecit Chriſto, & ſociis ſuis amicis, & publicanis. Sed quomodo Chriſtus ex vſuris comedebat? Et quomodo ſi reliquit omnia, fecit conuiuium? Facta copia à Chriſto in domum ſuam reuerſus eſt, & diſpoſuit omnia ſua negotia, & reddidit rationem officij ſui, reſtituit quæ debebat: & derelictis diuitiis & omnibus bonis ſuis, fecit conuiuiũ Chriſto, vltimũ valè mũ-

do

do dicẽs:& poſtquam omnia vendidit & dedit pau
peribus Chriſtum eſt ſequutus,& poſt ipſum abiit.
Magnum vocatur hoc conuiuium,quia ſplendidũ
fuit & opulentum:ſed certè ſplendidum erat: quia
potiùs ſpiritualiter, quàm corporaliter Chriſtum
Luc. 15. Matthæus reficiebat. Et verè magnũ hoc conuiuiũ
appellari poteſt,quia ex eius reliquiis angeli ſatiã-
tur in cœlo:quia gaudiũ fit in cœlo ſuper vno pec-
catore pœnitentiam agente. O homo peccator at-
tende,quòd in manu tua eſt Chriſto magnum face
re conuiuium: quandoquidẽ potes offerre illi cor
tuum humiliatum,& pœnitens. ¶ Obſerua etiam
quomodo Chriſtus Matthæum honorat,& illũ ſu-
ſpicit, quãdo ipſe Matthæus Chriſtum honorauit,
Pſalm. 138. & magnificit. Vnde Dauid meritò dixit,Nimis ho-
norati ſunt amici tui Deꝰ. Audiuit Matthæus vocẽ
Chriſti,& obediuit ei. Chriſtus ingreditur domum
ſuam ad manducandum cum illo. Et aduerte quòd
Chriſtus Matthæum inuitauit dicẽs,ſequere me,&
Matthæus inuitauit etiam Chriſtum in domo ſua:
& quia Matthæus Chriſtum audiuit, ipſe exaudi-
tus eſt à Chriſto: & quia Matthæus Chriſti conui-
uium acceptauit, etiam Chriſtus Matthæi conui-
uium ſuſcepit. Vis ne vt dominus faciat quæ ab il-
lo petis,& rogas? fac tu etiam quod ipſe præcipit.
Audi tu Deum:& ab ipſo vtique exaudieris. At ſur-
dus tu es diuinis inſpirationibus,vocaris ab eo, &
audire non vis,& inquit, ſequere me:& reluctaris.
Quomodo igitur vis, vt ipſe te clamãtem exaudiat:
Vocas illũ,& non præſtat tibi aures: quia tu ab eo
vocatus non reſpondiſti. Vult dominus, eadẽ mo-
neta tibi rependere:nam quemadmodum ad illius
voces obturatas habebat aures, ita etiam ipſe tuis
nunc clamoribus eas claudit. Vnde per ſapientem
Prou. 1. ait, Vocaui & renuiſtis. Sequitur, Tunc inuocabũt
Eſai. 59. me & non exaudiam. Et Eſaias, Ecce nõ eſt abbre-
uiata manus domini vt ſaluare nequeat: nec auris
eius aggrauata eſt,vt non exaudiat: ſed iniquitates
Ierem. 4. veſtræ,&c. Et Hieremias, Nos iniquè egimus,& ad
iracundiam te prouocauimus: idcirco tu inexora-
bilis es. Quia igitur Matthæus, Chriſto obediuit &
exaudiuit eum:ideo Chriſtus conuiuium acceptat.
Mũdus prodigus in conuiuiis diuitũ, ſed parcus erga Chriſtum. ¶ Obſeruandum præterea eſt tunc verè te audiſſe
vocem domini,& ſequutum fuiſſe Chriſtum: quã
do ſenſeris te in omnem proximum eſſe benefacto-
rẽ:nã ſtatim vt incœpit Matthæus Chriſtum ſequi,
illicò amore & charitate proximorum exarſit. Cla-
rum & apertum ſignum eſt, quod Deum audieris:
ſecũ proximis charitate incipias vti. Amor quippe
diuinus ocioſus non eſt, vbicunque eſt operatur.
3. Reg. 19. Sic Eliſeus poſtquam inſiluit ſuper eũ ſpiritus do-
mini,ſtatim occidit duos boues:& coxit carnes eo-
rum,& dedit eas populo. Oportet autem cũ Chri-
Matth. 25. ſtum in domum tuam receperis magnũ facere con
uiuium:hoc eſt,cùm pauperes afferre volueris, &
eis cibũ præſtare(in quibus ſe recipi Chriſtus con-
feſſus eſt)liberaliter hoc faciendũ eſt. At nũc multò
aliter fit:nã in mundi conuiuiis & vanitatibus non
ſolùm liberales,ſed prodigi ſunt homines: vbi verò
propter Chriſtum aliquid fieri oportet: parum eſt
quod pro ipſius obſequio expendatur, aut ita exi-
guũ vt pudori & conuitio potiùs dandum ſit, quã
Exod. 32. laudi id quod impẽditur. Sic illi Iſraëlitæ ad idolũ
conſtandum liberales fuerunt,quia obtulerunt mo-
nilia,& annulos & aurea multa:ſic homines in mũ
di ſeruitio liberales ſe & magnificos oſtendunt, cũ
Chriſti verò pauperibus parciſſimos & auaros.

Non ſic Matthæus qui magnum conuiuium Chri-
ſto appoſuit. *Et erat turba plurima publicanorum & alio-
rum qui cum illis erant diſcumbentes.* Vide quomodo
cùm Matthæus Chriſtum ſequitur, alij multi eius
exemplum ſequuti,poſt Chriſtum abeunt. Quan-
do aliquis princeps,vel aliquis ex optimatibus po-
puli aliquod illuſtre exemplum virtutis edit: ma-
gnum commodum & vtilitatem affert aliis popu-
laribus hominibus. Nam cùm conuerteretur Mat-
thæus, qui ex optimatibus erat in Capharnaum,
ſtatim poſt ſe multitudinem duxit, & magnam
præſtitit vtilitatem. E contrario autem ſi iſti opti-
mates malè viuant,& ſi vitiis & peccatis ſe inuo-
luunt, pernicies ſunt & peſtis totius reipublicæ:
quia ſecum plurimos in infernum ducunt. Ita Ie-
roboam ſecum tulit plurimos in infernum quos *3. Reg. 12.*
conflauit vitulis aureis. Et Abimelech cum ſcidit
ramum arboris,& dixit quod me videritis facere: *Iudi. 9.*
citò facite. Omnes idem fecerunt: & ſequebantur.
¶ Expende autem quòd quatuor veræ iuſtificatio-
nis ſigna in beato Matthæo hîc videmus. Primò nã
que ſurrexit. Opus eſt priùs à peccatis reſurgere. Si
mortui(inquit Apoſtolus)ſumus peccato,quomo- *Roma. 6.*
do adhuc viuemus in illo? Secundò, ſequutus eſt
eum. Non enim ſufficit mala non agere: niſi quis
(vt inquit Gregorius)ſtudeat bonis operibus inſu- *Greg. hom. 13. in euang.*
dare. Vocauit nos (inquit Paulus) in ſanctificatio- *1. Theſ. 2.*
nem. Tertiò, gratias egit pro acceptis donis:& ideò
parauit conuiuium, quaſi gratus exiſtens vocanti.
Quocirca diuus Paulus inquit, In omnibus gra- *1. Theſ. 5.*
tias agite. Quartò, quòd Matthæus fecit fuit pro-
ximum adiuuare:nam adduxit alios peccatores vt
ipſi etiã conuerterentur. Sic Andræas adduxit Pe- *Ioan. 1.*
trũ ad Chriſtum. Sic etiã Dauid poſtquam de ſeip- *Pſalm. 33.*
ſo dixit: Benedicam dominum in omni tempore,
ſtatim inuitat proximos ſuos dicens. Magnificate
dominum mecum,& exaltemus nomen eius in id-
ipſum. Sponſa etiam in Canticis poſtquam dixit *Cant. 1.*
ſponſo trahe me poſt te:alios voluit ſe cum addu-
cere,atque ideò ſubdidit. Curremus in odorem vn-
guentorum tuorum. Hæc enim vera charitas ſecũ
habet, vt alios ſecũ adducere velit. ¶ Vide etiã quo
modo Matthæus munus incipit exercere,quod po-
ſteà habiturus erat. Futurus erat apoſtolus & euã-
geliſta,& ſua prædicatione multos ad Chriſtũ alla-
turus:quod iam incipit facere ſtatim in ſuæ voca-
tionis exordio. Iam incipit oſtendere, quàm ma-
gnus & excellens temporis progreſſu futurus erat.
Sed cũ aſtutus dæmõ ſemper eos perſequatur, qui
ſe ſub vexillo Chriſti committunt, & mali ſemper
bonos perſequantur, audi quid nunc dicat euãge-
liſta. *Et murmurabant phariſæi & ſcribæ eorum dicentes* *Amb. lib. 5. in Lucam tomo. 5.*
ad diſcipulos eius, Quare cum publicanis & peccatoribus
manducatis ac bibitis? Serpentina vox hæc eſt. Hãc pri
mam vocem ſerpens emiſit dicens Euæ, Cur præ- *Geneſ. 3.*
cepit vobis Deus ne de ligno vitæ comederetis? Pa-
rentis ſui diaboli venena diffundunt, qui dicunt,
Quare cum publicanis,& peccatoribus manduca- *Quæſtio.*
tis, & bibitis? Sed forſitan alicui videbitur hanc
fuiſſe iuſtam murmurationem:quia in multis ſacræ
paginæ locis ſocietas & amicitia cum impiis repre
henditur. Dauid enim de ſeipſo ait, Superbo & in-
ſatiabili corde cum hoc non edebam. Et in Prouer *Pſalm. 100.*
biis ait Salomon, Ne comedas cum homine inui- *Prouer. 23.*
do. Et Paulus ſcribit Corinthiis,cum ſimilibus nec *1. Cor. 1.*
cibum ſumendũ fore. Si de cibo præcipuè ſic pro-
hibetur in ſcriptura: cur Chriſtꝰ & apoſtoli come-
debant

Solutio. debant cum publicanis & peccatoribus? Ad hanc & similes authoritates respondetur, quòd loquuntur de peccatoribus pertinacibus & induratis in malo, qui correctionem contemnunt: non tamen de illis qui conuertuntur, vel proximi sunt vt conuertantur. Hi nanque benignè suscipiendi sunt, vt semper in bono proficiãt. ¶Obserua etiã hanc murmurationem non fuisse aduersus discipulos, sed aduersus Christum. *Math. 9.* Nam vt Matthæus explicat in suo euangelio, *Aug. lib. 2. de consensu euang. ca. 27.* murmurantes dixerunt discipulis. Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Nec est vlla contradictio inter euangelistas, quia Lucas narrat verba Pharisæorũ: Matthæus autem animum & intentionem: quia in facto discipulorum magistrum calumniabantur, qui idem faciebat. Nec lis erat aduersus discipulos, aut odium: sed aduersus Christum. Qui mos murmuratorum est, vt non ei malum dicant, aut reprehendant qui deliquit: sed alteri, qui ipsi delinquenti referat. *Murmurantium affectiones.* Mihi de te malum narrant, & tibi de me idem renunciant: & sic contrario & inuerso ordine semper ambulant. Pharisæi quãdo eis videbatur Christum errare, discipulis id dicebant: cùm verò discipulos errare putabant, magistro id dicebant. Ità cum discipuli illotis manibus mẽsæ accubuerunt: *Math. 15.* ad magistrum tendentes, dixerunt, Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus cùm panem manducant. Nunc autem quando videtur eis quòd Christus errat, dicunt discipulis, Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister? Quod magistro dicturi sunt, dicunt discipulis: quod autem discipulis, magistro referunt. O quot quantíque sunt hodie imitatores pharisæorum: mundus nanque scatet hominibus zizaniam seminantibus, susurronibus, & murmuratoribus. Nam quod malum in proximis vident non illis id dicunt, vt seipsos emendent: sed murmurantes aliis narrant, & sic proximorum famæ detrahunt. Et sunt multi, qui ad te veniunt murmurantes, & prælato detrahentes: quod si aliquid tu de prælato dixeris, statim ad prælatum abeunt, & omnia, quæ dixisti, illi narrant. Teipsum præsentem laudant, absentem verò vituperant, & detrahunt cum aliis, tecum autem de aliis murmurant. O hominum genus execrandum qui dæmonis filij sunt, inferni carbones, Pharisæorum discipuli, Dei inimici: & quos angeli, homines, & bruta *Prou. 6.* ipsa abominantur. Vnde Salomon in Prouerbiis, Sex sunt quæ odit dominus, & septimum detestatur anima eius, &c. Hoc autem est, qui seminat inter fratres discordias. *Et respondens Iesus dixit ad illos, Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent.* Quis erat sanus? nullus certè nam totus mundus iacebat *Christus verus medicus.* ægrotus. Qui sunt ergo illi qui sunt sani? Pharisæi & Scribæ qui seipsos existimabant sanos, cùm maiores essent peccatores: & alios despiciebant, & improperabant. His non medicus venit: quia solos eos visitat qui suas infirmitates agnoscunt & medicum vocant. Caue etiam & tu ne sicut Pharisæi iustum & sanum te iudices: hæc nanque superba cogitatio medicum è domo eiicit & expellit. Quare Dauid sanatus est: Quia infirmum se esse cognouit, *Psalm. 6.* & dixit medico, Sana me domine, quoniã infirmus sum. Et alibi petiit misericordiam & addidit dicens, *Psal. 50.* Quoniam iniquitatẽ meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper. Non, inquam, egent qui sani sunt medico. Relinquite igitur me-

artem meam & officium exercere: quia medicus sum, hi autem se ægros esse cognoscunt, & suorum peccatorum veniam poscunt. Non mihi detrahatis quia honestum est, & medicum decet, cum ægris esse, & illos visitare: cui autem hoc minus decẽs videtur, insanus potiùs est, & elleboro purgandus veniet. Quod idem etiam nunc hoc tempore consueuit facere: quòd si quã magnus medicus sit, & quã expertus, videre cupias, oculos cóuerte ad tot tantásque ægritudines, quas in hoc mundo curauit. Solent periti & experti medici, quando in aliquam ciuitatem abeunt, ibi mansuri: quærere aliquos infirmos, qui ægritudines patiantur incurabiles: vt in his ægritudinibus suæ artis peritiam & sciẽtiam demonstrent. Grauis quidem infirmitas est auaritia, nam vt inquit Paulus est idolorum seruitus. Et hac ægritudine Matthæum laborantẽ curat Christus. *Ephe. 5.* Præterea reliqui medici alias infirmitates curant, alias verò non: quia nec omnia sapiunt, nec omnia possunt. At de Christo ait regius vates, Qui *Psalm. 102.* sanat omnes infirmitates tuas. Denique alij medici sanitatẽ tribuunt, sanguinem emittẽdo, venas scindendo, & potiones amaras dando: & præter omnia hæc pecunias volunt. At Christus qui cœlestis medicus est ipse potiones amaras suscipit, & sanguinis *Esai. 53.* missiones, vt nos sanemur. Verè languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. Nos fructus vetitos comedimus, ipse verò felle & aceto in cruce potatur. Nos pleni eramus malis humori- *Genes. 3.* bus: ipse verò in horto sanguineo cruore madefit. *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Non intelligas quòd Christus inuenit aliquos iustos. Vera quippe est sententia Pauli, Omnes peccaue- *Rom. 3.* runt. Et psalmus, Omnes declinauerunt, simul in- *Psalm. 13.* utiles facti sunt. Sed intelligendum est non veni vocare iustos, id est confidentes suæ iustitiæ, sicut Pharisæi, quibus Christus hæc dicebat: & quales erant illi, de quibus Paulus. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere: iustitiæ Dei *Rom. 10.* non sunt subiecti. Sed peccatores, id est, desperantes de omnibus viribus, & conatib. suis, totóque animi desiderio gratiam diuinam expectantes. Hos Christus cœlestis & diuinus medicus curare venit, quales erant illi publicani & peccatores. Omnes erant peccatores, & omnes Christus vocabat: sed vocare Christus hic effectum appellat: quia non omnes ei obtẽperabant, scilicet Pharisæi, qui arrogãtia pleni sese iustos existimabant. Hos nanque & similes istis non venit Christus vocare per effectum & cõsequutioné salutis: nã quo ad efficaciam Christus non est mortuus pro istis: *Vide Amb. lib. 5. in Lucam.* quia propter eorum superbiam mors Christi nó profuit illis. Igitur hos Scribas & Pharisæos vocat Christus iustos, nó quia iusti fuerint, sed secundum existimationem & apparentiam eorum. Mos enim est scripturæ (vt Hie- *Hier. super c. 28. Iere.* ronymus ait) multa dicere iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur: non autem iuxta id quod rei veritas cótinebat. Sic dicit Ieremias quòd *Iere. 28.* Ananias propheta tulit cathenã de collo Ieremiæ: & hic non erat propheta sed pseudopropheta. Vocauit autem illum prophetam, quia talis in populo *Luca. 2.* existimabatur. Sic Ioseph vocatur in euangelio pater Christi iuxta opinionem vulgi, vt Hieronymus ait contra Heluidium. Et idem Hieronymus super Matthæum dicit contristatum Herodem propter mortem Ioannis Baptistæ, non quia verè contristabatur, cùm potiùs gauderet: sed quia hoc discum- *Hier. lib. 2. cõmen. Matt. ca. 14.*

Ezech. 21 bentes putabãt. Sic intelligendum puto illud Ezechielis, Perdam ex te iustum & impium. Iustos vocat hypocritas: nam verè iustum nō perderet Deus simul cum peccatore: vt ipsemet testatur ad Abraham loquens. *Genes. 18* Et in Ecclesiaste, Et iustus, qui periit *Eccles. 7.* in iustitia sua: non quòd iustus sit, sed quòd sibi iustus videatur. *Hier. lib. 2 comment. in Esa. 14. 26.* Atque ita exponit Hieronymus, Sic Paulus stultam fecit mundi sapientiam, per prædicationis stultitiam. Mundi sapientia stulta prorsus est. Stultitia prædicationis vocatur iuxta hominum existimationem. *1. Cor. 1.* Lege Dionysium de diuinis *Dion. ca. 7.* nominibus pulchrè de re hac disserentem. Itaque infirmi & malè habentes erant Publicani, qui se peccatores esse fatebantur: & Pharisæi sani & iusti, quia sic ipsi credebant & alij sic existimabant. ¶ Diligenter aduertendum est, *Aug. lib. 2. de cons. euang. cap. 27.* quòd Christus non fuit contentus solùm dicere non veni vocare iustos, sed peccatores: sed addidit ad pœnitentiam. Quibus verbis ostendit ad quid venerit vocare peccatores: non quidem vt perpetuò peccatores sint, sed vt ex peccatoribus pœnitentes fiant. Nō vocat obstinatos Pharaones, & induratos peccatores: sed pœnitentes. Multi sunt, qui peccãt, & dicunt, Deus peccatores vocare venit. Vtique venit vt salui fierent peccatores, sed eius aduentus parum aut nihil proficiet tibi & aliis similibus qui semper in peccatis sedentes iacent. Propter illos peccatores venit, & eos vocat: qui se conuertunt ad eum. Attende quòd vocat, sed ad pœnitentiam. Peccatores, qui pœnitentiam agunt, ij sunt, qui effectum suæ vocationis consequuntur, & in quibus diuina vox operatur.

Vocatio Christi & mundi diuersa. ¶ Præterea ad pœnitentiam vocat: vt intelligas quòd Christiana religio crux est, & pœnitentia. Non vocat Christus ad delicias, non ad opes, non ad honores & dignitates: sed ad pœnitentiam. Vocat mūdus, & vocat Christus: sed diuersimodè. Ille ad oblectamenta, & carnis spurcitias: hic autem ad pœnitentiam. Per hanc renouatur turpis animæ *Esai. 1.* imago, & hãc à nobis exigit Deus: & propter illam promittit, se veniam nobis concessurum. Vnde per Esaiam ait, Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabũtur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt. Duos apposuit colores, qui difficiles sunt vt tollantur: vt nobis significaret, quòd quantumuis peccata in nobis inualuerint, quantumuis vegetata fuerint inueterato more, diuina gratia, & nobis pœnitentiã agentibus mundi erimus, & quasi nix & lana dealbabimur. Vnde videre licet quod ad pœnitentiam te vocat Christus, non ad delicias. Si persequutiones pateris, labores, & infirmitates: si in tribulationibus & angustiis constitutus fueris, recordare obsecro hæc domini verba, & memento te ad pœnitentiam esse vocatum. Hæc nanque Christiani gloria & laus est pro Christo persequutiones pati. Et in hoc gloria- *Galat. 6.* batur Paulus dicens, Mihi autem absit gloriari nisi *2. Cor. 12.* in cruce domini nostri Iesu Christi. Et iterum, Si gloriari oportet, in infirmitatibus meis gloriabor. *At illi dixerunt ad eum, Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum, tui autem edunt & bibunt.* Discipuli Ioannis cùm Pharisæis hoc dixerant, videntes gloriam Iesu, & ipsius miraculis inuidentes, quæ Ioannes non fecerat. In hoc autem peccabant, Primò, quia se cum *Matth. 3.* Pharisæis immiscebant, quos nouerãt condemna- *Ioan. 1.* tos à magistro suo Ioanne. Secundò, quia Christo calumniabantur, quem magister suus Ioannes adeò laudauerat. Tertiò, se ipsos iactãtes de ieiunio. Videbant Ioannem ieiunãtem & credebant in hoc summam perfectionis consistere, & longè erant à veritate, & maximè errabant, eò quòd in ieiunio perfectionem constituebant. Non ieiunabat Ioannes vt per hoc solùm iustus efficeretur, sed quia iustus erat ieiunabat: hócque externo ieiunio alios ad veram pœnitentiã adducere volebat. Sed isti ex ieiunio alios iudicabant & contemnebant non ieiunantes: cùm Paulus doceat, Nemo vos iudicet in *Coloss. 2.* cibo, aut in potu, aut in die festi, &c. Et ad Romanos, *Rom. 14.* Qui non manducat, manducantem non iudicet. Sic nos iudicamus tanquam trãsgressores præceptorum Dei eos, qui constitutiones & leges nostras non seruant, iudicantes illos ethnicos & peccatores: quia idem quod nos, nō faciunt. Optimum est ieiunare, & ecclesiasticas sanctiones obseruare: sed in his omnem collocare & reponere fiduciam, impium est & ineptum, si Dei dilectionem negligas. Christus hanc iustitiam docuit, non solùm coram hominibus, sed maximè coram Deo, ob idque se medicum vocauit. Officium nanque boni medici est causas morbi radicitùs euellere: nam si pœnitùs sanus non fuerit infirmus, citò in eãdem recidit infirmitatem: nam si externa tantum curat, nihil vnquam perfectè sanabit. Sic vera iustitia nō est vt externè pietatem proferas, internè autem animus vitiis scateat. Nec verus animarum medicus est, sed seductor, qui docet tantũ quæ externæ pietatis speciem habent, his neglectis quæ animam rectam & mundam reddunt. Hinc est quòd Christus vt optimus medicus docuit: quæ cor rectificant, scilicet mundi gloriam contemnere, voluptates negligere, opes spernere, tollere iram & inuidiam, inimicos diligere amare Deum, patriam illam beatam ardenti quodam & flagranti amore desiderare. In his vera iustitia consistit, quæ qui adimpleuerit facilè ieiunabit, & alia exteriora opera efficiet. ¶ Expende autem quòd quando dixerunt, quòd discipuli Ioannis ieiunabant, addiderunt: loquendo aũt de discipulis nō dicunt, nō orãt, sed tantũ, non ieiunãt: quia sciebant, quod discipuli orabant, & Christus docuerat eos orare. Si ergo sciebant quòd apostoli orabant, satis erat dicere, nos ieiunamus: tui aũt nō ieiunãt. Sed quia isti arrogantissimi erant cùm de seipsis loquebãtur, quamuis nihil ad rem faceret, addiderũt orationem, seipsos laudantes. Sed denique loquentes de discipulis, tantũ de ieiunio loquuti sunt. Sic & nunc multi sunt, qui vt aliquid proponant, vel vt ad aliquam obiectionem respondeant illis factam, mille res adducunt ad propositum nihil pertinentes, sed in suam laudē eas adducunt, & suam omnē vitam, suasq; oẽs actiones studiosas narrant, ita vt audiẽtibus fastidio sint: qui vel vnico verbo ad propositũ respondere possent, suam causam defendendo: & veritate, & iustitia seipsos excusare, nō tantis ambagibus adductis, facientibus in ipsorum laudes quæ nec ad propositũ, nec ad rem faciũt, corũ, quæ ab eis interrogantur. Quæcunque vel etiã si leuissima fuerit occasio satis illis est, vt incipiãt se ipsos laudare. Sic Saul reprehensus a Samuele quare *1. Reg. 15.* reuersus esset ad prædam: poterat respondere quòd causa immolationis tulit populus primitias Amalech: sed antequam hæc diceret in sui ipsius laudem multa impertinẽtia protulit. Audiui (inquit) vocem domini, ambulaui in via per quam misit me dominus, & adduxi Agag regem Amalech, &c. ¶ Porrò

obsecra

obsecratio est cũ in petitione vel oratione aliquid sacrum commeretur. Græcè enim antiboleo sonat, per sacrum rogo. Acsi ad Christum fundens preces, diceres, Per passionem tuam rogo.

¶ Aduertendũ est etiã quòd discipuli Christi nõ ieiunabãt ieiuniis supererogationis: quia Christus volebat ad se trahere multos discipulos: atsi multa ieiunia illis imponeret, pauci id possent tollerare, quia difficilia & ea quæ sunt magnæ perfectionis non à multis sed à paucis obseruantur. Secũdò fuit propter infirmitatẽ eorum & imperfectionẽ: quia *Rom.15.* tunc noui erant, & si grauia onera illis imponerentur fortè sustinere non possent, & ab eo recederent. Tertiò fuit, quia Christus voluit ostendere, quòd status nouus quem ipse instituebat, non erat sicut antiquus, quia homines non erant iustificandi ex operibus legis veteris instrumẽti, sed ex fide Christi formata charitate. Ad ostendendum ergo excellentiam status, quem Christus prædicabat, non debebat grauia hominibus onera imponere. Sed Christum respondentem audiamus. *Quibus ipse ait,* *Christus spõsus, Ecclesia sponsa.* *Nunquid potestis filios sponsi, dùm cùm illis est sponsus facere ieiunare: venient autem dies, & cùm ablatus fuerit ab illis sponsus tunc ieiunabunt in illis diebus.* Ioannes Christum vocauit sponsum. *Ioan.3.* Qui habet spõsam sponsus est. *Ephes.5.* Ecclesia sponsa illius est, quam Christus sibi exhibuit mundam & immaculatã: & vniuersalis hæc ecclesia vnica appellatur virgo, quæ Christum vnicum etiam sponsum habet. Despondi enim vos vni *2.Cor.11.* viro virginem castam exhibere Christo. Est autem matrimonium inter Christum & istam virginem, vt inquit beatissimus Paulus, Sacramentum hoc magnum est inter Christũ & ecclesiam. Filij spõsi sunt *Ephes.5.* Christi discipuli, & omnes, qui in Christũ crediderunt. Nã omnes, qui intra ecclesiã aqua spiritus sancti & fide renascũtur, efficiũtur filij Christi per hãc *Ioan.3.* fidẽ. Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri his qui cre- *Ioan.1.* dunt in nomine eius, Quos omnes Christus spiritualiter gignit. Tunc ergo nõ oportebat discipulos ieiunare propter cõditionem temporis: quia luctus cum gaudio nõ conuenit. Quia aliud est tempus ridendi, aliud est flẽdi. *Eccles.3.* Ieiuniũ autẽ ad luctũ pertinet. Totum autẽ tempus quo Christus secũdum carnis præsentiã mansit cũ discipulis gaudiũ quoddã ingens fuit, & magna festiuitas. *Act.1.&2.* At post passionem in *2.Cor.6.* Actis sæpè dicitur, quod erant ieiunãtes & orãtes. Et Paul. in omnibus exhibeamus nos, &c. In fame, siti, & ieiunio. *Dicebat autẽ & similitudinẽ ad illos. Quia nemo cõmissurã à vestimento nouo immittit in vestimentum vetus: alioquin & nouũ rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo.* His verbis Christus significat quòd his, qui quotidie vsque ad satietatem comedunt & bibunt, nõ cõuenit statim in ipso cõuersionis exordio magnã abstinentiã illis imponere. Tales erãt discipuli, quapropter paulatim ad perfectiora ducẽdi erant: vt degustata spirituali dulcedine fortiores fierent ad corporis afflictiones perferendas. Docentur etiam hoc loco confessarij, ne statim carnalibus peccatoribus grauia iuga imponãt. Est enim opus eos, qui minus perfecti sunt, paulatim ducere: exẽplum diui Pauli sequuti, qui dicit, Lac vobis dedi, *1.Cor.3.* tanquã paruulis, non escã: nondum enim poteratis. Pannus itaque vetus consuendus est veteri. *Et nemo mittit vinum in vtres veteres, alioquin rumpit vinum nouum vtres & vinũ effundetur, & vtres peribunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittendũ est, & vtraque conseruatur.* Intendit Chistus his parabolis quòd doctrina noua non benè potest percipi à viris retinentibus an- *Colo.3.* tiquũ viuendi institutũ: sed oportet priùs expoliare *August. de quæst. euang. li.2.quæst.18.* veterẽ hominẽ, & sic induere nouũ: ita quod nõ benè stare potest vt aliqua pars noua sit, alia verò vetusta, id est, quòd doctrina sit noua & vita vetus. Discipuli Christi adeò erant imperfecti, vt adhuc non essent capaces vitæ & doctrinæ noui testamenti, vt patet ex his, quæ Christus illis dixit post resurrectionem, Manete in ciuitate quo adhuc induamini virtute ex alto. Ideò eos abstinuit à ieiunij præ- *Luc.24.* cepto & ab aliis spectantibus ad perfectionem noui instrumenti. Hæc enim tunc seruanda non tradidit maximè teneris discipulis, sed seruanda prædixit. Explicatio ergo est huius loci. Nemo nouã doctrinã docet eos, qui veteri doctrina instituti sunt. Vestimentũ vetus & vter vetus animus est, qui retinet ea quæ imperfectionis sunt. Quòd si vinũ nouũ noui testamenti in veteres immittatur vtres, rumpetur integritas noui testamenti, & vinũ diffundetur, & amittetur. Ita cautè omnia agere debemus, nec in ictu oculi, siue momento ex imperfectis per- *Nemo repẽtè fit summus.* fectos fieri velle: aut ex imbecillibus fortes. Hominibus qui adhuc fragiles sunt, nõ imponendæ sunt maximi rigoris regulæ: sed quæ humana imbecillitas ferre potuerit: nam secundũ medicos natura nõ patitur repentinas mutationes. *Et nemo bibens vetus, statim vult nouum: Dicit enim, Vetus melius est.* Superiori doctrina ex similitudinibus vestium & vtrium, ex parte doctoris ostendit, & continet manifestã causam, quare Christus non faciebat tũc ieiunare: hæc autem parabola ex parte effectus discipulorũ se tenet. In prioribus siquidem parabolis ex parte temporis nuptialis, & ex parte imperfectionis discipulorum sapientia magistri commendatur: in hac autem explicatur praua dispositio discipulorũ ex mala consuetudine. Sicut enim gustus cui maximè satisfecit vetus vinũ, si subita facta mutatione ei præbueris vinũ nouũ recusat & resilit: si autẽ paulatim paulatũ vino nouo assuefeceris illud libenter degustabit: ita discipuli assuefacti veteri legi, nõ gustabant adhuc suauitatẽ nouæ legis: sed veniet tempus quando gustabunt suauitatem noui testamenti. Per hanc enim parabolam, rationem Christus ad literam reddit quare etiam post missionem spiritus sancti non statim semouit homines à suis legibus, & ceremoniis, sed paulatim: quoniã assuetis veteri vino, non statim sapit nouum. Difficile enim est assueta relinquere. Vbi iam oportet ad nostram vtilitatem discere, vt hominẽ veterem exuamus (vt inquit Apostolus) & in nouo spiritu renouemur. Ambulemus non in fermẽto veteris malitiæ, & nequi- *Colos.3.* tiæ, sed in azimis synceritatis & veritatis. Iucundus & suauis est spiritus domini. Vnde aduertere licet, an inueterata peccandi consuetudo in eum nos deduxerit statum, vt non Deum degustemus neque sanctũ ipsius spiritũ: postquam in peccatis senescimus. Etenim sic multis benè sapit vetus peccati vinum, vt desipiat euangelicæ gratiæ status & dicãt, Vetus vinũ melius est: Et illud, quod anima peccatrix per Oseam dixit, Vadã & reuertar ad virũ meũ priorem: quia benè mihi erat tunc magis quã nũc. Opus est aduersus prauã peccandi consuetudinem *Osea 2.* debellare, vt tibi virtus benè sapiat, & nouũ gratiæ vinũ. Faxit Deus, vt ita vitia præterita, & ante actã vitã detestemur, & vt conscientiã nostrã & mẽtem ita mũdemus, & præparemus: vt cũ venerit ad nos dominus noster Iesus Christus cũ vino suæ gratiæ,

ne nobis desipiat, imò sapiat, & habitet nobiscum in sæcula sæculorum.

CAPVT VI.

Inuidiæ effectus.

ANTIQVISSIMVS est inuidorum mos, vt semper alieni boni eos pœniteat. Teredo quæ in ligno nascitur, nihil aliud statim facit à primo exordio vitæ suæ, quàm ipsum lignum corrodere. Ita inuidia quæ ab ipso hominis corde ortum, & originem ducit, nihil aliud priùs facit, quàm ipsum cor abrodere, & comburere. Pharisæi igitur hoc pestifero veneno pleni, grauiter ipsorum corda torquebant. Atque ita cùm viderent Christi redemptoris nostri admirabilem vitam, & suæ doctrinæ altitudinem & excellentiam: plusquam nouercale odium aduersus eum conceperant. Et inde ortum & originem hæc inuidia habet: quia cùm populus sanctos ipsius mores & cœlestem doctrinam sequeretur, post ipsum habitat, & pharisæos relinquebat. Hoc itaque videntes scribæ & optimates populi graues inimici Christi facti sunt, & capitale odium aduersus ipsum cõcipientes omni diligentia & sollicitudine quærebant aliquid, quo Christi famam, & nomen radicitùs euerterent atque labefactarent. Cúmque in domino (vt in quo nulla erat peccati macula) nihil reprehensionis dignum inuenirent: defectus discipulorum curabant reprehendere, vt vel inde aliquid redundaret in reprehẽsionem magistri: quandoquidem in ignominiam magistri cedit, si discipuli malè docti euadant. Ita beatus euangelista Lucas in principio huius capitis sexti scribit quomodo Pharisæi acerrimi Christi inimici saluatorem calumniabãtur: quia discipuli domini in die festo spicas tritici manibus fricuerant. Diem autem & tempus quando hoc contingit elegãter hîc scribit euangelista: vt nihil ad perfectionem historiæ deficere videatur. Ait ergo, *Factum est autem in sabbatho secundo primo.* Hoc dupliciter solet exponi. Primo sic: Iudæi nanque omne festum sabbathum vocabant: nam sabbathum requiem sonat. Dies festos quicunque illi essent, in quibus ab operibus cessabant, appellabantur sabbatha. Quòd si festum incidebat in die Parasceues, hoc est, in die veneris, vocabant Parasceuem sabbathum, & sequentem diem, qui propriè sabbathum erat, nominabant secundo primum, id est, primus sabbathi, & secundus dies sabbathi, hoc est solẽnitatis. In primo nomine primus, & secundus in ordine festiuitatis præcedẽtis. Secundo locus hic intelligi potest, quod loquatur de sabbatho, quod erat septima dies illius festi ꝙ cecidit in sabbatho. Quasi dicat, In sabbatho, quod erat octauus dies illius festi. In sabbatho secundo, id est secundario repetito. Primo, id est principali. Nam sabbathum primum est festum cadens in sabbatho, quod etiam dicitur magnus dies festus sabbathi: quia in sabbatho duplex solemnitas inuenitur. Sabbathum autem secũdo primum est septima dies festi solemnis cadens etiam in sabbatho. Nam sabbathum simpliciter est septima dies, requies domini. Sed vt meam etiam in medium proferam sententiam, dico quòd sabbathum secundo primum propriè erat sexta decima luna sequens diem maximum paschæ. Ea nanque die iubebãtur offerri frugum manipuli, vt habetur in Leuitico. Dicebatur secundum, quia sequebatur festum paschæ: dicebatur secundo primum, quia primum erat inter sabbatha sequentis festiuitatis. Sic exponit Iosephus, cui ego fidem adhibeo: quia ipse Iudæus erat, & legis Mosaicæ seruator, & in lege doctissimus, in cuius diebus ille dies vocabatur sabbathum secundo primum. *Cùm transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas: & manducabant confricantes manibus.* Fame coacti hoc fecerunt, nam vt Matthæus inquit, Discipuli Christi esurientes cœperũt vellere spicas. Maxima premebantur fame, quandoquidem hoc facere illos vrgebat. Nam nisi adeò fame defatigarentur, minimè hoc fecissent. Vbi tu, qui opulẽtis, opiparisque ciborum generibus vteris, maximo deberes pudore suffundi, & videre quàm parcè Christi apostoli comedebant: qui solis spicarũ granis contenti erant, & consolabantur. Quod autem euellebant, spicas, & eas comedebant: signum erat nõ esse assuefactos delicatis epulis & cibis. Quid de illis dicendũ, qui maxima sollicitudine & industria semper curant: ne aliquantulum famis patiantur, & antequam necessitas postulet, vino cibóque ingurgitantur, quorum Deus solus (vt inquit Paulus) venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terréna sapiũt. Disce Christi exẽplo carnis delicias, & multitudinem ciborum contemnere. Id autem vnum in hac re debes considerare, cum carnem tuam ita delicatè & tantis generibus ciborum pascis: quòd eam serues & saginas vt esca sit & cibus immundis vermibus. In quo facto valdè ei similis es, qui amicis suis volens parare conuiuium, multis retrò diebus anseres saginat, pauos, & capones, vt in diem cõuiuij valdè pingues sint. Ita nimirum tu, qui tam delicatè tãta cura & sollicitudine carnem tuam pascis, vermibus eam seruas: quasi vel nobiles aliqui sint viri, vel familiares tui. Plusquam insanus es: si cùm in hac vita in continuo sis bello, & in medio inimicorum ambulãs: si inimicis tuis arma tribuis, vt ab eis vincaris. Nónne insane vides quòd carnem tuam pascens, & ei multos paras cibos, quòd tribuis illi vires & robur, quibus aduersus te insurgat & superet, & vt ipsa spiritũ subiiciat? Arma fortiora, quibus dæmõ aduersus te induitur, tua caro est. His armis Holofernem truncauit, & Amonẽ filium Dauid interfecit, & aliis multis vitam abstulit. Tolle inimico arma, si vis eum vincere. Ab abstinente & sobrio procul fugit dæmon, & à longè eum salutat. Horret vitæ asperitatẽ, & ab eo fugit qui suam carnem macerat, nec ad eum accedere audet tentaturus. Sic Beatus Petrus admonet dicens, Sobrij estote & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Vide quomodo beatus Petrus sobrietatem cõmendet, vt possis diabolicas fraudes & tentationes fugere. Ideo (vt Paulus ait) nõ in comessationibus, & in ebrietatibus, nõ in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induimini dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. Sed de his aliàs. Christus itaque propter nimiam importunitatem Iudæorum irruentium in eum exiuit à ciuitate nõdum sumpto cibo, & ita discipuli esurientes spicas vellebant. Sæpenumerò hoc Christo accidit, vt patet in Marco: vbi legitur, quòd Christus dixit illis, Venite seorsum in desertum locũ, & requiescite pusillum: erãt enim qui veniebant & redibant multi, & nec manducandi locum habebant. Vbi discant oportet diuini verbi prædicatores: vt non relinquant prædicationem propter defectũ victus & corporalis refectionis. Discant etiam qui diuinum verbum audiunt

Theoph. lact. in hoc loco.
Vide Isidorũ quẽ citat D. T. in catena super cap. 6. Lucæ.
Leuit. 23.
Ioseph. 3. anti qui. cap. 13.
Matt. 12.
Discipulorũ Christi parsimonia.
Philip. 3.
Iudith. 13.
2. Reg. 13.
1. Petr. 5.
Rom. 13.
Marc. 6.

djunt cætera obliuisci. Ita enim apostoli verbo Dei erant intenti, vt nihil de cibo curabant. Mulier illa
Ioan. 4. Samaritana statim vt Christum audiuit, & verbum eius suum tetigit cor: hydriã reliquit, & abiit. Qui Deum gustant omnia deserunt, & ea quæ ad corpus pertinent nihil curant. Saulus persequutor do-
Act. 9. mini, vt vocem cœlestem audiuit, statim omnia reliquit, & Matthæus telonæum & isti discipuli ne-
Matth. 9. cessarium victum obliuiscuntur: adeò rapiebantur amore, & doctrina Christi. *Quidam autem Pharisæorum dicebant illis.* O Deum immortalem, & etiam Pharisæi ibant cum Christo: Non solùm discipuli, sed etiam Pharisęi eius inimici magistrum sequuntur: vt nullus locus sit, qui non pateat impugnationibus, etiam in sacro Christi collegio. In omni loco & tempore aduersus Christum calumnias quærũt: quando autem non possunt magistrum reprehendere, discipulos taxant. At si sub vexillo Christi pugnaueris, ab ipso propugnaueris. Dominus enim
Psal. 117. mihi adiutor: non timebo, quid faciat mihi homo.
Iob. 17. Et sanctissimus Iob, Pone me domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet cõtra me. Pharisæi verò potiùs, quam alij discipulos arguebant, quia & Christo & ipsis inuidebãt: vel quia volebant se ostendere cæteris sanctiores: & ideo zelabãt legem, & præuaricatores legis: vel quia erant periti in lege, & ad illos spectabat scire, quid licitum vel illicitum esset in sabbatho. Et licet hic nulla fiat mẽtio de Scribis, tamen sub nomine Pharisæorũ intelliguntur. Quia in Matthæo legimus, quòd accusabant Pharisæi dicentes, Quare cum Publicanis & peccatoribus mã-
Matth. 9. ducat magister vester? & tamen ibi non solùm aderant Pharisæi, sed etiam Scribæ, vt dicit Marcus.

Marc. 2. ¶ Obserua autẽ quòd Matthæus & Marcus di-
Matth. 12. cunt hæc verba dixisse Pharisæos Christo: sed Lu-
Beda in eū. 6. cas ait quòd dixerũt illa discipulis, quia fuerũt duæ
Luc. ca. 19. atque diuersæ accusationes. Altera accusatio fuit quorundam Pharisæorum Christum accusantium, altera verò fuit aliorum Pharisæorum accusantium ipsos discipulos. Ideo ait Lucas, Quidam autẽ Pharisæorum dicebãt illis, quasi dicat: Multitudo Pharisæorum Christo loquebatur, & cum illo erat pręcipua quæstio & accusatio: quidam autem eorum discipulis loquebãtur, eos increpando & dicentes, *Quid facitis quod non licet in sabbathis.* Quid dicerent Pharisæi si vidissent nostras festiuitates, conuiuia, potationem, & bacchanalia, cùm per integros dies festos homines saltant? Expende autem sceleratorum hominum impietatem. Ipsi flagitiis cooperti viros excellentes, & sanctitate præstãtes, in quibus aliquod lumen vident elucescere irruũt, & culpam leuem calumniatur. Vt vultures, qui veniunt ad cadauera, non autem ad corpora viua: sic inuidi non opera viua & excellentia, sed mortua odorant. Vide etiam quãta fuerit sanctitas, & bonitas discipulorum Christi: nam ex hoc loco satis ostendi potest. Nam certè si Christi discipuli essent adulteri, homicidæ, latrones aut cõtra legẽ crimen aliquod commisissent: vtique Pharisæi inuidi non tacuissent. Quærentes autem quid reprehendere, nihil inuenerunt aduersus eos: magnum quidem hoc est argumentum sanctissimè illos viuere. Sic tu viue, vt quãuis inimici velint calumniari nihil cõtra legem Dei inuenire possint, quod tu cõmiseris: Si autẽ aliquando aduersus te aliquid moliantur reiicere, nihil nisi mẽdacia & inutilia possint adducere. Sic cũ aduersus Paulũ ferè tota Iudæa insurgeret, & illum accusarent grauiter coram Festo & Agrippa, nihil tamen dignum mortis contra illum inuenerunt, ita *Act. 26.*
vt Agrippa rex diceret Festo, Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

¶ Obserua autem quòd non accusabant eos nec arguebant, eò quòd in sabbatho iter facerent, quãuis iter facere, videbatur magis illicitum esse quàm confricatio spicarum: quia non itinerabãt, sed iuxta loca ambulabant per segetes. Et etiam ipsi Pharisæi in eodem loco erant, quando discipuli euellebant spicas. Tum etiam quia licebat Iudæis in sabbatho mille passus ambulare. In actis etiam aposto- *Act. 1.*
lorum dicitur, quòd mons Oliueti est iuxta Hierusalem sabbathi habens iter. Id est, tantum distat à Hierusalem quantum licet Iudęis ambulare in sabbatho. Quia autem discipuli hoc loci spacium non transierant, non poterant accusari, quia itinerarent in sabbatho. Nec etiam arguebant eos furti, quia de alienis segetibus vellebant spicas: non enim suæ erant illæ segetes, quia omnia reliquerant propter Christũ. Ideóque de furto eos non arguebant: quia licebat discipulis hoc facere permittente lege. Nam Deus dixit, Si intraueris segetem amici tui frange spicas, & manu conteres: falce autem non metes. *Deut. 23.*
Eadem etiam lex erat quantum ad vuas. Ibidem namque etiã dicitur, Ingressus vineam proximi tui comede vuas quantum tibi placuerit, foras autem non afferas tecum. Non ergo poterant Pharisæi discipulos de furto accusare, qua propter accusabant eos de sabbathi violatione: eo quod in tam magno festo vt sabbathum erat spicas confricarent manibus, vt eorum accusatio iusta & recta videretur, & zelo obseruantiæ legis posita. Sed palliata malitia est, quod multoties homines impij facere solent: qui sub prætextu virtutis dicentes legem Dei zelare, vindicãt suas iniurias, & insontes persequuntur, multi homines sua vitia curant tegere virtutis pallio. Nam si per regum & principum curias abieris, si per ciuitatum senatores, si in concilia clericorum tenderis, plurima, & detestanda inuenies vitia cooperta sub virtutum pallio. Cupidinem suam tegũt sub boni reipublicæ zelo, impudicitias autem suas sub iustitiæ titulo. Atque ita omne hominũ studiũ est in malũ, & procliues esse, bonos semper velle haberi: & hoc est quod in vniuerso orbe obseruatur à mundi sectatoribus. Hi nãque Pharisæi sub fuco & zelo obseruãtiæ legis, suã tegunt malitiã & inuidiã.

Ficta Pharisæorum sanctitas, & palliata malitia

Iniquus Absalon cũ vellet aduersus parentẽ suũ regẽ Dauid insurgere: iniquitatẽ suã titulo religionis, & deuotionis cooperuit, dicens patri Dauid, Vadã & reddam vota mea, quæ voui domino in Ebrõ. Et abiit ad Ebrõ & cõiuratione aduersus patrẽ iniuit. *1. Reg. 15.*
Sub colore & fuco deuotionis & religionis, aduersus parentem violẽtas manus intulit. Idem fecit rex Saul, qui cum nimis ambiret greges pingues & armenta Amalechitarum, hanc suam ambitionem & cupidinẽ excusare voluit dicens Samuëli, ea omnia *1. Reg. 15.*
accepisse, vt domino sacrificaret. Ita etiam multi vt prauitatem suam dissimulent, adducunt testimonia ex diuina scriptura: vt vel sic malitiã tegant suam. Quod fecisse legimus dæmonẽ in deserto, qui malitiã & iniquitatẽ, quã in pectore abscõditã gerebat, *Matth. 4.*
Xp̃o voluit persuadere authoritate scripturæ sanctæ. Iudas etiã sub pietatis fuco cupidinẽ palliabat dicens, Nõ poterat vnguentũ istud venundari multo, & dari pauperibus? Et inquit Ioannes, non quia de egenis pertinebat ad eum: sed quia fur erat, & lo- *Ioan. 12.*

culos habens. Quod iniquus & traditor auaritia, & cupidine motus faciebat, misericordiæ zelo palliabat: simulans se eleemosynæ largitorem. Hoc etiam & nunc multi iurisperiti & aduocati consueuerunt facere, qui pauperibus & proximis substátiá & rem omné diripiút: qui vel ad hoc faciendú textus alle- *Mat. 5.* gant & detorquent tanquam dæmon in deserto, & tanquam Herodes cú Michæa & adducunt in suam sententiá Bartholú, & digesta, & Baldú, quibus suas tyrannides cooperiunt. Pharisæi sua lege apostolos Christi persequuntur & iuristæ legibus suis ré proximorú furátur, & medici Hippocratis aphorismo ægro vitá amittunt, & in alium mundú transferunt ostenso Galeni textu. *Et respondens Iesus ad eos dixit,* Aduerte obsecro quá fidelis amicus sit Deus, quan táque habeat curam dilectorú suorú, vt semper illis adsit, & pro illis respondeat. Confide in domino, & ipse pro te respondebit. Iacta spé tuá & cogitarú in eum, & non tibi deficiet. Quis sperauit in eo, & deceptus est? Sed quid respondeat audiamus. *Nec hoc legistis quod fecit Dauid cùm esuriret, ipse, & qui cum illo erant, quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit & manducauit, & dedit his qui cum ipso erant:* *1. Reg. 21.* *quos non licet manducare nisi tantú sacerdotibus.* Respondet dominus calumniæ, sed nó nisi textibus sacris. Vt enim tentanti diabolo nó respondit sine textu: ita nec eius ministris calumniantibus sine sacro testimonio respondit. Docet vt cùm agitur an quidpiam licitú sit, nec ne. ad sacrá paginá esse recurréndum, vt vel inde colligatur an liceat. Vsus est Christus scripturæ testimonio, quia isti Iudęi nimis credebant scripturis. Quocirca alio in loco dixit eis, *Ioan. 5.* Scrutamini scripturas, in quibus vos putatis vitam æterná habere. Ideo nunc Christus adduxit ex sacra pagina authoritatem, vt vnde oriebátur dubitatio, ibi ortú etiá haberet responsio. Accusatio aduersus discipulos ortú habebat in scriptura: cóueniens ergo erat eis ostendere ex ipsa scriptura, se contra illam non agere. Etenim clauum clauo truditur. Sed *Amb. lib. 5. in Lucã, ca. 5.* singula iam expendamus. ¶ Non legistis inquit, Ac si diceret, Si scripturas sciretis, vtique nó diceretis hoc: sed quia nihil intelligitis, insipiéter loquimini. Legis defensoribus probat dominus eos nescire legé. Adduxit Christus exéplú Dauid, quia princeps erat prophetarú, & vniuersa Iudęorú gloria ab ipso pendebat, dequo dominus specialiter loquutus di- *Act. 13.* xerat, Inueni virú secundú cor meú. Et Abimelech *1. Reg. 21.* summ⁹ sacerdos huic rei authoritaté præstitit. Erat enim vir ille summus sacerdos, & iustus habebatur, & in lege erat valdè peritus. Conseruatio nanque humanæ salutis anteponi debet obseruationi festorum: quia sabbathú factú est propter hominé, & nó homo propter sabbathú. In necessitate ergo potiùs prouidendú est, vt vitæ hominis consulatur, quá vt sabbathú obseruetur. Leges nanque non constitutæ sunt ad perniciem hominum, sed ad salutem: idcirco vbi maior vrget necessitas, cedere debent. Et sæpenumeró fit, vt lex legi cedere cogatur, id quod dominus apud alios euangelistas in hoc negotio satis aperuit, cum inter circuncisionem & sabbathum collationem faceret. Et hoc profectò summè obseruandum est in quem finem humanæ leges & promulgandæ & interpretandæ sint: nimirum, vt charitati minimè contrarientur.

Panes propositionis. ¶ Aduerte autem quòd non solùm dixit hoc fecisse Dauid, sed etiá illos qui cum eo erant. Etenim si de solo Dauid Christus loqueretur, possent illi obiicere Pharisæi. Dauid rex erat, & propheta: tui autem discipuli, qui sunt? Ideo addidit Christus, & qui cum illo erant milites, etiá manducasse. Quod igitur licuit militibus, cur discipulis nó licebit? Verum, vt scias, qui fuerint isti panes propositionis, aduerte, quòd in tabernaculo Mosi erat quædam ménsa aurea ex lignis Setim, operta laminis aureis, *Exod. 25. & 27.* super quam apponebátur duodecim panes, quorú quilibet duas farinæ decimas cótinebat, qui panes à solis sacerdotibus cóficiebantur. Laïci dabant farinam leuitæ, & leuita custodiebat illam in thesauro sanctuarij. Cùm autem necesse erat panes con- *2. Paral. 9. & 23.* fici: petebat sacerdos à leuita farinam, & panes faciebat: fiebántq; isti panes singulis sabbathis & recentes super mensam apponebantur vsque ad aliud sabbathú: & tunc fiebant alij duodecim, & ablatis prioribus illi recentes apponebantur. De his nulli *Num. 4. Leuit. 22.* manducare erat licitú præter ipsos sacerdotes. Vocabantur panes propositionis, quia proponebátur: id est ponebantur corá domino in mensa, quæ erat intra tabernaculum ante velú & sancta sanctorum, vbi vox domini audiebatur in sancta sanctorum super arcam & propitiatorium super alas Cherubim. Quapropter vocabátur etiam panes faciei qui positi erant ante faciem Dei. Cùm autem dicit panes *Num. 7.* propositionis, loquitur Hebræo more: Hebraïsmus enim est panes propositionis. Lingua quippe Hebræa, denominationibus vtitur pro denominatis. Nos verò diceremus panes propositi. Sic etiam dicunt ipsi terra promissionis, hoc est terra promissa: & filius iniquitatis, id est, filius iniquus: & familiarissima est in scripturis sacris hæc loquutio. Itaque nó erat licitum, vt de his panibus aliquis laicus comederet, qualis erat Dauid: nisi in extrema esset necessitate constitutus. ¶ Obserua autem, quòd licet vrgeret necessitas, nó tamen comederunt Dauid & sui hos sanctos panes donec mundi fuerunt, & puri à mulieribus. Quo quidé facto significatur nemini licere, ad sanctum eucharistiæ sacramentú accedere, nisi priùs ab omni carnis inquinamento fuerit purgatus: præcipuè sacerdotibus quorú munus est id quotidie manibus & pectore gestare, & aliis id impartire. Vnde dominus, Mundamini qui fertis vasa domini. *Et dicebat illis, Quia dominus est filius hominis, etiam sabbathi.* Si Abimelech dispensauit cum *Esai. 52. Theophy. in ca. 6. Lucæ.* Dauid in necessitate constituto, vt non solùm ipse, sed etiam milites qui cum illo erant panes propositionis manducarent: de quibus non poterant edere nisi soli sacerdotes: multò meliùs id ego potero cum discipulis meis dispensare. Ratio est, quia ille nó erat dominus sabbathi sicut ego sum: & nihilominus cum inferior me esset, id donauit militibus suis. Et facta hypothesi, quod illi malè fecissent violando legis præceptum: ego tamen nó possum violare sabbathum, quia sum dominus sabbathi. Etenim ego minimè peccare possum, faciés quidquid mihi libuerit: qui possum omnino sabbathú tollere nulla existente causa, sicut illud institui, quia volui.

¶ Perpéde auté, quòd in præceptis primæ tabulæ cuius numeri est obseruantia sabbathi, nemo dispésare potest, neque ipse Deus: ideóque in tali præcepto inuiolabili duo cósideranda veniunt, scilicet verba legis, & intentio legislatoris, id est, naturalis æquitas, quæ illú mouit. Vbi ergo ista duo apparuerint, nó licet alicui cótrariú dispensare. Vbi verò nó apparet intentio legislatoris, túc licebit: ná lex potius in intentione consistit, quá in verbis. Ná leges scire,

scire, non est nosse verba legum, sed vim & potestatem earum. Præterea inter præcepta stabilia quædã important actus malos in se, & secundũ se, qui semper dicunt deordinationem, vt rem alienam inuito domino cõtractare vel vxorem alienam cognoscere: & in his nõ potest Deus dispensare. Quidam verò dicuntur actus mali in se, licet non secundum se, vt occidere hominem, vel rem alienã suscipere sine fraude. In his potest Deus dispensare. Inter præcepta autem immutabilia quædam sunt purè moralia, in quib⁹ Deus nec homo dispẽsare potest, quædam sunt partim ceremonialia, vt præceptũ de sabbatho in quo potest Deus: & item homo in necessitatis articulo dispensare, vel potius intẽtio nõ præcepti interpretari, & de his loquitur hic Christus. *Factum est autem & in alio sabbatho, vt intraret in synagogam & doceret.* Duplici ex causa curabat & docebat in sabbathis. Primò quia Iudæos volebat docere in sabbatho, in quo omnes in templo conueniebant, sicut modo Christiani in dominicis diebus accedunt ad audiendum rem sacram, & prædicatores. Et ideo ait hic Lucas quòd Christus tunc docebat eos. Venatores etiam & piscatores retia tendũt, vbi sciũt plures natare pisces, & feras latitare. Sic Christus qui animas venari cupiebat, vbi frequens erat turba Iudęorum, docebat in sabbathis. Secundò in sabbathis docere voluit & miracula facere, quia volebat locum accusationi Iudæorum dare, quam in ipsum tanquam in violatorem sabbathi retorquebãt: vt vel inde occasione sumpta eos doceret, quomodo sabbathum esset obseruãdum. Ideò sequitur in contextu. *Et erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida.* Pharisæi illum hominem ad Christum adduxerunt: & ideo dicitur hic, quòd insidiabantur, vt

Malum aliquando causa boni. accusarent illũ. Non tamẽ intelligas, quòd ipsi obtulerunt eum, vt illum curaret: quia hoc iam esset salutem illi homini impetrare: & si hoc facerẽt non possent Christũ arguere, eò quòd in sabbatho curaret: sed suaserunt homini, vt seipsum offerret. Et quanuis videatur illum hominem non fuisse adductum, quia ait, Erat homo in synagoga: dicendũ tamen est illũ fuisse in synagoga, quando Christus intrauit, & Pharisæi vidẽtes hominem, illi suaserunt, vt se Deo præsentaret. Quãuis deprauata & iniqua intentione hoc fecerint, tamen bonum opus fecerunt persuadentes, vt ad Christũ accederet: qui verus animarum medicus erat. At Deus ita sanctus, ita bonus & misericors est, vt ex malis sæpè bona eliciat, quemadmodum hic fecit, vbi salutem infirmo restituit, & vtilem doctrinã omnibus præsentibus

Genes. 37. prædicauit. Ita etiam filij Iacob fratrem Ioseph iniquo & deprauato animo in Aegypto vendiderunt: at autem ex hoc tanto malo Deus grande bonum multis populis parauit: nam prudentia & sagacita-

Genes. 50. te Ioseph effecit ne magna gentium multitudo fame periret. Atque ita ipse posteà fratribus suis dixit, Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud

1. Reg. 18. in bonum. Ita etiam Saul existimauit Dauid in interitum adducere, petens ab illo centum Philistæorum præpucia, & dixit, Non sit manus mea in eo: sit autem super eum manus Philistiim. At etiam si Saulis animus deprauatus, & iniquus esset, opus tamen inde elicitũ bonum fuit, quia Dauid triumphans victoriã de Philistæis reportauit. Ex quo loco discere debes semper recta & bona opera facere: etiãsi in mortali sis detentus culpa. Hi nanque pharisæi etiã si in mortali iacebãt peccato, tamen huic homini habenti aridam manum, bonũ impẽderunt opus. Ita etiam si viuas in damnationis statu, bona tamen opera semper facito: nam etiã si pro illis vita æterna nõ sis dignus, nec etiã per illa mereris quòd à peccato te dominus eripiat: bona tamen temporalia tibi comparabis, & salutem corporis, & etiam bonum habitum, vt posteà cũ veneris in statũ gratiæ maiori cum facilitate virtutis operibus te addicas, nam habitus potentiam reddit facilem. Petrus nanque postquam bis dominum suum abnegauerat: Christi discipulus, in loquela solum cognitus

fuit. Curandũ tibi maximè est, vt etiã si Deum amittas nunquam tamen Dei loquelam amittas, vt vel signis bonus Christianus habearis, etiamsi reuera bonus non sis. Nunquam desinas ad rem diuinam accedere, & ad conciones audiẽdas, nam hæc Christiani signa sunt, quib. ipse cognoscitur: in quibus concionibus aliquando gallicãtum audies, hoc est diuinam inspirationem, quæ ad postes animæ tuæ pulsabit, vt tua peccata & delicta plãgas, & in saniorem redeas mentem. ¶ Præterea si manum aridam habes, ad Christum statim cõfugias, potens quippe est omnia tua vulnera in ictu oculi sanare. Multi enim sunt qui manum aridam ad sanctè operandum habent, & ad eleemosynam tribuendam, de quibus *Matth. 26.*

Zacharias ait, Brachium eius ariditate siccabitur. *Zachar. 11.*

Quod fit quia pauperi & inopi manus non extendunt: id autem euenit ex cordis siccitate, vbi nulla pauperum misericordia & pietas inest. Sic beatus Dauid in psalmo, Percussus sum sicut fœnũ: & aruit *Psal. 101.*

cor meum. Ex corde enim arido arida manus facta est: sicut arbor, quæ radices aridas habet nullos fructus agricolis promittit. *Obseruabãt Scribæ & Pharisæi si in sabbatho curaret: vt inuenirẽt vnde accusarent eum.* Quia Christus discipulos à culpa liberauerat & mi *Beda in cap Luc. 6. ca. 2?.*

sericordiã sacrificio prætulit, Pharisæi insidiari cœperunt magistro, obseruantes an sanaret infirmum nec ne: nã si eũ sanaret, statim eũ arguerẽt de sabbathi trãsgressione: & si nõ sanaret, eũ de impietate & crudelitate incusarẽt, vel de impotẽtia, ꝙ infirmum nõ potuisset sanare. Obserua aũt qđ calũniari & accusare propriũ munus, & officiũ diaboli est: iuxta il *Calumniari diaboli officiũ est.*

lud Apocalypsis, Proiectus est accusator fratrũ. Vn- *Apo. 12.*

de meritò dicebat illis dñs, Vos ex patre diabolo *Ioan. 8.*

estis. Porrò hæc Pharisæorum inuidia detestãda est, vtpote quæ infœlicẽ animã excæcat, vt inde homo deterior euadat, vnde potiorẽ & sanctiorẽ viuendi normã elicere deberet. Etenim inuidus omnia quæ videt, sicut serpẽs omnia quę comedit in venenũ cõuertit. Omnia facta & dicta illius, quẽ odio ꝓsequitur semper in sinistrã partẽ interpretat̃, imo potiùs inuidus semper intendit omnia facta illius quẽ odit deprimere & in nihilum redigere, & quærit semper viã & modũ vt hũc deprauatũ cogitatũ adimpleat. Sic Pharisæi & Scribæ mundani honoris cupidi & sitiẽtissimi, Christo inuidebãt: & tã illius facta quã dicta calũniabantur. Fuge igitur tu hãc trucẽ & immanẽ ferã, quæ tãta mala in vniuersum intulit: inuidia enĩ diaboli mors introiuit in orbẽ terrarũ. Quia *Sap. 2.*

dæmõ vidit hominẽ in fœlici statu cõstitutũ esse, & ad illũ locũ illi patere aditum: vnde miserè ipse corruerat, illũ tentauit, & vicit. De Isaac nãque scriptura dicit, Benedixit illi dominus, & locupletatus est *Genes. 3.*

homo. Ob hoc inuidentes ei Palæstini puteos eius *Genes. 26.*

obstruxerũt. Hæc enim maledicta inuidia nec pro- *Genes. 30.*

pinquis parcit. Nam Rachel sterilis sorori fœcun- *Genes. 37.*

dæ inuidit. Et fratres Ioseph ei inuidebant pessimo

& iniquo animo, videntes quòd à parente præ aliis fratribus diligeretur: cùm etiam audirent somnia, quæ narrabat. Sic Aarō, & Maria loquuti sunt contra Mosem dicentes, Non per solum Mosem loquutus est dominus. *Num. 12.* Sic isti Pharisęi Christo à quo tanta receperant bona inuidebant, & calumniabātur: atque ideo facta eius obseruabant. Sed id frustrà, nam vt inquit modo euangelista. *Ipse verò sciebat cogitationes eorum.* *Hebr 5.* Ideóque falli non poterat, quia omnia nuda sunt, & aperta oculis eius. Etenim homo videt, quæ foris sunt, Deus autem intuetur cor. *1 Reg. 16.* Quocirca regius vates in psalmo domino cecinit, dicēs, Intellexisti cogitationes meas de lōge: semitam meam, & funiculum meū inuestigasti. *Psal. 138.* Hoc tu deberes prospicere, qui semper prauas, & iniquas cogitationes in pectore voluis, & deberes semper ingenti pudore suffundi, quandoquidem scis quòd Deus omnia nouit, etiā ipsa cordis penetralia. Talia nāque multoties in animo voluis, quæ si homines viderent, nō dubito quin in faciem tuam spuerent: & conspectum tanquam detestandū relinquerent. Quid est igitur quod coram Dei oculis ea facias: quæ coram abiectis hominibus puderet facere? Sed de his inferiùs aptiori dicemus loco: nūc verò euangelistam audiamus. *Et ait homini qui habebat manum aridam, Surge & sta in medium.* Præcepit illi vt staret, & in medium prodiret, vt omnes illū, & miraculum factum videre possent. *Iustus stat, & impius iacet, sedet, aut quiescit.* Expēde autē quòd quemadmodum munus diaboli est, semper proiicere, euertere, & destruere: sic domini est erigere, resarcire, & eleuare. Nam vt beatus Hieronymus pulchrè annotat: *Hier. super Ezec. cap. 2.* nullum peccatorem in scriptura stantem legimus, sed ad iustos dicitur, State succincti lūbos vestros, præparati in euangeliū pacis. *Ephes. 6.* Et Ezechiel, Statuit me supra pedes meos. *Ezec. 3.* Nā stare ad vitam pertinet benè operantis. Vnde & Paulus dicit, Qui stat, videat ne cadat. *1. Cor. 10.* Et nō dubiū est nisi quod in hoc loco stare vocat Paulus statum gratiæ & salutis. Vnde alibi suis dicit. State in domino charissimi. *Ephes. 4.* Et propheta qui se vita & moribus ante dominum stare videbat, dixit, Viuit dominus in cuius cō spectu sto. *4. Reg. 3.* Et ad Christi seruos loquutus egregius psaltes dixit, Ecce nunc benedicite dominū, omnes serui domini. *Psalm. 134.* Qui statis in domo domini in atriis domus Dei nostri. Et alibi, stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Hierusalem. *Psalm 121.* At è contra (vt Zacharias inquit) iniquitas in talento plumbeo sedit. *Zachar. 5.* Etenim inueterati in peccato, & flagitiis suis hærētes, sedere dicuntur: qui nec exurgere, nec illud audire volūt dicentē, Surgite postquā sederitis. *Psalm 126.* Et iterum, Sederūt principes, & aduersum me loquebātur. *Psalm 118.* Ecce igitur quomodo verbū stare significat rectè agere: cadere verò iniquè. Hinc in Psalmo primo, Non resurgēt impij in iudicio, id est, nō stabūt: non probabunt se esse iustos: nā illa particula; re, redundanter posita est, & hæc est Germana expositio. *Psalm. 1.* Peccatori etiā in Deuteronomio dicitur, Non erit stabile vestigium pedis tui. *Deute 28.* Lege si placet Greg. & Ambrosiū, Discamus primo nō relinquere bona opera, nec exercitia virtutis propter calumniantiū murmurationes, nec ꝓpter dicta aut iudicia hominū impiorum. *Greg ho 6. in Ezec. Ambr. in psal 1.* Christus nāque huic indigēti nō desinit benefacere propter impias pharisæorū calūnias. Id enim est multorū hominū ingeniū, vt hæc attendētes, ab incepto bono desistant: de quibus illud psalmi dici potest, Sagittæ paruulorū factæ sunt plagæ eorum. *Psalm. 63.* Solēt nanque pueri balistas ex ductuli virga facere, & tales ex fœno & aliis sagittas cum illis proiicere, quę vel muscas nō possint interficere. Ità multi sunt tam pusillanimes vt has puerorū sagittas timeāt, & metum eorum hominum concipiunt qui de omnibus mala dicunt, quique deprauato sunt animo & consciētia. Ne hos timeas, quia paruulorū sagittas proiiciūt, quæ nec tuam cōscientiā lædere possunt, cum hi tales infames habeātur: quod si hos timueris, & sagittas has nimium sentis, potiori iure tu infans & puer eris appellandus, qui talia sentis.

¶ Discamus secundò in omni loco & tēpore bonum semper operari: ita vt euntes in bonū opus, aliud itē bonum nō sit nobis impedimento. *Propter vnū opus bonum alterum non est desistendum.* Dixerat superius Lucas quòd Christus intrauerat in synagogam, vt doceret: nihilominus tamē hunc hominem infirmū etiā curauit. Ne te pœniteat tendens in tēplum rem sacram auditurus, vel prædicaturus: infirmum in via visitare, & pauperē. Nā si perfectè bonus esse cupis, multa bona habere debes. Nā bonum ex integra causa consurgit: malum autem ex quocūque defectu. Vt aut bonum opus perfectum sit, & omnibus numeris absolutum opus est habeat omnes virtutis circunstantias, vt vel ita cōpositum ad consummatā deueniat perfectionem. Ita rectus & bonus Christianus ad multa recurrere debet, nec vno solo contentus esse debet. Vide Christum, quē nec infirmi curatio impedit, vt prædicationē exerceat: nec prædicatio impedimēto est, quominus infirmum curet. Propter vnum opus bonū aliud non relinquit, nec aliud opus alteri est impedimento. Multi sunt adeò ambitiosi vt multa sæcularia officia velint amplecti, & dicūt se omnia posse. Si autē illis aliquid pertinens ad Christi obsequiū demandaueris, soli illo laxantur, defatigantur, & denique oneri succumbunt. Nā si concionibus vacas, dicis ieiunare nō posse: si eleemosynam pauper postulat, dicis iam aliis pauperibus dedisse: atq; ita vnū opus aliud impedit. Bonis Israëlitis nō erat impedimento ædificiū templi: nam altera manu Israelitici populi inimicos interficiebant, altera verò laborabāt, ædificantes ciuitatem sanctam Hierusalem. Ità ambabus manibus ludere debes, vt alter Aioth de quo ait scriptura, quòd sinistra manu tanquam dextra vtebatur. *2. Esdr 4. Neem. 4. Iud. 3.* Ità tu ambabus manibus laborare debes: & ad omnia, quæ Dei sunt recurrere. *Et surgens stetit.* Velox & perfecta obedientia, non moras nectit, dicens cras istud faciam, subinde repetens. Sic ubi faciendum est, vt in omnibus prōptam obedientiam obserues. Vtinam tu cum in vitiorū & flagitiorum lecto iaces ad Christi vocem ita ocius surgeres, quemadmodū hic, de quo nobis est sermo: qui statim, vt dixit Christus, surge, surrexit. Vide rogo, attentis audias auribus quod Salomon inquit. Ne tardes conuerti ad dominum, & ne differes de die in diem. Surge itaque qui dormis: & illuminabit te Christus. *Eccles 5. Ephes 5.* Quandoquidem non ad interitum vel ad iugulum vocaris, sed vt si cæcus es, visus clarus tibi restituatur: si infirmus, vt in pristinā restituaris valetudinē. Surge, surge piger, ne in chœnice sedeas, neque tam suaui & vuli tibi præcepto resistas. *Ait ad illos Iesus, Interrogo vos, si licet sabbatis benè facere, an malè: animam saluam facere aut perdere.* *Aug. lib 2. de consen. euang. ca. 35. Matth. 12.* In Matthæo legimus Pharisæos hoc interrogasse, hic autem id interrogat Christus: sed vtrunque verū est. Ipsi nāque prius dolosè de hoc interrogauerūt Christū, deinde iussit dńs hominem in medio stare: quo stāte Christus eorum quæstionem iterum interrogauit, vt eis

aptiùs

aptiùs responderet. Cùm vero dicit an liceat animam curare totũ hominẽ intelligit: nomine namque animæ, totus significatur homo. Sic intelligi- *Deuter. 10.* tur ille Deuteronomij locus, Intrauit Iacob in Aegyptum, cũ septuaginta animabus. *Aug. lib 2. quest. euang. quæst. 7.* Vel iuxta aliorum sententiam loquens de toto homine anima dixit: quia Christus corpus miraculosè curaturus, sciscitatur de animæ salute: quia quorum corpora sanabat, etiam animabus salutem tribuebat, peccata tollendo, & infundendo illis gratiam. Insuper corporum curationem ad animarum ordinauit salutẽ. Interrogat igitur an liceat in sabbatho benè agere, id est, infirmos curare. De Christo non dubium est quia erat legislator, & dominus legis. Dato autem quòd omnem rigorem legis vellet obseruare: nõ faciebat contra legem: curãdo infirmum illum. Quia in sabbato prohibebantur externa opera propter laborem & occupationem: Christus autẽ solo verbo sanabat. Etenim lex nõ præcipiebat, vt Iudæi in sabbatho non loquerentur: ergo si aliquis solo verbo, vt Christus in sabbatho curaret, nõ vtique contra legem faceret. Medici etiam Iudæi poterant in sabbatho curare: imo peccarent, si extremè infirmanti non prouiderent. Et sic Iudæi non prohibebant medicos suos in sabbatho curare. Arguebant autẽ Christum, quòd in sabbatho curaret, eo quòd posset has ægritudines in aliis curare diebus: cùm nullum esset in mora periculum. Sicut sanando cæcos, claudos, paralyticos: quorum salutem in alios posset differre dies. Aliis etiam diebus Christus curabat, de quibus in scriptura non fit mentio: quia tantum de sabbatho controuersia agitabatur.

Quæstio. ¶ Sed poterit aliquis forsitam dubitare si in aliis diebus poterat curare, in quibus calumniã non pateretur, quid est ꝙ in sabbathis curabat? Ad quod dubium facilis est responsio: nam aliqui infirmi eorũ, quos Christus curauit, ità erãt in maximo constituti periculo, vt nisi statim curarentur, perirent. *Solutio.* Sicut fuit ille Reguli filius: de quo pater dixit, Descende, prius quàm moriatur filius meus: *Ioan. 4.* socrus etiam Simonis magnis laborabat febribus. *Luc. 4.* Alios etiam qui non in tanta erant necessitate in sabbatho curabat, vt gloria Dei in similibus diebus magis eluceret, nam Christus miraculosè salutem restituebat: quantò autem coram pluribus miraculum fiebat, tãto diuina virtus & gloria exaltabatur. In sabbathis autem plurimi conueniebant propter vacationem operis, & Christus quærebat omnium spiritualem salutẽ. Sed de his satis. Verùm cùm isti ad interrogationem Christi non responderunt, cõuersus est ad hominem, qui habebat manum aridam, & ideo sequitur. *Et circumspectis omnibus.* Circunspexit ira percitus & contristatus, cùm videret cæcita- *Marc. 3.* tem cordis eorum, vt Marcus inquit, Fuit enim in Christo ira cum zelo diuini honoris, quæ tamẽ rationis iudicium non præueniebat: sed suo assumpta *Vide Ambr. lib. 5. in Luc. tom. 5.* imperio. *Dixit homini, Extende manum tuam.* Imperando loquebatur: nõ sicut scribæ & pharisæi. Extende (inquit) manum tuã. Non in te contrahas: non quæ tua sunt quæras, sed quæ Christi. Nõ ad posteriora te cõuertas, sed ad priora te extende: nam qui malè agit nõ se extẽdit, sed ad posteriora se cõuertit. Scito enim semper debere extẽdere & exercere totã vim, quam in manu accepisti: nunquã tamẽ otio vacare *1. Cor. 15. Phili. 3.* debes. Cũ Paul. dicat, Charitas Christi vrget nos. *2. Cor. 5.* Si igitur pater extendit manũ suam donans nobis filium suum. Et si filius manum suã & brachia quoque extendit præbẽs sanguinẽ suum, & facit potentiã in brachio suo, vt nos aridos in vitã restitueret, & nos iacentes exaltaret: quid est quòd nos manum nostrã non extendimus apprehendentes disciplinã, ne quãdo irascatur dominus, & de via iustorũ separemur? *Psalm. 2.* *Et extendit.* Vide quomodo membra rationis expertia Deo obediunt, & eius diuinæ volũtati parent. Quid igitur est quòd tu, qui diuina præditus es mente, & rationis particeps es, diuinis mandatis resistis. *Et restituta est manus eius.* In pristinum scilicet, robur, vt rectè ea posset vti. Docuit hoc exemplo *Propter inuidiam alterũ nõ abstinendũ est ab operibus piis.* Christus ob malorum deplorãdam peruersitatem, non esse abstinendum à iuuãdis proximis. Vt quid igitur medicus ob incurabilẽ morbũ vnius infirmi, omnes infirmos negligeret: cùm etiã nec seminatorem à seminãdo deterreat vnus vel alter lapis? Sic tu ob malorũ detractiones bonum inceptum nõ relinquas: nam virtus quidquid hominũ dicat vulgus, vincere debet. Obserua etiam quomodo hoc facto dominus factorum suorum rationem dedit. Neque enim semper locũ habet authoritas, sed aliquando exhibenda est dictorum aut factorũ ratio. Etenim sunt multi qui volunt sua laudari opera, solum hac ducti ratione, scilicet, quia ipsi fecerũt. Et tanti haberi volunt, vt si aliquid dixerint, ipsis videatur ob eandem rationem solum, quia ipsi dixerũt, credendum esse certissimè: Christus autẽ qui tãta authoritate, & maiestate miracula faciebat, etiam rationem facti reddit, vt omni populo satisfaciat.

¶ Obseruandum hic etiam quomodo sanctificãdi sunt dies festi, nempe proximis benefaciendo, & seruando animas, illud adimplentes, quod apud Esaiã legimus, Frange esurienti panẽ tuum, nudos *Esai. 58.* vagósque introduc in domum tuam. Si videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Sed iam nunc apud Christianos (quæ huius tẽpestatis misera sors, & calamitas est) dies festi bacchanalibus celebrantur, cõuiuiis, & ebrietatibus, choræis, & ludis datur opera: & eo tempore, quo magis Deo erat vacandum, maiora committuntur peccata, & maioribus flagitiis Deus noster offenditur. Sed iam videamus, quid ad hæc scribę & pharisæi: nam sicut sumus bonus odor vitæ ad vitam (vt Paulus inquit) *2. Cor. 3.* & aliis odor mortis ad mortem: ita hæc miracula Christi quæ bonis bonus odor erant, pharisæis, & scribis erant ad mortem. Quapropter sequitur in contextu. *Ipsi autem repleti sunt insipientia.* Insipientia quo ad intellectũ, & odio quo ad animi affectum. Pleni fuerunt erroribus, prauis consiliis, & iniquis cogitationibus: quia inde peiores euaserunt, vnde rectiores fieri deberent. Nec portentosum illud miraculum potestati diuinæ adscripserunt: nec Christi rationi & probationi voluerunt acquiescere.

¶ Sed fortassis alicui videbitur, Christum non *Scandala accepta & non data.* benè fecisse curando in sabbatho, quando illis pharisæis erat occasio ruinæ: maximè cum id in alterum diem differre posset. Ad quod dicendum quòd id quod agitur aut est malum in se, & de hoc non dubium est, quin relinqui debeat: quia est scandalum actiuum, quod semper est peccatum: aut est indifferens, & hoc etiam dimittendum est: quia naturalis ratio homini dictat propter nullam rem alicui esse inferendum scandalum. Si autem est bonum, aut est bonum præcepti, & hoc non est dimittendum, quia non debet ob vitandum alterius scandalum quis peccare. Aut est bonum supererogationis, & hoc quamuis homo possit dimittere

propter

propter scandalũ alterius, non tamẽ tenetur omnino dimittere, sed aliquo interiecto tẽpore. Quia igitur curatio miraculosa corporum ordinabatur ad salutem animarum, quod est bonũ necessarium: propter scandalum dimitti nõ debuit aut in aliam diem distrahi, cùm meliùs & opportuniùs in sabbathis fieret. Tum etiã quia præcipuè illis diebus magna hominũ multitudo cõueniebat, tũ propter documentum: quia nõ erat opus seruile à quo cessandum erat: denique vt ostẽderet Christus se Deũ esse, & non legi subditum. *Et colloquebãtur ad inuicem quidnam facerent de Iesu.* Hoc est quomodo eum perderent: cuius beneficiis maximè indigebãt. Impiissima fuit eorum malitia: quandoquidem cõcilium inierunt, vt de Christi morte agerẽt. Vides iam hîc
Exod. 8. quomodo Dei miraculis impij obstinatiores redduntur, vt in impio illo Pharaone, & in Iudæis patet: in quos cùm dominus tanta contulisset benefi-
Exod. 16. cia, & pauisset illos in deserto: sæpè sæpius in Aegyptum reuerti voluerũt. Sic isti pessimi homines mirabilia Christi videntes, non solùm reuersi sunt ad pœnitentiam: sed peiores facti de illius morte ege-
Matt. 12. runt. Sic in Matthæo legimus, quòd cùm vidissent hoc miraculum Pharisæi, concilium fecerũt aduersus eum, quomodo illum perderent. Et in Marco etiam dicitur, quòd cum Herodianis inierunt con-
Marc. 3. cilium. ¶ Caue tu à malitia & inuidia istorum. Etenim offenduntur inuidi bonis operibus proximo-
1. Reg. 3. rum. Legitur in primo libro regũ de Heli sacerdote, quòd non poterat videre lucernam, donec extinguebatur. Sic inuidi nõ possunt bona opera proximorum lucentia videre, nisi solum ea opera, quæ extincta sunt, & mortua. Infirmabantur horũ oculi tanquam inuidi: vt non possent bona opera proximorum intueri. Tales lumine solis obcæcantur. Pascuntur hi stercore, vt scarabæi: vnde iniquis proximorum operibus gaudẽt, & delectantur, bonis autem mœrore cõsumuntur. De his, qui proximorum bonis operibus offendũtur, inquit propheta Amos, Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciã terram
Amos. 8. in die luminis. Cui rei in persona Christi concinit egregius psaltes. Loquuti sunt aduersum me lingua
Psal. 8. dolosa, & sermones odij circundederunt me: pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: posuerũt aduersum me mala pro bonis. Quod etiam per Ioannem Christus testatur, Vt impleatur (inquit) sermo
Ioan. 15. qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerũt me gratis, &c. Sed iam beatissimum euangelistam Lucam, qui agere incipit de apostolorum electione, audiamus. *Factum est autẽ in diebus illis exiit in montem orare.* Non intelligas hoc contigisse statim post
Amb. lib. 5. in Luc. ca. 5. ca. de oratiõe Iesu. prædicta, quæ hic narrantur: sed anteà, videlicet priusquàm sermonẽ habuisset in monte. Vnde quæ de apostolorum electione hîc dicũtur, quædã recapitulatio est sancti euangelistæ. Docemur autẽ hoc Christi facto à mũdo & eius tumultu lõgius abire: si Deo vacare quietè volumus. Prætereà oraturus montem ascendit, vt ostendat quòd omnis orans mundi infima & terrena cõtemnere & obliuisci debet: cœlestia verò solum contẽplari: & apicẽ mõtis cõscendere. Vult enim dominus acturus & loquuturus cũ homine eũ inuenire à mũdi tumultibus & vanitatibus segregatum. *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Genitiuus ille additus, in oratione Dei, hebraïsmus esse potest: cuius alias meminimus. Nam cùm Hebræi rem magnam exprimere volunt, rem Dei appellant, vt montes Dei, cedros Dei, id est, magnos. Et nos etiam frequenti loquendi vsu hoc sermone vtimur. Dicimus nanque panem Dei, vinum Dei, cùm suauissimum & optimum id significare volumus. Sic modo Euangelista inquit: in oratione Dei, id est, in ardenti & feruẽtissima oratione: cuius rei argumentum præbet dicens, quòd in ea pernoctauerit. ¶ Docet non solùm die, sed etiam noctu orationi vacandum esse, & in ea persistendũ, quod Hiere. 3.
quidẽ propheta sanctus Ieremias docet, dicẽs, Cõsurge, lauda in nocte in principio vigiliarum: & effunde sicut aqua cor tuum ante conspectũ domini Dei tui, leua ad eum manus tuas. Sic egregius ille Psalm. 67.
& sanctus rex Dauid faciebat: dicens, Præuenerunt vigilias oculi mei. Et Esaias, Anima mea quæsiuit Esai. 26.
te in nocte. ¶ Aduerte hîc etiam quòd ante electionem apostolorum permisit dominus orationẽ: tota enim nocte orauit, & mane elegit duodecim apostolos: vt doceat nos orare ante electionẽ præ- Ambros. vt supra.
latorũ: vt Deus dignetur ostendere, quis sit dignior vt in prælatum eligatur. Sic etiam apostoli qui edocti erant à Christo cùm alium apostolũ eligere vo- Electiones prælatorũ ab oratione inchoandæ.
luerunt, qui sedem Iudæ impleret, orantes dixerũt, Tu domine, qui nosti corda omnium, ostende, &c. Sed iam hodie in electionibus potiùs præmittitur Act. 1.
malignum & iniquum fœdus, quàm deuota oratio. Priùs nanque qui dignitates ascẽdere anhelãt, ambitu sibi suffragia quærũt, & si opus est oblatis pecuniis id facinus perpetrant. Et ij etiam, qui suffragantur, potius amicitiã, cõsanguinitatem, patriam, vel nationem quàm eum qui studiosus est, sapiens, vel dignitate, & officio dignus. Tales sunt quæ hodie fiunt electiones: vt fuit electio Sichimitarũ, qui Abimelech elegerunt in ipsius euersionẽ, & eorum etiã qui ipsum elegerãt. Subditi eum prælatum volunt, qui semper facultatẽ illis facit, vt cùm ignauia Iudic. 9.
& negligentia viuãt: eum autẽ abiiciunt & nolunt, qui studiosus, & amator virtutis, & religionis est: statimque aduersus eum insurgunt dicentes, asperũ esse rigidum, & crudelem. Is autem, qui hoc modo eligitur prælatus & ad libitum subditorum, statim conspicitur non per portam intrasse: quia asperè & superbè imperat, & cum tyrannide regit, nõ oculos coniiciens in cõmune bonum, sed sibi indulgens, & amicis suis qui illum elegerũt, etiã si mali & peruersi sint. De quibus dominus per Oseam aptissimè loquitur, inquiens, Ipsi regnauerunt, sed nõ ex me, Osee. 8.
principes extiterunt, & non cognoui. ¶ Obseruandum est etiã, quòd quãuis Christus sit Deus, poterat tamen sicut homo preces fundere: nam secundũ assumptam humanitatem orare poterat, secundum quam minor erat patre, quod idem testatur dicens, Pater maior me est. Secũdum quam etiam obediebat in omnibus tanquam minor maiori, iuxta illud Ioan. 14.
Pauli, Factus obediens vsque ad mortem. Ideóque Phil. 2.
orabat, & non solùm hîc, sed etiam à dextris patris quatenus homo orare potest: & orat pro nobis offerens merita passionis suæ toti diuinitati. Vt ipse beatus Ioannes nobis locupletissimus est testis, qui inquit. Si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem dominum Iesum Christum: & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. ¶ Expende etiam 1. Ioan. 2.
quàm asperam vitam degebat Christus redemptor noster, qui in die prædicabat, & docebat: per noctem verò in somnis in oratione erat, in mõte, inter feras, & in solitudine. Quid ad hoc mirabile Christi exemplum dicent illi miseri, & infœlices, qui de Christiano nomine gloriãtur, qui in blandis lectulis per

lis per totam noctem stertunt: qui etiam vsque in mediam diem non expergiscuntur? Hi equidem vitam Epicuræorum sectantur: qui etiam in vitiis & obscœnis voluptatibus tanquàm sues deuolutūtur, ventrem suum Deum habentes,& vxores sues tanquam deas venerantes. *Phil. 3.* *Et cùm dies factus esset vocauit discipulos suos.* Non insalutato hospite accedunt, sed priùs vocantur. *Hebr. 5.* Vnde Paulus Hebræis dicit, Nec quisquàm sumit sibi honorē,sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. *Electio apostolorum.* Sed hodie multos vocat peculiaris ambitio,multos carnis affectio,plurimos pecuniaria,aut regum & principum amicitia & cōciliatio.Obserua etiam quòd Christus ex discipulis suis prælatos elegit,apostolos & principes ecclesiæ.Sic tu ex Christi discipulis elige prælatum: nō ex discipulis diaboli, mundi aut carnis. Sed quis est Christi discipulus? Qui charitatē habet. Charitas enim discipulos Christi non efficit:iuxta id quod idē dominus inquit,In hoc scient omnes, quòd discipuli mei estis: si dilectionem habueritis ad inuicem. Is *Ioan. 13.* qui maiorem,& ardentiorem habet charitatem,dignior est vt prælatus eligatur. Vnde quando Christus beatum Petrum eligere voluit in aliorum prælatum *Ioan 21.* priùs illum examinauit qualem amorem & charitem haberet,& voluit scire an præ cæteris apostolis eum diligeret: nam etiamsi dignum eligas,si dignior alius sit,aduersus conscientiam facis, nam teneris digniorem eligere. ¶Itaque ex Christi discipulis,& ex eis qui inuicem se diligunt,prælatū eligere debes.Sic apostoli fecerūt in electiōe Matthiæ in apostolatum. *Act. 1.* Vnde beatus Petrus dixit, Oportet vt ex his viris qui nobiscū sunt cōgregati in omni tempore, &c. Sic etiam cùm elegerunt illos *Act. 6.* septem diaconos vt ministrarent mensis dixerunt, Considerate viros ex vobis boni testimonij septē, plenos spiritu sancto & sapientia, vt constituamus super hoc opus. *Et elegit duodecim ex ipsis.* Ex quibus manifestum est quòd omnes duodecim apostoli simul fuerint electi,nec alterum altero in apostolatu antiquiorem esse: quanuis alij aliis in discipulos priùs fuerint electi.Priùs nāque sequuti sunt Christum *Matth. 4.* beatus Petrus & Andreas, quàm Ioannes & Iacobus: ideóque in discipulos aliqui priùs alijs electi sunt, nō autem in apostolos. Nam quadā die primò mane vocauit Christus omnes discipulos suos, & ex eis duodecim segregauit, quos elegit & nominauit apostolos. Quod autem duodecim elegerit non alto vacat mysterio. Aliqui existimarunt nullum esse mysterium in duodeno numero apostolorum, dicentes nullā esse causam aut rationem quod plures essent,aut pauciores. Nam Marcus ait *Marc. 3.* ad se Christum vocasse quos ipse voluit: & placuit illi duodecim eligere. Nam quando infœlix Iudas periit,non vtique elegissent apostoli alium, qui locum illius impleret, & Petrus id esse necessariū di- *Act. 1.* xit, Oportet (inquit) vnum ex istis nobiscū fieri te- *Mysterium duodenarij.* stem resurrectionis:& quod scriptura hoc prædixerat,quam oportebat impleri.Sed quanuis ratio determinata de hoc certo numero non appareat: tamen duplex videtur esse.Prior,quia volebat eos honorare,& nullus maior honor æstimatur. quàm is, quē in ꝓpria patria q̄s habet:apostoli autē ex gente erāt Iudæorū qui diuidebātur in duodecim tribus. Voluit eos esse duodecim quasi habituros potestatē in duodecim trib⁹ Israel.Sicq; eis dixit Christus, *Matth. 19.* Vos qui sequuti estis me,sedebitis super sedes duodecim,iudicātes duodecim tribus Israel. Secundò, quia Christus voluit aliquā facere collationem inter vetus & nouum testamentum. Illi namque qui vetus testamentū coluerūt,secundū carnē à duodecim patriarchis descenderūt: ita nimirū voluit Xp̄s vt omnes,qui in nouo testamēto futuri erant Christiani descēderent spiritualiter à totidē patriarchis. Ideóque duodecim cōstituit apostolos,qui principes fuerunt & doctores legis euangelicæ. Vt enim hac mundi machina terrestri per duodecim signa Zodiaci Sol conficit cursum suum mirabili & diuina dispositione.Sic in mūdo spirituali Christus Sol iustitię per duodecim apostolos deducitur,qui eius fidem prædicarunt:& nomen eius cunctis nationibus fecerunt notū,& expulsis tenebris ingēti splendore mundum illustrauit. Obserua aūt,ꝙ ea ad quæ vocantur apostoli,cœlestia sunt non terrena:meritissimo ergo ad ea eliguntur, qui minus habent in terra,& ideo Christus pauperes elegit. Nam quemadmodum ad sæcularia hi eliguntur qui maiorem sæculi prudentiam habent: ità ad res semotas à sæculo elegi debent,qui minus habent de sæculo. Fecit dominus in euāgelica lege, quod in veteri fecerat: in qua primus rex Saul de minima tribu inter omnes alias, & de minima familia inter suæ tribus familias electus est.Dauid etiam cum eligitur minimus est inter fratres suos.Vnde eius erat Israelitici *1. Reg. 9.* regni vt deficiente posteritate Salomonis successio pertineret ad filios Nathā: qui minor erat ante Salomonem: vt in capite tertio huius in genealogia *1. Reg 16.* Christi suprà ostendimus: Ita hic nō diuites,sapientes, *1. Par. 3.* nobiles aut potētes elegit dominus: sed pauperes,simplices & humiles corde.Sic beatus Iacobus inquit,Nonne Deus elegit pauperes in hoc mūdo? diuites in fide, & hæredes regni? Elegit enim eos ante mundi cōstitutionem. *Iacob 2.* Ad hoc nāque munus prædestinati fuerunt ad mundi scilicet, cōstitutionem *Ephes. 1.* isti fœlicissimi homines. ¶Sed expēde obsecro in hac electione mirabilē & infinitam Dei sapientiā. *Sapientia diuina consideratur in electione duodecim apostolorum.* Nam cùm vellet Deus à suis creaturis cognosci, diligi,& amari in ipso mūdi exordio:primo omniū Angelos condidit excellenti virtute præditos, substantias spirituales, & diuina mente pollentes, donauit illis sciētiam & sapientiam admirabilem.Horum multi malè abutentes diuinis donis & beneficiis acceptis gloriam domini vsurparunt, cùm potius gratias illi referre deberent: ob q̄ acerrimè in eos animaduertit dominus: & ita ceciderūt miserādo lapsu,vt dicat Ioānes,nō inuentū esse in cœlo eorū amplius locū,ita,vt perpetuò nulla eis remāserit *Apoc. 12.* spes ascēsus, nec vllius remedij vmbra.Vnde ad reparādas sedes horū casu perditas (vt inquit beatus Aug.)naturā humanā Deus cōdidit primū,hominē *August in enchirid. ca. 9.* Adā ad imaginē suā cōstituens.Qui adeò tāta innocētia & sanctitate cōditus fuit,vt nō solū fuerit plenus gratia atq; diuino amore: sed etiam ornauit & muniuit cū originali iustitia,secūdū quā pars sensitiua rationi obtēperabat.Nullaq; orta inter potentias lite.ita sāctè,piè,& angelica vita,& in omni perfectiōe viuebat.Quę omnia dona,gratiæ,& immunitates nō illi fuerūt satis: vt in amicitia diuina persisteret.Quippe diuinū mandatū ipsi impositū violauit:vnde priuatus fuit iustitia originali, quæ sibi & *Genes. 3.* posteris suis,tāquā primogenitura erat cōcessa,atq; ita subiectum māsit eius corpus morti, & anima in misera dæmonis seruitute captiua. Et quia omnis *Genes. 6.* caro corruperat viā suam, ex omni massa perdita elegit Deus filios Israel in habitationē suam, segregans

gans eos à reliquis vt ab illis adoraretur & coleretur: quandoquidē reliqua hominū pars idololatriæ studebat. Et quemadmodum angelis sapientiam donauerat sublimem, & primo parēti Adæ sanctitatem absolutam & perfectissimam: ita huic suo populo electo dedit abundantem terram, affluentiam diuitiarum, regale sceptrum, gloriosos triumphos & victorias, quas de inimicis suis reportarunt. Hi etiam sui tanti domini, qui in eos tot cōtulerat beneficia, tot amoris & pietatis suæ pignora tradiderat, proditores ingratissimi extiterunt. Videns itaque vnigenitus Dei filius quā fragile fuisset literarum, quod iactū erat, fundamentū, sanctitatis, diuitiarum, atq; humanarū virium: ædificium in aliud multo dissimile cōuertit. Et ad id stabiliendū & firmandum nō sibi assumit mundi sapientes, non literatos, nō potentes, non legis rabbinos, nō inflatos mundi philosophos, nō principes & magnates, nō strenuos milites, nec fortes & robustos duces, ad fundamētum iacit ecclesiæ suæ sanctæ pauperes & rudes piscatores: vt verè apostolus dixerit. Infirma mundi elegit Deus, vt fortia quæque confundat. Vult Christus Eccesiam suam perpetuò durare, atque ita hos humiles & infirmos homines elegit. Quam quidē rem si accuratiùs inspexeris, videbis in ea diuinam & admirabilem sapientiam relucere. Nā cùm ecclesiæ suæ priora iecisset fundamēta angelicā sapientiā, mirabili lapsu corruit: deinde eam in sanctitate & in innocētia fundauit, & cecidit: denique eam ædificat in viriū robore, diuitiis, atque potētia, & tandē radicitùs fuit euersa. Nunc autem mundi reformator & restaurator ecclesiæ suæ fundamentū cōstituit homines imbecilles & peccatores, vt Petrus, qui post Christū prima fuit petra fundamenti, qui nō post multum tēporis miserè & infœliciter cecidit. Et vt fuit Matthęus, qui in telonio sedebat. Et Paulus Christiani nominis inimicus & persequutor: & duo alteri ambitiosi filij Zebedæi, & iactis his tam fragilibus fundamentis certò certiùs est ecclesiā nunquàm defuturam. Hæc sunt mirabila & stupēda Spiritus sancti opera: hæc immēsa & inscrutabilis Dei sapiētia, quam insipiens mundus cùm nō attingat, nec capiat, stultiā & insipientiam iudicat. Itaque supernus artifex iam incipit ædificiū suum, & priora iacit fundamēta duodecim angulares & fortissimas petras. ¶ Aduerte autem quòd ex cōmuni gremio eligēdi sunt ij, qui in magna habeantur æstimatione. Sed multi prælati præcipuè monachorū iam huius doctrinæ obliuiscuntur, qui exteras & peregrinas adducūt moniales, vt monasteriis præsint: vnde fit, vt multę oriantur dissensiones inter eas, quia molestè ferūt vt foris aduenīat, quæ eis præsit: cùm potiùs aliter deceret fieri. Vnde benè sancitum est in ecclesia vt abbas à suo monasterio eligatur. Sed proh dolor q sæpè sæpius multa propriis oculis vidi orta scādala, cùm prælati eas velint honorare, quæ illis magis placent quibúsque aliquib. donis & beneficiis sunt affecti: atque ita eas traducūt ex altero in alterū monasteriū. Posteà verò nō illis deest parua quædam & nullius momenti excusatio, qua suum defectū & inordinatum amorem tueantur, dicētes ita cōuenire, vt adsit pax & tranquillitas in monasterio. Quod certè non ita reuerà euenire solet, quia potius ipsi cum discordia gaudent, vt milites cum bello, in quo ipsi diripiunt, & rapiūt quę possunt. Christus itaque ex ipsis elegit duodecim. Et apostoli elegerūt Matthiā

Matt. 26. *Matth. 9* *Act. 9* *Matt. 20.*

Extraneis non, sed ex cōmuni gremio eligendi.

18. q. 2. abbatem.

ex ipsis, non ex extraneis. Oportet (inquit Petrus) eligere vnum ex his qui nob scum sunt, &c. Sed de his satis. ¶ Vnum autem hîc vltimò notandū, quòd Christus elegit hos apostolos in monte: nā statim inquit euangelista Christum descendisse de monte ex quo dignitas apostolatus excelsa & sublimis cōsiderari potest, cùm in sublimi & alto loco in cacumine montis data fuerit. Postquam igitur ex omnibus discipulis hos duodecim elegit, ait euāgelista. *Quos & apostolos nominauit.* Apostolus græcè idē est quod latinè missus. Hi nāque gloriosissimi Christi, & eius viię, obseruātissimi sectatores, primatum obtinent in ecclesiastica hierarchia: & sunt post Christum altissima Christianæ ecclesiæ Seraphin, quorum verba & scripta veritatē continent infallibilem, & scripturæ sacræ reputantur. Hi sunt, qui ecclesiam plātarunt, & suo sanguine tanquā aquarum torrentibus fructificare fecerūt. Hi sunt, quos Christus nō seruos sed amicos nominauit. Hi sunt mundi restauratores, vniuersi orbis prædicatores, Christus splendidissimus mundi sol, & lumen orbis, tenebras ignorātiæ expellens. Hi denique duodecim apostoli, sunt illi duodecim fontes Helim, qui doctrina sua omnem terram irrigarūt. De quorum numero & altissima dignitate, & meritis multa eáque præclara dici possent, quæ breuitati consulentes, consentaneum duximus omittere. Nomina autem sanctorum apostolorum, quæ Christus dicit scripta esse in cœlo: nunc etiam beatus euangelista hic ea scribit dicēs, *Simonem quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius: Iacobum & Ioannem.* Nominātur apostoli quasi viri illustres & præclari. Sic Mosi dictū est, Noui te ex nomine. Illi ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ tempore cōcilij singuli per nomina vocabantur: & ad ostendendum quod erant proceres, dicitur quòd vocabantur per nomina. Sicut enim in veteri testamento ponuntur nomina patriarcharū filiorum Iacob: sic in nouo testamento ponuntur nomina principum & patriarcharum. Obserua autem, quòd in ordine nominum non attenditur ad merita, aut ad sanctitatem: quia Ioannes vt dicit Chrysostomus, non solùm cæteris, qui post ipsum sequuntur: sed etiam ipso fratre maior erat. Et Andreas nō fuit vocatus ad tantam Christi dilectionem & familiaritatem sicut Ioannes. Ordo enim est antiquus: quanuis Petrus propter principatum & dignitatem omnibus præferatur. Petrus & Andreas priùs fuerūt vocati ad discipulatū: quanuis nō ad cognitionem Christi, nā ad hoc priùs fuit vocatus Andreas quā Petrus: & priùs Philippus, quā Iacobus & Ioannes. Sed ad discipulatum nunquam ad sua reuersuri simul vocati sunt. Petr. & Andreas: & primus ponitur Petrus, quia natu maior erat, & eadē ratione Iacobus ponitur prior Ioāne, quia ætate maior erat: quos duos fratres statim post Petrū & Andr. vocauit dn̄s. Sed nonnihil differre videntur hic euangelist. e. Lucas enim & Matth. ponunt in secundo Andream: & in Marco & in Actis vbi numerātur apostoli, ponitur Andr. in quarto loco, scilicet post Iacobum & Ioan. Ratio est, quia Matth. & Lucas seruant hic ordinē temporis, illic autē dignitatē: quia ad maiora secreta hi tres eleuati sunt. Et quia Ioannes inter duodecim (vt Ambros. fatetur) solus virginitatis puritate inuentus fuit, & quia à dn̄o maiori dilectione fuit prosequutus: ideò Lucas in Actis post Petrum eum nominat, & posteà Iacobū & Andream.

Act. 1. *Ioan. 15.* *Exod. 15.* *Matt. 10.* *Exod. 33.* *Num. 6.* *Genes. 46.* *Exod. 1.* *Chrys. hom. 3. in Matt.* *Ioan. 1.* *Matth. 4.* *Matth. 10.* *Marc. 3.* *Acto. 1.* *Amb. super 1. Cor. cap. 2.*

dream. Vocatur autem Simon Petrus ad differen-
tiam alterius apoſtoli, qui vocabatur Simó cogno-
mento Zelotes aut Chananæus. Poſuit auté Simo-
ni nomen Petrus, ad ſignificandam ipſius futuram
excellentiam; quia ſummus pontifex cóſtituendus
erat. Nam ſicut petra ponitur in ædificiis tanquam
baſis & ſubſterniculum: ita Petrus fuit fundamentũ
ædificij ſpiritualis apoſtolorũ, & qui primas inter
principes apoſtolos ad dignitatem pontificiã ele-
ctus eſt, impoſuit illi Chriſtus nomẽ: quia nominis
Gen.2. impoſitio dominij & principatus ſignum eſt. Vnde
dominus volens docere Adam, quòd eum principẽ
& omnium dominum feciſſet: adduxit ad eum om-
nia vt videret, quod nomẽ ſingulis imponeret. Ve-
luti qui mancipium emit: volens ei oſtendere ſe ſu-
per ipſum dominium habere nomen immutat. Sic
Geneſ. 17. Deus Abraham & Saræ nomina mutauit. Sic Pha-
Gen. 41. rao in Ægypto vocauit Ioſeph Saphanat: hoc eſt
mundi Saluatorem. Et Nabuchodonoſor vocauit
Dan. 1. Dan. Balthaſarem. ¶ Præterea res in meliùs mutatæ
indignæ ſunt, vt prioribus nominibus appellentur.
Gen. 17. Hac de cauſa Abram in Abraham mutatum eſt, &
Gen. 32. Iacob in Iſrael. Quò etiam facto docemur, vt ſi quẽ
ex peccatore iuſtum, iam mutatum viderimus, no-
minis prioris ignominioſi obliuiſcamur.

¶ Andream autem vocauit fratrem Petri propter
honorem quia in honorẽ illius cedebat, quòd eſſet
frater Petri, quem Chriſtus principem apoſtolorũ
fecerat. ¶ Iacobus filius eſt Zebedæi, quem Chriſtus
plurimum dilexit, fuitque vnus, ex eis, qui peculia-
riter ad omnia ſecreta Chriſti vocabantur, qui om-
nium apoſtolorum primus martyrij palma laurea-
tus eſt. ¶ Ioannes frater Iacobi vnus eſt ex quatuor
Lib. 1. euangeliſtis, cuius euangelium (vt Auguſt. ait) inter
Aug. de conſ. omnes ſcripturas eminentiſſimum eſt, quocirca a-
euãg. c. 6. quilæ aſſimilatur, quia ſermonis, & ſecretorum al-
titudine omnes trãſcendit. Solus ipſe inter duode-
cim cum Chriſto adfuit cùm in cruce penderet,
cui dominus virginem matrem virgini commẽda-
uit, & præ cæteris dilectus fuit à Chriſto, qui poſt-
quam octo ſuprà ſexaginta annos euangelium prę-
dicauit, poſt exilia, poſt calamitates & martyria a-
Tho. in euãg. pud Epheſum ſuſcepta (teſte b. Thoma) abſque vllo
Ioan. c. 21 & dolore moriens eadem hora ſuſcitatus corpore ſi-
in 4 ſent. di. mul & anima glorioſè cũ ſanctis aſcendit in cœlũ.
43. q. 3. ad 2. *Philippum & Bartholomæum.* De his nulla eſt diſcordia
arg. inter euangeliſtas, quia ambo ponũtur ſtatim poſt
ſuprà dictos quatuor. Tamen in actis apoſtolorum
poſt Philippũ ponitur Thomas, & deinde Bartho-
lomeus. Huius diſcordantiæ cauſa manifeſtè non
apparet ſed fortè fuit ad deſignandum ordinem di-
gnitatis, & omnes euangeliſtæ tenuerunt ordinem
temporis. Lucas verò in actis tenuit ordinem me-
ritorum. Nobis tamen nihil conſtat de differentia
Thomæ & Bartholomæi, quia eorum geſta non le-
guntur in ſacra ſcriptura, per quę aliquã eorum di-
gnitatẽ venari poſſimus. ¶ Obſerua autẽ quòd euã-
geliſta, apoſtolos binos & binos nominat, dicẽs Pe-
trum & Andream, Iacobum & Ioannem, Philippũ
& Bartholomæum, & ſic de reliquis, quos fortè ita
numerauit, quia bini poſtea fuerunt miſſi. ¶ Porrò
hic Philippꝰ anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo octauo
crucifixus eſt poſtquam Ebionitarum hæreſim de-
ſtruxit, & totam Scytiam ad fidem Chriſti ſua præ-
dicatione conuertit. Bartholomæus autem in ſupe-
riore india euangelium prædicauit, & in Licaonia,
vbi pro Chriſto nomine cæſus, & exenteratus, tan-
dem capitis diſcrimine fœliciter occubuit. *Matthæũ
& Thomã.* Marcus & Lucas priùs ponũt Matthęum:
quàm Thomam: ſed ipſe Matthæus Thomã priùs
ponit. Ratio diſcriminis eſt quia Lucas, & Marcus
ſcribunt iuxta temporis ordinem, in quo Matthęus
præceſſit Thomam: ipſe tamen Matt. ex humilitate *Matth. 9.*
priùs poſuit ſocium ſuum, qua etiam humilitate *Beda in cap.*
ſeipſum publicanum nominauit, quod alij euange- *Luc. 6. co. 11.*
liſtæ tacuerunt. Matthæus verò primus omnium
euangelium in Hebræo ſcripſit, regium puerum in
Æthiopia ſuſcitauit à mortuis, & parẽtes pueri ad
fidem Chriſti cõuertit, & tandẽ Hirtaco regni ſuc-
ceſſore gladio cõfoſſus eſt. Thomas autem benè de
Chriſtiana pietate meritus tã in Medos, quã in Per-
ſas, Hircanos, Brachmanas, & Indos, multis, editis
miraculis, Chriſti fidem augens lancia confoſſus in
India fuit. De quatuor autem apoſtolis qui ſequũ-
tur, omnes tres euangeliſtæ concordant, *Iacobum,
Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes: Iudam Iacobi, &
Iudam Iſcariotem qui fuit proditor.* Horum duo, ſcilicet
Simon & Iudas fuerunt fratres Iacobi minoris, &
filij Mariæ vxoris Alphæi, Sororis virginis Mariæ.
Iacobus hic Alphæus propter eminẽtem vitæ ſan-
ctimoniam cognomento iuſtus appellatus eſt. Cõ-
ſtitutus fuit ab apoſtolis epiſcopus Hieroſolymo-
rum, ob Chriſti nomen lapidatus, & præcipitatus
vecte fulonis capite cõminuto martyrij laurea de-
coratus eſt. Simon verò in Ægypto prædicauit, &
poſt Iacobum iuſtum cathedram Hieroſolymis ob-
tinuit: & iam ſenex factus ſub Traiano imperatore,
ſicut Ioannes euangeliſta, paſſus, & cruci affixus
eſt. Iudas autem Iacobi frater in Meſopotamia &
in interioribus Ponti prędicauit, & tandem marty-
rio coronatus eſt. Iudas verò Iſcarioth vltimo loco
ponitur, nõ quòd poſterior venerit ad Chriſti ſcho-
lã, ſed quia traditor, & iniquus fuit. Sicut enim Ioã-
nes ponitur in actis in ſecundo loco propter ipſius
excellentiam: ſic Iudas ponitur in infimo loco pro-
pter eius vitæ obſcuritatem & nequitiã. In quo lo-
co videre poteris quomodo vitia, & peccata in hu-
milem & infimum locum hominem conſtituant.
Quod quanuis in Dei iudicio & inter euangeliſtas
ita ſit: tamen mundus non ſic facere cõſueuit: nam
homines peſſimos flagitioſos, & morte dignos in
priori loco collocat. Vnde regius vates, Ecce ipſi *Pſal. 72.*
peccatores abundantes in ſæculo: obtinuerũt diui-
tias. At viri ſtudioſi & integritate vitæ & cãdore ful
gentes in mundo infimum locum obtinent: hi ſem-
per abiecti & contemptibiles reputãtur. Diues ille *Luc. 16*
auarus, qui omni vitiorum genere erat coinquina-
tus, primum locum obtinebat in mundo: at mẽdi-
cus Lazarus infimum. Sed multò aliter corã ocu-
lis Dei id contingit, nam pauper Lazarus principẽ
locum in cœlo occupauit: diues autem purpuratus
infernum habitationẽ recipit. Ioſeph principalio-
rem & nobiliorem iudicabat Ephraim, quia maior
natu erat, quàm Manaſſes: at ſanctus patriarcha Ia- *Gene. 48.*
cob diuino ſpiritu afflatus, manꝰ immutauit, & mi-
nori qui diuina prædeſtinatione erat electus, quiq;
gratus; & iucũdus Dei oculis inueniebatur, dexte-
ram impoſuit manum, ſiniſtram autem maiori. So-
let enim contingere, vt cùm domus aliqua à nemi-
ne incolitur, omnia quæ in ea ſunt, tranſmutata, &
nullo ordine diſpoſita inueniũtur: nã ſcabella, ſub-
ſellia, & mẽſæ cum lectulis inuoluũtur: at cum do-
minus aduenit ſingula ſuis locis apponuntur. Sic
nunc in mundo cõtingit vbi omnia ſunt inuerſa, &

iniquo ordine disposita: nam qui meliores sunt, minoris æstimantur, & ea quæ in sublimiori loco cõstituta esse deberent, in infimo iacẽt: quęq; in infimo ea in altissimo solio sunt collocata. Vnde verè hunc mundum Babylonicam cõfusionem appellabis: vbi nullus ordo, sed perpetua discordia & dissonãtia inuenitur. Sed cùm venerit Christus, qui vniuersi orbis dominus est, omnia suis debitis locis disponet: & reddet vnicuiq; iuxta opera sua, præbens rectis honorem, ignominiam verò & contemptum

Matth. 7. malis. Vt autem videas quàm rectus ordo in domo domini obseruetur, proditorem Iudam sancti euangelistæ in infimum & vltimum locum cõstituunt, tanquam vltimum & minorem in meritis.

¶ Præterea quotiescunque euangelistæ Iudam nominant, dicũt illum proditorem fuisse: quod fecerunt, vt ostenderent bonitatem aliorum apostolorum: quia hunc solum malũ & iniquum designãtes, reliquorũ sanctitas, & integritas clariùs elucescat. Quod manifestè innuitur, quando Petrus no-

Ioan. 6. mine apostolorum dixit, Domine verba vitæ æternæ habes: & nos cognouimus, & credimus, quia tu es Christus filius Dei. Et respondit Christus, Nónne ego duodecim vos elegi & vnus vestrum diabolus est. Et ille non credidit, Iudas quippe nunquam credidit Christum esse filium Dei: quanuis credide-

Boni mali permixti. rit illum virum bonum & iustum. ¶ Discamus, propter vnius hominis delictum non contemnere omniũ communitatem & congregationem. Nã in cœlo omnes sunt boni, in inferno omnes mali: in terra autem & boni simul & mali vitam agunt, siquidem nulla in mundo sanctior congregatio reperiri potest quàm fuit apostolorum, vbi vnus iniquissimus

Matth. 13. Iudas fuit inuentus. Christi collegiũ habuit bonos & malos, perfectos, & imperfectos: sicut nunc sagena ecclesiæ bonos, & malos comprehendit. Sic etiã in religiosorum monasteria boni & mali habitant. Inter apostolos fuerunt duo quęrentes vindictam Sa-

Luc. 9. maritanarum, tanquam imperfecti. Fuerunt etiam

Luc. 22. gloriæ & honoris cupidi, nam facta fuit contentio inter illos, quis eorum videretur esse maior. Fuerũt etiam murmurantes, nam videntes Magdalenæ fa-

Matth. 26. ctum, indignati sunt dicẽtes, Vt quid perditio hæc? Fuerunt etiam inter discipulos apostatæ: nam multi audientes, quòd loqueretur de mãducatione cor-

Ioan. 6. poris sui illum reliquerunt, & abierunt retrò. Fuerunt denique inter illos pœnitentes: sicut Petrus & Iudas, quorum alter pœnitentiam dignam fecit: alter verò miserè & infœliciter laqueo se suspendit. Quare ineptissimi & stupidi homines sunt appellãdi, qui propter vnius religiosi peccatum, monasteria monachorum damnant. Qui etiam perinde sua imprudentia sanctorum apostolorum collegium damnare deberent: & damnent etiam cœlũ & sanctorum angelorum choros, in quibus multi mali fuerunt: & ab eis ceciderunt. Monachi (vt piè & verè loquar) tarò cadunt, citius verò resurgunt, quia multa iuuamina & suffragia habent, quibus adiuti facilè resurgere & resipiscere possunt, vt claustra, choros, locus orationis, celebratio sacrorũ, bonorũ consilia: denique mercede & retributione sunt digni propter omnia quæ faciunt, nam sub obedientię iugo ea conficiunt: viuunt tandem semoti & segregati ab scopulis mundi: vbi multa sunt præcipitia. Si autem aliquando eis contigit cadere, id humanæ fragilitati dandum est: præstò adest illis do-

Matth. 14. minus manum dexteram porrigens, vt cum Petro fecit. Quid si aliqui retrorsum vadant lapsi in apostasiam, sicut abierunt illi Christi discipuli. Nunquid propter hoc execrãda sunt monasteria? Si igitur in illo tã sancto & tã diuino collegio, vbi Christus rector erat, & magister inter tam paucos tanta fuit differentia bonorum & malorum, fortiũ & imbecilliũ, pœnitẽtium, & impœnitentiũ, & perseuerãtium: quid est quod miremur si videremus aream monasterij nõ esse sine paleis? Vide etiã & tu quòd cùm aliquis illorum delinquit, & illi detrahis: quòd multa ille operatus est bona quę tu nunquam fecisti, imò multa patrasti mala, quæ si penderẽtur puderet te corã oculis hominum apparere. Itaque tu vnius mali quod semel fecit, perpetuus es imitator: multorum autem bonorum in quibus per totã vitã se exercuit, nunquam recordaris. ¶ Docemur secũdò, ne quis de statu suo nimis confidat: aut inaniter glorietur. Poteris nanque in statu perfectionis vitã degere, & inter viros perfectos conuersari: tu ta- Nemini fidẽdũ de sanctitate sui status.

mẽ iniquis & peruersis moribus esse imbutus. Et licet modo inter bonos habitans bonus sis: poteris tamen in ictu oculi ab hac bonitate recedere, & in profundũ malorũ miserè labi. Ecce angeli de cœlo ceciderũt. Adã de paradiso, Dauid egregius Psaltes, & vir perfectissimus, turpibus se immiscuit flagitiis. Et tandem Iudas, qui dignitatem apostolicã conscenderat, quíque dæmonia eiecerat, & multa fuerat operatus miracula, turpiter, & infœliciter cecidit, & cum apostolorum esset sociis dæmoniorũ sodalis factus est. Nullus enim inaniter aut pręsumptuosè de se aliquid præsumat aut glorietur: neque monachus sęculares viros contẽnat: nec in sua virtute & monachatu confidat, sed potiùs semper humiliter de se sentiat, & cum timore domino seruiat, Apoc. 12. Gen. 3. 2. Reg. 11.

cùm videat Iudam apostolum ex culmine dignitatis in misera tartara cecidisse. Quapropter egregè admonet beatus Paulus dicens, Qui stat, videat ne 1. Cor. 10.

cadat. ¶ Obserua etiam quòd quãuis Christus rectè sciret Iudã fore damnandum, & ab eo tradendum esse: nihilominus illum in apostolũ elegit, vt impleretur scriptura dicens, Qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationẽ. Hanc eandem rationẽ reddidit ipsemet Christus, loquẽs de Iuda: vt impleretur scriptura, quæ ait, Qui mãducat mecum panem, leuabit contra me calcaneũ suum. Nemo tamen haberet consuetudinem manducãdi cũ Christo, ni esset mensæ suæ cõtinuus, & familiaris: nempe discipulus aut apostolus, ideóque vel in discipulum vel in apostolum Iudas eligendus erat. Sed potius in apostolum, quia apostoli magis familiares erant Christo: & manducabant, & bibebant cũ illo. Elegit illum quem sciebat proditorẽ futurũ, vt doceremur homines nõ natura: sed voluntatis arbitrio malos fieri. Bonus erat Iudas cùm electus fuit, & tradidit illi dominus pecuniam, quia videbat cũ pia & bona mense esse præditũ: quòd verò ipse bonis rebus abusus fuerit, ipsi imputãda est culpa. Poterat quippe si voluisset in sãcto collegio & diuina vocatione permanere. Per sistam° igitur nos in sancta vocatione: cecidit enim Saul qui bonus electus est in regem, cecidit & Iudas. ¶ Expende autem inauditam & ineffabilem Christi mansuetudinem & quàm benè canat ecclesia illum viscera misericordiæ habere: quia quotidie cùm Iuda comedebat, & plurima beneficia illi cõtulerat, & dulciter cum eo cõuersabatur, rectè sciẽs quòd traditurus esset illũ in mortẽ. Tu verò inimicũ tuũ & persequeris, & ab eius August. li. 2. de cõsensu euã. c. 30. Psal. 40. Ioan. 13.

eius cõuersatione te abstines. Sed iam historiã prosequamur. *Et descendens cũ illis stetit in loco cãpestri.* Electurus apostolos ascendit cum illis in montem, & docturus turbas descẽdit: quia perfectioribus altiora dicẽda sunt, & minoribus leuiora. *1.Cor.3.* Vnde Apostolus, *1.Cor.2.* Tãquam paruulis in Christo lac dedi vobis, nõ escam. Et in alio loco, Sapientiam loquimur inter perfectos, omnis enim qui lactis est particeps expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est, & perfectorum est cibus solidus. Erat Christus in monte pernoctãs in oratione, cùm mundani sunt in lectis suis lasciuientes, & in vtramuis dormientes aurem. *Exo.32.* Et Moses in monte in orationibus, & vigiliis cum Deo loquens: populus autem infra erat comedens & bibens, & vitulum adorãs. Ita mũdi discipuli cũ Christ⁹ & eius discipuli in oratione sunt, ipsi in deliciis, & vanitatibus sunt detenti. At priùs dominus cùm videat eos in cacumen montis nõ posse ascendere propter virium imbecillitatem, descẽdit à mõte illos docturus, & mirabili doctrina eos erudit.

¶Stetit (inquit) in loco campestri.

Locus prædicationis Christi. ¶Voluit dominus loca, in quibus populum docuit scribi & designari, vt si postea rebelles facti dicerent se nõ admonitos, loca ipsa si opus esset in testes vocarentur. Sic enim homines lapidũ aceruos & statuas in testes fœderis vocãt, vt legimus de Iacob & Laban: *Gen.31.* qui aceruum lapidum conficientes, cumulum testimonij vocauerunt. Cur etiam Deus in testimonium suę doctrinę, loca in quibus prædicauit, non adduceret? *Deut.1.* Lege diligẽter initiũ libri Deut. vbi videbis quanti faciat dominus loca, in quibus doctrinam suam tradidit. Hæc (inquit) sunt verba quę loquutus est Moses ad omnem Israel trans Iordanem, in solitudine campestri: contra mare rubrũ: inter Pharan, & Thophel, & Aseroth vbi auri est plurimũ: vndecim diebus de Oreb, &c. Et postquã loquendi finem fecit, *Deut.30.* dixit omni populo, Testes inuoco hodie cœlum & terram quòd proposuerim vobis vitã & bonum, benedictionẽ & maledictionem. Et in capite vltimo libri Iosue habetur quod postquam Iosue loquutus fuit ad omnem populũ Israel tulit lapidem pergrandem, posuitque eũ subter quercum & dixit, En lapis iste erit vobis in testimonium quòd audieritis omnia verba domini quę loquutus est vobis, ne fortè postea negare velitis, & mentiri domino Deo vestro. Vbi peccator diligenter debet aduertere, quòd Deus videns suam obstinationem vocauit in testes lapides, & montes aduersus eum. Si nõ adimpleuero verbum meum (inquit Iacob) *Gen.31.* lapides isti testes erunt. Tũ temporis lapides loquentur & testimonium proferent aduersus iniquum & mẽdacem, qui verbum Dei audiẽs, id noluit obseruare, imò violauit præcepta & mandata eius, &c. ¶Vbi obseruabis quòd sermonem istum beatitudinum quem Christus hic habuit, licet alij existiment alium esse ab eo quẽ Matthæus narrat, ego verò salua aliorum pace eundẽ esse credo. *Concordia euãgelistarum Matt. in Lucam.* Et si contradicere videatur id quod Matt. dicit, quòd Christus ascendit in montem, Lucas verò quod descendit in locum campestrem. In quibus verbis nulla est contradictio aut repugnantia: nam licet locus hic campestris mõs sit, & illũ Matthæus mõtem vocet: nihilominus, vt dixi nulla est cõtradictio, nam locus campestis mons est, licet sit quędam pars mõtis planior. Loca enim campestria solent in scriptura ea vocari, quæ nõ sunt omnino excelsa, nec omnino plana sicut valles. Etenim in libro Num. ponitur quædam mansio Israelitarum in campestribus Moab, *Num 22.& 26.* & alia subsequens ponitur in planioribus locis terræ Moab. Ex quo inuenitur quòd loca campestria non erãt plena, sed sunt quasi quidam descensus montium vbi Christus prædicauit. Ascendit in altitudinem montis vbi discipulos elegit in apostolos, & descendẽs in mediũ mõtis in quadam planicie accesserunt ad eum discipuli eius, & videns multitudinem turbarum, tũc prædicauit sedens: quia locus ille satis conueniens erat vt posset in eo sermonem ad populum habere, vbi omnes conuenerunt. Cùm autem dixit Matthæus quod sedit, & Lucas quod stetit: nulla est contradictio, nam cùm accessisset ad loca campestria in illo monte stetit cum discipulis suis, expectans paululũ donec congregarentur turbæ, vt omnes doctrinam audirent, quæ cùm congregatæ essent sedens incepit prædicare. ¶Sedens autem docebat, vt significaret differentiam inter nouũ & vetus instrumentũ: *Exo.19.* nam lex vetus data fuit cũ terroribus, fulminibus, & tonitruis: ita vt populus tremens, & mortem timens diceret Mosi, Non loquatur nobis Deus, sed tu loquere nobis: ne fortè moriamur. *Exo.20. Deute 5.* Lex autẽ noua quam Christus dabat, erat lex suauis, iucunda, amoris, & quietis plena: ideoque sedit. *Rom.8.* Sic Paulus Romanis scribens ait, Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritũ adoptionis filiorum. ¶Aduerte autem quod sedit in loco apto & publico ad prædicãdum: *Christus docet in loco cõspicuo, vt ab omnibus cognoscatur.* vt ab omnibus posset videri, & audiri: ideóque omnes accedentes audiebant verbum illius & curabantur. Principes nanque, qui veluti fontes sunt à quibus omnis populus haurire debet aquam, omnibus se amabiles præstare debent & nemini quantumuis pauperi & inopi ad eos ingressus abnegare debent, sed cunctis sine acceptione personarum patere. Nam optimò iure in eum animaduerteret iudex, qui fontem omnibus communem sibi tantum vendicare vellet: & sepi & sera additis aditum omnibus prohiberet. Ita etiam grauiter sunt puniendi, qui sibi solis tantum principum fauorem conciliant: cæteris verò omnibus clausam ostendunt portam, ne aditus pateat vt à rege necessaria impetrent. At quemadmodum aqua illa salubrior est, q̃ nec terra permiscetur, nec cœno: sic ille princeps reipublicę erit vtilior, q̃ nullius terreni hominis admixtam habuerit familiaritatem: nam quãtumuis fuerit excellens princeps & animi cãdore præditus, nihilominus, vt limpidissimum quoddam speculum à circunstanti flatu obnubilabitur: nisi tali sit spiritu afflatus, vt nihil velit pati, quod rationis limina transcendat. Iudiciũ igitur rationis ita semper in iudice maneat liberum, vt cuncta Christianis institutis gubernet, mala puniat: & vbique locorum virtutis, & pietatis studiosissimus sit cultor, Christi Redemptoris nostri memor, qui Ioanni & Iacobo iniusta petentibus non concessit, neque ad id amoris & familiaritatis vinculũ coëgit: imò diuersa multo à suo palato respondit, Nescitis (inquit) quid petatis. *Matt.20.* Nunc verò à nullo familiari detentus fons ille misericordiæ perẽnis omnibus patet, omnibus adest, omnib⁹ dextram porrigit, vt ad eum accedant, vt bibant, & sanentur. Stetit itaque in loco campestri, in loco publico omnibus peruio: vt omnes ad eũ possent accedere, & si vellent tangere, vt ab infirmitatibus sani euaderent & vt suam doctrinam audirẽt. Ideóq; ad eum accesserũt discipuli & copiosa turba: nam cum

cum stetisset & eos circunspiceret; intellexerunt eũ velle prædicare, quocirca omnes illum circuierũt. atque ita sequitur in textu, *Et turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Hierusalem & maritima & Tyri & Sidonis.* Eodem die, quo electi fuerunt apostoli mox confluunt populi: quia futurum erat, vt horum duodecim prædicatio per vniuersum orbem funderetur in omnes gẽtes. Aduerte autem quòd in cacumine montis solus erat cum suis discipulis: postquam verò descendit, maxima multitudo ad eum accessit. Non poterat turba in montem ascendere, quia quos delictorum sarcina deprimit, nisi deposito onere ad mysteria sublimia
Exo.17. scandere minimè possunt. Idcircò filij Israel non poterant in montem scandere, vt Deo irent obuiã: quia Ægyptiorum detenti conuersatione impediebantur. Sed solus Moses ascenderat & pauci seniores Israel cum eo. At nunc descẽdẽs Iesus de monte plurima populi caterua eum sequebatur: nam cùm ad eum turba imbecillis ire non posset, benignissimus dominus ad eos descendere voluit, vt ad eum accedere possent. Cuius rei etiam in teipso experimẽtum posses facere. Quoties obsecro, cùm in peccatis, & flagitiis sis detentus, cumq́; ad illum accedere non possis peccatorum pondere pressus: ipse tanquam clementissimus dominus ad te descendit, rogat, vocat, & multis beneficiis te allicit?

Populi deuotio erga Christũ & eius euang. ¶ Expende autem populi huius deuotionem & feruorẽ: veniebant quippe de longinquis, & remotissimis locis verba Christi & eius doctrinam audituri. Quãdo canis venaticus leporẽ, vel aliud quoduis venationis genus inuestigat, si nullum vestigiũ inuenit piger & iners ambulat, at si venationis vẽtus nares eius attingit solertissimus & diligentissimus currit, quousque feram inuenit. Ita nimirum nos: quia Deum non gustamus, nec suauitatem suorum mandatorum olemus: inertes & pigri, in ipsius obsequio ambulamus. Venimus nanque rem sacrã audituri cùm iam sol ferè dimidiũ diei cursum perambulauit, prolixam concionem fastidimus, & verbis Dei defatigamur: denique omnibus ad eius obsequium spectãtibus pigrè & ignauè nos gerimus. O vtinam fragrantiam diuinorum odorum degustaremus, vt cœlestem hãc venationem toto pectoris conatu inuestigaremus. Attendite obsecro quomodo omnis hæc multitudo gẽtis ad odorẽ Chri-
Plinius li. 8. ca 16. sti currit, suam patriam & res relinquens. Tanta est odoris suauitas qui ab ore pantheræ exit, vt philosophi dicant, quòd omnia animalia domicilia sua deserunt, tanta oris eius suauitate attracta. Ita animarum tam suauis erat odor oris Christi, & ita admirabilis, & diuina eius doctrina, tã dulcia verba: vt omnis multitudo gentium illarũ regionum domicilia sua deserentes Christum sequebantur. Ita desiderabat ardenti pectoris amore post Christum duci anima illa sancta, q̃ dicebat dilecto suo, Trahe me post te: curremus in odorem vnguẽtorum tuo-
Cant.1. Leg. Re. iet. 21 in Cant. rum. Trahimur, quando tribulationibus, & tentationibus exercemur. Currimus cum internis inspirationibus visitati tanquam suaue aliquid olentes diuinis virtutibus fragramus. Itaque quod asperũ erat sibi retinebat tanquam sanæ forti atque perfectæ: atque ideò dixit in singulari, trahe me post te. Ad id autem, quod dulce erat & suaue, curremus dixit in plurali. Trahit Deus per tribulationes, & aduersitates, & vocat suauitate & odore inspirationũ & prædicationum & beneficiis: ad hæc autem quæ suauia sunt currebant plures. Currẽtes ibant attractæ dulcedine verbi Dei & diuinis promissionibus. Hac igitur dulcedine & suauitate ducebat Christus post se hũc populum: & in odore vnguentorũ eius veniebat omnis Iudæa, Hierusalem, & maritima cũ Tyriis & Sydonibus. Porrò non veniebant de maritima illa, quæ est iuxta mare Galilæũ, sed de remota maritima, quæ est iuxta Tyrrhenum mare, iuxta q̃d sunt Tyrus & Sydon. Ex quo quanta fuerit Christi fama & non manifestè colligitur: vt multos gentiles etiam ex remotis, & longinquis partibus attraxit. Quod factum in maximam ignominiam Christianorum cedit: nam cum hi tam à longinquis locis venirent, tu cùm iuxta Ecclesiam sis, nec paululum laboris assumere vis, vt in templum abeas: si vel minima pluit aqua, vel paruus sufflat ventus.

¶ Ponuntur autem nomina harum ciuitatum, vt magis confundatur Iudæa: quia ad hos gentiles nõ iuit Christus, sed ipsi ad eum venerunt. Quod iam multis retrò ante sæculis egregius prædixerat vates. Memor ero Raab & Babylonis: scientium me. Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum, Psal.86.
hi fuerũt illic. Hi vtique in die iudicij aduersus nos insurgent, & frigidam nostram deuotionem cõfundent: quemadmodum Niniuitæ fecerunt aduersus Mat.12.
Iudæos: quando ipsi, cùm gentiles essent, tanta deuotione & feruore Christum sequebantur, vt eius doctrinam audirent. Vt autem scias hoc illos quæsiuisse, causam huius sequelæ subdit Euãgelista dicens, *Qui venerant vt audirent eum.* Quia sicut anima Christi erat instrumẽtum diuinitatis ad edẽda miracula in corporibus hominum: ita verba Christi erãt instrumentum eiusdem deitatis ad efficiendas mirabiles operationes in animabus. Et queadmodum res erat admiratione dignissima vt Christi ma- Causa cõcursus huius populi. Luc.18. Matth.8.
nus visum cæco restitueret, & quod Christi manus leprosum mundaret: ita multò digniùs admiratione erat, quòd eadem vox vitam daret defunctis animabus. Nam verba Christi non solùm excitabant animos audientium, nec solùm (vt solẽt cæteri prædicatores) suadebant: sed etiam talem virtutem habebant & potentiam, vt videretur quasi cogere auditores, vt id facerent quod ipse prædicabat. Donabant itaque verba Christi gratiam, sine qua anima mouere se ad iustitiam coram Deo non potest. Vellem ego vt in deuotionem & sanctum spiritum huius gentis oculos coniiceres. Omnes gẽtilium nationes & omnes mũdi respublicæ semper de origine & natione sua, deque earundem fundatorum & principium nobilitate seipsas iactauerunt: si autem aliquando contigit, vt principium & originem suã non inueniant, vt se nobilitent, & magnificẽt, mendacia fingunt. Itali gloriantur genus suum ducere à Troianis. Hispani verò à Gothis, Sic nos maximè gloriari de Christianismo deberemus, vtpote cùm nullum sit tam illustre, tam nobile, & tam egregiũ genus, de quo maiori iure nos iactare debeamus. Oculos igitur nostros conuertamus in principium legis euangelicæ, & in feruorem & spiritum primæuæ illius ecclesiæ: tuncque videbimus manifestè quantum ab illa gente degeneremus. Magni igitur æstimemus tam illustrem originem habuisse, & in meliorem mẽtem redeamus: si illis nõ sumus similes: & doleamus quandoquidem ab eis longè distamus. Tunc enim è tam longinquis terris ad Christi conciones confluebant: nunc autẽ vel duobus gradibus factis iã defatigamur. Et hoc erat quod Hieremias

remias lamẽtabatur dicẽs, Viæ Sion lugẽt,eò quòd
Tren.1. non sit qui veniat ad solennitatẽ. Quando autem
hoc lamentabatur propheta, id erat ob defectũ gẽ-
tis: nũc verò non is est defectus,quia omnes viæ &
plateę plenæ sunt hominibus, sed potius ob defe-
Ioan.8. ctum deuotionis. Ideò Dominus, Qui ex Deo est,
verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia
ex Deo non estis. Gaudet vnusquisque si benè gesta
suorum audiat:Nam si quis Gallus est,gaudet si au-
diat narrare egregia Gallorum facta. Si autem co-
ram aliquo Gallo Vngarorũ facta quis narret, nul-
lam præbet attentionem, nec aures illi accommo-
dat, ita natura quis gaudet sui generis & auorum
suorum illustria audire facta, quia ab illis descẽdit:
si autem loquela incidat de eis quæ nõ ad suos per-
tineãt,nihili facit,& discedit. Ita nimirum,qui sunt
de genere & prosapia Dei,quę Dei sunt audire gau-
dent:at qui ex Deo non sunt, sed patrem diabolum
habent,sicut obstinati,nõ sermonibus Dei gaudẽt.
Ioan 8. Quapropter dominus eis dixit, Propterea vos non
auditis,quia ex Deo non estis. Cuius igitur domini
sunt? Vos (inquit) ex patre diabolo estis:atque ita
vobis placet eius verba & sermones audire,vt sunt
murmurationes,blasphemiæ,& turpia,& obscœna
Auditus voluntarius verbi Dei signũ prædestinationis. verba. Vnum autem ex præcipuis signis,quibus su-
spicari potest,an quis prædestinatus sit, illud est,an
gaudeat Dei verba & cõciones audire. Nam si sua-
ue & iucundum ille est audire verbũ domini & in
eo delectatur: magnum vtique argumentum est eũ
esse electum & ex familia & domo Dei. O quã ma-
gna multitudo eorum est! qui in audiendis cócio-
nibus defatigantur, & verba vitæ nec primis labiis
degustant. Ita etiam magna multitudo eorum est,
qui in gehennam tendunt. Superest illis tempus,vt
legant profanos, & obscœnos libros,in quibus nõ
nisi de mũdo & carne agitur, at sanctum & deuotũ
codicem nec dimidia hora manu sustinere possunt:
& si cócio durat plusquam dimidia hora, quã mo-
lestè & ægrè ferunt, abeuntes & murmurantes. Vt
rectè hac nostra misera & infœlici tempestate illud
2.Tim.4. Pauli verum habeat, Veniet enim tempus cùm sa-
nam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua deside-
ria coaceruabunt sibi magistros prurietes auribus:
& à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas
autem conuertentur. Aliam etiam causam subdit
nunc euangelista,propter quam illę gẽtes ad Chri-
stum veniebãt,dicens. *Et sanarentur à languoribus suis.*
Deserebant omnes hi sua domicilia, vt salutẽ con-
sequerentur:& vt Christum audirent per mõtes, &
præcipitia non sine magno gaudio tendebãt. Licet
Natura diuina cũ iustitia coniuncta. autem nunc dominum interrogare. Quid est quod
si in mũdum venisti,vt salutem & dona illi tribuas,
tam carè hæc omnia illi vendas? Nónne tuæ diuinæ
& ineffabili misericordię conuenientiùs esset,vt in
ciuitate eos doceres,& ibi eos curares, vt nõ tanto
labore, & tam longo facto itinere eos in montem
duceres? Non vtique: nam ita dominus sua miseri-
cordia cum hominibus vtitur, vt velit semper eius
iustitiam saluam & incolumem permanere, vt verè
Psal.84. illa duo de Deo dicãtur, Misericordia & veritas ob-
uiauerunt sibi,iustitia & pax osculatæ sunt. Iustitia
nanque & misericordia in Deo pari gradu currũt.
Vt autem Deus beneficia hominibus cõferat, vult
vt ex ipsorum hominum parte aliqua dispositio sit:
quodquidem sacræ paginæ exemplo non difficile
erit ostendere. Nam cum dominus Holophernis
caput in Hebræorum manus traditurus esset & vi-

ctoriam illis concessurus: vult priùs, vt famem pa-
tiantur,sitim,& labores,& vt Iudi. preces fundat,& *Iudi.3.& 4.*
caput & vitam simul in discrimine ponat. Vult ita-
que vt quantum in se fuerint, digni sint beneficiis
Dei. Tu autem quid est quòd existimes gloriam at-
tingere posse nihil agens: vitam in voluptatibus, &
deliciis agẽs? Sed ad id fortassis mihi obiicies, Deus
misericors est,omnibus veniam condonat. Vera te
narrare fateor: At scias oportet, quemadmodũ mi-
sericors est, ita etiã rectus & iustus. Vnde quoties-
cunque in scriptura de diuina sua misericordia agi-
tur,eam semper videbis tribui cótritis corde,& eis,
qui suorum peccatorum pœnitentiam agunt. Sic
rex Ezechias dixit, Pius & clemens est dominus,& *2.Par.13.*
non auertet faciem suam à vobis, si reuersi fueritis
ad eum. Vbi videre licet quòd misericordia promit
titur non obstinatis peccatoribus, & otiosis homi-
nibus: sed iis tantummodo, qui conuersi fuerint ad
eum. Quod alio exemplo appositissimo tibi osten-
dam: Nã cùm Nabal Carmelus graui affecisset con-
tumelia regem Dauid, ipse Dauid vehementer ira- *1.Reg.25.*
tus volens in Nabalẽ grauiter animaduertere,exiit
ei obuiam vxor Abigail, & flexis genibus corã Da-
uid munus obtulit, atque ita eum placauit,ne vin-
dictam de marito, deque vniuersa familia sumeret.
Quid hoc facis Abigail? Nónne scis Dauidem virũ
esse misericordem? Ita nimirum nihilominus tamẽ
opus est obuiam ei exire,preces fundere,& munera
offerre, vt suam misericordiam possim impetrare.
Destruxit dominus ciuitates illas Sodomã & Go- *Genes.19.*
morrã: quia non inuenit in eis iustos propter quos
illis parceret. Ita etiam vult dominus, vt labores,in
mandatis domini, & pœnitentiam ages, si cœlum
introire vis: nã sancti, qui in eo sunt per varios ca-
sus: per multa rerũ discrimina,per crucẽ & tormen-
ta id consequuti sunt. His etiam, qui modo illũ se-
quuntur, Christus dominus non sine aliquo eorũ
labore salutem vult tribuere: sed vult vt à ciuitate
exeant: deserãtque domicilia sua illum quærentes.

¶ Vbi aduertere est opus,quòd postquam prędi- *Doctrina Christi miraculis confirmata.*
cauerat,sanabat eos: & post doctrinam sequeban-
tur miracula: nam legem euãgelicam,quam Chri-
stus prædicabat, cõfirmabat illam statim factis mi-
raculis. Prædicabat his Christus,postea verò ab in-
firmitatibus,& languoribus suis illos sanabat: qui-
bus ostensis miraculis probabat doctrinam suã ve-
ritatem esse infallibilem, ipsumq́; verum esse Deũ.
Ideóque aduerte, vniuersas leges constitutas à sa-
pientibus,& philosophis mundi, & eas etiam,quæ
tam in canonico, quàm in Cæsareo iure continen-
tur, fundatas esse & stabilitas in rationis perpendi-
culo: vnde famosum axioma iure consultorum est,
quod ratio legis est anima legis. At leges,quas prin
cipes,& reges stabilierunt,fundatæ sunt in potẽtia.
Nam siue rationẽ in se contineant,vel non,procul- *Collatio doctrinæ Christi, cum legibus ciuilibus.*
dubio adimplendæ sunt,& ad vnguem obseruãdæ,
cùm rex ita præceperit: alias qui legũ limites tran-
scenderit,in eum animaduertetur, tanquã in trans-
gressorem legum: cùm rex summum imperium ha-
beat in regno suo. Ita vt vera potestas & imperium
in verò dominio fundatur: ita quòd tantã potesta-
tem princeps habet,quantum fuerit eius dominiũ.
At in Deo multo aliter contingit, nam dominium
in potentia fundatur,quę infinita est. In quo igitur,
bone Christe tua lex fundata est? Nõ vtique in po-
testate,nec in ratione. Nõ in potentia: quia neminé
coëgisti,vt fidem tuã reciperet: nec aliquem com-

 pulisti,

pulisti, vt legem tuam amplecteretur. Nec etiam in ratione naturali fundatur, quia quãuis non sit contra rationem naturalem, imò prę supponat illam, est tamen suprà: nam omnes rationis lites transcendit, & omnem humanum intellectum etiam acutissimum, & sublimem superat. In qua igitur re hæc lex fundatur? Vtique in sola sua authoritate, nam solú quia Christus hoc dixit, ideò credendum est. Qui igitur fieri potest, vt sciamus, Christum id dixisse? Nam statim quod scimus id Christũ dixisse, minimè id dubitari potest. Solet enim cõtingere, vt mariti per puerum aliquem vel per seruũ ab vxoribus petant aliquid: vxores autẽ id dare nolũt, quoúsque per aliqua signa illis cõstet maritos id petere. Nemo est bone Deus omniũ hominũ, qui sub cœlo sunt, qui tibi non credat: at quomodo sciemus quòd tu id dicis, & imperas? Vtique per signa mea. Dixit dominus Mosi, Vade & dic Pharaoni, vt dimittat populum meum. *Exod. 3.* Dixit Moses, Et quomodo credent mihi? & dixit illi domin⁹, Quid habes in manu tua? Respondit, Virgam. Tuncque misit illam in terram: & conuersa est in colubrum. Dic igitur Pharaoni, vt populum meum dimittat: & dato hoc signo, id est, facto miraculo, statim intelliget, quod missus es à me. Nam cùm Deus solus, qui suprà omnem naturam est, miracula facere possit, cumq; ipse testis esse nequeat mendacij, faciens miraculũ in testimoniũ eius quod dicis, probabis omnino te à me missum esse nuncium, vt hæc illis dicas. Accedũt igitur hi audituri diuinè & admirabilem Christi doctrinam. At probat se esse Deum, id autem, quod dicit proculdubio credẽdum esse coram eis factis miraculis sanando infirmos, & in integram valetudinem eos restituendo, cumque in ictu oculi, & imperando hæc miracula operaretur, clarũ reddebat testimonium veritatis quam prædicabat. ¶Ex hoc verò cõtextu ad nostram eruditionem duo obseruãda sunt. *Pij primo spiritualia quærunt, & post ea quæ corporalia.* Primum dixisse, quod venerunt, vt audirent verbũ eius: postea verò, vt sanarentur à languoribus suis. Priùs nanque, vt cordati & prudentes homines de valetudine animæ agebant, quàm de corporis incolumitate. Discamus primò quærere regnum Dei, & iustitiam eius: & deinde omnia hæc terrena nobis adijcientur, iuxta saluatoris promissum. *Matt. 6.* Sed iam oppositum fieri videmus: tota nãque sollicitudo rerum terrenarũ est cibi, potus, & vestitus: hæc enim auidè curant homines, animæ verò salutem obliuiscuntur. *Prępostera hominũ sollicitudo.* Ad cõuiuia & humanos sumptus nunquã pecuniæ deficiunt, at pauperi, egeno, & viduæ semper desunt. Si corpus infirmatur, expertus medicus quæritur, si anima ægrotat quicũque imperitus sat est: atque ita sua peccata confitentur corã ineptis, & insipiẽtibus sacerdotibus, cùm multo melius saluti corporis prouideãt. Vbi omnis rectus & bonus ordo iam peruertitur, nam mũdana diuitijs, & cœlestibus præferuntur: quemadmodum Esau contigit: *Genes. 27.* cui pater benedictionem dedit secundum mores suos, bona terrena cœlestibus præferẽdo. Nam Esau & illi similes mũdanas diuitias plusquam cœlestes diligunt. Ideò dixit ei pater, De pinguedine terræ & de rore cœli erit benedictio tua. Nõ sic viro sancto Iacob dixit, sed potius cœlestia & spiritualia terrenis anteposuit dicens, De rore cœli & de pinguedine terræ, sit benedictio tua. Nã iusti prius spiritualia, quàm quæ carnis sunt quærunt.

¶Docemur secundò infirmitates, & tribulationes bonas esse, quandoquidem ad Deũ nos ducũt. Multi nanque istorum infirmitatũ causa Christum quęrebãt, qui fortè si incolumes valerent non quęrerent. *Infirmitates ad Deum nos ducunt.* Bona igitur reputanda sunt ea, quæ hominẽ ad Deum ducunt: cùm igitur languores, dolores, & corporis ægritudines homines ad Deum ducant, vt euangelista ait, quod veniebant, vt curarentur à lãguoribus suis: non hæc mala sunt æstimãda, quandoquidem tam nobilem effectũ pariunt. Quodquidem, si attẽtas præbueris aures sacræ scripturę exẽplo tibi ostẽ iam. Nam Pharao, & Manasses rex Iuda, non solùm in prosperitate Deum non agnoscebant, verùm iustos & bonos persequebantur: at cũ dominus inmisit eis infirmitates, & tribulationes ad illum reuertebãtur. *Exod. 5. 2. Par. 36.* Sic Dauid in Psalmo, Multiplicatæ sunt infirmitates eorũ: postea accelerauerunt. *Psal. 159.* Et ipse de se inquit, Ad dominum cùm tribularer clamaui. *Psal. 15.* Vides nanque sæpè sæpiùs robustum adolescentem, sanum, & optima valetudine fruentem, qui vitam perpetuò in vitiis, & in voluptatibus degit: quem si dominus punctorio vel laterali dolore percutit, statim ad Deum se conuertit, cõfessarium inuocat, & sacramẽta postulat, & inquit, Quidquid in mundo est, vanitas est, stabile autem & firmum Deo seruire: promittit idem se statim vt à lecto surrexerit diuinis mandatis semper operam daturum. Vides igiturquomodo ægritudines, & labores homines ad Deũ ducant? Quod aduertens diuus Paulus Corinthi⁹s dicebat, Dùm infirmor, fortior sum: *2. Cor. 12.* Qui igitur id fieri potest? Nam qui infirmus est ad nulla exercitia est aptus, quod vnusquisq; in seipso experiri poterit. Nihilominus tamen etiam si hæc vera sint, verum habet dictum Apostoli, cum infirmor fortior sum. Nam cùm anima tres habeat capitales inimicos: mundum, carnem, & dæmonem: cùm infirmatur homo vnum ex his tribus, nempe carnem victam & superatam habet. Et non solùm hunc inimicum victũ habet: imò ipsa caro, quę inimica animæ est, tũc à partibus animæ stat, & illi fauet. Cumque valet corpus, tres sunt aduersus animam inimici: cùm ægrotat, duo aduersus duos insurgunt, cũ caro à partibus sit animæ, & illi faueat. Ideóque rectissimè dixit Paulus, cùm infirmor fortior sum. *Et qui vexabãtur à spiritibus immũdis, curabantur.* Immundus hic dæmon appellatur ab effectu: quia hominum animos immundos reddit. De corde enim exeunt quæ coinquinant hominem, scilicet, adulteria, fornicationes, & mendacia: *Matth. 15.* quæ omnia pater & inuẽtor mẽdacij diabolus homini suggerit, vt ea faciat, quæ hominem coinquinãt, & immundum reddunt: & quia hæc inmũda suadet hominibus, immundus appellatur, ad differẽtiam angelorum, qui mundi spiritus dicuntur.

¶ Prætérea in his verbis quatuor conditiones maligni spiritus nobis significantur. *Quatuor maligni spiritus conditiones.* Primò naturæ subtilitas, quia spiritus est. Vnde Apostolus, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus spiritus, & potestates, &c. *Ephe. 6.* Et princeps apostolorum Petrus inquit, aduersarius vester est diabolus, qui tanquã leo rugiens circuit, &c. *1. Pet. 5.* Secundò ostenditur culpæ fœditas, quia immundus est, & sordibus peccatorum gaudet. *Luc. 11.* Ideò dominus ait infrà, Cùm spiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca arida, &c. Non inuenit requiem, quia in cœno luxuriæ, & carnis voluptatibus quiescit. Qua de causa in Matthæo & in nostro Luca legimus, quòd volens Iesus eijcere legionem dæmoniorum ipsi dixerunt, Si eijcis *Matth. 8. Luc. 8.*

cis

cis nos, mitte in porcos: Quia cùm immundus sit, immundis animalibus delectatur. Tertiò ostenditur hic ipsius peruersitas & malitia, quia ob inuidiã & malitiam homines vexat, cùm nihil vtilitatis sibi comparet ex hac re, sed potiùs calamitatem & miseriam. Vnde sapiens inquit, Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Quartò significatur hic modus nequitiæ suæ: nam à domino cohibetur & temperatur: ne tãtum mali faciat, quantum ipse desiderat, vt hîc dicitur. Et in libro Iob legimus, dominum dixisse Satanæ, Animam eius serua, Quibus verbis manifestè apparet, dominum modum & mensuram tentandi apposuisse faciendo ei potestatem, vt illum percutere posset: tamen non ita vt eum ad interitum vsque perduceret. Ita etiam nos si volumus, possumus eum vincere: nam Christus vires illi abstulit: nam antè Christi aduentum dæmon potentior erat & fortior. Tunc enim erat diabolus princeps huius mundi, nũc autem eiectus est foras. Verũ quomodo diabolus sit in corpore humano & possit illud vexare, inferius in capite vndecimo huius Deo dante dicemus. *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Non solùm infirmi, sed etiam, qui optima corporis valetudine fruebantur ad eum veniebant & vt Marcus inquit, certatim irruebant, vt eum tãgerent. Et sic ista curatio & sanatio nõ solùm de corpore intelligenda venit, sed etiam de animis: nam à peccatis sanabat, quos aptos inueniebat, quique nullum ponebant obicem. Nam virtus de illo exibat, hoc est, sanctitas, quæ in ipso erat ad operationem se extendebat: & velut causa producit effectũ, sic virtus de illo exiens salutem & incolumitatem restituebat. Apostoli namque & alij sancti, non habebant virtutem à seipsis promanantem: nec erant fontes virtutum, sed riuuli quidam ab illo perenni fonte aquæ viuæ, quæ Christus est, dimanãtes. Vnde diuus Paulus hæc aduertens inquit, Alij gratia linguarum, alij interpretatio sermonum, &c. diuidẽs singulis prout vult. Sed Christus fons erat perpetuò scaturiens omnium virtutum & gratiarum à se egredientium. Potest etiam per hanc virtutem intelligi miraculosus iste effectus curationis: etiãq; virtus actiua huius effectus, quæ in opus exiit, & ad id se diffudit.

Sap. 2.
Iob. 1.
Ioan. 12.
Super illud. Erat Iesus eiciens dæmonium.
Marc. 3.
Christi virtus etiam sanctitas est, vel curationum effectus
1. Cor. 12.

¶ Porrò virtus illa à Christi diuinitate tanquam à causa prima & principali egressa est, & ab eius humanitate tanquam à causa secunda instrumentali: quia humanitas Christi fuit instrumentum viuum suæ diuinitatis, coniunctum, immediatum, & proprium: sicut, & corpus nostrum est animæ nostræ instrumentum.

¶ Obserua verò quòd omnis artifex duplex habet instrumentum, cõiunctum videlicet & separatum: quibus anima vtens omne absoluit opus. Instrumentum coniunctum habet virtutem operandi ab ipsa anima, separatum autem à cõiunctio mouetur. Manus artificis dicitur coniunctũ instrumẽtum: securis verò, serra, & similia separata dicuntur. Ab anima enim primũ mouetur, & per primũ secũdum, id est instrumẽtum separatum. Diuinum igitur verbũ à Deo patre, lumen de lumine indeficiẽs, Deus verus de Deo vero vnita sibi nostræ fragilitatis substantia tanquam instrumento cõiuncto vtebatur, ad donandam sanitatem, & admirabilia opera efficienda. Quemadmodum enim qui sitibundi sunt ad fontem currunt ex aliqua rupe manantem & vnusquisque ore, vel vase admoto aquã sibi haurit abundè: ipsa tamen aqua (quamuis magna sit multitudo haurientium) non minuitur: & quemadmodum candens ferrum omnes tangentes adurit: sic humanitas Christi à diuinitate habens virtutem omnibus indigentibus salutem præbebat: neque præ multitudine eorum, qui sanabantur fons virtutis eius exhauriebatur. Imò quotquot fide viua illã sanctissimã humanitatẽ diuinitatis igne accensam tangebant, omni mora expulsa sanitati restituebantur. Quocirca rectè ait euangelista quòd omnis turba quærebat eũ tangere: quia virtus hæc, quæ de illo exibat sanabat omnes. Et nihil mirum: nã si solo tactu ossiũ Helisæi mortuus vitã habuit: & contactu sudarij Pauli languores recedebant, & dæmonia expellebantur: quantò meliùs contactus Christi sanare posset omnes infirmos? Prætereà tãgit Christum, qui credit in eum: & tãgitur à Christo, qui in fide ab ipso Christo roboratur & firmatur. Quapropter Iacobus admonet dicens, Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, Qui ergo sic tangit & tangitur virtute spiritus eius sanatur. Accede igitur nunc tu ad Christum: nam ita potẽs est modo tuas infirmitates curare, sicut tunc quando tãta virtus de illo exibat, Namque si mœstus & tristis es, si pauper, si infirmus, si flagitiis & peccatis coinquinatus, si in misera dæmonis seruitute iaces: accede ad Christum ne timeas: qui potens est, qui omniũ nostrorũ languores tulit, tua vulnera curare. Cùm de illo & nõ immeritò imò aptissimè & cõcinnè egregius canat Psaltes, Qui sanat omnes cõtritos corde, qui redimit de interitu vitã tuam, &c. *Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat.* Hunc sermonẽ non tantũ ad discipulos suos habuit, sed etiã ad omnẽ plebem. Quod manifestè patet, quia Matthæus qui hunc & eundem sermonẽ scripsit, dicit: quòd cũ consummasset Iesus verba hæc, mirabãtur turbæ super doctrina eius. Et infrà noster Lucas in initio capitis sequentis inquit, Cùm autẽ impleuisset omnia verba sua in aures plebis. Hic autẽ dicitur, quòd conuertit oculos ad discipulos, quia ad ipsos præcipuè loquebatur. Præthereà, cũ dicitur, quòd eleuatis oculis loquebatur, insinuatur affectus loquẽtis, & sublimitas eorũ de quibus habebatur sermo.

Christi virtus immensa, inexhausta, & non deficiens.
4. Reg. 13.
Act. 19.
Iaco. 4.
Esaia 53.
Psalm. 146.
Matth. 7.

¶ Ore autẽ nunc dicebat. Ideóque clariùs Matthæus dixit, quòd aperiens os suũ docebat eos. Nunquid clauso ore docere poterat? Vtique si clauso ore non posset docere non diceret euãgelista quòd aperto ore docebat. Quapropter operæpretium est aduertere duplicẽ esse docendi modũ: alterũ manu, alterũ verò ore. Manu docet qui benè viuit, & operatur: ore autẽ qui benè docet & prędicat. Christus namque triginta annorũ spatio sanctis & studiosis operibus docuerat, nunc autẽ quòd manibus docuerat, idẽ ore docet. Priùs cœpit facere, modo verò incipit docere. Namq; qui in præsepi Bethleẽ, & in domicilio Nazareth mũdi contẽptũ & paupertatẽ docuerat, nũc candẽ paupertatem docet dicens, Beati pauperes. Docuerat anteà ipsa manu inter pręsepis angustiam positus vagire & flere, modo autem ore suo docet, dicens, Beati qui lugent. Manu docuerat famem, nunc autem ipso ore dicens, Beati qui nunc esuritis. Docuerat peregrinari, & exilium pati fugiens in Aegyptũ, nunc verò id ipso ore docet, Beati (inquit) cùm oderint vos homines. Igitur qui anteà apertis manibus bona opera docuerat, paupertatem, humilitatem, & patientiam, nũc aperiens

Duplex Christi doctrina, ore & manuum.
Act. 1.
Luc. 2.
Matth. 2.

Duplicis generis instrumenta.

aperiens os suum docebat eos. Age verò fili Dauid, & attéde quòd pater tuus Dauid incipit suos Psalmos à beatitudinibus dicēs, Beatus vir qui nō abiit in consilio impiorum: sic tu incipe à beatitudinibus sicut pater tuus sicut Christus fecit in his verbis, inquiens, *Beati pauperes quia vestrū est regnū Dei.* A beatitudinibus incipit, quia in omni operatione humana præsupponitur finis, propter quem operamur, & ille est principium in actionibus, & maximè competit hoc beatitudini quæ est vltimus finis. Nihil enim tam ardenti pectore homo desiderat, quā ipsam beatitudinem: & reliqua omnia propter ipsam appetit. Sola autem beatitudo propter seipsam appetitur, qui vltim⁹ finis est. Etenim omne bonū ratione beatitudinis perfectū & in absolutum est: cùm ipsa sola sit, quæ postquam adepta est, nihil vlteri⁹ desiderari potest. Quia igitur Christus eam legem incipiebat dare, in qua multa⁹ præcepta continebantur, quæ difficultatem habebant, vt homo ad illa operandum faciliùs duceretur, voluit vltimum finem ostendere, ad quem ordinabātur & perducebant ista mandata. Sic illi adolescenti dixit, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Sic daturus legem Iudæis promisit illis bonum, quod habituri erant, si seruarēt legem. Si audieritis (inquit) pactum meum, eritis mihi in peculium, &c.

Psalm. 1.

Operationum nostrarum finis & scopus vltimus est beatitudo.

Matth. 19.
Exod. 19.

¶ Præterea non tantum spe vitæ æternæ allicit eos ad obseruationem præceptorum, sed nunc etiā in præsentiarum vocat eos beatos: quia fides initiū beatitudinis est, & pignus vitæ æternæ. Vnde dominus ait, Hæc est vita æterna, vt cognoscāt te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Hic enim de cognitione fidei loquebatur Christ⁹. Etenim duplex est beatitudo: altera in via, altera verò in patria. Prior est fidei, quæ per charitatem operatur, alia est fruitio diuinæ essentiæ. Beatitudo viæ est actus meritorius beatitudinis patriæ, quia meritum homines disponit ad fœlicitatē patriæ. Priori modo vocat hìc Christus beatos pauperes, esuriētes, & flentes. Itaque isti pauperes flentes & persequutionē patientes re vera beati sunt: si loquamur de beatitudine viæ. Suntque beati in spe, loquendo de beatitudine patriæ. Vnde mirari nō desino quomodo tot viri alioquin eruditissimi magni faciant hanc authoritatem Ioannis, vt per illam probent beatitudinē patriæ cōsistere in actu intellectus: cū Christus ibi nō loquatur de beatitudine patriæ, de qua est quæstio, nisi de cognitione fidei, quia subdit statim Christus. Ego te clarificaui super terram. Quomodo? manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Et inferius in eodem capite seipsum declarans dixit, Et cognouerunt verè quia à te exiui: & crediderunt quòd tu me misisti. Postulat namq; ibi Iesus vt quemadmodum ipse effecit, vt crederent in patrem, ita pater faciat, vt credant in filium Iesum Christum: quàm fidei cognitionē vitam æternam vocat: sicut in alio loco ipse saluator dixit, Qui credit in filium, habet vitam ęternā. Non dicit habebit, sed habet, de præsenti loquens. Itaq; ex hac authoritate Ioannis vbi Christus dixit, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c. arguere ad probandum, quòd beatitudo cœlestis, de qua est disputatio, consistat in intellectu principaliùs, esset arguere acsi quis diceret, quòd in beatitudine patriæ erit paupertas, luctus, & reliqua: quia Christus hìc dicit, & beati pauperes, beati qui nunc fletis, &c. quòd quidē ridiculum esset, cùm Christus hìc & in Ioanne in præfata authoritate de beatitudine viæ quæ est per fidē, loquatur. De beatitudine fidei etiam interpretantur illam authoritatē Ioannis sancti patres Hilari⁹, & Cyrillus, & Ambrosius. Christus namque aliquando loquitur de beatitudine patriæ, aliquando verò de beatitudine viæ: quod quidem ne decipiaris, diligenter aduertendū est. Nam nō solùm sunt beati in patria, sed etiā nūc in via, vt cecinit diuinus vates. Beati immaculati in via, qui ambulāt in lege domini. Omnes enim tam illi quàm hi, quos modo retulimus Deum vident, longum tamē discrimen & interuallum inter vtrāque est visionem. Est enim quædam clara & aperta visio, qua fruuntur beati in cœlo: altera verò obscura est enigmatica, quam per solam fidem fideles habent: nam cætera hominum infidelium & ethnicorum pars mētis misera cæcitate laborat. Vtramque comprehendit diuus Paulus vnico orationis contextu. Videmus (inquit) nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Quod quidem, similitudine apposita libet expendere. Sunt enim in ordine diui Ioannis Baptistæ Hierosolymitano (cuius conuentum nunc est in Melita) quidā nobiles viri commēdatorij, qui simul cum habitu multas habent possessiones & hæreditates, & diuites sunt: alij verò sunt ibi commendatarij qui nullā hæreditatem acceperunt, sed solum habitum commendatarij habent candida cruce insignitum: at hi temporis incremento sua antiquitate hæreditatem expectant. Respondeas obsecro: nónne hi omnes commendatarij sunt? sunt proculdubio. Ita nimirū beati, qui nūc in cœlo diuina fruūtur essentia, sunt tanquam commendatarij qui iam possessionem, & primogenituram cœli hæreditarūt: at iusti qui hac misera lachrymarum valle huc & illuc procellis innumeris iactantur commendatarij sunt in spe, qui professionem fidei habent, & habitum gratiæ, & crucem mortificationis & pœnitentię. Illi iam possident & fruuntur, hi autem expectāt. Et quemadmodum nos eos, qui iam hæreditarunt, & eos, qui in spe sunt hæreditatis commendatarios appellamus: sic Christus modo, eos qui lugent, qui esuriūt qui calamitatibus opprimuntur, beatos appellat: vt eos etiā, qui iam in cœlesti regno habitant. Quo etiā modo intelligendæ sunt illæ authoritates, beatus vir, qui nō abiit in consilio impiorum, & illud etiam, beati omnes qui timent dominum, & illud, beatus qui intelligit super egenum & pauperē: quę omnia sic debent intelligi, scilicet qui talia operantur, in via sunt beatitudinis: per semitam ambulant qua ad beatitudinem peruenitur. Quemadmodum si quis hominem habentem in manu in albo papyro depictum templum interrogaret, quid manu tenes? ipse responderet templum, benè quidē respondisset: etiam si nec lapides, calcem nec ligna manu teneret, sed ipsum templum lineamentis descriptū. Sic isti beati dicuntur: qui imaginem æternæ fœlicitatis referunt, & similitudinem ciuium beatorū.

Beatitudo duplex: via & patria, illa cōsistit in spe, ista in re.

Ioan. 17.

Ioan. 3.

Hila. lib. de patris & filij vnitate. Cyril. super Ioā. & de fide ad reginas.
Amb. lib. 2. off. c. 2.
Psal. 118.

1. Cor. 13.

Psalm. 1.
Psalm. 127.
Psal. 40.

¶ Obserua præterea discrimen esse inter beatitudinē donum, & beatitudinem virtutis: nam virtus & donū sunt habitus, beatitudo verò est actus virtutis. Et etiam differentia est inter beatitudines & dona. Quia dona perficiunt & reddunt virtutes illustriores ad operandum & eas in dignitate antecellunt, demptis virtutibus theologicis quæ perfectiores sunt donis. ¶ Præterea multas beatitudines posuit Christus, vt ostenderet multas esse vias,

quibus

Plures sunt beatitudines vt plures methodi ad vitam æternã. quibus poteſt in æternam tendi beatitudinem. Ita Chriſtus beatos dixit pauperes,vt etiã flentes beatos nũcuparet,&c. Differentes enim ſunt vniuerſo generi humano beatitudines viæ huius:dùm alius hoc modo,alius vero diuerſo poſſit incedere. Multæ viæ ſunt ad cœleſtem patriam, & in diuerſis detentus ſtudiis ſaluus fieri potes. Etenim vna beatitudo alteram non excludit, ſicut philoſophorũ ſectæ,quarum altera alteram excludebat. Ita vt à Peripateticis ille tantum fœlix & beatus nuncupabatur,qui ſapiens erat. Si autem mundo volueris inſeruire, vnica tantũ via eſt. Nam ſi tu archiepiſcopatum Toletanũ ardenter deſideras, vnica ſola via eſt,ad id conſequendum,ſcilicet,vt is moriatur qui modo illum poſſidet:quia fieri non poteſt, vt duo
Geneſ.33. ſimul hanc dignitatẽ ſubeant.Ita Iacob dixit Eſau, Præcedat dominus meus: & ego ſequar paulatim veſtigia eius.Nam ſi duo per anguſtum iter incedere velint,alter alteri eſt impedimento. At viæ domini multæ ſunt,quibus ad eum poſſumus incedere. Alij namque cœleſtem ſibi patriam lachrymis cõſequuntur,alij eleemoſynis,alij ieiuniis & aſperitate vitæ,alij orationibus & meditationibus, alij denique multis aliis generibus ſtudiorum, nemo tamen alteri eſt impedimento. Quocirca tu qui pauperes,ne malè ſententiam de diuite proferas: nam etiamſi non vt tu,paupertate laboret, eleemoſynis & aliis multis operibus ſibi beatãm patriam lucrari poterit. Si autem triſtis es,& peccata tua plangis: ne obſecro iudices eum qui gaudet & ridet:nam ille alia incedit via, quam tu ignoras. Monachus nõ contemnat ſæcularem:neque clericus monachum. Nemo proximũ ſuũ iudicet,quia nõ facit idẽ quòd ipſe:nã vnuſquiſque in ſuo ſtatu,ſi bonus ille ſtatus ſit,ſaluus fieri poteſt. Quocirca Paulus hãc rẽ ma-
Rom.14. ximè commendans inquit, Qui manducat, manducantem non aſpernat. Nemo alium contemptui det,quòd id non faciat quod ipſe. Cuius rei typus
Apoc.21. mirabilis illud eſt, quòd in Apocalypſi Ioannes inquit: ſcilicet quòd ciuitas Hieruſalẽ habebat plures portas. Nam illa ciuitas cœleſtis Hieruſalẽ quæ æterna beatitudo eſt plurimos ingreſſus habet,plurimas portas,& multis viis ad eam incedere poſſumus. Vnaquæque harum beatitudinũ porta quædã eſt,qua ingredi poteris in cœlum. Propterea inquit Ioannes quòd murus iſtarũ portarũ, & portæ ipſæ ex lapidibus pretioſis erant confectæ:nã virtus vera eſſe debet, tanquam pretioſus lapis, non autem falſa & ficta,ſicut hypocritarum. Grandis erat,quia non cõtentus eſſe debes ſi vnã vel alterã lachrymã fuderis:ſed oculi tui tanquã fontes eſſe debent,nec contentus eſſe debes ſi buccellã panis pauperi erogaueris:atque ita de reliquis virtutibus & beatitudinibus dicendũ eſt. Nam vult dominus,vt virtutes excellẽti quodam & heroïco modo à nobis adimpleantur. In virtute namque quàm inſequeris, magnus eſſe debes.

Beati & nõ beatus. ¶ Rurſum harum quælibet beatitudo in plurali poſita eſt cũ dicitur,beati & non beatus,vt in qualibet beatitudine multitudo cõprehenderetur hominũ beatorũ. Amatores mundi conſtituunt beatitudinẽ in rerũ abundantia, alij quippè ſectantur ſcholã Epicuri,alij verò(vt faſtidiũ fugiam)diuerſas philoſophorũ opiniones,diuerſas beatitudines iudicarunt. Atſi mundani homines has philoſophorũ ſectas non pleno ore beatitudines dicant eſſe, tamẽ ipſis operibus, quod digniùs lamentatione eſt eas beatitudines videntur cõfiteri. Nam ſunt multi qui cum ſub Chriſti vexillo in ſacro baptiſmatis fonte promiſerint militari, datam fidem ſponſo ſuo non ſeruantes, potiùs videntur gentilium philoſophorum ſcholã profiteri ſuis moribus & vita,quã Chriſti ſaluatoris noſtri. De quibus iniquis Chriſtianis David dixit in Pſalmo, Quorum filij ſicut nouellæ *Pſalm.143.*
plantationes in iuuentute ſua:filiæ eorũ compoſitę circumornatę ad ſimilitudinem templi. Prõptuaria eorum plena, &c. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Sed Chriſtus hos omnes mundi errores in his beatitudinibus deſtruit & euertit,dicẽs:non hos beatos eſſe,ſed pauperes,flentes,& qui fame & ſiti opprimuntur. ¶ Denique aduertendũ eſt, quòd his beatitudinibus docet Chriſtus redemptor noſter,quibus portatis mercibus cœlũ emere debeamus. Mercatores namque qui diuites fieri cupiunt, *Merces quibus cœlum mercari poſſimus.*
merces emunt in populis & ciuitatibus, in quibus viliùs venduntur,eáſque traducunt,vbi cariori vẽduntur pretio:atque ita vili ementes pretio, & cariùs vendẽtes breui tẽporis interuallo diuites euadunt. Etenim ſi aliquis Salmanticæ copiam magnã ſaccari emiſſet,vt id Valentiæ venderet, is ſanè potiùs iacturam ſuarum mercium faceret, quàm aliquid lucraretur:nam hîc caro venditur pretio, Valẽtiæ verò viliori:vtpotè vbi magna illius copia eſt. Opus itaque eſt vt merces tuas vendendas traducas vbi cariùs venduntur. Attende igitur, ô homo tu,qui noctu diúque in alteram vitam iter velociſſimũ agis,quiq; maturè vel ſerò moritur' es: quòd ſi beatus eſſe cupis,& in cœleſte regnũ ingredi anhelas,tales merces tecum ducas,quæ in illa cœleſti ciuitate non ſint:nec te oneres eis mercibus,quarũ in cœlo copioſa eſt abundantia. Ibi namque gloria & diuitiæ tãtæ ſunt vt vllo pacto explicari nequeãt, vt regius conteſtatur vates, Gloria & diuitiæ in domo eius. Plurimus etiã honor ibi eſt, vt idẽ inquit *Pſal.111.*
vates, Nimis honorati ſunt amici tui Deus. Ibi de- *Pſalm.138.*
nique æterna & perpetua quies eſt:diuitiæ nunquã periturę,ſaturitas,gaudium,& ſumma fœlicitas. In illã verò ciuitatẽ nunquam intrarunt lachrymæ,fames,nec perſequutiones. Tales igitur merces tecũ ducere debes:quarũ ibi penuria ſit. Non te oneres diuitiis,gaudiis,& voluptatibus:quorum omnium ſummam ibi reperies abundantiã. Quod ſi his mercibus nauem tuam oneraueris in hoc mundo:cùm in cœlum appuleris,nihil tecum portabis & perditus omnino manebis. Has namque merces in cœlũ deferre non aliter eſt,acſi ſaccarum Valentiam portare,vel bombicem Granatam. In cœlo nõ eſt paupertas:onera igitur teipſum multa paupertate,quoniam beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. In cœlo non ſunt lachrymę,nec triſtitia. Has igitur aſſume tecũ quoniam beati qui lugent,quoniam ipſi conſolabuntur. In cœlo nulla eſt fames. Ieiuna igitur & pœnitentiam agito:quoniam beati qui eſuriunt, quoniam ipſi ſaturabuntur. In cælo non ſunt labores nec perſequutiones. Has in hac vita amplectere, quia beati qui perſequutionem patiuntur,&c. Nã ſi tecum duxeris voluptates,diuitias,quietem,& gaudia, proculdubio perditus abis. Quocirca has amplectere beatitudines,nam illis proculdubio quietẽ & gaudiũ ęternũ emes. Has namque merces ſancti illi, qui nunc viſione diuina fruuntur,tanquam ſapientes & ſolertes mercatores ſecum duxerunt. Acceperunt hîc paupertatẽ,labores, & triſtitiã, vbi magna horum illic

illic est inopia: nunc autem nunquam perituris voluptatibus & gaudiis in cœlo cũ Christo fruuntur. Primam igitur omnium harum rerum, quã ex toto animo amplecti debes, sancta & euãgelica paupertas est, & contemptus harum omnium terrenarum diuitiarum. Et inde est quòd dominus primã beatitudinem hanc constituat, dicẽs, *Beati pauperes.* Multi in illo Matthæi loco, beati pauperes spiritu, hunc locum interpretantur de humilibus, dicentes, Beati humiles. At quantũ ego possum coniectari, omnino falluntur: nam quamuis humilitas parens sit, nutrix indiuiduáq; comes paupertatis euangelicæ: at hîc sermo Christi de paupertate est, quæ diuitiis opponitur. Quodquidem manifestè patet ex hoc loco Lucę. Inquit enim, beati pauperes siue mẽdici, vt ex Græco colligi potest. Mox autem beatus Lucas his beatitudinibus contraria ponit, dicens, Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestrã. Væ vobis qui saturati estis. Non dicit, væ vobis superbis, sed diuitibus. Quòd clarũ est argumẽtum Christum in beatitudine paupertatis de rerũ temporalium abdicatione fuisse loquutũ. Deinde quid opus erat Matthæum dicere, beati pauperes, & nõ poti' beati humiles spiritu: si nihil peculiariter dictum voluit de paupertate diuitiis apposita: Itaque de paupertate rerum temporalium loquitur Christus tam hic, quàm in Matthæo. Hanc igitur beatitudinem primò omnium Christus voluit statuere tanquam bonus, & peritus artifex. Primò, quia cùm aliquis ædificiũ sumptuosum condere vult, primò omnium fodit, & terram foras eiicit: posteà verò lapides fundamenti ponit, & ædificare incipit. Ita Christus vt diuinum amorem & plurimas virtutes in nobis (si ita licèt loqui) ædificet, priùs à nobis mundanum amorem eiicit, & rerum omnium terrenarum suos ædificans in vera paupertate & contemptu diuitiarum mundi: nã cũ natura humana ita labefacta sit, vix hæc terrena possideri possunt, nisi cor nostrum illis fuerit nimis affectũ & detentum. In lege veteri non solũ non dominus has diuitias contemnere præcipiebat, imò eas promittebat eis, qui diligentes obseruatores suorum præceptorum se exhiberent: nam in multis locis scripturæ promittit illis dominus abundãtem terram & plurimas diuitias. Nunc autem cùm legẽ euangelicam ædificare vult, profundiùs fodit, & fundamenta iacit fortiora, paupertatẽ prędicans. Cur igitur in veteri lege diuitias promittebat, nunc verò paupertatem prædicat? Quia lex vetus, lex erat puerorum: & vt Paulus ait, lex pædagogus fuit. Infantes namque solent nutrices in vehiculis portare: atque in diuitiæ tanquã vehiculũ erãt, quibus dominus Iudæos ducebat per legem mandatorũ suorum. At postquã iam aliquis vir est adultus vehiculũ non solũ nõ iuuat, imò impedimento est, quominus rectè ambulare possit. Atque ita euangelicis hominibus Deus vehiculũ tollit, ne tanquã pueri ambulent: quandoquidẽ tẽporales diuitiæ potius impedimento sunt, quã iuuamini, vt in cœlũ eatur. Vnde cũ Christus velit viã cœli nos docere, priùs vehiculum tollit, & terram foras eiicit: vt ædificet spirituale ædificium legis gratiæ perfectionis. ¶ Deinde priori loco paupertatis beatitudinem posuit, quia cùm radix omnium malorum sit cupiditas, à spontanea spiritus paupertate spirituales diuitiæ exordium quoddam & originem ducunt. Herba mala radicitùs debet euelli: atque ita Christus mundũ cũ radice euellit, cupidinem fugans, quæ radix omniũ malorũ est: & hoc exordiũ sumit, quòd principium malorum est.

Paupertas via ad fœlicitatem. — *Leui. 26.* — *Deut. 28.* — *Esaie 1.* — *Gala. 4.* — *1.Tim. 6.*

¶ Expende autem Christi bonitatem & sapientiam. Videbitur tibi forsitã durum & asperum esse omnia, quæ habes relinquere, & pauperem esse: at non attendis duriùs & asperiùs esse, si tibi præciperet quòd diues esses. Nam si diceret diuites fœlices esse quid facerent pauperes? At dicẽs beati pauperes, voluit vt omnes beati essemus. Nam pauperes clarum est esse pauperes: diuites verò, pauperes fieri possunt relinquentes omnia quæ habent. Vt aliquis diues fiat, grandis quidem & ardua difficultas est: at vt pauper sit, nulla. Atque ita faciliùs omnes beati poterimus esse hac paupertate, quã diuitiis. Et cùm bonitas Dei tanta sit, hanc beatitudinem eo pretio donat, quo omnes illam possimus emere. Mirabile quidem est quãtam facilitatem dominus in obsequio suo posuerit. Nam si aliquis velit regi inseruire, & in eius famulitio vitam agere, opus est vt nouas & optimas habeat vestes, velocem equũ, seruos & sumptus. Et dicere soletis vnicum tãtum filiũ, qui in regis curia ambulat, & in regali domo dimidiam partem substantiæ vestræ consumere, nã debet incedere habitu nobilis viri, quia regi seruit. At ad inseruiendum Christo non solùm non necessarij sunt famuli, sumptus, & equi: imò cõsulit ipse Christus hæc omnia contemnere. In quo quidem facilè videbis, quàm faciliùs Deo, quàm mundo inseruiatur. Atque ita in euãgelio dominus ad suum famulitium & obsequium vocari præcepit cæcos, claudos, & omne genus hominum. In obsequium regis non admittitur claudus cæcus aut mutus: Deus autem omnes vocat & vult, & pauperibus & contemptis gloriam suam promittit. O benedictus talis & tantus dominus, qui neminem foras eiicit, etiam si abiectus & humilis sit. Imò potiùs beatos appellat pauperes, cùm paupertas res sit, quam si vnusquisque vult eã inuenire potest. Vult dominus omnes nos in cœlũ ducere: quia verò illos honores & diuitias æternas non amittamus, hæc terrena præcipit relinquere: nam veræ diuitiæ potiùs acquiruntur si minuatur cupido, quàm conseruando thesauros. Atq; ita vult vt celeriter & veloci cursu per hæc omnia terrena transeamus. Quando filij Israel ibant in terram promissionis, nuncios miserũt Edon, qui ei dicerẽt, se per patriam & terram suam velociter transituros. Velociter (inquiunt) transiemus. Ita nimirum qui iter faciunt in cœlum terram & patriam nobis promissam, opus est, vt per hæc terrena citò & veloci gradu trãseant: desideria semper & oculos in cœlũ conuertentes. Atque ita Edõ obuiam exiit filiis Israel, & aduersus illos bellum gessit: vt mundus solet pauperes spiritu contemnere, eos persequi. Luna cũ longius distat à sole totũ & suum splendorem in terras mittit, in cœlum autem claritatem non ostendit: cùm verò soli coniungitur tota in superiori parte illuminat, inferius autẽ nullum lumen ostendit, & tũc insipientes & rudes homines eam obscuram arbitrantur cũ in coniũctione sua cũ sole in superiori parte sit splẽdidissima. Sic qui à sole iustitiæ Christo separantur & humanam gloriã quærunt, cùm illos videat mũdus diuites & potentes esse, existimat illos fœlices & beatos, cùm reuerà corã recto & superno iudice tales abiecti, & infimæ sint sortis. Sed pauperes spiritu, qui abiiciẽtes amorẽ sæculi Christo cõiunguntur, animi splẽdorem sursum tendentẽ emittunt: & à mundi ama-

Luc. 14. — *Num. 20.*

tori

toribus obſcuri & ſtulti iudicantur, cùm ipſi in ſuperiori parte animo fulgentiſſimi ſint. Quia igitur Chriſtus vult in altam & profundam cognitionem rerum cœleſtium nos ducere, & nos allicere, vt ea diligamus & amemus, priùs amorem mundi à nobis remoueri vult: ad quod faciendum ſalubrius cōſilium eſt, hæc omnia terrena relinquere, deſpicere, & pro nihilo facere. Atque ita pauperes beatos vocat: quia etiam dùm in carne viuunt, iam incipiunt frui cœleſti illa beatitudine.

Pauperes triplici nomine beati, Chryſo. Hom. de oratione Annę, to. 1.

¶ Beati igitur ſunt pauperes, in hac vita: beati in morte, & beati poſt mortem. Lege Chryſoſtomum homilia de oratione Annę, tomo primo, pulchrè de paupertate diſſerentem. Si paupertatem ſubtrahas, mundum omnem ſubuertes: nam ſi paupertas non eſſet, nec eſſent ſutores, nec fabri lignarij, nec ferrarij, nec domificatores, & denique nulla ars in mundo exerceretur: nec māducaremus, nec biberemus, nec nos indueremus, nec calciati incederemus, nec eſſent ciuitates, nec populi, nec mundus: nam omnia hæc à pauperibus efficiuntur, & ipſi hęc omnia præſtant, non diuites. Triticum verò pauperes ſeminarunt, & ipſi collegerunt, ſecuerunt, moluerūt, & denique in fornacem introduxerunt. Paupertas igitur auctor eſt omniū harū rerū: & ipſa eſt, quæ humanā vitā ſuſtinet, & gubernat rē publicā: quæ niſi conſtaret, mundus periret.

Pauperis conditio in hac vita trāquillior ipſius diuitis.

¶ Quòd autem pauper meliorem & tranquilliorem ſortitus ſit vitam, quā diues, vel facili indiget probatione. Primò, nam præcipuis creaturis, quas Deus creauit in miniſteriū hominis ſic ipſis pauper vtitur, vt diues, vt ſole, Luna, ſtellis, aëre, luce, aqua, campis & terra. At ſi reſilias dicendo, diuitem delicatis & opiparis vti cibis, vina prætioſiora bibere, dormiréque in eburneis lectulis: hanc non meritò meliorem ſortem appellabis, imò deteriorem: nam pauper ita benè dormit in duro & aſpero lecto, vt diues in blando & delicato, nam pauciores vel nullæ curæ illum per noctis quietem vexant & ſollicitant, & ita libens & gaudēs durum panē & aquam frigidam potat, vt diues ſua obſonia & edulia. Vnde Sapiens, Dulcis eſt ſomnus laborāti, ſiue parum ſiue multum comedat: ſaturitas autem diuitis non ſinit eum dormire. *Eccle. 5.* Hanc corporis indulgētiam diues non ſentit, cùm in ea nutritus ſit, labores verò (ſi aliquos experiatur) nimis ſentit, cū non ſibi natos iudicet. Quod quidem in paupere multò aliter cōtingit, quia labores tanquam voluptates amplectitur: cùm ex conſuetudine diuturna in alterā naturam fuerit mutatus. At ſi aliquando ei contingat vel conuiuio vel ludo adeſſe, nimis gaudet & delectatur, cū id non ex more habeat. Neminem autem ita natura, vniuerſis bonis deſtituit quin aliquādo non inuitatus vocetur, vel vas boni vini non deguſtet. Plus enim gaudet is qui ſemper aſſueuit in duro lecto dormire ſi vel vna nocte in blando contingat cubare: quàm diues, qui ſemper id ex more habet. Si igitur diues voluptates in quibus nutritus eſt non ſentit, & vel minimus labor nimis eū vexat, nónne beatior pauper erit appellandus potiùs quā diues? ¶ Secundò, ſi vt communi prouerbio circunfertur, ad libitū viuere, vita eſt: potior vtique eſt vita pauperis, quā diuitis. Nā ſi diues aliquid inſanū vel ineptū protulit (cùm ſemper pluribus incedat ſtipatus) protinꝰ id aduertitur & murmuratur: nec libertatem habet eundi, quo ipſe voluerit. Omnia eius dicta vel facta notantur, atque ita nec ſui ipſius

Pauperis libertas maior quā diuitis.

dominus eſt, imò omnium captiuus & ſeruus. Beatus ille qui quidquid vult, dicit: & quomodo vult ita loquitur, & quo libuerit vadit. Syluā petit, venatur, ſaltat, gaudet: nemo tamē eſt, qui ad id iudicandum oculos conuertat. At diues nihil horū facere poteſt, quia decorū, & auctoritatē ſuam ſeruare debet: nec facultatē habet, vt verè ridere, & gaudere poſſit: nam ſtatim ſi hæc fecerit, omnes eū irridebunt. Nullo pretio emi poteſt libertas pauperis: nam cū ſolus ſit, vadit quo vult, nemóq; illū impedit. ¶ Si igitur in vita fœliciores ſunt pauperes diuitibus ipſis: hanc eandem fœlicitatē duabus aliis rationibus in morte obtinebunt. Prior eſt, quia mortē diuitis plurimi deſiderant, vt ſubſtantiā & rē accipiāt: præcipuè ſi ſenex ſit, cui proprij nati mortē exorant, pinguiorē ſibi fortunā deſiderantes. Atque ita cū ex morte diuitis plurimis emolumētum & lucrū eueniat, ſic à plurimis deſideratur & exoptatur. Pauperis verò obitum, nemo eſt qui optet, cū nihil lucri inde reportaturus ſit, atq; ita de bona eius valetudine & incolumitate omnes gaudent.

Fœlicior pauper in morte quàm diues.

¶ Secundò quia cū diues moritur maximæ curæ illum vbiq; angunt & circuunt: nam cū longum teſtamentum facturus ſit, ad aures alter illi dicit, vt antiquum ſeruū & fidelē quiq; tot annis illi inſeruierit, recordetur: alter vt talis filia memoriam ſubeat: alter vt talē vel talem rem recordetur: atq; ita his mundanis & terrenis negotiis intentus corpore diſſoluitur. At pauper nullā aliam curam habet, niſi in ipſum Deū oculos & mētē conijcere: & animæ ſuæ ſaluti prouidere. Quod quidē bonū ita magnum & pretioſum eſt, vt niſi aliud pręter hoc religioſi haberēt, omnes ſæculares & diuites homines nobis proculdubio deberent inuidere: quibus nulla eſt cura de domibus, de agris & armentis diſponere, ſed ſolū animā & mentem ſuā cū Deo cōponere. Quapropter pauper non ſolū dū viuit beatior eſt quā diues: ſed etiā in ipſa morte. Poſt mortē etiā nullū eſt dubiū, quin pauper fœlicior ſit quā diues, quod ego dicere nolo, cū ipſe Chriſtus teſtis & aſſertor ſit huius veritatis: qui id conteſtatur dicens, *Quoniā veſtrum eſt regnum cœlorum.* Si igitur nō ſolū dū pauperes hac cōmuni luce fruuntur, ſed etiam ipſo mortis articulo: itémque poſtquā à corporis ſarcina ſunt liberati, beatiores ſunt quā diuites: nónne meritò & optimo iure inquit Chriſtꝰ beati pauperes: Nihil vnquā verꝰ dici potuit. Nō inquit regnū terrę eorū eſſe, ſed cœleſte: nā ſibi Deus ignominioſum iudicaret, ꝗ tā infima pars (ſcilicet terra) ſeruis ſuis daretur. Atq; ita cum dominus ageret cū Moſe de diuiſione terræ promiſſionis, de Leuitis, quę gēs erat Deo electa, & ſeruitio altaris deſignata, dixit, ſe nō velle, vt Leuitæ poſſeſſionē obtinerēt in terra. *Deute. 10.* Et in libro Ioſue in diſtributione portionū terræ ſcriptū eſt. Tribui autē Leui nō dedit poſſeſſionē, quoniā dominꝰ Deus Iſrael eſt poſſeſſio eius. *Ioſue. 13.* Beata gēs, quam ſibi & regno ſuo cœleſti dominus elegit, cui nihil in terra dedit. Hi ſunt fœlices & electi, quibus poſſeſſionem cœli dominus dedit. Vnde egregius vates. Deus meus tu es, portio mea in terra viuentium. *Pſalm. 141.* Nihil eos vult in terra poſſidere: vt mentē & animū ad cœleſtia eleuent. Arbor enim dum plures rami inferiores illi abſcinduntur, tātò magis in altū ſurgit: vnde ramis abſciſſis qui ſe in terrā inclinant, ipſa arbor in altum ſurgit. Sic etiā dominus terrena bona hominibus auſert, vt cū Leuitis fecit & apoſtolis, & id etiam modo facit cum viris apoſtolicis

&

& perfectis: quibus dominus regnum cœleste hæreditatem illis promissam paratam habet. Parúmnè tibi videtur, hæredem Dei fieri, & cohæredem Christi: Nunc filij Dei sumus, tunc similes ei erimus. Dij quidem, quia diuina essentia vnietur intellectui beato. Et sicut diuinitas vnitur intellectui diuino in modum speciei, vt sic habeat intellectus cognitionẽ beatam diuinitatis: ita & vnitur intellectui creato per modum speciei, vt talis intellectus producat beatam visionem, vt sit beatus, vt est ipse Deus, & in eo ipso in quo Deus est beatus: quā dignitatem nemo in hac vita capere nec intelligere potest. Si rex aliquis domum haberet clausam & plenam auro & gemmis, quæ omnia promitteret ei, qui illam aperiret, tibi verò duas claues porrigeret, alteram ex auro, alteram verò ex ferro confectam: hæc tamẽ secunda seram valeret aperire, quā obsecro istarum eligeres? nónne vtiliùs esset accipere ferream quàm auream? Aurea pretiosior quidem est, sed ad reserandum inutilior: ferrea verò quamuis vilior sit, tamen præstantior est, quia cùm ea aperitur thesaurus. Sic domus plena thesauris est gloria & beatitudo: quia gloria & diuitiæ in domo eius, vbi sunt thesauri, quos nec oculus videt, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ ibi dominus diligentibus eum habet preparata. Clauis aurea diuitiæ sunt temporales, ferrea verò paupertas. Has igitur duas claues porrigit tibi dominus, vtram illarum eliges? Nónne potiùs ferream, qua aperitur cœlum? Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum, &c. Grande igitur bonum consequeris, si paupertatem inueneris: hanc igitur tam altam & sublimem dignitatem cognosce, quæ tibi donatur si hæc terrena bona contempseris. Etenim de magno illo Alexandro scribit Quintus Curtius, quòd cùm vellet Indiā expugnare ex omnibus diuitiis suis & suorum, & ex omnibus rebus pretiosis cumulum congregauit, cui statim ignem apposuit: vt vel ita milites sui paupertate coacti præsenti & virili animo Indiam expugnarent. Quorsum igitur tu, qui in baptismatis fonte fidẽ inuiolatam seruare promisisti: vt cœlum consequaris, hæc nō facies, quæ ethnicus & gentilis fecit, vt Indiam ingrederetur. Attende obsecro quicunq; fueris cùm Christo pauper, quòd non verè pauper, imò ditissimus quandoquidem regnum cœlorum tuum est. O diuinam & admirabilem nostrorum laborum mercedem & retributionem! Quis vnquam legis fuit lator qui legum suarū obseruatoribus regnum cœlorum promiserit? Nemo vtique illud promittere, nedum dare potuit. Moses namque in legibus quas Iudæis tulit Mercurius Trismegistus Aegyptiis, Phoronæus Græcis, Solon Athenienſibus, Licurgus Lacedæmonis, & denique Numa Pōpilius in legibus, quas Romanis promulgauit, nemo inquā horum omnium legum suarum obseruatoribus regnum cœleste promisit: sed solus Christ⁹ dominus noster & vniuersi orbis restaurator. Nulla lex est: quæ tātum & tam magnum bonum promittat, nec vlla lex humana est, quę vel aliquod malum nō patiatur. Sola lex Christi omne malum execratur: ita vt qui in vno deliquerit, omnium reus est factus: nā etiamsi lex Mosaica vsuram permittebat, & libellū repudij. Sola domini lex immaculata est, conuertens animas. Et lata fuit à tam sancto & tam iusto viro, vt etiā ipsi eius inimici (vt sunt Iudæi & Mauri) confitentur illum iustum & sanctum fuisse, vt ipse Iosephus Iudæus affirmat, & etiam ipse Mahumetus in alcoram.

Roman.8. *1.Ioan.3.* *Psalm.111.* *1.Cor.2.* *Exemplum Alexandri magni.* *Iaco.2.* *Deute.23.* *Deut.24.* *Psalm.118.* *Ios.li.18.antiquo.ca.6.*

¶ Itaque lex euangelica non solùm bonitate & rectitudine materiæ, verumetiam bonitate & sanctitate legislatoris, & diuinis promissionibus cæteras omnes mundi leges excellit, & longo interuallo superat. Quocirca barbarus & iniquissimus homo appellandus venit qui sacrosancto euangelio non subiicitur. *Beati pauperes* (inquit Christus) *quoniam vestrum est regnum Dei.* Si igitur regnum cœlorum pauperum est, quid diuites facient? A pauperibus quærant. Non aliter acsi in domum mercatoris tenderes empturus bombicem, vel aliud quiduis: ita in domum pauperis te confer, vt regnum cœlorum (quòd suum est) in pauperibus à Deo emas eleemosynam illis tribuendo. At si diues non misericors fuerit, si liberalitate non fuerit cùm extremè indigenti vsus: quī fieri potest vt in illud ingrediatur? Exclusus perpetuò manebit, diues auarus à regno cœlorum: si deposita auaritia, pauperi extremè indigenti eleemosynam non dederit. Pauperes namque contemnẽtes thesauros terrenos cœlestes congregant, vt ipse Iacobus inquit, Nónne pauperes elegit in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni: quòd repromisit Deus diligentibus se? Ideóque his tribuitur cœlorum regnum. Plus enim haberi debet priuilegium hoc pauperi à Deo datum, quàm omnes diuitiæ & thesauri mūdi: nam potiùs chirographo hoc pauperi dato, tradetur illi regnū cœlorum quàm tibi, etiam si Tantali diuitias superes, & facultatibus Cresum antecellas. Nam arcis vel alicuius ciuitatis custos, potiùs arcem vel ciuitatem tradet illi, qui regium chirographum ostenderit: quàm ei qui mille aureos dederit. Nam nisi talis custos traditor suo regi fuerit, nulla pecunia tale facinus patrabit. Ita nimirū pauper chirographum Dei habet, inquiens: beati pauperes, quoniā vestrum est regnum Dei. Qua quidem ostẽsa schedula regio Dei chirographo insignita potiùs dabitur illi regnum, quàm tibi, etiamsi grandem pecuniarum sarcinam tecum tuleris. Etenim regnum cœlorum non honoribus emitur, non voluptatibus, nec pecuniis: sed potiùs egestate, lachrymis & laboribus.

A pauperibus regnum cœlorum mercandum eleemosyna. *Iac.2.*

¶ Præterea autem hîc est obseruandum quòd non solùm de futuro loquitur dicẽs, quòd regnum cœlorum erit pauperum, sed nunc de præsenti est, inquit: quia pauperes qui propter Deum terrenum regnum contempserunt, in hac vita diuinam hæreditatem iam obtinẽt. Vnde beatus Petrus, qui propter Christū omnia reliquerat, claudo illi, qui eleemosynam ei petiit respondit, Argentum & aurum non est mihi. Pauper sum, omnia pro Christo reliqui. Ideò quibus possum te adiuuo. Surge (inquit) & ambula. Petrus igitur cū sua reliquisset, iā in hac vita Christum possidebat: atque ita ex eis, quæ habuit petẽti tribuit. Sed opus est iam vt in hac beatitudine receptui canamus: ad aliam gradū facientes. *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Dupliciter intelligi potest locus iste. Primò, de egestate & fame corporali, quatenus est actus virtutis abstinentiæ, qua quis ieiunat & affligit corpus suum, vt inquit Apostolus. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo: ne fortè cùm aliis prędicauerim, ipse reprobus efficias. Et ad Galatas, Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cùm vitiis & concupiscentiis. Et iterū, Exhibeamus nos in multa patientia,

Act.3. *Abstinentia methodus ad fœlicitatem. Beda in ca.6.Luca.* *1.Cor.9.* *Gala.5.*

1.Cor.11. tia, in ieiuniis, in fame & siti, &c. Beati ergo qui spretis diuitiis, hic in mūdo esuriunt, & famē patiuntur propter regnum cœlorū. Quapropter aduertēdum est, illā particulā nunc: quā hîc apponit euangelista plurimū habere euidentię atq; efficaciæ. Duo enim mihi videtur sacer euagelista cōplecti. Primò meminisse debemus hāc vitā in certamen & pugnam datā esse homini, non ad animi ignauiā & remissionē, ideò in euangelicis & apostolicis præceptis passim labores ponuntur. Vnde Saluator, Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucē suā. Et enim per multas tribulationes oportet intrare in gloriā Dei: nā si cōpatimur, & cōregnabimus etiā. Si enim Christū pati oportuit, vt sic intraret in gloriā suā, quis infringere aut labefactare audebit afflictiones & labores? Si is qui peccatum nō fecit nec in eius ore inuentus est dolus, nec illi opus erat vlla afflictionū purgatio, nostri verò gratia tanta priùs pati voluit, quàm intraret in gloriam suam: nos qui multorū peccatorum nobis sumus cōscij, quibusq; multę ac iustissimę pœnę debētur fugiemus affligi, vt in eā demū gloriam intremus. ¶ Alterum verò, ꝙ in illa particula, nunc, insinuatur: est breuitas temporis quo pati, & affligi pro Christo debem⁹: qua breuitatis contēplatione fortior & præstantior redditur animus ad tollerandum: sicut itineris breuitas laborē leuiorē efficit. Etenim si longissimū vitę huius spacium si cum æternitate cōferas, vel angustissimum momentum est, qđ Paulus cōsiderans dixit, Momētaneum pondus tribulationis nostræ supramodum in sublimitate æternū gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quę videntur, sed quę nō videntur. Quę enim vidētur tēporalia sunt: quæ autē nō vidētur æterna sunt. Cōtemplatio breuitatis huius vitæ, omnes mūdi afflictiones leues reddit, si sempiterna illa bona contēplemur: quæ momētanea hęc afflictionis pœna parit. Nāque si infirmi vt corporis valetudinem assequantur maxima siti vexati, se aqua abstinent: quid nobis esset ferendum, vt illā corporis incorruptionē assequeremur, quæ nobis in resurrectione promittitur? Hæc considerantes viri sancti & perfecti nō formidabant pro Christo in siti, fame, & frigore vitam agere. Nā appellatione esuriei quidquid humanæ vitæ transigēdæ necessarium est intelligitur: quam vitam ij degebant, qui ouinis & caprinis pellibus induebantur, & in solitudinibus & speluncis terræ domicilia sua habebant. ¶ Aduerte autem, ꝙ non omnes qui esuriunt: & sitiunt hāc beatitudinē consequuntur: quia multi vt diuitias sibi cōparent esuriem & sitim patiuntur & lōga naufragia huc & illuc peruagantes experiuntur: sed ij tātum, de quibus Matt. inquit, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Etenim hi sunt qui amore iustitiæ famem & sitim & multa aduersa patiuntur. ¶ Secundo modo locus hic exponitur de spirituali egestate, vt ait Mathæus, Beati (inquit) qui esuriunt & sitiunt iustitiā, quatenus iustitia est virtus generalis: sub qua includitur omnis virtus, iustitia, & sanctitas. Atq; ita esurire est profectū in omni virtute exoptare, Dei honorē, & ꝓximorum perfectionē desiderare quatenus procedit ex charitate & zelo iustitiæ. Isti enim saturabuntur in cœlo. Obserua autē ꝙ non dixit de præsenti saturantur, sed de futuro loquutus est: nam in hac vita misera nihil est quod iusti palato possit satisfacere. Terrena enim hæc animā nostrā nō cōplēt: nam qui biberit ex hac aqua sitiet iterū. Omnia quæ præsens vita continet velut salsamentum sunt, qđ nō ad saturitatē apponitur: sed vt tantū gustum excitet. Nā si tribuatur pauperi sacerdoti beneficium simplex, statim canonicatū anhelat: quē si adeptus fuerit, protinus in altiorē dignitatē vel in episcopatum euehi cupit. Ad quid obsecro profuit beneficium, quod priùs illi datum fuit? nō vtiq; ad aliud nisi, vt appetitū excitaret, vt alia maiora cuperet. Quocirca qui ex aquis: & bonis huius vitę plus bibit, tātò ardētiorē sitim patitur. Sola animi tranquillitas, & conscientiæ rectitudo hominem satiat. Animi enim rectitudo est veluti mēsa apposita multis & benè cōditis cibis, ita vt si bonum appetitum habeas, omnia sapiūt, & prosunt. At deprauata cōscientia est veluti mensa plena sordidis & malis cibis, qui appetitui nociui sunt, & omnes in venenū conuertuntur. Sic nimirum etiā si omnibus mundanis deliciis & voluptatibus abundes, si intus cōscientia remordeat omnia in amaritudinem cōuertuntur. Solus Deus animā nostrā satiat. Vnde beatissima virgo in cantico suo dixit, Esuriētes implebit bonis. Solus Deus est, qui fame pereuntes saturare potest, iuxta illud prouerbiorū. Iustus comedit & replet animam suam: vēter autem impiorum insaturabilis. Sed quia de hac materia in codice nostro, quē nuper de vanitate mundi edidimus multa egimus, ad aliam beatitudinem faciamus gradum. *Beati qui nūc fletis.* Quî igitur fieri potest, vt infrà dicat, gaudete & exultate? Nō sibi contrarius est, quia lachrymæ quæ pro Christo fundunt dulces & suaues sunt. Etenim plus ille voluptatis & gaudij suscipit, qui in cubili suo passionem Christi considerans lachrymas fundit: quàm si omnibus mundanis voluptatibus & deliciis afflueret. Nec lōgiùs aliunde tibi petas exemplum, quàm ex regio & sancto propheta qui dicit, Fuerunt mihi lachrymæ meę panes die ac nocte. Ideóq; iusti dùm flēt, gaudent & exultant interiùs. Beati ergo, qui nunc fletis: quia vana mundi gaudia quæ mundanos alliciunt ad se minimè vos adducent. Quando Nabuchodonosor voluit vt populus statuā adoraret, voluit vt plurima musica instrumēta priùs resonarent, & aiebat præco. Cùm audieritis sonitum tubę, citharę, symphoniæ omnis generis musicorum, adorate statuā auream, quam fecit Nabuchodonosor rex. Quòd fieri iubebat, vt musicæ sonitu euanescentes homines & falsa dulcedine allecti, nō aduerterent quā graue patrarent peccatum, relinquentes verum Deum, & statuam adorantes: eodem modo Laban cùm fugisset Iacob, & illum esset sequutus vsque in montem Galaad dixit illi, Cur ignorante me fugere voluisti? nec indicare mihi vt prosequerer te cum gaudio, canticis, & tympanis & citharis? Quod quidem nō ob aliud Laban faciebat, nisi vt in domo retineret Iacob seruientem, ne in patriam suā abiret. Ita mūdus similibus voluptatibus & falsis deliciis in obsequio & famulitio suo vult nos detinere: ne in propriam patriā nostrā iter faciamus, quæ æterna beatitudo est. Quia verò peccatū & facinus, quod cōmittimus adorātes propriā carnem, non videamus, musicis instrumentis voluptatibus: & deliciis, nos detinet, vt Nabuchodonosor, vt vel ita caput nostrum inuertendo sensum & intellectum abstrahat, & subiiciat nos miseræ peccati seruituti, nobis malū nostrū nō sentiētibus. Quid igitur aliud tu christicola cogitas mūdi voluptates esse nisi quasdā artes & præstigia, quib⁹ dæmō molitur sensu & intellectu

Marginalia: Energia istius aduerbij nūc. — Matth. 16. — Act. 14. — 2. Tim. 2. — Luc. 24. — 1. Pet. 2. — 2. Cor. 4. — Hebr. 11. — Matth. 5. — Beda in hunc locū Luc. 10. 5. — Ioan. 4. — Luc 1. — Prou. 12. — In 3. parte ca. 1. 2. 3. — Luctus & tristitia media ad beatitudinem. — Psal. 41. — Dan. 3. — Gen. 31.

lectu nos destituere: vt vel ita his vanitatib^9 allecti mũdo nos subiiciamus, & Dei vexillũ deseramus. At Christus, qui fidelissimus est amic^9 nobis dicit, Beati qui nunc fletis: quia qui flet hos mundi & dęmonis laqueos facillimo negotio euadet. ¶Obserua autē, quòd nõ dicit, beati qui hoc vel illud fletis, sed absolutè loquitur dicēs, beati qui fletis. Quibus quidem verbis significatur q̄ flet, nõ ob malum secundum quid, sed ob malum absolutè, quòd contra riatur absolutè bono, scilicet vitæ æternæ. Itaq; dicens beati qui nunc fletis, dixit beati qui flent ob *Vide Chrysost. ho 18. ad popu. Antioch.* mala præsentia: quæ contraria sunt vitæ æternæ. In cathalogo beatorum scribit flentes in hac vita & nõ immeritò, nã cùm delectabilia mũdi huius plurimum à virtute homines semoueãt, excellens perfect o est lugentium: quia nõ solùm à delectationibus se abstinẽt sed cõtrariis actionibus se exercent assumendo cõtrarium luctũ, non vano & sterili fletu: vacantes, sed seminãtes in lachrymis, vt fructus vitæ æternæ cum exultatione colligant, iuxta illud *Psal. 125.* prophetę, Qui seminãt in lachrymis, in exultatione *Beda vt sup.* metẽt. ¶Expende etiã quòd in hac & superiori beatitudine hæc particula nunc ponitur. Nõ enim dixit beati, qui esuritis, aut beati qui fletis: sed beati qui nũc esuritis, & beati qui nũc fletis: quibus verbis appositissimè Christus docet præsentis vitæ tẽpus, tẽpus esse esuriendi, & flẽdi: in ventura quippe vita tempus erit satietatis & gaudij. Quapropter e*Psal. 26.* gregiùs Psaltes domino dixit, Satiabor cum appa*Apoc. 21.* ruerit gloria tua. Etenim ibi domin^9 absterget omnem lachrymã ab oculis sanctorũ, & iã non erit cla*Causa luctus exilium est.* mor neq; luctus nec dolor erit vltra. ¶Hoc igitur tẽpus est flendi. Primò quia à propria patria nostra q̄ cœlum est exilium patimur: quemadmodum illi, *Psal. 136.* qui dicebant, Super flumina Babylonis illic sedim^9 & fleuimus, dùm recordaremur tui Sion. Ita etiam tu cùm recordatus fueris patriæ tuæ cœlestis Sion lamẽtari debes: cùm sedeas exul à patria in tempestuosis huius mundi aquis & laboribus. Vnde sancti illius regis, qui se videbat segregatũ à domino, *Psal. 41.* lachrymæ panes erãt die ac nocte. Fuerunt (inquit) mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dũ dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus. ¶Deinde flere & *Tenebræ & obscuritates.* nõ gaudere debes in præsenti exilio, quia semper in hoc mundo in tenebris & in obscuritate ambules. Etenim sanctus ille Tob. dixit angelo, Quale gau*Tob. 5.* diũ mihi potest esse: quia in tenebris sedeo, & lumẽ cœli nõ video? Vani equidẽ sunt ij & omni prorsus mẽte destituti: q cũ in lamẽtabili mundi huius exilio sint, vanas & perituras voluptates suscipiũt. Qua *1 Cor. 7.* propter memor esto Apostoli dictum, Tẽpus breuiue est: & qui gaudẽt, tanquã nõ gaudentes sint. Etenim sapientissimè apostolus breuitatẽ huius vitæ rationem & causam esse dixit, quare hîc gaudere nõ debemus: sed potiùs voluptates huius sæculi sunt nobis accipiendę tãquam somniatæ & ridiculę res: quãdoquidem cùm nõdum venerint, iã abierunt. Hoc igitur ex hoc loco cõcludamus nõ vana mundi oblectamẽta quærere: sed potius discamus peccata nostra plangere, & de illis pœnitere, memores domini dicẽtis, Tristitia vestra conuertetur in gaudium, & modò etiam id iterum approbat inquiens, *Isa. 26.* Quia ridebitis. Etenim dominus (vt Ioã. ait in Apoc.) *Apoc. 7. & 21.* absterget lachrymas iustorum. Beatæ & fœlices lachrymæ quas manus domini abstergit. Ideóq; gaudendum maximè tibi est, si in hac vita tristis fueris, & fleueris: si quidem in ventura tantam & tam admirabilem consolationem es accepturus: iuxta illud prophetæ. Secundum multitudinem dolorum *Psal. 93.* meorum consolationes tuæ lętificauerunt animam meam. Et diuinus Pau. Sicut abundant Christi pas *2. Cor. 1.* siones in nobis: ita abundat consolatio nostra. Bea *Psal. 83.* tus ille est, qui propter Christum mortificatus in hac vita tristitiam passionis Christi ob oculos gerit: & beatus deniq; qui in hac lachrymarum valle ipsis lachrymis pascitur. *Beati eritis cũ vos oderint homines & cùm separauerint vos, & exprobrauerint & eiecerint nomẽ vestrũ tanquã malũ.* In hac beatitudine plu *Persecutiones et afflictiones salutares.* rima vexationum genera posuit, scilicet, odij, exprobrationis, & persequutionis: quia Christus à suis mẽbris corde opere, & ore erat persequendus: corde Christũ odiẽdo, ore blasphemãdo, & tormẽtis, christianos affligendo. Porrò homines sumuntur hic in malã partem prout sunt amatores sui ipsius & suæ carnis indulgentissimi. Sic Paulus Cor. ait, Cùm sit *1. Cor. 3.* inter vos zelus & cõtentio: nónne homines estis? *Gal. 1.* Et iterum, Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Placere hominibus iustis, malum nõ est: sed potiùs bonum. Verùm placere hominibus carnalibus & sensualibus hoc non conuenit seruis Christi. Ab initio malis inditũ est bonos persequi: vt Cain Abel, Ismael Isaac, Esau Iacob, Ægyptij Israelem, Fenena Annam, Saul Dauidem, & Iezabel Heliam. Quocirca si mali didicerint teipsum persequi, disce tu illos patientia tollerare, nam vt inquit B. Greg. qui malum non suffert, per suam impatientiam ostendit bonum non esse. Abominantur iustũ impij (inquit sapiens) & viri sanguinum oderunt *Prou. 29.* simplicem. Hanc tamen ob causam non sis tristis: quia panis sine fermento insipidus est: at si fermentum, quod amarum est immisceatur, sapidus & dulcis redditur. Ita vult dominus vt fermentum amarum tribulationis gustum & saporem tribuat virtuti: atque ita si panis sapidus Deo volueris esse, opus est, vt in hac vita fermento tribulationis & persequutionis concoquaris. Maiores igitur in tribulatione vires assume: & audi dominum dicentem, Si me persequuti sunt, & vos persequentur. Non es *Ioan. 15.* tu melioris cõditionis quã Christus: nec existimes gloriam quã ipse, & sanctissima eius mater, & omnes sancti sunt consequuti, tot perpessis laboribus, tot transactis naufragiis, tot angustiis & calamitatibus acceptis, tibi dandam esse, si in chœnice sedeas, & in vtramuis dormieris aurem. Si nullã pateris persequutionem ne læteris, ea nanq; maxima omnium est persequutio, nullam perpeti contradictionem. Medicus enim facultatem facit infirmo, vt *Nota.* omnia comedat & bibat quæ illi libuerint, cùm iã illum nullius remedij compotem esse videt, & de cuius salute desperat: quod quidem non efficit cũ eo, cui salutem & incolumitatem restituere curat, sed potiùs sanguinis missionibus prouidet, & potiones amaras tribuit, & ea omnia interdicit, quæ illi nociua sunt. Manifesta igitur damnatio tua est, si omnia ad libitum & secundum animi sententiam eueniunt: ille verò fœlix & beatus iudicandus est, qui in hac vita torrente persequutionum affligitur. Nam quemadmodum sanguinis emissiones pateris, & potiones amaras sumis, vt corporis incolumitate fruaris: potiori iure tribulationes & persequutiones deberes sustinere, vt anima incolumis & salua persisteret. Obsecro autẽ ne oculos conicias in tribulationes & labores, quos modo pateris, sed in retributionem & mercedem quam pro illis speras.

tas. Æquo igitur animo feras in hac vita omnes tri-
bulationes, quas tibi Deus miſerit, illius egregij di-
cti ſapientis recordatus. Legatus fidelis, egeſtas &
Prou.13. ignominia. Et quemadmodum qui contumelia le-
gatum regis afficit, ipſum regem videtur dehone-
ſtare: ita qui de tribulationibus & laboribus con-
2.Reg 10. queritur, ipſum Deum qui eos mittit, offendit. Le-
gimus in ſecundo lib. Reg. Dauidem grauiter ani-
maduertiſſe in Amonitas & in eorum regem: quia
nuncios, quos ipſe miſerat, ignominioſè tractaue-
runt. Æquũ igitur eſt, vt his nunciis tam fidelibus,
qui nos certos faciunt de Dei amicitia, debitũ ho-
norẽ deferamus, & perſequutiones & labores ſuſ-
cipiamus, multis gratiarum actionibus. Quod ſi de
illis fuerimus conqueſti, nobiſcũ dominus aget, vt
Dauid cum Amon, quia nũcios ſuos cõtumelia af-
fecit. At ſi ad amorẽ attenderes, quo dominus has
perſequutiones tibi mittit, vtique gratiarum actio-
nibus illas ſuſciperes: cũ talia nõ det niſi eis, quos
ardenti amore proſequitur. Valdè tuos perſecuto-
res deberes diligere quãdoquidem lauream gloriæ
tibi conficiunt in cœlo. Sed quia de his in hoc ca-
pite dicturi ſumus agentes de dilectione inimico-
rum: hinc ad alia properemus. ¶ Vnum hic autem
maximè eſt obſeruandum quòd Chriſtus tanquam
piiſſimus pater, ne ſuccumberemus tantis afflictio-
nibus & laboribus vt nobis vires adderet ad perſe-
quutiones patiendas: prudentiſſimè beatos eſſe di-
cit, qui eas fuerint paſſi. Etenim ſi perſequutio hac
conſolatione careret: aut deſperaret puſillanimis q
eam pateretur: aut ipſum dominum propter quem
illam patitur desereret. ¶ Secundum autem, quo cõ-
ſolatur Chriſtus eos, qui perſequutionẽ patiuntur:
illud eſt, quia cauſam ſuę crucis & tribulationis di-
cit eundem Chriſtum eſſe: nam ſi quis tribulatio-
nes patitur, oculos conuertit ad eum, propter quẽ
patitur, ſummo gaudio & lætitia omnes præſentis
vitæ perſequutiones feret. Quocirca animum ad-
Perſecutiones nõ omnes, ſed illæ quas propter Chriſtũ patimur, ſunt ſaluta-res. dens Chriſtus inquit, *Propter filium hominis.* Verba
hæc, quàm ingentem ſecum afferant conſolationẽ,
vix fieri poterit, vt valeã explicare: quibus certè in
omnibus laboribus noſtris, in perſequutionibus
læti & gaudentes incedere deberemus. Priùs autẽ,
quàm vltra progrediar, fratrem meum peccatorem
certum facio: quod ſi quando ei contigerit ob ſua
peccata & flagitia tormenta & tribulationes pati
dummodo de eis pœniteat & ex toto animo in Deũ
ſe conuertat, is talis propter Chriſtum dicetur pa-
2.Reg.12. ti. Cuius rei exemplum nobis erit Dauid: qui cùm
Pſal.68. reprehenſus à Nathan ob adulterium & homici-
dium eſſet, cùm digna factis ſuis pateretur, inquit,
Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit
confuſio faciem meam. Quomodo propter me, nõ-
ne propter tua peccata? Quoniam cum patientia
hæc mala ſuſtineo: dico propter te. Ita nimirum tu,
ſi cùm recta facias, propterea perſequutiones pate-
ris: lætare nimis, quia pro Chriſto pateris. In omni-
bus tuis laboribus ſi volueris, corã Dei oculis ma-
xima retributione eris dignus: & patientia tua aliis
hominibus exẽplũ dabis. Quocirca caue ne venias
inſaniæ & inſcitiæ taxandus: ſi ex omnibus tuis la-
boribus vtilitatẽ & emolumẽtũ nõ ſumpſeris. Itaq;
præcipua ratio merendi cõſiſtit, ſi cauſam, propter
quã patimur & finẽ reſpiciamus. Martyrẽ enim nõ
perficit pœna, ſed cauſa pœnę. Nam adoleſcens ille
romanus Curtius qui ſe ſponte ſua in guttura ter-
ræ deiecit, nõ vtiq; martyr fuit. Nec Coldrus Athe-
nĩẽſium rex, qui morti ſeſe obtulit, nec itẽ Mucius
Cæpola, qui in ignẽ manum coniecit, nec alij multi
his ſimilibus, quia nõ pro Chriſto mortẽ occubue-
rũt, ſed propter ſuã vanitatẽ & inſaniã. Itaque cauſa
& finis martyrij, qui Deus eſt, glorioſam martyris
mortem efficit: ſimiliterque efficit vt labores tui
mercede & retributione ſint digni ſi ante oculos
tuos ipſum Deum conſtitueris. Itaque diſcas opor-
tet vt ſi quid feceris, pro Chriſto id facias, & cũ ſco
pũ & finẽ tuorũ operũ colloca. ¶ Vt autem hęc om- *Contritio & nõ attritio Deo grata.*
nia dicta rectiùs intelligas duas tibi apponã cõclu-
ſiones: quarũ altera eſto. Si tantum dolorem & pœ-
nitentiam tuorum peccatorũ habueris, & illorum
cauſa tot lachrymas fuderis, quot ſunt guttæ aquæ
in mari: ſi hanc pœnitentiam & dolorẽ habueris ſo-
lũ, vel præcipuè id caueris ne in infernũ eas: certiſ-
ſimè ſcias te hac ſola ratione dãnandũ fore. Nam in
peccato duo conſiderare debes: Alterum, offenſam
quã aduerſus dominum tuũ cõmiſiſti, alterum verò
malum quod tibi ipſi comparaſti, quia teipſum ad
æternam pœnã obligaſti. Si igitur te peccati tui po-
tiùs pœnitet propter inferni cruciatus quàm quòd
Deũ offenderis: manifeſtum eſt te potiùs id cauere
& fugere, quod contra te eſt, quã id quod eſt aduer-
ſus Deũ. Vnde fit, vt teipſum pluſquam Deum dili-
gas. Ideóque nunquam peccatum tibi remittetur,
quantumuis grauiſſimum dolorem habeas, niſi te
pœnituerit Deum offendiſſe. Hũc dolorem vocant
ſcholaſtici attritionem, quę filia eſt amoris proprij,
vt cõtritio filia eſt diuini amoris. Plus dominus at-
tendit ad doloris cauſam, quàm ad illius intentio-
nem: & etiã finem, quem peccator habet, maximè
aduertit dominus. Quòd ſi deſideras huius rei exẽ-
plũ in ſacra pagina videre audi, Saul & Dauid am- *1.Reg.11.*
bo fuerunt reges Iſrael, & vterq; etiam peccauit, & *2.Reg.12.*
iterum ambo à duobus prophetis fuerũt reprehen-
ſi, & deniq; vterq; pœnitẽtiam egit & dixit pecca-
ui. Cur igitur dominus Dauid pepercit, & nõ Sauli?
Nunquid Deus eſt acceptor perſonarum? Abſit, in
veritate (ait Petrus) comperi, ꝙ Deus acceptor per-
ſonarum nõ eſt. Placuit domino pœnitentia Dauid, *Act.10.*
& nõ Saulis, quia dolorem maximum habebat Da-
uid ꝙ Deum offendiſſet, Saul verò pœnitentiã ha-
bebat ſui peccati, non maximè propter peccatum,
ſed quia regnum Iſrael amittebat: quapropter Sa- *1.Reg.15.*
mueli dixit, Honora me corã ſeniorib. populi mei,
& corã Iſrael. Hęc omnia dicebat Saul ne cõtemne-
retur à populo, & vt incolumis in regno perſiſteret,
ſi poſſet. Ob quã etiam rationẽ dñs Eſau nõ exaudi- *Hebr.12.*
uit, quanuis miſericordiã cum lachrymis poſtulaſ-
ſet, vt inquit Paulus. Sic etiam nec Antiochus mi- *1.Mac.9.*
ſericordiam à domino impetrauit, quia ille dolor *Heſter 4.*
& lachrymæ nõ ex radice dilectionis Dei procede-
bant. Sicut enim in aulam regis Aſſueri nemo in-
gredi poterat ſacco indutus, ſic nec in regiam Dei *Matth.22.*
aulã intrauit aliquis ſolo hoc timore indutus, qui
attritio eſt, niſi indutus fuerit nuptialibus veſtibus,
hoc eſt diuino amore. ¶ Secunda cõcluſio eſt, Etiã *Obſeruatio mandatorum Dei externa vana eſt, ſine dilectiõe Dei.*
ſi Deos alienos nõ adoraueris, ſi nõ ſumpſeris no-
men Dei in vanum, ſi feſta nõ violaueris ſi denique
decem decalogi præcepta cuſtodieris, & denique ſi
conſilia omnia euangelica obſeruaueris: ſi hæc in-
quam omnia feceris ſine dilectione Dei ſolùm vel
præcipuè, vt Deus tibi gloriam & quietem tuã tibi
tribuat, ſine dubio ſcias futurum eſſe, ꝙ in illã non
ingredieris. Ratio autem eſt, quia in quocunq; bo-
no opere duo ſunt: Alterum eſt honor, & gloria,

quæ Deo tribuitur: alterum verò cōmodum & vtilitas, quam inde reportat qui bonū opus facit, scilicet, gloria quā dominus illi tribuit. Si igitur tu cum sanctam aliquam actionem exerces plus attendis ad tuum commodum & vtilitatem, quā ad Dei honorem: manifestū est, ꝙ teipsum plus diligis, quàm Deum. Atque ita quemadmodum tuū opus diuino caret amore, ita etiam merito caret. Quocirca ob talia opera nunquam in cœlū ingredieris, nec dominus tibi gloriam dabit. Amor Dei statera est, qua librabatur omne id, qđ offerebatur in sanctuario. Omnis æstimatio siclo sanctuarij pōderabitur. Etenim si oraueris, si eleemosynā tribueris, aut aliud quoduis opus effeceris, pondera illud in siclo sanctuarij. Amor, id ponderare debet. Et tantum bonū opus meriti habebit, quantum amoris diuini. Ideóque si omnia hæc mandata exactissimè seruaueris, & alia multa bona opera feceris, nisi illa ex charitate diuina processerint & nisi Deus vltimus eorum fuerit finis, nulla retributione erunt digna. Nam in conspectu diuino coram superno illo iudice potiùs attenditur finis operis, quàm eius magnitudo aut excellētia. Si scopus & finis tuus nō fuerit Deꝰ etiāsi multum laboraberis, minimam mercedem accipies. Cuius rei exēplum si appositissimum cupias videre, attende quòd cùm dominus sanctū Iob, laudaret, dicens eum esse rectum & timentem Deum: aduersus hoc insultauit dæmō dicens, Nūquid Iob gratis timet Deum? Nōnè vallasti domum eius, &c. Aduerte obsecro ꝙ non dixit dęmon Iob nō fecisse multa bona opera, nā benè conscius erat illum rectè & sanctè viuere: at intentionem & finem operū tetigit dicēs, ea nō gratis facere, nec propter Deum, & ipsius amorē, sed propter suum commodum & vtilitatem, ob tam amplam & diuitem supellectilem, quam illi dominus donauerat, & propter spem tantorum bonorum, quæ ipsi promiserat. Ideò subdidit dæmon, Sed extēde paululum super eum manum tuā, & nisi in faciem benedixerit tibi, &c. Hoc est, Tolle illi substantiā & salutem tuncq; manifestè videbis quomodo sanctitatis & amoris tui oneri succūbat. Vnde dominus facultatē fecit Satanæ, vt hęc omnia bona, cum filiis & armentis abstraheret Iob: cūque dæmō hæc fecisset, & sanctus Iob in rectitudine vitæ perseuerasset, cognitū fuit qua animi intentione & propter quē finē mandata diuina tam diligenter obseruaret. Atq; ita ipsa experientia cōpertum fuit Iob iustū & sanctū esse, vt ipse Deus dixerat: quandoquidē illi nō seruiebat propter suū cōmodum & lucrum, sed tātum ob ipsum Deū, qui pignus est sanctorum preciosissimū. Hoc idē argumentum, ꝙ dæmō domino proposuit multis christianis in articulo mortis obiicit. Nō turcis nec infidelibus (quia nō credit iam iudicatus est) nec malis christianis, qui in mortali peccato ab hac vita decedunt, argumentum hoc facit, sed eis qui boni & recti videntur esse christiani, quiq; diuina mandata seruant: qui tamen in primo principio hoc est in amore diuino deficiunt. Quando angeli omnia opera tua corā tribunali Dei manifestauerint, exit protinus dæmō à latere vt ea labefactet dicēs, Nunquid gratis timuisti Deū? Librabūtur etenim bona tua opera ipso fine quem in illis faciendis habuisti. Sichē & Emor filius eius circūcisi fuerūt, sicut Iob & filij sui: quod quidem opus etiā si sanctū & iustū videretur, quia isti gentilitatē deserebāt, & populo Dei coniungebātur, nihilominus tamē hæc circūcisio nullius fuit valoris & momēti: quia hoc sacramentum nō acceperūt propter Deū & ipsius amorem, sed propter suam vtilitatem & emolumentum. Dixerunt quippe populo suo: Substantia eorum & pecora eorū, & cuncta quæ possident nostra erunt. Quodquidē opus cū bonū & sanctum esset, ob finē quē in ipso habuerunt nullius fuit valoris, quādoquidem proprium lucrum potiùs quærebant, quā gloriam & honorem Dei. Multi sunt, qui iudicio & arbitrio nostro iusti & sancti videntur: qui forsitan coram diuinis oculis qui hominū corda & cogitationes nouerunt, nullius sunt meriti. ¶ Attende obsecro, quòd nō tibi præcipimꝰ, vt sanguinē tuū fundas, nec in fornaces ardentes te conijcias, nec vt ieiunes quousq; in infirmitatem & ægritudinē labaris in lectum, nec volumus, vt teipsum interficias: sed potiùs, vt viuas & tuæ saluti consulas, id tamen volumus & præcipimus vt hæc opera bona, q̄ facis vel ductus consuetudine, vel solū ob hoc, quia tibi Deus gloriā donet, hæc inquā solum propter ipsum Deum facias, & quia ipse vult, nec propriū cōmodum respicias. Respondeas obsecro, si filius aliquis iussis & voluntati parentis sui obediret, nō propter castum & filialē amorē, sed ne illum in morte exhęredaret, & vt in illius patrimonium succederet: nōnè talis filius meritò à parēte exhæredaretur? Benè vtiq;. At si alius filius parenti suo obediret & eum diligeret solum paterno amore ductus, nec ad rem & supellectilem patris oculos cōiiceret, nōnè pater optimò iure suorum bonorum potiorē sortem huic filio donaret? Meritò quidē. Cui obsecro pater rem suā vult & bona, nisi filio, qui ipsum diligit? Quem obsecro Deus exhæredabit, nisi eum qui sui ipsius indulgētissimus est? Vbi lucrum inuenire putas, ibi iacturā facis: vbi vero iacturā facere existimas, inde lucrum reportas. Si Deo seruis, vt gloriam tibi donet, vtiq; gloriā amittis: si autē illi seruieris propter seipsum, vtique gloriam lucraberis. Quærens tuum lucrum, illud amittis: illius autem oblitus, id lucraris. Minimo labore plurimum mereri posses, tu autem nō vis, nisi mille laboribus teipsum discruciare & nihil mereri. Insanus equidē es, cùm propter nullam mercedem laboras. Hoc studium tibi debet esse, vt omnia, quæ feceris, semper in Deum dirigas, & propter illius amorem facias, & quia ipse vult, & illi placet, & quia est hæc voluntas eius. Si autem peccasti pœniteat te tā sanctum dominū, tam bonū & iustū offendisse, cui potius seruire deberes, cùm ab illo tanta acceperis beneficia. Is dolor animam tuam debet affligere, & est præcipuum, quod plangere debes. Nōnne ratio postulat, vt id, ꝙ facis, cum homine, cum Deo etiā facias? Solet enim contingere vt amicū habeas, cū quo cōuerseris, & familiariter agis: à cuius latere nūquā velles discedere. Quid est obsecro quod tā familiariter cū illo agas, & semper illū comiteris? Est ne quia illius amicitia diuitē fieri putas? Respōdebis mihi hanc non esse causam, quia tu ditior & opulentior illo es: sed solùm quia homo sapiens est, cautus & prouidus à quo nihil aliud vis. Quid igitur est, quòd nō facis cū Deo idē quod cū amico. Quare illū nō vis? Quare illū nō diligis quare illum nō amplecteris, solùm propter seipsum: cū tā sanctus, tā pius, & misericors sit? Quid est quod hoc cū homine facias, qui mille imperfectionibus est plenus, cū solùm in illo videas vestigiū & vmbrā bonitatis diuinæ, at cum ipso Deo, q fons est perennis totius bonitatis atque virtutis hoc

Leui. 17.
Iob 1.
Ioan. 4.
Gen. 34.
Scopus & finis nostrarū actionum.

hoc nõ efficis. Iustum equidẽ & æquũ est, vt Deus propter seipsum diligatur. Et quemadmodũ pœniteret te si aduersus amicum deliquisses, solùm quia amicus tuus est, nõ autem ꝓpter vtilitatẽ, quam ab illo speras: sed quiá amicitiam & cõsuetudinem suã amisisti: ita cum flagitiũ aliquod cõmittis, maxima pœnitentia animũ tuũ subire debet, q̃ tã bonũ & pium Deum offendisti, & quia à tã sancta & diuina familiaritate priuaris. Omne tuũ studium sit solum Deum diligere ꝓpter seipsum, & illi soli placere. Et id tibi maximè est curãdum tui ipsius amorẽ & indulgentiã à corde tuo euellere, & diuinum amorem in eo serere: ita vt si per impossibile daretur ꝙ in beatitudine esses cum sanctis diuina essentia fruẽs & Deum offensum habens: aut in inferno omnes cruciatus, damnatorum ferens, potiùs debes eligere in inferno esse, & Deum nõ offendere: quã in cœlo, dùm tamen aduersus illum sis peccaturus. Quocirca beatissimus ille pater Anselmus in libro de similitudinibus domino Deo dicebat, Mallem purus à peccato & innocẽs gehennam intrare: quã peccati sorde pollutus cœlorũ regna tenere. Digna quidem verba tãto & tã sãcto viro. Loquitur enim vt vir perfectissimus & in obsequio Dei veteranus. Infernus tuus futurus est Dei offensa: gloria autem tua Deo placere. Id semper à domino anxia sollicitudine tibi petẽdũ est: vt nunquã illum offendas, & vt mittat te quo ipse voluerit, nã dũmodo volũtas eius hæc sit, vbicunq; gaudẽs & lætus debes esse. Infernum eatenus timere debes potiùs cũ scias, quòd omnes ibi habitãtes inimici sunt Dei, quã, vt caueas ꝓpriam tuã pœnã. Gloriã desidera, sed potius cũ scias, quòd oẽs q̃ ibi sunt amici sunt Dei, & nũquã beatitudine destituẽtur: q̃ vt propriam trãquillitatem & quietẽ optans. Beatitudinẽ autem summopere cupere debes, quia qui in cœlo sunt confirmati sunt in gratia, & certi, ꝙ nunquã Deũ offendent. Quocirca ex aduerso hãc vitã odio habere debes quãdoquidem tã parata est, vt aduersus Deũ possis delinquere. Et deniq;, vt cõcludã, hæc, quæ modo agimus semper mẽte tua reuoluere debes, & quod domin⁹ dicit ꝓpter filiũ hominis. Nã vult vt omnia tua opera pro Christo facias. Hoc est fundamẽtum totius meriti: nã etiãsi plurimos labores patiaris, si plurimis ieiuniis & aliis rectis operibus teipsum discrutiaueris: dummodo ea non pro Christi amore facias, iã omnia nullius valoris sunt nec momẽti. In hoc quippe cõsistit tuorũ laborum meritũ. Sic Christ⁹ cũ de laborib. sermonẽ ad apostolos habebat, semper causã meriti addidit, Vt cũ dixit, beati q̃ psequutionẽ patiuntur propter iustitiã, & subdidit, Et psequuti vos fuerint ꝓpter me. Et iterum, Ad reges & pꝛsides ducemini ꝓpter me. Et rursus, Qui perdiderit animã suam ꝓpter me. Et idem inferiùs habetur apud nostrum Lucã, cum de contemptu sæculi loqueretur. Qui reliquerit domum, & patrẽ & matrem propter me. Et de psequutionib⁹ loquens dixit, Trademini ad reges & præsides ꝓpter nomen meum. De quib⁹ etiam loquutus apud Ioan. dixit, Sed hęc omnia facient vobis propter nomẽ meum. Vides ergo quomodo omnia mala, quæ pateris, vel quæcunq; bona egeris, propter Christi nomen & propter ipsum Deum faciẽda sint sine spe alicuius propriæ vtilitatis: Sed si statim mihi obieceris, quomodò Dauid, qui iustus & sanctus erat, dixit domino in Psal. Inclinauit cor meum ad faciẽdas iustificationes tuas in æternum, propter retributionẽ. Respõdebo tibi ꝙ hæc retributio ipsemet Deus est: pro cuius amore sunt omnia facienda. Sic olim Deus dixit Abrahæ, Ego merces tua magna nimis. Nam quicunque agit, agit ꝓpter finem, q̃ à nobis (Deus) in omnibus operationib⁹ nostris intendi debet. Sed credo plus quam in principio existimaui, meipsum extendisse vt autem gradum ad alia faciamus lege si placet Diuum Grego. pulchrè de hac re disserentem. Atq; ita nostrum euangelistam audiamus alterius progredientem. *Gaudete in illa die & exultate.* Gaudium illa sola delectatio est, q̃ rationem sequitur, ex qua delectatione resultat in appetitu sensitiuo motus exterior, q̃ dicitur exultatio, q̃ est passio eiusdem appetitus. Gaudium itaq; non in appetitu sensitiuo sed intellectu, nempe in voluntate suscipitur. Est enim motus voluntatis, q̃ non est volitio, sed passio siue affectus. Veruntamen inter gaudium & exultationem secundum ꝓprium significatum hoc interest, ꝙ gaudium est affectio animi dùm ad mẽsuram rationis lætatur, neq; vltra modum foras effunditur. Exultatio verò cum ita mouetur, vt exteriùs præcipuè in vultũ immodicè egrediatur. Illud igitur gaudium beatorum ex exuberãtia gaudium & exultatio nuncupatur. Ideò Dauid de vtroque dixit, Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Gaudete inquã interiùs dicit Christus propter stolã animæ, & exultate exteriùs, ꝓpter stolam gloriæ.

¶ Obserua autẽ, ꝙ solùm huic beatitudini additur gaudium, & exultatio: q̃ quemadmodũ in ea narrantur tot mala, ita accumulãtur bona, iuxta illud. Secundum multitudinem dolorum meorum cõsolationes tuæ lætificauerunt animam meã. Et etiam additur gaudium & exultatio ad demonstrandam gratiã spirit⁹ sancti cõferendam fore sanctis martyribus noui testamenti. Quia ergo sancti martyres nõ solùm virtutẽ patiendi, sed gaudendi & exultandi in tribulationibus accepturi erant, patientibus propter Christum dicitur, gaudete & exultate. Sic sanctissimi apostoli gaudentes ibant à cõspectu cõcilij, q̃ digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliam pati. Sic b. Laurentius in tormentis, Gaudeo (inquit) q̃ Christi hostia effici merui. *Ecce enim merces vestra multa est in cœlo.* Vides iam quomodo q̃ pro Christo persequutiones & labores patiuntur, non sine digna mercede & retributione maneant? Hic autem aliqua obseruanda veniunt. Primò, ꝙ in hac beatitudine nulla facta determinatione ponitur premium. Non enim sicut in aliis beatitudinibus ponitur aliquid certum pro premio: puta, ridete & saturari, vel aliud simile, sed dicitur merces vestra multa est in cœlis: vt hanc beatitudinem præ cæteris cõmẽdet, quam copiosa manet merces. Premiũ deniq; infinitum insinuat, q̃d huic beatitudini respõdet & meritò. Nam si iuxta Saluatoris testimonium, maiorem charitatẽ nemo habet, quã vt animam suã ponat quis pro amicis suis: nemo maiorẽ habet perfectionem quã is, qui pro Christo amico suo animam suã in discrimem ponit, q̃d quidem ad hãc beatitudinem cõstat spectare. ¶ Expende autem quod dicit in cœlo futuram esse mercedem, non in terra, quia Deus mundi amatoribus in hoc mundo stercora tribuit. Premium malorum in hac vita illis tribuitur: bonis autem in cœlo. Etenim boni nõ hac vita gaudent, quia merces eorum multa est in cœlo: mali verò hìc gaudent & lætãtur: nõ vult dominus in hac vita iustis retribuere his mundanis & vilibus diuitiis, que cũ stercora sint dominus Dei

Marginalia: Ansel. de similit. ca. 190. — Matth. 5. — Matth. 10. — Matth. 16. — Luc. 18. — Luc. 21. — Ioan. 15. — Psal. 118. — Gen. 15. — Greg. lib. 18. mor. c. 15. — Gaudium & exultatio quomodo differant. — Psal. 83. — Psal. 93. — Act. 4. — Ioan. 14. — Premiũ piorũ cœleste est, nõ terrenum.

fuibus eas tribuit, vt fuerunt Nero Domicianus, *Psal.72.* Commodus & alij his similes. Etenim diuinus vates ait, Ipsi potentes in sæculo obtinuerũt diuitias. Sed iustis non hîc sed in cœlo merces reposita est. *Esai.32.* Quocirca in persona domini loquutus Esa. de pinguedine & abundantia illius ciuitatis supernæ inquit. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ in requie opulenta.

Premiũ beatorũ inexplicabile. ¶ Obseruandum tertiò, ꝙ non qualiscunq; merces, sed multa & magna erit vitæ æternæ: ita vt pro paupertate momentanea, dabitur regnum æternũ, pro temporali fame, satietas opuléta: pro breui luctu, lætitia sempiterna, pro modica persequutione, gloria perpetua. Nam ait hîc dominus, Merces vestra multa & magna. *Genes.15.* Sic Abrahæ dixit, Ego merces tua magna nimis. Tanta enim sunt gaudia illius patriæ cœlestis, vt si vniuersæ mundi voluptates, q̃ fuerunt & quæ futuræ sunt, cùm illis compararentur nihil omnino erunt. Omnis mundi iucunditas si cum illa cœlesti conferatur, mœror, & luctus est: omnis suauitas dolor, omnis dulcedo amaritudo, omne pulchrũ & decorum fœdum & obscœnum iudicabitur. Tãta & tam magna est dulcedo futuræ *Aug. ser. beatitu. cœlesti.* gloriæ, vt dicat Aug. ꝙ si vnica tantum gutta cœlestis beatitudinis in damnatorum pœnis deflueret, tanta dulcedine repleret gehennam, vt nullum dolorem aut tormentum damnati paterentur. Et tanta ex diuina visione oritur delectatio, vt beati mallent esse in inferno, & conspicere vultum Dei, quã priuari hac visione, esse in cœlis. Ibi enim (vt inquit *1.Ioan.3.* Ioan.) similes ei erimus. Et Paulus etiam, Tunc co- *1.Cor.13.* gnoscam, sicut & cognitus sum. Leuabimur enim *1.Cor.2.* in tantã celsitudinem & maiestatẽ: quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽ- *Esa.64.* dit. Nec minus habent altitudinis verba illa Esa. In lumine tuo videbimus lumẽ. Etenim diuina essentia vnitur per modum luminis & speciei intellectui humano. Res equidẽ summæ celsitudinis. Ibi enim sensus omnes replebuntur innumerabilibus delectationibus, non solùm secundum vota, sed longè vlteriùs quàm desiderari queat. Denique faciliùs multò explicari potest quod non est in cœlesti illa patria, quã numerare perfectiones, & diuitias quibus abundat & ornata est. Hæc est illa copiosa merces in cœlo reposita his, qui in hac vita breuem hãc tribulationem patienter tollerant.

¶ Vbi aduerte, quòd si merces est, mentitur is, q dicit operibus nostris nihil ex iustitia deberi. Imò sicut merces debetur operationi non ex gratia, sed ex vero debito: ita optimò iure gloria debetur benè *Spes premij minuit vim flagelli.* operantibus. ¶ Discamus itaq; ex hoc loco aduersa quæque & aspera æquo animo tollerare, memores huius copiosæ mercedis. Etenim si oculos conuertis ad breuitatem laboris præsentis, & ad magnitudinem retributionis, quam expectas, nihil laboriosum & aduersum in hac vita præsenti te multum vexabit. Tempus enim breue est (ait Paul.) & mer- *1.Cor.7.* ces copiosa dicit Christus. Hęc duo in omnibus laboribus tuis semper ob oculos constitue, scilicet tempus breue esse, mercedem verò copiosam. Quid obsecro agricolam cogit frigus & labores hyemis tollerare, nisi spes colligẽdi fructus in messe? Sic & mercator per varios casus, per tot discrimina rerũ, ad Indos nauigat, vt diuitias sibi comparet. Sic tu omnia mala vitæ præsentis æquo animo sustine, cõsiderãs copiosam mercedem tibi in cœlo esse repositã. Hoc equidẽ maximoperè solabatur Paulum in omnibus laboribus suis, cùm scribens Cor. dice- *2.Cor.4.* bat, Propter quòd non deficimus, sed licet is, qui foris est noster homo corrumpatur, tamẽ is, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non vidẽtur. Quę enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. *Secundũ hæc enim faciebant prophetis patres eorũ.* Exemplo prophetarum temperat rigorem tribulationis. Ac si diceret, Non est nouum quòd vos, qui serui mei estis persequãtur Iudæi, quia eãdem ob causam seruos meos prophetas sunt persequuti. At si illi qui non habuerunt exemplum cõstantes fuerunt in tribulationibus, vos qui habetis exemplum constantiores esse debetis. Nam sicut modo Iudæi persequuntur vos, ita patres eorum persequuti fuerunt sanctos & prophetas antiquos, scilicet Mosen, Aaron, Esaiam, Ieremiam, Michæã, Amos, Zachariam, Danielem, Ezechielem, & plurimos alios: sicut beatus Stephanus dixit eis in concilio. Dura ceruice & incircuncisi cordibus & au- *Act.7.* ribus, vos semper spiritui sancto restitistis. Pręterea sicut solet elephantibus ostendi sanguis, vt stimulentur ad prelium: sic Christus sanguinem effusum sanctorum prophetarum ostendit discipulis, vt eos alliciat ad tollerandum quæcunque aduersa illis euenerint. Perpende autem quòd Christus qui gloriam mundi contemnendam esse docuit, quatuor commendat & beatificat: quæ ex diametro mundo aduersantur. Mundus enim fœlicitatem constituit in diuitiis, voluptatibus, & gaudiis, & deniq; in honoribus: quæ omnia Christus hîc damnat. Aduersus diuitiarũ amatores inquit, Beati pauperes quoniã vestrum est regnum Dei. Aduersus eos qui delicias summam fœlicitatem iudicant, inquit, Beati q nunc esuritis. Contra eos qui iocis & conuiuiis indulgẽt dicit, Beati qui fletis. Et deniq; aduersus eos qui honores ambiunt: & mũdanos sumptus & dignitates, sic inquit, Beati eritis cũ vos oderint homines, &c. Sed ad maiorem commendationem harum beatitudinum condemnat etiam vitia eis opposita. Ait igitur, *Veruntamen væ vobis diuitibus qui habetis consolationem vestram.* Væ in scriptura sacra (vt Greg. testatur) sæpius de æterno luctu, potiùs quàm *Greg. ho. 9. super Ezec.* de præsenti solet intelligi. Vnde Esai. ait, Væ impio *Esa.30.* in malo, retributio enim manuum eius fiet ei. Et *Iob 10.* Iob, Si impius fuero væ mihi, &c. Quasi per antithesim quatuor promissionibus quatuor apponit *Væ æternum insinuat dolorem.* comminationes, sicut quatuor beatitudinib. quatuor virtutes cardinales posuit correspõdentes. Nã *Vide Ambr. lib.5. in Luc. c. de sermone Dom in mõte tom.5.* paupertas temperantiã gignit, esuries iustitiã, luctꝰ prudentiam, & cõtemptus fortitudinem. Sic modo quatuor comminationes apponit quatuor vitiis correspondentes. Primum, væ, facit contra cupiditatem diuitum, quod opponitur paupertati & virtuti tẽperantiæ, dicens, Vę vobis diuitibus. Secundum est cõtra voluptatem epicuræorum, quod opponitur famitie iustitiæ: cũ dicitur, Væ vobis q̃ saturati estis, quia esurietis. Tertium væ contra vanitatem lætantium, quod opponitur luctui & pruden- *Prou.13.* tiæ cùm dicitur, Væ vobis, qui nũc ridetis, quia flebitis. Quartum væ est cõtra mundi placentia quæ opponuntur mũdi maledictionibus, & fortitudini, cùm dicitur, Væ cùm benedixerint vobis homines. Et si beati sunt pauperes, vt Christus hîc inquit,

[*Prouer.13.*] væ amatoribus diuitiarum. In Prouerbiis habetur. Est quasi diues cũ nihil habeat, & est quasi pauper cum in multis diuitiis sit. Si beati sunt esurientes: væ epulationibus, & qui se cibis & vino ingurgitant. Vnde in Prouerbiis dicit, Noli esse in cõuiuiis [*c. potatorũ.*] peccatorũ, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt. Si flentes sunt beati: [*Iaco.5.*] væ gaudẽtibus & ridẽtibus. Iacobus enim ait, Plo- [*Ibidem.*] rate & vlulate in miseriis vestris. Si beati patientes, væ impatientibus. Et idem Iacobus, Ecce beatificamus eos qui sustinuerũt. ¶ Obserua autem quòd in his benedictionibus & maledictionibus est quędã similitudo & correspondentia inter nouã & veterẽ legẽ. Deus etenim cùm dedit legem Mosi, dedit etiam benedictiones, & maledictiones, nã iussit vt essent sex tribus in mõte Garizim: ad benedicendũ: & sex alias tribus in mõte Siebal in ingressu terræ Canaam, ad maledicendũ. Et in vigesimo septimo [*Deut.27. & 28.*] capite Deuteronomij inuenies maledictiones & in sequenti benedictiones, Christus autẽ verus Deus, qui dedit legem Mosi eũdem ordinẽ tenuit & modum, præbens nouã legem: quia posuit & cõstituit benedictiones obseruatoribus legis, & maledictiones eam violantibus. Nã sicut pauperes sunt benedicti, ita vos diuites maledicti: & sic de aliis bene- [*Va, hic, non imprecatio est sed prædictio.*] dictionibus & maledictionibus. ¶ Expende etiam quòd istæ maledictiones nõ fuerũt positæ per modũ imprecationis, sed per modũ prænunciationis: nã imprecari pertinet ad eos, qui malè volunt & inferre non possunt, & ideo petunt inferri ab illo qui potest. Hoc autem nõ conuenit Christo qui Deus [*Sapient.11.*] erat, & ipse neminẽ odit, sed omnia diligit: & si alicui vellet malum inferre protinus inferret, quia à nemine potest impediri, & sic nõ deprecaretur. Væ autem comminatio, est æterna, qua deterrere vult Christus huius sæculi amatores, vt quærant cœlestia, & cõculcent terrena. Nullum nõ lapidem mouet, vt legem Dei obseruemus, tum benedictionibus, sed superba mens nostra neque blanditiis, nec terroribus mouetur. Præterea ne putarẽt homines posse peccare impunè in occulto, ponit maledictiones, quia vt in publico non delinquas, magistratus statuit. Prima itaque maledictione diuitibus maledicit: non omnibus sed tantum illis qui diuitias tãquam Deum colunt, & eis seruiunt, atque ideò di- [*Consolatio diuitum via ad cruciatum.*] ctum restringit dicens, Qui habetis hic consolationem vestrã: Talis enim consolatio via est ad æternũ cruciatum, sicut è contra tribulatio præsens, est via ad æternam consolationẽ. Vnde Abraham dixit diuiti epuloni existenti in inferno, [*Luc.16.*] Recordare quòd recepisti bona in vita tua, & Lazarus mala, nũc autem hic cõsolatur, tu verò cruciaris. Sunt in hac vita diuites huiusmodi velut pecudes quæ ad iugulũ adducuntur, quæque in vetita pascua ingredi possunt, cùm iam in illis appropinquet mors. Pascuntur mali flores huius vitæ, & ad libitum comedunt & bibunt, & in vitiis, & peccatis, quæ lex domini vetat, vitam degunt. At carnifex inferni non procul est, vt eos ducat in iugulum & interitum. Morientur & nihil eorum inuenient, quibus hìc oblecta- [*Psal.75.*] bantur, iuxta illud Psalmi, Dormierunt somnũ suũ & nihil inuenerunt viri diuitiarũ in manibus suis: Aptè quidẽ & appositè dicit quòd dormierũt somnium: quia eorum gaudium est simile consolationi [*Esaie 29.*] somniantiũ, de qua per Esaiã dicitur, Sicut somniat sitiens bibit, & postquã fuerit expergefactus lapsus adhuc sitit, & vacua est anima eius: sic erit, &c.

Quapropter in alio loco ait ipse Dauid, Velut som- [*Psalm.72.*] nium surgentium domine in ciuitate tua, imaginẽ [*Diuitiarum inconstantia, & vanitas.*] eorum ad nihilum rediges. Optimè dicit imaginẽ quia sicut somnians non videt res, sed imagines rerum, & tamen credit se videre res: ita diuites credunt se habere diuitias veras, cùm tamen non habeant nisi imagines, siuę phantasticas diuitias. Pręstigiatores artibus suis efficiunt: vt tibi appareat hortus amœnissimus arboribus & fructib⁹ plenus: tu verò attingis ramum, vt fructus colligas, & nihil inueniens, iudicas statim omnia illa vanitatem esse & sola apparentia fallere, cùm reuera nihil ibi sit. Ita nimirum sunt omnia hęc mundi præsentis, quæ oculi nostri intuẽtur, quę nihil aliud sunt nisi somniũ & vanitas. Cui obsecro existimas esse diuitias [*Similitu.*] diligitque: nisi illi, qui in sinu suo serpentes nutrit: qui posteà illum essent interfecturi? Ita tu calore cupidinis diuitias nutris & auges, quæ viscera tua comedunt, conscientiam rodunt, suffocant spiritũ, & salutem animæ tuæ in discrimen ponunt. Adeò vt Christus dicat, væ tibi. Ideò beatus Iacobus, Lu- [*Iaco.4.*] gete diuites, & estote miseri: quia risus vester vertetur in luctum & gaudium in mœrorem &c. Sequitur iam secunda maledictio secundæ benedictioni respondens, *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.* Nã sicut Paulus Romanis scribit, Si secundum carnem [*Roma.8.*] vixeritis moriemini: Sicut enim beatitudinibus [*Gula mala & premia.*] posuit premia correspondentia, sic vitiis oppositis posuit pœnam correspondentem. Vnde in Sapien- [*Sapiens.11.*] tia habetur, Per ea, quæ quis peccauit, per ea & punietur. Ideò quicunque epulo fuerit, seq; cibo meroque impleuerit accutissima fame posteà torquebitur. Docetur hìc gulam fugere, & abstinentiam [*Genes.3.*] amare: ne in tantam calamitatem incidamus. Cibo [*Genes.25.*] enim vetito primus homo cecidit. Cibo Esau ven- [*Exod.32.*] didit progeniturã, & populus Iudęorum dũ immo- [*1.Cor.10.*] derato vsus fuit cibo vitulũ cõflauit. Sedit enim totus populus manducare & bibere, & surrexerũt ludere: id est, idololatrare. Nam verbum ludere sæpè [*Acceptiones verbi ludere.*] in scriptura sumitur pro idololatrare, aliquãdo pro occidere: aliquãdo idẽ valet quòd habere rẽ cũ muliere aliqua. De primo legimus in Genesi Sarã vidisse [*Gen.21.*] filium suũ Isaac ludentẽ cum Ismaele: quare dixit dominus Abrahæ, Eiice ancillam & filium eius. In Hebræo est verbum mezacle, quod æquiuocum est: significat enim occidere & idololatrare. Voluit nãq; Ismaël idolis quæ ex luto fingebat, adducere Isaac ad idololatriam. Occidere autẽ significat in secũdo regum cum dicitur, Surgant pueri, & ludãt coram [*2.Reg.2.*] nobis id est occidant: nã statim sequitur ibidẽ, Surrexerunt duodecim de Beniamin ex parte Isboseth filij Saul, & duodecim ex pueris Dauid: apprehensoque capite comparis sui defixit gladium in latus contrarij & ceciderunt simul. Quod etiam accipiatur vt idẽ sit quòd rem habere cum muliere, habetur in Genesi vbi dicitur, quòd Abimelech vidit [*Genes.26.*] per fenestram Isaac ludentem cũ Rebeca vxore sua, id est, coëuntem. Quare accersito Isaac dixit ei Abimelech. Perspicuum est quòd vxor tua sit, cur mentitus es, eam sororem tuã esse, igitur cum populus sedisset manducare & bibere surrexit idololatrare, vt in eodem capite satis apertè dicitur, quòd ludus hic sit idololatria. Quòd non ex alio processit nisi ex nimia crapula, & ingluuie. Multa enim mala oriuntur ex vitio gulæ: Cumque diabolum non lateat, plura quotidie ex hoc vitio pullulare mala, frequẽter gula nos tentat: imò legẽ mundo tulit de ebrieta

ebrietatibus & conuiuiis faciẽdis:& hãc inter honores retulit sanctionem, vt crescente nobilitate & auctis redditibus crescãt magis lauta & opipara ciborũ genera: *Luca.21.* adeò vt inter præcepta nobilitatis vnũ & id præcipuum sit gula. Cùm dominus multò aliter inferiùs moneat dicens, Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Si dixisset, corpora vestra, perspicuum esset, fuisse loquutũ de infirmitatibus corporis, quæ ex nimiis cibis oriũtur, *Eccle.37* iuxta illud Sapientis, In multis escis erit infirmitas. Sed dixit, ne grauentur corda: quia non solùm ex gula mortẽ corporis subit homo, sed etiam ipsius *Hebr.12.* animę. Quod in Esau & Iudęis manifestissimo exẽ*Exod.32.*plo perspici potest, qui idololatrantes corã vitulo saltabant dicẽtes, Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Maxima igitur Christiano habenda est ratio de temperãtia. Etenim ea est quæ cibo & potui fræna imponit: vtpotè quæ sit totius hominis tam animæ quã corporis rectissimum institutum, & saluberrimum medicamẽ: contra verò *Iudi.16.* gula mors est tam animæ quàm corporis. Epulãtibus quippe Philistæis & lætantibus, cecidit mors, *1.Reg.2.* super eos. Nolebant filij Heli carnes coctas ab offe*1.Reg.14.*rẽtibus accipere, sed crudas vt eas sibi lautiùs præpararent qui miserè & infœliciter in bello fuerunt interempti. Ionathas etiã quia cõtra mandatũ patris parum mellis comedit, occisus esset à patre nisi populus ei impedimẽto fuisset. Quocirca cum sci*Iob.1.*ret sanctissimus Iob multa in ebrietatibus cõmitti peccata, idcircò postquam epulati essent filij eius consurgens diluculo offerebat holocausta per singulos dies: Dicebat enim, Ne fortè peccauerint filij mei. Vide obsecro quanta mala ex nimiis epulis proueniant: sed qui hîc potationibus & conuiuiis se tradiderint esuriẽt posteà in æternum. Nunc autem iam in textu tertiæ benedictioni ponitur tertia calamitas. *Væ vobis qui ridetis nũc, quia lugebitis & flebitis.* Non de quocunq; risu sed de immoderato & de inepta lætitia loquitur. Etenim non decet virũ, qui sistendus est coram seuerissimo Dei iudicio inani risu suam stultitiam patefacere: nam posteà talis, & huic similes lugebunt & flebunt. Nam si recordarentur homines quæ lamenta & planctum facturi sint cũ tot cruciatibus in inferno torquebuntur ob peccata, quæ hîc patrarunt: non vtique tam læti & alacres vitã agerẽt: porrò cũ dicit lugebitis, de exteriori dolore loquitur: & cũ dicit flebitis de interiori vlulatu inferni intelligit, quia interiùs nimiò dolore, & exteriùs multitudine pœnarũ dolebunt & *Vigilia festorum aut sanctorum quare instituta.* tristabuntur. ¶ Discamus ergo, falsa mundi gaudia contẽnere, & lachrymas pro peccatis fusas amare: vt in hac vita anima tua lachrymarum tuarũ riuis irrigata tanquam mundissimũ speculũ sine macula in vltima illa die appareat. Attẽde obsecro per Christi amorẽ ꝙ in hac vita rident in ventura ambobus oculis lamẽtantur: qui verò hîc lugẽt, ibi gaudẽt & lætantur. Nã si hîc festum celebrare vis, ibi vigiliã habebis, & si hic vitã in risu transegeris, in inferno *Iob.3.* eris in luctu. Recordare sanctissimi Iob dicentis, Antequam comedam suspiro. In festis sanctorum priùs celebratur vigilia quàm festũ: nã ipsi priùs ieiunarunt & luxerunt, posteà verò gauisi sunt: multò aliter fit in mundo, nam priùs homines in caupona comedunt & bibunt, posteà verò symbolũ exoluũt. Ita quidem etiã si nunc comedas, bibas & gaudeas: posteà mors arctissimam rationem exiget omnium gaudiorũ tuorũ. Carè nimis nunc emis risus quandoquidẽ posteà pro illis, gemitus exolues æternos. Amara sunt omnia gaudia mũdi, quibus respõdent æterna tormenta. Ideóq; cauendũ tibi maximè est quòd etiãsi modo iners & incautus comedas, & rideas citò mors adueniet exactura rationem vbi nõ sine fœnore hæc omnia gaudia exolues. Etenim etiamsi in mensa huius vitæ multa comedas, nullã tamen habens rationem solutionis: nõ ideò hospes obliuiscetur omnes sumptus, vt eos exactè numeret & scribat, & vt nihil insolutũ maneat. Quocirca si hæc attentis oculis considerasses, nõ tot sumptus faceres: nec tam laxis habenis, in omnia vitia viueres, quia verò nunquam tecum reuoluis, diem esse vltimum, in quo de omnibus factis, & de minima etiam cogitatione rationem es redditurus, tã excessiuos & superfluos sumptus facis, quos nunquã in inferno satis exolues. Quẽadmodum enim boni in hac vita lugent, posteà verò inter sanctorũ choros delectantur & gaudent: sic mali in hoc mũdo suas voluptates & gaudia quærunt, vt posteà nõ superæt eis nisi luctus & planctus. Nunquam inuenies in tota sacra pagina Christum redemptorem nostrum risisse, at inuenies multoties plorasse. Vagiuit in præsepio, planxit in resurrectione Lazari, lamentatus est super Hierusalẽ, & lachrymatus est *Ioan.11.* in cruce, & deniq; tota eius vita cõtinuus luctus & *Luc.19.* carnis afflictio fuit. *Matth.18.* Etenim ipse est, qui ait, Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnũ cœlorum. Pueri quippè non alia arma habent aptiora, quibus se defendere possint, quàm lachrymas: nam quidquid mali puero intuleris: statim fundit lachrymas. His opus est armis, vt teipsum tuteris ab infernis lamentis. Nã Pharao aquis fuit obrutus & dæmon ipse lachrymarum aquis destruitur. *Exo.14.* Vana igitur sunt gaudia vitæ hui' præsentis, iuxta illud Sapientis, Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis: *Eccle.2.* Potiùs elegit Moses cũ populo Dei affligi, *Exod.2.* quã participem esse terreni gaudij, & ideò dixit se non esse filium filiæ Pharaonis. *Hebr.11.* Si igitur iustorum lachrymę conuertuntur in gaudiũ, *Ioan.16.* & omnis vana voluptas in luctum: potiùs est in solitudine plãgere, quã in principum domibus ridere. Iam sequitur quarta maledictio. *Væ cùm benedixerint vobis omnes homines.* Id est, cùm laudauerint vos, si inaniter gloriemini. Adulatio enim nutrit peccatum: Quia sicut oleum missum in flãmam, igni est fomẽtum, ita adulatio culpæ. Laudatur (inquit Dauid) peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus *Psalm.9.* benedicitur. *Esaia 3.* Et Esaias, Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. *Matth.26.* Iudæi velabant faciem domini, & salutantes dicebant, Aue rabbi. Sic adulatores laudando excæcant. Cæcus enim benè audit, quod illi dicitur, sed non videt quid mali ei inferatur. Sic ille qui decipitur, adulationẽ audit, sed non videt quantum malum illi proueniat. In pœnam namq; multorum peccatorũ sæpè permittit Deus, quòd scelera nõ solùm nõ arguantur, sed quòd laudentur. ¶ Obserua autẽ quod nõ simpliciter dixit, *Multorũ aut plurium laudes parũ curandæ.* homines, sed omnes homines, quia malum non est à bonis hominibus benedici: at malum est benedici à malis, qui non nisi mala laudare consuescunt. Quo quidẽ loco discere te oportebit, vt humanas laudes nõ sitias, nec peccatorib' laudari velis: memor beatissimi Pauli ad Corinthios dicentis, Mihi *1.Cor.4.* autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: qui autem me iudicat dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quousque veniat

niat dominus, qui illuminabit abscōdita tenebrarum:& manifestabit obscura cordium. Tunc laus erit vnicuiq; à Deo. Quocirca nullo modo impiorum laudes quæramus sed bonorum. Etenim cùm Achillis sepulchrum Alexander videret, ô te fœlicē iuuenē (inquit) qui talem meritorum tuorum meruisti habere præconem. Fœlicissimus item Ioānes *Matth. 11.* Baptista fuit, cuius laudes ipse Christus mirabilibus encomiis prædicauit. Nō quæras ab impiis benedici: nam statim homines suspicātur (& id meritò) similem laudatori esse laudatum. Etenim mundus huius est naturę & cōditionis, vt sui similes diligat. Idē enim est turpiter laudari à turpibus, quā laudari ob turpia: propter quòd (vt ait Dauid) homines à Deo deseruntur. Vt quid domine (inquit) *Psal. 9.* recessisti longè? & respondens inquit, Quoniā laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Et hoc quidem potentum maximum est discrimen: hoc attestante propheta, qui cupiens ab hac peste liberari orabat dicens, Saluum me fac domine, quoniam defecit sanctus, & diminutę sunt *Psalm. 11.* veritates à filiis hominum. Ideóque cum ab impiis maledictus fueris gaude: & hæc verba Christi memoria nunquā excidāt, si ab aliquo maledictis, vel probris fueris cæsus. Væ cùm benedixerint vobis homines. Multi enim sunt qui de te multa bona prædicēt: nec ægrè feras, si ab omnibus nō benediceris. Etenim de Christo, cuius os nunquam nouit mendaciū, multi multa bona prædicabant: alij verò *Ioan. 9.* mala. Quid igitur est, quòd tu cū tu mille sis flagitiis coinquinatus, ab omnibus laudari velis? Nosce teipsum, & attēde quòd dignus sis ab omnibus vituperari? Vnde nec mirari debes, si aduersus te aliqui murmurant: sed potiùs suspicionē de te cōcipe cùm laudatus fueris, id meritò fiat, nécne. ¶ Disce tandē ex his maledictionibus diuinum iudiciū timere: quia Christus ea etiā seuerissimo, & terribili iudicio, quæ homines iudicant vix esse mala condemnat. Quo igitur obsecro rigore ea damnabit, quæ grauissima sunt, & turpissima scelera? Etenim nō inquit Christus, Væ latronibus, væ homicidis, væ sodomiticis & adulteris: sed væ diuitibus, væ qui ridetis, vę qui saturamini, & qui gloriam & vanam hominum laudem cupitis. Quid de grauioribus criminibus & delictis faciet, si ea quæ ferè nulla putantur, æternis punit suppliciis? Sed vt omnia dicta breuibus complectar verbis, in hoc miserādo exilio (quòd ecclesia sancta lachrymarū vallem appellat) semper plora: pœnitētiā age, gaude in aduersis & calamitosis, noli mūdi fluxā & ad triduū perituram laudē quærere, ne æternos cruciatus experiaris, & q̄ peius est, ne æterna fœlicitate & beata illa visione, quæ angelicas mentes satiat & replet, destituaris. *Secundū hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorū.* Hęc omnia, quæ hic dicit cū his, quæ superiùs dixerat cōueniunt. Nam quēadmodum singulis benedictionibus singulæ maledictiones respondebant: ita etiam nunc (vt cùm finiuit benedictiones dixit secundum hæc faciebāt prophetis patres eorum) eodem modo ait, secundum hæc, id est, laudando mala faciebāt falsis prophetis patres eorum. Progenitores eorum bonos persequebantur, atq; ideò in benedictione persequutionum bonorum dixit, Secundum hæc faciebant prophetis, eos persequendo. Et quia malos & impios laudabant post hanc maledictionē dixit in hoc loco, quòd hęc faciebant pseudoprophetis, quia malos prophetas & impios laudabant. Hoc mūdus facere cōsueuit bonos persequēdo: & prauos exaltādo. Sic egregius Psaltes in Psalmo ait, Quoniam laudatur peccator *Psalm. 9.* in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Vos autem ô discipuli mei nolite pauere: nam hæc est malorum inueterata cōsuetudo, & non aliquid nouū modo inuentū. Hæc omnia volui vobis prædicere: vt parati sitis, eos enim minus iacula feriunt, qui prouidi sunt, incautos verò interficiunt. *Sed vobis dico qui auditis.* Rhetorū & oratorū obseruatissimus est mos, vt cū velint de aliqua præclara re dicere, priùs attentionem postulēt. Cuius præcepti omniū rhetorū magister Christus nō immemor, attentionē captat. *Esaia. 1.* Sic Esaias volens populo Iudæorū magnalia Dei prædicare dixit, Audite cœli & auribus percipe terra: quia dominus loquutus est. Quādo loquitur rex omnes simul silentiū tenent. Audiant igitur omnes regē regum & dominū dominantiū altissimā & diuinam Theologiā, quā insanus & stultus mūdus, nunquā cognouit. Præstent cœli attentionē, sol, luna, stellæ, elementa, & omnes insensibiles & irrationales creaturæ: & præ cæteris omnib⁹ ipse homo aures corporis & animæ aperiat & summa attentione Deū suū loquentē audiat in cōmodū & vtilitatē suā. Cū homine loquitur, & hæc diuina & mirabilis doctrina ad ipsum dirigitur, qui nō loquitur ore prophetarū aut sanctorū suorū, sed ipse proprius filius Dei doctrinā euangelicam promulgat. Etenim cùm dicit, Sed vobis dico, magnam emphasim ostendit: Nō enim dicit, hæc dicit dñs sicut prophetæ: sed ego dico tāquā Deus, qui authoritatē habeo cōdēdi legē, qui sapientiā nō ab aliquo accepi, qui æternus sum, & ab ęterno plenus sapiētia. Hoc verbo, dico, maximā suam authoritatē & maiestatē ostendit: & simul suæ doctrinæ valorem. Quocirca in Matthæo dicitur, quòd cum consum- *Matth.* masset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Docebat eos sicut potestatē habens, & nō sicut Scribę & Pharisęi: Ideóq; arrectis corporis & animæ auribus audiamus Christū nobis loquentem, *Diligite inimicos vestros.* Hæc est doctrina mirabilis prolata ab ipso filio Dei, vtilis quidem & necessaria saluti animæ nostræ: & conducentissima ad gubernationem mundi, & ad stabilitatē reipublicæ. *Inimicorum peccata odisse licet non personas.* Sed ad explicationem eius accedamus. Et in primis animaduertendum quòd inimicus dupliciter potest considerari. Primò considerando malitiā, qua te persequitur, quā odio prosequi debes secundum quā beatitudinē ingredi non valet. Vnde Dauid, *Psalm. 118. Psal. 138.* Iniquos odio habui. Et alibi etiā dicit, Nónne qui oderunt te domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Secundò consideratur inimicus quantum ad naturam suam: & sic ad salutem animæ necessarium est diligere inimicum. Peccatum itaque odio prosequi debemus: natura verò diligenda. Nunc verò multo aliter fit: quia multi naturam oderunt, & peccatum amant. Nam si inter aliquos contigit, vt sint inimicitiæ & contentiones, hi ad malum faciendum amicitiam ineunt, similes sunt hi homini illi iniquo, quem dominus reprehendit dicēs, *Psalm. 49.* Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem sumebas. Nullum in mundo vnquam grauius fuit peccatum, quam innocentem Iesum morti tradere: ad quod perpetrandum Pilatus & Herodes conuenerunt, & amici facti sunt. *Matth. 27.* Vitium igitur inimici odire debes, naturam verò eius diligere. Nam inimicus habet nobiscum

nobiſcum quandá conueniétiam & ſimilitudinem in natura, ſecúdum quá peruenire poteſt ad beatitudinem: qui etiam capax eſt virtutis & gratiæ, per quá in cœlum téditur. Vnde à communi proximorú dilectioné nemo excludere poteſt inimicos, quæ delectio inimicis ſufficit, cùm etiá amicis ſufficiat. Nam ſpeciali affectu nó tenetur homo omnes homines diligere, quia impoſſibile eſt, id aliqué adimplere poſſe, cú multi ſunt, quos non cognoſcamus. Tenemur auté ex charitate generali dilectione omnes diligere: ſecundú quá quis omnibus vitá æternam deſiderat. Oportet auté vt animum paratum habeas ſemper, vt ſi neceſſitas occurrerit ſpecialiter vnumquemq; diligas, vt ſi in aliquo eſſet conſtitutus periculo à quo niſi per te poſſet liberari: ſed nó teneris ita familiariter cum eo agere, & opera ſupererogationis ei conferre, ſicut amico: niſi (vt iam dixim⁹) in aliqua extrema neceſſitate eſſet poſitus. Eum autem excludere non debes à cómuni & generali oratione, etiamſi familiariter cum illo non agas, nec conuerſeris, ſicut cú amicus erat. Ne auté his verbis fauere videamur multis qui cú odio proximos ſuos proſequantur loquelá & familiaritaté illis tollunt, quibus ſi dixeris, ꝙ inimicis parcant, reſpondent, ſe nihil mali eis cuperé & eos diligere ſed nolle eos alloqui. Vbi aduertere debes, ꝙ etiá ſi bona conſcientia benè poſſis cú inimico non loqui nec cum eo familiariter agere: hoc intelligi debet quando alterum horum nó interuenit, ſcilicet, ſcandalum.

Scandala euitanda.

Nam ſi cú illo nó loquédo (vt ſolebas) ſcandalum oritur in populo, & aliquid mali de te pręſumitur, teneris illum alloqui, & cum illo familiariter agens, ſigna amoris & beneuolentiæ debes illi oſtendere, & nó ſolùm illi, quem tu contumelia affeciſti, ſed etiam illi, à quo tu es affectus, etiamſi odio te ipſum proſequatur. Teneris quippè & lege naturæ & diuina vitare ſcádalum. Nam licèt tu iam illum inimicú diligas cómuni amore (vt diximus) & ſicut lex dilectionis præcipit: nihſlominus hoc latet vniuerſum populú, niſi ſigno aliquo exteriori loquens cum illo oſtendas illum non odire. Sicut quis habens concubinam, poſteà verò ab illa diſcedens, caſtè viuat obſeruans domini mandata, tenetur illá à domo eiicere, non ſolùm propter periculum, ſed etiá propter ſcandalú: qui etiam licèt eſſet in gratia confirmatus, teneretur illam expellere à domo: vt vitet ſcandalú, cú alij neſciant an ab ea diſceſſerit. Sic tu quamuis inimicú diligas teneris illú alloqui: nó enim ſatis eſt, vt diligas, ſed eſt opus, vt hoc ſciant alij: quòd illis cóſtare nó poteſt niſi te viderint cú illo loquentem. Vnde diuus Paulus, Si

1. Corin. 8.

proximus ſcandalizatur, nó manducabo carnes in æternú. Quéadmodum enim ſi videres aliqué, qui corá ſacraméto altaris genua non flectit, nec caput nudat, ſed terga verteret: vtiq; tu illú hæreticum & infidelé iudicares, quia nó oſtédit ſigna Chriſtiani, quáuis catholicus & fidelis eſſet. Ita tu ſi proximú nó alloqueris, quamuis eú diligas, homines tamen iudicabunt, te eú proſequi odio: quòd ſcandalú vitare teneris. Quòd ſi hoc ſacræ ſcripturæ appoſitiſſimo exéplo perpendere libet, repete ſecundú Ma-

2. Mach. 6.

chabęorú librum, Vbi Eleazarus cópellebatur edere carnes porcinas cótra legé Moſi, qui nó acquieſcens imperio tyranni voluerunt quidá vt aliàs carnes, de quibus licebat, comederet, ſub fuco & prætextu porcinæ carnis: qui comedere noluit, non ꝙ porcina eſſet caro, ſed vt ſcandalum aliorú vitaret. Nam licèt verè ſuinam carné non comederet: attamen putaſſent alij Iudæi eam comedere, & ſic ipſe cauſa eſſet ſcandali. Sic in præſentiarum, licèt proximú diligas, attamé opus eſt, vt exteriori opere id manifeſtes, ne contrarium ab aliis iudicetur. ¶ Secundò etiá illum alloqui teneris ratione fraternæ correctionis. Ná vnuſquiſq; in maxima neceſſitate, proximum tenetur corrigere, & quamuis inimico tuo exiſtenti in mortali peccato alij prædicent & amicitiam perſuadeant, non ita verè commouetur & conuertitur ad Deú, ac ſi tu illú eſſes alloquutus, qui offenſus es.

Nemo rectius inimicum curare poteſt quam ei benefaciendo.

Nemo enim eſt qui tá aptè inimicú curare poſſit, quàm inimicus ſuus. Scorpio acerrimus inimicus eſt muris, & hæc duo animalia maximè inter ſe cótraria ſunt: medicamentum autem præſentaneum morſui ſcorpionis eſt mus occiſus & apertus, poſituſq; morſui. Sic nimirum inimicus inimicum curare poteſt, ſi eum blandis & amicis verbis alloquatur, & coram eo humilietur. Quod exemplum Chriſtus ſanctiſſimus & benigniſſimus amicus etiam inimicorú ſuorum nobis dedit, qui corá ſceleratiſſimo Iuda genua flectens pedes eius lauit, qué ſciebat traditoré & inimicum ſuum eſſe.

Ioan. 13.

Vtiq; ſi impius vellet medicinã accipere benigniſſimè & clementiſſime oblata illi fuit, attamen cùm obſtinato eſſet animo, nihil illi profuit. Sic tu quáuis offenſus ſis, ex parte tua id facito, quod decet iuſtum & rectum virum. Ná ſi videres hæreticú plurimos in ciuitate decipiétem, dùm tamé ſcias quòd ſi eum fueris alloquutus: illum ab errore ſuo auertes, teneris ad illum ſub pœna peccati mortalis accedere, & illi conſulere. Pari igitur ratione, ſi ſcis & probabiliter credis, quòd inimicus tuus non peior & deterior fiet, ſed melior, ſi illum alloquutus fueris blandè & amicè, teneris illum alloqui, & coram illo humiliari, vt ſaluá facias animam proximi tui. Ex ſua namq; tecum inimicitia multi ſcandalizantur, & ſuo malo exéplo plurimos corrumpit: quòd ſi tu cum tua loquela id vitare potes, teneris illum monere. Non ſolùm illum diligere debes, ſed plura ſigna amoris ei oſtendere quàm amico.

Citius benefaciendú inimico quam amico.

Nam ſi aliquando amico beneuolentiá non captaueris, id incuriæ vel negligentiæ tribuet, quòd ſi id feceris cú inimico multi propter odium id facere putabunt: atq; ideò ratione ſcandali vitandi potiùs inimico, quàm amico amoris pignora debes oſtédere. Chriſtus redemptor noſter in cruce pendens, priùs pro crucifixoribus ſuis orauit, cuius exemplo diſce curam de inimicis habere. Extra hos duos caſus non ad ampliùs eum illis teneris, quàm ad generalem amorem & charitatem, quam etiam erga omnes proximos habes: nihilominus ex bono conſilio id deberes facere, quippè hoc opus eſt maximi meriti & perfectionis. Scio etiam quòd vltra hos caſus poteſt quis inimicis loquelam interdicere, ſicut pater filio, & prælatus ſubdito. Nam cùm prælatus peccatum ſubditi multis modis poſſit corrigere, poteſt etiam hoc modo, ſcilicet ſeuerum, & iratum vultum ei oſtendens. Sic fęcit Dauid cum filio ſuo

2. Reg. 1.

Abſalon, qui etiam ſi veniſſet in Hieruſalem faciem tamen regis duorum annorum ſpatio non vidit. Quomodo vir manſuetiſſimus hoc fecit? Et ita máſuetus & benignus, vt de eo Pſalmus canat, Memento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius, Et ita miſericors, vt etiam à Semei maledictus & lapidatus noluit vindictam ſumere: cùm potuiſſet Abiſai eum interficere. Qui etiam cùm à Saule

Pſalm. 131.
2. Reg. 10.

per

Reg. 24. & 26. perſequeretur,& bis ipſe Saulé poſſet occidere noluit; Qui igitur fieri poteſt,vt tam manſuetus homo,qui illatas iniurias tam virili animo tulit, filiũ ſuum non alloquitur? Vtique quia iudex eius erat & rex,& hac pœna filij culpã caſtigabat. At ſi rogites, poterit ne ſubditus cum prælato hoc facere, filius cùm patre, mulier cũ marito, aut inferior cũ ſuperiori? Minimè. Sed quid eſt quòd tu vel ſocrũ, vel fratrẽ tuum, vel vicinum non alloqueris? Etiã ſi tu offenſus ſis,tamen lex Chriſti ſuauis hoc vult,vt priùs eum alloquaris. Vter vtrum offenderat,Chri-
Ioan. 4. ſtus mulierem Samaritanã,an ipſa Chriſtum? Certum eſt mulierem illam Chriſtum offendiſſe, quia idolis deſeruiebat,& concubina erat, nihilominus tamen Chriſtus eam priùs alloquitur, & loquelam incipit,& dixit illi. Mulier da mihi bibere, Quod vtique fecit vt eam ad ſe conuerteret. Sic tu etiam ſi offenſus ſis, priùs inimicum debes alloqui vt eũ confundas, & conuertas: vt ipſe videns humilitatẽ tuam & virtutem ſeipſum etiam humiliet,& ſedet. Sed quid ad hæc tu inique dices, qui plures iam ſunt trãſacti dies & anni, ex quibus proximũ tuum non alloqueris? Ne obſecro cum Dauide teipſum excuſes,quia tu nõ iudex es proximi tui vt ipſe Dauid Abſalonis,qui pater ſuus erat iudex, dominus, & rex. Si illum diligis & bona ei deſideras: quare illũ nõ alloqueris? Eſtnè excommunicatus: quorum cõuerſatio ab eccleſia nobis interdicitur? quomodo tã exiguum cor, quod proximũ minimũ capere nõ poteſt,Deum tã magnum capiet? Qui creaturã non capit,quomodo capiet creatorem. Aſpidis veneno viſcera tua plena habens,& inimicus es Deo, quando fratrem tuũ odiſti & mendacio tuã nequitiam operire vis,cùm reuera illum odio proſequaris. Si illum diligis, alloquere eum: & bona opera illi facito,tuncq; clariùs apparebit quòd illum diligis: hominis quippè corda non nouimus,ſed ſignis exterioribus cognoſcemus à te eum diligi. O odiũ inimicitiæ deteſtandæ,quarũ inuentores vtinã dominus in profundum abyſſi detruderet,vt vel ſic tã
Odium inueteratum difficulter euellitur. ingens lues mundi concordiam nõ deſtrueret. Sed prôh dolor! nam plerumque iſti, qui has inimicitias gerunt nunquam in meliorẽ mentem redeũt, nec conuertuntur: atque ita tanquam bruta animantia intellectu carentia ſuis odiis inuoluti in ima tartara deſcendunt. Huius tam deprauati vitij non poſſum non mirari amatores: nam cùm in ſacro euangelio inueniamus libidini & luxuriæ deditos,auaritiæ,latrociniis,& multis aliis generibus vitiorum ad Chriſtum ſe conuertiſſe: Phariſæi tamen qui Chriſtum odio perſequebantur non ſunt conuerſi,atq; ita animo obſtinato in profunda tartara deſcenderunt. Maxima quidẽ difficultate odia euellũtur ab anima,& ferè omnes,qui in his cõtentionibus & iurgiis vitã agunt,tanquam lapides ſua duritiæ & põdere in profundũ inferni migrãt. Peccatores verò voluptatibus & carni dediti, vel iã in morte cũ caro vires perdiderit,ad Deũ conuertuntur,& pœnitentiã agunt, eodẽ modo ſuperbi, ambitioſi,& auari. Omnia hæc vitia ceſſant,minimè verò odiũ: quouſque in ſepulturã ipſum hominem
Cætera vitia in inferno ceſſant, excepto odio & inuidia. comitatur. ¶ Præterea in inferno vbi tot abũdãt tormentorũ genera,non ſunt deliciæ carnis, nec delectatio ciborũ,non auaritia,nec cupiditas diuitiarũ, ſed ſumma paupertas. Sed hoc peſtiferũ execrandũ vitium ibi etiã maximè viget, vbi proximi & Deus intrinſeco odio habentur à damnatis. Attende obſecro quàm malum ſit proximum odiſſe, quòd vitium cùm in vita nunquam eradicatur ab anima, ita etiã in morte & poſt mortem manet, quouſque in infernũ cum eo diſceditur, vbi ipſi dæmones in Dei odio obſtinati ſunt. Diligite ergo inimicos veſtros. ¶ Et prima ratio huius dilectionis ſit propter *Inimicus diligendus eſt propter beneficia quæ ipſe nobis confert.*
maximam vtilitatem, & commodum,quod nobis afferunt. Etenim ratio naturalis dictitat, vt homo eos diligat,qui bona ei conferunt,nã in beſtiis ipſis & feris animantibus hoc experimento cognouimus, canis enim muſico, & ipſe leo ferociſſimus benefactores diligunt. Igitur ſi ratio poſtulat vt benefactorem amore proſequamur,eadem lex poſtulat,vt inimicum diligamus: quãdo multa bona nobis impartitur. Plura bona ab inimico,quã ab amico ſuſcipis. Nam cùm amico ſimul cõuiuaris, bacchanalia exerces,aliorum famæ detrahis, & multa vitiorum genera committis: ita vt ipſe pallium ſit tuorum flagitiorum,& ſcelerum, cum vnà cum eo Deum audeas offendere. At inimicus ſtudioſum te efficit, cautum, & prouidum: nam ſi coram eo loqueris,quid dicas attendis,ne poſteà tibi detrahat: néue calumnietur. Et ſi forſitam cõcionaturus es, & aliquos inimicos ſcis ad concionem venturos in ſomnis totam noctem ſtudendo tranſigis, ne tuã ignauiam aduertant. Sed amici plerumquè ſtimuli ſunt,& calcaria, vt in peccata tendas: inimici verò tuorum peccatorum frænum. Quòd ſi attentiùs & cũ prudentia rem hãc volueris contẽplari,inuenies certè multa maiora bona ab inimicis,quã ab inimicis accipere. Quocirca benè & prudenter dicebat Socrates, hominem maximè indigere vero aliquo amico,vel crudeli inimico: nã amici (ſi veri ſunt) verum ſemper cõſulere debent: quia vero nos veritatẽ auſcultare nolumus, permittit dominus, vt inimicos habeamus, qui ea dicant & cõſulant nobis,quę amici nolunt,nec audent. ¶ Præterea inimici noſtri aptant & præparãt nos,vt in cœlũ eamus. Quocirca egregius vates dicebat, Benigne fac in bona volun- *Pſalm. 50.*
tate tua Sion,vt ædificentur muri Hieruſalem. Nõ *Inimici nos dirigunt ad cœlum.*
loquitur hîc propheta de ciuitate illa ſuperba Hieruſalẽ, quam ipſe incolebat: nã illa ciuitas fortibus munita erat muris: quos ſi nõ haberet, ibi erat Dauid, qui eos poſſet reædificare: ſed de cœleſti illa Hieruſalem loquitur, quæ patria beatorum eſt, de qua Apoſtolus ad Galatas inquit, Illa autem,quæ *Galat. 4.*
ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt,quæ eſt mater noſtra. Huius ciuitatis muri ſubuerſi erant angelorũ caſu, qui quidem reparandi & reædificandi erant ſanctis & immaculatis animabus,quæ in eã non aſcẽdiſſent,niſi filius Dei carnem aſſumeret,& mortẽ pateretur. Rogat itaq; Dauid vt carnẽ aſſumat noſtram,& homo fiat,vt miſericors, & benignus ſit, vt vel ita muri illius ciuitatis renouentur, & ſedes illæ perditæ reficiãtur & reſtaurẽtur. Vnuſquiſque igitur noſtrũ lapis eſt, quo muri illius ciuitatis reſarciendi ſunt. Ita nos beatus Petrus appellauit, cũ *1. Pet. 2.*
dixit, Et ipſi tanquã lapides viui. Quemadmodum igitur lapides priuſquã in altũ ædificiũ collocẽtur, multis inſtrumentis ferreis aptãtur vt quiſq; ſuo loco conueniat,ita etiã nos ſi volumus in altiſſimum gloriæ ædificiũ collocari,opus eſt vt in hac miſera lachrymarũ valle aptemur & præparemur multis laboribus & perſequutionibus,vt tãdẽ illi cœleſti ędificio gloriæ nõ lapides inepti nõ ſimus. Artifices igitur,qui ſuis inſtrumẽtis nos ad hoc ædificiũ aptãt, inimici ſũt: q iniuriis illatis & pſequutionib. aptos

nos

nos in cœlistę ædificiũ reddunt. Hanc rem cõtem-
plans sacrosancta ecclesia, quæ diuino spiritu regi-
tur & gubernatur in illo hymno, qui incipit, Vrbs
beata: loquens de cœlesti illa gloria Hierusalẽ dixit
de illis, qui eã ingressuri sunt, Omnis qui ob Chri-
sti nomen hîc in mundo premitur. At si interroges,
Quomodo hi lapides aptãdi sunt: Túsionibus, pres-
suris, expoliti lapides suis coaptãtur locis, per ma-
num artificis disponuntur, permansuri sacris ædi-
ficiis. Attende rogo quòd inimici suis persequutio-
nibus aptum lapidem te reddunt in ædificiũ glorię:
si autem inimicos non diligis, perfici & aptari ne-
quis, quòd si aptari nequis, perindè nec in gloriam
introire. Qui inimicos nõ vult, lapis viuus nõ vult
esse cœlestis illi⁹ Hierusalem: nã si perfici & aptari
recusas, vix fieri potest vt collocari possis in cœlo.

Rationes multa quare diligẽda inimici. ¶ Attende obsecro & vide quantam vtilitatem
tibi afferant, & verbis scripturæ crede id affirmãti-
bus: & non solú non debes illos odio prosequi, sed
potiùs amare ardenti charitate, & (si opus fuerit)
eis genibus flexis deseruire. Quia sine dubio velut
instrumentum sunt nobis, quo in ęternam beatitu-
dinem ascẽdamus. Cùm clauũ parieti quo figis, in
maioribus ictibus eum percusseris, tãtò magis fir-
mus & tenax est. Ita nimirũ dùm magis atque ma-
gis ab inimicis persequeris, & dùm maioribus icti-
bus percuteris, tãtò magis fixus ex Deo, & cũ illius
amore copulatus. Ne te pœniteat persequutionum
inimicorum tuorum: quandoquidem animã tuam
multis diuitiis auctam aut locupletatam reddunt.
Si aliquis vt tibi malum inferret (etiamsi id faceret
mala intentione) pilas auri in te coniiceret, vtique
si cautus esses deberes illas colligere, atque ita iste
talis malum tibi cupiens, teipsum diuitẽ efficeret.
Conuitia igitur & iniuriæ, quas in te inimicus tuus
iacit, pilæ sunt auri, tu autem tacens humilia teip-
sum & eas collige, vt thesaurum locupletissimum
in cœleste regnum tibi reserues. Et etiãsi hic inimi-
cus sit & deprauati animi, sibi ipsi damnum infert,
tibi verò cõmodum & vtilitatem. Nam si fustẽ ha-
bes, qua puluerem vestimentorum tuorũ excutias
non pateris in ignem mitti, sed potiùs eam seruas:
quia tibi vtilis est. Inimicus igitur tuus velut fustis
est, qua dominus animam tuam mundat ab omni
Esa 10. peccatorum sorde: quod dominus per Esaiam affir-
mauit dicens, Assur virga furoris mei. Assur qui
persecutor erat, & inimicus populi Israel dilectum
suum populum dominus castigabat. Quod idẽ do-
minus tecum facit per manus inimici tui. Quid igi-
tur est, quòd virgam in ignem vis mittere. Quare ô
insane & stupide pluris æstimas pallium tuum, quã
animam tuam. Nõ vis virgam in ignem coniicere
quia vestes tuas mundat, imò eam seruás maxima
cura: inimicũ verò tuũ, qui ab anima puluerẽ pec-
catorum excutit, destruere & subuertere vis: Si dux
aliquis arcẽ fortissimam expugnaret, ex qua multis
tormentis in eum & in suum exercitum damnũ ini-
mico inferret: si post captam arcem tormenta om-
nia & spicula frangeret, nónne hic talis insanus &
amẽs iudicaretur. Tormẽtis vtique nulla imputãda
est culpa: sed eis, qui ignem apponunt. Ita inimicus
velut tormẽtum est, qui sua natura bonus est, & cõ-
pos diuinæ gloriæ: cui nullam culpã imputare de-
bes, sed ei qui ignem apposuit, scilicet iræ, vel odio,
vel alicui passioni. Hanc malitiam persequi debes,
ea quippè est, quæ tibi damnum infert. Id quod do-
minus fecit non te persequitur, sed malitia, quam

peperit homo, & hæc ad iugulũ ducenda est bonis
operib⁹ & verbis. Sic in Prouerbiis dicitur, Respõ- *Prouerb. 15.*
sio mollis frangit iram. Sic & Dauid, Mane interfi- *Psalm. 100.*
ciebã omnes peccatores terræ. Et quomodo inter-
ficiebas eos: Bonis operibus: Sic interficit Saulem
inimicum suum, ei parcens, cú & posset illum occi-
dere. Vnde Saul humiliter cognouit peccatũ suum. *1.Reg.24.*
Postquã verò dux hic milites interficit, qui ignem
apposuerunt, tormenta seruat: quæ optima sunt ad
custodiã arcis. Ita tu inimicum tuũ blandè tracta,
& ne aduersus illum irascaris, nec aliquod malũ ei
inferas: quia bonus & vtilis est in tuã defensionẽ, &
custodiam. Quocirca illum diligere summa chari-
tate debes, quia ipse horologium est, quod vitam
tuam dirigit, & in optimum vitæ institutum ducit,
quodq; teipsum vt à somno expergiscaris vocitat.
Et denique quod ignis in auro efficit, & ventilabrũ
in paleis, & aqua in linteo: idẽ inimic⁹ in anima ef-
ficit: quãdoquidem mundat & purã animã ab om-
ni immunditia reddit, & conscientiã tuã ab omni-
bus, inquinamentis purgat. Charitate igitur cũ illo
vtere, quia dignus est hac retributione: siquidẽ tan-
tam vtilitatem tibi affert. Quia etiamsi modo mo-
lestiam aliquã tibi inferat, non ideò pœnitere te de-
bet: nã vt Paulus inquit, Charitas patiens, benigna *1.Cor.13.*
est, non agit perperã, non æmulatur, &c. Si patiens
est, debet patientiam verberanti: si benigna est, ma-
ledicentibus nõn debet respondere: si quæ sua sunt
non quærit, resistere nõ debet diripiẽti: si nõ emu-
latur, nõ debet inimicũ odio prosequi. Et tamẽ pre-
cepta diuinæ pietatis superant præcepta apostolica.
Plus enim est condonare iniuriam, quàm inimico
cedere, plus est amare inimicos, quã non emulari,
quæ omnia dominus & fecit, & dixit, Nam cùm *1.Petri.2.*
malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, nõ
cõminabatur: & pro crucifixoribus orauit dicens,
Pater dimitte illis. Hoc Christi exemplum debe- *Luc.23.*
beres semper præ oculis habere. Sed tãta est homi-
num stultitia & insania: quòd cũ aliqui viri religiosi
aliquos homines exorant, vt inimicis veniam con-
donẽt: si exẽplum Christi saluatoris nostri ob ocu-
los illis afferatur, qui inimicis suis pepercit, & pro
crucifixoribus suis exorauit, respõdent ipsi, aliquid
dixisse putantes. Christus Deus est, ego autẽ homo
sum. Dic mihi obsecro, si rex sumpta scopa domũ
mundaret, & diceretur militi, accipe scopã, & mũ-
da domũ, quãdo rex tuus hoc facit: nónne ab homi
nibus irrideretur si respõderet, rex hoc facit, quia
rex est: ego autẽ homo pauper sum. Vtiq; in ipsum
verba sua retorquerentur. Si igitur rex domũ pur-
gat: quid est quòd tu vilis vermis hoc facere recu-
sas: Sic in istos, qui nolunt inimicos diligere, arma
& spicula retorquenda sunt. Sic enim Christus dñs
cũ sit De⁹ parcit inimicis suis, & pro illis orat: quid
est quòd tu homuncio id facere recusas & friuola
oratione insontem conaris te ostendere: Exemplo
igitur Christi inimicos tuos debes diligere, propter
maximam vtilitatem, quam tibi afferunt. Malleus
quando lapides aptat, ipsis lapidibus vtilitatem in-
fert, at sibi ipsi dãnum affert, quia hebes fit. Si ini-
mici sibi ipsis damnum asciscunt, & quos perse-
quuntur benefaciunt, quocirca eos debes diligere.
¶ Si quis tibi aliquod munus afferret, longũ aggre-
diens iter, & per multa pericula trãsiens, non solũ
nõ aduersus eũ ira esses cõmotus, verumetiã amicè
eum susciperes, & gratias illi referẽs, eum in domo
tua, hospitio exciperes. Ita inimicus tuus cú te per-
sequitur,

ſequitur grande munus, & multis perpeſſis laboribus tibi affert, quia beneficium tibi cōfert maxima ſuæ animæ iactura: ſi igitur tam opulentum munus tibi offert, ſuis proprijs expenſis ſumma lætitia debes illum ſuſcipere, illius miſerans, qui vt tibi proſit propriæ conſcientiæ nocet. ¶ Secunda autem ratio, quare inimicos debemus diligere eſt, ob graue malum, quod ipſi ſibi inferūt: nam vt in hac vltima collatione oſtendimus nobis malum facientes, ſibi ipſis damnum acquirunt. Vnde ſi is qui tibi bona fecit opera infirmatur, vel percuſſus eſt, iuſtum & æquū videtur, vt illi ſubuenias & cōpatiaris. Quodquidem ratio naturalis dictat, at ſi aliter feceris: immanis & barbarus es: Oportet igitur ſcias: quòd cùm ab inimico perſequeris, maius malum ſibiipſi comparat, quàm tibi.

Inimici tollerādi quia ſibi ipſis damnū inferunt non nobis.

Geneſ. 4. Vnde legimus in Geneſi quòd Lamech qui interfecit Cain dixit vxoribus ſuis Adæ, & Selæ, Audite vocē meā vxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: Quoniam occidi virum in vulnus meū: & adoleſcētulū in liuore meo. Priùs attentionem petit, & audiri exoptat & nō immeritò: quia id quod dicit auditu dignum eſt. Dicit itaque virum interfeciſſe in vulnus ſuum, & adoleſcētulum in liuore ſuo: quia Cain, & ſeruū qui illū ducebat interfecit: & hoc eſt in vulnus meum, & in liuore meo. Acſi clariꝰ diceret, Interfeci Cain, & meipſum: quia grauiùs meipſum, quàm Cain percuſſi. Illum nanque in corpore læſi: me autem in anima. Ipſi corporalem vitam ademi: mihi autem animæ. Inimicus enim non tantum malum tibi efficere poteſt in corpore, in fama nec in re: vt ſibi ipſi in propria conſcientia. Si igitur tu inimicum tuum lædis & percutis: hoc eſt percuſſum percutere, & mortuum interficere: quod quidē grauiſſimum crimen & maxima crudelitas.

Pſalm. 68. De quibus hominibus Dauid in pſalmo dicebat, Quoniam quem percuſſiſti, perſequuti ſunt, & ſuper vulnus dolorem addiderunt. Vulnus vulneri addis, & ictū ictui, cùm inimicum odis, vel aliquid mali illi infers. Ita ſancta eccleſia loquens de inſtrumentis paſſionis Chriſti, dulces clauos vocat, dulcem crucem inquiens. Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera. Sed ferrum lanceæ crudele appellauit dicens, Quo vulneratus inſuper mucrone diræ lanceæ.

Nota. Claues nanque crudeliſſimum fuere tormentum Chriſto: quia manus & pedes eius plus iuſto in cruce extēderunt. At lancea nullum illi intulit malum:

Ioan. 19. nam Ioannes inquit, ꝙ cùm veniſſent ad Ieſum, & vidiſſent eū mortuum, vnus militū lācea eius latus aperuit. Quid igitͤ eſt quod hoc lanceæ vulnus cum Xps id nō ſenſerit crudele id appellet? Vtiq; qa mortuū Chriſtū vulnerauit: quæ immanis crudelitas eſt. At ſi crudelitas eſt mortuum percutere, immanitas perinde erit inimicum vulnerare qui mortuus eſt. Ruit enī inimicus tuus furens & ardenti ira aduerſus te percitus, vt teipſum perdat & deſtruat: iam igne inferni ardens: quem protinùs debes miſereri, & cōpati cùm eius animā videas perditam, ſibi graue malum inferens, tibi verò commodum.

Pſalm. 117. Ideo Dauid in pſalmo, Inimici mei circunderunt me ſicut apes: exarſerunt, ſicut ignis in ſpinis. Meritò quidem egregius vates apes in collationē attulit, quæ grauiùs ſibi malū inferūt aliōs pungēdo, quā eos, quos perſequunͭ. Pungit digitum tuum apis, & ipſa protinus moritur: tu verò luto appoſito digito mederis, & melle gaudes in alueis ab ipſis recōdito. Sic inimicus alios perſequens ſeipſum occidit ſicut apes, tu verò melle gloriæ ſatiaris. Igitur ſi dulci melle frui vis, & gloria cæli ſatiari, opus eſt vt perſequutionē patiaris, & pungaris ab apibus. Etenim vrſus ferociſſimum animal nihil facit apes ipſum pungentes, vt gaudeat melle aluei: nec tu multi facere debes læſiones inimicorum tuorum ſi melle glorię ſatiari cupis. Nemo ſanctorum martyrum ſine inimicis gloriā adeptus eſt: & omnes perſequutionem paſſi ſunt. Præterea ignis in ſpinis ſtrepitum facit, ſed ſpinas non comburit.

Exod. 3. Vidit Moſes in monte rubum ardentem, qui non comburebatur. Ita bilis & verba inimicorum tanquam ignis ſunt non comburens, ſed ſtrepitum faciens: niſi fortè tu lignum aridum & ſiccum fueris omni virtute deſtitutum. Benè igitur inquit Dauid, ꝙ inimici ſui circuierunt eum tanquam apes, & ſicut ignis in ſpinis: quia nullum damnum illi intulerunt etiam ſi vomētes ignem venirent: at venientes tanquam apes non ſolum nō damnum illi fecerunt, verumetiam maximam vtilitatem portarunt: quia animam ſuam tanquam fauum mellis reliquerunt, ipſi verò mortui manſerunt. Omnes perſequutores ſibi ipſis non ſolùm animæ, verumetiam corpori damnum afferunt: & omnes iuſtorum perſequutores infœliciter mortui ſunt.

1. Reg. 30. 2. Reg. 21. 2. Reg. 18. 3. Reg. 2. 2. Reg. 10. 4. Reg. 9. 4. Reg. 11. Heſther. 7. 2. Mac. 15. 1. Mac. 9.

Saul qui Dauidem mortali odio proſequebatur ſeipſum miſerè interfecit. Poſteà verò iuſſit dominus Dauid, vt omnes poſteros ſuos crucifigeret. Et Abſalonis corpus, qui in arbore ſuſpenſus manſit, Ioab triplici lanceæ ictu transfodit. Et Semei, qui Dauid maledicebat, enſe interemptus eſt: & Siba decollatus. Quem obſecro obitum habuit Iezabel illa, quæ Heliā prophetām perſequebatur. Vtique à canibus dilacerata fuit, & ab equis conculcata. Et Athalia, quæ regalem proſapiam inimico odio perſequebatur, pugione interempta fuit. Et Amam perſequutor populi Iſraelis, & omnis familia eius, ſuſpenſus in cruce obiit. Eodē modo Nicanor, Antiochus, & omnes iuſtorū perſequutores crudeliſſimis mortibus tandē occūbūt. Si igitur inimici tui cū te perſequuntur, nihil aliud ſibi moliuntur quam miſerā & infœlicem mortem: quid eſt ꝙ tu ſuper hoc eos perſequeris? Illos igitur deſine, nam ſatis eis eſt ſua miſera ſors, & calamitas & tātum & tā graue dānum, ꝙ ſibi ipſis inferūt cùm te perſequunͭ: imò potius eis debes parcere, & quę bona potueris in eos cōferre: quādoquidē tibi ſunt cauſa vel occaſio vt in cæleſti patria corona gloriæ inſignitus appareas. ¶ Tertiò diligēdi ſunt inimici quia illis damnum nō potes inferre, quin tibi priùs grauiùs noceas. Nam ſiquis, vt veſtē ſuā, qua indutus eſt, ſcinderet, quia ei non placet, ſeipſum pugione interficeret: nonne inſanus & amens hic talis eſſet? Sic tu inimicum tuum non potes ferire, quin priùs teipſum percutias & multò grauiùs quàm illum.

Qui inimicū odit erga ſeipſum crudelis eſt, quia patricida ſui ipſius eſt.

Aug. ſer. 16. de verbis domini ſuper Matth.

Vnde beatus Aurelius Auguſtinus, Non poteſt fieri vt qui odit alterum non ſibi priùs noceat: ille enim lædere conatur extrinſecùs, & ſe vaſtat intrinſecùs. quantò enim animus noſter corpore maior eſt, tantò ipſi proſpicere debemus, ne ipſe lædantur. Lædit autē animum ſuū, qui alterū odit. Hactenus Auguſtinus. Lege eundem Auguſtinum in pſalmum trigeſimumquartū, ſuper illud, in laqueū cadat in idipſum.

1. Ioan. 3. Quapropter optimè dixit in ſua prima canonica beatus Ioānes, Qui odit fratrē ſuū, homicida eſt. Quid ais Ioannes? Quomodo poſſum occidere inimicum abſentē, licet odiam eum? Dicit quod qui odit homicida eſt. Cuius? Vtiq; ſuiipſius. Omnis qui odit fratrem ſuum, occidit ſeipſum: ergo

omnis qui odit homicida est. Si igitur tu inimicum tuum odire non potes quin priùs teipsum interficias: neque illũ vix lædere, quin grauissimè te ipsum percutias: nóne saluberrimum videtur tibi Christi cõsilium præcipientis, vt inimicum diligas? Si odis illum teipsum perdis: sed si illum diligis, tibi ipsi caues: & inimicus iam in odio suo perditus manet. Qui manu accipit prunas, vt alium cõburat: iã priùs seipsum lædit & comburit. Sicut candela, quæ vt alios comburat seipsam consumit. Quæ igitur maior insania esse potest, quàm inimicum odio prosequi quando hoc fieri non potest, quin priùs in graue malum tibi cedat? Fuítne vnquam tam amens homo qui cùm comedens esset, & linguam dentibus momorderit dentes euellat? Aut qui linguam scindens, si pedem suum percusserit, manum abscindat, nonnè istos tales qui hoc facerét omni prorsus destitutos mẽte diceretis? Scitote igitur proximum meum magis mihi propinquum esse, quàm dentes aut manus. Eritne cordati hominis vt si proximus contumelia meipsum affecerit, vt vindictam ego sumã de membro meo, qui proximus est? Si autẽ alia ratio, non esset, vt inimicum nõ prosequereris odio, scilicet, ne damnum tibi inferres, cùm natura hoc dederit, vt vnusquisque seipsum diligat: hæc vtique sufficientissima deberet esse, vt illum potiùs amares & fœlicia semper cuperes. Quòd si illum diligere nolueris: sed potiùs odio habere, & eum persequi, esto obsecro verè ei contrarius: nam si ille te odit, tu verò illum: non vtique contrarij est. Sed si ille malus est, te persequendo: vt verè contrarij sitis tu illum dilige, & bene illi facito: túncque ille nequã, tu verò iustus & rectus persistes. Quocirca diuinus Paulus admonet dicens, Noli vinci a malo sed vince in bono malum. *Roman. 12.* ¶ Quarta verò ratio quare inimicum debeas diligere, ea est quia omnes illi labores & persequutiones quibus te opprimit, à Dei manu mittuntur, & eos diuina maiestas in vtilitatẽ & cõmodum tuũ permittit. *Qui inimicũ odit Deũ videtur odisse, qui illi licentiam dedit vt nos persequeretur.* Vt verũ intelligas dictum Amos prophetæ, Non est malum in ciuitate quod nõ fecerit dominus. *Amos. 3.* Quodquidem de malo pœnæ intelligendum venit. *Iob. 1.* Atq; ita Satanas, vt sanctum Iob affligeret, priùs à domino petiit facultatẽ. Et de Saule dicitur, Spiritus domini malus exagitabat Saulem. *1. Reg. 16.* Et cum Semei Dauidi malediceret, ipse Dauid suis dixit: qui interficere volebant Semei. Sinite illum. Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. *2. Reg. 16.* Ità etiam cum legionẽ dæmoniorum dominus expulit à corpore illius hominis: ipsi dæmones licentiã à domino postularũt, vt in porcos intrarẽt. *Matt. 8.* Quapropter cũ inimicus tuus te ipsum persequitur, cõsiderare debes potentiam, quæ in illo est, à domino esse: quia omnis potestas à Deo est, nec aliquod malum tibi infligere posset, nisi priùs facta esset illi à domino licentia. *Rom. 13.* Vnde cùm dominus patientissimũ Iob substantia sua orbauit, dixit, Dominus dedit, dominus abstulit. *Iob 1.* Aduerte igitur, & verba sanctissimi viri considera dicentis substãtiam suã ablatam à domino, cùm dæmonium id fecerit: vtiq; id dicit, quia si dominus non fecisset dæmoni facultatem dæmon eam nõ tolleret. Nam is qui suspẽditur, latro, non de carnifice conqueritur sed potius de prætore, aut iudice, qui sententiam tulit: quia carnifex nihil aliud est quam executor iudicis. Vnde quando Pilatus dicebat, superbia inflatus, Nescis quia potestatem habeo dimittere te, & potestatem habeo crucifigere te. *Ioan 19.* Respondit illi Saluator, Non haberes potestatem aduersus me vllam: nisi datum esset tibi desuper. Et Dauid etiam dicebat, Obmutui, & attẽdi, quoniam tu fecisti, *Psalm. 38.* Ideo non persequor inimicum meum: quia tu domine facultatem illi fecisti, vt me percuteret & affligeret. Quapropter qui persequutores suos odit, non multum distat quin & Deum odiat. Cum enim nullũ recipiat æternus pater filiũ quem nõ castiget, imò quem nõ mortificet. *Hebræ. 12.* Si odimus eos à quibus damna recipimus, facilè fiet vt in odiũ Dei dilabamur: cũ nos nõ lateat nullũ malũ nobis prouenire, quod non inferat dñs. Igitur si diuina te deterret maiestas, ne illam odio prosequaris: eadem te deterreat, ne in fratres tuos animum tuum iratum conuertas. Cúmq; hæc sint opera Dei semper cum illis gaudere debes, & gratias illi agere. Vnde beatus Iacobus ait, *Iacob. 1.* Omne gaudiũ existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis. Atq; ita tanquã amicorum beneficio in nos collato gaudere debemus. Quocirca redemptor noster Iudã traditorem amicum appellauit, *Matth. 26.* nã etiãsi intẽtio & animus eius inimici esset: opus tamen amici fuit, & ideò qui nos persequuntur, opera amici in nos conferunt. Gaude igitur cũ omnibus operibus domini, si Christicola es. ¶ Si autem propter has omnes rationes, quas adduximus inimico non vis parcere: graue quidem malum est, vt omnes persequutiones & labores, quos dominus hominib. tribuit in correctionem suorum peccatorũ, teipsum deteriorẽ efficiãt. Quemadmodum enim cultellus non bonus esse arguitur, si dùm magis mũdatur rubigine cooperitur: arguitur Christicola paruus & iniquus esse, qui dũ persequutionibus & laborib. purgatur durior & deterior fiat. Euenit autẽ, vt inimicis tuis non parcas, cùm te persequũtur: quia diuina gratia priuatus es. Cultellus si ei deficiat æs, statim rubigine cooperitur, nec mundari vult cùm totus sit ferrum. Ita homo, qui sensualis est persequutiones renuit, & cum illis deterior fit: quia æs gratiæ illi deficit. ¶ Relinque igitur ô homo peccator vindictã domino: *Vlcisci de inimico vel[illegible] nõ poteris quã Deo cõmittẽdo vindictã.* nam si omnia dicta non sufficiunt, vt inimicum diligas, & vindictã sumere vis, id æquum esse iudico & cõsentaneum rationi. Nam si vehementer cupis vindictam sumere, illã Deo relinque, nã dominus meliùs & grauiùs in eum animaduertet, quã tu. Attẽde obsecro quomodo persequutores Dauid, & eos, quos suprà memorauimus puniuit. *Roman. 12.* Mihi vindictã (ait dominus) & ego retribuam. Respódeas rogo siquis te certùm faceret, q iste inimicus, qui modo te persequitur, suspẽdendus esset, anno vẽturo, & quòd mẽbra eius in mediis viis in crucibus & lignis essent ponenda, nonnè lætus & alacer maneres? Certò igitur certius scire debes, quod is, qui modo te persequitur & forsitã priusquàm crastina dies adueniat in cruce inferni suspẽdetur, quod quidẽ de fide certissimum est, & ita infallibile, nisi priùs veniã à te petat, & vniuersum incommodum tibi restituat, & de sceleribus pœnitentiã agat. Multò grauiorem pœnam dominus illi iniiciet, quàm ea fuerit, quæ à te potest inferri. Qua propter ei potiùs condolendum est & beneficiis afficiendo, vt conuertatur: ne in tantum incidat supplicium. Quod si hoc tibi durum videtur, perpende quod hi, qui oculis infirmãtur pannum viridem coram oculis ponunt, vt acies visus magis acuatur. Sic tu corã oculis tuis constitue imaginem regis Dauid, & si illus infirmos habes perfectam consequeris sanitatem. Et ne resilias dicendo, Inimicum habeo sceleratissimum, nam si quem

quem volueris ostenderis non tamen erit Saule deterior: qui cùm semel & iterum à Dauide potuisset interfici, ipse tamen ob tanta beneficia accepta in sua malitia perstitit. Lege Chrysostomũ. Quid igitur est, quòd tu inimicũ tuum accuses? Quòd terræ partem ademit, quòd iniuriam cõtulit, quòd murmurauit? At nõdum eripuit vitã, quod facinus molitus est Saul: quod si vitam eripere conatus est semel inimicus tuus: iterum atque iterum, vt sæpè sæpius Saul Dauidi: quod si vitam sæpiùs auferre curauerit: non tot beneficiis ac ipse Saul fuit affectus: nec cùm semel & iterum incidisset in manus tuas, vitæ eius pepercisti. Quod si adhuc hoc etiam esse ceris: prætereà ipse Dauid te benignitate & pietate superat: non enim paria sunt hæc, cùm vita agebatur sub veteri lege, & modo postquam euangelica gratia fruimur. Non audierat Dauid parabolam de decẽ millibus talentis, nec illud, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus: nec Christum audierat dicentẽ, Diligite inimicos vestros, nec vidit illum curantẽ Malchũ, nec in cruce pendentem brachiis extẽsis audiuit dicẽtem pater dimitte illis: sicut tu, cui hæc plusquã nota sunt. Quod si oculos fixeris in sanctissimi regis vitã, nec satis est, vt tuũ lapideũ, & adamãtinum cor molliatur, vt inimico parcas: conuerte oculos in Christum crucifixum, qui ob tuum amorem à planta pedis vsque ad verticem capitis eius in se ipso nullam conspicit sanitatem, & pro inimicis oratione clamat ad patrẽ. Et considera quòd cũ aliquis tibi dicit, vt inimico indulgeas: ipse Christus inquit, Fili mi propter me ipsum parce modo, siquidẽ quotiescũq; ex toto pectore veniã à me postulas, liberaliter cõdono: etiam si mille flagitiis & sceleribus aduersus me deliqueris. Aequũ est & rationi consonum, vt aliquid à me rogatus facias, quando pro te tot & tanta feci.

Chrys. hom. de Saule & Dauid, de quo tolerantia. tom. 1.

1. Reg. 24. & 26.

Matth. 18. *Matth 6.* *Matth. 5.* *Luca. 22.* *Luc. 23.*

¶ Quod si adhuc pertinax es, & proteruus in tua malitia persistis, nec exẽplo Dauidis adducto, nec Christi redemptoris nostri commoueris, vt indulgeas: leua, leua oculos tuos in altum: & vide quàm gloriã dominus paratam habeat his, qui suos inimicos diligũt: quãque diues & opulenta sit merces, ob id tibi reddetur. Qui aliquod maris spacium nauigant, ne caput illis turbetur, & ne nauseent, oculos in littus maris cõiiciunt: nam si aquã turbidam conspiciunt statim vomunt. Ita tu si oculos coniicis in aquã turbidã persequutionis inimici, perturbabitur caput tuũ, & nauseare facies stomachum, quousque in interitum deuenias, & ideò turbidam aquã tribulationis nõ cõspicias, nec oculos ad persequutionẽ inimici cõuertas. Oculos tuos in littus coniice, nec salsam aquã aspicias. Cõiice inquã oculos tuos in littus illud cœleste, & saluberrimũ portum, in quẽ iter facis, & aspice patriã illã viuentiũ, in quã quotidie nauigas, cõsiderãs sublimẽ illã gloriam, & præmiũ æternũ, qđ dñs paratum habet his, qui patienter tollerãt persequutiones, & inimicos suos diligũt. Fieri nõ poterit, quin si breuitatẽ persequutionis, & magnitudinẽ præmij fueris cõtemplatus, inimicis tuis parcas, & eos diligas, plusquã amicos tuos: quandoquidem causa & instrumentũ sunt vt in cœlesti regno laurea gloriæ coroneris. Quod si hæc, quæ diximus illi sancti martyris Stephani exẽplo videre cupias, huc adsis attentis auribus. Nã cũ ipse inter furorẽ persequutionis & lapidũ & armorũ strepitũ constitutus esset, non oculos coniecit in malitiã inimicorũ, sed in littus cœli, vbi cor suũ iam habebat collocatũ, & in hæc verba prorupit, Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantẽ à dextris virtutis Dei. Quodquidem si tu in persequutionibus tuis fecisses, non perturbareris, nec molestè illas ferres: sed auxiliũ & iuuamẽ diuinum inuenies, & Christum benignum dominum, qui tuis dextris adest, manũ suã porrigens. Vnde beatus Stephanus non Christum vidit sedentem, sed potiùs stantẽ: vt ij esse solent qui adiutorium aliis ferunt. Feras igitur obsecro frater mi dilectissime patienter furores persequutionum propter Christum, & sanguinem in passione sua pro nobis effusum: quandoquidem hactenus non tantũ sanguinẽ pro Christo fudisti, quantũ ipse pro te. Attẽde obsecro quàm copiosa sit retributio & quã minimus labor, qui breuissimè finietur, illud autẽ æternum præmium in perpetuũ duraturũ. Tẽpus enim breue est (inquit beatissimus Paulus) sed merces copiosa. Quidquid in hac vita est, vanitas est, quæ hodie nascitur, & iam hodie finitur. Conuerte oculos in sanctos illos martyres, qui immanibus tormentis sanguinem & vitam fuderũt: quorum omnium in beata illa patria gaudentes & exultantes iam obliuiscuntur. Quod si te tanti huius domini benignitas, vt inimicis tuis parcas, nihil commouet: si ingentia illius in te merita ab inimicorum persequutione te auocare non valẽt, si honor, gloria, diuitiæ, triũphus, quæ inimicis suis indulgẽtibus parata sunt, nec tantillum te cõmouent: id certè mouere maximè debet, vt infamiã fugias, pudorẽ quẽ contrahes, cũ ante iudicis tribunal seuerissimi eris sistẽdus, immania etiã supplicia, quibus procul dubio afficieris. Elige vtrum volueris, vel inimicum diligere, vel æternis cruciatibus torqueri: quòd quidem nõ loquelæ sunt hominũ, sed euangelica & æterna veritas. Responde obsecro ad has voces ò infœlicissimè homo qui in inferno crucieris. Quare proximũ tuum nõ dilexisti: nam si illum diligeres, vtique non arderes in inferno. O hominis miseram infœlicitatem: qui potiùs ardere elegit, quàm diligere. O insanam & timendam electionem: nam si proximum diligeret, cũ Christo perpetuò gauderet: quia verò amare illum noluit, ignibus æternis cruciatur. O manifestissimam fallaciã hominis, qui in hac vita tantillũ doloris nõ vult pati: vult autẽ in futura perpetuos sustinere cruciatus. Si Ethnicus aliquis hoc Euangelium legeret, vel audiret, quo Christus præcipit inimicos diligere: post hæc verò iste abiret in plateas & audiẽtias, vbi tot lites & cõtentiones agũtur inter Christianos, vnum ex duobus diceret: aut q̃ nõ credimus euangelio, & rẽ ridiculã id iudicamus: aut q̃ gaudemus in tormenta gehẽnæ ire. Velles ne tu in eum locum descendere in quẽ infidelis paganus tẽdit? Si igitur in potiorẽ locum post hãc vitã ire cupis, quã paganus & infidelis, plusquam illi facere debes. Si igitur tu solùm amicum tuum diligis: quid amplius facis quã turca? Dilige igitur inimicum tuum quod turca nec ethnicus facit, & post hanc vitam meliorem locum obtinebis. Amor inimicorũ rubrica est, qua signatæ sunt oues Christi. Et idem Christus dicit, In hoc cognoscẽt, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis inuicẽ: Si igitur amicum diligis, nonnè & ethnici hoc faciunt? Sed quia de his inferiùs in hoc capite suo loco dicemus, & quomodo per dilectionem inimicorũ simus filij, quæ omnia Lucas noster, vt Matthæus tractat, vlteriùs procedamus

Inimicorum persecutiones tolleranda propter indicibile premium.

Act. 7.

1. Corin. 7. *Matth. 5.*

Ioan. 15.

ad ea explananda, vbi Lucas agit de operibus bonis proximis nostris exhibendis, licet inimici sint. Sequitur ergo. *Benefacite his qui oderunt vos.* In primis autem hic venit aduertendũ, quòd semper vbi *Ioan. 14.* dñs de amore loquitur, protinus de eius effectibus sermonẽ ingerit, quę opera sunt. Nã in cœna illa vltima cùm apostolis dixisset, Hoc est præceptum meũ, vt diligatis vos inuicẽ: statim de operibus loquutus dixit, Maiorẽ charitatem nemo habet, quã vt animã suã ponat quis pro amicis suis. Et iterũ, Si quis diligit me, sermonẽ meũ seruabit. Attende quomodo statim vt de amore fuit loquutus; de o- *Leuit. 6.* peribus loquitur. Et in Leuitico præcepit dominus dicens, Ignis in altari meo semper ardebit. Et subdidit, Quem nutrit sacerdos subiicens ligna. Vult dominus, vt in altari cordis nostri semper sit ignis sui amoris, qui alendus est & sustentãdus ipsis operibus. Nam quemadmodum ignis consumitur, & perit nisi semper ligna ei addideris: ita etiam amor *Prouerb. 6.* moritur, nisi eũ bonis operibus alueris. Opera vult dominus, & opera petit. Nam vt fieri non potest, vt ignem habeas in sinu quin comburaris: ita etiã impossibile est, proximum diligere, & frigidũ in operibus esse. Quocirca statim vt in Matthæo dominus de amore inimicorum egit, sermonem inseruit de *Opera, signa dilectionis.* operibus, quæ in eos cõferre debemus. Vnde sicut hactenus diximus de dilectione: modo acturi sumus de signis dilectionis quę sunt opera: sed ea meminisse oportet, quę diximus superiùs statim vt incepimus agere de dilectione inimicorum. Nã sicut de dilectione inimicorum, & interiori amore loquuti sumus: eodẽ modo, & sub eisdem terminis de operibus inimicis exhibendis loquẽdum est. Nam dilectio inimici interior in generali considerata est absolutè necessaria de necessitate præcepti, in speciali verò considerata non est de necessitate præcepti, sed secundum præparationẽ animi: ita de signo dilectionis exterius exhibendo dicendum est: nã quædã sunt signa amicitiæ, quæ in cõmuni exhibentur proximis, alia verò in speciali. Generalia sunt, vt cum quis orat pro defunctis, aut pro salute & fœlici statu fidelium, aut pro toto populo: quæ quidem generalia opera teneris exhibere inimicis de necessitate præcepti. Nã si in hunc modum preces funderes. Proficiat hæc oratio omniũ fidelium saluti, demptis inimicis meis: in mortale delictum incideres. De particularibus autẽ beneficiis aut signis dilectionis, vtpote de cõmunicatione lætitiæ cum eo, vel de profectu eius in aliquibus dicẽdum quòd nõ teneris de necessitate exhibere vel ostendere: sed solum secundũ animi præparationẽ, scilicet, ꝙ animus tuus sit paratus, vt si inimicus tuus fuerit in articulo necessitatis, & non potuerit per alterum ei prouidere, tu illi subuenies. Quod autẽ extra articulũ necessitatis quis faciat inimico hæc particularia beneficia, ad perfectionem pertinet, per quã non solùm vult vitare peccatum faciendo ne ipse malus sit per odium proximi: sed etiam vult inimicũ beneficiis superare, vt eũ bonũ faciat, quæ quidẽ superabundãs charitas est, & sub cõsilio cadit, qđ tu facere deberes, vt salutem animæ proximi tui acquireres, pro qua Christus dignatus est mori, vt ipse Apostolus admonet dicẽs, Si esurierit ini- *Roman. 12.* micus tuus ciba illũ, si sitit potum da illi: hoc enim *Prouerb. 25.* faciens carbones congeres super caput eius. Quod fere idem consilium in Prouerb. habetur, Si esurie rit inimicus tuus, ciba illum: si sitit da ei aquã bibere. Prunas enim congregabis super caput eius: & dominus reddet tibi. Quantã vim habeant bona opera, vt inimicus iram & furorem deponat, in ipso Iacob apertissimo exemplo videtur: qui bonis ope- *Genes. 33.* ribus iram fratris Esau mitigauit. Theriaca præsentaneum remediũ est & singularis medicina aduersus venenum: quæ quidem ex ipso veneno & aliis optimis confectionibus cõponitur. Ita tu si theriacam admirabilem, & singularem medicinam volueris cõficere, vlceribus animę tuæ accipe tibi inimici tui malitiã, quæ venenũ est, & alias res bonas simul, scilicet, si esurierit, ministrare illi cibum, si siti laborat, potum dare, si fuerit nudus, vestibus illum operire: quæ quidem res si admixtæ fuerint cum veneno suæ malitiæ, mirabilem conficies theriacam, quæ infirmitatibus animæ medicamentum sit saluberrimum: nam ob hæc parcet tibi dominus alia peccata, quibus coinquinatus es, & simul etiã infirmitati inimici tui medeberis: nã cũ ipse inimicus bonitatem & patientiam tuam attenderit: pudore suffundetur, & in meliùs emendabitur. Nemo quippe adeò immanis est & barbarus, qui si videat te multa ei bona facere, in retributionem suæ malitiæ, & quod ipso absente multa bona de illo prædicas, & laudas, nõ cõfundatur & in saniorẽ mentem redeat. Attẽde obsecro p viscera misericordiæ Dei, quo pretio Christus aiam inimici tui redemerit: nã si ipse sanguinẽ suũ pretiosissimũ exhibuit, nõ multũ si tu fragmentũ panis dederis: & si necessitate laborauerit, illi subuenias, quãdoquidẽ nõ in hac re multũ laboris impẽdes. Ita sanctus rex Dauid cùm *1. Reg. 16.* Abisai vellet nequam illũ Semei interficere, qui per syluam tendens lapides in Dauid iactabat & cõtumeliosis verbis illum afficiebat, nunquam permisit aliquid mali ei fieri cũ facilè potuisset pœnas sume- *Luc. 22.* re. Et Christus Malcho seruo pontificis, qui simul veniebat cũ Pharisęis & Scribis, vt eũ in carcerẽ detruderet, auriculã curauit, cũ Petrus illam scidisset. Et hoc idem in Matthæo de bonis operibus, quæ *Matth. 5.* in inimicos conferre debemus, addidit, Sicut pater vester cœlestis qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, & plus super malos, quã super bonos. Nã oriente sole terram calefacit, & ita terra vberes fructus producit, panẽ, vinum, flores, & fructus, Quis obsecro his copiosius fruitur iustus ne, an peccator? Vtique malus. Nam hic plures habet hæreditates, oliuas, vineas, & deniq; plures messes & maiorem portionẽ terræ sortiũtur infideles quã Christiani, quãdoquidem ipsi possident Africam, Asiã maiorẽ & minorẽ, Ægyptũ, Achaiam, Bythyniã, Syriã, Macedoniam, cum reliqua oriẽtali terra. Vnde peccatores in libro Sapiẽtiæ adinuicẽ dixerũt, Venite coronemus nos *Sapien. 2.* rosis, antequã marcescant? nullũ pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, perfruamur bonis, &c. Et in psalmo dixit Dauid, Ipsi peccatores, abũ- *Psalm. 72.* dãtes in sæculo, obtinuerũt diuitias. Ipsi enim sunt, qui plus eis gaudẽt, quæ sol & terra producũt, quã reliqui iusti. Iã igitur vides quomodo maiora bona terrena sæpè dñs in hac vita conferat malis, quàm bonis, & maiora inimicis quàm amicis. Nonnè vides quæ miracula & prodigia inimico Pharaoni *Exod. 5. & 8.* miserit & ostenderit? Et dũ plures inimicos mũdo habebat tunc dominus cum visitauit, & humanam carnẽ assumpsit. Sic Paulus Romanis ait, Conclu- *Roman. 11.* sit Deus omnia incredulitate, vt omnium misereatur. Tunc Deus mundũ inuisit, quãdo plures habebat

bat inimicos: & quando maior vastatio grassaba-
tur. Sic tu dum inimicus tuus magis indignus fue-
rit, vt ei parcas: tunc illi debes indulgere & maiora
bona illi facere: vt vel ita bonitas tua inter malitiā
suam splendeat velut lumen in tenebris. Cuius rei si
appositissimum exemplum videre cupias in quarto
4. Reg. 6. libro regum id inuenies. Nam cùm latrones Syriæ
capere vellent prophetam in mediam Samariam:
cúmque rex illos interficere vellet, nō solùm id vo-
luit propheta, sed potius splendidissimum conui-
uium illis fecit: ex qua re ità confusi sunt latrones,
vt dicat scriptura, q̄ vltra non venerūt latrones Sy-
riæ in terram Israel. Attende obsecro quomodo cō-
fusi sunt bonis impensis operibus à sancto prophe-
ta. Potiùs inimicum tuum humiliabis, & irā ipsius
franges bonis collatis operibus, quàm malis: dum-
que inimicus deterior fuerit & indignior bonis, tā-
Tripliciter inimicus nos persequitur, corde, ore, & opere. tò melior illi tu debes esse. Verùm quia inimicus
teipsum corde persequitur odiendo: opere perse-
quendo, & ore maledicēdo: è cōtrario debes illum
ex toto corde diligere. Ideóque dominus dixit, Di-
ligite inimicos vestros. Secūdò si te opere persequi-
tur, tu ei bona impende: ideóque dixit, Benefacite
his, qui oderunt vos. Et tandem si lingua sua tibi de
traxerit, multa tu bona de illo prædica: sicut modò
præcipit dominus. *Benedicite maledicentib. vobis.* Vult
dominus vt toto corde, ore, & opere, inimicum di-
ligamus, ei retribuēdo bona pro malis. Sic in Mar-
co legimus quòd discipuli Christi laborabāt remi-
Marc. 6. gando: quia erat illis ventus contrarius. Vide obse-
cro quomodo sancti infœlici & contrario vento re-
migāt. Ità tu si in portum illius cœlestis patriæ per-
uenire cupis contrariis & aduersis calamitatib. ab
inimicis illatis nauigare debes. Contrarium male-
dictionis est benedictio: & q̄ aduersatur odio, amor
2. Cor. 4. est: & malo repugnans, bonum est. Quocirca si ini-
micus tuus malus est, tu esto bonus: si te odit, eum
ama: & si tibi maledixerit, bona de illo prædica
Quo aduersante vento beatissimus Paul. nauigabat
dicēs, Maledicimur, & benedicimus: persequutionē
patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecra-
mus. Sic sanctissimus Ioseph, quem fratres vēdide-
Genes. 45. rant cùm descenderent in Aegyptum, cū fletu ma-
gno occurrit, & osculatus est eos dicēs, Nolite time
re. Sic Moses, quem populus multoties contempse-
rat, & lapidare voluerat, his nō obstantibus pro eis
Exod. 32. ardenti amore ad dominum orabat dicens, Dimit-
te peccatum populi huius aut dele me de libro vi-
tæ. Sic Dauid pro Saule orabat, & bene de illo lo-
quebatur, eiúsque fortitudinē laudauit, & mortem
2. Reg. 1. illius lamentatus dicebat, Gladius Saul non est re-
uersus inanis. Filiæ Hierusalem super Saul flete, qui
induebat vos coccino, &c. Sic beatissimus Christi
martyr Stephanus vento contrario nauigans pro
crucifixoribus orabat dicens, Domine Iesu ne sta-
Act. 7. tuas illis hoc peccatū. Denique ipse Christus in na-
Luc. 23. uicula crucis vento cōtrario nauigans inter Scyllā
& Charibdim inimicorū & carnificum pro eis ad
patrem summis precibus exorauit dicens, pater di-
mitte illis. Sic omnes sancti in portum salutis naui-
garunt inimicos diligendo, orando pro eis, & benè
Oratio pro inimicis Deo gratissima. illis faciendo. *Et orate pro calumniantibus vos.* Orare
debemus pro inimicis nostris exemplo Christi sal-
uatoris nostri, & sponsæ suæ sacrosanctæ ecclesiæ:
quæ preces pro inimicis Iudæis fundit, hæreticis, &
schismaticis in die parasceues. Moses etiam proie-
cit se super faciem suam orans pro calumniatorib.
Sic sanctus propheta Samuel cùm eiiceretur à prin Num. 17.
cipatu dixit, Absit vt cessem orare pro vobis. Sic D. 1. Reg. 12.
Paulus admonet dicens, Benedicite & nolite male- Rom. 3.
dicere, Et Esaias loquutus de Christo dixit, Ipse
peccata multorum tulit: & pro trāsgressoribus ora- Esai. 53.
uit, vt non perirent. Etenim oratio pro inimicis fa-
cta plurimùm valet coram Deo, Vnde per Hiere- Iere. 15.
miam, Si steterint Moses & Samuel coram me, non
est anima mea ad populum istum. Hos duos nomi-
nauit prę cæteris patribus & horum orationem sic
exaltauit & magnificauit: quia hos duos tantùm
pro inimicis orasse in veteri testamēto legimus. Al-
ter eorum lapidib. cæsus à populo pro lapidatorib.
orauit: alter verò cū eiiceretur à principatu preces
ad dominum fudit. Quocirca, vt Hieremias nobis Exod 17.
commendaret excellentiam orationis factam pro- 1 Reg. 1.
inimicis, vtque ostenderet dominū meritissimo ad-
uersus populum illum irasci, horum orationem tan-
quam maximi ponderis & valoris attulit.

¶ Porrò qui calūniantur peiores sunt persequu- Matth. 5.
toribus, quamuis vtrūque apud Matth. dixerit, Ca- *Calumniator persecutore deterior.*
lumnia quippe non solùm falsa fingit: sed etiam ea,
quæ piè gesta sunt labefactat, & denigrat. Sanctus
Ioseph nō solùm persequutus fuit à fratribus, sed &
calumniam passus est à domina sua: quia inuitatus
ad crimen, cùm fugiens in manib. dominæ pallium Genes. 39.
reliquisset falsò fuit accusatus de adulterio. Quo-
circa hæc contemplatus egregius vates ad domi-
num clamans dicebat, Redime me à calumniis ho- Psal 118.
minum: vt custodiam mandata tua. Nam cum ipse
totius belli pondus suscepisset, & in funda & lapide
Getheum Goliat percussisset, cœpit calumniā pati 1. Reg. 18.
à Saule rege, & ideo dicebat, Redime me à calūniis
hominum, vt custodiam mandata tua: nam qui ca-
lumnia opprimitur, nō facile custodire potest man-
data domini. Etenim necesse est plerunque tristitiæ
aut timori cedat, aut vel metu calumniæ dolore af-
fligatur. Itaque non solùm vos persequentes diligi-
te, sed etiam pro calumniantibus orate. *Et qui te per-
cusserit in vnam maxillam, præbe illi & alteram.* Quod
quidem consilium est, non præceptum. Ideóque
non est opus vt exteriori opere id adimpleas, sed vt
animum paratum habeas, vt si opus fuerit id pro
Christo sustineas. Sic benignissimus dominus ei,
qui percussit in vnam maxillam non præbuit alte- Ioan 18.
ram, sed maxima charitate eum correxit. Sicque
consilium hoc adimplendum est, ita vt proximis
magis prodesse videamur.

¶ Obserua autē q̄ phrenetici dū medicis magis *Chrys. Hom. 18. in Matth. tom. 2.*
cōuiciantur, tātò magis medici illis cōdolēt, & ma-
iorem compassionem suæ infirmitatis habēt. Si au-
tem aliquis medicus irasceretur propter verba quæ
phreneticus ei dicit, talis vtique insanus iudicare-
tur. Sic tu considerare debes quòd is, qui teipsum
percutit phreneticus est, & omni prorsus mēte de-
stitutus, & passio infirmitatis vitij sui facit eum de-
lirare. Ideóque tu irasci non debes sed cōpassionem
suæ egritudinis habere, illi medendo, impendens ei
bona opera, paratúsque debes esse & præsenti ani-
mo, vt pro Christo percutiaris alapis & fustibus.
Sic diuinus Paul. Corinthiis suis dicebat, Libenter 2. Cor. 11.
sufferetis insipientes: cùm sitis, ipsi sapiētes. Sapien-
tes sustinere debent ignaros, & cordati insipientes,
& sani infirmos: nam medici prudentes phreneti-
cos curant. Ideo addidit, Sustinetis enim siquis de-
uorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in fa-
ciem vos cædit. Etenim per horum complemētum

homo cum Christo componitur, diabolus ab homine vincitur: & plena pax inter homines obtinetur.

Quo animo contra adversarium in foro litig. similia. Exod. 21.

¶ Obseruandum etiã hic est fuisse Pharisæorum cõmẽtum, licere omnib. vim vi repellere: quoniam à Mose dictũ legerũt, Oculũ pro oculo, dentem pro dẽte. Quod si verum esset, vt quisque suam iniuriã vindicaret, quid opus esset iudicio? Manifestè itaq; patet hoc dictũ pertinere ad Magistratus, quib. dominus gladiũ permisit, & cõmisit puniendũ malos, illi autẽ dictũ domini deprauantes suis affectionib. id accomodarũt, quod de magistratib. peculiariter dictũ erat. Etenim nõ cuiusuis est leges ferre, & vindictã sumere. Itaq; in eo quod hic Christus dicit de exhibitione alterius maxillæ: & quod subdit statim de tunica nihil aliud docere voluit nisi vt Christianus homo aliquo modo læsus non quærat vindictã, paratiorq; sit ad grauiora ferenda quã ad vindictã sumẽdam. Et vt breuiter omnia dicta cõplectar tale cor dominus in suis amicis postulat, quod ab omni impatientia, & vindictæ cupiditate, & omni contentione sit alienũ. Nec tamen negauerim posse contingere vt iuxta Christi verba, etiam altera maxilla sit exhibenda: nec dubitauerim, quin hoc semel à piis hominib. factum sit. Porrò, an Christiano homini liceat aduersus Christianum iure agere, & corã iudice eum cõuenire modo non disputamus. Potest suã iustitiã implorare, & sanctũ & pium est velle, vt delicta puniãtur, nè Deus ab aliis offendatur. Id autẽ quiuis homo facere debet, ne hoc faciat vt vindictam sumat, vtque passionem animi sui sequatur. Charitas enim in huiusmodi negotiis cõsulẽda est: nihil autem refert, quòd iudicio assistas, siue non, sed quo animo hoc ipsum facias, plurimũ refert, quod idẽ sentiendum est de hoc quod modo sequitur. *Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Non intelligendũ est, quòd tenemur illa dimittere, quandocunque aliquis à nobis illa auferre voluerit, quia ista non esset perfectio charitatis sed potiùs ansa & occasio ad malum proximi vt quis accipiat res alienas, & efficiatur auarus & violentus. Sed intelligi debet hoc de animi præparatione, s. quòd si alicui fuerint ablata aliqua eorum, quæ possidet, ideò ob hoc non commoueri debet in fraternũ odium, sed animũ habere paratũ ad perdẽdum hæc, & alia multa, antequã proximorum charitas amittatur. Licitũ tamẽ est sine cõtentione & scãdalo ablata repetere. Vbi intelligere debes, q hic Christus dãnat lites, cõtentiones, scãdala & dãna, nõ iustitiã & iudiciũ. Et si nõ potueris repetere tẽporalia, ait etiã quòd tunicam des illi, qui vestimentum tulit: quia meliùs est rerum temporalium iacturã facere, quã æternæ vitæ. Iudicia enim tribunalia, & magistratus, nõ damnat Christus, sed inimicitias, odia, & contentiones, quæ propter res temporales oriri solẽt: ità vt sæpè sæpiùs inuicẽ cõuiciantur, pugnãt, & occidũtur homines. Si sine diuina offensione rem tuã recuperare nõ potes: sic adeò animã tuam æstimare debes, vt rapta nõ debes repetere, sed quæ remanserũt dare si opus fuerit, ne tãtus & tã magnus dominus offendat. De quib. cõtentionib. & iudiciis Corinthios Paulus arguebat dicẽs, Iã quidẽ omnino delictũ est in vobis quòd iudicia habetis inter vos. Quare nõ magis iniuriã accipitis? Quare non magis iniuriam patimini? *Omni autem petenti te tribue, & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.* Eodẽ modo venit intelligẽdum hoc, vt id quod superiùs statim retulimus, s. vt potius homo paratus sit, dãnũ propriũ pati, quã vt scandalũ pusillorũ suscitet, si id aliter sedare non valeat. Melius enim est, vt quod aufertur nõ repetemus, & quod potius pereat: q quod aliquid fiat charitati contrariũ. Præterea id quod ait, omni petẽti tribue, intelligẽdum est de illo, qui iustè petit. Omnibus nanquã qui iure petit tribuẽdum est, sic eleemosyna necessitatẽ habẽti, erogãda est. Iustè nanq; pauper diuitẽ petit, quia indiget. *Et prout vultis vt faciãt vobis homines, & vos facite illis similiter.* Quia proximos tenemur ex charitate diligere tanquã nos ipsos: ita nos facere tenemur eis, sicut nobis ab ipsis fieri cupimus. Hoc quippe fraterna dilectio postulat, & lex naturalis dictat: cuius duo sunt cõmunia atq; præcipua præcepta. Vnum negatiuum, quod habetur in Tobia, s. Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne alicui feceris. Aliud est affirmatiuũ quod ponitur à Christo. Quæ quidem præcepta leges sunt naturales à Deo datæ, quibus homo dirigitur vt actiones proprias operetur: & quia affirmatiuum est maioris perfectionis, decuit Christum in euangelica lege illud proponere, quæ lex maioris est perfectionis: & quãtò perfectiùs quis hoc pręceptum adimpleuerit tãtò perfectior erit. Adimplendum est tamen loco & tẽpore opportuno: quia præcepta affirmatiua non obligãt omni tempore sicut negatiua: sed tantum loco & tempore necessitatis. Nullus ab hac lege excusatur, nullus ignorãtia excusabitur. Dauid enim ait, Multi dicunt: quis ostendet nobis bona, respõdet tamẽ ipsemet dicẽs. Signatum est super nos lumẽ vultus tui domine. Hæc lex naturalis fixa est cordibus nostris, & æquè antiqua ac ipse homo: qui verò eam non seruauerit, nullã excusationẽ corã domino habebit. Quod tibi vis, alteri facito. Manifesta obsecro. Quid in hac vita cupis? Certè aliorũ amicitiam vis, ab aliis amari & honorari: at si videas te ab aliis decipi, aut odio haberi, doles: optásque vt in tuum amorẽ deueniant, & vt te colãt, qui cõtra faciebant. Hoc autẽ, q tu tibi optas, præcipit Deus, vt tecum fiat. Dices, rectè quidem cõsultum est honori meo, ne, s. quis cõtra me insurgat: & opto ẽt, vt ego aduersus aliquẽ leuatẽ caput, vt impunitus manerẽ. Impia & iniqua est hæc tua lex, nã Christus hic dicit, Quod vultis, vt faciãt vobis, idẽ vos aliis facite. Nã si Christus in Matthæo præcipit, vt gehẽna puniat qui te despicit, gehenna par est, vt puniaris si alios despexeris. Si autẽ non vis, vt aliquid tibi rapiatur, ne tu fureris, &c. Nã vt vnus est omnib. Deus, ita omnib. est vna diuina lex. Mirabile quidẽ est, quomodo Ethnicus aut infidelis homo audita hac lege illã nõ accipiat. Vtique pecudes & nõ homines censendi sunt qui tã regiã & nobilẽ legẽ nõ accipiant. Iustitiæ domini rectæ (inquit Dauid) lætificãtes corda: præceptũ domini lucidum, illuminans oculos.

¶ Obserua nõ dixisse Christum hic, vt faciunt vobis homines, sed vt vultis vt faciãt vobis homines. Nam si diceret, vt faciunt vobis homines sic facite illis, intelligi posset, mala debere fieri malefactoribus, & odio inimicos prosequi: qđ certè absurdissimũ est homini Christiano, & ab eius religiõe prorsus alienum. Etiãsi modo multorum sit prouerbium q si benè mecum fecerit, multa bona Deus illi impendat, malum autẽ mittat in eum, qui malũ mihi fecerit. Multò aliter Christus redemptor noster docet, qui ait, Diligite inimicos vestros: & benefacite his q oderũt vos. Meritò ergo ait, quod vultis, vt faciant vobis homines, ita facite illis. Et quemadmodum

Aug. li. 1. de ser. domin. in monte ca. 40.

Naturæ lex. Chrys. hom. 13. ad popul. & hom. 12. in Genesim.

Tob. 4.

Psalm. 4.

Magistratũ Christus non damnat, sed inimicitias, odia & contentiones.

Chrys. hom. 18. in Matt. Per humilitat.

Matth. 5.

Psalm. 18.

1. Cor. 6.

dum tu velles ne falſum aliquod teſtimonium tibi imputaretur, nec quod res tua tibi raperetur: idem ipſum Chriſtus inquit, vt cum proximo facias.

¶ Obſerua autem hoc non eſſe intelligendum de quocunque actu voluntatis noſtræ: ſed de voluntate rationali ſiue conſilij. Multi quippe cauſa ſunt ſcādali: & alios ad peccandū inducunt. Nec tu velle tenetis, quod vt tu malus es cū proximo tuo, ille alter tecū ſit. Ideóq; vt vultis volūtate bona & ratiōabili, & recta, vt faciant vobis homines, ita facite illis.

¶ Expēde etiam quod homines dixit: nam à Deo & Angelis multa volumus fieri nobis, quæ nō poſſumus facere illis, redditur tamē viciſſitudo illis ſolo charitatis affectu. *Et ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia?* Hoc eſt, ſi tantum vos amantes diligitis & non alios: quod meritum inde vobis euenit? Nullum ſanè. *Nam peccatores diligentes ſe diligunt.* Quia hoc naturale eſt, quāuis nō ſemper: quia odiunt corripientes illos, quando puniuntur vel corriguntur: iuxta illud ſapientis, Non amat peſti- *Prouerb. 15.*
lens eum, qui ſe corripit. Et Amos ait, Odio habue- *Amos. 5.*
rūt corripientē, & loquētē perfectè abominati ſunt.

¶ Obſeruandum eſt quòd Chriſtus in hoc loco dicit peccatores diligere, peccatores non intelligitur ex charitate, qui amor infuſus eſt, & ſpiritualis, nam qui tali charitate diligit inimicum, merebitur vitam æternam. Peccator tamē in mortali exiſtens peccato nō poteſt mereri vitā æternā. Intelligendū eſt tamē, peccatores diligentes ſe diligunt, ſ. amore carnis naturali, & ſociali. Nam qui amicū diligit ex charitate: diligit etiam amicum: quia charitas ſe ad omnes extendit, quia ſi inimicum non dilexerit, in peccato mortali eſt, & tunc nec amicum diligit ex charitate, quia charitate caret. Diligere autem amicum quia diligit nos ex charitate, meritorium eſt vitæ æternæ: ſicut omnis actus ex charitate procedens. Signum autē, quo quis nō diligit amicum ex charitate eſt, quia inimicum non diligit. Ideo qui aliquem hominē odit, nullum veraciter diligit. Itaque qui ex charitate diligit amicum, etiam inimicum diligit, & ſi inimicum non diligit, neque amicum diligit ex charitate. Sed qui in charitate eſt, omnes verè diligit tam amicos quàm inimicos.

Dilectio inimici opus maximæ perfectionis & meriti.

¶ Denique dilectio inimici maioris mihi meriti videtur quā amici: quia ſi præmium eſſentiale reſpondet feruori dilectionis, feruentior eſt voluntas in dilectione inimici, nā tendit circa ea, ad quæ non inclinatur: & ideo requirit maiorē feruorem circa finem, id eſt circa Deum. Quia ad hoc, vt quis diligat amicum decem gradib. feruoris forte nō oportet, vt diligat Deum duob. gradib. feruoris: ad hoc autem, vt diligat inimicum decem gradib. feruoris, oportet vt diligat Deū quadraginta gradib. feruoris: quia inimicū non diligit niſi propter Deum: & ideò dilectio inimicorum non tantū quia ex maiori conatu procedit voluntatis, ſed etiam quia ex feruentiori & maiori dilectione circa finem oritur magis meritoria eſt quā dilectio amicorū. Nam ſi hîc duos appoſitos in menſa habetis cibos, alterū benè cōditum, alterum verò malè: manifeſtum eſt quod benè conditum teipſum inuitabit vt ex illo māduces, alius verò non. Ita amicus tuus cibus tibi eſt benè conditus: nā quemadmodum hic cibus ad comedendum inuitat, ſic amicus vt eum ames, & quemadmodum amarus cibus & potio amara vt ſumatur & comedatur maior conatus & vis requiritur, ita cum inimicus ſit cibus amarus & inſipidus, opus eſt maiori conatu vt ipſum diligamus: & vbi eſt maior conatus ibi cæteris parib. eſt maius meritum. Beatiſſimus ille Stephanus cùm à carnificib. lapidaretur, in dominum ſe cōuertit dicens, Ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et quando pro ſe roga- *Act. 7.*
uit ſtans dixit, Domine Ieſu accipe ſpiritum meum. At quando pro inimicis ſuis exorauit genua flexit. Poſitis autē genibus, clamauit, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Quo quidē facto cum genib. oraret flexis, oſtēditur agonia & feruētiſſimus conatus, quo pro inimicis orabat: nam genua flectere nihil aliud eſt, quā voluntatē inclinare ad orādum pro illis dominum. Et vlteriùs dicitur, quòd clamabat voce magna, vociferans: manifeſtū enim eſt, quòd vt aliquis vociferetur opus eſt maiorē habere in pectore conatum, quàm vt ſubmiſſiùs quis loquatur. Qua quidē re nobis ſignificauit, quòd propter negotia ſua non opus erat voluntatem inclinare, nec magnum conatum adhibere: ſed ad orādum pro inimicis ſuis maiorē conatum addidit. Igitur vbi maiores adhibentur vires ibi maius eſt meritum: ſi igitur maiores & potentiores vires exercentur in dilectione inimicorum, ibi erit maius meritū. Vnde dico maiorem perfectionē eſſe inimicum diligere, quàm amicum, quia ex maiori charitate procedit. Nā maior ignis eſt, qui procul diſtātes cōburit: quā is, qui proximos & vicinos vrit: atque ita maior charitas eſt quæ attingit inimicum tuum qui lōge à corde tuo diſtat, quàm ea qua amicum qui proximior eſt, diligis. Et cùm obiectum charitatis ſit Deus, vbicunque operatur, eſt propter Deum. Cùm igitur amor inimici nihil aliud habeat quā Deum, magis purus & perfectus eſt, quia plus humanas vires ſuperat. Perfectior adamas erit qui vnā ferri libram è terra leuaret, quàm qui acum. Maximum pondus inimicus eſt, quod charitas leuat. Quod etiamſi ſimilitudine audire id gaudeas, audi. Nam quando multi cantores canunt, ſi inter eos aliquis ſit, qui optimam & ſuauē vocē habeat, cùm ſimul iſte cum aliis canat, nō ita illa excellenti voce gaudes, ac ſi ipſe ſolus caneret. Vnde debes præcipere ſi ſuauē vocē illius audire cupias, vt omnes alij taceāt. Ità quādo inimicū diligis, ſolus diuinus amor canit, quia ſolus Deus diligitur: at quando amicum amas, etiamſi propter Deum illum ames, tamen aliæ multæ cauſæ ſunt: & ideo tunc charitas nō tam ſuauè ſonat, atque ita is amor quo amicum diligis nō tā purus & ſpiritualis eſt vt inimici, vbi ſolus diuinus amor canit. Quam quidē perfectionē amoris (vt cætera præclarè ſolet) volēs explicare egregiè Paul. dicit, In hoc apparuit gratia Dei quòd cùm inimici eſſemus recōciliauit nos in Chriſto Ieſu. ¶ Atſi diceres Chriſtū dixiſſe, Ma- *Rom. 5.*
iorem charitatē nemo habet, quàm vt animā ſuā ponat quis pro amicis ſuis: reſpōdeo quòd quando hoc dicebat tantùm cōferebat inter ſe opera collata amico, quorum maximum eſt vitam pro amico exponere. Nam manifeſtiſſimū eſt, plus illū pro amico facere, *Ioan. 14.*
qui vitam pro illo tribuit, quàm qui rem donat, aut aliquid aliud facit. Sed ſi hoc opus factū pro inimico accipiatis, nullū eſt dubiū quin maioris ſit meriti. In hac autē re nolo amplius filū orationis protēdere, quia ſcholaſtici pro vtraque parte adducunt ſua argumenta, & id in ſcholis diſputant. Itaque eandem materiam proſequitur Chriſtus, nam ſicut dixerat, diligite inimicos veſtros, addidit, ſi diligitis eos qui vos diligunt. Et ſicut dixerat, Benefacite his, qui oderunt vos, nunc etiam in cōſequentiam ait. *Et ſi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt quæ vobis eſt gratia, ſiquidē & peccatores hoc faciunt.* Hoc etiam

sicut præcedentia verba intelligi debet: quia si benefactoribus bonū facias nō ipsum Deum intuens, sed propter amorem mundanum non est id apud Deum alicuius meriti. *Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ vobis est gratia? Nam peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.* Si mutuum das nō ex dilectione aut charitate, sed propter propriam vtilitatem, vt aliquid vltra sortem accipias: quam mercedem accipies? Etenim hoc idem peccatores faciunt, peccatoribus mutuum dantes: & vltra id quod dāt nihil accipiunt, sed tantùm æquale. Quantò potiùs vos, qui meliores estis, debetis mutuare, vt æquale recipiatis, sed etiam mutuare, nullam habētes spem repetendi id quod mutuastis, si videatis proximum necessitatem habere? Si igitur peccatores contenti sunt accipientes id, quod derūt nec aliquid vltra petunt, aliquid ampliùs vos debetis facere vt eos superetis. *Veruntamē diligite inimicos vestros & benefacite eis.* Tanquam doctus & prudens Magister Christus redemptor noster iterum inimicorum amorē cōmendat. Vt magister qui lectionem vtilem & necessariā legit, ne memoria discipulis excidat, iterum eam repetit. In quo quidem apertè conspicies quàm necessarium est, inimicum diligere, si in salutis portum appellere cupis: quandoquidem dominus, non semel sed iterum, atque iterum vt inimicos diligas cōmendat, & tanquam vtilissimam doctrinam iterum eam repetit. Certos igitur vos facio quòd non fœnerabitis nec malum facietis vobis mala facientibus: si inimicos dilexeritis. Bonum omnibus impenditis: si omnes amore fueritis prosequuti. Nam si amor in cordibus vestris habitauerit, ipse vos docebit, quid facere debeatis. Ideo dixit, Veruntamē acsi diceret, Hoc seruetur exactè, hoc indubitatè fiat vt amor sit proximi talis & tātus, vt etiam ad ipsos inimicos extendatur. De hac dilectione: & de operib. inimicis impendendis iam diximus. Ideo nunc ad alia, gradum properemus. Igitur ignis abscondi non potest, & amor si verus sit ipsis operibus ostēdi debet. Atque ita si amore ardes fieri nequit, vt proximo non subuenias si illū videris in necessitate constitutū? Si igitur amor præcepit, vt indigenti proximo, ex substantia tua tribuas: quî fieri poterit, vt suam rapias? Vnde Christus postquam proximorū dilectionem commendauit, & charitatem quam erga illos exercere debemus, præcipit ne sua rapiamus, sed quod illi mutuemus, nec aliquid vltra mutuum reperamus. Et ideo subdidit, *Et mutuum date, nihil inde sperantes.* Si proximum diligis, bonum illi facito, mutuum dādo, & ne malū facias vltra id quod dedisti accipiendo. In quibus verbis aliquid est consilij, & aliquid præcepti. Consilium enim est: vt des mutuum: nam extra casum necessitatis extremæ non teneris tua dare proximo. Verùm si iam mutuum dedisti: præceptū domini est, vt nihil vltra id quod dedisti accipias. Maxima quippe iniquitas est, accipere vsuram propter id quod mutuasti.

Vsura quare peccatum.

¶ Primò, quia vsurarius vendit tempus: quod dominus tam diuitibus, quàm pauperib. voluit esse cōmune, sine vlla personarū acceptione. Non enim potest esse nisi vnicum tēpus simul & semel: & quia vsurarius vendit pauperi tempus, quod omnib. est commune: meritò temporis indigentia punitur vsurarius: vt inquit Dauid, Viri impij nō dimidiabunt dies suos. Et licet iste diu viuat: curis sæculi, in morte occupatus, temporis indigentia punitur, nō habens locum pœnitentiæ. De eo nanque Ecclesiasticus dicit, In tēpore redditionis postulabit tēpus.

Psal. 54.

Ecclef. 29.

¶ Secundò cùm commodare sit, pecuniam, ad eius cōmodum dare: vult impius pauperi pecuniā dare, & commodum apud se retinere: quod quidem omni ratiōi prorsus aduersatur. Præautereà vsurarius vult, vt ea pariant, quæ nunquam pepererunt: & vt ea generent, quæ nunquam generarunt: nam vult vt nummi sui singulis mensib. alios nummos pariant, quod quidem contra naturam est.

Vide Basil. cuius sentent. citat D. S. in cathe. in cap. 6. Luc.

¶ Obserua autem quòd vsura idē est quòd morsus, nam in Hebraica lingua verbū. נשך nasach à quo, nesech, id est vsura, significat mordere, vt patet in libro Numerorum vbi dicitur, Si nasach, id est, si mordeat serpens virum. Dicitur autem vsura morsus: eò quòd mordeat eum, qui mutuò petit ad vsuram. Vsurarius quippe non tantum quod suum est recuperat, sed etiam mordet in proprijs bonis eum qui mutuò tradit ad vsuram vltra sortem accipiendo. Sicut enim canis aut serpens, aut quodcunque animal mordens trahit secum id quod mordet, seu morsum: ita pecunia tradita ad vsuram trahit secū aliam partem minorē velut morsum suum ex aliena substantia. Quocirca dominus hāc iniuriam velut sibi illatam grauissimè repetet. Vnde in Exodo dicit, Si mutuaueris pecuniam tuam populo meo pauperi. Non dicit tuo, sed meo, vt scias vsuram nō à paupere, sed à Deo exigi debere. Quemadmodum enim ab aspide percussus, dulcedine & suauitate delinitus à sumno capitur: & in illa saporis suauitate quiescit donec animam exhalat, quoniā venenum latens per omnia mēbra diffunditur: sic qui ad vsuras accipit, pecunia oblectatur, sed vsuræ venenū, per omnes mēbrorum facultates discurrit, totúmque hominem captiuum ære alieno reddit, & qui anteà liber erat, vt se in libertatem asserat, diu noctúque laborat. Cōsidera igit ô homo tu, qui Christianus es, qua munificentia dominus bona tibi omnia largitus est. Quid obsecro ipse à te petit pro vsu solis & lunæ? Quid pro stellarū splēdore & ministerio? Quid denique pro cunctis bonis, quæ tibi natura donauit. Pudeat ergo te ab eo vsuram expectare, qui tibi cūcta gratis & sine vsura largitur. Eū hominem sanctus Dauid dicit stare in mōte domini & in loco sancto eius, qui pecuniā suam non dedit ad vsuram. Et domini etiam præceptum est, Nō fœneraueris fratri tuo pecuniam ad vsuram neque fruges, &c. Idē habetur in Leuitico, Et in Ezechiele etiam legimus, Vsuram & superabundantiam non accipietis. Et in Deuteronomio dominus ait, Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram, pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliā rem, sed alieno: Dixit alieno, quia terra promissionis erat Iudæorū: nā Deus dedit illam Abrahæ, quā multi ex gentilib. sub tyrannide possidebant, vt erant Iebusæi, Philisthæi & reliqui. Et quia isti Gentiles contra fas & ius terram Iudæorū possidebāt, ipsi verò Iudęi illā armis expugnare nō valebāt cū innumera Gētiliū esset multitudo eaq; potentissima. Quocirca dominus præcepit Iudæis vt ad vsuras pecunias darēt Gētilib. illis vt vel sic recuperarent quod iustitia & iure suū erat. Vt modò licitum est aliquem seipsum in rem alienam intromittere, accipiendo id quod ipsi debetur, si qui ei debet potens est, & iustitiam aduersus illum non valet obtinere, si modò sine scandalo fiat. At quòd Iudæi faciebant cùm extra terram promissionis erant, exteris gentibus fœnerantes id vtique peccatum

Num. 21.

Vsura morsus dicitur.

Exod. 22.

Simile.

Vsura iniuria maxima in Deum.

Psal. 14.

Deut. 33.

Leuit. 25.

Ezec. 18.

Deut. 23.

tum erat. Et ꝙ modo Christiani faciunt fœnerantes, vtique peccant. Nam id ꝙ dominus inquit, Dabis alieno, intelligẽdum est de his, qui terram promissionis incolebant: quia hoc nõ erat alienum rapere, sed ꝙ suũ erat redimere. Quòd si alias ad vsuras dabant, grauiter peccabant. Et sic intelligitur illud, alieno. Et quemadmodum Iudæi optimo iure

Exod. 12.

Aegyptios expoliauerũt, & eorum supellectilia rapuerunt, cùm exierunt ab Aegypto, quia cũ illis tãquam mancipia seruiuissent nullam mercedẽ acceperunt: hoc etiam modo fœnerare poterãt Palestinis qui contra omne ius terram suam vsurpauerãt, quam illis dñs dederat: quæ sua erãt ita recuperantes. Et in hoc casu fœnerare licebat, & non in alio.

¶ Aduerte etiam ꝙ hoc quod Christus hic dicit, & omnes istæ authoritates veteris testamẽti intelligendæ sunt, si res, quæ accipitur ex mutuo sit pretio æstimabilis. Nam si das mutuo vt amicitiam alicuius tibi concilies, non es vsurarius. Eodem etiam modo vsura non est si mutuas, vt bona tua ab alio detenta redimas, & recuperes: & etiam vt à vexatione te liberes: quia hic nullum ex mutuo lucrum acquiritur, sed sola vitatio proprij dãni. Ex iis etiam quæ pretio æstimantur ratione lucri cessantis, vel damni emergentis poteris aliquid accipere ad arbitrium boni viri, aduertens ad id, ꝙ lucrari posses quia mercator es, & cũ mutuaueris, aliquid amisisti. Id ex lucro auferens ꝙ propter laborẽ acquirere deberes. Alias dare ad vsuram peccatum est, & lege diuina prohibitum, & natura sua iniustum est: quia id venditur quod proprium est, quòd contrariatur iustitiæ. In qua re id aduertendum est: quod quædam sunt res quarum vsus est earum consumptio, & nõ habent vsum distinctum à cõsumptione sicut vinum triticum & aliæ res similes, quæ vsu cõsumuntur, quarum rerũ cui conceditur vsus conceditur etiam res quantum ad suam substantiã, propter quòd in talibus per mutuum trãsfertur dominium. Aliæ autem res sunt: quarum vsus nõ est dominiũ, quia distinguitur vnũ ab alio, sicut equus, domus, & similia. De his potest quis accipere pretium vsus, sicut patet in conductione & locatione domus, nõ autem de aliis, quia proprius vsus pecuniæ est consũptio eius: ideóque illicitum est pro

In mutuo spectãda est materia rerum mutuatarũ.

vsu pecuniæ cõmodatæ accipere pretiũ. Vnde maximè obseruandũ est in hac materia rerum mutuatarũ apud quẽ remanet dominiũ rei, quæ mutuatur. Nam si dominiũ manet apud eũ qui mutuat, & non apud eũ, qui accipit: si id qđ mutuatũ fuit casu fortuitò amittitur, illi amittitur qui mutuauit: quia res, quæ perditur domino perdit. Quæ regula memoria non debet excidere. Exempli gratia, Accipit quis mutuatũ ab aliquo equũ, & simul centum aureos vt aliquod iter faciat: at verò in itinere cõtigit vt latrones furati fuerint equum & simul nummos sine huius causa. Hic talis tenetur ei, à quo accepit centum aureos restituere, nõ autẽ equũ: quia iactura facta fuit sine hominis culpa: & res quæ perditur domino perditur, & dominiũ equi apud eum mansit qui equũ mutuauit, & non dominium pecuniæ. Etiãsi aliquando cõtingit mutuare pecuniam, ita vt qui mutuat dominium apud se reseruet, vt in cõtractibus societatis: in quibus qui pecunia non aliud habet, quàm vsum eius. In quo casu si pecunia quæ substãtia est cõmercij amittitur, domino amittitur, qui eam mutuauit: & hac eadẽ ratione partem poterit obtinere lucri suæ pecuniæ. At qui mutuat: & pecuniam suam in commercium apponit, vult vt pecunia sua incolumis maneat, & quòd ei soluatur etiam si amittatur ac si lucrum inde acquireretur vsura esset. Sed si lucro vel iacturæ talis pecunia daretur, licitum esset. Hæc materia nimis prolixa est qua multi multos & magnos codices scripserunt, de vsuris, de cambiis, de depositis, quam modo rem si ex professio agere vellemus esset in infinitum abire, & à proposito digredi. Sed vtinam domino Deo placeat: vt in regum & principum corda inspiret, vt à regnis suis hoc pestiferum venenum exterminent: vt sunt tot tantæque vsuræ, tot latrocinia & furta. Ob quæ maximè mirari soleo, quomodo Deus vniuersum mundum nõ subuertat, & fulgura radios mittat, ne horum hominum tanta prauitas & nequitia pios & sanctos Christianos ostẽdat.

Et erit merces vestra multa. Benè quidem inquit multa, *1. Cor. 2.* quandoquidem diuus Paulus inquit, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit dominus diligentibus se. Dabit æternos illos & cœlestes thesauros eis, qui in hac vita diuitias congregare noluerunt: quippe mutuarunt, nullum lucrum inde sperantes, & pauperibus eleemosynam porrexerunt. Verùm hæc verba non tantum ad immediate dicta de mutuo referenda sunt, sed ad cætera, quæ de dilectione, & bonis operibus proximorum aguntur: nam modo ad eos, qui inimicos diligunt loquitur dicens, *Et eritis filij altissimi.* Per adoptionis scilicet gratiam, & dilectionis conformitatem: quia Deus inimicis suis multa largitur, quod quidem non facit propter retributionem, sed ex propria bonitate & charitate, & denique propter seipsum cùm ipse sit omne bonum, & vltimus finis noster. Sicut hìc vt suaderet dilectionem dixit, quòd erimus filij Dei. Sic & olim propter eandem rationem dixit, Filij estote domini Dei vestri. *Deut. 14.* Non vos occidetis, &c. Ex amore & pace, quæ ad inuicem inter nos fuerit, cognoscetur cuius filij simus, an dæmonis, qui seminarium est totius discordiæ, & odij: an Christi, qui pacem fecit, & ex vtraque vnum. *Ephes. 2.* O excellentissimam & occultam dignitatem hominis, qui inimicum suum diligit. Non dicit nos futuros esse seruos Dei, Aut amicos, aut aliud simile, sed futuros esse filios Dei. Sicut in Matthæo etiam dixit, Diligite inimicos vestros: *Matth. 5.* vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est. Dicit *Filij Dei qui nam sint.* itaque quòd erunt filij propter vrbanitatem & nutritionem, qua nutriti sunt in hac vita qui inimicos suos diligunt. Hæc est differentia inter filium pastoris: nam pastoris filius protinus vt adultus est, mittitur vt oues & sues pascat, & sine doctrina & eruditione nutritur: nec magistrum habet, qui illum vrbanitatem docet. At filio regis de pædagogo statim prouidetur, qui illũ doceat, moneat, & sanctis moribus instruat: quíque eum corrigat si in aliquo deliquerit. Quid aliud obsecro inimicum esse existimas, nisi quendam pædagogum, qui tui curam habet? Nam quemadmodum pædagogus puerum castigat & corrigit, ita tu si inimicum renuis, neque monitorẽ vis qui te instruat, doceat, & dirigat. Vnde nec filius vis esse regis gloriæ, sed pastoris, vt quod libuerit facias, siue ad pascendum porcos, siue ad custodiẽdas oues. Debes igitur pædagogum tibi eligere si hunc titulum tibi vis, scilicet, filium esse Dei. Respondeas obsecro ad interrogata. Vis ne in gloriam ascendere necne? Vtique respondebis: in illã conscendere cupio. Si igitur in cœlum

Galat. 4. cœlum ire desideras,& beatus esse cupis audi Apostolum dicentem,Quòd si filij & hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si hæres esse vis,& filius debes esse, nam in domo patris filij hæredes sunt, qui autem per gratiá & adoptionem non fuerit filius Dei non ingredietur in cœleste regnum.Si igitur filius Dei esse vis,opus est vt pædagogum habeas, qui te reprehendat, moneat, quique nũquam oculos à te auertat: & vt tuæ vitæ caueat,& eis,quę dicis,Reges nãque & principes pinguem mercedẽ pædagogis retribuunt, vt solertem curam suorum filiorum habeãt : tibi verò vicinum tuum pædagogum dominus tribuit, nec illi aliquã mercedem tribuis propter curam, quam de te habet. Qui etiam si nihil illi cõdones ob beneficium in te collatum : saltim gratus illi esto,& illum ama. Summum honorem homines iudicãt, in domo regia esse,vel secretariũ, vel cubicularium,aut quoduis aliud habere officium. O quanto maior est rex gloriæ,quàm terrenus rex : & quantò maior dignitas est filium esse quàm seruum. Merces quidẽ magna & copiosa est, vt dominus suos filios nos efficiat,& perinde hæredes gloriæ. ¶ Præterea filij solent parentes suos referre vel in loquela vel in facie vel oculis:& plerunq; contingere solet vt inter eos aliqua similitudo sit.Ob hanc igitur rationẽ Christus dicit,quòd si filij sumus vt ei assimilemur in benignitate,misericordia, & amore proximorũ. Ideo statim post hæc de similitudine quã cũ nostro habere debemus,agit dicens, *Quia ipse benignus est super ingratos & malos.* Si enim ipse altissimus pater benignus est super ingratos & malos, ita vos esse debetis super inimicos & peccatores, benefaciendo ingratis,& impiis, Deus quippe ingratis & sceleratis hominibus bona naturæ & fortunæ copiosè largitur.Ideo per Matthæum dicit quòd solem suum facit oriri super bonos & malos, & quòd pluit super iustos & iniustos. In hoc enĩ imitari debemus Dei misericordiam, qui ingratis bona multa impartitur : Deus enim nemini est debitor. Sic nãque Esaias affirmat,& beatus Paul. ad Romanos scribẽs, Quis cognouit sensum domini,aut quis cõsiliarius eius fuit: Aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Ex propria voluntate & liberalitate sua cõfert hominibus quibus nihil debet multa & innumerabilia beneficia tã naturæ quã gratiæ.Nã qui mali sunt nõ sunt digni gratia, antequã illã dominus impartiatur eis : cùm nemo dignus sit prima gratia, quia nulli mereri cõtingit nisi per gratiam,& etiam post datã gratiã non solùm nõ merẽtur,sed demerentur, quia per gratiam nõ operantur & perdunt eam illam contẽnendo,quæ maxima ingratitudo est:quæ ex diametro pugnat cum beneficio, reddens ipsum hominem indignum vlteriori beneficio.Iam credo videris quàm liberalis est dominus cum malis,quãque benignus cum ingratis. Quod quidẽ tu si patrem tuum referre vis, facere teneris. Aspice obsecro faciem illam benignam, plenam gratiarũ, quæ peccatoribus semper indulgentissima est : & quo amore Magdalenã suscepit, Zachæum,& latronem in cruce,& alios multos,quos libet sub silẽtio præterire.Debes etiam illum loquela referre,vt filij parentes, & vide quod eloquium suum dulcissimum est,vt fuit illud,quo alloquutus fuit infirmum peccatorem. Fili remittuntur tibi peccata tua,Et quod dulcius esse potuit verbum quàm illud ad latronẽ dictum hodie mecũ eris in paradiso ? Similis etiam illi esse debes in incessu, & quibus viis ipse incedat, & attende quomodo obuiam exiit filio prodigo, qui omnem paternam substantiam deglutierat in voluptatibus & libidine. Hunc parentem imitari debes: quia eius imitatio filium suum teipsum efficiet. Ita Daniel dixit vni ex illis senibus, qui Susannam accusabant. Semen Canaan, & non Iuda:quia etiamsi Iudæus esset,crudelitatẽ & sæuitiam Cananæorum exercebat. Et Christus Pharisæis dixit, Vos ex patre diabolo estis. Quia opera diaboli faciebant.Sed patrem cœlestem,qui bonus est,super ingratos & malos imitari debes,& ei similis esse : vt sis filius eius in benignitate & clementia,misericordia & mansuetudine, quod etiam his, quæ sequuntur suadet. *Estote misericordes sicut pater vester cœlestis misericors est.* Non vult,vt eum potentia referamus, quia ob hanc causam à cœlestibus sedibus cecidit Lucifer:nam dixit in corde suo. Ascendamus in cœlum & similis ero altissimo. Nec vult, vt similes ei simus in sapientia, vt voluit Eua, cui serpens dixit, Eritis sicut Dij ,scientes bonum & malum. Vnde cum deluderetur à dæmone in miseram sortem deuenit.Nec vult dominus, vt miraculis eum imitemur, nec in creatione, nec in gubernatione mundi. In quo igitur? Vtique in misericordia. Hac quippe placuerunt ei Abraham, Loth, Dauid,& multi sancti patriarchæ & Prophetæ.Hãc dominus(vt inquit scriptura) potiùs vult quàm sacrificium, & hæc etiam nunc dicit similes nos ei futuros,sicut parentibus.Aliquis nanque alicui similis dicitur esse, non pedibus nec manibus, sed facie, quæ certior pars hominis est. Ita quòd in Deo magis altum & profundum est erga nos, est sua misericordia : iuxta illud Iacobi. Misericordia eius super omnia opera eius. Et etiam dicit:Misericordia eius, superexaltat iudicium. ¶ Obserua autem, vt sanè intelligas nihil in Deo esse maius, aut minus. Deus enim cum sit infinitus & summè simplicissimus, quidquid habet, oportet vt sit infinitum sicut ipse:nam si aliquid contineret in se quod infinitum non esset,illud ideo in Deo non esset, sed longè ab eo diuersum. Et si aliquid in Deo esset, quod Deus non esset : Deus summè simplex non esset.Cùm igitur summe simplex Deus sit, perinde erit vt quidquid in eo fuerit, Deus etiam sit : & per consequens eadem mensura, qua ipse Deus mensurandum erit, Deus autem infinitus est, omne ergo quod in Deo est,infinitum erit. Infinita ergo est illius misericordia, infinita illius iustitia, infinitæ denique sunt omnes reliquæ virtutes, quas sacra illi tribuit scriptura. Verùm & si illius misericordia & iustitia ad illum relatæ infinitæ dicantur & sint, ad opera tamen relatæ talem suscipiunt magnitudinis rationem, quale opus ipsum à misericordia vel iustitia procedens est. Quando ergo Deus sæpè multa peccata dimittit, dicitur nimis misericors, sed quando parum punit dicitur parua eius iustitia.Ideóque maior dicitur misericordia quàm iustitia, cum ambæ infinitæ sint : quia vtitur ad extra ipsis operibus magis misericordia parcendo & cõdonando quàm puniendo. Videmus enim quòd quotidie summa patientia tot sceleratos & flagitiosos peccatores suffert,tot idolatras, tot homicidas, & pauci istorum puniuntur, quando verò punit nõ obliuiscitur suæ infinitæ misericordiæ. Misericordia dñi (inquit Dauid) plena est terra : quia in hoc mundo multos tollerat peccatores. Et etiã sua

diuina

Margin notes (left column): Filiorum est parentes imitari, & referre. — Esai. 40. — Rom. 11. — Ioan. 4. — Luc. 7. — Luc. 19. — Luc. 23. — Matth. 9.

Margin notes (right column): Luc. 15. — Dan. 13. — Ioan. 8. — Apoc. 12. — Esa. 14. — Genes. 3. — Osea. 6. — Iaco 2. — In Deo non est maius aut minus. — Psalm 52. — Psalm. 35.

diuina misericordia in cœlo est: iuxta quod idem egregius psaltes alio in loco ait, Domine in cœlo misericordia tua. Quia sicut prædestinationis non est danda causa, sed ex sua bonitate & misericordia ab initio prædestinauit electos, & gratiam primam sine illorum præcedentibus meritis Deus illis dedit, vt mererentur beatitudinem: ideo cœlum etiã plenum est sua misericordia sicut terra. In inferno etiam viget eius misericordia, quia dãnatos punit citra condignum: & vt Tobias, & Abacuch dicunt, cùm irascitur suæ misericordiæ recordatur. *Tob. 3.* *Abacuc 3.* Itaque dùm misericordia eius, tanquã Dei facies sit super omnia opera eius, & nobiscum exerceat illam, quia qui assimilatur alicui in facie, similem dicimus: vult dominus vt misericordes simus, vt ei assimilemur. *Misericordiæ excellentia.* Vbi contemplari debes excellentiam misericordiæ, quæ homines similes Deo facit, & in illa te similes, quæ gloriosior & diuinior in ipso est. Nã certú est quòd maior perfectio quæ reperiri potest in creatura est similem esse Deo: & quantò magis huius similitudinis obtinuerit tantò perfectior erit. Certum est etiam quòd vnum ex his, quæ præcipuè conueniunt Deo est sua misericordia, vt ipsa sacro sancta ecclesia significat in oratione illa quæ incipit, Deus cuius propriũ est misereri semper & parcere. Hoc dicit proprium esse Deo: nã quemadmodum cõuenit creaturæ egenã esse & pauperẽ, & perinde ipsi cõpetit, accipere & nõ dare: ità cùm Deus infinitè sit diues & potens ipsi soli per excellẽtiam cõuenit dare, & nunquã recipere. Vnde ipsi soli proprium est misereri & parcere. ¶ Et nõ solùm hoc Deo proprium est: sed modo nostro intelligendi inter perfectiones quæ respectum habent ad creaturas, q magis diuinum est in ipso & magis gloriosum est misericordia: & propter quam ipse desiderat potiùs cognosci, & laudari. Et in visione illa magnifica in qua Moses vidit gloriam domini transire (vbi creditur vidisse propriam Dei essentiam & pulchritudinem, in qua etiam multas & admirabiles perfectiones credendum est vidisse) hæc misericordia diuina fuit, quam ipse Moses magnis vocibus exclamauit dicens, Dominator domine Deus misericors & patiens: & multæ miserationis. *Exod. 24.* Hæ fuerunt voces & testimonia, quæ sanctus propheta protulit de Deo post illam diuinam & gloriosam visionem, quæ omnia laudes, & encomia fuerunt suæ diuinæ misericordię. Si igitur Deus de hac virtute tantum gloriatur: cumque tam grandis gloria sit hominem Deo assimilari: excellentissimam iudicare debemus hanc virtutem quando hominem simillimum Deo efficit. Vt igitur grandi honore Deus nos afficiat, vtique in hanc tantam dignitatem nos constituat, vult vt benigni & misericordes simus. Et ad hoc faciendum nos magnifico præmio inuitat, vt misericordes simus.

Misericordia nos Deo similes facit & amabiles. ¶ Si igitur tu similis Deo fueris, aliquæ excellentiæ tibi subsequentur. Prima est: quia si omne animal diligit sibi simile, si misericors similis est Deo: nam festum est quod à domino magis diligetur. Nam cùm dominus infinitè misericors sit, omnes eos diligere debet, quos inuenerit misericordia indutos tanquam legitimos filios, qui ei assimulantur. Quid obsecro in mundo esse potest tanta æstimatione dignum? Si tanti æstimãtur homines cùm regum & principum familiares & amici sunt: quo pretio æstimari debet ea virtus quæ nos Deo coniungit, & illi similes facit?

¶ Deinde aliam excellentiam nobis comparamus, scilicet, vt oẽs misericordes ad misericordiam diuinam ius habeant; quia proximis suis vsi sunt misericordia. *Misericordia nos facit heredes misericordiæ diuinæ.* Eam nanque sententiam dominus tulit, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matt. 5.* Et sanctus Tobias, Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. *Tob. 4.* Ita enim fiet vt nec à te auertatur facies domini. Et in Ecclesiastico etiam habetur, Esto misericors pupillis vt pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius altissimi obediens: & miserebitur tui magis quàm mater. *Eccles. 4.* Et in Prouerbiis etiam dicitur. Anima quæ benefacit, impinguabitur, & qui inebriat ipse quoque inebriabitur. *Prouerb. 11.* Etenim seruus ille malus (vt in parabola illa euangelica dicitur) non in Deo inuenit misericordiam, imò asperè & durè punitus fuit, quia iudicium fiet sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam. *Matth. 18.* Ecõtra verò vir misericors consequetur misericordiam. Si igitur vis, vt Deus tui misereatur, misericors esto. *Iacob. 2.* Vis ne dominus rationem tuæ vitæ exigat iustitia, an misericordia? Sanctus ille Dauid cùm adeo integer esset, scelerisque purus, dominum orabat dicens, Non intres in iudicium cum seruo tuo domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. *Psalm. 142.* Tu autem sarcina peccatorum oppressus, negotia tua agere vis cum Deo ipsa iustitia? Tunc scias oportet, te velle, vt dominus rigore iustitiæ tecum agat: quando non fueris cum proximo misericordia vsus. Præsentaneum tibi remedium erit ad sacram anchoram misericordiæ confugere, si in portum salutis vis appellere, vt prudenter & sapienter sanctissimus Dauid faciebat, qui diuinam misericordiam implorans dicebat, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. *Psal. 50.* Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. At sanctus hic rex misericordiam impetrauit, quia ipse cum proximis vsus fuerat misericordia: nam cum potuisset inimicum suum Saulem interficere, misericordiæ locum dedit, illi parcens. *1. Reg. 24.* Vnde & meritò propheta sanctus Esaias de eo canit, Misericordias Dauid fideles. *Esai. 55.* Si igitur misericordia eius superexaltat iudicium: & ex vna aula iudicij potest quis in aliam superiorem aulam appellare: *Iacob. 2.* ita etiam tu ex diuina iustitia ad diuinam misericordiam appella, & hanc tuorum flagitiorum remedium debes accipere. At si cupis misericordiam in Deo inuenire, opus est vt pauperes & inopes in te etiam pietatem & benignitatem inueniant: nam si contra feceris, nec tu in Deo hanc misericordiam reperies. Quòd si mihi non credis, Sapientis dictis acquiesce, qui dicit, *Prou. 21.* Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis: ipse clamabit, & non exaudietur. At cum misericorde promptus est dominus, vt misericordia sua vtatur: adeò vt captiuum se asserat dominus eius, quia misericors est, vt duobus scripturæ sacræ locis optimè cõprobari potest. Alter locus isque egregius in Prouerb. habetur, vbi dicitur, Fœneratur domino, q miseretur pauperis. Alter verò ipsius etiã Salomonis est dicẽtis, Qui accipit mutuum seruus est fœneratoris. *Prouerb. 19.* *Prouerb. 22.* Vnde sequitur captiuũ dominũ manere eius, qui cũ paupere misericordia vtit, quia iste talis pecunias fœnerauit domino. Quid igitur obsecro maiori pretio erit æstimãdum (si ita loqui fas est) q̃ Deũ captiuum habere: & quasi quibusdam pietatis & misericordiæ compedibus ipsum deuinctum habere? Et quid desiderabiliùs in hac vita esse potest, quàm claues

ues viscerum pietatis domini in manibus habere, vt nobiscum sua benignitate vtatur? *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Cum iam misericordiam nobis superiùs commendauerit: nunc ostendit in quo cōsistat misericordia, quam erga proximos exercere debemus: nempè si eos non iudicauerimus. Charitas quippe & misericordia vetant ne quid mali de proximis suspicemur, néue fratres nostros temerè iudicemus. Imo potiùs semper omnia potiori parti tribuamus, & (si opus fuerit) multitudinem peccatorum operiamus: quod officium charitatis est.

1 Corin. 13. *Iudicium primarium & temerarium.* ¶ Aduerte autem, quòd hic non agitur de illo iudicio, quod ad iudicem vel prætorem spectat: sed de iudicio nostro agitur qđ aliquid mali de proximis suspicamur ex aliquibus signis illos temerè iudicantes esse peccatores. Quod munus erat Pharisæorum & Scribarum, qui sibi grauissima ignoscētes peccata, iudices agebant erga fratres suos inclementissimos, calumniantes quæ recta erant, sinistrè interpretātes dubia, & exaggerātes quæ leuia erant. Denique si quem videbant in aliquod graue crimen prolapsum, potius de hoc crimine agebant vt delinquentem perderent, quàm vt sanarent. Vnde iustitiæ obseruantissimos se prædicari faciebant, eò quòd maximo supercilio in lapsus alienos sæuirent: cùm id facerent non amore proximorum quos extinctos potiùs volebant, quàm correctos: nec odio vitiorum, cùm ipsi suis vitiis longè grauioribus indulgerent. ¶ Verùm aliqua hic obseruanda veniūt, Primò, quòd si signa sunt euidētia benè possum aliquem iudicare: nam si videro aliquem blasphemantē iudicare possum, ꝙ ille blasphemus sit: quia proximi malū est manifestū. Et etiam ex maximis coniecturis etiam tu poteris iudicium ferre, vt si videris suspectum cum suspecta, & in loco satis apto ad malum. Vnde per hanc suspitionē violentiā iudicauit

3. Reg. 3. Salomon quando dixit, Date huic infantem viuum hæc enim est mater eius: sed ex leuibus signis nō po-

Dubia in meliorē sunt interpretanda partem. teris in sinistram partē iudicare. Causæ nanque vel signa leuia in triplici differentia possunt esse. Primò quando ex leuibus signis mali, incipit quis dubitare de bonitate proximi: quodquidē veniale peccatum est, & prouenit ex humana infirmitate & imbecillitate: & hæc vocatur suspitio: nā iudicium dicit definitionē, quā ipse iudicans putat se habere. Hæc tum nō est definitio, sed dubitatio, an malus sit ille, qui priùs credebatur bonus. Secundò ex leuibus signis mali, firmiter solet quis tenere, ꝙ proximus malus sit: & hoc mortale est quando iudicauerit aliquod mortale esse, & veniale si iudicauerit aliquid veniale. Quod propriè vocatur iudicium: quia iudiciū importat certū, & est contra charitatē quia malū credit de proximo, ꝙ nō patet nec manifestū est: nā quilibet præsumi debet esse bonus, nisi cōtrariū clarum sit. Tertiò quando quis ex leuibus causis nō solùm credit proximum esse malum, sed etiam egreditur ad punitionem eius: quod nō solùm est cōtra charitatem, sed etiam contra iustitiam, & grauiùs peccat. Dubia enim semper interpretanda sunt in meliorem partem. In quod plerunque crimen multi homines grauissimè delinquere solent, vt ex leuibus signis, opus proximi semper in sinistrā partem retorqueant: & exteriora tantum videntes, penetralia cordis iudicent. Ea enim quæ bono, vel iniquo animo fieri possunt, semper animo recto facta putari debent: & charitate excusare, potiùs quàm in deteriorem imputare partem. Sed ad id obsecro attendas, quòd Paulus aduersus hos peccatores dicit, Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? In quo enim *Rom. 2.* alium iudicas, teipsum condemnas. Ea enim hominum iam est deprauata cōsuetudo, vt omnes faciles sint ad iudicādū temerariè de pximis. Et pauci quidem sunt ab hoc vitio alieni: adeo hominum creuit malitia. Maxima est copia medicorum, & omnes volunt aliorum infirmitates curare, & infirmis remedio prouidere. Præcipiebat dominus in Leuitico, *Leuit. 13.* vt septem diebus leprosus clauderetur. Nō permisit Deus sacerdotem facilè de lepra iudicare, sed suspendi voluit iudicium septem dierum spatio. Igitur dn̄s non permisit ita facilè de lepra, quæ oculis cernebatur iudicare: quomodo permittet te de cordis proximi tui malitia statim sententiam ferre? in primo volumine regum dicitur, quòd Bethsamitæ *1. Reg. 6.* cum arcam domini nimis curiosè intuerētur, de illis percussit dominus septuaginta viros, & quinquaginta millia de plebe. Quantò obsecro secretiùs est ipsum hominis cor, quàm illa arca? Quantò maior temeritas penetralia cordis hominis iudicare: quàm secretia loca arcæ illius? Maximè igitur tu, qui hunc pessimum morem habes, vt semper alienam vitam inquiras, timere debes ne in te dominus mittat similem punitionē & maiorem, quàm Bethsamitis dedit ob insanam suam audaciam. Fieri non poterit quin in manus diuinæ iræ incidas: quandoquidē tam audax es vt officium Dei fureris. Homo *1. Reg. 16.* quippe videt quæ foris sunt, Deus autē intuetur cor. Si igitur solus dominus corda hominū videt, quid est quod officium domini vsurpare vis, qui hominum intentiones nouit, & iudicat? At dominus honorem suum recuperabit: & in te grauius, quàm tu cogitas, animaduertet. ¶ Obserua autem quòd hæc *Iudicia temeraria ex triplici radice.* iudicia temeraria ex triplici radice oriri solent: primò, quia si aliquis malus est, ideo credit, alios ei esse similes: nam homo non potest melius de alio, quā de seipso sentire: hoc enim omnis affectus habet, vt in quo homo insanit, cogitet & alios omnes insanire. Vnde in Ecclesiaste habetur, In via stultus am- *Eccl. 10.* bulans, cū ipse sit insipiens, cæteros putat insanire. Quod quidē non alio, quàm ipso experimento cognouimus: Nā cum auarus semper assuescat emendo & vendendo proximos suos fallere, alios omnes idem facere existimat. Luxuriosi etiam & carnis voluptatibus dediti, facilè etiā credunt & iudicant viros religiosos idem facere: cùm ipsi nō possint seipsos frænare. Si Vagao cubicularius Holofernis qui gentilis erat & carnalis, facilè iudicauit Holofernē cum Iudith dormire: cum lōgè aliter esset. Qui iniquus est, semper malitiā cogitat, & vbi peccatum *Iud. 14.* nō est, peccatum imaginatur: & vbi pax & trāquillitas cōscientiæ est, semper mala multa ibi existimat. Vnde sanctissimus Iob dicebat, Cū pax sit, ille semp *Iob. 15.* suspicatur insidias. Bonis aūt multò aliter cōtingit iudicare: nā cū recti sint simpliciter ambulant, & cū omnibus loquātur veritatē, ita de aliis iudicāt. Iosue *Iosue. 9.* & populus Dei, qa boni erāt crediderunt facilè Gabaonitis dicētibus, ꝙ de lōginquo venerāt: nec iudicarūt Gabaonitas cū dolo ad eos accessisse. Sācti etiā quia ipsis amica est veritas neminē putant mētiri, & fallere quid sit ignorāt. Vnde Salomon in Prouerb. Innocēs credit omni verbo. Est enim christianæ mā- *Prou. 14.* suetudinis & pietatis proximi dicta factáque simul quoquo animo fiant, semper in meliorē partē interpretari. Nā syncerus animus semper ꝓpensior est ad bonū opinandū, quā ad suspicādū malū, nisi ipsa res

aliter

aliter manifeſtè indicauerit. Sed ſcelerati, quia impietate pleni ſunt facilè alios ex quacunque leui cauſa ſiniſtri iudicant: & aliquando etiam ex leuiſſima aut prorſus nulla cauſa credentes tales alios eſſe quales ipſi ſunt.

Odium cauſa eſt iudicij temerarij.

¶Secundò etiam hæc temeraria iudicia reſiliunt ex odio & mala voluntate: nam ſolùm ob hoc, quia quis alium odit, vel inuidet ei, vel etiã ex leuiſſimis ſignis malè de illo iudicauit, quia vnicuique facilè perſuadetur id quod deſiderat. Sic Phariſęi, q̃ Chriſtum inimico proſequebãtur odio facilè credebant illum non eſſe prophetam, ſicut ille Simeon Phariſæus interius cogitabat, quia permittebat ſe tanti à muliere illa peccatrice. *Luc. 7.* *Ioan. 9.* Et cùm cæcus à natiuitate id teſtificaretur, non illi acquieſcentes parentes eiꝰ de veritate interrogauerunt. Iſti nanque qui proximos odiunt, proni ſunt ad malè iudicandum de illis. ¶Tertiò hæc temeraria iudicia reſultant ex longa experientia, ſcilicet, quando quis diu expertus eſt aliquos homines mala operari, illorum malitiã ex facillimis ſignis comprehendit. Ideò ſenes plerunq; ſolent eſſe, qui de aliis ſuſpicantur, quia experti ſunt aliorum defectus: iuuenes autem quia pauca viderunt non ſuſpicantur malum, ſed omnia in bonam partem coniiciunt. ¶Poſtremò obſeruãdum, quod Chriſtus hic dicit, quòd qui malè non iudicat, non iudicabitur, ſcilicet, à Deo. Hoc intelligi puto illum non iudicandum eſſe de hoc peccato iudicij temerarij: nam de aliis ſine dubio iudicabitur. Nã quanuis aliquis non iudicet alios, ne aliquid mali cõmiſerit circa hanc Chriſti prohibitionem: ſi aliàs ſit vſurarius, fornicator, vel aliud flagitium commiſerit, iudicium vtique domini experietur, & damnabitur propter huiuſmodi ſcelera. Itaque illa verba, non iudicabimini, de peccato iudicij temerarij intelligenda veniunt, ſi alios non iudicaueritis: ſicut nec vir caſtus iudicabitur de peccato luxuriæ, quod non commiſit. *Nolite condẽnare & non condemnabimini.* Quæ verba cõſequentia ſunt ad ſuperiorem doctrinam: nam condemnatio iudicium ſequitur.

Cõdẽnatio in dicium ſequitur.

Nam quemadmodum inordinatum iudicium prohibetur, ita non quæuis aliorum cõdemnatio: ſed iniuſta interdicitur. Ideo præceptum hoc ſicut ſuperiùs intelligẽdum eſſe puto, ſcilicet, quòd non condemnabitur propter peccatum cõdemnationis iniuſtæ ſui proximi, quãuis pro aliis damnabitur: etiam ſi ab hoc immunis ſit. Noli igitur aliquem cõdemnare: nam ſæpè humanum fallitur iudicium, cùm inſontem aliquando damnamus, qui quanuis hodie malus ſit, craſtina die erit bonus. In Eccl. enim dicitur, Facile eſt in oculis domini ſubitò honeſtare pauperem. Et rurſus, A mane vſque ad veſperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis domini. *Eccleſ. 11.* *Eccleſ. 18.* Ex quo loco diſcere oportet, vt neminem contemnas, quanuis iniquus ille ſit: quia finem eius non noſti: nam, ſi hodie prauus eſt, forſitã cras rectus exiſtet. Nam fieri poteſt, vt quos hodie errare vides, Deus ſua præſcientia prædeſtinatos habeat, vt in numero collocentur ſanctorũ. Tempus vẽturum noſti, nec quid dominus de aliis facturus ſit. Quod tu rectè noſti, id eſt, quàm grauis & iniquus peccator ſis, & dignus, vt ab omnibus deſpiciaris, & tormẽtis æternis crucieris. Quocirca teipſum damna, & non alios, quãdoquidẽ neſcis quid faciet de illis dominus: Cumq́ue Deus nõ ſis, qui omnia nouit, ſemper in meliorem partem quæ videris iudica nec aliquem condẽnes. Quod ſi aliorum opus non potueris excuſare, intentionem tamen excuſes quæ recta eſſe potuit: vel dic ignorantia eum peccaſſe. At ſi denique fratrem tuum nulla ratione potueris à peccato excuſare, credere debes illum grauiſſimè à dęmone fuiſſe tentatũ: quódque ſi tu tam graui tẽtatione fuiſſes expugnatus forſitã deterior & iniquior eſſes. Gratias igitur domino agito, qui ſimilem tentationem non tibi appoſuit: & pro fratre tuo, qui cecidit, ora. Et apoſtoli dictũ ſemper memineris dicẽtis. Qui ſtat, videat ne cadat. *1. Cor. 10.* Nã ſi elatus ſuperbia ſeueriſſimus iudex aduerſus fratrẽ tuum exiteris illum dãnando: permittet Deus, vt in illud peccatum incidas, de quo alium cõdemnas, vt vel ſic dominus tuam inſaniam puniat. Vt beato Petro contigit, qui cum plus de ſe quàm de cæteris præſumeret, dominum negauit. *Matth. 26.* *Dimittite, & dimittemini.* Priori fundamento de miſericordia inititur, quæ etiã conſiſtit in remittendo: ideo ait, Dimittite & dimittemini. Hoc eſt, Dimittite iniurias vobis illatas, & dimittetur vobis peccatum à Deo: quem mille flagitiis ſemper offendiſtis. Hinc dominus apud Matt. dicit, Cùm ſtabitis ad orandum dimittite, ſi quid habetis aduerſus aliquem: vt pater veſter, qui in cœlis eſt dimittat vobis peccata veſtra. *Matth 11.* Ideo orare nos docuit, Dimitte nobis debita noſtra: ſicut nos dimittimus debitoribus noſtris. *Matth. 6.* Et Paulus etiam ad Coloſ. ſcribens inquit, Induite vos ſicut electi Dei viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patiẽtiam, ſupportantes inuicem & donãtes vobis, &c. *Colo. 3.* Sed ſunt multi, qui aliam legem ſibi velint, aliam verò aliis. Volunt nanque vt aliorũ peccata grauiſſimè puniantur, & vt ſua propria, in quæ quotidie delinquunt dominus diſſimulet. Contra Eccleſ. inquit, Homo homini ſeruat iram, & à Deo quærit medelam. *Eccl. 28.* In hominem ſibi ſimilem non habet miſericordiam, & pro peccatis ſuis deprecatur. In quo loco maximè aduertere debes, quomodo Deus in manibus tuis ſuam poſuerit miſericordiam. Nã ſi vis vt dominus tecum ſua miſericordia vtatur, vtaris tu etiã benignitate & pietate cum proximo tuo: vt Eccle. conſulit dicens, Relinquere proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi ſoluentur peccata tua. *Eccl. 3.* Quid eſt obſecro de quo cõquereris? Nónne tu dominum offendiſti. Quid miraris ſi proximi tui te etiam offenderint. Etenim is qui Deũ offenſum habet, nõ ægrè debet ferre, quòd ab aliquo noceatur: quandoquidem cùm aduerſus Deum deliquimus, digni ſumus, vt vniuerſus mũdus aduerſus nos inſurgat pro honore domini clamans. De quo igitur conquereris, cùm aduerſus Deum peccaueris? Nullam rationem habes querimoniæ, quòd homines aduerſus te inſurgant, quandoquidem toties contra dominum caput leuaſti. Parce igitur illis, vt dominus veniã tibi cõdonet. Tertiò miſericordia cõſiſtit in dando. Ideo ait, *Date & dabitur vobis.* Date pauperibus bona temporalia, & dabit vobis dominus pro illis æterna: Nam planetę, quibus ſuffragiis poſſunt terram adiuuant: nam virtutẽ prębent germinandi, & creãdi: & illam illuminat, & vberẽ reddunt. Sic diuites, magnates, & principes debent cõmunicare inferioribus & pauperibꝰ ſua bona, illos alendo, paſcendo, & auxilium illis præſtando. Dato igitur, vt dominus reddat tibi: Nam in Prou. de illa forti muliere dicitur, Manus eius aperuit inopi, & palmas eius extendit ad pauperem. *Prou. 31.* Cùm pauperi aliquid largiris tẽporale numiſma pro ęterno com-

mutas: nam melius, & pretiosius numisma tibi reddet dominus in cœlo, quã id, quod tu in terra pauperibus tribuis. ¶ Præterea quando putatur arbor, magis ramos suos extendit, & abundantiores fructus producit: ita etiam tu opus habes, vt superflui rami amputentur, & quod pauperibus tribuas id quod nõ necessum est tibi: vt vel ita auctus sis in me-

3 Reg.17. ritis, & in ministerio domini. Nunquam necessariũ ei deficiet, qui semper recordabitur pauperum: vt contigit illi mulieri quæ hospitata fuit Heliam, cui farina nec oleum defuit. Pauperem dominus fecit, vt medicina esset diuiti: vnde semper pauper infirmitatibus & vlceribus diuitis medetur. Quocirca quando diues pauperẽ non diligit, nec ei subuenire vult, inimicus propriæ salutis est: quãdo suæ ægritudini non vult medicamentum adhiberi.

Liberalitas erga pauperes laudabilis. ¶ Insuper etiam obseruabis quòd id, quod Christus de largitione hîc dicit, non solum intelligendũ est de generali omnium rerum liberalitate, sed præcipuè de eo opere, quod in pauperes cõfertur. Plurimos nãque homines in mundo reperies qui liberales sunt, vel vt melius loquar suarum rerũ incauti cõsumptores, qui semper indigentia laborant quia substantiam suam in vanitatibus, & deliciis consumunt: & cum parasitis benignè agunt, mundo semper deseruientes. Respondeas obsecro, an ne liberales arbores iudicas, quibus ventus fructus rapit? Anne magnificum & liberalem eum hominem appellabis, cui ventus pileum capitis leuat, aut pallium surripit? Ita nimirum ij liberales nõ sunt, quibus vanitatis ventus, rem suam rapit, vt aliis tribuat. Qui quidem homines hoc liberalitatis nomine non appellandi veniunt, neq; commune aliquid cũ libertatis virtute habent, neq; id, quod hic Christus iubet adimplent. Quocirca pauperi & inopi semper tribuendum est. Quòd si ab hominibus laudari desideras, melius hoc obtinebis, si pauperibus liberalem te ostenderis: quàm si phaleratis equis & tapetibus studeas. Melius quidem homines, qui ora habent & linguas, tua encomia & laudes prædicabũt quã ipsi parietes & equi qui loquela destituti sunt. Quod igitur consumis in cooperiendis parietibus domus tuæ, quare obsecro non consumis in operiendis Christi pauperibus? Plus laudis tibi conferent hi, quàm parietes. Liberalis esto cum indigentibus & egenis: tũcq; gratus Deo existes, & iucundus hominibus. Qui liberalis est, nũquam orbatus est amicis: nam qui omnibus largitur, etiam si multi ingrati sint, nunquam carebit amicis. Contra vero auarus omnibus odio habetur, nam à pauperibus maledicitur, & domestici eius mortẽ illi deprecãtur: & si aliquod aliud vitiũ habet, statim ab omnibus manifestatur. Omnes liberalẽ tegũt, nec deest, qui pro honore suo pugnet, & murmuratorem eius reprehendat. Multa beneficia accipit, qui impendere scit. Valdè nobilis cõditio est liberalis: vnde beatus iudicari debet in terra, iuxta illud quod

Act.20. Paulus in Act. ait, Oportet reminisci verbi domini Iesu: quia beatiùs est dare, quã accipere. Tantò meliùs est dare, quàm accipere, quantò melius diligere, quàm diligi: nam amare in prædicamento actionis est, & amari nec actionẽ nec meritũ dicit: Deus omnibus dat, & à nemine accipit, vnde qui tribuit similior Deo est. Esto amicus Dei quia ita liberalis eris, pius & iustus: nam quantò auarus omniũ oculis vilis est & detestabilis, tãtò ex diametro liberalis nobilis est & generosus. Diuitiæ ancillæ sunt virorũ sapientum, & dominæ insanorũ, & insipientiũ. Etiã si prodigalitas vitium sit deteriùs tamen est auaritia: nam auarus nemini bonus est: & prodigus, etiã si sibi malus sit, tamen multis prodest, & honorem sibi comparat. & dominus est illorũ, quibus aliquid donat, iuxta illud sapientis, Victoriam & honorem acquirit, qui dat munera. Verùm quanuis his ratio- Prou.22.
nibus & Christi exẽplo, multa oportet, vt proximis beneficia impendamus: nihilominus, vt ad charitatis opera prouocemur, mercedem in medium proponit, vt nos alliciat, si tamen tantæ perfectionis nõ sumus, vt solo Christi amore id agere enitamur. Ideò ait, *Mensuram bonam & cõfertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.* Mẽsuram quippe bonam: id est, iustã retribuet, quia erit secũdum exigẽtiam meritorum, iuxta illud Psal. Reddes vni- Psal.61.
cuiq; secundum opera sua. Confertam, quia supra Rom.8.
condignum erit, sicut Pau. ait, Non sunt condignæ passiones huius sæculi ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Coagitatã, id est, suprà id quod desiderari potest: secũdum illud apostoli, Ei autem Ephe.3.
qui potens est omnia facere superabundanter quã petimus. Superfluentem, id est, suprà id quod humana cogitatio attingere valet, sicut Esai. compro- Esa.64.
bat, Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti diligẽtibus te. A quo diuus Paulus & illud accepit, nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Hoc 1.Cor.2.
autem verborum circum loquio, & his ambagibus dominus vult exprimere, quàm maxima illa retributio erit: quæquidem humanum intellectum longo interuallo superat. Itaque, vt nobis commendet maximum illud præmium & vberem retributionẽ, quàm dominus reddet eis, qui fuerint in pauperes misericordes illa verborum ambage vtitur. Ideò in Prou. dicitur, De primitiis frugum tuarum da pau- Prou.3.
peribus, & implebuntur horrea tua sacietate.

¶ Obserua autem quòd quanuis hæc mensura tribuatur ab vno Deo, tamen numero plurali Christus vtitur, dabũt, inquam, pauperes, quibus opera pietatis impenditis: quia ipsis interuenientibus datur hæc merces. Sic Cornelio dictum est, Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Præterea in sinum dicit vestrum, Act.10.
In sinũ, inquã, non tunicæ, sed animæ. Sinus vtique *Sinus noster, intellectus noster.*
intellectus noster est qui replebitur gloria visionis apertæ: & affectus qui implebitur lætitia dilectionis perfectæ. Iusta enim futura est retributio: Nam qui in sinum pauperis abscondit eleemosynam, iustum est quòd Deus in sinum suum elemosynam suã abscondat: vt Eccl. ait, Conclude eleemosynam in si- Eccle.29.
num pauperis, & ipsa pro te exorabit ab omni malo. Rursus obseruandum quod quadruplex bonum donatur à Deo propter pietatis opera. Bona scilicet, fortunæ quæ sunt diuitiæ, ideo ait mensuram bonam: alia sunt bona naturæ, ad quæ refertur mensura conferta: tertia bona sunt gratiæ, ad quæ mẽsura coagitata refertur: vltima sunt bona gloriæ, ad quæ spectat mensura superfluens. *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Hoc referri potest ad id quod antea dixerat de malo proximis non impendendo, id est nolite iudicare, nolite condemnare. Et referri etiã potest ad id, quod proximè dixerat de largitione, scilicet, date & dabitur vobis. Itaque sensus verborũ est. Si iudicaueritis, iudicabimini, si condẽnaueritis condẽnabimini: & si dederitis, dabitur vobis. Et eodẽ modo si parũ mali impẽderitis, parum vobis impendetur: & si multum, vobis etiam

etiam multum fiet. Et ita si parum dederitis, parum vobis dabitur: & si multa bona impēderitis, copiosam mercedem accipietis. Quemadmodum cum aliis egeritis, sic vobiscū agetur: & qua mensura mēsi fueritis, & vos mensurabimini. Et deniq; vt vultis vobiscum fieri, ita cum proximis facite. Nā iudiciū *Iacob.2.* (Iac. inquit) fiet sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam. Si proximo tuo iniuriam intuleris, si eum iudicaueris, si condemnaueris, si denegaueris ei auxilium & consilium: tua ipsa malitia reuertetur in sinum tuum: vt ob eandem causam malum *3.Reg.22.* tibi asciscas, ob quam alteri malum moliebaris. Sic impius Achab & Iezabel interficientes Naboth, iuxta mensuram delicti puniti sunt: nam iuxta verbum Heliæ in eodem loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, linxerunt etiam sanguinem Achab. Fratres etiam Ioseph magnis tribulationibus fuerūt in Ægypto oppressi, quia fratrem suum Io- *Genes.44.* seph non audierunt. Vnde dixerūt, Meritò hæc patimur quia peccauimus in fratrem nostrum, & nō audiuimus vocem eius dum deprecaretur nos. Eo- *Exod 1.* dem etiam modo quia Pharao rex Ægypti suffoca- *Exod.14.* bat in aquis filios Israel, eadem pœna & ipse punitus est, quia suffocatus fuit, & ipse in mari Rubro *Iudic.1.* cum illis, qui ei consenserunt. In lib. Iudic. etiam legimus dixisse Adonisedech. Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. Sicut feci, ita reddidit mihi dominus. Illi etiam de tribu Beniamin, qui abstulerunt vxorem Leuitæ, quia ipsi ra- *Iudi.19. Iudi.20.* puerunt alienam, non habuerunt vxores Israeliticas, sed alienas ex raptu, quas sibi iunxerunt nō tamen connubij sacramento. Et meritò quidem id illis contigit, vt qui alienum contubernium soluerāt ipsi nuptiarum amitterent solēnitatem. Simili etiā *Ioan.8.* modo quia Pharisæi peccata manifestabant illius mulieris adulteræ: ideò dominus peccata illorum in terra scribebat. Quapropter si tu charitatem cū proximo non habes, & eius manifestas peccata: eodem modo tua peccata manifestabit dominus. Vn- *Deut.25.* de in Deut. dicitur, Pro mensura peccati erit & pla- *Apoc.18.* garum modus. Et in Apocal. etiam habetur, Quantum se glorificauit in deliciis, tantum date illi de tormentis. Itaq; quale iudicium fecerimus de proximo, tale iudicium faciet Deus de nobis. In hoc tamen differunt quia iudicium nostrum de proximo cùm malum sit, tamen Dei iudicium de nobis non malum est, sed iustum. Et erit tantum secundum quantitatem: quia quantum malum nos intulimus proximo iniustè iudicando de eo: tantū malum pœnæ nobis infert iustè. Nam iustitia æqualitatem seruat in retribuendo. At si bonum egeris bonum accipies. Secundum enim proportionē meriti vestri erit gradus præmij: quia præmium merito correspondet, potiusq; pensatur secundum magnitudinem interioris affectus, quàm operis exterioris: sicut illa vidua, q̄ duo minuta misit, plus de- *Matth 12.* dit diuitibus. Vnde meritò dominus dicit, In domo *Luc.21.* patris mei māsiones multæ sunt: id est, diuersi gra- *Ioan.14.* dus præmij iuxta diuersitatem meritorum. Et Pau- *1.Cor.9.* lus suis Cor. dicit, Qui parcè seminat, parcè & metet: qui seminat in benedictionibus, de benedictio- *Esai.27.* nibus, & metet. Et per Esai. dominus ait, In mensura contra mensuram iudicabo eam. Sicut enim fecerimus siue bonum siue malum, sic fiet nobis: & secundum dignitatem meritorum nobis retribuetur. Expende autem quòd non iniqua mensura, vt ait Ambr. rependet Deus sed est acsi dicat, Ipsa iniquitas iudicandi, & iniqua mensura tibi nocet, & teipsum punit: & sępè nō illum quem iudicas. Quo nimirum, è tremendo illo iudicio nos admonet, vt sciam actiones nostras non ab hominibus, sed à Deo examinandas. Docet etiam digno præmio se compensaturū illa opera, quæ proximis impenderimus, in vltimò die iudicij. Docet deniq; tantum misericordiæ vnicuiq; fidelium dominum retribuere debere, quantum adhuc viuens ipse fidelis in hac vita proximis fuerit impartitus. Vnde optimè huic proposito concinit Paulus, Vnusquisque secundum *1.Cor.3.* suum laborem mercedem accipiet.

¶Obserua autem quòd cùm de pręmio boni siue mensura loqueretur, dixit mensuram futuram esse bonam, confertā, coagitatam, & superfluentem: sed cū de mensura mali loquutus esset non sic dixit, sed absolutè loquutus inquit, Eadē mensura qua mensi fueritis remetietur vobis. Ratio autē quare maior mensura detur bono, quā malo illa est, scilicet, quia dare bono vltra meritum pertinet ad liberalitatem: dare autem malo vltra demeritum pertinet ad misericordiam. Deus enim iuxta theologorum sententiam punit citra condignum, & præmiat vltra condignum. *Dicebat autem illis, & similitudinem. Nunquid potest cæcus cæcum ducere: nónne in foueam cadent ambo?* Per metaphorā de spirituali cæcitate loquitur, quæ *Cæcitas spiritualis à corporali distinguitur.* cæcitas multo deterior est cæcitate corporis: nō tātum quia nobilius subiectū est anima, sed quia maiori cæcitate plectūtur. Nam qui cæcitate corporis laborat, cognoscit se cæcum esse: sed cæci mente seipsos cæcos esse non agnoscūt. Vnde saluator Pharisæis dixit, Si cæci essetis non haberetis peccatum: *Ioan.9.* nunc verò quia dicitis videmus, peccatum vestrum manet. Hæc est misera & deploranda peccatorum cæcitas, vt non videntes, videre se putēt. De quibus diuus Pau. inquit, Dicentes se sapientes, stulti facti sunt. Sensus itaque huius loci est, Qui seipsum ne- *Rom.1.* scit, qui sui corā non habet, qui propriam animā nō diligit, quomodo alios diliget? Qui cæcus est, & in tenebris ignorantiæ ambulat: quomodo alios illuminabit? Qui ignorās est, & stultus, quomodo alios docere potest? Ambo vtique in errorem vel vitiorū foueam cadent. Ignarus quippe vel vitiis deditus, non est idoneus regere, aut per semitas iustitiæ ducere alios ad beatitudinem: sed tam ipse qui ducit, quàm qui ducuntur in vitiorum foueam cadent, de qua in Prou. Impius cùm in profundum peccatorū *Prou.18.* venerit contemnit. Et Esa. in hunc modum loqu- *Esa.24.* tus inquit, Formido, & fouea & laqueus super te, qui habitator es terræ. Deinde ruunt in lacum gehennæ, de quo in Ezech. dicitur, Dormierunt cum *Eze.31.* his, qui descenderunt in lacum. Et diuinus vates, *Psal.87.* Æstimatus sum cum descendentibus in lacum.

¶Docet hîc Christus prælatos sapiētia, scientia, *Eorū sapiētia sanctitas & eruditio.* & sanctitate, debere pollere, nam aliter seipsos, & alios pręcipitabunt, & perdent: cū suo consilio alios errare faciāt. Ridiculum enim est, vt qui speculator est cæcus sit, doctor inscius, preco mutus, & prælatus insipiēs. Habet enim se prælatus in populo sicut oculus in corpore. Vnde in Iere. scriptum est, Quia *Ierem.10.* stultè egerunt pastores, & dominum non exquisierūt: propterea omnis grex eorum dissipata est. Modo autem vt vera loquar miserendum est, cum in ecclesia tot videamus prælatos ignaros, tot cæcos sacerdotes, qui alios cæcos ducunt: sicut sacerdotes filij Heli, de quibus in libro primo Regum di-

1 Reg. 2. citur, quòd Ophni & Phinees erant filij Belial ne-
1 Reg. 4. scientes dominū, neque officiū sacerdotum: ideóq;
2. Reg. 5. infœlici & miseranda morte perierunt. Et in secun-
do volumine Reg. dicitur, quod Iebusæi posuerunt
super muros Hierosalem cæcos in despectum Da-
uid. Sic multi super muros ecclesiæ, vt illam defen-
dant & tueantur prælatos cæcos cōstituunt. Quod
Esa. 56. lamentatur valdè Esa. dicens, Speculatores eius cę-
ci omnes, nescierunt vniuersi. Vides quomodo Esa.
de cæcitate spirituali, quæ ignorantia est loquitur,
quia dixit, Nescierunt vniuersi. Dolor quidem est
cùm tot videamus ignaros sacerdotes, qui nec pri-
ma grammatices rudimenta didicerunt: qui vehe-
menter cupiunt confessarij esse: & pro rostris præ-
dicare. Et sunt alij, qui cum theologi non sint epis-
copatus ambiant, & in supremas dignitates euehi:
cum isti miseri nesciant, quod proprium episcopi
Amb. 1. offi. cap. 1. munus sit docere & erudire. Sic in consecratione
episcoporū consecrator tradit consecrando librum
missalem ad scapulas dicens, Vade & prædica oui-
bus tibi commissis. Sed dicito mihi, Quomodo sa-
cram scripturam interpretabitur qui theologiam
non didicit, & forsitan nec bibliam legit? Quomo-
do iurat in consecratione, quod calluit vtrumq; te-
stamentū in vtroque sensu, qui in vita nil aliud egit,
quàm venationi & voluptatibus studere? Et qui iu-
ri Cæsareo dedit semper operā, Bartolo, Baldo, Fe-
lino, & aliis huius cateruæ doctoribus: quomodo
cum veritate affirmare potest quod nouit vtrumq;
testamentum in vtroq; sensu? Quod si discas cano-
nistas & iurisconsultos plus nosse de negotiis pu-
blicis, & quomodo agēda sint: hoc prorsus ridicu-
lum est, eos homines in prelatos eligere, qui potiùs
apti sint litibus & negotiationibus, quā docendo &
prædicādo. Apostoli, qui prælati & episcopi eccle-
Act. 6. siæ erant dixerunt, Non est æquum nos relinquere
verbum Dei, & ministrare mensis. Propterea dixe-
runt, Considerate fratres, viros ex vobis boni testi-
monij septē plenos spiritu sancto & sapientia, quos
constituamus super hoc opus. Nos verò orationi &
ministerio verbi Dei instantes erimus. Et sic ele-
gerunt septem diaconos, qui se exercerent iuxta ea
quæ ad corpus & ad causas populi spectarent: apo-
stoli autem prædicationi euangelij & orationi va-
cabant. Ita equidem bonum est & sanctū, vt epis-
copi vicarios habeāt, & prouisores iuristas, qui ca-
nones ecclesiæ sciant: vt iudiciarias causas ecclesiæ
iudicent. At officium episcopi & pastoris est doce-
re & prędicare populo: ad hoc autem munus quàm
aptior & paratior sit theologus quàm iurista, tuo
id arbitrio relinquo. Etenim officium boni pasto-
ris est oues à lupis hæreticis defendere: quomodo
rogo aduersus hæreticos disputabit qui theologus
nō est? Solus theologus iudicare & discernere pōt,
quæ propositio hæretica sit, temeraria, erronea, vel
scādalū minās. Solus theologus scire potest, qui cō-
cionator verā aut falsā doctrinā prædicat. At si hæc
iudicare, examinare, & æqua lāce pēsare munus est
episcopi: qui hæc ignorauerit, quo iure in episcopa
tū ascēdet? Et apostolis, quorū successores sūt epis-
copi dixit Christus, Ite, & prædicate euāgeliū. Non
misit illos ad litigandum: sed vt euangelium prędi-
cent: quod munus est episcoporum, vt ipsimet apo-
stoli fatentur? Et in sacrosanctis cōciliis, quæ ad in-
columitatem & stabilitatem ecclesiæ pertinent, vbi
iurant ad futuros esse præsentes omnes episcopi,
qui in concilio aget qui theologus non fuerit? Aut
quod munus ibi exercebit? Vtiq; ligni elinguis, vel Marc. 16.
lapidis muti. Qui fieri poterit, vt aduersus hæreses Act. 4.
disputet: aut quomodo de sacramentis aget, qui
theologus non est? Quòd si responderis, quod hi e-
piscopi secum ducunt doctores theologos, qui eos
illuminent, dirigant & doceāt: quid dicturi, quidue
responsuri sint, vt nostris temporibus cōtigit in sa-
cro Tridentino cōcilio. In hac quidē re nō possum
me à risu temperare, vt velint episcopi dignitatem
habere, redditus & honorem episcopalem: & vt la-
borem ferant theologi scientia sua onusti, & fame
pereuntes. Melius quidem hi episcopi facerēt & sa-
lubrius si episcopatus renunciarent theologis quā-
doquidem agnoscunt magis aptos & benemeritos
ad tale munus esse: quod quidē ipsi negare nō pos-
sunt, quandoquidem necessitatis articulo suā scien-
tiam & literas implorant, & ad theologos tāquam
ad sacram anchoram confugiunt. Sed non tantum
esset mali si semper has dignitates ascenderēt Iuris-
consulti: sed grauiùs malum est, vt in his dignitati-
bus constituti sint homines omni prorsus scientia
destituti, siue Theologia, siue iure Pōtificio, siue Cę
sareo. Vbi per Christi amorem consideres obsecro
si oues tales pastores & custodes habent, quid fa-
cient? aut quem finem habebunt? Etenim ea domi-
ni sententia firma & stabilis manet. Si cæcus cæcum
ducit, ambo in foueam cadent. Sed de his dicta suf-
ficiant. Iam verò audiamus quid vlterius diuina sa-
pientia proferat. *Non est discipulus supra magistrū.* Quia
non æqualis sapientiæ est: quod intelligendum ve-
nit quandiu discipulus fuerit. Nam si aliquādo cō-
tingit discipulos doctiores fieri magistro, hoc nō
est quatenus discipuli sunt: sed quia iam ingenio
suo altiora petierunt, & studendo emendicarunt.
Sēsus igitur est huius loci. Si tu cæcus es, alium du-
cere non poteris, quia cæcus etiam erit tuus disci-
pulus: nam si magister cæcitate laborat, cum disci-
pulus non sit supra magistrum, cæcus & ipse disci-
pulus manebit. Et si tu malus fueris, alios non po-
teris bonos facere: quia tuo iniquo exemplo illos
destrues. Quòd si forsitan discipulus tuus teipso
melior extiterit, non ex tuo magisterio hoc habet,
sed ex alio.

¶Ex hoc loco discas oportet, in omnibus tribu-
lationibus & laboribus patiētiam habere, quia nō
est discipulus suprà magistrū. Magister quippe tuus
domin' Iesus Christus cū nullo esset malo dignus,
siquidem peccatum non fecit, nec dolus inuentus
est in ore eius, omne malū patienter tollerauit, ipso
dicente: In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui 1. Pet. 2.
conturbauerunt me, & omnes fluctus tuos induxi- Psal. 87.
sti super me. E contra verò nos discipuli eius omni
malo digni, nullum malum pati volumus: cùm al j
discipuli cupiant suis magistris similes esse nos vo-
lumus dissimiles fieri. *Perfectus autē omnis erit si sit sicut
magister eius.* Id est, si ei assimiletur per imitationem,
aut si per æqualitatem conformis illi fiat. Non ta-
men absolutè erit perfectus, sed in certo gradu, sta-
tu, aut ordine: vtpote qui perfectus est quantum ad
id quod à suo didicit magistro. Quę verba Christus
protulit, vt ostenderet, quod cæcus non valet cæcū
ducere. Id est prelatus ignarus regere alios non po-
test: quia prelatus constitutus est magister subdito-
rum suorū. Ideo si ipse prælatus errauerit, ipsi quo-
que subditi errabūt, nec perfectiores sunt eo, vt re-
gulariter loquamur, quāuis Deus dilectos suos nō
deserat. Sed diuina & angelica vnctiōe instruat. Sed
sunt

ſunt multi prælati qui cùm deſides ſint in obſequio Dei, profani & malis moribus imbuti, grates, & acres iudices ſe volunt oſtendere in puniendis peccatis minimis ſubditorum: cumque ſcandalum ex propria vita ſemper iniiciant, ſolis verbis emendare volũt, quòd malis moribus & operibus deſtruũt. ad hos igitur dominus loquitur dicẽs, *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: trabem autem quæ in oculo tuo eſt non conſideras?* [*Feſtuca, irã, trabs odiũ ſignificat.*] Oculus intentio cordis eſt, feſtuca ira ſubita. Fieri quippe difficiliter poteſt, vt non iraſcamur aliquando: cùm natura iraſcibiles ſimus. Sed coercẽda eſt ira ne limites rationis excedat, vt [*Pſal. 4.*] Pſal. Iraſcimini & nolite peccare. Ira quippe inueterata conuertitur in odium, & fit tanquam trabs: inter quod & homicidium nihil intereſt. Qui [*1. Ioan. 3.*] odit fratrem ſuum (inquit Ioann.) homicida eſt. Et quanuis leuis ira multoties ſit peccatum, eſt tamen paruum reſpectu odij, ſicut feſtuca reſpectu trabis. Tantum enim intereſt inter feſtucam & trabem, quantum inter iram & odium. Odium nanque inueterata ira eſt: fieri autem poteſt, vt homini iraſcaris, quem velis corrigi: non autem ſi eum oderis: quia ille, qui proximũ odit, nullum bonum ei vult, & tamen correctio bonum quoddam eſt.

¶ Dicitur autem in oculo fratris tui, non quidẽ quòd trabs poſſit eſſe in oculo: ſed ad ſignificãdum periculum quod ſequitur hominem exiſtentem in peccato. Nam ſi quis feſtucam vel trabem in pede vel manu vel in quauis alia parte corporis habeat, nõ eſt manifeſtum periculum: in oculo autem grauiſſimum eſt. Ita dicendum eſt de peccato, ſi ad eum conferatur, in quo eſt, quodquidem conſcientiam deſtruit. Secundò vt oſtendat, quàm longè ineptior ſit anima peccato mortali detenta, quã oculus trabe grauiſſima. Ideóque rectiſſimè dominus trabem dixit in oculo eſſe, vt intelligas minus conuenire peccatum animæ, quàm trabs oculo.

¶ Sed valde mirandum eſt quòd qui habet trabẽ videt: & qui non habet trabem non videt. Nam qui non habet trabem, hoc eſt peccatum, & habet charitatem, hic certè aliorum vitam non videt: & qui habet trabem minima proximorũ videt, quod quidem [*1. Cor. 3.*] mirari non deſino. Charitas non cogitat malũ nec de fratre ſiniſtrè ſuſpicatur. Oculi Adam cùm in innocentia & ſanctitate viuebat nuditatem non videbant: ſed cùm deliquiſſent, nuditatem conſpe- [*Geneſ. 3.*] xerunt. Oculi Adam innocentis ſolum nouerãt bonum: delinquentis verò ſciunt bonum & malum, & [*1. Reg. 24.*] [*1. Reg. 22.*] potius malum. Dauid non auſus eſt mittere manũ in Saulem Chriſtum domini: ſe Philiſtæi nihil Saulem morati ſunt. Doëg Idumæus irruit magno impetu in ſacerdotes domini: in quos pij Saulis ſerui noluerunt manus ſuas extendere. Itaque viri iniqui trabem habẽtes, oculos, manus, & gladios in Chriſti ſeruos conuertunt.

¶ Vbi obſeruabis oculum tenerrimam eſſe rẽ, & [*Vt oculus tenui feſtuca læditur, ita anima leui peccato offenditur.*] vel leui etiã re grauiſſimè lædi, ita vt ſtatim lachrymas diffundat: & ſi feſtucam habet nunquam quieſcit, donec illã foras eiicit. Multò ergo tenerior res eſt anima, & exiguo peccato offenditur, & coinquinatur: & ſic iuſti viri anima leues culpas flet, quaſi maximæ ſint. Flent igitur ſancti & inquieti ſunt, & dolent, donec etiam minima deleant peccata. Mirũ autem eſt vt nõ ſentias trabẽ, quæ eſt in oculo tuo: & credo id non ob aliud eſſe, niſi quia mortua eſt anima tua. Nam oculus mortuus facilè feſtucas ſuſtinet & trabes. Nõ ſic ſanctus ille rex agere cõſueuit, qui dicebat domino. Peccatum meũ contra me [*Pſal. 50.*] eſt ſemper. Sic non quieuit ſanctus vir donec illud deleuit ab anima; quòd tu etiam opus eſt vt facias.

¶ Rurſus obſeruandum, quòd id quod Chriſtus dicit, nos minima videre in fratribus noſtris, & maxima in nobis non contemplati: natura id cõtingere poteſt. Quia quod in facie tua eſt, id ego video directis radiis; quod etiamſi minimum ſit, ſatis eſt, vt potentiam meam immutet, vt in cognitionẽ rei veniã. At quod in oculo meo habeo, videre id non poſſum per lineã rectã, ſed per reflexũ radium, quod velut vmbra directi præſentat obiectũ à quo exiit remiſſè. Vnde fieri poterit, vt maior res ſit, & illã nõ videamus: vel ſi eam videamus non ita diſtinctè vt ſi talis res in aliena eſſet facie, etiam ſi minor eſſet. Ita fit, vt proximorum culpam per radios directos videamus, & vt volumus iudicium de illa ferimus: noſtra verò delicta per ambages & circũloquia videmus. Ideo in ſequẽtibus inquit dominus, *Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater ſine, eiiciam feſtucam de oculo tuo, & ipſe in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita eiice primo trabem ab oculo tuo, & tunc perſpicies vt educas feſtucã de oculo fratris tui.* Qui pluribus peccatis irretitus eſt, quomodo dicere poteſt fratri, qui leue peccatum commiſit, vt ſe emendet? [*Turpe eſt doctori cũ culpa redarguit ipſum.*] Talis certè etſi impudens ſit, tamen ratione id dicere non poteſt, frater ſiue eiiciam de oculo tuo: cui meritiſſimò reſponderi poteſt, Medice cura teipſum. [*Luc 4.*] Et Paulus Roma. In quo alium iudicas, teipſum condemnas. [*Roma. 2.*] Sibi priùs debet eſſe medicus vnuſquiſque, quàm alteri manus admoueat. Sic Phariſæi non ſolùm diſcipulos, ſed & ipſum dominum conati ſunt impiè condemnare, quòd peccatricem mulierem admittebat, quòd diſcipuli manus abluebãt, & confricabãt ſpicas. [*Luc. 7.*] Quapropter dominus eis dixit, Duces cæci, colantes culicem, & camelum glutientes. [*Matth 15.*] [*Matth. 12.*] [*Matth. 7.*] Audi hypocrita ſimulator iuſtitiæ, qui nõ tuis bonis ſed alienis malis ſanctimoniæ laudẽ venaris apud homines ſi verè iuſtus eſſe cupis, primũ eiice trabẽ ab oculo tuo. Nam in Prou. dicitur, Iuſtus in principio accu- [*Prou. 18.*] ſator eſt ſui. Charitas enim ordinata eſſe debet, vt homo priùs curam ſuiipſius habeat & deinde proximi. Nã ſi quis impeditũ oculũ habet, nihil videre poteſt: & quãtò maior fuerit res oculo oppoſita: tãto ampliùs viſum impediet: ideò peccatũ proximi videre nõ põt, vt illud arguat qui peccatis eſt impeditus. Vnde talẽ hypocritam dominus appellat, quia vult peccata proximorũ arguendo, bonus & iuſtus haberi. Vbicũq; Chriſtus vult oſtẽdere aliquod maximũ peccatũ eſſe, à contumelia incipit. Sicut eſt illud, Serue nequã omne debitũ dimiſi tibi. [*Matth. 18.*] Hic enim peccat peccato præſumptionis: quia officiũ ſumit, quod ſibi nõ cõpetit: & peccato ſcãdali, ſi peccatũ ſuũ fuerit publicũ & in aliis publicè arguat qđ ipſe cõmiſit: quia proximos ſcandalizat, qui agnoſcunt peccata ſua etiã maiora, quã illa, de quibus proximũ arguit. Si autẽ arguẽtis peccata nota nõ ſint, debet de ſecretis pœnitere, & tunc licitè arguit proximum: quòd ſi impœnitẽs arguit vitio præſumptionis peccat, nõ tamẽ ſcãdali, quia peccata ſua nõ ſunt manifeſta. *Non eſt enim arbor bona quæ facit fructus malos, neq; arbor mala faciens fructum bonũ.* Ex conſequutione ad ſuperiora hæc addidit. Ac ſi diceret, Fias priùs arbor bona, & deinde poteris fructus bonos producere. Hoc eſt, Amputa quæ in te ſunt crimina, diſce amare innocentiã, & tũc licebit fratres tuos ſuis erroribus purgare. Nemo enim poteſt eſſe iuſtus iudex,

nisi priùs amauerit iustitiã. Disce ergo ante omnia ex fructibus tuis qualis sis: & ipsi tui fructus docebunt quid te facere oporteat. Dicit Christus hoc in loco arborem bonam non ferre malos fructus, quia manifestare voluit hominẽ rectũ nunquã proximo suo detrahere. *Iacob.3.* At diuus Iac. miratur quomodo homo lingua qua benedicit Deo, hominibus maledicere possit, qui ad imaginẽ Dei sunt facti. Dicit ergo, Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos. Quandiu homo malus est non potest in quantum malus est, bonum fructum ex se producere & è contra. Sicut mala arbor non potest bonos fructus facere: Ita neque bona malos.

Similitudo & dissimilitudo hominis & arboris. ¶ In hac tamen re magna versatur differẽtia inter ipsum hominem & arborem. Nam arbor sequitur naturã, homo autem quia liber est, potest ad vtrumlibet cõuerti: ita quòd si bonus est, vitiosus fieri poterit loquendo in sensu diuiso, non autem sic erit in formali sensu. Vnde in sensu cõposito istæ propositiones veræ sunt, Superbus non potest saluari: & amans Deum non potest perire. *1.Cor.6.* Superbus etenim vt talis, saluus fieri nequit, neque amans Deum, damnari. Et iuxta hunc sensum multa in epistolis Pauli & in aliis scripturis sunt intelligenda. Vt illud, Neque adulteri, neque fornicarij, neque auari regnum Dei possidebunt. Sic multi hunc locum interpretãtur, quòd sanè mihi non comprobatur: quia si ille, qui verè malus est potest facere bonum, siue illud quatenus bonus faciat, siue quatenus malus, id nihil ad nos: quia fallit nos & iudicabimus illum esse bonum. Dicendum igitur est quòd homo malus nõ potest facere bonum, & è contrario: tamen quilibet homo aliquo modo est bonus, & malus: ita quod quilibet homo in quolibet tempore potest facere bonum vel malum. Nã ille, qui bonus est, suis virtutibus est munitus, quæ bonum illum constituũt & per illas bonum operatur, & fieri non potest, vt per illas malũ operetur: quia includit cõtradictionem quod aliqua virtus inclinet ad malum. Habet tamẽ hic homo bonus malum aliquod, scilicet, labilitatẽ liberi arbitrij & fomitẽ, quæ sunt duo mala existẽtia in omni homine, & per illa possumus malũ facere, id est, ad malũ inclinari, quia virtus nõ cogit nos facere bonũ. Et de homine malo idẽ dicendũ, quia habet simul malũ & bonũ: malũ quia habet habitus vitiorum per quos operatur malum, & per illos non potest bonũ facere. Habet tamen bonum, hoc est, libertatem arbitrij, per quã potest bonum eligere, & sic malus aliquando bonum operabitur, non per malum quod habet, sed per bonum quod in eo habitat: & sic quilibet homo potest facere bonũ siue malũ quodcũq; voluerit, quia libertatẽ habet arbitrij. Nec tamen inde intelligas quod idẽ homo in esse mortis absolutè possit esse bonus, & malus: quãuis simul possit habere bonũ & malũ. Quãdo autẽ in hoc loco dicitur: ꝙ malus homo nõ pôt bonũ operari, aut bonus malũ: intelligẽdũ est, qđ difficulter pôt bonus malũ facere, & malus bonum: quia malus prauos habitus habet, & per illos ad malũ inclinatur. Quia etiãsi fieri possit, vt bonũ operetur per arbitrij libertatẽ, cũ tamẽ malitia habitus moueat libertatẽ, maxima cũ difficultate cõtra inclinationẽ operabitur bonũ. Ideò statim post *Math.12.* hæc verba (vt modo videbimus) dixit Christus, Ex abundãtia cordis os loquitur. Id est, quãdo cor valdè procliuẽ est ad loquendũ, difficulter se abstinet, quin loquatur. Ita cũ homo sit dispositus per malos mores, difficile est quod operetur nisi per illos. Nã in scriptura sacra impossibile pro difficili ponitur. *Impossibile pro difficili ponitur.* Sic & in lib. Iosu. dicitur, Non poteritis seruire Deo. *Iosu.24.* Id est, difficile erit vobis seruire illi. Et per Hierem. dicitur, Si potest Æthiops mutare pellem suam, *Ierem.13.* & pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cũ didiceritis malum. Et tamẽ fieri non potest, vt Æthiops pellẽ suã mutet, nec pardus varietates suas, & sic sequetur perinde, quod malũ non potest bonum facere, quod (vt diximus) operari potest. Christus etiam ait, Propterea non poterãt credere: *Matt.13.* quia Esai. dixit, Excæca cor populi huius, & aures *Esa.6.* eius aggraua. Et illud etiam quod alibi dixit, Sicut *Matt.19.* Camelus non potest per foramẽ acus transire, &c. Omnes istæ loquutiones, & si q̃ aliæ similes sunt, intelligendæ veniunt cum difficultate operationis: quã difficultatem insinuat dicendo, quòd non possunt. Sic in præsentia locum hunc intelligendũ esse existimo. ¶ Insuper secundò obseruandum ad nostrã doctrinam, quòd Christus his verbis ostendit *Perfectio euangelica non in verbis sed factis consistit.* euangelicã perfectionẽ nõ in verbis, sed factis consistere. Etenim cœlum & gloria illa beatorum non verbis, sed sanctis actiõibus emitur. Arbor enim ad fructum ordinatur: quare nõ ex foliis pretiũ eius attenditur, sed ex fructibus. Ex bona quippe volũtate tanquam ex radice, bona opera procedunt. Nam *Gal.5.* (vt inquit Pau.) fructus spiritus charitas est, gaudiũ, pax, patientia. E diuerso autem in arbore mala, cuius radix amor propriùs & mala voluntas, procedũt hæc, quæ Paul. statim addidit. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immũditia, impudicitia, &c. ¶ Tertiò obseruabis, quòd non absolutè dixit, fructus, sed fructus bonos. Nam Deus à nobis non solùm fructus: sed fructus bonos postulat. Nec dicit fructus pulchros aut magnos, sed bonos: quia hæc omnia etiã malis fructibus cõueniũt. Magnũ etenim versatur discrimẽ inter fructus bonos, pulchros, aut magnos. Lapidẽ magnũ lõgè proiicere, opus magnũ est: non tamẽ bonũ. Egregiè saltare opus est pulchrũ, nõ tamẽ bonũ: bona tamẽ opera sunt: proximũ diligere, Deũ amare. Hæc enim opera bona sunt, & boni fructus. Ideò dominus, In hoc cognoscẽt quòd discipuli mei estis: si diligeritis adinuicẽ. *Ioan.13.* Nõ dicit si feceritis opera magna, sed si dilectionem habueritis adinuicem. ¶ Quartò etiã obseruabis, ꝙ arbor plãtata est in inferiori loco, securior & tutior est, quã si in altum montẽ, vel culmen sit posita. Sic humilis Christi seruus tutior est, & trãquilliorẽ vitã degit, quàm eis, qui in altis, & supremis dignitatibus est constitutus. Superbus, potẽs, & diues, casui subiectus est: nam si arbor, in sublimi loco constituta est rami eius ampliùs à vento quatiuntur. Ita, qui magni sunt in republica plures habẽt curas, ita vel leuis etiã res cor eius huc & illuc impellit: & cogitationes eorum maximo vẽto agitãtur. Per medios mõtes pertrãsibũt aquæ. *Psal.103.* Hoc est per vallem, Ita dominus humilibus & paruis corde sua secreta pãdit, & humilibus familiariter vtitur, & illis suam gratiã impartitur. ¶ Quintò aduertes, quòd ad hoc, vt arbor fructus vberes producat, oportet, vt in bona terra sit plantata: nam si in sterili sit, malos fructus producet. Ita oportet si in sanctis actionibus te exercere velis, vt cũ bonis ambules, & conuerseris, memor diuini prophetę, qui inquit, Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum, & *Psal.1.* in via peccatorum non stetit. Quid ergo erit de hoc homine, qui impiorum fugit consortia? Erit vtique

que tanquam lignum, quod plãtatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum in tempore suo. Quia hæc arbor nõ fuit plantata inter impios, sed secus decursus aquarum, quod est inter bonos: quia non abiit in concilio impiorum, sed in valle humilitatis, vbi humiles habitant, & vbi sunt decursus aquarum, optimum fructum dabit in tépore suo. Quod igitur remedium habebit arbor, quæ cũ in mala terra sit plantata non bonum fructum producit? Illam euellere & in aliam bonam terram eam inserere. Sic tu malorum consortia fuge, & bonis adhære. Sic dominus transtulit vineam suam de Aegypto (vt inquit Dauid) vt populus suus in consortio Aegyptiorum sterilis non esset. ¶ Expende etiam quòd cum tenera est arbor transplantari debet: & tu in adolescentia tua rectus fieri debes, & mores tuos & vitam sanctè componere: nam si senectus te in vitiis & peccatis ceperit, difficilè erit vt ab inueteratis moribus in meliorẽ mentem resipiscas. Quando arbor noua est eam transferre debes & amputare: & nunc qui adolescens es, pœnitentiam tuorum peccatorum agito, & tui creatoris reminiscere, iuxta illud sapientis. Memẽto creatoris tui in tempore iuuentutis tuę, antequam obtenebrescat Sol, &c.

Psal. 79.

Eccle. 12.

¶ Sextò & vltimò obserua, quòd non qualẽcunque fructũ opus est vt proferas, sed fructum bonũ. Solet enim contingere, vt nux tibi sana appareat, quã si fregeris, quia putrida est os tuũ puluere implebit. Sic opera carnis, fruct⁹ sunt putridi: quia intrinsecus fœtida sunt & obscœna, foris aũt pulchra & delectabilia vidẽtur. Intrinsec⁹ nihil reperies nisi putredinẽ, abominationẽ, tormẽta, & infernũ. Etenim fructus isti interiùs vermes habent, etiã si exterius purpurati appareant. Hic vermis fructum abrodit, & hic cõscientiã tuam torquebit grauissimis cruciatibus. Lætatus est Ionas super hedera, lætitia magna, quæ statim morsu vermis aruit. Ita sunt omnes res mũdi, quæ etiãsi virides & amœnæ appareãt (sub quarũ vmbra oẽs mundani sedẽt) citissimè viriditas & lætitia earum trãsit, qui vermis sub voluptatibus latet: qui cõscientiam mordet, & dolorem capitis incutit, quo etiam cruciabatur Ionas. Fructus, quos dñs à nobis requirit, sani debẽt esse: quia sancta & pia opera bonis fructibus assimilãtur. Sed hæc iam dicta sufficiãt: nã superius in capite tertiò de hac re multa diximus: & quomodo mala arbor excidetur, & mittetur in ignem. *Vnaquaque enim arbor à fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiam vuam.* Contrarium per Matthæum dixisse videtur: nam ibi dicit quòd nũquam colliguntur de spinis vuæ, aut de tribulis ficus: sed si rectè verba perpendãtur, nullam inuenies contradictionem: nam eadem sententia est licèt diuersis verbis prolata. Nam quando hìc dicitur, nec de rubo vindemiant vuam, dicitur in Matthæo nũquam colligunt de spinis vuas: nam rubus & spinæ idem sunt. Est enim rubus arbor spinosa: spina autẽ est nomen generale omni arbori habenti spinas. Et sic Matthæus posuit spinas genus accipiẽs pro vna specie spinarum, scilicet, pro rubo, & hic illum expressit Lucas. Et cùm hìc dicitur, nec de spinis colligunt ficus, & in Matthęo nec de tribulis ficus, verũ est, quia etiam tribulus est arbuscula spinosa: & Matthæus posuit nomen speciei, Lucas autẽ nomẽ generis, quia tribulus spina est. Verum hoc in loco cõmendat Christus exercitium bonorum operum.

Ionæ. 4.

Super illud. Securis ad radicẽ arboris, &c. Omnis arbor non faciens, &c.

Matth. 7.

Arbor enim ex fructu cognoscitur: & homo ex operibus. Opera enim illorum sequũtur illos, quasi testes suorum operum. Multi sunt, qui maximũ fundamentum verborum constituunt, nullum autem in ipsis operibus. Quòd si homines adeò laborarẽt, vt benè & sanctè viuerent quemadmodũ laborant in recti loquentia & verborũ elegantia: plures sancti essent, quàm nunc sunt, & religiones magis cõpositæ persisterẽt. At sunt multi prælati, qui existiment monachos suos: solùm habere aures, vt audiant sermonem elegantẽ & loquelam, quã ad vniuersum cõuentum habent: existimantq; etiã simul cæcos esse, nec eos videre, quàm contraria sint prę-lati opera suis verbis. Quòd si recordarẽtur, ꝙ subditi etiam habent oculos, vt videre possint: pauciora haberent verba, plura verò opera. Si tu vel prælatus sis, vel subditus, ita viuere debes, & talis esse, vt si Iudæus, vel gentilis, vel turca tua opera videat te misericordem iudicet, castum, & humilem, ita vt Deum in suis creaturis laudet, & in talia prorumpat verba. Hi sunt boni homines, bonum herũ hæc vinea habet, qui benè cultam & fossam habet. Hoc est quòd dominus dicebat, Luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona & glorificẽt patrẽ vestrũ, qui in cœlis est. Quæ bona opera Christus nobis suadet in superioribus verbis, & in eis, quæ sequuntur. Quòd si Christus, qui summa veritas est, & vera sapiẽtia hoc docet: foras abeant impij isti & sceleratissimi lutherani qui bona opera tollũt dicẽtes id sufficere, vt solũ in Christi passione fiduciã habeamus & in vtrãuis dormiamus aurẽ in deliciis, vt sues vitam agentes, veluti ipsi faciunt.

Apoc. 14.

Matth. 5.

¶ Sed iã tandẽ, vt de hac re finẽ dicendi faciamus, vnũ hìc obseruandũ est, ꝙ Christus de ficis & vuis hic meminit, potius quã de aliis fructib⁹, quia vuæ & ficus calent, & pingues reddunt comedẽtes. Sic dominus vult, vt suo amore calidas, hoc est vtiles & fructuosas & charitate cõiunctas faciamus nostras operationes. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonũ, & malus homo de malo thesauro profert malum.* Itaq; dñs dicere vult, vnusquisque id tribuit quod habet. Bonus bonũ, & malus malum: atq; ita vnusquisq; operatur vel scdm suam bonitatẽ vel malitiam. Vnaquæq; arbor secũdum suã naturã fructus producit: nã ficus non poma dat, nec pomum ficus. Porrò thesaurus cordis intentio est cogitationis, ex qua bona vel mala proferũtur. Sicut natura est operationum naturaliũ principiũ: ita virtutes & dona proferunt fructus sanctos & studiosos. Operatio etenim formam arguit. Sic Christus alibi. De corde exeũt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c.

Matth. 15.

¶ Itaque qui mala verba profert, & mala opera facit, malum thesaurum habet: & qui bona operatur, bonum thesaurum sibi seruat. Vnde, locus iste admonet ad salutem non satis esse cor bonum, id est, bonam intentionem habere, nisi simul opera (dum ratio postulauerit) adhibueris, & simul optima verba. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem cõfessio fit ad salutem. Et multò sanctis & bonis operibus Christum confiteberis. Verum quia verba maximam ostentationem habent, quid homo habeat in corde subdidit dominus.

Roma. 10.

Ex abundantia enim cordis os loquitur.

Quodquidem prima facie videtur stare non posse: nam interdum loquitur quis, quòd nunquam in mente habuit, & etiam aliqui mali bona loquuntur, sicut hìc dicitur. Non omnis, qui

dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnũ cœlorum, & tamen loquitur benè. Intelligendus ergo est locus iste non de quolibet bono aut malo: sed de eo, qui abundè est bonus vel malus: nã qui valdè iniquus est, non potest, nisi difficulter malitia occultare: quia abũdãtia malitiæ cogit linguã prorumpere in verba mala. Nihilominus tamẽ malus propter arbitrij libertatem bona dicere potest: tamen plerunq; propter inclinationem habitus mali, malus mala dicit. Et vt vera loquar, qualis vnusquisq; est talia profert verba: & talia opera efficit. Ideoq; non solùm dixit ex corde, sed ex abundãtia cordis. Etenim imago cordis sermo est: quia anima motrix est corporis, & corpus instrumentum est animæ, vt agat. Solõ ille vnus ex septẽ sapientibus, quos Græcia iactat (vt refert Diogenes Laërtius) dicebat verba velut exemplar cordis vniuscuiusq;: nã affectus animæ ipsis verbis velut in limpidissimo speculo ostenduntur. Nã sicut ex fructu & folijs cognoscitur arbor: ita ex verbis & actionibus suis cognoscitur homo. Vnde id, quòd dicitur potentiæ cognoscuntur per actus & obiecta, verùm habet non solũ de cognitione potẽtiarum, quoad esse naturale earum, sed quoad esse formale. Itaq; ex verbis cognoscitur homo. Qui febri laborat, in ipsis labijs oris statim cõspicitur: quia in eis ampullas habet. Attẽde obsecro quòd negare non potes, quin infirmus sis: quia ipsum os tuum clarũ testimonium reddit. Ais te bonum esse, & Dei amicũ: sed dictis tuis contrariũ ostendis, & infirmũ & malũ esse manifestas. Nã odiũ quod aduersus fratrẽ tuũ concepisti, & febris iræ, quæ viscera tua cõburit id manifestissimè ostẽdit. Verba tua te notum faciunt, & tuo proprio ore agnosceris. Sic in libro Iudicum habetur, quòd Galaaditæ cũ quendã trãsitũ ad fluuiũ Iordanẽ occupatũ haberẽt Euphrateis, qui fugientes, à bello veniebant, dicebant, Nũquid Euphratæus es? cũq; ipse responderet nõ esse: statim dicebant illi, vt pronũciaret verbũ hoc, Siboleth, & in prolatione verbo cognoscebãt Euphrateus ne esset, an nõ. Qualis vnusquisq; est, talia verba profert. Quia (vt inquit Christ⁹) qui de terra est, de terra loquitur. Et in Prouer. de stulto ait sapiens, Os stultorũ ebullit stultitiã. Econtrariò autẽ de iustis ait Psalmus, Eructauit cor meũ verbũ bonũ. Verùm vt iã diximus, aliquãdo mali vera loquũtur. Sed quomodo cognoscitur, quòd malus sit? In aduersitate vtique cognoscitur. Psittaci enim solent velut homines loqui, & nostra verba pronũciare, & loquelã exprimere: & alijs denique auibus in cantu assimilari: at si illos fustibus cædas, vel aliquid mali eis facias, ad naturã suã reuertũtur, & quærimoniam vt Psittaci proferunt, nõ autẽ vt homines, vel vt aliæ aues. Ita ficti & fallaces, qui cũ mali sint bona loquũtur: si eos persequaris, vel aliquam tribulationẽ & molestiam eis intuleris statim suum venenum per os vomũt, & vindictam appetunt, impatientiã suam ostendentes: tuncq; nõ vt nõ boni loquũtur, sed vt mali, vt tandẽ eorũ malitia appareat. Vnde verissima Christi sententia manet, ex abundantia cordis os loquitur: nam tẽporibus angustiæ & tribulationis, qualis vnusquisque est, loquitur: quia tunc nihil dissimulare, aut fingere potest. Iam tandẽ dominus iterum cõmẽdat bona opera, quæ verum testimoniũ sunt bonitatis vel malitiæ cordis, dicens, *Quid vocatis me domine domine: & non facitis quæ dico?* Ac si diceret. Vos habetis folia sine fructu, & verba sine operibus: similes salicibus, quæ habent folia similia oliuis, sed fructu carent. De quibus ait Iob. Circundabunt eum salicẽs torrentis: quia isti solis verbis innocẽtes circueunt, & eos fallunt. Sunt etiã similes struthionibus habentes pennas accipitris, sicut in eodem libro Iob scribitur, Penna struthionũ similis est pẽnis herodij, & accipitris. Tales sunt omnes hypocritæ, quia abũdãt verbis, & operibus vacui sunt: de quibus dominus dicit, Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autẽ sunt lupi rapaces. ❡ Obserua autẽ quomodo ponit hic Christus dñs discrimen inter iudiciũ Dei & hominum & inter Christi regnũ & mundi. In regno mũdi, & in aulis principum & regum bonũ est dicere domine, domine: qa adulatores & parasiti, qui dulcia & suauia auribus personãt, & de alijs detrahũt murmurantes, hi sunt plurimæ æstimationis apud eos, quiq; thoraces rapiunt ex raso serico cõfectos & cathenas aureas, quæ potiùs pauperes Christi accipere deberent. Et inter mundanos, qui blandiri nescit & adulari, & alios fictè laudare, hic equidẽ nũquam in tota vita caput suum leuat, nec aliquid emolumenti sibi comparat. Qui veritatem agit, & vitia carpit, quiq; peccata nõ approbat, nunquam caput suum leuat, vt in aliquod officium, vel dignitatem constituatur. Quemadmodum ipse Christus de Ioanne Baptista dixit, Qui mollibus vestiũtur in domibus regum sunt. Ioannes autẽ, qui veritatẽ dicebat, & vitia corripiebat, in deserto habitabat: nullum in Herodis domo locũ habebat nisi in carcere. Et quis non videt quanta animaduersione id sit dignũ etiam in mundanis & ethnicis regibus: Quãtò magis dolendum est de ecclesiasticis & Christianis principibus, qui suos adulatores licèt insipiẽtes, & prauæ vitæ homines in supremum locũ collocent: bonos verò & doctos penitùs obliuiscãtur? Multò aliter erit in regno Dei: hoc est, vbi Christ⁹ oĩa subijciuntur: vbi regnum Deo patri tradet. Tunc eñ cor nostrũ maioris erit valoris, quã phalerata verba: & bona cõscientia plus æstimabitur, q̃ crumena nummis onusta. Imò tunc nihil aliud ibi valebit, nisi bona conscientia, quia iudex non secdm aspectũ oculorum aut exteriorẽ faciem iudicabit: nec verba cõposita admittẽtur, etiã si dixeris, dñe, domine, nisi feceris quòd Xps præcipit. ❡ Secundò colligitur ex hoc loco: quòd non oẽs, qui Christum confitentur saluantur: quamuis etiam prophetent: sed qui voluntatem eius faciunt. Multi enim dicẽt mihi in illa die, domine, domine (ait Christus) nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatẽ. Quia miracula facere neminẽ saluum facit: nam alioqui salui essent illi incantatores Pharaonis, & Aegyptij præstigiatores, qui etiam quædã edebãt ficta miracula. Vaticinari, & prophetare, nec hæc etiã homines saluos faciunt, nã alioqui saluus esset Balaã mariolus, imò etiam asina eius, & eodẽ modo Saul & Caiphas qui prophetauerũt, de quibus tñ scriptura sacra multò aliter sentit. Neque enim nomen & titulus aliquẽ probum aut rectum faciunt, nam vt Paulus inquit, non in sermone sed in virtute est regnum Dei. Alioqui si nomẽ Christi & sola fides saluos faceret, omnes Christiani salui essent, quia oẽs nomine Christiano gaudemus. Et vtinã saluemur: At timeo quòd non omnes salui fiant, quia licèt Christiani sint & sacro

Margin notes (left): *Sermo cordis imago & exemplar.* — *Iudi. 12.* — *Ioan. 3.* — *Prouer. 15.* — *Psal. 44.* — *Iob 40.*

Margin notes (right): *Iob. 35.* — *Matth. 7.* — *Collatio iudicij diuini cũ humano.* — *Matth. 11.* — *Matth. 7.* — *Non omnes Christiani saluantur.* — *Exod. 8.* — *Num. 23.* — *Ioan. 11.* — *1. Cor. 4.*

sacro baptismatis fontè abluti,& Christū confiteā-tur,tamen multi non obtemperant diuinis præceptis. Opera enim bona necessaria sunt ad vitā æternā capessendā. Vnde in quarto volumine regū habetur,quòd cùm Iehu rex Israel iret, vt occideret filios Achab, & destrueret Baal & eius sacerdotes, obuiā iuit militi cuidam,cui dixit,Estne cor tuum rectum cum corde meo?Et ille respondit,Est.Si est (inquit)da mihi manū tuam.Qui dedit ei manū suā & leuauit eum.Sic Christus verus rex Israel,qui de cœlo venit vt idololatriam destrueret & mundum, primò quærit an rectū sit cor nostrum,id est an diligamus illū. Quòd si illū diligimus:statim subdet, Da mihi manum tuam. Videamus opera dilectionis & amoris,& ascende mecum ad gloriam.

4. Reg. 10.

Aliqui semel, aliqui bis inuocant dominum & non benè.

Esaia 29.

Tit. 1.

¶ Prætereà aliqui sunt,qui semel tantum vocant dominum:illi videlicet, qui tātum habent illum in ore.De quibus Esaias ait,Popul⁹ hic labiis me honorat:cor autem eorum longè est à me.Quidā autē bis illum dominū vocant,dicentes:domine, domine,illi videlicet,qui ore cōfitentur & corde credūt, sed operibus cōtradicunt:de quibus Paulus ad Titum ait,Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.Et de his quibus dicunt, domine domine, loquitur hic Christus, de malis scilicet Christianis non de infidelibus, de his inquam qui Christū cognoscunt,& vocant illum,domine domine,quia in eum credunt:sed operibus id negāt & cōtradicunt. Dominum vocant illum, cui nunquam obtēperarunt.Qui cùm mundum,carnem,& dæmonem dominos habent,& in omnibus illis obediant: nunc dominum Christum vocāt. At in Christum credere,& miracula facere nihil prodest nisi adsit charitas,& bona opera.Iudas cum cæteris apostolis miracula fecit: & non sequentes Christum dæmonia eiiciebant,sed nihil profuit ad vitam æternam.Vnde Paulus, Si linguis hominum loquar & angelorum,charitatem autem non habeam,&c. Virgines illæ fatuæ ad ianuam dixerunt, Domine, domine, aperi nobis.Sed dictū fuit illis,Nescio vos. Nō,Dicere,domine,domine nō facit seruū Dei, sed si fidē cū charitate habeas,& opera bona exerceas. Null⁹ efficitur bonus nisi cum gratia spiritus sancti: potest tamen moueri sine gratia ad aliqua bona: non tamen saluari.Vnde dominus,Qui facit(inquit)voluntatem patris mei qui in cœlis est,intrabit in regnum cœlorum.Opera igitur à nobis exigit Deus. & præceptorum obseruātiā. Quapropter sequitur in contextu, *Omnis qui venit ad me,& audit sermones meos,& facit eos,ostēdam vobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domū,qui fodit in altū & posuit fundamentum suprà petram, inundatione autem facta illisum est flumen domui illi & nō potuit eam mouere, fundata enim erat suprà Petram. Qui autem audit & non facit,similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento, in qua illisus est fluuius & continuò cecidit & facta est ruina domus illius magna.*

Luc. 9.

1. Cor. 13.

Matth. 25.

Matth. 7.

Insinuat igitur dominus his verbis semper bonis operibus esse insistendum:& quòd ne solis verbis, aut soli fidei cōfidamus,quæ quidem sine charitate mortua est. Nam si tu seruum haberes, qui corā te caput nudaret,genua flecteret, & reuerenter loqueretur,non proptereà illum fidelem seruum appellares, si iussis tuis nō obtemperaret. Plura namque ab eo expectas,quàm verba:nempè, vt voluntatem tuam faciat,& tibi obediat,in his quæ præcipis, & vt honori tuo semper caueat & prospiciat. Sic Deo non sufficit,vt tēplum ingrediaris,sacrā tē auditurus,nihil conducit si psalleris & prædicaueris:nisi fidelis sis,& ipsum dilexeris & obedieris,ipsiúsq; honoris obseruantissimus sis custos. Quod Christus superius probauit similitudine arboris,& similitudine thesauri,& nunc idem probat similitudine ædificij. Et hic est finis sermonis eius, per quē inuitat nos,vt illum adimpleamus, præmium adimplentis,& pœnā contemnentis proponens.Illos namq;,qui audiunt & faciunt verba Christi,assimilat ipse Christus,domui suprà Petram fundatę: alios autem ædificātibus supra terram. Nam quòd in arbore est radix, in ædificio est fundamentum. Quemadmodum enim fructus arboris non potest esse boni saporis,nisi radix optimū habeat & dulcē succum:ita structura, quamuis exteriùs magnifica sit:& altitudine excellens:firma tamen nō erit nisi solido firmóq; fundamento nitatur. Quòd fundamentum Christus ipse est. Suprà Petram ædificat qui suprà Christum ædificat.Petra enim,vt ait Paulus,erat Christus.Quāuis inundatio veniat,tentationum nō poterit illū mouere. Hic nō cadet, quia Christus est firmamētum eius.Vnde Esaias ait, Cū ambulaueris in igne non combureris.Et dominus etiā, Cum ipso sum in tribulatione. Atq; ideò beatus Paulus,Quis separabit nos à charitate Christi? An tribulatio? an angustia? an fames? Certus sum enim quòd neq; mors,neq; vita,neq; angeli,neque principat⁹: Nā sicut in mare Rubro Aegyptij mortui fuerūt,& populus Israel liber & incolumis mare rubrum transiuit: sic tribulatione ventorum,& fluuij inundatione boni,cùm fundati sint supra firmā Petram,salui fient: & mali quia suprà terrā habent,fundamentum corruent & destruentur.¶ Ait itaque, Omnis qui audit sermones meos & facit eos,id est opere implet: quòd nō solū de opere exteriori,sed etiā de interiori intelligendū est, ad quæ vnusquisq; tenetur cùm ratio postulauerit. Iste similis est homini ædificanti domum,qui fodit in altum:id est,in profundum. In scriptura quippè altū profundum dicitur,iuxta illud Psalmi,Veni in altitudinē maris.Et in Ioāne dicitur, Puteus altus est. Veniens super hunc tētatio,quæ per flumen intelligitur,nō potuit illū mouere,quia in Christo fundatus erat:nō solum sermonē eius,auditionē,& fidem habēdo, sed verā & perfectam charitatē opere adimplens.Sed qui verba Christi habet,& nō facit ea,habet debile fundamētum:& ideò veniēte tentatione corruit: quia non potest quis resistere omnibus tentationibus nisi per charitatem:& qui tātum audit verba ea non adimplēs, nullam charitatem habet.Tentatio namq; non in verbis sed in factis consistit:ideóque qui sola verba habet non potest resistere omni tentationi. Quapropter cadit & facta est ruina domus illius magna:quia homo corruet per peccatum victus à tentatione, & rationalis creatura moritur,& ab altitudine gratiæ præcipitatur, bona omnia perdit, & fœlicitate priuatur æterna, & calamitate obruitur infernali. Ideóque diuus Iacobus ait, Scienti bonum & non facienti peccatum est.O quā magna est ruina peccati, Magnam dicit Christus ruinam esse, & non qualemcunque.Non potest esse nisi maxima ruina ad quā reparandam Deū ruere & mori fuit necesse. Quòd si lapsus ille timēdus est,quo anima ex gratia cadit in culpam: quantò erit maior,quādo ex morte hac priori in mortē cadit secundā? Reuera ruina grādis quia

Iaco. 2.

Christus fundamentū nostrum.

1. Cor. 1.

Esaia. 43.

Psalm 90.

Rom. 8.

Exod. 14.

Psalm. 68

Ioan. 4.

Peccatū ruina nostra magna.

Iaco. 4.

Apoc. 20.

Psalm.33. quia mors peccatorum pessima, qua ossa animæ ita infringuntur, vt ad nullum bonum agendum in inferno vires supersint: quia vires animæ ita cócidetunt, vt illa vera & viua tormenta nullatenus ferri possint. Denique magna est ruina, quia non manet *Ioh.10.* lapis super lapidé: tú quia in inferno nullus est ordo, tum etiá quia in inferno nihil est firmum, Quare neq; ibi inuenitur lapidis firmitas, quia hîc fuit super arena, & non super lapide ædificatio facta.

Fides absque charitate esse potest, nó prodeij.

¶ Demum vt capiti huic finem imponamus, ex his Christi verbis Lutheranorú error conuincitur: quia asserere ausi sunt fidem nó posse esse sine charitate. Potest namq; (vt ex hoc contextu euangelij patet) audire quis verba Dei, & fidem eis præstare, & non esse in gratia. Quo idem poscunt illa verba *Ioan.3.* Christi ad apostolos, Si hæc scitis: beati eritis si feceritis ea. Nam ea satis innuunt fieri posse, vt quis sciat mandata Christi, & eis fidem adhibeat, & tamen illa non faciat. Quod etiam Christus apertiùs ostendit in parabola filij prodigi: nam fidem ille ha*Luc.15.*bebat cùm ad se reuersus dixit, Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo? Vnde obsecro nisi à fide tam bona verba prodiissent? & hæc præcessisse ad iustificationem, certum est, quæ tamen cognitio non satis est *Ioan.12.* ad iustificationem. Ioannes etiam in suo euangelio fatetur ex principibus Iudæorum multos credidisse in Christum: sed dilexisse magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Et alibi, non dicit eos qui *Ioan.1.* credunt in nomine eius filios Dei esse: sed hanc eis datam potestatem, vt filij Dei fiant, innuens videlicet initium esse tantum & viam ad acquirendam diuinam adoptioné. Sed apertiùs est, quod Paulus *1.Corin.13.* dicit, Si habuero fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Ex quibus verbis manifestè patet posse aliqué fidé habere sine charitate: & ita intellexerunt hunc locum sancti patres Cyprianus, Basilius Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Gregorius, Anselmus, & Bernardus: quibus maior fides adhibéda est, quàm Luthero, Meláctoni, Zuinglio, Bucero, & Caluino. Sed valeant isti: nos autem qui edocti à sacrosancta matre nostra ecclesia Romana scimus & credimus cum fide charitatem esse necessariá & opera simul bona, vt æternam salutem consequamur, Christum dominum Iesum humiliter exoremus, vt in hac vita suam gratiam nobis impartiatur, vt tandem mereamur diuinis sedib. assistere inter seraphicos choros collocati.

CAPVT VII.

Doctrina Christi miraculis confirmata.

SATIS quidé existimo, eam doctriná, quę viribus humanis attingi potest: naturali quadam ratione & philosophicis argumentis comprobari. Verumenimverò, ea quæ humanum captum prorsus exuperát: admodum necessariú puto, vt supernaturali argumento confirmentur. Sic Christus cú misisset apostolos suos, vt munus prædicationis obirent, & vt omni creaturæ doctriná illá à cœlo allatá prædicarét: inquit Marcus, vbique prædicasse domino co*Mart.16.*operáte & sermoné cófirmante sequétibus signis. Et cú Helias suscitasset puerú, dixit ei mater, Nunc cognoui, quòd verbú Dei in ore tuo verú est. Ete*3.Reg.17.*nim miracula illa, quę superna & diuina virtute perficiebantur, manifestissima erant arguméta & indicia diuinæ illius & cœlestis doctrinæ: quádoquidé in eius confirmationé fiebant à Deo optimo maximo, qui prima veritas est, quæ nec fallere, nec falli vnquá assueuit. Oportebat igitur Christú stupenda prodigia & miracula facere in confirmationé tátæ tamq; supremæ doctrinæ. Quapropter cú Christus in monte (quod in capite præcedenti facillimum est videre) diuiná illá doctriná protulisset: in eorú quæ dixerat confirmationé, egregia & illustria in mediú producit miracula. Quò fit, vt omnes qui Christi prædicationé audiebát, nec illi optéperabant, nullá sui delicti apud Deú excusationé habere poterant. Idcircò ipsemet dominus ait, Opera, quę ego facio, testimonium perhibét de me. Et iterú, Si opera, quæ nullus alius fecit, ego nó fecissem, peccatú nó habe*Ioan.10.* *Ioan.15.*rent: nunc auté excusationé nó habent de peccato suo. Itaq; post habitá concioné, cú descendisset Iesus de monte in itinere leprosum sanat: & cú ingrederetur Capharnaú, quéadmodú Sol, qui vapores terræ in altú eleuat & trahit, sic Christus verus iustitiæ Sol Centurioné charitatis calore accendit & inflámauit, vt famulo suo saluté peteret. Ait igitur sacer euágelista. *Centurionis auté cuiusdam seruus malè habens erat moriturus.* Qui Céturio gétilis erat, & de exercitu Romanorú: ná Tiberius Imperator qui ea tépestate orbi præerat, ne quis posset rebellionem moliri, milites suos habebat diuersis locis cóstitutos: & hac de causa multæ erant cohortes militú in Iudæa & Galilæa, & plures Céturiones. Vnde benè in hoc loco dicitur. Centurionis auté cuiusdá, Ac si diceret: nó erat ille solus, sed vnus de Céturionibus. Sic etiá Pilatus qui erat Hierosolymis suos habebat Centuriones. Vnde verú esse intelliges, quendá Centurioné morti Christi affuisse, qui dixit, Filius *Matth.27.* Dei erat iste. Et in alijs locis erát Centuriones, vt in Cæsarea Cornelius Céturio erat cohortis, quæ dicitur Italica. Iste Céturio erat in vrbe Capharnaú, *Act.10.* quæ caput erat prouinciæ Galilææ, vt illá custodiret sub Romanorú obediétia. ¶ Et inquit malè habens erat moriturus: quia incurabili paralysi laborabat, & nulla erat illi viuédi spes. Erat moriturus. Quodquidé intelligédú venit secundú causas inferiores & naturales & proximas: quia eius infirmitas *Amb. lib.5 in Lucam ca. de seruo cen.* certissimè morté denunciabat. Quod idé legimus in quarto regú Esaiá dixisse regi Ezechiæ, Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & nó viues. Qui tamé *4.Reg.20.* secundú illá superioré & omniú maximá causam à quo omnes aliæ in suis motibus dependent, curandus & sanandus erat. ¶ Ex hoc itidé loco manifestè cóstat hunc paralyticum famulum fuisse, & nó filiú vt nónulli existimarunt, quia in Matthæo legerunt paismon. quæ vox significat & filiú & seruú: sed hîc clarè ostendit Lucas, famulum fuisse, ná dulos nihil aliud significat quàm seruú vel famulum. *Qui illi erat pretiosus.* Id est charus. Qui loquendi modus metaphorá sapit: nam pretiosus non dicitur de homine libero, sed de alia re. In magno etenim pretio hunc habebat seruum, & ingenti amore illum prosequebatur. Acsi diceret. Nihil aliud magis diligebat quá seruú, ita vt suum amorem eum appellaret: quádoquidem pro eo tantum laboris suscipiebat. Vbi statim animaduertere oportet, hunc seruum, qui Céturioni charus erat graui morbo laborasse. Solet etenim dominus homines pios, & illi obsequétes, graui dolore afficere: eius rei discrimine & periculo, quæ illis charior & iucúdior est. Adá quippe primus noster parés vulnus accepit in charissimo filio suo Abel: & Abrahá in Isaac, eò quòd dixit illi Deus, Tolle filiú tuú, qué diligis, Isaac, & offer in holocaustum.

Quæ chariora nobis sunt à nobis aufert Deus vt ipsum solú amemus.

Gene.4.

Gen. 32. ſtũ. Et Iacob in Rachele priùs illi denegata, & po- *Gene. 29.* ſtea ſterilitate percuſſa: & Dauid in amantiſſimo *4. Reg. 12.* puero ſibi recenter ex Berſabee nato. Quod dominus nobiſcũ cõſueuit facere, vt nihil præter ipſum diligamus: & vt ille ſolus cor noſtrum & animam noſtram poſſideat. Vult dominus, vt nullas alias facultates aut opes deſideres, quàm ipſum Deum. In cuius rei gratiam videas Petrum apoſtolorũ prin- *Mat. 14.* cipem de ſua fide gaudentem, qui tamen victus, & proſtratus fuit infirma ancillæ voce. Videas etiam *2. Cor. 12.* vas illud electionis Paulum de caſtitate gloriãtem, ſtimulo carnis irritatum: vt ex his diſcere valeamus Deum ſolum fiduciam noſtram eſſe, &c.

Dominorum officium, erga famulos.

¶ Perpende etiam huius Centurionis charitatẽ, qui Christum quærit, & ad eũ mittit, vt ſeruum ſuũ priſtinæ incolumitati reſtituat. Nõ ſpreuit famulũ ſuum, qui ægritudine laborabat. Et ob id mirandũ maximè, quia nõdum iſte audierat Paulũ, qui cùm admonuiſſet ſeruos, quales deberent eſſe, erga miniſterium dominorum ſuorũ, iubet protinùs, vt ipſi *Ephe. 6.* domini paria rependant. Et vos domini (inquit) eadem facite erga illos remittentes minas, ſcientes, q & veſter ipſorum dominus eſt in cœlis, & perſonarũ acceptio nõ eſt apud Deũ. Nec id memoria tibi excidat, quòd forſitan ſeruus coram Deo melioris eſt conditionis, & præſtantior forſitan, quã tu: licèt *1. Tim. 6.* tu ditior ſis, qui confidis (vt inquit Paulus) in incerto diuitiarum, peracta hac ſcœna exolues pœnas re legatus in ignem ſempiternum. Et loquitur quidẽ Paulus elegãtiſſimè dùm dicit, peracta ſcœna nam ea quæ hîc geruntur tanquã in comœdia aut tragœdia trãſeunt. Nam quis obſecro dùm in comœdia aliqua, videret hominem quempiam illuſtrem, & nobilem perſonam ſerui aut ruſtici agentẽ, eum ſperneret: cũ certè cognoſceret peracta comœdia, ad priſtinam viuendi normam redicturũ? Nemo quidem ſanæ mentis id faceret. Non enim tam attenderet, quid tunc ageretur, quàm quid ſeriò peracta comœdia eſſet agẽdum. Sic modo fieri deberet, nec tã aſpiciendus eſſet is viuendi modus & ſtatus, quẽ fortuna in hac miſera valle lachrymarum vnicuiq; *Gala. 3.* dedit, quàm quid in illa æternitate ſit agendum. De qua re conſulè beatiſſimũ Paulũ dicentem, Omnes filij Dei eſtis, eò quòd credidiſtis Chriſto Ieſu: nam quicunque baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. An nõ audis ſeruum factum eſſe filium Dei, & Chriſtũ induiſſe? Et idcircò adiecit ſtatim, Nõ eſt Iudæus neque Græcus: non eſt ſeruus, neque liber: nõ eſt maſculus, neq; fœmina: omnes vnum eſtis in Chriſto Ieſu. Ideóq; habendi ſunt fratres quemadmodum *Phil. 2.* ad Philemonem ſcribit Paulus, dum ei commẽdat Oneſimum, eiuſdem Philemonis ſeruum, quẽ Paulus in Chriſto genuerat. Hortatur Paulus, vt eum iam nõ vt ſeruum recipiat, ſed vt fratrem dilectum, cùm iam Chriſtum induiſſet. Sic fecit iſte Cẽturio qui poſtquam cognouit ſeruum ſuum paralyſi laborare nõ ſolùm humanæ induſtriæ ſubſidia quæſiuit: ſed humano iam auxilio deficiente ad ſacram & diuinam anchoram confugit. Non eum ſeruum iudicat, ſed loco domini habet. Non ſequitur hic tyrannorum quorũdam inhumanitatem, qui cùm ſeruis ſuis non aliter ſe habent, quàm ſi bruta animantia eſſent: in ſtabulis & ſterquiliniis cubilia eis parant, acſi propter hos etiam Chriſtus non fuiſſet natus, & ſanguinem ſuum non fudiſſet. Hic verò Centurio in domo ſua ſeruum infirmum habebat: & ideò dixit, iacet in domo mea paralyticus. Non veluti tyrãni quidam qui toto vitæ curriculo operas & induſtriam ſeruorum expectant, nullam tamen mercedem ſeruis tribuunt. Poſteà verò cùm miſeri ſerui iam ad ſenectutem deuenerũt, poſtquã oppreſſi ſunt morbis grauibus tanquam inutiles à domibus in hoſpitia mittũtur, ibi neceſſitate coacti vitam cum morte commutent. Quod quidem à multis quotidie fieri videm⁹, quod quidem impietatis & inhumanitatis genus à Chriſtianis hominibus maximè eſt deteſtandum, ne ipſos homines canibus ſimiles efficiant. Certè qui hæc faciunt, id nõ didicerunt ab iſto Centurione, quin potiùs ab illo impio Amalechita, qui dereliquit ſeruum ſuum in medio itinere, & effecit illum ad mortem properare, eò quòd captus iam erat ab ægritudine, & niſi Dauid illi ſuccurriſſet, proculdubio fame interiſſet: qua de cauſa ſui peccati pœnam fuit conſequutus: nã ſeruus ille dixit Dauidi vbi eſſent Amalechitæ, quorum multi gladio percuſſi ſunt à Dauide. *Pœna crudelium herorũ. 1. Reg. 30.* Quapropter quemadmodum Amalechita ille pœnam ſui peccati exoluit, eodem etiam tu, & corporis, & animi morte, plecteris ſupplicio, ſi tuæ crudelitatis cauſa ſeruus foras eiectus mortuus, aut aliquod diſcrimen paſſus fuerit. Nam ſanguis illius pauperis *Gen. 4.* coram Deo clamabit, veluti ſanguis Abel, crudeliſſimi ſui fratris vindictam coram domino poſcebat. Hoc deguſtarunt filij Iacob, qui poſtquam fratrem ſuum vendiderunt, ſui peccati cauſa variis calamitatibus & anguſtiis oppreſſi dicebant, Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum. Et *Gen. 43.* ſanguis ei⁹ exquiritur. Ne igitur nos ipſos aliis præferamus, aut potioris eſſe conditionis iudicemus: nam vbi vera charitas eſt, ibi non attenduntur quæ extrinſecus accidunt, vt mundi amatores facere ſolent, qui neminem in pretio habẽt, niſi is fuerit diues, potens, aut literatus, amicus aut cõſanguineus. Et ſemper id fuit ingenium mundanorum hominũ, vt pauperes & humiles cõtemptibiles iudicent, cũ reuera ſoleant aliquando plurimi ab ipſo domino æſtimari. Sæpè namque quos hos paruiducimus, Deus ad grandia vocat munera & multa per illorũ miniſteriũ dominus operatur: vnde ſuperiores efficiuntur, & nobis dominãtur. Cuius rei exemplum *Iudic. 11.* nobis erit Iepte Galaadites, qui repudiatus & deſpectus propter generis obſcuritatem, poſteà tamẽ princeps eorum fuit. Et Saul cũ deſpiceretur à qui- *1. Reg. 10.* buſdam dicentibus, Num ſaluare nos poterit iſte? Et tamẽ poſteà ille brachio ſuo percuſſit Philiſtiim & Iſraelẽ liberauit. Nec oportet obliuiſci regiũ illũ prophetam Dauidẽ, qui cũ contemptibilis eſſet & abiectus in domo paterna, electus fuit à domino, & maximus fuit coram omni populo. Vbi attẽdas diligenter opus eſt, nam forſitan quos tu contemnis, *1. Reg. 16.* illuſtriores & multò potiores coram domino ſunt, quàm tu. Quid namque illi faciunt aliud, qui pauperes, humiles, & infirmos deſpiciunt, quã externã accipere lucernã, eámq; admirari? Vera enim charitas proximum diligit, omnibus fauet: nec proximum diligit eò quòd diues, nobilis, doctus, amicus aut conſanguineus ſit, ſed eo nomine tantũ illum amore proſequitur, quia Chriſtianus homo eſt. Nã ſi vniuerſis hominibus Chriſtianis auferantur diuitiæ, potentia, nobilitas, ſcientia, & his ſimilia, vtique omnes æquales ſumus, omnes homines ſum⁹, omnes Chriſtiani ſumus, vnam fidem habemus, vnum baptiſma, vnam vocationem, & vnum Deũ. Sed de his ſatis.

¶ Admo

Herorũ benignitas seruos facit obedientes.

¶ Admonet subindè locus iste, quòd si cupimus subditos obedientes nobis esse, neutiquam eos debemus contemnere. Nā ob id existimo quòd Centurio hic obedientes seruos habebat, quia non cōtēnebat eos. Hic dixit Christo, Ego sum homo sub potestate constitutus, & habeo sub me milites, & dico huic, veni, & venit: & alteri vade & vadit, & seruo meo fac hoc & facit. Perpende qua ratione obediebant Centurioni serui sui: namque protinus, vt aliquid iubebat, id exequebantur. Vnde obsecro tanta obedientia orta est: quia benignè & quadam beneuolentia cum illis agebat. Domini qui beneficia conferunt seruis suis, & serui illis diligenter obtemperant: & prælati, qui vnicuique subditorum debitum honorem tribuūt, vbique subditi illis obtemperant, & eos venerantur. Tu autem qui moribus tuis Neronis crudelitatem redoles: quo pacto à seruis tuis diligi speras, aut quo læto animo tibi seruiēt? Si semper vel de re leui seruos tuos arguis: quo pacto desideras, vt benè tibi ministrent?

Opera in peccato mortali facta disponunt ad gratiam, nō merētur gratiā.

¶ Præterea opus est, vt semper sanctis operibus insistamus, licèt in miseria mortalis delicti iaceamus. Nam gentilis hic, quia aliquando idolorum fuit cultor: tamen quia pius erat & misericors, & proximis suis humanitatis officia impēdebat, meruit ad fidem adduci: ita vt eius fides maior fuerit, quàm Israëlitarum. Pari modo gentilis illa Raab, *Iosue. 3.* quia officiū pietatis hominibus peregrinis & ignotis exhibuit, ad fidem Saluatoris venire meruit. Sic etiam ille Cornelius centurio, qui eleemosynis & *Act. 10.* orationibus instabat verba vitæ à beato Petro audire meruit, & ad Christi fidem venire. Caue autē nequid tale existimes, scilicet quòd opera quæcunque bona facta ab existenti in peccato mortali pos- *Roma. 11.* sint primam gratiam mereri: gratia enim (vt inquit Paulus) si ex meritis non est gratia, hæc enim sub nullo meritò cadit: tamen saracenus gentilis qui ita legem naturæ atque Centurio, Achior, & Cor- *Iudit 5.* nelius, multique alij seruauit, Deus illi gratiam nō denegabit, & auxilium suum: non quidem propter illorum merita, sed quia Deus benignitate sua & misericordia motus disponēti se, & libero arbitrio benè vtenti, concedere vult gratiam & lumē fidei, & sui ipsius cognitionem. Quapropter dū in peccato mortali fueris constitutus, ne desinas rebus sacris interesse, eleemosynam porrigere & alia pietatis opera efficere: vt hæc dominus prospiciēs super te misericordiæ suæ oculos effundat, & peccati tui veniā cōdonare dignetur. Namq; omni tem- *1. Thess. 3.* pore recta debemus operari, iuxta illud, qd Paulus cōsulit Thessalonicensibus, Vos autem fratres nolite deficere benefacientes, quippè in quocunque statu fiat bonum opus, suum consequetur præmiū. Quod si in diuina gratia & charitate fiat, vitā consequeris æternam: sin minus quòd tuū est, tibi dabitur. Nam argentarius qui opus aliquod conficit, si postquam id fecerit, illi non placet, iterum illud efficit, & quamuis priorem laborem amiserit, argētum tamen ibi mansit. Optimum quidem est bona semper facere: licèt enim opera in peccato mortali facta, digna non sint æterno præmio, nihilominus qui illa operatur manet rectè dispositus: vt in statu gratiæ faciliùs & promptiùs illa efficiat. Qui enim in prauo & iniquo statu bona non operatur, posteà cū maxima difficultate ad virtutis indolē adducetur: nā cùm habitus facilem reddat potentiam: si in bonis se exerceat, posteà in statu gratiæ innumera charitatis & pietatis opera facillimo negotio operabitur, quæ & digna sunt vita æterna. Qui à beato Ioanne Baptista baptizabātur virtute baptismi *Matth. 5.* gratiam non consequebantur: tamen manebant apti & dispositi ad recipiēdum Christi baptismum. Hoc igitur modo dùm in peccato mortali nec gratia, aut gloria dignus es: id tamen grande bonum tibi comparas, vt postquam ad salutis statum deuemeris, faciliùs & iucundiùs opereris bonum. Vnde Paulus consulit dicens, Bonum facientes non defi- *Galat. 6.* ciamus: tempore enim suo metemus, non deficientes. Quod si modo cœlestis regni non es dignus, vt fias particeps, nunquam à bonis operibus tibi est desistēdum: quia diuina misericordia fiet, vt ad fœliciorem & pinguiorem statum deuenias, túncque magno afficieris gaudio, eò quòd rectis & sanctis operib⁹ incubueris. Christus quippè trāsiens iuxta ficulneam quādam eam maledixit, eò quòd fructu *Marc. 11.* carebat, & statim arida facta est: nec tunc tempus aduenerat fructus, quia hyemis erat, & nihilominus eam maledixit, cùm fructum non haberet. Deū enim minimè latet, fieri non posse in peccato mortali dari posse talia opera, quæ digna sint vita æterna, vult tamen quòd omni tempore bona exerceas. Hoc est, dominum ficulneā maledicere, quia ficus nō habebat. Præceptum erat domini in lege veteri ne offerrent illi immundū animal: sed potius quòd *Exod. 13.* tale venderetur, & pretium illius adduceretur in oblationem. Immundum quidem & spurcum animal est, qui facit opus in mortali culpa, quamuis moraliter bonum sit. Non recipit dominus tale opus, verumtamen illius pretium acceptat: cupiens semper, vt opera bona efficias, nam dùm in his teipsum exercueris & diuina mandata adimpleueris laudabilem consuetudinem in fœlicem statum recipit Deus, licèt opus illud meritorium nō sit. Doctor ille legis, qui Christum fuit percōtatus de præ- *Matth. 22.* cipuo legis mandato, quamuis tentās hæc petebat & iniquo animo: quia tamen petitio optima erat, illuminari quodammodo meruit, & à domino exaudiri. Meretur enim qui in peccato mortali bona operatur, temporalia bona, & quòd dæmon aduersus illum minus præualeat. Sed iā videre licèt quomodo Cēturio hic ad fidem venerit. *Cùm audisset de Iesu.* Id est famam, potestatē, & miracula, maximam concepit fidem: fides enim non est sine auditu, vt Paulus testatur dicens, Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent in quem non audierunt? Et tandem concludit dicens, *Rom. 10.* Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Cùm multa miracula fecisset Christus, non longè à ciuitate Capharnaum poterat illa audire à Iudæis. Vbi summè aduertendum est, quantas vires habeat diuinum verbum, & quàm efficax sit, quādo homines ita ad se adducit, & eorū corda penitùs transmutat. Sed de his in sequēti capite suo opportuno loco dicemus.

Eximia Centurionis fides.

¶ Sed certè rapit me in admirationem huius Cēturionis fides, quia licèt audisset Christum multa & grandia fecisse miracula, à nullo tamen audierat quòd Christus dum esset absens, aliquem curauisset: tamen credidit de Christo, quod dùm esset absens, benè poterat si vellet seruum suum in pristinā incolumitatem restituere. Auditis ergo miraculis quæ propè Capharnaum fecerat sciens eū iā adesse, *Misit ad eum seniores Iudæorum.* Mittens seniores Iudæorum apertè ostenditur, quòd fuerit gentilis. Et etiam

etiam hic dicitur, quòd isti seniores Iudæorum di-
Matth.8. xerunt Christo, Diligit gẽtem nostram. Et in Mat-
thæo habetur, dixisse Christum, Multi venient ab
oriente & occidente & recumbent, &c. quibus si-
gnificat, Centurionem non esse ex regno illo, sed
ab extera gente venisse. Sciebat enim rectè Centu-
rio ille quanta beneficia illi populo dominus con-
tulisset, & ibi fuisse magnos patriarchas, & prophe
tas, ideò faciliùs existimauit se posse consequi ani-
mi sui desiderium si nuncios mitteret, ex genere
suo. Mittit igitur ad Christum seniores Iudæorum,
vt vel sic ostendatur quòd seniores & sacerdotes
debent esse iudices inter Deum & populũ, & quòd
semper pro vniuerso populo ad dominum debent
Exod.28. preces fundere. Etenim in Exod. dicitur, quòd por-
tauit Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, &
sanctificauerunt filij Israel. Sed próh dolor, quia
ipsi senes & præsbyteri plus distant à Deo quàm re-
Dan.13. liqui sæculares homines: vt videre licet in lib. Da-
nielis, vbi dicitur quòd egressa est iniquitas à senio-
ribus Israel, qui videbãtur regere populum. Verùm
quamuis mali sint sacerdotes & senes, tamen quan-
diu tollerãtur ab ecclesia debetur eis honor & re-
uerentia à subditis. Idcircò quamuis isti mali essent,
Honor sacerdotum. voluit tamen illos Centurio honore afficere, & ita
intercessores eos constituit. Sic Dauid honorabat
Saul quia vnctus erat & eius prælatus: licet cogno-
sceret illum reprobum esse, & à domino eiectum.
1.Reg.24. & 26. Et Amalechitam occidit dicẽs, Quare ausus es mit-
1.Reg.1. tere manum tuam in Christum domini? quia dixe-
rat Saulem ab eo fuisse interemptum. Vnde Paulus
cùm ignorasset Ananiam esse sacerdotem, & pro-
pter eius tyrãnidem illi maledixisset, postquam co-
gnouit illum esse sacerdotem dixit, Principi popu-
Act.23. li tui ne maledicas. Exhibe honorem senioribus &
Leui.19. sacerdotibus, iuxta præceptum domini in Leuiti-
co. Coram cano capite consurges, & honora per-
sonam senis, &c. Præterea diuina prouidentia ad
eos mittit seniores Iudæorum, vt eis præsentibus
languidus sanetur, vt ita inexcusabiles sint si cre-
dere noluerint. Sic etiam leprosum misit ad sacer-
Matth.8. dotes dicens, Vade & ostẽde te sacerdotibus, & of-
Luc.5. fer munus tuum in testimonium illis: vt cùm vide-
rint te sanum, qui antea infirmus fueras, & cùm tu
retuleris illis mea virtute effectum fuisse vt conse-
quereris salutem, hoc sit illis euidentissimum testi-
Luc.16. moniũ incredulitatis eorum. Quo etiã pacto Laza-
rus pauper in ostio diuitis iacebat laceratus & pe-
nè famè consumptus in testimonium crudelitatis,
& impietatis diuitis: quia sic negare non poterat,
se non vidisse illum, cùm iuxta ostium iaceret per
quod ingrediebatur, & egrediebatur. Nec poterunt
etiam Pharisæi & Sacerdotes templi iustam aliquã
excusationem adducere sui peccati, dicentes, non
vidisse aut audiuisse miracula quæ Christus facie-
bat: postquam in testimonium huius ad eos mitte-
bat leprosos, quos curabat, vt propriis oculis illos
viderent. Et multò minus tu coram domino excu-
sabetis, qui cùm quotidie iuxta ostium tuum pau-
peres clamantes videas, illis nõ subuenis. Cùm au-
tem scias viduam extremam pati indigentiam, fin-
gis te id nescire. Audis conciones, & mirabilia Dei
vides, solẽ, & lunam te illuminantem, nec ista om-
nia inducere te possunt, vt ad meliorem viuẽdi fru-
gem teipsum conuertas. Mittũtur itaque ad Chri-
stum isti seniores diuina prouidentia, vt tanta Cen-
turionis fide à Christo arguantur: cùm faciliùs cre-
diderint gentiles, quibus Deus tanta beneficia non *Matth.12.*
contulerat. Sic eosdem arguit exemplo reginæ Sa-
ba, quæ diuturnum & laboriosum iter ambulauit,
vt videret sapientiam Salomonis. Et in mediũ pro-
fert exemplum Niniuitarum, qui Ionæ crediderũt.
Sic fides Centurionis confundit Iudæos. Et Chri-
stus vt confunderet hos seniores Iudæorum dixit,
Non inueni tantam fidem in Israel.

¶ Rursus tibi erit in hoc loco obseruandum Lu- *Concordia euangelistarũ Luc. & Mat.*
cam & Matthæum videri aliquãtulum inter se dis-
sentire in narratione huius miraculi: nã Lucas di-
cit quòd misit Centurio seniores Iudæorum: ac
deinde cũ appropinquaret Iesus domui, quod mi-
sit nuncios, dicens, Domine non sum dignus vt in-
tres sub tectum meum. Matthæus verò dicit, quòd
ipse abiit ad Christum, & accessit dicẽs, Puer meus
iacet in domo paralyticus. Ac subinde respondens
domino Centurio dixit: Non sum dignus, Sed cer-
tè nulla est inter eos contrarietas aut dissonantia,
cum spiritu sancto inspirati scripserint euangelia.
Quod verò in miraculorum narratione, quæ Chri-
stus gessit, non nihil contrarietatis esse videatur,
non ob hoc te ir oneas, vt existimes aliquem eorum
de mendacio aut suspitione posse argui. nam si vnus
omnia scripsisset, vtrique cæteri superflui fuissent,
nec iis opus haberemus. Denique si sententiis pu-
gnarent, conciliari minimè possent. Nec mouere
etiam nos debet quod in his rebus, quas multi scri-
pserunt, non semper eodem loquendi modo, aut
eisdem verbis vsi sunt. Quin potiùs hoc tibi maxi- *Vide Aug li. 2 de consensu euan c.20. & Chryso.27. in Matth.*
mum indicium veritatis debet esse. Etenim si vbi-
que & in verbis, & in loquendi phrasi eundem te-
norem seruarent: possent aduersarij nostri existima-
re sacros Euangelistas data opera hoc fecisse, &
mundo parauisse insidias, & idcirco vnum ab alte-
rius verbis non recessisse. Verùm hanc ingentem
suspicionem omnino destruit, & aufert, postquam
videmus singulos differentem methodum & verba
fuisse sequutos. Res enim ita se habet, Centurio
misit ad Iesum seniores Iudæorum, cum quibus
cùm veniret Iesus antequã domum appropinqua-
ret, misit Centurio amicos suos ad Iesum dicens,
Domine non sum dignus, &c. vt noster Lucas nar-
rat: tuncque Christus dixit, non inueni tantam fidẽ
in Israel, & protinus seruum eius pristinę valetudi-
ni restituit. Itaque ipse Centurio non iuit ad Chri-
stum, sed serui eius abierunt pro eo, & loquuti sunt
ad dominum. At cùm ait Matthæus, Centurionem
accessisse: intelligendum est per nũcios. Quia quod
quis per alterius ministerium facit, id ipse facere vi-
detur. Sic etiam dicitur hic, quod ædificauit Syna-
gogam Iudæorum: id est, per ministerium artificũ,
non verò propriis manibus. Sed ad quid misit ad
Iesum seniores Iudæorum, *Rogans eum vt veniret, & sanaret seruum eius.* Nam cùm naturæ esset author &
dominus, poterat illum statim ab ægritudine libe-
rare. Medicus enim morbum non curat, sed natura:
nanque vbi natura nihil potest ad sanitatem con-
ducere, morbus redditur incurabilis, quia medicus
solùm est adiutor naturę. Sic etiam in spiritualibus
ęgritudinibus propriis viribus non valemus mede-
lam consequi, nisi Deus ipse nos sanauerit, licet nos
eius simus coadiutores. Quod si nos ipse reliquerit,
statim morbus noster prorsus incurabilis fiet.
Cuius rei causa in Psal. dicitur, Miserere mei Deus *Psal.6.*
quoniam infirmus sum: sana animam meam, quia
peccaui tibi. Nisi dominus iuuanerit, & sanauerit,

vtique infirmitas tua ad mortẽ properabit. ¶Quod summa diligentia velim vt peccatores animaduerterent, antequam sceleribus & flagitiis seipsos contaminarent. Multi quippe dicũt, Libet peccare: veniet enim quadragesimale tempus, in quo delicta mea plangam, & ad Deum me conuertam. Aduerte, aduerte, ô insane & amentissimè peccator, quòd cadere poteris, quoties volueris, resurgere autem minimè, nisi dominus suo auxilio præsto adfuerit. Sed forsan insurget aliquis ex Lutheranis dicens, Igitur peccator ipse protinus, vt peccat liberum arbitriũ pœnitùs amittit, maximè cùm & ipse Christus dicat, Sine me nihil potestis facere. Si ergo iam Christum amisit, & diuinam amicitiam perdidit, & nihil propriis viribus facere potest, certò concluditur, ipsum peccatorem antiqua libertate esse spoliatum. Ad hæc opus est aduertas, aliud esse potestatem, aliud verò libertatem. Ignorauerunt omnino isti inscientissimi Lutherani quid sit habere potestatem. Idcircò enim nos liberum hominis arbitrium dicimus esse (ait Ricardus) non quia bonum, aut malum facere potest: sed quia bono, vel malo consentire, vel non consentire potest. Aliud enim est habere potestatem, aliud verò libertatem. Posse bonum facere potestatis est, & posse malum facere infirmitatis: neutrum tamẽ est. Libertatis est, quod voluntas nostra cohiberi non possit: potestatis autem priuatio quod ad bonum faciendum sufficiẽs non est. Potestas autem & vires animæ gratia est, quam dum homo per peccatum perdit: potestatem perdit. Et idcirco Christus dicit, Sine me nihil potestis facere. Non tamen inde intelligas peccatorem libertatem amittere: quia peccator potest velle & diligere quod magis illi placuerit: nec potest cogi eius voluntas, licet quod velit, nõ possit aliquando assequi. Et hoc non est libertatis priuatio, sed potestatis. In manu quippe hominis est, multa velle & eligere, quæ assequi non valet. Poterit enim quis in profundum puteum se conÿcere, non tamen ab eo egredi. Sed iam quæro, nonnè qui in puteo est, poterit illic velle manere, & etiam velle egredi? Nihil certè manifestiùs est: potest nanque exitum desiderare, & ingenti lætitia affici, eò quòd in medio puteo sit. Quid ergo deest illi? Certè egrediendi potestas: quia licet egredi velit, minimè poterit, nisi alius suppetias tulerit. Quòd si alius auxiliũm præstiterit, nisi ipse aliquid viribus suis fecerit, & seipsum iuuerit, funem apprehendens, egredi minimè poterit. Pari ergo ratione cum peccatum committis, propria voluntate id committis. Repugnat etenim peccatum esse, nisi ibi adfuerit voluntatis consensus tacitus vel expressus. Et idcircò quoties delinquis, propria voluntate te conÿcis in culpæ puteum. At dum sese peccatum tibi offert, liberum arbitrium habes, vt id fugere si mauis, aut amplecti possis. Verumtamen postquam iam deiiquisti & miserè cecidisti, licet à culpæ puteo resurgere velis, non tamen poteris, nisi Deus auxilio suo speciali tibi subueniat, & à peccato deducat. Et quemadmodum qui in puteo est, quamuis manus illi porrigantur, nisi ipse velit eas apprehendere, & seipsum adiuuare, vtique semper in puteo manebit: eodem igitur modo, etsi Deus peccatori manum porrigat & sæpiùs roget, vt inde exeat, certè nunquã exibit, nisi seipsum adiuuauerit, diuinis inspirationibus consentiens, & suo libero arbitrio rectè vtendo. Et hinc meritissimò Paulus vocat nos coadiutores Dei, quia in salute & resurrectiõe nostra coadiutores illi sumus. Nam cùm natura sit quæ corporis ægritudinem curat, medicus coadiutor est naturæ, ita vt dum absens fuerit natura, medicus nihil possit efficere. Ita Deus præcipuus author est ægritudinis animæ curandæ, qui nisi præsens fuerit suo præsidio, actum est omnino de hominis salute: nos verò coadiutores eius sumus. Aduerte igitur ô peccator, in manu tua constitutum esse, semel & bis & millies in die peccare: at à luto peccati resurgere minimè potes propriis viribus, nisi dominus manum suam pietatis & misericordię tibi porrexerit. Cuius rei non immemor deberes esse, imò id prę oculis semper tibi esset ferẽdum, vt non ita leuiter, & velut aliud agens in vitia & peccata laberetis cùm facilis sit descensus Auerni, sed superius reuocare gradum diuinæ benignitati tribuendum. Indiget enim homo peccator viribus & potentia, vt à peccato resilire possit. Et hoc est quod inquit Christus, sine me nihil potestis facere. Videns ergo Centurio naturæ remedium prorsus deficere, & quòd medici industria nullius emolumenti esset: decreuit ad Deum totius naturæ authorem tanquam ad sacram anchorã cõfugere, rogans pro infirmi salute.

Cadere à nobis est, resurgere à Deo.

Ioan. 15.

Rica Vi. ßl li. de sta ho. interi. ca. 13.

Liberum arbitrium.

1. Ioan. 3.

¶ Sed id obiter inquirendum est, quo pacto dicat noster Lucas his verbis, quòd rogauit Centurio, vt veniret: postea verò dicit, Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum? Sed aduerte huius dubÿ perfacilem esse solutionem: Nam Centurio nunquam habuit animum vt Christus in domum suam veniret, sed tantum voluit, vt verbo significaret incolumitatem serui: at Iudæi qui à Centurione ad Christum rogauerunt, vt ad domum veniret, quia eum honorem tribuere volebant Centurioni adducentes Christum in domum suam. Nã ipse Centurio dixit senioribus Iudæorum, Ite ad Iesum, & dicite vt sanet seruum meum. Iudæi autẽ adulationis amici dixerunt, domine nos id efficiemus cum eo vt ipse veniat in domum tuam. Et propterea postquam recesserunt Iudæi, & alloquuti sunt Christum, vt veniret: misit Centurio amicos suos viros gentiles, qui fideliter mentem suam, & desiderium panderent Christo, dicentes quòd solo verbo sine itineris labore sanitatem seruo tribueret, & occurrerunt Christo venienti cùm Iudæis iam prope domum. Quod autem Iudæi ex propria intentione hoc peterent, manifestò liquet ex verbis blandis, quibus Christo suadebant dicentes, dignus est, vt hoc illi pręstes: diligit enim gentem nostram & synagogam nobis ędificauit. Itaque quamuis euangelista dicat hìc rogans in singulari numero, non ideò intelligas, Centurionem tale quid rogasse, sed Iudæos id fecisse nomine Centurionis, & sic videbatur ipse Centurio eius petitionis author: & idcircò ipse contrariũ expressit per amicos suos, quos ad Christum misit. *At illi cùm venissent ad Iesum rogabant eum sollicitè dicentes, Quia dignus est vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram & synagogam ipse adificauit nobis.* Ex quibus verbis manifestissimum est colligere ipsum Centurionem ad Iudaismum iam esse conuersum, vel saltim vnius Dei esse cultorem, relicta idololatria, quia synagogam ædificauit Iudæis: veluti si modo aliquis nobis ædificaret ecclesiam. Vt autem probarent isti seniores Iudæorum vera fuisse loquutos cùm dixerunt diligit gentem nostram, addiderunt subinde, synagogam nobis ædificauit. Benè quidem intentum probant, dicentes,

Vide Aug. & Chrys. vt sup. pag. præcedẽ.

tes, synagogam nobis ædificauit?quia probatio dilectionis exhibitio est operis. Ex quibus doctrinã solidam deberemus elicere, vt scilicet, proximum non solis verbis diligeremus, sed multis charitatis
1.Ioan.3. collatis operibus. Quocirca id Ioan. nobis in memoriam adducit, dicens, Filioli non diligamus verbo & lingua, sed opere & veritate. Sed profectò diuites huius temporis misericordes & pios sese prędicant: at suam iustam misericordiam non videò, quia vel spiritualis tãtum est, vel ea est sine dispendio aliquo suorum bonorũ, quippe qui nihil pauperibus Christi erogant. Sed de his post pauca in suscitatione filij viduæ suo loco aptiùs dicemus. Et aduerte in hoc loco coniunctionem &, idem valere quod, nam. Addunt enim rationem eorum, quæ dixerant, aientes, nam synagogam nobis ędificauit.
Ioan.4. Sic etiam intelligendum existimo illud Ioann. Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in
Rom.1. vitam æternam. Et illud etiam ad Roman. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei. Et iterum. Et
Ioan.8. sicut non probauerunt. Et Ioann. Et in lege vestra
Ioan 1. scriptum est, quia duorum hominum. Et rursus, Et
Luc.1. verbum caro factum est. Et ipse præcedet ante illũ.

Pro benefactoribus orandum. ¶Insuper & admonet diligenter locus iste, vt pro benefactoribus semper preces nostras Deo fundamus: nam isti pro Centurione, qui synagogam eis ædificauit, dominum rogant. Sic tu Christum orare debes, pro iis, qui bona tẽporalia tibi ministrant, exemplo illius sanctissimi Heliæ, qui domino dice-
3.Reg.17. bat, Domine etiam viduam apud quam vtcumque
4.Reg.4. sustẽtor, afflixisti? Sic Heliseus pro Sunnamite, Ecce (inquit) in omnibus sedulò ministrasti nobis, quid vis vt faciam tibi? Nunquid habes negotium & vis, vt loquar regi vel principi, vel militi, &c. Expende etiam quanta benignitas, & misericordia sit apud dominum: vt omnes sanare dignetur tam Iudæos,
Act.10. quàm Gentiles. Nullus etenim tam infimæ & abiectæ sortis homo erit, qui (si velit) Deo non possit placere, si vera & syncera fide ad eum accedat. Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam acceptus est illi. Nemo apud Iudæos Ethnicis abiectior erat nullus etiã vilior erat apud eos, quàm homo miles. Nam propter factas prædas & violentiam, infames erant. Idcircò Iudæi ad Christum mittuntur, vt suis verbis rogarent: metuebant enim se nihil impetraturos, aut illum vix exorabilem esse, & idcircò tanta verborum ambage vtebantur, dicentes, Dignus est, vt hoc illi præstes: diligit enim gentem nostram & synagogam nobis ædificauit. Quasi velint Christo dicere, Nolis rationem habere, nolis attendere Ethnicus sit, aut miles: sed amicitiam cõsidera, quã ipsis operibus erga nos habere manifestauit. Christus autem, qui nihil horum attendit precibus acquieuit & seruum sanauit. Nec opus est, quotiescunque ab eo aliquid velis impetrare multa verborum ambage vti: quin potius cor adducito syncerum & mentem ab omni inquinamento liberam: & tunc cum fiducia accede & consequeris animi tui desideria. Nemo enim hominũ vlla ratione cõtemnendus est: sunt quippe varia dona, munera, &
1.Cor.12. functiones (vt ait Paulus) & tamen est vnus domi-
Ephe.4 nus omnium. Varię sunt vocationes, & tamen non
2.Cor.12. est nisi vnus Christus, qui omnes nos vocat: hunc ad apostolicum munus, aliũ ad opus ministerij, &c. Nanque in humano corpore multa sunt membra, omnia autem non eundem actum habent: & tamen omnia vnius corporis membra sunt. Sic inter nos multa dona, vocationes, & statuum genera sunt: cui autem præclaræ corporis, & animi dotes fœliciter contingerunt, is neminem despiciat: nam omnes æquales sumus, omnes membra sumus vnius corporis, & vnum caput Christum habemus. Vt autẽ apertissimè videas, neminem à Christo contemni cuiuscunque status, aut conditionis ille sit, sequentibus accommoda aures,

Iesus autem ibat cum illis. Diximus iam, nunquam eũ fuisse Centurioni animum, vt Christus domum suã ingrederetur, sed solùm, vt verbo sanitatem puero restitueret. Sed ad quid iam, rogo, Christus ibat? Vtique vt ostendat primò se orãtium voluntati semper annuere, facit & adimplet voluntatem rogantium Iudæorum.

¶Secundò, vt opere adimpleret, quod verbo prędicabat. In cuius signum postquam in monte concionem habuit de misericordia erga proximos impendenda, finita iam cõcione, misericordiam operatur cum seruo languido, eum visitans, & pristinæ incolumitati restituens.

¶Tertiò, vt humilitatem suam ostenderet, qui cũ tantam potentiam haberet, id est, cum tanta faceret miracula, in aliam domum tendit, vt seruum curet. Nec dedignatur cùm dominus sit cœli & terræ, Centurionis seruum visitare: vt normam tibi & regulam præberet sanctissimæ humilitatis. cui nihil est cõtemptibile, nihil quod aspernetur, sed omnia potius sunt illi pretiosissima & amabilia. Noluit ad filium Regul. ire, & tendit ad seruum Centurionis. Ioan.4.
Pauperibus auxiliatur Christus, & magnates despicit: cũ peccatoribus & infirmis conuersatur, & ibat ad Pharisæos rogatus. Rogabat (inquit Euangelista) quidam Pharisæus Iesum, &c. sed prôh dolor, Luc.7.
multi nanque sacerdotes his calamitosis temporibus nesciunt consilia sua, prædicationes & confessiones, nisi magnatibus tribuere. Pauperes verò relinquunt, & molestè ferũt, & ægro animo suas confessiones audire. Quod etiam consueuerunt facere 3.Reg.17.
corporales medici, qui diuitum domos maxima sollicitudine visitant, at pauperes ægrotos interire sinunt. Deus misit Heliam non ad diuites & magnates, sed ad pauperculam viduam Sareptanam.

(Cõfessores & medici nõ sint personarũ acceptores.)

¶ Quartò id fecit, vt fidem Centurionis omnibus notam faceret, & vt cunctis cognitus esset & celebratissimus. Vbi diligenter aduertes quantam curam habeat dominus honorandi amicos suos, quantaque bona illis impertiatur: necnon etiam efficit vt ab vniuerso mundo celebrentur & colantur. Concepit etenim Centurio de Christo maximam fidem, & credidit eum posse solo suo verbo ægrum sanare. Et quãuis id rectè cognouisset Christus, tamen ad domum Centurionis tendit, vt vel sic occultam Centurionis fidem notissimam apud omnes efficeret. Nam si Christus antequam ad domum accederet solo verbo puerum sanaret, ad quid postea subiiceret Centurio. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum? Quo pacto alij cognoscerent fidem Centurionis & eius humilitatem? Quomodo laudaret illum dominus coram populis? Vadit igitur ad Centurionis domum, vt inde ipse Centurio ansam sibi sumat dicendi, Domine non sum dignus, &c. Quo effectum est, vt propalata fuerit omnib⁹ huius hominis fides, & vt à Christo fuerit magnificè laudatus. Quærit semper Christus occasionem, vt seruos & amicos suos honore affi-

(Deus facit cultores & amicos honorificat.)

afficiat. Nam cum dixit Christus, ego veniam & sanabo eū, Cēturioni ansam præbuit, vt in hæc prorumperet verba, Domine non sum dignus, &c. Et quia dixit, Domine non sum dignus: inde Christus magnificam eius laudem prædicauit, dicens, Non

Tentat aliquando herus seruū vt eius fidem exploret. inueni tantam fidem in Israel. Solet enim aliquando dominus, qui seruum habet animo virili viribus magnis præditum, vt experimentum faciat, an ita res se habeat, intempesta nocte seruū foras mittere, vt nuncium alicui deferat: at postquam discessit, dominus sibi assumit arma, & factus obuiam famulo euaginat ensem, & manus conserit cum eo. At famulus qui natiuum animum & robustas vires nunquam deposuit & punctim & cæsim dominum maxima dexteritate percutit, quo fit, vt conceptam de illo spem dominus confirmet. Tuncque dominus se illi notum facit, vt pugnæ imponatur finis, dicens, Satis, satis, ego sum dominus tuus: scio enim ipso experimento quantum viribus & animo valeas. Posthac ego curabo teipsum magnis beneficiis afficere, & debitum honorem tribuere. Quòd idem dominus cum sanctissimo patriarcha Abraham fecit. Nouerat enim rectè dominus quanta fide seruus suus abundaret: nihilominus, vt notam eam faceret cunctis gentibus, & vt mundus eius virtutem intelligeret illum tentat veluti armis cū illo agens, præcipiens, vt filium suum in montē du-

Genes.22. ceret, vt sacrificium offerret domino. Sanctissimus igitur Patriarcha nullas nectit moras: in montem ascendit, filium secum ducit, & virili & fideli animo ensem arripit, & ictum minatur non ficto animo: tuncque dominus inclamauit. Satis, satis est Abraham. Nunc cognoui quòd timeas Deum, nūc manifestum te faciam mundo, vt & fides & virtus tua maxima cognoscatur. Quod à domino fuit factū vt Abrahæ fides notissima esset omnibus. His omnibus ambagibus vsus est dominus, vt magnam

Genes.32. fidem & obedientiam Abrahæ, quæ occulta habebat, omnibus aperiret. Idem fecit cum Iacob, quando cum illo luctari cœpit, illius vires volens experiri: quas cùm expertus esset, dixit, Dimitte me, iam ascendit aurora. Eodem modo experimentum fecit in centurione, præbens illi ansam vt eius virtus, &

Math.15. fides manifestaretur. Et hoc tentādi modo vsus est, dicens, Ego veniam & curabo eum. Quem etiam modum cum muliere Chananæa obseruauit, nihil illi respondens: vt vel sic maxima eius propalaretur fides: & vt digna esset, quæ à domino maximo encomio celebraretur. Vide rogo quàm fidelis amicus sit Deus, qui modos nouit & inuestigat, quibus dilectos suos honoribus afficiat. Meritissimò qui-

Psal.138. dem canit illi regius Psalmographus, Nimis honorati sunt amici tui Deus. Ex quibus omnibus id tibi documenti deberes elicere, vt humanas laudes vilipendas, honores & dignitates: sed omnis cura & sollicitudo impēdenda tibi est, quomodo apud dominum sis laudabilis. Hoc enim verum encomium, hæc dignissima laus, quæ tibi immortalem gloriam est paritura. Dominus nanque etiamsi, tu propriæ laudis tuæ oblitus sis, eius coram habes: ita vt in præsenti & in futuro sæculo magnis honoribus te afficiat. *Et cùm iam non longè esset à domo misit ad eum Centurio amicos dicens, Domine noli vexari, Non enim sum dignus vt intres sub tectum meum.* Quæ verba non est

Luc.5. dubiū quin processerint à vera humilitate. Quemadmodum legimus de Petro cū dixit domino, Exi à me domine, quia homo peccator sum. Ego domine idolorum fui cultor, ego flagitiis & sceleribus contaminatus: tu autē ipse puritatis & bonitatis fons. Quæ conuentio Christi ad Belial? Quæue partici- *1.Cor.7.* patio lucis ad tenebras? Quis sum ego, vt dominus veniat ad seruum suum? Sic etiam humilitate plena mater beatissimi Baptistæ matri domini dixit, Vnde *Luc.1.* hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Et A- *1.Reg.25.* bigail cùm Dauid vellet illam in vxorem accipere dixit, Ecce famula tua, sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei. Per hanc humilitatem factus est Centurio dignior Iudæis, vt Christus ad eum veniret. Etenim humilis officium est, vt semper vitia propria cognoscat: neque aliena respiciat. Habuit igitur iste Centurio veram humilitatem, habuit etiam fidem, cùm crediderit benè posse dominum etiā dum esset absens infirmo incolumitatem tribuere. Habuit denique ardentē charitatē, cū tanto animi affectu pro seruo ad dominum orauit.

¶In quo loco id non erit silentio prætereundū, *Aliorū facta nō temere iudicanda.* quo pacto vnus & idem actus diuersam laudem & præmium habeat. Nam cùm dixerit Petrus, Exi à me domine, quia homo peccator sum: & Genezare- *Matt.8.* ni idem dicunt, tamen Petrus ob id laude fuit dignus, Genezareni verò reprehenduntur. Zachæus recipit Christum, & laudatur: Centurio rogat ne *Luc.19.* ingrediatur suam domum, & propterea dignus repetitur encomiis? Vt intelligas semper in omnibus intentionem operis attendendam esse, vt inde elicias, opus dignum ne sit laude vel vituperio. Is nāque qui benè erga omnes afficitur etiam in actionibus, quæ minus rectæ videntur, commendatur à domino. In cuius rei exemplum in sacra pagina in Act. legimus inter Paulum & Barnabam dissidium *Act.15.* interuenisse: dum Barnabas cōsuleret, vt profecturi ad visitandas ecclesias assumerent Marcum: Paulus verò contrariæ erat sententiæ. Neuter tamen in re tam diuersa dignus fuit aliqua reprehensione, cùm Barnabas ad lenitatem inclinaretur. Pauli verò iudicium erat, seueriori censura esse vtendum. Vbi docemur, ne aliorum facta, præsertim virorum sanctitate præstantium iudicemus, quāuis diuersa sequātur placita. Iam verò subdit ipse Centurio causam, quare dicat ne intret in domum suam, dicens, *Propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus vt venirem ad te: sed dic verbo & sanabitur puer meus.* Credidit iste, dicere Dei, facere esse: iuxta illud diuini vatis. Ipse dixit & facta sunt, Verbo enim Dei vniuersus cōditus est. Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux. Prę- *Psal.148.* terea vocat Centurio puerum seruum, scripturæ *Gen.1.* more, quæ pueros vocat seruos. Vnde in primo Re- *1.Reg.21.* gum dicitur, fuerunt vasa puerorum sancta. Et illud *3.Reg.19.* etiam, Venit Helias in Bersabe Iuda, & dimisit ibi puerū suū. Sequitur, *Nam & ego homo sum sub potestate cōstitutus habēs sub me milites. & dico huic. vade & vadit: & alio veni, & venit. & seruo meo fac hoc. & facit.* Quibus ostendit, quòd Christus poterat absenti sanitatem restituere. Facta hypothesi quòd Christus omnium rerum sit dominus, cui vniuersæ creaturæ vel ad nutum obediunt, ita vt neminem habeat superiorem, aut æqualem, qui illi imperare possit: & tunc arguit. Non defatigetur dominus meus: nam quemadmodum ego dico huic, vade & vadit: sic tu verbo solo præcipe infirmis, vt à lectulis sani & liberi surgant. De te nanque verissimè illud scriptum *Psal.106.* est, Misit verbum suum, & sanauit eos. Ego enim sum homo sub potestate constitutus, habens super me dominum, cuius seruus ego sum: habeo etiam

alios

alios seruos, & milites sub imperio meo. Quòd si vni dixero, vade illuc, statim iussis obtemperat: & si dixero alteri, veni huc, dicto citius, id adimplet. Quanto igitur potiori iure tu, qui rex regum es, & dominus dominantium, qui nullum agnoscis super te imperium: cuicunque dixeris veni, veniet: & si dixeris ægritudini, vt recedat, recedet protinus: & si dixeris sanitati, vt non discedat ab aliquo, id rectissimè adimplebit? Sic igitur poteris optimæ valetudini præcipere, vt vadat ad puerum meum, & ibi protinus, licet ipse sit absens. Nanque serui mei non solùm mihi præsenti obtemperant: sed etiam dum mitto illos, vel etiam ad longinqua loca, ibi diligenter quæ à me iussa sunt exequuntur. Posuit autem iste Centurio rationis suæ vim, nec eam cópleuit: nouerat enim se loqui cum viro sapientissimo & eruditissimo in quo sunt reconditi omnes thesauri sapientiæ, & sciētiæ Dei. Veluti si quis volens conficere syllogismum solam minorem propositionem adijceret: in qua est tota vis argumenti.

Col. 2. *Quo audito.* Hic ponitur quædam Christi conclusio, quæ infertur ex fide huius gentilis, comparando eam cum infidelitate Iudæorum. Nam per fidem charitate informatam homo placet Deo, & isti gentiles, & multi alij erant Christi fidem habituri: maxima verò Iudæorum pars permansura erat in sua infidelitate, quod Deus repelleret Iudæos & acceptaret gentiles. Vnde dicitur, quo audito, scilicet, audito Centurione per nuncios suos. *Iesus miratus est.* Videns maximam Centurionis fidem. Vbi diligenter aduertas Christum non admirari mundi opes & facultates, corporis pulchritudinem, aut alia huiusmodi: sed potius ipsam diuinam fidei virtutem. Nam sicut docuit nos Christus timenda esse mala spiritualia, non verò ea quæ accidunt corpori: sic etiam docuit ea quæ spiritualia sunt & diuina admirari & suspicere, non tamen quæ fluxa sunt, & terrena. Nam aurum, argentum, lapides pretiosi, & quidquid in diuitiis & facultatibus mundi continetur, id omne vanum & ad triduum periturum est. Nec id mirandum, cùm habeant inanem finem & exitum. Dixit enim Dauid, Dormierunt somnum suum viri diuitiarum & nihil inuenerunt in manibus suis. At id est mundanorum hominum ingenium, vt hæc totis viribus inquirant, amplectantur, & sequantur, ita attoniti & eorum amore capti, vt ad nihil aliud nati videantur, veluti infantes vilem annulum plumbeum: aut quid aliud simile mirantes. Diligunt etenim pueri plus equum ex arundine factum, quàm eos omnes, qui ad regis ministerium sunt parati. Equidem omnia hæc terrena similitudinem habent cum arundineo equo: si cum illis nunquam interituris, & sempiternis bonis comparentur. Quippe hæc temporalia, imago sunt & vmbra futurorum bonorū. Verùm multi sunt qui hac rerum imagine & vmbra solum detinentur, neque aliud firmum magis aut stabile bonum inquirunt: non conuertentes oculos ad cœlum, quæ patria est beatorum, vbi vera bona sunt. Quod autem pueri id consuescant facere, non est mirum cùm discursu careant: at cùm tu homo sis, qui rationis & iudicij compos es, quid est quod vmbram sequeris & demiraris? Quare ducit te in admirationem imago, & non rei veritas? Idcircò diuina sapientia hæc introspiciens ad homines loquitur dicens, Vsquequo paruuli diligitis infantiam? Hæc enim terrena apud viros probos nullius ponderis & momēti: & diuus Paulus tanquam stercora hæc omnia iudicabat. Nec de his miratur, sed de virtutibus, & spiritualibus donis, Christus fidem Centurionis admiratur, & hanc sibi acceptam iudicat.

Spiritualia admiranda, nō terrena. — *Matt. 10.* — *Psal. 75.* — *Prou. 1.* — *Phil. 3.*

¶Verùm operæpretium erit id modo in dubiū reuocare, qui fieri possit, vt Christus admiretur, cū admiratio consurgat in homine ex consideratione rei incognitæ? Christus in instanti suæ conceptionis plenus fuit scientia, & omnia cognouit in verbo anima Christi beata: quo igitur pacto poterat de aliqua re admirari? Si omnia sunt nuda & aperta oculis eius, quid ignorabat? Quapropter aliqui dixerunt, non fuisse miratum: sed ad modum admirantis se habuisse. Sed profectò videtur mihi rectiùs dici posse si dixerimus eum verè fuisse admiratum. In cuius gratiam sciendum, in Christo duplicem fuisse scientiam, alteram diuinam, quæ æterna est, sub qua nulla potest cadere admiratio: qua nihil de nouo per eam cognoscitur: quia tam scientia, quàm sciens, quàm scibile sunt & cótinentur intra suam diuinam substantiam. Et sicut diuinæ essentiæ nihil de nouo acquiritur, ita nec sapientiæ eius. Alia est scientia Christi humana, siue creata: & hæc est duplex, altera est scientia visionis in verbo, & ista est scientia animæ Christi: & sicut anima Christi est creata, ita scientia eius creata est: quia non potest aliquid increatum formam esse rei creatæ. Et videtur sciētia visionis cognitio illa, quam anima Christi habet de rebus cognoscendo illas & videndo diuinam essentiam, in quantum in ea relucent omnes res: quam cognitionem habent omnes beati in patria. Et secundum istam scientiam, anima Christi in instanti conceptionis cognouit in verbo omnia, quæ verbum cognoscit scientia visionis, & secundum hanc non potuit admirari. Alia est scientia in Christo, qua cognoscit res in proprio genere, id est, non secundum quod repræsentantur in aliquo excellenti repręsentatiuo, quale est diuina essentia: sed vt cognoscuntur in seipsis, siue in propria natura: & hoc est cognoscere rem in proprio genere: quia genus dicit naturam communem. Quæ itidem scientia duplex est, altera experimētalis, altera verò habitualis. Habitualis dicitur habitus quidam cognitiuus, quo de re iudicamus cognoscentes proprietates eius secundum suam naturam: & quātum ad istam scientiam non fuit in Christo aliqua nouitas, aut admiratio, quia ab instanti suæ conceptionis eius anima fuit perfecta habitibus omniū scientiarum, & idcirco quantum ad hoc admirari non potuit. Alia est scientia experimentalis: vt quādo quis habens habitum scientiæ per solam doctrinam & speculationem, postea verò experitur intuitiuè in effectu aliquid quod speculatiuè cognoscit. Sicut medicis contingit, & id fit in omni scientia naturali & morali. Quo pacto anima Christi poterat aliquid addiscere per experientiam, quia aliqua de nouo videbat quæ nunquam viderat. Et sic Apostolus affirmat, Christum, didicisse ex his quæ passus est obedientiam. Ita & in præsenti licet anima Christi cognosceret in verbo instanti fidem Centurionis qualis erat, & qualis futura esset: tamen eam non fuerat expertus in actu. Ideóque quia animæ Christi hoc erat incognitum, id est, hoc nunquam experta erat secundum cognitionem experimentalem admiratus est, quando in re ipsa tantam vidit fidem. Sicut nos cognoscimus aliqua speculatiuè, quæ magna sunt & grandia: & nihil

Admiratio vnde oriatur. — *Hebr. 4.* — *Hebr. 5. In Christo vera fuit admiratio.*

nihilominus quando videmus: ea in rei veritate accidere, valde admiramur. Non tamen alicuius rei tanta admiratio poterat illi euenire, quanta nobis: quia quantò est maior ignorantia, tantò est maior admiratio. Christus tamen quando in hac vita erat de qualibet re semper habebat duas claras notitias, alteram diuinam, alteram verò creatam, quæ est scientia visionis animæ eius. Et idcirco licet aliquando rem aliquam admiraretur, modica erat admiratio. Veluti si astrologus nouerit tali die & tali hora futuram esse eclipsim quando id contingit non valdè admirabitur, licet in eo sit aliqua immutatio, quia ipso experimento hoc non nouerat: qui verò astrologiam ignorat, nimis mirabitur. *Et conuersus sequentibus se turbis dixit, Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni.* In publico loco & coram omnibus laudauit illum Christus. Primò vt firmiùs & pressiùs virtuti hæreat: quia quando alicuius probitas omnibus nota est, erubescit maximè si in aliquo crimine comprehenditur: à maximo dignitatis, & honoris gradu cadit.

Si autem occultè bonus sit, postea verò deterior fiat, minus erubescit: cùm nullum honoris gradum amittat, aut bonæ æstimationis.

Est quippe bona fama quasi stimulus quidam ad benè agendum.

Vnde qui illam amittit, si fortè desperet de illius acquisitione, faciliùs in malum & imprudenter prolabitur.

Deinde illum laudauit, vt cæteri videntes quo pacto à domino prędicabatur, & laudabatur, ad virtutem inflammarentur, & incenderentur.

Laudatur de fidei magnitudine, primò quia credidit, quòd etiam absens poterat incolumitatem
Matth. 9. puero tribuere: atque adeò non adduxit ad Christum paralyticum, quemadmodum illi, qui portauerunt illum ad Christum.

Luc. 8. Nec rogauit, vt ipse ad infirmum accederet sicut Iairus Archisynagogus qui rogabat Christum vt veniret & imponeret manum super filiam suam:
Ioan. 4. nec etiam, vt Regulus qui Christi præsentiam desiderabat, vt filium suum sanaret: sed tantam fidem habuit, vt solo verbo crederet Christum posse puero salutem tribuere.

Secundò diuinum imperium, maiestatem, & dominium confessus est, cùm dixit,

Dico huic, vade, & vadit: & seruo fac hoc, & facit. Sed iam singula verba veniunt à nobis explicanda.

¶In primis verbum hoc, Amen, Hebraïcum est, & in omnibus translationibus diuinę scripturę varijs linguis factis, immutatum permansit: quod quidem altissimo mysterio non vacat, quia firmitatem securitatemque significat: & id quo alia corroborantur & confirmantur, mutari non debet.

Præterea in veteri lege iuramentum est.

Hier. super c. 4. Hier. Viuo ego, dicit dominus: in nouo autem (vt Hieron. annotat) amen dico vobis: quia sic iurabant in veteri lege in condemnationem Deorum mortuorum, vt erant idola gentium per quæ iurabant idololatræ.

At nunc quia idololatria cessauit, non opus est iurare per Deum viuentē: nisi tantum, vt ipse Deus, quem nos viuentem credimus, asserat affirmatiuè se hoc dicere.

Damas. lib. 1. ca. 14. Etenim iuramentum secundum Damasceni sententiam significat immutabilitatem consilij Dei: eò quòd apud nos contractus, qui inuicem fiunt ipso iuramento rati sunt & habent firmitatem. Iurat Deus dicens,

Amen, Amen: propter hominum incredulitatem (vt Basilius & Hieron. annotant) vt iuramento eos certiores reddat. Basi. hom. de per. Hier. epi. ad Tit. ca. 1.

Sic Abrahæ iurauit dicens, Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, &c. Genes. 22.

Sic iurauit Dauid, necnon filiis Israel. Psal. 131.

Vnde obsecro aut ad quid existimas opus esse iuramento, vt Deo fidem adhibeamus? Deut. 29.

Certè id prouenit ex malitia nostra.

Quemadmodum nos datam fidem frangimus, quam aliis dederamus: ita & illis non credimus, si quæ dicunt iuramento non astruant.

Cùm enim nobis consuetum sit alios fallere, ita & nos timemus ab aliis falli.

Vnde nihil credimus, nisi id priùs fuerit iuramento confirmatum.

Cùm autem Christus deprauatum nostrum animū benè nouerit (licet ipse verissimus sit, imò ipsamet veritas) quæ nobis dicit, iuramento libet confirmare: vt imbecilitati nostræ seipsum accommodet vt vel saltim hac ratione illi credamus.

¶Secundò id iuramento affirmat, scilicet, maiorem fidem inuenisse in Centurione, quàm in Israel: non quòd maiorem habuit Centurio fidem, quàm beata virgo, aut Ioannes Baptista, aut apostoli, & Christi discipuli: sed intelligere id debes per collationem, quia æquum erat, vt maiorem fidem in Iudæis inueniret, quàm in gentibus. Fides Centurionis quomodo maior.

Ita vt singulis rectè consideratis maior fuerit fides in Centurione, quàm in Iudæis, non simpliciter, sed collatiuè.

Veluti si quis laudans prudentiam hominis rustici, maiorem esse diceret, quàm hominis docti: quod sanè intelligendum esset in suo genere: ita videlicet quòd rustici prudentia in genere suo maior appareret, quàm alicuius philosophi inter literatos, & sapientes homines.

Doctus inuenitur rusticus non inter doctos & literatos homines, sed inter rusticos: & magis doctus quàm philosophus inter philosophos.

Secundò non prætulit Christus fidem Centurionis fidei matris suæ, aut apostolorum: quia loquebatur de iis, qui propter generalem suam prædicationem crediderunt: non de iis, qui antea credebant.

¶ Denique pro huius loci maiori explicatione obseruādum est, fidem dupliciter accipi, vno modo pro habitu credendi secundum quam assentimur veritatibus sacræ scripturæ etiamsi non constiterit nobis probatio de aliqua illarum veritate. Fides duplex.

Et hæc est fides, sine qua inquit Paulus, impossibile esse placere Deo: & hęc est vna ex tribus theologicis virtutibus, quas Pau. adducit scribens Cor. Heb. 11. 1. Cor. 13.

Et per hanc fidem differt fidelis homo ab infideli.

Alia est fides quæ confidentia vocatur, qua petit aliquis à Deo confidenter aliquid, sperans & credens certissimè se consequuturū à domino id, quod postulat: quæ fides necessaria est oranti, aliàs enim nihil vnquam impetrabit.

De qua beatus Iaco. dicit, Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, postulet autem in fide, nihil hæsitans. Iaco. 5.

Et sic

Et sic existimo ill ud etiam esse intelligendum.

Matth. 17. Si habu eritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis monti,&c.

Matth. 15. Et quod Cananææ Christus dixit, O mulier magna est fides tua.

Et Ioannes ait, Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis. Id est, non fidebat ipsis, neque se confidenter aut securè illis tradebat.

De qua credo in hoc loco incidere sermonem potiùs, quàm de fide theologica: quę valdè necessaria est ad efficiendum miracula.

Hæc autem confidentia vocatur fides pro formali, quia credere pro materiali est actus intellectus, pro formali autem est actus voluntatis, quòd est credere dicenti, & illi fidere quòd dicit verum, & quòd non decipit.

Ideóq; vocatur fides à fidendo, quæ fiducia, valdè laudatur à Christo, & eam magnis præmiis, & beneficiis afficit.

Matth. 20. Vt videre est in illa parabola patrisfamilias, qui æqualem mercedem nouissimis dedit ac primis: quia nouissimi nullam fecerant conuentionem cū illo, sed benignitati domini reliquerunt id dicentes, quod voluerit det nobis, eius bonitati fidimus, credimus quòd benefaciet nobiscum.

Priores verò pactum cum domino fecerunt, nec ei fiderunt: quia de illis dicitur.

Conuentione autem facta: & non crediderunt illi sicut nouissimi.

Quocirca dominus de auaritia sua illos reprehendit, dicens illis,

Nonne ex denario conuenisti mecum? recordare de pacto inter nos facto, & quòd noluisti mihi fidere. Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem huic, qui in me fiduciam habuit, quiq; spem suam in me reposuit, tribuere sicut & tibi: vt post hac discas teipsum in manus meas constituere.

Et reuersi, qui missi fuerant domum inuenerunt seruum qui languerat, sanum.

Virtute diuina factum est (quæ vbique adest & operatur) vt in ictu oculi ille, qui maxima infirmitate laborabat, & de cuius salute omnes medici iā desperauerant, integræ sanitati restitueretur: quòd quidem maxima fides Centurionis effecit.

Christo nos decet ire obuiā in nostris necessitatib. ¶ Ex hac igitur historia Centurionis præterea omnia, quæ diximus ad nostram eruditionem discamus, primò in omnibus necessitatibus & afflictionibus nostris in medio itinere ire obuiam Christo, vt iuxta nos dignetur accedere. Protinus enim, vt Christus Capharnaū peruenit, & id intellexit Centurio, nuncios ad illum misit, ne fortè discederet. Id semper aduertere debes, vt si Christus propè te trāsierit, & audieris eius famam, vocem & inspirationes, ne facias moram, sed citò ad eum curre & illum in tuum auxilium & necessitatem voca. Nam in hac vita propè te est, nunc illum præsentem habes, nunc poteris illi occurrere, & vocare illum: antequam seipsum abscondat, antequam mors veniat & discedat. Detine illum, neque sinas illum transire donec vulnera animæ tuæ omnino sanet. Ita fecit

Cant. 3. anima illa sancta, quæ dicebat, Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum genitricis meæ. Sic fecisse legimus Chananæam illam, quæ postquam nouit, Christum in regionem suam peruenisse, clamauit ad illum dicens, Miserere mei

Marc. 15. fili Dauid. Nō dimisit illū vlteriùs transire quoúsq; fuit assequuta omnia, quæ desiderabat. Sic tu priusquam mors appropinquet, postquam illum præsentem habes, clama, nec cesses, & vestigia illius insequere dicens, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Psalm. 50. Ecce puer meus iacet in domo paralyticus. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Igitur secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem. Sed prôh dolor; quoties Deus corda nostra perambulat, & pertransit, & eum alloqui nolumus, imò illum contemnimus? Sed quid dico, quòd transit: Imò coram nostris oculis adest supernus ille cœlestísque medicus, & rogat nos, vt medicamen salutis velimus accipere, & sedens ad ostium expectat nos: nos autem tanquam amētes & stupidi magnis ægritudinibus oppressi, & peccati labibus infecti remedium nostrum spernimus. Quomodo rogo, tū illum quęres, vt Centurio iste, Cananæa & Magdalena fecerunt: si cum foribus tuis adest, dicis eum nescire?

¶ Discamus quoque nunquam de diuina pietate & benignitate desperare, imò semper petitionibus nostris confidentes accedamus: potens quippe dominus est, ex peccatoribus iustos & sanctos efficere.

Potens est dominus dicere peccatis meis, recedite ab homine isto, & dicto citius recedent.

Potens est dominus, vt dicat sanitati, veni & esto cum homine isto, & gaudebit iussibus domini. Potens est dominus ab incurabili paralysi hominem liberare. Et tandem potentissimus est ab omni afflictione & angustia saluum & incolumen teipsum eripere.

Legimus namque in quarto libro regum Helisæum prophetam dixisse, In tempore hoc cras modius similę vno statere erit, & duo modij ordei statere vno in porta Samarię. 4. Reg. 7. Quidam autem Deo diffidens dixit, Si dominus etiam fecerit cataractas in cœlo, nunquid poterit esse quòd loqueris?

Qui ait, Videbis oculis tuis, & inde non comedes. Sicque factum est, vt ille, qui Deo non credidit, à turba ingressu portæ conculcatus moreretur. Itaque has tres insignes, & egregias virtutes exemplo Centurionis induamus, scilicet, fiduciam, charitatem, & humilitatem.

¶ Discamus etiam proximorum virtutes laudare: sicut Christus laudauit fidem Centurionis corā omnibus ibi astantibus.

Sic etiam laudauit Christus Natanaëlem. D. Petrum, Magdalenam, Cananæam, & Zachæum. Ioan. 1. Matth. 16. Luc 7. Matth. 15. Luc. 19.

Sed nos veluti si in sacro baptismate Christum non fuissemus confessi, nec ipsius vexillum sequuti multò aliter facimus: nam proximorum virtutes & ea, propter quæ digni sunt laude silentio inuoluimus, defectus verò & quæ committūt flagitia propalamus, & laudamus.

Quo fit vt regius vates dicat,

Laudatur peccator in desideriis animæ suæ & iniquus benedicitur. Psalm 9. Illum laudas, qui de illata iniuria crudelissimè vlciscitur, vel qui turpia & scelerata commisit. Cuiusmodi cōditionis sunt assentatores & adulatores, & alij multi, qui ita viuunt vt aliis placeāt & adulentur. De quibus propheta sanctus Ezechiel scribit: & multa ponit, quæ illis contingent, dicens, Eò quòd deceperint populum meū dicentes pax, pax: & non erat pax: & ipsi ædificabāt parietem, illi autem liniebant eum. Ezech. 13. Peccatores nāque parietem vitiorum & grauissimorum scelerum ædificant: illi autem, qui blandiuntur, parietem liniunt,

niunt, reddendo illum album & lucidum, dicentes nihil esse fœdum, aut turpe in ipsis sceleribus & flagitiis, imò pulchritudinem & honestatem præ se ferre. At exemplo Christi tãtum virtus & honestas laudanda est, vt in hoc loco Centurionis commendatur fides & Pharisæorum vitia carpuntur: sicuti videre est in capite 23. euangelij D. Matthæi. Sic tu virtutes semper laudibus prosequere, nec bonos vitupetes, aut iniquos laudes.

Vita & mores professioni respondeat ¶ Discamus etiam, vt semper opera & vita nostra statui & vocationi nostrę sint consona: nam secundum ea quæ hic à Christo narrantur, Cẽturio, miles atque gentilis Israelitici populi sacerdotes, & senes fide superauit: ita vt in maiori honore fuerit habitus, quàm illi omnes, qui se præcipuos esse existimabant in obsequio domini, & maiorem perfectionem & sanctitatẽ fuerant professi. Mundi quippe officium, aut vanus honor sæculi non coniungit nos ipsi Deo: sed potiùs humilitas & recta opera, aut si mauis zelus ardens ministerij domini. Et tandem vt de hac re finem dicendi faciam, ne nobis fiducia sit in statu aut dignitate nostra: sed memoria semper repetamus à quanta gloria & honore ceciderint angeli illi supremi, in miserum tene- *Apoc.14.* brarum locum. Et quo pacto etiam primus noster parens à paradiso voluptatis fuerit eiectus summa ignominia & dedecore, & quomodo Iudas consti- *Gen.3.* tutus apostolus tandem fuerit miseræ & infœliciter suspensus cum iniquis angelis habitaturus. Ita *Matth.27.* vt nec monachalis habitus, nec sacri ordines, aut perfectionis status nos saluos & incolumes minimè seruabunt, nisi his optimum viuendi studiũ adhibuerimus. *Et factum est deinceps.* Hoc est post restitutam sanitatem puero Centurionis quamuis non immediatè post illam, sicut ex aliis euãgelistis colligitur. *Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim.* Inter alia præclara, quæ dilectus discipulus de suo magistro dixit, id fuit, vnum & potissimũ, scilicet, quòd *1.Ioan.3.* venit, vt dissolueret opera diaboli. In hoc (inquit) apparet filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Scri- *Sap.2.* ptum enim est. Inuidia diaboli intrauit mors in or- *Sap.1.* bem terrarum. Deus namq; mortem non fecit, neque lætatur in perditione morientium: sed diabolus, qui homicida semper fuit ab initio. Adæ quip- *Ioan. 8.* pè dixit Deus, In quacunq; hora comederis morte *Gen.2.* morieris. Sed peccatum quod transgressio fuit pręcepti mortem induxit. Itaque sicut inuidia diaboli mortem, ita charitas Christi attulit vitam, iuxta illud, quod ipse dixit, Ego veni, vt vitam habeant, & *Ioan. 10.* abundantiùs habeant. Et diuus Paulus, Sicut in *1.Cor.15.* Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes *Heb.2.* viuificabũtur. Igitur cùm venerit Christus in mũdum (vt inquit Paulus) vt eum destrueret qui mortis habebat imperium per mortem suã: conueniẽs fuit, vt priusquam in arenam cum illa descenderet, ostenderet illi, quam potentiam aduersus eandem *2.Tim.1.* mortem afferret. Itaq; conuenientissimum fuit, vt antequam omnino mortem destrueret, aliquos ad vitam restitueret, vt imperium ostẽderet, quod habebat aduersus ipsam mortem: vt vel sic intelligeret mundus eum & mortis & vitæ esse dominum. Qua de causa modò scribit diuus Lucas quo pacto adolescentem quendã filium viduæ dum iret in ciuitatem Naim à morte suscitauerit. Vbi maximè *Ephe.1.* cõsideranda est Christi bonitas, quippe qui nõ vo- *Ephe.6.* catus aut rogatus venit, vt viduam tristem cõsolaretur. Et hoc est illius maximum encomium, quòd etiam ad nos venit non vocatus. Ab æterno quippe nos elegit: sed non propter preces aut opera nostra bona præcedentia, sed sola sua benignitate & gratia. Nec nos ad illũ priùs iuimus, sed ille ad nos. Non nos elegimus illũ sed ille nos. Cũ adhuc mortui essemus in peccatis (inquit diuinus Paul^9) Deus *Ephe.2.* qui diues est in misericordia conuiuificauit nos Christo. Propterea enim dicit in Esaia, Quæsierunt *Esa.65.* me, qui anteà non interrogabant, inuenerunt qui nõ quæsierunt me. Solet benignitas domini miseros & afflictos consolari: & quod maius est nec rogatus nec vocatus, sed potiùs inopinatus venit, vt hîc facilè ostenditur. Quocirca apostolus Paulus, *2.Cor.1.* Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui cõsolatur nos in omni tribulatione nostra. Lõgè aberat huius mulieris cogitatio à spe salutis filij sui: verumtamẽ vadit Christus Naim & filium suum viuũ vidit. Beata ciuitas, beata domus, & beatus ille est nuncupandus ad quem dominus accedit: siquidem bona multa ab eo accipiet. Venit Christus in domum Simonis: & socrus eius liberatur à febre. Venit ad Matthæum: & ex publicano, *Luc.4.* efficitur apostolus. Venit in domum Zachæi, & sa- *Matth.9.* lus facta est illi. Venit deniq; in hãc ciuitatẽ Naim, *Luc.19.* & mortuum suscitat adolescentem. E diuerso autẽ is, à quo dominus discedit aut lõgè abest multis miseriis implebitur. Idcircò dixit Martha domino, Do- *Ioan.11.* mine si fuisses hîc frater meus non fuisset mortuus. Vnde & Iudaicus populus miser & obcæcatus est, quia De^9 discesscessit ab illo. Vnde maximè tibi cauendũ est, ne tibi dicat dominus, sicut olim Iudæis. Vos dereliquistis me, & ego dereliqui vos. ¶ Ad- *1.Par.12.* uertendum est insuper Naim ciuitatem esse in Galilæa sitam in magno monte Hermon: ad cuius la- *Situs ciuitatis Naim.* tus versus Oriẽtem est ciuitas Naim, & à dextrum latus Naim spatio sex vel septem parasangarũ positus est Mons Thabor. Ne autẽ præbeatur ansa errandi scripturam legẽtibus, sciendũ tres mõtes huius nominis Hermon in illa regione reperiri. Vnus *Vide Beda in ca.7. Luc. ca. 25.* & ille præcipuus, cuius scriptura facit mentionem iuxta mõtem Sanir reperitur, supra regionem Traconitidem: & est vltra Iordanem. Alius est trãs torrentem Cison, qui ad orientale latus manet montis Thabor: tertius verò est hic vbi est Naim quẽ scriptura vocat modicũ, ad differentiã eorũ quos no- *Psal.41.* minauimus. *Et ibant cum eo discipuli eius.* Comitabantur Christũ, sicut Helisæus, qui magistro suo dixit, *4.Reg 2.* Viuit dominus, & viuit anima tua, nõ derelinquam te. Vnde in persona horũ dicebat Iob, Vestigia eius *Iob.23.* sequutus est pes meus: viã eius custodiui: & nõ declinaui ab ea. Redditurì erant apostoli rationem de omnibus, quæ gessit Christus à baptismo Ioannis, vsque ad eius ascensionem, vt Petrus dixit. Atque *Act.1.* ideò indiuidui comites erant quasi testes miraculorum eius. Iucundum etiam erat apostolis Christũ adhærere. Dixit enim Petrus Christo, Quo ibi- *Ioan.6.* mus? verba vitæ habes. *Et turba copiosa.* Ibat cum illo turba multa, propter signa, quæ faciebat super iis, qui infirmabantur. Et vtinam miracula quæ Christus singulis diebus tecum operatur, tecum efficerent, vt illum sequereris. ¶ Obserua autem quòd *Prælatus bonus qui Christum sequitur multos habet comites.* priùs cũt apostoli, & statim post illos turba multa: & non id mysterio vacat: nam quando prælati ecclesiæ priores Christum sequuntur, statim post illos fundunt subditi & inferiores. Nam eodẽ modo, *Genes.30.* quo pastor Iacob virgas ponebat, vel cum cortice, vel

vel ſine illo coram oculis ouium: eodé modo oues pariebant agnos varios. Ita ſanè ſi bona opera paſtores & prælati eccleſiæ coram oculis ſubditorum proponunt, eadem ipſi ſubditi ſequuntur & pariunt. Potiùs enim ſubditi factis, quã verbis ſunt regẽdi. Vnde mirabile eſt ad hoc propoſitum illud *Ezec.1.* Ezechielis, quòd rotæ non ſuperabant animalia ſancta: omnia namque ſuo ordine & proportione ibant. Et cùm eleuabantur rotæ, pariter & eleuabantur animalia. Et quocunque ibat ſpiritus, illuc quoque pariter tendebant rotæ: & pedes eorum recti pedes, æquales pedes, quia opera verbis correſpondere debent. *Ione 3.* Prior, qui in ciuitate Niniue *Dan. 5.* pœnitentiam egit fuit rex, ipſe priùs ſurrexit de ſolio: quem ſequuta eſt vniuerſa ciuitas. Prior etiam qui prophanauit vaſa templi Balthaſar fuit: & id protinus fecerunt eius concubinæ. Vbi facilè eſt videre, quantum valet maiorum exemplum, ad vitium ſectandum, vel ad virtutem amplectendam. *Ioſue.4.* Quando Ioſue Iordanẽ fluuium tranſiuit cum teſtamenti arca, priùs tranſierunt ſacerdotes, & aquę furor ceſſauit: ita omnes ſecuri tranſierunt. At prælati huius temporis nolunt virtutis duces eſſe, imò ſubditos ſuos mittunt, vt Chriſti veſtigia ſequantur: ipſi verò manent in tranquillitate conuiuiis vacantes & deliciis. Chriſti diſcipuli priores eunt, & poſt illos turba copioſa. Refert enim multum, vt prælati, ſacerdotes, & eccleſiaſtici, & præſertim ij, quibus animarum cura incumbit, priores ſint in *Eſaie.1.* virtutis ſequela. Ita Eſaias cùm dixit omne caput languidum, & omne cor mærens: ſtatim ſubdidit, A planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas. Quando prælati, qui capita ſunt, infirmantur, neceſſum eſt corpus, id eſt, omnes ſubditos ægros eſſe: nam quando princeps & gubernator reipublicæ non rectè in adminiſtratione ſe gerit, *Eccle.10.* tota reſpublica protinus periclitatur. Vnde in Eccleſiaſtico legitur, Secundum iudicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis rector eſt ciuitatis, tales & habitantes in ea. Nam ſicut vmbra columnam ſequitur, ita ſubditi imitãtur prælatos. Qua de cauſa peccata populi ipſis prælatis tribuuntur: quia ipſi ſunt cauſa, vt populus peccet. Idcircò Moſes cùm peccauit populus, dixit Aaroni ſacerdoti, Quid ti- *Exod 32.* bi fecit populus hic, vt induceres ſuper eum peccatum maximum? Peccauerat populus: & obiurgatur ſacerdos. Si enim horologium falsò horã deſignet, vtique non tribuenda eſt culpa horologio, ſed potiùs horologium regenti. Ita ſanè ſcelera populi *Leui.10.* ipſis prælatis ſunt imputanda. *Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ.* *Cimiteria Iudæorũ extra ciuitatẽ erãt.* Conſuetudo erat Iudæis, vt extra ciuitatem ſepelirẽtur. Sic Chriſtus extra vrbem ſepultus eſt in horto. Præceptum enim erat domini, vt extra caſtra ſepelirentur. Et huius conſuetudinis ratio erat, quia locus, in quo mortuus iacebat, immundus reputabatur, quemadmodum cadauera ipſa. Appropinquat autem Ieſus, nam cùm ipſe appropinquat nobis, quemadmodum ſol incrementum tribuit plantis & herbis, ſic Chriſtus ſua propinquitate tribuit nobis vitam & ſalutem. Portæ autem ciuitatis appropinquat, quia porta, per quã egreditur mors, ingreditur vita: nam conſenſu voluntatis mortuus es in peccatis, & eodem conſen- *Mortis memoria à peccatu nos auocat.* ſu reſipiſcere debes. Et idcircò ſine cõtritione poſtquam peccaſti ſaluus fieri non potes. Prætereà cùm defunctum videris ad ſepulchrum ferri, conſiderare debes protinus te mortalem eſſe, iuxta illud *Eccle.38.* Eccleſiaſtici. Memor eſto iudicij mei, ſic erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie. Semper recolenda eſſet memoria terræ, in quam conuertendus es. Facilè namque contemnit omnia, qui ſeſe exiſtimat *Leui.1.* moriturum. Iubebat dominus plumas auis, quæ illi in ſacrificium offerebatur, in cineris locum coniici, ad partem orientalem. Eleuant in altum diuitiæ, honores, ſalus, nobilitas, veluti auis plumas ſuas. Vult dominus, vt hæc omnia coniicias in cineris locum qui ſepultura eſt, vbi protinus videas ortum tuum nihil aliud quàm cinerem & à cinere eſſe. Equidem ſi omnes tuas vanitates & mundanos honores, quibus inflatus incedis in ſepulturam duceres, ea omnia facilè contemneres & pro *Gen.3.* nihilo duceres. Infirmus hic & defunctus, qualis ſit, oſtẽdit tibi. Indutus fuit Adam pellibus animalium mortuorum: vt mortis ſententiam, in quam propter peccatum inciderat recordaretur. Singulare remedium eſt ad peccata vitanda & fugienda mortis recordatio: & ad appetitus carnis frænandos: cùm rectè intelligamus corpus hoc in vermes & cinerem eſſe conuertẽdum. Iniicit enim mors in ignem noſtrorum appetituum frigidam aquã, qua multum mitigentur & extinguantur. Eſtque veluti horologium quoddam, quod vitam noſtram ad re- *Dan.14.* ctum viuendi modum traducit, Veluti Daniel: qui cinerem ſpargendo Babylonis ſacerdotum defraudatos greſſus aperuit. Quo pacto ſi tuis cogitationibus vanis, cinerem miſcueris, dæmonis fraudes & aſtutias deteges.

¶ Præterea filius erat viduæ & vnicus iſte adoleſcens, qui mortuus defertur. Blãdè & cum indulgentia in deliciis & voluptatibus fuerat nutritus, quia filius viduæ erat: quæ mundanę voluptates ad *Eſa 59.* mortis ſepulturam plurimos deferunt. Vnde Eſaias inquit, Oua aſpidum ruperunt. Oua aſpidum ſunt extrinſecùs alba, oculis grata & pulchra: interiùs autem veneno plena. Sic mundi delitiæ exteriorem partẽ pulchrã & ſuauem oſtendunt, quas ſi aperias fœditate & nigredine plenæ ſunt. Et quemadmodũ qui oua aſpidum frangunt, ſeipſos occidunt, quia ex ipſis ouis erumpit venenũ: ſic qui ſe deliciis tradunt, ſibi ipſis mortem moliuntur. Aſpis eſt paruus ſerpens, veneno occidẽs, ſomniculoſus appellatus: eò quòd ſomnum lætiferum percuſſus emittat.

¶ Obſeruo autem in hoc loco defunctum non fortuitu delatum eſſe, ita vt Chriſtus obuiã eis eſſet factus fortè fortuna. Etenim nihil apud Chriſtum caſu fit: omnia enim priùs ſunt illi cognita deliberata & ordinata, quãuis nobis ſecus videatur. Deus namque omnia nouit priùs quàm eueniãt: & apud eum eſt decretum quid, & quo tempore vnũquodque fieri debeat. Vidua non videbat Chriſtum, neque aliud minus cogitabat, quam de eius aduentu: Chriſtus autem rectè videbat luctum & planctum viduæ. Quod quidem maximum ſolatium nobis debet eſſe, quòd neceſſitates noſtræ & afflictiones illi cognitæ ſunt: imò quòd iam ſit in via, vt eis me- *Aba.2.* deatur. Et idcircò maxima ſemper fiducia debemus confidere: & ſi fecerit moram expectemus eum, veniens veniet & non tardabit. *Et hæc erat vidua.* Et ob id non minoris habita à domino: nam coram oculis domini potiùs æſtimatione ſunt digni qui à mũdo deſtituuntur, quã qui potẽtes ſunt & qui laudãtur à mundanis. Hæc mulier orbata erat omni humano auxilio, cùm nec maritum haberet, nec filiũ:

post

Psalm. 145. Genes. 30. Genes. 14. post illú qui ei erat vnicus ad sepulchrú ferebatur: quæ omnia ipsum domini subsidium & auxilium citiùs illi attulerunt. Dominus enim custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet. Nunquid vidistis Ioseph in Aegypto vēditum in carcerem detrusum, omnibus spoliatum? Sed attendite quanto cum honore dominus eú ab his omnibus eripuit. *Psalm. 9.* Optimè quidem egregius Psaltes, Tibi derelictus *Psalm. 33.* est pauper, orphano tu eris adiutor. Et iterum, Iux- *Psalm. 112.* ta est dominus iis, qui tribulato sunt corde. Et rursus, Quis sicut dominus De⁹ noster, qui in altis ha- *Eccle. 35.* bitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Et Ecclesiasticus dixit, Dominus nō despiciet preces populi, nec viduam si emittat & effundat loquelam gemitus. Maioribus enim necessitatibus faciliùs & citiùs dominus fauet. Mundus potentibus & diuitibus opem fert, pauperes verò contemnit & obli- *Sepelire mortuos opus piú.* uiscitur. *Et turba ciuitatis multa cum illa.* Fœlix gens, quę vnico duntaxat operi misericordię intenta, scilicet, in sepeliendo mortuo, tātum miraculum potuit videret. Quot & quanti manserunt in populo, qui ignauos se esse dicebant & infœlices appellabant, ob id quia mortuum nō fuerunt comitati, vt hoc miraculū videre possent? Fauet dominus semper & sua miserabilia ostendit his, qui se operibus misericordiæ & pietatis exercent. Dauid misit ad *2. Reg. 2.* agendū gratias hominibus Iabes Galaad, quia corpus Saul sepelierant, dicēs, Benedicti vos à dño, qui fecistis misericordiam cum domino vestro Saul & sepelistis eum. Et nunc retribuet quidem dominus vobis misericordiam, & veritatem. Et sanctus pa- *Gene. 23.* triarcha Abraham maximè laudatur, quia sepeliuit magnificè vxorem suā Saram. Sic Ioseph tulit cor- *Genes. 50.* pus Iacob ab Aegypto, vsque in terram Canaam itinere sanè longo & molesto plusquā quatuordecim dierum spatio. Curam sepulturæ habuit Ioseph cú adiurauit fratres suos vt asportarent ossa eius in *Exod. 13.* Canaam. Quod fecit Moses, Tobias etiā, qui huic *Tob. 12.* misericordiæ operi intētus erat, acceptus fuit Deo, & Angelus hoc bonum opus misericordiæ cōmemorauit & laudauit in eo. Neque minori laude di- *1. Mac. 12.* gnus est Iudas Machabæus eò quòd interfectos Iudæos sepelire fecit, & pro eis pecuniam misit Hierosolymis in templum. In nouo etiam testamento opus hoc commemoratum esse scimus: laudi enim tribuitur discipulis Ioannis, quia magistrum suum sepelierūt. Et illæ sanctæ mulieres, qui primo dilu- *Marc 6.* culo ad Christi corpus vnguendū surrexerūt, quia in hoc pietatis opere se exercebant, dignæ fuerunt angelos inuenire, qui eas consolati sunt, qui & dixerunt quid esset illis agendum, vt Christum inuenirēt. Vt ex his intelligas media esse præsentissima ad inueniendum Christum opera hæc pietatis & charitatis, quæ & proximis viuis & defunctis im- *Marc 16.* pendimus. Et sic istæ mulieres Christum priùs videre meruerunt quàm apostoli: quia maiori pietate vsæ sunt cum illo, quàm apostoli. Ex quibus omnibus elicitur: quātum Deo placeat, mortuos sepelire, quandoquidem apud gentiles & barbaros honestú & laudabile reputatur. Laudatur quippe Ale- *Vale. lib. 5. de ingratis.* xāder propterea quòd corpus Darij interfecti matri vxorique suæ liberaliter tradidit, vt sepeliretur. Et Hannibal idē fecit cú illis tribus Romanorú ducibus, quos interfecerat. Hinc laudatur Cimō, cu- *ff. de reli. & sump. fune. ff. de sepul. viola.* ius patrē in vinculis mortuū cú nolent Atheniēses sepelire, ipsemet permisit, in vinculis detineri, vt pater debito honore sepeliretur. Quāobrē ab Ethnicis imperatoribus in fauorē sepulturæ statuūtur iura. Ideò Ecclesiasticus, Mortuo ne prohibeas gra- *Eccle. 7.* tiā. Isti igitur qui misericordia cū mortuo vsi sunt, meruerūt Christum inuenire, & grande miraculū videre. *Quā cū vidisset dominus.* Nemo in scripturis diuinis absolutè solet à sanctis dominus appellari nisi ipse Deus: cum ipse per Esaiā dicat, Ego dominus, hoc est nomen meum. Et in Psalmo, Dominus nomen illi. Ideò dùm sacer Lucas Iesum absolutè dominū vocat, ostendit illū verū Deū esse, & dominū vniuersæ creaturæ. Frequentius autē Lucas quàm cæteri euangelistæ Christū dominū appellat, in iis præcipuè locis, in quib⁹ humanitatis beneficia recenset, vt eius diuinam maiestatem ostendēs, simul insinuet bonitatem & clemētiā, quibus nostris miseriis subuenit. Vtinā & prælati huius tēporis oculos coniicerent in necessitates pauperum & viduarum. At sunt multi, qui faciē alio diuertunt, ne pauperum vlcera & indigentiā videant. A quibus sine dubio dñs auertet oculos suos iuxta illud Esaiæ, *Esaiæ 1.* Auertā oculos meos à vobis. Quapropter sanctus *Tob. 4.* Tobias consuluit dicens, Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuā ab vllo paupere: ita enim fiet vt neque à te auertatur facies domini. Et Ecclesiasticus, Ab inope ne auertas oculos *Eccle 4. Eccle. 41.* tuos. Et iterum, Ne auertas faciem tuam à proximo tuo. Ex quibus manifestò liquet, quantū aberrauerint in Hispania nostra, qui impedimento fuerunt, ne pauperes hostiatim suis necessitatibus consulerent: sed quod duo nobiles illis eleemosynas colligerent. Quæ quidem res penitùs subuertit pietatē, & misericordiam Christianam: Nā multi sunt, qui cùm propriis oculis non intueātur pauperū necessitates nunquā eleemosynas porrigunt. Cū certissimum illud sit, obiectū præsens fortius mouere potentiam, quàm absens. Sunt quippè multi qui vidētes pauperū summā indigentiā, & vlceribus plenos, tribuunt illis eleemosynas quas nō tribuissent, si propriis oculis non vidissent. Christus vidit tristitiā viduæ, & motus fuit misericordia. Et quid nōnè fratris tui miseria quàm propriis oculis intueris ad misericordiā teipsum adducet? Nōne citius ad pietatem prouocaueris, si pauper ad ostiū accedat: quā si diues & nobilis? Quòd si pauperem & miserū nō vides, quā imaginē suę miseriæ in corde tuo depingere poteris? Pręsentia pauperis mulieris Ruth. quę *Rut. 3.* spicas colligebat, mouit Boos ad pietatem. Insuper effectū est, vt meritum auferatur hominibus: nam qui pauperē videt quamuis illi eleemosynā nō largiatur, quia non habet: nihilominus potest coram Deo mereri, si illius misereatur intimo cordis affectu. Eodem pacto & ipsi pauperi meritū aufertur, dum impeditur ne hostiatim petat: nam eleemosynam petere & suam indigentiam manifestare, opus humilitatis est, & Deo acceptum.

Deniq; obseruandum est, Christum oculis hanc *Videre pauperem nō sufficit nisi succurras.* tristem viduam vidisse, & etiā charitatis opere illi subuenisse. Multi etiam prælati nostris temporibus subditorum necessitates, lachrymas, atque pauperpertatē vident, & illorū necessitates propriis oculis intuētur: sed quid prodest hoc si remediū & auxiliū posteriori manticæ mandāt? Quòd si subditus errauit, statim in carcerē illū detrudunt: præcipuè si aliquid de illis fuerit loquutus, id iudicāt tanquā peccatú in spiritū sanctū inexpiabile, ita vt nunquā illi cōdonent quoúsq; illū omnino perdāt & destruāt. Virgā iustitiæ habent, vt errores puniāt: non tamē

chari

Christus oculos conicit in pauperes, prælati hodierni verò auertūt. Esaiæ 42. Psal. 67.

charitatem aut pietatem, vt subditis subueniant in miseriis & necessitatibus suis. O quã bonus prælatus Christus, *Ioan.6.* qui cũ oculis intueatur pauperis necessitatẽ, statim se operi accingit, vt illi subueniat. Dùm esset in deserto leuauit oculos suos, cúmque magnam multitudinem vidisset hominum, qui fame opprimebantur, protinus quæsiuit tantæ multitudini remedium, *Ioan.9.* & quinque panibus & duobus piscibus illã satiauit. *Matth.9.* Videt egrediens à templo cæcum à natiuitate, *Luc.19.* & illum sanauit. Videt sedentem Matthæum in teloneo, *Mar.6.* & vocauit illum & sanctificauit. Vidit Zacheum in arbore sedẽtem, & ingressus domum suam salutem animæ illi tribuit. Vidit discipulos laborantes in remigando circa quartam vigiliã noctis, & à periculo eos saluos & incolumes seruauit. Vidit denique hanc viduam lachrymantem, & consolatus est eam. Sed tu cùm pauperem videas, & suppetant tibi facultates vt illi subuenire possis, id minimè curas: illum diuitem auarũ sequutus, *Luc.16.* qui oculis suis quoties domum ingrediebatur videbat Lazarum in ostio iacentem, miserum, & afflictum: sed manus suas comprimebat, habens & cor durum. *Misericordia motus super illam dixit illi*, Misericordia virtus est, *Cyrillus quẽ citat d.s. in Lucam.* qua quis alterius miseriæ condolet, releuátque eas pro viribus suis. Quãtum autem ad primum horum Deo misericordia non cõpetit, cum compassionis affectus in diuinitatem cadere non possit. Secundum verò Deo maximè conuenit, cum semper miseris & egẽtibus liberali manu subueniat. Expẽde insuper quo pacto dominus non vocatus aut à vidua rogatus, sed ex sua præcordiali volũtate & misericordia motus est: motus inquam vt miseriam viduæ tollat. Nullus orabat nec petebat adolescentis vitam: sed Christus suaptè virtute mirabiliter filium suscitat & reddit matri. Non cõsiderauit merita in illa fœmina: sed gratis misertus est. & tantum beneficium præstitit. Miseris gratis subueniamus absque vlla seruitij nec lucri spe. Discant quoq; qui magistratum habent, vt defendant viduas & pauperibus opitulentur, quamuis rogati non sint. *Omnibus indifferenter benefaciendũ.* Multi enim miserabiles personæ ex verecundia nõ audent suas necessitates propalare. Christus non petenti subuenit & viduæ merita nõ considerauit, nec examinauit. Quapropter discamus etiam non esse nobis merita exploranda in his quæ nostro subsidio indigẽt: sed debemus illis succurrere, etiã si peccatores sint, aut infirmi: *Matth.5.* non cõsiderantes merita illorum, sed miseriam tãtummodo. Deus solem suum oriri facit super bonos, & malos: & pluit super iustos & iniustos. Sic tu esto misericors super bonos & malos, vt sis similis patri tuo. Quamuis malus sit pauper, da illi. Nónne malis subuenit Deus? Portus etiam eis qui naufragio pereũt subuenit, siue mali sint, siue boni. Nam si indignos suscipimus, venient etiã digni, sicut Abrahã qui suscipiebat oẽs pauperes peregrinos & suscepit angelos. *Gen.18.* Salomon & Paulus dicũt, Si inimicus esurierit, *Prouer.15.* ciba illum. Si inimicus est, bonus non est: & præcipit hũc cibari: *Roma.12.* ergo pauperibus quamuis boni non sint, *Luc.6.* danda est eleemosyna. Ideo dominus, Omni petenti te tribue. Nullã inter bonum & malum distinctionem fecit: imò dixit, omni petenti te tribue. Si Deus bonis tantùm subueniret, quid de nobis? Si Deus ita se haberet erga te, sicut tu erga pauperem: quid de te erit? Nõ erogas pauperi, quia malus: & tu cum talis sis ab ipso Deo assiduè recipis. In deserto omnibus illis qui sequebantur Christum eleemosynã dedit ex quinque panibus: & credendũ est quòd in tãta multitudine fuerunt aliqui mali. *Ioan.6.* Misericordia enim (vt Ambrosius in epistola ait) nõ iudicat de meritis, sed miseriis subuenit pauperum. Hoc est officiũ misericordiæ. Sed sunt multi, qui antequam pauperi faueant, eius vitam scrutentur, quòd scrutinium diabolicum est. Sic illud vocat Chrysostomus. *Chry. hom. 11. super epistol. ad Hebre. & hab d.42. ca. Quiescamus.* Diabolus enim hoc intendit examen ad suspendenda & opera misericordiæ impedienda: pietas quidem ipsa dilatione interiecta frigescit. Dæmon autem cùm Christus famem, vt pauper pateretur, suffragij vice exquirere incipit, essetnè Dei filius. Idem prorsus tu efficis qui tanquam diabolus ad subueniendam pauperis necessitatem priùs inquiris an bonus, vel malus sit: & filiorum Dei vitam scrutaris. Ideò Christus, *Matth.10.* Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. *Non respiciẽdum cui subuenias sed propter quem.* Non ait quòd sit propheta: quia qui recipitur in nomine prophetæ nõ est propheta qui recipitur: quia si esset propheta reciperes prophetam & non alium in nomine prophetæ. Itaque etsi malus sit, si pauper est, recipis hominem in nomine Christi. Multi quidẽ pauperes verecũdi sunt, qui potiùs eligunt suam sub silentio paupertatem perpeti: quàm examinari. Plus isti auxilio egẽt, quã prædicatione. Si mos ergo tibi fuerit scrutãdi hæc, raro id quidẽ, charitatis opera exercebis: inuenies enim occasiones & miserias à quibus nullus liberatur, quæ tepidũ reddent te. Quantò magis quòd sæpè humana iudicia fallunt & falluntur, & multoties continget ita excludere, bonum perindè ac malum, & maiorem illi iniuriam infers iniuriosè infamando, quã beneficium subueniendo, & talibus cũ illo agere potes, quòd quamuis illi eroges potiùs illatæ offensæ verborum tuorum cõpensatio, quàm eleemosyna videatur. Si Abrahã & Loth hoc pauperum scrutinium fecissent, angelos forsitan non recepissent. *Genes.18. & 19.* Vigilantius & Vuiclef, hæretici extraneis charitatem negabant: Manichæi verò sectatoribus suis duntaxat conferebant. qui quidem hęretici à sanctis doctoribus Hieronymo, Augustino, & aliis reprehenduntur.

Discamus à Christo Saluatore nostro misericordiam. Suo exemplo prouocat ad miserendum: & hortatur etiam verbis dicens, *Luc.6.* Estote misericordes. *Maximè potẽs, debet esse maximè clemens.* Prouidentia diuina, quæ omnia sapiẽter ordinat & suauiter disponit in suis creaturis clemẽtiam cum sua potentia, mansuetudine & fortitudine cumulanit: & sic vbi plus de potentia & robore, ibi magis de misericordia & pietate esse voluit. Ideò leo qui cæteris animãtibus fortior est, omniũ quidem clementissimus est: siquidem non nocentibus parcit (nisi stimulãte fame) ita vt de ipso animali dicatur. Parcere prostratis, scit nobilis ira leonis. E diuerso autem animalia ferocia atque crudelia, potestate Dei priuati: sicut canes inter quos imbecillior crudelior est, & quòd viribus non potest vocibus efficit. Id quidem in mulieribus apparet, quæ quò imbecilliores eò vltriciores existunt. Si verò ipsis viri robur concederetur coram illis apparere nullus ferè posset. Cùm ergo Christus omnipotẽs sit & potestas, quæ illi à patre concessa fuit infinita coëxistat, consonum est quòd tam maximę potestati misericordia correspondeat. Quocirca quemadmodum omnes potestate & virtute excessit, ita eosdem misericordia, & sic veluti leo fortis, subiectis ignoscit & miseris peccatoribus: & quando alios

castigat

castigat ex nimio desiderio salutis eorum id efficit. Sicut proprium est soli lucere, & igni cóburere: ita Christo proprium est sua vti misericordia: & pauperum & afflictorum misereri. Deus cui proprium est misereri semper & parcere: canit ecclesia. Et sicut ignis suapte natura velociter sursum ascédit, & coactus violenter descendit: ita Christus ad misericordiam faciendam velocissimus est, vt suæ inclinationi naturali respódeat: tardus verò in vindicta sumenda. Idcircò innumerabiles misericordias ab ipso factas in euangelio legimus: supplicium verò vnum ad summum, videlicet quando assumpto flagello eiecit de templo ementes & vendentes. Non
Ioan. 2. quidem inuenitur, ab eo esse misericordiam petitá & non impetratam & à propriis eius aduersariis: vt patet in D. Petro cùm auriculam Malcho amputauit, quem confestim Christus ipse sanauit. Præte-
Luca. 22. reà quando Deus castigabat in ipsa correctione multum misericordię inuoluebatur: vt videre est in decem tribubus quas captas esse voluit, quas per multos prophetas ab eo missos solatus est. Vide
Num 14. Gregorium homilia prima super Ezechielem. Et quando populus cótra Deum immurmurauit, cum aduersum nuncium de terra promissionis exploratores annunciauerunt: tum temporis iratus Deus dixit illos terram illam non ingressuros: posteà verò cùm arma ad dimicandum assumerent dixit illis, Nolite ascendere, nó enim sum vobiscum: ne cadatis coram inimicis vestris. Mirum est si cum ipsis nó erat quomodo dixit ne ascenderent: & si cùm ipsis erat, cur dixit, non enim sum vobiscú? Erat namque cum ipsis, & cum ipsis non erat. Cum ipsis nó erat vt vincerent: & cum ipsis erat, ne ab hostibus perirent. O ineffabilia viscera pietatis, Culpas insequitur, & tamen peccantes protegit, & iratum se ostédit: & tamen ab hostibus defendit illos. Taliter clementissimus dominus nostra vitia & peccata castigat, vt animas seruet: & sic irascitur, vt maiori iracúdia percitus nos ab inimicis nostris tueatur. Veluti mater filium suum flagellãs, si illum in vitæ discrimine prospexisset, ad hoc vt liberetur vitá propriam pro illo poneret. Ita Deus quando nos punit taliter se erga nos gerit, vt si in mortis periculo essemus constituti vitam propriam pro nobis perderet, amisit quidé prorsus vt nos ab aduersariis nostris reciperet, mortem sibi eligendo & vitá nobis conferendo. Ideóq; quamuis in istam fœminá iracundiam prætulit filiú eius auferendo, nó omnino irascitur: solatur enim illam confestim tum misericordia motus, tum verò memor factus calamitatis illius & tristitiæ reddendo illi filium suum viuum. Misericordia mot⁹ plenos habet cœlos, misericordia motus impleta est terra: & misericordia hæc, qđ
Aqua tribulationum. amplius est, ad tartara vsque descendit, siquidem malos ipsos & damnatos citra códignum punit &
Esaia 40. bonos præmiat vltra condignum. Vnde Esaias de hac maxima Christi misericordia, dixit, Qui mésus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit. Per aquas diuina scriptura intelligere solet tribulatio-
Psalm. 69. nes, pœnas, & angustias circa illud Psalmi, Saluum me fac Deus, quoniá intrauerunt aquæ vsq; ad animá meá. Et hîc ad literam loquebatur Dauid de tristitia, & pœna: ná aquæ materiales nó possunt ingredi animá quę spiritus est. Has mésus est pugillo, ná qui pugillú claudit, contrahit & astringit manú ipsam: sed qui palmum intendit manú extendit. Sic Deus tribulationes immittit pugillo clauso & stricto: parcus enim in hoc est: cœlú verò & gloriá eius per extensos palmos tribuit, quia in præmiando liberalissim⁹ est. Ideò Dauid in Psalmo, Calix in ma- Psalm. 74.
nu domini vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc, in hoc pœna parata est impiis & calix amarus, ex quo bibent omnes peccatores terræ, sed miseratione sua non vsque ad fœcem effundere dignatur. Inclinat ergo calicem, sed non euacuat. Quod inclinat iustitiæ est: quod autem non euacuat, misericordiæ. Iudicium ergo misericordia sua temperat dominus De⁹ noster. Ideò Dauid, Misericordiæ tuæ multæ domine: secundum iudicium tuum viuifica me. Alibi dixit Dauid vt non intraret in iudicium Psal. 118.
cum eo, quia noluit cum Deo agere cum solo eius Psalm. 142.
iudicio: sed nunc iudicium petit, sed admixtum suis multis misericordiis. Iudicium enim cum misericordia copulatú est: vt seueritas iudicij miseratione domini temperetur.

¶ Quare discamus à Christo, vt misericordes reddamur, quo pacto copulari debeant omnes causæ & rationes miseriarum, quibus fratres & proximi nostri puniútur vt moueamur ad misericordiá efficiendá. Accumulauit rationes quæ erant in hac vidua, vt ei cópateretur. Primò quia vnicus filius erat nec manebat alius, à quo consolaretur. Secundò quia vidua erat nec spem habebat alios habendi. Tertia, quia in adolescentia mortuus est filius in qua ætate magis dolendum est tum propter animæ periculum, quæ vitiis implicantur, tum etiá quoniá cum grandi labore & sollicitudine parétum ad istá ætatem perducti sunt. Cùm enim alicui subueniédum est, omnes causas, quæ prouocare possunt misericordiam, sunt in memoriá reuocandæ, sicut fecit hîc dominus. Hoc idem fecisse olim narrat liber Exodi: ná cum voluit educere filios Israel de Aegy- Exod 3.
pto omnes angustias illorum expressit Mosi, vt magis illis misereatur. Sed hanc suá misericordiá ostédit dominus filiis Israel educens illos de Aegypto: & illam etiam móstrauit huic viduæ verbis & actibus, quapropter consolando eam dixit illi, *Noli flere.* Ecce officium consolationis ad quod ipse missus erat. Vnde Esaias de Christo, Vt cósolentur omnes Esa. 16.
lugétes in Sion. Ideò paracletum se vocat Christus dicés, Alium paracletum dabo vobis. Ac si diceret, Ioan. 14.
Vsque modo fui paracletus, id est, cósolator vester: sed modo alium paracletum dabit vobis pater, scilicet Spiritum sanctum. Noli (inquit) flere. Sed quomodo dicit, vt non fleat: cum sapiens dicat suprà mortuum plora, quoniam defecit lux eius? Et iterú. Fili in mortuum produc lachrymas: & quasi dira Eccle. 2. & 38.
passus incipe plorare. Abraham fleuit super Saram Genes. 25
vxorem, Ioseph super patrem Iacob, & omnis Ae- Gen. 50.
gyptus fleuit septuaginta diebus, Mosen filij Israel: Deute. 34.
Dauid Saulem, & Ionatham, & Iudam Machabæú 2. Reg. 1.
planxit omnis Israel: deniq; & ipse Christus super 1. Mach. 9.
Lazarum mortuú fleuit. Sed Christus non lachry- Ioan. 11.
mas pias prohibet, sed huic (ait) ne ploret tanquam Ioan. 20.
mortuum, quem citò resurgétem videbit. Sic dixit Reda in ca. 7. Luc. ca. 26.
Magdalenæ. Mulier quid ploras? Noli quasi mortuum plorare, qui iam viuit. Sicut Magdalena frustrà viuum plorabat: sic ista frustra plorat iamiam suscitandum. ¶ Præterea non prohibet Christus Quare nó lugendi mortui immodicè.
pias lachrymas, sed immo deratas. Hoc certè est verbum consolationis, vt non absorbeatur tristitia desperationis: sicut volebat fieri Apostolus circa fornicarium excommunicatum dicens, Consolamini ne fortè maiori tristitia absorbeatur qui eiusmo- 2. Cor. 2.
di

Chryso. quomodo lugendum dū est. Ità non immoderatè lugendū est super mortuis, maximè super his, qui piè decesserunt, si credis aliam vitam habere meliorem: & quod resurgent in nouissimo die. Et Paulus, Nolumus vos fratres ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri, qui spem non habent. Infideles qui spem non habent de resurrectione, non mirum, quin lugeant immoderatè. Secundò non plorandi sunt illi, qui in Christo moriuntur. Dauid infantem filium suum plorabat cùm viueret, & cùm sciuit mortuum lætatus est: & dixit propter infantem dùm adhuc viueret ieiunaui & fleui, &c. Sed super Absalonē qui in peccatis decessit irremediabilibus lachrymis fleuit, dicens, Absalon fili mi, fili mi Absalon, &c. *1. Thes. 4.* *2. Reg. 12.* *2. Reg. 18.*

¶ Tertiò non plorandi sunt qui moriuntur, nec super hoc debent homines superfluè tristari, nec quid portentosum efficere, siquidem Deus repetit quod est suum: sicut non debes aggrauari nec tristari si is, qui tibi aliquid mutuauit illud repetat: sic tristari non debes si Deus repetat & tollat quod suum est & auferat à te filium, fratrem, vxorem, patrem, aut amicum. Vnde beatus Paulus, Romanis scribens dicit, Siue viuimus, siue morimur, domini sumus. Quare ergo conquereris, quia Deus quòd suum est aufert? Si domini sumus, quādo ab eo auferimur nullam nobis infert iniuriam.

¶ Demum ridiculum profectò illud esset si quis ingemisceret, eò quòd videret amicum iter facientem per viam qua ipsemet nolens volens iturus est. Omnes morimur, ideo plorandum non est si videamus amicos dilectos nostros viam facientes quam nos nullo modo recusare possumus. Ideò dominus vt Ezechiel temperaret lachrymas & tristitiam pro calamitatibus populi sui dixit ei: Corona tua circum ligata sit tibi. Hoc est contine intùs dolorem tuum, & non illum signis exterioribus ostendas. Solebant olim qui rem sibi charam amittebāt non solùm lachrymas fundere: sed etiam capita, pileis & coronis nudare: quod erat doloris apertissimū signū, & hoc prohibebat Deus Ezechieli. Sic Hieremias plorans miserum Iudæorum excidium aiebat, Versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri. Poteris per coronam comam intelligere: nam antiqui in signum doloris capillos tondebāt. Vnde Iob cùm opes & filios amisisset, scidit vestimenta sua, tonso capite corruens in terrā adorauit. Hieremias etiam volens summum Moabitarum dolorem explicare, dicit, Omne caput caluitium, & omnis barba rasa erit. Et Amos ex parte Dei nuncians populo suam calamitatem dixit, Inducam super omne caput caluitium. Præcepit igitur Deus Ezechieli vt temperet fletum: vt huic mulieri, cui ait, noli flere. Obserua autē, quòd per hoc à me dictum non videntur tolli moderatæ lachrymæ atque piæ, quæ pro defunctis fundēdæ sunt, nec sensus ille & naturalis dolor, quem nostrorum obitus in nobis efficiunt: cum illud prudēter fit, vt ab initio dicebamus: sed immoderati sensus & clamores superflui quos multi de hac re faciunt obiurgatione digni sunt. In præsenti mulieres sunt castigandæ, quæ taliter sentiunt de hoc negotio vt seipsas dilacerēt & à victu & somno priuēt, desipiūt, in langores incidunt & ad mortem vsque deuenire solēt, murmurant, blasphemāt, & Deum Redemptorem arguunt, delicta quāplurima, excessus, insanias, & id genus multa perpetrant. Talibus Paulus dicit, vt non contristemini sicut cæteri, qui spem non habent. Non quidem dicit Apostolus absolutè, non contristemini, quia ipse non vetabat Thessalonicensibus dolores nec lachrymas pro suis. Sed dixit, sicut cæteri, qui spem non habent: ac si diceret, Lugete vestros: sed cauete ne id faciatis Gentiliū more, qui de resurrectione spem nullam habent, nec illi fidem aliquam adhibere volunt. Sed vos qui religionem christianam profitemini, & pro rato habetis quod optimam habent repositam gratiā, plorate religiosè atq; prudenter. Ratio igitur, qua Diuus Paulus hunc immoderatum luctum prohibet, est quoniam certissima futura est mortuorum resurrectio. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est: & resurrexit, ita & eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cū eo. Similiter Christus dicit huic mulieri, vt non fleat, quia resurrectio mortuorū est. Si credis quòd resurget filius tuus noli flere: & nō solùm resurget in nouissimo die, sed etiam statim resurget: & sic non est causa flendi. Deinde vt apertè intelligas non esse lugēdum, vide quid dicat Euangelista. *Et accessit & tetigit loculum.* Loculus diminutiuè vocatur locus vbi mortuus iacet. Mortuo enim paruulus locus sufficit, qui viuēti lata domus, & alta non sufficiebant palatia. Mors metitur quantula sint hominum corpuscula. Hoc considerent, qui alta palatia, domos deauratas fabricant hac in breui vita, quæ cōmodata est ad illā æternam fœlicitatem. Peregrinus viator patiēter tollerat nocte vna, in pauperrimo hospitio dormire. Solatur enim cùm sequēte die in proprio lecto domi suæ requiescet. Sic illi sancti & antiqui patres in casulis habitauerunt. Vnde Paulus ad Hebræos, Fide Abraham demoratus est in terra promissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdē. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor est Deus. Si verò sancti illi patres longam vitam habituri casulis & tuguriis vtebantur: quare tu hoc tempore in quo hominum vitæ breuiores multò sunt, magnifica ædificas palatia & superba? crastino decedes, interdum verò paruo contentari debes & quidē potes ita cursum istū peragere. Ne autē in hospitio huius mundi moreris in reparandis & construendis ædificiis & ædibus: siquidē iter facis & velocissimo equo veheris in propriam patriam cœlestem, attende quàm exigua domus tibi sufficiet post hác vitam, cum in angusto sepulchro deponaris, sicut adolescens iste in angusto loculo collocatur: & quā plures curas excusabis. Sed quia de hac vanitate superborū ædificiorum, multa scripsimus in prima parte operis de vanitate seculi, nunc alia consideremus. ¶ Tetigit Christus loculum vbi defunctus efferebatur. Quoties & tu ad inferni sepulchrum properas? Deus autē (cuius maxima misericordia est) sua te tangit manu mittendo tribulationem, vel laborem aliquē quo te retineat? Iob laboribus plenus & tribulationibus circundatus dixit, Manus domini tetigit me. Tunc dicimus Deum aliquē tangere cum laboribus & doloribus opprimit eum. Maximum quidem beneficiū Deus illi cōfert, quē aliquibus tribulationibus corripit. Est enim hoc admonitio quædā & quasi detentio, ne ille in æternum cōdemnetur. Multi peccatores, vt Hieremias ait, impetu currunt ad mortem, sicut equi indomiti: atque ideo Dauid Deo dixit, In chamo & fræno maxillas eorum constringe. Si videres

Ezec. 24. *Thre. 5.* *Iob. 1.* *Amos. 8.* *1. Thess. 4.* *Chrisosto. & Beda vt supra.* *Mors paruo cōprehēdit locus, quibus nec ampla suffi. cie bant palatia.* *Hebra. 11.* *Cap. 35.* *Tangit nos manu sua Deus quando à peccato per tribulationē auocat.* *Iob. 9.* *Hierem. 8.* *Psalm. 31.*

aliquem se in mare præcipitantem & apprehenderes illū,quamuis eius crura læderentur,nonne maximū beneficium illi conferres? Præstat enim illi viuere & si claudus maneat: quā q corpore & anima moriatur seipsum per suam voluntatē præcipitando. Quoties tu ab vno crimine in aliud ex tua volūtate laberis ad tartara decurrens: & Deus misericors te aliquo lāgore sustinet? Videbis adolescētem pulchrum,sanū & fortem, qui quæ vult efficit: sanū in omnibus desiderium implēdo, vitiosus enim est & mundanus. Huic immittit Deus aliquē dolorē, corporeum vel febrem, confessorem petit, crimina deplorat, Deum ergo se conuertit. Alias permittit Redemptor noster quòd mulier pulchra,quæ ex eo quòd talis est impudenter viuit, suam amittat pulchritudinem & decorem: & hoc aliquo interueniēte lāgore vel infortunio, posteà verò sancta mulier efficitur. Præstat ergo tibi deformis cum sis q salutem æternam assequaris, quàm decora damneris. Frangit quidē dominus crura ad tartara pergenti, ne illa tam periculosa via incedat. Hoc ipsum est quòd scriptura diuina dicit Deū aliquem hominē tangere per labores & infirmitates ad salutem obtinendam. Sic dæmon de Iob loquens dixit domino, Mitte manum tuam & tange os eius. Et de Pharaone dixit Deus, Adhuc vna plaga tāgam Pharaonem. Sic Pharao istis plagis & ærumnis à Deo missis tactus resipiebat & dominū cognoscebat & cōuersus orabat Mosem & Aaronē, vt pro eo preces effunderent. Manasses Iudææ rex, qui fortuna afflāte prosper & præceps tartara petebat, multa flagitia perpetrās, à domino percussus est plagis & animi perturbationibus: & ideo rex ille stetit, & in Deum conuersus est: & deuotissimā orationē composuit & dixit, Domine Deus omnipotēs patrū nostrorum, Abraham, Isaac & Iacob: & semini eorum iusto, &c. Ionas mare fugiens, oborta est tempestas, & ipse orationem à Ceti ventre in dominum ordinauit. Præterea, prodigus ille qui præcipitanter ad inferos tendebat, paupertate, fame & miseria à Deo opprimitur, quocirca in eum conuertitur, dicens, Quanti mercenarij in domo patris mei, &c. Emittit ergo Deus super te morbos, afflictiones, & miserias, & te tangit, ne vltra in peccatis remoreris: sed finem illis imponas. Vide autem quid faciant hunc mortuum deferentes, cùm Christus sua diuina manu feretrum tetigisset. *Hi autem, qui portabant steterunt.* Et ideo tetigit Christus vt ipsi gradū sisterent eadémque ratione nos ipsos tangit atque castigat, vt in peccatis cessemus. Mihi crede peccator & dubitare noli, quòd omne malū tibi euenit ex eo quòd gradū sistere nequis. Cùm ad peccandū pergis inspiratiōe aliqua Deus te vocat, & aliquo ictu te tāgit. Vide quid facias, mortē æternā inquiris, finem peccati prospice, & q ad perditionem anhelas memēto: tu verò neq; his aquiescis, neq; expectare vis: sed cōtentiosè vltra pgrederis, nec semitas tuas cōsideras. In ipso tētaminis initio siste finē & exitū peccati cōsiderans: ne fias sicut bestia, quæ opposito pannulo sine alia cōsideratione præcipitatur & in illud tendit. Ideò optime dixit Dauid in Psalmo, Homo cùm in honore esset nō intellexit, comparatus est iumentis insipiētibus & similis factus est illis. Peccator post admissum peccatū dicit, mallem profectò omnia mea amisisse, quàm hoc cōmisisse. Cùm ergo scias hanc pœnitudinem subsequuturā, quare hoc non ante peccatum cōsiderasti? Vnde illud certum est, videlicet quòd sapiens in principio, facit idem stultus iam serò. Stultorum enim est dicere nō putaram: sapientium verò ipsa præmatura & tempestiua cōsideratio. Initio ergo tētationis siste, & viā tuam præpondera: si enim id effeceris & gressus tuos nociuos aduertis, qua ad Tartarorū sepulchrum te ducunt, resipisces: & sistes, sicut fecerunt illi superiùs nominati, qui quidem inspirationi diuini tactus absque vlla mora obtēperauerunt. Vnde Dauid, in Psalmo, Consideraui vias meas, & cōuerti pedes meos in testimonia tua. Quia ab initio viam suam malam attendit, retrouersus est propheta sanctus. Si tu ita detinearis peccati exitum considerans, diuerticulum facies, à via mala recedens. Cogita de fine sine fine: & viues in æternum absque fine. Vnde Euripides dixit, brachéia térphis eis api tiktei lypni. Id est, Breuis voluptatis delectatio, tristitiam parit sempiternam. Si vrgente siti in sylua cupiens ex inuento fonte potare, videres in illius solo serpentes & alia huiusmodi tabifica animalia, potiùs eligeres sitim tollerare, quàm ex illa aqua bibere, idque ne mortis tibi causam dares. Sic verò si oculos cōiicias in scopum & metam omniū rerum vitæ huius, & in finē & exitū flagitiorum, omnia tabifica & pestifera reperies. Nullus quidem homo tā amens esset, qui ea aqua huius lucis bibere auderet, si in calce nociuū illud & turpe, quod inclusum est vitiorū fine prospexisset: cuius finis interitus, vt Apostolus ait, Ne autē manum iniicias neque cor apponas his, quæ tibi mundus offert & repræsentat: nam illud bonum, quod in faciem ostendit, sequitur veritas deceptionis suæ: nā delectationes illæ mortis quidē & perditionis prænūcię sunt, quapropter mendacia ista fuge nisi tuam perditionem malueris. Ne ad præsentia respicias, sed futura considera. Esto diligens peccati finē cōsiderans, de futuro cogitans perinde ac de præsenti: & sic bono animo atq; volūtate à caducis istis abhorrebis. Fluuiorū aquæ dulces quidē sunt: finis tamē earū est in amaras maris aquas influere. Similiter vitia & huius vitæ delicia à suo principio dulcia videntur: sed si finē attēdas amarissimus est. Omnia ergo sublunaria fœliciter incipiunt, perperam verò finiuntur: & sic omnis peccatorum delectatio in tristitiam & dolorē absq; dubio præfinitur. Ingressus ipse delectabilis est: mœstissimus verò regressus. Quãobrem si benè perpendere volueris quantum excedat atque superet cruciatus pro deliciis expectandus ipsam delectationē, sistes quidem, & nō ita præceps peccata committes, neque in culpa inuenieris, neque in tristitia, quæ ipsam conscientiam rodere solet. Breuè est quod cruciat. Vnde dominus ait, Cōuertam festiuitates vestras in luctū, & omnia cantica vestra in planctum. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupauit. Statua illa à Nabuchodonosor in somno visa ex capite aureo, & pedibus terrenis cōstabar. In omnibus enim peccatis principia aurea & pulchra sunt, quæ omnia cæci peccatores diligunt: non aduertentes quòd pedes illorum fines (inquam) & exitus vilia sunt atque fictilia. Ne ergo præsentia sed ventura prospice. Plorabat & iure id quidem Hieremias propheta super Hierusalem dicens: Sordes eius in pedibus eius, & non est recordata finis illius. Omne sanè commodum tuum mihi crede, positum est in obliuione, quæ tibi est peccati in suo principio: siquidem bona illius nec prægustare cœpisti eùm eius abominationes

Marginalia: Iob. 2. Exod. 11. 2. Par. vltı. Ionæ. 2. Luca. 15. Principijs obsta serò medicina paratur. Psalm. 48. Psal. 118. Respice finē. Simile. Philip. 3. Amos. 8. Daniel. 2. Thren. 1.

tiones tædiũ tibi afferunt. Agedùm, peccati pedes vide, ne te illud caput aureum neque decorus vultus retineát: finem vide, in principio & in ipso tentaminis initio ipsius finis memento: siste tandem sicut isti portatores fecerunt. A tuis quidẽ quatuor passionibus animæ tuæ præcipitanter veheris, quæ ad inferorum sepulchrum te ducunt, & Christus te vocat & sua tãgit manu: retine illas ne vltra progrediaris sicut isti portatores fecere, neque vltra pecces in hoc enim tua nititur vita. *Et ait, Adolescens tibi dico surge.* Hoc considerato mihi videtur quòd tam sit mors adolescentibus quàm senibus. Adolescens ait, Talis iste erat & matris suæ vnicus, & credendũ est tum quòd ab ipsa diligeretur: tum maximè quòd in deliciis haberetur: sed neque ipsa adolescentia, nec matris indulgentia ab ipsa morte eripere potuerunt. Hoc vnum maximè à iuuenibus male cordatis contemplandum est, qui quidem sua prosapia & iuuentute freti se vitiis, & delectationibus tradunt, putantes se posteà pœnitentiam acturos. Videbis in quadam papyro tenui depictas ciuitates, mœnia, flumina, & montes, & totum orbem, sed cadit aquæ gutta & totum destruit. Videtur totus mundus, attamẽ erat tenuis papyrus, quæ rumpitur: & atramentum deletur. Sic videbis iuuenem splendidum, pulchrũ, diuitem, incolumen: sed vna febris, vnus dolor totum hominem destruit, & fœdat: quia debilis & tenuis est papyrus. Sic est omnis iuuentus, decus & pulchritudo mundana. Quocirca nullus suæ valetudini, iuuentuti, neque pulchritudini credat: nam qui hodie valet, sanus, fortis, atque pulcher est, fieri potest quòd cras humo reponatur, & vtinã ne etiam ꝙ multò peiùs est, in tartaro sepeliatur. ¶Admonet locus iste mortẽ nostram semper meditari, & præ oculis habere: quandoquidem certissima nobis est, & tẽpus nostrũ ignotum: Si finẽ nostræ vitæ expẽderemus & exitum horum corporum, quibus tantum indulgemus, nõ quidem ità laxè viueremus sicut viuimus. Viperam ferunt exustam in cinerémque cõuersam mederi eiusdem bestiç morsui. Sic si morsus es ab auaritia, superbia, luxuria, &c. cõsidera cinerẽ, in quẽ elabitur & conuertitur iuuentus, potẽtia, mundi gloria, & hæc omnia in quem finem ventura sunt & curabis vitia à quibus morsus es. Amã Syrus petiit ab Eliseo onus terræ quã volebat secum asportare: ne vltra adoraret idola, & simulachra gentiũ. Sic nos asportemus terræ sarcinã in nostra memoria considerãtes mortem & terrã, in quã sumus cõuertendi: vt sic nõ adoremus idola vitiorum, quæ modo adoramus. De auaritia dixit Paulus quod est idolorum seruitus, & de epulonibus, quorũ Deus venter est: & sic de omnibus aliis portentis vitiorum. Vtinam talis cogitatio nunquam à tua memoria excideret: nam si de morte cogitares, non sicut modo viueres. Nulla quidem vanitatũ, quas modo diligis tibi proderit in illo tremẽdo agone & transitu mortis. Nauta in puppi sedens suam gubernat nauim: idem tibi faciendum est nauigando in mari tempestuoso huius mundi, sedens in vltimo fine illius, vbi mortem cõtemplaturus es, si vis ꝙ vita benè gubernetur. Cinis ignem conseruat: & recordatio cineris, in quem vertendus es gratiam conseruat. Conuerte ergo mortem ipsam in cinerem & libereris ab illa. Hominis quidem summè insani, est mortẽ obliuisci, cũ ipsemet mortalis sit, & summè prudentis præ oculis semper habere. Hominibus malis & facinorosis vita semper memoriæ radicitùs inhæret: mortis verò nunquam recordantur. Nihil enim ita à peccato reuocat, quàm crebra mortis recordatio. Ratio ipsa postulat, vt quod assiduè oculis cernis, credas. Seneca iuuenes (inquit) mortem habẽt à tergo: senes ante oculos. Licet illud non videatur quod à tergo est, potest tamen nocere, & magis quàm ea quæ sunt ante oculos. Sic iuuenes in maiori periculo viuunt: atque ideo magis timere debent, &c.

Mors vniuersalis. — *Simile.* — *Meditatio mortis salutaris.* — *Lactan. Fir. li. de ira Dei. cap 13.* — *4. Reg. 5.* — *Coloss. 3.* — *Philip. 3.* — *Simile.*

¶Obseruãdum quoque hic est, quòd etsi Deus omnia æquè faciliter operatur: attamen plures placuit illi efficere ceremonias: & maiorem ostendere difficultatem in Lazari ressuscitatione: quàm in ressuscitatione huius adolescentis: ratio, quia iste tum recenter discesserat: tum verò adolescens erat: in quo insinuare voluit quàm difficile indurati, à peccatis resurgunt: quàm qui de nouo illis implicãtur. Præterea quãtò magis in culpa perseueraueris, tanto plus mos prauus peccãdi radicabitur in animo, ideóque difficilior conuersio reddetur. Idque in claui fixione patet, nam vnoquoque ictu addito plus figitur atque radicatur & difficilior fit ad hoc vt iterũ extrahatur. Similiter ex quolibet actu nostro improbo plus vitium animæ nectitur & taliter inhæret quòd vix posteà euelli queat, maximáque cum difficultate. Ideo Iob ait, quòd ossa impij erunt à iuuentute plena vitiorum: & cum eo in puluere dormient. Habent enim vitia ossibus inclusa, sicut febrem thisicis in medullis, à qua nec medela expectatur: imo ipsum ægrotum ad sepulchrum vsque comitabitur. Ecclesiasticus enim ait, Languor prolixior grauat medicum, breuem languorem præcidit medicus. Sic Deus languorum nostrorum medicus, relinquet te & manum remouebit & sic medela difficillima erit. O peccatores, quibus lectum, prandium, somnus, prolixus status, vel sessio, infestare solent: & peccata committere minimè quidem. Omnia profectò vos vrgent atque mouent præter Dei offensam: siquidem in peccando fatigamini nunquam. Quo vsque piger dormis? multi apud vos imbecilles, & dormiunt multi. Nec mirabile est, ꝙ homo peccet & cadat: sed ipsa perseuerantia in peccatis, obstinati dæmonij est. De istis ait Oseas, profundè peccauerunt. Profunde peccat qui ex mala peccãdi cõsuetudine iam est induratus. Vt enim qui febre laborat lenta illa quidem sed ethica & assidua, si fortè ob aliquam intemperantiam incidit in febrem quandam acutam & perurgentem: facilè eam expellit & quacunque medicina curatur, manente tamen semper ethica febre. Sic actus vitiosus citò curatur, consuetudo autem peccandi difficillè. In malis enim peior est habitus quàm actus. Iusti licet cadant citò resurgunt. Hic adolescens nouiter mortuus & in eadem die defunctus, statim surrexit: quod induratis peccatoribus & iam ex longa consuetudine peccandi iacentibus tardò contingere solet. Sed de his satis. Sequitur. *Et resedit qui erat mortuus.* Vocauit enim hunc adolescentem ille, de quo Apostolus ait, quòd vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Ille (inquam) qui habet clauem mortis & inferni. Non ergo mirandum est quòd statim surrexit ad domini præceptum cùm vocauerit eum ille, de quo Anna mater Samuëlis in suo cantico, Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos & reducit. Qui enim verbo cùm non essent creauit omnia, potest etiam restaurare eadem dùm fuerint

Naturam licet expellas, furca tamen vsque recurret. — *August. ser. 44. de verbis domini.* — *Iob. 20.* — *Eccles. 10.* — *Leg. Aug. 1. Tess. 4. lib. 3. doctr. Christ ca. 21. prope fi.* — *Prouerb 9.* — *1. Cor. 11.* — *Osea. 9.* — *1. Corin. 1.* — *Apoc. 1.* — *1. Reg. 2.*

rint collapsa. Mirabilis quidem domini vox est, si quidem virtute illius mortui resurgunt. De magnitudine & virtute huius vocis Dauid dicebat in Psal
Psalm. 28. mo. Vox domini magnificentia, vox domini in virtute. Deus maiestatis intonuit, vox domini cõfringentis cedros libani, &c. Tantæ vis & virtutis fuit vox illa, vt illi abyssi ipsæ parerent: & sicut habet
Apoc. 20. diuus Ioãnes in Apocalypsi: mors & infernus dederunt mortuos suos. Nec nouissimus dies excusare illos poterit, dabit em̃ voci suę vocẽ virtutis. Paruerunt statim abyssi voci Dei, & cum diceret Christus, adolescens tibi dico surge, nullo modo neque spacio anima illa remorari potuit: imò iussui obediens corpus introiuit, & sic adolescẽs ille viuus &
Peccatores mortuis cadaueribus surdiores. sanus surrexit. Quid ergo tu dicis ad hoc? O lamẽtabilis res quòd mortui Deum audiant, nõ verò viui. Quòd tot anni & menses lapsi sunt te manente in peccato mortali, & quod Deus vocet te & inspiret tũ laboribus tum aliis multis & variis modis cœlũ tibi promittẽs, ꝙ quasi propinans vocãdo te per seipsum & per suos concionatores: & audire eum recusas: Quid hoc, quòd viui surdiores sunt mortuis? quid hoc nõ habentes aures audiũt, & habẽtes minime? Mirabile est quod mortui audiant & Christo
Psalm. 37. pareant, & viui nõ item. Ego autẽ sicut surdus non audiebam: & factus sum sicut homo non audiens, & nõ habẽs in ore suo redargutiones. Vocat Deus peccatorem, & vociferatur diu, noctúque, vt surgat à morte peccati, antequam eum tartarus absorbeat: & ille tacet & sicut surdus quiescit, Deus autem tantopere in illa vocatione persistit, vt dicat
Psalm. 6. per prophetam. Raucæ factæ sunt fauces meæ. Vide ergo & tu quòd si modo audire nolis quod posteà vocabis tu, sed minimè audieris: & ꝙ Deus ipse ridebit in damnatione & exitio illorum, quos ipse vocauit & audire noluerũt, circa illud, quod domi-
Prouerb. 1. nus ait, Vocaui & renuistis: ego quoque in interitu vestro ridebo. Attendite quòd qui hic non audiunt matrem legitimã, quòd postea nouercam audient: & quod si hic Christum Iesum nõ audis dicentem venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis:
Matth. 11. quod audies succedente tempore dicẽtem: Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo
Matth. 25. & angelis eius, auditurus es quamuis te pœniteat. Vnum tandem de duobus elige, vel audire hic vbi dulcis est vocatio, vel audire sententiam illam valde pertimescendam, quam Deus contra peccatores & malos pronunciabit, dicens, Ite maledicti in ignem æternum. Qui noluerit audire, venite, audiet
Ephes. 5. ite: velit nolit. Surge ergo tu qui dormis, surge à mortuis & illuminabit te Christus. Hodie igitur si vocem eius audieritis (obsecro per Dei viscera) no-
Psalm. 49. lite obdurare corda vestra: sed audite amãtissimam & benignissimam Christi vocem quæ vos ad ignoscendum vocat.

Differentia inter iacere, residere & resurgere prorsus. ¶ Perpende quod non simpliciter dixit, ꝙ surrexit, sed quòd resedit. Surrexit (inquam) sicut Christus ei præceperat, sed prius resedit: vt ostendatur diuinæ operationis ordinatus progressus, qui iacẽtem paulatim erigit. Iacebat enim mortuus. Inter iacere autem & stare, vel surgere medius situs est residere, & sic de iacente primo fit residens: deinde de residente resurgens, vt quanta sit à peccato in surgendo difficultas ostẽdatur. Cùm priùs iaceret, totus terrenis rebus inhærebat, & poterat dicere
Psal. 118. illud Psalmistæ, Adhæsit pauimento anima mea.
Thren. 2. Vnde in Threnis ait Hieremias, Iacuerũt in terra foris puer & senex. Quia qui diu peccato detentus est, & qui iam inueteratus est in peccato, iacet in impietate sua. Resedit qui saltem voluntate à terrenis eleuatur: stat, qui, erigitur ad resistendum tentationi. *Et cœpit loqui*, Quare? vt daret vitæ testimo- Sermo vnumquemque manifestat. bonus ne sit an peruersus.
nium: sermo nanque est vitæ vel mortis manifestatiuum: nã qualis vnusquisque est, talia dicit & operatur Democritus Philosophus loquelam appellat eidolon biò, hoc est Imago vitæ, Sermo enim nihil aliud est quàm factorum simulacrum: quoniam omnis animi vis in sermone veluti in speculo repræsentatur. Rarò inuenies hominẽ vitiis deditum, de virtute loquentẽ, Ex ore boni viri & virtutis amantis vix audies verbũ vnũ turpe & obscœnum. Ex eburnea vagina rarò educitur plũbeus gladius: vnusquisque cognoscitur ex sua loquela, ex qua natione, aut prouincia sit. Si offendis hominẽ, quẽ non cognouisti, qui Gallicè loquatur Gallũ illũ dicis: & si Hispanus similiter. Sic ostiaria illa Petrum apostolũ cognouit quando dixit illi, Tu Galilæus es: nam loquela manifestum te facit. Sic vnusquis- Matt. 26.
que ex sua loquutione & linguæ prolatione agnoscitur, an sit cœlestis regni & habitãtium in gloria, vel habitator inferni. Idioma tandem cœleste est Deum laudare, magnificare, & ei benedicere: circa illud psalmistæ, Beati qui habitant in domo tua do- Psalm. 83.
mine, quoniam in sæcula sæculorum laudabunt te. Et beatus Ioannes in Apocalypsi dicit, quòd Apoc. 19.
beati in cœlo degentes laudabant Deum, dicentes: alleluia: & viginti quatuor senes & quatuor animalia adorauerunt sedentem super thronum dicentes alleluia. Alleluia duæ dictiones sunt: quibus significatur, laudare dominum. Et Christus saluator noster, qui de cœlo erat, dixit, Quare loquelam meam non cognoscitis? E contra verò vernaculum & loquela inferni est blasphemare, murmurare, maledi- Ioan. 8.
cere, & turpia & obscœna loqui. Iuxta hoc in vernaculo sermone, quo quisq; vtitur agnoscitur cuius sit. Boni & probi perinde ac cœlicolæ cœlesti loquutione vtuntur, laudant enim Deum, psalmos cantãt, orãt, & proximorum virtutes præ se ferunt. Sed mali & improbi peierant, blasphemant, honorem proximis detrahunt, falsáque testimonia inferunt, obscœna & turpia loquuntur: & cum eorum cor & cogitationes plenæ sint luxuriis & libidinosis actibus, sic turpia, & inhonesta loquuntur: Luc. 6.
Nõ potest mentiri ipsa veritas, quę ait, Ex abundantia cordis os loquitur, Sed hoc iam exposuimus. Quid autem Christus egerit post suscitationẽ huius adolescentis audiamus. *Et dedit illum matri suæ.* 3. Reg 17.
Sicut Helias & Heliseus suscitantes, alter filium vi- 4. Reg. 4.
duæ, & alter filium Sunamitis, dederunt eos matri- Vide Bedam lib. 7. cap. 26. in Lucam.
bus. Expende Christi misericordiam & clemẽtiam. Poterat mandare resuscitato vt sequeretur illum, vel aliud simile: sed nihil horum egit, sed tantum misertus matris tradidit eum illi, quæ iam fuerat spe, & solatio orbata. Præterea discamus ex hoc loco consolari non verbis tantum, sed operibus pietatis & misericordiæ. Parum certe profuisset viduæ dicere ei noli flere: nisi adamatum filium mortuum viuum illi redderet. Ideo Ioannes admonet dicens, 1. Ioan. 3.
Non diligamus verbo, sed opere & veritate. Quid prodest, vt pauperis miserearis & ei compatiaris, si non porrigis eleemosynam? Hæc est vera misericordia, vt ope, & auxilio subuenias indigenti. Ioseph & Nicodemus moti sunt miseratione erga Christi corpus in cruce derelictum: & deinde alter

scindo

Ioan.16. sindonem, alter verò libras centum myrrhæ, & *Matth.2.* aloes mercati sunt. Magi etiã Christũ adorauerunt: sed apertis thesauris suis, obtulerunt munera, vt paupertatem eius subleuarent. Tales seruos vult Deus in domo sua qui operibus religiosis, & piis seruiant ei: & quòd porrigant manus suas plenas *Esai.58.* egentibus. Si videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Christo in corde misericordia fuit, quia misericordia motus: in verbis etiam, quia dixit ei, non fleret: & in operibus, quia suscitauit adolescentem, & dedit illum matri suæ. *Accepit autem omnes timor & magnificabant Deum dicentes, Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.* Vniuersos qui hoc miraculum inspexerunt timor (inquam) reuerentialis, & admirationis: consolationem & grandem iocunditatem habens admixtam. Magnificabant autem Deum non Christum quem Deum non credebant: licet crederent virum sanctum & prophetam ac Dei ministrum, pro cuius sanctitate & meritis Deus fecisset tam ingens miraculum. Confessi sunt illum Mes- *Deuter.18.* siam dicentes, quòd esset ille magnus propheta, quem Deus promiserat, dicens Mosi, Prophetam suscitabo eis de fratribus eorum tanquam te. Hoc literaliter de Christo prædictum est, vt ipsemet do- *Ioan.4.* cet. Sic etiam Samaritani dixerunt. Hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.

Miracula dicuntur respectu nostri. ¶ Obserua autem quòd respectu Dei miraculum non appellamus: sed respectu nostri: nam verum miraculum est arduum quoddam facere supra fa- *Ioan.6.* cultatẽ naturæ cuius author est Deus: sed Deo nihil arduum est supra facultatem, omnia potenti. Nobis autem miraculum est vt mortuus resurgat. *Ioan.2.* Miramur nos quòd ex quinque panibus satiauit tot millia hominum & quòd aquam conuertit in vinum, & quòd hunc mortuum suscitauerit: & quia hæc non potest natura, miraculum est & nos miramur. Quæquidem omnia satis ostendunt in Christo domino diuinitatem, eúmque verè Messiã: in lege atque prophetis promissum, verum hominem verúmque Dei filium. ¶ Præterea discamus opera Dei & eius mirabilia magnificare & lauda- *Tob.12.* re: quemadmodum angelus Raphael dixit, Opera Dei reuelare & confiteri, honorificum est. Laudemus dominum, quoniam in sæculum misericordia eius. Porro talis fuit rumor miraculi huius, vt dicat Euangelista. *Et exiit hic sermo in vniuersam Iudæam de* *Psalm.11.* *eo: & in omnem circa regionem.* Rumor huius miraculi exiit in circumiacentes prouincias, scilicet, Tyri, Sidonis, atque Samariæ. *Et annunciauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his.* Liuore inuidiæ hoc fecerũt *Inuidia alterius rebus macrescit opimis: vide Bedã vt supra.* zelantes inordinatè gloriam & honorem magistri sui Ioannis Baptistæ. Discipulos Ioãnis pœnitebat eò quòd Christus miracula faceret & baptizaret, *Ioan 3.* & sic accesserunt ad Ioannem & dixerunt illi, Rabbi, qui erat tecum trãs Iordanem, cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Quibus respõdit Ioãnes, In hoc gaudiũ meum *Num. 11.* impletum est. Similiter Iosue zelatus est pro Mose scilicet cùm puer Mosi retulisset dicens, Heldad & Meldad prophetãt in castris, dixit Iosue Mosi, Domine mi Moses, prohibe eos. At ille. Quid æmularis ꝑ me? Quis tribuat, vt omnis populus prophe- *Luc. 9.* tet, & det eis spiritum suum? Eodem modo Ioannes euangelista saluatori dixit, Vidimus quendam prophetantẽ, qui nõ sequitur nos. Cui dominus respõdit. Sinite illum: qui non est contra vos, pro vobis est. Inuidia diaboli introiuit mors in orbem terrarum. Quia enim vidit diabolus hominem in statu *Sapien.2.* fœlici esse, & ad illum posse ascẽdere vnde ipse cor- *Genes.3.* ruerat, ab illo principatu & statu innocentiæ eiecit *Genes.4.* illum. Hæc fera pessima Abel occidit, puteos Isaac *Genes.26.* obstruxit, Ioseph vendidit Ismaelitis, Dauidem per *1 Reg.19.* sequitur & Danielem: denique & Christũ cruci affi- *Dan.6.* xit. Sicut enim (vt Paulus ait) diligentibus Deum *Rom.8.* omnia cooperantur in bonum: ita inuidis omnia cooperantur in malũ. Moritur enim de bono odore de quo alij viuũt: nam profectum aliorum reputat suum defectum. Mirabile est quod cũ omnia vitia vni tantũ virtuti opponantur, sicut gula nõ opponitur nisi abstinentiæ, & luxuria castitati, sicut superbia humilitati: inuidia autẽ omni bono materialiter opponitur: Inuidus vexillum aduersus omnes virtutes tollit atque subleuat. Præterea cùm alia vitia alicui vitio opponãtur, sicut auaritia prodigalitati: & alia aliis: sola inuidia nulli vitio opponitur. Verùm licet omnibus virtutibus opponatur, quia principaliter & directè opponitur charitati, quæ regina virtutũ est, manifestè patet pessimum & abominabile esse vitiũ: in quo ostẽdit inuidus quòd discipulus diaboli sit: quia Christus discipulis suis dixit, In hoc cognoscent quòd discipuli mei estis, si charitatem habueritis adinuicem. Sic etiam dia- *Ioan.15.* bolus dicit suis, In hoc cognoscent quòd discipuli mei estis, si inuidiam habueritis adinuicem. Igitur discipuli Ioannis inuidentes Christi gloria & mira- *Ioan.10.* culis, quæ faciebat (quia Ioannes nullum signum fecit) nunciauerunt hæc Ioãni, qui in vinculis erat, quia veritatem prædicauerat Herodi. O vtinam tales haberet nunc ecclesia Dei concionatores qui pro veritate tuenda carcerem, & mortem subirent, & aduersus principum & regum potentiam se opponerent. Talis esse debet euangelicus concionator, Esaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, Ioannis Baptistæ, & apostolorũ imitator: qui pro veritate nuncianda, neque exilium nec carceres, nec mortem ipsam timuerunt. At quamuis Ioãnes in carcere esset pro veritate tuenda, liber erat: Herodes verò in vinculis. Vnde Salomon in Prouerbiis, Iniquitates suæ *Prouerb.5.* capient impium, & funibus peccatorũ suorum cõstringet. Et Ezechiel de impio, Ille quidẽ in iniqui- *Ezech.33.* tate sua captus est. Et Paulus vt resipiscant à diabo- *2. Tim.2.* li laqueis, à quo captiui tenentur, ad eius voluntatem. Non autem sic iustus: quia non potest vinci ab homine qui vitia sua non vicerit. Non enim quis vincitur nisi cum aduersario id quod summè amat eripitur. Qui ergo id solùm summè amat qđ aman- *Genes.39.* ti eripi non potest, ille absque dubio inuictus est & *Hier. 20.* spiritualiter liber. Ioseph in Aegypto vinculis fuit *Ezech.1.* emãcipatus, & Hieremias in Iudæa, & Ezechiel ductus est captiuus in Chaldæam, & Ioannes in carcere Herodis: sed omnes isti liberi erant. De his in tertio capite satis multa diximus. Itaque beatus Ioannes detentus fuit, quia veritatem fassus est: nos verò incarcerari iure optimo possemus, quia illam inficiamur. Videns ergo beatus Ioannes errorem & deceptionem suorum discipulorum misit illos ad Christum, ideo sequitur in cõtextu, *Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes: & misit ad Iesum dicens, Tu es qui venturus es: an alium expectamus.* Cùm Ioannes ad populum concionaretur, & veritatem annunciaret & vitia atque flagitia Herodis regis carperet: rex ille detrusit eum in carcerem: tunc Christus illud munus exequens concionari cœpit

& veritatem euangelicam edocere, & res miras, & miracula facere: antea verò quàm beatus Ioannes detruderetur Christus non prædicabat: sed detento Ioanne id quidem facit. Quando in bello interficitur signifer, qui vexillum portabat occurit tum temporis diligenter ductor, qui vexillum illud in altum tollit: & si dux defuerit occurrit alter qui hoc facit, & sic nunquam deest qui vexillum sustineat. Sic Ioannes erat signifer Christi, & veritatis vexillum sustinebat: sed detentus cum sit, occurrit Christus verus dux & fulcit veritatem istam & tollit illam. Nunquam quidem deerit qui hanc sustineat, illa autem incarcerari nequit. Ideo Paulus,

2. Tim. 2.

Verbum Dei non est alligatum, & ab ipso carcere plures scripsit epistolas. Cùm verò Christus concionaretur & miracula maxima faceret patet hìc ex Luca populum de Christo dixisse, propheta magnus surrexit in nobis, & Deus visitauit plebem suam. Tunc vt hìc ait Lucas venerũt discipuli Ioannis & nunciauerunt ei de omnibus his: ideo ex his verbis, quæ discipuli dixerunt sumpta occasione mittit Ioannes duos ex illis ad Christum dicens, Tu es qui venturus es, &c. Misertus est Ioannes, & commotus ab infirmitate suorum discipulorum misit eos ad Christum (nullum enim melius remedium aduenit.) Habuit se Ioannes hac in re sicut parentes moribundi se habent erga filios suos: gauisi enim & hilares discedunt, manentibus filiis in honore & statu. Sic gloriosus Baptista cùm se in carcerem reclusum & morti propinquum animaduerteret, vehemẽter optabat suos relinquere discipulos in statu perfectionis: & sic, vt solatus decederet vult priùs in agnitione veritatis eos remanere.

Vide Chryso. quem citat. D. ... in cap. 7 Io... Sancti in eorum perfectionis maiorem alterũ habent quàm propriam.

¶ Obserua etiam, quo pacto boni viri & probi sui obliuiscantur: vt proximorũ recordentur, & de illorum bono curam habeant. Gloriose Baptista in vinculis es & in tantis laboribus constitutus: & non es memor tui, sed tuorum discipulorum? Nonne commodiùs esset mittere eos ad Herodem, vt illi causam iniustam detentionis tuæ obiicerent? Non quidem recordatur Ioannes sui, sed discipulorum: boni enim suorum, atque delectationum propter Dei atque proximorum honorem obliuiscuntur. Immemor redditur Ioannes sui, & laborum suorũ: & meminit Christi honoris, & necessitatis, quæ insidebat discipulis ipsius Ioannis ad agnitionem veritatis, & expulsionem falsitatis & deceptionis, qua hallucinabantur. Sic fecit Christus, qui cùm per vias & plateas, cruce depressus & spinis coronatus traheretur, non tantùm suorum tormentorum memor, quantum malorum quæ passuræ erant mulieres illæ, quæ vicem suam dolebant, atque flebant, ad illas conuersus dixit, Filiæ Hierusalem nolite flere super me, &c. Sic præterea in cruce stando totus ipse vlceratus de bono alieno agit, dicens, Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Agit etiam de latronis salute, dicens ille, Hodie mecum eris in paradiso. Prætereà, ex longo itinere defessus, & fame vrgente euectus ad puteum deueniens de bono & salute Samaritanæ, proprij sui laboris & defatigationis oblitus, tractat. Hoc autem fecit ad exemplar maiorum, prælatorum atque parentum, vt omnes isti aduertant quanta cura & obligatio imposita est ipsis de illis, quorum curam habere debent, & quando illi tales fuerint afflicti, vel turbati, obliuiscantur se & labores suos proprios, vt alienis succurrant, sumpto exemplo à Ioanne, qui ita fecit vti diximus. Sic beatus Iob in angustiis deprehensus, vxòrem suam corrigebat dicens illi. Quasi vna de stultis mulieribus loquuta es. Si bona suscepimus de manu domini, &c. Paulus periculis circundatus taliter, vt ipse dicat nullibi adfuisse vbi nõ periclitatus sit, nunc in mari, nunc in procella, nunc in deserto, nunc in ciuitate, ter virginis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium perpuli, &c. & cùm ita graues & infesti labores illi essent, plus multo à quodam metu sollicitabatur ne forsan recenter conuersi ad fidem, ab ipsa depellerentur. Deum nostrum iniustum existimantes, quandoquidem ita acriter se habebat cum suis & qui benè illi inseruiebant, & vt informaret eos, illam esse Dei conditionem atque morem & quod sic habebat erga amicos. In tribulationibus istis nemo moueatur, ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus. Nam cùm apud vos essemus prædicebamus, &c. Beatus Stephanus inter lapides positus, in mortis tribulatione: sui oblitus compatitur proximorum peccatis & orat dicens, Domine ne statuas illis hoc peccatum. Sic Ioannes quamuis reclusus in carcere non prætermittit Dei honorem, & necessitatem proximorũ. Si candelam incensam in conclaui, vel calcere colloces, quamuis diligenter & optimè ianua sit clausa & pessulum affixum, nihilominus candela ipsa illucescet & totus locus illustrabitur, & lumen ipsum per rimulas & foramina exibit. Sic Ioannes erat lucerna ardens & lucens, & quantò magis claudebatur, eò plus elucebat. Iusti quidem sunt veluti silex qui tactus ab excussorio ferramento scintillas à se emittit, & splendorem. Sic iusti tribulationibus & angustiis icti, maiorem & fulgẽtiorem lucem præferunt. Lampades eius lampades ignis, & flammarum. Ita Ioannes sicut lucerna ardens discipulis præfulgebat docendo illos viam salutis. Et sic de illo optimè dici potest quod aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Carcer enim neque Herodis persequutio, non potuerunt extinguere ignem diuini amoris, quem habebat, nec flumina peccatorum obruerunt illum. Sic Paulus Romæ reclusus docet: & ab ipsis vinculis ad Philippenses, Philemonem, & ad Ephesios scripsit. Idem fecit ad Colossenses, in Epheso comprehensus. Non ergo prætermittebat apostolus docere, & illuminare ex carcere, sicut hic fecit Ioannes.

Luc. 23. *Ioan. 4.* *Iob. 2.* *2. Cor. 11.* *Act. 7.* *Ioan. 5.* *Can. 8.*

¶ Vide etiam quòd ex carcere misit Ioannes ad Christum, sed cur erat vinctus Ioannes? Quia dixerat Herodi, non licet habere vxorem fratris tui. Certè verba ista honesta sunt & modesta, in quo concionatores docet, quod talia sint eorum verba, & proximi honori conformia. Attamen sic cum Ioanne agitur. In quo apertè datur intelligi Dei amicos propriam vitam pro nihilo ducere, vt Dei honorem tueantur. Videt Petrus quòd Iudei volunt capere Christum, & cùm hoc tollerare nequiret arrepto gladio amputauit auriculam Malcho: & prorsus interfecisset, si Christus permisisset. Sed Petre hoc audes? nonne vides tantam cohortem armatam? non putas vindicaturos iniuriam istam, & te occisuros? Hæc omnia Petrus paruifaciebat, dummodo Dei honorem defenderet. Nequit ergo Petrus rem tam iniquam tollerare. Eundem zelum honoris Dei habuit Phinees quando simul Israelitam & Madianitam in peccato comprehensos trucidauit: nullus enim dolor est qui ita iustum pungat

Zelus piorum pro Dei honore. *Marc. 6.* *Matth. 26.* *Num. 25.*

pungat & malè habeat, quàm Deum offensum vi-
Psalm.118. dere. Ideo Dauid, Defectio tenuit me pro peccato-
ribus derelinquétibus legem tuam. Vires non ha-
beo, cadit animus, robur ignoro, humi iaceo cùm
videam Deum offensum, & leges & præcepta eius
non obseruari. Sed rogo Dauid, iste ne est animus
tuus & robur tuum? Nónne tu es qui tua funda &
1. Reg.17. vno lapide gigantem Goliam deiecisti? Nónne in
deserto leones & vrsos enecasti? Nóne quàm mul-
ta bella Philistæorum, Ammonitarum, aliarúmque
nationum superasti? Cur modo ita timidus es, vt
dicas defectio tenuit me? Quia perferre nequeo pec
cata & flagitia in Deum commissa, & quæ passim in
vita hac perpetrantur. Adest hera fenestræ quę ma-
ximo amore maritum suum prosequitur, & forte
fortuna videt plurimos enses nudos imminere ma-
rito, quo viso animus illius labitur, & cadit humi
semianimis. Sed si incolumis emergat maritus, di-
cunt vicini vxori exiguus tibi domina animus est,
ecce maritum sanú, & incolumē. Tunc illa respon-
det, Sufficit in táto periculo eum vidisse, vt animus
defecisset. Similiter quamuis Christum dominum,
nec occidant, neque feriant qui in ipsum peccant,
sed sufficit, iustis sua pręcepta violata videre, & san-
ctum eius nomen blasphematū, vt iusti ipsi Deum
amantes ex ipso dolore anxiati & tacti quasi lym-
phati excidant. Sic verè erat gloriosus Ioannes ho-
noris & gloriæ Dei zelator: quiquidem cùm dissi-
mulare nesciret scelus illud tam grande Herodis,
honorem Dei vindicat, & carpit nocentem illum,
Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Ob hoc
incarceratur Ioannes, patitur, & prorsus interfici-
tur. O miseria humana! iam quidem nó est qui ita
faciat, nec Dei decus & cultum tueatur, præsertim
videndo hæreticos ita superbos, & tot dãna atque
1. Reg.19. mala in vita. Helias sedens sub vmbra iuniperi, de-
fessus atque sitiens, non calamitates nec mala suą
deplorabat, nec suæ egentiæ recordabatur: flet au-
tem & deplorat perniciem & exitium templi & al-
tarium. O duritia grauis & frigiditas cordium no-
strorum! siquidem non est qui deploret ecclesiasti-
cam stragem, templorum & mundi crimina. Ioan-
nes sanctissimus zelans honorem Dei, arguit pri-
mò Herodem, propter quòd in carcere conijcitur:
& nunc suæ afflictionis & negotiorú propriorum
1.Cor.13. oblitus (quia charitas nó quærit quæ sua sunt) agit
de salute spirituali discipulorum. Ideóque mittit
illos ad Christum cum illa interrogatione, nó quia
Ioannem lateret quisnam Christus esset, sed quia
propriis oculis discipuli Christum ipsum cerne-
rent, & in operibus & miraculis agnoscerent eum.

¶ Sed quare diuus Ioannes non eos monebat
quòd Iesus erat Christus & Messias quem spera-
bant? Quia in hoc nihil profecisset, & illud humili-
tati Ioannis attribuissent: & sic non depellerentur
ab errore quo laborabant: imò potiùs in eodē con-
firmarentur, iudicando præceptorem suum Chri-
sto ipso maiorem. Et sic quamuis hinc seipsum ma-
gis ac magis exinaniret atque humiliaret, hinc ve-
rò Iesum ad astra & superna tolleret atq; laudaret,
nihil propterea profecisset: ideò misit illos ad Ie-
sum, vt videntes eius doctrinam & miracula, eum
cognoscerent. Sic legimus in quarto volumine Re-
4. Reg.2. gum, quòd prophetarum filij cupientes de Helia
scire, misit eos Heliseus per mótes & ardua: & per-
agrati sunt tribus diebus & noctibus, & nó repere-
runt eum. Non dubitabat Heliseus Heliam raptum
fuisse in cœlum: sed ad tollendum dubium filiorum
prophetarum, misit illos in montes, vt quærerent
illum: & dixit eis, mittite. Sic fecit Ioannes cú suis
discipulis: vt illum quem Ioannes sciebat Messiam,
ipsi oculis cernerent, & crederent illum esse. Præ-
tereà duos mittit: quia in ore duorum vel trium
stat omne verbum. Et si vnum mitteret sicut erant *Deuter.19.*
æmulatores magistri sui, poterat ille mentiri. Duos *Num.35.*
itaque habiliores & doctiores misit: vt possent e-
tiam aliis prædicare. Ite (inquit Ioannes) ad Iesum:
& ne rubore suffundamini, ex mea parte quærite
ab eo si est ipse qui venturus est an alium expecte-
mus. Nullam credo in orbe fuisse maiorem quæ-
stionem & maioris ponderis, & momenti, quam
ista. Qui interrogant vicem habent omnium fide-
lium, qui interrogatur Deus est, quod verò interro-
gatur summum negotium est, scilicet, an is esset
Deus, qui videbatur homo: finis verò interroga-
tionis est, an per Christum sint eo tempore à rege
tyranno eruendi, vt & Messiam fideliter recipiat,
ab eóque rursum recipiatur ipsa. An non summa
res hæc erat? Sanè super qua totius orbis salus ve-
lut in cardine nitebatur.

¶ Obserua etiam quòd interrogatio fuit, Es ne
tu qui venisti, vel qui venit? hæc est phrasis Græca,
& sic interpretanda: quod quidem probatur ex di-
ctis illorú: nam visis miraculis quæ Christus facie-
bat dixerunt, Propheta magnus surrexit in nobis,
& dominus visitauit plebem suam: in quo affirma-
bant Messiam iam venisse, siquidem de præterito
loquebantur. Ideo nunc quærit, es tu, quem dicunt
quod iam venit? qui venturus es, id est, qui venisti?
Et quod iste modus loquendi non sit solus in sacris
literis manifestè apparet in Ioannis euangelio in
illo miraculo cùm Christus satiauit ex quinque
panibus tot millia hominum: qui dixerunt, Hic est
verè propheta, qui venturus est in mundum. Cer- *Ioan.6.*
tum est quòd venturus significat, qui iam venit: si-
quidem demonstratio cum pronomine hic, veri si-
mile non est quòd diceret qui venturus est, sed iste
est qui iam venit. Sic núc dicendú est, Tu es qui ve-
nisti? Est phrasis Græca vti participio de futuro pro
præterito. In originali enim Greco est: sy ei o er-
chómenos, hoc est, tu es ille veniens, siue venturus?
Est enim Græca vox ad vtrumlibet tépus anceps,
Poterat dicere interpres, es tu veniens, tamen idem
significat venturus. ¶ Ad nostram autem eruditio- *Recta institutio domesticorum necessaria.*
nem ex hoc contextu aliqua eliciamus. Docemur
enim primò hoc facto Ioannis de nostris domesti-
cis solitam gerere curam: nam vt Paulus ait, si quis *1.Tim.5.*
suorum nó habet curam domesticorum, fidem ne-
gauit, & infideli est deterior. Multi profectò sunt,
qui ita malè educant natos suos vt ab aliis pro sua
nequitia interimátur. Deinde verò acerba senectu-
te parentes suos afficiút, & prætereà mortem affer-
re illis solent. Heli morte infœlici, ac repentina de- *1.Reg.3.*
cessit, qui quidem grauiter castigatus fuit & eius
prosapia, eò quòd nouerat indignè agere filios &
non corripuit eos. Vide etiam quãtum mali Dauidi
regi euenit ex eo quòd non ab eo vapulauit filius *2.Reg.13.*
Ammon, cómisit enim graue scelus vim inferendo
sorori suæ Thamar, & cùm teneretur in filium ani-
maduertere non fecit, & diuina scriptura de illo
dicit, Noluit contristare spiritum Ammon filij sui,
quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat
illi. Ecce quanta mala ex hoc sequantur, Absaló in
terficit eum, & posteà fugit, & quia Dauid nó ita fa- *3.Reg.16.*

cile erga illum se præbebat nec hilarem vultũ sicut
anteà demonstrabat, regnum auferre decreuit &
fugauit eum, & expulit ab Hierusalem, & bellum
gestum est, in quo satis multi Israelitici interempti
sunt, Dauid autem plorans, & nudis pedibus erat,
2. Reg. 18 & Semei maledixit illi. Tandem eò quòd vnum fi-
lium castigare recusauit duos amisit, quoniam Ab-
salon hasta ictus etiam interemptus est. Omnia ista
mala excusarentur profectò si Dauid in filiũ Amon
Eccles. 7. animaduertisset. Ideo in Ecclesiastico habetur,
Equus indomitus euadet durus, & filius remissus
euadet præceps. Curua ceruicem eius in iuuentute
Eccles. 30. &c. Et iterum, Filij tibi sunt, erudi illos, &c. Et non
solùm gerenda cura est filiorum: verumetiam fa-
mulorũ, & cũctæ familiæ: & teneris scire quo pacto
viuant, an sint concubinarij, vel rixati, si secundum
præcepta, diuinis adsunt, si sua detegunt crimina,
& religiosè viuunt adimplendo quod tenẽtur, præ-
tereà si ægrotauerint illos curare & de illis in omni
bus curam habere. Curã aduerte quã diuus Ioan-
nes suorum habuit. Disce itaque qualem filiis tuis
hæreditatem relinquere debeas. Filij huius sæculi
hoc vnum curant vt suis hæredibus bona quãplu-
rima relinquant, in hoc operã & laborem omnium
conferunt, sed non cogitant interim vt filiis suis
Deum propicium relinquant. Verũ scriptura aliter
Ephes. 6. docet. Vos patres (inquit Paulus) educate filios ve-
stros in disciplina & correctione domini. Omnia
verba hæc (inquit Moses) non solùm animis vestris
infigetis, sed filios quoque vestros docebitis. vt di-
Deut. 11. scãt timere Deum. Relinque tuis clementẽ Deum:
qui illis etiam plus proderit, quàm tot opes & di-
uitiæ. Quòd pauperum filios vidimus ac cognoui-
mus, quibus parentes exigua bona relinquerunt
& quia illi studiosi, & literati extiterunt, videmus
eos modò episcopos, archiepiscopos & in dignita-
tibus, honoribus atque diuitiis constitutos? Agno-
uimus præterea alios diuites & locupletes, qui à
suis parentibus multa bona acceperunt, & cùm de-
liciosi, lusores, & luxuriæ dediti fuerunt: omnia illa
amiserunt: & modo paupertate & inopia præmun-
tur, & infames habiti sunt. Hoc procurabat Ioãnes,
hoc sanctissimus Christi præcursor cupiebat, vt di-
scipulis optimã hæreditatem relinqueret. Videbat
iam ad extremam suæ vitæ lineam peruenisse: qua-
propter operam dabat vt filios illos, quos lacte suæ
doctrinæ nutrierat ad Christum mitteret, vt fideles
& boni essent. Et quemadmodũ bonus pater lætior
ex hac vita migrat quãdo videt suos liberos virtu-
tibus ornatos & artibus: ita quoque desiderabat
Ioannes perfectã fidẽ in suis discipulis videre, quo
securiùs hinc discedere posset. Sic Christus disces-
surus ad patrẽ pro testamento suis dicipulis pacem
reliquit ac virtutem dicens, Pacem meã do vobis,
pacem relinquo vobis. Non diuitias, non honores,
Ioann 14. sed virtutes. Sic tu officiosos & benè educatos li-
beros tuos relinque. Hoc faciebat beatus Iob of-
Iob. 1 ferens sacrificium pro suis liberis dicens, Ne fortè
peccauerint filij mei, &c.

De proximo habẽda cura. ¶ Docemur secundò vt proximorum salutem
curemus: & si bona propria, vitã, honorẽ, & quietẽ
offeramus. Siquidem beatus Ioãnes honorem pro-
prium pro salute istorum ponere non recusauit. Ex
pende Ioãnis charitatẽ, Tam illi qui nũcium hunc
audierũt, quã qui cũ Christo erant, diuũ Ioannẽ ho
minẽ leuem iudicare poterãt, & in ipso scãdalizari:
Ioann. 1. siquidem adhibito iam testimonio ab eo de eodem
Christo, quæstionem illam & interrogationẽ præ-
tendebant, & sic scandalizati sunt videntes eum iu-
dicio suo variare, liber cùm esset, ab his quæ cùm
in vinculis, & sic eum existimabant hominem mu-
tabilem & inconstantem: ideóque necesse fuit vt
postmodum Christus redemptor illi patrocinium
præstaret suum pristinum honorem reddendo, &
facta laudando. Tanta igitur charitas Ioanni fuit,
vt suum honorem pro salute animarum discipulo-
rum ponere non dubitauit, & cùm dispendio sui
nominis vtilitatem proximorum obtinuit. Sic Mo- Exod. 32.
ses propter bonũ proximorum voluit deleri de li- 1. Cor. 13.
bro vitæ. Charitas enim non quærit, quæ sua sunt,
sed salutem proximorum: non suum commodum
quærit, imò commodum proprium contemnit, vt
alios lucri faciat. Sic Paulus Romanis dicit, Opta- Roman. 9.
bã ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus 2. Cor. 12.
meis. Et Corinthiis etiam ait: Ego autẽ libentissimè
impendam, & superimpendar pro animabus ve-
stris. O quàm pauci Moses hodie sunt, quàm pauci
etiam Pauli! Pro salute proximorum nec pedes de-
cem ambulabunt. Imò verò, quod peiùs est, assiduè
detestandum illud proloquium circunferunt. Heus
proximus sum egomet mihi. Si autẽ pro proximo
facturus aliquid tu es, sub illa tamen conditione
& modo id facis, vt neque de somno tuo, quiete,
nec bonis aliquid amittas, neq; prætermittas. Vis
tandẽ Dei legem seruare absque vllo tuo discrimi-
ne, labore, nec sumptu. Vis autem vitam beatam si-
ne pensione consequi: cùm tamen Christo Redem-
ptori tuo sanguine pretioso & vita steterit vt tibi
impetraret. Non sic Ioannes qui certè imbecillita-
tem discipulorum in seipsum transfert: ideóque ex
parte sua interrogationem fieri vult. Sic de Christo
saluatore nostro ait Esaias, Verè languores nostros Esai. 53.
ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. Fecit
sicut nutrix, quæ quidem ad infirmitatẽ nutrientis
& lactantis infirmatur, venas scindit, & purgatur.
Vnde ipse per Oseã, Ego quasi nutritius Ephraim. Oseæ. 1.
Paulus etiam, Quis, inquit, infirmatur: & ego non 2. Cor. 11.
infirmor? Vtinam diuites & nobiles ita infirmitates
& miserias pauperum præsentirent, vt cum illis do-
lerent ac infirmarentur. Sed vbinam modo est cha-
ritas hæc? Heliseus quidem cum infante defuncto 4. Reg. 4.
se metitus est, & illũ suscitauit. Sic erga pauperes,
diuites efficere tenentur, illorum miserendo, vitam
& cibum erogando. ¶ Tertiò docemur quòd nulla Fides in Christũ radix salutis
fides nisi Christi fides ad salutẽ prodest. Mittit ergo
discipulos ad Christũ, quia nisi dominus custodie-
rit ciuitatẽ, frustrà vigilat qui custodit eam. Si enim Psalm. 126.
domui cæmentũ deficiat, frustraneum erit parietes
tollere: & ampla ædificia cõdere. Cæmentum sanè
atque radix salutis nostræ, Christi fides est, de qua
Esaias: Ecce ego mitto in fundamẽtis Sion lapidem Esai. 28.
angularẽ, probatũ, pretiosum, &c. Paulus, Fũdamẽ-
tum aliud nemo põt ponere prẽter id, qd̃ positũ est, 1. Cor. 3.
qd̃ est Christus Iesus, quidquid tãdẽ absq; hoc fun-
damẽto fit, vanũ est. Sic philosophi in vanũ labora-
uerunt sine fide. Probè id quidẽ Ioannes noster hos
castos, humiles, pios, cæterásq; virtutes edocuit: sed
quoniã ista omnia sine Christi fide sufficere nequi-
bant, ad Christũ verũ magistrũ mittit. ¶ Quartò &
vltimo docet hæc historia nihil perniciosiùs esse q̃
si hominem nimium suspicimus, eique plusquã par
est tribuimus: quãtumuis doctrina & sanctimonia
excellẽti sit excultus. Ioãnes vir sanctus erat, multa
tamẽ incommoda sequebantur quòd discipuli eius
nimium

nimium ei ascriberent, eúmque tanti æstimarent. Primò enim hæc res inuidiam in eis accendit aduersus Christum. Secundò cupiebãt verbo & opera Christi irritari & supprimi. Tertiò præceptorem suum instigabant contra Christum, quorum studium Ioannes si approbasset eósque sequutus fuisset, quid inde aliud præter simultates, sectas, atque perturbationes sequerentur? Eodem quoque modo Corinthij æmulari incipiebant quisque pro eo à quo fidem doctus erat & baptizatus: Paulus verò vehementer obiurgat eos: & à tali cõtentione propter magistros, eos attrahebat. Vnde omnes hæreses, & sectę natæ sunt, nisi ex ambitione prædicatorum & importuna, ac immodesta æmulatione insipientis populi pro suis magistris? Hæc ipsa causa est quo minus his temporibus atrocissimum in ecclesia bellum, & cõtrouersiæ cõciliari queant. Vnaquæque pars æmulatur pro suis magistris, & alios despicit. Sed iam ad nostrum Lucam reuertamur.

1 Cor. 1.

Obedientia & pietas discipulorum Ioannis.

Cum autem venissent ad eum viri dixerunt, Ioannes Baptista misit nos ad te dicens, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Isti fuerunt legati fideles verba mittentis fideliter deferentes, nihil addendo, nec subtrahendo, quos ideo sequi debemus. In prouerbiis enim legitur. Qui alio repetit sermone, separat fœderatos. Balaam cùm iussus esset vt malediceret Israel benedicebat, obiurgatúsque à Balac rege Moabitarum eò quòd non malediceret, respondit. Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit dominus? Sed si Balaam ariolus & iniquus cum esset, absque vlla variatione, quæ Deus afflauerat annunciabat, quare tu euangelicus concionator, & Christicola non ad populum refers quemadmodum à Deo accepisti, & ab eodẽ iussum est? Balaam quidem mutationem noluit, quanuis Balaac maximum munus & thesaurum offerebat: Sed proh dolor, quã multi hodie sunt cõcionatores, qui minori multo oblatione proposita diuersa longè ab eo quod intelligant è superiori loco proferunt, cùm verò redemptor noster populi atque hominum vitia & crimina reprehendi iubeat, minimè id faciũt: imò verò ne ex hoc aliqua inimicitia vel odium generetur inter ipsos & optimates viros & principes, eorum flagitia simulant & mutatione verborum vtuntur. Discamus etiam patribus magistris atque præpositis obedire. Isti verò discipuli qui tales extiterunt & magistro paruerũt, ex eo quidem miracula quamplurima quæ Christus coram ipsis & pro eorum amore facit propriis oculis videre meruerunt, deinde etiã in fide illuminari. Sic Saul obtemperans patri præcipienti vt asinas amissas quæreret, regnum adinuenit, sicut isti saluatoris fidem, &c.

Prou. 17. Num. 23.

1. Reg. 9.

In ipsa autem hora multos curauit à languoribus suis, & plagis, & spiritibus malis & cæcis multis donauit visum. Expende Christi bonitatem ac clementiam. Siquidem tot miracula facere dignatus est propter hos duos discipulos pauperes, & quòd magis est eius aduersarios: vt duas illas animas ad se lucraretur & conuerteret. O si tu apertis oculis aduerteres quàm magna Redemptori nostro debeas, & quibus modis vtatur ad tuam salutem. Vtinam in referenda gratia tantæ curæ, quæ Christo est salutis & saluationis tu aliquam tuæ de teipso haberes: quam quidem curam in isto euentu aduertere maximè debes, si quidem ad lucrandos hos discipulos tanta miracula effecit. ¶ Perpende autem ex hoc quantum diuina maiestas animam existimet. Putasnè paruo habere? plus certe illam ducit quàm centum millia mundorum. Vtinam nostri temporis prælati ita ducerent & tantum in earum vtilitatem facerent. Sed quid dicam plus istis certè cura imposita est caducarum rerum & visibilium, quàm spiritualium, & plus episcopus dolet de eius mulæ obitu, quàm spiritualis subditi. Non quidem sanctissimus ille Iob atque patiẽtissimus vestimenta scidit audito exitio ouium, camelorum ac armentorum: scidit autem quando præsensit maximè liberorum mortem Sic tu episcope, & prælate plus spiritualem mortem filij tui subditi: quàm amissionem cæterorum temporalium & mutabilium præsentire teneris: Vide tandem quid Christus pro vna anima liberanda fecerit: idem tibi prorsus faciendum est pro salute fratris vel subditi tui.

Iob. 1.

¶ Obserua etiã quòd in ipsa hora fecit hæc miracula cùm primum discipuli Ioannis accesserunt absque vlla mora. Salutem enim nostrã differre nescit Deus, nec discipulorum suffragium in alterum diem distulit: imò eadem hora contulit. Ex his tandem disce bonorum operum dilationem in posterum aufugere, forsan enim, vt solet impedimentum occurret, cuius causã cessabunt. Mala autem opera ne statim exequaris, neque perficias: accidet enim interea quòd propositũ mutes, & à praua cogitatione desistas, vel id fiet aliquo alio impedimẽto interiecto. Ne verò officiosa operatio in crastinum prolongetur: fieri enim potest, vt hodie è vita discedas, & sic deficiente tempore operari minimè valebis. Patriarcha ille sanctissimus Abraham cùm primùm de circuncisione charissimi filij nuntium accepit scriptura diuina testante, capessit: & statim carnem præpucij sui circuncidit. Heliseus similiter audita voce Heliæ vocantis, statim sequutus est eũ. Præterea Leuita ille, qui voluit de Bethlehẽ reuerti in domum suam, quoniam longas moras fecit, & iter dilatauit, precibus & blandimentis soceri sui detentus, & domũ suam attingere nequiuit, remansit in Gabaa, vbi grauiter lacessitus est. Tu ergo caue tibique prospice, euigila diligenter & cœlestem viam ducito, ne id in posterum transmittas: fortè enim fortuna nox vltima, quæ mors auidissima est in tali statu atque tẽpore capiet, vt cogaris in tartaro collocari. Sed de his aliàs.

Non differenda nec procrastinanda bona opera.

Genes. 7

3. Reg. 19

Iudi. 19.

Postquam igitur diuina maiestas miracula astantibus discipulis ostenderat euangelista ait, *Et respondens dixit illis: Euntes renunciate Ioanni quod audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundãtur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Iudicio quidem meo videtur hac in re ita se habere Redemptor noster, & D. Ioannes quemadmodum Moses & Aaron. Aarõ enim lingua erat & Mosis interpres, & qui palã loquebatur. Moses autem mira, atque miracula promebat. Sic Ioannes vox erat idémque ipse loquebatur dicens, Ego vox clamantis in deserto. Ecce agnus Dei: ipse verò loquitur modo dum dicit: Tu es, qui venturus es, an aliũ expectamus, sed Christus facit, miracula & facit opera, quia cæci vident, claudi ambulant, &c. Ideo ait, dicite quod audistis, & vidistis, cæci vidẽt, claudi ambulant, &c. Quæ audistis referendum est ad doctrinam, quam audierũt, quæ quidẽ perfectissima erat. Primò quia extirpat omnia vitia quod aliæ leges non faciunt: quia permittunt peccata, vt lex Mosi libellum repudij, & leges ciuiles meretrices, & occidere adulteram. Sed lex Christi omnia extirpat vsque ad verbũ ociosum. Secundò leges aliæ tol

Exod. 4.

Ioan. 1.

Deut. 24.

Matth. 12. liæ tollunt exteriora tantùm, lex autem Christi in- *Matth. 5* teriora, ideo dixit, Non concupisces, & qui viderit mulierem ad concupiscendum eam iam mœchatus est in corde suo. Tertiò circa finé vltimum: nam aliæ leges prætendunt pacem inter homines, hic enim est finis legum humanarũ, sed lex Christi ha- *Non verborũ sed operũ habenda ratio.* bet finem regnum cœlorũ. ¶Et illud, quæ vidistis, referendum est ad opera & miracula quæ fecit. Veniunt tandē discipuli quærere à Deo quisnam sit, & respondit, Videte opera mea. Ex ipsis enim deprehenditur & cognoscitur diuina maiestas: ista quidem sunt quę testimonium de quolibet perhibent. Opera autem Christi cõsonant, & conformia sunt dictis & mirabilibus, quæ de eo Esaias cæteriq; prophetæ enuntiauerunt. Sic nos, vt Christiani videamur oportet legem Dei opere complere, & quòd noster videndi modus Christi legi correspondeat. Diuina sanè lex miracula præclara à Messia venturo facienda pronunciabat, deinde vt Christus redemptor se Messiam promissum ostenderet talia perficit miracula. Similiter hoc à lege, Christiano præcipitur. Diliges Deum ex toto corde tuo, ex tota a- *Matth. 22.* nima tua, & ex omni mente. Dicit etiam quod qui diligit patrem, aut matrem plusquam Christum *Luc. 9.* non est eo dignus. Nunc videamus an tu Christicola, tum vita, tum verò operibus bonis catholicæ professioni respondeas? Væ mundo: siquidem inter legis Dei professores, tot sunt odia, inimicitiæ, vsuræ, luxuriæ, cæteráq; vitia, qualia neque inter gentes: tua ergo opera & facta pro seipsis loquentur, & te qualis sis indicabunt, quia verò Christianus es *1. Tim. 22.* more Christiano viuito. Non licet seruo Dei litigare, &c. sed modestum esse, humilem, benignum, castum & ad omnes facilem & mansuetum. Opera dicent quis sis: Arbor quidem per fructum, homo autē ex operibus cognoscitur: Operibus crede, non *Genes. 27.* verbis. Sic fecit Isaac, verbis fidem adhibere noluit, sed manus Iacob tetigit ipse. Similiter Deus faciet, & quamuis multa verba proferas, beatitudinē non confert, sed manus, opera inquam tentabit. Sic ipse de aliquibus loquacibus pauca verò implentibus *Matt. 7.* dicit, Multi dicēt mihi in illa die, Domine, domine, nonne in nomine tuo, &c. Et dicam eis nescio vos. Nec tu præterea hominũ verbis multum tribuas, sed opera respice: maior enim mortalium pars pharisæis assimilantur, quia quidem dicunt, sed non faciunt: opera tandem, vt diximus de vnoquoque testimonium reddũt. Atque ideo ait Christus, Opera quæ ego facio, testimonium perhibēt de me. Quo- *Ioan. 10.* modo sciam te esse Christianum videamus opera. Certe illa non sunt Christianorum, imò saracenorum. Vbique periuria, adulteria, latrocinia, mendacia, fraudes, & ideo infideles conuertere se nolunt, quia nostris moribus ac operibus cõtemplatis nõ à se dissimiles nos iudicant. Si ergo fidelis es, fidemque profiteris, ostēde mihi fidē tuam ex operibus, *Iacob. 2.* Christus verò, re, & opere se ostendit. Ideo ipsemet *Ioan. 14.* ait, Si opera quæ nullus alius facit ego nõ fecissem, peccatum nõ haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Sed rogo domine: quæ opera ista, quæ alius nõ effecerit? Cæci vidēt, claudi ambulãt. Ideo dicite quæ vidistis, & ex his cognoscetis, quòd ego sum qui erat venturus. Si autem *Iosue 10.* ad miracula attendamus, sancti patres permulta *3 Reg. 17.* fecere: iussu enim Iosue stetit sol: ab Helia verò & *4 Reg. 4* Heliseo multi elati reuixerũt, & alia mira processerunt. Disputant deinde scholastici, an ipsa Christi opera testimonia ferrent quòd esset promissus in lege? & respondent quòd sic. Primò ex modo imperatiuo: nam Helias, & Heliseus deprecando mortuos suscitauerunt. Domine Deus reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius: dixit vnus ex eis, Petendo, sicuti serui à domino suo *Aug. li. 22. de ciu. cap. 2.* miracula fecerunt. Vnde beatus Augustinus ait, Sancti non propria virtute miracula fecerunt, sed Deo in illis operante. At Christus sicut Deus & *Luca 18. Matth. 8. Luc. 7. Ioan. 11.* dominus imperatiuè præcipiens infirmitatibus, fecit miracula. Cæco dixit respice: & leproso, mundare, & adolescenti mortuo, adolescens tibi dico surge: & Lazaro, Lazare exi foras. Idem autem dico de cæteris omnibus miraculis. Itaque, sicut Protogenes Appellem cognouit ex sola diductione vnius lineæ, quam effecit: similiter tu omnipotentiam Christi facilè ab vno miraculo deprehendere posses. Nam quemadmodum lineæ subtilitas ingenium Appellis in suo artificio præferebat: ita Christi diuinitas & suum esse, planè imperium, & dominium, quo miracula faciebat, demonstrabat, nisi Iudæi, gens quidem pessima, suis affectionibus & malitia obcæcarentur.

¶Secundò ex multiplicitate miraculorum. Quia *Miracula Christi singula sunt in prædicatione.* prophetæ non tot miracula fecerunt: quia si vnus claudum curabat, non mundabat leprosum, & faciebat vnum miraculum, non aliud: Christus verò multa & varia fecit miracula, ita vt Dauid di- *Psalm. 145.* cat, Dominus soluit compeditos, dominus illuminat cæcos, dominus erigit elisos, &c. Et hoc voluit Christus hîc insinuare, cùm dixit, Cæci vidēt: claudi ambulant, leprosi, &c. Tot miracula & tam varia narrauit: vt ex hoc intelligerent discipuli Ioannis quòd ipse erat expectatus à Iudęis: quemadmodum enim reges & principes in suis literis & elogiis sigilla & arma affigunt ne adulterentur, nam licet chirographum validum sit, quia regium est, nihilominus adulterari potest & literæ eius, sigillum non item. Sic Christus miraculorum sigillo, doctrinam & prædicationē suam sigillabat, apposito enim sigillo cum chirographo nullus remanet scrupulus nec ambiguitas. Sic verò de Christi doctrina tot miraculis atque tantis confirmata quæ pro se ipsis loquebantur & Deum ipsum effectorem indicabant nemo ambigere potuit. Sic verò reuersi discipuli ad Ioannem, responso accepto, dixerunt illi quæ audierant, & viderant: quibus Ioannes ait, O stulti & tardi corde ad credendum: quid *Luc. 24.* clariùs poterat vobis dicere quòd ipse esset Messias in lege promissus, & quòd non sit alius expectandus. Esaias enim de Messia dixit, Ipse veniet & *Esai. 35.* saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet claudus sicut ceruus, & aperta erit lingua mutuorũ. Idem etiam Esaias dixit in persona Messiæ, euangelizare pauperibus misit me. Conferto benè quod vidisti cum ipsa prophetia, & apertè inuenies Iesum istũ nostrũ Messiam esse & non alium. ¶ Expende autem quòd non dicit Christus. Ego facio cæcos videre, claudos ambulare, sed modestè dixit, cæci vident, claudi ambulant, ostendens opera. Discamus non iactanter, & inaniter nos ipsos laudare, & egregia opera nostra magnificare: sed cum ratio postulauerit, opera nostra ostendamus, & ipsa loquãtur, ipsa narrent, & manifestēt authorem. Nabuchodonosor seipsum extollens inquit. Nõne hæc est Babylon ci- *Dan. 4.* uitas magna, quã ego ædificaui in domũ regni, in robore

bore fortitudinis meæ : & in gloria decoris mei. Cùm verò hic ſermo adhuc in ore regio eſſet, vox de cœlo ruit. Tibi dicitur Nabucodonoſor rex, Regnum tuum tranſibit à te, &c. ¶ Perpende etiam quòd Chriſtus ad ſui atq; doctrinæ ſuæ probationem cœcos illuminat, claudos ſanat, leproſos múdat, &c. Et cùm Chriſtus redēptor noſter tam ſanctiſſimè & ſine querela vixiſſet, ita vt inimici ab eo rogati an eſſet in illo aliquod peccatū, nullū prorſus inuenerunt : attamen vt illi fidem adhibeant tot atq; tanta miracula perficit. Dicito mihi, quæſo, & narra Martini Lutheri, vitā adhæc etiā miracula, quæ fecerit : vt illi Germania, tota Anglia, & tam magna Francorum pars, tantam fidem attribuerint? Súntne illius miracula monialem ducere & tres procreare filios : die autem veneris gallinis veſci : vinum præterea vſque ad crapulam potare? Cum iſtis tam præclaris miraculis tot beſtiales homines crediderunt hæreſes, errores, & mendacia, quæ peſſimus ille homo ſeminauit. Viuat autem viuat, atque in æternum & vltra ſtet prorſus atque maneat fides noſtra atque religio catholica : ſiquidem à tali authore & fonte totius ſanctitatis, veritatis, atq; religionis promanauit : fuitque promulgata à ſanctiſſimis viris, ſanctitate atque perfectione præditis : approbata autem & confirmata miraculis celeberrimis, vt dictum eſt, &c. ¶ Obſerua tertiò, ꝙ diabolus in ſua malitia induratus, & quoniā dixit, ſimilis ero altiſſimo, ſemper intendit ſe Deo adæquare, & miracula ſicuti Deus efficere: facit autem, ſed longè diuerſa, Chriſtus verus Deus & homo, cæcis lumen præbet, & eos videre facit: dæmon verò è diuerſo vidētes excæcat, oculóſque claudit, ne ſua crimina & peccata proſpiciant. Sic quidam, Ambulauerunt vt cæci, quia domino peccauerunt. Quæ maior rogo cæcitas eſſe poteſt, quā cū homo vxorem habeat, cū pulchram tum verò prudētem, homo ipſe rem habeat cū alia muliere deformi, turpi, atque immunda? &c. Chriſtus tandem redēptor noſter rectos dirigit claudorum pedes : diabolus autē claudicare facit homines rectos per viam cœleſtem, ita vt graues atque tardi erga Deū efficiantur: tu quidem corā dilecta tua genu flectis, coram Deo autem optimo & maximo, nec in templo id facis. Sic quidem dæmon facit miracula peruerſo, & ordine præpoſtero. Vnde egregius pſaltes, Oculos habent & non videbunt, manus habent, & non palpabunt, pedes habent & non, &c. ¶ Perpende quartò Dei iudicia profunda, & attende ad hos D. Ioannis diſcipulos, qui cum anteà Chriſtum offenſum habuiſſent, iam modo illum prædicant: & quæ audierant ab eo dicunt, eiúſque miracula referunt. Media igitur, quibus homines vtuntur ad Dei iudicia impedienda : ipſa quidem aſſumit Deus ad illorum confuſionem. Ionas Tharſis verſus nauigationem dirigit, Deus autem iter illud in Niniuem torquet, à qua propheta fugiebat. Ideo Iob, Qui comprehendit ſapientes in ſapientia ſua: Voluntas enim Dei ſemper adimpletur. Et quamuis aliquis poſſet fugere ordinem cauſæ particularis, non tamen ordinem cauſæ vniuerſalis : quæ quidem diuina voluntas eſt. Ideóque Paulo dixit, Durum eſt tibi contra ſtimulū calcitrare. Ideo Chriſtus iſtis, ite & dicite Ioanni quod audiſtis & vidiſtis : hoc eſt, eſtote vos prædicatores mei & facite inuiti, ꝙ noluiſtis ſpōte facere. Omnia hæc Chriſti miracula iſti diſcipuli referunt magiſtro ſuo Ioanni: Deni-

Fides Christi tot miraculis confirmata, pauces hæc et animadvi. — *Ioan.8.* — *Damonis miracula inuerſa & præpoſtera.* — *Eſai. 14.* — *Pſalm.113.* — *Iona.1.* — *Iob.5.* — *1 Corint.13.* — *Act.9.*

que ſicut iſti diſcipuli Ioannis poſſumus etiam & nos referre non miracula, quæ audiuimus, & vidimus, ſed ſtupēda quædam, quæ audiuimus & vidimus. Miraculum eſt, cæci vident : ſed horrendū eſt, quòd videntes homines, nō videant. Apertos quidem & perſpicuos habentes oculos non ſeipſos vident & agnoſcunt, nec alios : nec ipſum Deū. Deū, quem non verentur prauis operibus irritare : ſeipſos, quia cum cæteros omni die deferri videant ad ſepulchra, ipſi ſe immortales cogitāt. Cæteros quoque non conſiderant: nam ſi pauperes ſunt, nec videre, nec iuuare volūt. Miraculum reuera eſt quòd ſurdi audiant: ſed illud magis miraculum quòd audiens non audit, à Deo toto beneficiis, infirmitatibus, tribulationibus, prædicationibus, & inſpirationibus, vocatus. Vnde egregius pſaltes, Audiā quid loquatur in me dominus Deus. Impius audiens, nec Deum, nec eccleſiam audit. Claudos ambulare miraculum eſt, miraculoſius tamen quòd pedes habentes nunquam ad bonum gradiantur, quanquam velociter ad malum currant, nec ad bonum vnquam moueantur. Sed de his ſatis : *Pauperes euangelizantur.* Euangelium prædicare non pertinet ad diuites, & honoratos: ſed ad pauperes. Hoc propter Ioannis diſcipulos dixit : ne Chriſtum deſpicerent, vilibus veſtitum. Græcorum autem more loquutus eſt interpres, qui dicunt benefacio te, benedico te: proinde & paſſiuis horum, analogos vtuntur: benè patitur abs te, benedicitur abs te, nam vtroque modo loquuntur. Vide autem differentiam inter mundanum, & cœleſte regnum. In mundano enim regno cum noua aliqua accidunt priùs regibus deinde potentibus mox patriciis & nobilibus nunciantur : cùm tandem ad plebeorum & pauperum aures deferuntur, iam principibus vetera ſunt & communia. Sed cœleſtia bona priùs denunciantur pauperibus: ex quibus bona nuncia diuitibus aperiuntur. Temporales diuitiæ ex diuitibus trahuntur ad pauperes: ſed ſpiritualia dona ex pauperibus deteguntur diuitibus, & iſtis euangelizantur, hoc eſt, datur bonum nunciū regni cœleſtis. Hoc enim euangelium ſonat & euangelizare, vt ipſi bona hæc nuncia diuitibus aperiant. At prædicatores noſtri, potiùs diuitibus, quàm pauperibus euangelium prædicare volunt : Chriſtus verò pauperes elegit, venit enim mundi vanitatem euerſurus. Regnum enim mundi incipit à diuitibus magnatibus, & potentibus, ſed Chriſti regnum à pauperibus, Reges & mundi principes reſpiciunt diuites, Chriſtus verò intuetur pauperes. De illo enim habetur in pſal. Oculi eius in pauperem reſpiciunt. Imò rege Herode miraculum videre cupiente noluit facere : at apud pauperes multa miracula fecit. Vt enim prudens mercator ocioſis & valde curioſis merces ſuas oſtendere non vult, ſed iis quos intelligit illas empturos : ſic Chriſtus apud eos cōcionabatͤ & ſigna faciebat, quos videbat ex iis vtilitatem accepturos: & ſic bona nuncia priùs detegit pauperibus, vnde delata ſunt diuitibus. Ionas propheta Niniue miſſus priùs cœpit cōcionari pauperibus : vnde nūcia regi ſunt allata. Ideò dicitur, Peruenit verbū ad regem Ionæ enī prædicatio de vno ad aliū circūferebatur, donec ad regis aures peruenit. Leproſi etiam quatuor denunciauerunt in aula regis in Samaria, ꝙ caſtra Aſſyriorū eſſent vacua & plena cibis & diuitiis: dixerūt enim adinuicē. Hæc dies boni nuncij eſt, nūciemus in aula regis, &c. In natiuitate etiā Saluator

Pſalm. 84. — *Pſalm. 10.* — *Matt.17.* — *Iona. 3.* — *4. Reg. 7.*

uatoris primo Angelus bona nuncia pauperibus pastoribus reuelauit gregem pascentibus, quibus dixit, Euangelizo vobis gaudium magnum, &c. Euangelium etiam priùs à Christo domino fuit piscatoribus apostolis intimatum: ex quibus posteà ad varia loca peruenit. Ideo Paulus, Non multi potentes, non multi nobiles: sed contemptibilia elegit Deus, vt fortia quæque confundat. Amplius enim referebat (ait diuus Augustinus) pauperes esse & egenos qui hanc fidem mundo recipere coëgerunt, quàm diuites & potẽtes. Si enim ab infideli & Mauro quæras cur in ea secta vitam degat, proculdubio respondebit, quia pater eius in ea vixit, & mortuus est. Si verò hoc à fideli & Christicola scisciteris, dicet, quia duodecim homines egeni & rudes sine aliquo pecuniarum vel munerum genere, sine aliqua cognatione, sine aliquo deniq; huius mundi auxilio & fauore bona hæc nuncia mundo prædicauerunt, & huius sæculi reges & sapientes Christianæ veritati subiacuerunt: ex quo perspicuum est quòd Deus erat illis auxilio, & dicta per illos vera censerentur. Christus enim (ait Augustinus) non conuertit peccatorem per oratorem, sed oratorem per peccatorem. Si enim per duces & potentes viros mundum conuertisset, censeretur vi & virtute armorum affectum fuisse: ideóque veram fidem per pauperes introduxit ac si verũ esset quòd ea quæ concionabantur manifesta essent, erant quippe subtilia & perplexa Trinitatis & fidei mysteria. In primo regum habetur, quòd seruus quidam Aegyptius, debilis, ægrotus, ac famelicus, attulit nũcia Amalechitarum. Sic Deus vt verus Dauid pauperes apostolos & discipulos pro ducibus accepit, eósque suæ doctrinæ concionatores accepit. Inuenit mundum ociosum, vt Dauid Amalechitas: mundus enim diuitiis, deliciis, vanitatibus, & peccatis deditus erat, quæ omnia ipse submersit ad iugum fidei mundum trahens. Quemadmodum Gedeon cum comitibus inermis & paucis militibus iisque sine armatura subegit potentem & magnum exercitum Madian: sic etiam Christus paucis inermibúsque discipulis vniuersum orbem euicit. Lege Gregorium & Ambrosium. Ideóque pauperes euangelizant regnum Dei, quodquidem apparens argumentum est aduentus Saluatoris, siquidem vt Deus virtute sua diuina hæc sumens debilia instrumenta impugnaturus & euersurus erat vniuersum orbem. Sequitur vltra in contextu. *Et beatus est quicunque non fuerit scandalizatus in me.* Hoc etiam propter Ioannis discipulos dixit, quia scandalizabantur in Christum: non enim credebant in eum, sed potius inuidebant. Scandalizari enim in Christum est non credere in eum. Sic ipse discipulos suos alloquitur, dicens, Omnes vos scandalum patiemini in me in hac nocte. Hoc est dubitabitis circa me. Sensus itaque est, Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Id est, qui scandalum non patitur ex operibus humanitatis, quæ pro infirmitate carnis, & ad probandum humanitatis veritatem volens tollero. Multi etiam Christi fideles scandalizantur in Christum, & offenduntur in eum. Offenditur enim superbus in Christi humilitate, diues auarus in eius paupertate: & libidini deditus in eius puritate. Audi rem notatu dignam, Qui propriam voluptatem abiicit, Dei voluntatem non offendit: qui verò propriam seruat voluntatem, diuinam offendere necesse est. Non enim nostra voluntas diuinæ conformatur: sensus enim & cogitatio hominis ad malum prona sunt: sed malum necesse est vt scandalum accipiat à bono. Vide etiam ꝙ non minus in hoc Christus ostenditur quàm in miraculis quæ faciebat, de eo enim prophetauit Esaias dicens, Erit lapis offensionis, & petra scandali. Sanctus etiam Simeon positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum. Optimè ergo dicit ostendens quis sit, beatum fore qui in eo non fuerit scandalizatus: nam qui viderit Christum spinis coronatum, crucifixum, & mortuum & non fuerit scandalizatus in eo sed credit, hic beatus est. In templo erant duo altaria, alterum erat æneum in ipso statim vestibulo, in quo sanguinolentæ offerebantur victimæ: iugulabãtur arietes, multáque alia animalia sacrificãda, & locus ille plenus erat cruore: sed intus erat altare aureum, vbi solummodo offerebantur thymiamata & incensum: Erat enim locus hic odore plenus. Igitur cum Christus sit altare nostrũ, vt ait Paulus: qui viderit eum despectum sanguine & vlceribus plenum existimabit, ꝙ sit purus homo & altare æneum: sed si ad interiora transierit non scandalizabitur, quia inueniet altare aureum, odoriferũ, non passibile, & sanguine plenum, sed diuinum & plenum thymiamate & incẽso. Considera Christi diuinitatem: & ꝙ non sit tantum homo, sed Deus & homo: & sic beatus eris, & nõ scandalizaberis. Præterea scandalizantur etiam multi in Christum, dicentes, Quid ergo est quod Deus bonus & iustus, tot mala patitur: impius autẽ iustorum persequutor triũphat, & viuit: Quomodo verũ est ꝙ Deus non reliquit suos in necessitatibus: cùm ego propter ipsum multis me opposuerim periculis, & nõ sum liberatus? Quomodo qui dat eleemosynam nõ deficiet, cum ego qui tot pauperib. erogaui egeo modò? Multi imbecilles & infirmi hæc leuia imaginantur, quos Christus alloquitur. Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Nõ scandalizeris: quia Christus quamuis statim nõ pręstet remedium, non tamen deficiet, interim patientiam habe. Filiis Israel in Aegypto promisit libertatem per manum Mosi, & tunc magis afflixit eos Pharao, & duplicauit laborem. Sic Dauidem vnxit in regem Israel, sed priùs quã regno potiretur plures annos grauia incommoda perpessus est. Ita Deus antequã suos honoribus afficiat & promissa adimpleat, multa mala pati permittit, vt eorũ patientiam probet: sed credere debes quòd veniens veniet & non tardabit, interim patientiã habe. ¶ Perpende etiam Christi saluatoris modestiam. Poterat incredulitatem discipulorum Ioannis arguere, sed noluit eos confundere, nisi tantum eorum conscientiam tangere, loquens quasi de aliis: dicens beatus qui non fuerit in me scandalizatus: sicut etiam in cœna fecisse cum Iuda euangelistæ commemorãt, cùm dixit, væ homini illi per quẽ filius hominis tradetur: nolens Iudæ peccatũ palam facere, sed tacitè illum reprehendere: sicut nunc cum istis fecit. Discamus ex hoc loco mala secreta proximorum occultè arguere: docet enim hic Christus dominus vt maxima sit nobis cura honoris & famæ proximorũ, ne eorum defectus à nobis in publicum educãtur. Sed longè aliter nunc cõtingit, cum minima habeatur ratio honoris & nominis fratris. Peccata enim nominis & famæ cùm ita vsu communia sint, non vt grauia habentur, & ideo in confessione ferè semper obliuioni traduntur: homicidia verò, furta & alia quæcun

[Margin: Luc. 2. — 1. Corin. 1. — Ser. 27. de verbis domini, & li. 22. ciui. c. 5. — 3.Reg.30. — Iudi 7. — Greg lib. 30. mor. c. 32. & 33. — Amb. lib. de Spiritusan. — In Christum scandalizari est dubitare de eius diuinitate — Matth. 26. — Gen. 8. — Esa. 8. — Luc. 2. — 3. Reg. 6. — Hebr. 13. — Exod. 5. — 3.Reg.16. — Abacuc 2. — Peccata fere [illegible] — Matth. 26.]

quæcunq; mala opere patrata ita grauia existimantur, vt non solùm confiteantur, sed etiam verã pœnitentiam de his agant, & sic per hęc gestorum malorum opera homines ferè nunquam ad tartara trahuntur. Illa enim sunt velut morbus, de quo nulla est medici cogitatio: hæc autem faciliùs lauantur.
Notã infamiæ incurrere grauissimũ malũ. Quomodo enim si tu de aliquo prauè loqueris, & ille cui talia intimasti dicit alij, & alius alij, breui temporis momento per vniuersam ciuitatem circunferũtur: quomodo huic infamiæ remedium applicabis? Sic homines in malũ sumus procliues, & ita prauorũ dictis aduersus proximos nostros fidẽ adhibemus, vt si postea illos summis videamus efferri laudibus, à praua cogitatione auerti nequeamus: & sic si cõtingat infamiã diuulgari, impossibile erit nostri proximi honori exactè satisfieri posse. Nã quanuis per cõtradictionem detractor in foro interiori satisfacere videatur, aduertat adhuc quòd ferè nunquam perditus honor perfectè acquiritur: quia infamatoris fama nimis diuulgata manet: & sic manet obnoxius grauissimæ pœnitentiæ, ob magnam difficultatem restituendi honorem, quẽ proximo detraxit prauè de illo loquendo. Et sic Salo-
Prou.25. mon in Prou. Quæ viderunt oculi tui ne proferas: nè postea emendare non possis, cùm dehonestaue-
Psal.33. ris amicum tuum. Quęrebat Dauid in Psal. & dicebat, Quis est homo, qui vult vitã: & diligit dies videre bonos? dices tu, Ego volo vitam, & diligo dies videre bonos. Audi ergo prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Sed iam ad contextum, *Et cum discessissent nuncij Ioannis cœpit de Ioanne dicere ad turbas.* Scandalizatæ fuerunt turbæ
Ioan.1. Matth.26. Mar.14. Christus Ioãnis patronus. de Ioanne, putantes quòd mutatus esset quærẽs de Christo quis esset, cùm ipse testimoniũ antea perhibuisset: multi enim sic mutari solent. Petrus qui in prosperitate dicebat, quòd moreretur pro Christo: in tribulatione iurauit quòd nõ cognouit eum. Sic etiam multi homines mutantur: alio tempore te agnoscent, alio verò ignotus eris: de quibus Pau. ait, Qui commutauerunt veritatem Dei in menda-
Rom.1. cium. Sic turbæ opinabantur de Ioanne, quòd in vno tempore cognoscebat Christum & nõ in alio, quia misit interrogare, quis esset: ideò Christus ne honor Ioannis destruatur pro illo respondet hoc autem facit non in conspectu discipulorum Ioãnis, sed vbi discesserunt: Discipuli enim magistrum suũ pluris faciebant, quàm decebat, opinantes meliorẽ esse, & maiorem Christo: populus verò non sic minoris habebat Ioannem debito existimans, quòd leuis esset & mutabilis. Vtraque horum extrema erant: non enim tanti habendus erat, quanti discipuli cogitabãt: nec ita paruipẽdendus, vt populus existimabat. Vtrisque hisce duobus Christus redẽptor noster sapientissimè satisfecit: ideò coram discipulis Ioannis Christus illum non laudibus commendauit nec opus erat: imò esset in detrimentũ illorũ: quia magis in errore roborarentur. Christus autem seipsum exaltauit miracula faciens, quæ magister suus Ioan. non faciebat: vt discipuli Ioannis considerarent, ꝙ Christus & maior & melior esset Ioanne. Vbi autem discipuli abierunt, Christus pro honore Ioannis respõdet, & eius magnas virtutes coram turba, & omni populo commendat, illud præcipuè laudat, quòd de leuitate argueretur, dicens, quòd non erat Ioannes arundo vento agitata: sed erat vir firmus, & in suis assertionibus constans.

¶Expende etiã, quòd quanuis istæ turbæ, mala de Ioãne cogitarẽt, noluit Christus eas redarguere: sicut arguebat Pharisęos mala cogitãtes, dicens quid Christus dissimulat turbarũ peccatum, Pharisæorum verò reprobãdit.
cogitatis mala in cordibus vestris? Et Simonẽ Pharisæũ cogitãtem mala de Christo, & de Magdalena: etiã redarguit: quia turbæ aliqua occasione fuerũt Matt 9. Luc.7.
motæ & ex ignorãtia peccabãt: Pharisæi autem ex malitia & malo ꝓposito inuidiæ. Caue tibi si fortè cadis, sit velut casu & impetu, pius enim est Deus cũ iis, qui oblata occasione, & nõ data opera peccauerũt. Illi autem, qui ex malo proposito, & ex corrupta intentione cadũt, terribile iudiciũ: & magna vindicta manet. Nec est mirum si oblata materia labaris, detestabile verò est, & dictu horrendum coram Deo, si ipsemet tẽpus, & opportunitatem quęras, & deprauata cogitatione & data opera proximũ insecteris, vel odio, vel malitia intra pectus decocta. Sic Iudæ filium Onam, quia prauè turpiter Genes.38.
& ex malitia peccauit, ne fratri suo Her, filij nascerẽtur, Deus interfecit. De Iuda verò patre eius, quãuis cũ Thamar nuru sua peccauerit, Deũ vindictã sumpsisse, legisse non memini, peccatũ enim Iudæ: nõ ex prõpta malitia, sed ex euentu, processit, nã cũ gregẽ adiret, in media via fœminã offendit illã, ignarus an sua esset nurus, & occasione oblata, cũ ea rẽ habuit. Sic Deus hic mitiùs se cũ hac turba gessit: cũ Pharisæis verò inuidis asperè. ¶Verũ in eo quod ait, ꝙ Christus cœpit dicere de Ioãne, aduerte qualis & quantus sit Ioannes, de quo cùm tãtas proferret laudes, hìc dicitur, quòd cœpit dicere: hoc est, etiamsi nimis lateq; de Ioãne dixerit, de virtutibus qbus Ioan. erat p̃ditus nõ dicẽdi finẽ imposuit: tot enim tãtæ erãt Ioãnis cõmendationes, & laudes, vt ab eis initium ad dicendũ, finem verò attingere nõ possimus. ¶Præterea aduertẽdũ, ꝙ sicut illi duo seraphini tẽpli, qui erãt iuxta arcã, mutuò se aspiciebãt: & illi duo seraphini, quos vidit Esa. clamabant Esa.6.
alter ad alterum, sic Christus, & Ioã. ait, Ecce agnus Ioan.1.
Dei, Ecce, &c. Sed Christus respondet, inter natos Matth.11.
mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.

¶Admonet locus iste, quòd, quæstꝰ gratia Ioannes posuit in periculũ honorẽ suũ, mittẽs discipulos quærens à Christo, an esset ille Messias: sed nihil amisit, imò quęstũ fecit, meruit siquidẽ, ita sublimiter, à Christo laudari, Sic etiã quãuis sæpenumero amicorum Dei fides periclitari videatur, ipse tamẽ habet nõ paruã curam eorum. Fac quod in te est: nã etiamsi per aliquod breue tempus ærumnas patiaris, Deus pro quo isthæc pateris prouidebit tibi, & tuo honori: ipse de his periculis te educet, & longè aliter quã opinaris. Sic in Ægypto fecit cũ Ioseph, Gen 39.
& cũ Susanna similiter, quia quod probę, honestæ- Gen 41.
què fœminæ erat effecit: infamata fuit, Deus tamẽ Dan.13.
omnipotens, magna quadã superabundãtia ipsam & honorem suum in pristinum statum redegit. Vides ne qualiter cum Deo: nulla sit facienda iactura? vides (inquam) curam, qua Deus suis fauet? Si quã pro eo iacturam facis, maximum quæstum & lucrũ reportabis. ¶Docet etiam proximos nostros, maximè benemeritos laudare, & honorare, nec Christꝰ Benemeriti nõ sunt defraudandi suo honore.
ita se gerit, vt multi, qui honorem, & gloriam omnem sibi ipsis solis acquirunt. Christus commẽdat Ioannem: & debitum illi reddit honorem. Multi sunt mortales, qui honorem omnem sibi vendicãt, volúntque ne quis sit medius, nec honorem quis habeat. Aaron & Maria videntes, quòd Deus Mo- Num.16.
sem, magis quàm illos honoribus afficeret, eum detractione sectabãtur. Nónne etiam dominus, lo-

quutus est nobis: nec conscius erat Aaron quòd si quem honorem habebat, per Mosen fuerat sortitus: nec etiam benè cogitabat Maria, si quem propheticum adepta fuerat spiritum, mediante Mose effectum fuisse: & omnium horum obliti Mosen detractionibus prosequebantur, quòd primas obtineret. Sic etiam in mundo: si quis apud regem locum habet, statim inuidia oritur, & fallaciis conqueritur de illo apud ipsum regem, detestabile enim inuidiæ vitium, quærelis replet omnia. Fratres Ioseph non æquo animo tollerauerũt, quòd Ioseph pluris *Gen.37.* haberetur: nec Core & sui quòd per Mosen impe- *Num.16.* raretur. Non sunt viæ meæ viæ vestræ, dicit domi- *Ezec.17.* nus, Vos enim cùm aliquem in summo gradu constitutum videtis, totis viribus, toto affectu, conamini vt humilietur, & paruipendatur: sed aliter Christus, qui Ioannẽ laudibus extollit. Suprà modum quippe Deus debitum honorem & pro meri- *Psal.139.* tis vnicuique reddit. Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.

Fama aliorũ cõtra æmulos tuenda. ¶Tertiò docet, vt cum viderimus alicuius famam periclitari, non erubescamus coram detractoribus *Matth 22.* narrare eius virtutes: sic enim expostulat charitas *Num.12.* quæ diligit proximum, sicut seipsum. Sic laudauit *Iob 42.* dominus Mosen, & memor fuit honoris eius, reprehendẽs Aaron & Mariam: similiter & sanctum Iob & reprehendit amicos. Sed inuenies multos non aliter se habentes, ac rudes rustici pastores: qui vident canes, humilem viatorem mordentes, & dilaniantes, & ipsi hoc cernunt & tacent, cùm possent canes auocare & semouere: ne ille detrimentũ patiatur. Sic multos reperies, qui vident suorum proximorum famam, & nomẽ periclitari: quíque mordacibus suis dentibus dilaniant vitam, honorem, & famam, & quamuis ipsi famam non detrahant, alios vident, quos vno solo verbo impedire poterant, dicentes, ne verbum ampliùs addãt. *Amicis absentibus seruanda fides.* ¶Quartò docet, fidem: & fidelitatem, & amicitiã, cum familiaribus seruare, etiamsi eos carceribus detentos & iam penè lapsos viderimus. Plurimos hac tempestate reperies, coram te ridentes & te collaudantes, qui si te vel catenis vinctum, vel humilem viderent, te detractione prosequerentur: & te etiam vilipenderẽt. Et si fortè fortuna, de te quid maledictum auribus percipiant, non solùm resistent, verumetiam detractoribus erunt in axilium. Sic cum Aman apud re- *Hester 7.* gem Assuerum plurimũ valebat, ab omnibus adorabatur: vbi autẽ eum despectum & regi odiosum aliqui viderunt: non defuit, qui suæ neci esset adiu- *Hester 7.* tor & regi dixisset, En lignũ, quod parauerat Mardochæo qui loquutus est pro rege, stat in domo Aman: Sic fieri posset, quòd multi videbant Ioãnem carceribus detentum, & nullam de eo haberent rationem: sed videas (obsecro) qualem amicũ habeat Christum qui pro Ioanne vincto abiecto, próque eius honore & fide respondere non erubuit. Christus enim non assistit coadiutor, in detrahẽdo Ioãni: imò sicut fidelissimus amicus honori eius prouidet: nec vsquam Christus dominus, ita Ioannem laudauit, quàm hoc tempore, dùm illum in vinculis & humilem vidit. Cum proximos nostros in vinculis, & despectos viderimus: tunc in eorum honoribus & laudibus, qua poterimus industria iuuare tenemur: maiori studio, quàm cùm diuites, & sublimes esse atumamus. Contrarium tamen huic, hac nostra ætate mundus efficit, nec enim diuitias alij offert, quàm diuiti, nec alium honorat, quàm potentem, nec alium denique insequitur, quàm illum quia iam est infestatus & parum potens est. ¶Discamus quintò de proximis nostris, in eorum absentia benè loqui: siquidem nullus, siue hæreticus, siue infidelis sit, viuit in mundo, qui si aliquando obumbretur delicto, non aliquam virtutẽ admixtam retineat: nullam enim naturam, etiamsi serpentes venenatos fecit Deus, & creauit cui non virtutis aliquid sit admixtum. Vipera venenosum est animal, ita vt morsu occidat, & tamen multa bona habet, medicamentum enim præstat colli infirmitatibus: & theriaca quæ omni veneno prodest, ex vipera fit, vt perfectior, & efficacior sit medicina, & prodest neruis & infirmitatibus oculorum, & elephantiæ. Nullus itaque homo tam malus est, quin aliquod bonum habeat, de quo illum possis laudare. Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. Nullus itaq; christianus est, de quo, etsi iniquus *Genes.1.* sit, aliquod bonum non possit effari. Omnia quippe valdè bona sunt, sed malus amor, hæc valde bona corrumpit. Aurum bonum est, sed quomodo diuitem auarum eiecit in tartara? Nõ aurum sed auaritia, & auri improbus amor perdit illum. Auro descendit in ima diues & quisquis est auarus. Qui dispergit, & dat pauperibus, cuius iustitia manet in sæculum sæculi, auro ascẽdit in cœlum. Regno perditur Saul, regno saluatur Dauid. Pastor bonus, qui *1.Cor.9.* dat animam suam saluatur, sed iniquus, lac suarum *1.Reg.9.* ouium comedit, operitur lana, nec oues curat, & *1.Reg.16.* dãnatur. Vterq; apostolus Petrus, & Iudas, sed Petrus super omnes sublimatur, & Iudas in infernum descendit. Malus amor bona reddit mala, nam quæ sunt valdè bona, malè amantibus, redduntur mala. Bona est lux, bonus solidus cibus, oculis tamen ægris nihil luce molestiùs, & stomacho debili nihil noxiùs solido cibo. Sed amor iste damnatus, habet suum fontem in nobis, si enim nosipsos malè amamus, omnia huius amoris flumina, huiusq; amoris amor pessimus erit. Si enim nos rectè amamus, in Deum & in vitam æternã, ex hoc amore fluent flumina dulcia, & salubria. Ideo si teipsum benè ames, proximũ etiam amabis, & si proximũ illibato amore esses prosequutus de illo absente, bona prædicares. Sicut enim odium & inimicitiæ, tuos obcæcãt sensus, ne aliud à malo intuearis, ita amor interiores aperiret oculos, ad inueniendа plurima, de quibus proximum absentem, & maximè commendare & pro honore respondere possis, vt hic Christus fecit pro Ioanne Baptista. ¶Sextò docet amicorum res in eorum absentia curare. Sic in Gen. dicitur ꝙ *Gen.14.* recordatus est dominus Abrahã & liberauit Loth à Sodoma. Non rogauit pro illo dum loqueretur pro Sodoma, sed curam, quam Abraham habuit non de nepote, habuit dominus de illo, vt videas, quanto maiori cura, suorum res Deus curet, quàm ipsimet, à quibus possidentur. Sic arguit Laban, nè *Gen.31.* faceret malum Iacob, Sic etiam dùm Ismael plora- *Gen.21.* ret in deserto, audiuit dominus vocem pueri & nõ ob aliud, nisi quia semen erat Abrahæ amici sui, in cuius absentiam curam eius habuit Deus. Vides qualem se Deus gerat amicum: siquidem tali conatu, res suorum in absentia curat: & non solùm in vita, sed etiam post mortem: quia peccata Salomonis *3.Reg.11.* non puniuit in eius vita, propter Dauid seruum eius, qui custodiuit vias domini.

Sancti laudandi. ¶Septimò admonet locus iste laudare sanctos, & viros iustos, quia Deus in illis laudatur, qui fecit illos

Psal.148. los sanctos. Ideo Dauid, vbi dixit; laudate dominũ de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli, &c. his non contentus, dixit: laudate dominum in sanctis eius. Cum imaginem benè, exactéque depictam laudamus, ipsum artificem commẽdare videmur. Ideò Deus vult, vt non solùm diuinam suam maiestatẽ, sed etiam sanctos eius collaudemus. *Gen.41.* Ægyptius rex Pharao non solùm voluit honorare Ioseph, dotans illum regio annulo, & imponẽs digito illius: verumetiam vt hoc ipso honore ab vniuerso populo afficeretur, & sic iussit: vt omnes coram eo genu flecterent: & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti. Sic Deus vult vt honoremus, quos ipse honorauit. *Dan.2.* Nabuchodonosor etiam, cùm Dan. statuæ somnium exposuisset, cognouit Deum & adorauit, dicens, Verè Deus vester, Deus deorum est, & dominus regum. Cumque Deus non benè sibi satisfactum esse videret, ex eo quòd à Nabuchodonosor cognosceretur & adoraretur, voluit suos quoque seruos honorare. Ideò fecit quòd Nabuchodonosor *Dan.3.* videret illos tres pueros, ambulantes per fornacem ignis, ab eo quòd nec ipsi Deum collaudantes, nec vestimenta, & capilli comburerentur: & ita accessit propius ad illos dicens, Sidrach, Misach & Abdenago, serui Dei excelsi, egredimini & videte. Et his non contentus illos in sublimi statu collocauit: promouit enim Sidrach, Misach, & Abdenago in prouincia Babylonis. At hoc ita Deus præsens miraculum fecit, vt sicut per prius miraculum Nabuchodonosor Deum coluerat, & per hoc posteriùs seruos, ita tam sublimiter Ioannem Christus laudat, docens vt sanctos & viros iustos honoribus prosequamur. Ex comẽdatione enim virtutis alicuius probi viri, duo videntur oriri commoda. *Virtus laudata crescit.* Alterum, quòd laudata virtus crescit: alterum verò quòd commendationem audientes, vltro coguntur, ad virtutem similem sequendam, & probi virtus augetur: quia virtus laudata crescit. Si enim virtus vera est, non dubium est, *Prou.27.* quin crescat. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo *Similitudo.* ore laudantis. Cùm aurum in fornace proiicitur, quidquid aurum non est in fumum, conuertitur, quod autem verum aurum est, liquidum & perfectum manet. Hæc est laus in homine, quæ si vera sit virtus, magis aucta, magísque perfecta manet voce laudantis. Sin autem, commentitia & ficta sit virtus, tota ipsa in fumum, & humanam conuertitur vanitatem, & quia in bonis augetur virtus, conueniens est vt laudetur. Secundò prodest laus bonorum, quia vbi ab aliis auditur, hi inuitantur ad proponendam virtutem sibi imitandam: nam dum bonos commendamus cor nostrum cogitur ad simi- *Heb.13.* le faciendum. Paulus, vt Hebræos ad suorum maiorum virtutem incendat, eorum gesta in memoriam refert, dicens, Mementote præpositorum vestrorũ qui vobis loquuti sunt verbum Dei, quorum intuentes, &c. hac prædicatione vsus est Esaias, dum *Esa.51.* dixit, Attendite ad Abraham patrem vestrum. Ma- *1.Mac.2.* tathias quoque vt filiorum animos accendat, ad potiùs subeundam necem quàm patiantur legem & eius custodiam violari: in hæc prorumpit verba. Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. Mementote Abraham, & Ia- *Iud.8.* cob, & Phinees, &c. Hoc etiam fecisse Iudith, sacra *Eccl.11.* commemorat historia. Quapropter non potuit vnquam placere istud, quod quidam doctor, exponens illud, neminem laudaueris in vita sua, dixit vt dum viuit ne laudemus hominem: sed tantum post vitam, post consummationem. Lauda nauigantis fœlicitatem (inquit ille) sed cùm peruenerit ad portum, lauda ducis virtutem: sed cùm perductus est ad triumphum. Contrarium hîc videmus quod facit dominus Iesus Christus: cuius omnis actio est nostra instructio: laudauit enim Ioannem: & multa de eo dixit populo: adhuc Ioanne viuente. Sic etiam laudauit Abraham, & Mosen, lau- *Gen.22.* dauit nimis fratribus suis Aaron, & Mariæ, quia *Num.12.* de eo murmurauerant. Sic laudauit sanctum Iob, *Iob 1.* dicens virum iustum, & rectum. Et si dicas, quòd Mosen, Iob, & Ioannem non laudauit in facie, & *Ioan 1.* coram ipsis, sed absentes: nec hoc habet locum, *Matth.16.* cùm laudauerit Christus in facie Nathanaëlem, Pe- *Luc.7.* trum, Magdalenam, Chananæam, & Centurio- *Mar.15.* nem. *Matt.8.* Quapropter illud quod scriptura ait, ne laudaueris hominem in vita sua, intelligitur iuxta *Bernar ser.5. omnibus sanctorum & epist.* mentem beati Bernardi: ne laudemus hominem in vitiis & peccatis. *Osee 13.* Hoc est vita sua, id est, fragilitas, *Iaco. 1.* concupiscentia, mendacium, &c. hoc est suum: *Psal 9.* iuxta id quod dominus ait, Perditio tua ex te Is- *Psal 51.* rael: tantummodo in me auxilium tuum. Quidquid boni habet homo à Deo est: quia vt Iacobus ait, Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, ideo dicit: in vita sua hoc est in his quæ sua sunt, in his non est laudandus vt multi faciunt, laudantes vitia & peccata diuitum, & potentum, quemadmodum Psalmista ait, Quoniam laudatur peccator, in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. ideò in alio loco quendam arguit egregius Psaltes dicens, Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Hoc est, Quæ est hæc malitia tua, vt glorieris de bono aliquo, qui nullius rei planè potens es, nisi vt opereris iniquitatem? Si malitia ex te est, quid gloriaris in ea? igitur ne laudaueris hominem in vita sua carnali, fallaci, mutabili, ad malum prona, & concupiscentiis plena, virtutes autem, sancta desideria, & bonas cogitationes, quæ à Deo sunt, lauda in eo, sicut Christus laudat hic Ioannem, vt eius honorem tueatur, & alios prouocet, ad sequendum & imitandum eius virtutes. Virtus itaque laudibus honoranda est: honor enim absque meritis est, velut gemma in annulo ferreo. Cato ille cùm maiorum statuas aliquot, absque meritis videret in foro, malo (inquit) homines de me quærere: Cur statua non est posita Catoni, quàm cur posita sit. Viris itaque probis debetur laus, etiam dùm viuũt: & sic Christus Ioannem laudauit, & honorauit.

¶ Demum docemur, quàm indifferens sit præmium, quod dant bonis, tam Deus, quàm mundus. A mundo accepit Ioannes contemptum, & ab Herode carcerem, & mortem: à Christo verò laudibus extollitur. Sic Moses à populo suo persequitur lapidibus & contemnitur: & à Deo laudatur. Similiter *Exo 17.* Samuel despicitur à populo, deiicitur à principatu, *1.Reg.12.* & commendatur à Deo. Sic Iob ab amicis impro- *Iob 42.* batur, sed laudatur à Deo. Sed iam ea quæ de Ioanne ait, audiamus, *Quid exiſtis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* *Ioannes in quatuor à Christo commẽdatur virtutibus.* Commendat illum in quatuor virtutibus, scilicet, à constantia animi, ab asperitate vitæ, à veritate doctrinę, & à puritate vitæ. Primò populus obiicere poterat, quòd Ioannes esset mu- *Ioan.1.* tabi

tabilis, siquidem vbi Christum digito monstrarat, quærit postea quis sit: cui dubitationi respondet Christus, quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Non est Ioannes mutabilis, vt arundo vento agitata: & qui nunc ait, & modo negat, quia Ioannes homo constans est, firmus, solidus suis dictis, quique ob rem nullam moueretur, imò omni tempore idem affirmabit. ¶Secūdò posset opponere populus, quod Ioannes erat adulator, eò quòd Christi beneuolentiam captare vellet, cùm dixit: ecce agnus Dei, nunc verò quia nullum sibi cómodum reportari videt, quis sit rogat. Huic etiam satisfacit Christus, *Sed quid existis in desertum videre? Hominem mollibus vestimentis indutum: ecce qui in veste pretiosa sunt, & in delicijs, in domibus regum sunt.* Adulatores & parasiti, qui sericis & deauratis vestibus ornantur, regum domos incolunt. Ioannes verò, quia camelorum pilis contexta induitur veste, non in regiis domibus obtinet locum, sed in carceribus. Quod verò non sit adulator, nec alicuius fauorem quærat, ex loco, quem habitat, ex vestibus quibus vestitur, facilè deprehenditur.

Vide Chrysost. Hom. 29 ad Heb. 10. 4.

¶Possent tertiò arguere contra eius propheticum spiritum defectum, opponentes: eò quòd cùm Ioãnes protulit: ecce agnus Dei, non cognouit Christum, nec sibi constitit, siquidem quæsitum misit quis Christus esset, ideò pro Ioanne Christus respondet hoc modo. *Sed quid existis videre prophetam, vtique dico vobis, & plusquam prophetam.* Nec Ioannes (ait dominus) ignarus est homo: sed sublimi præditus ingenio, quippe de me non paruum habet intellectum. Et qui nō solùm est verus propheta, imò plusquam propheta: ex ignorantia quærere non potest: nam si in prophetico actu prophetæ deuiare nequibant, quomodo deuiabit Ioannes, qui maior est illis.

¶Quartò dicere poterant, quod carnali: & mūdano amore sæpenumero homines coguntur ea, quæ rationi debita sunt exequi, & quòd sic Ioãnes modo aiebat modo negabat. Ad quod Christus respōdet dicens, *Hic est, de quo scriptum est, Ecce mitto angelū meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te.* Nec ita popularis est Ioannes, vt alij, nam licet ex carne & ex ossibus sit compactus: moribus tamen & vita ita purus est & cœlesti, vt nihil nisi de cœlestibus agat. Vt enim angeli, cùm sint in gratia confirmati, quicquam præter debitū operari nequeūt, ita Ioannes, à maternis visceribus, in gratia confirmatus, quique potiùs angelicam quàm humanam vitam transegit, nulla promissione commotus à veritate vnquam declinabit.

¶Sed iam singula hæc quatuor discutiamus.

Ioannis constantia cōmēdatur.

¶Primò commendat Christus Ioannem à constantia & firmitate propositi dicens, quòd non est mutabilis, sicut arundo, quæ vento mouetur. Ioannes non erat arundo, sed arbor fixa: quam nulla ventorum tempestas, non humana laus, non adulatio, nō metus, aut minæ, non promissa, non fœlicitas, non aduersa fortuna, à proposito, & vera confessione, amouere possint. Vnde quædam sapiens mulier regi David dicebat, Sic est dominus meus rex, sicut angel⁹ domini, qui nec maledictione, nec benedictione mutatur. Ioannes non mutatur à priori dicto sicut angelus, cui quod semel placuit, ampliùs displicere nō potest. Nec in maximo honore sibi delato, nec in oblata dignitate Messiæ, nec in vinculis, mutationem fuit passus: vt aurum in aquam cōiectum

2. Reg. 14.

Ioan. 1.

non amittit colorem, nec precium, in ignem verò immissum purius redditur & splendidius: sic vir iustus, & sapiens, in aqua prosperitatis, non amittit virtutem, nec splendorem: in igne verò calamitatis redditur illustrior & præstantior, habet enim cum auro similitudinem. Impius autem similis est luto, qđ in aqua dissoluitur: & in igne induratur: nam rebus secundis, & secundum voluntatem fluentibus, ducitur voluptatibus & illecebris, & cùm se videt in ærūnis induratur: & in sceleribus obstinatur. Ioãnes verò stabilis, & constans est: qui in prosperitate & aduersitate idem est. Chamalæon ad speciem rerum quibus admouetur mutat colorē: & nos quacunque occasione obiecta mutamus propositum, & derelinquimus virtutem. Et sicut Chamaleō colorem album non recipit, cùm cæteros recipiat: sic nos ad omnia mutamur, præter ad animi candorē. Sed Ioannes sicut figura quadrata quæ in quācunque partem voluatur sui similis est: in omni virtute se iustum ostendit. Gentiles qui aiebant Mercuriū deum esse veritatis, super lapidem quadratū illum pingebant. Sic Ioannes vt in sua animi constantia conseruaretur, fugit in eremum: nam si in mundo cum mundanis consuetudinem habens mansisset, amicitias & cōuersationes cū hominibus iniuisset, & fortassis postea amicorum & consanguineorum vitia carpendi animo caruisset. Sic sæpenumerò accidit quod dæmon sapientes, & spirituales viros in faciem aggredi non audeat: ideò populum incitat vt illos consulant, & eorum amicitiam contrahant: quippe qui, vt accepti maneāt cum amicis, fortasse mala consulant: cùm id dæmon maximè desideret. Et sic Adam protoplastum, non à fronte tētare fuit ausus: sed vxorem instrumētis quibusdam decepit: Adam autem ne illam contristaret, contra Dei iussum operatus est. Ioannes verò altiùs, & inexpugnabilius consilium petendi deserta sumpsit: ne eū populus ab alto proposito, aliquo modo deterrere posset. Discamus ab eo animi constātiam, & perseuerantiam in bono. Christus nanque apostolis dicit, Vos estis, quia permansistis mecum in tentationibus meis. Non dicit: quia derelinquistis patrem & matrem: sed quia permansistis in tentationibus meis, dispono vobis regnū, vt edatis & bibatis, &c. Iudas quoque parentes derelinquit, & benè exorsus est: & Saul in suis primordiis vir fuit rectus: & tamen hi duo condēnati sunt. Et Salomō rex benè cœpit initio: & posteà improbus euasit. Sed Christus hic cœleste regnum pollicetur: quia (inquit) permansistis in tentationibus meis. Familiares Iob benè sunt orsi, & septem diebus cum illo sunt lamentati: quia tamen fixi non manserunt suppliciū sunt nacti. Et ideò Saluator, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Esto quæso constans, & fixus in benè operando, vt fuit beatus Ioannes Baptista. Arbor enim sæpè mutata, radices non emittet: quod si radices non emittens passim muteris in bono incœpto, virtutum fructus nusquā produces. Eccl. sic de sapiente dicit: quòd manet sicut sol, & quòd stultus mutatur vt luna. Non paruum huius rei exemplar de patriarcha Abraham inuenies: qui cùm Deo rem diuinam faceret, quanuis veniebant aues ad illum ipse abigebat eas, & non propter earū importunitatem derelinquit bonum incœptū. Nā qui in bono sunt mutabiles hi arūdini agitatæ comparantur. Nā quos procellis mundi huius obnoxios, vita mobilis inquietat iure arundini

Genes. 3.

Luc. 22.

1. Reg. 6.

Iob 3.

Matt. 10.

Eccl. 2.

Gen. 1.

dini comparantur, in quibus solidæ iustitiæ nullus est fructus: & omni vento mouetur. Quidam enim adeò sunt inconstantes: vt constantia eorum hæc esse dicatur, scilicet, esse inconstantes. Hanc incon- *Iob 13.* stantiam deplorat Iob dicens, Cõtra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam. Talis homo est, qui paruo vento tentationis euellitur. Reuera arundines sumus, quia quacunque aura tenuissima mouemur & agitamur. Siue enim humana laus, siue cuiuscunque potentis adsit benignitas, elatione concutimur, & despicimus cæteros, & si desunt humana solatia, tristamur: hodie proponimus emendare vitam, & crastina die ad vitia reuertimur. Sed, hæc mobilitas ex animi interioris mobilitate, & leuitate procedit. Nam si consideres fixam columnam, & ex aduerso arundinem constitutam, quemadmodum & columna, quantumcunque spirent venti columna in se consistit immobilis, & arundo à quacunque leuissima aura flectitur & incuruatur, cuius quidem rei si causam velis, illa omnino est, quoniam intus arundo vacua est, columna verò grauis, & solida, & hinc planè colligimus ab intrinseco prouenire, quod arundo facilè quatiatur, columna verò fixa, & immobilis ma- *Peccatū causa in cōstātia nostra.* neat. Peccatum igitur quod intus manet in anima, huius mutabilitatis causa est, quòd si mihi credere *Thren 1.* nolueris, audi Hieremiam dicentem, Peccatum peccauit Hierusalem, ideo instabilis facta est. Intus quidem habuit peccati humiditatem, quare febris tremores, & propositum mutabilitatem fuit passa. At Ioannes quia peccato carebat, manebat immobilis. Ad expellendas has mutabilitates opus est peccatum è medio tollere, & Deo adhærere. Si verò arundinem, columnæ illi marmoreæ ex aduerso positæ alligaueris, arundo sic alligata à vento non agitabitur. Ita quoque si Deo per amorem firmiter te alligaueris, & charitatis vinculo illi adhæseris, atque omnem tuam voluntatem in illo direxeris, nihilque velis, præterquam quod illi placitum non sit, reuera firmior, & solidior permanebis: sicut scriptum est, de adhærentibus Deo. Et firmabitur in illo, & non flectetur. Quia quamuis non concepti peccato, & natura corrupti, mutabiles simus, sicut *Eccl.15.* arundo vacua: tamen gratia Dei adiuti, & Christo adhærentes, & illi affixi, quamuis simus, ex natura arundines, erimus tamen ex gratia immobiles. Sic Paulus quia Deo adhærebat, ausus est confidenter *Rom.8.* dicere. Quis separauit nos à charitate Christi? an fames? an tribulatio? an angustia: &c. Scio quod nec vita. Sic affixus erat Ioannes, & ideo non mutabatur: sic & Apostoli: quia quamuis cæsi ne in nomine Iesu prædicarent, tamen immobiles manserunt. *Act.4.* Sic martyres Christi, sic denique omnes amici Dei, & electi. Complectere Deum obnixéque illi adhære, & qualem vim mundus habeat, & omnes eius tentationes, ad te mouendū sine dubio cognosces. Esto ergo immobilis, & constans in Dei amicitia. Vnde etiam ad hanc stabilitatē admonet nos scriptura dicens, Non te ventiles in omnem ventum, & esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui. Paulus quoque, Stabiles estote, & immobiles: abū- *Eccl.2.* dantes in omni opere Domini semper. Et iterum, *1.Cor.12.* Non cito moueamini à sensu vestro. Et rursus, Op- *2.Thess.2.* timum est gratia stabilire cor. Sicut enim virtus & *Hebr 13* sapientia stabiliunt mentem: iuxta illud Salomo- *Prou.24.* nis: Vir sapiens fortis est: & vir doctus robustus, & validus. Sic enim ex peccato gignitur inconstantia: vt iam diximus, Peccatū igitur amoue, & Christo adhære, si vis esse constans & in bono perseuerare, sed satis est de his: nunc secundum, de quo Ioannes laudatur, videamus.

¶ Secundò laudatur quod mollibus vestimentis non induitur, dicens. *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum?* Ioannes non induebatur mollibus vestimentis, sed veste durissima, de pilis camelorum contexta: & zona pellicea erat præcinctus, iuxta renes. Vide asperitatem vitæ, & *Vestiū luxus damnabilis.* vestem Ioannis, Vt enim aniculæ nidificantes exterius spinas & vepres, interius verò pennulas, & molles leuesque res alias extruunt: sic iusti, rectique viri exteriùs dura vestimenta, asperitatem, & carnis macerationem, interiùs verò suauitatem spiritus induunt. Contrarium verò operantur mali, qui exteriùs molles, & delicatas vestes, interiùs verò conscientias, & corda plena habent spinis, stimulis, & decoctionibus conscientiæ. Aduertant autem qui mollibus vestiuntur, & timeant iudicium: nam si blanditiæ, & vestium superflua abundantia ex se mala non foret, non laudaret Christus præcursorem sanctum ab asperitate vestium: nec minus sanctus euangelista Lucas describens *Luc.16.* vitia illius diuitis auari, qui ad tartara descendit, diceret, quòd preciosis & purpureis induebatur vestibus: & siquidem sacræ scripturæ author Spiritus sanctus, illius diuitis damnati pretiosa vestimenta damnat, & vestium duritiem Ioannis commendat, efficax est argumentum ad probandum: quantum sint vani, & decrementes, qui huiusmodi pretiosis vestibus vtuntur: quantumque sit stultum in similibus rebus tempus consumere. Fatuitas maxima hæc est, quia ornantes se mendicant pulchritudinem suam, à creaturis vilioribus quàm ipsi sunt. Nobilis homo erubesceret à vilibus hominibus mendicare, & potius indigentiam sustineret, quàm mendicare ab ipsis: Sic debet homo erubescere à vermibus, & muribus, suum mendicare decorem. Sericæ enim byssi, & auri contextiones, & alia id genus, vermium sunt stercora, & sic praua est abiectio, te pretiosis vestibus ornare. Nónne (quæso) subsanares, & irrideres aliquem depingentem domum veterem & minantem ruinam? talis est corpus hominis, quod vix staret per quinque dies, nisi cibis, & potibus fulciretur: Domus postibus suffulta, quæ postibus comedendi, dormiendi, & bibendi, sustinetur. Vnde nimis irridendi sunt, qui variis ornatibus istud depingunt: sicut ridiculum est, videre aliquos depingentes parietes, & vetusta ędificia & super ea ceruleum colorem, & deauratum imponentes. Nam licet nimia elegantia induaris, & perpolite componaris: non ita conspiciendus euades vt flos campi. Salomon in sua gloria, non sic in- *Matt 6.* dutus exiuit, vt vnus ex his floribus. De sanctis ve- *Heb.11.* teris testamenti testatur Apostolus: quod circum- *Iob 1.* ierunt in melotis, hoc est, in vestibus camelorum pilis contextis: & in pellibus caprinis. Homines quidem erant vt nos, sed agnouerunt, quod nudi egressi essent ab vteris matrum suarum: & nudi erāt illuc reuertendi, incesserunt in hoc sæculo vt egeni peregrini: nam cum essent curiales cœlestis regni, & ad cœlestem curiam creati, has vanitates parùm curabant. Quàm verò deperdita, & deuastata nostra sit Hispania, vestium magni pretij, & gestaminum insolito abusu paucis abhinc annis introducto quis enarrare poterit? Siquidem sartoris ope-

ra pluris constat, quàm ipsæ sericæ vestes: & opus excedit materiam. Vestium hæc noua genera, quæ ex peregrinis regionibus, per patricios & potentes viros inuecta, & penè euersam habent Hispaniam. Audiát hi, quod per prophetam Sophoniam Deus ait, Visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrina: & visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen. Amos quoque, Væ vobis (inquit) qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domű Israel. Quid, si propheta hic propriis oculis, qua pompa hæ dominæ ingrediuntur templum intueretur? Quid si residua vestium trium cubitorum & amplius? Quid si ornamenta, vehicula picturas & vanitates, quibus incedunt, cerneret? Quid loqueretur? filiæ eius (ait Dauid) ornatæ ad similitudinem templi. Medium diei tempus, in ornatu, vestitu, ablutione, & facie componenda consumunt: Egrediuntur tandem vt papiliones depictæ. quòd si asserát, quòd pro beneplacito virorum id efficiant, mentiuntur maximè: quoniam intra priuatas domos, vbi à viris conspiciuntur, qualibet veste incedunt, séque honestè valdè & communiter gerunt: vbi verò foras egrediuntur, non aliter quã reginæ ornantur, ex quo manifestè patet, quòd non pro placito virorum sed exterarum gentium id faciant. Quòd si his quoque placere nolint pro offendendo Deo id faciunt, quòd licet pro bono aspectu exteriori non fiat, leuitatem tamen, & amentiam arguit: itaque cum sic leuiter, & superabundè ornentur, alterum duorum cauere nequeunt: vel quòd peccatrices sint, vel dementes. Sed huic rei finem imponamus, vtque peccatrices hæ mulieres, exitum vltimum videant quo huiusmodi leuitates, & dementiæ tendunt: Esaiam prophetam ex parte Dei loquentem audiant: quo dicto tremant, & metuant. Audite infœlices, & infortunatæ, non quemlibet, nisi Deum, Deum (inquam) audite. Hæc dicit dominus Deus. Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sió, & ambulauerunt extento collo: & nutibus oculorum ibant: & plaudebant & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant: decaluabit dominus verticem filiarum Sion, & dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet dominus ornamentum calciamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & per psœlides & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & lintea mina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra. Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus: & pro crispante crine caluitium: & pro fascia pectorali cilicium, &c. Sed quia sancti memores esse, aulæ regis cœlestis, & non terrenæ sciebant. quocunque vestitu erant contenti: malebant enim sancti domus regiæ cœlestis, quã terrenæ habitatores & incolæ nuncupari. Ideo subditur, *Ecce qui in veste pretiosa sunt, & in deliciis in domibus regum sunt.* In domibus terrestrium regum inquit, non æterni regis. Et si delicatis & mollibus vestibus vtentes regum palatia incolunt, non oportet monachum vilibus vestimentis indutum, & mortuum mundo, circuire aulas magnatum, & regum palatia frequentare, quod proh dolor, iam nunc in multis videmus, quibus tam claustrum monasterium, & cella fœtent, & quærunt negotia in aulis principum, ad extrauagantes, multis negotiis sæcularibus detenti, distracti, cursitant tota die sicut Centauri & Satyri? de quibus poëtæ dicunt, esse monstra quædam, media hominum, & media brutorum animalium. Sic illi sub habitu perfectionis, & religionis sæcularibus implicantur, vt in vno subiecto duas qualitates cőtrarias inuenias. Vel te indue vt ambulas: vel ita ambula, vt indueris. Quæstus verò quem hi faciút, non est alius, quàm in monasterio acquisita, in mundo amittere. Sæculares enim, cum quibus est illis familiaritas, deuotionem, & spiritum omnem illis detrahunt. Beatus Anselmus in libro de similitudinibus, optimam ad hoc propositum affert similitudinem. Nam sicut bubo lætatur in cauerna, dùm est cum pullis suis, & suo modo benè sibi est: dum verò est inter coruos: & cornículas, & alias aues, incursatur, ac dilaniatur: & omnino sibi malè est, vtpotè quia hic rostro percutit: ille alis in eum irruit, alter verò vnguibus discindit: ita monacho in claustro benè est, foris autem negotiis, curis & sollicitudinibus laceratur, & dilaniatur & distrahitur. ad tantamque perueniunt sæpenumero relaxationem, vt nihil de monacho participent, cùm omnis eorum consuetudo, loquela, & negotiatio, non sit diuersa, ab ea quæ est sæcularium, & mundanorum, Quia sicut illi loquuntur, & tractant sæcularem normam, & formam assumunt. Psittaci vel quæuis alia auis in campo liberæ & solutæ non aliter, ac aliæ aues cantant, immissæ tamen in caueam humana loquela vtútur, & illa quam illi inter quos versantur loquuntur. Palatia habent se sicut cauea. Monachus curiæ regalis, & palatiorum liber & solutus & constitutus in monasterio sanctus est: in cauea tamen palatij inclusus, adulator est, vt cæteri, loquitúrque vt cæteri, & fit palatiorum sectator. At Ioannes monachorum princeps, & Patriarcha: non in aulis regum, sed in deserto erat vbi nulla erat consolatio humana, sed deerant ibi omnia, quæ ad vitam humanam fouendam conferunt. Hoc designauit Christus ex parte loci, quia Ioannes non erat in domibus regum: nam illi vestibus pretiosis vtuntur: quia gloriam sæculi huius appetunt, quæ à multis putatur esse in fulgore vestium, &c.

¶Tertiò commendauit dominus Ioannem à claritate notitiæ: scilicet, quia fuit propheta, & plusquam propheta. Ideo ait. *Sed quid existis videre? prophetam? vtique dico vobis & plusquam prophetam.* Ioannes est, & plusquam propheta, quia habet excellentiam quandam circa rem prophetatam, super omnes alios: quia quem cæteri prænunciabat iste prophetauit, & ostendit. Digito enim ostendit, quem alij prophetauerunt: & dixit, Ecce agnus Dei. Nam perfectius aliquid cognoscitur, cùm sensu percipitur, quàm cum solo intellectu apprehenditur: vnde ista visio ad aliquam perfectionem pertinebat sicut dicit Christus. Beati oculi qui vidét, quæ vos videtis. Doctrina eius etiam erat maioris authoritatis, quã omnium prophetarű, tãta enim est authoritas doctrinæ, & vitæ eius, quanta habent testimonia attestantia illi. Homines enim qui ratione naturali docent, non habent maioré authoritaté, quàm sit firmitas in lumine intellectus humani: qui verò à Deo illustrantur sicut prophetæ, habét immutabilé authoritaté: quia veritas infallibilis, scilicet, diuina q̃ illustrat eos, attestatur eis, & in hoc gradu cőueniebat Ioannes cum cæteris prophetis. Habuit autem vlteriorem gradum quia nó solùm viuens à Deo directus

Margin notes (left column): *Sophon. 1.* — *Amos 6.* — *Psal. 71.* *Matronarũ in vestitu moroſitas & excessus.* — *Esa. 3.*

Margin notes (right column): *Cōmixti sunt inter gētes & didicerūt opera eorum.* — *Ansel. li. de simi. cap. 187.* — *Doctrina Ioã nis cõmendatio.* *Ioan 1.* — *Luc. 12.* *Vnde Amb. lib. 5. in Lucã tom. 5.*

rectus est, intelligendo, & operando. Sed etiã antequam nasceretur, prædixit Deus de eo per prophetas, quòd venturus esset, & quid esset acturus. Et in hoc fuit maior cæteris prophetis: quia de aliis non fuit prænuntiatum antequã essent, ex quo patet, quòd doctrina Ioannis non solũ erat infallibilis auctoritatis, sicut doctrina aliorũ prophetarum, quia omnes Spiritu sancto dictante loquebantur: sed etiam fuit magni honoris, quia de Ioanne fuit prænuntiatio, & non de aliis: ideò Christus laudans hoc in illo ait, *Hic est de quo scriptum est, Ecce mitto Angelum meũ ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam ante te.* Ostenditur hìc dignitas & officium Ioannis, qui præcursor fuit Christi, qui viam domini præparauit: iuxta hoc Malachiæ vaticinium: quemadmodum & Dauid dixit in Psalmo, Iustitia ante eũ ambulabit, & ponet in via gressus suos. Vt Ioannis eximiam sanctimoniam extolleret, vocauit eum iustum, cum esset magnus iustus, & ob excellentissimæ vitæ puritatem, & virginalem munditiam, angelum appellauit: quia angelicæ fuit puritatis, & vitæ. Qui etsi secundum naturam non fuit angelus, tamen secundum merita & gratiam fuit, quòd maius habetur, quàm secundum naturam: Si per agrum aliquem transeas, & lignum aridum videas, nullam illius curam habes: ex quo abscisso si tabula educatur, ex qua imaginarius eximiam depingat imaginem: tunc pluris habebis tabulam hanc etiã fagineam, vel robouream, quàm si sit cedri: non ex natura, quia melior est cedrus quàm fagus, sed ob picturam quam in illa artifex formauit. Sic angelica natura purissima est, & excellentior naturæ humanæ, quæ quidem ex se corruptibilis, & debilis, & vitiis, & sordibus deditus est: sed tot in aliquo homine perfectiones depingi possent, tótque virtutes, & sanctimonia in eius anima constitui, quòd sit excellentior, sanctior & purior angelis. Sed ex eo pluris habendus est Ioannes, quippè qui cùm ex carne & ossibus constans, & corruptibilis ex natura esset, tam profundam orationem, & contemplationem esset sortitus, ita vt magis cœlestis, quàm terrenus habitator appareret, magísque spiritum habere angelicum quàm humanum videbatur: quia vt angelus sine lecto, sine potione, sine comestione, sine deniq; dormitione, in cœlesti contemplatione dies, noctésque consumebat, & per angelicos choros deambulabat.

Malac. 4. *Psalm. 84.* *Ioannes angelus puritate, merito, gratia, & officio.*

§ Secundò angelus vocatur, non solùm propter vitæ puritatem: sed etiam ratione officij. Angelus Latinè nuncius est: sed non talis nuncius, qui solũ fert literas clausas, ignarus quid in illis comprehẽsum sit: verùm talis, qui negotium sibi commendatum, & legationem: ipse ore tenus exequitur, quanquam verò hæc angeli vox, sanctis, & cœlestibus spiritibus rectè attribuitur: quoniam omnes ministerij munia obeunt, qui ad ministerium mandantur, propter eos: qui hæredes æternæ beatitudinis futuri sunt: non tamen illis proprium aut vnicum hoc nomen est, sed commune omnibus his, qui iussa Dei expediunt, & ipsius aperiunt voluntatem. Nam sicut vnumquemq; sacerdotem vocat Malachias angelum domini exercituum, eò quòd legem Dei docere & prædicare debeat: ad hunc quoque modum hoc loco angeli nomen habet Ioannes, quandoquidem non vt propheta missus est tantum vt futura nunciaret: sed vt nuncius, qui sui domini aduentum ita nunciaret: vt proximè illum præcederet, viam sterneret, & quasi classicum caneret. Ideóque postquam angelum illum vocauit, addidit, qui præparabit viam ante te: quia propter officium quod erat præparare viam domini, vocatus est angelus. ❧ Expende etiam Christi Saluatoris nostri modestiam, atque humilitatem. Nam cùm Malachias loquens de Ioanne dixit, Ecce ego mitto angelum meum qui præparabit viam tuam ante te: statim loquens de Christo, & de eius aduentu dixit, Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis: quæ verba de Christo ad literam intelligebantur: hoc tamen tacet hic Christus, quia noluit de se iactãter hoc dicere. Addit vlterius Christus in Ioannis commendationẽ. *Dico enim vobis maior inter natos mulierum propheta, Ioãne Baptista nemo est.* Hoc consequens est cum supradictis: nec est extra rem, ab eo quod modo dixit, Loquitur enim Christus de intellectu, quem de se Ioannes habebat. Non misit itaq; ignoranter Ioannes quæsitum, quis esset Christus: erat siquidem illi illustratus intellectus à Deo, vt esset & propheta: & talis vt nullus propheta illo esset maior quãuis hoc dictum communiter sancti doctores, nõ de maioritate prophetiæ, sed de sanctitate interpretãtur. Hieronymus libro primo Commentariorũ in Matthæum dicit, quòd nõ sequatur quòd sit maior omnibus Ioannes, sed quòd nemo aliorũ sit maior illo. Sed profectò (vt optimè Chrysostomus dicit) ex hoc benè sequitur quòd sit maior omnibus. Referam verba Chrysosto. Cum tanta sit iustitiæ altitudo, vt in illa nemo possit esse perfectus, nisi solus Deus: puto quòd omnes sancti quantũ ad subtilitatem diuini iudicij, inuicem sibi inferiores sunt, aut priores: ex quo intelligimus, quoniam qui maiorem se non habet, maior omnibus est. Cœlestis via nõ aliter se habet, quàm si arctam, & angustam in duris, & rigidis montanis, semitam contempleris: qua duo pari gressu iter facere non valent, nisi, alterum, alter à tergo sequatur (Arcta est enim via quæ ducit ad vitam) & sic vnusquisque solus incedit. Quare de quolibet confessore ecclesia canit, Nõ est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi. Sicut enim in humanis aspectibus, vnus alteri non assimilatur exteriore facie, non secus in animis & meritis sancti, alij aliis nõ omnino assimilantur. ideò priuatim de vnoquoque meminit Ecclesia, & sine aliquo mendacio, non est (inquit) inuentus similis illi. Nos etiam in cœlo (vt Christus ait) erimus sicut angeli Dei, non solùm in pudicitia & castitate, sed etiam in meritis, & (vt Thomas ait) quilibet angelus cõstituit speciem, & species sunt sicut numeri: numerus verò vnus, non est æqualis alteri, quia numerus quinarius maior est quaternario, & minor septenario: quia sæpè vnus numerus est maior, aut minor altero numero. Sic etiam sanctus maior, aut minor est altero sancto: itaque (vt benè concludit Chrysostomus.) Si nemo est maior Ioãne Baptista, & omnes sancti inferiores sunt inter se, aut superiores: ergo qui maiorem se non habet, omnibus maior est. Vnde ecclesia canit in hymno, Non fuit vasti spatium per orbis, Sanctior quisquã genitus Ioanne. Et hoc satis sit ad hanc veritatem probandam, quòd nullus ita commendatus est à Christo sicut Ioannes: nullus (inquam) sic ex professo, & lente laudatus vt Ioannes, vt ex sermone hoc quem Ioannis vitam extollens, cõcionatus est, cùm adhuc viuens in numerum sanctorum fuerit

Vide D.S. in cantic. in ca. 7. Luc. 4. *Hebr 1.* *Malach. 2.* *Malac. 4.* *Hiero. lib 1. Matt. ca 11. Aug ser. 2. & 4. Ioann. Bap tom. 10. Chryso. hom. 27 in opere imper. Mat.* *Matth. 7.* *Eccle. 44.* *Matth. 22. S. Tho. 1. q. 50. ar 4.* *Vide Chryso Hom. 38. in Matth.*

relatus, & sic laudibus fuit elatus, ex Christi ore. Præterea, vt ad alia procedamus, vnum hic obseruandum esse censeo, in honorem immaculatæ, & purissimæ conceptionis virginis Mariæ: nam in eo quod in hoc loco dicit, quòd non surrexit maior Ioanne, insinuatur, quòd omnes ceciderunt, antequam resurgerent, & ambularent: nam resurrectio præsupponit casum. Omnes in Adam peccauerūt, omnes peccato originali concepti sunt: omnes (inquam) ceciderunt, quamuis surrexerunt ad statum gratiæ, post casum peccati. Sed nullus ex istis qui ceciderunt, surrexit maior Ioanne: ex quo arguitur sic, Ioannes est maior omnibus, qui ceciderunt, & surrexerunt: sed non est maior Virgine, ergo virgo nō cecidit. Præterea iuxta Origenis regulam, quòd veritati magis est proximum, vel quod secundum pietatis regulam opinandum est, sequamur. Quòd autem Maria non fuerit in peccato originali côcepta iuxta pietatem veriùs videtur. Sed his omissis videamus quod sequitur. *Qui autem minor est in regno Dei maior est illo.* Nec intelligas Christū dominū, hic loqui de maioritate bonitatis, & meritorum: quoniam Ioānes, nō solū minoris Hierarchiæ angelos, sed etiam plurimos supremos & altissimos, sanctitate & meritis antecellebat, nec solus Ioannes, sed multi etiam iusti erunt, qui plurimos ex supremis angelos superent. Quare hoc dupliciter potest intelligi. Primò ex natura angelorum, quia de angelis loquebatur: nam cùm Christus hoc dicebat, nullus homo erat in regno cœlorum. Itaque quilibet angelus, maior erat Ioanne, non in meritis, sed in natura: quia Ioannes homo erat, & angelica natura maior est, quàm natura humana.

Rom. 5.

Ori.lib.1.periher cap.1.

¶Secundò exponitur: qui minor est in regno cœlorum, maior est illo: & maior est etiam omnibus viuentibus in hoc mundo, quia ille beatus est, iste non: nam beatus securus est de beatitudine, quæ summum bonum est: qui autem viuunt de sua beatitudine non sunt securi: & in hoc est quædam maioritas. Maior est (inquam) quo ad prœmij securitatem, nō quantum ad meriti dignitatē: præmij enim securitas, est potissima pars beatitudinis. Magis enī est coronam securè possidere, quàm dimicare. Bene possunt viuentes esse sanctiores, & magis Deo accepti, quibusdam iam existentibus in vita æterna, & Deus magis exaudiet illos, quàm eos qui in patria cœlesti sunt: & tamen semper sunt minores, quia minus bonum participāt. Nam beati participant essentiam bonitatis, per immediatam visionē, scilicet, videndo per essentiam: ideò sine dubio, quilibet beatus est maior, quolibet viatore, & omnibus simul: sed non melior aut sanctior, ideò non dixit, melior est illo, sed maior est illo. Quamuis etiā & melior dicere poterat, stando in prima expositione de natura angelorum, quæ quidem nō solum maior, sed melior est homine. Sed quid ex hoc Christi sermone, sequutum sit videamus. *Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis.* Iustificauerunt (inquam Deum non effectiuè, sed ostensiuè, hoc est, iustum illum esse dixerunt. Deū enim iustificamus, dum confitemur, quod ipse iniustitiam omnémq; culpā odit, iuxta illud, Odio sunt Deo impius, & impietas eius. Et cū ascribimus ei q̃ bonitatē & iustitiam diligit, iuxta illud Psalmi. Iustus dñs & iustitias dilexit, æquitatē vidit vultus eius. Gaudebat populus iste, audiens Christum laudantem Ioannem, quia baptismum

Possessor maior est quolibet viatore.

Sapient. 14.

Psalm.10.

eius susceperat, & diligebat eum: & sicut in illum fuerant scandalizati, illos quo que maximè pœnituerat, quod iustus & sanctus homo Ioānes de cognitione Christi dubitatione teneretur, & misisset quæsitum, quis esset. cùm de Christo testimonium perhibuisset, sic modo magno sunt affecti gaudio, Deum laudauerunt, videntes, quàm benè de Ioāne Christus fuerat loquutus, & eius honorē curauerat: Sed nō sic Scribæ, & Pharisæi, qui inuidi, & superbi erant, de quibus sequitur, *Pharisæi autem & legisperiti, consilium Dei spreuerūt in semetipsos, nō baptizati ab eo.* Pharisæi qui cæteris religiosiores se esse putabant & videri volebant: & legisperiti, qui scientia erāt inflati, spreuerūt Christi salutarem instructionem. Ait in semetipsos, quia aspernati sunt in seipsos: & contra salutem animarum suarum, & ad suā perditionem, & non baptizati à Ioāne, eius baptismum, doctrinā, & iustificationem, de Christo spreuerūt. De hac peruersitate, dixit dominus olim per Esaiam, Quis surdus, nisi ad quem nuncios meos misi: & quis cæcus, nisi seruus meus: Hos impios & superbos Scribas: & Pharisæos, arguit dominus, vt eorum impietatem opprimat. Ideo sequitur, *Ait autem dominus, Cui ergo similes dicam homines generationis huius? & cui similes sunt?* Ex eo quòd populus credidit Christo laudanti Ioannem: & Pharisæi, & legisperiti credere noluerunt, nec baptizati fuerunt ab eo, Christus redarguit eos, quia noluerunt credere sibi: nec Ioanni. Porrò homines generationis huius, ait, vbi generatio sumitur pro hominibus generatis: quibus adaptari potest illud, quod in Deuteronomio inscribitur, Generatio peruersa, & infideles filij, hoccine reddis domino, popule stulte, & & insipiens? Nónne ipse est pater tuus, qui possedit te? &c. Rursus quæstionem ingeminat, vt audientes reddat magis attentos. Ait ergo, *Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus adinuicem, & dicentibus, Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis, lamentauimus, & non plorastis. Venit autem Ioannes Baptista, non manducans panem, nec bibens vinum, & dicitis, dæmonium habet. venit filius hominis manducans, & bibens & dicitis, Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.* Pueri conueniebant pueriliter in foro, ad gaudendum, & quidam eorum qui erant magis ad iocos apti, incipiebant cantare, vt alij canerent, & saltarent cum eis: sed nolebant cantare, nec respondere cantico lætitiæ. Tunc ipsimet pueri qui cantauerant canticum lætitiæ, cantabāt canticum lugubre, vt saltim responderent eis, quia qui non est dispositus ad lætitiam, poterit forsitan esse dispositus ad tristitiam. Et quia nec sic illis respondebant, alij pueri conquerebantur, scilicet, illi, qui cantauerant vtrumque canticum. Priùs vobis cecinimus & non saltastis, & posteà lamentauimus, & non planxistis, quare hoc fecistis? Quia saltim in aliquo eorum nobis respōdere debuissetis. Iste sensus consonat Christi proposito, applicando ad se & ad Ioannem: vterque enim Iudæis prædicauit. Ioannes quidem, qui erat vitæ austeræ, cecinit carmen lugubre, & illis prædicauit pœnitentiam, sed ipsum noluerunt audire, nec isti Scribæ, & Pharisæi, quibus Christus hæc dicebat, eius baptismū suscipere voluerunt. Deinde Christus cātauit cāticū lætitiæ, nā benignitate, & dulci côuersatione inuitabat homines ad fidē, & operationē, & manducabat cum publicanis & peccatoribus, vt sic eos alliceret, & tamē nec Christo credere voluerunt.

Beda in ca. 7. Luc.ca.27.

Esaia 42.

Deute.4.

Vide Cyrillū citatum à D. T. in cat. in ca. 7. Luca.

Aug.lib.1. de quæst.euā. q.11.to.4.

runt. Erant ergo arguendi, sicut pueri qui nolebãt respondere sociis: quando cantabant nec quando lugebant, nam si Iudæi nolebant assentiri Ioanni: quia durus, & austerus erat, sequerentur Christum, quia blandus erat. Vel si volentes maiorem austeritatem, nolebant Christum, sequerentur Ioãnem: sed neutrum faciebant, ideò reprehensibiles erant. De Ioanne dicebant, quòd dæmonium habebat, & de Christo, quòd erat potator vini, & amicus publicanorum, meritò ergo increpat eos Christus sic. De Ioanne dicebant, quòd dæmon, qui eum possidebat faciebat tantam austeritatem tollerare, quia arreptitij multa possunt agere & pati, quæ alij homines facere nequeunt. De actione patet, quia dæmon mouet organa ipsorum & sic faciunt maiora, quàm alij homines, eò quòd non agunt ipsi sed dæmones, vt de duobus illis arreptitiis legitur, qui erant ita sæui, quòd propter eos, nemo audebat trãsire per viam. Et in actibus apostolorum legitur,
Matth.8. Act.9. quod vnus arreptitius, pugnauit contra duos, & præualuit: ita vt nudos & vulneratos cogeret eos fugere. De passione etiam patet, quia dæmones possunt reddere membra arreptitiorum, quasi stupida & insensibilia, & ita non affliguntur patiendo dura, sicut patet de illo, qui se lapidibus concidebat. Et ita intellexerunt isti de Ioãne: scilicet, quòd
☞ dæmon possidens illum, reddebat ipsum insensibilem, vt non sentiret ista, quæ patiebatur. De Christo verò saluatore nostro dicebant, quòd erat homo deuorator, & bibens vinum: in quo apparet, quod ex inuidia, & iniquitate loquebantur: quia si
Nota. vituperabant Ioannem, tanquam austerum, debebant Christum laudare, tanquam modicum in comedendo, & bibendo. Vel si Christum tanquam
Inuidi omnia in deteriorem partem interpretantur. voracem accusabant, Ioannem tanquam abstinentem laudare debuerant. Non ergo displicebat eis opus: sed persona, fœdum enim amanti pulchrum, pulchrum verò abhorrenti illud, fœdum videtur. Multi etiam & nunc sunt similes istis, qui omnia bona aliorum in peiùs interpretantur, & cùm ipsi mali sint, factis aliorum detrahunt. Alij autem ita inuidi sunt quòd omnia bona proximi in malam partem interpretantur. Si quem modestum & studiosum videant, strictum, si grauem, superbum appellant: si patiens, & tollerans sit, timidum, si iustitia vtatur, sæuum: si misericors, & parcens remissum dicunt: si verò loquatur, quòd loquax, si taceat, quòd stultus: si deuotus, ꝙ hypocrita, &c. Sic isti, si non comedat: quod dæmonium habet: si comedat, quòd deuorator est, dicunt. Nec enim possibile est obtrectãtis hominis os obstruere: qui superbia & malitia ductus peccat, quia nunquam illi deerit, quid loquatur, quidquid aduersus cone-
Psal.61. ris. Ideò Dauid in Psal. Mendaces filij hominum in stateris. Sed qualiter in stateris? multi sunt homines, qui libra non vtuntur, nec omnes se in mercaturis exercent, nec omnes circa negotia emptionis & vẽditionis versantur. Quo pacto ergo esse poterit, mendaces esse omnes homines in stateris? itaq; rationem, per quam possumus rectè de qualibet re iudicare, stateram hic appellauit & meritò, quoniã per hanc, omnium virtutes, & merita trutinamus. Nihil enim est præter rationem & ius, & æquitatẽ. Stateram habet veram qui bona dicit bona, & mala dicit mala, & optima. Econtra vera stateram habent mendacem illi, de quibus dicitur, Vę qui dici-
Esaie.5. tis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Duas ergo res inter se contrarias posuit Deus ante te, in statera tui iudicij, & arb. trij examinandas: vitium videlicet, & virtutem, vitam & mortem, vt de proximo iudices rectè, & bona illius ne dicas mala. Sed iam mendaces sunt filij Adam in stateris: quia dolosè iudicant de proximo, quòd abominabile est coram domino. Vnde in Prouerbiis Salomon ait, Statera dolosa, abominatio est apud Deum. Acsi diceret, Hominum affectus ac iudicia, staterę dolosæ sunt. Hoc in Prouerb.11.
istis patet qui Ioannem dæmoniacum appellabant, Christum verò potatorem, & deuoratorem. Obserua, quòd pueros vocat hic Christus hos Pharisæos, & illis assimilat: quia sicut infirmi & debiles intellectu se habebant. Non enim sicut homines ratione vtentes Christum, nec Ioannem susceperãt, nec sicut filij Abrahæ qui pater fuit fidei, fidem habuerunt credentes in Christo: ideò meritò pueris insipientibus assimilantur. Sic Dauid Absalonem filiũ *Pharisæi pueri non ætate, sed ignorantia.* 4.Reg.18.
fratricidam & patris persequutorem, nõ filium sed puerum vocauit, cùm dixit, Estne pax puero Absalon? Sed sciens mortem eius nõ puerum sed filium nominauit dicens, Absalon fili mi, fili mi Absalon. Cur in vtroque non dixit puerum aut filium? Si viueret puer erat: quia parricidio petebat patrem, nõ ergo pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis, ideóque vir iustus quod pietatis & religionis erat tacuit: & quod infirmitatis erat dixit. Sed vbi eum mortuum sciuit, memor pietatis naturę & immemor offensæ: apud pium patrem personæ crimẽ defecit & naturæ nomen remansit. Disce non puerilia sapere, quandoquidem vir es tu & non puer. Vnde Sapiens de quibusdãm ait, Vsquequo paruuli diligitis infantiam? Prouerb.1.

¶ Deniq; vt cõcludam discamus ex hoc loco humilitatem à Christo, qui cùm sit filius Dei excelsi, se vocat filium hominis: in quo summam eius humilitatem ostendit. Discamus, patientiam in aduersis, quandoquidem de Ioãne viro sanctissimo tam impia dixerant homines, & de Christo Saluatore, sic blasphemauerant, vocantes illum voracem, qui venerat tollere peccati mũdi. Quæ vita erit tam pura, vt sit libera à morsibus impiorũ? Quænam sanctitas hominibus placere potuit? Verùm nos peccatores, si de aliquo quocũq; leui peccato infamamur, impatientissimi sumus. Discamus ergo patiẽtiam, in falsis testimoniis, permittente enim Deo, fiunt contra te infamationes, propter tres causas. Ioan.1.
Primò ad exercendum patientiam, sicut Ioseph vir iustus & castus, fuit infamatus de adulterio, & Iob sanctus de tyrannide & crudelitate, sicut illi dixit improperans Eliphat, ꝙ fuit percussus à Deo quia violentus prædo & defraudator fratrum, & immisericors egenis & crudelis tyrannus, atque impius in Deum extitisset, quorũ omnium nihil erat verũ. His falsis testimoniis exercebãtur viri sancti patiẽtia. Secũdò veniũt falsæ diffamationes ad puniendũ occultã culpam. Eum enim qui se non continet ab occulta culpa, cuius non patitur infamiã permittit Deus falsis rumoribus flagellari: in quibus non est reus, & plerunque sic puniuntur illi qui de bona fama inordinatè gloriantur per notã infamiæ corrcentur. Sic & tu cùm de crimine, quod non habes, aliqui murmurant, patienter sustine: cogitans tecũ quod alia habes peccata occulta, quæ si homines scirent multò peiora & grauiora de te loquerentur. Tertiò eueniunt diffamationes falsæ ad futurorum Genes.39.

caute

cautelam. Si enim falsò aliquis notatur de crimine, caueat, sibi verum crimen admittere: quoniam si innocēs talia patitur, credat quòd multò grauiorem reus patietur infamiam: & quòd æmuli qui murmurant de falsò quod multò meliùs murmurabunt de verò crimine & delicto. Sed hæc suffecerint. Iam videamus quid vltra dominus dicat. *Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.* Hoc est, Christus qui Dei sapientia & virtus est ab apostolis & credentibus laudatus est. Vel potiùs, quòd sapientia, vt est prouidentia siue rectum iudicium de moralibus iustificata est à filiis suis, Idest pueri, qui canebant in foro, qui erant filij Iudæorum iustificauerunt sapientiam: id est, rectè iudicauerunt, increpantes socios suos qui nec eis cantantibus voluerunt saltare, nec eis lamentantibus voluerunt lugere. Et per hoc patres suos arguunt qui Christū cantantem, id est dulciter conuersantem non susceperunt: & Ioannem lamentantem, id est, austerè viuentem non sunt sequuti: sed accusauerunt: & sic Deum ostenderunt iustum & quòd rectè arguit & damnat peccatores. Hoc est enim iustificare Deum: hoc est ostendere illum iustum, in punitione peccatorum.

Cor. 1.

¶ Obserua autem hic, & diligenter aduerte pro acceptione huius nominis iustificatio. Tot enim modis opus est iustificationem accipi, quot modis accipiuntur iustificare & iustificari. Tres auté præcipuas & magis frequentes huius verbi iustificare, acceptiones apud scripturas & sanctos doctores legi. Primò iustificare accipitur in scriptura, & apud sacros authores pro eodem, quòd est verè & re ipsa facere iustum: sicut purificare & mundificare pro eodem, quod facere purum aut mundum. Et sic in scriptura dicitur Deum iustificare peccatores: quia illos iustos faciat & peccatores dicuntur iustificari cum iusti fiunt. Et in hac significatione, vtuntur verbo iustificandi doctores, cum agant de iustificatione. Et sic Paulus manifestè vtitur hoc verbo cū de Deo dicit, Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit hos, & iustificauit. Et paulò post, Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Et cum dicit Corinthiis, eos esse iustificatos in nomine domini nostri Iesu Christi. Et hęc est acceptio magis cognata, & affinis etymologiæ huius nominis iam expressæ.

Nota.

Roma. 8.
1. Cor. 6.

¶ Secundò inuenio in scripturis verbum iustificari pro eodem quod proficere & crescere in iustitia. Et sic beatus Ioānes accepit cū dixit in Apocalypsi, Qui iustus est iustificetur adhuc. Quid est, iustificetur adhuc, nisi vt crescat in iustitia? Et alibi scriptū est, Ne verearis vsque ad mortem iustificari. Hoc est, Ne verearis vsq; ad mortem piis & honestis operibus studere: vt vadas de virtute in virtutem. Sic etiam intelligendum esse censeo illud Iacobi, Nonne Abraham pater noster ex operibus legis iustificatus est? Certum est quòd ibi non accipitur iustificatio pro prima iustificatione: tum quia prima bona opera peccatoris iustificatione indigna sunt: atque eam minimè merentur: sed opera bona iustorum iustificatione secunda dignissima sunt, & eam ex condigno merentur. Atque ideò ex his hominem iustificari, Iacobus constanter asseruit. Tum etiam quia intulit hæc verba Iacobus ex eo quod mox dixerat, Abraham ex operibus iustificatum esse cùm obtulit filium suum Isaac. Cōstat autem antè illud tempus iustum fuisse Abraham, nec incepisse iustificari per oblationem filij sui: credimus enim tunc fuisse omniū hominum suæ ætatis iustissimum & religiosissimum: nullū enim audiuimus aut scimus, tot & tātis prærogatiuis à Deo insignitum. Sæpè enim cū eo familiarissimè loquutus est dominus: & iussu eius dereliquit patriam, & peregrinatus est, & auxilio Dei quatuor debellauerat reges & promiserat ei Deus multiplicationem sui generis: circuncisúsq; erat, & Melchisedech benedictum à Deo excelso dixerat: & scriptura de eo adiecerat, credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam. Itaque ex omnibus his constat de secūda iustificatione illa verba Iacobi intelligi, Abraham pater noster, &c. Verū beatus Paulus multis in locis suarū epistolarū, & præcipuè ad Romanos & ad Galatas videtur contradicere Diuo Iacobo: quia sæpè asserit & persuadet cunctis, neq; Iudæos propter opera legis, neque gentiles propter bona opera iustificatos esse: sed per fidem & gratiam Christi. Conciliantur autem Paulus & Iacobus, quia Paulus de prima iustificatione loquitur quæ non cadit sub meritò, Iacobus autem de hac secunda vt modo diximus. Duo quidem necessaria sunt fidelis scire. Primum est iustificationem primam nemini contingere ex merito suorum operum & ad eam posse homines nonunquam venire per fidem, vel solam, vel certè absque operibus, & hæc nobis explicuit dominus clarè per Paulum. Alterum est ad iustificationem secundam necessaria esse bona opera etiam exteriora, si vita aliquádo longior sit, & eam posse nobis ex merito & debito bonorum operum contingere: & hæc per Iacobum sumus à Deo edocti. Vt infideles ad fidem allicerentur neq; desperarent de sua salute, quantuncunq; grauibus essent obruti peccatis, iustificationem posse per fidé absque operibus contingere annunciat Deus per Paulum. Ne verò qui receperant fidem, & iustificati iam erant, audientes per Paulum, per fidem iustificatos esse absque operibus torpescerent & segnes fierent ad exercitia virtutum, putarént q; ad perseuerandum, & proficiendū in iustitia satis sibi esse fidem, quæ vel per se solam, vel saltem absque bonis operibus exterioribus, ad assequendum iustitiam eis suffecerant, per Iacobū exposuit nobis idem Deus necessitatem bonorum operum. Paulus etiam alibi, cùm dicit, credidit Abraham Deo, & reputatū est illi ad iustitiá, de hac secūda iustificationis acceptione loquutus est. Itaque in hac secunda acceptione, idem erit iustificare quod augere alicuius iustitiá, & efficere iustioré, vt meritò ratione illius non solùm possit dici fieri iustior: sed propriè iustificari.

Acceptiones verbi iustificare.
Apoc. 22.
Ezech. 18.
Iaco. 2.
Genes. 22.
Genes. 12. & 19.
Rom. 3. & 4.
Gala. 2. & 3.
Iustificatio duplex.

¶ Tertiò præter has duas acceptiones, solet etiā accipi iustificari, pro pronunciari aliquem & ostēdi iustum & innoxium. Et in hac significatione frequenter vsurpatur à Iurisconsultis & pro vocabulo habetur forensi: idémque est aliquem in foro iustificari, quod absolui à criminibus. de quibus accusatur, innocentémque, & iustum à suo iudice diffiniri, & pronunciari. Et sic vsus est saluator noster hoc vocabulo, cùm dixit, Ex verbis tuis iustificaberis. Nam cùm statim dixisset reddituros homines rationem in die iudicij de omni verbo ocioso. istis verbis, quæ mox subiecit, hoc voluit profectò significare vnumquemque iuxta verba sua pronunciandum vel reum, vel iustum: & ex consequenti absoluendum vel damnandum

Iustificare pro absolui à crimine, aut iustum declarari.
Matth. 12.

dem in die iudicij. Et in hunc sensum Pharisæis auaris, improperauit, quòd se iustificarent coram hominibus: hoc est, iustos ostenderent, pronunciarent, iactarent. Et de quodam iurisperito dicit infrà
Matth. 23. noster Lucas, quòd volens iustificare seipsum in-
Luc. 10. terrogauit Iesum, quis esset proximus suus: id est, volens ostédere se iustum. Et Paulus dicit eum, qui mortuus est peccato, per baptismum iustificatum esse à peccato. Hoc nimirum nos docuit liberatum esse, & absolutum prorsus à peccato, quicunque in Christo Iesu baptizatus est. Et apertissimè Dauid accepit in hac significatione cùm dixit,
Psalm. 81. Iudicate egeno, & pupillo: humilem, & pauperem iustificate. Vtq; in eo sensu hoc vocabulo se vsum, apertiùs faceret, subiunxit, Eripite pauperẽ, & egenum de manu peccatoris liberate. Notauit enim his verbis iudices, qui cùm diuites facillimè absoluant à criminibus eis intentatis, tamen pauperes, à quibus nullum quæstum expectabant, diu patiebantur in carceribus esse, nec eos iustos & innocẽtes pronuntiabant. Et in eundem sensum scripsit
Prouer. 17. Salomon, Qui iustificat impium & qui condẽnat iustum, abominabilis est vterque apud dominum.
Esaia 5. Et Esaias, Væ pronunciat illis, qui iustificant impiũ pro muneribus & iustitiam iusti auferunt ab eo: quia impium, ob munera accepta, iustum & innocentem pronunciabãt, & iustum ab eis calumniosè accusatum, velut reum, & nocentem cõdemna-
Iob. 9. bant. In hoc etiam sensu dixit Iob. Si iustificare me voluero, os meum cõdemnabit me. Idest, si me voluero pronunciare & asserere iustum. Vnde statim
Iob. 4. addidit, Si innocentem ostendero, prauum me cõprobabit. Et quod alibi, idem Iob dicit, Nunquid iustificari potest homo compositus Deo? Solus nãque Deus iustificabitur: & nullus poterit verè pronunciari iustus, si conferatur ipsius iustitia ad diuinam. Et in hunc sensum accipiẽdum est, quòd paulò antè dixerat, noster Lucas, quòd publicani, & peccatores iustificarunt Deum, baptizati baptismo Ioannis: quia dùm ad prædicationem Ioannis conuersi sunt, & illius baptismo, baptizati sunt, Deum multipliciter ostenderunt iustum. Primò quia in hoc declarant Deũ, nõ ad indignos, sed vel ad innocẽtes, vel ad iustos sua munera trãsferre. Secundò in hoc aperuerũt Deum esse iustum, tum in suis præceptis, tum in pœnis, quas peccatoribus obstinatis infligit: & meritò agendam esse pœnitẽtiam, de eorum trãsgressione. Tertiò recipientes prædicationem Ioannis hoc ipso probabant, illum esse iustum & veracem, qui iuxta pollicitationes suas talem, ac tam sanctum virũ ante se miserat. In hunc etiam sensum intelligitur, quod modo explanamus: iustificata est enim sapientia à filiis suis, quia absoluta est, & iusta pronunciata, & ostensa iudicio omnium filiorum suorum. Id est, omnium electorũ: omnes quippè se ei spontè subdentes recepit, & omnes perfidos abiicit: & Deus iustificatur, nihil omittens facere ad omnium salutem necessarium, cùm prædicauerit per Ioannem cãticum lugubre, & ipse prædicauerit canticum lætitiæ. Sed de his satis.

¶ Videamus iam perpulchram historiam & exemplum admirabilis pœnitentiæ, cuiusdam mulieris peccatricis: cuius conuersionem, & Christi clementissimi redemptoris infinitam misericordiã, satis, egregiè (vt solet) sanctus euangelista Lucas scribit dicens, *Rogabat autem illum quidam de Pharisæis, vt manducaret cum illo.* Vulgatè quidem illud est, radicem & originem ipsam ex qua mors est orta, *Duplex vita, duplex mors, & duplex resurrectio.* fuisse per peccatum hominis protoplasti. Hoc expressè Paulus Romanis ait dicens, Per vnum ho- *Roma. 5.* minem peccatum in hunc mũdum intrauit, & per peccatũ mors. Quòd si sola esset corporalis mors, tollerabile hoc videretur, sed peccans Adam priùs animam & confestim corpus occidit. Porrexit manum, vt ex prohibito comederet fructu, sed iuben- *Gen. 3.* te anima: & sic transgressor peccati, per consensum culpæ, priùs animam occidit: vnde corporalis mors, quæ fuit peccati pœna consequuta est. Cùm itaque anima esset consentiens peccato, & corpus culpæ exequutor, Deus vtrumq; pœna mortis punit, animam captiuitati dæmonis tradens, corpus verò vermibus, & carnis corruptioni. Duplici huic miserabili morti subiectus erat homo, antequam mundi Redemptor, à summo cœlo: ad inferiorem terram descenderet, ad liberandum nos, ab his turpibus captiuitatibus. Illo enim moriẽte, ab animæ morte, posteà verò resurgente à corporis morte erepti sumus: qui in cruce pendens à dæmonis potestate nos eduxit: & sanguinem effundens animas nostras redemit, quiq; cum gloriosus de sepulchro exiret, vita quoque triumphans à corporali morte exiuit. Quia vt Paulus fatetur, Christi resurrectio, *1. Cor. 15.* fuit causa resurrectionis nostræ corporalis. Sed priusquam saluator mundi, his duobus hostibus, bellum intulisset, priùs etiam quàm in campo cum illis congrederetur, & eos bello vinceret, & expugnaret: in vita præliũ suscipere, & vires & potestatem, quã super eos habebat, ostendere voluit. Intẽdit igitur noster euangelista Lucas, potestatem, quam Christus, è cœlo adduxit ad vtramque mortem superandam, ostendere: ideò duplicem mortem, à Christo superatam, duplicẽmq; resurrectionem hac in parte describit. Superius in hoc capite, qualiter Christus in vrbe Naim suscitauerit filium cuiusdam viduæ in corpore mortuum, qui ad sepulchrum deferebatur, ostẽdit: nunc verò explicat de muliere quadam peccatrice, in peccatis, & anima mortua, quàm Christus ex morte peccati, & ex faucibus inferni eduxit: cùm esset iam in vltimo, vt deuoraretur.

¶ Maximas vires, maximamq́ue potestatẽ Christi, in his duabus historiis & in his duabus resurrectionibus, in his denique duobus miraculis, quæ Saluator noster fecit, egregius euangelista Lucas *Qui & quales nostri conuiuæ esse debeant.* ostendit, vt intelligamus & interioribus oculis inspiciamus, quam potestatem Christus afferat, è cœlo in terram, ad liberandum nos à morte corporis & animæ. De resurrectione mortis corporalis iam diximus suprà, in historia adolescentis filij viduæ, sed nunc in hac historia, de spirituali animæ resurrectione agendum est. Res ergo sic se habet. Pharisæus quidam rogabat Christum vt comederet cum illo, quod conuiuium Christus acceptauit, ex eo quod sciebat eum non paruum commodum ex illo reportaturum. Non esset nociuum, imò conducibile maximè, Iesum Christum in nostris mensis semper habere: nec manducare, nec buccellam assumere nisi illum præsentem & præ oculis haberemus. Sic Tobias dixit filio *Tob. 4.* suo, Vade, & voca aliquos de tribu nostra, timentes Deum, vt epulentur nobiscum. Et Ecclesiasticus, *Eccle. 9.* Viri iusti sint tibi cõuiuæ. Et Christus, Cũ facis cõ- *Luca. 14.* uiuium voca pauperes, &c. Isti hospites sunt inuitandi

tandi non mimi, parasiti, ioculatores, sed Christus, aut membra sua: quæ sunt pauperes, & viri probi. Hoc tamẽ hac nostra ætate inter diuites & potẽtes, non ita cõtingit: non manducant siquidem vt Deo seruiant, sed vt gutturi, & inordinato apetitui satisfaciant: nec Christum, vt Pharisæus hic vocăt, nec pauperem & mendicum qui Christum repræsentat inuitant, sed parasitos, & adulatores mensas lustrãtes, & circumeuntes. Ideò dominus cõqueritur per Esaiam dicens, Væ vobis, qui cõsurgitis ad ebrietatem sectandam, & negligitis opera domini. Vide etiam quòd Christus nõ rogatus, nec inuitatus ingrediebatur domos peccatorũ & publicanorũ: ꝙ nõ faciebat cũ Pharisæis, nisi rogatus. Sic Zachæũ vidit: & non rogatus ab eo, domum eius est ingressus. Ratio horũ est: quia Publicani seipsos agnoscebant, & erant humiles, atque ideò in domum humilium, non rogatus descendit: Pharisæos verò superbissimos, volebat humiliare, & ideò voluit vt rogarent, vt sic rogando humiliarentur. *Et ingressus in domum Pharisæi discubuit.* Expende, quòd non dicit, rogauit & discumbebat: sed rogabat, & discubuit. Poterat euangelista dicere quòd ingressus domum Pharisæi discumbebat, & quòd Pharisæus rogauit: sed nõ dicit nisi ꝙ Pharisæ⁹ rogabat, & quòd Christus discubuit. Ostendit quantum Christus desiderat salutem nostram: adeò vt tenui clamore rogatus, statim se nobis tradat, & inuocantibus statim dicit adsum. Rogabat, præteritum est imperfectum, & discubuit præteritum perfectum. Nõdum enim rogare desiuerat, nondum (inquam) rogandi finem fecerat, cũ iam Christus perfectè in eum beneficiũ contulerat. Promptissimus quidem est Deus vt nobis benefaciat. Vbi primum incipimus petere, licèt non perfectè petierimus: iam ipse beneficium nobis petitum contulit. Cõsidera (quæso) peccator te peccatis obrutum & submersum, & quàm paratus & prõptus sit Deus ad te iuuandum aduerte: adeò vt nondũ ebullire, & te leuare incipias, cùm iã De⁹ manum suam porrexit, & rectum te reddidit. Vix enim surgendi initium sumis, cùm Deus te suscitauit. Mirabilis quidẽ est præstantia, quàm Deus habet, in subueniendo peccatori. Ad hunc finem dicebat maximus ille pœnitens Dauid in Psalmo, Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino. Et nõ dicit, tu mihi ignosces: tu mihi eris adiutor: sed quid? & tu remisisti impietatẽ peccati mei Nõdum dixeram confitebor, & iam mihi perpecisti. Alibi quoq; dixit, Imperfectum meum viderunt oculi tui. Est sicut aquila, oculos habẽs apertos super cadauer. Vix namq; peccator in gratia Dei proficere exorditur, & Deus propè adest, vt eum à peccato liberet: antequam libero arbitrio perfectè vtatur. Sic etiã Esaias ait, Ad vocem clamoris tui, statim, vt audierit, respondebit tibi. Non ait ad verbũ clamoris, quo in modo loquendi, iã est prolata sententia eius, quod innuere vis: sed inquit ad vocem clamoris, quoniam patet, quòd vox est vehiculum verbi. Mirum quoque non est, quòd Christus rogatus veniat: & ipse summè bonus licèt iniuriatus, roget vt per nos vocetur. Qui ad ianuam clausam rogat, vt aperiatur, nonnè ianua patefacta intrabit? Aduerte igitur anima mea, quantũ Deus sit auidus tuæ salutis, qui licèt Pharisæi murmurent, ex eo, ꝙ homines peccatores recipiat, licèt etiam æmuli & inuidi insidias illi parent, & illum calũnientur: confestim tamen, & in ipso instanti, antequam Pharisæus rogandi finem faciat, iam ipse sedet, & de quo rogabatur exequitur, nec ob aliud, quàm vt animã tuam lucretur, & mulierem peccatricem cõuertat. Deus enim summè est diligens in his, quæ ad animæ tuæ salutem spectant: nec tam opportunum tempus prætermitti patitur. Vix siquidem Pharisæus ad rogandum os apperuerat, cùm iam Christus sedet. Tantum amat peccatoris conuersionem, vt etiam cum inimicis sedeat, & insidias patiatur, vt animam peccatricis lucretur: vel ne moram faciat in conuersione illius. Hic enim Pharisæus (vt infrà patebit) non benè sentiebat de Christo, quia murmurauit, & non credidit illum esse prophetam: nihilominus tamen, inuitatus cum eo discubuit. Docet quòd nos benignè, & simpliciter exhibeamus, cum his, qui nobiscum dolosè agunt.

Esai. 5. Luca. 19. Psalm. 31. Psalm. 118. Esa. 30. Luc. 15.

¶ Obserua, & vide, qualiter Deus à nobis inuitatus, conuiuium nõ recuset: nos verò, etsi frequẽter ab eo inuitemur, & rogemur, conuiuio non assentimur. Quòd ipse inuitet nos satis patet in Apocalypsi, cum ait, Ego sto ad ostium & pulso, Si quis aperuerit veniam, & cœnabo cum illo. Sed tu surdus es: & à Deo inuitatus cõuiuia recusas, cùm ad tuam vtilitatem inuiteris. Obserua etiam, quòd conuiuium hoc non profanum, & à religione semotum, sed honestum, & religiosum erat, siquidem saluator noster, in illo interfuit. Vtinam talia essent nostra conuiuia, & sic corporalem necessitatem acciperemus, vt spiritui sancto ostium patefactum esset. Sed comessationes nostræ, non aliæ, quam illæ, quas faciebat Babyloniæ rex Balthasar, qui non contentus ventrem expleuisse, vasa templi Dei humanis vsibus promiscua faciebat, nec aliter quàm pro meritis interiit. Sic nos creaturas Dei profanamus, vtentes epulis, quas Deus creauit, in ministerium vitiorum carnalium, sordium, & abominationum, & posteà solutis linguis proximos infamamus. Prætereà Christus nullam habuit curam, de insidiis inimicorum, nec de murmurationibus, nec de sua propria persequutione: sed solùm vt exequeretur munus ad quod missus est, hoc est ad saluandum peccatores. Aduerte autem, quòd Saluator noster Christus, quicquid ad eum spectat, postponit tuæ saluti, & licèt omnes nostros labores portet, pro salute tamen animæ tuæ, omnia dissimulat. At nos volumus ei seruire, & nihil laboris tollerare, & pro illo nihil pati. Volumus ieiunare, & fame astringi nolumus, vigilare, & orare, omni labore secluso. Eleemosynam erogare, & semper esse diuites, rem sacram audire, sed quòd templum propè sit: verbum Dei audire, sed concionantis breuitatem exoptamus. Cum deniq; Christus, nobis seruiat, multa tollerando, nos illi absque aliquo labore seruire cupimus: &c. Obserua etiã, & vide immensam Dei misericordiam. Vide quàm mutata, & transuersa sint tempora. Ille Deus vltionum, ille peccatorum magnus punitor, ille denique, qui ambulat ad auram post meridiem, vt vindictam sumat & iustitiam exequatur in vno peccatore: ille (ait euangelista) iacet, vt peccatis ignoscat. Non ambulat, non discedit, non denique peccatores fugit, sed potiùs sedet, illos expectans, vt ad misericordiam, & veniam consequendam accedant. Hoc, prisco tempore, ab eo sciscitabatur anima, optans peccatorum veniam adipisci, indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Et quidem

Christus inuitatus à nobis faciliè venit, sed nos inuitati ab illo difficiles & tardi. Apoc. 3. Dan. 5. Psalm. 93. Genes. 3.

dem tam benignus, tamq; te mansuetus sit, vt sederet, ad nos in confessione audiendum. Nemo maneat, sed omnes ad eum cursitemus, festinemus, ad abluẽdum animas nostras in fonte aquæ viuæ, peccatricẽ hanc mulierẽ imitantes: de qua sacer Euangelista sic ait, *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Aduerbium, ecce, emphasim habet, & magnam æstimationem. Sic Vagao cubicularius Holophernis, vt magnum & memorabile facinus, quod mulier patrauit virili pectore & animo narret, dixit, Ecce Holophernes iacet in terra, & caput eius non est in illo. Ecce ait Euangelista, Aduertite, considerate, attendite, & memorabile, & inauditum, narrabo facinus & mirabile facinus (inquam) quale ab hominũ memoria & cogitatione recedere non deberet, sed prę oculis semper apponi. Ad alta, & sublimia nos attentos habere, conatur noster euangelista. Notate spectaculum, Pharisæus inuitat Christum: sed ecce mulier venit ad pascendum & epulãdum Christum. Ecce mulier, quæ antea fuit in causa, vt vniuersus mundus periret, nunc iterũ est causa, suo exemplo, vt per pœnitentiam ad Deum reuertamur. Pudeat iam puberes viros, siquidem ita obnixè in peccatis iacent, vt debilis mulieris, & in peccatis submersæ pœnitentiam imitari erubescãt. Ecce mulier, ex se debilis, sed ex Deo potens: de qua nõ abs re habetur. Mulierem fortem quis inueniet? Mulier alio tempore peccatrix, obstaculis plena, nunc diuino auxilio cuncta hæc semouit. Hanc igitur inspicite, cum hac sitientibus cordibus accedite cum illo qui clamans ait, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Mulier in sensu, sed vir in operibus, publicam agit pœnitentiam: non ignara quod de peccatis publicis publicè pœnitere oportet: vt confundantur qui in arcana confessione peccata reuelare & illorum salutiferam pœnitentiam accipere non audent. Ecce mulier in qua sanctissimæ Trinitatis gloria refulget, de cuius eximia pœnitẽtia gaudẽt angeli, dæmones stupent, segnes & ignaui viri confunduntur, & volẽtibus sequi Christum gratię & vtilitatis doctrina præstatur Pharisęus inuitans Christum non pascit illum, cibo congruenti eius palato: ideo venit hæc mulier, vt Pharisæi vices gerat. Iudaicus populus multiplicatis clamoribus deprecabatur Deum venire in domos suas, sed nũc Æthiopia illa, nempe quæ denigrata fuerat multitudine peccatorũ, præuenit manus eius Deo: sicut mulier illa Hæmorroissa præuenit filiam Archisynagogi. Sic etiam multi in peccatis obdormientes postea diuina gratia expergefacti, breui temporis spatio, excedũt meritis alios qui licet erant in gratia, Deo tamen segniter seruiebant, &c.

Iudit. 14.
Peccatricis pœnitentia.
Prou. 31.
Psal. 41.
Psal. 67.
Matth. 8.

¶Sed literam inspiciamus, In ciuitate ait euangelista, quod hæc mulier erat peccatrix. Caue tibi à peccatis ciuitatis, caue iterum à publicis peccatis cùm homines & honorem & famam amiserũt. Detestabile enim est, cum quis publicè infamatur: & per plurimorum ora circunfertur. Non aliter se habet fama & honos in homine: ac cortex in pyro vel malo qui quidem cortex cum sit tenuis & leuis cõseruat fructum, quandiu illum habet. Secus verò si auferatur à fructu, tribus horis corrũpitur & violatur. Sic bona fama, et si sit paruum bonum, respectu maiorum bonorum animæ, siquidem temporalis quoque est: habet tamen virtutem conseruandi homines in virtute, qua amissa, cætera quoq; amittuntur, corrumpuntur & violãtur. Maximè nociuũ est, in peccatis perseuerare, & bonam famam amittere: vt mulier hæc amiserat. Si forte fortuna nouã aliquam vestem induas, primis diebus respicis vbi sedeas, ne polluatur: vbi verò iam sordescere cœpit, parum tua refert de illa, & vbicunque magis, sedes. Sic cum habes puram cõsciẽtiam nimis es curiosus: sed vbi eam polluere & peccare cœpisti, tua nõ refert. Cùm taurus agitatur semper primos stimulos sentit maximè: sed virgis onustus, non sentire videtur. Peccatores prima peccata sentiũt: sed peccatis repleti, nulla affliguntur molestia. Si lucerna recenter extinguatur, exiguo labore inflammatur: difficulter tamẽ cùm iam diu fuit extincta. Ita incipientes peccare, citò conuertũtur: in peccatis tamẽ obdurati, difficulter. De his autem peccatoribus ciuitatis dixit Iob, quod bibunt sicut aquam iniquitatem: quia alij peccata comedunt, alij verò bibunt. Comedentes aliquid priùs mandunt, & in ore volutant illud antequam deglutiant: bibentes autem minimè. Ita sunt multi, qui peccatum mandunt & in illo sunt dubij antequam in assensũ deglutiant: alij verò sunt qui nondum accedit praua cogitatio cùm in sensu recipiunt. Hæc non aliunde oriuntur, quàm ex infamia, & mala consuetudine peccandi: cùm iam tandem peccator, peccandi metum amisit, peccatis gaudet, nec curam habet aliquam, quod mala eius, per vniuersæ ciuitatis ora circunferantur: quoniam & honorem & famam amisit, vt hæc mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, quia iam infamata erat in ciuitate, & ab omnibus peccatrix habebatur.

Peccata ciuitatis sunt peccata publica.
Famã seruare memento.
Simile.
Iob 15.

¶ Vide etiam quòd dicit, quòd in ciuitate erat peccatrix. Quòd si in vico vitam degeret, vbi raræ sunt cõciones, vbi non cum magna solemnitate diuina officia exercẽtur, & homines viuũt sicut bruta, tolerabile videretur: sed in ciuitate, vbi tot habentur cõciones, tot sunt templa, tot sacerdotes, & religiosi, tot denique auxiliatores ad animarum salutem, detestabile est. In ciuitate tã eximiæ doctrinæ, cur tot peccatores? cur tot Dei offensores? sed nunc peiùs in ciuitatibus, quàm in vicis contingit. Debuerat enim optimo iure ibi maior vigere sanctimonia: vbi plures sunt iniquitates & peccata. Vnde Sophon. Desolatæ sunt ciuitates.

Peccatũ in ciuitate grauius quàm in vico.
Sopho. 3.

¶Preterea, nónne in ciuitate illa alij erant peccatores? maximè, sed huius mulieris peccatum ex eo magis apparebat, quod genere illustris & nobilis erat: quæ quidem peccata magis notantur, magisq; scandalizant. Hoc aduertere debent prælati, iudices, patritij & religiosi, qui sunt velut spectacula cæterorum, & multis sunt scandalum, &c. Sed quia de his in initio capitis secundi multa diximus, nũc alia consideremus.

¶Aduerte quod quatuor sunt, quæ huius mulieris peccatricis culpam magis aggrauant. Primum, quod sordida nimis erat iudicanda, eo quòd peccata erant carnalia, quæ quidem licèt non maiorem culpam, infamiam tamen maiorem expectant. Secundum est, quod fuit culpa publica: quia in ciuitate fuit peccatrix, & ex consequenti scandalum genuit. Tertium, quod istius peccata fuerunt plurima (vt hic ait Iesus) dimissa sunt ei peccata multa. Vltimum, quia peccatorũ diuersis generibus erat subiecta, ait enim diuus Mar. quod ex illa Christus septem dęmonia eiecit, quod in numero omniũ peccatorum diuersitas significatur. Sed maior Dei misericordia

Quatuor aggrauantia peccatum huius mulieris.
Mar. 16.

sericordia est quã huius mulieris, ac etiam vniuersi orbis peccatorum grauitas: & sic venit ad se abluẽdum in fonte misericordiæ, & abluta, pura & mundata mansit. Verùm pro maiori huius literæ expositione; quatuor hîc dubia oriri videntur, quæ scitu dignissima sunt. Primò quæ mulier est hæc. Secũdo cur illam non nominauit euangelista, nomine proprio. Tertiò, qualis peccatrix fuit. Quartò, quæ ciuitas est hæc: quia dicit, mulier, quæ erat in ciuitate.

Orige. tra. in Matth. 25. Theo. in ca 7. Luc. Euthi. in c. 26. Matth. ¶De primo Orig. Theoph. Euthim. tres asserunt fuisse Magdalenas: sed Ioannes Episcopus Rophensis, & martyr, hanc opinionem à Iacobo Episcopo Viẽnensi defensam, tribus voluminibus oppugnauit. Nuper etiam Ioannes Faber Stapulensis, libellum scripsit, de triplici Magdalena: qui quidem impertinẽtem, & inutilem assumpsit operam: cuius fundamenta ipse facilè possem soluere, & impugnare. Sed superfluum videretur in hac re moras contrahere. Sunt alij qui duas ponunt Magdalenas, vnam meretricem, de qua hîc Luc. aliam verò sororem Lazari. Ex horum numero est Chrysost. super Matth. & Bernar. in sermone Magdalenæ, diuersimodè tamen. Sed August. Greg. & Beda, & ferè tota ecclesia, vnicam aiunt Magdalenam. Ambrosius vero libro sexto in Lucam, ait dici posse vnam fuisse & plures. Vnicam autem fuisse, quædam concilia concluserunt, ipsaque in vniuersum credit ecclesia: contrarium verò asserere contra vsum, & obseruãtiam ecclesiæ catholicæ factũ est: quæ in festo Mariæ Magdalenæ, de vnica tantùm agit Maria, & hoc euangelium canit. Hæc est soror Lazari & Marthę, quæ postea effudit alabastrum vnguenti super caput Iesu recumbẽtis: & quæ audiebat verbum eius, de qua Martha conquesta est: cui primæ omnium, post beatam virginem, apparuit dominus, postquã resurrexit à mortuis: & Marsiliam venit cum fratribus post Christi ascensionem. Vna est itaque beata Maria Magdalena, quæ peccatrix fuit: de qua Marc. ait, quòd septem dæmonia eiecit Christus: & postea vt statim post hæc initio capitis sequentis, ait Lucas Christum sequuta est à Galilæa: vbi ea, quæ hîc narrat, contigerunt.

Chrysost. ho. 81. in Matth. & 61. in Ioann. Aug. tra. 49. in Io. Gre. ho. 33. in Euang. Beda li. 4. super Luc. Ioan. 11. Luc. 10. Marc. 16.

Peccatricis nomen quare celetur. ¶Secundò, cur illam non nominauit? Nempè quia notissima peccatrix erat, & ita cognita, & famosa peccatrix, quod nomen amiserat: ex operibus enim & ex malo, vel bono viuendi modo vnicuique nomen imponitur: Qualem vitam elegis, tale coram Deo, & mundo nomen consequeris. quoniam ex operatis nomen recipies. Sic dominus per Esaiam, Perdam nomen Babylonis. Per nomina enim cognoscimur. Nomen igitur à Babylone tollere, nihil aliud est, quàm eam ignotam habere. Improborum namque hominum cura, non est alia, quàm in mundo nomina, magnos titulos & illustria cognomina obtinere: & in terris famam, & nomen parere, iuxtà illud quod scriptum est, Vocauerunt nomina sua in terris. Sed quid omnia hęc prosunt, siquidem coram Deo nullum sortiuntur nomen, nec per approbationis scientiam cognoscuntur? Vnde egregius Psaltes in persona domini, Nec memor ero nominum eorum per labia mea. ¶Præterea, quia euangelista mulierem hanc peccatricem vocauit, nomen eius proprium subticuit: licet postea expresserit, cùm dicit quòd sequebatur Christum: vt doceat quòd cum alicuius defectus narramus, eius nomen supprimere debemus: at cùm bona opera exponimus, nomen tacere minimè debemus. Hac de causa etiam Lucas, diuitem epulonem, non nominauit proprio nomine: nominauit verò Lazarum iustum & pium. Deinde hanc non nominauit: quoniam euangelista non personam, sed culpam odio habet. Denique non est multum curiosus euangelista, in facienda inquisitione de hac muliere de eius nomine, domo & genere, nec de aliis mentionem facit: vt doceat, quòd non debemus esse nimis anxij, in inquirendis proximorum peccatis, potissimè in peccato carnis. Iudas filius Iacob, cùm ad Thamar misit hedum, cum qua rem habuerat: vbi adolescens rediit dicens quòd talem mulierem non inuenerat, quis vero esset, aut quòd nomen sortiretur non fuit sollicitus inquirere, sed potius dixit: habeat sibi, certè mendacij nos arguere non poterit. Non debemus ergo prolixam inquisitionem facere, vbi honor & fama periclitantur & maximè circa carnalia vitia, imò verò multa temporalia amittenda sunt potius quàm proximus noster in aliquod veniat opprobrium: quod multi prælati parùm curant, qui dùm exactè quærere volunt, quædam semiocculta pluribus faciunt manifesta. Pharisæus iste Simon sciebant quæ & qualis erat mulier ista: sed euangelista hoc scire non cupit, sicut Pharisæus, de carnali muliere, vt processus & inquisitio sic innotescant, vt proprium nomen detegatur: quia plagè, & simpliciter hãc peccatricem appellat: nec aliud quærere intentes. Si tu fortè videas fœminam, quæ in habitu & modo viuendi parùm honesta videatur, statim quis, qualis, & quî vocetur inquiris, vt magis inhonestes & infames.

Esa. 47. Psal. 48. Psal. 15. Luc. 8. Luc. 16. Gen. 38.

Qualis peccatrix. ¶Tertiò qualis fuit hæc peccatrix? Multi opinati sunt quòd fuit virgo corpore, & quòd solùm mẽte peccauit, licet vana fuerit & nimis ornata, & cõposita vixerit: ideóque peccatrix fuerit appellata. Hoc ego non credo verum, nam ecclesia vtitur nominibus secundum communem modum loquendi: non tamen dicitur aliqua mulier peccatrix, nisi corpore sit prostituta. Secundò quia si corpore nõ fuisset corrupta, sed solùm mente & corpore virgo, tunc deberet ecclesia inter virgines eam referre, sicut retulit eius sororem Martham: præsertim cùm post corruptionem solùm mentalem, recuperetur virginitas per contritionem. Tertiò ecclesia non iudicat de occultis peccatis, sed de manifestis & operè perpetratis: cùm ergo euangelista nominet illam peccatricẽ & in ciuitate notam, videtur quod de eius manifestis peccatis scripserit. Alij verò aliter sentiunt asserentes quòd corpus suum omnibus tradiderit venale: hoc tamen veritati & rationi dissonum videtur, quod fœmina alias nobilissima & à talibus parentibus orta & diuitiis abundans, in horrendo & infami prostibulo habitaret. Tales etiam mulieres vt in plurimum pauperes & miseræ esse solent: sed beata Magdalena ministrabat Christo & eius discipulis de facultatibus suis, & sociabatur nobilibus & honestis matronis. Quapropter media via incedendum est: ideóque crediderim quod hæc peccatrix non fuerit virgo, sed per aliquod tempus ocio & voluptatibus turpiter se tradiderit, quapropter infamata est, & peccatrix habita in illa ciuitate.

Locus conuersionis huius peccatricis. ¶Sed quæ ciuitas fuit hæc? Crediderim quòd Naim, quam non nominat euangelista, ne idem bis repetat. Dixerat enim suprà quòd ibat Iesus in ciuitatem Naim vbi filium viduæ suscitauit: vbi Ioannes discipulos misit ad Christum: & tunc prosequitur Lucas historiam dicens, quòd mulier

Matt.8. mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. In ciuitate inquam Naim, quam iam nominauerat. Christus enim in Galilæa in monte qui per duas leucas distat à Capharnao, sermonem habuit: de quo descendens antequam ingrederetur Capharnaum in itinere leprosum mundauit, & ingressus ciuitatem Centurionis seruum sanauit: ac deinde veniens in Naim filium viduæ suscitauit, & Ioannes in hac prouincia Galilææ quæ subditione Herodis erat in castello Macherunta in carcere tenebatur: & ad Christum de carcere illo discipulos misit. Maria autem Magdalena ex hac prouincia Galilææ erat ex
Iosu.19. Magdaleel, de quo oppido fit mentio in libro Iosue in partitione terræ sanctæ, quod cecidit in sortem tribui Nephtalim: quod castellum est apud mare Galilææ vel Genesareth in vno latere maris, & postea vocatum est Magdalum: quod nomẽ cum aliis mutatur, cùm in latinam linguam vertitur: ita vt pro Magdaleel sicut legitur in Iosue Magdalum appellemus, à quo mulier hæc vocata est Magdalena. Hæc omnia quæ beatus Lucas in hoc capite septimo literis mandauit in prouincia Galilææ contigerunt: Et vt initio capitis sequentis statim post hanc historiam narrat sacer euangelista hæc Maria Magdalena à Galilæa sequebatur Christum cum aliis matronis eiusdẽ prouinciæ: ex quo patet quòd in hac prouincia morabatur & hic conuersa est ad Christum: quæ vana mundi contemnens in habitu honesto apostolica mulier pedestris Christum sequebatur audiens verbum eius & seruiens ei, ac ministrans de facultatibus suis. Igitur cùm in hac prouincia Galilææ esset in ciuitate Naim & Christi famam audiret, nouo miraculo resurrectionis filij viduæ commota & à Deo tacta, ad Christum deuenit: cuius doctrina & concionibus auditis cõuersa, & magno lachrymarum numero madefacta, & gemitibus in cœlo irruentibus diuino ardens amore in Deum transformata, se intra priuatam domum claudens vociferabatur: & non aliter quàm ceruа
Peccatricis vera conuersio & contritio. sagittis diuini amoris icta misericordiam à Deo petebat: & sordes & peccata in quibus vitam egerat lachrymabatur, & quasi intra se dicens, Ille qui vitã adolescenti mortuo restituit: poterit etiam mihi vitam præstare, iam in peccatis defunctæ. Ille etiam qui solo manus tactu efficit vt feretrum portantes sisterent, ducentibus me ad sepulchrum gehennæ terminum imponet. Per quatuor enim portitores nimis propere in gehennam ducor, per pulchritudinẽ videlicet, per diuitias, per libertatem, & iuuenilem ætatem. Sed iterum atque iterum pedes eius attingam & fortassis me sua manu tangere non dedignabitur: & sic quatuor hi me ad sepulchrum inferni ducentes sistent, & pedes mei ad malum currentes vltra non incedent. Ille vidua clamante ob filij mortem, ad misericordiam fuit motus: ego autem carens matre, meam vicem dolente, meipsam deflebo & lachrymis meis pedes eius rigabo, vt misericordiam consequar. Nec enim in me sola pœnitentiam despectam habebit, si quidẽ omnes ad pœnitentiã vocat: & solo eius verbo reuiuiscam, sicut filius viduæ reuixit. Vadam & reuertar ad eũ quem cõtẽpsi. Propheta magnus surrexit in nobis: siquidem solo iussu mortuos suscitat. Per hunc visitauit dominus plebem suam. Me igitur peccatricẽ oportet ad Deũ conuerti, per hunc filiũ suũ, qui nos visitat, &c. Cùm igitur excellentissima hæc pœnitens omnia isthæc inter se ageret, remedium animæ suæ nõ distulit, sed statim, nulla interposita mora, quæsiuit fontem vitæ & misericordiæ, quo ire volebat: vt suarum macularum & noxarum ablutionem susciperet. Ideo sequitur in contextu, *Vt cognouit quòd Iesus accubuit in domo Pharisæi.* Videns beata Maria Magdalena Christi benignitatem, & quòd tam familiariter conuersabatur cum superbis Pharisæis, quòd in domo eorum accumberet cùm essent inimici eius, & hostes, ex hoc mota fuit ad quærẽdum illum: confidens quod benè cum ipsa faceret, sicut cum illo Pharisæo faciebat. Non (inquit) repellet me iste, quanuis peccatrix sim, quãdoquidem cum suis inimicis & cum peccatoribus cõuersatur. Non paruos mihi eius misericordia adiecit stimulos: sed ingentes (vt dicitur) addit aliàs, vt ad eum accedam. Benignitas, qua cũ Pharisæis eius inimicis, & cum superbis vtitur, me audacem reddit. Non ero ab eo despecta, licet hucusque innumeris peccatis eum offenderim. Non paruã habeo spem, quòd me pec- Luca. 15.
catricem, & pœnitentem non despiciet: si quidem cũ peccatoribus superbis, & in malitia obstinatis, mãducat. Scio enim, quòd misericors est: ipse enim peccatores recipit, & manducat cum illis, &c.

¶Obserua quòd hactenus euãgelista, huius mulieris peccata narrauit: nunc verò eius virtutes, & cõuersionem eximiam, nobis exponere exorditur. Quemadmodũ enim pictores, cũ imaginem ali- Simile.
quam depingere volunt, priùs talis imaginis modũ carbone deformant, & tunc deformis, & indigesta apparet imago: sed vbi varios colores imponunt, & viride super cæruleum, & aurum applicãt, perpulchra apparet imago: sic hucusq; noster Lucas beatam Magdalenam velut carbone descripsit, vocans illam peccatricẽ, & deformis tunc videbatur. Nunc autẽ auspicatur, in hac imagine viuos, & perfectos colores applicare: ideo deinceps considerabis, quã pulchram, & perfectã eam describat. At in ipso narrationis primordio, veram Dei cognitionem, & sui ipsius depingit. Quare in primis verbis veræ cõuersionis hominis in Deum, discursum notabis. Quia Conuersio peccatoris à Deo.
omnis nostra conuersio est, per diuinæ virtutis influxum in intellectu & diuinę charitatis igniculum in affectu & diuini brachij robur, an conatu: ideo tria hæc cõgruo ordine disponuntur. Virtutis splẽdor, quia cognouit: & charitatis inflammatio, quia attulit alabastrum vnguenti: fortitudo, quia venit, & stetit. Primo cognouit, in quo docemur, quàm fuerit anxia, in quærẽdo Christo? & vt primum fuit conscia, quàm propè aduentauerit, adducens pretiosa aromata. Omnis nostra occupatio, & districtio, omnis denique nostra cura, consumi deberet in quęrendo Iesu: quare cognita, nulla huius mũdi mora detineri debemus. Quod primò narrat euangelista in conuersione huius peccatricis, fuit vera cognitio, quã de Deo & de seipsa adepta est. Quod Gen.1.
primò Deus fecit, in creatione mundi, fuit lux: & quod priùs exequitur in reformatione parui mundi hoc est hominis, fuit lux, hoc est vera cognitio. Sic Dauid grauiter in Deum peccãte, quòd primũ 2.Reg.12.
Nathã propheta illi reprehẽso in memoriã retulit, fuit cognitio propriæ culpę per parabolã oppositã. Sic Dauid interioribus oculis apertis, per parabolam illam, enormitatem peccati cognouit: & misericordiam à Deo deprecans & delicti veniam petens, in hæc prorupit verba. Amplius laua me, domine, ab iniquitate mea: & à delicto meo mũda me. Quare? Quoniam iniquitatem meam ego cogno- Psal.50.

ſco. Cùm ergo peccatum meum nō cognoſcebam dignus non eram, vt mihi indulgeres: ſed iam nunc quia peccatum meum cognoſco, dignus ſum vt ex miſericordia miſericordiam præſtes. Primus itaque gradus eſt, vt cognoſcas iniquitatem tuam, & Deū quem offendiſti: & poſtea ad illum qui mederi poteſt, & veniam præſtare, & curare infirmitates tuas, opus eſt, vt vadas. Ideò ſequitur, *Attulit alabaſtrum vnguenti*. Venit inquam in domū Phariſæi, ad Chriſtum, qui ibi accumbebat: & non venit vacua, ſed ſecum portans alabaſtrum vnguenti: quod quidem vnguentum, non erat quid rude, & craſſum: ſed velut liquida & tenuis & ſuauiſſima aqua: q̃ ex Arabia afferri ſolebat: erat (inquam) velut aqua Angelorum, & multò præſtantiùs: quia maximo pretio, & æſtimatione habebatur. Alabaſtrum verò genus eſt marmoris perlucidi, & coloris diſtincti, ex quo fiebant vaſa vnguentaria: ſed cur hæc vnguenta odorifera ferebat? ſciebat, quòd peccata coram Deo ſunt fœtida valde: ideò priùs adducit coram odore.
Exo.30. In Exodo habetur, quòd iubebat Deus, quòd construeretur altare, in quo incenſum, & multa alia odorifera offerrētur: habetur etiam, quòd poſtea deprecabatur Aaron ſuper cornua altaris, ſemel per annū in ſanguine qui oblatus eſt, pro peccato. Ante deprecationem igitur pro peccatis, præibant odores optimi. Sic peccatrix hæc mulier ſuauiſſimis odoribus venit ad filium Dei, ne peccatorum fœtore Chriſtum offendat. Secundò conatur illū mitigare muneribus: quemadmodum Iacob fecit, qui à Meſopotamia ingentia dona miſit Eſau fratri ſuo
Gen.32. dicens, Placabo eum muneribus. Et quia in veteri
Exod.32. & 34. lege Deus iubebat, vt nemo coram eo appareret, abſque munere aliquo: ideo mulier hæc pretioſiſſimum hoc vnguentum attulit: ne appareret vacua coram domino.

Feſtina peccator, docet nos pœnitentiam nō procraſtinandam eſſe. ¶Obſerua hic primò, magnam ſollicitudinē, qua mulier hæc eſt vſa, in ſua conuerſione, & in aduētu ad Chriſtum. Nullum interpoſuit tempus, ſed ſtatim venit. Si viperam, vel colubrū aliquem, in ſinu fortaſſis haberes: nónne ſine mora abs te proiiceres. Nónne confeſtim, & ſine conſilio abs te mitteres & excuteres? Sed cur (quæſo) peccata, quæ omni genere viperarū, deteſtabiliora ſunt, in ſinu retines: & abs te non proiicis in vno inſtanti, ſed cum
Exo.8. illis dormis? Infœlix ille Pharao, cùm domum, menſam, & lectū ranis plena haberet: & moneretur per Moſen, conſtitue mihi quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ abs te, reſpondit, Cras. Diceret quòd ſtatim: ſiquidem tali plaga affligebatur: ſed nullum reſponſum, illo præſtantiùs, reddi poſſet ab eo, qui paruo temporis momento, ſubmergendus erat in mari, & eius anima in inferno comburenda. Innumeri hoc tempore ſunt, Pharaoni ſimiles: qui tam peſtiferas habentes plagas in ſinu, vt ſunt peccata non ſtatim
Exo.14. ex ſe mittunt ſed dicunt, cras. Et de die in diem, ſicut Pharao deſcendunt in profundum inferni. Fœlix Magdalena quàm diligens, & ſollicita fueris in quærendo ſalutem animæ tuę, verbis exprimere nō poſſum. Vt primum nanq; fuit conſcia, quòd Chriſtus erat in domo Phariſæi, abſq; mora aliqua, propria domo deſerta, & officina peccatorum, tetendit ad domum, vbi erat vera ſalus. Sic Petrus, vt pœnitentiam ageret, locum, & ſocietatem peccati deſeruit, hoc eſt, palatium pontificis: vt per hoc nobis
Matth.26. innuat, quod nulla eſt vera pœnitentia vbi peccandi occaſio non tollitur. Ingreditur per medios conuiuas. Ignominioſum quidem eſt, qualiter hāc mulierem mundus aggrediatur: ſed vt habetur Græcorum veteri prouerbio, viro egeno inutilis pudor. *Vera conuerſio & pœnitentia vitat occaſionem peccandi.* Inſania quidem eſt magna, ob verecūdiam, ea, quæ ad virtutem ſpectant, deſerere, velut confeſſionem, cùm eſt opus, ieiunium, & obſeruationes & cætera pietatis opera. Horrendum dictu eſt, non pudere aliquem vulnerum, pudere autem vittarum. Nullam habuit rationem ſapientiſſima mulier Magdalena de ſtrepitu mundano: quiquidem ſæpenumero eſt in cauſa, vt in bonis operibus præclariſque actionibus retrocedamus, & incœptam virtutem turpiter deficientes deſeramus. Nec pœnitentiam diſtulit: quia peccatum eſt ignis, ſine aliqua mora è pectore proiiciendus: & ideo in initio horarum canonicarum, ſemper dicitur, Deus in adiutorium meū intende: quod in fine non dicitur, quia non lento gradu ſed nimia cum feſtinatione, debemus confugere ad diuinum auxilium, ad imitationem huius mulieris. Pœnitentiam nullo modo differas, nec procraſtines: in dies enim minus aptus eris, ad ſurgendum à culpa. Multis non ſecus euenire ſolet, ac viatori, offendenti riuum, qui ex vno ſaltu tranſire potuerat, ſed tendit inferiùs æſtimans, quòd faciliùs tranſibit: at vbi inferius tendit, latiorem inuenit riuum. Sic peccator in initio poſſet ex vno ſaltu peccatum dimittere: at vbi procraſtinat, difficultates augentur: & quantò magis tempus differt, tanto minus eſt aptus ad pœnitendum. Confeſtim itaque, & abſque vlla dilatione teneris peccator confugere ad medelam pœnitentiæ, vt mulier hæc. Non enim præſtolata eſt, quouſque Chriſtus prandendi finem faceret, & ſe cum diſcipulis reciperet: ne per mediam turbam ingrediens quo Ieſus manducabat, infamiæ notam pateretur, pœnitentiam non diſtulit, nec ad veſperum, nec ad mane præſtolata eſt: ſed nulla interpoſita mora, ſine aliqua manſione, non reſpiciens dicta vulgi, recto tramite in domum Phariſæi peruenit. Nullam cum dictis hominum rationem, nullam publicæ ignominiæ, quę inde ſequi poterat curam, ſed ſolùm ſalutis ſuæ animę ſollicitudinem habuit, mundum ſub pedibus conſtituit, nec alterius, ſed Dei ſolius cura anxiabatur. Solum Deum quem offenderat, præ oculis cōſtituit, cæterorum extra Deum immemor. Compúcta cùm plena cogitationibus atque ſuſpiriis eſſet, totus ei mūd⁹ fiebat anguſtus: nec poterat quieſcere, donec ad dominum rediret: quem iam credebat Deum & Saluatorem ſuum. Non verebatur confundi, deſpici, & irrideri. Sed omnia iſta optauit, vt Deū quem maximè inhonorauerat per peccatum, ſic faciendo aliquam recompenſationem, ſeipſam propter Deum voluit deſpici & inhonorari, & ſeipſam præbuit confundendam. Cōtemplor hanc mulierē igne Spiritus ſancti ſuccēſam & inflammatam, cuius officiū eſt expergefacere eos, quos inhabitat, vt veniāt ad Ieſum Chriſtum: quemadmodum lingua ad verbum, ſic Spiritus ſanctus ducit ad Chriſtum. Cōtemplor igitur beatiſſimam hanc, in viſceribus inflammatam, & ex prius peccatrice, ob firmū propoſitum columbam in foraminibus petræ, dicentē, Indica mihi quē diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiā poſt greges ſodalium tuorum. Crediderim quod meridiana hora, erat opportuna valdè, ad quærendum ſolem iuſtitiæ Chriſtum: quia in mane concionabatur populo Cant.1.

Gen.17. Ezec.9. pulo. Vtinam scirem (dicebat) ad quid dominum ad
conuiuium, quod paraueram, duxi, vt præberem e-
pulas quibus libenter vescitur, velut alter Isaac, vt
ab eo benedictionem recipiam. Certo equidē scio,
quòd sit pœnitentiæ amicus, & eius officium est si-
gno, Tau, signare frōtes virorum gementium. Heu
miseram & infœlicem, vagans semper incessi post
greges sodalium, sequendo proprios sensus, & alia
quæ sunt mundi. Nunc verò, quia diuino munere
pœnitendi tempus conceditur, vagari ampliùs no-
lim, nec sensuum affectus sectari. Sed cur Christum,
in domo tua non quæris, mulier? cur non ducis il-
Luc.15. lum in domum tuam sicut Matthæus, & Zachæus
Matth.9. peccatores duxerunt? nescis quòd peccatores reci-
pit, & manducat cum illis? scio (ait) sed ita sum pec-
catrix, quòd non mereor, vt intret sub tectum meū:
Matt.15. nec tali beneficio sum digna. Quæ communicatio
lucis ad tenebras? mihi enim sufficit, si tanquam ca-
niculæ concedatur esse ad pedes eius sub mensa: &
quòd micas immensæ eius bonitatis & misericor-
Matt.9. diæ colligere detur. Quia igitur beata hæc mulier
in hoc fuit modesta, quòd dedignata est Christum
introire domum suam, ideo postea meruit, quòd sę-
penumero in illa hospitaretur. Præterea, non cor-
poris sanitatem, sicut hæmorroissa illa, tanta cum
sollicitudine, & diligentia, quærebat: sed pro infir-
mitate animæ accessit ad Iesum, quamuis hodie
plus curatur de medicina corporis quàm animę: &
curiosiùs curant cibos corporis in conuiuiis, quàm
cibos animæ, quod est verbum Dei.

Ad Christū in necessitat. confugiendū. ¶ Obserua autem quòd videns vulnera animæ
suæ, nō diuinos aut pythonissas consuluit, vt Saul:
1.Reg.28. non ad Pharisæos aut ad homines iuit, sicut Iudas:
Matt.27. sed Deum quæsiuit, & ad Christum abiit, non ad
mundum. Docet in tribulationibus, & angustiis
nostris, Deum quærere, & non in mundo sperare.
Sic Cēturio ille fecit, vt in superioribus in eius hi-
Matt.15. storia diximus: sic & Chananæa, & omnes sapiētes:
quapropter consequi meruerunt, quòd optabāt. Et
præterea, quæ in Centurionis historia diximus, ad-
uerte: quòd illi custodes, & milites, qui sciebant
Matt.28. Christi resurrectionem, venerunt ad principes sa-
cerdotum, & corrupti sunt pecunia, vt veritatem
celarent. Si ad apostolos, vel ad alios probos viros
iuissent, tātum peccatum euaderent, hoc suo exem-
Psal.142. plo egregius Psaltes docet, dicens domino, Eripe
me de inimicis meis domine, ad te confugi. Videns
Num.16. David se esse in persequutione hostium Deum pro-
Marc.11. tectorem accipiebat. Sic in scriptura sacra Mosen,
4.Reg.1. & Aaron, fecisse legimus: qui sæuitiam populi fu-
gientes, ad domini tabernaculum deuenerunt. Hoc
& Christus nobis ait, Venite ad me omnes, qui la-
boratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Infœlix
iste Ochozias consuluit Belzebub deum Acharō.
Innumeros habet similes Ochozias qui potiùs hu-
ius mundi plausum & auram, & hominum quæsiūt
auxilium, quàm diuinum adiutorium: ideo pro pu-
nitione infidelitatis permittente Deo, in laboribus
suis, consolationem non inueniūt: quòd Deus per-
mittit, ex eo quòd mundum, carnem, sanguinem
consulunt, de Deo autem nulla cura. Deus & mun-
dus, in duo collocantur extrema. Mundus enim, &
mundani, nunquam fauent, nisi diuitibus & elatis
honoribus, nec ad se alios adducunt, nisi illos,
quos in sui defensione potentes vident: quòd si
quemquam humilem vident, dicunt, pereat: & sic
proiectum insequuntur. Mundus itaque victorem
in mundo sequitur: sed Deus contra, nunquam ni-
si egeno subuenit, nunquam nisi proiecto, & hu-
mili prospicit: semper denique se habet ex parte
debilis. Quem vidimus vnquam, magis ignomi-
nia, & nota affectum, quàm fœminam Susannam?
vidimus illam infamatam, inhonoratam, & ad ne-
cem damnatam. Nunquam in humano fauore con-
fidit, nec ab illo voluit iuuari: sed de illa scriptura
ait, quod erat cor eius fiduciam habens in domi-
no: & obsecrans Deum, dicebat, Deus æterne, qui Dan.13.
absconditorum es cognitor qui nosti omnia ante-
quam fiant, &c. Huic inuocationi, accedit Deus &
famulam Susannam, ab omni angustia, & periculo
eripuit: nec his contentus delatores interfici fecit.
Diuinum hoc auxilium est nobis implorandum,
in nostris laboribus: sicut Susanna, & beata Mag-
dalena fecerunt. Maledictus homo (ait Hiere- Hier.17.
mias) qui confidit in homine: & ponit carnem
brachium suum, &c. Sedechiam illum regem Iuda
quærite, qualiter se habuit, cùm à Deo se auertit, &
totam suam spem, & fiduciam in conuicino rege
Ægypti constituit: tunc etiam Hieremiæ non ad- Hiere.29.
hibuit fidem, ex Deo monenti, quod exiret portas 4.Reg.5.
Hierusalem, ad excipiendum Nabuchodonosor, &
eius duces: quia igitur prophetæ Dei non credidit,
fuit incarceratus, & erutis oculis vidit proprios li-
beros interfectos. Non alio merito donat mundus,
in illo confidentes. Sed longè aliter Deus ad se
confugientes recompensat: siquidem cum illa tem-
pestate, Hieremias in Deo confidens, in vinculis
iaceret, Nabuchodonosor iussit Nabuzardam ge-
nerali duci, qui de Hieremia dixit, Tolle eum & po-
ne super eum oculos tuos, & nihil mali facias: sed
vt voluerit sic facies ei. Mirandum quidem est,
quod idololatra princeps, habeat rationem hono-
randi Hieremiam, ex eo duntaxat, quòd in afflictio-
nibus Deum adiutorem assumpserit. Documen-
tum hoc, & instructionem accipiamus, à muliere
hac cauta, & sapienti: siquidem se deperditam vi-
dens, Deum pro medela assumpsit, & sic commo-
data mansit. Clamemus ad Deum in angustiis, &
afflictionibus, non erit immemor nostri. Quis vn-
quam ad Deum clamauit, qui non exaudiretur?
Quis Deum intimo corde quæsiuit, qui non inue-
niret? Quis denique peccator sub vmbra alarum, &
protectione confugit, qui non protegeretur? Sicut
enim pater miseretur filiorum, misertus est domi-
nus timentibus se: recordatus est, quoniam puluis
sumus, &c. Sic etiam sapientissima hæc mulier, vi- Psal.102.
dens quòd solùm Deum haberet, pro vera medela,
& quòd eius anima periclitabatur, Christum pro
remedio accepit, ouis pastorem: icta chirurgum,
ægrota medicum quærit: illa denique quæ se vidit
peccatorum deformitate pollutam, pergit vt ablua-
tur in fonte misericordiæ. Cùm reges & principes
mundi sunt in sua aula, intra priuatum cubiculum
recepti, alloquuntur, & ad eos accedunt sui patri-
cij, nobiles, & potentes, & perpulchri, & decorati,
quique in regia domo primas obtinent. Si verò per
arua diuagantur, vel iter faciant, vel in venatione
distrahuntur, quiuis homo abiectus, etiam pauper-
rimus pastor rudis, ad eos accedunt, & eos allo-
quuntur. Non dissimili modo, cùm rex æternæ glo-
riæ Christus, erat in aula cœlesti, in cubiculo suæ
potentiæ, & maiestatis, nihil ad agendum cum eo

accedebant præter eos, qui præclaro sanguine erãt orti, qui pretiosis vestibus ornabãtur, vestibus (inquam) charitatis & gratiæ, atque innocentiæ, quales erant angeli, archangeli, seraphini: factus verò homo, & humana carne subsistens, & viator, & humana natura indutus, publicanos, peccatores, latrones, meretrices, ad se accedere permittit, ad omnes loquelam dirigit, quibus exaudiri patitur. In patria verò nulli ad eum accedunt, præter iustos, & sanctos, nec ad illum ingredietur, nisi iustus, & mũdus corde, in hoc verò mundo omnibus, vt inueniatur, & communicetur se præbet. Cum igitur sapiens hæc mulier, videret Christum in hoc mundo venatoris munus exercere, & quod homines venabatur: ad eum accedere, vt ab eo venaretur statuit, & mundo interfectam se ostendere, per conuersionem ad Christum.

Christus qui peccatricẽ suscipit idem est qui eandem traxit. ¶ Denique hîc aduertendum est, quòd ille qui eam suscipiebat, erat qui eam trahebat: sicut optimè adnotat Gregorius, in homilia, vocans Christum trahentem, & suscipientem. *Grego. ho. 33. in Euang.* Flumina continu fluxuò ingrediuntur mare, nec die ac nocte fluẽdi finem habent. Ob quod mare non redũdat. Huius rei ratio est, quia flumina ingredientia mare ex illo fuerunt egressa: iuxta illud sapientis, *Eccles. 1.* Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluãt. Per porros enim in profunditate maris, & per cataractas, & secretas venas, occultè maria aquas ex se emittunt: quæ quidem aquæ in montibus & collibus apparere videntur, vnde flumina ortum habent. Maria itaque secretè fluminum aquas mittunt: quas postea in reuersione publicè recipiunt. Non aliter Christus mulierem hanc publicè recipit, secretè autem vocat: charitatem verò, deuotionem, & lachrymas, & pœnitentiam, quæ præ se ferebat, ipsemet Saluator occultè infundebat: occultè inspirationibus, vocatione illam ad se adducebat: licet publicè omnia isthæc munera ab illa reciperet. Dona & munera quæ inuisibili modo ex Deo procedebant, & huic communicabantur: postea visibili reuersione ab ipso datore, grata habebantur. Horũm numerum receptor est, qui eam vocat, quique receptum antea præbuerat: sicut mare, quod flumina ex se egredientia, publicè recipit. Nec enim illa aduentare posset: nisi per Christum vocata fuisset. Ezechiel enim ait, Venit spiritus, & *Ezec. 2.* statuit me supra pedes meos: priùs est ingressus spiritus, aliàs enim surgere non poterat: sicut nec peccator potest à peccato surgere, nisi priùs spiritus Dei suscitauerit eum. Cogita quòd peccator factus est Deo echo. Primò, quia sicut echo non respondet nisi priùs peccator est Dei echo: ita vt peccator respondeat, oportet quòd Dei vox sonet, à quo vocari, & inspirari necesse est, & quòd postea peccator voci Dei vocantis respondeat. Secundò, vox multum importat, echo verò parum operatur: nam licet vox octo syllabis constet, echo vnicam inducit, quæ vltima dicitur. Sic nos frequenter à Deo vocamur, rarò respondemus. Considera igitur peccator, & diligenter perpende, te à Deo esse conditum, & quòd Dei vocationi respondere teneris: vt mulier hæc Deo respondit, & respondens, ad vocationem accessit: non mundi (inquam) sed Dei. Quondam Deus Samuelem vocauit, ille ve- *1. Reg. 3.* rò ad Heli ibat. Samuel in iuuenili erat ætate, quæ, non mirum videri debet alicui, quòd aberraret, & falleretur: tu autem cum matura sis ætate audito verbo Dei, vide respõdeas, vt mulier isthæc respondit: & ad illum tendas oportet, vt hæc fecit. Nullas facias moras, vt hæc: quæ quidem nulla interposita mora, dimissis omnibus, ad Deum tendit: & siquidem Deo nihil prçstant, iis inuenies. Omnia deserere, & Deum quærere teneris: nec ob aliquam rem Deo inferiorem, detinendus es, quominus tendas ad Deum. Igitur cùm cauta, & sapiens mulier veniat, non accedit vacua: qui non vult apparere coram Deo: sed portat alabastrum vnguenti. *Luc. 18.* Sed quid nunc operetur videamus. *Stans retrò.* Sicut publicanus, qui præ verecundia non audebat oculos ad cœlum leuare: quia solius Christi pudore impediebatur, & non reliquorum: & sic coram omnibus est ingressa, sed solùm post Christi terga aufugit. Sic Dauid Tibi soli peccaui. *Psal. 50.* Quamuis contra Vriam peccaui, tui solius me pudet: nos autem non Dei, sed hominum pudore capimur. Solius Dei hçc mulier pudorem habebat. Pudor iste, timor & modestia, & sui receptio, istam ducunt pœnitentem. *Signa pœnitentia.* Nõ velut nostræ ætatis fœminæ, quæ licet, in reliquo anni discursu, communiter, & honestè incedant, cũ autem ad sacramentum pœnitentiæ recipiendum veniũt, tempore quadragesimæ eo ornatu quo possunt induuntur, & ingrediuntur ostium templi, vanitate quadam & pompa elatæ, tanquam si nuptias adeant, & ludos frequentent, cùm tamen ad confessarij pedes veniant ad deploranda peccata: vt hæc fecit cum ad pedes Christi accessit. Aduerte, quomodo beata Magdalena accessit suffusa pudore, & ignominia affecta, ac meticulosa, se in terram prostrauit gestaminibus, & vestibus pretiosis omnino contemptis. Non audet Christum in faciem aspicere: sed retrò præ verecundia stetit oculis dimissis. Non vt tu qui confessarium facie ad faciem intueris, & rides, & non curuata incedis. Regina illa Hester, cum Deum obsecrare voluit, deposuit *Hester 14.* vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit: & pro vnguentis variis cinere, & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiuniis, omniaque loca, in quibus antea lętari consueuerat, crinium laceratione compleuit: & deprecabatur dominum Deum Israel. Omnia isthæc beata Magdalena fuit operata: sed tu cùm ad deprecandum Deum venis, & ad agendum cum illo, perpolitè, & nimis ornatè te induis. Iudith quoque induta est *Iud. 9.* cilicio, ad agendum cum Deo: & posuit cinerem super caput suum, & se humi prosternens, ad dominum clamabat. Sic Deus est inuocandus, & sic beata Magdalena inuocauit, quod debet esse documẽto pœnitentibus. Si veniam quæris, indue te cilicio, & faciem tuam asperge cinere. In Exodo habetur *Exod. 33.* quòd cũ Deus Israelitico populo esset iratus, quia vitulum adorauerant, iussit Mosi: vt ex parte sua, populo nunciaret, Populus duræ ceruicis es, Semel ascendam in medio tui & delebo te: iam depone ornatum tuum, vt sciam, quid faciam tibi. Deposuerunt ornatum, & tetendit Moses tabernaculum, & vocauit illud tabernaculum fœderis: hoc est, pacis reconciliationis, & amicitiæ inter Deum, & populum. Hanc igitur historiam benè perpẽde, & disce, qualiter Deus iratus fuerit, eò quòd cũ essent peccatores, festiuitatis, & glorię vestibus vterẽtur, quibus depositis inita est pax: & præcepit Deus quòd

quo

quoniam peccatores erant, talem habitum deponerent: quo quidem habitu Deus ad iram mouebatur. Vos etiam, peccatis onusti, venistis ad petendam veniam peccatorum. Venitis (inquam) recto gressu magna pompa, garrulantes, & ridentes, &
Leuit.16. perpolitè induti. In festo expiationis cùm peccata purgabantur præcipiebat Deus, quòd sacerdos vestiretur non sericò, aut pretiosa veste, sed stola linea. Oportet igitur, vt tu tàm in veste, quàm in incessu, humilieris coram Domino Deo tuo, vt tui mise-
Dan. 9. reatur: sicut Daniel dicebat domino. In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur à te Do-
Psalm.50. mine. Dauid etiam, Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Ideò dominus præcepit loquẽs de festo expiationis peccatorum. Affligetis animas
Leuit.23. vestras in eo. Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populo suo, &c.

Peccatrix quare à Christo tergo. ¶ Retrò itaque stetit: illic enim assistere voluit, vbi peccata eam constituerant, nam quemadmodum mũdos corde Deus præ oculos habet: sic peccatores post terga habet: & hæc mulier locum, ad quem per peccata fuerat ducta, elegit. Præterea re-
Psalm.128. trò stetit, quia legerat in Psalmo. Suprà dorsum meum fabricauerunt peccatores. Et sic suprà dorsum Christi peccata constituere voluit. Verè Christus languores nostros tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. Peccata omnia nostra super suos hu-
Esaie.53. meros Christus posuit, & nostrorum peccatorum pondus voluit ipse sustinere: vt nos leuatos cerneret. Accepit igitur hæc mulier suorum peccatorum pondus, & in dorso Saluatoris collocauit: & illa subleuata. Christus verò onustus mansit: vt pro illa & satisfaceret, & solueret. Si præ oculis Deus tua errata habeat, erit vt de te vindictam sumat: téque in gehennam mittat. Sed tũc post terga collocat peccata, cùm illorum obliuiscitur: sicut tu ea quorum obliuisceris, in posteriorem manticam reiicis. Eo modo tuæ vitæ caue, quod tuorum peccatorum vindictam Deus non recordetur. Deniq; stabat retrò: quia non iust ficabitur in conspectu
Psalm.142. eius omnis viuens. Vultus enim Dei est super fa-
Psalm.33. cientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.
Psalm.90. A tergo verò vt scapulis suis obumbret nos. A ter-
Esa.38. go (inquam) vt post tergum suum proiiciat omnia
Exod.33. peccata nostra: si enim peccator eius faciem vide-
Psalm.83. ret, non erit salua anima eius. Num ergo sine magna ratione Dauid dicit, Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui. Non me aspicias, sed vnigenitum tuum priùs intuere. Si enim contra peccata nostra irati sunt oculi tui, & me ictu primo respiciant, moriar, perij: sed si oculi tui videant filium, & per filium me ab eius tergo existẽtem respexerint, saluus ero. Radij enim oculorum tuorum per filium tuũ transeuntes in eo mansuescent, & mansueti ad me peruenient. Colloca ergo Deus meus inter me & tuum vnigenitum filium, crucem eius, sanguinem, & passionem, & merita: ita vt cùm tua iustitia per sanguinem, & merita tui filij pertranseat, cùm tandem ad me perueniat, iam mansueta, & misericordia plena sit. Ideóq; hæc sapiens mulier stetit post terga Christi, constituens eum tanquam medium inter se, & Deum: vt piè, & mansuetè à Deo iudicetur. Excusatur cum Christo secum eo protegendo: ne pro debito rigore iustitiæ puniatur. Aspice Deus (inquit Dauid) sed respice in faciem Christi tui. Delector maximè (inquit) domine, quòd me aspicias, & mei sis memor: sed ea sola lege quòd priùs respicias in faciem Christi tui: quoniam si ego post eius terga sim, & ipse eius faciem intuearis, manifestum est, quòd ipsum priùs quàm me intueberis. Si verò à tergo Christi venias, me priùs videbis: ideóque non dorsum, sed faciem respicias dico: vt me post terga existẽte, ipsum priùs, quàm me videas, & me retrò constituere volo, vt ante faciem filij tui veniens, ipsum priùs me, respicias. Igitur mulierem hanc à tergo Christi cõstitutam timidam & pudore affectam, atque dolore contemplare: & quid faciat perpende. *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Non dixit rigauit, sed cœpit rigare, quia stans in tantum prorupit fletum, vt antequã se inclinaret, inceperit rigare lachrymis pedes eius. Expende qualem, & quantum dolorem mulier hæc fuit perpessa, siquidem stans cum procero & magno esset corpore, tanta fuit lachrymarũ copia, quòd cùm ab oculis per totum corpus defluxissent, fuerunt in sufficienti abundantia ad abluẽdos pedes Saluatoris. Quòd si verùm sit, quòd humi est prostrata pedes deosculando: & vngendo, priùs tamen quàm hoc faceret eos lauit, & rigauit (ita enim in magno numero lachrymas effundebat) quòd itaque stans incœpit, humi prostrata perfecit. Stans cœpit rigare, & posteà rigauit perfectè. Genuerat enim mulier hæc gelu quoddam intra pectus, peccatorum frigore confectum: sed accedente ad diuinum ignem, liquefactum est gelu de corde suo, & magno impetu defluxit vnda in superabundanti copia. Ideóque ei dici potest illud quod olim dixerat Hieremias loquens de captiua filia Sion, Magna enim est sicut mare contritio tua. Et *Threnn.2.* tuarum lachrymarum copiam cui comparem non inuenio, nisi copiæ aquarum maris: amaritudo etiã qua lachrymaris, similis est amaritudini maris. No- *Nota.* uum & nunquam visum miraculum est hoc. Sæpenumero vidi cœlum irrigans terram: terram autem madefacientem cœlum nunquam vidi, sicut modo: quoniam mulier hæc terrestris cœlestes pedes Saluatoris suis lachrymis irrigabat: & ita abundè, & copiosè, vt vidimus. Ex quo sequitur, quòd licèt lachrymæ lauent sordes peccatorum, non tamen quantæcunq; lachrymæ sunt sufficientes pro quolibet graui peccato, nam grauia peccata grauissimis indigent lamentis, nam requiritur in cõtritione aliqua intentio. Scio tamen aliquos ex recentioribus theologis aliter sentientes, qui precantibus facilè securitatem promittunt, dicentes, minimam quamque peccatorum pœnitudinem (modo illa ex Dei amore procedat) ad grauissimum quodque peccatum delendũ sufficere. Quę sententia vtinam tam vera esset, quã pia: vereor tamen ne qui ita senserunt, experientia illos docente, aliter iam sint nunc sentire cõpulsi. Nam si pro mẽsura delicti erit *Deut.25.* plagarum modus: cur etiam pro mensura delicti, nõ erit pœnitudinis, aut doloris modus: præsertim cùm peccatorum remissio, quæ pœnitẽtia interueniente præstatur, nõ extra iustitiæ regulas fieri credatur? De illis qui ita sentiunt Hieremias propheta loquutus fuisse videtur cùm ait, Curabãt cõtritionem populi mei cum ignominia, dicẽtes, Pax, pax, *Hier.6.* & nõ erat pax. Cùm ignominia contritionẽ populi curat, qui peccanti, & non satis pœnitenti cõtinuò securitatem promittit. Isti qui omnẽ dolorẽ omni peccato sufficere credunt, similes mihi vidẽtur medicis imperitis, qui nulla morborũ ratione habita, eodẽ pharmaco omnes mederi nituntur: cum alius

morbus aliud medicamentū requirat, & aliud peccatum, aliam pœnitentiam postulet. Et in hāc sententiam omnes veteres theologi, non solùm quos scholasticos vocant, quibus nō parum videtur, sed primi illi ecclesiæ patres sanctitate perindè ac doctrina illustres, manibus (vt dicitur) ac pedibus eūt. Dicamus ergo peccatorū remissionē diuino tātum pensari iudicio, non humano. Ac proinde cùm nos lateat ipsa lachrymarum mensura quæ peccatis lauandis sufficiat, oportet, vt nunquam simus securi hac sola fiducia, quòd iam pro peccatis nostris ingemuimus. Ideò Dauid agnoscens peccati sui fœditatem, & nesciens an satis lachrymarum ad illam abluendam effuderit, precatur dominum dicens,
Psalm.50. Amplius laua me ab iniquitate mea: & à delicto meo munda me. Acsi diceret, Scio quidem me lachrymis esse ablutum, nescio tamen an plenè mundus euaserim: quia nescio an satis lachrymarū effuderim, quæ tot, ac tantas peccatorum maculas mūdare valuissent. Ideo peto vt gratiam flendi quam semper impartitus es, non substrahas: quin potius oculis meis tribuas fontem lachrymarum, vt incessanter pro peccatis meis plorem, lachrymasque vbertim fluam, quibus me iuuare possis. Ideóque hæc mirabilis pœnitens maximè flebat, multiplicabat suspiria, & lachrymis suis incessanter Christi pedes lauabat. Habebat peccata sua coram oculis mentis: & ipsi oculi corporales vndique affluē-
Psalm.50. ter flebant. Sic etiam Dauid, Peccatum meum con-
Dan. 2. tra me est semper. Id est, coram me habeo. Vidit nāque Nabuchodonosor rex statuam coram oculis eius, quæ habebat caput aureum, & pedes terreos, & fictilos. Si hæc peccatrix coram se habebat pristinum suæ innocētiæ statum, in quo quasi in capite aureo cōtemplabatur nobilem statum suæ innocentiæ: demum & ad quem statum peccata sua adduxerant, nempè vt esset vt iumentum, & sterquilinium apud Deum. Deciderat à vita priori deaurata ad terrenum, & miserabilem statum: & hanc statuam coram se habens erat territa sicut Nabuchodonosor, & tremens cecidit ad Christi pedes.

Lachryma seruiunt abluendis peccatis, imo necessaria. ¶ Disce sicut Magdalena, & sicut alter Dauid coram te habere peccata tua, vt continuò defleas. Sicut enim in horto, vel in vinea malæ sunt vrticæ, & spinæ, sed reiectis ex interiori ponunt ea in septo, & circulo, quæ ibidem proficiunt, quia defendunt, & custodiunt vineam illæ spinæ ne quis ingrediatur: sic tu tolle ab anima peccata, quæ sicut spinæ lacerant, & pungunt conscientiam: sed pone ea extra in circuitu habens ea in memoria, vt cōtinuò plores, & defleas. Ideoque sicut translatio septuaginta ha-
Gene. 3. bet, posuit Deus Adam post peccatum e regione paradisi vnde electus fuerat: vt videns illum recordaretur peccati, & fleret, memoriam illius habens, & videret locum ex quo eiectus fuerat. Habens ante oculos hæc nobilis peccatrix Deum, quem perdiderat, & illam paradisum à qua electa fuerat per
Iud. 17. peccatum, non poterat non flere. Sic in libro Iudicum habetur, quòd ille Micheas, plorans sequebatur milites quosdam, qui furaturi fuerant idola ex domo Michææ: dicentibus autem aliis quid fleret, respondit, Deos meos quos ego feci mihi tulistis: & quæritis, quid ploras? Igitur si ille miser pro Deo suo vano, quem ipsemet fecerat sibi, tantùm plorabat, quia Deum suum perdiderat: quātò magis debet quis de peccatis dolere, & plorare, cùm videat, quòd perdiderit Deum suum verum, & creatorem

cœli & terræ? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes Psalm.41.
die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. Tristis nimis debet esse anima, & maximè flere: cum se adeò absentem videt. Iure optimo deflere tenemur peccatores omnes nosipsos in hac lachrymarum valle cernentes nos miseriis, ac peccatis onustos: culpis plenos, à Deo separatos, & à Iud.11.
morte obsessos. Si enim filia Iepte duobus mensibus, plorabat virginitatem suam cum sodalibus suis, quia mors appropinquabat: quantò magis nos, qui nescimus an hodiè reddituri sumus rationem vitæ plorare debemus? Ceruus à canibus obsessus plorat: & hoc irrationale animal facit. Quantò maiori iure tu hoc facere debes, cum tot dæmonibus, tot infirmitatibus, tot periculis, tot denique laqueis sis obsessus? Esau deplorans Isaac patrem mouit ad cōsequendum optatum. Et sicut pluuio- Genes.27.
sum tempus est nimis aduersum, oppugnantibus tormentis aliquam vrbem: similiter & eodem modo lachrymæ aduersantur inimicis omnibus nostris, quoniam lachrymarum pluuia tentationum carnalium puluerē extinguit. Lamentabatur gloriosa Magdalena super animam suam. Deplorabat 1.Reg.15.
Samuel Propheta interitum animę Saul, & vna integra nocte nihil quicquā operatus est. Dauid quoque videns filium suū in peccato fuisse interemptū amarè lamentabatur, dicens: Absalon fili mi, fili mi 2. Reg 18.
Absalon. Quantò magis tu ipse propria peccata deplorare debes, siquidem duo illi sancti sic deplorarunt aliena? Et Christus nihil aliud super Hierusa- Luc.19.
lem deplorabat, nisi peccata aliena. Hoc medicamento animæ nostræ sordes mundantur. Vt enim Aegyptij submersi fuerūt sub vndis maris: sic peccata delentur, & mortificantur in aquis lachryma- Exo.14.
rum. Ideò diabolus, sicut Holofernes, qui obstruxit fontem, vt Bethuliam acciperet & obtineret: sic Iud.7.
ipse lachrymarum fontem obstruere vult in nobis, vt nos capiat & obtineat. Hæc autem beatissima Magdalena fontem lachrymarū aparuit, & principē tenebrarum & omnes Aegyptios peccatorum suorum, aquis lachrymarū suffocauit. Plorauit Petrus, Matth. 26.
sed egressus foras fleuit: hæc autem inter epulas flere non erubuit. Mirum quidē est quòd in conuiuio & inter epulas in festo lætitiæ tot lachrymas fuderit. In libro Numerorum legimus, quòd in maxima solennitate præcipiebat dominus offerre hircum Num.29.
pro peccato. Cui dominus in tanta solennitate iubet offerri sacrificium pro peccato? Nullū gaudiū, nulla solēnitas est, ô homo, in qua nō sit grata Deo memoria peccatorum. Non putes te domino rē ingratam facere, si inter epulas, & antequā comedas, suspires pro peccatis, si lugeas ea præcipuis festiuitatibus. Sic enim Christus in summo honore qui ei in hac vita mortali exhibitus est, quum vniuersa Hierusalem triumphātium more illū excepit ramis virentibus, atque lętis canticis defleuit in eo apparatu & pompa solenni aliena flagitia & scelera. No- Luca.19.
uerat optimè hæc prudens mulier dominum non ploraturum propter aliquas molestias illa solennitate, sed maximæ lætitiæ causa: & dulciores illi futuras lachrymas contritas, & humiles cum dolore profusas, quàm omnia vina pretiosa atque epulas: quas illi Pharisæus posset præbere. Nil loquebatur: vt intelligas apud Deum plus valere opera quam verba. Non legimus quæ dixit, sed legimus quæ fecit: quoniam cœlum non paratur verbis, sed bonis operibus, & virtutum exercitatione,

quales

quales erant virtutes, quas hæc sancta mulier operabatur. Vide quàto amicior est Deus illorum, qui fide viua occupātur, & exercēt se in operibus pietatis, & misericordiæ, quàm eorum, qui omnem suam fœlicitatem, & studium designant in phalerato
Esaia. 66. sermone, & mundanæ sapientiæ verbis. Ad quem (inquit ipse) aspiciam, nisi ad contritum, & humiliatum, & trementem sermones meos: Cor contritum respicit Deus, & affectui pio respōdet. Ne ver-
Exod. 14. bum quidem proferebat Moses, & dominus tamen dixit ei, Quid clamas ad me? Tot erant lachrymæ, & gemitus mulieris huius, vt singultus penè ei obstruerēt guttur, & quasi præfocarent, nec loqui poterat, ita cōtritione plena erat & lachrymarum riuo madefacta. Verumtamen intus in corde, quod magis aspicit Deus, & acceptus habet, mirificè persuadebat, & magnis vocibus clamabat, ardenterq; orabat, diuinæ misericordiæ opem implorans. Verbis nihil dicebat, tamen loquebatur in corde gemitibus, & clamoribus depromptis ex intimo pecto-
Psalm. 118. re & profundo corde, & in anima sua dicebat, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cu-
Psalm. 37. stodierunt legem tuam. Quoniam iniquitates meæ
Iud. 9. supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue, grauatæ sunt super me. Quapropter Deus cœlorū, creator aquarū, & dominus totius creaturæ: exau-
2. Para. 33. di me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem. O domine peccaui super numerum arenæ maris, nō sum digna videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ: quoniā irritaui iram tuam, & malum coram te feci. Si tu es domine
Luc. 15. qui peccatores recipis: me quoque peccatricem recipe, sub alas infinitæ misericordiæ tuæ. Non enim me reiicere idcircò debes, quòd sum peccatrix: quā-
Matth. 9. doquidem ad id venisti ex cœlo in terras: non vt
Matth. 15. vocares iustos, sed peccatores: & oues quæ perierūt ex Israel. Scis domine quòd literæ in libris exaratæ, si in ignem proiiciantur dùm in cineres non voluuntur, legi possunt: si autem cultro radantur, legi nequeūt. Propterea, domine, obsecro te ne expectes abolere meas malas literas in gehenna: quoniam deleri nūquam poterunt, quin potiùs perpetuo legentur, nec in cineres vnquam conuertentur,
Esaia 43. nec deficient in condemnationē animæ. Ideò nunc quando tempus est acceptabile, dele iniquitatem
Esaia 44. meam. Tu domine per Esaiam dixisti, Ego sum qui deleo iniquitates tuas. Et iterum ais per eundē prophetam, Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Si igitur ex alto cœlo in terrā descendisti, vt peccatores redimeres, incipe nunc, domine mi, & Deus mi, officium, & munus redemptoris implere: nec omittas tam præclaram opportunitatem, qualem nunc habes, quoniam adstat tibi ingēs quædam peccatrix in quam possis munus, ad quod venisti exercere. Si cum peccatoribus māducas: en hîc peccatricem quandam cum qua libē-
Luc. 15. ter māducare potes. Sum etenim ego sicut stultus
Psalm. 41. ille qui in corde suo dixit, Non est Deus. Nam taliter vixi acsi crederem non esse Deum. Nunquā ob amorem tuum laboraui nec propter iustitiā timui, nec propter legem tuam declinaui à malo, aut propter promissa inclinaui cor meum ad bona opera. Nunquam propter collata in me beneficia gratias egi, nec peccatis finem imposui: etsi scirem te omni in loco præsentem esse. Oculus quicquid appetierūt concessi, non cohibui cor meum, ne voluptates appeteret. Ad te confugio pondere peccatorum depressa, vt me exoneres: & in tot ac tantis miseriis & tentationibus positæ, nō dedigneris promissa gaudia & leuamina concedere. Ecce venio sicut imbecillis & infirma ad medicum, vt me sanet: vt peccatrix ad iustum & ad fontem iustitiæ, vt me iustificet. Non terrearis domine flagitiis meis: nam quo grauior est infirmitas, tanto pluris facit artem medici, qui illam medetur: & quo maior peccatrix ego sum, tāto tu magis glorificaberis, &c. Hæc & similia intra se dicebat hęc gloriosa pœnitēs, viscera sua aperiēs: & corde cōtrito, cœlum gemitibus, & singultibus rūpebat. Hæc in corde versans fact sunt oculi eius velut defluxus aquarū, & acriter absque intermissione super animam suam lugebat, in tantū quòd pedes Christi rigabat, & perfundebat: quibus perfusis, & rigatis, *Capillis capitis sui tergebat.* Quan-
uis indignam se putabat tangere Christi pedes: tamē amore victa se cohibere nō potuit. Amor enim verus nescit modum: regulis nō tenetur: tactus spiritus sancti ducta ad pedes inuoluitur: lachrymis rigabat, & capillis tergebat. Nūquid non erat aliud quo tergeret illos? Nunquid vel exiguum linteolū, aut prolixior subuculæ manica (vt fœminis moris est) ad siccandum deerat? non equidem existimo. Sed tali amoris sanctissima fœmina compede detinebatur: ea diuinæ conuersationis m[illegible]lcebatur voluptate, vt nec vellet, nec posset vel tantill[illegible] a pedibus domini discedere. Qua de causa mirum nō est, si maluit capillis, quos prę manibus tunc temporis habebat, pedes domini abstergere, quā quærendis, tempus insumere & suauitatis suæ iacturam facere. Hos igitur pedes fœmina prudētissima capillis siccabat, ore fouebat quos anteà vndantis lachrymarum riuulo abluerat: necnon sciens carnem domini purissimam omnis pudicitiæ & castitatis sedem atque originem esse, accessit supplex, vt diuino cōtactu pudicitiæ suæ sarciret ruinas, & cōcupiscentiæ deinceps frenum iniiceret. Nam si tactus fimbriæ *Matth. 9.*
fluxū sanguinis in hæmorrhoissa siccauit, quomodo non magis tactus pedum Saluatoris, præsertim tam ardēte deuotione iteratus, restingueret in hac *Luc. 8.*
carnalis cōcupiscentiæ fluxum. Audior enim semper surgebat ab osculis. Et quemadmodū in fabula habetur de Antæo cum Hercule congresso, qui quo sæpius ad terram prosterneretur, inde resumptis viribus, fortior ad pugnam surgebat: ita de hac non fabulosè, sed verè dicere possumus. Nam quo sæpiùs deuotione superata in terram procidebat Maria, pedes Domini osculatura, animosior contra omnes dæmonum & cōcupiscentiæ vires resurgebat. Erat enim illorum pedum Christi filia, & quasi baptismo lachrymarum suarum renata. Hinc facilè colliges quanti intersit, quo animo quis ad dominum accedat. Iudas enim qui ad Christum accessit, *Matth. 26.*
dignissimāq; domini partem, quippè os, tetigit: tamen quia animo impio accessit, nō modo veniā nō inuenit, quin etiā exitium sibi parauit. Verùm hæc pio & syncero affectu ad domini pedes prouoluta & remissionem peccatorū, & vitam inuenit æternā magnā præterea familiaritatē habuit cum Christo domino: & postquam conuersa est nunquā voluit in faciē alicuius hominis aspicere, nisi in faciē Iesu: ipsum sequebatur, Mariæ virginis sanctissimæ affectu familiaris. ¶ Sexies autem legimus Magdalenā ad pedes domini procidisse. Primò hic, in signum contritionis. Secundò cùm sedens secus pedes do- *Luc. 10.*
mini, verbū illius audiebat. Tertiò quādo pro fratre Lazaro

Osculum pedū Christi sanare remediū contra concupiscentiam.

Lazaro mortuo orabat: vt nos doceret aliorũ mi-
Ioan. 11. seriis & infortuniis commoueri. Quartò in cœna
Ioan. 12. Bethaniæ: cùm vnxit pedes & caput domini: quæ
Ioan. 20. fuit vnctio deuotionis. Quintò in die resurrectio-
nis Christi, cùm cadẽs ad pedes noluit Christus, vt
Matth. 28. tangeret eum. Sextò in eodẽ die resurrectionis do-
mini cũ cæteris mulieribus, quãdo tenuerũt pedes
eius & adorauerunt eum. Verùm, vt omnia officia
in Christi pedes exerceret, audi quòd sequitur.
Et osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Sicut ve-
rè pœnitens Deum timere debet, & iudicia Dei an-
te oculos habere: ita etiam è diuerso, ne desperet tri
stitiáque nimia obruatur, seipsum consolari debet,
Ioel. 2. considerans Dei misericordiam: quia patiens, &
misericors est, & præstabilis supra malitiam. Ideò
osculabatur pedes eius, quòd est amoris indicium:
quia dilectos osculari solemus. Osculabatur enim
pedes eius, & vnguento, quo iam diximus, lassatos
Christi pedes vngebat, tergebátque capillis.

¶ Quærere autem nunc libet, si sola fides pecca-
ta delet (vt pessimè asserunt impiissimi Lutherani)
quorsum in tãtis bonis operibus occupabatur hæc
mulier? Et si malè agit, cur à Christo laudatur, qui
Pharisæo dixit, osculum mihi non dedisti, hęc autẽ,
&c. narrans Christus & laudans omnia hæc opera
bona? Cur etiam, vt superiùs vidimus in hoc capi-
te, laudat Christus in Ioanne asperitatem vestium
constantiam animi, & ieiunium, dicens, venit non
manducans neq; bibens? Valeant ergo iam, valeãt
isti nebulones cũ filio perditionis Luthero suo, qui
tot animas his mẽdaciis fraude diabolica decepit.

Greg. hom. 33. in euang. ¶ Obserua autem hic mulieris huius prudentiã
eximiam, quæ eo vsa est consilio, vt ea, quæ mortis
erant instrumenta in vitæ medicamẽtum traduxe-
rit. Et quemadmodum theriaca, quæ de veneno
conficitur, arte tamen præsentissimum contra ve-
nena medicamen redditur: sic mulier hæc ornatũ,
mundumque suum, quibus alias sæuitiare solet, in
cultum Dei conferens, medicinam de veneno con-
fecit. Capillos enim, quos antea componebat in
Dei opprobrium, in pedes domini siccando im-
pendit. Oculos fuligine infectos fucatósque, qui-
bus inaniter inspectutis, & inspiciendis satis operę
nauauerat, nunc lachrymis assiduis vrget, vt lauã-
dis domini pedibus aquam sufficiant. Os quondã
lasciuis, impudicisque assuetum sermonibus, nunc
deosculandis domini pedibus imprimitur.

Preciosa vnguenta, aquatúmque rores odoriferi,
quibus anteà per singula membra perstillabat, mo-
do ad pedes Christi sparguntur: nõ sine circunstã-
tium admiratione. Vestes denique laboratissimæ,
quibus olim ornata fulgebat inter conuiuarũ sub-
sellia, vt domino ministrent sternuntur. Itaque om-
nibus quibus anteà dæmoni obsequuta miserrimè
fuerat modo Christo inseruit, eisdémq; instrumẽ-
tis, vitam quærit æternam quibus mortem quæsie-
rat, memorabili pœnitentiæ & lachrymarum litu-
Greg. hom. 33. in euang. ra antiquũ chirographum delens. Ideò diuus Gre-
gorius in Homilia, ait. Quot in se habuit oblecta-
menta, tot de se inuenit holocausta: vt totũ seruiret
Deo in pœnitẽtia, quicquid ex se Deũ cõtempserat
Iisdem instrumentis quib. mortem meruimus, lucremur & vitã. in culpa. ¶ Sic & nos huius exemplo discamus vi-
tam mutare & Christo domino seruire, iisdẽ mem-
bris & instrumentis, quibus mundo & carni serui-
uimus. Vnde Paul' ait, Sicut exhibuistis mẽbra ve-
Rom 6. stra seruire iniquitati ad iniquitatem: ita exhibete
illa seruire iustitiæ in sanctificationem. Quasi aper-
tius dixisset. Si lingua proximi tui famam læsisti: ea-
dem incommodo illato medere, vel proximum lau-
dando, vel te incusando. Si pedibus ambulasti in via
impiorum, dirige gressus tuos in semitas iustitiæ: vt
sic bono malum extinguas, &c. Huius autem do-
ctrinę pulcherrima sunt in scriptura sacra exempla.
Cùm enim populus Israel egressus de Aegypto, cir- Num. 21.
cuiret terram Edom in deserto labore cõfectus, tæ-
dere cœpit itineris ac laboris, & murmurauit con-
tra dominum, & contra Mosem. Quare immissis à
domino serpentibus qui perfidũ vlciscerentur po-
pulum: posteà tandem placato Deo nulla alia ratio-
ne tantæ calamitati subueniri potuit, nisi æneo ser-
pente eleuato, in quẽ quicunque aspiciebat à mor-
su illicò sanabatur. Ecce quomodo eodẽ malo, quo
erant vulnerati sanabantur. Serpẽs momordit, ser-
pens curauit. Apud gentes etiam huius exẽpla non
desunt, Nam cùm Philistæi arcam domini cepissent 1. Reg. 5. & 6.
proptereáque à domino essent percussi in secretio
re parte natium, & mures vastarent terram, edocti
à satrapis suis fecerũt annos & mures aureos, qui-
bus pro peccato suo dominum oblatis placauerũt.
Sciebant quippè mala, quæ patiebantur, eisdem fo-
re sananda malis. Sic etiam Christus eisdem instru-
mentis, & mediis quibus mortem intulit diabolus,
nobis vitam dedit. Ideò crucem eligit, vt in ligno Genes. 3.
quoque vinceretur. In Exodo etiam habetur, filios Exod. 32.
Israel in aures armillásque aureas, quas obtulerunt
vt facerent vitulum, quem adorarent posteà obtu-
lisse domino, vt facerẽt tabernaculũ domino Israel. Exod. 35.
Quod dederant ad idolum fabricandum: posteà cõ-
puncti, dant ad opus domini: & quibus anteà dia-
bolo inseruierant, eisdem Deo inseruiunt. Eadem
ergo & nos facere debemus Deo offerentes omnia,
quibus illum antehac offendimus, carnem macerã-
tes, sensus colligentes corpúsque, quòd ante diabo-
li fuerat mancipium domãtes, laboribus, & vigiliis
assuefaciamus, vt relicto dæmone, Deum sequatur.

¶ At ne fortè putes bona opera tua fore laboris Excepta D. Virgine, Magdalena inter mulieres Christo familiarior.
sui fraudanda præmio, oculos quæso, tuos ad hanc
mulierem conuerte. Quia retrò stetit, conspectum
resurgẽtis prima omniũ meruit: quia Christi pedes
humiliter tenuit, ipsius discipula esse meruit, & vt
ab eo doceretur: quia lachrymarum emisit flumina
flammã in se voluptatis extinxit: quia Christi lauit
pedes, affectiones peccati à se mundauit: quia crine
suo tersit domini pedes, ideò maculas suorũ crimi-
nũ à Dei memoria detersit: quia pedes Christi oscu
lata est, reconciliationis pacẽ acquisiuit: quia vnxit
vnguẽto, seuerum & iratũ iudicẽ placauit. Multa
enim officia fecit hæc mulier Christo: sed plura ac-
cepit beneficia. Vnguentũ enim solũ cũ lachrymis
& osculis attulit: pro quibus veniam peccatorũ, &
innumera gratiarũ reportauit priuilegia. Omnibus
namq; cæteris mulieribus præter virginem matrẽ
charior & familiarior Christo Saluatori fuit Mag-
dalena: ita vt vbi abundauit delictũ, superabũdaret
& gratia. Et quemadmodum Salomõ rex fecit, qui Rom. 5.
reginæ Sabę multò plura quã ad eum attulerat, aut 3. Reg. 10.
ab eo petierat, dedit: sic Christus Magdalenã simili
liberalitate prosequutus est. Ergo omnes vos pec-
catores huius peccatricis exemplo ad medicum sa-
lutis venite, ad fontẽ pietatis, ad veniã vitæ, ad the-
saurum gratiarum. Non enim alta sapit, qui se hu-
miliat: non se subtrahit à nobis, quia verbũ caro fa-
ctũ est: nõ est extraneus, quia cum hominibus con- Ioan. 1.
uersatus est: non est durus, sed facilẽ habet animũ:
non

Eccle. 12. non est rigidus, sed flexibilis: non seuerus, sed pius. Disce itaque peccator Deum hîc quærere, & veniā postulare, huius peccatricis exēplo: antequam obtenebrescat sol, & sensus obscurentur, antequam præoccupatus die mortis locum quæras pœnitentiæ, quando inuenire non possis. Pudeat te vitam in risu & iocis transire, qui maiora forsitan peccata, quàm mulier hæc peccatrix commisisti. Molliat cor tuum vberrimum lachrymarum profluuium, quo hæc mulier pectus perfudit suum: pudefaciat viros, qui natura robustiores sunt, eximia peccatricis huius fortísque constantia. Denique ô vos omnes, qui illius adhuc, in peccando similes extitistis enitimini, vt deinceps eam in pœnitentia imitari possitis: nec committatis, vt quam ad peccādū sequuti estis, eandem ad pœnitēdum ducem prætermittatis: ne melioris videatur conditionis esse peccatum, quàm virtus in vobis. Capite igitur, ne cūctemini tātam in actiones vestras ducem perpetuā: vt qui peccando eam imitati errarunt, pœnitendo etiam eadem duce sapiant. Quem non afficiet mulier hæc pudore? Sed hæc sufficiant: alia videamus.

Reuersis ad Deum statim occurrunt obstacula.

¶ Expende itaque, quomodo peccatrix ista, & pœnitens statim patiatur culpæ præcedentis cōuitium: statim sustinet temerarium iudicium, & continuò exponitur linguis obloquentium. Ista enim sunt prima pœnitētium certamina: nam in ipso introitu emendandæ vitæ illicò occurrunt tentamēta linguarum. Cùm enim aliquis post sæcularem conuersationem conuertitur, statim probatur linguis hominum. Nō enim mentitus ille est, qui dixit, Accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia & in timore: & præpara animam tuam ad tentationem. (Eccle. 2.) Sic & hæc mulier simul accessit ad seruitutem Dei, statim cœpit à mundo conflictari. Ideo sequitur in contextu. *Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se.* (Gen. 31.) Laban Iacob discedentem sequutus est vt quaquam posset ratione eum reduceret, quem cōtinere non poterat: Moses etiam dixit domino, Ex quo loquutus sum Pharaoni, affligit populum tuum. (Exod. 5.) Antequam sermo Dei audiatur, non est tentatio, aut murmuratio: sed vbi audieris Deum ei adhæseris, surgit statim tentatio. Dæmon enim eos persequitur, quos suspicatur, si se deserant, Deo adhæsuros. Atqui mirum nemini videri debet cur illicò à conuersione, fidelibus insurgant diabolicæ tētationes: non enim frustra Christi militibus data sunt virtutum, & sacramentorum arma. Ideò ne rubigine vitiorum sordescant circunfusa iugiter contra dæmonem, eiúsque coadiutores dimicandū est. Qui, hostium more, bellum non mouet contra illos, quos sibi amicos nouit: sed eos duntaxat expugnare contendit à quibus se deserendum timet: sicut contra hanc mulierem fecit. Sed singula verba discutiamus.

Videns, inquit. Intuebatur mulierem hāc quam peccatricem esse sciebat, cùm ipse multo esset nequior. Sed quemadmodum oculus omnia circuncirca respicit, seipsum tamen non intuetur, quia radios visibiles nunquam in se cōuertit: eodem modo illis euenit, quos nimia tenet sollicitudo aliorum vitas & facta sciscitandi, suis supersedentes criminibus. Quare cauendum est, ne ita bona & mala aliorum perscrutemur, vt omninò nostrorum obliuiscamur. Erat quippè Pharisæus iste cal. ganeis imbecillibúsque oculis præditus, quòd ô vtinam vitium corporei tantummodo esset aspectus, neq; etiam ad animæ irrepsisset oculos, quibus superbia inuidiáque obcæcatis, aliorum parua erratula, suis magnis criminibus prætermissis, accuratissimè intuebatur. Verùm, sicut qui debili sunt aspectu, sæpius libentiúsque specillis vtūtur quàm speculo: quoniam speculum inspiciēti ipsius formam & lineamenta multo explicatiora & viuidiora reddit, specilla verò non inspicientem referunt, sed omnia alia clariùs videri faciunt. Ita propemodū euenit illis, qui charitatis luce carēt, ea enim sollicitudine aliena rimantur vitia, vt alios nobis oculis intueri videantur, se autem nullis. Hac autem culpa vtinam solus Pharisæus hic notandus fuisset, non etiam ad multos Christiani nominis serperet, qui proprio obcæcati amore speculum non amant, se nunquam animaduerrunt. Quapropter sapientissimè antiqui philosophi dixerunt, quēuis hominem duas humeris gestare manticas, in quarū posteriore sua, in anteriore verò aliena portaret vitia. (Pers. sat. 1.) Quod optimè quidam poëta expressit his verbis dicens, Vt nemo in sese tentat descendere, nemo: Sed præcedenti spectatur mantica terga. Quo innuit humani ingenij peruersitatem cuius ea est in alienis notandis criminibus curiositas, ea demum in suis expendendis obliuio, vt ritè & aptè homini manticato conferatur, qui aliena ad pectus, sua verò ad dorsum appendit, sicut faciebat hic Pharisæus, quē tantus angebat alienæ conscientiæ stimulus, vt illa semper ob oculos habere videretur. Ideo precabatur Deum Dauid dicens, Obscurentur oculi eorū, ne videāt, & dorsum eorum semper incurua. (Psalm. 68.) Id est cæcutiant, ne videant aliorum vita, & cernuo incedant corpore, vt pedes suos, vmbram & imaginem gressus, corporísque sui considerent. At nos contra facimus, qui aliorum vitia in crystallino intuemur speculo, cuius est natura omnia maiora, quàm sint facere: nostra verò in vitreo, quod magnorum paruam repræsentat imaginem. Præterea sicut qui procul intuentes ciuitatem maximam paruum reputant, quoniam interstitij lōgitudine, formæ visibiles attenuatæ in multò minore ad oculos perueniunt quantitate: sic qui in vitia sua oculos dirigūt, qui pauci sunt, interuallo amoris proprij interposito minima iudicant, quæ si comminus intuerentur immania iudicarent. Quare dicebat Christus in euangelio, vt vidimus in capite immediatè præcedenti, vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo non consideras: Hunc autem defectum perspicue, natura ipsa nobis videtur voluisse ostendere, siquidem ea oculos fabricauit arte, vt cùm omnia videant, seipsos nullo modo videre possint, nisi fortè speculo obiecto. Quod tamen in corporeis non in spiritualibus oculis verū habet. Anima namque nostra nō modo ea, quæ foris sunt nouit, verumetiam seipsam intuentem intuetur, considerantem considerat, & videntem videt. Præcipiebat in lege veteri Deus, vt sacerdos immolaturus, coram speculo, quod in sanctuario erat appensum, ornaretur, ne fortè quid indecorum aut ineptum in ornatu esset. (Exod. 38.) Ita & tu, si vis exactè cultū specularì tuum, indue tertiam personam, eisdem ac tu moribus instructam: tunc demum quasi in speculo, poteris exactissimè te componere, atque ornare, placiturus Deo animæ tuæ sponso. Nā sic quę in aliis reprehensione digna duceres, tibiipsi etiam imputabis, laudabiliq; deceptus fraude censurā facies tibi eorum, quæ tibi aliena ex artificio videtur.

Moses

Exod. 3. Moses virgam manu tenens, quandiu tenebat, virgam vtique esse indicabat: si autem dimittebat, in anguem conuersam videbat. In istum sanè modum se habent erga auctorem suum vitia. Nam quandiu ea penes nos morari sinimus, placida mitiaque videntur: si verò à nobis proiicimus in propria apparent figura sæua, ac venenosa. Et quemadmodum peritissimi sartores facere solét, qui vestes priùs leuiter cósutas famulo induunt, vt applicatis singulis vestimenti, ad singulas corporis partes, facilius internoscant, si quid tumescat aut trahatur, quo facto nihil ad perfectionem suam vestimento deerit: sic tu facere debes induens vitam tuam proximo, ne motuum tuorum inexperientia decipiaris. Ita fe-
2.Reg.12. cisse sapientissimum illum prophetam Nathan legimus, qui iussus à Deo, vt Dauidé de peccato suo reprehenderet, parabolicam induxit narrationem de homine paupere, qui vnica, quam habebat ouicula à magni gregis domino fuerat spoliatus.

Quod sigillatim audiés Dauid exclamauit dicés, Viuit dominus, quoniá filius mortis est vir, qui fecit hoc. Nó potuit enim magnitudo criminis in tertia persona positi occultari. Tunc Nathan breuiter ad personam Dauidis sermonem conuertens ait, Tu es ille vir, qui fecisti hoc: rapuisti enim Betsabee vxorem Vriæ, &c. Quæ verba si nudè & planè in principio edidisset, non modo Dauidem ad pœnitentiam non coëgisset, verumetiam (qui mos regum est delicta excusandi sua), vel grauiter pulsatus, vel acriter obiurgatus, aut saltem re infecta à regis conspectu discederet. Sed nunc iam ad rem veniamus. Cùm igitur peccata aliorum cæcus iste consideraret, videns, & non videns: videns inquam alios & seipsum non videns, ait intra se, occultè in hospitem suum murmurando, contra illud, quòd admonet Petrus apostolus: Hospitales inuicem si-
1.Pet.4. ne murmuratione. Dixit autem intra se verbo mentali quod est mentis cóceptus, ex quo verbum vocale procedit. *Hic si esset propheta sciret vtique quæ &*
Stultitia & temeritas Pharisæi. *qualis est mulier, quæ tangit eum.* Ex indignatione non nominat Christum dominum, sed ait hic, sicut non nominamus eos, quos odimus. Eodem etiam modo Iudæi tempore passionis domini, cú valde erant indignati, dixerunt. Hunc inuenimus subuertétem
Lucæ 23. gentem nostram. Et rursum. Non hunc, sed Barra-
Ioan.19. bam. Arguit præterea Christum quod hanc nó cognosceret. Quòd ideò demens iste putauit, quoniá dominus peccatricem illam supplici ad pedes suos peruolutam nisu, non ilico repulerat: sed benigniter susceperat. Vnde factum hoc iuxta Pharisaicæ arrogantiæ moré perpendes, non temerè se iudicasse putabat, in Christo nihil esse diuinitatis: quãdoquidem eá mulierem admittebat, cuius si propheta esset, & mores cognosceret, & consuetudinem accessumque longissimè à se dimoueret. In quo satis apertè stultitiam suam ostendit. Primò quia benè poterat Christus esse propheta & illam nó cognoscere. De⁹ enim solus est, qui omnia cognoscit: homines autem licèt prophetæ sint, multa ignorant. Quapropter malè arguit dicens, quòd si esset propheta cognosceret illam. Benè Christus, qui Deus erat, hanc mulierem & omnia cognoscebat: attamé consequentia istius Simonis non est alicuius mo-
1.Reg.6. menti. Nonne propheta erat Samuel & ignorabat quis filiorum Isai esset electus in regem? Nónne propheta erat Nathan, qui tamen cósulent Dauid vt ædificaret templum errauit: quoniá volútas Dei erat, vt Salomon ædificaret illud? Propheta & sanctus erat Helisæus, & dixit Giezi puero suo loqués *3.Reg.7.*
de illa muliere. Dimitte illam, anima enim illius in *4.Reg.4.*
amaritudine est: & domin⁹ celauit à me verbú hoc. Sciebat Helisæus tristem illam esse, quia lachrymátem videbat: causam tamen tristitiæ & planctus fatetur se ignorare. Et Paulus ait, Misi ad vos, vt cognosceré de fide vestra. Et ex parte cognoscit Pau- *1.Thes.3.*
lus, & ex parte prophetat, & núc per speculú videt, & in ænigmate: sed cùm venerit quòd perfectú est, quòd ex parte est destruetur. Nullus enim homo *1.Cor.13.*
excepto eo, qui propter nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuit scientiam aut certam veritatem. Sancti enim veri tantum ea sciebant, quæ illis à domino reuelabátur: cætera ignorabant. Sic ad singulas visiones Zacharias, & Daniel suppliciter angelum deprecantur, vt exponat sibi, quæ sunt illa, quæ viderát. Ratio autem huius rei in promptu cogitanti erit: quoniam diuisiones sunt donorum & gratiarum. Quare nec vates semper prophetabant, sed quádo duntaxat spiritus diuinus illos arripiebat. Nam si spiritus prophetandi semper adesset prophetis requisitus, cur diceret Amos, Non sum propheta: nec filius pophetæ: sed *Amos.7.*
armentarius puer ego sum, vellicans sycomoros? *Greg. hom.1.*
Hoc dixit (vt Gregorius adnotat) quia ea hora, in *in Ezech. &*
qua requisitus est deesse spiritú propheti eum sen- *2.dialo.cap.1.*
sit: ideò ait, Non sum propheta. Ineptè ergo locutus est Pharisæus iste dicens, si esset propheta sciret illam esse peccatricem, non propterea contaminaretur: ná quæ sancta sunt contaminari nó possunt, nisi vitiorum cogitationem spontè participent. Habitauit in Sodomis Loth, & Iob in terra Hus, & plerique alij viri sancti in medio prauæ nationis splendidè se habuerút. Nihil ergo Christo, qui ipsa sanctitas erat, immunditiæ ex colloquio, aut consortio peccatricis mulieris accidere potuit.

Nemo inquinare valebat eum, cuius tanta extitit puritas, vt in mundum, hanc tantum ob causam venerit, vt inquinatos, & immundos peccati labe homines, sanguinis sui aspersione ablueret. Sed videamus quam adducat Pharisæus iste rationem quare mulier ista admitti nó debeat. Ait, *Quia peccatrix est.* Quàm rationem parum prudens homo nó aduertit contra seipsum pugnare: quoniam infirmi mollius, quàm sáni tractandi sunt. Quis enim esset tam demens tamq; exigui iudicij, qui duas habens manus alteram debilem, alteram verò valenté in omni opere, quòd faceret infirmam priùs periculo & labori exponeret, valida diligenter asseruata? Inter prudentes homines membra infirma fouétur molliúsque & suauiùs exercentur, vt conualescant, & milites saucij, aut ægri diligenter curátur & custodiuntur, vt posteà pristinum nacti robur, imperatori suo gratiam rependant. Sapientissimè fecisse dominum nostrum, cogeris fateri ô impie Pharisæe, peccatricem Magdalenam ad se benigno accipientem vultu, quam olim fortissimam contra dæmoné sciebat viraginem futuram.

¶ Obserua etiam quod vera iustitia dedignatio- *Greg. Hom.*
nem non habet, sed compassionem: falsa verò dedi- *33. in euang.*
gnationé, & peccatores contemnit. Boni náq; est, peccatoris misereri, mali autem indignari. Nemo enim tam seuerus est pusillorum criminú alienorú iudex, quám ille, qui maximè scelerosus est: nemo tam perspicax est in alienis moribus discutiendis, quàm ille, qui sui oblitus viuit: nemo tanta atro-

citate insequitur aliena vitia, quàm ille, qui sua vsquequaque nititur excusare. Denique nemo tam acriter accusat proximorum errata, quàm qui multis obrutus sceleribus, quasi torpens, conscientiæ suæ ictus non sentit, aut curat. Vnde, si quis clericus aut religiosus humanæ communisque imbecillitate naturæ aliquando labitur in peccatum, à nullo tam acriter incusatur quàm ab illis sæcularibus, qui concubinarij, vel adulteri sunt. Alij enim, qui sanctiùs vitam instituunt proximorum honori parcunt, & secum reputant, se quoque simili tentatione aliquando peccare posse. Quin videamus vter iustior erat Christus an pharisæus: facilis responsio est. Christus dominus Dei filius non solùm bonus, sed ipsa bonitas, summa cum benignitate peccatores suscipit, illorúmque miseretur: at pharisæi superbè, & arroganter illos insectantur & proijciunt. Sic etiam Dauid fecit Semei, quem pœnitentiam veniámque implorantem sæuus Abisai morte puniendum iudicabat: verùm pius Dauid supplicem vita donauit, eúmque in amicitiam recepit, suam immeritò. Verissima igitur est hæc Diui Gregorij sententia, veram iustitiam compassionem habere, falsam verò dedignationem. Porrò hypocrita hic, qui pius videbatur, & Christo opera pietatis administrabat, intus plenus erat omni malitia, & fraude, ideo indignabatur. Quapropter Christus dicebat illis, Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui comeditis substãtiam viduæ, orationes longas orantes. Væ vobis, qui similes estis sepulchris dealbatis, &c. Hi sunt Gabaonitæ, qui habentes sotulares veteres, vtres scissos calceamenta perantiqua, & panes duros portantes fefellerunt Israelitas. Sic hypocritæ simulant sanctitatem asperè induti exteriùs incedentes, fraudulenter interiùs sicut Gabaonitæ. Ita hic pharisæus exteriùs pius apparebat, & liberaliter Christum inuitabat: verum interius venenũ premebat, quo indignabatur contra illam peccatricem mulierem: quòd non faceret si vt videbatur, reuera bonus fuisset, ac iustus. Denique nõ modo in dominũ peccauit, illum negans esse prophetam obiurgánsque, quòd peccatricem suscepisset mulierem: sed etiam in illam mulierem: quam, cùm verè iam esset pœnitens, immeritò peccatricem appellauit. Verùm ille malè de illa iudicabat, quia erat deprauatus affectu. Vt enim solis radius per vitrum varijs depictũ coloribus ingrediẽs vitri colores, non autem suum repræsentat, vt eùm sol sit vnus, atque idem, diuersus tamen pro colorũ varietate appareat: sic homo affectu corruptus non veros ac natiuos colores factis tribuit, sed qualis est eius affectio, tali colore rem ipsam depingit. Ingrediens enim iudiciũ per effectum, ipsius affectus colorem ostendit. Vnde videbis eadẽ, quæ in vno laudant, in alio vituperare. Prudenter equidem Agesilaus, vt est apud Plutarchum, quoties audiebat aliquos de aliorum laude, aut vituperio testimonium dicere, existimabat non minus esse inquirendos, & discendos eorum mores, qui loquebãtur, quàm eorum de quibus verba faciebãt. Sic iste affectu deprauato talia de Magdalena loquebatur, & talia de domino sentiebat, qualis ipsius animus erat. Quia Christo inuidebat, iudicauit nõ esse prophetam: & quia Magdalenã dedignabatur, dixit peccatricem fuisse. Euangelista autẽ non dixit peccatrix est, sed peccatrix erat. Olim enim peccatrix fuit, sed quãdo erat in domo pharisæi, iam non erat peccatrix illa, quæ per veram pœnitentiam iustificata est. Hic autem pharisæus dixit, peccatrix est de præsenti: si dixisset peccatrix fuit vel erat, benè vtique dixisset: sed cùm ait peccatrix est, mentitus fuit. Non videbat hic pharisæus in Magdalena opera peccatricis, sed sanctæ. Quia lugere peccata, pœnitentiam agere, pedes domini lassatos vnguento vngere, & humiliter in terra sedere, hæc opera non erant peccatricis, sed sanctæ mulieris: Quare immeritò illam peccatricem vocauit quam tam bonis intentam operibus videbat. Similes sunt quãplurimi hodierna die homines huius pharisæi (principes præsertim ac reges) quos si cliens quispiam aliquando læsit rarò apud eos bonam generare de se potest opinionem, quantúcunque correctior deinceps appareat, semper enim ab illo timent, & suspicantur malum. Hoc autem eò fit, quia nunquam præsentem, sed semper præteritam vitam respiciunt: vnde eum, si semel deliquit, sæpiùs delictorum autumant. Qua in re quantũ errent nemo non videt. Nam dic mihi, qui hodie errauit, cras non poterit iustificari? Si quis deliquit etiam nunc in delicto manet, meritò peccator censebitur: sed si pœnitet, cur nõ in piorum numero habebitur? Iniquè igitur fecit pharisæus hic, qui mulierem iam ad meliorem vitæ frugem conuersam, peccatricem ausus est vocare.

¶ Docemur hinc vt neminem, quantumcunque peccatorem cõtemnamus: fieri enim potest, vt qui hodie peccator est, cras sanctissimus euadat. Quis quondam Paulum vidit tantum ecclesiæ catholicæ aduersarium: quis iudicaret tantũ apostolum futurum, vt vas sanctitatis, & electionis posset nũcupari? Quis latronũ tãtus vnquã patronus extitit, quis eum, cuius vita omnis rapinis & ferocissimis latrociniis cõsumpta fuit, ad eam aliquãdo viuendi conditionem peruenturum putaret, vt summã fœlicitatem assequeretur? Difficilè quippe creditu est, nisi ipsum dominum, testantibus euangelistis dicentem audiremus, Hodie mecũ eris in paradiso. Rursum quis putaret, mulierẽ peccatricem, famosámque in omni populo, ad tantum scãsuram sanctitatis culmẽ, vt mereretur in ecclesia Dei esse & vocari exemplar sanctitatis, speculũ pœnitentiæ, dux errantium, & prædicatorum gubernatrix, cuius nuncio apostoli certiores facti sunt de dominica resurrectione, quibus dotibus vsq; adeò spõso suo Christo placuit, vt præter vnam virginem matrẽ omniũ fœminarũ fortissima dici possit. Nemo igitur quantumuis desperatis videatur moribus cõtemnendus est: potest enim conuerti, & benè viuere. Quare temerè iudicauit Pharisæus iste, siquidẽ eã benè agentem peccatricem esse reputauit, quam etiã peccantem contemnere nõ debuisset. Cùm ergo Deus potens sit de summè sceleratis hominib⁹, sanctissimos creare & gloriosos potiùs commiserari quàm contemnere peccantes debes: nescis enim cuiusque finem, ante quẽ nemo, aut bonus aut malus dici potest. Imò quia vt ait Apostolus, omnes alter alterius membra sumus, iuxta legem naturæ, tenemur ægrotanti membro vtut possimus subuenire. Sed iam ad contextum reuertamur. *Et respondens Iesus dixit ad illum.* O immensam & ineffabilem misericordiam, bonitatémq; diuinã. Accusantibus Scribis, & Pharisæis coram Pilato nihil respondit Saluator: adeò vt ipse præses eius patientiam miraretur & silentiũ. Nunc verò ille, qui famam & honorem suum tueri nõ curauit cõtra importunissimos calumniatores,

Margin notes: *2. Reg. 19.* — *Gregor. hom. 33. in euang.* — *Matth. 23.* — *Luc. 11.* — *Hypocrita suo pede metitur alios.* — *Iosue. 9.* — *Simile.* — *Peccatores nõ iudicãdi ante tempus.* — *Act. 9.* — *Luca 23.* — *Luc. 7.* — *Ioan. 20.* — *1. Cor. 12.* — *Ioan. 19.*

[Christus alienam iniuriam propulsat, proprias patienter patitur.] peccatricis mulieris iniuriam non sustinet, eiúsque suscepto patrocinio cõuiciatoris argumẽta diluit. Generosa quippe liberalitas, & tanto patrono digna, qui non contentus fuit peccatores benigniter recipere, quin etiam eorũ propulsat iniurias: quas molestiori animo fert, quàm si sibiipsi inferrentur. Quod, vt iam diximus, vel ex eo patet: quoniã qui pro se non respondit respondens pro hac muliere, arguit pharisæum. Sic etiam Saulo ecclesiæ perse- *[Act. 9.]* quutori dixit, Saule, Saule, cur me persequeris? Eho domine, cùm eras cruciaffixus, flagellatus, consputus, vulneribus innumeris saucius siluisti, neque tortoribus tuis verbum vllum dixisti, aut minax fecisti: nunc verò vsque adeò expostulas in cœlo regnans ob contumelias tuis illatas? Quid est in causa? Enimuero tanto arsit dominus in nos amoris igne, vt pro nostra salute leuissima iudicaret omnia, quæ in sacratissimo corpore patiebatur, tormenta: nunc autem exiguam non fert suis factam iniuriam, quorum causa ille multas tulit contumelias innumerósque cruciatus. Incredibilis est horum fauorum magnitudo: siquidem adeò clemens est dominus, vt taceat in iniuriis suis, & in alienis indignetur. Quis igitur erit tam duro & obstinato corde, qui videns tantam benignitatem non conuertatur? Quis se non tradet sponte sua in piissimas eius manus: qui prætermissis contumeliis suis, alienas propugnat iniurias? Hæc sane consideratio debuisset sufficere, vt ad Deum conuerteremur, illiúsque ad pedes prouoluti omnem curam sæcularem obliuisceremur, qui tutissimum asylum & confugium nostrum est. In hoc igitur potentissimo con- *[Rom. 8.]* fidamus propugnaculo, insurgentis in nos mundi minas cõtemnentes: nã, vt Paulus ait, si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Sanctus quoque Iob inquit, *[Iob. 17.]* Pone me domine iuxta te, & cuiusuis manus pu- *[Psalm. 26.]* gnet contra me. Dauid etiam ait, Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo.

¶ Præterea non solùm pro honore Magdalenæ respondit: sed etiã pharisæum arguit, & illum confundit. Non enim tam gratũ hominibus est, vt eos diligas & eis benefacias, quàm si etiam illorum inimicos arguas & cõfundas. Quod quia Deus nouerat cũ olim referret Iudæis collata beneficia, dixit, *[Exod. 19.]* Vos vidistis quid fecerim Aegyptiis. Et per Mala- *[Malach. 1.]* chiam etiam dixit illis, Dilexi vos. Quærunt in quo hoc est, quæ signa dilectionis ostendis nobis? Esau inquit odio habui, & posui montes in solitudine, *[1. Reg. 22.]* &c. Et in primo Regum scriptum est Saulẽ equitibus suis dixisse, Non est qui doleat vicem meam ex vobis, nec qui annunciet mihi, eò quòd suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me insidiãtem mihi vsque hodie. Quanquam Saul sæpesæpiùs expertus fuerat famulorum suorum fidelitatẽ, tamen ea contentus non erat nisi etiam Dauidem, quem ipse persequebatur, eodem modo persequerentur, & odio haberent. Eodem ergo pacto se habet hîc dominus, vt ostẽdat se in omnib. Magdalenæ amicissimum, non modo eam excusat à crimine falso obiecto, verum etiã iniquum calumniatorẽ pharisæum accusat, vera in eum retorquendo crimina. Qua in re ritè perspicies Dei bonitatem, qui tanta cura & sollicitudine suos ab omni calũnia tuetur.

[Murmuranti cedendum quoniã Deus vindex est.] ¶ Duo autem ex hoc loco documenta colligimus. Primo discamus oportet in tribulationibus persecutionibus, & murmurationibus malorũ quæ nobis obiiciũtur ab inimicis, & æmulis, tacere, patientiámque habere, Deo vindictã relinquẽtes, iux- *[Deuter. 32.]* ta illud, quod ipse ait, Mihi vindictam & ego retri- *[Zach. 2. 9.]* buam. *[Rom. 12.]* Quòd si tuteipsum vlciscens vindictã anteuerteris, tacebit vtique dominus: verùm si tacere malueris, Deus pro te pugnabit. Sic fecit & sapienter quidem hæc modestissima fœmina: quę taciturnitate sua Christum patronum constituit sibi. Vter est ad vindictam sumendam potentior: Deus an tu? Certe Deus. Vter maior honor, per seipsum vindictam sumere, an Deum habere vltorem? Certe hic. Si igitur Dei potentia ad vindicandũ maior & vindicta honorabilior sapienter facies, si iniurias tuas Deo vindicãdas reseruaueris & huius mulieris exẽplo tacere malueris, quàm cum ignominia, aut certe cum minori laude vindicari. Tacuit Iacob, sed locutus Deus pro illo Labã minatus est. Tacuit Su- *[Genes. 31.]* sanna, nec senes impios vllo refellebat argumento: *[Dan. 13.]* at præsto fuit Deus qui illam patrocinatus defendit. Nihil respondebat Moses fratribus suis Aaron, & Mariæ murmurantibus, sed non defuit illi in tali *[Num. 12.]* casu Dei patrocinium. Tacebat Iob exprobrantibus amicis: verùm Deus causam illius agens grauiter eos obiurgauit laudans serui sui sanctissimi Iob mirabilem patientiam, inquiens Iob pro illis oratu- *[Iob. 1. 42.]* rum. Tacebat demum Magdalena Christo pro illa respondenti. Quòd si dixeris, pharisæus intra se loquebatur, ideo nõ colligitur ex hoc loco Magdalenam patienter tacuisse, siquidem pharisæum murmurantem non audierat. Ad hoc respondetur: etiãsi ex verbis ipsius pharisæi nõ collegit Magdalena explicatissimè contumeliam sibi illatã, tamen quia ex verbis inter Christum & pharisæum vltrò citróque habitis coniectari potuit, & nihil inde mota in pio perstitit officio, nihilo minore digna laude est. Discamus secundò ex hoc loco eam esse naturam, *[Murmuratio plus officit murmuranti quàm quæ patit.]* & conditionẽ murmurationis, vt plus emolumenti quàm damni illis, in quos intenditur afferat. Quare verè dicere possumus Magdalenam multò fuisse maiori obstrictam debito pharisæo illi murmuranti, quàm si ipsam laudasset: eius enim murmuratio, Deum fecit esse patronũ. Quo quid fœlicius? Nam proculdubio si pharisæi animo insedisset Mariã laudare, non esset cur Christus loqueretur: sed quoniã murmurauit, Christum sibi opposuit defensorem: quo facto mulier illa tanto dignata fuit patrono. Plus igitur cõmodi illi attulit murmuratio, quàm laus afferre potuisset, vt optimè expendit Origenes in Numeris, nullo tẽpore accipimus Mosen vsque adeo à Deo fuisse laudatum, quàm tunc, cùm Aarõ *[Orig. hom. 7. in Num.]* & Maria fratribus murmurantibus, eius honor periclitabatur. Quod duodecimum Numerorum caput legenti facilè patebit quãtis cõtra fratres suos Moses à domino fuerit laudibus ornatus. Maria seipsam lepra infecit, Mosem fratrem suum laude decorauit: sibi ignominiã & opprobrium, fratri gloriam & honorem peperit. Eodem ergo modo quo olim Dominus pro Mose stetit, tuetur & nunc honorem famulæ suæ Magdalenæ: & quemadmodum tunc Aaron & Maria, laudato fratre Mose confusi sunt, ita modo pharisæus celebratis Magdalenæ egregiè laudibus pudibundus discessit. Quin quemadmodum, qui cãdelam digitis emũgit seipsum digitósque inficit fumo fungóque cõpresso, at ipsam multo reddit clariorem: sic pharisæus iste Magdalenæ mores perstringens nitidiores fecit, & semetipsum retortis à domino eisdem argumẽtis inquinauit. Hoc idem tibi continget quoties de proximo tuo mur

tuo murmuraueris: illi enim proderis, tibi autem nocebis. Nam omnes, qui in alios maledicunt, illos multo clariores & nitidiores reddunt. Sed quid dominus dicat huic pharisæo, audiamus.

Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille dixit, Magister dic. Vide hic & considera Christi benignitatem maximam. Hominem superbũ & inuidum, qui Christum dominum, ac si non esset propheta, cõtemnebat, leniter & mansuetè alloquitur: & volens illum corrigere, non conuitiis, aut iniuriis, sed blandò illũ compellat sermone. Ideóque eum proprio nomine nominat, in quo suam lenitatem ostẽdit, tum illum nominando, tum etiam quasi postulando ab eo loquendi facultatem. *Psal. 140.* Scriptum est enim, Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinget caput meum. Docet etiã hic Christus Saluator noster, vt quòd possimus, conuiuiorum murmurationes incidamus. Nam D. Augustinus coram mẽsa sua hos duos versiculos fecit inscribi, Quisquis amat dictis absentũ rodere vitam, Hanc mensam indignam nouerit esse sibi. Eodem ergo modo qui verè sanctorum esse vult imitator omnino debet, maledicentium consuetudinem & sermones effugere. Sed procedamus. Ait ergo dominus huic pharisæo,

Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent donauit vtrisque. Quis ergo eum plus *Greg. li. 16. mor. cap. 2.* *diligit?* Fenerator iste dominus est, qui veniens ad mortem vniuscuiusque pecuniam exiget cum vsura gratiarum. Debitores autem isti sunt Simon & Maria. Potest etiam dici, quòd nos simus Dei debitores, quia omnes illum offendimus. Nam si dixerimus, quia peccatum nõ habemus, nosipsos seduci- *1 Ioan. 1.* mus, & veritas in nobis non est. Dicuntur autẽ pec- *Debitũ quid.* cata, debita, non quod ea debeamus, vel Deus hæc à nobis exigat: sed ideo peccata debita vocantur: quia non fecimus, quod debuimus facere: & ob iudicij pœnam debemus. Et sicut pecuniã, quam quis debet creditori, si nõ soluit statuto tempore dupliciter incurrit debitum, supra pecuniã, quam debet: nempe debitũ culpæ, eò quòd non soluit, per quod fecit contra charitatem & fidem, & offendit creditorem: & debitũ pœnæ, quam debet iudici, eò quòd contra iustitiam exigit. Sic, eò quòd nõ fecimus debitum nostrũ Deo, cui obligati sumus, cõtrahimus duo mala, videlicet, peccatum, siue culpam, & rea- *Matt. 6.* tum siue pœnam. Et hęc duo nomine debiti intelligũtur. Ideo rectiùs in oratione Dominica dicimus, dimitte nobis debita nostra: quia debitum plus est quàm peccatum. Nam per debitum petimus dimissionem culpæ & pœnæ, at per peccatum dimissionẽ tantùm culpæ. Nam peccatũ multoties dimittitur *Exod. 32.* quoad culpam manente pœna, vt patet in Exodo, cum dimittebatur populo culpa cõflati vituli, Mose orante pro eis. Et post remissionem culpæ dixit dominus Mosi. Ego autem in die vltionis visitabo hoc peccatum eorum. Percussit autẽ dominus populum pro reatu vituli, quẽ fecerat Aaron. Sic etiã Danidi peccatum dimisit dominus quoad culpam, *2. Reg. 12.* non quoad pœnam. Ideo dixit illi Nathã, Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Veruntamen, quia blasphemare fecisti nomen domini, &c. Non habebant autẽ vnde redderent, quia nemo ex suis viribus seclusa Dei benignitate soluere Deo potest: nemo potest ex se satisfacere pro peccatis, nisi illa gratia Dei suppeditet vires, & præsidium. Non enim sumus sufficientes ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *1. Cor. 3.* Quid enim habes quod non accepisti? Iam si accepimus, donum Dei est: si donum Dei est non ex nobis, perinde atque ex nobis proficiscitur, sed ex preueniente, & cooperante gratia: cui potissimum ferri acceptam oportuit, & conuersationem nostram & satisfactoria opera. Agit hic multis argumentis Paulus, quando dicit, Nõ ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. *Titum. 3.* Et ad Ephesios, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. *Ephe. 2.* Quibus liquidò cõstat, & Christum & Paulum loqui de eo statu quo peccatores sumus alieníque à Deo, non autem de eo quòd amici Dei sumus. In eo siquidem statu, quo gratiã consequuti, benè operamur, multis modis satisfacimus, reddimúsq;, quod debemus. Reddimus enim Deo quod Dei est, animam scilicet, & corpus, preces, vota, & id genus alia ex charitate erumpentia opera. Redde inquit Dauid, altissimo vota tua. *Psal. 49.* Et iterum, Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? *Psal. 115.* Calicem salutaris accipiam: vota mea domino reddam. Oseas etiam, *Osea. 4.* Reddemus vitulos labiorum nostrorum. Sapiens *Ecclef. 5.* etiã, Si quid voueris Deo, ne moreris reddere. Quo etenim colligimus longo interuallo eos aberrare à verò, qui posse à nobis Deo reddi autumant. Reddimus enim ei ieiunia, eleemosynas, &c. & quicquid boni cum eius auxilio operamur.

¶ Ait itaque nõ habentibus vnde redderẽt: quia animum perperã æri obstrinxisti alieno, quia venũdatus es sub peccato. *Rom. 7.* Iam quoniam sub peccato venũdatus es, nihil Deo dignũ repensare potes, nisi liberes saluatoris beneficio. Et hoc est, quod ait. Donauit vtrisque: intellige per Christum, qui est sanctificatio nostra. Nã vt Paulus ait, proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit, &c. *Rom. 8.* Et hoc ex sua maxima misericordia: quia apud dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. *Psalm. 129.* Potest homo per se peccare, non tamen Deo reddere nec ei satisfacere sine eius auxilio: sicut nec resurgere à peccato: Interrogat igitur Christus Simeonem, Quis istorum duorum debitorũ plus diligit, ille cui dimisit quingẽtos, aut ille, cui dimisit quinquaginta. *Respondens Simon dixit, Aestimo quòd ille, cui plus donauit.* Nam iuxta naturalem legẽ ille, qui plus accipit plus debet diligere. Magis enim teneor illum obseruare & colere à quo pluribus sum affectus beneficiis: quàm illum à quo pauciora in me cõstant munera, & per consequens illum pluris facere multóque magis amare debeo. Quare benè respondisse pharisęum patet: vnde & à Christo eius respõsio approbata fuit. *At ille dixit ei. Rectè iudicasti.* Hinc discamus veritatem à quocũque dicatur, magnifacere, & amplecti. *Veritas a quocunque asseratur amplectenda.* Veritas enim (quæ eius dignitas est) nec odio aut vilipensione authoris est metiẽda, nec vlla de causa repudianda. Quanquã multi sunt hodierna die contrafacientes, qui si quem odio habent omnia eius opera & artes inania & vitiosa iudicant (tantũ potest animi affectio praua) nec vlla ratione induci possunt, vt credant quæ benè aut laudabiliter inimici faciunt nomine aut laude vlla esse digna. Itaque suauissimè cauentẽ, rudere dicũt: doctissimè concionãtem, vt vel Pauli æmulus videatur stridula perstrepere, inaniáque verba effutire insimulant, ingeniosè docẽtem nihil inquiunt eruditum, nihil

nouũ, sed omnia mendicatò accepta profiteri murmurant. Quod ingens horrendúmque nefas est. Fieri enim potest, imo maiori ex parte ita accidit, vt qui in vno culpabilis est, in alio sit laude dignus. Exemplo nobis est pharisæus iste, qui cùm alioqui inuidus superbúsque esset: tamen, quia hic sapienter loquutus est, à Christo domino laudem, & honorem sententiæ suæ reportauit.

¶ Ex hoc etiam quòd Christus approbat sententiam Simonis hominis arrogantissimi, sequitur nō omnia infidelium opera esse peccata putanda, imò esse multa in eis opera à peccato immunia, vtpote quæ à recta ratione vel elicita sunt, vel executioni mandata. Neque enim interiit in omnibus mortalibus recti & honesti iudicium: id quod cernere licet in philosophis plerisque & aliis pluribus reipublicæ moderatoribus.

¶ Sequitur secundò hominem extra gratiam positum multa agere & dicere, quæ de genere morum bona sunt, iusta, ac naturali legi consona. Si vos (inquit Christus) cũ sitis mali nostis bona facere, &c.
Luc. 11. Sed iam ex hac Simonis respōsione cōcludit Christus suum argumentum. *Et conuersus ad mulierem dixit Simoni.* Conuertit faciem suam ad mulierem secus pedes eius iacentem: quoniam cum pharisæo loquebatur, in illam tamē sermo tendebat. Spiritualiter etiam se conuertit ad eam per respectum mentis suæ piissimum & maiorem gratię infusionē. *Vides hanc mulierem.* Attende ad fœminam istam valde notabilem: cuius gesta consideratione dignissima sunt: in qua sicut priùs abundauit culpa, nunc
Consuetudo antiqua lauandi pedes. abundat, & gratia. *Intraui domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti.* Ego intraui in domum tuam, ista tamen quæsiuit in domo aliena. Et tu aqua, quæ in promptu est pedes meos lauare non fecisti: cùm tamen hoc ex cōsuetudine hospitalitatis existat. Mos enim erat antiquis, vt cum aliquis inuitabatur ad
Genes. 18. prandium, pedes illi lauarentur, antequam discum-
Genes. 19. beret, & posteà cibus apponebatur. Sic Abraham cum angelis fecit. Afferam, inquit, pusillũ aquæ, vt
Genes. 24. lauētur pedes vestri, ponam buccellam panis. Loth etiam idem fecit. Laban quoque legitur dedisse aquam ad lauandos pedes virorum & camelorũ, qui cum seruo Abrahæ venerant. Sic etiam, vt in libro
Iudi. 19. Iudicum habetur, ille senex, qui leuitam, & vxorem eius suscepit hospitio, priùs lauit pedes eorum & posteà dedit cōuiuium. Paul. quoque laudat viduã, si hospitio accepit, si sanctorũ pedes lauit. Ex hac
1. Tim. 5. consuetudine credo Christũ lauisse pedes discipulorum suorum, & nō post cœnam. Et cùm ait Ioan-
Ioan 13. nes, Et cœna facta, id est, parata, surgit à cœna, id est, antequam cibum caperet lauit pedes discipulorũ. Itaque cũ hæc essent in cōsuetudine apud antiquos præcipuè debuit fieri Christo qui incedēs nudis pedibus, habuit eos lassos puluerosos, & afflictos. Sed hoc, quod Simon nō fecerat, fecit hæc mulier: ideo ait, *Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos.* Quod tu aqua, quæ in prōptu est, non fecisti, hæc lachrymis fecit suis: cùm tamen lachrymæ ab interiori affectu procedentes multò difficiliùs summóque cũ labore extorqueri soleāt, in ea præsertim copia, vt lauādis pedibus sufficiant. Ex quo patet quanto interuallo in me honorādo mulier ista te superauerit: siquidem tu nec aquā pedibus meis defatigatissimis dedisti, illa autē lachrymarum profluuiũ exhibuit. *Et capillis suis tersit.* Quo claret quātum nūc crinium suorum pristinum cōtemnat ornatum, quæ pedum sordes illis abstergere nō dubitat: non obstāte communi omnium fœminarum cōsuetudine in capillorum cultu & ornatu in primis gloriantium.

Osculum mihi non dedisti: hæc autem quo intraui nō cessauit osculari pedes meos, oleo caput meum non vnxisti, hæc autem vnguento pedes meos vnxit. Pluris mulier hæc fecit pedes meos, quā caput suũ: maiorémque habuit rationem pedum meorum: quàm tu habuisti capitis mei. Nam tu caput meũ vngere non curasti, hæc verò summa cũ sollicitudine pedes vnxit, cũ tamen caput longe sit pedibus dignius. ¶ Expende autem quàm gratus sit dominus, qui non solùm cultum sibi exhibitum laudat, verumetiam minimas circũstantias: vt magis exaggeret, quod eius causa facimus magisque in nobis laudandis immoretur. Eo etiam modo nō cōtentus Dominus, quod summatim Magdalenæ prędicasset officia, sigillatim vniuscuiusque valorē, & circunstātias, nulla excepta, explicate prosequitur. Ita fecit olim idē dominus lau- Genes. 22.
dans Abraham sacrificiũ faciētem: nihil enim prætermisit, de quo illũ laudare posset. Nō solũ enim dixit, quia sacrificare Isaac voluisti: sed ait, quia fecisti hanc rē, & nō pepercisti filio tuo vnico propter me. Nec contentus, filio, dicere, sed, vnico dixit, &, tuo: quo maior Abrahæ laus euaderet. ¶ Obserua etiam dominum ita accipere, tātàque beneuolētia admittere obsequia pœnitentum, ac si gratis ei fierent & non ex debito, cùm tamē nihil Deo præstare possimus, quod non iam multò anteà debeamus. Quemadmodum nanque illum hominē præ omnibus hominibus gratissimum iudicaremus, qui pro iis quæ sibi aliàs essent debita, non minus gratias ageret, quàm si gratis acciperet: ita & potiori ratione Deũ erga omnes beneuolentissimum dicere possemus, cuius eximius in nos amor meminem indonatum esse sinit, cùm nihil illi præstari possit, quod suum non sit. Hęc verò in hac muliere planè videre possumus. Obsequia enim quæ præstare tenebatur, non minorem apud Deum gratiam inierunt, quàm si spontanea essent, non debita. Quod vel ex laudibus quibus à domino commendatur, quiuis diiudicare poterit. Præterea tanto odio prosequitur Deus inuidos, vt sæpenumerò iustos extollat causa plectendi inuidos. Quare, vt qui inueteratā dæmonis inuidiam nouerat, Iob coram illo iustitiam cōmenda- Iob. 1.
uit Deus. Sic etiam laudauit Mosen coram Aaron Num. 12.
& Maria eius germanis: quia Mosis gloria inuidebant. In hunc ergo modum laudat hanc mulierem in præsentia istius pharisæi, quem inuidissimum esse dominus proculdubio nouerat multò ante. O pharisæe existimas me adeò captum esse conuiuio, quod mihi præstitisti, vt tibi, præter omnes obnoxius sim? falleris profectò. Hæc enim mulier me longè lautiùs inuitauit. Tu nánque ea, mihi inuitato apposuisti, quæ terrena communia sunt etiam infimis hominibus: illa verò non protrita, non vulgaria mihi ministrauit obsonia. Primum mensam mappis pœnitentiæ strauit, quibus panem cordis humiliati & contriti, sectũ doloris cultello imposuit: lachrymas deinde eduxit, quibus pocula mihi suauissima miscuit: addidit præterea singultuum suspiriorúmque harmoniā non vulgarē. Quare nō est, cur in me inuitando, cōuiuium tuum cum huiusmodi mulieris conuiuio contendere possit. *Propter quod dico tibi, remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum.* Concludit cum hoc argumentũ. Verùm difficultas hic non exigua consurgit ex verbis domini. Et vi- Quæstio.
detur

detur dominus non aptè argumenti sui periodum conclusisse, imò contrariũ probandi demonstrasse. Dixerat enim superiùs, cui plus dimittitur, plus diligit, & cui minus dimittitur, minus diligit: quibus verbis sanè visus est ostẽdere, dilectionem esse effectum beneficij accepti, beneficium autem causam dilectionis, in cuius exemplum debitores adduxit, qui multum dilexerunt: quia remissa fuerũt illis debita multa. Nunc verò contra videtur in huius mulieris laude se habere: non enim dicit, dilexit multũ, quoniam dimissa sunt ei debita multa, imò oppositum asserere videtur: nempe, quoniam dilexit multum, dimissa sunt ei peccata multa. *Responsio.* Ad hãc difficultatem multi multis modis satisfacere conantes, nõ satis videntur dubitationem tollere. Quare si quid ego (quæ ingenij mei imbecillitas est) dignũ re tanta efferre possum, dixerim coniunctionem illã, quoniam, hoc in loco non causam, sed effectum dicere. Vnde verba illa domini, dimittũtur illi peccata multa, quoniam dilexit multum eandem vim habẽt, ac si dixisset: Dimittuntur illi peccata multa, ideóque dilexit multum. Sic etiam sumitur in psalmo sextodecimo *Psalm. 16.* vbi regius psaltes Deum alloquitur dicens, Ego clamaui: quoniam exaudisti me. Nunquid ea de causa clamauit, quia exaudiuit illũ dominus, minimè: sed potius e diuerso fuit ideò exauditus, quia clamauit: priùs enim clamauit, & posteà exauditus est. Quo in loco, quoniam, sumitur pro, ideóque, & sensus. Ego clamaui, ideóque exaudisti me. Similiter hîc, quando dixit Dominus, dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: idem est, ac si dixisset. Dimissa sunt ei peccata multa, ideóque dilexit multum. In Græco etiam originali habetur oti, quæ dictio significat quamobrem, quapropter, vel ideóque. Sensus igitur est. Dimissa sunt ei peccata multa: quamobrem dilexit multum. Et iuxta hunc sensum (quem verum esse censeo) nulla manet difficultas, nec est aliqua ratio dubitandi: nam si ille cui plus dimittitur plus diligit, quia huic mulieri dimissa sunt multa peccata, ideo dilexit multum. Itaque priùs fuit dimissio peccatorũ & posteà secuta fuit dilectio, sicut in illorum debitorũ exemplo patet, quia ea causa dilexerunt, quia à debitis suis absoluti sunt.

Exempla dilectionis D. Magdalenæ.

¶ Igitur, quia dimissa sunt ei peccata multa, sic Christum amore prosequuta est, vt vna virgine matre excepta inter omnes mulieres summũ dilectionis gradum meruerit. Huius autem amoris argumenta non rarò, imò sæpenumero ostendit Magdalena quæ omnia longũm esset recensere.

Ioan. 20. Primùm nanque ignei amoris sui indicium tulit, quando primò resurrectionis dominicæ mane, accedentes ad sepulchrum Petrus & Ioannes abierunt postmodum, illa verò nusquã discessit, donec dominum resurgentem à mortuis vidit, in quo illis fortunatior fuit, quoniam etiam in amore longè vehementior. In quo non minima dignum consideratione puto huius beatissimæ mulieris amorem: non modo enim causa est cum primariis Christi apostolis in amando domino concertare: verùmetiã ipsos superare potuit. Ideóque in eius persona canit ecclesia, Recedentibus discipulis ego nõ recedebam, *Ioan. 19.* & amore illius succensa æstuabam desiderio.

¶ Secundò patet eius dilectio ex diligẽtia, quam impendebat in vnguentis ad Christum vngendum præparandis. Nam quanquam Nicodemus domini tumulator diligentissimus centum myrrhe & aloës libras attulit, quibus satis supérque vnguenti fuit: amor tamen Magdalenæ non eo cõtentus est, quin plus afferret. ¶ Tertiò illum, quem hortulanum putabat, *Ioan. 20.* vocabat dominum dicens, Domine, si tu sustulisti eum dicito mihi. Quis hortulanũ dominum vocaret? Habebat quidem animũ tanto alienatum amoris incẽdio, vt nec sciret cum quo loqueretur. Quare mirum non est si hominem tenuis fortunæ, & conditionis, vt videbatur, tam honorifico compellet sermone: nihil enim ingens amor recusat, dummodo id quod cupit consequi possit.

¶ Quartò quantum dominum amaret patefecit tum demũ, quando dixit se corpus dominicũ portaturã, quod cũ impossibile fere esset, mulieri præsertim infirmæ, patet omnia hæc esse, quasi quasdã feruentissimas scintillas, quæ ab igneo cordis amore circumquaque spirabãtur. Non timuit Pharisæorum, aut principum sacerdotum indignationẽ, qui re audita illam statim capitali plecterent supplicio: quia verò amori sicut nihil impossibile, nihil etiam formidandũ videtur. Dixit ergo si tu sustulisti eum: quæ sanè verba cũ essent obscura facillima putauit intellectu: nõ enim animaduertebat quid alij putarent: adeò in sua tota cogitatione immersa rapiebatur. Sed de his iam sit satis: sequentia videamus.

Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Non parua hîc statim sese offert difficultas. Dicet aliquis, Ergo, si cui minus dimittitur, minus diligit, è diuerso, cui plura dimissa sunt, magis diliget: & sic peccator, cui multa peccata dimisit Deus magis diligit, quàm innocens, qui nunquam peccauit, vel quàm ille, qui pauciora commisit: & per consequens latro, qui pependit in cruce plus diligit Deum, quàm Ioannes Baptista, & Magdalena, quã virgo Maria mater Dei. *Lucæ 23.* Ad hanc tamen difficultatem breuiter responderi potest amorẽ, quo erga aliquẽ afficimur multis modis posse cõsiderari, variisque causis & respectibus procedere. Quod vel hoc exemplo perspicuum erit. Chirurgus quidã hominem lætali saucium vulnere mira sanauit arte, curauit etiam filium leuiter percussum in digito negotio facili: posteà vtroque vulnerato contendentibus, vter chirurgũ plus diligeret, exurgit quæstio: ait extraneus, Ego magis medicum meũ amo, quã tu, quia à maiori multo, quàm tu, sum per illum infirmitate liberatus. Cõtendit altera ex parte filius. Et si tu ea de causa patrẽ meum diligas, ego tamẽ alias habeo multo plures, quibus illum amem, & quoniam genuit, & educauit me, & etiã quia curauit. Hoc pacto, chirurgus hic in quãtum medicus plus amatur ab extraneo quã à filio, at verò in quantum pater plus à filio, quã ab extraneo: verùm quoniam amor paternus maior semper censeri debet amore mẽdicatiuo, aio, longè amãtiorem esse filium chirurgi, quã extraneum. In hũc ergo modũ Deũ amare possumus peccatores, vt medicum, innocentes, vt patrẽ, & sic nihil sanctissimæ virgini aut Ioanni derogatur. Illa enim dilexit eum plusquam omnes, vt dominũ & patrẽ, & præseruatorẽ nõ vt medicũ aut iustificatorẽ, nihil enim peccauit innocentissima, pro quo curãdo medici indigeret. Baptista etiam dominum dilexit in quantum patrẽ, & dominũ, & sanctificatorẽ, & plusquã Magdalena & latro: quoniam labis expers fuit peccati. Hæc autem de illis dici nõ possunt. Nã Magdalena ab innumeris letalibúsque saucia peccatorũ vulneribus medicinã à domino & salutẽ impetrauit, latro item in cruce pendẽs in extremo vitæ suę curriculo

veniam omnium peccatorum suorũ obtinuit. Quare multum quidem diligũt dominum, vt medicum suum: verùm non adeò vt cõferri in dilectione cum virgine matre, aut Ioãne possint: qui cùm præstantiores diligendi habeant causas, plus diligãt, est necesse. Maria enim virgo multis à Deo, ab vtero matris suę dotibus ornata, ad summum omnium mortalium amoris fastigium obligata mansit, ad quod tandem diuina cooperante gratia peruenit. Ioãnes item in vẽtre matris sanctificatus cæteris omnibus hominibus in dilectione antestat, præter illam virginem intemeratam. Ex dictis satis supérque omnẽ dubitationis difficultatem sublatam esse intelligo, nec obstant verba illa, cui minus dimittitur minus diligit. Nam ea ratione verùm habent, non tamen impediũt, quin aliquis alia de causa, quemuis amet multo ardentiùs, quã debitor creditorem suum: vt in exemplo superius posito & in virgine matre ac Ioanne modo probauimus, qui Deum, in quantum patrem & dominum amantes, longè latronem & Magdalenam superarunt, qui dominum, vt medicum amabãt, minoribus causis, minorem effectum imponentes Sed iam ad contextum. *Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata tua.* Vide Christi modestiam: qui cùm ipse peccata dimittat non, inquit, Ego dimitto tibi peccata, sed dimittuntur tibi peccata tua. Omnia, inquam, peccata. Nam vt D. Augustinus ait, in libro de pœnitentia, impiũ est à Deo expectare dimidiã veniam. Post multas lachrymas hoc audire meruit indulgentiæ verbum, at serenata est mens eius. Quemadmodum vbi vehemẽs imber prorupit fit serenitas: sic lachrymis effusis apparet trãquillitas animi & perit caligo reatuum. Vide autem iudicis clemẽtiam in peccatores resipiscentes. Nihil enim moratur pharisæorũ temeritatem, non authoritatem extimescit eorum, qui omnibus erant admirationi: sed cõstanter pro peccatrice pronuntiat, Dimittũtur tibi peccata tua. O mirã Christi benignitatem, & humanitatem. Discant principes & prælati Christiani, non ab arrogãte pharisæo superbiã, sed ab humillimo Iesu modestiã & mansuetudinem, neu velint nimia acerbitate subditos perdere sicut pharisæi miserũ Iudam. Vt enim qui vasa vitrea maculis contaminata mũdare, & ad perfectum nitorẽ perducere volunt, non debent durè manus applicare, ne fortè dũ abstergunt, rigida manus impressione fragile conterant fictile: sic præsules, quibus subditos suos coinquinatos corrigere incumbit, summa openiti debent, vt ea sese in corrigendo moderatione gerant, ne illis perniciem consilent, dùm eos ad puritatem animíque pulchritudinem perducere conantur. Et quemadmodum inter illos, qui chirurgicam exercent artem, ille peritior, & expertior cẽsetur, qui molliores manus vulneribus admouet, minimúmque ægrotum mouet, ille verò habetur rudior atque agrestior, quo medicante, ægrotus exclamat dolore percitus: sic ille prælatus prudentior æstimandus est, qui potiùs lenitate, piáque moderatione infirmis subditorum animis medicamina salutaris exempli atque doctrinæ impertitur: Rursum (vt in eodem simili adhuc immorer) sicut chirurgus membrum corruptum & desperatum secturus non incandescit, vti hostẽ inuasurus, sed potiùs securo placidóq; vultu, infirmam miseri ægrotantis mentem placat, timorémque illius & suum prudenti quadam dissimulatione premit, ne perturbatio artem impediat, maiorémque

Prælatorum pietas erga subditos.

dolorem pariat: sic prælatus in amputandis subditorum suorũ vitiis sese gerat oportet, summa vtens moderatione, & maturitate, ne dùm vitiosam partem carpit, sanam conuellat piorum, scilicet, scandalo afficiens mansuetudinem, & pietatem. Nihil enim est præstantiùs nil digniùs præsulis dignitate, quàm placabilitas & clementia: omnis enim castigatio contumelia vacare debet. Hæc docet Christus in huius peccatricis susceptione & in istis verbis dulcissimis, quibus eam alloquitur. At non sic, imò multò aliter se habent nostri temporis prælati aliqui, qui cùm vel leuissimo offendantur verbo, non leuiter placantur, sed minantur, furiunt, atque insaniunt: adeò vt naribus, ore totóq; vultu ignem micare videantur. Quod adhuc ferendum quoquo modo foret, si aliquem debacchandi finem statuerent, neu miserorũ calamitate insatiabilem ad crucem vsque seruare vellent, iracundiam. Qui, si in huius mulieris casum fore incidissent, quid facerent? Vinxissent, credo, miseram, torquerent, neque vllo modo miserescerent. At, quæ illorum sit impudentia non minori, non modo dolore, quàm admiratione dignum puto: ita securam, atque otiosam vitam transigunt, quasi omni iure & ritè administrarent, solo Christiani nomine cõtenti. ¶ Discant etiam non solùm prælati, sed & omnes nos Dei iudicium vereri, & peccatorum nostrorum agere pœnitentiam discamus. Nam si hæc mulier sanctissima Magdalena ipsius Dei verbis, qui fallere non poterat, certior de salute facta sua cùm esset, omnibus suis peccatis dimissis, & in gratiæ constituta gradu, nihilominus tantum peccatorum suorum magnitudinem timuit, vt victu, habitúque durissimo, quadraginta circiter annos, aquæ potu, & herbarum pastu sese in deserto continuit, acerrima pœnitentiæ perseuerantia: quid nos, miseri mortales peccatores facere expediret, quorum salus in ambiguo posita, nullo modo nos securos, & otiosos esse sinit? illa Christo familiaris, Spiritu sancto illustrata, pœnitentia purificata, non quieuit, non destitit à præclara virtutis actione: nos per peccatũ à Deo alieni, criminum labe infecti & iugo iniquitatis detriti, otiabimur? ô ingentem confidentiam, ô audacem hominum stultitiam! Ne, quæso, miseri mortales, ne tanto rapiamini mẽtis furore, vt quod fragilis, eneruísque mulier ad perfectionẽ facere non dubitauit: vos ad salutem, & remedium animæque ipsius pretiosissimę redemptionẽ, facere cunctemini, ne peioris conditionis simus qui in hoc extremo mundi sæculo nati sumùs, quàm fuerant illi: qui ad vineam colendam vespere conducti tantundẽ mercedis acceperunt, ac illi qui summo mane surrexerant. Sed de his aliàs. *Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se. Quis est hic qui etiam peccata dimittit.* Nunquid est Deus, cui soli proprium est dimittere peccata? ipse enim ait per Esaiam, Ego sum qui deleo omnes iniquitates tuas. In libro quoque Iob habemus, Quis est, qui potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? Sed illis respondeamus ex Daniele, qui de Christo loquẽs ait, Ipse est sanctus sanctorum, per quem consummabitur præuaricatio: & finem accipiet peccatum, & delebitur iniquitas. Veniat & alius testis, qui testimonium de Christo ferat, & audiamus Michæam, Ipse est Deus, cui non est similis, qui aufert iniquitatem: & transfert peccatum electorum suorum, & deponet omnes iniquitates nostras & proiciet in profun

Matth. 20.
Esai. 44.
Iob. 14.
Dan. 9.
Micha. 7.

Ioan. 1. 1. Pet. 2. profundum omnia peccata nostra. Est etiam ille agnus Dei, qui tollit peccata mundi: qui nec peccatum fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Christus igitur in quantum Deus remittebat peccata authoritatiue: secūdum verò naturam assumptam dimittebat peccata instrumentaliter, & etiā, vt causa meritoria. ¶ Cæterum Christus non respondit istis, sicut illis, qui similia murmurauerunt, vt in capite quinto vidimus: quia sciebat illos deteriores futuros si responderet & cōfunderet eos. Quapropter dimittens illos, vertit sermonem suum ad mulierem, *Dixit autem ad mulierem. Fides tua te saluam fecit.* Mirabile est, quòd Christus iustificationem huius peccatricis fidei attribuat, præsertim cum anteà dixerit dimissa fuisse illi peccata ex dilectione. Veruntamen vt hoc intelligamus penitiùs est nobis hoc tractandum. Et quidem beatitudo huius viæ, quæ iustificatio dicitur, respōdet & assimilatur beatitudini cœlesti. Anima enim in cœlo fit beata. Primò quia Deus infundit animæ lumen gloriæ quo illustratus & eleuatus intellectus disponitur ad diuinā visionem. Secundò ipsémet Deus vnitur intellectui per modum speciei intelligibilis intimè mouendo ad beatam intuitionem. Iam tertiò anima Deum videns eum summè amat. Quartò verò videns & amans, eo perfecta fruitur dilectione. Sic in impij iustificatione: primò Deus animæ auxilio luminis fidei illuminat intellectum. Secundò mouet ad dolorem ex Dei timore, quem incutit peccatorum & inferni repræsentatio. Tertiò nascitur amor ex Dei misericordia & bonitate quam considerat. Quartò infunditur gratia & charitas, cuius exercitium delectatio bona & fœlix est. Et sicut beatitudo tribuitur visioni: ita & principium iustitiæ fidei. Sic intelliges illud, quod Abacuch dicit, iustus ex fide viuit, & Paulum dicentē, Iustificati ex fide: & quod modo & in aliis locis Christus ait, Fides saluat peccatores & iustificat impios: vt principium id facere intellige. Quia enim fides est radix, fons & origo iustificationis impij, ideo dicitur, Saluare peccatores & iustificare impios: & eodem modo peccatricē Magdalenam saluam fecisse dicitur. Ipsa tamen sola non iustificat: nam ad iustificationē, si in genere loquamur, certum est necessariam esse iustificationē peccatoris, quæ per mandatorum obseruantiam fiet. Ideo crediderim Dauidem toties mandata iustificationes vocare. In particulari tamen cum fide est necessaria dilectio Dei super omnia & pœnitentia etiā formalis, aut virtualis sicut est in martyre. Hæc omnia satis patet fuisse in beatissima Maria Magdalena. Laudauit autem Christus illam potius à fide: quia est fons & origo vitæ spiritualis. Quoniam sicut à corde habent omnia membra nostri corporis virtutes: ita & à fide sicut à radice vitæ spiritualis, habent omnia opera nostra quamcunque vim, quæ ad salutē conducant spiritualem. Sed ad contextū. *Vade in pace.* Sentiebat intùs mulier fructū magnum ex præsentia Christi & propterea percepta venia peccatorum & commendata eius fide non recedebat: nisi dominus suaui præcepto discessum imperasset. Sed væ nobis qui adeò abhorremus à diuina conuersatione, vt vel nemine imperante, aut monēte statim discedamus, & à bonis operibus procul recedimus. In ipso enim orationis principio non secùs defatigamur ad negotia redeuntes sæcularia, ac si vel diem vnum iugi precatione sustinuissemus. Quam igitur esse putabimus causam, quare tanto rerum diuinarum, & Dei consuetudinis tœdio afficiamur, vt vel nondum plenè finitis precibus, concione, aut statim discedamus nec benedictionem aut missionem vel facultatē abeundi expectemus? Equidem nihil aliud in causa esse puto nisi summa in iis, quæ ad salutem pertinent agendis, frigiditas. Si nanque ea niterentur conatus nostri animi propensissimi deuotione & amore, qua Magdalena, non pigritaremus vtique ad diuina, neque defatigaremur leuibus vel etiam grauibus pro salute laboribus. Vt enim populo Israel fructibus terrenis abundanti, interdictum fuit manna, cœleste nutrimentum: ita iis, qui rebus sæcularibus supra modum præpediti tenentur, negantur & meritò diuinæ consolationes & gaudia.

Fidei radix iustificationis.

Abacuc. 2. *Rom. 1.* *Rom. 5.* *Psal. 118.* *Iosue. 5.*

¶ Obserua etiam quòd in pace dixit, vt vadat, & hoc consequenter postquam dixit remittuntur tibi peccata tua. Nam vbi est remissio peccatorū & Dei gratia, ibi pax est: sed vbi peccatum manet, ibi non pax sed rixæ, & quæstiones multæ sunt & litigia iuxta illud Esaiæ, Non est pax impiis dicit dominus. Vnde si rectè animaduertimus, comperiemus proculdubio peccatum esse originem & principium omnium bellorum & malorum. Ex eo enim, quòd homines pro libidine sua viuere volunt, oriuntur lites, contentiones, rapinæ aliis inuadentibus aliena, aliis verò sua pro virili tutantibus. Quin, si aliquando vel timor vel humana imbecillitas effrænes cōpescit animos, quominus agere possint & affectus suos re præstare: nihilominus tamen venenosam libidinem sub pectore seruant in tempus, si quod nacti fuerint idoneum, reponūt, iuxta illud, Cor impij quasi mare feruens. Non est igitur pax neque inueniri potest nisi vbi Christus est, ipso testante. Hęc loquutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. Vnde Psalmista, Pax inquit multa diligentibus legem tuam. Et filius eius Salomon ait, Donum & pax est electis Dei. Quapropter videns dominus quantas calamitates & lites miseri mortales patiantur: omnes ad se summam quietē & bonitatem vocat. Inuenietis, inquit, requiē animabus vestris. Ideóque post remissionē peccatorum, & non anteà, dixit dominus huic mulieri. Vade in pace, Hoc est, vsque adhuc laborasti mille conscientiæ tuæ inquietationibus & cruciatibus: at modo iam placido esse potes animo, ideo vade in pace. Iacob quādiu Labam socero suo seruiuit, innumeris laboribus & ærumnis subiacuit: à quibus nulla vnquā ratione id temporis se explicare potuit. At verò relicto Labān, postquam se in libertatem vindicauit, exercitus angelorum obuios habuit aliaque bona quàm plurima nactus est. Sic igitur tu quādiu sæcularium seruitio teneberis, plurimis afficieris incommodis à quo simulatque te euolueris, & ad Dei tui cultum eduxeris, visionibus angelicis cœlestibúsque consortiis perfrueris, &c. ¶ Expēde etiam quòd quamuis Christus permiserit liberè abire, quo vellet, ne propterea in errorem incidas credens nullam à nobis satisfactionem requiri. Ad quid confessores imponunt pœnitentibus ieiunia, orationes, afflictiones, & cætera opera pœnalia: Impia hæc vox est. Respondeo breuiter: Satisfactio duplex est, Altera redemptionis & satisfactionis, & hæc solius est Christi, qui redemit nos, & lauit nos in sanguine suo. Alia est satisfactio vindicationis & emendationis: & illa est nostra. Quia homo per pœnitentiam, crucifigens veterem hominē, destruit corpus peccati ne vltra

Peccatū principium omniū bellorum. *Esai. 48.* *Esai. 57.* *Ioan. 16.* *Psal. 118.* *Prouer. 3.* *Matth. 11.* *Genes. 30.* *Satisfactio duplex.* *1. Petr. 1.* *Galat. 5.*

vltra seruiat peccator: vt sicut membris suis corporei, & animæ suæ viribus abusus est, ad peccatum, & Dei offensam, sic vtatur eis ad Dei gloriã. Et hoc modo, tota vita nostra pœnitentia esse debet, & satisfactio vindicationis, & emendationis. Prætereà, Magdalena à culpa, & à pœna, virtute contritionis, quæ in illa fuit maxima, libera erat: ideóque non aliam illi Christus imposuit pœnitentiam. Sed sacerdotes, qui virtute clauium absoluũt, vult pœnitẽtes à culpa, quia adhuc manet pœna tẽporalis exigenda hic vel in purgatorio: pœnitẽtias, id est, hæc opera pœnalia iniũgunt, vt satisfaciant Deo hic in hac vita, ne exoluant pœnas in alia. Deus optimus & maximus, præstabilis super omnem malitiam concedat nobis ita in hac vita veram & condignam facere nostrorum peccatorum pœnitentiam, vt absoluti à corpore mortis huius, statim inter sanctos videre mereamur in æterna illa beatitudine dominum Iesum Christum Saluatorẽ, sæculorum ipsum regem angelorum: qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen. *Ioel. 2.*

CAPVT VIII.

Exod. 25. & 26. INTER alia multa, quæ in veteri lege loquutus est dominus Mosi hoc vnum fuit, vt omnia faceret secundum exemplar, quod illi fuerat monstratũ in monte. In lege etiã gratiæ exemplar, quod dominus nobis dedit, ad quod respicientes nullo modo errare possumus, fuit ille, qui errare nullatenus potest. Ipse enim dominus noster Iesus Christus positus fuit in signum, cui qui contradixerit peribit: qui autem secutus fuerit & acceperit Christum in regulã, errare non poterit, siquidẽ omnis Christi actio nostra est instructio. Hac de causa omnia eius gesta & verba oportet inspicere, & memoriæ commẽdare, & sequi operibus & vita. Nullum equidẽ opus fecit, in quo aliquid nõ astrueret, nihil enim superfluũ, nihílque quod mysterio careat euangelistæ scripserunt. *Luc. 2.*

¶ Igitur postquam suprà posuerat instructionem communem discipulorum, nunc docet, ne pigri sint ad docendũ: sed opere & exemplo insinuat circuire loca, castella, & ciuitates euangelizans verbũ Dei, exemplo suo assiduam docẽs prædicationem. Ideo ait euangelista noster Lucas. *Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella prædicans, & euangelizans regnum Dei.* Circuibat Iesus ciuitates, & oppidula, quæ nos (aldeas) vocamus, quoniam maioribus & minoribus sine alicuius personę acceptione prædicabat, iuxta illud sapientis, Quoniã pusillũ & magnũ ipse fecit & æqualiter illi cura est de omnibus. Docet prælatos & prædicatores discurrere, non solùm per loca magna, sed etiam parua villagia euangelizantes. Sed nunc iam nõ quærunt ex ipsis loca paruula & despecta pauperũ agricolarũ mansiones, sed amplissimas vrbes colunt, vbi affatim vino lautissimisque abundẽt dapibus & delitiosè (ne dicam luxuriosè) viuant. Quin & non pauci aulas principum frequentant non ea causa vt obscænos aulicorum mores corrigant: sed vt fauorem principum, & gratiam venentur, qua vel ad episcopatum vel aliam maximam perueniant dignitatem, quam tam vitiosis mediis quæsierunt: & pauperes aratores intereà inopia euangelicæ doctrinæ pereunt: nõ habentes hominem, à quo possint ad aquam Spiritus sancti gratiæ perduci: non aliter quàm si Christus pro illis, sicut pro aliis sanguinẽ suum pretiosissimum non fudisset. Hæc autem omnia ex hoc oriuntur malo, quia huiusmodi concionatores, non animarum salutem, aut ecclesiæ christianæ emolumentum quærunt: sed suæ præter omnia vtilitati & gloriæ indulgent. Ideò non est mirum si aulas principum tantummodo frequentent. At Christus dominus non solùm magnos principes, sed etiam paruulos rete prædicationis suæ capere cupiens, non solùm Hierosolymitãs & potentes ciuitatum homines, quin etiã per rura discurrens infimos quosque, pauperrimósque aratores prædicatione sua ad salutem vocabat. *Sap. 6.* *Contra concionatores aulicos.*

¶ Sed quid prædicabat? Regnum Dei. Non enim fabellis poëtarum enarrandis operam dabat: sed ea tantummodo quæ salutis sunt prædicabat. Vnde princeps apostolorum Petrus inquit, Non indoctas fabulas secuti nota facimus vobis domini nostri Iesu Christi, &c. Et sanctissimus Iob, Nũquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Verùm tempus iam venit quod diuus Paulus prædixerat, dicens, Erit tempus cùm sanam doctrinam nõ sustinebunt, sed ad desideria sua coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertuntur. Quod vsque adeò nostra hac tempestate miserrima increbrescit, vt non modo populus, sed etiam ipsi doctores inutilia magis quàm ea, quæ ad salutem conducunt, ament: in quo audientium libidini assentantes, suæ etiam voluptati non refragantur, diuini sermonis iacturam paruipendentes. *1. Petr. 1.* *Iob. 13.* *2. Tim. 4.*

Et duodecim cum illo.

Suo exemplo ad prædicandum prouocat, iuxta illud, quod in Deuteronomio habetur, Sicut aquila prouocans pullos suos ad volandum, & super illos volitans. Ij duodecim continuò Christo domino assistebant, alij autem modò aderant, modò aberãt. Non solùm autem Apostoli, quin & deuotus sexus fœmineus dominum sequebatur: quapropter sequitur in contextu. *Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus.* Sexus fœmineus religiosior multò quàm virilis: quoniam fœminæ mollioris dociliorisque ingenij sunt. Hoc autem harum mulierum exemplo perspicuum nobis est, quæ cùm essent non tenui, imò amplissima fortuna & conditione viuendi præditæ, non dubitarunt, religionis vi impulsæ, omnia Christi causa relinquere, nõ secus sui, suorúmq; oblitæ, quàm si paupertate summa premerẽtur. Quod autem diuites fuerint, patet, quia ministrabant de facultatibus suis, & peregrinationem susceperunt. Qua in re sapientissimè se habuerunt. Nam quemadmodum ille infirmus sapit, qui curatus, morbóq; profligato, medicũ tamen suum eousque tenet, quousque omnem morbi suspicionem euaserit: ita & multò potiùs sapiẽs ille censebitur, qui dùm in morboso huius vitæ hospitio diuersatur, nõ permittit dominum longiùs abire, non solùm infirmitatis medicus: verùm etiam sanitatis conseruator est. Propter quod & meritò dicebat Martha, Domine, si fuisses hic, frater meus nõ fuisset mortuus: tu enim es conseruator salutis, & vitæ. Dicuntur autem curatæ ab infirmitatibus, & à spiritibus malignis: vt & corporalis & spiritualis sanitas illis præstita fuisse indicetur. ¶ Piissimam harum mulierum gratitudinem miremur: cuius ne memores simus, pro tantis à Deo beneficiis acceptis, nullum incommodum, nullum impedimentum sæculare impedire debet. Nihil enim est, quod magis *Deuter. 32.* *Sexus fœmineus ad pietatem & deuotionem propensior masculino.* *Gratitudo virtus Deo grata & hominibus.*

magis diuinam liberalitatem offendat, quàm beneficiorum suorum obliuio. Non ignorauit in hoc diuinam voluntatem ille generis humani reparator Noë qui coercita aquarum alluuione, egressus de arca sua è vestigio struxit altare, Deóque vir gratissimus obtulit sacrificiũ. Idem quoque fecit Patriarcha Abraham cadens pronus in faciem corã Deo, *Genes. 8.* & gratias agens illi: eò quòd dominum pollicẽtem audiuerat, semen eius fore multò arenà maris numerosius. *Genes. 17.* Quòd si in re tam graui humilium similitudine vti non dedignamur, equidẽ, non solùm munera, quæ inter homines vltrò, citróque mittuntur, sed etiam beneficia, quæ à domino in nos conferũtur pilæ lusoriæ simillima inuenio. Nam sicut ille, qui in pilæ ludo iactanti è regione respõdet, strenuè rem suam agit, si ea agilitate & modo corpus liberet, vt omnem iactũ excipiat, pilámque, ante quàm terram tangat, retorqueat in tortorem suũ: sic multò pulchriùs cœlestis lusor, qui à Deo celerrima excipit beneficia, diuinæ palæstræ gloria dignus censebitur, si totius corporis vi & animi gratiã rependat diuinis beneficiis, priusquam obliuionis puluere fœdentur. *Iem. 17.* Hoc fecit ille leprosus, quem infrà noster Lucas ait venisse ad Christum & gratias egisse. *Luc. 4.* Idem socrus Petri: quæ à febri liberata, & in pristinã incolumitatem restituta, surgens ministrabat Christo Saluatori suo. Hanc verò beneficiorum memoriam & gratitudinem cõmendauit dominus Israëlitis cùm dixit, *Exod. 12.* Mementote diei huius quo eduxi vos de terra Aegypti. Quòd si altiùs sacra omnia in hãc rem rimari velimus, nullam aliam ob causam æquè primariã inueniemus festiuitates fuisse stabilitatas, nisi vt in huiusmodi diebus, memoria aut eximiæ alicuius hominis sanctitatis, aut præclari à Deo præstiti beneficij recoleretur. *Exod. 16.* Hac etiã de causa manna in posteritatem seruabatur, vt nouissent minores, maiorum suorum panem, quo aliti erant à Deo in deserto, vt grati essent domino. Sed eò vecordiæ processit hoc tempore hominum peruersitas, vt nemo sit beneficij accepti memor, præsertim si benefactorem immutata fortuna pressum vident: tunc enim, nec de facie, vt aiunt, agnoscunt. Quamobrem summopere commendandi sunt, qui hisce nihilò magis præpediti, nostris temporibus benefici sunt erga proximos suos. Cùm enim ab hominibus rarò aut nunquam gratiam sperent, restat, omnia, quæ faciunt, diuina motos pietate facere: qua in re vni Deo gratificari contendunt. Vnde virtutis studiosos omni contentione hortari non desistam, vt ab iniquitate hominum ansam sibi cõmodandi sumant. Nam quotiescunque gratiam nobis ab hominibus repensum iri credimus (quæ nostra fragilitas est) hominum causa & non Dei, multa facimus: at cessante mortali gratia, quis nisi mentis inops, immortalem non quærat, quæ vel illa stante fuisset præferenda? Quid quod & vtranque seruare erga homines & erga Deum gratiam, simul & faciliùs, & meliùs est? Verum paucos Dauidi similes inuenies: qui Salomoni filio suo imperauit, vt mensæ suæ admitteret filios Berzellai, *3. Reg. 2.* à quo Absalonem fugiens, *2. Reg 19.* in deserto benignè susceptus fuerat. *2. Reg. 9.* Eodem etiam modo Miphiboseth filium Ionathæ conuiuam fecit suum, memor amicitię, quam cum patre inierat. Sic etiam Laban gratus fuit seruo Abrahæ: Nam vidẽs iocalia, in aures, videlicet, & armillas, *Genes. 24.* quæ seruus Abraham dederat Rebeccæ sorori suæ, venit ad illum & dixit ei, Ingredere benedicte domini: & cum hospitio multa accepit humanitate. In hunc item modum Ietro sacerdos Madian gratus fuit Mosi, *Exod 2.* quoniam filias suas defendisset. Vnde fecit eum vocari, vt comederet & dedit illi filiam suam in vxorem. *Iosue 6.* Nec minus Iosue sollicitus fuit, ne Raab meretrix, quæ nuncios suos absconderat, ruente ciuitate periret. Quin & Saul destruẽs Amalech Cinæò cuidam pepercit, *1. Reg 15.* eo quod benè se habuerat cum filiis Israel. *2. Reg 2.* *3. Reg 18.* *4. Reg. 4.* Dauid quoque misit ad viros Iabes Galaad, & gratias egit eis, eò quòd sepelierant corpus Saulis & filiorum eius. Denique Helias gratum se præstitit viduæ à qua alebatur & filium eius mortuum suscitauit: & eodem modo Heliseus. Sed procedamus. Nominat euangelista aliquas mulieres ex his, quæ Christum sequebantur, dicens,

Maria, quæ vocatur Magdalena, de qua septem dæmonia exierant.

Marcus etiam ait, Christum priùs Mariæ Magdalenæ aparuisse, *Marc. 16.* de qua septem dæmonia eiecerat. *Greg. hom. 33. in Euan.* An verò iuxta literam hoc sit verum non inuenitur, sed exponitur à diuo Gregorio & ab aliis, de peccatis: quia Maria Magdalena plena vitiorum fuit. Hęc enim postquam Christus ei remisit omnia peccata contemnens fastus, & vana mundi, quibus anteà seruiebat, Christum sequuta est: & facta eius fidelissima discipula & comes. Semper à bono in meliùs profecit, neque ad pristinam mundi conuersationem reuersa est. ¶ Discamus huius mulieris exemplo non tantum peccata relinquere, sed etiam opera bona exequi, & in his bonis actibus perseuerare. *Peccata non solum fugienda sed & occasiones eorum.* Non enim satis est, vt vitam pristinam peccatorum plenam relinquas: sed oportet vt post lamenta, Christi vestigia sequaris. Fuge igitur huius exẽplo non tantum peccata sed occasiones etiam peccandi: relinquens domum propriam, cognatos, patriam, teipsum denique, vt Christum sequaris. Hæc sancta mulier non solùm præteritam vitam planxit, sed Christum etiam sequuta est, veréque cõpuncta omnia sua deseruit, neque amplius ad vomitũ peccati reuersa est. Ita & nos facere debemus huius cõstantissimæ mulieris exẽplo, vt postquam semel nos à peccatorum laqueis explicauerimus, eum deinceps vitæ modum instituamus, vt non peccata solummodo, verùm & peccãdi offendicula vitemus. Nihil enim æstimat dæmõ illius peccatoris cõuersionem, qui peccatum odit, peccandi verò occasiones nõ fugit. Quoniam nec peccatum vitari, neque virtus retineri, non sublata peccandi ansa, vllo modo possunt. Sic Pharao rex Aegypti populo Dei dicebat, *Exod. 10.* Ite, & sacrificate Deo vestro in terra hac. Ita & dæmon nobis interdum ad virtutem est autor, eo tamen modo, vt vel superbiores in criminibus, vel securiores in pœnitendo efficiamur. Hac ratione quoties fateris retenta concubina, quoties aleam detestaris, arma tamen ludendi seruas, quotiésque quoduis bonum opus exequeris, peccandi nõ sublata ruina, non modò dæmonem nõ molestia, quinetiã summa afficis voluptate. Nouit nanque quemadmodum in morbis accidit, recidiuantem infirmum multò periculosiùs laborare: sic in peccatis relabentem longè grauiori periclitari spiritualis salutis iactura. Hac igitur de causa Pharao populum Israel longiùs sacrificandi causa abire non sinebat, *Exod. 10.* vt posset quoties vellet, illum in solitum redigere seruitium: & dæmon etiam alumnos suos eò vsq; in virtute procedere patitur, vnde illos reuocare cum voluerit, facilè possit. Discamus ergo ab hac muliere

muliere, ita radicitùs vitia extirpare, inimicíque ditionem ita infringere: vt peccata & omnia peccatorum semina extinguamus.

¶ Obseruandum hic etiam est neminẽ Christum perfectè aut sequi aut amare posse, quin priùs à se dæmonem eiecerit. Hac de causa euangelista noster priùs dixit fuisse septem dæmonia eiecta ab anima huius mulieris: quo pacto addidit, Christum deinceps fuit sequuta. In quo docemur ad Christi imitationẽ oportere priùs omnibus sæcularibus oblectamentis affectu saltẽ renunciare. Vnde mira fuisse Samaritanorũ stultitia conuincitur, qui vt in quarto Regum volumine legitur, Deum colebant, idolis suis seruientes. Contra quos stat sententia, Nemo potest duobus dominis seruire. Quapropter manifestum est, qui Deum colere intẽdit, priùs omnibus vitiis renunciare oportere, vt sic demũ libero possit animo cœlestibus inuigilare negotiis. Videamus etiam quæ erãt aliæ, quæ Christũ simul cũ Magdalena sequebantur. Ait enim euangelista. *Et Ioanna vxor Cusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ.* Multæ, inquit, sequebantur eum his tribus, quas tantum nominauit, vt primarias. Sæpè enim in scriptura in re minus insigni, insignior intelligi solet. In Genesi nanque dicitur, Recordatus est dominus Noë & omnium animantiũ. In Noë intelligit vxorem eius & filios cum vxoribus suis. In eodem prætereà libro Simeonẽ & Leui Sichimitas interfecisse habetur, cùm aliam multam familiariũ & fratrum turbam adduxerint. Et in Ezechiele legimus, Hæc dicit dominus mõtibus & collibus, rupibus & vallibus. Et subdit, Disperdam excelsa vestra, omittens colles. In Ruth libro quoq; duodecim tribus à Rachel & Lia descendere dicuntur, prætermissis ancillis: à quibus etiam originem ducebant. Sic in præsenti nomine istarum trium, aliæ etiam, quæ Christum sequebantur, intelliguntur. Qua etiam ratione insigniores nominans euangelista Mariæ Magdalenæ priùs mẽtionem fecit, à qua septem dæmonia dominus eiecerat. Quoniam quãuis priùs peccatrix fuerat, celebrior tamen, principalior & sanctior fuit, quare primò nominari meruit. De aliis duabus non dixit dæmonia eiecta fuisse nisi tantum de Magdalena. In quo quantum possit gratia & bonitas diuina, res est profectò cogitatu dignissima. Nam tantum operæ & studij impendit hæc mulier in Dei cultum vt quæ antea cũ vilissimis peccatoribus numerabatur, posteà castissimis & sanctissimis matronis præferretur. Commendat locus hic Dei bonitatem & clementiam, qui peccatores verè pœnitentes vsque adeò extollit. Quare bono animo simus, quicunque peccatorum pondere præmimur, diuina freti misericordia: ad quam si cõtrito & humiliato corde confugiamus, impetrabimus procul dubio, vt sicut modo cum extremis peccatoribus caligamus, aliquando cum primariis electis Dei splendeamus. Quia non est manus domini abbreuiata. Quod vnum summè te commouere deberet cogitantem qua soleat dominus humanitate suscipere illos, qui verè conuertuntur.

4. Reg. 17. — *Matth. 6.* — *Discipulæ Christi & imitatrices multæ.* — *Genes. 8.* — *Ezech. 6.* — *Ruth. 4.* — *Esai. 59.*

¶ Expende etiã non sine magno mysterio euangelistam descripsisse Ioannam coniugatam fœminam, domini esse sequacem: vtique nõ in hoc inuitum fuisse coniugis animũ innuit: sed potius communem in Christo cultum & fœminæ & viri consensum indicat. Ad hoc enim venit dominus, non vt coniugia dirimerentur, sed vt qui carneo tantummodo vinculo coniuncti videbantur, spirituali non modo matrimonij lege: verum & virtutis nexu, cõstringerentur. Porrò hæ sanctissimæ fœminæ sequebantur Christum non tantum verbo, sed opere: & debito obsequio. Quare sequitur in contextu.

Quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

Quia dominus & eius discipuli doctrinæ euangelicæ inuigilantes parùm de temporalibus curabant: ideo hæ mulieres illis temporalia ministrabant, suæ paupertatis rationem habentes. Propter hoc ad Corinthios apostolus ait, Ordinauit dominus his, qui euangelium annunciant, de euangelio viuere. Et iterum, Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si vestra carnalia metamus? Ideo dominus discipulis suis dixit, mittens illos ad prædicandum. Edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Sed iam reges & principes malunt facultates suas in scurras, hominésque ridiculos & vitiosos insumere, quàm in sacro euangelij prædicatores. Mundus plus mendacium quàm veritatem diligit. Quod malum tollerabiliùs aliquantò mihi videretur, si apud sæculares homines tantum fieret. Sed eò peruasit iam luxuria & proteruitas mortaliũ, vt quod in aulis regum vix ferendum reputabatur, passim apud episcopos & prælatos reperiamus. Qui perfricta fronte non minus securi discumbentes cum cognatis & sæcularibus hominibus audiunt non modò lubrica, verumetiam impudica & inhonesta: quàm si sacri alicuius libri lectionem audirent. Vnde fit, vt perperam consumptis amplissimis redditibus, non habeant quo religiosis & literatis sacerdotibus possint subuenire. Qui cùm moribus & eruditione dignissimi sint, episcoporum suorum negligentia, vix vnquam etiam tenuè sacerdotium consequuntur. Sed de his satis. Ad rem ergo deueniendo, ingens non solùm mulierum, sed & virorum Christum sequebatur multitudo, nouã domini doctrinam & miracula demirans. Ideo sequitur in litera: *Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarẽt ad eum, dixit per similitudinem.* In eo quod multa turba conueniebat, completum esse illud cernimus Esaiæ, Et fluẽt ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite ascẽdamus in montem domini, & ad domũ Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus, &c. Turba autẽ sequebatur Christum, non principes, aut magnates. Ij enim alia amant, & in aliis occupantur: nempè in rebus terrenis, honoribus, & deliciis. Insipida est istis Christi doctrina, quapropter rarò sacris intersunt concionibus, meridiano & eo breuiter recitato sacrificio contenti: quoniam ad omnia diuina torpent. Ideò Paulus ait. Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, &c. Et in Ioanne etiam quidam dixerunt, Nunquid aliquis ex principibus credit in ipsum? sed turba hæc maledicta, quæ ignorat legem. Expende autem & vide quomodo boni ad bonum conueniunt. Nam omnes ij, quanquam à diuersis oppidis & locis venerant, concordi tamen sententia ad sequendũ Christũ vsi sunt: quod in malis secus cernimus. Illi enim siquid facere præsumunt mutuò se impedire solent: quales fuerũt illi qui turrim Babel ædificabant. Sic etiã quoties vel de honore aut dignitate aliqua cõtendũt, qua superbia, quáve inuidia pugnent inter se, quis non videt? At multò aliter ij fecerunt, qui cùm se nunquam nouissent, pro-

Facultates principum & episcoporum in pios vsus expendendæ. — *1. Cor. 9.* — *Ibidem.* — *Luc. 10.* — *Turba Christũ sequitur, magnates deserunt.* — *Esai. 2.* — *1. Cor. 1.* — *Ioan. 7.* — *Genes. 11.*

tinus

tinus socij facti sunt, & in vnum consensum adunati, vt verbum diuinum audirent. Vnde hoc prophetans *Esai. 11.* Esaias dixit, Habitabit lupus cum agno & pardus cũ hædo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur. Et subdit, Quia repleta est terra scientia domini. Ad Christi pædicationẽ & doctrinam de diuersis ciuitatibus conueniunt, & replentur scientia domini. Sic etiã in arca Noë erant anima- *Genes. 7.* lia diuersi generis. Præterea, vbi est concordia fratrum & charitas & pax: ibi facit fructum verbum Dei. Vos autem ad lites & contentiones propera- *Esai. 58.* batis: vt Esaias inquit, &c. Porrò in parabolis & similitudinib. loquebatur Christus, iuxta illud psal- *Psal. 77* mi, Aperiam os meum in parabolis, loquar propositiones ab initio. Est autem parabola rerum dissimilium genere sub aliqua similitudine facta com- *Parabola quid.* paratio. Non enim est sensus parabolæ ille, quem verba primo significant, sed qui per res significatas *Iud. 9.* nobis insinuat. Sicut in libro Iudicũ dicitur, quòd ierunt ligna, vt vngerent super se regem. Clarũ est, quòd illud non de lignis, sed de hominibus per ligna significatis intelligitur. His similitudinib⁹ vtebatur Christus in cõcionãdo propter duo. Primò, vt memoriæ hominum doctrinam suam infigeret. Nam sicut stomacho virtute, quam retentiuam vocant, maximè opus est, vt susceptum conseruet, & foueat nutrimentum, donec per totum corpus effundatur: sic animæ incumbit non esse diuinorum oblitam documentorum, vt in virtute progrediatur. Aliter enim quid prodest multa audiuisse, si firmam in memoria mansionem nõ faciunt, ac si nunquàm audita fuissent? Gemmæ solent, ne amittantur, filo mandari: sic diuina verba terrenis rebus & similitudinibus quasi annectuntur, ne à memoria *Leg. Chrys. hom. 45. in Matth.* dilabantur. Igitur Christus similitudinibus vtebatur, vt pœnitiùs in auditorem mentibus documenta sua locaret. Dominus enim, qui optimè nouerat omnino ad salutem consequendam necessariam esse diuinorum documentorum recordationem, parabolis vtebatur: quoniam illæ humano ingenio in primis quadrare solent, vnde voluptate audiendi adiuuante, fore non dubitauit, vt homines multo essent magis doctrinæ suæ isto modo memores. Hominem videbis ætate confectum memorantem, se ab hinc quadraginta annis, in cõcione quadam, pulcherrimam notasse similitudinem hanc vel illam, cùm verissimile sit multa sublimiùs fuisse ex sacra Theologia denarrata: sed quia parabolæ in primis hærent hominum mentibus, omnibus aliis elapsis, illius rei duntaxat meminit, quæ vehementiùs voluptatem mouit. Qua de causa dominus noster prudentissimus & sapientissimus rerũ omnium cognitor, parabolis doctrinam suam annexuit, vt tenaciùs hærerent.

Leg. Aug. 2. de doctr. Christ. c. 6. *Quare Christus in parabolis locutus.* ¶ Secundò vtebatur similitudinibus, vt ea, quæ dicebat clariora auditoribus forent. Quoniam illa, quæ altiora sunt, & ab vsu quotidiano remotiora, similitudinibus, præsertim à rebus terrenis desumptis, maximè explicatur: quia proceditur à notioribus ad minus nota. Quo etiam modo explicandi quotquot docent, vti solent: si enim in locũ obscuriorẽ incidunt, adducta cõparatione illũ solent exponere. Quamobrem Christus dominus, qui summè ab omnibus doctrinam suam intelligi exoptabat, vt faciliùs perciperetur, ne fortè offensi rerum inuolucris & obscuritate auditores ab audiendo deterrerẽtur, frequentissimè in omni euangelio parabolis vtitur: sed dicet aliquis. Contra hanc assertionẽ proculdubio fecit illud, quod redemptor noster apostolis suis inferiùs dixit: vobis datũ est nosse mysterium regni Dei, cæteris autẽ in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Si igitur in parabolis sermo cæteris obscurior reddebatur, ne quicquã contendimus parabolas ad rei explicationem contendere. Breuiter tamen, & facilè potest responderi. Omnis sermo obscurus similitudine redditur facilior: quoniã ignotũ per notius datur: veruntamen quotiescunque, vel ex rei natura, vel ex auditorũ incuria atque imperitia parabola obscura est, tum demũ non modo dictorũ sensus aperitur, sed potiùs magis obstruitur. Similitudines igitur à Christo domino adductæ nõ ex rei natura erant obscuræ, alioqui enim, nulla esset maior ratio, quare meliùs ab apostolis, quã à cæteris percipiebantur: cæterũ quia plerique omnes magis animo cauillãdi & incusandi quæcunque dicebat, aderant quàm vt sibi imitanda proponerent: ideo non intelligebant, quia non intelligere parui interat. Non ita apostolis euenit: erant enim non modo audiendo attẽtissimi, quin etiã ad agendũ paratissimi. Manet igitur hinc ea sententia constans, Christum maioris claritatis gratia cõparationibus vsum fuisse: quòd si ab aliquibus minus intelligebãtur, illud fuit quia non animo bono aderant audiendi. ¶ Ex hoc carpũtur illi, qui præclarè se munere suo fungi pu- *Arrogantia quorundam concionatorũ.* tant, si in prædicatione & doctrina sua sublimes se gerunt, ea dicentes, quæ à nemine, nisi à doctissimis quibusque intelligantur: quasi prædicatio non ad exponendã doctrinã euangelicã apud simplices & rudes sed ad ostentandũ ingeniũ corã doctis, instituta fuerit, dicente Paulo, se tam sapiẽtibus, quã in- *Rom. 1.* sipientibus esse debitorem. Hi autẽ autumant indecorũ esse authoritati suæ, si eo sermone verba faciãt quo quilibet de plebe loqueretur: nec animaduertunt nõ puduisse diuinũ verbũ, verbis humilibus in hominum vtilitatem concionari. Quid dicã de diuo *1. Cor. 1.* Paulo, cuius in omnibus sanctissimis scriptis humilitas sermonis cum pietate certare videtur. Nec dubitat dicere se nihil scire nisi Christũ dominũ crucifixum. Ideo ergo Christus doctrinã suã, tam planis & perspicuis similitudinibus proposuit: ne quis sermonis difficultatẽ suæ inertiæ prætexere posset. Sic loqui voluit, vt eum non modo docti, verùm & simplices & plebei intelligerent: & vt non solùm in templo & ex libris, sed etiam in ipsis quotidianis actionibus & laboribus nostris pietatem & religionem disceremus. Atque hoc Christus tam euidenter in hac parabola proposuit, vt vel manu contrectari possit. Proponit ergo hanc similitudinem.

Exiit qui seminat seminare semen suum. Quemadmodum in bello tuba animosos excitat, timidos consternat: ita doctrina euangelica aliis ad ædificationem, aliis verò ad ruinam inculcatur. Quamquam enim multi eodem gestu & modo sacris intersint concionibus: tamẽ diuersa ingenia variæ comitantur opiniones & voluptates. Qua de causa multos concione facta videmus sicut priùs frigere, alios iocari, nonnullos maledicere & murmurare: paucos (quod dolendũ est) iustificatos discedere. In hunc propè modũ prædicante Christo domino turba frequẽs aderat, partim causa leuitatis cuiusdã & nouitatis, partim calũniæ & odij, nonnulli, vt audirent & custodirẽt verbũ domini. Quod cùm vidisset dominus, vt aptum pro auditorum qualitate & differen-

tia

tia exordium sumeret, parabolam proposuit, quam egregiè explicauit, nihil omnino proficere animo non benè subacto & præparato millia multa præceptorum inculcare: quippe quæ nōdum percepta statim elabentur. Similitudo autem non solùm sapientissimū arguit sensu suo authorē, verumetiam aptitudine & vsu ipso rerum omnium humanarum peritissimum. Sed quid potuisset latere illum, à quo omnia illustrata sunt? Parabola ergo est hæc, Exiit seminator seminare semen suum, &c. Agricola verbi diuini doctor est, semen doctrina euāgelica: quæ variis ab auditoribus animis excipitur. Multi enim audiunt: sed alij tentationū itineribus peruij transeunte diabolo, semen doctrinæ amittunt: alij libidinibus dediti, ea quæ Dei sunt in animo suo, amore terrenorum opprimunt: alij superbia, & sæuitia duri monita cœlestia germinare non sinunt aut radices agere. Pauci sunt suauioris & prudentioris ingenij, in quibus diuinum semen inualescens radicatum & fructum fert centuplum. Sed de his sigillatim suo loco dicemus: hæc tantum ad summariam parabolæ expositionem dicta sufficiant.

Et dùm seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est. Solent enim viatores, tempore præsertim hyberno, ne cænosa via impediatur ingressus, marginibus agrorum scandere, vt tenacibus suffulti cespitibus & puluerea adhuc terra firmiùs incedant, quo grana recens proiecta reteguntur.

Et volucres cæli comederunt illud. Quid mirum, quæ etiam latētia vnguibus rostróque expiscari solent, si in propatulo prostituta, collegerint grana. Hæ autem volucres (vt nos inferiùs suo loco dicemus: nunc enim ad alia festinat oratio) domino explicante, dæmones sunt: qui assiduò cogitationum nostrarum secretiora rimantur. Nunc sequitur.

Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit quia non habebat humorem. Aruisse mirum non est, quia sine humore viuere non potuit. Sed qua ratione in petra dura & sicca natum est? Non eadem ratio est. Nam semen proiectum sub dio quocunque corpore participet, calore & humore proportionaliter se habentibus facilè germinat primam vitæ suæ gemmam, quam statim dimittit nisi aliunde fortiori nutrimento adiuuetur. Ideo dixit natum aruit, quia non habebat humorem.

Et aliud cecidit inter spinas & simul exorta spinæ suffocauerunt illud. Quoniam experti sumus, gramina viliora, si vberem nanciscantur fundum, multò validiùs sese extollere, quàm ea, quæ homines multo
Dubium. labore conserunt. Sed dubium est: si bonū in agendo potentiùs est quàm malū, semen potiùs debuisset suffocare spinas, quàm è cōuerso. Attamen non est eadem ratio. Quoniam in anima illa suffocatio non causatur ex impotentia boni agentis contra malum, sed ex malitia voluntatis, quæ bonū semen diuini verbi reiicit, atque spinis se subiicit. Verùm iuxta illud, quod litera sonat, dimittendo significa-
Genes. 3. tionem parabolæ vsque in posterum. Postquā terra propter præuaricationem Adæ maledicta fuit à Deo, natura sua, & spōte spinas, & carduos profert nemine semināte. Aliter tamen & triticū & vinum cæteráque hominum alimenta, quæ nisi multum, diúque subigantur, & foueantur, in cassum sulcis mandabuntur. Quod nō ita, vt diximus, in illis plātis euenit, quæ inutiliores hominum sunt vsui, quia execratā à crimine primi hominis, tellus effecta est vera, & vterina parens erga mala germina, nouerca autem & difficilis ad mitiora & meliora suscipienda semina. Quare mirum non est, si illa sponte sua producat, hæc non nisi mille modis sollicita ferat. *Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fru-*
ctum centuplum. Formidanda sanè & non paruipen- Saluādorum
denda res est, quam nobis præsens præ se fert à do- numerus.
mino proposita similitudo. Nā si ex illis omnibus, qui Christū concionantem audierunt, quarta pars tantūmodo fructum fecit & seruata est: quàm paucos putabimus fore saluandos? Quòd ô vtinam nobis non eueniat, vt in illo magno perditorum grege numeremur. Sed profectò nō minus mirandum, quàm dolendum est, de tot sacrarum concionum frequentatoribus, tam exiguum electorum numerum superesse: quasi non omnibus ex æquo fuerit diuina exhibita doctrina. Dolēdum est valdè quòd tanti cùm sint Christiani qui audiant verbum Dei, quòd sint perpauci qui proficiāt in ipso. Vnde Paulus, Nolo vos ignorare fratres quoniam patres no-
stri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare tran- 1. Cor. 10.
sierunt, &c. Sed nō in pluribus eorū beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri. Sic nos timeamus, qui post tot annos audientes verbum Dei mores non corrigimus. Inferius narrat noster Lucas, quòd qui-
dam dixit Christo domino, Si pauci sunt qui saluā- Luc. 13.
tur. Ipse autem dixit, Contendite intrare per angustam portam: quia multi dico vobis quærent intrare & nō poterunt. Est alia via lata nimis quæ ducit ad interitum. Videns mundi redemptor tantorum perditionem condolet & clamat dicens, *Hæc dicens clamabat. Qui habet aures audiendi audiat.* Clamor & vociferatio quemadmodum in illis, qui animo parum valent, dementiæ signum est: ita in sapientibus magnum aliquid portēdunt. Ergo Christo sapientium sapientissimo clamante, summū est, quod agitur mysterium. Plurima erant in Hæbræo populo scelera, nō tamen ideo Deus clamare dignatus est:
sed prophetā Esaiā misit, inquiēs, Clama, ne cesses: Esa. 40.
& quasi tuba exalta vocem tuam. Multò etiam deteriores erant regnantibus Iosiæ filiis. Tunc autem misit Deus Hieremiam dicens, Clama in auribus
Hierusalem. Maior igitur nūc vrget necessitas, quæ Hierem. 2.
filium Dei vociferari cogit. Ter legimus in euangelio Christum clamasse. Primùm hic cùm dixit, Qui
habet aures audiendi audiat. Secundò cùm dixit, Ioan. 7.
Qui sitit veniat ad me, & bibat. Tertiò cùm clamās Matth. 27.
voce magna expirauit. Cùm spiritum emittens clamauit, dæmonem terruit, atque fugauit, cùm dixit, qui sitit veniat ad me, &c. loquebatur de spiritu, quē accepturi erant credentes. Nunc verò clamans comēdat auditionē verbi diuini, dicens, Qui habet aures audiendi audiat. Ioannes Baptista prædicans
pœnitentiam clamabat, Ego vox clamantis in de- Ioan. 1.
serto. At nunc Christus ipsemet clamat. Negotium proculdubio saluti hominū maximè necessariū agitur hîc pro quo Deus clamare non dubitat. Excita igitur consopitū animū ô Christiane homo, vt Deū ipsum pro salute tua clamantē cōsideres. Qui cùm sit sapientissimus, non ignorauit quāti retulerit hoc vti ad salutē nostrā clamore. Nēpe, vt eo modo certiores facti, de rei magnitudine non dubitaremus vllum subire laborē, aut periculum, pro verbo Dei audiendo, in quo cōsistit nō exigua remedij nostri pars. Vnde etiam quoties dominus alicui maximū aliquod suppliciū vult infligere, statim minatur se verbum suū illi negaturum. Ita ipse ait per prophetam

tam Amos, rebellem & perfidum Iudæorum populum plexurus. Mittam famam in terram: non panis, sed audiendi verbi Dei. Postquam dixerat multa mala, quæ illis erat inflicturus, adiecit hoc vltimũ, scilicet, vt tolleret verbum Dei tãquam præcipuum malum inter omnia alia mala. Tantũ enim malum est verbi diuini interdictio, vt neque excommunicatio, quæ sacramentorum vsum excommunicatis negat, euangelicæ doctrinæ salutare remedium soleat interdicere. Itaque illi, qui nec missæ sacrificio, neque diuinorum celebrationi, dum excommunicatione tenentur, interesse possunt, sacram concionem audiunt, & non solum ij, quinetiam & hæretici, infideles & ethnici verbum Dei audire possunt: quippe quod animæ pastus est. Quẽ qui prohiberet, non secus ageret, quàm si infantulo alimentum eriperet. Scit enim hoc pabulo Deus animam maximè indigere. Negatur autem excõmunicato Eucharistia, non verbũ Dei: quia, vt ait Augustinus in quodam sermone magis nobis prodest, verbũ Dei, quàm Eucharistia: & sicut cauemus, ne Eucharistia cadat in terram, sic cauere debemus, ne sermo Dei nobis excidat. Nam quanuis Eucharistia dignior sit & præstantior: tamen verbum Dei efficatiùs est ad conuersionem peccatoris. Nam peccator obstinatus in suo peccato, non resurget sumendo Eucharistiam, imò deterior fiet, at per verbum Dei multoties peccatores indurati mollescunt, & conuertuntur: quomodo Petrus verbo suo, multa audiẽtium millia conuertit. Vnde sicut ignis, qui auro vilior est, appositam ceram liquefacit, quod aurum preciosius, igne non faceret: sic quanuis excellentior sit Eucharistia, quàm prædicatio verbi Dei: tamen ad hoc vt cor peccatoris emolliat & conuertat, minorem vim habet Eucharistia. Similiter etiam pannum immundum lauat aqua quod minimè lauat argentum: cùm tamen maioris valoris sit argẽtum, quàm aqua. Qua de causa vsque adeò pater æternus in vnigeniti sui transfiguratione, auditione euangelij commendauit inquiẽs, Ipsum audite. Audite illum, quia verba eius spiritus & vita sunt. Vitam vocauit verbum Dei: quia est causa vitæ & suscitat mortuas animas. Quod ferculum aut quod tanta suauitate nectar vnquam fuit, vt mortuum ad vitam reuocaret? Cibus, animal, dùm viuit, sustinet: vita tamen functo nihil prodest. Verùm diuinum verbum nutrit & sustinet animam in gratia viuentem, ipsamq́, in peccato mortuam exuscitat. Hoc significarũt illa Ezechielis arida & detrita ossa, quæ ipsemet propheta virtute diuini verbi de morte ad vitam reuocauit. Nullus enim peccator est, qui quantumuis peccatis indurauerit & iamdiu mortuus iaceat, non possit per hoc verbum reparari, Ossa arida audite verbum domini. Ideo Petrus dixit Iesu, Verba vitæ habes. Ab effectu verba prædicationis verba vitæ vocantur: quia conferunt vitam animabus mortuis. Nullo iudicio euidentiùs censetur aliquis esse à domino electus, & in libro prædestinationis (quem Moses librum vitæ vocauit) scriptus, quàm si Dei verbum sponte audiat. Quæ sententia est diui Aug. & fundatur in illis domini verbis, Qui ex Deo est verba Dei audit: E diuerso qui à verbo diuino abhorret, perditionis suæ formidandum pręfert argumentum. Nam quamuis certa scientia nemo potest scire sit ne præscitus an prædestinatus, nisi fortè diuina reuelatione (quod maximis quibusdam sanctis concessum legimus)

Verbi diuini fames maxima punitio.

Habetur. 1. q. 1. c. interrogo.

Cõparatio Eucharistia & verbi Dei

Act. 2.

Matt 17.

Ezec. 37.

Ioan. 6.

Exod. 32.

Aug. tract. 42. super Ioã. Ioan. 8.

id assequatur: tamen, quoniam mores & vitam vniuscuiusq; sequitur eius damnatio aut salus, ideo non vilipendendum signum est perditionis, odium sermonis diuini, sicut nec contemnendum est indicium salutis, esse diuinæ doctrinæ studiosum. Quẽadmodũ enim narrante aliquo de reb. Indicis quæcunque aut viderit, aut legerit, illi duntaxat attentis audiunt animis, qui illas regiones aliquando cogitant inuisere, cæteris oscitantibus vel dormitantibus, ita propemodum in sacra euangelicaque denarranda accidit historia: ab illis nanque studiosè auditur, quib. cœlestia regna videre animus est. Hi sunt qui breuiorib. offenduntur, longioribus oblectantur concionib. Hi sunt, qui templorum & cœnobiorum sanctuaria frequentant: hi sunt, quos nõ defatigat vehemens concionatorum clamor, iugisq́ue attentio. Illi verò, quib. ad cœlestia aspirare in votis non est, si fortè aliquando vel pudore vel necessitate coacti concioni intersunt, quid dicam qua indignatione, quo tędio & molestia audiunt? Quod si concionator plus hora fortè dixerit, discedunt ægro animo, quinetiam sæpè ægroto corpore. Fateor esse non paucos, qui non fera impietate, sed peccatorum suorum conscij: & rusticitate quadam pudibundi quasi non audent, aut nequeunt verbi diuini grauitatem sustinere. Qui tamen ideò nihilominus delirant. Hoc quod habent salutis remedium, dæmonis inducti monitis, sibi eripiunt. Aliter ille primus hominum parens Adam, qui grauissimo admisso scelere, Deum tamen vocantem audiuit & falsus est inquiens, Domine audiui vocem tuam. O fœlix Adam, qui & si peccasti, verbi diuini auditionem non prætermisisti: quapropter amissam gratiã & salutem recuperasti: nam in Sap. habetur, dominum illum à delicto suo eduxisse.

¶Præterea sicut sæculares magistratus fures primo flagellis cædunt: secundò aurib. truncant (quæ obedientiæ signa sunt) tertiò verò si quem sine aurib. inueniunt quasi rebellem & inobediẽtem, vltimo afficiunt supplicio: sic tu nisi plagis laboribusq́ue in hoc sæculo à domino inflictis admonitus pedem à peccando reuocaueris, vltimo & æterno ignis supplicio vita functus punieris. Ergo, siquidẽ Adamum in peccato imitans, lapsus es: ne illum, ad salutem ducem asperneris: quod facilè præstiteris si concionatorem verba non spreueris, imò illorum præcepta sequutus fueris. Aliter agens interitum, ô miser, tibi ipsi parabis. In quartò enim regum volumine habetur, quendã militem, sub cuius humero rex incumbebat, verba Helisæi prophetæ contẽpsisse, quoniam famem futuram non prædixisset. Quãobrẽ, qa verbũ Dei neglexit, & noluit credere pędicatori, occisus est, & cõculcat⁹ à turba, sic puniẽtur & cõculcabũtur q nõ audiũt verbũ Dei & cõtẽnunt illud. Vnde domin⁹ infrà pędicatorib. inqt, Qui vos audit, me audit: & q vos spernit, me spernit.

¶Denique adeò necessarium hominum saluti est verbum diuinum, vt Paulus Timothæo dixerit: Argue, prædica, opportunè, importunè. Omnia suo tempore bona sunt, aliàs nec vtilia nec laudanda. Musica enim & lætitia si luctus tempore exerceantur importuna sunt: quoniam tempus flendi, tempus ridendi, tẽpus loquendi, & tempus tacẽdi, &c. Verumtamen verbum Dei, testante Paulo, vbi suprà, nunquam non opportunè & prædicatur & auditur. Nusquam enim, nec vllo tempore is interueniret casus, quo non sit verbi diuini explicatio opportunissi

Audit⁹ verbi Dei voluntarius signum prædestinationis.

Gen. 3.

Sap. 10.

Pœna negligẽtiũ verbum Dei.

4. Reg. 7.

Luca. 10. Omni loco & tẽpore perdurandũ & audiẽdũ est verbum Dei.

2. Tim. 4.

Eccl. 3.

portunissima. Nã siue ex parte concionatoris quæramus, semper bona est: siue ex parte auditoris, quo magis pigr tat, salutatiùs verbum diuinum est: sicut infirmo, qui medicamentum fastidit. Nec sunt prudentes concionatores malo medico similes, qui imperita pietate & misericordia ægrotantis, corrupto illius pedi aut manui parcunt, vnde totius corporis postmodum succrescẽs tabes infirmum enecat. Nam quo dignior est animæ, quàm corporis salus, eò acrius instandum est corruptis hominum morib. ne pretiosam corrumpat animam. Nec nos moueat maligna impiorum contra prædicatores seueriùs agentes, seu potiùs seriùs, obmurmuratio, & plusquam pharisaicum scandalum, dummodo id prudenter fiat: non enim prædicatorum licentia, sed peccatorum inclamat contumacia. Nec minorem patitur hæc ætas morum iacturam, quam illa, qua Ioannes Baptista Iudæos acriter reprehendens dicebat, Genimina viperarum, &c. Christus similiter Pharisæos durè increpabat inquiens, Væ vobis

Matth. 3. scribæ & Pharisæi, &c. Veritas enim, etiam inuito mundo, & impiorum cætu dicenda est. Igitur Sal-

Matt. 23. uator noster Iesus clamans dicit, Qui habet aures, audiendi audiat: vt auditores attentiores redderet, & vt illis verbum diuinum suamque commendaret prædicationem. Ait igitur,

Qui habet aures audiendi audiat. Quia hæc parabola obscurior erat, quàm pro auditorũ captu: ideo addidit dominus hæc verba, Qui habet aures audiẽdi audiat: id est, intelligite si potestis. Quomodo sæpe in Apocalypsi dicitur, quoties aliqua obscura incidunt, nempe, Qui habet aures audiendi audiat. Quapropter auditus iste, de quo hîc loquitur Christus, nõ est ille, qui aurib. percipitur, sed quædã interna animi perceptio & attentio quod Hebraicè האזנו haazenu, Græcè, ἐνωτίσασθε, Latinè, auribus percipite, sonat: & propriè non aure sed corde per-

Corporalis auditus ex duplici aëre constat. cipitur. ¶Obserua autẽ, quia sicut corporeus auditus fit ex duplici aëre, s. naturali intus & naturali extra (quomodo etiam visus duplici lumine illustra-

Apoc. 1. tur) ita & spiritualis auditus duplici constat aspiratione, fide videlicet infusa, quæ est intus æqualiter inclinans: & acquisita, quæ extrinsecus aduenit, dũ eis, quæ fidei sunt, insistimus. Qui ergo habet aures animæ fide informatas, audiat verbũ Dei: quia scriptum est, nõ esse effundẽdum aut perdendũ verbũ Dei vbi non est auditus. ¶Sed quæret aliquis, Cur

Sensuũ naturaliũ præpostera officia. dixit, Qui habet aures audiendi? Nunquid aures alio funguntur, præterquã audiendi, munere? Nunquid datæ sunt aures ad palpãdum, gustandum, aut vidẽdum? Non vtique, Quid igitur sibi voluit in illis verbis dominus? Superfluè namq; locutus vide-

Eccle. 32. tur, Atqui si pœnitiùs scrutari volumus, nõ vulgarẽ aut triuialẽ horũ verborum rationem & causam inueniemus. Primũ dixit, Qui habet aures audiẽdi audiat q̃a nõ pauci sunt in hoc sęculo homines, qui mẽbrorum & sensuũ suorum abutentes officio, visum ad aures, auditum verò ad oculos transferunt: Nam si fortè proximũ de proximo murmurantem & detrahẽtem vident, non secus fidẽ habent impio sermoni, ac si propriis idem oculis conspexissent? nec dubitant, quoties apud alios in eundẽ incidũt sermonẽ, audita voce asserere & iureiurando confirmare. Rursum nõ minus oculis abutũtur, illorũque fidẽ spernunt. Intuẽtes nanque vicinum & popularẽ suum vnum atq; alterũ efferri, ossâque mortuorum contrectantes quos ipsi, dùm viuerent, nõ solùm nouerunt, sed etiã forsitan amarunt, nihilo magis mouentur, quã si ea ex Æsopi fabellis audiuissent, aut in Homericis carminib. legissent. Horũ igitur hominum importunitatẽ inuersámq; naturã atque ingenium his verbis ostẽdit dñs, illos latẽter arguẽs, quòd clarissima & vtilissima caligantib. oculis percurrunt, quasi nõ viderẽt: ea verò quę inutilia & infirmioris fidei sunt, multò accutissimè cernunt. Habẽt enim aures ad vidẽdum, & oculos ad audiẽdum. In hos dicit domin⁹, Qui habet, &c. vt eos, dùm eo modo se habuerint, nihil ex sacris concionib. cómodi reportaturos refellat: nõ enim admittit ingeniorum ineptam peruersitatem.

¶Secundò inquit dominus, Qui habet aures audiẽdi, significãs eos, qui aurib. ad iudicãdum vtuntur cliẽtum litigãtium auscultãtes quęrelis, vt sunt iudices, prætores, auditores rotæ, regiique senatores, & cęteri iuriscõsultorum magistratus: nõ debere, dùm cõcioni intersunt, simili proximorum vitã cẽsendi vti magisterio, Nã qui verbum Dei auditurus venit, nõ vt accuset, aut dãnet, sed potiùs vt accusatus corrigatur, venit. Vnde cõuincitur illorum temeritas, qui in concione, inueterata quadã vafricie prędicatoris dicentis verba subnotãt, ridẽt, laudãt, vituperãt quasi nõ sui, sed prædicatoris emendãdi gratia adsint. Præstãdæ sũt aures nõ adiudicãdum cõcionatorem: sed ad audiẽdum verbum eius. *Audire verbũ Dei cõmunis & nõ iudicare.* Ideo Christus aures ad audiẽdum petit: & ô vtinam impetret. Quis sine lachymis multis videre queat improbã in reb. corporeis perquirendis hominum sollicitudinẽ: cùm erga spiritualia tam gelidè affecti sint? Quis vsqueadeò desperata ægrotaret valetudine, qui sanitatem nõ modo pollicẽtẽ aut exhibentẽ, verumetiã memorantẽ nõ animo audiret attentissimo? Si ergo corporalis tãti æstimatur valetudo: quid demens non inuigilas æternæ illi superstitiq; saluti? Si homines liberos suos magnifaciunt charissimosq; habent, quoniam in illos bona sunt sua translaturi, qua de causa animam, quæ non tua, sed tu ipse es? non festinas ditare, vt post mortem tuam non filius tuus, sed tu ipse viuas? Nemo ergo sit, qui sermonem hunc, quo etiam vltra mortem vitã prorogamus non audiat. ¶Tertiò quamuis multi habeant aures ad audiendum, non tamẽ habent aures ad audiendum verbum Dei, similes magnis canib. qui habent aures demissas à parte superiori, ne cœlestia percipiant, à parte tamen inferiori apertas, cũ etiam minimos rugitus animaduertunt. Vacant enim fabulis & vaniloquiis & libẽter audiunt amatoria, turpiáq; cantica: sed verbum Dei résque diuinas audire nolũt. Hos etiam vocat & inuitat Christus ad audiẽdum: quia q̃uuis habẽt aures, non tamen ad audiendum, ea, scilicet, quæ recta sunt & cœlestia. De his loquebatur Paulus ad Timo. Venit *2. Tim. 4.* tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes aurib. & à veritate quidam auditum auertent: ad fabulas autem conuertentur. Si paulisper immoratur prædicator, discedunt stomachantes indignam illius abundantiam, nec fabulis legẽdis, aut audiendis diem integrum defatigantur. Si- *Num. 11.* miles istis erant Israelitæ, qui affectantes allia & cę- *Exo. 16.* pas Ægyptias manna fastidiebant nutrimentum cœleste, dicentes, Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. His & similibus hominibus turpia & inania sapiunt huius sæculi oblectamenta, cœlestia verò & immortalia gaudia insipida sunt. Sed ad

alia

alia gradum faciamus. *Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola.* Præter alias causas, quas suprà adduximus, quare Christus in parabolis & similitudinibus loqueretur, modo occurrit nō inelegās quædā ratio. Nā quemadmodum, si inter multos homines aperta facie incedentes vnus personatus vel obuelatus incedat, solemus omissis aliis in illum præcipuè intueri, mirari, quis sit: ita cùm similitudo larua sit orationis, qua homines plerumque magis quàm re ipsa mouentur, non immeritò dominus noster sapientissimus magister hanc excogitauit artem, vt homines in suam pelliceret doctrinam. Quamobrem, & ipsi apostoli huius nouitatis partim sciendæ gratia dixerunt, Edissere nobis hanc parabolam. *Beda li. 8 in Luc. ca. 19.* Non autem interrogauerunt hoc apostoli statim, vt prædicauit hanc similitudinem, sed pòstea in secreto: non inquam, in publico coram turba, sed postea soli. *Mar. 4.* Vnde in Mar. euangelio habetur, Et cùm esset singularis interrogauerūt eum ij, qui cum eo erant duodecim, parabolam.

¶ Docemur hinc, si diuinorū colloquiorum intelligentiam volumus, sepositis curis mundi, negotiis sæcularibus soli Deo, sacræque scripturę intenti, meditādo, orādo, legendo, assiduis vigiliis, in solicitudine & quieta vita addiscere. *Eccl. 38.* Vnde per Sapientem dicitur, Sapientiam scribe in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu sapientiam percipiet, qa sapientia replebitur. Et dominus cuidam animæ, *Osea 2.* quæ secreta reuelare volebat, dixit, Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.

¶ Docemur secundò formam addiscendi: scilicet, vt cum aliquid audis, quod non intelligis, non erubescas interrogare. Ipse enim Christus, vt nos doceret hic, cum esset Patris sapientia, vbi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, sedens in medio *Colos. 2. Luc. 2.* doctorum interrogabat eos. Sed multi malūt ignoranter viuere, quàm suam ignorantiam fateri, doctiores interrogando. Interrogabant verò, quæ esset hęc parabola: id est, quid per illam vellet intelligi. Sed Deus, qui paratus est omnibus subuenire, & docere illos qui scire cupiunt, sine mora illam exponens, sensum suum patefecit.

¶ At cur illam præposuit, si non intelligebant illam audientes? Ad hęc ipse saluator respondit discipulis suis, vt statim videbimus.

Sanctarū scripturarū intelligentia quibus detur.

¶ Obseruandum hìc est, quantum Deus bona sua nobis impartiri cupiat. Verum vt auidiùs & iucundiùs nobis tanta eueniant beneficia, nostras antea preces expectat, vt nos illa, quæ quasi nostro labore & marte parauimus, diligentiùs custodiamus, maioréſque faciamus. Quoniam sicut illa, quæ armis vel ingenio cuiusq; proprio, authori suo multo esse solent suauiora & gratiora, apud homines autem pluris fiunt, quàm si gratis ab aliquo essent principe cōcessa: ita ea de causa dominus saluatorque noster Christus doctrinam condidit suam nec minus prophetæ reliquique sancti patres, vt non nisi cum labore & studio sensum expiscaremur diuinorū scriptorum, ideo nobis multo suauiorē futurū. Nō aliter etiā in rebus omnib⁹ naturalibus fecisse illum videmus sapiētissimum opificē: nam, & nuces duro cortice operiuntur, & citrea mala rosarumque genus sese spinis acutissimis circunuallant, vt nemini sine aliquo labore, aut arte locus carpendi pateat. Quare sicut paruulo infanti nucem infractam, insanientis esset nutricis, porrigere, quippe qui vires non habet ad comminuendam nucem, sed eam integram mittit in os, vnde facili negotio suffocari posset. Sic è diuerso prudentissimè ecclesiæ catholicæ statuerunt moderatores, nec sacra scriptura vulgo imperito & incauto exhiberetur: id est, ne vernaculo transcripta idiomate sui omnibus copiam faceret integram sine magistrorum explanatione, ne fortè imprudentes homines hæreseon pungerentur aculeis. Ad hoc legata est à Deo sacrosancta theologorum schola, vt priùs latinitatis rudimentis funda menta iacētes postea gradatim philosophiæ & sacrarum literarum gradus ad culmen beatissimæ facultatis peruenientes, possent, quæcunque incidissent dubitationes, vel fide, vel ratione enodare & populo salutarem doctrinam exhibere, qui tanquam infantulus est, præmansóque indigit cibo. Vnde Paulus ad Corin. ait, *1. Cor. 3.* Tanquam paruulis in Christo lac dedi vobis: & non escam. Hoc ipsum agit nunc Christus exponens apostolis suis, etsi rudibus, prædictam similitudinem. Quem exponendi morem illi à præceptore suo excipientes vniuersis ecclesiæ catholicæ primatibus & prædicatoribus tradiderunt. Ideóq; *Iaco. 1.* qui indiget sapientia postulet à Deo & ipse respondebit & declarabit: inuestiget, laboret, & quærat, & obtinebit scientiam. Iamque explicationi parabolæ accingitur dominus: Sed antequàm incipiat, præmittit, inquiens. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant & audientes non intelligant*, Sed dices, Frustrà ergo Christus loquebatur, siquidem non intelligebatur, à turba: nam vt Paulus ait, Si quis loquitur, & non intelligatur, mens eius sine fructu est. *Multis non datur intelligentia, quia nolunt. 1. Cor. 14.* Dicendum nihilominus, non esse similem rationem de qua Paulus ait, Nam Christus, ea de causa (vt iam diximus) in parabolis loquebatur, vt rogatus tenaciùs doctrinam suam animis audientium imprimeret. Quòd si à Pharisæis cæterisque improbitatis sectatoribus non intelligebantur, erat, quoniam animo maleuolo audientes, non salutaria sibi, sed incommoda Christo quærebant. Quare non est mirum si nihil intellexerunt de domini doctrina, cuius explicatione nec petere, nec audire volebant. Ideo audiebant Christi doctrinam eiúsque opera mirifica videbant: attamen ob suam cæcitatem non intelligebant. Non autem excæcauit illos oculos, aut iudicium, sed gratiam non dando suam, hanc autem non dedit, quia ab illis fuit repudiata. Ideo dicebat Christus, *Matt. 23.* Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? Et vt nemo potest medico litem intendere, qui ægrotum curari nolentem deserit, sic nemo in Deū culpam retorquere, quod Iudæos sponte sua obcæcatos in voluntarium ruentes interitum, non prohibuerit. Ipsi audientes non intelligebant, nec videntes videbant: quoniam Deus illis gratiam non dabat. Ideò non dabat, quia illi nolebant. Quod vel illis verbis dominicis superiùs citatis apparet. Quoties volui congregare, &c. Superbia igitur & malitia illorum, erroris causa fuit: non obscuritas sermonis diuini, quem à domino audiebant explicari si voluissent. Deus enim non immittit cæcitatem, aut duritiem, sed propter hominum iniquitatem, non suppeditat gratiam: qua destitutus homo in grauissima incidit peccata, & in suo vitio obcæcatur. Nam quemadmodum lux cæcitatis causa dicitur, quando videlicet se à conspectu nostro subtrahit, quoties aut oculos claudimus aut faciem auer-

timus: ita Deus obcæcare dicitur hominem, quando ab eo gratiam suam subtrahit, quoniam homo illam non admittit. Sic isti obcæcati non videbant. Quapropter hæc coniunctio, vt, hic causam nó di-
Rom.5. cit, sed consecutionem effectus. Sic Paul. Rom. ait,
Significatio coniunctionis vt. Lex subintrauit, vt abundaret delictum, Nunquid Deus dedit legem vt homines faceret maiores peccatores? Absit. Lex enim non est causa peccati, sed peruersa hominum voluntas, quæ contra legem facit. Ideò sensus est, Deus legem condidit iustissimã: verùm ea est hominum improbitas, vt medicinam in venenum conuertentes in ipsa lege occasionem maiora indies perpetrandi flagitia sumant. Sic etiã intelligendum puto illud regij prophetæ Dauidis
Psal.50. Deum in Psal. deprecantis, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Non peccauit Dauid vt iustificetur Deus sed ex opere Dauidis peccantis contigit Deum iustificari, quia iustum & pium se ostendit. Quare coniunctio, vt, ibi causam non dixit, sed effectus consecutionem. Ita etiam illud
Rom.1. Pauli intelligo, Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, &c. vt sint inexcusabiles. Et illud quod in Ioãne legimus dominum dixisse de cæco nato, Neque
Ioan.9. hîc peccauit nec parentes eius: sed vt manifesten-
Esa.7. tur opera Dei in illo. Similiter & Esai. ait, Butirum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum. Vbi particula, vt, non finalem causam sed euentum & consecutionem notat. Non enim comedet eo fine, vt sciat reprobare malum & elige-
Ezec.14. re bonum. Eodem modo intelligendus est Ezech.
Ezec.22. dum ait, Ego dominus respondebo ei in multitudine immundiciarum suarum, vt capiatur domus Israel in corde suo. Et alibi idem propheta inquit, Ciuitas effundens sanguinem in medio sui, vt veniat tempus eius. Itaque vt eò, vnde defluxit oratio nostra redeat, non est sensus, ideò in parabolis dominum fuisse loquutum, vt audientes non intelligerent: sed est sensus, vt ex eo quod loqueretur in parabolis, & non intelligerent eum non cõuerterentur. Christus directè voluit, quòd Iudæi non intelligerent parabolam quia erat superabundãtioris auxilij, quod tamen non conuerterentur non intendebat dominus: propter demerita enim sua non egit Christus cum eis, vt intelligerẽt. Et sic adimple-
Esai.6. tum est in illis illud Esa. Auditu audietis & non in-
Matt.13. telligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Et causam subdit. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant & conuertantur. Ideò de istis dixit dominus, In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vi-
Ioan 9. dent cæci fiant. Id est se putantes, & videntes foris miracula, non vident intus virtutem operantem. His itaque verbis docet Christus: quamobrem non palam omnibus loquatur. Tãtum enim est ac si diceret. Quales ad meam prædicationem animos & affectus afferunt, talem reportabunt fructũ. Nolunt intelligere, quod luce meridiana est clariùs, ideo ego per obscuras parabolas istis loquor, Oculos habẽt, vt palam mea conspiciant miracula: adeo tamen maligna obcæcati sunt inuidia, vt ea pro Dei operibus nolent agnoscere. Sic aures habent, vt irrefutabilem à me audiant veritatem, nec tamen vt credãt, adduci possunt. Ex his palam fit nostra culpa fieri, si quando nobis Dei gratia subtrahitur. Vtinam & nobiscum Deus non faciat similia, vt exigentibus flagitiis nostris à nobis gratiam & beneficia auferat sua, vt à maximè criminosis & quibusdã & perditissimis hominibus, quibus per Ezec. ait, Aufere- Ezech.16.
tur zelus meus à te. Multaque supplicia anteposuit Israelis populo, ob eius ingratitudinem, ventura: Apostolis verò aliter euenit: nam quia recta intentione audiebant, intelligere meruerũt. Et quemadmodum opulentissimi mercatores solent, qui in vestibulo tabernę venalia exponunt non pretiosa, sed communia quædam, quibus tamen emptores alliciunt, vt ea, quæ intus seruantur comparent: quæ cùm multò sint præstantiora, non cuiuis, sed ditissimis & certissimis emptoribus ostenduntur. Sic dominus noster & saluator Christus omnibus quidẽ doctrinæ suæ argumenta similitudinaria ostendebat, ipsius tamẽ valorem illis duntaxat, exhibebat, qui seriò non fictè ad eius accedebant prædicationem, vt Apostolis, qui salutem quærebant suã. Cæteri, vt inobedientes à Deo excæcantur: sicut Sede- 2.Reg.25.
chias Nabuchodonosor, quia nó ei obedierat. ¶ Obserua autem illud verbum, datum, magnã emphasim habet. Nisi enim datũ fuisset, nec ipsi apostoli intellexissent: non enim ex meritis, sed ex Deo vocante datum est illis. Vnde Paulus, Non est volen- Rom.8.
tis, neque currentis, sed Dei miserentis. Hos elegit, Matt.11.
inuenit, vocauit, & istis datur regnum Dei: hoc est, euangelica prædicatio. Quare? Quia sic placitum fuit ante te. O fœlices viri qui tali dono decorati sunt! Nec nobis etiam dona negaret sua si voluissemus libertate arbitrij vti, & nobis ex eius donis cõmodũ parare: sicut viduæ Helisæi nõ negauit oleũ, 4.Reg.4.
in omnibus eius vasis augens, donec ad excipiẽdũ defuerunt fictilia. In hunc propemodũ si & nos vasa cordium nostrorum vacua à sæcularibus deliciis Deo offerremus: plenitudinem gratię, & misericordiæ diuinæ in animis nostris reportaremus. Sed de his aliàs. *Est autem hæc parabola.* Dominus exponit seipsum. Itaque aliter exponere, quàm ipse exposuit temerarium esset. Ita dominus dixit, Non addetis Deut.4.
ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Et in Prou. Ne addas quicquam verbis illius, & ar- Prou.30.
guaris, inueniatisque mendax. Et in Eccles. Non est Eccle.18.
minuere neque adiicere neque est inuenire magnalia Dei. Et Sanctus Ioannes in sua Apoc. ait, Siquis Apoc.22.
apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Ideo nullus expositorum ausus est manum apponere, vt aliquid adderet dominicæ expositioni: quia ipse dominus eam exposuit. Et ipse verborum suorum interpres est: in quo huius parabolæ dignitas & excellentia patet. Vnde Spiritus sanctus in Cant. alloquitur Ecclesiam di- Cant.1.
cens, Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Vide quòd ornatus auricularum sponsæ Christi argentea aureaque sunt. Verbum Dei est instar auri obrizi purissimique suprà omnia metalla. Sicut enim aurum primatum tenet inter omnia metalla, sic verbum diuinum inter cætera scripturarum genera. Nam doctorum enarrationes sunt velut argentum: quamobrem murenulæ aureæ vermiculatæ argento nihil aliud insinuãt nisi parabolas euãgelicas, explanationibus sanctorum doctorũ illustratas: quòd argentatũ aurũ sic disposuit dominus ad Ecclesię sponsæ suę ornatũ. Non ęquiualet auro argentum pretio neque valore: sic nec vlla glossa tantam habet authoritatem vt euangelium. Cæterum hęc parabola, non tantum ipsa est aurum

purissi

purissimum sicut cæteræ parabolæ, sed & eius interpretatio est eiusdem omnino valoris: nam & ab ipsius diuini intellectus & oris fonte manauit, vnde contextui æquiualet ipsius expositio: totum enim est diuinum eloquium. Vnde aurum est contextus, deauratum parabolæ explicatione. Illum itaque audiamus, *Semen est verbum Dei*. Quoniam, testante euangelistarum fide verissima, Christus verbum diuinum semini comparauit, superuacua, imò impia esset hæsitatio, sitne verè à domino adducta hæc comparatio cum cæteris spinarum, petrarum & viæ cõparationibus in præsenti de aratore proposita parabola. Quare illud modo superest inuestigare cur saluator noster verbum diuinum semini contulerit, cum quo nihil videtur habere commercij? Re tamen diligenter pensitata, duo potissima inuenio mutuæ similitudinis fundamenta. Primum, quia vt philosophus ait, fructus virtualiter sunt in semine. Habet enim semen virtualiter calorem & virtutem quandam generatiuam, ex qua fructus prodeunt. Semen enim in primis radices agit, deinde surgit in caulem, postea in arborem, frõdibus, ramis, floribus & fructibus ornatam. Sic verbum diuinum in animo humano hęrens radicibus primum, deinde virtutibus omnibus roboratũ, ramis floribusque virescit, donec perfectum in gloria sempiterna cultori suo fructum parit, quo ille ab omnibus laboribus suis emerit⁹ fructu, qui à fruẽdo dicitur, fruitur. Verè igitur dicere possumus, sicut in semine fructus virtualiter continetur, ita in verbo diuino & audiendo & percipiendo beatitudiné consistere. Nam primo verbum Dei audimus ex quo statim fides cõsequitur, iuxta illud Pauli, Fides ex auditu, audit⁹ autẽ per verbũ Christi. Ad fidem autẽ sequitur opus, ad opus meritũ: cuius pręmiũ certissimũ, vita sempiterna est. Si enim quempiã roges, cur eleemosynam facimus, ieiunia sustinemus, labores non recusamus religiosos & pios? Responderet vtique nisi omnis esset expers iudicij, nempè vt vitam adipiscamur æternam: quæ non paruo, sed summo est comparanda pretio. Rursum si instes, Quodnam tibi isthæc persuasit oraculum? respondebit, Fides: Sed vnde hæc fides? Ex verbo Dei. Hoc est quod Christus dixit, Regnum Dei intra vos est. Hęc verba de hoc semine intellexit: quia verbum Dei producit & virtualiter continet in se regnum Dei: ex verbo enim Dei oritur fides, & ex fide spes, charitas, cæteræ virtutes & opera bona, quibus regnum cœlorum debetur. Fœlix ergo verbum diuinum, Fœlix verbi diuini auditor, fœlicissimus custoditor. Igitur propter similitudinem, quã hoc habet verbũ cum semine, quia est principiũ & origo beatitudinis, & virtualiter continet illam, sicut semen fructum, dixit semen verbum Dei esse.

Conuenientia seu similitudo seminis cũ verbo Dei in quo consistat.

Rom. 10.

Luc. 17.

¶ Secundò rectà confertur verbum Dei semini, quia sicut semẽ adhoc, vt fructũ ferat terra obrui tur & extinguitur (nam vt Paul. ait, Nõ viuificatur nisi priùs moriatur,) sic verbum Dei, vt fructificet, oportet ita corde seruetur, ne integrũ omnino sit, sed radicib⁹ firmitatis in pectore manẽtibus ipsum totum in bonorum operum flores effundatur, vt nihil intus maneat virtutis, quod in opus non prodierit. Quod multò aliter faciunt illi, qui conciones audientes ore tenus tãtummodo percipiunt. Quare quidquid audiunt cum congerronibus suis garrientes effutiunt, nec re præstant, quod exemplo Christi docti sunt: verũ ita obliuiscuntur quasi non audissent vnquam. Non ita pio sapiẽtique christianis nominis cultori agendum est. Quin potiùs ea, debet sese gerere sollicitudine, vt omnia, quæ audierit, rebus multò faciat, quàm verbis consummatiora. Ideo egregius Psaltes domino dicebat, In corde meo abscondi eloquia tua. In corde dicit, non in lingua tantum. Multi qui verba audiunt diuina, sed quia ea, vt oportet, non conseruant: ideo nunquam fructum faciunt deficientibus firmitatis & cõstantiæ radicibus. Quapropter sapiens orat dominum dicens, In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices. Has autẽ radices verbum Dei in hominum animis agere non poterit, nisi constanti & firmo illud hospitio pectoris susceperit. ¶ Verum si semen est verbũ Dei: quis est, qui seminet, nisi ipse Deus? Expende etiam: cùm dixisset, Quid esset semẽ & terra, & spinæ, & cætera, omnia, non dixit quis esset seminator, quoniam ex hoc clarè patet esse Deum. Nã si semen est verbũ Dei, & seminator seminat semẽ suũ, consequens est, seminatorẽ Deũ esse. ¶ Docemur etiã Deũ seminatorem attendere, qualiscunque prædicator sit, etiamsi sit maximus omnium peccatorum dùm prædicat iuxta ecclesiæ Romanæ catholicæ doctrinam. Nónne dixit dominus prædicatoribus ecclesiæ: vos non estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, q loquitur in vobis? Et Hier. dixit, Ecce dedi verba mea in ore tuo, & constitui te super gentes & regna, &c. Quæ autem sint hæc verba, Ezec. explanat dicens: quod comederit librum, vbi scriptæ erant lamentationes, carmen, & væ, Hoc est exemplar fidissimũ ad cuius normam dirigendi sunt omnes prędicatorum conatus & vires extorquere, scilicet, auditoribus lachrymas, mouere affectus, animósque à vanis mundi abducere oblectamentis. Hîc seminator dicitur exisse seminare semen suum. Exiit, inquam Deus non motu locali, sed exiit quando ostendit se creaturis creando illas, suámq; in illarum creatione mirabili potentiam ostendens: non enim Deus mouetur localiter, vt illum exisse animalium more dicamus. Quoniam omnia quæ mouentur ab alio mouentur, & qui mouet maiorẽ virtutẽ habet quã qui mouetur, quia in illud agit. Si ergo Deus moueretur, esset aliquid Deo perfectiùs, ideóq; impossibile est Deum moueri. Dicitur tamen exire, ostendẽs se creaturis suis, quando scilicet, se illis conspiciẽdum præbet, quod sine vlla sui mutatione facit. Nã queadmodũ albũ reticulũ, albo parieti applicetur, artificiũ celat oculos intuẽtiũ, quoniam color, qui est visus obiectum, eodẽ modo se habet vbiq; vnusque & idem est, vnde quantitas, quæ per accidens visui obiicitur, & mediatè vix percipitur, quod tamen si super nigrum corpus extendatur: nõ modo perspicuum, sed etiam elegans efficitur intuẽtibus, nulla sui mutatione, sed modo apparendi tantum variato. Sic Deus cùm sese ostendit hominibus nec mouetur, nec mutatur, sed eo modo se exhibet videndum, vt visus mortalis, qui antea imbecillitate sua caligabat, omnibus sublatis impedimentis ex parte sua creatorem videat suum, quasi exeuntem.

Semẽ occultatũ viuificat, ita verbũ Dei in corde sepultum.

1. Cor. 15.

Psal. 118.

Eccl. 24.

Prædicator, si modo catholicus, Christum repræsentat.

Matt. 10.

Hiere. 1.

Ezec. 2.

¶ Exiit secundò in incarnatione, vt ipsemet seminaret & prædicaret verbũ Dei: quod antea per prophetas suos prędicauerat & seminauerat. Quomodo ex aratoribus, qui opulentiores sunt, labores arandi & seminandi per famulos operãtur suos: ipsi domi se continentes tardò in aruum prodeunt, si tamẽ syluã euertere ad agrũ conserendum, vel vepre-

Exitus Christi fuit in incarnatione.

tum exurere aut aliquod magnum opus molitur, non se continent, qui in habitu, armisque aratoriis arreptis ipsi etiam se in opus maximum, primarios inferant operarios. Ita propemodum Deus multa per prophetas facinora exegit suos: ad redemptionis tamen opus magnum, quo & silua dæmonum eruenda, & peccatorum vepres comburendi erant ipsemet de vẽtre prodiit virgineo formam serui accipiens. *Phil.2.* Exiit: quasi colonus non ad otium, sed ad labores. *Hiere.14.* Vnde Hiere. Quasi colonus futurus est in terra. *Psal.73.* Coloni enim nõ est otiori: sic laborauit Christus salutem operando in medio terræ. *Ioan.4.* In euangelio enim habetur quòd fatigatus sedebat super fontem, lassatus, esuriens & sitiens.

¶Sed antequam vltra progrediamur non leuis *Quæstio.* mihi occurrit dubitatio. Ecquid enim Christus se stulto & insano agricolæ comparat: qui in locis petrosis & senticosis seminauit, vnde nihil fructus colligi poterat? Certè non rectè comparationem induxisse videtur. Cæterùm non obstat. Quemadmodũ enim aratores, si per vires humanas fieri posset, vt non moraretur semen quocunq; etiam loco iactũ, quin potiùs fructum ferret, non dubitarent super *Responsio.* petras & vepres semen spargere: ita Deus qui de durissimis & incultissimis animos mitissimos sæpè verbo reddit suo, non dubitat in omnes illud effundere: & hoc est quod comparatio innuit. Potens est Deus ex sterili terra frugiferã facere quod agri- *Act.9.* cola nequit: Quòd si aliqui sint, qui semen acceptũ duritie & squaliditate sua conficiãt, illud culpa sua, non aratoris factum est. Qui cùm sit prudentissim° eo modo animos hominum fecit, vt quotiescunq; duritiem aut suauitatem induere vellent, possent. Egregiè hoc in Saulo præstitum est, qui diuinitùs à Domino vocatus veterem exuit hominẽ, nouúmque induens, & de durissimo lapide in pinguissimũ & frugiferum agrum mutatus, pristinam duritiem deposuit: idem de latrone in cruce pendente, dici *Luc.23.* potest: quorum cõuersio & si multò habuit minus admirationis, non minus tamen habuit argumenti, quantum possit diuini verbi seminatio, quantáque sit arbitrij nostri libertas quibus adiuti mortales ex durissimis, & nequissimis, mollissimi & sanctissimi fieri possunt. Quid magis peruium itineribus om- *Luc.7.* nium malarum cogitationũ Maria Magdalena? illã *Matt.9.* tamen Deus terram fructificantem fecit. Quid Matthæo in theloneo sedente spinosiùs & incultiùs? nihilominus tamen verbum Dei in illo consitum spinis non est obrutum auaritiæ & luxuriç diuitiarũ, quin potius Dominum suum omnibus renuntiare coëgit, & Christum in summa sequi paupertate: & sic de cæteris.

¶Præterea aliqua hic sunt obseruanda. Primũ, cũ loquutus est Dominus de suo aduentu in carne, loquutus est per verbum præteriti temporis dicens, exiit, quia iam semel incarnatus est, venit & passus est: sed dùm ait de prædicatione, dicit, qui seminat, loquens per verbũ præsentis, quia semper seminat: & omni tempore nunquam cessat seminare prædicando, inspirando, vocando, & multis magnísq; beneficiis alliciendo. Secundò videtur esse inculcatio sermonis, cum exiit, qui seminat seminare, sed modus loquendi est Hebraicus, in quo sic verba repetuntur: vt illud, Expectans expectaui dominum, Et *Psal.39.* illud præcipiendo præcepimus vobis. *Act.4.*

¶Tertiò quòd semen suum dixit, non alienum, quia doctrina sua erat. Prophetæ prædicauerũt nõ suam, sed Dei doctrinam: atque ideo dicebant, Hæc dicit dominus, Christus tamen non dicebat, Hæc *Matth.6.& 7.* dicit dominus, sed ego autem dico vobis, vt videri potest in sermone Domini in monte. ¶Quartò ob- *Prædicator grauis.* seruandum est nihil sacro concionatore indigniùs, aut indecẽtius esse, quàm si facetiis, & ludicris verbis vtens, risum audientium captare affectet. Quæ omnia cum scurrarum, nebulonúmq; hominũ sint propria, cõsequẽs est, nequaquã tãtæ grauitati posse conuenire. Verũ enim & germanũ prædicatoris officiũ est lachrymas non risum populo incutere: hoc est euangelicum dogma, & Christi saluatoris doctrinæ maximè consentaneum. Ob idq; ait seminat semẽ suum: nõ alienũ, scilicet scurrarũ. Quod si quis secus facit, is nõ ad audientiũ ædificationem, sed potiùs ad suã & aliorũ oblectationem verba facere putabitur. ¶Quintò aduertere debet prudens *Prædicator dupliciter docere debet.* & pius concionator, ne, sicut loquaces auiculæ facere solent, quæ caueis abditæ hũmanas discunt voces imitari, sic ille verba nõ sua, sed emẽtita proferat: id est ne ea prędicet populo, quę ipse priùs nõ egerit. Hoc est, quod ait euangeliũ, seminare semen suum. Itaq; castus, humilis, abstinens patiens, religiósusq; concionator rectè harum virtutum præco existet, quia semen suum seminat. Sic egregius ille prędicator dicit, Castigo corpus meum, & in serui- *1.Cor.9.* tutem redigo, ne fortè, cùm ipse aliis prędicauerim, reprobus efficiar. Seminator etiam manu seminat, itaque tu manu, & opere optimè prædicabis. Nam sicut regia chirographa nullius authoritatis sunt, nisi appensum habeãt sigillum regium: sic qui prædicat, nisi sigillum bonæ & benè moratæ vitæ habeat, nihil agit. Hoc enim sigillum eximiam verbis prædicatorum authoritatem præstat. Quamobrem *Matt.4.* Christus priùs dixit apostolis, Vos estis sal terræ, & postea, vos estis lux mundi: quia virtus, quæ per salem ostenditur, lucem doctrinæ pręcedat est necesse. Lux in lapide in oleo sustinetur: sic doctrina in vita misericordiæ & bonitatis plena. Ita Deus in *Leuit.8.* vestimento summi sacerdotis non anteposuit super humerale, quam tunicã hyacinthinã, quia nõ ante ire sapientia opera debet, sed priùs opera exerceri, & postea sapientia est habẽda, quasi qdam habitus, à multis bonis operibus procedẽs. Tùm etiã nõ antea doctrina, quã rationale: quia nõ priùs alios docere, quã nos instruere & iustificare debemus. Super hæc autem additur veritas, quia veritas est summa sapiẽtia. Ose. etiã hũc eundẽ ordinẽ seruat, cum *Osee 10.* dicit, Seminate vobis ad iustitiã, & metite fructum vitæ, & illuminate vobis fructum scientiæ. In Leui. *Leuit.11.* etiã præcipitur offerri animal, quod ruminat & diuidit vngulã: quia nõ satis est, vt rumines meditãdo & discendo in scholis, sed oportet diuidas vngulã, opere adimplẽdo, quæ doces. Si mediteris legẽ diuinã, & ea quę legis ad subtilẽ & spiritualẽ intelligẽtiam reuoces, vita aũt tua & actus tui nõ sint tales, vt distinctionem facias inter præsentẽ huius sæculi vitã, & vitã futurã alteri°, camel° tortuosus cẽsendus es: quod cũ intellectũ acceperis ex meditatione legis diuinę, nõ diuidis neq; segregas pſẽtia & futura, nec angustã viã à via spatiosa secernis. Sũt enim qui assu- *Psal.49.* mũt testamẽtũ Dei p os suũ, & cum legẽ Dei in ore habẽt, vita, & act° sui lõgè à verbis eorũ, & sermonibus discrepãt. Dicũt enim & non faciunt. Peccatori *Mat.23.* enim dixit De°, Quare tu enarras iustitias meas, & *Psal.4.* assumis testamentũ meum per os tuum? Ruminat hic, sed non diuidit vngulam, quare immundus est.

¶Disce

Prædicator immundus non mundare alios potest, neque frigidus alios calefacere.

¶ Disce igitur prædicator verbi Dei qualis esse debeas. Si alios mundare vis: tu esto mundus. Si alios in Dei amore feruidos & ardentes facere cupis, opus est, vt in te ignem cœlestem excites, quo auditores feruere facias. Nã qui fieri potest, vt frigidus & tepidus alios calentes reddat? Quare quẽadmodum si ad extinctos carbones alios similes adiungas nihil agis, accendentur autẽ facilè si ignẽ approximes: sic qui peccator tanquam extinctus carbo, ad malè moratũ accedit prædicatorem nunquam cõuertetur. Propter quod de Christo domino nostro omnium prædicatorum decore & ornamẽto dicitur, Ignis à facie eius exarsit, & carbones succensi sunt ab eo. *Psalm. 17.* Peccatores enim aqua malę cupiditatis extincti, prædicatione euangelica succensi sunt. Carbonibus enim facies peccatorum comparauit Hieremias, dicens, Denigrata est super carbones facies eorum. *Thren. 4.* Sic opus est, vt tu prædicator ignita habeas eloquia, à pectore pleno charitatis igne flammantia, vt corda auditorum calefacias. *Act. 2.* Sic Petrus, qui aliquando frigidus fuerat, igne spiritus sancti succensus in die Pẽtecostes ferè tria millia carbonum extincta accendit. *Esa. 6.* Esaias etiam, qui labia habebat immunda, habuit opus purificatione antequam ad prædicandum mitteretur, propter quòd veniens vnus seraphinorum tulit carbonem ignis de altari, & tetigit labia ipsius & linguam, & purgauit: eáque purgata statim mittitur ad loquẽdum. Quandiu habuit labia immunda, non iniunctum fuit illi prædicationis onus. Mundantur labia ipsius: & post dignus habitus est, cui prædicatio mandari debeat. Ex quibus colligimus eum, qui peccatorum sordibus inquinatus est, indignum esse ad prædicationis officium subeundum. Nam eius vitiosa vita & mores suspicionem non paruam auditoribus iniiciunt, non esse vera quæ ab illo fuerint edocti. At quod, hoc argumento mouebantur, quòd videlicet non est verissimile aliquem ita desipuisse, vt aliis benè consulat sibi autem malè. Si bona sunt, quæ docet, cur ea non facit? Si bona sunt: quæ facit, cur ea non docet? Itaque quocunque se vertat, improbitatis conuincitur, aut malè viuens, aut malè docens. *Iudi. 20.* Victi fuerunt bis filij Israel pugnantes contra Beniamin in bello iusto, quia ipsi eodem crimine erant contaminati. Hoc autem non intelligo de prædicatore, cuius mala vita latet: is enim sicut nullo præmio prædicans dignus est, ita nec pœna. Quoniam peccatum suum cùm lateat, nihil prohibet, quominus eius doctrina vera esse credatur. *Esaia. 6.* Mittens Deus Esaiam ad prædicandum eius labia accenso vssit carbone, innuens verba prædicatorum debere esse ignita & diuino amore ardentia, vt corda auditorum exurant. *Exod. 19.* Cũ Deus legem populo suo in Sina monte date vellet, totus mons visus est conflagrare, deinde vox tubæ paulatim ingruentis. Similis sit huic monti euangelicę tubæ inflato, vt videlicet priùs totus amore diuino exardescat, deinde verò tubam prædicationis insonet. *Marc. 8. Ioan. 6.* Bis legimus Christum paucis numero panibus multa hominum millia satiasse, quos tamen antequam partiretur, manibus sumpsit suis: ita & tu doctrina tua docturus populum, opus est, vt illã priùs manibus tuis opereris, tunc demum cœlesti pane animas omnium satiabis. *Exod. 3.* Moses virgam manu tenens virgã esse videbat, quã tamen simul ac in terram proiiciebat, in anguẽ cõuersam mirabatur. Sic prædicator dum doctrinã suam manibus præstat suis, rectã esse videt, postquã verò illã ab se proiicit verbis tantũmodo contentus, serpentẽ esse cogit, quo ipse lacessitur, & auditores scandalizãtur.

Prædicator tria obseruare debet.

Ideò seminator, qui prædicator est tria facit antequã seminet. Primò semẽ doctrinæ euulgandũ manu capit, vt scilicet priùs operetur, quàm doceat, vt iam diximus. Secundò semẽ mundat domi seminaturus, ne fortè mala gramina serat, sic prædicator priùs singula apud se debet verba expendere, ne quid effundat, quod bonis noceat, aut fructum bonę doctrinæ impediat. *Esaia. 50.* Vnde Esaias: Dominus dedit mihi linguam eruditam: vt sciam sustentare cũ, qui lapsus est verbo. Dominus Deus aperuit mihi aurẽ, Ego autem non contradico, &c. Tertiò seminator terrã diligenter considerat, vt quæ tritici ferax est, tritico seminetur: quę verò hordei, hordeo. Sic prędicator iuxta audientium captum doctrinam suam spargere debet. *1. Cor. 9.* Ideò Paulus, Non veni, inquit, ad vos in sublimitate sermonis: sed tanquam paruulis in Christo lac dedi vobis, non escam, &c. Sed satis hæc sint de prædicatore.

Terræ differentia quatuor.

¶ Hactenus egimus de semine & de seminatore, hoc est de prædicatore & verbo diuino: nunc paucis verbis de terra, in quam semen cadit, agendum est. Hæc autem terra, vt ex litera patet, proculdubio corda audientium prædicationem sunt. Quatuor autem differentias huius terræ Christus posuit: Nam quidam audientes verbum, non fructificãt, illud non credunt. Alij autem licèt credant, impediuntur fructificare. Primi fructum ferre nullo modo possunt: nam verbum non creditũ, animum ad agendum nullo pacto mouere posse, verò simile est. Et isti comparantur semini cadenti secus viam: quia licèt terra sit bona impossibile est ibi fructum gigni, cum transeuntium pedibus conculcetur. Hoc semen tollit diabolus, sicut aues granum de terra: ne credentes salui fiant. Quia verbum, quod non creditur mox ab animo nostro elabitur: quia animus nõ curat de eo, quod verum esse, non putat. Cæteri autem qui credunt, licèt nõ operentur, verbum in animo retinent, cùm credũt illud esse verum. Et sic de sola prima parte seminis dicitur, quòd volucres comederunt illud, & etiam à diabolo raptum fuisse. In spinis autem, & supra petram semen manet, licèt fructum nõ gignat: quia isti sunt qui credunt & non operantur. Quia tamen verbum creditum mouet animũ, necesse est, vt credens operetur, nisi impediatur. Est autem duplex impedimentum, alterum propter timorem, alterũ propter amorem: quia ex istis passionibus oriuntur cæteræ. Propter timorem impeditur qui cessat ab operatione tentatione insurgente: & hoc est semẽ, quod cecidit supra petrã. Propter amorem autem impediũtur illi, qui propter aliqua bona huius vitæ, videlicet diuitias honores & carnis oblectamẽta cessant ab opere: & hoc est semen cadens inter spinas. Et quia nõ sunt plures modi, generaliter loquendo, quibus homo audiẽs verbũ Dei nõ fructificet, posuit Christus tres tãtummodo partes seminis non fructificantis, & vnam fructificantis. Sed singulas has quatuor differentias terræ expendamus, & audiamus dominum dicentem. *Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus & tollit verbum de corde eorum ne credentes salui fiant.* Audiunt quidem multi verbum Dei & delectantur in prædicatione, sed non proficiunt. Quemadmodum nonnulli oblectantur musica, & musicos, aliquorum fortitudinem et res gestas, & facta

Immediocutus f. sclas verbi Dei. præclara canentes libenter audiunt, sed virtutes, quas illi laudibus efferunt & cantibus celebrant imitari non curant. Sic oblectationis & recreationis, tantum causa multi audiunt concionatores. sed non imitantur virtutes, quas laudant. Audiunt cõcionatores, vt eorum mulceãtur artificio, eloquẽtia & doctrina. non autem, vt iuxta eam viuãt. De his dominus elegãter per Ezechielem loquitur dicẽs,
Ezech.33. Et tu fili hominis, fili populi tui qui loquuntur de te iuxta muros & in ostiis murorum, & dicũt vnus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes, Venite & audiamus quis sit sermo egrediens à domino. Et veniunt ad te quasi ingrediatur populus, & sedet coram te populus meus: & audiunt sermones tuos & non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos, & auaritiam suam sequitur cor eorũ. Et est eis quasi carmen musicum, quod suaui dulcique sono canitur, & audiunt verba tua & non faciunt. Hæc olim loquutus est dominus Ezechieli: quod quidem & nunc passim fieri videmus. Faciũt curricula, conuocant concilia, iuxta muros & ostia domorum, & congregant susurrantium conuenticula: vbi iudicant condemnantq́ue concionatores verbi Dei, eósque vituperant, quosdam verò laudãt: & ipsi veniunt duntaxat ad sermonem vt audiant curiosè, non vt discant piè & deuotè. Ex eis quasi carmen musicum. Hoc est, isti dùm audiunt cõcionem discernunt quasi cùm modulatur quis, cuius vocem solùm obseruant auditores, vtrum expeditam sonorámue aut remissam insulsamq́ue emittat vocem. Sicut de musicis & cantoribus sic de cõcionatoribus iudicant, vtrum tepeant, raucifiant, maternáue lingua perpolitè comicéque vtãtur. At conuertendi se nunquam student: quòd si accidit vt penetrabile Dei verbum ad eorum viscera pertingat non sustinent sed mox ad priora vitia recurrunt, & ad pristinum redeunt statum. Ij similes sunt
3.Reg.19. Sauli regi Israel qui dùm persequeretur Dauidem quem iniquè oderat offendit in via prophetarum chorum laudantium & benedicentium Deũ: quos cùm vidisset Saul & ipse etiam spoliauit se & inter eos psallere cœpit, & collaudare Deum. Et cũ ver-
2.Petri.2. ba quæ ore protulerat cordi non adhærebant, mox vt discessit ad vomitum reuersus vt canis persequebatur Dauidem. Itaque vt apes multa decurrentes solùm floribus delectantur, illósque decerpunt, alia verò relinquunt: sic ij auditores totam concionem audientes nihil præter quàm pulchrè dicta eligunt. Hæc tantum curant, & solidam doctrinam contẽ-
2.Tim.4. nunt. Id præuidens Paulus Timotheo dixit, Veniet tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum
Act.17. auertent, ad fabulas autem conuertentur. In Actibus apostolorum legimus Athenienses ad nihil aliud vacasse, quàm vt aliquid noui discerent aut audirent. Solent etiam isti flores prædicatorum aliquando prodesse, & inter hæc aliquem bonum motum concipere. Et audientes conciones solent multi vitæ suæ emẽdationem proponere: sed nihil proficiunt: licèt benè cogitent, quia tentati à diabolo succumbunt. Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum. qui ex curiositate, aut non recta intentione audiunt, ne credentes salui fiant. Multi quidem benè audiunt, sed non perficiunt: quia diabolus tollit verbum Dei de cordibus eorum. Venit diabolus, qui Latinè dicitur calumniator, Græcè diabolos, Hebraicè zabulus, hoc est deorsum fluens, eò quòd à cœlestibus in terrã sedibus corruerit. Assimilatur autem hic volucribus cœli propter similitudinem: quia volucres comedunt semẽ, ita vt terra fructum ferre non possit: sic & dæmones tollunt verbum bonum de corde hominum, vt fructu boni operis priuentur. Morantur etiam in aëre sicut aues, & natura leuiores sunt cæteris creaturis, sicut aues reliquis animalibus agilitate antestant. Hic tollit verbum de corde audientium illud, sicut Madianitæ, qui vastabant segetes Israel. Iudi.6.

§ Obserua autem pro huius loci expositione, diabolum nihil penitùs ab intellectu aut voluntate nostra eripere posse: quia operatio dæmonis nõ potest pertingere directè vsque ad substantiã animæ nostræ: nec etiam angelus id efficeret. Quoniã solus Deus, qui animæ nostræ illabitur, & in illa verè est, potest in ea operari. Et ideò etiamsi Deus permitteret diabolo facere quòd posset, non posset tollere aliquid, de intellectu nostro, aut de voluntate: nec scit quid habeamus in intellectu, aut voluntate nostra. Potest tamen dæmon operari circa phantasmata, quia phantasma dicit organum corporale: & totum intelligere nostrum à phantasmate pendet, eò quòd intellectus noster non habet formas per quas intelligat, sed per sensum accipit à rebus. Vnde dæmon perturbare phantasiam potest, destruendo eam, vel illam ineptam faciendo ad vsum intelligendi. Et ita poterit auferre omnem intellectionem nostram, sicut apparet in aliquibus ægritudinibus, in quibus turbatur cerebrum. Sed Deus illic hoc non permittit, nec etiam corporaliter nocere hominibus quantum volunt: suggerunt tamen figmenta cogitationi, vt fidem euertant. Quomodocunque autem suadente diabolo homo non credit eis, quæ prædicantur, dicitur diabolus tollere verbum de corde eius. Et sicut potest tollere de corde isto modo quo diximus, potest etiam mittere, sicut Ioannes ait, misisse diabolum in cor Iudæ, vt dominum traderet, transmutando phantasias omnes & imaginationes, & denique ipsas potentias organis infixas, sensus deludendo, quantum Deus permittit. Et quia intellectus vtitur illis potentiis, ideò ipsis turbatis communiter turbat rationem. Intellectus autem ratione turbata necessariò vitiatur & vitiosus voluntatem ad se trahit: qua decepta, peccatum committitur. Hoc autem modo diabolus indirectè & mediatè mittens has falsas, & impias cogitationes omnia perturbat, vsquequo voluntas volens & liberè consentiat peccatis: & tunc tollit diabolus gratiam & charitatem & merita, & aliquando fidem, ita vt non credat verbo Dei, nec ecclesiæ prædicanti. Audi quid fecerit Iacob, vt oues, & capræ conciperent fœtus maculosos. Posuit antè oculos gregis, quoties aquatum iret, virgas populeas & amygdalinas, cortice partim erepto, partim retento. Quo pacto virgæ discolores effectæ, & in perspicua sublucentes aqua, veneris tempore, matrum per defixos sensus fœtus in vtero maculabant. Ita & dæmon sensibus nostris varia deliramenta obiicit, si qua possit animam labè peccati maculare. Cùm enim optimè nouerit tempora, quibus nos, quasi quadam venerè libidinum furore rapimur, quando maiorem in modum ardescimus, in aqua nostræ voluptatis talia obiicit phantasiæ oblectamenta, tantus distincta pietatis coloribus

Diabolus nihil potestatis habet in cor humanum.

Ioan.13.

Genes.30.

loribus & simulationibus, vt nemo nisi castissimus ab omni culpa conscientiam non maculatam ferè possit seruare. Vnde, sicut in grege Iacob accidit, vt eo colore agni tingerentur quem matres eorú concipientes oculis hauserant: sic euenit miseris mortalibus, qui incautiùs varia cogitãtes, pauci maculã peccati euadunt. Nam in ea miserrimè labuntur vitia, quibus frequentiùs à dæmone sollicitati non restiterunt: Hostis namq; generis humani, qui optimè vniuscuiusq; ingenium & mores nouit, ea ſegerit arte, vt iracundis iræ, libidinosis veneris, superbis arrogantiæ semper cogitationes obiiciat, quibus mille fucatis pietatis coloribus, intellectú & voluntatem seducit. ¶ Aduerte auté non posuisse Iacob quascunque virgas, sed tantum populeas, & amygdalinas, vt hinc etiam discas labilitatem & inopiam huius vitæ. Nam sicut populus sterilis est, nulliúsq; fructus ferax, frondes tantúmodo virẽtes ostentat: amygdalus autem, præcoci vernans flore breuissimè & florẽ & frondes amittit: sic vitia nobis antè oculos à dæmone obiecta, quasi populeæ, & amygdalinæ virgæ fugacia, sterilia & breuissimæ iucunditatis sunt. Flosculi sunt inconstantissimi, carnis oblectamenta: quæ quauis fortunæ vel naturæ vice collabũtur. Reliqua autem vitia floribus infirmissimis sunt similia, quæ quodcunq; aduersitatis flatu decidũnt: auctorémq; suum nudum relinquunt. *Sap. 5.* Omnia vanitas & stercus sunt. Vnde impij in inferno positi dixerunt, Quid profuit nobis superbia, aut diuitiarũ iactantia quid contulit nobis? *Psalm. 2.* Transierũt omnia illa tanquã vmbra. In hũc propè modũ se habent omnia sæcularia non modo vitiosa, sed etiam inculpandã supellectilia: quoniã tanquam flores euanescunt, & tanquam vas figuli confringuntur. Nec etiã vacat mysterio, quòd alias cũ cortice, alias sine illo, virgas posuerit Iacob. Sic enim à dæmone prima obiiciuntur hominibus vitia, alia quidem perspicua quæ facili negotio, & videri & caueri possunt, omni velamine sublato: alia vero ita obducta vt difficillimè possint & vitari & *2. Cor. 12.* prouideri. Sæpè nãq; numero Satanas se in angelũ lucis trãsfigurat & illos miserrimè decipit, qui minus incautè agentes, in vitiorũ laqueos faciliùs illabuntur. Eò modo vxor Hieroboam capite obue- *3. Reg. 14.* lato & facie, incessit, putãs se decepturam prophetã Ahiã ignarũ. Posuit igitur virgas Iacob cortice obiectas & alias corticibus detractas. Eodẽ modo tentat diabolus apertis tentationibus, & stimulatis atque coopertis vt decipiat. Sed quia de hoc genere tentationum iã diximus in præfatione beati Lucæ, nũc procedamus, & videamus sequentia. *Nam qui suprà petram, hi sunt, qui cum audierint, cũ gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Cadit semen super lapidem, cùm cadit super cor durũ & obstinatum. *Peccandi inueterata consuetudo impedit fructum euang.* Homines enim huiusmodi quoniã ex peccãdi consuetudine longinqua obriguerunt instar marmorei montis, quanquam non inuiti doctrinã audiunt euangelicam: difficilè tamen ita emolliuntur, vt vel à peccando se abstineant, aut ad virtutem se cõferant. Tantum potest in omnibus rebus etiã nocentissimis vsus tempore confirmatus. Quare sicut cadente pluuia lapides foris madescunt, intus verò suam siccitatem cum duritia seruant: ita isti fallaces homines extrinsecus miti placidóque apparent vultu, ora, dùm sacris intersunt cõcionibus nonnunquã lachrymis rigãt, at mens immota manet in obstinatione sua. Hanc miserrimam vitę cõditionem efficit peccandi cõsuetudo. Eò enim miseriæ deuenit anima peccando, vt adeò in peccatis indurescat, ne vnquam sese ab illis eruere, aut rarò possit, nisi specialiter diuino subleuetur præsidio. Vnde Iob de obstinato peccatore ait, Cor eius indurabitur quasi lapis. *Iob. 41.* Quare ne in tãtã duritiã fortè peruenias, multò ante præcauere debes. Inquit enim scriptura, Cor durum malè habebit in nouissimo. *Eccle. 3.* Sicut etenim illa, quæ dura natura sunt, grauia etiã sint est necesse, vt in lapide videmus, qui de turre missus nisi impediretur, ad cẽtrum vsque perueniret, sic ille qui cor durum & lapideum habet, si à morte emissus fuerit, proculdubio ima inferni petet loca. De Pharaone ait Deus, Indurabo cor Pharaonis. Quamobrẽ impius rex obduratus vocẽ Mosis tam egregij concionatoris non audiuit tantis editis miraculis: nihil tamen illi profuit, vt verbum Dei susciperet. *Exod. 7.* Et ideò de illo eiúsq; obstinatis militibus dixit Maria Soror Mosi in cãtico, Descẽderunt in infernum quasi lapis. *Exo. 15.* Si verum est illud, quod inter philosophos est celebratissimum, scilicet, omne graue deorsum tendere, quo tandem ibit anima Pharaonicæ similis, nisi in infernum: cuius tanta fuit duritia, vt durissima etiam saxa illius cõparatione mollia videantur? Quo etiã tu te descensurum putas, quẽ assiduæ cócionatorũ voces plusquã lapideum cor gerentem, mouere non possunt? Crede mihi induratę mentis peccator, quòd in tartara descendes, nisi pœnitentiam egeris: quam existimo propter impœnitens cor tuũ & duritiam tuã minimè acturum. Timendum tibi quidẽ est. Siquidem ea negligentia & incuria vitam agis, tuã, vt in dies peior fias: nec tantis propositis documentis quicquam ad virtutem mouearis. Hæc cordis duritia in causa est, quare isti tam citò ad peccata reuertãtur, à quibus vix dùm semel exierant. Non concedunt isti locum spiritui sancto instar duri corporis, quod digito tangenti non cedit. Sic cor durum spiritui sancto, qui digitus Dei dicitur, nequaquam cedit. Hoc modo quibusdam Iudæis obstinatis dixit Stephanus, O duri ceruice & incircuncisi corde, vos semper spiritui sancto restitistis, *Act. 7.* Nihilominus tamen ea est diuina clementia, vt hæc etiam obstinatissima corda mille modis nitatur mollire. Quẽadmodum namque qui aliquid mollefacere vult priùs impressum manibus huc illuc versat, si adhuc resistit adhibet vnctionem, post vnctionem verò in aquam coniicit, postea in ignem, deinde ad incudem ducit, quòd si nec hoc modo mollire potest, tanquam omnino inutilè abiicit. Sic Deus erga humana se gerit corda. Primum enim illa quasi manibus suis contrectans benigna passionis suæ, grandiumq́ue beneficiorum memoria mulcet. Secundò illa iniungit diuinis auxiliis & inspirationibus, quibus faciliùs peccati rigorem deponant. Tertiò bonorum temporalium aquis inundat, vt gratias auctori agendo in memoriam veniant delicti sui. Quartò ignibus tribulationum, & infirmitatum vexat. Denique ictibus mortis temporalis committit, vt vel saltem tunc resipiscant, & conuertantur. At verò si nihil istorum potest deperditam reuocare voluntatem, nulla mora est, quin huiusmodi miserrimi peccatores, quorum corda marmorea vllis nõ potuerunt mollescere viribus, in infernũ coniiciantur. His igitur quid proderunt conciones, aut prædicatorum verba: quos

non

non mouetur,nec deliciæ,nec flagella diuina? Vt enim illi, qui ad ea loca Nili catadupas appellata, inhabitãtes,prorſus nihil audiunt:quoniam nimio *Similitud.* fluuij fragore ab altiſſimis montibus labentibus ſurditatem natiuam contrahunt, obſtupeſcẽte audiendi ſenſu nimia obiecti efficacia & abundantia: ſic,qui huius ſæculi tumultibus & torrẽtibus ſemper deſiſtũt,diuerſis corda ſua oblectamẽtis ingurgitantes,ea vſq; adeò ſtupida & inſenſibilia reddunt, vt Dei vocationes non percipiãt, ſed inutilia & vitioſa murmura. Aut ſi initio aliquandiu ſacris concionibus tanguntur, paulatim negligunt:more illorum, qui viciniam alicuius ferrarij fabri adepti, primo malleorũ grauiter ictibus offenduntur:quibus tamen indies perſeuerantibus, inducta cõſuetudine,nõ modo nõ mouentur,quin etiam ſuauiùs dormiunt. Quare non eſt mirum, quia ita incautè viuunt,in eadem deuenere ſalutis ſuæ deſperationẽ vt nec cõcionibus,nec inſpirationibus aut clamoribus diuinis poſſint excitari aut molliri. Quemadmodum vulnera tabe confecta & corrupta, ſenſu ſtupore chirurgi ferrum nequaquã ſentiunt:ſic iſti peccandi conſuetudine obdurati medicabile Dei ferrũ non ſentiunt:hoc eſt diuinas vocationes non exaudiunt,imò potiùs more immedicabilis vlceris indies medicina ipſa corruptiores fiunt. Nõ ſic ſeſe *Pſalm.21.* habebat Dauid. Dicebat enim, Factũ eſt cor meum ſicut cera liqueſcẽs in medio ventris mei. Ideò do- *Ezech.16.* minus vt audiri ab hominibus poſſet per Ezechielem ait, Auferã à vobis cor lapideũ, & dabo vobis *Obdurationis cauſa permittens & non efficiens Deus eſſe poteſt.* cor carneum. ¶ Sed videamus quæ ſit huius tantæ duritiei cauſa. Et quãquam alicui fortaſſis Deus ipſe huius obſtinationis cauſa eſſe videatur, iuxta illud, Ego indurabo cor Pharaonis. Tamen nec fides *Exod.7.* nec ratio patitur, vt Deum optimum maximum auctorem noſtrorum criminum faciamus. Quare ſapientiùs dicemus Deum nõ eſſe cauſam effectiuè ſed permiſſiuè huius duritiei. Sicut namq; medicus quantumuis infirmorum ſanitati ſtudeat,ægrotos tamen infirmos & medicamina renuentes,vt incurabiles relinquit tandem,poſt varias preces, & minas quibus nihil promouit: ſic Deus peccatorem multum diúq; vocatum, poſtquam volentem ducere non poteſt,ne inuitum trahat:deſerit. Hac nãque inter Deum & medicum interuenit differentia quia medicus ne fruſtra conetur,infirmum deſerit: Deus verò ne libero arbitrio vim videatur inferre quod liberrimum eſſe voluit, vt homines mererẽtur aut gloriam,aut ſupplicium,peccatorem relinquit. Hac de cauſa poterat quidem Deus impium Pharaonem maxima aliqua plaga & inſuperabili aliquo portento mouere,& conuertere:ſed quia iã ſatis ſupérque monuerat multis variiſque ſignis, quæ omnia perpeſſimi tyranni duritate nihil profuerunt,ideò illum vt immedicabilẽ deſeruit. Itaq; cùm Deus omnia futura in conſpectu habeat, hoc innuere voluit dùm dixit, Ego indurabo cor Pharaonis,id eſt,non adiiciam vltra benefacere illi, vt *Exod.14.* conuertatur. Quare ſic induratus in mari Rubro interiit. Cùm auxilia ſuperérogationis Deus tollit tunc dicetur permittere aliquid: licèt non tollat neceſſaria ad conualeſcendum auxilia. Quia cùm poſſit peccatorem eruere de ſua potentia,non vult: ex maximis peccatoris demeritis. Vnde Paulus ait, *Rom.8.* Quem vult miſeretur,& quem vult indurat. Quæ verba iuxta ſupradictam explicationem accipiẽda ſunt. ¶ Sed vt explicatiùs omnibus pateant aduertendũ eſt in quolibet peccato duo conſiderari, receſſum à Deo & acceſſum ad creaturã: vt ex peccati diffinitione colligitur. Quoties igitur homo accedit ad creaturam recedens à creatore peccat:ſi tñ ita accedit ad illã, vt Deum deſerat:tunc crimẽ admittit. Quare,ſicut noctu ſol à noſtro hemiſphério recedens quodámodo obſcuritatis cauſa dicitur, quia interpoſita terræ mole ſuperiorem illius ſuperficiẽ illuſtrare nõ poteſt:ſic Deus obdurationis peccatorũ cauſa dicitur,quoties interpoſita criminum congerie ſupremã animarũ noſtrarum faciem non illuminat. Attamen ſicut propriè loquendo ſol nullo modo noctis eſt cauſa,ſed terræ oppoſitio: ita impiũ eſſet aſſerere Deum animos hominũ de- *Oſea.13.* prauare,quod humanæ malitiæ proprium eſt. Vnde illud, Perditio tua ex te Iſrael. Peccatori igitur,vt effrænis equus,peccandi peſſima cõſuetudine calcaria adiiciente,in præceps ſpõtè ſua ruit. Sic Deus de quibuſdam ait, Ipſi regnauerunt, ſed non ex me: principes extiterunt, & non cognoui. Ideò inquiẽs per Oſeã Deus, Perditio tua ex te Iſrael, ſtatim ſub- *Oſea.8.* dit, Auxilium tuũ ex me. Tanta enim eſt liberi arbitrij immunitas vt nihil quicquã aut addere, aut detrahere hominis volũtati ipſo inuito poſſit, niſi ſolus Deus:qđ ille nõ facit,partim vt mereamur ſpõtè benè operãdo:partim vt puniamur peſſimè perſeuerando. Quod ô vtinã indignationis fulmẽ dominus à populo ſuo in ethnicos & infideles conuertat. Vnde in quarto Regum libro habetur, Cœ- *4.Reg.17. & 33.* pit tædere ſuper filios Iſrael:iratúſque eſt vehementer,& abſtulit illos Deus à conſpectu ſuo:& proiecit dominus omne ſemen Iſrael à facie ſua. Itaque populus elect⁹ inter oẽs gentes,cui vſq; adeò Deus indulſerat repulſus fuit culpa ſua à facie domini. Laborauit ſuſtinens: & ideò tradidit illos Deus in *Eſaia.1.* reprobum ſenſum, & ibunt in deſideria cordis eo- *Rom.1.* rũ. Sic loquens dñs in Apocalypſi cum quodã pec- *Apoc.22.* catore inquit, Qui ſordidus eſt, ſordeſcat amplius. Iſti,vt hic ait Chriſtus,cum gaudio ſuſcipiũt verbũ Dei,quia delectantur audiendo prædicationem, & cupiunt iuſtificari:ſed in tẽpore tẽtationis recedũt à bono,quod propoſuerant:ſicut Balaã,qui videns tentoria Iſrael, fleuit, & conuerſus eſt dicens, Moriatur anima mea morte iuſtorum:& fiant nouiſſima mea horũ ſimilia. Sed poſt pauca mutatus con- *Num.23.* uerſus eſt ad auaritiã & ad peccata priſtina:deditq; impium conſilium,quo Iſrael periret. Sic multi vitia deteſtantur, at poſt planctum ad eadem reuertũtur,duritiæ cordis, quæ ex inueterata cõſuetudine proceſſit,attracti. Cauſam autem dedit Deus: Quia radices non habent iſti. Non enim inter lapides ſemẽ radices agere poteſt,nec verbum diuinũ animo lapideo & duro vllo pacto hærere. Sic arbores,quæ ſæpè tranſplantantur ab vno loco in aliud nunquã radicantur. Sic etiam, qui inconſtantes in virtute ſunt,nequaquam vigere,aut fructificare poterunt. Mutantur namque tanquam arborum frondes, & *Prou.26.* quaſi oſtiũ in cardine huc illuc mouẽtur, nec tamẽ à peccatorum excidunt vertebra. Quos vt inconſtantes & inſtabiles Eſaias pilæ rotundæ aſſimilat. *Eſaia 22.* Quaſi pilã,inquit,mittere in terram. Vt enim luſores pilã nuſquã cõſiſtere patiũtur:ſic permittẽte diuina iuſtitia peccata nullibi ſontes ſinũt in virtute immorari,ſed à minore ad maiorẽ in peccando iactum agitant. Id intelligens Dauid dicebat, Deus *Pſalm.82.* meus pone illos,vt rotam,id eſt,inſtabiles & agitatos,ſicut agitat rota. Et Eccleſiaſticus, Præcordia *Eccle 33.* fatui,

Thren. 1. ſatni, quaſi rota carri. Hoc autem ex peccato prouenit iuxta illud, Peccatū peccauit Hieruſalē ideò *Geneſ. 4.* inſtabilis facta eſt, Ideo Cain egreſſus à facie domini habitauit profugus. Pro profugo eſt in Hœbræo נד Na d: quod propriè inſtabilem & inconſtantem ſignificat. Tales ſunt, qui ſe à Domino ſeparant ſicut Cain: verùm multò inconſtantiores in virtute (ſi aliquando ad virtutem accedant) erunt illi, qui longa peccandi conſuetudine non ſemel, ſed ſæpenumero à domino receſſerunt. Audiunt enim ver- *2. Pet. 2.* bum Dei: ſed ſicut canis reuertuntur ad vomitum. *Iaco. 1.* Hos aſſimilat Iacobus hominibus ſe in ſpeculo intuentibus, dum ait, Auditor verbi & nō factor: hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Nā quemadmodum qui in ſpeculum aſpicit nihil niſi ſuam imaginē videt: ſic qui audit & non operatur: ſimilitudine tantum bonus eſt, non opere, Non aliter in tabulis conſpiciuntur à fabro depicta ſimulachra: quorum alia incedere videntur, & nō incedunt: alia ridere & non rident: alia corpus librare & tamē immobilia ſunt. In quē modum miſerrimi peccatores negligenter ſalutem ſuam procurantes, nihil ad virtutem præterquam conatum impendunt, quo huc illuc vacillantes in vitiis ſuis nihilominus hærent permanentes. Nulla alia ratio reddi poteſt germanior, cur tam ſæpè videamus mortales quamplurimos ſanctis præſertim dominicæ paſſionis diebus, qui ſeſe ieiuniis, precibus, flagelliſque conficiunt: ſtatim verò, quaſi illud perfunctoriè feciſſent, famelici multò vehemētiùs ad vitia ſua redeunt. Enimuerò, quid proſint corporei conatus, niſi ex animo verò, & ſpontaneo, nō ficto aut fallaci fiant, non video. Qua de cauſa iis ſimiliſque farinæ hominibus egregiæ imaginum aptatur ſimilitudo: quoniam omnia facere videntur, & nihil faciunt. Ideo Dauid inquit, In imagine pertranſit homo. Qui enim & audit conciones, & *Pſal. 38.* precatur, & ieiunat, cæteraque opera bona externa facit non tamen interno affectu operatur, ſicut ſimulachrum in pariete eſt. Hoc autem non indignū etiam conſideratione eſt, ex verbis Iacobi ſuperiùs citatis. Non enim dixit, Auditor verbi, & nō factor ſimilis eſt mulieri conſideranti vultum ſuū in ſpeculo: ſed comparabitur viro. Multò enim aliter & vir & fœmina in ſpeculo ſe conſiderant. Vir namq; licèt in ſpeculo videat in ſe aliqua inquinatum macula, aut fœditate, parum curat: nec ornatus, aut mundandæ faciei ſtudioſus eò magis efficitur. At fœmina, cui præcipua cura eſt faciem vndecunque ornari & componere, vel minimam notam nō patitur, quin ſtatim vel aqua, linteóue abſtergat. Qui concionē audiens ſua peccata caſtigata nō reddit, hic ſimilis eſt viro qui faciei ſuæ deformitates non emendat: at qui ea corrigit & delet, ſimilandus eſt mulieri quæ conſideranti ſe in ſpeculo, maculas vultus ſui abſtergit. In hoc igitur fœmineū genus imitemur, vt quod ipſæ, in excolenda corporea facie, curæ & diligentiæ nauant, nos in ornanda ſpirituali impendamus. Itaque qui concioni intereſt, non debet ſola auditione diuini verbi eſſe contentus, ſed attento animo an ſingula prædicatoris verba ſit, notétque in vnoquoq; ſalutis ſuæ remediū quaſi in ſpeculo inquiens, Illud vitium meum eſt: hac ratione propulſabo: peccandi autem cōſuetudini ſic medebor: Et ita de reliquis. Denique eo pacta concionem audire debes: vt ſicut oppoſito ſpeculo oris fœditates, ita illa audienda cōſcientiæ labes omnes inſtar mulieris emundes, & abſtergas. Quare auditor verbi & nō factor cōparatur viro intuēti ſe in ſpeculo, nō mulieri: qa vir cū ſe ſępenumero vitiorū notari à prædicatore videat, nihili facit.

¶ Obſerua autē hìc: licèt hæc inconſtantia ab intrinſeco plerunq; proueniat, ſolet etiā non rarò ab extrinſeco accidere, à malis cōſiliis videlicet & ab iniqua hominum familiaritate & cōſuetudine. Nā Deus qui ex lapidibus poteſt ſuſcitare filios Abrahæ, & auferre cor lapideum, & carnē cōcedere poteſt, & ex obſtinato peccatore molliſſimū reddere & piiſſimū: ita, vt audito verbo Dei fructus vberri- *Matth. 3.* mos producat, niſi humana obſtaret nequitia. Ve- *Ezech. 16.* rū ſæpenumerò Deo interiùs animū ad bona opera incitante, perfidi familiares dæmonis auxilio adiuti adſunt, recēſq; conuerſum amicū, nunc ridēdo, nunc eius inſtitutum deludendo, ab incepta deterrent virtutis via. Hæc eſt fortiſſima quædā inferni vis, qua homines nō pauci à virtute labuntur. Multi enim amicis pluſquā ſatis eſt tribuētes eorū decipiuntur monitis. Qui tamē nō ab amicis, ſed potiùs ab impiis decipiūtur: ſicut propheta ille ſenex, qui virū Dei auertit ab itinere, & ſuo malo cōſilio præuaricari fecit illū à via domini, vt comederet: & biberet: atq; ideò à leone ſuffocatus eſt. Sic qui malis cōſiliis acquieſcentes in bono non perſeuerant incœpto puniētur à Deo, ſicut ille propheta, qui ab *3. Reg. 13.* incœpto deſtitit nō comedens nec bibens cū Ieroboam, eò quòd adhibuiſſet impio ſeni fidē, &c. Sed iā ad contextū. *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audierunt, & à ſollicitudinibus & diuitiis & voluptatib. vitæ euntes ſuffocantur & non referunt fructum.* Optimè *Diuitiæ, ſpinæ.* comparat Chriſtus diuitias ſpinis. Primò, quia quemadmodū difficilis eſt & periculoſus ad ſpinas acceſſus: ita cum diuitib. miſerrima eſt cōſuetudo, qui humilioris cōditionis homines crudeliter tractare ſolent. Quòd ſi poſtquam tenuior cum ditiore contraxerit, aut amicitiā iunxerit, non ſecus ab illo, ſi fortè diſceſſum moliatur, laceratus diſcedit, quàm ſi denſiſſimum ſubiiſſet ſpinetum. Hinc ſunt illæ quotidiè miſerorum aratorū lachrymæ, quib. ſe paſſim à potentiorib. ſpoliatos teſtantur. Alius agrū, alius pecus, alius domū ſibi ablatā deplorant: nec eſt in terris iudex, qui opē ferat aut conſolator, qui dolorē leuet. Quid dicā pręter rei familiaris iacturas, quæ patiuntur iniuriarū & ignominiæ mala? Sed de his ſatis, nunc vlterius progrediamur.

¶ Secundò aſſimilantur diuitiæ ſpinis, quia ſicut *Diuitiæ pungunt.* qui ſpinas laxa tenet manu ſpinarum non pungitur aculeis, ſin verò manum contrahat, quò magis contrahit, eò magis ſauciatur. Sic diuitiæ, ſi manib. extenſis, id eſt, liberalib. geras, noxiæ non ſunt: at verò ſi arctius & auidius vtaris & comprimas, mirum eſt quàm non modo animam, ſed etiā, corpus ipſum eneruent atque dedecorent. Vnde illud Bea- *Eccle. 31.* tus diues, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecunię theſauris. Non obfuerunt diuitiæ quondā mulieri illi, de qua ſcriptura inquit, Palmas eius extēdit ad pauperem. Non ſenſit quidem hæc ſpinoſarum opū aculeos, quia extenſa & libera manu gerebat. Quod mul- *Prouer. 31.* tò aliter accidit iis, qui ita res ſuas fouent, vt difficilè ſit iudicare vtrum ambitioſius quærant, an tenaciùs ſeruent. Quoniam ſicut de Phœnice aue memoriæ traditum eſt, qui ſuprema ſenectute frondes arborumque congregat putamina, vt ſibi conflagraturo incendium paret: ita iſti nequiſſimi

ſimi homines congregandis rerum temporalium quiſquiliis omnem impendunt operam vt morte obita æternam ſibi inferno pyram conſtruant. Sic igitur rerum ſuarum benignus diſpẽſator qui temporalia bona æternis malis non anteponit.

❡ Tertiò aſſimilãtur ſpinæ diuitiis: quoniam ſicut ſpineta ſuaptè natura latibulum omnium reptiliũ, venenoſorũmq; animalium cõfugium ſunt: ita diuitiæ vitiorum ſunt receptaculũ & ſedes. Eo enim quo quis diues eſt, ſtatim ſuperbus, iners, mollis, impudicus, vorator, bibulus & tyrannus efficitur. *Eccle. 13.* Quæ omnia incommoda diuitiarum luxum cõſequuntur. Vnde in Eccleſiaſtico habetur, Diues iniuſtè egit & fremet. Quod ſi rectè animaduertamus non minus hac noſtra tẽpeſtate diuites videbimus horum vitiorũ vinculis implicatos, quã olim prophetæ *Mich. 6.* Michææ tẽpore: cũ ipſe dixit, Diuites eius repleti ſunt iniquitate. Hoc autẽ eò accidit, quia natura cõparatum eſt, vt egeſtas virtutum omnium ſit cuſtos, luxus verò certiſſimus vitiorum fomes. Argumentũ eſt enim in diuitiis non eſſe virtute, & apud Græcos & Latinos optimos quoſque viros: paupertatẽ amauiſſe legim⁹. Vnde Græcũ eſt apud Plutarchũ Prouerbiũ *οὐδὲ ποτὲ λιμὸς ἐγέννησε μοιχείαν.* Id eſt, nunquam fames adulteria genuit. Nam ſine Cerere & Libero friget Venus. Cùm autẽ cibaria, omniaq; corporis voluptaria pecunia veneant, inde fit: vt diuites multo ſint pauperibus vitioſiores. Aptiſſimè igitur vel hac ſolum ratione cõferuntur diuitiæ ſpinis: quoniam & vitiorũ latebræ ſunt, & quia poſſidentes mille ſollicitudinib. ſolẽt angere. Quapropter dominus hîc cum diuitiis anguſtias copulauit inquiens, ſemẽ inter ſpinas cecidiſſe, quo intelliguntur illi, qui à curis & ſollicitudinibus huius ſæculi ſuffocantur. Vnde ſicut olitores hortos circumſæpire ſpinis ſolent, ne furibus aut pecori facilis pateat locus: ita Deus diuitiis ſollicitudinũ & anxietatũ clauſtra abdidit, ne homines qui belluino more in ſæcularia ruunt impunè tranſeant, *Oſee. 2.* iuxta illud, quod per Oſeam inquit, Sæpiam viam tuam ſpinis. Quaſi dixiſſet, Siquidem auiditas tua nullis coërceri poteſt vinculis, quin, hortos, & pomaria expiles: aliud excogitabo remedium, circundabo videlicet vitam hanc delicioſam multorum laborum vepribus, vt qđ pudor non potuit, prohibeat periculum. Sic quemadmodum pueri rapaces fructetis abſtinent magis ſæpimentorum difficultate, quàm iuſtitiæ & probitatis cauſa: ita ſæpè ſæpiùs vitioſi homines peccare timẽt diſcriminis aut ſupplicij cauſa. Hoc modo plurimi honoris ambitioſiſſimi, aut voluptatis cupidiſſimi, vel diuitiarũ amantiſſimi, ne ambiendo, aut periclitando, vel laborando defatigentur, non rarò à vitiorum ſequela abſiſtunt. Verùmtamen ſunt non pauci pueris furaciſſimis ſimiles, qui per medias ſpinarum & laborum ſyluas non dubitant, cruentatis etiam manib. & pedib. ad voluptatum bonorũmque temporaliũ hortum pergere. O quot mortalium in orbe terrarum ſunt, quib. omne ſtudium & ſollicitudo in hoc tantummodo verſatur, corpus animámque ipſam ſupplicio exponentib. æterno, vt breuicula animũ expleãt fugacíque voluptate. De pueris mirũ quidem non eſt: ſi in ipſo ætatis feruore conſtituti ardentiùs quid aut expetãt, aut ferueant aut virili ætati ſummũ eſt dedecus, ita libidini manus victas dare, vt nullum in tota mentis arce rationi locum relinquant. Oppoſuit rerum conditor parandis diuitiis æneum laborum & diſcriminum ſæpimentum, vt vel inuitos cõtineret mortales. At ea eſt illorum proteruitas, vt nullo obſtante diſcrimine aut labore, per medias fluctuum aut armorum tempeſtates inopes ruãt: & ſpretis æſtus & frigoris morſib. voluptati indulgentes ſtipendium ſub Satana egregia mereant militia. Quorũ nimiã ſollicitudinẽ egregiè poëta ille expreſſit, qui dixit, Quãto diuitis animi capitiſque dolore, impiger extremos currit *Hora. epiſto-* mercator ad Indos, per mare pauperiem fugiens *la. 1.* per ſaxa per ignes. O ciues, ciues, quærẽda pecunia primum? virtus poſt nummos? Quoties igitur verbum Dei, ꝙ digniſſimũ eſt ſemen, in eorum hominum animos cadit, qui variis ſæculi diſtenduntur ſollicitudinib. fructum ferre nequaquam poteſt: quoniã mũdi amor germinantẽ ſuffocat virtutem. Vidit Moſes rubũ ardentẽ, qui tamen non comburebatur. Sic corda hominum rubeto ſpinarum obſita ardent & non exuruntur. Verbum Dei eſt qua- *Exod. 3.* ſi ignis, iuxta illud Pſalmiſtæ, Ignitum eloquiũ tuũ *Pſalm. 118.* vehementer. Et dominus per Hieremiam prophetã *Iere. 23.* ait, Nunquid verba mea non ſunt quaſi ignis, dicit dominus? Hunc ignem ſenſerunt illi duo domini diſcipuli, qui dixerunt, Nonne cor noſtrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via? In cor auari deſcendit quidem verbum Dei & ardet, atq; calefacit: *Luce. 24.* verumtamen nec diuitiarum ſpinæ nec ipſum cor exuritur ſed integrum & immobile perſiſtit in rerũ terrenarũ amore: ſicut rubus Moſi ardens non cõſumebatur. Quare multos videbis homines huiuſmodi, qui dum eunt & interſunt concionib. ardere & moueri verbo Dei non parum videntur, adeò, vt eos iam melioris vitæ conditionem elegiſſe exiſtimes, ſin tamen, aut mutuandum aut dandũ amicis, iuxta illorum indigentiam ſit, quanquam omnib. prouolutus precib. cõtendas, non impetrabis. Itaq; in templo & in via pietatem tantum non domi, vbi maximè opus eſt, non in bonis operib. oſtendunt: ea eſt hominũ ſumma auaritia importunáque religio. Hoc autem eo fit, quoniã ſicut ille, qui affectu verbum Dei percipit, terrenã amittit cupiditatem: ſic corda cupiditate plena, idem verbum affectu cordis percipere nõ valent. De quib. bene per Pſalmiſtam dicitur, Sicut aſpidis obturantis aures ſuas, *Pſalm. 57.* ne audiat vocẽ incantantis, & venefici incantantis ſapienter. Quoniã, vt beatus Auguſtinus exponens hunc locum Pſalmi ait, ſerpens hic ne ſi in lucem à latebris caui ſui exeat, audita venefici incãtatione, alteram autẽ terra, alteram verò caudæ extremitate claudit, quo facto immota permanet in habitatione ſua: ſic auarus vt in vitiorum ſuorũ demerſus fouea deliteſcat, ne vocẽ Dei quotidie vocãtis audiat, animi auditũ, terra, id eſt, terrenis cogitationib. & voluptatib. oppilat partẽ pars vero caudã, id eſt: fine propoſito in quem omnes conatus ſuos dirigẽs aut ditiſſimũ, aut potentiſſimum ſe ſperat futurum. Quare ſurditate ſumma oppreſſus mirum non eſt, ſi neque concionatorum clamorib. neque diuinis inſpirationib. neq; proximorum miſericordia moueatur impius auarus. Et non ineptè, quidem verbum Dei incantatoris voci confertur: quid enim magis mirabile, magiſq; inuſitatum (quæ hominũ eſt tenacitas) quàm vniuerſa derelinquere ſæculi bona, & mendicatò viuendo Chriſtum ſequi dominum? aut quid efficacius verbo Dei, quod hæc operatur? in paucis tamen. In illis ſcilicet, qui tanquam ſerpentes, non obturant aures ſuas, qui

bona

bona terra ſunt, & nõ obſiti diuitiarum ſpinis hor-
rẽt. In reliquis enim, qui terrenis rebus & ſollicitu-
dinibus diuitiarum detinẽtur, nihil promouet ver-
bum, nihil prædicatores proficiunt: quia amor ſæ-
culi germinantem virtutem ſuffocat, neque fructũ
facere ſinit. Sicut nanque in vaſe aliquo aceto ple-
no ſi guttulã mellis inſtillaueris nihil de acrimonia
acetum deponet, quia tantilla dulcedo in tãta con-
trarij ſaporis multitudine facilè euaneſcit: ſic in hu-
manis pectoribus verbi diuini ſuauitas perire ſolet.
Diuitum anxietates. Peccatores nanque ſupra modum terrenis dediti
cor acetoſum & multis amaritudinibus repletum
habent: labore, videlicet, in acquirendo diuitias: ti-
more, in cuſtodiendo: & dolore in amittẽdo. Quo-
niam quæ nimis amãtur, nimio dolore relinquun-
tur. Si ergo mel hoc verbi cœleſtis, vel diuinarum
inſpirationum in huiuſmodi corda mittatur, du-
bio procul mel perdetur & eorum vita non muta-
bitur. Vnde prædicatori, qui in huiuſmodi homi-
nes doctrinam ſpargit, illud poëticũ optimè aptari
poteſt. Quid facis Oenone? quid arenę ſemina man-
das? Non profecturis littora bobus aras? Ideò Chri-
ſtus hos fructum non relaturos aſſerit. Non enim
dequouis fructu intelligit: ſed de fructu perfecto &
maturo, téles phoroiſin, fructum abſolutum ſigni-
ficat. Igitur non ſolum propter hæc mala contem-
nendæ ſunt diuitiæ, ſed quia ſeparant à Deo, & ob-
nubilant intellectum. Luna non patitur eclipſim,
niſi cum plena eſt: ſic homo tunc maximè obſcura-
tur cum plenus eſt diuitiis. Rurſum ſicut luna in
plenilunio magis diſtat à ſole, à quo lumen accepit:
ita homo, tum demum longiſſimè ab illuminatore
ſuo & creatore Deo ſeparatiſſimus eſt, quando ſci-
licet diuitiarum luxu & ſuperabundantia tumet.
Quare tunc, non eſt mirũ, ſi, ſicut lunæ terra inter-
iecta caliginẽ offundit, ita eadem terra interpoſita
Deum & miſerum peccatorem, ipſum fœditate ſua
Eſai. 34. obſcuret atque obruat. De iis ait Eſai. Orientur in
diebus eius ſpinæ & vrticæ. Sed de his iam ſatis.

Sterilitas nõ à ſemine ſed ab agro procedit. ¶ Obſeruandum quoque hîc eſt, dominum tam
hoc in loco, quàm alibi hoc verbo, cadere, vſum
fuiſſe, Non enim ait, ſeminatorem, ſemen proieciſ-
ſe, aut aliud ſimile: ſed inquit, Aliud cecidit ſecus
viam, aliud cecidit ſupra petram, aliud cecidit inter
ſpinas: aliud cecidit in terram bonam. Hoc autem
eò fecit, quia prędicator non intẽdit prædicare ine-
ptis: facit enim prædicando, quod in ſe eſt: ſed nul-
lius voluntatem cogit quo vel benè, vel malè, & vt
voluerit verbum Dei accipiat. Quod ſi quis vel ma-
litia vel infirmitate diuinum verbi ſemen impru-
dentiùs tractet, quoniam hoc caſu & non ex prędi-
catoris intento, euenit: ideo ſapientiſſimè dixit do-
minus, Aliud cecidit in via, aliud cecidit ſupra pe-
trã, &c. Præterea, quãuis ex profeſſione de induſtria
ſciens & volens prædicator ſeminare ſecus viam,
vel inter ſpinas, vel ſupra petram, accipiendo hanc
ſeminationem, vt Chriſtus hîc accipit & in ſenſu,
quo prętendit, non eſſet inconueniens: nõ enim ea-
dem per omnia ratio eſt inter terram ſeminandam
frumento, & animum ſeminandũ diuino verbo. Nã
etiamſi ſtultiſſimus eſſe ille agricola cenſeretur, qui
ſemen ferens ſupra petras, & vias, ſenticoſaq́ue loca
proiiceret: at non ſic de diuini ſeminis ſeminatori-
bus dicendum. Quoniam agricolæ ſeminando ter-
ram mitiorem, aut ſeminis capaciorem non faciũt:
imò potiùs ſeges ipſa agrum exhaurit, & effœtum
reddit. At prædicatores iuuantibus diuinis inſpira-
tionibus, quaſi quadam pluuia æreáque clementia
ſæpenumerò monendo & ſubigendo: animorum
telqua in mitiſſimum & cultiſſimum fundum reſti-
tuunt non ſolùm diuini ſeminis capacem, verum-
etiam, fructus feraciſſimũ, & qui etiam poſſit ſemẽ
in alios cõſerendos agros ſuppeditare, id eſt, qui de
flagitioſiſſimo conuerſus, alios ad diuinam frugem
conuertat. Ideóque non eſt incommodum, imò vti-
liſſimum & in primis neceſſariũ peccatoribus quã-
tumcunque deſperatis prædicare: licet enim arato-
res viribus naturæ agrorum conditionem mutare
non poſſint ſerendo, poteſt tamen Deus qui omnia
poteſt, animorum duritiam & acerbitatem molli-
re, vaſtitionẽ occludere & ſpinoſitatẽ exurere. Ipſe
enim ait, Nunquid verba mea non ſunt quaſi ignis
ardens, & quaſi malleus conterens petras? Eſt quidẽ *Hiere. 23.*
verbum Dei quaſi ignis calefaciens & illuminans
mentes, iuxta illud Pſal. Lucerna pedibus meis ver- *Pſal. 118.*
bum tuum, & lumẽ ſemitis meis. Si ergo verbum,
ſicut ignis ſpinas cõburit, & ſicut malleus petras frã
git, animi obſtinationem cõminuit, memini quan-
tumuis peccatori deſperãdum eſt, ſi modo cũ affe-
ctu & proficiendi animo verbum Dei audit. Si ha-
bet cor lapideum, dominus habet malleum ferreũ
quo percutiat. Sicut enim ex frequenti percuſſione
in ſilice elicitur ignis: ita domin⁹ ex corde duro &
lapideo elicere poterit ſcintillas deuotionis. Et ſi-
cut ex frequenti percuſſione lapis durus politur, &
in pulchram imaginem reformatur: ſic in pectore
per frequentem auditionem verbi Dei reformatur
imago Dei deturpata per vitia: Itaque licet aliquã-
do eueniat vt in plurimis verbi diuini prædicatio
ſit infructuoſa, in quibus commune faciendis idem
accidit, quod in arena, cui ſemen mandatur: tamen fieri
poteſt, vt conuertantur, quãtumcunq; indurati &
obſtinati ſint. Atque ideo non ceſſandum eſt à prę-
dicatione & mittendum eſt ſemen ſecus vias: ſupra
petras & inter ſpinas: quoniam poteſt Deus ſpinas
comburere, petras mollire, & aues tentationum &
malarum cogitationũ abigere. Sed de quarta parte
ſeminis audiamus. *Qui autem in terram bonam, hi qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent & fructum afferunt in patientia.* Iſti ſunt qui audiũt verbum Dei
& retinent & afferunt fructum centuplum. Nam,
ſicut non prodeſt cibus, ſi eum euomis & non reti-
nes: ſic verbum Dei in corde non proficiet quicquã
niſi retinueris, & conſeruaueris illud. Rurſum ſicut
ſtomachus deficiente calore cibũ non concoquit:
ſic animam, niſi charitatem habeat: verbum auditũ
nutrire & vegetare nequit, quod cibus ſpiritualis
eſt. Expẽde autem Chriſti Saluatoris noſtri digna-
tionem & charitatem, qui nomen ſuum cordi no-
ſtro communicat. Hoc enim optimum ſolius Dei
eſt nomen, quia ſolus Deus eſt optimus, & ſolius ipſe
eſt maximus, & ipſe optimus & maximus eſt. Cor
autem hominis, teſte Hiere. præ omnibus prauum *Hiere 17.*
eſt. Sed vide rerum commutationem & quanta ſit
Chriſti bonitas: cor prauum & peſſimum hominis
nomen optimum accipit. ¶ Obſeruandum prętere a *Patiẽtia uerò necessaria.*
eſt quid agricolæ facere ſoleant, vt ager fructificet.
Non enim contemptim ſemen ſpargunt, ſed ante-
quam ſerant terram, ſubigunt & mouẽt: deinde fru-
menta mandat. Sic Deus vt verba ſua fructum fa-
ciant in cordibus hominum, tribulationibus & la-
borib⁹ antea nos promit, vt fructui ferẽdo paratio-
res reddamur. Vnde Paul. Libenter ſuffertis inſipi- *2. Cor. 11.*
tes, cùm ſitis ipſi ſapientes: ſuſtinetis enim, ſi quis

deuorat, si quis accipit, &c. Gaudeo inquit Paulus, quòd placidè & sponte vos à Deo parari sinitis & libenter tentationes & persecutiones perfertis. Sed ne existimetis, cauere me vestri laboris expertem esse. Ter nanque virgis cæsus sum, semel lapidatus: ter naufragiū feci, &c. Lætamur igitur quoties tribulationibus conflictamur: paratur nanque terra, in qua seminatum verbum Dei fructum reddat centuplum. Vnde diuus Iac. Omne gaudium (ait) existimate fratres cùm in graues tentationes incideritis. *Iaco.1.* Dixit verò hîc Christus, fructum in patientia quia oportet multa aduersa pati, vt fructum afferamus, & non pati solùm, sed patienter tollerare. Vt enim segetem in agro pluuias, niues, glacies, pruinas, grandines & tempestates ferre necessarium est, antequam maturescat & fructum ferat, ita hominem fidelem intùs & extrinsecus multa pati mala oportet, quibus exhaustis tempore suo fructificet. Ad qđ patientia opus est. Propterea verbum Dei à diuo Paulo verbum crucis appellatur, non solùm quia *1.Cor.1.* annunciat nobis salutem & fœlicitatem per crucē Christi. Verūetiam quoniam crucem ipsam nobis secum affert. Nam omnes qui piè in Christo viuere *2.Tim.3.* volunt persecutionem patiātur necesse est. Sic igitur bonū semen ex bono corde, bonos fructus producit in patientia. Quod autem te in primis cōfirmare debet, ne in via tantorum incommodorum plena deficias, illud est infallibile domini promissum: nempe centuplum accipies & vitam æternam possidebis. Nam si arator, vt terrenum fructum colligat nocte diéq; colendis agris inuigilat, nec somno aut corpori parcit: quid tu, vt cœlesti fruatis fructu, qui Deus ipse est, facere debes? Vnde Iac. Ecce *Iacob.5.* agricola patienter expectat fructum terræ. Sic etiā *Hebr.6.* Paul. de Abrahamo ait, quòd longanimiter ferens adeptus est repromissionem. Quis mercator ad Indos nauigaret, si ante oculos suos constitueret tēpestates, periculáque maris? Sed quia posthabito omni incommodo itineris, finem præmium videlicet considerat: omnia putat facillima. Ideò Paulus, Patientia vobis, ait necessaria est, vt reportetis re- *Hebr.10.* promissionem. Cùm ergo hæc vita aduersitatibus sit vndique refertissima, adeò, vt quantò quis in via virtutis rectiùs nititur incedere, eò vehementius à dæmone interpellatur: constat sine patientia, neminem sanè proficere posse: quàm qui seruauerit tempore venturo vernóque vitæ æternæ fructum colliget. Sic de sanctis apostolis ait egregius Psaltes, Eū- *Psal.125.* tes ibant & flebant, mittentes semina sua. Sed quid consequuti sunt? Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos, de spinis nascuntur rosæ: sic ex laboribus & ærumnis dulcē colligemus fructum: vt qui seminat in lachrymis, in exultatione metat.

¶ Ad nostram autem eruditionem, vt iam receptui canamus, ex hac similitudine discere possum⁹, omnem nostram salutem, principium ex Deo habere: qui seminat quidem bonum semen, non tamen sine nostros cooperatione fructum produxit. Item gratuitò & libentissimè Christus semen suum spargit. Docet præterea hæc parabola omnem prędicationem frustrà fieri, nisi à terra: id est, ab animis nostris diuini verbi semen recipiatur, seruetur & ad fructum prouehatur. Præcipit etiā vt verbum Dei magnifaciamus tanquam omnium preciosissimum thesaurum nobis à Deo traditum ad animarū nostrarum sustentationem. Suadet etiam vt verbum Dei in viscera traiiciamus, recondamusque, alioqui vsui nobis non erit, quemadmodum nec semē fructum fert nisi penitùs terræ committatur. Monet etiam, vt non solùm verbum istud recondamus pectoribus nostris: sed etiam omnem adhibeamus diligentiam & curam, ne ipsum rursus amittamus. Exponit igitur Christus quàm bonum sit audire verbum Dei: verbo enim Dei instruimur quid amare & quid vitare debeamus. Docet bonum semper fructificare. Nam, vt Paul⁹ ait, terra, quæ postquàm *Heb.6.* seminata est fert fructum opportunum benedicta à Deo est. Verùm si è contrario benè subacta & consita, tempestatum temperiè fœta, pro frumento tamen carduos & spinas tribulósque cultori suo refert, reproba est & maledicto proxima. Quis non dolenti animo videre queat hominum segerē quæ sanguine Christi preciosissimo rigata fuit, in carduos & spinas conuerti? ¶ Sed obserua in iis verbis Pauli: quibus asserit bonam & fructificantem terrā, benedictionem statim à Deo consequi: illam autē, quæ fructum non fert, non ait, esse maledictam, sed maledicto proximam, vt hinc discas quantò sit dominus Deus noster ad præmia, quàm ad supplicia paratior, & procliuior. ¶ Denique docet, vt iuxta *2.Cor.4.* Pauli consilium, bonum semper operantes nō deficiamus: tempore enim suo metemus. Nam, si arator putans semel vnico semine iacto, annuatim se messem collecturum, nocte diéque cibi somnique immemor summa celeritate seminaret, qui nos facere oportet vt æternum fructum colligamus, tā paruo præsertim labore parabile? Non ergo hîc laborantes deficiamus: quia labor breuis est, merces autem *1.Cor.7.* *Matt.5.* copiosa. Qui seminat in carne, de carne metet cor- *Gala.6.* ruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam ęternam. Semina igitur bonas cogitationes & opera bona, si vis vitam & gloriam sempiternam colligere. Sed hæc suffecerint de hac seminatoris parabola. Iam nunc procedamus & dominū audiamus. Ait nanque, *Nemo autem lucernam accendens operit eam vase aut subtùs lectum ponit sed super candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen.* Superiùs *Causa formalis prædicationis.* narrauit euangelista qualiter animauerit Christus discipulos suos ad prędicandum: ostendens eis fructum & vtilitatem verbi sub parabola seminis, hoc idem modo ostendit sub parabola luminis. Sub parabola lucernæ tangit conditionem causæ quadruplicis prædicationem Christi, commendantis: causæ efficientis nomine lucernæ accēsæ. Vnde de illo *Ioan.5.* egregio prædicatore ait, Erat lucerna ardens & lucens. Conditionem causæ formalis tangit nomine positionis: quia non absconditur, sed supra candelabrum ponitur, iuxta illud, Stetit Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum. *Neem.8.* Et ideo in Psal. Iustitiam tuam non abscondi. Signi- *Psal.39.* ficat autem Christus, Nemo habens scientiam, & *Leg. Aug.li.1.q. euāg.ca.12.* gratiam predicans, operit eam sub vase, id est, timore, vel cupiditate, & negotio sæculari: aut subtus lectu, id est, desidia vel carnali voluptate, quin summa sit reprehēsione dignissimus, præsertim si prælatus aut doctor est, qui ex officio tenentur, verum omnibus notum facere. Doctrina enim salutaris super candelabrum, hoc est, in loco publico & patenti poni debet. Et quid ex hoc consequetur? O- *Causa finalis.* stendit causam finalem dicens, vt intrantes videant lumē. Ad hoc enim tibi Deus eruditionem & ingenium ad prædicandū cōcessit: scilicet, nō vt tibi soli cōmodares: verùm vt omni populo suo vtilis fores

Psal.118. res. Itaque finis est illuminare iuxta illud Psal. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectũ dat paruulis. Conditionem causæ materialis tangit Ibidem. in lumine. Ideo inquit Psal. Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen semitis meis. Lucerna igitur efficiens prædicationem debet esse clara scientia, vt sit lucerna super candelabrum posita. Finis prædicandi debet esse intelligentia veritatis, vt intelligentia sit lux ab intrantibus visa. Materia prædicata debet esse veritas ipsa, vt sit lumen, non tenebræ. Debet enim prædicator docere hac interione vt intrantes in domum ecclesię militantis videãt lumen: id est, intelligentiam veritatis. Lucerna itaque est verbum Dei: prædicatores autẽ sunt veluti pueri: qui facibus incensis præcedẽtes eũtibus noctu lucem præbent. Ideo Zacharias de prædicatione, filiique sui Ioannis Baptistæ officio loquens ait, Illuminare iis, q in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigẽdos pedes nostros in viam pacis. Maximum ergo commodum ex verbo Dei nobis cedit, siquidem nos ignaros virtutis viæ illuminat, & ad vitam æternam recto tramite perducit. Expende autem verbum Dei, sicut lucernam, incensum esse debere. Quoniam sicut quælibet lucerna si extincta sit, aliã accẽdere nequit: sic prælatus aut doctor, in quibus tanquam in lucerna verbum Dei lucet, nisi ardeãt amore diuino, alios inflammare eodem non poterunt amore. Potest quidem Deus, si velit per nequam prælatum aut prædicatorem conuertere peccatores (quia, vt bon' dominus per iniquũ famulũ bonum aliquãdo operatur, sic dominus dominorum, cuiuslibet etiam sceleratissimi ministerio vti potest ad sua mirabilia) nihilominus tamen ex rei natura: subditi prælatorum suorum, magis vitam: quàm verba sequuntur. Quare summo studio nauare debet doctor vt omni prorsus vitio careat: & tunc demũ doceat, & vitia vituperet. Non ponat itaque lucernam sub vase, aut subtus lectum. Debet enim illã vt Christus hîc admonet, suprà candelabrum constituere, & alios docere. Vt enim hominũ execrationibus incessitur, qui frumentum condit, nec viliori pretio publicę egestati subueniat, ille verò laudibus effertur, qui vel cũ proprio dispẽdio, in inedia laborãtes amplius fatigari nõ finit: sic & multò iustiùs obiurgandus est doctor, qui scientiã suã rudibus hominibus non minus, imò magis corporeo nutrimento, necessariam denegat. Vnde Sapiẽs Prou.11. in Prou. ait, Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium. Ideo inquit Esa. Væ mihi, quia tacui. Lumine igitur doctrinæ lucere, & lucem præbere debes, vt intrantes videant lumen. Sed multi subditi sunt, & ex populo non pauci, qui tanquam noctuæ, lumine offenduntur, verbum Dei & concionatorum documenta respuentes. At quemadmodum canoræ, fœlicesque aues mane auroram aduentantem garritu strepituque excipiunt: noctuæ verò & vespertiliones fugiunt, seséque in penitissimas cauorũ suorum partes abdunt: sic pessimi inutilésque homines lucem verbi diuini fugiunt, boni autem laudant & seruant. Quod ego non semel in nostra Hispania in vulgaribus, communibúsque locis, sed in ipsa regia notaui: operæpretium esset commemorare, nisi potiùs deplorandum, quàm narrandum mihi videretur. Homines alioqui non inelegantes, & in rebus humanis expertissimi, cùm festis diebus ex præcepto sacro interesse teneantur, non possunt omnino subterfugere quin templum adeant. Ibi igitur breui, externa que peracta prece, non decantatum, aut solemne sacrum ferunt, sed recitato oscitanter audito, reliquum tempus fabulando terunt. At verò prædicatorem primum pulpiti gradum ascendentem cùm vident, non secus templo euadunt quàm si aut ruinam tecti, aut lapidis decidẽtis ictũ effugerent. Sic accidere solet illis qui noctu incedunt, qui si rectè agunt, & aliquem facem ferentem inueniunt, sequuntur, vt luce præuia non errent: sin verò furta, vel stupra moliuntur, non modo lucem non amãt, quinetiam maximo prosequũtur odio. Quare? Quia qui male agit, odit lucem. O detestabile ingenium, miseram cõditionem! & multo infœliciorem, quàm, aut noctuæ aut vespertilionis. Hæc igitur lucerna est doctrina illa cœlestis Ioan 3. quã stulti despiciũt, ne manifestẽtur opera illorũ. Hac doctrina Christus apostolorum corda inflammauit & illustrauit: ea conditione, ne illam occultarẽt sed potiùs vniuerso humano generi patefacerent, vt in Matt. est. Quod in aure audistis, prædicate super tecta, Hoc est ponere lucernam super candelabrum vt intrantes lumen videãt. Matt.10. ¶Sed poterant discipuli obiicere, Imò debemus occultare verbum Dei, & non ponere illud, super candelabrum in publico: quoniam viles & abiecti reputamur, & non audemus in conspectu nobilium apparere. Ad hãc obiectionem, quam apostoli poterãt opponere, respondet Christus consequenter dicens, *Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod nõ cognoscatur & in palã veniat.* Quasi dixisset, Nõ debetis abscondere, neque operire lucernã verbi diuini Aug. li. 2. q. euang. q. 52. tom. 4. propter abiectionẽ, timorẽmue pœnæ aut infamię: neque ob negligentiam, aut inhonestam aliquam opinionem, quam de vobis increduli homines cõcipiãt. Quia etsi modo viles & abiecti reputamini, aliquãdo claritas vestra splendebit: quoniam: nihil est occultum, quod non manifestetur. Tunc autem vos coronabimini gloriæ corona: aduersarij autem vestri punientur. Venit nanque tempus, quando (vt inquit Ioannes) libri aperientur, & tunc manifestabuntur abscondita tenebrarum, & reuelabuntur obscura cordium, & erit laus vnicuique à Deo. Apoc.5. 1.Cor.4.

¶ Docemur ex hoc loco in omnibus operibus nostris Deum semper habere ante oculos, & præsentem cernere. O si miseri peccatores, quoties in cubiculum vnusquisq; suum se recipit, animo Deũ offendendi, horum verborum memoriam haberẽt. Nihil absconditum quod non cognoscatur & palam fiat. Vtique crediderim non Deum suum tam sæpè peccãdo lacesserent. Quòd si reputauerint secum, quæcũq; flagitia perpetrãt, non aliquãdo fore manifestanda, sed iam in eodem instanti Deum & angelos suos in culpę testes adhibuisse, quis nisi insanus peccare auderet? Pútabat enim Dauid se crimen suum omnes celasse mortales, quãdo propheta Natham Dei imperio illi flagitium obiiciens dixit, Tu fecisti absconditè: ego verò faciam verbum istud palã in cõspectu omnis Israel. 2.Reg.12. Hoc autem sæpissimè Deus etiam in alios, sicut in Dauidem, operatur, ea imprimis de causa, vt euulgato crimine, eius autor vel pudore, vel ignominia aut pœnitentia motus resipiscat & salutem precetur medicum illũ sempiternum. Quod si Deus peccatum dissimulat, hoc supplicij indicium est. Obstinatum enim & immedicabilẽ peccatorem obliuiscitur in diẽ vsque iudicij. quo eius peccatis summatim explicatis

Marginalia: Materia prædicationis veritas. Luc.1. Simile. Esa.6. Simile.

authorem suum suppliciis committet æternis. Tūc manifestabuntur simulationes hypocritarum & libidines impudicorum, iuxta illud Esa. Reuelabitur ignominia tua. Tunc etiam manifestabuntur malitiæ & fraudes iniquorum, sicut in Prouer. habetur, Qui operit odium fraudulentis reuelabitur malitia eius. Scrutabitur enim tunc Hierusalem in lucernis, &c. ¶ Obserua autem per occulta intelligi posse id, quod ex propria hominis natura latet, vt sunt cogitationes & affectiones cordis, per absconditū verò id quod per humanam latet astutiam, vt sunt exteriora opera callidorum, speciem boni habētia cùm sint mala. Sed procedamus, *Videte ergo quid audiatis.* Hoc est solerter perpendite qua ratione ex intentione vocis ista denunciem: & diligenter hæc auscultate: atquè cæteris eadem sicut vobis commisero, prædicate. Vult, vt attento animo audiant, & fideliter memoriæ mandent, hæc, quæ dicturus est. Quia in superioribus proposuerat exemplum prædicatoribus: nunc ostendit periculum, & præmium prædicantium, dicens, *Qui enim habet, dabitur illi & quicunque habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.* Habenti desiderium intelligēdi sacram scripturam & laborāti ad hoc, dabitur fructus intellectus: nolenti autem laborare nihil dabitur, sed auferetur potiùs si aliquid habebat, naturali ingenio. Potest etiam dici illum vocari habentem qui per dona sibi data fructum facit: non habentem verò qui per dona sibi collata nullum fructum reddit. Et tunc habenti datur, id est facienti fructum dantur plura dona, in quibus posset fructificare: & nō facienti fructum auferetur donum, quod habet. Sic infrà habetur, & etiam in Matth. de illo, qui habuit quinque talenta & lucratus est alia quinque, quòd datum est illi, vt esset super quinque ciuitates. Ei verò, qui vnum habebat & nihil lucratus est iussit dominus auferri talentum, & dari ei, qui decem habebat, & ibi concludit Christus, Habenti dabitur: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur. Quia Iudęis data fuerat lux, in qua nullum fructum fecerūt, ideo debuit illis auferri. Quod patet in parabola illa vineæ locatæ agricolis qui fructum non fecerunt, & dominus illam aliis agricolis locauit, qui darent fructum tempore suo. Et ibi subditur, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Abstulit enim Deus ab eis intellectum legis: nō quòd Deus verè illis auferat aliquem habitum intelligendi, sed quia non concurrit cum eis ad intelligēdum: & tamen sine eo nihil intelligere possum⁹. Iusta pœna est vt illi, qui cùm rectè possint, intelligere nolūt, sed verā Christi doctrinā peruertūt, & miracula eius malè sunt interpretati, postea bonum sibi necessarium intelligere nequeant, Deo non concurrente cum eis. Et hoc est auferre illis intellectum scripturæ, scilicet, quia Deus antea concurrebat cum illis & postea non concurrit, & sic aufert eis, non quod ipsi habebant, sed quod ille ipsis dare solebat. Auferri enim videtur quod dandum erat nisi detur. De gentibus ait Apostolus ad Rom. Habētes cognitionem de Deo, illum colere noluerunt. Ideo tradidit illos Deus in reprobum sensum: id est permisit eos errare, vt bonum operari nescirent, qui priùs cùm scirent, noluerunt. Itaque istud auferri, nihil aliud est, quàm subtrahi reuelationem mysteriorum. Sed iam ad contextum, *Venerunt autem mater & fratres eius & non poterant adire eum præ turba.* Isti, qui hîc vocātur fratres, cognati Christi erant ex parte matris, scilicet sororum filij. & potissimè illius Mariæ, quæ vocatur Iacobi, quia Iacobi erat mater siue Marię Cleophæ, quę erat vxor Cleophæ. quæ tamen priùs fuerat vxor Alphæi, cuius fuerunt filij isti, qui vocantur fratres domini. Isti autem fratres erant Iacobus, Ioseph, Simon, Iudas.

Esa. 47. Prou. 10. Sopho. 1. Beda li. 8. in Luc. ca. 30. Beda vt sup. Luc. 19. Matt. 25. Matt. 21. Luc. 20. Rom. 1. Beda vt sup.

¶ Obserua autem in scriptura sacra fratres quatuor modis dici. Videlicet natura, vt Esau, & Iacob: gente, vt omnes Iudæi dicuntur fratres. Nam in Deut. habetur, Non poteris super te constituere regem qui nō sit frater tuus. Cognatione, vt qui sunt de eadem familia. Et sic Abraham dixit ad Loth, Non sit rixa inter me, & inter te, quoniam fratres sumus. Isto etiam modo dixit Abraham Saram esse sororem suam. Affectu etiam: quomodo omnes Christiani fratres dicūtur. Sic dominus dixit, Omnes vos fratres estis. Hi autem dicebantur fratres Christi tertio modo, cognatione scilicet, quia erāt de eadem familia, quoniā filij sororis matris Christi. *Et nunciatum est illi, Mater tua & fratres tui stant foris volentes te videre.* Secundum Chrys. diaboli inuentio fuit hæc; Videns nanque diabolus vtilitatem, quæ ex Christi prædicatione sequebatur, hāncque volens impedire, nihil accommodatiùs putauit, quàm si matrem, caterualésque cognatos & amicos adesse nunciaret: in quo duo sunt aduertenda. Primum malitia diaboli, qui ab initio semper omnibus bonis nostris insidiatur. Ecce enim in paradiso primos parentes humani generis aggreditur. Nec tantam satis duxit illis calamitatem intulisse, qua de illo amœnissimo voluptatis horto eiecti sunt, arma in filios conuertit: effecitque, vt Cain inuidia percitus Abelem fratrē occideret. Eodem modo Iacob, aggrediens domum, eam sæuit inter eius filios discordiam & inimicitiam, vt fratres fratrem Ioseph vendere in Ægyptum non dubitauerint. Nam, vt imperator, qui grauiter molestéque fert cuiuspiam oppidi, quod defendendum susceperat, expugnatiorem, illud rursus recuperare certat: quod si assequi nequit, hostes tamen graui obsidione, cędibusque quantum potest premit: ita diabolus amissam cœli supremam arcem quia recuperare nequit, omnia incommoda excogitat in homines, ad sedem, quam ipse superbia sua amisit, à Deo optimo maximo creatos. Dicit inimicus, Persequar, comprehendam, & diuidam spolia, satiabitur anima mea. Quoniam videbat summam vtilitatem, quæ ex Christi prædicatione sequebatur, illam impedire statuit. Hoc idem in initio nascentis ecclesiæ fecit, cum summus orbis doctor in vincula esset coniectus: in cuius perniciem omnia quærens media. Fœlicem & Festum iudices gentiles sollicitabat, vt Paulum de medio tollerent. Quod malum non eū tempore simul consenuit, sed potiùs inualuit. Multi enim modo sapientissimi & optimi concionatores, qui non audent quid sentiant iam proferre, præsertim in aulis regum & principum: in quibus si quis liberiùs vitia reprehendere tentet, illico, vel in carcere detruditur: aut saltem relegatur nomine turbatoris & contumeliosi. Hoc autem malum cacodæmonis inuentum & astutia est, qui quoniam auditores omnino absterrere non potest à diuini verbi auditione, arma in concionatores conuertit, eósq; apud nobiliores minus gratiosos, imò odiosos reddit, vt sic à sanctissimo officio desistant populis euangelizandi. ¶ Secundò hoc fecit hîc, cognatos

Deut. 15. & 17. Gen. 13. Gen. 12. Matth. 23. Chry. ho. 30. in opere perf. Mat. Diaboli astutia. Gen. 3. Gen. 4. Gen. 37. Exo. 15. Act. 24.

Affectio erga consanguineos impedit prædicationem euangelij.

gnatos & fratres quasi instrumentum sumens. Nihil enim est, quod magis concionatoribus impedimento esse soleat, quàm consanguinitatis mundanæque amicitiæ vinculum. Sic propheta Ezech. *Ezec.24.* viuente vxore nec propheraui, neque prædicauit Israelitico populo apud Babylonios captiuo: quoniam carnali affectione, ita deuinctus & præpeditus tenebatur, veluti pedica quadam, ne opportuna libertate, quæ sentiret, exponeret. At interempta vxore, mandatum à Deo accepit, quo edoctus, populo prædicauit, & Amonis filiis. *Luc.7.* Nec minori exẽplo nobis hanc sententiam confirmat Ioannes Baptista, qui à pueritia vsq;, relictis parentibus, & cõsanguineis in volũtarium eremi se contulit exiliũ, ne tanto futuro concionatori carnalis affectio obsisteret, & ille, qui exemplar futurus erat omnium doctorum, quid imperfectum relinqueret, ex illis, quæ ad prædicatorum consummationẽ pertinent. Ideo Christus quia discipulos suos perfectissimos doctores creare cõtendebat, illis præcipit, vt parẽtes & cognatos relinquant & omnia denique bona temporalia, quæ prædicationem summè solent impedire. Quod cùm benè intellexisset cacodæmon, nullum aliud aptiùs excogitare potuit mediũ, quo dominum prædicantem interpellaret, quàm si nũciaret matrem & fratres eius foris adesse. Nec solùm prædicatores: hac fallacia & commento solet diabolus à prædicando deterrerẽ, quinetiam plurimos alios summæ religionis viros: qui sub pietatis prætextu, subuenturi, videlicet, matri aut cognatis, in sęculo diutiusculè viuẽtibus, cœnobia relinquunt, habituq; monastico, & non rarò sæculari, negotiis se immiscẽt temporalibus: vnde scandala, religionum opprobria, & teterrima flagitia non nunquam oriuntur. Proposita nanq; simulata consanguineorum pauperum misericordia non modo religionis vincula deserere, sed etiam multa in honestissima negotia gerere persuadet esse iustissimũ. At hinc in culpam quam breuis fit intercapedo, quis non videat? Hic idẽ carnalis amor quàm plurimos episcopos & prelatos pessundedit, qui vt cõsanguineos diuitiis affluẽtes & opibus, in summisque dignitatibus constituant, ipsi miserrimam & pauperrimam vitam ducant, & postea in æterna descendunt supplicia: quoniã verissimile est qui sic, dùm viuerent, se habuerunt, non potuisse nõ fraudare sæpenumerò pauperes summè indigẽtes præsidio opportuno. Hic etiã amor & affectio carnalis *Gen.13.* perfectis hominibus non parùm obest. Hic Adamũ *1.Reg.4.* primum generis humani parentem perdidit. Quin *2.Reg.15.* & Heli, quia summo amore filios prosequebatur suos, miserrimè interiit, & regius propheta Dauid non mediocria incommoda pertulit. Hunc deniq; eundem amorem & affectionem cõsanguineorum proponit modo diabolus Christo domino nostro prædicanti, si posset illum ea ratione à prædicando abducere, quo audientium prouentus impediretur: sicut autem tunc per præsentiam parentum carnalium voluit diabolus occultare Christi diuinitatem & impedire eius prædicationem: sic etiam nũc multorum prælatorum dignitatem & sanctitatem obscurat parentum amore obiecto. *Dùm fueris fœlix multos numerabis amicos.* Sunt enim plurimi religiosi homines, qui dùm cœnobij claustris detinentur, nullos prorsus parentes aut cognatos habẽt, sin ad aliquam dignitatem promoti sint, ecce quasi exoriuntur vndique consanguinei, qui cocognatum, quem antea penitùs ignorabant, comitentur: Vnde miratur Esa. dicens, Nunquid parturit *Esa.66.* terra in die vna, aut parietur gens simul? Et paulò pòst, Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donũ domino in equis & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montẽ sanctum meum, hoc est, ad domum episcopi. Sed quid dicit episcopus super hoc? illud quod idẽ Esa. *Esa.49.* Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non pariẽs: & istos quis enutriuit? At bonus prælatus facere debet sicut Christus hîc fecit: qui cognationem spiritualẽ carnali antetulit. Quod idem, præsertim in beneficiorum collatione, summè prælati obseruare debent, iuxta illud Psal. *Psal.15.* Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus. Quapropter non sine causa dicuntur hic Christi parentes esse foris, vt significetur consanguineos & fratres procul esse debere à religiosis saltem carnali affectu. Nihil enim maiori est impedimento iis, qui monasticam vitam instituunt, quàm sæcularium & maximè cognatorũ memoria. Hodie tamen multò seciùs fit, quàm Christi documentum præcipit. Cognatos nanq; in primis religiosi amant & prælati in suas admittunt domos, vt bona pauperum comedant, & immeriti sacerdotia obtineãt. Vt autem hoc venenũ tolleret *Ioan.21.* dominus à nascenti ecclesia sua, noluit illam commendare Ioãni, quia filius erat sororis virginis Mariæ: sed Petro illam tradidit, qui consanguineus nõ erat. Quo nos docuit regimen animarum non cognatis, sed meritissimis quibusq;, esse cõmittẽdum. Et quia in rebus spiritualibus non sunt agnoscẽdi consanguinei, nec parentes, respõdit huic, qui hæc nunciabat, quasi non agnoscens eos, & sequitur in contextu. *Qui respondens dixit ad eos, Mater mea & fratres mei ij sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt.* Vt in *Matt.12.* Matt. habetur, vnus tãtum fuit, qui nũciauit Christo matrem eius & fratres foris adesse: hîc verò in tali dicitur, Respondit ad eos: quoniam ad id, quod nũciatũ corã omnibus fuerat quasi cũ omnibus loquẽs respõdit Christus. Vnde nulla est cõtrarietas.

¶Obseruandũ hic tamẽ est, Christũ nõ spreuisse ma- *Cognatio spiritualis carnali anteferẽda.* trẽ suã sanctissimã, neq; reliquos cõsanguineos, qui illos in prosperis & aduersis semper maximi fecit. *Luc.2.* In prosperis, inquã, honorauit matrem suã quando inuentus in medio doctorũ illi vocanti nõ refragatus, doctores reliquit, & eã sequutus est. In aduersis *Ioan.19.* etiam non est oblitus parentis charissimæ, pendens enim in cruce extremumq; iamiã emissurus spiritum, illam Ioãni commendauit. Nũc verò respondit ac si illam nõ agnosceret, vt nos doceret, cognationem spiritualem carnali esse anteferendã neque verbum Dei esse relinquendũ propter bonũ quod- *Amb li. 6. in Luc. c. de respon. Ioan.* cunque temporale. Hoc etiã dixit matri & Ioseph, Nesciebatis quod in iis, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Quod autem quis audiens verbum Dei efficiatur mater & frater Christi, hoc spiritualiter intelligatur est necesse: quia fratribus competit esse cohæredes eiusdem hæreditatis. Illi tamen, qui fa- *Rom.8.* ciunt Dei voluntatem (vt inquit Paulus) cohęredes Christi sunt. Ita eos vocat Christus fratres cum ait, *Luc.24.* Ite & dicite fratribus meis. Mater verò dicitur qui verbum Dei audit: quia sicut mater formatum fœtum in vtero habet: ita qui audiunt & seruant verbum Dei firmatum Christum in corde gestant suo per fidem. Vnde Paulus Galat. ait, Donec formetur *Gal.4.* Christus in vobis. Dicitur ergo quis esse Christi mater, quia sicut virgo Maria audiendo, verbo concepit: sic homo in conscientiæ vtero credens Deo

per fidem, Christum concipit, eius voluntatem facere proponens: parit autem conceptum, quando opere præstat, quod intenderat. Vnde Esai. A facie tua domine ait, cōcepimus & quasi parturiuimus: & peperimus spiritum salutis. A facie, inquit tua id est, in prædicatione, in qua Deus cognoscitur, sicut homo in facie, de qua Dauid, Faciem tuam domine requiram. In hac verbi cognitione cōcepimus spiritum salutis. ¶ Se | quærerem nunc abs te ô domine Iesu, nec ineptè, vt opinor, cum cognati pessimè omnium ministrare dominis suis soleāt, nam & arrogantes sunt & cognationis causa æqualem se putant obtinere gradum, ingratiq; ue quippe quod nihil sibi existimant indebitum conferri beneficium, qua ergo de causa ministros tuos, matrem & fratres vocas? An tibi gratiora sunt superborum & ingratorum hominū officia? Absit, Quid igitur hæc sibi volunt? Vtique non impios, aut sceleratos homines superbos & ingratos dominus cognatos suos vocat. Iam enim suprà dixerat, Qui verbū Dei audiunt mater mea, & fratres mei sunt, sed eos, qui piè & religiosè viuunt. Quod cùm ita sit si ad pietatem vniuscuiusq; ingenitam, qui alioqui optimus est, accesserit etiam consanguinitatis vinculum, hic non poterit non esse domini sui obseruantissimus: quoniam amor multum, si virtutis amori accumuletur iuuare solet. Hac igitur de causa Christus dominus auditores suos fratres vocauit vt indicaret non solùm illorum iustitiam, sed etiam amorem erga Deum summum, quo illum tanquam filium aut fratrem essent culturi. Non seruiamus Deo ex solo timore aut spe retributionis vt mercenarij serui faciunt: sed seruiamus ex dilectione, sicut mater seruit filio, & frater fratri. Ideo enim posuit nobis Christus nomina matris & fratris vt intelligamus Deū amore filiali esse amādum, & sic fratres Christi effecti cohæredes regni cœlorū efficiamur. Etenim si parētes qui nos genuerunt, amamus, quātò magis diligere debemus creatorem parentum, autoremq; nostrum? ¶ Discamus præterea ex hac historia & Christi facto, primo spiritualia temporalibus anteferre: vt propter carnales parētes nō relinquamus verbum Dei, nec spiritualia. Ex quo patet quanta digni sint reprehensione clerici & religiosi, qui leuissima quaque de causa orantes ad alia se diuertunt, relictis præcibus semirecitatis, & interruptum diuinum officium dimittentes lubrica vel inania attendunt. Quorum ea est impudentia, vt iam nobis odiosum non sit si pari honore Deum prosequerentur, ac alium mediocris conditionis hominem prosequūtur, quem si semel alloqui cœpissent non tā irreuērenter faciem auertissent sermone interrupto, donec loquēdo finem imponerent. Equidem inurbani & ineptissimi esset hominis, qui cum rege colloquens de rebus maximè grauissimis: se subitò ab illius conspectu subtraheret, vocatus vel à coquo vel stabulariò, nec priùs plenissimè sermonē cōsummasset. Quid ergò dicendum de illo, qui à Deo, cum quo loquitur, imò quem pro salute sua precatr, se auertit & ad inania se cōuertit? Ne igitur inurbanus & ineptus sis, audi quid dicat dominus. Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Postquam Christus docuerat in sententiis & parabolis docet nunc facto & exemplo non relinquere diuina pro temporalibus. ¶ Docemur secundò in bonis inceptis perseuerare, neque ea pro quocunque tempo-

Esa.26. — *Psal.26.* — *Veri Christi fratres & sorores.* — *Spiritualia carnalib⁹ anteferenda.* — *1.Reg.2.*

rali commodo imperfecta relinquere. Ne quicquā enim aut orare aut ieiunare incipis, si postmodum à carnis libidine interpellatus in ipso principio deficis. In primo lib. Reg. legimus, volentibus Philistæis arcam domini restituere, illam currui imposuisse, duásque illi iunxisse boues fœtas, vitulis bouili abditis, quæ quanquam filiorum mugitus audiebant, nihilominus tamen maioribus actę stimulis Bethsamis contendebant. Ita & tu facere debes, qui iam à primordio vitæ tuæ iter in cœlestem patriam instituisti, ne videlicet vllis detentus sæculi clamoribus, vllisq; reuocatus carnis voluptatibus, ab incepto itinere absistas. Quin potius summam adhibe diligentiam, vt iugum domini suaue, onúsque eius leue ad mortem vsque perferas: ne fortè vicini tui mundus, diabolus, & caro, retrorecedentem irrideant dicentes, Hic intulit manum aratro & respexit retro, hic cœpit ædificare, & non potuit consummare. Rursum vide & considera diligenter, ne alicuius rei temporalis causa cultum Dei prætermittas, Christum imitans, qui à prædicatione non destitit, quanquam à matre, & fratribus vocabatur.

¶ Docemur tertiò non confidere in nobilitate carnis sed in nobilitate virtutis. Nam si Christo esse consanguineū, est summa nobilitas, nemo aut illi cōsanguinitate propinquior esse potest, quā mater & fratres eius sunt, sequitur eos qui audiunt & faciūt verbū Dei omnium esse nobilissimos: quippe qui mater & fratres Christi sunt, ipso testāte: atque ideo hæc nobilitas valdè desideranda est. Multi dicunt, O quis erit tam fœlix! qui frater aut mater Christi dici possit? Beati fuerunt illi qui sic fuerunt ei propinqui: beatus etiam venter, qui illum portauit. Ostēdit hic Christus omnes, si optant, ad hanc posse peruenire fœlicitatem, si fecerint voluntatem Dei. Quid tu faceres si facto tuo esse posses regis frater? Quanto igitur maius est fieri fratrem supremi illius numinis hæredemq; cœlorum? quod vt cōsequaris in manu tua est. ¶ Discamus quartò semper benè operari, vt non satis sit audire tātum verbum Dei aut credere in Deum, sed vt ea, quæ audimus, faciamus. Ille enim mater & frater Christi est, qui facit verbum Dei. Et in Matth. dixit, vt voluntatem Dei faciamus, vt hanc dignitatem consequamur. Vides ergo quo modo sola fides non sufficit? De operibus loquebatur dominus cùm Caino dixit, Si benè egeris, recipies: si autem malè, statim peccatū tuum aderit. Ecce bono operi promittitur hic præmium, malo autem pœna: Et Sap. ait, Bonorum operū gloriosus est fructus. Et iterum, Reddet Deus iustis mercedem laborum suorum. Et propheta cū petisset à domino quis in illius tabernaculo esset habitaturus: respondit statim dicēs, Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Operatur, dixit, & cū aliqua bona opera enumerasset, subdit claudens Psal. Qui facit hæc non mouebitur in æternū. Nō dixit, Qui credit hęc, sed qui facit hæc, ostēdens operū virtutē & necessitatē. Præterea dñs per Esaiā ꝓphetā bona opera cōmēdat nobis dicēs, Quiescite agere peruersè, & discite benefacere: quærite iudiciū: subuenite oppresso: iudicate pupillo, defendite viduā. Deniq; & Christ⁹ ait, Multi dicēt mihi in illa die, Domine, domine, nōnè in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Et tūc confitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite à me omnes qui ope

In bonis perseuerandum. — *1.Reg.6.* — *Luc.9.* — *Luc.14.* — *Luca.11.* — *Fides sola nō iustificat.* — *Matt.12.* — *Gen.4.* — *Sap.10.* — *Psal.14.* — *Esa.1.* — *Matt.7.*

operamini iniquitatẽ. Et quid clariùs, quàm quod hic dicit, qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est. Et noster Lucas non contentus est dicens, Qui audiunt verbum Dei, sed subiunxit dicens, Et faciunt, &c.

Voluntas Dei regula nostra rum operationum. ¶ Quintò & vltimò docemur, licèt bona opera sint necessaria ad vitam æternam consequendam, vt ex hoc textu satis patet: tamẽ quæ sint ista bona opera & qualia, significauit dicẽs, vt sint iuxta Dei voluntatem. Volũtas enim Dei est regula, qua opera nostra dirigere & nosmetipsos dirigere oportet, vt rectè & adamussim quæcunque fecerimus euadant. Dei enim voluntas est operationum nostrarum regula. Quæ est autem hæc Dei voluntas? Interroga Paulum & audies illum dicentem Thessalonicensibus, *1. Thess. 4.* Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Voluntas enim Dei vtilitas est tua & quod Deus vult, in tuum emolumentum tẽdit. Summopetè igitur attende, ne vel latum vnguem à Dei voluntate discrepes, vt sic tibi salutiq; tuæ consulas. Vult enim Deus omnes homines saluos fieri, & dat illis omnia media necessaria ad consequendam vitã æternam. Hanc voluntatẽ paratus erat facere Paulus *1 Tim. 2.* cùm dixit, Domine quid me vis facere? Et san- *Act. 9.* ctus rex Dauid, Doce me facere volũtatem tuam. *Psalm. 142.* Sed procedamus. *Factum est autem in vna dierum & ipse ascendit in nauiculam, & discipuli eius, & ait ad illos. Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt.* Nihil vsque adeò animum confirmat ad omnia pericula & calamitates subeundas, quàm recordatio exemplaque sanctorum. Sic Matathias dixit filiis suis. *1. Mac. 2.* Mementote qualiter salui facti sunt patres nostri, cùm persequeretur eos Pharao in mari rubro. *Iosue. 4.* Sic Iosue cùm filij Israel trãsierunt Iordanem posuit duodecim lapides extra aquam in memoriam, eò quòd salui facti essent patres eorum. Adest nũc exẽplum patrum nostrorum in hac euãgelica historia quomodo salui facti sunt patres nostri, scilicet apostoli. Narrat Lucas labores & pericula quæ sustinuerunt: bonum consilium, quod acceperunt fugiẽtes ad Christum, & miraculum, quod fecit Christus liberans eos à periculo. Ait igitur euãgelista Christũ ascendisse in nauiculam. Quid est hoc, quod nauim ascendit: Nónne ipse est, qui fugatis fluctibus maris rubri profunda nudauit, vt Israeliticus populus inter stupentes vndas siccis vestigiis transire potuerit? *Exod. 14.* Nónne ipse pedibus super mare ambulauit, *Matth. 14.* & Petrum ad se venire fecit super aquas? Cur ergo breuissimi lacus transitum sub mercede in nauicula transfretare vult: Venit etenim Christus suscipere infirmitates nostras, & sua nobis conferre medicamenta sanitatis: quia medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. Christus si in suis mansisset virtutibus, cómune cum hominibus nihil haberet, & nisi impleliet carnis ordinẽ, carnis in illo esset otiosa susceptio, & si omnia fecisset mirabiliter, non carnis infirmitates declarasset. Sustinuit ergo has infirmitates vt homo verus humanis necessitatibus probaretur. In hac igitur transfretatione fecit Christus opera, quę ipsum verum hominem, & verum Deum probant. Ascendit in nauiculam & dormit, vt per ascensionem nauiculæ necessitatem humanæ naturę ostendat, & per dormitionem eius, veritas appareat euidentiùs, & per sedationem tempestatis, imperantis vẽtis & mari potentia deitatis innotescat. Præterea non ascendit negotiatoriam aliquam nauem, aut sumptuosam, sed piscatoriam ascendit. Quo docet se mundi contemptibilia, paupertatem & humilitatem amare, & viliora & infirmiora amplecti, spretis superbis atque pomposis, ille: inquam, potens & magnus, de quo Dauid in Psalmo, Quoniam ipsius *Psalm. 94.* est mare, & ipse fecit illud: & aridam fundauerunt manus eius.

¶ Dixit autem discipulis, vt secũ ascenderent, vt virtutẽ illorum in illa tempestate tentaret, & illorũ fidem probaret. Tentauit Deus Abraham in morte *Gene. 22.* filij sui, vt probaret an esset fidei præclarus firmitate. *Christus citius in aduersis inuenitur quàm prospere.* Qui promissionem Dei tenens, mortis periculo filium exposuit, credens Deum posse suscitare & darẽ filios: plus enim confidebat in eo quod sperabat, quàm in eo, quod videbat. Videbat enim mortem insperatam, & sperabat vitam promissam. Apostolos etiam huius filios promissionis in Ecclesiæ principio etiam voluit Deus tentare fortius: quia non morte alterius sed propria eos tentans, exponit maximo periculo vitam illorũ in nauicula fluctibus marinis operta. Vt ergo tentaret eos de fide ascẽdit in nauiculam: & sequuti sunt eum discipuli eius. O verè præclaram amicitiam nõ solũ in laboribus, sed etiã in periculis dominum & magistrum suum sequi non recusant. Ideò dominus dixit illis, *Luc. 22.* Vos estis, qui permansistis mecum in tẽtationibus meis. Discamus ergo in tentationibus & periculis sequi Christũ. In tribulis enim, id est, in tribulationibus, citiùs inuenitur Christus, qui est velut liliũ *Can. 2.* inter spinas, quã in pratis viridibus, & amœnis. Sic Moses inuenit illum inter vepres in medio rubi ardẽtis. Verũ multi sunt, inerti venatoris cani similes qui feram ad vepretum confugientẽ ne ab aculeis spinarũ pũgatur nõ insequitur, cũ ibi facil ùs possit *Exod. 3.* cõprehendi. Sequuntur nãq; Christum tẽpore læto & facili, nõ turbido & laborioso. *Christus multos habet sequaces in terra, paucos in mari.* Multi in terra, pauci in mari, sicut apostoli: multi, inquã, in prospe ritate, pauci verò in aduersitate. Dùm à Deo molliter tractantur, Deum colunt, & amant, & quocunque insurgente labore deserũt. Vnde Dauid in Psal- *Psalm. 48.* mo, dominũ alloquitur dicens, Cõfitebuntur tibi, dum benefeceris eis. Sic passim mulierem reperies religioni vsqueadeò deditam vt iugi orationi, frequentibus confessionibus, cęterisque piis operibus plurimam tẽporis partem impendat: quæ tamen si grauiusculè mortẽ mariti, aut filij, vel aliqua alia sollicitudine saucia fuerit, mirum est, quã nõ modo pristinæ obliuiscatur vitæ, sed etiam blasphemam in Deum linguã conuertat, vt parum ab ethnica distare videatur. Hoc quotidie videmus non modo in mulieribus, verum & in viris, qui nunc duntaxat Deũ colunt, quando sibi morem gerit. Istos autem ego simillimos illis hominibus iudico, qui mercatoribus pecunias mutuãt in fœdus, ea cõditione, vt lucri, non iacturæ participio fruantur. Sic isti Christi delicias insequentes ab eius laboribus abhorrent. Aliter sancti apostoli, qui in terra & in mari, in prosperitate & aduersitate Christum sequuntur.

¶ Discamus præterea ab apostolis amicitiam cũ *Amicus verus omni tempore amicus est.* hominibus seruare: & fidem in omni tempore custodire. Sequuntur namq; Christum in mari sicut in terra, quia vt scriptura ait, omni tempore dili- *Prouer. 17.* git, qui verus amicus est. Sed multi (maximè nunc) sequuntur homines non in aduersis, sed in prosperis: iuxta illud Ecclesiastici, Est amicus secundum *Eccle. 6.* tempus: non permanebit tempore tribulationis.

Sic etiam hanc infidelitatẽ quam in proximos habemus eandẽ in Christum gerimus. Sequimur eum in cœna, & in fractione panis, non tamẽ in periculis maris. Illum laudamus cum dat nobis diuitias, sanitatem, honores: at si ab illo flagellamur, persequutionem patimur, aut infirmamur, vel aliquod patimur incommodum, relinquimus orationes & meditationes consuetas, & impatienter irascimur. Filij Israel videntes se à Deo vltos & Aegyptios in mari rubro submersos, incolumitati suæ gratulantes, quòd suffocatis hostibus, sicco fretum transissent pede, laudauerunt dominum & cantantes glorificauerunt, dicentes, Cantemus domino gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem deiecit in mare. Sed post paululum deficiente victu, murmurauerunt, contra dominum, volentes Aegyptum repetere. Sic nos cantamus cum dat nobis bona: at si tribulatione aliqua affligimur: murmuramus, & blasphemamus. Plures habet Christus socios resurrectionis suæ qui gaudere volunt, quã passionis, quia nolunt grauia & aduersa pati cum illo. At sancti apostoli non solùm in terra, sed etiam in periculo maris, & inter fluctus & tẽpestates associabant illum. Nos ergo eadem faciamus, & Paulum audiamus dicentem. Si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum. ¶ Obserua autem priùs ascendisse Christum in nauiculam, & posteà ascendisse discipulos eius. Nam in laboribus & periculis magister & dominus præire debet, vt discipuli & famuli sequantur. Aliter tamẽ quàm plurimi prælati faciunt, qui subditis inquiunt, Ascendite vos ad labores & pericula: ipsi autem in otio & desidia torpentes manent. Abimelech ille filius Ieroboal, vt milites suo prouocaret exẽplo, ipse primus volens incendere Sichem succidit ramũ & dixit ad socios, Quod me videtis facere, citò facite. Et illi certatim ramos præscindentes sequebantur ducem. Crede mihi subditi facient quod te viderint facere, sicut milites Abimelech, & te ducẽ sequentur. Quòd si illis in malum dux extiteris, eodẽ modo illos & teipsum in perditionem adduces. Quare, si sapis, ne tibi ipsi noceas, præito in laboribus, virtutisque actionibus, vt ab omnibus imiteris.

Exod. 15. *Exod. 16.* *2. Cor. 1.* *Magistri & ducis est præcedere, discipulorum & militũ sequi.* *Iudi. 9.*

¶ Expende etiam hîc Christũ dominum priùs voluisse discipulos suos in omni genere laborũ & periculorũ esse exercitatos, vt sic malo assueti, posteà quæuis pericula faciliùs tollerarẽt, & honores quibus nõ rarò erant afficiendi, contẽnere possent: vt de Paulo & Barnaba legimus, quos in numerum deorum referre homines voluerunt, cùm alias grauissimis eos afficerent cruciatibus. Instruit igitur Christus modò discipulos suos, eos honorando societate & doctrinæ suæ participio, illis dæmonia eiiciendi potestatem concedendo, & illos salẽ terræ, & lucem mundi vocando. Demum eos tentauit in hoc maris discrimine, vt firmiores ad reliqua & peritiores redderentur. Porrò stagnum hoc in quo Christus nauigabat, est stagnum Genesareth, vel mare Tiberiadis, vel mare Galilææ de quo iam diximus in initio capitis quinti. Iam historiam prosequamur. *Et nauigantibus illis obdormiuit.* Prôh Deum immortalem! Quæ quantáque est in omni fortuna iusti securitas. Videt hominum sollicitudines & labores, fortunæ fluctus & procellas intuetur, ipse autem nihil mouetur magis quàm si somno esset oppressus. Vnde sapiens ait, Non cõtristabit iustũ quicquid acciderit. Sic etiam Ionas dormiebat periclitantibus nautis, & tu si probabili potieris conscientia, securus esses ab omnibus incommodis, quibus mundus versari & cõcuti solet. Sed nũquid dormit ille, de quo Dauid ait, Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel. Quid ergo nunc dormit? Hoc autem, eo dictum puta, quia si ea quæ in mundo impunè geruntur, animaduertimus, Deũ dormire suspicabimur. Nam sicut, qui dormit, eodem vultu semper est quocunque honore vel conuitio afficiatur, ita Deus, cùm in hoc sæculo sæpenumerò optimè meritos, iustósque viros beneficio vllo non prosequatur, impios autem & criminosos plerunque impunitos abire sinat, imò potiùs eos plurimis aliquando ditet bonis, bonos autem magnis torqueat calamitatibus, videtur profectò in rebus humanis tanquam inter quosdam bonorum & malorum fluctus obdormire. Qua de causa Dauid huius incõmodi satagẽs in Psalmo, Deum precatur vt vigilet, inquiens, Exurge, quare obdormis domine? exurge, &c. Quasi diceret, Vide domine somnum importunum, exurge quæso, & videas mortalium superbiã. Exurge, vt honori tuo consulas. Omnes enim pietatis cultores in summis versantur calamitatibus ob ingentem impiorum iniquitatẽ: quos si ampliùs sæuire sineris, actum est de republica tua. Durent tamen in laboribus pij, impij autem timeant, qui namque dormit expergiscetur, nec sinet malorum conatus ad finẽ vsque peruenire iniquitatis suæ. Nũquid qui dormit nõ adiiciet vt resurgat? resurget quidem dominus & vnũquemq; meritò afficiet præmio. Dormiebat Noë, & nequissimus Cam illius pudenda proteruo cernens ore, patrem irridebat suum: at Iaphet pietate motus, fratrísque infensus impudentiæ, paternum veste texit corpus. Quare excitatus Noë, impio maledixit Cam & pio Iapheth benedixit. Sic Deus qui modo obdormire videtur, in finali tandem iudicio exurget & benedicet bonis, eos prẽmio æternæ vitæ afficiens, malos autem in æternum coniiciet ignem, &c. ¶ Præterea dormiebat Christus secundum sensitiuam animæ portionem, idque non coactè & inuitè, sed spontè & deliberata ratione. Rationis enim iudicio & imperio voluntatis, corporalis natura, sensitiuáque pars per omnia obediebat in Christo. Licèt causa, ex qua naturaliter oritur somnus, scilicet vaporum ascensio in caput, corporalísque naturæ, corporalis fatigatio fuerint verè in Christo. Assumpsit enim naturam nostram cum hac passione, quamuis potuisset illam assumere sine somno, quia non se consequuntur necessitate ineuitabili. Tamen quia hanc passionẽ assumpsit, naturaliter poterat dormire, quia sæpè dormiuit. Nunc autem voluntariè dormiuit: quia Christus erat dominus naturæ suę. Hoc autẽ nobis non est, quoniam multi somnũ desiderãt & dormire nequeunt, & aliquis vult vigilare & non potest. Ideò poterat Christus manere longo tempore sine somno, si voluisset. Sic interdum erat per totam noctem vigilans in oratione, & non ob hoc grauabatur corpus eius. Poterat Christus dormire quando vellet, & vigilare quantum vellet, etiam nulla causa naturali existente. Dormiuit autem nunc, vt daret locum sequenti miraculo de turbatione & sedatione maris. ¶ Præterea dormit Christus & facta est magna commotio in mari: in quo docet, quodam ænigmate, quantum immineat periculi in rebus humanis, quoties dormiunt prælati delini

Act. 14. *Matth. 5.* *Dormit Deus quando peccatori nõ punit.* *Prouerb. 12.* *Ionæ. 1.* *Psalm. 120.* *Psalm. 43.* *Psalm. 40.* *Gene. 9.* *Dormitio & somnus vnde.* *Luca 6.* *Stertere prælatorum est graue discrimen subditorũ.*

ti deliniti commodis huius mundi, cùm Christi vices gerant. Dormiebat Saul & furto rapuerunt ei 1. Reg. 26. scyphum & hastam. Sic quia prælati dormiunt in delicijs perit iustitia, quam facere debuerant in discolos, eos puniendo, & munus, quod oportebat ipsos habere, vt pauperes & miseros souerent. Vnde putas tantam tempestatem ortam esse in Germania, nisi quia prælati ecclesiæ dormiebãt? Dormiẽte igitur Christo, mare fluctuare nihil aliud significat, nisi subditos esse in summo discrimine quoties prælati dormiunt. Mar. 4. ¶ Deniq; Marcus ait, quòd dormiebat in puppi super ceruicali: in quo docet delicias & vanam mundi pompam cõtemnendam esse, sed tantum post laborem necessaria ex illis sumẽda, & illis vti. Vnde dominus per prophetam Amos ait, Amos. 6. Væ vobis, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris. Quapropter hoc, quod dormiebat super ceruicali, non vacat à mysterio. Primò quòd modicis contentus fuit: nõ enim ambulauit in magnis, neq; in mirabilibus super se. Psalm. 130. Cõmendat enim Christus pauperẽ & asperam vitam, quam ab ipsa origine vitæ, vsque in finẽ commendare non cessauit. Natus in præsepio: dormiens super alieno ceruicali, & moriẽs in cruce: quid aliud contendit, quã vitam exiguam & parcam amplecti? Secundò insinuat, dormiens in ceruicali, se esse paratissimum, velut in procinctu ad fauendum nobis. Nam si in lecto iacuisset, quis crederet eum à lectulo surrecturum vt laborãtibus opem ferret? At nũc qui iacet super ceruicali paratus est à quiete consurgere, vt miseriæ nostræ præsto sit. Facilè enim surgit, qui super ceruicali quiescit, &c. *Et descendit procella venti in stagnum, & compellebantur, & periclitabantur.* Credendum ne est ea fuisse ventis audacia, & mare, vt nauim in qua suus vehebatur dominus vsque adeò vrgerent, nulla priùs facti obtenta copia? nequaquam: Quoniam voluntate Christi factum est hoc, Deo sic ordinante ad ostendendum Christi potentiam. Sicut illa tempestas quæ facta est temporibus Ionæ, Ionæ. 1. quando misit Deus ventum magnum in mare & facta est tempestas magna, & nauis periclitabatur, sic nunc ingressus in mari fecit turbari mare, commouit ventos & concitauit fluctus. Itaque Dei voluntate facta est tempestas.

Præsentia Dei insolita operatur. ¶ Obserua autem & vide, vbicunque Deus est, plurima noua & insolita statim emergere. Ingressus est Hierosolymam & cõmota est, vt ait Ioãnes vniuersa ciuitas. Ioan. 2. Sic Philistæi dixerũt. Quæ exultatio 1. Reg. 4. est hæc? Veniebat enim ibi arca domini: ideò non fuit tanta exultatio heri & nudiustertius. Ex nouitate mirati sunt Philistæi. Sic multæ plagæ & mutationes factæ sunt in Aegypto. Exod. 8. Et illi dixerunt, digitus Dei est hic. Sap. 10. Ideò in Sapiẽtia habetur, Timebũt reges horrendi, &c. quod de Pharaone dictum est. Vnde sponsa in Canticis loquitur dicens, Cant. 5. Pessulum ostij mei apperui dilecto meo, Sequitur. Anima mea liquefacta est. Sic Deus corda dura, in quæ semel intrauit, cõminuit atque emollit. Ingressa est arca domini in Dagonis tẽplum & corruit idolũ. 1. Reg. 5. Ita vbicunq; Deus ingreditur corruit idolum animi internum: de quo Paulus, Auaritia, quæ est idolorũ seruitus, corruit idolũ gulæ. De quo idẽ Paulus, Colo. 3. Quorum Deus venter est. Denique omnia alia idola vitiorum animæ concidunt. In primo etiam regum habetur, 1. Reg. 9. Insiluit in Saul spiritus domini, & Philip. 3. mutatus est in virum alterum. Mutatio hæc est mutatio dextræ Dei excelsi. Sed in quo perspicies Deũ venisse in cor tuum? Si sanè aleatur iam non ludis, Psalm. 76. mœchator non mœcharis, &c. Sic Niniuitæ mutati sunt ad ingressum prædicatoris Dei. Ionæ. 3. A facie enim domini mota est terra, à facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum. Psalm. 113. Sic ingresso Christo in mare, mutatur mare, mutãtur aquæ & in omnibus fit mutatio & nouitas. Ita etiam operatus est egregiam mutationem in Magdalena: Saulo, multisque alijs, &c. Lucæ. 7. Act. 9.

Nusquã tuta fides. ¶ Secundò expende etiam & considera nullum in hoc vitæ miserrimo curriculo esse locum satis pacatum aut securum. Sunt discipuli iuxta Christũ & nihilominus fluctuãt & periclitantur. Quo docemur semper dùm sumus in via, quantumcunque in gratia cum Deo esse, aut timemus, nequaquam omnem prorsus timorem deponere. Quia nemo nouit quo tandem sit peruenturus. Paulus enim licèt sanctissimus summisque à Deo pignoribus cõfirmatus, nihilominus tamen ait, Nihil mihi conscius sum. 1. Cor. 4. Quoniam in hoc sæculo degens, nullibi satis securus sibi videbatur. Angelus de cœlo cecidit à loco altissimo & tutissimo, factum est præliũ magnum, vt ait Ioannes in sua Apocalypsi. Apoc. 12. Adã in paradiso cecidit: Dauid in sanctitate sua: Iudas in suo apostolatu. Nemo igitur confidat, nemo præsumat. Omnia enim sunt procellis & tempestatibus plena, siquidem ipsi etiã apostoli Christo præsente periclitantur.

Feras & non culpes, quæ à Deo dantur. ¶ Apostoli itaque nunc tribulantur, in quo disce tribulationes, dolores & persequutiones patienter sustinere, quia Dei voluntate dantur & mittũtur. Sunt enim tribulationes quasi quidam nuntij à Deo in nostram missi vtilitatem. Vnde quemadmodum qui nuntiũ regis aliqua afficit iniuria, regi ipsi iniurius est, sic qui tribulationes à Deo missas benigno vultu, atque animo non excipit, Deo supremo regi iniuriam irrogare videtur. Misit Dauid legatos consolaturos Amonem, 2. Reg. 13. ipse autem eos cõtempsit, illósque barbis vestibúsque præcisis ad Dauidem remisit. Quòd non multò secus illi faciunt, qui tribulationes à Deo missas impatienti & superbo accipiunt animo. Quare sicut Dauid legatorum suorum iniuriam vltus est, Amonem funditus euertens: ita Deus te, nisi benigniter & patienter labores tuos tuleris: eruet & disperdet. Maledicente & iaciente lapides in Dauid Semei respondit sanctissimus rex, 2. Reg. 16. Abisai, qui eum interficere volebat. Dimitte eum: vt maledicat: dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Intelligebat optimè Dauid illud esse à Deo flagellum inflictum: nec eum latebat peccatum vnius esse nonnunquam alterius supplicium. Quoties igitur ab aliqua conflictamur ex creaturis ad Deum nos cõferamus. Quotiescunque ab aliqua creatura affligimur, ad Deum confugiamus. In illo enim suæ ægritudinis, perfectam inueniet homo medicinam. Sic Dauid in Psalmo aiebat, Psalm. 34. Ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio. Psalm. 108. Et in alio Psalmo, Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. Quorsum autem, ó Dauid, indueris cilicio? hic est ille ensis, quo accingeris: hic ille nitidissimus thorax, quem ad propulsandos hostes induis? Sed vince teipsum, & sic inimicos tuos superabis. Ego autem orabam. Sed quid orabas? Deus laudem meam ne tacueris, &c. Domine commenda me, siquidem pro te tot iniurias sustinere non dubito. Sed quid? nunquid remedium est vllius

lius momenti persequentibus & incessantibus ho-
stibus ad templum confugere ibiq; preces funde-
1. Reg. 17. re optimum equidem esse existimo. Non hoc Da-
uidi ignauiæ vertendum est, vrsos & leones facilli-
mo interficiebat negotio. Sed cõsiderans hæc om-
nia incommoda à Deo opt. max. hominibus sæpè
numero infligi, quo à criminibus suis resipiscant, &
in virtute exercitati eò magis euadant, cõfugiebat
ad dominum, nihil ab illo oblatũ recusaturus. Nam
quemadmodum gladius ferruginosus, quoties ad
arma veniunt homines, dominum suum sæpè adeò
moratur, vt priùs ab aduersario vulneretur, quàm
educi è vagina possit: sic patientia non exercitata
adeò tarda est, vt sæpenumerò locum diabolo con-
cedat miseram vulnerandi animam, quàm possit
subuenire. Quare vt exerceamur permittit Deus
non rarò in nobis pericula & calamitates sæuire.
Eodem etiam modo hæc tempestas de manu Dei
venit vt exerceat discipulos suos, eósque deinceps
efficiat firmiores. ¶ Denique etiam misit in illos
hanc tribulationem, vt in seipsis experirẽtur mise-
ricordiam virtutémque eximiam Christi. Viderant
enim iam sæpissimè magistrum suum, claudos, cæ-
cos, & id genus infirmos sanantem: sed quia nemo
tanta perfunditur in aliorum sanitatibus iucundi-
tate ac in seipso, ideò dominus, hoc in ipsorũ per-
sona miraculum voluit operari, vt etiam nullus de-
inceps dubitationi locus pateret. Ita quoties de ali-
cuius summi medici laudibus agitur, si quis adest,
qui aliquando cùm esset ægrotus ab illo fuerit cu-
ratus, statim cõsurgit, medicique sui tanquã testis
oculatus, honores euehit, cuius testimonium apud
omnes alios non modo maioris beneuolentiæ esse
solet, sed etiã maioris fidei. Præterea quia discipuli
prædicaturi erant mundo Christi eximiam virtutẽ
& miracula inenarrabilia, oportet vt priùs in om-
nibus creaturis & denique in seipsis vim Christi
domini sui intuerentur, vt sic summa laude summa
etiam fiducia & voluptate possent vbique terrarũ
facta Dei celebrare. Eo enim modo dubium visum
non fuit quin libentissimi omnes mortales ocula-
tos testes & expertos miraculorũ domini, & sum-
mo applausu audirent & euangelium securissimo
consensu susciperent. ¶ Aduerte etiam Deum sole-
re sanctis suis pericula ostendere, à quibus eos li-
berauit: vt videntes mala à quibus eruti sunt gra-
tissimi in dies magis efficiãtur. Sic fecit Iacob cùm
reuerteretur de Mesopotamia in terram suam. Ele-
uans enim oculos vidit venientem Esau, cum eóq;
Genes. 33. quadraginta viros. Timuit enim Esau valdè & ora-
uit ad dominum præ timore, vt illũ liberaret. Eruit
itaque eum dominus: sed nihilominus voluit peri-
culum eius oculis obiicere, vt sic agnosceret à quo
malo liberasset eum dominus. Sic etiam fecisse cõ-
memorat scriptura cum filiis Israel: qui cùm essent
propè mare rubrum leuantes oculos viderunt
Exod. 14. Aegyptios super se & timuerunt valdè & clamarũt
ad dominum & ad Mosen. Quibus dixit Moses,
Nolite timere, & videte magnalia domini, quæ fa-
cturus est hodiè. Aegyptios enim, quos hîc videtis
nequaquam vltra videbitis vsque in sempiternum.
Et sic transierunt mare diuisum, & viderunt Aegy-
ptios mortuos, & manum magnam quam exercue-
rat super eos. A quo periculo licèt nihilominus
Deus filios Israel liberare statuerat, poterat aliis
multis modis populũ suũ seruare, tamẽ oculis eorũ
periculũ subiectat, vt sic omnibus diebus vitæ suæ
præterita recolentes, nequaquam possent tanti be-
neficij obliuisci. Ita & eodem modo se habuit Chri
stus dominus hîc cum discipulis suis, qui fluctuan-
te naui, & penè submersa, nõ audiuuabantur, vt di-
lato auxilio, salus, quæ iã fermè vita excessuris con-
tingerat, eos deinceps multò faceret gratiores. Sic
tu memoriter habe à quibus te Deus periculis li-
berauit. Nam sæpenumerò te in mortali peccato
agentem ab innumeris maris & terræ periculis eri-
puit & ab omnibus illis, quæ Paulus suis Corinthiis *2. Cor. 11.*
scribens commemorat. Quare Deũ cole, illiq; gra-
tias cũ propheta age. Conuertere anima mea in re- *Psalm. 114.*
quiem tuam, quia dominus benefecit tibi. Eripuit
animam meam à morte: oculos meos à lachrymis,
pedes meos à lapsu.

¶ Obseruandum prætereà est, quòd dominus vi- *Deus nõ sta-*
detur suos derelinquere in mediis fluctibus, adeò, *tim suos libe-*
vt videatur illorum oblitus. Tamen non obliuisci- *rat ab afflic-*
tur: sed hoc facit, vt posteà gloriosius de mediis ma- *tionibus.* *Genes. 41.*
lis eripiat. Sic Ioseph reliquit in squalore carceris,
quẽ posteà sublimiùs extulit. Videbatur iam dere-
lictus à Deo, & extraneus erat, & derelictus à fratri- *Genes. 37.*
bus vẽditus in terra aliena: sed dominus eripuit il-
lum à malis & gloriosum fecit. Sic Dauidẽ, sic Da- *Dan. 13 &*
nielẽ, sic & Susannã à falsò crimine liberauit. Da- *14.*
uidẽ autẽ de manu Saulis, Danielẽ verò à lacu leo-
num. Sic etiam populum afflictum Israel obsessum
ab exercitu Holophernis, & iam se illi cõmissurum *Iudit. 13.*
de manu hostili. mirabiliter per fœminam eripuit:
Sic etiam eundem populum iam morti expositum
sub impio & sæuissimo hoste Aman, cùm iam peri- *Hester. 7.*
culum immineret mortis, gloriosè liberauit eum.
Noluit Deus statim suos liberare, sed expectat &
dormire videtur: tamẽ nõ derelinquet eos vsque in
finem, sicut peccatores. Hæc enim est maxima in-
ter bonos & malos differentia, quòd mali in æter-
num à domino derelinquentur, boni verò ad tẽpus
dũtaxat deseruntur, vt fortiores surgentes ad virtu-
tem efficiantur. Hoc ipsum petebat Dauid in Psal- *Psalm. 118.*
mo à domino, Ne derelinquas me domine vsque
quaque. Ac si diceret, vt diuus Ambrosius interpre *Amb. ser. 1.*
tatur, Relinque me domine paulisper, nõ tamẽ diu. *in Psal. 118.*
Anteà quasi adhuc imperfectus, & in multis tribu- *leg. Gregor.*
lationibus positus se derelinqui timebat: nunc autẽ *lib. 20. moral.*
iã fortior non timet derelinqui, vt tentetur, sed ro- *cap. 24.*
gat, ne penitùs derelinquatur. Plerunque derelin-
quit Deus, quos vult probare, sicut hîc apostolos,
penitùs autem derelinquit & totaliter peccatores:
quos in æternũ deserit. Dereliquit penitùs Iudam,
non autem sanctum Iob. Nunquid non ideò dere-
lictus est Iob, vt probaretur, atq; ideò coronaretur.
Dereliquit Iudam in sæculum, non autem Petrum:
cui clamanti in mari porrexit dominus dextrum &
leuauit eum. Quemadmodum inter natores acci-
dere solet: qui rudiores adhuc & imperitos natan- *Mat. 14.*
di paulisper submergi sinunt, quòd si grauiùs peri-
clitari animaduerterint, nihilò segniùs accurrunt,
quàm si nunquam reliquissent, quo facto impaui-
diores deinceps ad natandum redduntur. Sic nunc
discipulos dereliquit, sed non in perpetuum, quia
eripuit eos. ¶ Ad nostram autem eruditionem di-
scamus hic non turbari, si quando nos à Deo in
aliquibus tẽtationibus destitutos viderimus, quo-
niam, vt hic litera docet, non rarò solet Deus sic
cum dilectissimis agere. Quin & ipsum vnigenitum
suum derelinquere non dubitauit quando ip-
se dixit, Deus meus, Deus meus, quare dereli-

quisti

Matth. 27. Rom. 8. Psalm. 15.

quisti me? Tradidit corpus eius passioni: & (vt Paulus ait) proprio filio nō pepercit, sed pro nobis tradidit illum: sed nō pœnitus dereliquit: sed ad tempus: Ideò ait, Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuū videre corruptionem: Timenda igitur est, non quæuis: & ad tempus destitutio, quæ proficua est, tantū abest, vt noceat, sed æterna & totalis. Ab illa enim Deus te eripiet, vt hos sanctissimos discipulos. Ideò Dauid ait, Eripuit animam meā à morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Parum est labi, aut leuiter ad lapidem offendere: sed caue ne cadens caput cōminuas, aut crura frangas. Intereà tamen Deus clamat, dicente Dauide, Ne derelinquas me Domine

Psalm. 114.

vsquequaque. Sic clamauerūt ad Christum hi sanctissimi apostoli, vt statim videbimus.

Christum secū habere præsens, est remedium contra tentat.

¶ Secundò discamus semper Christum nobiscū habere. Nam si cum Christo tempestas & periculū est: quid erit sine Christo? Etenim apostoli in naui periclitantes præsto habuerunt dominum, cuius

Ioan. 1.

seruarentur auxilio: tibi verò longissimè à Deo agenti quis poterit opitulari? Rapieris profectò, quoniam, vt Ionas domini conspectum fugis, & in mare proiicieris, sicut Ionas proiectus est. Da igitur operam, vt nunquam longiùs à Deo discedas, imò, vt illum propè & quasi ad manum semper habeas, si in laboribus tuis patientiam habere desideras. Sanè apostolorū tribulationes breues sunt, & breui à domino remedium consequuntur (iusti namque secum habent Christum omnium malorum antidotum:) mala autem impiorum in inferno ideò sunt irremediabilia, quia longè Deus: qui solus opē & salutem ferre poterat, situs est. Ita propheta quidam in peccatoris persona loquitur. Longè factus

Thren. 1.

est à me auxiliator. ¶ Docemur tertiò, ne vnquam

Semper time quia sub quouis lapide scorpius & anguis in herba.

in hac vita securos nos existimemus, néue fallaci mundi securitati fidamus. Nihil securū, nihil semper prosperum est in hoc sæculo. Securi nauigabant discipuli cum Iesu, sed subitò & inopinato facta est tempestas magna. Putant mundi sectatores

Esaia 28.

se tutos fore: credúntque se pactum, aut fœdus cū morte & inferno pepigisse, nec vident sibi tētationis periculum appropinquare, nec futurum quemquam, qui illos recturus sit. Quid enim omnis mū-

Dan. 2.

di securitas aliud est, quàm ingens illa imago à Nabuchodonosore in somnis visa? Magnificam quidē speciem prę se ferebat: tota aurea, argentea, ęnea, ac ferrea erat, sed testaceis pedibus innitebatur, quare lapide tacta vniuersa moles corruit. Talis mundi securitas est: testaceis pedibus insistens, quos vel leuis tentatio frangit. Gloriantur quamplurimi de maiorum suorum spendore, quasi quoddam sibi aureum caput affingentes, iactant diuitias & fortunas suas, aliáq; caduca & fluxa sæculi bona summè aggregantes, aurei sanè, argentei & ferrei sibi videntur. Quæ tamen gloria quouis fortunæ iactu, mirum est, quàm citò aboleatur. Qua de causa quò securiores nobis videmur: cautiùs agere oportet, ne tentationibus succumbamus: à quibus grauissima nobis imminent pericula, nisi semper simus

Prouerb. 28.

parati & in timore, iuxta illud sapientis, Beatus homo qui semper est pauidus.

¶ Admonemur item timere pericula mortis & inferni, atque mala, quæ nobis imminent: Nam si externa & tēporalis tentatio etiam sanctissimos apostolos adeò pusillanimes fecit etiā cùm Christus esset cū eis, & secū haberent Deum, ac bonā cōscientiam, quid spirituales tentationes facient quando hominem sceleratum mala conscientia, dolores mortis, terror diuini iudicij & tartari periculum torquent & discruciant? Deniq; docemur, vt tempore fortunæ prosperæ timeamus: tempore verò tristi fidamus speremúsque. Diuersum facit mūdus. Quando omnia ex animi sententia succedunt, omnia vacant metu: nullius monita audit, sed mox fortuna mutata desperare volunt, nullius consolationem admittunt. Ecce cùm sancti apostoli securissimi essent & minimè de infortunio cogitarent, repentè, & inopinatò magno & periculoso turbine oppressi sunt: è contrario verò cùm iam de interitu cogitarent, momento citiùs seruantur. Talis est, mundi conditio. Quando enim securi in vtramuis dormimus aurem, periculum in proximo est: & quando prorsus omnem salutis spem abiicimus, tunc à Deo iuuamur. Sed historiam prosequamur & videamus quid sancti apostoli in hac tribulatione fecerint. *Accedentes autem suscitauerunt eum dicentes, Præceptor perimus.* Si volumus, vt Christus expergiscatur, necesse est, vt nos priùs expergiscamur, Imò ob hanc causam Christus infestari permittit, & immittit tribulationes, vt expergefacti oculorum grauedine discussa cogitemus vbi locorum simus & quæ rerum nostrarum facies sit: ac posteà Deum nostris precibus excitemus. Sic cum apostolis fecit. Nam ille qui producit ventos de thesauris suis, & qui conturbat profundum maris, & sonum fluctuum eius, ipse fecit hanc tempestatem, & incussit metum discipulis, vt metus eos ad orandum induceret: oratio autem eum moneret ad exhibendum miraculum, quo tandem ipsi aliiq; homines in fide confirmarentur. Expende quòd Apostoli Christum vocauerunt iam in vltimis cōstituti, quod etiam multi faciunt qui Deum auxiliatorem quærunt, sed nō nisi cùm iam sunt in extremis periculis positi. Vnde in Prouerbiis habetur, Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tēpestas ingruerit quando venerit super vos tribulatio & angustia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam. Repentinum est illud quod casu venit, quando quis incautus est, quod impiis morientibus euenit, nō autem bonis, qui semper parati omnia obseruant vitæ suæ momenta. ¶ Prætereà admonet locus iste in periculis, tribulationibus, omnibúsque necessitatibus ad Deum confugere, & ab illo auxilium petere. Sic Iosaphat rex, cùm ignoremus, (inquit) quid agere debeamus, hoc solùm habeamus residuum, vt oculos nostros ad te dirigamus. Sic & Petrus admonet dicēs: Omnem sollicitudinem vestram proiicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Hoc etiam sanctus rex Dauid fecit cùm dixit confugiens ad dominum, Exaudi me domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me. Ideò Deus multis periculis nos exponit: vt cōfugiamus ad orationem. Per aduersitates enim nos inducit dominus in timorem, & anxietatem, per timorē in agnitionem desperationemque infirmitatis nostrę, per desperationē nostri consilij reuocat nos ad cōsiderationē diuinæ bonitatis. Et ex hac cōsideratione rursus erigit nos ad spem & fiduciā erga se, & inde oritur ad ipsum oratio. Si pulsat voluptas, si insurgit

Christus expergiscitur quando nos à somno euigilamus.

Psalm. 134.

Prouer. 1.

Periculis exponimur, vt oremus.

2. Para. 20.

1. Pet. 5.

Psal. 68.

surgit ira, si luxuria æstuat, insurgítque aduersum
te omnes genus nequitiæ, tam humanæ quàm dia-
Psalm. 43. bolicæ, ora Dominū. Atque ideò Dauid clamabat
dicens, Exurge, quare obdormis domine, Exurge,
ne obliuiscaris tribulationem nostrā. Igitur ante-
quam demergaris in profundum, antequam descē-
das in sepulchrum clama ad dominum. In clamore
& in apertione oris tui, tua salus est. Si peris, tua
culpa peris, quia nō aperuisti os tuum, & ideò non
implebit te salute Christus. Sed de his iam diximus
in capite præcedēti in Magdalenæ cōuersione. Nūc
ad contextum. *At ille surgens increpauit ventum, & tem-
pestatem aquæ, & cessauit, & facta est tranquillitas magna.*
Satis in hoc suam deitatem ostendit Christus, qui
vtcunq;, sed imperatiuo modo iussit ventis & mari:
cui cùm omnes creaturæ sint in potentia obedien-
tiali, statim consequuta est magna tranquillitas, tā
materialis in mari quàm spiritualis in mētibus dis-
cipulorum de salute sua gaudērium, paruerunt vē-
ti & mare Deo, & ideò facta est tranquillitas.

¶ Aduerte autem quòd præsente domino naui-
cula fluctuat quidem, & iactatur vndis, non tamen
Gene. 8. submergitur, sed fit tranquilitas. Hæc est arca Noë
Gene. 25. Matth. 12. quæ fluctibus illiditur, nō tamē alliditur. Rebeccæ
vterus qui ex paruulorum lucta colliditur, at abor-
sum non patitur? domus supra petram fundata, in
quam venerunt flumina, & flauerunt venti, sed nō
Exod. 1. destruitur: Israëliticus populus, qui à Pharaone &
suis premitur sed non destituitur. Mulier, quam in
Apoc. 12. Apocalypsi draco persequitur, sed non opprimit.
Docet locus hic, vt in omni tribulatione & angu-
stia patientiam habeamus, in Deo spē nostrā collo-
Tob. 13. cātes, vt in eo stabiles simus. Deo enim sanctus To-
bias dixit, Nō delectaris in perditionibus nostris,
quia post tempestatem trāquillum facis, & post la-
Constātia & patientia in aduersis necessaria. chrymationē & fletū exultationem infundit. Quā-
uis totus sæuiat mundus, & quasi mare insurgāt &
bulliant procellæ vertiginésque dæmonū: & si om-
nes principatus, & potestas sęculi fluctus concitēt,
& iracundiæ rabie spument, & furiāt super sanctos
& si adhuc ad cœlos sese extollant, vt tempestas
maris malignantes, noli conturbari, noli contre-
Psalm. 120. miscere, aut deficere. Quamuis enim tibi videatur
Christus dormire, non dormitabit neque dormiet
qui custodit Israel. Noli igitur desperare, sed in do-
mino confide, ipse enim saluos faciet sperantes in
se. Cum iam omnia videntur desperata, sucurrit di-
uina bonitas. Sic Israëli laborāti in Aegypto affuit
Dei misericordia, sic Tobię, sic Ionæ, sic eidē popu-
lo tēporibus Iudith, & Hester, &c. Quare nūquam
de Deo desperandum est. Quis putasset Ioseph in
Exod. 3. carcerem in Aegypto coniectū, à fratribus venditū,
à domina accusatum, ab omnibus derelictum, &
ignotum in terra aliena, venturū ad tantū honoris
fastigium? Ideò quamuis tibi impossibile videatur,
exire à laboribus, quibus nunc premeris. Deo ta-
men facillimum est eripere te ab omnibus istis ma-
lis, interim tamen, quamuis venti tentationū insur-
gant & spumæ maris, hoc est, iracūdiæ ad cœlos vs-
que se extollant, tace, quiesce, & immobilis persta.
Nam quemadmodum, quoties mare vehementiùs
intumescens, ad littus magno impetu rapitur, saxa
quæcunq; secus oram posita nisi terræ penitùs in-
fixa hæreāt facillimo negotio trahit & vorat: Cau-
tes verò firmioribus nixas radicibus nequaquam
promouere potest: quinimò summo illisum frago-
re & spumis rabiéque victū cedit, duritiæ victū, &
cōstantia molis oppositæ: sic tu in fide fundatus fir-
missima, si bonorum morum & virtutum radices
egeris, constánsque in omni pietatis & religionis
opere fueris, noli timere tentationum, nec totius
infernæ legionis fluctus & minas, quantumcunq;
irrefragabiles videantur: vinces enim, & non suc- Similitud.
cumbes. Premeris quidem sæpenumerò magnis la-
boribus, sicut cautes fluctibus premitur & inuolui-
tur: verùm, vt illa refluente mari multo nitidior, &
speciosior apparet omni deposita immunditia quia
perstitit, ita tu si perstiteris, transactis laboribus
emerges à sordibus vitiorum purgatus & nitidus.
Consiste igitur: ne impatiens: & incōstans sis, aliàs
proculdubio superaberis: Quid si feceris & constā-
tiam seruaueris, Deus tibi solita non negabit au-
xilia, quibus & honorem tuum tueri, & vitam
consequi æternam possis, interea tamen opus est
dare operā & clamare cū propheta, Exurge domi-
ne: quare obdormis? Exurge, & ne repellas in finē:
Exurge domine, adiuua nos, & libera nos propter Psalm. 43.
nomē tuum. Ipse surget & imperabit ventis & ma-
ri & sedabit procellas tribulationum & persecutio-
tionum. Iterum ergo moneo vt sis constās: ne quasi
lapis mobilis in profundum rapiaris. Sed proceda-
mus. *Dixit autem illis, vbi est fides vestra?* Putabāt Chri- Christus tantū potest dormiēs, quantū vigilans.
stum vigilantem eos liberare posse, non tamen dor-
mientem, qui nihilominus & dormiens & vigilans
ęqualiter hoc facere poterat, potestas enim Christi
non erat ab humanitate, sed à diuinitate, quæ nun-
quam dormit. Ecce non dormitabit neq; dormiet, Psalm. 120.
qui custodit Israel. Ego, inquit, dormio, & cor Cant. 5.
meum vigilat. Credere autem ipsum purum esse
hominem, & sic dormientem nihil agere posse:
vel esse quidem Deum, sed tamen nihilominus
dormire in eo diuinitatem, error erat. Vtrouis mo-
do de Christo mala esset opinio, & digni fuerunt
huiusmodi reprehensione: qui ex miraculis præce-
dentibus, quæ Christum facere viderāt, potuissent
colligere ipsum esse verum Deum, qui tam dor-
miens, quā vigilans posset eos liberare. Credebant
Christum vigilantem posse miracula facere, nō au-
tem dormientem: quoniam omnia miracula anteà
vigilans fecerat, quare excitauerunt eum putantes
aliter liberari non posse. Christus autem voluit hoc
periculū inducere, vt esset locus auferendi eis hanc
incredulitatem. Non certè habebāt illi talē fidem Psalm. 138.
sicut ille, qui dixit Deo, Si habitauero in extremis
maris, ecce illuc manus tua deducet me, & tenebit
me dextera tua.

¶ Vide eximiam Dei bonitatē, qui semper quæ- Permittit nos tentari Deus vt fidem nostrā exploret.
rit vt possit beneficia in nos conferre. Non existi-
mabāt discipuli Christum dormientem miracula
ædere posse: qua de causa vt illos ab errore eripe-
ret dormiuit, vt inde facto miraculo ansan haberet
illos arguendi incredulitatis suæ, quò ad maiorem
de Christo cognitionem traherentur. Hoc autem
non semel fecit Deus, occasiones conuersionis no-
stræ quæritans. Nam Manasses rex Iuda idololatra
& flagitiosissimus, cùm captiuus apud Babylo-
nios esset, conuersus est ad dominum, & orauit. Sic
etiam permisit Deus, vt Iudæi in deserto aquæ pe- 2. Par. 36.
nuria laborarent, vt postmodum, percussa à Mose
petra, indéque vberiùs aqua effluente populus in-
credulus ad Deum suum conuerteretur. Permisit Nume. 20.
item filium Reguli morti appropinquare, vt pater
cum vniuersa familia crederet. Quod in omnibus
Christi miraculis fas est dicere. Vnde ipsemet domi Ioan. 4.
nus

Ioan. 9 nus de cæco nato dixit, Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in il- Dan 13. lo. Sic permiſit Suſannam accuſari à mendacibus & periuris ſenibus: vt virtus eius manifeſta fieret. Nec minus hoc tecum quotidie facit, ſi animaduertis, permittens te in infamiã aliquam, aut peccatum labi, vt te ab occultis emundet, aut etiam, vt flagitia maiora perpetres, quo à minoribus libereris: quæ, pœnitentiam agens non vis abluere. Nam ſicut in veſtibus accidere ſolet, quibus ſi parua olei guttula incidens exiguam notã facit, non abluuntur, nec vlla ad delendum vitium propter eius exiguitatem adhibentur medicamenta, ſi verò grauior, amplioruè inuratur macula, nulla mora eſt quin ſumma cura & diligentia abſtergantur. Sic in nobis accidit, quos Deus ſæpenumerò permittit in grauiora incidere, vt à magnis & à paruis emundemur peccati labibus adhibita pœnitentia. Eodem etiam modo hanc tribulationem in diſcipulos ſuos immiſit, vt eos ab incredulitate abduceret.

¶ Secundò diſcamus quanta ſit Dei bonitas, qui non ſolùm ex bonis noſtris bona, ſed etiam ex malis elicit. Ex hac namque tempeſtate & afflictione diſcipulorum hoc eximium eduxit bonum, nempè, vt in ipſum cognoſcerent nõ ſolùm in terra, verum & in mari potentiam. Hac item de cauſa ſolet nobis mittere labores & infirmitates, vt hinc humilitatẽ & notitiã Dei inueniamus, & noſtræ admoneamur fragilitatis. Ideò Moſes in Cantico ſuo laudans ma- Deut. 32. gnitudinem, & potẽtiam Dei. Educit inquit mel de petra oleúmque de ſaxo duriſſimo. Expertus educit, & ex malis noſtris bona. Sed de his inferiùs opportuniùs dicemus: nunc Lucam audiamus.

Qui timentes mirati ſunt adinuicem dicentes. Quis putas hic eſt, quia & ventis & mari imperat & obediunt ei.

Qualis, quàm fortis, potens, & magnus eſt hic, cui obediunt venti, & mare? Maior eſt Moſe, & po- Exod. 14. tentior Helia. E quibus alter ligno mari percuſſo 4. Reg. 2. cum labore mare diuiſit, alter pallio Iordanem pertranſiit: hic verò verbo imperat eis, qui non habent verba, & obediunt ei.

Omnia obediũt Deo prater hominem propter quem omnia facta ſunt.

¶ Diſcamus ex hoc loco obedire ei, cui creaturæ inſenſibiles obediunt. Dauid enim de hac obedientia loquens ait, Spiritus procellarũ, quæ faciũt verbum eius. Mirũ valde eſt omnes creaturas Deo tanta conſtãtia obedire præter hominem: qui cùm Pſal. 147. non ignoret omnia alia propter ſe fuiſſe facta, nihilominus tamen ingrato animo perfidóque obtemperare Deo negligit. Ideò Eſaias, vt hominum hanc inobedientiam notaret, cœlum, & terram inuocat, eos in teſtes humanæ ſuperbiæ adducens. Audite, inquit, cœli, & auribus percipe terra: quoniam dominus loquutus eſt. Filios enutriui: ipſi autem ſpre- Eſai. 1. uerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me nõ cognouit, & populus meus non intellexit. Vos omnes, ô Exod. 14. creaturæ mihi obtemperatis: homo verò mihi inobediens eſt, vos eritis eius inobedientiæ teſtes. Im- Num. 16. peraui mari & apertæ ſunt aquæ eius, vtrinque in muri ſpeciem inſurgentes, vt tranſirent filij Iſraël: imperaui terræ, & dehiſcens rebelles Dathã & Abiron vorauit: volui & exiit ignis de tabernaculo, & Leui. 10. filios Aaron cõbuſſit: Cœlum etiam ſtetit imperio Ioſue. 10. meo pugnante Ioſue cõtra Amalech, populus autẽ meus contempſit me, & mihi obedire noluit. Vnde quærens alius propheta à mari, quid eſſet, quòd in exitu Iſraël de Aegypto fugiſſet, & à Iordane cur fuiſſet retrorſum conuerſus, inducit has creaturas in hunc modum reſpondentes, A facie domini mo- Pſal. 113. ta eſt terra, à facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in ſtagna aquarum. & rupem in fontes aquarum. Ac ſi dicerent. Quid mirum ſi nos pareamus, cùm terra multo nobis tardior ei aures præbuerit, & mirabiliter obtemperauerit: nec ſolùm terra, ſed etiam duriſſimæ rupes fuerint eius iuſſu in fontes aquarum conuerſæ? Figura proſopopœia cum mutis rebus ſermonem damus: eſt enim proſopopœia perſonæ fictio. Vt apud Eſaiam dixit, Sion reliquit me domi- Eſai. 49. nus. Et in libro Iudicum, Iuerunt ligna, vt vnge- Iudi. 9. rent ſuper ſe regem. Et in alio pſalmo ſignificare vo- Pſal. 75. lens regius vates terræ obedientiam Deo, commota eſt, inquit, & contremuit terra: fundamenta mõ- Pſal. 17. tium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis. Et in alio, Terra tremuit, & quieuit: cũ exurgeret in iudicium Deus. Quid quæris? Chriſto in cruce expirante Sol obſcuratus eſt, & petræ ſciſ- Matth. 27. ſæ ſunt: at corda Iudæorum lapidibus duriora non ſunt mollita. In pſalmo propheta res etiam inani- Pſal. 148. matas ad diuinas laudes cõcionendas & prædicandas hortatur: innuens eas diuinæ voluntati parere, cum ait, Præceptum poſuit, & nõ præteribit. Inſenſibilia, & inanimata præceptũ ſibi à Deo poſitum cuſtodiũt, ſolus homo eſt, qui illud renuit cuſtodire. Cui venti & mare obediunt, homo nõ vult obedire. Diſcamus ergo Dei præceptis obtemperare, & eius mãdata cuſtodire: ſiquidẽ, & venti, & mare & creaturæ irrationales ei obediunt. Diſcamus etiam opera Dei mirari, ſicut hi mirati ſunt, videntes mirabile à domino editum & illum laudauerũt. Miremur etiam, quando bonitatem & miſericordiam ſuam in nos oſtendit, quando nos de periculis ſeruare dignatur: quando à tribulationibus nos liberat, & quando ab inimicis perſequẽtibus nos eruit. Miremur item, & gratias ei agamus, qui de tenebris 1. Petr. 2. nos vocauit in admirabile lumẽ ſuum. Sic in infantia ſaluatoris mirati ſunt illi de iis, quæ dicta erant à Luc. 2. paſtoribus ad ipſos, & Ioſeph etiam & Maria erant mirantes, de iis, quæ dicebantur de puero Ieſu. Sed quia ſatis in his duobus locis, de hac admiratione diximus, nunc ſequentia videamus. *Et nauigauerunt ad regionem Geraſenorum, quæ eſt contra Galilæam.* Geneſara ciuitas eſt Arabiæ iuxta montem Galaad in tribu Manaſſes: non longè ab iſto Tiberiadis, & eſt ex Beda lib. 3 in oppoſita parte Galileæ. *Et cùm de naui egreſſus eſſet ad* Luc. ca 32. *terram occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis.* Intra corpus habebat illud maximè cùm loqueretur per os eius, quia locutio fit per motum organorum interiorum, & perſpicuum eſt dæmonem non poſſe illa mouere, niſi ibi ſit. Ideo dæmon non ſolùm eſt in capite, ſed in ventre, quia principale inter organa vocis eſt pulmo, quia mouetur & aërem concipit ad refrigerandum cor, vbi ſubtiliatur aër ipſe vt ſit ſufficiens: ad vocem formandam articulatam. Nam aër exterior craſſus eſt & conueniens ad ſonos faciendos, non tamen ad voces formandas. Propter hoc enim ſola animalia habẽtia ſanguinem, & reſpirantia, voces emittunt. Organa autem muſica nõ habent voces, ſed ſonos: quia vita & pulmone carent. Cùm ergo principium vocis in animalibus ſit in pulmone, neceſſe eſt quãdo dæmones per arreptitios loquuntur, ſint in pulmone, & ſic in ventre & inteſtinis. Omnis ergo dæmon loquens per arreptitiũ eſt in ventre. Sic in primo Regum volumine dicitur Saul, abſtuliſſe ma-

gos & ariolos de terra: & interfecit eos, qui habe- 1.Reg.28. bant phythones in ventre. Phythones autem sunt dæmones illi, qui per homines loquûtur, vt in libro Act.16. Actorum habetur de puella illa, quæ habebat spiritum phythonem. Vsque adeò vexabat dæmon hũc miserum hominẽ, vt dicat euangelista. *Et vestimento non induebatur.* Sicut furiosus dilacerabat vestimen- Genes.3. ta, & nudus ambulabat. Diabolus enim sicut Adami tulit vestimentum innocẽtiæ, & tunc vidit quòd esset nudus: sic nunc gaudet in victoria sua, & lætatur imaginibus suorum triumphorum. In signum enim imperij amissi homo, vt iumentum factus est nudus: cupit itaq; diabolus videre hominẽ semper nudum, & lætatur in nuditate. *Nec in domo manebat.* Non sinebat dæmoniacum in sua habitare domo. Nam quia ipse è cœlo eiectus fuit, neminem vellet in sua manere domo, nec gaudere. Præterea ne miser dæmoniacus in domo sua à suis aliquod remedium inueniret, extra domum illum trahebat. Sæuissimus ille tentator, vt licentiùs posset affligere & torquere, illum in desertum adduxit. ita Cain Abe- Genes.4. lem in agrum adduxit, ne ab aliquo interpellaretur, quò minus in illum pro sua libidine sæuiret. *Sed in* Diabolus inuenitor monumentorum. *monumentis.* Quia diabolus inuenit mortem, & monumenta: ideo gaudet in illis: mundus enim nescie- Sap.1. bat monumenta, sicut nesciebat mortẽ. Deus namque mortẽ non fecit, nec lætatur in perditione morientium. Si ergo mortẽm non fecit, sequitur neque Sap.2. sepulturam fecisse: quæ domus est mortuorũ. Deus creauit hominem inexterminabilem, sed inuidia diaboli intrauit mors in orbem terrarum. Igitur per eandem inuidiam introiuit diabolus monumentũ. Itaque ad principem Deum spectat vita, & terra viuorum, id est cœlum: & ad principem diabolũ spe- Osee.13. Matt.22. Ioan.11. Luc.9 ctat mors & infernus, & sepulturæ mortuorũ. Gaudet igitur in rebus suis. Ideo princeps vitæ Christus contra mortem inquit, O mors, ero mors tua. Deus enim non est Deus mortuorum, sed viuorum, Ideò verè mortui nõ sunt Dei, sed diaboli: sicut iusti decedentes non sunt mortui, sed viuunt Deo, & dormientes vocantur in scriptura. Igitur sicut diabolus est dominus mortuorum, ita est dominus sepulchrorum, in quibus hi verè habitãt mortui, qui in peccatis & in diaboli seruitute decedunt. Vnde Psalm 48. Dauid in psalmo, Sepulchrum eorũ domus eorum in perpetuum. Ita ego quantum æstimare possum credo monumenta, in quibus iste dæmoniacus habitabat hominum esse impiorum: vt sicut animas in inferno, ita & corpora in sepulchris dæmones possiderent. Nam sicut omnia, quæ habent pij iure hæreditario spectant ad Deum: Ita quæ habent impij, diaboli sunt. Sequitur in litera.

Is vt vidit Iesum procidit ante illum: & exclamans voce magna dixit.

Procidit diabolus ante Iesum nõ humilitate, sed necessitate compulsus: non inquam, amore boni, sed timore grauioris supplicij. Sed vide quid clamans dicat,

Vide Chrisost. hom. 29. in Matth. *Quid mihi, & tibi Iesu fili Dei altissimi? Obsecro te ne me torqueas.* Christi præsentia illi fuit pœnalis, sicut reo præsentia iudicis, & seruo fugitiuo præsentia domini sui. Nam sicut lux odiosa est ægris, sic malis præsentia iustorum: quare persequuntur, & odio illos habent. Quia vita bonorum est quædam tacita obiurgatio peccatorum. Timuit autem dæmon hic detrudi in infernum à Christo: atque ideo procidẽs orabat, ne illum torqueret. Vide quàm verè dixerit Paulus, In nomine Iesu, omne genu flectatur, Philip.2. cœlestium, terrestrium, & infernorum.

¶ Aduerte autem Iudæos dicere de Christo, In Luc.11. Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. At diabolus hic fatetur nihil sibi & illi commune: nam dicit, Quid mihi & tibi est? ac si diceret, Nulla est concordia mihi tecũ. Et Paulus etiam, Quæ cõ- 2.Cor.6. uentio Christi ad Belial? Ideo Iudæi peiores sunt diabolo. Quia cùm diabolus dicat, nihil sibi cum Christo esse commune: impij pharisæi dicunt, viribus diaboli Christum adiuuari.

¶ Obserua etiam quomodo diabolus audet appellare Christum Deum viuum, Nihil enim est tam 2.Cor.11. sanctum, quin dæmon eo vtatur ad malum. Vt enim Ioan.11. transfigurat se in angelum lucis: ita assumit sibi Numer.22. verba Dei. Quod etiam homines impij, vt Caiphas, Balaam, & alij assumunt. Causa autem cur rogabat, ne illum torqueret subdit euangelista dicens, *Præcipiebat enim spiritui immundo, vt exiret ab homine.* Sed cur diabolus non statim exiuit, cùm Christus hoc illi præciperet: Quia Christus non præcepit diabolo, vt statim exiret: qui eodem momento exiit, quo à Christo egredi iussus est. Expende autem neminem rogauisse Christum pro hoc obsesso: sed ipsemet dominus pietate motus illum liberare voluit: quia nimis crudeliter à dæmonibus vexabatur. Atque ideo ait euangelista, *Multis enim temporibus arripiebat illum & vinciebatur cathenis & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserto.* Attende quantum nocebant huic homini. Sunt enim valde inuidi & summè cupiunt hominibus incommodare. Videntes autem hominem per humilitatẽ ascendere ad beatitudinem, quam ipsi per superbiam amiserunt, inuidia commoti nituntur illum in peccata pellicere, ne tanti boni fiant compotes mortales, quòd si in spiritualibus lædere nequeunt in corporalibus lædunt.

¶ Rumpebat cathenas & nolebat esse ligatus: primo, quia superbus est, & liber esse cupit. Sic superbi & impij nolunt se subiicere & obedientiam auersantur, decantantes illud psalmi, Dirumpamus Psalm.2. vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Et illud quod dominus exprobrat per Hiere- Hierem.2. miam, A seculo confregisti iustum. Pij verò omni creaturæ subiiciuntur propter Deum, scientes, quia qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Secũ- 1.Petr.2. & Rom.13. do cũ diabolo sit paratus carcer perpetuus, & vincula, & cathenas horret & fugit, quia sunt hæc suorum tormentorum similitudo. *Interrogauit autem illum Iesus dicens, Quod tibi nomen est? At ille dixit, Legio, quia intrauerant dæmonia multa cum eo.* Non ex ignorantia interrogauit: sed vt ex dæmonis expulsione excellentia virtutis Christi clariùs micaret. Vnum autem interrogauit: quia vnus pro aliis omnibus loquebatur. Porro legio sex mille sexcenta & sexa- Hostiũ nomine multitudo. ginta sex sunt, quoniã tot dæmones in illũ hominẽ intrauerant. ¶ Discamus ex hoc loco cum timore, & tremore nostrã operari salutem: quandoquidem impugnamur ab innumerabili aduersariorum multitudine. Nam si homo alicuius ciuitatis incola audiens per omnes vicos & plateas vrbis frequentissimam leonum turbam grassari ingenti timore domum egredi auderet, quin pœnitens, silens, incedẽs nec vnum verbũ mutiret. Quid ô tu facere debes in periculosissima ciuitate huius mũdi vagans, in qua non leones, sed dæmon insidias tendit, de quo ait 1.Petr.5. Petrus, Inimicus vester diabolus tanquã leo rugiẽs circuit

circuit quærens quem deuoret? Nec vnus, aut alter, aut pauci sunt huiusmodi hostes teterrimi, aër namque tanta dæmonum caterua scatet, vt si cerni possent, solis conspectum densitate eriperent. Quamobrem non parùm admiratione afficior, cur comedens, bibens, & ludens, tam segniter saluti tuæ consulas: cũ te vndique sæuissimis videas feris circunseptum: quæ te deuorare satagunt. Ex ingẽti autem dæmonũ turba, quibus hic vexabatur, poteris colligere, quot hostes habeas: quos vt euadas diligentissimum te esse oportet. *Et rogauerunt eum ne imperaret illis, vt in abyssum irent.* Hi spiritus obsecrãt & maiestatem Christi venerãtur, in quo multò sunt multis hominibus meliores: qui cùm Christum confiteantur, & prædicent, multò impudentiùs contra illum se habent, quàm dæmones. Illi enim impiissimis Christum blasphemiis incessunt, nulla adiecta vel timoris, vel reuerentiæ significatione: dæmones verò se Christo submittunt, quo se hominibus meliores quodammodo ostendunt. Dæmones itẽ credunt & contremiscunt: isti autẽ credere se dicunt, cùm nullo eius iudiciorum metu commoueantur. Porro cùm rogant Christum dæmones, ne eos in abyssum mittat, orant ne mittat eos in inferni profunda. Nam abyssus Græca vox est, & ponitur pro voragine quadam, vbi fundus non potest contingi. Appellant ergo infernum abyssum ob immensam eius capacitatem, cuius meminit Esaias cùm ait. Præparata est ab heri Topheth: à rege præparata profunda & dilatata. Nutrimẽta eius ignis, & ligna multa: flatus domini sicut torrens sulphuris succẽdens eam. Cùm ergo scirent hi dæmones ignẽ illum præparatum sibi, timebant, ne illuc à domino Iesu mitterentur. Heu ingentem miseriam nostrã: & omnem prorsus amissum sensum. Dæmones, qui (vt Petrus ait) virtute, & robore sunt maiores ad perferendum illa ignis æterni tormẽta, ad eius nomen exhorrescunt: & homines, qui apis morsum sine lachrymis ferre nõ possunt, securi in vtramuis aurem (vt dicitur) dormiunt. Quantò esset vtiliùs frequentissimè nunc cogitatione versare, & assiduò ante oculos ponere sempiterna illa incendia: quod remedium esset ad ea vitanda optimum, quàm negligentes in malũ descendere æternũ? Sed de his aliàs.

Dæmones metuunt infernũ & tempus eum iam timent.

Iaco. 2.

Esai. 30.

2. Petr. 3.

¶ Expende autem quòd isti dæmones non statim exierũt: quia quamuis Christus præcipiebat, vt exirent, ipsi rogabãt, vt mitteret illos in porcos. Discamus diu in peccato non perseuerare, nec malis moribus assuescere. De hoc dæmoniaco ait Lucas, quod iam diu à dæmonibus vexabatur, quare iam ægrè antiquam relinquebant habitationem. Arbor enim multo tempore radicata primo impulsu non eradicatur, nec turris benè constructa quouis tormento deiicitur. Væ igitur si lõgo tempore dæmon in nobis inhabitat: nõ aufugiet primo Christi verbo iussus. Iubebat autem Christus, quamuis non efficaciter, eos exire: & illi respondebant rogantes ne in abyssum irent. Caue ergo, & tu à consuetudine peccati. *Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi.* Expende dæmonum malitiam & eorum impiam considera voluntatem. Quia homini nocere non permittebantur, volunt in porcos ingredi: sic quando nos lædere non possunt, nostra lædunt, vt quoquo modo nobis noceant. Hoc autem faciunt, nõ quia quærunt nostra, sed nos. Cũ enim diabolus aufert tẽporalia, vel in illis nocet, nõ hoc facit, quia temporalia appetit, sed vt adducat nos in peccatum per irã, aut blasphemiã, aut impatientiã, & sic possideat animã nostrã. Hac ratione percussit substãtiam sancti Iob, vt faceret impatiẽtiæ reũ, & vt innocentiam amitteret. Animã nãque Iob diabolus quærebat, non eius substantiã, oues, aut camelos. Sic multi similes diabolo, cùm proximos lædere non possunt, proximorũ nocent bonis. Sic fecit impius Absalon, qui cùm non posset malũ inferre Ioab principi militiæ regis Dauid, quia potens erat: succendit segetes eius. Sic in præsenti dæmõ expulsus ab homine, in porcos ingressum petit: vt dominis porcorum incõmodet. ¶ Ex his facilè colliges quantũ quãque atrox sit odiũ dæmonis aduersum nos: siquidẽ omnibus rationibus, & viis qua possunt, nobis incõmodũ parant. Quo mirabilior est quorundã hominũ insania, qui nõ secus cũ dæmone agunt tanta familiaritate, ac si essent amicissimi: nec verẽtur perditissimi homines tyrãno teterrimo obtemperare, eius nomen immanissimũ, quasi esset amicissimum inuocãtes. ¶ Obserua autẽ ꝙ vt in porcos intrarent petierunt priùs facultatẽ & rogauerunt Christũ, vt ingressum permitteret: nã alias ingredi nequirent. Vnde si porcis nocere nõ potuerũt sine permissione, multò minùs homini nocere poterũt, nisi à Deo illis permissum sit. Alligata nãque est dæmonis potestas, nec alicui officere potest, nisi in quantũ Deus illi facultatẽ dederit: quã ille aliquando dat, vt nos exercitati mereamur premiũ & coronã, diabolum vincentes, quẽ facile vincere possumus, si volumus. Primò quia nõ omnia, quæ vult, permittit illi Deus, vt faciat: non enim facultatẽ habet tentandi aliquẽ supra eius vires. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari (ait Paulus) supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentũ, vt possitis sustinere. Quare si quæuis tentatio vires tuas non excedit: rectè illam, si vis, superare potes. Vnde quoties in tentationibus superaris in te culpa est conjicienda: siquidẽ cùm vincere posses, vinci maluisti. ¶ Secundò quoniã hostis noster diabolus neminẽ vi cogit, ita, vt neutiquam effugere possit, nisi eum, qui vinci mauult. Sed de his iã satis in superioribus diximus.

Dæmõ quando homini nocere non potest eius bonis insidiatur.

Iob. 1.

1. Reg. 14.

Athanas. in vita Sancti Anthon.

1. Cor. 10.

¶ Igitur vt ritè intelligas quàm parum diabolus cõtra nos possit præter illud tantũ, quod est à Deo permissum: vide non potuisse neque in porcos animalia abiectissima, nisi de domini facultate sæuire. Multò autem minùs poterunt hominibus nocere non permittente Deo. Petiuit Satanas veniam à Deo, vt Iob tentaret.

Cap. 4.

Iob. 1.

¶ Obseruandum prætereà est, diabolum in porcos intrare: nam vbi mores, & vita porcina est, ibi nõ Christus, sed diabolus habitat. In illos enim, qui more porcorum viuunt, habet diabolus potestatem. Vnde Angelus Rapaël Tobiæ iuniori dixit, Qui coniugiũ ita suscipiunt, vt Deum à se & à mẽte sua excludãt, & suæ libidini vacent, sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos. Rursus non nisi præmissa petitione, permittit dominus in porcos ingredi dæmones, quo significetur neminem dãnari nisi ipse priùs & meruerit, & dominum ad suam damnationem prouocauerit. ¶ Denique obseruandum est multos dicere etiam nunc, quòd diabolus dixit domino, Si tu eiicis nos à dæmoniaco, ibimus in porcos, hoc est, si aufers à nobis fornicationes, erimus adulteri: quasi necesse sit omnino illos esse malos: & inter duo mala non esse medium, De his ait Esaias,

Tob. 6.

Psal. 31.

Diaboli mores.

Psal. 24. Qui fugerit à facie formidinis cadet in foueam. Sic Genes. 4. Cain dixit Deo, Ecce eiicis me à facie tua: ero profugus, & vagus in terra: & omnis qui inuenerit me, occidet me. Quasi non esset, nisi desperare. Quãuis enim proiiceretur à facie domini, poterat per pœnitentiã reuerti. Sed non inuenit aliud medium impius Cain: & ideo dixit illi dominus, Nequaquã ita fiet, sed omnis qui occiderit Caiñ, septuplũ punietur. Poterant dæmones, neque in homine, neque in porcis esse, sed quia hominũ odio & inuidia flagrãt, quæ est eorũ malitia, si eos lædere nequeunt, in eorum bona sæuiunt. Sed quid dominus ad illorũ petitionem? Audi. *Et permisit illis.* Concessit statim, vt Marc. 5. Marcus ait, vt irent in porcos. Primò quia porcos Leuit. 11. pascere erat Iudæis prohibitũ, vt ex Leuitici libro patet: & dominus facile nocet in illis, quæ sunt noxia animæ: nã tunc nocere, mederi est. Itaque Deus 1. Reg. 4. puniuit Heli in filiis suis, quos ille cõtra legem Dei 2. Reg. 12. fouerat: puniuit Dauidem in filio, quem ex adulte-Psalm. 35. rio susceperat: puniuit etiam hos Genesarenos in porcis, quos contra legem Dei pascebãt. Sic te punit in vxore, in liberis, & opibus, quia his rebus abuteris. Iudicia Dei abyssus multa. Vides tu effectus iustitiæ Dei: sed causam ignoras cur ablata sint tibi ea, quæ amabas: vt conflictatus, & humiliatus sis. Sanè misericors, & clementissimus Deus (credo) ea tibi nõ auferret, nisi illis abutereris. In qua re similis mihi videris paruo puero, qui ablatu sibi gladium plorat: quo sibi fortassis vulnus erat inflicturus. Et ideo isti rogauerunt Christum, vt exiret à finibus eorum. Quo etiã tu modo te habes, qui temporalia cælestibus præferens, Deum ab anima tua eiicis, eò quòd temporalia tollit sicut isti fecerunt: de quo nos statim dicemus. Ferendo quidẽ tibi est, si te temporalibus spoliatum videris. Hoc enim Deus hominibus, vtilitatis gratia, facit.

¶ Secundò hanc facultatem tribuit dæmonibus, vt intrarẽt in porcos, quo hominis dignitatẽ ostenderet. Nam ob vnum hominẽ, vel vt Matthæus ait, Math. 8. propter duos, duo millia porcorum perire permisit. Mauult enim Deus, vt vniuersa animalia bruta intereant, quàm in vna anima rationali iactura fiat. (Vide Aug. lib. 2. de cõcor. euang. c. 24. tom. 4.) Quo (proh dolor) quam è diuerso hac nostra tempestate auari homines faciunt, qui pauperes fame, frigore, & siti confici contemnunt, qui creaturæ rationales sunt, ad Deique imaginem facti, ne parum tritici, aut veterem tunicam erogent, aut quidois aliud de bonorum suorum superfluis tribuant reliquis. Atqui vtinam hoc malum apud priuatos homines tantummodo grassaretur, non etiam in domibus episcoporum & præsulum, quibus ex officio liberalitas incumbit, extaret: quorum nihilominus multi sunt, qui iumenta sua, plusquam animas suorum subditorum amant: plurisque faciũt bruta animalia quàm homines, diuitiásque suas ouiũ saluti anteponunt. ¶ Tu tamen disce ex hoc loco, vniuersa bona temporalia pro proximi tui salute cõtemnere: siquidẽ Christus, vt nobis exemplo foret, doceretque hominis dignitatem, cuius causa omnia sunt contemnenda, voluit tantum procorum gregem perire ob vnius hominis salutem. Tertiò hanc licentiã concessit dominus dæmonibus ad perdendos porcos, vt porcorum perditio fieret dominis, & aliis salutis occasio, & animas multorum lucraretur: pastores enim nuntiauerunt hoc hominibus ciuitatis, quo miraculo audito multi crediderunt. Sæpè enim misericors Deus aufert temporalia, vt spiritualia consequamur. Sic dominus abstulit diuitias regi Manassæ, qui conuersus ad dominũ orauit in carcere deuotissimè: cùm anteà Deum non cognouisset. (2. Paral. 36.) Sic etiam filius prodigus, postquam bona temporalia perdiderat, ad dominum est reuersus: ita isti Genesareni, quia porcos perdiderant, Dominum cognouerunt. (Luc. 15.)

¶ Discamus ex hoc loco, alicui damnum aut incommodum non facere: quia vbi putas proximo incommodare, tibi ipsi noces, & in laqueo eodem capieris. Sic Amã crucem parauit Mardochæo, in Hester. 7. qua ipse fuit suspẽsus. Sic diabolus modo voluit damnũ facere dominis porcorum, sed certe multũ illis profuit: nam occasiones peccãdi abstulit, & ex hoc facto ad Christum venerũt multi, & diabolus seipsum præcipitauit. Media, rationésque quãplurimas excogitant impij, quibus proximis suis malefaciãt, sed eadem Deus in authores suos retorquet: & ita scelerosi bonis incommodum parantes, sibi sepulturam fodiunt, qua sepeliantur. Ita propemodum Genes. 37. accidit filiis Iacob, qui fratrem suum Ioseph vendentes incommodo suo illum in amplissimum euexerunt dignitatis gradum: seipsos autem ignominia & opprobriis addixerunt, &c. Sequitur in contextu. *Exierunt ergo dæmonia ab homine & intrauerunt in porcos.* Sicut sæpè contigit quòd vnus gratiã amittat, & alius eam recipiat: ita dæmon ab vno eiicitur & in alium mittitur. Dominus enim ait, Tene quod Apoc. 3. habes, ne alius accipiat coronam tuam. Igitur quod vnus perdidit, alius accipit: ita si ex vno dæmo eiicitur in aliũ intrare permittitur. Quæris, in quẽ? In porcos. Paratus dæmoni est, qui indulget nimiũ cibo, potui & veneri. Porci quia bruta erãt animalia nõ habebant dæmones: sed immundi erant, & ideo dæmonũ ingressioni parati. Sic tu, qui cibo, potui, venerīq; plus nimio indulges, licet, eo modo te habeas, quo tibi mortaliter peccare non videaris, verùm non animaduertis quantum hoc viuendi more infrigidata charitate paratum te reddas ad omnem peccati occasionem, & dæmonis domicilium. Nam qui sic viuunt, & nimis somno & corpori tribuunt sicut porci, paratissimi sunt, vt dæmones in animas suas ingrediantur. Ita vitam agentes porcinam, habitationẽ dæmoni fabricant. Non enim habent isti virtutẽ aut fortitudinẽ, vt tentationi resistãt: quare statim succumbunt: & ianuas habẽt apertas, qui in deliciis viuũt, vt diabolus illic ingrediatur: nã a nemine impeditur. Ingressi igitur sunt: & vide malum quod eueniet animæ tuæ. *Et impetu abiit grex perpraceps in stagnũ & suffocatus est.* Sic qui in deliciis & libidinibus viuunt, dæmoni hospitium parant, qui ingressus eos in infernum præcipitat. Væ ergo vobis, Luc. 6. qui nunc saturati estis: væ vobis, qui ducitis in bo- Iob. 21. nis dies vestros: væ inquã, vobis, qui epulamini quo- Luc. 16. tidie splẽdidè, & induimini purpura & bysso. Caue te ne tam sæuũ hospitẽ excipiatis: qui vos in præcipitiũ ducat. Quid enim aliud est tantos facere sumptus, nisi in præcipitium ruere. Vt enim pij magna constãtia & feruore se à carnalibus abstrahunt desideriis, & vitã agentes austerã occasiones cadendi vitant: ita vos impij magno impetu in interitũ vestrum properatis. ¶ Expende etiã quantũ debet humanum genus diuinæ prouidentiæ: qui nõ permittit homines, qui à dæmonibus vexantur, ab illis occidi. Dæmones enim facilè potuissent hominẽ occidere, quã lo tam facilè duo millia porcorũ submergere potuerũt. Tribuamus ergo gratiæ diuinæ quicquid

quid à dæmone non patimur. Hoc voluit Christus hoc facto docere. Vnde Dauid ait, Nisi dominus adiuuisset me: paulominus habitasset anima mea in inferno inferiori. *Quod vt viderunt factum qui pascebant fugerunt: & nuntiauerunt in ciuitatem, & in villas.* (Psal. 93.)

Oportebat his pastoribus accedere ad Christum & credere, & adorare illum: qui tanta operabatur miracula. Verùm in hoc rusticitaté, & imperitiam suam planè manifestant, siquidem ab illo fugiunt, quem totis viribus quærere debuerãt. At ô vtinam tu istis non assimileris qui cùm quotidie Deum mirabilia in te operanté videas, ab illo pastorali quadam & bruta imperitia non secus fugis, quàm si esset (quæ in te confert beneficia) ereptuıus. Nã quod summa quotidie in te mirabilia operetur, quis non videat? Quid enim mirabiliùs, quàm beneficiis allicere, conseruare, protegere, defendere ac substentare te peccatorem, qui nunquam definens peccare illius hostem te profiteris? Pharao rex Aegypti indurabatur, tot tantáque miracula vidés: sic etiam nunc separantur à Deo & coaceruantes peccata peccatis faciẽ eius vitant. Qui audacia funestissima correpti, non verentur Deum indies magis offendere: & Dei misericordia abutentes, seipsos decipiunt. Vide etiam quãta sit Dei bonitas, qui quancunque rem etiam vilissimam ad nostram salutem transfert. Vide quibus miracula sua prædicandi negotium det. Inter pastores, qui vilissimæ sunt cõditionis homines, abiectissimi sunt subulci, hos autẽ homines vilissimos sumit Christus, vt suæ doctrinæ instrumenta, & hi miracula domini prædicãt. Vnde colliges optimè dixisse Paulum. Abiecta & cõtemptibilia elegit Deus. Sed historiam prosequamur. (Exod. 7.) (1. Cor. 1.)

Exierunt autem videre quod factum est, & venerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente ad pedes eius, & timuerunt. Innatum enim est hominibus noua & inaudita libenter videre: nec satis ducunt ea audire. Homo namque est animal admiratiuum naturaliter scire desiderans. Ille autem, à quo dæmonia exierant, ad pedes Iesu erat gratias ei agens, & ei adhærere cupiens. Timuerunt quidem videntes hoc, sicut qui viderant ventis & mari illum imperantem. Timebant nanque timore reuerentiæ & stuporis, sicut timuit Petrus viso miraculo captionis piscium. Vel etiam timuerunt, quia comparatione & consideratione sanctitatis, maiestatísque Christi propriã imperfectionem, fragilitatem, & culpã profundiùs attendebant: sicque diuinum formidabant iudicium, & animarum suarum spirituale periculũ. Vel certè timuerunt Christum appropinquare, arbitrantes se eius præsentia esse indignos: sicut & Petrus loquutus est. Exi à me domine, quia homo peccator sum. Discamus ex Christi miraculis & mirabilibus Dei, illũ timere & honorare. Sic enim legitur, quòd filij Israël videntes Aegyptios mortuos in mari rubro, & Dei mirabilia, quæ fecerat, timuerunt, & crediderunt domino & Mosi seruo eius. Ea autem est tua durities & contumacia, vt nec mirabilibus, nec misericordia Dei, quam erga te sæpè ostendit moueaTis, neque conuertaris, &c. *Nuntiauerunt autem illis qui viderant quomodo sanus factus esset à legione.* Illi qui cum Christo præsentes erant quãdo obsessum à dæmonum legione curauit, narrauerunt Genesarenis, & aliis, qui venerãt à villis, vt viderẽt quomodo Christus dæmoniacũ liberasset: quia pastorũ nuntio forsitan contenti non erant. *Et rogauerunt illũ omnis multitudo regionis Gerasenorum; vt discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur.* Timebant nanque ne sicut in porcis nocuerat illis, etiã in aliis rebus damnum inferret. Mirabilis est istorum hominum stultitia, & fatuitas: qui propter porcos Christũ à regione sua eiiciunt. Sed prôh dolor! quot sunt, qui eundem dominum ab animabus suis expellunt ob alia multo viliora? Quot sunt, qui, vt vel vnum lucrentur obolum, & merces suas ritè vendant, mentiuntur, iurãt atque periurant? Alij etiam non meliores notæ homines noctu, interdiúque ludentes, conclaue, & chartas pictas statuunt illis, qui ludum exercere voluerint, ipsis iam ludendo languentibus. Quibus in locis Dei nomẽ turpissimè blasphematur, & offenditur, Alij, vt pro animi sui libidine merces suas vendant, Christum abs se proiicere non dubitãt. Quorum domus speluncæ latronum, & vitiorũ gymnasia dici possunt. Sic omnis peccator Deum propter nihil offendit. O si perpenderent peccatores, quàm nullius commodi causa Deum relinquant, quo alia multo maiora bona amittunt, cautiùs & prudentiùs res agerent suas. Vsurarij, & omnes, qui aliena retinent, eiiciunt Christum: ne in aliquo bono temporali damnificẽtur. De quibus loquitur scriptura, Qui dixerunt Deo, recede à nobis: scientiã viarum tuarum nolumus. (Timor reuerentialis.) (Luc. 5.) (Exod. 14.) (Vide Theoph. in hac verba.) (Esai. 65.)

¶ Obserua etiam non esse paucos, sed plurimos, qui Christum eiiciunt, ne bona perdant temporalia. Nõ pauci, inquam, sunt, & cum dolore dico, qui rogauerunt Christum, vt ab illis discederet. Omnis multitudo Gerasenorum. Multi Christum eiiciunt: tota enim ciuitas & regio Gerasenorũ rogat, vt discedat: pauci sunt qui Christũ suscipiant, vt Martha & Zachæus: sed multi, vel ferè omnes illum eiiciũt. Ciuitas vniuersa clamabat vt Christus crucifigeretur: at pauci in sepulchro condiderunt eum. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Vbique pellitur Christus, iam ferè nõ habet vbi manere possit. Pellitur ab aulis principum: quoniã ibi veritas, & religio odio habetur. Pellitur etiã à priuatis nobilium, mercatorum, & plebeiorum domibus: nã in huiusmodi hominum animis præter lucrum, nihil consistere potest. Quod si ad prælatos & ecclesiasticas personas cõfugiat: heu me miserũ, omnia ambitionibus, auaritia & libidinibus ita referta offendit, vt nequaquã ibi velit habitare. Vnde profectò videtur nullũ esse in toto orbe locũ, nullã viuendi conditionem, in qua possit Christus requiescere: vsque adeò vnusquisq; deliciis, honoribus, & blandimẽtis huius sæculi captus, immemor suæ salutis viuit. *Ipse autem ascendens nauim reuersus est.* Deus neminé cogit: imò nolentes facilè deserit. Sed ó infœlicissimã animã, quæ à Deo deseritur, Nanque diuina præsentia omni bono potitur, Dei absentia omni bono orbatur: efficitúrque miserrima, summísque repleta calamitatibus. Præterea quãuis Christi doctrina maximè indigebant, acquieuit illis: quia si remansisset, non acquieuissent ei, & peiores efficerentur. Docet prædicatores, vt quando viderint se parũ in vno loco proficere, in aliũ proficiscantur. Sic enim illis dixit, Si vos non receperint in vnã ciuitatem, excutite puluerẽ, &c. *Et rogauit illum vir, à quo dæmonia exierant, vt cũ eo esset.* Hoc putant aliqui illũ fecisse, ne elõgatus à Christo rursus à dæmonibus cõprehẽderetur. Voluit etiam Christi potiri familiaritate, vt pleniùs ab illo doceretur. Tam enim addictus & deuotus Christo iam dudũ erat, vt voluerit ei de cætero inse- (Luc. 10.) (Luc. 19.) (Matt. 20.) (Prædicatores si in vno loco nihil proficiunt, alio se transferre debent.) (Matth. 10.) (Theophil. in hac verba.)

parabiliter adhærere, corporalitérque adesse, neque pro tanto accepto beneficio nō gratus iudicaretur. Noluit autē huic petitioni acquiescere, vt hoc miraculum plurimis narrās eos lucrificaret. Quapropter subditur, *Dimisit autem eum Iesus dicens, Redi in domum tuam, & narra quāta fecit tibi Deus.* Noluit autem *Humilitatis exemplum in Christo.* dominus illū secum deducere. Primò vt iactantiam vitari doceret: quoniam si eos, quos sanabat secum duceret, videretur humanum captare fauorem. Secundò, quia plus poterat proficere, Christū prædicando, & illum illiúsque gesta aliis narrando, quàm sequendo. Quod multo secus faciunt hac nostra tempestate multi, qui malunt seruos suos in rebus suis studiosos videre, quàm in Dei cultu & religione. Quare non paucos inuenies, qui ministros diebus festis negotiis distringunt, adeò vt neque sacro, neque concioni possint interesse. Et ita omnem famulorum seruitutē sibi arrogant, quia quæ sua sunt *Philip. 2.* quærunt, non quæ Iesu Christi. Christus verò quærens, nō suum cōmodum, sed populi salutē & profectum: nō secum duxit hunc hominē, sed præcepit, vt narraret mirabilia Dei. ¶ Obserua etiā quòd præcepit huic Christus miracula sua narrare, aliis verò tacere: quia sæpè ex humilitate hæc celanda sunt, sæpè autem ex charitate proximi pandenda. Ideò iussit huic, quoniam regio illa fuit Dei cultu & cognitione priuata. Atque ideo Christus recedens ab eis quasi vicariū & prædicatorē eum reliquit. Præterea aduertendū hîc est, non dixisse dominum, Vade, & narra quāta ego tibi fecerim, sed vade, & narra quāta fecerit tibi Deus: quibus certè nos docet, *Theophil. vt supra.* vt omnes actiones nostras in Deum referamus, quæ aliquid bonitatis habuerint. Hac etiam de causa, quando ad patrē miraculū refert, dicit, Narra: quando verò de seipso loquitur, hortatur tacere. ¶ Discamus hinc duo. Primū est, sæpè dominū infirmitates propter gloriā & honorem nominis sui immittere. *Ioan. 9.* Vnde ipse de cæco nato ait, Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestētur opera Dei *Ioan. 11.* in illo. Et de infirmitate Lazari dixit, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed vt manifestetur, &c. Et in *Exod. 14.* Exodo dixit Mosi, Glorificabor in Pharaone. Sic infirmitas, & obsessio hominis istius fuit ad hoc, vt ipse magnalia Dei narraret. Discamus secūdo, exemplo istius opera Dei narrare & magnificare mirabi- *Exod. 18.* lia eius, illáque prædicare. Sic Moses narrauit Ietro *Tob. 12.* omnia, quæ fecerat Deus Israëli. Et Angelus Ra- *Psalm. 65.* phael Tobiæ dixit, Vos autem benedicite Deum: & narrate omnia mirabilia eius. Vnde Dauid in psalmo. Venite, & narrabo quanta fecit Deus animæ meæ. Sic iste fecit, sicut præceperat illi dominus, atque ideo sequitur in contextu. *Et abiit per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.* Expēde autem huic homini non fuisse iussum, vt prædicaret quanta illi fecisset Christus, sed quanta illi Deus fecisset: ipse tamen prædicauit quanta illi Iesus fecisset, quia iam ex illuminatione superna credebat ipsum esse Deum. Non solùm enim in corpore, sed etiam in anima sanatus & illuminatus est: vt Iesum cognosceret esse Deum. Atque ideo prædicans, quæ illi Christus fecisset, præceptū eius impleuit. Hinc aduerte, vt quando à Deo salutem corporis nactus fueris, animam nō obliuiscaris, sed in vtraque pariter proficias, huius hominis exemplo. Nam, vt qui- *Iuue Sat. 10.* dam poëta ait, Optandū est, vt sit mens sana in corpore sano, &c. At iam euangelista aliud narrare aggreditur miraculum, quod Dominus fecit suscitans filiam Iairi archisynagogi: obiter autem etiam mulierem Hæmorrhoissam sanauit. Ait itaque, *Factum est autem cùm rediisset Iesus, excepit illum turba: erant autem omnes expectantes eum.* Cùm rediisset, inquam, à terra Genesarenorū ad Galilæam. Vide quot quantósque hauriat dominus labores, vt infirmitatibus nostris medeatur, & nobis commodum pariat. Nihil aliud agit, aut studet, præter salutem hominum: vbique enim se offert, occasionémque quærit, vt possit rogari, & vocari ad curandum. Non enim est, sicut illi, qui ne pauperi petenti faciant eleemosynam, se abscondunt, & per famulos se domi esse negant. Verum Christus sciens in illa regione filiam archisynagogi grauiter ægrotare non se more istorum celat: imò eo tendit, vbi ab infirmis possit inueniri & rogari, & exorari. Quare cùm ita palam se locaret, vt omnibus benefaceret, vide quid dicat euangelista. *Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipse princeps Synagogæ erat, & cecidit ad pedes Iesu rogans eum vt intraret in domum eius.* Ideo hic ad Christum exiuit, quia Christus ad eum venerat. Præsentia ergo Christi illum traxit. Vnde egregius psaltes, A facie do- *Psal. 113.* mini mota est terra, à facie Dei Iacob. Præsentia domini mouentur hominum corda, & præsentia saluatoris egreditur Iairus salutē quæsiturus. Quemadmodum sol præsentia sua terram calefacit, lætificat & fœcundat, absentia verò illam deturpat, infrigidat, & effœtam reddit: sic Christus Genesarenos relinquens in tenebris infidelitatis gelidos, & steriles. Galilæam fœcundam, & splendidam doctrinæ & miraculorum suorum lumine illustrémque effecit. Calefecit igitur dominus, verus iustitiæ sol præsentia sua principis synagogæ animū, eúmque mirabili deuotione, humilitate, reuerentia, & modestia deuinctum ad se traxit, ad suósque pedes fecit procumbere orantem, vt in illius domum se cōferre vellet. Verum hîc aliqua sunt obseruāda. ¶ Primùm horum est, quanuis Christus vnicus sit Saluator noster, nemini tamen, non accedente eius voluntate & cooperatione, auxiliatur: sed media quædam, & gradus sunt, per quæ ad salutem peruenitur. Et in primo, si petimus opem & salutem à Christo: inuocare nos eum oportet, sicut Ioël dixit, Omnis qui inuocauerit nomen domini saluus erit. Nemo *Ioel. 2.* autem Christū inuocauit, nisi credat in eum. Tunc ex fide cum charitate coniuncta, Deum vt decet in- *Rom. 10.* uocabimus. Non defuit huic fides, quia credidit Christū sanare filiā: & charitatē habuit, quia vitam filiæ petebat. ¶ Obserua secūdò hanc orationē Iairi *Orationis Iairi tres bonæ conditiones.* (cuius nomen Lucas ponit propter certitudinem facti) tria habere bonæ orationis requisita. Primum enim habebat humilitatē: quod insinuatur in eo, Cecidit ad pedes Iesu: & Mattheus ait. Adorauit illum. *Matth. 9.* Qua adoratione sollicitudinem & necessitatē suam ostendit, cui præter Christum mederi nemo poterat. Oratio enim humiliantis se, cœlos penetrat. Se- *Eccles. 35.* cundò habuit affectum in petendo: Satis enim affectuosè & instanter petiit. Vnde colligitur quàm vehemens sit parentū in filios amor. Mulier illa Sunamitis videns filium suum mortuum non lentè sed *4. Reg. 4.* festināter asinū suum strauit, & venit ad Helisæum, & posteà noluit recedere, nisi priùs secum iret. Viuit dominus, ait, & viuit anima tua quod nō dimittam te. Sic etiam regulus ille abiit, quærens Christū, & obnixè orabat pro filij incolumitate. Quātis autē cla- *Matth. 15.* moribus, lachrymis & affectib. mulier illa Chananæa filiæ salutē quæsierit, satis egregiè Matthæi euā

gelium

geliũ cõmemorat. Quod, ni fallor, filij nũquã fecissent si in huiusmodi calamitatibus patres vidissent. Multos enim passim videmus pauperes patres, quorum filij diuites sunt, non tamen è diuerso. Quamobrem non præcepit Deus, vt patres filios diligerent, quippe qui satis suapte natura in eos affecti sunt: præcepit tamen filiis, vt parentibus suis obedi-
Exod. 20. rent, eos colerent, & obseruarent. Et in Exodo etiã iussit, vt qui maladiceret patri, vel matri, morte moreretur. Tertiò confidenter petiit, & fidem ha-
Iacob. 1. buit. Hac enim fide indiget oratio, iuxta illud Iacobi Apostoli. Postulet in fide, nihil hæsitans.

Maior fide Iairi quàm reguli. ¶ Aduerte etiam: nam videtur etiam in Iairo fidem defuisse, sicut & in regulo. Sicut enim regulus, ita hic Christi præsentiam corporalem petebat, rogans, vt intraret domum suam. Verùm nihilominus maior fuit fides huius archisynagogi, quàm reguli. Primò, quia regulus petebat Christi aduentum antequam filius moreretur, putans mortuũ non pos-
Matth. 9. se à Christo suscitari. Vnde Matthæus illius verba referens ait, Filia mea modo defuncta est: sed veni & impone manum tuã super eam, & viuet. Secundò Iairus hic plus humilitatis habuit, maioremque exhibuit Christo reuerentiam, quàm regulus: cecidit nãque ad pedes Iesu, quod regulus non fecerat. At quanquam fidem, id est, fiduciam habuit in oratione, credíditque, quemadmodum Helisæus mor-
4. Reg. 13. tuum tactu ossium eius suscitauit: sic etiã Christum tactu manus suæ filiam eius suscitare posse: nihilominus tamen reprehensione dignus fuit, quia corporalem Christi præsentiam exigebat, sicut regulus. Sed cur propter hunc fidei defectum Christus
Prælatorum vitia publicè non carpẽda. non reprehendit illum, sicut regulum? Nempe quia hic sacerdos erat, & princeps synagogæ. Hinc ad nostram eruditionẽ discamus pontifices, prælatos, sacerdotes, ac viros ecclesiasticos honorare & eorũ peccata saltem coram populo nõ arguere: Nullius enim fructus sunt publicè factæ in ecclesię viros reprehensiones. Quoniam qui eo modo arguuntur scandalizantur, nõ corriguntur: & vulgo deinceps, quod huiusmodi semper gaudet cauillis, ludibrio & contemptui sunt. Vnde ecclesiæ authoritas non
Leuit. 4. parum defraudatur. In Leuitico habetur iussisse Dominum, vt domus, quam sacerdos erat ingressurus, priùs expurgaretur: vt scias quanta reuerentia & honore sacerdotes sint tractandi. Quãdo pecca-
Num. 12. uit Aaron secretò reprehensus est à Deo. Vnde discere potes, prælatos & huiusmodi summos viros, quia Christi sunt Domini, licet, suis non vacent defectibus, tamen propter suum dignitatis gradũ esse honorandos. Sicut enim, si ægrotans, medicum nactus præstantissimum non ideo paruipẽderes, quia aliàs esset vitiosus, imò aliorum defectuum oblitus, ab ipso summis precibus, salutẽ, & peteres, & sperares: sicut etiam, si vestem haberes cũ alio cõmunem eam solummodo partem spectares, quæ te contingeret, alia relicta: sic in prælatis, & superioribus authoritatem muneris, & cõmodum tuum ab eorum doctrina considera, aliis omnibus prætermissis. Itá
1. Reg. 24. & 26. honorabat Dauid Saulem regem, & prælatum populi & suum, quamuis impium. Quinetiã si sua habeant vitia, quæ vides, ferenda sunt: quoniam plures habere possunt virtutes, quas tu non vides. Archisynagogus hic habuit humilitatẽ, quia reuerenter petiit: habuit affectum, quia ardenter orauit, habuit fiduciam, quia ad Christum venire non dubitauit: & sic his tribus rebus nixus optimo iure petiuit. Quare & si imperfectam habuit fidẽ, existimãs Christum absentem eius filiam suscitare non posse: credidit tamen præsentem valiturum. Vnde dominus hunc fidei defectum arguere noluit, tum quia archisynagogus, & quasi episcopus, & princeps synagogæ erat: quia humilitatem, & fidem habebat non mediocrem, credens Christum mortuã filiam posse ad vitam reuocare.

¶ Discamus secundò non facilè domos princi- *Aulæ principũ vitandæ.*
pum & magnatum ingredi: quandoquidem Christus non nisi rogatus, & ob ingens bonum spirituale, populique ædificationem domum archisynagogi intrauit. Quo documentum saluberrimum omnibus suis sequacibus, & viris ecclesiasticis in primis reliquit, ne regum, & magnatum aulas frequentent, aut ad sæcularia conuiuia, aut negotia accedant, nisi religionis ædificationem sperent, populique prouentum.

¶ Postremò expende hominum morem & consuetudinem: qui licet magna petant, vt faciliùs, quæ postulant impetrent, solent ea quæ precãtur deprimere, & eleuare. Sic Loth angelis dixit, Est hic ciui- *Genes. 19.*
tas parua, saluabor in ea. Sic Bersabee cùm postularet Abisac in coniugẽ, & simul cum illa regnum, di- *3. Reg. 2.*
cebat. Petitionem vnam paruulam, ego deprecor à te. Sic mater filiorum Zebedæi accessit ad Chistum *Matth. 20.*
petens aliquid, quasi parum peteret: petebat, vt filij essent in regno Christi assessores. Ita etiã Iairus nihil aliud videtur petere, nisi Christi in domũ suam aduentũ: nihilominus tamẽ cupit, vt filia suscitetur: & hac de causa Christi præsentiã optat. Vnde euangelista subdidit causam cur Christũ rogabat, vt iret in domum dicens, *Quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur.* O inertiam, tarditatém- *Vide Theoph. in hoc loco.*
que hominũ ingentẽ! quorum nemo est, qui Deum optimum & maximum propter eius bonitatẽ duntaxat colere velit: sed omnes spe cõmodi Deo inseruiunt. In quo peioris cõditionis cultum Dei faciũt, quã hominum: siquidẽ multi homines, alios amant nullo vtilitatis sine proposito, sed voluptatis tantũmodo causa illis inseruiũt. At Dei seruitus, & cultus nisi cum vtilitate nulli grata sunt. Seruiebat Abraham Deo at statim commodum quærens ait, Do- *Genes. 15.*
mine Deus, quid dabis mihi? Et Dauid, Inclinaui *Psal. 118.*
cor meũ ad faciẽdas iustificationes tuas in æternũ, *Matth. 19.*
propter retributionem. Et Petrus, Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te: quid erit nobis? Ita Iairus hic venit ad Christũ, quia vnica filia erat ei, & moriebat'. Multo seciùs se habet Deus nobiscũ: qui non solũ beneficus est in illos quos nouit fore gratissimos, sed etiã in illos, qui ingratissimi sunt fu- *Matth. 5.*
turi: quoniam solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Amicitiã Deus inibat cum Saule, Salomone, & Iuda, eorum perfidiam futuram non ignorans: homines autem illum, non nisi proposito commodo quærũt. Huius autem imperfectionis causa est, imperfecta nostra de Deo notitia. Vnde qui ea corpore exuti æterna beatitudine fruuntur, quia Deum perfectè cognoscunt, illum non ambitiosè, sed verè amant: quo etiam modo se habent in sæculo ij, qui Dei verã nanciscuntur cognitionẽ. Vnde Paulus ait, Ego autem *Act. 21.*
non solùm ligari in Hierusalem, sed & mori paratus sum propter nomẽ domini Iesu. Hic Iairus propter commodum ad dominum accedit. Sed quomodocúnque accedãt homines, eos suscipit Dei benignitas: dummodo humiles, & necessitatis suæ memo- *1. Mar. 9.*

res ſicut princeps hic, veniant. Quare Anthiochus
infœliciter diſceſſit, quia ſic ad Deum non acceſſit.
Vocat itaque Iairus Chriſtũ, quia mortua eſt puel-
la eius filia. Chriſtus autem ſine pretio, eũ ſequitur.
¶ Vide quo tendant vniuerſa mundi bona. Hæc
puella illius principis hæres & ſpes vnica, ad patris
honorem, nomen, fiducia nitebatur: quæ tamen
morte præuenta omnibus his fuerat fruſtrata. O-
mnia in filia iacta fundamenta inania ſunt, & quæ
vel exigua febri, adeò ſublata ſunt, vt nullum ſui re-
linquant monimentum aut veſtigium. Hoc ſæpè ac
cidit illis, qui ſpem ſuam collocãt, in rebus fluxis &
Eſai.36. mutabilibus. Ideo Eſaias ait, Væ vobis, qui confidi-
tis in baculo arundineo, & cõfracto. Hæc puella o-
mne bonum, omne nomen, omne fundamentũ erat
domus parentum ſuorum, en moritur, & morte ſua
vniuerſa hæc bona trahit. Hac de cauſa ſanctiſſimi
viri nunquam ſpem ſuam, aut fiduciam, in filiis, hæ-
redibus, aut maioratibus, rebuſuè fluxis & caducis
ſæculi, quæ diu conſiſtere nequeunt: ſed in ſolo Deo
ponunt. Vnde quia memoriam nõ quæſierũt, æter-
nam ſui memoriam reliquerunt: cùm cõtrà accide-
rit quàm plurimis ſæculi regibus, & principibus,
qui omnem vitam ſuam honoribus inhiantes tran-
ſegerunt: nunc tamen non ſecus obliuioni traditi
ſunt, ac ſi nũquam fuiſſent. Nulla in re terrenorum
confidamus: ſi quidem puncto in ictu oculi mutan-
tur ne putantes nos aliquid habere, poſtmodũ nihil
inueniamus. Quis perſuaderet Iairo filiã eius, quam
florentiſſimã videbat, diu nõ victurã? Quam tamen
miſerrimus pater cùm minimè putabat, mortuam
vidit. Statuamus ergo omnẽ fiduciam noſtrã in ſo-
lo Deo, qui cùm ſemper viuat, nunquam deſinat,
expectationes noſtras nunquam fruſtrabitur.
Matth.9. ¶ Aduerte autem Matthæum aliter verba Iairi
afferre, quàm noſter Lucas, ait enim, Filia mea mo-
do defuncta eſt. Sed nulla eſt cõtrarietas. Egredien-
te nãque Iairo domum, filia erat penè in extremis:
cui poſtmodum iter facienti iam obiiſſe nuntiatum
eſt, vt infrà Lucas commemorat. Vnde quando Iai-
rus cum Chriſto loquebatur, quia iam filiam mor-
tuam credebat, de illa quaſi mortua mentionem fa-
ciebat. ¶ Diſcant prælati exemplo huius archiſy-
nagogi, qualem ſubditorum ſuorum debeant ha-
bere curã. Vt ſi quando eos in peccato mortuos vi-
derint accurrant, & amore paterno Deum precen-
tur, vt illos manu miſericordiæ ſuæ tangat & à pec-
cati tenebris excitet. Sic fecit optimus ille populi
Exod.32. Iſraelitici præſul Moſes, qui pro reo populo tanta
orauit efficacia, vt auſus ſit Deo dicere, vel parce
Num.16. populo huic, vel dele me de libro vitæ. Idem etiam
Aaron fecit, cùm ſe ponens inter viuos & mortuos,
thure & oratione Deum exorauit ſua. Verùm pau-
ciſſimi ſunt hodierna die eccleſiaſtici paſtores, qui
1.Reg.17. vitam ſuam pro ouibus ſuis periculis obiectent, ſi-
cut Dauid, qui leones, & vrſos in gregem ingruen-
tes, expugnabat. Quare miſerrimę Chriſti oues paſ-
ſim periclitãtur, paſtoribus vitiis & deliciis affluen-
tibus. Sequitur. *Et contigit dùm iret à turbis comprime-
batur.* Surgens, ait Matthæus, Sequebatur eum. Sur-
rexit enim, vt iret: quia ſedebat. Hoc enim opus &
labor boni prælati eſt, vt ſcilicet, propter ſubditorũ
bonum, ſurgat: ſedémque ſuam & quietẽ relinquat.
Geneſ.31. Sic bonus paſtor Iacob. Die (inquit) noctúque ge-
lu vrgebar: ſomnus fugiebat ab oculis meis. Nõ ſic
modo faciunt prælati otio & inertiæ vacantes: nec
tantillum voluptatis, propter ſubditi vtilitatem re-
linquentes. Itaque abiit cum Iairo miſertus adole- *Ioan.4.*
ſcentulæ. Expende autem hîc Chriſti miram diſpo-
ſitionem, qui enim cum Regulo ire noluit, cum Iai-
ro vadit: quoniam ſecundum varia tempora & cau-
ſas diuerſimodè ſe habebat in operibus ſuis. Vnde
aliis tẽporibus iubebat miracula ſua occultari, aliis
euulgari, vt vidimus ſuperiùs in hoc capite in dæ-
moniaco, qui legionem habebat. Et in hac hiſtoria
duo cõtraria fecit diuerſis de cauſis. Nam mulierem
ſanatã à fluxu ſanguinis coëgit, vt ſanationẽ ſuam
coram omnibus publicaret: & ſuſcitationẽ filiæ ar- *Ioan.4.*
chiſynagogi præcepit ne cui dicerent: Ita hîc & in
regulo. Nam ibi Chriſtus voluit oſtẽdere virtutem
fidei, vt homines digna de illo crederent, ſcilicet,
quod poſſet abſens ſanare. Ideo dixit, Filius tuus vi-
uit, & credidit. Quod autem ad oſtenſionem virtu-
tis fidei fieret apparet. Nam increpauit Regulũ di-
cens, Niſi ſigna & prodigia videritis nõ creditis. No
luit igitur Chriſtus cum Regulo deſcẽdere, ſed ab-
ſens curauit, vt daret ei occaſionem credendi. Hîc
autem Chriſtus non attendit ad oſtenſionem virtu-
tis fidei, ſed vult oſtendere manſuetudinem ſuam,
quia omnibus comis erat, & non dedignabatur ire
quocunque vocaretur. Rurſus cum Iairo ire voluit
propter magnitudinẽ miraculi nunc faciendi. Nam
ſuſcitaturus erat puellam, qui anteà nullum mor-
tuum ſuſcitauerat. Iudæi autem credebant hoc ma-
ius eſſe omnibus aliis miraculis: ideo nimiũ opor-
tebat eſſe compertum, miraculum hoc Chriſti vir-
tute factum. Nullam autem potuit maiorem Chri-
ſtus certificationem dare, quàm veniendo ad puel-
lam & manum eius tenendo dicere, Puella ſurge: &
illa ſurgeret. Quòd ſi abſens feciſſet, quamuis ipſa
reuixiſſet, putaretur fortaſſis hoc non feciſſe illum
qui anteà nihil tale faceret. Quare hæc fuit cauſa
præcipua, cur ire maluerit ad adoleſcentulam ſuſci-
tandam. ¶ Expende autem, quomodo Chriſtus *Contemplatiua propter a-*
dimittẽs prædicationem (nam, vt Matthæus ait, ad *ctiuam inter-*
populum loquebatur) ſequutus eſt Iairum. Quo fa- *mittenda ali-*
cto docemur aliquando dimittendam eſſe oratio- *quando.*
nem, prædicationem, & vitam contemplatiuam, vt *Matth.26.*
proximis periclitãtibus, aut afflictis ſubueniamus.
Sic etiam Chriſtum feciſſe alibi legimus, cùm ter in
horto orationem reliquit, vt diſcipulos dormiẽtes *Luca.10.*
excitaret, viſitaret, & moneret. Non ſunt contrariæ
Martha & Magdalena, imo ſorores ſunt. Sic vita a-
ctiua & contemplatiua inuicem ſunt amiciſſimæ &
germaniſſimæ, ſeque mutuò adiuuant, tantũ abeſt, *Ezec.10.*
vt aduerſentur. Sub illis ſanctorum animalium alis
vidit Ezechiel propheta manum humanam: vt hinc
intelligas, vitam actiuam, contemplatiuam non im-
pedire, imò potiùs ſummè adiuuare. Ita Moſes di- *Exod.32.*
uinam contemplationem, qua in monte fruebatur
reliquit, & deſcendit, vt populi neceſſitati, quia pec
cauerat, opem ferret. Duo Cherubin, quos Moſes *Exod.25.*
ex Dei præcepto fecerat, extenſas alas ad volandum
& contemplandum habebant: ſed reſpiciebant ſe
verſis vultibus: ita tu quamuis alas mentis extenſas
ad volandum habeas, id eſt, licet ſis totus contẽpla-
tioni traditus, nõ ideo vultum à proximo tuo auer-
tas, ſed potiùs illi, vtcunque potueris ſubueni. Hac
de cauſa duo illi cherubini memorantur eſſe: quia
charitas non, niſi inter duos, eſſe poteſt, alterũ, qui
faciat, alterum, qui accipiat. Diſce etiam ſecundò à
Chriſto ſaluatore humilitatem, & benignitatem
maximam, qui Iairi petitioni non refragatus, il-
lum ſequutus eſt, vt opus charitatis impenderet.
V ide

Vide quomodo omnia relinquit ob proximi salutem, quantáque diligentia vadat:non in sequētem lucem differens, sed statim succurrit proximi infirmitati. Tu secus facis, qui sollicitatus, & pene coactus duntaxat benè operaris.Non sic faciebat sanctus ille Iob, qui dixit, Si negaui quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Nō est differendum pauperi remedium,nec beneficia sunt procrastinanda. Vnde in Prouerbiis Salomon ait, Ne dicas amico tuo,Vade, & reuertere, cùm statim possis dare.Ne sis igitur piger ad iuuandum pauperem:sed diligens,& velox.In quo documentum sume à Christo hoc in loco, & ab eius matre sanctissima,quam Lucas superiùs commemorauit visentem Elisabeth cognatam suam,non lentè,sed cum festinatione magna:vt nos doceret,proximis non pigritanter,sed diligenter subueniendum esse.

Iob.31. *Prouerb.3.* *Luc.1.*

¶ Expende etiam, vt hîc ait Euangelista, Iesus à turbis comprimebatur,omnem tamen hanc molestiam & tœdium charitate motus ferebat. Non sic se habent nobiles, & potentes sæculi qui nullo in loco se ab alio tangi patiuntur. Quinetiam ad templa euntes, quoties turba frequentior est, famulos afferunt, qui impulsu fustibúsque præcedentem plebem submouent,omniáque ita turbant,vt exercitum ingruere credas: postquam verò sedent, omnes circunstantes tam longè disturbant, vt maximo interuallo à propinquiori distent. Nolunt simplices,& pauperes ad se accedere,sed tantummodo aspicere & sequi: quod elationis, & superbiæ signum est. Sed dum sic iret compressus à turbis, audi insigne quoddam, quod fecit in itinere, miraculum. Ait ergo euangelista Lucas,

Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim. Quæ hæc mulier fuerit, dubium est. Ambrosius putauit fuisse Marthā Christi hospitam,& Magdalenæ sororem,sed quæcunque illa fuerit,parùm refert: hoc tamen scire refert,quod dominus in hoc itinere fecerit. Suscitaturus enim filiam archisynagogi, obiter hæmorrhoissam sanat, vt fidem faciat Iairo de filia suscitanda. Voluit dominus in itinere animum Iairi cōfirmare hoc miraculo & exemplo. Prætereà antequam illum consoletur, & gaudio repleat de excitata filia, hoc præmisit miraculum, ad illum sustinēdum in fide. Hoc modo solet Deus lætificare iustos in hac vita,quæ via dubia est,& amara atque laboriosa, consolationibus, & refectionibus spiritualibus,ne deficiant in via:antequā pleno gaudio illos afficiat in patria cœlesti, & vita æterna.Non enim qui Christum comitantur carent spe, & gaudio in hac lacrymarū valle. O si miseri mortales intelligerent quibus & qualibus iusti in hac vita cōsolationibus recreantur:desisterent profectò à peccatis suis, quibus immersi tenentur. Exul Iacob à parentibus suis charissimis. in alienam regionem,tristis,& pauper,& ab Esau fratre suo malè tutus ibat, quo tamen in laboriosissimo itinere Deus illum solatus est,ostensa scala cœlesti,& sanctorum angelorū visione.Defatigatus sanè,& sollicitus populus Israel ad promissam terram contendebat, à Deo tamen in itinere tam ærumnoso māna cœlesti, panéque angelorum recreatur.Sic illi,qui cū Christo in hac vita incedunt, anteaquam ad illam optatissimam, supremámque fœlicitatem perueniant, multis modis à domino confirmantur, & sustinentur, ne deficiāt. In hunc etiam modum,animū mærentem Iairi lætificare voluit hoc miraculo anteaquam omnino illum filiæ suscitatæ gaudio perfunderet.

Ambros.li. de Salom c.5. *Vide Euse. li. 7.eccl. histor. cap.14.* *Genes.28.* *Exod.16.*

¶ Perpende quanta lætitia repleantur qui Christum sequuntur. Discamus etiam hæc terrena contemnere & dominum sequi, quādoquidem mercedem habebimus in futuro sæculo, hîc autem cōsolatione non carebimus. Quanquā enim aquæ Marath amaræ sint,id est,quamuis christiana vita sit laboriosa:coniecto ligno crucis Christi in illam:dulcis & suauis reddetur.Si tecum Christum portaueris:omnia,quæ nunc tibi amara videntur,dulcia,& delectabilia videbuntur.Discamus etiam hoc Christi exēplo non defatigari operibus bonis. Ibat Dominus vnum opus bonum operaturus,& in itinere alterum facit: quia non potest vnum bonum opus alterius esse impedimentum. Tibi verò vnum opus bonum alterum impedit. Si enim eleemosynā huic pauperi facis,illi non facis,inquiēs te iam priori dedisse. Discamus quàm pretiosum nobis debeat esse tempus gratiæ, ne vel hora vna sine fructu illius abeat.Huc pertinet,quod Paulus ait Romanis,vt tēpori nos accōmodemus.Et iterū,Redimentes tempus:quoniam dies mali sunt.Rationem namque dabimus temporis otio & inertia perperam consumpti.Christus in via nunquam stat otiosus, sed sanat, prædicat: & alia virtutis opera egregia operatur. Vide igitur, ne sis otiosus, ne tempus inane abire sinas. Agamus, ne tempus gratiæ sine fructu nobis pereat. Si diu vixisti, cogita, & reputa tecum quid tot annis,tot mensibus tot diebus boni,vel mali feceris.Quòd si vocaris ad pœnitentiam,ne negligas: tempus enim breue est. Tu verò adolescēs stude tempus vitæ tuæ ita collocare, ne in senectute eius te pudeat aut pœniteat. ¶ Prætereà dùm his duabus mulieribus opitulatus est,alteri in itinere,alteri verò domi, docuit ac manifestè demonstrare voluit, quid nos hîc in via ab illo habere possimus: & quid illic in fine ab illo sperare debeamus. Etenim in via sanitatem mulier adipiscebatur, domi verò filia defuncta vitam. Hæc enim duo nobis promittuntur, nimirum sanitas, dùm in via adhuc sumus, & vita, seu resurrectio, cùm ad finē venimus. Quid autem sanitate iucundius in hac vita? Quid lætiùs erit vita in altero sæculo? Hæc vtraque per Christum possumus consequi: De his duobus Dauid ante multa sæcula cecinit dicens, Misericordiam & veritatem diligit Deus,gratiam & gloriam dabit dominus.

Nulla dies abeat quin linea ducta supersit. *Exod.15.* *Rom.15.* *Ephes.5.* *1.Cor.7.* *Psalm.83.*

¶ Obserua autem,vt Christi potentia ex magnitudine miraculi ostenderetur, dupliciter demōstrat euangelista infirmitatis huius mulieris grauitatem. Primò diuturnitate,quia duodecim anni erāt quòd tam longa infirmitate premebatur, adeò vt iam incurabilis videretur: quia morbus inueteratus incurabilior censetur. Secundò ostendit magnitudinem infirmitatis,eò quòd non ab vno medico,sed à multis medicis curata frustra fuerit, infirmitatis sanitatem non assecuta. Et hoc secundum ostendit euangelista, dicens, *Quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam.* Marcus plus dicit, Ait enim quod non solùm non potuit sanari, sed deteriùs habebat. Itaque corpore non sanata est,imò in re familiari multo reddita est infirmior: vnde cùm anteà vnam haberet, postea duas habuit infirmitates. Sanauit igitur Christus alteram harum infirmitatum non vtramque. Restituit namque illi valetudinem, non substantiam. Sed quid illi substantiam daret qui discipulos suos vniuersam substantiam suam

Marc.5. *Cauendum à medicorū recipe & iurisperitorū codice.*

deponere

Matth. 4. deponere iussit? Hinc expende quamplurimos homines esse peruerso iudicio, qui existimantes se scopum attingere, omnia bona in medicos consumunt, si forte quouis valetudinis vitio se grauatos senserint: nec priùs resipiscunt, quàm substantia consumpta, & valetudine non recuperata deceptos se viderint. *Multitudo medicorũ perdidit regem.* Hi autem similes sunt illis, qui eiectis ciuibus vrbem alienigenis tradunt habitandam. Prætereà in medicos dicit pluraliter: quia multitudo medicorum noxia est infirmi sanitatem impediens, quoniam ipsi mutuò contradicunt. Corporis tui vni fideli medico curam trade, ne in plurium errorem incidas.

Ad Christũ in afflictionib. currendum. ¶ Derelicta à medicis sæculi, ad medicum cœlestem confugit. Ita eos qui mundum relinquunt, Deus suscipit. Amissa prorsus terrena fiducia, conuertitur ad Deum, & illi soli fidit, perfectámque *Psalm 65.* consequitur salutem. Non est salus in medicis, neque in filiis hominum: quod satis ostendit hæc historia. Quia in illos consumpsit hæc mulier substantiam suam, & deterior facta est infirmitas eius, conuersa autem ad Deum, qui fons est, & origo totius sanitatis, inuenit salutem. Igitur in Deo pone spem tuam. Nimium confidebat Aman in opibus *Hester. 7.* suis, & gratia, qua valebat apud Assuerum regem: à quo tandem inhonestissima morte affectus, palam docuit nihil esse inaniùs, quàm confidere in principibus, aut sæculi bonis, quæ vsquequaque fidem *Eccles. 2.* seruare nesciunt. Propter quod Ecclesiasticum audi, Respicite filij nationes hominum: & scitote, quia nullus sperauit in domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum. Igitur in omnibus infirmitatibus tam corporis quàm animæ ad Deum currere discamus: & Christi pedes am- *Psal. 145.* plecti. Dic animæ meæ, salus tua ego sum: ipse enim est, qui illuminat cæcos & soluit compeditos. Dominus illuminat cæcos: dominus erigit elisos, dominus diligit iustos, &c. Ex hac historia vides quomodo homines nihil possunt sine Deo, & quantum ipse possit. Ideo Esaias obiurgans quosdam Israeli- *Esai. 30.* tas ait, Væ qui confiditis in vmbra Aegypti. Hominum fauores, opes, & quidquid mundus potest, re vera vmbra sunt Aegypti. Omnes enim res humanæ, soliditate & fundamento carent. Cur ergo habetis fiduciam in vmbra Aegypti? Cur confiditis in eis? Si quis siti æstuans relinqueret fontem amœnissimum, fistulis aureis aquam emittentem, & vmbram fontis sequeretur, vt sitim extingueret, nonne amens videretur? Quanto amentior est, qui relicto Deo vero, viuo, perennique fonte: vmbram rerum humanarum, & fauores hominum captat? Honores enim, diuitiæ, & quotquot sunt in terra bona, vmbra quædam cœlestium bonorum sunt. Fauor quidem hominum est quasi vmbra, quoniam nihil nos iuuare, aut prodesse potest. Accurramus ergo ad Christum, qui viuus fons est, & verus. Quid profuerunt medici, & diuitiæ huic mulieri? certè nihil: atque ideo ad Christum veniens perfectam obtinuit sanitatem. Quare ait euangelista.

Accessit retrò & tetigit fimbriam vestimenti eius.

Retrò verecunda timens, ac tremens accessit. Ideò à tergo, quia præ pudore infirmitatis, conspectum *Eccles. 1.* domini refugiebat. Si quidem initium sapientiæ ti- *Psalm. 2.* mor domini est. Et iterum, Seruite domino in timo- *Philip. 2* re, & exultate ei cum tremore. Et Paulus etiam ait, Vestram salutẽ cum timore, & tremore operamini. Quidni paueant mundissimæ sordes coram oculis mundissimis & purissimis? Immundissimus enim est menstruus sanguis. Atque ideo retrò accessit timens propter impuritatem suam: sed eam domini benignitas securam reddidit.

¶ Igitur sicut hæc mulier ad Christum accedere *Nemo dignior gratia quàm qui se indignũ æstimat.* nõ audebat, sec indignam se iudicauit quam Deus intueretur: ita nos quoque ad Christum accedere debemus, nimirum in humilitate cordis. Nam illi, qui dignos se iudicant Christi conspectu, quemadmodum ille superbus pharisæus faciebat, lõgè sunt à vera salute. Indignũ nanque se debet iudicare homo omni gratia, & beneficio Dei: si vult dignè ad Christũ accedere. Est enim hæc præparatio ad gra- *Luca. 18.* tiam Dei, cum quis humiliter confitetur se illa indignum, & tamen summopere opus habere. Quapropter accessurus ad Deum effunde cor tuum, vt David ait, Agnosce te vacuum, illum omnium bo- *Psalm. 61.* norum plenum: te peccatorẽ, illum iustum: te pauperem, illum diuitem: te peccatis plenum, illum autem omni gratia & veritate. Tetigit autẽ fimbriam, non pedes, vel aliam corporis partem: quia magna erat fides eius. Credidit enim se non solùm tangen- *Ioan. 1.* do corpus Christi, sed etiam eius vestem, saluari posse. Vnde intra se dicebat, Si tetigero fimbriam *Matth. 9.* vestimenti eius salua ero. Magnum ergo fidei & humilitatis documentum hæc mulier præstitit, quia credidit vestem domini tactam sanare posse. Vnde hæc fuit prima, quæ tetigit vestem domini, vt sanaretur, posteà verò multi tetigerunt, vt habetur in Matthæo, & Marco. Vbi dicitur, quòd obtulerunt *Matth. 14.* domino male habẽtes, & rogabant eum, vt vel fim- *Marc. 6.* briam vestimenti eius tangerent. Fuit etiam maior fides huius, quàm illorum. Quia hæc cùm potuisset corpus Christi tangere non curauit nisi de veste, credens hoc sufficere: illi autem potiùs tangere corpus petebant: quod si hoc non daretur, saltem fimbriam tangere orabant. Nam vt in Matthæo habe- *Matth. 14.* tur, rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: id est, saltem fimbriam.

¶ Accessit autem tacita, quia putauit se à turba *Eximia huius mulieris fides.* non permissum iri accedere propter immunditiem suam. Ideo tacuit & immiscuit se turbæ timens, ac verecũda. Dicebat enim intra se. Si tetigero fimbriã vestimenti eius salua ero. De sacrificio, quod offerebatur pro peccato dicitur in Leuitico, quòd omnis *Leui. 7.* qui tetigerit carnes eius, sanctificabitur. Quãtò magis sanctificabitur, & mundabitur: qui tetigerit dominum Iesum, qui sponte seipsum, sacrificium Deo acceptissimum obtulit pro peccatis Deo patri. Tu autem disce quod sicut hæc mulier priùs intra se dicebat velle tangere fimbriam, & posteà tetigit: vt nos sic cogitemus & ruminemus interiùs, quod posteà facturi sumus. Consideremus priùs in pectore nostro quod facere intẽdimus, quàm opere præstemus. Nam meliùs sese haberent opera nostra, si *Iud. 13.* ea primum adamussim expenderemus. Si Eglon Moabitarum rex præcogitasset summum esse inconueniens solùm cum Aioth Israëlis principe manere, cum decem & octo annos populum Israëliticum sæua tyrannide oppressisset: miserrimam non *Iudi. 9.* subijsset mortem. Si Abimelech filius Gedeonis se- *1. Marc. 16.* cum reputasset, quantum esset periculum ad turrim apud Thebem accedere, non percussus fuisset molari à muliere desuper coniecto. Eodem etiam modo confisus Simon Ptholemæo, qui hostis fuerat Israel, cum filiis suis in conuiuio interiit.

Hæc

Hæc autem omnia inde fiunt quòd non rectè perpensis negotiis, homines ad agendum se cõiiciunt. Non sic fecit hæc mulier, quæ priùs intra se cõsiderauit quod factura erat, & posteà fecit. Cuius exemplo, tu si ductus fueris non errabis. Has autem fimbrias portabant Iudæi, vt habetur in libro Numerorum. Num. 15. Diuisum enim erat pallium antè & retrò duabus diuisionibus, & duabus quatuor sunt extremitates, siue anguli in veste diuisa, in quibus quatuor angulis ponebantur quatuor particulæ panni hyacinthini, quæ vocabantur fimbriæ. Istæ verò fimbriæ erant ad duo: Primùm ad distinguendum Iudæos à cæteris gentibus: vt tam in veste per has fimbrias distinguerentur, quàm distinguebantur in carne per circuncisionem. Secundò (vt Deus ait) vt recordarentur mandatorum Dei. Christus etiam gessit fimbrias iuxta legis præceptum, quia legem Mosi seruauit.

Reliquiæ venerandæ. ¶ Obserua autem ex hoc loco, apertè conuinci Lutheranorum errorem, qui sanctorum reliquias non venerandas esse docent. Cùm ergo egrederetur Moses ab Aegypto tulit secũ ossa Ioseph. Exod. 13. Quòd si Moses & filij Israel ossa Ioseph defuncti venerantur: cur populus christianus non venerabitur sanctorum pro Christo occisorũ reliquias? Cur etiam non venerabitur Christi crucis particulas, vbi dominus operatus est salutẽ humani generis, quę guttis sanguinis Christi quasi margaritis ornata est? Obmutescite impij Lutherani, & deosculamini Christi & sanctorũ reliquias. Quid respondere poteritis ad summi Dei dispositionem. Exod. 25. In arca illa testamenti vsque adeo celebrata, nihil aliud, nisi reliquiæ includebantur. Locus autem ille dicebatur sancta sanctorũ. Quod si quæras, quid in illa seruaretur, respõdet tibi Paulus arcam circũtectam vndique auro, Hebr. 9. in qua erat vrna aurea habens manna: & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. Videte obseruatas reliquias & contectas: & sancta sanctorũ dictus est locus, vbi hæc seruabantur. Vide etiam quantum valeant sanctorum ossa, & quanta sint veneratione digna. Cùm ad tactum ossium Helisæi defunctus surrexerit: 4. Reg. 13. vos autem dicitis, impudentissimè, non esse sanctorum reliquias venerandas? Tanta sunt virtute prædita ossa sanctorum, vt salutem & vitam ad eorum contactũ dominus concedat. Sic etiam apud Ephesum, cum ibi cõmoraretur diuus Paulus, virtutes nõ modicas faciebat dominus per illum. Act. 19. Deferebãtur enim sudaria & semicinctia à corpore eius super languidos, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Vestibus Pauli sanãtur infirmi, & dæmonia exeunt, & ad tactũ corporis Helisęi surgit mortuus: & audẽt hæretici reliquias sanctorum cõtemnere? Ecce hic quomodo ad tactũ fimbriæ Christi sanatur hæmorrhoissa. Quòd si mihi nõ credis audi euãgelistam dicentẽ. *Et confestim stetit fluxus sanguinis eius.* In eodem instanti quo fimbriam tetigit sanata est. Voluit enim Christus hunc honorem deferre vestimento suo, vt doceret sanctorum reliquias esse venerandas. Confestim autem stetit fluxus sanguinis eius, quia potestas quo maior est, eo celeriùs operatur. Potestas autem Christi secundum quod Deus est, infinitæ est magnitudinis: illa verò quę humanitatem respicit maior est omnium creaturarum potestate. Ideo potuit in instanti & celerrimè miracula operari. Quòd si aliqua fecit lentiùs, illud non ex defectu potestatis: sed mysterij cuiuspiam gratia factum est. Nos verò exẽplo huius mulieris ad Christum accedamus, vt fluxum peccatorũ nostrorum curet. Oseas nanque loquens de multiplicitate populi Israelitici dixit, Sanguis sanguinem tetigit. Osea. 4. Vsque adeò properant homines in peccando, vt peccata se inuicem tangant, & præmant. Quare ab animabus peccatorum vehementissimus criminũ sanguis fluit. Quis autem hunc sanguinis fluxum sistere poterit: nisi ille, qui sanguinem huic mulieri restrinxit? Qui corporibus medebatur, non propter corpora, sed propter animas: nõne libentiùs animas nostras curabit? Reliquit nobis præclarissima sui monimenta in sacramentis suis: in Eucharistia autẽ non solùm fimbrias vestimenti, aut aliquam corporis sui supellectilem: at seipsum nobis reliquit. Cũ ergo peccatorum nostrorum vulnera adeò sint grauia, fluxus autem sanguinis illorum adeò vehemẽs & periculosus: quare non ad proxima paratissimáque remedia, & ad Christum, quem ad manum habemus, confugimus? Quare non occurrimus, & ad eius pedes prouoluimur? Quod si cogitationes sæculi: & carnis nos impediunt, quo minus ad Deum veniamus, erumpendũ est per medias hostium turbas: sicut hæc mulier fecit, quæ multitudine vtrinque coarctata erupit, & ad Xp̃m peruenit. Omnis enim, qui ad Deũ accesserit, vt debet proculdubio salutem consequetur, &c. *Et ait Iesus Quis est qui me tetigit?* Non quærit, vt doceatur: sed vt mulier confiteatur: ad miraculi manifestationem, Dei gloriam, & præsentium ædificationem, & archisynagogi cõfirmationẽ. Iesus enim pro suo beneficio nihil ampliùs præmij efflagitat, quã cõfessionẽ mali & agnitionẽ clementiæ diuinæ. Vide quã parũ petat, agnitionem nempè diuinorum beneficiorũ, & ne sis ingratus. Præterea voluit Christus, vt hæc mulier sanationem suam manifestaret, quo illius eximiã fidẽ laudaret corã omnibus, illámque honoratissimam redderet. Hæc enim media solet Deus quærere: quibus fideles suos honorificet publicatis illorũ virtutibus. Quare etsi non ignorabat illius mulieris virtutem, & fidem: quærit tamen vt quod ipse sciebat aliis patefieret. Sed iam in superioribus, cùm de Cẽturionis fide agebamus, de his diximus. Capit. 7. Denique hoc dominus interrogauit, vt populum promptum redderet, & attẽtum ad miraculi manifestationem. Ideo interrogãs dixit, Quis me tetigit? Nam si ipsa mulier non interrogante Christo priùs miraculum euulgasset, nemo ad eius dictũ attenderet: quia ibãt omnes frequentissimi & penè cumulati cum Christo in domum principis synagogæ. Sed cum dominus dixit, Quis me tetigit? omnes attẽderunt expectantes, quid vellet dicere, & tunc potuit miraculũ conuenientiùs aperiri. Capit. 7. Quòd si forte ad dictum mulieris attendissent, vt illam narrantem audiuissent, certè ei fidem non adhiberent, quia ægritudo occulta, occultam etiam curationem haberet, putaretúrque hoc non verè, sed ex quadam leuitate enuntiare. Nunc autem audientes Christum dicentem, quis me tetigit: planè aliquid suspicantur fuisse factum. Quare mulieri posteà confirmanti credunt: quoniam quasi coacta hoc dixit, & quia timens ac tremens cecidit ad pedes domini. Interrogabat, autem, quis per fidem eum tangeret, secundum quam virtus ab eo impetratur curationis. Nam alio tactu plurimi tangebant: nemo tamen sicut ista mulier, quia hæc tetigit credens. Sequitur, *Negantibus autem omnibus dixit Petrus, & qui cum eo erant.*

Hoc est,

Hoc est, apostoli existentes cum Petro, sed Petrus loquutus est, quia erat os totius collegij apostolici, & inter omnes eminebat. Sed illum audiamus.

Præceptor, turba te comprimunt, & affligunt, & dicis, quis me tetigit? Expende, Christum cóprimunt turbæ, & affligunt, ipse tamen tacet. sic afflictus, nec irascitur, neque cóqueritur, neque vlciscitur. O quã multi sumus, qui irreuerenter ad eum accedimus: *Esai. 5* ita vt si mortalis esset, iam periisset. Ideo ait, Laboraui sustinens. Verùm ipse, qui nunc tacet, aliquan- *Esai. 42.* do, vt parturiens loquetur, vt minatur per Esaiam prophetã. Prætereà multi in ecclesia reprobi Christum comprimunt: quem benè viuendo tangere negligunt. Præmunt, inquam, sed longè sunt: quia eidem fidei, quàm loquendo asserunt, mala perpetrantes contradicunt.

Multa comitantur Christum & vnus sanatur. Obserua etiam, inter tot, qui Christum sequuntur vnum tãtum sanari: sic modo omnes participamus sacramentis, sed pauci obtinét vim sacramentorum. Non enim omnes qui in prædicationibus plorant, contritionem habent: neque omnes qui fatentur, absoluuntur: nec omnes qui corpus domini sumunt sanctificantur. Multa hominum millia egressa sunt ab Aegypto, at duo tantummodo ingressi sunt terram promissionis. Multi infirmi erant in Bethsaida piscina, & vnus tantum curatus est à *Ioan. 5.* Christo. Multi etiam leprosi fuerunt in Israel tem- *4. Reg. 6.* pore Helisei prophetæ, sed solus Amam Syrus sanitatem obtinuit. Sic multi sequebantur Christum & tangunt: at vna mulier sanatur. Potuisset quidem Christus omnes sanare: sed quia non veniebant fide & deuotione nixi, ideo salutem non potuerunt consequi. Videamus igitur & nos omnes, quomodo ad altare frequenter accedamus, oremúsque ne de numero illorum simus, qui Christum tangunt, & non sanantur. Sed procedamus.

Et dixit Iesus, Tetigit me aliquis. Nam ego noui virtutem de me exiisse.

Ioan. 1. Sicut in sexto capite dixerat Lucas, virtutem de illo exire & sanare omnes: sic modo dicit, quòd de nemine, quantacunque polleat sanctitate dici potest, nisi de domino Iesu. Cæteri omnes ab illo tanquam à fonte accipiunt quod dent, vt rectè Ioánes *Virtus de Christo exiẽs operatio miraculorum est.* dixit, Omnes de plenitudine eius accepimus. Ideò cùm sancti edunt miracula, non habent quid glorientur: quoniam illa virtus non ab illis, sed à Christo egreditur. Quod optimè diuus Petrus de clau- *Act. 3.* do sanato dixit, Viri Israelitæ quid admiramini super hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hûc ambulare: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrũ nostrorum glorificauit filiũ suum Iesum, &c. Aduerte autem nullam virtutem de illo realiter exiuisse. Quia aut ipsa esset virtus diuina, aut naturalis. Non diuina: quia virtus diuina non potest exire, quia nõ est nisi diuina essentia, quæ vbique est. Exire autẽ, & intrare, penetrare, & diuidere, solis corporibus cópetit, in quantum habent quandam quantitatem finitam. Nec poterat esse virtus naturalis, quia illa non sufficeret ad sanandum ægritudines, eò quòd quicquid erat in Christo præter diuinitatem erat creatum, & virtutis finitæ: ideò ad operationem miraculorum non sufficiebat. Nulla ergo virtus exiuit de Christo: sed dixit exiuisse de se virtutem, vt intelligerent rudiores ipsum habere potestatem ad sanandum morbos. Ad ostendendum itaque virtutis suæ plenitudinẽ & immensitatem, formauit eis cóceptum: quasi totum corpus suum esset plenũ virtute, quæ propter abundantiam effluebat etiam in exteriora, ita, vt in tangentes fideliter deriuaretur. Non ergo hoc intelligendum est, vt verba sonant. Nam tunc inueretur, Christo aut nolente aut non iubente exire aliquam virtutem de illo: quia ait, Ego noui virtutem de me exiisse. Ac si diceret. Ego non imperaui virtuti, vt exiret: at ipsa exiuit, & ego ipsam exeuntem sensi. Nam ad hoc quod Christus voluisset hoc significare debet dici, Ego emisi virtutem de me: & nõ ego sensi, vel noui exiuisse virtutem: quia nulla virtus erat in Christo, quæ posset exire, nisi eo iubente, & volente. Patet ergo Christum non intendere aliquam virtutem de se exiuisse: sed loquitur sic propter causam prædictam.

¶ Obserua etiã, non dixisse, virtus de carne exiit, aut de diuinitate, sed virtus de me exiit: quia actio- *Actiones sunt suppositorum.* nes non sunt naturæ, sed suppositorũ. Suppositum autem Christi hanc actionem & miraculum fecit, vt statim ad tactum Christi hæc mulier sanaretur. *Esai. 66.* Rursus obserua quomodo diuina virtus non se cótineat quin se ingerat in humilem, & tremẽtem sermones eius. Nam vt natura vacuum non patitur: ita Christi virtus humilem vacuum esse non sinit. Sed ad contextum reuertamur.

Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius.

In eo, quod ait, non latuit, ostenditur mulier hæc imperfectam cognitionẽ de Christo habuisse, quia putauit eum occulta nescire. Tremens autem venit: quia tantus fuit tremor interior, vt redundauerit in corpus & tremorem causauerit in ea. Forsitam autem timuit increpari à Christo: quia contra legem communem ipsa existens immunda, ausa fuit Christum tangere. Ad pedes verò procedit ex humilitate, & quasi gratias agens, & veniam postulãs, si in aliquo ipsum offendisset.

¶ Expende autẽ quanto timore & tremore territa hæc mulier corruerit ante Christi pedes. Ex quo disce quàm timens & tremens apparere debes coram Deo. Si enim Daniel propheta sanctissimus *Dan. 10.* coram angelo cum ei apparuit stetit tremens: cur non timebis ac tremens tu apparens coram illo iudice seuerissimo, qui tot peccatis infectus es? Quid facient coram eo virgulta deserti, si corã eo columnæ cœli (vt ait sanctus Iob) contremiscunt. Si ange- *Iob. 26.* li aut sancti apostoli, & magni alij ecclesiæ patres *Greg. lib. 17. mor. cap. 14.* (vt Diuus Gregorius interpretatur) tremũt coram Deo: quid nos peccatores faciemus? Duo docet locus hic. Primum quanto cum timore & reuerentia accedere debeamus ad sanctum Eucharistiæ sacramentum: siquidem hæc mulier tam trepida & sibi diffisa ad Christum accessit. Secundò quantũ timere debeamus illud iudicium terribile, & horrẽdum cum coram Deo apparuerimus. Quoniam si hæc mulier ob eam tantummodo causam non audebat coram Christo apparere, quia se immundam putabat, neque corpus eius, sed vestem tãtummodo tetigit: quid nobis miserrimis fiet, quantò pudore, & tremore apparebimus in illo supremo terribilique iudicio, corã illo, qui non ad eius vestes, sed ad eius corpus in vita innumeris peccatis accessimus? Hæc mulier vestem domini tantùm tetigit, nos autem sacerdotes eum quotidiè accipimus. Quocirca si illa ob paruulam corporis immunditiam, & naturalẽ, coram Christo tremuit, & infirmitatis remedium quæsiuit: par est, vt nos in domini cóspectu trepidemus &

mus & infirmitatibus nostrorum peccatorũ teterrimis consulamus. Sed de his satis. Docet etiam locus iste, vt quamuis sanus sis, & iam sacramenta susceperis, semper timeas: iuxta illud, Beatus q semper
Prou.28. est pauidus. Hæc enim mulier post sanitatem tre-
1.Cor.10. mẽs ac pauẽs venit ad Iesum. Vnde beatus Paulus, Qui stat, inquit, videat, ne cadat. Sed iam audiamus euãgelistam narrantem quæ vltra fecit hæc mulier. Ait itaq;, *Et ob quam causam tetigerit eum, indicauit corã omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit.* Quia
Dei beneficia publicè prædicanda. miracula sua dominus ordinabat magis ad propagandam fidem noui testamenti, quam ad salutem corporum, & sciebat tunc futurum esse, vt nunciaretur Iairo mors filiæ, & propterea oportere Iairi fidem confortari. Ideo miraculum manifestari voluit præsente Iairo, vt fides illius roboraretur & augeretur. Expende quantam habeat Deus curam eorum, qui ad illum confugiunt. Exposuit se in manibus eius Iairus, & se illi commẽdauit. Quem dominus, vt suo, sibiq; cõmendato ita consuluit, vt eum anteaquam filiam suscitaret, hoc miraculo hilarem & confidentem reddiderit. Vnde patet qua diligentia, & sollicitudine dominus cõsulat omnibus mortalibus, in primis illis, qui Deo se tradunt & illi to-
Dan.13. ta mente confidunt. De Susanna ait scriptura, quia erat cor eius fiduciam habens in domino. Et sic dominus illius curam gessit, & illam liberauit: Ideo
Psal.54. Dauid: Iacta cogitatum tuum in domino, & ipse te enutriet. Discamus etiam ab hac muliere grati esse Deo, & aliis enarrare miracula, & mirabilia, quæ
Psal.104. De⁹ operatur in nobis. Sic Dauid narrabat in Psal. & canticis & hymnis beneficia, quæ illi Deus impartiebatur: & vt alij etiam hoc facerent hortaba-
Psalm.9. tur dicẽs, Narrate omnia mirabilia eius. Quod ipse faciebat, vt alios suo prouocaret exemplo. Narrabo
Psalm.21. omnia mirabilia tua. Et iterum, Narrabo nomen
Psalm.65. tuum fratribus meis. Quos vt acriùs excitaret, inuitabat & conuocabat inquiẽs, Venite, audite narrabo omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ
Exo.18. meæ. Sic Moses narrauit Ietro cognato suo omnia, quæ fecerat Deus populo Israelis. Ideo dominus
Deut.6. præcepit, vt Iudæi narrarent mirabilia Dei, & præcepta eius filiis suis & posteris. Et Angel⁹ Raphael
Tob.12. Tob. dixit, Vos autem benedicite Deum: & narrate omnia mirabilia eius. Illi quoque duo discipuli,
Luc.24. quibus dominus apparuit in Emaus in die resurrectionis eius reuersi narrabant discipulis quæ gesta erant in via, & quomodo cognouissent dominum
Act.21. in fractione panis. In Act. etiam habetur, cùm Paulus ascenderet Hierosolymam narrabat persingula ecclesiæ quæ fecisset Deus per illum in gentibus: Denique consuetudo erat antiqua inter viros, & fœminas sanctas, si quid insigne aut mirabile Deus fecisset, aliis narrare & cantica componere in Dei laudem, vt mentes illorum excitarent ad laudandum Deum. Sic Moses, Delbora, Maria soror Mosi,
Iudic.5. Dauid, Esai. Ezechias, Anna mater Samuelis, Iudi.
Exod.15. Tob. Abac. Simeon, Zacharias, & denique beatis-
Esa.12. sima virgo Maria cantica composuerunt, & mira-
Esa.5. 1.Reg.2. bilia Dei narrauerunt, nuntiantes aliis magnalia
Iudith 16. Dei: vt inuitarent eos ad diligendum & amandum
Tob.13. Deum. Hoc enim est maximus virtutis in anima
Abacuc.3. Luc.1. hominum effectus & fructus, vt scilicet, Deum verbis laudantes, illúmque sanctificantes alios similiter hortemur, vt laudibus diuinis permoti, velint Deum, & amare, & colere. Nam si tu rebus gestis Alexandri Magni, aut Iulij Cæsaris auditis vsque adeò caperis, vt eos, quos nunquam vidisti & à quibus nullum accepisti beneficium diligas, quid apud te deberẽt efficere laudes domini nostri Iesu Christi? Ideo dixit Angelus Tobiæ, Opera Dei reuelare, Tob.12.
honorificum est. Sic ista mulier coram omnibus mirabilia Dei narrauit, & alta voce quomodo sanata fuisset à Christo. Sic nos grati simus Deo: & beneficia, quæ nobis contulit aliis narremus. Sequitur in contextu, *Et ipse dixit ei, Fides tua te saluam fecit.* Quo pacto fides mulieris eam saluam fecit, Nõ sola fides iustificat.
quum dudum audiuimus, virtutem exiisse à domino quæ sanitatem contulit? Dicit autem fidem eam saluasse, quia fide opus est, vt quis cœlestia dona assequatur. Sicut ex bonis operibus dicimus hominem iustificari, quamuis Dei benignitati omnis iustificatio nostra sit ascribenda: quia sine illis non datur. Veluti si quis medicus curaturus ægrotum moneat, vt si sanari velit medicis præceptis pareat. Quod si accuratè præstiterit, poterit ei medicus dicere, Tua obedientia te sanauit. Quoniam, nisi obtemperasset, medici remedia nihil profuissent. Sic Christi virtus sanauit hanc mulierem: ea ratione, quia fidem viuam habuit. Ideò dicitur, fidem eam sanauisse. Expende autem hanc mulierem sanitatem suam tactui fimbriæ ascribere: Christus verò fidei illius salutem attribuit. Quia sicut reuera sanitas gratiæ Dei debetur: ita fides & contritio nostra eandem sanitatem operatur, quamuis Lutherus mendacissimè dicat, nihil nos in nostra salute conficere. Imo sine dubio, vt gratia est fons salutis: ita & operatio nostra per gratiam adiuta saluti cooperatur.

¶Præterea illa Christum laudat, & ab illo lauda- Christi peccatores resipiscẽtes recipit.
tur, vt agnoscas sponsum, & sponsam seipsos inuicem laudantes. Dicit illa, Fasciculus myrrhæ dile- Cant.1.
ctus meus mihi: inter vbera mea commorabitur, vt Psal 113.
eius tactu pectus meum sanetur. Respõdit ille, Ecce tu pulchra es amica mea, & oculi tui columbarum, quorum vno vulnerasti cor meum. Fidei enim oculus per dilectionem operans vulnerat sponsum. Respondit sponsa, Ecce tu pulcher es dilecte mi, & de- Ezec.16.
corus. Ac si diceret, Non nobis domine, non nobis, Cant.1.
sed nomini tuo da gloriam. Dixit autem illi dominus, *Vade in pace.* Hoc est, esto secura & in mentis tranquillitate Deo gratias age & permane. Ex hoc Christi facto cum hac muliere discamus tria. Primum discamus Christum non esse personarum inspectorem, sed æquissimum adiutorẽ omnium pauperum, ac diuitum, Iudæorum, ac gentium, si modo fide formata crediderint. Petrus enim dixit, In ve- Act.10.
ritate comperi, quia Deus acceptor personarum nõ est: sed in omni gente qui timet Deum acceptus est illi. In Deut. etiam dicitur, quòd personã non acci- Deuter.10.
pit. Idem habetur in 2. Par. Et Paul. etiam scribit in 2.Par.19.
ea, quam ad Ephe. misit epistola, & iterum ad Colo. Ephes.6. Colos.3.
& princeps apostolorum in prima epistola, Æqua 1.Pet.1.
enim benignitate excepit Christus mulierem pauperculam, atque venit ad ædes Iairi archisynagogi. Eodem modo nos diuites, & pauperes sanandos excipiet, si tamen ad ipsum venerimus. Festinemus ergo ad Christum omnes, qui in aliqua calamitate sumus.

¶Secundò discamus Christũ in curandis ægrotis non modo verbis vti solitum, sed etiam membris suis, & vestimentorum suorum tactu. Voluit enim honorare corpus suum diuinitati coniunctũ, & corporis indumenta. Sic etiam potest viuificare

& sanare animas nostras, & corpora. Quod si tactu potest viuificare mortuos: quantò magis immortales erimus qui Christi carnem, & sanguinem, non tāgimus in Eucharistia, sed comedimus & bibimus? Tertiò quamuis mulier, quæ obnoxia sanguinis profluuio ab annis duodecim impendisset omnem in medicos substantiam suam tamen à nullo fuerat curata. Quo exemplo non ideo medicinam esse contemnendam dicimus, benè enim ipsa fecit: sed ægrotos aliquos Deus sibi reseruat, in quorum sanatione glorificetur tēpore suo, &c. Sed iam historiam prosequamur. Dicit itaque euangelista, *Adhuc illo loquente venit quidam ad principem synagogæ dicens ei, Quia mortua est filia tua, noli vexare illum.* Moram enim fecit Christus in via, vt interea puella obiret. Vult Deus vt miserias & egestates nostras cōsideremus, vt clariùs cognoscamus beneficia, quæ in nos confert. Dixit Dominus Mosi, Quid habes in manu tua? Respondit, virgam. Quid ita? Nesciebat Deus Mosen virgam tenere? Sciebat quidem. Cur igitur quærit? vt ipse clarè videat & aduertat quòd clarè virga sit. At præcepit vt illam eiiceret, & versa est in colubrum: & tunc apertè vidit miraculum. Sic in nuptiis in Cana Galilææ expectauit donec omnino vinum deficeret. Nam quando virgo mater dixit, vinum non habent, adhuc vinum (vt ait Cyrillus) non defecerat. Quare idem fuit ac si diceret, Vinum in omnem cœnam non suffecturum: erat enim adhuc plurimum cœnæ residuum: quare defectus vini, ne indecorus foret, petebat mater à filio charissimo, vt antequam penitùs deficeret, prouideret. Dominus tamen expectauit, vt omnino vinum deesset, vt in euidenti defectu euidentiùs miraculum ostenderetur, quo gloria Dei amplior fieret. Eodem etiam modo permisit dominus Lazarum in sepultura vsque ad corruptionem delitescere: quo miraculū in eius suscitatione clarius effulgeret: & Dei potētia magis omnibus pateret. Ita etiam hic euenit. Nam Iairus proficiscens, Christum vocaturus, puellam in vltimis non tamen mortuam relinquit: at de illa, quasi obiisset iam, loquebatur: dominus verò, cui omnia patent, optimè sciebat ipsam adhuc non esse mortuam: qua de causa immorabatur in via, vt puella moreretur interea, vnde miraculū fieret maius, & patentius. Vult igitur Deus vt nos priùs defectus nostros cognoscamus, vt ille nobis auxilium præstet, quo nos liberati à criminibus eū postea laudemus, & glorificemus. Hac de causa interrogauit nónullos quid vellent, sicut cæcum, cui dixit, Quid vis vt faciam tibi? vt eo modo defectus & miseriam suam cognoscentes, salutem adipisci mererētur. Humiliemur igitur omnes nos, cognoscētes miseriam, inopiam & mortalitatem nostram si volumus à Deo sanari & suscitari. Animaduertamus igitur delicta nostra & fragilitatem, vt sic mereamur a domino seruari & exaltari, iuxta illud Petri. Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore tribulationis.

Differt aliquando præstat vobis sua beneficia, vt nos nostras inopias cognoscamus.

Exo 3.

Ioan. 2.

Ioan. 11.

Luc. 18.

1. Pet. 5.

¶ Expende etiam istius hominis stultitiam. Noli, inquit, vexare illum, Vexationem vocat orationē. Orabat Iairus Saluatorē, qui eius precibus exoratus illum sequebatur in domū suam, & iste orationem vocauit vexationem. Multi autem sunt isti similes, qui putant se dominum frequenter orantes vexare: quare parum, aut nihil orant. At Deus non fatigatur orationibus, sed peccatis. Vnde per Esaiā ait, Seruire me fecisti in peccatis tuis, & tribuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Vides, vt peccata vexent Christum, non orationes? Magis vexabat hic Christum infidelitate sua, quàm Iairus solicita petitione sua.

Esa. 43.

¶ Obserua etiam hūc dupliciter errare. Primum quia putabat Iesum non posse suscitare defunctum: & ideo dicebat Iairo ne adduceret Christum. Ac si diceret, Non opus est iam eius aduentus: nam adolescentula mortua est, omníque prorsus caret remedio. Secundo errabat, quia putabat more aliorum fatigari in eundo, cùm tamen voluntate sua hoc fieret, piáque dispēsatione, vt veritatem humanitatis in se ostenderet, & suis fatigationibus & laboribus gratiam multiplicem nobis mereretur. *Iesus autem audito hoc verbo respondit patri puellæ.* Non respondit nuntio illi incredulo, qui dixerat Iairo, ne vexaret Iesum: quoniam puella esset mortua. Nam incredulitas non meretur Christi alloquutionem. Hac de causa in die iudicij, non disceptabit Christus cum infidelibus, iuxta illud Diui Pauli, Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Hoc est, sine legis disceptatione quemadmodum ipse saluator mundi ait, Qui non credit iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Atque ideo respondet patri puellæ dicens, *Noli timere, crede tantum, & salua erit.* Ac si diceret, Ne desistas à fiducia tua & fide in me. Non enim refert quàm male habeat filia tua, viuàtne, an mortua sit: fides nanque tua illam saluare potest: si credideris videbis gloriam Dei. Eodem quoque modo in Israelitis fides probabatur. Hi læti ex Ægypto discedebant, sciebant ex miraculis quæ per Mosen fiebant, se clementem habere Deum. Verum ad mare cum venissent, & viderent à tergo imminentes Ægyptios, adeò debilitati sunt, & eorum fides imminuta, vt dixerint ad Mosen, Quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto? Vtinam in Ægypto mortui fuissemus, &c. Eodē modo res nobiscū habet. Credimus enim cùm prosperè omnia succedunt: sed malis ingruentibus fides languescit, nonnunquam etiam penitùs extinguitur, nisi verbo & gratia Dei conseruetur. Ne autem Iairi fides quæ Hemorroissæ miraculo erat confirmata, audito filiam esse mortuam languesceret, sicut accidit populo Israelitico, cui Moses dixit, Nolite timere, state & videte magnalia Dei, &c. Voluit illū dominus his verbis corroborare. ¶ Obserua autē quomodo Christus consolatur nunc Iairum verbis, quem antea consolatus fuerat exemplo. Consolatus enim illum fuerat opere, scilicet, miraculo Hæmorroissæ: & nunc verbis illū cōsolatur. Vnde Paul. ait, Benedictus Deus pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. *Et cùm venisset domum non permisit intrare secum quenquam, nisi Petrum & Iacobum, & Ioannem, & patrem & matrem puellæ.* Reiecta turba coram istis tātum miraculum facit. Primò, quia voluit aliqualiter esse occultum propter inuidiam Iudæorum, ne per hoc daretur eis maior occasio persequendi eum ante tempus. Ideò noluit corā omni multitudine tam magnum facere miraculum, ne Pharisæorum inuidiam magis irritaret. Noluit tamen prorsus esse absconditum: ne omnino ignoraretur. De iure autem sufficiebant isti tres, quia in ore duorum, aut trium, stat omne verbum. Secundò hoc fecit, vt doceat nos ex operibus nostris gloriam hominum non quærere: sed soli Deo velle placere.

Duplex eius error.

Rom. 2.

Ioan. 3.

Ioan. 11.

Exod. 14.

2. Cor. 1.

Theophil. in hæc verba Chri. ho. 32. in Mat.

Deut. 19.

Et

Et quantò opera nostra fuerint excellentiora, tantò magis fugienda est hominum multitudo. Tertiò quia hoc miraculum faciebat consolationem particularis personæ. Miracula enim, quæ Christus faciebat, non propter bonum commune, sed ob consolationem alicuius personæ specialis: non publicè, & palam, sed occultè faciebat. Et hos tres apostolos voluit esse testes: quia digniores, & sanctiores cæteris erant.

Inuidorũ sodalitiũ fugiẽdum.

¶ Docemur hîc primò vt ab inuidis bona nostra abscondamus, ne illis demus occasionem maioris inuidiæ. Sic Christus sæpè fugit à Iudæa, & aliquãdo abscondebatur sciens inimicos suos eius præsentia deteriores fieri. Demus (iuxta Apostoli cõsi-

Rom.12. liũ) locũ iræ. Sic Iacob fugit à facie fratris sui Esau:

Gen.28. ne eius præsentia scãdalizaretur. Hoc idẽ fecit Mo-

Exo.2. ses relinquens Ægyptum, & abiens in terram Ma-

Matt.10. dian. Hoc etiam suos admonet Christus dicens, Si vos persequuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in

Matt.2. aliam. Quod adhuc paruulum fecisse commemorat euangelista Matt. cum fugit in Ægyptum, vt daret locum iræ & sæuitiæ Herodis regis iniqui.

Qui thesaurũ suum manifestat, facilè perdit.

¶ Docemur secundò gloriã mundi fugere, & vanas hominum laudes non appetere: stultum est enim thesaurũ tuum recõdere vbi non valeas sumere cũ volueris. Si ponis bona tua in ore meo, nõ in tua, sed in mea sunt potestate: cum vtique pro meo libito te possim vel laudare vel vituperare. Sanum vas & inconcussum est conscientia, & seruandis secretis idoneũ, nullis patens insidiis: quod ibi reposueris nõ perdes, sed seruabit viuo, & defuncto restituet. Quocunque vadis, tecum portas depositum tuum: cum viuis adest, & in morte sequetur te glo-

Num.20. ria tua. Propter hanc Moses & Aaron non ingressi

Simile. sunt terram promissionis. Sancti occultabant bona opera sua: instar illorum, qui candelam incensam portantes, illam à vento operiunt, ne extinguatur. Quomodo facere debent illi, qui bona opera faciunt: ea enim sunt occultanda, ne ab aura gloriæ inanis rapiantur. Christus ergo, vt nos hanc doceret doctrinam, coram paucis hoc miraculum fecit, cósque admonuit secretò vt nemini dicerent.

Qui indignos euehit seipsum destruit.

¶ Docemur tertiò melioribus & dignioribus honorem & munera publica deferre: quotiescunque (quod sæpè accidit) iudicũ aut electorũ potestate functi fuerimus. Sic Christus hos tres apostolos plusquam alios honorauit: quia digniores erant. Quãquã hac nostra tẽpestate secus multò fit, indigni nãq;, ambitiosi, & impij, optimis viris sæpè numerò in prælaturis & dignitatibus præferũtur, florentésq; viuunt: at studiosus vbique iacent. Isti au-

Iudi.9. tem similes sunt Sichimitis, impium Abimelech in regem eligentibus: qui postea Sichem funditus eruens salẽ superseminauit, dignũ facti incolis præmium tribuens: at tãdem miserrimè interiit. Eo pacto qui immeritos euehunt, seipsos destruunt, eósque, quibus honorẽ deferũt, simul. Nam omnes in infernum ruũt. Sequitur, *Flebant autem omnes, & plangebant illam.* Omnes qui erant in domo Iairi lamentabantur, Et in Matt. habetur, erant ibi tibicines, vt mos erat Iudæorum in morte magni alicuius viri cantus, & modulos facientium, vt alios prouoca-

2.Par.35. rent ad fletum. Sic in secundo Par. habetur Ieremiã lamentatum fuisse super Iosiam: & dixerunt cantores & cantatrices, qui replicarent lamentationes: vnde quasi lex obtinuit in Israel. In huiusmodi autem lamentationibus solebant repetere præclara gesta defuncti, vt patet in Ezec. cui dominus dixit, *Ezec.32.*

Et tu fili hominis assume lamentum super Pharaonem, &c. Hunc luctum compescuit dominus: vnde subditur, *At ille dixit, Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit.* Paulus apostolus in epistola ad Thessal. *1.Tess.4.*

mortem somno comparat, inquiens, Nolumus vos *Mors nostra*

ignorare fratres de dormientibus, vt non contriste- *somnus est.*

mini, sicut cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & eos, qui dormierunt per Iesum adducet cum eo: Dic mihi ô Paule apostole siccine agis? Christũm, dominum, qui vita omniumest, mortuum dicis: hominem autem, qui nihil aliud est, quàm quoddam simulachrum & exemplar mortis dormientem vocas? Hoc tamen non sine mysterio à Paulo dictum putes, Christum mortuum vocat, hominem autem dormientem. Nos enim ideo dormimus, quia Dominus mortuus est, faciens, vt mors nostra in somnum verteretur, eius autem resurrectio obitum nostrum in requiem, & tranquillitatem conuertit. Si enim Iesus, inquit, mortuus est & resurrexit: ita & eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Quia Deus morti se subiecit, mors nostra in som- *1.Cor.15.*

num versa est, & quia Christus resurrexit, nos etiam resurgemus. Hoc autem eò dicitur quoniam moriens dominus adeo dulcem mortem reddidit, vt iam nõ mors, sed somnus & quies dici debeat. Antequam enim Saluator noster moreretur, mirum erat, quàm formidabilis omnibus, odiosa omnibus, neminique chara esset mors. At postquam dominus passus est, iam non est, quæ fuerat, Illa enim semper horrida & formidolosa, quæritur ab adolescentulis & à pueris, qui se voluntario offerũt martyrio. Rectè igitur dici potest morte Christi, mortem nostram redditam esse suauem: & vmbram mortis tantummodo. Quis igitur vmbram fugiet? Quis ignem pictum formidabit? Quis somnum ti- *Chrys.ho.32.*

mebit? Visa iam causa, quare mors nostra somnus *in Matt.*

dicatur, modo videre restat, quam habeat mors nonostra cum somno similitudinem. Primùm enim quoniam dormientes vocati expergiscuntur, mortui autem nequaquam, nec à sepulturis resurgunt: inde colligit peccatores verè esse mortuos, licet inter nos viuant, mortuos autem qui in sepulchris sunt non esse mortuos, sed dormientes: quo pacto Christus hîc hanc adolescentulam dormientem vocauit. Quemadmodum enim, si ex duobus iacẽtibus alterum facilè excitares, alterum verò nullis motibus, aut ictibus posses excutere à somno, diceres quidem priori somno fuisse oppressum, alterum verò mortuum esse. Sic de peccatoribus & mortuis dicendum est. Isti enim in iudicio vocati resurgent: illi verò si ad finem vsque vitæ non expergiscantur mortui in æternum permanebunt. Nam sepulti omnes in iudicio resurgent: & Deo vocáti respondebunt. Quoniam ipse dominus in voce, & in voce *1.Thess.4.*

archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, vnica nanque voce vocati excitabuntur: neque expectabunt, vt secundò vocentur. At tu qui mille modis à Deo vocatus percussus multis laboribus, afflictus innumeris tribulationibus & aduersitatibus non resipuisti, neq; experrectus es à peccato: nónne multò magis mortuus dicendus est, quam illi, qui in sepulchris vsque ad diem iudicij dormiunt? Quod si prædicatorum vocibus te vocantibus non obtemperas; cur tamen non auscultas Dei admonitionibus quoties te laboribus & aduersitatibus

 vocat?

vocat? Iob posteaquam vehementer percussus fuit, dixit, Manus domini tetigit me. Quis esset tam stupidus qui à lecto, in quo decumberet delectus, fracto crure aut capite nihil tamē quereretur, aut mutiret? Hæc autem omnia Deus in te expertus est. Nā te in principio multis vocatum vicibus, quoniam audire noluisti, variis deinde calamitatibus affecit: quæ nihil eò magis profecerunt. Vnde restat te in vitiis non secus esse omnibus captum sensibus, ac mortui in sepulchris suis iacent. Sic de quodam dixit Deus in Apoc. Nomen habes, quod viuas, & mortuus es. Atque ideo in scriptura mors vocatur somnus, & peccatum mors: atque adeò mortui dicuntur dormire, & peccatores vocantur mortui. In libris. Reg. sæpè dicitur: dormiuit hîc aut ille rex cum patribus suis. Hoc dicitur de Dauide, Salomone, Roboam, Abia, Ezechia, Ioachim, Ioatham, Et dominus dixit Dauidi, cum dormieris cum patribus tuis. Et Esai. Omnes reges gentium dormierūt. Paulus quoque iterum ait, Ergo qui dormierunt in Christo. Verùm peccatores mortui dicuntur. Sic Paulus ad Roman. ait, Si mortui sumus peccato, &c. Et ad Ephe. cum essemus mortui delictis. Et idem ait ad Collo. Petrus quoque princeps apostolorum. Vt peccatis mortui iustitiæ viuamus. Et Ioan. Qui non diligit manet in morte, &c. *Et deridebant eum, Scientes quod mortua esset.* Vnusquisque verba, quæ audit Pro spiritu suo interpretatur. Loquebatur Christus metaphoricè, vocās somnum mortem iustorum quoniam ad quietem moriuntur: isti autem, vt bruti & carnales pro libine suorum intellectum illud interpretantur. Eodem modo loquutus est Christus cum Nicodemo de baptismo inquiens, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Ille vero homo rudis & carnalis, rudiùs & cortice tenus dictum intelligens, dixit, Quomodo potest homo cùm sit senex iterum nasci? Summus quippe labor est sapientibus coram rudibus verba facere, & dolosis hominibus: qui verba accipiunt non iuxta verum & genuinum sensum sed pro sui crassi & deprauati intellectus captu. Omnes autem prædicatores huic incommodo subiecti sumus Nam quamuis ea, quæ dixeris, optima honestissimáque sint, ab hominib⁹ vitiosis & captiosis ita torquētur, vt plurimam decoris, & honestatis partem videantur amittere, &c. ¶ Obseruandum hic est hanc derisionem magnam fidem fecisse huic miraculo: ex hoc enim apparet verè esse mortuam. Ex eo nanque quod sciebant mortuam esse, ridebant dicente Christo illam dormire.

Mors somnus est, at peccatū mors vocatur.
Apoc. 3.
3. Reg. 2. 11. 14. & 15.
4. Reg 20.
4. Reg 24.
2. Par. 27.
2. Reg. 7.
Esa. 14.
1 Cor. 15.
Rom 6.
Ephe. 2.
Colo. 2.
1 Pet. 2.
1. Ioan. 3.
Chrys. ho. 31. in Matt.
Ioan. 3.

¶ Discamus hinc non ægrè ferre si ab aliquibus irridemur: Nam Christus patienter se habuit cum istis derisoribus, & nihil eis respondit: sed tacens transiuit, & fecit, quod facturus venerat, Hoc faciamus si volumus esse Christi discipuli. Etenim qui se dicit in Christo manere: debet sicut ipse ambulauit, ambulare. Omnes enim, qui piè volunt viuere in Christo, necesse est, vt ab impij vexentur & derideantur. Proprium enim malorum est bonos irridere. Vnde in Prou. habetur, Ambulans recto itinere, & timēs Deum despicitur ab eo, qui infami graditur via. Et iterū, Abominātur impij eos, qui in recta via sunt. Sed hoc te nō moueat: quia vituperium bonorū laus est, si ab impiis irrogetur: & è diuerso, laus vituperiū, Malis enim displicere, laudari est. Nō enim potest censuras aliquā habere authoritatē vbi qui damnatus est dānat. Quapropter turpe videri debet laudari ab improbis, quàm si ipsa turpia laudarentur, ne igitur timeas irrideri ab iis, qui irrisione digni sunt: sicut nec Christus horū verba curauit. Nam quando mali irridēt bonos de bonis operibus, quæ agunt: idem est ac si cæci vidētes deriderēt, quia vidēt, & claudi incedētes, quia rectè incedunt. Vnde ipsa irrisio, irridenda est. Quod si nemo sanæ mētis poterit nō irridere claudū, qui benè incedētes derideat: optimo iure ridendi & despiciendi sunt isti delusores, non imitandi: Quòd si dicat aliquis, Derisio malorū præualebit, quia sunt plures: respondetur, Deū & sanctos in adiutorium bonorum contra malos descēsurum. Vnde Psalm. ait, Qui habitat in cœlis irridebit eos: & dominus subsanabit eos. Nam non est vituperiū solis, si noctua vel non aspiciat, vel despiciat illius lucem: neque est vituperium auri & argenti si iumenta ea non habeant in pretio: quibus nihil, nisi fœnū pretiosum videtur. Sic non est vituperiū bonorū si ab improbis despiciantur: imo, ausim dicere, neminē adhuc esse fœlicem, qui à turba nō irrideatur: cui, dixi, ōptima quæq; despicibilia, & abiecta vidētur. ¶ Docemur secundo Christi exemplo nō respōdere derisoribus, ne illos in maiorē insaniam prouocemus. Vnde Ezechias rex Iudæ præcepit, ne responderet Assyriis qui irridebant Deum, & populum eius: ne in grauiores blasphemias prolaberentur. Quemadmodum enim aqua frigida in ollam feruore builiētē missa, eius æstum cōprimit: sic silentiū æstuātem blasphemorū & irrisorum hominum iracundiam, & malitiam intercludit. Ideo Eccl. consulit dicens, Non incendas carbones peccatoris. Quapropter Psalm. ait, Cùm consisteret aduersum me peccator obmutui, & humiliatus sum: & silui à bonis. Sed multi sunt, qui verbulo vno læsi sexcenta maledicta & conuicia iaciunt. Vt enim porticus Olympię artificio quodam vocem emissam septies reddebat: qua de causa heptaphonon vocabatur, eò quòd nō semel, vt Echo, sed septies acceptam vocem referret: sic plurimi vna affecti contumelia, septē rependunt. ¶ Discamus tertiò in bono incepto perseuerare, nec ab illo propter derisores desistere. Nam si aliquis studium suum cultui diuino applicat: statim à diabolo innumeris interpellatur modis. Sic Christo eūti, vt bonū opus, piumq; perageret, conata est mundi nequitia obsistere: ne facinus tam egregiū perficeretur. Hæc enim est vna de astutiis diaboli, bonū inceptū videlicet, in germine, & principio suffocare: Vnde per serpētē, religionem in paradiso incipientem, & quasi nascentem suffocauit. Quapropter in Eccl. dicitur, Fili accedēs ad seruitutem Dei sta in iustitia, & in timore: & præpara animā tuam ad tentationem. Sed tu perseuera in bono incepto & procedens viam inchoatam prosequere: exemplo Christi domini nostri, qui nihil impeditus ineptis derisionibus nō cessauit, donec in locum peruenit, vbi adolescentula mortua iacebat. Vnde ait euangelista, *Ipse autem tenens manum eius clamauit dicens, Puella surge.* Qui sola voluntate illam suscitauit, tenuit manum eius, vt satisfaceret desiderio patris: qui secundum Matth. dixerat, Impone super eam manum & viuet. Clamauit autem, ad ostendēdum magnitudinem potestatis: quia clamor vox vehemens est. Ita vt ostenderet per fortitudinem huius vocis animam cogi ad corpus remeare. Sic se habuit in Lazari suscitatione. Clamauit autem imperatiuo

Vide chry. ho. eadē. irrisiones nō curandæ.
Prou. 14.
Prou. 29.
Psalm. 2.
Esa. 36.
Irrisionibus nō est respōdendum.
Eccl. 8.
Psal. 38.
Nota.
Propter irrisores à bono captu nō desistendum.
Gen. 3.
Eccl. 2.
Matth. 9.
Ioan 11.

ratiuo modo quasi potestatem habens, dicēs, Puella surge. Non fecit autem orationem aliquam sicut Helias, & Helisęus. Et in hoc mirabantur magis Iudæi, sicut in doctrina; quia non prædicabat sicut doctor & expositor legis, sed sicut legislator, & tanquam potestatem habens, vt inquit Matt. Admirabantur turbæ super doctrina eius: erat enim docēs eos, sicut potestatem habens & non sicut scribæ eorum, & Pharisæi. Hoc etiam modo suscitabat mortuos, & miracula operabatur tanquàm Deus: potestatem diuinam ostendens illo modo imperatiuo, ad cuius nutum omnia subiiciebantur: atque ideo sequitur, *Et reuersus est spiritus eius & surrexit continuò.* Non poterat nanque aliter fieri iubēte Christo: quare eo volente puella necessario erat surrectura. Reuersus est autem spiritus eius ab occulto receptaculo suo ad corpus exanime Christo iubēte, & angelos sancto (vt creditur) ducente. Fuit enim anima illius puellæ in aliquo receptaculo, eo paruo tempore, quo fuit inter mortem & suscitationem. *Et iussit illi dare manducare.* Hoc fecit ne putaretur esse phantasma: sed per hęc signa ostenderet veritatem resurrectionis, sicut in resurrectione sua, quādo comedebat cum discipulis suis. Nam si ambularet, non constaret de vera resurrectione: quia poterat dæmon arripere illud corpus, motu progressiuo: non tamen posset facere has operationes vitales, vt comedere, loqui, videre, audire: quoniam hoc nisi ab animali, fieri nō potest. Et tamen si dæmon arriperet corpus puellæ mortuæ, illud non ideo animatum redderetur: quia dęmon non potest formaliter vniri corpori, sed tantum vt motor: & per consequens nec comedere posset, neque aliàs operationes vitales exercere. ¶Obserua autē Christum non dedisse cibum puellæ: sed tantum iussisse ei dari, propter duo. Primum ad tollendam suspicionem, ne fortè puella putaretur non verè comedere: sed propinante Christo oculos inspectantium obcæcari, quo vera cibi sumptio appareret, cū tamen præstigiosa, & falsa esset, parentibus autem id munus præstantibus omnis dubitatio sublata est. Secūdò quia facere volebat ea, quæ nemo aliorum facere poterat, quæ autē per alios fieri potuerunt, facere noluit: alij nanque poterant cibum & potū illi ministrare. Sed sequitur, *Et stupuerunt parētes eius: quibus præcepit, ne alicui dicerēt, quod factum erat.* Noluit vt omnino ignoraretur puellam ab illo suscitatam fuisse: quia miracula non faciebat, nisi ad ostensionem diuinæ virtutis, ideo nullum eorum voluit penitùs latere. Sed voluit Christus, vt miraculum hoc aliqualiter ad rem occultaretur, & postea manifestaretur. Fecit enim miraculum, primo anno, quo cœpit prædicare in principio secundi: & restabant ei adhuc anni duo. Ideo noluit, vt hoc miraculum esset apertum, ne incitaretur Pharisæorum malitia ad illum occidendum, quo eius opera & prædicatio intercluderentur: sicut factum est illo anno, quo morti traditus est. Nam tanta surrexit cōtra dominum inuidia, vt non auderet palam loqui aut ambulare. Ideò recessit à Iudæa in Galilæam, & iterum in regionem circa desertum in ciuitatem Ephrem. Itaque noluit modo talia miracula palam edere, quibus irritarētur magnopere contra ipsum Iudæi: quoniam ex Lazari suscitatione statuerunt Iudæi, Christum morte mulctare. Quod enim nunc, nisi Christus præcauēret, facerent. Qua de causa si in initio prædicationis suæ Christus dominus mortuos publicè suscitaret, occiderent eum ante tempus perfidi homines, nondum completis operibus, quę ex prophetarum vaticiniis erant consummanda: vel saltem exultaret, aut lateret longo tempore, aut se miraculosè defenderet, quorum quodlibet erat incōueniens. Ideo his de causis opera sua modo occultauit, postea verò publicè mortuos suscitauit, sicut filium viduę in Naim, & Lazarum: quos astante vniuerso populo suscitauit. Nunc autem Christus voluit vt suscitatio ista aliquanto tempore occulta maneret, vel saltem dubia redderetur: quod sufficienter factum est per modum istum occultationis, quem Christus seruauit. Sed quia noluit hanc suscitationem prorsus occultam esse, adhibuit quinque testes, qui opportuno tempore de hoc testimonium perhibere possent. Non autem tenebantur tacere nisi quando Christus aliū mortuum suscitaret publicè. Quare cùm suscitauit filium viduæ in ciuitate Naim, liberati sunt hi testes ab obligatione tacendi: quoniam ille coram omni populo suscitatus est.

¶Aduertendum hîc est, quoniam Christus paulo ante Genesarenum dæmoniacum voluit habere præconem miraculi facti, & diuinæ potentiæ: nam præcepit illi, vt miraculum euulgaret: at huic principi synagogæ iussit ne diceret, & illum noluit pręconem habere, vt sic testaretur Deum humana prudentia aut sapientia parùm vel potiùs nihil indigere. Ille dæmoniacus pauper homo erat, simplex, rudis, vilisque conditionis: Archisynagogus diues, prudens, peritus in lege, sapiens ac potēs: at diuina sapientia illum despectum dæmoniacum elegit in suorum mirabilium prędicationem, huic autem silentiū indixit. Non enim in sapientia humana fundatur prædicatio euangelij, sed in diuina virtute: nec diuites, potentes, aut sapientes elegit Deus, sed apostolos discipulósque homines piscatores & de media plebe, ac illiteratos. Ideò Paul. ait, Nō multi potentes secundū carnem, non multi sapientes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mūdi elegit Deus, vt confundat fortia & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ nō sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt nō glorietur omnis caro in conspectu eius. Sunt multi arrogātes, & superbi theologi qui quoniam peritiores in prædicando, & docendo sibi videntur, existimant doctrinam suā orbi omnino esse necessarium, nec posse aliter ad salutē viam patere. Verū isti procul dubio longè errant. Quamuis enim concionentur, legant, aut scribāt ingentia librorū volumina: benè tamē sine illorū ope ecclesia poterit stare. Deus enim nullius indiget auxilio. Fuit enim Augu. summus doctor christianæ ecclesiæ: non tamen illi vsque adeò necessarius, vt ab illo vniuersus reipublicæ christianæ status penderet. Quamobrem, & si nunquam natus fuisset, non propterea esset imminuta religio catholica. Fuit etiam Paulus maximus orbis prædicator, hic tamen tempore quo prędicationis summa erat necessitas, vinctus fuit duobus annis, & sic cessauit tūc illius doctrina. Ne igitur superbias, néue te magnificias credens omnes doctrina indigere: sine te enim optimè agemus, quòd si obieris, Deus alios producet, quin & de puluere terræ potens est summos viros suscitare, quibus tu tertiò die obliuioni tradaris. Ideo cōclusit apostolus in prædicta authoritate inquiēs: Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius, Qui plura à Deo beneficia, quàm alij, accepimus, maiori

Marginalia: 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. Matth. 7. Manducare & bibere actiones vitales. Luc 24. Ioan. 21. Christus quare miracula sua occultari voluerit. Ioan. 7. Ioan. 11. Luc. 7. Deus non indiget prudentiā & sapientiā hominum auxilio in fide propaganda. 1. Cor. 1. Act. 24.

maiori ad Dei cultum aliis, deuincti vinculo tenemur: quamobrem oportet simus suprà omnes humiles, pij, & timentes dominum: propè enim adest tempus, quo corpore vitaque exuti seuerissimam
Matt 25. reddemus talentorum, id est: donorũ Dei, quæ accepimus rationem, & quomodo illis vsi fuerimus: quibus vtinam in damnationem nostram non abutamur.

Peccatũ proximorum secretum celandum. ¶Secundò discamus non reuelare proximorum nostrorum secretos defectus, néve eos in publicum efferre. Filius viduæ cùm mortuus efferretur, ad portam ciuitatis positus fuit: vbi ab omni populo
Luc. 7 esse defunctus iudicabatur. Lazarus item publica
Ioan. 11. solenníque pōpa tumulatus fuerat. Istæ igitur mortes, quoniam constabant, no vetat Christus, ne manifestentur. Quoniam quotiescunque mors publica est: id est, quotiescunque proximus tuus ea licẽtia in peccando se habet, vt nemini non sit notum, ipsum esse vel vsurarium: vel concubinarium, aut alio quouis modo peccatorem: impunè tu etiam de illius peccato loqui poteris. At verò peccatum occultum cur manifestabis? Cur mortem proximi secretam efferes? Cur inscienti, & ignoranti occulta proximi tui vitia prodes? Sed multi sunt vanissimi homines, qui tanquam ciuitas sine muris, vas sine operculo, equus sine fræno, nauis sine clauo, domus sine foribus: sic illi nihil pensi, nihil probitatis, aut prudentiæ habẽt. Verùm homines isti proditores, & infidi, quęcunque sciunt, in publicum enuntiant, & cum iactura animarum suarum fratres infamant ignominiáque afficiunt, stultissimi dicendi sunt, siquidem proximis non sine incommodò suo
Eccl 19. nocere volunt. De quibus ad literam ait Eccle. Sagitta infixa femori canis: sic verbum in corde stulti.
Simile. Canis enim sagittam infixam femori suo habens non quiescit donec remoueat illam: ita nec stultus quiescere potest, donec maledictum, quod de proximo suo audiuit, aliis dicat. Præterea sicut canes non solùm carnes comedunt, sed etiam ossa todunt: sic isti non solùm carnalibus hominibus detrahũt, verùmetiam spiritualibus. Et pręterea quemadmodum canes in macello morãtes sanguinolenta habent labia, & sanguini insidiantur: sic isti sanguine proximorũ madidi, in ore suo peccata aliorũ portant. Vnde ad eos pertinet illud Prouer. Insidiemur
Prou. 1. sanguini. Quoniam igitur obitus istius puellæ occultus erat, vnde mortem occultam resurrectio occulta fuerat consecuta: ideo Christus iubet, vt occultetur. Disce hinc peccatum proximi tui, ad pœnitentiam conuersi celare. Quod si conuersus non est, poteris quidẽ illum secretò admonere, vt à peccato exeat, quòd si parum promoueris, seruabis or
Matt. 18. dinem à Christo in euangelio traditum, quem nos exposuimus in cap. 17. huius. Verum si post peccatum vitam correxit quid opus est prælato aut cuiquam dicere: Ita hæc mortua est, & resurrexit intra domum suam: quare præcipit dominus, ne manifestetur. &c.

Vana gloria fugienda. ¶Tertiò discamus omnem prorsus arrogantiam & inanem gloriam contemnere, ne velimus bona opera nostra omnibus esse nota, ab omnibúsq; laudari. Imò potiùs ea Deo reseruemus: qui cum ea optimè omnium nouerit, ea poterit laude & præmio digno afficere. Vt hoc igitur doceret Christus, pręcepit miraculum tacere: quod idẽ in leproso fecit:
Luc 5. quem curauerat. Dixit etiam præcipiendo, vt nulli diceret miraculum, sicut in quinto capite huius iam vidimus & enarrauimus quomodo fugienda sit arrogantia & vana gloria, & omnia opera nostra propter Deum facienda.

¶Denique docemur & quartò Deum nõ esse personarum acceptatorẽ, sed æquissimũ auditorẽ omnium, tam pauperum, quàm diuitum, Iudæorum & gentilium: si modo crediderint. Vnde Petrus dixit, Act. 10.
In veritate comperi, quia Deus personarum acceptor non est: sed in omni gente qui timet eum & operatur iustitiam acceptus est illi. Æqua enim benignitate accepit Christus mulierem pauperculam, & venit in magnificas Iairi principis synagogæ ædes. Eodem etiam pacto nos pauperes vel diuites æqua benignitate, & misericordia excipiet: si humili & contrito corde ad ipsum venerimus. Festinemus igitur ad Christum dominum, omnes, quotquot in aliqua calamitate & angustia sumus.

¶Docet præterea hæc historia christianorum bonorum mortem, non esse nisi somnum quendam. Apoc. 14.
Ideo Ioannes audiuit vocem de cœlo dicẽtem sibi: Beati mortui, qui in domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.

¶Demum docet quantum profectum faciemus, quantumq́ue commodum accipiemus, si ad eucharistiam, vt decet, accesserimus: quandoquidem hæc mulier ad tactum tantũmodo vestimẽtorum Christi, sic sanata est. Sed iam vt finem faciamus huic capiti, tempus exigit. Quamobrem ad subsequentis capitis explanationem accedamus, Christo Iesu domino nostro auxilium suum præstante: qui benedictus in sęcula viuit & regnat cum Deo patre & spiritu sancto in gloria sempiterna: ad quam nos omnes miserrimos peccatores post hoc exilium perducere dignetur. Amen.

CAPVT IX.

INTER Dei magnalia, obseruatione & consideratione dignũ esse existimo modum & ordinem quo Deus salutem nostram operatus est: Poterat enim Deus qui omnia ex nihilo creauit vtens sua omnipotentia totum mundum ad se conuertere sine adminiculo apostolorum neque hominum aliquorum: sed sicut in cœlestibus per angelos multa operatur, ita in terra elegit apostolos, prophetas, & doctores, per quos populum erudiret. In hoc certè suã benignitatem ostendit, qui tam dulciter & benignè homines allicit: suámque sapientiam declarauit, qui totũ mũdum per discipulos simplices & pauperes edocuit. Iam in capite sexto huius euangelij vidimus quomodo Christus dominus ex multitudine suorum discipulorum segregauit duodecim, quos apostolos nominauit: nunc autem eos honorat mittẽs illos ad prædicandum & tradens potestatem vt miracula facerent, ideóque sequitur in contextu *Conuocatis autem Iesus duodecim apostolis dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia & vt languores curarent.* Apostolica potestas quãta sit.
Ostenditur hic deitatis Christi excellentia, quia non solũ ipse facit miracula sed discipulis cõcessit hanc authoritatem: quæ tanta est, vt facilè superet omnem naturam. Si enim super terrã nõ est potestas quæ dæmonibus comparetur: planum fit vt Christus dans potestatem super spiritus, det & super omnem terram. Habent ergo apostoli potestatem super cœlos, elementa, & super omnem carnẽ Iob 41.
quantum necesse est ad negotium euangelij: quod ipsa experientia monstrauit. Hæc autem potestas non

non fuit absoluta in apostolis vt possint quidquid vellēt super dæmones, sed solū vt possint eos è corporibus eiicere vt in Matthæo dicitur,

Matth. 10.

Dedit eis potestatem spirituum immundorum: vt eiicerent eos. Non enim poterat quidquid vellent super eos, scilicet, claudere eos in abyssum, vel potestatem tētādi homines: imò nec facere quòd ipsimet apostoli non tentarētur: nam Iudam (cui etiā data est hæc

Luc. 22.

potestas) tētauit Satanas, & post buccellam introiuit in illum: & Petrum etiā valdè tētauit, & omnibus illis dixit Christus, Ecce Satanas expetiuit vos vt cribaret velut triticum, &c.

Operationis miraculorum quomodo fuerit in apostolis.

¶ Aduertendū quòd ista potestas non fuit in apostolis aliqua qualitas siue virtus actiua existens per quā possent aliquid facere quod priùs nō poterant: quia potestas faciēdi miracula est infinita, ideò homini non potest dari ita quòd efficiatur aliquid ipsius hominis, sicut potentia visiua est aliquid hominis: nam tunc homo efficeretur Deus, quod est impossibile. Prætereà si talis potestas esset verè in apostolis, possent quādocunque vellent, miracula facere: sed non poterāt, quia post collationem istius potestatis oblatus est eis dæmoniacus & non potuerunt eum sanare vt

Matth. 17. Mar. 9.

infrà videbimꝰ in hoc capite, & Matthæus & Marcus enarrant. Non ergo erat ista potestas verè aliquid in apostolis sicut character est in sacerdote, qui quantumcunque impius sit, cōsecrat si vult:

Vide Cyril. quē citat D. T. in cat. ca. 9. Luc.

Sed ista potestas verè in Deo erat, qui faciebat miracula, sed concessit illā apostolis taliter, quòd quādocunq; ipsi inuocarent nomen Christi ad operationē alicuius miraculi, statim illud fieret, si peterent cum fide, aliàs non: sicut dæmoniaco illo non præstiterunt sanitatem (vt Christus eis dixit) propter suuam incredulitatem. Hanc potestatem tantū dedit apostolis & non aliis: & licèt Christus cōcesserit aliis qui fidem habuerint, vt habetur infrà

Matth. 21. Luc. 17.

& in Matthæo: quia omnis qui habuerit fidem sine hæsitatione miracula faciet: hanc fidem nunc dedit apostolis, & illam conferendo insinuabatur cōferre eis potestatem faciendi miracula. Cæteris verò non dedit hanc potestatem, quia non contulit eis istam fidem. Ideóque non erat alia potestas data apostolis, vt miracula ederēt, quæ esset in eis aliqua potentia actiua: sed solùm ista fides, per quam volentes poterant ea facere. Aliquando autem deficiente in eis fide, defecerunt & miracula.

Virtutis & potestatis differentia.

¶ Rursus obseruandum, quòd virtutem dicit & potestatem dedisse, quia discrimē est inter virtutē & potestatē. Virtus enim est in miraculis faciendis, & potestas in dæmonibus eiiciendis: propterea dicit quòd misit illos vt dęmones expellerent & languores curarent, quia ad vtrunque faciendū dedit eis potestatē plenariam. Fieri quidem solet nonnullis huius mūdi principes famulos ad itinerandum mittant, nec præbent illis necessaria ad viam perficiendam: vtūtur enim eis veluti mancipiis & abiectis seruis. Similiter & reges erigunt homines ad suprema officia & dignitates: nec tamen eis concedunt nec pręstare possunt virtutem nec merita quibuscum dignitatē, ad quā assumuntur, exerceant. Nō sic Deus, non sic, imò apostolis suis ad culmē apostolatꝰ vocatis, virtutē & potestatē ad dæmones eiiciendos languoresque curādos plenissimè concessit.

Languor & morbus diuersa sunt.

Differunt verò languor & infirmitas: nam languor morbus inueteratus est, atque difficilis ad curandū: infirmitas verò, pro quocunq; assumitur morbo. Vt ergo insinuaret, ꝙ morbos periculo mortis proximos & vicinos possint curare & inueteratos, explicuit languores. Vide etiā ꝙ sapientissimè dedit eis potestatē faciendi miracula, vt per ea fides persuaderetur hominibus: licèt enim homines ducti à spiritusancto & illuminati lumine fidei credat, nihilominꝰ ad stabilitatē credendorū necesse fuit miracula edere, non enim moueretur homo ad credēdum nisi miraculorum testimonio adductus. Prætereà, in hac donatione apostolis facta vehemēter humiliata est altitudo diabolicæ superbiæ, dum hominibus literis destitutis atq; simplicibus piscatoribus & egenis super omnia dæmonia est potestas distributa. Sic enim decuit superbiā dæmoniorū opprimi & deiici: & iustè luūt pœnas, quia factum est vt illi qui maiestati immensæ assimilari intendebant, pauperculis piscatoribus subiicerentur. Principes, & huius mundi reges cū ministros vel dilectos ad aliquod munus vel honorē promouēdos decernūt, solent quidē erga illos quibus præficere decreuerunt quamplurimum honorare & auxilium præstare: & hoc sanè vt à subditis talia videntibus in magno pretio habeātur, ipsiq; illos reuereātur. Sic dominus volēs instituere Iosue in principem dixit Mosi, Tolle Iosue filium Nun, & pone manum tuā

Nume. 27.

super eum, qui stabit coram Eleazaro sacerdote & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis vidētibus & partē gloriæ tuæ vt audiat eū omnis synagoga filiorū Israel. Sic etiam & pater æternus cū Christum doctorē cœlestem in orbem misit, qualiter eum cōmendet, audi. Hic (inquit) est filius meus

Matth. 17.

dilectus, ipsum audite. Similiter Christus cùm apostolos ad prædicādum mittit honorat eos: dans eis hāc potestatem. Docet locus iste, homines non ex meritis sed ex vocatione diuina eligi. Ita in Genesi

Gene. 25. Rom. 9.

dicit Deus de Esau & Iacob, Maior seruiet minori. De his egregiè disserit Paulus ad Romanos: Esaias

Esaia. 49. 2. Cor. 5.

etiam, Dominus ab vtero vocauit me, de vētre matris meæ recordatus est nominis mei. Sic apostolos elegit à mundi initio, vt idoneos faceret ministros noui testamenti, & apostolatus honore decoraret. Verùm vt scias ad quid dederit eis hanc potestatem, audi euangelistam. *Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.* Perpende hîc verbum misit, aliàs enim absque electione & potestate non licebat, nec licèt modo nisi mittantur. Vnde Esaias

Esaia 6.

dixit Deo, Ecce ego, mitte me. Cui dixit dominus, Vade & dic populo huic, &c. Ideò Paulꝰ, Quo præ-

Rom. 10.

dicabunt nisi mittantur? Et de his qui munus prædicationis ambiunt, & se in illud intromittunt, ait dominus, Ipsi currebant, & ego non mittebā eos:

Ierem. 23.

non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Tales quidem apostoli non erant: atque ideò apostoli appellati sunt, quod idem est quòd missus: missi enim sunt, ad prædicandum. Vnde Paulus: Non

1. Cor. 1.

misit me dominus baptizare, sed euangelizare. Tu ergo non more pseudoprophetarum sed apostolorum non te ingeras officio prædicationis nisi vocatus. Prætereà missi non sunt apostoli ad prædi-

Chryso. homi. 33. in Matth.

candum parua, imò potiùs magna, hoc est regnum Dei: quod est diuina gratia, vera doctrina, & æterna gloria: non terrena promittens, sed cœlestia. Moses quidem atque prophetæ non promittebant regnum cœlorum, licèt sancti veteris legis meruerunt illud, & leges Mosi obseruantibus datum est post Christi mortem. Age iam concionator verbi Dei, prædica regnum Dei, & de ipso doce: non verò placida, nec auditoribus delectabi-

Episcoporum munus. lia quibus ad risum moueas populū. Munus quippe euãgelici predicatoris est vera prædicare & non mendacia, & ad placitum audientes mouere, non autem ad risum. Lege Hieronymum ad Neapotianum scribentem. Discant etiam nostri temporis episcopi qui successores sunt apostolorum, verbum Dei prædicare, iuxta normam sacri cõcilij Tridentini *Concil. Trid. sessio. 5.* expresse illis præcipiẽtis vt prædicent per seipsos: ideóque Paulus præcipit vt eligantur episcopi qui sint idonei ad docendum, siquidem proprium munus eorū est docere. Apostoli quidem vt instarẽt verbo Dei elegerunt septẽ diaconos qui ministrarent in opere externo. *2. Tim. 3. Act. 6.* Sed prôh dolor quàm peruersè se nũc res habet: episcopi enim ipsi occupantur in exterioribus & negotiis sæcularibus, & munus episcopale quod est proprium ipsorū exercetur ab his qui non tantæ sunt dignitatis quales sunt monachi ac egeni clerici. Quare rogo expoliauit Dauid Saulẽ scypho & hasta, nisi quia ille dormiebat: *1. Reg. 26.* Similiter quia prælati dormiunt & ociantur, surripuerũt monachi prædicationis munus, quod proprium episcoporum est: & in ipsis vigilãtibus remanet. Sed de his aliàs.

Miracula olim fidẽ confirmabãt, nũc autem superuacanea. ¶ Secundò mittuntur hic apostoli non solùm vt munus prædicationis exerceant, sed etiam vt miracula edant & ad languores curandos. In confirmationem veritatis quã prædicabant miracula faciebant, atque ideò doctrina apostolorum infallibilẽ veritatem in se continebat: quia cùm solus Deus auctor sit miraculorum, primáque veritas cui non possit subesse falsum, impossibile erat mẽtiri in doctrina quam Deus tãtis miraculis approbabat. Igitur vt mundus eis adhiberet fidem miracula operabantur, quæ nunc superuacaneum esset illa edere, quia iam creditur his quæ de Christo prædicantur: & si talia miracula fierent, potiùs infirmarent fidem quàm adiuuarent. Perinde ac siquis habet in iudicio aliquid sufficiẽter notum & probatum: si rursus vellet illud probare, per hoc redderetur negotium dubium acsi probatione indigeret. Similiter in nostro casu si nunc per miracula rursus fides probaretur, esset ostẽdere quod adhuc de ea nõ cõstabat, esset que tollere ei suam dignitatem, satisq; periculosum esse. Nec desunt modo miracula & si inuisibilia quæ à cõcionatoribus diuino afflãte numine fiũt: itaq; sanando ægritudines animæ & infirmos curando à spiritualibus infirmitatibus. Sed vlterius procedamus. *Et ait ad illos, Nihil tuleritis in via neque virgam, neque peram, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* *Sollicitudo temporalium pedit munus euangelij.* Prohibet hic dominus præsidium temporale: docens concionatorem soli Deo debere inniti, iuxta illud, Omnem sollicitudinem vestram *2. Pet. 5.* proiicientes in eũ, quoniam ipsi cura est de vobis, Et Psalmographus. Iacta cogitatũ tuũ in dño, & ipse te enutriet. Aduerte quòd in hoc nõ prohibet studiosam prouidentiã, sed curiosam & superfluã sollicitudinem. Sic & alibi dñs ait, *Matth. 6.* Nolite solliciti esse animæ vestræ quid mãducetis, neq; corpori vestro, &c. Et iterū, Nolite, solliciti esse in crastinū: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua. Sollicitudo enim superflua tẽporaliũ & cupiditas eorū, maximè impedit veritatẽ prædicationis: nã qui talia quærũt sequuntur viã Balaã, qui *Nume. 22. 2. Petr. 2.* mercedẽ iniquitatis amauit, vt ait Petrus. Nõ autẽ *1. Thes. 2.* si. Paulus, qui Thessalonicẽsibus scribẽs ab Athenis ait, Non fuimus in sermone adulationis sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est.

Sciebat enim quod ex hoc irã Dei prouocabat, sicut dicitur. Principes eius in muneribus iudicabãt & sacerdotes eius in mercede docebãt: & prophetæ eius in pecunia dominabantur. Ideò subditur, Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidũ erit, & mons templi in excelsa siluarum. *Michæ. 3.* Christus dominus vehementer paupertatem amauit, & relinquẽs in hoc sæculo suos vicarios voluit etiã paupertatis amatores eos esse: quocirca aurũ, argẽtũ, & æs illis prohibuit. Placuit Christo Saluatori ecclesiam suam suprà firmã petram fundare, & non supra terram: quamobrem discipulos pauperes & alienos longè à curis rerum temporalium esse voluit: modicum enim pulueris aut paleæ cessare facit oculum ab officio suo, ideóque placuit vt *Similitud.* pauperes essent, quia paupertas expedita est, nullísque curis implicata. Et sic cætera corporis membra ad officia conueniant, oculus tamen vnicum habet officium: & contactum terræ maximè timet. Eodem modo ecclesiæ oculus cõtemplationi legis diuinæ intendere debuit: ob idque à terrenis istis maximè separari. At nunc in multis ecclesiasticis viris magis occupata est ecclesia in temporalibus, quàm olim synagoga: nam plures ecclesiæ ministri potius Mosi discipuli esse eligunt, quã Christi: quia temporalia inordinatè quærũt: quæ Moses promisit. Sed verè Christi discipuli illi censendi sunt qui spiritualia appetunt, terrenaque despiciunt. ¶ In eo autẽ quod dicit neq; duas tunicas habeatis, superfluitatem prohibet, non necessariũ vestimẽtum, nã Christus duplicem habuit vestem: quia præter tunicam incõsutilem super quã missa est sors, habuit *Ioan. 19. Hieron. q. 1. ad Hedi.* alia vestimenta quæ fuerunt diuisa. Sic diuus Hieronymus ad Hediuiam ait, quòd quicquid corpori nostro sufficere potest & humanæ succurrere imbecillitati, hoc vnica appellãda est tunica: & quicquid in præsentibus alimentis necessarium est, hoc vnicus diei victus appellatur. Ita necessarium iuxta imbecillitatẽ vniuscuiusq; vocatur vnũ, superfluũ verò duplex: nam si de vnica tantum tunica intelligendum esset, quomodo Petrus contra domini iussum fecit duas tunicas, habens tũ zonã tũ etiã calciamenta *Act. 12.* Et Paulus etiam ait Timotheo. Penulam *2. Tim. 4.* quã reliqui Troade apud Carpũ veniẽs affer. Ecce penulã vnã habebat extra se, & alterã portabat. Et *Matth. 3. Luc. 3.* ideò illud quòd Ioãnes dixit, qui habet duas tunicas, det vnã non habenti, quod superfluum erogare pauperibus intellexit: ac si cum Christo diceret. *Luc. 11.* Quod superest date pauperibus: Sed ad sequentia. *Et in quamcunque domum intraueritis, ibi manete: & inde ne exeatis.* Quasi dicat, Contenti estote illo hospitio: & propter melius inquirendum ne exeatis ab *Amb. lib. 6. in Lucam ca. qualiter disci puli missi.* illo: nam sicut in Ecclesiastico habetur, vita nequã hospitandi de domo in domum. *Eccle. 19.* Mutatio enim hospitij denotat impatientiam in eo qui modica existente causa mouetur & non potest quiescere, iuxta illud. Hæc dicit dominus populo huic: qui dilexit mouere pedes suos & non quieuit, & domino *Iere. 14.* non placuit. Alienum enim à concionatore domos cursitare: & immobilis hospitis iura violare. Prohibet itaq; hic dominus discursum leuitatis & inanẽ loci mutationẽ: stultus nãq; (vt Ecclesiasticus ait) vt luna mutatur. Aduertendũ aũt quod hoc non de quacũq; domo esse intelligẽdũ existimo, sed de honesta domo: nam in Matthæo dicitur, In quamcunque ciuitatem intraueritis interrogate quis in ea *Matth. 10.* dignus sit, scilicet vestro ingressu, videlicet vt

sit lau

fit laudabilis famæ & probatæ vitæ: ne ex hospitis vestri corruptis moribus vita vestra infamię macula notetur & alij à vobis scandalum passi, vestram paruipendant doctrinam. *Et quicunque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa etiam puluerem pedum vestrorum excutite, in testimoniū supra illos.* *[Beda in cap. Luca 9. ca. 34.]* Flagitiū est pauperes virtuti deditos quales apostoli & Christi discipuli erant, hospitio non excipere: quamobrem eos derelinquere præcepit Christus. Vnde dominus per Mosem populū suum alloquutus est. *[Numer. 16.]* Recedite à tabernaculis hominum impiorū, nolite tangere quæ ad eos pertinēt: ne inuoluamini in peccatis eorum. *[Esaia. 52.]* Esaias quoque: Recedite (inquit) & exite, & pollutum nolite tangere. Non autem solùm recedere, sed excutere puluerem pedum præcipit Christus, *[Matth. 10.]* in testimonium quod nolebant recipere neque audire, ob idque (iuxta Saluatoris sententiā) tollerabiliùs erit terræ Sodomorum quàm illis. Secundò illud fiebat ad significandum, quòd nihil cōmune cū illa vrbe habere volebant: & per hoc, terram dānationis habitatorib⁹ incurrerēt: vnde nec puluerem (quæ res minima erat) adhuc secum à tali gente & populo deducere voluerunt. Hoc etiā fecisse Paulum & Barnabam scriptura cōmemorat: *[Act. 13.]* qui excusso puluere recesserunt. Apostoli verò non portabant calciamenta sic clausa vt nostra, sed tātum soleas, vt videre est in Marci ēuāgelio: *[Marc. 6.]* quapropter collentes soleas de pedibus collidebant eas ad inuicem super ciuitatem. Faciebant hoc primo in platea, vt omnibus cōstaret id quod fiebat: & quia exeuntibus illis extra vrbem vsque puluis etiā adhærebat, excutiebant iterum extra vrbem, vt nihil de ciuitate illa exportarent. *Egressi autem circuibant per castella euangelizantes & curantes vbique.* Per castella dicit ad ostendendum loca & si exigua sint non ideò propter habitantium penuriam negligenda, imò visitanda & docenda: cùm valdè vtile sit, & Deo pergratum, & vnum tantum conuerti. Nō sic nostri tēporis concionatores quem multi, qui magnas ciuitates quærunt, & circumeunt aulas regū & magnatum & principum domos: vt nomē & famam possint adipisci & gloriā mundi ambiunt: vitā agentes vbi vini generosi, volatilium, atque delitiarum est abundantia: nihil de animarum salute curantes. Præterea multa inuenies oppida & castella ab agricolis & pauperibus habitata (non loquor apud Indos nec oras remotas, sed de nostra Hispania quæ tot ditissimos episcopos alit, theologos, & viros literatos) vbi iam per lapsum triginta & quadraginta annorum, nec isti nec ipsi verbū Dei docuerunt, nec illi ab ipsis audierunt, nec episcopi ad talia loca deuenerūt, eò quòd non delitiosa sed arida sint. Nōne Christus pro istis pauperculis & humilibus sanguinem fudit & mori dignatus est, sicut & pro animabus regum & principū, &c. ¶ Secūdò dicitur hìc quod curabant vbique locorū corpora languida sine personarum acceptione: Ioannes etiā testatur quòd baptizabant: *[Ioan. 4.]* Disce ex hoc loco non superbire nec extolli pro vllo gratiarum genere aut doctrina: Iudas nāque prædicabat, baptizabat, dæmonia eiiciebat, & plura signa fecit: nihilominus à tanto honoris culmine deiectus est, & ad inferos iā natus descendit. *[Cap. 6. homo.]* Sed de his alibi nonnulla diximus. *Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæsitabat, eò quòd diceretur à quibusdam: quia Ioannes surrexit à mortuis: à quibusdam verò quia Helias apparuit, ab aliis autem quia propheta vnus de antiquis surrexit.*

Audiuit quidem Herodes miracula quæ Christus per se & per suos discipulos operabatur, quia fama Christi vndique diffundebatur: *[Aug. lib. 2. de cons. euāg. cap. 43.]* nam vt Matthæus ait, abiit opinio eius in totam Syriam & obtulerūt ei omnes malè habentes variisque languoribus oppressos. Cū audisset (dicit hìc Lucas) quod hæsitabat: sed Matthæus & Marcus dicunt quòd affirmanit esse Ioannem. *[Matth. 4. Matth. 14. Marc. 6.]* Sed nulla est contradictio: nam Herodes primò hæsitauit propter rumorum varietates, sed posteà credidit Iesum esse Ioannem, sicut & alij quidā propter vitæ sanctitatē & famæ eminētiam, & quia per apostolos baptizabat. Nec dixerunt quòd Helias resurrexit, sed quòd apparuit, quasi de paradiso reuersus: quia sciebant illum non esse mortuū, sed translatū. Hi ergo putabant Christū esse Heliā propter miraculorū potentiam & iustitiæ zelū. ¶ Aduertendū quod hæc quæ Lucas hic narrat facta fuerunt in vltimo anno prædicationis domini: *[Vide Chrys. Hom. 49. in Matth.]* non eīm ab initio audiuit Herodes de Christo, quia principes & magnates tardè audiunt, tardique sunt ad discendum. *[Veritas principum aures tardius intrat, quā vulgi.]* Priùs quidem prædicator totā replet plebē sua doctrina, quā ad aures principū perueniat vox eius: hi enim parū curant de cōcione & verbi Dei auditione. Si tamen ad hoc mouētur, raro id quidem, ad summū in aduētu & quadragesima: & hoc non ex volūtate & amore audiēdi, imò potius ex verecūdia vulgi & cæterorū ne ab ipsis praui & iniqui reputentur. Itaq; minor istorū cura, & sollicitudo est de audiendis cōcionibus, & sic serò venit ad suas aures. Et aliud malū occurrit in hoc: nā cū ex concionatoribus nonnulli ad illorū honores & amicitiam respiciant de hoc minimè obiurgant: imò verò placentia eis dicere intēdunt, & sic nunquā corriguntur. Celebrē illā Niniuē iam Ionas prædicatione repleuerat, antequam ad aures regis ciuitatis illius, verbū Dei perueniret. *[Ionæ 3.]* Non sic de caducis rebus & pulchritudine vana. Nōdū eīm Sara ingressa fuerat Aegyptum, cū iamiā eius pulchritudo laudatur apud regem Pharaonē. *[Genes. 12. Genes. 20.]* Similiter fuit laudata coram Abimelech rege Geraris. Ministri enim & serui principum iuxta ipsorum appetitum loquuntur: & laudant id quod illi amant. Vnde citiùs inquirunt vbi habitet pulchra fœmina, vt principi enarrent, quàm vbi prædicet vtilis cōcionator, &c. *Et ait Herodes, Ioannem ego decollaui, quis autem est iste de quo ego talia audio?* *[August. vt supra.]* Quamuis multi multa dicerent de Christo, Herodi tamen magis vera visa est sententia eorum qui dixerunt Ioannem resurrexisse à mortuis, & sic affirmatiuè asseruit. Quem ego decollaui, Ioannes ipse est: surrexit à mortuis & virtutes operantur in illo. Dubitationem Herodis solus Lucas refert, sed sentētiam eius alij duo scilicet Matthæus & Marcus: vt sæpè solet vnus euangelista supplere, quod alius prætermittit.

¶ Hoc autem credidit quia Herodes & Iudæi putabant sanctos post suam resurrectionem maioris esse potestatis quàm fuerant viuentes: & ideò licèt Ioannes viuens miracula non fecisset, poterat illa edere post resurrectionem. Et in hoc non errabant: quia multò fortiores & pulchriores erunt sancti susceptis dotibus gloriæ tam animæ quàm corporis quàm hic fuerant. Laus tamen Christo erat maxima eò quòd credidit Herodes quòd nullus viuentium ea facere poterat quæ Christus fecit: sed oportebat à mortuis aliquem eximia sanctitate pollentem surgere. Quare tres euangelistæ hoc

lite

literis mandauere veluti altissimum Christi testimonium: quod facere nõ consueuerunt, nisi in his quæ valdè necessaria esse intellexerunt ad ostensionem gestorum Christi. Credidit etiã Herodes Ioãnem præstantiorem cæteris esse: ideóq; audito eo multa faciebat, vt videre est in Marci euãgelio. Prætereà dicens, Ioannem ego decollaui, culpam propriam fatetur non ad pœnitentiæ humilitatem, sed in damnationis suæ testimonium: ita vt ei dici possit quod olim Dauidem dixisse Amalechitæ scriptura commemorat. Os tuum locutum est aduersum te dicens, Ego interfeci Christum domini. Illaqueatus est enim Herodes verbis oris sui: & ex eis iudicabitur. Vide etiam quàm præpostera sint impiorum iudicia. De Ioanne enim qui nullis claruerat miraculis credit Herodes reuixisse: & Iesum qui tot miraculis ostendit virtutem suam pertinacissimè negant surrexisse, & apostolis nec custodibus sepulchri fidem adhibere voluerunt. Sed procedamus, *Et quærebat videre eum*. Si quæsiisset sicut Zachæus videre, illum profectò vidisset, sed iste non quærebat videre illum vt conuersus bonus fieret, sed vt suæ satisfaceret curiositati: ob idque nõ meruit videre eũ, & Christus non fecit illi sui copiam. Vnde in Prouerbiis habetur, Quærit derisor Sapiẽtia, & non inuenit. Perpende quomodo quærendus sit Iesus vt illum possis inuenire: nempè non ex curiositate & vanitate, sed dilectione & amore. Sic quæsiuit illum sponsa in Canticis, inuenire meruit. Et domin⁹, Quæretis me (inquit) & inuenietis: cùm quæsieritis me in toto corde vestro. Verùm, si iste Herodes tantopere Christũ videre cupiebat: Quis prohibebat? In Galilæa tunc tẽporis dominus ambulabat: minimo ergo labore & facillimo negotio poterat illum quęrere & videre: at licèt illum videre cupiat non videt, eius ignauia in causa existente. Quærit videre Christum nec tamẽ vult facere gradum nec se mouere vt illũ videat: quod facere posset si vel modicum vellet laboris sustinere. Plures huic simillimos inuenies q Deũ videre volũt ipsóque frui: nec tamen in eius gratiam quidquam ferre ac pati volunt. Filij Israel libenter arripuerunt iter profecturi in terram promissionis vt illã possiderent: sed cœpit tædere populum itineris & laboris, ideóq; renuebant. Multi eodem modo volunt Christum videre: verumtamẽ laborẽ propter Christum subire nolunt, quemadmodum Herodes, cũ tamen videant quòd amici Dei non nisi magnis laboribus & tribulationib⁹ beatitudinẽ sint adepti. *Et reuersi apostoli narrauerunt illi quæcunque fecerunt*. Fidelitas illorum apparet, quippè qui ad diuinum consortium sicut colũba Noë redierunt: ipsi enim veluti columbæ simplicitate præditi erant. Ostenditur etiam eorum fidelitas, quia nihil Christũ dominũ latere voluerunt: sed narrauerunt omnia quæ gesserant, non vt eum erudirent, cuius oculis omnia nuda & aperta fatetur scriptura: sed vt insinuarent se etiam nolle latere, si abscondi possent. Narrauerũt etiã quia de rebus probè gestis proprium commodum non quærebant, sed omnia in Deũ referunt, iuxta illud Apostoli, Omnia in gloriam Dei facite, sine offensione. Sequitur in contextu. *Et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum qui est Bethsaida*. In desertũ inquit noster euangelista quod secessit dominus, tradens in hoc apostolis & eorum in eodem munere successoribus, exemplum: quia cùm munus illud versandum erat inter homines, in qua consuetudine non potest non aliquantum distrahi prædicatorum animus: idcircò oportet, vt verbi Dei prædicatores secedant interdum, & ad sollicitudinem tendant: vbi Deum alloquentes ab eo accipiant quod rursus aliis impartiãtur. Verùm si ij qui semper in spiritualibus occupantur opus habent recessu ac solitudine: quantò potiori iure illis est necessarium qui tota die terrenis negotiationibus & huius vitæ curis occupantur? Agricolæ enim nõ singulis annis perpetuo opere agros fatigant, vt quotannis fructum ferant: sed cessare eos faciunt vt ex illo interuallo & requie fœcundiores & copiosiores reddant fructus. Sic & nos si terrenis occupationibus interdum pepercerimus, multò fœliciùs nobiscum agetur etiã circa ea quæ ad egentem vitam pertinent. Prætereà non sunt hîc ciuitates & oppida, non delitiæ, &c. Hunc locum elegit dominus vbi pascat suos. Tale enim domini ingenium est, vt præsto sit vbi minus remedij speratur. Ex eo quidem patet, nam Iudæos in deserto manna cœlesti cibauit, Dauidi apparuit in terra deserta & inaquosa: & Helias pascitur à coruis in deserto. Ex his quidem deduci potest eos diuinæ gratiæ participes esse qui mundi tumultum & strepitum fugientes, solitudinem & quietem amplectuntur. Quapropter Mosi nõ dabatur videre Deũ donec in desertum exiret, & Deus ad sponsam inquit, Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Itaque quos Deus cõsolari vult hos in desertum primum adducit, & cum ab eo derelicti existimantur, proculdubio illis adest & præsto diuinum solatium, adfuitque istis qui secuti sunt eum in desertum. ¶ Deniq; derelinquens impios & incredulos Iudæos abiit trans mare Galilææ in desertum locum: ne tot & tam crebras inspirationes eis immitteret. Sciebat enim Christus quòd Iudæi abeuntes beneficiis ab eo receptis arctiorem erant reddituri rationẽ, ac ideò acriores cruciatus passuri: quocirca misericordia motus, ab eorũ præsentia recessit. Nec illud certè misericordia vacat, videlicet Deũ nostrum vitam hominibus breuem cõcedere, ne peccatores peccata augentes ampliùs ex eo punirentur. Et licèt actus iustitiæ sit vt peccatori auxilia motiua tã inspirationis quã prædicationis denegentur, est etiã & actus misericordiæ: quia obstinatus qui abutitur huiusmodi auxiliis diuinis, maiorem reddet rationẽ. Ne igitur peccatores puniantur propter abusum tantæ gratiæ auxilij & inspirationum, aufert ea Deus ab eo quem abusurũ prænouit. Demum vt Ioannes dicit subiit in montem Iesus vt doceat suo exẽplo terrena hæc despicere & cœlestia quærere: ea enim quæ sursum sunt quæramus (vt Paulus docet) non quæ super terram, arbitrantes omnia ista vt stercora, vt Christo ardentissimo amore vniamur. Porrò hoc nomen Bethsaida æquiuocum est ad desertum & ad ciuitatem. Bethsaida namque ciuitas est Galilææ, à qua erant Petrus, & Andræas, & Philippus: & hoc etiam erat desertum pertinens ad ciuitatem Bethsaidæ, vbi hoc miraculum fuisse factũ memoratur iuxta mare Galilææ, non longè à Bethsaida. *Quod enim vt cognouissent turbæ secutæ sunt illum*. Beat⁹ Marcus de hoc scribens ait, quod pedestres sequebãtur eum: quo verbo feruens desideriũ turbæ exprimitur. Turbam etiam dicit, hoc est, plebem & cõmunem populũ, nõ verò nobiles, principes, & magnates: tales enim nimis sunt delitiosi & indulgentiæ studiosi,

Matth. 6. 2. Reg. 1. Matth 28. Saluari omnes volũt, sed sine molestia. Luc. 19. Prouer. 14. Can. 3. Ierem. 29. Numer. 21. Genes. 8. Hebræ. 4. 1. Cor. 10. Exod. 16. Psalm. 62. 3. Reg. 17. Exod. 3. Osee 2. Beda lib. 9. in Lucam 33. 10. 5. Ioan. 6. Coloss. 3. Philip. 3. Beda vt supra. Mar. 6.

ſtudioſi,nec poſſunt pedeſtres ambulare præſertim ad id quod ſatis illis laborioſum eſſe ſolet, videlicet conciones audire nec diuinis officiis & cæremoniis intereſſe.miſſam autem neceſſariò audiendam domi ſuæ ſemper audire vellent ſi poſſent, tantáque eorum erga iſta pigritia eſt. *Matth. 14.* Petrus Chriſto dixit, Si tu es,iube me venire ad te. At iſti nolũt ire ad Chriſtum:ſed quod Chriſtus veniat ad illos. Quomodo ſubſequentur Chriſtum in deſerto rogo,qui tam tardi & pigri ſunt in eundo ad templũ vſque ad videndum & adorandum illum. Sed de his iam ſatis.

Spiritualium vera ſollicitudo negligit temporalia.

¶ Expende etiam vim & efficaciam verbi diuini & quantopere reddat ſuſpenſum humanum animum,& quantum eleuet corda, ſumma illa dulcedo,& fauus ille diuini verbi ac prædicationis Chriſti. Obliti enim ſunt fœlices iſti Chriſti ſectatores, & auditores portare panem ad manducandum, quapropter neceſſe fuit vt per miraculum prouideret dominus huic vrgẽti neceſſitati:cura enim ſpiritualium bonorum obliuionis cauſa temporaliũ eſſe ſolet, & per oppoſitũ cura & nimia ſollicitudo temporalium, ſpiritualia in obliuionem adducit. Intellectui enim contingit plura ſcire, hoc eſt habitualiter:intelligere verò non item hoc eſt actualiter. Nam cùm intellectus actualiter occupatur in vno,non poteſt ſimul eodémque momento in altero occupari : quapropter fit vt qui in minimis occupat intellectũ,nõ poſſit cogitare maiora. Ideóq; cùm occupamur in his minutiſſimis & temporalibus,non valemus præcipuis vacare & maioribus: fit inde ſalutis animi profligatio & omnimoda vitæ ſpiritualis obliuio:perindè ac ſi huius ſæculi perpetui ciues futuri eſſemus,& ad futuram vitam nũquam migraturi. Sed qui Deo vacant,ipſiq; ſe totos tradunt, circa temporalia negligentes ſunt: quemadmodum iſta turba quæ Chriſtum ſequebatur, ita in hoc intenta fuit vt neque ſui nec ciborũ recordata ſit. Porrò adimpletum hìc eſſe cernimus *Eſaiæ.2.* illud quod olim prædixerat Eſaias. Fluent ad eum omnes gẽtes,& ibunt ad illum populi multi & dicent. Venite aſcendamus ad montem domini & ad domum Dei Iacob,& docebit nos vias ſuas:& ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum domini de Hieruſalem. Igitur vt ad alia procedamus ſequamur non ſegniter Chriſtum:feruor enim huius populi ſocordiam noſtram redarguit multis in rebus. Primo namque ſequebantur Chriſtum propria ſponte nec vocati quidem : nos autem toties vocati,minimè ſequimur. Sequebantur prætereà per mare in deſertum, per rupes, & mõtes arduos procul à ſuis domibus:nos verò propinquiorem Chriſtum habemus in limine certè,& tamẽ tardè venimus eò vbi audire & videre poſſemus. Illi gregatim & milleni Chriſtum ſequebantur:apud nos verò vix hìc & illic vnum videas qui Chriſto ſyncero ſtudio adhæreſcat. Tantò magis hoc exemplo edocti torporem noſtrum excutere debebamus. Quo enim carere minus poſſumus quàm Chriſto? Aequum igitur eſt vt omnem ſpiritualem cibum ab illo expectemus : & apud ipſum *Dan.10.* quæramus. Beati omnes illi qui cum Daniele dicere poſſunt, Et nunc domine quærimus te, ex toto corde,& ſequimur te,&c. *Et excepit eos.* In quo Chriſti benignitas inſinuatur : ad quam hortatur Apoſtolus,dicẽs,Suſcipite inuicẽ ſicut Chriſtus ſuſcepit vos in honorẽ Dei. *Rom.15.* *Et loquebatur eis de regno Dei.*

Attẽdo nõ de ſæcularib⁹,ſed de regno Dei Chriſtus loquebatur,quia qui de terra eſt,de terra loquitur. Chriſtus verò qui de cœlo venit,de cœlo loquitur. *Ioan 3.* Maximè enim cognoſcitur homo in verbis, quia voces ſigna ſunt conceptuum internorũ:ſtat enim ſententia,Ex abundantia cordis os loquitur. Sed cũ Chriſtus totum hominẽ ſanũ fecerit,non ſolũ animas ſed & corpora ſanabat:quapropter ſequitur in cõtextu,*Et eos qui cura indigebãt,ſanabat.* *Luc. 6.* In quo oſtẽditur perfectio dilectionis eius, de qua Ioannes ait, *Ioan. 7.* Filioli non diligamus verbo neque lingua,ſed opere & veritate:quia qui viderit fratrẽ ſuũ neceſſitatẽ habere,& clauſerit viſcera eius,quomodo charitas manet in illo? *1.Ioan.3.* Hic fuit mos Chriſti redẽptoris noſtri vt in Act s legitur qui pertranſiit benefaciendo *Act.10.* & ſanando omnes oppreſſos à diabolo. Docuit inquam & ſanauit,vt tu diſcas quòd vita noſtra verbo & opere conſtet:& neque dicenda ſunt quæ facere non licet,neq; facienda quæ dictu ſunt abſurda. Vide etiã quòd prius prædicauit & locutus eſt eis de regno Dei, & deinde ſanauit eos à languoribus corporis:quia prius agendum eſt de animæ ſalute, quàm de corporis incolumitate. Vnde ipſe Saluator, Primum quærite regnum Dei & iuſtitiã eius,& hæc omnia adiicientur vobis,ſcilicet, externa & temporalia. *Matth.6.* Principalius igitur de animæ ſalute cura eſt habenda, quàm de corpore. Sed iam nũc inter fideles quid niſi de corpore agitur? Quid quæritur niſi corporis valetudo & ſenſibus delectabilia? Hæc totis viribus appetũt homines:hæc diligentiſſimè quærũt,propter hæc caduca & tẽporalia mare circueunt & aridã:frigus,calorẽ,labores & ſudores,pericula & vitæ diſcrimina in his aggregãdis & adipiſcendis facilè tollerant. Curabat igitur Chriſtus dñs priùs animæ infirmitates,prædicãs illis regnũ Dei,deinde corporis lãguores : cuius gratiã ipſum mũdi redẽptorem omnis illa turba,hilari animo ſubſequebatur. Similiter paralyticũ in Capharnaũ intra tectũ demiſſũ curauit ab animæ infirmitatib⁹, dicẽs primò:Fili remittũtur tibi peccata tua.& poſtremò curauit corporis languores. *Matth. 9.* *Luc.5.* Sic etiã & aliũ paraliticũ ſanauit in corpore & anima,q iacuerat in piſcina Bethſaida triginta & octo annos:cui poſteà dixit,Noli ampliùs peccare. *Ioan.5.* Itaque omnes iſti à lãguoribus oppreſſi ad medicũ cœleſtẽ celeriter currebãt : & ideò meruerũt de cõgruo nõ ſolũ à corporalibus infirmitatibus ſanari, verũ etiã ab animæ vlceribus. Nos etiã ſi laborib⁹ aut infirmitatibus detinemur ad Chriſtũ accedamus,veluti iſti fecerũt:iuxta illud,Multiplicatæ ſunt infirmitates eorũ, poſteà accelerauerunt. *Pſal.15.* Ad Deũ ergo nos perducunt,& ad auxiliũ implorãdũ cogũt liberãtq; à peccatis quæ alias cõmitteremus,niſi ab ipſis infirmitatib⁹ impediremur. ¶ Expẽde etiã quod tripliciter Saluator noſter miſericordiã apud iſtos operatus eſt. Primò fatigatus excipiebat eos. Secũdò,inſcios docuit. Tertiò, infirmos curauit:& tandem famelicos ſatiauit. Ex his docet nos quid agere debeamus, quia omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtructio:& ipſe ait,exemplum dedi vobis vt quẽadmodum ego feci ita & vos faciatis. Oportet ergo nos hoſpitales eſſe : quemadmodum Paulus ait, Hoſpitalitatem nolite negligere. *Ioan.13.* *Hebræ.4.* Secundò, docere alios, Docentes omnes gentes. *Matth. 28.* Tertiò infirmos curare, ſicut dominus præcipit dicens,Infirmos curate. *Luc. 10.* Denique hæc beneficia tribuit non omnibus,non inquam pigris : ſed his qui ſtudioſè illum

illum quærunt & sequuntur in labore itineris & in deserto. Illis, inquam, qui non segniter Deum quærunt, & qui libenter verbum Dei audiunt, & auditū non fastidiunt. Sequitur in contextu, *Dies autem cœperat declinare.* *Gula nostra reprehēditur.* Assignat tempus euangelista ad maiorem certitudinem veritatis: & vt magis miraculum hoc commendaret. Statim post meridiem hoc miraculum factum fuisse cōstat: hucúsq; enim detinuit Christus turbam, vt & patientiā eorum probaret, & locum daret miraculo cùm ex necessitate operaretur, & ipsi iam famem paterentur. Perpende autem quàm assiduus fuerit Christus in docendo qui vsque ad diei vesperam non cessauerit docere turbas. Adeò Dei filius animarum saluti studebat, vt oblitus cibum & corpori humano necessaria aduentāte iam vespere adhuc prædicationi vacaret, & adeò populus erat intentus verbis Dei, vt nec recordaretur quidem huic necessitati prouidere. Hoc exemplum est imitandum certè nobis fidelibus tam concionatoribus quā auditoribus. Nūc nondum plenè elucescit dies, cùm iam agitur de cibo & potu, omnísque hominum ferè cura ad corporis alimentū dirigitur, & adeò est illis insita hæc cura ac si nulla alia esset futura gloria nec vita, cum tamen alia sit huic valdè dissimilis, aliáq; vita quærenda, quocirca hanc stultam satis & nociuam solertiam ingemiscit propheta dicens, *Esaia 5.* Væ qui cōsurgitis mane ad ebrietatem sectandam: & opus domini negligitis. Tandem Christus adeò erat prædicationi deditus, & populus attentioni, vt necesse fuerit apostolos meminisse cibi: quapropter sequitur in contextu, *Et accedentes duodecim dixerunt illi, Dimitte turbas, vt euntes in castella villásque quæ circa sunt diuertant, & inueniāt escas, quia hic in loco deserto sumus.* *Aug. lib. 2. de cons. ca. 46.* Nulla est discordia inter euangelistas de hac re: quia considerantes discipuli quòd iam transiret meridies, & quòd Christus adhuc prædicaret, dixerunt illi q; dimitteret turbas: quibus Christus iussit vt pararēt illis ad manducandū, vt hîc dicit Lucas: *Ioan. 6.* & statim post hæc dixit soli Philippo, Vnde ememus panes vt manducent hi? Ex his ergo dictis euangelistarum simul sumptis colligitur vna plena narratio: inter quos nulla est cōtrarietas, cùm vnus euāgelista suppleat, quod alius prætermittit. *Miseris patrocinandum.* ¶ Obserua autē quòd discipuli qui Christo familiares erāt rogauerunt ipsum pro turba: sic etiam cùm mulier illa Chananea clamabat post Christū, apostoli preces fuderunt pro illa: & quod notatu dignū est, illa *Matth. 15.* Chananea nō petiuit ab apostolis auxiliū ad hoc, nec turba hæc sumpsit illos patronos: sed ipsimet spōtè sua ad Christū accedētes rogauerunt illū pro turba. Discat ergo hoc populus Christian^9, & semper intendat patrociniū miseris & egentibus præstare potissimè quib^9 ad hoc patet aditus, vt illi qui appropinquant regibus & principibus & prælatis. Nobiles, diuites, & populorū capita, protegere debent pauperes & eos qui laborāt infirmitate, & pro eis rogare & alloqui iudices: eósque tueri & defendere ab iniuriis & dolis, quæ passim illis fiunt. *Patrocinium magnatorum & aulicorū. 1 Reg. 22.* Sed prôh dolor, non modo opera hæc charitatis impēdunt: imò multi istorum quemadmodum Doëg ille Idumeus familiaritate coniunctus regi Sauli, cui obsecutus est, zizania seminando, dicēs quòd Abimelech sacerdos panes dederat Dauid: quæ quidem monitio ansam præbuit Sauli regi superbo vt *1 Reg. 23. 1. Reg. 26.* interficeret octoginta quinque sacerdotes, & euerteret ciuitatem Nobe. Hoc idem fecisse viros Ceilę & Cipheos aduersus Dauidem scriptura commemorat. Tale quidem semper est patrocinium & auxilium istorum qui principibus & magnatibus adhærent: parui pendentes commodum pauperū, nec dicentes principibus subditorum bona: sed potiùs ea quibus in iram promoueant illos vt puniant & persequantur subditos, quemadmodum faciebat Saul contra Dauidē, motus zizaniis Doëg & aliorum. ¶ Præterea, nullus de turba hoc petit à Christo: quia nouerant illum prudentissimū, & consequenter non eum latere quid eis necesse esset. Sic tu omnia dispositioni diuinæ committe & commenda, iuxta illud beati Petri, Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis. *1. Pet. 5.* ¶ Denique nec apostoli dixerūt Christo quòd satiaret turbas, sed quòd dimitteret: nondum enim crediderant tantam posse satiare multitudinem, quia nihil tale hucúsque viderant *Episcoporū est habere curā pauperū, exēplo apostolorum.* eū fecisse, ideò ex fidei imperfectione hoc dixerunt, quia adhuc non sufficienter de Christo sentiebant, quæ oportebat sentire & credere: nā quando Christus eis iussit parare turbæ cibum respondere debuerant, nos non possumus, tu verò Domine poteris si vis, sed dixerūt, nō habem^9 nisi quinq; panes. Et Philippus interrogatus respōdit ducentorū denariorum panes non sufficient, vt vnusquisq; modicum quid accipiat. Verùm licèt ex fidei defectu argui possint discipuli, tamē laudandi ex alia parte videntur: quia curā habuerunt turbæ, & dominum pro ea rogauerunt. Admonet locus iste prælatos, successores quidem apostolorum, vt solliciti sint & solertes pro necessitatibus pauperum, sicut scimus ex historiis veteres episcopos fuisse: & Paulus sollicitus fuit de collectis pauperum. *1. Cor. 16.* Sed non itē nostri temporis prælati: quinimò multi eorū maiorē curā habent vt delitiosè viuant, ita vt possimus lugere quod olim Ieremias. Pauli (inquit) petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. *Thren. 4.* Pascunt enim seipsos & non gregē, ita vt de eis verè dicatur, Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. *Ezech. 34.* *Ait autē ad illos, Vos date illis manducare.* Discipuli dicunt Christo, dimitte turbas, sed Christus ait date illis manducare: quia diuinæ maiestati non placuit ieiunos dimittere, nec licèt quidē fidelibus & ecclesiasticis viris dimittere pauperes famelicos, sed dare illis manducare. Hoc eum munus est ecclesiasticorum: & sic olim hospitalia pauperum cōsueuerunt iuxta ecclesias situari, vt in promptu essent pauperes: & in hunc finem concessi sunt tot reditus ecclesiis, vt viri ecclesiastici haberent vnde subuenire possent pauperibus. *Ecclesiasticorum munus pauperes refocillare, & nō cantare solū.* Et Christus dominus non solùm ad cantus & cęremonias instituit in ecclesia tot sacerdotes & ministros, imò ad hoc vt post cantica hospitales & pauperum fautores perpetuò essent: magis enim diligit misericordiam quàm sacrificium, & pietatem quàm cantica & organa, quamuis cantica & organa bona sint. Vnde Amos propheta, *Amos 6.* Putant quòd tangunt instrumenta & cantica Dauid bibentes in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph. Arbitrantur suis musicis instrumentis se dęmones expellere, quemadmodum Dauid: dæmones magis timent Dauidis charitatem, quā ipsius cantica. *1. Reg. 16. Nota.* Quapropter vt ecclesiastici sint patres pauperum noluit ecclesia quod sint vxorati: nam si modo consobrinis & cognatis remotis bona ecclesiæ applicant: quid fieret cū filiis legitimis?

mis? Charitas qua olim ecclesiasticæ personæ erga pauperes vtebatur, fuit occasio Christianis, tot, tantáque prædia ecclesiis applicandi: confidebāt enim id in obsequium Dei futurum, fructúsque prædiorū rectè distribuendos inter ministros & pauperes. ¶Secundò commendat locus iste curam quam patres & prælati & gubernatores reipublicę debēt habere de suis. Iacob curam habuit cū audiuit quòd frumenta venderentur in Ægypto, & non filij eius. *Gen 42.* Vnde eis dixit, Quare negligitis? Sic nec hæc turba curam habebat de cibo, sed Christus illam habuit.

¶ Tertiò insinuat quemadmodū Deus necessariò præbet omnibus illis qui vestigia sua sequuntur & nunquā in necessariis deficit. Fac vt officiū pręstes, & non deficiet tibi Deus sicut non defuit istis. Erat sanctus propheta Dan. in lacu leonū in Babylonia atque ibi Deus victū ei præbuit. Sic prouidit Helię *3.Reg.17.* præcipiens viduę Sareptanę vt pasceret eum: & etiā carnes ei ministrans. Sic filiis Israel prouidit in de-*Matth.6.* serto pane cœlesti & māna suauissimo. Ideo dominus ait, Videte volatilia cœli, quæ non semināt neque nēt, &c. & domin⁹ pascit illa. Quapropter Da-*Psal.54.* uid ait in Psal. Iacta cogitatum tuum in domino & ipse te enutriet. Necessariis obliti sequebantur hi homines Christum in deserto, sed nihil eis defuit. Fac vt officiū pręstes, & sequere Christum, minimè pertimescas: ipse tamē te iuuabit atque in rebus ne-*Psal.36.* cessariis tibi non deficiet: scriptum est enim. Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærēs panem. ¶ Quartò aduerte, quòd sicut Christus dedit his victum per manus apostolorum: sic dat pauperibus per manus diuitū Benè poterat Deus ex aëre illos alere, vel facere quòd non famescerent, & idipsum nunc pauperibus concedere, quos Deus potuerat diuitiis omnibus affluentes facere, cùm nullo labore nec sumptu omnes possit diuitiis cumulare: sed voluit in mundo esse pauperes, famelicos, atque omnium rerum penuria, indigētiáq; laborantes, vt diues beneficus esset, quia cupit hoc medio eos salutem consequi, & pauperes etiam patientiā *Necessaria nō superflua quærenda quæ ad sustentationē sunt non quæ ad ostētationem.* habentes regnum cœlorum adipisci. ¶Quintò obseruādum quòd Philippo dicit, Vnde ememus panes vt manducent hi? In quo verbo duo cōsideranda sunt: Primum quòd de panibus interrogat. Cur domine non quæris nisi de solo pane? Vnde (inquit) ememus panes? sunt quidem alia multa de quibus esset cura habenda. Vnde ememus bombycem ad conficiendam tunicam muliebrem aliásque diuersi generis & artis vestes, quas hominum mulierūque elatio & vanitas excogitauit? Dic quæso vnde ememus armillas, annulos, emblēmata, dextrocheria, strata, puluinos serici gausapini, cæteráq; ad mundum muliebrem spectātia, quę nō nisi multis nummis quibus caremus, comparantur? Vnde ememus tot res quibus indigemus, vt possimus vanitatem & superbiam nostram diu sustinere? Vnde ememus ea, quæ sęculi huius perituri, & caduci deliramenta fouent, & enutriunt? Solius nec ibi domine curam habes? Nunquid ignoras multos esse, qui victui necessaria omnino spernunt, vt mundi vanitates possint conseruare? Sed esto, te solius cibi curam habere, cur interrogas de solo pane? cur non quæris vnde habebimus capones, perdices, gallinas, phasianos, attagines, pauones, ceruos, vitulas? Quia hæc somnia superflua sunt, hoc autē necessarium: illud *Tim.6.* ad ostentationem, & istud ad sustentationem. Vnde Paulus, Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Paterfamilias, qui filiis suis alimenta tribuit, præbet sanè necessaria, sed non liguritiones, cupediásque. ¶Secundò interrogauit, vnde ememus panes? non quòd aliquid ignoraret, quia *Principes & prælati subditorū cōsilia nō spernunt.* euangelista dixit, Ipse enim sciebat quid esset facturus: sed interrogauit Philippum, & suos discipulos consuluit, vt doceret ne consilia minorū paruipendamus: sed quāuis prælati simus, & docti, & literati, atque sapientes, sciamus hominis esse errare posse, & alios quāuis minores sint, aliquādo bona cōsulere, & sapienter loqui. Moses vir sapientissimus, & qui cum Deo quotidie loquebatur, audiuit consilium Ietro Madianitæ, & gentilis. Naaman etiam *Exod.18.* Syrus, cùm indignās reuerteretur in curru suo au- *4.Reg.5.* diuit consilium seruorum suorum, quod non est as- *Leg. Augu. lib.2. de q. in Exo.ca.68.* pernatus: sed illis acquiescens descendit, & lauit, se in Iordane, & mundatus est à lepra. Pyropus auro cęlatus pretium suum nequaquam perdit: sic etiam ille, qui sapiens est nihil suæ scientiæ deperdit cùm alium consulit minus sapiētem, sicut aurum minoris æstimatur, quàm Pyropus seu carbunculus, &c. *Gen.37.* Iosepho ipsiusmet cōsilia obfuerunt, quia somniauit spicas ipsummet adorare, & Solē, Lunam, vndecimque stellas cultum ei, & reuerentiam præbere, propter quod in odium fratrum incidit, & ab ipsis venditus est. Somnia verò aliorum ei maximè pro- *Gen.40.* fuerunt, nam somnia pincernæ, & pistoris, & somnia Pharaonis eum magnopere in Ægypto extulerunt, & in maximos dignitatis & honoris gradus collocauerunt. Eodem ferè modo tibiipsi propria consilia perniciem & calamitatem adferunt: aliena verò emolumentum. Multi prælati cōsilia subditorum superbè despiciunt, seipsos sapientissimos, & prudentes existimantes. Christus dominus omniū, & æterna sapientia cōsulit Philippum & simplices, atq; idiotas piscatores: sciēs quid esset facturus, & tu adeò arrogans es, vt consilium subditorum contemnas? Opus est vt principes & prælati habeant iuxta se viros sapientes, cum quibus consulant sua negotia: ideo throni sunt in cęlo iuxta cherubin, vt scias qd illi qui in throno potestatis, & dignitatis sedent, sapientes consulant: & habeāt iuxta se à quibus illuminētur. Quare in Apoc. legitur, quòd qui *Apoc.4.* sedebat in throno habebat in circuitu iuxta se viginti quatuor seniores. Non poterat gressum dare, nisi impingeret in senibus, in quibus est sapientia. Sic qui sedet in cathedra prælaturę, circundatus es- *Sap.4.* se debet senioribus, & sapientibus, non tātùm ætate, quantum moribus, sensu & intellectu: nam vt sapiēs ait, Senectus venerabilis est non diuturna, neque numero annorum computata. Sic dominus di- *Num.11.* xit Moysi, Congrega mihi septuaginta viros de senioribʳ Israel: quos tu nosti, q senes populi sint, & magistri. Ij enim eligendi sunt ad consilia, & regimē populi, consilio enim istorum faciliùs operaberis, & moueberis, Orbes enim inferiores motu proprio ab occidente in orientem parùm ambulant: cœlum solis in vnico anno integro reuolutionem complet: alij etiam cœli per mille annos vix vnum circulum motu proprio perficiunt. Verùm ad motū alterius cœli, scilicet, primi mobilis intra viginti quatuor horarum spatio ab oriente in occidentem, omnes isti cœli inferiores totum circuunt orbem. Sic tu, qui per teipsum solùm, & tuo tantum fretus consilio pauca perficis, & operaris: aliorum suffragio multa plura, & maiora perficies. Subiice te aliorum consilio, libenter patere ab aliis moneri:

& videbis quis sis acturus. Sed ô superbia prælatorum nostri temporis, arrogantia, fastus, & ambitio. Plurimos inuenies, qui maiorum obedientiæ subiecti multis annis vixerunt: at postquã vident se prælatos & liberos ab obedientia, nolunt fatigari vlteriùs iugo obedientiæ, nec alicui obtẽperare, sed volũt sua libertate gaudere, & extẽdere habenas, quicquid cogitant, quicquid appetunt, & desiderãt, denique & quicquid volũt, & cupiũt statim opere adimplent. Hac de causa sapientes odiunt literatos, & viros probos, & cordatos abiiciunt & à se elongãt: stultos autem, & idiotas, insipiẽtes, & fatuos in socios asciscũt, & secum ducũt, & indiuidui comites sunt. Cur ita? Quia cùm sapientibus subditi sunt, & cum stultis prælati, & domini. Dominari volũt, nõ subiici, & sua libertate gaudere: non cõsilio sapientum obtemperare. Cum piis subditi sunt, nam ipsi illicitis obuiant prælatis: discoli tamẽ laudant prælatum licet malum agat, & si prælatus domũ incendere voluerit, statim ignem adducũt. Perpaucos inuenies subditos, qui positi in dignitate, & officio prælaturæ velint consilio vti sapientũ, & subiici viris optimis: quia dominari volunt, non subiici. Natura hæc infirma, & imbecillis, libertate gaudet, & fruitur illa, nisi ratione, & Dei spiritu, & virtute regatur, &c. Sed ad contextum, *Ait illi dixerunt, Nõ sunt nobis plusquam quinque panes & duo pisces: nisi fortè nos emamus in omnem hãc turbam escas.* Ex quo patet quòd isti panes discipulorum erant, & non aliorum: & etiam patet quia dixerunt, dimitte turbas, quod non dixissent, si indiguissent ipsi cibo sicut turba, sed dixissent eamus & quæramus omnibus cibos.

Matt. 10.
Apostolorum parsimonia & liberalitas.

¶Quæro, si dominus dixerat apostolis, Nolite portare sacculũ, neq; perã, neque calceamenta, &c. Quomodo hic panes portabant? Dicendum quòd hoc illis præcipit cùm ad prædicandum mittebat eos: verùm hic à prædicatione redibant apostoli secuturi dominum, & ex consuetudine aliquid secum acceperant, sicut alio in loco commemoratur eos fuisse panis oblitos. Discant hîc prædicatores verbi Dei, quàm austeram oporteat vitam habere: cùm hîc apostoli magni principes ecclesiæ nõ lauta conuiuia, aut cibos secum portabãt, sed panes hordeaceos, & paucissimos. Discant etiam ab apostolis humanitatem quam habebant, qui præsentem necessitatem videntes parati sunt omnes suas pecunias exponere, & ipsi ire emere escas ad turbas satiandas ne deficerent: exemplo enim magistri didicerunt esse hospitales. Arguitur nostra tenacitas, & animus nullo commiserationis affectu vincibilis. Ipsi necessaria impartiri erant parati: sed nos pauperibus de his etiam, quæ superflua habemus, & quibus non vtimur, non largimur: nimium nobis videtur quicquid aliis in necessitate impartimur, ita vt exempla sanctorum apostolorum apud nos Christianos nunc sint quàm rarissima.

Ioan. 6.

Ioan. 6.
Temporalia puero commisit Christus vt vilia, sed ecclesiã Petro bam jem.

¶Obserua quòd istos quinque panes vnus puer portabat, & habebat: vt inquit Ioann. Commendat Christus dominus ecclesiam suam Diuo Petro, cõstituitque episcopos animarum pastores apostolos sanctos, & virtute præditos: iis animas commẽdat, & officium prædicandi: crumenam verò & pecuniam Iudæ tradit, & panis, alimentum corporeum, puero custodiendus datur. Quid hoc est domine? Puero ne cura panis & cibi comedendi committẽda fuit? In hoc videbis quàm paruipendat Deus res has temporales, & in quanto pretio habeat res spirituales: commendat hominibus virtutis sectatoribus & sanctis & bonę frugis: at res temporales cuiuis, etiam negligenti committit curandas, & cibũ victũmque corporeum puero ad ministrãdum dat. Non sic faciunt multi episcopi, qui non constituũt sibi Oeconomos & obsonatores nisi homines præditos & fideles, & bonæ mentis, ne furentur. Vt cõfidant claues pecuniarum, vel tritici, vel bonorum temporalium, quærunt meliorem, & optimæ conscientiæ: at verò ecclesiæ beneficia, & præbendas pueris conferunt, quia consobrini, & consanguinei sunt: res temporales commendant hominibus iam puberibus perfecti iudicij, & cõsciẽtiæ: at verò animarum curam committunt puerulo, & bona spiritualia commendant infantibus. Ecõtra dominus Iesus. Quando Deus prædixit mortem Mosi, statim ipse habuit curam quòd Deus traderet populum, cui ipse præerat, homini digno, & iusto, & dixit, Prouideat dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem qui possit esse super multitudinem hãc, & possit exire, & intrare, &c. ¶Expende etiam hominum cõditionem, quæ quidem impossibilia existimat, quæ Deo facillima sunt. Sic Moses ferè dixit hæc verba, quæ apostoli dixerunt diffidentes, Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis dabo ei esum carnium mense integro. Vides quid natura, & ratio facit, ac cogitat in necessitate quæ tantum præsenti frumenta inhiat, & si quid horum desit, nullus consilij est. At fides longè alios oculos habet, qui non tantum ea, quæ in pręsentia sunt vident, sed Dei omnipotentiam considerant. Multa miracula viderant apostoli, & ipsi fecerant: nunc autem cùm necessitas adest, dubitare incipiunt & diffidere. Ioannes dicit, quod Philippus diffidens dixit, ducẽtorum denariorum, &c. Et Andreas subdidit, est puer vnus hîc habens quinque panes hordeaceos & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tãtos? Quod Lucas in genere de paucitate fidei apostolorum loquutus est: Ioannes specialiter dixit de Philippo, & postea de Andrea fratre eius. Vbi vide quomodo vnus homo peccans adducat alium ad peccandum. Diffidentia Philippi adducit Andream ad suum peccatum: sic Eua traxit Adam ad peccandum, postquam ipsa peccauerat: & filia maior Loth traxit minorem, &c. Hanc autem discipulorum incredulitatem scribunt euangelistæ, vt ex ipsis discamus non diffidere, & ardentiùs petamus. Domine adauge nobis fidem: cum tamen difficile sit in necessitate fidere. Erant ferè quinque millia hominum, & nullus alterum iuuare poterat, sed nec apostoli, nisi solus ipse Christus: sancti multum valent apud Deum ad nostrum adiutorium: attamen sine ipso Deo parum prosunt. Verùm vt tu videas quòd non tractat nos Christus iuxta exigentiam meritorum nostrorum, nisi secundum suam bonitatem, & clementiam. Non enim secundum opera iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiã saluos nos fecit: sicut enim pater miseretur filiorũ, misertus est dominus nobis, recordatus est enim quòd puluis sumus, &c. Ideóque non obstantibus quod apostoli non credebant, & quod diffidebant: tamen dominus suæ benignitatis non oblitus, miraculum facere non dubitauit. Sed vt miraculi magnitudinem ostendat, scribit euangelista numerum virorum, qui illic erant, dicens, *Erant autem ferè viri quinque millia.* Dicũtur viri masculini sexus à viginti annis & suprà valentes ad bella procedere. De mulieribus

Num. 27.
Num. 11.
Gen. 3.
Gen. 19.
Luc. 17.
Psal. 102.

Nume.1. lieribus verò, & paruulis, qui forsitan Numer. virorum vicerunt, non fit mentio, quia secundum consuetudinem legis, soli viri numerari consueuerunt. Matt. & Marc. simpliciter dicunt quod erant quinque millia virorum, non curantes de tali excessu, vel defectu tantillo. Consuetudo enim scripturæ est, vt ponendo notabilem quantitatem in magnitudine vel multitudine, non curet de modico quod *Gen 5.* fortè superfuit, aut defuit. Sic enim in veteri testamento dicuntur homines tot annis vixisse, & rarò, vel nunquam fit mentio nisi de annis, cum tamen non sit verisimile, quod omnes illi vixerunt tot annis præcisè, quasi eodem die morientes, quo nati fuerunt. *Ait autem ad discipulos suos. Facite illos discumbere per conuiuia, quinquagenos.* Non arguit eos de fide modica & fragili, sed dicit, facite discumbere: si autem illi tunc temporis instarent dicẽtes, Quorsum *Peccare humanum, perseuerare diabolicum.* debent sedere cum quinque panes non sufficiant vt quisque possit ne bucellam quidem accipere? Tunc sanè Christus eos reprehendisset. Non valdè Deus miratur quòd peccata & flagitia committamus, qa ipse cognouit figmentum nostrum, & scit nos esse imbecilles & ad peccandum pronos, attamen maximè miratur cùm ad peccandum remittimur & contendimus, & ad peccatum tanquam ad vomitum reuertimur in ipso perseuerantes, & maxima cum obstinatione. Peccauerunt quidem apostoli credentes Christum haudquaquam posse quinque panibus tot turbas reficere: Christus autem nullo modo eos reprehendit, aut verbum vllum durum illis exprobat. Attamen si cùm eis præciperat vt facerent turbas discũbere, ipsi institissent & replicassent dicentes non opus esse, cum modici essent panes ad tantam turbam reficiendam, tunc equidem Christus tanquam renitentibus, & in sua modica fide persistentibus eis obuiasset. Sed ipsi apostoli sancti ad se reuertẽtes, & perpẽdẽtes miracula quæ paulò ante viderant magistrum suum edere, pœnituerunt præteritæ culpæ, credideruntq́; Christum dominũ posse totã illã multitudinẽ hominũ satiare, & sic magistro suo obtẽperarunt sine renitentia, & dubio suæ potestatis, sicut antea fecerant. Sic e*Ioan.13.* tiam Diuo Petro cùm nolebat Christũ ei pedes lauare prima vice non eũ reprehendit, sed blandè eũ alloquutus est, dicẽs, Quod ego facio tu nescis modo. Quia verò fuit pertinax, & contumax, & semel atque iterum fuit inobediens, tunc eum acriter redarguit dicens, Si non lauero te, non habebis partẽ mecum. Aduerte homo diligenter, quòd si quidem tanquam imbecillis lapsus es, attamen surgere ne moreris, & ad te iterum reuertaris, & conuertaris, teipsúmque corrigas sicuti fecerunt sancti isti apostoli. Hominum est peccare, dæmonum verò perseuerare, siquidem peccas, sit tanquam casu, & fortè fortuna, nõ verò data opera, vel prudens, & sciens, cùm pertinacia tãquam proteruus, & versutus. Reuertere confestim ad Deum, non autem sis obdura*Baruc 3.* tus tanquam dæmon. Hoc deflebat propheta Baru. super Israel dicẽs, Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? Inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum. Præterea etiamsi Christus eos verbis non reprehendit, operibus tamen obiurgauit: nam satis eorum incredulitatẽ taxauit cùm viderunt quid Christus fecerit & miraculum ingens quod patrauit, & ipsi cõfusi & suspensi essent propter incredulitatem qua priùs affecti, & commaculati fuerant. Sic etiam Deus & reprehẽdit operibus, ægritudines, & ærumnas inferendo, vt teipsum corrigas & emendes, & ad bonam frugem confugias: & non solùm per seipsum, verùmetiam per opera & exempla suorum seruorum. Quidnam esse putas cùm vides vicinum tuum tota integra quadragesima ieiunantem, omnibúsque quadragesimalibus diebus sacrum & concionem audiẽtem, nisi reprehensionem, quam Deus tibi infert, tibi (inquã) qui cœnã capis, & dormis vsq; ad meridiẽ? Sancta vita illius & exẽplo te reprehẽdit Deus, & castigat, &c.

¶ Obserua autem quòd præcipit, vt per cõuiuia sedeant quinquageni ordinatim: quia, vt Paul. ait, ea *In mũdo cõfusa & prepostera omnia.* quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Et iterum, Omnia *Rom.13.* honestè, & secũdũ ordinẽ fiãt in vobis. Multũ enim *1.Cor.14.* Deũ offendit cõfundere, q ipse voluit vt essent discreta. Ideò prohibuit dominus agrũ diuerso semine *Leuit.19.* seminari, animalia diuersarum specierum coire, & vestem diuersis liciis textam gestare. Hac de causa lucem diuisit Deus à tenebris, aquas ab aquis, & à *Gen.1.* terra aquas segregauit. Et in Leu. præcipit, vt mem*Leuit.1.* bra vituli, qui offerebatur in sacrificium, essent ordinata, strue lignorum ante composita. Vides quomodo Deus etiam ligna, & omnia vult quòd sint composita, & ordinata? Ioseph etiam in Ægypto *Gen.41.* voluit vt fratres ordinatè sederent in mensa, primogeniti iuxta primogenita sua: & minimi iuxta ætatem suam. Sed iam nunc mundus imago est inferni: vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Tanti se facit cerdo & sutor, quãti eques & no*Iob.10.* bilis: tam opipare vult comedere, tamq; sumptuosa, & nitida vti veste, qui paucos habet nummos, quàm qui ingentes. Nemo vult seipsum agnoscere, nec expendere iuxta id quod possidet. Et sic videbis multos pigneratos, ære alieno oppressos, denique perditos eò quòd nullum obseruant ordinẽ & modum in expendendo. Vnusquisque, & si non tantas habeat possessiones, & bona sicut alius, vult tamen haberi æquè bonus imò melior alio. Et sic mũdus ad interitum ruit, & homines cõsumuntur, & pereunt omnino: adeò, vt nullus sit, qui argenteũ quidem possideat. Cur quæso? Quia in sumptibus, & expensis modus, & ordo non seruatur vllus, &c. *Et ita fecerunt.* Sicut præcepit dominus ita apostoli fe*Dei opera nõ metienda nostro modulo, & intellectu.* cerunt, quod certè non facerent, nisi crederẽt quòd posset illos satiare ex illis quinque panibus, nam si non crederent. Ad quid præcipis vt sedeant, cum non sint nobis, nisi quinque panes? Tamen credentes fecerunt quod iusserat dominus, in quo facto duo considera: Primum est quomodo iam apostoli proficiũt in fide, ita vt credãt simplici verbo Christi, nihil interrogantes, neque dubitãtes. Docemur eorum exemplo ne in Dei mandatis curiosè quid disquiramus cur hoc, vel illud preceperit Deus, aut quî fieri possit, sed simpliciter credere, & morigerari debemus, sicut Abraham, qui credidit Deo, & re*Gen.22.* putatum est illi ad iustitiam. Cùm Christus loqueretur cum Nicodemo de arduis rebus fidei malè ille interrogauit dicens, Quomodo possunt hæc fieri? Noli metiri opera Dei, tam parua mensura sicut *Rom.4.* est tuus intellectus & mens. Si ego Deũ, & res suas *Gala 3.* casu impossibili comprehẽderem, ob id solum Deo *Iac.2.* non crederem: non enim debeo ego credere Deo *Ioan.3.* tam paruo, quem mens intellectus capit. Ideò quãto minus Deum assequor, tanto intelligo eum esse incomprehensibilem, & immẽsum: & quia est tam incomprehensibilis & infinitus, propterea eum

 adoro,

adoro, & habeo pro Deo meo omnipotenti, eique credo. Non disputant hîc cum Christo apostoli: sed simpliciter audiunt, credunt, & obediunt. Cur quæso peccauit Eua? Quia cum dæmone disputauit & disseruit quid Christus ei præceperit.

Quare, cum dæmone non sit disputandum in scriptura.

Gen. 3.

Quando dæmon ei dixit, cur præcepit vobis Deus, vt de ligno vitæ ne comederitis? deberet sanè ipsa respondere, Deus nobis hoc præcepit, & hoc sat est, me illi obedire. Cur præceperit, non est subditi inquirere: quoniam eius officium est obtemperare, & nô disputare.

2. Cor. 11.

Vnde Paulus Corinthiis suis ait, Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua: ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo. Sed de his aliàs. Secundò vide sanctorum apostolorum obedientiam, qui nihil cunctantes, aut interrogantes fecerunt quod dominus præcepit.

Gen. 22.

Sic Abrahæ obedientia multis nominibus in scriptura commendatur, qui sic domino præcipienti obediuit, cùm filium voluit sacrificare: vera enim fides & obedientia non disputant, sed simpliciter obediunt. Discamus ab apostolis hanc promptam obedientiam, & sedulò in omnibus obedire præpositis: obedientia enim qua eques in paradysum vadit, alieno sensui, & alienæ voluntati, quasi pedibus alienis, innitendo: ideo velociùs vadit, quia pedes, quibus innititur, velociores sunt propriis.

Prou. 3. De his Salomon ait, Viæ eius, viæ pulchræ.

Num. 19. In Numeris etiã habetur, quòd vas quod ligaturam desuper nô habet, esset immundum. Alliga tuam voluntatem, quæ est vas Dei, submittendo illam, & colligando illam voluntati Prælati, si nô vis esse vas reprobatum à templo domini.

Gen. 16. Omne malum & infortunium quod Agar contigit vt à domo domini sui exterminaretur, propterea ei accidit, quia noluit esse obediens dominæ suæ Saræ: & sic ei inobedienti non defuerunt angustiæ, gemitus, ærumnæque in deserto, sicuti nec tibi deerut nisi obedias: nec extra obedientiam inuenies requiem, nec perfectum gaudium. Ideò, Reuertere (dixit Angelus) & humiliare prælato tuo, &c. *Et discubuerunt omnes.* Quemadmodum sancti apostoli simpliciter credebant, & faciebât quod illis Christus iniunxerat, sic faciebat & populus. Sic quando prælati ecclesiæ benè viuunt, oues eadem faciunt. Nemo, cur discumbere debent interrogat, sed simpliciter obedientes, spe bona discumbebant. At vbi se parant homines, ibi Deus libenter sua opera facit: imò nulla est alia causa quòd parcus Deus in nos sit, quàm quòd illi obstamus. Iubet nos discûbere, sed nemo est qui obsequatur. Quisquis autem illo iubente non discumbit, & morem gerit, eum quoq; non pascit. Nullus enim potest edere de panibus Iesu, nisi obedierit Iesu, & fecerit quod præcepit illi Deus: sic etiam non sedebit in mensa Iesu in regno eius cœlesti, si non obseruauerit præcepta, & mandata, quæ ipse tradidit. Obserua etiam quòd discubuerunt omnes in deserto illo super terram, pauci enim eorum habebant vestes prætiosas, si enim habuissent, vix recûbere voluissent, super terram, vt intelligas non multos sapientes, nobiles aut diuites ex Christi pane mâducare: vel certè si diuites, & nobiles erant, hæc contemnentes in vili humo sederût. Itaq; hi diuitias & delicias contênant, & in nouissimo loco recûbant, vt edere possint. Ergo ad edendum panem hunc, requiritur ea animi modestia, vt non te credas altiori loco dignum, quã humili terra. Tum requiritur ea obedientia ad domini voluntatem, vt si te ex regio throno ad puluerem descendere præceperit, non murmures, sed facilem te præbeas. Eant nunc pomposi homines, auro, & purpura tecti, eant superbi, eant præfati, vt cibo cœlesti satientur. *Num. 11.* Nô sapit cibus hîc pleno stomacho: nec sapit manna his, qui cepis, & aliis sunt satiati. Sed procedamus, *Acceptis autem quinque panibus & duobus piscibus, suspexit in cœlum.* Iã incipit Christus suam omnipotentiam declarare. Distulit dominus miraculum, & expectauit vt famem turbæ paterentur, & imbecillitatem discipulorum expertus est, & cùm iam omnia desperata sunt, facit miraculum, vt meliùs cognoscatur.

Dilatio miraculi, quare facta sit.

Ita in nuptiis aquam non conuertit in vinum, donec vini penuria omnibus innotuisset: nam si statim succurrisset, antequã necessitas fuisset manifesta, nemo crederet eius virtute id factum fuisse. *Ioan. 2.* Sed duo hîc dicit, primũ quòd accepit panem, & pisces: secundum quòd suspexit in cœlum. Sed singula hæc obseruanda sunt. Primò accepit panem: cùm isti panes erant in manu pueri, non sufficiebant ad satiandam illam maximam multitudinem. At cùm Christus illos in suis manibus sumpsit, creuerunt, & multiplicati sunt. Sic opera quæ tu facis per te, & in tuis manibus, parui momenti sunt: sed cum in manibus Christi ea posueris multiplicabit illa diuina virt⁹, & augebit fruges iustitiæ nostræ. *2. Cor. 9.* *1. Cor. 3.* Nam, vt Paulus ait, non qui seminat, aut qui plantat, sed incrementum dat Deus.

¶ Expende etiam, quòd benè poterat Christus creare panes de nouo, absque eo quòd multiplicaret illos quinque panes: sed noluit nisi quod discipuli eius ei offerrent illos panes.

Deus neminẽ saluat fine sua cooperatione.

Vult nanque nos ei offerre id quod ex nostra parte possumus: ipse verò reliquum perficiet quod quidem est præcipuum. Non ergo ij panes sufficiebant nisi Deus miraculum fecisset. Nequaquam vult Deus totum perficere: imò quod tu etiam aliquid agas, vt cœlum merearis. Verumtamen est quod opera nostra ex se non sunt digna, vt mereantur gloriam æternam: *Rom. 8.* at per merita Christi & gratia diuina adiuuante, & fauente consequemur, & merebimur gloriam. Minimè vult Deus totum facere, imò quòd simus & nos adiutores Dei, & cooperatores Christi offerentes ei panes, & faciêtes ex nobis id quod possumus, tunc autem Deus nos adiuuabit, & gratiam dabit, eiúsque adiutorio, & fauore miraculum fiet. *Iud. 7.* Minimum quidem fuit quod fecit Gedeon & eius socij, quando Madian vicerunt: attamen voluit Deus illam victoriam dare Gedeoni, & illis trecentis viris: non verò propter illos timidos, & imbecilles, quos eiecerunt & repudiarût. Deus est qui facit sanctos, iuxta illud Pauli, Non ego, sed gratia Dei mecum. *1. Cor. 15.* Verumtamen hæc gratia non confertur à Deo nisi illis qui se disponunt & præparant, & vtuntur benè accepta gratia. Non totum es tu facturus: nec totũ debes Deo relinquere te nihil agente, & operante. Tu ex tua parte fac quod teneris, & Deus ex sua faciet id quod est præcipuum, & vtroque operante, scilicet, tu & Deus, & Deus & tu, tunc fiet miraculũ. Homines offerunt panes, Christus autê miraculum facit. Parum prodesset quòd homines offerrêt panes, ni Christus suam adiungeret omnipotentiã. Nec etiam Christus vult sua omnipotentia vti, nisi ei dederimus panes. Rectè quidem poterat te in cœlum deducere, sine hoc quòd tu aliquid adderes: attamen vult quòd tu etiam labores: & offeras panes, & facias quod potes. Totum igitur gratiæ magis quam

quàm viribus nostris ascribendum: tamen & viribus nostris, quia gratia non facit sine viribus nostris, sed nec vires nostræ faciunt nisi per gratiam Dei cooperantis: illa excitante, illa dirigente, ac adiuuante, fiunt à nobis opera euangelicę functionis, grata Deo, & meritoria vitæ. Ideoque vult à nobis panes, quos accipiens in manibus multiplicauit, deditque virtutem satiandi turbas.

¶ Secundò postquam accepit panes suspexit in cœlum. Docet totum quod agimus, & quicquid in nobis est: Deo ascribere, siquidē omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendēs à patre luminum. Quicquid enim agimus, propter Deū facere studeamus, præsertim eleemosynam, intēri soli in Deo: & oculos nostros, & intētionem ad ipsum solum Deum eleuando. Vnde dominus, Cùm facis eleemosynā noli tuba canere ante te &c. sed pater tuus, qui videt in abscōdito, reddet tibi. Vidua Heliæ clausit post se ianuam. Docet etiam sustentationem nostram, quæ per cibum est, à Deo expectare: ideo debemus oculos nostros ad Deū erigere quasi ab eo suscepturi quòd petimus. Et cùm in omnibus debeamus oculos nostros attollere ad Deū, & in petitione cibi corporalis. Ideò dicitur in Psal. Oculi omnium in te sperant domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Et quia Deus, ad quem respicimus est in cœlis, debemus oculos in cœlum erigere. Ideò Dauid, Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Obserua autem quòd aliquando Christus facturus miracula, aspiciebat in cœlum quasi petens aliquid ab eo interdum non aspicit, sed cùm potestate loquitur, quasi nihil ab alio suscipiens. Volebat enim aliquando operari in potestate propria, vt non crederetur minor patre: vt Arriani putauerunt, cùm esset ei naturale operari miracula. Sed leuabat oculos aliquoties ad patrē: vt ostēderet quòd in quantum homo minor erat patre. *Et benedixit illu. & fregit.* Solebant Iudæi benedicere eleuando manum, & ponendo illam apertam super id quod erat benedicendum, vt in Leuiti. habetur de Aaron summo sacerdote. Iacob etiam posuit manum super capita Ephraim, & Manasses. Verba autem, quæ dicebant habentur in lib. Num. Potest tamen hîc accipi, benedicere, pro multiplicare bona, vt sæpè sumitur in sacris literis, de qua benedictione iam in superioribus loquuti sumus plura. Quomodo autem Iudæi benedicebant panem & vinum cùm sedebant in mensa, inferius differemus cùm venerimus ad locū vbi Christus corpus & sanguinem suum consecrauit. Hîc verò nolo amplius immorari in iis benedictionibus, quia vt ego existimo, hoc quod hîc dicit diuus Lucas sub nomine benedictionis, credo non fuisse benedictionem, eo modo quo sumitur benedicere aliis in locis, nam hoc quod hîc dicit benedixit, intelligitur & sumitur pro gratias agere: & sic inquit D. Ioan. accepit Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit: sæpè enim in scriptura sacra benedicere sumitur pro gratias agere, seu laudare. Sic in Deuter. dicitur, Obserua vt benedicas dominum cum satiatus fueris. Et illud, Benedixit Esdr. dominum Deum altissimum. Et Tob. Omni tempore benedic Deum. Et in lib. Dan. dicitur, Benedicit Dan. Deum. Et Dauid sępè hoc vocabulo vtitur pro gratiis agendis Deo. Potest etiam dici quòd benedixerit Christus panes more Iudæorum, dicens, Benedictus sis domine Deus noster, rex mundi, qui educis panem de terra. Et post hæc gratias egerit, vt ait Ioannes: Itaq; vtrumque verissimile est quod fecerit. Voluit autem benedicere, ac gratias agere pro corporali cibo, vt doceat nos Deo gratias agere cùm ad mensam accedimus, & quòd Deum benedicamus. Sic in primo Regū habetur quod puellæ dixerunt Sauli, Non est comesturus populus, donec ille (s. Samuel) veniat: quia ipse benedicet hostiæ, & deinceps comedent, qui vocati sunt. Propter hoc potiùs in isto miraculo benedixit, & gratias egit, quàm in aliis: non enim inuenitur in alio benedixisse, nisi in hoc miraculo. *Et distribuit discipulis suis vt ponerent ante turbas.* Non ipsemet, sed per suos discipulos panes porrigit turbis, ne fraude, aut prę-stigio, aliquo rem geri suspicari quis possit. Vbique negotium ita instituit, vt fides nostra per id confirmaretur. Multiplicatio autem hæc fiebat tam in manibus Christi frangentis, quàm in manibus discipulorum portantium, quàm in manibus rursus turbarum frangentium, in oribus manducantium. Multiplicabat autem illos diuina potentia, conuertendo aliquam materiam in panem: nam quælibet materia est in potentia obedientiali ad Deum, vt de illa faciat quod voluerit: & cùm natura per successiones alterationum suarum possit conuertere qualemcunque rem in panem, potest tamen Deus illud subitò facere, & ita Christus poterat aërem, aut quamcumque aliam materiam subitò in panem conuertere, de quo turba aleretur. Accipiendo igitur panis maiorem quantitatem, siue hoc fieret per multiplicationem non addita aliqua quantitate, siue per conuersionem alicuius materiæ extrinsecæ in panem: maximum erat hoc miraculum. ¶ Ad nostram verò eruditionem aliqua in hoc contextu obseruanda sunt. Primùm quòd discipulis suis, qui apostoli erant, principes terræ, doctores orbis, & Seraphini Ecclesię militantis, iubet vt seruiant populis: vt tu discas humilitatem: quantumcunque enim aliqua dignitate fulgeas (quæ maior dignitate apostolica esse non potest in terris) debes humiliare teipsum, & pauperculis, & famelicis seruire, & ministrare. Hæc est Christi Iesu doctrina, in cuius schola docetur illud, Qui maior est inter vos, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. ¶ Secundò in hoc quod ait quòd discipuli distribuebant, discimus munus esse prælatorū cibare & alere populum cibo spirituali intelligentiæ, & populi eum recipere. Non se insinuet vulgus, nec se intericiat in officium & munus prę-lati: sed contentum sit recipiendi cibum fractum per manus prælati. Hoc voluit nobis Deus significare & innuere cùm legem dixit, deditque Moysi. Noluit nanque populum in montem ascendere cum Moyse, sed quòd maneret ad radices montis: & quòd ab ipso Moyse legem susciperet. Pernicies & nocumentum est reipublicæ quòd populus velit suffragia habere, & suum interponere consilium inter consules & primates, reipublicæque gubernatores: & sic incommodum & infortunium est quòd vulgus & imperita multitudo velit per seipsum doctrinam accipere, & imbibere: non verò eam velle sibi communicari per manus prælatorum, & concionatorum. Sed nunc cerdones & sartores concionantur apud Lutheranos. Inter alia quæ ab Ecclesiæ præsidibus optimè prouisa, & cō-

Iac. 1. *Matt. 6.* *4. Reg. 4.* *Psal. 144.* *Psal. 122.* *Benedicere, pro gratias agere.* *Leuit. 9.* *Gen. 48.* *Num. 6* *Cap. 2.* *Ioan. 6.* *Deu. 18.* *3 Esdr. 9.* *Tob. 4.* *Dan. 2.* *1. Reg. 9.* *Luc. 22.* *Munus prælatorū est pauperes alere & instituere.* *Exod. 19.*

stituta sunt ab ipsisque hæreticæ impietatis disquisitoribus rectè animaduersa & ordinata illud etiã non minimam laudem meretur, quòd vernacula biblia prohibuerunt & interdixerunt. Inscius populus doctrinam & sciẽtiam cõcipiat à theologis, & concionatoribus, & ab iis tantummodo, & per manus istorum sapientiam accipiat, & per manus eorum comedant panem vitæ, & doctrinæ, sicut etiam populus hîc comedebat panem, quem apostoli illi administrabant. Nequaquam contendat suismet manibus cibum percipere, ne illo suffocetur: sed eum discerptum manibus sacerdotum accipiat. ¶ Tertiò docemur hîc quanta bona nobis largiatur Deus per manus sanctorum suorum in beatitudine sibi assistentium, prout experti sunt plurimi in præliis beatum Iacobum cernentes, in maris periculis alios cum inuocant sanctos. Hoc quod Christus fecit cùm hac turba distribuens ei panem per manus apostolorum: & nobiscum sæpè facit, largiẽs bona plurima intercessionibus & meritis eorum. Sequitur, *Et manducauerunt omnes, & saturati sunt.* Qui ad Dei mensam comedunt, semper sunt saturati, & contenti. Sic Dauid in persona iustorũ, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Qui Deum diligit, est satur, sed qui mundo obsequitur & obtemperat semper cibis inhiat, & est famelicus. Vnde egregius Psaltes, Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem dominum non minuentur omni bono. Et filius eius Salomõ, Iustus comedit, & replet animam suam, vẽter autẽ impiorum insaturabilis. Cùm quis plures habet diuitias, tũc plures habet indigẽtias: vbi multæ diuitiæ, ibi multi q comedũt eas: quãtò ditiores & locupletiores sunt, tantò plures habent sumptus, & expensas, quas sustinere debent, & sic semper eis desunt nummi, & ære alieno opprimuntur. Et si multas habeant dignitates, semper tamen plures alias affectant, & cõcupiscunt, nec eis vnquam saturantur, & ab ipsa dignitatum & honorum mensa insaturabiles surgunt, nam honoribus nunquam mundani saturantur. Vide Aman, cui rex Assuerus nimis fauebat, & quem maximè extollebat, cui omnia prosperè, & honorificè succedebant, cúmque super omnes ab Assuero diligeretur, & soliũ eius super omnes principes regni collocatum esset: cunctique serui regis, qui in foribus palatij versabant ei genua flecterẽt, & adorarent Aman: tamẽ tristis, & sine solatio erat, dixitque ad vxorem & amicos, postquam eis omnes dignitates suas, & honores retulisset. Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto quandiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias. Multò minus saturant delitiæ & voluptates, & quicquid in mũdo est. Quamobrem in persona omnium mundanorum dixit filius ille prodigus, Ego hic fame pereo. Hoc inferius suo loco interpretabimur, & etiam illud quod antea saluator dixit in parabola filij prodigi, quòd facta est fames in regione illa. Lege ibidem. Sed cum tantam famen patiantur qui mundo seruiunt, tamen ij, qui à Deo pascuntur, saturantur, & contenti sunt, vt satis est hic videre. *Et sublatum est, quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim.* Aduerte quomodo in mensa Dei omnia abundant: sicuti in mensa mundi omnia desunt. Voluit tamen dominus vt superesset ad euidentiam miraculi: nam poterat aliquis dicere quòd illa non fuerit vera saturatio, sed quòd imaginariè visum fuerit comedẽtibus quod saturabãtur.

Pij saturantur, impij insatiabiles.
Psal. 22.
Psal. 33.
Prou. 13.
Eccl. 5.
Hester 1.
Cap. 15.

Sed manendo reliquæ illius saturationis nullus dicere poterat quòd fuerat phantasia, sed veritas rerum. ¶ Ad nostram verò eruditionem discamus quantum possit hospitalitas, & quomodo nostra multiplicantur cum damus ea indigentibus. Illa vidua, quæ pauit Heliam, ex eleemosyna ditata est, nec farina, neque oleum defecerunt ei. Multò plura fuerunt collecta, quàm administrata: plus lucri factum, quàm datum. Quinque panes appositi fuerunt, sed duodecim cophinos collegerunt. Crescit enim quod das pauperi famelico. Vnde in Prouerbiis habetur, Honora dominum de tua substantia, & de primitiis omniũ frugum tuarum da pauperibus: & implebũtur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt. Aliqui diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & sunt in egestate. Discamus ergo pauperibus eleemosynas elargiri, quandoquidem non solùm interiori merito coram Deo erimus maiores, sed etiam in rebus externis augmentabimur. Manna si seruabatur, corrumpebatur & vermibus scaturiebat. Sic bona temporalia corrumpuntur si seruentur. Ideò dominus inferius admonet dicens, Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. Et iterum, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Et quia hæc duo loca inferiùs exponemus, de hac re aliquid dicturi, nunc cætera consideremus. ¶ Aduerte quòd præcepit Christus, vt colligantur fragmenta, ne pereant, quia non vult Deus beneficia quæ in te confert, in te etiam perire, imò quòd gratus sis, & Deo accepta referas. Sic Dauid, Quid retribuam domino, pro omnibus, quæ tribuit mihi? Sic fratres Ioseph restituerunt pecunias, quas ille libenter dederat. Præterea, nec vult dominus vt dona eius prodigaliter consumas, sed sumere solum quod tibi necesse est. Sic de manna noluit dominus vt colligerent filij Israel, nisi quod necessarium erat. Colligite (inquit) ex eo quod ad vescẽdũ sufficit. Sed quid facitis q necessaria, aut potiùs superflua in immensum multiplicatis? Suscipite ad mensuram necessitatis vestrę munera, & dona altissimi: vbi etiam docemur, quàm mala sit superfluitas. Non est parcus dominus, sed quia nouit quanta mala pariat abundantia, voluit nos ad mensuram suis vti donis. Et cum pluit manna de cœlo in magna copia descendere fecit, vt videas quam largus sit dominus: voluit tamen ex copia nos tantum quæ necessaria sunt sumere, vt discamus etiam in rerũ affluentia seruare modestiam, & parcitatem. Ne donis Dei abutamur, néve cõmittamus, vt pereat nobis quicquam quo pauperi succurrere queamus. Credunt nonnulli honorẽ consistere in eo, quòd res destruãtur, & pereant: expendere ita, vt res consumãtur & pereãt, & nullus fructus, & emolumẽtũ ex eis percipiat ab hominib⁹, nequaquã est liberalitas, imò vanitas, & insania. Liberalis sanè Christ⁹ erat, & sic abũdè & liberaliter prouidit, qđ potiùs superfuit, quã defuit. Attamẽ iubet vt colligãtur, & seruẽtur res, q perirẽt ni custodirẽtur. Cupit & vult Deus nos esse liberales, sed nõ prodigos, nec profusos & dispersos. Mala enim, quæ sequũtur ex prodigalitate, & profusione, hæc sunt. s. paupertas vsq; ad mẽdacitatẽ, sicut filius prodigus, qui cupiebat implere vẽtrẽ suũ de siliquis porcorũ, & nemo illi dabat. Frequẽter ẽt aliena aufert, qui prodigè cõfert: vt videre est in nobilibus, & equitibus, q cũ grandi ęris alieni sũma sint onerati

3. Reg. 17.
Prou. 3.
Theop. in hoc loco.
Exo. 16.
Luc. 12.
Luc. 16.
Beneficiis Dei sobriè vtendũ, eaque sua prudenter conseruanda.
Psal. 115.
Gen. 43.
Exo. 16.
Luc. 15.
Prodigalitatis incõmoda.

onerati,& suprà modum sumptuosi & profusi sint, versuram faciunt,suos oppidanos,& villicos excoriant,& deprædantur,vt pecunias,quas debent,soluant,& vt sibi victum paréт. Quorum stultitia tam magna est,quod rem illam,quā super omnia amant facere,ita volunt facere, quod diu facere non possint.Hanc stultitiam ostendit nobis quidam philosophus dicens,De re familiari impartiēdum est,sed moderatè:quid enim stultiùs, quàm quòd libenter facias curare vt diu facere non possis?Prætereà stultitia prodigi magna est,qui nihil videtur de diuitiis quærere nisi peccata: peccat enim in acquisitione earum,& in largitione,& alios habet inde vtilitaté: & videtur plus diligere proximum, quàm seipsum, cùm tamen in veritate,nec proximum, nec se diligat,licèt ex stultitia sua effundat.Ipse quoque doliū est sine fundo, & ideò nō est mirū si effundat quicquid acceperit.Et vt concludam,insipientior videtur quàm auarus quantum ad hoc, quia auarus insipiens est quantum ad Deum solum, sed prodigus quantum ad Deum,& quantum ad mundum.Dies me deficiet dicentem , si mala quæ ex prodigalitate proficiscuntur,& emanāt,persequi velim:quandoquidem multa bona cessant, quæ faceret quidē prodigus,ni magnam æris alieni summam conflaret.&c.

Vulgus Deum laudat in prosperis, in aduersis murmurat. ¶ Obserua autem , quòd vt Ioannes ait:cùm homines illi viderunt signum quod fecerat Iesus laudauerunt illum dicentes,Quia hic est verè propheta,qui venturus est in mundum.Cùm Christus eiiciebat dæmonia,& alia miracula faciebat , non sic laudabant eum:sed nunc quia saturati erant,& dederat eis escas laudant illum.Sic multi in prosperitate cùm Deus dat illis diuitias,honores,cibos,aut bona temporalia,laudant Deum:sed cùm venit tribulatio,aut deficiunt téporalia,siue cibi , murmurant,detrahunt,impatientes fiunt. Sic filij Israel cū exierunt de Aegypto , & viderunt Aegyptios mortuos in mari , quia Deus vindictam fecerat de inimicis eorum,cantauerunt laudantes dominum , & dicentes,Cātemus domino, gloriosè enim magnificatus est,equum & ascensorem proiecit in mare. *Exod. 15.* Sed cùm non habebant quid manducarent : & defecerat farina,quam tulerunt de Aegypto:murmurare cœperunt contra dominum,eo quod eduxerit eos de Aegypto, &c. *Exod. 16.* Iucundum est igitur hoc miraculum , multò tamen iucundiùs fit si consideremus quid per hoc Christus significare voluerit nobis.Vt enim si quis indoctus librum videat ornatū, & literis scriptum elegantibus magnopere delectatur,& collaudat etiam scriptorem,sed quid scriptura contineat,ac complectatur, penitùs ignorat:verùm si quis eiusmodi librum,non modo videat,verumetiam legere : & intelligere possit , bis delectatur , primò ex aspectu libri , secundò ex intellectu scripturæ,& verborum. Sic etiam fit cum hoc , & aliis miraculis Christi.Eleuans itaq; Christus oculos,vt hoc miraculum faceret , docuit omnes consolationes,& omnia auxilia ab illo nobis esse petēda,qui aperit manum suam,& implet omne animal benedictione: *Psal. 144.* à quo (vt Iacobus ait) omne datum optimum,& omne donum perfectum , tanquam à patre luminum descendit *Iaco. 1.* pro quo gratiæ sunt Deo agendæ. Vnde Paulus omne quodcunq; facitis in verbo aut opere , omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facite,gratias agentes Deo. *Colo. 3.* Et iterum, Siue manducatis,siue bibitis,vel aliud quid facitis: *1.Cor. 10.* omnia in gloriam Dei facite.Docet etiam hæc historia omnibus quærentibus Dei regnum, iustitiā, & gloriam,nunquam defore vitæ necessaria , sicut istis non defuit qui Christum sequebantur. *Bonis Dei amatoribus nihil deest.* Non defuerunt carnes Heliæ , nec Danieli cibus in lacu leonum,nec filiis Israel mana in deserto,nec viduæ Sareptanæ,quæ pauit Heliam. *3.Reg.17. Dan 14. Exod.16.* Consolatur nos hoc miraculum, nam si ita potens est Deus, vt lilia,rosas , & flores agri vestiat , & volatilia cœli pascat: quantò magis credētes & in vacatione sua ex charitate per obedientiam ipsum sequentes , & in eo omnem spem suam collocantes,cōseruabit,pascet, & eorum curam geret?Ita promisit dicens,Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius : & hæc omnia subiicientur vobis. *Matth.6.* Sic in Psalmo , Non est inopia timentibus eum. *Psalm 33.* Et iterum , Nō vidi iustum derelictum,nec semen eius quærens panem. *Psalm. 36.* Et rursum,Iacta cogitatum tuum in dominum,& ipse te enutriet. *Psalm. 54.* Aegyptum enim pauit per Ioseph,& Agar in solitudine. *Genes.41. Genes.21.*

¶ Docet etiam externa subsidia non esse reiiciēda,quando haberi possunt.Potuisset quidem Christus ineffabili sua potentia sustentare istos,vt olim Mosen,& Heliam,sed noluit nisi ex quinque panibus,quia illic aderāt.Poterat Noë liberare ab aquis constituens eum in nubibus , vel in alio quouis loco,sed noluit nisi naturali remedio. *Genes. 7.* Docet episcopos,& prælatos ecclesiæ,vt curam gerant subditorum , & vt sint solliciti de eorum non solùm animabus,sed etiam de corporibus:sicut hic Christus qui postquam docuit turbas,pauit eas ex quinque panibus, idcircò enim vt rectè monet Ambrosius, aurum habet ecclesia , non vt seruet,sed vt eroget, & subueniat necessitatibus. *Amb. lib.2. offic. c.28.* ¶ Docet etiā nos hoc miraculum , corporalem cibum esse donum Dei: Deus enim est,qui dat escam omni carni.Et rursus, Dante te illis colligent ,aperiente te manum tuam, omnia implebuntur vbertate. *Psalm. 64.* Et Salomon, Benedictio domini,diuites facit. *Prouer. 10.* ¶ Docet vt hæc vana mūdi contemnamus,& Christum sequamur in pœnitentiæ deserto,& vitæ austeritate.

¶ Docet fidem,obedientiam, denique & liberalitatem,atq; pietatem, in subleuandis proximorum nostrorū necessitatibus. ¶ Admonet prælatos qualem curam gerere debeant subditorum,& pauperū: & subditos docet obtemperare illis , & obedire in omnibus his, quæ non sunt contra animam suam. Hæc doctrina scripta est in hoc miraculo, quòd similitudinem refert libri deaurati,emblemateq; ornati:& depicti adfabrè. Hanc legamus doctrinā ad nostram vtilitatem.Sed iam ad contextum accedamus,& audiamus euangelistam dicentem. *Et factū est cùm solus esset orans : erant cum illo & discipuli.* *Beda in ca.9. Luc.ca.37.* Solus dicitur fuisse, quia tota turba iam abierat. Sic dicitur quis solus quòd est tantū cū suis familiaribus, & domesticis.Docet vitare impedimēta,distractiones,& quòd solus ores,& loca solitaria quæras. Tu autem cū oraueris(docet Christus)intra in cubiculum tuum,& clauso ostio ora patrem tuum. *Matth.6.* ¶ Obserua etiā quòd Christus diuertit ad orādū, & tamē nō relinquit discipulos suos.At tu deseris,& relinquis oues tuas,nec te segregas ad orandū,sed ad oblectandū & voluptatem capiendam,ad bachandū & crapulandū.Moses cū ascendit ad orandū in mōtem:& si in locum suū substituit optimū coadiutoré,populus tamen idola coluit. *Exod. 32.* Deniq; abiit Christus in montem, & segregatus est vt solus oraret:

quia post miraculum quinque panum voluerunt turbæ facere illum regem, atque ideò, vt ait Ioannes, fugit in montem ipse solus. Docet hoc facto Christus mundi contemptum, & vt fugiamus honores & vanitates mundi. *Et interrogauit illos dicens, Quem me dicunt esse turbæ?* Non ex ignorantia quærit, sed vt occasione respõsionis discipulorum, instruat eos. Prætereà, quærit de eo, quòd de seipso dicunt, nam prælatus (iuxta apostoli doctrinam) non solú debet bonus & sanctus esse in interiori conscientiæ suæ, sed etiam necesse est quòd habeat bonum nomen & existimationem apud omnes exteriùs. Oportet illum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt. Deo debes bonam conscientiam, & proximis bonum exemplum. Sic in Leuitico habetur quòd cùm Moses voluit vngere ex Dei præcepto Aaronem in summum sacerdotẽ, elegit eũ coram omni plebe, vt scirent omnes, & certi essent quòd qui præstantior est in populo & sanctior, dignus sit sacerdotio. Vtinam tales essent prælati nostri temporis, & tales essemus omnes nos, vt verè de nobis posset illud prædicari, quod scriptura asserit de illa nobili & potenti fœmina Iudith. Non erat, qui loqueretur de ea verbum malum. Et Lucas noster de parentibus Ioannis Baptistæ dixit, quòd erãt incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus domini sine quærela. Ex quibus sequitur barbaros inanimes, & excordes eos esse, qui dicunt, fecerim ego id ad quod teneor, & vnusquisque asserat quodcunque ei placuerit. Rectè quidem facis, cùm præstas id quod debes, at verò contemnere & aspernari bonum nomen, & famam propriam, hominum est perditorum, & nullius frugis. Ideò Seneca, Qui famam contemnit, hic flagitiosus est, aut inhumanus. In Leuitico legimus quòd non vult Deus sacrificium de ferméto & melle: quia ista mali odoris sunt, si cremẽtur. Deo displicet, quòd mali odoris, & famæ sis. Non sat tibi est si bonus sis, & si mel dulcissimum retineas: nisi cũ hoc benè oleas. Dulce est mel, sed quia malè olet si comburatur, respuit illud Deus. Christus verò non contẽnit famã, cuius exemplum, est regula & norma vitæ nostræ: & tu nihil curas, quid de te dicatur? Sed dices, Quo modo debeo ego tot hominum ora obstruere, præcipuè tempore, in quo sunt hominum linguæ adeò maledicæ, & procaces, vt etiam sanctorum & beatorum vitas quidam hominum audeant proteruè commaculare? Ad hoc tibi doctrinam quandam in memoriam reuocabo. Quære quidnam de te dicatur ad similitudinem Christi, tunc autem considera, num quo de te dicitur verum sit, an falsum. Nemo, te melius hoc scire potest. Tu namque es iudex & arbiter tuæ propriæ conscientiæ, & quid agas probè nosti. Ergo si quod male de te profertur, verè narratur, corrige vitam, & reuertere ad frugẽ meliorem: de hoc autem nihil curare, brutorum proculdubio est. At si falsò & cum mendacio ignominiam, & dedecus pateris, contemne dictum & sententiam, & tũc poteris dicere, fecerim quod debeo, & vnusquisq; dicat quicquid libuerit, & solare cũ apostolo dicente, Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Ideóque sanum quidem est consilium quærere, & peruestigare quid de te dicatur, & de hoc curare: nã si verè de te queruntur & obmurmurant, proderit sanè tibi ad correctionem: si verò falsò, inseruiet ad maius meritũ, imò vt cautiùs, & cùm maiori cura vitam degas.

Ioan. 6. *1 Tim. 3.* *Qui famam negligit crudelis est.* *Leui. 8* *Iud. 8.* *Luc. 1.* *Leui. 2.* *Gala 1.*

¶ Verùm hîc tria obseruanda sunt. Primum horum est, quòd non quærit Christus de aliis, sed de seipso solùm. Hoc tempore tota cura, & studium versatur circa inquirendum & inuestigandum de aliis, quidnam de Petro, vel Ioanne dicũt: Quomodo obit suum munus, quam nam viuendi rationem habeat, qua via sibi victum paret? De teipso percõtare: de alio verò non cures, nec sis sollicitus. Ne scruteris vitam alienam, sed tuam. Teipsum obserua, & considera quid de te dicant.

Christus de se ipso percunctatur, nõ vita aliena.

¶ Secundò aduerte, quòd hoc non interrogat iniquos & improbos, qui sunt mendaces: sed apostolos, qui boni erant: nam quamuis tu bonus sis, si improbũ & flagitiosum interroges, quid de te sentiat, iniquũ sanè te esse proferet: si pecuniæ & eleemosynæ largitor, & erogator fueris, te prodigũ esse affirmabit. Si deuotioni & orationi deditus, hypocritam te esse inquiet. Si verò homo nequã & perditus fueris, sicuti ille, sanctissimum te iudicabit. Propterea Christus non interrogat malos, sed bonos. Et in euangelio Matthæi dixit, Quẽ dicunt homines esse filium hominis. Nam nõ solùm inquirit à bonis, sed etiã scire cupit quid de ipso dicant homines, qui vtuntur ratione, qui loquũtur vt homines: & meritò horum est habendus respectus, non verò quorundam qui tãquam canes famam & nomen bonum iustorum corrodunt, & bonos maledictis & conuitiis insectantur.

Christus communicat cum apostolis quorum iudicium non erat deprauatum. *Matth. 16.*

¶ Tertiò amicitia tibi coniũctos & socios interrogare debes quid de te alij sentiant: nam ipsi optimè te norunt. Sunt quidam qui apud externos & ignotos angeli iudicantur: sunt etenim circa omnes, vrbani, affabiles, & pollitici: & existimãt oppidani eos nullo crimine & facinore omnes maculatos, imò verò esse angelos & sanctos: at intra proprios parietes & domos habent se ad suos tanquã dæmones. Si ex ciuibus tuis quæras, quis nam sis? te sanctum esse asseuerabũt: at si domesticos interroges & seruos tuos, vxorem, & liberos, te draconẽ esse dicent & scorpionem, quia nullus tuam miseriam & auaritiam potest tollerare, nec bilem atram & pessimum tuum ingenium, & animi duritiem sufferre: deniq; affirmabunt te pestem esse infestissimam. *At illi responderunt & dixerunt, Ioannem Baptistã, alij autem Heliam, alij verò, quia vnus propheta de prioribus surrexit.* Deus bone! quæ confusio maior nobis potest aduenire? Et quid aliud magis superbiam nostram & elationem arguit? Quid hîc inquient isti delicati, & delitiosi mundani, confecti ex saccari glutine, & penidio, qui ex minima quaque re, & dicto confunduntur, iniuriaq; afficiunt? De Christo (cũ sit eademmet sanctitas, & bonitas) non omnes idem sentiunt, nec in vnũ conueniunt, sed alij hoc, alij verò illud de eo proferunt, ciúsq; vita diuersas patitur opiniones, & sententias: & vis tu, ô homo, vas immunditiis plenum & flagitiis refertũ, vt omnes te in numerũ Diuorũ referant, omnes vno ore te laudent, & quòd nemine discrepãte dicãt te sanctum esse? Christi vita statera appendebatur, & ait Ioannes quòd quidã dicebãt bonus est, & alij non, sed seducit turbas: alij autẽ nõ est hic homo à Deo, qui sabbathum nõ custodit: alij verò, quomodo potest homo peccator hæc signa facere? ita vt schisma esset inter eos. Et tu cùm tot habeas, qui te laudent, & te in cœlũ efferant cum sanctis, cur quereris, & molestè fers, quòd duo, vel tres de te murmurent? Si homines te cognoscerẽt, etiam illi, qui laudibus te exor

Domesticorũ nostrorũ iudicium verius est de vita nostra quã extraneorum. *Superbia nostra arguitur.* *Ioan. 9.*

exornant & decorant, te maledictis & conuitiis insectarentur: cum verò tot habeas, qui (malus cùm sis) te bonum & sanctum prædicant, & iudicant: valdè insolens, & elatus es, quandoquidem vis, vt omnes (nullo dempto) te laudēt & quereris si vnus vel alter hoc quoque non præstet.

¶ Prætereà solatur nos locus iste, vt si quando aliqui de nobis iniqua sentiant, diuersas aduersásq; opiniones de nobis habeant, patienter feramus, & cum Christo domino solatium capiamus: qui cùm esset is, hominum tamen flagitiosas, & proteruas linguas nequaquā potuit subterfugere, & alij hoc, alij verò illud de illo proferebant. Sic Paulus, Per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam. ¶ Discamus itaque habere patientiam, quando proximi & fratres nostri sinistram aliquam & aduersam opinionem de nobis conceperint, & quamuis in eo, quod de nobis dicunt, minimè peccauerimus: cogitemus nos aliqua occulta, & incognita crimina commisisse, quę ipsi ignorant, & falsis confictísque illis criminibus quæ nobis obiiciunt, soluimus verorum pœnam. Nec simus adeò vani & leues vt existimemus nos Christo domino meliores futuros & ab omnibus collaudādos. Discamus etiam sic viuere, vt quamuis reprobi velint nobis crimina obiicere, sit vita nostra tam sancta & pura, vt non possint nostra bona opera taxare, nec aliquid in ea inueniant reprehensione. & nota dignum. Aduerte quòd populus, & si Christum nō tractabat iuxta merita ipsius, nec iuxta dignitatem suæ personæ, quia cùm esset filius Dei, non eum talem iudicabat: attamen existimabat eū esse Ioannem Baptistam, aut Hieremiam, aut prophetam: nō iniquum erat videri Ioannem Baptistam, aut prophetam. Sic viue, vt homines ab ipsa virtute tua compulsi & coacti, velint, nolint, te bonum prædicent. ¶ Sed dubia duo hic oriri videntur. Primum est cur discipuli non dixerunt, quod de Iesu dicebant quòd erat transgressor legis Mosi, & sabbatthi violator, Samaritanus, potator vini vel aliquid simile? Hæc omnia dicta fuerunt de Christo. Quia quamuis hæc dicerentur de Christo, sciebant tamen apostoli id esse mendacium & iniquitatem apertam, & noluerunt apostoli esse nugigeruli, neque Christo domino nugas referre, quod officium & munus non est sanè apostoli, vel alicuius serui Dei: sed dæmonis, & inferorum ministri. ¶ Discamus quòd quando audimus malum aliquod aut ignominiam contra proximos nostros recitari, cū absunt (præcipuè cum nobis cōstat esse mendaciū, quod audimus) ne eis acerba, & iniqua nuncia deferamus: sicuti quidam faciunt, qui sub specie amicitiæ, aliis aures nugis onerant, quibus eos defatigant, & macerant, atque affligunt sine commodo aut vtilitate aliqua: quod sanè ad nihil aliud confert nisi ad afferendam pœnam, & ærumnam, & ad seminandam discordiam, & zizaniam. Quādo aliquid audis de proximo tuo, quod tibi sic accidisse videtur, aut saltem verò similiter potest sic esse, sanum quidem est consilium & amicitia fratrem admonere, vt se corrigat & emendet si sic est. At verò si id, quod audis, tibi constat falsum esse, responde pro absente fratre, & obstrue os murmurantis, & susurronis, nec aliquid dicas ei, de quo fuit murmuratum, quandoquidem ad nihil aliud proderit, quā ad dolorem & pœnam. At dolendum sanè est videre mundi statum: quandoquidem quosdam videbis, qui nihil aliud agunt, quàm nugas texere, & excogitare iniqua nuntia, vt seminent controuersias & discordias inter fratres, quod detestatur dominus, vt ait Sapiens, & abominatur anima eius.

¶ Secundum dubium est, cur in populo venit hæc fama, & vnde populus habuit opinionem vt putaret Christum esse Ioānem Baptistam, aut Heliam, aut vnū ex prophetis? Vnde orta est hæc opinio? In hoc capite paulò superiùs scribit noster Lucas quòd Herodes audiens famam Iesu, dixit, Quē ego decollaui Ioannem, ipse est: surrexit à mortuis & virtutes operantur in illo. Et eadem verba ait Matthæus, Dixit rex suis quandam ineptiam, & inscitiam, & quamuis ineptia fuit & mendacium, tamen quia à rege prolatum tantum habuit roboris, & auctoritatis, quòd populus ei credidit: & inde exierunt omnes dicentes, Ioannes Baptista est, Ioānes Baptista est. Nihil ampliùs opus fuit, quā quòd rex id assereret, vt Christus pro Ioanne Baptista haberetur: cum tamen Ioānes non esset. Reges, principes, & prælati priùs aduertant benè quid dicant, & quomodo loquantur: nam sciant, omnia sua verba transcribi. Homo abiectus, & popularis quicquid vult, effatur: & quidquid commentatur, & excogitat, eloquitur: nec tamen alicuius valoris est quidquid dicit. At verò cùm homo est grauis, cùm suæ personæ qualitate dicta sua corroborat, & sic omnes ei fidem habent, & sic suis verbis auctoritatem & fidem adimunt quibus volunt. Ad vitādum hoc periculum debēnt priùs cognoscere, & recognoscere quid dicant. Ob id solūm, quod Herodes semel tantum verbum insanum & ineptum protulit, ob id (inquam) solùm tota illa gēs credidit quòd Christus erat Ioannes Baptista. Ieroboam rex Israel facillimè vniuerso illi populo vitulorum cultum, & veri Dei, ac legis contemptum persuasit, Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Discite benè viuere, & loqui disertè & sapienter: nā vos imitantur, & sequuntur reliqui omnes. Putauerunt autem esse Heliam propter veritatis, atque iustitiæ insuperabilem zelum. Secundò propter miraculorum eminentiā: & tertiò, quia Helias credebatur venturus ad populum Iudęorum, iuxta illud Malachiæ. Ecce ego mittam vobis Heliam. Visis igitur populi sententiis & iudiciis, exquirit & interrogat dominus quænam sit opinio discipulorum: adeò sequitur in contextu, *Dixit autem illis, Vos autem quem me esse dicitis:* Qui plus tēporis in scholis consumpserunt, tenentur plus scire, quàm qui heri inceperunt dare operam. Populus, qui nō est adeò illustratus ac vos estis, nec tot cōciones à me audiuit, nec tot miracula vidit, non est mirum esse insipientem & inscium, nec me cognoscere. At vos qui mei estis apostoli & familiares, quique semper me auditis & comitamini, obligati estis ad altiorem & præstantiorem cognitionem de me concipiendam. Vtinam pauperculi villici, qui montes incolunt ac terras vbi nunquam audiunt concionem, non surgant in die iudicij sicut Niniuitæ, multósque ciues & vrbanos homines ac sapientes condēnent: quādoquidem illi simplices & illiterati plus Dei assequuntur, & meliùs ei seruiunt, quàm multi superborum sapientum, subtilésque Sophistæ. Aduertite quòd qui plus à Deo accepistis, magis obnoxij, & deuincti estis ad ei seruiendum, quàm rustici & simplices. Apostoli plus tenebantur ad cogno

Marginalia (left): *Christus de ipso personarum iudicia audire* [partly illegible] — *Christus* [illegible] — 2. Cor. 6. — *Calumnia & impostura patienter tolleranda.* — Matth. 16 — *Deurchad* [illegible] — Ioan. 9. Mar. 11. Ioan. 8. — *Superbus* [illegible] — *Detractiones & murmurationes non sunt narranda.* — Ioan. 9.

Marginalia (right): *Prouer. 6.* — *Mobile mutatur semper cum principe vulgus.* — Matth. 14. — 3. Reg. 12. — *Psal. 3.* — *Mala. 4.* — *Matth. 12.*

cognoscẽdum Christum dominum, quàm reliqui: & propterea ab eis sciscitatur suá opinionem, & vt quam de ipso conceperunt opinionem proferát in medium. *Respondens Simon Petrus, dixit.* Petrus solus respondit, quia erat os totius collegij apostolici: sicut caput, & maior, & excellentior non solùm hic pro omnibus respondit, sed etiam alibi sæpè. Cum dominus de mundi contemptu loqueretur, pro se, *Matth.19.* & omnibus dixit, Ecce nos relinquimus omnia, & *Luc.12.* sequuti sumus te. Et cũ loqueretur parabolá Christus de seruo vigilante, dixit Petrus, Domine ad nos dicis hanc parabolá, an ad omnes? Et cũ Christus dixisset apostolis, vultis & vos abire? Ipse res- *Ioan.6.* pondit, Domine ad quem ibimus? Verba vitæ habes. Sic modo respondens solus ipse pro omnibus *Prerogatiua Petri & ecclesiæ Romanæ.* ait, *Christum Dei.* Ad Petri successorem pertinet certificatio dubitationum de fide: & sic papa Christi vicarius, & Petri successor iudicaturus est de dubiis fidei. Errauerũt aliæ ecclesiæ, scilicet, Antiochena, Alexandrina, Constantinopolitana, &c. Sed nunquam ecclesia Romana. Ambas naturas diuinam & humanam in vnitate suppositi confessus est hîc diuus Petrus: humanam quidem, vocando illum Christum regem vnctum, & non sicut antiqui reges, & summi sacerdotes Israel, sed fuit anima Christi vncta ab instanti suæ conceptionis, vncta (inquã) *Esaiæ.61.* oleo gratiæ & Spiritu sancto. Vnde Esaias, Spiritus domini super me propter quòd vnxit me, &c. Confessus est diuinitatem Saluatoris, appellando eum *Matth.16.* filium Dei verum, & vt inquit Matthæus, filiũ Dei *Psalm. 113.* viui, ad differentiam deorum mortuorum gentilium, qui falsi & vani erant, qui tanquam mortui, habentes oculos non vident, pedes habentes non ambulant, &c. Ideò vocatur à Christo beatus, quia fides principium est, & fons beatitudinis, & per quam peruenitur ad beatitudinem: per hanc enim beatitudo meretur: quia actus fidei etiam tenet se ex parte voluntatis, & ideò possumus mereri per fidem, quia voluntas iubet intellectui vt assentiat articulis fidei. Et quia hęc fides est donum Dei, addidit saluator loquens beato Petro, Caro & sanguis non reuelauit tibi. Per carnem & sanguinem intelligit omne quod est humanum, totam rationem, & intellectum naturalem, aut doctrinam quæ non excedit capacitatem nostri intellectus. Et sic non potuit Petrus hoc assequi per seipsum, sed per diuinã reuelationem, quia omne datum optimum *Iaco.1.* (vt Iacobus ait) & omne donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum. Essentialiter omnes diuinæ personę reuelauerunt hoc Petro: sed dicitur quod pater reuelauit attributiuè, quia est fons & origo totius deitatis. Quapropter super hãc petram, hoc est super hanc fidei firmitatem, quam modo confessus es (ait Christus) ædificabo ecclesiam meam. Et quia ecclesia est fundata super hanc *Portæ inferi quæ.* firmam petram, & veritatem infallibilem, portæ inferni non præualebunt aduersus eam. Per portas Christus intelligit potestatem, & belli instrumenta & apparatus arma, &c. quæ solent esse in ciuitatibus benè munitis ac fortibus, quæ sunt inimicorũ *Genes. 22.* terris oppositæ. Sic intelligitur Genes. Possidebit *Iudi.5.* semen tuum portas inimicorum suorum. Et quod alibi ait scriptura, Portas hostium dominus subuertit. Sic etiam intelligendum est illud Ezechie- *Ezech.26.* lis, Confractæ sunt portæ populorũ. Hoc est euersa est vrbs, quæ erat fortitudo populorum: vel cuius fortitudinem homines admirabantur. Apud veteres enim in portis vrbium fiebant iudicia, ideò ait sancta scriptura in Deuteronomio, Deferent si- *Deut.22.* gna virginitatis eius ad seniores vrbis: qui in portis sedent. Et in Psalm. Non confundetur cùm lo- *Psalm 126.* quetur inimicis suis in porta. Ac si dicat, Non timebit vir iustus cum ei aduersarij intenderint litem: nulla afficietur ignominia, cùm responderit accusatoribus in iudicio, quod fieri solet in vrbis porta. Ibi erant iudices, & satellites, & arma, & tormenta bellica. Et Hieremias volens significare nul- *Ierem.14.* lum esse Hierosolymæ robur, & nullam fortitudinem dixit, Luxit Iudæa, & portæ eius corruerunt. Itaq; portæ inferi sunt dæmonis machinæ, & munitiones, & fortitudines, vires, & stratagemata ac artes: sicuti est robur & vires mundi, ac eius sapientia, diuitiæ, minæ, potestates & cauillationes. Omnes hæ copiæ & phalanges legionésque ecclesiam sanctam oppugnarunt: sed tandem ipsa victrix euasit, semperque de exercitibus & copiis dæmonis triumphum egit. Potest quidem Petri nauis procellis maris turbulenti, & furibundi agitari, attamen non obrui nec submergi, Potest ecclesia Dei sancta pati molestias & persequutiones, attamen non vinci nec expugnari, aut corruere. Stat sententia, Portæ inferi non præualebunt aduersus eam, Cur? Quia super hanc fidei veritatem ædificabo eam. Ruit domus, quæ falsò nititur fundamento, & quæ super paleas & arenam est ædificata, & constructa. Domus illæ duæ, de quibus saluator in- *Luca.6.* quit quòd quædam erat fundata super arenam: altera verò super petram firmam. cùm venti superuenerunt, & tempestates, corruit illa, quæ malè firmata & stabilita erat: altera verò immobilis & fir- *Matth. 12.* ma permansit, & inconcussa. Domum ædificauit, ac ecclesiam erigere voluit Arrius, & posuit mendacia in fundamento, quia quicquid docebat error erat & hæresis impudentissima. Quantum durauit hæc domus? Quamuis mille aureos promittas non inuenies aliquem Arrianum. Quid de illis factum consumpti sunt: & tempus domus hãc iniquam & turpem solo æquauit ac omnino subuertit: quia malè firmata. Vbi sunt? quo abiêre Manichæi, Priscilianistæ, Sabelliani, Armenij, ac aliæ pœnæ innumeræ hæreticorum peruersæ, & maledictæ sectæ, quæ contra sanctam ecclesiam catholicam insurrexerunt: Perierunt omnino. Mendaciũ ipsum per se corruit. Et quamuis hæ hæreses habuerunt reges, & imperatores eas fouentes, & defendentes: attamen (vt videtis) omnes humanæ vires non potuerunt, nec possunt vnum mendacium defendere & tueri. Et hi Lutherani, qui nunc tam elatè, & superbè viuunt, quàm citissimè erunt absumpti, tanquam sal in aqua: ita vt nulla vnquam sit relinqua recordatio eorum, sicuti nec aliorum hæreticorũ, qui prętererunt. Viuat fides catholica: viuat ecclesia Romana, quæ fuit tempore apostolorum, & est, eritque per sæcula sempiterna. Hæc est, quæ semper durat, manétque firma, & constans: & quæ nũquam ruit, labitur, aut deficit. Habens vires, & robur veritatis pro fundamento, quomodo cadet? Hoc solùm deberet cõfundere hos maledictos hæreticos, videre scilicet manifestè re ipsa, quòd omnes, qui segregauerunt & seiunxerunt ab obedientia summi pontificis Romani, periêre: & quod ecclesia Romana in æternum durat. Insurgant Nerones, Diocletiani, Decij, Turcę, Mauri, & deniq; Lutherani: nã ipsamet veritas Iesus Christus ait, Portę

inferi

inferi non præualebunt aduersus eam. Hos omnes suos inimicos conculcat, & aduersus omnes semper victor euasit. Discamus per tyrannorum sæuitiam, & hæreticorum persecutiones ecclesiam Catholicam magis, ac magis illustrari, & corroborari. *Hila. lib. 7. de Trini.* Quod luculenter testatur Hilarius de ecclesia loquẽs. Dum persequitur (inquit) floret: dum opprimitur, crescit: dum cõtemnitur, proficit: dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc stat cum superari videtur. Lege Chrysostomum in sermone de Pentecoste. Et ait vlterius Christus beato Petro, *Claues regni cœlorum.* Et tibi dabo claues regni cœlorum. O fœlix tẽporum mutatio, & vicissitudo. Beatę & fortunatæ aures, quæ hoc audierunt. Solet Faber Ferrarius ex veteri gladio qui iam habet consumptum chalybẽ: & plenus est ærugine, & rubigine, eum incudi reddendo, conficere claues. Eiecto primò parente è paradiso, & clauso cœli ostio propter peccatũ, posuit *Genes. 3.* Deus Cherubin, vt esset custos ianuæ cœlestis, gladium in manu habentem. Et sic clausum fuit cœlũ, & paradisus, vsque ad obitum filij Dei, absque eo quòd aliquis illuc ingrederetur. Sed nunc ex gladio conficit Christus Iesus claues mutans iustitiam in misericordiam, & aperiuntur ianuæ regni cœlestis per sanguinem Christi, & conceditur Diuo Petro, eiúsq; successoribus, auctoritas & facultas obserãdi & reserandi, quæ est auctoritas, & iurisdictio ecclesiastica. Si olim claudebatur cœlum, nunc homines habent auctoritatem illud aperiendi. Et si *Psalm. 93.* olim de Deo dicebat Dauid, Deus vltionum Deus: *2. Cor. 1.* nunc de eo inquit Diuus Paulus, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Ingredimini ergo Christiani per has portas misericordiæ, antequam omnino vobis claudantur, sicuti accidit vir- *Matth. 25.* ginibus fatuis & insipientibus: Introite in hanc vitam, pœnitentiam agẽtes, antequam vobis dicatur, Clausa est ianua. Et vt intelligatis quòd in hac vita hæ portæ aperiuntur, non autem in alia, & quod hîc absoluuntur peccata mortalia, non verò posteà: addidit Christus dicens, Quodcunq; ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Super terram, inquit, non autem sub terra: vt intelligas, quod nunc, quandiu super terram degis, debes ad pedes sacerdotis genua flectere, vt te à peccatis absoluat: nam post hanc vitam, si in peccato mortali obieris vt in infernum detrudaris, non tibi ianuam cœlestis habitaculi aperient claues Diui Petri. Ideò nunc debes emolumentum & vtilitatem excerpere ab ista Petri potestate, quãdoquidem viuis super terrã te prosterne ad sacerdotis pedes qui claues habet regni cœlestis in manibus suis, &c.

Consortia malorum fugienda. ¶ Sed vt concludam, vnum hîc obseruandum esse censeo. Quod scilicet diuus Petrus hoc tam celebre testimonium fidei quod pręstitit, propter quòd tantopere fuit à Christo exornatus, hoc (inquã) testimonium protulit cùm esset inter apostolos, & reliquos suos cõdiscipulos. Inter bonos Christũ cõfitetur beatus Petrus esse filium Dei: quem posteà *Marc. 16.* inter impios in atrio pontificis iuramento negauit. Ex quo docemur, & admonemur consortium malorum fugere, & bonorum societatem amplecti. Homines iustos comparat scriptura lignis, quæ plantantur secus decursus aquarum: malos autem *Psalm. 1.* spinis, iuxta illud, quòd egregius Psaltes Israel lo- *2. Reg. 23.* quutus est dicẽs, Præuaricatores quasi spinæ euellentur vniuersi. Homines in vere cùm æstuant, ad vmbras arborum confugiunt: sed colubri, lacerti, & ista animalia venenata sub spinis, & vepribus confugiunt, & ibi latent. Sic vir bonus, & pius ad bonos cõfugit, & cũ iustis sociatur, tanquam ad arbores. At tu, qui solùm vadis ad malos, & iniquos, & solùm communicas, atque agis cum peccatoribus, & infamia ignominiáque aliqua notatis, quid vis me de te affirmare, nisi quòd malus & iniquus sis, & lacertus, ac vipera, vel coluber, siquidem spinis te adiungis? Vt speculum, quamuis mundum, & splendidum sit, cõtaminato tamen flatu circunstãtium, inficitur: sic qui est honestate præditus, impiorũ cõuersatione contaminatur. Vnde ait Eccle- *Eccle. 13.* siasticus, Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiã. Si contigerit vt planeta alioquin beneuolus, & salutaris aliis astris maleuolis, & malè influentibus fuerit coniunctus, malam influẽtiam mittet. Ita vir pius si impios nimia familiaritate comprehenderit, impius efficietur: vnusquique enim eorum mores, quibus familiariter vtitur, plerunque imitatur. Iudæi, quia conuersationem habuerunt cum gentibus, idola eorum coluerunt: & (vt ait Psalmogra- *Psalm. 105.* phus) cõmixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Sicut dulcis Iordanis fluuius, cùm in Asphaltitem insalubrem Palestinæ lacum ingreditur, redditur insuauis, & virtutem amittit: sic qui est cum sceleratis amicitia coniunctus, eorum vitiis contaminatur, etiamsi anteà virtutem induisset. Meritò igitur dicebat Ecclesiasticus, Discede ab iniquo, & deficient mala abs *Eccle. 7.* te. Et Apostolus ad Corinthios, & ad Galatas, Mo- *1. Cor. 5.* dicum fermentum totam massam corrumpit. Saul rex Israel inter suos insaniebat, sed inter prophetas, prophetabat. Sic Petrus inter apostolos Christum confitetur esse filium Dei: & inter impios Iudæos, in domo Caiphæ negat. Disce ergo cõsortium bonorum diligere. Sed ad contextum reuertamur. *At ille increpans illos præcepit ne cui dicerent hoc, dicens, Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum, & scribis & occidi, & tertia die resurgere.* Hoc dixit ne impediretur pas- *Vide Amb. lib. 6. in Luc. ca. de interro. Iesu, tom. 5. Chrysost. hom. 55. in Matth. 1. Cor. 2.* sio sua, vt satis ex litera colligitur: quia venit redimere nos per mortem suam: nam si dominum gloriæ cognouissent, non crucifixissent illum Iudæi, quia populus illum defendisset. Oportuit autem filium hominis pati, non quia aliter genus humanum liberari ab omnipotenti Deo nequiuerit absolutè loquendo: sed quia nullus fuit alius modus tam aptus. Rursus necessarium fuit non necessitate absoluta, sed ex suppositione, quia Deus ita prædixit: & necessitate conditionata, videlicet scripturæ verificari deberent. Benè autem dixit resurgere, tanquam potestate propria: non suscitare, tanquam virtute aliena. Vnde in Psalmo ait dominus, *Psalm. 3.* Ego dormiui & soporatus sum, & exsurrexi, quia dominus suscepit me. Præterea à senioribus principibus & doctoribus dixit quòd erat reprobãdus, qui sanctiores, & doctiores, & principaliores esse videbantur. Sic in libro Daniel, inscribitur. Egres- *Dan. 13.* sa est iniquitas à senioribus Israel, qui videbantur regere populum. Hoc sanè videbis etiam sæpissimè in ciuitatibus, & rebus publicis huius sæculi, quòd gubernatores & rectores, qui debebant vitia corrigere & emendare, & reficere, ad melioremque formam reducere respublicas:

Reipub. conseruatores, aliquando sunt euersores. blicas: potiùs illas vitiis suis perdunt & destruunt. Et vtinam hoc etiam nó perueniat ad religiones, vbi vt plurimum, prælati, & seniores, & doctiores, præcipuíq; sunt magis dissoluti, & plus luxui dediti & prophani, & id quod professi sunt, minus obseruant: cùm hi secundū rationem, & vt par erat deberent alios ad meliorē formā, & viuendi rationem restituere (non solo verbo, & nunc est in vsu) at opere virtutis sanctitatis, humilitatis & exemplo virtutum. Sed de his satis, quia hi & si malè viuunt, nolunt tamē redargui, & reprehendi: imò verò collaudari in suis vitiis, & illi tantummodo, qui eos laudant, & in cœlum euehūt, plurimum apud eos pollent, maximéque gratia & authoritate pręstant. Beda. in ca. Luca 9. 14. 31. &c. Sequitur in contextu. *Dicebat autem ad omnes:* videlicet ad turbam in generali, secretiora namq; sua mysteria solis reuelauit discipulis: sed quæ ad salutē omnium exiguntur, omnibus patefecit. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum: &c.* Optimè postquā loquutus est dominus de sua passione, agit de sequela eius & negatione suiipsius, & crucis labore vniuscuiusque nostrum: vt doceat atque insinuet quòd non sufficit eum fuisse mortuum pro nobis, & quòd sanguinē suū effuderit, sed quòd etiā opus est, nos eum sequi illum imitantes, & nosipsos abnegantes, frænantes, & cohibentes appetitum sensitiuum, & tollentes crucem pœnitētiæ & laborū. Ne vanè & insanè aliquis existimaret solam Christi passionem sufficere, & mortem ipsius ad nos saluādos, absq; eò quod nos nihil faceremus. Optimè quidē Christus mundi saluator cùm suæ passionis mentionem facit, & eius quod pro nobis præstitit, statim agit de eo, quod nos præstare debem⁹, si volumus frui fructu, & meritis suæ passionis sanctissimæ, Ait, Si quis vult, propter arbitrij libertatē: Chrisost. hom. 56. in Matth. voluntariè enim vult Deus vt seruiamus ei, non coactè. Ideò Dauid in Psalmo, Volūtariè sacrificabo tibi domine. Psalm. 53. Et iterum, Volūtaria oris mei beneplacita fac domine. Psalm. 118. Voluntarium minis trū premiat Deus. Voluntarius minister habet præmium: coactus dispensat obsequium sicut apostolo dicente, cognouimus. Dicit enim, Væ mihi si nó euangelizauero. 1. Cor. 9. Si enim volens hoc ago mercedem habeo: si autē inuitus, dispensatio mihi credita est. Vide volūtarium executorem cœlestis arbitrij. Liber erat ex omnibus, & omnium seruus est factus, voluntate vtiq;, non necessitate: vt plurimos lucraretur. Esaia. 6. Sic Esaiæ dicit dominus, Quem mittā. Et dixit, Ecce ego, mitte me: & dixit, Vade & dices populo huic, Poterat dominus seruo suo Esaiæ imperare, quem sciebat dignum vt mitteretur: sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui vt ipse offerret, præstolatus est. Et quamuis eius sciret affectum, expectauit tamen vocem, vt cumularet gratiā. Et quia ipse voluntariè sese offert, mittitur ad populum. Ideò Dauid non solùm voluntaria operis, sed voluntaria oris beneplacita vult esse: quia ea, quæ dicimus bona voluntaria esse debent. Prophetauit & Caiphas dicens, quòd expediebat Ioan. 7. 11. quòd vnus homo moreretur: sed hoc non erat voluntariū ministerium quia loquebatur inuitus, & quid diceret nesciebat. Nequaquam Deus acceptat in volūtaria obsequia. Sed dices, quandoquidē scit Deus multos esse, qui malè libero arbitrio vtūtur, & qui condemnantur, ac nolunt ad Christū dominū accedere, quāuis eos vocat. Nonne melius erat Christum eos post se etiam inuitos, & repugnantes trahere, quàm in voluntate ipsorum suam salutem relinquere? Dico quòd non: nam si Deus hominem Eccle. 15. Deus nullius voluntatem compellit vt meritum nostrum tanto sit maius. vi, & inuitè hominem in cœlum raperet, non ei tātum contulisset beneficium: quantū si ipsemet homo illuc tenderet spontè: nam relinquendo hominem in manu consilij sui, vt eligeret quod ei magis placuisset, egit cum homine honorificentissimè, & secūdum dignitatem suæ personæ. Sit ita, quod homo quidā in foro, vel platea posuisset ingētes diuitias auri & argenti, & pretiosorum lapidū. Et præconi iuberet, vt omnibus alta voce referret, quod quicunq; vult diuitias eat in forum vbi quantum earum libuerit accipiet ad libitum. Dic (amabo) si hic homo hoc nō faceret, sed homines inuitos, & renitentes traheret in forum ad capiendas diuitias, nónne eis iniuriam inferret? Quódnā maius beneficium, quænam maior dignitas, & vrbanitas, relinquere hominem istum diuitem reliquos homines in libertate sua vt eant spontè in forum quæsitum diuitias: aut inuitos secum ducere? Manifestè sanè constat, quod maior est vrbanitas, & longè maius beneficiū, relinquere in vniuscuiusque arbitrio sumere quantū diuitiarū placuerit: quàm inuitos eos trahere. Hoc equidem modo dominus Deus nobis pecunias & diuitias cœlestes elargitur, quas nunquā poterimus cōprehendere sensu, & cogitatione, & inquit, Si quis vult venire post me. Aduertite, quòd quicunq; eas voluerit, accipiat libenter. Ipse dominus eas confert, ipse nos vocat, ipse nos inuitat, imò & adiuuat & gratiam suam nobis confert, vt eamus, & accipiamus has diuitias. Maius est hoc beneficium, quàm si nos inuitos duceret. Agit nobiscū vrbanè & maxima cū comitate tanquam cū hominibus in dignitate, & honore cōstitutis. Ideò ait, si quis vult. Relinquit hoc in manu nostra, & suppliciter à nobis petit, non verò cōpellit: & adiuuat nos vt eamus, & accipiamus has ingentes diuitias. Eques, & nobilis aliquis habet duo seruorum genera. Quosdā captiuos, & emptos: quosdam verò cognatos & cōsanguineos, qui sunt nobiles, & honorati: prioribus imperat velint nolint, at à posteriorib⁹ vrbanè & comiter petit. Sic nos sumus serui nobiles, & cōsanguinei Dei: at reliquæ creaturę, sicut cœlū & terra, Sol, Luna & stellæ, & omnia reliqua, sunt tanquā mancipia Dei, à quibus nó petit, sed imperat. Iosue. 10. Sic tēpore Iosue imperauit Soli vt staret, & gressum comprimeret, & cœlestibus orbibus ne mouerentur: & motū cohibuerūt statim. Tēpore passionis suæ præcepit Soli, & Lunæ ne lumen Matth. 27. præstarēt: præcepit igni ne cōbureret sicuti fecit in Dan. 3. clibano Babyloniæ, & sic nó cōbussit Sidrach, Misac & Abdenago. Iosue. 3. Præcepit aquæ Iordanis vt retrò Dan 14. flueret, & leonibus ne comederent Danielē, & cor- 3. Reg. 17. uis vt cibū ministrarent Heliæ, & Balenæ vt Ionam Iona 1. seruaret, & posteà imperauit vt eum in terram euomeret. Cùm his creaturis non egit vrbanè & cum comitate: sed absolutè eis imperauit. Sed nō sic egit cum homine qui nobilis & præstans est, quia non vult ei imperare tanquā seruo, sed petere tanquam nobili, & illustri & cognato: relinquendo totum in manu ipsius, & priùs voluntatem suā exigendo. Inuenit paralyticum in piscina, & ait ei, Vis sanus fieri? Ioan. 5. Occurrit ei cęcus, & ait illi, Quid vis vt faciā tibi? Luc. 18. Quod si domin⁹ hoc prę̄stabat in corporis infirmitatibus: multò meliùs in infirmitatib⁹ animæ: quia si Deus vult quòd aliquis credat, nó vult eum credere, nisi volendo credere. Idem facit in amore, nā non vult vt eum amemus, nisi velimus amare spōte. Sic

Eccles. 15. te. Sic Deus creauit hominem, vt Ecclesiasticus dicit in hunc modum. Deus ab initio cõstituit hominem, & dereliquit eum in manu consilij sui. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Voluntas est libera nec potest ei vis inferri, nec compelli: & sic dixit diuus Augustinus, q̃ in intelligibile erat quo pacto volũtas sit volũtas, & non sit libera. Hanc ergo hominis voluntatẽ non vult Deus cogere, & compellere, sed relinquere hominem liberũ, vt eligat quicquid ei placuerit, & sic ait hîc, si quis vult, tum, quia (vt dicebamus) cum homine ageret vrbanè & comiter, tum etiã, vt maius præmium, & ampliorem gloriã homini tribueret. Maius est meritum hominem sua industria consequi gloriam, quàm quòd eam gratis, & nullo merito consequatur: quia honorificentiùs est mereri coronã propriis meritis, quàm sine illis. Cùm Deus ponit gloriam, & infernum similiter in manu hominis, & quod eligat gloriam, & viam cœli, cũ posset viam inferorum ingredi: hoc est maius meritum & maior honor, quàm si vi ei gloriam condonaret sine meritis, & gratis. Et sic Deus non cogit: nec compellit aliquem, imò vero inquit, Si quis vult venire post me. In manu tua relinquit, & in tua voluntate hoc ponit, vt facias quod tibi placuerit.

¶ Obserua autem quòd non in numero plurali, sed in singulari ait, Si quis vult venire post me: vt significet quàm pauci sint, qui Christum sequantur: & quàm pauci sint, qui seipsos abnegantes, crucem Christi tollant. Ac si clariùs diceret, Inter tot & tantos, qui sponte carnis desideria perficiunt, & viam concupiscẽtiæ ingrediuntur, mundóque & dæmoni obsequũtur: est ne aliquis qui me sequi velit: Inter tot, qui properè, & veluti grammatophori, & tabellarij ad inferos currunt, nunquid reperitur aliquis, qui velit in cœlum abire? Inter quãplures, qui Matth. 7. amplam, & latam vitiorum ac perditionis viam ingrediuntur: est ne aliquis, qui cõpressum, & arctum virtutis iter, & quod in beatorum sedes recta ducit, velit cõficere? Prôh dolor, quæ est ista cõfusio, & verecũdia nostra, vt sint penè innumerabiles, qui mũdi vestigia sequantur, & pauci admodum, qui Christi vestigia terant? O facinus indignum, & flagitium 2. Reg. 20. execrandum! Cecinit buccinam Siba filius Bochri, & sequutus est eum omnis Israel: pauci autem Dauid. Vocat proditor ille Siba, & omnes eum sequũtur. Vocat mundus, vt decipiat te, vocat caro vt fœdet, & maculet te, vocat dæmon vt te perdat, & prosternat omnino: & vocat Christus Iesus rex gloriæ vt te saluet: & vt in cœlũ euehat: & tamen sunt tot, qui Sibam sequũtur, & tam pauci Christum Iesum verum Dauidem sequantur. Dolendũ sanè est quòd quærat Christus dominus, vel vnũ saltẽ qui eum sequi velit, & dicat, Si quis vult venire post me. Pauci Michę. 7. sequuntur Christũ, quod plorat Michæas. Heu mihi, quia factus sum sicut qui colligit racemos in autumno: non est botrus ad comedendũ, &c. Præterea sub hac particula, si, intelligit, & significat desiderium quod habet, vt similes ei efficiamur. Samari- Ioan 4. tanæ ait, Si scires donum Dei. Paulus etiam Agrip- Act. 26. pæ, Opto in modico, & in magno non tantum te, Ephes. 5. sed omnes fieri tales, qualis ego sum. Et alibi. Imitatores mei estote sicut filij charissimi, &c.

Principes solos admittũt nobiles: Christus quoslibet. ¶ Expende etiam Christi bonitatem, & clementiam. Si quis vult, cuiuscũnque conditionis sit aut status. Principes huius sæculi: nõ quoscunq; ad suũ admittũt obsequiũ, sed eos, qui apud eos gratia, & nobilitate pollent: at Christus dominus omnes indifferenter admittit. Ideo Paulus, Non est Iu- Gala. 3. dæus, neque Græcus, non est seruus, nec liber, non est masculus, neque fœmina: Sed miserum sanè & dolendum est videre quàm paruipendimus nos seruos Dei effici, & transcribi in albo suæ domus. Si rex iuberet præconi, vt intonaret quòd quicunque vellet scriberetur in ipsius albo, nullus esset qui non scribi vellet: & tamen nolumus ad Deum accedere nos inuocantem.

¶ Obserua etiam quòd venire, hîc, non est venire gressu pedum, sed affectuũ & morum, sic in Ge- Genes. 19. nesi dicitur quod Rebecca abiit interrogare dominum. Quo abiit? ex loco in quo non erat dominus, ad locum in quo erat? Non: quia vbique est Deus. Hier. 23. Cœlum, inquit, & terram ego impleo. Non de loco ad locum abiit: sed de vita ad vitam, & de actu ad actum, de bonis ad meliora transiuit. Absurdum enim esset Rebeccæ mulieri sanctæ, & sapienti, & à virò eruditissimo edoctæ, vt putaret aliquo loco dominum esse cõclusum. Sic tu mutando affectus, & vadens de vita ad vitam, opus est, vt vadas ad Christum, & sequaris illum.

¶ Perpende quoque non dicit, si quis vult venire post mea, sed post me. Multi Christum sequuntur non propter Christũ, sed propter bona quæ habet: hi non Christũ sequuntur, sed ipsius bona. Sũt mercenarij & serui, quod eorum interest, sequẽtes, & seipsos amantes: quandoquidem suum proprium lucrum, & commodum quærũt. Sic Sichem, & Emor Genes. 34. pater eius, & populi Sichimitarum circunciderunt sese, in quo videbantur idola despicere & vilipendere, & sequi veram religionem: sed non acceptũ fuit Deo hoc obsequium & seruitium, nec eis fœliciter cessit, quia nõ fecerunt hoc propter Deum, sed propter propriũ commodũ, & vtilitatẽ. Dixerũt enim. Si circuncidimus masculos nostros, sustantia eorũ, & pecora, & cuncta quæ possident, nostra erunt. Aduerte quòd debes sequi Christum propter Christum. Dignus sanè est, vt ei obsequamur, & inseruiamus ꝓpter seipsum. Et quia amor ꝓprius maximè obstat Christi sequelæ, inquit statim dominus.

Multi sequũtur Christum nõ propter se, sed propter sua.

Abneget semetipsum.

Qui Christum sequi debet, necesse est, vt Cristum diligat, & q̃ eũ propter seipsum diligat, seipsum abnegans: nam aliter, non Christum, sed bona ipsius sequitur, Abneget itaq; semetipsum. Nõ tãtum sua, aut suos, sed semetipsum: hoc est propriam arbitrij sui voluntatem, quia homini æque proprium: nihil intimiùs, & nihil potest esse amabiliùs. Per hanc brutis animantibus præstat, per hanc frui, & vti valet, per hanc suipsius potens, suarum actionum dominus constituitur, vt agendo benè laudem mereatur: malè autem, vituperio, & punitione dignus habeatur. Quapropter rectè seipsum abnegasse dicitur, quicunque arbitrij sui libertatẽ sibi adimit, statuens nihil deinceps pro sua volũtate gerere, sed in omnibus dicere cum Christo, Non mea volũtas, sed Matth. 26. tua fiat: atque ex animo precari, non mea voluntas, sed tua fiat, sicut in cœlo, & in terra. In cœlo enim non fit nisi Dei volũtas. In omnibus Dei voluntatem obserua, non verò tuam propriam sensualem, & appetitiuam. Et hoc est seipsum abnegare. Da Deo voluntatem tuam: Hæc est quam Deo reddere debes abnegando temetipsum. Si hanc habes, nullam habebis requiem: & si hanc derelinquis, viues sicuti in paradiso super terram. Intriremi manducant, &

Abnegatio est propria voluntatis renũciatio.

cant, & bibũt, & captiuus habet aliquam requiem. Sed qui propriam voluntatem sequitur, nullum habet otium, neque solatium. Vnde dominus, Seruietis diis alienis: qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. At si hanc deseris habebis trãquillitatem, & quamuis parum labores, multum mereberis: & si hanc habes, quamuis multum insudes & labores, nihil meriti consequeris. Vnde quidam dixerunt, Quare ieiunauimus & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, &c. Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. O quantũ debent ad hoc attendere religiosi, ne scilicet inueniatur in illis sua propria voluntas, quandoquidem iam abnegarunt se in sua professione ne perdant meritum obedientiæ, & multorum bonorum quæ faciunt, & laborum quæ patiuntur. Aduerte ergo, quòd vera abnegatio suipsius est quòd te offeras Deo in holocaustum. Holocaustum est, quòd te totum offeras Deo, absque eo quòd aliquid reserues tuæ propriæ voluntati: sed quòd totum te Deo sacrifices. Hoc enim inter holocaustum, & sacrificiũ interest, quia omne holocaustum, oblatio, & sacrificium est: non tamen vice versa. Holocaustum dicebatur sacrificium illud, quod totum igne cremabatur: ita vt nihil ex eo in sacerdotis vsum remaneret: qualis erat oblatio ouis & bouis, & capræ, & turturis, & columbæ, hæc enim tota igne comburebantur, & ideo holocaustum dicebatur. Oblatio autem erat, quæ non tota consumebatur igne, sed ex ea aliquid in sacerdotis vsum seruabatur, vt panis, farina, & oleum, & similia. Oblationem facit, qui sua pauperibus distribuens, partẽ aliquam, qua se alere possit in suos vsus seruat. Holocaustum verò facit qui vendit omnia quæ habet, & dat pauperibus: vt sequatur Christũ liberiùs. Holocaustum fecerunt apostoli, & holocaustum faciunt monachi, qui omnem suam supellectilem, & corpus suum, & suam voluntatem sic Deo consecrarunt, vt negantes seipsos in omnibus nihil volunt, nisi prælati voluntatem explere. Opus est, vt holocaustum fias domino, & igne dilectionis Dei totus cremeris. Propriam voluntatem, quam multi pro Deo habent, & pro Deo colunt, debes tu comburere, & sacrificare Deo in holocaustum, nolẽdo nisi solùm id quod Deus vult. In Exodo habetur quod Ægyptij colebant pro diis bruta animantia, & tanquam tales ea adorabant. At verò contrà filij Israel appellabant abominationes, quos Ægyptij Deos dicebant, & sacrificabant, & occidebant in honorem & obsequium veri Dei, animalia illa quæ ipsi loco Deorum colebant. Hoc ergo modo iusti tanquam veri Israelitæ, appellant, & dicunt abominationes deos huius sæculi, qui sunt appetitus, & propria voluntas quam iniqui adorant tanquam deum suũ. Sacrificant boni & iusti hos Deos falsos, & abominãtur eos, & execrantur, & vilipendunt pro gloria veri Dei. Et sic quicunque voluerit Deo offerre sacrificium gratum, videat quid mundus adoret, & hoc Deo offerat, & sacrificet. Nec rem nimis arduam facis cùm teipsum negas propter illum, qui propter te voluit tantopere se negare, vt diceret, Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Est enim propria voluntas sicut coruus, qui ei, qui nutriuit eum, oculos eruit. Et quod peius est, quòd suam cæcitatem, & perniciem non intuetur. Vt enim ceruus fœminæ cupiditate incensus accurrit ad absconditum venatorem, rugitum ceruæ fingentem, ductúsque appetitu, dum existimat se ad desideratam ceruam festinare, currit velocissimè ad mortem ipsam, & ad venenatam venatoris sagittam suscipiendã: sic qui propria voluntate, & appetitu ducitur, quantò celeriùs ad res desideratas contendit, tantò perniciosius ad mortem ipsam amplectandam accurrit. Iter facis super equum infrenem, alligas calcaria pedibus, & habenas fers in manu, si autem vult in præcipitium te coniicere, refrænas illum: quod si consistit, adhibes calcaria. Sic te habere debes cum corpore tuo & sensualitate, si aliquando voluerit cibis se explere & ingurgitare, vitiisque sese immergere & commaculare, refrenationem adhibe diligenter. Post concupiscentias tuas non eas. Ne incedas post bestiam, nam te ad præcipitium ducet, sed dic cum Dauid, Deduc me in semitam mandatorũ tuorum, quia vt iumentum factus sum apud te. Sunt plures, qui patrem ac matrem, insuper & vitam propriam contemnunt: at paucissimi qui seipsos abnegent sensualitatem frænando rationique subiiciendo, vitia comprimendo, ac propriam voluntatem & iudicium abnegando. Per propriæ voluntatis nostræ abnegationem Dei voluntas habet plenum dominium in nobis: & hominis voluntas sic est in Dei voluntate transformata, quod omnia aduersa propter ipsum Deũ æquo animo ferat. Qui in via perfectionis vult sequi Christum Iesum, abneget semetipsum. Meritò enim debemus nos abnegare, cùm nihil iuris habeamus in nobis. Sunt autem septem causæ quarum quælibet sufficeret hominem compellere, vt fateatur in se nihil iuris habere. Has latè scribit Diuus Anselmus in libro de Mensuratione crucis, quas breuitatis causa hîc non referimus. Sed quia non sufficit quòd tuæ voluntati non obsequeris, sed quòd etiam te exerceas in operibus virtutis, & religionis, sequitur in contextu.

Et tollat crucem suam quotidie.

Ponit duas partes iustitiæ, scilicet, declinare à malo, quia ait, abneget: & aliam, facere bonum, tollat crucem. Expende quòd non dicit ferat crucem: sed tollat. Ponit differentiam Basilius inter ferre crucem, & tollere: quia ferre crucem, est ferre labores à Deo delatos, & immissos, vel æquo, vel iniquo animo: Sed tollere est animo læto, & auidò non solùm accipere, sed rapere crucem libenter, gratãter, & voluntariè. Vult Deus suos sponte, & cum lætitia labores sufferre: nec solùm hoc, sed etiam præcurrere ad agendum vitam asperam, & pœnitentem. Ideo de Christo ait euangelista non sine mysterio quod baiulans sibi crucem exiuit in Caluariæ locum. Non inquit Ioannes quòd eam super Christi humeros imposuerunt, sed quòd ipse eam assumpsit: sed Simoni Cyrinæo imposuerunt crucem Christi. Iob non solùm ferebat crucem, sed etiam deferebat eam: quandoquidem post tot ærumnas, & labores dicebat, Dominus dedit, dominus abstulit, &c. Sic Paulus ad Colossenses ait, Gaudeo in passionibus pro vobis. De apostolis etiam legitur in actis. Ibant apostoli gaudentes à conspectu concilij, &c. Quapropter Christus, ait discipulis, Cùm vos oderint homines, gaudete. Igitur non solùm feramus, sed tollamus gaudentes, & libenter crucem: tollere autem crucem est veteres exuere mores, affligere ac macerare carnem ieiuniis, orationibus, & vigiliis. Sic Paulus, Castigo corpus meum & in seruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. Castigare se, est præscindere concupiscen

Marginalia: Ierem. 16. — Esai. 58. — Leui. 1. — Leuit. 2. — Differentia inter holocaustum & oblationem. — Exod. 8. — Ioan. 5. — Similitudo. — Eccles. 18. — Psalm. 118. — Psalm. 72. — Cap. 5. quarto ergo. — Differentia inter crucẽ tollere, & ferre. — Basil. lib. inter. diffusius. inter. 6. — Ioan. 19. — Iob. 1. — Colos. 1. — Act. 4. — Matth. 5. — 1. Cor. 9.

cupiſcentias, frænare gulam, arcere ardentem libidinis flammam: cæteraque vitia radicitùs euellere. Id, quanquam horreat caro, mirè tamen probat ſpiritus, mirè placet & Chriſto. Sic enim euades ſuperior teipſo, ſi per crucem à victoria tui ipſius inceperis. Hæc crux pœnitentiæ, & mortificationis eſt: quam nos portare debemus. Non enim ſolũ iſtam quam milites ſancti Iacobi, & Benedicti, & hoſpitalis beati Ioannis Baptiſtæ fixam pectori geſtant: quia quamuis hanc crucem portare bonũ ſit, portemus tamen noſtri potiùs abiectionem, & mortificationem. Nam eorum multi, quos nunc retulimus, in ſuam damnationem crucem illam deferunt. Diabolus enim qui olim fuit deuictus per crucem hac ipſa nunc cruce ab illis geſtata in veſte, & non in corde, plurimos eorum ſecũ trahit in chaos: non enim decet ſuperbire, eò quòd crucem in pectore geris, non decet per auaritiam redditus decimales congregare, non in vxoris & filiorum veſtibus ſericis, & prolixioribus caudis, & deauratis ſandaliis aliarúmque vanitatum ineptiis, eccleſiæ bona conſumere. Non decet (inquam) tibi canibus, & auibus, nec patrimonium Chriſti aleæ exponere. Atqui in honeſta tui, & tuorum ſuſtentatione huiuſmodi redditus expende: armis, & equis ſemper te paratum exhibeto. Sed de his, aliàs.

Gregor. hom. 32. in euang.

¶ Obſerua autem quòd duobus modis crux tollitur: cùm per abſtinentiam affligitur corpus, aut cùm per compaſſionem proximi affligitur animus,

1. Cor. 11.

iuxta illud Pauli, Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Corporalis verò dupliciter tollitur, cùm ſuaptè ſponte ſumitur: vel cùm ab aliis imponitur in afflictionibus,

2. Cor. 4.

& patiẽter tolleret. De hac Paulus ait, Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore veſtro circunferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus veſtris. Vnde ſicut angelus occidebat Ægyptios, & pertranſibat domos in quarum poſtibus erat ſanguis agni in ſuperliminari: ſic tu ſicuti & illi Iſraëlitæ, debes inungere ſanguine agni Chriſti Ieſu fores externas tuæ domus, quod fit ferendo mortificationem crucis Chriſti in corpore tuo.

Exod. 12.

¶ Obſerua etiam quod dicit, crucem ſuam: vnuſquiſque crucem ſuam portet: nam crucem Chriſti portare, impoſſibile nobis eſt, impoſſibile humanis viribus prorſus: noſtrã verò ferre, gratia cooperante & factu facile, & iucundum, etiamſi caro reluctetur. Neminẽ Deus obligat ad impoſſibile: vnuſquiſque ſecundum vires, quas habet, tollat crucẽ ſuam, & præſtet quod poteſt, laborétque pro viribus.

cruces diuerſæ.

¶ Præterea dicit etiam ſuam, nam vnuſquiſque debet ferre crucem propriam, & deſinere alienam. Non eſt ſtatus, quamuis magnus & auguſtus ſit, qui non ſuam habeat crucem. Crux regis, eſt labor ille, quem habet in audiẽdo tot gẽtes, & in ſubſcribendo, & negocia expediendo, iubẽdóque, vt omnibus iuſtitia præſtetur. Crux prælatorum, eſt obligatio illa, quã habent inuiſendi oues ſuas, docendi, ac curam illarum gerendi. Crux ſacerdotum eſt penſum horarium perſoluere, & preces aſſiduè fundere caſtéque & ſanctè vitam degere. Crux religioſorũ eſt ieiunium, orationes, vigiliæ, & obedientia quã prælatis præſtare & exhibere tenentur. Suam quoque crucem habent coniugati, & ſanè grauiſſimã, præcipuè ſi fortè mulieri rigidæ, & feroci litigioſæque ſe copularunt, & adiunxerunt: & ſatis grauis crux eſt familiam alere, honorem & dignitatem domus augere, filiis neceſſaria parare. Omnes habent crucem in hac vita, nullúſque laborem poteſt ſubterfugere. Ait ergo Chriſtus. Tollat crucem ſuam vnuſquiſque. Aduerte quòd crucem tuam arripias, alienam verò deſinas. Quamplurimos videre licet, qui omnem ſuam curam, & ſollicitudinem collocãt in perſcrutãda clericorum vita, & monachorum, preceſſoe fundant, nũ præſtent id ad quod ſecundũ profeſſionem ſuam tenẽtur. Deſine & omitte hæc. Tolle crucem tuam, & ſine alienam. Sunt multę coniugatæ quæ omittentes curã domus ſuæ, & obſequiũ quod viris ſuis debent, & obedientiã, quæ crux earum eſt: hanc crucem prætermittunt, & abiiciunt, & ſuſcipiunt monialium crucem, & induunt veſtes incluſarum, cilicium & inordinata ieiunia: quibus omnibus maritorum ſæuitiam, & feritatẽ in ſe conuertunt & inflãmant, vnde rixæ, & diſcordiæ ingentes oriuntur. Sacerdos inſpiciat quæ eius crux ſit, & hanc tollat, & ſinat alienam: nec ſe immiſceat vitæ monachi. Coniugatus ſimiliter obligationẽ ſuã conſideret, perſpiciat ſtatum ſuum, & vocationem, & vnuſquiſque ſollicitus ſit de ſua vocatiõe, vita & ſtatu: de alieno verò nõ curet. Quia homines ſe immiſcent iis, quæ ad ſe nõ pertinent, oriuntur ſæpiſſimè diſſenſiones, & diſcordiæ maximæ in hoc ſæculo calamitoſo: nam ſunt multi, qui alios volunt reficere, & in meliorem formam reſtituere, ſe verò nullo modo corrigunt, nec emendant: imo verò obliuiſcuntur, de vita aliena agunt, non de ſua.

Crux propria ferenda, de aliena non curandum.

¶ Obſeruandum quoque eſt quòd quotidie dicit, vt tollamus crucem noſtrã. Quotidie ferre crucem, eſt ſemper animum habere paratũ ad crucem & mala pati: ſi ita Chriſti gloria exigeret. Siquidem multa præcepta chriſtiana ad hanc ſolam obligant animi præparationem, vt eſt præceptum de fouendo, & paſcẽdo inimicum, & alia. Ideo Paulus dixit, Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore veſtro circunferentes, vt vita Ieſu manifeſtetur in corporibus veſtris. Vide quod non dicit aliquãdo, ſed, ſemper: hoc eſt, vt quotidie, & omni tẽpore cũ Chriſto moriamur, ſperantes cum ipſo reſurgere. Igitur is fert crucem ſuam quotidie, qui ſe quotidie mortificat, ſuas affectiones, & voluptates negat, ſe ab hac terrena vita ſeiungit, &c. Quotidie itaque Chriſti crucẽ accipe, & pœnitentiam age. Nam qui propter crimina ducuntur ad ſuſpendium (ſi ſapiũt) nihil aliud curant, quàm animam ſuam, vtpote qui breui exactam dabunt Deo vitæ rationem. Diuitias autem, honores, delitias, nec cogitant quidem. Vult ergo Chriſtus nos horum, qui ad crucem feruntur, ſtatum imitari, vt ſemper de animæ noſtræ remedio ſolliciti, nihil terrena curemus: vt qui citò, & exactè rationem vitæ noſtræ ſimus daturi. Verùm quia nõ ſatis eſt, vt crucem baiules, niſi Chriſtum ſequaris, adiungit. *Et ſequatur me.* Quia laborioſum, & moleſtum eſt ſeipſum abnegare, & crucem tollere, ad laborem extenuãdum inquit quòd ſequamur eum: nam in Chriſti ſocietate omnes labores, & ærumnæ fiunt dulces, & ſuaues. Si thoracem, vel loricam induis rectè & ſine moleſtia incedis: at ſi ſuper humeros coniicis eã, nimis te onerat, & grauat. Sic Chriſtus, & iugum eius, qui illud non induit ſentit onus & grauitatem, ſed qui induit dulcedinẽ, & iucunditatem. Ideo Paulus, Induimini dominum Ieſum, Chriſtum. Et Chriſtus nos vocat, quia ſi nobiſcum vadit, omnia nobis fient dulcia, iucunda, & ſuauia. Obſerua autem quòd multi portant crucem, & diabolus

Quotidie nos decet ferre crucem, aut habere promptitudinẽ ferendi.

2. Cor. 4.

Multi cruciferi ſed non ſunt imitatores Ieſu Chriſti.

Simile.

Rom. 13.

bolus etiam crucem portat & satis grauem, sed non propter hoc beatus est, nec erit, quia non sequitur *Sap. 5.* Christum. Portant mali crucem suam velint nolint, sed dominum non sequuntur. Lassati sumus (dicũt *Galat. 4. 5.* ipsi) in via iniquitatis, & ambulauimus vias difficiles. Sed qui dominum sequitur, huic mundus crucifixus est, & ipse mundo: imo qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & cõcupiscentiis. Is maximè attingit euangelicæ legis summam, quæ charitas est, qui maximè contendit Christum amore, factisque imitari, Christus ante oculos inscribitur ex cuius vita viuendi regula sumenda est. *Quatuor ordines crucif[e]rorum.* Quapropter aduerte quòd quatuor sunt genera hominum, qui crucem portant. Alij enim voluntariè eam portant, & pij homines: alij inuiti, vt mundani, & impij, qui & ipsi non sine cruce sunt, sed repugnantes, & renitentes eam portant, quemadmodum Simon Cyrenæus: alij crucem portãt, sed alienam: suam enim fugiunt, & abiiciunt, vt hypocritæ: sed alij crucem quidem portant, sed Christum non sequuntur, quin potius diabolum, vt omnes impij. Tu igitur vide vt crucem tuam portes, & Christum sequaris: tunc enim sequimur Christum cùm eius *Genes. 32.* vitam imitamur. Sic Iacob dixit Esau, Præcedat dominus meus ante seruum suum, & ego sequar vestigia eius: sicut videro paruulos meos posse. In libro enim Iudicum habetur quòd Abimelech, iudex & *Iudi. 9.* princeps terræ præcidit ramum arboris, & posuit in humeros suos dicens suis, Quod me videritis facere, facite. Et ibi præcidentes ramos de arboribus sequebãtur ducem. Sic Christus dux noster & magister, & iudex accepit super humeros crucis arborem, & illam baiulauit, atque in ea pependit. Nunc verò ad suos clamat, Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me. Acsi diceret quod olim suis dixit Abimelech, Quod me videritis facere, cito facite. O quàm bonus dux & imperator est Christus, qui suis militibus nihil præcipit, quod ipse prius non præstiterit. Sequamur igitur nostrum Imperatorem & Ducem, & exeamus, vt *Hebr 13.* ait Paulus, extra castra improperium eius portan- *Genes. 22.* tes: sicuti Isaac sequebatur patrem suum Abraham oneratus lignis, quibus in sacrificiũ erat cõburendus. Si non sequeris Christũ dominum in pœnitentia & carnis maceratione, imitans vitam ipsius, signum est euidens quòd non sub eius vexillo militiam exerces. Sed quàm multi sunt qui nomẽ christiani habent, sed in vita sunt inimici Christi Iesu, quorum Deus vẽter est: Horum sequela Christi, est vitiis, turpitudinib. carnis indulgẽtiæ, & omni ge- *Phil. 3.* neri lasciuiæ, & luxuriæ incũbere, &c. Alij sunt, qui cùm audiunt, quæ de cœlo & gloria nunciantur, vel quæ & quanta bona iustis & sanctis Deus in cœlo elargitur, maximè excitãtur & impellũtur ad Christi Dei vestigia vrgenda, & ad crucem manum iniiciunt, incipiũntque pœnitentiam agere, & orare & ieiunare: sed pœnitẽtiæ duritiæ perterriti, metúque grauitatis pœnitentiæ percussi nimia fragilitate, & imbecillitate animi ad vitia, & flagitia reuertuntur, crucémque pœnitentiæ derelinquunt. Filij Israel *Num. 13.* audientes fertilitatem terræ promissionis præparauerunt se ad pugnam, & ad possidendam eam: sed cùm audissent quòd ibi erant gigantes robustissimi voluerunt reuerti in Ægyptum, & etiam ob itineris difficultatem cæpit populum tædere. Sic multi au- *1. Cor. 2.* diunt exploratores cœli dicentes bona: quæ Deus habet in gloria. Nonne explorator gloriæ est Paulus qui ait, Nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Cùm homines audiunt hæc nuncia, maxima afficiuntur hilaritate & gaudio: ingentésque cõcipiunt animos ad expugnandam, & obsidendam gloriam ipsis promissam: sed cùm audiunt quòd arcta est via quæ ducit ad vitam & quòd tollant crucẽ, & Chri- *Matth. 7.* sti austerissimam vitam imitentur atque illum sequantur, ob itineris difficultatẽ & laborem reuertuntur ad Ægyptum: & ad ea quæ sunt mundi, quæ iam relinquerant. Audiant isti quod Paulus ait, Si *2. Cor. 1.* fuerimus socij passionum: erimus, & consolationũ. Multi volunt socij esse consolationum, sed non passionum. Multos habet Christus, qui eum sequũtur vsque ad cibum capiẽdum: sed paucissimos, qui seipsos abnegẽt, & eum sequãtur baiulantes sibi crucem. Omnis itaque qui Christũ sequi voluerit, abneget semetipsum & crucem suam tollat. Sed quia alicui molestum & arduum videretur labores & ærumnas vitæ præsentis sufferre, quia naturaliter homines carnem & sanguinem & seipsos diligunt, tollit modò hoc impedimẽtum dicens, *Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam, nam qui perdiderit animam suam propter me, saluã faciet illam.* Ac si diceret, Exstimatis ne quòd quia corpus affligitis, *Vita conseruatio est perditio animæ.* ei nocetis? At fallimini: nam in hac re euãgelica, qui perdit, lucratur: & qui lucrũ capit, perdit. Qui corpori indulget, illud destruit: & benefaciendo ei, nocet omnino: nam nutrit illud in gehẽnam: & è contra, qui illud affligit & castigat nocumentum ei inferẽdo, ei omnino prodest, & benè facit, nam aliter nutrit illud in gloriã sempiternam. Itaque crucem pœnitentię, & ærumnas corporales nequaquam debemus perhorrescere & formidare: nam si vos ipsos diligitis, & amatis, vos ipsos affligite, nam hoc est omnino vobis ipsis prodesse. Qui volunt vitam suam corpoream conseruare, eique indulgere, nec eam propter me perdere, sicuti faciunt qui ne corporis vitam amittant, metu mortis Christũ negant, ij (inquam) perdunt corpus & animã simul, propter quod igne inferni in sempiternum torquebuntur. At verò illi, qui propter Christum vitam perdunt, & martyrio exponunt eam, & eam Christo domino offerunt, ij lucrantur illam: quia in æternum viuent in cælo: perdere hoc modo, est lucrum facere. Perdidit vitã pro Christo diuus Stephanus, & con- *Act. 7.* secutus est vitam æternam in cœlo. Sic eam perdiderunt apostoli, & martyres, & omnes illi, qui pro Christo mortui sunt: sed visi sunt oculis insipientiũ mori, ipsi autẽ sunt in pace. Sic dixit sanctus ille martyr Machabæus Antiocho tyrãno regi, Tu quidem scelestissimè in præsenti vita nos perdis: sed rex mũ- *Sapient. 3.* di defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitę re- *2. Mac. 6.* surrectione suscitabit. Sic ergo perdere animam pro Christo est saluare: velle animam saluare, est eã perditioni exponere, iuxta illud Pauli, Si secũdum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu vitia carnis mortificaueritis, viuetis. Ponit, & constituit A- *Rom. 8.* postolus in vno homine duos homines, quorũ alter est homo interior, & alter exterior: vnus est lex spiritus: alius verò est lex carnis: & sunt tã vniti, quòd ambo sunt vna, & eadem res: & tam differentes, & diuersi, quòd vita vnius est mors alterius: & tam cõtrarij, quòd vt vnus viuat debet alterum destrui. Et propterea, vt vni detur vita, necesse est alterum occidere. Si ergo interficimus hominem carneũ, qui est vita hæc corporea perdendo eam, cum Christo in spiritu viuemus, & viuet posteà corpus simul cũ anima

Animā triplex in scripturis acceptio.

anima in æternum. Aduerte autem quòd anima in scriptura tripliciter accipitur, vno modo pro homine toto, iuxta illud quod in Leuitico dicitur, Anima, quæ obtulerit sacrificium, id est, homo, qui obtulerit. (*Leuit. 2.*) Et septuaginta animæ dicuntur egressæ de femore Iacob, & intrasse in Aegyptum. (*Genes. 46.*) In Genesi etiam habetur. (*Genes. 12.*) Et animas, quas fecerant in Aram: hoc est, seruos & ancillas quas emerant dum manerent in Aram. Secundò accipit pro vita. Sic psalmista accepit cùm dixit, (*Psal. 118.*) Anima mea in manibus meis semper, id est, vita mea semper est in periculo, quia habeo eam in manibus. Et in primo Regum, (*1. Reg. 22.*) si quis quæsierit animam meam: quæret & animam tuam. Id est, qui voluerit me occidere, volet occidere te. Tertiò accipitur pro spiritu, & sic in communi vsu accipimus. Sic in Leuitico dicitur, Anima carnis in sanguine est. (*Leuit. 17.*) Accipitur hic pro vita, & tunc dicitur quòd perdere accipitur dupliciter, vno modo pro amittere: alio modo pro destruere, & secūdum hoc est duplex sensus. Primò modo, qui animam, id est, qui vitam saluat hic, & conseruat, nolens pati aliquod malum, sed frui voluptatibus perdet eam, scilicet in futuro amittet, quia non inuenit eam pro gloria, sed pro gehenna. Secundò, qui vult animam suam saluam facere, id est, saluare in futuro, perdet eam, id est, necesse est quod destruat eam in præsenti. Qui enim sponte labores tollerant, dicuntur animam destruere, id est, vitam, quia moriuntur in laboribus. Et vtérque sensus redit ad idem: scilicet, quòd non potest haberi simul hîc, & in futuro iucunditas, sed necesse est hic, aut illic iucunditate carere. Sed iam homines nihil aliud curant quàm animam seruare, & crucem repellere. Tot sunt apothecæ vini generosi, tot delicata, & lauta conuiuia, tot vestes pretiosæ, tot delitiarum inuēta. Nunquid hæc crucem Christi sapiunt? (*Luca. 6.*) Væ vobis, qui habetis hîc consolationem vestram, (*Iob. 21.*) Væ his, qui ducunt in bonis dies suos, (*Psal. 72.*) Væ his qui in labore hominū non sunt, (*Psal. 143.*) Væ his quibus non est ruina maceriæ, nec transitus, aut clamor in platæis eorum, (*Sapien. 6.*) Væ his, qui nunc rosis coronantur, & non est pratum quod luxuria eorum non pertranseat. Sanè inueniunt animam suam nunc, sed in futuro perdent eam.

Finis & scopus nostrarū actionū Christus.

¶ Obserua autem quòd non quomodocunque opus est, vt perdas illam, sed propter Christū: ideo dixit, *Propter me.* Non martyrem efficit ipsa mors, sed causa mortis. Etiam se morti obtulit Cosdrus Atheniēsium rex, & Curtius ille, qui se misit in hiatum terræ: attamen nec ij, nec alij quàm plures Romani, & antiqui gentiles martyres fuerūt: nec quia hanc perdiderunt vitam, aliam inuenerūt, quia non eam perdiderūt propter Christū, sed propter suam vanitatem. Finis, quem habere debemus, cum mundo renuntiamus, & cùm carnem frænamus vitamq; perdimus, denique in omnibus quæcūque agimus, debet esse Christus dominus: & hic solus finis nostris operibus, & actionibus valorem, & meritū tribuere debet. Et sic Saluator noster magna cura & diligentia, cū agit in euangelio de eo quod præstare debemus, loquitur sæpissimè de causa, & fine propter quem nostra opera, & actiones fieri debent. De mundi contemptu, & diuitiis dixit, (*Matth. 19.*) Omnis qui reliquerit patrē, aut matrem, aut filios, &c. Propter me. (*Matth. 5.*) Et de persecutionibus ait, Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint propter me. Et nūc de mortificatione carnis, & de martyrio loquēns ait, propter me. Docet itaque locus iste omnia quæ facimus propter Christum facere, & quòd nō solùm nihil iacturæ est perdere: propter Deum, sed lucri multum. Sunt multi, qui se perdere putant quod sibi propter Deum auferunt, nempè quod pauperibus tribuunt, quod sibi propter ieiunia subtrahunt, quod falsum esse multa loca scripturæ testantur. Et mirum valde videtur quòd difficilis sit homo, qui cùm decem donauerit, viginti lucratur: & ingratus sis ei, qui te perdendo miseram vitam, & qui vix est vnius diei, lucrari te docet sempiternam. Sed procedamus.

Quid enim proficit homo si lucretur vniuersum mundum, seipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat?

Animæ iactura maior quā perditio totius mundi.

Hoc dixit ad tollendum argumentum, quod posset oriri ex præcedentibus. Nam dixit, Qui voluerit animam saluam facere, perdet illam: & è contrario, & ita videbatur dari commutatio vitæ pro vita. Et quia magis mouent præsentia, quā futura, quia certiora esse videntur hominibus, quapropter magis vellent homines perdere vitam in futuro, & habere in præsenti, quàm perdere in præsenti, & habere in futuro: ideo ostēdit quòd bonum illud, quod in futuro expectatur, est multò maius, quàm quod in pręsenti est: omnia enim, quæ hîc perdūtur parua sunt: ideo potiùs debemus perdere bona hæc, quā animā in futuro, quia nullum æquiualens pro anima potest dari. Quod enim lucrum poterit subuenire tam magno dāno? (*Sapien. 5.*) Vnde impij positi in inferno dixerūt, Quid profuit nobis superbia, aut diuitiarū iactantia quid cōtulit nobis? Obserua quod in hoc significatum est fere fieri nō posse vniuersum mundū sine animæ detrimento lucrari Qui enim volunt diuites fieri incidunt in tentationem, (*1. Tim. 6.*) & in laqueum diaboli. Iulius Cæsar, Alexander Magnus, qui ferè totum mundum subiugauerunt, quid ex hoc lucrati sunt? An non & animæ, & corporis necem? Quā ergo cōmutationē poterit dare homo pro anima sua? Dum viuimus ergo peccata eleemosynis redimimus: cōmutamus lachrymas, cōtritionem, ieiuniū pro anima nostra. (*1. Petr. 1.*) Ille siquidem sanguis redemptio nostra est. Sed post mortem non est pretium, non est commutatio, iam frater noster non redimet, redimet homo. Quid habet homo de vniuerso labore, quo laborat sub sole? (*Psalm. 8.* *Eccles. 1.*) vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerūt viri diuitiarū in manibus suis. (*Psalm. 75.*) Si habueris in scrinio & capsa tua Venetiarum thesaurum, & dominus fueris totius orbis quid inde? Nunquid hæc omnia poterunt te à morte liberare? Num ab inferis te reuocabūt, si in peccato abhac vita decesseris? In rigoroso, & ærūnoso illo mortis cōflictu quid proderit regem aut potentē fuisse, aut diuitiis, voluptatibus, & honoribus huius sæculi abūdasse? Sed procedamus. Forsitā aliquis timore gehēnæ, vel attractus gloriæ dulcedine, vellet perdere vitam temporalem, & seculi lucra, sed erubescet habere Christū hominem crucifixum in Deum: ideo subdidit protinus.

Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua & patris, & sanctorum angelorum.

Confessio non Christi, & fidei necessaria ad salutem.

Non solùm quicūque nō crediderit, sed qui erubuerit me, hoc est, erubuerit cōfiteri fidem meam, laudē meā, doctrinā meā & huiusmodi: est enim de necessitate salutis exterior cōfessio quā amittit erubescens: Intellige cōcurrētibus debitis circūstātiis: quia est præceptum affirmatiuū. Erubescere tamen Christum ex suo genere mortale peccatū est: posset

Ioan.3. tamen propter imperfectionem actus esse veniale, sicut in qualibet trāsgressione præcepti. Verū multi sunt, & nunc qui erubescunt christiani esse. Verè non desunt Nicodemi qui minimè audent confiteri publicè Christū, quapropter venit ad eum nocte. Et sunt quos pudet pietas, & erubescunt esse pauperes Christi humiles & ministrare pauperibus, &
Rom.1. infirmis. Non sic ille, qui dicebat. Non erubesco euangeliū, virtus enim Dei est. Præterea, multi non
Ierem.3. erubescunt confitendo per humilitatē sequi Christum. Ideò Ieremias, Cōfusi sunt quia abominationem fecerunt, quinimo confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. Hi quidē qui de pec-
Multi erubescunt benefacere, sed non erubescunt de peccato. catis non erubescunt, de Christi humilitate erubescunt: hūc filius hominis erubescet, quia nō cognoscet eum inter suos: abiiciet eū à suis, & indignum suis habebit illū. Vnde ipse dominus alibi ait, Qui-
1.Reg.2. cunque honorificauerit me, glorificabo eū: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Nō est, ô anima, tuus sponsus tā ignobilis quod de eius ignobi-
Prouer.31. litate erubescas. Nobilis in portis vir eius, cùm se-
Psal.44. derit cum senatoribus terræ. Nec est difformis, quia
Sapien.7. speciosus forma præ filiis hominum: & candor est
Ioann.13. lucis æternæ, & splendor gloriæ. Petro videbatur quod erat dedecus Christi vt ei pedes lauaret, sed Christus de hoc se honorat. Sic multi erubescunt seruire Deo in officiis humilitatis. Hodie apud multos christianos, viuere christianè, dedecus est. Mira insania! Ipsi pagani fidem christianam honorabilem reputant, multi verò christiani opprobrium reputant. Recordare tu opprobrij quod Christus pro nobis sustinuit, & ne erubescas eum. Si quis viderit Christum in solennitate paschali coram tot nationibus in cruce nudum, paruam reputabit verecundiam quam pro Christo sustineret. Vnde Paulus
Hebr 12. admonet dicens, Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consumatorem Iesum. Et si hoc satis non est, vt non erubescas Christum, vide quod maiorem erubescentiam
Prouerb.10. patieris in iudicio. Vnde in Prouerbiis dicit, Quod timet impius veniet super eum. Et Iob, Qui timet
Iob.6. pruinam, veniet super eum nix. Et Ieremias, Cōfun-
Hier.20. dentur vehementer: qui non intellexerunt opprobrium sempiternum, & ignominiam æternam, quæ nūquam obliuione delebitur. Et iterum. Dabo vos
Ierem.23. in opprobrium sempiternum & in ignominiā æter-
Prouerb.1. nā, &c. Tūc enim Deus ridebit de morte eorū. Ego quoque in interitu vestro ridebo, &c. Obserua autē loquendi modum. Primum de se loquitur, cùm ait, Qui me erubuerit: deinde tanquā de altero loquēs ait hunc filius hominis erubescet quia scilicet adiecturus erat, cùm venerit in maiestate sua & patris: vbique nos docēs cùm magnificè quicquam dicturi de nobis sumus, oportere id omni cum modestia fieri, & semper fugiendā esse iactantiā. Sic Paul. post
1.Cor.15. multa bona ait, Non ego, sed dominus. Et alibi cum
2.Cor.12. diceret reuelationes, & scientiam, tanquam de alio loquens ait, Scio hominem ante annos quatuordecim raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum, &c. Aduerte autem quòd metaphorica est hæc locutio, sicut dicitur Deus irasci, quia Christus non erubescet in die iudicij sed erubescet quoad effectum. Sed quia ardua erant, quæ Christus dixerat de abnegatione sui, & crucis baiulatione, consequenter promissione quadam solatij, & remuneratione ad illa inducit dicens,

Dico autem vobis verè sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.

Non solùm vt cōsolaretur suos hæc dixit, sed etiam ne quis putaret hæc vana esse, quæ de maiestate dixit, & de patre, & de angelis, certò affirmat aliquot ex suis auditoribus non visuros mortem, nisi priùs videant regnum Dei, quod iamiā maiestatē dixerat. Theophil. in hac verba.
Loquitur tamen de trāsfiguratione sua post paucos dies futura: quia in transfiguratione monstrata est quędam species regni Dei. Et hoc dixit de Petro, Iacobo, & Ioanne qui post hæc vt statim sequitur, viderunt Christum transfiguratū in lumine, & claritate, in summitate montis Thabor. Vide quomodo Christus non vult omnia præmia, quæ dat suis remittere in aliam vitā. Cognoscit fragilitatē nostrā, & vult nos consolari in hac vita. ¶ Expende etiam Ambr. li.7. in Luc.ca.9.
ꝙ benè dicit quod sunt aliqui hic stātes. Si volumus mortē non timere, stemus vbi Christus est: vita nostra Christus est, & ipsa est vita, quæ mori nescit. Nō ergo satis est stare, nisi vbi Christus est, stetur. Soli illi non gustabunt mortem, qui possunt stare cum Christo. Præterea gustare mortē dicit, & non mori, Pij gustant mortem, impij deuorant.
quia pij non moriuntur, sed gustant mortē, quia ferè non sentiunt eā: nā sicut qui solū dapes prælibat, nō verò comedit, nec in stomachum mittit: sic iusti maxima cum dulcedine moriuntur, & transeunt ex hac vita non sentientes mortē. Iniqui mortē comedunt, at verò boni tantūmodo gustāt: & quā citissimè pertransit per bonos mors: & per ipsam mortē viuunt in æternum. Sed iā nunc scribit noster euangelista Lucas quod modo dixit, quod nō essent aliqui gustaturi mortē, donec videant regnū Dei, ideo subdit dicens, *Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem, &c.* Mos est ducū, & imperatorū suis militibus in memoriā reuocare diuitias spoliorū illius prouinciæ quā expugnare volunt, vt milites animos adsumāt ad prælium, cupiditate spoliorū allecti & inflāmati. Nō aliter Christus dominus, cū suis apostolis dixisset: Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucē suā, &c. Hoc enim totū est laboriosum, & nimis durū corpori nostro mortali, & passibili: ne examinētur, & deficiāt propter hos labores, ostēdit eis modo præmiū magnū, quod cōsequentur in gloria, illi qui seipsos abnegauerint, & crucē pœnitētiæ acceperint, transfigurās se in monte, & ostēdens gloria suam coram tribus discipulis percipuis & significauit illis, quod sic videbunt Christū Iesum transfiguratum, & gloriosum in cœlo, qui in hac vita sumunt crucem pœnitentiæ super humeros, & eum sequuntur: ostendens eis diuitias spoliorum cœlestium, vt animos præstantes concipiant exhortatur, & animum eis addit, & vim, vt possint quoscunque perferre labores (quamuis ingentes.) Hæc cogitatio tantam vim & robur addebat Paulo apostolo, quando Corinthiis scribebat. Propter quod 2.Cor.4.
non deficimus, sed licet is, &c. Id enim quod in præsenti momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, supramodum, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. Et rursus in alio loco ait, Non 1.Cor.9.
pugno quasi in incertum, sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo. Et ad Timothæum, De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Ostendit 2.Tim.4.
ergo Christus Iesus discipulis suis indicium quoddam seu adumbratam quandam effigiem gloriæ quam possidebunt, & habebunt in cœlo: vt sic bene sperare discant, nec deficiant in laboribus vitæ præsen

præſentis in memoriã reuocãtes magnũ præmium & retributionẽ, quã ſperant. ¶ Præterea loquutus de paſſione ducit illos ad trãſfigurationẽ, quia paſſio Chriſti via eſt ad gloriam, per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei. Amplectamur Chriſti crucem in hac vita, ſi volumus *Act. 14.* Chriſtum in gloria videre. Igitur quia res valdè notabilis eſt myſterium hoc transfigurationis dominicæ, exprimit euãgeliſta tempus, perſonas, & locũ in quo accidit, tanquã res memoratu digna. De tẽpore ſic ait. *Factum eſt autem poſt hæc verba fere dies octo.* *Damaſ. quẽ citat. D. Tho. in catena.* *Tempus trãſfigurationis.* Alij euangeliſtæ dixerunt, poſt ſex dies, ſed nulla eſt repugnantia, quia hic incluſiuè loquitur Lucas: alij verò excluſiuè. Illi enim loquũtur de ſex diebus intermediis: Lucas autẽ diẽ illũ, in quo dixit illa verba, & diem trãſfigurationis includit. Vide quomodo Chriſtus non tardat implere quod promiſit. Dixerat enim apoſtolis quod aliqui eorum non eſſent morituri donec priùs viderent regnũ Dei, loquens de ſua transfiguratione glorioſa: ſed nũc quod promiſit impleuit. Non debuit inter promiſſionem, & impletionem promiſſi niſi modicum temporis ſpatium interuenire, ſcilicet vnius ſeptimanæ. Vtinam nos ſic ſeruemus, quæ promiſimus Deo, & ſic opere adimpleamus fidẽ quã ei dedimus in baptiſmo, quòd videlicet ei ſeruire, & dæmonis operibus renuntiare deberemus, ſicut Chriſtus adimplet promiſſa. At cùm Deus tã fideliter promiſſis ſtet, quòd priùs cœlum & terra trãſibunt, quàm verba ipſius, nos è contra paſſim frangimus fidem quam ei de- *Luc. 21.* dimus. Sed de his aliàs. Qui autẽ fuerint cum Chri- *Teſtes transfigurationis.* ſto in hac glorioſa transfiguratione, inſinuat euangeliſta dicens, Et aſſumpſit Petrũ, & Iacobũ, & Ioãnem. Iacobũ hunc fuiſſe fratrem Ioannis & filium Zebedæi, qui Iacobus maior dicitur, nemini dubiũ *Matth. 17.* eſſe oportet cùm id expreſſè dicat Matthæus. Solet enim ſcriptura, quæ in vno loco dimiſit, in alio ſup- *Geneſ. 42.* plere. Fratres Ioſeph dixerunt in Ægypto. Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrẽ noſtrum, *Geneſ. 37.* videntes anguſtias animæ illius dùm deprecaretur nos: & non audiuimus. Nõ tamẽ legimus quòd eos deprecatus fuerit quando eiecerunt eum in ciſternam: neque quando vendiderunt illum: ſed ſcriptura ſupplet in vno loco, quod dimiſit in alio: certum eſt enim quòd Ioſeph deprecabatur illos. Multa ſunt alia loca, quæ alibi memini me adduxiſſe ad hoc propoſitum ex ſcriptura. Itaque vnus euangeliſta declarat ſæpè alium, & dicit vnus ea, quæ alius prætermiſit. Quapropter in interpretatione vnius *Auguſt. de conſen. euang. cap. 11. & 12.* euãngeliſtę meminiſſe ſemper oportet illius Auguſtini dicti quod videndum eſt quid alij euangeliſtæ de illa re dicant, cùm ſæpè vnus declaret alium, & *Matt. 26.* *Marc. 14.* ſuppleat, quæ alius dimiſit. Sic in Matthæo legimus quod Ieſus dixit Petro, Antequã gallus cantet, ter me negabis. Hoc intelligere non poteris, niſi Marcum cõſulas, cuius ſunt verba Priuſquã gallus vocẽ bis dederit, ter me negabis. Intelligendus eſt ergo Matthæus antequã gallus cantet: id eſt, antequam deſinat canere, vel abſoluat cantũ ſuũ, ter me negabis. Solet enim gallus circa mediã noctem, & manè cantare. Et ad hũc ſenſum facilè trahitur quod Lu- *Damaſ. loco citato.* cas, & Ioãnes dicunt. ¶ Aduerte autẽ quòd vt poſt pauca dicemus expediens fuit, vt Chriſtus transfiguraretur, & quod eſſent teſtes ipſius transfigurationis, etſi omnes apoſtolos ſecum adduceret cùm hoc oportebat vt in ſecretò eſſet vſque poſt reſurrectionẽ, & aliqui eorum eſſent imbecilles, non expediebat vt omnes viderent Chriſtum transfiguratum. Secundo non expediebat, quòd Iudas videret hanc trãſfigurationẽ iuxta illud Eſaiæ, Tollatur im- *Eſai. 26.* pius, ne videat gloriam Dei. Si Iudas hanc gloriam vidiſſet, fortè ſecretũ quod oportebat, nõ ſeruaſſet & etiã ei maius ſuppliciũ, & pœnã attuliſſet cùm ſe damnatum vidiſſet & gloriam quam perdidit, cùm vidit Chriſtũ transfiguratum in mõte. Et ſic Chriſtus miſericorditer cum eo egit celando ei gloriam, qua frui non debebat. Si autẽ alios vndecim ſecum in montẽ duceret relicto ſolo Iuda in conualle, eſſet ſcandalũ notabile Iudæ, & obmurmuraret, & afferebat Chriſtus occaſionẽ ſcandali. Ideo oportebat quòd eſſent ſufficientes teſtes huius trãſfigurationis, & quòd non omnes eſſent Apoſtoli ſed aliqui.

¶ Sed cur tres Apoſtolos aſſumpſit, & non plu- *Damaſ. loco ſupradicto.* res, aut pauciores? vt adimpleret legem, quam ipſe fecerat. Nihil enim fecit Chriſtus caſu, ſed omnia fecit magno cõſilio. Dedit enim legem, & in ea dixit, In ore duorum, vel trium ſtat omne verbũ. Et hanc *Deut. 17.* legẽ vult Chriſtus ſeruare. Sed cur hos tres potiùs adduxit, quàm alios? Primo, vt Chryſoſtomus ait, *Chryſo. hom. 57. ſuper Matthæ.* Quia iſti excellentiores erant aliis. Scit Chriſtus vnumquẽmque iuxta merita tractare, & ſecundum rationem, & iuſtitiam laudare. E contra mundus facit qui Iudam in montem erigit, & extollit, & Petrum in cõualle relinquit. Malos dignitatibus, gloria, & diuitiis cumulat, & in montes euehit dignitatum: bonos verò in angulis incluſos ſinit, & prætermittit, & dedecore, ignominiaque maxima afficit. In curiis regum, & principum plus fauor, quàm virtus, valet: pluris diuitiæ & pecuniæ, quàm iuſtitia, æſtimãtur. Qui apud reges fauore, & authoritate plurimum pollent, nolunt ſapientes, & probos homines ad reges aditum habere. Maximè enim ti- *Aula principum ſtultis patent & prudentibus claudentur.* ment quòd ſi à regibus cognoſcantur, maioribus afficiantur honoribus, quàm ipſi. Et propterea alios quærunt ignobiliores ſe, inſipientes ſcilicet, & ſtultos, quos ſibi ſubmittere poſſint, vt hoc modo dignitatẽ, & fauorem ſuum cõſeruat. Et hæc eſt cauſa cur ſemper oſtiũ clauditur viris inſignibus, & prudentibus, & reſeratur ſtultis, & imprudẽtibus, nam ſic grati regibus melius ſe cõſeruant. In arbore illa quam vidit Nabuchodonoſor, aues ſuperuolitabãt, *Dan. 4.* beſtiæ verò ſub arbore incedebant. At verò nunc videmus beſtias, hoc eſt homines beſtiis ſimiles, & vitiis deditos ac ſtultos ſicut beſtiæ, collocatos ſuper frõdes arboris, & dignitates, diuitias, imperiũmque obtinere: bonos verò & ſapiẽtes, qui ſicut aues, ſuis ingeniis maximè in altum efferuntur, hos (inquam) demiſſos & abiectos, & ab omnibus conculcatos & contritos cernimus. De iſtis Salomon *Prou. 26.* dixit ſicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: ita qui tribuunt inſipienti honorem. Gentiles, qui vanè colebãt idolum Mercurij, vnuſquiſque ſecùm ferebat lapidem in honorem Dei ſui. Ergo, ſicut qui idolum colit, ſurripit honorem quem Deo debet, & idolo impiè defert: ita qui honorat, & dignitatem tribuit inſipienti, eſt tanquam idolatra, qui furatur honorem debitum ſapienti, & eum applicat ſtulto, qui ſimilitudinem & effigiem refert idoli, quod nec intelligit, nec audit, quamuis aures oculos & manus habet. Sic de iſtis ait Zacharias, O *Zach. 11.* paſtor, & idolum derelinquens gregem, &c. Sic tribuere honorem inſipienti, eſt mittere lapidem in aceruum Mercurij. In Hebræo autem habetur, ſicut qui ligat in funda lapidem, ſic eſt, qui dat ſtul-

to gloriam. Lapis natura sua deorsum fertur, quia omne graue appetit deorsum tendere. At si ponas eum in fundibulo, propter vim brachij illi impressam, ascendit per aërem contra suam naturam, veluti si esset auis. Sic nec stultus, nec improbus homo ad ascensum & imperium nati sunt: nec ad gubernationem aliorum procreati: attamen tanta est vis, & robur fauoris, & nummi vt contra omnem naturalem rationem volent, & imperent, quos potiùs decebat subditos esse, & aliis parere, omnibúsque demitti. Sic videbis stultum nimis elatum & euectum. Quid? stultus ille, cùm sit velut lapis insensibilis sine mente, & iudicio superuolitat? Extulit & euexit illum vis fauoris: habuit in curia brachium: & quia coram rege, aut corã summo pontifice habuit brachia tam altè ascendit, cùm reuera esset sicut lapis grauis, & immobilis. Sed non sic Christus, imo verò aliter, nam meliores, & magis benemeritos in altum euehit, & ad gloriam montis extollit: relinquens cæteros in valle.

Matth. 26. *Transfiguratio aliquandiu celanda.*

¶ Secundò assumpsit hos tres, quia tẽpore prospero debent homines se parare ad tempus aduersum, & sinistrum. Hi tres erant visuri Christum tremebundum in horto tempore passionis, & ne tunc scandalizarentur in eo propter carnis infirmitatem, ostendit modo gloriam suam, vt tunc nõ diffidant. Et sic modo voluit eos præmio præuenire, quod eis esset daturus in retributionem laboris quem propter Christum pati debebant. Nam si diuus Petrus (cùm tamen ante vidisset hanc gloriosam transfigurationem) eum negauit in passione, & omnes illi scandalizati sunt in eo, quid quæso fecissent nisi hæc diuinitatis signa vidissent? ¶ Tertiò assumpsit hos tres, quia erant arcanorum obseruatores, & necesse erat custodire, & celare mysterium transfigurationis vsque dum Christus resurgeret, sicut Christus iis tribus præcepit dicens, Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurgat. Erant ij discipuli maximè secreti obseruatores. Aliquos homines videbis, qui sunt veluti cribrum, & vannus, quæ totam aquam iniectam effundunt: sic ij nullum non secretum manifestant. Inquit Plinius, & Pomponius Mela quòd in Palestina est quidam lacus, in quo quicquid proiicitur, supernatat: non verò submergitur. Sic ij nihil in intimam sui cordis partem proiiciunt, & immittunt: imò verò arcana, & secreta omnia patefaciunt.

Matth. 17.

¶ Obserua autem quod Christus coram paucis transfiguratur in mõte, & paucis ostendit gloriam suam: ignominiam autem ostendit in monte coram multis gẽtibus in sua passione publicè, & in die paschæ. Similiter quando voluit Deus dare legem in monte Sina, & ostendere gloriam suam, solus Moses ascendit cum Deo, & præcepit ne vllus homo ascenderet, nec iumentum accederet ad montẽ. Sed nos superbè agimus ostendentes omnibus si quid gloriosum, si quid laude dignum habemus: infirmitates autem, & defectus nostros abscondentes, & celantes. Si quis nobilis est ex patre, accipit cognomen patris. Quod si nobilior est ex parte matris, relinquit cognomen patris, & accipit matris, imo in proauis quærit cognomen aliquod honorificum & illustre, &c. Locum autem transfigurationis ostendit euangelista dicens, *Et ascendit in montem vt oraret.* Hic mons dicitur Thabor, distans à Naim per septẽ miliaria, & per decẽ à Nazareth: iacet ad oriẽtalem partẽ cuiusdã amplissimi agri, solus, absq; eo, quod aliquis alius mons sit iuxta illum per quatuor, aut quinque milliaria. Latitudo eius à meridie ad Septentrionẽ excurrit: & sic per has partes ad meridiẽ protenditur, vt super planiciẽ illã exædificatus videatur, ita vt sine labore, aut defatigatione aliqua possit quiuis ad eũ ascẽdere. Est editissim⁹, amplus, & æqualis, & taliter proportionatus, vt nec terræ pugillũ habeat, qui ei proportionẽ suã & æqualitatẽ adimat. In hunc montẽ excelsum seorsum ascendit Christus, vt oraret: docẽs nos, quòd locus sequestratus à turbis, & negotiis sæculi aptus esset oratio ni. Sic Mosi apparuit dominus in rubo in mõte Dei cùm minasset gregẽ ad interiora deserti. Similiter in mõtis altitudine suscepit legẽ, & Agar in solitudine vidit angelũ domini. Sic etiã Heliæ apparuit angelus in monte, & cibauit illũ. Et Christus sæpè montem ascẽdebat ad orandũ. Mons igitur, & solitudo, locus aptus est ad diuinas apparitiones, instructiones, & contẽplationes. ¶ Obserua autem quod hic ascẽsus in montẽ, cũ affirmatur in scriptura de personis virtute præditis, semper (vt Origenes ait) intelligitur ad maiora bona Filij Iacob quãdo prima vice ascenderũt de Ægypto in Canaã ad patrẽ suum Iacob cum tritico, non dicit scriptura quòd ascenderunt, sed quòd fuerunt, ait enim, Portãtes frumẽta in asinis, profecti sunt. Sed secũda vice postquam venerunt in Ægyptũ, quando reuertebantur in Canaam dicit scriptura quòd ascenderunt de Ægypto & venerunt in terram Canaã. Cur hæc? quia prima vice tenebatur Simeon in vinculis, & afflicti erant: atque ideo non dicit, ascẽderunt in Canaã, sed cum secunda vice reuertebantur gaudentes ibant, & ad nuntiandũ patri quomodo Ioseph viueret, & dominaretur in omni terra Ægypti. Sic Christus daturus legem ascendit in montem, videns enim turbas ascendit in montem, & docebat eos. Cùm satiauit turbam ex duobus piscibus & quinque panibus ait Ioannes quòd subiit in mõtem Iesus, & ibi docuit, & dedit manducare. Ascendit etiam in crucem, & mundum redemit: ascendit etiam in ascensione, & dedit dona hominibus. Ascendisti in altũ (ait egregius psaltes) cepisti captiuitatem, dedisti dona hominibus. Itaque semper ascensus est ad faciendum aliquid bonũ: sicut hic ascendit, vt gloriã suã ostenderet discipulis. Itaque ascensiones Christi sunt vt faciat bonum, & aliquid boni impartiatur. Sed non sic ascẽdunt homines, nam multi ascẽdunt, sed non ad benefaciendum, sed ad nocẽdum: & ad suũ damnum, & detrimentum. Ad suum nocumentũ oriuntur alæ formicis. Quamplurimos vidimus honestos, humiles, & virtute præditos: postquã verò ad honores & dignitates sunt promoti, eos vidimus elatos, tumidos, vanos, tyrannos, denique insanos. Multi in infernum sunt detrusi, qui forsitan, non eò descenderẽt, nisi prælati creati fuissent. Multi etiam sunt in inferno, qui si pauperes fuissent, agricolæ salutem consecuti essent. Et quia mercaturam exercuerunt vsurísque & negotiis se tradiderunt, hic diuites facti sunt, & tandem fuerũt damnati. Saül bonus erat, & humilis, postquam autem regia dignitate, & imperio se vidit exornatum, superbus effectus est, & damnationis pœnam incurrit. Dauid quoque qui cũ affligeretur, & persequeretur bonus erat, nec voluit occidere inimicũ suum cũ posset: postquã se vidit euectũ & dignitate condecoratũ, adulter fuit, & Vriam iussit interfici, populúmque numerari. Sed tamen videmus quòd quanuis ascensus tantopere

Exod. 19. *Locus transfigurationis.* *Exod. 3.* *Exod. 15.* *Genes. 21.* *3. Reg. 19.* *Orig. hom 15. in Gen.* *Ascendit Christus vt benefaciat, ascendere nititur homo vt malum euadat aut malũ faciat.* *Genes. 42.* *Genes. 45.* *Matth. 5.* *Ioan. 6.* *Psal. 97.* *1. Reg. 9.* *1. Reg. 24. & 26.* *2. Reg. 11. 24.*

pere sit periculosus, omnes tamen ascendere nituntur: omnes gubernare cupiunt, honorari, ac magnifieri. Aduerte ergo quòd si ascendis, tanquam Christus ascendas, vt benefacias, non autem vt noceas, nec vt iniquè, & turpiter viuas, nec vt elatè incedas.

¶ Præterea obseruandum est, quòd in montem excelsum adduxit hos tres discipulos, vt gloriam suam illis ostenderet: vt doceat omnes qui hanc videre desiderant, non infimis iacere voluptatibus, non illecebris capi carnalibus, non terrenis adhærere cupiditatibus: sed æternorum amore ad superna semper erigi: & angelicæ munditiæ, pietatis & pacis, & dilectionis, & bonitatis, & iustitiæ vitam, quantũ mortalibus possibile est, semper imitari debere, iuxta illud apostoli. Cõuersatio nostra in cœlis est. ¶ Tertiò, vt frui possimus visione gloriæ debemus in montẽ ascendere: nã nisi quis exaltetur, nõ est dignus diuinis cõtẽplationib⁹. Moses solus in montẽ ascendit ad recipiendã legem: at populus tanquã carnalis, mansit ad montis radices. Oportet in altũ ascendere, & affectus penitùs euellere, & desideria nostra extirpare, & à terrenis, & infimis abducere, & super omnia, quæ mundi sunt ascendere, taliter, quòd omniũ terrenorũ domini efficiamur, nec iis sæculi rebus subiaceamus. Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: hac via sternitur: nec tibi difficile & arduũ fiat, quandoquidem Deus præit. Ascendere aduerso itinere, laboriosum sanè est: sicut Paulus ait, Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. In Canticis legitur, quod Salomon fecit ferculum, colũnas eius fecit argẽteas: reclinatoriũ aureũ, sed ascensum fecit purpureũ. Vide quod per sanguinem debes ascẽdere ad montis verticẽ, & ad gloriæ requiem, & tranquillitatẽ: & quod si nunc nõ sunt martyria, est tamẽ tuiipsius abnegatio, & tuæ propriæ voluntatis, & sic ad cœlum debes ascendere.

Philip. 3. *Qui manet in valle, non etiam dignus diuina illustratione.* *Exod. 19.* *Colo. 3.* *Act. 14.* *Cant. 3.*

¶ Denique in montẽ ascendit, & transfiguratur, vt doceat quòd non est quærẽda gloria in valle huius mundi, sed in cœlo. In illo monte quærenda est gloria, in quo beneplacitũ est Deo habitare: sursum corda habentes. Multi enim sunt qui viuunt vitam terrestrem, qui semper cogitant terrena, qui semper loquuntur aut de diuitiis, aut honoribus, aut delitiis. Sunt verò qui viuunt vitã cœlestẽ, vt qui cogitant quomodo placeant Deo. Hi, qui sic viuunt gloriabũtur in monte. De his Dauid inquit, Quis ascẽdet in montẽ domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Respõdit, dicẽs, Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanũ animã suam, &c. Per innocentiã manuũ, intelligit opera bona. Sunt bona opera, sed sordida. Das eleemosynã propter vanam gloriã, opus sordidũ est. Dicis missam in peccato mortali: opus est sordidũ, non prodest ad gloriam. De istis operibus ait Esaias, Vniuersæ iustitiæ nostræ tanquã pannus menstruatæ. Opus innocẽs, est opus optimis circunstantiis vestitũ, vt eleemosyna propter Deũ, & missa in statu gratiæ celebrata. Ait, Et mundo corde, cor mundum, id est alienum ab omni concupiscentia, à concupiscentia delitiarum, & auaritiæ, &c. Non enim sat est abstinere à malis operibus nisi abstineamus etiam à malis cogitationibus. Addidit, Qui non accipit in vanũ animam suam. Accipit animam in vanũ, qui non accipit eam in illud, ad quod accepit eam. Creatus est homo (ait Augustinus) vt summũ bonum intelligeret, intelligẽdo, amaret: & amando, possideret: & possidendo, frueretur. Si circa Dei amorem, & cognitionem versaris non accepisti in vanum animã, aliàs in vanum accepisti illã. Quartò ait, Nec iurauit in dolo proximo suo: id est, vt non decipiat proximum. Decipiunt proximum, qui in dolo iurant falsum, vt mercatores, & vendentes, & homines bifrontes, qui aliud coram te dicunt, & contrarium cum absens es. Isti grauiùs sunt puniendi quàm fures, & latrones, quia illi auferunt pecuniam: & isti famam, & honorem, qui multo pretiosior est. Si ergo vis ascendere in montem domini, & in locũ sanctum eius, & ibi videre Christũ gloriosum, & transfiguratum: opus est vt habeas istas quatuor conditiones. Sed ad contextum. *Et facta est dum oraret species vultus eius altera.* Orans, transfiguratus est, quia in oratione transfiguramur ex bestiis in homines: & oratio non est nisi medium vt transfiguretur homo in Deum. Ideo Iob, Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur accipiter, &c. quatit alas ad aërẽ, & est ibi ingemiscẽs, & suspirãs. Sic renouatur homo interior, & spoliatur homine veteri peccati, luce diuina illustratus. Transfiguratur in oratione, & contemplatione ex superbo, in humilem: ex inuido in charitatis amatorem & sectatorem, &c. Et transformatur ex nomine in Deũ. Sic filij Israël non poterant videre faciem Mosi, quia erat splẽdida facies eius ex domini cõsortio. Reuertebatur enim transfiguratus & resplendens.

In valle huius mundi nõ est gloria. *Psal. 67.* *Psal. 23.* *Esai. 64.* *Aug. lib. de dilign. Deũ. cap. 13.* *Iob. 39.* *Exod. 34.*

¶ Porrò transfigurari est figuram mutare, quæ dupliciter accipitur. Primo modo accipitur figura pro qualitate resultante ex terminatione lineamentorum, & consideratur in superficie corporis, & est de quarta specie qualitatis, quæ vocatur forma: & isto modo nõ potest aliquid transfigurari, nisi mutet lineamenta. Alio modo accipitur pro habitudine eorum, quæ exteriùs apparent in homine, siue sit dispositio in corpore, siue in vestib⁹, siue in vtroque. Et isto modo dicitur aliquis transfigurari, quãdo mutatur color eius vel aliquæ qualitates de his, quæ apparere possunt, non facta mutatione aliqua in quantitate, nec in lineamentis. Sic etiam transfiguratur aliquis, quãdo mutat vestes, & accipit alias omnino distantes in figura, & colore: quia tunc homo non cognoscitur, & putatur esse alius, sicut si verè figuram mutasset. Primo modo Christus non est transfiguratus, quia semper tenuit quantitatem sui corporis, & figuram corporis humani, ita vt ex figura sua solita possit cognosci quòd ipsemet erat. Sed secundo modo transfiguratus est, quia fuit facta quædam mutatio in eo tam ex parte corporis, quàm ex parte vestium: nam color vultus eius apparuit nitidior, & resplenduit sicut Sol, & vestimẽta eius facta sunt alba sicut nix. Et istud dicitur trãsfigurari, quasi aliam haberet figurã. Nõ tamen mutatus est vultus eius ad aliam figurã, sed ad aliã qualitatem lucis, vel fulgoris. Hanc mutationem vocat hìc noster Lucas alterationem speciei, quia dicit, quod facta est species vultus eius altera. Non dicit, alia, sed altera: qui non fuit alietas substantiæ, sed alteritas superueniens gloriæ: gloria enim nõ tollit, sed perficit naturam. Ideóque facies Christi non fuit variata, nam manente veritate carnis, & eadem figura corporis Christi, claritas ista superuenit quæ quidem claritas fuit vera corpore perceptibilis, in corpore Christi verè existens ad ostensionem claritatis, quam promiserat in sanctis post resurrectionem esse futuram.

Transfiguratio Christi, non fuit secundum substantiam aut quantitatem, sed secundum qualitatem.

¶ Obserua

Collatio claritatis transfigurationis cum claritate glorificationis.

¶ Obserua autem quòd hæc claritas transfigurationis,& resurrectionis,siue glorificationis,in tribus cõueniunt:in tribus verò differũt. Conueniunt primò in substantia, quia eadem claritas substãtialiter est vtraque. Sed differunt perfectione, quia claritas gloriæ perfectior est, & maior. Secundò conueniunt in existentia, quia vtraque vera claritas est: differunt autem quia claritas gloriæ habet esse permanens, claritas autem transfigurationis in transitu fuit. Tertiò cõueniunt in subiecto: vtraque enim est in corpore hominis, naturam eius non trasmutans substantialiter: differunt autem quia corpus subiectum claritatis transfigurationis est corruptibile, claritas autem gloriæ est in corpore incorruptibili. Gloria hæc corporis nihil aliud fuit, quàm quædam redundantia, quam anima corpori communicauit. Ad quod sciendũ est quòd anima Christi in suæ conceptionis instanti, fuit vnita verbo,& Deum vidit, & gloria plena fuit. Attamen hac animæ gloria nequaquam corpus fruebatur, nec anima corpori eam cõmunicabat: nã si corpus huius gloriæ particeps fieret,esset impassibile, nec moreretur. Ergo vt Christus posset nos redimere, erat hæc animę gloria detenta,& repressa,absque eo qd corpori communicaretur. Cùm filij Israël in terram promissam proficiscebantur, necessariò transire debebant mare Rubrum, in quo eis dominus singulare contulit beneficium. Nã vt siccis pedibus transirent, impetus aquarum retrocesserunt cõtra propriam inclinationem & naturam, vt populus pertransiret. Sic etiam necessarium fuit, quòd (vt dominus Iesus moreretur & pateretur pro nobis) animæ eius gloria retrocederet, & se colligeret, nec se corpori communicaret: nam si corpori se communicasset, non potuisset sanè mori. In anima Christi erat portio superior,& inferior: secundum superiorem Deum contemplabatur, Deóque fruebatur, & ad eum habebat respectum, & secundum inferiorem habebat respectum ad creaturas. Secundum superiorem minimè patiebatur: at verò secundum inferiorem sic, & dicebat, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Habet se hoc negotium portionum animæ Christi, ad modum illius quod agitur inter clericos habentes beneficia ecclesiastica, & bona patrimonialia: nam de bonis & redditibus ecclesiasticis decimas non soluunt, at verò de patrimonialibus sic. Eodem modo Christus secundum bona superioris portionis, decimas non soluebat: at secũdum bona inferioris, sic. Quòd si gloria animæ in corpus resultasset, pati non potuisset, & sic passio eius impediretur,& nostra redemptio: & sic mirabiliter repressa fuit animæ gloria, ne in corpus resultaret. Nõ tamẽ ob id miraculosè passus fuit, sed naturaliter fame, siti, & frigore laborauit, &c. quẽadmodum cæcus ille, cui Christus dominus oculorum lumen, & splendorem tribuit, qui cæcus à suæ vitæ initiis & exordio extitit: qui etsi per miraculũ visum recepit, tamen posteà per naturã cuncta prospiciebat. Sic Christus naturaliter patiebatur, quãuis miraculo non carebat, ipsam animæ gloriam in corpus non emergere: nam si gloria corpus ipsum afficeret,& imbueret, Christus minimè flagella, clauos,&c. sensisset: nam vsqueadeo ipsa delectaretur gloria, qua perfruebatur, quod his corporis sui pœnis, nequaquã cõmoueretur: illa enim, quæ summã afferunt voluptatem,& iucunditatẽ, solent efficere plerunque nõ solum ne suaui aliarũ rerũ delectabiliũ gustu teneamur, sed etiã ne dolorẽ & cruciatum rerum asperatũ sentiamus. Diuo Tiburtio incensæ prunæ, rosæ purpureæ videbantur. Moses tanta capiebatur voluptate dùm Deo in monte familiariter vtebatur, vt per quadraginta integros dies famis cruciatu nequaquam opprimeretur vexaretúrque. Hoc idẽ Paulo accidit, qui Damasci tribus diebus, & tribus noctibus mãsit absque cibi,& potus sumptione, intentus totus rebus diuinis, cõspiciénsque diuini numinis fulgentissimã speciẽ & naturã. Adamus in ipso somno, quẽ Deus in artubus ipsius profundè immisit, magnas cœlestiũ arcanorum habuit præsentationes,& notitias: quo factum est, ne costæ ablationẽ ex qua constitit Eua, sentiret. Hic est præcellẽs ille beatorum status, quos nullo modo huius miseræ vitæ pœnæ conturbant, aut aliquo mœrore vel tristitia miserabiliter, & luctuosè conficiunt & contorquent, non solũ quoad ipsam animã, sed nec quoad ipsum corpus: nam ipsa animę gloria corpus etiã ipsum mirificè complet. Quod vsqueadeo verùm est, vt si vnus beatorum cum gloria quã habet infernum ingrederetur,& in remedio pœnarũ, quæ illic malis irrogantur, constitisset, fruitio illius beatitudinis, quam possidet, sufficeret ei pœnarũ molestiam & angorẽ auferre penitùs. Hoc ergo maximo priuilegio caruit Christi anima, quæ cùm in illo tẽporis momento, quo fuit condita beata extitisset, quoad superiorem portionẽ, & quoad inferiorem, nequaquam: imo in cruce habuit maximum dolorem & corpus ipsum adeò nudũ istius animæ gloria erat, vt ne minimum quidẽ haberet, & ideo patiebatur pœnas. Sed in trãsfiguratione, anima, corpori, gloriam hanc, quam repressam habebat, communicauit: & resplẽduit facies eius sicut Sol, & vestimẽta eius facta sunt alba sicut nix. Itaque in trãsfiguratione nouum non extitit miraculum, imo verò antiquum miraculum fuit dissolutum. Vnde, vt Augustinus ait in epistola ad Dioscorum, claritas corporum in gloria beatorum procedet ex beatitudine animæ: sicut laterna ex natura sua est opaca, sed si intromittitur illic lucerna, incipit splendere, nõ luce sua, sed lucernæ intro existentis. Ita corpora nostra tenebrosa sunt, lucebunt tamen in die iudicij, non luce propria, sed luce animæ intra corpus inexistentis, & ita hic in transfiguratione resplenduit corpus Christi, nõ ob aliud, nisi quia anima erat beata & illa retinebat gloriam suam, ne redundaret in corpus: sed hodie soluit repressionem ad tempus, sicut qui obstruit aquæ ductus alicuius fontis ne exeat aqua,& posteà soluit. Gloria itaque animæ redundauit in corpus, & hoc ad tempus, & per modum qualitatis, non quidem permanentis, sed transeuntis: ideo corpus Christi non fuit beatum, sicut nec Paulus in raptu, quamuis viderit diuinam essentiam. Et fuit in hac gloriosa transfiguratione tanta claritas corporis, quòd ait euangelista, quòd factus est vestitus eius albus, & refulgens. Data fuit vestibus Christi miraculosè quædam qualitas ad modum albedinis veri manentis. Et cum isto colore fuit quidã fulgor, vt esset ille color quasi radios quosdã nitoris mittens. Nam colores participant lucem,& quantò fuerit color perfectior, participat magis de luce, quoúsque veniat ad emissionem quãdam radiorũ. Matthęus dicit quòd fuerunt vestimenta alba sicut nix: quia nix habet excellentiam quandã, quia nõ solũ habet albedinem intensam, sed etiam propter magnitudinem lucis participatæ,

Exod. 14. *Matth. 26.* *Pars animæ Christi superior fruebatur, non inferior.* *Ioan. 9.* *Exod. 23.* *Act. 9.* *Genes. 2.* *Nota.* *Simile Augustini.* *Simile.* *2. Cor. 12.* *Matth. 17.*

cipatæ, radios aliquos emittit: & ideo oculos offendit, & ob hoc nix non solùm dicitur alba, sed etiam splendens. Alia etiã sunt alba quæ nõ habent splendorem: sed quia Christi vestimenta alba fuerunt & splendida, assimilata sunt niui, quia fuit ibi albedo radiosa. Totum itaque corpus fuit gloriosius, vsque ad vestimenta. Igitur vestimenta in se non fuerunt gloriosa, sed sicut pars cœli, quæ vicinior est soli, est magis lucida: sic ex illustratione aëris vestimenta Christi lucidia, & alba fuerũt. Moses habebat claritatem in facie prouenientem ex splendore, sed manus eius erat leprosa. At verò hîc omnia sunt referta & cumulata immensitate gloriæ: corpus, facies insuper & vestimenta. Facies enim eius resplenduit sicut Sol, & vestimenta eius sicut nix fuerunt alba. De facie, quamuis dicat Matthæus quod resplẽduit sicut Sol, intelligit tamẽ quòd maximo incremento, multisque nominibus solis splendorem superauit: comparauit tamen eam euangelista cum illa re cum qua potuit eam conferre, sol enim splendidior est omnib. planetis, & sideribus cœli. Cur ergo suũ splendorem per totum non sparsit orbem, vt non solùm discipulis suæ transfigurationis gloria innotesceret, sed omnibus hominibus per totum orbem dispersis? Dico quod in potestate corporis glorificati est ostendere suam claritatẽ, vel non. Sic Christus post resurrectionem suam apparuit gloriosus, & tantùm discipulis, & non aliis. Miraculum sanè fuit quòd Christi anima gloriam suam corpori non communicaret, miraculum etiã extitit quod postquam eam communicat, totum non impleuit lumine orbem. Si ergo illa ipsa gloria, quam tunc discipulis ostendit, minor erat ea, quam nunc in cœlo beatis manifestat, & tribuit, nec tamen imbecilles discipulorum oculi eã percipere & sufferre valuerunt: quid (amabò) erit in cœlo, quãdo videbimus eum, & fuerint corpora nostra glorificata? Refulsit Sol in clypeos aureos, & resplenduerunt mõtes ab eis. Mentionem facit cuiusdam tam clari, & rutilantis exercitus: quod sole radiis suis arma feriente, & percutiente, vicini mõtes fulgebant, propter lumen radiorũ per montes dispersum reflexúmque. Quando exierit Sol iustitiæ, & induerit animas nostras, fulgebunt corpora nostra propter participiũ, quod corpus consequitur ex animæ gloria.

[Exod.4.] [Quæstio.] [Ioan 20.] [Respon.] [1.Mac. 6.]

¶ Hactenus de Christi gloriosa transfiguratione: sed nunc operæ pretiũ est scire cur Christus voluerit transfigurari, & hanc gloriam istis discipulis ostẽdere? Nihil enim Christus sine causa egit. Trãsfigurari itaque voluit triplici ratione. Primò, vt labores nostros leuiores, & iucundiores redderet, & vt in illis animum nobis adderet, cũ videamus quãta sit gloria, quæ nobis tribuetur in cœlo quandoquidem tanta fuit hæc, quam in transfiguratione aperuit, vt Petrus eius immensitatem admiratus, dixerit, Faciamus hic tria tabernacula, &c. Oportet enim vt finis cognoscatur: nam cognito fine, & gloria, propter quam operamur, nequaquam deficiemus animo. Sagittarius non rectè iacit sagittam, nisi priùs signum, & scopum mente oculísque attigerit: in quo sagitta est affigenda. Sic populo Iudaico, vt eos in terram promissam deduceret, eò quòd iter esset laboriosum, & asperum, in columna nubis eis præibat. Quemadmodum in circuncisione principium stipendij nobis cõtulit, sic hic in transfiguratione præmij principium nobis est elargitus. Proposuit nobis hîc quãdam gloriæ effigiem, vt nos ad eã alliceret, & incitaret: sicuti filiis Israël per speculatores ostendit magnũ illũ vuarũ racemũ supra lignum transuersum, & pendentem, vt desiderũ terræ promissæ eis adderet atque augeret, fastidiúmque atque tædium Ægypti ingereret. Optimè notat Christus dominus ignauos, & pigros esse homines ad labores, nisi spe præmij ad eos impellerẽtur: vnde hic quoddã præmij proponit principium, ne in laboribus deficiamus, & vt animos assumamus. Vnde Paulus, Debet qui in spe arat arare: & qui triturat spe fructus percipiendi. Sic Dauid antequam certamẽ iniret cum Goliath gigante, dixit, Quid dabitur viro, qui percusserit eum? Et responderunt. Ditabit eum rex magnis diuitiis, & filiam suam dabit ei: & domum suam faciet absque tributo in Israël. Proposuerat Christus discipulis suis idquod propter nomẽ suũ pati deberent. Qui vult venire post me, &c. Et in synagogis suis flagellabunt vos, ante reges, & præsides ducemini. Et iterũ, Si me persequuti sunt, & vos persequẽtur. Semper itaque prædixit eis plures labores, Poterant illi dicere, Domine nullus laborat sine præmio, ideóque pro laboribus, & pro morte quid nobis præstabis? Atq; ideo Petrus dixit, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid erit nobis? Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc? Poterat tunc eos ad Esaiam remittere, qui ait, Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. Attamen voluit eis ipsius gloriæ partẽ ostendere, quę fuit ipsius corporis claritas, & splẽdor. Longè aliter Christus, quàm solent mercatores huius ætatis, quibus mos & cõsuetudo est, id quod est melius in panno, ementibus exhibere: vnde nos hoc facto fallere intendunt, sicque deteriorẽ pannũ emimus. Christus dominus descendit, vt hominibus gloriã venderet: at poterat mundus dicere, Domine exhibe istius mercis aliquod signũ. Noli nos clausis oculis emere. Libet (inquit dominus.) Atque ita in montem ascendit, veridicos testes, numeróque sufficientes, secum ferens qui de merce, quam vendere nititur, abundè, & fideliter testẽtur. Exhibuit signũ panni, quia non ostendit totam gloriam, sed partem, scilicet charitatẽ. Fecit Christus nobilcũ, quod solẽt facere parentes cum filiis paruulis, quos tenerrimè diligunt. Dicit pater filio, vt pergat in scholam: ipse verò flagellorum metu, formidat. Pater autem illum inducit ad idem, dicens illi, dabo tibi gemmam. Et filius dicit. Ostende illã. Et pater, Ecce illã: & clausa manu non ostendit totã, sed partẽ gemmæ. Tunc filius ductus cupiditate gemmarum pergit in scholã. Ita à simili Christus optat vt omnes seruemus præcepta, quæ sunt multis laboriosa. Prædixerat Apostolis plures labores, & flagella, & promiserat dicẽs, Merces vestra copiosa est in cœlis. Poterant Apostoli dicere, Ostende nobis istam gemmã. Ait Christus, Ecce eam. Ostendit itaque eis in hac transfiguratione, partẽ gemmæ: quam eis integrã, & perfectã erat daturus. Et vt nobis omnibus, & toti ecclesiæ esset solatiũ in hac peregrinatione, & labore itineris, trãsfigurari voluit. Cõsideratio enim præmij (vt Gregor. ait) minuit vim flagelli. Nã si illi milites Assyrij vidẽtes pulchritudinẽ Iudith dixerũt: Quis nõ pugnabit pro Israël, qui tã decoras habet mulieres? quãto magis pugnare debem⁹ nos cõtra mundi illecebras, & diaboli tẽtamenta, pro pulchritudine patriæ cælest.s? Hac cõsideratione animũ sumebat Paulus in omnibus laboribus suis: atq; ideo dixit: Saluato

[Cur fit trãsfigurationis.] [Num. 13.] [Transfigurationis Christus vt nos ignauos ad laborẽ stimulet, spe tanti præmij.] [1 Corin.9.] [1. Reg.17.] [Matt.10.& 16.] [Matth.19.] [Luc.17.] [Esai.64.] [Simile.] [Spes præmij minuit vim flagelli.] [Matt.5.] [Iudith 10.] [Philip.3.]

Philip. 5.

Via ad glorificationẽ afflictio & martyrium.

Saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum: qui reformabit corpus humilitatis nostræ, cõfiguratum corpori claritatis suæ. Quos iam videre licet, qui per sterquilinia, & loca immunda diuagantur, obsoletos, sordidos & veteres pannos colligentes, quos aspicere tantummodo, nauseam, & vomitũ excitat. At deferunt eos in molendinum, coniiciúntque in aquam, post modũ verò diligentissimè conterunt, ac tandem optimam & candidissimam conficiunt papyrum. Sic ait Paulus quòd reformabit Christus corpus humilitatis nostræ. Necesse est quod corpus nostrum sub incudem reuocetur, & remoueatur, & denique multis ieiuniorum, flagellorum, vigiliarum & pœnarum ictibus perficiatur, vt hoc modo cohibitum, fatigatum, humiliatúmque, dominus Deus illud reformet. & glorificet, cãdidúmque, vt papyrus reddat. Quid si vidisses corpus aliquod gloria repletum & beatum? in maximum sane stuporem raperetis: quales erant discipuli, Christum dominum transfiguratum conspicientes. Petrus dixit, Domine bonum est nos hic esse: faciamus tria trabernacula. Si nobis Deus corpus affectum gloriæ decore, & splendore ostẽderet illúdque super nubes constitueret & collocaret: quod si aspiceremus maximo stupore perfunderemur, tantaque admiratione afficeremur, vt nec cibi potúsque sumptio in mentem veniret, nec pœnam aut dolorem aliquem sentiremus. Fulgebunt enim iusti sicut Sol, in cõspectu Dei. Quis crederet quod ex vilissimis & sordidis pannis conficienda esset tam candida, & excellentissima papyrus? Attamen hoc possunt humani ingenij vires & acumẽ: & si hoc possint. post papyri contritionem, & veluti quoddam eius martyrium. Quis etiam crederet, quod corpus adeò graue, tam crassa materia affectum, tamque corruptibili compositum massa, posset aquilam agilitate & pernicitate superare, atque adeò solem ipsum claritate, & nitore vincere? At hoc, ingenium præstat diuinum. Id quod homo in veteri, & sordido panno agit priùs eum conterendo: hoc ipsum dominus Deus efficit in hoc nostro corruptibili, & mortali corpore, priùs in hoc sęculo illud laboribus crucians & affligens. Aduertè ergo, ô homo ꝙ quo magis obsoletus & sordidus pannus teritur, & conculcatur: eo papyrus candidior, & præstantior est atque tenuior. Et quòd quo plus hic afflictus & attritus fueris, eò plus in cœlo enehetis. Omnes quidem resurgemus (ait Paulus) sed non omnes immutabimur. Boni, & mali omnes resurgemus: sed nũquid omnes immutabimur à corruptibilitate in incorruptibilitatem, & gloriã? Non omnes immutabimur, Qui mutabimur? Qui corpus humiliauerint. Reformabit (inquit) corpus humilitatis nostræ. Non superbos, non deditos delitiis, & voluptatibus, &c. Sed mortificatos, & humiles, & pœnitentes. Aduerte etiam quòd mali, sicuti bibula papyrus exibunt obscuri. & fœtidi, non verò sicuti candida papyrus: sic enim solùm exibunt iusti. Ideo Paulus. Nõ omnes immutabimur. Optimè igitur postquam labores, & pœnitentiam prædicauit, transfiguratur, propter eorum & omnium nostrum consolationem, vt sciamus nos cum Christo glorificandos, & ascensuros in cœlum. Expectemus Saluatorem nostrum, qui reformabit, &c.

Matt. 13.

1. Cor. 15.

¶ Sed dices. Et hoc etiam Christus poterat facere ostendens infernum, nam etiam ex timore pœnæ, & tormentorum poterant apostoli amplecti labores, & fugere delicias. Cur non ostendit inferni pœnas, sicuti ostendit gloriam? Imperfectis, & insipientibus inferni metus, & terror est antè oculos proponẽdus: perfectis verò. gloriæ amissio exhibenda. Fortiores minæ bonis sunt, cùm audiunt: Non commigrabis in cœlum: quam detruderis in tartara. Vult Christus nobiscum agere, tãquam cum viris iam adultæ ætatis, & grandioribus: nõ verò tanquam cum impuberibus, & infantibus, qui flagellis indigent, ideo Christus sæpè, Non intrabitis in regnum cœlorũ. Auarus ille diues, qui quinque germanos fratres habebat, volebat eos inferorum durissimis & atrocibus pœnis deterrere, sed respondit Abraham, Habent Mosen, & prophetas audiant illos: Non vt tu vis, sed aliis grauioribus pœnis perterrefient: cùm illis dicetur, quòd non intrabunt in regnum cœlorũ. Sic perterrefecit Christus Diuum Petrum dicens ei, Non habebis partem mecum. Cùm verò Diuus Petrus istius comminationis vim intellexit, multò plus ea territus est, quàm si eum in mille coniiceret inferorum habitacula. Hæc est differentia legis gratiæ, & scripturæ: quòd illa fuit lex timoris, sed hæc amoris. Descendit Christus in hũc calamitosum mundum, vt homines amore ad se traheret, & alliceret: & vt eis dona cœlestia, æternáque exhiberet, non verò vt timore, & per vim eos ad cœlum deduceret. Ideo posuit Deus hominem sub cœlo, supráque terrãm collocauit, & elementa, quæ inter nos & ipsum cœlum adiacent, nos adiuuant vt cœlum meliùs videamus: sunt nanque transparentia. In quo nobis significauit, velle se nos cœlum intueri, & ad illud anhelare, atque illud obnixè diligere. Ac proinde noluit cœlum occultare, vt videntes illud, dies noctésque illud contemplemur, meditemúrque. At verò terra, & aqua sunt elementa crassa, & obscura, suáque densitate impediunt nos, quominus inferorum teterrimas sedes conspiciamus: quia multò maior comminatio, & labor est tantum bonum amittere, quale est illud, quod oculis ipsis intuemur, quàm malũ & infortunium illud, quod nobis terra ipsa & aqua occultant, adueniat. Ecce cur Christus gloriam suam apostolis aperuit, non verò inferorum horrendas, & calamitosas sedes. Igitur vt concludam, voluit Christus transfigurari. vt videntes apostoli & nos ipsi gloriæ immensitatem. & præmij celsitudinem, quæ nobis parata est, labores huius sæculi nequaquam formidemus: imò verò omnem curam & diligentiam constituamus in mandatorum Dei sedula obseruatione: ac si opus fuerit, sanguinem effundamus, vitamque ipsam morti exponamus pro Christo domino, quandoquidem tam ingens, tam excelsum támque præstans præmium nobis post hanc miseram vitam, manet in cœlo.

Matth. 18.
Luc. 16.

Ioan. 13.

Quare cœlũ nobis conspicuũ, infernum occultum.

¶ Secundò, voluit Christus transfigurari, propter ecclesiæ consolationem. Nam nisi Christus (cum pauper esset bonorum temporaliũ, afflictus, & crucifixus) aliquod suæ gloriæ signum, & specimen diuinitatis exhibuisset, ecclesia à gentibus derideretur, aspernaretúrque: & insuper affirmarent nos insanos, & fatuos esse, quandoquidem homini adeò pauperi, spreto, abiectóque fidem adhibuissemus. Propterea oportebat Christum honori suo prospicere, & ecclesiæ suæ ingentes suæ diuinitatis diuitias patefacere in ipsa transfiguratione. Hoc efflagitabat, à Deóque petebat Dauid in Psalmo, Memor esto domine opprobrij seruorum tuorũ: quod

Transfiguratus Christus ad solatiũ ecclesiæ.

Psal. 88.

continui in sinu meo multarũ gentiũ. Prospice igitur domine honori tuo, & ostẽde quis sis. Si hic esset nobilis, & pulchra, honestaque fœmina, eámq; paréces eius cuidã viro nuptui darét, eò φ fama increbuisset ipsum ex India quã plures opes aduexisse, isq; multa scrinia in soceri domum grauia, clausáq; asportasset: postmodum verò cùm vidisses per plateas deábulanté incom tatũ, pauperẽ, attritis vestibus & obsoletis, sanè dolores vicẽ illius honestæ adolescentulæ, diceresq;, sanè fœmina illa decepta fuit: existimauit nanque se diuiti coniungi, at cõtra accidit, decepta fuit. Ipsa verò marito suo sic inclamaret, ô spõse, si diues es, signũ prębe aliquod diuitiarũ, φ nullũ aliud melius est, q̃ si vestibus ornatis indutus incedas, mihiq; dextrocheria, annulos, aliaque huiusmodi ad mundum muliebrem spectãtia, cõtribueris: ne vicini me cõtemnãt, & abijciãt, adantque me deceptam esse. Si homo hic tunc temporis scrinia reseraret multo auro, argentóq; conferta, vestesq; sericas purpureasq; educeret, easque mulierẽ indueret ac si regina foret, ipse verò auratis, & pretiosis vestibus indutus incederet, famuli autem cum aureis cathenis ad collum appẽsis post ipsum sequerentur, quid iam totus populus intonaret? nisi, videte quàm benè, & fœliciter nupsit vicina nostra, fortunata equidem & beata euasit. Sic gentes ecclesiã Christo domino pauperi, & afflicto desponsatã intuẽtes, eam deludebant, vilíq; pendebant. Sic Paul. Nos prædicamus Christum crucifixũ, Iudæis scandalũ, gentibus stultitiã. Ideo ad solamẽ ecclesiæ suæ, ostendit dominus in trãsfiguratione sua diuitias ingentes quas reconditas, & inclusas in animæ suæ scrinio pręcellenti habebat. Et ad ruborem & confusioné incredulæ, & pertinacis synagogæ, ad verecundiamque & stuporem ineptæ gentilitatis gloriæ suæ immensum splendoré, & diuinitatis incõprehensibilitaté manifestauit in mõte. Quid quæso narras? Eum à discipulo, & famulo traditum ac venditum? Aspice ergo quo pacto duo tãtæ authoritatis viri (Moses. s. & Helias) ei in monte Thabor, famulentur atq; obtemperẽt diligẽter. Quid si fuisse faciem eius cõsputam? Verùm quidẽ est, sed respice, & perge in montẽ, & videbis faciem eius fulgentẽ sicut Sol, vsq; adeo vt Sol respectu illius nigredinem teterrimã referat. Quid, verberibus fuisse affectũ, cruciq; crudeliter affixũ? Vade igitur in mõtem, & aspice eũ plenũ gloria, & splẽdore immenso. Vide etiam montem illum splendentem ad multã noctem, ac si esset meridies. Si spoliãt eũ vestibus suis tanquã maleficum, & perditũ hominẽ, superq; illas sortes mittunt, aspice quæso nunc eas splendidiores auro, nivéq; candidiores. Prospicit ergo Christus dñs honori suo. Nos autẽ fideles lætemur in trãsfiguratione domini, nostra verò fides vires robúrq; sumat: quãdoquidem homo hîc abiectus, & summissus, est ver° Dei filius. Caput eleuet ecclesia fidelis, obmutescat synagoga, taceãt gẽtes in stuporẽ & confusionẽ maximã adductæ propter gloriã almæ trãsfigurationis Regis nostri Iesu Christi. ¶Tertio transfigurari voluit propter seipsum, vt celebraret Pascha corpori suo. Triginta annorum spatiũ excedebat, ex quo Christi sacrũ corpus acerba & frequenti pœnitẽtia macerabatur, dilaniabatur, malè tractabat, affligebatur, & deniq; ieiuniorũ aspero cruciatu in perniciem, & interitũ ruebat, nec diẽ aliquẽ lętũ & festiuũ ducebat. Et præter, labores, quos Christ° ob nostra scelera ꝑpeti voluit,

1. Cor. 1.
Christus trasfiguratus magnificẽtiã suã monstrat. sponsa.

ex eius oculis aquarum fluẽta in dies promanabãt, cor autẽ eius tristitia operiebatur, cùm videret flagitia hominũ, ludos, luxurias, adulteria & blasphemias, quas frequenter audiebat, & multitudinẽ animarũ, quæ in infernũ pręcipites ducebãtur. Vt ergo tantisper corporis sui labori, & fatigationi cõsuleret, voluit transfigurari, celebrans, saltem semel in vita, festũ & Pascha corpori suo afflicto, & calamitoso. Sicut tu facis festũ quotidie corpori ferè nunquã animę: sic Christus (qui semper festũ animę celebrabat, nũquã verò corpori) voluit núc corpus exhilarare, isq; aliquid solatij & gaudij concedere, vt vltra in laborũ aspero itinere progrederetur, cum tot, & satis magni eum à frõte manerent labores. Vt ergo nos doceret, quòd etsi vitæ progressus & excursus sit nimis durus, & acerbus, expedit tamẽ aliquando aliquid solatij corpori cõcedere: propterea voluit trãsfigurari. Sed hoc tempore iã nõ licet homines doctrinã hanc docere, nec eis dicere, vt corpori indulgeãt & morem gerãt quandoq;: imo verò è cõtra necesse est eis in memoriam reuocare vt animæ suæ saluti cõsulant: quandoquidem eius tãtopere obliuiscũtur, corporis verò nequaquã, nam vt est hominum vita flagitiis cooperta & coinquinata, videntur innuere & significare se anima carere & destitutos esse, nullámq; post hanc vitã manere. Igitur cùm Christus transfiguraretur, quid contigerit audiamus euangelistam dicentem, *Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moses, & Helias visi in maiestate.* Vt sæculis innotescat dominum nostrum Iesum Christum à lege, & prophetis testimonium suæ diuinitatis habere, eundémq; esse dominum legis, & ꝓphetarũ: cuius ad obsequiũ legislator Moses, & prophetarũ Zelotes Helias venerunt. Accusabant Iudæi Christum dominum tanquã legis Mosi trãsgressorẽ, & violatorem: & quãuis ipse dixerat, Non veni soluere legem, sed adimplere, nõ tamen crediderũt ei, imò potiùs dixerunt, Tu testimonium perhibes de teipso, testimoniũ tuum non est verũ. Si ergo eius testimonio fidem nõ vultis habere, credite legislatoris vestri testimonio: nempè Mosi, & credite testimonio tam præstantis, & magni prophetæ, vt est Helias: magnus legis Zelotes: quandoquidem in ore duorum, vel trium, stat omne verbũ, præsertim cum hi duo testes adeò sint veraces, & tantæ existimationis. Nam si Christus (vt asseritis) est legis transgressor: cur Moses ipse, qui vobis dedit & cõstituit legem, venit ad obsequendum, & obtemperandum ei? Quòd si legis contemptor, & violator à vobis iudicatur: cur etiam adest vt ei cultum, & reuerentiam exhibeat magnus ille legis Zelotes Helias? Aduerte autẽ quòd Mosis, qui mortuus erat, anima, accepit aliquod corpus ex aëre, in quo apparuit, & loquebatur sicut faciunt angeli, quando nobis apparent, & hoc sufficiebat, & non ab aliquo portatus ex sinu Abrahæ, venit, quia erat purus spiritus, & nullius grauitatis, & sic subitò poterat ire, quò vellet. Helias autem homo erat viuens, & mortalis, quia nõ habebat dotes gloriæ vt posset subitò per dotẽ agilitatis ire, quo vellet, oportuit quod ab aliquo portaretur. Credo φ ab angelo portatus sit, sicut portauit Abacuc de Iudęa, in Chaldęam, & ita in prima vice portatus fuit in curru igneo. Visi sunt autẽ in maiestate: hoc est in magna claritate, & dignitate: ¶Obseruandũ autem quòd claritas Mosi, & Heliæ, non fuit eiusdem generis cum claritate corporum in patria, sicut fuit

Trãsfiguratio Christo pœnarum post aliquanta refocillatio.

Chrys. ho. 57. in Matt.

Matt. 5.
Ioan. 8.

Deu. 17.

Dan. 14.

Claritas Heliæ & Mosis diuersa à Christi claritate.

claritas Christi: sed fuit quædã claritas, sic se habens ad illã: sicut fides in via, ad visionẽ in patria: & ideo aspectum apostolorum non offendebat, quod non fuit de claritate Christi. Et huius ratio est, quia anima Christi glorificata fuit, non tamen anima Mosi, nec Heliæ, & ideo corpori eius potuit conuenienter attribui claritas gloriosa: non autem corpori
1.Reg.28. Mosi, aut Heliæ, ne priùs esset gloria in corpore, quã in anima. Aliter tamen fuit in apparitione Samuelis, quia ibi fuit vnũ corpus formatũ ex aëre, & apparuit esse corpus Samuelis per opus diaboli. Anima etiã Mosi, quæ venit de lymbo, nõ amisit pœ-
Testes Christi ex veteri & nouo testamento. nã carentiæ visionis. ¶ Aduerte etiã quòd testes ex veteri, & ex nouo testamẽto adduxit Christus, quia ad gloriã creati sunt tã antecedentes, quàm præce-
Matt.20. dentes. Sed præcipuè qui erant ex nouo testamẽto quã qui ex veteri, plures enim ex nouo testamento saluãtur, quã ex veteri: vtriq; tamen pauci sunt, quia multi sunt vocati, pauci verò electi. Adduxit autem hos duos, potius quàm alios, quia cùm Christus dixisset antea, qui voluerit animam suam saluam facere, &c. Vt corda discipulorum confortaret, adduxit hos duos in exẽplum, quia Moses exposuit vitã pro Christo, quando se obtulit Pharaoni, & Helias
Exo.5. Regi Achab. ¶ Aduerte etiam quòd hic Deus pro-
3.Reg.17. missis stetit, promiserat Mosi, posteriora mea vide-
Exod.33. bis, quia videt Christũ in carne. Supra dorsum meũ
Psal.128. fabricauerunt peccatores, id est, supra humanitatẽ Christi. ¶ Præterea inter viuum, & mortuum transfiguratur Christus, ex quo vtilissimum datur nobis exemplum, vt si volumus Deum in cœlo transfiguratum videre, omnia nostra inter mortem, & vitam collocemus, vt vno oculo in vitam directo, alterum in mortem flectamus: & tanquam in sequentẽ mor-
Iacula præuisa minus feriunt. tem, omnia ad nihilum reditura. ¶ Expẽde quo pacto Christus in gloria suæ transfigurationis mortuum ante oculos constituit. In quo docet, quòd diebus festiuis & iucũdis memoriã mortis habeamus, nobísque ante oculos obuersetur præsens: ne magnitudo honoris, & fœlicitatis mundanæ nos extollat, & in superbiam deducat. Ideò sapiens ait,
Eccl.11. Si annis multis vixerit homo, & in iis omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi tẽporis, & dierũ multorũ. Et Moses etiam, Vtinam saperent at-
Deut.32. que intelligerẽt, & nouissima prouiderent. Mors cũ venerit, victa erit, si antequã venerit præmeditabitur. Nullo telum poterit à morte melius defendere, quã ipsiusmet mortis memoria, & recordatio. Nec aliquid reperies, quòd te melius à morte liberet, q̃ ipsius contemplatio. Vita sapientis, est mortis meditatio. Niniuitæ audientes sententiã mortis quam Ionas prædicabat, pœnitentiam egerunt. Aduerte quæso quantũ emolumẽti secũ ferat mortis cogitatio, quandoquidẽ in illis peccatoribus tantæ extitit causa mutationis. Caue dixeris mortem te imparatum adoriri, cùm te quotidie aliorum interitu cõmoneat. Si mortẽ cõtempleris, in timore vitam deges. Qui per vias niue multa coopertas iter faciunt, nihil omnino vident, cùm domum aliquam ingrediuntur, ideò periculosum tunc est ingredi loca periculosa. Sic, qui per vitæ huius labores, & prosperitates pergunt, quæ sicut nix, liquefiunt, & in nihilũ vergunt, quando alterius vitæ domum ingrediuntur per ostium mortis, nihil vidẽt. Sic moriuntur impij turbati, & furibundi: seipsos omnino nescientes. Ex diuitiis, ad paupertatẽ gradũ faciunt, ex honore, & tranquillitate, in ærũnas, & miserias tendunt. In morte obliuiscuntur sui: quia in vita obliti sunt Dei. Difficile potest tũc malus saluti suæ prospicere, propter huius mũdi lucem commentitiam. Nullum præsentius remediũ habẽt, quã cùm multò antè, id quod postea accidet, speculantur, mortem ipsam in vita præmeditantes: tanquam Helias, qui 3.Reg.19.
ad os speluncæ erat aspiciens, & contemplãs, sed de his iam satis. ¶ Obseruandum est etiam quod fecit Christus in hac sua gloriosa trãnsfiguratione, quod imperatores facere solẽt in regnis suis. s. ad comitia conuocare magnates, & ciuitatum oratores, negotiáq; ipsarum agentes. In cuius curia duo fiũt. Primum creant principẽ in regem. Secundò tractãtur ea, quæ spectant ad vtilitatem publicam. Ita Christus conuocauit hodie magnates omnium ciuitatũ. Ex ciuitate lymbi, venit Moses: ex paradyso, venit Helias, & ex mundi ciuitate, venerũt Petrus, Ia- Psal.46.
cobus, & Ioannes, tanquam procuratores negotiorúmq; gestores. De iis comitiis dicit Dauid, Principes populorum congregati sunt cum Deo Abrahã. In iis comitiis primum iurauerunt Christum Redemptorem nostrum in regem: & licet euangelistæ non dicant, maximè credendum est quòd prostrati cum multis lachrymis, & deuotione adorauerunt Christum regem. Et Moses, quia senior, dixit illud, Magnus es tu & faciẽs mirabilia: tu es Deus solus. Helias etiam nomine suo, & nomine Enoch dixit, Psal.85.
Verè tu es Deus abscõditus. Videris mortalis: fini- Esa.45.
tus, & limitatus, & es immortalis, infinitus, & omnipotẽs. Cõfessus est etiã Petrus dicẽs, Tu es Christus filius Dei viui. Ecce quomodo iurauerunt eum in regẽ. Secundò, quod fit in comitiis, est quòd tractent & loquantur de his, quæ pertinent ad vtilitatem publicam & bonum commune. Nihil tam ne- Matt.16.
cessarium fuit mundo, & lymbo, quàm Christi passio, & nostra redemptio: & ideo hoc negotium tractatum est in iis comitiis, propter quod ait euangelista. *Et dicebant excessum eius quem completurus erat in Hierusalem.* Loquebantur de excessiua passione, & *Excessiua Christi passio ratione amoris immensi erga nos.*
agebãt ei magnas gratias, & deprecabãtur vt eam accelerarer. Dicitur autem passio Christi excessus, quia soluit plusquàm debebamus. Fecit Deus legẽ de non remittendo peccatum Adæ, & filiorũ eius si nõ offerretur ei obsequium maius in genere obsequij quàm peccatũ Adæ fuerat displicens in genere delicti. Constituit se Deus fideiussorẽ pro nobis & soluit plus quã debebamus, vna enim gutta sanguinis Christi suffecisset pro redẽptione totius generis humani, tamen dedit totũ sanguinem suum. Ecce quomodo fuit excessiua, quo ad satisfactionẽ. Sed obsecro domine, si vna gutta sufficeret, cur soluisti totum sanguinẽ? Ad ostendendum excessiuũ amorem. Accidit nonnunquam te inimicum in vincula coniecisse tuum, propter centum aureos: quos ei credidisti, tuq; adeo bonus, & mitis es: vt nõ solùm pro eo cent[illegible]m illos aureos soluas, sed etiam mille. Si à te quærerent, cur hoc facis? Respondebis, vt eũ in meum amorẽ plus deuincã, obnoxiúmq; reddã. O immensa Dei bonitas! quandoquidem vt nos obligaret ad sui amorem, nõ solum (cum ei essemus infesti & inimici) pro nobis exoluit quod debebamus: sed etiam vlterius processit. Sufficiebat gutta vna sanguinis sui: vt nos redimeret, sufficiebat sanguis in circuncisione effusus: nã propter suppositi infinitatẽ, omnes eius operationes infiniti sunt meriti, & valoris. Attamẽ tãtã sanguinis copiã effundere voluit (iuxta illud Psal. copiosa apud eum re- Psal.129.
demptio

demptio) vt nos ad se amandum plus adstringeret: *Rom.5.* Hoc Paul.ait, Commendat Deus charitatem suam *Ioan.14.* in nobis,quod cùm inimici Dei essemus,&c.& Ioã. ait,Maiorem charitatem nemo habet,quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. At Christi charitas maiorem omnium charitaté antecelluit: cùm pro inimicis mortuus sit. Excessus etiam fuit ex parte Christi in dolore:nam dolor ipse,adeò extitit excessiuus, vt omnes dolores & sæculi huius mortes multis nominibus superaret. Excessus fuit etiam in persona:cũ caput, vt mẽbra euaderẽt illæsa,periculo & mortis patibulo se exposuit.Christus caput nostrũ,morti se obtulit,vt nos,ipsius mẽbra, *Consideratio amoris diuini ex sua persona.* protegeret,atque defenderet. Cogitare debes,non solùm immẽsitatem prætij, qđ pro te exhibuit, nec solùm etiã excessiuũ quẽ pro te pertulit dolorem, sed etiã quis sit ille,qui patitur, & qs pro quo patitur,& sic videbis amoré excessiuũ,si cogitas Deum esse q̃ patitur,pro homine vili,atq; abiecto.Hoc cõ *Hebr.1.* siderabat Paul.dicens,Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portánsque omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorũ faciens.Priusquam dicat,quo nos pacto à peccatis nostris mundauit,ostendit immensitaté, & præcellentiã Saluatoris,asserẽs esse splendorem gloriæ, & figurã substantiæ patris.Splendorem gloriæ vocauit illũ,quia est immensa claritas patris:nam nomen gloria,non significat,sed auget significationem: Nam splendor suã habet ex igne substantiam, & est simul cũ igne, & radi⁹ cũ sole.Ex quo enim sol est, illico radij. Sol radiorum causa est & ignis est splendoris.Nõ sol ex radiis,sed radij ex sole gignũtur: & splẽdor ex igne producitur. Ita vnigenitus ex patre est genitus, est auté vna cum mente,vt verbũ cum eo qui genuit,& splendor cum igne,& radius cũ sole.Sed vnũquodque non per se subsistit,sed in illo,ex quo productũ est,habet subsistentiam: filius autem Dei splendor gloriæ non est aliqua patris operatio non subsistẽs, sed substantia viuens,& per se subsistẽs. Sed ne quis existimaret verbum æternum aliquid esse accidentale, eò quòd Paulus dixerit illud, figuram addidit dicens, Figura substantiæ eius.Sigillum exprimit in cera figuram,quæ sunt lineæ, & armorum signa & imagines, quas insculptas habet, non verò imprimit,metallum & substantiam illam,ex qua sigillum cõstat. In æterna ergo filij generatione non sic contigit:nam cũ pater hanc eduxit,& extraxit figuram, nõ fuit aliquid extrinsecum & accidentale sed substantialis figura,quia genitus fuit ex omnibus quæ sunt de substãtia patris. Ideò ne aliquis in errorem laberetur, credens figuram hãc accidens esse:dixit Apostolus,Et figura substãtiæ eius.Aspice ergo quã excessiuus fuit hic amor, quo te Christus fuit prosequutus,qui cũ is esset,nẽpè splendor gloriæ,& figura substantiæ eius,seipsum obtulit morti,& improperio,vt nostra peccata purgaret.Ipse pharmacum accepit,fel,& acetum gustans, séq; morti tradidit,vt seruũ liberaret.Igitur excessiua fuit Christi passio ex parte ipsius redẽptoris. Primùm, propter excessiuum sanguinem & pretium,quod soluit.Secundò,propter excessiuũ doloré, quem passus fuit. Et tertiò,quia passus est,cùm caput esset pro membris,& cùm esset filius Dei, & figura substantiæ eius,pro nobis peccatoribus.

¶ Ex parte etiam Iudæorum fuit excessus passio Christi.Primò in malitia,quia eorum malignitas,& peccatũ excessit omnem malitiam:& adeò fuit magna vt omnem malitiam & mũdi peruersitates superaret maximo interuallo. Sic asseruit Dauid in persona Christi,Ego autem sum vermis & non homo,opprobrium hominũ, & abiectio plebis. Cõ *Psal.21.* parat Christi mortem vermi, nam doletis cum videtis taurum interfici,aut arietem occidi, vel aliud quoduis animal obire: at vermis morte nequaquã dolere soletis, imò verò illum conculcatis nec eius doletis vicem. Sic de Christo non doluerũt improbi illi,& perfidi Iudæi: siquidem nec illi potum *Matt.27.* cùm exposceret,dederunt, sed fel & acetum porrexerunt ei, & quamuis viderent eum morti damnatum & cruci affixum,non tamen ipsorum satiata erat malitia, imo verò illic deludebant ei ac opprobriis afficiebant. Ex parte etiam Iudæorum secundo fuit excessus in modo,nã adeo cõcitatè, & properè fuit iudicatus,vt iustitiæ modum non seruauerint,nec habuerint,nã eadem die captus,& crucifixus fuit, nullum appetitioni locum relinquentes, nec testes ipsos examinantes, nec ratihabitionem exigentes,&c. De hoc itaque excessu loquebantur Moses & Helias, reddẽtes illi gratiã pro tãto beneficio. ¶Obserua autem quòd quemadmodum doctoribus,die ipso, quo gradus honore cõdecorantur, reprehensionis nota afficiuntur:sic nũc,quando Pater æternus doctoris honore filiũ exornat(dicens,Hic est filius meus dilectus,ipsum audite)eum passionis acerbæ nota,& ignominia afficiũt. Similiter in magno illo,& honorifico palmarũ festo, vi- *Luc.19.* dens ciuitatem,fleuit super illam. ¶Expende ex his, quàm varij, & mixti sunt omnes huius vitæ hono- *Risus dolore miscetur & extremũ gaudij luctus occupat.* res,& iucunditates: quáq; plenæ luctus,& amaritudinis sunt oẽs mundi lætitiæ,& festiuitates.Omnes istius vitæ hilaritates, & consolationes refertæ sunt & cumulatæ tristitia: nec in ea licet inuenire perfectum & purum gaudium,sed omnia sunt infecta infinitis miseriis & laboribus. Hoc voluit dñs hic innuere, quandoquidem cùm vellet tantisper gloriæ corpori impertiri, hic etiam acerbæ passionis recordatio nõ defuit, quam passurum erat hoc ipsum corpus quod tunc tanta fruebatur gloria,& prosperitate:Amã maxima pollebat gratia,& fauore apud regem Assuerum,maximéq; lætus erat, eò quòd à regina Hester inuitatus erat, sed illico tri- *Hester 5.* stis remansit,quia ante Mardochæum antecedebat honorem & reuerentiam præbens ei, quem antea oderat.Tristitia & dolor, omnes huius vitæ res comitãtur,& illis,qui beatè,& fœliciter viuunt,minima quæq; dolorem & merorem afferunt acerbissimum.Quod cùm Dei permissu contingat vt veram amplectamur vitam cœlestem, nunquam tamẽ desunt(prôh dolor!)qui eã dulcem,& suauem esse existiment. Cogitatio tantum amaritudinis, quæ per mũdi voluptates,& delitias diffusa latè est,sufficiebat,vt omne terrenæ consolationis genus odio haberemus.Cùm rex Dauid esset nimis lætus ob partam de inimicis insignem victoriam, spoliáq; militibus diuidens: ecce ex improuiso ingreditur nuntius,mortem Saulis enarrans, suiq; fidelissimi ami- *2.Reg.1.* ci Ionathæ & totius Israelitici populi amissionem nuntians, subitóq; omnem victoriæ lætitiam in lachrymas, & tristitiam acerbissimam commutauit, & cõuertit. Meditare,quàm subitò tristitia cor occupat iucunditate expletũ. Disce nõ diligere gloriã mũdi præsentis, si nõ vis acerbã, turbulentã,& funestã vitam degere.In hac transfigurationis gloria, cũ sit adeò sancta,honesta,debita laboribus, quos

tuo sententiam, meáque opinio, & consilium illud est domine, vt hîc nos tueamur, impetumq; inimicorum frangamus: deniq; ne te neci tradas: sed hîc consistamus, & faciamus tria tabernacula. O quàm malè procuratoris munus obibat! ô Petrus, agit de proprio commodo! non autem de communi reipublicæ vtilitate. Ideò B. ait August. O Petre mundus perit, & tu secretum quæris. Nescis Petre quid dicas, Restant magna peragenda negotia, & magna statuenda sacramenta. Nōdum enim stabilitum est sacramentum eucharistiæ humanum genus nō est redemptum. Detinentur animæ in lymbo vinculis constrictæ, & colligatæ expectantes dulcem libertatem. Et quia Petrus fruitur gloria montis iuxta suum desiderium, & animi votum, elatus & hilaris ob magistri sui indulgentiam erga se mortuorum, & vinctorum cura nequaquam angitur, & contristatur. Attendite, ne spe vestrorum hæredum innixi, & fulti, somno indulgeatis. Quot, & quanti è vita decedunt, qui malè parta minimè restituunt nec debita sua soluunt, omnem spem & curam in hęredes suos transmittentes: Hæres verò diuitiis, & voluptatibus affluens, conquiescit, cibo, & potui minimè indigens, bonis defuncti iucundè perfruens, defunctus verò meritas peccatorum pœnas in purgatorio luens, hæres verò nihil aliud dies noctésq; meditatur, nisi voluptates, vitam iucundam, & lætam agens, nec sacris, aliisq; suffragiis afflictam defuncti animam à purgatorio extrahere cōtendens. Petrus non curat de animabus, quæ erant in inferno: quia ipse dulcem, & iucundam ducit vitam, secundáq; fortuna fruitur & gloria. Quando defunctus te hęredē constituit, quid aliud agit, nisi quandam sempiternam sui memoriam animo tuo infixam, & impressam relinquere, quam nulla obliuione deleres, & raderes? Ne sis segnis in vita, nec obliuiscaris bonorum operum, credens & sperans hæredes, & fideicommissarios pro te soluturos: nam ij sæpenumero, id, quod hîc Petrus, agunt. In vita eleemosynis incumbe, bene, & honestè actis tempus consume, nō verò hæc in tēpus mortis trāsmittas. Ideò Christus loquens de eleemosyna dixit, Te autem faciente eleemosynam. Non dixit, te testante, sed te faciēte. Pium quidem & sanctum est testamento bona pauperibus largiri, præstātius verò vt dum viuis id facias. Tu tuis manibus eleemosynā, aliáque bona opera miseris, & squalidis contribue. Nolunt multi eleemosynas facere, sed morientes, quæ secum ferre non possunt pauperibus erogari commendant. Non ergo eleemosynæ nos sequantur sed præueniant nos, vt recipi mereamur in cœlum: sicut munera præmittimus his, quorum gratiā habere volumus, & victum ante mittimus ad locū: quo imus. Ideò in Eccle. habetur, Ante mortem benefac amico tuo: & secundum vires tuas exponens da pauperi. Nōnne valde amens & insanus es, dum existimas & credis plus te amaturum amicum tuū, quàm tu teipsum amas? Si ergo tu nullam tui curam geris, cur credis alium habiturum? Cùm tam segniter tecum te habeas, & te tantoperè diligas, crede alios etiam negligēter tua pertractaturos negotia: quandoquidem non te plus diligūt, imò verò minus, ac tu te diligis. Si tu erga teipsum iniquus es, & segnis, non credas alios tibi profuturos, tuiq; curam habituros. Episcopi eiusq; vicem gerentes, magnam deberent curam gerere vt testamenta exequerentur statim, at in nostra Hispania hæc segniter pertractantur, &c.

Eleemosyna non differēda post mortem aut committend hæred.

Matt. 6.

Eccl. 14.

¶Obserua autem, quòd non solùm hac vice, sed alia etiam vice voluit Petrus impedire Christi passionem, quādo dixit, Absit à te domine. Cui Christus respondit. Vade Sathana, quia non sapis, quæ Dei sunt. Nunc in eadem perstat inscitia, quia vidit quod Moses, & Helias agebant de passione Christi. Ab hac appellat sententia D. Petrus, & ait, minimè, sed in hoc monte tuti erimus ab Iudæorum impetu, & incursu, tranquilléq; degemus. Et sic hoc, q̄d dixit, D. Petrus ait Origen. dæmonis suggestione, & impulsu accidisse: nam sicut Deus vtitur iniquis & sceleratis, vt eorum ministerio & opera bonos torqueat & affligat, sicut Assur vsus fuit tanquam virga furoris sui, vt Israel supplicio afficeret, & pœna. Et Nabuchodonosor appellatur seruus Dei, non quod amicus Dei existeret, sed quia Dei voluntatē exequebatur, cùm Israel cruciabat: Sic dæmon è contra vtitur bonis, vt eis mediātibus iniqua agat. Bonus & sanctus erat Petrus, sed tamen hoc, quod dixit, dæmone suggerente, asseruit. Voluit enim Sathanas ore diui Petri nostram impedire libertatem. Nam si benè D. Petrus loquutus fuit, cur ergo inquit Euāgelista, quòd nesciebat quid diceret? Quēadmodum omnis virtus donum Dei est, & ab ipso Deo profluit, sic omne mendacium, à dæmone tanquam ab impuro fonte promanat. Et mendacium sanè erat asserere bonum esse illic consistere, & manere, nam non bonum, sed malum, & perniciosum erat. Hoc etiam facit nunc frequenter diabolus: nā vtitur iis, qui homines, bonæ frugis videntur, sicuti clerici inscij & religionis vinculo sacramentóq; colligati, quos cùm credas esse sanctos, & doctos, te decipiunt aientes, Abi sis, ne existimes hoc esse peccatum, & flagitium, rectè tu quidem facies hoc exequendo. Horum ductu, & ministerio quàm plures secum dæmon in infernum præcipitat, &c.

Matt. 16.

Orige. ho. 3. super. Mat.

Hiere. 25.

Esa. 30.

¶Sed dic, amabo, vnde initium traxit hoc imprudens Diui Petri assertum? Sanè ab inordinato, & imprudenti amore, quo Christum dominum complectebatur. Nō diligebat Christum eo modo, quo ipse vult diligi. Inurbanè & imprudenter Christi diligebat humanitatem. Amor hîc imprudēs creatarum rerum sæpenumerò ansam ad Dei offensam præbet. Adamus nobis exemplo est, de quo inquit August. quòd peccauit Adam, ne contristaret delitias suas, scilicet Euam. Et hinc oritur quamplures homines matrimonio colligatos, in infernum recta ire, quia imprudenter, & præposterè vxores diligunt suas: quampluresque patres, quia plus satis inuersoque ordine liberos amant suos, & vt eis ingentes diuitiarum cumulos relinquant: denique multos inferorum sedes recipiunt, eò quòd amicorum gratia mortiferè deliquerunt, &c. ¶Secundò potuit hoc etiam euenire Petro, vt hęc diceret, quia dulcedine glorię captus, optabat ibi permanere. Sic ait D. Chrysost. In quo datur nobis doctrina, quòd ideo non obliuiscimur terrenorum, quia non amamus cœlestia. Nam (vt Ansel. ait) quo amplius quisque vitæ cœlestis dulcedinem degustat, eo amplius fastidit omnia, quæ placebant in infimis. Merito Petrus visa domini maiestate, repentè cunctorum, quæ nouerat, terrenorum obliuiscitur, & solis iis, quæ videbat cupit adhęrere, ibique cum Iesu optat habitare. Cùm quis incipit degustare dulcedinem, omnino renuit mundi gustare iniquas & turpes voluptates. Quid, nec in sermonem mundi incidere,

Inordinatus Petri amor.

Aug. li. 14. ciui. Dei cap. 11.

Anselmus in enarr. euang.

re, nec de eo aliquid narrare, aut audire. Si in altum contemplationis & considerationis diuinarum rerum ascenderes, repente omnia quæ in mūdo sunt fastidires, respueres, & abiiceres. *Phil.1. Phil.3.* Paulus tanquam homo cuius conuersatio in cœlis erat, omnia abiecta, & vilia esse censebat, ac proinde aiebat. Omnia arbitratus sum vt stercora. Si tantilla cœlestis gloriæ gutta sic Petrum inebriauit, quid erit, cùm tam ingens diuinitatis alluuies animas nostras plenè irrigauerit in cœlis? Inebriabuntur à torrente vbertatis tuæ. *Psal.35.* Si tantillum delitiarum gloriæ gustauerit homo confestim obliuiscitur omnium terrenarum voluptatum: omnes mundi illecebras, & cupedias contemnit, & fastidit, Deumque apertis alis cócupiscit, ad eúmq; cōtendit. Quando seruus ille Abraham iussu domini abiit in Mesopotamiam quæsitū vxorem Isaac, *Gen.24.* cùm ei obuiam veniret Rebecca, fecit periculum, quo cognouit Dei voluntatem esse, vt illa vxor Isaac existeret. Dedit ei in aures aureas, & armillas in manibus eius. Postea in vxorem filio domini sui eam à parentibus exposcit, qui mentem adolescentulæ cognoscere cupientes, interrogauerunt eam. Vis ire cum homine isto? Respōdit illa, vadam. O magnum Dei mysterium! & arcanū: nā mox vt alicui gloriæ obsides præbes domine, téque illi aperis, & manifestas per fidē (hoc est enim inaures aureas, & armillas ei in manibus dare, qui sunt amor & charitas delitiæq; cœlestes) extemplo omnia terrena despicit & contemnit, delitiásq; paternas paruipēdit, téq; iucundissime sequitur. *Esa.55.* Cùm Helias propheta Dei gloriam & maiestatem coram se prætereuntem vidit, pallio suo oculos texit: nam mox vt quis Dei fruitur delitiis, omnibus terrenis oculos claudit, & obstruit. Ideo Petrus omniū mūdanorum oblitus, & magistri sui gloria delinitus, ait: Bonum est nos hîc esse: omnium huius sæculi obliuiscitur voluptatum, omnia deserit & respuit, vt cum Christo domino commoretur. Præterea, si sic absorptus est Petrus videns Christi humanitatem glorificatam: quid erit in cœlo cum viderimus Dei maiestatem gloriosam? &c. *Psal.30.* Quanto maior erit dulcedo videre regem angelorum in cœlo in decore suo? *Psal.72.* Ideo Dauid in Psal. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quàm abscondisti timentibus te? Quò ampliùs quis degustat dulcedinem vitę cœlestis, eò ampliùs fastidit terrena. Vnde Dauid, Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei & pars mea in æternum. Admonet locus iste, vt omnia hæc terrena diuitias, delitias & quicquid mundus habet contemnamus amore cœlestis patriæ: quandoquidem tanta dulcedine repletus est Petrus videndo Christi metamorphosin, vt omnium rerum sit oblitus, & quasi à seipso alienatus. Nam si tā bonum est nos hîc esse, videndo Christi transfigurationē: quantò melius erit videre Deū & frui diuina essentia in cœlo in omnē æternitatem? ¶Expende etiā nō esse crucem, nec afflictionē, totā iustorū vitā: *Piorum vita nō est cōtinua afflictio.* sicuti existimāt multi hominū mūdanorū. Pius dominus & iustorū pater, suorum electorum curam gerit: scitque in hoc mundo eos consolari, temporeq; opportuno eos conuenire, eisq; apponere delibandos gloriæ gustus, & delitias, ne oneri succumbant, aut in via deficiāt: imò verò animos sumāt ad labores futuros. Quam magnæ verò sint hæ delitiæ diuus Petrus nobis significauit, quandoquidem tam erat à sensu alienus tūc tēporis, vt quid diceret prorsus ignoraret: nec memoria tenebat res humanas præ magnitudine gustus, quem illic capiebat. Existimant mundani, & perditi homines, se solos perfrui hoc mundo, cùm reuera minimum solatij spiritualis, quod hic iusti habent, multis nominibus longóq; interuallo superet omnes omniū malorum voluptates, & delitias. Ne existiment totum solatium Deum in alia vita reseruasse, quandoquidem in hac etiam vita multas suis tribuit, & concedit delitias, vt ex iis, quæ hîc ait D. Petrus, intelligere licet. Sed Petrum vltra audiamus, *Faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Mosi, & vnum Heliæ.* Tu verò Petre, Vbi nam eris? Vbinā erit Iacobus, & Ioannes socij & comites tui? Quòd si inquis, quod eritis cū Christo: quæro nunc: vbi erit frater tuus Andræas? cur eius non recordatis? Attendite quantum malū inuehat prospera fortuna. *Ioan.1.* D. Andræas adduxit Petrum in Dei cognitionem, vt D. Ioannes in suo scribit euangelio. Et Andræas introduxit Petrum in palatium, cumque coram rege statuit: nunc verò cùm se Petrus regi acceptum videt, & in dignitate & honore cōstitutum, iam penitùs obliuiscitur eius, qui eum in tātam euexit amplitudinem, & gratiam regis. *Honores faciūt homines obliuisci scilicet amicorū.* Quotidie hoc accidit, quòd quis alio procurante, gratia & fauore plurimum valet apud principes, postquā verò omnia prosperè & fœliciter sibi contingere videt, obliuiscitur illius, qui ei aditum ad tantos dignitatis gradus præbuit atq; aperuit, neque eius aliquam rationem habet. Quamplures videbis, qui cùm in cœnobiis suis agunt, humiles, atque probi sunt: at cùm episcopi, præsides, abbates, aut domini creantur, neminem non respuunt, omnes ignorant, imò verò seipsos nesciunt, prospera fortuna homines in insaniam cōiicit, efficitq; ne seipsos cognoscant, & amicorum obliuionem ingerit, & ne eorū à quibus quàm plurima receperunt beneficia, recordentur. Ioseph, pincernæ Pharaonis dixit, Memento mei dùm benè tibi fuerit. *Gen.40.* Cùm (ait) omnia tibi ex animi sententia succedent, quod est tēpus obliuionis, oro te vt mei recorderis. Probè norat Ioseph, secundam & prosperam fortunam homines in obliuionem aliorum inducere, ac proinde dixit vt tempore prospero eius memoriam cordi infixam haberet: ideo etiam dominus in Deut. cùm promitteret vrbes, quas ipsi non ædificauerunt, dixit, Caue tibi ne obliuiscaris domini Dei tui. *Deut.6.* Sūmè debet in hoc laborare seruus Dei, vt cùm ditior fuerit, & opulentior tunc plus Dei sui, qui omnia contulit, recordetur. Non sicut Petrus, & sicut alij multi faciunt. Olim vir desideriorū Daniel, qui præpositus à rege Nabuchodonosor, recordatus est sociorum eius Sidrach, Misac, & Abdenago, vt etiam ipsi essent principes super prouincias. *Dan.2.* De Petro autem dicit euangelista, quod hæc dixit, *Nesciens quid diceret.* Errabat Petrus, quia finem suum ponere volebat in hoc mundo: cùm Paulus dicat quod non habemus hîc ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus. *Hebr.13. Vita nostra peregrinatio est.* Cùm esset peregrinus, cupiebat esse terræ habitator. Non ergo in hoc mundo viuere debemus tanquam habitatores eius: quandoquidem sumus viatores, & peregrini, in cœlumque iter facimus. De veteris testamenti sanctis inquit Paulus quod fassi sunt se peregrinos esse in terra: *Hebr.11.* & tanquam viatores degebāt in speluncis & tuguriis, nec aliquam in hac vita requiē habuerūt, cū semper peregrinarentur. Attende ergo, ó charissime, ne vitam ducas in hoc sæculo, ac si esses habitator, cū verè viator sis, velocissime

cissimeq́ue in aliã tendas vitam. Cain incepit ædi- *Gen.4.* ficare ciuitatem in terra, & amisit ciuitatem in cœlo. Primus (qui voluit in hac vita degere, ac si esset habitator, cùm verè esset viator) extitit Cain, qui fuit damnatus. Si te viatorem & peregrinum ducis, quemcunque huius vitæ laborem bono, æquóque animo feres, in mentem reuocans te cras in cœlestem domum, & habitaculum peruenturum, vbi requiem & solatium capies sempiternum. Et quẽadmodum viatores, & peregrini nihil aliud dies noctésque cogitant, nisi domos, ad quas gressum tendunt: sic etiam tu nihil aliud quàm cœlum meditari debes, semperque tibi dies noctésque ante oculos obuersetur æterna illa vita, ad quam incitato cursu iter facis. Properas in domum patris tui, nihil aliud cogita, quàm quo pacto accedere debes quàm iucundè recipieris, oblitus omnium rerum huius infœlicis & turbulenti exilij. Nesciebat Petrus quid diceret, quia volebat se huius sæculi habitatorem constituere.

¶ Secundò errabat quia suum proprium quærebat & affectabat solatium, non verò populi, & cõmune. Sic etiam & nunc aliqui successores Petri, & prælati ecclesiæ seipsos pascunt, non autem oues *Ezech.34.* Christi. Vnde Ezechiel plorans dicebat. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, &c. Nónne greges à pastoribus pascuntur? Quid ergo hoc est, quod iam non pastores oues, sed ipsæ oues pastores pascunt: Oues ipsæ pastores alunt crassos, rubicundos, & nitidos reddunt: ipsæ verò macie pœnè concidunt. ¶ Tertiò errabat, quia cùm esset apostolus, & vocatus, vt animabus salutis iter ostenderet, & vt eis vtilis foret, volebat tamen ipse vitam tranquillam, & quietam ducere in eremo. Optima *Luc.10.* quidem Maria: at necessaria Martha. Pulchra sanè *Gene.29.* Rachel, at fœcunda Lia, Publici & cõmunes viri, *Exod.32.* non debent vitam agere eremiticam. Dixit dominus Mosi. Descende peccauit populus tuus. Domine (poterat ille dicere) versabor in contemplatione tui. Nolo, sed descende. Esse Christianũ, idem sonat ac pictoris, vel aurificis, vel alicuius alterius artificij officium: & sicut artifices, non sibiipsis, sed aliis viuunt, sic Christianus tantum aliis, ac sibi viuere debet. Ideò Paulus, Nemo quod suum est quærat. *1.Cor.10.* Et alibi. Vnusquisque vestrũ proximo suo placeat, *Rom.15.* vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo. *Eccle.17.* Quapropter idem Paulus dixit, Cupio dissolui, & *Philip.1.* esse cum Christo, manere autẽ in carne, magis necessarium propter vos. Sed ad contextum, *Hæc autẽ illo loquente facta est nubes, & obumbrauit eos.* Hoc est discipulos: pręstitit enim temperamentum discipulis vmbra sua, ne à multitudine lucis splendentis in facie Iesu sicut Sol, opprimerentur oculi corporei. Prętereà in eo, quòd ait, quod facta est: innuit quòd tunc facta est miraculosè: & ideò non naturaliter facta est, sed supernaturaliter: nam ista nubes durauit paruo tempore, nam mox vt intrauerunt discipuli Christi in nube, & audita est vox de nube, statim soluta est: quæ si naturaliter facta fuisset, maiori tempore durasset, & non solueretur sic, quasi ab intensione. Fuit etiam facta ad occultandum cessationem claritatis Christi. Noluit enim Christus, quod discipuli viderent quando ille incepit transfigurari, sumendo fulgorem, neque quando illum *Exod.25.* deposuit. Demum, sicut in veteri lege loquebatur *Exod.19.* Deus de nube densa, & in datione legis loquebatur de medio caliginis, & fumi: quæ vocabatur nubes densissima: quia vox non poterat formari, nisi in aliquibus organis, & illa necessario sunt dẽsa: nam si in aere claro, & liquido formaretur vox, viderentur illa organa aut ipse formans, quæ Iudæis fuisset occasio idolatriæ: idem fecit in nouo testamento, nec etiam discipulis esset occasio idolatriæ, quia infirmi erãt. *Et timuerunt intrantibus illis in nubem.* Helias, scilicet, & Moses, Quia non dicitur quod nubes venit ad eos, sed quod ipsi intrauerunt in nubẽ, *Orig. ca.17. in Matth. tract. 4.* quæ, teste Petro, supereminens describitur, dicendo de cœlo: nam si non esset eminentior, non sonuisset vox de ipsa exiens tanquã de cœlo. Ideò in- *2.Pet.1.* telligendum est quod Moses, & Helias eleuati sunt paululum a terra vsque ad nubem illam inclusiue, & hoc significatur per id, quod dicitur, intrantibus illis in nubem: Vnde hinc dicit Lucas causatum timorem discipulorum, & meritò, timebant enim se relinqui videndo Iesum cum Mose & Helia intrare *Causa timoris apostolorum.* in nubem. Timebant etiam Dei maiestatem admi- *Ezech.1.* rantes. Hinc Ezechiel de pennatis animalibus ait, Cùm fieret vox, quæ erat super firmamentum eorum, submittebant alas suas. Sic cùm fieret vox patris super Christum, apostoli ecclesiæ firmamẽtum in tanta maiestate virtutes suas humiliant. Sic iusti in Dei contemplatione, perfectiones Dei speculantes, omnem de suis viribus præsumptionem deponunt: & maculas cordis, & minima peccata venialia, in luce diuini radij vident. Atomi non apparent, nisi ad solis radium ad quod videntur, quãuis minutissima quædam sint corpuscula, eo quod aër radiis solaribus illustratur. Sic iusti luce ipsa, quam ipsis Deus communicat, vident manifestè culpas suas & imperfectiones, quamuis minimę sint, quod non sic iniquis, & sceleratis accidit, qui cùm inter densissimas & obscuras tenebras versentur, separati, & semoti ab iustitiæ sole, non vident magna sua scelera, ideò cùm sint mali, se bonos iudicant, quia non se vident: quemadmodum iusti, cùm sint boni, se peccatores esse credunt, quia à Deo illuminantur, suáque propria cernunt errata, & si minima, séque humiliant & prosternunt corã infinita illa luce, & maiestate Dei. Vnde Iob, Oculus meus vidit *Iob. 42.* te, proptereà ego in cinere & fauilla pœnitentiam ago. Homo etsi nimis iustus sit: intrans in Dei lucẽ, & immensam maiestatem, videbit se nihil esse, imò puluerem, & cinerem se esse affirmabit. Sancti apostoli in maiestate illius lucis, quã in monte conspexerunt, & coram illa beatifica visione se demittunt, & abiiciunt penitùs. Et ceciderunt in facies suas.

¶ Expende etiam, quòd super facies suas ceciderunt, nam vnusquisque cadit iuxta modum, quo ambulat. Cùm apostoli incederent tanquam boni, *3.Reg.18.* cominus, sic etiam cominus ceciderunt super fa- *Ioan.18.* cies suas. Sic cecidit Abdias coram Helia. At verò *1.Reg.4.* mali retrorsum gradum faciunt, sicque cadunt vt ambulant. Sic Iudæi ceciderunt retrorsum. Sic etiã Heli sacerdos de sella cadens. Dic mihi nunc & tu, si discipuli Christi tam iusti, & perfecti, tantum timuerunt vidẽtes Christum in nube cum maiestate, & audientes vocem patris tam gloriosam, & tam dulciter resonantem, nec de pœnis comminantem, quantò magis timebunt & terrore concutientur reprobi in die iudicij, quandoquidem audient illã *Matth. 25.* horrendam & tremendam vocem, dicentem, ite maledicti in ignem ęternum. Quid facient, cùm viderint Christum in nube cum potestate magna & maiestate, &c.

¶ Obſeruandum denique eſt, quod non ceciderunt ante in facies ſuas quādo viderunt Chriſti faciem transfiguratam, & ſplendentem: ſed quando audierunt vocem tremendam. Quando peccator aliquis beatitudinem audit, nō humiliat ſe, nec dimittit caput, imò vero ſtat: & ſic non quæres à peccatore: etiā ſi magnus ſit, & multis flagitiis inquinatus, velitne beatus eſſe, qui non dicat: maximè. Si verò addas, exiſtimasne te gloriam aſſequuturū,

Luc. 23.

maximè inquit, Si verò dicas, Quid ergo iniquè viuis? reſpondet, pœnitentiam agam, nam & latro miſericordiam aſſequutus eſt. O ingens dementia, & inſania! Nam in ſacris voluminibus lego latronem iſtum, cùm malè vixiſſet, ſalutem adeptum fuiſſe: at innumerabiles lego, qui cùm iniquam & perditā tranſegiſſent vitam, damnati ſunt. Imò aliqui, ſicut Saul, & alij, qui aliquando ſanctè vixerunt, tandémque damnati ſunt è gratiáque exciderunt. Cùm ergo tot ſint damnati, quia vitam iniquam tranſegerunt, vis tu vnum ſequi, qui ſalutem adeptus eſt, cū eſſet anteà iniquus, & perditus homo? At quando nubes Heliam & Moſen circundedit, valdè timuerunt longéque magis audientes vocem, nam memoria iudicij, & horrenda vox, quæ intonabit, ſurgite mortui, venite ad iudicium, peccatores timidos reddit. *Et vox facta eſt de nube, dicens,* Hæc vox facta eſt per angelum, nam diuina ſubſtantia, vel perſona per ſeipſam nūquam format aliquam vocem. Angelus itaque loquutus eſt, qui tamen nomine Dei hoc dixit, & ideò potuit formare verba, quaſi Deus Pater loqueretur, quia vice eius prolata eſt, vt daret teſtimonium de Chriſto, quæ teſtificabatur complenda eſſe in eo omnia quæ ſcripta erant in lege & prophetis. Verùm quia de hac voce plura diximus in ſuperioribus, cùm de baptiſmo agebamus, nunc quid vox dixerit, videamus. *Hic eſt filius meus dilectus.* Non affuerunt in baptiſmo diſcipuli, ideò conueniens erat quod nunc audirent hanc vocem. Et hic addidit vox aliquid quod priùs non fuerat dictum: ſcilicet, ipſum audite, quod non poterat conuenienter dici, niſi præponeretur, Hic eſt filius meus dilectus. Dixit autem, hic eſt filius dilectus ad oſtendendum eius excellentiam, quia non eſt filius eius adoptiuus ſicut nos: ſed naturalis. Matthæus addidit, quod hæc vox dixerit. In quo mihi bene complacui, quæ etiam verba noſter Lucas in baptiſmo Chriſti dicta eſſe ait, vbi ea expoſuimus. Nunc Lucam audiamus. *Ipſum audite.* Ac ſi diceret, Non audiatis Moſen: quia tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt, vt legis tranſlatio fiat. Non audiatis mundum, qui docet delitias, & honores appetendos. Ipſum audite, qui præcepit contemptum diuitiarum dicens, Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Non audiatis mundum, qui præcipit dignitates: & honores optandos: ſed ipſum audite, qui ait, Niſi quis humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, non intrabit in regnum cœlorum. Non audiatis mundum, qui dicit vobis, vt vindictam appetatis: ſed ipſum audite: qui ait, diligite inimicos veſtros, &c. Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi alteram. Sinite falſas priſcorum expoſitiones, qui aiunt, Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, & audite illum, qui ait, Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, & benefacite his qui oderunt vos. Ipſum audite, qui ſi vobis inferorum pœnas comminatur: potens eſt ad vos flagellandū, & torquendū. Ipſum audite, quia ſi vobis gloriam pollicetur potens eſt vobis eam contribuere. Ipſum audite: quia Deus eſt, & doctrina eius non eſt huius ſæculi, ſed ex cœlo. In his verbis reſoluit totam legem euangelicam, eámque in Chriſti ore conſtituit, qui eius eſt filius vnigenitus. Ad oſtendendum quòd diſcipuli deberēt per omnia obedire Chriſto, dixit hoc, verbum, ipſum audite, Oſtenderat Deus Chriſtum per fulgorem corporis eius magnæ eſſe authoritatis: ideò reſtabat quòd obediretur ei. Sic fecit Deus cum Moſe, nam non voluit per ſe dare populo omnia præcepta legis, ſed pauca: cætera verò per Moſem, vt autem populus crederet Moſi, voluit eum facere magnę authoritatis, & ad hoc loquutus eſt cum eo audiente populo vniuerſo, & ex tunc crediderunt quidquid Moſes diceret. Ita Chriſtus coram diſcipulis accepit authoritatem magnam, & poſteà dictum eſt, ipſum audite. Ac ſi diceret, Iam non eſt opus quòd ego loquar vobis dando præcepta: ſed quicquid iſte dixerit tenete auribus cordis, & corporis ei obediendo. Si grauiter peccauerunt qui Moſen ſeruum Dei non audierunt, neque eius iuſſionibus paruerunt, quàm enormiter peccant, qui vnigenitum Dei filium nō aduertunt, nec per obedientiam venerantur? Si ergo illum miſericorditer nunc vocantem non audieris, audies illum poſteà in iudicio veniētem, & pœnas comminantem. Sed procedamus, *Et dum fieret vox, inuentus eſt Ieſus ſolus.* Hoc eſt à Moſe, & Helia ſeparatus. Quādo hæc vox prolata eſt, iam receſſerant Moſes, & Helias: nam dum facta eſſet hæc vox audientes eam diſcipuli, ceciderunt in facies ſuas, timueruntq́; valdè, *Et accedens Ieſus dixit ei, Surgite & nolite timere.* Et tunc inuentus eſt ab eis Ieſus ſolus, ceſſauitq́ue claritas ſui vultus: & ita poterant eum irreuerberatis aſpicere oculis. Hinc habetur quod apoſtoli nec viderunt incipere gloriam Chriſti, nec deſinere: ſicut nec viderunt venire, nec recedere Moſen, & Heliā. *Tunc acceſſit Ieſus & tetigit eos.* O fœlix tactus! Tetigit Ezechielem, & Danielem, & ad tactum eius confortati ſunt. Tetigit Saulum, qui magno impetu & furore ad deſtruendam eccleſiam properabat, & dixit: Domine quid me vis facere? Tu ergo roga eum vt tangat te, & excitet à ſopore peccati. *Et ipſi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex iis quæ viderant.* Hoc fuit ex præcepto Chriſti ne alij diſcipuli triſtarentur: aut inuiderent, & ne paſſio Chriſti impediretur: ideò dixit eis vt Marcus dicit, Poſtquam ſilentium impoſuit apoſtolis, quia oportebat ire Hieroſolymam, & multa pati & reprobari, &c. Nam ſi maieſtas eius diuulgaretur, populi impedirent paſſionem eius reſiſtendo, & ſic impediretur redemptio noſtra. Ideò præceptum hoc ſilendi obligabat tantum vſque ad reſurrectionem, & poſt tenebantur aliis diſcipulis reuelare & prædicare illud, ſicut cætera geſta. Tertiò oportebat ſilere, nam ſi diſcipuli tam admiranda & excelſa de Chriſto prædicarent, & poſteà Iudæi viderent eum tam acerbam, & ignominia dedecoréque plenam pati mortem: ſuæ doctrinæ minimè fidem haberent: ſicq́ue iacturam facerent res tantopere fidei conducentes. Quartò, quia euangelij prædicatores primùm, quòd gentibus euulgare & concionari debent, eſt mors, & crux domini noſtri Ieſu Chriſti, quo experiētia cognito, diligētérq; perſpecto concionentur, poſtmodū Chriſti diuinitatem

quod

Marginal notes (left column): *Vox ab angelo prolata Dei patris nomine.* — *Luc. 3.* — *Luc. 3.* — *Hebr. 7.* — *Theoph. in hoc loco.* — *Matth. 16.* — *Matth. 18.* — *Matth. 5.*

Marginal notes (right column): *Exod. 19.* — *Eze. 1.* — *Dan. 9.* — *Act. 9.* — *Marc. 9.*

quod apostoli fecerunt, præstiterunt q; diligenter. 1. Cor. 1. Ideò Paulus, Nos prædicamus Christum crucifixũ. Ingẽs esset insania, & stultitia si puerulũ, qui adhuc prima literarũ ignorat rudimenta docere velles elegantes depingere exornareq; characteres. Decebat sanè priùs populo pœnitentiam, crucem, mortem, passionemque prædicare: posteà verò immensam transformationis gloriam, & præexcellentiam. Sequitur in contextu. *Factum est autem in sequenti die descendentibus illis de monte, occurrit ei turba multa. Et ecce vir de turba exclamauit dicens, Magister obsecro te respice in filium meũ, quia vnicus est mihi. Ecce spiritus apprehendit eũ, & subitò clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum.* In primis verbis huius contextus, vbi ait quòd hoc sit factũ in sequenti die descendentibus illis de monte, insinuat euangelista quòd vt iam diximus, in nocte facta fuerit transfiguratio, & sequens dies est artificialis, hoc est ab ortu solis: nõ enim est verisimile quòd tota illa nocte, & nocte sequenti perseuerauerint soli in mõte. In tortura, & persequutione, quam spiritus malus huic adolescentulo infligebat, insinuatur graue odium, quo dæmon genus prosequitur humanum, quantũq; dæmonem ipsum hostem nostrum odisse debemus, nec ei in aliquo obedire, & morem gerere, nec consensum præstare eius iniquis & falsis persuasionibus, quandoquidẽ nobis tantopere nocent, Respice, inquit, in filium meum. Respicere, idem est quod delectari aut misereri. Sic Dauid, Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiat do- Psalm. 65. minus. Hoc est, si ego in animo meo delector iniquitate, non exaudiet Deus preces meas, ita intelli- Gen. 1. gitur illud Genesis, Dixit Deus, fiat lux & facta est lux. Et vidit Deus lucem. Et Paulò post, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Hebraismus est, quo sępè vtitur diuina scriptura, vbi videre, idem est quod delectari: & non videre est iratum se Iob. 13. ostendere, vt apud Iob. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Respice ergo filium meum ait pater, & auxiliare ei. Aduerte autem quòd iste filium infirmum, & sic durè à dæmone vexatum ad Christum adducit. Multos & nunc inuenies huic similes, qui semper deteriora, & peiora dant atq; offerunt Deo. Si filius gibbosus, lippus, fœtidus, aut claudus est, ad monasterium adducunt. Denique obsequio consecrant, si quis verò aspectu pulcher aut robustus est, hunc modo, & nuptiis, ac eorum ministerio seruant. Quapropter Deus iussit primogenita, & meliora ei offerri. Ita & de iumentis sit, ita, vt per Malachiam dicat, Male- Exod. 13. dictus dolosus, qui cùm in grege suo masculum, & Mala. 5. robustum habuerit, debile domino offert. Ideò vo- Exod. 13. luit, vt asinus non offerretur, sed redimeretur oue, quia dominus respuit. *Et rogaui discipulos tuos, vt eiicerent eum & non potuerunt.* Non satis erat precari magistrum, vt curaret eius filium, sine vlla discipulorũ vel commemoratione, vel taxatione. Cogitare debuerat vel se vel ipsum filium in causa esse cur non eiecerint: non culpam in Christi discipulos reiicere. Sic nunc multi tunc bene orare putant, cùm in alios culpam reiiciunt, & aliorum defectus carpunt. Illi qui absciderunt caput Isboseth petebant à Dauide mercedem, dicentes mala de Saule, & appellantes eum inimicum Dauid, vt sic gratiam eius conciliarent. Sed puniti sunt à Dauide. Sic iste hic facit, accusans discipulos. Et Christus punit illum 2. Reg. 4. increpans eum, sicut Dauid Recab, & Baana.

¶ Sed iis dimissis, aduerte quòd discipuli non potuerunt illum eiicere, & defectus iste fuit partim ex imperfectione fidei patris huius vexati, & afflicti adolescentis, partim verò ex incredulitate discipulorum. Ait enim Matthæus, Accesserunt discipuli Matth. 17. ad Iesum secretò, & dixerunt. Quare nos non potuimus eiicere eum? Et dixit illis Iesus. Propter incredulitatem vestram. In Marco etiam legimus, q; Mar. 9. Christus dixit patri huic. Si potes credere, omnia enim sunt possibilia credenti. Et exclamans pater pueri cum lachrymis dixit, Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Obserua autem quòd multi Genes. 3. etiam in hoc sunt similes huic, qui quando non possunt excusare peccata sua, maioribus impingunt peccata. Sic Adam Deo impingit culpam suã dicens, Mulier quam dedisti mihi: Hic ex paruitate fidei non meruit salutem filio suo, & apostolis ingerit culpam. Vnde egregius Psaltes dominũ orat Psalm. 140. dicens, Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. *Respondens* Chryso. hom. 58. in Matt. *autem Iesus dixit ei: O generatio incredulis & peruersa vsquequo ero apud vos, & patiar vos?* Infidelis, quia non creditis, & peruersa quia malè de discipulis narratis, & dicitis, Hæc est generatio de qua in Psalmo ha- Psalm. 77. betur, Hæc est generatio quæ nõ direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus eius. Et in Deuteronomio, Generatio praua, atque peruersa. Deut. 32. Non tantum istum hominem arguit, sed totum populum Iudæorum propter incredulitatem. Vsquequo ero apud vos? Hoc est, non multum tempus, Luc. 13. ero, quia infrà dixit eis, Ecce dæmonia eiicio, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor. Verumtamen apud fideles semper præsens futurus erat, per sacramentalẽ præsentiam, ipse enim ait, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consumma- Matth. 28. tionem sæculi. Fuit enim dominus non sicut cum lucifero fuerat in cœlo, neque sicut cum Adam in paradiso, neque sicut cum Mose in synagoga, cum iis non fuit vsque in finem sæculi: fuit cum illis quidem, sed non vsque in finem perseuerauit. Sicut humanitatem, quam semel assumpsit nunquam dimisit, neq; dimittit, ita nec Christianitatem. Ea enim ratione Messias noster dicitur Emanuel, id est, nobiscum Deus: vt quandiu duraret ipse, eius duraret nomen, duraret item & nominis veritas. Vide quid Esaia. 7. synagoga meruerit, eò quòd dominus seipsum, & suam gloriosam præsentiã tulerit ab eis. Hæc maxima punitio est. Quod autem Christus tam seuerè respondeat & ipsos obiurget, non ira fit, sed multò magis ex commiseratione, quia dolet infirmitatem fidei nostræ. Ac si quis medicus si ægrotum videat, contra sua præcepta agere, dicat, Vsquequo accedam ad domum tuam? quoúsque artis perdam industriam: me aliud iubente, & te aliud agente? Vt autem videas compassionis & non iracundiæ verba esse, statim iubet Christus patrem dæmoniaci bene sperare, & filium adducere, ideò ait, *Adduc huc filium tuum.* Poterat absentem curare, sicut filium reguli, sed magis oportebat ad Christi gloriam, vt præsenti opitularetur, nam aliàs potuissent inuidi pharisæi dæmonium à seipso voluntariè, & nõ ex imperio Christi exiisse. Miraculum enim coram Ioan. 4. omnibus erat magis insigne: & apertũ, & patrem, & alios, qui illic aderant voluit Christus de incredulitate sanare, in qua laborabant. *Et cùm accederet elisit illum dæmonium, & dissipauit.* Scilicet ad terram deiiciendo. Cernebat dęmoniũ sibi esse ad Christi imperium

imperium exeundum, & idcircò tanquam hostis hominum omnes vires exercuit, vt ante discessum quantò posset malo illum afficeret. Eadem feritate vtuntur dæmones aduersus hominum animas cùm eos cernunt velle ab eorum potestate ereptos ad Christum redire. Tunc enim grauiores in eos excitant pugnas, varijsq; tentationibus tanquam machinis oppugnant, vt ab optimo instituto auocentur. Quare tunc maiori vigilantia standum in acie est, & non solùm illi hominum conatus pertimescendi: sed pro certo indicio, hoc est appropinquãtis salutis. Ideò ait sapiens, Accedens ad seruiturem
Eccle. 2. Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Non sentit homo tentationes, cùm agit vitam quæ diabolo placet: quia ipse spontè sese diabolo subdit, quem pacificè possidet. Sed cùm diabolus videt quod è manibus vult præda fugere, tunc mouet machinas, ne fugiat, vt cum isto dæmoniaco fecit. Dissipabat itaque illum, & ad terram deijciebat.

¶ Perpende quòd prima intentio diaboli, est ad terram deijcere, & deinde per diuersa vitia præcipitare. Præterea sæuit, dùm cogitur exire, quia inuitus & renuẽs relinquit hominem. Deinde, si sic sæuit in puerum, quid de nobis cogitandum censes, qui diu, noctuque nulli, nisi sathanæ inseruimus. Considera etiam modum loquẽdi scripturæ sacræ, nam cùm de bonis loquitur, quamuis labores, famen, dolores patiantur, non tamen inquit scriptura, quòd labores apprehendant iustos & sanctos, nec quò bonos elidant, & dissipẽt, quo pacto hoc
Genes. 44. affirmat de malis. De Aegyptijs inquit scriptura, quòd obtinuit eos fames: quod tamen non ait de Hebræis, quamuis in eorum prouincia esset etiam fames, licet scriptum sit quòd inualuit fames super terram, non tamen est scriptum quòd obtinuit fames Iacob aut filios eius, sicut scriptum est de Aegyptijs. Quamuis veniat ad iustos fames, tamen nõ
2. Cor. 12. obtinet eos quia gloriantur in ea. Paulus, In fame, siti, & nuditate: in ijs, ait, gloriabor. Quod iustis exercitium virtutis est, pœna est peccati iniustis. Sic
Genes. 12. etiam temporibus Abrahæ dicit scriptura quòd facta est fames super terram. Vide elegantiã scripturæ (vt optimè disserit Origenes) quia poterat dicere,
Orig. hom. 16. in Gen. descẽdit Abraham in Aegyptum, quia inualuerat fames super eum, sed non dixit, sed inualuerat fames super terram: sed cùm loquitur de peccatoribus, ait, inualuit fames super eos. Idem dicitur de
Gene. 26. Isaac. Ex quo sequitur, quòd terra potest pati famẽ, id est, hi, qui terrena sapiunt: sed fames, & tribulatio non iustos, sed peccatores inuadunt. Sic dæmõ inualerat hunc puerum: & illidebat eum, quod iustis non solet facere, nec de illis sic loquitur scriptura. *Et increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri eius.* Non puer vim patiens, sed diabolus vim inferens increpatur, quia
Causa morbi ablata ratio[n]is, & postea sanantur. qui peccantem vult sanare vitium debet arguere, & repellere: sed hominem amando te fouere. Dilige inimici naturam, quia bona est: non tamen vitia,
Sap. 11 quæ odisse debes. Dominus enim diligit omnia, quæ fecit, & diabolum diligit, non peccatum, sed naturam. Malitia itaque inimici odio habenda est, non tamen natura. Sanauit autem puerum expellendo dæmonem. Dices forsitan, nónne spiritus ille immundus voluntate domini inuaserat puerum
Matth. 8. illum? Vtique, nam si in porcos illa legio intrare non poterat, nisi permittente Christo, multo minus sine domini authoritate in homines habent

potestatẽ. Cur ergo Iesus hunc increpat? Reprehendit deprauatum eius animum, & malè affectam erga homines voluntatẽ. Non enim torquent homi- Zacha. 1.
nes, vt Deo obediant, sed odio: quod in homines, & in ipsum Deum habent. Sic in prophetis reperies Deũ conqueri, quòd gentes, quæ captiuũ duxissent Iudæorum populum, crudeliùs eum tractauissent, quàm ipse voluisset, quamuis Deus ipse eundẽ populũ in hostium manus tradidisset. In eundẽ modũ iudices non solùm cùm iniquam sententiam dant sunt reprehẽdendi, verùm etiam si dùm iustè, quẽpiam castigant, si id cum odio faciunt, & vlciscendi & lædendi appetitu. Arguit itaque illũ, & expellit, & sanat puerũ. Disce quod non poteris salutem acquirere, nisi priùs expuleris dæmonem, & eieceris, quia ipse est causa mortis. Quid prodest si vulnus curas intus verò sagittæ spiculũ relinquis? Radicit[us] malã debes euellere herbã: & vitia, peccataq; cum incitamentis, & malis propẽsionibus penitùs frænare. Ita Christus tãquam peritus medicus principium, & causam infirmitatis abstulit, eijciẽs priùs dæmonium, & posteà sanans puerum. *Stupebãt enim omnes in magnitudine Dei.* Id est in tã magnifico signo diuinæ potentiæ ostensiuo, tam imperialiter facto vehementer mirati sunt: imò ex cõsideratione effectus ad contemplationem, admirationemq́; causæ permoti sunt, ita vt diuinæ potentiæ immensitatẽ, & amplitudinẽ sint admirati. *Omnibus autem mirãtibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos.* Apostolis loquutus est tanquã familiaribus, & amicis, & istis reuelauit sua secreta sicut dixerat eis, Vobis datum Luc. 8.
est nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in parabolis. *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos.* His verbis significauit rẽ de qua loquuturus esset, maximi esse momenti, & põderis, is enim est communis loquẽdi mos, vt quãdo insigne aliquid, & quod maioris sit vtilitatis, & periculi, dicturi sum[us], priùs moneamus, vt quod dicimus diligẽter obseruetur. Ideò nunc antequam de re tam mirabili, sicut fuit Christi passio, loqueretur, commendat quod vult dicere, vt attentiores eos faciat, & memoriter eam teneant, vt cùm eam viderint, ne offendantur, sed paratos inueniat eos illa tribulatio. Ait ergo, Ponite in cordibus vestris sermones istos, ac si diceret, Alij mirantur in me opera diuinæ potestatis, quæ facio: vos autem quoniam estis mei secretarij, & amici mei, non solùm hæc debetis ponere in codicibus, vt faciunt multi, sed in cordibus. In corde Psalm. 118.
enim meo abscondi eloquia tua. In cordibus (inquam) vestris, non in alienis, & non vestris: sicut illi, qui benè prædicant, & in cordibus aliorum imprimunt, quæ tamen ipsi non agunt, facient contra illud Apostoli. Non audeo aliquid loqui, quæ per Rom. 15.
me non efficit Christus, Ponite ergo in cordibus vestris, iuxta illud Prouerbiorum, Describe illa Prouer. 3.
in tabulis cordis: & inuenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus. Quid igitur tam tenaciter memoriæ commendabunt? Christi passionem: ideò sequitur in contextu. *Filius enim hominis futurum est vt tradatur.* Optimè loquuturus de passione, filiũ hominis se nominat, vt scias quòd secundũ humanã naturam passurus est, nõ secundũ diuinã. *In manus hominum.* Scilicet à Iuda in manib. Iudæorum, à Iudæis autẽ in manib. gẽtiliũ. Quod autem hîc dicit, hominũ, sonat nõ in naturã, sed in vitiũ. Vnde Paulus, Cũ sit inter vos zelus, & cõtẽtio: 1. Cor. 3.
nónne carnales estis, & secũdum hominem ambulatis?

latis? Obserua autē quod loquutus est Christus de sua passione, cùm omnes mirarentur de omnibus quæ fiebāt, vt præueniret suos apostolos, ne deficerent in sua passione: ac si apertiùs eis diceret. Si factum hoc meum arguit in me diuinā esse potestatem, videte ne excidat, videte ne obliuiscamini, tēpore enim futuro efficacia videbitis argumēta humanæ infirmitatis in me. Sicut ergo vos delectat diuina mea potestas, ita nec vos offendat humana mea infirmitas: licèt enim tanta mea potestas sit, vt possim quæcūq; velim, vt possim pellere vnico verbo omne dæmoniorum genus: tamen futurum est vt filius hominis tradatur in manus peccatorum. Futurum est, vt qui etiā dæmones fugat, ab hominibus vinciatur. Futurū est: vt qui homines ab omnibus malis liberat, ab hominibus capiatur. Sed quid apostoli? *At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud, & timebant eum interrogare de hoc verbo.* Præ nimio enim amore non poterant credere ipsum esse moriturum. Non tam de tarditate intellectus hęc ignorantia, quàm de amore nascebatur. Non tamen audebant de hoc interrogare, quia iam antea audierunt Petrum durè increpari à Christo, se occidendum prænunciante, eò quòd persuaderet oppositum, & audiuit: Vade post me Sathana, nō sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Verùm si hac de causa timebāt eū interrogare de intellectu verborum istorum, apparet quod vtique cōsiderauerunt eum de passione sua profari. Ad quod est dicendum quòd quidam eorū suspicabantur hoc ipsum, sed dubij erant non intelligendo plenaria, & ideò cupiebant interrogare, sed formidabant redargui. *Intrauit autem cogitatio in eos quis eorum maior esset.* Ex hoc orta est causa hæc cogitandi (vt ait Chrysostomus) quia audierunt quòd Christus dixerat Petro quòd daret didrachma pro se, & Iesu, & ei promiserat primatū. Diabolus mouit corda eorum ad hanc contentionem, nam videns proficere viros bonos in virtute, nititur eiicere eos ab illo bono, quia quos tētatione carnis nō superat, videns illos victores, tentat de vana gloria, vt sic deiiciat, & faciat credere quod magnus sit, & sanctus, & tūc ingerit desiderium principatus. Nūquā enim diabolo deest tentandi occasio: & si vincas, iterum atque iterum reuertitur ad certamen, vt vincat. Permisit autem dominus tantam imperfectionem suis charissimis inesse discipulis, non sine maxima, & irrationabili, & vtilissima causa. Ex hoc enim fides christiana potissimum cōfirmatur, quòd primi illi prædicatores tantæ imperfectionis fuerunt, & subitò tantæ imperfectionis in omni sapiētia, virtute, atque constantia sunt effecti, quòd certissimum est argumentum non nisi diuinitus fieri potuisse. ¶ Obserua autem quòd scit diabolus dominandi ambitionem, certam esse ruinam hominū & angelorum, ter discipulos domini hac adorsus est tentatione: videlicet in hoc loco, & cùm Iacobus, & Ioannes ad dexteram, & sinistram sedere petierunt, & cū imminente passione domini facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Multo studio cauenda est dominandi cupido, quæ nō parcit apostolis domini, pauperculis viris, qui simplici tunica amiciebātur, & parco cibo cōtenti erant, qui nullos redditus, aut villas, aut castella possidebant: nihilominus in hominibus ita nudis, & omni destitutis auxilio humano, exardescit ambitionis ignis. Ideò hoc dixerim, vt caueat vnusquisque ab hac peste, quæ hominibus etiā tā spiritualibus aduersatur. Nutritur in domibus regum, & ad pauperculos agricolas vsq; diffunditur: siquidem beatos apostolos Christi ausa est aggredi, bis inter se cōtendentes de dignitate, & præcellentia. Admonet locus iste vt in omni statu simus suspecti de hac maledicta peste: & licèt aliud malū nō haberet nisi crucem, & torturam quam dat ambientibus, summopere fugienda est ambitio. Sunt enim quædā peccata, quæ crucem suā secum baiulant. Nō (inquā) Christi crucem, nec boni latronis, sed durissimum mundi supplicium. Ea sunt ambitio, odium, & inuidia: quæ maximè vitia torquent cor, somnum, & quietē auferunt, ac totum hominē inanibus curis, & sollicitudine obruunt. Quapropter secum crucē baiulare dicūtur, in qua peccator in singulos dies, & noctes supplicium patitur. Si enim inuidus es, omnia proximi bona erunt tibi tormentū. Si odiū geris, quicquid boni accidit illi quē odis immaniū cruciatuū causa existit. Si ambitiosus quoties alios euectos cernis, nimio dolore cōpressus, cogitabundus semper incedis, tecū reuoluens cuiusmodi dignitatibus à rege, vel papa vel à quouis alio principe, seu prælato decorari possis, at quibus modis sit consequēdum, exquiris. Et sic totus disturbatur curis ambitiosus, omnibus inseruit, vrbanissimè omnibus loquitur, omnes veneratur, vt illum iuuent in sublime ascendere. Miserū vtique seruitutis iugum, & nimiū auersares à sanctorū cogitationibus. ¶ Obserua etiā quomodo in cogitatione fit peccatum: nam apostoli in cogitatione peccauerunt cogitātes quis esset maior, quos Christus arguit, quod non fecisset, nisi peccassent. Vnde Saluator remouens falsam doctrinam scribarum, & pharisæorum dixit prædicans in mōte, Audistis quod dictum est antiquis, Non mœchaberis, Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Non solùm consentiendo in quocunque peccato mortali, licèt verbis, aut facto non cōpleat, mortaliter peccat, sed etiā quamuis non consentiat in opere nefario si aduertit ad delectationē morosam & impiam cogitationem, & positiuè cōsentit in eam. Sed de his nolo modo longum protrahere sermonem. Noluit autem piùs dominus impias ambitionis cogitationes apud suos dilectissimos discipulos permanere, atq; ideò ait euāgelista. *At Iesus videns cogitationes cordis illorum apprehendit puerum & statuit illum secùs se, & ait illis.* In hoc ostendit Deum esse, cuius solius est hominum cogitationes cognoscere. Vnde dominus Samueli dixit, Homo videt, quæ apparent, Deus autem intuetur cor. Et Paulus, Tu nosti corda filiorum hominum. Hoc deberet aduertere omnis qui in occulto peccat, Deum scilicet habere inspectorem suorum actuum, insuper & cogitationum. Benè etiam dicit cogitationes eorum, nam cogitationes elationis hominum sunt, non Dei, neque à Deo. Deus enim non immittit tales cogitationes, imò eas detestatur, iuxta illud quod in Prouerbiis ait, Superbiam & arrogantiam ego detestor. Vide etiam quàm diligenter Christus statim occurrit cogitationibus iniquis, ne crescerent, docens vt vitia in initiis extinguamus: nam plerumque inutilis fit medicina cùm morbi ob diuturnitatē fiunt robustiores. Videmus arbores, quæ nunc immensis radicibus terræ adhærent, quo primum tempore plantatæ

Beda. lib. 9. in Lucam. ca. 40. Matth. 16. Chrysost. hom. 61. in Matth. Matth. 17. Vide Beda in ca. Luc. 9. ca. 40. Ambitio ruina hominum & angelorū. Matth. 20. Luc. 22. Ambitio carnificx sui ipsius. Ambitio etiā in peccatum est, licèt nō se prodat exterius. Matth. 5. 1. Reg. 16. Rom. 8. Prouer. 8.

tatæ fuerût, virgas fuisse, quæ tûc leni manu euelli poterant, nunc verò fortissimis machinis non possunt euelli. Atque hoc est quod in parentibus vehementer reprehendo, qui si filios in ætate teneriori castigarent, ac minima eorû vitia obseruarêt, non haberent eos dùm adoleuerint, ita contumaces. Non enim repentè fit homo sceleratus, sed ab exiguis initiis paulatim erescit. Non vides flumina quo pacto fiant magna? Nam vbi ortû habent, exigui riuuli sunt, sed collectis per spacia aquis multiplicantur. Si videris puerum mendacem, vel ad ludendum acriùs affici, corripe illum in tenera ætate, ne posteà facinorosum illum habeas. Virga atque correptio tribuit sapientiam, ait Salomô: Puer autê qui dimittitur voluntati suæ pudefacit matrê suâ. Et rursus, Erudi, inquit, filiû tuû, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ. Nunc verò parentes ipsi fouent filios suos in his vitiis: cùm eis ludunt, & iocantur: nec cogitant quod ait quidâ Sapiês, Lacta filium tuum, & pauentê te faciet: lude cum illo, & contristabit te. Et Salomon, Institue puerum iuxta viâ suâ, etiâ cùm senuerit non recedet ab ea. Igitur cû omnia vitia in initio sint euellâda, & pestis ambitionis omnia corrumpat bona, optimus magister Christus statim curat hoc maximû malum. Posuit autem puerum in medio eorum, vt humilitatê doceret, & suaderet non solùm verbis, sed & actibus & exemplo: magis enim facta mouent, quâ verba, & plus gestis quis mouetur ad bonum agendum, quàm verbis. Ad hoc deberent multi prælatorum aduertere, multique prædicatorum attendere, qui alios solo verbo virtutes docent verbisque multi sunt, & prolixi, nec inopia laborant: vitâ verò perditam, & sceleratam agût. Posuit Iacob virgas coram oculis ouium, vt hœdos parerent maculosos suos, iuxta varietatem & diuersitatê colorum virgarû. Non aliter Christus statuit coram discipulis hunc infantem, vt cernerent discipuli humilitatis exemplum, quod sequi deberent, optimè enim norat dominus quòd magis mouent ad benè agendû facta, quàm verba. Vnde & alibi seipsum dans in exemplû, dixit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Igitur cùm statuisset puerum in medio eorum dixit eis, *Quicunque susceperit puerum istum in nomine meo, me suscipit, & quicunque me receperit: recipit eum qui me misit.* Docet his verbis Christus, non prælationem sed humilitatem, & paupertatê esse quærendam. Potest enim ita exponi, iuxta propositum ad quod adduxit hunc paruulum, quicunq; suscepit puerum istum in nomine meo, id est, proprietates, & formam huius innocentis pueri propter me in se acceperit, imitatúsque fuerit, me recipit: id est, me spiritualiter induit, & mihi verè vnitur, placet ac incorporatur: sicut ait Apostolus, Induimini dominum nostrum Iesum Christû. Qui autem ita me recipit, recipit eum qui me misit, quia in eo pater per gratiam magnam manet. Porrò mitti conuenit Christo qui à patre mittitur, quia ab ipso procedit. Vnde Paulus, At postquam venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. Docet etiam pauperes pro eius amore esse suscipiendos. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, Nâ sicut qui recipit Christû recipit patrê, quia ipse & pater vnum sunt pari ratione, qui paruulû recipit, recipit Christû, quia ex charitate, qua diligit eos, efficiûtur vnû cum eo, quia dilectio vnit amâtes, & ex duobus facit vnum. Et simili modo iniuriam eis illatam, sibi

Principiis obsta sero medicina paratur. — *Prouer. 19.* — *Prouerb. 22.* — *Eccle 30.* — *Prouer. 22.* — *Genes. 30.* — *Matth. 11.* — *Pueri nō ætate sed simplicitate aut malitia. Vide Cyrillū citatū in ca. Luc 9. à D. Tho. in catena. Bedam vt supra pag. præcedenti.* — *Rom. 13.* — *Gala. 4.* — *Matth. 25.* — *Ioan 10.*

iudicat factâ, quemadmodû per Zachariâ dominus fatetur dicens, Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. ¶ Aduerte autê quòd hoc nô solû de illo puero, quem Iesus posuit in medio, intelligitur, quamuis videatur de illo solo loqui, dicens, Quicûque susceperit hûc puerû: sed etiâ de omnibus aliis pueris, hoc est humilibus & paruulis, intelligitur. Singulare enim nomê pro plurali, & vniuersali ponitur, vt mos, & côsuetudo est apud Hebræos. Vnde illud Pauli, Nunquâ angelos apprehêdit, sed semê Abrahæ apprehendit. Abrahâ pro quouis homine accipitur. Et illud Matthæi, Rachel plorâs filios suos, id est mulieres omnes, filios suos trucidatos, plorabât. Et in Psalmo, Vnguentû quod descêdit in barbâ, barbam Aarô, scilicet summi sacerdotis. Et sicut in scriptura Babylô, Sodoma, Aegyptus, pro qualibet gente iniqua sumitur: ita Hierusalem, & Bethleem pro iusto, & electo. Et in Abdia, Quomodo scrutati sunt Esau? Id est, Idumæos vastarût? Et Iob. Impleuit vento subsolano ventrem. Sic in præsentiarum. Quicunq; susceperit puerum istum, id est, omnê humilê, & abiectum. Deinde hæc verba corroborat Christus dicens, *Nâ qui minor est, hic maior est.* Et hoc qui ad magna præmia ordinatus, iuxta illud, Qui se humiliat, exaltabitur. Et pari ratione, qui magis se humiliat, magis exaltabitur: quia quanto sumus humiliores, tâto sumus à tumore superbiæ inaniores, & quantò inaniores à tumore superbiæ, tâtò pleniores dilectione: & quâtò hac pleniores, tantò maiores: de ipsa enim scribitur, Maior horum est charitas, in Ecclesiastico, Quanto maior es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiâ. Vel ideò, quantò quis minor, est maior, quia quantò quis humilior, tâto Christo similior, & per hoc tanto Christo proximior. Christus autem est maximus, sed quantò aliquis est maximo propinquior, tâtò est maior: igitur quâtò quis minor, tâtò est maior. Ideò inter viros spirituales nô debet esse contentio de primo loco, sed de postremo. Nâ qui desiderat primatum in terris, inueniet confusionê in cœlo: nec inter filios côputabitur, qui de primatu tractauerit: nec aliquis festinet quomodo aliis maior appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur, quoniam non qui maior fuerit in honore, ille iustior est, sed qui iustior, ille maior est. ¶ Obserua autem quòd inter theologicas virtutes maior est charitas, sicut inter cardinales est maior prudêtia, quia alias gubernat virtutes: Quapropter si queras quomodo humilior erit maior, cùm charitas sit maior virtutum, dico quòd Christus nô dicit humilem maiorê esse in cœlo ratione humilitatis, sed ratione aliarum virtutum, quas assequetur quis per humilitatem. Cùm cernimus quòd domus alicuius fundamentum, magnum, amplum, & profundum est, dicimus magnam: & angustam futurâ domum, quæ illic est côstruenda: magnitudo verò domus, eiúsque amplitudo non est ratione fundamenti, nam fundamêtum domus nô nitidû nec politum est, sed rude, crassum & impolitum: sed quia erigitur & educitur, nimis profundè, colligimus domum magnam & sumptuosam euasurâ. Sic in proposito ait Christus. Si vultis scire: quis sit maior, dico vobis, quòd qui est minor: licèt nô solùm ratione humilitatis. ¶ Expende etiam in hoc loco nullos magis à Christo diligêdos: quàm qui nulla ambitione tenentur, sed humiliter de semetipsis sentiût, hi enim tales similes sunt domino: quo nemo alius.

Zacha. 2. — *Hebr. 2.* — *Matth. 2.* — *Psalm. 132.* — *Abd. 1.* — *Iob 15.* — *Luc. 14.* — *Qui magis humiliat, magis Christo propinquior.* — *1. Cor. 13.* — *Eccle. 3.* — *Humilitas assequitur alias virtutes.*

Matt.11. lius. Hinc Christus, Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Illi verò, qui honores & dignitates ambiunt, maximè Deo dissimiles existunt. *Respondens autem Ioannes dixit, Præceptor vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.* Dixerat Christus, quicũq; receperit puerum istũ in nomine meo: intellexerat Ioãnes, & bene non de sola receptione ad hospitiũ sed instructorem & doctorem, aut etiã quomodolibet approbando: & propterea inquirit de eiiciente dæmonia in nomine Iesu an sit prohibẽdus, vel approbandus. Solis apostolis dederat Christus potestatẽ sanãdi morbos, & expellendi dęmones, & quia putabant hanc dignitatem nulli alij cõmunicandam, nisi solis duodecim, ideo eiecerunt eũ, & prohibuerunt illum qui dæmonia eiiciebat, & cùm Christus loqueretur de susceptione hospitũ: ideò rectè quærit an fecerint benè, vel malè illum expellendo: in quo ostenditur quod bono animo egerit, & si malũ forsitã fuerit, quod paratus est corrigi. Humilitatẽ exemplo Ioannis docet locus iste: hîc nanque sanctus apostolus, ea quæ bona intentione fecit, dubitãs de facto an sit bonum, ita humiliter suum opus Christo manifestat animo humili, vt correctionem suscipiat. Tu verò de his quæ apertè mala sunt, non vis argui, neque corripi.

Theop. in hæc verba.

¶ Vide etiam quanta sit virtus nominis Christi, vt etiam ij, qui indigni erant tãto munere, & Christum non sequebantur, ad appellationem nominis Christi eiicerunt dæmonia.

In gratuitis nõ gloriãdum.

¶ Ad nostram autem eruditionem discamus ex hoc loco nõ gloriari in donis iis gratuitis, vt prędicationis gratia, literatura, pulchritudine, aut quolibet alio dono: cum hæc dona communicari videamus, & dari etiam illis, qui Christum nõ sequũtur. Matt.7. Vnde dominus, Multi dicent mihi in illa die, Nonne in nomine tuo prophetauimus, & dęmonia eiecimus, &c. Sequitur, Discedite à me omnes, q̃ opeCor.13. ramini iniquitatem. Et Paul. apertè dicit, Si habuero spiritum prophetiæ, & nouerim mysteria omnia, charitatem autem nõ habeam, nihil sum. Christiana enim perfectio in Dei dilectione consistit, quæ quidem in voluntate est: spiritus autem prophetiæ, & scientia, in intellectu, cuius actus prius est, quàm actus volũtatis, ideo hęc dona esse possunt sine charitate, sicut res prima, sine secũda. Itaq; poteris scire mysteria omnia, & habere prophetiæ spiritum, & non esse in charitate: similiter, & fidem, sicut iste habebat, quia sine ea miracula non faceret, & hac fretus dęmonia eiiciebat, & nihilominus Christum non sequebatur, &c. Discamus secundò nõ habere de aliis inuidiam quãuis aliqui habeant ea, quę nos habemus. Multos reperies, qui singulares esse volunt, si aliquid benè & probè faciunt cupiunt se solos, & non alios hoc facere: ægréq; ferunt si alij simili gratia polleãt, qua ipsi: quòd si alij simili ingenio & gratia præstent qua ipsi, mordent illos, & lacerant corrodũtq; aliorum ingenia, ac si Deus memor esset solùm illorum, & non aliorum. Vt alius prædicet, quid ad te? Tu etiam prædica. Non tollit ille quod tuum est, sed adiuuaris ab illo. Volebat Ioannes, quòd tantum ipse, & sui condiscipuli eiicerent dæmonia, & nõ alius, quãuis eiiceret in nomine Christi: quia non sequebatur eos, & quia nõ erat ex eorum consortio, & gremio. Sic enim inuenies inter monachorũ ordines aliquos, qui si vidẽt in alia religione aliquos doctos & literatos homines, qui aliquẽ disertũ, & doctũ componũt librum, quiq; insignes cõcionatores sunt, ægrè, & molestè, ferunt, quòd eorum religioni non dederint nomen institutisque additi non sint. Cuperent Deum illos huiusmodi gratia priuasse, quia suæ factionis non sunt: sicuti hîc Ioãnes nolebat illũ gratiã, ad facienda miracula habere: ratio verò quã præbet est, quia non sequitur nobiscũ: quasi verò Deus alligaretur & teneretur solũ beneficia illis cõferre, qui sunt sui cœnobij, & ordinis, non verò aliis. Hęc est impia, & iniqua æmulatio, alienaq; ab omni charitate, & virtute. Hanc eãdem ęmulationem habuit olim Iosue, qui cùm vidisset Heldad, & Medad prophetãtes dixit Mosi, Domine mi Moses prohibe eos. Et discipuli Ioan. hoc liuore agitati ęmulãtes magistri honorẽ, dixerunt Ioãni Rabbi, qui erat tecũ trãs Iordanẽ, cui testimoniũ perhibuisti, ecce hic baptizat, omnes veniũt ad eũ. Hoc modo apostolus Ioan. & loquutus est Christo, quia volebat quòd illa potestas daretur solis ipsis apostolis, & non extraneis. Sicut multi nunc omnia officia, & dignitates conferunt suis: nec sciũt bonũ facere nisi propriis, & necessariis. Sed quid Moses respõdit Iosue, audi, Quid (inquit) æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet: & dedit eis dominus spiritũ suũ: Hęc magna Mosi charitas deberet per omnes religiones diuersari, omnes Christianos amplecti, vnusquisq; verò magno affici gaudio deberet cum omnes Dei munere ingenio & gratia, qua præstat, frui videret. Ioãnes etiã Baptista respõdit suis discipulis, qui suũ honorẽ nõ vt decebat, æmulabãtur. Hoc ergo gaudium meũ impletũ est, illũ oportet crescere, me autẽ minui. Sic tu deberes gaudere de bono, & gloria tui fratris: déq; bono nomine, & fama, quã habet. Quid autẽ Christus respõdeat apostolo Ioãni, & discipulis, qui prohibuerat illum, qui dæmonia eiiciebat, audiamus, *Et ait ad illos Iesus Nolite prohibere, qui enim nõ est aduersum vos, pro vobis est.* Nullus est medius inter eos, qui sunt pro Christo, & inter eos, qui sunt contra Christũ, tã in moralibus, quàm in religiosis actibus: ideo qui non est contra nos pro nobis est. Ideò iste, qui actum religionis exercebat, pro Christo erat. Loquitur tamen hîc Christus de actione deliberata specialiter in genere moris per operationem ad operantem. Nam tunc nullum opus est indifferens, nam bonum, & malum opponuntur priuatiuè: habitus verò, & priuatio immediatè opponuntur circa proprium susceptibile in determinato tempore. Ideo nolite prohibere bonum facientem, Vnde in Prou. dicit Salomon, Noli prohibere benefacere eum, qui potest, si vales, & ipse benefac. Sed historiam prosequamur, *Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit, vt iret in Hierusalem.* Quia instabat tẽpus passionis eius, & mortis, sed vsus est euangelista vocabulo digno maiestate Christi, nam moriturus quidem erat nõ tamen detinendus à morte, sed surrecturus, & assumẽdus in cœlum. Vel, sicut ait Paul. in gloria, cùm scribẽs Tim. inquit, Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, apparuit angelis, prędicatus est gẽtibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria. Præterea ostendit locus iste magnanimitatem in Christo, quam monstrabat etiam exteriùs volendo ire in Hierusalem, non obstante quòd Iudæi volebant illum occidere. Ostendit etiam quòd sponte patiebatur, & non inuitus: quandoquidem voluntariè ibat & sponte obtulit se

Æmulatio inter ordines monasticos.

Num.11. Ioan.3.

Prou.3.

Passio Christi spontanea.

1.Tim.3.

se corã inimicis, & posuit se in manibus eorũ. Ideo Esa. 53. Esa. Oblatus est, quia ipse voluit. Præterea in eo q̃d ait Lucas, quòd faciem suam firmauit, eius cõstantiam, & animum perpende, prætendit enim euãgelista in facie animi constantiam ostẽdere & magnanimitatem. *Et misit nuntios ante conspectum suũ, & euntes intrauerunt in ciuitatẽ Samaritanorũ vt pararent ibi.* Amb. lib. 7. in Luc. c. 1. de responf. Iesu. Samaritani, nec Iudæi, nec gentiles erãt, sed mixti: qa Assyrij erant, & quinq; libros Mosi receperãt postquam 4. Reg. 17. Salmanasar rex Assyriorum captiuas duxit decem tribus: & nihilominus idola colebant, vt hystoria quarti libri Reg. refert. Christus verò quãuis sciret quòd Samaritani non illũ erant recepturi, nihilominus mittit ad eos nuncios, vt non possint se excusare dicentes. Si misisset ante, suscepissemus eũ: sed nõ venit ad nos, ideo nõ recepimus. Multominus poteris te excusare coram Deo, quandoquidem tot nuncios ad te mittit, & tot conciones, & inspirationes, tot sacramenta, totq; vocandi modos & vias. Rom. 1. Inexcusabilis est omnis homo, Minorem excusationem habebunt Iudæi, quàm Samaritani: siquidem eis Christus dixit, Ioan. 10. Si opera non fecissem, quæ nullus aliùs fecit, peccatum non haberent: nũc autem excusationem non habent de peccato suo. Nullus itaque coram Deo potest se excusare, quãdoquidem ad omnes nuncios mittit, omnésq; vocat, & inuitat, omnibus necessaria subministrat, & nemini negat suum auxilium & fauorem: Exo. 5. nec Pharaoni suum auxilium & fauorem subtraxit & negauit, sed prædicatorem Mosem misit, & multa miracula fecit coram eo.

¶Secũdò misit nũtios ad Samaritanos, quãuis sciret quod non erant illum recepturi propter bonũ, & cõmodum discipulorum, vt discerẽt Christi magistri sui exemplo patientes esse quãdo illos nõ recepissent hospites ad quos diuertebant: scientes etiam quòd patremfamilias non receperunt. Misit itaque nuncios ad ciuitatem Samaritanorum. Sed quid illi? *Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalẽ.* Theop. in hoc loco. Fuit autẽ duplex ratio quare non receperunt eum: vna ratio, quia Iudæi nõ coütuntur Beda in ca. 9. Luc. c. 4. Ioan. 4. Gen. 43. Samaritanis, sicut olim Hebræi cũ Ægyptiis. Illicitum est ægyptiis comedere cum Hebręis. Quia autem Christus erat Iudæus, noluerũt eum recipere. Tantumq; erat dissidium & discordia inter Iudæos & Samaritanos, vt non solùm hospitium & cibum, verùm etiam potum aquæ existimaret mulier illa Samaritana nephas esse Iudæo porrigere: ac proinde cùm Christus ab ea petiuit aquam, respondit illa. Ioan. 4. Quomodo tu Iudęus cùm sis, poscis à me bibere, quæ sum mulier Samaritana? Tam acerbæ & atroces erant discordiæ, & factiones quæ inter vtrunq; populum intercedebant, vt etiam aquæ potum timeret mulier illa Samaritana homini lasso, & defatigato præbere: nullam aliam ob causam, nisi quia Iudæus erat. Non desunt nunc similes dissensiones, & discordię, inter Christianos: imo verò atrociores & crudeliores, quas domin⁹ sua misericordia auertere dignetur, &c. Alia ratio propter quã illum recipere noluerunt, fuit ista quam dat euangelista, dicẽs, Quia facies eius erat euntis in Hierusalem. Dicebãt enim Samaritani, quòd locus orationi aptus erat apud illos in illo monte Garizim. Sic dixit mulier illa Samaritana, Patres nostri adorauerunt in monte hoc, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet. Et ideo Samaritani odio prosequebantur omnes euntes in Hierusalem ad adorandum: & quia Christus ibat ad solennitatem Paschalem ad adorãdum in Hierusalem, & propterea tanquam directè euntem contra ipsos Samaritanos, noluerũt illum suscipere. Phrasim verò scripturæ, & modum loquendi obserua in eo quod dicit quod facies eius erat euntis in Hierusalem. Deũ enim ostẽdere faciem alicui, est illi fauere: sicut abscondere est non fauere. Ideo Dauid, Deus virtutũ Psal. 79. conuerte nos: ostende faciem tuam, & salui erimus, Hoc est, prosequere nos fauore tuo, & salutem consequemur. Et ostendens dominus Mosi quomodo iratus esset punitutus populum Israel dixit, Abscõdam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem. Deut. 1. Et apud Esa. In momento indignationis abscondi faciem meam parum per à te. Esa. 54. Et rursum idem propheta impios Iudæos alloquens, aiebat, Peccata vestra abscõderunt faciem eius à vobis. Esa. 59. Et Dauid, Faciem tuam, inquit, illumina super seruum tuum. Psal. 118. Igitur, quia Christus volebat honorare Iudęos sua præsentia proficiscens Hierosolymam, dixit Lucas quòd facies eius erat euntis in Hierusalem. Expende Iudęorum ingratitudinẽ. Iudæorũ ingratitudo. Christus propter ipsos à Samaritanis eiicitur & exterminatur, quia ad visitandos Iudæos pergebat, & ad eos honestandos, & fouendos iter faciebat: Iudæi verò impij, & scelerati (qui mirifico gaudio, & lætitia Christum recipere deberent, qui vt eorum opinioni, circa adorationem in Hierusalem faueret à Samaritanis malè tractabatur) sunt pręcipui carnifices qui se Christo proteruè opponunt & obiiciunt. Quod si Samaritani Christum (eo quod Iudæis fauebat) è sua ciuitate scelerate expellunt: ob eam ipsam causam deberent Iudæi vrbanè Christum recipere, eiq; mirificè fauere. At verò ipsi non solùm illum non recipiunt, nec ei fauẽt, sed etiam è suis finibus exterminant, eiq; crudeliter vitam adimunt. Vnde Esai. in persona domini conqueritur de ipsis dicẽs. Væ gẽti peccatrici, populo graui iniquitate, &c. Esai. 1. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Sed tu de ingratitudine Iudæorum miraris: tuam tamẽ nõ intueris. Similiter etiam eo quod Deus in te beneficia confert, honoribus ornat, diuitiis cumulat, aliisq; infinitis donis & gratiis quotidie complet à tuis inimicis dehonestatur, eiúsque authoritas, & grauitas imminuitur, quia inimici tui, & inuidi dolent de bono, & fœlicitate tua. Tu verò propter cuius amorem Deus iniuriis afficitur, cùm ei ob hoc ingentes gratias agere deberes, eũ indies magis ac magis offendis. Propter beneficia in te à Deo collata, ab inuidis, & inimicis tuis laceratur, & conuitiis commaculatur: gratiæ verò, quas ei refers, nullę aliæ sunt, quàm expellere eum ab animæ tuę domicilio, & iniqua & perdita vita tua eũ deinceps cruci affigere, sicuti impij Iudæi faciebant. Sequitur, *Cùm vidissent autem discipuli Iacobus & Ioannes dixerũt, Domine vis dicamus vt ignis descendat de cœlo & consumat illos?* Quia isti duo fuerant cum Christo in mõte in transfiguratione, & viderant domini potestatem, Amb. li. 7. in Luc. ca. de respon. Iesu. & maiestatem quòd despiciebatur in terra, qa magni erant zelatores honoris magistri sui, commoti furore volebant perdere eos ad similitudinem Heliæ, quem in monte viderant: qui zelãs Dei honorem, 4. Reg. 1. fecit ignem de cœlo descendere, & occidere duos principes quinquagenarios cum militibus suis. Sed quia Dei honorem non secundùm scientiam zelabant, poterat eis dici illud, quod Paulus Rom. scribens ait, Testimoniũ perhibeo illis, quòd Rom. 10. æmula

æmulationem Dei habent non secundum scientiã: sicut duo filij Iacob, Simeon, & Leui zelo iniuriæ sibi factæ commoti destruxerunt vrbem Sichimorum.

Gen.34.

Licet scripturas inducat aduersarij nō tamē cōcludunt sine Christi & vicarij iudicio.

¶Obserua autem quòd quamuis isti duo apostoli inniterentur authoritati scripturæ, scilicet in facto Heliæ, qui nuntios Ozochiæ igne de cœlo misso cõbustit, tamen non audent hãc exercere castigationem sine magistri voluntate. Hic etiam mos à nobis seruãdus est: quamuis enim aliquid agamus, quod videatur inniti scripturis sacris: videndum tamen est an rectè eas scripturas præsenti negocio accommodemus: quòd nisi rectè fiat, nihil profuit sacras literas consuluisse. Nam & hęretici putant se suas rationes tueri diuinis anthoritatibus: sed falluntur. Quare? Quia Christum non consulunt, nec eius in terris vicarium. Si Papam, qui Christi vicarius est, & eius omnimodam potestatem habet in terris: consulerent, non errarent. Ioannes & Iacobus scripturam habebant: sed ne errarent, Christũ consulunt. Docet enim locus iste ne in rebus agendis curramus tantum ad scripturam, eam ad libitũ interpretantes, sed consulamus sanctam ecclesiam Romanam quæ nũquam errauit nec errare potest. Docet etiam locus iste, vt nihil velimus sine Christo. Est & forma quædam orandi nobis præscripta, vt sic oremus, vt nostram voluntatem resignemus dicentes Deo. Si tu vis, fiat, &c. Sic isti discipuli dicunt, Domine vis dicamus, &c. In omnibus quæ agere destinas, voluntatem tuam cum Dei voluntate coniungere, & conglutinate debes: semperq; te illi submittere, sic, vt nihil facias, priusquam Deum diligenter consulueris, eiusq; volũtatem probè intellexeris. Sic sanctus rex Dauid orabat Dominum dicens, Doce me facere voluntatem tuã, quia Deus meus es tu. Quapropter, & filius eius Salomon reges & principes arguit, eò quòd secundum Dei voluntatem non ambulauerunt. Non custoditis legẽ iustitiæ, nec secundum Dei voluntatem ambulastis: Sed quid dominus respõderit discipulis, audiamus. *Et conuersus increpauit illos dicens. Nescitis cuius spiritus estis.* Non discernitis differentiam inter vetus & nouum testamentum. Tempore Heliç erat tempus iustitiæ, & vindictæ: nunc autem tempus est misericordiæ: hæc enim est gratia noui testamenti. Non discernitis inter spiritum, & spiritum: hoc est inter spiritum noui testamenti, & veteris. Sic in Psal. Dauid, qui veteris erat testamenti, cecinit dicens, Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Sed Zacharias, qui gratiam noui testamenti nunciãbat, nõ ait, Ad faciendam vindictam, sed, Ad faciẽdam misericordiam cum patribus nostris. Præterea credebant se moueri isti apostoli zelo & spiritu rectitudinis, & ipsi mouebantur zelo amaritudinis: quod non debebant facere, sicut dicitur in epistola Iacobi, Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatẽ. Alibi etiam monet scriptura. Nolite omni spiritui credere, sed probate si spiritus ex Deo est: spiritus enim Christi, spiritus mansuetudinis est, secundum illud, Spiritus domini super me, eò quòd vnxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me. Et iterum, Ecce seruus meus suscipiam eum: dedi spiritũ meum super eum. Sequitur, Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet. Hunc spiritum debuerunt habere tanquam boni discipuli, & imitatores magistri, Christus enim nõ venit peccatores destruere, sed vt illos saluos faciat: vt statim ipse dicit: Vnde Paulus, Fidelis sermo & omni acceptione dignus, Christus Iesus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.

Psal.142. Sap.6. Beda in c.9. Luc. 4 Reprehendit. Psal.149. Luc.1. Iaco.3. 1.Ioan.4. Esa.1. Esa.42. 1.Tim.1.

Peccatores nō cōdēnandi, qui hodie peruersus cras bonus esse potest.

¶Discamus ex hoc loco non contemnere peccatores, siquidem Deus eos, qui hodie iniqui sunt, potest cras æquos, & bonos reddere. Si quispiam, quia in manu statuarij vidit ligni stipitem vilem, cõtemneret lignum, quia informe videtur, velletque illud in ignem conijcere, malè faceret sanè. Artifex illum dolabit, & optimè expoliet, sic, vt posteà ex eo imaginem quandam, & statuam perfectam, pulchram, omnibusque numeris absolutam conficiat. Potentior est Deus homine: si ergo homo potest ex vili & rudi ligno pulchram reddere, & effingere imaginẽ: cur Deus non poterit ex peccatore iustum, & sanctum hominem cõficere? Multi sunt, qui hac in re diuum Ioannem & Iacobum imitantur. Cuperent enim quod statim peccatores obirẽt. Sic sunt multi, qui cùm aliquem vident, non rectè incedentem, eius obitum, & necem statim vellẽt. Velles ne, ô homo, simile suppliciũ Deum in te exercere? cuperes ne cum peccas, super te cœlestem ignem descendere qui te absumeret? Nunquid vellent ij apostoli, quòd quando peccauerunt, simili punitione ergo ipsos dominus vteretur? Non ergo proximis similia mala & flagella imprecari debent aut exoptare. Quod tibi non vis, alteri non facias. Vnusquisque misericordiam sibi desiderat, iustitiam verò alijs concupiscit. Vna mensura à Deo metiri volumus, alios verò diuersa. Sed scriptum est, Eadem mensura qua alijs mensi fueritis, eadem remetietur vobis Apostolus etiam ait, Qui stat, videat ne cadat. Si superbè rigidus, & acerbus iudex erga fratres extiteris, permittet Deus te in similia peccata prolabi, de quibus proximos condemnas, vel in alia deteriora & grauiora, vt superbiam tuam cohibeat. Sicuti se habuit cum Petro, qui cum nimium sibi tribueret, alios verò despiceret, viliùs omnibus cecidit. Sed ne aliunde exempla petamus, aspice hos Samaritanos quos apostoli cupiebant cœlesti igne comburi & concremari, postquam spiritus sanctus suis eos radiis collustrauit, primi in fidei receptione extiterunt. Propter quod scriptum est in apostolorum Actis, Cùm audissent apostoli, qui erant Hierosolymis quòd Samaria recepit verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Si ergo Christus Ioannis, & Iacobi precibus annuisset, quomodo ad frugem se meliorem recepissent, salutem adipiscerentur? Si Deus Dimã latronẽ occidisset & cùm furabatur, alijsque peccatis coinquinabatur: quomodo postea conuersus fuisset in cruce dum cũ Christo erat? Si Deus mortem Paulo intulisset cùm Dei ecclesiam vexabat: quomodo tanto concionatore frueremur, eiusque mirificis epistolis delectaremur? Deus bone, quàm longo interuallo Deus hominibus melior extat? Igitur procul sit à Christianis indignatio, procul à magnanimis cupiditas vltionis. Non commouetur Christus contra Samaritanos, vt doceat quod non habet vltionis studium perfecta virtus, nec vlla est iracundia, vbi plenitudo est charitatis: nec excludenda est infirmitas, sed iuuanda. Docet enim locus iste ne vindictam sumamus, de his, à quibus iniuriam patimur. Maior enim perfectio requiritur, exigiturq; à nobis tempore gratiæ: quàm ab illis qui sub lege fuerunt. Sic

Luc.6. 1.Cor.10. Matt.10. Amb.li.7.in Luc.c. de resp. Iesu. Nō enim semper. Act.8. Luc.23. Act.9.

Matt. 5. dominus in Matt. loquitur, Dictum est antiquis, O-
culum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem di-
co vobis non resistere malo. Et iterum, Audistis qđ
dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & o-
dio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vo-
bis, diligite inimicos vestros. Ergo necesse est vt
discipuli domini ducantur spiritu mansuetudinis,
& dilectionis non spiritu odij, & inuidiæ. Nescitis,
inquam cuius spiritus estis. Non regimini cœlesti
spiritu, sed terreno. Serui Dei spiritu cœlesti debent
regi non mundano. Quapropter (vt similitudine
Ansel. li. de simil. c. 19. beati Ansel. vtar) in anima tres sunt naturæ, scilicet
ratio, voluntas, & appetitus. Ratio assimilatur an-
In anima tres natura. gelis: appetitus, brutis animalibus: volūtas vtrisq;.
Voluntas inter rationem, & appetitum media est,
aliquando enim ad rationem, & aliquando ad ap-
petitum se habet. Sed quando ad rationem se con-
uertit, & sapit rationabilia, & spiritualia dicitur ho-
mo rationalis & spiritualis: quando verò ad appe-
titum se tenet, & sapit quæ sunt carnalia, & irratio-
nalium animalium, dicitur homo carnalis, siue ani-
1. Cor. 2. malis. Vnde Paulus, Animalis homo non percipit
ea, quæ Dei sunt: spiritualis autem diiudicat om-
nia, ita secundum affectionem dicitur homo, cuius
spiritus sit cœlestis, vel terrestris. Isti verò apostoli
nesciebant, quo spiritu ducebantur, quia putabant
se duci spiritu zeli Dei, & honoris magistri & duce-
bantur spiritu vindictæ, & terrestri, non tamen cœ-
Spiritus acceptiones. lesti. Denique obseruandum quoque hic est, quod
hoc nomen spiritus varia acceptione sumitur in
Psal. 47. scripturis, aliquando pro vento, vt in Psal. In spiri-
Ioan. 3. tu vehementi conteres naues Tharsis. Et in Ioan-
Matt. 27. ne, Spiritus vbi vult spirat. Cum verò dicitur de
Christo: Clamans emisit spiritum: indubiè pro ani-
ma ipsius ponitur. Cùm autem dicitur de seruo A-
malechitæ Ægyptio. Cùm comedisset reuersus est
spiritus eius, & refocillatus est, accipitur pro viua-
1. Thess. 5. citate, seu fortitudine. Et cùm Paulus dicit, Si spiri-
tu viuimus spiritu & ambulemus, accipitur pro
Luc. 10. spiritu sancto. Et cùm dicitur, Nolite gaudere, quia
spiritus subiiciuntur vobis: accipitur pro dæmoni-
Beda in c. 9. Luc. [illegible] Reprehende. bus. Porrò cum hic dicitur, Nescitis cuius spiritus
estis, accipitur pro vehementi zelo, seu impetu ani-
mi, siue ad bonum, siue ad malum. Christus verò
increpauit eos quia peccabant hoc dicendo: & cre-
do quòd tantum venialiter peccauerunt isti duo a-
postoli. Et fuisset fortassis affectꝰ ille vindictæ mor-
tale peccatum, nisi extenuasset illud ignorantia, vel
impetus animi non deliberatus, vt venialis esset.
Sed iam Christum audiamus vltra dicentem. *Filius
hominis non venit animas perdere sed saluare.* Hoc est, iam
non est tempus vt contemptores meos perdam, sed
vt ipsos beneficiis, mansuetudine, verbis, & factis
Ioan. 3. ad resipiscentiam alliciam. Non enim misit Deus
filium in hunc mundum, vt iudicet mundum, sed
vt saluetur mundus per ipsum. Primus aduentus fi-
lij hominis est iudicari, & occidi ab impiis, ad quos
saluandos venerat: secundus verò aduentus erit, vt
impij iudicentur ab ipso. Si Deus puniret peccato-
res, & illos non expectaret ad pœnitentiam: quinā
saluarentur? Non tanti constiterunt tibi animæ,
quanti Christo, siquidem pro eis sanguinem suum
effudit, quòd tu nequaquam præstitisti. Si tanto
pretio eas emisses, quanto Christus: non tantopere
velles Deū statim peccatores disperdere, & penitùs
extinguere. Peccatorum causa è cœlo in terras de-
scendit, magnaque patientia eos expectat, & suf-
fert, orans, & petens ab eis vt conuertantur, & vs-
que ad exactam ætatem & postremam senectutem
eos præstolatur, & expāsis brachiis in vltima eos re-
cipit canicie. Vnde ipse dominus per Esa. ait, Audi- Esa. 46.
te me domus Iacob, & omne residuū domus Israel,
Qui portamini à meo vtero, q gestamini à me vul-
ua, Vsq; ad senectam ego ipse & vsq; ad canos ego
portabo. Ego feci, & ego feram: ego portabo, & sal-
uabo. Discamus fortitudinem, & virtutem nostram
in Deum exercere. Volebant Iacobus, & Ioānes for-
titudinem suam ostēdere in vindicta, sed aliter do-
minus, cuius potentia est ad subleuandum miseros.
Didicit hoc Dauid ab eo, atq; ideo dixit, Fortitudi- Psal. 58.
nem meam ad te custodi. Non ad inimicos meos
debellandos sed ad te placandum. Sed cùm Chri-
stus fortissimus gigas esset non in debellandis ini-
micis, sed in subleuandis pauperculis exercuit, non
enim venit destruere, sed saluare. Docet Christus
non ideo esse pium se quòd non possit offensas sibi
illatas vindicare, cùm sit fortis, aut necessitate, sed
potius voluntate. Docet etiam cùm mala in proxi-
mos videmus, ex intimis commoueri. Docet demū
non expectare vindictam de his qui te contemnūt,
aut offendunt: sed patienter eorum conuersionem
expectare, exemplo eius: perfecta enim virtus non
habet studium vltionis. *Et abierunt in aliud castellum.* Deus nō pu-
Meruerunt sanè optimè Dei iram, & supplicium, nit semper se-
sed dominus mitigauit legem, & iustitiæ rigorem. cundū rigorē.
Sic enim Mosen fecisse legimus, qui videns vitulū, Exo. 32.
quem filij Israel fecerant vt adorarent, proiecit de
manu tabulas legis ad radicem mōtis, & fregit eas.
Vt populo parceret, fregit tabulas legis: quoniam
nisi tabulas fregisset, populo non pepercisset. Nam Exo. 22.
lex dixit, Qui immolat diis, occidetur, præter qua[m]
Deo soli. Noluit Moses cum tabulis, hoc est, cum
rigore legis ad populum delinquentem venire, sed
tabulas fregit, & legem euacuauit, vt populo delin-
quenti parcere posset. Parùm enim profuisset Deū
oratione sua placare, si ipse legis rigore vtens eos
occidisset. Ad hunc modum cùm prælatus aliquis
instigante pietate iuxta legis rigorem peccatum
subditi non punit, sed illi miseretur, timens ne ex a-
troci punitione exacerbatus in peiùs ruat, tunc ta-
bulas frangit, & legis authoritatem relinquit. Hoc
autem nullus sanæ mētis dicet esse peccatum, si in-
stigāte charitate id factum fuerit: cùm videlicet re-
missione illa prælatus, spirituali subditi saluti pro-
spiciat. Pastor enim non tam curare debet legis aut Prælatus non
statutorum obseruantiam, quam ouium suarum tā legis obser-
profectum. Si timet ex obseruantia legis subditum uantiā quam
deteriorem fieri, & sperat per mansuetudinem, & subditorū de-
misericordiam se lucraturum subditum, rigorem bet spectare
legis eum flectere oportet, vt subditi animam, pro salutem.
qua Christus mori dignatus est, lucretur. Nā Moses
pro eo quod tabulas fregit, nō legitur à Deo repre-
hensus. Deus enim ipse sæpè facit hoc ipsum, parcēs
peccatoribus, sicut nunc fecit cum istis Samarita-
nis, non puniens homines impios, & barbaros, qui
hospitium quod ex lege naturæ itinerantibus de-
betur, non dederūt Christo, & hominibus sanctis:
sed diuertens ab illis & vadens in aliud castellum.
Hoc idem nobiscum quotidie facit, nam si iuxta
merita puniret, væ nobis, vbi nunc essemus? Sed vt
ait Dauid, sicut pater miseretur filiorum, misertus Psal. 101.
est nobis Deus, & recordatus est quoniam puluis
sumus. Vadit & diuertit in aliam viam, quasi non
videat peccata nostra, nec illa sciat, vt non puniat
iuxta

iuxta demeritorum exigentiam. Ideóque abiit in aliud castellũ, dissimulans peccata eorũ, & nolens cogere eos ad hospitium contra voluntatem ipsorum. ¶ Ad nostram autem eruditionem, admonet locus iste potius fugere homines impios, quàm cũ illis contendere, aut litigare. Quia erat iurgium inter pastores Abrahæ, & Loth, diuisio facta est inter eos: dixit enim Abrahã ad Loth, Ne quæso sit iurgiũ inter me, & inter te, & inter pastores tuos, & inter pastores meos, &c. Quamuis bonus esset Loth, tamẽ vt iurgia, & quæstiones fugeret, voluit Abraham separari à Loth, Tãtum bonus christicola pacem debet diligere, & horrere quæstiones & discordias, vt omnia temporalia, si res postulauerit, perdat: quàm vt pacem perdat, aut amittat. Docet igitur locus iste perfectam mansuetudinem, quæ decet Christi seruos, iuxta illud, Seruum domini non oportet litigare, sed mansuetum esse. Sed de his aliàs, nunc autem ad contextum. *Factum est autem ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum, sequar te quocunque ieris.* Ostendebat voluntatem sequendi perfectè, sed aliud habebat in corde. Volebat enim sequi Iesum, intentione, qua Simon Magus desiderabat habere potestatem miracula faciendi, vt de miraculis diuitias lucraretur. Ne accesseris (inquit Ecclesiasticus) duplici corde. Sed Christus, qui corda intuetur, & cogitationes hominũ videt: vtpotè quia Deus: non ad verba, sed ad cogitationem, & intentionem istius, qui Christum sequi volebat, vt ditesceret, respondit dicens, *Vulpes foueas habent & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Ac si diceret, Cur sequi me vis: vt diues fias, me (inquam) pauperem & nudum hominem: adeò inopem, & rebus omnibus destitutum qui nõ habeo domum, nec locum, nec vbi caput meum reclinem: Erras, si me sequi vis hac intentione, cum ego pauperrimus sim, & discipulis mei, ea quæ habebant, relinquere præceperim. O quot habet etiã nunc tales imitatores. Multos videbis, qui se faciũt ecclesiasticos, & sacris initiantur, non vt Deo seruiant nec vt illum sequantur, nec vt ad eum propiùs accedant: sed vt sibi victum, & vestitum parẽt, vt diuites fiant, & quia credũt se hac via facilè posse creari canonicos, abbates, & episcopos. Hi Christum sequuntur, non vt ei inseruiant, sed vt ditescant. Existimant se abundantiorem victum habituros per ecclesiam quàm per sæculum, ac proindè sacris initiantur. Similes sunt ij Sichem & Emor patri eius, qui sibi præputia absciderũt vt opes adipiscerentur ingentes: dixerunt enim, Sic circuncidimus masculos nostros: ritum gentis imitantes, & substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ possident nostra erunt. De relinquebant hi idola, & ad verum Deũ appropinquabant, vt ditescerẽt. Quod quidem tu quoq; hos imitans gentiles cùm mundo renuntias, & ad Deum accedis, ad eiúsque altare vadis, nõ vt sanctior fias, aut melior, & deuotior, sed vt sis diues, credens consanguineum tuum in te beneficia, & dignitatem quam habet collaturũ, & regem, & papam te in episcopum promoturum. Illi magi, qui venerunt ab Oriente, accesserunt ad Christum natum in Bethleem, non vt diuites fierẽt à Christo, sed è contrà vt Christum pauperem ditarent, atque ideò obtulerunt ei munera ex apertis thesauris. Sic tu accessisti ad altare, vbi Christus est, aduerte ne eo animo id agas vt bonis temporalibus abundes, sed spiritualibus. Et sicuti illi sancti Magi, noli à Christo ditari, sed è contrario debes Christo bona elargiri, pauperibus eleemosynam erogando: siquidem Christi agunt personam, ipse enim ait: Quòd vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. At verò tu Christum sequeris, & suscipis vestem clericalem, & ordines sacros quia habet ecclesia episcopatus, abbatias, canonicatus, & redditus. Ioseph venditus in Aegypto fuit, posteà verò diues & potens effectus est: & quamuis illic filios habuit non tamen legimus reditus aliquos, aut prouentus illis reliquisse, aut primogenita. Quid, quæso, fuit in causa cur cùm maximas haberet Ioseph opes, non tamen filiis primogenita constituit? Illud sanè, quia in promissam terram ituri erant, quòd si primogenita, & diuitias habuisset, ægrè, & molestè ab illis separati fuissent, ideò noluit aliquid eis relinquere. Sic Christus dominus discipulis suis tantum virtutem primogenituram statuit, eísque præcipit, vt parum, quòd habent, deserant, nec hũc in numerum discipulorum asciscit, quia animo ditescendi accedebat. Plutarchus dixit quòd paupertas est instrumentum philosophiæ. Si vt mũdi philosophiam intelligamus confert maximè paupertas: quãtò magis vtilis erit vt percipiamus Dei Sapientiam? Qui Christum sequi cupit, & ab eo cœlestem discere philosophiam, tanquam eius verus discipulus despiciat, & paruipẽdat diuitias, nec eas apud pauperem Christum exquirat. Ideò huic qui Christũ sequi volebat, vt ditesceret, dixit illi dominus, Vulpes foueas habẽt, & volucres cœli, &c. Sed singula verba expendamus. ¶ Poterat dicere lepores, aut, cuniculi, aut aliquod aliud animal, sed potius dixit, vulpes: quia est animal cauillosũ, & astutũ, propter quòd Christ⁹ Herodẽ vulpẽ appellauit. Vide tu quanta sit mea paupertas quòd animal illud tam astutum, quod propter suam malitiam indignum erat fouea, at nihilominus illam habet: sed filius hominis non habet vbi caput reclinet.

¶ Expende quod non dicit, Ego non habeo, vbi caput reclinẽ: sed filius hominis non habet vbi caput reclinet, loquitur in tertia persona modestiæ causa (vt Chrysostomus ait) vt ad aliam personam referri videatur illa narratio. Sic sancti euangelistæ loquũtur multoties de seipsis, quasi de aliis, vt Matthæus dicit, quòd inuenit hominem sedentẽ in theloneo: & non dixit, inuenit me. Et Ioannes, Venit alius discipulus qui erat notus pontifici. Et Paulus, Scio hominem ante annos quatuordecim raptum, &c. Hoc etiam Moses quasi de alio loquẽs sæpè dicit. Loquutus est dominus ad Mosen dicens, Et Ioannes iterum. Erat recumbens vnus ex discipulis Iesu, & non dicit, Ego, &c. Sic Christus in tertia persona loquutus est dicens, filius hominis non habet vbi caput suũ reclinet. Præteteà vocat se filium hominis, vt se verum hominũ, & humilẽ, obnoxium calamitatibus, & doloribus insinuaret. Sic Esaias vocat illum virum dolorum, & scientem infirmitatem. Et quia filius hominis accipitur prore abiecta, appellatur Ezechiel filius hominis, vt eum de fragilitate sua admoneret, ne ob diuinas visiones sibi ostensas, nimio gaudio efferretur. Et ideò sæpè Christus se vocat filiũ hominis, vt ostendat, cũ esset Deus, infirmitates nostras suscepisse. ¶ Vide etiã quomodo qui quærit, & qui quæritur in hoc differunt, quòd qui quærit domum non habet, nec in domo est, imò huc, illuc diuersatur. At verò qui quæritur domũ habere, debet vbi eũ quærant. Ego,

Impiorum sodalitia fugienda. — *Genes. 13.* — *1. Tim. 2.* — *Theophil. in hæc verba.* — *Act. 8.* — *Eccle. 2.* — *Beda. in ca. 9. Luc. ca. 41.* — *Quid me propter.* — *Gen. 34.* — *Mentes facit aliquãdo chri stum sequi.* — *Matth. 2.* — *Matth. 25.* — *Gene. 37.* — *Genes. 41.* — *Paupertas instrumentum philosophia Christiana.* — *Luc. 13.* — *Chryso. hom. 28. in Ioan.* — *Matth. 9.* — *Ioan. 18.* — *2. Cor. 12.* — *Ioan. 13.* — *Esaia. 53.* — *Ezec. 2.*

ait Christus veni ad quærẽdos peccatores,nõ egeo domicilio: sed solũ per omnes partes diuagari clamans,& intonans,vbi est peccator? Quis mihi illũ ostendet? Vbi illum reperiam? Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ,&c. *Psalm. 68.* Ideò domum nõ habet,quia quærit peccatores:& sicut aduena fuit in hac vita,& peregrinus in hoc sæculo. Quod admirans Hieremias dicebat, Quasi colonus futurus es in terra,& quasi declinans ad manendum. *Iere. 14. Luca. 2.* ¶ Obserua autem quãta fuerit Christi paupertas, vt nos diuites faceret sua paupertate. Debuit in natiuitate domus quia sub vili tugurio natus & in presepe iacuit. Quid etiam paupertatis,& famis passus est,cũ subita persecutione agitur & in exiliũ defertur per desertum ad Aegyptum, à pauperculis parentibus cũ inopia nutritus est. *Matth. 2.* Nihil in mũdo (cuius opifex & gubernator ipse erat) possidẽs de eleemosynis viuebat oblatis, quas vbi nemo obtulisset, ostiatim mẽdicabat, sicut rex Dauid prophetauerat in persona Domini dicens, Pauper ego sum & mendicus: Dominus sollicitus est mei. *Psal. 108.* Quem Psalmũ Petrus ad literam declarat de Christo, *Act. 3.* & ita sentit Diuus Augustinus in eodem Psalmo, *Christus pauper & mendicus propter nos.* Et in die,quo exceptus est Hierosolymis cũ ramis oliuarũ sicut pauper mendicus quæsiuit hospitium,& quia illud nõ inuenit reuersus est in Bethaniam ad domum Marthæ, *Mar 11.* vbi in hospitium recipiebatur tanquã pauper peregrinus: tantáque inopia laborauit quòd cœnaculum,& agnum, vbi cum discipulis manducaret pascha mendicauit: quia non habuit propriam domum vbi pascha comederet,nec agnum. Et si quidem nullum est in contrarium statutum decretum, & scriptura pauperem,& mẽdicum eum nominat: nulla est ratio cur id negetur. Quod si aliquis existimat mendicitatẽ cũ Christi dignitate pugnare, fallitur sanè: siquidem Christus dominus alias quã plures nostras pœnalitates suscepit nõn minus viles & infames. Et cùm aliquid de Christo dictũ audieris verificandũ est de eo summè, quantũ veritas pati potuerit. Itaq; cum audis de Christo, Ego sum pauper,& dolẽs,salus tua Deus suscepit me, *Psalm. 68* verificat in Christo summam paupertatem,& summum in passione dolorem,& quod à Patre fuit summè in resurrectione susceptus. Et cùm audis Christũ esse nobiscũ,intellige modum summum, quo Christus potuit nobiscum esse. Ita & in hoc loco summam rerum temporalium abdicationem in Christo fuisse intellige. Quòd si verecundiã habes,quando audis Christum mendicasse, maiori perfundi verecũdia deberes, quando ei petenti aliquid denegas: nam Deum ostiatim victũ sibi parare, euidens suæ bonitatis signum est & argumentum: te verò pauperi (qui Christi personam agit) negare quod expostulat signum & indicium, tuæ est crudelitatis & sæuitiæ. Quod si aliquis asserat, quòd mulieres quæ sequebantur eum à Galilæa ministrabant ei, vt in capite præcedenti dixit Lucas: hoc illæ non præstiterunt, nisi postquam incepit discurrere per ciuitates,& castella prædicans: atque hoc solùm illæ faciebant, quibus ipse sanitatem restituerat: at verò cùm Christus per paruum temporis interuallum prædicauerit, paruum etiam tempus intercessit, quo illæ mulieres Christum comitatæ fuerunt: quinimo nec in hoc tempore Christũ sequebantur semper, siquidem cum eo non erant quãdo à Samaritana aquam petiuit. *Ioan 4.* Nec etiam diuites erant omnes illæ fœminæ, sicut nec Salome,quæ accipiebant eleemosynas, quæ eis erogabantur, & erãt veluti depositariæ. Vnde (quãuis Christus crumenas deferret sibi,& discipulis) non sequitur non mendicasse: sicut fratres Minores sunt mendicantes,& habẽt syndicos,& dant eleemosynas aliis vilibus pauperib⁹. Et discipuli Christi aliquoties victum secum ferebant,dum cum Christo iter faciebant quamuis modicum,vt patet in quinque panibus,& duobus piscibus. quod si obliuiscebantur cibum parare, posteà se vacuos, & inanes reperiebant,sicut Matthæus narrat quòd obliti sunt portare panes, *Ioan. 6. Matth. 6.* & cùm maledixit ficum,sine prouisione ibat. *Mar. 11.* Ex quo patet non semper Christo & discipulis necessaria fuisse oblata,absque eo quod ipsi peterent. Et apud gentiles clarè cõstat nullum fuisse, qui eis necessaria offerret,quia erãt Iudæi, ac proinde oportebat emere. Ideò in Sichẽ,quæ erat Samaria inuenerunt discipuli,vt cibos emerent. *Ioan. 4.* Sed hæc suffecerint de Christi paupertate, & mendicitate, quæ tanta fuit vt verè dicat, Vulpes foueas habent &c. Nec solùm in vita, verumetiam in morte deest cruci affixo vbi caput reclinet: & mortuus, alieno vsus est sepulchro.

¶ Ad nostram autem eruditionem, discamus diuitias contẽnere, & Christi paupertatem diligere, Magnus equidem est abusus quòd Christianus tãto ardore,& cupiditate quærat diuitias huius sæculi, cùm suum intueatur Redemptorẽ,& magistrum Christum Iesum, adeò pauperem in sua natiuitate, & in vita & morte,& denique post ipsam mortem.

¶ Discamus etiã ex hoc loco superba ædificia nõ habere. Verecundiam habe, cùm Christianus sis, tam magnificas ædificare domos & turres excelsas, cùm videas dominum Deum tuum nõ habere propriã domũ, quã inhabitet: nec eam habuit in natiuitate,nec in morte,nec post mortem, siquidem in alieno sepulchro fuit humatus. Vnde domin⁹, Percutiã domum hyemalem, cum domo æstiua: *Amos 3.* & peribũt eburneæ domus,& dissipabũtur ædes multæ.

¶ Discant etiam prælati & prædicatores,non admittere ad suum consortium homines lucri cupidos,sed expellant eos,sicut Christus hunc qui diues volebat fieri sequens illum. Multò magis non sunt ad prædicationem mittendi inhiantes lucris: cùm repellantur à consortio prædicatorum. Nõ sic Paulus,qui dicebat,Non quæro vestra,sed vos. *2. Cor. 12.* Sequitur in contextu, *Ait autem ad alterum. Sequere me,* Hic discipul⁹ erat Christi, vt manifestè asserit Matthæus, *Matth. 8.* sicut alter de quo nunc iã egimus, erat scriba. Quis autem hic discipulus fuerit,nos latet. Clemens tamen præsul Alexandrinus præceptor Origenis, vir (vt Diuus Hieronymus inquit) vndequaque doctissimus, *Hier. epist. ad Calpur. lanarium.* qui stromatum, hoc est, varietatũ octo libros scripsit, ait in stromate 3. quod fuit Philippus apostolus. *Tertul. lib. [illegible] baptismo. fol. 3.* Tertullianus autem ait,quod fuit Matthæus. Quicunq; ille fuerit,nos tamẽ ad nostrã instructionẽ hic admonemur non esse omni ministerio sese sed diuino ingerendum se qui ab eo vocatur,& eligitur veluti Aaron, cuius virga tantum floruit, *Nume 17. Hebræ 9. Matth. 4.* vt apostolus ad Hebræos admonuit. Si enim principes,qui sæpiùs ignorant, quos ad ministeriũ vocãt,ministros pro sua voluntate diligunt, nõ curantes an alij sint habiliores,aut prudentiores pro solo beneplacito voluntatis suæ: cur hoc nõ licebit Deo,qui optimè scrutatur,& nouit,quos ad suum ministeriũ eligit? Ecce scriba ille qui se vltrò obtulit non inuitatus, reiectus est à Christi consortio:

alios

alios verò im præmeditatos vocauit, sicut Petrū & Andræam,& Iacobum,& Ioannem, qui erant piscantes: & huic discipulo, quisquis ille fuerit, dilationem petenti ait, vt vadat,& nūciet regnum Dei, & vocat Christus illum, nihil dicentem. Illum qui ait velle seipsum sequi, missum facit & expellit: & illum, cui imperabat & nihil dicebat, vocat. Sed quid dicet ille? *Ille autem dixit, Domine permitte mihi*
Exod.20. *primum ire, & sepelire patrem meum.* Ad hoc enim se obligatū putauit præcepto legis, quod iubet parentes honorare: imò mortuos sepelire est vnum ex septem operibus misericordię, de quo & specialiter
Tob.12. ore angelico cōmendatur Tobias. *Dixit ei Iesus, Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annūtia regnum Dei.* Pater istius adhuc viuebat, sed petebat iste vt expectaret Christus, vsque dum pater eius obiret, & sepeliret eum: nam si tum mortuus fuisset, nō denegaretur ei, quia parum poterat in sepultura patris immorari: nam in dimidia die finiréntur inferiæ & sepultura. Sed quia multum temporis petebat, prohibitus est dicens, sine vt mortui sepe-
Amb.li.7 in Luc ca. de responsione Iesu. liant mortuos suos. Ac si diceret, Non est necesse quòd tu vadas, & maneas in sæculo vsque ad mortem patris tui: nā alij sunt, qui possunt sepelire eū. Hoc fecerunt apostoli, nam opus pium erat mini-
Act.6. strare cibos pauperibus, quia tamen impediebatur per hoc ab oratione, & prædicatione, & hoc fieri poterat per alios, elegerunt alios septem viros, vt ipsi orationi vacarent. Nō igitur prohibetur honorare parentes, sed monstrat cœlestibus negotiis nihil esse præponēdum: spiritualia enim opera pro temporalibus non sunt dimittenda, & iste ad maiorem vitæ perfectionem vocabatur, atq; ideò addidit. Tu autem vade, & annuntia regnum Dei: ac si diceret. Sepelire mortuos, quòd opus est pietatis inferioris, non pertinet ad te, sed ad mortuos: id est, ad homines infimi gradus, vel in peccatis manētes, propter quòd mortui vocantur. Illi enim nō viuunt verè neque fœliciter, in quibus non viuit Christus: qui solus vita est animarum nostrarum.
1 Timo.5. Hinc est quòd Apostolus ad Timothæum scripsit dicens, Vidua, quæ in delitiis est viuēs mortua est. Sic Saul cū esset quadraginta annorū, & regnasset
Act.13. viginti annis, vt dicitur in Actis, tamē scriptura ait, quòd Saul erat filius vnius anni cùm regnare cœpisset, & quod duob⁹ annis regnauit in Israel, quia duobus annis regnauit in Dei amicitia & in statu
1.Reg.13. gratiæ. In his duobus annis fuit viuus Saul, nam in aliis mortuus erat corā Deo, nec illius numerātur, aut cōputantur anni coram Deo. ¶ Igitur ad mortuos conuenit sepelire mortuos suos. Ad te autem maiora pertinent, scilicet quòd vadas, & annunties
Luce.10. regnum Dei. Magis laudatur otium Mariæ, quàm sollicitudo Marthæ: atq; ideò, quia spiritualia præstantiora sunt, nō relinquēda sunt pro tēporalibus. Prætereà noluit dñs vt adiret domum patris, quia occupatio illa poterat nocere ei, quia fortè oriretur occasio quòd nūquā rediret ad Christū, quia cupiditas rerum temporalium in successione patris defuncti & affectio cognatorū fortè causarēt ei cōtrariū desideriū, vel tepiditatē aliquā desiderij prioris.
Bonum quod facere vis fac citius. ¶ Ad nostram eruditionem docemur hinc bonum propositum conceptum citò operi, & executioni mandare: ne aliquid succedat quod impediat bonum illud, ita vt non postera fiat. Ideò huic noluit dominus permittere, vt iret in domum patris, & expectaret mortem eius, ne mutaret propositū: sed voluit vt statim eum sequeretur relictis omnibus. Docemur etiam spiritualia nō relinquere propter quodcunque bonum temporale, &c. Sed de his satis. *Et ait alter, sequar te domine, sed permitte mihi primum renuntiare iis, qui domi sunt.* Sic dixit Helisæus 3.Reg.19.
ab Helia vocatus, Osculer (inquit) oro te patrem meum,& matrem meam,& sic sequar te. Afficiebatur hic circa suos, contra illud, quod in Psalmo ha- Psalm.44.
betur. Obliuiscere populum tuum,& domum patris tui. Aliter fecit Paulus qui dicebat, Postquam Gala 1.
autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & reuocauit per gratiam suam, &c. Continuò non acquieui carni & sanguini. Caro, & sanguis tanquam aduersarij nō sunt admittendi. Quapropter Christus ait, Veni separare hominē aduer- Matth.10.
sus patrem suū,&c. Sequitur, Et inimici hominis, domestici eius. Pręterea aliqui dicunt quòd iste voluit renuntiare domesticis suis, seu parentibus suis duntaxat valedicendo, seque ab eis licentiando, ne quærerent eum. Alij dicunt quòd volebat eorum consensum exquirere,& eos super re ista consulere. *Ait ad illum Iesus, Nemo mittens manum ad aratrum & aspiciens retro aptus est regno Dei.* Omnis arans si retrò respiciat, inutilem aut tortuosum facit sulcum, aut arantium boū suorum vestigia vulnerabit. Sic qui recto tramite, aut spirituali vomere vitia humana persulcans incedit ad Dei regnum: si aspectum suū ad vitia & impia,& vana conuertit, animam suam vulnerabit. Ille aspicit retrò qui à bono inchoato deficiens, mente ad sæcularia redit. Non decet vt Genes.19.
tu, qui à Sodoma existi,& mundum iam dereliquisti: vt iterum mentis affectu ad illum reuertaris. Sic filij Israel postquam de Aegypto exierunt corde,& mente reuersi sunt in Aegyptum, cupientes illic esse,& super ollas carnium manducare. Quapropter Num.14.
nullus istorū, qui reuertere voluerunt in Aegyptū, ingressus est in terram promissionis: sed mala morte perierunt in deserto. Sic etiam perdet Deus monachos illos, qui postquā è mundo fugerunt & sæculo renuntiauerunt,& monasticam disciplinā vouerūt, reuertūtur ad sæculi negotia, ab incepto redeuntes itinere. De talibus ait Petrus, Melius enim 2.Petr.2.
erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionē retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri Prouerbij, Canis reuersus ad suum vomitū,& sus lota, in volutabro luti. Hoc volens significare apud Ezechielē dominus, præcepit ne homines tē- Ezech.44.
plum ingressi, eo ostio exirent, quo introierant, sed vltra tenderent: ne terga verterēt, Deūq; relinquere viderentur, Iusti ibunt de virtute in virtutem, vt ait Dauid, Dolenda est sanè inconstantia nostra, & lachrymis deploranda. Vt enim subtilis & delicata Psalm.83.
aurificis statera paruo pondere mouetur, vt quolibet grano superposito, deorsum tēdat: sic nos quacunq; re, siue prospera, siue aduersa perturbamur, & viam optimam,& rectam relinquimus, ab eáque deflectimus. Quemadmodū chamæleon ad species rerum, quibus admouetur seséq; conuertit, mutat colorem, sic nos quacunq; tentatione obiecta, mutamus virtutis propositum, & quæcunque impiæ cogitationes nos mouent, & quo volunt, impellunt, transuersósq, agunt. Et sicut chamæleon colorem album nō recipit, licèt alios recipiat, sic nos ad omnia facilè, & frequenter præterquam ad animi candorem, mutamur. Oportet ergo in bono proposito perseuerare, & semper à bono in melius

Dimidium facti qui benè cœpit habet: si perseueret.

lius tendere, & proficere. De sanctis illis quatuor
Ezech.1. animalibus ait Ezechiel, quòd non reuertebantur, cùm ambulerent: sed vnumquodque coram facie sua ambulabat. Æterna sunt ante nos, & retrò temporalia, pergentes enim inueniemus æterna, & retrò relinquemus ista temporalia. Igitur ante faciẽ suam gradiebantur sancta animalia, quia ea, quæ reliquerunt, nullo iam appetitu reuertentes, aspiciebant. Quapropter iusti ne velut inepti à regno Dei abiiciantur, semper ad anteriora se extendunt.
Philip.3. Vnde Paulus ait, Quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens meipsum ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis in in Iesu Christo. Iustus enim semper proficere optat, semper ad vlteriora opera exercenda, procedere satagit, vt pergens de virtute in virtutem, videat
Psalm. 83. Deum Deorum in Sion. ¶ Obserua autem quòd hic ex numero discipulorum erat, alioquin non assimilaretur ei, qui applicuit manum suam ad aratrum. Aduerte etiam quisquis putas Christianitatem delitias esse aut voluptates, aratrum in manus tuas commendat Christus: non rosas, non pecunias, aut delitias, & id genus reliqua, quibus mundus non tam allicit, quàm decipit. ¶ Admonet igitur locus iste, vt in bonis cœptis & initiis perseueremus. Perseuerantia enim est illa sapientia, quæ at-
Sapi.8. tingit à fine vsque in finem fortiter: & disponit omnia suauiter. Primus finis est, bonum opus incipere, siquidem illic finitur malum, iuxta illud, Diuer-
Psalm.33. te à malo, & fac bonum. Alius finis est, in bono persistere incœpto vsque ad eius absolutionem & exi-
Genes.19. tum. Primum finem habuit mulier Loth, malum deuitans consortium, & societatem ad Dei præceptum: sed defuit ei alter finis, qui est perseuerantia, nam in itinere retrò caput voluit, propter quod grauiter fuit punita: conuertit enim Deus illam in salis statuam, non lapidis, vel arboris, sed salis infructiferi, & sterilis: nam sale illo voluit nostræ corruptioni remedium adhibere, nostræque fragilitati mederi, vt tam grauem timentes animaduersionẽ & supplicium, Deo obediremus, in viaque virtu-

tis perseueraremus. Ideo perseuerantia vocatur do- Perseuerantia donũ Dei.
num Dei, & meritò: nam sicuti non possumus primam mereri gratiam, quæ nos Deo gratos reddit, sic etiam viribus naturæ non possumus mereri perseuerantiam: nam liberum arbitrium nequaquam per gratiam destruitur nec perditur: imò verò perficitur, & sic quicquid ei libuerit, faciet, etiam in bono non perseuerare. Ideo perseuerantia Dei donum est, sicuti est prima gratia, quam nostris conatibus mereri non possumus. Etiam ait Sapiens quòd perseuerantia ordinat, & componit res suas cum fortitudine: nam præcipua fortitudinis pars, est perseuerantia, sine qua corona non datur victoriæ. Ideò Paulus, Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Hæc perseuerantia consistit in eo, 2.Tim.2.
quòd minimè terga vertamus timidi, sicut fecerũt filij Effrem, de quibus Psalmista, quòd cõuersi sunt Psalm.77.
in die belli. Vnde, quia perseuerare est donum Dei, sicut boni operis initium præcipitur in Leuitico Leui.27.
non minus seruari decimas quàm primitias, seruás decimas sicut primitias docuit boni operis perseuerantiam ab ipso Deo esse sicut initiũ. Sicut enim 2.Cor.3.
sufficientia ad bonum aliquod cogitandum, non ex nobis, sed ex Deo est: ita etiam diuinę dispositionis est, non electionis humanę, vt bono vel malo fine, vita nostra terminetur. Vtrunque horum Dauid Psalm.58.
cõfessus est dicens, Misericordia eius prçueniet me. Et misericordia egere, vt perseueraret, in alio Psal- Psalm. 22.
mo testatus est dicens, Misericordia tua subseque- Ioan. 17.
tur me omnibus diebus vitæ meæ. Docet Christus suo exemplo hanc virtutem. Opus consummaui quod dedit mihi Pater, vt faciam. Et Paulus, Bonũ 2.Tim.4.
certamen certaui, cursum consummaui. Videmus debiles mulieres senilis ætatis perseuerando, peregrinationes longas perficere. Videmus naturã continuè operando ex modica nuce additione imperceptibili magnam arborem erigere. Et aqua cauat lapidem assiduè cadens super illum. Vtinam Deus Optimus, Maximus, det nobis in bono perseuerare, vt desideratam coronam adipiscamur. Amen.

PRIMI TOMI ENARRATIONVM in Beati Lucæ Euangelium, Finis.

F. DIDACI STELLAE MINORITANI DE OBSERVANTIA, IN SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM COMMENTARIORVM

TOMVS POSTERIOR.

LVGDVNI,

APVD IOANNAM JACOBI IVNTÆ F.

M. D. LXXXIII.

AD ILLVSTREM ET DOCTISSIMVM PATREM, EXIMIVM VERBI Dei concionatorem, omníque genere disciplinarum excultum, Didacum Stellam, Ioannis Iberi

EPIGRAMMA.

FAVSTA suos tollit veneranda Nauarra triumphos
Te duce, perpetuum famáque pergit opus.
Vindice te tanto, bibulisque tumescit auenis,
Digna putat tandem summa per astra vehi.
Túque instar Pauli, nam ardenti pectore Christum
Effers empyreum, pulpita sacra terens.
Te pia Francisci splendent commercia sancti:
Te pia relligio sospite sospes erit.
Docta viros terret prauos tua concio, nanque
Assiduo populi crimina torua premis.
Ingentis praestas animi virtutibus, atque
Moribus, eloquio, relligione, fide.
Dulcia permulcent animos tua verba fluentes,
Est tibi facundis lingua diserta sonis.
Hinc tot natura donis, hinc stemmate prisco
Clarus agis, tanta relligione fruens.
Sanguine praeclaro natus, fastigia laudis:
Tu [illegible] & culmine dignus eris.
His demum accessit tantoque labore paratum
Hoc opus, eximia relligione nitens.
Hoc prompsit tanti veneranda scientia patris,
Et Sophia ac oris dulcia mella tui.
Atque hoc immortale decus pariet tibi semper,
Et tua perpetuò fama perennis erit,
His aucta auspiciis meritò Nauarra triumphat,
Denique te tanto vindice iure tumet.

ENAR

ENARRATIONVM IN B. LVCAE EVANGELIVM, *TOMVS SECVNDVS.*

CAPVT X.

CHRISTVS Redemptor noster (vt in capite præcedẽti facile est videre) suos duodecim discipulos ad prædicandum miserat: miris virtutum dotibus eos illustrans, potestatémque faciens amplissimam, vt oculis hominum stupenda miracula proponerent: vt veritatis ab eis prædicatæ clarissimum testimonium eluceret. Hi enim tãquam terræ promissionis ardentissimi fuerunt speculatores. Sed cùm granum sinapis in grandi arbore indies magis ac magis cresceret, cúmque sapientissimi illius
3.Reg.10 Salomonis fama Christi Redemptoris nostri in vniuersas illas regiones vndique esset sparsa, sic vt non solùm Regina illa Saba, verùm etiam multi alij in suorum vnguentorum odorem currerent, vt recumberent cum Abraham, Isaac, & Iacob, iam enim messes crescebant, candoréque induebantur: ideo necessum erat, vt messorum numerus etiã augeretur, vt in Ecclesiæ horrea eas mitterent. Ideò Christus vniuersæ messis dominus post quàm duodecim Apostolos miserat, inquit noster Euangelista. *Post hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos.* Post hæc, scilicet, postquam miserat prędicatores maiores, qui erant Apostoli: nunc mittit minores, postquam Apostolos miserat, designauit alios septuaginta duos: quia signanter hos elegit, & ab aliis distinxit. Sicut Apostoli duodecim fuerunt iuxta numerum duodecim tribuum Israël: ita isti fuerũt septuaginta duo, vt totidem linguarũ gentibus Euangelium prædicarent. Præterea in li-
Exod.15 bro Exodi legimus quod filij Israël venerunt in Helim, vbi erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ. Sicut tunc ad corporis nutrimẽtum præparauit Deus illos fontes & palmas: ita ad refocillandũ totius mundi animas, post illos duodecim Apostolos, qui quasi duodecim fontes aquis suæ doctrinæ totam terram irrigarunt, addidit do-
1.Cor.10 minus hos septuaginta discipulos: vt scias sicut Apostolus ait, quòd omnia in figura cõtingebant illis: quia multi erant credituri, multis indigebant magistris. Adde etiam quòd sicut dominus accepit
Nume.11 de spiritu Mosis, & dedit septuaginta viris, qui etiã prophetauerunt, & adiuuabant Mosem in regimine populi: ita Deus accepit de spiritu Iesu Christi domini nostri, & dedit septuaginta discipulis, qui Euangelium prędicarent, & miracula facerent prophetarent, & adiuuarent Christum Saluatorem nostrum in onere Euangelij.

¶ Vnum autem hic obseruandum est, quòd non desunt moderni qui dicant, hic superfluere hãc particulam duos, idque astruere contendunt autoritate Græcorum codicum in quibus septuaginta tantum scriptum est: & in eundem numerum dicunt consentire Tertulianum, Hieronymum, Ambrosium, Theophilactum, & Eusebium in primo volumine Ecclesiasticæ Historię: quapropter dicũt Augustinum, & Bedam qui septuaginta duos legunt, mendosos habuisse codices, sed mea quidem sentẽtia errant: nam Epiphanius vetustissimus autor inter Græcos in fine primi tomi aduersus hæreses septuaginta duos legit, & Sanctus Clemens Martyr tertius post Petrum Pontificem libro secũdo Apostolicarum constitutionum capite quinquagesimo nono. Adstipulatur etiam iis codex Græcus Apostolicæ bibliothecæ, nimiam præseferens vetustatẽ. Neque his obstat Ambrosij, Hieronymi & aliorũ patrum autoritas: verisimile enim est, scriptores illos breuitatis gratia pro septuaginta duobus, septuaginta citasse: quod & factum videmus in primis Mosaicæ legis interpretibus, qui cũ essent septuaginta duo, nempe ex singulis duodecim tribus delecti sex: tamen ab omnibus vetustis scriptoribus sub titulo septuaginta allegantur: sic & Romani breuitatis studio centum & quinque iudices ex singulis trigintaquinque tribus tres delectos, centum viros appellarunt. Sequitur. *Et misit illos binos ante faciem suam.* Isti septuaginta duo discipuli non sunt vocati Apostoli, quamuis Apostolus sit missus, & isti etiamsi missi essent à Christo ad prædicandum: quia Christus illos tantum duodecim voluit vocare Apostolos, & alios solùm discipulos nominauit, vt videantur esse duo ordines Apostolorum & discipulorum: loco quorum est inter nos ordo Episcoporum & presbyterorum. Nam sicut in Apo- Beda in Luc.
stolis forma est Pontificum: ita in septuaginta di- c.41.tom.5
scipulis forma est presbyterorum. Erat enim mun- Galat.3
dus peccatis plenissimus, erant (vt Paulus ait) omnia conclusa sub peccato, erat mundus oppressus tyrannide diaboli, qui erat princeps huius mundi, & per Christum foras eiiciendus. Operabatur tunc Ioan.12
diabolus in filios diffidentiæ, in quibus nos omnes Ephe.2
aliquando fuimus. Erat mundus Sodoma & Gomorra, euntes ad simulacra muta, prout ducebamur, eramus imbecilles & dormiebamus multi: ideo 1.Cor.12
mittit nunc lumina, quibus tenebræ pellerentur: 1.Cor.12
mittit medicos à quibus mundi languores curarentur: misit fortes, à quibus fortis armatus vinceretur,

denique mittit homines cœlestes & diuinos, à quibus infernus noster in paradisum côuerteretur. Misit inquam: ipse etiam Christus in scriptura missus
Gen.49 vocatur. Non auferetur sceptrum de Iuda (inquit Iacob) nec dux de fœmore eius donec veniat, qui
Exod.3 mittendus est. Moses, Mitte quem missurus es. Et ipse qui missus est à patre, Apostolis dicit, sicut misit me pater, & ego mitto vos. Et ideo isti discipuli officium habent Apostolorum, & missi dicuntur: nã
Ioan 20 missi sunt à Christo, & eodem spiritu repleti, & varijs linguis loquuti. Sunt enim isti sancti discipuli Apostoli, medici animarum & corporum, doctores, pastores, & Reges. Nã sub hoc verbo missi, omnia
Matth.18 officia clauduntur. ¶ Binos autem mittit boues, mundum araturos, & Euangelicum semen sparsuros. Præterea quia dixerat, vbi sunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum: vt vehementius esset cum eis, voluit eos esse binos. Simul vt humilitatis essent amatores: minor enim gloria ad duos diuisa venit, quàm si ad vnum integra veniret. Atque etiam vt minus dæmonis astus, & hominum audacia, & carnis nostræ negligẽtia eos inuadere posset: minus enim audent pugnatores duos aggredi, quàm vnum. Adde etiam vt intelligerent negotium esse: ad quod vnus sufficere non posset. Demum duos mittit ad socialis vitæ commendationem, & ob mutuam consolationem,
Prou.8 & conformitatem. Frater enim qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas munita: atque ad veritatis prędicandæ certiorem contestationẽ, quia in ore duo-
Deut.17 rum vel trium testium stat omne verbum. Denique vt concludam, binos illos mittit, vt mutuam in se habeant charitatem: nã cùm charitas sit amor gratuitus tendens in alium, non potest nisi inter duos esse: nemo enim charitatem dicitur habere ad se ipsum: innuitur enim quod nemo prædicationis officium debet habere, si charitatem ad proximum non habet. Quandoquidem sola hæc omnium vir-
Greg. Homil. 17. in Euange. tutum princeps & regina charitas, nostris operibus
1.Cor.13 vim & valorem tribuit. Vnde diuus Paulus. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, aut cimbalum tinniẽs. Sonat quidem cimbalum, omnésque côuocat vt diuinis officijs intersint, postea vero ipsum foris remanet, cùm aliorum beneficij fuerit causa, velut antea ferreum atque æreum factum. ita videtur concionator, qui hac virtute nõ est decoratus, qui cum reliquos omnes ad virtutẽ insectandam prouocet, & ad Dei suauissimos amplexus alliciat, velut æs tinniens peccator & miseria plenus persistit. Vult enim Christus vt nos qui cõcionatoris nomine & officio gaudemus, eas virtutes, quibus alios volumus insigniri, prius habeamus: præcipuè earum reginam charitatem, quæ & meritum & summam perfectionem nostris operibus cumulat. Assimilatur maximè solis calor charitati: eius enim virtute procreantur herbę, plantęque altissimas & profundissimas radices faciũt, arbores frondosis foliis fructus, & eius pulchritudinem conseruant, & ad expectatam maturitatem perueniunt. Sic charitas labori nostro meritum facit, & in virtutis semita diligenter currere facit, & denique sine illa (in quocũque velis opere) non diuites & locupletes euademus. Econtrario verò amor carnalis & mundanus ignis calori similis est: qui omne quod tangit deuorat & absumit. Ita sensualis cupido quancunque adeò excellentem virtutem & meritum destruit & in vilem puluerem & cinerem redigit, & ita vt sapiens ait, ignis nunquam dicit sufficit: sic & cupido carnis, auaritiæ atque honoris & quidquid est mundi. Auarus enim, nunquam dicit sufficit: nec ambitiosus satiatur honoribus, nec carnalis homo delitiis: sed charitas vt solis calor, fructificat, adauget, & amplificat nostra opera. Volebat igitur Christus ne fructus & meritũ periret, qui ex tanto officio atque labore poterat colligi: vt discipuli hac charitatis dote essent muniti: quandoquidem florentissima & pulcherrima corona eos debebat condecorare: & ideo mittit illos binos propter mutuam charitatem & dilectionem. *Prou.30*

¶ Expende etiam, ꝙ ante faciem suã dicit, quod mittit illos: nam sicut miserat Ioannem Baptistam præcursorem, vt præpararet corda hominum, ad suscipiendum Christum: sic istos tanquam præcones, & præcursores mittit, qui dicant, Parate viã Domino, rectas facite semitas eius. Isti enim erãt serui illi missi à Domino, dicere inuitatis, vt venirent ad nuptias: & Angeli veloces missi ad gentem conuulsam & dilaceratam? & veredarij illi Assueri Regis mortiferæ sententiæ reuocatores, & qui viã domino præparabant. Atque ideo subditur. *In omnem ciuitatem & locum quò erat ipse venturus.* Post auditionẽ verbi Dei venit Christus in animã per fidẽ viuam: atq; ideo spiritualiter est hoc intelligẽdum, quia in animas fidelium venit Christus inuisibiliter: in has potissimè, quæ verba Dei suscipiunt, & eius discipulos audiunt. Nã corporaliter Christus non venit in omnem ciuitatem & locum vbi Apostoli & eius discipuli prædicarũt. Venit autẽ spiritualiter in animas audientium verbum eius, habitat enim Christus in cordibus nostris per fidẽ, & hęc venit per auditũ, auditus autẽ per verbũ Christi. Primò itaque prædicatores ante se mittit, vt audientes verbũ Dei credãt populi, & postea Christus subsequatur suos prædicatores. Ante Christum ibant prædicatores, præparantes Domino hospitium in cordibus hominum. ¶ Obserua autẽ, quòd per hoc quod ipse erat post illos iturus, vrget eos, & ponit stimulũ vt bene exequantur officium suum, scientes quod subsequetur magister. Quãdo enim scit discipulus quod magister est visurus opus suũ, & quod illud debet examinare, operatur maiori diligentia & cura. Sic contingit vt paterfamilias aliquando dicat agricolis, ite ad fodiendum in vinea mea, & ego ibo posteà vt videã quàm bene laborastis. Isti agricolę, non est dubium nisi quod scientes dominum vẽturum post illos ad videndum opus diligẽtius & solertius laborabunt, & nõ otio torpebunt, nec vbi displicebit domino suo laborabũt, sed vbi viderint dominum gaudere, maximè si ipse dominus agriculturã optimè nouerit & percalluerit, magnificè laborantes præmiaturus. Ideo Christus mittit istos, vbi erat postea ipse venturus, vt eos animaret, & exhortaretur ad bene & fideliter exequẽdum officium suum, scientes dominum illuc venturum. ¶ Admonet locus iste sic viuere & operari, tanquam qui Deũ inspectorem habeamus omniũ operationũ nostrarũ. Omnia enim cernit oculus eius, omnia videt, omnia enim opera & verba & minimas nostras cogitationes examinabit, & in die iudicij manifestabit. Si enim in omnibus nostris operibus dignã hanc cogitationem haberemus, scilicet Deũ sua admirabili prouidentia omnia contemplari, in saniorẽ mentẽ rediremus, de conscientia vitáque nostra cautius, &

Esai.40 *Matth.22* *Esa.18* *Hester 8* *Ephes.3* *Rom.10*

& cōsultius à nobis prouideretur. Quid enim miser facis, cùm in hora mortis tuæ dominus venerit, lucernis ardentibus ad scrutandum Hierusalem: scriptū est enim. (Sophon.1 / 1.Par.28) Omnia corda scrutatur Deus, & vniuersas mētiū cogitationes intelligit. Dominus itaque venturus est, ad iudicandum & discernendum inter bonum & malū, & hora qua nō putas & forsitan crastina die. Hoc enim certo scias Deum venturum vt examinet omnia intima tui cordis & animæ penetralia. Sed quando veniet? hoc nō tibi vult dicere: nec istis septuaginta discipulis indicauit. Sciebant illum venturum: sed quando esset venturus nesciebant, nec id exprimit Euangelista. Scis etiam & tu quod venturus sit dominus, & ignoras quādo veniet: ideo consulo, vt illud tecum prudēter reuoluas, hanc, qua nunc viuis horam, tuæ vitæ vltimam esse: ob idque diligenter curandum, in Dei mandatis recto tramite persistere. Si enim indubitāter scires, illud fore vt vnus ex tuis seruis mortem tibi habeat paratam, non ab omnibus & singulis præcaueres? hoc certè nullo indiget responso: atque ita illud sit apud te indubitatum vnū ex septē hebdomadæ diebus te esse interficiendū, vnáque illarum etiā si inuitum te periturum. Quid ergo erit remedij? vt te insontē & sine culpa omnibus & singulis his diebus serues tanquam vna illarum moriturum: & ita die dominica cum primò mane surrexeris, hoc tibi futurum spera, vt in ea sis moriturus, & ita paratus incede ne laqueo & hamo abscondito rapiaris. Idēque tibi erit præcauendum sequēti die & omnibus aliis. Cùm enim cursum celerem & velocem equus est facturus, prius eques lento gradu & pedetentim equum ducit, vt ipsam terram quā postea est transiturus oleat, & securus incedat, ne in cursu celeri cauum putet iter. Sic tu si recto tramite & fœliciter cursum tuæ vitæ velis peragere in morte, dum viuis per eam deambula, tecúmque eius memoriam deuolue, & terram olfacias in quam citissimè eris redigendus, mortem in vita contemplans. Sed sunt multi hique non sanæ mentis & cerebri, qui dominos vitæ se cogitant: & qua velint parte se posse scindere putant, esséque in illorum potestate mortē & vitam, tanquam si vita esset aliquod pāni fragmētum, ex quo pro libito nunc tunicam, nunc palliū scinditis. Hæc mēs his insanis est, & maturius iudicium hoc putant: dicentes hoc temporis mūdi illecebris & voluptatibus tribuā, posteà verò facti me pœnitebit, & in meliorem statum me conuertam: cogitantes quemadmodum panni, ita & vitæ dominos esse. Sed de his infrà capite duodecimo latius & opportunius dicemus.

Episcoporum munus. ¶ Admonet etiam locus iste prælatos, & monet illos Christus vt postquam visitatores suos ad visitandum gregem miserint, vt ipsi etiā personaliter vadant post ipsos in omnem locum & ciuitatē quo miserunt illos. Si forsitan aliqua iusta occupatione fueris impeditus, nō malum iudico, vt coadiutores habeas, ad gregis onus subleuandum. Sed id memineris esse opus, vt duplici ratione tu postea eos insequaris. Altera vt scias qui se in ministerio habuerint: an à veritatis & iustitiæ partibus deflexerint pecuniarum ambitu: & clericum concubinarium, quia diues erat, non correxerint. Ita nimirū est iustum, vt Episcopus post illos vadat: & diligēter intueatur quomodo in officio se exercuerint, vt ipse tanquam caput si quod crimen perpetrauerunt, eos corrigat, & supplicium de illis sumat. Altera ratio est, vt videas, qui poterit visitator, cùm sacerdos quidam sit pauper & egenus, viduarum & aliorum miserorum necessitatibus cōsulere? Visitator quod sui muneris est iustitiam faciet: miserias autē pauperum subleuare, potius diuiti & potenti Episcopo cōuenit, qui etiam sua authoritate ouium defectus, & quemuis alium superbum & potentem poterit castigare. Aspice igitur tu qui Episcopi & prælati officium geris, quemadmodum Helisæus seruū suum Giezi misit vt adolescentē suscitaret, (4.Reg.4) vtque posteà (quod nec seruus nec baculus valuerunt) ipse Helisæus adolescentem mortuum suscitet. Ita tu post tuum visitatorem abire debes, vt quod ipse nequiuit, tu facile præstare poteris. Sed iam illud euenit, vel quod nostra peccata meruerint, vt sint multi, qui hoc à tergo relinquētes, in amœniori atque iucundiori suæ diœcesis loco vitam degant, tanquam marmoris statuæ immobiles, cæteros ad labores mittentes. Et vtinam homines doctos simul & probos mitterent, qui & sermone & opere plurimum valerent: quemadmodū Christus, qui hos discipulos mittebat. Hi verò non nisi conductores & receptores mittunt, qui decimas colligant, marsupium & vniuersam substantiam exhauriant, & denique totum sanguinem ebibāt, de animarum salute parum vel nihil curātes. Quam quęso rationem ouiū suarum habebit Episcopus, qui cùm ipse Romę sit, eius ouile vel est in Hispania vel Flandria? Ouium certè sumptibus & expensis ipsi lautè & opiparè viuunt, nec recordantur, vt mittant aliquem concionatorem qui eas pascat, cùm nec ipsi postea ad eas reuertantur. O quàm bonus pastor, quam suauis prælatus est Christus: qui non discipulos mittit ad colligendos fructus, nec ad recuperandam pecuniam, sed vt Euangelium illis aperiant, & ad se cōuertantur, & non solùm hoc contentus etiam cùm iam misisset tot tamque sanctos concionatores, ipse etiam post eos tendit.

¶ Illud etiam nolo sub silentio prętermittere, vt aliquando contingat hos prælatos & Episcopos (*Prælatorum visitatio.*) ad visitādam suam diœcesim ire: melius tamē esset, vt ad eam nunquam peruenissent: nam non eo tendunt animo vt infirmis ouibus medeantur: nec vt fame pereuntes aliquo auxilio restaurent, sed vt eas exenterent, & excorient. Admodum similes hi prelati sunt reorum custodibus, qui damnatos & in carcere detentos visitant, non vt aliquod solatij genus eis præstent, sed vt dolorem augeant, catenas atque compedes fortius comprimendo. Hic enim custos liberè per plateam deambulat, lautè epulatur miserorum stipendio, qui in carcerem sunt detrusi. Ita nimirū sunt multi prælati, qui cùm ex re & substantia subditorum viuant, omnémque pinguedinem & adipem ouium exhauriant, delitiis & voluptatibus affluētes nunquā suas oues inuisunt: nisi vt prospiciant rectène suarum legum compedibus & funibus astringantur: & sic nunquā ad vllū oppidum perueniunt cui vel graues censuras vel excōmunicationes non imponant: atque ita satius & melius esset, vt nunquam subditi ab istis prælatis visitarentur. Alij autem sic pompaticè & sumptuosè eos visitant, vt potius damnum subditis quàm commodum inferant. Sic ille Propheta Helisęus, de (4.Reg.4) quo nunc dicebamus cùm venit ad suscitandum filium Sunamitidis incuruauit se sicut puer ille, cum esset vir: & sic suscitauit illum. Sic tu cùm tuos visitas, etiā si dignitate præclarus, diuitiisque sis abun-

dans, æqualem illis te debes ostendere: cum eis benignè & humiliter agens, ita vt humilitatis & benignitatis exemplum in te reluceat: vt audeat tecū loqui, suásque necessitates tanquam patrono dilectissimo pandere ac manifestare. Sed de his hactenus, vt ad contextum reuertamur.

Et dicebat illis, Messis quidem multa.

Ac si diceret. Sufficeret mea prædicatio in Iudæa, sed habeo aliā messem inter gentes, alias oues quæ non sunt ex hoc ouili: ad quas ego non visibiliter venturus sum, ad illas ergo adducendas, necessaria est Apostolorum & discipulorum missio. Cōparat autem Ecclesiam messi, quia sicut in messe nedum grana ipsa, sed & palea & stramina in areā ducuntur, vbi postmodum per triturationem & cribrationem adinuicem separantur: sic Euangelium in Ecclesia Dei omnibus prædicatur, & omnes tā boni quam mali sunt in Ecclesia Dei, sed per tentationem distinguntur. Cùm in area triticum mundatur, cùm aliquantulum sit ponderosum ad mundantis pedes cadit, paleæ autem rapido vento feruntur. Ita nimirū in tentatione quando boni & mali examinantur, boni ad Dei pedes proiiciuntur, mali verò tanquam leuis palea vndique sparguntur. Recti nanque & iusti qui tentatione tanquam igne approbantur, ad Deum magis accedunt, mali autem recedunt & semouentur. Christus cùm in horto ad patrem totus suo cruore madidus feruentissima oratione oraret, ad Dei pedes cecidit, super faciem suam orās. Sic Iob in sua tribulatione, sic & Susanna, cor eius erat habens fiduciam in domino. Sic etiam ad pedes ventilantis corruit Ezechias, Rex sanctus: sic Dauid orans dominū, cùm vidit Angelum in ara Iebusæi: sic etiam Iosaphat Rex cùm dixit. Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Sic fuerunt omnes Dei electi & amici eius. Vnde Dauid in Psalmo. Ad dominum cùm tribularer clamaui. Et Ionas. de ventre ceti sicut granum tritici cecidit ad pedes ventilantis, in sua angustia, & dixit. Clamaui de tribulatione mea ad dominū, &c. Mali vero sicut palea sparguntur: & lōgè proiiciuntur & à Deo elongantur. Sic Saul cùm deberet in sua tribulatione & angustia Deū inuocare, & illum consulere: longius recessit à Deo, & Pythonissam cōsuluit. Sic Asa Rex Iuda cùm ægrotaret dolore pedum vehementissimo, non quæsiuit dominū in infirmitate sua, sed magis in medica arte est cōfisus. Vnde beatus Iob de peccatoribus ait, Eleuati sunt ad modicū, & non subsistēt: sicut summitates spicarum conterentur. Aristæ ad alta prosiliunt, & grana latent: quia reproborum potentia eminet, & electorum gloria non apparet. Probos autem & rectos non respicit mundus, quia gloria eorum ad intra, mali autē sunt qui nunc ab omnibus videntur, & conspiciuntur: quique crescunt mundi oculis, & de quacunque re facile triumphant. Hi sunt quemadmodum aristæ quæ vento impelluntur: triticum autem remanet abscōditum. Sed in die iudicij exibunt Angeli & separabunt malos de medio, & mittēt eos in caminū ignis. Tunc etiā cōgregabit Deus triticū in horreū suū, paleas vero cōburet igni inextinguibili. Nunc verò in area Ecclesiæ mixtū est triticū cū palea: cognoscuntur tamen boni & mali, vt diximus in tribulatione, & discernentur & separabuntur in vltimo die. Obserua etiam quòd licet palea non seruiat ad vsus hominum: tamen propter triticum seruatur. Palea enim tritico proficit, similiter & aristæ, eo quòd ab æstus calore, & ab aëris intemperie illud defendit, atque conseruat. Sic mali in hoc maxime bonis prosunt, quia eos in patientia exercent, ansam & occasionem merendi præbētes. Ideo Deus (vt ait Augustinus) tolerat malos, vt per ipsos boni exerceantur, quemadmodum paterfamilias propter triticum noluit eradicare zizaniam.

Ioan. 10 · Aug. ser. 1. de Apost. tom. 10 · Luc. 22 · Iob. 1 · Dan. 13 · Esai. 38 · 2 Reg. 24 · 2. Par. 20 · Psal. 119 · Ionæ 2 · 1. Reg. 28 · 1. Par. 10 · 2. Para. 17 · Iob 4 · Vide Greg. li. 27. Mora. c. 6. · Matth. 13 · August. in Psal. 13 · Matth. 13

Præterà in messe est vna spica grandis, alia atque alia humilis & parua: sed cū venit messor ad secandum, paruas atque eminentes æquat, solóque prosternit: ita vt non facile posteà sit cognitu quænam earum in profundam, quæue in altum propagarēt. Sic in huius mundi tragœdia alij potentes & magnates, alij humiles & abiecti, alij diuitiis affluētes alij pauperie laborantes, alij prælati, atque Doctores magnanimi & excellentes, alij subditi, idiotæ, miseri atque abiecti, quorum memoria in populo iam sepulta & in nihilum redacta est. Sed cùm iam tandem mors inopinata & repētina venerit, vt falce acutissima vitæ tramitem & filum scindat: omnes æquales, nullo facto discrimine manebimus. Si sepulchra aperias, & attentiori consideratione id tecum volueris excogitare, non facile erit cognoscere: quis pulcher, quis diues, quis potens, quisue pauper & abiectus fuerit: mors vtrisq; omnia æquat. Ita Diuus Ioānes postquam vocem illam cœlo lapsam audiuit, beati mortui qui in Domino moriūtur, dicit se Angelum vidisse clamantem ad sedentem super nubem. Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit messis terræ. Et misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram & demessuit eam. Apoc. 14

¶ Denique messem vocauit populos propter discipulorum consolationem, & vt eos confortaret. Quia si eis Christus dixisset quòd mittebat eos ad seminādum, rem tristem eis visus fuisset imponere: eo quod qui seminat expectat longo tempore cum patientia, qui autem metit gaudet. Vnde Esaias, Lętabuntur coram te, sicut lætantur in messe. Vt ergo discipuli non putarent, se mitti ad rem tristem, sed delectabilem: dicit quòd mittebat eos ad metēdum. Sic Psalmus. Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Id est quando semināt, lachrymantur quia perdunt semen, quia quod seminatur, moritur: cùm autem metunt, exultant: quia colligunt quòd seminatum fuerat magis auctum ac locupletatum. Igitur sicut colonus exiens ad messem lætatur, sic & vos multo alacriores ac iucundiores in mundum exire est necesse. Demum sicut qui metit, non metit nisi ratione fructus, ita, non Euangelizantur nisi, vt feratur fructus à fidelium cordibus. Hæc sola debet esse ratio prædicandi, & intentio prædicatorum referre fructus suæ doctrinæ: nam nō debent prædicare, vt multi faciūt nominis & famę cupidi, vel vt laudes hominum, honores aut dignitates venentur, vel vt populo sint grati atque accepti. His igitur de causis populum messi assimilauit Deus. Sed nunc quid dicat de messoribus audiamus. Esa. 9 · Psal. 125 · 2. Corin. 15

Operarij autem pauci.

Pauci erant prædicatores respectu totius mundi, qui erat conuertendus. Obserua quòd operarios vocat prædicatores verbi Dei: vt scias quòd non solùm ore sed vita, moribus & exemplo ac sudore prædicare debes. Illi qui ædificabant

Neem.4 Hierusalem, vna manu tenebát gladium, altera verò operabátur. Paulus Apostolus verbū Dei comparat gladio cùm dicit. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Sic prædicatores in altera manu debét habere verbum Dei, altera verò operari. Hac de causa Dominus dixit Esaiæ. Quasi tuba exalta vocem tuam. Cur non dixit, quasi leo, tonitru, vel quid simile? quia tuba ponitur in ore, & manibus tenetur. Sic prædicatio ore fit, & manibus sustentatur, hoc est bonis operibus. Oportet vt ore & exéplo prædicet. Vt sol etsi mense Decembri eos illuminet qui Noruegiam regionem Septentrionalem incolunt, nó tamen illos calefacit: sic scientia multos quos instituit quid sit faciendum, non continuo ad faciendum accendit, eos attingit ad sciendum, nó ad operandum. Sicut non dicitur diues qui multas intelligit diuitias, sed qui possidet eas: sic non ille iustus est qui scit de virtute disserere eiúsq; diffinitioné cognoscit: sed qui illa præditus, eam colit, & exercet. Omnes trahimur, & ducimur ad scientiæ & cognitionis cupiditatem sed danda opera, vt scientia sit cum virtute copulata. Nullam vtilitatem consequentur in animabus nec fructum aliqué percipient, qui non quæ docét, faciunt. Cùm infirmus videt medicum arctam sibi & strictá regulam imponere, circa potus cibísque sumptionem, ex altera autem parte videt medicum caponibus bene cibatum nimísque genio indulgentem: medicinam contemnit, parui pendit & nihil facit. Sic qui te audiunt egregiè & præclarè concionantem, de virtutibus rectè dicentem: contrarium tamen te facere norunt, nullatenus tuam accipient doctrinam. Caue ne de te dici possit, quod dixit olim Isaac, Vox quidem, vox Iacob: manus autem, manus Esau. Vox iusti Iacob, quia bona & recta prædicas, acsi esses sanctus Iacob: sed opera sunt impij Esau, & peccatoris. In Exodo præcepit Deus Mosi, vt faceret labium æneum, cum basi sua. Bene dicit labium & æneum, quia prædicatio resonans est: & simul iubet, quòd sit cum basi, hoc est cum vita sancta, sine qua labium ipsum labitur & cadit. Cùm facimus quæ prædicamus, labium æneū sumus, simul cum basi, quæ sustétat doctrinam. Nam (vt Paulus ait) in quo alium iudicas te ipsum condénas: portas enim literas propriæ dánationis: nam bene loqui & male viuere, est se ipsum voce sua damnare. Talis opere destruit, quod ore ædificat. Vnde in Ecclesiastico habetur. Vnus ædificans, & alius destruēs: quid prodest, nisi labor? Et quod Christo hoc maximè displiceat, patet, quia Christus maledixit ficulneam, quia non habebat fructus, sed tantum folia verborum: & Scribas, & Pharisæos tot maledictionibus lacessebat, quia folia verborū, sine fructu bonorum operum habebát. Bene dicebant, sed male operabantur: atque ideo dixit Christus populo, vt illos audirent: opera autem eorum non facerent. Et alibi dixit. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Quis crederet alicui dicéti, esse viam latronibus plenam, neminem autem posse per illam transire absque expoliatione & interitu, si qui hæc monet, statim eandem viam persequeretur? Quis nó hanc supectam exhortationem haberet, hostes insequéti, cùm ab eo esset facta, qui ex parte hostium se tenebat? Ideò Hieremias ait, Non crediderunt Reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Hierusalem. Sed quia de his plura diximus in capite octauo huius, nunc vlterius procedamus & audiamus Saluatorem.

[Marginal references, left column: Neem.4; Hebr.4; Esai.40; Genes.27; Exod.34; Rom.2; Eccle.34; Matth.11; Matth.23; Matth.15; Thren.4]

Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

Non minus quàm de vitæ discrimine & periculo agitur, in eo quod ad vos mittantur tales prædicatores qui & exemplo simul sancta & Catholica doctrina vos instituant, & erudiant: & cœlestis patriæ viam rectam edoceant. Tantum hoc est negotium, tam magni ponderis & momenti, vt in republica Christiana sint sancti & probi prædicatores: vt dicat Christus, & quasi nos inuitet, vt cum exoremus, summísque precibus contendamus, vt tales mittat. Quàm præclarum bonum quantæque excellentiæ sit ipsa salus, à nemine non cognoscitur nisi quando ea est priuatus & destitutus. Ita suauissimus fructus qui ex concione colligitur, qualis sit non intelligimus: nisi cum nobis deessent cócionatores qui eū præstare possent. Aliàs si ipsi deessent, veluti Arabes & Gétiles essemus. Habetur in Apocalypsi Ioánem vidisse quendam Angelum habentem Euangelium æternum, & euangelizantem super terram, & linguam, & populum. Postea venit alius Angelus, & dixit: Cecidit, cecidit Babylon magna. Vides quomodo verbi Dei prædicatione cadit mundus? Vitia corruunt, & illa meretrix cecidit, & mundus cadit, euangelizante Angelo qui habebat Euágelium in manu sua. Et cùm diceret populis, & nationibus. Timete dominum, & date illi honorem, &c. Atque ita propter tantum bonum quod in nobis prædicatio operatur, acerbum esset supplicium vel populo vel nationi, à quibus Deus sui verbi prædicationé semoueret. Et sic Deus per prophetam Amos, suum populum Israël castigans dixit. Mittam in vos famem, non famem panis, neque sitim aquæ: sed audiendi verbum Domini, & commouebuntur à mari vsq; ad mare, & ab Aquilone vsque ad Orientem circuibunt quæréres verbum Dei & non inuenient. Ideóq; Deum summis precibus exoremus vt sui verbi non mittat nobis egestatem. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Sed singula verba discutienda & obseruanda sunt.

¶ Primò itaque dicit, vt rogent: per hæc ostendit desiderium suum circa animas nostras: quia rogat, vt rogetur. Cùm Christus sit dominus messis, & intendat mittere operarios, nihilominus vult rogari. Primò quia licet Deus intendat aliqua facere, vult vt rogemus & oremus, quia disposuit nó concedere nisi oratus, vt infrà sequenti capite (Deo volente) explicabimus.

¶ Secundò orari vult vt prædicatores mittat, vt discas quantum sit boni, quantæque dignitatis, & excellentiæ prædicatorem esse: cùm Deus orari velit vt prædicatores mittátur. Non enim Deus vult orari nisi pro magnis rebus: & ideo magnū quid est, vt Christi Ecclesia suos habeat doctores & prędicatores. Et ita Paulus eos inter partes Eccles. ministeriales retulit & recensuit. Sic etiá Deus propter peccata populi abstulit prædicatores, vt in propheta Amos vidimus. Et Ezechieli dixit. Adhærere faciá linguam tuam palato tuo, & eris mutus. ¶ Secundò dominū messis seipsum appellat: ipse enim in quantū Deus, iure creationis est omniū dominus, & specialiter hominū: etiá ratione gubernationis prouidétialis, & per multiplicium bonorū collationem.

[Marginal notes, right column: Prædicatorū missio maxima gratia Dei est. — Apoc.14 — Amos 8 — Prædicatorū excellentia. — 1.Cor.12 Ephes.4 — Ezec.3]

¶ Tertiò dicit, vt mittat, quia non debent prædicatores prædicare nisi mittantur. (Rom.10) Ideo Paulus, Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Ostendit etiam quod gratia prædicãdi donum Dei est: quod precibus datur, non studio aut ingenio humano: (Iac.1) quapropter Iacobus ait, Siquis indiget sapientia, postulet à Deo.

¶ Quartò operarios vocat prædicatores: quia magis opere quàm ore prædicare debent. Est enim verbum Dei gladius: qui quidem si manu non teneatur, non terret aduersarios. Vnde bonis prædica- (Psal.149) toribus inquit Psalmista. Exultationes Dei in gutture eorum & gladij ancipites in manibus eorum. Multi enim sunt sicut magistri cæmẽtariorum, qui nihil faciunt, nisi imperare: & serò venientes plus recipiunt: & manus ad laborem sero & tardius mittentes, maiorem mercedem accipiunt. Vnde præclarè Lacedæmonios fecisse legimus qui cùm Demosthenem quendam nefarium hominem optimæ & salutaris sententiæ autorem fuisse cognoscerent, illam approbarunt, sed quendam à senatu virum probum & integrum elegerũt, cui vt eundem proferret sermonem demandarunt.

¶ Sed dimissis prædicatoribus de quibus iam diximus satis: vult Deus vt nos omnes operarij simus & non oscitanter vitam agamus. Deus creat segetes, & operatur in nobis: tamen vult, vt nos (Philip.2) omnes etiam operemur. Deus (vt ait Paulus) operatur in nobis velle & perficere: tamen liberum arbitrium cooperatur gratiæ: sic Deus operatur opera bona in nobis, vt nos etiam operemur ea. Vt quemadmodum nauis expansis velis fœlici vento portum contingit, parum tamen nauclerus videtur agere, etiam si vela expensa detineat, vt vento impellantur, quòd si ea contraxerit, nauis non agetur. Sic homo qui & gratia & spiritu Dei agitur, quanuis parũ agere existimetur, nihilominus agit: quoniam pandit diuinæ gratiæ arbitrij libertatem, & Spiritus sancti flatibus vela bonæ voluntatis expandit, & ita arbitrium cooperatur gratiæ. Ideóque opus est, vt nos simus operarij, & non otiosi. Pater (Matth.20) ille familias operarios misit in vineam suam, vt ibi (Ioan.6) laborarent: & dominus etiam per Ioannem dicit, (1.Cor.6) Operamini nõ cibum qui perit. Cooperatores igitur sumus Dei, vt Paulus inquit.

¶ Quintò dicit in messem suam: hoc est in salutem animarum. Ad hoc enim mittuntur à domino: sed ipsi conuertũt faciem suam in messem alienam, id est, ad temporalia. Vnde Ieremias ait, Custodes (Ierem.4) agrorũ facti sunt super eam in gyro. Nõ hominum inquit, sed agrorum: quia temporalia quærunt. Non (2.Cor.12) sic Diuus Paulus qui Corinthiis dicebat, Ego non quæro vestra, sed vos. Quãuis multi (vt idem Apostolus ait) operarij sunt subdoli: qui non cœlestia, sed terrena quærunt & amplectuntur. Sed mittens illos dominus ait illis, *Ite.* Ne quiescatis. Messor nanq; semper ambulat. Ne sitis in Dei itinere tardi atq; pigri. Ite inquã. Nunquid ad venandũ? nunquid ad piscandum? ludendum? ebriandúmue? hoc certè officium nunquã Christus sacerdotibus commendauit: imo vt semper orarent, & sui verbi concione populum in Dei mandata allicerent, non autem vt eum dissiparent atq; destruerent. Labã cum (Genes.31) tondebat oues fugit Iacob: sic cum prælatus subditos dilacerat, fugit & recedit spiritus Dei & Deus. (Prouer.1) Expende etiam quanta sit differentia in itinere malorum & bonorum. Alacres enim in sua via tendũt impij lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum. Illi gressus sunt infames qui dantur in Dei contumeliam, ex quibus nil emolumẽti excerpit, præterquam quòd inhonoratus, & dæmoni subiectus manet. Nihilominus tamen vitã alacrem degũt: cum suam pessimam & insatiabilem voluntatem adimpleant. Eorum autem exitus infœlicissimus, & lamẽtatione dignus est: quandoquidẽ suorum laborũ præmium miserã atq; æternã mortem expectãt. Ideo Spiritussanctus per Prophetam clamat dicẽs, Vlulate habitatores pilæ. Pila enim mor- (Sopho.1) tarium est quo grana quatiuntur atque moluntur: quo nimirũ significatur mundum hunc mortarium esse, in quo boni & mali quatiuntur. Eo tamen discrimine vt quãto magis bonos ictibus cõcutias, eo fortiores, & candidores redduntur: mali verò veluti gallæ (ex quibus attramentum conficitur) nigriores & deteriores euadũt: siquidem suos omnes labores in æterna tormenta conuertunt. Boni verò euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. In (Psal.125) itinere flebant, sed vide fructum laborum. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Sed quomodo mittit eos?

Ecce mitto vos sicut agnes inter lupos.

Apostolis dixit Christus quòd mittebat eos sicut oues inter lupos, nunc verò istis septuaginta (Matth.10) dicit quòd mittit eos sicut agnos inter lupos, quia agni filij sunt ouiũ: & discipuli Christi filij spiritua les fuerunt Apostolorum. Sed nunc illud volo, diligenter aduertas, quã præclarè Deus officium aucupis exerceat: vtpote qui venaturus lupos, agnos mittat. Multos enim tyrannos (qui & vita & moribus lupos simulabant) his teneris agnis aucupatus est. Nunquid non videtur tibi lupus rapax Saulus, cum (Act.9) petebat epistolas Damascum, vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres vinctos perduceret in Hierusalem? Dei autem benignitate hic patiẽtissimus agnus fuit factus, ita vt dixerit, Domine quid me vis facere? Vide dexteræ excelsi mutationẽ, vt lupos conuertat in agnos: ita vt illud Esaiæ adim- (Esai.11) pleretur. Habitabit lupus cum agno. Sed illud dolendum, multos iam prælatos qui deberẽt oues esse sicut Apostoli, & multos sacerdotes qui deberent esse agni velut Christi discipuli, lupos rapaces effectos esse; qui nõ solùm lana ouium tegũtur earundemque lacte & pinguedine nutriũtur, sed animas ouium per negligentiam, & sceleratam vitam destruunt & labefactant. Verùm Christus istis ouibus (Chrys. Hom. 34. in Matth.) & agnis (quales Christi Apostoli & discipuli erant) vniuersum ad se attraxit mundum: in quo eius omnipotẽtiam reuerenter licet admirari. Infirma nanque eligit Deus, (vt Paulus ait) vt fortia quæq; cõ- (1.Cor.1) fundat. Vnde in Exodo dixit Mosi. Mittam crabro- (Exod.23) nem ante te. Vide & expende quibus copiis, quo militum apparatu, quàm inermi exercitu dominus aduersus insensatos & inimicos fortissimos, nempe muscis, & crabronibus. Vnde dominus ad sanctum Iob dixit. Nũquid ingressus es thesauros niuis, aut (Iob 38) thesauros grandinis aspexisti? quæ præparaui in tẽpus hostis in die pugnæ & belli? cum his imbecillis discipulis qui (vt Gregorius interpretatur) tan- (Gregor. libro mor. 19. c. 31) quam nix erant frigidi, cum toto terrarum orbe Deus dimicauit. Nec etiam Pharaoni misit leones aut immanes tigres, siue vrsos, sed cinifes & (Exod.8) muscas: quibus rebus vilibus, & abiectis superbissimum regem vinceret, & prosterneret.

Ita

Ita etiam cum paucis hominibus hísque inermibus, potentissimum exercitum Madianitarum superauit. Superbum Goliam imbecilli manu pastoris deuicit: arrogantem illum & blasphemum Holofernum muliebri manu interfecit: quod factum ipsa Deum laudans, canebat, dicens, Dominus omnipotēs necauit eum: & tradidit eum in manus fœminæ & confudit eum. Non enim cecidit potens eorū à iuuenibus nec filij Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes imposuerunt se illi, sed Iudith filia Merari dissoluit eum. Hoc idem cum superbo mūdo Deus efficit, vt mittat in eum homines inermes & imbecillos, & oues aduersus lupos. Sed singula verba obseruatione digna sunt.

Iudic.7 1.Reg.17 Iud.13 Iudi.16

¶ Prædicatores suos non vocat Christus absolutè oues aut agnos. Sed quasi oues & sicut agnos: tamen mali sectatores & mundi principes, non quasi lupos, sed lupos vocat. Omnes enim nos post miserum parentis nostri lapsum peccati cōtagione corrupti ad terrena & caduca sumus propensi, & homines sicut & olim proni sunt ad malum: sed superueniens Dei gratia, nos bonos & probos efficit. Et quia nemo adeò est probus & rectus, vt in partem carnis aliquantulum non declinet, & ex parte spiritus nō claudicet, quia hæc est nostri appetitus inclinatio: ideo non dixit illos esse oues, sed quasi oues: nam boni non ex omni parte sunt perfecti. Mali verò cùm deprauata natura in malum sint procliues, nullâque acquisita virtute decorentur, & ex vtroque capite sit interfecti sint, absolutè & sine addito eos lupos appellat.

Gen.5.6

¶ Et præterea cum suos discipulos quasi mittat, ad eorum necem & interitum eos vult esse monitos. Et certè ad martyrium parati hi esse debēt, qui ad concionādum à Deo mittūtur: maximè hac tēpestate, qua veritas omnibus iam exosa atque inimica sit, quam si prædicaueris, statim tibi & doctrinæ tuæ detrahent, etiam si verbi Dei concione præclarus & insignis fueris, hinc inde & inuidiam & maximam persecutionem tibi comparabis. Ita vt ego nunquam aliquem concionatorem insignem viderim, quem non inimici prostrauerint, solóque æquauerint. Atque ita omnes egregij concionatores inter lupos ambulant, quemadmodum hi Christi discipuli. Sic sancti Prophetæ Esaias, Ieremias, Michæas, Ezechiel, Daniel, Amos, & omnes qui veritatem principibus, prælatis atque tyrannis prædicabant, alij interfecti, alij dilaniati ab eorum manibus euadebant. Attende etiam quod non dicit misi, aut mittam, sed mitto de præsenti, vt scias quod semper mittit, & quod nunquā suā sanctam Ecclesiā obliuiscitur, de qua ipse semper solicitus ambulat, quia & eius domus & sponsa est. Illa denique priora verba (Ecce ego) magnam vim & emphasim habent, possent nanque discipuli domino obiicere, quî fieri posset, vt eos inermes contra mundi potentiam & principatus mitteret, quæue arma, quas pecunias, quam sapientiam eis daret, vt cum literatis & sapientibus disceptarent, illis tribueret, vt sicut oues inter lupos, & sicut lepores inter canes venaticos eos proiiceret. Hāc obiectionem Christus diluit, dicens, Ecce ego mitto vos. Attendite quòd qui vos mittit ego sum. Ego sum, qui Luciferum eiúsque sequaces à supremis sedibus eieci, qui Pharaonem cum eius exercitu (postquam regnum eius Ægyptum septem durissimis plagis percussi) in Rubro mari demersi. Ego qui

Concionatorū expectatio in hoc mūdo.

Ephe.5 2.Tim.2

Exod.17 Num.21 Num.16

Amalech memoriam de terra deleui, quíque percussi Og Regem Basan, Æmorræos, Eueos, Chananæos destruxi, qui terræ præcepi, vt Dathan & Abiron deglutiret, qui serpentes ignitos in desertum misi, qui muros Hierico solo æquaui, qui super tabellarios Ochoziæ ignem feci, qui mundi in diluuij aquis destruxi, quíque Sodomam & Gomorram combussi. Ego qui Madiam & potentissimum exercitum Senacherib, qui Assyrios, & eorum ducem Holophernem potenti manu superaui. Ego sum princeps magnus & fortis qui vos mitto, de quo Dauid canit. Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. Acsi clarius diceret, Attendite discipuli mei, & contemplamini magnanimitatem & potentiam eius, qui vos mittit, quam si claris oculis intueamini, quodlibet periculū oblatum euadetis. Vnusquisque vestrum me & corde & animo gerit, non igitur est quòd timeatis. Vnde obsecro cogitatis, tantam audaciam, tam virile pectus Mosi esse natum, cùm homuncio esset pastórque ouium, vt superbum Regem Pharaonem esset alloquutus dicens, relinque populum meum? Non certè aliunde nisi quia me secū ferebat. Dixit enim illi Deus. Veni & mittam te ad Pharaonem, & ego ero tecum. Ingressúsque Moses ad Pharaonem dixit. Hæc dicit dominus Deus Israël. Dimitte populum meū vt sacrificet mihi in deserto. Posteà verò cùm faciebat copiam vt in regno sacrificarent, respōdit Moses: Nunquid abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro? Nō minori pectore & audacia respondit Helias Regi Achab quādo illi dixit Rex. Tu es qui conturbas Israël? Respōdit Helias. Tu & domus patris tui, qui dereliquistis dominum, & sequuti estis Baalim. His accedit & Helisæus quando Regi Ioram dixit. Quid mihi & tibi est? Vade ad Prophetas matris tuæ & patris tui. Viuit dominus exercituum in cuius conspectu sto, quod si non vultū Iosaphath Regis Iudæ erubescerem, nō attendissem quidē te, nec aspexissem. Quis tantum animum & spiritum concessit? Deus. Ideo sanctus Iob domino dixit. Pone me domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet cōtra me. Dauid etiā domino ait. In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murū. Acsi diceret. Auxilio tuo domine liberabor ab hostibus, eorúmque vrbes munitissimas expugnabo. Ideo dominus Hieremiæ ait, Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum: vt eruam te. Et paulò post, Zelabūt aduersum te, & non præualebūt: quia ego tecum sum, ait dominus vt liberem te. Abrahā cum suis vernaculis quatuor Reges simul vicit, Dei fretus auxilio. Vnde cùm timeret puer Helisæi, videns multitudinem Assyriorum, dixit Helisæus. Ne timeas: plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. Et vidit puer exercitum Angelorū Helisæo opem ferentem. Ideò dominus Ezechieli dixit, Ne timeas eos, quia increduli & subuersores sunt tecū, & cū scorpionibus habitas. Acsi diceret, Si virtute ornati essent, si essent fide muniti, & charitate roborati, & Deū secū haberent protectorem, timendi essent: sed omni scelere sunt coinquinati, & peccatores, ideo nō timēdi. Qui dat vires homini, Deus est. Qui Deū secū habent, nihil est quod timeant, qui Deo indutus & munitus incedit, nihil mali speret. Mirabile enim est, Paulum videre, quomodo his armis indutus, vltrò hostē prouocet, in pugnámque incitet, promittens (si opus fuerit) omnem mundum debellaturum, dicens, Quis

Num.21 Iosue.6 4.Reg.1 Gen.8 Gen.19 Iud.7 4.Reg.19 Iudi. Psal.23 Exod.5 Exod.3 Exod.10 3.Reg.18 4.Reg.3 Iob 17 Psal.17 Hier.1 Genes.14 4.Reg.6 Eze.2

[Rom. 8] Quis separabit nos à charitate Christi? an tribulatio? an angustia? an fames? scio quòd neque mors, neque vita. Si ille qui æreis armis, aut torace forti indutus ambulat: quísque magnanimis & potentibus hominibus semper incedit comitatus, nullus timor hunc talem inuadit: quanto minus debet timere, maiorísque securitate & corporis & animæ ambulare: qui Deum protectorem, patronum, ac [Lucan. 5 Phars.] defensorem habet? Ecce igitur ego mitto vos. Sic tempore belli ciuilis cum Cæsar in Italiam nauigaret, vt gentem quæ in Brundusio erat cum Antonio secum ferret, quæ nauium penuria ibi remanserat, cúmq; superbis vndis mare esset inflatum, & nauis huc & illuc ventorum flatu pelleretur, Amyclas nauta cœpit pertimescere, tunc Cæsar se nautæ manifestauit, dixítque illi. Ne timeas quoniam fortuna Cæsaris tecú vadit. Si igitur Cæsar qui homo erat, quíq; in biduum in puluerem & cinerem redigendus: sola præsentia timorem omnem è medio tollebat, videbatúrq; ei se præsente neque à fluctibus maris, nec à Scylla & Carybdi esse timendum: quanto alacriores & iucundiores, quàm virili pectore omníq; deposito timore deberét hi incedere: quos Christus filius Dei viuus comitabatur? Vos enim alter & virtute & meritis Cæsare præstantior & excellentior assectatur: ideóq; nihil timendum. [Deuter. 20] Ecce igitur ego mitto vos. Vnde dominus dixit Israëli, Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, &c. Non timebis eos: quia dominus Deus tuus tecum est, dominus Deus vester in medio vestri est. Quanto ergo melius cum sacerdotibus noui testamenti hoc faceret? Ne igitur cogites Christum suos misisse discipulos inermes: sed forti armatura munitos, quandoquidem Dei virtutem secum ferebant. Bene nanque cognoscitur tali esse præditos, siquidem mundi potentiam eiúsq; imperium (cum ipsi tam pauci támq; imbecilles essent) vicerunt, & superarunt, omnémq; orbem subegerunt. Paucæ oues lupos vicerút: pauci agni feroces lupos excelluerunt: hoc autem non propria virtute, & viribus, sed eius qui eos mittebat. Hi enim vitam & spiritum à Deo habebant, quibus mundus carebat: ideóque victus & superatus fuit.

¶ Attendas obsecro similitudinem. Videbis in hominis manu cutem delicatissimam, quæ quidem quanto magis laborem exercuerit, eo melius fortificatur, vt facile est videre in iis, qui & victú & vestitum manuum labore sibi quærút. Videbis quod in calcei soleis cum corium ita sit forte, iam tandé labore & exercitio consumi. Notabile enim est, vt cutis pedú, eius qui sine calceis incedit, non solùm non absumatur: sed durior & fortior fit, solea auté quæ ex duro curio cófecta est dissipetur & destruatur. Huius autem ratio est, quia cutis manus & pedis anima & vita sustentatur, corium autem soleæ nec vitam nec animam nec spiritum habet. Quid cogitas esse in causa: vt laboribus & persequutionibus iusti & sancti viuant, & gaudeant: iis auté mali vitá finiant? nam boni Deum habent, in Deo viuunt, eiúsq; spiritu pascuntur: & hac de causa non solum non laboribus vincuntur, sed præstantiores fortioresque manent tanquam cutis viua. Mali verò è contra, ideo vincuntur quia Dei spiritu nó roborantur. [1. Reg. 17 Iosue 10] Ita Dauid Goliam interfecit: Iosue tot tantósque principes: hi autem discipuli magnates & potentes mundi: & non mirum cum suas partes Deus ageret & defenderet. Ex his disces quantum homo Deo adiunctus & copulatus valeat & præstet. [Gen. 3] Primus noster parés statim cum Deum amisisset iners, ignauus, & debilitatus remansit, & latebras quærés Dei conspectum effugit, hinc est illud vt fugiat impius nemine persequéte: in quo clarius [Pro. 28] Dei potétia splendet, & relucet, vt statim conscientiæ stimulum addat: qui eam vexet & discrucier, & quocunq; malus ierit, ibi eum persequatur. Dauid [Psal. 37 & 3.] enim postquam in Dei offensam est lapsus, multorum malorum conquerebatur. Primum malum est spiritus & cordis conturbatio, secundum est suæ virtutis defectus, & de illo tertio conqueritur quod cor propriú eum dereliquerit. Cor meum (inquit) conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & dixit, Et cor meum dereliquit me. Qui verò non habet cor, quam fortitudinem quæso habebit? quem non timebit? Salomon autem de iustis contrarium sen[Prou. 28]tit. Iustus vt leo confidit. Ideo hi discipuli etiam si humiles, pauperes & mansueti sint sicut oues, nihilominus tamen cum Deum secum ferant, potentes & fortes efficiuntur. Vt autem nullam partem suæ spei in mundo reponerent, sed in Deo solum confiderent, non solum nó voluit, vt arma materialia secum ferrent, sed neque sacculum: nec peram, nec pecuniam, nec aliquid temporale, quapropter sequitur in textu illis dixisse.

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.

Postquam dixerat. Ecce ego mitto vos sicut oues, mirabili ordine addidit, nolite portare sacculum, neque peram. Ouium nanque códitio est, nullam sui habere curam. Adeò simplex animal est, vt tota sua gubernatio à pastoris cura & solicitudine [Psal. 22] depédeat, Dominus (inquit quædá ouis) regit me, & nihil mihi deerit. Núquid de hoc poterit gloriari Papa, Rex vel Imperator, aut aliquis magnatum & potentium mundi? nequaquam certè. Ij nanque quanto plus habent, eò magis insatiabili desiderio & cupidine aguntur, grandíque rerum necessitate laborant. Sola Christi ouis cùm solerté & diligentem pastorem habeat, alacrius canere potest. Nihil mihi deest. Ideóque bonus pastor Christus dixit [Luca 22] ouibus suis. Quádo ego misi vos sine sacculo & pera, nunquid aliquid defuit vobis? Et responderút. Nihil. In Græco enim habetur, dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Illi oui quá Deus pascit, nihil deesse potest: quádoquidem ipsa suum fauorem & spem in illum ponit & collocat. Igitur, vt Deus tui curam habeat, opus est, vt teipsum, curam tuam, & cogitatum tuum in ipsum iactes: nec vllam mundi rem, præter Deum reminiscaris. Beatus nanq; Franciscus quando aliquem fratrem mittebat ad prædi[Psal. 54]candum, dicere erat solitus. Iacta cogitatum tuum in domino, & ipse te enutriet. Naturæ enim necessaria nunquam seruis Dei deficient: ea nanq; suppeditabit dominus vineæ. Tamen verbi Dei concionator hoc debet Deo cófidere, præsentis vitæ sumptus, etiam si de illis parum curet, abundanter subministrabit: ne mens temporalibus occupata, minus prædicet æterna. Nam cùm nullus sit dominus qui de necessariis seruo, non prouideat, credendum est, cœlestem Dominum suis in necessariis non defuturú. Ideò vocauit prędicatores operarios, quia operariorum cura ad dominum messis pertinet. [Matth. 20] Nonne paterfamilias dat messoribus quod comedant? Ipse prouidebit vobis, nec cum illis operariis quos misit paterfamilias in vineam suam aliquam conuen

conuentionem de cibo aut potu fecit, quia hoc totū ad dominum vineę spectabat. Si fideliter in vinea Domini laboraueris, & nullam curam corporalis victus habueris: cū nec volatilibus cœli deficiat nec piscibus maris, multo minus tibi qui in eius vinea laboras, promitto defuturū. Pulchrè enim docemur, eo melius nobis euēturum, si ab eius oculis & aspectu fuerimus suspensi. Si oculi domini super iustos, quomodo cibū & potum non illis subministrabit? Obserua autem, quòd dictū hîc à domino de virga & pera nō sicut verba sonant est intelligendum, sed metaphoricè & spiritualiter pro confidentia cordis in quacunque re temporali: vt sit sensus. Non innitamini alicui rei temporali, sed tantum Deo. Sandalia etiam Apostoli habuerunt, vt dicitur in Marci Euāgelio. Calciatos sandaliis. Calciamenta integra ex corio cōfecta quę propriè calciamenta dicuntur, & quæ totum pedem cooperiunt, crediderim apostolos nō habuisse: cùm Marcus expressè dicat, quòd erant calciati sandaliis. Quapropter licet de sacculo, pera, & virga, iuxta metaphorā sint intelligēda: tamen de calciamentis iuxta literam credo esse intelligendū, propter dictum Marci: nam incedebant apostoli sicut modo fratres minores ordinis Diui Frācisci. Et hoc quod modo dicit discipulis, in capite præcedēti Apostolis dicerat: vbi enarrauimus de virga, pera, & calciamētis. Igitur quod his verbis vult Christus, est docere discipulos sicut & apostolos, ne terrena curarent. Deo autem studerent: omnem suam solicitudinem & industriam in eum proiicientes. Mittebat eos, vt mūdum sua prædicatione conuerterēt. Ideò quod voluit eos ab omni mundi cupidine alienos esse, & ab effectu terrenorum, paupertatem eis commendans, ne rerum temporalium possessione, cor, tanquā spinis sufffocaretur. Nam qui lapide & funda aliquem vult percutere, oportet, vt ab eo discedat: nam si nō distet, minimè eum percutere valebit. Ita nimirum Dauid cum interficere voluit Goliam priusquam ad illum appropinquasset, lapidem iecit, & quod nimis optabat adimpleuit. Ita & tu si mundum velis ferire & percutere, opus est, vt ab eo discedas: si autem cum illo steteris, poteris eum verbis inhonestare, nō autem lapide percutere. Voluit dominus, vt hi à mūdo essent alieni atq; separati, vt possent mundū interficere, & ideo voluit vt nec sacculum, nec perā, nec diuitias possiderent. Præterea pauperes mittit eos ad prædicādum, vt ipsa paupertate doctrinæ autoritatem tribuerent, vt non viderentur aliquo stipendio prędicare, quod quidem prædicationē destruere solet. Experientia hoc est cōpertum, nam sacerdotes, & religiosi qui rem amplā possident, quique pingues redditus habent, prædicationem post terga relinquūt, vt in Abbatibus & Episcopis facilè est videre, præcipuúmque Christo officium, de quo magis ipsi deberēt gloriari, in negotiationē conuertunt. Hi admodum similes sunt auibus rapacibus, quæ postquam suam satietatē explerunt, non magis aucupium insequuntur. Tēpore Herodis multi erāt prædicatores, nemóque audebat loqui, nisi Diuus Baptista: qui cū nec lectulum, nec domum, nec pecuniam, nec diuitias haberet, veritatem illi audaci pectore manifestabat. Et ante Ioannem solus Elias qui adeò pauperrimus erat, vt solius vestis dominus esset, ausus est regem Achab reprehēdere. Sic

Matt.6
Psal.33
Marc.6
1.Reg.17
Marc.6
3.Reg.18

est fortis sanctissima paupertas atque adeò libera, vt magnus ille Alexander vehemēter Scythas admiraretur cùm eorum fortitudinem & audaciam videret. Quos interrogauit Alexander quid esset, quod in vita magis timerent: ipsi autem interrogationi satisfecerunt, dicentes, solùm se cœli ruinam timere. Euenit autem vt veritatem audeat manifestare ipsa paupertas, cum nihil habeat quod amittere possit. Atque ita illud est certum ordines mēdicos & pauperes præstantiores atque locupletiores fructus producere, quàm reliqui qui amplissimis redditibus sunt locupletati. Pharao rex Ægypti terram concessit sacerdotibus suis, dominus autem nullam partem terræ concessit sacerdotibus suis, sed dixit illis, Ego sum pars & hæreditas vestra. Attendite ô vos sacerdotes Domini qui hæc legitis, qualis sit differentia sacerdodorum, ne fortè qui partem habent in huius mundi rebus caducis, ad triduúmq; perituris, non tam domini quàm Pharaonis sacerdotes esse videātur. Pharao vult sacerdotes suos habere agrorum possessiones, & vt exerceant nō animæ, sed agriculturam: ruri non legi neque scripturis diuinis operam dare: Christus verò suis non temporalia cōfert sed dicit: Nolite portare sacculum neque peram. Et iterum. Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Sed væ mundi prædicatoribus, & sacerdotibus, qui verbum Dei aggredimini prædicare, pinguibus mulabus ephippiis adornatis, mundi vanitatem pompam & apparatum detestaturi, menapio lintheo, serico & bōbycino vestibus cōtextis, succinis odoribus redolentibus. Ita ne Christi apostoli & discipuli prædicaturi incedebant? Non sic Paulus qui dicebat. Tanquam egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Petrus autem & Ioannes cum ascenderent in templum, dixerunt claudo. Argentum & aurum non est nobis, &c. Discipuli enim Christi terrenorū contemptum, & virtutis amorem mundo prædicarunt, non solùm verborum ornatu, sed sanctis operibus, & exēplis. Prius enim nutrix cibū accipit, cúmque in substantiā conuertit, quàm infantem suum lactet: ignísque prius in propinquum, quàm in distans agit, ita prædicator priùs sibi doctrinam accipere debet, priúsque amor & domus Dei zelus eum debet accendere & inflammare quàm populum. Zelus domini comedit me: priùs comedit me: posteà alios. Nō verbis rhetoricis aut orationis sicandore condat. Dauid nanque nō aureis armis lorica & scuto splendentibus Gigantē deuicit, sed funda & lapide nomine domini confisus. Prius superbiā mundi & eius arrogantiā destrues baculo, pera & habitu pastoris Dauidis (quæ quidē paupertatem & mūdi contemptū significant) quā vestium & verborū apparatū. Vnde beatus Paulus. Non veni ad vos in sublimitate sermonis: sed in spiritu Dei. Sic enim sancti apostoli mūdum conuerterunt. Sed multi aquā doctrinæ pedibus suis conculcāt, scilicet malo exemplo: sicut dicit dominus. Cū ipsi limpidissimā aquā biberitis, reliquam pedibus vestris turbaris, & oues meę quę conculcata pedibus vestris fuerunt, pascebātur: & quæ pedes vestri turbauerāt, hęc bibebant. Limpidam aquam bibunt, cum rectam doctrinam hauriūt: sed corrumpunt pedibus, idest, male viuendo,

Genes.47
Leuit.18
Deut.18
Matt.5
2.Cor.6
Actor.3
Ioan.2
Psalm.68
1.Reg.17
1.Cor.2
Ezech.34

Vnde

Prouer.5 Vnde in Prouerbiis dicitur, Bibe aquam de Cisterna tua, & fluenta populi tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas diuide. Prius bibe aquas doctrinæ, & posteà diuide per alios, prædicando doctrinam, quam tu bibisti.

Conuersio mũdi miraculorũ unum maximum.

¶ Preterea vnum in hoc contextu maximè obseruandum est, inter cetera Christi Redemptoris nostri miracula, quę maximè eius diuinitatem declarant, vnum idque magnum mihi esse videtur, mundi conuersio. Quoniam solius dexteræ excelsi hoc opus esse videtur, vt homines pauperes, humiles & abiecti vniuersum mũdũ suo subderẽt imperio, gẽtes debellarent, idola reiicerent, sacramenta sublimarent, & Christi crucem in altum extollerent: hoc autem nõ quemadmodum hæretici nostri tẽporis carni, eiusque cupidini indulgendo, ieiunia tollẽtes, seque miscẽtes omni vitiorum & malorũ generi. Hæresiarcha ille Martinus Lutherus cùm ad Imperatorem Carolum Quintum (qui Vuormatiæ erat) veniret, in plaustro deaurato venit, famulis stipatus, maximo comitatu, lyram & diuersa instrumentorum genera secum ferens. At Christus aliter prędicauit Euangelium, multò aliter suos discipulos mittit. Aut Lutherus errat, aut Christus decipit. Sanctissimi Christi discipuli non in diuitiis & deliciis viuentes, sine sacculo, sine pera, sine pecuniis, iter faciũt, mũdi illicebras & voluptates vincẽtes, ieiuniis castigãdo corpus, vigiliis instando, sanctissimam castitatem seruando, nudi, afflicti, despecti, crucis mortificationem suis corporibus gerentes. Ecclesiam Dei plantarunt, suo sanguine illã irrigantes. Hic autem impiissimus Lutherus opposito modo nobis eam vult depingere, quæ cùm sponsa sit Christi, eius lacte & amplexibus nutrita, luxuriis, voluptatibus & immunditiis, ipsam curat violare. Sed his dimissis expende Christi Saluatoris nostri mirabilem omnipotentiam, qui hos pauperes & simplices discipulos mittit, vt ad se omnem mundum attrahat. Insuper his illud adiiciam. In veteri lege Deus obseruatoribus legis bona temporalia promittebat, victoriam inimicorum, longęuam vitam, terram optimam lacte & melle fluentem, & videbant gentes magnalia, quæ Deus pro suo populo Israëlitico operabatur. Et cum illa lex hominibus tribueret, quidquid naturaliter homines appetunt, diuitias, voluptatem, incolumitatem paucissimi ex gente idololatra conuersi sunt in dominũ, & verum Deum Israel nec illi crediderunt, aut legem suam professi sunt. Vnus fuit Achior, & etiã Raab Hiericontina, & Ruth Moabitis, quæ fuit vxor Booz, & Naaman Syrus qui credidit Deo Israeli, & aliqui alij perpauci. Mirabile autẽ est quòd Christus dicat suis, nolite portare sacculum, neque peram, & mittit illos sicut oues inter lupos, à lupis deuorandas, prædicabant autem hi omne quod caro sua natura abhorret, scilicet, castitatem, paupertatem, flagella, vincula, tribulationes, & multa aduersa, dicentes homini crucifixo esse credẽdum, morti damnato. At totus mundus horum prædicatione credidit hominem crucifixum esse filium Dei, & in Christum fuit conuersus. Ditissimi principes diuitias contemnentes, crucem Christi amplexi sunt, : delicatę puellę flagellis, scorpionibus, igni & gladio se exponunt, pro fide certãtes. Quis hæc facere potuit? Solus Deus, qui potens est gratia superare naturam. Euidentissimum hoc miraculum est, & apertissimum testimoniũ, Christianam religionẽ non ab hominibus, sed ab ipso Deo fundatam & stabilitam esse. Sed iam ad cõtextum.

Iud.14 Iosue 2 Ruth 1 4.Reg.5

Et neminem per viam salutaueritis. Contrarium fecisse Christum Matthęus enarrat, cùm die resurrectionis mulieres salutauit, dicẽs, Auete. Virgo etiã sanctissima eius mater Elizabeth salutauit. Nõ itaque prohibet Christus salutationem, nec vult nos adeo esse rusticos & agrestes, vt alternis vicibus non nos metipsos salutemus, sed prohibet ne longa cõfabulatione in via detineamus, sic vt negotium prædicationis remoremur.

Amb.lib. Luc.sermo.5 Matth.28 Luc.1

¶ Obserua quòd duo sunt citationum genera in nouo: testamẽto nam aliquando talia verba citantur quæ clarè leguntur in veteri lege. Vt est illud, vt impleretur scriptura, quæ dicit, Ex Ægypto vocaui filium meum. Et illud Ioannis, Os nõ comminuetis ex eo. Et alia huiusmodi multa quę in nouo testamento habentur. Aliquando verò citatur sensus tantum, ita vt nesciamus, an autoritate propria (hoc est Dei) illa protulerint, an ex vetere sint instrumento deprompta. Verbi gratia. In Matthęo Saluator ait, Veni separare hominem aduersus patrem suum, & nurum aduersus matrem suam, &c. Hic locus in Michęa scribitur. Quæ verba an sint sumpta ex Propheta, an propria autoritate prolata, nosse domini est. Sed exempla aliquorũ locorum, quę in Diuo Luca habentur (dimissis breuitatis gratia aliis Euangelistis) subiiciam, quorum sensus tantum inuenitur depromptus sine vlla citatione. Illud quod Angelus dixit virgini, Regnabit in domo Iacob in æternum. Ex Michęa sumptum est. Et illud etiã quod Lucas ait, Omnis multitudo populi erat foris, ex Leuitico, & illud. Suscepit Israël puerum suum: ex Esaia, & illud capitis secundi. Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum, ex Esaia, & illud capitis decimiquarti, cùm vocatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco: ex Prouerbiis Salomonis. Et quod in capite vigesimo secundo legitur, filius hominis vadit. ex Psalm. Et cum dicit in capite vigesimo tertio. Beatæ steriles quæ non genuerũt, ex Esaia videtur sumptum. Denique hoc quod in præsentiarum dicit Christus discipulis, neminem per viam salutaueritis, ex quarto Regum volumine videtur excerptũ, quia eadẽ verba dixit Helisęus propheta Giezi puero suo, cum misit illum vt filium Sunamitis suscitaret. Sed Christum audiamus.

Matth.2 Osea.11 Ioan.19 Matth.10 Mich.7 Luc.1 Mich.4 Luc.1 Luc.16 Luc.14 Esai.42 Esaia 8 Prouerb.25 Psalm.40 Esai.54 4.Reg.4

In quancunque domum intraueritis, primùm dicite, pax huic domui.

Christus pacis inuentor & annunciator.

Iussit dominus salutari domum, vbi discipuli eius vellent suscipere hospitium: quia ista salutatio erat signum certum, ad eligendum hospitium. Volebat Christus, vt discipuli manerent apud dignos hospites, vt nullis nisi dignis hoc beneficium pręstaretur. Modus autem cognoscendi erat per salutationem. Qui si digni erant, statim vt salutabantur, excipiebant apostolos cum gaudio, quia Deus mouebat corda eorum ad hoc. Si autem indigni erant, corda eorum turbabantur, & eos recipere nolebãt. Ideò statim addidit Christus post hæc verba: Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. Hæc est potissima ratio cur salutari voluerit hospites. Docuit discipulos offerre pacẽ in ingressu domus, vt salutatione pacis eligeretur domus digna, vel hospes

Vide Grego. Homil. 17. in euangelia.

pes. Ac si diceret. Omnibus offerte pacem,& si illá acceperint,statim dignos se iudicabunt suscipiendi vos:sin autem non acceperint, ipsi se iudicant indignos.Hanc salutationem illis commendat, nam cum eos ad iter faciendum mitteret sine manducatione & pecuniis,necesse erat,vt in hospitiis necessariū gratis illis tribuerēt.Et quia in hoc Dei prouidentia non deficeret,hæc verba illis dedit vt virtute diuina,corda ipsos recipientium mouerent,vt victui necessaria gratis subministrarēt.Christus autem Ierusalé ingressus misit illos, vt asinam adducerent, nec dixit.Emite vel cōducite,aut commodatam petite:& quod dignius admiratione videtur non eos homines fuisse, qui diuites essent,nec pignus aliquod dedisse,vt illis eam confiderēt.Nihil aliud secū ferebāt,nisi verbū domini,scilicet, Dominus his opus habet.Mouit Deus cor possessoris asinæ,vt statim quòd audiret,dominus his opus habet,illam præberet. Idem contigit cum petiit hospitium,ad celebrandum vltimæ cœnæ conuiuium: nam cum cœnaculi dominus audiret. Magister dicit,tempus meum propè est, apud te facio Pascha, nullo oblato impedimento cœnaculū tribuit.Propter hanc Dei virtutem ait Lucas in actis Apostolorum,Christianos gratiam inuenire cum omnibus gentibus:cumque omnia sua bona reliquissent diuina gratia gētium corda mouebat,statim illis verbis auditis,Pax vobis:charitateq; & hospitio, illis vtebantur.Hoc idem contigit cum iussit populum Israël egredi ex Ægypto, præcepitque vt monilia, anulos,vasa argentea,farinamque exigerent, & ne diffiderent addidit dicens,Dabit dominus gratiam populo suo,coram Ægyptiis vt commodarent eis, & spoliarent Ægyptios.Communicabit Deus Hebræis gratiam gratis datam, qua mediante Ægyptij commouebantur Hebræis dare, quidquid ipsi peterent,vel concurrens Hebræis verbis ad mouenda Ægyptiorum corda,vt gratis darēt id quod petebatur.Hæc verba,Pax huic domui,erant tāquam crumena & viaticum,nam illis auditis,qui digni erāt tales hospites & peregrinos excipere,mouebātur à Deo,vt hospitalitatis beneficiū discipulis tribuerent, indigni autem nullatenus mouebantur. Obserua etiam,quòd posset aliis verbis quibuscūque mouere,& noluit,vt pacem nobis commendatam habeamus.Pacis salutatione Christus post resurrectionem suis discipulis alloquebatur. Hanc angeli prædicauerunt cum Christus esset mundum ingressus,& in vltima cœna quando volebat discedere eandem discipulis vehementer commendauit dicens,Pacem meam do vobis,pacem relinquo vobis,ita vt ad mundi ingressum,& in exitu pacē nobis commendet. Hanc Christus attulit in mundum, hanc post discessum reliquit:& denique tantum illam dilexit vt mortem acerbissimam fuerit passus,vt inter nos & Deum pacē componeret.Videas obsecro,quantum illam amauerit, quo amore vehementi illam fuerit prosequutus,vt non fuerit dedignatus pro ea mortem perpeti,& vt pacem hanc quietam & tranquillam possideat,paratus est omnem offensam contra ipsum illatam dimittere, & vt breuiter finiam, præcipuum munus & officium filij Dei fuit pacem & amicitiam inter Deum & hominem celebrare. Hac de causa ipse in mundum venit,vt pacem statueret.Vnde Paulus,Ipse est pax nostra, qui fecit ex vtraque vnum. Rursus no-

Marginal notes (left column): Matth. 21 (beside "victui necessaria"); Luca 22 (beside "nam cum cœnaculi"); Exod. 11. & 12 (beside "Israël egredi"); Ioannis 20 (beside "tam habeamus"); Luca 2 (beside "ingressus"); Ioannis 14 (beside "dicens,Pacem meam"); Ephesi. 2 (beside "dum venit").

tandum quòd prius quàm Christus mundū oppugnet,offert illi pacem,& non per fas,vel nefas,sed dulciter & suauiter cum illo vult agere. Scriptum est in Deuteronomio,quod Deus suo populo imperabat,& dicebat, Quando accesseris ad expugnandum ciuitatem,offeres ei primum pacem, &c. Sic facit hic Christus.Ite(inquit)in ciuitates,& prædicate pacem & dicite, Appropinquauit in vos regnum Dei.Debellaturus mundum volo vos duces constituere:sed longè diuersiùs,quàm mūdus,id faciam.Mundi milites armis æreis induti pugnant: Dei milites inermes.Mundi milites cibi sarcina & potus onerati,Dei autem neque sacculo neque pera.Mundi milites ciuitatibus dominantur promittentes & prouocantes in bellum:Dei autem pacem gratis illis offerentes. Igitur si accesseris ad expugnandam aliquam ciuitatem,cum eaque fœdus aliquod velis inire,id sit primum,vt pacē illi offeras. Erat enim huius mundi ciuitas vitiis circundata: quam egregiè depinxit egregius ille vates, dicens, Præcipita domine,diuide linguas illorū, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Die ac nocte circundabit eam super muros eius iniquitas,& labor in medio eius & iniustitia.Et nō defecit in plateis eius vsura & dolus. Hæc & alia plura hac nostra tēpestate in mūdo reperies:quandoquidem iam iniquitas,vsura,& dissēsio,in eo sic creuerunt, vt altissimas egerint radices. His vitiis non nisi pace possumus mederi.Pace nāque ciuitas mundi & eius murus destructa manebunt: quam si illi opposueris,cito ruinam mundi vanitas minabitur.Sed iam ad contextum. *Et si ibi fuerit filius pacis requiescet super illū pax vestra.* Filius pacis,phrasis Hebræa est,sicut dicitur Hebraico more filius nuptiarum,filius mortis,& similia:ita dicitur filius pacis, dignus pace & vacans paci,salutatio vestra sortietur effectum.nam in habente pace augebitur:si autem non habens fuerit dispositus,dabitur ei.Obserua autem si iuxta Apostoli dictum pax omnia mūdi præclara & excellētia præcellit,& exuperat omnem sensum,aspice nunc quàm diuites & affluenti bono discipuli Christi suos ditent hospites.Discamus hoc loco seruos Christi pauperes hospitio excipere: quandoquidem excipientibus liberalem & magnificum se ostendit tribuens illis pacem,in cuius comparatione aurum & argentum tanquam stercus venit reputandum.Longè aliquid præstantiùs & excellētiùs à Christo tribuitur illis,qui eius pauperes discipulos excipiūt:quàm sit id,quod ipsi discipulis subministrāt.Huius rei appositissimū exemplū est in scriptura sacra.Nā cum Abrahā angelis,qui domum venerāt, peregrinorum vestibus induti,vitulū,butyrum & panem subministraret:ex Dei parte ipsi illi promiserūt filium dilectissimum Isaac suæ domus & posteritatis hæredem. Fœnore etiam Deus Saræ rependit laborem & diligentiam, quam in subministrādo cibo hospitibus posuerat: quandoquidē ab opprobrio sterilitatis liberauit,& talē filiū concessit.Plus angeli dederunt Loth,quā ipsi ab eo acceperūt:siquidem pro solutione hospitij,vitam tribuerunt:cum eum liberarent,ne in Sodoma periret.Plus etiam Raab dederūt speculatores Israël quàm ipsa eis,siquidem eam suosque omnes sui gratia à morte liberarūt. Accedit his beneficium factum ab Elisæo Sunamiti illi,quæ quoniā ipsum excipiebat in domo,filiū Deus illi cōcessit,

Marginal notes (right column): Collatio militiæ terrestris cum mundanæ. (beside "dulciter"); Deuteron. 20 (beside "dum ciuitatem"); Psalmo 54 (beside "Præcipita"); Pacis bonum & excellentia. (beside "requiescet"); Philip. 4 (beside "tem non habens"); Hospitalitatis præmia. (beside "tiùs & excellētiùs"); Genes. 18 (beside "exemplū"); Genes. 19 (beside "talē filiū"); Iosue 7 (beside "res Israël"); 4. Reg. 4 (beside "ficium factum").

postea verò mortuum, Prophetæ oratione suscitatum. Maiori etiam beneficio Helias viduam illam cumulauit, nam pro cibi ministratione abundanti farinę copia & olei domum implebat. In hoc enim facilè poteris contemplari, quàm liberalis largitor sit Deus, quanta liberalitate & magnificentia eis vtatur, qui charitatem & amorem erga Christi pauperes & peregrinos ostendunt. Sed hoc vnũ sciant omnes qui prædicatores suos hospitio recipiunt, quòd sicut dominus benedixit domui Obededon, quia arcam in domo sua seruauit: ita benedicet domui, prædicatores Euangelij suscipiēti. Tātò enim dignior est sanctus prædicator quā arca Dei, quātò dignior est Christus, existens in prædicatore, vrna & virga existentibus in arca. Obseruandum quoque est, quòd boni vocantur hìc filij pacis.: quia digni erant: vt exciperent pauperes hospitio. Homo nanque potest esse dignus aliquo bono diuino dupliciter: vel secundum præsentem iustitiam, vt non prædestinati qui boni sunt ad tempus: vel secundum firmam Dei sentētiam: sicut prædestinati. Vtroque autē modo potest aliquis intelligi dignus, cùm vtrisque Deus cōferat bona tanquam dignis, magis tamē videtur dicēdum de prædestinatis pręcipuè & quòd de his intelligatur: quia Deus omnia facit propter eos. Sicut enim in natura priuatio nō est nisi propter formam, imperfectum propter perfectũ: ita Deus omnia quæ facit, facit propter prædestinatos, quia illi soli sunt quos elegit ante mũdi constitutionem. Pax verò importat omne bonũ. Christus tamen nō iussit illam imprecari, prout importat omne bonum naturale & humanum: sed solum prout importat vitam æternā, que est verum bonum. Vnde pax Christi non est pax absoluta: sed specialis pax, quæ vocatur, pax Christi, vt dicit Paulus, & pax Dei quæ exuperat omnem sensum, &c. Et ideo Christus specialiter pacem suam vocabat: innuēs, quòd præter illam esset alia pax, ideo dixit, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat, &c. Hæc enim pax in illos qui digni erant veniebat, nam meritò Apostolorum imprecantium eis pacem, disponebantur efficaciùs ad vitam æternam. Sequitur, *Sin autē, ad vos reuertetur*. Primò quia Christus certos & indubitatos faciebat discipulos, quod oblata illa pace, qui dignus esset statim eos erat recepturus: quia si aliquis esset indignus, & oblata pace repelleret eos: putarent certè quod oblatio pacis nullius iam esset momēti, vt hospitiũ & reliqua necessaria inuenirēt. Ideo Christus dixit eis, Pax vestra ad vos reuertetur. Id est adhuc erit locus, vt ab aliis hospitiũ petatis, quia quicũque dignus fuerit, oblata pace excipiet vos, & hoc est reuerti pacem ad vos: non enim periit virtus huius pacis oblatæ, licet interdum eam inutiliter offeratis, propter eorum indignitatem, quibus offertur. Secundò potest accipi quantum ad meritum apostolorum: ac si diceret, Vos offertis illis pacem: sed illi audire verba vestra nolunt, nec recipere pacem, quam illis gratis offertis. Nihil periit quod meritum vestrum, ac si id compleretis, quod firmo animo disposueratis. Si nullus audire velit prædicatorem, ipse prædicator sine fructu non erit: quia ad eum pax reuertitur, quia ipsi à domino, pro suo labore tribuitur. Et hoc dictum est, ne apostoli putarent meritum eorum amitti propter indignitatem audientium. Vtroque modo prædicator apud Deum meretur, siue recipiatur ad prædicandum, siue non: cũ Deus non consideret, quantum vtilitatis cum prædicatione, siue alia bona faciētes proximis attulerimus, sed qua mente quóue animo, hunc laborem suscepimus. Cum aliquid vtilitatis labore nostro fuerit collectum, id non nobis, sed Deo est tribuendũ tanquam totius boni fonti perpetuo scaturienti, qui sermoni & operi nostro virtutē cumulat: quique audiētium corda vehementiùs incitat, & prouocat vt opus & labor noster nō frustretur. Ad nos itaque reuertitur pax quam offerimus, si audientes eam noluerũt. Tertiò dicit, ad vos reuertetur, quia necesse erat pacem datam ad datorem reuerti: ne forte prædicator ira accensus, & inflammatus signo impatientiæ notaretur: eo quod non reciperetur pax quā ipse offerebat, ideo vt ad se ipsum reuerteretur pax, erat necesse, vt suæ impatientiæ mederetur. Acsi diceret, Si non susceperint pacem à vobis oblatam: vobis eam sumite, ne innolentes vos excipere aliquantulum irascamini: Sic Iacobus & Ioannes cum venirent ad quendā locum Samaritanorum, cumque hospitij beneficium nollēt tribuere, ira fuerunt commoti & incitati, sic vt Christo dicerēt, Vis dicamus, vt descendat ignis de cœlo, & consumat illos? nemo enim nouit quanta sit rabies, quantúsque furor, Euangelicā pacem multo sudore gratísque oblatam reiicere & contemnere. Redeat ergo pax vestra ad vos, ne turbati irascamini contra tantæ pacis contemptores: sed pacato & tranquillo animo reliquum operis vestri adimplebitis.

¶ Quartò redibit ad vos, vt intelligatis, malum alienum in vestrum commodũ redundare: ac ideo vos esse contemptos, ne ex prospero prædicationis euentu inflaremini. Datus est Paulo stimulus carnis, vt eũ colaphizaret, ne magnitudo reuelationum illum extolleret. Sed profecto potentior est fœlix prædicatio vt cōcionatorem inflet, quàm reuelationum magnitudo: & acutior stimulus est ad reprimēdā superbiam, ab auditoribus negligi, quā carnis nostrę sarcina. Sed quid essent facturi, in domo qua excepti essent nunc docet. *In eadem autem domo manete*. Vt magis & clariùs eluceat vestræ sanctitatis testimonium. Facile nanque est per breue tempus sanctitatis speciem simulare: per longum autem difficile. Admiratus enim hospes vestram sanctitatem negotium Euangelij promouebit. Præterea quia futura erat discipulorum Christi tam suauis mirabilísque conuersatio, vt reliqui ciues eos hospitio recipere contenderent, ita vt quis tantis hospitibus vellet frui: ne cōtentionis & dissidij occasio detur, iubeo vos à primo hospite nō discedere. Denique quia vester animus est, hospitē vniuersis bonis affluentem efficere, vt meæ benignitatis & liberalitatis dignus sit: vt per vos magis in me mereatur, apud eum manete. *Edentes & bibentes qua apud illos sunt*. Sicut dominus ad virtutem indagandam præmiis cœlestibus nos promouet, ita se cum fragilitate nostra componens, præsentium remuneratione vult nos alere & sustētare. Quia abdicationem rerum temporalium in medium proposuerat, nunc de necessariis prouidet, & facultatem tribuit, vt edant, & bibant: non omne præmium differens in aliam vitā. Difficile nāque videtur hominibus, vt spem periculis emāt, damnóque præsentium futuræ

Marginalia: 4. Reg. 17 — 2. Reg. 6 — Quibus deus donet pacem. — Ephes. 1 — Philip. 4 — Ioan. 14 — Grego. Hom. 17. in Euang. — Luca 9. — 2. Cor. 12.

tutæ ætatis lucrū sibi adquirant. Nō est igitur quòd de Deo conquieraris, nec habes minus quòd excuseris: omnium nàque rerum speculator & æquissimus arbiter, & virtuti dedit præmiū, & infirmitati remedium: vt præsentibus sustineatur infirmitas, & virtus futuris retributionibus firmetur. ¶ Aduerte autem Christum hoc dixisse non præcipiendo, sed permittendo seu concedēdo, neque de quocunque cibo aut potu necesse est hoc exponi, cum interdum studiosius sit à quibusdā abstineri. Ideò non videtur iubere, omnia talia assumāt: sed exhortatur potius vt sufficiant apposita & non quærantur superflua. ¶ Ostendit præterea locus iste viros spirituales à ciuibus & populo esse sustentandos: ne Mariam desinant inuiti, & ad Martham confugiant.

Exod.17. Sic in Exodo legitur quòd Aaron & Hur suis manibus, manus Mosi orātis pro populo Israël sustentabāt. Rationē autē cur comedere & bibere deberent discipuli, subdit dominus dicens. *Dignus est enim operarius merce de sua.* Dignus est enim prædicator verbi Dei, qui spirituali alimonia animos pascit, qui angelorum cibum ministrat, quíque verbum Dei edulium & condimentum, omni nectare & ambrosia suauius ac dulcius omnibus māducandum apponit, vt ipse etiam ab eis corpori necessariis cibentur, vt beneficium inuicem collatum diutiùs possit permanere. Ideo Paulus. (1.Cor.9. Ibidem.) Dominus ordinauit his qui Euangelio deseruiunt, de Euangelio viuere. Et rursus. Si vobis spiritualia seminamus, non mirū quòd carnalia metamus. (Vide Grego. Hom. 17. in Euang.) ¶ Expēde etiam quòd cibus & potus non principalis merces aut finis vltimus prædicationis est, aut cuiuscūque ministerij spiritualis: quia temporale bonum sit præmium spiritualium operum. Sed hæc temporalis merces secundario & accidentaliter, debet intēdi: quia sine corporali alimento vita hæc firma stare non potest, & per consequens nec prædicatio exhiberi. *Nolite transire de domo in domum.* Ne ex illis ædibus in alias transeatis, quasi iam fastidito priori hospitio aliud latius, opulentius & delicatius quæratis. (Locum nō animum mutant inconstantes.) Docet Christus animi stabilitatem: ad quam quidem multum confert loci stabilitas. Impossibile est hominē qui aliquo in loco trāquillè & quietè non fuerit, aliquid firmum in animo secum stabilire: nam qui ægritudinem animi de loco in locū migrans, effugere nititur, est veluti qui propriam vmbrā fugere conatur. Seipsum fugit, locum mutat, non animum, eundem vbique se inuenit, se ipsum circumfert: sicut lædere solet, ægrū qui circūferendo concutit. (Vide li. Amb 7. in Luc.ca.9.) Ideóque infirmitatem & onus animi tui depone: quia proprio motu tibi noces. Lapis quadratus stabilis est: sic homo bene compositus & ordinatus stabilis est: è contra verò instabilis qui ictu oculi consilium mutat, & à quocunque vento huc & illuc impellitur. Planta enim quæ hîc & illic sæpiùs plātatur nō profundas radices emittet: nec in altum nimis propagabitur. Quapropter in Ecclesiastico dicitur. (Eccles.10.) Si spiritus potestatē habentis super te ascenderit, locum tuum ne dimiseris. Et iterū, Cōfide in Deo & mane in loco tuo. (Eccles.11.) Apostolus etiam hoc idem suadet. (1.Cor.15.) Fratres stabiles estote & immobiles. (1.Thess.4.) Et rursus. Rogamus vos fratres vt operam detis vt quieti sitis. (2.Thess.3.) Scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniā non inquieti fuimus inter vos. Vagantes verò & inquietos ambulantes de loco in locū arguit Paulus loquēs de quibusdā mulieribus. (1.Tim.5.) Otiosæ discunt circuire domos. Idem

Ieremias dixit. Dilexit mouere pedes suos & non quieuit: & domino non placuit. (Hier.14.) Et in Prouerbiis etiam habetur, (Prou.27.) Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui reliquit locum suum. Sicut auis transmigrās de loco suo dānū accepit in pullis suis: sic homo relinquens locū suū in bonis suis. Semei egrediēs Ierusalē occisus est. (3.Reg.2.) Si domi mansisset, forsitan non mortem obisset. Hanc autem animi inconstantiam, & corporis mutabilitatem à peccato prouenisse & ab eius pessima radice emanasse expressè Ieremias affirmat in Threnis. (Thren.1.) Peccatū peccauit Ierusalem: propterea instabilis facta est. Frigoris tremor & febris acuta à deprauato corporis humore procedunt: cum in te & in corpore tuo infirmitatē & malum humorem habeas, hinc hæ mutabilitates prosiliunt. Ideo Sophar Naamathites dixit Iob. (Iob.11.) Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis. Atque ita de sanctissimo Ioanne Baptista qui à visceribus matris, sine macula & peccato fuit plenus gratia & spiritu sancto, dixit Christus gentibus prædicans. Quid existis in desertum videre? arundinē vento agitatam? (Matth.11.) hoc est peccatoris signum. Qui autem ab vtero materno gratia plenus & sanctificatus fuit, non inconstans, non mutabilis est. Nolebat Christus discipulos esse mutabiles, nec vt leuiter aliam domum eligerent, sed vt cōtenti essent his, quæ illis apponebantur. *Et in quācunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, māducate quæ apponuntur vobis.* Contenti sitis his quæ ministrantur, neque quidquam aliud petite: ne materiam scandali hospitibus tribuatis: qui si vos viderint nimis cibo indulgentes, malum exemplum à vobis accipient, & sermones vestri nullū fructum reportabunt. Dignus est operarius mercede sua. Atque ita iustum, vt post laborem prædicationis aliquid edatis: quandoquidem sine corporali alimonia vita diutiùs stare non poterit. Illud autem vobis commendo vt sobrij sitis. *Et curate infirmos qui in illa sunt.* Nam si miracula non facerēt, & cuilibet intuenti ob oculos ponerent difficile ciues crederent cælestia diuina & admirabila, quæque humanæ mentis captum superabant, vt erant ea quæ à discipulis prædicabantur. Et ita Marcus, inquit, quòd profecti prædicauerunt vbique domino cooperante & confirmante sequentibus signis. (Mar.16.) ¶ Obserua etiam curā quam Christus habet infirmorum: quādoquidem discipuli populo prædicant, & illis commendabant curam infirmorum. (Infirmos visitandi, Christi & apostolorū exemplo.) Idem saluator fecit, vt is qui opere & sermone prędicabat, cū in die festo ascēdit Ierosolymā, primū quod fecit fuit visitare infirmos, (Ioan.5.) & sic in piscinā Bethsaidā abiit curaturus infirmū qui triginta octo annorum spacio graui infirmitate laborabat. Sic & alibi cū prædicationē finiret, ingressus est ad visitandā infirmā quæ acutissima febri laborabat (quæ erat socrus Simonis) (Luca 4.) quam quidem in pristinam sanitatē restituit, his piis operibus Christus suam doctrinam magnificabat: cum simul sermone & opere prædicaret. Cùm Martha & Maria fratrem suum Lazarum infirmum domi haberent, certiorem Christum fecerunt. (Ioann.11.) Ecce quē amas infirmatur. Cur vos nō tenditis ad illū sicut regulus & Cēturio, & Cananæa, & alij? (Ioan.4. Matth.8. Matth.15.) Isti non veteres sed nouitij sunt in seruitio Dei, nos aūt qui lumine diuino illustramur, illud scimus plus dominū eo gaudere vt infirmo seruia-

Eccles 7. mus, & necessaria ministremus. Vnde in Ecclesiastico habetur. Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis. In die autem iudicij inter alia opera misericordiæ de visitatione infirmorum & eorum cura interrogabuntur homines: nam peccatoribus dicet Christus, infirmus erā & nō visitastis me: quod enim vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis. Hoc opus misericordię illi valde placet, qui vidēs nos infirmos miseros & ægrotātes visitauit nos oriēs ex alto. Et hoc officiū alacri animo ipse exercebat: nam cū ad se claudi, cæci, paralytici: & alij multi venirent, oēs curabat, & sanabat. Vnde beatus Iacobus. Religio mūda & immaculata apud Deū & patrē hæc est. Visitare pupillos & viduas, in eorum tribulatione. Et beatus Iob dixit. Visitans speciem tuam non peccabis. Nam si opus misericordiæ est esurienti dare cibum & potum sitienti, & nudum operire: quanto magis infirmum visitare, & ei subuenire? Incolumitas corporis maximum & præstantissimum bonum est inter res temporales: quare qui salute priuatur, maximo bono caret, & quia maiori misericordia is vtitur, qui infirmum visitat, quàm esurientem. Nam cum bona valetudine omnia mala corporis faciliùs tolerantur. Dauid sanctus cum infirmo illi Ægyptio subueniret, ab eo scire meruit vbi erant Amalechitæ & victoriam obtinuit: illi autē qui crudelis cum illo fuerat, suæ crudelitatis præmium tulit, victum esse. Sed de his aliàs, nunc ad contextum reuertamur. *Et dicite illis, Appropinquabit in vos regnum Dei.* Hoc nō solùm præcipit vt infirmis dicant: sed omnibus. Iudæi tempus illud expectabāt in quo Messias esset temporaliter regnaturus & ipsi dominaturi essent suis hostibus, & omnium regum imperium habere deberent. Ita dixerunt duo discipuli. Nos sperabamus quòd ipse esset redēpturus Israël. Etetiā in die ascēsionis ab illo quæsierūt. Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? Deus autem volens illos à terrenis separare, & ad cœlestia promouere, aliud regnum non terræ sed cœli prædicari iubet. Instat (inquit) regnum cœli, rex cœlestis, leges cœlestes, opes cœlestes, & ciues cœlestes. Instat iam tempus in quo hac misera & terrena patria vita inuenietur, quæ fuit hactenus in cœlo. Hæc sunt nuncia tam excellentia & diuina, vt indignum sit ea silētio prætērire. Dominabatur mors ab Adam vsque ad Mosem non solum in Iudæis, sed etiam in gentibus. Dominabatur mors non solum quia homines corpore moriebantur, sed anima: imo etiam quia ea vita qua viuebant, adeò vexabatur lāguoribus & mille tormētorum generibus, vt penè mors deberet appellari. Dicit ergo dominus discipulis, Prædicate iam aduenire tempus, in quo destruetur peccatū, in quo destruetur corpus & machina peccati, in quo languores nostri sanabūtur per Euāgelium: in quo diabolo destructo, qui imperium peccati tenet, & ipso peccato exterminato, ingrediatur sempiterna iustitia, qua ingressa regnabit in nobis Deus. Et quia per Christi mortem verus homo noster crucifixus est, iniquitas abolita, & dæmon eiectus, & mors Christi nondum erat exhibita, sed in breui exhibenda. Ideo dicit, appropinquabit, nōdum omnino venit. Expende etiam quòd eleganter dicit appropinquabit regnū in vobis, nō vos illi: quia nō ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos venit, sed secundum suam misericordiam. Præterea eleganter dicit appropinquabit, vt intelligamus,

Matth. 25. · Luc. 1. · Matth. 4. · Iaco. 1. · Iob. 5. · Aug. serm. 23. de verbis Ap. · 1. Reg. 30. · Luca 24. · Actor. 1. · Rom. 5. · Hebr. 2. · Rom. 6. · Dan. 9. · Tit. 3

non multo labore esse opus vt ad illum nos accedamus. Cum verò dicit regnū Dei, nemo videtur esse, qui celeri cursu, vlnis apertis, brachiis extentis, tantas & tam supernas diuitias non desideret. Culpæ autem nostræ id imputabitur, dummodo regnū ad nosmetipsos veniens, suauissimis amplexibus non exceperimus. Habent ergo prædicatores quid possint concionari. Summa enim hæc est. Regnum iam venit: nihil deest, quominus reges sitis, & non mundi reges, sed cælestes, nisi vestra impedierit voluntas. Præterea appropinquabit his qui ad bonum susceperint, qui verò ad malum, ad confusionem, & condemnationem. Si in carcere simul iusti & facinorosi sint detēti, iudéxque iustus & æquissimus ad iudicandū venerit, nonne iustos saluos & incolumes dimittet, malos autem & facinorosos dignis suorum operum suppliciis condemnabit? Sic regnū Dei vtrisque appropinquat: aliis ad coronā diuinā, aliis autem ad damnationem æternam. Hactenus Christus cum discipulis habuit sermonem & egit, quid dicturi, quidue facturi essent in ciuitatibus, vbi eos suscepissent. De aliis ciuitatibus qui Christi prædicatores nollēt suscipere, subdit dicēs. *In quamcunque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeūtes in plateas eius dicite. Etiam puluerē qui adhæsit nobis de ciuitate vestra extergimus in vos.* De hac excussione pulueris in præterito capite diximus, & exposuimus. Nunc autem aduertendum vltra ea quæ ibi enarrauimus, quòd in tribus casibus excutiebant puluerem. Primus erat, si nemo eos vellet hospitio recipere, quod quidē factum magna erat iniquitas. Signū nāque erat, quòd nō solū Christi verbum nolebāt audire per apostolos, sed etiā nec vnā solā virtutē habere, cū neq; vni homini hospitalitatis beneficium vellēt tribuere. Secundus quādo nō audiebant verbum eorū, nec sinebāt eos prædicare. Quia licet aliquis eos hospitio susciperet, reliqui tamen erant peruersi qui eos nolebant audire. De his duobus casibus patet in Matthæo & Marco, qui dicunt. Quicunque non receperit vos, nec audierit sermones vestros, &c. Tertius casus erat si in aliqua ciuitate longo tempore prædicassent, illis vero audientibus verbum eorum & miracula videntibus si nullus in Deum vellet cōuerti, signum erat eorum damnationis: & tunc recedebant apostoli & discipuli Christi, cum eorum prædicatio facta esset inutilis, tuncque excutiebant puluerem in signum dānationis. Nunc autem rogo quot erunt ciuitates & vrbes, quot villæ in quibus frequēter Dei verbum prædicatur, à præclaris concionatoribus, nunquam tamē in Deum conuertuntur? Iure quidem optimo & nos qui prædicationis officio fungimur, in multis ciuitatibus Hispaniæ possemus puluerem excutere: quæ non solùm nō audiunt, sed illis detrahunt & persequūtur. Dauid misit olim nuncios ad Hanō regē filiorum Ammō vt cōsolaretur eum in morte patris sui Naas, Hanon verò eos derisit, & medias vestes præscindens barbamque dimidiam, propter quod eos Dauid destruxit, & cōtra eos bellum iniuit. Sic etiā Deus suos prædicatores nunc in mundum mittit, mundus autem beneficio superaddito eos honorat. Nonne Deus puniet istos? Remissius Sodomis in die iudicij erit, quā istis ciuitatibus, vt Christus hîc dicit, de quo statim videbimus. Sic Deus hos odit, vt puluerem ciuitatis eorum adhærere pedibus apostolorum minimè patiatur. In nostram verò eruditionem admonet locus iste, nil nobis

Vide Bed. in ca. 10. Luc. ca. 41. · Matth. 10. Mar. 6. · 2. Reg. 10.

bis commune esse cum mundo: ita vt nec puluis ad-
Genes.14 hæreat nobis. Noluit Abraham ditari à rege Sodomorum qui plura dona offerebat illi, & tamen tūc accepit decimas à Melchisedech sacerdote Dei. Sic etiam Rebecca accepit aureas armillas à seruo Abrahæ. Nonnè pater Rachel qui diues erat, habebat brachialia & monilia vt imponeret filiæ suæ? tātá erat eius negligētia, aut auaritia, vt filiæ ornamenta nō daret? Sed Rebecca noluit auro Bathuelis ornari, non sunt ei ornamenta grata hominis barbari. Sed domus Abrahæ ornamentis vult com-
Iosue 7 poni. Iosue etiam noluit vt Israël ditaretur diuitiis
1. Reg.15 Hierico, & Achā lapidatus est quia is voluit diues fieri. Et Saul quia his quæ erant Amalech accepit contra domini præceptum regno priuari meruit. Omnia ergo quæ sunt mūdi longo spatio relinquamus, & nihil mūdi in nobis remaneat, nedum puluis. *Tamen hoc scitote quoniam appropinquauit regnum Dei.* Nihilominus quanuis dereliquerint impiam ciuitatem discutientes pulueremn, non desinunt veritatem eis denuntiare: non quòd induratis corde & incredulis proficiat, sed ad maiorem illorum damnationem. Ab hac igitur ciuitate discedamus, nedum puluerem in nostris calceis portemus. De hoc autem volumus ex parte Dei vos certiores fieri, quòd appropinquauit in vos regnum Dei. In die enim iudicij hoc vobis in maiorem damnationem seruiet, nos enim tūc aduersus vos insurgemus, clarissimumque testimonium veritatis elucidabimus dicentes, vobis fuisse prædicatum Euāgelium: vos autē illud reiecisse. Hinc infertur incredulis etiam Euangelium esse prædicandum, vt coram superno iudice nullam excusationem habeant. Isti nanque discipuli cum iam pro comperto haberent Euangelij prædicationem his nihil debere prodesse: nihi-
Matth.6 lominus Euangelium illis annunciant. Deus nāq;
Mar.6 dignis & indignis, iustis & peccatoribus solem & aquam mittit, aliaq; ampliora & pinguiora beneficia. Sciebat Ioannes Baptista suam doctrinā nihil Herodi profuturā esse & obstinatā eius mentē cernebat: nihilominus tamen arguebat Herodē. Quomodo enim propheta & plusquam propheta hoc
Matth.23 ignorabat? & Christus qui verus Deus erat, non ignorabat obstinatos animos Pharisæorum sed arguebat eos. Ideoque etiam si prædicator euidenter cognoscat suam monitionem non prodesse, tenetur etiam ad id quod sui officij est, vitia detestari & maledicere. Sed ad alia progrediamur. *Dico vobis*
Collatio peccati sodomit. cum peccato illorum qui euangeliū sperrunt. *quia Sodomis remissius erit in die illa, quàm illi ciuitati.* Poterant se Sodomitæ aliqualiter excusare, quia ex corrupta carne geniti, & in peccatis cōcepti illā execrandā iniquitatē perpetrassent. Sed quæ excusatio cōuenit ei, qui Euangeliū nō recipit? lege & per lege Euāgelium, quid in illo inuenies, nisi purā & meram sanctitatem? quid nisi cultum Dei & amorem proximi? Quid quod à ratione distet, vel ei nō fuerit consentaneum? si quæ autem sunt, quæ dissentanea videantur, ea supra rationem & captum nostrum sunt, nō contra rationē. Igitur Euangeliū, de se dignū erat vt acciperetur. Et vltra hoc hæc tam suauis & diuina lex non solùm prædicabatur ab Apostolis sed ab ipso Deo qui dixit, Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Non ergo qui audiebant auribus suis
Matth.10 hominum vocē, hominum solum sentiebāt virtutē: sed spiritus sancti efficaciam: his addebatur miraculorum claritas & maiestas, quę repugnantē intellectū captiuare solent. Inexcusabiles ergo sunt omnes, qui euāgeliū non suscipiunt, & iudicio meo non homines sed immanes bestiæ tales sunt vocandi. Sic iuxta delicti magnitudinem & grauitatē dignas pœnas exoluēt, & terribile patiētur iudicium. Maior itaq; istorum pœna, quā Sodomorum. Quia cæteris paribus maior est dānatio fidelium, quam *Genes.19.* infidelium, & tātò maius est peccatum, quo maior gratia offertur, & spernitur. Sodomitæ autem non *Vide Bed. in ca. Luc.10. cap.42* viderunt miracula, nec prædicationem adeò efficacem, vt fuit apostolorum. Rursus qui nō receperūt apostolos, nō videntur minus peccasse, quàm Iudæi tempore Ezechielis. Tamen de illis ait Ezechiel, ꝙ Sodoma nō peccauit dimidium peccatorū illorū. *Ezec.16* Itē Sodomitæ trāgressi sunt legē naturalem, dumtaxat: isti verò legem naturalem atque diuinā. Aduerte autē ꝙ posuit Christus hîc peccatum Sodomorum, & eorum punitionem, potiùs quàm aliorum peccatorum, vt intelligas, idē Deum facturum *Sodomitæ crudeles & inhumani erga hospites aduenientes. Ioseph. lib. antiq. cap.19* cum his qui peregrinos & aduenas nō susceperint, quia Sodomitæ crudeles erant hospitibus: sic dicit Iosephus in libro primo antiquitatum. Paulus vocat illos sine misericordia. Et Hebræi dicunt vxorē Loth conuersam fuisse in statuam salis: nā hospitij nocte cum Loth & hospites sancti cœnarent, nō apposuit sal in mēsa, etiā cum mariti petitione, nedū eos cœnātes poterat aspicere. Exechiel inquit, vnū ex peccatis Sodomę idq; grauissimum fuit, manum pauperi & esurięti nō aperuisse. Nō desunt viri do- *Ezech.16* cti nō cōtemnendæ autoritatis qui dicāt Deū Sodomitas obcæcasse, plagā & tenebras in Ægyptū misisse, propter statuta & leges quæ stabiliebāt, vt peregrini non exciperentur, & cū exceptis eisdē velut mācipiis agebāt. Si aliquis verò charitate in peregrinos vtebatur, hunc crudeliter persequebantur: & propterea Deus omnes destruxit. Cùm igitur hi qui nec apostolos nec Christi discipulos volebant *Inhumanitas erga hospites grauiter punitur.* excipere, crudeles etiā se peregrinis & pauperibus ostenderēt, iustum erat vt crudeliùs in eos animaduerteretur, quandoquidē sanctos viros à consortio repellebāt. Ideo Christus hîc Sodomorum attulit exemplum, præter aliud. His etiam illi addebāt peccatum nefariū & inexpiabile, & ita grauissimi peccatores corā Deo videbantur, vt ipse Deus dixerit, Peccatum eorum aggrauatum est nimis. Et ita vt clariùs ostēderet, quā graue esset peccatum aposto- *Genes.19* los non suscipere, nec eius audire doctrinā, in exēplū attulit Sodomitas, qui cum sic in iniquitate & peccatis excelluerint, nō tam grauiter punientur, sicut hi, qui Christi discipulos cōtēpserunt. Et cum hęc diceret cœpit exprobrare illis ciuitatibus apud quas sæpiùs prædicauerat & miracula multa fecerat dicens, *Va tibi Chorozain, va tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitu-issent.* Chorozain *Bethsaida patria quinque apostolorū. vide Bed. vt suprà.* & Bethsaida ciuitates erant in Galilæa in litore maris positæ, vbi Christus sæpiùs prædicauerat, & miracula fecerat. Bethsaidæ nati fuerunt quinq; apostoli, s. Petrus, Andreas, Ioannes, Iacobus, & Philippus. De Petro, Andræa & Philippo dicitur in Euā- *Ioan 1.* gelio Ioannis. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri. De Iacobo autē & Ioanne non apparet: quia tamē erat socius Petri & Andreæ in piscatione vt suprà vidimus, creditur ex eodem fuisse oppido. Tyrus & Sidon duæ ciuitates erāt in *Luca.5* Syria in terra Fœnicis non multū distantis ab Ierusalē. Tyrus celebratissima ciuitas est in veteri in-

e.93 ſtrumento decantata; præcipue ab Eſaia. Ditiſsima erat ad quam magna mercium copia perueniebat: aqua vndecunque circundata, quemadmodum nunc Venetiæ, vſque ad tempora Nabuchodonoſor & Alexandri Magni, ad quã debellãdam opus fuit totum illud ſpatium arena & lapidibus implere, diſtans à Sidone viginti leucas, quæ vulgo nunc appellatur Sayeto. Voluit autem Chriſtus his ciuitatibus exprobrare, ſcilicet Chorozaim & Bethſaidę, dicendo male: nõ inquã aptando, aut inferẽdo malum, ſed futura mala annuncians. Primò vt iſti vitã in meliùs conuerterent, talia audientes. Secundò ad exhibendum exemplum audientibus, & nobis ne nos in talem incideremus ingratitudinem & impudentiam, vt audito Chriſti verbo in ſaniorẽ mẽtẽ redeamus. Tertiò ex commiſeratione quadam. Quartò vt oſtenderet futura præſcire. Prædicebat autẽ hæc Chriſtus, vt quando poſteà euenirent, clariùs cognoſceretur illa præſciuiſſe. Sic diſcipulis dixit. *Ioannis 14* Hoc dixi vobis antequam fiat, vt cum factum fuerit credatis. Porrò, væ comminatio eſt æterna, & interitum æternum ſignificat, iuxta ſanctorum patrum Hieronymi, Chryſoſtomi, & Gregorij doctrinam. *Hie. in pro. c. 29. Chryſoſto. homil. 60. in Mat. Gregor. homilia 9. in Ezechie.* Virtutes autem vocat miracula, quia ſunt à virtute infinita, & hæc miracula facta ſunt plurima in ciuitatibus, quæ ſi in Tyro & Sidone olim fuiſſent facta, in cinere & cilicio pœniterẽt. Poteſt autẽ iſtud aduerbium olim referri ad præcedentia vel ſequentia. De primo quòd intelligatur in his ciuitatibus factas fuiſſe virtutes, quia iam diu erat ꝙ Chriſtus non prædicabat in eis. De ſecũdo vt dicatur, ꝙ olim egiſſent pœnitentiã. Ac ſi diceret. Licet ſint ciuitates gentiũ, ſi prædicatũ eſſet in eis egiſſent olim pœnitẽtiam, ſcilicet, nõ facerẽt eam nũc, id eſt diu poſtquã prædicatũ eſſet, ſed olim, id eſt immediatè poſt prædicationem. In quo ſignificatur ꝙ faciliter ad Deum ſe conuerterent. Recederent inquam ab iniquitatibus ſuis, aſſumẽdo opera pœnalia & ſatisfactoria, induẽtes ciliciũ & cinere ſe operiẽtes. Cõſuetudo nanq; erat antiquis, vt pœnitentes induerẽt ciliciũ, & ſederẽt in cinere, vt fecit rex Niniuitarũ *Ionæ 3.* & Dauid dixit, Poſui veſtimẽtum meũ ciliciũ: *Pſalm. 68.* Et filij Iſraël cũ obſeſſa eſſet Bethulia ciliciis fuerũt induti, &c. *Iud. 4* Vbi ſunt qui dicunt, ad pœnitentiam non requiri dolorem, ſed ſat eſſe vitæ nouitatem, cum ex domini ore audias pœnitentiã fieri in cinere & cilicio, vt per exteriora hæc ſigna, cordis intimus dolor ſignificetur? Queadmodum exultantes & gaudẽtes caput vnguẽtis vngebant, faciẽ lauabãt, & corpus nuptialibus veſtibus adornabant: ita qui dolore & pœnitentia cõtriſtabantur, cinerẽ in caput ſpargebant, ſumebantq; pro voluptatibus & deliciis ciliciũ. Expẽde quantum malũ ſit bonis à Deo acceptis nõ bene vti: nam iſtæ ciuitates ob hanc in Deum ingratitudinẽ exprobrãtur à Chriſto. Vtinã & tibi nõ ſimiliter cõtingat qui amplioribus donis auctus, ac locupletatus es. *Pſal. 118.* Vnde Dauid in Pſalmo orabat Deum dicẽs, Aufer à me opprobriũ & cõtẽptum. *Ambr. ſer. 3. in pſalm. 118.* Sed quid ais Dauid? Nõne cõtẽptibilia & plena opprobriis elegit Deus? quomodo ergo dicis, aufer à me opprobriũ & cõtẽptum: cum cõtẽptus, optimus ſit propter Deum acceptus, & ſancti etiã cõtẽptum nõne deſiderabant? Cõſidera quod Deus elegit mundi cõtemptibilia, nõ tamen Dei cõtemptibilia: illi nanq; qui à mundo cõtemnuntur, magni ſunt apud Deũ: ſed nõ qui cõtemnuntur à Deo. Caue ne Chriſto opprobrio ſis, ſicut iſti. Chorozaitæ & Capharnaitæ, quibus Chriſtus exprobrat, cum pœnitẽtiam non egerint. Exprobrari à mundo, optimum eſt: à Deo autem, malum. Atque ab hoc opprobrio Dei liberari cupiebat pſalmiſta, ab iſto tu liberaberis, ſi pœnitentiam egeris, & gratus fueris Dei beneficiis. Rurſus obſeruandum eſt quòd non dicit coniunctim, Væ vobis Chorozain & Bethſaida, ſed diuiſim. Væ tibi Chorozain, & Væ tibi Bethſaida, quia ſingulis ſua propria pœna redderetur. Vnuſquiſque, enim (vt Paulus ait) onus ſuum portabit. *Galat. 6* Denique cur Chriſtus prædicabat, ciuitatibus non pœnitentiam acturis? Tyro autem & Sydoni, quas de peccatis cõmiſsis dolor erat ſubiturus, cur non prædicabat? Occulta hæc ſunt Dei iudicia, & inueſtigabiles viæ eius: Deus nemini eſt debitor. *Rom. 11* Præterea legem naturalem dedit Tyriis & Sidoniis, in qua ante promulgationem Euangelij cum fide & gratia ſaluari poterant: voluit autem Deus hanc gratiam præſtare potiùs quàm gentibus. Tamẽ poſt Chriſti aſcenſionem in cœlos prædicantibus apoſtolis Tyrus & Sydon crediderunt. Sed iam Chriſtum ſententiam proferentem aduerſus impias ciuitates audiamus. *Veruntamen Tyro & Sydon remiſsius erit in iudicio, quàm vobis.* Minorem pœnam ſuſtinebunt, quia ipſi non acceperunt legem, nec illis fuit prædicatum ſicut vobis. *Præmiorum & punitionũ inæqualitas.* Iudæi deteriores erant gentibus, quia iſti naturalem legem tranſgreſsi ſunt: Iudæi autem hanc legem naturalem & Moſaicam, & beneficia & documenta domini ſpreuerunt, de illo nimis gloriantes, quòd filij eſſent Abrahæ Iſraëlitici generis. Seruus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens, vapulauit multis plagis. *Lucæ 12* Ex his apertè colligitur, omnes in inferno non æquali pœna eſſe puniendos. Sed vnuſquiſque iuxta demerita, alius intenſiùs alius remiſsiùs torquebitur. Sicut enim in cœlo obiectiuè omnes beati æquali gloria fruentur, quia omnes videbunt diuinam eſſentiam: non tamen ſubiectiuè, quia vnuſquiſque magis aut minus beatificabitur ſecundum capacitatem meritorum: ſic omnes in inferno æquales ſunt, quantum ad carentiam diuinæ viſionis, quia nullus in æternum Deum videbit, & in perpetuum cruciabuntur: tamen in pœna ſenſus & tormentorum punitione alius intenſiùs & alius remiſsiùs cruciabitur, vt ex hoc contextu apertè colligitur. Sequitur. *Et tu Capharnaũ vſque ad cœlum exaltata, vſque ad infernum demergeris.* Intelligi poteſt de exaltatione in honorem per Chriſti prædicationem, *Superborum & ingratorum præmiũ.* nam magnificè & honorificè cum illa agebatur, cum Chriſtus toties illic prædicaſſet, & tot miracula feciſſet. *Mat. 8.* Ibi nãque ſanauit ſeruum Cẽturionis, *Ioan. 4.* & filium reguli, *Lucæ 5.* & paralyticum quem deſuper tectum per tegulas intromiſerunt, *Matth. 9* & mulierem menſtruo ſanguine laborantem, *Lucæ 4.* & filiam Iairi ſuſcitauit: ita vt Nazareitæ dicerent Chriſto. *Matth. 4* Quanta cognouimus facta fuiſſe in Capharnaum, fac hîc, & in patria tua. Et in hac ciuitate cœpit prædicare, Pœnitentiã agite: & ideò dicit, quòd fuit vſq; in cœlũ exaltata, Chriſti videlicet prædicatione & miraculis. Vel hoc etiam intelligi poteſt de temporali exaltatione, quia hæc ciuitas excellebat omnes alias Galilææ vrbes magnitudine, nobilitate, & rerum omnium copia: de quibus gloriabatur. Quandò verò ait, vſque ad infernum demergeris, *Vide Bedã in ca. 10. Lucæ. 42.* poteſt intelligi vtroque modo dicto, ſcilicet, de damnatione habitatorũ eius, quia non egiſſent pœnitentiam: & ſic realiter deſcenderunt in infernũ. Vel de honore tẽporali: nam ſicut

magnis

magnis honoribus fuit locupletata, quia superba & rebellis fuit ad nihilum descendit: nam nunc nó est ciuitas, sed tantùm manent fundamenta antiquorum ædificiorũ, in qua septem vel octo domos piscatorum inuenies. Ideo ad inferos descendes, quia præceptis meis superbissimè restitisti. Et quia exaltata es vsq; ad cœlum meo hospitio, & meis signis atq; virtutibus tantum habes priuilegium, maioribus plecteris suppliciis, quia his credere noluisti: vt pœna culpæ respódeat. Sicut homo táto magis in cœlum meretur exaltari, quantò minus de se in terra & humilius iudicauerit: sic in inferno tanto maioribus suppliciis est torquẽdus: quantò in terra de se magnificẽtiùs & sublimiùs existimauit. Ideò Ecclesiasticus ait, humilia valde spiritũ tuum, quia vindicta impij ignis & vermis. Quapropter in persona Dei Abdias de superbis ait. Si exaltatus fueris vt Aquila, & inter sidera posueris nidũ tuum, inde detraham te, dicit dominus. Iob etiam ait. Si ascenderit in cœlum superbia eius, & caput eius nubes attigerit: quasi sterquilinium in fine perdetur. Expẽdc etiam quòd sicut hæc Capharnaũ, quia maiora dona receperat, & superbia elata, rebellis & ingrata fuit Deo, maiori pœna cruciatur: sic etiam maiori pœna plectẽtur qui maiora beneficia à Deo acceperint, si ingratitudinis nota fuerint reperti. Natham Propheta vt ostenderet Dauid sui peccati magnitudinem, priùs commemorauit beneficia & bona, quæ ipse Dauid à Deo acceperat, dixit, Ego vnxi te in Regem super Israël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domũ domini tui, & vxores domini tui in sinu tuo, dediq; tibi domum Israël & Iuda, &c. Quare ergo contempsisti verbum domini, &c. Atq; ideo Dauid grauiùs fuit punitus, quia maioribus donis fuerat cumulatus. Sic prælati, & religiosi qui cæteros omnes antecellunt literis, ingenio, sciẽtia, aut dignitate: illud secum diligenter debent euoluere, quantum Deo teneantur seruire expectantes arctissimã rationem Deo esse reddituros, quia post ingentia & tanta beneficia acre & terribile iudicium experientur. Ideo dominus repulit plebem suam dilectam: quia post tanta beneficia nó cognouit tẽpus visitationis suæ. Dum dona in te collata magis ac magis crescunt: rationes donorum etiam crescere debẽt. Si verò in amplissimum honorẽ prælatus ascendisti, si verbi Dei concione plurimum valueris, si scientiarũ omnium penetralia transcenderis, si dignitate, honore, nomine, & fama, vsque ad sidera fueris elatus: ne superbias, ne te de illis indignè & arroganter glorieris: ne forte Capharnaum similis sis, quæ solo iacet æquata: nam si tu beneficiis, operibus, non responderis, & humilitatis donum in te tantis beneficiis sublimato nõ splenduerit, certo scias ex amplissima dignitate in maximum opprobrium esse deuenturum. Sed de his satis. Vt autem scias quòd non solùm tale iudicium patientur hi, qui Christum & Apostolos nó susceperunt: sed qui eius discipulos, prælatos, & vicarios despiciunt, verba eorum non audiendo, nec ipsis obediẽdo, ideo ait, *Qui vos audit me audit.* Tam gratum mihi est, ac si meipsum audirent, nam ego per meos loquor vicarios, & ipsi meam sustinent personam. Dixerat priùs istis 70. discipulis quòd salutarent hospites, prouiditque hospitij signum, & incitauit homines vt illos susciperent, sicut priùs in mundi conditione præparauit homini domum creans lucem & cibos: nunc

Eccle. 12 *Abd. 1* *Iob 20* *1. Reg. 12.* *Lucæ 19* *Greg. ho. 9. in euang.* *In prædicatore non cõsiderandum quis sit, sed à quo mittatur.* *Gen. 1.*

autem pœnam illorum qui eos noluerũt recipere, ostendit. Nam sicut super his, qui hospitium dederũt Christi discipulis pax domini requieuit: ita qui eos non audierunt, non qualecunque leue peccatum perpetrarunt: sed Deum ipsum cõtempserunt, qui per illorũ os loquebatur, & cuius personã ipsi repræsentabant. Hoc dictum est discipulis Christi, & prælatis Ecclesiæ, ac sacerdotibus, qui successores sunt Apostolorum & discipulorum Christi. In quo admonemur quales erga rectores, pastores, & prælatos Ecclesiæ, nos exhibere debeamus: nempe vt eos audiamus, obediamus, & timeamus, obtemperantes eorum præceptis. Hoc est quod Paulus ad Hebræos ait. Obedite (inquit) præpositis vestris: qui illos non audit, Deum ipsum non audit. Vnde cum filij Israël murmurassent aduersus Mosem & Aaron dixerũt illis: Non est murmur vestrum contra nos, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus? Quapropter in Deuteronomio loquens de suo propheta dixit. Qui verba eius qui loquitur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. Hominem nó debes aspicere, sed Deum, qui in eo loquitur, vt ipse hîc dicit. Nam etiam si ipse prædicator malus fuerit, Deum qui per ipsum loquitur debes respicere, qui diuina & mirabili sua virtute præclara & diuina opera per mala instrumenta potest operari. Heliam nanque Prophetam, qui per impiam reginã Iezabel in exilium exierat: coruorum ministerio sustinuit. Cur ita? nonne tu domine poteras aquilas aut alias aues mundiores iubere vt tuum pascerent prophetam: numq; permitteres ab immundis & cruentis auibus prouideri? Multoties enim Deus per homines impios & malos solet suo populo doctrinam tribuere, & cibum spiritualem animabus præbere: quemadmodum bonas carnes Heliæ coruorum ministerio. Tu verò comede, & accipe à manu Dei quod ipse mittit vt Helias faciebat, neq; id scruteris, an qui ministrat, sit coruus, vel aquila, rectus, aut deterior, dummodo doctrinæ cibus sanus, & à Deo proueniat. Cum Deus Samuëlem prophetam vocabat, Samuël ad Heli sacerdotem ibat, cogitans ab ipso vocari: nam vox Dei maximè assimilatur sacerdotis & prælati voci: & cogitare quòd illud quod iubet, Deus iubet, siquidẽ per os Dei loquitur, quando ea nó iubet, quæ sunt contra conscientiam: quapropter illis debes obedire illos audire, venerari, atq; suspicere & ea quæ iubent humiliter operari. Quapropter in illos impudicum os non conijcias, ne tibi dicatur. Non est murmur vestrũ contra nos. sed contra Dominum. Ne illos contemnas, ne tibi dicatur. Non cõtempserunt te, sed me, ne regnem super eos, Ne falsa & duplici facie cum illis agas, ne tibi dicatur. Non mentitus es hominibus, sed Deo. Ne morte rapida & inopinata moriaris, vt Ananias & Sapphira qui hoc fecerunt. Officium nanq; sanctum est & honore dignissimum, etiam si ministri sint peccatores. Ex quo sequitur error Vviclef, & aliorum quos confutant Augustinus, & Bernardus. Et ideò venerandi & suspiciendi sunt: nam si eos contemnis, Deum contemnis; propter quod subdit Christus. *Et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit: spernit eum qui misit me.*

Cum Deus Pater & eius filius vnigenitus Dominus noster Iesus Christus eiusdẽ sint essentiæ & naturæ: qui spernit Christum spernit patrem, ipseque Deus spernitur. Ille verò Christũ spernit, qui Pon-

Heb. 13. *Exod. 16* *Deuteron. 18* *3. Reg. 17* *1. Reg. 3.* *Exod. 16* *1. Reg. 8* *Act. 5* *Aug. libr. 4. con. Dona. c. 4. Ber. ser. 66 in Can.* *Conciliorum & prælatorũ ecclesiasticorum authoritas.*

tificem spernit. Audiant hæc & timeant isti infideles & impij Lutherani qui Papam Christi vicarium in terris spernunt, & contẽnunt, & os suum in cœlum ponunt, & sanctorũ patrum decreta reiiciunt: & conciliis generalibus nó obediunt. Videãt quid
1.Reg.2 Deus dicat: Qui contemnunt me, erunt ignobiles.
Esaia 33 Et Esaias, Væ qui spernis, nõne ipse sperneris? Itaque patribus nostris & prælatis obedientiam & reuerentiam impendamus, considerantes eos non vt homines qualescũque, sed vt Dei vicarios, eius circa
1.Pet.2 ca nos personã gerentes. Vnde beatus Petrus. Sub-
1.Reg.24 diti estote in omni timore dominis: nõ tantum bo-
1.Reg.26 nis, sed etiã discolis. Sic Dauid honorabat Saulem Regẽ Israël, quãuis malum esse sciret, & proiectum à domino: & noluit extẽdere manum in Christum domini. Etiã si prædicator sit malus, officium sanctum & domini est. Quãdo Diuus Petrus illam primam epistolã scripsit, nõ est dubiũ, quin vel Caius Caligula, vel Claudius, vel crudelis Nero imperarent: qui tres impij & sceleratissimi fuerunt: nihilo
1.Pet.2 minus tamen inquit Petrus. Regem honorificate. Non est tuum personam considerare, sed dignitatẽ & autoritatem, quæ Dei sunt, & Deum in prælato honoras. Si prælatum cõtemnis, Deum cõtemnis. Quãdo Core aduersus Aaronẽ surrexit, summum sacerdotium volens vsurpare, dixit Moses ad Core
Num.16 & ad tribum Leui. Audite filij Leui. Num parũ vobis est quod separauit vos Deus Israël ab omni populo, & iunxit sibi vt seruireris ei in cultu tabernaculi, & stareris coram frequẽtia populi & ministraretis ei? Idcirco ad se fecit accedere te, & omnes fratres tuos filios Leui, vt vobis etiã sacerdotiũ vendiceris, & omnis globus tuus stet cõtra dominum? Non dixit, quòd se extulit cõtra Aaronem Pontificem, sed cõtra dominum: vt cognosceres, idem esse cum prælatis, & cum domino simultatem exercere.
1.Thess.4 Vnde Paulus ad Thessalonicenses, Scitis (inquit) quæ præcepta dederim vobis per dominum Iesum. Et subdit. Itaq; qui hęc spernit, nõ hominẽ spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritũ suum sanctum
1.Cor.14 in nobis. Et ad Corinthios. Si quis vester Propheta est, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia domini sunt mandata. Adeò enim habebat Paulus autoritatem sicut cæteri Apostoli & prælati, vt nunc habent eorum successores.

Vnde loquens dominus de sacerdotibus veteris
Deuter.17 legis dixit in Deuteronomio, Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo suo ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël. Sed sacerdotes nouæ legis non minorem habent autoritatem, quàm sacerdotes veteris legis: nam Paulus
Hebr.7 ad Hebręos docet multò præstantius esse Euangelicum sacerdotium quàm illud veteris legis. Ideò Paulus, Omnis anima potestatibus sublimioribus
Rom.13 subdita sit, non enim est potestas, nisi à Deo. Itaq; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. In
Act.15 Actibus quoque Apostolorum dixerunt prælati Ecclesiæ, Visum est Spiritui sancto, & nobis. Vide diuinam autoritatem prælatorum Ecclesiæ, quapropter eorum præcepta non oportet contemnere: nam quamuis non intendant obligare, vel res leuis sit, quam præcipiunt, si ex eorum contemptu ea reliqueris, hac sola causa peccas ratione cõtemptus. Eis ergo oportet obedire, quandoquidem vicem
Matth.18 Christi gerũt. Ideo Christus apud Matthæum. Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi quasi Ethnicus & publican⁹. Nõ minus meretur inter Ethnicos eiici, qui Ecclesiasticas traditiones recusat, quàm qui Euangelium recusat. Siquidem reiectis Ecclesiæ constitutionibus, Euagelium quoque abiici necessum est. Quod Diuus Basilius in libro de Spiritu Basil. libr. de
sancto planè testatur. Sed de his aliàs satis diximus. Seruanda itaque sunt concilia, & prælatorum Spiritu s.ca.27 In pro. Luc.
Ecclesiæ decreta, & honorandi sunt sacerdotes & prælati. Ideo Cõstantinus causas Episcoporũ noluit iudicare, dicens, eos esse deos suos, & ab ipsis omnia iudicanda esse. Sed iam sanctiones Ecclesiæ non seruantur, excommunicationes paruipenduntur, & dignitas sacerdotum vilipenditur à secularibus, Deus in prælatis & sacerdotibus Ecclesiæ cõtemnitur. tantum Deus honorat suos sacerdotes & prælatos, vt de ipsis dicat, Diis non detrahes. Con- Exod.22
sidera eorum dignitatem, vt non solùm sua dona illis communicet, sed etiam suum nomen, vt dij etiam vocẽtur. Non angelis sed hominibus dignatus est hoc communicare, sicut Mosi, quem consti-
tuit Deum Pharaonis. Nõ sic principes huius mun- Exod.7.
di facere solent. Quis enim regum seruis suis quantumuis dilectis, regium nomen imposuit? sed hoc quòd nullus regum homini quantumcunque dilecto tribuit, Deus Ecclesiæ prælatis & sacerdotibus concedit. Prętereà nõ solùm eos honorat, sed tantum diligit, vt dicat eis, Qui vos tangit, tangit pu-
pillam oculi mei. Non dicit qui vos persequitur, Zach.2
aut occidit, aut qui vos vulnerat, vel lædit, nec dicit, tangit brachium, au pedem, sed pupillam oculi mei: cuius dolor acutus & intensissimus est. Denique ita causam illorum suam Deus iudicat: vt dicat, Qui vos spernit, me spernit. Docentur tamen hic: ne vindictam sumant de iniuriis & cõtumeliis ipsis illatis, cùm Deus opprobrium & cõtemptum eorumdem, suum esse dicat. Deus nanque causam suam iudicaturus exurget, & pro suo honore respõdebit. Nõ ergo tristi animo sint sacerdotes, iniuria enim illorum in Deum transit. Solatium igitur sit nobis, Deo hanc esse iniuriam illatam. Sicut è contra ne extollamur, aut superbiamus, cum nos audierint, laudauerint, magnifica de nobis prædicauerint, quia nõ est opus nostrum, sed Dei. Quando nos spernunt, Deum spernunt, sicut quãdo nos honorant, & audiunt, Deum qui operatur in nobis honorant, & audiunt. Quapropter nec de laudibus
extollamur, nec in cõtemptu tristemur, Deus enim 1.Thess.2
operatur in nobis.

¶Hæc dixit Christus discipulis suis, cum eos mitteret ad prædicandum: quibus cum prosperè & fœliciter omnia succederent, redeuntes sui successus redemptori rationem reddiderunt, propter
quod inquit textus, *Reuersi sunt autem septuaginta* Gloria non
duo, cum gaudio dicentes. Ita & nos deberemus Deo nobis sed deo attribuenda.
gratias agere propter opera, quæ ipse per nos operatur: & per ea, quæ in eius nomine tanquam suæ gratiæ instrumenta perficimus: non nobis ipsis tri-
buentes, nec honorem Dei furantes. Omnia flu- Eccles.1.
mina reuertuntur ad mare, vnde exeunt: nihilque est in rerum natura quod suum centrum non appetat, & ipsum desideret: homo autem peruersus & ingratus in his terrenis detineri cupit, & in illis perpetuari, veluti si aliquo beatitudinis lumine vel radio hominem beatum possent efficere, & tran-
quillum animum & pacatũ sustinere. Cum Deus Iacob.1.
totius boni fons & origo sit, & cum omne donũ perfectum de sursum sit, descendens à patre luminum,

num, si perfectum gaudium & quieté volueris inuenire, in Deum reuertere. Nihil enim suæ naturæ perfectæ integritatem potest attingere, nisi in suo genere saluetur: cúq; Deus genus totius boni sit: ita anima nostra sic intensiùs Deũ desiderat, vt ad eum rediens omnia bona cõsequatur. Ita in omnibus tuis laboribus postquã Dei iussa adimpleueris in ipsum cum discipulis suis reuertere, ãgẽs ei gratias pro beneficiis tantis quæ per te ipse operatus est. Præterea quãuis in hoc bene egerunt, reuertentes ad Christum: tamen tanquam humanæ laudis & gloriæ vento inflati, nonnihil sibi assumentes, dixerũt Christo, Domine etiã dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Domine inquiũt. Qui nó solum terræ & cœlo dominaris, sed & dæmonibus, nam nobis tua gratia & virtute subiiciuntur. Bene confitentur: sed de miraculorum opere efferuntur: diuinorum nanque donorum multitudo plurimis fuit causa ruinæ, sicut in Ezechiele dicitur de Lucifero. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore. Et paulo post, Eleuatum est cor tuum. Pessimum genus superbiæ est, dona diuina sibi attribuere: sicut ille stultus Pharisæus dicebat, Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum. De his habetur in Deuteronomio. Manus mea excelsa, & non dominus fecit hęc omnia. Hos compescet dominus, dicens, Ne dicas in corde tuo, cùm deleuerit eos dominus Deus tuus in conspectu tuo. Propter iustitiam meam introduxit me dominus vt terram hanc possiderem.

Ezech. 28.
Luca 18.
Deuter. 32.
Deuter. 9.

¶ Aliud genus superbiæ est non ita malum illorum qui partim humiliantur, gratias agendo, & partim efferuntur ineptè exultãdo, sicut isti discipuli qui gaudebant, cum dæmones eiecissent, attribuebant tamen hoc, non sibi sicut Pharisæus ille, sed domino, atque ideo dixerunt, In nomine tuo. Ideoq; aliquid habebant cõmendatione dignum, scilicet, quòd reuertebantur in fontem totius gratiæ, donum susceptum cognoscẽtes, & gratiam illi offerentes. Et ideo sanctus Iob, Nunquid mittes fulgura & ibunt: & reuertẽtia dicẽt tibi, Adsumus? Vadunt fulgura quando doctores miraculis coruscant, & superna reuerẽtia corde in Deum cõuerso auditorum corda transfigunt. Reuertentes dicunt adsumus, cum nó sibi sed Dei virtutibus tribuunt quidquid fortiter se egisse cognoscunt. Tales sunt viri perfecti sub quorũ persona dicit Esaias. Omnia opera nostra operatus es domine. Et in Psalmo etiam, Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriã. Laudabiles igitur erant, in hoc quòd Christo gratias referebãt, & fatebantur in nomine ipsius eiecisse dæmonia: sed digni reprehensione, eo quòd de potestatis altitudine efferebantur.

Leuis etiam gloriola fugienda.
Iob. 38.
Esa. 26.
Psalm. 113.

¶ Admonet locus iste vanam gloriam fugere, nam graue damnũ spirituali viro inde poterit euenire, si humanæ laudis gloria allectus: & si opera quæ fecerit, sibi ipsi arriserint & placuerint. Veluti à Basilisci facie eam debes fugere: nam si teipsum incautum & improuidum accipit (vt ait Ambrosius) oculorum ictu morieris: sed si tu eam priùs præuideris, & suæ rationis paruum fundamentum cognoueris, vt de tuis operibus arroganter præsumas, de illa gloriosum triumphum facilè reportabis. Deus in omnibus operibus suis laudatus sit: non autem homo qui vile instrumentum suæ virtutis ostenditur. Quid habes, quod non accepisti? Perditio tua ex te Israël, tantummodo auxilium tuum ex me. Si prætorita aspicis, multa inuenies fecisse, de quibus nũc te pudeat. Si præsẽntia cõsideras, te mille periculis in hac lachrymarũ valle circundarũ videbis. Si in futura oculos cõiicis: timendum tibi potius erit, terribilia Dei iudicia, quæ super te ventura sunt contemplans. Timidus potiùs nanq; & cautus in hac vita debes ambulare, quàm lætus & alacris: quandoquidẽ ista bona opera quæ nunc facis nescis an Deo sint accepta, an si parum vel multum tẽporis in eis persistes. Qui stat (inquit Apostolus) videat ne cadat. Sed ad cõtextum.

Ambro. ser. 10. in Psalm. 118.
1. Cor. 4.
Osea 13.
1. Cor. 10.

Et ait illis, Videbam Satanã sicut fulgur de cœlo cadentem. Dupliciter potest hoc exponi. Primò sic. Dixerant discipuli, Domine etiã dæmonia subiiciũtur nobis. Hoc est, non solùm alia miracula fecimus, sed etiã quod maius est, dæmonia subiiciuntur nobis: & de hac nouitate miramur. Quibus respondet Christus. Videbam Satanã sicut fulgur, &c. Ac si diceret. Istud non est aliquid noui, nam ego vidi eum cadentem tanquam fulgur de cœlo. Secundo potest exponi, quia discipuli quasi adhuc imperfecti iactãtes se, hoc dixerunt, Christus autem ne factis miraculis superbirẽt, adducit exẽplum Satanæ qui à cœlo cecidit propter suam superbiam: ne ipsi similiter caderẽt, propter animi elationẽ, sicut Satanas. Quare dominus Iesus vt optimus medicus animarum, vt roboraret suorum discipulorum animos aduersus pestiferum morbum inanis gloriæ proponit exemplum Luciferi, qui ob superbiam, à tanta & tam suprema fœlicitate (licet nó à perfecta beatitudine) deiectus est: quia de donis à Deo acceptis insolenter gloriatus est. In pręclara dignitatis sublimitate cœlestibus sedibus quiescebat, tamen ob animi tumorẽ ad ima Tartara est detrusus. Sic Esaias de eo sub nomine regis Babylonis ait. Quomodo cecidisti Lucifer q mane oriebaris, &c. Sic Adam eiectus est ob superbiam è paradiso: & Saul à regno. Vnde dixit illi Samuel. Cum esses paruus in oculis tuis, caput in tribus Israël factus es. Pro eo quod abiecisti sermonẽ domini, abiecit te dominus ne sis rex. Ideo beatus Iob de superbis ait, Eleuati sunt ad modicum, & nó subsistẽt. Diabolus enim sicut ipse cecidit, vult vt omnes cadãt: quando verò aliquem in statu humili non potest frangere, curat aliquo dignitatis gradu eum sublimare, vt inde eum præcipitet. Hoc exẽplum Satanæ adduxit Christus istis discipulis, eis insinuans, vt qui ad modum Satanæ superbierit, ad eius modum præcipitabitur. Sed singula verba expendamus: omnia nanque obseruatione sunt digna.

Antidotus contra vanã gloriam, vide Grego. 23. Moral. super illud Iob 32.
Esai. 14.
Genes. 3.
1. Reg. 15.
Iob 35.

¶ Primò ait, Videbam Satanam: quia Christus sicut Deus intellectualiter videt diaboli ruinam, principaliter quam efficit. Vnde in libro Iob. Prudentia eius percussit superbum. Per Ezechielem quoque Deus testatur, Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei, &c. Et peccasti & eieci te de monte Dei, & perdidi te, ô Cherub. Eleuatum est cor tuum in decore tuo, & perdidisti sapientiam.

Beda in eo. to Luca c. 42.
Iob 26.
Ezech. 26.

¶ Secundò ait, Sicut fulgur, assimilans eum fulguri: tum propter agilitatem descensus, & quia fulgur in suo origine habet lucem, quæ cum parum duret & cito extinguatur, simul cum suo casu in tenebras conuertitur. Sic etiam diabolus cum in luce gratiæ & claræ cognitionis à Deo creatus fuerit, parum temporis in ea persistens è cœlo cecidit, & in tenebras detrusus est. Ideò non dixit, quòd

Beda vt suprà. Diabolus quare fulguri assimilatur.

erat

erat fulgur, sed sicut fulgur: quia lucem amisit, quam habebat in principio.

Lucæ 17.

¶Notabis præterea quòd de Christo etiam infrà noster Lucas inquit, quòd veniet ad iudicãdum sicut fulgur de cœlo coruscans: sed magna est differẽtia. Veniet Christus sicut fulgur in iudicium, & Lucifer etiã sic descendit de cœlo, sed Angelus de cœlo, & Christus de super cœlum. Ille tanquã fulgur, qui priùs lucet & posteà fætet: sed Christus descẽdens bonos suo lumine lætificabit, malos autẽ cõburet, & accẽdet. Præterea ille cecidit, Christus tamen veniet: nam in casu insinuatur pœna, & quòd violenter & inuitus descendit: sed quando dicitur, veniet, ostẽditur Christi voluntas libera, imperiũ, atque dominium, quo ad iudicãdum est venturus.

Esaia 14. *Exod. 1.* *Genes. 3.*

¶Tertiò ait, De cœlo cadentem. Ex hoc patet diabolum bonum fuisse & creatũ in cœlo in statu gratiæ: nam qui de cœlo cecidit, in cœlo fuisse necesse est. Sed quomodo de cœlo cecidit, cum Esaias dicat, dixisse, in cœlum ascẽdam? Si erat in cœlo quomodo dicit, ascẽdam in cœlum? Dicendum quòd in loco Empireo cõditus fuit, & ibi erat. Sed cum dixit ascẽdam in cœlum, de benedicta Trinitate intelligẽdum est, quia ad Dei excellentiã aspirabat. Expẽde autẽ quomodo peccatores puniuntur in suis peccatis. Voluit suum regnum magnificare Pharao, & ideò persequebatur filios Israël: & hæc fuit causa deuastationis sui regni, & sui ipsius perditionis. Satanas extolli voluit, & ideo in infernũ est detrusus: serpẽs quia hominẽ in miserrimam seruitutẽ deiecit: ideo ille prostratus est, cum priùs erectus incederet. Vnde dictum est ei, Super pectus tuum gradieris. Et quia in ore habuisti mendacium, ideo in ore eius positum est venenum: ac etiam terram veneno infectam & à Deo maledictam propter peccatum hominis comedit, vnde dictum est ei, Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et quia mulierẽ decepit, dictum est ei, Inimicitias ponam inter te & mulierẽ: & semen tuum & semen illius. Mulier etiam quia in edendo cibo prohibito peccauit, ideo in fructu sui vteri est punita: ideo dixit illi Deus. In dolore paries filios. Et quia ad dictum serpentis, Eritis sicut dij, superbiit, ideo Deus humiliauit eam, & dixit, Sub viri potestate eris: Et vir, quia ad dictum mulieris in solo esu peccauit: ideo in labore quærẽdi sibi cibum est punitus. Vnde dictum est ei. Quia comedisti de ligno, de quo præceperã tibi ne comederes: maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Similiter quia angelus superbè ascẽdere voluit, & Altissimo assimilari: deiectus est serpens antiquuus, & humiliatus vsque ad infernum, sicut fulgur cecidit de cœlo.

Superbia initium peccati & corona peccatorum. *2.Petri 2.* *Esaia 28.* *Eccle. 10.*

¶Docemur hic superbiam tanquã pernitiosam pestem fugere, & alta mundi nõ concupiscere: cum ex hoc contextu pateat, quãtum Deus superbiam odiat, vt Angelum, qui adeò excellentis naturæ & conditionis erat, à fœlici statu omni bonorum genere affluenti deiiceret. Vnde beatus Petrus. Si Deus Angelis peccantibus nõ pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciãdos, &c. Sceptrũ & coronã regiam inter omnia vitia detestabilis superbia obtinet, secũdum illud Esaiæ. Væ coronæ superbiæ. Atq; ita suis seruis & ministris vitiũ hoc comitatus incedit: nam secum fere reliquam vitiorum omnium caternã adducit. Ideo Ecclesiasticus ait, Initiũ omnis peccati superbia: & qui tenuerit eam maledictionibus replebitur. Ex superbia nascitur hæresis: nã ignorãtia hominem hæreticũ nõ facit, sed superbia. Et sic Deus hoc vitiũ detestatur, vt dixerit per Amos, Detestor ego superbiã Iacob. Idẽ Salomõ in Prouerbiis. Et Ecclesiasticus ait, Odibilis Deo & hominbus superbia. Ob id Deus superbũ odit, nam Dei honorẽ & gloriam sibi vendicat, quem nemini voluit dare: & aliquo modo videtur seipsum Deum facere, volẽs sicut Deũ adorari, sicut fecit superbus Aman. Ab hominibus abhorretur, cum ipse solus imperare velit. Reliqua vitia secum sodalitium admittũt: lusor, edax, luxuriosus, similibus gaudẽt: maledictus verò superbus gaudet esse solus: omnibus imperare, ab omnibus æstimari & laudari cupit, neminẽ secum patitur. Duo superbi nõ possunt simul habitare: nam alter alterũ curabit destruere, vt vnus solus maneat. Iniquioris sunt naturæ & cõditionis, quã irrationabiles bestiæ: quandoquidẽ experimur animalia eiusdem speciei simul habitare, solus superbus se solum cupit videre, & nullam societatẽ admittit. Sed Christũ audiamus. *Ecce dedi vobis potestatẽ calcandi supra serpẽtes & scorpiones & super omnẽ virtutẽ inimici: & nihil vobis nocebit.* Per serpentes & scorpiones intelligit hîc Christus dæmones: quia ipsi discipuli dixerant, quòd eis subiiciebantur: ex quo vide quantũ subiiciat hominẽ peccatum, cum diabolus qui spiritus erat præclarissimus propter peccatũ ita est abiectus, vt assimiletur istis animalibus venenosis: nõ propter naturã quæ quidẽ bona est, sed propter virus & venenũ iniquitatis eius. Vnde Dauid in Psal. assimilauit eum draconi cum dixit Deo. Draco iste quẽ formasti, ad illudendum ei. Petrus etiã dixit illum esse leonẽ: & Ioannes in Apoc. dixit. Eiectus est diabolus qui est serpẽs antiquus. Videas & tu quòd talibus per peccatũ assimilaris. Vnde regius Propheta, Homo cũ in honore esset: non intellexit, cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ioãnes vocauit peccatores genimina viperarũ: quod iam vidimus in tertio capite huius. Christus vulpẽ dixit esse Herodem, & Paulus scribens Romanis, de peccatoribus dixit, Mutauerũt gloriã incorruptibilis Dei, in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis & volucrũ, & quadrupedũ, & serpentiũ. Quid obsecro superbus repræsentat, nisi leonem? quid vorax, nisi lupum? quid duplici facie incedẽs, nisi vulpẽ? quid furiosus & effrænatus homo, nisi tigrẽ? Et sic de reliquis peccatoribus, quos scriptura diuersis animaliũ generibus cõparat. Attẽde obsecro & cõsidera, quod cũ aliquod peccatũ cõmittis, in hũc miserũ & infælicẽ statũ descẽdis: cũ Deus te nobilẽ creaturã ad sui imaginẽ & similitudinẽ miris virtutibus & dotibus cõdiderit & illustrauerit: cũq; voluptatis vitiis & blãdimẽtis te tradideris, memineris similẽ fieri immũdissimæ sui, quæ tota semper immũditiis & luto demergitur. Te ipsum obsecro pudeat, & verecũdiæ velum faciei impone, teipsum fuge, quẽadmodum serpẽtem, basiliscum aut draconem fugeres: siquidem peccatis tuis talis effectus es.

Amos 6. *Prou. 8.* *Eccles. 10.* *Esaia 14.* *Hester 3.* *Superbia quãta sit destinata pœna.* *Psal. 103.* *1.Petri 5.* *Apocal. 12.* *Psalm. 48.* *Mat. 3.* *Luca 3.* *Luca 13.* *Roman. 1.*

¶Præterea locus iste potest etiam intelligi: quòd dederit Christus illis discipulis virtutem calcandi corporaliter & absq; læsione super quæcunq; animalia venenosa, vt legitur in Deuteronomio & Psalmo. Super aspidẽ & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonẽ & draconẽ. Et Christus etiam in Marco dixit, Serpẽtes tollent: & si mortiferum quid

Deuter. 8. *Psalm. 90.* *Marc. 16.*

Actu.28. quid biberint non eis nocebit. Paulus viperam adhærentem manui suæ excusit in ignem, & Ioánes Euāgelista vas veneno plenū bibit, & nihil ei nocuit. Nihil enim vennea, nec venenū habētia Apostolis nec Christi discipulis nocere potuerūt. *Verūtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus subijciuntur* Matth.7. *vobis.* Quia hæc dona sine Dei dilectione haberi possunt. Vnde dominus alibi dicit, Multi dicēt mihi in illa die, Domine domine, nóne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Et tūc cōfitebor illis, quia nunquā noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitaté. Christiana & sancta perfectio nō consistit in faciendis miraculis: nisi in Deo amādo 1.Cor.13. & diligendo. Vnde Paulus. Si linguis hominū loquar & angelorū, charitaté autem nō habeam, factus sum velut æs sonans, aut cimbalum tinniens. Ideò vanitas est, hominé in aliquo creato gaudere, nisi in Dei amore: qui sanctam, rectam, & securam reddit conscientiam. Quapropter Paulus nó in miraculis multis quæ fecit gloriabatur, nec in eiectione dæmonum: sed tantum gaudebat in testimonio 2.Cor.1. suæ bonæ conscientiæ, vt ipse Corinthiis scribens dixit. Nonne domine & nos aliquádo sumus gauisuri? Semper tristes debemus incedere? nō: sed gaudete, nō tamen quia dæmonia subiiciuntur vobis. Sed in quo? *Gaudete autē quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Diuus Hieronymus in cōmentariis Esai.34. super Esaiam, explicans illum locum, Complicabuntur cœli, vt liber: per hoc, quod nomina discipulorū scripta sunt in cœlis, intelligit eos, quorū nomina scripta sunt in libro vitæ, & ita eos, quos Ieremias dicit scriptos in terra, dicit scriptos in libro mortis. Vide quomodo Christus multis reuelauit suam prædestinationem: vt istis 70. discipulis, qui omnes, vt ex hoc cōtextu apparet, fuerūt Ierem.17. sancti & beati: meliusque quantum ad hoc & præstantius fuit collegium septuaginta, quàm duodecim apostolorū, quia ex duodecim apostolis vnus fuit damnatus, tamen isti omnes fuerunt salui, & ideò omnes isti septuaginta discipuli in hac vita fuerūt certi de sua saluatione: cum à summa verita- Ioan.15. te hoc audierint. Sic Apostoli fuerūt certi de sua saluatione, quádo iam Iudas fuerat egressus, & pollicitus est Christus se daturū illis Spiritū sanctum, Luca 22. vt maneret cum eis in æternū: & etiam vt Lucas ait, dixit illis, Dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus, vt edatis & bibatis super mēsam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël. Sed hæc verba, Nomina vestra scripta sunt in cœlo: nō Apostolis sed tantum istis septuaginta dicta sunt. Paulus etiā sicut duodecim Apostoli & isti discipuli reuelationé 2.Timo.4. habuit suæ saluationis, cum Timotheo dixit, De cætero reposita est mihi corona iustitiæ. Et talem reuelationé habuisse de beatitudine Clementis, & cæterorum sibi coadiutorum, testatur epistola ad Philip.4. Pilippenses: vbi ait Apost. nomina eorū scripta esse in libro vitæ. Paulus enim nihil affirmauit, quòd Luca 1. non verissimum esset. Beatam virginem habuisse etiam hanc reuelationé notissimum est, cum dixit, Ecce enim ex hoc beatā me dicent omnes generationes. Similiter Ioannes Baptista cum à Christo laudatus est mirifice. Sequitur in litera. *In ipsa hora* Matt.11. *exultauit in Spiritu sancto, & dixit.* Hoc ex motione Spiritus sancti, qui animā Christi in vniuersis direxit, gubernauit, & mouit. Dona Spiritus sancti faciunt mentem creatam benè atq; faciliter dirigi & moueri à Spiritu sancto: sicut virtutes morales faciunt appetitum sensitiuum promptè moueri & gubernari à ratione. Exultauit itaq; in Spiritu sancto ex actu seu dilectione procedente à Spiritu sancto. Non est intelligendū quòd antea in gaudio interiori non fuerit: sed interioris gaudij quædam signa nūc exterius demōstrauit: ideò cōuenientissimè dixit, exultauit. Exultatio nanq; dicitur quasi extra se saltatio: quando videlicet ex abundantia gaudij interioris, signa lætitiæ foras erumpunt. Et debes obseruare, quòd nunquā exultat Christus de alia re nisi de salute animarū, & de bono spirituali, & profectu discipulorum. Sic nos exultare oportet in cōuersione gentium, in vnione fidei, in pace, charitate, & fœlicitate proximorū. Sed multo aliter fit, cum de illorū ruina, infœlicitate, & defectibus gaudeamus, hæc omnibus de illis prædicantes. Non sic Paulus qui exēplo Christi gaudebat in proximi bono. Vnde ad Philemoné ait, Gratias ago Deo meo, semper tui memoriam faciens: gaudium enim magnum habui in charitate tua.

Nomina Dei reuelat electorū prædestinationem.

Exultatio quid.

Philemo.

¶Discamus ergo si quid fœliciter cesserit, exultare nō humano affectu, sed gaudio spirituali: non nobis vllam gloriam arrogātes, sed gaudentes de bono proximorū. Sic faciebat dilectissimus domino Ioannes cum dixit, Maiorem horū non habeo gratiā: quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare. Charitas siquidem veritati congaudet: sæpiùs enim legimus sanctos super victoriis inimicorum dominū collaudasse: quéadmodum in Exodo dicitur, quòd cecinerunt Moses & filij Israël carmē hoc domino. Cātemus domino, gloriosè enim, &c. Sic Delbora & Barac super occisione Sisaræ. Ité Iudith in occisione Holofernis. Quantò magis hîc super potestate hominibus fidelibus data supra inimicos, & eorū profectu? Sed quid Christus dixerit, exultās de vtilitate & profectu discipulorū audiamus. *Cōfiteor tibi Pater domine cœli & terra, quia abscōdisti hæc a sapientibus & prudētibus, & reuelasti ea paruulis.* Sententia est philosophi, quod actus actiuorū sunt in patiēte disposito. Cum enim sol mane oritur, experientia est compertum, quòd in ceram verberās eam mollificat, si verò in lutū, ipsum indurat. Vnde prouenit, quòd vnus & idem radius solis tam diuersos effectus producat? certè non ab alio nisi à subiecti dispositione. Naturale est ceræ, calore liquefieri, vt etiam luto eodē indurari. Vna & eadem causa tam varios & distinctos effectus producit, vt liquefacere, vt indurare, & non ob aliud nisi ob diuersas materiei naturas. Idem videmus cōtingere in negotio animæ nostræ: nam prædicatorem ex verbi Dei concione proficere vel non proficere: non tam in eorum verbis ornatis & compositis, non tam doctrina mirifica, non voce & actione consistit: quàm audientium animorum præparatione & dispositione. Et hinc prouenit, alios è concione contritos, deuotos Dei spiritu agitatos, domum regredi: alios verò ipsos concionatores spernentes, & eorum doctrinam irridentes. Mirum certe est vnum & idem verbum ab eodem ore prolatū tam diuersos effectus causare & producere. Vnusquisque è concione colligit secundum dispositionem & intentionem quam affert. Quod nunc videmus contingere, idem quando Christus Redemptor noster in mundo pręḍicabat, fiebat. Multi quippe ex ciuitate illa Capharnaum, quæ ca

3.Ioan. 1.Cor.13. Exod.15. Iudic.5. Iudith 16.

Vnius causæ eiusdemque causa aliquando diuersi effectus.

quæ caput erat totius prouinciæ Galileæ, suas conciones frequentabant; ingensq; multitudo semper eum sequebatur: cumque multi essent numero, ita res quæ ipsos mouebant ad illum audiendum, plurimæ erant. Alij nimia curiositate vt viderent quid diceret ille, quem omnes gẽtes laudabant & cuius famam & gloriam in sidera vsq; extollebant. Alij vt ab eius ore sensum scripturæ germanũ, & diuinarum literarum explicationem audirẽt. Alij verò humili synceritate suam salutem desiderantes, occurrebant. Erant enim in illa multitudine & côuentu audientium Rabini quidam suis literis & scientia inflati, sua propria sentẽtia astricti, ingenio suo fidentes, potius arrogãtia & superbia inflati, quàm pio in Christum affectu. Qui verò humiliter de se sentiebant, pio affectu & synceritate ipsum audientes, rectè Christi verba percallebant, & quò illorũ tenderet sensus: sapientes autem suis literis inflati ieiuni à sensu verborũ Dei remanebant, neq; cœlestem doctrinam capere poterant. His habitis accesserũt humiles & pauperes Christi discipuli exultantes & gaudentes, quæ fecerant magnalia ipsi domino narrãtes: Diuinus autem pastor, aliorũ considerans cæcitatẽ, aliorum verò commodũ & vtilitatem: & quemadmodũ ignorantes & humiles diuina mysteria percallebant, vtq; superbi & inflati illa nõ valerẽt intelligere, oculos in cœlum coniiciens, exultans in Spiritu sancto ad æternum patrem se côuertit, & inquit, *Cõfiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abscõdisti hæc, &c.* Cõmuniter quos ego potuerim expositores vidisse, vel ex sanctis doctorib° antiquis vel ex modernis, hi omnes & glossæ declarant, verbum confiteor, non hic accipi pro confessione peccatorum, sed pro eo quòd dicimus, gratias agere: & ita interpretantur, Confiteor tibi pater idem esse, quòd gratias tibi ago: Veruntamen etiam si hîc omnes dicant, Christum patri æterno gratias agere, laudare, ac benedicere: nunquam tamen sensus hic nec quadrare, nec intellectui satisfacere potuit. Absit vt ego velim condemnare quod tot tantique sapientes simul & docti affirmarunt: bene tamen scimus, Pygmeos gigantum humeris impositos, plusquam ipsos gigantes videre. Quantum verò ego coniectari possum, verbum cõfiteor, idem hîc significat, quòd, idem sentire, vel concordare ita, codex Græcus Diui Lucæ habet, in qua lingua fuit scriptum Euangelium hoc exomologoymai quod idem est, ac concordare. Idem in Græco diui Matthæi. Et hinc prouenit omologia quod est confessio & assensus & verbũ omoloeo quod significat consentio, cõcordo. Et sic vocabulum hoc adeò est extensum, vt etiam iuriconsulti quando partes in idem côueniunt vocent omologare. Propter quod reprehensione est dignus quidã modernus, qui in translatione quã edidit noui instrumenti abstulit verbum confiteor, & posuit gratias ago, cũ in Græco reperiret exomologoymai, & cùm esset Latine & Græce eruditus, nescio certè cur trãstulit gratias ago, nisi forte voluerit potiùs translationes communes sequi, quàm græcũ codicem in quo certè minorem rationem habuit. Atq; ita verbum confiteor rectè positũ est, & ideò nequaquam tollendum, cum nostra communis translatio melior sit & præstantior cæteris translationibus. Constituamus nunc esse hîc quatuor vel quinq; sapientes ac docti dẽ aliqua rẽ disputantes, cumque diputationem alter alteri dicat, fateor te habere rationem. Ac si diceret, In tuam sentẽtiam eo, ambo conuenimus & in disputatione conformes sumus. Et ita illud Philosophi intelligitur, confessè se habent, ratio vera, & appetitus rectus. Quasi velit dicere, Ratio vera côuenit & cõformis est appetitui bene recto & gubernato. Vult igitur Christus hîc dicere, Pater mi, domine cœli & terræ, ꝙ hæc mysteria mundi sapientibus & prudẽtibus sint abscõdita, & vt reuelentur & manifestẽtur humilibus & paruulis, bene mihi videtur: Humana enim voluntas pater mihi diuinæ voluntati conformis est, atq; ita dico id benefactum esse. In hoc ego & tu pater conuenimus, vt humilibus & paruulis hæc aperta sint, sapientes autem ieiuni & vacui maneant: quia præuaricatores & rebelles fuerunt.

Confiteri verbum pro concordare.

¶ Sed quid hoc domine? quod cùm peccatores saluos facere veneris, humilisq; pius & suauis mũdum sis ingressus, signis exterioribus, gestu & facie gaudes & exultas de peccatorũ perditione? (hoc enim verbũ exulto significat). Vult Deus hominũ salutem voluntate signi: sed voluntate beneplaciti, quæ conformis est voluntati diuinæ eum laudat: quia gloriosus est in punitione & iustitia peccatorum. Aequalem honorem & laudem iudex sibi adquirit: cum furem & homicidam suspendit, & cum innocentem & insontẽ relinquit. Cùm enim Pharao populum Israëliticum persequeretur, ipseq; & eius exercitus mari essent summersi, Dei populus suum Deũ laudauit, & exultauit in spiritu, & cantauit tympanis dicens; Cantemus domino, gloriosè enim manificatus est, &c. In Apocalypsi sancti & iusti etiã Deum laudarũt, & exultantes dixerunt Alleluia, vociferantes & gratias domino reddentes: quia destruxerat & deiecerat Babylonicam illam mulierem, que omnes gentes interficiebat. Sic Christus hîc exultauit in spiritu approbans Dei punitionem, & iustum iudicium, vt superbi in pœnam suæ malitiæ & obstinationis puniantur cæcitate & ignorantia mysteriorum Dei.

Volũtas signi & beneplaciti.

Exodo 15.

Apoc. 19.

¶ Expende quòd vocat illum dominum cœli & terræ, nullum aliud nomen ei imponens: quod certè mysterio non vacat. Nam cùm Christus superflua nequaquam loqueretur, his verbis in memoriam redigit expulsionẽ illam angelorum è cœlo, & approbationem & electionem bonorum angelorum qui in cœlestes sedes fuerunt accepit. Hæc electio & reprobatio, quæ nunc fit in terra: illi quæ in cœlo fuit facta correspondet. Ita pater sicut è cœlo angelos superbos & elatos (qui suis oculis sapientes & prudentes iudicabantur) eiecisti eos in abyssum tenebrarum & miseriæ mittens, eos autem qui iactantiam & superbiam fugientes, humiles ad te accesserunt, diuino tuo consilio elegisti: sicut inquam hoc in cœlo tanquam in regno tuæ hæreditatis fecisti, nunc etiam in terra tanquam illius dominus hos arrogantes, & qui se sapientes iudicant, reiicis & reprobas, humiles autem eligis tuis vberibus lactandos, quia à tua voluntate tanquam à paterno ore pendent.

Apoc. 14.

¶ Porro sapientes vocantur quantũ ad notitiam diuinorum: prudentes autem quò ad humanarum rerum cognitionem. Sapientes erant & prudentes illi scribæ & pharisæi, quia doctissimi erãt in lectione diuinorũ voluminum, & prudentes in seculari scientia & in rebus agendis: quapropter quia aliis doctiores erant & sapiẽtiores, superbiebãt, & Christi doctrinam contemnebant, suo ingenio confidentes,

Sapientes & prudentes quõ vide theo. in hoc loco.

Esaie 5 dentes. De his ait Esaias, Væ qui sapiētes estis in oculis vestris, & coram vobis metipsis prudentes. Hæc ignata mundi sapientia stultitia est apud
1.Corinth.1 Deum: de qua Paulus Corinthiis ait, Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi inquisitor huius sæculi? Nónne stultā fecit Deus sapientiam huius mundi? His sapientibus & prudētibus mū-
Mundi sapientes. di, diuina mysteria absconduntur, vt hic inquit Paulus. Sapientem iudicat mundus eum qui sua vitia dissimulans, honores, diuitias, dignitates acquirere scit: insanum, amentem, & stultum eum prædicans, qui hæc contemnit, & tanquam vile stercus reiicit & fugit. Secundum illud quod mali de bonis loquentes dixerunt, Nos insensati vitam illorū
Sapi.5 æstimabamus insaniam. Sapientes mundus existimat eos, qui rerum cupidine & appetitu insatiabili suum studiū & curam collocant in parandis sibi diuitiis, & qui ita nō viuunt, stulta mundi sapientia sine mente & intellectu prædicant. Sapiēs qui-
Actorum 26 dem huius sæculi Apostolo Paulo dixit, Insanis Paule: multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Quemadmodum hic cùm non intelligeret mysteria quæ Paulus prædicabat, iudicauit Paulum amentē: ita mundus omne id quod suo hebeti ingenio nequit intelligere tragœdiam aliquam aut
Matth.27 meram insaniā putat. In domo Herodis Christus velut insensatus & stultus niuea veste fuit indutus: nam mundi sectatores Dei sapientiā non intelligentes, insaniam putant. Cum Christi sapientia omnem humanum captum superet: ideo mundus eam contemnit: quemadmodum cōtingit, vt hoc nomine appellemus id omne quod nostrum ingenium superat. Dux enim rebus bellicis & periculis iam expertus, quādo aliquod stratagema in inimicos diligēs molitur, qui de illa re parum cognouerunt ipsum ducē, & eius opus inane & insanum existimant. Et sic non mirum cùm humanam capacitatem diuina sapiētia superet, si ab homini-
Sapien.5 bus contemnatur, & insania existimetur, vt Sapiens in persona mundanorum dicit, Sol iustitiæ non illuxit nobis. Non loquitur de sole, qui mundum illuminat: quandoquidem radios suos super bonos & malos spargit: sed de illo sole iustitiæ & diuino splendore diuinæ sapientiæ cuius claritatē
Exodo 4 mundani lippis oculis nō valuerūt sustinere. Moses cū esset in Ægypto sapiens & eloquens erat: cùm verò Deum est alloquutus, mutum & elinguem dixit se esse. Sapientissimus fuit Salomon, sed suam sapientiā cum diuina cōferens, insanis-
Prouer.30 simum se iudicauit, neque sapientiam hominum cū illo esse. Filij huius sæculi in generatione sua sapientiores sunt & prudentiores: & ideo dixit sapiens, quòd sapientia hominum non erat cum eo, sed Christi sapientia quam mundus stultitiā existimat. Lege Hieronymum, de viro perfecto ad amicum ægrotum, qui incipit: Ecce iterum ad te scribo, post medium in quarto tomo.

Quinam sint digni diuina sapientia. ¶ His Scribis & Pharisæis, qui erant sapiētes & prudentes coram oculis suis Dei sapientia abscon ditur, quam ipsi neq; attingebāt, nec intelligebāt: paruuli verò, quibus reuelatur, sunt humiles, & parum de suo ingenio confidentes subiiciūtur Deo. In Græco est infantes nipíois in ætatis progressu, qui nesciunt loqui: quique omnem sui curā & fiduciam in nutrice collocāt. Ita nos id deberemus
1. Petri 2 facere, vt ait B. Petrus. Quasi modo geniti infantes sine dolo, &c. His paruulis Deus sua secreta pandit: vacuos & ieiunos superbos & arrogantes relinquens. Superbi (ait Deo sancta Iudith) non Iudith 9
placuerūt tibi ab initio. Verùt æterna patris sapientia, vt se cōmunicaret paruulis & humilibus. Qui humiliter & animi sinceritate ad sapientiæ fontē accedebant, non vacui abibant. Nō arrogantibus & inflatis sed humilibus, qui Deo subiiciuntur, diuinæ sapientiæ aqua tribuitur, quæ tāquam salutifera & a perenni fonte dimanās hominum corda impleт. Ideò bene in Prouerbiis legitur. Vbi humilitas, ibi sapiētia. Quemadmodum natura nihil va Prouer.11
cuū patitur, ita quòd si supra cœlum esset aliquis locus non repletus: terra ipsa ascenderet ne illud inconueniens sequeretur: sic gratia statim vt cor superbia & vana gloria vacuū est, de cœlo descēdit, & implet. Nullū locū sapientia diuina inuenit in corde iactātia & sui ipsius amore pleno. Cui ob Lege Aug. de verbis domini super
secro cōmunicatur? cordi nulla arrogantia se ipsum iactanti. Ideò Iaco. Superbis Deus resistit, hu Math.ser. 8
milibus autē dat gratiā suā. Vidua illa iussu Heli- Iacobus 4
sæi non fundebat óleum nisi in vacuis vasis. Si vis vt Deus infundat tibi gratiam, & vt mirabilia secreta tibi cōmunicet & aperiat, necessum est vt humi- 4.Regum 4
le cor, & ab omni superbia longe semotū ei ostendas: nam tunc aptus eris, vt doctrinā Christi & bibas & accipias. Si somnia Pharaonis non reuelauit Deus sapientibus & prudentibus Aegyptiorum: Gene. 41
sed humili Iosepho in miseram seruitutem tradito & in carcerem detruso. Vnde Iob interrogat, Sapiētia vbi inuenitur: & quis est locus intelligētiæ? Iob 28
Non inuenitur in terra suauiter viuentium, &c. Et sæpiùs his verbis (vbi inuenitur?) repetitis: subdit, Trahitur autem sapientia de occultis, in absconditis & despectis inuenitur: lege Gregorium. Libro 18. moral. capite.36

¶ Perspectiui aiunt, hominem in profundo siue obscuro antro, siue in imo & profundissimo puteo absq; aqua, constitutum, etiam in meridiana luce videre stellas in cœlo: quas supra terram constitutus videre nō poterit: Sic humiles maiora cognoscunt de Deo. Humiles loquuntur Deo, ex cuius fonte hauriunt sapientiā, & sunt Deo familiares & gratissimi. Sic Abraham dixit Deo, Loquar ad do Genes.19
minū meū, cùm sim puluis & cinis. Oculi nāq; nimium eminentes, imbecillem habent virtutem ad videndū: oculi verò submissi melius & magis vi- Vide Ambr.
dēt, & acutiorē habent aciē. Sic humiles melius di lib.7. in Lucam.
uina mysteria percallent: homines verò elati, qui suis cogitationibus super æthera ascendunt, hi cæci ambulāt in cognitione rerum diuinarum, & sic à Deo spernuntur. Sic Paulus. Nonne contemptibilia mundi elegit Deus? Ex horum numero erat 1.Corinth.1
Paulus, quādo dixit, Vsq; in hunc diē esurimus & 1.Corinth.4
sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, &c. Et postquam Apostolus omnes labores & contēptus vitæ Apostolicæ numerauit: concludit dicēs, Tanquā purgamenta mūdi huius facti sumus, omniū peripsema vsq; huc. Peripsema corticē significat. Cùm malum persicum siue pomū velis comedere corticē abscindis & reiicis, reliquū verò bonū & pretiosum existimas: Mūd° honorat, veneratur, & suspicit potentes & diuites: hęc est carnis & fructus substātia, & hoc est ꝙ mūdus magnificat. Sed nos (inquit Paulus) sumus cortices mundi, vile & abiectum quod ab omnibus reiicitur & conculcatur. Sed aduerte quod solet contingere quādo malum arenzeum comedis vt nucleū & medullā ex-

haurias, putamina relinquis, venit autẽ aliquis cõditor qui electuaria cõficit, & accipit illa putamina malorũ arãzeorũ, & coquit ea sacchato & melle, atque ita vnum horum præstãtius, & pretiosius est, quàm reliqua alia. Nos autem, inquit Apostol. sumus tanquã cortices & peripsemata vilia & abiecta: succus autem sunt diuites & potentes, quos mundus æstimat. Venit verò Christus, & accipit cortices, & putamina hæc, & in suo amore diuino coquit, & præbet illis tantam gratiã, & spiritũ, vt plus valeat, & magis æstimetur vnicus apostolorũ pes, quàm omnia capita regũ, principũ, & magnatum mundi. Mirabilis conditor est Christus, siquidem ex his pauperibus discipulis, & ignaris (qui mundi erant peripsemata) diuinos & cœlestes homines reddit. Hos pauperes Deus diligit, his sua secreta & mysteria pandit, gaudet, hos vult, his animus eius recreatur: Hi sunt eius solatium, gaudiũ, & voluptas: miseros mundi sapiẽtes & prudentes, in cæcitatis tenebris inuolutos relinquens. ¶ Sed
Allo.10 tria hic cõsideratione digna sunt. Primum est, cur potius istis paruulis quàm sapientibus & prudentibus reuelata sunt mysteria. Secũdum quomodo Deus dicatur abscondere hæc à sapiẽtibus & prudentibus. Tertiũ quæ sint hæc quæ reuelauit paruulis, & abscondidit magnatibus.

¶ De primo mirandũ est, cùm Deus nequaquã acceptor personarũ sit, cur voluerit his reuelare: aliis verò abscõdere. Hoc factũ est primò quia isti paruuli cõsenserunt voluntati diuinę & eius inspirationi, quod alij nõ fecerũt: ideóq; iusta punitione cæci manserũt, cũ libero suo arbitrio malè fuerint
Duplex fides infusa & acquisita. vsi. Duplex enim est fides, infusa & acquisita, seu habitualis vel actualis. Cùm primũ puer baptizatur, statim Deus in eius animã infundit habitualem fidem aliis virtutibus coniunctã. Actualis erit quãdo iam adultus cõuertitur ad fidem, vt Turca aut infidelis acquiescẽs articulis fidei. Vnde D. Au
De spiritu & litera. cap. 31. & 32 gust. Cætera, inquit, possum nolens: credere autẽ nõ nisi volens. Hæc fides donum Dei est, quã ipse Deus homini tribuit & reuelat, qui cum in peccata delabitur lapideus, & adamantinus fit, Dei reuelationi & veritati non cõsentit. Contrariũ accidit humilibus, quibus Dei virtus se cõmunicat: nam cum Spiritu sancto pulsanti cor suũ aperiãt, digni fiũt maioribus beneficiis & donis, atq; ita potiùs iustiùs & ęquiùs Deus istis quàm illis cõmunicat.

¶ Secunda ratio quare Deus potiùs istis quã illis cõmunicat est, nam vnusquisq; vbi meliùs cũ eo agitur, & in hospitio vbi synceriori animo recipitur & acceptatur ibi gaudet manere. Cõtingit sæpiùs, vt aliquis nobilis vir, cũ in curiã proficiscitur, & in domo alicuius principis, aut magnatis hospitiũ accipit, œconomus qui rerũ domesticarũ curã habet, in deteriori parte domus cũ famulis & ministris collocat, & prius quã cœna apponatur, omnis prorsus cœnandi voluntas est ablata, & forte sine lucerna cubat, qui cũ talia viderit, iamiam aurorã desiderat, vt foras egrediatur hospitiũ, hospites & hospitalitatẽ detestans. Si verò hic nobilis vir ad domũ alicuius pauperis agricolæ accedat, alacri animo, sereno vultu, & magno applausu eũ excipit, filius agricolæ equi curã habet, apponit statim in præsepio modiũ ordeo plenum, vxor pinguiorẽ pauonẽ aut gallinã interficit, mensam mãtilli niue cãdidiori & albiori sternit: omnes illi seruiũt & cõplacent, pueri suspenso ore oculos in eum cõiiciunt, & venerantur lectum mundiorẽ parant, & cõponunt odoriferis sindonibus: adeò vt si opus est ipsę coniuges cum domesticis & familiaribus è domo sua egrediantur, aliam quærẽtes, ne ad hospitium bene paratũ & cõpletum aliquid deficiat. Nonne videtis, vt iste melius & iucundiùs in domo pauperis, quàm in domo diuitis excipitur? Quærit Deus mansionẽ in domo diuitis & superbi, non inuenit locum vbi requiescere possit, nam eius intellectus in rebus caducis & perituris est detentus: voluntas iniqua ambitione contaminata, cor eius vitiis & honoribus sepultũ, & potentiæ animæ sepultæ, & mundo emancipatæ. Viliùs quod domi est Deo tribuũt, signant se cruce, obiter & velut in transcursu rem diuinam audiunt, aquam benedictã sumũt: sola hæc signa Christiani Deo tribuunt, & his accidentibus & accessoriis Deũ hospitantur, cũ omnes animę potentias principales eius partes amori mundano libenter tribuant. Pauperes & humiles multò aliter faciunt. Nam præcipuã domus suæ partẽ libenter Deo tradunt, scilicet animi potentias, intellectũ & voluntatem, & cor vacuũ relinquunt, è domo sua egrediẽtes per sui abnegationẽ, vt Deus meliùs & suauiùs excipiatur in præcipuis animæ partibus. Ita Sancti per sui cõtemptum & abnegationẽ à se toti alieni semper vitã degebant, & sic in Deum eleuati, & in cœlum transpositi, vt huius mũdi homines nõ apparerent, vt totum hospitium Deo relinquerent, vt in D. Bernardo, Francisco, & aliis Sanctis videmus Ideò Paulus. Nos excedimus Deo, 1. Corint. 5
Deo est datiui casus, ac si diceret. Extra nos ipsos egresi sumus, vt Deũ in animis nostris pascamus. Lege Anselmũ in hunc locũ. Et iterum Paulus ait: Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Christus. Galat. 2.
Sed mundi impudentia vsq; adeò extẽditur, vt nõ solùm Deũ in inferiori parte domus hospitentur, sed in equili: nam in peccatis suis Deũ collocant, Deũ autorẽ suorũ malorum facientes. Sic Adam excusans suum peccatũ dixit, Mulier quam dedisti Genes. 3
mihi, &c. Tu Domine autor es culpæ, quia mihi cõiugem dedisti nimis importunã, iussis meis nõ acquiescentẽ. Tu dedisti mihi illam, tua est culpa. Gre. lib. 22 mor. cap. 13
Ideo inquit beatus August. quòd si Adam à culpa Augusti. ser.
non se excusaret, Dominus illum è paradiso non 19. de sanct.
eiiceret. Multi ex filiis Adam huius culpæ hære- tom. 10
des sunt, qui in Deum culpam reiiciunt, se insontes iudicando. Ad excusandas excusationes in pec Psalm. 140
catis. Hi in equilibus & immundis locis domus suæ Deo hospitium tribuebant, è contrà verò humiles omne bonum Deo tribuunt tanquã suo autori, malum verò & defectuosum sibiipsis.

¶ Tertia ratio est, vt clarius & manifestius suã sapientiã & potentiam ostẽdat. Quia infirma mũ- 1. Corint. 1
di elegit, vt fortia quæque confundat: nam vt Pha Exod. 8
raonem Aegypti regem superbum humiliaret, ciniphes & ranas, in eum misit. Præclaram laudẽ & Iudi. 15
honorẽ sibi conciliauit Sanson, cum sola asini mãdibula mille viros interfecit. Non minor laus Dei excellentiæ & virtuti accessit cùm per Dauidem, gigantem superbum & furiosum Goliam prostra- 1. Reg. 17
uit: & in illo etiam, quod manibus imbecillæ Iudith. 13
mulieris superbus princeps Holophernes interiecit. Sed illa est præclara & inter omnes excellentior victoria, quæque Dei potentiam & virtutem magis illustrat, manificat & extollit, vt per paruulos discipulos, suo imperio vniuersum mundum subegerit. Hos paruulos eligit, hos assumit, his potentes mundi vires confringit. Si enim hic videres imaginem

imaginem variis coloribus & subtili penicillo depictam, atque accederet excellentior alius pictor, ubiq; te perpendiculum adhiberet, & in pariete depinge.et aliam imaginem, quæ longo spatio primam antecelleret, sic denique vt ars materiam simul & naturam videretur superare & vincere:nonne omnes mirarentur? Sic mūdus armis & magnis equitum copiis ciuitates expugnat, sicque reges victoriam de inimicis reportant. Deus autem non sic, sed carbonē & pauperculos discipulos & ignaros eligit. Et nō mirū, nam cū rex sit homo, vt homo potest errare, & sic habet suos consiliarios & sapientes vt per illos imperium regatur & gubernetur. Et quia imbecillis est, habet opus fortibus militibus copiis & exercitu, vt suos inimicos superet & vincat. Deus autē qui summa sapientia & potentia est præditus, nullis armis & militibus, nullis copiis & exercitu, nullis literatis & sapiētibus nec eorū consilio indiguit, vt mundū regeret & gubernaret. Et ideò his rationibus istis paruulis voluit Deus sua secreta manifestare: & ea abscondere sapientibus & prudentibus huius sęculi.

Simile.

¶ Secundum autem, ꝙ hic est dignū considera tione. Quomodo Deus hic sua secreta abscondit? Dico ꝙ excæcauit, non illuminādo, deinde occasiones & causas subministrando, quibus mēs peccatoris magis ac magis excæcatur iusto Dei iudicio, suo tamen vitio & malitia. Lege de hac re Irenęū, Originem, & Chrysostomum. Sed ne omnia aliis remittamus, operæpretium erit, hic aliqua enarrare. Quemadmodum fluuius licèt ex paruo fonte nascatur, recipit tamen incrementa aliorum fluminum, & quo longiùs procedit, eo plures & maiores riuulos & fluuios amplectitur, & maior fit: sic contingit multis peccatoribus qui peccata peccatis augentes, maximi peccatores fiunt, adeò vt in profundū vitiorum demergantur. Hos Deus vt pessimos & peruersos indurat, excæcat, & sua secreta illi abscondit: nō quod ipse directè sit causa ignorātiæ & obstinationis, sed quia iusto iudicio mentem humanā obscurari permittit, & indurari, auxilium auferēdo in pœnam suorum peccatorum. Excęcat itaque negatiuè, quia nolentibus nō confert gratiam neq; lumē. De his ait Paulus, quod tradidit eos in reprobū sensum, & excęcauit intellectū eorū: Non sic tamen quod hæc operatus sit Deus, sed quoniā isti ineptos se effecerūt, indigni facti sunt, vt reciperēt gratiā Dei. Sol omnib⁹ oritur, nemini abnegatur: sed in tenebris manebit, qui fenestram non aperuerit, aut clausus domi manserit. Atq; ita dicimus quod sol absconditur ab eo, qui ei ponit impedimentum, ne ipsum videat: & sic etiam dicimus isti tali solem se abscondisse: nam ita cum illo se habuit, ac si non oriretur. Tempore hiberno dicimus, sol absconditur, quando eum non videmus, propterea quod nubes & nebulæ inter ipsum ponuntur. Ita nimirū Christus verus sol iustitiæ, omnibus prædicabat, omnes illuminabat: miseri autem & superbi Pharisæi tot obstacula, tot impedimenta ambitionis & arrogātiæ opponebant, vt obcęcati & mentis tenebris inuoluti manerent, tantum abest, vt mysteria Dei & secreta intelligerent. Ita hæreticis suæ superbię, & fidentibus suæ propriæ sententiæ & iudicium, proprium sequentibus veritas occultatur, & cæcitas, & caligo illorum mentem ascendit: vt his, quibus clara & splendida lux oculos offendit. Sol refulget (ait Ecclesiasticus) radiis suis, & arescit oculus: Et hoc quidem non solis culpa, qui planeta est excellentissimus, sed propter imbecillitatem & tenuitatem oculorum nostrorum: nam aquila nullis oculorum ictibus firmo intuitu solem in sua sphera conspicit, excellens enim sensibili corrumpit sensum, & ideo qui montes niueos transgrediuntur, manu ferunt oliuæ ramū, vt ipsum aspiciant: ne nimio candore & albedine cæci fiāt. Atque ita cum superbus & arrogans oculos suos in fidei lumen clarissimum velit conicere, & Dei secreta & mysteria, naturali ratione & intellectu mensurare, errore & hæresi cæcus redditur. Vnde Iob. Quasi in nocte sic palpabunt in meridie. Et sicut sol suo recessu solet esse causa congelationis non directè, sed indirectè. sic Deus in pœnam peccatorum solet se à peccatoribus abscondere, & tunc in tenebris manēt, & excæcatur insipiens cor eorum: sicut istis pharisæis contigit. Sic indurauit cor Pharaonis, quia negauit ei auxilia non inquam necessaria ad salutē supererogationis: quod Deus nunquam facit nisi iustè, & de meritis existentib'us in causa. Vnde in persona domini dicit Esaias. Quis est iste liber repudij, quo dimisi matrem vestram? Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & & in sceleribus vestris dimisi matrē vestram: quia veni, & non erat qui audiret. Igitur propter sua scelera Deus relinquit peccatorem.

Deus excæcat nō efficiendo sed negando lumen nolentibus.

Iren. lib. 4. c. 28. Ori. hom. 1. in Exo. Chrys. ho. 67. in Ioā. & ser. 9. c. 1. Epistola ad Rom. & hom. 8. in 2. Epistolam ad Cor. Dama. lib. 4. c. 20.

Roma. 1

Eccle. 42

Iob 5

Exod. 7

Esaia 50

¶ Illud autem hic diligenter notabis, ꝙ peccatorē à Deo relinqui, idem est ꝙ Deū relinqui à peccatore: nam Deus nunquā peccatorem suo auxilio destitueret, nisi priùs peccator à Deo fugeret. Deus quippe firmus & stabilis semper in amicitia nostra persistit, peccator verò est qui propter mutabilitatē & inconstantiam, & propter malitiā suæ voluntatis recedit, & tunc dicimus Deū à peccatore discedere, quia peccator discedit à Deo. Sic etiā dicim⁹ Deū abscondere sua secreta & mysteria his, quia ipsi pri⁹ se abscōdūt obstinatiōe & pertinacia. Iust⁹ iuxta Deū est: quādo verò sub liberū arbitriū mouet & mutat mortaliter peccādo, à Deo discedit, cuā si ipsi videatur Deū ab eo discedere, motus enim est in creatura, nō in creatore. Qui à portu discedit, & nauigare incipit, videtur ei terra moueri & ambulare, ipsum verò trāquillū & quietūmanere: cū in rei veritate prorsus contrariū cōtingat. Hoc modo fallebatur Saul, quādo Samuēli dixit. Philistiim pugnāt aduersum me, & Deus recessit à me: & exaudire me noluit. Saul fuit q. Deū à se separauit: nā De⁹ à nemine discedit, cū immutabilis sit. Si cū ego sū quiet⁹: si qui à dextro meo latere est, in sinistrum trāsit, vel vice versa, quis mutatur? Manifestum est me nō mutari, sed qui à dextra in sinistrā trāsit. Per Ionā dixit. Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur, sed Niniue saltim tūc nō fuit subuersa: igitur Deus mutatus fuit, quandoquidē dixit se eam subuersurū, ꝙ tūc non contigit. Nulla certè in Deo fuit mutatio, sed in Niniuitis: qui cū à sinistra Dei manu essent, in dexterā trāsierūt, & quādo Deus voluit ferire eos qui à sinistra erant, iā ipsi in dexterā transierant, atque ita sine punitione manserūt. Promisit Deus se animaduersurū in peccatores Niniue, & cū sententiā voluit adimplere, nō inuenit peccatores, qui pœnas luerēt. Clarū igitur cōstat ꝙ De⁹ nō mutatur, sed peccatores. Deus non hominibus, sed vitiis irascitur: quæ si in homine nō fuerint, nequaquā eum

Peccatorem relinquit Deus, quia ab ipso relinquitur priùs.

1. Reg. 28.

Deus dicitur mutari & recedere quia homo mutatur & à vitiis recedat.

Ione 3.

punit, quia mutatus est homo. Similiter etiam dixit Ezechię, cito moriturum, & non est mortuus, sicut prædixerat: & ad Achab etiam dixit. Inducam mala, & non induxit, sed dixit, Nonne humiliatus est Achab? Ideo non inducam in diebus suis mala. Alibi etiã bona promittit, & si mala fecerint dicit suam mutare sententiam, non in homines, sed in opera, quæ mutata sunt. Vide Hieronymum, Chrysostomũ & Origenem. Igitur quemadmodũ dicitur, Deum mutari, discedere: quia peccator mutatur & discedit à Deo: ita dicitur abscõdi, quia peccator abscõditur. ¶ Vide & tu quàm magna sunt iudicia Dei. Verè iudicia Dei abyssus multa. Vides Saulem sanctum & amicum Dei, suis donis auctũ & locupletatũ, eius beneficiis affluentem, & denique suo lacte nutritum, reprobatum. Vides etiam Nabuchodonosor tyrannum & populi Dei persequutorem saluum esse? In hoc certè confidendum est diuinam iustitiam, cũ misericordia simul diuino lumine splendere: Iustitiam, quia abscondisti: misericordiam, quia reuelasti. Ideo Dauid in Psalmo, Misericordiã & iudicium cãtabo tibi. Vtrũq; erat Dauid expertus, quia dominus pepercerat ei: & etiam punierat, quia filium, quẽ ex Bersabee susceperat, occidit dominus, & persequutus fuit ab Absalone, & opprobriis affectus à Semei. Hęc duo oculis nostris semper debent esse pręsentia. Vnde in primo libro Regum legitur, quod vaccę arcam domini ducebant, tendentes in Bethsamis, quę est domus solis. Erant in arca tabulæ lapideæ legis, quoddã vas, Manna, & virga Aaronis: ita nimirum nos iter facere debemus in cœlũ, ꝙ est domus solis, vbi semper est dies, nobiscũ ferentes legẽ Dei simul cum misericordia coniunctam (quæ dulcissima est vt Mãna cœli) & virgam etiã diuinę iustitię. Bonum est, & laudabile, vt misericordię diuinæ recordemur, in memoriã adducentes beatam Magdalenam, Dauidem, Petrum, & Paulum: canamus simul cum Dauid, qui inquit, Misericordias domini in æternum cantabo, vt sic non desperemus. Sed illud etiam claris oculis videamus & cõtemplemur, Angelos propter vnum peccatum solum è cœlis deiecisse. Quia Angelis peccãtibus nõ pepercit (vt ait Petrus) sed in tartarum tradidit cruciandos. Timeamus Dei vindictam & iudicium, ꝙ in Saule & Iuda exercuit & in multis aliis: atque ita iter Bethsamis insequemur. Tu autem, qui nihil consideras, audes in tantũ in creatorẽ peccare, suæ misericordiæ diuinæ confidens: nõ attẽdens in te suam iustitiam prouocare & promouere. In Deo enim iustitia & misericordia in duab⁹ stateris sunt, ex quibus vna altera nõ est maior: nam ambę sunt infinitæ, & sic quando peccas, manibus tuis tua opera ad te attrahis propter iustitiam, & tunc statera diuinæ iustitiæ ad te descendit: ascendit verò ad Deum statera suæ misericordię. Si ergo Deus in te suam iustitiam extendit, suam verò misericordiam in se cõtrahit: quid speras si non pœnites? Thesaurizas secundũ impœnitens cor tuum, in diem vindictæ, vt Paulus ait. Est enim vasculum quoddam in modũ gazophilatij in quo semper pecunia deponitur: postquam verò est impletũ & thesaurus factus, id frangunt, pecuniamque extrahunt: ita tu peccata peccatis cumulans, iniquitatem iniquitati addis, vsquequo mensurã impleas, & thesaurizas in diẽ iræ. Sed veniet dominus & cõfringet te, & diminuet animã in tartara mittens, corpus verò in sepulturam vt absumatur. Ne igitur cor tuũ tanta inuadat obliuio, vt peccare in Deũ audeas, sua fretus misericordia, suam iustitiam à tergo relinquens: & id obsecro contempleris, quod si hic suauis & benignus cum paruulis se ostendit, illic est cum sapientibus & prudentibus huius mundi iustus iudex & rectus. Vtrunque enim est considerandum, si vitam rectam & bene compositam velimus degere, in mentes redigentes suã iustitiam, & misericordiam: quandoquidem ipse has duas hic ostendit, tenebris & cæcitate superbos puniẽs, paruulis & humilibus sua secreta reuelans.

4. Reg. 20 *3. Reg. 21* *Hier. Dani. 4. & Amos 3. & Ezech. 33. Chry. hom. 22. in genes. Ori. hom. in Hier. 1. & hom. 16. in Nume.* *1. Reg. 9. & vltimo.* *Psalm. 100* *2. Reg. 12* *3. Reg. 16* *1. Reg. 6* *Iudiciũ cum misericordia in Deo coniuncta.* *Psal. 88* *1. Petri 2* *Rom. 2* *Simile.*

¶ Quę sint autem quę abscondit prudentibus, & sapientibus & reuelauit paruulis? Hoc est tertiũ obseruatione dignum. Abscondit enim hęc. Quę sunt hæc, quæ abscondit? gaudia scilicet ęterna gloriam beatam, fruitionem suæ diuinitatis, consolationem sine limitatione, sine fine quietem, sine metu fœlicitatem, vitam sine mortis timore, & sine fine gloriam. Quæ sunt hæc quæ abscõdit? suauitatem interioris Dei inspirationis, dulcedinẽ suarũ consolationum, animæ spirituale gaudium voluptatem & suauitatem internam, quam cor nostrũ accipit pro laboribus & persequutionibus pro ipso perpessis. Quæ sunt hæc, quæ abscondit à sapientibus? Abscondit certè cõtemptum, sui ipsius abnegationem, crucis Christi suauitatem, paupertiem, famem & sitim pro Deo contentam & satiatam, veram mortificationem, odium & inimicitiam mundi, patrię cœlestis amorem, & quod pauperes & paruuli sint beati etiam si lachrymis constringantur, quòd in persequutionibus gaudeant, & alacri vultu mortem pro Deo suscipiant: & quod mundus odio prosequitur, ipsi diligant & amplectantur. Hæc certè non valent intelligere sapientes mundi: sed solum hi, qui se & omnia sua Christo emanciparunt. *Pronomẽ hæc refert bona indicibilia & inexplicabilia.*

¶ Sed cur non dixisti ô mundi Redemptor. Abscondisti has opes, hoc lumen, hoc thesaurum, hãc sapientiam, vel salutem? Responsum credo esse: nã hęc gaudia & bona spiritualia (quę Deus sapientibus abscondit, & reuelat paruulis) nullatenus humana lingua possunt explicari. Silentium enim eorum laus est. Diuina certè humano eloquio non possunt enarrari. Et sic Esaias plenus diuinis secretis dixit. Secretum meum mihi, secretum meum mihi. *Esa. 24* & Paulus raptus vsque in tertium cœlum, dicit se ea vidisse, quæ nõ licet homini loqui. *2. Cor. 12* Nam si in Ecclesia esset globus æquali quantitate cum ipsa Ecclesia, quomodo per Ecclesię ianuam globus posset exire? ita nimirum non potuerunt exprimi, nec exire gaudia spiritualia animæ per ianuam sic minimã, vt est corporis os. Regina Saba audiens sapientiam Salomonis non habuit vltra spiritum. Quantò magis sapientia diuina faciet obmutescere? *3. Reg. 10* Sunt adeò plura Dei mirabilia, vt laudabiliùs sit de eis tacere, quàm aliquid dicere: ne fortè cùm incepisse putaueris, nihil dixisse recorderis. Sic dominus dixit Nicodemo, Sic Deus dilexit mundũ, *Ioan. 3* vt filium suum vnigenitum daret. Hæc particula, sic, magnam vim & emphasim habet. Sic dilexit, & quantum dilexit? Nemo est, qui inueniat tantum, huic quanto. Certè immensum pelagus amoris infiniti, quo nos Deus prosequitur, tantũ illa particula, sic, clausit, & quantitatem huius amoris non ausus est dicere: nã hic amor ineffabilis est, & omne humanũ os & lingua obmutescit in eius narratione.

tione. Idem fecit Paulus agens de Christi passione cum dixit, Considerate eum, qui talem pro nobis sustinuit cōtradictionem. Nōne Paule de his aliqua enarrabis? vel vapulationem, vel clauos, vel coronam, vel crucem? non, nisi eum, qui talem. Hæc adeò sunt magna, vt sentiri queant: non verò explicari.

¶ Igitur quis fari poterit, animę nostrę gaudiū, cum Deus dulcedines & suauitatem immitit? itaque in hoc pronomine, hæc includit Christus suæ sapientiæ infinitos thesauros, quos istis paruulis & humilibus reuelat. Nullo nomine hi thesauri, & hæc sapientia includi potuerunt: ineffabilia & inenarrabilia sunt hæc mysteria. Hæ sūt dulcedines & cōsolationes spiritus supernæ, quas mūdus neque attingit, nec intelligit: quęque sapientibus & prudentibus mundi absconduntur, & reuelantur paruulis & humilibus. Sed cur nō dedit Deus pri⁹ gratiam, vt impij vitarent peccata, vt posteà non absconderetur eis hęc diuina sapientia? *Etiā pater, quoniā sic fuit placitum ante te.* Voluntas Dei fuit. Ac si diceret, Hęc excæcatio impiorum non minus decuit ad tuam iustitiam: quam piorum illuminatio ad tuam misericordiam. Quoniam sic placuit ante Deū. Nō est volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei. Pharao & Nabuchodonosor vterque reges fuere & Dei populum persequuti sunt: at Pharao dānatur. Nabuchodonosor verò saluté consequutus est. Cur hoc? Quoniam sic placitum fuit ante Deum. De Nabuchodonosore ꝙ fuerit saluus expressè asserit Augustinus. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nonne potestaté habet figulus, ex luto aliud vas in honorem cōficere: aliud verò in contumeliam? Nonne potestaté quā habet figulus suprà vasa, habebit etiā Deus super creaturas? poterit ne vas etiā si linguam habeat, dicere figulo, cur sic me fecisti? Ideò ait Augustinus, ꝙ quāuis Deus crearet Angelum ad gehennę flammas, non faceret ei iniuriam. Ideóque quod vnus sit vas cōtumeliæ & indignationis in interitū, & alius honoris: nulla potest assignari ratio, nisi quia hęc fuit diuina voluntas. Volūtas enim Dei cùm sit prima causa omnium entium, causam non habet. Nec irrationalis aut iniusta esse potest: cùm essentialiter sit iustitia infinita. Omnia quippe opera, quę sunt in hoc mundo, siue sint naturalia, siue voluntaria, siue meritoria, habent vnicā duntaxat causam, scilicet beneplacitū diuinæ voluntatis: & licet aliæ causæ assignentur, tamen omnes sunt instrumétales, & intermediæ & quasi dispositiuæ. Principalis auté causa omnium est voluntas Dei, demptis culpis peccatorum, de quibus actus est à Deo, culpa verò à peccatore. Omnia opera huius vitæ vel sūt voluntaria, vel naturalia, vel moralia, vel artificialia, omnia ad vnam præcipuam causam reducuntur, quæ quidem mouet & influit in reliquas alias, vt suos effectus operétur: quas verò addunt Philosophi sunt naturales causę & dispositiuæ: Ita quod si aliquis interrogaret. Quare factum est hoc? optimè quidem responderetur, Quia sic fuit placitum ante Deū: quia Deus voluit, quia hæc fuit eius voluntas. Veluti si aliqué interrogares, quæ sit causa totius motus horologij, deuenires certè ad volūtatem artificis, vel in eius, qui ipsum regit. Ita de causis rerum interroganti deueniédum est in Dei voluntaté & beneplacitum, & ibi quæstio cessabit. Veluti si aliquis quæreret: cur est fames? quia pane

Augo. lib. de prædest. & gratia. c. 15. Rom. 9. August. de prædest. & gratia. c. 15. tom. 7.

August. Rom. 1

Omnia subiacēt Dei voluntati.

indigemus. Et quare nō est panis? quia nō germinauit terra. Et quare non germinauit? Quia terra arescebat. Quare arescebat? quia non erat pluuia. Et quare non pluit? quia vapores à terra in altum non ascenderunt. Et quare non ascenderunt? Quia dominabatur planeta natura siccus. Et quare planeta ille est siccus? Quia Deus illi virtutem talem communicauit. Et quare Deus tribuit illi talem proprietatem? Quia sic placitum fuit ante Deū. Et quare sic fuit placitū ante Deum? hæc certè iā non est quæstio nec interrogatio: sed mera insania & stultitia: adeò vt qui talia interrogaret, Eleboro veniret curandus, & Anticeras nauigaturus. Itaque vltra non est procedendum. Nam cum in Dei voluntatem perueneris, hic iam finiūtur quæstiones: & omnes philosophi pedes consistunt: Quis mouit lapidem? baculus. Et quis baculum? manus. Et sic deinceps peruenies in Dei voluntatem. Sic philosophandum est tā in naturalibus quàm in artificialibus. Omnium rerum huius vitæ est causa Dei voluntas, & idem est de operibus meritoriis. Quia non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficiētia nostra ex Deo est. Nam si velis interrogare, Cur ille fuit sanctitate præclarus? nā hęc fuit volūtas Dei. Hęc enim ratio intellectui satisfacit. Si aliquis verò vltra progrederetur interrogans, Cur sic fuit Deo placitum? Talis certè esset friuola & ridicula quæstio: nam vltra vltimū gradum iam non est alius in quem possis deuenire. Sic egregius psaltes. Eduxit me in latitudinem dominus: quoniam voluit. Quia sic placuit, quoniā hęc fuit eius voluntas. Sancti verò quidquid accidit, omne Dei placito tribuunt & in hoc duo sunt. Alterum vt homo nō possit errare, alterum verò, quod Deus honoratur, & magnificatur. Hoc clariùs nobis ostēdit patientissimus Iob: qui cùm ré, gregem & filios amisisset dixit, Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factū est.

Aug. lib. 1. de Gene. contra Manic. cap. 2

2. Cor. 3

Psalm. 17

Iob. 1

¶ In nostram verò eruditionem admonet locus iste, vt subiiciamus intellectum nostrū diuinæ volūtati, & iudiciorum Dei ne simus examinatores. Quare hunc humiliet, illum verò exaltet, noli inuestigare, si nolis in errorem incidere, satis sit tibi scire, sic placitū esse corā eo. Verè iudicia Dei abyssus multa. Vnde Paulus. O altitudo diuitiarum sapientię & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles vię eius! Sic ex Bethsamis percussit dominus septuaginta viros, quinquaginta millia de plebe, eo quod vidissent arcam Dei. Non illam irreuerenter acceperunt, sed potiùs sacrificiis & oblationibus honorarunt, quia verò nimia curiositate eā scrutati sunt, vehemēter in illos Deus animaduertit. Abhorret Deus vt sua secreta & mysteria scrutemur, & quòd nimis soliciti simus suorū operū & voluntatis. Sed obiicies fortasse. Quomodo si hęc iudicia Dei inenarrabilia & inscrutabilia sūt: ait Dauid, in labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui? Vide quod aliud est (vt inquit Ambrosius) iudicia Dei, & aliud iudicia oris Dei. Iudicia Dei (vt diximus) inenarrabilia sunt, sed iudicia oris Dei sunt illa quę annuntiauit, & quę per os prophetarum loquutus est. Narrabilia sunt, quia prophetę ea dixerūt, quæ os domini erant. Os domini erat ille, cui dicitur, clama ne cesses. Et ille ait, Quid clamabo? Et inspiratū est vt diceret, Omnis caro fęnū. Ideóque absolutè nō dixit egregius psaltes, quod pronuntia-

Quorum iudiciorum Dei possimus esse inuestigatores.

Psalm. 35

Rom. 11

1. Reg. 6

Amb. ser. 2 in Psal. 118

Esa. 40

uerit omnia iudicia Dei, sed iudicia oris ei⁹. ¶ Non ergo discutiam⁹ opera Dei, sed simpliciter illi obediamus eius voluntatē facientes in omnibus quæ nobis præcipit, sicut Christus qui ait, Sic placitum fuit ante te. Et ita in laboribus nostris, quādoquidem ab eius diuina manu prouenīūt, humiliemur coram eō. Sic Heli reprehēsus, dixit, Dn̄s est. ꝙ bonū est in oculis suis faciat: & ideo saluus fuit. Mirabile huius rei exēplum se ostendit Isaac, qui cū (vt Iosephus ait) iā esset vigintiquinq; annorum ætate, vel saltē erat adultus, quādoquidē ligna humeris ferebat in sacrificiū, poterat patri resistere, quādoquidē fortior eo erat: cū iam esset senio cōfect⁹, nihilominus cū Abraham ei declarasset illud à voluntate Dei prouenire, humiliter obediuit Deo, & se in sacrificium Deo iucundū & gratū exhibuit. Nūc verò quis in minima infirmitate, vel minimo labore Deo subiicitur? Quādo arbori nō adeò bonę aliquot virgultum inserunt, fructus bonus producitur, sic & nos etiā si arbores malę siccæ & aridæ simus, si Dei volūtati nostram adiunxerimus, erimus vtiq; vtiles & commodi: per hāc enim efficimur regni Dei ciues & participes, & in animis nostris æternæ vitæ thesauros producimus. Obediamus igitur Deo & conformes simus eius volūtati, & muniamus nos scuto patientiæ, in omni tēpore dicentes, Gratias tibi ago domine: quoniam sic placitum fuit ante te. Sed vltra progrediamur. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Consequenter ostēdit Christus, quod sit ipse medium huius electionis quod vnus vocetur & alius nō: ꝙ aliis abscondantur hæc diuina mysteria & aliis reuelētur, à voluntate Dei prouenit: Sed ostēdit Christus ꝙ ipse sit mediū huius vocationis, quia licet à patre dependeant omnia tanquam ab origine, tamē per ipsum Christū sunt omnia, ideóq; ipsi data est potestas, & hac ratione inquit, Omnia tradita sunt mihi à patre meo. Hoc est, ego possū vocare quoscūq; voluero sicut pater, quia omniū habeo potestatē sicut ipse: sed solùm in hoc differt, quia potestas patris est à se, quia eā à nullo accepit, ego autē habeo eā ab ipso, qa omnia quæ habeo tradita sunt mihi ab ipso, inquātū Deus, tradita sunt Christo omnia, nō quidē creaturæ qa ista nō tradūtur ei quia ꝑ ipsū factę sunt. Sed tradita sunt omnia: hoc est, oēs perfectiones Patris, quia cū sit eadē substātia, numero patris & filij, & idē esse, est eadē potestas & bonitas, sapiētia, æternitas, & cætera attributa, qa impossibile est, eos differre in aliquo absoluto, quin sint duo dij. Sed cùm sit tantū vnus Deus, nulla est perfectio patris, quin eadē numero sit in filio. Sic ait ipse p Ioannē, omnia quę habet Pater mea sunt, quia substātia vni⁹ est substātia alterius: quidquid habet pater, habet filius, & subdit de Spiritu sācto dicēs, Quia de meo accipiet. Accipit Spiritus sanctus esse à Christo, inquātū Deus est: sed si Christus accipiatur in quātum homo, omnia dedit ei Pater, scilicēt creaturas, quę sūt extra Deū, & nō ipsam substantiam Patris, quia ista maior est Christo, in quantum homo. Sic Ioānes ait. Omnia dedit ei Pater in manus, Hoc est, in potestate sua, Quę enim tradūtur in manus alicuius, sunt ea, quę ipse facere potest: cū manus sit organū operationū. Sed cum nihil sit nisi creatura, solæ creaturæ dicuntur ei traditę in manus: quæ quidē Christo homini traditę sunt quantū ad autoritatē in instāti conceptionis, quia per id quod fuit humanitas coniuncta verbo, habet maiorē perfectionē quàm omnes creaturæ simul, sed quantū ad potestatem tradita sunt ei omnia in resurrectione, vt ipse dixit discipulis, cum apparuit eis post suam resurrectionem. Tradita est mihi omnis potestas, in cœlo & in terra. Quantum autē ad effectum tradentur omnia Christo homini in die iudicij: quia tūc omnia erunt subiecta pedibus eius: & manebunt in æternū sicut ipse voluerit & ideo tunc Christus dicetur regnare, & dare regnū Deo Patri. Igitur si omnia tradita sunt Christo, bene sequitur (vt pulchrè disserit Diuus Augustinus) quòd qui Christū habet, omnia habet, & ꝙ alius nihil habet. Quid ergo vos mūdi amatores quæritis diuitias & honores, vbi eas inuenire non potestis? quærite dominum & replebitur anima vestra. Bene Dauid in Psalmo loquitur dicens, Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Quid deficit ei, qui Christum habet? cū sit Christus summū bonū, qui illū habet omnia bona habet. Si cupis pacē, ipse est pax nostra faciens ex vtraq; vnū. Si diuitias & honores amabis, vnde tibi has cōparare poteris, nisi è proprio depositere fōte qui Christus est, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientię Dei? adeò diues erat Paulus & potēs habens Christū, vt in hæc verba prorupent. Omnia possum in eo, qui me cōfortat. Nā si tristis incedis, & nullo gaudio cor tuū exultat, id certè euenit, quia Christum non habes: & procul habitas. Si Christum socium haberes, nemo aduersus te præualeret: & consolationis fontē possideres, ex qua dulcedinem & suauitatē posses exhaurire: quia vt August. ait, Tenebis eum per quem facta sunt omnia, & cum ipso omnia possidebis. Et sicut qui Christū habet, possidet cū illo omnia, ita qui Christū nō habet, plenus est miserus & necessitatib⁹. Vnde Dauid in psalmo De necessitatibus meis erue me. Diues & potēs erat Dauid, & non quærebat terrena aliqua, sed animæ interiorē necessitatē videbat. Et Tobias sanctus, habebimus multa bona, si timuerimus Deū. Et alibi Dauid. Quid volui in cęlo, & quid aliud volui super terrā præter te? Omnia vtique necessitas & paupertas sunt animæ nostræ, quādo Deus eam non inhabitat. Stercora terrę quærunt homines soliciti & diligentes, & id non sine magnis laboribus, cū tranquillè & quietè paradisi flores sibi possint cōparare. Deum igitur nobiscum habeamus, & omnibus bonis affluemus: quādoquidem adeò bonus, misericors, & benignus est, quòd cùm eam potentiam & maiestatem habeat vt dicat, Omnia tradita sunt mihi à Patre meo, statim nos inuitat, & ad se allicit, dicens, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, vt Matthæus scribit.

¶ Attende etiam & considera liberalitatem & bonitatem Dei: siquidem in Christi manus omnia constituit. Nobiles nanque, magnates & principes huius mundi etiāsi liberales & magnifici sint, pręfectū tamē domus, qui rē familiarē & dona in pauperes & domesticos distribuit, auarum habent, vt etiā si ipsi vt domini rem velint distribuere, & dignos beneficiis & donis cumulare: ipsi pręfecti manus cōprimāt & contrahant. Dominus tamē pręfectum & distributorem adeò liberalem habet, in cuius potestatē & man⁹ omnia tradidit, vt ipse distribuat. Pater dedit ei omnia in manus. Et quę obsecro sunt istę manus? Manus perforatę, manus apertę & extētę. Latroni nāque qui vt sui recordaretur petebat,

Margin notes: 1. Reg. 3; Genes. 22; Iose. lib. 1. antiq. c. 22; Vide Ambr. lib. 7. in Luc. c. de condemnatione. Io. 5; Ioan. 16.; Ioan. 3; Matth. 28; Hebr. 10; 1. Cor. 15; Psal. 22; Ephes. 2; Colos. 2; Philip. 4; Ser. 14. de verbis domini in Ioan. in fine.; Psalm. 24; Tob. 4; Psalm. 72; Matth. 11; Ioan. 19; Luc. 23

petebat plusquã petebat promisit,& cœlũ tribuit. Ingens cõsolatio omnibus peccatoribus esse deberet:propterea quod Christum habeant liberalem largitorem,& datorẽ donorum & gratiæ Dei. Ne obsecro pigri & ignaui simus in petendo, vt nostrorum peccatorum misereatur: quandoquidem ipse in parcẽdo liberalibus manibus remittit.¶Postremò hîc est obseruandum,quòd his verbis Christus cùm prædicaret,vt ad se omnes venirẽt,ostendit magnitudinem,autoritatem,potentiam,& diuitias sui ipsius:ne vocationem contẽnerent, cum ipsum dominum viderẽt pauperem & humilem. Si rex iter faceret, sine equo, sine apparatu regio, sed tãquam aliquis seruus & minister, & in itinere obuiam fieret potẽti alicui siue magnati, tuncque rex ei diceret, vellet ne domi suæ personam villici aut præfecti sustinere:tunc certè ille nobilis & potens regem irrideret, & insanum iudicaret. At verò si rex se illi ostenderet, & quis esset diceret, proculdubio beneficium oblatum acceptaret. Ita Christus cùm in Capharnaum prædicaret, & vocaret multos,vt ad se venirent,dicens,Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,& ego reficiam vos: quia verò aliquis poterat obiicere, Qui fieri potest vt nos reficias,& ditare possis,cũ pauper & humilis sis? ne aduocationẽ gentes cõtemnerent(cùm ipse Rex gloriæ expoliatus esset) ideò se manifestat inquiens, Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Filius sum Dei,Rex,& Princeps cœli,diues & potens:qui vestris potero subuenire miseriis & pauperiem subleuare. Sed iterum posset aliquis instare. Vnde tu hanc habes potestatẽ: cùm sis homo similis nobis?ad hoc respondet dicens, *Et nemo scit quis sit filius nisi pater,& quis sit pater nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Pater est à quo ista proueniunt,& nemo nouit patrem nisi filius,scilicet Christus ipse,qui filius Dei est. Quantum enim Deus cognoscibilis est,nõ potest à creatura cognosci,cùm sit obiectum infinitum. Spiritus sanctus tamen nõ excluditur ab hac cognitione,sicut neque quando Christus dixit loquens de vltimo iudicio.De die illa nemo scit,neque angeli eius,sed solus pater. Non excluditur ibi spiritus sanctus,quia dictio exclusiua in diuinis addita vni personæ respectu termini essentialis non excludit aliã,quia essentialia sunt eadẽ numero tribus personis. Quapropter quidquid prædicatur de vna persona,prædicatur de tribus:propter inseparabilitatem & consubstãtialitatem trium personarum. Sed per hoc,quod dicitur nemo,excluditur quodlibet suppositum creatum. Vnde idem est dicere. Nemo nouit nisi pater, sicut diceret. Nemo nouit nisi Deus,cum isti sint termini essentiales, cũ sint communes tribus personis,diuinæ enim personæ cognoscunt sese, quantum cognoscibiles sunt. Et isto modo loquitur Christus,quod nemo nouit filium nisi pater, neque patrem nouit nisi filius: nos verò isto modo nõ possumus illum cognoscere quanuis illum aliqualiter in hac vita cognoscere possimus per naturalem rationem. Et quia ratio naturalis à Deo collata est,ideò illa cognitioq; de Deo per naturalem rationem habetur:aliquando reuelatio appellatur: iuxta illud Pauli, Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Sed per naturalem rationem nemo Philosophorum cognouit aliquam diuinam personam secundum proprietatem personalem, nec Sanctissimam Trinitatem Sed est alia reuelatio diuinior & altior, qua(Deo reuelante)cognoscimus eum per fidem. Perfectissima autem cognitio,quæ de Deo potest haberi in hac via est per meram & puram negationem: ita vt vniamur Deo tanquam enti incomprehensibili & prorsus ignoto quãtum ad quid est. In eo autem quod dicit,quod reuelat cui vult, ostendit, quòd fides est donum Dei,iuxta Pauli sententiam. Cui vult se reuelat & manifestat dominus. Ideò Paulus ait, cum autẽ placuit ei qui me segregauit ab vtero matris meæ,& vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me. Magnum quidẽ beneficiũ Christicola à Deo accepit, cui reuelauit filium suum: quandoquidẽ eum iam cognoscit, & scit, quis sit.

Christi autoritas.

Deus non potest cognosci nisi per fidem.

Matth. 24

Rom. 1

Ephes. 2 Gala. 1

¶Sed aduerte & vigila ne in vtramuis aurẽ dormias,quia non sufficit tantum cognoscere. Angeli quippe cognouerũt eum in cœlo,& propter suam superbiam ceciderunt dæmones facti. Non satis est vt eũ cognoscas:sed vt diligas. Illa sancta quatuor animalia erant plena oculis, quia plena erant cognitione diuina:sed vide quid scriptura dicat:Corã facie sua ambulabãt. Sic non sufficit vt Deũ cognoscas,sed oportet quòd ambules corã facie: hoc est vt viuas secundũ id quod intelligis,Deum semper coram oculis ferens,& in eius mandatis diligẽter ambulans:virtutem virtuti copulans,vt videas Deum deorum in Sion in bonis operibus exercẽs & excolens, vt sanctè & immaculatè viuas. Vult Deus cognosci:sed magis cupit amari, & timeri. Ex sexcentis milibus,q ex Ægypto egressi sunt,qui Deum cognoscebant,omnes in deserto perierunt, exceptis duobus: quia non omnes diligendo Deũ sequebantur. Sed hæc de hac re iam dicta sufficiãt: nunc iam Lucam audiamus. *Et conuersus ad discipulos suos dixit.* Conuertit se ad discipulos,vt eos reddat attentos,quia cum ipsis de eorum beatitudine & fœlicitate loqui volebat. Quia in superioribus dixerat patrẽ cœlestem autorem esse beneficij collati,ostẽdit etiam se huius collationis mediatorem esse. Prętereà quia dixerat dominus alloquens Patrẽ, quod sacramẽta & mysteria quæ superbis absconderat,reuelauerat paruulis:nunc ostendit qui sint illi paruuli:scilicet discipuli & sequaces eorũ: neque est contemnenda illa reuelatio quæ beatos fecit. Ait ergo. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.* Hæc beata visio discipulorum Christi nõ intelligẽda est de sola corporali visione, nã sic beati essent Pharisæi & crucifixores,qui illum corporaliter viderunt. Neque de visione solummodo secundum fidẽ:quia isto modo Patriarchæ & Prophetæ Christũ viderunt,quia crediderunt in eũ,& tamen non dicuntur beati,cum Christus hic assignet differẽtiam,dicẽs,Multi Reges & Prophetæ voluerũt videre quæ vos videtis, & nõ viderunt. Ideò intelligitur de vtraque visione simul:scilicet quod Christũ corporaliter viderũt, & etiã crediderũt quòd esset filius Dei. Erat enim quædã beatitudo videre hominem illum quem sciebant verum Deum esse:in quo omne bonũ nostrũ positum esse agnosceremus. Non erant autem beati illa beatitudine, quæ est in patria:sed alia quadam quæ alterius speciem præ se fert,& quæ superat omne gaudium huius vitæ. Prætereà, non beati isto modo censendi sunt illi,qui Christum vident & credunt: & charitatem non habent. Quidam enim (vt Pau-

Ezech. 1

Psalm. 83

Num. 1
Num. 14

Beatitudo in quo consistit.

lus ait (Deum cognouerunt, & quia illum nó glorificauerunt diligendo euanuerunt in cogitationibus suis. *Rom. 1* Quemadmodum excussorium ferramentú etiam si silicem fortiter collidat, nisi illi diligétissimè fomitem, in quo suscipiat admoueris, nunú omnino ex ea industria & labore fructú assequutus eris: *Similitudo.* ita illi Philosophi, de quibus loquitur Paulus, quanuis ingenij acie veluti quodá excussorio ferraméto, præclarissimú illum & egregiú silicem Deum assiduè ferierint: & ex ea mutua collisione splendidissimę scintillę emicuerint, eorú nimirum circa huius nobilissimæ substátiæ attributa cognitio mirabilis fuit: illorú tamen animis affectu voluntatis, quo hic cęlestis ignis ascédi debuisset prorsus destitutis, in désissimis errorú tenebris lapsi sút. Ideo dixit Paulus, quòd obscuratú est insipiés cor illorum: quia Dei gratiam nó acceperunt, vt eum diligerent. Vt nauclerus sine claritate solis siue lunę no potest portum capere, ita homo lumine gratiæ destitutus non potest gloriæ portum cótingere. Existimat se anchoram in locum tutum iacere, cú in scopulum iecerit, vbi nulla prorsus est salutis spes. Sic Philosophi errauerunt putantes se esse sapientes, stulti facti sunt, quia cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, nec eum dilexerunt. Ideo gratia Dei destituti cæci facti sunt & euanuerút in cogitationibus suis. At apostoli omnia hæc habuerunt: quia cum Christum corporalibus oculis cernerent, eius diuinitatem credebant, atque illum diligebant. Et nos etiam licet Christú corporalibus oculis nó videamus sicut illi sancti apostoli, tamé & nos beati sumus beatitudine hac de qua Christus hic núc loquitur, si credentes in eum dilexerimus illum, sicut ipse Saluator testatur dicens, Beati qui non viderunt & crediderunt. *Ioan. 20*

¶ Porrò mentioné facit hic Christus oculorú, vt illis significaret rationem & intellectum humanum: est enim pars cœlestis in homine. *Videre pro intelligere, aut fide cognoscere.* Possumus etiam per hanc discipulorum visionem, eá cognitionem intelligere, quam apostoli de Christo habebant: quia Christi doctriná & mysteria, quę prędicabant, rectè percallebant ipsi: nam immediatè ante hoc dixerat Christus Patri, id factú esse rectè & sibi bene visum fuisse, vt ea quæ prædicabat sapientibus & prudentibus abscóderentur: paruulis verò & humilibus essent manifesta. Cóuertés auté sermonem ad discipulos ait, beati oculi qui vidét quæ vos videtis. Ac si diceret, Beati oculi vestri ô discipuli mei, qui vidét, hoc est qui intelligút, quæ vos videtis. Apostoli enim quátuuis inscij & ignari meliùs tamé intelligebant, quàm omnes sapientes huius mundi: fides quippe cú charitate cóiuncta ita claros efficit oculos, vt qui iam habet potest apertè & clarè, quod nemo infidelium cognoscere & intelligere. *4. Reg. 16* *Act. 7* Sic Helisęus sanctos Angelos videbat adstátes iuxtà illú, quod nemo alius videbat. Et Stephanus videbat cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei: quod nemo videre poterat. Igitur Apostoli non solùm oculis corporeis Christum viderút, sed viua fide, & non solùm auribus corporeis Christum audierunt, sed corde etiam, & intelligebant, atque ideo beati. Nó inquá beati, quia diuites, fortes, aut potentes essent (hæc enim beatitudo carnalis est) sed quia Christú mentis oculis cernere meruerunt. Mundus illos iudicabat beatos, qui magnis opibus fruebantur, qui aliis imperabant, qui diuite quadam mundi supellectile affluebant. Sic Dauid in psalmo, Promptuaria eorum plena, & oues eorum fœtosæ, filiæ eorú compositæ ad similitudinem templi, &c. beatum dixerunt eum, cui hæc sunt. *Psalm. 27* Sed longè aliter Christus qui beatos iudicat eos, qui oculis fidei illum intuentur & diligunt. Quanuis immensis diuitiarum cumulis te ipsum ditaueris, hæc omnia nequaquam sunt vera bona veræque diuitiæ: sed speciem solam, & vmbram bonorum fingunt. Et è contra, quantumuis pauperes & egeni sancti apostoli erant, tamé Christus vocat eos diuites & beatos, indicans eos veras diuitias habere. Vnde obsecro sibi has compararunt? Ex fide cum charitate cóiuncta. Mecum sunt (inquit sapiétia) diuitię & gloria, opes & iustitia. *Prouerb. 8* *1. Par. 29* Dauid, Tua domine potentia & gloria, cuncta quæ in cœlo sunt, & in terra tua sunt.

¶ Restat igitur obsecrare ne Dei beneficiis simus ingrati: quandoquidem nobis etiam dicitur, quod sanctis apostolis: Beati oculi, qui vident quæ videtis. Accepimus nos præ aliis hominibus tales oculos, quibus ea videmus & intuemur, quæ nulla humana ratio indagare nec intelligere poterat, quæ etiam nullus ex potentibus mundi cognouit: *1. Corint. 2* eas aures, quæ talia audiunt, quæ ab initio mundi abscódita sunt, sicut Paulus Ephesiis ait. *Ephes. 2* Et quæ illa sint, audi. Primò videmus & audimus in nostro Euangelio omnes Christiani, peccatum primorum parentum, propter quod omnes nati sumus filij iræ, per Christi mortem iam abolitú & sublatum esse, & iam Christum nobis se reconciliasse, Secundò Deum factum esse patrem nostrum, cui quilibet quantumuis paruulus audet dicere: Pater noster, qui es in cælis. Tertiò Christum videmus fratrem nostrum: & sic ipse ad Magdalená ait, Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, &c. *Colos. 2* *Ioan. 20* Vade & dic fratribus meis. *1. Ioan. 2* *Hebra. 9* Quartò Christum videmus Pontificem nostrum & aduocatum apud patrem: ideo enim per proprium sanguinem introiuit in sancta, vt ibi appareat in conspectu Dei pro nobis. Quintò videmus & audimus, quòd cœlum nobis pateat. Nolite (inquit Christus) timere pusillus grex: quia cóplacuit patri vestro dare vobis regnum. *Luc. 12* Nonne vides hæc quàm magna sint? Non fecit profecto taliter omni nationi. *Psalm. 147* Quò maiora accepimus, tantò plus gratitudinis à nobis exigitur, & si velis audire, quanta & quàm magna hæc sint, audi sequentia, *Dico enim vobis quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierút.* Sed dicet aliquis, Cùm constet Deum patribus fuisse loquutum & ab eis visum, quid sibi vult quod hic dicitur, *Ioan. 8.* Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt? nam Abrahá multoties Deum apparentem vidit, & tandem in trium angelorum personis hospitio recepit. *Genes. 18* Moses quoque scriptura teste, cum Deo solitus erat loqui facie ad faciem: sicut loquitur homo cum amico suo. *Exod. 33* Et Esaias vidisse se dicit dominú sedétem super solium excelsum. *Esaia. 6* *2. Reg. 22.* *1. Reg. 9* Sic etiam Michæas, multíque alij Prophetæ verissimè sibi Deú apparuisse cófirmant. Vnde & videntes sunt appellati, & ferè tota scriptura patres antiquos Deum vidisse demonstrat. Si ergo sancti patres & Prophetæ Deú viderunt (vt scriptura testatur) quid est quod Dominus dicit, Voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt? sed vt iam dictum est, aliud

est vi

Solutio. Vide Bedam in 1. Luc. 10. Tomo 5

est videre per imaginem,& aliud per speciem. Viderunt quidem sancti præmemorati Deum omnipotentem:sed per speculum & imagines in subiecta creatura. Omnes enim manifestationes,quę ad patres veteris testamenti factæ sunt,per inferiores Deo creaturas,id est per Angelos factæ sunt. Si enim in se ipso absque vllis imaginibus Deũ sancti viderũt,sicuti est,quid est,quod Moses qui cũ domino(vt iam dictum est)facie ad faciem loquebatur,obsecrabat dicens, Si inueni gratiam in conspectu tuo,ostende mihi te ipsum manifestè vt videam. Quem manifestè videre cupiebat,vtique vsque ad illud tempus per imagines & figuras se vidisse declarabat. Vnde & beatus Stephanus de ipso dicit,Hic est Moses,qui cũ Angelo loquebatur: qui apparuit ei in rubo. Porrò longè aliter sancti Apostoli dominum videre meruerunt:quia ipsum præsentem habebant:& ei cõuictu familiarissimo adhærentes,quidquid cognoscere voluissent, non per speculum aut ænigmata,non per Angelos aut alias visionum species,sed ipsum dominum interrogãtes discebant:vnde omnibus sanctis iam præteritis,priuilegio beatitudinis præferuntur. Nam illi,qui in veteri testamento Deum vidisse narrantur iusta fidem defuncti sunt omnes,non acceptis repromissionibus: sed à longè eas aspicientes & salutantes.

Exod.34
Act.7 Exod.3
Hebræ.11

Religio aut fides successu temporis accreuit.

¶ Sciendũ prętereà per incrementa temporum cognitionem Dei,in hominibus creuisse. Apparuit dominus Abraham: sed longè postmodum Mosi, dixit,Ego sum Deus Abrahã,Deus Isaac,Deus Iacob:& nomen meũ,Adonai,non indicaui eis. Quibus verbis Moses,plus aliquid de Deo vidisse,quã præcedentes patres ostenditur. Beatus etiam Dauid multis posteà temporibus natus dicit manifestè,super senes intellexi. Quod est dicere, Præ cunctis qui ante me fuerunt patriarchis & prophetis sublimiùs aliquid de Dei maiestate cognoui. Verũ præ omnibus illis clariùs & excellẽtiùs illuminati sunt Apostoli:qui ab ipsa & per ipsam Dei sapiẽtiam eruditi,cuncta, quæ de cœlestibus & diuinis humana poterat ferre capacitas,plenissimè cognouerunt. At Pharisæi non sic viderũt Christũ, quoniam mentẽ eorũ malitia excæcauit, & oculos habebant infirmos. Nos verò si beati esse volumus, & Christum videre in cœlo,simplicioribus oculis eum in hac vita intueamur. Vnde in Cãticis: Oculi tui columbarum:columba caret felle,& simplices habet oculos. Tales opus est vt nos habeamus, quia talibus Deus videtur,& hi soli sunt beati. At verò quia in oculis hominum est malitia,fictio,& paruũ iudiciũ nihil vident , quod in malam partẽ non retorqueant:de proximorum vita prauè iudicantes. Hypocrita trabẽ quæ est in oculo tuo non vides,&c. Sed de hoc capite sexto latiùs dicemus.

Genes.18 Exo.3
Psal.118
Matth.15
Gene.5
Luc.6

Deus non est personarum acceptor.

¶ Ad nostrã verò eruditionẽ alia duo hic obseruanda sunt. Primum est,quàm parum valeat corã oculis Dei,vel regem esse,vel prophetam,vel principem,magnatẽ,diuitem,aut potẽtem, qui oculos cõiicit in pauperes piscatores,cõtemptos & abiectos iudicio mundi,& hos in amplissimã dignitatem & honores eleuat:potẽtes verò deiicit & contemnit. Vnde Paulus,Ignobilia mundi , & ea quæ non sunt elegit Deus,vt quę sunt destrueret,vt nõ glorietur omnis caro in cõspectu eius. Ex hoc facilè erit discere quàm vanum sit,hominẽ gloriari, in regnis,dignitatibus,& officiis in maiorũ stemmatis & sanguine,quandoquidẽ hæc omnia nullius valoris & momenti sunt apud Deũ, sed quæ ipse fueris operatus. Et si hoc clarius cognoscere desideratis , quid nobiliùs in homine Christiano esse potest,quàm quòd sit filius Dei?certè si omnia alia cum istis cõferantur,nulla sunt:nã si filij, hæredes erimus regni cœlorũ. Sed attendite quàm parũ prosit hæc nobilitas,nisi reliquis virtutibus, quæ ad filiũ Dei pertinent ,adiungatur. Ego dixi dij estis,& filij excelsi omnes:vos autẽ sicut homines moriemini,& sicut vnus de principibus cadetis. Primò declarat hominis dignitatẽ in eo, quòd est filius Dei:secundò ostendit quòd nihil hæc dignitas prosit,si vt homines moriemur. Quid est sicut homines moriemini?totũ quod estis absorbet mors:nã si sicut homines vixeritis, sicut homines moriemini , & ibi omnis valor & dignitas vestra sistet. Nõ moriemini sicut filij Dei excelsi,quos diuinior & fœlicior vita expectat. Et sicut princeps in bello,qui licet magno sit stipatus exercitu,lucidis & splendentibus armis etiã cadit:sic & vos cadetis. Ecce ergo quomodo eiicientur filij Dei excelsi,nisi vt tales,& talis patris filij venerint. Sed si cupias istã rem mirabiliorẽ efficere. Magnum est esse filios adoptiuos Dei,maius filiũ naturalẽ,sicut solus Christus erat,sed Christus nõ vult filius Dei haberi,si opera patris nõ fecerit,cùm ipsemet dicat, Si non facio opera patris mei,nolite credere mihi. Et si omnia hæc quæ nobilia sunt & præclara,sine virtute & sanctis operibus pro nihilo reputantur:quid cogitas apud Deũ , valebit sanguinis nobilitas,illustris progenies,regale sceptrum , & mundi sublimis dignitas?Omnia hæc Deus nihili pendit & facit. Et vt certiùs intelligas quã rationẽ aut mentionẽ de his dignitatibus habeat , nihilò clariùs ostẽditur,quàm vt id quod multi reges & prophetæ cupierũt videre , paruulis & humilibus piscatoribus dignũ iudicet ostendi & manifestari.

1.Corint.1
Galat.4
Psalm.81
Stemmata apud Deum nihil valent.
Ioan.10

¶ Obseruãdum secundò est,ꝙ si aliqua inuidia te inuaserit,vt sancti Apostoli ea viderint,quæ tu nõ vidisti,illud attendas,hanc beatitudinẽ (si tu vis) facillimo negotio posse attingere. Certè beati erãt oculi discipulorũ,qui Christum in carne videbãt, sed maior beatitudo erit videre Christũ impassibilem & immortalẽ in cœlis. Cũ hac quippe beatitudine,scilicet cum Apostoli Christum in carne videbant,poterant & ipsi damnari,quod Iudæ cõtigit: sed qui Christũ viderit in cęlis nequaquam ab illa beatitudine poterit frustrari. Agè ergo , vt hanc beatitudinem consequaris , quam multi reges & patriarchæ non valuerunt cõsequi:quando quidẽ id est in tua manu & potestate,&c. Sequitur, *Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans eum & dicens.* Iste in lege peritus erat, & peritum se iudicabat,& non quærebat vt disceret sed vt tentaret: sicut est mos literatorum superborum. Aduerte quemadmodum legisperiti, doctores, & sapientiores sint capitales inimici Christi : & qui priùs eum & suam doctrinam persequuntur. Nulla est gens tam pestifera & iniqua,vt literati qui deprauatam habent conscientiam : & plus damni in ciuitatem , & populum vnus horum infert, qui iam habet autoritatem , & opinionem , quàm centum alij simplices & ignorantes Nam vt sapientibus illis creditur,atque ita populum peste peius corrumpunt,vt est videre in strage & damno, quod Lutherus iniquus suo errore causauit.

Matt.13
Literato impio nihil nocentius.
Exemplum Luthe.

uit. Attendite obsecro & plangite stragem, quam in Ecclesia Dei fecerunt Zuinglius, Oecolãpadius, *Simile.* Caluinus, & alij. Vt ex pharmacopolæ officina vbi salutaria medicamenta & pretiosa vnguenta venduntur, aliquãdo exit toxicum & mortiferum venenũ: sic ex hominibus doctis & sciẽtia excultis, pestifera interdum egreditur doctrina. Multi discũt vt sciant, non tamen vt boni efficiũtur. Hero- *Matth. 2* des impius scrutabatur scripturas nõ vt bonus efficeretur, sed vt sciret vbi Christus esset natus, vt interficeret eũ. Sic multi dant operam literis & vehementer insudant, annales reuoluunt, Bartolos & Iasones, non vt meliorem vitam degant, nec vt studiosi sint: sed vt insontẽ persequãtur, & vt rem pauperi rapiant: vt solet non raro contingere inter iuriconsultos, qui mentẽ & sensum textus verum & germanum noua explicatione distorquent, quo certè non minima rerum & pecuniæ quãtitas naufragiũ patitur: qui quidẽ doctores suis literis plurimos fallunt, & grauia peccata cõmittũt. Hi sunt illi qui Herodẽ conturbauerunt, qui cum possent omnem sententiam & autoritatem prophetæ Mi- *Mich. 5* cheæ explicare, quæ quidem de diuinitate Christi agebat, & de regno eius spirituali, noluerũt: & ita fuerũt in causa vt Herodes innocẽtes interficeret. Hos superbos & nõ sanę cõscientię literatos Christus taxat, dicẽs, Væ vobis, legis peritis qui tulistis *Matth. 23* clauem scientiæ, &c. Ideo Spiritus sanctus ait Ec- *Can. 1* clesię Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Quis vnquam tale vidit? si dixisset, faciemus tibi murenulas argenteas auro vermiculatas, hoc nõ esset mirum, sed murenulas aureas argẽto vermiculatas minus bene videtur. Bene quidem & præclarè scriptura sancta inquit: nam basis *Pietas eruditioni præfertur.* & fundamẽtũ est vita recta & mores sancti: super hoc autem purissimũ charitatis & amoris Dei venire debet scientia vt argentum. Ad fundamẽtum id quod est fortiùs & tenacius requiritur: melius namq; est esse probũ & studiosum, quàm literatũ & sapientem. Tunc enim sciẽtia & literæ sunt bonæ, quando virtuti coniunguntur; nam cũ ita non fuerit, ab insano & amẽte nõ differt, qui cũ ensem arripit, quem vult interficit, & si libuerit etiam seipsum. Stultus & demens est literatus sine virtutibus, ensemque euaginatũ affert, qui armis literarũ & sua autoritate & opinione se ipsum & multos alios destruit. Si vis vt literis pręclarus & excellens filius tuus euadat, eũ priùs doceas, quo itine- *Psalm. 118* re in cœlum est iturus. Ideo Dauid in Psalmo, Bonitatem & disciplinam & sciẽtiam doce me. Priùs dixit bonitatem & disciplinam: & posteà sciẽtiam. Super virtutis fundamento bene literæ sedebunt: nã si tapete vel gausape mortuũ induas, & si plurimis vestimẽtis oneres nequaquã calefiet, quãdo quidẽ ab intrinseco nullum habet calorẽ natiuũ, *Scientia sine pietate inutilis.* qui quidem vitã & animam sustẽtat. Sic nimirum si in tuo corde ignis amoris Dei non ardet: quidquid habueris exterius autoritatis, literarũ & sciẽtiarũ, parũ vel nihil tibi proderũt. Hunc aspice, qui cũ legis esset peritus audacior fuit. Et vt in lege doctus Christum vult tentare: & quęrit nõ vt discat, sed vt eum sermone capiat & arguat, si ad interrogata non respondisset. Officium hoc dęmonis est, dę quo Euangelium inquit, quòd est tentator Accedens (inquit Euangelista) tentator. Non vocauit eum dæmonem, sed tentatorem, cùm tentato- *Matth. 4* ris officium haberet, quemadmodum hic.

¶ Duplici ratione eum tentabat, altera, vt ignarũ & insipientem Christum ostenderet, si ad interrogata nõ respõdisset, atq; ita nomẽ & famam Christi qui sapientis & literati nomen habebat, obscuraret: sed fama bonorũ nõ obscuratur. Terra erat *Genes. 1* aquis operta, sed Deus dixit, Congregentur aquæ in locũ vnum, & appareat arida. Sic Deus vult vt gloria iustorũ manifestetur. Vẽditur Ioseph à fra- *Genes. 37* tribus, sed à Deo exaltatur. *Genes. 41* Altera ratio erat, quia interrogabat vt tentaret, non verò quia nesciret. Achab Michęam interrogabat, nõ quia veritatem vellet agnoscere, sed tantũ vt interrogaret: sic mul- *3. Reg. 3* ti quærunt multa inutilia nõ vt sciant, sed tantum vt quærant. Sed quid dicat audiamus.

Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?

Audierat Christum loquentem de beatitudine, *Amb. lib. 7. in Lucam ca. de condemnatione sal. 5* ideo de medio perueniendi ad beatitudinem quærit, non ignorans media, quia cùm interrogaretur quid in lege scriptum esset, bene respõdit, Diliges dominum Deum tuum, &c. Sed interrogauit tentãs, volens scire an Christus cognosceret quid esset agendum ad consequendum vitam æternam. Præterea magistrum illum vocat, vt faciliùs eum deciperet, si incautum inuenisset, amicitiã & beneuolẽtiam simulans, sicut scorpio ore blãditur, cauda autem pungit. Vnde Dauid in Psalmo, Os tuũ *Psalm. 49* abũdauit malitia, & lingua tua cõcinnabat dolos. Cõcinnare propriè est aptè componere, sic vt fallacia nõ intelligatur: & verbis compositis malitia non appareat. Ideò concinnat lingua dolos, quando verbis compositis fallaciam simulamus. Iubebat Deus in lege, vt nemo vestem ex lino, & la- *Deuter. 22* na texeret, cùm res essent differentes. Illi linum & lanam texunt qui aliud in ore, aliud in pectore habẽt. Ex his compositis & fictis duplici facie incendẽtibus mundus est repletus: qui corã facie te laudant, à tergo verò te vendunt, & deceptũ semper te tenẽt. De aliquo malè coram te loquũtur, vt tu in similia verba prorumpas: quę cũ nõ ex ore exciderẽt, alteri iam dicta & recẽsita sunt. Vę du- *Eccle. 2* plici corde, labiis scelestis, & manibus malefaciẽtibus, & peccatori terrã ingrediẽti duabus viis.

¶ Secundò potuit etiam vocare eum magistrũ, vt magisterium irrideret: vt in prætorio Pilati, eius *Ioan. 19* regnum irridebant corona ex sentibus capiti imposita, & in manu pro regali sceptro arundine: & genibus flexis regem illum appellabant dicentes, Aue Rex Iudæorum: & in domo Caiphæ; Prophetiam irridentes, oculos tegebant, & alapis cędentes ipsum interrogabant, Prophetiza quis est, qui *Matth. 26* te percussit. Et quemadmodum in passione regnum & Prophetiam irridebant, nunc verò magisterium & doctrinam, vocantes eum magistrum per irrisionem & ironiam.

¶ Præterea de vita æterna quęrit, quia hęc natu- *Vita nostra momẽtanea.* raliter desideratur: nã vita hęc fluxa, breuis & momẽtanea. Licet enim lõga videatur, breuissima tamẽ est, habẽtq; internã malitiã cũ nõ simul per cẽtũ annos viuitur, sed successiuè per breuissima momẽta tẽporis vita discurrit. Nã de vita solũ vnũ momẽtum nobis pręsens est, nam alterum fluit vt succedat sequẽs: idque dum acquiris, recessit pręsens, sicque omnes quasi aqua dilabimur. Sic vt cum *1. Reg. 14* extrema hora peruenerit, qui centum vixerit annos, vnum se momentum putet vixisse: Sic Iacob *Genes. 47* ingressus Aegyptũ cũ à Pharaone interrogeretur, Quot sunt dies vitę tuę? respõdit, Dies peregrinationis

tionis vitæ meæ centū triginta annorū sunt, parui & mali. Paruos dixit annos, quia vno momento omnia includuntur tēpora, & malos propter immensos labores, quos secum tanquā inundans flumen vita nostra omni hora defert. Quapropter sicut naturali propensione volatilia volare appetūt, & pisces natare, & reptilia gradi, minimeq́; in his frustretur natura: ita homines naturaliter appetūt beatitudinem, quam necesse est habere in futuro sæculo, cum hîc non satietur, nec quiescat. Anima igitur fertur in desiderio libero & naturali, & quodam interno appetitu, cui si omnibus spiritibus cœlestibus tribuas frui, sine Deo nequaquam satiabitur, nec beata erit.

Quæstiones de lana caprina. ¶ Obserua autem quod licet iste legis doctor dignus sit reprehensione, eo quod Christū aggreditur tentare: attamen in aliquibus laude dignus est. Primò quia nō inutiles quæstiones aut friuolas quæsiuit, sed de beatitudine cœlesti. Vtinā omnes nostræ loquelæ & cōuentus eo tenderent, vt scire possemus, quid requiratur, vt salui simus. Multos *Exo.33* videbis, qui de multis impertinētibus sunt soliciti: vt est illud. An Salomō fuerit saluus, An Deus terga habeat, quia dixit Mosi, posteriora mea videbis: pauci autem sæculares, vel nulli sunt, qui te interrogent, quid facient, vt vitam æternam consequātur. In alium longè locum suum iactant cogitatū, & quæstionem: nempe, qui fieri posit, vt diuitias sibi cōparent, & pecunias & thesauros cumulent: quomodo honores & dignitates venari valeant, & quomodo in gratiam & amicitiam principū & regum deuenient. Pauci verò sunt, qui viros theologos, & religiosos de sua salute interrogent, & nō aliunde euenit, nisi quia omnes mentem suam, cogitatum, curas & labores in res caducas & miseras huius vitæ collocent, patriam illam beatā, ciuitatem sanctam Hierusalem, ad quā nati fuerunt, obliuioni tradendo. Certè si ob oculos vitā illam haberemus, ad quam diu noctúque iter facimus, aliæ essent curæ nostræ, cogitationes, & loquelæ.

Fides sine operibus mortua. ¶ Secundò laudandus, quia dicit, Quid faciendo: etiam si hic doctor esset malus, non adeò vt hi pessimi Lutherani, qui fatētur, opera nullo modo esse necessaria ad consequendū vitam æternam, & solam fidē sufficere. Hic doctor bene intellexit vt in lege peritus, nos non posse regnū Dei cōsequi, otiosos, ignauos, & pigros: sed nostro labore, cura, & diligētia. Ideo nō dixit, quid credēdo, sed quid faciendo. Nam licet electis gloria ex æterna Dei prædestinatione dimanet: non tamē prouenit nisi ex eorū operibus. Ideo in Matthæo legimus, quòd *Mat.25* iustis dicit Deus, Venite benedicti possidete regnum, quod vobis paratū est ab origine mūdi. Sequitur statim, Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Præparatū dixit eis regnum ab æterno: sed statim addit, quòd fuit ab illis cōparatū operibus *Prædestinatio sine nobis quoad principium, sed non sine nobis quo ad finem.* misericordię & actibus bonis. Æterna prædestinatio sine nobis est quantū ad principiū, quia Deus sine nobis elegit nos, sed nō est sine nobis, quantū ad finem, quia sine nobis non glorificamur. Ideo Deus opera exigit, & hîc sapienter quærit quibus operibus vitā æternā esset cōsequuturus. Vnde B. *2.Petri 1* Petrus, Satagite vt per bona opera certā vocationem & electionem vestram faciatis. Certam ergo facimus per bona opera futurā gloriam, sicut Sal- *Math. 19* uator ait. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. *Roman.2* Nō enim auditores legis iusti sunt apud Deū, sed factores legis iustificabuntur. Et Iacobus, Estote fa- *Iaco.1* ctores verbi, & non auditores tantū, fallentes vosmetipsos: Psalmista ait, quòd memores sunt man- *Psal.102* datorum eius, ad faciendum ea. Sic ille paterfamilias nō dedit denariū (per quē æterna retributio intelligitur) nisi illis qui in vinea domini labora- *Math. 20* uerunt, ideo operarios cōducit nō verbosos. Et apud Ioannē Christus ait. Omnē palmitē in me nō *Ioan.15* ferentem fructum, tollet eum pater meus. Tollere autem eum (vt ipsemet ait infrà) est mittere illum in ignem vt ardeat. Non tamen condemnatur ob aliud, nisi quia fructum non facit. Et Esaias. Disci- *Esa.1* te (inquit) benefacere. Non dixit, discite benedicere: sed discite benefacere. Ex istis & infinitis locis scripturę quæ omitto breuitatis gratia apertè cōstat opera bona esse necessaria ad vitam æternam *Vt substantia sine accidentibus perit, ita fides sine operibus.* consequendā. Ad quod vt intelligas debes prę supponere in quacunque re esse substantiam, & etiam accidētia, quę ipsi rei accedunt & adhærent. Aqua sua natura est aqua, & præter hoc habet quod sit frigida, clara, & lucida: hoc autem scilicet clarā, frigidam & fluxilem esse, nō est aquę substantia, quā si calefacias, frigiditatem amittit, aqua tamē remanebit. Atq; ita substātia est ipsa natura rerū, accessoria autē quę amitti possunt, accidentia sunt, quę etiam si amittantur, ipsa substantia persistit. Verum est tamē quòd tantùm ex accessoriis posset adimi, vt ipsa substantia periret: in tantum enim aqua calefieri posset, vt per consumptionem natura aquæ deficeret: nam his accidentibus cōseruatur. Aqua enim frigore corrumpitur, & calore absumitur. Vt in ciuitate bene cōstituta ipsius substantia est pax & trāquillitas ciuiū: accessoria verò sunt artes mechanicæ, vt sutoria, & lignaria, & reliquæ aliæ artes, sed etiā si hæc officia sint accessoria, plurimum conducunt ad substantiā ciuitatis. Ita in vita spirituali animę substantia ipsius est fides, spes, charitas, æterna sunt sacramenta, sacrificia, ieiunia, orationes, eleemosynę, & reliqua alia opera pia & sancta cū ceremoniis omnibus quas Ecclesia seruat. Satísne esset fidem, spem, charitatem habere sine reliquis exterioribus? Ita nimirū: nam qui viuam fidem, perfectam spem, & charitatē cōsummatam haberet, satis illi esset. Sed quēadmodum substantia sine accidentibus non potest cōseruari: ita sunt necessaria sacramenta, sine quibus charitas nullatenus potest stare: nam ad hoc vt ostēdas te fidem habere, spem, & charitatem, exteriora signa requiruntur. Quomodo obsecro cognosceretur, te habere fidem si non oras, nec ieiunas, nec eleemosynā in pauperes distribuis? Et quomodo intelligere facies, vt perfecta spe sis roboratus: qui in his terrenis ita quiescis & sedes, vt superna nunquā meminisse videaris? Quomodo autē charitate splendebis: si pauperi & inopi non subuenias? Itaque hæc opera sunt necessaria, vt ipsa substantia permaneat & persistat. Hoc voluit insinuare scriptura quæ dixit: Perfecti sunt cœli & terra, & omnes ornatus *Gene.2* eorum. Per cœlum & terram, intelligit substantiā, & per ornatum intelligit accessorium. Sed clarius Dauid, Omnis gloria filiæ regis ab intus, circun- *Psal.44* data varietate. Habebat intro fidem, spem, & charitatem. Anima autē quę hanc substantiā in se retro tenet, certo modo Deo cōmunicatur, & ex hac cōmunicatione resultat animæ gloria, nō talis, vt est illa quę in cœlo possidetur, atq; ita est, vt exercitiis sanctis, virtutibus & operibus sit circūdata.

Tapeta

Tapeta Flandriæ exacta atque perfecta sunt, & ne clauis citiùs rumpātur, duplicant ea crasso linteo atque ita longiori tēpore durant. Ita virtutes puræ consummatæ sunt: quas si amittere nolumus, pluribus actis patientiæ castitatis & reliquarum virtutū est op⁹. Sed quid tu ad hoc respōdebis qui Christi nomine es insignitus, quique ore Lutheri opera damnas, & vita tua suos maledictos & excommunicatos mores approbas? Ille dixit fidem solam sufficere sine operibus, tu idem vita tua affirmas, quandoquidē peruersam vitam degēs mille iniquitatibus & vitiis plenus, itinere certo in cœlum tendere putas. Sed de his aliàs.

Aeternitas quid. ❡ Igitur bene hic dicit, & rectè interrogat, Quid faciendo vitam æternā possidebo? Possidebo ait, quia æternitas est interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio. Obserua autem, quòd possidere est ius, quo quis aliquā rem in sua habet potestate: hoc quidem magnum & præclarum est beneficium Dei in homines, vt adeò excellentes eos creauerit & condiderit, vt abeant ad regnū Dei. Attende obsecro & vide gloriā esse hęreditatem tuam, & ius & actionem in illa habere, & hanc accipies, cum vita fueris defunctus, nisi ius & titulum in eam non amiseris, & deleueris tuis malis & inueteratis moribus: & in eo, quod dicit vitam æternam esse hæreditatem nostram, diuina bonitas & misericordia splendet. Sed iam Christum audiamus.

At ille dixit ad eum, In lege quid scriptum est?

Quomodo tu qui doctor legis es, & sapientem te iudicas, legem ignoras? In lege quid scriptum est? Mirabile quidem est, vt tu qui es doctor legis, & gradum & titulum doctoratus habeas, illud interroges, quod tu alios deberes docere. Vtinam multi Christianorum, qui iam excreuerūt, & in pubertatis annos peruenerunt nō indigeant, vt alij eos doceant Christi doctrinam, & prima Christianæ religionis documenta: qui cùm de Christianismo glorientur, si eos interroges: Quot sunt articuli fidei, & quot legis mandata? respondere nesciūt. Atque ita inde illud euenit, vt cùm ad sacramentum pœnitentiæ accedunt, omnem doctrinam prorsus ignorent, & sit opus, vt eos confessarius tanquam infantes & pueros ducat. Sed malè diximus hos esse vt pueros: nam pueri iam sciunt, quòd tenemur credere, & quòd operari debeamus, & in viis incedentes cōcinunt: isti verò grādiores ætate nesciūt: imo nec discere volunt. Tu verò quādoquidē iam doctor es legis, quid in lege est scriptum? Tu qui iā doctor in Christianismo es, cuique multi sunt iam anni transacti, ex quibus Christianam religionem profiteris, quid est Christi esse seruum? quid sit cre diturus Christicola, quidvè facturus pudore deberes suffundi, si nescis.

In necessariis ad salutem, cōfugiendum est ad legem. ❡ Obserua autem quòd dominus tentatorem legis, ad legem reducit, in quo mirè gloriabatur. Primò vt suis verbis sibi ipsi satisfaceret. Secundò vt doceat quòd in lege, & scriptura inueniemus quid credendum, & quid agendum ad consequendum vitam æternā. Ex scriptura discere nos oportet quid sperandum, quid metuendū, fugiendum, acceptandumvè sit. Omnis enim scriptura (inquit Paulus) diuinitus inspirata vtilis est ad docēdum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum, in iustitia vt perfect⁹ sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Ob eam rem dicit Christus, vt *1. Timot. 3*

Ioan. 5 scrutemur scripturas. Et Esaias, Cum dixerint ad vos, Quærite à Pythonibus & à diuinis qui stridēt *Esaie 8* in incantationibus suis, respondete illis, Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem pro viuis ac mortuis? Expende quòd Christus hunc qui de sua salute quærit, in legem mittit: non autem in palatia regia, vbi principes, & potentes sunt: nā ibi non animæ sapientia, & salus imbibitur, sed venenum & potus amarus, qui nauseam & stomachum mouet, sic vt anima in tartara detrudatur: vbi nihil aliud discere poterit, nisi ambitionem, inuidiā, factiones, disceptationes, & iurgia: vbi de nihilo alio videbis gloriari, nisi in pulchritudine, & animæ dotibus magnitudinisque præstantia: vbi lautis opiparisque ciborū generibus vtūtur, vbi mollibus & delicatissimis vestibus induūtur, & nihil discitur, nisi quod animam perdit & in gehennā mittit. Non dicit vt vadas in domos magnatum & nobilium: nā in illa schola ludere docetur siue aleis siue taxillis à prima nocte vsque ad gallicantum. Non in domos mercatorum & artificum: nam ibi cautè mētiri & falsò iurare, proximum decipere, & fallaciis rem alienam furari præclarè docetur. A lege consilium accipe, non à mundo, mandatis Dei ţe ipsum guberna, non mundi constitutionibus: qui Deo competit, & aduersus eum bella & inimicitias gerit. Omnis nāque causa & principium nostræ perditionis inde ortum habet, vt in nostris operibus mundum consulamus, non Deum. Nam si iniuriam accipis, mundus suis pestiferis & iniquis legibus iubet, vt vindictam sumas: & vt amicus amicis sis, inimicos verò odio habeas & persequaris, & si opus est, vt eorum sanguinem bibas, Deus verò sua regali le- *Matth. 6* ge pacis & amoris quid iubeat facilè poteris videre. Diligite (inquit) inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos. Consilium enim mundi, carnis & sanguinis in quancumque partem inquietum te aget, & denique in infernū mittet. Si à carne tentaris, inquit mundus, Tuam voluptatem exple, desideriis tuis indulge, in tuum creatorē pecca, nequam esto, immundus, & spurcus. Deus verò inquit, Honorem amittis, animam, conscientiam, æterna gaudia, beatitudinem nūquam perituram, te ipsum, denique Deum, quo nullum bonum maius aut præstantius excogitari potest. Videbis in mundo & in curiis regum multos, qui plus debēt, quàm habeant: vestibus sericis incedentes, equis phaleratis pompaticè & superbè ambulantes, qui subditos exerceant, marsupiū exhauriunt: & rem & substantiam diripiūt. Quibus si dicas, quare nō debitum soluitis, cur nō reditis in meliorem vitā, & superflua tollitis? ad hoc respondent homines suæ cōditionis & sortis illos sumptus facere, & ita viuere in more esse positum & constitutum. In lege quid scriptum est? Certè diuina lex hoc nō consulit, nō iubet, talia minimè statuit, & hac de causa cum iudicium tuum & sententiam sequaris, præcipitaberis in infernum.

❡ Discamus ergo in nostris operibus legem Dei cōsulere, & per illam gubernari. Sanctus quippe Dauid in quacunque re Deum consulebat, & ita omnia prospera & fœlicia succedebāt. Sic persequutus à Saule venit in Nobe & sacerdotē domini Abimelech cōsuluit: & cum vellet contra Philistæos bellum gerere (qui Ceilam oppugnabant) dominum cōsuluit dicens, Num vadam, & percu- *1. Reg. 21* *1. Reg. 23*
tiam

1.Reg.30 tiam Philistæos istos? Quando verò intellexit Saulem in Ceilam venire vt eum caperet: iterum dominum consuluit petens Ephot ad Abiatar sacerdoté. Itá etiam fecit quando Amalechitæ destruxerunt & combusserunt Sicelech, & sic mortui fuerunt: & quia in omni opere suo Deum & eius legé præsentem ferebat, omnibus rebus prosperè & fœliciter finem imponebat. Moses etiam Deum cósuluit quid Leui.24 esset faciendum de blasphemo. Idem Iacob: idem Genes.46 Iosaphath rex Iuda, qui noluit ad prælium ire nisi 2.Para.20 ad Deum priùs accederet, nec in Ramod Galaad 3.Reg.22 sine eo quòd priùs adesset Michæas Dei propheta. Iudi.8 Sic etiam consueuerunt facere Iudith & Hesther Hester 14 regina: sic etiá sancti apostoli in electione Mathiæ: Actor.1 omnes denique viri iusti hunc moré habent. Et ita puto à viris sapientibus, & prudentibus faciendum quotiescunque velint fœliciter suas res contingere. Econtra verò qui mundi consilium & Dei non ca-2.Para.30 piunt, miserè & infœliciter omnia succedunt. Saul mortuus est eo quòd Pythonissam consuluit: & si-4.Reg.1 militer periit impius Ochozias eo quòd miserit núcios ad consulendum Beelzebub principem Acca-Iosue 9 ron. Sic & Iosue licet bonus esset, tamen quia cum venerunt ad eum Gabaonitæ, non consuluit dominú deceptus est ab eis. Ideo dominus arguit Israëli-Esai.30 tas per Esaiam dicens, Os meum non interrogastis. Deus enim est, qui loquitur nobis in scriptura, & ad illam recurrendum nobis est, vt videamus quid sit scriptum in lege, hæc nanque nos illuminat, nos instruit, & viam dirigit, & quid faciendum, quidue fu-Prouer.6 giendum docet. Vnde in prouerbiis. Mandatum lu-Ioan.5 cerna est, & lex lux. Et dominus in Euágelio Ioannis, Scrutamini scripturas, in quibus vos putatis vitam habere. Sed de his satis. Quomodo legis? Quomodo doces tuos auditores, qui adhuc ignoras, quid sit opus, vt ad vitam æternam deueniamus? Quot doctores in vniuersitatibus, & scholis cathedras regunt magno auditorum concursu, quos interrogare possemus, Quomodo legis? legis ne vt discipulis proficias: an solum vt sapientem te iactes, & ostentes? attende obsecro vt vtilitati discipulorú consulas, literæ vim & virtutem aperiens. Quia vero inter doctores Israel, qui publicè legebát, nullus Esai 53 erat, qui hoc adimpleret, dixit Esaias. Vbi est litera tua? vbi est legis verba ponderans? Sed ad contextú reuertamur.

Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.

Hoc est, ex tota voluntate, quia dilectio à volun-Duplex actus voluntatis tate oritur. Duplex autem est actus voluntatis: elicitus scilicet, & imperatus. Actus elicitus est, qui immediatè elicitur ab ipsa voluntate: & iste actus tangitur, cum dicitur, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, id est, ex tota voluntate, quia sicut ex corde oritur motus ad alias partes corporis, ita voluntas mouet alias potentias animæ. Actus verò imperatus voluntatis est, actus alterius potentiæ motæ ad suum actum per ipsam voluntaté, per voluntatem informatam charitate, mouetur intellectus, ad assentiendum his quæ sunt fidei, & ad meditandum de Deo & hic actus significatur cum subditur, Ex omni mente tua. Hic accipitur mens pro ipso intellectu. Vlterius per voluntatem mouetur appetitus sensitiuus, vt conueniat cum superiori parte, Quia sicut sphera superior mouet orbes inferiores suo motu: ità voluntas appetitum sensitiuú, vt ait Aristoteles libro secundo de Anima: & iste actus notatur, cum dicitur, & ex tota anima tua. Per animam hîc intelligitur pars sensitiua iuxta illud, Factus est homo in animam viuentem, id est, vitam animalem & sensibilem corpori dantem. Denique per voluntatem mouentur potentiæ motiuæ & exe-Gene.2 cutiuæ ad operandum per dilectionem, & hoc notatur, cú subditur. Et ex omnibus viribus tuis. Vult enim Deus, vt omni prorsus volútate, intellectu, potentiis, & omnibus viribus nostris eum diligamus: taliter vt mundus nullam sedem habeat, nec parté amoris nostri. Sic Pharao cum populú Israëliticum nó posset in captiuitatem redigere: dicebat. Saltem Exod.10 benedicite mihi. Et cum nec hoc obtineret, dixit, Sacrificate, sed oues vestræ & armenta remaneant. Nam quando diabolus animæ nostræ regnum non potest plenè possidere: vult saltem aliquid à nobis. Sed quid Moses respondit? Non remanebit ex eis vngula. Aspice igitur, vt omne cor tuum, vitam & animá liberali animo Deo tribuas: dæmoni autem nec vngulam nec aliquam tui particulam.

¶ Sed fortasse dices, Non sat esset vt diceret, Di-Amor reciprocus liges dominum Deum tuum ex toto corde tuo: sine eo quòd alia tria addidisset, scilicet, ex anima, & viribus, & mente? Certè cum illo primo ita adstringebamur, vt reliquis omnibus. Voluit dominus ità solicitum & diligentem se ostendere in nostri amoris petitione, vt cum eum sic amoris nostri cupidú cótéplaremur, facili coniectura ex duobus vnum colligeremus: vel quòd ità nos ipse diligeret & amaret vt mutuo amore nos ipsum prosequeremur, vel quod amor ità esset pretiosus & æstimatione dignus: vt neque vnum granum illius vellet amitti. Si hominem sapientem videres, herbam aliquam vilem & contemptam colligere, falsum & ignorantem illum iudicares, vtpote qui nondum cognouisset virtutem illius herbæ. Non solùm vnum horum pro certo & inopinato nobis debet esse, sed vtrunq; : nam cum Deus nimia charitate & dilectióe nos amaret, ideò voluit vt æquali amore debitú repéderemus: amor enim æquali amore soluitur. Adeò est amor nobilis tantæ virtutis & efficaciæ, vt ipse solus Deú vincat & cópellat, vt nó alio medio esset vsus ipse Deùs, vt nos ipsum diligeremus, nisi priùs suum amoré, & charitaté erga nos ostéderet & manifestaret Vn-1.Ioan.4 de Ioánes ait, Ipse prior dilexit nos. Videamus igitur quomodo Deus priùs nos dilexerit: posteà verò videbimus id fecisse vt à nobis ipse redamaretur. Si amare & diligere est velle bonum amato: cui obsecro debes id omne, quod habes nisi Deo? Oculus, manus, corpus, vitam & animá, cui obseco te debere existimas nisi Deo? Sed lógè alio maiori debito teneris, cum pretioso sanguine te redemerit, & sua omnipotenti virtute condiderit: creare verò te, nihil illi cóstitit, nisi velle, & cum voluit, iussit & statim factú est. Posteà verò cum à fœlici statu omnibus bonis & dotibus repleto per peccatú esses lapsus: vt in antiquá vitá te transferret, non minus quá sua vita & sanguis fuit pretium & redéptio. Quid ampliùs potuit benignus pastor pro oue amissa facere, nisi seipsum mactandum exponere? Tot sunt ora, tot linguæ quæ in eius amorem te inuitát, quot sunt vulnera, quæ in suo sacrosancto corpore pro tuo amore accepit. Quilibet ictus, quælibet percussio est lingua quædam quæ semper vociferatur, vt eum diligas. Post tot tantaque beneficia quid à te petit? quid requirit & iubet, nisi vt diligas dominú

Deum tuum, &c. Benedictus talis dominus qui nihil à seruis postulat nisi amoré. Si aliquis rex adeò iustus & rectus esset vt à suis nulla alia tributa, nulla vectigalia exigeret, nisi solũ amorem: quã bonus hic rex iudicaretur, quantũque serui manerent obligati ad eius dilectionem, & amorem. Talis est noster rex sanctus & immaculatus. Ad eum igitur accedite: qui amore captus & irretitus, amorem postulat. Vnde ipsemet dominus amore inectus & inflammatus inquit, Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israël Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me. Non te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure: non emisti, &c. Nihil postulat nisi amoré: non vult vt labore te conficias, sed vt ames. Et quod admiratiõe dignius videtur, est illud, quod Paulus inquit, quòd nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Si amor in se aliquid laboris contineret, rationi esset consonum, vt aliquo præmio & mercede talis laboris digna retribueretur. Sed cum ipse solus sit qui labores dulces reddere soleat, animum recreat, vt in afflictionibus & calamitatibus non delinquat: spiritum subleuet, vt maiora indies & difficiliora aggrediatur, robur & vim tribuat cordi, vt in asperis, duris, & aduersis, viriliter persistat: tantum igitur abest, vt amor nomen laboris secum compatiatur, nec agnoscat. Nulla igitur ratio est, vt amor mercede & retributione sit dignus: mercenarius verò qui mane surgit, & tota die vsque in crepusculum laborat, æquum est, vt mercedem accipiat: qui verò amat, quid est, quòd præmiũ accipiat? est ne aliquid iucundius dulcius, aut suauius, quàm semper diligere? Amor certè sui ipsius est merces: nobis verò ratione amoris & dilectionis gloriam tribuere, nihil aliud est quàm mercedẽ mercedi addere: & præmium præmio, & beneficium beneficio, & deniq; gloriã gloria saluare. Sic Deus nostro commodo & vtilitati studet: vt laborem simulet, vbi nullus est labor: vt vel ex hoc ansam & occasionẽ quærat donandi nobis gloriam. Quis vnquam vidit, aut audiuit, vt sitienti, & aquam postulanti, non solùm aqua tribuatur & ministretur, sed etiam inuitetur pecuniis vt illam bibat? Quis vnquam vidit esurienti cibum ministrari & simul pecunias pro mercede illius laboris? O diuina bonitas & charitas quibus te laudibus dignis commendabo? aut quibus encomiis in cælum efferam? Nam cum anima hæc nostra (qua nihil à Deo accepimus pretiosius) sine amore non possit viuere, nec stabilis permanere, præcipit, vt amemus: & pro amoris mercede gloriam retribuit. Quo nimirum suæ bonitatis & misericordiæ lucidissimum exemplũ ostendit, qui cum innumerabilem exercitum Seraphinorum habeat & angelorum, qui suo amore ardent, & nunquam satiantur: vilis & abiecti vermis hominis amorem cupiat, & magnifaciat.

Esai. 43 — *1. Cor. 2* — *Amor vincit omnia.* — *Amor merces sui ipsius.*

Amanti nihil difficile.

¶ Quæ igitur est ratio quare velit, vt nos ipsum diligamus? arctatur ne aliqua necessitate amoris nostri? nequaquam. Sed vt vitam tranquillam & quietam agamus: & mundum hunc, lachrymarum & miseriæ pelagus profundum alacrius, & suauiùs nauigemus. Quodcunque enim fueris aggressus quãtumuis minimum, si sine amore fit, graue fastidium & tædium generat: si verò aliqua amoris scintilla ad id fueris inflammatus, etiamsi difficillimũ asperũ, & laboriosum sit, dulciter & suauiter operaberis. Quemadmodum ignis cibos & condimenta dulcia efficit, ita sanctus amor quoscunque labores & tribulationes pro Deo perpessas suauitate quadã & dulcedine tolerat. Seruiuit Iacob pro Rachele septem annis, & videbantur ei dies pauci. Si pro muliercula septem anni pro vno die reputatur: quantò faciliùs dilectio Dei hoc faciet? Hic amor amarum dulce efficit. Filij prophetarum comedentes exclamauerunt, Mors in olla vir Dei, & non poterant comedere præ amaritudine, sed cum misisset Heliseus farinam non fuit amplius quidquã amaritudinis in olla: sic amor Dei dulces labores reddit. Si molestè & ægrè tuleris iniurias pati, & præ amaritudine non potueris sustinere, mitte dilectionem Dei in corde tuo, & dulciter patieris. Si amara fuerit tibi ægritudo, si paupertatis onere incuruaris, vel nimio ieiunio carnis appetitus domueris, vel aliquid aliud impatienter operatus fueris: Deum dilige, qui omnia hæc, saccharo & melle suauiora dulciora efficiet. Denique illud cõsulo: si inter & omnes labores & calamitates huius præsentis sæculi vitam alacrem, dulcem, & suauem volueris transigere, Deum ama. Igitur quia Deus non condidit in vita hac misera & calamitosa, miseriis & laboribus vndique circundata, vt ab illis nos semoueret, amorem & dilectionem sui cõmendat, non suæ, sed nostræ vtilitati consulens.

Genes. 29 — *4. Reg. 4*

Amor est pretium quo beatitudo comparatur.

¶ Secundò vult, vt eum diligamus, nã amor est veluti moneta aurea, & donum quoddam, quod à quocunque præstari potest. Si enim Deus iuberet, ad hoc vt cœlum cõsequeremur, subtiles quæstiones & acutas disputare, quòd sapientes & docti essemus, quod obsecro remediũ haberẽt ignari & insipientes? Si dixisset. Estote fortes & robusti: quid imbecilles mulieres facerẽt? quid senes decrepiti? quid infirmi? Si dixisset, solos nobiles regnũ cœlorũ posse ingredi: quid abiectæ sortis, & miseræ conditionis homines possent facere? Rex autem pius dominus noster, qui præclarè nouit omnibus infirmitatibus mederi: pretium gloriæ tale constituit, quo nullus (etiã si pauper & egenus esset) posset carere. Ad amandum quippe nemo est imbecillis, insipiens, infirmus, pauper, nec abiectus. Tantum enim pauperculus, qui nec assem habet, Deum potest diligere: quantum rex ditissimus & potentissimus: tantum insipiens, qui nec prima literarum rudimenta didicit, quãtum literatus & doctus, tãtum æger & claudus, quantum robustus gigas, tantum denique pastor, qui capras & oues pascit: quantum summus pontifex vel imperator. Nam etiã si bona hæc terrena, quæ stercora & furfures sunt domus Dei inæqualiter fuerit partitus, bona tamẽ diuina & præcipua (vt sunt gratia & diuinus amor) non ita disposuit. Nam si dixeris, te non posse ieiunare, quia infirmus & æger es, nequaquã te compellet: multi enim sunt, qui cœlestis regni ciues sunt, qui nunquã ieiunarũt. Si pauperibus eleemosynã erogare non potueris, vtpote qui bonis, & substantia careas, ne præbeas: multi enim sunt: qui cũ non dederint cœlestia regna possident. Si prædicare non potes, quia literis nõ dedisti operam, multi sunt in cœlo qui nec legere norũt. Sed forsan poteris dicere, te nõ posse amare? Hoc certè rationi nõ est consonum: omnes certè liberali animo possunt diligere: si autem id non fecerint, suæ malitiæ imputabitur, & nullam excusationẽ coram Deo habent, qui ipsum nõ diligũt. Ideoque iustissimè à Deo dãnatur &

tur, & in tartara mittitur: sine eo quòd aliquid posit respondere. Multi sunt in cœlo qui pauperie laborarunt, qui imbecilles & ignorantes fuerunt, qui nec ieiunarunt, nec docuerunt, nec orationi vacarunt: tamen nullus ibi est, qui non dilexerit Deum. Qui cum adeò misericors & pius sit, vt neminem à sedibus æternis velit excludere, pretium gloriæ tale constituit, vt cuicunque facilis sit ad eam ingressus.

Deus vult amari: quia nos amat.

¶Tertiò voluit, vt illum diligamus, quia amor non nisi amore potest rependi. Omnia enim satisfactionem accipiunt re aliqua, siue alterius generis siue speciei sint. Nam si pro aliquo homine iter feceris, tibi satisfacit alter si pecunias tribuat, nec est opus vt ipse etiam pro te itineret, idémque posset de multis aliis dici. Qui verò amat, amari vult: nullamque dignam recompẽsationem putat accipere, si à dilecto non fuerit dilectus: nam si Deus te alit, gubernat, & corrigit: non vult à te corripi siue gubernari. Si verò te diligit, vult vt eum diligas, & talionem soluas: tamen si amore infinito non potueris, vt ipse nos diligit: saltem eo, quo potueris.

Deus nihil à nobis postulat nisi quod sit in nostra potestate.

¶Quartò & vltimò vult, vt ipsum diligamus: quia tot tantísque meritis dignam retributionem non possumus tribuere, nisi amorem. Nam cum homo ita sit Dei beneficiis astrictus, si nihil haberet, quo Deo satisfaceret, graue quidem esset tormentum: si verò tantis beneficiis collatis pecuniam & monetam non adderet, quo ipse homo posset satisfacere: talia dona potius in eius damnationẽ essent oblata, quàm in vitam & gloriam: nam cum multũ acciperet, si aliquo, quod suum esset non posset satisfacere, ingratus vtique videretur & dignam esse eius damnationem, quod certè absit, vt de Deo excogitari posit. Constituamus igitur hominem ex sua parte iã aliquid habere, quo posit soluere Deo, etiam & illud scire oportet, nihil proprium & nostrum posse dici, nisi quod sub libera nostra potestate & dominio habemus: quod certè illud esse videtur, quod vi aliqua aut violentia à nobis nõ potest auferri. Ex quo facilè infertur hominẽ nõ esse omnino dominum rei & bonorum temporalium, siquidem inuitus eis priuari potest, ita etiam nec dominus corporis cum vi posit auferri, nec dominus vitæ, cum ab ea posit spoliari: nec animæ in quantum corpus informat, & viuificat. Superest igitur, vt dominus sit animæ secundum eam partem, quæ suprema est, quæ rationalis est: quæ domina & regina, quæ liberum arbitrium cõtinet, quod in intellectu & voluntate est. Hæc sola libera est & regina in imperio animæ: quæ nec compelli nec coarctari potest, quam homo pro libito cui vellit potest tribuere: & hanc amans, amanti tradit. Ratione igitur optima postulat Deus amorem, quem solùm liberè & spontaneè possumus exhibere: nec iustum esset, vt Deus aliquid peteret, quod non esset sub nostra potestate.

Rationes quare à nobis diligendus sit Deus.

¶Sed singula hæc expendamus. Primò diliges eum, quia est Deus: diliges, quia dominus: diliges, quia tuus. Itaque diliges illum propter se, diliges propter sua, & diliges propter te. Ex omni parte diligendum se exhibet Deus: quia bonus, quia delectabilis, quia vtilis. Si studiosus es, & virtutibus oblectaris, dilige quia bonus: si voluptatis, cupidus, dilige quia dulcis: si honoris & diuitiarum sitientisimus, dilige quia vtilis. Nequaquam potes eius amorem euadere. Primò itaque dilige, quia Deus est: hoc est propter seipsum, qui est summum bonum: & ideo ab omnibus diligendum. Considera obsecro quanta sit eius maiestas, quàm admirabilis gloria, quàm suauis bonitas, quæ potentia, nulli imperio subiecta, quæ sapientia nullis tenebris inuoluta, quæ plenitudo quæ ad suam perfectionem nulla indiget re, quãta dulcedo & suauitas & omnium bonorum culmen. Extende ô anima affectus tuos & inclinationem, & extende sicut pellem desiderium tuum, & sicut regius vates inquit. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum. *Psal. 103* Extende longè funiculos tuos, & clauos tuos consolida: quia superat capacitatem tuam, & omne desiderium tuum illa maiestas, & illud summum bonum. Hoc certè omne desiderium nostrum implet, & ambit: sicut corona illa aurea quæ propitiatoriũ ambiebat ex omni parte sancta sanctorum. *Exod. 25* Omnis enim amor impellit habentem se. Est quippe Deus veluti cẽtrum quoddam amoris, in quod omnem creaturam dirigit. Sicut honor soli Deo competit, ita etiam amor: qui quidem pondus est animæ nostræ quæ tendit in Deum. Nonnè vides quo impetu lapis in centrum suum feratur? qui si ab alto ruit, & aliquid ei opponitur, comminuit & frangit; vt perueniat, quo tendit: sic tu ad Deum diligendum curre, & si quid obstiterit disrumpe & transi; sicut scriptum est. In Deo meo transgrediar murum. *Psal 17* Rupibus quid obstat, vt non descendant? pudore certè deberes suffundi: te à rupibus & lapidibus esse superatum. Exemplum tibi sit diuinus Paulus, quem videbis, sicut ingentem rupem ad Deum properantem, vt nemo ei impedimendo esse valeat. Quis (inquit) separabit nos a charitate Christi? an tribulatio? an angustia? &c. *Rom. 8* O admirabilis & diuinus lapis, bene quidẽ & ad viuũ angulari petræ asimilaris: qui per angustias & labores plurimos, per famem, per sitim, per vigilias; per exiliũ denique & mortem in tuum centrum descendisti. *2. Cor. 11* Extra Deum nequaquam quiescere poteris, sicut nec lapis extra centrum, qui cum ad ipsum veneris in animę tranquillitate & quiete (vt lapis in suo cẽtro) quiesces; sicut scriptum est. In pace in idipsum dormiam & requiescam. *Psal. 4* Et Diuus August. Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrũ donec perueniat ad te. *August. in meditat.* Omnis creatura te expellit à se, & non sine maxima ignominia, vt ad Deum tuum vadas: ac si cõuicia in te iaceret, dicens: Quid mihi adhæres miserrima? non sum ego bonum tuum quod requiris: maius enim miraculum est; quòd in his mundanis & terrenis creaturis detinearis: quàm quòd rupes essent detentę in regione aërea. Naturaliter ergo anima ex amore in Deũ inclinatur. Vnde si ex præcepto naturæ non allieeretur ad diligendum Deũ: vtique non indigeret præcepto dilectionis, nec ad id esset opus monitione. Naturalius & propensius diligit homo Deum, quàm seipsum. Quare ergo dilectio Dei cum sit propẽsior hominibus ipsis præcipitur non autem dilectio sui? Peccatum est causa. Vnde nec angelis neque hominibus à prima conditione tale aliquid præcepisse legitur: quia ad hoc adimplendum natura calcaribus nõ indigebat, cui lex amoris à prima sui conditione natura erat insita. Nunc autem naturalis legis ita sumus obliti, & à naturali propensione alienati, vt nec præceptis, neque minis, nec promisionibus, nec immensis beneficiis à Deo collatis, ad eius amorẽ attrahi possimus. Veluti frustũ plumbi quod violentia sursum

detinetur, si dimittatur statim ad jma descendit: ita anima nostra si paruo temporis spatio ad diuina rapitur, statim suo pódere ad hęc trásitoria & terrena prolabitur, & per creaturas tota dispergitur. Cur ergo sitibundus ambulas, à creaturis guttulas quasdã mendicans, quę sitim magis prouocát, quàm extinguunt: cum limpidissimũ illum fonté & perennem relinquas, in quo solo sitim tuá perfectè satiare potes? Quid desiderare poteris: quod nõ plenius & abundantius in Deo reperias? Si sapiétia delectaris,

Psal. 44 *Psal. 23* *Psal. 11*

ipse est sapiétissimus: si pulchritudine, ipse præ filiis hominũ speciosior est: si potétia & fortitudine ipse est dominus fortis & potés: si gloria & diuitiis in domo eius sunt diuitię: si voluptate, & delectatione, delectationes eius vsq; in finé dextera eius: si saturitate & abundátia inebriantur ab vbertate domus eius, qui possident eum. O summá stultitiá,

Psal. 15 *Psal. 35* *Ierem. 2*

ô deplorandam cæcitaté: ideo Dominus per Prophetam clamat: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas. Ad dignitatem conatus es ascendere: & in ea iam constitutus, nullam quieté habes. Omnia creata hoc peculiare habent, vt nõ sine magno labore adquirantur, adquisita verò gaudium perfectum nõ generant. Contemptui habent fontem aquarum viuentium, quæ

Esai. 55

per plateas fluit dicens: Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, & emite absque vlla commutatione vinum, & lac. Quare appenditis argentum, &c. Relinquite igitur cisternas istas dissipatas & Deum diligite. Si obiectum volútatis est bonum, ità vt nihil diligere possis nisi bonum, vel quatenus ordinatur ad bonum, quî fieri potest, vt Deũ non diligas, qui summè bonus est, & actus purus bonitatis? Si propter radium vel specimé bonitatis quod in creatura reperis, eam diligis & amas, cum mille imperfectionibus claudicet, & cum hæc guttula ab illo bonitatis pelago & mari profluat, qui Deus est: cur eum, qui ipsa bonitas est, non diligis? Et si pulchritudo eam vim habet, vt hominum corda ad se attrahat & alliciat, & vilem & abiectam creaturam ob sui pulchritudiné diligis: quare ipsam pulchritudinem quæ Deus est non diligis? Dilige ergo Deum: quia Deus est, & quia summum bonum, & amore dignum.

Diligendus Deus quia dominus.

¶ Secundò diligendus est quia dominus. Proclines nos sumus ad diligendum eos, qui nobis benefaciunt, quique beneficia in nos cóferunt. Cumque Deus sit creator noster, redemptor, gubernator, qui nos pascit, alit, & sustentat, quare ipsum amore non prosequemur? Saltem eius amorem amplectere eo tempore solum, quo tibi benefacit: cum verò beneficia non contulerit non eum diligas. Parum certè homo ab homine peteret, qui solum postularet, vt si quando beneficia aliqua ipso actu in eum exerceret, tum temporis diligeret. Cum igitur Deus omni tempore, & omni hora beneficiis factis alia maiora & ampliora semper cumulet, amorem semper illi debes. Quis plantat vineã & de fructu eius non comedit? Cui fructus nisi ei qui arborem plantauit? Cui obsecro est amor debitus, nisi ei qui potétiam dedit amandi? Quis bona sibi facientem non amat? Bruta etiá & animátia amicitiã ostendunt suis benefactoribus. Leo, cũ animal sit ferocissimũ, tanquá agnus patientissimus cibum ministranti indulget. Vrsus, qui bestia est immanis & crudelis nõ solum cibáti bláditur, sed etiá cũ illo saltat, & in luctã descédit. Animalia verò domestica vt sunt canes, muliones, & equi quæ signa amoris dominis suis ostendunt, quæ quodcunque subeunt discrimen & periculum vt ipsos tueátur. Solus ingratus homuncio dominum suum nescit, qui illi benefacit, alit, & susté-tat. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israel auté me nõ cognouit, & populus meus non intellexit. O hominis impudentia,

Esai. 1

qui si bruta animantia interrogaueris, te ipsum docebunt. Disce ergo ab illis, quandoquidem dicent tibi, vt benefactorem tuum diligas, &c.

¶ Tertiò ipsum debes diligere, quia tuus est. Quis rogo, sua nõ amat? Diliges vestes tuas & possessiones, quia tua sunt, Deũ igitur dilige quia tuus est, nam nihil est sic tibi proprium & tuum vt ipse Deus, qui potiùs tibi tuus est, quã tu ipse tibi. Si tibi autem indignum videtur, vt Deus (cuius potestati & imperio omnia subdita sunt) tuus appelletur, Audi regium vatem dicentem, próptuaria eorũ plena eructátia ex hoc in illud, oues eorũ fœtosæ abũdátes, &c. Hos mundus beatos iudicat & prædicat.

Psal. 72

Tu verò sancte Propheta quid dicis? beatus populus cuius dominus Deus eorum est. O diues & pulchra possessio, quã beatus est possessor Dei sui. Quare ergo cum Deus sit tuus, ab hoc amore te ipsum semoues? Nunquid eũ indignũ tuo amore iudicas? nam cũ omnia diligas, & summo amore prosequaris, ipsum solum ab hoc amore foras expellis? Nõne Deus irascetur ob sui contemptum? Nõne vides grande malum quod facis. Cũ palliũ amittis, pœnitet, quia tuum erat: tristaris si rem vel domum perdis: Deum offendis, & velut si nihil egeris, per illud transis. Nonne in plateis quotidie audis? Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascédit: quæ parauit Deus diligentibus se? Quare igitur frigidus & tepidus es in eius amore? Ne putes aliquid vtilitatis Deo euenire, si eum diligas. Et mirũ valde est (vt ait Cyprianus) quòd Deus te solo quasi sua hæreditate contentus sit. Tibi verò nõ sufficit Deus tuus, cum terrena diligas, ipsum relinquens.

1. Cor. 2

¶ Hactenus vidimus cur diligẽdus sit Deus: népe quia Deus, quia dominus, quia tuus. Sed quomodo diligendus est.

Deus vult totum cor & non partem.

¶ Ex toto (inquit) corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Nõ vult Deus cor diuisum, sed integrum. Venerũt duæ mulieres meretrices ad regem Salomoné, &c. Altera earũ dixit: Nec mihi nec tibi, sed diuidatur. Salomon autem veluti prudétissimus infanté integrum & intactũ matri tradidit, & noluit vt diuideretur.

3. Reg. 3

Tu verò vis similis effici illi mulieri meretrici: qui alteram partem cordis tui Deo tribuis, alterá verò mundo. Deus auté hoc dicit & iubet vt non diuidatur, sed vel totũ Deo, vel totũ mundo tradatur. Mũdus inquit, Diuidatur, Deus verò contrarium, Cain etiã si bene obtulit, tamen male diuisit, cum totum

Genes. 4

cor Deo non tribuerit, ideo fuit reprobatus. Sunt enim multi, qui sui cordis partem Deo tribuũt, partem verò mũdo, voluptatibus & blandimentis carnis, qui taliter Deo placere cupiũt, & eius serui esse & in gratia permanere, vt nequaquam mũdo velint displicere, & nullatenus contradicere, & ita cælestia desiderant, vt simul terrestria amplectantur. Aduersus hos Diuus Iacobus irascitur dicés, Adulteri, nescitis, quòd amicitia huius mundi inimica est Dei?

Iaco. 4

Quicunque ergo voluerit amicus huius sæculi fieri, inimicus Dei cõstituitur. Hi qui omne non offerũt nihil offerunt, quia Deus nõ acceptat parté cordis,

nec spiritum vult diuisum. Vnde euenit, quòd cum ex toto corde & viribus Deũ non diligãt, hoc præ-
Oseæ 10 ceptum transgrediuntur. De his inquit Oseas. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Diuisio cordis mors animæ est: nam quemadmodum corpus diuisum non sine anima viuit, ita etiam cor diuisum
3. Reg. 18 nullam habet vitam. De his etiam dixit Elias, Quousque claudicatis in duas partes? Si Deus est Baal sequimini, &c. Nihil Deo tuo debes tribuere
Psal. 61 nisi integrum. Hinc Dauid ait, Si diuitiæ affluãt, nolite cor apponere eis. Omne sibi vult. Postquã verò Deus totũ cor possederit, aliis rebus poterit communicari. Deus sic est zelotypus, quemadmodũ maritus in vxorem, qui neminem ab ipsa vult amari nisi se. Sic in Exodo dicit, Ego sum dominus Deus
Exod. 30 tuus fortis, zelotes. Et ita si nimio & inordinato amore filium vel vxorem videt a vobis amari coram oculis aufert, vt omnis prorsus amor in ipsum tendat. Si verò insistitis, appetitum effrænatũ relinquit vt omnia quæcunque voluerit diligat, & desideriũ
Ezec. 16 expleat. Ideo per Ezechielem ait, Auferam zelum meum à te. Dilige quod volueris, adimple quod arriserit, iam enim tuo zelo non vtor. Sic Esaias cum videret homines effrænes in mundanorum amorẽ, miratus qui fieri posset, vt hoc Deus tam patienter
Esai. 63 ferret, cum ità esset zelotypus, ipsum interrogat. Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua? Vbi est zelus, quẽ in animas habes, de quibus inquit. Ponã zelum meum in te? Nunc autem video omnes animas esse
Ezec. 14 adulteras. Deus autem cum valde zelotes sit inquit,
Prouer. 23 Fili præbe mihi cor tuum. Vult vt nihil prorsus tui cordis alteri præbeas: sed vt eum diligas omnibus viribus tuis, anima, intellectu, & voluntate. Sed forsan hoc mandatum intolerabile & asperum videbitur alicui, sic vt penitus obseruari nequeat: quãdoquidem Deus omnem voluntatem nostram postulat, ita, vt nihil rebus nostris sit relinquendũ. Verùm vt clariùs & manifestiùs intelligas, hoc mandatum adeò esse dulce & suaue vt nullus non eius obseruationi acquiescere possit: duobus tantum obsecro attentas aures præbeas.

Dilectio Dei obligat semper sed non ad semper. ¶ Primum est mandatum hoc esse affirmatiuũ, quod semper obligat: hoc est, omni tẽpore, sed obligat non pro semper, sed tẽpore necessitatis. Quemadmodum præceptum de colendis parentibus non omni tempore obligat, sed cum necessitas postulauerit: ita etiam non teneris semper Deum diligere, nisi cum occasio se obtulerit. Præcipit enim Deus vt cum mundus, dæmon, vel caro rem aliquam ob oculos posuerint diligendam, rem talẽ potiùs amittas quàm creatorem tuum offendas. Ille verè & super omnia Deum diligit, qui nullius rei creatæ imagine captus mortiferum peccatum omittit. Interim verò dum peccati occasio non se obtulerit, res omnes alias, parentes, vxorem, & filios potes diligere, ea tamen lege vt semper animum habeas paratum, vt quoduis grauissimũ discrimẽ patiaris potiùs quã propter aliquam earum mortaliter audeas peccare. Et hoc propositum & intentio, vt Deum non velis offendere, semper, hoc est omni tẽpore obligat, quia negatiuum est. Actus verò amãdi Deum super omnia non pro semper obligat, nisi cum occasio se offert in Deum peccãdi mortaliter. Diligebat Deũ
Genes. 39 super omnia sanctus Ioseph, cum à domina inuitaretur & alliceretur ad facinus perpetrandum dixit, Quomodo possum peccare in dominũ meum? voluptatem potiùs temporalem, quàm Deum voluit amittere. Rex sanctus Dauid hunc etiam exercitum amatorum Dei ingreditur, qui cum Saulem inimicum in spelunca facile posset interficere: elegit potius in creatorẽ suum nõ peccare, quàm vindictam sumere de inimico. Pudica illa & nunquã satis laudata Susanna, cum sine vllo honoris sui detrimento *1. Reg. 24 & 26*
Deũ posset offendere, potius autẽ quãcunque iniuriam, & contumeliã temporalẽ ausa est pati, veluti *Dan. 13*
Christi fortissimus miles, quàm aliquod nefarium scelus in suum defensorẽ patrare. Dilige omnes res tuas quantũ volueris, amplam quippe licentiam & liberalem Deus tibi concedit: dummodo cum occasio fuerit oblata in Deum peccandi, præsenti sis animo vt sanctus Ioseph, Dauid, & Susanna, & super omnia Deum diligas, discrimen potiùs vitæ tuæ & grauissimum tormentum passurus, quàm in tantam tamque diuinam maiestatem pecces.

¶ Secundò aduerte quòd non teneris ardentiùs & feruentiùs Deũ diligere cæteris rebus. Nã si Deo summam gloriam & summum honorem impendere volo, hunc certè super omnia diligo, siue intẽsiùs remissiúsue aliud diligam. Neque eò hoc præceptũ se extendit. Etenim intensum atque remissum non variant speciem: quia quãtumcunque remissè diligã Deum, dum tamen diligã eum super omnia, nõ dicor defecisse à præcepto. Argumentum est à simili. *Deus aequaliter cum aliis rebus potest diligi.*
Si quis habeat vicinum frequenti & amica consuetudine sibi coniunctum, habeat item patriæ suæ vel territorij principem aut ducem, cui vt domino suo seruiat, & omnem dignitatem, honorem & amorem debitum ipsi tribuat, is licet frequẽtiùs & intẽsiùs vicinum suum quàm principem, & dominum diligat ob continuam consuetudinem & frequẽs amoris exercitium (ex actibus enim frequentibus intenditur habitus) principem tamen plusquam vicinum diligit. Quandoquidem illi maiori honore & dignitate fauet, quàm vicino suo: potiúsque vicini inimicitiam subiret (si occasio se offerret) quã principis, vitæque & mortis discrimen & periculum potiùs pro principe quàm pro amico pateretur. At si vicinum interemptũ esse audiret, tantũ pœniteret, quãtum si idem principi contigisset. Par est nostri propositi ratio, nam si quis hominem alterum ardentiore & feruentiore amore prosequeretur, quàm Deum, interim non peccat, dummodo summã gloriam, summum honorem, bonum etiam, quod in se est summum Deo impendere curet & studeat. Tũc enim Deus magis diligitur (vt dicitur) æstimatiuè, siue appretiatiuè, quòd satis est ad complementum huius præcepti. Et hæc satis sint de hoc præcepto primo dilectionis Dei. Iam verò de huic simili audiamus quid dicat.

Et proximum tuum sicut teipsum.

Nimis videtur Deus proximi dilectionẽ cõmendare, siquidem suo ipsius amori, proximi amorem coniunxit. Deo amor proximi, Dei amori est coniunctus & copulatus, vt eodem amore Deũ & proximum prosequaris, ab eodem enim fonte & radice vterque prouenit, sic vt separari nequeant, eodẽ quippe habitu charitatis Deum & proximũ diligis. Ideo Apostolus dixit, Qui proximum diligit, legem adimpleuit. Nequaquam amorem proximi fugies, *Rom. 5*
quin Dei amorem etiam fugias. Omnes enim lineæ sphæræ tangentes centrum, quod medium punctum est, alteræ alteras tangunt: nulla tamen istarum à cẽtro discedet, quin etiam à vicinis lineis discedat. Nullo modo amorẽ proximi repudiabis, quin etiã

Deum non reiicias, nec vice versa. In hoc certè clariùs videre poteris, quāti Deus faciat proximi amorem, vt nequaquam velit amari nisi simul cum proximo. ¶ Secundum autem, in quo poteris videre quāti Deus faciat amorem proximi est illud quod in mādatis secundæ tabulæ, quæ ad dilectionē proximi pertinebāt largiùs est loquutus. Mādata enim primæ tabulæ cuius principium est amor Dei, tria sunt, & non plura, mandata verò secūdæ tabulæ cuius principium est amor proximi, sunt septem. Hæc verò septem eo rigore nobis tradidit, vt eorū vnum tantum sit affirmatiuum, reliqua sex negatiua: vt in de facilè intelligas, quàm dulce & suaue sit, tā benigno & pio domino seruire, quā verò laboriosum & difficile obligationi proximi satisfacere. Vnde dominus in Euangelio. In hoc cognoscēt quòd discipuli mei estis, si dilectionē habueritis adinuicem. Non inquit, Si miracula feceritis, nec inquit, si spiritum habueritis prophetiæ, sed si inuicem dilexeritis. Amor enim rubrica est, qua cognoscuntur oues Christi, & à grege dæmonis distinguuntur. Nam cum à principio mundi in quacunque specie Deus plurimas produxisset, ex humana prole tantum hominem & mulierem condidit: vt posteri se inuicem diligerent, cum contemplarentur, ab vno eodēque parente omnes emanasse. Et laudauit Deus diem primum, non reliquos, quia omnem discordiam & diuisionem odio habet. Ideoque cum Christus toto tempore suæ vitæ discipulos docuisset humilitatem, patientiam, contemptum mundi, & reliquas alias virtutes, amoris lectionem in vltimam cœnam seruauit: vt firmiùs, & tenaciùs amor & dilectio proximi in fine memoriæ adhæreret. Hoc enim à natura nobis est inditum, vt ea, quæ amici nobis cōmendāt, cū discedere volunt, fixiùs in memoria maneat. In hoc certè consistit Christiana perfectio. Et ideo Paulus dixit, quòd omnis lex vno sermone completur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Qui hæc duo præcepta obseruat sine verecundia, & pudore coram Deo apparere poterit. Et non solùm ea obseruare teneris, sed etiam diligere. Ideo Dauid loquens Deo in Psalmo dixit, Vide quoniā mādata tua dilexi domine. Inuitat Dauid dominum vt plenum suæ charitatis aspiciat affectum. Nemo alios inuitat, vt ab ipsis videatur: nisi qui scit, etiam si aspiciatur, aliis se esse placiturum. Adam vocatus à domino fugiebat, & abscondebat se, quia cognoscebat sua præsentia domino non esse placiturum. Sed cur Dauid non timebat à domino videri? quia mandata Dei diligebat. Præcepta (inquit) tua dilexi. Non dixit, seruaui, nec dixit sciui, aut custodiui, sed dilexi: quod amplius est, quàm custodire. Custodiri necessitatis plerūque est, & timoris: diligere verò charitatis. Qui Deū diligit, omnia præcepta custodit: non tamen è contra. Quare ergo tu non solum seruabis præcepta hæc ita iucūda & dulcia: sed etiam diliges? A natura homini est datum, vt semper diligat, quemadmodum aquæ, vt descendat: atque ita laboriosius esset homini, si odire iuberetur. Restat igitur vt cùm aliquid semper sis amaturus, illū diligas, qui te diligere potest. Amor quippe (vt iam sæpè diximus) non nisi amore soluitur. Quare igitur auri & argenti amore ardes, cum neutrum illorum amoris sit capax? Propterea Deum & proximum debes diligere, cū mutuo amore ab ipsis possis redamari.

Diligendus Deus & proximus, quia ab ipsis possumus redamari.

Ioan.13. *Genes.1* *Ioan.14* *Galat.5* *Psal.118* *Gene.3*

¶ Notabis autem quòd hoc aduerbium, sicut, non significat æqualitatē dilectionis: sed similitudinem, quia non teneris diligere proximum eo amoris gradu, quo te ipsum, sed eo modo, quo diligis te, ipsum ames, vt omne bonum tibi desideres, & ad id fœlicitatis & perfectionis peruenire, ad quam creatus es. Tamen sic præcipitur, vt diligas proximum, vt rectam normam & ordinē charitatis serues, iuxta illud Canticorum. Ordinauit in me charitatem. Maiori nanque dilectione teipsum debes prosequi quàm proximum. Quia sicut aliquid inuenitur perfectius in causa perfecta & vniuersali, quàm in effectu particulari: ità aliquid inuenitur perfectius in se, quàm in sua similitudine. Vnde cum bonum proprium cuiuscunque inueniatur in Deo sicut in causa vniuersali: in se autē sicut in effectu, & in proximo sicut in similitudine, ita sicut vnusquisque maiori charitatis vinculo Deo, quàm sibi debeat copulari, sic etiam seipsum, plusquam proximum debet amare. Nam cùm Deus diligatur, vt principium boni, super quod charitatis dilectio fundatur, & homo seipsum diligat ex charitate secundū rationem quæ est particeps illius boni, proximus diligitur secundum rationem societatis in isto bono: in socio enim est causa dilectionis, secundū quandam vnionem in ordine ad Deum. Vnde sicut vnitas potior est quàm vnio, ità quòd ipse homo participet bonū diuinum, est potior ratio diligendi, quā quòd alius associetur sibi in hac participatione. Et ideo homo ex charitate debet magis seipsum diligere, quàm proximum.

Aduerb. sicut, non æqualitatem sed similitudinem est.

Cant.2

¶ Aduerte autē quòd cum in homine sit duplex natura, scilicet, interior, quæ est rationis, & exterior quæ est sensualitatis, secundum quas dicitur homo interior, & exterior, plus debet homo seipsum diligere quantùm ad naturam interiorem, quàm quo ad exteriorem. Et ideò ea bona quæ sunt naturæ interioris debet potiùs operari, quàm ea quæ sunt sibi bona secundum naturam exteriorē: & cum omnia opera virtutis sint bona, secundum naturā interiorem ardentiori animo ea tenetur diligere, quàm vtilitates, & voluptates quæ inferioris sunt ordinis. Ad opera autem virtutis pertinēt ea, quæ sunt amici operari, & ideo plura bona exteriora sunt impendenda amicis, quā nobis ipsis. De bonis autem spiritualibus siue virtutis, plura sibi vnusquisq; debet comparare, quā amico: Ratio est, quia cū quis bona temporalia, voluptates & alia id genus sibi acquirit, bonum vtile aut delectabile recipit: cū verò amico suo ea dona præbet, vel curat, sibi ipsi bonū virtutis comparat, nam amicis benefacere, ad virtutē pertinet, bonū autem virtutis maius est, quàm vtile & delectabile, ergo melius est dare amico, quàm sibi ipsi. Et hoc non ideò fit, quia magis debeamus diligere amicum, quàm nos ipsos, & plus boni amico, quàm nobis debeamus: sed ideo fit, quia homo seipsum magis, quàm amicum diligat, ratio postulat, vt sibi ipsi velit maiora & ampliora bona, quā amico. Et quia præbendo amicis vtilia, sibi bonum virtutis acquirit, quod maius est, amico potiùs in vtilibus debet bene facere, quàm sibi. Et quemadmodum concludimus, vnumquēque potiùs teneri seipsum diligere, quàm proximum, pari ratione quilibet potiùs tenetur vitare peccatū proprium, quā proximi. Nemo autem magis proximum (quātumcunque bonus sit) debet diligere, quā seipsum: nā in proximo non est tanta ratio amandi, quā in eodem ad seipsum: quia bonum, quod ego habeo quantumuis

Proximus quare aliquā do plus nobis ipsis, aliquādo minus diligere debeamus.

tumuis parum sit, magis est mihi diligibile, quàm bonum proximi etiam si magnum & amplum sit, quia hoc parum, quod ego habeo, maius bonum efficitur mihi, quàm magnum amici. Quapropter vnusquisque magis Deum debet diligere, quàm seipsum: eo quòd bonum inuentũ in Deo, est vnicuiq; magis proprium, quàm bonum, quod in ipso est. Nec est simile de bono proximi, quia bonũ proximi est totaliter extrinsecum ad bonum nostrum: bonum verò Dei nõ est nobis extrinsecum, sed intrinsecum, cùm sit causa boni nostri in efficiẽdo, & in conseruando. Et nulla etiam si bonitatis sit vmbra & imago in nobis splẽdet, quin ab illo bonitatis fonte perpetuo scaturienti proueniat, & emanet, & sic bonum Dei est bonum nostrum. Si quis enim haberet duas possessiones, vnam ad tempus, alteram verò perpetuam & nunquam perituram, diligeret vtique magis perpetuam & permanẽtem. Sic bonum, quod in nobis ipsis est caducum, fluxum, & momentaneum, & ad triduum periturum: quod autem est in Deo firmum, stabile, nulla vnquam temporum varietate delendum.

¶ Præterea magis tenemur diligere proximum nostrum, quàm corpus nostrum, quia proximus habet maiorem rationẽ dilectionis ex charitate. Ideo quilibet pro salute animæ proximi proprium corpus periculo debet exponere. *Ioan.10* Pastor bonus animã suam ponit pro ouibus suis, hoc est vitam pro salute spirituali earũ: hoc enim vinculo charitatis prælati adstringuntur: & quiuis alius hoc faceret, compleret vtique opus charitatis perfectum & absolutum. Nec omnes æqualiter sunt amandi, quia magis diligendi sunt fideles, quàm infideles, & magis consanguinei & propinqui quàm extranei: & magis parentes nostri, quàm filij, &c. Sed de his aliàs, vt breuitati interim consulamus, Sequitur,

Dixitque illi, rectè respondisti.

Legis peritus dixerat hoc duo dilectionis præcepta sumpta ex Deuteronomio, vbi dominus præcepit diligere Deum & proximum: quam sententiam Christus approbat, respõdens huic doctori: dicens, Rectè respõdisti. Non opus legis periti: sed responsum laudauit Christus. *Deute.6 Non sermo aut scientia, sed opera iustificant.* Multorũ verba laudabilia sunt, opera autem nõ sic. Pius est quorundam sermo, sed opera iniqua. Cœlum nõ emitur sermone polito & composito, nec longa verborum ambage, sed sanctis & iustis operibus. Sapiens quippe & doctus hic æstimabatur & vt legis peritus ad interrogationem optimè respondit: sed quid illi proderat, siquidem iniquo & peruersõ animo accessit Deum tentaturus? Quid proderit in extrema mortis hora eloquẽtem fuisse & in omni literarum genere præclarum? Quid egregium concionatorem, si conscientiam male sanam habuerit? Deus autem non veniet nos iudicaturus, an literati, an sapientes, an eloquentia excelluerimus, sed qualiter fuerimus operati. In die illo vltimo, quo omnes libri conscientiæ nostræ aperiendi sunt, & vita arctissimè examinanda, *Apo.20* melius nobiscum agetur, si Deo seruierimus sancta & munda conscientia, quàm subtiles & acutas quæstiones disputasse. Multos videbis, qui adeò sunt soliciti quomodo debeant loqui, nullus verò quid debeat operari studet. Dæmones sapientissimi sunt & docti, sic vt nemo nec eos præcellere nec attingere valeat: verũtamen nesciũt quomodo à pœna inferni valeant liberari.

¶ Docet etiam locus iste, bonũ etiam si in inimicis nostris sit, à quocunque debere laudari. Solent enim multi opera quantũuis præclara & excellentia (dummodo ab inimico facta fuerint) lacessere, & vituperare. Qui etiã si adeò sapientes & prudentes sint, insanos & ignaros eos appellãt. Hoc genus hominũ impiissimum est, nam etiam si inimicus in aliquibus vituperio sit dignus, aliquã tamen laudanda & excellentia habebit: nec ita cæcus & tuæ sententiæ propriæ sis amicus, vt bonũ & optimum nolis agnoscere: & tale iudicare. Hic enim doctor tentator erat & Christi æmulus, nihilominus tamẽ ipsum, & eius dictum Christus approbauit, dicens, Rectè respondisti. Sed historiam prosequamur, & audiamus Christũ vltra progredientẽ. *Hoc fac & viues.* Vides hîc quomodo doctus & sanctus magister ad bona opera nos incitet, eaq; doceat esse faciẽda? *Non credere, sed facere cõducit ad salutem.* Nõ ait, hoc tantũ crede, sed hoc fac: quo nimirum nobis insinuat, vt ipsum diligamus & proximos, & mutua opera charitatis in eos conferamus. Vnde egregius vates in Psalmo ait. Anima mea in manibus meis semper. *Psal.118* Hoc est, vita mea & salus mea est in operibus, nullis quippe maioribus signis amor & dilectio ostẽditur, quã si ipsis operibus muniatur. Vnde beatus Ioannes apostolus. Nõ diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. *1.Ioan.3* Et iterum. Qui viderit proximũ necessitatẽ habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in illo? *Ibidem.* Aduertas tamen, quòd Christus loquens hic de dilectione inquit, ꝙ qui proximũ diligit viuit, & habet vitã, tribuẽs dilectioni vitã animæ nostræ. Solus Christi & proximi amor animã sustinet, alit, & pascit, secũdũ illud diui Ioãnis, qui nõ diligit manet in morte. *1.Ioan.4* Nõ tibi proderit, etiã si angelos in rerũ omniũ cognitione superes, si variis naturæ dotibus & donis exorneris, dũmodo charitatẽ non habeas, mortuus es. Quẽadmodũ corporis natiuus calor animã ipsam sustentat, ita animæ vita est ipsa charitas, sine qua mortua iacet. Nã si velis clarè cognoscere, viuus ne, an mortuus sis, oculos in animã coniice & vide, diligat, vel odiuo habeat: si verũ odium in corde reperetis, ira & inimicitia, mortuũ te iudica, etiam si viuus appareas. Nomen habes quod viuas & mortuus es. *Apoc.3* Et si mortuus es, dilige & viues. Translati sumus (inquit Ioannes) de morte ad vitam, quia diligimus fratres. *1.Ioan.3* Rerum omnium tẽporalium nulla dignior & æquior æstimatur, quã ipsa vita, nec à nobis magis diligitur, & sic cũ negotiũ aliquod magnopere cõmẽdamus, solemus dicere, vita mea in hoc stat: vel nõ minus, quàm de vitæ discrimine in hoc negotio agitur. Et huius rei signũ est euidentissimũ, nã pro salute ipsa quilibet patitur, vt sanguinis missio fiat, manus vel brachium abscindatur, & si opus fuerit absynthij potione potetur. Hæc omnia & alia his maiora patiuntur, & sæpius animæ discrimen pro vita hac, quæ non vera est vita, sed potiùs vmbra & mortis imago. Si igitur vitã corporis (quæ breuis est, momẽtanea, caduca, & ad triduũ peritura) tanti habemus, tantaque patimur: quã maiora aggredi deberemus pro ipsius animæ salute? quamq; præclara & illustria, vt gloriosam illam vitã & patriã cõsequeremur? Hic enim Christus loquitur, nõ de quacũque vita, sed de vita æterna, quæ beatorũ patria & sedes est: Nam cũ Christus ad interrogata teneretur respondere, cumque doctor de vita æterna percontaretur: postquam dixit, quid erat in lege scriptum, respondit dominus, Hoc fac & viues.

Ac si diceret, Deum dilige & proximũ, & sic æternam vitã posſidebis, hæc eſt tuæ quæſtionis reſponſio. Age igitur homo, & cõſidera quàm paruo pretio dilectionis ematur vita æterna. Si tot tantáque molimur, vt vita hæc miſera nõ pereat, & vt magis elongetur: quid obſecro eſſet faciendum, vt æterna illa frueremur? Etiã ſi Deus iuberet igneis flammis nos comburi, & fornaces ardentes ingredi, velut aliud agẽtes, deberemus obedire, vt in æternũ cum Chriſto regnaremus: id tamẽ ſuauiſsimus dominus non iubet, ſed dilectionẽ commẽdat, vt viuamus. Non eſt Deus noſter vt dij gentium, qui lactantes pueros à parentibus occidi iubent: & vt homines ſeipſos interficiant, & in oblationẽ ſe offerãt. Nolo mortẽ peccatoris, dicit dominus: ſed magis, vt conuertatur & viuat. O quàm bonus Deus noſter, qui vtinam à nobis (vt æquum eſt) diligeretur, & eius mandatis obediremus, qui amoris retributionem cum ſit opus ſuauiſsimum vitam proponit, & non qualemcumq; ſed æternã & glorioſam. Sed ad cõtextum reuertamur. *Ille autẽ volens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum. Et quis eſt meus proximus?* Quærebat iſte, quis eſſet ipſius proximus, vt quærẽdo hoc potiùs ſe reprehenſione dignũ oſtenderet, quàm iuſtũ: nam cũ eſſet legis peritus, nullatenus debebat ignorare, quis eſſet proximus. Dicendum igitur, quod credebat ſe tale reſponſum habiturũ, vnde ſe poſſet oſtendere iuſtum. Si enim Chriſtus reſpondiſſet omnis Iudæus eſt proximus tuus, dixiſſet ille, & ego omnẽ Iudæum diligo, & perinde videretur impleuiſſe maximũ præceptũ legis, & ſic eſſet iuſtus: naturæ nanq; & cõditionis iſtorũ erat iactare ſe iuſtos corã hominibus, gloriamq; & honorẽ anhelare. Vnde dominus his inquit, Væ vobis ſcribæ & phariſæi, qui iuſtificatis vos corã hominibus. Sed iam nunc vel quòd noſtra tulerint peccata ſcribæ & phariſæi plures habent imitatores, quorum corda odio & iniquitatibus abundãt, qui pauperes perſequuntur, innocentes opprimũt, vindictam de iniuriis ſumunt vſque ad vitæ & ſanguinis effuſionem, qui impietatem & crudelitatẽ aduerſus proximum exercent, verbis tamen compoſitis & fallacibus ſuam cauſam coram hominibus iuſtificant, dicentes, Ego Petrum diligo, Franciſcum amo, & coram vobis teſtor, & coram Deo, de iniuria accepta nunquam vindictam poſtulare: ſed hoc iuſtitia exigit, aliter facere nequeo. His noſtris temporibus multi ſunt prelati, qui acceptas iniurias diſsimulãt, occaſione verò data exactiſsimum ſupplicium de eis ſumunt, & ſubditum vſque ad mortem perſequuntur, præceptiſque & obſeruationibus illum onerant, vt cum in minimo deliquerit (ſub colore zeli legis Dei, & ſub tegumento caſtigationis peccati) pro iniuria accepta in illũ crudeliter animaduertũt. Et id omne faciunt ſine honoris amiſsione ſeipſos iuſtificantes fictæ ſanctitatis fuco. Si regis vel imperatoris curiã luſtrare volueris, & ciuitatũ loca publica pertranſieris, ſi omnes cõuentus, magiſtratus & res publicas intueberis, nihil reperies niſi multos, qui ſub velo iuſtitiæ, & religionis pallio, grauiſsima ſcelera cõmittunt, ſua propria curãtes: interim tamẽ nihil honoris & famæ deperdũt, imo potiùs (quod dolendum eſt) in dies magis ac magis bonorum opinionẽ induunt. Quod ego de hac re exiſtimo, & iudico illud eſt, obuius nos ea eſſe natos cõditione, vt peccatores eſſe velimus, & bonos exiſtimari. Quod certè nullo magis longè petito exemplo quàm ex ſacra pagina licebit confirmare. Nam cùm impius proditor Abſalon aduerſus patrem decreuit inſurgere, & regno ſpoliare, vt hoc tãtum facinus perpetraret, Dauidi inquit, Vadam & reddã vota mea, quæ voui domino in Hebron: vouens enim vouit ſeruus tuus cum eſſet in Geſſur Syriæ dicẽs, ſi reduxerit me dominus in Hieruſalem ſacrificabo domino. Erant nanque in Hebron (vt nũc etiam) corpora Adam, Abrahã, Iſaac, & Iacob, qui locus adeò venerabatur, cumq; ſanctitatem ſimularent, dixit ſe velle adimplere peregrinationem factam ex voto, hiſq; & aliis ſanctitatis fictionibus facinus ſuum operiebat. Si etiam Heliodorus volens ſpoliare templum Hieruſalem iuxta regis ſui mandatum iter eſt aggreſſus, quaſi Celeſyriam & Phenicẽ ciuitates tranſiturus, re autem vera non niſi cauſa mandatum regis & propoſitum exequendi. Sic Aman ſumpturus de Mardochæo vindictam, impietatem ſimulauit & texit, dicens regi Aſſuero. Eſt populus per omnes prouincias regni tui, &c. Decerne, vt pereat & decem millia talentorum appendam gazæ tuæ. Quo nimirum vltionem moliebatur. Sic Caiphas dixit, Venient Romani & tollent locum & gentem. Quem certè nullus reipublicæ zelus, nec amor angebat: ſed potius odium. Sic Iudas, Quare vnguẽtum iſtud non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? Non pietate motus id dixit: ſed quia fur erat. Quæ omnia oſtendũt quòd cum mali ſimus, bonitatis pallio malitiã volumus tegere: & boni exiſtimari. Sic filij Iacob, qui fratrem Ioſeph vendiderunt, volentes ſe ipſos iuſtificare, & ſe immunes à peccato coram patre oſtendere tunicã ſanguine tinctam appoſuerunt: quaſi inſontes eſſent & ſine vlla culpa. Similiter Babylonij, quos cum Daniel ieiunio affligeret, cùm idolum Baal deſtruxiſſet, cuius ſacrificiis epulabantur, religionis zelum finxerunt gulam cooperientes, dixerunt Nabuchodonoſor, Trade nobis Danielem, qui Bel deſtruxit. Sic Herodes volens Chriſtum natum occidere coram Magis deuotionem, & ſanctimoniam finxit, dicens, Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis renunciate mihi, vt ego veniens adorem eum. Sed iam tandem intelligant omnes hi, qui ſimulato incedunt corde quod tempus quemlibet dolum & fallaciam detegit, vt cogitationes Abſalon, Heliodori, & Herodis cum reliquis. Sed de his ſatis.

Ezech.18 — Matth.23 — Luc.11 — Proditorum ficta ſimulatio. — 2.Reg.15 — 2.Mac.3 — Eſther 3 — Ioan.11 — Matth.26 — Ioan.12 — Geneſ.37 — Dan.14 — Mat.2

¶ Animaduerte autem quod de proximo quærit, quis ſit. Quia tumeſcebat legis peritus inani gloria, quaſi abundè compleuiſſet præceptum de diligendo Deum, quæſtionẽ mouet de proximo: quaſi Deum iam diligeret. Putabat ſe Deum diligere ſuper omnia: & ideo de proximo interrogat. Ecce arrogantiam & præſumptionem, fingit ſe familiarem Deo, quem non videt, & tamen dicit ſe ignorare quem videt, cum dicatur, Qui non diligit fratrem ſuum quem videt: Deum, quem nõ videt, quomodo poteſt diligere? Sed Lucam audiamus.

1.Ioan.4

Suſpiciens autem Ieſus dixit.

Suſpiciens ponitur hic, pro ſuſcipiens autem Ieſus. Non enim ſignificatur quod Chriſtus oculos in cœlum leuauit: ſed quod acceptauit quæſtionem, & reſpondentis perſonam accepit. In Græco nanque originali ſic habetur. ypolabo de o iiſoys. Hoc eſt, ſuſcipiens autem Ieſus. Et ita legitur in antiquiſ Latinorum exẽmplaribus. Et hoc dixit Euangeliſta ad differentiam ipſiusſet

Ieſu

Iesu in prima quæstione: nam in prima quæstione non suscipiens: sed eiciens eam interrogantem se habuit, efficiendo de interrogante respôdentem: hîc autem suscipit eum, & respondit dicens.

Homo quidam descendebat a Hierusalem in Hierico. Potuit hoc, quod Christus hîc narrat, fuisse historiam, nam Hierusalem est in altitudine, in monte scilicet Sion, & Hierico in loco deorsum. Est etiã quædam solitudo seu desertũ inter Hierusalem & Hierico, in quo homines à latronibus spoliabãtur, ubi côprehensus fuit Sedechias à satellitibus regis Babylonis, cum fugeret Hierusalem. Quod autem in re ita contigerit, vel quòd sit exemplum, nihil ad rem de hoc disputare, Christus narrationẽ hanc affert, vt ostendat legis perito, quis sit proximus. Aliqui dicunt hunc, qui à Hierusalem in Hierico descendebat, esse Adam & genus humanum, sacerdotem autem & Leuitam esse sacrificia veteris legis, Christum verò esse Samaritanum, qui genus humanum curauit à dæmonibus spoliatum gratia & donis à Deo acceptis, qui dæmones per latrones significantur. Alij autem moralem doctrinam volentes adducere dicunt, hunc esse peccatorem, qui de statu gratiæ ad statum culpæ descendit, & sic quilibet pro libito depingit. Quantum verò hoc distet à literali sensu parabolæ, quicunque etiam si lippus & cæcus sit, facilè poterit videre.

August. lib. 2. quæst. Euan. quæst. 19.

4. Reg. 25

Qui proximi nostri.

¶ Igitur quod Christus in hac parabola innuit, est legis perito ostendere quis sit proximus, quod ipse priùs quæsierat: & summatim docet quòd ille proximus est, qui potest bonum aliquod nobis impendere: quapropter omnis homo viuens quicunque ille sit, siue ethnicus, siue Christianus, fidelis, aut infidelis, bonus vel malus, proximus noster est. Omnes etiam, qui in charitate decesserunt, proximi nostri sunt: quia vel sunt beati in re, vel in spe. Si in re, clarum est quòd sunt proximi nostri, quia possunt nobis benefacere sua oratione in cœlo, licet nos simili præsidio nõ possimus eos adiuuare: nam sufficit ad rationẽ proximi, quòd vnus alteri possit subuenire. Si Samaritanus vocatur hîc proximus, quia vulnerato profuit, etiam si nihil ab eo recepisset. Mortui etiam qui in purgatorio detinentur, quanuis nõ possint nobis benefacere (quia non possunt pro nobis orare, nec pro seipsis) tamẽ proximi sunt: quia nos possumus oratione nostra ipsis benefacere. Sic Christus proximus noster potest dici in quantum homo: nam in quãtum Deus proximus nõ vocatur, licèt quotidianis bonis nos cumulet, quia plusquam proximus est. Et hac de causa dilectio Dei distinguitur à dilectione proximi, quia Deum debemus diligere, plusquam nos: proximum autem sicut nos ipsos. Similiter angeli proximi nostri sunt, quia possunt nobis benefacere: & ideo Christus Samaritanum tantum vocauit proximum, & non Leuitam & sacerdotem, ratione beneficij quod contulerat in vulneratum. Nam licèt Leuita & sacerdos & omnes quos retulimus proximi sint in rei veritate: tamen in re non fuerunt isti proximi, quia vulnerato non subuenerunt, nec aliquod præstiterunt auxilium. Dæmones verò & qui æternis pœnis cruciantur, proximi nostri non sunt, quia nec ipsi nobis bonum impendere, nec recipere auxilium possunt, & ideo nõ tenemur eos diligere.

¶ Obserua autem quod in communi ille solet vocari proximus, qui ad beatitudinem potest peruenire. Charitas enim per se & directè habet Deũ pro obiecto: ipse enim propter seipsum diligendus est, quia est summũ bonum: cætera autẽ diligenda nõ sunt, nisi quatenus ad ipsum tẽdunt modo perfectissimo, vt beatificantẽ. Ideo omnis homo viuẽs proximus est: quia quãuis malus sit potest in meliùs vitã mutare, & à malitia resipiscere, & peruenire ad beatitudinẽ. Pari ratione mortui, qui in charitate decesserũt. Damnati autẽ & dæmones qui ad beatitudinẽ non possunt peruenire, proximi nõ sunt. Et hæc licèt ita sint, nõ tamen cõtradicunt his quæ de proximo diximus: quia omnis ille qui nobis potest bonũ impendere, capax est beatitudinis. Christus tamen in hoc exẽplo ponit proximitatẽ in beneficio: & Samaritanus vocatur proximus, quia cum vulnerato vsus est misericordia. Samaritanus etiam capax erat beatitudinis, & vtraque ratione proximus dici poterat. Sed nos sensum exempli sequimur, ex quo quidem potest colligi quòd qui misero aliquod bonum erogat, proximus vocatur.

¶ Rursus aduertendum quòd Iudæi tantum eos proximos putabãt, qui suæ nationis & sectæ erant, scilicet, Israëlitici generis: exteros autem & gentiles non vocabãt proximos, nec tales existimabant. Ideo Christus sapientissimè respondit in hac parabola, ostendens eum esse proximum, qui bonum potest accipere, aut in alios conferre. Quapropter potiùs dixit illum Samaritanum charitate fuisse vsum, quàm Iudæum aliquem: & id data opera, vt ostenderet, quod Samaritanus qui gentilis erat & quicunque alius quanuis infidelis esset, erat proximus, atque ideo diligendus.

¶ Itaque per hunc hominem, qui descẽdebat ab Hierusalem in Hierico, intelligit Christus hominẽ cuiuscunq; status aut conditionis, qui pauper est, humilis, abiectus, infirmus, tristis, aut humano auxilio destitutus: & vt vno verbo cõcludam, omnis ille qui indiget alterius ope. Attende igitur tu, qui diues es, pauperẽ proximum tuum esse: si sapiẽs & ingenio præditus, ignorantẽ socium habere: si corporis valetudinẽ & salutem habes, memineris infirmum proximũ tuum esse, & à Christo tibi esse commendatum. Si lætus es, & rerum fœlicitas tibi contigerit, recordaberis tristem & afflictum vinculo charitatis, & amoris tibi esse coniunctum: nam per hũc, qui ab Hierusalem in Hierico descẽdebat, intelligit Christus omnẽ illum, qui aliqua necessitate vel miseria laborat, cum quo vult vt viscera tua aperias, & misericordia vtaris, sequens exemplum Samaritani. Ita hic quẽ retulimus pauper est: & sub nomine pauperis nõ solum illum ego intelligo, qui re caret, sed etiã eum, qui lætitia, corporis valetudine, solatio, fœlicitate, sapientia aut alio quouis bono priuatus est, & de hoc inquit diuinus pastor. *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico.* Singula hæc expẽdamus. In primis optimè dicit, Homo quidã, in singulari numero, nam pauper semper secum solus vitã degit, neminem habet socium, miser & afflictus ab omnibus relinquitur, & deseritur: diuitẽ autem omnes inuisunt, omnes comitantur, omnes laudant & prædicant, omnes denique illi famulantur. Sed de paupere & misero dolendum quã solitarius suam necessitatem, & angustiam patitur: ita vt vix reperias proximũ qui de ipso interroget. Si verò diues infirmitate laborat aliqua, medicorũ caterua eum statim circundabit: pauper verò est quidã, viuit solus & solus moritur, tantùm abest, vt sit qui medeatur, vel curam de ipso

Proximus est qui nostra indiget ope.

ipso habeat. Si diues cursum vitæ velit peragere nõ deerunt sacramenta, clerici, monachi qui ipsum inuisant, & vtinam tanta lachrymarum abundantia ipse compungeretur, vt sacramentum susciperet. Pauper solus interit, nedum habet qui ministret sacramenta, nec aliquo solatij genere ei subueniat. Si vxor diuitis aut filius moritur, patiatúrue aliquam calamitatem, quot consolatores habet? quot vicini & cognati mille solatiis tristem memoriam exterminant? Pauper verò etiam si calamitatum fluctibus extinguatur, non est qui soletur, nemo est, qui visitet aut doleat. Multitudinẽ amicorum habebat Hierusalem in sua fœlicitate & prosperitate, in tribulatione autem & angustia solam reliquerunt. Et
Thren. 1 ideo plorabat Hieremias, dicẽs. Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici. Mihi crede, eos, qui calamitatibus & angustiis opprimuntur, nullos amicos habere. Nam si te diuitem viderint, fœlicem, & inter magnates æstimari, non te solum derelinquent, visitaberis, ab omnibus laudaberis: & si dolore capitis vexaberis quantũuis minimo, tot vicini & amici aderũt statim, vt fastidium generẽt. Si autem cõtemptum, egenum, & pauperem te viderint, tanquam pestem perniciosissimã te fugient. Hoc verò non minus quàm ipsa experientia ostenditur: nam miser & afflictus solus domi sedet, solus patitur suam necessitatem, eius memoria sepulta est in populo: nemo ipsius recordatur: ideò dixit, homo quidam, homo solus derelictus.

¶ *Descendebat*. Rectè inquit descendebat, nam si quis pecuniis abundauerit dignitatem ascendet, vel à populo æstimabitur. Si vis ascẽdere, ab omnibus magnifieri & tuam famam augere, & denique si cupis iustitiam obtinere in curia regis: id consequeris, si pecunias attuleris. Nullus enim est mons adeò inaccessibilis & altus, quem iumentum (si auro & argento oneraueris) non ascendat. Nam in curiis pluris habentur hi, qui pecunias ferũt, quàm qui subtili & admirabili præditi sunt ingenio. Diues semper ascendit, semper euehitur, omnes vt subeat dignitatis culmen adiuuant: pauperi verò omnes obstant, omnes deprimunt: & potius in ruinam & præcipitium quàm in dignitatem ducunt,
Esther 3 semper de malo in peius & deteriùs tendit. Aman, qui regis amicissimus erat, & in eius domo maximi habebatur, cum ab eius amicitia & gratia cœpit cadere, statim suboritur quidam, qui regi dicat. En
Esther 7 lignum quod parauerat Mardochæo, qui loquutus fuerat pro rege, &c.

Pauperum deplorãda conditio. ¶ Descendebat autem ab Hierusalem in Hierico. Hoc est à diuitiis in paupertatem, à fœlicitate in aduersitatem, à vita denique trãquilla & quieta, ad vitam miseram, inquietam & mille turbationibus plenam. Pauper enim cum nõ habeat substantiam, vt filios possit alere & sustẽtare vt cibũ quotidianum ministret, & vt filias dotet, in lecto tota nocte reuoluitur, hisq; & aliis curis miser torquetur & angitur. Quemadmodum enim rotæ horologij semper sunt in continuo motu, & huius causa sunt pondera quæ pendent, & rotas ipsas nunquam sinunt quiescere: ita nimirum pauperis necessitas semper illum inquietẽ agit, vt vix per noctis quietem ipse valeat quiescere. Sed iam vltra. *Et incidit in latrones*. O bone Deus, & quid latronibus cũ paupere? nonne poëta quidam dixit, Cantabit vacuus
Iuue. Sat. coram latrone viator? Quem obsecro mundus persequitur? Pauperem. Quem euiscerat & exenterat diues nisi pauperem? diuiti omnes tribuunt, pauperem omnes depilant, & angustam supellectilem rapiunt. Quo tendit diues? vt pauperem conueniat apud iudicem. Milui enim qui terrestres aues sunt, & omnem prædam è terra rapiunt: nunquam aquilam aut accipitrem aggrediuntur, sed paruos pullos sub alis matris protectos. Sic diuites non cũ potentibus & magnatibus quæstiones nectũt, aut mouent rixas: sed cũ paupere & egeno, qui viribus eorum resistere nõ valet. Vnde illud Ecclesiastici. Venatio leonis onager in eremo, sic & pascua diuitum sunt pauperes. Si igitur pascua diuitũ sunt pauperes, quid mirum si dicatur, quòd pauper incidit in latrones? Nonne lupi rapaces & latrones quidam magnates & nobiles sunt qui vectigalibus & tributis pauperes diripiũt, & miseros subditos expilant? Nõne prætores quidam, executores, iudices & aduocati latrones sunt? Nonne mercatores horum classem ingrediuntur, qui vicinum & simplicem decipiunt, & sagum pro purpura vendunt? Nonne artifices & tabernarij cum his connumerandi sunt, qui ementes fallunt, & alia pro aliis, & musionem pro lepore distribuunt? Vnde euenit, vt omnes respublicæ, omnes viæ, omnes plateæ latronibus sint plenæ. Si autem aliqui horum hos mores & conditionem exuunt, solum est: quia terræ iustitiam timent, nõ autem cœli: aut quia ementes nõ tantum præbent, quantum ipsi postulant. Verùm ex eorum voluntate propensi sunt, vt rapinã exerceant, & vt omnes ad se venientes decipiant. Si verò semper non exerceant furtum, satis est, vt animum habeãt propẽsum. Si scorta & mulieres peccatrices, etiam si semper ipso actu Deum non offendant: tamen vt sint in peccato mortali detentæ, satis est ipsa intentio. Quare etiam isti auari mercatores sua cupidine & insatiabili lucri fame immortali nõ delinquent? Quid obsecro cõducit magis, aut quam vtilitatem affert, luxuriæ causa quàm auaritiæ infernum ingredi? Nonne horum vterque simul ingreditur? Rectè hoc sentiebat Esaias cùm dicebat, Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. In manus igitur horum latronum incidit pauperculus ille. Eccle. 13 Esa. 1

Qui etiam expoliauerunt eum.

Diuites qui deberent potiùs parentes esse pauperum, & eis subuenire, lupi rapaces sunt, & quos deberent cooperire, exuunt & expoliant. Tu qui diues es, & bonis omnibus affluis, pauperum pignora retines domi, quia tributa non soluerunt, & media hyeme sinis frigore perire pauperum filios, tãtum abest vt istorum viscera misericordia commoueantur. Audi quid de his patientissimus Iob dicat. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes quibus non est operimentum in frigore. Quos imbres montium rigant, & non habentes velamen amplexantur lapides. Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem expoliauerunt. Nudis, & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas. Esaias etiam. Populum meum exactores sui spoliauerunt. Iob 24 Esa. 3

Et plagis impositis.

Hoc est multiplici tristitia cordis inflicta: nam si sapiẽti credimus. Omnis plaga tristitia cordis est. Quæ maior plaga aut tristitia potest esse, quã pauperẽ in carcere detinere, cũ nõ habeat vnde tibi possit soluere? Quæ maior plaga quã excõmunicatio? quãdoquidem pauperẽ reiicis à cõsortio Ecclesiæ, Eccles. 25 Plaga pauperum.

quia

quia in minimo deliquit, diuité autem qui in multis & grauibus, nō reiicis. Quæ maior plaga, quàm vt pauperi bona surripiátur? In carcerem detrudis pauperé, iubes vapulare publicè, multis conuitiorum generibus lacessis, quia cùm montem tuum tráſiret, leporé vel cuniculū interfecit. Nonne magnæ plagæ sunt hæ, Abierũt. Sicut lupi rapaces cadaueribus satiati: quemadmodum Ezechiel dicit. (Ezec.22) Principes in medio eius quasi lupi capiētes prædā ad effundendū sanguinē: & ad perdēdas animas, & auarè sectanctō lucra. Si diuites & tyráni cùm iam pauperes tot plagis afficiút, si posteà recordarētur, & in meliorē mentē redirent cum pœnitētia facti vel iam in dimidiū mali esset prouisum. Sed dolendum est, quod cùm pauperes oppresserint, illorum non recordantur, & quo volunt abeunt. *Semiuiuo relicto.* Nonne tibi videtur, quod semiuiuum pauperem colonum relinquis, quādoquidem ex duobus bobus, quibus laborat, & vitā misere dēgit rapis tibi vnum? Relinquis viuum, vt fame crucietur: boues rapis quibus araturus est, atq; ita dimidiam vitam tollis. Si artificē vel sartorē in carcere detines, qui non habet vnde tibi soluat, liquet manifestè, quod dimidiū aufers vitæ: quia cū sit in carcere laborare nequit, & sic nullatenus potest inuenire vnde debitū soluat, nec vnde victū sibi possit acquirere. Vita enim sartoris est acus, & vita fabri ferrarij est malleolus ferreus, quo victū quærit & domesticos & filios sustentat. Si cùm liber est, nō potest soluere, qui poterit si detinetur in carcere? solue igitur illum è vinculis, vt labore victū quæritet, & debitum soluat. Sed multo aliter tu facis, cū dimidiū vitæ subtrahas, tuā ostendēs crudelitatē. Itaq; semiuiuus relictus dicitur, quia substantiam tollis, (Eccle.34) iuxta illud, Panis egētium vita pauperis est, qui defraudat illū, homo sanguinis est. Nec mirū, vt illud vita hominis appelletur, sine quo viuere nō valet. Nam quando tu bona pauperi surripis, quibus in diem viuit, cùm non possit quærere necessaria, nec sustentare se: merito quidem diceris tu semiuiuum eum relinquere. Sic cum pauperibus, cum viduis, pupillis & afflictis in hac vita misera agitur.

(Sacer. vellic est misericordia erga pauperes.)

¶ Nunc autem Christus agit de charitate, qua erga hos miseros & afflictos vti debemus. Sequitur in textu. *Accidit autem, vt sacerdos quidam descēderet eadem via; & viso eo præteriuit.* Ecclesiasticusne deberet esse (vel quod infaustum sit) qui pauperē & miserum plagis affectū videret, & dissimulans transiret? Videbis enim plerunq; vt cupiditas in sacerdotibus & Ecclesiasticis reperiatur: qui si intelligerēt eos misericordiæ oleo esse vnctos, vel iam recordarentur obligationis, qua tenētur esse misericordes, & erubescerent, crudelitatem exercentes, cùm ministri sint illius domini, qui tanta charitate & misericordia semper erga nos fuit vsus. (Exod.40) In Exodo præcipit Deus tabernaculū vngere, & omnia, quæ sunt in eo, nā in domo domini omnia vncta sunt oleo: vt discant, qui ibi ministrant, pauperibus & egenis vti misericordia. Turpius nanq; & inhonestius vitium hoc videtur in sacerdotibus, quàm in reliquis statibus hominū: nam cum Deo familiariter agūt, & eius mensæ accumbunt, & ideo æquum esset, vt vehementiùs & ardentiùs ipsi charitate inflammarentur, quàm reliqui: quandoquidem iuxta ignem (Deute.4) comburentem (qui Deus est) deambulant, secundum illud scripturæ. Deus noster ignis est. Qui proximus est igni, calidior esse debet, quàm qui a longè est. Pharao enim dedit hæreditatem sacerdotibus suis, (Genes.47, Deute.18, Iosue 13.) Deus autem tribui Leui (quæ sacerdotalis erat) non tribuit possessionem inter reliquos, quia dominus est possessio eius. Quo quidē significatur, quod cum suos sacerdotes reliquerit sine terrenis hæreditatibus, se nūc etiam velle, vt qui suo sancto altari deseruiunt, ab omni mūdano amore, ab omni cupiditate alienum cor debeant habere. Ideoq; si Deo, & eius ministerio sacerdos vacauerit, nē timeat: quādoquidem eius pars dominus est, & munus & officium ipsi magis commendatum est, suis necessaria subministrare, vt idem Mosi inquit, Præcipe filiis Israël, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitādum, & suburbana earum. (Nume.35) Vide quomodo eis tacētibus illorum curam habuērit dominus: iussitque illas ciuitates eis dari, ne se sæcularibus negotiis interponerēt. Quibus omnibus clarè constat, quàm longè melius, magnificā & liberali manu suis nunc sacerdotibus prouidebit: quantò præclarius, dignius, & excellentius est sacerdotium Euangelicum. Quid aliud fuit capillos tondere, & corona insigniri, nisi vt sic discas omnē mundi curam, solicitudinem & diligentiam longè à te semouere? Sed videamus quod sequitur.

Similiter & Leuita cùm esset se. us locum & videret eum pertransiit.

Quemadmodum pertransiit sacerdos, ita leuitā nulla commotus misericordia. Qualis sacerdos, talis leuita: minor quippe, exemplum sequitur maioris. Nemo fuit istorum, qui de altari domini & eius pinguedine viuunt, & eorum etiam qui iuxta illud deambulant, qui pauperis misereretur, ne frāgatur illud Hieremiæ. (Hier.8) A minimo vsque ad maximum omnes auaritiam sequuntur, à propheta, vsque ad sacerdotem.

Samaritanus autem quidā iter faciens venit secus eum.

(Samaritanorum origo.) Samaritani non erant de populo Iudæorum, sed alienigenæ & idola colentes. Nam cùm Salmanasar rex Assyriorum decem tribus Israël propter nimia eorum peccata transferret de Samaria in Assyrios, (4.Reg.17) ne terra in solitudinem redigeretur, nisi idem rex gentes (quæ à Cutha regione, Cuthæi vocabantur) vt terram Samariæ habitarent & colerent: cumque ibi degentes idola colerent (cùm Deum ignorarent) immisit illis dominus leones & alias bestias feroces: quarū crudelitate interirent. Quod cùm ad aures regis Assyriorum peruenisset, habito priùs consilio cum suis ad eos misit vnum de sacerdotibus Iudæorum, qui eos doceret legitima Dei terræ: qui cum tradidisset eis legem Mosi, timore correcti cœperunt colere Deum, pariter tamen idolis suis sacrificabant. Hos ergo Iudæi odio habebant, & ab eis spernebantur, quos etiam samaritanos & plenos dæmoniis appellabant, eo quod dæmonia in idolis colerent, & hoc etiam pro graui crimine & maximo conuitio in dominum retorquebant, dicentes: Samaritanus es tu, & dæmonium habes. (Ioan.8) Itaque Samaritanus eadem via transibat, & videns pauperem, misertus est illius, atque ideo sequitur in contextu.

Et videns eum misericordia commotus est.

Hic enim rectiùs, quàm sacerdos & leuita, illius consilij erat memor. Misericordia & veritas te non deserant. (Prou.3) Tunc te deserunt, cùm proximum in necessitate iacentem deseris: & hoc non contentus interiorem animi affectum & misericordiam ipsis operibus perfecit. Quapropter sequitur.

Et

Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum & curam eius egit.

In stabulum duxit, hoc est in diuersorio. Græcè enim, eis poudoxeion, vbi itinerantes hospitio excipiuntur. Vnde stabularij dicuntur, qui locum habent hospitandi causa. Et his non contentus hospiti demandauit, vt illius curam haberet. Vnde ait Euangelista,

Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait, Curam illius habe: & quodcunque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi.

Hæc sunt beneficia quæ Samaritanus in spoliatum & vulneratum contulit: ex quibus oporteret nos discere, qui aliis sanctiores haberi volumus, quiq; professi sumus sublimiorem vitæ statum, ne fortè militibus & publicanis deteriores euadamus. Vides hic sacerdotē & leuitam ex populo Iudæorum electo, & ex tribu, quæ parata erat ad Dei obsequium & seruitium, quiq; sanctiores iudicabantur (vt esse debuissent) tamen nihil charitatis nec misericordiæ in ipsis inuētum est. Samaritanus verò, qui natione erat gentilis, idololatra: quiq; nullam cognitionem Dei habebat, & à Iudæis cōtemnebatur, ita vt in cōuitium daretur, si Iudæus cum Samaritano loqueretur, aut familiariter ageret: hic inquam melior Iudæis euasit, & nō melior quibuscunque, sed sacerdotibus & leuitis, qui virtutis & sanctimoniæ tradebant dogmata & regulas. Sic etiam Christū calumniabantur sacerdotes templi, qui descēdebant ex sanctissimis patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob, & susceptus est à muliere Chananea, quæ ex maledicto Cam filio Noë & nepote eius Canaam ortum ducebat. In Israel non inuenit fidem, quam reperit inter Cananæos. Continget fortè (& vtinam ego mendax euadam) vt in die iudicij multi ex publicanis & ex mundana turba nobis præferantur, qui sacerdotes sumus, & de religione magnificè gloriamur: qui prædicatoris officio fungimur, virtutes alios docentes: cum multi sint discipuli nostri, qui (si nō verbis) saltim operibus, quod melius est nos ipsos possint erudire. Dominus nanq; dixit quibusdam superbis pharisæis: Publicani & peccatores præcedent vos in regno Dei. Venient enim ab Oriēte & Occidente & recumbēt cum Abraham, Isaac, & Iacob: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Quod satis esset, vt edoceremur, neminē despicere, & semper viuere sancto quodam timore, & humilitate: siquidē coram Deo pluris æstimantur charitatis & pietatis opera, quàm literæ, sapientia, & religionis habitus. Deus autem dignitates aut personas non suscipit, sed perfectos charitate. Maiores dignitate erant sacerdos & leuita, sed melior Samaritanus, qui charitatem est operatus. Sacerdos & leuita ratione officij aut sanguinis affinitate merito debuissent vulnerati Iudæi curam suscipere: sed nihil minùs fecerunt, sed eo viso præterierunt: Samaritanus verò, quem Iudæi odio prosequebantur, misericordia motus eius curam suscepit.

(Matt. 15) (Genes. 9) (Matth. 8) (Matth. 7)

¶ Docet præterea locus iste quàm pauci sint, qui veram regulam & normam proximi seruent, & præceptum charitatis adimpleant. Ex tribus vnus solus misericordia vtitur cum vulnerato. Huc enim deuenimus, vt illa tempora fœliciora fuerint, quàm hæc: quibus crudelitas & impietas erga proximos exercetur. Tunc quippe inter tres inuenta est misericordia: nunc autem inter centum vix vnum aut alterum reperies, qui miseri & pauperis recordetur: quod certè ipsa experiētia potest ostendi. Videbis nanque pauperum & vulneratorum exercitum ad Ecclesiæ portas iacentem: transit autem vniuersus populus, nec vnus reperitur qui vel oculos ad pauperes velit conuertere, tantum abest vt illis subueniat, vel pannum tribuat, vt vlceribus possit mederi. Dolendum est quot verecūdi pauperes, quot viduæ egenæ, quot virgines absconditæ, in ciuitate erunt: qui grauem patiantur necessitatem, & fame pereant: & tu qui diues es, & eorum vicinus obturatis auribus, suos gemitus & lamēta nolis audire: & mutus & surdus effectus omnia dissimulas. Audi igitur vt te scripturæ sacræ exemplo conuincam. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur. Quod patientissimus Iob contemplatus oculis misericordiæ, inquit, Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.

(Misericordia rara in diuitibus.) (Prouer. 21) (Iob. 30)

¶ Docemur tertiò hoc exemplo, vt hanc charitatem & misericordiam perfectè proximo impendamus: quod hic Samaritanus non fuit contentus, postquam vulnera alligauit, ducere eum in hospitium, & hospiti commendare, sed etiam promisit, quidquid pauperi tribueretur magnificè soluturū. Quid obsecro prodest vt pauperi, qui febre laborat, fragmentum panis tribuas siccum & durum, quod etiam domestico cani libenter tribuis? Duc eum rogo in domum tuam, & affer medicum: & sic diligenter de eo curabis, iuxta illud Esaiæ, Egenos vagosq; introduc in domum tuam. Hic Samaritanus non fuit auarus nec minus manus compressit, imo necessaria omnia largè & liberaliter subministrauit. Cur igitur tu hunc non sequeris: siquidem quod pauperibus erogas, Christo tribuis: à quo magno cum fœnore reportabis? ipse enim liberali manu plurima bona tam corporis, quàm animæ tibi concessit. Non est igitur quod in te misericordiam contrahas, & parcus erga pauperes sis.

(Liberalitas erga pauperes.) (Esa. 58)

¶ Docemur itidem, vt vulnera & vlcera pauperum non sint nobis tædio, nec fastidium nobis generent, quemadmodum multis, qui vt illa non videant, oculos & capita retorquent. Samaritanus verò appropians, alligauit vulnera eius: nam si perfecta charitate es mūnitus, propriis manibus pauperem debes tangere, & alligare, Christum sequens percussum & vulneratum, vt animæ tuæ vulneribus ipse mederetur. Vidimus eum quasi leprosum & percussum à Deo, & humiliatum: vnde nec reputauimus eum.

(Esa. 53)

¶ Docemur quintò in danda eleemosyna, vt nō attēdamus, quæ gens, aut quæ natio, quæve persona sit, aut cuius qualitatis, nec merita consideremus: sed tantùm præ oculis est habēdus proximus, & eius necessitas. Multi quippe sunt qui nolint eleemosynā tribuere nisi cōsanguineis & notis: alij verò vitam pauperis inquirunt, bonus ne, an malus sit. Samaritanus charitatem exercet cum suæ nationis & gentis inimico: vt discas proximo in necessitate subuenire, etiam si de te male fuerit loquutus, etiam si inimicus, vel exteræ gētis, quem nunquam in vita videris, solùm considerans quòd sit proximus factus ad Dei effigiem & imaginē: oculos solùm conuertens in eius miseriam & necessitatem. Nam officiū iustitiæ est inquirere qualis vnusquisque sit: misericordiæ verò dolere, & misereri pau-

peris

peris & proximi inopiæ.

¶ Vltimò docetur, vt non solùm interno animi affectu moueamur:sed etiam vt ipsis operibus adiuuemus. Hic motus misericordia est: pariter tamen manus liberales extendit. Multi sunt diuites, qui misericordia intus mouentur, loculos tamen claudunt, & viginti modis comprimunt. Misericordia enim coniuncta debet esse operibus. Nunc autem Christus parabolam hanc in medium affert, & applicat proposito, dicens legis perito. *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse, illi qui incidit in latrones? At ille dixit. Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus, Vade, & tu fac similiter.* Hæc est cõclusio parabolæ, quia Christus docet omnem illum esse proximum (vt suprà est habitum) qui nobis aliquod bonum potest impendere, aut recipere à nobis: qua pharisæo responsum est interroganti, Quis est meus proximus? Ad quod idem ipse sibi respondit, victus parabola à Christo adducta: quem interrogantem, Quid faciendo vitam æternam possidebo, docet Iesus Christus & inquit, Vade, & tu fac similiter. Iam aperui quis esset proximus: Deum & illum dilige sicut te ipsum: non autem lingua & verbo, sed opere & veritate, vt Samaritanus hic, qui non solùm misertus est pauperis, sed bonis operibus subuenit.

Proximus est qui nobis benefacit vel beneficiũ à nobis recipere potest.

1.Ioan.3

Charitas & misericordia quomodo differant.

¶ Sed in nostram eruditionem aliqua hîc altiori calamo erunt prælibanda. Commendat hîc Christus tanquam magister suauis & misericors charitatem & misericordiam, qua erga proximos tenemur vti: ex quo facilè colliges, quàm gratũ sit Deo hoc opus. Nam etiamsi charitas (si rigorem loquendi obseruemus) excellentior sit omnibus aliis virtutibus, nó ideo hoc aliquid dignitatis minuit huic virtuti, imò eam potius magnificat, amplificat & extollit. Nam hîc non semouemus misericordiam à charitate, imo eas coniungimus, tanquam riuum cum fonte ex quo originem ducit. Atque ita discrimen quod versatur inter has duas virtutes illud est, scilicet, quòd charitas est riuus & fluuius qui ex se non egreditur: sed intra terminos suos fluit & labitur. Misericordia verò est fluuius qui extra terminos suos fluit & refluit, & vndique terrarum spargitur. Præterea charitas quatenus charitas nil aliud facit quàm communicare sua bona reliquis: misericordia verò simul cum hoc mala proximorum portat & suffert. Itaque misericordia non solùm bona sua spargit, sed etiam se ipsam præbet in dolorem & tristitiam, quod est proprium ipsius.

1.Cor.13.

Opera ad salutem necessaria.

¶ Secundò, docet Christus quàm necessaria sint opera ad consequendam vitam æternam: nam si aspicis quid dicat, inquit, Vade & fac similiter. Nó inquit crede solũ aut dic: sed fac. Vade ne sis piger & ignauus, exerce misericordiæ & charitatis opera. Priùs enim dixerat huic: hoc fac & viues. Et iterum hic ait, Vade & fac similiter: opem indigentibus ferto. Ideo Iacobus. Fides sine operibus mortua est. Nó quod opera sint vita & forma fidei, quia gratia & charitas sunt vita & forma fidei: opera tamẽ sunt signa charitatis, & quòd intus sit fides formata & viua. Quemadmodum medicus ex pulsu colligit viuatne homo an mortuus sit: non quia hominis vita sit pulsus, sed ipsa anima: consistit namque vita in eo quòd homo habeat intus animam, quá cùm habet, viuit: & in pulsu cognoscitur quod habeat intus vitam. Ita animæ vita & forma fidei est ipsa charitas: sed colligitur nos hanc vitam habere ex pulsu, idest ex operibus. Ideo Christus dicit animæ, Pone me vt signaculum supra cor tuum: vt signaculum super brachium tuum. In corde vult habeamus diuinum eius amorẽ: & in brachio bona opera. Vult vt ipsum diligamus, & rectè operemur. Hoc igitur intendit Christus in hac parabola, agẽs priùs de proximorum amore: & posteà de bonis operibus. Quid ad hæc dicunt Lutherani impij? nó possum me ab ira continere, cùm video illorum impudentiam, qua bona opera negant & reiiciũt: cùm nihil magis ipsum Euangelium nobis commendet, nihil frequentiùs præ oculis ponat. Et vt videas amice lector quantum Christus opera commendet, post hic semel repetitam materiam, in nouem superioribus capitulis, decies de ipsa egi. Quapropter nunquam mihi potui persuadere, etiam si hæretici isti cæci sint, vt rem ita clarã & manifestã non videant. Vnde peccatum eorum ex malitia oritur: vt inde occasionem sumant & ansam, vt laxis habenis per latam vitiorum viam currant, & vt se quam plurimis & nefariis peccatis possint immiscere & cibo meroq; vsque ad ebrietatem ingurgitare, & ita vt bestiæ & pecudes sine lege, sine gubernatore viuant, & desideriis animæ suæ se tradant. Aspice igitur tu quemadmodum cùm Christus de amore loquitur, statim infert sermonem de operibus. Vnde per Ioannem ait, Si diligitis me mandata mea seruate. Et dicens, diligite inimicos vestros, statim subdit. Et benefacite his qui oderũt vos. Et in proposito cùm de dilectione proximi agit, statim parabolam narrat, in qua apertè docet, quomodo proximus diligendus sit: nempe operibus charitatis, quæ Samaritanus in pauperem contulit: & concludens inquit, vt nos similiter faciamus. Et dilectissimus discipulus Ioannes, qui ex penetralibus cordis domini mira secreta hausit: inquit, Qui habuerit substantiam huius mundi & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in illo? filioli mei nó diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Et cum Petrũ Christus de dilectione examinasset, dixit illi posteà. Sequere me, scilicet per mortem, per labores, per contemptam vitam, me ipsum imitando: & tunc clariùs videbo, an meus amor vehementiùs vrat viscera tua. Et postquam in cœna vltima plurima esset loquutus de amore, inquit, Surgite eamus hinc. Nam quẽadmodum in ampulla vitrea cùm quiescit aqua & tranquilla est, videtur aqua limpida & clara: si verò eam cõcutias turbida & immunda apparet: sic nimirum, si Deum & proximum amore (quo debes) prosequeris vel non, statim cũ moueris clarè conspicitur: & ob id ipsum si Deum diligis, age aliquid, vade, & operare, & erga proximum pietatis opera exerce.

Iaco.2

Opera charitatis effectus.

Cant.8

Ioan.14

Matth.5

1.Ioan.3

Ioan.21

Ioan.17

¶ Tertiò considera Christi Redemptoris nostri piam benignitatem & clementiam, qua quæstioni factæ ab inimico & calumniatore tã largè tam modestè, tamq; suauiter respondit & satisfecit: quibus verbis talem & tam saluriferam doctrinam nobis exhibet, qua eius dilectionem & proximi & denique salutem perpetuam cõsequi valebimus. Vt inde facile sit doctoribus cognitu quàm piè, modestè & simpliciter calũniatoribus & inimicis sit respondendum: imò omnes superiores hæc animi mãsuetudo, lenitas & modestia decet, vt non se graues & asperos interrogantibus ostendant. Nonne vides, quomodo dominus nó dedignetur lõgiori respon-

sione legisperiti quæstioni facere satis: cùm potuisset (si vellet) breuioribus expedire: aut tentatori nihil respõdere? Vnde videre licet, quòd sæpiùs Christus vnius tentatoris occasione sumpta multa bona & vtilia hominum saluti & exemplo docuerit. Ita iusti & amici Dei quacunque data occasione, inde argumentum sumunt, vt plurimis prosint, & præclara opera in Dei amorem & obsequium aggrediantur. Sed iam de his satis.

Colo.2

¶ Cæterùm quoniã Christus vtpote qui thesauros sapientiæ & sciẽtiæ Dei in se absconditos habebat: tam venit vt actiuæ vitæ, quàm contemplatiuæ instituta doceret: nunc factum quoddam ipsius describitur, in quo breui sermone vtriusque vitæ distinctionem ostendit. Et aduerte priùs sanctũ Euangelistam in hoc loco ordinem historiæ nõ seruasse. *Factum est autem dum irent.* Iesus, inquã & eius discipuli de loco in locum ad multorum instructionẽ. *Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.* Multi hique graues doctores super textum diui Lucæ solent agere de virginis assumptione: ego autem hanc materiã sub silentio tacitus possum prætetire, quandoquidem non concionatoris, sed expositoris munus exerceo. Verum (quantum coniectari possum) non ingratum aut molestum lectoribus erit aliquid agere de virginis assumptione: quandoquidem alij sunt expositores qui idem faciant.

Hospitalitatis premia magna.

¶ In fronte autem huius narrationis attendere licet, quòd vnum, illud est, cuius Deus specialem curam habet, scilicet acceptum hospitium magno cum fœnore & copiosissimè soluere: nam bonæ indolis & vrbanitatis lex hoc nõ postulat, vt quis hospitalitatẽ accipiens, hospites non bene solutos relinquat. Si igitur inter homines vrbanos hoc vitio, & ignominiæ tribuitur quanto maior defectus hoc in Deo esset, si per impossibile in ipso defectus aliquis posset reperiri? Magnifaciebat Christus semper his qui hospitio eum excipiebant largè & liberaliter rependere, & ideo beatus Ambrosius nimis cõmendat diligentiam illam & solicitudinẽ, qua Zachæus Christũ domi excepit. Quæ cura est hæc? aut quæ tanta solicitudo? Sciebat enim (inquit Ambrosius) vberem esse hospitij mercedem. Audierat iam Zachæus qualiter Christus se erga hospites haberet, & quàm liberali manu eis retribueret: & ideo non mirandũ si Zachæus tam solicitus & diligẽs se gesserit erga Domini hospitium. Mãducabat Christus cum publicanis & pharisæis, vt illorum superbiam deprimeret: & vt peccata sua deleret. Cum amicis etiã solebat accumbere, vt in illis suum amorẽ augeret. Itaque Dominus lætos & alacres relinquebat hospites, quandoquidem diuina pro humanis, spiritualia pro corporalibus administrantibus suppeditabat. Ex quo colliges has duas sorores Mariam & Martham digno præmio non caruisse. Nam si mercedem hospitij cum acceptis beneficiis velis cõferre, facilè solutio debitũ superabit. Ipsæ nãque Christum in terra semper exceperunt: Christus verò ipsas in cœlum duxit. Ipsæ tanquam hospitem & aduenã susceperunt in terra Redemptorem: ipse illas vt in æternum cœlum habitarẽt effecit, & vt requiẽ illam possiderent, vbi nullus est cadendi metus. Si igitur velimus conferre seruitiũ quod præstitit Martha Christo, cum eo quod exhibuit virgo Dei genitrix, longo quidem spatio hæc, illa antecellere videntur. Martha nanque trium annorum spatio domi Christum excepit, virgo autem nouem mensiũ interuallo suis visceribus ipsum portauit: & domi etiã triginta annis secum habuit, & multò diligẽtiùs quàm Martha illi seruiuit in itinere Ægypti in infantia, in pueritia, ardentissimo amore, materno animo filij necessitatibus succurrebat. Et multò excellentiùs audiuit beata virgo filij verba: quàm Maria soror Marthæ. Si verò tãta bona & beneficia Deus cõtulit in has sorores, quia hospitium domi administrarunt: quanto perfectiori quodammodo & diuite quadam gratiarum supellectile matrem ditauit? Ideo beatus Bernardus ait, Non immerito canit Ecclesia hoc Euangelium in die assumptionis virginis, vt intelligamus quantam gloriã hodie filius matri dederit: quandoquidem tantum bonum contulit Marthæ & Mariæ. Nam si in destructione Sodomæ & Gomorræ Deus voluit liberare Loth cum suis ab illo incẽdio, propter ea quod Angelos hospitio receperat: quãtò æquius & iustius erat vt quæ Deũ exceperat magnis beneficiis, amplissimis honoribus, & plurimis immunitatibus illustraretur? Cum etiam Iosue Dei mãdato omnes domos Hierico destrueret, vnicã solã domũ Raab stare voluit: quia speculatores Israel exceperat. Si igitur tãtam curã dominus habuit honorificãdi eos qui seruis suis hospitia dederunt: quantam putas habuisse cum Martha & Maria? Et si his sororibus tantam: qualem existimas erga matrem extitisse? Sine dubio dici non potest, quale fuit gaudium, qualis festiuitas, quãtus triumphus, quod genus solennitatis, quo Deus virginem matrem in cœlestibus sedibus regnaturam suscepit.

Collat. D. virginis cũ Maria & Martha.

S. Assump.

Genes.19

Iosue 6

¶ Vt igitur ad propositum reuertamur, solent principes & reges suis hospitibus in tempore suæ necessitatis fauere & maiora quæ possunt auxilia suppeditare. Ita æquum erat & iustum, vt maioris necessitatis tempore Deus matri subueniret, quod certè est ipse mortis articulus, quo quidem auxilium diuinum magis est necessarium, tunc enim natura nostra magis est imbecillis, debilis & afflicta, tuncque inimici eius fortiores & potentiores sunt, & acriùs & vehementiùs instant. Nam tentationes, quibus dæmones nos in vita aggrediũtur, cum eis, quas hora mortis diabolus affert, collatæ, non merentur nomen tẽtationis. Nam in vita etiam si vno vel altero congressu non possit nos prosternere, adhuc remanet illi tempus vt aliquãdo possit nos vincere, & in miseram captiuitatem redigere: in morte verò cùm sciat, quòd si tunc non vincetur, perpetuo deinceps nunquam ad eius manus deuẽturos: terribiliter tentat, nullúmque lapidem non mouet vt prædã capiat. Nemo enim adeò iustus & sanctus est q ab hoc examine & iudicio liberetur. Solẽt qui ex vna prouincia in aliam migrant, omnes merces & omnia quæ secũ portant in alterius ingressu pandere ac manifestare. Sic in trãsitu regni huius vitæ, in alterius regnum erunt obseruatores, qui aperiant nostræ cõscientiæ sarcinas & opera nostra vsque ad minimam cogitationem examinent. Erat quidem diues anxiè solicitus & defatigatus dicens, Quid faciam, quia non habeo vbi reponam fructus meos? & statim audiuit suæ insanæ cogitationis responsionem. Stulte hac nocte repetent animã tuam à te. Heus stulte & inops mẽtis hac nocte in obseruatorum & speculatorum manus incides: & omnis hæc substantia in aliam vitam nequit transire: tantum abest vt illam tecum possis ferre. In hoc igitur

Luc.12

Ambr. com. in Luc. lib.8

Luca 19.

igitur mortis transitu Deus suæ sanctisimæ hospiti & matri fauet, & faciet exemptã, tribuens illi chirographum & priuilegium, vt libera posit trãsire sine eo quod dæmones transitus obseruatores rationem posint exigere. Quemadmodum munitisima arx, quæ bellicis instrumentis munita sua tela vbicúque vult iactat: vt inimicos arceat longè: sic beatisima virgo Deo & angelis induta, suis virtutibus & meritis armata, id bellum aduersus inimicos & dæmones gerit, vt in sua morte omnes à se fugaret, atque nemo auderet accedere munitisimam arcem cõtemplans. Nam si angelus ligauit dæmonem, qui maritos Saræ interficiebat, & fugauit à domo, quãdo Sara nupsit Tobiæ: quanto meliùs nunc angeli hoc obsequio virgini seruient, & dæmones alligabunt? Vnde diuus Bernardus, O virgo quæ cælos ascendis, & cui dæmones obuiare pauescunt.

Tob.8

¶ Dedit etiam matri dominus mortem sine dolore. Nam quemadmodum sedens iuxta crucem, dilectisimum filium aspiciens dolores mortis passa fuit, sic vt doloris gladius eius animam pertrãsiret, cum ipsa non moreretur: sic nunc decebat vt mortem obuians: dolores mortis non sentiret. Nam si beatus Ioannes Euãgelista (vt refert Hieronymus) fuit à dolore mortis extraneus, nam ipse in Christi pasione dolores mortis pertulit: quantò maiori iure beatisima virgo (quæ multa & grauiora tormẽta, quàm Ioannes pertulit) immunis debuit esse à dolore mortis? Sed vt videas, quàm munificentisimus fuit Deus cũ virgine matre: nõ solùm in morte eam voluit eximere & dotare his duobus priuilegiis: sed etiam post mortem aliis duobus voluit insignire.

Ioann.19. *Luc.2* *Hiero. sermo. assum. virg.*

¶ Primùm fuit, non permittere, vt sacrosanctum suum corpus corrumperetur, nec in puluerem & cinerem redigeretur, nec vt à vermibus esset cõsumptum, sed accelerans illius resurrectionem, simul cũ anima dedit illi gloriam. Nam secundũ iuris regulam quando delicta sunt extraordinaria & insitata, iudices non tenentur tunc temporis obseruationi pœnarum iuris communis. Sed rationi cõsonum est, vt si tu in tuis delictis à cõmuni via excesseris, iudex etiam in correctione limites legum communium egrediatur. Sic dæmones Christo dixerũt. Ad quid venisti ante tempus torquere nos? Conquerebantur, quia Christus legem communem egrediebatur in eorum castigatione, antequam adueniret tempus: nam (vt ait Chrysostomus) Christus propter tanta eorum scelera ante tempus puniebat, cũ nondum diem iudicij expectaret. Nam delicta quæ omnes rationis limites excedũt, ansam iustisimam præbent, vt punitio acceleretur & ante tempus adueniat. Maxima quippe iniquitas & grauisima peccata Sodomitarum (inquiunt Augustinus & Gregorius) fecerunt vt Deus ordinariam legem transmitteret, & vt non expectaret diem iudicij ad puniendum eos, faciẽs id quod in die iudicij facturus erat, scilicet, eos & ciuitates illas igne comburere. Si igitur pronior est Deus ad miserendum: quàm ad puniẽdum, & in aliquo posint esse virtutes ita heroicæ & excellentes, vt præmium accelerent: non igitur mirandum si aliquando viam ordinariam in remunerando Deus egrediatur. Nam aliquem referri in diuorum numerum semper id fieri consuetum est, post mortem: Beatus autem Baptista ob sua præclara merita, ob admirabilem vitæ sanctimoniam, ob singularem & vix credibilem pœnitẽtiam in vita in sanctorum numerum à Christo fuit relatus, cùm dixit. Quid existis in desertũ videre? &c. Et in hoc loco de Maria Magdalena ait. Optimã partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea. Scire autem sis nè prædestinatus, vel non, non est præsentis vitæ: tamen Paulo fuit reuelatũ, ita vt ipse de se dixerit. De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet, &c. Sic etiam erit resurrectio mortuorum in die iudicij: tamen potest accelerari ob merita in aliquibus sanctis, vt contigit beato Ioanni Euangelistæ: qui teste beato Thoma aliisque viris doctis paululum post mortem surrexit, & corpore simul & anima cælum ascẽdit. Sed cur Deus quod fecit in discipulo ob singularem dilectionem: in matre charisima & amantisima nõn faceret? Nam sicut ex meritis accelerauit filij Dei incarnationem, sicut Rebecca benedictionẽ Iacob, antequam Esau venisset: sic ex meritis corporis resurrectionẽ accelerauit, quia plus meruit, quàm Ioannes Euangelista, & præter modum dignior & excellentior fuit, & ideo magis chara & dilecta filio. Præterea si lachrymæ sororum Marthæ & Mariæ fuerũt in causa vt mortuus Lazarus citiùs resurgeret: quantò excellentiùs merita beatæ Virginis hoc possent efficere vt corpus eius surgeret? Solet etiam Deus post natiuitatem homines iustificare: sed Hieremiæ & beato Ioanni Baptistæ hoc donum natiuitatem præuenit. Rursus si vt Christus esset perfectus & absolutus Redẽptor, oportuit vt præseruaret aliquẽ, ita vt nũquam peccaret: sic etiam vt resurrectio esset perfectisima decebat, vt non solùm post iam cõsumpta corpora ea suscitaret, sed etiam à corruptione præseruaret. Cúmq; nulla fuerit anima, cui præseruatio culpæ magis competeret quàm sacrosanctæ Virgini: ita similiter nullum fuit corpus quod maiori iure immune deberet esse ab omni corruptione. Nam quemadmodum benedicta eius anima nulla originalis peccati macula coinquinata fuit: ita eius corpus ab omni corruptione fuit liberum. Et cum corrumpi corpora, & in cinerem & puluerẽ redigi pœna sit peccati, & in virgine omnis talis ratio nõ inueniretur: cõsentaneum erat vt in illa cessante causa, cessaret itidem effectus. Quod verò carnis corruptio in pœnam peccati venerit, clarè cõstat ex illo, quod Deus dixit Adæ, Puluis es, & in puluerem reuerteris. Nam qui suorum regum sunt proditores, lex iubet, in criminis & peccati pœnam eorum domos dirui, & solo æquari, & ita hæc pœna & sententia detorsa fuit in Adam. Virginis autem domus, quæ nec peccatũ fecit nec nouit: nulla ratio postulabat, vt dirueretur. Nobis, qui traditores sumus, quælibet pœna meritisimè imponitur: virginis autem corpus omni ex parte intactum remansit, secundum illud prophetæ. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Et si quidẽ in ingressu mundi mirabili priuilegio fuit honorata: ita quoque decebat vt in exitu alio illustraretur. Præcipiebat Deus in veteri instrumento: vt ancilla vel seruus, qui ad seruiendum alicui ingrederetur, in fine seruitij exiret cum veste & supellectile, qua intrauit. Secundum igitur hanc legem, beata Virgo cui ad ingressum mundi priuilegium erat concessum: non mirum si tali immunitate egrediatur. Sic inquiunt

Capi.1. de cõsti tu. *Matth.8* *Chrys. hom.29 in Matth.* *Aug. li. de excidio ve. Gre. li.9. mor. c.25.* *Matth.11* *Luca 7* *2. Tim.4* *S. Th. super 2. ca. Ioan. & in 4. d. 43. artic. 3. ad 2* *Ioan.11* *Hiere.1. Luc.1* *Virgo Maria præseruata à corruptione.* *Gene.3* *Psal.15* *Exod.21*

Aug. Epi. ad Dardo. & Bernard. ser. paruis. diuus Augustinus & Bernardus liberum arbitrium virginis natale præuenisse. Et cum ab Angelo salutaretur, priusquàm Dei filius carnem assumeret: dixit illi Angelus, Dominus tecum. Hoc enim priuilegium habet beata virgo, vt multa ante tẽpus faciat accelerari. Sic in Chana Galilææ, priusquam vinum finiretur, & defectus appareret, dicit vinum non esse. Vt ille defectus sponso non imputaretur: voluit vt Christus prouideret. Nam vt ait diuus Cyrillus super Ioannẽ, quando beata virgo dixit Christo. Vinum non habent, nondum vinum erat finitũ. Ideò ait diuus Ioannes in Apocalypsi quòd habebat lunã sub pedibus: nam luna velociùs adimplet cursum suum. Saturnus circulum complet triginta annorum spatio: Iupiter duodecim annis, Mars duobus, Sol trecentis sexaginta & pluribus diebus, Venus & Mercurius ferè eodem tempore, Luna verò paulo pluribus viginti septẽ diebus cursum finit. Hanc gratiã & priuilegium vt citiùs ad terminum perueniat, habet Luna. Ideo subtus pedes habebat illã beatissima virgo, vt inde colligatur qua celeritate & velocitate ad Deum ipsa accessit. Ita sua merita fuerunt in causa, vt citissime resurgeret corpus vt simul cum anima coronã gloriæ acciperet. Nam (1. Reg. 30) quando Dauid Amalechitas deuicit & expoliauit: æqualem partem distribuit eis, qui in obseruatione remanserãt, & eis qui in bello dimicauerant. Ita voluit Deus vt ex spoliis & ex victoriæ gloria quæ in Caluariæ monte fuerat parta, æqualis portio virgini daretur, quæ tunc iuxta crucem fuerat, & Christo qui in campum debellaturus exierat. Ipsa enim quasi tentoria & munitionem obseruabat: nam quoad articulum resurrectionis Christi, omnes hãc fidem amiserunt præter vnam virginem. Ideo decebat vt ipsi quemadmodũ & victori spolia tribuerentur & quemadmodum Christus resurrexit, ipsa quoque resurgeret. Et vt Christus in corpore & anima cœlum conscendit: ita quoque ipsa gloriam ingrederetur. Nam quî fieri posset, vt Deus permitteret: vt viscera in quibus ipse nouem mensibus clausus fuerat, vermibus absumerentur? Quî Deus posset ferre vt domus qua ipsa fuit hospitatus à vermibus habitaretur? Si voluit Deus, vt arca fœderis (Exo. 25) Israel fieret ex setim, quod est lignum incorruptibile: quare sanctissimam matrem veram arcam fœderis vermium corruptioni traditurus erat? Noluit (Plutarch. in apophtheg.) Cæsar Augustus (vt Plutarchus refert) Alexandriam destruere, quia eam Alexander magnus fundauerat, eius reuerentia solùm commotus: quare Deus hanc ciuitatem, quam ipse fundauerat, vt sui filij esset habitaculum deberet destruere? Etsi noluit, vt do- (Iosue 6) mus Raab euerteretur, quia hospitium fuit speculatorum Israel, multo minus pateretur, vt in cinerem & puluerem redigeretur corpus, vbi ipse nouẽ mẽses habitauerat. Garyophilatus flos quãdo trãsponitur ex vno loco in alium, cum eadẽ terra plantatur, quam in radicibus affert: & id fit ne ante tempus arescat. Ita sacratissima virgo translata fuit in cœlum suo corpore, vt suauissimus flos flagrantissimum odorem ex se emittens.

(Maria exaltata super angelos.) ¶ Honorificauit itaque illam Deus post mortem: suscitans corpus eius: Deinde eam collocans super omnes choros angelorum: vt Ecclesia canit, dicẽs, Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad cœlestia regna. Quod etiam authoritate sacræ paginæ suaderi potest. Paulus nanque statim in initio Epistolæ ad Hebræos vult conuincere, legem euangelicam excellẽtiorem esse quàm Mosaycam: & id probat ex legislatoris præstantia & excellẽtia. Nam hæc data fuit per suum filium, illa verò (Hebr. 1) per angelum: & probat filium meliorẽ & excellentiorem esse ipsis angelis, dicens, Cui enim angelorũ dictum est: Filius meus es tu: ego hodie genui te? Et rursum. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit. Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammã ignis. Ad filium autem: Thronus tuus Deus in sæculũ sæculi, &c. Angelos vocat seruos: Christum verò filium: & concludens Paulus inquit: Tanto ergo melior angelis effectus, quanto differentius præ ipsis nomen hæreditauit. Simili & formali consequentia clarissimè ostenditur, beatam virginem meliorem esse angelis. Cui enim angelorum dixit Deus, tu es mater mea? Et quis angelorum Deo poterit dicere. Tu es filius meus? Hoc vtique beata virgo dicere poterit. Tanto ergo melior angelis effecta, quanto differentius præ ipsis nomẽ hæreditauit. Et si melior est, & præmium merito correspõdet: bene sequitur in assumptione sua super omnes illos esse elatã. Atque ita omnes tanquam dominam & reginam susceperunt, & canentes lætitia perfusi dicebant, Quæ est ista, quæ ascendit pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorũ acies ordinata? Pulchritudo eius deformes nos reddit: eius splendore & luce, caligine operimur. Tantũ nitorem & nimbum miramur. Nam si angeli mẽdicum Lazarum susceperunt, & (Luc. 16.) fuerunt præsentes eius morti: & in sinum Abrahæ sanctam animam gaudentes collocarunt, quantò libentiùs & gaudẽtiùs cum matre domini hoc fecissent? Sed quid dico angeli? Ipse Christus recepturus accepit suam matrem: & non immeritò, cum ipse apostolis promiserit se adfuturum eorum morti. (Ioan. 14.) Atque ita sancti dicũt cuiuslibet eorum obitui in- (Act. 7) terfuisse. Si verò beatus Stephanus iamiam moriturus cùm cœli aperti essent, Iesum vidit animã ipsius volentem suscipere, meritissimè hoc idem efficeret cum martyrum & virginum omnium limpidissimo speculo. Et siquidem in amara pasione filij cùm ab omnibus derelictus esset, nunquam eius animus passionis turbine nec tormentorum grauitate defecit: sed firmissima manens stabat iuxta crucem. Ita æquum erat & consentaneum rationi, vt filius matri talionem solueret, & vt gratus morti eius præsens adesset: & ita solennior fuit matris susceptio, quàm filij. Christo nanque exierunt obuiam angeli, Mariæ verò & angeli & ipse Christus. Nam si rex ciuitatem aliquam adiret, & exirent vtique eum suscepturi magnates & nobiles: si verò posteà regina eandem ciuitatem ingrederetur & exirent isti simul cum rege, non dubium quin reginæ receptio præstantior esset & illustrior. Et illud puto fuisse in causa quod cùm festiuitas hæc adeò fuerit solennis, illustris & tantæ gloriæ & maiestatis, nihil euangelistæ de assumptione Virginis fuerint loquuti: quia sic fuit admirabilis, vt illam suspicientes & admirantes, potiùs laudauerint: quàm si aliquid dicerẽt. Et hoc credo velamen illud significasse, quòd arcã Dei tegebat. Nam cùm Timantes (Exod. 26.) egre

egregius pictor (nisi veteres historiæ nos fallunt) I-
phigeniæ cædem vellet depingere: cumque reliquo
rum lachrymas & mœrorem expressisset, vultū A-
gamemnonis patris eius velo cooperuit: quo voluit
significare insignis artifex, nulla re posse meliùs sū-
mum dolorem & luctum parētis exprimere, quàm
Esai.6 si penicillo sub silētio præteriisset. Ideò illi duo Se
1.Cor.12. raphim caput tegebant, quia diuina mysteria narra-
ri nequeunt. Et Paulus fatetur non licere aliquid de
Psal.64 eis loqui. Et in psalmo vbi cōmunis versio habet,
Te decet hymnus Deus in Sion, habet versio Diui
Hieronymi ex Hebręo, Te decet silentiū, laus Deus
in Sion. Ac si diceret. Tam excelsa & diuina sunt
mysteria tua Deus: vt meliùs silentio, quàm ore lau
dētur. Itaque mirantes euangelistæ Virginis assum
ptionem, tacere decreuerunt. Nam quæ lingua etiā
si angelico eloquio polleat, exprimeret: aut qui ca-
lamus velocissimus scriberet festiuitatis magnitu-
dinē, quā cœlestis patriæ incolæ sui redēptoris ma-
2.Reg.6 tri fecerūt? Si sanctus rex Dauid corā arca testamē-
ti canere, & saltare dignabatur: quibus tympanis ho
die extitet, quibus choreis, quibus gaudiis ipse cum
reliquis angelorum exercitibus comitatus: cū hæc
vera testamenti arca cœlum ingrederetur, quæ tran-
siens omnes beatorum sedes, & omnes choros an-
gelicos, collata fuit, super omne id quod Deus non
est: & infra omne id quod Deus est? Lateri dextro
3.Reg.2 regis Salomonis posuerūt thronū, in quo eius ma-
ter Bersabee sederet, cui filius dixit, Pete mater
mea. Neque enim fas est, vt auertam faciem tuā. Et
ipsa nihil sibi à regnāte filio postulauit. Petiuit autē
donū, & rogauit pro iniquo proditore Adonia. Sic
etiam in cœlo beatissimæ virginis regalis thronus
fuit positus: cui filius inquit vt petat, qui neutiquā
denegabit matri, quod postulauerit (vt fecit Salo-
mon) ipsam igitur syncero corde & interno animi
affectu exoremus, vt nobis, qui traditores sumus &
iniqui peccatores (vt Adonias) veniam peccatorum
petat: vt cum filio & matre cœlestē Hierusalē con-
scendere valeamus. Sed iam ad textus explanatio-
nem reuertamur. Ait igitur Euangelista. *Intrauit Ie-*
Intrare Dei quid significet. *sus in quoddam castellum.* Audiui aliquando cōciona-
tores in festo assumptionis Virginis arces munitis-
simas fingere, & turres inexpugnabiles: quasi hîc vi
cus vbi Christus fuit ingressus, esset quædā arx for
tissima: non intelligētes, quòd castellum in scriptu-
Matth.4 ra sacra sumatur pro pago seu vico quodam. Sic di-
Mar.1 cunt euangelistæ, quòd prædicabat Iesus per ciuita
tes & castella: hoc est per vrbes & vicos: & hoc fre
quētissimè dicūt euangelistæ. Vnde infrà dicitur quòd
duo discipuli ibant in Castellum Emaus: pro quo
Luc.24 Mar.16 Marcus scribit, quòd ibant in villam. Oppidulum
itaque erat & crediderim Bethaniam esse, quod di-
stat vna leuca ab Hierusalem: vbi Martha domum
suam habebat. In Græcis nanque codicibus habe-
tur, Eis kómin tina, qui est paruus vicus. Expende
autem, quòd solenne est in scriptura, tunc dicere,
quod Deus intrat, cum præclarum aliquod opus fa
Genes.19 cturus est. Ita iuit ad videndū an clamor Sodomo-
rum ita esset, vt ad cœlum ascenderet. Certè nō ege
bat videre: sed quia facinus insigne erat facturus: ad
Ioan.12 videndum pergit. Intrauit etiam dominus in ciui-
Matth.22 tatem templum purgaturus. Sic intrauit in conui-
uiū: vt hominē non vestitū veste nuptiali puniret.
Sic & nūc intrat in villā hanc in domū Marthæ ma
gnificaturus vitam cōtemplatiuam: & actiuam ap-

probaturus. Attendes etiam quòd non rogatus nec
inuitatus sed tantum sua bonitate & clementia mo
tus, hanc villā ingreditur: Vt intelligas, quòd Deus
nos adiuuat nullis nostris præcedentibus meritis.
Vnde Paulus, Antequā quidquā boni egissent, Ia- Roma.9
cob dilexi. Sic Saulem quærentē asinas elegit, Daui 1.Reg.9
dem pascentem oues. Venit etiam è cœlo misericor 1.Reg.16
dia adductus, vt mundum languidum sanaret: vt vi
deas quomodo non rogatus plura bona in nos quo
tidie confert: & domum hanc spontaneus etiam in-
greditur. *Et mulier quædam Martha nomine excepit il-* Martha hospital. i.n. Au. ser.16
lum in domum suam. Domina domus: & alij fratres
Lazarus scilicet & Maria dominum susceperunt. Fœ
lix Martha quæ talem hospitem domi meruit habe
re. Sed hanc fœlicitatem tu quicunque velis poteris
consequi, si pauperes domini exceperis & hospitari
volueris. Dominus enim ait, Quod vni ex minimis
meis fecistis, mihi fecistis. Hospes eram, & suscepi- Matth.25
stis me. Vt scias, quòd si pauperi benefeceris, Chri
sto benefacis. Alibi etiam dominus ait, Qui susci- Matth.18
pit vnum talem paruulum in nomine meo, me sus-
cipit. Et iterum. Qui vos recipit, me recipit. Vt hoc
beneficiū dominus præstaret Marthæ, voluit in eius Luca.10
domo hāc corporis recreationem suscipere. Potuis-
set equidem, vt angeli de cœlo ei prouiderent, vel
ex nihilo creare: quemadmodum in deserto conti- Matth.4
git, quòd angeli ministraturi illi descenderūt. Simi
liter constat Heliam nutu Dei, corui ministerio ali 3.Reg.17
mentum suscepisse: & cùm posset multum temporis
illum sic pascere, misit ad viduam Sareptanam, vt
ipsa benedictionem propheticam mereretur accipe
re, & pinguiori supellectile ditari. Sic vtique cōtin-
get diuitibus, qui pauperes domini hospitātur. Nā
si christianis oculis & mente diuites hoc vellēt per
spicere, apertè intelligerent, se longe maius & præ-
stantius beneficium adquirere, cùm ab eis eleemo-
synam pauperes volunt accipere: quàm ipsi eis fa-
ciunt in conferendo eleemosynam. Sic Christus vo
luit hanc domum ingredi, & ibi cœnare: vt inde
ansam sumeret, & misericordia cum sororibus vte-
retur. Magnum quippe indiciū amoris, & maximo
rum beneficiorum pignus est, quod Deus diuitibus
ostēdit, cùm pauperes mittit ad eorum domos pul-
sandas. Datur enim illis occasio, vt æternam vitam
mereri possint: & vt faciant sibi amicos de mammo
na iniquitatis. Quod certè sanctissimus Abraham
rectè perpenderat, cum dixit. Si inueni gratiam in Luca.16
oculis tuis, afferam bucellam panis, &c. Quasi re- Gen.18
ctè intelligeret sanctissimū illud fidei speculū, ma-
gnum beneficium peregrinos in ipsum collaturos:
si ipsi ab eo vellēt accipere bucellā panis. Et ideo
dixit, Si inueni gratiam in oculis tuis.

¶ Discamus igitur exemplo Marthæ Christum Hospitalitatis exempla.
suscipere in suis membris: qui pauperes sunt. Nam
quidquid eis impenderimus, Christo computabi-
tur. Et quemadmodum Martha gaudens, & alacri
vultu Christum suscepit, & diligēs circa eius mini
sterium ambulauit: sic & nos etiam in pauperū ho-
spitio exerceamus, Zachæum imitātes & Abraham Luc.19
qui cito ad armentum abiit, & omnis domus eius
lætabatur. Vnde Petrus, Hospitales inuicē sine mur 1.Pet.4.
muratione. Et Paulus, Hilarem enim datorem di- 2.Cor.9
ligit Deus. Vnde non pigeat, eos qui ad te veniunt
sub Christi nomine hospitari: mereberis nanque (si
opus fuerit) mortuos videre viuos, & alia diuina
miracula, vt mulier illa Sunamitis, quæ cū Helisæū

4 Reg.4 Iosue 6 Hebr.13 exciperet filium mortuum suscitauit. Raab etiã quę hospitata est peregrinos nũcios Israel: liberata fuit à morte cũ suis. Vnde Apostolus Paulus admonet, dicens, Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim quidam placuerunt, angelis hospitio receptis Hoc dixit Apostolus propter Abrahã & Loth, qui Gen.18.& 19 hospitalitati dediti erãt (vt in Genesi legitur) angelos susceperunt hospitio. Tanta enim charitate erat inflãmatus in hospites sanctissimus Patriarcha: vt non præceperit seruis ministrare, nec bonum opus per alium volebat exercere: sed quasi præda reperta, cùm ditissimus esset, vt minimus famulus pedes hospitũ lauit, & portauit vitulũ de grege humeris impositum: & peregrinis prandentibus ipse stetit, & mensæ ministrabat. Erat autem mos huic viro sancto vt quotidie iuxta ostium domus suæ sederet, & id in meridie: in hora prandij: vt videret trãseuntes. At nos abscondimur in penetralibus domus, ne peregrinos excipiamus: & si recipimus, statim percun Ioan.9 ctamur de recessu. Ioãnes de Christo ait, quòd præteriens vidit hominem cæcum. Ille præteriẽs vidit pauperem, sed nos videndo pauperes, præterimus eos: ne fortè aliquod opus charitatis à nobis exigãt. Sed de his superiùs in aliquibus locis tetigimus: inLuc.19 feriúsque in Historia Zachæi aliquid adijciemus.

¶ Expende etiam quàm humilis & abiectus se pro nobis ostẽderit Christus Iesus: qui cùm cõditor angelorum esset, rex regnum & dominus dominantium, voluerit pendere & sustẽtari aliena liberalitate. Non enim habebat opes vnde victum quæreret, sed ex piorum hominum eleemosynis se suosque discipulos sustẽtabat. Quare hoc, nisi vt sua inopia & paupertie nos ditaret? Quare nisi vt sua penuria & egestate ad cœlestes diuitias amissas nos alliceret, & inuitaret? Et denique vt nos doceret suo exemplo, diuitias mundi contemnere: & vt animos nostros ab amore terrenorũ abstraheret, & vt solis & solidis bonis cœlestibus nos faceret adhærere. Sed iam historiam prosequamur.

Et huic erat soror nomine Maria: quæ etiam sedens secus pedes domini, audiebat verbum illius.

Quies & humilitas ad cõtemplat. necessaria. Duo vna sententia exprimit: quietem scilicet, & humilitatem, quæ maximè sunt contemplationi necessaria. Scrutator enim maiestatis opprimetur Prouer.11 ab ea. Ideoque est opus vt humilitate sis præditus: si ad diuinarum rerum contemplationem cupiás peruenire. Nam si ex fonte vel ex puteo velis aquã haurire: necesse est vt humilieris, & deprimaris. Ita nimirũ si ex profundissimo illo puteo sapiẽtiæ & sciẽtiæ Dei aquam haurire desideras: oportet vt de te Ecclesi.15 c.1 humiliter sentias, ne altè velis sapere. Aqua sapientiæ salutaris potauit illos. Vnde in Prouerbiis. Vbi humilitas, ibi & sapientia. Nam superbia nõ habet vbi sapientiam recipiat. Didimus Philosophus Alexandro dixit, Deus præsto est largiri sapientiam: sed nõ habes vbi eam recipias. Fluit enim aqua diuinæ sapientiæ ex cacumine montis ad imum vallis. Vnde Christus in hoc capite loquens cum patre dixit. Cõfiteor tibi pater Domine cœli & terræ quia abscõdisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sed iam hæc à nobis superiùs sunt exposita in hoc capite, vbi nõ nihil de hac materia Aug.ser.27 diximus. Igitur (vt Diuus Augustinus ait de verbis Domini) quanto humilior ad pedes Domini sedebat Maria, tanto ampliùs cupiebat. Vnde discere nos oportet cum humilitate: quòd si hæretici & philosophi fecissent, non vtique in altitudine cordis, tam vanè delirarent.

Secũdò non solùm ad pedes Domini Maria humilis erat, sed sedebat. Tales enim ad sui cõtemplationem diuina sapientia poscit. Anima quippe (ait Philosophus) quiescendo & sedendo fit sapiens. Nã vt Deus diuina sua mysteria & secreta animæ communicet: vult illam esse quietam, tranquillã, & pacatam. Ei nanque qui negocijs est impeditus, & mille curis & solicitudinibus distractus, Deus sua secreta non pãdit. Et sic acturus cum Abraham duxit il- Genes.12 Osee.2 lum extra patriam suam. Et per Oseam dixit. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Postulat vtique contẽplatio & oratio cor totũ, vacuũ omnibus negotiis mundanis. Et ideo qui hæc negotia & curas non reiecerit: non multum proderit in exercitio vitæ contemplatiuæ. Nam sicut mulier habens menstrua speculum inficit: ita exteriores occupationes nostrum intellectum turbidum efficiunt, vt rerum diuinarum cõtemplatio in ipso minus appareat & elucescat. Humilis itaque & quieta sedẽs iuxta pedes Domini ipsius verba attentè audiebat, dicens cum Propheta, Audiam quid loquatur in me Psalm.84 Dominus Deus. Illud etiam secum in corde reuoluebat. Quã dulcia faucibus meis eloquia tua, super Psal.118 mel ori meo. Mihi enim adhærere Deo bonum est. Psal.72 Neque æquum videtur derelinquere verbum Dei, Act.6 & ministrare mensæ: cùm secum haberet eum, qui omnia pascit: qui dat iumentis escam, & pullis cor Psal.146 uorum inuocantibus eum. Vbi non libet vt silẽtio prætereas Christi curam & diligentiam in assidua prædicatione: qui non tãtùm in Synagogis & in locis publicis prædicabat, sed etiam in ipsis domibus dum sterneretur mensa. Mouebatur vtique desiderio illo ardentissimo vt animas nostras lucraretur, quandoquidem in omni tempore, in omni loco, quacunque data occasione rete prædicationis iaciebat, vt ipsas venaretur.

¶ Discãt à Christo doctore sapientissimo prædi Hospes exceptus excipiẽtem doceat. catores & viri religiosi: vt cum aliquando domum intrauerint, vt suscipiant hospitium, hospites suos imbuant salutaribus consiliis, sacris exhortationibus: & denique omnia ea doceant, quæ ad Christi seruitium & dilectionem pertinent. Et cum omnis Christi operatio dirigatur in nostram instructionẽ: hoc facto docuit prædicatores euangelij, qualiter se debeant habere erga suos hospites. Non statim de cibo aut potu inquirant, nec per domum inquietè discurrãt, sed sedẽtes (vt decet seruorũ Dei prudẽtiam) illos sanctè instituant: quo nimirum qui eos hospitantur sancto exemplo ædificabuntur: & charitatis adipiscentur mercedem.

¶ Discamus etiam à beata Magdalena, vt non sic rebus familiaribus impediamur, vt à tergo relinquamus verbum Dei: sed attentè audiamus verbum Dei, & animo pacato. Væ autem illis, qui nunquam aut rarò audiunt verbum Dei: quasi illud fastidientes. Quod non pudeat eos corpus variis cibis & cõdimentis ingurgitare: & animæ obliuiscuntur, nec cibant eam mirabili condimento verbi Dei. Sed de his aliàs. Vidimus occupationem Mariæ: nunc de occupatione Marthæ Euangelistam audiamus.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Multis parandis intenta erat: interim tamen à verbo Dei se elongabat. Quantò enim animus in hæc exteriora magis diffunditur, tantò a Deo fit remotior; Pondus nãque curarum & solicitudinum huius sæculi nostræ animæ alas impedit: vt ad Deum non

non posit volitare. Quamuis Marthæ ministerium sanctum fuit, non tamen tantum laudatur à domino sicut sororis otium: quia externum erat & in multa distractum, quod aliquando animum à Deo magis remouere solet: cum quis simul non posit duobus dominis seruire, nec vtrisque satisfacere, cum tantum inter se distent creator & creatura. *Quæ stetit, & ait, Domine nõ est tibi curæ quòd soror mea reliquit me solam ministrare?* In cœnobio aut domo, in qua vita actiua conqueritur de contemplatiua, Christus eligit hospitium: non tamen vbi contemplatiua cõqueritur de actiua. Cùm religiosi intenti corporalibus exercitiis conqueruntur, quia se non tantum tradunt orationi, quantum desiderãt: bene rectum & gubernatum est cœnobium. Cum verò in oratione deficiunt, & eam molestè ferunt, & desiderant illam relinquere, cupiuntq; se tradere corporalibus exercitiis, sine dubio ibi Christus nõ habitat. Nam si Maria conqueritur & inuideat vitæ Marthæ, non est ibi Christus. Multi religiosi queritantur de prolixo choro, de prolixis horis: & quia querimonia est Mariæ, ideò Christus cum illis non habitat. Hic autem Martha conqueritur. Querela autem hæc ex charitate procedebat: non ex inuidia, aut impatientia: quia Martha adeò Christum diligebat: vt putaret etiam sororem esse necessariam ad ministerium. Timebat se non posse satisfacere tanto hospiti, neque digna reuerentia posse excipere. Vide autem quomodo querimoniam non referat alicui ex familia, sed ipsi domino, quem scit iustissimè iudicaturum. Totam se committit diuino iudicio: vt si ipse ream illam esse nosset, argueret, sin alter ipsam excusaret. Nos etiam exemplo huius querelas nostras ante Deum debemus præsentare, & communicare cum ipso, & ad eum recurrere in nostris negotiis, quemadmodum fecit Moyses. Sed conquerimus de proximis & de illis murmuramus: eis narrantes qui nullam autoritatem habent, neque aliquid de ipsis valent iudicare.

Matth.6 — *Bernard. s.r.3 assumpt.* — *Exod.8*

¶ Obserua autem diligenter quòd multi etiam sæculares imitãtur nunc Martham. Iudicabat enim Martha sororem suam esse otiosam tempusque in nihilo transigere. Ita isti sæculares conqueruntur de religiosis, & illis detrahunt, talia dicentes, O quàm quieta vita gaudent hi monachi, nullis laboribus obnoxia, nullis solicitudinibus intenta: nos verò solis ardore torremur, & aëris siccitate iniuria adurimur, meliùs nos, quàm illi cœlum adibimus. Hisq; & aliis ineptis verbis clericorum & religiosorum vitæ detrahunt, & de illis cõqueruntur: eo quòd laboribus manuum quemadmodum ipsi victum sibi non quæritant. Et isti non attendunt quòd religiosi legunt, canunt, dant operam literis, prædicant, confessiones audiunt, & sacramenta ministrant: quæ exercitia tantò præstantiora sunt occupationibus temporalibus, quanto spiritus præstantior & dignior est corpore. Præterea ridiculum est, vt velint isti suos labores mundanos & pro mundo acceptos cum nostris conferre: cum à sua voluntate proficiscantur. Longè certè differunt: nam nostri labores eorum sunt, qui per Christi amorem se & omnia sua simul cum propria voluntate abnegarunt: qui etiam si minores essent suis ad nostrorum præstantiam & excellentiam, satis esset aliena voluntate fieri, & Christi amore: vt intelligerent isti quantum dignitate suos exuperent, cum hoc tamen clarè constat spiritua-

Querela iniusta de monachorũ otio.

les labores maiores esse. Quænam obsecro occupatio magis accepta erat Deo Marthæ an Mariæ? Optimam partẽ elegit sibi Maria. Quos enim dominus amore paterno diligit, ab externis actionibus semouet. Pater nanque qui tenerrimè filium diligit, seruum potiùs mittit laboraturum. Vnde dominus exteriora velamina tabernaculi fœderis iussit fieri ex saccis cilicinis & ex arietum pellibus: interiora verò ex auro erant confecta. Nam illi qui constituti sunt in exterioribus negotiis conficiendis, sunt tanquam cooperimentum, quo induimur, vt reliqua interiora vestimenta meliùs conseruemus: qui verò ad diuinam contemplationem eliguntur à Deo, pars optima concessa est illis in Ecclesia. Id quippe iam hîc à saluatore definitur: meliùs esse & præstantius opus verbum eius audire, quàm ministrare. Cùm verò Apostolus dicebat regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute: loquebatur de humana sapientia, de inflato philosophorum sermone: non tamen de verbo Dei quod penetrabilius est omni gladio ancipiti. Vnde ipse ait, Sermo meus & prædicatio mea non in persuasione sapientiæ verborum: sed in ostensione spiritus & veritatis. Talibus sermonibus erat intenta Maria: & tali exercitio diu noctuq; vacant monachi, cœlestes ciues imitãtes: qui non nimio corporis exercitio laborant, sed hymnos & Psalmos canentes, suum dominum laudant, quorum occupatio tanto est excellentior, & præstantior, quanto similior angelorum exercitio & sanctorũ omnium, qui solùm admirantes diuinam illam sapientiam suspiciunt eam & venerantur. Putabat enim Martha Mariam nihil agere, & tempus in vanum consumere: quæ vtique omnino fallebatur. Et tu etiam quicunque sæcularis, qui labores & occupationes tuas, ecclesiasticorum & religiosorum vis anteponere, sine dubio longè aberras à veritate & nimis falleris: & similis eris regi Ægyptiorum pluris habenti & æstimanti lateres crudos facere, quàm Deo sacrificare: qui Mosi & Aaroni dicebat, Quare abstrahitis populum ab operibus? addens statim. Ite ergo & operamini. Vacatis otio, & idcircò dicitis. Eamus, & sacrificemus domino. Ita credo hac nostra tempestate esse multos Pharaones, qui otiosos iudicant eos, qui diuinarum rerum contemplationi vacant, se totos Deo consecrant: qui certè non sunt multum dissimiles Balac regi Sidoniorum, qui indignatus est aduersus prophetam Balaam, eo quod non faceret quod ipse optabat, & maledicens populo Israël dixit; Vade & reuertere in locum tuum: decreueram quidem honorare te, &c. Sic multi mordaciter insurgunt contra Ecclesiasticorum & religiosorum vitam: nõ videntes quod isti pro omnium salute diu noctuq; deprecantur, cum diuersi diuersis debeant esse intenti: nec omnium eadem debeat esse conditio: quod si aliqua sint vitia in his probis viris, videant laici se suis non carere peccatis: nec temerè contra Dei præceptum & voluntatem eos iudicent, quorum beneficiis spiritualibus non parum iuuantur.

Exod.26 — *1.Cor.4* — *Hebre.4* — *1.Cor.2.* — *Exod.5* — *Num.24*

¶ Aduertes secundò quod hoc temerarium iudicium non solùm currit à sæcularibus in Ecclesiasticos, sed inter ipsos sæculares est cõmune, & circa omnes vitæ status hæc pestis dispargitur: & inde illud puto euenire, scilicet, ab amore nostri, & rerũ cuiuscunque propriarum. Videtur enim vnicuique suum opus pulcherrimum, & sua occupatio

Vnusquisque suam artem existimat alios meliorem.

Deo magis placita, quàm fratris sui. Quæ omnia
scientiarum exemplo possunt ostendi. Astrologo
enim videtur nullam esse scientiã præter Astrolo-
giam: & Dialectico idem: & sic de cæteris. Ex qua
deprauata radice oriuntur inter homines conten-
tiones: rixæ, & scismata: quilibet namq; putat proxi
mum suum in sua via penitùs aberrare: quia nõ se-
1.Cor.1 quitur idem iter, quod ipse. In hoc ferè errore ver-
sabantur Corinthij, qui cùm plura bona accepis-
sent à Deo, eorũ quilibet suum putabat pulchrius:
& ita alter alteri volebat præferri: cùm vnus lin-
guarum donum extolleret, alter prophetiam, alius
verò scripturarum interpretationem. Contra hunc
errorem præsentaneum remedium ipse Apostolus
præbet dicens; omnia hæc dona riuulos esse, qui
Galat.5 ab eodem fonte nascuntur, scilicet, Spiritu san-
cto. Atque in omnes in æqualitate participãt: cùm
ab eadem causa oriantur, quemadmodum in cor-
pore regis omnes eius partes, & omnia eius mem-
bra, regis membra sunt, etiam si inter se differant.
Rom.12. Sic Apostolus: Omnes enim vos vnum estis in
1.Cor.12. Christo Iesu. Et ad Corinthios. Alij datur per spiri
tum sermo sapientiæ, alij autẽ sermo scientiæ, &c.
Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spi-
Ephes.4 ritus, diuidens singulis prout vult. Sicut enim cor-
pus vnum est, & membra habet multa, omnia au-
tem membra corporis cum sint multa, vnũ tamen
corpus sunt, ita & Christus. Nam sicut in musica
vocũ diuersitas causat melodiã, sic in Ecclesia di-
uersitas statuũ. Vnde licet colligere, manifestissi-
mã esse insaniã alium damnare, quia nõ facit quod
ego: vel quia ei muneri nõ est aptus, vt ego. Nonne
insanum esset, si oculi pedes contemnerent, quia
non vident: manus vero pedes increparẽt, quia non
ambulant? Vnusquisq; igitur alium in suo munere
relinquat: & hoc omne est quod Apostolus in su-
prà citata epistola tam diffusè intendit persuadere.
Rom.14 Et idem Romanis ait. Qui nõ comedit, comeden-
tem non contemnat. Nunquid qui non comedit
maiorem virtutem habet, quàm is, qui comedit?
Sed iam Martham conquerentem audiamus. *Dic
ergo illi vt me adiuuet.* His verbis principem consi-
lij se Martha ostendit: quia cum interrogasset Do-
minum, antequam responderet, petit vt dicat soro-
ri, vt illam adiuuet: nam vt superius diximus cum
vnusquisque putet suum laborem maximè esse ne-
cessarium, credit omnibus idem esse iudicium. Ideo
Martha nullam sperans responsionem, quasi Chri-
stum volens docere: dicit, Dic ergo illi vt me ad-
iuuet. Ac si diceret, Ego domine nimis intenta &
occupata sum, & soror mea nihil agit: dic ergo illi
vt me adiuuet.

*Famuli prin-
cipũ soli vo-
lunt esse serui
Dei in socie-
tate.*

¶ Vbi non immeritò venit notandum, Quan-
tum discrimen sit inter eos, qui Deo seruiunt, &
inter eos qui regibus aut principibus mundi mini-
strant. Adhorrent isti omnem societatem, nemi-
nemque participem in labore volunt habere: si au-
tem cõiungatur illis aliquis socius, ægrè & mole-
stè ferunt: amicus enim regis & eius priuatus nol-
let præter eum aliquem alium in domo regis habi-
tare, atque ita ipse solus multa officia complecti-
tur: ne si aliquis ingrediatur magis priuatus & ami-
cus fiat. Et cum isti propriam vtilitatem potiùs
curent, quàm regis aut principis ministerium, pa-
rum aut nihil de eo curant: ideo soli esse gaudent,
vt ipsi soli lucrentur. Serui autem domini, qui de
eius adipe & pinguedine viuũt, multum ab his dif-
ferunt: qui non sunt auari & cupidi, non quærunt
suum proprium commodum, sed quæ Dei sunt cu-
rant & eius ministerium, & seruitium: & propterea
sodalitium desiderant, & gaudent cum alios vi-
deant intentos sui domini obsequio: quia existi-
mant in ministerio esse impares, nõ solùm socium
ferunt, sed ipsi sponte sua postulant. Et ideo Mar-
tha inquit, Dic illi, vt me adiuuet. Sic Moses Aaro- *Exod.3*
nem petit, cùm mitteretur ad Pharaonem. Et cum *Num.11*
esset dux filiorum Israël in deserto dixit domino
Deo, Non possum solus sustinere omnem hunc po
pulum. Atque ita dedit illi dominus septuaginta
viros, qui eum adiuuarẽt. Sic etiam Beseleeli arti- *Exod.31*
fici operis tabernaculi dedit dominus socium O-
liab. Sic Iudas dixit Simoni fratri, Ascende mecũ *Iud.1*
ad sortem meam. Et Dauid vocat etiam socios ad *Psalm.33*
laudandum Deum dicens, Magnificate dominum
mecum, & exaltemus nomẽ eius in ipsum. Et Pau-
lus. Imitatores (inquit) mei estote, sicut filij charis- *1.Cor.4*
simi. Cupiunt boni vt omnes eos adiuuent in ob-
sequium Dei: vt plures ministros & famulos ha-
beat. Nũc verò hac nostra tẽpestate etiã si spiritua-
lia onera maiora essent, quã vt humeri nostri ferre
possint, soli gaudemus esse: vt soli honoremur, &
soli fructum feramus. Quis obsecro episcoporum
totius Hispaniæ regi offerenti archiepiscopatum
Toletanum reluctans & renuens illi dicet, grauissi-
mum hoc esse onus, multum suis viribus dispar: &
similiter dicat, quòd ab eius acceptatione eum ha-
beat excusatum, vt de Mose superius retulimus qui
Deo dicebat, Non possum sustinere omnem hunc
populum, quia supra vires meas est? Quis horum
qui diu noctuq; auaritiæ & cupidini student & in
domibus regum sitientissimi discurrunt sua officia
relinquet, dicens, se tanta & tam ponderosa onera
non posse sustinere? Si centum officia rex promi-
serit, centum admitterent: & nunquam dicent, suf-
ficit. Quare in hoc reges rectè prouideant, paucis
officia concedentes: ne tot homines in infernum
abeant. Cum Deus hominẽ creasset ad imaginem
& similitudinem suam, inquit scriptura, quòd re- *Genes.1*
quieuit: cum iam inuenisset alium sibi similem. Tu
verò singularis vis esse, & nullum socium admitte-
re. Nec in diuitiis, neque in potentia, neque impe-
rio. Tantum abest vt tui similem aliquem velis
agnoscere. ¶ Docemur etiam hoc loco, quòd om-
ni pigritia reiecta, libẽti animo proximis sit inser-
uiendum: & queamadmodum Martha hîc facit, si
nos non fuerimus sufficientes ad opitulãdum pro-
ximis, aliorum auxilium imploremus. Discamus
etiam in nostris laboribus aliis subuenire: vt illud
Pauli adimpleamus. Alter alterius onera portate, *Galat.6*
& sic adimplebitis legem Christi. ¶ Notabis præ-
terea ꝙ ad hanc Marthæ querimoniam Maria nihil
respondet: quia hi qui dediti sunt rerũ diuinarum
cõtemplationi nõ contentiosi sunt, sed tacẽtes au-
diunt, & meditãtur, iuxta illud, Sedebit solitarius *Thren.3*
& tacebit. Maria verò nihil perdidit tacendo, cum
Christum haberet qui suã causam ageret, & pro
ipsa responderet. Tacet præterea Maria & Christus
pro illa respõdet, quia Martha nõ loquebatur cum
ea, sed cum Iesu: & quia non vrbanũ esset vt coram
Christo illa loqueretur, ideo tacet & Christus re-
spondet, & sequitur in textu, *Et respondens dixit illi* *Solicitudo tẽ-
dominus, Martha Martha solicita es, & turbaris erga poralis impe-
plurima.* Vide & tu ne rerum temporalium exces- *dit cõtempla-
siua solicitudine turberis. Quemadmodum enim tionem.*
conscien

conſcientia turbatur, dum ſpecies rerum temporalium, quæ illicitè appetũtur, ſe immiſcent cogitationibus noſtris, & cõſcientiam implẽt aqua turbida cogitationũ: iuxta illud Pſalmi. Torrentes cogitationum conturbauerunt me: tali aqua potatur diabolus, & ſitit illam: ſicut camelus aquam turbidam, qui ſi inuenit illam claram turbat eam: ſic diabolus cogitationes noſtras conturbat, quæ etiam ſi ſanctæ ſint, luto eas inuoluit: quia gaudet de flumine turbido Ægypti bibere cũ populo Iſraël, de quo dominus per Hieremiam conqueritur dicens. Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquã turbidam? Ideo Dauid in Pſalmo. Anima mea turbata eſt valde: ſed tu domine vſquequo? Sic in Martha turbata eſt, vt non videret occupationem Mariæ meliorem eſſe, & quod meliorem partem elegiſſet, volens vt ſoror eius contemplationẽ relinqueret, & vt intenta eſſet ſolicitudini terrenorũ. Quantũ cura humanarum rerum hominem perturbet, ex illo quod habetur in Geneſi poteſt colligi. Orta eſt enim rixa inter paſtores gregum Abraham & Loth. Cauſa autem fuit diuitiarũ abundantia, quæ inter vtroſq; erat, & ſic abinuicem ſeparati ſunt. Vna plagarũ quam Deus miſit in Ægyptum muſcæ fuerũt: quæ animalia ſunt importuna & nimis inquieta. Ægypto dedit Deus muſcas, Iſraëli autẽ ſabbatum lætitiæ. Eis namq; qui rerũ temporalium curis ſe tradũt, dat Deus ſolicitudines, vt Marthæ: Mariæ verò datur quies, & ceſſatio. Hoc enim habet ſibi adiunctum, cura rerum temporalium, vt animum in multa rapiat: vt etiam boni & recti homines ſanctis impliciti occupationibus, ſi terrenis immiſceantur, facilè ſuboriatur turbatio. Non autem intelligas, ꝙ miſericordiæ opera ideo ſint ſubiicienda: ſed cauendum, ne animus plus iuſto terrenis implicitus, alta & diuina negligat. Sanctus enim pater Franciſcus in ſua regula inquit monachis ſuis, Laborent fideliter & deuotè, ita quod excluſo otio animæ inimico, ſanctæ orationis & deuotionis ſpiritum nõ extinguant. Hoc quippe perſpiciendum eſt in operibus miſericordiæ & charitatis, quæ erga proximos præſtantur: ne propter illam animam noſtram negligamus, quia nihil eſt præſtantius, nihil diuinius, neque vllum donum à Deo optimo maximo maius aut præſtantius accepimus. Quid enim prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, ſeipſum autem perdat, & detrimentum ſui faciat? Sic opus eſt, vt proximis ſeruiendo, tui ipſius non obliuiſcaris.

Pſalm.79 *Hiere.2.* *Pſal.6.* *Geneſ.13.* *Exod.8* *Exod.20.* *Luc.9*

¶Notabis etiam diligenter quòd quamuis Martha intenta eſſet & nimis ſolicita circa miniſterium corporale Chriſti, & vt ipſum reficeret: nihilominus arguitur à Chriſto, & ſoror ei præfertur. Non ſic principes mundi & reges cõſueſcunt facere, qui bonos & fortes milites non diligunt, ſed eos tantum qui in deliciis & voluptatibus ſeruiunt eis, & ipſis blandiuntur iuxta deſiderij ſui libidinẽ & appetitutum. Videbis enim nũquam aut vix à magnatibus & principibus eos homines maximi haberi, qui fortes & magnanimi ſunt, quiq; rebus bellicis & laboribus plurimũ præſtant, ſed potiùs eos qui luxuriis, deliciis, & voluptatibus eis deſeruiunt. Videmus apertè hoc in loco Mariam pluris æſtimari à Chriſto, & plurimũ apud ipſum valere etiam ſi Martha corporalis ſeruitij domini curam haberet. Vnde facile poſſent (ſi vellent) verbi Dei concionatores diſcere, vt nec propter hoſpitium nec propter aliam quamcunque mundi rem timeant vitia redarguere, & hominum peccata reprehendere. Chriſtus hoſpes erat Marthæ, nihilominus tamen nimiam eius ſolicitudinem damnat. Nunc autem prædicatores ſunt ſicut canes latrantes: quibus ſi os proieceris ſtatim tacẽt: ſic iſtis prædicatoribus ſi munus obtuleris, vel cœnam opiparã appoſueris, ſtatim quaſi neſcientes loqui, obmuteſcũt, de quibus Eſaias inquit, Canes muti nõ valentes latrare. Videbis enim plurimos monachos, qui charitate incenſi & inflammati in cõcione valent plurimũ: quibus tamẽ ſi epiſcopatus offeratur, ſtatim in munere prædicationis deficiũt, & nihil deinceps prædicant, cum proprium epiſcoporũ munus ſit docere. Chriſtus verò huic mulieri verũ docuit, vt ſanctus & pius magiſter, qui nullis muneribus aut donis mouebatur. Et vtinam idem facerent omnes prædicatores & diuitias non conſiderarent, potentiam, aut priuatam vtilitatem. Nihil in mundo deberet eſſe quod virum Dei amatorem & ſui verbi concionatorem à veritate prædicanda exterminaret. Legitur in libro Numerorum Balaam ter fuiſſe rogatum à Balac vt malediceret Iſraëli, ille autem noluit, & dixit, Si dederit mihi Balac plenam domum auro & argento, nõ potero præterire ſermonem Dei mei. Mirandum eſt certè, quòd cum hic eſſet homo barbarus & malus, nec argento & auro potuit corrumpi vt veritatem non diceret. Quare igitur tu qui Chriſti geris ſtemmata, ſacerdotis officio fungeris, cùm mundum reliqueris, timidus & puſillanimis es vt vitia potentum & diuitum reprehendas & carpas?

Cõcionatores muti qui. *Eſaia 56* *Ambr.lib.1 off.cap.1.* *Nume.24*

¶Diſcamus præterea non detrahere ſanctis aut amicis Dei, quod certè valde eſt timendum, cum Deus ſtatim occurrat, & pro eis reſpondeat, quod manifeſtiſsimè apparet: nam cum Moſi detraxerũt fratres eius Aaron & Maria, ſtatim dominus eos arguit, percuſsit lepra Mariam, & laudauit Moſen, ipſo tacente. Sic in præſentiarũ Martha cõqueritur de Maria, quę Chriſti verba & doctrinã ſedens imbibebat: & illa tacente, reſpondet dominus. Vnde etiam memineris ne in ſeruos Dei & ſanctos viros aliquod cõuitium aut opprobrium coniicias: nam Deus cuius filij ipſi ſunt, pro illis reſpondet, & eorum partes vt amicus agit. Sed iam Chriſtum altiora loquentẽ, audiamus, *Porro vnũ eſt neceſſarium.* Senſus literalis eſt, ꝙ Martha cum diues eſſet, & ad cœnæ miniſteriũ tum famulos, tum ancillas, tum præterea varios, atq; diuerſos cibos paraſſet: quæ omnia & multa alia tanto hoſpite iudicabat eſſe digna, Chriſtus verò qui mũdano apparatu, pompa nec ſumptibus gaudet, huic rei prouidens, inquit, Vnũ eſt neceſſarium. Quaſi diceret, Martha, ne mihi tot cibos, tot epulas & fercula apponas: quodcunq; appoſueris ſatis erit mihi. Vnũ eſt neceſſarium, ſcilicet vnum condimentũ, vel vna tantum patina: reliquũ enim erit ſuperfluũ, quod ego nimis abhorreo. Hoc Chriſtus dixit, tum vt ſuam humilitatẽ oſtenderet, tum vt mũdi ſuperbiam & conuiuiorũ luxuriã carperet: quaſi rectè proſpiciẽs plurimos eſſe, qui omnẽ ſuam fœlicitatẽ gloriam & beatitudinẽ circa epulas & conuiuia adhibeant, nõ attẽdentes illud Eccleſiaſtici. In multis eſcis nõ deerit infirmitas: & qui abſtinẽs eſt adiiciet vitã. Et Paulus, Quorũ Deus venter eſt. Prætereà iuxta ſententiã multorũ, hoc vnũ quod præ cæteris neceſſarium dicitur, intelligi poteſt ipſa fœlicitas patriæ, ſiue

Num.12. *Vide Auguſt. Ser.26.& 27. tom.10.* *Eccle.37* *Philip.3*

siue ipse Deus: qui obiectū vel dator beatitudinis est: vel cōtēplatio seu dilectio eius in vita hac seu pax mētis in Deo, aut vnio cordis cū eo, seu Deo debitè seruire & propriæ saluti prouidere. Quāuis enim ad obtinendam salutē multa sint necessaria, fides videlicet, spes, charitas, sacramenta, & obseruatio præceptorum: vnum tamen necessarium dicit antonomatice præ cæteris, vel necessitate finis, & propter se atq; simpliciter: alia verò per respectū ad finem, & propter eius consequutionem. *Maria* [*August. ser. 27 tomo 10. Theophilact. in hūc locum.*] *optimam partem elegit: quæ nō auferetur ab ea.* Videlicet Deo vacare, & quieta mente viam contemplatiuam agere, & ipsum incōmutabile bonum quærere & habere: de quo in Threnis scriptū est [*Thren.3*]. Pars mea dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum. Sed non intelligas, quòd hic Christus dānat officium Marthæ: quia Christus dixit, quicūq; potū dederit [*Matth.10*] vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli, amen dico vobis nō perdet mercedem suam. Nō ergo opera misericordiæ Christus dānat, quādoquidem in die iudicij summis laudibus commēdabit eos, qui in similibus se exercuerunt [*Matth.25.*], sed Mariæ otium illi prætulit. Tu bonam elegisti: sed hæc meliorem, & vtraq; necessaria. Nam cum bonum & pium opus sit, mortuos sepelire, iussit cuidam Christus [*Luca 9.*], vt aliud amplecteretur: nimirum munus annūciandi regnum Dei [*1.Cor.1*]. Paulus quippe magis extollit euangelizādi, quàm baptizandi functionem. Sic etiā colligere eleemosynas pauperibus, & mensis ministrare, bonum est: sed apostoli optimum putauerūt munus, verbum Dei [*Matth.6*]: & ideò elegerunt Stephanum, & alios septem diaconos, qui mensis deseruirent, vt ipsi orationi & prædicationi insisterent. Eratne minus bonus Stephanus? Absit. erat quippe plenus fide & Spiritu sancto: nec Martha mala erat, quia in bono ministerio reprehēditur, sed Maria illi præfertur. Diaconi apostolis, & Martha Christo ministrabat: Christus verò & apostoli prædicationi erant intenti & vtrunq; munus sapientiæ est. Ambo hæc ministeria [*Rom.12*] necessaria sunt in Christi ecclesia. Vnde Paulus, Sicut in vno corpore multa mēbra habemus, omnia autem membra non eundem actū habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Quæ etiā si alia aliis minora sint: nihilominus tamen omnia necessaria sunt, & alter alterius ope indiget. Ita actiua & contemplatiua vita ecclesiam decent: etiam si cōtemplatiua excellentior sit, & multis nominibus præstantior: quæ (vt inquit Christus) à Maria nō aufertur. primo quia actiua simul cū vita hac finitur: cōtemplatiua verò in cœlum vsq; perdurat, & ibi perficitur. Secūdo quia actiua potest multis modis impediri: contemplatiua verò, ab eo qui eam desiderat, minimè potest abstrahi: Omnia enim secum rapit cōtēplationi deditus: in catenis, in vinculis, in carceribus Deum potest orare, quemadmodum sancti martyres solebant facere. Cùm igitur hæc sit perfectior, nec cōtra possessoris voluntatem possit rapi, [*Gregor. li. 25. moral. c. 22*] nō est cur cogites, si tu in operibus piis detinearis, perfectiorem esse contēplatiuis, & à Deo ardentiùs diligi. Quos enim Deus impensè & anxiè diligit hos ab externis mundi occupationibus semouet.

¶ Præterea illud maximè est obseruandū & digna cōsideratione aduertendū, quòd etiam si contemplatiua vita perfectior sit actiua: nihilominus tamen hæ ambæ sorores sunt, vt Martha & Maria, quę nimia charitate & amore se diligebant, nec altera alteri contradicit, imò mutuis officiis se adiuuāt, vt sorores. Vnde regius Propheta domino ait [*Psalm. 118*] Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm tamen dilataueris cor meum. In cursu & exercitio vitæ actiuæ sentiebat vir sanctus hanc animæ amplitudinem, quæ quidem est dulcedo & suauitas cōtemplatiuæ: vt videas quomodo in ambabus vitis se exercebat, contemplationem cum ipsis operibus copulabat. Quod Spiritus sanctus innuit in Genesi [*Genes.1*] inquiens, Spiritus domini ferebatur super aquas. Non inquit, quiescebat: sed ferebatur, & mouebatur. Amor enim Dei nec temporis momentum amittit. Deambulabat super aquas, quia cōtemplatio super actiuam vitam potest deambulare: quæquidem sunt velut vndæ diluuij, quæ Martham turbidā reddūt. Sed omnia potest sanctus amor, nam simul cum operibus exterioribus volās & alta cōsiderās potest contēplari. Si igitur filij tenebrarū in omni opere suo corā oculis præmiū & mercedem ferunt: quare tu, qui filius es lucis occupatus & intentus vitæ actiuæ, Deum ipsum contēplando pręsentē non feres? Ambo simul eodē tempore potes facere. Sorores sunt Martha & Maria, nō inimicæ aut cōtrariæ. Non est dignus nomine contēplatiui, qui proximi necessitatibus nō succurrit: & etiam si cōtemplatiua excellentior sit, nihilominus tamen aliquando actiua magis meritoria est, quia cū meritum [*Actiua aliquando plus meretur.*] charitate metiatur, qua aliquod opus impedimus: cumq; aliquis vehementiùs & ardentius possit operari: quā alius qui tepidè & remissè cōtēplationi vacat: clariùs cōstat ꝙ tunc actiua magis meritoria erit, quàm contemplatiua. Hinc fuit ortum ardens illud & vehemēs desideriū diui Pauli, quo [*Roman.9*] nimis cupiebat, propter fratrū suorum cōmodum à contēplatione semoueri. Altera quippe alterā non impedit, quādo corporis labor nō est nimius. Nec tantum corporalibus laboribus debes insistere, vt spiritum deuotionis extinguas: honestum enim exercitium cōtemplationi fauet: quæ arida & laboriosa est, nisi mentali orationi misceatur. In omni exteriori opere Christū tua mente debes inuoluere perpetua meditatione, vt his duabus velocissimis alis cœlum possis cōscendere. Hæ sunt illæ duę alæ, quas mulier illa ferebat, quā Ioannes in Apo- [*Apo.12*] calypsi vidit, vt in desertū volaret: per quod cœlū intelligitur. Et ideò sancta illa animalia quæ vidit Ezechiel, nō solùm habebant alas, quibus altiùs & [*Ezech. 16.*] profundiùs volabant, sed sub ipsis etiam habebant manum hominis. Quo nimirū intelliges actiuam vitam & contemplatiuam sorores esse: & amicas: & propterea sub alis erat manus: quia actiua contemplatiuam iuuat, vt volare possit. Ne sis tantū contentus oratione in solitudine, sed afflictis & egenis [*Luca 2*] in necessitatibus subueni. Sancti illi pastores quibus in nocte natalis domini angelus apparuit: nó solum fuerunt cōtenti, cum iam in monte Christū adorassent, sed in Bethleem iacentem in præsepio, iterum venerunt adoraturi: non vt increduli, sed ipsis operibus monstrabant, quem mente diligebant & venerabantur. Nec minus Paulus cum di- [*Actor.9*] uinitùs cœlestibus radiis illuminaretur, complicatis manibus sedit: sed statim surrexit, & abiit in Damascum, vt edoceretur. Nec minus otiosus re- [*Matth.13*] mansit, qui inuenit thesaurum in agro: sed abiit & vendidit omnia sua, vt faciliùs id posset inuenire. Charitas enim nō infirmatur, non quiescit, non est otiosa:

1.Cor.13 otiosa:sed Christum quærit vbicunq; ille sit,& coram oculis semper illum affert,quod Christus dominus inquit. Quod vni ex minimis meis fecistis, Matth.25 mihi fecistis. Discamus igitur vt nos in vita actiua exerceamus,quã Christus hic cõmẽdat:bonã enim partem Martha elegit, quanuis Maria meliorem. Hanc enim dominus cõmendauit doctori illi quærenti quomodo æternã vitam posset cõsequi:exemplum ei apponẽs Samaritani,qui misero in itinere iacenti subuenit: & concludens, dixit, Vade & tu fac similiter. ¶Præterea etiam Mariam conemur imitari,cõtemplatiuam, scilicet,vitam amplectendo:quandoquidẽ summis laudibus à Christo commẽdatur. Accedite (inquit regius psaltes) ad Deũ & illuminamini. Impossibile enim est, si lumen adsit, vt itidem non adsit calor:atq; ita in plenilunio noctes calidiores sunt, quia lux in ipsis magis viget & splendet. Ita nimirum cum anima nostra rerum diuinarum contemplationi vacat,& ab ipso Deo illuminatur: in se recipit diuini amoris calorem. Hoc est animam ad Deum accedere per amorem,& ab ipso illuminari. Atq; ideo contemplatio est quidam actus aut consideratio intellectus clarus & liber vt in cognitionẽ diuinæ veritatis deueniat:qui ipse Deus est. Æqualiter enim in hoc opere voluntas ipsa debet accẽdi & inflammari Deum ipsum diligendo & amando:vt intellectus cognoscendo & contemplando diuina & mirabilia eius opera. Quod philosophi illi antiqui euanescentes in cognitionibus suis non meminerunt: qui contenti sunt solum cognoscentes diuinas perfectiones, quas in ipsum omnium autorem non retulerunt,nec gratias ipsi egerunt, humiliter de se sentientes propter tot ac tãta ab eius manibus accepta beneficia. Quocirca(vt inquit Apostolus)misere & infœliciter elatio animi eos deiecit, & obscura intellectus caligne obcæcauit. Contemplatio enim Christiani fundari debet in ipsa humilitate,& amore perfecto copulari,vt non solùm intellectus ipse alta volitet, sed etiam amori ipsi & affectui associetur: atq; ita contemplatio est dulcedo quædam diuina,quæ nõ consistit in cognitione,sed in amore & dilectione. Vbi anima ipsa supra se euehitur & extollitur,gaudens,& exultans, cum cognoscat omnia hæc mundana in comparatione boni illius incommutabilis nullius valoris esse. ¶Docemur etiam vt nos meliora semper in omnibus eligamus:cùm Christus Mariam hîc commendet, quæ optimam partem elegit,quæ minimè ab ea auferetur. Sed si interrogare velis, quæ sint ista meliora? Illa, respondebo,quæ à nobis auferri non possunt. Sunt quippe multi,qui præstantissimum bonum & pulcherrimum diuitias eligunt,honores ambiunt, & sitibundi dignitates quærũt, & flagrãti quodam desiderio sitiũt:quibus videtur, iam optima se elegisse. Si autẽ à nemine auferri possunt,meritò iuxta Christi sententiã optima vocantur:& iam falsi nõ sunt:si porrò auferri possunt: aut optima dici non possũt,aut Christus incerta docuit. Quis verò ignorat diuitias, honores: & potestates,caducas esse,& simul cum pereunte perituras:& fortè priùs? Nouimus ex Euangelio diuitẽ, Lazari contemptorem; nouimus Herodis potestatẽ, Nouimus Annæ & Caiphæ honores:sed quẽ finẽ illi sortiti sint,nemo est qui ignoret. Ergo alia quærẽda sunt,vt meliora eligamus,& præstantiorẽ partẽ obtineamus. Quæ isthæc alia? Virtutes & veræ pietatis officia. Hæc enim nobis inuitis auferri nequeunt:sed potiùs aduersa & firma gaudia hominẽ comitãtur. Et vt dicendi finẽ his imponamus, Maria optimã partem sibi elegit: scilicet,verbũ Dei attentè & humiliter auscultare,contẽplationi se totam præbere, Deum diligere, virtutum ornamẽtis decorari, & cœlestia gaudia anxiè & solicitè appetere:quę omnia in hac vita heroico & diuino gradu habuit,& nũc in cœlo possidet in æternũ sine vllo metu amissionis. Et si hoc summa veritas Christus redẽptor noster de Maria Magdalena inquit: quantò melius & sublimiùs de virgine matre hæc posset prædicare, si de ipsa loqueretur? Quæ vtiq; cum meliorẽ partem in vita hac eligeret, ita optimã nũc possidet in cœlo. Et queadmodum in terra maiorẽ & meliorẽ partem sanctitatis elegit,& inter omnes sanctos & sanctas quæ puræ creaturæ fuerunt tanquam omnium exẽplar,& limpidissimũ speculum splẽduit,& immicuit:ita & in cœlo optimã partem tenet:quia in die assumptionis eius super omnes homines, & super omnes choros angelorũ eleuata fuit. De cuius gloria & assumptione in cœlestia regna,quia multi multa dicunt: nos ad alia properãtes,aliis viam apertã relinquimus,vt sequẽtis capitis explanationem insequamur: ad quod faxit Christus Iesus, vt ipse nos comitetur,vt fœlicius procedamus.

Marginalia: Contemplatiua vita excellentia. — Psalmo 33 — Rom.1 — Aug.vt su. — Luc.16

CAPVT XI.

Mirabilis certe est Dei optimi maximi circa omnes res,prouidentia:ita vt nihil reliquit, circa ea omnia quæ ad tabernaculum spectabant quæ Mosi in particulari non iussisset, adeò vt nec candelabrum, nec forfices:nec alia minutissima oblitus esset. Iam verò cum nec tabernaculũ sit,nec arca,nec templum: cùm hæc omnia illis in figura cõtigissent, manifestum est totum hoc vmbram esse, & imaginẽ noui instrumenti, quod lumen clarum est,etiam his qui lippos habent oculos, quiq; mẽtis caligine & obscuritate laborãt. Ita etiã in lege gratiæ cõsentaneũ rationi erat, vt Christus redemptor noster doceret nos quomodo cum Deo esset nobis loquendum, quandoquidem tanta cura & multitudine ceremoniarũ populum illum Iudaicũ erudiuit: atq; ita cũ videret inter omnia exercitia christiana præcipuũ esse orationis in particulari, voluit nos instruere quomodo esset orandũ. Hoc est illud præclarũ & egregiũ officium,in quo si homo per amorẽ & dilectionẽ accedat Deum oraturus: in ipso tanquã in limpidissimo speculo proprias culpas & delicta cõspicit,de quo scriptura ait. Speculũ sine macula, imago bonitatis illius. Ex hoc fœlici & prospero vitæ statu reges & regna mũdi videbis,quæ omnia in illius collatione culices & stercora reputabis. In hac quiete & trãquillitate animi erat ille,qui dicebat. Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos agri. Hinc etiã doctor ille gentiũ illud prorupit. Omnia arbitratus sum vt stercora. Hinc etiã Salomon cõspiciẽs omne quod erat sub cœlo, dixit. Vanitas vanitatũ & omnia vanitas. Et inde illud euenit,ꝙ cũ oratio sit eleuatio mẽtis in Deũ, in ipso Deo anima nostra illuminatur: cuius luce clarè & apertè cognoscit mũdana omnia vanitatẽ & insaniã esse. Quapropter regius vates inquit. Accedite ad Deũ,& illuminamini. Vt hoc igitur orationis exercitiũ clariùs edoceret (sicut cætera omnia quæ in discursũ vitæ docuit verbo & opere) ob oculos nunc exẽplũ ponit. Venit enim facere, & docere.

Marginalia: Exo.25 — 1.Cor.10 — Sapien.7 — Esaie 40 — Philip.3 — Eccles.1 — Psal.33

Quocirca

Act. 1 Quocirca ait noster Lucas. *Et factũ est, cum esset in quodam loco orans.* Vbi primũ illud se notandũ offert, Christum scilicet non orare, quatenus Deus est, qui æqualis est patri: sed orat ratione naturæ assumptæ, *Ioan. 14* secũdum quam minor est patre: vt ipse dixit, Pater maior me est. Deinde statim ostendit, loca solitaria & secretiora ad orationem esse nobis *Ioan. 14* eligenda. Vbicunq; enim poteris orationi vacare: quia veri orationis amatores patrem in spiritu & *Ioan. 4* veritate adorabant. *Dan. 14* Daniel quippe inter ipsos Leo-*Dan. 3* nes orabat, & pueri in ardenti fornace, & sanctus *Ione 2* Propheta Ionas in ventre ceti. Tantum abest, vt aliquid possit esse impedimẽto, quo minus mẽtes nostras ad Deum nõ possimus eleuare. *Solitudo orationi accommoda.* Verùm solitudo plurimum cõfert ad orationem, vbi anima ipsa trãquilla & quieta oculis in lachrymarũ fontem conuersis in Deum transformatur, ipsum solum testem habẽs. Quare si animæ tuæ optas quietem, intellectui recreationẽ, & voluntati suauitatem: *Psal. 54* dic cum Propheta, Elongaui fugiẽs, & mansi *Exod. 32* in solitudine. Moses etiã Deũ oraturus, mõtẽ ascẽ-*3. Reg. 17* dit. Sic Helias, *4. Reg. 4* sic etiã Helisæus, sic etiã omnes sancti & viri contẽplatiui. *Matth. 6* Vnde saluator. Intra in cu-*Genes. 32* biculũ, & clauso ostio ora patrẽ tuũ. Quãdo Iacob redibat ex Mesopotamia in patriã suã misit omnẽ gregem & omnẽ substantiã suam ante se: traductisque omnibus, quæ ad se pertinebãt, solus mansit, & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. Aspice quemadmodum cum solus mãsit Iacob, statim venit ad eum Angelus, & vocatus est Israël: quod interpretatur, vir qui Deum videt: & vocauit locum illum Phanuel, dicẽs, Vidi Deum facie ad faciem. Hoc illi cõtingit cùm esset solus. Sic tu si Deo ipso volueris frui & suauitate suarũ consolationũ gaudere, solus mane, & à te reiice amicitias & consortia mundi. Præterea tacetur tempus, in quo Christus orabat, vt ostenderet, quòd indifferẽter omni tempore sit orandum. Vnde Ecclesiasticus. Nõ im-*Eccle. 18.* pediaris orare semper. Sed discas quantum prosit bonorum exemplum, quantumq; valeat, vt nos in virtutis studium prouocet: vide quomodo discipuli videntes Christum orantem & ipsi moti sunt ad orationem: & ideo ait euangelista, *Vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum.* Vnus pro omnibus est loquutus: quis tamen ille fuerit discipulus ignoratur. In hoc autem quòd expectauit Christum orantem, docet nos non debere interrumpere alienam orationem, orãtes quippe cum Deo ipso psallunt. Si regibus & principibus mundi loquẽtibus, omnes præsentes tacent, & debita reuerentia venerantur: quàm meliore iure Christum orantem isti deberent sinere: & nos etiam eos, qui Deum ipsum in oratione contemplantur, deberemus relinquere? Sed quid ex parte omnium Apostolorum dixerit, audiamus. *Domine doce nos orare: sicut docuit Ioannes* *Genes. 4* *discipulos suos.* Quemadmodũ filij Cain musica instrumẽta inuenerũt, quibus sensus posset voluptatem capere: & artem pascẽdi greges, qua suas opes in dies magis augerent, & arma etiam quibus dimicarent: ita filij Seth modum inuocandi Deum, & Apostoli modum orãdi Deum addiscere cupiunt. Nam sicut filiorum huius sæculi semper est quærere artes, & inuenire modos, quibus ingẽtem diuitiarum cumulum adquirant, & sitim & auaritiam expleant: sic filiorum Dei est inuenire modos quibus Deum colant, venerentur, & prædicent. Quis obsecro in mundum attulit tot vestium cultus, tot modos & artes, tot sumptus & vanitates, nisi superbia hominum? Sed hoc interest inter bonorũ & malorum inuentores: quòd bonorum pauci sunt, malorum verò inuentores in infinitum creuerunt: imo vnus sufficit ad mille malorũ artes inueniendas: multi verò boni vix sufficiunt, vt vnum tãtum bonum possint inuenire. Reperies quippe multos qui à theologis & religiosis viris quærant multa inutilia, vanas & nullius momẽti quæstiones: quomodo verò sit orandum, vel quid aliud simile, vix tibi continget. ¶ Obserua autem quòd non inuenitur scriptura, vbi Ioannes Baptista docuerit discipulos suos orare: sed vt Augustinus annotat, mul- *August. in Psal. 77.* ta dicuntur in scriptura sacra, quæ in re gesta nõ inueniuntur. Sic est illud Psalmi, Tradidit grandini iumẽta eorum, & possessionẽ eorum igni. *Psalm. 77* De iumentis grandini occisis habetur in Exodo: quòd *Exo. 9* verò possessio eorum grandine cremata sit, omnino nõ legimus. Item in alio Psalmo loquẽs de Io- *Psal. 104* seph ait, quòd humiliauerunt in compedibus pedes eius, quod non legimus in Genesi: tamen quòd ita factum fuerit, non dubitãdum est. Nec legimus *Genes. 37* cùm fratres Ioseph vendiderunt mercatoribus, ipsum quicquam eos exorasse. Tamen posteà dixit Ruben fratribus suis. Meritò hæc patimur, quia *Genes. 42.* peccauimus in fratrẽ, dum deprecaretur nos. Nec legimus aliquem leonem occisum esse à Dauide, ipse tamen Sauli dixit, Leonem & vrsum interfeci *1. Reg. 17* ego seruus tuus. Et in epistola Iudæ legimus, Michaëlem cõtendisse cum dæmone de corpore Mosi, quod in Deuteronomio non legimus. Et Petro fuit traditum à domino Euãgelium circuncisionis, sicut Paulo præputij: quod legitur in epistola ad Galatas, sed nescimus vbi Christus illis tradiderit *Gala. 2* hãc prouinciam. Et itẽ Paulus ait, quòd dominus apparuit Iacobo: & plusquam quingentis fratri- *1. Cor. 15* bus: & nihil de hoc in euãgelio legimus. Certa tamen hæc fuisse scimus. Scimus etiam ordinationes Pontificum, modum conficiendi sacramẽta, & pleraq; quibus sacrosancta Ecclesia Romana vtitur, instituta fuisse à Christo saluatore nostro. Prætera etiam scimus quadragesimale ieiunium institutum fuisse ab Apostolis, vt diuus Ignatius martyr tra- *Igna. epistola. 4.* dit, & quòd illi acceperunt à Christo: sed si euangelistas consulas, non inuenies vbi hæc instituta sint. Multa enim Christus egit & dixit quæ nõ sunt tradita in euangeliis, vt Ioannes in fine sui euangelij inquit. Vbi etiã inuenies ꝙ Ioãnes Baptista docuit *Ioan. 21* orare discipulos suos? Ergo nõ docuit illos orare? Argumentatio est ridicula, argumentari à negatiua. Sed quia de his nonnihil diximus in præfatione huius euangelij aduersus impiissimos Lutheranos: nũc Christum audiamus. *Cum oratis dicite, Pater noster.* Docet Christus quomodo sit orãdum: & *Orationis efficacia.* ad orationem potiùs quàm alia pietatis opera inuitat discipulos: quia hæc maximè Deo placet. Solam orationẽ quasi spirituale tributum anima offert Deo ab intimis cordis penetralibus, quæ statim vt ab ipso ore processerit, manibus suis ab angelis suscipitur, & ante conspectum Dei præsentatur. Vt videri potest in illo, quod angelus Tobiæ *Tobi. 12* dixit. Ego orationẽ tuam obtuli ante Deum. Ignẽ cœlestem impetrat, quo desiderium accenditur. Orauit Helias & descendit ignis de cœlo. *4. Reg. 1* Et à tentatione liberat, vt inquit dominus, Orate ne intre- *Matth. 26* tis in tentationem. Et vitam elongat: quia Eze- *4. Reg. 20* chiæ oranti additi sunt quindecim anni vitæ. Sed de mirabi

de mirabili & fructifera orationis virtute, infrà
suo loco opportunius dicemus In præsentiarũ au-
tẽ illud est aduertẽdũ, quòd cũ Christus docet ora
re discipulos suos, inquit, Dicite, Vbi orationẽ vo-
calem cõmendat. Non ait, cogitate, vel intelligite,
pater noster. Nec negamus multo nobiliorem esse
Ioan.4 orationem mentalem, in qua anima nostra in Deũ
1.Cor.14 ipsum eleuetur, quia spiritus est: iuxta illud, Psallã
in spiritu, psallã & in mente. Sed vtilissima est ora
Oratio mẽtalis & vocalis. tio vocalis, quia cor ipsum erigit ad orationẽ mẽ-
talem. Nec mirum si duplici obsequio Deo seruie-
Matth.21 rimus: cũ ex anima & corpore nos condiderit. Sic
pueri Hebręi magnis clamoribus & vocibus Chri
stũ laudabant, dicentes, Osanna filio Dauid, bene-
dictus qui venit in nomine domini. Et ita oratio
vocalis obligat ministros ecclesię, quia q tenetur
ad horas canonicas, nõ satis facit, si solo conceptu
eas dicat, nõ formando verba: qa hęc oratio offer-
tur à ministris ecclesię nõ pro se ipsis, sed pro cũ-
cto populo, cuius expensis & sumptib⁹ sustentan-
tur. Oportet nanque vt populus, sciat tales oratio-
nes fieri pro tota communitate, vt fiduciã & spem
in Deo habeat, quod notum fieri nõ posset, nisi in
voce tales orationes canerentur. Sed si aliquis posi
tus in oratione mentali, experiatur, se magis incita
ri & incẽdi ad deuotionem solo spiritu per modũ
meditationis orando, hoc debet sibi eligere. Si ve-
rò verbis ipsis magis moueatur lingua & verbo de
bet orare. Si verò in variatione cõmodum sense-
rit, optimum erit vt aliquãdo cogitet, & aliquãdo
verba proferat. Horas autem canonicas voce dice-
re tenetur minister ecclesię. ¶ Pręterea hęc oratio
quę dominica vocatur, omniũ est excellentissima,
Orationis dominicæ excellẽtia. cuius efficacia & vtilitas ostẽditur primò ex auto-
ritate ipsius Christi domini nostri. Os enim domi
ni (vt ait Esaias) loquutum est. Secũdo ex breuitate
Esaia 40 sermonis: quia breuissima & cõpendiosa est, quia
in ipsa collecta sunt omnia, quę possumus desidera
re, & quæ ab ipso domino possumus petere. Nos
quippe ea petimus, quæ appetimus: atque ita hęc
sola bona in oratione debemus impetrare. Et ideo
Christus hic vnico documento duo docet, scilicet
quid est desiderandum, & quid sit petendũ. Est au-
tem hęc oratio valde vtilis & necessaria ad nostrã
doctrinam, qua facile potest colligi, quid nobis sit
appetendum, nã ex his quæ hic docẽtur, manifestè
liquet, nulla alia præter hæc quæ hic ponuntur, &
ea, quæ ad hæc reducuntur petẽda esse. Hæc igitur
omnia ponũtur hic septem petitionibus eo ordine
quo petenda sunt. Nam sicut bona inter se diffe-
runt in magno & paruo, & in magis necessario: &
minus necessario ita est ordo in petendo, & taliter
sunt ordinatę istę septẽ petitiones. Illud autẽ quod
primò cadit in hominis appetitũ, est beatitudo, se-
cũdo verò cadit id quod cõsequitur beatitudinẽ,
quapropter duabus primis petitionibus beatitudo
ponitur, dicens, Sanctificetur nomẽ tuũ, adueniat
regnũ tuum. Deinde medium ponit, quo ad beati-
tudinem peruenitur in aliis petitionibus dicens,
Fiat voluntas tua. ¶ Circa primum est conside-
randũ quòd beatitudo accipitur obiectiuè & for-
maliter. quod beatos facit, ipso fruentes. & hoc est
diuina bonitas, quæ est summũ bonum. Beatitudo
autẽ formalis est ipsa fruitio qua illi summo bono
vnimur, & formaliter illo fruimur. Prima autẽ bea
titudo est ipse Deus, quem præ cæteris debemus
diligere. Et quia amare aliquid, est velle illi ali-
quod bonum, sicut amare amicum, est illi bonum
velle: ita amare Deum est velle illi bonũ & hoc est
desiderare gloriam & honorẽ plusquam alias res.
Et sicut prius debemus desiderare bonũ Deo, quã
quodcũque aliud, siue bonũ nostrum sit, siue alie-
num, oportet vt illud petamus ante omnia alia, tã
quam prius desideratũ, & ideò prima petitio quæ
in frõte huius orationis ponitur, est de honore di-
uino, dicens, Sanctificetur nomen tuum: de qua &
aliis sequentibus statim dicemus. ¶ Tertiò ostẽdi-
tur excellentia huius orationis, in pręfatione, quã
Christus facit, scilicet, pater noster qui es in cęlis: &
in pręfatione qua vtitur ecclesia in illis verbis, Pręce-
ptis salutarib⁹ moniti, & diuina institutione for-
mati audemus dicere: Pater noster, &c. Hęc saluta-
ria præcepta sunt illa, quæ sancti patres tam veteris
quã noui testamenti nos docuerũt, quos debemus
imitari. Primum enim quod pater ille gentiũ filios
suos Cain & Abel docuit, fuit orare, vt videre est *Genes.4*
in sacrificio quod vterque Deo obtulit. Noë etiam
ante diluuiũ, & post diluuiũ Deum orauit. Enoch, *Genes.6*
Mathusalem, & Iob idẽ fecerunt. Sic etiam in lege *Genes.5*
naturæ quam Paulus ad Romanos dicit, scriptam *Roman.2*
esse in hominũ mentibus, tẽpora constituta & de-
terminata erant, quibus cum Deo esset loquendũ.
Idem docetur in lege scripta, quãdo Deus iussit vt *Deuter.20*
in pręliis iret sacerdos, vt Deũ oraret, & vt milites
animaret tali facta promissione: quod etiã si con-
trarij plures essent numero viribus pręstãtiores, &
nihilominus victi remanerent, quãdoquidẽ Deus
ex eorum parte & factione se ostendebat. Ita deui-
cit Moses Amalech, & tam pręclara illa facinora *Exod.17*
quę Iudas Machabęus perfecit, ipsa oratione fuit *1.Mac.6*
consequutus. Et in nouo instrumento Christus in- *Luca 18*
quit, Oportet semper orare. Et Iacob⁹. Orate ꝑ in- *Iacob.5*
uicẽ vt saluemini. Et Paulus itidem suadet. His er- *1.Thess.5*
go salutarib⁹ præceptis vtriusque testamẽti moni-
ti dicamus, Pater noster. Vbi notabis quòd hoc nõ
vocat pręceptum obligationis sed reuerentię, quę
etiam si nos non obligent præcipiendo, tamen ta-
lium virorum monitio & exemplum secum affert
quandam obligationem reuerentiæ: in hoc autem
ꝙ dicitur, Et diuina institutione formati, innuitur
formã & materiam idem debere esse. Imago quip-
pe aurea & eius forma idem sunt, si tali forma in-
formetur. Sic anima nostra perpetuo hac oratione
deberet informari: adeò vt nunquam ab ea cessa-
ret, vel opere vel virtute. Denique his sanctis &
deuotis verbis, quæ ecclesia ante hãc orationẽ in-
stituit, clarè constat, quã admirabile & diuinum sit
hoc ædificium, quandoquidem tale fundamẽtum
habet. Christus etiam huic orationi etiã pręfatio-
nem addidit, dicens, *Pater noster qui es in cœlis.* A-
deò oratio hæc fœcunda est, & plena sacramen-
tis, vt singula verba attenta consideratione sint di-
gna. Primo enim ait, Pater, non dominus, vt nobis
fiduciam daret impetrandi, quia serui non semper
audẽt impetrare. In patre enim reperitur quicquid
fiducia potest dare ad petẽdum. Pater pius est, be-
nignus est, mansuetus & misericors: filios impẽsè
diligit, eorum salutem curat, thesauros quærit, &
multa alia opera pietatis exercet. Nomen patris
portam aperuit eius misericordię vt nos alliceret
ad petendum. Magnum quippe bonum est vt nos
Deum appellemus patrem, hoc autem fit ex beni-
gna Christi promissione, quod nõ licet hæreticis,
Turcis, & infidelibus, Deũ patrẽ vocare, vt Augu-

Aug. serm. 29. de verbis Apost. stinus ait. Plurimi enim patriarchę & prophetę nó ausi sunt tantá laudem tibi védicare, vt Deú patrem appellarét. Esaiá legimus dixisse. Tu domine pater noster: & redemptor. sed in templo orantes, non dicebant, Pater noster. Publicanus dicebat. Deus propitius esto mihi peccatori. Et Pharisęus, Domine gratias ago tibi Ita Dauid, ita Salomon, Manasses, & Ezechias. Nos verò audemus, & non temerè, eum, quem reges, qué Prophetæ dominú Deum vocabant, patrem appellare. Gloriabantur Iudæi se patrem habere Abraham: quid nos debetemus facere, qui Deú patrem habemus, & pleno ore patrem appellamus? Si igitur tu Deum patrem habes, & filiú Dei te iudicas: illa postules, quæ tibi expediant accipere, & illum deceat dare.

Esaia. 63
Luca 18
Ioan. 8

Secúdò pater vocatur potiùs quàm dominus, ad significandam dignitatem status noui testaméti, in quo Deum patrem appellamus. Nulla enim maior dignitas aut excellentia nobis potest cótingere: quàm quòd filij Dei simus, & hoc lógo discrimine omnes veteris testamenti antecedimus, qui in aliqua oratione nunquá Deú vocauerunt patré.

Tertiò Deum patrem appellemus: quia cum hoc nomé amoris & dulcedinis sit, id nominádo, eum à quo petimus summopere flectimus, & in nostram beneuolentiam adducimus.

Quartò vocans Deum patré, voluit nobis insinuare, vt recordaremur, nos eius esse filios, quos oporteret sanctis moribus & vita imbui: & nos ipsos maximi æstimemus, nec ad vilia huius mundi nosmetipsos abiiciamus. Magna quippe ignobilitas & ignominia esset, si filius regis vellet sues pascere, aut cú pueris mediis in plateis luto immisceretur & stercore. Ita nimirum tu ingéti pudore deberes suffundi, qui patré Deum habeas regé regum & dominum dominantiú: nec te deberes terreno stercore & táta immunditie coinquinare, qui vt fruereris æternis diuitiis es conditus.

Apocal. 19

¶ Pręterea noster dicit. Ipse enim est pater noster per creationé & gubernationé. Vnde in Deuteronomio habetur. Núquid nó ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit & creauit te? Dicitur auté pater noster, & nó pater meus: quia in vniuersum pater est omniú. Solius Christi est pater per naturá, noster verò pater tantum gratuita adoptione, nam accepimus spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. Secúdò quia Christus voluit statuere, quòd adinuicem inter nos spiritualia bona communicarentur: ideo voluit vt quicunque oraturus accederet, non pro se ipso tantum orationem funderet, sed pro vniuersis, dicens: Pater noster & posteá in plurali dicitur. Dimitte nobis debita nostra, Et iterú. Et ne nos inducas in tentationé. Quæ omnia non ad orantem solùm, sed ad omnes proximos extenduntur. Ea quippe oratio quæ à Christi charitate dimanat & profluit, dulcior & suauior est. Tertiò Christus ita docuit orare, vt damnaret multorum superbiam: qui cùm de generis claritate & splendore glorientur, alios cótemnunt, & se excellentiores iudicant, quæ gloria atque iactantia vana & insana est, quia nulla clarior aut sublimior nobilitas esse potest, quàm filium Dei adoptari, de qua nobilitate omnes Christum colétes participant. Quod si aliquis se alio nobiliorem iactet, is certe meritò reiicietur, & à nobilitate Christi & ab eius genere, vel ita delirus & insanus existimabitur, vt credat alium melioré esse & nobiliorem

Aug. de verbis Domini serm. 28
Deuter. 32
Roman. 8

parentem, quàm est ipse Deus.

¶ Denique in cęlis esse dicit, vt mentes nostras ad cęlestia desideria erigat, & vt nostris conatibus ad patriam illam aspiremus, in qua pater noster plenus gloria habitat. Quid igitur, ô deuota anima & Christi sponsa in hac lachrymarú valle, & in hoc tetro omnium miseriarú carcere tibi placet? Quid est quod in hac malorum omniú sentina tibi arrideat, cùm confitearis in patria illa celęsti te patrem habere omnibus bonis affluété, diuité, magnanimum, & gloriosum? Nonnè loci illius amœnitas & suauitas tuam mentem prouocat? Nónè táta bona ibi redundantia calcaria tibi addunt, vt in eius amoré accédaris, qui ea omnia tibi cóndidit? O quantus pudor & verecúdia eorú facies deberet cooperire, qui patrem suum in cęlis esse confitentur, terram tamen & eius fœces, grandines & stercora magis æstimant & diligunt. Leua igitur & iacta cogitatus tuos & desideria in patrem illum cœlestem, & ea postula, quæ tali parente sint digna: non vilia & abiecta huius mundi, quę ad triduú sunt peritura, & cú propheta dic, Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cęlis. Psal. 120 ¶ Pręterea maximoperè debemus conari, vt omnia nostra (tanquam ciues qui profecturi sumus in illam patriam) res omnes, loquelá, vestitum, & ornatum, ad modum cœlestiú ciuium componamus, sic enim consueuerút facere hi omnes, qui in aliquam prouinciá sunt migraturi, velut in Angliam, Germaniam, vel aliá quamcunque qui indefesso labore scire festinant linguam & loquelam gentis illius, cultum & ornatú, rationem & modú confabulandi, & reliqua id genus necessaria: vt vel sic tali patriæ conuenientes iudicétur, nó ignari, aut minus prudentes. Sic nos qui filij sumus patris illius qui in cęlis habitat, illius patriæ loquelá, modú & normá viuendi, mores sanctos & cádidos, debemus induere, vt ab illa patria tanquam ignoti non excludamur. Puri igitur nó auari & fraudulenti simus: sed in Dei laudibus linguá exerceamus cum gratiarum actionibus, vt tandem vitam hanc mortalem exeuntes, patris illius qui in cęlis est, fęlices filij persistamus. Hoc voluit dominus Abrahę exemplo insinuare, qui cú ei præcepisset, vt egrederetur de terra sua & cognatione, dixit ei. Suspice cęlú, & numera stellas eius, si potes: sic erit semé tuú. Et credidit Abrahá Deo. Iubetur enim Abraham, vt suspiciat cælum, & vt numeret stellas si posset: vt ipse & eius semen per gratiá & charitatem credentes sciant, futuros esse cælestes ciues & filios hæredes illius patris, qui in cęlis est. Genes. 15

¶ Vltimò loco venit considerandum, quòd cum dixit, Qui es in cęlis, vult vt ea petamus quæ sunt cęlestia & diuina. Nam si rex alicui diceret, Pete quodcunque libuerit beneficium: si talis sarcinam terræ vel aliud quid vile & abiectú postularet, non nè insanus & demés iudicaretur? Húc tu similibus vestigiis insequeris: qui à patre cælesti nó cælestia postulas, sed terrena & caduca, Deus enim quantum ad temporalia pater est cunctorum animantium, & ipsorú hominum: quádoquidé omnes pascit & alit. Et si aliquádo cótigerit aliquid à Deo petere, quod temporale sit, id non vt principalius intentum, sed tanquam accessorium postulemus. Primùm quærite regnum Dei: & omnia hæc adiiciétur vobis. Matth. 6 Pręmissa igitur præfatione, incipit prima petitio, *Sanctificetur nomé tuú.* In hac prima petitione diuinus honor petitur, nam quemadmodum tenemus

tenemur diligere Deum, ita etiã potiùs illi, quàm nobis bonum desiderare debemus, Hoc est nomen eius sanctificari. Sanctificari secundũ communem acceptionem est sanctum fieri: & hoc modo non potest nomen Dei sanctificari, quia ipsum per se sanctum est. Sicut enim Deus est essentialiter sanctus, ita etiam eius nomen, propterea quòd ipsum
Psal.110 Deum significat. Sanctum & terribile nomen eius. Quia vox non refertur nisi ad rẽ significatam: aliæ autem voces nullius sunt virtutis. Et quemadmodum Deo non potest aliqua sanctitas accedere, quam ipse semper non habuerit. Hoc igitur modo
Augu. serm. 28. de ver do. non petimus sanctificare nomen Dei. Alio modo accipitur sanctificari, pro eo quod est sanctum haberi, vel sanctum reputari: & ita iubetur, vt sanctificemus diem sabbathi, id est, vt tanquam sanctum reputemus diem sabbathi, obseruando illũ in honore. Exod.20 Nihilominus tamen nos non sanctificamus diem sabbathi, adiiciendo illi aliquod bonum de nouo aut aliquam sanctitatem, quia ipse Deus illũ sanctificauit, vt scriptura dixit. Benedixit Deus diei
Genes.2 septimo & sanctificauit illũ. Ita hic accipitur sanctificetur nomen tuum, id est sanctum reputetur. Quibus nimirum verbis petimus, vt nomẽ Dei apud omnes gentes honoretur: ita quòd omnes illud ęstiment sanctum & excellens: & per hoc Deũ adorabunt.

¶ Notabis prætereà quòd non dicit exaltemur nomen tuum, aut benedicatur, aut magnificetur, (quæ vocabula passim inuenies in veteri lege, in qua Deus potens, magnus & altus reputari volebat) sed legi nouæ noua conueniũt vocabula. Sanctificetur inquit nomen tuũ, vt notũ sit omnibus,
Psalm.97 quàm sanctus & purus sis. Per incarnationẽ enim & mortem & resurrectionem suam notũ fecit dominus salutare suum, & ad omnes gentes eius nomen peruenit. Sensus igitur horum verborum est: Pater, qui homines in filio tuo, filios tuos effecisti, hominibus pande opus sanctificationis suæ, vt videant, quàm sanctus es tu, quàm pius & bonus. Neque ita hominum animi rapiuntur, cum te audiunt sapientem, potentem & iustum: quàm cũ te adiunt sanctum & sanctificatorem omnium. Et contra hanc petitionem peccant quotquot blasphemant nomen Dei, & in vanũ illud assumunt. Caue tu ne quo ore dicis sanctificetur nomen tuũ, eodem pol
Esaia 2 luto & maledico inhonores, ne de te illud Esaię dicetur. Nomen meum quotidie blasphematur.

¶ Denique obseruandũ, hęc verba non esse optatiua: sed imperatiua, vt ex lectione Gręca patet, quamuis optantis animum referant: Interdũ enim in scriptura imperatiuus optãtis est, vt in illo quod
Psal.44 ait Propheta, Intende prospere procede, & regna: Quę verba (vt Euthimius ait) licet imperatiui modi sint vim tamẽ optatiui habent. Lege Origenem. Sed iam ad secundam petitionẽ deueniamus. *Adueniat regnum.* Iam diximus esse aliã beatitudinem
Orige. hom. 2. in Cant. formalem, scilicet actum illum, quo immediatè cõ
Beatitudo nostra in quib. consistat. iungimur illi summo bono, quod nos beatificare potest, qui act⁹ vocatur fruitio siue visio Dei, quod est maximum bonum nostrum: nam Deus est maximum bonum nostrum simpliciter, quacunque ad aliud facta collatione: ista tamẽ fruitio est maximũ bonũ nostrum, quia Deus non est bonum nostrũ, nisi in quantũ applicatur nobis, vel nos ei, & hoc fit per visionem hanc beatificam. Et quia bonum nostrũ est illud quod nos formaliter bonos facit, Deus autem non est aliquid formale in nobis, sed effectiuè vel obiectiuè nos bonos facit. Visio autẽ vel fruitio reddit nos formaliter beatos (quamquam ista visio non sit bonum summum simpliciter, est tamen summum bonum nostrum.) Et quia nos potius tenemur diligere Deum, quàm nos: tenemur etiam desiderare honorem Dei, potiùs quã nostram beatitudinem. Et ideo in prima petitione ponitur honor Dei, in secunda verò beatitudo nostra cum dicitur adueniat regnum tuum, qua petitione postulamus, quòd Deus faciat nos beatos, nam beatitudo regnum Dei dicitur. Et sic Chri-
Luc.22 stus dixit, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Id est in ęterna beatitudine. Quia sicut regnum in terris maximam potestatem dicit, quam quis possidere potest, dum viuit, ita beatitudo similatur regno quia est maximum bonum nostrum. Adueniat regnum tuum, hoc est adueniat beatitudo tua in nos. Non dicit eamus nos ad beatitudinem, sed illa adueniat nobis, quia potius ipsa ad nos accedit, quàm nos ad ipsam, quia principium veniendi ex parte ipsius est, non ex parte nostra. Illa ergo nobis aduenit: quia potiùs ex Dei liberalitate & gratia, quam ex meritis nostris cõceditur, quamuis non sine meritis nostris. Attẽde igitur tu, qui tale regnum postulas, & talem diẽ desideras: quam rationem tecum afferas, & considera an rectus & munda cõscientia quotidie dicas, Adueniat regnum tuum. Iudicium enim petis, & iudicem, & ideò rationi esset consonum, vt te ipsum priùs iudicares. Hoc quippe regnum, quod tu tam anxiè petis & desideras, cum ipsa morte aduenit, & non dabitur nisi ei, qui mundam habuerit cõscien-
Matth.6 tiã. *Fiat voluntas tua.* Hęc est tertia petitio, cui Mattheus addidit, Sicut in cœlo & in terra. Cùm iam Christus in præcedẽti petitione illud apposuisset, quod per se est appetendũ, scilicet beatitudinem, hic autem adiungit ea, per quæ ad beatitudinem peruenitur. Primum autem & præcipuũ quod facit nos ęternam illam vitam cõsequi, illud est, scilicet, vt nos conformemus diuinæ voluntati, id est vt tales simus, quales ipse nos esse iubet, & hoc innuitur in hac tertia petitione. Potest autẽ hęc petitio dupliciter intelligi. Vno modo vt fiat voluntas tua, id est, nos oramus vt des nobis facere volũtatẽ tuam. Alio modo, fiat volũtas tua id est, oramus, ꝙ omnes homines obediãt volũtati tuę. Et isto modo in aliquo conuenit hæc petitio cũ prima, scilicet, sanctificetur nomen tuũ, nam ibi petimus nomen Dei sanctificari, id est, honorari ab omnibus gentibus, hic autem petimus quòd omnes gentes Deo obediant, quod etiam ad diuinum honorem pertinet. Et tamen illud petitur in quantum est bonum ipsi Deo, hoc autem petitur, quatenus nobis est medium perueniendi ad beatitudinem. Postulamus autem hoc, quia voluntatem Dei homo non potest complere, nisi Deus ad id mouerit. Nã proptereà quòd homo adimplet voluntatem Dei, accedit ad eũ: & efficitur eius amicus, & valde pro-
Matth.12 pinquus: quia Christus dicit, Quicũque fecerit voluntatem Patris mei qui in cęlis est, ipse meus frater, & soror est & mater. Non potest tamen aliquis ad eum accedere, nisi ipse dominus eũ iuuerit, iuxta illud Saluatoris, Nemo venit ad me, nisi Pater
Ioan.6 meus traxerit eum. Quo manifestè liquet, quòd ad hoc, vt homo Dei voluntatem adimpleat, indiget ipsius adiutorio, & ideò necessum fuit hoc petere,

vt fieret voluntas Dei. Hoc est, Da nobis vt possimus adimplere voluntatem tuam. Potest autem homo dupliciter impediri, ne hanc voluntatem cõpleat. Vno modo ignorans, quid Deus velit: alio modo quia hominis voluntas nõ inclinatur ad cõplendũ voluntatem Dei, sed potiùs ad vana & delectabilia huius mundi. Ad vtrumque indiget homo exteriori auxilio. Sic innuitur in Deuteronomio, cum dixit Deus. Bene omnia sunt loquuti, scilicet, si fecerint, quemadmodum dicunt. Et statim sequitur, Det eos talem habere mentem, vt timeāt me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore. Acsi diceret, eos indigere, vt aliquis eis concederet, hoc posse facere. Nemo autē nisi Deus huius rei facultatem potest facere. Ipsum ergo adire debem' & pro his orare. Pro vtroq; orat Dauid dicēs, Da mihi intellectũ, & scrutabor legē tuam. Si est necessum, vt illam intelligam: da mihi intellectum. Et pro secundo dixit, Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiam. Acsi diceret, Licet dederis mihi intellectum ad intelligendam legē tuam: adhuc nõ sufficit, quia possum sciens & libēs peccare: sed inclina cor meũ in testimonia tua, & non in auaritiam, Id est, fac vt magis diligam legem tuam, quàm auaritiam sequi & alia huius mundi vilia & abiecta. Sic Salomon in fine suarum petitionum tanquam potissimam hanc retulit, dicens, Sit Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, non proiiciēs: sed inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis viis eius. Necesse est ergo diuinũ iuuamen petere, ad hoc, vt faciamus voluntatē suam, & ostendat nobis, quid à nobis velit, & flectat animos nostros & voluntatem, vt nos idē velimus: nam si hoc ipse nõ fecerit, sine dubio nos illud adimplere non poterimus. Vnde si aliquis sit, quem Deus ad hoc nõ iuuet, nequaquam eius voluntatem adimplere poterit: sed ita erit ignarus & ineptus ad Dei voluntatem complēdam, acsi Deus illum impediret. Sic cõqueritur Esaias nomine Iudęorum, quando se non aptos & idoneos ad bene agendum, inueniebant, dicens, Quare errare nos fecisti de viis tuis: & indurasti cor nostrũ, ne timeremus te: Hic ponũtur illa duo: scilicet, quod Deus ostēdat nobis quid vellit, & vt inclinet nos ad volendum illud Aduersus primum inquit, Quare errare nos fecisti de viis tuis, id est non solùm non ostendisti nobis illas, sed etiā posuisti nobis obstaculum ne inueniremus eas, & cogeremur errare. Et aduersus secundũ dicitur, & indurasti cor nostrum, ne inclinaremur ad sequendum te. Hæc tamen apertè ostendunt quàm falsa sint, & quātum Dei misericordię & bonitati repugnent & aduersentur, quia Deus neminem errare cogit, maximè in viis suis, nec etiam aliquē indurat. Sed illa dicebant impij Iudæi, quia ob oculos non videbāt Dei iuuamen clarum & manifestũ, vt ad bonum inclinarentur. Nam ita se ignauos & impotentes ad benefaciendum inueniebant, ac si Deus ex industria cogeret illos errare, & induraret eorum corda. Præcipuum autem bonum & valde necessarium quod homo à Deo petere potest, id est, quòd det ei facere voluntatem ipsius. Illud verò quòd Mattheus ait, Sicut in cœlo & in terra, intelligitur, quòd sicut adimpletur voluntas Dei in cœlo à spiritibus cęlestibus: ita etiam in terra ab hominibus fiat. Vnde Dauid in Psalmo de angelis ait, Benedicite Dominũ omnes angeli eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius. Sunt enim diuinæ regulæ immediatè coniuncti, ideò non possunt deficere, nec ab eius voluntate deuiare. Homines verò procliues sunt ad peccandũ, & millies possunt deficere: quia non sunt immediatè coniuncti diuinæ bonitati & veritati. Et ideò non possunt Dei volũtatem sine speciali Dei auxilio adimplere, imo nec possunt velle complere: quia hoc velle quoddam bonũ est, & nihil boni sine Deo facere possumus, iuxta illud, sine me nihil potestis facere. Faciamus igitur nos tuam voluntatem in terra, sicut faciunt illam qui habitant in cęlo. Prudentissima certè petitio. Nihil enim est, vnde periculum magis nobis immineat, quàm à nostra voluntate. Impiorum vox est, Nolumus hunc regnare, piorum verò, non mea voluntas, sed tua fiat. Per nostram voluntatē descendimus in infernum, & per diuinā ascendimus in cœlum. Debes ergo in omnibus, & per omnia hoc semper desideriũ habere, vt facias voluntatem Dei.

Marginalia (left): Deut. 5 — Psalm. 118 — 3. Reg. 8 — Voluntatem Dei nemo implet sine sua gratia. — Esai. 63 — Psal. 102

Marginalia (right): Ioan. 15 — Luca 19

¶ Aduerte etiam non esse graue periculũ si non facias voluntatem Dei, sicut in cęlo: sed periculum est, si eam non optes facere, sicut in cœlo fit. Non est mirum si alicubi pecces, sed piaculum ferè est, nisi cupias, non peccare. Non est crimen nõ proficere, sed malum est non habere desideriũ proficiendi. Si igitur non facis voluntatem Dei, tam est Deo dedecus, quàm nobis noxiũ. ¶ Obserua etiā quòd voluntas Dei absoluta (quam Theologi vocant voluntatem beneplaciti) nobis nolentibus vel volentibus in terra & in cęlo adimpleri debet. Nemo quippe huic volũtati potest resistere, vt pote qua ipse Deus est, qui gaudet, & discernit, quòd aliquid fiat & discernatur in suo esse. Volũtati verò (quæ dicitur voluntas signi, quę continetur in aliquo pręcepto negatiuo: vel affirmatiuo, vel in aliquo consilio) huic inquam libero nostro arbitrio potentes sumus contradicere, aut obedire. Est enim clarum & apertum, quòd si aliquis rex potens ad aliquam ciuitatem ignobilem regni sui aliquā epistolam mitteret & in ea iuberet vt ipsi obediētiam darent, & ei subiicerentur, & suis mandatis obedirent, clarum inquam est: quòd isti ciues bene possunt epistolam rumpere, & ei nõ obedire, quia epistola non est ipsa regis volũtas, sed signum suæ voluntatis. Si verò ipsi rex magna potentia ciuitatem illam adiret, nequaquam eius regis voluntati possent resistere. Ita nimirũ Deus noster misit epistolam populo suo, legem scilicet illam scriptam, nobis autem sanctum suum Euangelium, quibus monet, & orat, vt ipsi obediamus, & eius voluntatem & diuina mandata obseruemus. Nos autem, vt rebelles & ingrati, sua mandata contemnimus, (quæ signa sunt volũtatis eius) & cum mali simus, voluntatem nostram explemus, & desideriis nostris nos tradimus, cùm non simus potentes tanto & tam magno domino resistere, quando eius volũtas est absoluta, de qua in Psalmo, Omnia quęcunque voluit fecit in cœlo & in terra, & in omnibus abyssis. Ac si diceret, Nemo angelorum cęli, nemo hominum qui in terra sunt, nec vllus dęmonũ qui in abyssis habitant, ei resistere valuit. Hinc colligitur quòd quādo Deum petimus, quòd eius volũtas fiat: non petimus, quòd bene placiti voluntas eius adimpleatur, siquidē etiā nobis inuitis quidquid ipse voluerit, adimplebitur: sed hoc petimus, vt no

Marginalia (right): Volũtas beneplaciti & signi. — Psalm. 134

vt nobis tantum & tam magnum beneficium cõferat, vt det, nos velle, quod ipse vult, & q diuina eius voluntas suauis nobis sit, quandoquidẽ omnibus creaturis suaue & dulce est, suo creatori obedire. ¶ Notandũ prętereà, quàm cautè in hac petitione & in duabus præcedentibus dominus se habuerit. Non dixit, Pater sanctifica nomen tuũ in nobis, aut fac voluntatem tuã in nobis: ne seipsum videatur Deus in hominibus sanctificare, aut super quos vult adducere regnum suũ, aut in quibus voluntatẽ suam vult fieri, & per hoc inueniretur Deus personarum acceptor. Nec iterum dixit, sanctificemus nomen tuum, suscipiamus regnum tuum, sed impersonaliter dixit, sanctificetur, adueniat, fiat, vt vtriusque opus necessarium demõstraret. Quia & homini Deus est necessarius, & homo ipsi Deo, vt iustitiam faciat in eo. Nam sicut homo nõ potest facere aliquod bonum sine Dei auxilio: ita nec Deus bonum operatur in homine, nisi homo voluerit. Sicut nec terra sine semine, nec semẽ sine terra fructificat: ita nec homo sine Deo, nec Deus sine homine iustitiam operatur in homine. Sed iam de quarta petitione disseramus. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Per hãc petitionem postulatur, id per quod ad beatitudinem peruenitur. Hic panis à Matthęo dicitur supersubstantialis: & hic dicitur quotidianus. In Hebręo dicitur, Segolla, hoc est egregius seu peculiaris. Egregius, hoc est supersubstantialis: peculiaris, hoc est quotidianus. In Gręco verò dicitur ton arton emõ epiousiõ, quod idẽ est. Ideo vtrunq; cõgruit Hebraicę veritati: quia segolla supersubstātialem & quotidianum significat. Ideò hoc intelligi potest de vtroque pane, nempe supersubstantiali, idest de sacrosancto Eucharistiæ pane, qui super omnẽ substantiam & super omnem intellectum est, quia cęlestis est. Et quòd de hoc sacro pane agat, verosimile videtur, nam frustra qui diues est, & horrea habet frumento plena, bene pransus, cibo meróque ingurgitatus orationem dominicam recitaret. In eo autẽ, quod noster Lucas ait, videtur insinuare, quòd de cibo corporali agat, nam eucharistia non est cibus quotidianus. Quomodocunque accipiatur, petitur hic illud per quod instrumentaliter peruenitur ad beatitudinem. Et sicut per panem materialem omnis cibus intelligitur, sic per eucharistiam omne sacramentum: quia omnia sacramenta ordinãtur ad eucharistiam, tanquam ad principale, & ita sunt medium perueniendi ad beatitudinem, quatenus sacramenta conferunt gratiam, & gratia disponit nos ad vitam æternam. Panis etiam corporalis instrumentum est ad beatitudinem, quia hæc tantum meretur in hac vita, quę quidẽ corporali cibo sustentatur. Tertio potest exponi de gratia diuina, & spirituali pane, & de virtutibus ac donis spiritus sancti, iuxta illud, Cibauit illũ pane vitæ & intellectus, &c. Et Christus, Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei. Vnum hic addam, quòd in missa Mucarabe, quæ antiquissima est, iuxta missale sancti Isidori, quam ego sæpe Toleti audiui, cũ sacerdos in hac Missa dicit, Panẽ nostrũ quotianũ, respõdet chor^9. Qui tu es Christe. Et cuilibet istarũ petitioni respondet chorus. Amen. Hęc antiquitas fauere videtur opinioni, quæ dicit, Christũ in hac petitione loqui de sacramento Eucharistię.

Aug. ser. 28. de ver. domini Tom. 10. *Matth. 6* *Eccles. 15* *Ioannis 4*

¶ Obserua autem dominum velle, nos quotidie tam corporalem, quàm spiritualem panem petere, vt cognoscamus nos semper ab eius diuina prouidentia pendere. Quoniam nouit nos eo esse natos ingenio, nisi necessitate essemus compulsi, ad eum non adituros, quapropter nõ suppeditat nobis panem ad annum, mensem, vel hebdomadam, sed in diem. Sic etiam filiis Israel noluit dare manna, nisi singulis diebus, vt quotidie diuinam eius bonitatem expectarent, & quasi pulli & infantes pendentes à maternis oculis, sic ipsi à diuina misericordia pẽderent. Qua in re (si loquamur de pane materiali quotidiano) melior est pauperum quàm diuitum cõditio, quia oculi pauperũ singulis diebus dominum expectant, vt paternis oculis eorum misereatur, & saltim necessaria illi diei tribuat. Secundo vult, vt singulis diebus hunc panem postulemus, vt semper & frequenter sentiamus Dei beneficia nobis aduenire: vt vel hoc saltim cõmoti, eius simus memores. Et quantũ coniectari possum, id sanctus & sapientissimus magister voluit nos docere, vt quamuis frumentũ, & alia vitæ necessaria siue horreis, siue cellis vinariis recõdita habeamus: ita tamen grati simus, vt singulis diebus ab eius liberali manu putemus nobis ministrari. Qua de causa Hebræi arbitrantur Deum voluisse septimo quoque anno terrã quiescere, vt illã penuriã & egestatem quolibet septẽnio diuites paterentur, quãdoquidem eã pauperes singulis diebus experiũtur. Ideo ait panem nostrũ quotidianum da nobis hodie. Quocirca voluit dominus vt quotidie ante faciẽ eius essent panes propositionis, vt ipse quotidie nostræ indigentiæ memor esset. Quemadmodũ pia mater panis fragmenta coram se ponit, vt paruulis egentibus frequenter subueniat, &c. *Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis.* Hæc est quinta petitio, in qua ponitur id, per quod beatitudinem consequimur indirectè, tanquam per remotionem mali, & de hoc agit in hac petitione & in duabus sequentibus. Primũ igitur malum, quod impedit beatitudinẽ, est peccatum commissum: nã frui beatitudine non possumus, nec ad eandem peruenire, nisi priùs peccatum penitùs fuerit dimissum.

Chrysost. hom. 20. in Mat. *Exod. 16* *Leui. 25* *Exod. 25*

¶ Forma autem orandi est, vt sicut nos dimittimus debitoribus nostris, sic dimittat nobis Deus: iuxta illud, In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis. Si tu non dimittis, quomodo audes dicere, dimitte nobis, sicut nos dimittim^9? Qua petitione sępiùs aduersus te vindictã Dei prouocas? Homini homo (ait sapiens) seruat irã, & à Deo quęrit medelã. Ideo quamuis in persona Ecclesię possis hanc orationem recitare, in propria autẽ persona, si nõ dimittis nocenti, illam non potes dicere, quia cõtra te ipsum loqueris, & mẽtiendo affirmas. Dimittimus debenti nobis. Licet enim possis petere pęnam debitam pro iniuria illata corã iudice, tamen teneris deponere odium, & appetitum vindictæ, quod vtrũque est iniquũ. Ideoque si cũ alicuius odio aut spe aliqua vindictæ hanc orationẽ dixeris, in manifestũ peccatum veniale incidis. Quapropter sanum & maturum consilium pręheo, ne si talis oraturus accedas; tibi, contingat dicere: sicut ego dimitto, sed sicut nos dimittimus, idest, sicut dimiserunt sancti, sicut Petrus Paulus, Stephanus & alij huius classis & ordinis. Vbi digna animaduersiõe duo possumus ex hoc loco colligere. Primum scilicet, ne illatas nobis iniurias vindicem^9: quãdoquidẽ dominus inquit. Mihi vindictã, & ego retribuã.

Eccles. 28 *Roma. 12* *Deuter. 32*

Et iterum, Mea est vltio. Et si quidem Dei curæ est
Zach. 2 impositum & demandatū iniurias tibi illatas vindicare, & exactissimum supplicium de eis sumere: depone obsecro hanc curam & solicitudinem. Ipse enim Deus, vt qui suos adeò diligit, vt ne pupillā oculorū velit tangi, in crucem & tormentū eos detrudet. Nemo quippe est adeò crudelis & inhumanus, qui si tormenta gehennæ vidisset, nó ad pietatem cōuerteretur, & dolor eius animū subiret.

¶ Præterea quę maior insania esse potest quàm vt vulnere tuo, alterius vulnus sanare velis: ita percitus & cōmotus in alieno malo bonū suum vult, & aliena infirmitate incolumitatem suam postulat: quod quidem simile est, ac si in igne aquā quę-
Matth. 7 ras, & in spinis vuas, & ficus in tribulis. Sed vt vno verbo honestius & præclarius genus vindictę tibi ostendam, illud scilicet est, vt dū facilius & leuius vindictā possis sumere: tūc potiùs parcas, & offensorum miserearis: nam cum iam offensor fuerit in potestate tua, posse vindictam de illo sumere, pro iam sumpta debes accipere, & reputare. ¶ Secūdò illud discere hinc debemus, vt nobis iniuria inferentibus parcamus, & eis dimittamus: sicut nobis
Matth. 6 volum⁹ dimitti. Ideo domin⁹, Si dimiseritis homi-
Coloss. 3 nibus peccata eorū, dimittet & vobis Pater vester cęlestis peccata vestra Sic Paulus Coloss. ait, induite vos viscera misericordię, & benignitatē, humilitatem, &c. Quare tu tibi aliā legem vis imponi, alij verò diuersam? Et cùm velis Deum tibi parcere, cum hoc etiam vis compati, vt aliis non parcat. Aspice igitur quemadmodum Deus in tuas manus misericordiam posuit, vt si vellis suam misericordiam tecum vti: memineris etiam te cum proximo tuo idem debere facere. Et tūc (mihi crede) Deus suam misericordiam, benignitatem, & mansuetudinē nó denegabit tibi. Et illud debes aduertere, quòd cum aliquis veniam & misericordiam à te poscit: id petit, vt tibi ipsi parcas, & tui ipsius miserearis. Quando enim aliquis veniā & misericordiam ad te postulaturus accedit, iam ipsi remissum est à Deo: Dolor quippe & pœnitentia, quam habuit de iniuria tibi illata, iam illū Deo reconciliarunt, & Dei amicum fecerunt. Iam verò postquam Deo est reconciliatus, non de offensoris salute, sed de tua agitur. Quo iam manifestum apparet, quod qui tibi veniam petit, non illi, sed tibi ipsi veniam postulat. Si non peperceris, in nihilo malefactori noces. Lex enim non pręcipit, vt qui tibi iniuriam fecit, parcas: sed vt ipse veniam à te humilis postulet: & ad hoc solū ipse tenetur. Quod verò tu parcas, vel non, impertinens est ad offensorem, hoc enim tibi incūbit, & non minus quàm de vita spirituali animæ tuæ agitur, quādoquidem si non parcis ex toto corde, impossibile est, vt ęterna beatitudine possis frui Ne obsecro tibi ipsi sis crudelis, si quidē veniā tibi petere: est medicamentū quod animę tuę ordinatur, ne igitur illud reiicias. Manifestissima quippe insania est vt multi eam mentem induerint, quod cogitent, tunc vindictam de offensa sumpsisse, cùm inimicis non parcunt, cū omnino contrarium fit: cum offensus non parcendo, in infernum abeat, offensor verò dolor & pęnitentia sausfecerit: & sit in statu saluationis, cū iam veniā petierit. Aspice igitur insane, & in meliorem mentē redi, tibi ipsi parce, & miserere, offensori parcendo & miserēdo. Exemplū tibi sume illius serui, cui
Matth. 18 dominus decē millia talēta dimisit: & quia nó pepercit proximo, grauiter punitus est. Vbi attētè debes considerare, quòd etiam si dominus cum hoc misericorditer & liberaliter se habuerit, cum multis esset obligatus: quia verò postcà iste proximo nō pepercit, cum illo asperè egit, appellans illū seruum nequam. Vt clariùs & apertiùs intelligas, quātò crudeliùs animaduertat iniurias & offensas proximis nostris illatas, quàm sibi ipsi. Hic autem homo non rediit, iterum veniam petiturus: quia crudelitas & inhumanitas, quam erga proximū ostenderat, reddiderat eum indignū cōdonatione. Pons quippe, quo ad Deum transituri sumus, vt veniam nobis condonet, misericordia est, quam erga proximos habuerimus. Ille enim pontē fregit, quo itā siturus erat ad Deum, qui proximis non pepercit: cùm verò iste eum fregisset, indignus fuit misericordia: atque ita incidit in manus iustitiæ Dei. Ideo beatus Iacobus. Iudicium fiet sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam. Ille verò qui vsus fuerit misericordia, vt cū ipso vtatur, ad Deū poterit accedere: qui verò nō ita fecerit, sedere poterit iuxta ora fluuij, quia pontem fregit misericordię & pietatis. Quam sententiam Christus retulit, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Via vtique certissima est, vt à Deo veniam possit consequi, iniuriis proximorum parcere, vt videre licet in misericordia illa abundanti & liberali, qua dominus fuit vsus cū vidua illa, quæ ipsa cū Helia eadē misericordia est vsa. Ita seruus ille malus acriter fuit punitus, quia non habuit misericordiam. Et applicans parabolam illam huic intento concludit Christus, dicens, sic faciet pater meus cęlestis vobis, si nō dimiseritis vnicuique de cordibus vestris. Non dixit, Pater nost r, sed pater meus: quia Deus, non est pater eorum, qui nō parcunt. Quia Deus solem suū facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Sed cum loquutus est de his, qui dimittebāt, dixit, Pater vester, dicens, Si dimiseritis, dimittet vobis pater vester cœlestis. Si filij, & hęredes (ait Paulus) ergo si non filij, neque hęredes. Quo argumento à gloria illi exterminantur & excluduntur, qui misericordiam erga proximos non habent.

Iacob. 2 (margin)
Matth. 5 (margin)
3. Reg. 17 (margin)
Matth. 5 (margin)
Matth. 6 (margin)
Rom. 8 (margin)

¶ Prętereà venit notandū, quòd dixit Christus, de cordibus vestris. Nā sunt multi qui ore parcūt intus autem execrādum & pestiferum odium seruant, vt cum occasio se obtulerit: opportuniùs vindictam sumant. In hoc cognoscent (ait Christus)
Ioan. 13 quòd discipuli mei estis, si dilectionem adinuicem habueritis. Deniq; si eleemosyna extinguit peccatum, quantò meliùs extinguet remissio siue venia inimici? Eleemosyna enim materialis vel ex arca vel ex crumena extrahitur, venia verò & spiritualis remissio culpę inimici, intus ab ipsis visceribus & corde dimanat, & ideo corā Deo pretiosior & excellentior est. Poterit quippe De⁹ facilè prouidere vt præter te alius sit, qui eleemosynā pauperi tribuat, veniā verò illatę tibi iniurię nemo, nisi tu, potest cōdonare. Nā si nō parcis sentētiā aduersus te ipsum profers, dicēs, Sicut & nos dimittim⁹, tu autē non parcis nec dimittis: petis igitur, vt tibi non dimittat. ¶ Aduerte tu incaute & insēsate, quòd hac petitione sępiùs petis, vt nunquā tibi dimittat, & grauissimū suppliciū de te sumat. Et siquidē nec vnū tantum diē certum habes, time Paulum ita loquē-
Ephes. 4 tem. Sol non occidat super iracundiam vestram. Mulieres autē vel in hoc dignæ sūt repręhensione vtpote

vtpote quę nesciũt,quid sit, iniuriis parcere. Vidi enim sępiùs mulieres ieiunantes,orantes,pudicas, castas,& multa pietatis opera exercentes, nunquã tamen aliquam vidi,quę acceptam iniuriã remitteret. Hoc eni m ipsis quasi innatum est. Parcere verò,remittere, & misereri:ita nobile & magnificũ est,vt nunquam cadat,nisi in virorum corda. Quid 3. Reg.19 de Iezabel inquis, quę dicebat, Hęc faciant mihi Marc. 6 dij,& hæc addant,si nõ posuero,&c. Quid de Herodiade? Quid de Olimpia Alexandri matre, quæ mortuũ Cellarium effodi fecit, & omnia eius mẽbra lacerari:& huius causa fuit, quia veneno Alexandrum potauit? Notum etiam est supplicium, quod sumpsit Rosimũda vxor Alboini regis Longobardorum de proprio marito,quàmque crudeliter iniuriam acceptam vlta est, eam potans parentis sui caluaria. Sed quia de his plura diximus de dilectione inimicorum differentes, ad sextam Supra c.6 petitionem deueniamus. *Et ne nos inducas in tentationem.* Hîc Deũ oramus,vt ea mala euitet,quę pro ximorum causa ipsi committimus: nam cum homo à quocunque peccati vento sentiat se posse rapi,præcipuè si ab aliquo incitetur,durum erit resistere,ideo petit,ne inducatur in tentationẽ, id est ne permittat succumbere tentationi. Non petit,vt non tentetur,quia hoc bonum est,& vtile: sed ne succumbat:quod est malum. Dauid enim cũ agnosceret vtilitatem & commodum tentationum, di- Psal. 16 xit Deo. Proba me Deus, & tenta me, vre renes meos,& cor meum. Duo commoda inter alia (vt inquit Dauid) affert nobis tentatio. Primum ad hoc vt cor tanquam Dei vas electum in templum: transeat per ignem cogitationum, quæ intus bella gerunt, vbi victor existens,omnem æruginem,imperfectionem & rubiginem relinquat,nã ita Deus vasa templi mundari iubebat, etiam si ex purissimo auro essent confecta. Secundum commodum quod tribulatio & tentatio secum affert, illud est, scilicet esse cauterium sensualitatis: ideò ait, Ten- Numer.4 ta me:& vre renes meos. Comburẽs quippe ignis est,infirmitas,dolor, & persequutio inimicorum, quibus omnibus à sua libidine praua desideria cessant,& mali appetitus franguntur, & deuincũtur. Hoc clarè constat, quia arcam Noë tantum quatuor homines sũt ingressi & mulieres quatuor:cũ Genes. 7 que per anni spacium essent ibi clausi, vt ex textu colligimus, octo tantum sunt egressi. Ex quo patet,quòd tribulatio non solùm nos semouet ab his quibus Deus offenditur,sed ea etiam gaudia obliuiscitur,quę sine peccato possent fieri. Et quod maxime est notandum,quòd nec vnus agnus,nec aliquod aliud animal in omni illo tempore in arca fuit natum:vt intelligas quos & quàm vberes fructus ipsa tribulatio afferat, cum qua & ipsi sensuales appetitus(qui rationem inimicam habent) reprimuntur,& domantur. Ne igitur petas, vt non tenteris,sed vt ab ipsa tentatione non capiaris.

Augu. in Enchiridio c. 116 ¶ Cum hac sexta petitione finem imponit noster Lucas huic orationi,sed quia quod vnus Euãgelista silentio pręterit,alius supplet, vt sępe facere solent Euangelistę: Matthęus illam expressit dicẽs, sed libera nos à malo. A malo inquam exteriori pęnali vt à ferro,igne,aqua,peste,& à subitanea morte:& à multis aliis periculis imminẽtib' à quibus homo nescit se liberare,nisi Deus illũ seruet. Nam quando iudicio nostro sumus magis tuti,tũc multa mala inopinata nobis eueniunt,sicut accidit illis decẽ & octo,super quos turris cecidit in Siloë. Et Heli qui cecidit de scabello. Et Miphiboseth fa- Luc.13 1. Reg.4 2. Reg.9 ctus est claudus,& sic alij multi. Alio modo potest intelligi hæc petitio,scilicet de malo interiori,scilicet de fomite,quia fomes peccati, quod manet in nobis,est malum quoddam, per quod ad reliqua malorum genera proni sumus, & tunc istud malũ flectit nos ad vtrunque,id est,tam ad tentationem, quàm ad peccatum committendum. Nam si in nobis non remansisset peccati fomes,non relinqueretur locus diabolo,vt nos tentaret. Saltim nõ ita facilè,sicut nos tẽtat,& superat. Sed nos à nobis ipsis tentamur,vt ait Iacobus. Vnusquisque tentatur Iac.1 à concupiscentia sua,abstractus & illectus. Et tunc consonat diuisioni superiùs factæ:scilicet:quòd in hac vltima petitione petitur,remoueri malũ quod ad vtrunque nos incitat,videlicet ad tentationem, & ad peccatum,& istud est fomes. Sed videtur melius,vt intelligatur de liberatiõe à malo exteriori. Sed hæc satis sint de ista oratione Dominica. Iam Lucam audiamus. *Et ait ad illos, Quis vestrũ habebit amicum & ibit ad illum,&c.* Cùm iam Christus superiùs docuerit orationis formam, hîc sub parabola hortatur ad instantiam & feruorem orationis: & hoc facit quodam proposito simili eius, qui ad ostiũ amici pulsat,& ob importunitatem quidquid vult impetrat. Quo nimirũ quòd is, qui indefesse & cum magna instantia postulat,sine dubio suę petitionis effectum videbit. Multi defatigantur volẽtes applicare omnes res particulares huius parabolę & omnia verba soli scopo perẽdi:& certè vanum laborem sibi assumunt. Nam in Christi parabola (secundũ regulam Diui Chrysostomi) pręcipuus scopus & finis est attendẽdus: ad quem pa- Chrys. hom. 43. in Mat. rabola tendit: nullam rationem habentes aliquorum verborum,quæ in ipsis solũ ponuntur causa ornatus & decoris. Atque ita in hac parabola non est opus vt illud aplicemus ad propositum. Pueri mei mecũ sunt in cubili. Nec quare tres panes dixerit. Nec opus est dicere, quid significent tres illi Aug. lib. 2. q. Euang. c. 21 panes. Nam sunt multi,qui dicãt per tres panes intelligi Patrem, Filium,& Spiritum sanctũ,alij verò spem,fidem, & charitatem. Quæ omnia nimis aliena sunt à litera ipsa,& multum ab scopo aberrant. Nullum enim maius mysterium habet,dixisse tres panes, quàm si quinquaginta vel septuaginta diceret. Quare igitur tres panes petit,& nõ plures vel non tot? Ratio est,quia Christus vrbanè debebat loqui, & homini venienti ex itinere & eius sermo ad cęnãdũ satis essent tres panes: qui numerus est decens & conueniens, vt aliquid post cœnam superesset, nec opus est disputare quare dixerit tres panes, nec quare panem postulauit, non carnem,nec aliquid aliud. Quod Christus hic intẽdit docere,illud est,vt semper in petendo persistamus magna perseuerantia. Nã si quis habet amicum & in necessitate eum adit,panem vinum, vestem, aut aliquid aliud petiturus perseuerãter persistens, alter à quo illud beneficium petitur,ne molestia afficiatur,& vt importunitatem amici à se remoueat, omne quod petit,à lecto surgens,liberaliter largitur,quãto liberalius hoc Deus faciet,si vos illi fueritis importuni,& perseuerãtes postulaueritis? Nõne Deus nobis melior amicus est,quàm nos ipsi inter nos? Nam si amicus ob importunitatẽ surgit, meliùs hoc ipse Deus præstabit. Petite igitur,& in oratione persistite:& desideria vestra in:cõmodum

& vtilitatem vestram Deus adimplebit. Hic est scopus & summa totius huius parabolæ: quapropter breuiter illam discutiemus. *Quis vestrum habebit amicum.* Singulariter & sub conditione inqt, Quis vestrum habebit amicum: vt ostendat quam pauci sint amici, quamque rara sit amicitia huius sæculi. Non dixit amicos, sed amicum. Nec dixit, Si vos habetis. Sed quis vestrum: nam vix reperies, qui amicum verum habeat. Ac si clariùs diceret Christus, Inter omnes vos habetis aliquem amicum. Videbitur tibi forsitan magnam amicorum cateruā habere: & sine dubio falleris omnino: nā si omnes isti qui te nunc diuitem & opulentū inuisunt, qui te laudant, & prædicant, pauperem te viderēt, egenum & laboribus & angustiis circundatum, clarè & apertè cognosceres, nullum amicum habere.

Iob 6 Vnde sanctus ille Iob, qui amicitias huius mundi rectè fuerat expertus, in hæc verba prorūpit. Fratres mei præterierunt me, sicut torrens, qui raptim trāsiit in cōuallib⁹. Vel vt verti potest ex Hebræo, Amici mei fefellerunt me, instar torrentis, q raptim currit in conuallibus. Quemadmodū torrens tempore hyemis impetu magno fertur, maxima pluuiarū abundatia cum aqua necessaria non est, in æstate verò cùm viatores sitibundi concurrunt, exsiccatur, & ita miseri falluntur, sic fictus amicus tempore prosperitatis multa promittit: at verò si calamitas aut paupertas tuas fores pulsauerit, statim arescit, & fugit. Si tu verò in aliqua afflictione ad eum confugeris, decipieris spe potus. Quemadmodū enim eum, qui dum solis radiis illustratur, vmbra sequitur, si verò sol latuerit nubibus cooptus, statim vmbra fugit, & penitùs euanescit: sic fictus amicus amicum comitatur, dum opum abūdantia, aut gratię principum splendore illustratur: si verò in calamitates inciderit, statim spernitur & solus relinquitur. Vnde Salomon in Prouerbiis

Prouer.17 ait: Omni tempore diligit, qui amicus est: & frater

Ecclesi.12 in angustiis cōprobatur. Et Ecclesiasticus, non cognoscetur in bonis amicus, & non abscondetur in

Eccles 6 malis inimicus. Et iterum, Amicus mensæ nō permanebit tempore tribulationis. *Et ibit ad illum media nocte.* Hoc est tempore necessitatis. Notanter dixit, media nocte: nam eo tempore totus homo omnibus negotiis diei iam transactis quietus & tranquillus quiescit in lecto suo, & nisi inuit⁹ ad cuiuscunque amici vocationē non vult surgere. Tunc enim prima noctis quiete nemo est adeò amic⁹ & frater, qui non molestè ferat somnij interruptionem. Quo Christus vult docere: quòd si amicus tēpore tam inopportuno ad pulsantis ostium vocem surgit, & succurrit illius necessitati, quanto meliùs hoc ipsum Deus faciet? Et ideo dixit Christus, media nocte, vt nos animaret ad persistendū in petitione: nam quocunque tempore eum vocauerimus, ipse præsto est nobis respondere, & petitionibus nostris facere satis. *Et dicit illi, Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.* Hæc est petitio amici ab amico in necessitate positi, per quā Christus intelligit quamcunque necessitatem, quam ei offerimus, manifestantes ei nostrum defectum. *Et ille de intus respondens dicat, Noli mihi molestus esse, iā ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi.* Qua responsione vult Christus ostendere, quòd sępe solet dominus non respondere orantibus, quasi dissimulans, & non audiens orationes eorum: vt crescat eorū affectus & ardor, vt maiora & ampliora accipiant. Sed de his posteà pauca.

¶ Porro molestia quandoque accipitur propriè & sic sonat turbationem: aliquando impropriè & sic sonat dandi difficultatem. Et ita hîc accipitur. Christus quippe ostensa difficultate impetrādi nō vult spem tollere, sed vult vehementiùs accēdere & inflāmare desiderium orandi. Illud autē quod dicit, Non possum surgere, facta applicatione parabolæ ad Deum intelligitur de potentia ordinaria, quamuis possit de potentia absoluta. Non quòd sit defectus in Deo ad dandum: sed quia homo non est dispositus ad accipiendum, iuxta illud, Nō poterò aliquid facere donec ingrediaris illuc. Sed p perseuerantiā humilis orationis disponit se homo. Genes.29

Et si ille perseuerauerit pulsan, dico vobis, & si nō dabit illi surgēs, eo quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Duo nos docet hęc parabola. Primū vt in quacunque necessitate ad orationem cōfugiamus. Secundum vt cum perseuerantia petamus. Primū ostenditur in hoc, quòd hic homo cum haberet necessitatem, media nocte abiit ad amicum tres panes petiturus, quod est primum: & quia perseuerauit postulans, quod volebat, fuit cōsequutus: quod est secundum. Docemur itaque primum, quòd in omnibus nostris necessitatibus tam temporalibus, quā spiritualibus ad illum magnum amicum nostrum confugiamus, qui Deus est, & tanquam tutissimam anchoram sumamus orationem: quod est excellens & præsentaneum remedium, vt ab omnibus periculis eruamur, & vt ab omni necessitate liberemur. Possem facilè tibi adducere ad hoc propositum innumerabilia exempla sacræ scripturæ. Nam omnes sancti tam veteris quàm noui instrumenti in omnibus suis tribulationibus & angustiis Deū adiutorem suum & fautorem vocauerunt, & ita exauditi sunt. Nam sanctus Patriarcha Abraham cùm non haberet hæredem nec successorem, Deū orauit, & consequutus fuit finem orationis. Isaac quoque orans pro sterilitate vxoris suę, exauditus est. Iacob timens fratrem suum Esau, cùm reuerteretur à Mesopotamia Syriæ, oratione ad dominum facta dixit, Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac, domine, qui dixisti mihi, reuertere in terram tuam, &c. Fecitque Deus placabilem Esau. Sic filij Israel oppressi in Ægypto clamauerunt ad dominum: & exaudiuit eos, dixitque Mosi. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, clamoremque eius audiui. Moses in quocunque negotio & difficultate ad orationem accedebat. Sic Iosue, Gedeon, Iepte, Samson, Samuel, & David in suis persequutionibus, & quandocunque prælium aliquod erat aggressurus, dominū cōsulebat: & Psalmos composuit. Sic Salomon cùm templum ædificauit: & Ezechias cum obsessa esset Hierusalem ab exercitu Assyriorum confugit ad orationē, & Angelus Domini percussit impios. Et infirmitate laborans, & morti propinquus ad orationem conuersus, addidit illi Deus quindecim annos vitæ. Iosaphat Rex quoque multis bellis defatigatus dominum orauit, dicens, Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Manasses itidem Rex Iuda licet impiissimus, verùm quia conuersus ad dominum orauit deuotus, liberatus

Amicus noster magnus Deus est.

Amb. lib. 7. in Lucam & Theophilac. in c. 11. Luc.

Genes.15 Genes.25 Gen.32 Exod.3 3.Reg.8 4.Reg.19 2.Para.20 2.Para.33

Tob.2 beatus est,& in regnũ restitutus. Sic fecit Tobias
Iudit.9 dũ cæcitate laboraret. Sic Iudith clamauit ad do-
Hesther.14 minum. Hesther etiam regina in afflictione populi
Dan.14 sui. Daniel in lacu Leonum. Tres pueri in fornace
Dan.3 ignis ardentis, quos mirabiliter Deus liberauit ab
illa angustia & tribulatióe. Pręclara illa facinora,
2.Mat.9 quę Iudas Machabęus perfecit, non alio, quàm ip-
sa oratione fuit assequutus. Quando iam manus erant cum inimicis conferẽdæ tunc orabat: atque ita sæpiùs paruo exercitu virtute orationis ingentes acies superauit, & magna spolia reportauit, de inimicis triumphans. Semel autem cũ ab oratione deficeret deuictus fuit & crudelibus inimicorum manibus interiit. Si verò nouum instrumentum legeris, mirabilé orationis virtutem, & diui-
Mat.15 nos eius effectus, experieris. Nam cùm Cananæa
Mat.8 oraret, & in oratione perstitisset, eius filia in pristi-
Ioan.4 nam valetudinem fuit restituta. Idem impetrauit
Luc.18 Cẽturio, Regulus, cęci, & leprosi, omnes denique
Luc.17 illi qui miseri & peccatores erant: quique fide Deũ
Luc.23 orarunt, desideria sua compleuerunt. Quid igitur de oratione illa dicemus, quæ à latrone fuit facta, dum in cruce penderet, quæ portas paradisi aperuit, & Deo reconciliauit? Quid etiam de Christi
Hebr.5 oratione in ligno pendentis, quæ (vt inquit Pau-
Act.12 lus) à peccatis nos liberauit? Denique oratio Ecclesiæ facta pro apostolo Petro, à carcere Herodis illum eripuit.

¶ Discamus ergo in omni necessitate: angustia & tribulatione hac tutissima orationis anchora
Dan.13 ad Deum confugere. Quid obsecro Susannam à falso testimonio sibi imposito nisi oratio ipsa vale-
Deuter.4 ret liberare? Vnde dominus ait, Cùm quæsieris dominum Deum tuum inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ: Quemadmodum ignis in Bombarda vehementi impetu glandem longè proiicit: sic afflictio ferueẽtem orationem excitat, quæ vsque ad cœlos attingit. Et hac de causa multoties Deus tribulationes & labores immitit, vt eius memoria mentibus nostris magis inhęreat: & vt ad ipsum confugiamus, in omni afflictione. Quærimus enim dominum in tristitia in calamitatibus & angustiis: non in gau-
Luca 15 diis, deliciis, & voluptatibus. Nam filius ille prodigus dum ad sumptus suos satis habuit, nunquã parentis sui domus recordatus est: at verò cùm ad famem & egestatem peruenisset, humilis ad eũ rediit, & deuotè orauit. Non admodum dissimiles esse videmur illi fonti, qui est in Cirenaica prouincia, qui nocte media aquam feruentem emittit, in meridie verò frigidissimã, & hic appellatur
Aug.lib.2. fons solis. Tales nos absque dubio sumus, vt pote
quæst.Euang. qui in meridie prosperitatis, & fęlicitatis, dũ secũ-
cap.21 do vento nauigamus tepescimus: in nocte verò afflictionis igne diuini amoris inflãmamur. Et ideò hic media nocte ad amicum abiit, vt suæ necessitati consuleret. Quapropter Esaias ait. Anima mea
Esai.26 desiderauit te in nocte. Quasi diceret, in afflictione te vehementer desidero: & in angustiis & tribulationibus, tuis amoribus captus & irretitus magis atque magis incendor. Quãdo enim aliqui obsessi sunt in arce nullum melius & præstantius remediũ habent, quàm nuncium ad regẽ mittere, vt sic rex præstet auxilium, quo obsidio fugetur. Sic nos à multis circundamur inimicis, & variis mundi, dęmonis, & carnis tentationibus agitamur, multis denique laboribus, infirmitatibus, & afflictionib⁹, nullumque alium fortem habemus murũ nisi carnem nostram imbecillem, & omni virtute nudam: quæ caro velut paries est nõ calce & lapidibus fortibus confectus, sed ex vilissima terra. Quod cùm ita sit, vt inimici nostri ita sint fortes, potẽtes & robusti, & intra priuatos parietes habitent, quid erit 2.Cor.3
remedij, cum ad nihil simus potentes, & omnis nostra sufficientia à Deo proueniat? nullum certè nisi nuncium excellentem & pręstantem mittere, orationem, scilicet, secundũ illud diuini vatis. Diriga- Psal.140
tur domine oratio mea in conspectu tuo. Qui nũcius duo habere debet, vt officiũ suum rectè exequatur. Primũ vt diligens sit, & solicitus, & vt iter suum citò conficiat, nam si piger est, & in itinere aliquantulum detinetur, interim inimici expugnabunt arcem, & cùm venerit auxilium, arx iam erit capta, & qui intra sunt interfecti. Ita nimirum (ne hoc inconueniens sequatur) necesse erit vt oratio ad Deum facta celeris sit, nec põdere peccatorum detineatur: de quo Dauid aiebat, Quoniam iniqui- Psal.37
tates meæ supergressæ sunt caput meũ, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Tolle peccatorum onera & pondera, amorem mundi reiice, & à terrenis & mundanis expedire, vt velociùs oratio tua ad Deum perueniat. Vnde dominus quibusdam dixit, Cùm multiplicaueritis orationem, non Esaia 1
exaudiã, manus enim vestrę sanguine plenę sunt. Si beneficium ab aliquo petiturus accederes, & sui filij manus tuas sanguine tinctas ferres, quomodo obsecro iste talis veniam tibi concederet? sine dubio ira commotus & indignatione à suo cõspectu iuberet te semoueri. Quare igitur tu ô peccator q vita tua nefaria tot flagitiorum generibus cooperta (vt inquit Paulus) Christum iterum crucifigis, Hebr.6
Deum audes orare, cùm sui filij pretiosum sanguinem sæpiùs atque iterum diffundas? Ideo Iacobus: Iaco.4
Petitis & non accipitis, eo quòd male petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis. Lauamini ergo (subdit Esaias) mundi estote, auferte malum cogi- Esai.1
tationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite benefacere. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me, dicit dominus. Hoc docet hęc parabola, quando is, qui necessitatem habebat, ad amicum confugit petiturus. Ita etiam tu poteris quidquid volueris impetrare, si tamen Deo priùs fueris amicus. Scriptum est enim. Vo- Psalm.144
luntatem timentium se faciet Dominus, & deprecationem eorum exaudiet. Et quidem à Deo illuminatus inquit. Scimus quòd Deus peccatores Ioan.9
non exaudit: sed si quis cultor est Dei, &c. Hoc autem non est simpliciter accipiendum, alioqui multos homines non exaudiret Deus, quia omnes natura sumus peccatores, & omnes oramus, Dimit- Matth.6
te nobis debita nostra, nec quisquam gloriari po- Prouer.16
test, castum se habere cor, imo si dixerimus quia 1.Ioan.1
peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. In cuius gratiam est aduertendum duplices esse peccatores. Resipiscentes, vt sunt illi qui dolent de peccatis pręteritis, & hos exaudit Deus, qui dicunt in Litania, Peccatores te rogamus audi nos. Et dicunt, Dimitte nobis debita nostra. Sic Chri- Luc.15
stus publicanos & peccatores benignè suscipit, vt Luc.18
fecit cũ pubicano illo, qui dicebat, Deus propicius esto mihi peccatori. Alij verò sunt peccatores non resipiscentes, sed manent in complacentia peccatorum: hos (dixit ille cęcus) non exaudit dominus.

Et de

Et de istis loquimur in præsentia. & Dauid dicens. [*Psalm.65*] Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet [*Prouer.28*] Dominus. Et filius eius Salomon. Qui auertit aurẽ suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. [*Thren.3*] Et Hieremias. Nos peccauimus, idcircò tu inexorabilis. Sed quomodo obsecro te exaudiet Deus, qui in Ecclesiam venis canẽs, Pater de cœlis Deus miserere nobis, cùm amicam domi relinquas? Qui ore Deum laudas, factis verò & corde eum inhonoras. Nunquid orationem istorum exaudiet do- [*Psalm.33*] minus? Oculi domini (inquit Psalmista) super iu- [*Prouer.21*] stos: & aures eius ad preces eorum. Et Salomon de his etiam inquit, Clamabit & nõ exaudietur. Ideò [*Psalm.140*] Dauid in loco superiùs citato dixit, loquẽs de hoc nuncio. Dirigatur domine oratio mea sicut incensum dignum in conspectu tuo. Queadmodũ enim incensum nisi prunis inuoluatur, nullum odorẽ ex se emittit: sic oratio debet fieri in gratia Dei, & igne charitatis & amoris eius inflammari: vt apud [*Numer.16*] Deum plurimum valeat. Hoc est illud incensum quod summus sacerdos Aaron Deo offerebat inter mortuos & viuentes, quo Dei iram & furorem mitigauit & leniuit, atque ita deuastatio & interitus cessauit. ¶ Primum igitur quod nuncius hic orationis [*Orationis duæ conditiones & circumstantiæ.*] habere debet, illud est, vt diligẽs sit, ne põdere peccatorum detineatur, neque huius mũdi sarcina valeat impediri. Secundum verò, vt sciat regi suam necessitatẽ pandere, & vt importunitate & solicitudine persistat orãdo, quousque desideriũ petitionis adimpleatur. Hoc præcipuè docetur & innuitur hac parabola & solicitudine amici, qui amicũ surgere fecit, adeò illi fuit importunus & molestus: qui si non dedit eo quod amicus erat, saltim dedit ne tanta ipse molestia afficeretur. Ita Deus si vt amicus iste, primæ petitioni non responderit, ne cesses postulare, id enim multoties facit, vt tu in oratione perseueres, & cum ipse surdus sit tu ad postes vehementiùs clamites eo animo vt maiora beneficia in te conferat & augeat. Habet quippe eam mentem Deus quando ab eo aliquid petimus magnũ quoddam beneficiũ nobis impartiri, cũque nos videat minimè aptos ad tantũ beneficiũ accipiendum, petitionem differt, vt nos perseuerãtes mereamur, & tali beneficio simus digni. Vnde [*Anselm. de mensurati. crucis.c.2*] beatus Anselmus inquit, Sæpè dominus differt, vt excitet magis appetitũ. Nõ enim differt, eo quod non velit dare: sed vt aucto desiderio, abundãtiùs possit dare. Videas obsecro quid perseuerẽtia orationis faciat. Petierat hic tres panes mutuo: amicus verò non mutuat, sed gratis offert. Præterea tres petierat panes, & de omni illo prouidit quod ne- [*Matth.15*] cessarium erat: & sic Deus qui benignus & liberalis est largitor, plus petito & vsque ad cumulum nobis impartietur. Quòd clariùs exemplo Cananeæ illucescit: quę cum filię pristinam valetudinẽ & incolumitatem postularet, eam Christus nõ audiebat: quia verò in petitione perstitit, non solùm salutem filiæ impetrauit, sed etiam meruit à Christo laudari, eumdémque suæ fidei mirabilem præ- [*Iudith 9*] conem & buccinatorem habere. Iudith etiam cum suis ab inimicis petebat liberari: quæ cùm perstitisset in oratione, & perseuerasset nõ solùm victoriã de illis reportauit, sed etiam à minori vsque ad maiorẽ ex inimicorũ spoliis diuites euaserunt. Hester [*Hester 14*] item nõ solùm Deus dedit inimicorum vitas: sed præterea omnes diuitias, omnémque pinguédinẽ domus Aman. Ita cum Deo negotiantur omnes illi qui perseuerantes insistunt. Sed sunt multi qui naturæ sunt & conditionis leonispardi, qui si primo saltu vel secundo non assequitur prædam, non amplius eam insequitur. Ita illi sunt qui prima oratione vel secunda nõ exauditi, protinus ab oratione cessant, & impatientiæ nota signantur: Paulum [*2.Cor.12*] non videntes, qui ter orauit, vt ab eo stimulus carnis tolleretur. Nec similiter Cananęam, & Christũ [*Matth.15*] Redemptorem nostrum, qui totus suo cruore ma- [*Mat.26*] didus ter preces effudit. Sanctissimus etiã patriar- [*Genes.15*] cha Abraham Deo obtulit sacrificium, vt ipse iusserat, qui etiam à muscis molestatus, nunquam sacrificium orationis reliquit. Ita tu si in oratione ab importunis mũdi cogitationibus fueris distractus, remedium præsentaneum erit, persistere. Sicut enim stellæ quanuis circa cœli cardinem & axem moueantur: ipse tamen cardo nullatenus à sua quiete perturbatur, semper immobilis persistẽs, sic quanuis pars sensualis, mundus diabolusuè orationi obuient, & contrarientur: ipsa tamen in finẽ vsque à sua quiete orans non debet se moueri. Multoties quãdo in oratione oppugnaberis vel somno vel pigritia, tuncque dæmon fortiùs te inuadat dicẽs: Meliùs & opportunius Deo seruies, si aliud quoduis charitatis opus exercueris, siue horas recitaueris, siue visitaueris infirmos: & ita sub virtutis & sanctitatis fuco minus cautos & improuidos solet à mentali oratione remouere, & ita paulatim prorsus ab oratione seiungit. In cuius rei gratiam vt tibi ipsi prouideas, cùm te pigrum, inertẽ, & tepidum ipsa oratione inueneris, virili animo enitendum tibi est, & in tuum auxilium Deum vocites vt tandẽ in oratione valeas persistere. Quod si tu perstiteris cùm minus attenderis, iam Deus prouidebit, mittens tibi è cœlo ingentem spiritus consolationem: quæ tibi erit nectare & ambrosia suauior ac dulcior. Quòd si aliquando calamitas aut infortunium cõtigerit: non ideò orationem & sancta exercitia relinquas, nam qui ob id ab oratione semouetur, similis admodum est puero: cui aliquid parui momenti è manu tollitur, & ita percitus quidquid superest, lõgè proiicit & iratus abit. Luctabatur Iacob cum angelo vsque mane, cui cùm diceret. Dimitte me, respondit Iacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Sic tu nunquam dominum dimittas, quousque tuam petitionẽ adimpleat. Sic sponsa in Canticis. Tenui eũ nec di- [*Cant.3*] mittam: donec introducam eum, &c. Quod consi- [*4.Reg.4*] derans mulier illa Sunamitis: pedes Helisei apprehẽdit, nec dimisit eũ donec filium eius suscitauit. Sic tu ad Christi pedes proiectus, illũ apprehende: nec dimittas, donec quod postulaueris, faciat. Præ- [*Leuit.3*] cepit dominus Mosi quòd filij Aaron offerrent in sacrificio omnem adipem & pinguedinem simul cum cauda. Quę cum finis animalis sit, vult Deus significare, vt homo vsque in finẽ perseueret, & offerat Deo interiora cordis sui. ¶ Obserua autẽ tria esse quę à perseuerãtia orationis nos remouent. Primũ est tepiditas & parua deuotio quã in oratione ha- [*Num.14*] bemus. Ita filij Israel cùm nullum gustũ inuenissent in sterilitate & siccitate deserti, nimis optabãt redire, vt comederent allia & porra Ægypti: quapropter oẽs sunt interfecti pręter Iosue & Caleb, quia cupiebãt dulcedinem & suauitatẽ in itinere, quæ seruata illis erat in terra promissionis: Sic tu qui in deserto huius vitæ habitas, patiẽs esto quousque ad beatã patriã peruenias. Vt arbores & her-

bæ

bæ propagarentur, fecit Deus ſiccitatem in terra:
dixitque; Appareat arida. Sine ſiccitate patientia
Gen. 1 tua non creſcet. Quātique Deus in hac ſiccitate per
ſeuerātiam faciat, oſtenditur in Hieremia, per quē
dominus ait, Recordatus ſum tui, quoniam ſequu-
Hierem. 2 ta es me in deſerto, Quaſi diceret, Seruiebas mihi
nullo dato præmio nec mercede: & in tēpore ſic-
citatis & laboris perſeueraſti, ideo in memoriā te
ſcripſi, & maturo tempore ſolui digna retributio-
ne. Secundum verò quod perſeuerantiam oratio-
nis tollit, eſt caro hæc noſtra nimis grauis & pon-
deroſa. Hic fuit inimicus ille adeò potens qui etiā
Matth. 26 apoſtolos in horto deuicit: quibus dominus dicit,
Non potuiſtis vna hora vigilare mecum. Spiritus
promptus eſt, caro autem infirma. Excuſat Deus
imbecillitatem noſtram, dicens non potuiſſe nos
Matth. 26 cum eo per vnius horæ ſpatium vigilare: & id tri-
buit noſtræ carnis fragilitati. Quapropter contra
ſenſualitatem debes inſurgere: nam violenti rapiūt
cœlum, & perſeuerātia quidquid vult cōſequitur.
Tertium autem, quod à perſeuerentia orationis
nos fugat (idque nō parum periculoſum) eſt diffi-
dētia. Videtur enim nobis, Deum paruipēdere no-
ſtram orationem, nec nos ab ipſo exaudiri. quod
certè nullū animi deliquium deberet tibi afferre,
quandoquidem Deus tibi præcipit, vt ores, vt ſum
mis precipibus ab ipſo cōtendas, magna beneficia
poſtulare. Et cum ipſe iubeat nos orare, iā videtur
teneri & obligari, ad audiēdum: cùm humiliter &
cum fiducia orauerimus: quod ita eſſe Chriſti exē-
plo oſtēdemus. Nā cùm Redemptor noſter in ora
Luc. 22. tione feruēti ſpiritu perſtitiſſet, apparuit illi Ange
lus, & reſpōdit, Nulla quippe eſt oratio, quæ (ſi per
ſeuerans fuerit) reſponſione careat.

¶ Expende autem Chriſti benignitatē, qui vult,
vt nos illi ſim⁹ importuni: nec ideo id ipſe moleſtè
fert & adducit exemplum de amico, qui propter
importunitatem è lecto ſurrexit & neceſſaria mini
Colo. 4 ſtrauit. Orationi igitur eſt inſtandū, vt ait Paulus:
Pſal. 144 neque enim dominus grauatur, cuius miſeratiōes
ſunt ſuper omnia opera eius. ¶ Cùm igitur nos vn
dique mille inimicis circundemur, & varia pericu
lorum genera nobis immineant, reſtat iam ex om-
nibus dictis, vt hunc orationis nuncium ad Deum
mittamus, vt nobis auxilium ſuppeditet: qui vt ce-
ler & velox abeat neceſſe eſt vt pondus peccatorū
exuat, & importunus ſit, quæ duo præſtitit hic qui
panes poſtulauit. Primum enim prǽſtitit, cùm in ne
ceſſitate ad amicum abiit petiturus, ſecundum ve-
rò cùm in petitione perſeuerauit: quæ oratio his
circunſtantiis munita plurimum apud Deū valet,
Exod. 32 omnia poteſt, omnia vincit, vt eſt videre in Moſe,
3. Reg. 18 Dauide, Iaële, Iudith, & in Iuda Machabęo, qui om
Iudic. 4 nes orantes vicerūt, & magnis honoribus de ini-
Iudit. 13 micis victoriam reportarunt. Cathenas & funes
2. Mac. 6 frangit, compedes dirimit, carcerem diruit, quan-
Act. 12 doquidem ipſa oratio Petrum, Paulum, & Saulem
Act. 16 è carcere ſubtraxit. Leones famelicos deuicit, ne
Dan. 14 Danielem tangerent: Balęnæ os aperuit, vt prophe
Ionæ 3 tā ad littus maris proiiceret, ignem extinxit, quan
Dan. 3 doquidem pueros, qui erant in fornace ardenti nō
Exod. 14 combuſsit. Maris impetū pacat, & in eo iter facit.
3. Reg. 17 Tempus etiam mutat, ſiquidem Helias fecit vt nō
plueret, quouſque ipſe voluit. Corpus etiā ſubſti-
Exod. 19 net & alit, nā Moſes quadraginta dierū ſpacio ni-
hil mādueauit, ſolum orationis cibo paſtus & pota
4. Reg. 20 tus. Mortem ſuperat, vt videre licet in Ezechia, qui

morti damnatus orauit, & lōgiorem vitam impe-
trauit. Nubes ſimiliter vincit, vt Helias orans nu- 3. Reg. 18
bes à mari in terram portabat. Cœlorum naturalē Exod. 32
curſum impedit, nam Ioſuę iuſsibus, ſol gradū ſti- Ioſue 10
tit. Denique vt omnia dicta vnico tantùm verbo
claudamus, Deum ipſum oratio vincit. Nam Moſi
in monte oranti Deus dixit. Dimitte me, vt iraſca-
tur furor meus contra eos. Vbi Deus fatetur Moſi
precibus detineri. Quapropter in ſequētibus do-
minus ait. *Et ego dico vobis. Petite & dabitur vobis, quæ*
rite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Sed vellem
ego interrogare, quid eſt quòd Deus iubeat vt nos
ipſi petamus: quandoquidem ipſe rectè nouit no-
ſtrā neceſsitatem, vt melius ipſe quàm nos ei, poſ-
ſit conſulere. Nonnè melius eſſet vt iuberet, nobis
aliquid dari, quàm vt præciperet vt nos poſtulare-
mus? Beatiùs quippe eſt dare, quàm accipere. Præ- Act. 20
terea quia cum iubet nos petere, egeſtatē & penu-
riam noſtram pandit, & faciem noſtram cōfundit.
Miſerū enim eſt petere: nā dare eſt in genere actio-
nis, accipere verò in genere paſsionis. Et tantò prę
ſtātius & excellētius eſt dare, quàm accipere: quan
tò eſt diligere quàm diligi, nam diligere dicit meri
tum, diligi verò nec meritum nec demeritū: nam
cōtingit ſæpiùs vt immeritos diligamus. Qui dat,
dominium eius adquirit, qui recipit. Qui accipit
ſubiectus manet & ſeruus eius, à quo aliquid acce
pit. Qui accepit, ei manet deuinctus qui dedit: qui
verò dedit, certum quoddam dominium adquirit
eius, cui dedit. Et cū ſic ſit ita, quòd qui dat adquirat
certum dominium: ita qui accipit, libertatē amit-
tit. Sic dicimus ſolem excellentiam quandā habe-
re & ſupereminētiam ſupra reliquos omnes pla-
netas, quia lucem ſuam omnibus communicat, ip-
ſe tamen à nemine accipit. Et Deus cum omnium
bonorum ſit fons abūdantiſsimus & perpetuò ſca
turiens, quia omnibus dat, ipſe verò nihil ab alio
mendicat, dicitur eſſentia quædam admirabilis &
excellentiſsima: Si hoc ita eſt, videretur potiùs ma-
gis Deus nos magnificare & magnis honoribus af
ficere, ſi nos dare aliis iuberet, quàm quòd poſtula
remus. Hoc verum eſt in hominibus, nā honora-
bilius eſt homini dare, quàm ab eo aliquid accipe-
re. Sed hoc argumentū factum de homine ad Deū,
non valet: nam maiorem gloriā & honorem com-
paramus nos, à Deo accipientes, quàm ſi nos ipſi
aliquid daremus. Nemo quippe Deo poteſt aliquid
tribuere, quin priùs ipſe à Deo non acceperit. Et is
fęlicior & beatior dicitur qui plus ab eo accepit:
quia plura poterit dare. Et quod nos habeamus ne
ceſsitatem bonitatis & liberalitatis Dei, nulla eſt
ignominia (quemadmodum inter homines cōtin-
git) ſed ſummus honor, adeò, vt quantò aliqua
creatura nobilior eſt & pręſtantior, tātò plus Deo
ipſo opus habet, Nōnè homo potiùs & magis Deo
opus habet, quàm lapis? Propterea ne homo vilior
erit? Nobilior certè erit, & altioris naturæ & con-
ditionis: nam Dei neceſsitatem habere, nullū ho-
norem minuit, imo egentem magis magnificat, &
ipſius virtutem prædicat. Nam ſi homo accipiens
aliquid ab alio homine, ſuam libertatem amittit,
non eſt ita, ſi à Deo accipiat. Seruire enim Deo re-
gnare eſt. Supereſt, igitur, quòd cùm à Deo petere,
nulla ſit ignominia, nec ab eo aliquid accipere, vul
tus ſit cōfuſio, nec illi ſubiici, captiuitas ſit aliqua,
nec illius neceſsitatem habere, pauperies ſit vel vi
litas, ſed potiùs ſummus honor ingēs laus, magni
ficentia,

ficentia,dominium & libertas,supereſt inquam vt
iubeas nos ab eo petere:vt accipientes poſsim⁹ &
1.Cor.4 nos dare. Nã ſi nos à Deo priùs nõ accipiam⁹:ne-
quaquã poſſumus aliquid largiri. Vnde Paulus.
Quid habes quod nõ accepiſti? Sed poterit aliquis
hic duo dubitare. Primum eſt,nam cum verum ſit
nullam eſſe ignominiam,à Deo petere:nonnè me-
lius eſſet,vt ſine noſtris petitionib⁹ ipſe noſtris ne
ceſsitatibus conſuleret? Ad quod dicimus Deũ id
velle,vt nos humiliter ſentiamus de nobis, & vt
egeſtatem noſtrã cognoſcamus,mẽdicitatẽ,& pau
periem:quæ conſideratio optima quędã eſt diſpo-
ſitio ad gratiam,& vt nos aptos inueniat ad cõfe-
rendum nobis quodcunque magnũ & præclarum
beneficium. Eſt enim opus vt materia ſit diſpoſita
& apta,vt vel ſic artifex poſsit formam introduce-
re. Vult Deus,vt nos apti ſimus hac humilitate, vt
ſic corda noſtra ſint diſpoſita ad gratiam accipien-
Iacob.4 dam:Humilibus quippe dominus dat gratiã ſuam.

❡ Secũdo dubitabitur ad quid eſt opus vt Deũ
oremus? Cõtingit enim multoties vt homines ali-
quid apud ſe decreuerint facere:tamen ſi ab aliqui
bus rogentur,ne id fiat:ſententiam mutant & pro
poſitum. Deus verò nequaquam eſt mutabilis,ipſe
Mala.3 quippe dicit. Ego Deus,& nõ mutor. Si igitur ipſe
iam decreuit facere,quod nos petimus, vtique fa-
ciet,etiam ſi non rogetur à nobis. Et ſi non decre-
uit,q̃d prodeſt,vt nos rogemus? Ad ꝙ dico, quod
cùm Deus prædeſtinauit fines,etiam media ad cõ
ſequendũ fines decreuit:atque ita quando oramus
nõ petimus vt Deus mutet,quod apud ſe decreuit
facere,ſed oramus,vt eis modis det nos vti,quę ip
ſe elegit,vt finem noſtrarum orationum conſeque
remur. Non oras vt illum doceas,aut flectas, quia
quidquid Deus diſpoſuit æternũ eſt, & mutari ne
quit, ſed dicitur flecti,quia Deus aliter facturus nõ
eſſet:quia ſicut diſpoſuit rem euenire, ſic diſpoſuit
media per quę eueniret. Nã ſi diſpoſuit aliq̃d ora-
tionibus impetrandum,fieri nequaquam poteſt,vt
ſine orationibus obtineatur. Quia tamẽ Deus diſ-
poſuit aliquid alicui dare,eũdem mouebit,vt pre-
ces effundat,cuius precibus res illa debet obtine-
ri:atque ita nõ fruſtratur ſua diſpoſitio. Sic dicitur:
Flectitur iratus voce rogante Deus. Non quod per
orationem det,quod aliàs non eſſet daturus,ſed ꝙ
det per orationem illud,quod ſine oratione datu-
rus nõ erat. Atque ita nos orãtes nihil in Deo mu
tuamus:ſed illis mediis vtimur,quibus ipſe decre-
uit illud dare. Deus eſt qui frumẽta in campis dat,
quæ tamen non daret,ſi agricolæ ſemina non dif-
funderent. Et antequam ſemẽ ſpargeretur,ſciebat
Deus triticum naſciturũ eſſe tali agro decreuit ta-
men dare,ſi agricola ſeruiſſet,& ipſe mouit agrico
lam ad ſeminandum, cum his mediis decreuiſſet
dare. Atque ob id dicit Auguſtinus, quod oratio
Aug.tom.10. ser.1.& 4. Stepha. Stephani dedit nobis Paulum. Nam etiamſi diuus
Paulus antequam mundus conderetur,prædeſtina
tus eſſet,nihilominus decreuit Deus beati Stepha-
ni oratione eum ad ſe trahere. Ideo apoſtolus Pe-
2.Petr.1 trus, Satagite,vt per bona opera certam veſtram
vocationem & electionem faciatis. Benè nouerat
Petrus ꝙ electi nullo modo poſſunt interire, vult
tamẽ vt ipſi bona opera pręſtent, quandoquidem
ea ſunt media,quæ Deus ſtatuit ad gloriam cõſe-
quendam. Præterea ſancta Eccleſia in miſſa defun-
ctorum ait, Domine Ieſu Chriſte rex gloriæ libera
animas omnium fidelium defunctorũ, &c. Ne ab
ſorbeat eas tartarus: ne cadãt in obſcura,ſed ſigni
fer ſanctus Micael, &c. Vbi Eccleſia pro animis,
quæ in purgatorio ſunt detentæ, preces effundit,
quas certo ſcit eſſe in ſtatu ſaluationis,& quod neu
tiquam eas tartarus abſorbebit,& quòd nec in in-
fernum cadẽt,ſed quod ſanctus Michael & angeli
ducẽt eas in gloriã,nec de hoc vlla apud fideles eſt
dubitatio. Cur igitur orat,ne cadant in obſcura te
nebrarum? Vtitur ſine dubio Eccleſia his mediis
quibus Deus ſtatuit illas animas ad gloriã peruen-
turas. Quã doctrinã appoſitiſsimo ſcripturę exẽ-
plo tibi oo oculos ponam. Promiſit Deus Abrahę *Gene.15*
ſemen eius multiplicandum eſſe:vt ſtellas cœli. Cũ
hoc promiſit,rogo,erat ne illud factur⁹,necne? Ab
ſit vt dicamus, Deum aliquid promittere,quod nõ
ſit facturus. Quod promiſit voluit, & quod voluit *Gene.26*
adimpleuit. Poſt hãc promiſsionẽ duxit Iſaac vxo
rem ſterilem,pro qua orauit Iſaac dominũ, quem
ipſe exaudiuit,atque ita Rebecca concepit. Quę ne
ceſsitas erat vt Iſaac intercederet:cum iam a Deo
eſſet promiſsũ,& aliter ſe haberi nó poterat? Qua-
re igitur orauit? Nunquid dominus erat oblitus:
aut implere non potuit promiſſum? Id certè erat,
quia ſicut Deus prædeſtinauerat hoc fieri:ita præ-
deſtinata fuerũt media & modus,quibus prędeſti
natio adimpleretur. Hoc mediũ erat oratio Iſaac,
quæ nec Deum mutauit, nec otioſa aut ſuperflua
fuit,ſed neceſſaria. Sed inſtabis præterea, & dices,
Poterat Iſaac nõ orare,tunc quæro an eſſet adim-
plenda promiſsio,necne? Si non:ergo Deus muta-
tur,& fefellit Abraham:ſi ſic,ſuperflua fuit oratio
Iſaac,qui quamuis non oraret, Deus tamen debe-
bat adimplere mandatum & promiſsis ſtare. Noue
rat Deus ab æterno ſemen Iſaac multiplicandum
fore,nouit etiam Rebeccam ſterilem futuram:prę
ſciuit Iſaac pro vxore deprecaturum, ſciuit etiam
ſe auditurum eius orationem vt tota hęc prędeſti-
natio adimpleretur. Itaque ſicut finis prædeſtina-
tus fuit,ita etiam media, quæ ſi intermitterentur,
hoc ipſum pręſcriptum fuiſſet à Deo,nec finis tũc
pręordinatus foret nec prædeſtinatus Non igitur
ſuperuacanea erat oratio Iſaac,quia ſine ea ſterilis
nõ concepiſſet:nec Abrahę promiſsio facta fuiſſet.
Impletur igitur finis, ſi media adimpleantur; nec
prædicitur implendus finis vbi media, quibus ad
finem perueniri oportet,præuidentur à Deo non
implenda. Vult igitur Deus primò, vt ab eo peta-
mus,nam nihil propter hoc amittimus,ſed potius
lucramur Secũdò verò quia humiliter de nobis ſẽ
tiamus,& efficiamur digni,vt in nos cõferat bene
ficia ſua. Tertiò vt eis mediis vtamur, quibus ipſe
decreuit nobis dare. Ideoq́ue in ſequẽtibus Chri-
ſtus ait. *Et ego dico vobis, Petite,& dabitur vobis, quæ-
rite,& inuenietis,pulſate,& aperietur vobis.* Sed ſingu-
la verba iam veniunt conſideranda. In primis verò
eſt obſeruandum ſeriò,Chriſtũ dixiſſe. Et ego di- *Matth.3*
co vobis. Hęc veba magnam ſecum autoritatem
& emphaſim habent. Audiuimus cœleſtẽ illã vocẽ
dicentem. Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi
complacui,ipſum audite. Audiamus itaque eum
dicentem. Ego dico vobis. Ego qui in ſalutem ve-
ſtram de cęlo deſcendi. Ego qui Saluator veſter &
Redemptor ſum,dico vobis,Petite,quęrite,pulſate
& eritis votorum compotes: dabitur enim vobis,
aperietur, & ꝙ quæritis inuenietis. Quapropter
ſi corda veſtra non mouet parabola promiſſa,mo-
ueat præceptum meum,& promiſsio. Poſſunt autẽ
iſta

Quid per petere, quærere & orare intelligendum. iſta diſtingui, vt petere reſpiciat actuum oris: quærere verò actum cordis: & pulſare, actum operis. Petite ergo ore, & dabitur vobis. Vnde Eſaias. Qui reminiſcimini domini nè taceatis: & detis ſilentium ei. Donec ſtabiliat, &c. Quærite etiam corde & in-
Hiere.29 *Sap.1* nietis. Ideo Hieremias ait. Quærite me & inuenietis, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro. Sapiēs etiam inquit, Quærite in ſimplicitate cordis illum: quoniam inuenitur ab his &c. Pulſate in opere. Qui enim pulſat, manu tangit & excitat. Quapro-
Pſal.76 pter Dauid ait. In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis nocte contra eum: & nō ſum deceptus. Nihil vult Deus in nobis eſſe ocioſum: ſed vt ore, corde & manibus petamus, quæramus, & pulſemus. Quemadmodum enim cātor ſecundū puncta vocem immutat: ità ſimiliter qui orat, in ſe ipſo diuerſos effectus debet ſentire, formans in corde quod cogitat: eo modo, vt priùs incipiat ſentire, quàm cogitare, & myſteria præſentabit potiùs ope-
1.Mac.13 ribus quàm verbis. Quemadmodum Simon Machabæus poſuit in ciuitate quā expugnauit viros qui legem ſpecularentur: ita tu ſagax & induſtrius debes eſſe, & tali ſapientia prædita deberet eſſe anima tua, vt opere compleret, quod cogitat: ita vt cor & lingua idem ſimul dicerent, nam aliter parum vel nihil tibi prodeſſet. Deum ore laudare, cor autem diuerſum in multa habere. Nam illis ſimilis eris, de
Matth.15 quibus ait dominus. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et ſiquidē corde, & ore, & opere es petiturus: memineris priùs, cor mundum habere. Nā Salomon priùs quàm ora-
3.Reg.8 *1.Corin.3* ret, fecit præparari & ornari templū. Sic tu qui templum Dei es (vt Paulus ait) neceſſe eſt, vt prius ſcopis contritionis munderis & dolore peccatorum, deinde verò vt lachrymarum aquis irrigeris: & denique plurima virtutum ſupellectile & ſanctis co-
Eccle.18 gitationibus imbuaris. Ideo in Eccleſiaſtico dicitur. Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe ſicut, &c. Hinc eſt quod Eccleſia ſancta quæ ſpiritu Dei regitur & gubernatur, antequam orationem dominicam recitet, præfationem apponit dicens, Præceptis ſalutaribus moniti, &c.

Pſal.76 Secundò verò ipſo ore eſt petendum: vt ait Dauid, Voce mea ad dominum clamaui, voce mea ad Deum deprecatus ſum. In hoc autem debes aduertere, vt orationes quas recitas ab Eccleſia ſint examinatæ & approbatæ.

Tertiò verò debemus petere ipſis manibus: qua
Exod.17 de cauſa dixit, Pulſate, & aperietur vobis. Nam cum Moſes manus in altum leuabat, vincebat Iſrael: aliàs vincebat Amalech. Sic orare debes manus leuando ante Deum, hoc eſt bonis operibus te exer-
Eſa.58 cendo. Tu vero dominum oras, tantummodo ore: habens manus tinctas proximorum ſanguine. Debitores veſtros repetitis, & percutitis pugno impiè
Tob.4 ad lites & cōtentiones properatis. Ideò Tobias, Bona eſt oratio cum ieiunio, &c. Quapropter Apoſto-
1.Tim.2 lus ductus hac ratione iuſsit eleuare manus ſanctas ſine ira & diſceptatione. Et ad quoſdam dicebat,
Hebr.12 Demiſſas manus & diſſoluta genua erigite. Clama
Rom.12 ad dominum (vt ait Apoſtolus) orationi inſtando & perſiſtendo. Offer tuam orationem mundam ab omni inquinamēto peccati, & exaudieris. Quapro-
Exod.12 pter in lege iubebat Deus vt agnus illi oblatus omni careret macula. Sed prohdolor, nam ſunt multi illis ſimiles, qui in domo Pilati corā Chriſto genua flectentes ſalutabant eum, & dicebant, Aue Rex Iudæorum: cùm verò ſurgebant, faciem eius alapis cæ *Matth.27*
debant. Ita nimirum tu in Eccleſiam oraturus venis, & Deū ſalutas ſanctis orationibus & precibus: poſteà verò foras egreſſus, quem ore laudaſti, operibus inhonoras, & mille conuitiis laceſsis. Nec mirum vt id extra Eccleſiā facias, ſiquidem intra eam preces ore effundens, oculos vanos & mentem conjicis, quo vtique grauiter Deū offendis: quod ſine digna animaduerſione non ſilentio præteribit iuſtiſsimi illius iudicis, qui corda hominum ſcrutatur, & id meritò, cùm in ipſa oratione eum iterum crucifigas. Attēde igitur ne in oratione diffuſus ſis, nec mentem diſtrahas in varias cogitationes: ſed quē ore petis, corde & operibus ſuſpicias, & venereris, cogitationem tuam in ipſum erigens: adeò vt vita, cor, & os ſibi inuicem aſsimilentur. Nam oratio eſt quædam eleuatio mentis in Deum. Qui igi- *Oratio quid.*
tur fieri poteſt, vt tuam mentem & cogitatū in Deū eleues, ſi in rebus huius mundi vilibus atque abiectis ſubmerſam habes? Porro intellectū hîc accipe, prout comprehendit duplicem vim ipſi animæ rationali genuinam: quarum vna eſt motiua, altera verò apprehēſiua. Apprehenſiua dicitur intellectus ſpeculatiuus, motiua intellectus practicus. Ad Deū aſcendit cum hac conſideratione humanorum defectuum, ad conſiderationem boni ſufficientiſsimi, vt tranſiens illos defectus ſuppleat. Et innuitur in hoc modus, quo debet procedere, qui vult orare. Deinde aſcendit ad eius liberalitatem, qui hoc poteſt ſupplere. Vnde Salomon templo iam ædificato dixit. Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & ex- *3.Reg.8*
tenderit manus ſuas in domo hac: tu exaudies in cœlo. Intellectus practicus ad Deum aſcendit deſiderio & ſpe, de eius liberalitate confidens, ſuum deſiderium eſſe adimplendum. Ideoque oratio vocatur petitio.

¶ Poſtremò ad horum verborum maiorem dilucidationem, aliqua obſeruanda ſunt.

Primùm ſcilicet, tot verba Chriſtum in hac re *Oratio nobis maximè neceſſaria propter infinita noſtra pericula.*
conſumpſiſſe. Petite, quærite, & pulſate: vt facile pateat, nos in grauiſsima & extrema verſari neceſsitate, quos tam anxiè Chriſtus petere docet. Alioqui ſi exigua eſſet noſtra neceſsitas, nō tantis verbis ad petendum ſtimularet. Nam ſi nudi ſumus, ſi infirmi, ſi hoſtibus circundamur, ſi mille periculis inſectamur, ipſa natura nos petere docebit, pulſare, & quærere. Quid neceſſe eſt illud præcipere? Hîc facilè videbis, quanta & quā magna ſit noſtra cæcitas: quos tantis calamitatibus oppreſſos nec natura docet, nec neceſsitas ſtimulat, nec Chriſti præceptum ad petendum inuitat. Facilè poteſt quis deſperare de infirmo, ſi cibum ſemper faſtidiat: & de milite inermi, ſi fortiſsimos hoſtes non timeat. Ideo Chriſtus tot verba conſumit, dicens, Petite, quærite, & pulſate: vt torporem noſtrum & ignauiam excitaret.

¶ Secundò verò eſt obſeruandum, quòd ei rei, quam peti iubet, nullum imponit nomē, Dei quippe auxilium, eius gratia: æterna illa beatitudo, verbis explicari nō poteſt. Nec oculus (inquit Paulus) *1.Cor.2*
vidit, nec auris audiuit, &c.

¶ Tertiò notāda venit Chriſti liberalitas & munificentia: vt præcipiat petere, qui nimis optat dare: & hoc non contentus, docet, quomodo petendum ſit: beneficia cumulat, qui poſcendi modum & *Chryſ. hom. de Moſe.*
normam erudit: cupit largiri, qui deſiderat poſtulari. Ille ſuadet, qui præſtat: ille hortatur, qui donat: & occaſiones dandi exquirit qui liberalis ſemper,

largus & munificus largitor esse consueuit.

¶ Quartò cùm dicit vt nos ab eo petamus, seipsum ostendit & designat auxilium & refugium, vt nostris necessitatibus ad ipsum recurramus: vtpote
Psal.45 qui Deus est nostrũ refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Cùm nostram Deus induit naturam, omnia se fecit, quæ necessaria erant, vt hominum necessitatibus subue-
1.Cor.9 niret. Si omnia factus est Paulus omnibus: quanto melius Christus? Quid obsecro tibi est opus quod Christus non habeat, vt tuæ necessitati consulat? Quòd si respóderis. Est mihi opus vita. Ipse præsto
Ioan.14 inquit. Ego sum vita. Si dixeris opus est veritate: inquit ipse, Ego sum veritas. Si dixeris, opus est via, ait ipse, Ego sum via. Si verò corporis & animæ oculis carueris, quæ lumina sunt pretiosissima, quæque nullo auro aut argento possunt comparari: ipse est lux adeò splendens & micans, vt inaccessibilis dicatur. At si intellectu fueris priuatus (quod miserabilius est & lamento dignissimum) offeret sese
Psal.118 statim dicens. Intellectum tibi dabo. Denique si mi-
Ioan.6 nisterio panis & vini indigueris, ipse tibi aderit præ-
Ioan.14 sens dicẽs, Ego sum panis vitæ. Ego sum vitis vera.

¶ Quinto debes attentè considerare, quantum & quàm magnum sit beneficium, vt Deus nos inuitet, vt ab eo petamus: nam statim tenetur ad solutionem & complementum petitionis, & ex voluntario facit obligatorium, & ex libero necessarium. Nam quemadmodum ab eius æterna voluntate prouenit, quod ipse nobis promittat dare, ea quæ non attingunt nec merentur opera nostra: ita iustitia ipsius diuina postulat, vt quod semel promisit adimpleat. Videbis enim Paulum quodam loco di-
Rom.8 centem. Non sunt códignæ passiones huius sæculi,
2.Tim.4 &c. Altero verò loco insurgit dicens. Reposita est mihi corona iustitiæ. Non ob aliud, nisi quia hæc duo extrema verbum Dei tangit, quod dicẽs, promittit & adimplẽs facit. Liber ipse est, quia id vult, necessarium verò, quia promittit: atque ita omne suum regnum in discrimẽ exponit ad sui verbi ob-
Luc.21 seruationem, dicens, Cœlum & terra transibũt, &c.

Omnis enim qui petit accipit: & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.

O mirabilis Christi benignitas & clemẽtia nunquam satis dignis laudibus commendata: qui tot modis nos ad petendum exhortatur: fiduciam nobis præbens, quod adimplebuntur petitiones nostræ. Et ne putaremus solis discipulis id dixisse, vniuersalem adiungit promissionem iustos & peccatores ambiẽtem. De illo scilicet genere intelliges, de
Luc.13 quo anteà diximus: nam infrà Christus dicit. Contendite intrare per angustam portam: multi enim quærent intrare & non poterunt. Ideò Christus hîc non absolutè dixit. Omnis qui petit accipit, sed qui quærit, qui pulsat, & in petitione non defatigatur,
Luc.15 nec deficit. Illa quippe mulier drachmã quam perdiderat, non inuenit: nisi postquam totam domum lustrauit. Quapropter intelligitur, omnis qui petit, id est, si piè & debitè petat. Ideo dominus per Ioã-
Ioan.15 nẽ inquit, Si quid petieritis patrẽ in nomine meo: dabit vobis. Non debemus petere in nomine nostro, hoc est propter merita nostra: nam vt inquit
Dan.9. Daniel. Non in iustificationibus nostris prosterni-
Iacob.4 mus preces nostras, alioqui non dat, sicut Iacobus inquit, Petitis & nõ accipitis, eo quod male petatis. Similiter qui quærit inuenit, si debitè & diligenter
Deuter.4 quærat: iuxta illud Deuteronomij: Cum quæsieris dominum Deum tuum inuenies illum: si tamen toto corde quæsieris & tota tribulatione animæ tuæ. Illud etiam considerare debes: quod si Christus toto suæ vitæ discursu te multis laboribus, variis periculis, etiã cum vitæ discrimine quæsiuit, & non potuit inueniri: qui fieri poterit, vt tu illum inuenias, nulla adhibita diligentia & industria remissè & tepidè illum quærendo in mundi vanitatibus atque deliciis? Omnis enim qui petit, accipit: qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Sed iam vltra procedamus, & videbimus Christum per locum à maiori arguere: vt ostendat qua fiducia Deus sit inuocandus.

Quis autem ex vobis patrem petijt panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem?

Nequaquam. Ex his igitur similitudinibus concludit Christus dicens,

Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona dare filijs vestris, quanto magis pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?

Eo vsque peruenit Christi benignitas & humanitas, vt multis exemplis vna atque altera posita similitudine nobis animum & vires addat, vt ipsum petamus. Nam sine dubio cùm nulla sit collatio inter homines & Deum (insaniret enim qui id cogitaret) sine modo, sine vlla mensura ipse plus nos diligit, quàm parentes suos filios. Si igitur parentes qui longè distant à Dei bonitate & clementia, nec ita anxiè & solicitè diligunt filios, sicut Deus nos, non lapidem pro pane tribuunt, neque serpentẽ pro pisce, nec scorpionẽ pro ouo: multò minùs Deus hęc vobis subministrabit, sed suũ spiritũ, quo sancti sitis & immaculati. Quis obsecro nomen imponet largitati patris diuinæ, qui petentibus spiritum sanctũ donat? Hîc nãque de illo spiritu loquitur de quo in Psalmo. Spiritus tuus bonus deducet Psal.142
me in terram rectam. O rem admiratione dignissimam, & dignis laudibus commendandã. Nonnè satis esset, pro nobis proprium tradidisse filiũ eundẽ- Ioan.3
que nobis dedisse (filius enim datus est nobis) sed Esai.9
etiã Spiritũ sanctũ dedit: quasi Spiritus sanctus es- Sap.7
set res aliqua vilis, vel homo, aliquid magnũ & nobile. Datur spiritus non in hostem aut iudicem: sed vt omnia bona simul cum illo nobis adueniãt. Da- Esai.50
tur denique sine auro argentouè, nulla facta commutatione.

¶ Præterea homines vocauit malos, non quidẽ malitia naturæ, sed imperfectione. Nam in cóparatione Dei, quis bonus esse potest? singuli homines cum ipso collati mali apparent. Sicut omne lucidũ collatũ cum sole obscurũ videtur, vt ait Iob, stellæ Iob.25
non sunt mundæ in conspectu eius, idest, in comparatione, quantò minùs homo qui putredo est: & filius hominis vermis? Nemo bonus nisi Deus: nos Luc.18
autem coram ipso immũdi: mille maculis coinquinati, & iustitiæ nostræ omnes tanquam pãnus men- Esai.64
struatæ. Secundò dici potest, quod accipitur malitia omnium hominũ non pro actuali malitia, sed pro inclinatione & aptitudine ad malum: quod vocamus fomitem, ipsis hominibus innatum.

¶ Obserua etiam diligenter verba textus, nam dicit, Pater dabit bona petentibus se. Si igitur non datur, quod petis, sine dubio non postulabas bonũ: aut aliud dabit, quod sit bonum ipsi petenti.

¶ Denique per spiritũ non solũ intelligit tertiã Trinitatis personam, sed omne bonum spirituale, & cæle

cœleste per nomen Spiritus sancti intelligatur: quia Spiritus sanctus fons est & origo totius boni: Et vocat omne donũ spirituale spiritũ bonũ: quia Spiritus sanctus est primum bonum, in quo omnia dona nobis dãtur. Docet præterea & declarat his verbis quid sit petendum, nempe spiritualia, quæ vera bona sunt, stabilia, & perfecta. Pete cœlestia: quæ Deus non negabit, terrena desine quæ vile stercus sunt, puluis & lutum. Quære primum regnum Dei & iustitiã eius, quia hæc omnia adiicientur tibi. Nõ enim vidi iustum derelictum, nec semen eius quærẽs panem. Filiis Zebedæi, qui honorem periturum postulabant, dictum fuit, Nescitis quid petatis. Nec ideò credas nos velle dicere, vt temporalia non petas: sed ea lege pete, vt ipsis tãquam mediis melius & aptiùs Deo valeas inseruire: non autem vt ea cõstituas tanquam tuum vltimum finem. Nam si petimus vt ratio ipsa iubet, procul timor absit, quod Deus petita neget: quandoquidem ipse nos docet quomodo sit petendum, iubet, præcipit & orat. Adeo nos diligit, & amores nostros cupit.

Matth.6 Psal.36 Matth.20

¶ Si verò exemplar desideras, vt ad eius modũ tuam cõponans & ordines orationẽ, nõ alibi, quàm à muliere illa Cananæa tibi petẽdum erit. Quatuor quippe leges, quibus recta oratio muniri debet, illius oratio habuit. Primò domum suam exiuit. Sic tu debes obliuisci domũ patris tui, relinquẽs vitia, sordes & peccata: nã cum murmure & strepitu negotiorum mundi non audit te Deus. Cananæa hæc domum egreditur, & in agrum proficiscitur. Veni dilecte mi egrediamur in agrum. Sic Christus oraturus ascendit in montem: non quia ipse hac solitudine indigebat: sed vt nos erudiret relicto mundo in solitudinem abire, quod Cananæa fecit. Regina Sabba non meruit sapientiam Solomonis audire, nisi relicta domo & regno mare transiret. Iacob cũ primum exiuit à domo Laban: fuit obuiam angelis. Sic Moses, Helias & alij plurimi sancti viri orare consueuerunt.

Matth.15 Cant.7 Luc.6 3.Reg.10 Genes.32

¶ Secunda orationis cõditio, est reuerentia, quã præstare tenetur ei quem orat: est quippe Deus tanta reuerentia dignus vt ante eius cõspectum etiam ipsi angeli & cœlestes spiritus deficiant: nec debito honore Deo possunt satisfacere, & hinc nos videbimus, quàm inutiles sint homines quamque inepti, vt Deum valeant debitè honorare. Sed iam cùm debitum hoc plenè non possimus exsoluere saltim vites nostras & omnem conatũ ad id adhibeamus. Dauid sanctus cum summam reuerentiam cõtemplaretur, quæ meritissimo debita est Deo, dixit, Ego autẽ in multitudine misericordiæ tuæ adorabo ad templum sanctum tuum. Et Abraham. Loquar ad Dominum meũ cum sim puluis & cinis. Isti reuerenter petierunt, & steterunt coram illo, quẽ debita adoratione angeli colunt, & ante cuius conspectum Dominationes & Potestates tremunt. Si nobiles & magnates mundi debitè alloqueris & veneraris: quantò meliùs cum ipso Deo hoc deberes efficere? Videbis enim publicanũ illum quia reuerenter petiit in templo, nec se dignum iudicabat, vt leuaret oculos in cœlum, exauditum esse: Pharisæus vero quia id non præstitit, inanis rediuit. Et quanti veneratio hæc apud Deum habeatur, Christi exemplum ostendit: qui deuotissimè procidens super faciem suã orabat: sic adeò vt dicat Paulus. Et exauditus est pro sua reuerentia. Sic etiã Cananæa adorauit eum dicens, Domine adiuua me, &c.

Psal.5 Gen.19 Luc.18 Matth.26

¶ Tertia conditio illa est, vt eum perseuerantia postulemus. Deus quippe statim petitionibus nostris non acquiescit, vt nos magis dignos meriti faciat, vt iam in superioribus ostendimus. Altera verò ratio quare statim nos non audiat, ea est, vt talionis legem nobiscum exerceat: nam quemadmodum tu obturatis auribus Deum vociferantem nõ audisti: ita etiã ipse velut surdus & non audiens tuis petitionibus efficitur. Vnde per Sapientem inquit. Vocaui & renuistis, &c. Tunc inuocabũt me, & ego non exaudiam. Ideoque si aliquando tu à Deo non exaudiris, maturum tibi & sanum erit consilium, vt in id coniicias, an tu in audiendis eius inspirationibus illi sis ingratus: quò fiet vt in posterum tibi ipsi caueas, & Deum magna reuerentia auscultes. Nam ipse promptissimus est & paratissimus, vt te exaudiat: etiam si tu multoties occasiones tribuas, vt ipse suas aures obturet. Atque ob id Esaias. Ecce non est abbreuiata manus domini, vt saluare nequeat: nec auris eius aggrauata est, ne exaudiat: sed iniquitates vestræ, &c. Et Ieremias. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es. Tertio non ita cito Deus respondet, nam forsitan nos principio id non petimus quod decet, posteà vero persistentes rectiùs dirigimus petitionem nostram. Quapropter Sapiens. Melior est finis orationis, quàm principium. Sic contigit Cananææ, quæ in fine orationis meliùs petit, dicens, Domine adiuua me. Iudex ille etiã si malus esset, cũ vidua illum afficeret molestia & importunitate, iustitiam fecit. Hoc Christus in illa parabola docuit, & in suprà allata de amico qui tres panes petiit: nimirum vt perseueranter & indefessè postulemus.

Prou.1 Esai.59 Thren.3 Eccle.7 Luc.18

¶ Quarta conditio est: vt confidenter petamus. Tunc enim magna fiducia postulamus, cum de nobis nihil præsumimus nec confidimus: de Deo autem maximè. Iacobus quippe ait. Postulet in fide nihil hæsitans. Nam sine fiducia orare, est de te deque tuis meritis præsumere: quæ quidem detestanda est superbia. Vnde Iudith domino dixit, Tu cui humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Daniel etiam. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi domine, placare domine, attende & fac. Omnia iste à Deo iudicabat prouenire: nihil autẽ à se, & ita nihil confidebat ex sua parte, credens nihil boni se habere, quo mereretur à Deo exaudiri. Sic Cananæa: Catelli edunt de micis, &c.

Iaco.1 Iudit.9 Dan.9 Mat.15

¶ His ergo circunstantiis oraturi debemus accedere: vt Deus suum sanctum spiritum nobis tribuat. Sed iam de his satis, vt ad contextum reuertamur: vbi noster Lucas egregium Christi miraculum narrat, & mirabilem disputationem cum Pharisæis habitam. Postquam posuerat orationis documenta, miraculũ narrat expulsionis dæmonis: quia hic est vnus effectus orationis. Hoc genus dæmonum non eiicitur nisi ieiunio & oratione. Ait ergo Euangelista. *Et erat eijciens dæmonium.* Inter preclara & excellentia facinora quæ Christus venit in mundum facere & prædicare (vt diuus Ioannes Euangelista de eodem inquit) illud est vnum, scilicet, à cœlo descẽdisse, vt opera diaboli solueret, & dilueret. In hoc (inquit) apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Opus quidẽ dæmonis fuit peccatũ, mors, & innumeræ aliæ miseriæ & ærumnæ: quæ ab ipso peccato tanquam à proprio fonte deriuantur.

Expulsio dæmonum effectus orationis. Mat.9 1.Ioan.3

Sap.2 Gen.3 Inuidia enim diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Nam in terreno paradyso dæmonis persuasione primi nostri parentes in peccatum illud miserandum inciderunt. Cùm igitur munus filij Dei esset, dissoluere dæmonis opera, certum illud est: quòd nisi primus homo in peccatum lapsus fuisset saltim in carne passibili, ipse non venisset. Sed iam quod Christus in mūdū venit, vt diabolū destrueret, & ipsius opera labefactaret: conueniens videbatur, antequā seriò cum eo manus cōsereret, vt in pugnæ simulacrum ingrederetur, & aliquos congressus cum eodem haberet: vt vel sic illi ostēderet, quā potentiam & imperiū aduersus eum gereret. Quod clarè ostendebat eiiciens dæmones à corporibus tanta maiestate, vt vel sic ipse dæmon intelligeret, ab ipsa anima esse eiiciendum, & à regno quod tyrannide vsurpauerat. Nunc iudiciū est mundi, nunc
Ioan.12 princeps huius mundi eiicietur foras. Cum igitur Christus munus sibi commendatum exerceret, ait Lucas, quod erat Iesus eiiciens dæmonium.

Christus inimicus diabolo propter inuidiam quam habet contra nos. ¶ Sed quid obsecro mali diabolus in Christum contulerat, vt tantum atque tam hostile bellū semper aduersus ipsum gerat? Priùs enim è cœlo ignominiosè eiecit: nunc autem quietus cum sit à corpore hominis repellit. Persequitur Christus eū, qui nobis semper omne malum molitur, quinque mille
Eccl.9 laqueos tendit, vt nos, quasi pisces hamo, capiat. In quo quidem deberes perspicere quantū nos Deus diligat, qui inimico nostro inimicissimus est, & eū odio prosequitur propter mala quæ nobis quotidie infert. Nunquam dæmon aliquo malo Deum læsit, nec id potest facere: nec eius honorem minuere aut labefactare, nec bonorum eius aliquid diruere. Quid est igitur quod Deus illum persequitur, & à suo nunc domicilio illū eiicit? Non certè ob aliud nisi quia noster inimicus est. Sicut cum inter duos magnates inimicitiæ aguntur, alteri illorum rex diceret: Quare inimicus meus es? & ille responderet, absit, vt aliquando talis insania mentem meā subeat, tuncque rex subiungeret: Cum tali nobili sis inimicus: mihi eidē inimicissimus es. Magnus quidem honor tali esset, & ingēs beneficium hoc esse, iudicaret. Ità Deus noster (cuius amicitia & amor cum regum amore neutiquam est conferendus) non ob malum, quod dæmon ipsi infligit sed propter id q nobis immittit, illi inimicissimus est. Sed proh dolor: quam malè, sinistrè, & aduersè Deo hoc beneficium soluimus: qui (si in nostra potestate situm esset) laudem & honorem Deo raperemus mille iniuriis, flagitiis, & blasphemiis.

Abusus paulatim & successiuè tollendi. ¶ Diligenter etiam animaduertes, quòd non dicit hîc Lucas Iesum eiecisse dæmonium, sed quod erat eiiciens dæmonium: nam quanuis virtus diuina in instanti operetur, voluit tamen paulatim eiicere, vt ostēdat vitia qui mali mores sunt, paulatim esse expellenda, non autem omnia simul: vt vel est hoc loco prælati discant, non raptim & in ictu oculi malos subditorū mores velint exterminare, quod erit arcum adeò flectere & intendere, vt potiùs frangat, neque ex vno extremo in aliud velit peruenire: quod erit omnem simul conuentum euertere & destruere. Et ad hoc multum prudentia præstat.
Deute.24 Ita Moses permisit Iudæis libellū repudij, nō quòd bonus esset: sed vt permitteret illorū imbecillitatē.
Mar.8 Secundò erat eiiciens dæmonium paulatim, sicut curauit cæcum illum, de quo Marcus scribit. Idque facit in nostrū solacium, ne aliquis desperet de misericordia & liberalitate Dei, nec animi patiatur deliquium: si statim suas petiones non adimpleuerit. Non est quippe parui æstimandū beneficium, quòd Deus paulatim nostris infirmitatibus medeatur, & quòd eas ita velit curare. Sic Deus paulatim eiecit gentes à terra promissionis, nè si simul eiiceret, fieret desertū: vbi multæ bestiæ feræ & immanes procrearentur, quæ populum suum deuastarent. Quo voluit nos intelligere minus laboris esse aduersum homines corporibus bellare, quàm aduersus feras ipsas. Non enim vult Deus sine nostro labore omnia vitia tollere quæ vitiosæ passiones sunt repugnantes intētioni nostræ: nā melius est cōtra stimulos carnis (quæ tentationes humanæ sunt) bellum gerere: quàm destrui à stimulo elationis & superbiæ, quæ tētatio est diabolica. Nam apostolo Paulo nō fuit sublatus stimulus carnis, vt elatione diaboli careret: posteà verò vnum atque alterum fuit sublatū. Nemo repente fit summus. Nolimus enim cœlum sine scalis ascendere: nec diffidamus si cùm adhuc tyrones & nouitij simus in Dei seruitio defectus in nobis ipsis sentiamus: nam qui præclari & eximij in sanctitate excelluerunt, post multos annos consumptos in virtutum exercitio ad culmen sanctitatis & perfectiōis deuenerūt. Paulatim quippe Deus dæmonem eiicit à corpore huius, & paulatim tuas prauas inclinationes fugabit. Expende etiā quàm humanus, benignus & misericors Christus ostenditur erga afflictos: licet quandoque multi intempestiuè venirent, vt Matthæus commemorat, vt etiam noctu ad eum languidi adducerentur: nonnulli autem importuni erant, vt salutem cōsequerentur, sicut Cananæa & illi duo cæci. Christus autem erga huiusmodi pauperes non se grauem & asperum ostendit, vt facere consuescunt diuites & magnates, qui vel oculos dedignantur in pauperes conicere: propter quod Christus grauiter in eos animaduertet, vt licet videre in fine huius capitis aduersus pharisæos & legis peritos. Arguet eos acriter Dominus, qui nunc tam benignè dæmonē propellebat. Mundus verò longè alium morem obseruat, qui erga diuites & potentes humanus est, & officiosus: pauperibus verò durus & iniquus: quos nedum videre potest. Venit Christus, vt omnibus hominibus auxilio esset: ideo medicinam suam applicabat iuxta necessitatem vniuscuiusque. Inopiæ enim, ægritudini, afflictioni, peccato etiam & deprauatæ conscientiæ admista est tristitia, pusillanimitas & desperatio. Putant enim isti quemadmodum & ab hominibus ita à Deo etiā cōtemni & derelinqui: qui certè consolatione indigent, & benignitate & māsuetudine Christi opus habēt. Hoc satis ostenditur fecisse Saluator illi cui tā blādè est loquutus dicens, Fili remittuntur tibi peccata tua. Et cæco in itinere Hierico. Quid vis vt faciā tibi? Et (vt eius mos erat) omnibus aliis miseris & afflictis mira suauitate loquebatur. Econtra autem diuitias & potentiam sæpè comitari solet ambitio, præsumptio & sui ipsius amor. His vitiis qui laborant, & humiliari, & diuino iudicio deterreri debent, vt intelligant, se peccatores esse, & multis flagitiis coopertos, nec sperēt in incerto suarum diuitiarum discrimine, nec in potentiæ magnitudine: sed intelligant se nihil habere quod à Deo non acceperint. Hac de causa Christus diuitibus & elatis pharisæis asperitatem ostendit: huic verò, qui vexatione dæmonis laborabat pius, misericors & benignus, ostenditur.

[Right margin notes: Iosue 8 · 2.Corin.12 · Mat.9 · Mat.15. · Matth.20 · Matth.9 · Luc.18 · 1.Tim.6]

tur. Sed quid de dæmone illo Lucas dicat audiamus.

Et illud erat mutum.

Ab effectu dicitur mutus, quia ipsum hominem mutum efficiebat. Atque ita aliquãdo soliti sumus diem tristem appellere, non quod dies tristis sit: sed quod nobis tristitiam inferat. Et sic venit intelligendus locus ille Pauli, spiritus ingemiscit: nõ quia spiritus flereaut ingemiscere possit, cùm Deus ipse sit: sed quia efficit, vt anima, quam ipse possidet, sua peccata plangat & lamentetur. Sic lignum illud quod Adam sibi & nobis amarè degustauit, lignum mali dicitur, non quod malum esset (nam omnia quæ Deus condidit bona erant) sed quia malum fuit homini propter transgressionem præcepti. Sic etiam cibus aliquis, vel medicina sana aut infirma dicitur: quia ægritudinem aut sanitatem causat. Et hoc modo (vt diuus Gregorius interpretatur) intelligitur illud quod de Iuda dicit Petrus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis. Iudas quippe non poterat possidere agrum emptum Christi pretio, qui iam obierat: sed dictum est, possedit, idest possidere fecit. Et sic vsitata loquutione sacri eloquij videre Dei dicitur, id est videre nos facit. Sic dominus iusto viro dicit. Nũc cognoui quod timeas Deum: hoc est, cognoscere te faciam. Et in Deuteronomio. Tentat vos Deus, vt sciat an diligatis eum, id est, vt scire faciat. Et Augustinus exponit illud Pauli, Misit Deus spiritum filij sui clamãtem idest, facientem clamare. Ita intelligendum est illud Pauli ad Romanos, Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, idest, postulare facit. Ita exponit beatus Augustinus. Igitur dæmon hîc mutus appellatur, quia hominem mutum & elinguem efficiebat. Etiam nunc dæmonium mutum appellatur. Quando aliqui duo homines sunt confabulantes, & alius statim inopinatus aduenit, qui eleganti & subtili sermone loquelam incipit: reliqui vero muti & elingues effecti, eloquentem attentis auribus auscultant. Sic Iob loquens de sua sermonis elegantia in tempore prosperitatis dicebat. Principes cessabant loqui, & digitum superponebãt ori suo, vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Sic etiam nostra hac tempestate principes tenebrarum (qui dæmones sunt) muti & balbutientes efficiuntur, nam sunt multi homines, & fœminæ qui elegãtissimè & acutissimè loquantur. Nam quando dæmon callidus & astutus in paradyso terreno mulierem, quam delusit, est alloquutus, nullæ erant linguæ Toletanæ nec in curiis Regum versatæ. Nunc verò hominum linguas serpentinas inuenies gladio bicipiti acutiores, qui diaboli fraudibus & cõpositis rationibus honestas virgines, & castas mulieres fallunt, & à perfectissimo statu eas deturbant. Nunquid deficit dæmon, aut eius absentia sentitur, vbi internuncia adest, quæ blando sermone & dæmonis facie: quæ nec dæmon ipse cogitat, ipsa opere complet? Si dæmon aliquem hominem litem agentem voluerit fallere, per quem melius id poterit præstare, quàm per aduocatũ aut procuratorem? Si verò voluerit alicuius famæ detrahere, aut eius honoré minuere: nouit ne dæmon ipse ita benefacere, sicut multi nunc faciunt? Adeo vt suis linguis nullus gladius quantumuis acutus vllo modo sit conferendus. Vnde Psalmista. Ecce loquentur in ore suo, & lingua eorum gladius acutus, loquentur (inquit) in ore suo. Non explicat quid est, quod loquuntur, nã quidquid huiusmodi hominibus libuerit, id de te prædicabunt. Nunc te concubinarium, nunc vsurarium, nunc detractorem, nunc denique (si ira vel furor eorum oculos obcæcauerit) te reipublicæ vnicum euersorem appellabunt. Quid est igitur, quod dæmon loquatur, vbi tanta pestis in republica grassatur? Et ideo ait, quod erat mutus. Matthæus ait, quod etiam erat cæcus: Et diuus Chrysostomus, quod etiam erat surdus. Ex quibus omnibus clarius cognosces, quanta & quàm ingentia mala nobis dæmones inferant. A prima mundi conditione dæmon hominem ipsum persequitur & plusquam hostile bellum cum eodem gerit. Sic nos odit, & execratur: nunc autem quoniam suspicabatur (quod nunquam certò sciuit) Christum venisse, vt damnum illi inferret: nunc vehementiùs cœpit nos ipsos persequi. Et hinc euenit, vt nullo vnquam tempore tot dæmoniaci fuerint, quàm tempore Christi.

¶ Sed statim percontaberis. Cur diabolus sic hominem persequitur, vt est videre in homine isto cæco, muto & surdo, & in aliis multis: & nobis etiam mille machinis, laqueis & compedibus damnationem molitur? Propter duo. Primum propter odium Dei. Nam peccans induratus mansit in odium Dei. Scit enim ipse, quod voluntas Dei est, nos beatos efficere, & quod nos summo amore & charitate prosequatur: ne autem voluntas Dei in nobis adimpleatur: curat nostram iustificationem impedire, propter odium, quod in Deum habet ratione iustitiæ punitiuæ. Secunda ratio, ob quam nos persequitur, est vt differat & procrastinet diem iudicij, ne sua maiõr pœna tam citò adueniat. Dæmones nãque etiam si à cœlo ceciderint, non omnes in infernum sunt detrusi: nam etiamsi ibi multi sint, qui igne torquentur, & ipsi tortores sunt animarum: nihilominus multi in aëre remanserunt, qui in carcerem datus est illis vsque in diem iudicij, in quo eorum habitatio erit infernus. Sic in tremẽda illa die Christus peccatoribus dicet. Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius. Vbi si attentè volueris animaduertere, inquit, Paratus est diabolo. Ex quo sequitur nondum in ignem illum intrasse: in quo tamẽ cùm tempus illud aduenerit punietur. Sic quidam dæmones (vt refert Lucas) Christo dixerunt. Iesu fili Dei excelsi, ad quid venisti ante tempus torquere nos? Putabant isti iam aduenisse diem iudicij: cumque citiùs illis videretur, hoc dicebant. Qui dies non adueniet, quousq; numerus electorum adimpleatur. Sic in Apocalypsi dicitur, Vidi sub altare Dei animas interfectorum, &c. Et acceperunt diuinum responsum. Expectate modicum, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Naturà enim animæ, vnionem corporum appetunt: & hoc à natura insitum desiderium dicebat Ioannes esse illas voces & clamores: quibus Deus respondit. Expectate donec sedes impleãtur, quas amiserunt mali angeli, tùncque numerus electorum adimplebitur. Cùm verò numerus hic perfectus iam & absolutus fuerit, dies adueniet iudicij in quo bonorum corpora in generali resurrectione simul cum animabus gloria fruentur. Quod omne præclarè psalmo illo ostenditur. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, &c. Cùm igitur dæmon dif-

Margin notes: Roma.8 — Genes.3 — Grego.libr.9. mor.c.29 — Actu.1 — Genes.22 — Deut.13 — Aug.libr.2 de bono pers. capit.23 — Rom.8 — Aug.libr. de orãdo Deum ad Probam. Epist.121.ca.5. Et de anima & eius origine.libr.4 ca.9. & cõtra Ser. Arrian. cap.25. — Iob 29 — Psal.63 — Matth.12 Chrys.hom.41 in Mat. — Diabolus nobis inimicus duabus de causis. — 1.Thess.4 — Dæmones nõ omnes in inferno torquẽtur. — Matth.25 — Luc.4 — Apoc.6 — Psalm.109

ferri velit diem iudicij, vt sic maiorem pœnam differat: nostram salutem eis quibus potest viis impedit ne dies iudicij adueniat, quando ipse in infernũ sit detrudendus, & grauissimè puniendus. Sed væ nobis, qui quantò minùs nostræ consuluerimus saluti, tantò remissius & pedetentim numerus electorum adimplebitur: atque ita dies iudicij tardiùs adueniet: quem dæmon grauiter timet. Et hoc ipse

Diaboli intentio.

intendit, cum nos suis tentationibus aggreditur: atque ita non tam anxiè & solicitè nostram damnationem desiderat, quàm quòd nos salui non simus. Nam ex eo, quòd nos damnemur nihil commodi ille consequitur, nec ipsi aliquid pœnæ remittitur, sed potiùs dolor quidam accidentalis illi de nouo aduenit. Nam quemadmodum cum quis cœlum ingreditur, omnes cœlestes ciues gaudent & lætãtur, quia gaudium sit super vno peccatore pœnitentiam agente: sic cum aliquis damnatur, omnes infernum habitantes tristitia quædam operit. Et ideò diues ille edax dixit Abrahæ. Habeo quinque fratres, &c. nè veniant in hunc locum tormentorum. Et hoc non faciebat charitate motus, sed nè maior pœna illi adderetur. Itaque dæmon non vult, nec desiderat damnationem nostram, (quandoquidem ex illa potiùs damnum, quàm lucrum illi sequitur) sed vult ne salui simus: nam si multi salui fiunt, citiùs bonorum numerus adimplebitur: quo ipse in inferno statim torquebitur in æternũ, atque ideo nostram salutem conatur impedire. Et hoc voluit Christus, vt intelligeremus, quando de eo loquens in parabola seminantis, dixit. Venit diabolus, & tollit verbũ: ne credẽtes salui fiãt. Vbi clarè vides, quòd nõ dicit, vt dãnentur: sed ne credentes, salui fiant. Et quamuis verum sit, quòd qui non saluantur, damnentur: tamen præcipuè intendit ne saluentur: ne cito illi adueniat malum, quod timet. Nã tolerabilior est illi pœna illa accidẽtalis, quam in dãnatione alicuius patitur: quàm pœna illa sensus & tormentũ, quod in inferno habebit. His igitur duabus rationibus tãquã crudelis inimicus nos persequitur, & acriter tentat. Et cùm animam nostram non potest lædere, corporibus mala infert: & rem & substantiam destruit & diruit: vt fecit cum ingressus fuit multitudinem illam suum, quos suffocauit: & etiam cum patientissimum Iob acutè tẽtauit, & cum læsit, & omnem eius substantiam & cuncta bona funditus euertit. Et omnia hæc non ob aliud facit, nisi vt animam nostram lucretur, si potest, propter aliquam impatientiã, vt in peccatum dilabamur, ne ad beatitudinem perueniamus. Atque ita hac persequutione, qua nos persequitur, hunc miserum hominem torquebat.

Luc 15 · *Luc.16* · *Luc.18* · *Matth.8* · *Iob 1*

Diabolus quare spiritus Domini appelletur. *Matth.8* *1. Reg.16*

¶ Obserua autem, quòd tormenta huic homini inferebat licentia & permissione diuina. Nam adhoc, vt suum corpora ingrederentur, priùs à Christo licentiam impetrarunt. Spiritus Domini malus (inquit scriptura) exagitabat Saulem. Vocatur spiritus Domini, quia creatura eius est, & minister illius, & ei subditus: atque adeò astrictus ipsius mandato, vt sine Dei licentia ne folium arboris concutere queat. Et hanc licentiam, tam in malos quàm in bonos Deus concedit. Sanctus & rectus corde erat Iob, qui tamen à dæmone grauiter fuit tortus: id tamen factum fuit non sine Domini licentia. Cuius sanctitas & synceritas adeò Dei oculis grata & iucunda erat, vt posteà Dominus dæmoni dixerit. Fecisti me eum affligere frustrà. Non vult Deus dicere: quòd dæmon effecit, vel fuit in causa, vt ipse sanctum Iob castigaret, vel quòd non in aliquem bonum finem eum correxerit & examinauerit: sed significare vult, eum nõ castigasse propter aliquod peccatum, quod ipse commiserat. Cur igitur Deus cùm sanctus Iob sic excelleret in vitæ sanctimonia, & præstantibus virtutibus eum per dæmonis ministerium, & non per propriam manum correxit? Et quare etiam diuum Antonium abbatem in eremo, & reliquos viros præclaris virtutum dotibus excellentes, dæmonis tradidit manibus? Propterea id fecit: nam si cùm Iob non peccasset, Deus illum castigaret, posset dæmon Deo dicere. Domine trade mihi illum, & in meam potestatem redige: tuncque videbis an teipsum predicet, laudet & benedicat. Sed vt dæmon oculis suis synceritatem & rectitudinem Iob contemplaretur, tradidit illum Deus suis manibus. Nam cum aliquis venditioni exponit aliquam loricam, quam optimam esse dicit, neque vllo pugione posse transmitti: ne ementes aliquem defectum illi imponant, gaudet vt de illa experimentum fiat, vt probetur, quàm fortis & exacta sit. Ita Deus etiam si ipse probè nouerit, quàm fortes & veterani milites sint iusti, quamque perfecti & absoluti: vt hoc ipsum dæmonem non lateat, illos tradit in eius manus & potestatem, & permittit vt mille tentationibus vtrinque eos inuadat, & persequatur: vt sic vel ipsa experientia cognoscat, quàm boni & absoluti sint. Etiam Deus in malos animaduertit, & eorum tortor est dæmon. Puniuit Ægyptios per manum dæmonis, vt inquit Dauid. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per angelos malos.

Iob 2 · *Psal.77*

Diabolus bonos & malos torquet, sed ob diuersos fines.

¶ Itaque vt receptui canamus, boni & mali multoties à dæmone torquentur: id tamen propter diuersos respectus & fines, mali in punitionẽ & correctionem: boni verò vt magis mereantur, laudentur, & honorentur. An iste qui dæmonium habebat, malus esset, vel bonus, istud ego non capio: tamen hoc audebo dicere, Deum permisisse, vt hic tam grauiter torqueretur duabus de causis. Prima est, vt cum nos propriis oculis intueamur, quàm malè nobiscum agat, eum summo odio prosequamur, & inimici ei simus: tantum abest, vt suis consiliis sit acquiescendum. Hæc est inter alias potissima ratio, quare Deus sæpiùs permittat, vt dæmones humana corpora ingrediantur, & vt ea grauissimis malis torqueãt: vt hoc prospicientes crudeles semper inimicitias aduersus eum geramus. Vt licet videre in nobis, qui cum aliqua infirmitate incognita laboramus, non statim remedium adhibentes, interimus. Sed si aliqua signa talis ægritudinis, vel in facie vel in corpore ostenderentur, tum remedio adhibito illi prouideretur. Ita si vos dæmonem non cognosceretis, non fugeretis ab eo: & sic in inferni crucem & tormentum vos precipitaret. His verò externis persequutionibus intelligimus, quanta mala nobis ipsis inferre desideret. Et hac etiam de causa permittit sæpius Deus, vt dæmones horribili vultu nobis appareant, vt eum tanquam perniciosissimam pestem fugiamus, ac detestemur. Quid enim esset, si pulchra & decora facie nos aggrederetur, si cùm fœdus & turpis sit, sic à peccatoribus diligitur? Et illud quidem

dem maximè est deplorandum, quod cùm dæmon adeò inimicus noster sit, maledictum & detestabile nomen eius à multorum ore nunquam excidat: & infantes, maiorum morem & exempla sequentes, ab ineunte ætate versant hoc nomen in ore: & dulcissimum & suauissimum nomen Iesu, vitam & salutem secum ferens & Deiparæ virginis nomen obliuiscuntur, &c.

Dæmon corpora non animã possidet.

¶ Secunda ratio, quare Deus voluit hunc hominem exterius malis angi, fuit, vt inde possemus elicere, quanta & quam grauia mala ipsi animæ inferat. Sed aduerte diuersum esse dominium quod dæmon habet in corpus, ab eo quod habet in animã: nam corpus ipsum ingreditur, animam verò nullo modo potest: quia anima non habet nisi terminos essentiæ, cùm sit simplex, non autem quãtitatiuos. Nam intra terminos essentiæ nihil est nisi pars essentiæ, vel virtus dans esse rei: ideò dæmon nõ potest esse intra animã, quia nõ est de substantia eius, nec virtus dans ei esse. Solus autẽ Deus dicitur esse in anima, quia ipse habet intrinsecam operationem essentiæ. Possunt autẽ spiritus habere aliquas operationes circa alios spiritus, & tamen omnes sunt additæ essentiæ: ideò vnus spiritus nunquam est in altero, licet operetur circa ipsum. Et ita licet vnus angelus perficiat & illuminet alterum, non dicitur esse in eo: sed aliquid exterius operari. Sic dæmon quãuis non sit intra animam, operatur tamen circa illam. Quid tamen operetur, videre poteris in corpore huius hominis, quem cæcum, mutum, & surdum reddidit. Hæc eadem operatur dæmon in anima, cùm illam possidet per peccatum.

Multi qui celant peccata sua suo confessori.

¶ Quantum verò ad primum attinet (vt inquit Euangelista) dæmon hominẽ efficit mutum vt nequeat sacerdoti confiteri sua peccata. Adhærere (inquit per Ezechielem) faciam linguam tuam palato tuo, & eris mutus. In palato residet gustus: linguam adhærere palato, est voluptatẽ capere, & in peccatis gaudere. In tertio libro regum scriptũ est sacerdotes Baal voluisse sacrificare: Helias verò illos irridebat: & obtulit Deo sacrificiũ, & fecit altare & posuit ligna, & misit aquam in aquæductu, & diuisit bouẽ per membra: & cecidit ignis de cœlo & deuorauit holocaustũ. Aspice igitur ô peccator quòd quãdo à dæmone in peccatis detineris, & in ipsis gaudes, ne obliuiscaris tui ipsius: sed in Deum cõuersus, lachrymis & gemitibus tua peccata cõfitere, & cor tuum & animã in holocaustum illi gratissimum offer, quemadmodũ ipse Helias fecit. Primùm propheta altare suum ordinauit: deinde verò ligna cõposuit, & altari superposuit. Ita tu in memoriam reuoca omnia peccata à te commissa per seriem decalogi, omnes cogitatus tuos, loca etiam, in quibus deliquisti. Vocauit Deus Ezechielem & dixit ei. Fode parietem. Et cum perfodisset, ingressus vidit: & ecce omnis similitudo reptiliũ & animalium abominatio & vniuersa idola. Tibi etiam dicitur peccator. Fode parietem, rumpe secreta, & ingredere conscientiæ tuæ penetralia: & ecce videbis similitudinẽ reptilium & animalium, & idola, & mille genera flagitiorum depicta in pariete conscientiæ tuæ: & vt vno verbo cõcludamus, videbis auaritiam, luxuriam, & superbiam omnium malorum radicem & fontem. Peccatores enim similitudinem gerunt reptilium & animalium, iuxta illud Pauli. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis: & volucrum & quadrupedum & serpẽtum. Has imagines peccatorum & idolorum, serpentum & quadrupedum, quæ tu summè veneraris & colis, te ipsum parans ad confessionem, debes foras extrahere: quemadmodum ceruus facit, qui posito ad ingressum speluncæ serpentis, forti sua respiratione efficit, vt à domicilio serpẽs egrediatur & sic eum interficit, & quasi pelle noua induitur, & renouatur. Ita si tu volueris tua peccata plãgere, & in eorum cogitatione & contẽplatione perstiteris, foras extrahes ab spelunca animæ tuæ venenosos peccatorũ serpentes, qui virtutis sibilo mortem & cruciatum æternum propinabant. Quibus omnibus rectè prouidebis contritione & dolore: atq; ita innouatus & in alium hominem conuersus remanebis, si conscientiã tuam rectè examinaueris. Quod in veteri lege ostẽdit Deus, iubẽs ne offerretur illi animal quod nõ ruminaret. Quando foris aduenis & cubile tuum ingrederis, obcæcatus solis luce, omnia tibi obscura & tenebrosa apparent: at verò si paululum quieueris, omnia clarè & apertè videbis. Non admodum hoc est dissimile, cum peccata tua contemplaturus accedis, qui statim principio nullum peccatum vides quasi nihil appareat, quod possit confiteri: at verò si quietus manseris, & in eorum contemplatione perstiteris, omnia peccata tua quasi quodam in limpidissimo speculo poteris contemplari. Si tibi dictum esset, quòd cum iam aduesperascit, ingrediuntur domum tuam duo vel tres latrones, vt te interficiãt, & expilent: tunc qua posses diligentiã & industria totam domum lustrares, nec lecto accumberes, quousque omnes inuenires: quòd si vnum vel duos comprehenderes, diligenter etiam tertium perquireres, ne forte ille te interficeret. Nam quid tibi proderit, si octo latrones sunt ingressi, vt septem comprehendas: vel si tres, vt duo inuenias? poterit nanq; qui remanet absconditus, facilè te interficere. Sed quod dolendum est: sunt multi, qui triginta vel quadraginta letalibus peccatis conscientiam habeãt grauatam, contẽti sunt tamen, si tria vel quatuor confiteãtur. Attende obsecro & considera, plus operis & diligentiæ impẽdendum esse in discrimine animæ tuæ: quàm in discrimine corporis & vniuersæ substãtiæ. Alij sunt qui Nabuchodonosor assimilantur, qui cum per noctis quietem somniasset, sapientibus & auguribus suis dicebat. Dicite mihi somnium, & interpretationem eius. Et illi respondebant ei. Dicat rex somnium seruis suis: & interpretationem eius indicabimus. Ita sunt multi, qui ipsi cõfessario dicunt, Pater, interroga me. Vultis ne vt cõfessarius vaticinetur peccata vestra? Dicite vos somnium, & sacerdos solutionem dabit. Sapientes illi non erant vaticinaturi somnium Nabuchodonosor. Diceret ille somnium, ipsi verò interpretationem adhiberent. Priùs itaque conscientiam tuam examina & præpara te ante confessionem. Nam cùm aliquis dispensator rationem sui muneris exhibere vult, priùs apud se cogitat, quas fecerit expẽsas, & quos sumptus, ne improuidus coram domino appareat. Procurator etiam & aduocatus priùs quam ante iudicis tribunal sistãt, rationes & iura pro sua parte allegãda excogitant. Vnde Ecclesiasticus. Ante iudicium parà iustitiã tibi. Postquàm verò iam dispositus & paratus fueris, examine conscientiæ facto, lignis iam altari superpositis: tũc etiam superimpones bouẽ ipsum ablato corio, vt Deus iubebat.

Ezech. 3 — 3. Reg. 18 — Ezec. 8 — Rom. 1 — Leuit. 11 — Confessio debet esse integra & plane dilucida. — Dan. 2 — Eccle. 18

Quo nimirum significatur, quòd clarè & apertè debes confiteri, nullis ambagibus, nulla adhibita hypocrisi, nullo fuco, nullis deniq; verborum circunloquiis comptis & compositis. Diligẽter etiam aduerte, quòd bos iste nõ integer offerebatur, sed scissus & discerptus: vt intelligas, quòd teneris cõfiteri peccatorum numerum & omnes circunstantias, quæ speciem immutant. *Leui.1*

¶Tertiò verò holocaustum aqua aspersit Helias. Quo innuitur, vt nõ sine lacrymis, cõtritione & pœnitentia hæc fiat confessio. Ita sanctus ille rex Deo dixit. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Non dixit, cogitabo sed recogitabo. Non solùm debes cogitare semel: sed iterum & sæpiùs recogitare. Et annos meos dixit: nam tua crimina, flagitia & peccata debes cogitare, non autem aliena: vt sunt multi qui in confessione occulta aliorum peccata detegunt. Omnes addit: quia nullum peccatum inter lineas est prætermittẽdum. Naaman vt à lepra mũdaretur, omnes vestes exuit. Deus etiam iubebat, ad hoc vt leprosus restitueretur in pristinam sanitatem, vt priùs eum depilarent: ita vt cõfessio firma sit, stabilis & integra omnia peccata funditus debet radere. Rex filiorum Amon rasit dimidiam barbam & vestes seruorum Dauid: quod facere videntur ij, qui in confessione partem peccatorum aperiunt, partem verò silent: ideò grauissimè puniẽtur à Deo, sicut punitus est rex Ammonitarũ à Dauide. Ait etiam, in amaritudine animæ meæ: nam dolore magno compunctus tua peccata debes exprimere. *Confessio lacrymosa.* *Esaiæ 38* *4. Reg. 5* *Leui. 14* *2. Reg. 10*

¶Quartò (quemadmodũ Helias) os tuũ aperi, & culpas & delicta sacerdoti pande: qui Christi vices habet. His omnibus sic actis, statim descendet ignis de cœlo qui omnia peccata tua absumat: vt in te illud Psalmi adimpleatur. In meditatione mea exardescit ignis. Super sacrificiũ eorũ qui inuocabant Baal, nõ descẽdit ignis de cœlo. Et idem illis cõtinget, qui pro arbitrio confessariũ eligunt, vt suo genio indulgeat, quæque de factis & infectis absoluat. Clama cũ Helia ad pedes sancti & eruditi cõfessarij: ne fallaris à dæmone, & obmutescas coram bono cõfessario: multo quippe meliùs tecum aget bonus, sapiẽs & doctus: quàm malus, insipiẽs & ignarus. Magdalenam enim, quæ peccatrix erat, pharisæus ille & molestia & opprobriis afficiebat: Christus verò vt sanctus & misericors, eius partes tuebatur, & solatium in afflictione præstabat. Vide Christum, postquam ter eum Petrus abnegauerat, quàm piè, misericorditer & benignè cum illo se habuerit. Posset Christus illi dicere, Petre, Petre istæ ne sunt robustæ illæ vires, & fortis animus quẽ aduersus inimicos ostẽtabas? Ista ne verba illa quę reliquis fortitudinẽ & audaciam addebant? Nullum certè verbum Christus Petro dixit, quo vel crimen suum coram obiiceret, vel quo Patri facies cõfunderetur: sed piè & benignè illi pepercit. Hoc idem bonus & rectus cõfessarius tecũ efficiet: Deus quippe inquit, Ne abominaueris Idumæum, quia frater tuus est: neq; Ægyptiũ, quia aduena fuisti in terra Ægypti. Hoc idem confessario Deus inquit. Debet etiam sacerdos animaduertere se aliquãdo lapsum esse: nemo quippe tam sanctus est, & integer, quin semel vel bis non deliquerit. Ne igitur tu peccator ad pedes sacerdotis iacens, pudore delictorum suffundaris. & mutus effectus, peccata sileas in memoriam reuoca, exquisitissimũ illud ignominiæ genus quod corã millibus hominum Christus passus est pro te. Quare tu verecundiã habes, cum soli vni homini peccata pandis? Verecundia mea cõtra me est semper, Dauid dixit: loquutus de Christo redẽptore nostro. Et in alio Psalmo ad patrẽ alloquẽs, dixit. Tu scis improperiũ meum, & confusionem meam. Propterea quãdo aliquẽ cõmittis defectum, velles ne potius vt amicus sciret, qui vel facilè posset succurrere: vel potiùs omnis populus & mundus? In iudicio manifestabuntur abscõdita tenebrarũ, & manifestabit consilia cordiũ. Dauid secreto rapuit vxorẽ Vriæ: Deus verò per prophetam illi dixit. Tu fecisti in occulto: ego faciã illud palã in conspectu omnis Israël. Quod tu in domus tuæ penetralibus & secretioribus locis commisisti, permittit Deus vt tui cõuicini rectè nõrint, posteà verò in extrema die cunctis gẽtibus pateat. Senes illi qui falso accusarũt Susannã, dicebãt ei, Nemo nos videt. Deus verò qui etiã cogitationes cordiũ scrutatur, notũ fecit populo crimen nefandũ. Si sacerdoti cõfiteberis peccata tua, occulta erũt: si minus, omni populo erunt manifesta. Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Si in memoriam adduceres pudorem illum, quo deberes suffundi, si peccata tua omnibus palam fierent: vtique dæmon coram sacerdote non te mutum, elinguem, & balbutientẽ efficeret. Siquidem bene nosti, nullo casu quãtumuis difficili, confessarium posse tua peccata alicui aperire. Confitere igitur omni procul semoto pudore, quãdoquidem in hoc sacrosancto & mirabili sacramento ab omni peccato etiam grauissimo mundus efficeris. Nam qui in fluuium cadit, etiam si aqua ad medium corpus, vel vsque ad barbam accedat: nihilominus tamen adhuc tempus restat, quo possit viuere. At verò si eò infœlicitatis & miseriæ peruenerit, vt aqua iam os intret, & cooperiat eum, statim interibit. Sic similiter etiam si grauissimis criminibus oculos Dei offenderis, si ita coinquinatus es, vt indignũ te iudices ante faciem eius apparere: si denique à planta pedis vsq; ad verticem capitis tui nihil bene sanum & tutum fuerit: si tamen os tuum vales aperire, & ad pedes sacerdotis accedere, longa adhuc superest vita. Illud tamen diligenter tibi est cauendum, ne in tantam colluuionem & multitudinem peccatorum peruenias, vt te valeant suffocare: ne corã Dei ministro mutus effectus loqui nõ possis. Vnde Dauid, Os meum aperui & attraxi spiritum. Quemadmodum Dauid aperuit os, vt aërem posset attrahere, & viuere: sic tu in confessione aërem & flatum spiritus sancti attrahe, vt possis viuere. Quod idem in animalibus rationis expertibus experiri possumus. Primum quod facit lupus, cum ouem capit, guttura ore cõprehendit, ne possit balare, vt vel sic pastorem excitet: & à morsibus lupi eam eripiat. Sic diabolus ori nostro pudoris seras imponit, ne clamare possimus, & illius boni pastoris auxiliũ inuocare, qui super humeros suos amissam ouem deportauit. Hoc igitur est hominẽ mutum effici à peccatore: nam quemadmodum hunc, cuius corpus habitabat, efficiebat mutũ, ita etiam peccatorem, cuius animam possidet, elinguem reddit, ne sua peccata possit confiteri. *Confessor doctus eligendus & discretus.* *Psal. 38* *Luc. 7* *Deut. 23* *Psal. 43* *Psalm. 68* *1. Cor. 4* *2. Reg. 11* *2. Reg. 12* *Dan. 13* *Psalm. 31* *Esaiæ 1* *Psalm. 118* *Luc. 11*

¶Aliud etiam est hominum genus qui in confessione dicenda tacent: tacenda verò dicunt: & de his propheta inquit. Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die. *Confessio non debet esse palliata.* *Psal. 31*

Qui

Qui igitur fieri potest propheta sancte, vt tota die tacendo, clamares: & clamando taceres? Ambo faciebat: nam ea tacebat, quæ dicturus erat: & verbis compositis, alios aliis addendo sermonibus nihil denique dicebat. Quod multi duobus vel tribus verbis possent dicere, idq; clare & aperte: variis ambagibus proferunt culpam minuendo, & rhetoricas rationes multiplicando. Et sic isti loquẽtes tacent: & ideo ossa eorũ & ipsi in peccatis inueterascunt. *Genes.31* *Genes.35* In cuius typum, quando Rachel ex Mesopotamia veniebat, idola abscondita secũ ferebat postea verò cum Iacob petiisset ea manifestauit, & infodit. Si igitur tu adhuc cooperuisti tuorum peccatorum idola, ea sacerdoti offer: & aperi: ipse enim ea operiet, vbi nunquam magis appareát, & quemadmodum Ægyptij in mari rubro extincti fuerũt, *Exod.14* quos filij Israël nunquam deinceps viderũt: sic tua peccata in confessione extinguẽtur. Obserua etiam quòd non solùm dæmon efficit hominem mutum, vt adhuc diximus: sed etiam iis modis & signis petunt, quibus reliqui, qui natura ipsa nascuntur muti. Isti quippe natura elingues per signa, per digitos per gestus corporis ostendunt, quid velint quid cupiant, quidve dicant. Sic peccator mutus effectus, gloriam, quam ipsis operibus petere & comparare deberet, per signa postulat. Et quod non sine dolore potest dici, Christiani signa eum in cœlũ ducũt, opera verò in infernũ. Christiani signa sunt, se cruce insignire. Ecclesiam ingredi, flexis genibus orationem fundere: opera verò nec cum turcarum aut arabum operibus comparanda. Nam oratio, ieiunium, sacri auditio: quid aliud sunt quã signa Christiani? At si verò vel minimum cõuicium in eos retorseris, si vel fimbriam vestiméti tetigeris, ira perciti & cõmoti de minima iniuria accepta cum fœnore vindictã sumunt. Omnes isti sunt muti, nihil præter signa habent. *Iaco.2* Ostende mihi fidem tuam ex operibus, &c. ¶Secundò dæmon hunc hominem *Peccator cæcus licet videat.* obcæcabat: vt moris illius est, cum omnibus peccatoribus idem facere, quorum animas suo dominio subegit. Nonne insanus ille & amens iudicaretur, qui aliquod opus aggrediens si sibi nudo ense aliquis mortem minaretur, ne id faceret: nihilominus tamen nullo metu id perficeret & cõpleret? Nonne cæcum eum esse diceres, & caligine coopertũ: quãdo ensem nõ fugit? Quid obsecro putas esse in causa, quare vnus homo tã multis peccatis & flagitiis se tradat: aliùs verò cautus & sobrius viuat in nullo delinquẽs? Id certè est, quia ille mẽtis oculis caret: nec videre potest, quanta & quàm grauia mala ipsi immineãt, quæ iudex ille supremus in diẽ vindictæ reseruat: hic verò Dei iustitiã intuens & contemplans à talibus se abstinet: quemadmodum Balam, qui non videbat angelum asinæ minantem, *Num.23.* ipse verò stumulos asinæ addebat, vt angelum præteriret. Inde illud est, quòd frequẽter dici solet, scilicet, peccatores oculis carere, & obcæcatos esse. *Exo.10* Hæc est illa cæcitas, quã Deus misit Ægyptiis, vbi tantæ & tam magnæ erant tenebræ, vt vel ipsis manibus cõtrectari possent: sic vt scriptura dicat, trium dierum spatio neminem fratrem suum vidisse, nec ab vno loco motum esse. O vtinam mentis oculis non esses destitutus, vt graues miserias, & tormenta, quæ te in gehenna expectant, posses cõtemplari: vt vel sic in peccatis nõ esses detentus, quemadmodum Ægyptij. Si peccatores non essent cæci, *Ioan.1* non vtique beatus Ioannes dixisset, Mundus Christum non cognouit. Nec enim ob id debemus admirari quòd cæci essent, quandoquidẽ eorum oculos dæmon terra cooperuerat: nimirum vilibus & abiectis rebus huius mundi: quod optimè ostenditur in Tobia, cuius oculi hirundinũ stercore obtenebrati sunt. *Thobi.2* Est quippe hæc dæmonis cæcitas tam pessimæ & deprauatæ cõditionis, vt qui ea laborat, neutiquã seipsum velit cognoscere: quod nõ contingit in eis, qui corporeis luminibus sunt priuati, qui quidem cæcos se iudicant, & tales confitentur. Ideò dominus quibusdã peccatoribus dicit, Si cæci essetis, non haberetis peccatum. *Ioan.9* Nunc verò dicitis: quia videmus, peccatum vestrum manet.

Peccator surdus quia ad prædicatorẽ euangelij surdescit. ¶Tertiò dæmon efficit peccatorẽ surdum. Nam si hominem videres, à multis monitum & persuasum, vt à via quam sequitur deflecteret: ne à latronibus sit captus, hic verò neminem vellet audire, sed potiùs iter suum insequeretur: nonne huiusmodi hominem obturatas aures habere diceres? Ita similiter Deus suis verbis, suorum apostolorum factis & miraculis, suorum prædicatorum concionibus, diuinis inspirationibus missis, peccatores omnes incessabili voce proclamat, eorum corda tangit, & ad postes ostij, noctis rore capillis madidis, vt ei aperiát, rogat, obsecrat, & exorat, *Can.5* ipsi verò nolẽtes audire, amplam inferni viam insequuntur. Ea est dæmonis cõditio iniqua & peruersa, vt miserũ peccatorem mutum efficiat, cæcum, & surdũ: vt vel sic magis quietus & maiori dominio animã ipsam possideat. Quod lucidissimo exemplo clariùs apparebit. Contingit enim, vt cum aliquis somnum tranquillum & cum quiete vult capere, iubet, vt omnis familia famuli & ancillæ silentium teneát, ne strepitu facto somni quies & dulcedo impediatur. Secundò fenestras claudit, ne ipsa luce oculi offendãtur. Tertiò in penetralia domus descẽdit: & ianitori præcipit, vt de ipso percontãtibus denegetur. Hæc omnia inimicus noster, vt in malitia sagax & callidus in peccatore causat, cum illum surdum efficit ne voces prædicatorum audiat: pudorem quẽdam fœdum inicit, ne planiùs & apertiùs sua peccata fateatur: lectiones sanctorũ & eorum libros de medio tollit: à conuersatione rectorum & proborum hominum eum segregat: ne claro lumine & sanctis exẽplis resipiscat & ad Deum cõuertatur. Ita nequam iste prò libito in peccatoris anima quiescit, gaudet, & in vtramuis aurem dormit. Ita similiter hunc hominem possidebat: cuius corpus cæcum, mutum, & surdum iam reddiderat.

¶Cùm verò Christus in mundũ venerit, vt dæmonis opera dissolu at (vt iam superiùs retulimus) *1.Ioan.3* decernit iam illum à corpore propellere & exterminare. Sed dictis obiicies. Si verũ est, Christum voluisse, vt in nostrã vtilitatem & doctrinã dæmon in corpus huius hominis intraret, quid est quòd nunc illum à corpore eiiciat? Ad quod respondeo, id etiã esse factum propter vtilitatem nostram: Finis enim noster est ad Deum per dilectionẽ accedere. Mihi autẽ adhærere Deo bonũ est. *Psal.72* Quod vehemẽtiùs & actiùs nos mouet ad eius dilectionẽ & amorẽ, est videre quantũ & quã anxiè nos ab illo diligamur. Et vt hoc cognoscamus nullũ euidentius signũ est quã ipsa opera quę quotidie nobis impendit. Ideò Dauid. *Psal.114* Dilexi: quoniã exaudiet Deus vocẽ orationis meæ. Quasi vellet dicere regius vates. Domine quia me diligis, te diligo: tunc enim intellexi, te vnũ posse meis miseriis, & necessitatibus subuenire.

Nam

Nam statim a me vocatus, ades: & meis petitionibus acquiescis. Inclinasti quippe aurē tuam mihi, vim stimulos addidisti, vt maiori conatu posthac igne amoris tui incendar: & vt animæ meæ dicam, Conuertere anima mea in requiem tuam. His amici operibus voluit nos obligare, vt nunquā ab eius amore desistamus. Secundò, quòd quemadmodum ex infirmitatibus corporis venimus in cognitionē earum quas dæmon in anima causat: ita etiam ex medela corporis illius infirmi, veniamus in cognitionem illius altissimæ medecinæ, qua Christus animæ nostræ medetur, quādo peccatis, & flagitiis infirmatur. Nam quemadmodum dæmonem hunc expellens, visum huic cæco restituit: ita etiam cum dæmonem ab anima nostra fugat, peccatorem illuminat, & intellectum simul & cognitionem illi tribuit, ne de vno in alterum peccatum præcipitetur. Restituit aures vt libenter audiat correctiones & inspirationes diuinas: & loquelam tribuit, vt peccata possit cōfiteri, & simul vt laudet Deum. Omnia hæc præstitit dæmoniaco huic, cui oculos aperuit, vidit, audiuit, & incepit loqui. Et propterea sequitur in textu,

Et cum eiecisset dæmonium: loquutus est mutus, & admirati sunt turbæ.

Matth. 12 — *Impij iustificatio, non minus miraculum quàm mūdi creatio.*

Matthæus dicit, quòd stupebāt omnes turbæ, & dicebant, Nunquid hic est filius Dauid? Mirātur & meritò cum dæmoniacum in corpore sanet: & maiori iure deberes tu in admirationem rapi, cum dæmonem eiicit ab anima, & iustum & sanctum peccatorem efficit. Vnum inter alia diuina & mirabilia facta quę Deus in mūdo operetur, illud est: scilicet, cum ex homine peccatore impio & facinoroso, iustum, sanctum & immaculatum reddit. In quo quidem clarius & apertius quàm in aliis rebus omnē suam potentiam ostendit, simul & misericordiam. Magna quidem & diuina potentia requiritur, vt de nihilo aliquid efficiatur & creetur: sed non minor potentia exigitur ad iustificādum peccatorem, sed potius maior. Nā in creatione nihil potest esse Deo impedimento, in iustificatione autē maximè: si peccator modos & cōsilia diuina, quibus Deus illum vult saluum fieri, contemnat, & pro nihilo habeat. Ideò beatus Augustinus super caput decimūquartum Ioannis, versans illud, qui credit in me, opera quæ ego facio ipse faciet, & maiora horum faciet, sic ait; Iudicet qui potest, vtrum maius sit iustos angelos creare, quam impios iustificare. Certè si æqualis est vtrūque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ. Et ita non sine magno consilio canit Ecclesia. Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserendo manifestas. Peccatorē namq; à culpa absoluere, maximū opus est Dei: nam vt hoc opus compleret necessum fuit, crudelissimā & acerbissimam mortem oppetere, & sanguinē suum exhibere: vt animā fœdam & maculis peccatorum infectam mūdaret, & dealbaret. Ita cūm hoc opus mirabile & diuinum esset, omnes in admirationē rapiebantur: sed non ad eius imitationem: quāquam simul admirari & imitari deberēt. Fides admiratur & credit: sed charitas imitatur, & proximi inopiam subleuat. Sed quid prodest astrologo cœli cursum, & planetarū motum admirari? Mirari quidem debes, sed cum effectu, ita vt voluntas non sit ociosa nec in chænice se opera Dei vidēs animus extollatur in ipsius cognitionem, amorem, laudem, & timorem: alioqui quid proderit admirari? Nam frequenter legimus in Euāgelio Iudæos stupuisse admirantes doctrinam Christi, nihilominus non ideo meliores euasisse. Quomodo hic literas scit (dicebant) cum nō didicerit? Et rursus ministri ad pontifices & pharisæos. Nunquam sic loquutus est homo, sicut hic. Et Matthæus inquit, quòd admirabātur turbæ super doctrina eius. Dauid autē optimè demirabatur opera Dei cū dicebat. Domine Deus meus magnificatus es vehementer: confessionem & decorē induisti, amictus lumine, sicut vestimento. Et alibi. Quàm magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. Et iterum, Mirabilia opera tua, ideo scrutata est ea anima mea. Sic scrutemur & contemplemur opera Dei, misericordiam, bonitatem, & patientiam: vt in eius amorem & dilectionem magis incendamur: ita vt cum propheta possimus canere. Quoniam inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt.

Ioan. 7 — Ibidem. — Matth. 7 — Psal. 103 — Eodem psal. — Psal. 118 — Psal. 72

Quidam autem ex eis dixerunt.

Matth. 12 — *Inuidia virtuti comes.* — Mar. 3

Certum est hos fuisse pharisæos (vt ait Matthæus) & scribas, qui à Hierosolymis descenderant: vt ait Marcus. Hi enim malitia & calumnia pleni sagaciter & astutè moliebantur Christi miracula inuertere, & attribuere dæmonis potestati. Quasi hi & non alij calumniatores deberent esse. Laudabat eum populus, & ipsius doctrinam suscipiebat: hi vero murmurabant. Id quippe à natura nobis est inditum, vt quando aliquis facinus aut opus aliquod præclarum & egregium perficit, omnes, qui de illa re non agunt, illum laudent, extollant, venerentur, & suspiciant: qui verò de eadem re agunt, & in æstimatione populi magni haberi volunt, statim inuidia acriter eos inuadit, opus alterius contemnētes, & in nihilum redigentes. Nam si aliquis egregiè cōcionetur ad populum, vel orationem luculentam & elegantem habeat, populus, qui de illa re non agit, statim in eius laudem prorumpens, inquit, Beatus venter, qui te portauit. At verò sapientes, & literati inquiunt, Bene quidem, sed non ita egregiè concionatus est. Vel sit dux qui animosè & viriliter stratagema aliquod in bello sit aggressus: quibus de bello nulla est cura, statim dicunt. O quàm magnanimus hic est: quàm strenuè & diligenter periculum hoc fuit aggressus. Qui verò eiusdem sunt officij, statim inuidia eos comitatur & dicunt. Fortè hoc illi contigit, non sua industria nec propter peritiam, quam habet in rebus bellicis. Nunquam illis deest, quid possint opponere: vt laudem & honorem illi debitum possint detrahere. Sic debes ab eo cauere qui tui officij est: & semper suspectum eum habere, nam quando minùs tibi caueris, si ille potest, vendet te, & in manus inimicorum te tradet. Inter pastores Abraham, & inter pastores Loth lis erat & iurgium: & non ob aliud, nisi quia eiusdem officij erant. Ioab æmulus fuit Amasæ, quem tandem interfecit, quia cogitabat Amasam velle competere cum eo de officio. Non sunt æmuli Christi sutores, sed pharisæi & literati: quia Christus vir sanctus erat & sapiens. Sed quid isti dicant, audiamus.

Inuidia inter pares. — Gene. 13 — 2. Reg. 20

In Belzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

Virtus calūnia subiecta.

Sed vt iam magnitudinem malitiæ istorum cognoscas, aliqua hic sunt consideranda. Primò debes mores & ingenium impiorum perpendere. Nulla quippe est tam illustris & insignis virtus, tot tantisque omnium gentium laudibus condecorata: quàm impij sua malitia vitio non tribuant.

Quemad

Quemadmodum enim lignum cuius dimidia pars submersa est in aqua, altera verò ab aëre cótinetur, fractum & obliquum esse videtur, cum tamé reuera integrũ & rectum sit: sic ea virtus, quæ recta ratione perfecta omnibus videtur & suis numeris absoluta, ab improbis defectuosa & iniqua iudicatur, nõ ipsius virtutis causa, sed propter deprauatũ, & corruptum iudicium. Fallit enim eos iudicium, qui per aquam inuidiæ, & malitiæ res gestas inimicorum cernunt: cupientes aliorum gloriam labefactare, & infringere, quam aliàs magni & egregij viri multis laboribus & periculis sunt consequuti. Nullum est enim opus adeò bonũ, sanctum & perfectum, cui mali & improbi aliqué defectum non imponant. Nam si humilis es, abiectum & vilem te iudicant: si patiens, pusillanimũ te dicét: si studiosus, statim hypocritam agere dicunt: si abstinés es, parcum & auarum appellabunt: si tacitus, insipiens iudicaberis: si loqueris, garrulus statim diceris: si deuotus, sanctitatis simulatoré te prædicabunt: si iustitiam feceris, crudelitatis increpaberis: si misericordia vsus fueris, iam iners eris: si grauitatem indueris, iam factus es insanus & amens: si affabilis, comis, blandus, & másuetus, parui te faciét, & cótemnét: si distribuis in pauperes & amicos, iá prodigus: si munus dederis, iam es auarus. Et ita vix fieri potest, vt iniquis & inuidis hominibus aliquid possit esse impediméto, quo minus aliorũ famæ & virtuti non semper detrahant: quibus quidem non est opus, vt ansam & occasionem murmurãdi præbeas, nam ipsi sibi illam accipiunt. Quod sanctius opus fieri potuit, quàm hunc hominem curare: qui surdus erat, cæcus, & mutus? Quis posset credere: quòd de hac re illi acciperét murmurandi occasionem? O malitia pharisaica, quæ in huiusmodi opere de quo nec ipsi dæmones aliquid mali possent dicere, calumniam inuenerunt. Populus admiratur & laudat: pharisæi verò & Scribæ detrahũt & calumniantur. Quemadmodum enim proprium est bonorum, aliorum opera, si bona fuerint in bonum tribuere, sin verò mala, ea excusare: sic è cótrario mali, bonum ipsum in malum finé reiiciunt, & maculis & defectibus illud labefactant. Quod vtrúque in sacra pagina optimè demonstrari potest. Et de impiis. Cùm Dauid misisset nuncios, vt consolaren-

2.Reg.10 tur Hanon regé Ammõ de morte patris sui Naas, charitate motus, impij illud opus bonum sua malitia inuertentes, cogitarunt ex ambitione illud processisse, & vt terrá specularétur. Sic isti illud opus Christi, dæmonis virtute dicunt esse factum. Nam tam isti, quàm illi Ammonitæ bona proximorum in sinistram partem retorquebant, edocti à magistro suo diabolo. Is nanq; cum audisset Deum lau-

Iob 1 dantem bona opera & sanctitatem Iob, dixit, Nunquid Iob gratis timet Deum? Nóne vallasti domũ Iob, &c. Sua nequitia dæmon, qué semper de quocunq; bono nostro pœnitet, ea quæ rectè & sanctè Iob operabatur, dicebat fecisse propter sui ipsius commodũ & vtilitatem. At verò pij & recti homines quando opus malum excusare nõ possunt, saltim intentionem dicunt fuisse rectam & bonam. Quod opus vnquam fuit deterius, quàm lapidare

Act.7 innocentem? Et tamen beatus Stephanus id excusans inquit, factum fuisse ex ignorãtia. Ne statuas (inquit) illis hoc peccatum: quia nesciũt, quid fa-

Gen.45.& 50 ciunt. Sic sanctissimus Ioseph opus illud nefandũ quod fratres aduersus eum commiserunt, eos excusans & liberãs à peccato, inquit, opus esse à Deo sic ordinatum. Fluuius enim magnus omnes riuulos ad se venientes cóplectitur: ignis etiam omnia comburit, & in se conuertit. Ita simili modo homo nequam quæcunque videat, quantumuis bona illa sint, & malitiam conuertit: bonus verò contrarium ingenium habet. Serpens florem comedit, & in venenum cóuertit: apes verò in mel & saccharum. Ita ex eodem opere mali occasionem accipiunt murmurandi: boni verò in laudem Dei prorumpunt, & eleuantur.

¶ Præterea si ædificium mensuretur perpendiculo dum maiora ligna & lapides super ipsum posueris, magis firmum & stabile permanebit: at verò si regula & mensura defecerit, quidquid superstruxeris corruet & solo æquabitur. Ita similiter cor nostrũ est veluti basis & fundamentũ super quod ipsa virtus debet edificari: cùm rectitudiné & normam rectæ rationis obseruat, quidquid amplius oneris, addideris, illud magis firmabit & roborabit. At verò si volũtas malitia sit infecta: quidquid videat, in suam ruinam & perditionem conuertit. Nam cum Christus multa miracula faceret: statim Caiphas & pharisæi consilium inierunt, vt morte eum damnarent. Etsi à Caipha & ab eis, qui consilium aduersus Christum congregarunt, quæreretur, Quare Christum vultis interficere? Responderent ipsi. Quia hic homo multa signa facit. Si verò à Petro, Andræa, Iacobo, Ioanne & reliquis discipulis interrogares, Quare Christo creditis? bona relinquitis: & eum quocúq; ierit sequimini? Respõdebunt proculdubio. Quia hic homo multa signa facit. Et si ab hac gentium multitudine quæsieris, quid est quòd sic Christum laudét, & eius facta admirentur? Respódent, Quia loquutus est mutus. Si verò pharisæos interroges, quare Christũ irrident, & blasphemant? dicent tibi: Quia loquutus est mutus. Quid est in causa cur idem opus diuersos effectus pariat, & generet? Nulla certè alia nisi quia corda vtrorumq; diuersa & inter se dissentientia sunt, Quô fit, vt quod vnis est medicamentũ & remedium præsentaneum, aliis sit venenum mortiferum. O vtinam tibi nõ contingat, quemadmodum pharisæis. O quot & quãti sunt homines, qui cum miraculis Christi potius deberét conuerti, & charitate liquefieri: eadem miracula ipsi in occasionem accipiunt, vt deteriores sint peccatores. Nonne magnum & ingens miraculum est, quòd Christus in te efficit, cùm tot tantaq; flagitia à te commissa nimia patientia & misericordia suffert? Hãc igitur bonitatem, quæ in illius amorem deberet te adducere & inflammare, vt tãtum dominum tam pium benignum, & misericordem non auderes offendere, tu eam accipis, vt maiora crimina committas, & peccata peccatis addens, dicas; Deus est bonus infinita eius misericordia, peccatorum causa in ara crucis se pretium exhibuit. Quod quidem libẽter ego fateor, illum esse summè misericordem, quandoquidem patitur, vt suam bonitatem, & clementiam tuæ malitiæ fautricem facias: & crucem, quam ipse accepit, vt regnum diaboli subuerteret, tu eã accipias, vt magis illud firmes, & corrobores. Ignoras ne miser peccator, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Secúdum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, &c. Ita

Vnum idémque opus aliis occasio peccati, aliis causa virtutis.

Ioan.11

Pharisæi & calumniatores operum Christi quàm sint hodie.

Rom.2

Ita deprauatum & corruptum cor habes, vt ex bono malum elicias, & ex cruce quæ constituta fuit ad indulgentiam peccatorum, audaciam sumis, vt deterior sis & peior. Hoc idem Christum in cruce pendentem magis dominum vexabat, quàm ipsa mors: quandoquidem de morte nullo pacto conquerebatur, at verò de hac iniuria per prophetam inquit, Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerũt iniquitatem suam. Hæc enim erat lis & cõtrouersia inter prophetas falsos & veros: quòd veri iustitiam Dei peccatoribus minabantur, falsi verò mendacem pacem & misericordiam promittebãt. Sic Ieremias. Vbi sunt prophetæ qui dicebant vobis, Non veniet Nabuchodonosor, &c. Tu idem facis, cum Dei patientia abuteris in tuum damnum, & malum: confidens diuinam iustitiam nunquam venturam, solùm quia caro & appetitus hoc tibi persuadet. Si in puteum luto & cœno plenum aquam puram & claram diffuderis, nihil aliud efficies nisi aquam amittere, & cœnum turbare: sic miracula & bona quæ Christus confert impiis ipsi in deteriùs cõuertunt & peiores & fœtidiores efficiuntur. Tu sicut pharisæus es, qui miraculis Christi abuteris. Quare obsecro sancte & bone Deus homines adeò te offendunt, & flagitiis & peccatis te lacessunt? Quia bonus es. Nam si statim quòd homo in peccatum laberetur, certo sciret, quòd ipse medius deberet rumpi & interire, non vtique ita facilè & velut nihil agẽs tuam bonitatem & clemẽtiam offenderet. Et si statim cum peccant, & pœnitentiam non agunt, certo cognoscerent à terra esse absumendos, continuo se ad te conuerterent. Vel iam bone Deus si hoc non efficis, illud præstares, quòd dæmones illos in tartara detruderent, proculdubio nunquam tua bonitate abuterentur. Sed quia tu bonus es, & ipsi sibi longiorem vitam promittunt, hoc audent facere. Tu autem homo insane & amens his cogitationibus deuanescens, audi quid sanctus propheta dicat. Nunquid Deus iudex iustus & patiens, non irascetur per singulos dies? nisi cõuersi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum, &c.

Psal. 128 · *Iere. 37* · *Psalm. 7*

¶ Aduerte etiam, quanta sit istorum malitia & ingratitudo, & quanta domini bonitas & clementia. Non solùm eorum malitia perpenditur ex eo quòd Christi miraculis peiores efficiebantur: sed etiam ex temporis circunstantia. Nam quando potius ipsi deberent conuerti & Dei opera admirari, tunc temporis malitia eorum corda adurente magis murmurabant, & irridebant. Vix explicari potest quanta sit hominum ingratitudo: nam quando maiora beneficia ipsis impartitur, tũc magis illum contumeliis afficiunt, & inhonorant. Cũm enim Deus legẽ dabat Mosi, & tabulas illas lapideas, & Israëlitas legem docebat, ipsi tanquã ingratissimi vitulum faciebant. Ille dabat leges quibus deberẽt componi, ipsi verò vitulum conflabant. Ille occupabatur in eorũ gubernatione, ipsi verò in idolorum cultura. Similiter Christus cum in vltima cœna corpus & sanguinem suum cibum salutiferum mundo cõdiebat, mũdus de acerbissima eius morte tractabat. Ille constituebat illis & ordinabat vitam: ipsi verò mortem illi parabant. Hoc egregiè Apostolus perpẽdit inquiẽs, Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem, &c. Vbi diligenter debes illa verba notare: in qua nocte tradebatur. Tempus enim assignat, in quo tantum beneficium mundo contulit. Ac si diceret, O nimia Christi benignitas: ô execranda hominum ingratitudo. Nam si tam graue malum & peccatum alio quouis tempore perpetrarent, non ita mirandum esset: sed tanta fuit Christi bonitas & charitas, qua nos semper fuit prosequutus, vt in nocte, qua ipse tradebatur, cibum illum ordinaret qui vitam afferebat: tanta verò hominum iniquitas, vt in ea nocte qua tantum & tam egregium beneficiũ illis præstabat, mortẽ ipsi molirentur & pararent. Multoties etiam hoc tibi contingit, qui cum ludens sedeas, sanctum eius nomen blasphemas & grauissimè in eum peccas: ipse verò, qui rebus omnibus prouidet eodem tempore tibi creat fructus suauissimos quo tuam bilem possis tẽperare. Rursus, tẽpore quadragesimæ, in quo omnes alij Christiani mentem nouam induunt, nouas cogitationes, & ad Deum accedũt, ieiunantes, diuinis rebus assistentes: tu in prædia tendis extra ciuitatẽ ne sacris intersis, & vt conciones nõ audias. Eo tẽpore, quo potiùs in Deum deberes cõuerti, in peius & deterius vitam mutas: & multi modo, vt Iudæi olim hebdomada sancta Christũ crucifigunt, quãdo deberent potiùs tãtum beneficium cognoscere, & in amorem diuinum inflammari. Ita isti etiam si Christum odio haberent, deberent hoc loco & tempore tacere & confundi: quando alij illum admirabantur & laudabant.

Pharisæorum malitia & nostrorum ex temporis circunstantia perpenditur. · *Exod. 32* · *1. Cor. 11*

¶ Tertiò etiam aduertes quàm differens sit consilium & iudicium Dei: & consilium & iudicium hominum. Nam pharisæi in hominũ opinione sancti, recti, & probi habebantur: populus verò simplex, ineptus & amens. At verò Euangelium dicit pharisæos fuisse blasphemos, & iniquos peccatores. Quare nemo contentus sit hominum laudibus, & opinione probari: nam multi sunt in cœlo, qui hominũ iudicio & opinione iniqui & pessimi peccatores in mundo erant: multi etiam modo inferni tormentis & cruce torquentur, qui ab hominibus sancti & recti existimabãtur. Itaq; locus iste docet, quo pacto hominum sententia apud Deum fallax & mendax sit. Nihil cures ea, quæ populus dicit: nam rectè nouit malum laudare & approbare: bonũ verò vituperat & damnat, & quod hodie approbat, sequenti die malum iudicat. Non est dubium, quin mentem & intellectum amittas, si oculos conieceris in ea, quæ homines dicũt. Vnde beatus Paulus. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque meipsum iudico. Qui autem iudicat me dominus est.

Differentia diuini & humani iudicij. · *1. Cor. 4*

¶ Quartò exemplum debent esse nobis pharisæi, quàm miser sit homo, & abiectus, quãdo à Deo derelinquitur. Quis non timebit? Quis non stupescet? Quis tale Dei iudicium nõ timebit? Quis non videt quanta illi mala sint parata, & quãtis miseriis & calamitatib⁹ sit obnoxius is, qui à Dei gratia deseritur? Quis obsecro suam propriam miseriam nõ deplorabit? Etenim quod malũ in aliis hominibus conspicimus, id nos proculdubio faceremus, si nobis Deus suam gratiã subtraheret. Itaq; hæc exempla iudiciorum Dei nobis frequenter in mentẽ veniãt: vt semper nobis adsit timor Dei, & vt nos ipsos valeamus agnoscere, & quàm parua sit nostra sufficiẽtia, nisi Dei manus nos sustineret. Ideò monet Paulus, Vt qui se stare existimat, videat ne cadat. Quamobrem quilibet Christianus cum Dauid debet orare, & dicere, Ne proiicias me à facie tua, & Spiritũ sanctum tuum ne auferas à me. Absque te enim

Mendacium Deo exosum. · *1. Cor. 10* · *Psalm. 50*

te enim nequeo subsistere: sine te in omne flagitij genus dilabor. Hanc igitur vtilitatem ex pharisæorũ blasphemia depromere debemus. Hi enim non sentiebant sicut loquebantur: nam aliud credebant, aliud verò ore fatebantur mentientes. [Psal. 5] Fugiamus & nos mendacium: nam scriptum est. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. In diluuio vniuersali, cum Deus omnem mundum destrueret, pepercit Deus Noë & suis: & in incendio [Genes. 8] [Genes. 19] Sodomæ, pepercit etiam Loth: & in subuersione [Iosue 7] Hierico, liberaliter se habuit cum Raab. Et in societate [Matt. 26] [Actor. 9] sua admisit Petrum peccatorem, & persequutorem [Matth. 9] suum Paulum, & vsurarium Matthæum, & [Luc. 7] peccatricem Magdalenam. Nunquam tamē reperitur [Ecclesi. 28] admisisse aliquem mendacem. ❡ Secundo [Lingua maledica.] fugere debemus linguas maledicas. Nam Ecclesiasticus inquit de lingua mala, Vtilior est infernus quàm illa. Quia infernus solùm damnatos & malos torquet: lingua verò pessima, malos & bonos. Inferni ignis iustis & sanctis viris parcit, lingua verò mala studiosos persequitur, de Christo qui sũma sanctitas est blasphemat, & in cœlum spuit. [Psalm. 70] Mali enim cor habent in lingua, boni verò linguā in corde. Vnde regius vates. Tota die meditabitur lingua mea iustitiam tuam. Lingua quippe cor ipsum debet sequi non autem è contrario: nam cor & ratio, debent præcedere. Hoc igitur est linguam [Eccles. 39] esse in corde. Os iusti meditabitur sapientiam. Lingua nostra tanquam calamus esse debet, qui per se nihil facit, nisi scriba ipsum moueret, vt ordinē & normam seruet. Lingua vestra nec vnum tãtum verbum debet proferre: sed eam debet ducere & dirigere ratio, vt rectè & ordinatè loquatur. Aspice rogo tanta & tam grauia mala quæ ex eo quod homines corda sua in linguis habuerunt, sequuta sunt. Inde enim tot tantáque scandala exorta sunt. Sed de his alias. ❡ Porrò Beelzebub, vt diuus Hieronymus refert in Commentariis super Oseam, idolum fuit apud Babylonios, qui vocabatur Bel. Belus enim pater fuit Nini, in cuius honorem Ninus edificauit templũ quod occasionē dedit idololatriæ accedentibus dæmoniis, & simulacris responsa sua dantibus. Et inde in alias nationes mos & ritus fuit translatus colendi illum: licet aliter iuxta linguam aliarum gētium nominaretur. Vocabatur à Babyloniis Bel. Ab aliis Baalim. Ab aliis Baal. A Iudæis verò derisoriè Beelzebub, hoc est Deus muscarum, eò quòd semper ibi multitudo esset muscarum ratione carnium, quæ ad sacrificia Bel adducebantur. Sed iam alios eiusdem farinæ impios audiamus. *Et alij tentantes signũ de cœlo quærebant ab eo.* [Beda lib. 4. in Lucam.] Isti etiam erãt ex ipsis Scribis & Pharisæis, vt patet in Matthæo & Marco. Grandis est [Math. 12] [Marc. 3] hominum malitia, quæ verbis vllis explicari nequit. Omnem mouet lapidem, vt Christum calumnietur. Odiosa est lux oculis ægris, & vita bonorũ, iniquis. Postquam Moses loquutus est cum Deo in [Exod. 34] monte Sinai posuit velamen ante faciem suam, & populus illum videre non poterat. Sic mundus eũ non potest conspicere nec intueri, qui in altitudine virtutum cum Deo in solitudine montis communicat: sed falsis criminibus & mēdaciis obscurat. Camelus ad fontem accedens priusquam bibat, aquam turbidam reddit: ne in aqua clara suã [Philo lib. 2. c. 8] intuens deformitatem sibi displiceat. Sic vita iustorum manifestat vitam impiorum & eorũ malitiam, & idcirco curant illã obscurare. Sic isti posse existimãt Christum obscurare, & ipsius gloriam minuere: id tamen deprauato iudicio. Concedunt quòd Christus multa facit miracula, sed alia maiora volunt fieri. Quemadmodum Iosue cœlos quiescere fecit, & Helias fecit ignem à cœlo descendere, qui combussit nuncios Ochoziæ. Iudæi signa petunt, Græci vero sapientiam. Sic dixit Moses domino quando mittebat illum populo Isaël: Non credent mihi, nec audient vocem meam. Et dixit illi dominus. Quid habes in manu tua? virgã, &c. Dedit dominus Mosi potestatem, vt faceret signa coram Iudæis. Et hac ratione ductus fecit Deus Petrum prædicatorem & doctorem Iudæorum, quia habebat virtutem faciēdi miracula, ita vt vmbra eius salutem & incolumitatem consequerentur infirmi. Paulus verò q̃a doctissim⁹ & eloquētissimus erat, constitutus fuit doctor gētium. Vnde quidam gentiles volentes illi sacrificium offerre, vocabant illum Mercurium: quia erat dux verbi. Quapropter idem Paulus ait. Qui operatus est Petro in apostolatu, operatus est mihi inter gentes. Sic isti Iudæi signa petunt: & non contenti signis, quæ fecerat, alia petunt de cœlo. ❡ Obserua autem quòd noluit Christus miracula de cœlo facere. Primò quia Christus voluit ea miracula operari, quæ vtilia essent. Fiunt enim miracula à Deo propter homines, quia propter se nullum miraculum Deus operatur, cũ tali necessitate careat. Et ideo oportet vt in miraculo duo sint. Alterũ q̃ ostendatur in illo diuina potentia: alterũ verò quòd hominibus proficiat. Sic ergo resurrectio mortuorum, & sanatio ægritudinum sufficiēter ostendebant, Deum esse eum qui mortuos suscitabat: sicut qui solem stare faciebat, insuper curationes ęgritudinum hominibus proficiebãt. Signa autem de cœlo nihil emolumenti ipsis afferebãt: & ideò magis completa est ratio miraculi & eius finis in curatione ægritudinum, quàm in prodigiis de cœlo. Et quia Christus veneiat, vt nostræ saluti consuleret, semper ea miracula faciebat, quæ ad hominum salutem proderant: non ea quæ tantum ad curiositatem & speculationem conducebant: Nullum est dubium quin maius esset commodum & vtilitas vt cæco oculi aperirentur, quàm vel vt cælum quiesceret, vel aliud simile. Vnde debes, ô homo, quicunque fueris, animaduertere, quãtum debeas Deo, qui suam sapientiam, potentiam, & virtutem, in tuam vtilitatem exercet, sanguinem denique & propriam vitam pro te contempsit, & in omnibus miraculis semper tuum commodum & vtilitatem respiciebat. Quocirca miracula cœlestia non faciebat, sed ea quæ profutura erãt hominibus, eorũ languores curando. Vtinam tu eius honorem & laudē factis tuis respiceres: sicut ipse suis tuam vtilitatem & profectũ. Ipse dum hanc vitam degebat totus erat nostro seruitio intētus: nos verò debitum illi honorē & obsequium post terga relinquimus. Quod Paulus deplorabat Philippensibus scribēs. Omnes quęrunt quę sua sunt, non quæ sunt Iesu Christi, &c.

[Iosu. 10] [4. Reg. 1] [1. Cor. 1] [Exod. 4] [Actor. 5] [Act. 14] [Gala. 2] [In miraculis duo spectantur.] [Miraculor. signorum & prodigiorum differentia.] [Philip. 2]

❡ Secũdo noluit facere Christus miracula, quæ homines calumniari possent: nullum tamē est miraculum quod facilius calumniã potest pati quã id quod à cœlo sumitur, & maximè ab eis, qui rudes sunt & insipientes. Nam propter elõgationem à cœlo & ignorantiam earum rerum, quæ in ipso accidunt, multi putare possent, ea quæ supra natu-

rã,& virtute diuina sciebãt,posse accidere ex causa naturali:quæ autem in hominibus fiebant, non ita facilè calumniam pati poterant, nam ipsa sensui & oculis patebãt.Si isti autem ea quę propriis oculis videbant calumniabantur, quid facerent si de cœlo viderent petita miracula? Sine dubio di-
Exod.7 xissent & Magos in Ægypto multa signa edidisse.

❡ Preterea in veteri testamento miracula fiebant in cœlo,quasi ab ipso Deo,& nõ ab hominibus venirẽt:Christus autem miracula fecit in terra vt ostenderet,se habere potentiam faciendi miracula, quæ non prouenirent aliunde.Ideò non conueniebat,vt miracula de cœlo faceret:quia existimarent illi quòd Deus habitans in cœlis, illa faciebat, non Christus:nam cum per eius imperium miracula fierent in terra,ostendebat sua virtute id posse efficere.Vnde quidam dixerũt. Qua-
Matth.8 lis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

Pharis. hodiernis qui petũt miracula.

❡ Perpende etiã quod inter fideles sunt multi qui petunt signa. Sunt qui in peccato iacentes toto suæ vitæ curriculo Christi misericordiã in fine vitæ ab eo consequuturos credant. Hi petunt signum à Deo in vitę suę fine. Cõmunis enim est lex
Psal.33 vt qui malè vixit,malè pereat:vt sit mors peccatorum pessima.Hi verò qui in peccatis semper in vtrãuis aurẽ dormierunt, contra hanc legẽ signum sibi petunt,vt in morte eripiantur ab inferno:quẽ tota vita meruerũt.Sed proculdubio vnusquisque
Rom.2 iudicabitur secundum opera sua,& tu thesaurizas
Ibidem. tibi iram secundum duritiam tuam:& impœnitẽs cor tuum. Eos enim qui (vt inquit Paulus) credunt iniquitati,ira & indignatio manet.Si cùm vixeris in peccatis triginta annorum spatio, & vna tantùm hora in statu gratiæ fueris, cur potiùs nõ tibi persuades,quòd in peccato morieris, in quo ferè per totum vitæ spaciũ iacebas, potiùs quàm illa hora,quod quidem tẽporis breue est momentum? Incredibilis certè tua dementia est. Nonne hoc est tentare Deum? nonne hoc est petere signũ è cœlo? Visne vt Deus ianuã cœli tibi aperiat, qui dum in hac vita viueres, semper habuisti voluntatem Deo reluctantem. Sed iam ad contextum:

Deus scrutator secretorũ, angelos habet testes.

Ipse autem vt vidit cogitationes eorum dixit eis. O si hæc peccator apud se reuolueret, ꝙ Deus interiores cogitationes respicit,& quòd ipsi nihil est occultũ.Nullus adeò est effrænis & impudicus peccator,qui coram hominibus ea audeat facere, quę coram Deo.Si cogitationes Deus cognoscit, quomodo opera tua pessima ignorabit? Audi ô stulte
1.Reg.16 quid Deus dicat Samueli.Homo videt ea quę pa-
Ezech.8 rent:dominus autem intuetur cor.Et Ezechieli dixit.Fili hominis fode parietẽ, & cum perfodisset parietem apparuit ostium vnum, & dixit ad me. Ingredere & vide abominationes pessimas,quas isti faciunt,&c.Vidisti quæ seniores Israël faciunt in tenebris: vnusquisque in abscondito cubiculi sui:dicũt enim,Non videt dominus nos. Existimasne ô infelix peccator ea crimina & flagitia, quæ in secreto & in abscõdito facis Deũ latere? & quod in die iudicij nõ omnibus palam fient? Hoc idem in persona peccatoris Ecclesiasticus inducit dicẽs, Quis videt me, parietes cooperiunt me,& nemo
Eccles.23 circunspicit me:quem vereor? Non intellexit quoniam omnia videt oculus illius, & non cognouit quoniam oculi domini multo plus lucidiores sunt super Solem,circũspicientes omnes vias hominũ & profundum abyssi,& hominũ corda intuentes, in abscõditas partes. Est enim peccator in medio peccati sui,existimat tamen,à nemine videri: quẽ- Dan.13
admodũ senes illi peruersi qui Susannam accusarunt,qui dicebant,Ostia pomerij clausa sunt,& nemo nos videt. Deus autem omnia contemplatur plusquam lynceis oculis:& inquit angelis illud E- Esaia 43
saiæ,Vos testes mei, dicit dominus, & ego Deus. Estote (inquit Deus angelis) testes mei & operis quod hic facit.Est enim homo, vt cæcus,qui existimat ab eo facta neminem videre: cùm omnibus pateant,& illi irrideant.Erat Heliseus angelis ob- 4.Reg.6
sessus:sed puer eos non videbat.Sic vt cuicumque operi tuo scias angelos adesse, & Deũ præsentem stare,quos si tu non vides,bene tamen videt Heliseus:nam bonus & rectus cognoscit præsentes esse,atque ita eos veneratur & suspicit.Locus hic deberet tibi ingentem timorem incutere,quandoquidem cum eo agis, cui etiam ipsæ cogitationes manifestæ sunt & multò minus opera quantumuis illa secreta sint & abscondita.Sed de his aliàs.

❡ Obserua autem duo dixisse Pharisæos aduersus Christum. Primum quòd eiiciebat dæmonia in virtute dæmonis.Secũdum quod illa erant parua miracula, & ideo petebant vt faceret signa de cœlo.Dæmõ enim statim vt exiit à corpore illius hominis sedẽ accepit in linguis iniquis horũ pharisæorum.His ambobus Christus respondet,& facit satis.Ad primum modo sex rationibus respondet.Ad secũdum verò statim inferiùs respondet. Ad primam igitur calumniam respondet duabus rationibus,quibus probat,hoc miraculũ non fuisse factum virtute dæmonis.Duæ verò rationes sequentes probant illud miraculum factũ fuisse virtute Dei.Postremæ verò duæ in generali ostendũt dæmonẽ in nulla re posse simul cum Christo operari Est igitur prima ratio. *Omne regnũ in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem satanas in se ipsum diuisus est:quomodo stabit regnum eius:*
quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia? Hæc au- Vide Chrys. Hom. 42. in Mat.
tem ratio formatur sic.Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur,sed si satanas eiicit satanã, ergo regnum eius non stabit.Consequẽs est falsum, quia vos dicitis quod apud gentes regnat diabolus,& tantùm apud vos qui fideles estis, est regnũ Dei.Et diabolus regnat in mundo per peccata,ergo regnum eius stat.Tunc vltra,regnum eius stat, ergo non est diuisum.Igitur malè dicitis in Beelzebub principe dæmoniorum me eiicere dæmonia. Secunda ratio ad probandum idem hæc est. *Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.* Hæc ratio sic formatur. Eadẽ potestate ego & filij vestri apostoli ex vobis nati dæmones eiicim⁹:sed vos nõ creditis neq; dicitis ꝙ in Beelzebub eiiciũt dæmonia,quin potius in virtute nominis mei:ergo nec ego in Be-
elzebub dęmonia eiicio.Quòd si dixeritis discipu- Vide Bed. in 11.cap. Luc. cap.48.
los meos in Beelzebub dæmonia eiicere,ipsi iudices vestri erunt,hoc est,iudicabunt vos de hac calumnia. ❡ Pręmissis iam duabus rationibus negatiuis,scilicet,quòd non eiiciebat dęmonia in Beelzebub:nunc duabus affirmatiuis concludit, Dei virtute se id facere.Quarũ prima sumitur ex diuina autoritate,secunda ex Christi potestate. Prima hæc est. *Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Hæc ratio sic efficitur. In regno Dei non potest operari nisi virtus eius,quia regnum eius contrariam potestatem non patitur; sed reg

ſed regnum Dei eſt in vobis, ergo virtute Dei dęmonia eiicio in vobis. Hanc rationem ſic adducit Chriſtus, vt conſtituat cōſequens in locum antecedētis: quoniam adinuicem conuertūtur. Aduerte quod porrò, ponitur hic pro ſed. Si in digito Dei, id eſt, Si virtute Dei eiicio dæmonia. Profectò id eſt certò ad vos iam venit regnum Dei: quia digitus Dei extra regnum eius non operatur, nec alia virtus extranea interuenit. Et tunc eſt ſupplēdum: ſed vos Iudæi aſſeritis regnū Dei in vos perueniſſe, ergo in virtute Dei eiicio dæmonia.

¶ Aduertendum tamen, quòd populus Iudæorum præcipuè vocabatur regnum Dei, vt habetur in Exodo. Eritis mihi regnum, Et alibi. Dominus Deus noſter regnat in vobis. Virtus etiam diuina dicitur digitus Dei: quia ſubtiliter & artificiosè operatur. Sed de hoc inferiùs. Secūda ad idem facit: ſed ſumitur ex præeminentia vigoris Chriſti, quæ talis eſt. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuū, in pace ſunt ea quæ poſsidet. Si autem fortior illo ſuperueniens vicerit eū, vniuerſa arma eius auferet in quibus cōfidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* Quæ ratio magis in forma eſt hæc. Nullus poteſt alicuius fortis armati, ea quæ poſsidet diſrumpere, niſi ſit fortior illo: ſed ego diripio quæ poſsidebat diabolus, quod patet, quia abſtuli ei dæmoniacum, quē poſsidebat, ergo fortior ſum ego quàm diabolus.

Exod.19
2.Reg.12

¶ Duas alias rationes generales adducit, probātes, quòd nullum opus ipſe faciat in virtute dæmonis: quarum prima fundatur in cōtrario aſſenſu Chriſti & diaboli: Secunda in contrario effectu, prima ſic. *Qui non eſt mecum contra me eſt.* Quæ ſic magis declaratur. Nemo agit virtute eius, qui eſt ſibi contrarius, quia contraria mutuo ſe impediunt: ſed diabolus eſt mihi contrarius, quod probo, quia qui non eſt mecum contra me eſt. Et ille non eſt mecum, quia ego cupio ſaluare: & ille dānare, ergo mihi contrarius eſt. Quapropter ſequitur præcipuum, quòd ſcilicet, ego virtute eius non operor. Secunda ratio, hæc eſt. *Qui non colligit mecum diſpergit.* Quæ ratio ſic formatur. Nō ſibi cooperātur adinuicem, quorū actus inter ſe repugnāt: ſed actus diaboli repugnat Chriſti operationi, quia Chriſti eſt colligere. Venit enim vt filios Iſrael qui erant diſperſi, congregaret in vnum: ergo operatio mea repugnat operationi diaboli, ideoq; ego non operor ipſius virtute.

Ioan.11

¶ Aduerte autem quòd has rationes Chriſtus nō adducit, vt perſuadeat phariſęis. Ipſi enim non credebāt, miraculum fuiſſe factum virtute dęmonis: & quamuis crederent, nullo pacto ipſis perſuaderi poterat. Sed adducit rationes propter turbā, ne phariſæorum verbis ſeduceretur. Præterea ſic tam firmiter & fortiter voluit probare quòd non virtute dæmonis, ſed Dei virtute dæmonia expellebat, nam inter omnia miracula, quæ Chriſtus faciebat, illud clariùs oſtēdebat, ſe promiſſum Chriſtum eſſe, quādo ſcilicet dæmonia expellebat: nam hoc erat illi officium demandatum & impoſitum, & ad quod exequendum in mundum venit. Quoniam vt ſuperiùs retulimus, quemadmodum dæmō in dāno & incōmodo quod corpori afferebat, oſtendebat calamitatem & ruinam quam animæ parabat: ſic Chriſtus cum dæmonia à corporibus propelleret, oſtendebat etiam ſe eos fugaturum ab anima. Vnde non tanta inuidia phariſæos inuaſit, cum Chriſtus leproſos, cæcos & claudos ſanabat, vt quando peccata cōdonabat & dæmones fugabat. Nā alij prophetę vt Helias & Heliſeus alia fecerunt miracula. At verò dæmones propulſare, Chriſto tantum fuit commiſſum. Quod ipſi non poterant ſufferre. Quapropter Chriſtus conſulto probat virtute Dei eiicere dęmonia, tanquam hoc eſſet negotium præcipuum & pertinens ad ipſius officium.

Chriſti purgatio nō propter phariſæos ſed turbas erat.

¶ Vide etiam hic Chriſti patientiam atque modeſtiam: qui quāuis maxima iniuria eſſet affect⁹ nulla animi perturbatione mot⁹, modeſtè, & optimis rationibus aduerſus eos arguit, ille, qui poterat ictu oculi eos in infernū detrudere. Hinc diſcere debent principes & prælati: ne in caſtigandis ſubditis ira & furore rapiantur. Dandus quippe eſt locus animi perturbationibus, vt tranquillitas adſit, quæ afferat tum modeſtiā, tum & reuerentiam. In altiori regione aëris, vbi aër purior eſt & excellentior, nulla nubes, nullum fulgur, nullus caliginoſus vapor, aut nebuloſus eſt. Sed tota illa regio clara & ſplendidiſsimo candore elucet. In inferiori verò regione generantur nubes & tonitrua. Sic prælati, qui altiorem obtinēt locum, lucidi, quieti & liberi debent eſſe à turbationibus & paſsionibus: quanuis ad hæc non teneantur ſubditi. Nam cicatrix turpior eſt & deformior ſi alicui contingat in facie, quàm ſi in alio quouis corporis mēbro, &c. Sed iam has ſuperiores ſex rationes paulò altiùs repetamus: vt ex hoc contextu aliqua eliciamus ad vitam rectiùs inſtituendam.

Manſuetudinis exemp. in Chriſto.

Primo itaque ait dominus, *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.* Nihil verius vnquā dici potuit: Nā ſi primus ille parens noſter in voluptatis & deliciarum paradiſo cōſtitutus, per inobedientiam priùs à Deo non eſſet diuiſus: nō vtique ab illo tā ignominioſè expelleretur. Mundus obrutus & deuaſtatus fuit diluuij aquis: ſed priùs fuit diuiſus per diſcordiā vitæ & diſsimilitudinē, quę erat inter filios Seth & Chā. Aegypt⁹ etiā deſtructa fuit, ſed priùs iam crudeliter, contra filios Iſrael erat diuiſa. Filij etiam Iſrael in captiuitatē Babylonis ducti priùs decem tribus ab aliis duabus Iuda & Beniamin ſegregarunt. In naturalibus verò quando elementa ſunt in mixto cōformi pace inter ſe ligata, diu perſeuerāt. At verò cum alterum ab altero per diſcordiam diſcedit, mixtū perit & corrumpitur. Quocirca egregius doctor Paulus ad ea quæ ſunt pacis nos inuitans, inquit: Si inuicē mordetis, & comeditis, videte ne ad inuicem conſumamini. Et diuinus pſalt. Cōturbatę ſunt gētes, & inclinata ſunt regna. Ratio autem deſtructionis & deuaſtationis, illa potiſsima eſt, quia diuiſi non habēt vires, & ita à quolibet cōtrario facile ſuperantur. Virtus quippe vnita fortior eſt ſe ipſa diſperſa. Nam ſi duos boues accipias ſeorſum: & alteri velis on⁹ aliquod iniungere, non ita facilè deportare valebit. At verò ſi cōiunctos acceperis, impone illis quoduis onus etiam grauiſsimum, quocunque volueris deportabunt. Ita nimirum quando homines in contrarias partes per differentiam & diſcordiam abeūt, nullas vires obtinēt: at verò amicitia & amore coniuncti, quemcunque laborem facilè perferunt & ſuperant. Ideò Chriſtus, Venite (inquit) ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis: & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos. Et ſi quidem nos aduerſus dæmones viſibiles & inuiſibiles certamus & aduerſus principes & poteſtates tenebrarum, omnes concordia & charitate vnia

Geneſ.3
Geneſ.6
Exod.14
4.Reg.5
3.Reg.11
Galat.5
Pſal.45
Matth.11

mur: vt vel sic nullus inimicus quantumuis potẽs sit & robustus aliquid aduersus nos valere possit. *Christianorũ discordia inimicorum victoria est.* Sic milites in bello id maximè curant vt recto ordine sint dispositi & cõiũcti, quò fit, vt inexpugnabiles sint. Si verò acies inordinata fuerit, & alter ab altero segregatus: facilè à contrariis superátur. Cùm igitur vita hæc perpetuum sit bellũ (& ideo vocatur Ecclesia hæc militans) quare non omnes cõiungimur amore & charitate? Quare dissensiones quotidie oriuntur inter nos? Parum aut nihil inimici nostri aduersus nos valerent: si charitate & amore nos ipsos prosequeremur. Tanto imbecilles inimicis nostris erimus: quãtò maiorem discordiã inter nos viderint. Vnde obsecro sanctissimis illis viris primitiuæ ecclesię, tanta animi virtus & cõstantia euenit: vt finem imponerent tantis tã que egregiis factis? Quomodo obsecro tam robusti gigantes fuerunt: vt totum mundum deuicerint, & Christi fidei copularint? *Actor.4* Erat vtique multitudo credentium cor vnum, & anima vna. Ex concordia & pace tanta illis suboriebatur vis atque virtus. Vnde in Cãticis laudans Deus primitiuam Ecclesiam inquit, *Canti.7* Pulchra es sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Ordo enim & charitas, quam inter se seruabant tum tẽporis homines, Dei oculis pulchrã & formosam reddebat: inimicorum cõspectui terribilẽ, & fortem. Et huic proposito inquit, Quid videtis in Sunamite, id est in captiua: nisi choros castrorum? Quid videbitis in ecclesia, quæ primum ob seruitutem dæmonis & peccati captiua fuit, modo verò sanguine meo redempta, & iterum captiua per amorem quem erga me habet, nisi choros castrorum, & aciem ordinatam? Et quia in choro est vocum concentus, & in acie sunt arma quibus debellari & dimicari possit; quod vtrumque charitas multos atque diuersos cõiungit, & ex multis vocibus suauis & canorus concentus resultat: ideo inquit, Quid videtis in Sunamite, &c. Sed in mundo non hæc concordia reperitur, sed potiùs bella & dissensiones, semper vndique oriuntur. ¶ Sed iam vnde hæc infirmitas & calamitas originem ducat, aperiam vobis: *Initium discordiæ superbia.* vt si velitis principio eius cognito, tantæ pesti medicinam adhibeatis. Fons enim & origo huius discordiæ est immanis illa bestia superbia. Quod ostenditur ex illo Sapientis. *Prouer.13* Inter superbos semper sunt iurgia. Quod duabus de causis accidit. Prima quia id est natũ & ingenitum superbis ingenium vt suæ propriæ sententiæ & voluntatis semper sint amicissimi: ita vt (si opus fuerit) eam in vxorẽ accipiat, quam nulla de causa alterius iudicio postponunt, cumque inter superbos contrarię sint voluntates & sententiæ, perinde est necesse, vt statim inter eos discordia suboriatur. Secũda causa & ratio est, quia pax & amor bonum quoddam est prętiosum, quod (vt ecclesia inquit) mundus dare non potest, sed Deus tantum: quod ipse hominibus tribuit ea lege, vt ipsi honor & gloria debita relinquatur. *Luca.2* Quapropter angeli in natiuitate Dei canebant, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus. Id quippe est iustum & rationi consonum, vt cum quis aliena vsurpauerit, quod propriũ & suum est amittat. Quocirca quando homines superbia elati honorem & gloriam ambiunt, aliena vsurpantes, Deus pacem illis denegat. Et ita multoties solet euenire, vt in quibus superbi honorẽ & gloriam quęrunt, sint illis materia & fundamẽtum discordiæ: neque pacem amissam vnquam recuperare possunt, nisi desideria alienæ glorię reliquerint: & cum talibus desideriis à Deo pacem expostulent, in vanum operam perdunt: nam respõdebit illis, Ego pacem è medio vestrũ sustuli: quia vos honorem mihi soli debitum, & gloriam rapuistis. Date mihi gloriam meã, & ego pacem vestram vobis retribuam. Nam bene scitis esse scriptum, Gloriam meam alteri non dabo. *Esaie 42* Et iterum: Soli Deo honor & gloria. *1.Tim.1* Vnde iam clarè cõstat discordiam suboriri ex superbia, quę maxima infirmitas est, cùm ex grauissimo malo originem ducat. Et ideo pręclarè Sapiẽs inquit, *Prouer.6.* Sex sunt quę odit Deus, & septimum abominatur anima eius, &c. Septimũ hoc est, qui seminat discordiam inter fratres.

¶ Secundò licèt discordia filia sit superbiæ: *Discordia filia superbiæ.* tamen id quod ipsi incrementum tribuit, est defectus iustitiæ. Propter iustitiam pacifici sunt homines in regno: & propter iniustitiã diuidũtur. Ideo diuinus vates, *Psalm.84* Iustitia & pax osculatę sunt. Et sicut defectus iustitiæ ruinã & casum parit: ita eiusdem obseruatio trãquillitatem & quietem generat. *Psalm.109* Iudicabit (inquit Dauid) in nationibus, implebit ruinas. Regnum enim in se diuisum desolabitur: & iustitia conseruat illud. Fugiamus ergo discordiã, vtpote quæ filia est tam pessimæ matris, quæ efficit vt ea, quę natura sua sunt bona, & Deo accepta, si cũ discordia coniungantur, odiosa & inuisa sint eidẽ, nec locũ cõcedunt, vt cum Deo negotiemur, neq; locum ad illum aliquid petituri adeamus: nisi priùs cum proximis. Manifestiùs liquet ex eo Saluatoris, *Matth.5* Si offers munus tuũ ante altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersus te, &c. Et si in aliquo cœnobio aliqui fuerint magis pœnitẽtes, & asperiorẽ vitam sectantes, & aduersus alios eiusdẽ cœnobij fœdus & factionem percusserint, eos cõtẽnentes, talis pœnitẽtia & vitę asperitas nequaquã Deo erit grata. *Lex.Grego.ho. 6.super Ezec.* Vnde Paulus huic proposito egregiè loquutus inquit, *Rom.14* Qui nõ comedit, mãducantẽ non spernat. Quomodo vultis, vt Deo gratum sit ieiuniũ, vbi non est locus paci? Ideo per Esaiam quidam dixerunt. *Esai.58* Quare ieiunauimus & non aspexisti? &c. Et statim, Ecce ad lites & contentiones ieiunatis. ¶ Discamus ergo pacem diligere, *Pax Dei donum.* quæ salutare remediũ est & medicina tantæ huic ęgritudini. Hoc est munus illud & donũ excellens, quod Christus suis discipulis reliquit, & quod maximè commendauit inquiẽs, *Ioan.14* Pacem meam do vobis, pacẽ relinquo vobis. Et hoc præcipuè patrem exorabat in cœna: cùm dixit. *Ioan.17* Pater volo, vt quos dedisti mihi vnum sint, sicut & nos. Si princeps aliquis iter facturus in discessu sponsæ suæ munus aliquod seu donum offerret in pignus amoris: ipsa tamen post dicessum nihili faceret munus & contemneret: magna quidem huius esset ingratitudo. Sed Christus hoc munus & donum maximè commẽdauit, iam ad patrem iturus, nos verò pro re vili & abiecta id cõputamus. Sic maximè Deus æstimat munus hoc, vt nemo iacturã illius faciat, per Matthæum inquit, *Matth. 6* Si quis vult à te pallium, da ei tunicam. Cuiuscunque rei iacturam debes facere vt solam pacem habeas. Sic lapidem hunc pretiosum debes magnificare, vt intelligas omne illud, quod Christus in Euangelio docuit in huc finem ordinasse. Quod videtur ita conuici ex illo, quod per Ioannem inquit, *Ioan.14* Hoc dixi: vt habeatis pacem in me. Et vt glossa intelligit, non so

nõ solùm ex verbis, quæ in sermone cęnę retulerat, sed ex omnibus iam priùs actis debet intelligi. Sed de hac re hæc satis sint. *Si autem satanas in se ipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia: &c.*

Ordo est tam in bonis quã in malis angelis.

Est principatus inter dæmones, sicut etiam inter angelos bonos. Nam dæmones qui maioris sunt virtutis, aliis dominantur. Nam Matthæus inquit (Matth.25.) quòd Dominus impiis dicet. Ite cum diabolo & angelis eius. Ecce vbi vnus diabolus tanquã princeps ponitur, & cæteri tanquam ipsius ministri. Et in Apocalypsi, draco ponitur tanquam princeps (Apoc.12) omnium dęmoniorũ. In Iob etiam dicitur: quod (Iob 41) Leuiatan erat super omnes filios superbiæ. Et Iudæi hîc dicunt. In principe dæmoniorũ eiicit dæmonia. Et hoc cõuenit dæmonib⁹ ex parte suæ naturæ, nã qui maiores sunt, pręcipiũt minorib⁹: q̃a dæmones nõ sunt creati æquales in naturalibus, nec etiã in gratuitis: & qui maioris sunt perfectionis, aliis dominãtur: & sic inter se ordinẽ habent, vt vel sic magis ipsis hominibus nocere valeant. Nã si is ordo nõ seruaretur inter eos, sed bellũ, nihil sanè hominibus nocerent: quia bellum eorum hominibus esset pax. Omnes enim in vnam & eãdem rem consentiunt, scilicet, vt noceant hominibus: ad quem finẽ peruenire nõ possunt nisi quẽdam ordinem inter se obseruarẽt. Qui autem principes sunt, & viribus & ingenio reliquos superãt. Iste autem ordo dæmonum vocatur regnũ ipsorum, vel regnum Satanæ, & istud regnum semper stat, quia propter causam iam dictam inter se consentiunt. ¶ Notabis autem, quod licet vnus dæmon alium de corpore non eiiciat, vt Christus hic ostendit: tamen non est dubium quin possit: quia cõtingit eiicere per naturæ vires, & vnus, qui maior est, alterum minorẽ cogit ad id quod vult: quapropter potest illum excludere. Etiam potest vnus alium torquere, dum maior sit illo. De facto tamẽ vnus non eiicit alium, vt Christus hic concludit: quia sic ordinati sunt inter se, vt imperium habere possint super homines: quia si vnus alterũ impediret, periret vtiq; regnum eorũ. Nam si dæmon dæmonẽ eiiceret, faceret hoc, quia hominẽ diligeret, quod fieri non potest, quia quoad fieri potest: hominum genus odit & persequitur. Vel quia odit dæmonem existentem in homine, quod nec esse potest: quia licet dæmones non se mutuò diligant: magis tamen odio habet dæmon homines, quàm alios dæmones. Vel quia ipse etiam eum vult torquere, qui ab alio torquetur: quod nec etiam stare potest: quia multi dæmones possunt simul eundem hominem torquere, si modo permittantur, ita vt vnus non impediat alterum, vt manifestum (Matth.8) est in illo homine, qui legionem dæmoniorum habebat, ergo vnus dæmon non eiicit alium.

¶ Aduerte etiam quòd inuenies plurimos similes dæmonibus, qui licet inter se inimicitias gerãt, tamen ligantur cõcordi pace, vt hominem insontem & omni culpa carentem, persequãtur. Quod (Matth.27) exemplo tibi ostendam. Nam Herodes & Pilatus, inter quos grauissimæ inimicitiæ interueniebant: tamen vt Christum innocentem interficerent, inter se conuenerunt. Quotidie in mundo videbis vt mali sæpè conueniant: vt bonis malum infe- (Genes.37) rãt. Sic filij Iacob congregati sunt, vt sanctum Ioseph persequerentur. Ita Triumuiri illi Romani, qui inimici anteà fuerant, vt suos cõtrarios interficerent, amicitiam inter se inierũt. Hæc est iniqua & peruersa peccatorum pax, qui quemadmodum dæmones conueniunt, vt hominem persequãtur, ita ipsi coniunguntur vt proximi sanguinem ebibant, & ipsius vitæ insidias parent. Quemadmodũ sancta pax & concordia regnum Christi cõseruat & corroborat: ita hæc iniqua malorum hominum & dęmonum pax, regnum diaboli stare facit. Vidẽbis enim sæpè sæpiùs multos status & tyrannides, quæ diu durant & perseuerãt: & multos prelatos qui sese in dignitatẽ cõstituunt, perpetuũ fauorem aliorũ amicorũ habere qui eandem tyrannidẽ insequuntur. De hac pace iniqua & peruersa inquit Dauid. Zelaui pacẽ peccatorũ videns, &c. Sed iam (Psalm.72) vltra procedamus. *Filij vestri in quo eiciunt?* Vocans apostolos filios eorũ, ad beneuolentiã illos excitabat, ita vt videretur eorũ famã non minuere. Nam si diceret, Discipuli mei, in quo eiciũt? statim Iudæi insurgerent aduersus eum dicentes: Quod etiam illi in Beelzebub dæmonia eiiciebant. Docet Christus Dei dona nunquã spernẽda, ob aliquem qui nobiscum agit: quãtumuis ille sit vilis & abiectus. *Porrò si in digito Dei.* &c. Hoc est in potentia & virtute Dei. Digitus Dei dicitur virtus Dei. Vnde magni Pharaonis dixerunt, Digitus Dei est hic. Id est clara & manifesta hęc est virtus Dei & potẽtia. Ea nanque quæ digito ostendimus manifesta sunt: nã licet innata sua virtute posset facere ciniphes, fuit tamen adeò impeditus: ita vt Pharao & magi eius cognoscerent Dei virtutẽ & potentiã, & sentirẽt plagã. Dauid etiã in hoc sensu accepit, digitos cũ dixit. Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorũ tuorũ. Metaphora sumpta est à digitis: nã digitis solemus ostẽdere, & etiam operari. Sic brachiũ Dei est eius fortitudo, dextera fęlicitas est, sinistra aduersitas, & oculi cogitationẽ etiã significãt. Loquitur scriptura de Deo ad morẽ hominũ, vt Augustinus ait. Nã diuinę scripturę, vt idẽ Augustinus refert, & humano sensu ad diuinum nos erigentes: vsque ad ea verba descenderunt, & quibus inter se stultissimorum etiam vtitur consuetudo. Ita cum corporis forma circunscribitur Deus, membra corporis ita nominantur, vt ex membrorum vocabulis, effectus eius potentię designentur. Lege Gregorium & Damascenum. Manifestum igitur est quod ego in virtute Dei & potentia eiicio dęmonia. Deus enim operatur hæc miracula, non Beelzebub. Hanc Dei virtutem Matthęus vocat spiritum Dei, quod idem est. Verbo enim domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Virtute Dei & eius potentia omnia creata sunt, qua eadem virtute Christus operabatur & eiiciebat dęmonia. *Peruenit in vos regnũ Dei.* In hoc præcipuè regnum Dei est mirabile. Nam quãdo quis in externa proficiscitur regna: dicitur abiisse in regnũ Franciæ: vel in aliud quoduis: non tamen rectè diceretur venisse regnum Franciæ in illum. Verùm cùm regnum Dei priùs in hominem veniat, quàm homo in illud ingrediatur: optimè dicitur ad nos venire regnum Dei. Tunc enim regnat in homine, cũ homo suscipit illud per fidem & charitatem. Reges terræ in subditos imperium habẽt per potentiam suam: rarò tamen aut nunquam eorum voluntatibus dominantur. Sed modus, quo nobis Deus dominatur, est totũ sibi subiicere hominem: & in animam per amorem sese intromittere, & ab illa super omnia diligi. Quapropter regnum Dei priùs ad nos venit, quàm nos de-

Digitus Dei quid sit. Exod.8. Vide Aug. lib. 2. de cõsen. Euang. cap.38

Psalm.8

August. lib.1. Trin. c. 12. & lib. 83. quæst. 51.

Greg. lib. 24. mor. c. 2. Damas. li.1. c.14. Matt.12 Psalm.32 Vide Aug. vt supra.

Quomodo in nobis regnat Deus.

ueniamus in illud ; quoniam dominus qui est re-
gnum nostrum, bonum nostrum, & hæreditas no-
stra venit ad nos, & habitat in nobis per gratiam,
& à nobis diligitur per charitatẽ. Sic Christus, Re
Luca 17 gnum Dei intra vos est. Quando scilicet Dominus
in nobis habitat, tunc regnum Dei est intra nos.
*Cum fortis armatus custodit atriũ suum, in pace sunt ea
quæ possidet. Si autẽ fortior illo superueniens vicerit eũ,
vniuersa arma, &c.* Ante Christi aduentum geminã
potestatem dæmon in homines habebat. Prima
quia omnes decedentes in originali siue mortali
peccato, captiui tenebãtur in inferno, siue in lim-
bo puerorum. Habebat etiam aliam potestatem,
scilicet vt posset hos decipere frequenter, & infi-
delitatẽ, idololatriam & superstitionem persuade-
re. Vnde maximam partem orbis ante Christi ad-
uẽtum suis technis & fallaciis occupabat: & in mi-
sera captiuitate detinebat. Et ob hãc causam prin
Ioan. 12 ceps huius mundi à Christo appellatus est. Et Pau-
Coloss. 1 lus ipsum & eius satellites appellat principes &
potestates, & mũdi rectores. Siue vt propriori si-
gnificatione alij vertũt, verbum græcũ kosmokra-
toras, mundi dominos. Sed superueniens Christus
hoc est de cœlo descendens, aufert ab eo arma in
quibus confidebat, id est versutias, fallacias & om
nia nugamenta, quibus decepit. Distribuet spolia,
id est peccatores : quos Christus per gratiã suam
redemit, & à dæmonum imperio abstulit : cósque
Ephes. 4 tradidit angelorum custodiæ, captiuam ducens
captiuitatem. ¶ Sed dubium statim suboritur,
quomodo hoc possit esse factum, cùm etiam nunc
diabolus habeat illam duplicem potestatem, quam
diximus, quia dæmonum imperio ij sunt subiecti,
qui sub diaboli potestate, qui in peccato mortali
& originali degunt vitã. Ad quod breuiter respó-
deo, quòd per Christi aduentũ neutra potestas pe
nitùs & omnino fuit abolita : ius enim nũc habet
detrudẽdi in infernum vel limbũ eos, qui in pec-
cato mortali discedũt: vel in originali, & existẽtes
in his peccatis eiusdem sunt captiui. Tamen hęc se
cunda potestas diminuta est per aduentum Chri-
sti. Eius quippe meritis est effectũ, vt ne tanta dã-
na spiritualia nobis inferantur, præcipuè his, qui
de Christianismo gloriamur, & Christum ducem
sequimur. Cumque priùs maximam partem orbis
sub tenebris ignorantiæ victã detineret, prædica-
tione apostolorũ factũ est, vt maxima pars orbis
abnegato regno illius, in Christi regnum se cóuer
teret. Nam cùm ipsius fallaciæ & technæ Euange-
lij luce & splendore panderentur, impletum est il-
Ioan. 12 lud quod Christus de eo dixit. Nunc princeps hu-
ius mũdi eiicietur foras. Vnde nunc nos nó tenẽ-
do possidet, sed tenendo persequitur: nam aduer-
sus eos, quorum intrinscam potestatem non ha-
bet, exteriora bella gerit: & quia interius dominiũ
amisit, foris oppugnat. Et sic adimpletum est il-
Esaia 11 lud Esaiæ. Delectabitur infans ab vbere, super fo-
ramine aspidis & in cauerna reguli, &c. Intrat igi-
tur in domũ fortis possidẽtis genus humanum: &
priùs eum alligat, potestatẽ eius coërcens fortiori
bus vinculis: & sic vasa, quæ prædestinauit, ab eo e-
ripit, simul & liberũ arbitriũ, vt vel sic in Christum
Diaboli potestas nũquam super iustos. credãt libera volũtate. ¶ Hic etiã debes aduerte-
re quod ante Christi aduentũ nec posteà nó tanta
erat dæmonis potestas, vt se ad iustos extenderet,
Luc. 16 & sic anima Lazari in sinũ Abrahę duxerunt an-
geli. Solum enim vt diximus habebat potestatẽ in
existẽtib⁹ in peccato mortali & in originali: nã iu-
sti nec illo tẽpore nec isto ad imperiũ diaboli per-
tinebãt. Ipse enim vocatur princeps huius mundi: Ioan. 12
& rector tenebrarũ harũ. Electi verò sunt filij lu- 1. Thes. 5
cis, vt Paulus ait, non ergo pertinent ad dominiũ
diaboli. Quapropter vasa diaboli tantũ sunt pec-
catores, quos Christus meritissimo suo pretioso
sanguine & passione eripuit. Abstulit spolia & vi-
res, sed nõ occidit illũ, vt haberemus inimicũ ad-
uersus quẽ sẽper deberemus armati incedere. Quo
circa in nouo instrumẽto plures sancti reperiũtur,
quã in veteri, quia inimicus magis debilis est & fa
ciliùs vincitur, quoniã maiora arma & auxilia ad-
uersus eũ habemus, tot scilicet sacramẽta, tot au-
xilia gratiæ. ¶ Verùm vnum maximè est hic ob- Pax impiorũ nõ diuturna.
seruandum, & valde dolendum, quod cũ diabolus
custodit atrium suũ, in pace sunt omnia quę pos-
sidet. Hoc enim maximè diabolus conatur vt quã
possidet peccatoris animã quiescere faciat in cul-
pa & in vtramuis aurẽ dormire: Ita vt nec vllũ có-
sciẽtiæ stimulũ patiatur. Nam cũ plurimos exper-
tus sit peccasse, & gratia Dei à peccato recessisse,
ideò optat & desiderat quietẽ illã peccatori mor-
tiferam & venenosam. Sicut illi Babylonij qui ca-
ptiuos Israelitas inuitabant ad cantũ, vt Psalmus Psal. 136
ait. Quoniam illic interrogauerunt nos, qui capti-
uos duxerunt nos verba cantionum. Et qui abdu-
xerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis
Sion. Quemadmodũ Babylonij captiuos Iudæos
gaudere & quiescere in captiuitate curabãt, & cã-
tica Sion appetebant: sic dæmon cum in captiuita-
tem & miseram peccati seruitutem peccatorẽ re-
digit, cantare, gaudere, ludere & quiescere omni-
bus modis molitur : vt sic obliuiscatur peccator
periculũ suum in quo infęliciter detinetur. Cui re-
spondendũ est, quod statim sequitur in eodẽ Psal-
mo. Quomodo cantabimus canticum domini in
terra aliena? Quomodo cùm simus cœli habitato-
res, & cùm ciuitatem istam nõ habeamus perma-
nentem, sed futuram speremus? Quomodo in- Ephe. 2
quam fieri potest, vt cantemus canticum quietis
& lętitiæ, dum deprauatam conscientiam habe-
mus? Habitantes in Babylone & confusione pec-
cati, recordamur cælestis illius Hierusalem beato-
rum patriæ, quapropter à lachrymis nó possumus
nos tẽperare & fletibus & lamẽtis cor in illã erige
re. Sed multi sunt grauissimi pecatores, qui cũ ty-
rannide à dæmone possideãtur, & in eius seruitu-
te miserè sint detẽti, ipsi securi sunt, & quieti canẽ
tes & gaudẽtes, nec recordãtur cęlestis illius Hie-
rusalem beatorum patriam, nec suam miseram &
infœlicem seruitutẽ: quo fit vt dæmon tranquillè
& quiete ipsos possideat. O infœlix & misera pax,
de qua Esaias inquit, Ecce in pace amaritudo mea
amarissima. Aspice obsecro & vide ꝙ in hac tua Esaia 38
pace sint multæ amaritudines. Nam si exteriùs pa-
cem habeas cum mundo & carne: interiùs verò te
terrima passionũ bella oriuntur. Pax pax, & non e- Ierem. 6
rat pax. Habet enim quis hortũ aut cucumerariũ,
dum arbores floribus virent, & fructus in maturi-
tatẽ peruenit, non multũ curæ in his custodiendis
adhibet: At verò cum fructus inceperit in expecta-
tã maturitatẽ peruenire, diligentiùs custodiã ad-
hibet. Sic tu cũ inceperis ad maturitatem peccati
peruenire, & ad duriciẽ cordis: dæmõ maiorẽ cu-
stodiã adhibet & diligẽtiã, ne Dei ictus, & clamor
pulsãtis ad ostiũ cordis tui audiatur aut eo attin-
gat: quo

gat, quousq; iã in profundũ peccatorum & omnẽ maturitatẽ perueneris, ita vt iam sis aptus mensæ & patinæ dæmonis. Sic Esaias. Et relinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario. Vigila obsecro, & expergiscere, ne à dextera Dei dimittaris & factus sis vt cucumerarium. Hoc idem plorabat Dauid dicens. Deus venerunt gentes in hæreditatẽ tuam: polluerunt templum sanctum tuum, & posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.

Esai. 1

Psalm. 78

Aduerte etiam quòd cucumerarium non custoditur à nobili aliquo viro vel magnate, sed à vili & abiecto homine. Sic diabolus qui custos est peccatoris, vilissimus & abiectus est: cuius tamen multi sunt homines qui velint esse subditi, & sub eius vexillo militare: dummodo quietè & pacificè viuant, quàm pugnare viriliter, vt strenui & fortes milites faciunt. Qui quidem valdè sunt similes filiis Israel, qui potiùs elegerunt iniqui Pharaonis imperio subesse, quàm tantillum laboris pati in terra promissionis gaudentes. Multoties fœmina cupit concubitũ deserere, & offensam Dei sui relinquere: sed cũ timeat necessaria illi esse defutura, miseram dæmonis seruitutem non deserit: & tunc diabolus magis cohæret & comprimit cùm videt miserum peccatorem fugam moliri. Et vt pacificè eum possideat, ob oculos ponit, vix fieri posse vt in meliorẽ mentem redeat, & plura alia incóueniẽtia vana & leuia fingit: & sic perterritus vmbra foliorũ, in peccato manet. Sed illud peccator aduertere debet omnia illa dæmonis impedimenta paleas esse, quę cũ nihil sint, aliquid esse videãtur, & in Deũ fiduciã ponere: & putet nihil ei defuturũ, si ipse velit, vt paleas fugiat & abiiciat: nam mẽtiri nõ potest ille qui propheraiuit in spiritu Dei. Non vidi iustũ derelictũ, nec semẽ eius quęrẽs panem.

Exod. 16

Psal. 36

¶ Obserua etiam quòd non est simplex dæmonis possessio cum nobis dominatur, sed omnia nostra, sua sunt. Quemadmodum Deus cum in nobis habitat, omnia nostra sua sunt, nec patitur diabolũ aliquam portionem habere in nobis: ita cũ diaboli sumus, omnia nostra sua sunt. Semel enim occupata nostra voluntate, quæ arx est totius hominis, reliqua hosti facilè subduntur. Et ideò forsitan dicitur, Qui offenderit in vno factus est omnium reus: quia quod est in illo, labe contaminatum est, &c. *Qui non est mecum contra me est.* Docet non solũ illos homines Christi inimicos esse qui palam ei contradicunt, verùm etiã illos, qui ab illius partibus non stant nec cofitentur palam dictis, & factis esse Christianos. De talib⁹ superius dixit Christus. Qui me erubuerit & meos sermones coram hominbus, &c. Et cùm Christus veritas sit, iustitia, & innocentia: cum tu vides aliquem opprimi & taces, ne quẽquam lędas, aut damnum aliquod tibi conciscas, iam boni Christiani nomen amisisti: nec bonus Christicola es. *Qui non colligit mecum dispergit.* Officium Dei est colligere, dæmonis verò dispergere. Voluit Pharao, vt filij Israel dispergerẽtur, vt paleas colligerent: & dispersus est populus ad colligendum paleas. Quãdo Deus volebat eos cõgregare, diabolus dispergebat illos. Et ad quid? ad colligendum paleas. Quę obsecro sunt omnia huius mundi nisi paleæ? & ad colligendũ hęc vana & leuia disperguntur impij. Cũ igitur officiũ Dei sit cõgregate, dæmonis verò dispergere: illi diabolũ imitantur qui seminãt discordias: illi verò Deũ

Iaco. 2

Quis Christi discipulus verus.

Luc. 9

Exod. 5

qui proximos dissidentes inter se cõciliant. Quemadmodum ex parua nube aliquando magna oritur procella, sic ex parua discordia grauissimæ rerum perturbationes & turbulẽtissimæ tẽpestates concitantur. Et queadmodũ etiã ex parua scintilla oritur aliquando grãde incendiũ, quo magnifica ędificia & laquearia cõburũtur, ita etiã ex paruo dissidio inter amicos principes indissolubile aliàs amicitiæ vinculũ frangitur, & omnino perit. Hoc verbo indicatur etiam nobis omnia opera nostra frustranea, irrita, & nulla esse, nisi fiãt propter Christũ. Sed iã vltra. *Cum spiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quærens requiẽ.* Hæc verba multi existimant pharisæis esse dicta: vel populo, loquens de impiis pharisæis & scribis, cũ quibus hactenus disputarat. Sed quãtũ ego existimo, fuerunt dicta homini illi, à quo dæmoniũ exierat: vt deinceps ad melius vitæ institutũ rediret, & à peccatis caueret ne iterum in vomitũ incideret. Quia nouissima erũt peiora prioribus. Sic etiã dixit paralytico qui erat in piscina Bethsaidę postquã pristinã sanitatẽ illi restituerat. Ecce sanus fact⁹ es, iã noli ampliùs peccare: ne deterius aliquid tibi cõtingat. Sic ne iste ad pristinę vitæ statum rediret, & vt omnes ibi adstantes doceret, monet illũ vt in posterum sibi caueat & prouideat. Dimittens igitur illos perfidos scribas & pharisæos: ad illũ hominem & ad populũ ibi expectantẽ, sermonẽ suũ conuertit. Hoc etiã fecisse legimus apud Matthęũ cùm derelinquens scribas & pharisæos ob eorum impietatem, sermonem conuertit ad populum, & docuit eum dicens, Audite & intelligite, nõ quod intrat per os, &c. Docet prædicatores ne propter duos aut tres qui inuidi sint & calũniatores eius, desinant verbũ Dei, & instruere populum simplicem. Cũ rex ille Achaz qui idololatriæ studebat, cùm in quodam periculo esset constitutus, ex Dei parte Esaias propheta dixit illi, vt vires & animum in re illa adderet, Pete tibi signum à domino Deo tuo in profundũ inferni & in excelsum suprà. Qui tanquam idololatra noluit signum petere. Videns tunc propheta regis duritiem, derelinquẽs regem conuertit sermonem suum ad populũ, & dixit illi. Audite ego nunc domus Dauid. Vobis inquam loquor qui syncero estis corde, & mũda mente, & vobis dico, Ecce virgo concipiet, & pariet filium, &c. Hoc igitur modo dereliquit Christus scribas illos & pharisæos, ad populum loquitur, & ad illum hominem.

Ioan. 5

Matt. 15

Esai. 7

Cum immundus spiritus, &c.

Spiritus tã in nouo quàm in veteri instrumẽto vbi sine vllo addito inuenitur, in bonam accipitur partẽ. Ecõtrario autem malus spiritus semper cum additamento inuenitur. Sic Paulus in bonam partem accepit, cum dixit, Fructus autẽ spiritus, charitas, gaudium, pax, &c. Et alibi, Si spiritu viuimus: spiritu & ambulemus. Et iterum. Si autem spiritu vitia carnis mortificaueritis, viuetis. Et in veteri testamento in Esaia legimus. Dãs flatum populo, qui est in ea, & spiritũ his qui calcãt eã. Qui enim terrena calcãt & à tergo relinquũt, vtique nõ malũ sed bonum spiritum merentur accipere. Ecõtra verò malus spiritus cum additamento legitur, vt in primo Regum dicitur. Spiritus malus inuasit Saul. Et hîc dicit, Spiritus immũdus. Et in alio loco, Increpauit spiritũ immũdũ. Vocatur diabol⁹ spiritus immũdus, nõ natura sed moribus: quia cũ sit substã-

Galat. 5

Galat. 6

Roman. 8

Esai. 42

1. Reg. 16

Luc. 9

Diabolus quare spiritus immundus.

tia pura spiritualis, nulla in eo impuritas esse potest, sed immunda vult, & homines ad immunditiam mouet, vt sic eos cadere faciat à naturali dignitate, & adstringat eos pœnæ æternæ.

Mat.12 ¶ Itaque dum hic spiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa. Matthæus dicit per loca arida, quod idem fere est, & vtrunque dominũ dixisse æquum est credere. Nã cùm idem sermo diuersimodè tradatur à sacris Euangelistis, credendum est vtrumque dominum repetisse. Sic etiam in Euangelio Matthæi dixit dominus, Panẽ nostrum supersubstãtialem da nobis hodie: Et Lucas dicit, Panem nostrum quotidianum. Sic etiam in hoc loco Matthæus dicit de spiritu hoc immũdo quod reuertens in domum à qua exierat, inuenit eam vacantem, scopis mundatã & ornatam. Lucas verò dicit hîc, quod inuenit eam scopis mundatam, & nihil vlterius addidit, sed omne quod commemorat Matthæus dominum dixisse, non est de illo dubitandum. Possent & alia multa adduci exempla, sed hæc sint satis. *Matth. 6 Luc. 11*

Demõ expulsus non est in sua libertate. ¶ Obserua autem quòd dæmon expulsus à corpore non habet potestatem eundi quo ipse voluerit, sed quo mittitur. Sic caterua illa dæmoniorum quos expulit Christus, rogarunt eum ne illos mitteret in abyssum. Ita hominibus volunt & cupiũt nocere, quod si ab eis eiiciuntur, volũt damna inferre his rebus quæ hominũ sunt. Sicut dæmones eiecti à domino, petierũt facultatem à domino vt sues ingrederentur, qua data facultate præcipitauerunt eos in mare, & occiderunt, vt damnũ dominis eorum inferrent. Si autem non conceditur nocere animalibus, saltẽ vellẽt nocere arboribus & aliis rebus, quæ in vsus hominum cõducunt: nã interdum datur illis potestas nocendi istis rebus. Habetur enim in Apocalypsi quendam angelum clamasse ad quatuor alios angelos, quibus datum erat vt possent nocere terræ & mari, &c. Quando autem dæmonibus nõ datur facultates vt possint malum infligere in aliquam rem ad homines pertinentem: tunc dicitur esse in locis aridis: quia spiritus non est propriè in loco sed solùm per operationem. Quando ergo non potest operari malum, in loco vbi noceat homini, necessum est, in locis aridis sit, quia sola loca arida & inaquosa sunt ex quibus nulla vtilitas homini accrescere potest. Ita ergo quandocunque dæmoni eiecto ab homine non permittitur vt damnum inferat rebus humanis, necessariò debet ipse ambulare per loca inaquosa & arida, etiã si sit in medio alicuius populi: quia non dicitur propriè ibi esse, vbi non potest operari. *Math. 8* *Marc. 5 Luc. 8* *Apoc. 7* *Spiritus non est in loco nisi per operationem.*

Quies diaboli quæ sit. ¶ Præterea dicit quòd quærit requiem. Dæmon non potest quiescere, quia in æternum torquẽdus est, & quocunque vadat, infernum suũ & crucem secum portat: & de hac quiete non est intelligendũ hic Christũ loqui; quia dęmõ nullam sperat futurã esse quietẽ illi cruciatui: cùm fieri nõ possit vt aliquando cesset, sed quærit quietem suę malę voluntati. Est quippe inuidus & vehementer desiderat nocere homini: & quãdo nocere potest, aliquo modo quiescit: sicut quiescit iratus, cum pœnas infligit. *Et non inueniens requiem dicit, Reuertar in domũ meam vnde exiui.* Suam vocat domum non quidem per creationem, quia solius Dei est, sed per possessionem. Aspice igitur, ô homo, quod cùm in peccatum pręceps tendis, vilissimo & abiecto domino, tui ipsius imperiũ tribuis. Nã si tu videres virginẽ aliquã forma excellentem, & pulchritudine præstantem, diuitem, sapientem, & filiam principis siue regis alicuius, & hæc nuberet viro abiecto & vili: nonnè tale coniugiũ doleres? Nonnè miserum & infelix esset hãc virginẽ videre ita abiectè & infœliciter nuptam? Quod si tu ô Christiane velles animaduertere quanto nobiliorem & pręstantiorem habeas animam, quanto pulchriorem & filiã summi illius regis ad cuius imaginem fuit facta, non est dubiũ nisi quod in te ipsum cõuerteteris, & non te traderes tam miseræ seruituti.

Consuetudo peccandi, diabolo cõtinuũ præstat domicilium. ¶ Aduerte etiam quàm graue malum sit peccatis assuescere, & quodãmodo in eis nutriri. Hic dæmon dixit se velle redire in domum quã anteà habitauerat, & non dixit in aliam domum ire velle, nam videbatur illi quod in ea domo fores semper sibi paterent: nam peccatorũ experientia & facilitas facit, vt homines omni deposito timore iterũ ad peccata reuertantur. Nã quibus mos semper fuit peccandi, more & cõsuetudine timorẽ omnem amiserunt: & faciliùs in peccata incidunt, cũ ducantur à mala consuetudine. Qui enim in seruitute nati sunt & nutriti, pro libertate seruitutẽ amplectũtur: & qui in tenebris facilè pro luce eas cõmutant. Accidit enim nobis, vt puero nato in carcere, qui quoniam lucẽ ignorat, in tenebris sedet, in tenebris ludit & gaudet: sed mater quæ lucem & libertatem aliquando nouit, plorat & tristatur: & se captiuam dolet. Sic eis peccatoribus contingit qui nutriti sunt & adoleuerunt in peccatis, qui cùm parũ aut nihil de spiritualibus & ęternis bonis cognouerint, delectationes mundi, & peccati spurcitias, & vana & terrena pro veris bonis & permanentibus amplectuntur, & exilium propriã patriam existimant. Sic Iudæi in captiuitate Ægypti nutriti nihili faciebant libertatem. Quando enim homo peccatorũ studio operam tribuit & in peccatis gaudet & delectatur: etiam si Deus per suam gratiam & misericordiã in nouã vitam illũ ducat: nõ potest quiescere in illo bono & fœlici statu, sed reuertitur in antiquum & pristinum vitæ institutum, & inquit. Vadam & reuertar ad virum meum priorẽ, quia bene mihi erat tunc, quã nunc. Quod cùm dęmon vt callidus & sagax intelligat, inquit, Reuertar in domũ meã vnde exiui. *Et cum venerit inuenit eam scopis mundatam.* Quia scopę tantũ puluerem mundant, non autem durũ lutum, aut tenacem cerã quæ solo adhæret. Est enim opus ferreo aliquo instrumẽto vt solum radat: quia scopa non satis est. Vna inter alias causas præcipua, quare tam citò in peccata iã dimissa reuertimur, est cõsuetudo antiqua peccãdi quę ita fixius & tenacius animæ inhæret, vt etiam si scopis mundes tuę animæ peccata & illa fatearis, tamen illa mala & antiqua cõsuetudo efficiet, vt ipse dæmon iterũ animã possideat. Opus est magno dolore, contritione, & solertia, & præcipuè diuino numine & fauore, vt antiquam consuetudinem superare valeas. *Exo. 16* *Ose. 2*

At verò tu tanquam scopa animam mundas & perfunctoriè velut aliud agens peccata confiteris, & securus & contentus viuis, nullam curam habens.

At verò dæmon inuitatus à tua mala consuedine, velox aduenit. Attende igitur, vt malum semen radicitus euellas, neque intus radices aliquas relinquas: ne statim peccatorum herba resiliat &

liat & adoleat. Opus est vt vincas malam consuetudinem, & hæc nõ potest vinci nisi opposita cõsuetudine virtutis: ad quod magna vigilãtia & cura tibi habenda est Scriptum quippe est, Sicut Æthiops non potest mutare pellem suam, aut pardus, &c. Homines enim qui se totos perpetuo vitiis & peccatis tradiderunt, ita gaudent & delectãtur peccatis de quibus potius deberent pœnitere & mȩrore compungi: vt difficile sit ab eis discedere. Contingit enim vt aliquis in villã abeat, & ibi è riuulo quodam aquam turbidam & pessimã bibat, statimque cùm ipsam bibit stomacho adhȩret, & ei nocet. Vnde euenit vt ipse in admirationẽ rapiatur, quomodo scilicet fieri possit, vt omnes incolæ illius oppidi nõ mortui sint ex illa aqua. At verò si iste talis apud illos si habitare vellet, & in eadẽ villa manere trãsacto iam dimidio anno vel paulò plus cũ stomachus illi aquæ assuesceret, statim aqua bona illi videretur & sapida: Ita nimirũ cum peccatũ sit aqua turbida & mala, stomachus animæ nostræ non potest illam ferre: & ita ipsa anima nimis fastidit illud, quo fit vt peccator tristetur: & totus mœrore cõficiatur. Qui verò peccandi habitũ acquisierit, & sæpè aquam peccati imbiberit, in id miseriæ & calamitatis incidit, vt quod anteà amarum erat & durum, iam dulce & delectabile sibi videatur. Ideo Sapiens, Cùm peccator in profundum peccatorũ venerit, contẽnit. Contemnit morsus conscientiæ, cõtemnit prædicatores & eorum sancta consilia, gratiam denique diuinam: & in peccatis delectatur, vt immunda sus in cœno. Hi qui in peccatis senescunt, plusquam scopa opus habent vt se mundos reddant.

Hiere.13 · *Prouerb.18* · *Matth.12*

¶ Secundò vt Matthæus ait inuenit eam vacuã. Hoc ocium audaciam tribuit ipsi dæmoni vt redeat in domum, quam reliquerat. Statim cùm aliquis confessionẽ finit, & à sacerdotis pedibus discedit, iam videtur illi omnem gratiæ perfectionem attigisse & nunquam iterum posse labi: & propter ocium & paruam curam quam adhibet erga salutem animæ, dæmon statim reuertitur in domũ antiquam: quia inuenit eam vacantem & ociosam. Ideò Apostolus monet dicens. Nolite locum dare diabolo. Ille dat locum diabolo, qui non alicui rei studiosæ intentus est, nam in anima aliquibus sanctis exercitiis implicita, dæmon nullum locum habet, nec illi potest adesse. Quia perfectè vacãs alicui exercitio, non est capax alterius. Filij Dan cœperunt vrbem Lais vacantem. Ociosi sunt illi qui non sanctis & spiritualibus exercitiis occupantur. Plurimos enim inuenies qui videbuntur tibi operari multa, nam mille agunt negocia, plura habent officia, ita vt præ temporis angustia nec caput possint scalpere. Isti tamen nimis ocio se dedunt, & in nihilo occupantur. Ociosum id dicitur quidquid ad æternam vitam minime conducit: vel quod ad vtilitatem animæ minimè conuerti potest. Nam quemadmodum tu cùm cernis pueros occupatissimos in domibus ridiculis fabricandis ex laterũ, & tegularum fragmentis: ociosos illos iudicas: ipsi tamen occupatissimos se esse iudicant: sic cũ nos rebus huius mundi caducis & momentaneis sumus intẽti, & de cȩlestibus nihil cogitamus, ociosi dicimur. Ita sapientia vocat nos paruulos & infantium opera vsurpantes, his verbis, Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, Vsquequo paruuli diligitis infantiam: & stulti ea quæ sibi noxia sunt sapient? Vera occupatio & perfecta illa est, scilicet de obsequio Dei agere, & orationibus & sanctis exercitiis vacare, & semper ob oculos tuos salutẽ animæ tuæ habere: ne dæmon ociosum & complicatis manibus te inueniat. Noluit dominus dare mãna filiis Israel: ita vt per totam hebdomadam, aut mensem duraret, sed tantũ pro singulis diebus, vt intelligas inde, nunquam nos debere ociosos esse, sed semper debere colligere Oportet enim vt in hac vita semper à nobis pigritiam reiiciamus, quo usque sabbathum illud nobis desideratum gloriæ adueniat, vbi iam non erit opus amplius colligere, sed frui & gaudere iis, quæ anteà colligimus. Sed quia multi confessione facta & gratia cȩlesti accepta, suæ salutis obliti complicatis manibus sedẽt, statim diabolus ad eã redit, cũ videat illã ocitãtẽ.

Otium puluinar diaboli. · *Ephes.4* · *Iudic.18* · *Prouer.1* · *Exod.16*

¶ Tertiò dicit, quòd inuenit eam ornatam. Lectus enim si bene compositus & paratus sit, videtur ipsum hominem inuitare vt accumbat. Ita erit homo qui dæmonẽ à sua anima reiicit: at verò cũ ipsa relinquat pauimẽta, quæ occasiones sunt peccandi, citò ad peccata reuertitur tanquam canis ad vomitum. Quemadmodum qui habet domum bene compositam & ornatam, hospitem inuitat, vt in ipsam domum ingrediatur: sic qui nondum sustulit occasiones peccandi, inuitat peccatum, vt in sua anima hospitium accipiat. Non solùm est opus vt peccatum expellas, sed etiam omnem illius supellectilem & memoriam. Nam si peccata confessus es, & à cõuersationibus transactis nõ te abstines: statim in mille flagitia & peccata præcipitaberis. Non solùm à peccato, sed etiã ab omni specie peccati cauendũ esse, & fugiendũ docet præclarè Paulus. Cùm filij Israel captiui tenerẽtur in Ægypto, & cùm vellet Israel domino Deo suo sacrificare: dixit Pharao Mosi & Aaroni. Ite, sacrificate domino: oues tantum vestræ & armẽta remaneant. Sic diabolus peccatoribus quos captiuos detinet, inquit, Ite ad sacrificandum domino. Quasi dicat, confitemini, agite pœnitentiam, & præterita peccata plangite: mecum verò occasiones peccandi deponite, & relinquite. Vult vt etiam si a ludo discedas: tamen domi ludum paratum relinquas, mensam, aleas, taxillos. Nã si dæmon pignus aliquod tuum in sua potestate habuerit, nihil ipse de hac re curat: nam aliquando fortè redire debes, vt pignus ab eo auferas, tuncque captiuus manebis. Tu verò respõdere debes id ꝙ Moses & Aarõ, dicentes, Cuncti greges pergent nobiscum: nõ remanebit ex eis neque vngula. Vbi attendere debes quòd nec vngula, nec vestigium aliquod peccati in domo debet manere. Omne mũdũ & sine macula debet esse: nihil debes relinquere in Ægypto, ne iterũ offeratur occasio redeundi in Ægyptũ, vt portes id quod reliquisti. Diuus Petrus cũ esset in carcerẽ Herodis detrusus, dixit illi Angelus, Præcingere, & calcia te caligas tuas. Deducit Angelus Petrũ de carcere, & iubet priùs calciari caligas. Nõ equidẽ erãt illȩ vt caligȩ quibus mũdus vanus & amẽs modo vtitur: vbi dicas, ꝙ ars materiã superat. Ita vult Deus vt à cȩrcere peccati exeas, vt nec pãnosas caligas velit ibi relinqui. Nã si diuus Petrus caligas in carcere missas faceret, forsitã rediret vt eas secum ferret: vel saltim memoria caligarũ desiderium commoueret, vt in carcerẽ rediret. Ita igitur vult Deus mũdum cõtemni & relinqui. Si pȩniten

Non solũ peccatum expellẽdũ, sed etiam occasio, & species eius vitanda. · *Prouer.39* · *2.Pet.2* · *1.Thess.5* · *Exod.10* · *Act.12*

nitentiam egeris, & dolueris de peccato commisso cum concubina, ne obsecro domi eam habeas, aut aliquid ipsius, neque monile, neque annulum, neque calceum, quæ possint in tuam mentem & cogitationem, iterum eam adducere. Nam si aliquod vestigium manserit, attendere debes illum esse hamum, quo vult te capere: & iterum in eandem dæmonis seruitutem redigere. Non solù peccatum è domo tua debes eiicere, sed omnia illa, quæ ipsi deseruiunt: omnem denique memoriam & vestigia quæ illud repræsentare possunt: ita vt tota domus omnium peccati reliquiarum munda maneat. Nonne vidisti adulteram adulteri monile apud se retinentem: vt iterum in suam amicitiam & amorem posset eum cóuertere? In Leuitico præcipit Deus carnem iuuéci & pellem eius comburi extra castra: quia sacrificium est (inquit Deus) pro peccato. Non solùm carnes sed fæces sacrificij relegare iubet, & in locum immundum proiici, nihil reliquiarum manere permittens: vt discamus non solùm peccata longè à nobis ablegare, sed etiam eorum vestigia, ne Deus reliquiis offensus, faciem suam à nobis auertat, & locum concedat Satanæ: vt iterum in peccatum nos adducat. Ideò alibi dominus de subuersione gentium loqués, dixit: Aras eorum subuertite, & confringite statuas: lucósque succindite, & sculptilia comburite. Delenda ergo est omnino peccatorum memoria. Ideò Moses vitulum quem filij Israel adorauerunt, comminuit in puluerem, & dedit bibere populo: vt doceret quod nec puluis peccati manere debet, sed quod etiam hæc minima comminuenda sunt & obliuioni tradenda. Vnde sanctus Propheta Hieremias consulit dicens. Effunde sicut aquam cor tuum: ante conspectum domini. Sicut aquá inquit; non sicut mel, oleum aut vinum. Ná si alium quemuis liquorem præter aquá ex vase effuderis, manebit posteà vas ipsum liquore effuso madefactum & superlinitú: vt contingit in melle aut oleo: vel saltem odorem liquoris effusi ipsum vas retinebit. Aut si horú neutrum contingat colorem saltem pristini liquoris conseruabit; vt existimes vas ipsum liquoris colorem induisse. Nihil horum reperies in aqua: hęc enim cùm effusa fuerit, nihil aut saporis, aut coloris, aut odoris in vase reperies. Et ob hanc causam præcipit propheta, vt sicut aquá effundamus cor nostrum: ita vt nulla peccati memoria, nec vestigium nec vmbra relinquatur in nobis. Ná qui amorem sæculi & peccati reliquias apud se retinét, quasi mel & oleum cor suum effuderút. Sic debes cor tuum exuere, vt neque affectus neque color pristinæ cósuetudinis maneat. Vnde templú quod à gentibus violatum fuerat, Iudas Machabæus múdari præcepit, & altare construi: & vasa noua fieri. Paulus nanque ait, Templú sanctum Dei est, quod estis vos, Et iterum. Nescitis quod Templum Dei estis vos, & spritus sanctus habitat in vobis? Sic téplú hoc Dei, quod peccata violarunt, deberemus nos mundare: vt nihil immúdiciei maneat, nec aliquod signum peccati.

Leuit. 8 — Deut. 7 — Exod. 33 — Thren. 2 — 3. Mac. 10 — 2. Cor. 6 — Eccle. 3

Reliquiæ peccatorum extirpanda.

¶ Sed sunt multi qui reliquas & memoriápeccati apud se cóseruant; nec volunt recedere à prauis & antiquis consuetudinibus: quo fit vt miserè in peccata dilabátur. Qui enim occasiones nó fugit: nec ipsum peccatum à se semouet. Qui amat periculum, peribit in illo, Hoc est quod redemptor noster apud Matthæú dixit. Bonú est tibi debilem vel claudum ad vitam ingredi: quàm duas manus vel pedes habétem mitti in gehenná ignis. Nam si tali vel tali via incedere vel cófabulari cú tali muliere, vel homine, est tibi peccati causa, vult Deus vt illud relinquas, nam meliùs & consultius est, vt sine tali conuersatione saluus fias, quàm cú illa in crucem inferni abire. Præcepit Deus Sauli, vt destrueret Amalech, & quòd nulli boui, oui, aut alicui rei parceret, & cùm ita non fecisset vt Deus iusserat, spoliatus est regno. Sed iam ipsum dominum interrogare libet. Quid obsecro aduersus te criminis patrarunt oues Amalech? Quæuè peccata boues commiserunt? forsitannè armentú Amalech dominum offenderat? Non equidem. Quia bruta animalia in nullo possunt delinquere. Quare igitur oues interfici iubet, & regem suo regno spoliari? Oues quidem nó malæ erant, sed deseruiebant malis: atque ita vult Deus, vt non solùm ipsum peccatum interficias, sed etiam occasiones: quæ peccato deseruiút. Quòd tu tali via incedas, vel quòd cum tali persona confabuleris, ex sua ratione nec bonum nec malum est (nam alius idem potest facere recta & sancta intentione) tibi verò malum est: quia occasionem tribuit peccandi. Vult Deus vt Amalech & ipsius gregem interficias. Ná si etiam Amalech suffocaueris, tollet à te Deus regnum cœlorum. Nam teneris sub pœna mortalis peccati occasiones fugere peccati. Et non solùm occasionem peccati, sed etiam ipsius viam. Ideò Dauid in Psalm. orabat dicés. Viam iniquitatis amoue à me. Non dicit amoue à me iniquitatem (vt egregiè disserit diuus Ambrosius) sed viam iniquitatis amoue à me, quasi in nobis sit, & nobis inesse videatur. Quando aliquod peccatum siue flagitiú à nobis reiicimus, via iniquitatis interiùs manet, & non recedit à nobis: quapropter studiosè à nobis curandum est, vt eam à nobis separemus. Præterea quod ad nostrum propositum facit, pulchrè dicit viam iniquitatis, & non iniquitatem. Quare radicitùs non solùm iniquitatem, sed occasionem, quæ ducit ad iniquitatem vult tolli: occasio enim iter est, quod ducit ad peccatum. Petit propheta diuinum auxilium, vt radicitùs mundetur anima auferendo ab ea non solùm mala, sed quę inducunt nos ad mala. Sapientissimus ille Salomon, quia non cautè se à via iniquitatis semouit, in iniquitatem incidit: & ita occasio illú in grauissima peccata præcipitauit. Nam quia maxima fuit illi familiaritas cum mulieribus infidelibus, in idololatriam miserè lapsus est: & plura idola & templa construxit contra præceptú domini, qui dixerat, Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingrediétur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra, vt sequantur deos eorum,

2. Cor. 3 — 1. Reg. 15 — Matth. 17 — 1. Reg. 15 — Psalm. 118 — Ambros. ser. 4. in Psalm. beati immac. — 3. Reg. 11 — Exod. 34 — Deut. 7

¶ Igitur, vt semel iam concludamus: quia dæmon inuenit domum nostram tantùm scopis múdam, vacuam, & ornatam, & quia malas consuetudines à nobis reiicere nolumus, nec peccati supellectilem: inuitatus dæmon his dispositionibus animam nostram ingreditur, & quid facit videamus.

Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se: & ingressi habitant ibi.

Noluit Christus innuere quod ille spiritus ducat semper secú septé, qa multos alios adducit, sed est modus loquédi scripturæ ponétis numerú certum pro incerto, iuxta illo. Numerorum, Tétauerunt per decé vices, idest sæpe: quia nouerat nume

Certus numerus pro incerto. vide Bed. in 11. c. Lu. 48 — Num. 14

rus certus

rus certus tentationum. Et de Maria Magdalena dicit Marcus, quòd Christus septem ab ea eiecerat dæmonia: quia omni genere vitiorũ plena fuit. Dicitur autem quod isti spiritus erant nequiores se: quia peccata posteriora peiora sunt prioribus. Quod Christus statim infert dicens, quòd erunt nouissima illius hominis peiora prioribus. Est enim in illo, qui semel & iterum in peccata relabitur quædam macula ingratitudinis: propter quam peccata ipsa grauiora efficiuntur.

Mar. 16

Dæmon quomodo in homine habitare dicatur.

¶ In eo verò quod dicit, quod ingressi habitant ibi: aduertite quòd dæmones non sunt in homine, tanquam locatũ in loco, quia spiritualia non occupãt locum, & dæmon purus est spiritus. Nec etiam habitat eo modo quo forma est in materia: quia sic sola anima est in homine, quæ est forma ipsius cùm ipsa sit pars speciei. Dæmon autẽ cum ex nulla re cõponitur, quia continet in se perfectã rationem speciei: & dicitur substantia separata, id est, quæ non habet materiam partem sui. Sed habitat dæmon in corpore, vt motor in eo quod mouetur: quia ea ratione dæmon est in corpore, quia efficit aliquid in eo, vel torquendo illud, vel mouendo. Habitat autẽ in anima tanquam possessor, non intrat eam, vt in superioribus retulimus: sed possidet eã, & operatur aliqua circa ipsam. Quantò ergo peius se habet homo: quando in peccatũ, vt canis ad vomitum, regreditur: tantò maius dominium diabolus animæ suæ acquisiuit. Quapropter dominus subdit, *Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Hoc quod Christus dominus hîc dicit, quemadmodum & illud iam superius relatũ ad literã intelligitur, quando dæmon redit ad corpus dæmoniaci, vnde iã exierat: quod quidẽ Christus dicebat ei, qui dæmonium habuerat, consulẽs vt ne peccatis se inuolueret, ne peius sibi contingeret quàm anteà. Sed etiam voluit Christus significare in sensu literali, eos homines qui Dei auxilio à peccatis sunt liberati, si posteà in peccata dilabantur, peioris & deterioris esse conditionis quã anteà. Quod quidem optimè demonstrari potest in corporis ægritudinibus: nam quãdo iam infirmus pristinam sanitatem adquisiuit, si posteà iterum cadat, periculosior & grauior est infirmitas, quia tunc natura debiles habet vires & languidæ virtutis est. Si igitur dicit secundam culpam peiorem esse prima, & secundum lapsum, deteriorem primo: necesse est vt cognoscamus quàm grauis & periculosus fuerit primus casus, vt inde cognitum nobis sit quanto grauior & periculosior sit secundus. Non possumus scire nouissima esse peiora prioribus: nisi nouerimus quàm mala sint priora. Quo ad primum igitur, non possumus melius malitiam peccati contemplari, quàm per suum contrarium: vt ipse philosophus inquit. Rectum est iudex sui obliqui. Si enim artifex scire velit, an tabula sit recta vel obliqua, præsens remedium est, vt regulam vel perpendicum accipiat, & tabulæ superpositum nouerit statim quantum curuitatis habeat. Atque ita cùm peccatum nõ sit aliquid positiuum, sed priuatio quædam & carentia rectitudinis: est opus, vt ipsa bonitatis regula metiatur, vt inde veniamus in cognitionem tãti boni, quo nos priuat, & in cognitionem suæ malitiæ. Omne nanque bonum vel est honestum, vel est vtile, vel delectabile. Potio enim amara non est bonum delectabile, sed est bonum vtile: quod satis est, vt bonitatis nomen induat, quia habet aliquam rationem boni, scilicet vtilitatem, præstat quippe, vt corpus antiquæ valetudini restituatur. Quocirca virtus est magnũ bonum, quia continet bonum vtile, honestum, & delectabile. Deus est summè bonus. quia est summè vtilis, summè honestus, & summè delectabilis: quæ tria perfectissimo quodam modo Deus continet. Vnde facilè possumus concludere, quòd cùm peccatum hominem semoueat ab his tribus generibus bonorum: inde sequitur illud omnino esse malũ, peruersum, iniquum, & execrãdum, quãdo nos summi boni compotes, ineptos, & inhabiles reddit ad illud. Bono vtili peccatum opponitur, quia damnum infert. Et honesto contradicit, quia ipsum peccatum nullam præ se honestatem habet. Bono verò delectabili aduersatur, quia dolorem & tristitiam iniicit.

2. Petri 2

Peccatum quid.

¶ Sequitur ergo, quòd si peccatum est malum quoddã damnum & miseriam inferẽs: inhonestum & dolore plenum, summum esse malum, quandoquidem summo bono opponitur. Iam igitur hæc tria mala quæ peccatum secum affert, videamus.

¶ Primùm est malũ damnosum, cùm scilicet, Deum in anima per gratiam existentẽ ab ipsa reiicit. Non eo modo, quo alter te fortior & excellentior à loco aliquo expellit: nam peccatum non est fortius Deo ipso. Eiicit tamen illum per propria demerita: nam cùm peccator Deum existentem in anima vitiis turpitudinibusque inhonorat: tunc dicitur Deus eiici & expelli à peccatore. Contingit enim Deo, vt communi vsu loquendi solemus dicere. Ego non tibi dicam vt eas, sed ea opera tibi impendam, vt à nobis discedere gaudeas. Videt quippe Deus nos pluris æstimare stercora & glandes huius mundi quàm ipsum, & ideò hospitium deserit, & abit, tot conuiciis & iniuriis affectus. Nam si tu in domo tua in capite mensæ Æthiopissam accumbere faceres immundã, incõptam, & inhonestam, & ipsa tanquã domina sederet: vxori verò præciperes, quę illustris & princeps est, vt mensæ ministraret: nõne grauem iniuriã dominæ huic inferres? Sanè equidem: quandoquidem cùm ipsa domina sit, tanquam ancillam & famulã ministrare iubes. Iure quidem optimo de te cõquereretur, & societatẽ tuam & sodalitiũ libẽter relinqueret. Hoc igitur modo peccator cum Deo agit: quandoquidem suos appetitus & libidinem pluris habet, quàm illum, & creaturas conditori anteponit, & præfert. Propter quod molestè ferens hæc omnia domum & hospitium Deus deserit: quemadmodum fecit Iacob, qui domum Laban deseruit. Dixit enim Iacob Liæ & Racheli. Volo recedere: non enim respicit me Laban sicut heri & nudiustertius. Non ita mecum bene agit vt solebat, non me donis aut beneficiis afficit, supercilium mihi ostendit: & ideò etiam si ipse non expellat me à domo, etiam si non dicat, vt abeam, nihilominus propter opera mihi facta recedere ab eo volo. Sic igitur Deus recedit à nobis, quod quidem omniũ malorum summum & grauissimum est, quod quidem anima grauiter & molestè ferre deberet. Vnde in Exodo legitur, Dominum dixisse. Non ascendam cum populo isto duræ ceruicis, quod cùm audiret populus lachrymatus est. Sic tu deberes ingenti mœrore confici, & lachrymarum copia hanc grauissimã iacturam sentire: cùm dominus à te recedit. Quapropter Dauid inquit. Vt quid domine

Peccatum bono vtili obstat, quia expellit Deum.

Genes. 31

Exod. 33

Psalm. 9

domine recessisti longè? Nam quemadmodum multi aduersus viduam insurgere solent, quia neminé habet, qui suas partes possit defendere, nec causam suam agere: ita omnes dæmones & omnes creaturæ insurgunt aduersus animam Dei præsidio & auxilio destitutã. *Psalm.70* Vnde idem regius vates. Qui quærebant animam meam, consilium fecerunt in vnum dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat. *Psalm.50* Ideo idem ipse Dauid sapienter & grãdi consilio erat. Ne proiicias me, &c. Et quemadmodum barba in facie ipsum hominem honorat, *Simile.* sed si barbæ tonsor eam absciderit, tunc cõculcatur & despicitur: sic qui Deo est cõiunctus laudatur, & honoratur, quando verò per peccatum à Deo separatur, despicitur & conculcatur ab hominibus.

Deo nos relinquente, deferunt nos omnes virtutes, & eorundem merita.

¶Præterea quemadmodum discessu regis omnes qui sunt in curia abeunt, ita cùm Deus discedit ab anima, omnia bona opera, quæ peccator in statu gratiæ est operatus amittit & nullius sunt valoris. Nam si benè & attentè velitis considerare, grauissimum est malum, quòd homo per totum suæ vitæ spacium ieiunauerit, orauerit, & eleemosynam sit largitus, committens auté mortale crimen, omnia hæc opera irrita sint, & nullius valoris, atque momenti. Bene quidem dominus dixit *Ezec.18.* per Ezechielem. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerit, non recordabuntur, &c. Et Sapiens etiam. *Eccle.9 Iacob.2.* Si offenderit in vno, multa bona perdet. Remota enim radice charitatis ex qua procedunt merita, remouentur & corrumpuntur fructus meritorũ. Et sicut mors corporis hominem exuit quocunque bono corporali, & quocũque ornatu, ita pec- *Luc.15* catum (quod mors est spiritualis) hominé priuat multis bonis spiritualibus. Quapropter Moses cũ filij Israel peccauerunt adorantes vitulum, tetendit tentoriũ extra castra procul. Nihil enim quod suum sit vult Deus, vt peccator apud se retineat. Omnia enim bona meritoria aufert, vt inde intelligas, quàm graue malum sit peccatũ. Quod si homo secum reuolueret quando ita effrænatè & præcipitanter in peccatum dilabitur, non vtique tanta facilitate creatorem suum & liberalissimũ Redemptorem offenderet. Mirandum quidem est, quàm insanè & quanta amẽtia homo ipse audeat Deum offendere, cùm videat se amittere & perdere ipsum Deum, qui omne bonum & summum est, & in ipso alia bona, quæ intelligi & cogitari póssunt. Nã si homo aliquis ab Indis ad nos veniret, & statim cùm portum attigerit, omnem rem, aurum, & argentum, quæ tantis laboribus sibi comparauit, ludo exponat, & vnica tantum sponsione totius substantiæ iacturam fecerit: nonne hunc amentem, insanum, & omni prorsus carentem intellectu diceres? Quæ igitur, obsecro, maior insania aut amentia esse potest, quàm breui quadam voluptate ad triduum peritura omnis lucri & tantorũ meritorum, quæ tot laboribus comparasti, iacturam facias? Aspice igitur si libet, ô peccator, conuincam enim te amentiorem & insanioré esse, quã ille, qui ab Indis tractus, diuitem supellectilem & omnem rem breui ludo exposuit, & amisit. Nam ille in promptu remedium sibi habet paratissimũ: potest enim ad Indos iterum transire, & sibi maioralia comparare. At verò peccator constitutus in mortali crimine in illũ statum & miseriam deuenit, vt nullũ possit opus facere, quod vita æterna sit dignũ, nec ipsa gratia Dei. Si linguis ho- *1.Corint.9* minũ loquar & angelorũ, charitatem autẽ non habeam (inquit Paulus) factus sum, &c. Si distribuero substãtiam meam in cibos pauperum, &c. Hoc est tertium & grauissimum malum, quod peccatum animæ infert, constituit quippe illam in tam miserum & calamitosum statũ, vt etiam si ipse faciat, quantum suæ vires suppetierint, nihil potest efficere, quod vitam æternam promereatur. Mancipium enim omne quod siue die siue nocte laborans, sibi comparauerit, & lucratus fuerit, non suũ est, sed domini sui. Et Ioannes ait, quòd qui pecca- *Ioan.8.* tum facit, seruus est peccati. Et cùm peccator seruus sit dæmonis, nihil sibi adquirere potest, quod æterna vita sit dignũ. Absit enim à me vt cùm sacrilegis & impiis Lutheranis velim dicere, quod omnia opera facta in peccato, sunt peccata, sed quòd nõ potest promereri gratiã neque gloriam, etiam si multa bona opera possint facere, quibus bona temporalia possunt acquirere. Vxor enim *Gene.19* Loth in salem conuersa est per peccatum, peccator etiam sterilis fit & mendicus, & manet vt terra sale consita, quæ nullum fructum potest producere. Regi Iudæ postquam ciuitatem Hierusalem fugit, & captus fuit à Nabuchodonosore, oculi sunt erepti & eius filij interfecti: & is captiuus du- *4.Reg.25* ctus est in Babyloniam. Hoc idem efficit dæmon in homine, qui cum in statu tranquillo gratiæ sit, menti eius caliginem infert, vt sic mancipium factum, ad nihil aliud prodesse possit, nisi vt in illa misera seruitute captiuus maneat. Nullum maius malum aut grauius esse potest, quàm peccatum, quandoquidem non solùm ea mala quæ vidimus in anima efficit, verùm quod magis dolendũ est, post hanc vitam miserum peccatorem in gehennam ignis detrudit.

¶Et vt semel concludamus, peccatum mortale ita infirmum, languidũ & debile liberum arbitriũ relinquit, vt nequeat omnia vitare peccata. Nam quemadmodum sensitiuus appetitus, quia penitus rationi non subditur, non potest homo etiam si in statu gratiæ sit, omnia leuia peccata euitare: ita nimirũ cùm homo sit à gratia separatus, & ratio omnino Deo non subiiciatur, qui finis nostrorum operum est, nõ potest homo circa media nõ errare, & ita letaliter cõtra ipsum finem delinquere. Ideo Gregorius inquit, quod peccatum quod *lib.15. moral. cap.11.* per pœnitentiã nõ diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Chrysostomus etiam super illud, Soluite & adducite, inquit, Quod sicut nauis sine gubernaculo nõ vadit quò vult, sed quò tempestate *Matth.22* impellitur: ita homo diuinæ gratię auxilio perdito nõ agit ꝙ vult, sed ꝙ diabolus ei pręcipit. Si igitur *Genes.3.* vnũ solũ peccatum quod primus noster parẽs cõmisit, vniuerso mundo tantũ malum attulit: quanto maiora damna & incommoda animæ tuæ aduenient propter tot tantáque scelera commissa?

¶Cùm igitur iã viderimus, quomodo peccatũ bono vtili & commodo opponatur: videre restat quomodo bono honesto etiam opponatur, quod quidé secundum malum est à peccato effectũ. Peccatũ enim est malũ quoddam vile & inhonestum nam ipsum peccatoré infamiæ nota inurit, quocirca quicunque peccat, diligenter curat se abscõdere, & à nullo vult videri, nouit quippe quantum ho

tum honorem amittat.

Peccatum opponitur bono delectabili. ¶ Opponitur etiam bono delectabili: nã malum quoddam est triste, & mœrore plenum: ita vt non solùm mortem æternam pariat, verũ etiam in hac vita nihil sit tristius & calamitosius. Nõ sinit Deus dedecus culpæ sine vindicta, multæ enim molestiæ *Hiere.2* ipsum sequuntur peccatum. Ideò Hieremias. Scito, & vide quã malum & amarum est dereliquisse te dominum Deum tuum, &c. Nolo modo agere de pœna, qua cruciabuntur in inferno omnes peccatores: sed solùm de ea pœna & dolore, quibus in hac vita mala cõscientia torquetur: quam quidem quatuor acerrimis tormẽtis vndique agit. Primum est propriæ conscientiæ morsus. Habet enim pessimum finem & quosdam stimulos addit: vt ferè in desperationem adducat. *Peccati quatuor pœnæ temporariæ 1. morsus conscientiæ.* Cùm peccato finis imponitur: quàm lassatus & insipidus homo manet. Veluti cùm malũ vinum bibit, cuius malum gustum & saporem in fine sentit. Peccatum est vinũ quoddam ita forte, vt ipsum hominem amentem reddat, ebrium, & prorsus omni sensu carentem, iuxta illud, *Psal.48* Comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Affert enim colorem quendam & fucum, & delectationem ob oculos ponit: honorem, aut diuitias. At verò cùm ipsum peccatũ compleueris, remanet nescio quæ amaritudo, nec cor ipsum quiescere potest: & conscientia ipsa interiùs mordet. Quemadmodũ in calamitatibus & ærumnis quas passus est Iob, nunquã defuit, qui malum *Iob.1* nuncium ad eum deportaret: itã ei, qui peccat, nunquam deest comes hic propitius, ita vt etiam in grauissima perditione saluum illum dicat, & incolumem, & in ipsa morte vitã habere: qui simul cum hoc ipsi peccatori ob oculos ponit bona, quæ amisit, quando in Deum suum peccauit, & miserum & infœlicem statum ad quem deuenit. Est quippe flagellum quoddam, quod interiùs malos torquet, & pondus suum in eorum voluptatibus aloes immittit. Et vix allia Ægypti degustarant, quando iam statim incipiunt lachrymis suas maxillas irrigare. Hãc *Esai.14* pœnam per Esaiam Deus peccatoribus comminatur dicens: se traditurum Babyloniam in potestatem Echini: id est, vt cor eius vepribus, & spinis transfigant. Crudelis quidem spina, est morsus con*Iob 15*scientiæ. Quod tormẽtum rectè explicuit Iob, cùm dixit, Cunctis diebus suis impius superbit: & numerus annorum incertus est tyrannidis eius. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille insidias suspicatur. Non credit, quòd reuerti possit, &c. Exemplum satis appositissimum habemus in *2.Reg.13* Amon, qui statim post commissum scelus cum sorore Thamar, mœrore maximo fuit confectus, nec illum amorem, quẽ anteà erga illam ostendit, sed potiùs eam odio habuit.

¶ Secundũ tormentum quod peccatũ infert, illud est, verecundia scilicet & pudor, quo ipse peccator suffunditur: ita vt ab omnibus se abscondat. Quemadmodum mulier, quæ in facie aliquam maculam aut defectum habet, semper illum tegit, ne minus pulchra aut formosa appareat: at verò quæ pulchra est, & decora facie semper gaudet ab om*2.Reg.11*nibus conspici. Ita Dauid diligenter curat suũ peccatum palliare: iubet etiam vt in suam domum eat. Posteà verò cibos calidos illi mittit, vt luxuriam & libidinem excitet: & tandem illum miserè interimi facit. Et hæc omnia Dauid fieri curauit, vt posset peccatum suum tegere. Libet autem vt rem hanc clariorem reddamus ipsum Dauidem interrogare. Nonnè tu Rex es? Quis te peccati incusat? Quis facit, vt tantas curas & labores tibi assumas? Respondebit vtique ipse pudorem & verecundiam peccati tantæ solicitudinis esse causam. Adam etiam statim *Gen.3* vt peccauit, cooperuit se foliis ficus, & fecit sibi perizomata, ob hanc eandem causam.

¶ Tertium verò tormentum, idque grauius est timor ipse punitionis & vindictæ, nam sola ratio id ostendit, nec opus est ad id persuadendum fide aut scriptura. *Formido pœnæ peccatum cõcomitatur.* Considerat enim tunc homo Deum esse, eundémque rectissimum & æquissimum iudicem, qui in malos & impios grauiter & acriter debet animaduertere, vel in hac vita vel in futura: atque ita peccator semper timidus & pauidus vitam *Prouer.28* degit. Fugit impius nemine persequente. Peccatum enim carnifex est ipsius peccatoris. Videbis nanque furem, vel qui aliud quoduis scelus commisit viso iudice statim fugere: cùm nemo illum persequatur. Arguit vtique eum peccatum suum.

¶ Quartus peccati dolor est, bellum illud ingés, *Quarta peccati pœna bellũ intestinum.* quod inter sensitiuam partem & rationem ingenerat. Caro quippe tunc superbire incipit, vt ait Iob. *Iob.7* Factus sum mihimetipsi grauis: Nam ex eo domine quòd aduersus te deliqui, & quòd tibi contrarius fui, inde factum est, vt ego idem aduersus me bellum geram: postquam sensualitati arma dedi. Contigit enim mihi, vt ei, qui seruos habet agrestes, rusticos, & inurbanos, qui dum maiora beneficia illis confert, dum magis eos fouet, deterioris fiunt conditionis. Ita nimirum sunt sensus nostri, qui dum magis deliciis & voluptatibus eos afficimus, deteriores & crudeliores sese nobis ostendunt. Quocirca impij qui iam in inferno torquentur, loquentes de dolore & tormento, quod propter peccatum in hac vita passi sunt, inquiunt, Lassati sumus in via *Sapien.5* iniquitatis & perditionis.

¶ Vides igitur iam quàm malum & iniquum sit peccatum: quandoquidem omni bonorum generi opponitur. Et tandem vt semel concludamus ita malum est, vt nihil magis Deus abhorreat. Nam si dæmon perpetuò Deo est exosus & in inferno torquetur, non est ob defectum creaturæ, quia ipsa bona est: sed propter peccatum. Nam si Diuus Petrus, *Mat.26* qui apostolus erat & Deo charus & dilectus, cùm in peccatum illud incidit, si statim è vita discederet, non dubium quin perpetuo illum Deus detruderet in tormentum inferni. Et vt latiùs rem hanc perpendamus, si in sanctissima Virgine Dei matre aliqua peccati mortalis macula inueniretur, non vtique matris priuilegium eum ab inferno liberaret. Vel si in sacratissima Christi humanitate hypothesi facta, per impossibile, Deus aliquod peccatum inuenisset, relegaret illam Deus in flammas inferni. Quid est quod Deus abhorret nisi peccatum? Quare Deus animam factam ad imaginem & similitudinem suam in infernum mittit: nisi ob peccatum? O venenum pestiferum, & execrandũ. Si tibi aliquis offerret vas aureum veneno plenum, nónne illud acciperes? Vtique; sed tamen venenum diffunderes, vas verò in cõmodum & vtilitatem tuam acciperes, quia ipsum bonum est. Sed peccatum ita malum & deprauatum venenum est, vt non solum ipsum peccatum, sed peccatorem & animam, quæ subiectum est, vbi peccatum residet, in gehennam mittit. Mirum quidem est, vt animam (quæ vas est incorruptibile & pretiosissimũ) in fœdissimum

inferni sterquilinium præcipitet: nam peccatum adeò pessimum venenum est, vt vas ipsum valeat polluere & contaminare. Vipera enim non interficitur suo proprio veneno: nec Basiliscus, nec aliquis alius serpens, hæ quidem bestiæ suo proprio veneno non interimuntur: at verò peccatum ita pessimæ conditionis & naturæ est, vt sua propria subiecta & substernicula penitùs perdat & destruat. Nullum in hac vita est tantũ incommodum, quàm peccatum. Nihilominus tamen ne peccatori quantumuis maximo ansa detur desperandi: certissimè sciat & intelligat, quòd etiã si peccatũ tam malum sit & detestabile, vt iam retulimus: & peccatoris conditio & status tam miser & infœlix, nihilominus tamen maiorẽ multò & præstantiorem esse bonitatem & clementiam Dei: quandoquidem valet è tam vili & abiecto statu ipsum peccatorem eruere. Vincens enim & superans diuina clementia iniquitatem nostræ culpæ, & parcens Deus sui offensam, ipsumdæmonem eiicit ex anima nostra, & iterum Christus reuertitur habitaturus in eam. Tunc dæmon videns se possessione spoliatum, ambulat per loca arida & inaquosa, quærens requiem & non inueniens dicit, Reuertar in domum meam vnde exiui, & assumit septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.

Causa relapsus. ❡ Quando aliquis ex graui quadam infirmitate liberatus est, cùm iam vires incipit recuperare, nisi diligenter sibi caueat, iterum in ægritudinem recidet: Sic multi post peccatum facilè redeunt ad pristinum statum infirmitatis: quòd multis modis contingere potest. Primò quia putant se iam sanos & valentes esse. Quia videbis aliquem qui febri acuta largo tempore laborauit, cui si febris accessus vno vel altero die defecerit, inquit statim, Iam volo bibere & comedere vsque ad satietatem. Et iterum infirmitate laborat. Duo præcipua mala pec-
Peccati effectus duo. catum efficit. Primum separat animam à Deo, iuxta illud Esaiæ. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos
Esa. 59 & Deum. Secundũ verò quòd efficit est, vt ipsa voluntas bonũ creatũ amplectatur. Primũ gratia resarcitur, quæ amicũ Dei hominẽ constituit. Secundũ verò quod est ipsam voluntatẽ ad bonũ creatũ inclinari, hoc quidẽ non omnino sanatur: iã interiùs manent quædã reliquiæ, & appetitus, & nescio quæ desideria. Et secundum tẽpus, quo in peccato fuistis detenti, secundum hoc sunt maiores vel minores reliquiæ. Et etiã si cum gratia pristinam valetudinem recuperetis: nihilominus semper remanent quidam appetitus earum rerum, quas anteà diligebatis, quæ etiam in noua gratiæ valetudine quæ sese interdũ phantasiæ repræsentant. Atque ita etiamsi peccator omnino in anima sanetur: ex hac altera non ita citiùs, sed paulatim incrementum sanita-
Exod. 14 tis suscipit. Sic nimirum quanuis Deus filios Israel eduxit ex Ægypto, & introduxit eos in terram promissionis, nihilominus reliquit illis conuicinos Phi-
Iudi. 3 listæos, quæ gens erat bellicosa: cum quibus interdum possent dimicare. Sic tibi peccatori quanuis te è peccati tenebris eruat & liberet, nihilominus feroces & crudeles inimicos relinquit: contradictionem, scilicet carnis & sanguinis, quibus bellum
Consuetudo peccandi occasio est relabendi. ineas. Ne igitur te omnino incolumẽ & sanum existimes, sed potiùs infirmum te iudica, & ab occasionibus peccati recede. ❡ Secunda verò ratio quare quis in peccatum relabitur est, quia debilem & languidam virtutem habet, cùm infirmitas multum

durauerit, & hunc, quicũque ventus adeò leuis prosternit, vel robustus cibus, vel mala nox. Et hic talis, opus habet vt optimis & delicatis cibis pascatur, vt naturalis virtus ad suum robur & integritatem perueniat. Sic qui anteactam vitam maximis peccatis inuoluerunt, si virtutis vires recuperare velint, optimis vescantur cibis: scilicet sacris rebus & concionibus intersint, sanctos libros & spirituales legant, probis & rectis viris confiteantur, & sacramenta frequentent. Ideò in Canticis habetur. Fulci- Cant. 2
te me floribus, stipate me malis: quia amore lãgueo.

❡ Tertiò relabuntur in aliam infirmitatem hi, quos diximus, quia nullum exercitiũ faciunt. Paralyticus enim opus habet, vt paulatim se moueat, vt membra eius exerceantur, & sic sentire valeat. Sic qui ab ægritudine & affectu peccati liberatus est, bonis actibus & operibus sanctis se exerceat. Cum hæc omnia non adimpleantur, cùm dæmon domum inueniat vacantem, & scopis mundatam, redit peccator ad pristina peccata: & tunc fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Vidisti iã, quàm malus sit status peccati? sed peior est secundus quàm primus.

❡ Primò ex parte diaboli, secũdò ex parte ipsius peccatoris, & tertiò ex parte Dei. Ex parte diaboli, quia magis crudeliter hominem tractat: & vigilantius obseruat illũ. Contingit enim quòd homini in carcere detento, quẽ custos cùm videat hominem esse probũ & nobilem, nõ ita vt reliquos cathenis & compedibus deuincit. Si verò iste talis modo è carcere fugerit, certũ est, quòd si iterũ ad eundem carcerem reuertatur, magnam custodem habiturũ curam & vigilantiam circa eius custodiã. Et si anteà simplici cathena illum deuinciebat, modo duplicem addet. Et si anteà per noctis silentiũ & requiem eum non visitabat: modo omnibus noctibus illum adit, & videt an aliquid machinetur, vel quo possit compedes frangere, vel carcerem fugere. Hoc idem dæmon cùm peccatore efficit. Nam prius cum in sua potestate hominem teneat, paruã curam & diligentiam adhibet circa eius custodiã, fugit igitur à dæmonis captiuitate, & illũ irridet. Si verò ita fueris infœlix, vt iterum ad eius captiuitatẽ deuenias, secunda conditio & sors peior est quàm prima: addet quippe maioris ponderis cathenas, vigilantius te custodiet. Nam si anteà vnã aut alteram offerebat tentationem, modo quinquaginta substernet: & porticus claudet, quibus prius effugisti. Si verò videat quod familiaritas studiosorum ab eius captiuitate te vocauit, ipse diligenter curabit, ne iterũ cum illis familiaritatẽ ineas. Si verò videat, quod sermones audiendo liberatus sis, ipse alio mentẽ seuocabit & distrahet. Et hoc modo omnes portas claudet, quibus prius te ab eius manibus eripuisti. Quod intelliges ex eo, quod hîc Euãgelista inquit: Nam cùm anteà hunc hominẽ vnus dæmon possideret, foras expulsus Dei gratia iste dæmon: deinde cùm rediit, alios septem secum attulit, & habitarũt ibi. ❡ Secũdò ex parte peccatoris peior efficitur hic status: quia ex consuetudine Consuetudo peccandi impedit conuersionem.
peccãdi cõparat sibi habitus pessimos, & sic difficilius conuertitur & disponitur ad gratiam. Solet enim contingere vt sæpius, vel per creditores, vel causa furti, vel alicuius criminis aliquis in carcerẽ deducatur, & hic talis iam frõtem indurauit, & verecundiam amisit, & ex cõsuetudine nec cathenas sentir, nec detentionem in carcere: imo gaudet in illo.

illo. Cótingit aliquando vt vestem habeas ita vetustam ex nimio ipsius vsu, vt si aliquá rupturam habeat, nó possis eam resarcire: quia ita debilis, & tenuis est, vt nec filum sustétare possit nec acum. Ita sunt multi homines, qui ex nimia cósuetudine peccandi, ita debilem animam & languidam reddiderunt, simul & ipsius virtutem, vt nec prædicatorum monitiones, nec Dei inspirationes valeant animá eorum resuere, nec à peccatis semouere, & omnia hæc labor perditus & otiosus illis videtur. Ideo
Psal.50 Dauid. Cor mundum crea in me Deus. Habeo Domine cor meum ita destructū & perditum peccādi consuetudine, vt sit mihi opus, vt aliud nouum in me renoues: Fac mihi aliam vesté nouam, & nouo indumento me indue: nam hoc ita habeo ruptū & perditū, vt vix possit resarciri. Aspice igitur ò peccator, quòd in priori statu bellum gerebas contra mundum, dæmonem, & carnem: si verò peccatis nimis dederis operam, iam alium præter hæc tria dicta, aduersus te prouocas inimicū, qui mala consuetudo est. Hæc mala cósuetudo hostile & inimicum bellum tecū inibit, & ducet te post se: & in cū statum miserū & infœlicē deducet, vt malitiā peccati non sentias, sed potius peccata tanquā vinum imbibas, & cum habitū miserū & iniquū efficiet, vt difficulter. & cū maxima vi possis ad Deū te conuer-
Ier.13 tere, Sic Ieremias. Si potest Æthiops mutare pellē
Prou. 8 suam, &c. Et in Prouerbiis. Peccator cùm in pro-
Ier.3 fundum peccatorum venerit, contemnit. Et iterum Ieremias. Frons mulieris meretricis facta es, noluisti erubescere. Hæc impudentia & obstinatio peccandi euenit, quia ad peccata priora redimus.

¶ Tertiò iste status secundus peior est priori, ex parte Dei: quia magis derelinquitur à Deo talis peccator, qui ad peccata priora iterū accedit: & Deus minorem curam erga illius salutem habet. Quemadmodum medicus, qui infirmum curat, post quā eum in pristinam valetudiné restituit, & vires iam in dies recuperat infirmus, medicus ipse regulas & præcepta ponit, ne grossiores cibos, pisces aut alia nociua cibi assumat. At verò si medicus aliquantulum negligens fuerit, & non semper cum infirmo adsit, ipse infirmus saturabitur escis nociuis: & in eandem infirmitatem recidet: vocatur iterum medicus, & quātum potest valetudinem restituit, ipse infirmus, qui nullam regulam circa suæ salutis curam obseruat, iterū ægrotare incipit, & ita sæpiùs atque iterum in infirmitaté labitur, vt medicus fastiditus dicat, Quærat is infirmus qui de sua valetudine posthac curet, nam ego nolo id agere. Relinquit illū medicus, quasi desperatus de sua salute, vtpote qui semel atque iterum medicamenta adhibuit, ipse tamen infirmus vt incautus & amés, eius consiliis acquiescere noluit. Ita Deus solet facere cū peccatore, cui cū multoties veniam condonet, & suis peccatis medeatur: ipse tamen præcipiti cursu iterum in peccata fertur. Quocirca merito, &
Ier.51 optimo iure dominus per Ieremiā inquit. Curaui-
Ier.15 mus Babylonem, & nó sanata est, ecce relinquimus eā. & ad Hierusalē. Quis miserebitur tui Hierusalē: aut quis ibit ad rogandū pro pace tua? Tu enim me dereliquisti, dicit Dominus: retrorsum abiisti. Ac si diceret: Nolo deinceps iam medicinā adhibere. In Ecclesiastico etiam dicitur, Languor prolixior grauat medicum, sed breuem languorem prædicit medicus. Ita nimirum medicus ille cœlestis & diuinus manum suam cópressit, nec medicinam applicauit

Pharaoni regi Ægypti: quem cùm septies curasset Exo.10
per purgationem plagarū & tribulationum, & ipse ad se reuerteretur, & pœnitentiam faceret de malo præterito: cùm postea iterum ægrotaret, decreuit Deus inde illum amplius non curare, quandoquidem vt incautus ægrotans nullā regulam nec præceptum ad suam salutem conducens obseruabat, atque ita cum medicina illi deficeret, miserè & infœliciter periit. Reliquit illum Dominus ob multitudinem peccatorum: quia huiusmodi peccatori-
bus denegat non solùm auxilium efficax ad cōuer Eccl.14
sionem (quod quidem omnibus denegatur, qui nō conuertuntur) sed etiam aliquibus ob grauissima peccata denegat auxilia multa ex antecedentibus: vt sunt prędicationes, admonitiones, tribulationes, miracula, & alia id genus: quibus Deus inuitat & allicit peccatores ad pœnitentiam. Tamen Deus pro sua summa misericordia non destituit quemquam omnibus suis fauoribus & auxiliis, temperat enim rigorem suæ iustitiæ. Quāuis verò simile sit, Aug. lib. de
& ante nos non contemnendi autores tradiderunt vita.
esse certum numerum peccatorum ita magnum, & Chrys. ca. 3. &
aliqua peccata ita grauia: vt cum ea homines com- 4. Adria. q. 2.
miserint, Deus eos iam despiciat, neque curam il- de Pœnit. Ca-
lam, & solicitudinem paternā illis exhibeat, quam iet. Iretacu. 8.
præstat aliis peccatoribus. Ideò tales difficillimè q. 3
pœnitent. Perdes enim operam & tempus si velis hos corrigere. Sic Cain quia interius derelictus est Genes.4
à domino, non correptus est. Sic etiam de filiis He- 1 Reg.2
li dicit scriptura, quòd non audierunt voces patris
sui: quia voluit dominus occidere eos. Et ideo Spi- Act.16
ritus domini continuit apostolos ne prædicarent in Asia: quia nondum erant digni, vt de ipsorum vita prouideri posset. Huiusmodi peccatores quasi miraculosè spiritualiter sanantur. Intellige autem quando scriptura ait de multis, quòd non possunt pœnitere de suis peccatis, secundum communem legem, sed tantum secundum superexcellentem misericordiam. Nulli enim in hac vita quantumuis grauissimo peccatori clausa est via salutis. Veruntamen est, aliquos adeò esse graues & maximos peccatores, & ita in peccatis suis in vtramuis auré dormire, vt nisi Deus secundum præexcellentem suam misericordiam maioribus & plenioribus & vehementioribus suæ gratiæ auxiliis, quàm sint communia, eos ad pœnitentiam conuerterit, & potentiùs & benigniùs eorum corda emolliat, & obstinatas voluntates infringat, nunquā in meliorem mentem redibunt. Indigent namque huiusmodi peccatores vtrisque auxiliis & antecedentibus & concomitantibus auctioribus & locupletioribus. Atque hinc poterit vtcunque explicari, quare fieri non possit vt huiusmodi peccatores conuertantur & pœniteāt. Possunt tamen in sensu diuiso, id est, simpliciter & absolutè pœnitere: nam poterunt cùm voluerint habere auxilium Dei efficax ad resurgendū: quamuis hoc difficillimum & ferè impossibile sit illis.

¶ His igitur tribus causis satis constat quomodo status secundus peccatoris peior sit, & deterioris conditionis, quàm prior: quod satis etiam ostensum est in nouissimis hominis illius. Cauendum igitur est ne posthac peccatis & flagitiis nosmetipsos maculemus, & maximè illud fugiendum nobis est, ne peccata peccatis addamus. Sed de his hactenus. Iam verò historiā prosequamur, & audiamus Euangelistam dicentem,

Factum est autem cùm hæc diceret: extollens vocē qua

dam mulier de turba dixit illi. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Non est dubium nisi quod audientes hæc pharisæi cruciabantur. Solet dominus inuidos alieni boni torquere: augendo eis, bona quibus inuident.

Genes.37 Inuidebant filij Iacob Ioseph, eo quod maiori amore illum pater prosequeretur: & immisit Deus in illum somnia quibus somniis magis ipsi torquebantur. Non contentus fuit Deus eo solum, vt à patre Ioseph maiori amore prosequeretur; sed ostendit etiam fratribus eum præponẽdum esse regno, duobus somniis. Vbi debes aduertere quod non desunt aliqui, qui impiis narrẽt bona ven tura eis, quibus inuident. Quemadmodum de Pharisæis apud Ioannem legimus, quibus tanquam inuidis voluit dominus resurrectionem Lazari narrari: qui statim moti sunt, & concilium inserũt, vt ipsum interficerent.

Ioan.11. Sic nunc cùm inuidebant Christi miraculis Pharisæi isti vt vehementiùs interiùs torquerentur suscitauit dominus spiritum cuiusdã mulieris, quæ alta voce in Christi laudes prorupit. Magnis quidem doloribus & cruciatibus inuidi torquentur. Quare elaborandum maximè nobis est, nè talis bestia animum nostrum inuadat.

Constantia mulieris in laudanda virgine Maria. ¶ Attende autem diligenter & considera virilem animum & pectus huius mulieris, quæ quidem ausa est Christum laudare alta voce inter suos inimicos, cùm adeò potentes essent. In hoc enim videbis mirabilia

1.Cor.1 Dei opera: nam vt inquit apostolus, infirma mundi elegit Deus, vt fortia quæque cõfundat.

Iudic.16 Magnas quidem victorias Samson simul & trophæa reportauit de Philistæis: sed videas quòd vires illas ingẽtes, in capillis habebat, quæ pars erat imbecillis in corpore: non in brachiis: nam infirma mundi eligit Deus, &c. vt magis in suis operibus extollatur & laudetur. Et ideò etiã voluit superbum & ferocem

Iudith.13 Holofernẽ per brachiũ imbecillis mulieris interfici: propter quod cum ipsa Iudith intelligeret Dei viribus id effectum fuisse, ob insignem victoriã, cane re incepit Deo & dixit:

Iudith.16 Non excelsi gigantes imposuerũt se illi, sed Iudith filia Merari dissoluit eũ. Etiã posset Deus populum suũ Israëliticũ liberare à tyrannide Aman multis viis atque modis, sed noluit nisi vt

Ester.7 Esther intercedente saluus esset. Nec minus voluit tribuere victoriã Sysaræ duci Barac,

Iud.4 nisi mulieri cuidam nomine Iaël: quæ vxor erat Aber Cinæi. In hoc voluit Deus ostendere suam mirabilem potentiã, nam cum hic esset tanta gentium multitudo, voluit è medio omnium mulierẽ surgere, quæ non timens iram & furorẽ scribarũ & pharisæorum sanctissimam Christi matrẽ mirabilibus laudibus extulit. Sapienter quidẽ & prudenter mulier hæc virginem laudat. Non quidem laudat maximã suam fidem, nõ profundam humilitatem, nõ feruentem charitatem: non audet virtutes virginis laudare, quia hoc esset altũ pelagus & profundum mare ingredi, vbi sine dubio esset illi periclitãdum. Obmutesceret quidem si vellet agere de virtutibus animæ suæ sanctissimæ. Ideò præteriens has omnes mirabiles animæ dotes, & tantam pulchritudinem quæ laudare non audet: canit corporis laudes, cuius virtutes laudat. Atque ita diuino consilio Spiritus sanctus postquam retulit perfectionem capillorum

Cant.4 eius oculorum, oris, colli, & manuum, cõcludit di-

Quare scriptura paruam de virginis vita mentionem fecerit. cens, Absque eo quòd intrinsecus latet, Laudauit ea quæ exteriora erant, nam interiora animæ, ita sunt mirabilia & diuina, vt facienda foret satis quædam prolixa & inaudita narratio, ita vt omnes creaturæ in admirationem raperentur. Quemadmodum ille, qui solem conspicere vult, ponit ante oculos ipsam manum, ne luce offendatur, præcipuè si infirmos eos habeat, quia excellens sensibile corrumpit sensum: ita nimirũ lingua nostra & sensus omnes conturbantur & confunduntur coram excellentia tantæ & tam diuinæ claritatis Virginis Mariæ: quam si homines vidissent, non mirum si aliqui errore ducti idololatriam sequerentur, & tanquam Deum adorarent. Hac ratione existimo ductum fuisse Mo-

Genes.1 sen, qui cùm describeret rerum omnium creationem, nihil de creatione angelorũ retulit: nam cum populus ille Hebræus nimis esset dedit s idololatriæ, timuit ne si audiret puritatem & excellentiam perfectionis angelorum illos vt deos coleret. Sic

Apoc.18 Ioannes Euangelista videns pulchritudinẽ & splendorem vnius angeli, voluit illũ adorare, quod quidem angelus prohibuit. Multò meliùs hoc alij homines fecissent, si angelos viderẽt suo fulgore splẽdentes. Scimus nanque gentiles errore ductos, videntes solis pulchritudinem & lunæ, hos planetas vt deos coluisse. Quantò potiùs virginem sanctissimam adorassent, si puritatem & gloriam suæ animæ simul munditiam corporis, quæ maior erat quàm omnium angelorum? Quid facerent ij, qui lunam vt deum adorabant: si virginem viderent multo pulchriorem & formosiorem ipsa luna? Ita existimo, quòd quemadmodum Deus hac ratione noluit vt Moses scriberet pulchritudinem & creationem angelorum: hac eadem ratione abscondit & occultauit Deus corpus Mosi, ne populus ille in idololatriã laberetur, cum viderent mirabilia magna quæ fecerat in Ægypto, & in mari & in deserto. Ità inquit Diuus Iudas dæmonem & archange-

Iudæ.c. lum Michaëlem decertasse propter corpus Mosi. Nam dæmon volebat corpus ostendere populo, vt ipse populus idololatraret: & Deus offensus esset. At verò sanctus archangelus ipsum celabat ne locũ daret offensæ Dei. Et proptereà cũ conueniens esset ne corpus Mosi manifestaretur, nec puritas & excellentia angelorum describeretur, multò potiori ratione decens fuit ne virginis perfectiones & virtutes describerẽtur, quandoquidẽ lõgo inter-

Ser. Assump. Virg. Mar. uallo reliquas omnes creaturas antecellit. Ideo Hieronymus ait, Quidquid in Maria gestum est, totum puritas, totũ veritas, totúmque gratia fuit. Ita hæc deuota & pia mulier silentio præteriẽs animæ laudes, corporis dotes extollit, magnificat & laudat: cætera relinquens laudanda ei, qui eam condiderat. Et ita inquit, Beatus venter qui te portauit. Laudans ventrem, omne corpus laudat: nam si venter beatus est, beatum etiam erit caput, pedes, manus, & anima. Principium enim & organum peccati venter est, in quo homo concipitur in peccato, & maledictionem ab ipso ventre secum trahit. Ideo Psal-

Psal.57 mista. Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa. Et Dauid cũ Deo loquens, implorans suam misericordiam, imbecillitatem suam in medium proponit & illam ostendit. conceptioni suæ tribuens culpam dicens, Ecce

Psalm.50 enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Acsi diceret. Ne mireris Domine, quòd ego peccata actualia habeam, quãdoquidẽ in peccato originis sum conceptus. Vnde Diuus Augustinus contra Iulianum ait. Profectò si Christus minor existens originale peccatũ habuisset, grãdioris ætatis accessu, actuali non caruisset.

set. Sequitur ergo quòd si beata virgo habuit originale peccatum, maioris fuisse virtutis & præstantioris quàm Christus: quandoquidem cum concepta esset in peccato, eam virtutem habuit, vt tueri se posset atque defendere ab actualibus, quod Christus non fecisset (vt Augustinus ait) si conceptus esset in originali peccato. Et siquidem virgo beata actualibus se non miscuit peccatis, bene concluditur nec originali fuisse defœdata: quandoquidē ipsa melior non erat quàm Christus, qui si originale haberet, actuali non caruisset. Et ita Dauid culpam suorum peccatorum originali tribuit. Et sic mulier hæc diuino illustrata spiritu virginem laudat ab origine & principio culpæ, qui venter est: quem beatum dicit. Nam si venter, qui origo est maledictionis, & corruptionis principium, & culpæ fons, benedicitur & laudatur: nullum vtique erit dubium nisi quod benedicti erūt etiam oculi, os, & manus. Quoniam si ingrediens domum magnatis aut diuitis alicuius minora vasa argentea videres, iudicares statim illum esse hominem diuitem. Sic de Salomone ait scriptura quod forfices, candelabra, &
3.Reg.7 claui portarum ex purissimo auro erant confecti. Quod si minora templi vasa aurea erant, quid esset
2.Par.9 de Cherubin & de altari sancta sanctorum? Laudās quidem ea, quæ minora erant in templo: maiora etiam extollere videtur. Ita etiam in alio loco laudans scriptura diuitiās & potentiam Salomonis, inquit, etiam scabellum pedum eius aureum fuisse, & sedes omnes & reliqua omnia, quæ ad ornatum & cultum domus spectabant ex purissimo auro fuisse confecta. Quid obsecro de vase fuisset, vbi ipsi regi vinum apponebatur? vel ex qua materia putas essent patinæ, vbi cibi apponebātur? Ita cùm mulier hæc ventrem virginis laudet (qui in aliis solet esse organum peccati) & benedictum eum appellans: exinde etiam videtur laudare oculos, os, & reliqua omnia, quæ in virgine erant. Hinc clarè colligitur & constat virginem matrem prorsus alienam & immunem fuisse ab omni peccati genere. Beatus venter, beatum corpus, beata anima, & tota deniq; est benedicta, cuius venter, qui principiū & origo peccati esse solet, benedicitur. Cur ergo beatus? Quia te portauit. Nam basis & fundamentum omnium beneficiorum & meritorum virginis inde ortum habet, quia in Dei matrem fuit electa. Nam vēter beatus est, quia Deum in eo portauit. Si immunis fuit à peccato originali, inde euenit, quia erat mater Dei electa. Si virgo simul & mater extitit: factum id est, quia Deū in vtero tulit. Si exaltata est à Deo super omnes choros angelorum, ob eandē rationem dictam factum id est. Hæc est origo & fons vnde promanāt omnia beneficia & dona quæ illi à Deo sunt concessa. Quocirca mulier hæc reddens causam & rationem vēter virginis benedicatur, inquit esse causam, quia Deum in ipso portauit. Vnde visum est sanctis patribus magnū inconueniens dicere, ventrē illum qui Deū in se receperat cōsumptum fuisse à vermibus. Atque ita in hanc veniunt
Assumptio Virginis. sententiā, scilicet, q̃ beata virgo corpore simul & anima cœlum conscendit. Quandoquidem minus erat rationi cōsentaneū, vt virginis viscera quibus verbū Dei carnem induerat, in cinerē & puluerem conuerterentur. Et hac eadem ratione dictus diuus
3.part.q.27. art.4 Thomas dixit, virginē nullum habuisse peccatum actuale, nec veniale quantūuis minimū nam si peccatū haberet, non esset idonea & sufficiens, vt mater Dei esset: & ita inquit ille iustum esse, vt ab omni prorsus veniali peccato liberaretur, ad hoc vt esset mater Dei. Si igitur inconueniens est hāc virginem habere veniale peccatū, vt sit mater Dei: maius quidem inconueniens esset si originale habuisset, q̃ deterius est. Veniale quippe non separat nos ab amicitia Dei, neque gratiam tollit, nec aliquam gratiæ partē. At verò originale peccatum subtrahit gratiā, & inimicos Dei nos constituit & cōsortio diuino nos priuat. Si igitur diuus Thomas magnum
S.Thom. vbi supra ar.1. ad 3. & ar.2. ad 2 inconueniens putauit, ponere in virgine matre peccatum veniale: quare etiam non habuit inconueniens ponere originale, cum deterius multò sit veniali? Quapropter nos dicimus & firmiter credimus, quòd ad hoc, vt apta & idonea beata virgo posset esse mater Dei, fortiori & firmiori ratione cōueniens erat, vt originali caruisset. Cùmque beata virgo dignissima fuerit Christi mater, non dubitamus, nisi quod quemadmodum nullū habuit actuale peccatum mortale, nec veniale, ita etiā nec originale habuisse, à quo quidem liberaliter singulari quodam priuilegio & beneficio immunis fuit. Decuit enim virginem (ait Anselmus) ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi. Quod pro
Ansel. de cōceptu virgin. fecto diabolus bene nouit, & ideo primos fontes oblimare conatus est, sciens quòd nisi à purissima matre Christus nunquā foret nasciturus. Purissimā igitur ab omni labe decuit fore matrem Dei, eiusque fœlicissimū ventrem, quippe qui Christū Dei filiū portauit. Neq; beatus fuisset, si huiusmodi donum præseruationis nō habuisset. Beatitudo enim status est omnium bonorum aggregatione perfe-
Aug. li.13. de Trini. cap.6 ctus, Augustino autore. At verò quia in hoc opere non prædicatoris officium exercemus, sed expositoris, hoc de hac re sufficiet: quandoquidem ita de laudibus virginis, & de eius purissima cōceptione magni codices sunt memoriæ traditi. Et etiam si nos longiori oratione digredi possemus occasione data ex his verbis, quæ mulier dixit, tamen ne prolixi simus, id decreui aliis relinquere. Iam verò quid Christus huic mulieri responderit, audiamus. *At ille dixit, Quinimo.* Intelligitur non contradictione, sed assertiuè, ac si diceret, Non tantum est illa beata, quæ me portauit in vtero suo: imo etiam beati illi sunt qui audiunt verbum Dei. Non negat beatum ventrem, & beata vbera: sed potior beatitudinis ratio adiicitur & formalis, dicens, *Beati qui audiunt verbum Dei.* Est hæc beatitudinis ratio communis omnibus electis, & maximè conueniēs beatæ virgini. Itaque magis commendatur virginis laus & encomiū in genere per hæc filij verba: quàm fuerit in specie commendata per verba mulieris. Quoniā verbis Christi laudata est ex parte animæ, verbis autem mulieris ex parte corporis. Præterea his verbis conceptum spiritualem prætulit conceptui corporis. Ita quod nec virgini gloriosæ profuisset ad salutem esse secundum carnem matrem filij Dei, nisi Christum in mente spiritualiter concepisset. Ideo beatior concipiendo Christum mente, quàm ventre. Hinc poteris discere, ne præsumas de aliorum propinquorum sanctitate quæ tibi non prosit: nisi eorum virtutes sectari cupias.

¶ Aduerte verò quod cùm omnes homines natura sua appetāt beatitudinem: hîc Christus, vt optimus præceptor & magister ostendit omnibus, in quo consistat beatitudo. Nullus enim adeò barbarus & immanis est, qui beatitudinem non cupiat.

Ipsæ nanque sæculi huius ærumnæ, & afflictiones, labores & pericula cogũt fœlicitatem & beatitudinem exoptare: imò & animus suapte natura cupit esse fœlix. Si enim Adam fœlicitatem appetiuit cùm esset in loco amœno, & voluptatibus affluenti: quid nos miseri facere deberemus in tam ingenti miseriarum abysso? Igitur cum omnes natura sua desiderent & appetãt beatitudinem: grandis fuit & difficillima inter philosophos quæstio quæ esset beatitudo hæc summa & beata fœlicitas, aut in quo illa consisteret, quã cuncti ita anxiè & solicitè sibi cupiebant & summis votis desiderabant. Ideo hæc quæstio in infinitum abire cœpit, adeò vt de hac re ducentæ octoginta octo philosophorum sententiæ inueniretur. Quas omnes Marcus Varro colligit teste Augustino. Diuus Ambrosius ait, quosdã philosophos beatitudinem constituisse, si nullum dolorem aliquis pateretur aut sentiret: vt quidam philosophus nomine Hieronymus dicebat. Alij verò in rerum scientia illam constituebant, vt Herillus, qui cũ audiret ab Aristotele & Theophrasto mirabiliter esse laudatam rerum sciẽtiam, solam eam quasi summũ bonum collocauit: cùm illi quasi bonum, non quasi verum & stabile bonũ laudauerint. Alij vt Calipho & post eum Diodorus ita dixerũt, vt alter in voluptate, alter in vacuitate doloris consortium honestatis posuerint, eo quòd sine iis non posit esse vita beata. Zenon item Stoicus solum bonum appellauit id quod honestum est. Aristoteles verò & Theophrastus & cæteri Peripatetici in virtute quidem, hoc est, in honestate beatam vitam esse dixerunt etiam beatitudinem compleri corporis voluptatibus atque externis bonis. Posidonius Philosophus stoicus inter bona fœlicitatis opes constituit. Sed hæc omnia tanquam à proprio fine aberrantia, & veritatis scopum non attingentia, ipsa eadem veritas qui Christus est damnat & condemnat: qui inquit: Væ vobis diuitibus, Væ vobis qui rideris: Væ vobis cũ laudauerint vos homines, &c. Beati pauperes: Beati qui persequutionem patiuntur, &c.

Genes.3

Aug. 16. ciui. cap. 1
Ambro. lib. 1. officio. capi. 2

Luc. 6

Matth. 5

¶ Et in primis ꝙ in diuitiis non posit esse beatitudo, clarè satis ostenditur: nam cùm beatitudinis sit appetitum satiare, nihil minus, quàm in hoc diuitiis ipsis cõuenit. Nam vt in Ecclesiastico admonemur, Auarus non implebitur pecunia. Qua de causa quãdam infinitatem earum cupiditas secum habet, qua ratione ipsi beatitudini est cõtraria. Beatitudo enim quãtò perfectiùs posidetur, tãtò eius perfectio suauiùs degustatur, atque adeò tanto vehementiùs amorem ad se rapit & allicit. Diuitiæ vero contrario modo se habẽt, nã quò plures posidẽtur, eò magis illarũ insufficientia & euidentiùs percipitur, quia aliæ & aliæ desiderantur. Neque verò in honore qui bonum est animæ consistere potest beatitudo. Est enim honor virtutis præmiũ, qui idcirco à nobis expetitur, quia virtutis testimonium & indiciũ est. Et hac ratione homines à sapientibus honorari cupiũt: quocirca virtus præstantior est & sublimior quã honor. Et ideo non debemus nimis honorẽ sectari, qui vmbra virtutis est, sed ipsam virtutẽ: vt nobis statim honor cum ipsa adueniat. Nam quemadmodum illum, qui versus solem ambulat, statim ipsa vmbra comitatur: ita virtutem ipsam sectanti honor statim aderit.

Beatitudo nõ in diuitiis neque honoribus consistat.

Ecclès. 5

¶ Multò autem minus collocanda fœlicitas in bonis corporis, nempe in voluptatibus & deliciis. Delectatio enim non est per se bonum, sed nutritio: cui sagax natura delectationem adiungit, propter illius necessitatem. Nec per se bona aut mala est delectatio: sed malitiam vel bonitatem sortitur à re illa, ad quam consequitur. Igitur bonum illud, à quo voluptas bonitatem sortitur, præstantius est ipsa. Quapropter nõ potest beatitudo consistere in voluptate: & multo minus in ea, quæ sensus est. Nã bonum, quod sensu percipitur: nõ est bonum hominis perfectum: vtpote cuius propria species sit esse animal rationale, ꝙ vtique habet ab anima. Ex quo fit, vt bonum corporis non attingat ipsam hominis perfectionem: atque ideo voluptas, quæ sensu percipitur, multum ab hominis fœlicitate degenerat. Ex his iam clariùs cõstat omnes illos Philosophos maximè à veritatis via aberrasse. Et quid mirum quod tantum aberrarent, qui sine lumine fidei ambulabant: cum videas nunc multos, qui radiis & luce fidei sint illustrati, quique christianam religionẽ sunt professi, circa beatitudinem aberrare? Qui Christum in baptismate ducem iurauerunt: discunt verò in schola Epicuri, Diodori, & Posidonij, & facti eorũ discipuli, miseros eorum errores insequuntur. Beatitudinẽ suam constituũt & collocant in diuitiis, voluptatibus, & carnalibus oblectamentis. Diuites quippe beatos, pauperes vero miseros & infœlices iudicant, & à Deo derelictos. Beati (inquit Christus) pauperes, Beati, qui lugent, Beati, qui persequutionem patiuntur, &c. At vos facti inimici crucis Christi beatos tantũ diuites dicitis. Certè si mores hominũ consideraueritis, si attentè videris curã & solicitudinẽ diuitiarum anxiã, quæ animos multorũ velut cathenis & vinculis ligatos habet: non eos Christianos iudicabis, sed potiùs Posidonios, aut Epicuros. Vnde egregius Psaltes de talibus ait, Quorũ filij sicut nouellæ plãtationes in iuuẽtute sua: filiæ eorum cõpositæ, &c. Beatũ dixerunt populũ, cui hæc sunt. Tu verò rex sãcte Dauid, ais hęc esse hominis beatitudinem? Beatus populus, cuius dominus Deus eius. Multi enim sunt Christiani, quorũ dominus nõ est Deus, sed Epicurus, Diodorus, aut Posidonius: quorum disciplina nondũ extincta est: nondũ periit. Nam in regalibus curiis plurimos nobiles inuenies legentes & docentes publicè doctrinam Epicuri. Videbis tot deliciarum inuentiones, tantã voracitatẽ, tot cibos, mille artes parãdi escas, tanta rerũ monstra, vt facilè credas ꝙ isti Philosophorũ viã & regulas sequũtur, existimãtes nullã aliã post hãc, nobis manere patriã: cũ horũ beatitudo vẽter & guttur sit. Hos omnes cæcos & stultos philosophos, & eorũ discipulos impios Christicolas summa veritas, Christus Redemptor noster vnico ictu ferit & iugulat dicens: Beati pauperes, & qui audiũt verbũ Dei. Ac si dicat. Tantum abest, vt beatitudo in his rebus, quæ mũdus admiratur collocãda sit: vt in eorũ prorsus fuga & reiectione sit posita. Pẽdet enim nostra fœlicitas ex notitia Dei: quæ cùm sit causa rerũ nõ fallit. Hoc autem fit per verbum Dei quod ducit nos in Dei notitiã, & hæc ducit nos in operationẽ & demũ in vltimã fœlicitatẽ & gloriã, ad quã tendimus & propter quã creati sumus, quæ quidem cum summum bonum sit, nullum secum compatitur malum. ¶ Aduerte autem quod beatitudinem dixit esse in auditione verbi Dei: quia sicut fructus virtute sunt in semine (vt Philosophus ait) sic beatitudo æterna est in auditu verbi Dei: quia est origo, initium, & radix beati

Fœlicitas nõ in voluptate & deliciis consistit.

Matth. 5

Psal. 143

Auditio verbi Dei initium beatitudinis.

beatitudinis. Primum enim est audire verbũ Dei, deinde credere, posteà operari: & tandem propter merita bonorũ operum possessio beatitudinis cœlestis. Quomodo (inquit Paulus) credent in quem non audierunt? & quomodo audient sine prædicãte? & quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Ergo fides ex auditu. Et per fidẽ operamur bonum, quia hæc docet, quid credendum, & quid agendum sit. Per bona autem opera in charitate facta peruenitur ad beatitudinem, quæ ab auditu verbi Dei procedit. ¶ Præterea beatitudo est in auditione verbi Dei tanquam in signo: maximum enim signum est quòd quis in beatitudinem sit electus, & prædestinatus, quod audiat libenter verbum Dei, dicente Christo, Qui ex Deo est verba Dei audit. Et vt à cõtrario sensu intelligeremus, magnũ esse reprobationis signum nolle audire verbũ Dei, subdit, Propterea vos nõ auditis, quia ex Deo nõ estis. Et alibi nolentes recipere apostolos, nec audire verba eorum grauiores pœnas illos manere, quàm ciuitatibus illis Sodomorũ & Gomorræorum. Et Ioannes dicit. Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum audit nos, qui nõ est ex Deo nõ audit nos. Habẽt verba diuina nescio quid diuini & paterni amoris, quod audientes Dei filij, qui ad æternam beatitudinem destinati sunt, in ipsis agnoscũt, & gaudent & exultant. Cumq; verba diuina in se cõtineant omnium malorũ spiritualium remedia, & omnium virtutũ & totius profectus spiritualis documenta & ex eis maximè liceat agnoscere, quæ ad Deũ, quæ ad angelos, quæ ad sanctos omnes & ad ciuitatem illam supernam Hierusalem spectant, dum ipsa legere & audire delectat, & eorũ gustu & desiderio quis afficitur, hoc ipso & filium Dei, & consortẽ electorũ, & ciuem illius patriæ beatæ secũdum æternã prædestinationem, se esse probat. Vnde & Dauid à Deo electus dicebat. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Verũ ne in eam cogitationem satis ineptã incidas, vt putes satis esse audire verbum Dei: sed opus etiam esse, vt illud custodias, & obserues, audi quid deinde dicat. *Et custodiunt illud.* Non satis est ad beatitudinẽ consequendam audire verbũ Dei, & credere: nisi bona opera adhibeas, vt verbum rectè custodias. Custoditur autem verbũ Dei à nobis, bonis operibus, quemadmodum ignis seruatur in fomite. Vnde beatus Ioãnes in Apocalypsi cùm dixisset: Beatus qui audit, & qui legit verba prophetiæ huius: protinus adiecit, Et seruat ea, quæ in ea scripta sunt. Iacobus etiam: estote factores verbi & nõ auditores tantum fallentes vosmetipsos: quia si quis auditor est verbi & nõ factor, &c. Et Paulus. Nõ auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur. Hinc est quod scientia hæc nostra, quæ habetur ex verbo Dei (quæ longo spacio reliquis omnibus sciẽtiis præstat) inter sciẽtias practicas numeratur, id est operatiuas: quod nõ propter scientiã tantum, sed propter operationem à Deo nobis datum sit. Hunc locum coram oculis tibi constitue aduersus impios & nefarios illos legis Christi subuersores, qui dicunt, solam fidem ad salutem sufficere. Ad idem facit & illud Matthæi. Omnis qui audit verba mea & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram: Eadem verba in superioribus etiam habentur in nostro Luca. Et in capite sequẽti. Seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulabit multis. Non igitur satis est audire verbum Dei, & credidisse, nisi adsit verbi adimpletio & executio.

Rom.10 | Ioan.8 | Matth.11 | 1.Ioan.4 | Psal.118 | Custodia verbi Dei beatitudinis euidẽs signum est. | Apoc.1 | Iaco.1 | Roma.2 | Mat.7 | Luc.6

¶ Obserua etiam quòd nõ dicit, Qui audierũt, & custodierũt: sed qui audiunt & custodiunt: vt intelligamus solos perseuerãtes audiendo & custodiendo esse beatos. Parum enim est audire verbũ Dei, & custodire illud per aliquod tẽpus: si non persliteris, custodiendo illud. De talibus nanque in superioribus dixit Christus: Qui secus viam: hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus & tollit verbum. Luc.8

¶ Alij etiam suscipiunt verbum, & per aliquod tempus credunt: sed in tempore tentationis & aduersitatis recedunt. Hæc iam latiùs explanauimus in capite octauo.

¶ Opus igitur est, vt custodias verbũ Dei, vt maturo tẽpore fructum centuplum afferas. Nam sunt multi, qui audientes verbũ Dei incipiũt bene operari: sed pauci vsq; in finem perseuerãt. Custodiũt verbum aliquando, sed modo iam non custodiunt: quòd quidẽ satis nõ est ad beatitudinẽ consequendam. Nam qualem te inuenerit mors, talem te iudicabit dominus. Quapropter opus est perseuerãtia: & vt omni tempore sobrius, castus, & diligẽs ambules, circa ea, quæ pertinent ad obsequium domini tui. Et vt iam semel concludam, ita voluit dominus verbum eius custodiri, vt dixerit Mosi. Erũt verba mea in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis: erũtq; quasi signũ in manu tua. Vtitur Deus more loquẽdi eorum, qui cum aliquam rem volunt non excidere à mente, sed vt ipsius recordentur, annulum vel filum in digito ponunt. Sed iam vltra. Exod.13

Turbis autem concurrentibus cœpit dicere, Generatio hæc generatio nequam est.

Meminisse oportet turbæ pharisæorũ, ex quibus alij dixerũt in Beelzebub principe dæmoniorũ eiicit dæmonia: alij verò tentãtes signũ de cœlo quærebãt. Prioribus respõdit vsq; ad illa verba, Omne regnum in se diuisum, &c. Sed modo respõdet aliis signũ de cœlo quærẽtibus. Sæpè enim in scriptura sacra particula orationis nõ legitur cũ proxima dictione, sed cũ remota. Sicut in Canticis dicitur. Nigra sum sed formosa, sicut tabernacula Cedar: sicut pelles Salomonis. Quo in loco si cum priori sententia vtrãq; particulam cõiungas, nõ cohærebunt verba. Erit enim sensus. Nigra sum, sed formosa sicut tabernacula Cedar: quod ineptũ est, cũ tabernacula Cedar nigra & fœda essent, vtpote quæ æstui & imbribus atq; iniuriis cœli erãt exposita. Itidẽ si vtrunque cum pellibus Salomonis cõiungas, quæ pulcherrimæ erãt. Vt ergo proprium ac genuinum elicias sensum, pulchritudinem cum pellibus, nigredinẽ verò cum tabernaculis Cedar coniunges: & sensus hic erit, Nigra sum sicut tabernacula Cedar: sed cum hoc formosa sicut pelles Salomonis quæ rubricatæ erãt. Et sic in Ezechiele vbi dicitur, Opera tua sunt, ac si habitationes tuæ & cogitationes tuæ fuissent de terra Chananæorum: pater tuus fuisset Amorrhæus & mater tua Cethæa. Vbi si coniungas cognationes cum de terra Chananæorum, aut habitationes cum patre Amorrhæo ineptã reddes orationem. Quare vt sensum genuinum verba reddant, dicendum erit, Habitationes tuæ de terra Chananæorum, & cogitationes tuæ: ac si pater tuus fuisset Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et quemadmodum particula nõ semper adiungitur, neque ligatur cum proxima: ita neq; sentẽtia cum sententia, sed multis interiectis adiungitur, quæ erant im-

Beda in Luc. ca.11.ca.49 | Cant.1 | Ezech.16

Prou. 1 mediatè connectẽda. Vt in Prouerbiis. Insidiemur sanguini, abscõdamus nos cõtra innocentẽ gratis. Cui statim adiungendũ erat. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Quæ reddit rationẽ prioris. Quare scilicet cum iustis velit insidias parare, quoniam frustra illis apertè insidiaretur: quemadmodũ auceps, qui in oculis auium extẽdit rete. Aliud huius rei exemplum offendes in Exodo, vbi in priori
Exod. 22 versu capitis vigesimisecundi ponitur lex furti, & post duas vel tres sententias aliud membrum illius legis subditur. Sic in præsentiarũ si legeris hæc, quæ Lucas noster ait, postquam mulieri illi respondit Christus, videbitur tibi inepta oratio, & quòd absque proposito loquatur. Non enim cohærẽt hæc cũ oratione immediatè præcedenti. Ideóq; iungenda est hæc narratio cũ illa oratione, quæ in superioribus præcesserat. Vbi dixit Lucas, quòd quidam, sci-
Matth. 12 licet, ex scribis & pharisæis, vt Matthæus declarat, tentantes quærebant signum de cœlo. Istis autem in medio positis respondet nunc Christus in præsenti. Modum autẽ quomodo tentantes quærebant signum de cœlo, explicat Matthæus dicẽs quod accesserunt ad Christum atq; dixerunt, Volumus à te signum videre. Vide iam nunc & cõsidera istorum superbiam qui nõ supplicant aut rogant, sed volumus, inquiunt: arrogantissimis & ineptissimis verbis suam superbiam ostendentes. O vtinã nunc hæc maledicta verba ab ore nostro nunquã prodirent. Quantò meliùs nobis esset, si voluntas nostra non esset nostra? Ita vt ipsi vellemus quòd Deus vult, &

Verbum volo multis occasio damnationis.

Marc. 6 nõ quod nos volumus. Herodias dixit volo. Herodes, & ego volo: sit pro ratione voluntas: & Ioannẽ sanctissimũ occiderunt. Maledictum tale velle. Caue à propria voluntate tanquàm à nociua & morti-
1. Reg. 15 fera peste. Sic Saul inobediens factus est, & præuaricatus est domini præceptũ. Christus autẽ dicebat.
Matth. 26 Non quod ego volo, sed quod tu: & hac eximia & rara obedientia à morte liberati sumus. Factus est
Philip. 2 enim obediens vsq; ad mortem. Hæc nostra voluntas ducit nos in barathrum: & sola propria voluntas ignibus inferni torquetur. Quis obsecro ferre poterit tantam impudentiam & procacitatem, vt ser-
Luc. 17 uus coram domino suo dicat. Volo? Si igitur nos serui sumus, & serui inutiles, si pretio empti, absit à nobis, vt quilibet sibi velit, & quiuis sibi viuat: sed
1. Cor. 6 ei, qui pro nobis semel mortuus est.

Syncero animo verbum Dei audiendum.

¶ Præterea nõ dicunt, volumus cõuerti tuis miraculis, sed volumus ea videre. Speculatores erant & curiosi, volentes Christũ capere: vel in verbis vel in factis, ideo aiunt. Volumus à te signum videre. Sed priùs isti insipientes deberent à Christo petere oculos, quibus videre possent illa miracula: quî enim fieri poterat, vt viderẽt, qui oculis erant pri-
Mat. 15 uati? Cæci erant & duces cæcorum, excæcauerat enim eos sua malitia. Quemadmodum pellis sicca, qua se exuit serpens, vt renouet suam ætatẽ, habet quandam effigiem oculorum & membranam tenuissimam, qua oculi anguis prætegũtur, verè tamen oculos nõ habet: sic videbatur impiis Iudæis se oculos habere, cùm cæci essent & pelles inanes, & hominum figuras induentes, nec homines erant sed immanes bestiæ sua rapacitate. Christi miracula specula erant diuina: cùm autẽ Iudæi cæci essẽnt quomodo illa videre volebant? Quid cæco cum speculo? Si speculum non videbant: quî fieri potest vt se ipsos in speculo conspicerent? Vt hæc dicerẽt & quærerent accesserunt ad Christum, & quantò magis vanè & fraudulentèr accedebãt, tanto longiùs & distantiùs se à Christo elongabant. Petrus
Luc. 5 dicẽs, Exi à me domine quia homo peccator sum:
Matth. 8 & Centurio dicens. Non sum dignus vt intres sub tectũ meum: magis ad Christũ accedebant. At verò illi cùm corporibus magis accederẽt ad eum, tanto
Sapien. 1 magis se elongabant. Habetur in libro Sapientiæ. Sentite de domino in bonitate, in simplicitate cordis quærite illum: quoniã inuenitur ab his, qui non tentant illum. Nos verò accedamus ad Christum in simplicitate cordis, & in mansuetudine animæ. Multi ingrediuntur templum: cõcionatorem audituri & aures suas attentas præbent: sed non omnes vtilitatem capiunt, quia nõ omnes recto animo accedunt. Multi intrãtes officinã aurificis, alter emit cathenam auream, alter pretiosum annulum, alius vas pulchrum, alius verò nigrum carbonem sibi assumit, quẽ manibus terit, & nihil aliud sibi vult ex officina, nisi carbonẽ illum, quo niger efficitur. Sic multi concionem audituri accedunt, & vnus accipit salubre consilium animæ suæ, alius cõpungitur: sed nõ deest alius qui prædicatorem irrideat. Oportet ergo sancto & syncero animo ad hanc diuinam officinam accedere: nam sic accedẽtes Deus instruit, alios verò arguit & increpat sicut hos impios & nefarios pharisæos: quos appellauit generationem prauam & adulterã. Sed cur ita? Audi. Cùm voluntas nostra perfectè Deo adhæret, & nullum alium amplexata est maritũ: nihil de miraculis curat, nullumq; petit signum ad credendũ. Tot signa in se videt & cõtemplatur, vt stultum sit alia maiora inuestigare. Sentit illum vehementem amorem, frequentes & mutuos amplexus, suauitates illas & dulcedines cœlestes, quæ omnem sensum exuperant. Sed cùm adultera est & relinquens sponsum suum Christum, post alios amatores vadit, & se copulat & cõiungit rebus his caducis & perituris, non vtiq; experitur signa interiora, tuncq; externa alia quærit, & ad ea se conuertit. Priùs ergo est necesse aduertisse animum à suo proprio viro, id est à Deo: & cum altero adulterasse: quàm alia signa petantur. Merito ergo adultera generatio signum petit: neque hoc peteret nisi adultera priùs esset.

¶ Sed mirum quidem est, nam cùm Christus id haberet ingenium & conditionẽ vt de eo dicat Pe-
1. Petri 2 trus, quòd cùm malediceretur non maledicebat, cumq; eadem esset patiẽtia & mansuetudo his tam asperum & rigidum se ostendat: ita vt eos appellet generationẽ nequam & adulteram. Nam si ob hanc causam, quia signa petũt, generationẽ nequam eos vocat: per Esaiam minatur Achaz quia signũ non
Esa. 7 petebat. Sæpius inuehitur Christus cõtra hos, nam
Matth. 21 per Matthæũ eis dicit, Auferetur à vobis regnum
Ioan. 8 Dei. Et per Ioannẽ, Vos ex patre diabolo estis, & ratio huius iræ & odij eadẽ fuit, quę nũc. Ratio verò quia adeo irascitur, & in furorẽ accenditur est, nam cùm aduẽtus Christi in mundũ fuerit, vt homines in cœlum ducat: atq; ita ad hoc efficiendum quæsiuit omnes vias, & modos conuenientiores, quos ipse potuit. Quando verò misericordia, & blanditiis vtens eos allicere nequibat, illis comminabatur supplicium, vt vel sic metu, & timore posset. Hoc etiam tecum sæpè facit dominus beneficiis & sanctis inspirationibus te vocans: quando verò hoc non prodest, in te animaduertit, & comminatur. ¶ Præterea per ironiam magistrum illum appellauerant: nunc autem istam imitabatur

banitatem reprehendit: nam cùm eis qui verbum Dei prædicant modestè & cum reuerētia debemus loqui. **4. Reg. 1** Sic Helias quia dixit ille dux quinquagenarius homo Dei ironicè, respondit, Si homo Dei sum descendat ignis de cœlo, &c. **4. Reg. 2** Sic etiam Helisæus pueris irridentibus & dicentibus, Ascende calue, maledixit: & exierunt duo vrsi, & dilacerarunt quadraginta duos pueros. Sed nostro tempore sacerdotes, & ministri verbi Dei nullo honore afficiuntur: Ideo Christus hic tam asperè & acriter his est loquutus. Sed quid hæc generatio mala & adultera quærat audiamus.

Signum quærit, & signum non dabitur ei.

Fide propagata non est opus miraculis. Nonne vides quā meritissima & optima ratione isti reprehēduntur, qui post tot signa & miracula à Christo facta signū quærunt? Postquā Christus dodoctrinam suam diuinā & cœlestem tot miraculis confirmauerat, alia nunc miracula noua petere, defectus quidā est fidei, & res maxima reprehensione digna. Sic tu miraculis iam factis à Christo, ab apostolis & sanctis credere debes: & nō debes postulare alia signa, sicut isti nequissimi & sceleratissimi pharisæi. **Exo. 7. & 8. Exod. 14** Moses antequàm legem daret multa miracula fecit in Ægypto, & eduxit populum Deus mirabiliter per medium mare. At vero post datam legem & confirmatā, multò aliter cum illis se gessit. Terrā quippe promissionis armis expugnarunt. Sic fides Euangelica in principio nascētis ecclesiæ multis miraculis cōfirmata & stabilita est: iam verò nō opus est miraculis: & qui propter iam facta miracula nō credit, multò minus crederet etiamsi alia noua miracula illi proponerētur. Nam vel tu credis miraculis factis à Christo & à suis apostolis vel non: si miraculis credis, non est quod disputemus: nam credēs miraculis, & eius doctrinæ credere debes: quandoquidē in testimonium & probationem veritatis quam prædicabāt, Christus & apostoli fecerunt illa miracula, & sic credens hæc miracula, credis etiam articulos, quos ipsi prædicabant. Si verò nolueris credere doctrinā nec miracula: id crede, quod oculis cernis, quandoquidē vides omnem mundū, subiectum fuisse Christi fidei, sine eo quòd crederēt sua miracula. Hoc certè magnū miraculū & prodigium videtur, vt sine miraculis tot tantiq; viri sapientes fidei subiicerētur, & q; totus mūdus crederet. Et propter hoc magnū miraculum omnia alia quæ Christus fecit debes credere: quandoquidem hoc est omnium maximum. Quod si dixeris, omnem Africam, Asiam, Ægyptū, & maiorem partem Orientis sequi falsam & iniquā sectam Mahometicam, & in Germania & Anglia sequi nefarium illum & sacrilegū Lutherum: & dixeris Lutherum nec Mahometū nunquam miracula fecisse. Respondeo tibi negotium nostrū multò differētius esse ab isto. Nam Mahometus & Lutherus libidini & voluptatibus copiam fecerunt: & maledictæ, & sacrilegæ eorū sectæ constitutæ sunt secundū carnis & sensualitatis appetitum, cumq; amor cupidinis & carnis tam ingenitus sit hominibus, nō miror hos, qui falsos illos prophetas sunt sequuti. Christum verò quia omnia cōtradicentia carni & voluptatibus prædicauit: quod isti fuerint sequuti magnum est miraculum: Præcipiebat enim ieiunare, diligere inimicos, iniuriis parcere, labores perpeti, & multa alia, quæ carnē nostram videntur deprimere, & ei contradicere, & quod hæc prædicans mundus conuerteretur, hoc est magnū miraculum & stupēdum. Et ita debes credere quod qui hoc miraculum fecit multa alia potuisset facere: & etiam miracula alla, quæ Euangelistæ scripserunt vera esse, & cum illis omnē mundum ad suam doctrinā & fidem cōciliasse. Nam si nauē relinqueres in fluuio sine velis & remis & gubernatore, si altera die illam videres iuxta aquæ cursum distare tribus vel quatuor leucis, nō quidē mirareris: nam impetus fluuij, eam secum duxit, neq; id esset mirandum quandoquidem fuit ratio & causa. At verò si hanc nauem vidisses sine remis, velis, nec aliqua humana arte aduersus cursum aquæ ascendisse: tunc merito mirareris. Sic nimirum quod fuerint multi sequuti doctrinam Lutheri, Vviclef, & aliorū similium, nō est mirandū: nam ipsum aquæ ductum appetitus, libido caro, & sanguis sequūtur. At verò quod hæc nauis ascendat cōtra omnem impetū & aquæ cursum, & quòd homines qui ex carne & sanguine sunt effecti contra naturam suam & inclinationē castitatem sequantur, paupertatem, pœnitentiam, Euangelio se subiicientes, & ea credentes quæ naturalis ratio nō valet comprehēdere: hoc magnum & stupendum miraculum est. Igitur firmum & stabile apud te debes habere, fidem nostram in summa veritate, & rectitudine esse constitutam, & probatam & confirmatam multis hisque magnis miraculis. Si enim hominem videres turris alicuius altitudinem demirantem, simulq; miraretur, qui fieri potuit, vt magnum cimbalum in culmen illius turris ascēderet, & huic diceres cōgregatos fuisse multos homines qui vno tantum impetu cimbalum illud in turrim eleuarunt: homo iste sine dubio hoc non crederet, quia videret omnes humanas vires ad id non posse sufficere. At verò si huic diceres quod machinis & paulatim id fuit factum, illud sine dubio crederet. Interrogas igitur me quomodo fieri potuit, vt tanta gentium multitudo, quæ ex carne erat, legē recepit tam spiritualem, vt erat lex Christi? Qui fieri potuit, vt in statum tātæ perfectionis ascenderent homines terreni, ad vilia & immunda inclinati? Si ego tibi responderem, id factum fuisse, quia legem hāc pauperes homines & literis humanis destituti prædicarunt, qui viribus suis tantum valuerūt, vt possent homines ferre in illum statum: sine dubio verbis meis fidem non adhiberes, diceresq; solas humanas vires ad id nō esse sufficiētes. At si vera narrans, tibi dicerē homines istos piscatores multa fecisse miracula, & plenos fuisse Spiritu sancto & diuina sapientia, & hoc modo persuasisse legem hanc hominibus, & mundum conuertisse: diceres vtique hoc ita fieri potuisse, & rationem & veritatem in se cōtinere. Quemadmodum igitur tu non potes credere cimbalum illud ascendisse in turrim viribus humanis, sed machinis, & stratagematis: ita debes credere fidem nostram non esse humanū opus, sed diuinum, in quo Deus multa miracula & prodigia fecit, vt corda hominum moueret. Et quod nisi Deus hoc negotium suis humeris assumpsisset, & suæ curæ, omnes vires humanæ & omnis sapientia non satis esset ad hoc negotium conficiendum, nec persuadere possent hominibus Euangelium. Crede igitur miraculis fuisse Euangelium prædicatum.

Miracula hodie magis obessent quàm prodessent. ¶ Sed dices, Nonne consentaneū esset rationi & cōueniēs, vt nūc aliqua fierēt miracula, vt vires maiores imbecilles assumerēt, & vt magis fides cōfirmaretur? Non vtique. Nam miracula potius nunc

damnum

Luc 16 damnum nobis afferrẽt, quàm cõmodũ. Abraham dixit, Si Mosi & prophetis nõ credunt, neq; siquis ex mortuis resurrexerit credẽt. Necdum adimpleti sunt triginta anni, ex quibus frater Andræas de Espoleto martyr sanctus ex ordine beati Francisci adfuit in Mauritania in medio ignis orans, ita vt nec capillum ignis posset attingere, & cùm ter à Mauris in ignem esset proiectus, nihil mali ignis in eo effecit. Cumq; hoc miraculum adeò magnũ esset, & fieret in cõspectu multorũ Lusitanorũ, qui & hodie viuũt, nullus maurorũ conuerti voluit. Imo sanctum virum multis lateribus & lapidibus iactis in medio prunarũ interfecerunt, qui genibus flexis orabat. Ex quo constat, quòd miracula hoc nostro tẽpore præcipue inter illos qui iam crediderunt, vt sunt hæretici & apostatæ sanctæ religionis & fidei Christianæ, nec opus sunt, nec vllam vtilitatẽ afferent, etiam si principio nascentis Ecclesiæ fuerint necessaria. Puer enim quãdo ambulare incipit, adiuuatur vehiculo, & ipsum ingreditur. At si homo adultus, triginta annis natus vehiculum ingrederetur, nõ solum nõ vehiculum iuuamẽ illi esset, imo grande impedimentũ, quo minus posset ambulare.

1.Corin.3 Sic ecclesia tunc paruula erat: & Paulus inquit, illis teneris fidelibus. Tanquam paruulis in Christo lac dedi vobis. At modo nõ est opus miraculis, quia est mulier adulta. Quando aliquod opus fit necessariæ sunt scalæ & ligna ad ascendendũ: postquàm verò opus iam est confectũ, nihil ad aliud seruiunt scalæ & ligna nisi vt sint impedimẽto transeuntibus. Ita homines nũc si miracula fierẽt, in id offenderẽt, & dicerẽt, fidem nostrã non adhuc esse bene cõfirmatam & probatã: quandoquidẽ & modo erãt necessaria miracula, quibus magis comprobaretur. Caue igitur ne tibi cõtingat, signũ à Deo quærere, vt isti infideles post tot signa corã eis facta: Satis sint tibi signa vetera & antiqua, nec quæras modo signa noua. Sed quid istis respondeat Christus audi.

Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ.

Sicut peritus mercator non merces ostendit nec pandit eis, quos intelligit non eas mercaturos, qui ad officinam accedunt, vel vt curiosi, vel vt speculatores, non autem animo emendi, eos autẽ vocat, quos intelligit empturos, ita Christus nõ ostendebat sua signa & miracula, nec volebat ea facere coram eis, qui ex curiositate & malitia petebant signa.

Matth.7 Ideo ipsemet apud Matthæum ait. Nolite sanctum dare canibus: nec proiiciatis margaritas ante porcos. Hac de causa cũ esset manibus vinctis coram Herode, ei qui cupiebat videre signũ, id noluit

Matth.27 facere. Petebant signũ, & quando viderũt signa, dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa

Ioan.11 facit? Noluit itaq; signũ facere coram istis. Sed dixit. Signum nõ dabitur ei, nisi signum Ionæ. Dedit eis hoc signum quãuis nõ peterent: quia hoc signũ directè respondebat ad ea quæ petebant pharisæi. Nam petierunt signũ de cœlo tentãtes eum, scilicet scire volentes: ipse verò Christus dedit eis signum, quo possent intelligere, quòd ipse illud poterat, de

Ionæ 1 quo quærebant pharisæi. Nam sicut Ionas tribus diebus & noctibus fuit clausus in ventre ceti: sic postquã filius hominis mortuus fuerit, & resurrexerit, crederis vera esse omnia de quibus nũc dubitatis. Quia tunc apparebit Iesum esse Deum, Christum & Messiam promissum in lege: & tũc incipiet vniuersus mũdus in eum credere. Sic etiã Christus dixerat eis. Cum exaltaueritis filium hominis, tunc videbitis, Id est, cùm crucifixeritis me videbitis omnia quæ dico esse vera: quia tunc apparuit gloria Christi. Sicut enim Ionas fuit signum salutis Niniuitis, quia eo prædicante Niniuitæ pœnitentiam fecerunt: sic Christus Iudæis signum salutis erat futurus, si eo prædicante cõuerterentur. Quando tamen eum recipere noluerunt, fuit eis aduentus Christi signum & occasio maioris perditionis: ideo textus inquit. Ioan.12 Ionæ 3

Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit filius hominis generationi isti.

Nam sicut Ionam euomuit cetus tertia die, & eo prædicãte tota ciuitas cõuersa est: Sic Christo tertia die resurgente & prædicatores mittente totus mundus cõuersus est, quia Christus per eos prædicabat. ¶ Præterea magnum miraculum est, quod corpus hominis transire posset per foramen gutturis ceti. Magnum quidẽ etiam est miraculum quod tribus diebus nõ fuerit digestus Ionas nec dissolutus calore ceti. Magnũ vtiq; etiam est miraculum quod cum ita sit ingens & magnus ille piscis, sic vt natare nequeat nisi in profunda aqua, quòd euomeret illum & propulsaret in litus maris. Sic magnũ miraculum est quod Christus cuius anima sanctissima gloria erat plena, posset esse in angustia limbi, & quod mors illum nõ consumeret, sicut ceteros. Sed quod esset, vt ait Psalmus inter mortuos liber: Psal.87 & quod viuus resurgeret tertia die in hunc mundum, primitiæ resurgẽtium. Hoc signum Ionæ dedit Christus generationi huic pessimæ.

Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Illa fœmina fuit, & vos viri. Illa à longè venit, & vos hîc me habetis. Illa reliquit imperium suum, vos estis in patria vestra. Illa munera attulit, vos non vultis gratis beneficium Dei acipere. Illa ad purum hominẽ, vos ad Deum simul & hominem acceditis. Illa sola fama nouerat Salomonem, sed vos multis miraculis approbatum cõtemnitis. Præterea illa condemnabit vos. Condemnare hic non est sententiam ferre.

¶ Aduerte quòd hîc condemnare seu iudicare, non accipitur pro sententiam ferre damnationis: quia isto modo solus Christus iudicabit. Dimissis itaq; aliis acceptionibus, quibus solet accipi condemnare, de quibus infrà dicemus: quantũ ad præsentem cõtextum attinet, accipitur hîc cõdemnare, cum aliqui inter se conueniunt de re aliqua disceptaturi, & alter æquus & rectus, alter vero sceleratus & iniquus apparet. Sic regina Austri cõdemnabit: nam quod illa fecit, erit in condemnationẽ Iudæorum. Sic etiam peccata Oolla, id est Samaria, cum sceleribus Ooliba, id est Hierusalem (vt habetur in Ezechiële) quodammodo videntur iustam ostendere Samariam eo, quod Hierusalem vberiori prophetarũ doctrina fruens, ipsam spreuerit. Deinde etiam quod per sapientem dicitur, quod sancti iudicabunt nationes, eundem sensum habet, id est, fides in electorum numerum coaptatis natione, illas quæ in infidelitate persititerunt, condemnabunt, ex collatione operum. Hoc nimirum respicit illud quod habetur in Ioanne. Sermo, quem locutus sum ille iudicabit vos in nouissimo die. Et illud, Si ego in Belzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Ipsi Iudices vestri erunt. Ca.12. descendit iustificatus ab illo. Vide Bed. in 11. ca. Lucæ cap 49 Ezech.23 Sapien.3 Ioan.12

¶ Postremò ad illum sensum potest adduci illud apostoli. Nescitis quod angelos iudicabimus, quãtò magis secularia? Id est: Nos condemnabimus 1.Cor.6 angelos

angelos apostatas, qui cum Deum eximio mentis acumine cognouissent, ob suam insolentiam è cœlo eiecti sunt: si nos qui non admodum exactam (si cum angelis conferamur) assequuti mentem vsq; in finem vitæ æquo animo innumeras ærumnas sustinuerimus: ita regina Austri cōdemnabit generationem Iudæorum: quia ipsius factū damnabit incredulitatē Iudæorum. Ita nanq; à finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis. *Et ecce plusquam Salomon hic.* Arguit locus iste eos, qui in rebus parui momenti plusquàm opus est, curiosi sunt: in veritate autem vel inuenienda vel retinēda stupidi sunt, atq; inertes. Arguit item locus hic, verū esse quod Christus alibi dicit, Multi primi erunt nouissimi, & nouissimi primi. Et fit nōnunquam, vt eos contemnamus, qui si non meliores, saltem nobis sunt pares & æquales. Calumniabātur Iudæi sæpè gentiles, cùm ipsi non suæ vocationi responderent. Et in hoc loco Niniuitæ & regina Saba eis præferuntur. Ideo dominus per Hieremiam inquit: Transite ad insulas Cethin, & videte: & in Cedar mittite & considerate vehementer, & videte si factum est huiusmodi. Si mutauit gens Deos suos, populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum. Et alibi. Miluus cognouit in cœlo tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium domini. His verbis videmus quomodo contumaciam Iudæorum exprobrare soleat Deus: & posset etiam nostram superbiam & arrōgantiam confundere, qui viliores sumus creaturæ.

Collatio Christi cum Salomone. — *Matth.18* — *Hiere.2* — *Ierem.8*

¶Duo in Salomone admirata est maximè regina Saba. Primū scilicet, maiestatē suam & potentiam: nam videns diuitias, potentiam & magnum ordinem ministrantiū obstupuit. Sed hic plusquam Salomon est, & maioris maiestatis & potentiæ. Nam tanta fuit eius maiestas & autoritas, vt cùm templum ingrederetur, eiiceretq; emētes & vendentes, in diuina sua facie mirabilis splendor & maiestas refulgebat: vt nullus eorum qui in templo erant, ausus fuerit ei cōtradicere, cùm tanta ibi esset gentium multitudo. Hoc miraculum deberet eos in admirationem rapere, vt reginam Saba diuitiæ & potentia Salomonis. Et in Christi passione, quoniā ab ipsius facie diuinus quidam splēdor emanabat, in domo Caiphæ velamine faciē operuerunt. Nam quemadmodum in facie Mosi diuinus splēdor apparebat, propter cōuersationem, & familiaritatem, quam cum Deo habebat, ita magnus erat fulgor & splēdor faciei Christi propter cōmunicationem, quam humanum cum diuino habebat: ita vt Iudæi cum tantam claritatem intueri non possent, velamen ei imposuerint. Bene etiam hāc gloriam suam & maiestatem ostendit in horto, cum eum voluerunt comprehēdere: quandoquidem solis illis verbis, ego sum, omnes in terram deiecit.

3.Reg.10 — *Matt.21* — *Mat.26* — *Exod.34* — *Ioan.18*

¶Secundum verò, quod vehemēter admirata est regina Saba, fuit sapiētia Salomonis. Sed ecce plusquam Salomon hic. Nam quando pharisæi miserūt ministros suos, vt Christum caperent & cōprehenderent, inuenerunt eum in templo prædicantem: adeò voluptate affecti sunt audientes suam doctrinam, vt redeuntes pharisæi dixerint: Quare nō accepistis eum? Respondentes autem dixerunt, Quia nunquam sic loquutus est homo. Non solum quatenus Deus, Christus sapiētior erat Salomone, sed etiam quatenus homo: nam reliquis hominibus data fuit scientia & gratia secundū pondus & mensuram. At verò sanctissimæ animæ Christi propter vnionem verbi data fuit sciētia infinita. Nam etiamsi actu infinita non sciat, scit tamen infinita, potentia: quia patet ei aditus infinitus. Et præterea infinitas res potest suscipere, per infinitas notitias effectas in intellectu suo à Verbo, cum quo est vnita. Regina itaque Saba surget & condemnabit generationem istam, & condemnabit etiam te Christiane. Nam regina illa non venit visura Salomonem, vt aliquid pertinens & spectans ad salutem animæ cum eo ageret, sed tantum propter nimiam curiositatē, & vt aliqua philosophiæ & naturæ secreta cognosceret. Vt hanc mundi sapientiam posset attingere, regina hæc tam longam sibi suscepit viam, tot labores pertulit. Tu verò, vt salutem animæ cōsequaris tribus vel quatuor gradibus nō vis moueri, nec in ecclesiam ire auditurus sacrum, nec concionem. Illa sine dubio te condemnabit.

Ioan.7

Viri Niniuitæ surgēt in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam, quia pœnitētiam egerunt in prædicatione Ionæ. & ecce plusquam Ionas hic.

Ionas erat propheta aduena, Christus verò naturalis & notus: Ionas trium dierū spatio prædicauit, Christus verò tribus annis: Ionas prædicauit gentibus, Christus verò eis qui cognitionem Dei habebant: Ionas nullum miraculum fecit, Christus multa: Ionas desiderabat subuersionē & destructionem Niniues, Christus verò salutē omnium cupiebat. Illi verò fidem adhibuerunt prophetæ aduenæ, & qui nullum fecit miraculum: vos verò post tot cōciones & miracula cōtumaces & rebelles estis. Niniuitæ condēnabunt generationē istam. Quid rogo illi facerent, si viderēt mortuos resurgere, sicut vos videtis? Ecce plusquā Ionas hic: Vultis videre hūc esse meliorem quàm Ionam? Ionas fuit propheta, qui nō seruauit, nec habuit obedientiam: Christus verò ita obediens, vt dicat Paulus, quod factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Ille subuersionem Niniues, videre cupiebat, nam in quodam loco sedit, & ibi expectabat viginti dierū spatio & quadraginta subuersionē ciuitatis: quando verò vidit in fine illorum dierum ciuitatem non esse euersam: ita de hac re illum pœnituit, vt mortem suæ animæ peteret. Christus autem ita salutem nostram semper curauit, & exoptauit: vt propter hanc rationē mendax & falsus propheta voluerit haberi, & seductor populi. Vide igitur quā longo spatio Christus antecellat & superet Ionam. Quid igitur Iudæi respondebunt, cum magnum prædicatorem habuerint? Viri Niniuitæ cōdemnabūt illos.

Collatio Christi cum Iona. — *Philip.2* — *Iona 4*

¶Bene dixit cōdemnabūt, & nō damnabūt: quia mali seipsos damnāt, & ipsi principiū sunt & origo suæ perditionis. Vnde Oseas, Perditio tua ex te Israel. At si Iudæi nullam excusationem habebunt coram Dei tribunali seuerissimo: multo minus tu ô Christiane. Proh dolor, quanti sunt in inferno, qui forsitan non deliquerunt nisi in duobus vel tribus mortalibus peccatis: & tu mille peccatis, & flagitiis coinquinatus lætaris, exultas deliciis & voluptatibus te tradis. Deus autem clemens, benignus, & patiens tibi auxilium in necessitatibus suppeditat, nutrit, & sustentat. Vnde meritissimè de illo dicitur, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, &c. Sic maior pœna & supplicium in inferno Iudæos manet, quoniam cùm maiora beneficia à Deo accepissent, ipsi ingrati fuerunt: mihi

Osee 13 — *2.Cor.1*

mihi crede, multo maiora & grauiora supplicia tibi parata esse, qui plurima & maxima sacramenta & beneficia à Deo optimo maximo recepisti.

Exemplum Niniuitarum ad pœnitentiã nos inuitat.

¶ Nota etiam, quod Ionas dixit Niuiuitis. (Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur) quod hic terminus dierũ erat illis designatus, nõ vt diem vltimum ad faciendam pœnitentiam expectarẽt: sed statim operi se accingerẽt, vt iram Dei mitigare & placare possent. Tu igitur, qui nec venturum diem certũ tibi habes: quid est, quod statim pœnitẽtiam non agas? Tibi namq; non tantũ temporis, quãtum Niniuitis cõceditur, nam illi certissimos habebant quadraginta dies; tu vero nec vnã horam. Signum Ionæ est, vt statim pœnitentiã agas, nec procrastines dicẽdo. Cras istud faciam, subinde repetens, & alia noua miracula postulas. Age igitur obsecro pœnitentiam antequam incidas in angustias & tribulationes mortis: quia in diluuio aquarũ multarum ad eum nõ approximabunt. *Psal.31* Falleris namque si cogitas te in hora mortis agere pœnitentiam: nam tunc cùm malè semper vixeris, grande miraculum erit, si in Deum te cõuerteris. *Matth.20* Quãdo filij Zebedæi petierũt dextram, & sinistrã quæsiuit ab illis Christus. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Ipsi verò dixerũt, Possumus. At verò quando Christum cõprehenderunt, eo relicto omnes fugerunt. Ita etiam fallit opinio, scilicet, quod in hora mortis poteris agere pœnitentiam, & sine dubio vanè hoc tibi præsumis: nam quãdo tribulatio mortis te circundederit, multa alia restant tibi peragenda, & sic difficillime pœnitentiam facies, quanuis illam facere posis. Nam etiamsi in hora mortis multi rem alienam restituant, & alia multa bona opera faciant: nihilominus nõ isti propria voluntate mouẽtur, sed necessitate coacti & compulsi: & ista talis pœnitentia multoties est inutilis. Quando tauri agitãtur, & taurus aliquẽ hominem persequitur, ille homo pallium suum in cornua tauri iactat. Sed cùm iam taurus abierit, suum pallium accipit, & securus sedet. Sic multi in angustia & periculo mortis constituti, rem alienam restituunt, & suum vnicuique tribuunt: at postquàm periculum euadunt, in antiqua vitia relabũtur, & quas iam pepercerunt iniurias, deposcunt. Aliquibus etiam Deus hoc beneficium ob suam infinitã misericordiam, & benignitatẽ fecit, vt dignam pœnitẽtiam in hora mortis de peccatis commissis agerent. *Luc.23* Sed nunquid tu idem habes chirographum & priuilegium? Latroni in cruce pendẽti hoc beneficium cõdonauit: tum verò ex priuilegio paucis concesso, nõ debes vniuersalem legẽ stabilire. *Eccle.9* Sicut pisces capiuntur hamo, sic iniqui capientur tẽpore malo. *Danie.5* Ita captus est à morte Balthasar rex Babyloniæ quando manus illa in pariete scripsit, Mane, techel, phares. Oblitus erat mortis, & cibo meróq; se ingurgitãs, quando repẽte & inopinatò mors illi aduentauit. Cùm aliquis inimicũ alterius se ostẽdit & declarat, operæpretium est, vt talis cautè viuat, & paratus ad quodcũq; periculũ, quod se illi obtulerit. At si non sibi cauerit, & ab altero interficitur, interfector sine dubio nõ est traditoris nota reprehẽdendus. Sic nimirũ iam diu est, ex quo mors nostrã inimicã se manifestauit: tua verò est culpa, si minus cautè vixeris, nam quotidie te monet multorũ obitũ ob oculos tibi ponens. *Mat.25 Luc.12* Quocirca dominus ait. Vigilate quia nescitis, quando dominus vester venturus sit. Sed hoc in sequenti capite explanabimus. Si igitur continuò pœnitentiam nõ egeris, Niniuitæ surgent in iudicio & condemnabunt te: quia cùm ipsi spatium quadraginta dierũ haberẽt ad pœnitendum, statim pœnitentiæ iugum assumpserunt. Tu autem qui incertus es, an visurus sis venturũ diem, pœnitentiam in crastinũ protendis. Si senex iam decrepitus, & in extremo ætatis suæ à rege peteret vt in suum famulum & cliẽtulum vellet illum accipere, nonne talis irridendus esset? sic sunt sine dubio qui pœnitentiam in senectutem protendunt. ¶ Secundò quia incerti erãt, an veniam essent impetraturi. Non enim audierant à Ioanne, Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cœlorum. *Matt.3 Marc.1 Lucae.* Non viderant Petrum lachrymis consequutum fuisse veniam, nec Mariam Magdalenam: *Luc.7 Ioel.2* sed de venia incerti, pœnituerunt. Dicebant enim, Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus? Nos verò certissimi sumus, habemus namque illud manifestum & certum, quod in quacunque hora ingemuerit peccator, &c. *Ezechi.18* Nihilominus tamẽ hæc nõ recordantes, in vtramuis dormimus autem, & pœnitẽtiam in crastinum dilatamus, ideo illi barbari surgent & cõdemnabunt nos.

¶ Tertiò quia omnia alia, quæ illis impedimento esse poterant, reliquerunt: nam nutrices infantes suos nõ lactabant, rex non sedebat in solio ad iudicandum: & artes mechanicæ cessauerunt: & nulli alicui rei intenti erant, nisi pœnitentiæ. Nos verò pœnitentiã accipimus tanquã rem accessoriam & accidentariam. Nam si aliquem interroges cur non peccata confiteris? Respondebit statim, Paululum negotij nunc habeo: id posteà faciam. Negotia vero temporalia tanquam rem præcipuam, & nobis magis conducentem accipimus. ¶ Quartò Niniuitæ induti sunt saccis, & pœnitentiam egerunt. *Exod.33* Sic filij Israel videntes quòd propter adorationem vituli recedebat Deus ab eis, nullus eorum secundum morem & consuetudinem induebatur. At nos bombicino & purpura induti pœnitẽtiam volumus agere. Si mulier plorans mortem mariti defuncti, Ecclesiam ingrederetur margaritis & gemmis ornata, proculdubio hæc talis irridenda esset. Quantò meliori iure lugubribus vestibus induti mortem animæ deplorare deberemus? Sanctissima Magdalena pœnitentiam egit proiiciens vestes in terram: & capillis suis tersit Christi pedes. *Luc.7* Sed iam superiùs de his egimus.

¶ Quintò Ionas semel Niniuitis prædicauit, & statim se ad Deum conuerterunt. At nos quotidie audimus prædicatores clamãtes, dormimus tamen obturatis auribus, nec de peccatis pœnitemus.

¶ Sextò Ionas potiùs prædicabat & annũciabat desperationem, quàm pœnitentiam: nihilominus egerunt: nos verò ad misericordiã & clementiã vocamur: sed nihil de hac re curamus. Lege Chrysostomum in homilia vndecima super epistolam secundam Pauli ad Corinthios, tractantem illud. *2.Corin.5* Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Et quia ad alia properamus, satis sit ostendere tibi locum.

Nemo lucernam accendit, & in absc͂ondito ponit, nec sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant.

Lucerna est scientia.

Ostendit hîc Christus, se non debere cessare à sapientiæ suæ communicatione & prædicatione ob Iudæorum istorum duritiem, & iniquitatem. Nam ad hoc cœlestis pater tantam illi communicauerat sapientiam, vt illam bonis & malis ostenderet, & offerret, & quantum in se erat, cum illa omnes

Isaia 49 omnes illustraret. Iuxta illud Esaiæ quod diuinus pater suo filio dicebat, Dedi te in fœdus populi, & in lucem gentium: vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum. Per lucernã intelligit doctrinam, quę illuminat intellectũ: sicut lucerna artificialis oculos corporis. Docet ne sciẽtiam & doctrinam abscõdamus, sicut faciunt multi, qui ea quæ sciunt aliis abscondunt, sed sibi ipsis seruãt, auaros imitantes. Et non ob aliud id faciũt nisi, vt soli ipsi laudẽtur in populo, & gloriosi æstimentur propter raram & eximiam doctrinam & eruditionẽ. Super candelabrum ponit lucernam, qui cathedram ascendit, siue quencunque aliũ locum, vt communicet aliis, quę ipse didicit. Ille verò abscõdit, & ponit sub modio: quia aliis nõ vult eruditionem & doctrinam manifestare, vt discãt. Christus Saluator noster nec propter calumniantium duritiem, nec propter eorum murmurationẽ voluit abscõdere lucernam suę doctrinæ. Sic tu nõ abscondas donum tibi à Deo creditũ: quia vt Paulus ait, Spiritus datur in vtilitatẽ, non in desidiam. *Matt. 25. 1. Cor. 12. Ephe. 4.* Et alibi: Dedit Deus Apostolos & Doctores, & reliquos, in ædificationẽ corporis Christi. Et Dominus vult, vt talẽta quæ tradidit, apponantur in mẽsa: & damnauit seruum, qui posuit libram in sudario. Aduerte autẽ quòd lux, quæ sub modio ponitur sub mẽsura ponitur: quia sub modio nõ lucet. *Luca 19.* Sed lux quæ super cãdelabrum ponitur, omnes illuminat, nullo termino clauditur. Vult enim Deus, vt charitatem habeamus sine modo & mensura. Nam lucerna non solum lucet, sed ardet & cõburit: quod proprium est ignis. Quare locus hîc non solùm de doctrina, sed etiam de operibus charitatis & misericordiæ potest intelligi. Vult Dominus, vt sine acceptione personarum omnes doceamus, & charitatem habeamus: sicut lucerna, quæ posita super candelabrũ omnibus lucet, & omnes illuminat. Multi nãque suos amicos docent, & suos diligunt: sed nõ inimicos nec extraneos. Charitas horum terminos habet, parum extẽditur, & sub modio ponitur. *Psal. 118* De præcepto charitatis loquens Dauid dixit Domino. Latum mandatum tuum nimis. Quod mandatum est hoc? Illud, de quo Dominus *Ioan. 13.* ait, Mandatum do vobis, vt diligatis inuicem. Hoc inquam præceptũ latum est, & ad omnes extenditur: quia ipsos inimicos includit, hæreticos & infideles, notos & ignotos: quos omnes charitate prosequi debemus. Ideoque super candelabrũ ponitur vt omnibus qui in mũdo sunt luceat. Cùm audieris auarũ dicentem, Erogabo eleemosynam, sed extremè indigenti: & cum audis tepidũ Christianum dicentum, Non audiam missam, nisi pręcepto me cogente, & alterum, non cõfitebor peccata, nec eucharistiam suscipiam, nisi in paschate: hi omnes similes sunt luci positæ sub modio & sub angusta mensura. Sed cum audis. Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis. Et rursus. Optabam ego non solùm vobis conferre Euãgeliũ, sed *Rom. 9 1. Thes. 2.* & viscera mea. Hæc quidem est lucerna super candelabrum posita. Sed ex superiùs dictis conuertit Christus sermonem in nostram vtilitatem.

Lucerna corporis tui est oculus tuus.

Methaphora sumpta est ab oculo materiali. Sicut lucerna facit nos videre ea quæ facimus: sic oculus corporis totũ corpus. Christus (vt ex consequentibus ostẽditur verbis) vult insinuare, quòd sicut oculus corporis est eiusdẽ corporis nostri lucerna: sic oculus noster interior, scilicet, intellectus siue intentio animæ nostræ illuminat omnes operationes eiusdem animæ. Ideò ait,

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. *Lege. Greg. lib. 28 Moral. cap. 15. & Aug. lib. 4 contra Iulianum Pelag. cap. 3 Tom. 7.*

Hoc est, si intentio tua fuerit simplex & recta, tota anima rectè dirigetur ab intellectu: & luce sapientiæ eius clarior efficietur: operũ quoque multitudo studiosa erit, quia intentio imprimit speciem operi. *Intentio & finis operis ipsum opus aut bonum aut malum reddit.*

¶ Docet locus iste, vt in omnibus nostris operibus semper ob oculos Deum præsentẽ habeamus & vt ipse sit noster finis, & præcipuus scopus. Multa sunt bona opera, quæ cùm examinata fuerint perpendiculo diuinæ iustitiæ, ab hac recta intentione deficient: intentio nanque & finis operis est, qui meritũ tribuit. Nã corã tribunali Dei nec virtutes morales per se, nec labores corporis quantumuis magni illi sint, aliquid valẽt: nisi spiritu amoris Dei qui à cœlo mittitur, cõiungãtur. Nihil *3. Reg. 6.* enim erat in tẽplo, quòd nõ esset ex purissimo auro confectũ, vel saltim deauratũ. Atque ita in tẽplo viuo animæ nostræ, nihil debet esse, quod non sit charitas, vel ornatũ cum charitate. Quapropter nõ tantum oculos debes cõiicere in id quod facis, sed in id quod intendis: nam vilia & minima opera dũ diuino spiritu fiãt & intentione recta, maximi sunt valoris & momẽti: & è contra maxima & heroica opera si debita intentione & recto fine careãt, nullius sunt valoris & ponderis. Vult Deus, vt omnia ab amore procedant. Ideo præcipit, vt dilectionẽ eam habeamus, qua ipse nos fuit prosequutus: hoc est nullo apposito pretio nec mercede. Et cùm inter circunstantias diuinæ charitatis hęc sit excellẽtior in persona diuina: fœlix ille & beatus erit, qui in omnibus suis operibus, curauerit illam imitari. Quocirca in omnibus quæ feceris auerte oculos tuos ab humano pręmio & laude, & id omne in Deũ cõiice: nec patiaris, vt opus quod talẽ dominũ pręmiũ habet, deseruiat alicui respectui tẽporali. Nã quemadmodũ dolendum esset, quòd mulier aliqua pulcherrima & diues maritũ acciperet vilem hominem & abiectum: ita etiã multò magis est dolendũ si virtutẽ videamus, quæ pro pręmio Deũ habet, deditã adquisitioni honoris mũdani. Omnis enim basis & fundamentũ meriti aut demeriti cõsistit in recta intẽtione & fine nostrorum operum: opus est, vt propter solũ Deum efficiantur: nam diuinus amor valorem & põdus illis tribuit. Ita superiùs in capite sexto loquẽs Christus de persequutionibus patiendis, dixit, Cũ maledixerint homines propter me. Et de cõtẽptu rerum mundanarum etiam dixit, Propter nomen meum. *Luc 6.* Tunc enim dicitur oculus noster simplex, quando rectè intelligẽs sine aliqua malitia opera dirigit in finem debitum, qui naturaliter vnicus est, scilicet, summum bonum, qui Deus est: & tũc omnia opera nostra bona efficiuntur.

¶ Sed videtur hîc statim maximum dubium in- *Ioan 16.* surgere: nã Dominus ait per Ioannẽ, quòd illi qui persequebãtur apostolos, arbitrabãtur obsequium se præstare Deo: sed nihilominus grauissimè peccabant, & intentio eorũ bona erat & simplex, quia ipsi putabant Deo seruire, vt Christus inquit: nam intentio omnes iudicat, sicque qualis fuerit intentio, tale factum efficitur, & à fine nomẽ opus accipit: finis autem hic bonus est, quia honor Dei, ergo

& opus bonũ: nam si oculus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Ad hæc respondeo dicendo: aliud esse intentionem rectam, & aliud bonam habere intentionem. Bona intentio est, quę finẽ bonum habet, sed facilè potest se error illi admiscere ita vt corrumpat illam: quia licet illa ex fine sit bona, tamen aliæ circũstantiæ illam deprauare possunt, vt minùs bona sit. Recta autẽ intẽtio est volũtatis nostræ operatio, qua illa vero modo & medio tendit in bonum: quando scilicet cũ lege Dei mẽsuratur, & dirigitur cũ lumine legis rectæ. Fieri autem potest, vt aliquid cum bona intentione fiat, & non sit opus bonum: quia nõ fit vero modo & intentione recta. Quantumcũque finis & intentio bona sit, si media bona non fuerint, nũquam opus rectum consistet. De hoc opere ait Paulus. Nõ sunt facienda mala, vt veniant bona. Et iterũ. Zelũ habent, sed non secundũ sciẽtiam. Error itaque perdit opus, dicẽte Domino per Prophetã. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia nõ habuit scientiam. Non sufficit itaque quòd intentio bona sit, sed ꝙ sit perfecta. Perfectio autẽ cõsistit in eo ꝙ nihil ei deficit, tamen cum rectitudine caret. Et hac de causa elegãter Christus hîc non dixit, si oculus tuus bonus fuerit: sed simplex fuerit. Simplex enim hîc perfectionẽ significat: nam Hebræis verbũ, simplex, sonat integrum & perfectũ. Ita dicitur de Iob. Erat simplex. Quod qui peritissimi sunt in sermone Hebæo, exponũt. Erat vir integer. Et alij, Erat vir perfectus. Itaque ad bonitatẽ operis non sufficit bonitas intẽtionis: quia ad bonitatem operis requiritur obiecti integritas, & cõuenientia omnium circunstantiarum, quas recta ratio adesse debere, iubet actui. Sed fieri potest intentionem finis esse bonam, & tamen deficere vel obiectũ debitũ, vel alias circunstantias: ergo stat intentionem esse bonam, & opus malum, quia bonum consurgit ex causa integra: malum autem ex quocũque defectu. Nam si quis rapiat diuiti, vt subueniat pauperi, vel mentiatur, vt succurrat insonti, bonus quidẽ finis est, electio autem contra dictamen rationis mala. Sed bonitas finis non excusat male eligentem. Ad malitiam operis sufficit malitia intentionis: nam ad hoc quòd aliquod opus sit malum, sufficit defectus vniuscuiusque requisiti ad operis bonitatem. Sed de his satis.

Intentio bona non sufficit, sed quod perfecta.
Rom. 3
Rom. 12
Esai. 5
Iob 1

Obserua autem quòd non ait, quòd aliqua pars corporis erit lucida, sed totũ (inquit) corpus tuum erit lucidũ: cura enim viri perfecti simplicis & integri est, se totũ circũspicere, & sua lucerna se examinare. Verebar (inquit Iob) omnia opera mea. Vir integer totus sibi notus est. Probat enim se, an in fide sit, vt Paulus inquit. Itaque eris lucidus totus aut tenebrosus totus, quia aut places totus, aut displices totus. Nõ enim poteris partim Deo placere, & partim displicere, quia qui in vno deliquerit, factus est omnium reus. Et saluator. Nemo potest duobus dominis seruire. Ideò de sanctis Zacharia & Elisabeth dixit Lucas, quòd erãt iusti ante dominum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini. Non dixit, in aliquibus, sed in omnibus. Sed iam de hoc superiùs.

Iob 9
2. Cor. 13
Iaco. 2
Matth. 6
Luca 1.

Si autem nequam fuerit.

In hoc apparet hîc nõ loqui de oculo corporali, quia talis non potest esse nequam, cùm nequitia nõ sit nisi in operibus nostris, quę sunt aliquo modo volũtaria. Oculus autem est aliquid naturale, & non est in potestate nostra quòd benè vel malè se habeat. Intelligitur ergo de oculo intellectus, quia tale est iudicium vniuscuiusque, & talẽ finem constituit, qualis ipse est. Qui autẽ malus est constituit sibi malum finem, & omnia ad illũ malum finem dirigit: & tunc est oculus nequam. Et sic Christus loquitur. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Et dixit oculum illius nequam esse, quia non rectè iudicabat, cum murmuraret de liberalitate patrisfamilias. Matt. 20

Etiam corpus tuum tenebrosum erit.

Id est, omnes operationes simul aggregatæ malæ erunt: cùm ipsę non habeant bonitatem completam nisi ex intentione. Quia dato quòd aliàs operatio sit bona ex genere suo, si intẽtio non est bona, non adhuc erit perfecta & absoluta talis operatio, nec meritoria.

Vide ergo ne lumen quod in te est tenebra sint.

Id est, caue ne tua ratio & intentio sit peruersa, aut modis iam dictis obscura. Quod fit si opus nostrum in debitum finem non ordinemus: videlicet ad Dei gloriam & honorem & ad beatitudinẽ æternam. Hinc hortatur apostolus. Omne quodcũque facitis in verbo, aut opere, in nomine domini nostri Iesu Christi agite, gratias agentes Deo patri per ipsum. Aug. lib. 2. q. euang. cap. 15 Colos. 3

Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit.

Id est, si omnis operatio tua fuerit studiosa, & tã intentio quàm actio inde procedens sint bonæ. Grego. 28 moral. super illud. Iob 39

Non habens aliquam partem tenebrarum.

Id est, si nullum peccatum mortale habuerit admixtum. Partes tenebrarum, id est, vitiorum vt sunt superbia, auaritia, luxuria, &c.

Erit lucidum totum.

Hoc est. Tũc totũ corpus tuum erit verè & perfectè dignum meritis, atque Deo ipsi placidũ. Nam vno solo mortali peccato omnia opera meritoria extinguuntur: si verò nullum insit peccatum mortale, charitas & gratia Dei efficiunt, vt ipsa opera coram oculis Dei splendeãt. Hinc in Ecclesiastico habetur, Qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Et dominus per Ezechielem, Si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, &c. Eccl. 8 Ezech. 18

Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Itaque anima tua his bonis corã Deo pulchra erit & fulgida. Vnde in Prouerbiis habetur. Iustorũ semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem: via verò impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant. Prouerb. 9

¶ Igitur (vt ad alia iam gradũ faciamus) ex his Christi verbis & metaphora oculi, luminis, & tenebrarum docemur, vt semper rectam intẽtionẽ habeamus in omnibus operibus nostris, nempe vt quidquid fecerimus in Deũ dirigamus. Vnde & alibi saluator ait. Attendite ne iustitiã vestram faciatis corã hominibus, vt videamini ab eis, alioqui nõ habebitis mercedẽ apud patrem vestrum. Vult enim Deus vt opera nostra in ipsum dirigamus, & vt sigillo rectæ intẽtionis ea designemus, ne ea amittamus collocãtes ipsa in ore hominum. Sicut Ezechias ꝗ ostẽdit bona sua nũtiis Babylonis regis, quapropter dixit illi dominus. Auferẽtur omnia quæ in domo tua sunt. Vult Christ', vt merces nostræ securę portũ cõtingant, ne post longã nauigationẽ ipsis mercibus spoliemur. Spoliamur vtiq; quãdo bona opera nõ propter Deũ, sed ad humanã & inanẽ gloriã captãdã facimus. In moralibus finis

Opus bonum erit si finis bonus. Matth. 6
4. Reg. 20 Esai. 39

finis (vt ait Philosophus) habet eãdem vim mouẽdi, quam habet principiũ in naturalibus. Cũ autem charitas sit finis, vt ait Apostolus: ea nos debet mouere & dirigere. Si verò charitas nos mouerit, dirigentur sine dubio opera nostra in Deũ: & poterũt perfecta & omnibus suis numeris absoluta appellari. Consistit autem bonorũ operum perfectio in duabus rebus præcipuè: in directione scilicet ad bonũ finem, qui realiter sit bonus, & in electione mediorũ illi accommodatorum, & cõuenientium, & tunc finis est realiter bonus, quãdo est etiã principiũ bonum. Vis cognoscere, an sit opus bonum & perfectum, cõsidera eius finem ad quẽ dirigitur. Si oculus tuus simplex fuerit, &c. Si intẽtio & finis fuerit rectus (vt diximus) bonum erit opus. Ob eã causam asserunt Mathematici circulum esse perfectam figuram: quia principium & finis idem est in illo, cùm autem Deus sit principium & prima causa, apertè concluditur, tunc opera nostra esse perfecta, si eorum finis fuerit Deus. Deum autem esse principiũ & rerum omnium primam causam, asserit ipse, qui per Ioannem de se ipso dicit. Ego principium qui & loquor vobis. Et ipse Ioãnes de Deo loquẽs, inquit, Omnia per ipsum facta sunt. Et Diuus Paulus ad Romanos ait, Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Et ideo viri iusti opera sua in Deũ dirigũt, & propter ipsum ea efficiunt. Sicut Moses cùm leuabat manus cõsequebatur victoriã Israel contra Amalech. Sic cùm bona opera nostra quæ per manus significãtur leuamus & dirigimus in Deum, victoriam de mũdo, diabolo, & carne reportamus. Si autem ea in terrena direxerimus, laudem humanam captantes, & inanis gloriæ desiderio flagrantes, ab inimicis superabimur: nã qui appetitu humanæ gloriæ ducũtur, & laudes hominũ quærunt, in Deum opera non dirigũt, ideò Christus in omnibus suis actionibus oculos leuabat in cœlũ: insinuare volẽs vt in omnibus nostris operibus intentionẽ eleuemus in Deũ. Itaque in omnibus nostris actionibus inanem gloriam vitemus instar illius, de quo Neemias ait, quòd altera manu faciebat opus, altera verò tenebat gladium. Sic tu toto pectore incũbe operi, & altera manu tene gladium ad populi laudes resecandas. Oportet igitur vt oculũ simplicem habeamus, & rectam intentionem in omnibus nostris operibus solã Dei gloriã quærere: & quemadmodum Abraham volucres super carnes immolatas descendentes fugabat & reiiciebat, vt doceret inanem gloriã esse fugiendam, eamque à nostris operibus relegandam. Tũc totum corpus nostrum lucidum erit, & sicut lucerna splendens illuminabit nos.

[1. Tim. 1] [Ioan. 8] [Ioan. 1] [Rom. 11] [Exod. 17] [Ioan. 6] [Neem. 4] [Gene. 15]

Et cùm loqueretur rogauit illum quidam Pharisæus vt pranderet apud se.

Egregiè declarauit & insinuauit nobis hoc exẽplum quàm verè dominus egerit & aptè de mala & palliata intentione. Solet enim Diuus noster Lucas doctrinæ ac verbis Christi plerũq; viua exẽpla & appositissima adiicere. Ostẽdit nanque pharisæus hic quid sit habere oculũ duplicẽ, & ex hoc vno licebit colligere quales alij fuerint: siquidem pharisæi cùm haberẽt oculũ viciatũ, iustitiam constituẽtes in cæremoniis externis, negligebãt ea quę non cernũtur, nisi puris oculis, hoc est mũdo corde, ibi nãque putabant esse lumẽ, vbi tenebrę erãt: & vbi grauis erat culpa, & crimẽ nullũ ibi esse putabãt. *Iesus autem ingressus recubuit.* In quo quidem eius benignitas & bonitas ostẽditur: qui cùm rectè nouisset pharisæorum calumnias, & mẽtes, nihilominus vt eos hortaretur, & moneret, nõ dedignabatur eorũ conuiuiis adesse. Docet quomodo humiles corde & benigni esse debeamus, etiã cũ inimicis & persequutoribus nostris. Ecce quomodo dominus immemor iniuriæ, & memor suę antiquę benignitatis cũ impiissimo inimico & calũniatore accumbit mensæ. Cõsidera quæso hominũ cęcitatem, & ignorantiam, qui arbitrantur hominibus suam virtutem ostendere, cũ in alios sæuiunt, & illatas iniurias vindicãt: & nihil patiũtur quod illorũ nomini aut famæ aliquid detrahat. Nõ sic Christus qui cum inimico accũbit. Parcẽdo enim Deus magnum nomen sibi comparauit. Atque ita diuino illustrata Spiritu canit illi Ecclesia. Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas. Quod si rectè volueris animaduertere, apparebit hoc coram oculis manifestum, nã iniuriam illatam vindicando inimicum superas, parcẽdo verò teipso superior es: vt pote qui irã tuam compescere & frænare potes. Perpende autem calumniatoris cogitationes.

Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere: quare non baptizatus esset ante prandium.

Id est, quare non lauisset manus. Mos enim erat apud Iudæos vt antequã sederent ad prandiũ, manus lauarẽt. Vnde Matthæus, inquit, quòd Pharisæi dixerunt Christo. Quare discipuli tui transgrediũtur traditiones seniorum? non enim lauant manus suas, cùm panẽ manducant. Erãt hi obseruãtissimi exteriorũ cæremoniarum, cùm interiùs deprauatam & viciatam cõscientiam haberent. Et Marcus inquit, pharisæos ita magnificare hanc exteriorem manuum ablutionem obseruãtes traditionem seniorũ, vt redeũtes à foro nisi priùs lotis manibus non manducabant. Vtinã nunc peccata quæ Christiani in foro & in plateis committũt, talia essent, vt aqua mũdari possent, vel etiã id fieret aqua benedicta quæ peccata venialia mũdat. At verò mũdus ita est transmutatus & cõuersus vt ij qui professione sunt Christiani, more viuẽdi & cõsuetudinibus ethnici sint & gẽtiles, ita vt omnis aqua, quę in mari continetur nõ satis sit, vt tanta peccata & flagitia mũdari possint. Hæc igitur erat pharisæorũ cæremonia ab ipsis magna cura obseruata. Christus verò noluit lauare manus, vt hac sumpta occasione pharisæorũ vitia increparet & reprehẽderet.

[Ex musca elephantem facere.] [Matth. 15] [Marc. 7]

¶ Aspice igitur quomodo nouit dominus res ad tuam vtilitatem spectantes dirigere. Quærit occasionem quomodo ignorãtes doceat, & instruat, & hoc modo multoties salutẽ animę tuę inquirit, per ea media, modos, & viam, quæ tu nõ attingis, nec intelligis. Ita se habuit cũ muliere illa Samaritana iuxta puteũ Sichar. Ita cũ diuo Paulo cũ in Damascũ tẽderet, suæ salutis oblitus. Et sic nobiscũ quotidie agit. Vidẽs autẽ pharisæus quòd dominus nõ se lauisset, cępit secũ de hac murmurare. Est enim mos eorum qui corrupti & deprauati sunt animi, vt cũ magna nõ habeant, de quibus taxare aliquẽ possint, minima assumãt, vt vel inde occasionẽ calumniãdi capiãt, quod quidẽ manifestissimè ostẽditur in pharisæo. Vbi malorum & bonorũ cõtrarium ingenium & conditionem disces, nã mali ex quacũque minima occasione mala faciũt, boni verò bona. Sumebant enim prophetæ ex quibuscũque rebus occasionẽ prophetandi. Abias ex vesti-

[Calumniatorum conditio.] [Ioan. 4] [Act. 9] [3. Reg. 11]

4. Reg.4 mento nouo Ieroboã ansam sibi prophetãdi sum-
3. Reg.17 psit,Heliseus ex oleo,Helias ex lechyto olei & hy-
dria farinæ.Impij verò è contra ad faciendũ malũ.
Diabolus ex quacũque occasione sumit audaciam.
Matth. 4 vt tentet.Sic famis occasione Christum dominum
Genes. 3 esurientem tentauit.Sic etiam Euam matrẽ nostrã
Genes. 11 pulchræ arboris occasione.Et illos etiam tentauit,
Hester.5 qui ædificarũt turrim Senaar. Amã quoque occa-
sionem sibi leuem assumpsit vt flagitium perpetra-
ret:quia scilicet Mardochæus non flectebat genua
coram illo.Mali itaque quacunque leui data occa-
sione peccatum committũt.Et quid dico occasio-
ne sumpta?Ex sua potiùs propria malitia peccant,
Genes. 37 cum bonis inuideãt.Quid obsecro erat in Ioseph,
quod non amore & beneuolentia esset dignũ ? at
fratres eius quia plus omnibus diligebatur inuide
1. Reg.19 bant ei:cùm nihil eis noceret.Sic Saul Dauidi,&c.
¶ Rursus obserua,quàm differentes sint cogita-
tiones malorum à cogitationibus bonorum.Mali
quippe non nisi exteriora conspicientes,interiora
à tergo relinquunt & obliuiscuntur : boni verò si
cogitatus suos omnes iactẽt in Deũ,exteriora hęc
Genes.3 obliuiscũtur.Adam in terreno paradiso cùm totus
deditus esset rerum diuinarum cõtemplationi, cũ
esset in statu innocentiæ nõ aduertebat se nudum
esse:postquam verò peccauit,in se conuersus vidit
se nudum esse.Et Paulus cùm in tertiũ cœlum ra-
2. Cor.12 peretur,dicebat se nescire verũ in corpore,siue ex-
tra corpus esset:nã homines qui cogitationes suas
in cœlum eleuãt,ea,quæ corporis sunt non curant.
Ita nimirum Christi discipuli cum ab ore magistri
penderent,& ab ipsius doctrina,nõ recordati sunt
lotionem manuum. At pharisæi vt qui maximè hęc
exteriora curabãt,grauissimum peccatũ illud exi-
stimantes murmurabant.Et ait dominus ad illum:
*Nunc vos pharisæi quod de foris est calicis, & catini
mundatis:quod autem intus est vestrum plenum est rapi-
na & iniquitate.*
Hypocritarũ affectus,& inuentio. Multi erant ibi pharisæi atque etiam scribæ, vt
ex sequẽtibus patebit:atque ideo in plurali omni-
bus illis loquutus est. Mos hypocritarũ est exter-
na curare,vt hominibus tãtũ placere possint.Ideo
hypocritæ araneis assimilantur,quę telam texunt,
quæ à vento rapitur,vbi omnem substãtiam & vi-
scera exhauriunt,& omnia hæc efficiũt,vt muscas
venentur.Sic isti vt laudem humanam sibi compa-
rent crucem ferunt,sicut Simõ Cirenæus: sed con
ducti,propter mercedem & retributionẽ tempora
Mar.15 lem.Quemadmodũ pueri qui in ædificiis ex mar-
more vel ex lapidibus cõfecti totam Ecclesiam vel
ædificium videntur sustẽtare, cùm re vera illi nihil
ad fortitudinẽ ædificij cõducant:ita isti existimant
suis virtutibus & sanctimonia Ecclesiã Dei sustine
re,cùm tamen id falsum sit.Est maximum discrimẽ
inter rectos & probos viros,& hypocritas,sicut in
Gene.26 ter Esau & Iacob.Esau quærebat ea quę foris erãt,
Iacob quæ intra domum erãt.Sunt aliqui merca-
tores qui cùm non admodũ diuites sint,omnẽ rem
& omnes merces,quas habent, exponũt in taber-
na,vt pateant.Sunt verò alij diuites,qui parũ vel
nihil mercium foris ostẽtant,at verò si penetralia
domus ingrediaris grãdem supellectilem,& ingẽ-
tem merciũ videbis. Et qui sapiẽtes & cauti sunt,
non statim prima facie viso panno eum emunt,sed
quid boni vel mali interius habeat,priùs cõtẽplã-
tur.Si tabernam hypocritæ adieris , explica priùs
Psal.44 omnem pãnũ.De iusto verò inquit Psalmista.Om-
nis gloria filiæ regis abintus. Et in Cãticis animæ Cãt.1.& 4
sanctæ ait Dominus. Oculi tui colũbarũ absque
eo quod intrinsecus latet.Et Diuus Paulus.Gloria 2. Cor.1
nostra hæc est,testimoniũ consciẽtiæ nostræ.Boni
nanque,semper id curant maximè,vt interiora sua
recta & pura habeant.Ideo Dauid in Psalmo. Fiat Psal.118
cor meum immaculatum in iustificationibus tuis,
vt nõ cõfundar.Vult enim dominus,vt cor nostrũ
semper mundũ sit,& immaculatũ.De corde enim Matth.15.
exeunt,quæ coinquinãt hominẽ.Vnde dominus in Leui.7
Leuitico iubet adipẽ arietis quæ circa renes est, &
quę interiora operit imponi super altare. Vt & tu-
scias quę audis omnia quę intra te sũt,scilicet cor,
voluntatẽ & reliqua omnia esse offerẽda Deo. Ita
vt cũ Dauide dicas,Benedic anima mea dominũ, Psal.102
& omnia interiora mea nomẽ sanctum eius. Non
offerũtur Deo pellis & exteriora,sed interiora cor
dis mũda.Pharisæi & multi etiã nunc manus suas
lauant:& cor à quo omnis immũditia procedit,nõ
mundant. Sic Pilatus manus lauit, nõ tamen con- Matth.27
sciẽtiã.Si igitur intus coinquinatus es,priùs id mũ-
da, tũcque simul exteriora mũdabis:nam si sancta
& perfecta cõfessione animã tuã mũdaueris,& in-
teriora & exteriora simul pulchra & formosa Deo
& angelis apparebũt.Vnde Esaias. Dic iniquitates
tuas,vt iustificeris.Christus Pharisæos odio prose Esai.43
quitur,quia vitæ suæ erant contrarij.Nã magis per
fectũ in Christo erat interiꝰ,quia anima Deo frue-
batur:& si aliquid erat humanum,id erat exterius, Luca 15
quia cùm publicanis & peccatoribus mẽsæ accũ-
bebat.Maximè offenditur Christus hac ratione &
modo viuendi. Nam non solùm pharisæi sed etiã
mali Christiani exterius fidem profitẽtur,& geni-
bus flexis orant: interius autem pleni sunt iniqui-
tate.Quod qui faciunt,Deũ ipsum rerum omnium
conditorem, & Dominum dominãtium tanquam
idolũ colũt,& venerantur: cum solũ illi obsequiũ
exterius tribuãt. Ostẽdũt enim ꝙ dominũ timeãt:
sed illum non venerantur , nec gloriam debitã &
honorẽ illi tribuunt.Ideo ipse per Esaiam.Populus Esaia 29
hic labiis me honorãt,cor autẽ eorũ lõgè est à me.
¶ At si istorum vita Deo odio habetur, quanto
maiori iure eorum erit execrãda, qui nec exterius
obsequium Deo præstant, quia nec sunt operibus
Christiani,nec tales videntur esse?
¶ Prætereà in hos pharisæos quadrat illud Eze- Ezec.13
chielis. Ipsi liniebant parietem scilicet exterius ab-
sque temperamẽto.Pręterea similãtur isti illis, qui
carnis peccata detestãtur tanquam grauissima:spi-
ritualia tamen parua esse iudicant, cùm tamen mi-
noris culpę sint carnalia,quanuis maioris infamię.
Sic multi prælati peccatũ carnis quod in subditis
reperiunt quanuis veniale sit,acriter & grauissimè
puniunt:non autem auaritiam,ambitionem,simo-
niam , quæ maximè Ecclesiã Dei vexãt.Sic isti ex-
terius mundi erant, sed interius omni malorum
genere deprauati atque corrupti : quapropter ar-
guit illos dominus dicens. *Stulti.* Quî fieri potest,
vt Christus hos stultos appellet, cum ipse dixerit:
Qui dixerit fratri suo,Fatue, &c. Dicimus ad hoc, Matth. 5
quòd cum verba signa sint eorũ quæ sunt in men-
te,culpa aut virtus est in verbis ex ipso affectu cor
dis.Ideo per contemptum aut animi elationẽ,vo-
care alium fatuum & amentẽ,eo animo vt iniuriã
illi inferãt,prohibetur à Christo:nõ autem si id di-
catur ex charitate & animo corrigendi.Sic in hoc
loco appellat stultos Christus hos pharisęos:& etiã
discipu

Luc. 24
Galat. 3

discipulos eũtes in Emaus vocauit stultos. Et Paulus item incolis Galatiæ ait, O insensati Galatæ, quis fascinauit vos? &c.

Nõne qui fecit quod foris est, etiã id quod deintus est fecit?

Acsi diceret. Nõne qui fecit corpus humanum, quod mundare vultis: condidit etiam animam per creationem? Cur ergo non est vobis curæ anima, sicut corpus? Imo quanto anima præstantior est corpore, tantò magis ipsius munditiæ esset innitẽdum: & ideo stultos illos appellauit: quia de minimo habentes curam, maximi obliuiscebantur.

Verumtamen quod superest date eleemosynam: & omnia sunt munda vobis.

Super 25 Matth.
Psalm. 2

Hoc in malam partem interpretandum est: nam vt Hieronymus admonet, ex antecedentibus & cõsequentibus colligitur verus sensus scripturæ. Et ideo illud Psalmi. Ego hodie genui te, existimo fore intelligendum de generatione Christi temporali: quamuis multi id de generatione æterna interpretẽtur. Sed si quæ præcesserũt legeris, & quæ statim sequuntur, cùm dicit, Postula à me & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, de Christo Domino homine intelligi debet: vt multi grauissimi patres eum locum explanarunt: sic illud Esaiæ capite primo. A plãta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas, multi de flagris Christi interpretati sunt. Et cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, de natiuitate prædicãt: quod si literam rectè perpenderis de populo Israëlitico est intelligendum: quia totus erat languidus, & omnes pleni erant sceleribus & plagis peccatorum, & ingratissimi domino: nam cùm bos & asinus cognoscãt benefactores & præsepe domini sui, Israël verò peior bestiis effectus post tot & tanta illi beneficia collata dominũ suum ignorauerit. Sic igitur in pręsentiarum cùm Christus dominus peccata pharisæorũ arguisset, quia exteriorem mũditiam curantes, interiorem & præcipuam contemnebant, impietatẽ & auaritiam exercẽtes: subdit dicẽs, Date eleemosynam & omnia sunt munda vobis. Putabãt isti ꝙ si darent eleemosynam, omnia erant illis mũda, cũ intus pleni essent superbia, ambitione, inuidia, & iniquitate. Itaque in hoc loco existimo Christũ loquutũ fuisse ironicè & increpãdo. Quasi dicat, Vos pharisæi cùm sitis pleni iniquitate, cum rapinę studeatis & lucro, quę per fas vel nefas abstulistis, in eleemosynam erogatis: & cum hoc simul maximè curatis exteriorem munditiam: quæ duo cogitatis sufficere, vt omnia quæ in vobis sunt munda remaneant, cum re vera immunda & defædata reddantur. Nam secundum horum doctrinam omnia erant munda post datam eleemosynam.

Lege Hier. Galat. 4
Esai. 45
Ambr. lib. 5. de fide. cap. 2
August. lib. 2 Tri. cap. 18

Ironiæ & sarcasmi sacræ scripturæ.

¶ Multæ sunt in scriptura imperatiuę loquutiones quæ ironicè sunt interpretãdę, sicut locus hic, & cum quadam irrisione pronunciari debẽt. Vt est illud sapientis. Lætare iuuenis in adolescentia tua. Et illud Amos. Venite in Bethel: & impiè agite in Galgala: multiplicate præuaricationẽ, & afferte mane victimas vestras tribus diebus decimas vestras. Hoc est. Ter in anno offerte decimas idolis, vt mihi soletis offerre. Et Hieremias in Threnis. Gaude filia Edõ, & lætare quæ habitas in terra Hus. Ad te quoq; perueniet calix. Et dominus per Ioannẽ Iudęis dixit. Soluite templũ hoc. Et ad Iudam. Quod facturus es, fac citius. Hæc & alia plurima loca quę ironicè & irrisoriè dicta sunt, ita veniũt intelligenda. Addam etiã ex propheta Amos loco citato, qui ait, Pręparare te in cursum Dei tui Israel. Acsi diceret: iuxta Diui Hieronymi explanationẽ. Occidisti seruos meos quos ad te miseram, & mittam denique filium meum: tu autem vt moris habes, & cõsuetudinis, præpara te, vt contradicas & aduerseris Deo tuo. Lege de hac re beatum Hieronymum.

Eccle. 11
Amos 4
Thren. 4
Ioan. 2
Ioan. 13
Hier. super Amos c. 4

¶ Ex his patet quàm vehementer viri aliàs eruditissimi decepti sint, propter ignorantiã modi loquendi scripturæ: ita vt in extraneũ & alienũ sensum scripturam detorqueant. Scholastici doctores decepti fuerũt in expositione huius loci ex Amos sumpti, scilicet, Præpara te in occursum Dei tui Israel: aiunt nanque intelligẽdum esse de illa præparatione, quę ad gratiam consequendam exigitur in homine. Sic sentit Sanctus Thomas, & alij in secundo cum de gratia disputant. In similẽ lapsi sunt errorẽ in quarto, exponentes illud Pauli ad Ephesios dicentis, Donec occurramus omnes in virum perfectum in mensurã ætatis plenitudinis Christi. Affirmant enim illo testimonio probari, nos resurrecturos esse in iudiciũ ea ætate, & ea corporis magnitudine, qua Christus resurrexit. Sed genuinus est sensus huius loci. Christus est vnũ corpus, cuius nos sumus mẽbra ac partes illud cõstituẽtes. Hoc corpus quandiu sanctorum numerus nõ fuerit adimpletus, multis mẽbris destituitur. Desunt enim huic corpori oculi: cũ videlicet aliquis vir sanctus eruditione & dignitate præstãs, Ecclesiæ coaptandus est. Desũt illi manus: cũ aliquis vir misericors, nõdũ per gratiã ei est cõiũctus. Desũt pedes, digiti aures, & reliqua mẽbra: cũ aliqui alij viri deficiũt, qui possent augere & perfectũ & absolutũ reddere hoc corpus Christi mysticum. Cùm verò iam omnes per gratiam illi vniuntur, vnum cũ eo efficiũtur, & tunc Christus integer manet. Sic dixit Apostolus, Donec occurramus obuiam Christo, id est, donec sim⁹ perfecti viri, qui possimus exire obuiã Christo, vt vnum cum illo efficiamur in mẽsuram ætatis, id est, vt habeamus iã integrã & adultã ætatẽ, vt Christo possimus vniri, aut Christo addere illa mẽbra, quæ nondũ illi coniũcta sunt. Plenitudinis Christi, id est, vt Christũ adimpleamus, & vt liceat nobis dicere, Omnib⁹ suis mẽbris illũ cõstituamus, quod fiet per cognitionem Dei perfectã: nã subdit statim Apostolus, Ne simus paruuli, &c.

S. Tho. 1. 2. q. 112. art. 2
Ephe. 4

Sed væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentam & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium & charitatem Dei.

Væ, comminatio est in interitum æternũ, qua voluit Christus deterrere pharisæos, vt timore superuenturi mali à peccatis se abstinerent. Aduerte autem, quòd hîc non damnantur decimæ, quod falsò existimant hæretici, sed ostendit charitatẽ esse pręferendã. Nam ex eo quod statim subdit, dicẽs, hæc oportet facere, & illud non omittere, apertè Christus fatetur decimas esse offerendas: sed quòd non omittatur charitas. Pharisæi nanque pauperes expoliabant, vsuram & rapinam exercentes: putabãt tamen se iustos & mũdos esse, si decimas soluerẽt. Hũc errorẽ dãnat, hîc saluator noster, decimas approbando, & charitatẽ suadẽdo. Multi sunt qui pluris faciunt minora, quàm maiora. Sic Abrahã pluris faciebat adulteriũ quàm homicidiũ, atque ideò dixit Sarę, Occidẽt me, & te viuificabũt. Sic Dauid cũ Bersabee adulterio coinquinatus esset, inquirebat an mulier esset sanctificata ab immũditia sua, & nõ inquisiuit, an viro esset copulata cõiugio: ac si maius esset peccatũ coire cum ea, quæ secũdum

Gene. 12
2. Reg. 11

legem erat immunda, quàm cum ea, quæ per côiugium viro erat copulata. Sic Iudæi noluerût ingredi Pilati prætorium, ne côtaminarêtur, sed vt mâducarent Pascha: & nihil faciebant peccatum innocentem Christû occidendo. His multos similes hac nostra tempestate inuenies, qui camelû deglutiunt, culicem excutientes. Inuenies eos obseruantissimos ceremoniarum: cùm pleni sint inuidia, ambitione, & aliis interioribus criminibus.

Ioan. 19

Matth. 23

¶ Aduerte autem quòd decimæ fuerunt constitutæ nô ex lege naturæ, sed ex institutione Dei, qui iussit solui decimas, quando legem dedit: vt patet in Numeris. Inceperût autem primo illo anno cû legem dedit, cùm ab Aegypto discederent: quàuis solutio decimarum nô fuit inchoata illis quadraginta annis, quibus manserunt in deserto: quia tûc nullas legis ceremonias Iudæi obseruabât, sed solùm postquam ingressi sunt terram Canaan vbi secuti vixerût. Quamuis ante legê dederit eas Abraham & Iacob: tamen eas non dabat ex aliqua lege, aut necessitate, sed spontè. In lege autem præcepit dominus quòd Leuitis darêtur decimæ. Causa autem præcipua huius taxationis erat, quia dâdo decimas Leuitis, videbatur Deus tantû victus tribuere cuilibet Leuitæ, quantum cuilibet populari homini: eo quod duodecim erant filij Israël, quorum vnus erat Leui. Et quàuis vna tribus aliquâdo esset minor vel maior propter maiorem copiâ hominum: tamen secundum generalem consideratio nem tribus Leui erat duodecima pars Israel. Ideo si diuiderentur fructus per æquales partes, deberêt omnes fructus totius terrę Israel diuidi in duodecim partes, & vna illarum debebat dari Leuitis, & sic haberêt duodecimam partê fructuum: sed quia ipsi Leuitæ dabant decimam decimæ suæ summo sacerdoti, pars quæ ipsi superat, non erat vndecima pars omnium fructuû terræ Israel, sed erat inter duodecimam & vndecimâ, & sic diuisis fructibus in æquales partes, danda erat Leuitis decima pars. Si autem daretur solùm duodecima aut decimatertia, & ipsi rursus dare deberent decimâ summo sacerdoti, angustus & parcus victus eis superesset: quia non haberêt tantû, quantû quilibet homo Israël diuisis fructib⁹ in ęquales partes: & ideò optima ratione taxata fuit portio fructuû quæ dâda erat Leuitis, vt esset decima. Nûc autem in Ecclesia nô sunt decimæ de iure naturali aut diuino, sed de iure positiuo quo ad cotam: nâ illa lex quo ad ceremonialia & iudicialia cessauit: hoc autê pręceptû non erat morale: quia moralia sunt naturalia, & tamen decimæ non erant de iure naturæ, nec in nouo testamento Christus & eius apostoli aliquid de decimis sunt loquuti. Aduerte autê quòd optimè coniungitur hîc iudicium & charitas: quia iudicium sine charitate in crudelitatem conuertitur: & charitas sine iudicio remittitur, cum iudicio autem in æquitate consistit.

Decimæ quare institutæ & a quo.

Num. 18

Exod. 19

Deut. 12

Gene. 48

Genes. 28

Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

Scilicet præcepta. Pharisæi, ea quæ nullius momenti erant magnifaciebant, Dei verò præcepta non curabant. Vult dominus, vt ipsius præcepta & mandata obseruentur: vt Dauid in Psalmo Domino dixit. Tu mandasti mâdata tua custodiri nimis. Et in Deuteronomio loquens de præceptorum obseruantia Dominus dixit. Ligabis (proculdubio præcepta) in signum in manu tua: & erunt specilla seu ocularia inter oculos tuos.

Psal. 118

Deute. 6

¶ Expende quanti faciat Deus obseruantiâ pręceptorû eius, vt sicut specilla illa voluerit haberi. Qui per specilla seu ocularia videt, mediâtibus ipsis videt. Sic dominus statuit, vt nihil videas ad côcupiscendum, nisi ipsius mandata pręceperint: & illud bonû appelles, quod diuina lex bonum iudicat, & idem de malo. Tunc (ait Dauid) nô confundar, cùm prospexero in omnibus mandatis tuis: & côsilium meum iustificationes tuæ. Similiter iubet vt eisdem manus tuæ deuinciantur, vt quocunque ieris intelligas Dei præcepto esse ligatum. Psal. 118

Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro.

Cùm tamen scriptum sit. Noli quærere ab homine ducatum, neque à rege cathedram honoris. Et aduerte quòd nô dicit. Qui habetis cathedras, sed qui diligitis primas cathedras: quia non est vituperandum, quòd aliquis sit magister, episcopus, aut primus in honore & dignitate: sed hæc appetere & quærere, hoc est vituperio dignum. Vnde per Matthæû non ait, Nolite esse rabbi: sed nolite vocari rabbi. Et Iacobus, Nolite plures magistri fieri. Vbi voluntatem, ambitione plenam damnat: non ipsos magistratus aut honores. Eccl. 7 Matth. 23 Iacob. 3

Væ vobis quia estis vt monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes supra, nesciunt.

Per sepulchra non apparentia describit sepulchra terra coopertæ & lapidibus marmoreis: vt videmus aliquando in cimeteriis Ecclesiarû, in quibus multi pauperes sepulti sunt. Et hûc esse literalem sensum constat ex eo, quòd dixit, scilicet, Et homines ambulâtes supra nesciût. Et similes esse dicit Christus pharisæos, scribas & hypocritas talibus sepulchris nô apparêtibus: qui tales in rei veritate sunt vasa fœtida, sicut sepulchra mortuorum. Sed corâ hominibus corû fœtor nô apparet: latet enim homines hos intus plenos esse vitiis, quę si ab hominibus cognoscerêtur, nullû cû eis colloquiû haberêt.

Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi, Magister hæc dicens contumeliam etiam nobis facis.

Dicens hæc côtra pharisæos, etiam nobis iniuriam infers, & honori nostro & statui derogas. Doctor hic hæc fuit loquutus, quia Christus pharisæos arguebat, eò quòd primas cathedras cupiebant in synagogis. Fuerunt autê inter Iudæos cathedræ doctorum, iudicum & pôtificum. Cathedra doctorû legisperitis dabatur: qui erant scribæ & doctores. Vbi hic legisperitus correctionem culpę, contumeliam sibi illatam iudicat. Castigatio nâq; quæ humiles & synceros corde meliores efficit, superbis hominibus intolerabile iugum videtur: nam cùm mali conscij sibi sint suorum peccatorum, semper existimant omnem parabolam de se dici.

At ille ait. Et vobis legisperitis væ, Quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. Quemadmodum diuus Hieronymus annotat, onus nunquam in scriptura refertur, nisi cùm illud quod sequitur, aliquid graue est, & plenum laboris. Inter duodecim prophetas minores quatuor scribunt onus, seu pondus. Et Zacharias in medio & prope finê duos sic inscribit titulos. Ita etiâ in psalmo de peccatorû pondere ait Dauid. Sicut onus graue grauatę sunt super me. Aliquâdo etiâ in bonâ partê sumitur: vt cû Christus dixit. Onus meum leue: tûc enim Christus de suauitate legis Euangelicæ loquebatur. Hîc autem in malam partê sumitur onus, quia isti rudem populum

Hieron. in proœmio Abacuc.

Psalm. 37

Matth. 11

lum multis hisque grauibus & onerosis præceptis, & legibus onerabãt,cùm ipsi essent filij Belial,hoc est,absque iugo & obedientia pro libito viuentes.

Scribæ & pharisæi hodierni. ¶ Sed aliquos hac nostra tempestate inuenies prælatos similes his scribis,subditos onerãtes multis præceptis & legibus: à quibus omnibus ipsi se facilè explicant. Vexant subditos tot excommunicationibus & censuris,ligant animas,& tanta præcepta multiplicant:vt videatur lex Mosi iterum suscitata:at ipsi lautè & opiparè viuũt, & ad omnia vitia laxis habenis currũt. Et si aliquãdo subditi in minimo delinquũt,leges positæ & statutæ crucem illis parant,superbè loquuntur,& pœnas grauissimas minantur:ita vt vix possis eos pastores & custodes iudicare,sed superbissimos tyrannos. Nõ sic apostoli,qui cùm pleni essent Spiritu sancto scribẽtes Ecclesiæ,quæ erat Antiochiæ dixerunt. Visum
Act.15 est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris,quàm hæc necessaria. Sed iam Christum audiamus.

Væ vobis,qui ædificatis monumenta prophetarum:patres autem vestri occiderunt illos.

Aedificare & ornare sepulchra prophetarum,si consideretur quatenus fit zelo religionis,opus est laude dignum:sed si consideratur, vt est cõsummatio operis circa mortuos,sic est actus consummationis occisionis,priùs nanque occidũt, & deinde sepeliunt. Ex eo autem quod patres occiderunt, & illi sepelierunt,perficiunt opere(quamuis non intentione)quod parentes inceperũt. Non religioso animo sed hypocrisi ornabant pharisæi sepulchra prophetarum,vt ostenderent, se odire & execrari crimina parentum suorũ cõtra prophetas:& tamẽ persequebantur Iesum caput omnium prophetarum,illum crucifixerũt,maiores iniquitates in cumulum congerentes. Et ideo rectè alibi addidit.
Matth.23 Implete mensuram patrum vestrorum.

¶ Prætereà in hac re multos habent pharisæi imitatores. Respondeas obsecro:nonnè hi qui in peccatis sunt,& qui sanctorum reliquias serico & auro concludunt,& suspensas ex collo portantes, dominum in corde suo occidẽtes,& fratrum suorum sanguini insidiantes, nonnè inquam isti tales ædificãt & ornant monumenta prophetarum? Idẽ etiã faciunt,qui basilicas & monasteria construunt in honorem sanctorum,cùm ipsi peruersi peccatores sint. Hoc etiam faciũt mali prædicatores. Cum enim exornant sanctorum dicta & facta(quæ horũ sunt monumenta) nonnè tibi videntur exornasse monumenta prophetarũ? Denique omnis,qui peccatum mortale committit,nõ phophetæ,aut iusto, sed Deo ipsi ædificat sepulchrũ. Quemadmodum qui iustus esse cupit, parat templum Christo animam suam,& sedem vbi requiescat:ita qui peccatũ patrat,sepulchrum adornat,in quo Christum sepelit per obliuionem:idque maximè facit, si in peccato diu perstiterit.

Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrũ vestrorum: quandoquidem ipsi eos occiderunt,vos autem ædificatis sepulchra eorum. Certè aduersus vos testificamini,nõ verbis,sed ipsis factis:quòd similes estis patribus vestris in exemplo impietatis. Et cùm ita sitis mali,tamen eorum sepulchra ædificatis,ad captandũ vulgi fauorem & opinionẽ,vt videamini iusti,& quòd detestamini crimina patrũ vestrorũ. Sed profectò multo maiori impietate persequimini me,meosque discipulos,quã patres vestri persequuti sunt prophetas. *Propterea & sapiẽtia Dei dixit.*

Hoc est,ego Christus qui sum virtus & sapientia Dei Patris,ab æterno dicere decreui,& nunc dico quod per Prophetas prædixit. *1.Cor.1*

Mittam ad illos prophetas & apostolos, & ex illis occident & persequentur: vt inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi a generatione ista.

Aduerte quòd quãuis Lucas dicat hic vt inquiratur sanguis omnium prophetarum, & Matthæus dicat:Vt veniat super vos omnis sanguis iustus:sensum eũdem esse:scilicet quòd sumatur de illis vindicta propter effusionẽ sanguinis,& hoc est,quod Christus significare voluit. Euangelistę etiam eãdẽ conceperunt sententiam:sed non eodem modo se explicarunt. Nam hoc est munus pertinens ad Spiritum sanctum,inspirare scilicet euangelistis,vt nõ eisdem verbis easdem sententias proferrẽt,vt maior esset suspicio quòd multis ambagibus verborũ veritatem curabant: sed conspirauerant, vt idem omnino dicerẽt. Etiam de testibus non benè suspicatur,cum omnes omnino eadem verba referunt: carent nanque tũc suspicione cũ eandẽ sententiã, non eisdẽ verbis proferunt. Itẽ Lucas dixit Requiretur sanguis prophetarũ, & Matthæus,requiretur sanguis iustorũ. Vbi nulla est cõtradictio,quia multoties scriptura prophetã pro iusto accipit. Sic habetur in Genesi,Deũ dixisse Abimelech regi Geraræ. Redde vxorẽ viro suo:quia propheta est,& ipse orabit pro te,& viues. Esse prophetã,nõ est legitima causa,vt oratio exaudiatur,quia aliqui prophetæ sunt mali:causa quare aliquis exauditur, ipsius orantis iustitia est. Abraham exaudiẽdus erat,quia iustus erat: quapropter propheta ibi pro iusto accipitur. Igitur sanguis prophetarum siue iustorum veniet super Iudæos, quia patientur pœnam pro omnibus iustis,qui occisi sunt, ac si ab eis occiderentur. Et est hic modus loquendi hebraicus. Sic enim dixerunt Iudæi. Sanguis eius super nos, & super filios nostros:si aliquis venturus est. Sic Dauid ad adolescentem Amalechitam, quem occidi iussit. Sãguis eius super caput tuum,os enim tuum loquutum est dicens,Ego interfeci Christum Domini. Hoc est,pœna pro effusione sanguinis tui nõ veniat super aliũ:nisi super te: quia tu cũ loquutus sis cõtra teipsum,dignus es hac pœna. Ideo ait, Vt inquiratur à generatione ista. Inquirere sanguinẽ ab aliquo,est punire ipsum pro peccato occisionis. Requiretur autem à generatione hac, quia nũquã legitur,gentiles aliquem prophetam occidisse, sed potius magna cũ reuerẽtia ipsos honorasse. Chaldæi honorarũt Hieremiam, quem persequuti sunt Iudæi. Benadab. Elisæũ honore affecit:& Niniuitæ Ionam. Vide etiam quod dicit: inquiretur sanguis omnium prophetarum. Quomodo fieri potest, vt omnis sanguis prophetarũ veniat super hos? quia maiori pœna punientur,quàm patres sui:nam post tanta exempla proposita non sunt emendati. Sic Lamech maiori supplicio est affectus,quàm Cain, quia noluit corrigi cũ sententia & pœna Cain. Disce tu,qui pauperes expolias, & inopes persequeris,& opprimis innocentem, quàm asperum & rigidum, si talia feceris, tibi immineat supplicium. Deus nanque vltor est iniuriam innocentiũ. Clamat sanguis pauperũ petẽs iustitiam,& ipsius officium implorãs corã Deo,nõ minus quàm sanguis Abel. Sic Rubẽ dixit in Aegypto fratrib[9] suis,Nũ-

Matth.23 Iudæi occidũt prophetas, sed paganiores venerantur.

Luc 13 Matth.23

Genes.20

Matth.27 2.Reg.1

4.Reg.25

4.Reg.8 Ioan.3 Vide Bedam in cap.11. Luc ca.5.10.5 Genes.4

quid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & Genes. 42 non audistis me? En sanguis eius inquiritur.

A sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ: qui periit inter altare & ædem.

Propter duas causas hos duos potiùs quàm alios nominat, quia hi sũt alter prior, alter verò vltimus: quos scriptura refert pro religione esse interfectos. Vide Bedam pag. praeced. 11. Quamuis alij multi fuerint interfecti à Manasse rege Iuda, vt Esaias, & alij post hũc Zachariã filium Ioiadæ sacerdotis, & Hieremias dicatur posteà obrutus lapidibus à Iudæis in Aegypto: autentica tamẽ scriptura nullum nominat specialiter pro religione post Zachariam filium Ioiadæ. Deinde nominauit hos duos, quia hos duos solos legimus petiisse vindictam. Genes. 4 De Abel ait scriptura. Sanguis fratris tui clamat ad me de terra. Zacharias autem filius Barachię vel Ioiadę summi sacerdotis cùm occideretur à Ioa Rege Iuda, 2.Paral.24 dixit, Videat Dominus, & iudicet. Dicit autẽ de hoc Zacharia, periisse inter altare & ædem, quia occissus est in templo Salomonis, quod templum sic constructum & dispositum erat. Erat quædam domus nimis alta, clausa parietibus: & hæc vocabatur templũ, in quod non intrabant nisi sacerdotes, vt imponerẽt thura quotidie mane & vesperi in altare thymiamatum: & vt lucernas componerent, & semel in anno summus Hebræ.9 sacerdos sancta sanctorum ingrediebatur. Exterius erat quidam murus lapideus profundas habẽs portas quatuor ventis cõtrarias, & erat in modum fortalitij & intra hunc murũ erat altare holocaustorum, in quo cremabantur omnia sacrificia, ob quam causam nullo tecto cooperiebatur propter magnitudinẽ ignis & fumi: & sic nõ erat in domo illa, quæ vocabatur templũ, sed foris, intra murum tamen dictum: & erat contra portam templi, quæ erat vnica ad partem Oriẽtalem templi, licet murus exterior, vt dictũ est, habebat quatuor portas. Intra hunc murum ingrediebatur totus populus Iudæorum ad orandum, & ad audiẽdum doctrinã legis, vbi Christus sæpiùs prædicauit. Inter altare autem holocaustorum supradictum & portam tẽpli erat spacium quoddam medium, quod vocatur porticus à porta templi, & vocatur interdum porticus Salomonis. In hoc spacio vel porticu occisus Ioan.10 est Zacharias: & ita dicitur occisus inter altare & Matth.23 ædem, hoc est, templum, vt Matthæus dicit. Quem occidistis inter templum & altare. Porticus enim erat inter templum & altare: quia erat altare scilicet holocaustorum à parte Orientis, & porta templi à parte Occidentis: & porticus siue spacium illud in medio. Et in illo spacio erat rex Ioas & populus quando Zacharias ex parte Dei arguit populum, & ibi mandato regis lapidauerunt eum. Nam loca illa benè intrabãt laici: quia Christus qui erat laicus, scilicet ex tribu Iuda, de qua nullus ministra Hebræ.7 bat altari, vt inquit Apostolus: cùm sæpius maneret in illa porticu, Iudæi voluerũt lapidare eum, sicut olim patres eorum Zachariam, & ideo bene dicit, quòd lapidauerunt Zachariam, & illum occiderũt inter templum & altare, vel vt Lucas ait, inter altare & ædem. Templi acceptiones. Templum itaque accipitur dupliciter, aliquando strictè & tunc vocatur templum domus illa, quæ erat clausa parietibus, porta, & tecto, quã soli sacerdotes ingrediebantur. Alio modo accipitur templum largè pro toto illo spacio sacro clauso muro, in quo erat altare holocaustorum. Accipiendo primo modo templum, non fuit Zacharias occisus in templo, sed extra templum & inter templum & altare: & sic hîc accipitur templum strictè. Accipiendo secundo modo templum est dicendũ, occisum fuisse in templo: & in hoc secundo modo accipit Ioannes templum cum dicit. Ambulabat Ioan.10 Iesus in templo, in porticu Salomonis. Et tamẽ accipiendo primo modo templum, nunquam Christus ibi intrauit, neque Iudæi laici: sed soli sacerdotes.

Ita dico vobis requiretur ab hac generatione.

Primò quia maiori pœna Deus in illos animaduerteret, quàm in parentes suos: quia post tot exempla in saniorem mentem non redierunt. Secundò non loquebatur Christus his Iudæis, tãquam particularibus hominibus, sed vt erãt populus Iudęorum, quæ gens non erat noua, sed ortum & originem trahebat à principio mundi. Timenda valdè sunt Dei iudicia & punitiones: nã quamuis aliquãdo taceat, dissimulet, & patienter expectet, mihi credas, vel sero, vel citò te soluturum esse pœnas mali, quod feceris. 3.Reg.21 Sparserũt Iezabel & Achab sanguinem innocentis Naboth, eius autem Deus vindictam cum fœnore sumpsit, quandoquidẽ in eodem loco quo iniustè fuit interfectus Naboth, ibi canes Achab sanguinẽ imbiberũt. 3.Reg.22 Et quia sanguis prophetarum Dei dispersus fuit, canes ipsam Iezabel comederunt. Et Iehu destruxit omnem domũ Achab interficẽs suos septuaginta filios & omnes 4.Reg.9.& 10 posteros suos, & omnis sanguis domus Achab dispersus fuit in pœnam sanguinis prophetarũ. Noti etiam sunt labores, quos intulit Deus Dauidi propter sanguinem innocentem Vriæ. 2.Reg.11 De Ioa autem rege qui Zachariam interfecit, ait scriptura, post ærumnas maximas quas passus est, surrexisse seruos eius, & occidisse illum in vltionem sanguinis Zacharię filij Ioiadę sacerdotis. Et isti Iudæi quibus Christus dicit, quòd requiretur sanguis omnium prophetarũ ab eis, quẽ putas habuerunt exitũ? 2.Par.24 Ciuitas eis dilectissima Hierusalem solo fuit æquata, & omnis terra destructa, ipsi verò interfecti sunt gladio, & fame, & omnes filij eorũ venditi sunt, & omnis posteritas eorum fuit exul à patria, & facti sunt omnes in derisum & opprobriũ cunctis gentibus: nã cũ iustos persequerẽtur, sibi ipsis potiùs, malũ parabant. *Væ vobis legis peritis qui tulistis clauẽ scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.*

Clauis scientiæ quæ. Per clauem intelligit Christus scientiam reconditam legis & prophetarum. Clauis enim scientiæ metaphoricè est eruditio, & scientia aperiens sensum legis & prophetarũ. Hoc fecerunt legis periti introducentes mandata & præcepta hominũ, & nõ docentes ea, quæ legis & prophetarum sunt: iuxta illud Ieremiæ. Ierem.8 Verè mẽdacium operatus est stylus mendax scribarum. Prohibebant autem eos, qui introibant: qui parati erant per fidẽ, hos eiiciebant, & persequebantur, quia stabilierant Iudæi inter se, vt si quis Christum confiteretur, is extra synagogam fieret. Ioan.9

¶ Hoc & nostra tempestate aliqui doctores & prædicatores verbi Dei faciunt, cùm conciones & prædicationes, quas ad populum habent, in fabellas & humanas leges, in poëtas & philosophos conuertunt.

¶ Expende etiam quanta sit humana malitia: Abusus donorum Dei damnabilis. nihil enim est, quod in malũ non conuertat. Sciẽtia, quæ ad cognoscendum Deum statuta est, & vt

eius

eius cognitio nos ducat in ipsius dilectionem in peccatum conuertunt: & lumine & luce scientiæ
Gen.6 eos excæcant, quos illuminare debuissent. Sic gigantes illi vires quas dominus dederat ad colendum terram, & adiuuandum homines, in hominum opprobrium conuertunt: Nihil enim deteriùs aut inclementiùs in homine inueniri potest, quàm vt id, quod ad agendum bonum donauit, in malum perpetrandum exerceat. Hoc Christus Saluator noster obseruare voluit, vt potestatem, quã habebat nunquam voluerit in mala cõuertere, nec curiosa speculari. Nam cum discipuli eius voluissent aduersus Samaritanos irasci, iram eorum
Luc 9 frænauit, dicens, Nescitis cuius spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere sed saluare. San-
Psal.58 ctus etiam Dauid à Deo edoctus dixit, Fortitudinẽ meam ad te custodi. Ac si diceret. Quanuis potens sim, nolo nisi in seruitium tuum fortitudinẽ meam ostendere. Grande idque graue malum est, quãdo
Psalm.48 Deum offendis iis rebus quibus honorare illũ potius deberes. Et vt videas quomodo abyssus abyssum inuocat, vtque ij, qui in peccato sunt, in alia maiora & grauiora descendunt, ita vt obstinati & indurati efficiantur: attende quid de hisce legis peritis, & pharisæis dicat Euangelista.

Cùm hæc ad illos diceret, cœperunt pharisæi, & legis periti grauiter insistere, & os eius opprimere, de multis insidiantes ei, & quærentes aliquid capere ex ore eius vt accusarent eum.

Correctio magnatibus plus inuisa quàm vulgo. Illi qui videbantur alios antecellere in vita, vt Pharisæi, vel in scientia, vt legis periti, difficulter correctionem sustinent. Sicut Iudæi rixantes qui
Exod.2 correctionem Mosi nõ valuerunt sustinere, sed dixerunt. Quis te constituit iudicem super nos? Semper paratior est & aptior gens popularis ad quamcunque correctionem, quam literati & potentes. Veritas nanque similis est aquę benedictæ: nam diuites & nobiles cùm asperguntur in ecclesia aqua, faciem tegunt & oculos claudunt: at verò rustici & populares ambabus manibus eam accipiũt & detecta facie. Sic correctiones nolũt magnates & diuites substinere, sed blãdè & delicatè: qui aliàs grauiter irascuntur. At populus meliùs eas accipit. Nã si concione clericos castigaueris & reprehenderis, nullum alium fructum percipies, nisi quẽ Christus in his fecit: qui furore & ira perciti aduersus Chri-
Eccles.19 stum irascũtur. Vnde in Ecclesiastico dicitur. Sicut sagitta infixa fœmori canis, sic verbũ in ore stulti. Verbum correctionis sic pũgit sicut sagitta: & sicut canis sagitta percussus sagittã mordet & latrat, sic stultus correctus vel reprehensus, contra verbum correctionis murmurat. Gemma, quam appellant Chalaziam, quanuis iniiciatur in ignem, tamen natiuum frigus retinet: sic Iudæi multis moniti miraculis & correctionibus, in suis flagitiis perseuera-
Prouer.15 bant, non enim amat pestilens eum, qui illum corripit.

¶ Obserua autem quod non receperunt isti doctrinam Christi quamuis sapientes essent: quia vas ad fundendum liquorem triplici ratione non fit aptum.

Primò quia plenũ est aliquo liquore, & re solida. Ideo isti quia repleti erant iniquitate non poterãt
Psal.57 Christi doctrinã recipere. Supercecidit ignis vt nõ viderẽt solẽ. Sic modo multi literati pleni sunt cupiditate, & ambitione, vt nihil boni recipiant: quia pleni erãt isti diabolo, & ideo Christi doctrinã non capiebant, imò illa doctrina quã ibi deposuerat Christus, contra Deũ iuuabant diabolũ. Sicut si aliquis traderet alicui nobili castra plena machinis & armis, & ille traderet castra in potestatem inimici Regis: tunc inimicus Regis magis fortis efficeretur contra regem illis machinis & armis.

¶ Secundò quando vel est vas clausum vel conuersum. Isti verò propter odium quod aduersus Christum conceperant claudebant aures cordis doctrinæ ipsius: tantummodo apeciẽtes aures corporis ad contradicendum. Ideo in Psalmo, Posuit Psal.104
pluuias eorum grandinem, &c. Pluuiæ sunt doctrinæ bonæ, quæ in grandinem conuertuntur dũ vir eruditus eis abutitur: tũc enim bonos fructus suffocat, quando id, quod bonum est frigiditate mentis induratę ad defendendum malum, conuertunt. Sicut grãdo pluuia est, quæ contra calorem magis fortis efficitur & induratur, & sata, quæ tangit destruit.

¶ Tertiò quando vas nimis distat ab eo, qui liquorem debet infundere: qui deuiat à principio, quantò plùs itineris peregerit, tantò magis deuiat à fine. Cùm igitur Deus sit principiũ & finis omnium, quia isti deuiabãt à principio, quod debebat eos replere, sequitur quod ab eo minimè repleti sunt. Cauẽdum igitur nobis est ab hac obstinatione & impietate, sed aures nostras aperiamus audituri Christi increpationes, abiiciẽtes à corde amorem sæculi, & accedentes ad illum: vt vel sic mereamur æternam beatitudinem cõsequi: & perpetuis sponsi colloquiis perfrui cum sanctis angelis & iustis. Amen.

CAPVT XII.

MEDIA illa, modos & viam, quæ mali sibi assumunt, vt famã, gloriam & honorẽ bonorum destruant: hæc eadem Deus eligit vt eorum gloriam, dignitatem & honorem magis extollat, laudet, & summis encomiis efferat. Filij Genes.37
Iacob ob inuidiam, quam de fratre conceperant, decreuerunt eundem vẽdere in Aegypto vt vel sic eum non adorarent: quam eandem viam dominus sibi statuit, vt Iosephum magnum & excellentem Genes.41
efficeret in regno Aegypti, ita vt omnes eũ laudarent, venerarentur, & suspicerent, tãquam propriũ dominũ. Sic contigit pharisæis & scribis, qui mortali odio Christum dominum persequebãtur, qui pleni inuidia, quę bona aliorum ferre nõ valet, volebant populũ à Christo seducere. Sed cùm ipsi diligentiùs honorem curabant, tantò maiori cõcursu & plausu populus ad Christum accedebat. Nam cùm tẽporibus Noë aquæ tumidis fluctibus cœlũ vsque attingebant, tantò arca Dei in altum eleua- Gen. 8
batur: & quantò maioribus persecutionibus Pharao in Aegypto populum Israel molestabat, tantò Exod.1
in dies populus augebatur & multiplicabatur. Sic nimirum cùm pharisæi & Scribæ magis curabant Dei gloriam & laudem obscurare, tanto eius famam & nomen altis pręconiis omnes declarabãt. Vidimus in fine capitis præcedẽtis, quomodo pharisæi & legisperiti vehementiùs insistebãt, vt Christum insidiis accusarẽt. Vt videas quomodo Deus malorum opera in contrariam partem detorqueat & pharisæorum astutiam nihil valere, vt laudem Christi & concursum ad eum venientium possent impedire, audi quid nunc dicat Euangelista.

Multis autem turbis concurrentibus, ita vt se inuicem conculcarent: cœpit dicere ad discipulos suos.

Tantum

Tátum abest, vt műdi ingenium aduersus Christum & iustos aliquid valeat, vt quibus viis & modis laudem & honorem cupiat ipsis arripere, eisdem magis ac magis panditur & manifestatur. Quid profuerunt insidiæ Aman aduersus populum Dei? Et quid calumniæ Iudæorum aduersus Christum? Tentabant pharisæi & scribæ ipsum in sermone & verbis illaqueare, vt turbas ab eo auerterent: sed res multo aliter euenit, quia maiori impetu turbæ ferebantur in Deum. Suo gladio sunt occisi, sicut Abimelech filius Gedeon, & velut Goliath Philistæus, & Holofernes, Saul & Aman, qui digno suæ iniquitatis supplicio suspensus est cruce, quam parauerat Mardochæo.

Hesther. 3 *Iudi. 9* *2. Reg. 17* *Iudi. 15* *1. Reg. 31* *Hesther. 7*

Serio Deus quærendus, nam tepidi nō inueniunt eū.

¶ Vide autem huius populi feruentem in Christum deuotionem. Sic enim concurrebant, vt se inuicem conculcarent, & alij aliis essent impedimēto. Ita Deus feruenti animo quærendus est à nobis: nā dona Dei si tepidè & remissè cupiātur, ob eandē hanc causam homo indignus ipsis efficitur. Nā si in volūtate tua & animo sederet velle mihi pretiosissimum lapidem offerre, videresque me illud donum paruipēdere, sine dubio manus à tali liberalitate abstineres. Sed potius alteri homini illum tribueres, qui vt æquum esset, digno valore & æstimatione eum haberet. Ita nimirum ob nimiam frigiditatē & remissionem qua dona Dei accipimus, eorum indigni efficimur. Qui hāc ignauiam & vecordiam à se longè non relegauerit, nimia semper paupertate & egestate spirituali laborabit. Et solū si hoc vellet homo rectè intelligere, vt alacris & lętus viueret, hanc ignauiam & frigiditatem à se deberet propellere. Nam si in terra dies aliquis bonus est & lætus, is solus habet qui feruenti animo Deo deseruit, & suis mandatis paret. Huic soli res aduersæ prosperè succedunt, & huic soli onera illa quæ nimis grauia & ponderosa aliis videntur facilia & leuia ipse iudicat. Sed de his aliàs.

¶ Itaque cùm turbæ istæ sic feruenter & magno impetu ad Deū concurrerent: cœpit discipulis suis dicere, tum quia magis capaces erant, tum quia futuri erant aliorum doctores.

Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis

Hypocrisis quare fermento assimuletur.

Erant discipuli inclinati in pharisæorū doctrinam, qui religiosi inter eos habebātur: quā Christus vult vt fugiant, quia de exteriori mūditia cura erat eis, non autem de interiori sanctitate. Honorem humanum ambiebant, omnia propter hominum laudem efficere desiderabāt, & primas sedes in cœnis, & primas cathedras in synagogis diligēter curabant, & vocari volebant ab omnibus Rabbini. Hoc vitio specialiter laborabant hi, quocirca toties Christus de hypocrisi eos arguit. Omnis enim homo suum vitium habet particulare, quod vt interficiat, maximè est illi laborandum. Hoc debet vnusquisque in se examinare, & cognito quod sit, neruos & vires addere, vt illud superare valeat. Fermentum igitur pharisæorum est, malos esse, & bonos videri quod ad hypocrisim pertinet. Vocatur autem fermentum. Primò quia vt Paulus ait, modicum fermentum totam massam corrumpit. Sic appetitus humanæ laudis totum perdit bonum, & meritum operis tollit: atque omnia bona opera corrumpit. Vnde omnia opera hypocritæ sunt velut falsa moneta, quæ intus ferrea, exterius verò deaurata est. Et sunt velut poma, quæ inueniuntur in arboribus, quæ sunt prope mare mortuum: quæ cùm pulchra videantur, si ea abscindas, fauillas inuenies. Vidētur opera eorum meritoria esse, sed in futurum erūt digna igne ęterno. Vix intelligi potest quomodo hoc peccatum hominum occidat. Vnde hypocritæ videntur viuere, cùm anima eorum mortua sit. Sicut ille, de quo in Apocalypsi habetur. Nomē habes quod viuas & mortuus es. Secundò fermentum appellat hypocrisim pharisæorum, eò quod latens, virtutem habet eleuandi ad similitudinem fermenti. Modicum quippè fermentum eleuat totam massam, nam pharisæi sub specie religionis inflati erant, auaritiæ studentes. Hic est mos hypocritarū vt velint magni aliis apparere, cùm in rei veritate parui & miseri sint. Ideo assimilātur struthioni de quo Iob dixit. Pēna struthionis similis est herodij & accipitris. Accipiter & herodius sua velocitate reliquas aues superant: struthionis autem pennæ similitudinem illorum habent, sed volatus eorum nō habent. A terra eleuari non valet, & alas quasi ad volādum erigit: sed nunquam volando à terra elongatur. Ita sunt hypocritæ qui bonum simulant, & apparentiam sanctitatis habent: sed vitiorum pondere grauati nullatenus à terra subleuantur. Sic erant pharisæi qui cùm pleni essent vitiis, & auaritia, superbia & ambitione imbuti, optabant boni aliis apparere. Sed Deus cùm veritatem diligat, talem exteriorem similitudinem non vult. Et vt hoc insinuaret præcipiebat in Leuitico, vt animal detracta pelle immolaretur, & membra igne comburerentur. Exterior simulatio vult, vt auferatur, & quod interiùs igne charitatis exardescas. Ideo ait. Fili præbe mihi cor tuum. Ea enim differentia, quæ est inter naturam & artem, est inter veram & falsam virtutē. Vt enim natura in hominis generatione incipit à corde, & posteà ad exteriora se conuertit: sic vera virtus incipit ab animo, eumque exornat & posteà in exterioribus splendet: ars verò non curat interiora sed exteriora. Pictores nanque & statuarij cùm imaginem depingunt, non interiora faciūt: vt est cor, viscere, & iecur, nec alia huiusmodi: sed tātum externa, vt oculos, nares & similia. Sic falsa & ficta virtus non curat de interiori animi ornatu & munditia, sed externa tantum quærit, vt omnibus placeat, & illis bona appareat. Quàm verò malum hoc sit bene Christus ostendit, cū non obiter & velut in trāscursu, sed tam efficaciter dixerit. Attendite, cauete inquam & diligēter videte ne hypocritæ sitis. Maximum hoc malum est, & facilius decipit aperta, & cognita ipsius iniquitate, quoniā sub imagine virtutis delitescit. In mari nāque peiores sunt scopuli, qui aqua cooperti tristem interitum nauigantibus parant, quàm rupes eminentes, quas nautæ facilè vitare possunt. Sic hypocritæ quorum vitium latet & non videntur, quia abscondūtur sub specie virtutis, multo magis occultantur, quàm peccatores manifesti: caues enim ab eo, quem iniquum & peruersum nosti, non tamen ab eo, qui lupus est, latēs sub pelle ouina. Vt in pharmacopolæ officina sunt aliqua vasa literis designātibus aliquod medicamentū salubre ibi esse inclusum, cū tamē reuera, nihil nisi toxicū contineant: sic hypocritæ foris fingūt se virtute esse præditos, cū interius nefariis sceleribus sint imbuti. Et vt Pauli verbis vtar, repleti sunt omni iniquitate, fornicatione, malitia, auaritia, nequitia, &c. Ideo hypocrisis iuxta Chrysologi descri

Matth. 23 *2. Cor. 5* *Apocal. 3* *Iob. 39* *Leuit. 1* *Prouerb. 23*

Hypocrisis quid. descriptionem est subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, & tinea sanctitatis. Vt vmbrosum & opacum nemus, quod prima facie amœnum & deliciis plenum apparet, quòdque oculos, virentium plantarum varietate delectat & pascit, ita vt voluptatis causa videatur comparatum, cùm intus plenum sit serpētibus venenosis, lupis & aliis feris: hic hypocrita cùm foris sanctus appareat, oculos oblectat ipsum conspicientes, sed intus latet superbia, auaritia, cæteraque scelera, velut in nemore immanes bestię: tunc aperiūt, quales ipsi sint. Nam sicut riuuli qui producti ex pluuia, & ex aliqua parua terræ humiditate, solummodo in tempore hyemali fluunt, sed in vere solis
Matth. 7 calore exsiccantur & steriles fiunt: sic hypocritæ suas virtutes ostendunt in prosperitate, veniente autem afflictionis æstu desiccātur & arescunt. Ideo Christus de his dixit, esse lupos veniētes sub pellibus ouinis. Assimilātur hypocritæ lupis venientibus sub pelle ouina. Differentia, quę est inter pellē ouis viuæ & inter eam, quam lupus indutā habet hæc est: quod ea, qua ouis viua cooperitur, dū magis scinditur & tondetur, magis ac magis crescit, quod idē si fiat ei, quam induit lupus, deperditur & destruitur: sic bonus dum maiores persequutiones & calamitates illi aduenerint, in virtutū exercitio magis crescit & augetur: sed impius hypocrita in tribulatione statim ostenditur quàm falsa, & fallax sit ipsius virtus.

Duplex veritas & duplex mendacium, vitæ & doctrinæ. ¶ Obserua autem quod sicut est duplex veritas, vitæ scilicet & doctrinæ, sic etiam est duplex mendacium seu fictio hypocritarum, nempe falsitas vitæ, & falsitas doctrinæ, sic multi hęretici sunt hypocritæ in doctrina, qui sub nomine Christi, & sub specie religionis & fuco, & verbis adulatoriis populū simplicē decipiunt. Pharisæi hanc duplicem hypocrisim habebant, scilicet morū & doctrinæ: quapropter de vtraque hypocrisi hoc Christi dictū intelligi potest. De falsitate doctrinę eos arguit Christus sæpè. Docebant enim populū sub specie adorationis & diuini cultus, vt ea, quæ patribus in-
Matth. 15 digentibus erant daturi, offerrent in templo Deo, & sic adimplerent Dei præceptum de parentibus honorandis. Ideò cùm Christus hāc falsam doctrinam reprehēderet, vocauit illos hypocritas, & dixit eis, Deus dixit, Honora patrem tuū & matrem tuam, vos autem dicitis, munus quodcūque est ex me, &c. Propterea quia Deus dixit. Diliges amicū tuum, ipsi à contrario sensu falsè argumētati sunt, ergo inimici sunt odio habendi, & sic docebāt inimicos odio esse prosequendos. Duplex itaque erat fermētum pharisæorum, vnū simulatio vitæ, quod efficiebat hypocrisis, & aliud peruersio doctrinæ, quod faciebat cupiditas siue curiositas. Hoc dupli-
Osee 7 ci fermento corrupta erat synagoga, secundum illud. Quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum. Quocirca diuus Paulus. Non epulemur in fermento malitiæ
1. Cor. 5 quantum ad peruersam doctrinā, & nequitiæ quātum ad simulatam iustitiam. Sed in azymis synceritatis quo ad vitā, & veritatis quo ad doctrinam.
Matth. 16 Apertè Christus loquutus est de falsa doctrina sub nomine fermenti, cùm per Matthæum dixit. Caue te à fermento Pharisæorum & Sadducæorum. Et non dixit, vt cauerent à fermento panum, sed à doctrina. Sed nonne Christus alibi dixit, quod super
Matth. 23 cathedram Mosi sederunt scribæ & pharisæi, quæ dixerint vobis facere, facite? Cùm bona docebāt, hoc est, ea quæ Moses prædixerat, & docuerat, audiendi erant. Nam cùm boni quidpiam impij doceant, auferendum est ab his, tanquàm ab indignis possessoribus, & designandum ad cultum Dei & salutem animarum. Ideo populus Israël abstulit ab Exod. 3 Aegyptiis vasa aurea, quibus tabernaculum & sancta sanctorum adornarūt, ita à poëtis, philosophis, Exod. 12 & ethnicis tanquam ab Aegyptiis auferēdum est, quidquid boni dixerunt, & cū eo sacræ scripturæ debent potiùs adornari, & id Deo est dicandū. Sic Paul⁹ in priori epistola ad Corinthios inquit, quòd corrumpunt bonos mores colloquia praua: quod 1. Cor. 15 ex Menandro sumptum est. Et ad Titum scribens dixit, Cretenses malæ bestiæ. Hoc Epimenides di- Tit. 1 xit. Et in Actis adducit Aratum Poëtam dicentem, In quo viuimus, mouemur & sumus. Ex doctrina Act. 17 pharisæorū sume tibi bonum, & malum relinque. Sicut à poëtis bona quæ dixerunt auferenda, vana autem & ridicula cōtemnenda sunt. Sic in Deuteronomio præcepit dominus, vt qui vxorem vellet Deuter. 21 ducere captiuam ancillam, raderet vngulas, & cæsariem tonderet, & vt veste exueret, qua capta fuit: & sic posteà illi cōiungeretur. Sic rade à poëtis vngulas, & pilos, hoc est superflua, vana & inutilia, & sic poteris sapientiam eorum amplecti. Lege Augustinum. Sed à falsa doctrina poëtarum & pharisæorum cauendum est, sicut à fermento malitiæ, Aug. lib. 2. de do. Christ. cap. 40. bona autem doctrina amplectenda, & Deo cum ea inseruiendum est. Vnde in Leuitico præcepit Deus vt ponerent sacrificium super panes fermentatos. Leuit. 23 Anteà fermentatum prorsus à sacrificiis abiecerat: Leuit. 2 sed cur modo præcipit imponi sacrificium super panes fermētatos? Vide quod non ad sacrificium, sed administerium sacrificij fermentatus panis assumitur. Humana doctrina est fermentum, vt Christus ait: & hæc non est Deo offerenda, sed tantum seruire debet sacrificio, hoc est Deo, & sacrę Theologiæ, & sic Dialectica, Philosophia, & ceterę sciētiæ Theologiæ deseruiunt, & ancillæ ipsius sunt. A falsa verò doctrina cauēdum esse, admonet Christus in hoc loco, & expresśius per Matthæum. Magnum enim periculum est acceptare falsam doctri- Matth. 16 nā pro vera, & tenebras pro luce. Certè nihil magis interest quantū in ascensum per scalam Iacob Genes. 28 in cœlū, & præcipitium per foueam peccati in infernū. Ideò dominus tāto verborū pōdere inquit, Attendite: estote vt animalia illa Ezechiëlis oculis Ezec. 1 plena: vt à falsa doctrina fugiatis. Omni custodia custodite cor vestrū, ne Pharisaico fermēto inficiamini. Omnis doctrina, quę auocat ab interioribus, & reuocat ad exteriora fermentū est Pharisæorū. Mar. Toti dediti sunt exterioribus, lotioni manuum & aliis huiusmodi, nihil vero curāt de interioribus. Sepulchra sunt dealbata, plena ossibus mortuorū, quia intus nihil de charitate curāt, quia pleni sunt odio & rapina, nihil de humanitate, cùm gloriam ab hominibus quærant: nihil de eleemosyna, cùm viduarum domos diripiāt. Discamus ex hoc loco omnem simulationem fugere tam vitæ quàm doctrinæ fugientes hypocrisim, quam toties Christus in Euāgelio detestatur. Simulator ore decipit amicum suum. Qui ambulat simpliciter, ambulat con- Prouer. 10 fidenter. Respondeat obsecro simulator & hypocrita, si bonum est bonum apparere, cur non vis esse, quod vis apparere? Et si malum est, malum apparere, cur vis esse, quod non vis apparere?

Quod si

Quod si bonum est bonú apparere, melius est bonum esse: & si malum est, malum apparere, peius erit malum esse. Esto ergo quod appares, aut appare quod es. Sed quid dico? Cur sanctitatem simulatam & hypocrisim arguo? Christi nanque temporibus maxima hypocrisis vigebat præsertim in pharisæis: atque ideo iure optimo contra hypocrisim disceptabat. Sed nunc cùm tanta homines inuaserit impudentia, vt de peccatis glorientur, & gaudeát omnibus manifesti peccatores apparere: quid opus est, vt hypocrisim reprehendamus? Non solú multi seipsos iactát, & laudant de malo quod cómiserunt, sed eo quod nunquam fecerunt. Ita vt múdus adeò sit deprauatus, vt cùm tam iniqua sit hypocrisis, opus sit, vt ipsos homines inuitemus, ad hoc vt sint hypocritæ. Nam minus malum est, vt sint hypocritæ, quàm vt cùm tam impudéter in peccata irruant, alios secum præcipitent & ducant in infernum. Estote igitur hypocritæ, dú mali estis, & contenti sitis, si soli in infernum abeatis, &c. Sed iam Christum audiamus.

Nihil enim est opertum, quod non reueletur: neq; absconditum, quod non sciatur.

Affert rationem vitandi hypocrisim ex euentu cótrario. Nam ideo homines in vitium hypocrisis dilabuntur, quia putant hac ratione fieri posse, vt lateant sua vitia, & propterea aduersus hoc Christus dicit, nihil esse in hac vita opertú, quod in futura vita non reueletur. Vult hypocrita malus esse, & bonus videri: & rectè punitur in eo quod appetit, quia secretam malitiam Deus manifestabit. Vnde per Naum Prophetam ait Dominus. Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum, reuelabo pudéda tua in faciem tuam, & ostendam in gétibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuá. Præterea opertum pertinet ad opera quæ occultantur ex industria: & absconditum ad cogitationes, quæ occultantur ex propria natura. Sed vtrumque in futuro iudicio manifestabitur. Vtinam hæc secum reuoluerent omnes ij, qui secreto peccátes, illa secú dicunt Ecclesiastici. Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circunspicit me. Quem vereor? Delictorú meorum non memoratur altissimus. Et non intellexit quoniá omnia videt oculus illius. Non cognouit quoniá oculi Domini multò plus lucidiores sunt, super Solem: circunspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi & hominum corda intuétes in absconditas partes. O vtinam coram oculis suis hæc semper ferret miser & infœlix peccator, & certo sciret, se in ipso peccato à Deo videri & conspici: non mihi est dubiú, quin si hæc animaduerteret, nó ita facilè in peccata dilaberetur. Nam si Deum nó times: & homines magis quàm Deum veneraris, scias nihil ei esse absconditú, & omnia secreta peccata in extremo die iudicij Deo, omnibus hominibus & angelis manifestanda esse. O quantum pudorem & verecundiá tunc habebis quádo omnes manifestè nouerint omnia illa peccata, quorú minimum vt committeres facié hominum fugiebas. Reuelabo stultitiam eius in medio amatorum eius: dicit Dominus exercituum. In die enim iudicij (vt Apostolus ait) illuminabit Dominus abscódita tenebrarum, & manifestabit Dominus consilia cordium.

[Margin: Numer. 3] [Margin: Ecclesi. 23] [Margin: Ose. 2] [Margin: 1. Corin. 4]

Quoniam quæ in tenebris dixistis: in lumine dicentur, & quod in aure loquuti estis in cubilibus, prædicabitur in tectis.

Christus sæpè suos tantum discipulos docuit, ita quòd ibi nullus adesset extraneus. & hæc etiá quæ ipsi aliis prædicabant ad aurem, hoc est secretè prędicabitur in tectis. Erant enim tecta planicies domorú in parte superiori, quia in Palestina quæ erat patria Iudæorum, non erant tecta in modum pyramidú, sed plana & æqualia: & in ea conueniebát homines ad voluptatem & solatium capiendum diebus festis: per quod significantur loca publica, scilicet, eo quod in publicis locis prædicádú erat. Verba autem hæc multipliciter vera sunt. Constat enim quod in die iudicij virtutes bonorú, & vitia malorú detegentur. Rursus ea, quæ apostoli tempore Christi per circuitum Iudææ tantum prædicarunt, posteà hæc eadem erant prędicaturi per totum orbem: quia in omnem terram exiuit sonus eorum. Vult ergo dicere, omnia manifestabuntur, tam secreta cordium, quàm doctrina Euangelica in die iudicij, nam nihil est occultum, &c. Quod cum ita sit, ea curemus deinceps facere, quæ ante vniuersum mundum possint apparere sine aliquo pudore nostro & verecundia.

[Margin: Rom. 10] [Margin: Psal. 18]

¶ In omnibus iis, quæ Christus dixit, id præcipuè intendit, scilicet, vt paruipendamus hominú dicta & laudes, cuius contrariú hypocritæ faciút, sed tantú, vt Deo nos conciliemus & curemus eú amicú & propicium habere. Ita quod nec hominum laudes quærere debemus, nec eorum minas, persequutiones, aut conuicia timere. Quomodo autem homines non debeant timeri, ostendit id Deus, in eo quòd sequitur,

Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus: & post hæc non habent ampliùs quod faciant.

Seruos amicos ad martyrium accendit: vt discas mala præsentis vitæ tormenta, & martyrium parata esse Dei amicis, & talia esse amicitiæ eius pignora. Ideo cùm Christus discipulis suis promittit morté & passionem, his verbis vocat eos amicos. Vt intelligas quòd quos Deus diligit, corrigit: & signa quæ ostendunt aliquem esse amicú Dei, sunt, si propter Deum maximas tribulationes, afflictiones, & labores fuerit passus. Quapropter ait. Dico auté vobis amicis meis, ne terreamini ab his, &c. Non qualemcunque timorem Christus admittit: sed eum duntaxat, qui amicitiæ Dei aduersatur: vt est timor humanus & múdanus. Vbi etiam aduertes multiplices esse species timoris. Primus timor naturalis appellatur: quo quisque naturaliter timet nociuum naturæ, per quem timorem neque meremur, neque demeremur: quia non subest libero arbitrio: quo timore Christus fuit affectus, vt Marcus ait: Cœpit (inquit) Iesus pauere, &c. Alius est timor humanus, cùm aliquis nimis timet, ea quæ corpori nocere possunt: & hic malus est, de quo núc dominus loquitur: & per Matthæum cùm dixit. Nolite timere eos qui occidút corpus. Qui timor promanat ex nimio amore vitæ præsentis. Et sicut amor præsentis vitæ quandoque est peccatum veniale, quando est citra Deum: ita timor humanus quandoque est peccatum veniale, quádo oritur ex amore veniali: & quandoque mortale, scilicet, quando oritur ex amore mortali, de quo amore ait dominus. Qui amat animam suam perdet eam. Hoc timore humano correptus Petrus Christú abnegauit, cùm dixit illú non nosse, ne vita corporis priuaretur.

[Margin: Hebr. 12] [Margin: Serui & amici Dei quid expectare debeant in hoc mundo.] [Margin: Timoris species.] [Margin: Marc. 14] [Margin: Matth. 10] [Margin: Ioan. 12] [Margin: Mar. 14]

uaretur. Alius est mundanus timor quādo aliquis
nimis timet res suas & bona amittere : qui timor
Matt.2 impiissimus est. Hic timor Herodem inuasit, cum
Christum occidere voluit : & innocētes interfecit
ne regnum temporale perderet. Hoc etiam timo-
Ioan.11 re permotus Caiphas, pharisæi, & pontifices Chri
stum occiderunt, timentes ne venientes Romani
perderent locum & gentem. Alius est timor serui-
lis cum quis propter crucem & tormentum infer-
ni se à peccatis abstinet : qui non malus est, quia
initium est ad bonum: sed nec dignus est, vt perfe-
ctus appelletur, quia non est cū charitate, & seruus
potius quàm amicus iste potest dici. De hoc timo-
re seruili loquitur Ioānes, Perfecta charitas, foras
mittit timorem. Alius est timor filialis qui manet
cum charitate, quem habent viri puri atque perfe-
Psal.18 cti: qui etiam in patria manet. De quo regius pro-
pheta. Timor domini sanctus permanet in sæculū
sæculi. Sed Christus hic timorem humanum à suis
fugat & repellit. Timēdi enim sunt homines quia
malum possunt infligere: sed non sunt timendi, ita
quod ob eorum causam à mandatis Dei desista-
mus: quia mala, quę homines efficere possunt, mul
to minora sunt, quàm ea, quæ Christus potest infli
gere. Volebat igitur Christus timorem humanum
ab apostolis propellere, neque ob hāc causam ces-
sandum esse à prædicatione, quia in maiora mala
inciderent, scilicet in pœnam æternam.

¶ Ad nostram verò eruditionem discamus hîc,
non timere corporis mortem: iustus enim non ti-
met, quia tales timores effectus sunt iniquæ & de-
prauatæ vitæ. Non timet iustus mortem, quia to-
to suę vitę tempore semper discit, quomodo bene
moriturus esset. Homo verò qui cautè & prouidè
viuit, inimicum non pauescit. Non timet mortem,
quia toto vitæ curriculo semper solicitus fuit in
quærendo adiutores, & patronos illi horę: qui qui
dem virtutes & actiones sanctæ sunt. Non timet
mortem, quia multis obsequiis & operibus pro-
pitium & fautorem sibi dominus cōparauit. De-
nique non timet mortem: quia mors iusti immeri-
to mors appellatur, sed potiùs somnium & transi-
tus debet dici. Non est mors, sed mutatio, non est
mors, sed vltimus dies laborum & calamitatum:
non mors, sed via ad beatitudinem & vitam nun-
quam periturā. Discamus igitur sic viuere, vt mor-
tem non timeamus. Secūdò discamus timere pec-
catū, nam qui peccatū timuerit non timebit mor-
tē. Arma mortis peccata sunt. Vbi non est peccatū,
nullus est mortis timor : quæ si nullū adsit peccatū
imbecilla & inermis venit mors. Apes & alię id ge
nus muscæ quæ ictibus suis dolorē infligūt, omnē
pœnā stimulis suis iugenerant, quibus nos feriūt:
nam si his stimulos abstuleris, quid mali poterunt
facere? nullum sanè. Stimulus igitur mortis cū pec
catum sit, id auferas. Vnde Paulus. Vbi est mors vi-
1.Cor.15 ctoria tua? Vbi est est mors stimulus tuus? Stimul⁹
mortis peccatū est. Diuus Paulus, qui mundā ha-
bebat conscientiam suam à peccato, mortem irri-
debat, cùm victam eam teneret: tanquam qui triū-
phum de illa reportauerat, inquit, Vbi est mors vi-
ctoria tua? Et quid est in causa quare mors sine vi-
ctoria remāsit? Certè quia stimulum non habebat.
Ideo dicit. Vbi est mors stimulus tuus? Et quis sit
hic stimulus, Paulus manifestat, inquiens. Stimulus
mortis peccatum est. Igitur quia mors nullum in-
ueniebat peccatum, inde erat, vt nec stimulū habe-
ret: & quia non habuit stimulum, nec victoriā re-
portauit. Aspice igitur ô homo peccator quod cū
mandata Dei transgrederis, arma tribuis ipsi mor-
ti quibus fortissimè aduersus te possit dimicare,
nam ipsa nullum malum infert, nisi peccatori, ne-
que aduersus aliquē, nisi peccatum irascitur, & his
armis bellum nobis parat. Nisi peccatum habue-
ris, non est quod mortem timeas, si verò peccatū
abhorrueris, mortem irridebis. Ideo Ioannes in A-
pocalypsi ait. Qui vicerit, non lædetur à morte se- Apoc.2
cunda. Quoniam dicit mortem secundam, se-
quitur, quod est alia mors quę prima appellatur:
ideoq́, scias duas esse mortes. Alterā mortē animę Duplex mors.
quæ est peccatū, iuxta illud, Peccatū cū cōsumma-
tū fuerit, generat mortē. Altera verò est mors secū
da, quæ corpus occidit. Meritò itaque peccatum
mors prima dicitur, quia prior fuit mors animæ, Iaco.1
quàm corporis : sicut causa est prior effectu. Per
vnum enim hominem peccatum, & per peccatum
mors: ait Paulus. Et dominus Adæ, In quacunque Rom.5
hora comederis, morte morieris. Ait igitur Ioan-
nes, Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. Ac Apoc.2
si diceret, Qui priorem mortē, hoc est vitia & pec
cata superauerit, à corporis morte quæ secunda est
& effectus peccati, non lædetur. Non dicit, quòd
non morietur: quia omnes tā boni quàm mali mo
rimur, sed nō lædetur à morte secunda: quia iustis
nullum malū mors infert. Quare? quia venit mors
languida, imbecilla, & inermis: sine peccati stimu-
lo. Quocirca Christus (vt statim videbimus) dixit
discipulis suis, vt Deum timerent: nam tutissimum
& præsentaneum remedium vt corporis mors nō
timeatur, est Deo obedire, ipsumq́ue timere. Nam
qui Deū timent, ab eius offensis se abstinent, & qui
illū non offendit, non timet mortē, neq; homines:
qui nihil mali possunt illi inferre. Maximum enim
malum, quod ab hominibus potest nobis euenire,
est corporis mors: quæ optima est, & gloriosa, viro
iusto. Quid obsecro possunt homines facere, nisi
corpus occidere, animæ autem nullū malum pos-
sunt immittere. Imo verò qui occidunt, ob hāc eā
dem causam non sunt timendi. Si enim in tormē-
tis possent nos cruciare non occidēdo, proculdu-
bio timendi essent, sed quantò vehementiùs tor-
quent, breuiùs à tormentis absoluunt. Nolite igi-
tur timere, quia in causa sunt hi, vt pretiosum &
maximū, quod in vobis est Deo offeratis. Magnus
Abraham, qui filium offerebat: quanto igitur ma- Genes.22
ior, qui se ipsum obtulerit? Non possunt animam
interficere: nec ipse Deus huius rei est potis: potest
tamen per peccatum interemptam, in gehennam
mittere. Nos verò adeò immanes & crudeles su-
mus, vt animam nostram occidamus. Nemo po-
test animam tuam occidere, nisi tu illam peccatis
interemeris. Quid ergo eos times, qui corpus pos-
sunt interficere: cùm potiùs te ipsum timere debe-
res? Tu tibi immanis es & acerrimus hostis. Si cō-
sistant aduersum te hominum castra, dæmonum
copiæ, & Angelorum exercitus nihil tibi nocebūt:
nisi tu tibi ipsi nocueris. Ergo peccatum time, &
non mortem corporis: quæ nihil mali inferre po-
test, si non inuenerit peccatum. Igitur nec sunt ti-
mendi qui mortem parare possunt & corpus occi
dere. At multi sunt velut infantes & pueri, qui mu
rem: vel aliud quiduis simile horrescunt, cùm non
timeant manus in ignem mittere, vbi se ipsos cō-
burunt. Ita nos corporis mortem valdè timemus,

peccatis autem (quæ mors sunt animæ) velut aliud agētes nos immiscemus. Sumus etiam velut equi, qui vel ipsam vmbram contremiscunt, & retrofugiunt, at si eques calcaria illis admouerit, nimia se citate vltra progrediuntur. Corpus hoc nostrū est velut equus pauidus & timidus, qui suam propriam vmbram fugit, & mortem propriam timet cùm eam semper secum ferat, etiam si eiusdē semper oblitus incedat, in vtramuis dormiens aurem. Igitur vt hunc timorem ab eo auferamus, conducet multum memoriam mortis ei repręsentare, & vires & animum induere vt prompta voluntate ea acceptemus: vt inde altiora & maiora petamus: vt si opus fuerit libenti animo pro Christo subire mortem, non dubitemus. Homines verò cùm adeò mortem timeant, non tantum peccatum timent quod mortis est causa, & id prouenit, quia cū peccatum committunt, in nihilum delinquere sibi videntur. Iusti autem ita graue malum & horrendū peccatum existimant, vt eorum vires videatur excedere. Vnde sanctus adolescens Ioseph dixit dominæ suæ. Quomodo possum hoc malū facere magnum? Cedūt enim iustorum vires peccato. Iustus ad bona magnum robur & ingentes vires habet: ad mala verò parum fortis est. Genes. 39

¶ Docemur tertiò quàm debiles & exiguas vires tyranni & principes huius mundi habeant aduersus Christi seruos. Quemadmodū quercus dura & robusta procellis & ventis resistit, & quanuis frondes amittat, tamen interiorem virtutem perseuerantem habet: sic quanuis mūdus huc & illuc amicos Dei cōcutiat, & possit opes & honores auferre, & corpus interficere: iam ampliùs quid facere nequit. Non potest animi tollere virtutem, neque charitatem quæ intus latet & viget. Potest vir iustus expoliari diuitiis, honoribus, & vita, à Christo tamen separari non potest. Vnde Paulus. Quis separabit nos à charitate Christi? An tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas? Benè potest mundus iusto auferre frondes, corticem & viriditatem, tamen simul cum radicibus, id est, cū Christo nūquam eum diuellet. Nam quemadmodū in cerea face lumen tandiu durat quandiu cera, & consumpta cera statim ignis consumitur: sic cum vita hæc corporis consumitur, statim finem facit totius furoris ignis Rom. 8

¶ Docemur quartò, hanc vitam contēnendam esse pro Christo. Hæc enim non est vita: sed vitæ vmbra, & imago mortis. Quare absolutè loquendo cùm vitam audieris, non hanc intelligas, sed illam, qua beati fruuntur: Vnde adolescenti, qui de vita æterna quęrebat, dominus dixit, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Vbi aduerte, quod nō dixit. Si vis ad vitam æternam ingredi, sed si vis ad vitam ingredi. Respondit Christus simpliciter & sine addito, suo more, quęstionem eleuando, vt insinuet, vnam & eandem esse in substantia vitam absolutè, & vitam veram, vitam secundum virtutē, & vitam æternam. Sicut enim verum & ens cōuertibiliter idem sunt, nam si verum nō est, nec ens esse potest. Sic vita & vera vita non separantur. Si enim non est vera vita, sed fluxa & momentanea, vt est hęc: non vita appellari debet, sed via in mortē. Matt. 19

¶ Docemur quintò, vtiles nobis esse persequutores: quandoquidem vitā ęternam nobis parant, & præstant: nā ipsi nos condiunt igne suarū persēquutionū & cibū nectare & Ambrosia dulciorem Deo efficiunt: vt in hostiam & holocaustū gratissimū ipsi offeramur. Vnde aduerte, quòd duabus de causis solet dominus, inimicos & persequutores nobis relinquere. Altera, vt eisdē nos exerceāt. Altera verò ne inimici magis crudeles & deteriores nobis maneant. Sic reliquit Iudęis Chananęos, ne beluas & feras paterētur infestiores. Quo in loco disce acceptare, quę pius & benignus pater mala immittit, ne deteriora patiaris: cuius rei exemplū ex scriptura sacra tibi libet ostendere. Cùm olim Achaz rex Iuda ęgrè ferret duos reges, qui aduersus eum dimicabant, Rasim, scilicet regem Syrię, & filium Romelię, audiuit dominum per Esaiā illi dicentem. Pro eo quod abiecit populus hic aquas Siloë, quę vadūt cū silentio (quod statim explicat gaudiū, scilicet Rasim & filiū Romelię) ascendere faciet dominus super eos aquas fluminis fortes & multas, regē Assyriorū & omnē gloriā eius, & ascēdet super omnes riuos eius & fluet super, &c. Vult dicere, Quia abiecistis malū præsens, quod cū gaudio sustinere debuissetis: maius malū eueniet vobis. Et nota, quòd vocat minora mala gaudiū, collatione facta cum maioribus. Sic iacturam facere huius corporalis vitæ, gaudiū magnum est, si conferatur cum iactura mortis æternę. Et tormenta illa acerrima & cruciatus, quod sanctis martyribus carnifices intulerunt, gaudia & delitiæ sunt, si conferantur cum eis quos iniqui in gehenna patiūtur. Quocirca rectè nos monet hic locus, ne temporalia mala timeamus, nec eos, qui occidunt corpus, sed vnicum Deum, qui corpus & animam in crucem inferni potest mittere. Nam si aliquis corporis mortem timens fidem deserit fugiens leue malum, in grauissimum incidet. Incidet in Scyllā, cupiens vitare Charybdim. Cadet nāque in dęmonū manus. Quapropter mala huius vitæ tanquam delicias & gaudia, quæ à manu Dei nobis adueniunt, debemus accipere, quandoquidem illorum causa, à grauioribus liberamur. Iudi. 3 / Esai. 8

¶ Vltimo loco docemur animam esse immortalem, quòd satis apertè hîc demonstratur: & clariùs cùm per Matthęum dixit. Animam autem nō possunt occidere. Et in Psalmo regius propheta dixit. Iusti autē in perpetuū viuent, & apud dominū est merces eorum. Nam si anima iustorum simul cum corpore interiret, falsum esset apud dominum esse mercedem eorum: nam certum est, quod in hac vita dominus non retribuit iustis, cùm videamus illos esse contemptos, pauperes, & à multis conflictatos & denique flagellis & scorpionibus expositos. Quod obsecro in hac vita prēmium ac mercedem post tot labores passos & calamitates Paulo dedit? Quod diuo Petro, aut apostolis, aut martyribus: quod denique omnibus amicis suis? nam si post hanc vitam non maneret nobis alia, & si anima nō esset immortalis, proculdubio miseri & infœlices illi fuissent. In hac vita nullum illis retribuit prēmiū, & si post hanc non est alia, vbi sancti & studiosi digno præmio afficiantur: sequitur Deū non esse iustum, quandoquidem iustis secundum sua merita non soluitur. Et si non est iustus, sequitur: quòd neque est Deus: neque summum bonū: quod quidem in lumine etiam naturali est absurdissimum. Ergo anima immortalis est, si Deus est, & post hāc vitā alia nobis restat, vbi mali puniuntur, & bonis retribuetur. Hoc etiam post Dauidem docet Salomō in libro Ecclesiastis, dicēs, Donec reuerta Matt. 10 / Psalm. 33 / 2. Cor. 5 / Eccles. 10

uertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui fecit illum. Et ibidē. Ibit homo in domum æternitatis suæ. Et in libro sapiētiæ. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus torméta passi sunt, spes illorū immortalitate est plena. In paucis, vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se. Et in Apocalypsi Ioānes inquit, Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & cæ. Et in libro sapientię legitur. Ex cæcauit eos malitia sua, & nescierunt sacramenta Dei nec mercedem sperauerunt iustitiæ: nec iudicauerunt honorem animarum suarum: quoniam Deus creauit hominē inexterminabilem: ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Ex quo apertè colligitur animam esse inexterminabilem, idest incorruptibilem & immortalem: quoniam vt ex litera colligi potest, de homine differit secundum animam, & non secundum corpus, secūdum quā & ipse homo imago Dei est. Sic enim ait, Nec iudicauerunt honorem animarum suarum, & causam subdens ait. Quoniam creauit Deus hominem inexterminabilem. Et iustà ait noster Lucas: quòd animam iusti Lazari deportauerunt Angeli in sinum Abrahę, & anima diuitis purpurati post ipsius obitum sepulta est in inferno. Accedit ad hæc, quod Dominus dixit in Euangelio sadducæis negantibus resurrectionem. Ego sum Deus Abrahā, Deus Isaac, Deus Iacob. Non est Deus mortuorū sed viuentium. *Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit: habet potestatē mittere in gehennam.* Vide Christi benignitatem Nō dicit, vt non timeant: sed ostendit quem potiùs timere debeant. Timor enim, sicut & gaudium passio est animæ. Et sicut discipulis lętantibus & gaudētibus eò quòd dæmonia illis subiicerentur, dixit, in hoc nolite gaudere quia dæmonia subiiciūtur vobis, sed gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis: ita & nunc dicit, Nolite timere eos, qui occidunt corpus timete autem eū qui postquam occiderit, &c. Vbi aduertere debes, quod Christus non tollit gaudium nec timorem: sed cōmutat finem & obiectum, aut causam gaudendi vel timendi ostendens, dicens in quo gaudere debeant, aut quem opus est, vt timeant. Timete inquam eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Sed singula verba iam veniūt obseruanda. Postquam occiderit, intellige corpus. nam animā nec homo, nec Deus ipse qui illam cōdidit, occidere potest: nec corpus etiam occidi potest. Quapropter quod nunc ait de occisione corporis, & quod anteà dixerat. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, modus est loquendi vulgaris, quo Christus vtitur propter rudes, quia corpus non occiditur, nec anima, sed totus homo. Dicitur tamen corpus occidi, idest vita priuari, quia priùs viuebat, & per occisionē iā non viuit.

¶ Prætereà potest dici, seu potestatem habet mittendi in gehennam: quia Deus potest perdere, non tamen vult perdere. Sed nos nostris peccatis cogimus, vt perdat, quē saluare cupit. Deus enim vult omnes homines saluos facere, quapropter qui damnantur, sua voluntate propria & malitia damnantur: quia Deus inferni ignem, & torméta parauit dæmonibus. Ipse enim in iudicio vltimo iniquis dicet. Ite maledicti in ignē inferni, qui paratus est diabolo & angelis eius Non dixit hominibus, sed diabolo & eius angelis. Et si magis cruciantur inferni tormentis, hoc non fuit illi quasi de per accidens, & præter Dei intentionem: quia ille in beatitudinem æternā creauit homines non in ignem. Potest itaque Deus, non tamen vult mittere homines in gehennam.

¶ Obserua autem quòd post mortē mittet impios in gehennam, nec vnquam eos amplius quęret, nec de illis erit solicitus. In hac vita perdit & quęrit & ouis perdita inuenitur à pastore: & gratulantur ei, quia cùm amissa esset, eam inuenit. Verū si post hanc vitam perieris, perpetuò peribis sine vllo remedij aut redemptionis genere. In te igitur nunc peccator descende, & si deuius post peccatū abieris, ad dominum tuum citò reuertere antequā obtenebrescat sol, & lumen, & stellæ & lumina, & reuertātur nubes post pluuiam. Clama sicut ouis ad pastorem, vt eripiat te de ore lupi, Christus pastor bonus: antequam te degluttat lupus rapax, & in ventrem inferni mittat.

¶ Ostendit itaque dominus eorum omniū quæ timere debemus, maximam esse gehennam. Vnde præ omnibus & summopere maximè est timēdus, qui in illam potest nos mittere.

¶ Porrò gehenna idem est quod Hebræis gehinnō. Est autem gehinnon vallis hinnon. Erat enim vallis voluptatibus plena, quæ dicebatur, hinnon, quæ dictio significat frustrà, vt tandem gehenna significet vallem frustra. Erat hæc vallis locus, vbi idolo Moloch incendebantur pueri viui: quorum lamentum ne audiretur, tympana percutiebant, qui pueros immolabant. Vnde & nomen Tophet, locus ille accepit, idest tympanum. Hūc locum destruxit & contaminauit sanctus rex Iosias, iubens in eum proiici cadauera & reliqua excrementa. Vnde dictum est, gehennam esse locum mortuorū. Erat autem Moloch statua concaua & ex ęre confecta, faciem habens vituli, & manus extentas & brachia ad accipiendum: incendebaturque interius & in manibus & brachiis candentibus apponebatur puer, qui viuus ardebat: & tunc saltitabāt adstantes, & quatiebant tympana. Per hāc vallem intelligit Christus infernum, quia Iosias in cōtemptum idolorum hunc locū impleuit ossibus mortuorum & spurciciis, qui horrendus erat, instar inferni. Et subdit statim dominus. *Ita dico vobis hunc timete.* Deum plusquam homines timete, qui maiora damna vobis inferre potest, quàm homines: quia potest mittere vos in gehennam, quod facere nequeunt homines. Admonet locus iste, vt Deum timeamus, si reliqua omnia, quæ sub cœlo sunt, nolumus timere. Qui Deum timet, nihil illi restat, vt timeat: & qui Deum non timet, omnia alia expauescit. Igitur, vt homines non timeamus, inquit hic Christus, Deum esset timendum. Cain cum timorem domini amisisset, ita pusillanimus & timidus māsit, vt dixerit. Omnis qui inuenerit me, occidet me. Qui potens fuit & animosus ad interficiēdum fratrem: iam ita iners & ignauus redditur, vt dicat quicunque inuenerit me, &c. Quod quidem non mirari debes, cum videas illum amisisse timorem domini: De quibus omnibus qui timorem hunc amittūt, scriptura inquit, Terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium, cadēt nullo persequente. Et Sapiens ait, Fugit impius nemine

Marginalia: Sapien. 3; Apoc. 6; Sapien. 2; Luc. 16; Mat. 22; Exod. 3; Perditio ex nobis, non à Deo.; 1. Tim. 3; Mat. 25; Luc. 15; Eccle. 12; Ioan. 10; 4. Reg. 23; Genes. 4; Leuit. 26; Prouer. 28

persequente: iustus tamen confidit vt leo. Mali cũ malè viuant, semper pleni timore & pauore incedunt: at verò iusti & recti confidũt in domino, & tanquam robustissimi leones sunt. Nõ est cur mireris, si qui timent Deum, homines non pauescãt, Psal. 26 quandoquidem Deum semper patronum & aduocatum habent. Vnde Dauid ait. Dominus, protector vitæ meæ à quo trepidabo? Nihil Dauid timebat, cum protectorem suum Deũ haberet: propter quod ante versum hunc dixerat Psalmista, Dominus illuminatio mea & salus mea: quẽ timebo? Et quia Deum timebat ipse erat eius adiutorium & protectio. Ideò subdit, Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Quocirca dominus his armis timoris sui suos milites induit: nã hoc vestiti nihil omniũ quæ sunt in mundo, est quod timeant. Et vt eos magis firmos reddat, ne eos timeãt, qui occidunt corpus, adducit exemplum ostendens illis curã, quã de eis habebit, dicens. *Nonnè quinque passeres veneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo?* Quod si Deus nõ obliuiscitur passerum, qui tam parui pretij & valoris sunt: qui fieri potest, vt vestri obliuiscatur, qui creaturę estis rationis participes & conditæ ad ipsius imaginẽ, & similitudinem? Timete Deum, & omnem vestrã fiduciam in eũ constituite: nã qui passerũ non obliuiscitur, nec vestri obliuiscetur, nec deseret, qui multo prĕstãtiores illis estis. Dixerat enim homines nõ esse timẽdos, quia parũ mali nobis inferre possunt: quod etiam nunc probat ex alio capite, nempe quia Deus id permisit, qui rerum omnium habet prouidentiam. Et assumit exemplũ de quinque passeribus qui vęneunt dipondio, & nõ tradit illos Deus obliuioni: multò minus vos. Prouidẽtia enim Dei aufert rationẽ mali ab aduersis, quæ nobis accidunt: quia cùm prouidentia eius sit per quã omnia diriguntur in finem, & ipse bonus sit: necesse est quod omnia ordinet ad bonũ: & ideo quidquid nobis euenerit, bonum censendum est, licet malum videatur, cùm tamen ad bonum ordinetur. Sicut potio amara licet palato non sit suauis, bona tamen est, quia ad bonum ordinatur, & dirigitur, scilicet ad sanitatem. Ideo nihil homini potest accidere, quod ad bonum nõ sit. Sed ea est differentia, quia malis aduersa mala sunt: bonis autem etiam ipsa mala in bona conuertuntur, quia Rom. 8 in bonum proficiunt. nam, vt Paulus inquit, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

¶ Duplici itaque ratione nõ est hominibus timẽdum. Primò quia parũ mali nobis inferre possunt: Deus autem grauissimis malis nos afficere potest. Secũdò nõ debemus homines timere, quia quidquid mali infligunt, Dei ordinatione & voluntate faciunt, quod fieri non potest, nisi vt in maximum bonum nobis cedat. Hoc duplici argumento solatur Deus suos discipulos, & monet ad aduersa ferenda. Aduerte autem illam non esse loquutionẽ hyperbolicam, scilicet quòd Deus nec passerum obliuiscitur: nam Deus secundum rei veritatem (quanuis nobis mirabile videatur) curã habet singulorum passerũ non solum in genere vel specie, sed vniuscuiusque indiuidui. Spectat enim ad immensitatem prouidentiæ eius singulis quibuscũque indiuiduis prouidere, & illorum curã habere: sine vlla mutatione, aut multiplicatione actuũ vidẽdi, volẽdi, disponẽdi aut curãdi. ¶ Docemur hîc in omnibus aduersis, in omni tribulatione, angustia & labore patientia nos indui, attẽdentes quòd omnia nobis eueniũt ex diuina prouidẽtia & voluntate: & hoc sufficiat nobis ad consolationẽ & requiẽ, ita quòd quãdo tribulationibus & ęrumnis sumus affecti, sciamus illud esse cõsiliũ diuinũ. Nã si quinque passerũ, qui omnes vno dipondio vẽduntur, Deus nõ obliuiscitur, nec illorũ singulorũ: quomodo nostri obliuiscetur Deus? Subijciamus ergo nos diuinę prouidẽtię, cum nesciamus, quid nobis magis expediat. Aliquibus nãque magis expediũt aduersa, quã prospera & fęlicia: Ideoque in aduersis & inopinatis nõ debemus murmurare. Quocirca in Ecclesiastico dicitur. Non est dicere, hoc est Eccl. 39 melius illo. Nec soliciti simus, quid de nobis facturus sit Deus. Vnde Paulus, Siue viuimus, siue mori Rom. 14 mur, domini sumus. Rectè enim scit medicus cęlestis & diuinus, quid daturus sit nobis in refrigeriũ & solatiũ, quid verò in exercitiũ. Sic Esaias ait: Væ Esai. 45 qui cõtradicit factori suo. Et posteà. Nũquid dicit Esai. 29 lutũ factori suo, quid facis? Peruersa est hæc cogitatio, quasi lutũ cõtra figulũ cogitet, & dicat opus factori suo, Quid fecisti me? Hoc Dei cõsiliũ & decretũ aspiciẽs Dauid, cũ malediceretur à Semei, & 2. Reg. 16 vellet illum occidere, dixit, Dimitte eũ, vt maledicat iuxta pręceptum Domini. Sic Dominus Petro volenti passioni suæ obstaculũ esse, dixit, Calicem Ioan. 18 quem dedit mihi Pater, nõ vis vt bibã? ¶ Pręterea destruitur hoc verbo illorũ assertio, qui dicebant, Deũ nullã mundi curam habere. Quis enim est fabricator, vel artifex, qui operis sui curam negligit? Quis deserit, & auxilio destituit quod condidit? illius quod fecisti nullam curam habere, summa inclementia est. Si quis enim (vt Paulus inquit) suo- 1. Tim. 5 rum curã nõ habet, maximè domesticorũ, fidẽ negauit: & infideli est deterior. Sed Deus (quod ratione naturali suaderi potest) qui summũ bonũ est iniquus esset, si eorũ quæ cõdidit negligens esset: & si iniquus, iã nõ Deus. Omnia enim summa sapiẽtia, summa prouidentia & consilio regit & gubernat: ita vt nec arboris foliũ moueatur, nisi ipsius volũtate Nec obstat huic rei quod Paulus ait. 1. Cor. 9 Nunquid cura est Deo de bobus? Loquitur nanque ibi de cura seu prouidentia speciali: puta doctrinæ & disciplinę quę craturas rationis compotes gubernat & regit: hic verò sermo incidit de prouidentia generali, qua Deus cuncta disponit, iuxta illud Sapientiæ. Non est alius Deus quã tu, cui Sapien. 12 cura est de omnibus. Quapropter sequitur in cõtextu. *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Non hyperbolicos & agendę rei gratia loquitur, sed hæc est firma & stabilis veritas, & omnium etiam capillorũ numerum esse apud Deũ: ita, quòd non solùm cognoscit, nos habere capillos, sed curæ illi est, ne capillus capillo vicino noceat. Numerari dixit: quia quæ diligẽti cura seruare volumus, ea numerare solemus. Quo nimirum nobis Christus ob oculos vult ponere, quanta illi sit cura de amicis suis, cũ etiã capillos eorũ nõ solũ seruet, sed etiã numeret. Maximã curã habet Deus de iustis: Psalm. 104 ita vt minimè permittat, aliquẽ eis nocere, iuxta illud. Non reliquit hominẽ nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nã quemadmodũ Deũ nemo potest decipere: ita nec iustũ, cuius curã gerit Deus. Iustus enim est sicut figura sphęrica: quæ quocũq; eã verteris, sedẽ propriã habet. Rerũ & cõsiliorũ mutationes quas fecit Labã, cesserũt in vtilitatẽ ipsi Iacob. Hoc quippe interest inter iustos & impios: Genes. 31 quoniam

quoniam si impiū verteris & volueris, iam nō am
plius manes,pius autem & iustus quocūque se ver
Psal.36 terit,suam sedem habet:quia vt Dauid ait, Domi-
Genes.39 nus supponit manū suā & sedem illis cōstituit. Sic
de sancto Ioseph scriptura dicit,quòd Dominus e-
Psalm.49 rat cum eo,& omnia opera eius dirigebat.Sic ipse
posteà dixit fratribus suis. Vos cogitastis de me
malū,sed Deus vertit illud in bonum. Sic Dauidi
cū sæpiùs à tātis inimicis persequeretur,Dominus
manū præstabat, & vbicunque sedem inueniébat,
Genes.45 manus enim Domini tanquam scabellum illi erat.
Vnde ipsemet Domino ait, Si ambulauero in me-
dio vmbræ mortis,non timebo mala,quoniam tu
mecum es.Dominus enim est,qui iustū venditum
Sapien.10 non dereliquit, sed à peccatoribus eum liberauit,
descenditque cū illo in foueam, & in vinculis eū
Psalm.33 non dereliquit.Et in Psalmo,Multæ tribulationes
iustorum, & de his omnibus liberabit eos Domi-
nus.Et propterea etiamsi huc & illuc multis labo
ribus & procellis agitentur,nunquam deficiēt,nec
victi erunt,sed potius virtute diuina muniti & co
borati,omnia illis fęlicia succedunt.Quēadmodū
si arbori grādi noua virgulta absciderts, magis in
altū quotidie propagatur. Sic iusti quantò magis
Eccle.35 ab impiis affligūtur,magis in virtute proficiūt.Tā-
tā curā eorum dominus gerit, vt nec vnū capillū
perire velit.Oculi domini super timētes eū, & in
Zacha.2 eis qui sperāt super misericordia eius.Et in Zacha
ria propheta. Qui vos tāgit,tangit pupillam oculi
mei.Et non solum ipse dominus eos seruat,& cu-
stodit:sed etiā Angelis suis eos cōmēdat, vt habe-
Psalm.90 tur in Psalmo,Angelis suis Deus mādauit de te,vt
custodiāt te in omnibus viis tuis:in manibus por
tabūt te,& cæ.Quemadmodū fratres maiores natu
fratres suos infantes & pueros manibus sustinent:
sic Angeli qui sunt fratres maiores iustorū, & eos
portant in manibus suis,eos custodientes.Sic ani-
Luc.16 mā Lazari pauperis mēdaci tulerunt Angeli in si-
num Abrahæ. &c.Et in circuitu Helisei Prophetę
3.Reg.6 erat Angelorum multitudo, qui prophetam cu-
stodiebant.

¶ Prætereà aduertes quanti Deus faciat iustos
ita vt nihil habeāt,quòd non sit Deo gratissimum.
Anima nāq; corpus,vngues,vestes,& capilli,Deo
Num.6 maximè placent.Vnde habetur in Numeris quod
capilli Nazaræorū in odorē suauitatis, domino of
ferebātur.Capilli verò impiorū apud Ezechiëlem
Ezech.5 scinduntur,cōburuntur & spargūtur,sanctorū ve-
ro numerātur. Cōcludit autē dominus suum argu
mētum dicēs. *Nolite ergo timere,multis passeribus plu-
ris estis.* Si passer rerum vicissitudinibus expositus
nec cadit,nec moritur: quātò minùs homo iustus.
Si absque magno cōsilio & ratione nihil agitur de
his quorum pretium est dipondium, quod decre-
tum erit de his quorum pretium est sanguis Chri
sti?Quanuis multi sint qui pluris habeant sua, quā
seipsos, & magis hæc terrena, quàm animā & vi-
tam corporis magis quàm æternam: quot obsecro
homines erunt qui vilissimo pretio & solùm pro
pter quinque passeres falsò& mēdaciter iurabūt?
Cùm Christus hìc dicat, multis passeribus pluris
Psalm.10 estis vos:coram oculis peccatis nihil est vilius nec
abiectius quàm anima sua, nam ferè pro nihilo &
pro vilissimo pretio dæmoni eam tradit.Vnde scri
ptura ait.Pro nihilo habuerunt terram desiderabi
lē.Sed de his aliàs.¶ Ostēdit deinde Saluator nul-
lius timoris causā à se esse recedendū: & id ostēdit
ex retributione malorū & bonorū. *Dico autem vo-
bis.Omnis quicunque confessus fuerit me coram homini-
bus.* Hoc est, quicunque fidem suam persequutio-
nis tempore verbis constanter atque fideliter ex
presserit corā tyrānis ac perfidis,confitēdo me es-
se vnicū Dei filiū,Deū verum atque hominem: &
cætera quæ ad fidē Christianā spectāt. *Et filius ho-
minis confitebitur eum corā angelis Dei.* Ego filius ho-
minis testis adero in cęlis in cōspectu sanctorū om
nium,& manifestissimè ostendā illum esse ex ouili
meo,propter quod æterna beatitudine illum glo-
rificabo. Ad hāc cōfessionem fidei tenetur quili-
bet Christianus in omni loco & tempore & corā
infidelib⁹:& quādo videret fidē periclitari. Quo-
modo autem Christus cōfitebitur & cōtestabitur
eos corā angelis Dei, duplici modo potest intel-
ligi.Primò quòd ea cōfessio sit approbatio. Quia Mat.25
in die iudicij bonos approbabit dicēs. Venite be-
nedicti patris,&c.Secudò quòd hæc confessio sit
quædam laus, qua Christus euehet & magnifica-
bit bonos, enarrans virtutes eorum. Isti sunt viri
boni,qui præcepta mea seruarunt,& me corā ho-
minibus confiteri nec timuerunt,nec erubuerunt,
Tunc enim erit necessum vt Christus nos appro-
bet:quia solùm illi salui erunt, qui à Christo fue-
rint approbati.Et quia iudicium competit Christo Ioan.5
homini,dicit coram angelis: ad significandum ma
gnum honorem: nā cum quis testimoniū alicuius
virtutis perhibet corā aliis,inde resultat illi & ac-
crescit magna laus & gloria: & quāto ibi adstātes
excellētiores fuerint,tanto est maior laus, quia na
tura honorem cupimus, & desideramus. Et quia
nemo est adeo excellens sicut Deus & sancti ange
li,coram illis dicit debere nos confiteri.

¶ Obserua autem quòd ex hoc contextu aper-
tè colligit,vt si Christianus aliquis sic opprimere-
tur,vt propter subitū tyrannorū furorē & hostium
fidei Christi ante suorum omnium peccatorū fa-
ctam pœnitentiam pro Christo esset interfectus,
martyrium ipsius sine dubio ad pęnitentiam satis Luc.13
esset.Nam qui virtutem ipsi pœnitentię tribuit, vt
dicat,nisi pęnitentiā habueritis omnes simul peri-
bitis: tribuit etiam hic virtutem martyrio dicens,
Omnis quicunque confessus fuerit me coram
hominibus,&c.Omnis dixit,vt intelligas & iustos
& peccatores posse huius gloriæ esse participes.
Nam martyrium vt Cyprianus ait, tam baptisma Cyp.de singu.
appellatur, quā corona:quia baptizat & coronat. lari.clerico.
Sic beata Emerētiana suo sanguine fuit baptizata.
Nam si saluus fit,qui propter Deū aquam suscipit,
quare non qui propter Deum sanguinem & vitā
fundit?Nā Deus qui dolorem peccatorum & con-
tritionem acceptat: quantò libentius martyrium
acceptabit pro ipso receptum?grauiùs enim est, &
ex suo genere laudabilius,mortē subire pro Deo:
quā pœnitentiā peccatorū.Certe agrestis ille esset
& inhumanus inter homines habitus, qui si aliqua
iniuria esset illata,& qui illam intulit mortem pro
pter ipsum subiret,non illi libēti animo parceret.
Quantò igitur liberaliùs & magnificentius pijssi-
mus dominus illius peccato parcet: qui sanguinē
simul & vitā pro ipso fundit?Ipsum nāque marty-
riū in virtute cōtinet pęnitentiā,& sufficiēs reme-
diū est ad salutem:& ita fas est credere,quod qui li
bēti & spōtanea volūtate vitā pro Christo amittit,
si tēpus illi cōcederetur,sine dubio pęnitentiā age
ret peccatorū. Nā adest nobis illa firma, stabilisq;

sentẽtia, omnis qui me cõfessus fuerit corã hominibus, filius hominis confitebitur illum corã Angelis Dei, Sed apud homines nulla maior cõfessio esse potest, quàm illa quę fit cũ dispendio vitæ. Igitur, &c. *Qui autẽ negauerit me corã hominibus, negabitur corã Angelis Dei.* Si dicat se nõ esse Christianũ, vel Christũ non esse Deũ, siue hoc faciat in persequutione, siue nulla persequutione addita: immortali delinquet. Sic infideles & hæretici Christũ abnegant. Sic etiã multi iniqui & peruersi peccatores suis operib⁹ & factis Christũ nõ nosse ostẽdũt, ore autẽ illũ cõfitentur: De quibus Apostolus ait.

Tit.1. Galat.3 Cõfitentur se nosse Deum, factis autẽ negant. Aduersus quos percitus ira Paulus ait. Ostende mihi fidẽ tuã ex operibus. Vitã degis quasi non moriturus? Operaris, quasi nõ redditurus rationẽ in die iudicij? Quid tibi prodest, Deũ credere, & sine Deo viuere? Auarus Deũ negat, & pecunias pro Deo colit: *Ephes.5* Quia vt Paulus ait: Auaritia est idolorum seruitus. Prælatus etiã, & quicunque ille sit, qui suorum nõ habet curã maximè domesticorũ, fidẽ negauit, *1.Tim.5* & infideli est deterior. Multi etiã dicent in illã die, *Matth.7* domine domine nonnè in nomine tuo dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus, &c. Dicam eis, Nescio vos, Cur illos negabit Christus? Certè quia opera non habuerunt. Et ideo subdit. Discedite à me operarij iniqtatis. Sed quomodo Christus aliquẽ negare dicitur, qui omnes nouit & mentiri nõ potest? Negare dicitur, id est reprobare & damnare. Nã sicut cõfiteri aliquẽ, est ipsum laudare & approbare, & pro bono opere retribuere, ita negare aliquẽ, est ipsum tanquã malũ vituperare, & malum iniquitatis suę infringere. *Matt.25 Psalm.148* Illos enim negat, quibus dicit, ite maledicti: quia eos dãnat Sic fatuis virginibus dicit. Nescio vos. ¶ Prætereà dicere Dei est facere. ipse dixit & facta sunt: ipse mãdauit & creata sunt. Negare ergo Dei est ad nihilũ redigere: sicut dicere, est dare esse rei, quæ nullum esse habet. Sed dices, nũquid dãnati redigentur in nihilũ? Minimè. Ideò aduerte, quòd negare est duplex. Aliud negare simpliciter, & aliud coram patre & angelis eius. Si Christ⁹ negaret dãnatos simpliciter, in nihilũ eos redigeret. Sed negare corã patre, est illos destituere & orbare illis bonis æternis, quæ pater & angeli possident. ¶ Aduerte etiã quod prius explicuit præmiũ, quod daturus est bonis, qui illum fuerint cõfessi corã hominibus, & posteà pęnã, qua in eos debet animaduertere, qui eũ abnegauerint, quia magis naturale est Deo retribuere, & soluere, quã punire. Et cũ per Matthæũ de die iudicij loquitur, *Matt.25* prius explicat retributionẽ bonorũ dicẽs: Venite benedicti, &c. quã sentẽtiam malorũ. *Et omnis qui dicit verbũ in filiũ hominis remittetur illi, ei autẽ qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.* Duo dederat pręcepta. Alterũ ad vitandum fermẽtum pharisęorũ, alterũ ne corporis interfectores timerẽt. Primum pręceptũ cõfirmatum erat ex vanitate hypocrisis, ex alio capite modo id ostẽdit, scilicet quod nullã habeat remissionẽ nec veniã. Quia fermẽtum pharisęorũ adeò erat corruptũ & cõtaminatũ, vt nulla remissione esset dignũ. Ad hoc enim propositũ subiungit hęc verba. Pro quorum maiori declaratione aduerte, quod de peccato in Spiritũ sanctũ variè loquuti sunt autores. *Opin. de pec. in Spir. sanct.* Alij appellãt negationẽ Christi, aut apostasiam. Alij cùm videãt omne peccatũ quanuis grauissimũ remitti in hoc sęculo, dicunt esse finalẽ impœnitentiam: & hoc dicunt peccatum esse in interitum, de quo Ioannes loquitur. *1.Ioan.5.* Aliqui quodlibet peccatum post baptismum commissum. Alij obdurationem & obstinationem in peccato cùm voluntate nunquam amplius pœnitendi. Alij tamen credunt peccatum in Spiritum sanctum esse desperationem de diuina misericordia ex malitia prouenientem: & non ex ignorantia vel passione. Alij verò dicũt esse quodcunque peccatum letale commissum ex malitia siue consulto & data opera, quod quidem diuidunt in sex species, quę sunt pręsumptio, desperatio, obstinatio, impęnitentia, impugnatio veritatis agnitæ, & inuidia charitatis fraternæ: quia hæc omnia aduersantur bonitati Spiritus sancti, & ex diametro opponũtur principio siue dispositionibus iustificationis nostræ, & remissioni peccatorum nostrorum, quæ peculiariter dicitur opus Spiritus sancti. Sed saluo meliori iudicio nullum istorum ego crediderim peccatũ esse in Spiritum sanctum. Nam Christus apertè distinguit peccatũ in Spiritum sanctum, & peccatum in filium hominis: & tamen peccatum in filium hominis ex malitia potest cõtingere, & in eos quis potest obdurari & decedere: sicut verisimile est decessisse aliquos ex eis qui Christum voracem appellarunt, & potatorem vini. Nam inter illos fortè illi fuerũt, quibus Christus dixit, In peccato vestro moriemini. *Matt.12* Prætereà ab huiusmodi peccatis, quæ appellantur in Spiritum sanctum plerunque homines solent respicere, & in vitam vocari. *Ioan.8* Neque verò simile est tot homines committere hoc peccatum in Spiritũ sanctum, qui impœnitentes decedunt. Dicendum igitur est, peccatum in Spirtum sanctum, Christum vocasse blasphemiam: qua opera & miracula diuina virtute facta, tribuuntur ipsi dæmoni. Et huiusmodi blasphemiam crediderunt esse peccatum in Spiritum sanctum, grauissimi & eximij doctores Ecclesię: vt Hilarius, Athanasius, Hieronymus, Ambrosius & Chrysostomus, & ex scholasticis Durãdus. *Hilar. canone 12. in Mat. Hilar. lib. 1. commen. in Matth. cap. 1. Amb. lib. 1. de pæn. c. 4. Chry. hom. 42. in Mat. Duran. 2. d. 43. q. 1. Mar. 3.* Quod quidem satis videtur expressisse Marcus, cum post verba hæc statim adiicit, reddens causam. Quoniam dicebant, spiritum immundum habet. His nanque verbis satis explicuit Euangelista fulminatam esse illam sententiam de peccato in Spiritum sanctum, quia ipsum calumniabantur: & habere spiritum immundum dicebant. Et hic noster Lucas peccatum in Spiritũ sanctum blasphemiam appellat: nã cùm voracem illũ, & potatorem appellarent, & publicanorum amicum, patienter id tulit: & iniuriam sibi illatam, tanquam si esset in alium hominem paulisper dissimulauit. Cùm verò (vt solet) contumelia creuit, & ad blasphemiã vsque diuinitatis vidit pertingere, (ne iniurias diuinę maiestati illatas tanquã nostras putaremus dissimulandas) constãter & virili animo respondit, Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur, &c. Et illud. Ego dęmoniũ nõ habeo. Atque vt scirẽt, quanto se reatui addixissent, vel certè vt cauerent, ne perseuerãtes in ea blasphemia, eo peccatum illorũ perueniret, vt nullus esset locus venię, subiũxit, quæ de peccato in Spiritum sanctum commemorauimus. ¶ Ratio autem cur vocauit peccatum in Spiritũ sanctum hãc blasphemiam est, quia quanuis opera Trinitatis ad extra sint diuisa, tamen quia iustificatio & sanctificatio nostra

nostra tribuitur spiritui sancto, & ea miracula quę in ipsa iustificatione fiunt: ideo qui ea dęmoni tribuunt cēsendi sunt peccare peculiariter in personā Spiritus sancti, saltim per appropriationē. ¶ Et attēde quòd nō omnis huiusmodi blasphemia est peccatum in Spiritū sanctū, quod Christus nūquā remittendum asseruit, sed illa tantū, quę ex malitia ꝓcedit & ex impietate. Si enim quis nō data opera, nec ex industria sed ex ignorātia Christo & ipsius operibus detraxisset, nō is cēsendus foret peccare in Spiritū sanctum: Qua ratione concedimus Paulum blasphemum fuisse, non tamen peccasse in Spiritum sanctum: quia ignorans fecit: & ideo misericordiam est consequutus. ¶ Obseruandum prætereà, quod licet huiusmodi blasphemia possit dici peccatum in Spiritum sanctum quod nunquā remittetur: fortassis tamen requiritur certa aliqua & maxima obduratio & obstinatio animi & tantæ propensio ad infirmandā & euertēdam gloriā & claritatē diuinam, vt nō facilè mortalium aliquis explicare queat, quando quis peccat in Spiritū sanctum. Nā quāuis huiusmodi blasphemia, si scienter fiat ex genere suo peccatum sit in Spiritum sanctū: tamen non omnis talis blasphemia cēsenda est esse peccatum in Spiritum sanctum, quod nunquā veniam consequetur: & incertū est à quanta malitia procedere debeat, vt bene sciatur, nullā esse illi veniā futurā. ¶ Hactenus ostendimus, quid sit peccatum in Spiritū sanctum, & quare sic vocetur. Restat nunc scire, quare irremissibile dicatur hoc peccatū blasphemię. Ad hoc dupliciter respōdeo. Primò quod irremissibile sit quo ad pœnam tēporalē, quam Christus talibus peccatoribus infert. Nā cùm Christus Hebręus esset more Hebręorum loquebatur: & ipse qui condiderat scripturas, ad earum normam loquutus est. Sic dicit Paulus, Esau, non inuenisse locū pœnitentię etiam si cum lachrymis postulasset. De Saule etiam dixit dominus ad Samuëlem. Quid luges Saulem, cùm ego eiecerim eum? Et de Iuda, Hieremię dicitur. Si steterint Moses & Samuël coram me, nō est anima mea ad populum istum. Et de eodem Iuda, dicit dominus, Nō pascam vos: quod moritur, moriatur. Virgam meam quæ vocatur decus (idest Iudam) abscidi, vt irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis. Nunquid Deus ita abscidit Iudam, vt ex necessitate eius culpa punienda esset in inferno? Minimè. Nunquid peccatum gulę Esau quo ad culpam fuit irremissibile, aut etiam Saul à peccato inobedientię non poterat resilire? Quis hæc credat? Certum est quod in pœnitentiā adduci poterant, & salui fieri, & nullum est peccatum quanuis grauissimum, quod venia careat. Sensus ergo est eorum locorum, quæ adducta sunt. Peccata dicta Iudæorum & Esau, & Saulis, ideo irremissibilia appellari: quia decreuerat Deus propter illa peccata eos à pristino gradu, sede, & honore deiicere, & in eundem nunquam perpetuo illos reuocare, vt ipsa rerum docuit experiētia. Eodē igitur sensu propter blasphemiā, qua dixerunt Iudæi, Christum habere spiritum immundum, in cuius virtute operabatur miracula, decreuit Deus ab honore, dignitate & loco eos deiicere in perpetuum. Et ita factum est. Quocirca eorum peccatum indignum venia appellatur, quoad pœnam hanc temporalem: dignum verò venia si ipsi pęnitentiam agerent, & conuerterentur.

1.Timo.1

Peccatum in Spiritum sanctum quare irremissibile.

Hebr.12

1.Reg.16

Hier.15

Zach.11

¶ Secundò quanuis loquamur de spirituali pęna, hoc est, quod talis peccator nunquam consequeretur gratiam, nec remitteretur ipsius peccatum quoad culpam, sed quòd sine vlla condonata venia cruciandus est in inferno, dico quod isto modo peccatum in Spiritum sanctum dicitur, id quod omni prorsus caret venia, quia nunquam de facto remittetur, quanuis possit remitti. Neque tamē per hoc quod peccatum in spiritum sanctum nunquam alicui remissum esse, neque remittendum asseruimus, consequens est, vt & illud nullam habere remissionem secundum legem concedamus. Multa quippe secundum legem fieri possunt, quæ tamen nunquam fient. Poterit nanque Antichristus & quilibet reprobus secundum legem quandiu fuerit in hac vita saluus fieri: sed in rei veritate nunquam saluus erit. Certi etiam sumus, quia Ioannes inquit, neminem ingressurum esse ciuitatem Dei, nisi qui scriptus est in libro vitæ: & possunt qui scripti sunt in libro vitæ, quandiu hìc viuunt, secundum legem condamnari: certi tamen sumus, id nunquam futurum. Neque violenta ista expositio censenda est. Multi nanque grauissimi autores contemnentes rigorem scholasticum sequentes scripturam, & vulgarem loquendi modum imitantes, sæpè dicunt impossibilia quæ nunquam fient, & necessaria quæ certò scimus futura esse, & facienda à Deo. Vnde fit, vt hę veræ sint. Necesse est impleri scripturas, & electos saluos fieri: & præscitos condemnari. Et fieri nō posse, vt pereant, qui scripti sunt in libro vitæ, & neminem posse eos rapere de manu patris: & alia multa occurrunt, quæ contempto rigore dialectico interpretanda sunt. Nec aliquis euangelistarum asserit hoc peccatum irremissibile, sed quod non remittitur. Quod quidem verbum obseruatione dignissimum est, quia insinuat quod de facto non remittetur, licet ex se remissibile sit. Et hæc satis sint de peccato in Spiritum sanctum.

Apoc.21

¶ Vnum tamen antequam ad alia gradum faciamus operæpretium est obseruare: quod ex verbis, quæ Matthęus addidit, loquens de hoc peccato scilicet quòd non remittetur neque in hoc sæculo neque in futuro, apertè colligitur purgatorium esse, & peccata in alio sęculo remitti: nam si nullū peccatū in futuro sęculo remitteretur, superfluo sermone vsus esset Christus, apponendo, nec in futuro: vtriusque ergo sęculi distinctè seorsum & pari contextu mentionē faciens significauit aliqua peccata remitti in hoc sęculo, & aliqua in futuro. Ex quo duo colliguntur, scilicet purgatorium in futuro sęculo: & remissio peccati quod in hac vita non fuit condonatum. Scriptura etiam in secundo Machabęorum testatur. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluātur. Et Paulus ad Philippenses. In nomine Iesu omne genu flectatur, cęlestiū, terrestrium: & infernorum. Et Ioannes in Apocalypsi. Nemo poterat in cœlo, neque in terra nec subtus terram, &c. Ex his planè colligitur subtus terram aliquos esse, qui nomini Iesu genua flectant, spem habentes in eo, & qui tribuant sedenti super thronum singulari quadam pietate sanctam benedictionem. Et quare obsecro inuenti erant digni, vt librum possent aperire: nisi q̄a mortui sūt in fide vana? Non in inferno vbi dānati sunt, quia vt inquit Esaias, nō infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.

Purgatorij assertio.

2.Mach.12

Philip.2

Apoc.5

Esai.38

Psal.6

Et Psalmus. In inferno (scilicet vbi damnati sunt) quis confitebitur tibi? Accedit & Pauli autoritas, qui Corinthiis ait. Si quis autem superędificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fęnum, stipulã, vniuscuiusq; opus manifestũ erit: dies enim domini declarabit quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus qualis sit, ignis probabit. Vbi beatus Paulus de purgatorio loquitur, & sic hoc testimonium Pauli intelligunt & interpretantur diuus Augustinus, Hieronymus & Origenes & ferè omnes. Sed de hac re multa aduersus Lutheranorum impietatẽ & malitiam poterant adduci, quæ nos breuitati consulentes consultò aliis omittimus. *Cùm autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus & potestates: nolite soliciti esse qualiter aut quid respõdeatis, aut quid dicatis.* Duplex nostra infirmitas. nam propter timorem pœnarum martyrium fugimus, vel propter simplicitatem. Propter timorem dixit eos non metuendos, qui corpus occidunt, cùm animam immortalem occidere non possint. Vel ob simpliciatem, & ob id dicit tum temporis nõ nos sed Spiritum sanctum pro nobis esse loquuturum. Nam alius tunc erit concionandi modus: & nõ nostrũ, sed Dei bellum est. Quanuis sitis ignorantes, imbecilli & humiles, non est quod timeatis mundi tumultum ad uersus vos irruentem. Sufficit vobis spiritus Dei benignus ac simplex aduersus omnem mundi potentiam & fraudem. Nam si verbum Dei in vestris præcordiis habitat: quomodo deesse poterit vobis in ore magnum eloquentię flumen, & verborum copia & abundantia? Veritas ipsa quã vos profitemini nõ eget externo verborũ lenocinio nec oratione fuco cõposita. Per se enim satis pulchra est & decora, satis firma & stabilis: falsitas verò fuco indiget, ne comprehedatur. Hinc est quòd homines sua mendacia multis verbis componũt. Sic cõsuescũt facere oratores, philosophi & poëtę. At scriptura sacra nulis verborum eget ambagibus, sed veris & simplicissimis verbis est tradita.

Aug. li. 22. ciui. ca. 24. & in Enchi. ad Laurẽ. ser. 4. & lib. 50. ho. homi. 16. & in Psal. 37 Hieron. in fine commen. Esai. Orig. hom. 12. super Esa. Gr. 4. dia lo. & habetur dist. 25. cap. qualis.

¶ Notabis præterea Apostolos potuisse prędicare sine aliqua speciali reuelatione ex doctrina quã acceperunt à Christo & ex habituali infusione qua imbuti sunt in die Pentecostes. Secus autem deberẽt facere, quando ad præsides ducerentur, & ab eis varia quærerent, tunc enim nulla certa notitia priùs data sufficeret, sed oporteret, actualem reuelationẽ illis fieri. Secundò quia priùs præmeditari deberẽt: quia ad prædicandum priùs cogitabant, quid dicturi essent. At verò coram præside interrogati, protinùs respondere tenebãtur, & sic à seipsis habere non poterant, quid rectè statim essent responsuri. Tertiò & præcipuè timoris causa: quia timor etiam sapientis animum conturbare solet, & sæpè facit imperitè & ineptè loqui: ideò oportuit, vt actualiter diuinus spiritus tunc eos illustraret, vt rectè ad interrogata responderent. ¶ Ad nostram verò eruditionem duo hîc docemur. Primò ne ea, quæ diuina sunt, & quæ humanum captum superant nostris viribus aggrediamur, qualis est prædicatio verbi Dei: alioqui in vanum laborabimus, cùm nec exteriora ipsa si nostris viribus innitamur, fœliciter succedant. *Num. 21* Sic filij Israel suis viribus cõfidentes infœliciter pugnauerunt cõtra Chananæos. *Iud. 20* Sic vndecim tribus de suis viribus & multitudine pręsumentes contra Bneiamin ter victi fuerunt. *1. Reg. 4* Sic idem populus contra Philisthæos sine vlla si le in Deũ in arca tãtum cõfidens bellũ iniuit. Vnde Esaias. *Esai. 30* Vę filij desertores, vt facerent consilium, & non ex me, confidentes in fortitudine Ægypti. Propterea subdit statim. Ob id erit vobis Ægypti fortitudo in confusionem. Nec alia de causa nostra consilia toties irrita fiunt, nisi quia nostris viribus fisi ea aggredimur, nec Dei auxilio confidimus non attẽdentes, quòd non tam labor noster, quàm benedictio domini diuites facit. *Prouer. 10* Hinc est quòd patres illi veteris testamenti: magnum aliquod facturi, ad orationem confugiebant. Sic Moses pugnaturus contra Amalech, orauit. *Exod. 17* Sic Iosaphat cùm audiret hostes superatos esse atque deuictos oraturus abiit. *2. Paralip. 20* In nobis (inquit) non est tanta fortitudo. Si hæc in aliis necessaria sunt, multò magis in prædicatione Euãgelij: quod quia nõ facimus ferè nihil fructus Deo afferimus. Sicut enim cythara animos audientium nõ captat & allicit, sed qui eã pulsat: sic nisi Spiritus domini linguam nostram mouerit, frigidum, & nullius vtilitatis erit, quod loquimur. Dei opus est, & causam ipsius agimus, & ille docebit nos. *2. Tim. 4* Sic Paulus. In prima mea defensione nemo mihi astitit: sed Deus astitit, & eripuit. Et ad Romanos. *Rom. 15* Nihil audeo loqui eorũ, quæ per me nõ effecit Christus. Et ad Corinthios. *2. Cor. 2* Deo (inquit) gratias, qui semper triũphat per nos, & odorẽ iustitiæ suæ manifestat ꝑ nos. Docemur secundò omnẽ spem nostram in Deũ ipsum reponere & collocare. Nam si nauis fixam anchoram habuerit, à ventis & tempestatibus secura erit, aliàs huc & illuc rapta tãdẽ demergetur. Sic tu in Deũ, qui immobilis & firmus est, iacta cogitatum tuum, & ipse te enutriet. *Psalm. 54* Sic Ioseph, Iacob, Helias, & Susanna, in domino fiduciã habebant. Quapropter in Psal. dicitur, Beatus vir cuius dominus spes eius. *Psalm. 39* Sic liberauit Loth à Sodomis, *Gene. 19* & tres pueros in fornace ignis. *Dan. 3* *Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.* O fęlix tribulatio & angustia, quæ organum spiritus sancti nos efficit. Quale obsecro illud erit pectus, à quo verba Spiritus sancti promanãt? Rationi esset consonũ, vt præsides illi & sapientes mirarentur hominũ illorũ & dicta simul, & facta, & vt cogitarent & in animũ suum inducerent, vera esse quæ sancti illis narrabant. Vnde & ipsi dixerunt, *Act. 4* Vnde ista est sapientia? Et ita Paulus. *Rom. 8* Ipse spiritus adiuuat infirmitatem nostrã. *Act. 6* Et sic etiã de Stephano legimus ꝙ non poterant cõtradicere sapiẽtiæ, & spiritui, qui loquebatur. Expende etiã quomodo Christus (vt inquit Dauid) sit adiutor in necessitatibus & tribulationib⁹. *Psalm. 45* Adest enim spiritus patris filiis suis suã rẽ & negotiũ agentibus. ¶ Præterea quomodo Spiritus sanctus homines suos milites facit, vt pro eo bellũ suscipiãt? Quid opus est, vt in apostolis loquatur? Nã si Spiritus Dei vult fidẽ augeri & propagari, iubeat & factum erit. Vult enim humanas res humanè tractare. Homines vult hominum verbis cõuerti. Disponit omnia suauiter, & *Sapien. 8* ea ratione, qua homines ea disposuissẽt. Sed iã prosequamur historiam, & nostrũ Euangelistã audiamus. Ait autẽ ei quidam de turba. *Magister dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem.* Fac diuisionẽ rei & facultatũ inter me & illũ. Malè iste est loquutus. Primò quia auaritia motus, hęc fuit loquutus, vt liquet ex Christi verbis, quæ sequuntur statim: quia inde sumpsit sibi ansam cõtra auaritiã disputãdi. Secũdò malè petiuit, quia licet ista diuisio licitè pos

citè pos

citè posset fieri, nõ tamen illam oportuno tempore postulauit: quia Christi prædicationem & sermonem interrupit: nam cùm Christus diuina & supiritualia ageret, ille sermonem intulit de rebus temporalibus. Tertiò quia id à Christo petebat, quod minimè ad ipsius munus & officium spectabat: nam diuina omittere saltim per aliquod tempus: cùm Christus nõ venerit terrena acturus: sed vt nos cœlestia doceret, & regnum Dei nobis aperiret. Ideo Christus ipsius petitioni noluit acquiescere, sed asperè resp õdit. *At ille dixit. Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem supra vos?* Quanuis talis diuisio licitè posset fieri, saluator verò, vt pote qui corda hominum inspicit, cum cognosceret, hanc petitionem ex auaritia prouenire, illam noluit facere. Et aduerte quod vocat hunc, hominem dicẽs, O homo, quæ vox sonat vitium & quod carnem sapit: iuxta illud apostoli. Cùm sit inter vos
1.Cor.6 zelus & contentio nonnè carnales estis, & secũdũ hominem ambulatis? Docet Christus suos exẽplo temporalia & terrena contemnere: & consiliũ prædicatoribus suis proponit, vt semper vitent sęcularia negotia, vt etiam si nimis inuitentur & obiiciẽtur, negotia mũdana fugiant: nam hæc nihil ad munus prædicationis conferunt. Quod posteà Paulus
2.Tim.2 Timotheo scripsit, dicens. Nemo militãs Deo implicat se negotiis sęcularibus. Noluit Christus ea, quę maioris momenti & ponderis erant, propter leuia & sęcularia relinquere. Quod sequuti apo-
Actor.6 stoli dixerunt. Non est ęquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Sed iam multos eorũ videbis qui de sorte domini sunt, qui postquã rem sacram celebrarunt, mille se implicant negotiis & quæstibus, & corda sua his cupiditatibus tradunt: & ita omnem diem & noctem his studiis cõsumunt, non operam dantes lectioni sacrarũ scripturarum, nec contemplatiuæ vitæ, ad quam electi fuerunt. O quantum distant cogitationes istorum à munere & statu, quem acceperunt. Videbis etiã multos religiosos prædicatores, qui vitam degũt in curiis & in domibus regum & principum, semper cum sęcularibus agentes, & sęcularia tractantes. Videntur hi mihi similes Centauro illi, quem poëtę fingunt, qui medio corpore effigiem hominis ferebat, reliquo autem medio figurã tauri. Sic prædicator qui se negotiis publicis & sęcularibus ingerit, partim homo, & partim belua appellari potest: quia spiritualis simul & carnalis est. Sed de his aliàs. ❡ Sed cùm mali (vt iam superiùs) ex quacunque leui occasione malũ eliciãt, & peccata committunt, ita è contrario boni, ex leui causa occasionem sibi sumunt ad bonum faciendum. Et ita ex quæstione auaritiæ quam iste coram domino proposuit, Christus redemptor noster ansam sibi arripuit, vt salubrem cœlestem doctrinã populum doceret. Atque ita sequitur. *Dixitque ad il-*
Auaritia excecat. *los, Videte & cauete ab omni auaritia.* Singula hæc verba obseruanda sunt. Non dixit Christus hoc soli illi homini, sed omnibus qui ibi aderãt: nam vt Hie-
Hier.6 remias ait, à minimo vsque ad maximum omnes auaritiæ student. Pręterea, Videte, ait: quia auari cæci sunt, vt aperiant oculos mentis, & videant, quàm impium sit pecunias diligere. Et vt videant, & considerẽt, quod in mortis hora nihil secum deferent, sed omnibus spoliabuntur, & tãtum veteri & vili sindone induentur. Videant etiam, quàm nullius momenti sint omnia illa, quæ diligunt, & in quæ oculos suos & mentem coniiciũt. Et ita diuus Paulus omnia hæc tanquam stercora re- Philip.4
putabat. Videant etiam cæcos esse, quia nec seipsos cognoscunt, neque vllus auarus est, qui talem se esse iudicet. Omnes nanque auari falsi vana cogitatione liberales se iudicant, sapientes & cordatos, ipsi verò alios putant insanos esse, dementes, & prodigos, & humanarum laudum amicos & cupidos. Et si aliquid hi auari, vel semel in vita distribuerunt, semper id memoria secum repetunt, & altis præconiis declarant, & inde fit, vt hoc vitium difficillimè medicinam accipiat. Nã quemadmodum si ob oculos & coram magno luminis splendore vas aliquod micans siue speculum verso apposueris, vis oculorum statim splendore ipso obtenebratur & obcæcatur, ita etiam hi pecuniæ splendore & suæ auaritię cupidine cæci ambulãt, & in miseris tenebris delitescunt. Videte inquit (ait Christus) & cauete ab omni auaritia.

❡ Ab omni ait, vt insinuet tam in paruis quàm in magnis penitùs auaritiam esse fugiendam. Nã 1.Timo.6
radix omnium malorum est cupiditas. Huius cu- Iosua 7
pidinis causa Acham fuit lapidatus & interfect⁹, 4.Reg.5
Giezi lepra coopertus, & Heliodorus asperè & ri- 2.Mach.3
gidè vapulauit: & iniqu⁹ ille traditor Iudas seipsũ suspendit, & denique repentino & infœlici obitu Matth.27
Ananias & Sapphira vitam finierũt. Illam autem mortem magis debes timere & expauescere, qua Actor.5
scilicet anima interit in gehenna crucianda. Vnde Apostolus ait. Auarus non habebit hæreditatem in regno Christi & Dei. Propter quod Christ⁹ mo- Ephes.5
net illos, vt caueant ab omni auaritia. Si quis peritus medic⁹ tibi diceret, caue ne de illius herbę succo aliquid auidiùs bibas, quod si feceris, subito morieris: non dubito, quin nisi propriæ salutis esses euersor, consilium acciperes. Nunc verò tam corporis quàm animæ cœlestis medicus, simulque dominus iubet auaritiam fugere, & temporalium rerum solicitudinẽ tanquam mortiferum succũ relinquere: & tu ab eis non vis absti nere? Præterea quanuis ille medicus peritus sit, & rectè suam facultatem calleat, nihilominus errare potest, & se ipsum decipere, cùm ille homo sit, & tamẽ suis pręceptis & verbis acquiescis & optẽperas: cũ igitur Dei mandatis non debitã obedientiã pręstas, qui nec fallere, nec falli vnquã assueuit? Ipse enim ait. Cauete ab omni auaritia. Hoc igitur est quod cælestis hic medicus nobis parat. Quod autẽ Christus medici fungatur officio, satis apertè cõstat, cũ ipse dixerit se medicũ esse illis verbis. Non egent Matt.9
qui sani sunt medico, sed qui malè habent. Et subdidit. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Tanquã medicus præceptũ posuit Adã, & dixit. De li- Genes.2
gno vitę ne comedas: in quacũq; enim hora comederis, morte morieris. Si igitur tu hominis verbis qui facilè errare potest, fidem adhibes, & ab eis cibis te abstines, quæ ipse præcipit, & id solũ vt corporis vitam & incolumitatem tuearis: quantò ob secro iustius erit, vt verbis Christi redẽptoris nostri acquiescas, quo fiet vt non incolumitatem & salutem corporis, sed potiùs immortalem animam tibi conserues, & liberam & saluam facias?

❡ Ad auaritiã igitur fugiamus. Primo qa ipsa fidẽ, Auarus idolatra.
spẽ, & charitatẽ quas Deo deberet, tribuere in creaturas refert. nã de fide clarũ id est, cũ auarus meli⁹ sentit de diuitiis, & poti⁹ eis credit q̃ Deo. Credit nãq; firmo animo ꝙ necessaria semper habebit, si

diuitiis

diuitiis seruitutem præstiteris:& credit se fame periturum, si Deo seruiat: quasi Deus nõ ita bonè solueat his, qui ipsi deseruiunt, sicut diuitiæ suis amatoribus & sectatoribus. Duabus enim de causis cõtingit, vt quis suo obsequio mancipatus nõ prouideat de necessariis vel quia non potest, vel quia nõ vult: quarum neutra in Deo reperiri potest, cũ sit summè omnipotens, & ipsum bonitatis principiũ & origo. Spem etiam qua suam fiduciam in Deũ deberet iacere, auarus diuitiis tribuit. Item etiam contra charitatem agit, quia omnem amorem & conatum illis adhibet, & illas Deum suum existimat, quia, vt Paulus ait, Auaritia est idolorum seruitus. Nõ minus peccat, qui pecuniam insatiabili auaritia cõgregat: quàm ille, qui idolis & sculptilibus obsequium præstat. Idolis certè dicendus est ille inseruire, qui creaturis ipsis fruitur: quique debitam omnem reuerentiam, quam Deo deberet tribuere, ipsis creaturis præstat. Ideo propheta Oseas. Secundum multitudinem fructus sui Israel multiplicauit sibi altaria, &c. ¶ Secundò cauenda maximè est auaritia, quia si auarum pecuniis onerauerís, adhuc magis sitiet. Et inde Sapiens dicit. Auarus non implebitur pecunia. Non enim satiatur auarus, nec eius sitis extinguitur. Primo quia ipsa anima quæ Dei capax est, non potest impleri nisi Deo ipso. nam cum omnia, quæ sunt in mundo, minora sine vlla collatione sint quàm De⁹, nõ potest anima his terrenis rebus impleri. Omnes mundi opes, facultates & diuitiæ si cum Deo conferantur, velut minima aquæ gutta sunt. Secundò quia insatiabilis appetitus auari est sicut ignis, qui nunquam dicit, Sufficit. Anima calida (ait Ecclesiasticus) quasi ignis ardens. Et in Prouerbiis Salomon. Ignis nunquam dicit, Sufficit. Ignis nanque nõ extinguitur, si ei apposueris ligna sicca, sed maius incrementum accipit. Secundum ligna syluæ (ait Ecclesiasticus) exardescit ignis. Sic dum magis locupletatus fueris, & maiores congregaueris diuitias: minus cupiditatem tuam explebis. Tertiò quia diuitiæ, quas auarus acquirit, illum locũ non ingrediuntur, vbi sitis illarum residet, ideo non extinguitur sitis. Nam sicut vinum in dolio nõ extinguit sitim corporis: sic nec pecunia in arca sitim auaritiæ. Non enim sitis est in arca, sed in appetitu, in quo pecunia esse non potest: quia quod spirituale est, minimè corporali impleri potest.

Colos. 3 / Osee 10 / Eccle. 5 / Eccles. 23 / Prouer. 30 / Eccle. 28

¶ Tertiò cauendum est ab auaritia, quia nec tempore consumitur, sed in dies in peius crescit. Et ratio est, quia cũ sensibus calor naturalis simul & vita deficit: ita his auaris semper videtur, necessaria ad victum & vestitum esse defutura.

¶ Quartò hanc mortiferam pestem à nobis debemus propulsare, quia nemo adeò inhumanus & crudelis est, vt sibiipsi auarus. Caret enim charitatis & pietatis visceribus: fratrem nescit, matrem ignorat, propinquos & consanguineos velut extraneos reiicit: & seipsum fame cõsumit, & sibiipsi crudelis & inhumanus est. Qui sibi nequam, cui erit bonus? Nullum adeò est graue flagitiũ & scelus, quod auarus non audeat committere, quando quidem in seipsum crudelitatẽ exercet. Nihil boni efficit, nisi iamiam moriturus. Qui auaritiæ diuitiarum studet, prodigus est honoris: & qui ad mercedem, vel solutionem respicit, non veritatem inspicit. Qui verò aliis vitiis se tradũt etiam si sibi ipsis mali sint, tamen vtiles sunt aliis, & emolumẽtum aliis afferunt. At auarus nec sibi, nec aliis est bonus: ideo Ecclesiasticus dixit. Auaro nihil scelestius in cælo nec in terra, nec in inferno. Nemo ita pauper est, sicut auarus: nam nulla maior paupertas esse potest, quã omnibus prorsus bonis carere. Ita auaro omnia deficiunt: nam & iis, quę possidet caret, & iis quæ non habet. Non possidet, quod non habet, & eius quod possidet, non est dominus, sed mancipium. Alij peccatores si non gaudent, nec fruuntur alia vita, saltem in hac voluptates & oblectamenta accipiũt. At auarus nec isto sęculo nec futuro gaudet. Vnde colligitur illũ esse omniũ infœlicissimũ. Ardet in hac vita igne cupiditatis: in futura autem igne inferni torquebitur & comburetur. Circuit terram, & perambulat eã: sicut pater suus diabolus. Fugiamus obsecro hanc perniciosam & pestiferam feram: quandoquidem cęlestis medicus iubet, ne nos illa coinquinemur. Nec debemus ita nos præcipites dare, ad amãdas huius sęculi diuitias, ne nos eiiciat De⁹ à regno suo quemadmodum reiecit milites illos, qui euntes in bellum Madian proni aquam bibebant. Sunt enim diuitiæ, velut aquæ, quæ fluunt & refluunt, nam hodie vnus eas possidet, mane verò iam illis est spoliatus: sed ex eis nobis tantum sumamus, quod necessarium nobis fuerit ad vitam degendam, oculos conicientes in cœlum. Et subdit dominus aliam rationem, quare auaritiam debeamus fugere præter iam dictas. *Quia non in abũdantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet.* Vita enim hominis non consistit in abũdantia facultatum & diuitiarum. Rerum nanque temporalium affluentia non facit hominem diutiùs viuere, imo sæpiùs solet esse occasio vt citiùs intereat. Videmus enim frequenter diuites qui ciborum varietate vtũtur, citiùs vitam finire: & paucos reges inuenies qui numerum sexaginta annorũ impleuerint, multos verò rusticos & agrestes, qui laborib⁹ manuum victum & vestitum quærunt, qui & cẽtesimum attingunt. Equidem in rerum abundantia vita hominis non consistit: nam videmus, quòd statim in prima mundi conditione homines viuebãt quingentos & octingentos annos & aquam bibebant, & parcis epulis vescebantur, & perizomatis se induebant. Nunc verò qui maiorum diuitiarum copia abundant, breuiùs vitam finiunt. Ergo vita hominis non est in abundãtia rerum. Et vt hoc Christus moneat, & vt nostram cęcitatẽ ostendat, qui existimamus beatitudinem & fœlicitatẽ positam esse & constitutam in rerum affluentia, & in hoc etiã diuturnam vitã consistere, exemplũ adducit de diuite quodam grandi rerũ supellectile locupletato, qui pręter suã opinionẽ, & priusquàm ipse cogitabat, mortẽ obiit, quo exemplo docet fugiẽdam esse auaritiam, nam non liberabit nos à manibus mortis pecuniarũ copia. *Dixit autẽ similitudinem ad illos, dicens. Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager tulit.* Deus in hac vita multa bona tẽporalia etiã ipsis peccatoribus cõcedit, vt saltim his bonis alliciãtur, & cognoscãt dominũ benefactorem suũ. Aspice igitur tu, qui auarus diues es, quod ea de causa domin⁹ largitus est ea bona, vt mẽtẽ & oculos in tuũ benefactorẽ coniicias, & vt charitate & amore illũ prosequaris. Et si nolueris in cęlũ oculos leuare, saltim aspice terrã, & vide quã vberes fructus ferat in tuã vtilitatem & commodũ. Ager huius diuitis vberes fructus attulit. Ager, hæreditas & om

Eccle. 14 / Eccle. 10 / Auaro nihil miserius. / Iob 1 / Iud. 7 / Leg. Chrys. ho. 2. ad populum Anti. post me. vsque in fin.

tas,& omnes possessiones tuæ fructificant:quòd si nolueris imitari volatilia cœli, quæ dominum suū laudant, terram saltim, quam vides & cóteris imitare. Noli esse deterior insensibili elemento. Illa nāque fructus, quos affert, non suis vsibus vendicat sed tuis:tu verò illius fructus tibi accipis. Et si quidem terra non sibi, sed aliis fructus producit, noli etiam tu diuitias tibi soli seruare, sed distribue illas inter pauperes: Quid autem hic diues auarus cogitauerit audiamus. *Et cogitabat intra se dicens, Quid faciam?* Vide auari curā anxiam & solicitam. Ecce curas, solicitudines & anxietates, quas secū afferunt diuitiæ. Serui mali sunt diuitiæ, siquidem non auferunt curam domino suo. Serui enim diligentes curas omnes dominis auferunt: alius nanque cibum parat, alius vestitum, alius lectum sternit, alius mensam: atque ita dominus quietus, trāquillus & sine cura viuit: At verò diuitiæ mille solicitudinibus dominos onerāt. Solent enim si huius anni fructus vberes fuerūt, dicere, Quid faciā? Xenephon in dialogo quodā pulchrè ostendit diuitiarum & paupertatis comparationem. Pauper cùm angustā & curtam habeat supellectilem, non tantæ curæ ab eo pendent: diues verò cum amplā & copiosam possideat, obnoxius est mille curis, & solicitudinibus. Serui multi, multis indigent: vestitu scilicet, cibo, & aliis, &c. Salomon inquit, Vbi
Eccles.5 multæ sunt opes, multi qui comedunt eas. Has tātas & tam anxias curas voluit dominus diuitiis cōiungere: ne nimis rapidi in illarum amorem, duceremur. Qui multas habent, plures desiderant: cùm verò has plures compararunt, statim solicitudo & cura eos vexat, quid de illis facient, siue quomodo illas distribuent. Sed vt videas quousque hic insatiabilis appetitus diuitiarū perueniat, cum Semiramis in suo sepulchro inscripsisset (vt refert Ælianus & Plutarchus etiā in Apophtheg.) siquis rex pecunia indiget, hoc monumentū diruat: cūque Darius monumentū aperiret, nullas pecunias inuenit, sed in literis mandatum inuenit. Nisi esses insatiabilis nunquam sepulchrum mortuorum attigisses.

¶ Aduerte autē quòd in scriptura legimus tria hominū genera, qui se vitiis & flagitiis tradebāt, hęc verba dixisse: honoris scilicet cupidi, vt ille vil
Luc.16 licus, qui munere suo erat honoratus, postquam eum expoliarunt, dixit, Quid faciam, quia dominus aufert à me villicationem? Hę sunt illę curę & solicitudines: quę homines honorum & dignitatū cupidos vexant, & torquent. Secūdi verò, qui hoc dixerunt illi sunt inuidi, de quibus Lucas in Actis Apostolorum inquit: quòd cùm viderent opera & miracula Apostolorū, & quomodo Petrus & Ioannes claudum sanauerant iuxta portam templi, & quòd populus illos magnificabat, & eximiis laudi
Actor.4 bus extollebat, inuidia commoti, non valentes tāta miracula & prodigia ferre, dicebant, Quid faciemus hominibus istis? Bene hic homo, de quo hic agitur, auarorū mores & ingenium refert, qui variis cogitationibus torquentur, quid de diuitiis sint facturi: ac si nulli essent pauperes & mendici inter quos diuitias superfluas possent distribue-
Matth.26 re. Pauperes enim (ait dominus) semper vobiscū
Eccl.29 habebitis. Et Ecclesiasticus ait, Absconde eleemosynam tuam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te. Quanuis vitia & peccata nullum aliud tormētum secum afferent, nisi illud, quod in peccatrici anima ingenerant, plusquam nouercali odio deberemus ea prosequi: sed quod dolendum est, alia maiora & grauiora tormenta illos expectant. Aspice obsecro huius hominis curam. *Quia non habeo quo congregem fructus meos.* Mētitur, nam habebat pauperum domos & corpora: vbi posset fructus recōdere. Parata erāt illi à domino hęc horrea, in quæ si reconderet, nec tinea nec ærugo posset demoliri. Non melius fructus tuos conseruare poteris,
quàm si in pauperes distribueris. De primitiis fru- Matth.6
gū tuarū (inquit Salomō) da pauperibus, & imple- Prouer.3
būtur horrea tua saturitate. Insuper bona Deo cōcessa sua dicit, quasi suis laboribus & industria cōparata. *Et dixit, hoc faciam, Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illic congregabo omnia quæ nata sunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, & epulare.* Tanquā insipientissimus, & qui potiùs elleboro esset purgādus, inquit, Destruā horrea mea, & maiora faciam. Cum melius dixisset, Aperiam horrea mea, & dabo indigentibus. Secūdò huius manifestam stultitiam & insaniam vide, qui longam & diuturnam vitam sibi promittebat, dicens: Habes multa bona in annos plurimos: cū nec vnam horam certam haberet. O quanta illorum est insania, qui omnem suam curam constituūt in longa & diuturna vita, & in eis, quę in posterū facturi sunt, sibi ipsis vanè & insanè pro sibi to vitam promittentes. Hæc insania & amentia hodie in inferno multos discruciat, qui cum procrastinantes in dies pœnitentiā & conuersionem protendunt, subito & repente à morte rapiuntur: nā cùm vita breuissima sit, & in manu Dei posita, pro libito ipsi eam sibi largam & diuturnam promittunt, vt diues faciebat. Quando tempus bis conceditur, nolunt occasionem datam accipere, vt rectè operentur: cum verò eis denegatur, illud quęrunt,
nec inuenire possunt: quemadmodum contigit Matth.25
illis quinque virginibus fatuis. Breues dies homi- Iob 14
nis sunt (ait Iob) & numerus mensium eius apud te
est. Tanquam flores transeunt, & similes sunt rori Iaco.4
campi, & in ictu oculi non apparent. Vapor est ad modicum parens. Tanquam nebula, quę mane efficitur, at verò radiis solis nascentibus statim à terra resoluitur: ita hæc vita nostra aliquid videtur, cùm homo protinus, vt nascitur, aliis vult dominari, diues fieri, ad dignitates & honores aspirare: at verò vanitas apparet, cùm subiecta & obnoxia sit febri, & variis ægritudinibus, quæ in puncto in ci
nerem & puluerem redigunt. Quid obsecro aliud Iob 9
est omne tempus vitæ nostræ nisi breuissimum instans, quod tāquam ventus currit, & vt nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cùm pertransierit non est vestigium inuenire? Est veluti nuncius breui spacio iter suum peragens, & velut hospes nunquam rediturus: sicut fulmen de cœlo cadens, quod in ictu oculi absconditur: ita sunt
omnia tempora & regna mundi. Vanitati omnis Rom.8
creatura est subiecta. Numera si libet oēs dies, oēs Psal.39
horas, mēses & annos tuę vitę, & dic mihi vbi sunt? Transierūt sicut vmbra & sicut aranea meditabūtur. Flauit vētus, & periit araneę tela. Nihil sub cęlo stabile & firmū est. Nihil breuius ea vita, quæ se cum morte sodalē & sociā ducit, breuis est & miseriis vndiq; circundata: quā boni cū patientia ferunt, & mali vehemēter diligunt. Sed quātuncūq; eam di

eam diligant, & amorem ipsius exoptent, non ea multo tépore fruentur. Omnes nanque morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. *2. Reg. 14* Nemo ita velociter currit, vt vita hominis. Aquæ enim non retrò redeunt: & dies hominis recuperari non possunt. Si igitur adeò breuis vita est, vt cum nondum venerit, iam transit: quid est quod tam diuturnam & spatiosam vitam tibi promittas? Multi sunt Christiani, qui etiam si omnia hæc clarè cognoscant, sibi ipsis dicũt. Anima mea habes multa bona in annos plurimos: & hac falsa opinione & spe securos vitiis & voluptatibus tradunt. ¶ Tertiò postquam vanè & amenter deliciis & voluptatibus se tradens, sibi ipsi multos dies promisit, id etiam animæ suę dicit, Requiesce, comede, & bibe, & epulare. Tanguntur quatuor vitia, quæ ipsas diuitias semper comitantur: scilicet ocium, gula, ebrietas, & voluptas. Nam comedere & bibere irrationalis animæ est bonum: rationalis verò intelligere, ratiocinari, & lętari in lege domini, & sanctis cogitationibus & operibus intendere. Hoc iste diues animæ suæ dicit: & hoc etiam carnales homines suæ libidini dicunt, laxis habenis per omnia genera vitiorum currentes. Sed vt videas quomodo homines in suis cogitationibus euanescunt, & omnia eorum consilia & decreta irrita esse coram Deo, audi quid sequetur. *Dixit autem illi Deus. Stulte hac nocte animam tuã repetent à te, quæ autem parasti cuius erũt?* *Auarus quare dicatur stultus.* Hoc modo homines incautos & suæ salutis improuidos, repẽte mors vocat. Sed verba hęc cõsideratione sunt dignissima: quocirca quatuor obseruanda sunt. Primum est quod vocat illum stultum, & optimo quidẽ iure, quia diues auarus se ipsum sapientem & cordatũ existimat; liberalem & magnificum: iuxta illud Prouerbiorum. *Prouer. 28* Sapiens sibi videtur vir diues. Se ipsum ignorat, nam cùm auarus & parcus sit, liberalem se iudicat: & reliquos alios prodigos & gloriosos appellat. *Prouer. 22* Qua propter sapiens irridet diuitem auarum dicens. Vidisti hominem sibi sapientem videri, magis illo spem habebit stultus. Cùm igitur in vita cæcus fuerit & amẽs, & in sua ęstimatione sapientem se ipsum iudicauerit: necesse est, vt in morte oculos suos aperiat, & manifestè videat, eum vocari amentem & sine ratione.

¶ Secundò stultus est auarus, quia ea custodit, quæ custodita perduntur: perdita verò custodiuntur. Quod facilè potest ostendi, per similitudinem de frumẽto adductam, quod si custodiatur perditur, si verò seminetur & spargatur in terrã: multiplicatur, & augetur. *Eccle. 29* Vnde in Ecclesiastico dicitur. Perde pecuniam propter fratrem & amicum: & nõ abscondas sub lapide in perditionem. Lapis vocatur cordis duritia, sub qua dum abscõditur, in perditionem abscõditur: quia dum magis seruari creditur magis perditur, & non solum sui ipsius iacturam facit, sed etiam domini & possidẽtis, quod deterius & infœlicius est.

¶ Tertiò stultissimus est valde amens, quia eam domum & mansionem, non sibi curat, in qua in perpetuum debet permanere: vbi verò tãtum per noctaturus est, grandes ædes & palatia construit: hæc enim vita si conferatur cum futura, vna nox appellari debet. *Sap. 5* Spes impij quasi lanugo est, vel tãquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.

¶ Quartò stultus est, quia quæ somniat vera existimat. Sicut somniantes putant manibus suis aurea poma contrectare, & lapides pretiosos, & assumere cibos delicatos, & euenit phantasmatũ causa. Sic isti veras diuitias existimant habere, cum tãtum diuitiarum phantasmata possideãt. Maius nãque est discrimẽ & differẽtia inter has & veras diuitias, quã inter vera poma & somniata. Ad huiusmodi somniũ potest referri illud Esaiæ. *Esai. 29* Quẽadmodũ somniat esuriẽs & comedit, cũ autẽ fuerit expergefactus vacua est anima eius: & sicut somniat sitiẽs & bibit, & postquã fuerit expergefactus lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est. Sicut somnians comedit, & bibit, & vacuus est: sic auarus esurit diuitias, & cõgregat eas, & vacuus est: quod intelligitur cũ in hora mortis à somno expergefactus, omnibus orbatur, & destituitur. Vnde Psalmista. *Psal. 75* Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerũt viri diuitiarum in manibus suis. Manus Christi sunt pauperes: & quia nihil posuerunt in manibus Christi, nihil inuenerunt in manibus suis.

¶ Quintò stultus est auarus, quia thezaurizat, & nescit cui thesaurizet. *Psal. 38* Tãdem stultus est quia cùm dies nec tempus in sua sint potestate, longa sæcula vitæ sibi ipsi promittit. Quibus omnibus Dauid ait. *Psal. 93* Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.

¶ Perpende secundò quòd nõ dixit in hac die, sed in hac nocte repetẽt animam tuam, quia in nocte fœtorum appetituum erat, & in tenebris & obscuritate vitiorum nec vllum lumen diuinæ scientiæ illum illustrabat. Bonis mors, dies est, nã tunc illis clarus illuscet dies in quo iustitię diuinę solem splendentem conspiciũt in sua diuina essentia, qui dies perpetuus est & clarus sine vllo termino nec fine. Sed malis, etiã si media die moriantur, statim nox obscura & tenebræ aduenient: siquidẽ, vt malus seruus, in tenebras exteriores eiicitur. *Mat. 25* Vnde sapiens inquit, impios in inferno constitutos dixisse, *Sap. 5* Sol non illuxit nobis. Rectè igitur hic dicitur, quòd malus & impius in nocte moritur.

¶ Tertiò ait. Repetent animam tuam, à iusto enim non repetitur anima, sed ille gaudens & libens eam domino commendat, vt pote qui dissolui cupit, & esse cum Christo. *Phil. 1* Iustus nanque non ægre fert mortẽ: onetatus est quippè corpore suo, sicut ille, qui dicebat. Quis liberabit me à corpore mortis huius? Hanc sarcinam & facillimo negotio & gaudẽs deponit. Sed peccator qui animam suã carni subdidit, & eam carnem efficit, dare illam non vult: & ideò dicitur repetita tanquam ab inobedienti debitore, qui crudelibus exactoribus traditur. Angeli qui terribiles exactores sunt animã ab impio repetent, etiam illo inuito.

¶ Quartò aduerte quid post hæc omnia dixerit scilicet: Hęc quæ parasti cuius erunt? Laborat auarus vt sibi multas diuitias cumulet in diuturnum tempus: extranei verò & alieni substantiam eius deglutiunt. Cùm interierit, non sumet secum omnia, neque descendet cum eo gloria eius. *Psal. 48* Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiũtur hamo & aues laqueo comprehenduntur: sic capientur homines tẽpore malo. *Eccle. 9* Sic Nabuchodonosor cùm in aula Babylonis ambularet, dicens, Nonnè hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, &c. *Dan. 4* vocem de cęlo audiuit, Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, regnum tuum transibit à te, & ab omnibus eiicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua. Omnia quæ comparasti

parasti, cui sunt? Certè nõ tibi, sed oportet vt hære-
di ea relinquas, vel vt quiuis alius ea possideat, Vn-
Psal. 38 de Dauid sanctus. Ecce mensurabiles posuisti dies
meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.
Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuẽs.
Veruntamen in imagine pertransit homo, sed fru
stra cõturbatur. Thesaurizat & ignorat cui diuitias
congregat, tantum abest, vt diues hic tam citò ad
se mortem venturam expectaret, vt nec talis cogi-
tatio animum suum inuasisset. Sed cùm maiori ob-
lectamento & voluptate hac vita fruebatur, tunc
mors subito & inopinatò iã aderat ad postes pul-
sans. Hoc certè filij huius seculi deberẽt mente re-
uoluere qui tam anxiè & solicitè diuitias quærũt,
mundi honores & dignitates. Solet enim contin-
gere vt gulosi & helluones pueri hortũ ingrediã-
tur, nuces vel poma, vel aliud quoduis genus fru-
ctus furaturi, cùmque arbores ascendũt, alij sinus
suos & manicas implẽt, alij verò infra arbores sunt
colligentes & comedentes. At cùm ipsi incauti
sunt & improuidi, ecce repẽtè olitor & custos hor-
ti cũ illis adest, & fructus omnes eis aufert, & fla-
gellat, & sæpiùs vestibus eos exuit. Ita omnes ho-
mines in mũdo velut isti pueri gulosi & helluones
ambulãt, quærẽtes diuitias, honores, & dignitates.
Videbis nãque multos in curiis regũ, qui in altas,
& supremas dignitates constituti, onusti sunt ma-
gnis redditibus, superbi, elati atque potẽtes. Alios
verò videbis, qui infra has arbores magnas ambu-
lant, vidẽtes an aliquid ab istis superioribus cadat,
siue beneficiũ siue canonicatus, siue episcopatus,
vt inde possint manducare. Atque ita videbis plu-
rimos, qui regum curias, & Papæ sequũtur: expe-
ctantes, an aliqua spiret dignitas, officium, vel præ-
latura, manibus suis apertis ad eam suscipiendam.
Eccl. 8 At verò repentè olitor, qui mors est his aduenit, cũ
somno sopiti in vtramuis dormiũt aurẽ, & in hæc
verba prorumpit. Eia igitur ò tu episcope vel ar-
chiepiscope à tua dignitate plorans descende: de-
pone obsecro vniuersa, quæ habes & me ipsam in-
sequere. Aufert ab eis iniquus hic latro aurum, ar-
gentũ, pompam, honores & dignitates, & his om-
nibus spoliatos in sepulturam nudos defert. Quæ
parasti cuius erũt? O vanitas vanitatũ: omnia enim
exues, quæ habes & possides: exutus vero, in sepul-
turam abibis. Et vtinam quemadmodum diuitiis
& honoribus spoliatus sepulturam ingrederis, nè
ita etiam virtutibus & bonis & sanctis operibus
exutus in infernum proficiscaris. Stat nanque illa
sententia aduersus diuites prolata. Diues cùm in-
terierit, non sumet secum omnia, neque descendet
Psal. 48 cum eo gloria eius. Vnde Sapiens dixit impios
Sap. 5 in inferno positos talia protulisse. Quid profuit
nobis superbia, & diuitiarum iactantia quid con-
tulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vm-
bra, & tanquam nuncius citò percurrens, &c. Non
est igitur hæc mundi gloria tam anxiè & solicitè à
nobis quærenda: quandoquidem sui amatores tam
citò deserit & relinquit. Quid huic diuiti profuit
tam abundans & pinguis supellex? Potuit nè illum
liberare à morte? Laborant diu noctuque diuites,
& se mille curis onerant, vt grandes diuitias sibi
comparant, qui nihil aliud faciunt, nisi vt auis
Fœnix ligna sicca congregare, vt in inferno com-
burantur. *Quæ parasti cuius erunt?* Quadrat in hos
maledictio illa, quam Moses intulit legis suæ trãs-
Deut. 28 gressoribus, cùm illis dixit. Percutiet te dominus
amentia, & cæcitate ac furore mentis: vt palpes
in meridie sicut palpare solet cœcus in tenebris, & *Vana est diuitiarum solicitudo.*
non dirigas vias tuas. Domum ædifices, & non
habitabis in ea. Plantes vineam & non vindemia-
bis eam. Hoc idem huic diuiti cõtigit, & omnibus
etiam diuitibus auaris contingit. Videbis enim
quod mulus, qui aquam haurit ex puteo, ad irrigã-
dum hortum, primò coopertos habet oculos lin-
teo. Secundò verò in circuitum ambulat. Tertiò a-
qua exhausta non suis commodis nec vtilitati de-
seruit, sed aliis, nam aqua quam & ipse hausit, ole-
ra irrigantur, quæ ipse non comedit sed alij, illi
autem nihil aliud restat quàm labor. Ita diuites *Soph. 1*
auari, vt hic, de quo sermo habetur, cæci ambulãt,
& caliginosis tenebris inuoluti, secundũ illud scri-
pturæ loquentis de his. Ambulauerũt vt cæci, quia *Psal. 11*
domino peccauerũt. Nulla maior est cæcitas, quàm
auaritiæ. Et ideò Moses dixit. Percutiet te Deus a-
mentia & cæcitate. Secundò, vt mulus aquam hau-
riens in circuitu ambulant, iuxta illud psalmi, In
circuitu impij ambulant. Omnem terram circuũt,
perlustrant maria, ad Indos nauigant, in barbaras
& immanes nationes transeũt: vt insatiabilem di-
uitiarum appetitum expleant. Ideo Moses dixit.
Palpes in meridie sicut. &c. Tertiò mulus lactucas
nõ comedit, nec reliqua alia olera; ipse solùm labo
rem sibi haurit & nihil aliud illi remanet. Sic diues
auarus non sibi sed aliis laborat, nam alij extranei
& ignoti sæpè diuitiis quas ipse comparauit, potiũ
tur, & possident: & sui hæredes gaudẽtes & lætan-
tes illas consumũt & deuorant. Ideo Moses, domũ
ædifices & non habitabis in ea. Plantabis vineam,
& vuas non comedes, quia alius vindemiabit. Re-
ctè igitur hic dicitur, *Hæc quæ parasti cuius erunt?* Cõ-
gregasti multas diuitias, & dicis te illis multis an-
nis fruiturũ, O stulte, stulte, hac nocte morieris. &
alij ipsis gaudebũt. Cuius erũt? Nõ tuæ, sed alieno-
rum. Alij deuorabũt & consument eas, non tu, cui
nihil restabit, nisi pœnitere, cùm illas relinquas. Qui
amat diuitias, fructum non accipiet ex eis: Et Salo- *Eccle. 5*
mon sapientissimus. Vacua est spes eorum & labo- *Sapien. 3*
res sine fructu. Et Dauid in psalmo. Relinquũt alie *Psalm. 48*
nis diuitias suas. Quemadmodũ arca, quæ consti-
tuta est vt semper clausa maneat, vt accipiat quid
quid in illam fuderint: nihilque dat quousq; illam
frangunt, sic auarus quantũcunque illi dederis, ac-
cipiet: ipse tamen nihil dabit: nisi quando iam frã-
gitur & moritur, & veniunt extranei & multoties
inimici ad possidendas diuitias: quas ipse cõpara-
uit. Et Hieremias propheta ex mandato Dei dixit *Hiere. 8*
quibusdam diuitibus auaris: se illis daturũ hære-
des extraneos: & causam huius rei ostẽdens, dixit,
Quia à minimo vsque ad maximum omnes auari-
tiam sequũtur. Et in dignitatibus & officiis eccle-
siasticis hoc sæpiùs videbis cõtingere: vt vni epis-
copo alter succedat; qui immanis & crudelis inimi-
cus semper illi fuit. Saul successorem sui regni ha-
buit nõ filios proprios, nec cõsanguineos, sed Da-
uidem, quem ipse odio habebat, quique ex altera *1. Reg. 16*
erat tribu. Et summæ illius beneuolẽtiæ & amoris
quem rex habebat erga Aman, Mardochæus, he-
res fuit, quem Aman odio prosequebatur, & eius
rem & substantiam hæreditauit Hester. Hoc enim *Hest. 8*
permittit Deus, statuit, & discernit, vt extranei &
inimici, quos ipsi auari nouercali odio prosequũ-
tur, diuitias suas, dignitates & honores accipiant. *Baruc 3*
Vbi ergo sunt principes gentium, & qui dominan-

tur super bestias, quę sunt super terrã? Qui in auibus cœli ludũt, qui argentũ thesaurizãt & aurum, in quo fidũt homines, & nõ est finis acquisitionis eorũ? Exterminati sunt & ad inferos descendunt, & alij loco eorum surrexerunt. Quid obsecro habent in hora mortis principes huius mundi? Quid de omnibus suis diuitiis, honoribus & dignitatibus secũ ferunt? Solet contingere vt quando rex aliquis vel princeps magnus ex vna ciuitate vel regione in aliã vult migrare, iubet multos parari ad vehẽda itineri necessaria. Alius enim mulus vehit culcitras, ceruicalia, & stragula lintea. Alius sedes & scabella, & leuia quędã supellectilia. Alius instrumenta culinaria. Alius verò vasa aurea & argẽtea & pecuniã portat: & hic, cùm iã ad stabulũ omnes peruenerunt, magis defatigatus & lassatus manet. Ita similiter diues auarus etiam si superbus & elatus incedat, quia maiores redditus habet, quã pauper. At quãdo cursui finis fuerit impositus, & huius vitæ laboriosum iter fuerit peractũ & in mortis hospitiũ peruenerimus, omnes simulrã diuites quàm pauperes exonerabimur. Moritur doctus pariter & indoct⁹: & omnes morimur, & quasi aquę dilabimur super terram: quia vt Paulus inquit: Statutũ est hominibus semel mori. Tunc igitur rogo, quis magis defatigatus & lassatus veniet: pauper, qui leue onus sustinuit; vel diues, qui onetatus fuit diuitiis? Quid obsecro habet mulus, qui graue põdus, aurea scilicet vasa & argentea portauit? Quid sibi reliquum fuit? Certè non aliud nisi vlcera maiora: labor & defatigatio. Exonerant episcopum & diuitem cùm iam morti est propinquus omnibus suis diuitiis. Et quid restat illi nisi vlcera? Remanẽt illi defectus & negligentiæ, quas in munere suo obeũdo cõmisit: quæ grauissima vulnera sunt. Iter suum isti faciunt maiori labore, quàm pauperes & egeni: cuius causa est graue & põderosum onus, quod humeris suis ferunt. Quando verò ad mortem isti accesserint, & omnib⁹ fuerint spoliati, quid de illis fiet? Mittentur in gehennæ stabulũ ex itinere defatigati, & pondere peccatorum pressi, vbi ardore & sudore ignis perpetuo cruciabũtur. Et tunc alij fruentur vasis argẽteis & aureis, quę mulus portauit: ipse vero mulus in stabulo defatigatus & lassatus manebit. Ita hæredes horum auarorum lætabuntur & fruentur iis bonis, quæ ipsi reliquerunt & factis æqualibus partibus lautè & opipare inebriabuntur. Et tunc quæ parasti cuius erunt? Benequidem propheta Oseas. Comederunt alieni robur eius, &c. Sed de his iam satis. Applicans igitur Christus hanc similitudinem proposito, inquit: *Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deũ diues.* Nõ damnat thesaurizantem sibi ipsi, nisi iste talis etiam in Deum non thesaurizet, ad differẽtiam eorum, qui suis diuitiis ipsi Deo etiam inseruiunt. Qui vtrumque fecerit, huius damnationis expers erit. Possunt enim homines, & licitè sibi thesaurizare, & filiis suis, dũmodo diuitiis suis vtatur, vt ipsa lex domini præcipit: scilicet pascẽdo Christi pauperes, & reliqua pietatis & religionis opera exequẽdo. Sed qui sibi ipsi tãtũ thesaurizat, huic diuiti similis est. Præterea ille diues est in Deum, qui ita suis diuitiis vtitur, vt expectatio ipsius sit dominus. Vnde in Psalmo. Beata gens cuius est dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem sibi. Ita quę quando iam vidisti quid contigit huic diuiti, & quid etiam contigerit diuiti illi, qui noluit eleemosynam largiri mendico Lazarõ, & quomodo in inferno fuit sepultus, accipe experimentum in capite alieno. Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Docet hæc similitudo, vt meditatio mortis semper mentibus nostris insideat, & quotidie illam venturam expectemus, ne nos incautos & improuidos inueniat quemadmodum diuitem hunc. Hic enim longam vitam sibi promittebat: qui si sciuisset, mortem illa nocte venturam, non vtique dixisset animæ suæ, Anima mea habes plurima posita ad multos annos.

Eccl. 2. 2. Reg. 14. Hebr. 9. Vide Grego. 15. moral. super illud Iob 20. Cũ satiatus fuerit. Osea 7. Thesaurizare sibi & Deo licitũ est. Beda in caput 12. cap. 53. Amb. lib. 7. in Lucã. Psalm. 32. Luc. 16. Rom. 15.

¶ Docet quàm bona & vtilis mors sit pauperibus. Multum quidem pauperes ipsi morti debent. Videbis nanque multos diuites, qui toto discursu vitę nũquam pauperi nec buccellam panis tribuerunt, at in hora mortis iubent eleemosynas fieri: & nouis vestibus pauperes indui. Non tunc, vt solebant in vita modum viuendi pauperis inquirunt, nam ipsa mortis angustia non cõcedit illis locum. Iudæi petierunt ab Aegyptiis diuitias suas & dona mutua, ipsi verò cùm intenti essent mortuis suis sepeliendis, non attenderunt, Iudæos abire: atque ita quidquid petierunt, dederunt illis. Memoria mortis, quam præsentem habebant, non dedit illis locum, vt animaduerterent, quod possent amittere suas diuitias. Nec etiam incolæ terræ promissionis oculos conuerterunt ad speculatores Israël, cùm grandis tunc grassaretur pestis, cùm intenti essent mortuis sepeliẽdis, vt inquit glossa diui Augustini. Hæc omnia memoria mortis effecit. Nè igitur vanè & stultè nobis ipsis diuturnam vitam concedamus, vt hic diues auarus, sed memoriam mortis nobiscum recolamus, & ita liberales semper existemus in pauperes.

Mors pauperib. vtilis. Exod. 12. Num. 13.

¶ Docet denique similitudo hęc, diligere diuitiarum contemptum propter vitę nostræ breuitatem. Transimus enim citò velut flosculus campi, & iter facimus per quod nũquam reuersuri sumus, & mensurat nobis horas & leucas nũcius ita velocissimus, qui viginti quatuor horarum spatio millia millium leucarum pertransit, & constituit nos in manus seuerissimi illius iudicis, de quo Paulus dicit. Horrendũ est incidere in manus Dei viuentis. Nos verò hãc vitam consumimus in comparatione vilis stercoris, & vanæ spei quæ breuiter nos deludet. Nonnè hoc exemplo apertissimè vides hoc esse somnium phãtasticum & fallax, quod dormiunt viri diuitiarum: qui cùm in hora mortis fuerint expergefacti, vacuos se & inanes inuenient. Iungetur tunc istis æterna mors & vera, cũ somno mortis huius vitæ, quemadmodũ Sisaræ, quem excitauit à somno (quod ingenerauerat dulcis lactis potus) Iael pertransiens & configens cerebrum ipsius acutissimo clauo. Continget etiam his quod superbo illi Holoferni, cui huius vitæ somniũ simul & æternæ mortis euenit. Hoc igitur & nos videntes, non videmus, & audientes nõ audimus, facti illis idolis similes, quorũ vanitates diligimus. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Quid de nobis erit, cùm audierimus vocem dicentem. Stulte hac nocte tollẽt animam tuam à te. Tunc dominus diuortium faciet inter carnem & mũdum, quem tantum diligimus, & audiemus irrisionem illam domini qua irridet amatores mundi, dicens. Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam, surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. Igitur filij

Diuitiarum contemptus. Hebr. 10. Iudic. 4. Iudit. 13. Psal. 134. Deut. 32.

Psalm.4 lij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem,& quæritis mendacium?

¶ Fugiamus ergo auaritiam,has res terrenas & caducas contemnamus,in pauperes eas distribuamus, memoriam mortis nobiscum semper ferentes,& ita viuamus,& res mundi huius tractemus tanquam hac nocte morituri. Omnem hanc salubrem doctrinam docet hic nos Christus Redemptor noster hoc exemplo proposito, ansam sibi & occasionem sumens, ex quæstione facta. Sed iam postquam Christus docuit, immoderatum affectum rerum temporalium esse vitandum: docet nunc solicitudinem inordinatam eorum,quæ necessaria sunt funditus extirpandam. Nam solicitudo necessariorum, sæpè induit solicitudinem rerũ superfluarum. *Dixitque ad discipulos suos.* Apostolos præcipuè instruit, quia futuri erant prædicatores huius euangelicæ perfectionis,& præceptores totius mundi, quocirca operæpretium erat, vt ipsi hoc sibi prius persuasum haberent & ipso opere adimplerent ne de illis diceretur, Qui alium doces, teipsum non doces? Nã sicut cœpit Iesus priùs facere,& docere:sic opus erat, vt ipsi priùs facerẽt & posteà docerent contemptum & solicitudinem superfluam rerum terrenarum. *Ideo dico vobis.* Illationem hanc infert ex præmisis. Acsi diceret, Vidistisne quid contigerit diuiti illi auaro, quàm solicitus ambulabat,quid facturus esset de tãtis diuitiis, & quomodo mors præter ipsius spem & opinionem illum inuasit? Experimentum igitur vos hinc sumite. Nam fœlix quem faciunt aliena pericula cautum. Et ideò dico vobis. *Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis.* Quia loquutus fuerat dominus aduersus auaritiam, nunc sermonem suum conuertit aduersus auaritiæ radicem, scilicet, aduersus nimiam solicitudinem rerum temporalium. Anima hìc pro vita sumitur:sicut etiam in primo Regum legimus Dauidem dixisse Abimelech sacerdoti. Ego sum reus omnium animarum domus patris tui. Mane mecum,ne timeas. Siquis quæsierit animam meam,quæret & animam tuam. Hoc est,siquis molitus fuerit vitam mihi auferre, etiam tuam curabit auferre. Appellatur vita hæc, qua viuimus anima,nam sæpiùs nomen causę in suos effectus mutamus. Sic ferrum ardens appellamus ignem: nam vrit, & calefacit, qui effectus sunt ignis Cùm igitur anima qua viuimus vitam huic corpori tribuat propter sui præsentiam & vnionem,bene compatitur huic effectui,qui viuere est,nomen suæ causæ imponere,scilicet, anima.

Vide Theophil. in hunc locum.

Roman.2
Act.1

Anima pro vita.

1. Regum. 22

¶ Obserua autem quòd nõ tollit dominus omnem solicitudinem,sed illam, quæ Christi iugum repellit. Nam vt clariùs in Matthæo habetur, prius dixerat. Nemo potest duobus dominis seruire, & posteà subdit, Nolite soliciti esse, &c. Non volo vos esse solicitos, volo tamen esse solicitos si hæc solicitudo coëgerit seruire Mammonæ. Ideò Græcis hæc solicitudo est merimnà,quod significat curam anxiam & solicitam, quam habent auari de pecuniis congregandis. Quapropter non dixit, Nolite laborare, aut curam moderatam habere. Et ideo etiam in exemplo auium non dicit, quod non volant,sed quod non seminant,neque metũt, neque congregant in horrea. Non prohibet honestum laborem neque studium acquirendi temporalia:sed nimium ipsorum amorem. Ita enim alienum & extraneum est homini vsurarium esse siue latronem:vt esset ipsis auibus cœli seminare, arare vel metere. Et sicut aues solùm volando sustentantur, nec seminant, nec metunt. Ita vos solo honesto labore & vestræ naturæ consentaneo vitam degite,nec modos illicitos quæratis.

Matth.6

Chrysost.hom. 22. in Matt.

¶ Aduerte autem quod triplici modo solicitudo rerum temporalium potest esse illicita. Primo quidem ex parte materiæ siue rei de qua soliciti sumus,vt cùm quis quærit temporalia bona:illa constituens,vt finem suum. Secundò ex parte superflui & soliciti studij quod in illis acquirendis cõsumitur, propter quod studium retrahitur homo ab exercitio rerum spiritualium,quibus inseruire debet. Tertiò ex parte timoris superflui:quando scilicet quis nimis timet, quod si non fecerit quantum suę vires suppetierint,necessaria sibi deficiant. Sed iam adeò creuit rerum terrenarum amor & cupiditas,vt multi Christianorum (& vtinam non sint ecclesiastici ac monachi) ita de his rebus caducis & perituris sunt soliciti,vt videantur nullam aliam vitam expectare. Propter quid obsecro defatigaris? Certè propter nihil. Videbis enim in fluuio pisces huc & illuc discurrentes, & inter se certantes, & id omne solùm faciũt propter aliquem vermiculum,vel micam panis,& hoc non vident pisces, sed illi qui in littore sunt eos irridẽtes,qui propter rem tam vilem & parui momenti tantam contentionem inter se habeant, & tandem vnus illorum micam vel vermiculum rapit. O quãtæ admirationis est videre strepitum, voces, & contentiones, quas homines nectũt,sola cibi & victus causa: quãta est illorum solicitudo, ita vt videantur omnem mundum reuoluere. Certè qui hũc magnum strepitum & clamores videret, nil aliud intelligeret, quod non nisi de re grauissima, vel de hominum morte ageretur.. At si rectiùs & attẽtiùs id examinaret,clariùs intelligeret, id esse propter rem parui aut nullius momẽti. Qui verò in littore quieti & tranquilli sedent illos irrident & subsannant. Nam ij quibus dominus hoc contulit beneficium,vt dederit illis lucem & oculos ad intelligendum has mũdi vanitates,& ob quas res homines laboribus & curis seipsos conficiant, maximè demirantur. Nec id mirandum,quia puluis mundi eos obcæcauit, nec ingens periculum ipsis imminens videre possunt. Vnde Salomon. Vidi omnia quę sub cœlo geruntur,& ecce vniuersa vanitas. O curas hominum,o quantum est in rebus inane. Quapropter non ille diues appellandus est, qui plures diuitias habet,sed ille cui minores sunt curę & solicitudines. Nam si aliquis homo octo millia aureorũ haberet,simul & filias quatuor,quibus de maritis ipse esset prouisurus,& alius quatuor millia aureorũ & nullam filiam innuptam,certè iste secundus ditior & locupletior esset appellandus,nam iste minores necessitates habet,quàm ille. Sic qui parum habet & cõtẽtus est,ditior illo qui multa possidet,& plurimis necessitatibus & curis plenus est. Si Christus dixisset, Laborate & soliciti estote de rebus humanis & temporalibus, vt de cœlestibus securi sitis, me vobis illas daturum: non mirarer si homines tam anxiè & vehementer earum inuaderet cura. Sed multò aliter & diuersissimo modo inquit, Quærite bona cælestia,nam terrena vobis ego donabo,& mihi hæc cura est imposita. Eccl.3

Si hoc igitur ita est,quod rogo est nostrum tam profundum somnium,& quæ tam acuta fames, vt

ita defatigemur, propterea quæ terrena sūt, & quæ *Amos.6* cœlestia sunt obliuiscamur? Vnde Amos, Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in montem Samariæ, &c. Magna est aliquibus cura in prouidendis necessariis in venturū annū, & quod omnia sint abundantia & superflua in futurum tempus, ignorantes an sequenti die sint morituri. Præcipiebat *Leuit.7* dominus in Leuitico, vt eodem die, in quo oblatio offerebatur, in ipso etiam comederetur. Etiā *Exo.12* *Exod.18* præcipit, vt de agno pascali nihil in venturū diem seruaretur, & manna si seruabatur in crastinum diem *Ezec.4* corrumpebatur. Ezechiel etiam dixit. Nunquā caro hesterna intrauit in os meum. Vult dominus ne tam anxiam curam de venturis habeamus: vt ipse præcepit in Euangelio: sed vt pendeamus ab ipsius prouidētia. Quid tu Christicola tantopere temporalia bona curas, cui æterna & nūquam peritura sunt promissa? Quod etiam ethnici philosophi contempserūt etiam tu in pretio habes? Nihil ita ab homine alienum & extraneum est, vt ipsa pecunia, nec aliquid quod minorem illi afferat vtilitatem. Nam etiam si omne aurum & argentum mūdi possideres: esses nō illius causa melior, doctior, meliori corporis valetudine, aut præstantiori & elegantiori forma? Nihil minus. Sed obiiciet aliquis, dicēs, Diuitiæ gaudium afferunt & voluptatem, & efficiūt, vt homo in maiori honore & dignitate sit habitus. Ad quod respondeo, quòd etiam si gaudium afferant & voluptatē, tamen id est perniciosum & nociuum: neque optimo iure gaudium appellandum. Nam verum gaudium & voluptas, est tranquillitas & pax cordis. Bona tua quid honoris tibi conciliant? vt te populus laudet & veneretur? O stulte, stulte, non te aspiciūt, sed pretiosas vestes. Nam si miseria & mendicitas animæ tuæ illorum oculis pateret, infælicissimum te iudicarent, quem nunc beatum existimant. Verus honor & laus est ipsi Deo placere. Sed dices. At diuitiæ amicos multos conciliant. Respondeo, eos non veros amicos, sed fictos esse, qui te amant, non tui sed pecuniæ, & sui commodi causa. Nemo te ipsum tanto amore prosequitur, qui non desideret, te iam sepultum videre, vt tuis bonis fruatur. Et vt vnico tantum verbo omnia dicta complectar, commoda, quæ diuitiæ secum ferūt, falsa sunt, vana, & instabilia, atque ita vera mala afferunt, miserias & calamitates, curas, anxietates & labores, & hominem iis, quæ veræ sunt diuitiæ, & nūquam interituræ, spoliant, nimirum, animi & cordis quiete & pace, quod iucūdissimum & pretiosum bonum in terra est. Nimia cupiditas & vana solicitudo rerum temporaliū pondus grauissimum est, quod deprimit spiritus alas & volatum impedit animæ nostræ in cōtemplatione diuinarum rerum. Fecit Deus hominem, vt summum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando frueretur. Ab hoc gaudio te semouet *1. Pet.5* solicita cura rerum terrenarum. Ideo beatus Petrus. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in Deum: quoniam ipsi cura est de vobis. *Psal.39* Dauid etiam. Pauper ego sum & mendicus, dominus solicitus est mei. Sed hæc satis sint de hac superflua solicitudine. Nunc autem duo videamus in speciali, de quibus nos esse solicitos Christus prohibet. Vetat enim solicitudinē cibi & solicitudinē vestitus, quæ duo magis anxiè & solicitè homines curāt. Et de primo sic ait, *Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis.* Si populus Israël animū ad id intenderet, quid in deserto erat manducaturus: nunquā ab Aegypto exiret, nec promissionis terrā ingrederetur. *Exod.14* Et multi illorum, quia soliciti fuerunt, *Exempla prouidentiæ diuinæ.* postquam exierunt ex Aegypto, carnes potentes, & illas seruantes in deserto interierunt, nec *Num.11* consequuti sunt finem desideratum, nec terra sibi promissa sunt potiti. Si non ob aliud, saltem propter honorem tui patris cœlestis non tam solicitus debes esse, quid manducaturus, quidué bibiturus sis. Iniuriam infers diuino patri, qui aperit ma- *Psalm.103* num suam & implet omne animal benedictione. *Exod.16* Israëlitas quadraginta annis cœlesti pane in deser- *Exod.17* to pauit. Et dedit illis aquam de petra. Et deside- *Num.11* rantibus carnes, coturnices in tanta abundantia suppeditauit, vt etiam ipsis manibus eas apprehendere possent. Vide quot annis, quàm innumerabilem populum pauerit in deserto. Sanctus Abra- *Gen.12* ham vt præceptum domini impleret, domum paternam reliquit: & ad peregrinos & ignotos migrauit, sed dominus alebat eum, vt & ditesceret, & vt fœlici successu omnia prospera & secūda illi contingerent. Iacob pauper & profugus trans Iorda- *Genes.28* nem peregrè proficiscebatur, sed quia Dei auxiliū implorauit, & in ipsius manus se constituit, reuersus est cum duabus turnis. Sanctus Ioseph venditus & in exilium missus: paupertatem, miserias, & *Genes.39* labores sustulit: sed Deus illum tantis diuitiis lo- *Genes.42* cupletauit, vt fratres eius frumentum ab ipso petere cogerētur. Moses coactus fuit fugā facere ex *Exod.2* Aegypto, sed Deus etiam inter peregrinos & ignotos illum pascebat. Et Heliam adeò iniqua & per- *3. Reg.17* uersa Iezabel persequebatur, vt in syluis & cauernis semper lateret: sed Deus, qui tantam curam seruorum suorum habet, tum per coruos, tum etiam per angelos necessaria subministrauit. Et vi- *3. Reg.19* dua illa Sareptana non nisi vnum pugillum farinę habebat, Deus autem sic farinam augebat, vt ipsa, & filius eius & Helias trium annorū spatio victū haberent. Et Daniel inter leones positus, à domi- *Dan.14* no fuit pastus, nam Abacuc, qui erat in Iudæa & cibum messoribus portabat, adduxit angelus in Babylonem, & cibū dedit Danieli. Et cum Helisęus *4. Reg.4* propheta populo Israelitico prædicaret, centum homines viginti panibus satiauit. Et Christ⁹ quin- *Ioan.6* que panibus & duobus piscibus famem expleuit quinque millium hominū, & alia die quatuor millia hominum septem panibus & pisciculis satiauit. Manifestissimis testimoniis tum in veteri, tum in nouo instrumento ostendit Deus, se posse suos alere & sustentare. Quod autem id etiam nunc ve- *Marc.8* lit, declarat his verbis, & per Esaiam dicens, Nun- *Esa.49* quid poterit obliuisci mater infantem suum, vt nō misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego autem non obliuiscar tui. Hoc etiam Dauid ait, *Psal.102* Sicut pater miseretur filiorum, misertus est dominus timētibus se. Et alibi. Suauis dominus vniuer- *Psal.144* sis, & miserationes eius super omnia opera eius. Ideo ipse Dauid de domino minus confidenti: inquit, Iacta cogitatū tuum in domino, & ipse te e- *Psalm.54* nutriet. Hæc omnia libuit dicere, ne nos nimis soliciti simus de cibo & potu, cum patrem adeo benignum & misericordem habeamus, vt ex his adductis exemplis facilè constat. Sed iam ad literam. *Neque corpori quid induamini.* Iam mundum adeò inuasit nimia cura & solicitudo vestitus, vt nullus sit animus adeò fortis & virilis prædicatorum, qui illum audeat reprehendere. Tantæ sunt nouæ inuentio

inuentiones vestium, tāti támque excessiui sumptus, & præcipuè in Hispania, vt omnis hominum res & substantia penitus destruantur. Et ita huic rei intenti sunt, vt nullam aliam curent nec de alio sint soliciti. Sed quia in superioribꝰ de his egimus, & infrà acturi, ad contextum reuertamur. *Anima plus est quàm esca, & corpus plusquam vestimentum.* Sex rationibus probat non debere nos solicitos esse. Scilicet quia de maioribus Deus prouidet, de anima inquam & corpore sine nostra solicitudine. Qui dat optimum, dabit conueniens, & qui maiora ministrat, minora tribuet.

Cap. 7. hominum mollibus vestitum.

¶ Secundam rationem ab ipsis auibus desumit, dicen, Considerate coruos, &c.

¶ Tertiam ex impotentia solicitudinis ad augmentum corporis, dicens, Quis vestrum cogitando, &c. Quartam sumit ex floribus, dicens, Considerate lilia. Quintam ex discrimine inter ipsos & ethnicos, dicens. Hæc omnia gentes inquirunt.

¶ Sextam ex patris scientia dicens, Pater enim vester scit, &c.

¶ Prima itaque ratio, qua Saluator probat, non debere nos esse solicitos de cibo & vestitu ea est, scilicet: quia si Deus maiora donat, sine vlla nostra solicitudine, multò meliùs de minoribus prouidebit. Quocirca æquum est, vt omnem nostram curam & solicitudinem in Deum ipsum reponamus, & à mundanis & caducis rebus eam auocemus ea priùs agentes, quæ ad partem diuinam & superiorem spectant. Nam quibusdam hominibus, qui sua tantum curabant, non quæ Dei erant, dominus dixit: Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam: propter hoc super vos prohibiti sunt, &c. Iustum enim est vt omnia eis deficiant, qui creatorem relinquunt & mundana sequuntur. Quod certe propter honorem patris tui cœlestis, non sic deberes facere. Nā nimia filij solicitudo & cura, tacita quædam reprehensio est inertiæ patris circa prouisionem necessarij. Omnem igitur curam & diligentiam adhibe circa ea, quæ domini sunt, iuxta illud apostoli Petri. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quia ipsi cura est de vobis. Sic fecit sanctus ille rex, qui dixit: Pauper ego sum & mendicus, dominus solicitus est mei. Si dominus curam tui habet, ne solicitus sis circa temporalia: quandoquidem ista solicitudo ad nihil aliud deseruit, nisi ad suffocādum verbum Dei. A solicitudinibus huius sæculi (ait Saluator) suffocari verbum Dei. Gentiles & infideles qui vana & inepta opinione existimant fortunam esse, non mirandum si soliciti sint. At verò vos vtpote qui sub vexillo Christi militatis, soliciti debetis esse circa spiritualia: quandoquidem si à viis rectis non deflexeritis, clarè cognoscetis, núquam vobis necessaria defutura. Distractio nimia circa res temporales, affectum amoris diuini videtur frigefacere: & ipsum hominem in varias inimici tentationes & insidias constituit.

Aggæi 1
1. Pet. 5
Psal. 39
Luc. 8

¶ Secunda ratio sumitur ex parte auium, ideo ait. *Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis.* Per Matthæum dixit, Respicite volatilia cœli. Vnde hîc ponitur species pro genere, scilicet coruus pro volatili. Et ideò ita in particulari loquitur de coruis, quoniam cū vniuersis volatilibus dominus escam prouideat, specialiter tamen dicitur pascere coruos, quia nulla adhibita diligentia parentum educantur, cū cæteris omnibus volatilibus labore & ministerio parentum cibus ministretur. Ferunt enim naturam corui esse, vt statim in ipso ortu à parētibus destituatur, nam cùm parētes videant coruos natos esse albos, existimantes suum non esse fœtum, eos relinquūt & fugiunt. Interim tamen dum alæ nascuntur, & nigri fiunt cæli rore sustentantur, & etiā liquore tenuissimo nutriuntur. Ideo Dauid dixit, in psalmo. Qui dat iumētis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Iob etiam dixit. Quis præparauit coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos? Sed si Deus coruis prouidet, & ei de illis est cura: quanto maiorem curam de vobis habebit, qui conditi estis, & facti ad ipsius similitudinem & imaginem? Vnde Salomon. Non est alius Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus. ¶ Obseruа autem diligenter, quòd cùm homo sit omnium creaturarū dominus & magister, ad bruta docendus mittitur. Quia cùm in honore esset nō intellexit, factus est iumentis insipientibus similis, & ideo ad illa mittitur. Sic sapiens pigrum hominem & inertem ad formicam mittit. Ita nos miseros & ineptos reddidit peccatum, vt multa possimus discere ab ipsis brutis rationis expertibus. Præterea nō sine causa exemplū coruorum & volatilium dominus proposuit. Potuisset nanque viros religione & sanctitate excellentes nobis adducere, vt fuerunt Moses, Helias, & Ioannes Baptista, quos nulla ex parte ipsorum adhibita cura Deus pauit. Sed noluit: quia posset aliquis dicere. Quid hoc in meum solatium facit? Nam si ego ea probitate & vitæ sanctimonia essem præditus, qua ipsi, possem & ego Dei præsidium sperare. Et fuit in causa quare volatilia pro exemplo adduxerit, vt intelligeremus maiori iure nostram diffidentiam esse detestandam, considerantes securitatem & libertatem irrationabilium animalium. Est ergo mens & animus Christi. Quoniam Deum patrem habetis, qui tanta bonitate & benignitate omnibus creaturis prospicit, non est quod vos soliciti sitis, potiùs debet vobis ipsis prospicere quibus tanta dedit & contulit beneficia, quos ad immortalitatē creauit & ad æternæ beatitudinis diuitias prædestinauit, quibus denique suum filium vnigenitum Redemptorem & vnicum reparatorem tradidit. ¶ Denique iustorū vitam cum ipsis volatilibus confert, quia vult vt in solicitudine cibi nos illis similes efficiamur. Primò quia nullam quietem nec sedem in terra fixam habent, nisi eam, quam necessitate coacta sumunt. Secundò, quia aues semper in alto vitam degunt, & ambulant. Ita simili modo tu si huius vitæ pericula & scopulos liber euadere volueris, opus est, vt terram ipsam fugias, & in altum tuis cogitationibus & operibus aduoles. Cùm Deus aues & pisces creauit, dedit illis benedictionem suam: at brutis quia in terra vitam degunt non benedixit. Qui illius benedictionis, quam daturus est dominus in die iudicij, participes esse voluerint, volare in altū debēt, vel natare, vt salui & incolumes euadant, vbi alij periclitantur. Eis enim, qui vt bruta in terrenis vitam agunt, negabit dominus benedictionem suam imo eis maledicet, dicens, Ite maledicti in ignem æternum. Exemplum igitur volatiliū ob oculos semper deferas, ex quo duo potes discere. Primum ne nimis solicitus sis circa tempora-

Matth. 6
Ambr. lib. 7. in Lucam.
Theodorus quem citat S. Thomas in catha.
Psalm. 146.
Iob. 38
Sap. 12
Bruta condēnant nostram solicitudinem.
Psalm. 48
Prouer. 6
Chrysost. hom. 22. in Matth.
Collatio vitæ iustorum cum auiū volatu.
Gen. 1
Matt. 25

lia. Secũdum, vt in altum aduoles, tuas cogitationes in Deum ipsum eleuando. Vnde quidam dixit, *Ouidius.*
Pronàque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

¶ Tertia ratio desumitur ex impotentiæ solicitudine ad augendam staturam. Ideo ait, *Quis autem vestrum cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* Sicut autum exemplo ostendit, non debere nos solicitos esse de cibo, nunc etiam hac ratione & sequenti suadet ne de vestitus superfluitate simus soliciti. Et hoc ostendit: quia vestimentum ad mensuram corporis fit, ad illum ergo pertinet curam de veste habere, an magna vel parua futura sit, ad quem pertinet curam habere de magnitudine corporis. Homo non potest per suam solicitudinem aliquid addere magnitudini corporis sui, quia nemo sua cogitatione addere potest aliquid staturæ suæ, sed tanta erit, quanta ipse Deus voluerit. Ac si diceret, Si in potestate hominis esset facere sibi magnam corporis staturam, optima ratione deberet etiam solicitus esse de vestibus. *Si ergo nec quod minimũ est potestis, quid de cæteris soliciti estis?* Hoc est. Si hoc tantillum non potestis facere, quod quidem Deo est facillimum, quid soliciti estis de corporis necessariis? Ideo creatori talem curam relinquite. Aduerte autem, quod sicut maxima opera animæ sunt operationes intellectiuarũ viriũ, quia cognitione & intellectione reguntur, magna verò ipsius opera sunt virium sensitiuarum, quia cognitione reguntur, minima verò sunt virium vegetatiuarum, quoniam naturali necessitate reguntur, ita maxima opera Dei sunt opera gloriæ, magna verò sunt gratię, minima autem opera naturę. *Beda in cap. 12. Luc. cap. 53*

¶ Quarta ratio ad idem tendit, ne simus soliciti de vestibus: & sumitur ex floribus. *Considerate lilia agri quomodo crescũt. Non laborãt, neque nent.* Posuit in his exemplũ, quia habent maximam pulchritudinem. & dixit, lilia agri, ad ostendẽdam minorẽ solicitudinem. Nam si essent lilia domorum, quæ in hortis nostris nascuntur, per humanam solicitudinem & culturam, dici poterat quod humanus labor & solicitudo conferebat aliquid ad illorũ pulchritudinem. Sed lilia agri nulla cultura nascũtur, & à nemine plantantur, & sine vlla sua solicitudine tantũ decorem & pulchritudinem habent. Dicit etiam non laborant, propter viros, neque nent, propter fœminas, vt vtrisque auferat superfluam solicitudinem, nam viros decet laboribus corporis intendere, mulieres etiam colum accipere. *Dico autẽ vobis. Neque Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis.* Solicitudo magna vestrum inutilis est, quia per illam desiderata nobis nõ valebimus consequi, quia Salomon cum omni apparatu & ornatu exteriori, non potuit ad tantam pulchritudinem peruenire, vt æquari posset alicui liliorum campi: quia opera naturæ præstantiora sunt & excellentiora, quã ea, quę fiunt ab arte. Nam si ars velit imitari naturã, nõ tamẽ adæquare poterit. Sed dices. Nõnne Salomõ auro & margaritis pretiosissimis ornatus pulchrior erat, quã vile lilium? Regina Saba videns vestes Salomonis stupuit: nunquam tamen admirata est lilium. Præterea si Salomon sapientissimus erat cur potiùs non contexuit vestem ex liliis quàm ex gemmis & auro? Et quis est, qui non dicat aurum pulchrius esse quàm lilium? Hic manifestissimus hominum est error, quia ea quæ apparent pulchra, pulchriora iudicamus his, quæ verè pulchra sunt. Cupiditas nostra est causa horum. Vestis enim ex auro cõfecta pulchrior nobis videtur, quàm lilium, qui si nõ essemus cęci & claris oculis id vellemus perspicere, videres in veste deaurata manum hominis, qui eam fecit, in lilio autem Dei artificis manum. Et quantò tibi gratior esset Deus quàm homo, si mundos haberes oculos, tanto pulchrius videretur lilium, quod depinxit. Sic sponsa speciosissima laudatur. Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea, &c. *Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos pusillæ fidei?* Cras in scriptura sacra pro omni tempore futuro, quod cito eueniet, ponitur. Vnde Iacob dixit ad Laban. Respondebitque mihi cras iustitia mea. Acsi diceret. Modo iniuriam mihi infers, quia retines oues vnius coloris, sed in futuro cõsequar iustitiam meam. Sensus huius literæ planus est. Sed vt altiùs hoc interpretemur aduerte. Quòd hoc quod est mittere in clibanum non dixit de liliis, sed de fœno, quia quanuis lilia marcescunt, non tamen in clibanum mittũtur. Ideoque sicut Christus vocauit animam iusti lilium, cùm dixit, sicut liliũ inter spinas: sic nũc reprobos intelligit per fœnum, sicut alibi etiam designantur per paleas. Habet enim scriptura suas figuras & tropos. Esaias iussu domini dixit. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Hic homines lætãtur & florent, sed in ignem æternum destinati sunt. Sensus igitur est. Si impios, & eos qui cruciandi sunt in gehenna, Deus sic vestit, hoc est honores illis tribuit, diuitias & dignitates: quomodo vestri obliuisceretur? Certè hæc ratio nimis vrget. Nam videbis Tiberiũ, Caligulam, Neronem, Heliogabalum, Commodum, Domitianum, qui cùm tã impij essent, nefarij, & truculenti, Deus illos sic ditauit, vt totius orbis imperium & sceptrum tenerent. Quomodo credibile est quod seruis suis negabit necessaria: Verùm vt ostendat, quàm breuis sit & inanis gloria huius mundi & fœlicitas dicit, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur. Impij autem tantùm hodie sunt: pij verò hodie, & cras, & in perpetuum, sicut Christus, cum quo in æternum regnabunt. Sic Sapiens personam agens impiorum, qui sunt in inferno, inquit, Nos nati, continuò desinimus esse. Vnicum tantum diem vixerunt, quem non concupiuit ille sanctus, qui dixit, Diem hominis non desideraui, tu scis domine. O rem maximè horrendam. Cras in clibanum mittitur. Ibi impius ita possidebitur ab igne: sicut possidetur fœnum cùm in clibanum coniicitur. Penetrat mors intima viscera peccatoris. *Natura præualet arti.* *3. Reg. 10* *Cant. 2* *Genes. 30* *Cant. 2* *Matth. 13* *Esa. 40* *Hebr. 13* *Sap. 5* *Hiere. 17*

Et vos nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis. Redit ad præcipuum scopum, repetens quod dixerat de nimia solicitudine cibi & potus. Superfluam epularũ curam simul & potus dominus reprehendit. Est mundus adeò perditus, vt hominibus sit plenus, quorũ Deus venter est, id enim honorem existimant esse, dignitatem, & laudem, si Epicuri scholam sequantur: cum Christum in sacro baptismatis fonte fuerint cõfessi. Audi igitur Christum freno cohibentẽ hominum helluonũ gulam & ebrietatem. Dixit enim Esaias. Equi eorum, caro eorum. Maximũ est periculum equitare in pingui, & lucido equo, qui nũquam domitus fuerit. Et siquidem propheta inquit, equum nostrum, carnem nostram *Beda in Luc. 12. cap. 53* *Philip. 3* *cap. 30*

nostram & appetitus esse, opus est, vt abstinentiæ fræno cohibeamus, nè aduersus nos insurgat, & in mille peccata & miserias nos præcipitet. Quapropter Psalmista ait. In chamo & fræno maxillas eorum constringe. Nisi carnem continueris abstinentiæ fræno, ducet te tanquam equus indomitus per delitiarum aquas huius mundi, & vt Pharao suffocaberis, qui cum equis suis in Rubro mari perierunt, & ipse cum suis tanquam lapides in profundum descenderunt. Corpus secum animá ducet, nisi illud frænaueris abstinentia. Abstinentia enim est mors culpæ, exterminatio voluptatum, remediũ salutis, origo & radix gratiæ: & substerniculum castitatis. Magna quidem ignominia est, vt tuus seruus tibi præcipiat & imperet. Ismael filius ancillæ persequebatur filiũ spiritus, & Agar dominam suam contemnebat. Nisi domueris carnem tuam, superbia elata insurget aduersus spiritum. Magna quidem est confusio & verecundia, quod cùm ita sis magnus princeps & dominus, vt paulò minorem angelis te ipsum fecerit, voluntatem facias, & pareas tam vili seruo qui ipsum corpus est. Hoc lamentabatur Hieremias dicens. Serui dominati sunt nobis. Ideo Christus curam anxiam & superfluã solicitudinem cibi & potus prohibet his verbis. Et quia inter varios cibos, & grãdes mensas: & pretiosa vasa inueniri solet superbia & vanitas, vt contigit in conuiuio regis Assueri, subdit statim dominus. *Et nolite in sublime tolli*. Sunt multi qui lautè & opiparè manducant, & omnes venientes ad se inuitant, non tantum propter mãducationem & potum, quàm vt ostendant vanitatem suã & sumptus. His igitur verbis Christus medelam adhibet huic ægritudini. Hoc idem Apostolus suadet dicens, Noli altum sapere, sed time. Admonet Christus, vt quãuis ita diuites simus, vt omnia nobis superflua fuerint, nè vanè & stultè extollamur, sed pro omnibus ipsi Deo gratias referamus. Hinc ad Timotheum ait Apostolus. Præcipe diuitibus huius sæculi nõ sublime sapere, nec sperare in incertitudine diuitiarum, sed in Deum qui omnia nobis abundè præstat.

Psal. 31. Exod. 14. Exod. 15. Genes. 21. Psal. 8. Thren. 5. Hester 1. Aug. quæst. 10. Euan. lib. 2. cap. 29. Rom. 11. 1. Tim. 6. 1. Thess. 4. Hebr. 10.

¶ Quinta ratio desumitur ex differentia inter ipsos & ethnicos. *Hæc autem omnia gentes mundi quærunt*. Qui nihil habent in cœlo, non mirum si terrena quæsierint, vos verò qui thesaurum, redemptionem atque iustitiam habetis in cœlo, cur secularia curatis? Qui nullam in futuro sæculo habituri sunt requiem, nihil mirum si hîc satientur. Qui non habent in terra promissionis panem, in Aegyptum descendunt, vt cibos afferant. Sed vos quibus parata est in cælo mensa, quibus disposuit pater regnum vt edatis & bibatis, qui potandi estis fonte dulcedinis, imo torrente voluptatis, quibus ea parata sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt cur hîc tam vehementer cupitis alliis & porris Aegyptiorum & carnibus satiari? Denique non mirum si qui seruilem habent conditionem terrena tractent, sed qui filij Dei sunt ignominiosum deberet eis videri, si his se inuoluerent. ¶ Obserua autẽ quòd ex his verbis vnusquisque poterit colligere an ex gentibus sit, vel ex Deo. Suum studium videat, an circa terrena & peritura, an circa immortalia & diuina ambulet intentus, nam si terrenis se contaminauerit, iam factus est dæmoniorum socius. ¶ Sexta ratio desumitur ex patris scientia. *Pater autem vester scit, quoniam his indigetis*. Iã hîc vides quod Deus diligentiũ sit pater, non autem diuitum, & superborum, qui omnibus abundant. Quocirca gaudere debes, & lætari, cùm tibi aliquid defuerit vel non omnia ex animi sententia successerint. Prætereà non dicit vos indigere domibus eburneis, lapidibus pretiosis, phaleratis equis, & aliis similibus rebus, sed quod indigetis cibo, & potu, & veste. Viri enim pij his solis & non aliis indigent. Habentes (inquit Paulus) victũ & quibus tegamur, his contenti sumus. Verè Deus est pater eorum, qui victu & vestitu sunt cõtenti. Quis est tam crudelis & acerrimus pater, qui filio suo non concedat necessaria, si habuerit? Deus autem cùm sapiens sit, omnia nouit, & quia omnipotens, omnia potest, & quia pater est, piè vult, ideo ad prouidendum est summè bonus, & idoneus, & qui hominem creauit, rectè nouit ipsius indigentiam & mendicitatem. Et si aliquando patiuntur aliquas graues necessitates, id euenit quia in Deum fiduciam suam non collocarunt, qui id permittit in pœnã suæ culpæ. Qui mũdo confisi sunt, ipse mundus iis remunerauit, & digna factis exoluit. Ex his omnibus Christus sic infert, dicens, *Verumtamen quærite primum regnum Dei & iustitiam eius*. Quod ego magis desidero vobis dare, & quod vobis magis vtile est id quærite. De reliquis ne soliciti sitis, magna & alta quærite, quãdoquidem magnum & excellentem dominum habetis. Spiritualia inquirite, terrena nanque & temporalia, non deficient vobis. Qui maiora dat, minora etiam concedet. Et qui anima simul & corpore vos dotauit, cibum & vestitum largietur. Deficit ne cibus Iudæo, aut infideli? Deficit cibus auibus cæli, aut formicis? Quærite ergo primum, hoc est præcipuè regnũ Dei. Beatitudo finis noster est, & finis prior est in intentione. Primum ergo quærendũ est regnum Dei orando, meditando, & mentem in Deum leuãdo, vt inde referatur hoc principale bonum ad cætera opera nostra. Nam res, quæ propter aliud quæritur (vt pulchrè differit Augustinus) inferior est, quã id propter quod quæritur. Et ideo illud primũ, est propter quod istam rẽ inquiris, nõ ista res propter quam aliud quæris. Quapropter si regnum Dei, cibi tantũ causa quærimus, anteponimus sine dubio cibum regno Dei, vt si non deesset cibus, non quærendũ esset nobis regnum Dei. Prima itaque solicitudo & principalis habẽda est de regno Dei, quod est beatitudo cælestis. Quærere autem iustitiam eius, est conari ad obseruantiam legis & ad faciendũ opera bona, per quæ tãdem peruenitur ad regnum Dei. ¶ Obserua autẽ, quòd priùs loquutus est de regno Dei: quod est finis, quàm de iustitia, quæ mediũ est, nam finis primus est in intentione, quàm ea quæ sunt ad finem, quia nullũ agens secundũ rationem potest aliquid agere, nisi præsupposito fine. Ideo ille qui est finis simpliciter omnium operationũ humanarũ, necesse est, vt præsupponatur ante omnem operationẽ, si autem non præsupponeretur, ageremus temerè & à casu, nihil præcogitantes, & talis operatio nũquam est bona, quia non est conformis rationi, & sic non est Deo accepta, & sic oportet finem præsupponere ad hoc vt bonum operemur, & hoc est regnum Dei quærere, hoc est præsupponere, & de illo cogitare. Hæc enim sunt de quibus soliciti esse debemus, & in hac solicitudine peccare nunquam poterimus, qui quanto magis de hac re soliciti

2. Cor. 1. Gene. 44. Psalm. 22. Luc. 22. Psal. 35. Esaia 64. 1. Cor. 2. Numer. 11. Esaia 48.

Deus pater est miserorum. 1. Tim. 6. Chrysost. hom. 23. in Matth. Tom. 2. Aug. lib. 2. de ser. domini in monte. Regnum Dei finis & scopus noster est. Iustitia eius, sunt media ad illud peruenendi.

fuerimus, tantò meliùs nobis erit. Quia illa, quæ propter se quęrũtur (vt ait Philosophus) in infinitũ quæruntur. Beatitudo autem & virtutis operatio propter se ipsa quęrũtur, ideò nullus terminus nec modus cõstitui debet, in inquirendis istis. Secus autem est de necessariis ad vitã, vt cibo potu & vestimento, quia ista nó propter se quærũtur, sed quatenus sunt necessaria ad vitam conseruandam, & conseruatio vitæ consistit in quadam mensura, ergo præter necessaria, alia superflua quęrere vana est & taxanda solicitudo.

Arist. 1. politico.

Prius aduerb. non ratione temporis, sed intentionis intellige.

¶ Rursus obseruandum est, non esse intelligendum, priùs tempore quærendum esse regnum Dei, quàm cibum & potum, sed hic priùs in intentione debet intelligi, & mentis & animi desiderio, quia interdum oportet temporalia priùs curare, quàm regnũ Dei. Vt si quis propter instantem necessitatem cogatur prius corporaliter laborare, quã orare. Item obseruandum, Christũ non fuisse loquutũ de honore Dei, sed de regno Dei, & iustitia eius, quia licet honor Dei priùs quærendus sit quã beatitudo nostra, & via pietatis, qua peruenitur ad beatitudinem: de honore tamen Dei noluit hîc Christus loqui, quia solum hîc agit Christus de illis tantum bonis quę quærimus, propter nos ipsos, istorũ est præcipua beatitudo & iustitia. Honor autẽ Dei nõ appetitur propter nos, sed propter seipsũ. Ideò nõ est hîc loquutus de honore suo. Quia Christus nõ intẽdit in hoc loco agere, quid magis, vel quid minùs desiderare debeamus, sed quid potiùs propter nos ipsos quærere debeamus. Nã quid nobis sit petendum in superiori capite Christus retulit, in dominica oratione: cùm priùs egit de honore Dei cùm dixit, Sanctificetur nomen tuum. Posteà verò egit de beatitudine nostra, dicens. Adueniat regnũ tuũ. ¶ Sed non possum non homines vehementer mirari, qui cum audiant Christum dicentem, Quærite regnum Dei, tantæ petitioni aures suas obturatas habeant, & frigidi & tepidi sint, & velut in chenice sedeant. Et est causa, quia cùm carnales simus non existimamus regnũ Dei ad nos pertinere. Saul cùm audisset se potiturum regnũ Israël, non motus fuit, imo Samuel rem tantam promittenti, dixit, Nunquid nõ filius gemini ego sum, de minima cognatione in Israël? Quare ergo loquutus es mihi sermonem hunc? Acsi diceret. Non hæc ad me spectant. Sed is, qui irriserat verbum de regno, vbi domini spiritus eum agitauit, statim Dei animum fortem & virilẽ induit: & nihil deinceps nisi regiũ & magnum facere cœpit. Ita nos cùm solum homines simus, putamus regnũ Dei nihil ad nos spectare, sed si spiritus domini in nobis flauerit, nostram dignitatẽ cognoscemus, & nihil regio nomine indignum facere tentabimus. Hoc itaque regnũ Dei primò & præcipuè quærere debes, deinde temporalia & terrena tanquam media ad consequendam beatitudinem. Hunc nanque ordinẽ & consensum vult Deus nos habere. Addit enim pulchritudinẽ magnam, ordo & dispositio omnibus rebus seriem inter se seruantibus. Nam siue aliqua doctrina vel concio bona fuerit, si nullum tamen ordinem seruauerit, nihil placet. Ita in omnibus operibus tuis & exercitiis rectũ ordinem & normam seruare debes. Primò ergo regnum Dei quære, deinde verò temporalia & terrena tanquam media ad finem.

1. Regum. 9

Temporalia ita quærenda vt non impediãt cœlestia.

¶ Obserua etiam, quòd in hac vita ita temporalia & necessaria ad corpus inquirere debes, vt hoc non possit tibi esse impedimẽto, vt cœlestia & diuina obliuiscaris. Ita regnum Dei debes primò quærere, vt ipsa intentione & desiderio supra ipsa exteriora opera aduoles, sic vt cor tuum non pręcipuè exteriori operi applices, sed portionem aliquam ipsius cordis reserua, vt ipsa in res cælestes teipsum erigas ad exemplum auium, quæ mare pertranseunt, quæ cum defatigatæ & lassatæ sunt, in aquam descendunt, & alteram alam in aquam constituũt, alteram verò extra aquam habent, nè posteà si volare in altum velint habentes omnes plumas madefactas aqua, non possint se in cœlum eleuare. Qui hoc tempestuosum huius vitæ mare vndique fluctibus exagitatum in salutis portum nauigamus, si lassati & defatigati fuerimus volatu orationis & contemplationis, alteram alam in vitam actiuam debemus conuertere, sed non omnino his rebus inhærere debemus, sed alteram alam sublimem semper & erectam, desiderio & affectu in cœlum habere debemus, ne si aqua ambæ submergantur, præcipuum nostræ orationis scopum obliuiscamur, atque ita semper salui & incolumes remis actiuæ vitæ, & contemplationis velis, æternę vitæ portũ fœliciter attingamus. Quò fiet vt rectè & optimo iure illud de nobis canatur. Odor vestimentorum tuorum sicut odor incensi. Incensum *Can. 4*
enim in sacra pagina orationẽ significat, deuotionem, & sanctum desiderium animæ quod ad cœlestia volat, vestimenta autem sunt bona exteriora opera quæ homines conspicunt. Tuncque incensum redolent, quando diuino amore & deuotione fiunt. Cuius rei exemplum extat in Iacob. *Gene. 29*
Qui etiam si septem annis pro Lia inseruierit, ipsius intentum & scopus non fuit nisi pro pulchra Rachele famulari, per quam quidem contemplatio significatur, & in quã nos omnia opera nostra debemus dirigere, etiam si Liam, hoc est vitam actiuam nobis dent: cum qua nõ contenti esse debemus, sed vltra ad maiora progredi, & Rachelem desiderare, opera nostra externa in altiorem finẽ & in contemplationem diuinam eleuãdo. Sic Machabæi manibus dimicantes, & vocantes cordibus dominum suum, claram & insignem victoriam de Nichanore & de aliis inimicis suis reportarũt. Etiã si corporalibus laboribus fuerimus intenti, etiam si victum & vestitum quæramus, in his etiam occupationibus regnum Dei & celestem Hierusalem in memoria habeamus, & hoc primo nobis quærẽdũ est. Nam si diuinum & cœleste tanquam præcipuũ curauerimus, omne temporale liberali & magnifica manu dominus ministrabit. Vnde fit vt statim dominus dicat, *Omnia hæc adiicientur vobis*. Qui maius dat, minus etiam concedet, & qui præcipuum dat, quod huic conueniẽs fuerit, dabit. Nã omne agens naturale dans formam, tribuit etiam omnia consequentia ad formam. Ignis nanque cùm formam substantialem ligni corrumpit, dat illi formã ignis, & præterea ipsius accidentia, quæ sunt calor & siccitas. Iure etiam consulti dicũt, quòd cui conceditur principale, videtur etiam accessorium illi concedi. Nam si rex aliquem constituit regni gubernatorem, vel rectorem, clarè constat, concedere illi facultatem, vt possit citare, conuenire, suspendere, & reliqua alia huic officio necessaria. Ita igitur inquit Christus. Si vitam vobis liberaliter concedo, clarum est, me vobis concessurum victum & vestitum, vt illam sustentare possitis. ¶ His verbis

2. Mac. 15

L. 1. ff. de iurisd. omnium iudi.

verbis ostendit Christus, temporalia nó esse nobis petenda tanquam bona nostra, etiam si necessaria sint. Regnum autem Dei petendum est, tanquam finis & præcipuus scopus noster. Ideò dixit, adiicientur tanquam necessaria ad finem. In quo indicat aliud esse, quod præcipuè datur: aliud verò quod superadditur. Æterna nobis in intentione esse debent, temporalia vero in vsu, & illa quidem dátur, hæc autem tanquam conuenientia addûtur. ¶ Discamus ergo in Deú confidere, nec vnquam de diuina spe desperare. Non vidi iustú
Psal. 63 derelictú (ait diuinus Psaltes) nec semen eius quærens panem. Si credimus nos ita à Deo diligi, vt filium vnigenitum nobis dederit, quomodo cum illo non donabit nobis omnia? Si pater est benignissimus & suorum filiorú amantissimus, si beneuolus sponsus, si fidelis amicus, si pastor diligens, si ditissimus rex, si pia mater & nutrix, quomodo eorum obliuiscetur, quos in visceribus gerit? Si panem illum in terra dat, quem edunt angeli in cœlo, quomodo non dabit panem, quem edunt iumenta? Potest de petra aquas haurire. Potest farinam & lechytum olei plenum semper exhibere. Potest Danielem in lacu, & Heliam pascere in deserto: & non poterit vos satiare, & sitim vestram explere, si omnem vestram curam & diligentiam in ipsum posueritis. Sic in parabola illa, quæ habetur in Matthæo de patrefamilias qui conduxit operarios, ibi dem dicitur, quod fecit conuentionem ex denario diurno, per quod intelligitur retributio æterna, & beatitudo cœlestis, quam dabit dominus his, qui rectè in sua Ecclesia laborauerint. Sic aduerte quod non fecit conuentionem cum illis de cibo & potu, sed tantú de denario, quia cibus & potus non potest amicis Dei deficere. Nam paterfamilias qui dat denarium laborantibus in vinea, dabit & cibú & potum. De denario enim tantum fac conuentionem, hunc quære, húc concupisce, & cætera necessaria vitæ ministrabit. Sed dicet aliquis quomodo hoc verum sit, quia multis seruis Christi hæc non sunt addita. Nam Paulus de iustis ait. Circuierunt in melotis & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Et de se ipso ait. In fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. Sed nunquid Paulus non quærebat regnum Dei? Ecquis vehementiori & ardentiori animo quæsiuit? Cùm hæc imperfecti considerant, quæ solicitudini potius quàm promissioni diuinæ committunt. Sed respondeas obsecro. Quis habet cibum, ille ne, qui cum cibo quem habet dolet & tristatur, an ille qui cùm cibo careat, gaudet & lætus est? Certè cibus quæritur, vt animus contentus sit cibo. Qui igitur fame contentus est, is maiorem abundantiam cibi habet, quàm qui cibo contentus esse nescit. Neque erat quisquam egens inter illos (ait diuus Lucas de Christianis, qui sine proprio viuebant in primitiua Ecclesia.) Hæc enim est diuina prouidentia, vt si regnum Dei quæsieris quod cibus tibi adiiciatur, aut quod est cibo maius & excellentius, scilicet vt animus sua sorte sit contentus. Audi Apostolum, quem fame, siti & nuditate confectum proponebas, Philippensibus dicentem, Scio humiliari, scio & abundare: in omnibus institutus sum, & satiari & esurire, & abúdare, & penuriam pati. Nemo omnium qui abundantiá bonorum omnium in mundo habet, ita contentus erat, & satiatus, vt Paulus sua egestate & mendicitate: Da tu mihi hunc animum, & ego tibi regias opes promitto. Verùm quia solicitudo superflua prouenit ex inordinato timore, docet Christus talem timorem esse vitandum, datque fiduciam quærendi regnum cœlorum, dicens, *Nolite timere pusillus grex: quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Nam qui vobis dat regnum cœleste, multò melius terrena concedet. Timorem & pusillanimitatem expellit, & vt fiduciam & spem in dominum erigamus, locus hic monet. Neque in aduersis rebus nec in secúdis & fœlicibus timere docet, quandoquidem in his omnibus præsto adest nobis dominus, paratus, vt gloriam suam nobis côcedat. Gloriosè de inimicis suis triumphauit Susanna, quia erat cor eius fiduciam habens in domino. Et magnam spem habuit Esdras cum in oratione ad dominum facta magis confideret, quàm in chirographo regum. Et sanctus Iob in suis tribulationibus dicebat: Si occiderit me, in ipso sperabo. Quia verò populus Israel, cùm in deserto ambularet, nec fiduciam haberet, se ingredi posse terram promissionis, quia in ea erant gigantes, quia defuit illis spes, in eam non sunt ingressi.

¶ Præterea pusillus grex vocatur, ob humilitatis deuotionem, qua quidem humilitate Ecclesia magnum incrementum suscipit, & ob hanc etiam peruenitur ad regnum. Humilem spiritu suscipiet gloria. Ostendit hoc is hîc, quantú illi promereantur apud Deum, qui sibi ipsis per humilitatem, & mundo ob simplicitatem & syncceritatem vilescút. Etiam si pauci sitis humiles, abiecti, & insipientes, non est tamen cur mundi impietatem & inhumanitatem formidetis, quia placuit patri vestro, reiectis superbis diuitibus, & sapientibus huius mundi, sua scientia inflatis, dare vobis pusillis regnum Dei. Nonne pauperes elegit Deus in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni? Et Paulus. Videte vocationé vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt elegit. &c. Humilibus enim placuit hæreditatem regni concedere. Et sic ipse dixit. Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, &c. Iustis namque dominus regnú concedit, Saul cum in oculis suis paruulus esset, in caput filiis Israel factus est. Sed de his aliàs diximus. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynã.* Antequam præcipiat dare eleemosynam, duo dicit. Primum vendite. Secundò, quæ possidetis. Dicit vt vendamus: quia homo in eleemosynam largiri non debet domum vel hæreditatem: quia hoc non esset pauperis necessitatem subleuare, sed illú ditare. Sed vendendo domum vel hæreditatem, pecuniis habitis, sapienter & prudenter eleemosyna fieri potest, vt vniciuisque pauperis fuerit necessitas. Ideò præcipit, vt priùs védamus. Secúdò dicit, quæ possidetis, & non, quæ rapuistis, nam eleemosyna fieri debet ex propriis bonis nostris. Ideo Ecclesiasticus. Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Et in Prouerbiis dixit Salomon. Honora dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt. Bona igitur tua in pauperes debes erogare. Id náque præcipuè semper dominus nobis comméndat, vt misericordes & pij erga pauperes existamus. Et relinquens alia multa loca aliorum.

Marginalia: Roma. 8 — Num. 20 — 3. Reg. 17 — Dan. 14 — 3. Reg. 19 — Matth. 25 — Heb. 11 — 2. Cor. 11 — Diues qui sua sorte contentus — Act. 4 — Philip. 4 — Glossa ordinaria in cap. 12. Lucæ — Dan. 13 — 1. Esdr. 8 — Iob 13 — Numer. 14 — Prouerb. 29 — Iacob. 2 — 1. Cor. 1 — Matth. 11 — 1. Reg. 15 — Eleemosyna danda ex proprio — Eccles. 34 — Prouer. 3

rum Euangelistarum, in quibus de hac re sæpius à *Matt.25* Christo monemur, & etiam illud Matthæi, qui dicit, in die iudicij bonos de hoc opere esse à Deo laudandos & maximè cómendandos: sola illa loca adducam, quæ de cómendatione huius operis habentur in nostro Luca. *Luc.3* Vnde in superioribus habetur. *Luc.6* *ibidem.* Qui habet duas tunicas, det vnam nó habenti. Et, Estote misericordes, sicut pater vester misericors est. *Luc.10* Et item. Date, & dabitur vobis. Et in parabola illius, qui descédebat ab Hierusalem, in Hierico, *Luc.7* hanc virtutem maximè commendauit. Et ipse dominus misericordia motus filium viduæ suscitauit, *Luc.9* & quinq; panibus famelicam turbam satiauit. Et denique in hoc loco eleemosynam commédãs, subdit statim, Thesaurizate vobis thesauros in cælo. *Luc.16* Et infrà dicit. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Et historiam diuitis epulonis adduxit, qui médico Lazaro non vsus est misericordia. Et quærenti quid faceret, vt vitam æternam consequeretur, *Luc.18* dixit, Vade, & véde omnia, quæ habes, & da pauperibus. Et Zachæũ laudauit, dicens: illum esse filiũ Abrahæ, eo quod eleemosynam dedisset. *Luc.19* Denique mendicis, cæcis, leprosis, infirmis & egenis semper Christus misericordia est vsus: vt hanc virtutem non solùm verbis, sed etiã ipsis operibus voluit persuadere. Quò fit, vt si nó aliud argumentum esset, nec ratio, ad hanc virtutem suadendam nisi tot tãtaq; testimonia filij Dei & verbis & operibus adducta, satis esset, vt hæc virtus perpetua fixaque animo nostro sederet. Detrusit in infernũ illũ *Luc.12* qui dixit. Non habeo vbi reponã fructus meos: cũ multi essent pauperes in mundo. Nũc autem præter ea quæ diximus addam aliquas vtilitates & cómoda, quæ eueniũt tribuenti pauperibus eleemosynam. *Eleemosyna Deum nobis obligatum reddit.* ¶ Primum commodum est, quòd eleemosyna, quasi captiuum homini ipsum Deum facit, vt colligi potest ex duobus testimoniis sapientis, si vnum cum altero coniungamus. Vnũ est illud. *Prouerb.19* Qui vtitur misericordia cum paupere, fœneratur domino. *Prouer.22* Alterum verò est. Qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis. Si hoc verũ est, bene sequitur Deũ manere quasi captiuum & seruum illius, qui pauperi eleemosynam dedit, quandoquidem iste talis fœnerauit domino. Quid obsecro est, quod possit maiori æstimatione esse dignum quàm Deũ captiuum habere, si ita fas est dicere? Quid magis desiderabile esse potest, quã in nostra potestate habere claues misericordiæ Dei, vt nobiscũ vtatur misericordia? Sine dubio has claues largitor eleemosynę suis manibus habet: quandoquidem dominus inquit, *Matth.6* Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et præter hoc bonũ aliud restat magis præcipuũ, scilicet cósequi veniam peccatorũ. *Eccle.3* Vnde Salomó. Sicut aqua extinguit igné, *Prouer.21* ita eleemosyna extinguit peccatum. Et in Prouerbiis. Munus absconditum extinguit irã & donum in sinu, indignationem maximam. *Tob.4* Et Tobias. Eleemosyna liberat ab omni peccato. *Dan.4* Et Daniel dixit Nabuchodonosor regi, Peccata tua eleemosynis redime. Et si infidelis ille & ethnicus potestaté habebat, vt posset saluus fieri, si consiliũ prophetæ accepisset: quantò magis Christiani eleemosyna satis faciet ex bonis debitè acquisitis? Operam & oleũ perdit, qui manus in Deum eleuat, vt sua peccata illi remittat: qui manus suas ad elargiendam eleemosynam pauperi extremè indigenti complicauit: & hoc voluit dominus insinuare quãdo dixit quod sacerdotes comedebant peccata populi: *Ose.4* nam propter meritum eleemosynæ, quam illis homines tribuebant, peccatorum suorum misericordiam consequebantur.

¶ Præterea non contenta est hæc virtus, eo solùm, quod misericordiam peccatorum commissorum consequatur, *Eleemosyna satisfactoria & meritoria.* sed etiam illum ditat nouis meritis, est enim hæc solutio ita pinguis, diues, & abũdans, vt pro commissis satis sit soluere, & possit etiam in posterum ditare. Et ratio est, nam hoc opus misericordię ea parte, qua pœnalis est, est etiã satisfactoria, & quia fit in charitate, est meritoria: atque ita ex vna parte debita soluit, ex altera verò quæ possidet auget. Quod vtrunque ostenditur in eo, quod propheta Heliseus fecit cum vidua illa, *4.Reg.4* quando oleum multiplicauit. Ita quãuis adeò pauper & egena sit anima, nisi illi defuerit oleum misericordiæ, & vsa fuerit illa industria, qua vsa fuit illa mulier, fundens partem illius olei misericordiæ inter pauperes, vacuos opibus & solatio, & clauso ostio, hoc est, ita abscondité vt nesciat sinistra quod facit dextera, *Matth.6* certum & indubitatum sibi habeat, quod tantum augebitur & multiplicabitur fructus & meritum huius largitionis, vt satis sit ad soluenda omnia debita peccatorum commissorum, & vt in posterum nouis meritis ditescat. Quod apertissimè Psalmista ostendit, dicens, *Psal.111* Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. *2.Cor.9* Ideo Apostolus similem eleemosynam facit semini, cùm dicit, Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Nam qui seminat, etiam si prima fronte videatur semen perdere, re bene inspecta, illud multiplicat. *Eccl.11* Quod etiam Salomon visus est sentire, cùm dixit. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies. Nihil magis perditum & amissum videtur, quàm id quod in flumen iactatur, sed reuera etiam si videatur amitti, non tamen amittitur, quia post multa tempora inuenies illud. Quod obsecro maius lucrum & fœnus reperiri poterit, quàm hoc? Terram das, & inuenis cœlum, panem hominum tribuis, & panis angelorum redditur, vas aquæ frigidæ largiris, & aquam viuam reperis. Denique id tu tribuis, quod portare nequis, & tibi datur, quod nemo auferre poterit. Cur igitur rem tuam non transferes in eum locum, in quo perpetuo es habitaturus? Sed alia duo specialia bona his superaddam. Primum est auxilium Dei quod nobis præstatur in ipsis tribulationibus. *Luc.6* Nam si Christus dicit, mensura qua aliis mensi fueritis, eadem & metiemini, ita iustum est, vt misericors homo, qui in necessitatibus & angustiis miseris succurrit, in suis propriis subueniatur à Deo. Hoc nobis insinuant tot tantæque benedictiones, quas Dauid conicit in misericordes, dicés, *Psalm.40* Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi, &c. Vehementi quodam amore prosequebatur propheta sanctus hanc virtutem, quandoquidem ipsius amatores tot benedictionibus implebat. Ideò Esaias postquam eleemosynam commendauit, *Esai.58* & dixit, Frange esurienti panem tuũ, egenos & vagos introduc in domũ tuam, si videris nudũ operi eum: subdidit statim dicens,

cens. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, &c.

Eleemosyna facit orationem dignam exaudiri.

¶ Secundum bonum est, scilicet, quod largitor eleemosynæ exaudietur à Deo. Nam quemadmodum ipse pauperem audiuit, ita Deus suis orationibus & clamoribus aures applicabit. Ideò Esaias in superiori testimonio postquam eleemosynam laudauit, subdidit, Tunc clamabit & ego exaudiã. Et è contra qui pauperem non audierit, neque ipse exaudietur à Deo. Vnde Salomon.

Prouer.21

Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur. Maximè tamen præter omnia dicta, in id oculos debes coniicere, quod piis & misericordibus vitam æternam promittit. Nam in extrema illa die in qua vniuersis secundum vniuscuiusque merita retribuetur, his dominus dicet.

Matth.25

Venite benedicti patris mei, &c. Constitue igitur in staterã vnam omnia hæc bona, quæ tibi accrescũt, & in alteram stateram omnem rem temporalem, quam amittis, eleemosynam tribuendo, & cõsidera quæ bona maiorem valorem habeant, illa quæ das, an ea quæ accipis. Nihilominus tamen volo tibi ostendere, non solùm te hæc quinq; bona spiritualia, quæ retuli, lucrari, sed quod nulla temporalia amittis.

Eleemosyna non minuit sed auget fortunas.

Nam eis qui misericordes sunt & largitores eleemosynæ non solùm in futura vita dominus multa bona cõcedit, sed etiam in hac. Lege in

Deute.28

Deuteronomio, & inuenies ibi innumeras benedictiones quas dominus dat largitoribus eleemosynæ.

Prouer.3

Et præter ea audi Salomonem dicẽtem: Honora Deum de tua substantia, & de primitiis omniũ frugum tuarum da pauperibus: & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt. Et iterum.

Prouer.28

Qui dat pauperi non indigebit, qui despicit deprecationem, sustinebit penuriam.

1. Timo.4

Et Paulus Timotheo ait. Pietas autem ad omnia. Omnia hæc allata testimonia idem dicunt, quod

Luc.6

vnico verbo Christus retulit. Date, & dabitur vobis. Hoc clarè & apertè cognoscitur in vidua illa

3. Reg.17

Heliæ: cui etiã in temporalibus rem dominus auxit, siquidem non defuit illi farina & oleum. Idem

Tob.12

contigit Tobiæ, quem dominus propter ipsius charitatem diuitem effecit.

¶ Nunc autem à te libet interrogare, credas nè illis testimoniis scripturæ, vel nõ? Si nõ credis, iam non es Christianus: quandoquidem Christi verbis fidem nõ adhibes. Si dixeris te credere: necessariò fateri debes, quod quando largiris eleemosynam, nullam iacturam rerum tẽporalium facis, sed potius magis diues efficeris, tum rerum spiritualium, tum etiam temporalium, & quamuis nullam viam ad hoc tibi persuadendum inuenias, debes tamẽ id firmũ stabilẽque habere, quãdoquidem id Deus dicit. Et ipse Deus etiã inquit, quod qui liberaliter vsus fuerit cum paupere, nũquam necessitate laborabit. Quemadmodũ igitur credis Deũ trinũ esse & vnũ: ita etiã credere debes quòd largiẽti eleemosynã in statu gratię nũquã deficiet, etiã si asperũ & durũ tibi videatur. Si igitur hoc ita credis, quare parcus & auarus es, in largiẽda eleemosyna: quãdo fides tibi dicit, ꝙ si eã distribueris, ipsa magis ac magis augebitur. Nulla via excusari potes: nã si in bona spiritualia oculos cõuerteris, multa tibi hîc promittũtur, si verò tẽporalia inspexeris, fides te securũ & quietũ reddit, nũquã tibi esse defutura. Si cùm scis triticũ in terra multiplicãdũ esse, id spargis magnã fiducia, etiam si spes aliquando fallatur, si credis etiam hoc semen eleemosynę multiplicãdũ fore, quare non seminas? cur tam auarus & parcus es in seminando? Nam si dixeris te nõ videre, quomodo sparsa eleemosyna, magis tua res & substantia augeatur, nec etiam vides quomodo Deus trinus sit & vnus. Deus enim vtrũque dicit, & firmissima fide id credere debes. Teneris nanque vel fidẽ abnegare, vel concedere libenter, quod largitori eleemosynæ nunquam necessaria deficient. Defuit ne *3. Reg.17*

Heliæ, vel Danieli inter Leones constituto? *Dan.14*

Si volatilibus cœli Deũ ignorantibus non deest, quomodo christianis deerit? Quomodo Christus eum abnegabit, qui ipsum Christũ esurientẽ pascet? Quomodo terrena bona negabit, qui liberaliter cœlestia concedit? Quomodo frustum panis, vel parum aquæ negabit, qui proprium sanguinem & vitam fudit? Vnde tibi ô Christiane nata est ista praua & iniqua cogitatio? Quid in domo fidei, infidũ pectus facit? Quî fieri potest, vt nomine Christiani gaudeat, qui verbis Christi non fidit? Fatere igitur veritatem, & dic nullam te excusationem habere, & clarè & apertè insinua huius rei causam tuam insatiabilem auaritiam esse. Tu ipse mancipium es tuæ pecuniæ, & captiuus tuæ auaritiæ. Seruus Abrahæ *Genes.24*

nullum maius signum nec euidentius inuenit in puella, vt existimaret dignam posse esse nurũ Abrahæ, nisi misericordia, qua vsa est, cùm peregrini sitientis sitim expleret. Hoc signũ elegit magis, quã aliud, quia digna non erat vt nuberet Isaac, si misericordiam non fecisset cum proximo: nec credere poterat seruus ille Abrahæ Deum daturum nurum seruo suo Abraham quæ charitatem cum proximo non haberet. Sed huius tempestatis multi Christiani iam non relinquunt opes pauperibus nisi in mortis articulo: quando iam ipsæ diuitię eos deserunt. Sũt veluti animalia, quæ non manducantur nisi mortua & cocta. Non potest pauper quidquam ex eis comedere, nisi prius eos mors concoquat. Tunc plura mandãt qui in vita nec obolum pauperi dederunt. In Prouerbiis ait Salomon. Qui *Prouer.14*

miseretur pauperi, beatus erit. O quantum & quam magnum præmium promittit, pro tam paruo dono. Cur ergo eleemosynam non tribuis? Quemadmodum putei, qui olim claras habebant aquas, luto repleti, non manant, nisi mundentur à sordibus & cœno: sed potius aqua fœtida & immũda redditur, sic opes si coagulentur perniciosę sunt, immũdæ & fœtidæ, si verò in pauperes & egenos distribuantur, alias maiores producunt & meliores. Sed ad textum reuertamur & videamus Christum vlteriùs hanc eandem eleemosynam commendantem. *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Docet Christus, vt in cœlo thesaurizemus, & ibi recõdamus eleemosynas nostras, nè ea nobis contingãt, quę in terra thesaurizãtibus.

Vera diuitiæ & thesauri.

Quę enim hîc recondũtur, latronum astutiis sunt exposita, aut tineę læsioni. Per quæ duo internę & externæ omnes causæ damni significantur. Per tineam internæ, per furem externæ, neutrum tamen contra ea, quæ reconduntur in cœlo militant. Disce hæc terrena contemnere, cùm corruptioni & variis rerum euentibus sint subiecta. Nihil nanque in terra firmum est, stabile, & quod diu durare possit, omnia infirma, caduca, & interitura sũt. Vita pertrãsit, iuuentus senescit, honor aufertur, diuitię fugiũt & fluũt, velut aqua fluminis, & meretricũ more, quæ amorem

amorem simulant, & nulli datam fidem seruant, facilè pertranseunt. Quocirca in terra nolite thesaurizare: transeüt terrena illa simul cum thesaurizante. Quod obsecro auxilium Pharaoni contulerunt illi plures thesauri Aegypti? Nonne repente in maris profundo absorptus est? Quid præsidij attulerüt Nabuchodonosor totius orbis, omnes simul diuitiæ congregatæ & in Babylonem translatæ? Nonnè eiectus est miserè ab altitudine gloriæ suæ: & de medio hominum subitò separatus est, atque cũ feris agrestibus computatus? Quid adiuuerunt Balthasarem filiũ eius: qui post patrem innumerabiles etiam congregauit diuitias? Nonne percussus est, & eadẽ nocte periit? Quid de aliis quàmpluribus dicemus? Thesaurizemus ergo in cœlo, vbi veræ diuitiæ, firmæ, stabiles, & nunquam perituræ.

Exod.14
Dan.4

¶ Obserua autem, quàm suaue sit iugum domini, & quàm leuia ipsius diuina mandata. Iucũdum & lætum esset mandatum illud piscatori, quod iuberet, vt piscationem exerceret: & venatori, quod etiam venationem commẽdaret. Attende obsecro & vide suauitatem & dulcedinem diuinorum præceptorum. Accesserũt enim quadam die discipuli ad dominum nimis læti & alacres dicentes. Domine in nomine tuo dæmonia subiiciũtur nobis. Nõ dixit Christus illis absolutè, nè gauderẽt: nam homini, qui natura sua lætitiam induit, durum erit & asperũ nõ lætari. Sed dixit illis. In hoc nolite gaudere, sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Nõ aufert gaudiũ, sed ostẽdit de qua re potiùs gaudere possint. Sic etiã dixit de timore, qui alia passio animæ est. Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Naturale quidẽ est, ipsos homines aliquando timore corripi: quod si absolutè illis diceret. Ne timeatis, durè & asperè ipsorum aures hæc verba sentirent: propterea nõ omnino timorem auferre illis vult, sed ostendit quid potius timere debeãt, dicens, Eũ timete, qui postquam occiderit, potest animam simul & corpus in gehennam mittere. Sic olim legimus dominum fecisse cũ populo suo Israelitico. Nam cùm difficilè esset populo illi sacrificia suorum idolorum relinquere, Deus non abstulit omnino sacrificia: sed iubet vt illa sacrificia ipsi offerantur. Sic cùm difficile videretur apostolis suum officiũ piscandi relinquere: dixit illis dominus. Faciam vos fieri piscatores hominum. Et cũ Paulus nimis arduum atque difficile æstimaret ipsis hominibus persuadere posse, ne gloriam quærerent, non docuit gloriam omnino respuendam esse, & fugiendam: sed ostendit non in mũdi vanitatibus, & momentaneis & fluxis honoribus, sed solum in Deo ipso esse gloriandũ: Qui gloriatur (inquit) in domino glorietur. Ita nunc Christus cùm rectè sciret, homines à natura nimis esse auidos & cupidos congregãdi & thesaurizãdi sibi diuitias, non iubet, nè thesaurizent, sed docet vbi thesaurizare debeant. Qui enim diuitias congregat, & thesauros vult recondere, locum sibi securum ab omni metu & suspicione quærit, nam thesaurus semper expositus est latronum periculis. Ideò non dico, quod non thesaurizetis, sed maturum & salubre consilium præbeo, scilicet vt in cœlo thesaurizetis, vbi ærugo & tinea non corrumpunt, neque latrones furantur.

Luc.10
Matth.10
Exod.26
Matth.4
2.Cor.10

¶ Vbi obsecro diligenter aduertas & cõsideres: quàm graue malum sit peccatum: quod diuitias tuas & thesauros reconditos in sinu Dei (qui locus tutissimus est, vbi nec ærugo nec tinea perdit illos nec destruit) peccatum tamen compos est, vt possit illos auferre & subtrahere à sinu Dei. Peccatũ enim est fur quidã manibus adũcis, & picatissimis, quæ cœlũ vsque pertingunt, & inde thesauros nostros rapiunt. O procax & inuerecundum peccatum, quod etiam in diuina penetralia irrumpere audet: indeque multo tempore & labore partas opes, sine misericordia vlla eripit. O terribilem Dei iustitiã, qui peccato thesauros peccatoris rapienti fores non claudit. Verum peccatum nõ ita prorsus & omnino opes tollit, quin si conuertaris opes in Dei sinu reconditas, inuenies. Si autem non conuertaris, quæ tibi non profuerunt opes, alterius miseriam subleuabunt. Thesaurus enim Ecclesiæ ex superfluis sanctorum operibus, & ex his, quæ autoribus suis non profuerũt aggregatur. Sed quid est, quod ego diligenter curo, mihi ipsi lucrari, cum meis operibus & laboribus alios videã ditatos? Ergo peccatum est, in quod si incidam, meas omnes opes & diuitias subtrahit, & animam expoliat & nudam relinquit.

Thesauri nostri apud Deũ reconditi peccatũ furatur.
Peccatum fur & latro.

¶ Discamus ex hoc loco peccatum tanquã omnium grauissimum malũ fugere, quia opes & thesauros nostros, quos furari nequeũt fures, nec à tinea corrumpi, peccatum ipsum furatur, corrumpit & destruit. Discamus non in terra sed in cœlo thesauros recondere, eleemosynam erogando, & opera pietatis exercẽdo. Nam Christus in hoc loco de his ad literam loquitur, quia agens de eleemosynæ largitione, subdidit de thesauro. Contrario enim modo se habent thesaurus mũdi, & thesaurus cœli. Nam thesaurus mundi comparatur congregando & cumulando diuitias. Thesaurus verò cœlestis, opes omnes distribuendo.

Differentia thesauri celestis & mundani.

¶ Præterea est hic obseruandũ tria esse thesaurizandi genera. Nam alij thesaurizant in terra, alij in inferno, alij verò in cœlo. Et aduerte, quòd non solùm cõgregare & cumulare diuitias, thesaurizare dicitur, sed etiam finis, quem vnusquisq; sibi destinauit, thesaurus appellatur: nam nemo est adeò pauper & egenus: qui non aliquem finem sibi proponat & intendat, & diligat. Ille autem finis intentus & amatus thesaurus dicitur. Ideò Christus statim post hæc subdit. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Et quia res amata est, vbi cor est, & è cõtrario, ideò quod diligimus thesaurus vocatur. Qui cogitationes suas in terra dirigũt: hi thesaurizant in terra. Et his Christus dicit. Nolite thesaurizare super terrã. Et superius dixit dominus. Thesaurizat, & nescit cui thesaurizet. Et Iob. Qui ingreditur in thesauros niuis, quæ quidem ad modicum calorem liquefit, & sic perditur & fluit in terra. Et Dauid. Ponit abyssos in thesauris: ponit enim abyssos insatiabilis cupiditatis. Misera & infœlix est illorũ conditio, qui malũt has diuitias terrenas, quã thesauros omnes cœlestes. Vt enim canis os, quod rodit, non commutaret pro diuitiis regis: sic diuitias isti pluris æstimant: quàm regnum cœleste.

Tria thesaurizandi genera.
Matth.6
Iob 28.
Psal.32

¶ Obseruandum præterea quod Christus non prohibet thesaurizare honestis & licitis causis: quia Paulus ait: parentes debere thesaurizare filiis. Hoc ipsum naturę ius docet, sed prohibet thesaurizare ex auaritia & amore pecuniarum.

2.Cor.12

¶ Alij verò sunt qui thesaurizant in inferno: de quibus Paulus ait, quod thesaurizant in diem iræ, multiplicãtes scelera sua & in peccatis perseuerãtes.

Roman.2

tes. Adducit illos Dominus ad pœnitentiam, ipsi verò thesaurizant sibi in diem iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, secundum duritiam & impœnitens cor, eorum.

Quare non in terra neq; in inferno, sed in cælo thesaurizandum.

¶Nos verò si Christi filij esse cupimus, nec in terra nec in inferno nobis est thesaurizandum, sed in cœlo, vt diuinū ipsius mandatum adimpleamus. Primò, quia ille est tutissimus locus, ab omni prorsus violentia & corruptione præseruatus. Ideo ibi thesaurus nec perdi nec minui vnquā potest. Quocirca Christus ait. Facite vobis sacculos qui nō veterascūt, & hi sunt corpora pauperum. Thesaurum non deficientem in cœlis quo fur non appropiat, neque tinea corrūpit. Ea enim quæ perpetuò possidenda sunt, libentiùs acquiruntur: quàm ea, quæ per paruum tempus, sicut redditus ad vitam, quàm redditus ad tempus. Quemadmodum faciunt hi, qui ex Hispania pecunias in Flandriam volunt traducere, quibus in hac ciuitate datur chirographū, vt in Flandria dentur pecuniæ: ita nimirum si pecunias in cœlum volueris transferre, & ibi thesaurizare, locus tutissimus vbi pecunias debes reponere in hac vita vt in cœlo retribuantur, ipsi pauperes sunt. Isti dabunt tibi chirographum, quo & ipsum cœlum tibi dent, & non sine multo fœnore. In quare duo debes animaduertere, scilicet, hoc cambium multū excellere id, quo in mundo vtitur: nam hic si velis tuas pecunias in alterū locum trāslatas ibidem dari, iacturā aliquam in eis debes facere: nam non omnes pecuniæ, quas tu in Hispania dedisti, reddentur tibi in Flandria. At verò si pauperibus

Fœnoris & cābij spiritualis cum mundano dissimilitudo.

dederis, in cābio cœlesti non solùm reddetur, quod hîc dedisti, sed etiā multò ampliùs nō sine magno fœnore & lucro. Deinde secundò, nemo hîc promittit se saluas & incolumes merces in alia ciuitate vel regione daturum, nisi bene soluatur ei, qui promittit hoc facturū. At in hoc cambio nulla mercede addita promittit Deus se rem omnem saluam & incolumem redditurum. Ideo thesaurizemus in cœlo. Primò, quia ibi tutum habemus thesaurum. Secundò, quia in illo loco thesaurus corrumpi nec minui potest. Quia neque ærugo neque tinea demolitur, neque vllo pretio cōparari potest, quia infinitus est. Tertiò, quia ille est locus in quē migraturi sumus. Quocirca omnem supellectilem & opes confer, vbi patriam habes. Quę est ista insania, vt in eo loco velis bona relinquere, à quo breuiter recedere debes: & illic non mittere, vbi iturus es, & sine fine mansurus? Mercator suas merces mittit, vbi bene vendantur: non vbi dissipentur. Maxima est deploranda multorum insania, qui cùm duorum vel trium dierum spatio in hac vita sint mansuri, thesaurizant in patria, vbi hospites & peregrini sunt: nec congregare curant diuitias in cœlū cuius perpetui incolæ debent esse. Nam si aliquem viatorem videres, qui cùm vnius horæ spatio in taberna sit demoraturus, parietes dealbaret, omnia cubilia sterneret, & tecta renouaret, nonnè hunc talem amentem & insanum iudicares? Si enim die ac nocte in aliam vitam iter facimus: quid est, quod hic thesaurizemus, & frustra pecunias consummamus? Qui in regionibus longinquis habitant, omnes facultates, opes, & diuitias, mittunt, in eam patriam, in quam tandem sunt deuenturi: ita nimirum tu, qui cœlum patriā promissam habes, omnes tuos labores, partas opes, & diuitias, eo debes reportare: nuntij autē & vectores pauperes sunt. Ita fecit diuus Laurentius, qui Decio dixit. Facultates Ecclesiæ quas requiris in cœlestes thesauros manus pauperum deportauerunt. Ideo Dauid dixit. Dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. Ideo *Psalm. 111* non thesaurizemus in inferno, vbi tormenta parantur: neque in terra, vbi fures effodiunt, & furantur: sed thesaurizemus in cœlo, vbi tutæ erunt merces nostræ, & vbi perpetuò mansuri sumus.

¶Thesaurizemus nobis thesauros ex optimo ære, & ex purissimo auro. Nemo enim thesaurū congregat ex vili vel æneo metallo: sed ex auro vel argento. Moneta aliqua vilis esse potest, vel nō in pretio haberi, duplici de causa. Altera ratio est, vel quia confecta est ex vili & abiecto metallo: vel quia falsa est. Hæc duo monetæ genera nō sunt apta, vt in thesauro recōdantur. Prima, quia vilis est: secunda, quia falsa. Vnde fit, vt eleemosyna, quæ solum propter Deum non fit vilissimi sit pretij, propter quā res temporales promereri poteris, non autē vitam æternam. Moneta ænea, vt asse, vel teruncio emere poteris, vel lactucam, vel raphanos: equum verò minimè poteris, nec sex vel octo vlnas purpuræ, vel holoserici. Ita quādo eleemosynam tribuis solū, vt ab hominibus lauderis, & vt venari possis humanū honorem & gloriā, has viles laudes & honores temporales cum illa emis. Thesaurizare ergo debes pretiosam monetam, quæ digna sit in thesauro gloriæ reponi, non humanas laudes curans, sed solum vni Deo placere. Tunc enim moneta tua maximi valoris & premij digna efficitur, quandoquidē illa vitam æternā emis, vt ipse Christus inquit in Euā- *Matth. 10* gelio. Qui dederit vas aquæ frigidę in nomine meo &c. Et quia Christus vult vt eleemosyna fiat sola *Matth. 6* ipsius causa, præcipit vt secretò fiat: ita vt nec sinistra manus quid dextra faciat, sciat. Atque ita Pau- *1. Corin. 16* lus. Vnusquisque vestrū apud se reponat, recondēs quod bene ei placuerit. Quæ verba sunt propria illius, qui abscondit thesaurum eleemosynæ, de quo ibi loquitur. Qui thesaurizat, quoad fieri potest secretò id facit, nec forsitan thesaurus in manus latronum incidat. Vnde Gregorius. Deprædari deside- *Gre. homil. 11 Euang.* rat, qui thesaurū publicè portat. Ezechias qui the- *4. Reg. 20* sauros suos ostendit & manifestauit nuntiis regis Babyloniæ acriter & asperè in ipsum fuit animaduersum. Ne eleemosynam tuam facias mundi causa, nec enim habet vnde possit tibi soluere, quia pauper est: sed solùm Dei amore cōmotus & tactus eam largire, qui ditissimus est, & satis aptus vt soluere tibi possit. Sic Abraham ditari noluit à rege *Genes. 14* Sodomodorū: sed propter id dominus nimis eum locupletauit & amplissimis fortunis auctum reddidit, qui dixit: Noli timere Abrahā, ego merces tua *Genes. 15* magna nimis. Sic tu honoribus & diuitiis noli ditari, sed à solo Deo: nā id quod ipsi tribuimus, reddit nobis in tempore necessitatis non sine fœnore, & lucro. Si aliquis homo eius virtutis manus haberet, vt omnia, quæ vel ipsis tangeret, vel acciperet, incrementum & augmentum susciperent: nonnè manifestissima esset insania illū non rogare, vt omnia nostra manibus suis acciperet? Nonne summum esset nobis beneficium si ipse vellet accipere, & reseruare? Similes his sunt Dei manus, de quibus dicitur in Canticis. Manus eius tornatiles aureæ, & ple- *Cant. 5* næ Hyacintho. Quantumuis minimæ sint eleemosynæ nostræ si propter Deum fiant, & in eius manus cōstituantur: statim in pretiosissimas margaritas conuertuntur, quibus ipsum cœlum emi potest.

¶ Secundum verò quod habere debet hæc moneta eleemosynæ, scilicet, vt non sit falsa. Falsa moneta est quam hypocritæ ostendunt, qui in exterioribus purissimum aurum esse videntur cum interiora habeant ex ære vilissimo, & mille peccatis coinquinata. Vnde Mathæus dicit, quod Christus reprehendit hypocritas antequam de isto thesauro loqueretur, dicens. Nolite fieri sicut hypocritæ tristes, &c. Vnde quemadmodum eleemosyna in exteriori videtur bona: ita opus est, vt sit in interiori. Volo enim dicere, quod sit facta in statu gratiæ. Ipse sibi priùs eleemosynam debet facere, qui acceptam & gratam eleemosynam Deo voluerit offerre. Ideo Paulus Corinthiis ait, loquens de Philippensibus. Semetipsos dederunt primùm domino, deinde nobis. Ideo Ecclesiasticus etiam dixit. Miserere animæ tuæ placens Deo. Si volueris cum proximo vti misericordia, eadem tecum priùs vtere, & cum anima tua. Nam rectus ordo charitatis præcepit, vt priùs in te, deinde in proximos misericordiā exerceas. Tunc enim in cœlestem thesaurum preciosam monetam mittes: quando talis intus exiteris, qualis exterius appares. Et ideo in statu gratiæ eleemosyna debet fieri: vnde euenit vt in scriptura ipsa eleemosyna gratia appelletur. Et ita Paulus Corinthiis ait. Notam vobis facimus fratres gratiam Dei, quæ data est in ecclesiis Macedoniæ. Et in priori ad Corinthios Epistola inquit, Cū autem præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Hierusalem. Vtque videas quanti sit valoris & meriti tuū opus, debes illud conferre cū diuino amore & charitate. Hic diuinus amor est statera illā sanctuarij, de qua dominus inquit, Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur. Hoc siclo ponderare debes monetam eleemosynæ, quam Deo obtuleris. Nam si nudum operueris, hoc opus defer in siclum sanctuarij: si verò famelicum paueris, constitue opus hoc in stateram sanctuarij, &c. Sed de his satis. Iam nunc Christus subiungit, cur tam gratus illi sit cōtemptus rerum temporalium non ex parte rerum, sed ex parte affectus: quia cor comitatur thesaurum. Ideo ait,

Vbi est thesaurus vester, ibi & cor vestrum erit.

Locus thesauri trahit ad se cor. Vnde secundum Augustinum, anima plus est vbi amat, quā vbi animat. Hinc fit, vt thesaurizantes in terra habeāt cor terrenis affectū, & thesaurizantes in cœlis habeant cor affectum cœlestibus. Vbi est res amata, ibi est cor amantis. Vnde Dauid in Psalmo. Cor meum dereliquit me. Ac si diceret. Etsi cor meum semper sit mecum secundum effectum, tamen dereliquit me secūdum affectum: & vsque ad cœlum volauit, vbi est thesaurus meus. Itaque si in terra quis thesaurū reponat, animam suam quæ Dei imago est, terrenis immergit: quod graue malum est. Si verò circa Deū & beatitudinem æternam studium suum applicuerit, iam in Deo est cor eius: & conuersationem habet in cœlo. Vbi est amor, ibi & cor.

¶ Discamus ergo ex his omnibus thesaurizare in cœlis, & ibi cor nostrum ponere diligendo æterna illa bona.

¶ Discamus hæc terrena contemnere, & solum Christū amare. Vnde beatus Ioannes. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mūdo sunt. Lumine enim naturali constat hæc terrena non propter se esse diligenda: siquidem amor tanti pretij est & valoris, vt nequeat dari, nisi illi, qui talionem soluere potest, scilicet eodem amore eum prosequi, à quo amore prosequeris: cūque hoc non possit præstare nisi creatura, quæ rationis est capax, non debes cor tuum captiuare rebus huius mundi præsentis. Aduerte obsecro: quod vbi est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum. Thesaurus tuus, est tuus amor. Summa iniquitas est, eis rebus frui, quibus vti deberemus. Solum Deum diligere debes propter se ipsum: quia summum bonum est, & centrū tui cordis: creaturis autem tanquam seruis debes vti, referens illum amorem in Deum, & in ipsum ordinādo. Si hæc terrena bona dilexeris, tanquam mundanus ordinem naturæ peruertis, & dignus es grauissimo supplicio. Creauit Deus hominem ad sui similitudinem: vti suum simile diligat, quæ natura est vniuscuiusque animalis, vt vel ita cùm in bonis terrenis nullum inueniret homo quod sibi assimilaretur, in suum creatorem se conuerteret. Quam obsecrò similitudinē habes tu cum diuitiis? Quid anima tua cum auro habet, quod conferri possit? Deū igitur (cuius similitudinem geris) teneris diligere: non autē hæc terrena bona. In omni tempore, quo Iacob habuit liberos ex Lia & ex ancilla, nunquam recordatus est ire in patriam suam: nam rerum terrenarum amatores, his exterioribus intenti, cœli obliuiscūtur, quod vera patria & verus locus quietis est. At cum filium in Rachele suscepisset, statim in patriā suam rediuit. Mortuo rege Ægypti clamauerunt Israelitæ ad dominum, & exaudiuit eos. Sed cùm Deum ante mortem regis Ægypti vocauissent, noluit suis orationibus aures accommodare. Boni & mali omnes dominum in suū auxilium vocant: sed malos Deus non audit, quia non interfecerunt regem Ægypti, qui amor est harum rerum terrenarum. Amorem à terrenis & mundanis semoue, & illum creatorem tuum colloca: nam talem te præbere debes, qualis est ille, quē tu diligis. Nabuchodonosor cum mundum & bona quæ sunt in eo nimio & excessiuo prosequeretur amore, in campis suam vitā degit bestiarum more: cumque pœnitentia ipsius animum subiret, imaginem quæ per peccatum maculata & defœdata erat, in pristinam & antiquam pulchritudinem restituit. Creauit Deus cœlum terram, solem, lunam, & cæteros omnes planetas, quæ omnia valde bona esse dixit. At vero cùm hominem condidisset, nec malum, nec bonum ipsum appellauit. Si igitur homo non minor est omnibus aliis creaturis, imo multò præstātior & excellentior: quid est quod cū reliquas omnes creaturas vidisset, dixerit esse bonas? at de homine nullum sermonem fecit, quandoquidem dignitate & virtute reliquas omnes superabat. Non laudauit hominem, nec dixit bonum esse, neque malū quousque ipse homo operaretur, & vitam vellet vitam eligeret: atque ita secundum electionem nomē illi imponeret. Si bonum diligis, bonus es: sin verò malum, malus iam effectus es. Solus homo eligere potest, cùm sit liber, quodcūque ipse voluerit, & ei magis arriserit: siue bonum id sit siue malū. Voluit dominus videre priùs, cui rei & studio animū suum homo applicaret: vt sic de ipso loqueretur: quam potestatem nulla omnium creaturarum habet præter ipsum hominem. De multis inquit Apostolus, quod mutarūt gloriam incorruptibilis Dei, in imaginē hominis corruptibilis, auium, quadrupedum, & serpentum. Contemplare igitur ô homo improuide

uide & omni prorsus mente carens, quas figuras & imagines in anima tua depingis, quando mūdanas res huius sæculi nimio prosequeris amore. Propria & naturalis animæ habitatio ipsum cœlum est: vbi cor tuum, solicitudinem, & curam omnem reponere debes animi affectu & desiderio, secundum illud
Philip.3 Apostoli. Conuersatio nostra in cœlis est. Ne obsecro thesauros & diuitias Hiericho cupias & affectes: quos propter suam mutabilitatem mundus hic re-
Iosu.7 præsentat. Qui verò contrarium fecerit, lapidabitur vt Acham, damnatione æterna. Deum igitur diligamus si rectè thesaurizare volumus: potest enim ipse & in hac vita, & in futura nos amplissimis fortunis auctos, ac locupletatos reddere. Sed iam ad contextum.

Sint lumbi vestri præcincti.

Mortis memoria à peccatis nos auocat. Inter omnia remedia, quæ conferunt & conducunt ad semouendam & depellendam à nobis auaritiam: illud potissimum & præsentaneum est, scilicet memoria mortis. Hæc enim optima magistra est, quæ rectè ostendit & docet, quàm parum prosit, in hac vita amplam & pinguem diuitiarum fortunam habere, quæ cum aduenerit ostendet omnia hæc vanitatem esse. Vnde Salomon. Si annis multis
Eccl.11 vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui cùm venerint, vanitatis arguentur præ-
Hier. ad Paulinū ca.8 terita. Vera quidem illa sententia est D. Hieronymi, qua dixit, Facile contemnit omnia, qui semper se cogitat moriturū. Si vero ad id omne quod Christus in superioribus adhuc prædicauit, oculos conuerteris, inuenies facilè hoc, quod nunc dicit, rectè quadrare cum his, quæ superiùs tractauit. Admonuerat reiiciendam esse omnem curam rerum temporalium: ideo ostendit nunc, vt memoriam mortis ob oculos semper habeamus, vt semper bonis operibus animos applicemus, quādoquidem ignoramus quando sumus morituri: & quādo dominus sit venturus, vt rationem exigat vitæ nostræ. Hæc enim contemplatio cōtemni faciet omnes res temporales, & earum solicitudinem & curam abiiciet, & quotidie nos alliciet in diuinarum rerum amorem. Ait ergo, sint lumbi vestri præcincti. Accingere lumbos, est viriliter aut expeditè aliquid agere, aut se ad ministrādum expedire: quia is, qui summa cum diligētia & solertia ministrare cupit, ne vestes sint impedimēto, illas accingit. Sic legimus in 4.
4.Reg.4. Regum Heliseum dixisse Giezi. Accinge lumbos tuos. Hoc est fac vt expeditus sis & diligēs ad opus
Iob.4 quod præcipio tibi. Iob etiam inquit. Accinge nūc vt vir lumbos tuos. Idest, esto expeditus, aut fortis & virilis animi te ipsum ostende. Idē itaque est præcingere, quod præparare myaraeyaxo. Vnde præcinctos, cyxósoys strenuos & expeditos dicimus. In rigore grammatices hoc significat verbum præcingere: nihilque aliud voluit Christus his verbis insinuare: quod infrà clariùs patebit ex eo quod dicit, se ipsum declarans & applicans similitudinē. Ideo-
Matth.4 que estote parati, quia qua hora, &c. Et de se ipso dixit, Præcinget se. Hoc est expediet se ad ministran-
Tob.5 dum. Sic Tobias angelum præcinctum ad ambulandum inuenit: quia paratus erat ad iter agendum.
1.Pet.1 Et beatus Petrus ait. Estote parati succincti lumbos vestros. Et aliæ multæ authoritates & testimónia scripturæ sacræ adduci potuissent ad hanc rem confirmandam, quæ longum esset recensere. Satis enim ex dictis ostenditur, quàm violēta sit illorum explicatio, qui hunc locum de castitate in literali sensu interpretantur. Vult itaque dominus dicere. Greg. Homi. 13 in euangelia.
Parate vos diligenter & præcingite, quemadmodū illi facere consueuerunt, qui negotium aliquod sunt aggressuri: vestes enim largæ impedimento sunt, ad benè ministrandum. Quare dominus significare vult, vt obstacula & impedimenta bonorū operum auferamus, quæ peccata sunt: vt vel sic quando dominus venerit, paratos & prouidos nos ipsos inueniat. Tunc enim lumbos præcinctos habemus, cùm præparamus conscientias nostras & eas à peccatis mundas reddimus. Vestes largæ & discinctæ impediunt ministrantes: atque ita similis est rerum temporalium amor, qui impedit Dei obsequiū, & memoriam mortis à nobis semouet. Præterea cùm iubet, nos præcingi: docet, vt passiones nostras & appetitus rationi subiiciamus, vt vel sic quando dominus venerit, digni simus, coram ipso apparere. Non dicit, quòd nudi ambulemus, quia per peccatū hæ passiones nobis quasi naturales sunt, nec omnino eas à nobis semouere possumus: sed vult, vt eas præcingamus & frænemus, rationi illas subiiciētes; & carnem spiritui. Vitam nullo modo transigere potes, nisi manducaueris: at verò manducans, præcinge gulam abstinētiæ fræno. Si in altos honores & dignitates te constitutum videris, vanitatem præcingæ tui ipsius humili cognitione. Quod etiam Paulus rectè consulit dicens, mortificate membra Colo.3
vestra, &c. Iosue illos quinque reges suspendit versus solem: quod tu facere debes si crucifixeris corā Iosue 10
sole iustitiæ Christo Redēptore nostro omnes tuæ carnis appetitus, & quinque sensuum acres & fortes impulsus. Denique si vestis non sit præcincta, à vento eleuatur, & rapitur. Ita nimirum homines, qui cogitationes suas non præcingunt sui ipsorum humili cognitione, elati superbia quocunque vanitatis vento huc & illuc feruntur. Imaginatur quis turres venti, & in cogitationibus suis euanescit, & omne quod cogitat vanum est, nullum habens fundamentum, sed solum in sua imaginatione. Et hinc nascuntur tanti atque tam superflui vestituū modi, nam homines nolunt se præcingere, & cōponi cum re, quam habent. Solent enim multi parentes filias suas ab incunabulis in tātam vanitatem constituere atque in tā superfluos vestitus & cultus, vt quando illæ nubere volunt, nulla iam dos supersit: atque ita omnis mundus iamiam ruinam minatur, vt pote qui suas cogitationes, sumptus, & apparatum nō vult præcingere. Bene quidem beatus Paulus præcingebatur, cùm dicebat: Habentes alimenta & qui 1.Tim.6
bus tegamur, his contenti sumus. Igitur præcingamus nos, vitia deprimentes, & mortificantes nos ipsos, & tollentes cogitationes pessimas & vanas, quandoquidem istæ sunt impedimento, quominus, vt par est Deum venturum expectemus. Sed quia non satis est tollere impedimenta & à malo recedere, sed etiam est opus recta & sancta operari, iuxta illud, Diuerte à malo & fac bonum. Subdit statim Psal.33
Dominus dicens.

Et lucernæ ardentes in manibus vestris.

Hoc est bona opera facientes. Non satis est, vt mala vitetis, sed vt bona opera faciatis. Nā si dominus aliquis seruum domi haberet, qui nullam iniuriam nec malum alicui inferret, nihilque in ministerio domus nec heri faceret, proculdubio iste talis inutilis esset, & à domo eiiceretur. Sic opus est, vt tu qui habitas in domo Domini, non solum no-

ciua vites, sed in eis quæ spectant ad domini seruitium te ipsum debes exercere. Sed singula hæc verba iam veniunt consideranda.

Opera nostra nostra sunt lucernæ. vide Theophil. in c. 12. Luc.

¶ Primo lucernas vocat opera nostra bona: nam hæc illuminant nos & viam aperiunt in patriam illam beatam. Quemadmodum faces incensæ in nocte viam ostendunt, ne per deuia deflectamus: ita bona opera, & pura & syncera vita hominis intellectum illuminant, & viam cœli manifestant. Quocirca diuinus vates inquit, A mandatis tuis intellexi. *Psal. 118* Quasi diceret. Mandata tua tui ipsius cognitionem mihi dederunt. Vis ne in cognitione Dei non hallucinari? Mandata ipsius obserua. Ita viuas, vt qui sub vexillo Christi Domini militas: & ego promitto, & fidem do, quòd nunquam in miseros errores nec hæreses incides. Intellectus enim bonus omnibus facientibus ea. Qui legem domini obseruat, in ea nunquam errabit. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, & intellectum dat paruulis. Et Sapiens etiã inquit, Iustorum semita, quasi lux splendẽs. *Prouer. 4.* Mali verò in tenebris & misera caligine ambulant: iuxta illud, Ambulauerũt vt cæci, quia Domino peccauerunt. *Sopho. 1* At verò boni suis bonis operibus seipsos illuminant, & alios, de quibus operibus Saluator dixit: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona: & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. *Matt. 5* Quemadmodum ille, qui nocte facem accensam portat, non solum seipsum illuminat, sed alios multos: ita boni non solum sibi vtiles sunt, sed suis sanctis exemplis, & bonis operibus cœli viam aliis ostẽdunt, & quid illos oporteat facere, vt salui sint. Aduerte autẽ ne similis illis sis, qui cùm manibus à tergo relictis facem portent, in lapidem offendunt, & cadunt. Lumen ante te feras, si videre cupis quanam via gradiaris. Ita sunt multi, qui toto vitæ discursu, nec buccellã panis in eleemosynã erogarunt, nec in vno bono opere se exercuerũt: quousque aduẽtante morte hæredibus præcipiunt, multa pia opera adimpleri, & eleemosynas erogari. Lumẽ ante te porta, per quod bona opera facta in hac vita intelliguntur, nec lumen post te feras, expectãs illud tempus in quo post obitũ tuum multi pauperes ex substantia tua induentur. Mors vitam sequitur, & ita vt vixeris, morieris. Priusquã vita finiatur, hæc lumina bonorum operũ te ipsum comitentur, & ante te eant, vt videas recta nè, an deuia insequaris. Qui riuulum transgredi vult, duobus vel tribus gradibus retrouertit, atque ita sine vllo periculo in alteram partem transit. Mors est trãsitus quidam periculosissimus, quo quidem ex hac vita in aliam sumus migraturi, atque ita opus est, vt si illum transgredi voluerimus sine periculo, eum contemplemur, in hac vita mortem ipsam præ oculis habentes: nam qui hoc non faciunt incidere solent in scopolum inferni, vbi brachia franguntur simul & caput. Itaque hæc bona opera in vita faciamus ferentes lumina coram nobis, non expectantes mortis tempus: in quo fortè nullus dabitur locus bonis operibus faciendis.

Lucernæ seu opera nostra debent igne charitatis accendi.

¶ Obserua secundò quòd non solùm dixit, vt habeamus lucernas, sed etiam, vt sint ardentes. Quod quidem dixit propter duas proprietates, quas habet ignis. Primo incendit, & calefacit: secundo verò illuminat. Propter primam dixit ardentes, nam non sufficit, vt bona opera facias, sed oportet, vt igne charitatis incendantur: nam opus aliquod quantũuis illud excellens sit, nisi charitate fiat, nullius est valoris nec momenti, neque dignum est vita æterna. Vnde Diuus Paulus, Si distribuero substantias meas in cibos pauperum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *1. Cor. 13* Sola hæc opera, quæ sunt in gratia & charitate maximi sunt valoris coram Deo, & hac moneta emitur cœlum: Opera enim nostra vilissimi æris & sordidissimi sunt. Omnes iustitiæ nostræ (inquit Propheta) tanquam pannus menstruatæ. *Esai. 64* Et Paulus. Non sunt passiones huius sæculi condignæ, &c. *Rom. 8* Omnes nanque vires nostræ non sunt sufficientes ad consequendam vitam æternam. At si in hoc vilissimo ære, id est, si in operibus nostris stemmata regis illius cœlestis insculpseris, hoc est si facta fuerint in gratia opera tua, tanquam vsuaria moneta poteris cum illis regnum cœlorum emere de congruo. Secundò lucerna ardens lucet: atque ita vult Dominus, vt omnia opera nostra luce diuinæ legis examinentur. Examinandum est, quod Deo tribuimus. Agnus paschalis, qui in decimaquarta luna erat immolandus, adducebatur decima die, & examinabatur, an in eo esset macula, quæ posset illum à conspectu Domini arcere: vt doceret nos, quanta diligentia, cura & solicitudine actiones nostras debemus examinare, vt coram Domino possimus eas offerre. *Exod. 12* Sic in prima mundi cõstitutione Dominus lucẽ examinauit, & vidit, quòd esset bona: vt insinuaret non solum praua opera, verùm ea, quæ natura sua bona sunt, ad vnguem esse probanda. Nam potest opus aliquod bonum esse in genere moris: quod si non fiat debitis circũstantiis, iam malũ efficitur. Sed de his in capite præcedenti disseruimus.

Lucerna multorum in corde, in lingua, & labiis, sed non in manibus.

¶ Obserua tertiò, quòd præcipit has lucernas ardentes in manibus vestris. Primò dixit, quòd habeamus lucernas: secundò ardentes. Tertiò autem dicit in manibus tenendas esse. Multi namque has lucernas habent & ardentes, non in manibus, sed in corde: nam in animo fixum immotumque habent, se vitam rectam acturos, & diuinos futuros homines: nunquã tamen id opere complent. Aiunt nanque multi, in Quadragesima futurum esse, vt sua peccata fateantur, & quòd aliena restituent: nunquam tamẽ à vitiis semouentur, sed in peccatis suis hærent. Sicut porta vertitur in cardine, ita piger in lectulo suo. *Prouer. 26* Ita similiter hi suis vitiis tranquilli & quieti sedent, etiamsi parum huc & illuc impellantur, quando diuinis inspirationibus tanguntur, & quando multorum obitum suis oculis cõtemplantur: sed non id efficitur, quod cogitant, nec opere complent, quod promittunt. Isti lucernas ardentes in cordibus habent, non verò manibus. Alij verò hæc bona opera in lingua habent, de Deo semper loquentes, virtutibus alios instruendo: at hæc bona opera non portant manibus suis, quia quæ ipsi prædicant, non faciunt. Omnes lætantur & gaudent, de Deo loqui, & libros pios & sanctos legere: sed si ad hos, qui gloriãtur legem Dei continuo in ore ferre, pauper & egenus accesserit, eleemosynam petiturus, nec buccellam panis dabunt: & sæpiùs inuenies hos magis tepidos & inertes ad diuina præcepta adimplenda, quàm alios rusticos & mediæ plebis homines. Aduerte obsecro quòd vult Dominus, vt has lucernas ardentes in manibus habeas, vt quemadmodum loqueris, ita facias: & bona opera simul cum sanctis verbis ambulẽt. Aduer-

sus

Iaco.1 ſius priores ait Iacobus. Auditor verbi & nõ factor comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ. Audiunt iſti verbum Dei, & ſanctis propoſitis & cogitationibus afficiuntur: at quia operibus ea non exercent, ſæpeſæpiùs damnantur. Aduerſus autem ſecundos qui legem Domini in ore habent, non in manibus, Salomon dicit. Sentite de Domi- Sapien.1 no in bonitate: & in ſimplicitate cordis quærite illum. Non ſentiunt ſimpliciter de Deo, qui ſine operibus beatos ſe futuros præſumunt; inanes relinquẽtur iſti & ſine vllo honore in die iudicij. Et prin- 2.Pet.1 ceps apoſtolorum Petrus etiam inquit, Cui enim præſtò ſunt hæc, cæcus eſt manu tentans: obliuionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum. Quapropter fratres magis ſatagite, vt per Rom.2 veſtra bona opera, &c. Vnde Paulus. Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum: ſed factores legis iuſti- 2.Cor.5 ficabuntur. Et iterũ, Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti: vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſsit, ſiue bonum, ſiue ma- Apoc.14 lum. Et Ioannes. Opera enim illorum ſequuntur illos. Tertiò addidit in manibus veſtris, aduerſus eos qui reſtitutiones fieri mandant a teſtamentariis ſuis. Iſti non habent lucernas in manibus ſuis, ſed in manus alienas eas conſtituunt: cum bona opera, eleemoſynas & reſtitutiones, quas ipſi deberent facere, aliis relinquãt. Sed de his alias dicendũ. Quod igitur iam dixerat, ſcilicet, vt ſimus præcincti, & quòd habeamus lucernas in manibus noſtris; quadam ſimilitudine nunc ſuadet, dicens,

Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando reuertatur à nuptijs.

Optima & appoſitiſsima quidem ad propoſitum ſimilitudo. Primò quia ſerui & familia quæ dominum expectat, neſciens quando dominus ſit venturus, omni tempore in expectatione manet. Ideo nos oportet ſemper rectam viuẽdi normam ſequi, & ſanctis operibus animum applicare: vtpote qui Saluatorem expectamus, diem aduentus ignorantes. Nonnè manifeſtiſsima eſſet inſania ſi pauper qui ſolùm argentum haberet, in magna ciuitate & pulchra ædificia videns, alia ſimilia vellet ipſe ædificare? Diceres ſtatim illi, Inſane nonne vides hanc eſſe apertam inſaniam? Quibus pecuniis has ædes vis conſtruere, cum nec aſſem ad cœnandum habeas? Tu igitur maiori inſania es taxãdus, qui cùm tam pauper temporis ſis, vt neſcias an craſtina die ſis victurus, magna tecum machinaris dicens, Anno venturo hoc & illud faciam, poſteà verò hoc faciam: & in ſenectutem hæc congregabo. Hoc idem alius inſipiens & amens ſecum cogitabat, & dicebat. Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos, &c. At vocem audiuit dicẽtem. Stulte hac nocte repetent animam tuam, & hæc quæ paraſti, cuius erunt? Quia vidiſti ſenem tranſeuntem, qui ſeptuaginta vel nonaginta annis vixit, tu verò cum vigintiquinque habeas, tecum reputas quid facturus ſis in reliquis multis annis qui tibi reſtant, non reſpiciens te forſitan venturo die moriturum, cùm nullam obſignatam tabellam Deus tibi dederit, qua hora, vel quo die ſis moriturus prædicentem. Et ſiquidem qui dominum ſuum expectant, neſcientes quando venturus ſit, omni tempore parati ſunt: eſto tu ſimilis illis rectam vitam in omni tempore agens.

¶ Secundò qui dominum ſuum expectant, domum habent mundam, conditam cœnam, ſtratum lectum, denique omnia rectè ordinata priuſquàm dominus adueniat: nam poſtquam venerit nullus reſtat locus in quo hæc fieri poſsint. Hoc idem tu deberes facere, vtpote qui in hora mortis dominum venturum expectas. Ideo Chriſtus dixit, Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Dominus nanque nocte venturus eſt, & nõ vrbanum neque decens erit hoſpitium ſi mortuis lucernis ipſum excipiatis. Virgines illæ fatuæ interierunt, quia lucernas ſuas non habebant ardentes: quod idem Chriſtus in hoc loco docet, vt ſancta Matth.15 opera habeamus, igne amoris diuini facta, & diuina charitate incenſa, obuiam ſponſo noſtrarum animarum eamus. Et ſiquidem incerti ſumus quo die, quaue hora ſit venturus, conſcientiam mundemus ab omni inquinamento malorum, & animam nouis veſtibus induamus, vt veſtibus nuptialibus induta coram ſponſo audeat apparere, & menſæ accumbere cum reliquis ad conuiuium inuitatis. Non Matth.25 pigri & negligentes ſimus vt virgines illæ fatuæ, quæ media nocte oleum inquirebant, ſed potiùs ſemper habeamus ardentes lucernas, quibus iter ſponſo, & nobis magis illuſtretur. Hoc igitur modo prudentes virgines ſponſum exceperunt. Perierunt nanque fatuæ illæ virgines, nam cum tempus illis concederetur, vt ſe aduentui ſponſi parare poſſent, illud amittentes, ecce ſponſus venit, & illæ nihil parauerant. Et denique, vt vno verbo omnia dicta complectar, Chriſtus hic docere vult; Vt non in vtramuis aurem dormiamus, ſed ſemper ſanctè & caſtè viuentes, dominum expectemus: ſiquidem neſcimus quando venturus ſit. Neque pœnitẽtiam in craſtinum differamus: cùm nec vnam horam vitæ certam nobis poſsimus promittere. De quadam anima ſancta ſub nomine mulieris, Sapiens dixit, Manus eius extendit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Interrogauerat priùs Sapiens, Prouer.31 Mulierem fortem quis inueniet? Et poſtquam eam inuenit, fortem illam appellauit, quia apprehendit fortia: & fortitudinem eius in id conſtituit, ſcilicet quod digiti eius apprehenderunt fuſum. Quæ vires obſecro ſunt fortes & robuſtæ, manus ad fuſum applicare? Si diceret enſem vel haſtam arripuiſſe: vel leones & immanes tigres manibus dilaniaſſe, (vt Samſon & Dauid conſueuerunt facere) vel ſi diceret aduerſus fortes gigantes, & potentes barbaros Iud.14 arma induiſſe, benè quidem dictum videbatur. Sed 1.Reg.16 inquit, Digiti eius apprehenderunt fuſum: quod quidem opus ad vires imbecillas & languidas mulieris videtur pertinere. Sed ſi rectè id animaduerteris magnum quidem opus, & inſigne eſt. Quocirca notare debes, quod in colu ponitur linum vel lana ad nẽdum: in fuſo verò ponitur quod iam filum factum eſt & elaboratum. Interrogabis fortè vſurarium vel concubinarium, meminerítne, an aliquando ſit moriturus, & an cogitet futurum eſſe, vt ſaluus ſit: ad quam interrogationem reſpondet, ſe vitam in meliùs mutaturum, & de peccatis confeſſurum, & ita ſaluus fiet. Hic talis ſine dubio manus ponit in colu: quia confidit, non his operibus, quæ facit, ſed his, quæ facturus eſt. At verò homo iuſtus dominum ſuum vigilanter expectat, & confidit ſe daturum illi gloriam ob merita paſsionis ſuæ, & propter opera, quæ ipſe facit. Et hic talis manus fuſo applicat: id eſt fretus eſt illius operibus, quæ iam effecit. Mulier amens manus in colu ponit: prudens verò in fuſo. Nam anima ſancta iuſti:

dominum recta conscientia & sanctis effectis operibus expectat: vt amens & sine intellectu stultè dominum expectat cum eis operibus, quæ confidit posse facere, quæ fortasis nunquam faciet. Quando dominus venerit iam omnia parata esse debent: namsi cùm iam ipse ostium pulsat, velis tu ignem accendere, domum sternere & parare omnia: sine dubio dominus portas franget, & seruos suos in carcerem detrudet. Aduerte ô stulte, quòd forsitan hodie veniet ostiũ animæ tuæ pulsaturus, & repentè morieris. Expectas nè cùm iam ipse aduenerit, omnia parare? facito igitur protinus pœnitentiam & esto similis dominum expectantibus, quando reuertatur à nuptiis.

Vt serui famul. absente hero de ipso loquitur ita nos de Deo.

¶ Tertiò qui dominum suum expectant, interim dum non venit, de ipso loquuntur, quid magis ad ipsius obsequium conducat, animaduertunt, considerant quæ magis ipsius palato posśint satisfacere: & dicunt nocte præterita in tali, vel tali oppido mansit, nunc à nobis distat quatuor vel quinque leucis, benè possumus iam obuiam exire. Ita nimirum omnes nostri sermones & loquelæ de Deo deberent agere, quomodo in ipsius obsequio rectiùs & sanctiùs nos exercebimus. Sed nunc cum multi non Christum, sed diabolum expectent, de ipso sermonem ineunt, iurando, mentiẽdo, & sanctum Dei nomen blasphemando Qualem dominum quisque expectat, talem sermonem exorditur. Aues cum volare volunt alas expandunt: sic nos qui dominum expectamus cordis & desiderij nostri alas in cœlum deberemus extendere. Illi duo Cherubim alas suas expandebant. Ita semper debemus ardenti desiderio, & vehementi amore in ipsum Deum inflammari, horam expectare, in qua finietur peregrinatio nostra. Hinc illud est, quod Abraham in ostio tabernaculi sedebat, & Elias etiam in speluncæ ostio. Sic nos in ostio huius vitæ mortis consideratione dominum expectemus, vt Abraham & Elias: nam si ita expectamus, quemadmodum & illi, nos etiam excipiemus.

Exod.25 *Gen.18* *3.Reg.19*

¶ Quartò dominum suum expectantes, domum omnem parant, sternunt, & mundant. Sic nos qui dominum expectamus intellectum nostrum debemus induere ipsius Dei cognitione, & voluntatem sancto ipsius amore, & memoriam omnium bonorum recordatione, quæ ab ipsius liberali manu semper accipimus. Nam cum infœliciter & misere perditi essemus ob peccatum illud primi nostri parentis, ipse nos redemit tanta perfectione, vt Paulus dixerit. Vbi abundauit iniquitas, superabundauit, & gratia. Nam morte sua cœlorum ianuam aperuit: & resurrectionem carnis donauit. Nam & si mortem nobis reliquerit, infirmitates & labores: id effecit, vt his vexati infirmitatibus, ad ipsum vnicum præsidium & remedium nostrum confugeremus. Perfectos nos condidit, & perfectè nos redemit: & ita voluit, vt semper ab eius diuina prouidẽtia penderemus: Pullus enim quantumuis paruulus sit, perfectumque animal est: nihilominus multas necessitates habet, quibus coactus, matrẽ quærit, & ad ipsius auxiliũ cõfugit. Ita similiter Deus cũ nos creauisset, & redemisset modo absolutissimo & perfectissimo: voluit nobis relinquere has miserias & labores, vt vel hi nobis essẽt occasio maiorũ meritorum, & abundantioris virtutis corona. Quod quidem non solùm in naturalibus rebus conspicitur, sed etiam in eis quæ arte fabricãtur. Nam si pictor aliquis figuram aliquam pulchram, & excellẽtem depingeret, & hanc sine oculis reliquisset: clarum est, quòd si hæc imago sensum haberet, & loqui posset, quòd à pictore oculos peteret. Ita cum perfectè & absolutè Deus nos creasset, & redemisset, nihilominus voluit his miseriis, & laboribus subiici, vt ad ipsum confugeremus: cũ ipse facientibus quantum vires suppetierint, non deficiat.

Rom.5

¶ Quintò dominum expectantes è fenestris cõspiciunt, & speculantur huc & illuc, an veniat: ita nos cœlum ipsum aspicere debemus, & propter illud suspirare: nam Dominus ibi adest cum angelis & sanctis suis. Quod sanctus Dauid cõsiderans, inquit, Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Misera & infœlix est cõditio nostra, qui cùm tot tãtaque bona semper à domino accipiamus, nunquam oculos in cœlum ad benefactorem nostrum conuertimus. Si aliquis homo iter faciens lassatus ab itinere iuxta turrim accederet, & ibi iacenti, ab altitudine turris bonum vinum, sufficiens cibus, & multa condimenta iactarentur, quibus sitim suam & famem expleret: semperque hic homo oculos defixos haberet in terram, nec in altum turris aspiceret, vnde tanta illi bona veniebant: nonne immanem bestiam & omni prorsus mente carentẽ hunc hominem appellares? Qui igitur fieri potest, vt tu, qui tanta beneficia a cœlo acceperis, affectum tuũ, & desiderium in ipsum non eleues? De his diuinus vates inquit, Oculos suos statuerunt declinare in terram. Nos verò tanquam qui expectant dominũ suum, oculos ad Deum conuertamus. Sed multi iã sunt (quod sine lamento non possum proferre) quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorũ: qui terrena sapiunt, inimici Crucis Christi Iesu: qui ita viuunt, ac si Deus nunquam esset venturus: & ac si non crederent post hanc vitam aliam nobis manere. Si hominem interrogares in lecto iacentem, an aliquem expectet, & responderet quòd nõ, ex negligẽtia ipsius tu etiam colligere posses quod neminem expectat. Ita sunt multi Christiani tam negligentes erga ea, quæ ad ipsorum salutem pertinent, vt facilè iudicare posśis, quod hi nunquam Deum venturum expectant, & quod cœlũ esse non iudicent, nec aliam beatorum patriam. Impinguatus est dilectus, incrassatus, dilatatus, &c. Sequitur. Dereliquit Deum factorem suum.

Psal.122 *Sursum aspiciendum, illinc enim dominus venturus est.* *Psal.16* *Philip.3* *Deut.32*

¶ Obserua autem quod dicit expectantibus Dominum suum. In quo videre oportet, quod Deus, qui venturus est ad te, quod sit tuus & quod tu sis Dei: ita vt verè posśis dicere cũ Dauid. Tuus sum ego, saluum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisiui. Rarus est in terris, qui posśit dicere Deo, Tuus sum ego. Illi enim verè dicere poterit, qui toto affectu & tota mente Deo hæret. Nunquid hoc dicere poterit auidus pecuniæ: & qui meretrici adhæret? Ille qui de mundo cogitat: & mundana quærit, sine dubio mundi est: sicut & diaboli, qui ei deseruiunt. Venit libido, & dicit. Meus es tu, quia ea quæ corporis sunt & concupiscentiæ cogitas. Venit auaritia & ait. Meus es tu: quia pecuniis studes. Et sic luxuria, & reliqua alia vitia. Quomodo ergo tu qui talis es, poteris dicere Domino, Tuus sum ego? Et statim addidit. Quoniam iustificationes tuas exquisiui. Hoc est. Nihil aliorum quæsiui: tantum quæ tua sunt curaui. Alij monilia quærunt, aurum, argentum & lapides pretiosos, dignitates, carnis illecebras,

Psal.118

lecebras, & inimicorum vindictam: ego autem iustificationes tuas exquisiui. Nescio posidere, nisi quod tui iuris est. Tuus sum, quia portio mea non in huiusmodi terrenis, sed in te solum. Hunc ergo qui multis omnibus dominus noster est, expectemus, & ea opera in hac vita faciamus quæ ad verum dominum spectant.

¶ Demum, vt ad alia procedamus, obseruãdum est, quod nõ dicitur hic dominus venturus tanquã iudex, vel alio modo, sed reuertẽs à nuptiis. Dominus qui à nuptiis reuertitur, alacris, lætus & iucundus venit, ad inuisendum suos. Sic expectaturi sumus dominum ingenti lætitia, ita vt in nobis nihil sit, quod corda nostra tristetur, neq; sponsi præsentiam offendat. Multi nanque sunt, qui Deum expectant non tanquam sponsum, sed tanquam acerrimum iudicem. Expectat illum tanquam reuertentem à nuptiis, qui rectam & lætam habet conscientiam: at qui deprauatam habet, tanquam iudicem sumentẽ vindictam. Thesaurizas in diem iræ & vindictæ, inquit Paulus. (Rom.2) Thesaurum cõgregas, peccata peccatis addens, & in inferno diuitias cumulas: vbi congregatæ sunt iræ Dei. Expecta igitur dominum non tanquam iudicem, sed tanquam sponsum reuertentem à nuptiis alacri & læta mente: ne super te adueniat thesaurus iræ suæ, sed thesaurus pacis & misericordiæ. Causam verò cur sic eum debeamus expectare subdit, dicens.

Vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.

Qui non sunt parati, ad excipiendum dominum ipsum iuxta ostium expectare faciunt: quia isti nõ faciunt tria illa, quæ solent fieri ab eis, qui dominũ expectant. Præterea iusti cùm sint parati, statim aperiunt, & Christum iudicem hilari & sereno vultu suscipiũt. Talis fuit Paulus, qui dixit, Cupio dissolui & esse cũ Christo. (Philip.1) Et Psalmista. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. (Psal.119) Hinc & Iacobus ait, (Iaco.5) Patientes estote vsq; ad aduentum Domini, & cõfirmate corda vestra: quia aduẽtus domini appropinquabit. At verò mali cũ non possint de sua vita rectam rationẽ reddere, cumq; timeant coram iudice sistere: dilatant mortem quantum possunt corpus lautis opiparisq; ciborum generibus pascendo, vt si possent, in perpetuum in hac vita permanerent. Mulier adultera quæ domi adulterum habet, quãdo maritus ad ostium pulsat, non ita citò aperit, sed tardat, vt interim abscondere possit adulterum. Ita mali quantũ possunt tempus distendunt, vt mors nõ tam citò adueniat: nihilominus tamen non poterunt impedire, quominus Christus ingrediatur, & adulteria & pecata sua videat, iuxta illud Psalmi, (Psalm.9) In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Boni autem cùm sint parati aduentu sponsi lætantur: mali verò ægrè ferunt & detinentur. De bonis verò qui statim domino aperiũt, & parati sunt, inquit Dominus.

Beati serui illi, quos cùm venerit dominus inuenerit vigilantes.

(Benè viuere vigilare est.) Igitur opus est, vt semper vigiles: quia nihil refert benè anteà vixisse: nã qualis in morte inuentus fueris, sic iudicaberis. Quid prodest obsecro, si seruus tota nocte vigilet, & quando venerit dominus inueniat eum dormientẽ? Nã si priùs dormisset, & quãdo dominus accederet inueniret eum vigilantẽ, vtiq; parceret illi. (1.Reg.9) Saul vigilauit toto tẽpore, quo bonus fuit: sed quia quãdo dominus venit, inuenit illũ dormientẽ, in infernũ eum detrusit. Ita etiam Iudas vigilauit accedẽs ad Christũ: at quia obdormiuit in fine vitæ, condẽnatus fuit. Bonus ille latro, qui Christũ in cruce cõfessus est, multoties dormire solebat: (Matth.27) sed cùm veniens dominus inuenisset eum vigilantẽ, in gloriã suam secũ tulit. (Luca 23) Quocirca huius rei basis, & fundamentũ est quod vigilemus, quando ipse venerit. Benè viuere in scriptura dicitur vigilare, vt etiam status peccati somnus. Ideo Paulus. (1.Cor.15) Vigilate iusti, & nolite peccare. Et siquidẽ nescimus quãdo vocandi sumus omni tẽpore vigilemus: nam qui vigiliã protendũt in mortis horã, & pœnitẽtiam eousque dilatant, similes sunt illis, qui longiùs nauigaturi, nihil secum asportãt, sed à portu discedentes, recordãtur eorum, quæ necessaria illis sunt: cùm iam nõ liceat, retrogredi. Sic iam morituro nihil eorum agere licet, dum in extrema agonis hora est constitutus, quæ omnia viuens, si vellet, potuisset perficere. Cùm igitur incertus sis qua hora nauis à littore debeat discedere: fatuus, & stultus es, si omnia quæ tibi necessaria sunt, summa cura & solicitudine nõ paraueris. Si enim tũc quãdo iam mors vrget aliquis quærat lanam & linum, & nere incipiat, & texere: forsitan quãdo tela necessaria fuerit, parata nõ erit. Quocirca operæpretium est, vt in hoc tempore, quod modo tibi liberaliter conceditur, texere incipias & laborare: ne quando Christus aduenerit, te ipsum in somno peccatorum in vtramuis autem inueniat dormientẽ. Ideo beatus Paulus. (Ephes.5) Redimẽtes tempus, quoniam dies mali sunt. Occasionem temporis, quam tibi dominus offert, arripe, ad agendum pœnitentiam: quod quidem tempus cum captiuum sit in catenis nostrorũ peccatorũ, consulit Apostolus, vt solicita cura & diligentia ipsum redimamus, vtpote quoddam est mancipium valde vtile & cõmodum suo domino. Bene quidem ipsum appellauit captiuum, & opus illi esse redemptione: nam annis malè consumptis, æquum est, vt correspondeant sancta atque bona opera. Nec dicendum est, cras istud faciam subinde repetẽs: nam fieri poterit, vt hodie moriaris, & sine vllo prorsus remedio permaneas. Ita viuere debes, vt tempus hoc præsens pretium sit, & redemptio illorum annorum, quos iniquè & peruersè consumpsisti: & siquidem tempus tibi fuit, in quo peccatis totum te tradidisti, iustum est, & rationi consentaneum, vt tempus etiam sit in quo lachrymis, & pœnitentia præteritum tempus, quod per peccatum erat captiuum, redimamus. Nam in hoc consistit nostra perfectio, & clauis totius dãni vel commodi nostri: vt vnusquisq; tempus ordinet secundum suum statum & vocationem. Et ratio quam subdit Apostolus in superiori authoritate illa est, scilicet, quod dies sunt mali. Omne quod Deus fecit bonum est, vt ipsa scriptura inquit: (Gene.1) nam ex manibus tantæ bonitatis & clemẽtiæ, nihil exire potest, quod optimum non sit. Beati igitur erimus si tempus rectè consumpserimus: vt cùm Christus venerit, inueniat nos vigilantes in statu gratiæ. Et quid faciet seruis vigilantibus, cum dominus venerit?

Amen dico vobis quod præcinget se.

Hoc est summa diligentia & solicitudine se ipsum parabit, ad ministrandum illis.

Et faciet illos discumbere. (Vigilantium seruorum præmia.) Quia ab omnibus rebus illos semouebit, & quietos esse faciet. Nam sicut qui recumbit, totum ipsius corpus requiescit, ita sancti in secũdo aduẽtu ab omnibus supersedebũt: nam in hac vita nullus perfectè requiescere potest.

Deus enim est centrum animæ nostræ: & sicut vnaquæque res in suo centro quiescit, ita anima nostra in solo Deo requiem inuenire potest. Tunc quippe iusti verum gaudium & perfectum lætitiam habebunt, & quantum desiderare possint, ipsa diuina essentia fruendo. Faciet itaque nos discumbere: hoc est summa & ineffabili quiete refici. Solent enim homines cum magna illis proponuntur præmia, fieri alacriores. Quocirca dominus pinguem & maximam hic pollicetur mercedem, nempe quod post huius vitæ miseros labores & vigilias, in regno cœlorum fœlicissimè quiescamus. Ibi enim sedebit populus (vt scriptura ait) in pulchritudine pacis. Illic videbimus, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Facilius nanque dici potest, & explicari, quod non est in cœlesti illa Hierusalem, vbi in perpetuum sedebimus, quam manifestare & declarare eas perfectiones, quibus ditata & adornata est. Fundaméta eius (vt inquit Ioannes) erant iaspidis, calcedonij, sardinis, chrysoliti, &c. Non est in illa templum, nam Deus est templum suorum amicorum: non est sol, quia ipse Deus, qui claritas est infinita eam illuminat, & lampas ardens atque splendens, ipse agnus immaculatus Christus Redemptor noster est. Portæ eius ex margaritis confectæ, & nunquam clauduntur: quia nullus timor inimicorum, sed summa pax & tranquillitas. Nunquam in ea pertransiet nox, nec multitudo dierum, sed vnicus rãtum dies: qui melior erit (vt inquit Dauid) quam millia millium annorum, quos peccatores in hac vita viuũt: munus & officium ciuium est sine vlla cessatione diuinam essentiam cõtemplari, & Trinitatem personarum. Hęc est ciuitas sancta, princeps, tributi libera, corona & triumphus eorum, qui in hac vita fortiter & viriliter se gesserunt, quique sub vexillo Christi inuictissimi ducis militarunt. In hac ciuitate sedebunt perpetua quiete, illi qui cùm venerit Dominus inuenerit eos vigilantes, & in gratia.

Dyonisius in epistola ad Titum. *Esai 32* *1 Cor. 2* *Apoc. 21* *Psal. 83*

Et transiens ministrabit illis.

Transiens, hoc est iucundissimè visitãs singulos se ipsum totũ dabit nobis. Ipse enim est præmium nostrum & beatitudo nostra: nam sicut boni in hac vita Christo ministrarunt: ita & ipse Christus in ciuitate illa eodem argento rependet: & erit Deus illis omnia in omnibus. Dabit dominus electis suis summa cum abundantia cœlestes cibos.

¶ Secundò transiens ministrabit illis non ad singulos accedens, nam illic omnia sunt fixa atq; perpetua. Sed protinus, vt quisque ciuitatem illam ingressus fuerit, cœlestem primogenituram illi dabit. Sic ipse transiens ministrabit illis: non quia ipse transibit, sed quia nos transibimus, & in gaudium domini intrabimus.

Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit beati sunt serui illi.

Nunquam pœnitentia tarda.

Ne quis desperet, si maiorem vitæ partem in vitiis, & voluptatibus cõsumpserit, spem veniæ præbet, si in meliorem mentem velit resipiscere. Deus enim cum fons sit & origo totius misericordiæ & pietatis, eis agricolis, qui vndecima hora ad laborandum in vinea fuerunt profecti præmium dedit æternæ beatitudinis: quãuis totum ferè diem ociosi & nihil agẽtes consumpsissent. Si peccasti in pueritia tua, & magnũ baptismatis sacramentũ & fidem datã duci Christo violasti, noli desperare, quia rex tuus benignus & misericors paratus est veniam tibi concedere. Deniq; si tota adolescentia, si etiam vsque ad decrepitam ætatem peccatis te emancipasti, reuertere & surge de somno & vigila: quia etiã in quarta vigilia, cum venerit, suscipiet te benignissimus dominus. Vnde ipse per Esaiam ait, Audite me domus Iacob & omne residui in domus Israel. Qui gestamini in vulua mea, qui portamini à meo vtero. Vsq; ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo. Ego feci, & ego feram, ego portabo, & saluabo. Significauit itaque per has tres custodias omnes differentias ætatis humanæ, & quòd in quacunque ætate inuenti fuerint vigilantes, beati sunt serui illi: vt nullus desperet quãdis in senectute inceperit vigilare. Docet præterea locus iste quã parati semper esse debeamus in obsequium Dei, nam omni tempore oportet, vt vigilemus. Quãdo discedebat nubes: proficiscebantur filij Israel siue in die siue in nocte: omni tempore erãt parati. Nec dicebant. Nox est, discedere non possumus. Qui Israëlitis præcipiebat, vt ambularent in nocte, lumen illis præstabat: quo per deuia non deflecterent. Sic omni tẽpore parati debemus incedere ad iter agendum. Multi iuuenes sunt, qui existimant, nunquam dominum venturũ nisi in quarta vigilia: quia multos homines vident senio confectos, qui nunquam decesserunt, & putant in ætate florenti non esse à Deo vocandos, sed priùs tempore illos senes abituros, quàm ipsi. In qua re quantum natura hæc nostra fragilis & caduca decipiatur, facilè est videre. Credit enim citò ea quæ sibi indulgent, & facilè suadetur homo se victurum esse multis annis super terram: difficulter autem ea credit, quæ cum sensualitate pugnant. Sed id sine vlla dubitatione est credendum, eos mori posse in iuuentutis flore, & in iuuenili ætate, quod plerunque contingere solet. Ideò in omni noctis vigilia, hoc est quocunque tempore est vigilandum, cùm nesciamus qua noctis vigilia dominus sit venturus.

Matth. 20 *Esai. 46* *Exod. 13*

¶ Aduerte autem quod ex his, quæ hîc Christus loquitur, multi existimarunt, aduentum Christi futurum esse in nocte: cum secundum historiam aduentus Christi gloriosus futurus sit in die: vtpote quia est tempus congruum & aptum: vt ab omnibus videri possit. Cùm tamen Christus hîc loquatur de aduẽtu ad vnumquemq; nostrum per mortem: de quo etiam clarè constat quòd non omnibus futurus sit in nocte, cum multi in meridie moriantur. Igitur de quocunque aduentu loquaris, intelligendum est quod in nocte veniet propter similitudinem eorum quæ occurrũt in nocte: quia subitò & pręter opinionẽ veniet Christus, sicut ea, quæ in tenebrosa nocte adueniunt. Sed iam ad contextum. *Hoc autem scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* Si igitur propter res temporales, & vt videat domum suam perfodi, paterfamilias vigilat: quanto maiori iure pro salute animæ vos vigilare debetis? Pulchra quidem & appositissima similitudine docet, semper nos debere esse paratos quia si paterfamilias in custodia domus vigilat, non vtique fur poterit perfodere domum. Hoc nobis maximè hic commendat Christus, & sæpe sæpiùs per Matthæum rem ita arduam & grauem, in qua non minus quàm de discrimine animæ agitur. Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Et alibi inquit, Videte, vigilate, & orate. Et rursus, Beatus ille seruus, quẽ cùm venerit dominus eius inuen-

Matth. 26 *Mar. 24*

inuenerit vigilantem. Præterea per furem dominus seipsum intelligit, qui in nocte veniet tanquam fur. Vnde Diuus Paulus loquens de Christi aduentu. Dies domini sicut fur, ita in nocte veniet. Et in Apocalypsi ait Dominus. Si nõ vigilaueris veniam ad te sicut fur. Et quod loquatur Christus de seipso, satis claré ostenditur: quia seipsum exponẽs, statim subdidit applicando similitudinem, Estote parati, quia nescitis quando filius hominis venturus sit.

1. Thess. 5

Apo. 3. & 16

¶ Assimilatur Christi aduentus in hora mortis furi venienti quatuor de causis. Primò propter incertitudinem & inopinatum ipsius aduentum. Sic beatus Augustinus incertitudinem aduentus domini per furem & noctem intelligit. Per noctem incertitudinem intelligit: ea enim incerta sunt, quæ noctu occurrunt. Per furẽ etiam incertitudo significatur, quia fur nunquam expectatur. Nullus enim expilabitur qui furem expectet: sed qui hunc minimè expectat ille expilabitur. Quocirca dominus in inferioribus loquens de suo aduentu glorioso, qui erit sicut in diebus Noë in quibus homines lætabantur in nuptiis, nihilque cogitabant de futura calamitate, quæ ipsos comprehendit cùm per diluuij aquas omnes obruti sunt, ait, quòd in aduentu speciali per mortem vniuscuiusque repentè & subitò impiis adueniet.

Quare Christus assimilatur furi.

Aug. lib. 83 quæ. 59

Luca. 17

Matth. 24

Gene. 8

Secundò, quia sicut fur non expectat, vt furetur quando vigilat paterfamilias, sed quando est somno sopitus: ita Christus non segregabit ex hac vita impium, cùm paulo aptior cœlo fuerit, sed forsitan hoc illi eueniet, quando ineptior & inferno dignior. Falluntur ergo qui existimant, tunc Christum homines vocaturum, cum in meliori statu & conditione vitæ sunt: imo si impij sunt, aliquando vocantur quando peiores sunt effecti. Cain nanque bonus aliquando extitit, nam cùm nasceretur, credendum est, quod per sacrificium mundatus fuerit à peccato originali. Si etiam Saul, cùm electus fuit in regem, & vnctus à Samuele, humilis & bonus erat: & saluaretur si tunc mortem obiisset: sed posteà malus effectus, cum in deteriori vitæ conditione esset constitutus, de medio raptus est: & in infernum detrusus, vt ipsa scriptura asserit. Nam in primo libro Paralipomenon post commemorata ipsius scelera, subdidit scriptura. Mortuus est Saul propter iniquitates suas. Quod quidẽ scriptura non diceret, nisi de homine damnato. Iudas etiam circuncisus fuit, qui si tũc mortuus fuisset, saluus factus fuisset. Multi etiam alij de populo Israelitico damnati sunt, sicut Esau, Core, Datam, Abiron, Abimelech filius Gedeon, Ieroboan, Achab, & plures quos cùm venit mors inuenit in peccato mortali: & isti aliquando fuerunt boni, & erant in statu gratiæ constituti, saltim in circuncisione. Et non solum in mortali peccato solet mors impios tollere, sed multoties in peiori & deteriori statu totius vitæ. Pharao rex Ægypti nũquam tantis flagitiis fuit coopertus quàm cum in mari ipse & exercitus submersus fuit. Nec Aman vnquam ita pessimus ac malus fuit, quàm tempore mortis suæ: quia tunc magis elatus superbia, & furore incensus erat. Absalon etiam & Iudas in pessima & flagitiosa vita conditione interierunt.

Genes. 4

1. Reg. 9

1. Par. 10

Num. 16

Reg. 12

3. Reg. 22

Exo. 41

Hester. 7

2. Reg. 18

Matth. 27

¶ Tertiò assimilatur furi: quia fur nõ venit nisi, vt furetur, interficiat, & perdat. Ita etiam Christus aduersus impios veniet: vt dona, quæ illis contulerat furetur, & spoliet, & vt ea morte interficiat, de qua dicitur. Eum timete, qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Neque satis erit Christo, impium spoliare, & interficere, nisi eum omnino perdat. Bonum esset ei, si natus nõ fuisset. Meritò quidem infœlix & miser appellari potest, qui in manus huius furis inciderit, qui non solùm spoliatur, & semiuiuus relinquitur: ita vt id quod restat illi vitæ, melius ei esset, si non habuisset. Bene quidem aiebat Ieremias, Factus est mihi quasi inimicus, & quasi hostis: & non quasi hostis sit miserrimo peccatori, sed quasi acerrimus & crudelissimus hostis: vt verè propheta dixerit. Vrsus insidians factus est mihi leo in absconditis.

Ioan. 10

Matth. 10

Matth. 26

Thren. 2

Thren. 3

¶ Quartò assimilatur furi: quia cùm fur ingreditur domum, si inuenit dominum vigilãtem modestè illi loquitur, & magna cum reuerentia: at verò si dormientem illum videat, eum interficit, & quæ potest rapit. Et hoc modo mors iusto quia vigilat damnum non affert, imo alacris & læta est illi: at verò peccatori, quem dormientem inuenerit, periculosa est, quia ipsum interficiet, & in infernum detrudet. Quemadmodum igitur fur, qui nocte venit, bonus & vtilis est ei, qui vigilãs est, malus verò ei, qui dormit: ita Christus in morte cùm venit, bonus est iustis qui semper vigilant (quia pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius) terribilis verò & acerrimus peccatoribus: quia mors peccatorum pessima. Vigilemus itaque & in omni tempore studiosè & sanctè viuamus, ne mors subito & improuiso ad ostium pulset. Quietus & sine vlla mortis memoria sedebat Heli in domo sua, & à scabello retrò cecidit, & interemptus est. Nullus in hac vita viuere debet, quin maximam curam & solicitudinem suæ salutis semper secum non ferat: siquidem tantæ mortes & calamitates eueniunt præter hominum opinionem.

Psal. 115

1. Reg. 4

¶ Obseruandum etiam hîc est, quòd hoc, quod dicitur, & non sineret perfodi domum suam, de domo impij est intelligendum: non autem de domo iusti. Nõ perfodiet dominus domum iusti cum venerit, quia iam ipse aperuit domino suæ voluntatis ianuam, & volens & libens à vita discedit. Impius tamen quia ianuam aperire non vult, patitur domum suffodi: iustus pacificè à vita discedit, sicut sanctus ille Simeon: sed impius non nisi multis ictibus acceptis & variis angustiis circundatus. Anima, quæ vigilat, & diligit domini aduentum statim vt nuncius mortis accedit, portas aperit, cupiens dissolui & esse cum Christo: cupiens transire in domum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. Non sinit se perfodi, qui statim aperit venienti: sed peccatrix anima timore conficitur aduentu sponsi, cum adultera sit. Et vt similitudine quadam Diui Augustini vtar, quemadmodũ nupta mulier cuius vir peregrè profectus est, si ipsa honestè, castè, & studiosè vixerit, nimis lætatur & gaudet in ipsius viri aduentu. At verò si mulier hæc adultera fuerit, & datam fidem marito nõ obseruauit, vehementer timet mariti aduentum, cum conscia sit secundum humanas leges merito se in sanguinis & vitæ discrimen adduci posse. Ita nimirum iusti anima, quæ fidẽ datam in baptismate Christo sponso fideliter seruauit, in aduentu ipsius sponsi gaudet, & ianuas illi apperit. At verò anima, quæ se multis peccatis & flagitiis contaminauit, quæque fornicata est cum amatoribus multis: quomodo hæc, aut qua verecũda fronte spõso ianuas aperiet?

Luca. 2

Ierem. 3

Necesse

Necesse vtique erit, vt perfodiat domum & vxorem interficiat, & peius illi erit, quàm mulieri adulteræ: nam mulier adultera (vt sæpiùs fieri solet) manus mariti poterit euadere, & aliquod refugium & remedium sibi quærere, quo possit à morte se ipsam liberare. At verò tu Christiana anima quando omnibus remediis fueris destituta, & quando medici prædixerint sine dubio mortem tuam futuram esse, & recordata fueris tantorum peccatorum, flagitiorum, furti & rapinæ quæ commisisti: quid tunc facies? Quod præsidiũ siue genus remedij tibi inuenies? Nulla erit ecclesia, nullum cœnobiũ ad quod confugere possis: tunc enim nihil tibi proderũt auxilia regum nec principũ, nihil imperium, nihil diuitiæ & facultates, nihil amici nec cõsanguinei, nihil denique quod sub cœlo sit, poterit te à mortis manibus eripere. Sistendus nanque eris coram seuerissimi iudicis tribunali cum omnibus tuis culpis & peccatis, qui quidem acerrimè in te animaduertet, nec vllus erit locus veniæ aut appellationi. Iam igitur cum peccator videat sine vllo prorsus remedio se esse moriturum, & quod omnes, qui de arte medica sunt benemeriti, de eius salute desperant: magnis angustiis circundatus, & doloribus plenus, in lectulo huc & illuc se reuoluẽs: locum aliquem quietis quærit, quem tamen nullo modo inuenire potest. Vult miser abscondi, & non potest: tuncque necesse est perfodi domum suam. Non vult mori: quocirca languore & infirmitate dominus corpus percutit, & animam subtrahit.

Iob. 4

Restauranda ruina domus nostræ peccatricis per pœnitentiam.

¶ Si igitur in domo lutea habitas, & terrenum habes fundamẽtum: si ruina aliqua facta fuerit per peccatum, lachrymis & pœnitẽtia claude illã: quia Christus cùm veniat in morte tanquam fur, per illam ruinã corporis ingreditur, & spoliat te. Egregiè quidem Esaias inter reliquas fœlicitates, quas viro pio promittit, vnã illam præcipuam promittit. Vocaberis ædificator sæpium: vt Hebræis sonat, Vocaberis reparator ruinarum: indicans summam hominis vigilantiam, curam, & solicitudinẽ illi rei semper debere studere, vt nulla cõscientiæ suæ pars ruinam patiatur: sed semper cõtendat eam resuere & reparare. Hoc debet esse Christiani hominis exercitium. Contẽplare igitur mortẽ in vita, & præpara te tanquã si singulis horis esses moriturus: nam cùm ipsa venerit, alacri & sereno vultu eam excipias. Si basiliscus videt te, antequã tu videas illum, occidet te visu: si autẽ videris priùs eum, illum occides, inquit Ambrosius. Sic nimirum si tu mortem videris in hac vita, illam contemplando, facilè de ipsa victoriam reportabis, & eam occides: si autem ipsa te viderit priùs, antequam tu illam consideres, æterna morte morieris. Vigilemus igitur, quia aduersarius noster diabolus tãquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret, &c. Sed iam Christus exemplum accommodat suo proposito dicens.

Esai. 58

Ambr. ser. 10 in psal. 118

1. Pet. 5.

Et vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.

Benignitas & patientia Dei erga peccatores.

Contemplare obsecro tantam bonitatem & benignitatem Christi Saluatoris nostri, qui tãtis monitionibus, & consiliis, tantis exemplis toties repetitis, nullum non lapidem moueat, vt ad solicitam curam mortis, & ad vitam rectis institutis componendam animos nostros conuertat. Omnibus his vocibus & monitionibus clamat dominus: vtpote qui nostram salutem vehementer cupit atque desiderat. Si sanctus Dauid animum & voluntatem induisset interficiendi inimicum Saulem, benè potuisset id facere, cùm eum dormientem inuenisset: at verò quia sanctus rex viscera pietatis & misericordiæ habebat (quanuis ipse Saul dignus esset morte) etsi Abisai ad id adducebat, noluit illum interficere: imo ipse Dauid clamans à somno excitauit. Aduerte igitur ô homo qui peccati somno indulges, confidens in hasta vt Saul, hoc est in viribus & adolescentia, inquiens: Iuuenis sum, robustus, incolumis, & optima valetudine gaudens, diuturnam vitam habeo, in senectute ad pœnitentiam me cõuertam. Iustitia verò Dei, vt Abisai aduersus Saulem, dicit, quod morieris, siquidem in obliuione & somno peccatorum manes. At Christus tanquam piissimus & clementissimus dominus qui propitiatio est pro peccatis nostris, vt alter Dauid iram & vindictam patris detinet & protẽdit, cumque ipse sit offensus, & aduersus quẽm tuis peccatis bellum geris, ad te clamat in hoc Euangelio, dicens, Vigilate, quia nescitis quando dominus vester venturus sit. Audi tu qui dormis voces, quibus Christus clamat, dicens quod vigiles. Hoc autem scitote quoniam si sciret paterfamilias, &c. Quocirca dominus aufert tibi hastam & vas aquæ, & immittit tribulationes & labores, prospera & pristina valetudine teipsum destituens, & ea, quæ magis chara & dilecta tibi sunt, & de medio tollit: vt cognoscẽs malitiam tuam ad ipsum Deum te conuertas, misericordiam petiturus: vt Saul fecit, qui proiectus ad pedes Dauid, veniam impetrauit, dicens, Peccaui. Audi igitur tu voces & clamores Christi, qui dicit, Vigilate & estote parati. Et aduerte ne quãdo dominus veniat, te inueniat dormientem: vt erat Isboseth, quẽm latrones interfecerunt. Ita si veniente Christo in hora mortis, dormiens fueris, vt Isboseth, morte æterna morieris. Estote ergo parati vigilantes in omnibus, ne si dominus venerit inueniat vos dormientes.

1. Reg. 26

1. Ioan. 2

4. Reg. 4

¶ Rationem autem subdens, quare vigilare debemus, inquit, Quia qua hora non putamus filius hominis veniet: quod idem per Matthæum explicuit, dicẽs, Quia nescitis diem neque horam. Quapropter tria hic obseruatione dignissima sunt. Primum, quomodo mortis incertus & fortuitus euentus nos inuitat, & allicit ad rectè operandum, & ad hoc, vt semper parati simus. Secundum, quomodo plerunque pœnitentia, quæ in hora mortis fit inutilis est. Tertiò autem causas adducemus & rationes, quare voluerit dominus horam mortis nobis incertam esse.

Matth. 25

Incertitudo mortis stimulat ad bene operandum.

¶ Et quantum ad primum, certum est quòd incertitudo mortis, est quædam monitio & consilium ad hoc, vt vitã nostram rectis institutis componamus: nam postquam vita peracta & finita fuerit, nequit fieri, vt eum statum mutes, in quo mors teipsum cepit. Multi domos ædificant, alta & superba ædificia construunt: cùm tamen nesciant, an per vnicum diem eas debeant colere. Multi etiam victum & necessaria venturo anno quæritant: quem forsitan non attingent. Ad incertam vitam parantur, certam mortem non curantes, nec reminiscentes. Cùm igitur ad ea, quæ incerta sunt te præparas: quid est in causa, quòd morti, quæ certissima est, non prouideas? Nonne consonum rationi erit, vt incerta pro certis deseras? Incerti sunt dies, quos in hoc misero & tempestuoso huius vitæ pelago debemus fluctuare: certissi

certissimum autem est omnia hæc terrena finem & exitum habitura. *Eccle.9* Nescit homo finem suum: atque ita Sapiens ait, quòd sicut pisces capiuntur hamo, & laqueo, sic iniquos capiẽdos esse tempore malo. Quod nobis firma certitudine proximum est, iam vt præteritum reputatur. atque ita cùm mors nobis appropinquet, iam vt præterita debet iudicari. Vnde si quod nondum venit, tanquam iam transactũ reputares, nulla esset ratio, quare hæc præsentia, & momentanea teipsum detinerent. Si rex beneficium aliquod tibi impenderet, & daret tibi aliquam ciuitatẽ sui regni, & diceret se profecturum esse peregrè, post vnam transactam horam: nonne citiùs & omni ignauia reiecta priuilegium scriberes, vt ipse suo nomine designaret? quòd si tũc amicus aliquis tibi diceret, Ludamus parumper exercitij gratia, nõne illum à te projiceres, & remoueres? Neque manducationi dares locum; neque somno, neque amicorum loquelis: sed potiùs omni cura & solicitudine regium chirographum curares impetrare, priùs quàm proficisceretur. Quantò igitur excellentior & opulentior est illa cœlestis Hierusalem nobis promissa: omnibus ciuitatibus & regnis *Ioan.9* huius mundi? Neq; solam ciuitatem Christus promittit, sed totum regnũ cœlorum. Et quantũ tempus tibi concedit, vt promereri possis hoc regnum? Spatium quidem huius vitæ præsentis. Operare dum dies est, veniet nox quãdo nemo poterit operari. Post hanc vitam non est locus merendi, nec demerendi. Est ne aliquis, qui certò sciat se crastino die victurum? Est qui certam vnam vitæ horam habeat? Si igitur regnum, quod dominus promittit ita magnũ est, & opulentum: tempus verò ita breue, in quo illud possimus promereri: quid est, quòd in huius vitæ næniis, & vilibus gradũ sistis? O vanitas vanitatum, quot curis & solicitudinibus, quibus crucibus & tormẽtis seipsos homines vexant: vt momentanea, & ad triduum peritura sibi comparent. Quid est, quòd cùm fidem sponso Christo inuiolabilem in baptismate promiserimus: quòd non festinemus lachrymis, suspiriis, & gemitibus, patriam illam cœlestẽ nobis acquirere? Si cùm nolis perdere bonum temporale, somno priuaris, cibo, & quiete, & à te omnia oblectamenta reiicis, ne occasio oblata è manibus elabatur: quæ est caũsa cur id nõ facias, propter diuinum & nunquam periturum bonum, siquidem breuissimũ est tempus, & nescis quando mors ventura sit? Qua hora non putatis filius hominis veniet. Verba sunt hæc Dei: quæ nec deficient, nec deficere vnquam potuerunt. Quocirca insanum est, & omnino brutis animantibus simillimũ, in eo viuere statu, in quo nolles, vt mors teipsum inueniret: & siquidẽ hoc quacũque hora potest contingere, omni tempore vigilare de- *Iob 14* bes, & studiosè & sanctè viuere. Breues dies hominis sunt, & numerus mensium eius apud te est. Ne- *Matth.24* scis qua noctis vigilia dominus vẽturus sit. Ne obsecro falli te ipsum desinas, sinens tempus præterire, falsam spem habẽs diei crastini, quem forte non videbis. Audi Christum dicentem. Estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.

Penitentia in mortis articulo inualida, quia coacta videtur. ¶ Secundùm ex illis tribus, quæ promisimus dicturos, id est, quòd cum hora mortis incerta sit, te ipsum sanctis operibus & virtutibus induas, & prępares nunc, quando recta valetudine vteris: nam in hora mortis difficillimum erit, te in Deum cõuertere si in vita flagitiis & peccatis te ipsum tradidisti. Quãdo venerit mors ita doloribus & angustiis eris pressus, vt nequeas in Deum cõuerti nisi maxima difficultate. Vnde operæpretium est, vt aures Christi sermonibus accommodes, qui dicit. Estote parati, quia qua hora nõ putatis. Protinùs debes te ipsum parare, ni velis, vt mors te inermẽ & improuidum capiat. Ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *2.Corint.6* In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia, in ieiuniis, in aduersitatibus, &c. In tẽpore quo sanus es, ad Deum conuertere: quia in diluuio aquarũ multarum dolore *Psal.31* mortis circundati impij ad eum nõ approximabũt: qui in vita suum consortium, & amicitiam à Deo segregarunt. Dominus enim ait, Tempore accepto *Esa.49* exaudiui te: & in die salutis adiuui te. Dies salutis est status huius vitæ præsentis: quod tempus, si cautus, & rationis compos es, in vanũ non debes præterire: quando in ipso perpetuam quietem, & tranquillitatem potes tibi comparare. Tempus omnia *Eccle 3* habent. Tempus ridendi, & tẽpus flendi, tẽpus huius vitæ in lachrymis & fletu, & pœnitẽtia cõsumi debet: quandoquidẽ dies mortis nõ benè aptus est, vt in Deum cõuertaris. *Timor non amor facit pænitere veteranos peccatores.* Primò quia contritio, quæ adprimè necessaria est tuæ saluti, procedit ex diuino amore: quem maxima difficultate poteris in hora mortis conciliare, cùm toto vitæ discursu iniquè & peruersè vixeris. Nam quantumuis aliquis se in hora mortis lachrymis conficiat, potiùs est credendum, id facere timore inferni, quàm amore diuino allectus: qui dolor quia est charitate destitutus, nõ sufficit, vt ipse peccator saluus fieri possit. Quocirca sæpe sæpiùs pœnitẽtia quæ in illa hora fit, inutilis esse solet. Semei cùm vidisset Dauidem redeuntem cum triumpho, quem ipse offenderat, obuiam *2.Reg.16* exiit, petiturus veniam. At hoc potius necessitate coactus fecit, quàm amore commotus: & propterea *3.Reg.2* etiã si tunc Dauid dissimulauit, nihilominus posteà illum interfici iussit, cùm claré cognosceret pœnitentiam illam violentam esse, & nõ ex amore & voluntate natam. Atque ita vnus ex equitibus Dauid dixit. Nonne bonũ erit, vt propter hæc ver- *2.Reg.19* ba Semei moriatur? Talis est multorum pœnitentia, qui cùm iamiam morti se proximos videant, necessitate coacti, & potiùs timore quàm amore ad pœnitentiam se conuertunt. Latrones non nisi tormentis & cruce veritatem confitentur: & illa confessio nõ liberat eos à pœna, sed potiùs ad mortem adducit. Ita etiam contingit illi, qui in mortis articulo est constitutus: quem ipsi dolores & angustiæ compellunt, vt veritatem confiteatur: quæ confes- *2.Reg.16* sio non vitam, sed æternam mortem parabit. Non festinant mali ad bonum peragendum, nisi quando iam vires deficiunt ad peccandum: & quando tempus vitæ finitur. *Exod.14* Pharao rex Ægypti quandó vidit se morti propinquum, vitam in melius voluit traducere, nec persequi Israëliticum populum. At serò recordatus est Pharao, nam iam erat clausum iter maris rubri aquis, atque ita interiit clausis portis suæ salutis atque remedij. *Matth.25* Virgines etiam fatuæ serò oleum quæsierunt, & propterea in perpetuum à gloria sunt exclusæ. Hoc idem contingit peccatoribus, qui in hora mortis remedia quærunt: qui ferè semper delusi & falsi inueniuntur: quia potiùs gehennæ tormentis commouentur, quàm diuino amore.

¶ Secundò quia passiones quæ ingenerantur à tristitia magis mouent potentiam, quam illæ, quæ efficiun

efficiuntur à rebus delectabilibus. Si igitur breuis delectatio rationis vsum impedit: multò magis iudicium subuertet ingens & magna tristitia. Et inter omnes maior & terribilior est mors, quæ sic te ipsum contremiscere faciet, & rationem obfuscabit, vt difficillimè possis in Deum conuerti: si in vita flagitiosus, & peccator extitisti.

¶ Non potest intellectus in eodem tempore diuersa obiecta speculari: atque ita tunc dolores in contrariam partem teipsum impellent, vt maxima cum difficultate possis mentem tuam & cogitationem in Deum eleuare. Vnde Salomon. Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis. *Eccle. 8*

¶ Tertiò cùm habitus sit qualitas, quæ difficiliter remouetur: consuetudo, quam in peccando induisti, post se teipsum ducet. Vnde patientissimus Iob, Ossa eius implebuntur vitiis adolescétiæ eius: & cum eo in puluere dormiét. Et Salomon in Prouerbiis. Adolescés iuxta viam suam, etiam cùm senuerit non recedet ab ea. Et Hieremias, Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Consuetudo est altera natura: & hæc super cor tuum tanquam grauissimum onus sedebit, quæ non sinet, vt cor tuum in ipsum Deum eleues. *Iob 20* *Prouer. 22* *Hier. 13*

¶ Quartò in illa hora aliquo modo diuino auxilio destitueris: & acriùs à dæmone tentaberis. Primum ex parte Dei nobis dicit sapiens, Vocaui & renuistis, ego quoq; in interitu vestro ridebo, cum id quod timebatis aduenerit. Cùm irruerit repente calamitas & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, &c. Quia peccatores in vita noluerunt consiliis, & vocibus Dei acquiescere: ipse Deus in hora mortis subsannabit illos, & nó exaudiet. Nam vt Augustinus ait: hac animaduersione percutitur peccator: vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei. Vnde etiam apud Hieremiam ait Dominus. Curauimus Babylon, & nó est sanata: ecce relinquimus eam. Secundo tunc acriùs tentaberis: quia sæpiùs aduersarius noster, quem in vita non potest superare, alia vel alia die de eo triumphat. Sed quem in morte perdit nunquam iterum lucrari potest: & ideo in illa hora tot acerrimis tentationibus, tot fallaciis & technis vtitur, vt tétationes, quæ in hac vita nobis cótingunt, cum illis collatæ, nomé tentationis non merentur. Si igitur cum incolumis es & optima valetudine fruens, nó potes vel leui tentationi resistere: qui fieri poterit, vt cùm delirus sis & omni mente carens grauissimas tétationes liber & saluus possis euadere? Quænam spes victoriæ tibi adesse poterit, si inimici tunc potentiores sunt, tu verò magis imbecillus & láguidus? Modo cùm sanus es, nó vis in campo manus cum hoste conserere, cùm verò infirmus & languidus, & in lecto multis doloribus circúdatus existimas te illum superare? Cùm igitur nescias an crastino die hoc præliú debeas aggredi, cósilio salubertimo Saluatoris tui acquiesce, qui his verbis monet, vt semper vigiles: quia qua hora nó putas filius hominis veniet. Psalmista domino ait, Nó est in morte qui memor sit tui: in inferno auté quis cófitebitur tibi? Viuens viuens ipse confitebitur tibi. In vita pœnitentiam age: & audi Sapientem, qui dicit. Memento creatoris tui in die iuuétutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & anni de quibus dicas, &c. *Peccatorem sæpius pœnitétem negligit Deus, quia & ipse deum neglexit.* *Prouerb. 1.* *Aug. s. 9 in nocentum.* *Hierem. 51* *Psal. 6* *Esai. 38* *Eccle. 12*

Bene quidem cognoscitur, pœnitétiam, quæ in hora mortis fit sæpenumerò falsam esse & nullius momenti, quandoquidé si isti infirmi in pristinam valetudiné restituuntur aliquádo in anteacta peccata se cóuertunt, & iniurias quas pepercerunt, reposcunt. Nam si propositum talis pœnitentiæ, firmum & cóstans esset, nó ita facilè in pessimos ante actos mores dilaberentur. Necessitas cogit illos, vt virtute vtantur. Si cùm peccare non potes, peccata relinquis: merito dici potest, quòd peccata te ipsum deseruerunt, non tu illa. Nam quando mercator merces proiicit in mare, coactus iacit & inuitus. Atsi postea serenum & tranquillum mare fuerit, curat illas extrahere: neq; principio illas in mare proiiceret, nisi in tanto periculo esset cóstitutus. Ita isti compulsi necessitate in articulo mortis ad pœnitentiam se conuertunt: cùm cor suum tradiderint huius mundi vanitatibus. Mortis timore bona aliena restituunt, & alia pia opera exercent, at si ægritudinem euadunt, ad priora peccata se conuertunt. Vix fieri potest, vt cùm peccator inferno sit propinquus, magis Deum quàm ipsum infernum memoria recolat. Si mente non est destitutus, clarè cognosces quibus tenebris cæcitatis sis inuolutus, si mortem expectas, vt pœnitentiam agas. Omnis ille qui pœnitentiam in crastinum diem protendit, in ipsam horam mortis protendit, cùm nesciat an futuro die sit moriturus. Si dominus, cum tu non cogitas, est venturus, non est cur differas pœnitentiam: sed vt statim incipias te ipsum macerare, & lachrymis conficere. Nunc quippe Christum parentem pium, dulcem sponsum, suauem & benignú dominum inuenies: in morte verò iudicem acerrimum, iustitiæ diuinæ & illatarum iniuriarum arctissimú executorem. Quod quidem exemplo tibi ostendam. Nam si litem ageres in iudicio, & ille, quem aduocatum constituisti, in illa hora qua ferenda est sententia, mandato regis iudex designaretur, si ad illum accederes, dicturus, Domine nunc est tempus, in quo debes mihi fauere, tuum auxilium imploro, te ipsum aduocatum & fautorem expostulo: statim ipse tibi respóderet: ea quę petis, minimè possum facere, nam ecce quomodo nunc à rege in iudicem sum cóstitutus, & vt iudex de causa sententiam sum laturus, non autem vt aduocatus. Nonne huius rei magna tristitia & mœror animum tuum subiret? Nunc igitur cum Christum aduocatum habeamus, iuxta illud Ioannis, Aduocatum habemus apud Patrem Dominum Iesum: in meliorem mentem redeamus, & vigilemus: quandoquidem nescimus, an in hora mortis iudex seuerissimus nobis futurus sit. *1. Ioan. 2*

¶ Tertiò diximus præcipue esse aduertendum, id quod dicit. Quia qua hora non putatis filius hominis adueniet. Noluit Deus vt horá mortis sciremus. Cur hoc? Primò quia voluit, vt nescientes horam mortis, semper rectè & sanctè vitam ageremus. Et quòd nobis non manifestet, quando morituri sumus: innuere voluit, quòd semper debemus intelligere iamiam vitam nostram finiri: siquidem cùm certum tempus non habeamus, eam horam, qua nunc viuimus, extremam debemus computare. In hoc, sicut in reliquis, quæ Christus nobiscum operatus est, benignè & misericorditer se habuit. Ignorantes horam mortis: mundioribus & syncerioribus animis viuimus. *Causæ & rationes quare mors nobis incerta sit.*

Nam

Nam cum homines ignorent, an hodie ſint morituri audent in peccato viuere:quid facerent ſi certo ſcirent longæuam & diuturnam vitam habituros? Solet enim contingere, vt ſi nobilis aliquis ludo in nocte ſedeat famuli eius alij dormiant, alij verò per ciuitatem diuagentur: ita vt cùm dominus à ludo ſurgit, nullus adeſt qui faces accendat, neque qui ipſum comitetur. Clamat ſtatim Dominus, At at ſerui,tamen nullus reſpondit, vſquequo cùm iam habeat caput fractum tantis vocibus, venit minimus omnium famulorum ferè ſomno ſopitus cum face incenſa. Reſpondeas obſecro: ſi iſti famuli cùm neſciant, quando dominus ſit illos vocaturus, alter in ciuitatem abijt, & alius dormit:ſi hi certò ſcirent herum vſque ad certam horam non de illis percontaturum, nonnè meliùs & libentiùs abirent? Aliquis tamen erit, qui cùm nolit à domino reprehendi, expectabit: ſiquidem neſcit qua ora ſit vocãdus. Ita Deus noluit certam noſtræ mortis horam nos habere, ne per peccata ab ipſius conſortio & amicitiæ fugeremus: nihilominus tamen multi ſunt, qui peſſimè & iniquè viuant, & deteriores ſint dicentes, in vltimo menſe vitæ meæ ad pęnitentiam me cõuertam: nunc autem flagitiis & peccatis me tradam: quod fortitan modo non audent facere, timentes ne in ipſis moriantur.

¶ Prætereà ſi homo ſciret, quando moriturus eſſet:vel ſciret ſe ſtatim moriturum, vel ad certum quoddam tempus. Si ſciret ſe ſtatim moriturum: pœnitentia in illo tempore facta periculoſa eſſet, & de qua dubitari poſſet. Si verò ſciret poſt longũ tempus tranſactum eſſe moriturum, tũc maiorem occaſionem peccandi ſibi aſſumeret, differens pœnitẽtiam in illud tempus. Ambo quidem grandia ſunt inconuenientia tuæ ſalutis: nam breuis pœnitentia, & vana dilatio duæ res perniciofiſsimę ſunt tuæ conſcientiæ. Quocirca ſuauis ille omnium rerum conditor voluit ſua admirabili prouidentia, vt hora mortis tuæ incognita tibi eſſet & occulta: vt ab his duobus maximis periculis te ipſum liberaret, & vt ſemper ſobriè viueres & caſtè, & ſanctis inſtitutis vitam componeres. Si diem mortis deſignaret, temporis ſecuritate magis atque magis ipſa peccata multiplicarentur. Tertiò voluit nobis occultare horam mortis, vt vtilitati communi & non ſolùm proprię viueremus proximorum obliti, & noſtra tantum curantes. Quartò ſi ægrotans homo ſciret infirmitatem illam non eſſe vltimam, nõ vtique de peccatis confiteretur, nec ſacramenta acciperet, nec ſanctos in ſuum auxilium inuocaret, nec ſacra celebrari iuberet: nec multa alia opera pia, quæ infirmorum cauſa fiunt. Omnia hęc bona opera ceſſarent, ſi certò haberetur infirmum illum ex tali ægritudine non moriturum eſſe. Multi nanque grauioribus infirmitatibus affecti, ſua peccata confitentur, & in Deum conuertuntur, cùm credant, ſe morti eſſe proximos: quod non facerent, ſi ſcirent illam non eſſe vltimam ægritudinẽ. Quintò noluit Deus hoc nobis eſſe notum propter humanam conſuetudinem & tranquillum & quietum modum viuendi. Nam ſi homines ſcirent ſe per multos annos victuros, odia, iras, & inimicitias ſuas proſequerentur. At verò ſi breuiter ſcirẽt finem ſuæ vitæ imponendũ eſſe, melancholici, & mœſti vitam degerent, & proximis ſuis moleſti eſſent, graues, & incommunicabiles. Atque ita vtrique communem pacem deſtruerent totius reipublicæ & humanam cõuerſationem. Denique Deus non ſolùm nos condidit ad hoc vt in vltima hora ad ipſum conuerteremur:ſed reuera, vt totam vitã in ipſius obſequio conſumeremus, neque quidquam cõmitteremus, cuius poſtea opus eſſet nos pœnitere. Aſpice igitur quomodo in hoc dominus vt in reliquis omnibus noſtram vtilitatem & commodum reſpicit:& ita voluit incognitam eſſe nobis horam mortis noſtræ, vt ſemper parati & vigilantes eſſemus. Ideo ait, Eſtote parati: quia qua hora non putatis filius hominis veniet. At tantũ inualuit malitia multorũ hominum, quod id quod Deus fecit, vt eos à peccatis ſegregaret, idem ipſi aſſumunt in occaſionem, vt deteriores & peiores ſint. Boni nanque cùm conſiderent ſe ventura hora ex hac vita migrare poſſe, à peccatis ſe abſtinẽt, mali verò deteriores facti, dicunt, Comedamus & bibamus, quia cras moriemur. *Eſaie 22*

¶ Obſerua autem quòd Chriſtus vocatur hic filius hominis, quia naturaliter dicitur filius hominis, quia natus erat ex matre, non habens patrem hominem. Et ſic ex homine, & non ex hominibus dicitur, ad differentiam eorum, qui in ſcripturis dicuntur filij hominum. Quemadmodum enim Chriſtus eſt filius Dei modo quodam ſingulari, quia ſingulariter vocatur filius Dei, vt ſingularis indicetur filiatio: alij autem in plurali filij Dei, vt communis generatio ſignificetur: ſic etiam ſingulariter filius hominis vocatur, vt videatis ſingularem modum filiationis, quia non ex vi ſeminis cõceptus fuit, ſed ex Spiritu ſancto. Neque carnem accepit peccati, ſed ſimilem carni peccati innocentiſsimus & idoneus ad expiandum peccatum. Sed de his ſatis. Ad contextum. *Ait autem ei Petrus, Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Dixerat Ieſus parabolam de ſeruis expectantibus dominum, adiuncta alia parabola de patrefamilias non vigilante. Petrus autem cùm ſciret ſe & alios condiſcipulos electos fuiſſe ad officium patrisfamilias, dubitabat, an hæc parabola quæ in vltimis verbis ad ipſos ſpectabat, eſſet eis propria: an omnibus communis. *Dixit autem dominus.* Non pręcipuè reſpondet ad factam quæſtionem, ſed in doctrina adhuc perſiſtit: quoniam inſtruit Petrũ, de differentia inter electos ad paſtoris officium, & reliquos alios, & quoad meritum, & quoad præmium: ſimiliter etiam quoad crimen & pęnam. Ex quibus facile intelligi poteſt dictam parabolam ſecundum proportionem cõmunem eſſe omnibus, cum differenti pręmio ac pœna. Et ſubdit, dicens, *Quis putas eſt fidelis diſpenſator?* Ac ſi diceret, Prædicta parabola ad omnes pertinet, ſed iſta ad vos meos diſcipulos ſpecialiter pertinet, quos diſpenſatores efficio, cùm vos alios ad regendum, alios verò ad danda conſilia & documenta præficiam. Ideò quęro, Quis putas eſt, &c Non ex ignorantia quęrit, ſed vt oſtendat, quòd paucißimi ſint tales prælati, fideles & prudẽtes: ſicut ille de quo Sapiẽs dixit, Qui nõ abiit, nec ſperauit in pecunię theſauris. Ideo interrogauit, Quis eſt hic, & laudabimus eum? Rarus eſt talis diues, & paucos inuenies tales prælatos. Particula autem interrogatiua quis, non pro re impoſsibili, ſed pro difficili (vt Hieronymus ait) frequenter accipitur in ſacris literis. Et ſic ipſe Hieronymus exponit hunc locum. Hoc eſt, Pauci ſerui fideles inueniri poſſũt. Sic intelligitur

Chriſtus quare filius hominis.

Pſalm. 4

Vide Chryſo. Hom. 78 in Matth.

Eccleſ. 31

Hiero. ſuper Naum. c. 3

Psalm. 13 illud, Leo rugiet, quis non timebit? Et illud, Quis ascendet in monté domini, aut quis stabit in loco
Rom. 7 sancto suo? Et Paulus. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Et apud Oseam. Quis sapiens, & intelliget hæc? Si de hac re plura videre desideras, lege Origenem & Hieronymum.

Orig. hom. 18 Num. Hiero. Amos 3. Zac. 4. Et in Episto. ad Minerviú.

¶ Prętereà Christus in his verbis conditiones assignat boni prælati, quem dispensatorem vocat fidelem, atque prudenté. Hæc & singula, quæ dicit animaduersione sunt digna. Primo dicit, quòd sit fidelis dispensator. Officium prçlati à dispensatione nominauit: vt intelligant prælati officium suum non in agendo pro libito, sed in dispésando consistere. Videant etiam prælati quòd Christus eis imponit nomen dispensatorum: vt intelligant se dispensatores esse bonorum & redditaum Ecclesiasticorum. Fidelitas etiá requiritur: vt ea, quæ sunt domini, non in suos vsus & vtilitates conuertant vt dominum suum incolumen & liberum in honore conseruent: ita vt pro ipsius honore semper vigilent & defensione, quæ omnia necessaria sunt seruis fidelibus. Est igitur fidelis dispensator, qui nó quod suú est quęrit, sed quę Iesu Christi cu ius vices gerit: quodq; cedit in ędificationé & aug mentum Ecclesię, in cuius gratiam sibi omnia cómissa sunt. Iustus nanque dispensator semper prę oculis habet pręcepta & instructiones cómittentis. Gloriam Dei quęrit, non suam propriam. Hæc autem si in fideli seruo & dispensatore requiruntur: meritò dicemus cum Diuo Paulo. Iam quęritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. Rarum esse putabat Paulus dispensatorem, qui fidelitaté suo domino seruaret. Plerique enim sunt qui fraudem faciunt: dum quærunt quæ sua sunt non quę sunt Iesu Christi, & cęleste & diuinú mysterium in vsum terreni lucri cóuertunt, nec salutem proximorum, sed propria commoda quærút: Ad salutem proximorum curandam negligétissimi sunt: ad redditus verò & vectigalia exigéda diligentissimi. Debitores suos opprimunt, in carcerem detrudunt, & excommunicant: si tamé in peccatis eos viderint, negligunt: nec illos admonent, nec corrigunt. Si illos in angustia, aut tribulatione aliqua videant constitutos, contemnunt, & negligunt: cùm tamen deberent eos cósolari, & reficere. Quod officium est prelatorum, sicut dominus Petro dixit, Tu autem conuersus confirma fratres tuos. Hi non fideles dispésatores, sed lupi rapaces dicendi sunt: & quia istorum maior est numerus inquit Paulus. Iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur.

1. Cor. 4 · Philip. 2 · Luc. 22 · 1. Corint. 4

¶ Prętereà in administratione rerum temporalium oportet vt fidelis sit dispensator pauperibus, orphanis & viduis. Vnde beatus Paulus, qui in pręfatione omnium suarum epistolarum solebat dicere, Gratia vobis & pax: scribens Timotheo, qui Episcopus erat Ephesi, inquit, Gratia, & misericordia & pax. Timotheo quia Episcopus erat, misericordiam commédauit: quia pręcipuú munus Episcopi est esse misericordem & pium erga egenos & pauperes. Sed iam nunc aliqui in tantam infidelitatem peruenerunt, vt non solùm non pauperibus sua bona tribuát, sed velint ab illis ditari. De his
Malac. 1 cóquerebatur Deus olim dicens, Quis est in vobis qui claudat ostia mea, & incédat altare meum gratis? quod quidem ad infidelem dispensatoré pertinet: cumque ad lucrum magis & proprium commodum respiciant, & non ad obsequium Dei, non oues pascunt, sed eas dilaniant, & comedút. Cùm
Numer. 7 filij Israel offerrent plaustra Moisi, dixit dominus ad eum. Cape ab eis. Vide quomodo à paulo non audet illud recipere sine domini licentia. Et quis nunc quęso ministrorum Dei tam fidelis est, vt oblata sibi respuat? Iste verò necessaria nó recepisset plaustra, nisi dominus imperasset. Denique vt vno verbo concludam, ille fidelis dispensator est, qui sibi soli honorem non vsurpat, qui tyrannidé non exercet, qui recta intentione & non propter temporalia ministrant, qui potestatem spiritualem sibi nó adscribit: denique qui rem domini nó negligit. Omnia autem hęc colliguntur ex intentione beati Petri, cum inquit, Seniores qui in vobis sunt obsecro pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratia sed voluntariè: neque dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo. ¶ Secundò ait dominus quòd sit prudens. Prudentia nanque dicitur scientia operandorum: nam sapientia pertinet ad intellectum, prudentia verò ad ea, quæ sunt agenda: atque ideo non solum prudentia est lumen illuminans intellectú, sed etiam calefacit affectum: non solùm ostendit quid, quando, & qualiter sit agendum: sed etiam mouet voluntatem, vt appetat bonum post iudicium, & vt fugiat malum. Vnde vsus scripturæ & vsus communiter loquentium habet, vt inepti dicantur, qui imprudenter operantur: licet prudenter intelligant quid, & quádo & quomodo sit agé dum. Vnde in Prouerbiis dicitur. Vir prudens dirigit gressus suos. Ideo ad hanc spectat moderare omnes virtutes quia auriga est earum & ordinatrix affectuum, & morú doctrix: Sine hac curritur in obscuro: nam dum quis magis currit in maiori est periculo, vt frangat caput. Vnde hęc constituit ordinem in aliis virtutibus: ita vt si hác sustuleris, virtus non est virtus, sed vitium. Hac virtute maximè indigent prælati: ideo hic Christus bonum prę latum prudentem appellat. Opus est vt prælatus res alias corrigat: alias verò dissimulet, tanquá qui non intelligit, nec videt: Modo grauem se debet ostendere, vt non contemnatur, alias verò modestum & affabilem, ne arrogans & superbus existimetur. Modo vti debet misericordia, modo verò iustitiam debet exercere: quod totum ipsa prudentia docet, sine qua non bene suú munus & officiú exequetur, etiam si magnis virtutibus sit præditus. Multa enim sunt quæ blandè & moderatione quadam fieri debét: & multa debemus exorare vt subditus faciat, quæ aliàs iuberi possent. Quádo verò hoc sit faciendum, ipsa prudentia docet. Quemadmodum tonsor, qui nouacula tonsurus est barbam, priùs eam lauat, & nouaculam acuit: ná aliàs scinderet & rumperet: ita facit imprudens prælatus qui cùm velit barbam tódere, hoc est aliquod vitiú subditi propellere, tanta asperitate & rigore id facit, vt potius destruat, ac scindat, atq; ita non corrigit, sed in deteriorem mentem subditum prouocat. Priùs lauare debes & bládè & misericorditer agere. Et tu subdite vide quòd quando tonsor insanus est túc te ipsum magis tranquillú & quietum pręstare debes, ne te scindat: atque ita dú prælatus magis insanus fuerit, tu humilior & prudentior existere debes. Solent in finibus prouinciarú speculatores constitui, quoniam hi terram viciná

Raro avis in terris. · 1 Pet. 5 · Prouer. 14

cogno

cognoſcunt,& hoſtes vicinos maiori odio proſequuntur. Sic prælati optimè ſubditos cognoſcant, & hoſtes ſint hoſtium animæ & cum modeſtia veritatem oſtendant:& prudenter regant rempublicam: potiùs amari, quàm timeri cupientes: nam ſi omnia voluerint timore & aſperitate regere, omnia facilè euertent. Quemadmodum aqua magni & profundi lacus cùm natura ſua tranquilla ſit, vi tamen ventorum agitatur,& commouetur: ſic populus etſi ſua ſponte mitis ſit & quietus, nimia tamen ſeueritate & aſperitate prælati velut violenta procella concitari & perturbari ſolent. Debet eſſe prælatus quaſi plures: quia pluribus conſulere debet,& de omnium ſalute cogitare. Vt in ſolo capite ſunt oculi vt omnia videant,& non in alio mébro: ſic ſoli prælato côuenit omnia videre,& côſulere,& mêtis oculis côſiderare quę ad rectã gubernationé pertineant. Ideò per Ezechielem dicitur, Ezec.17

quòd Cherubin, qui erãt depicti in templo, habebant duplicem faciem, alteram hominis, alteram verò leonis: quia prælatus debet eſſe humanus & benignus viris iuſtis, ſeuerus auté & terribilis ſceleratis. Quibuſdam debet humanitatem oſtendere: quibuſdam verò terrorem incutere. Et hæc omnia prudentia docet. Igitur hac admirabili prudétia induti eſſe debent prælati: quia non ſolùm eſt opus rerum ſpiritualium gubernatione, ſed etiam temporalium: quia non tantum vni debet tribuere, vt aliis deficiat. Opus eſt vt ſeruare ſciat,& diſtribuere:& vt prudentiam ſimilem Ioſeph habeat, qui in annos ſteriles in abundantibus & proſperis congregauit. Genes.41

Prudentia opus eſt, in impartienda eleemoſyna: nam cæteris paribus potiùs ſuis quàm extraneis eroganda eſt, ad quod etiam opus eſt prudentia, nam conſanguinei tui ſeipſos ditare cupiunt tuis bonis & re temporali, & pauperem te efficere cœleſtium diuitiarum. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Cognoſcere debes neceſsitaté tua diſcretione, ſine eo quod ipſe pauper eam manifeſtet. Et ideo dixit, intelligit. Denique prælatus non debet eſſe cæcus, ſed lumine intellectus pollere debet. Et ideo in Leuitico præcepit dominus ne offerretur illi animal cęcum. Animal cęcum eſt prælatus ſine prudentia, qui tanquam cæcus in conſiliis ſeipſum præcipitat. Vult Deus vt habeat oculos,& videat quod faciat,& quid acturus ſit: neque ignorans ſit & inſipiens. Baſes templi Salomonis non erãt ſine Cherubin: ita baſes ſunt prælati, qui ſuſtinét ædificium ſpirituale, non tamen debent eſſe ſine cognitione & lumine rerum agendarum, ſed ſapientes & prudentes ſicut Cherubin. Ideo Moſes volens conſtituere gubernatores populi, dixit Hebręis. Date è vobis viros ſapientes & gnaros: quorum conuerſatio ſit probata in tribubus veſtris. Quod etiam intelligens Salomon non diuitias poſtulauit, ſed prudentiam. Gubernator abſque prudentia, eſt tã quam nauis ſine clauo. Et ob hanc cauſam dicebat dominus per Hieremiam. Introducam vos in Sion:& dabo vobis paſtores, qui paſcant vos ſciétia & doctrina. Et Paulus cùm loqueretur de officiis Eccleſiæ, Quoſdam (inquit) dedit apoſtolos, quoſdam prophetas, &c. Cum autem loquutus eſt de prælatis, inquit, Alios autem paſtores & doctores. Coniunxit doctores cum paſtoribus, vt inſinuaret prælatos ſcientia debere eſſe præditos, vt ſciant quid agendum, quidue vitandum ſit. Sciat

Psalm.40. Leuit.21. 3.Reg.6. Deuter.1. 3.Reg.3. Hierem.3. Ephes.4.

igitur prælatus diſpenſatorem eſſe & non dominum:& quod fidelis eſſe debet domino,& prudés in rebus agendis: talis denique, qualis deſcribitur in Exodo, cum Ietro dixit Moſi. Prouide de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſi veritas,& qui oderint auaritiam,&c. Prouide, id eſt, cum magna delibeatione elige: de omni plebe, id eſt abſque perſonarum acceptione, viros: id eſt, viriles homines,& non puſillanimes, ſeu effęminatos, ſapientes, id eſt ſapientia & prudétia præditos: in quibus ſit veritas, id eſt, in quibus non ſit ſimulatio, aut hypocriſis,& qui ſequantur veritatem,& non inordinatum appetitum. Qui oderint auaritiam: id eſt, qui non quærant quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, & non accipiant munera. Xenia enim & munera, excæcãt oculos iudicis. Principes tui infideles ſocij furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Qui regant populum, id eſt, verbo & exemplo prædicando & rectè gubernando: ita vt prælatus cunctis ſit benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus, ad iram tardus, ad miſericordiam pronus: in aduerſis firmus, in fœlicib⁹ & proſperis cautus, & omnibus proficiat,& nemini noceat, omni denique ſapientia & prudentia ornatus. Lege Gregorium de cura paſtorali:& Bernardum de conſideratione ad Eugenium Pontificem. De tali prælato ait dominus. *Quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam.* Abeant impij Lutherani, qui audent dicere Pontifices non eſſe ſuperiores de iure diuino, ſed ſolum hominum decreto electos. mentiuntur: imo conſtituit illos dominus ſuper familiam ſuam: ipſe enim quoſdam dedit apoſtolos, quoſdam Prophetas, quoſdam euangeliſtas,& quoſdam paſtores & doctores. Nam apud Eccleſiam quanuis ſit certa forma conſtituendi prælatos ſiue per electionem, ſiue per maiorum decreta, ita vt videantur conſtituti ab hominibus, tamen à Deo côſtituuntur,& ſic in Actis dicitur. Attédite vobis & vniuerſo gregi, in quo Spirit⁹ ſanctus poſuit vos epiſcopos regere Eccleſiã Dei. Spiritus ſanctus côſtituit Epiſcopos ad regendam Eccleſiam Dei, non homo: & ſic Epiſcopi qui ſucceſſores apoſtolorũ ſunt immediatam habét poteſtaté ordinis à Chriſto, ſicut apoſtoli: quanuis authoritas pręſertim quoad iuriſdictionem ſit à Papa. In quo tu maximè aduertere debes ne dignitatem aut prælaturam fauoribus aut ſimonia compares. O quãti ſunt prę lati, quos non conſtituit dominus, ſed ipſi ſe conſtituerunt ſua ambitione, fauoribus aut pecuniis. Nolo tamen dicere quòd qui talis eſt non ſit verus Papa, aut Epiſcopus: non tamen eſt in tali dignitate, Dei voluntate, ſed permiſsione: quia permittit illos imperare, quos nec vult propter populi peccata à dignitate propellere. Sic enim ipſe ait. Ipſi regnauerunt & nõ ex me. In hoc quòd dicit,& nõ ex me, intelligit, quòd non ſua voluntate regnant: & ideo non ſunt à Deo ſuper ſuam familiam conſtituti. Dominus enim debet eligere prælatum, non humanus fauor, tuncque à manu Dei intelligas prouenire, quando ſine tua ſolicita diligentia dignitas tibi offertur: quando verò eam acceptaueris, conuerte oculos ad rationem quam de illa es redditurus, & de ouibus tibi commiſsis. Dixit dominus Moſi, voluntas mea eſt, vt educas oues meas ex Aegypto, & quod tu ſis paſtor earum. Et reſpôdit Moſes. Quæ obſecro in me reſidet autho

Exod.18. Philip.2. Eccle.20. Eſaia 1. Superiorũ authoritas à Deo. Ephes.4. Act.20. Osea 8. Exod.3.

ritas. Et dixit illi dominus. Quid habes in manu Exo.3 tua? Proiice virgã in terrã. Quidquid homo habet à se debet expellere. Bonus prælatus reiicere debet honores & gloriam quã consanguinei & parentes illi curant. At verò si Deus iubet, per caudam debet accipere, hoc est per finem. Finis officiorũ & dignitatum, est arcta ratio, quam dominus debet Hierem.1 exigere de animabus sibi commissis. Si Hieremias cùm esset in vtero matris sanctificatus, & cũ à domino ad prędicandum mitteretur: ferè tantum onus recusauit dicens. A, A, A domine nescio loqui. Magna quidem est audacia vt velis tu dignitatem solicitè curare, & acquirere, &c.

¶ Obserua autem quod dicit, super familiam suam. Non inquam super familiam Episcopi: non constituit eum super nepotes, cognatos aut consanguineos suos, sed super familiam suam, scilicet domini. Familia enim domini nostri Iesu Christi sunt pauperes fideles, paruuli, pupilli, infirmi, &c. Super hos constituitur prælatus, hos pascere debet, sustentare & curare. At quantos nunc videbis, qui solam curam suæ familiæ gerunt: non erogant quod habent Christi familię, sed suę. Sed si hoc solum contingeret in bonis temporalibus, non tam graue malum esset, at conferunt beneficia ecclesiastica suis: soluentes laborem: & dando illis beneficia curata. Hoc Romæ facere consueuerunt aliqui cardinales & episcopi, qui seruis suis & mulionibus beneficia ecclesiastica tribuunt, nec quærũt homines doctos & studiosos, sed suos familiares. Sed iam vlteriùs. *Vt det illis in tempore tritici mensuram.* Vt det (inquit) illis. Quibus? his qui sunt de domini familia, de quibus modo loquuti sumus. Sed iam non tribuunt nisi diuitibus, à quibus sperant aliquid accipere. At cum prælati modo deberent esse sicut sol, efficiũtur veluti luna. Nam luna non illuminat, nisi ea parte, qua recipit lumẽ à sole. Ita multi prælati non bona conferũt nisi eis, à quibus sperant aliud maius sibi euenturum. Atque ita (Deus est testis me non mentiri) me vidisse in curia Hispaniæ regis Philippi, aliquos amicos regis à prælatis multa dona, diuitias & pecunias accepisse, vt talionem possent illis rependere: & vt sic hac via amicitiam regis possent sibi conciliare, vt ad maiores dignitates & officia promouerẽtur. Alij pascunt semetipsos: quod Ezechiel plorat. Ezec.34 Væ pastoribus, qui pascebant semetipsos. Nonne oues à pastoribus pascuntur? Officium autem boni pastoris est, vt det familię domini: & quod oues suas pascat doctrina & exemplo, & eleemosynis: tribuens ouibus Christi tam bona spiritualia, quã temporalia, nam ad Episcopum pertinet alere pauperes, & ministrare eis de substantia sua. Oportet 1.Timo.4 Episcopum esse hospitalem: alienam inopiam, propriam debet existimare: quod si hoc non præstiterit, non est dignus Episcopi nomine. Et ad Titum Tit.1 Apostolus ait, Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non turpis lucri cupidum, sed hospitalem & benignum.

¶ Dicitur autem in tempore, quia cùm oporteat vt iste dispensator sit prudens ad prudentiam spectat modum disponere circa actiones: quia est ratio recta agendorum, & ideo qualitas cibi, quantitas, & tempus cibationis considerari debent. Porro de cibo spirituali, quod est verbum Dei etiam considerandum est, quòd detur suo tempore tritici mensura, hoc est, vt prędicet & doceat prælatus iuxta captũ auditorũ, aliquãdo subtilia, aliquando plana. Sic Paulus simplicib' & rudib' dicebat. Ego 1.Cor.3 nõ potui vobis loqui tanquã spiritualibus, sed tãquã carnalib': tanquã paruulis in Christo lac dedi potum, non escam, &c. Dandum est triticum ad mensuram, idest, iuxta capacitatem vniuscuiusq;. Insipientibus non dicenda altissima, sed ea tantũ, quæ facilè possint capere. Sapientibus etiam non sunt dicenda vulgaria & trita: Sic Paulus, Sapien- 1.Cor.2 tiam loquimur inter perfectos. Considerare autẽ tempus, mensuram, & alia huiusmodi pertinet ad prudentiam ministri: sine qua fidelitas parũ proderit. Ideoque tam in cibo spirituali doctrinæ, quã in cibo corporali considerandum est tempus, & necessitas, & qualitas subditi: & sic in tempore cõuenienti oportet dare vnicuique mensuram iuxta intellectus ipsius capacitatem, vel de cibo corporali iuxta mensuram & inopiam: ita vt vnicuique prudenter prouideatur. *Beatus ille seruus, quem cùm venerit dominus inuenerit ita facientem.* Id est, cũ in morte Christus venerit, beatus efficietur. Tales enim non solùm simpliciter erunt beati, sed etiam habebunt magnum beatitudinis gradum, nam vt Paulus ait, Qui bene præsunt, duplici honore di- 1.Tim.5 gni sunt. Obserua autem quòd non dicit ita fecisse, sed ita facientem, quia non satis est ꝙ aliquando bonus fuerit, & rectè prædicauerit, eleemosynas fuerit largitus, sed opus est, vt talis sit & perseueret in bono incepto, vt cùm dominus venerit in hora mortis inueniat illum sanctis operibus intentum: quod fieri non potest nisi firmus & constans in rectitudine vitæ perstiterit. Multos videbis senes, qui seipsos laudant, bona quæ in adolescentia fecerunt, iuuenibus narrantes: cũ tamen in senectute, quam actionibus sanctis deberent cõsumere, auari sint, cupidi, maledici, & ambitione pleni. Iuuenes non viderunt, quæ tu in adolescentia vel iuuentute fecisti, sed quæ modo agis: & iuxta ea quæ modo vident, anteactam vitam iudicant. His enim præsentibus virtutum exemplis alios mones & doces. Quocirca non satis est, aliquãdo bonum fuisse, nisi vt strenuus & magnanimus miles vsque in finẽ perseueraueris. Beatus itaque est quem dominus sic inuenerit facientem, quando venerit siue in iuuentute, siue in senectute, qualẽ te inuenerit, talem te iudicabit. Et quid faciet seruo prudẽti & fideli, quem sic inuenerit? *Verè dico vobis quoniã super omnia quæ possidet constituet illum.* Quicunque ad vitam æternam transfertur, constituitur super omnia bona domini, quia diuina essentia fruitur: quę omne bonũ est. Cogitari nec dici potest quale & quàm diuinum & admirabile illud bonũ sit. Sed hoc omnibus, qui deferuntur in beatitudinẽ conuenit, siue sint prælati siue non: sed tamẽ Christus bonis & sanctis prælatis qui munus suum in hac vita rectè exercuerunt, aliquid aliud his promittit pręter id quod omnibus cõcessum est Habebũt enim isti excellentiorem gradum gloriæ, nẽpe aureolam & coronam doctoratus: nam boni prælati officium est, docere, vacare orationi, lectioni & doctrinæ. Episcopi proprium munus & officiũ Amb.lib.1 officio cap.2. est docere. Vnde curam rei familiaris, & negotia Actor.6 sæcularia debet aliis committere. Et ita Apostoli dixerunt, Non est nobis bonum relinquere verbũ Dei, & ministrare mensis. Quocirca elegerunt septem

ptem diaconos, qui hæc facerent. Et præter aureolam habēt aliquid excellentius in præmio essentiali, quod consistit in excellētiori gradu visionis, qa magis meruerunt, cùm plura charitatis opera edat bonus prælatus, quàm subditus. Ideo de solis prælatis dicit, Constituet eum super omnia bona sua. Sed de subditis dixit in parabola pręcedenti, quòd pręcinget se, & faciet illos discūbere, & trāsiens ministrabit illis. Maius est autem quod seruus maneat super omnia bona sua, quàm quòd semel dominus transeat, & ministret seruis.

¶ Oportet igitur, vt status prælatorum in terra conformis sit illi, quem habituri sunt in cœlo, vnde sicut in Ecclesia militanti est summus, sic erit in Ecclesia triumphāti. Nam sicut Christus munus Ephes.1 accepit saluandi homines, meruit sibi locum super omnem principatum & potestatem, ita prælati qui functionem saluandi homines suis humeris imposuerunt, constituentur super omnē principatum. Nec aures tuas offendere debet, id quod dicimus, scilicet quod prælati subeant munus saluan-1.Cor.9 di homines, cum Paulus dicat, Omnia factus sum Rom.11 omnibus, vt omnes facerem saluos. Et alibi. Si quo modo ad æmulationem prouocem carnem meā, & saluos faciam aliquos ex illis. Igitur munus generandi filios Christo. nutriendi & saluandi, nec angelis datum est, ideo super angelos est.

¶ Obserua quòd non dicit hoc cum iuramento, sed affirmans Christus, ait, Verè dico vobis. Non dicit. Ego iuro vobis per Deum, sed ego vos certos facio: quod mirandum quidem est, cum in re tam graui, & tanti ponderis & momenti loqueretur. O quam pessima & execranda est huius nostri temporis consuetudo, ita vt in re leuissima homines mille iuramentis vtantur: & pueri etiam incipientes loqui, nihil affirmant nisi nomen Dei in vanum assumentes. Nabuchodonosor cùm vidis-Dan.3 set, quòd Deus liberasset ab igne Sidrach, Misac, & Abdenago, edictū iussit diuulgari, vt nemo nomē Dei Israel blasphemaret. Si rex ille gentilis hoc iussit, quare principes & reges Christiani hoc nō præcipiunt magnis pœnis impositis: quandoquidem maiora miracula illis quotidie Deus monstrat. Hactenus loquutus est dominus de bono prælato & de ipsius pręmio, nunc autē de malo pręlato & pœna ipsi infligenda disserit, dicens,

Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit dominus meus venire, &c. Dicit se desiderare si fieri posset, vt nunquam mors adueniret. Inter vitia & peccata huius serui mali illud vnum est, quod existimet se diu victurum, quod quidem quàm vanū & stultum sit satis ostenditur, cùm quotidie videamus iuuenes mori, & sepeliri O quot & quāti sunt iuuenes, qui iniqua opinione falsi existimant longæuam vitam habere, & dicunt, moram faciet dominus meus: & sic pęnitentiam differunt in se-Matth.25 nectutē. Sic virgines fatuæ perierunt. Et cū hanc vanam fiduciam cōceperit: vide quid faciat. *Et cœperit percutere seruos, & ancillas, & edere, bibere, & inebriari.* Seruus iste malus eo quod longa tempora vitę sibi promittit, in malam administrationem defluit, in qua omnē flagitium & peccatum includitur. Posuit tamē Christus duo, quę pręcipua sunt, Aug. Epist. ad Esichium. scilicet superbiā & luxuriā, ad quę cætera reducūtur. Primū autē, idest, superbiā per seruorū cōcussionē designauit: vt inquit diuus August. Luxuriā autē ostendit, dicens, Cœpit edere, bibere, & inebriari. Cū percutit seruos, velut dominus in illos Bed. in Luc. c. 12 cap. 54. animaduertit, cū non sint eius serui, sed ipse sit cōseruus eorū. Et ideo p Matthæū dicitur quod cœpit Matth.24 percutere conseruos suos. Istud autem ad prælatos pertinet: quia licet constituantur a Christo super plebem, non tamen subditi desinunt esse serui Christi, & ipsi, qui eis præsunt nō sunt domini illorum, sed conserui. Sic dicitur in Ecclesiastico, Re-Eccle.32 ctorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex eis. Cœpit percutere quia hoc magno vitio præcipuè laborant prælati. ideo Paulus ait, oportet Episcopum non esse percussorem, sed mo-1.Tim.3 destum. Percutit autem eos suo malo exemplo, cū scandalizando damnat cōscientiam subditorum, ait nanque Paulus. Sic autem peccantes in fratres Tit.1 & percutientes conscientiam eorum infirmam. Percutiunt etiam prælati subditos multis censuris & excommunicationibus, præceptis, constitutionibus & comminationibus, ita vt non possint vlterius progredi, nec in bono proficere. De his per Ezech.34 Ezechielem inquit dominus. Vę vobis, qui cum potentia & maiestate imperabatis. Multos nunc inuenies in ecclesia Dei ita arrogates & superbos, vt non eos existimes pastores, sed tyrannos & dominos: qui potius mores referunt Leonum & Tygridum, quam prelatorum. Non est opus ita arcū intendere, vt frangatur: nec subditos ita vexare & opprimere, vt nequeant crescere, nec proficere. Quod Christus his verbis voluit innuere: scilicet quod prælati superbitia vexant subditos, vt non sinant illos in virtutum exercitio crescere. Et vt similitudine diui Anselmi vtar, si plātam arboris in Ans. lib. simil. cap. 177. horto tuo plātaueris, & mox illā ita ex omni parte concluderes, vt ramos suos nullatenus extendere posset: si eam post aliquot annos excludas, quales putas ramos extenderet? Profecto inutilis arbor rugosa, & gibbis plena ramis suis incuruis perplexa. Hoc faciūt multi prelati & magistri & parētes subditis & filiis suis: qui plantati sunt in horto Ecclesię, vt crescāt & fructificent Deo. Adeò illos minis, terroribus & flagellis comprimunt, vt nulla penitùs liceat eis liberare potiri. Atque ita ineptè oppressi prauas & spinarum more perplexas cogitationes in se cōgerunt, & fouent, & nutriunt. Vnde fit, vt cū nihil amoris, nihil pietatis, beneuolentię erga se in illis sentiant, nec subditi alicuius boni in illis aut grati operis, sed omne odium, impietatem & maleuolentiam aduersus illos concipiūt. Dum corpore crescunt, crescit etiā in illis timor, & inuidia, & omnis suspicio mali. Huius rei causa superbia est, & crudelitas, quā multi prælati aduersus subditos exercēt: in causa enim sunt, vt subditi impatientes, fint, & vt ira & furore cōmoueātur, cū non possint ferre grādia onera, quæ illis imponunt. Et sæpè sępius videbis, quòd pręlati hæc cum subditis facientes, seipsos blandè, lautè & piè tractent, ipsi secundum suam libidinem comedunt & bibunt, volunt autem vt subditi ieiunent, & se pœnitentia conficiant. Semper ego id sum expertus: eos homines, qui asperam & pœnitentem vitā degunt: ergā subditos, blandos modestos, & pios seipsos ostendere. Econtra verò, qui sibi indulgēt pro genio, & vitiosi & profani sunt: erga subditos legū & præceptorū obseruantissimos se exhibēt. Matth.3 Aspice obsecro diuum Baptistam qui tam sobriā Luc.3 & asperam vitam agebat, qui ciliciis pellibus induebatur, erga publicanos & peccatores mansue

cus & blandus erat. Et ita loquutus est illis dicens. Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti. Et militibus dixit. Contenti estote stipendiis vestris. Non dixit. Non carnes comedatis, nec vinum bi- *Matth. 23* batis, nec in lectulis cubetis: siquidem hæc omnia ego facio: sed blandè & modestè illis fuit loquutus. Econtra verò pharisæi grauissima onera humeris hominum imponebant, sed ipsi nec digito ea ferre volebant. Atque ita Christus in hoc loco cõiunxit vexationem & persecutionem, quas prælati exercent cum eorum cibo & potu, & cum blanda vita, quia alterum ex altero nascitur & proficiscitur. Hinc enim euenit vt prælati subditos vexent & opprimãt: quia scilicet heluones, profani, & vitiis dediti sunt. Sed vt intelligant tales prælati id non sine animaduersione prætereundem esse, audiant qua pœna sunt puniendi. *Veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum* Malus prælatus, quasi securus de longa vita animum suum ad malè administrandum applicuit: quasi postquam diu vacauerit delitiis, poterit breuiter ante mortem pœnitere. Sed toto errat cœlo: quia cùm putauerit tempus sibi esse quietis, superueniet subito mors, quando non erit tempus pœnitendi: quia vt iam ostédimus, pœnitentia in hora mortis difficilis est. Si quis toto tempore suę vitæ gratiam Dei spreuerit, & Deum pulsantem ad ostium non audierit, fortè in extremo vitę illã nõ habebit gratiã, quã toties contépsit, & recusauit. Et fortè tã subita & repétina veniet mors, vt non sit locus nec aliquid de ipsa pœnitentia cogitare.

Vide Bed. in c. 12. Luc. c. 54

¶Illud verò quod dicit, quòd diuidet eum: non est intelligendum, quòd eum gladio dissecabit: sed quòd à consortio sanctorum illũ diuidet, & separabit. Nam cum malus prælatus in vita sanctis viris & aliis esset præpositus, & ideo cum sanctis cõmunicabat: meritò post mortem à bonis segregabitur, & non cum eis in gloria erit coniunctus. Et quod deterius est, à Deo pœna damni separabitur: quæ quidem pœna iuxta theologorum sententiam maior est omni pœna. Illa enim pœna maior est, in qua maius malum inest, & plus inuenitur de ratione mali in causa, quàm in effectu. Diuidetur itaque in morte anima eius à corpore, diuidetur à cõsortio beatorũ, & à fruitione diuinę essentię, quod infęlicissimũ & grauissimũ malũ est. In libro Da- *Dan. 4* nielis prophetę legitur Nabuchodonosor regẽ vidisse arborẽ magnã, & subter eã habitabãt animalia & bestię, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli, &c. Daniel interpretatus est per illã arborẽ significari ipsum regẽ magnũ, superbũ, potẽtissimũ & diuitẽ. Plurimos & nũc inuenies prelatos similes Nabuchodonosor, presertim in nostra Hispania, quę ditissimos habet episcopos: arbores inquam magnas cuius cacumina ipsum cœlũ tangunt, subter eam animalia multa & bestię. Sub vmbra pinguium & magnorum redditũum ipsius episcopi, non videbis multos homines doctos cõgregatos, non studiosos & sapientes: sed animalia bruta, hoc est homines ignorantes, insipientes, & nulla bonarũ artiũ scientia preditos. Ita ex redditibus prælati magna multitudo bestiarũ alitur: scilicet tot famuli, & serui, tot muliones, & alij multi qui solũ intenti sunt luxurię, & omni vitiorũ generi se cõmiscent. In ramis eius cõuersabantur volucres cœli. Passerculi suauẽ harmoniã & cõcẽtũ efficiũt per ramos altos ipsius arboris saltãt: hoc est parasiti & adulatores q suauiter & dulcitẽ aurib* prelati cõcinunt, & secundũ palatũ ei loquũtur: hi, inquã, sunt qui maximã familiaritatẽ & amicitiam cũ prælato nectunt, qui fructus maturiores comedũt, quiq; maiora dona & pinguiora beneficia accipiũt. Hi nec latum vnguem à verbis prælati discedunt, genio ipsius indulgentes: quæ ipse laudat, & ipsi etiam eadem extollunt: quę ipse vituperat: & denique hi ad viuum referunt personam illius famosi parasiti gnatonis. Si quid dicit, approbant, si statim ipse reprobat, & ipsi continuo in eandem eunt sententiam. Omnia assentari, is quæstus est nunc multo vberior. Alius etiam saty- *Iuue. Sat. 3* ricus poetæ hoc genus hominũ depingebat. Rides maiore cachinno. Concutitur: flet si lacrymas cõspexit amici, Nec dolet, igniculum brumæ si tempore poscas, Accipit endromidem: si dixeris æstuo, sudat. Nocte dieque post alienum sumere vultũ, A facie iactare manus, laudare paratus. Hi denique soli sunt, qui in domo prælati lautè & opiparè epulãtur & vsque ad satietatem inebriantur. Ita viuunt hi, vt is viuat, qui vincit, aduersus autẽ victum omnes insurgunt: & hi non accedunt nisi ad diuites & potentes, & ad eos qui magnatũ amicitiam sibi conciliarũt. Qui veritatem loquuntur, ab his reiiciuntur procul, quemadmodum rex Achab Michęam abnorruit, quia non prophetabat ea quę ipse volebat. Hoc genere hominum impletus est mundus. Quod idem satis aptè in scriptura sacra depingitur. Vnde Ecclesiasticus dicit, Diues *Ecclesi. 13* loquutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsq; ad nubes perducunt. Pauper loquutus est, & dicũt. Quis est hic? Et si offenderit, subuertẽt illũ, &c. Sunt veluti echo qui idem respondet, quod loquutus es. De quo Salomon, Resonans de altissi- *Sap. 26* mis montibus echo. Si tu canis, etiam canit echo: si ploras, echo etiã plorat. In altis mõtibus & sublimibus dicit resonare echo: nam adulatores & parasiti non habitant in domibus pauperũ, sed in domibus principum & magnatum. In his altis mõtibus ipsi resonant, & canũt, & ideo Daniel inquit, quod aues in altũ arboris ascendebãt: nã hi ad eos, qui in altas & sublimes dignitates sunt constituti, accedunt, & cum ipsis vnà habitãt. Sed audi quid de hac arbore subdit propheta. Et ecce vigil & sanctus de cœlo clamauit. Succidite arborẽ, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiãt bestię, quæ subter eã sunt, & volucres de ramis eius. Idem hoc est, quod Christus in hoc loco dicit. Et diuidet eum. Succidite illum in morte: animã à corpore separate, diuidite illũ, descẽdat anima in infernũ, & corpus in sepulchrũ à vermibus & bestiis deuorãdum. Tunc enim omnes bestiæ & aues fugiunt: quia solus in sepultura relinqueris: & vnusquisque tuorum per suam viam abibit, tu verò qui magna arbor eras, scissus & solo æquatus manebis & ab eis conculcaberis, à quibus nunc tanquam Deus coleris. Et non solum diuidet te dominus, sed in tormẽta grauiora detrudet. Quocirca sequitur in textu. *Partémque eius cũ infidelibus ponet.* Hactenus loquutus est de pœna dãnati, quia diuidetur & separabitur à consortio diuinæ essentiæ & etiam ipsa anima à corpore discedet. Nunc autẽ agit de pęna sensus, quia nõ tantum diuina visione carebit propter quam creatus est, sed

est, sed etiá tormenta ęterna patietur. Sicut enim dixerat de prælato fideli, quod super omnia bona sua constituet eú: sic nunc loquens de prelato malo dicit, quod ponetur cum infidelibus, quia infidelis fuit in muneris sui administratione. Benè etiam dicit quod cú infidelibus collocabuntur mali prælati, quia (vt Paulus ait) siquis suorum curam domesticorum non habet, fidem negauit, & infideli est deterior. Quia infideliter suú munus exercuit: cum infidelibus sortitus est locum tormentorum. Sapiens inquit, Iudicium durissimum his, qui præsunt fiet. In sequentibus Christus ostendit quod mali dispensatores, imo & omnes eruditi si sint vitiosi, grauiora sustinebunt supplicia propter suam scientiam. *Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem domini sui & non se praparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.* Seruus, qui omnia precepta diuina rectè percalluit, & quid dominus ab eo requirat, & non se præparauit, hoc est non se disposuit ad bene agendum, nec mentě adaptauit, vt obediret Dei pręcepto: pluribus & grauioribus punietur suppliciis, quia grauiùs & iniquiùs peccauit. Homo nanque debet seipsum præparare faciédo quantú suæ vires suppetierint: iuxta illud Prouerbiorum. Hominis est, animum preparare. Propter quod Samuel in libris Regú hortatur. Pręparate corda vestra domino. Sed prelatus & doctus qui cognoscit & nouit domini volútatem, & non se præparat vt eam exequatur, grauissimè punietur. Nam vt Iacobus ait, scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi. Et diuus Petrus etiam inquit. Melius erat non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitioné retrorsum reuerti. Vbi donú maioris & altioris scientiæ relucet, ibi transgressor maiori subiacet culpę. Ideoque homo, qui perspcaci ingenio est præditus, qui abundantioribus naturę dotibus est cumulatus, si turpibus se immisceat flagitiis, si peccatis seipsum dedecoret, inexcusabile committit peccatum: at homo rusticus & mediæ plebis faciliùs veniam impetrabit. *Qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Quare punitur si non cognouit domini voluntatem? Quia poterat illam scire & noluit, & negligens fuit circa suam salutem, & nó inuincibiliter ignorauit: nec fecit quod potuisset, si viros peritos & doctos consuleret. Vnde Esaias. Propterea captiuus ductus est populus meus. quia nó habuit scientiam. Et Paulus. Ignorans ignorabitur.

1.Tim.5 — Sapiens.9 — Chryf. Hom. 27. in Matt. tom.2 — Prouerb.16 — 1.Reg.7 — Iacob.4 — 2.Petr.2 — Esaie 5 — 1.Cor.14

¶ Aduerte autem quod quædam est ignorantia, quæ excusat à peccato, & alia quę nó excusat. Quapropter sciendum, quòd ignorantia potest esse duplex: iuris scilicet & facti. Ignorantia facti est duplex, quia interdum adhibetur debita diligentia, & tunc ignorantia excusat à toto: vt patet de concubitu Iacob cum Lia. Interdum non adhibetur diligentia debita. & tunc non excusat, & sic occidit Lamech Cain putans illú esse bestiam. Ignorantia autem iuris est duplex: videlicet vincibilis & inuincibilis. Ignorantia quoque vincibilis duplex est: quædam est affectata quę non excusat, vt dum quis nó vult, aut spernitius scire, vt liberius peccet, quædá est non affectata, quæ vocatur crassa vel supina, quæ non excusat, licet in aliquo excuset. Ignorantia vero inuincibilis, cùm homo facit omne quod in se est, excusat à toto.

Gene.29 — Gene.4

Obserua etiam quod licet distinguantur peccata, nempe in peccata malitiæ, fragilitatis & ignorátiæ: tamen omne peccatum aliquo modo est peccatú ignorantię: quia omnis qui peccat caret sciétia actuali & practica, bonique aprobatiua. Si enim cognosceret peccati malitiam, & mala ęterna, quæ sibi parat, & bona cęlestia quę perdit: quomodo auderet peccare? Ideo Philosophus dixit, quòd omnis malus est ignorans. Et in Prouerbiis Salomon ait. Omnis via viri recta sibi videtur. Malum nanque secundum quod tale non appetitur: cùm bonum sit appetitus obiectum. Nullus enim respiciens ad malú operatur, appetit enim & agit malum vt bonum apparens. Verùm peccata quæ ex fragilitate aut ex ignorantia iuris vel facti fiút, cæteris paribus, minora sunt quàm ea quæ ex malitia fiunt: & ideo ait hic dominus quod ignorans vapulabit plagis paucis, nihilominus perpetuò dánabitur, si in mortali decesserit. Ex his etiam patet: quod non omnes æquali pęna puniuntur in inferno sed vnusquisque iuxta quantitatem demeritorum.

Prouerb.8

Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Hęc duo datum & commendatú referri possunt ad idem: & tamen distinctè ponuntur, quia datum refertur ad dona homini propter se ipsum collata: commendatum verò ad dona homini pręstita pro aliorum directione. Et certum est quòd plus requiritur ab eo, cui maior animarum cura commissa est, quia de cúctis & singulis redditurus est rationem.

Theophy. in c. 12. Luc.

¶ Discamus ex hoc loco nó gloriari de nobilitate, pulchritudine, scientia, aut qualibet alia gratia, cùm omnia data sint à Deo. Sed qui maiora acceperint, timeant arctissimum Dei iudicium super illos euenturú. Ideo Paulus. Quid habes quod nó accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi nó acceperis? Qui enim maiora accepimus à Deo, maiori tenemur obligatione ad ipsius obsequiú: quia magis arcta à nobis exigetur ratio.

1.Cor.4

¶ Præterea quia dicta domini pręcepta implenda sunt potiùs amore, quàm timore: addidit statim dominus. *Ignem veni mittere in terram.* Si quęras à Christo quid attulerit in múdú, respondebit: Amorem. Hic enim dicit, Ignem veni mittere in terrá. Et si iterum quæras, quę res attulit eum in mundú, respondebit, Amor. Sic enim Deus dilexit múdum, vt filium suum vnigenitum daret. Si ab eo quæras. Quid prędicauit, respondebit, Amorem. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Quid multa? Si ab eo interrogas, quid ipse sit, respondebit, Amor. Ita enim ait beatus Ioannes. Deus charitas est. Quemadmodum malum & scelestum hominem ipsam malitiam, & ipsum scelus appellamus. Ita Ioannes Deum ipsam charitatem & amorem vocat, tum quia charitas perfectissimè in ipso apparuit: tum etiam quia sicut Deus essentialiter non tátum bonus, iustus, verus, misericors: verùm etiam ipsa bonitas, iustitia, veritas, sapientia, & misericordia est: sic etiam essentialiter ipsa charitas est. De hac Apostolus dicit. Excellentiorem viam ego vobis demonstrabo. Postquá Paulus excelléntiá apostolorú, prophetarú & doctorú ostéderat, & dona & gratias, quas habebant, dixit, Et adhuc excellentioré viá ego vobis demóstro. Estne quid mai⁹ charitaté habere quá apostolum esse, prophetá aut doctoré? multo quidé maius. Ná poteris propheta esse, apostolus, aut euangelista, & nihilomi-

Ioan.3 — Ioan.15 — 1.Ioan.4 — Vide Gregor. Hom. 2. in Ezechielem. — 1.Corint.12

nus in infernum abire, & hoc fine charitate. Quid
1. Cor. 13 prodest apostolum esse sine charitate? Apostolus
Iudas erat, verùm quia sine charitate discessit, dã-
natus est. Si linguis hominum loquar & Angelo-
rum, charitatem autem non habuero: factus sum
velut æs sonans, aut cimbalum tinniens. Cimba-
lũ enim postquam sonuit & tinniit, vt anteà cim-
balum manet: sic apostolus aut prædicator homo,
vt anteà manet, etiã si prædicauerit: quia charita-
tem non habet. At charitas homines diuinos effi-
cit & transformat illos in deum, ita vt iam homi-
Act. 2 nes non sint sed dij. Hunc ignem venit Christus
mittere in terram: & ideò spiritũ sanctum misit in
linguis igneis, vt corda eorum igne sui amoris ac-
cenderet, & charitate inflammaret. Hanc charita-
tis lectioné sæpè Christus repetiuit, & iam ad pa-
tré iturus in vltima cœna super omnia cómenda-
uit discipulis. Et in hoc (dixit ipse) cognoscẽt ho
Ioan. 13 mines quod discipuli mei estis si dilectionem ha-
bueritis adinuicem, de hoc igne subdit dicens. *Et
quid volo, nisi vt accendatur?* Significat per hoc, vt ex
eo tempore ex quo inceperat accendi ignis spiri-
tualis amoris in discipulos, desiderabat vt exten-
deretur in vniuersum mundum: Vbi declarat non
solùm suum officium, sed fructum, quem expectat
mediante munere discipulorum. Ignis inter cæte-
ra elementa maioris virtutis est, & ociosus esse ne-
quit: sic amor Dei nescit esse ociosus, magna enim
operatur, vbi adest: si autem desinit operari, amor
Act. 2 non est. Hic ignis accensus est, & totum mundum
inflammauit in die Pentecostes, mittens spiritus
sanctus carbones illos accensos per mundum vni-
uersum. Sed antequam genus humanum prędicto
igne charitatis inflammaretur, prædicit se mortem
passurum. Sua enim sacratissima passione tantam
gratiam humano generi promeruit atque ex suæ
sanctissimæ passionis memoria pręcipuè accendi-
Beda in c. 12. Luc. cap. 55 tur iste ignis in cordibus fidelium, ideò subdidit.
*Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor
vsque dum perficiatur?* Mortem suam intelligit per
hanc ablutionem, in qua ablutus est proprio san-
Mar. 10 guine: iuxta illud quod filiis Zebedæi in alio loco
dixit. Potestis baptizari baptismo quo ego bapti-
zor? Dicit quod coarctatur ad hanc passioné: quia
secundum iudicium ad passionem hanc vehemé-
ter incendebatur ex amore, quem erga genus hu-
Luc. 22 manũ habebat. Hinc in nouissima cœna dixit. De-
siderio desideraui hoc pascha manducare vobis-
cum. Deinde ponit Saluator modum perueniendi
ad perfectionem diuini amoris dicens. *Putatis quia
pacem veni mittere in terrã?* Mirabile est quod dicit,
scilicet quod non quærat pacem, cùm videatur ip-
se ad nihil aliud venisse, nisi ad pacem compo-
nendam. Vnde protinùs, vt ipse natus est dixerunt
Luc 10. angeli. Et in terra pax hominibus bonæ volunta-
Colos. 3 tis. Ipse quoque dicitur venisse ad pacificandũ nos
Deo in sanguine suo. Apostolis etiam pacẽ mani-
festare iussit: ita vt cùm intrarent domos dicerent,
pax huic domui. Et post resurrectionem apostolos
salutauit dicẽs. Pax vobis. Quomodo ergo pacem
detestatur? Et pax spiritualis & bona quæ est quies
Ioannis 10 mentis in Deo, seu ordinata concordiæ: quam
Christus venit dare mũdo. Est auté alia pax impia
& carnalis cũ spiritus subiicitur sensualitati, & fa-
Psalm. 72 cit anima pacem cum vitiis. De hac ait Psalm. Zela
ui super iniquos, pacem peccatorum videns. Cú-
que Christus venerit destruere hanc pessimam
pacem impiorum, subdit,
Non dico vobis, sed separationem.
Effectus describitur duorũ præcedentiũ officiorũ
ad quę venerat, declarando quòd affectus suę paf-
sionis & ignis amoris non erat pax mũdana & car
nalis, sed separatio à carnalibus & mũdanis homi
nibus. Et aptè contra pacem posuit separationem:
quia pacis est cõiungere. *Erunt enim ex hoc quinque
in domo vna diuisi tres in duos, & duo in tres. Diuidentur
pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam,
& filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus
in socrum suam* Dixit quòd in domo erunt quinque
personæ, quę contra se diuidentur, & tamẽ sex enu Ambr. lib. 7. in Luc. cap. de spirituali intellectu.
merat, scilicet patrem & filium, matrem & filiam,
& socrum & nurũ. Sed intellige quòd illa quę ma-
ter est filij, socrus est vxoris eius, & sic eadem in fi-
liam suam & nurum suam dicitur diuisa. ¶ Obser-
ua auté quòd, vt in Matthęo clariùs dicit, nõ sepa- Matt. 10
ratur pater à filia: sed è contra dicit Christus, quod
venit separare hominem aduersus patrem suũ, &
filiã aduersus matré suã, & nurũ aduersus socrum
suã. Quare separabitur filius à patre, & filia à ma-
tre & nurus à socru: & nõ è cõtra? Quia faciliùs re
cipiunt Euangeliũ iuniores, quàm ij qui ętate sunt
prouecti. Iuuenes nãque minus se peccatis cõtami
narũt, & minus voluptatib⁹ atque diuitiis seipsos
tradiderunt, senes verò duri effecti, & velut callo
obducti minus aperiũt postes sui cordis, vt domi
nus ingrediatur in eos. Quare nõ immeritò Dauid Psalm. 148
dicit, Iuuenes & virgines, senes cũ iuniorib⁹ laudẽt
nomen domini. Vide quomodo bis iuuenes & se-
nes nomẽ domini laudent. ¶ Perpende etiã quãta
sit virtus & efficacia euangelij Christi. Non enim
esset mirabile si pater contra filium insurgeret, ma
ior videlicet cõtra minorem, sed quòd filius cõtra
patrem, & filia contra matrem, & nurus cõtra so-
crũ insurgat, ab eisque separentur: id quidem non
nisi summæ & diuinæ efficaciæ tribuẽdum est. Di
sce etiam ex hoc loco quòd filius neq; filia in nego
tio euangelico à parentibus non pendent. Potest
enim filius inuito patre & renuente seipsum mã-
cipare vt euangelicam perfectionem sequatur: ma
ximè vbi annum sextumdecimum vir pertigerit,
fœmina verò decimumquartum. *Dicebat autem ad
turbas. Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim
dicitis. Nimbus venit. Et ita fit. Et cùm austrum flantẽ,
dicitis. Quia æstus erit: & ita fit.* Ratio horũ est. De pri
mo, quia pluuia fit de materia vaporum humido-
rum, vel humefactorum & ingrossatorum: nubes
autem est corpus crassum ex vaporibus taliter hu-
midis & incrassatis. Ideò quando nubes sic surge-
bat, signum erat quod pluuia iã aduentabat: quia
id quod in nube crassum erat, citò in aquam resol-
uebatur. Et dicitur de nube oriente vel ascendẽte
ab occasu, idest, de mari: quia totũ mare Mediter
raneum est ad occidentalem partem terræ Iudæo
rum. Sic in Numerorum libro dicitur. Plaga auté Num. 34
occidentalis à mari magno incipiet: & ipso fine
claudetur. De mari autem eleuantur exalationes
humidæ quæ statim vt incrassantur, dissoluuntur
in pluuias. Ideò surgente ab occasu, vel ex parte
maris, quod idem est, erat signum pluuiæ statim
futurę in terra Iudæorum. Et sic dixit Helias, quan-
do pro pluuia orabat, occisis sacerdotib⁹ Baal. Re 3. Reg. 18
spice cõtra mare, & ascẽdit nubecula, & venit plu-
uia. Ideóq; in terra Iudęorũ ascensus nubis ab oc-
casu, siue de mari, quod idem est, signum erat plu-
uiæ.

uiæ. Ratio autem secundi, scilicet, quod videntes austrum flantem dicitis, quia æstus erit, euenit, quia auster est ventus calidus & siccus, & ita quando ille flat, omnia desiccat.

¶ Sed sciendum quod flatus ventorum aliquando humectat, & aliquando exsiccat, non secũdum conditionem venti: sed secundum conditionem & temperiem regionum super quas transit, vel de quibus colligitur materia eius. Videmus enim quod quidam ventus est in aliqua regione pluuiis abundans, in alia verò nũquam pluuiam generat: & ita est de austro. Nam auster ferè in tota Europa pluuias affert. Ideo Poëtæ Latini, qui describũt rerum naturas & conditiones iuxta proprietatem suæ regionis scilicet Europæ vocant austrum pluuiosum, & hæc est ipsius proprietas & natura. Sic Ouidius dixit, Pluuioque madescit ex austro, idest, ab Austro pluuioso. Et Virgilius Austrũ quem ipse Africum vocat, idest, de Africa venientem creberrimum procellis, idest, aquis venientibus cum impetu ventorum: & tamen in terra Iudæorũ est Auster valde desiccans, & signum ęstatis, vt hic dicitur. Ratio diuersitatis est, quia ad hoc vt Auster transeat in totam regionẽ Europæ, quam nos incolimus, necesse est quod transeat mare Mediterraneum, vnde trahitur multa materies, quæ conuertitur in ventum: & inde fit, vt propter humiditates conuertatur in pluuias. Et etiam quia ipse vẽtus propter rationem dictam est humidus: & aliquo modo calidus propter regionem meridianã, ex qua venit. Et sic nubes humectat, & dissoluit per calorẽ: & hoc est, quod requiritur ad distillationẽ pluuiarum. In regione autem Iudæorum, contrarium fit: quia ad hoc vt auster veniat in illam, transiturus est per solas regiones siccas & calidas, scilicet per deserta Africæ, & nõ transit per aliqua maria: & ita cum perflauerit regionem, desiccabit illam, & hoc est esse æstatem. *Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare, hoc autẽ tempus quomodo non probatis?* Scitis ex dispositione aëris quando fit tempestas aut calor: cur ergo ex oraculis prophetarum non vultis colligere neque probare, quomodo sit impletum tẽpus aduentus fœlicissimi Christi vobis in lege & in Prophetis promissi. Iã enim sceptrum erat ablatum à tribu Iuda, sicut prædixerat Iacob. Similiter numerus hebdomadarũ, de quibus Daniel prophetauit. Christus etiam multa miracula fecerat sicut Esaias prædixerat. Ecce (inquit) Deus vester veniet, & saluabit vos. Tũc aperiẽtur oculi cæcorum & aures surdorum, &c. O quot & quãtos nunc in mundo reperies his similes, qui terrenis & perituris penitùs impliciti, de conducẽtibus ad salutem animæ nihil curant, quęstionibus futilibus & vanis intenti, vitam consumũt, quę nihil ad rem conducunt, parum autem de eis quæ ad Deum spectant curãtes. Vnde Paulus, Quomodo cõuertimini ad infirma, & egena elementa: dies obseruatis, menses & tempora, & annos, timeo vobis, ne sine causa laborauerim in vobis. Quid tibi proderit cursum & motum cœlorum nosse, & planetarum influentias callere: si cognitione conditoris ipsius cœli careas? Quid prodest tibi omnẽ Bibliã memoria retinere, & omnes sciẽtias mathematicas didicisse, herbarũ vires cognoscere, nisi te ipsum cognoueris? Si igitur opera Dei cognoscis, & factorẽ ipsorũ cognoscas. Vos igitur hypocritæ qui rectè scitis à ventis currentibus causas naturales omniũ euentuũ cognoscere: æquum etiam est, vt de cognitione ipsius creatoris agatis: & sciẽtiam vestram ad salutem animarum appliceris. Vnde in Ecclesiastico habetur. Quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper: & in pluribus operib[us] eius ne fueris curiosus. *Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustũ est?* Dixerat increpando, quomodo signa temporis huius non probatis, qui signa & tẽpus pluuiæ & æstatis probatis: Aliud peius nunc subiungit. Cur ex interioribus vestris & reconditis non iudicatis quod iustum est? Longè siquidẽ deterius est & peius habere in semetipsis exemplaria, & errare, quàm errare circa iudicia, quæ pendent ab exterioribus signis. Habemus enim apud nos synderesim, & virtutum seminaria naturæ iura: ex quibus debemus colligere quid iustum sit: à quorũ cognitione nemo potest se excusare. Quocirca arguendo, quia etiam isti hypocritæ errabãt circa mores, inquit, Cur nõ ex vobis metipsis (hoc est ex his quæ intus habetis virtutum seminibus & principiis) quod iustũ est iudicatis? Ac si aperte diceret. Non est mirũ quod hypocrisis vestra semoueat vos in probatione temporis aduentus mei: cum ipsamet seducat vos à iusto & recto iudicio circa moralia, & ea, quæ ad ipsum proximũ expectant, quorũ tamen rationẽ habetis in vobis ipsis. *Cùm autem vadis cũ aduersario tuo ad principẽ in via, da operam liberari ab illo.* Loquitur hic Christus de lite, quæ est inter stimulum rationis, & malum affectum. In superioribus peritos hypocritas taxauerat, eo quod habẽtes signa clara & manifesta temporis Messiæ, non curarunt illa examinare: & etiã illos reprehenderat, quod cùm in se ipsis haberent rationes iustitiæ moralis, eas nõ sequerentur. Nũc autem his verbis significat litem inter rationẽ (tũ naturalem, tum euidentẽ signorũ aduentus Christi) ex altera parte, & malum affectum hypocritarum ex altera. Vnde salubertimum & optimũ consilium in hac parabola subiungit, docens quod in via, hoc est in vita, efficiat, vt ab ipso liberetur. Aduersarius synderesis est, quę continuo aduersatur mordendo & stimulando animũ iniquè agẽtis, vt istis contingebat. Dicit quod vadit cum eo, quia indiuiduus comes est ratio stimulans, & mordẽs cõscientiã. In hac vita, quę via est ad patriã cęlestem, poteris teipsum liberare à conscientiæ morsu, bona & recta operando, flẽdo etiã propter illa peccata, de quibus ab aduersario incusaris. Nam de dãnatis dixit Esaias. Vermis eorum non morietur in ęternum, & in perpetuum manebit: quia iam non erit posteà locus pœnitentiæ. Absolutè autem vocatur via non excludens aliquã partem viæ, in quo quidẽ innuitur in omni tempore locum esse cõuersioni, antequã quis coram iudice cõstituatur. Demus ergo operã, vt ab isto aduersario liberemur, commissa flendo, & pœnitentiam agendo & in melius mutãtes, quę ignorãtes peccauim[us]. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nũc autem in via sumus, & ignoramus quando ad finem & terminum simus peruenturi. In omnibus exhibeamus nos Dei ministros in multa patiẽtia, in ieiuniis, in aduersitatibus & tribulationibus, &c. Da ergo operam ab isto aduersario liberari. Et quare? *Ne fortè trahat te ad iudicem.* Iudex iste Christus est, cui pater omnẽ potestatem iudicandi dedit. Trahit autem

Ouid. 1. meta. Virg. 2. Aenei. Beda in c. 12. Luc. cap. 55 Genes. 49 Dan. 9 Esai. 35 Galat. 4 Eccle. 3 Amb. lib. 7. in Luc. de liberatione ab aduersario. Esaie 66 Ambr. vt supra.

autem, cum accusat peccatorem coram iudice Christo conscientia ipsius. Sic intelligendum est illud quod dominus dixit pharisæis. Nolite putare, quoniá ego accusaturus sum vos apud patrem: est qui accuset vos Moses. Non est sensus, quod Moses potiùs quàm aliquis alius debet accusare Iudæos, sed peccata quę ipsi commiserunt contra legem Mosi accusabunt eos. Ne fortè non ponitur dubitatiuè, quia in sacris literis fortè ponitur, vbi nulla est ratio dubitandi. Sic in Genesi dicitur. Ne forte moriamur. Et tamen nullum dubiú erat, nisi quod comedentes de ligno vetito erant morituri. Et per Matthęum etiam dominus dixit. Ne mittatis margaritas vestras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus suis. Et tamen nullú dubium erat, quin essent eas conculcaturi pedibus suis. Itaque forte non significat hic vllá dubitationé, quia certisimè tradetur iudici, qui se non liberauerit ab isto aduersario. *Et iudex tradat te exactori.* Sententia feretur à iudice Christo, & impius tradetur exactori, vt in eum animaduertat: quia peccator tradetur diabolo puniendus. Dicit namque dominus impiis. Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius. Et in Psalmo. Misit in eos iram indignationis suę immissiones per angelos malos. *Et exactor mittat te in carcerem.* Hoc est in infernú: de quo carcere per Esaiá dicitur, claudentur in carcere. Ne autem istú carcerem contemneret, putans aliquid leue esse, subdidit ipsius grauitatem dicens, *Dico tibi non exies inde donec etiam nouissimum minutum reddas.* Non intelligas quod aliquando exiet: quia, donec, particula in sacris literis temporis æternitaté significat. Vnde in Psal. habetur. Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: donec poná inimicos tuos, &c. Certum est tamen quòd Christus Redemptor noster in potioribus bonis Patris sedet vsq; in ęternú & in sęculú sęculi. In Genesi etiá dicitur. Coruus non est reuersus donec exsiccarentur aquæ, tamé nunquá reuersus est. Sic & Matthęus. Ioseph non cognouit eam: donec peperit filium suum primogenitum. Lege de hac re Diuum Hieronymú.

Genes. 3 · Matth. 7 · Matth. 25 · Psalm. 77 · Esai. 34 · Psalm. 109 · Genes. 8 · Matth. 1 · Hier. contra Heluidium.

¶ Secundò potest iste locus exponi propriè vt sonat: quia non exies donec soluas nouissimú minutum: tamen posteà exies. Sed nunquam exies, quia ad finem infiniti nunquam peruenitur, pœna autem inferni in duratione temporis infinita est, & ita nunquá peruenitur ad finem solutionis. Sic accipitur illud Psalm. Orietur in diebus eius iustitia, & abúdátia pacis, donec auferatur luna. Idest, donec desinat esse in cœlo: & tamen nunquam desinet esse in cœlo, ideo pax illa nunquam deficiet. Sic impij in infernum constituentur, donec soluát vsque ad vltimum quadrantem: qué quia nunquá soluét, certú est vsque in æternum ibi futuros esse.

Psalm. 71

¶ Ex his omnibus facile esset vobis (si vellemus) huius mundi breuem gloriam, vanitatem, & oblectamenta respuere & contemnere, quádoquidem hæc omnia nihil aliud pariunt nec generant nisi tristitiam & mœrorem sempiternum. Discamus hæc terrena fugere, & cœlestia amare. Discam⁹ ab hoc aduersario in hac vita liberari ieiuniis, orationibus, & rectis operibus, & institutis, vitam nostram cóponere. Breue enim est quod delectat, & æternum quod cruciat. Hoc quippe facientes non inimico exactori, sed sanctis angelis tradet nos Dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in sæcula sęculorum. Amen.

CAPVT XIII.

SI penitùs animaduertere volumus, quot quátisque rationibus, Deus Opt. Max. negotia salutis nostrę semper dirigere nitatur, nihil est profectò, quod magis nos, animosque nostros, eius amori sempiterno mácipare possit. Multis enim beneficiis inuitat ad regnum cœleste, creberrimis & suauissimis inspirationibus clamat, & multis sermonibus hortatur: vidensque multos in nequitia sua obstinatos, & Dei clementia abutentes, alia incedit via, vt illos etiam lucrifaciat, adducendo eis in memoriá iustitias, punitiones, tormenta, & flagella iniquorum: vt saltem formidine pœnę peccare desinant, & timore trahat quos benignitate ducere non potuit. In hoc capite comminatur peccatoribus pœnam æternam, & exempla iustitiæ, & punitiones aliquorum profert in medium: ne nos si pęnitentiam non egerimus, similiter pereamus. Ait ergo Euangelista. *Aderant autem quidam ipso in tempore nunciantes illi de Galilæis quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.* Locus hic communiter interpretari solet, de Iuda quodam Galilæo, de quo in Actis fit mentio, qui docebat suos non offerre sacrificia pro Imperatore Romano, sed tantú Deo offerenda esse aiebat, qui eduxerat patres eorum de Ægypto. Quod ægrè ferens Pilatus iussit illos Galilæos occidi super sacrificia, quæ ab eis prohibebantur fieri pro Romanorum gente, & ita commisceri sanguinem eorum cum sanguine sacrificiorum. His gestis (sicut mos hominum est, aliena crimina acutius videre, narrare aliis, aliorum delicta ad cęlos vsque extollere, sua autem quamuis grauia non aspicere, aut cognoscere) quidam qui ad huiusmodi spectaculum adfuerant, hæc Christo narrauerunt: illorum mortem dignam factis credétes, se autem ipsos iustos existimantes, atque ideo vita dignos. Obserua quod multi etiam nunc hoc idem faciunt, miscétes sanguinem cum sacrificio, quando id quod secundum spiritum diligi debet, secundum carnem diligitur: sub prętextu enim dilectionis spiritualis, quę est quasi sacrificium Deo, latet sanguis carnalis affectionis, & de pallio religionis operitur sentina vitiorum, & de Christo fit ostium lupanaris, cum propter Deum dilectio simulatur. Ideò Paulus. Sic stulti estis vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini? Igitur cum quidam núciarent Iesu quomodo Pilatus miscuisset sanguinem eorum cum sacrificiis, eos confutat Christus ostendens manifestè ipsos non minoribus esse criminibus inquinatos, quàm illos: hortaturque ad pœnitentiam *Et respondens dixit illis. Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? non dico vobis: sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Ex quo patet, quod illi Galilæi iustè à Pilato puniti sunt, quia Deus suis demeritis existentibus in causa, subiecerat illos potestati Romanorú, & vt inquit Paulus, non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit Dei ordinationi resistit, atque ideo Christus nó dicit illos peccatores nó fuisse, sed quòd nuncij ipsi etiá peccatores fuerút: ná ex eo quod quis nó sit seditiosus, non sequitur, quod non sit peccator. Sic multi si in aliis vident aliquod flagitium dicunt, ego nunquam

Vide glos. & op. ... in hoc loco. · Act. 5 · Galat. 3 · Roman. 13

quam

quàm id facerem, cùm ipsi aliis multò peioribus criminibus detêti sint. Iudicant aliena peccata, etsi minima sint, esse maxima & grauissima, sua autem leuia existimant. Plurimi sunt, qui alienā vitā acutissimè intuentur, seipsos autem non vident: quibus dominus dicit. Hypocrita festucam, quæ est in oculo fratris tui vides, trabem autem quæ est in oculo tuo non consideras? Tecum habita vt noris quàm sit tibi curta supellex. Putas quod quanuis alij pœna aliqua puniantur, quòd tu innocens es, quia similia non pateris? non certè. Aduerte autē quòd post hanc vitam, verum est, qui maiora peccata habuerint maiore pœna puniendos esse, quia pro mensura peccati erit & plagarum modus. Et in Apocalypsi habetur. Quantum glorificauit se in delitiis suis, tātum date illi tormentum & luctum. Sed in hac vita non semper sic accidit, vt patet in his Galilæis, qui quidem non præ omnibus peccatores fuerūt, quia talia passi sunt. Nam multi maiores peccatores viuunt, gaudent & incolumes lætātur, exultant in rebus pessimis, & omnia eis prospera succedunt, sicut enarrat Dauid in Psalmo de peccatoribus loquens. Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua, filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo tēpli, promptuaria eorū plena, &c. Imò sępè dominus aliqua peccata hic in suis electis purgat & castigat calamitatibus, & mortibus: permittēs, vt ex sententia peccatoribus omnia eueniant. Vnde Iob, de peccatoribus ait. Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad infernum descēdunt. Multi hoc de pœna damnatorum intelligūt, cùm loquitur Iob, quòd in infernum peccatores descendunt: sed si literæ contextū cōsideraueris, quid pręcedat & quid sequatur expendes, quod de sepulchro loquatur, & quod diuites huius sęculi sine infirmitate & doloribus descēdūt in sepulchrū. Enumerat enim vir sanctus qualiter cuncta in hac vita malis succedant. Cur, inquit, impij viuunt: senuerunt, & roborati sunt substantia, semen eorū stabile fuit corā eis, & quæ sequuntur: quos non solùm dū hîc agunt fęlices prędicat, sed etiam in exitu vitæ fortunatissimos affirmat, quippe qui non vt boni longa ęgritudine discruciantur & tabescunt, sed cùm dies suos in delicijs absumpserint, in momento ad sepulchrum descendunt. Arbitrabantur enim antiqui ad fęlicitatem huius vitę pertinere, non lōgo morbo hic teneri, sed statim mori, quemadmodum apud Hieremiam offendes: qui dicit maiorem fuisse pœnam iniquitatis sanctæ ciuitatis, subuersione Sodomorum: quoniā illi in momento subuersi sunt cū vrbe sua, ciuitas verò sancta multis diebus & ferreis machinamentis. Quod etiam Psalmista approbare videtur, cùm de reprobis dicit, non esse ligamenta in morte eorum, hoc est, quia non longa infirmitate detinentur, sana est fortitudo eorum, scilicet, dum obeunt. Ac si dicat, Non ligātur longa infirmitate: sed viribus potentes & quasi sani moriuntur. D. quoque Hieronym', & Chrysostomus aiūt quod Massagetę & Derbitę miserrimos putant, qui ęgrotatione moriuntur: vnde & parentes & cognatos: & propinquos, cùm ad senectam peruenie bant iugulabant. itaque isti nimis errabant putantes quod illi Galilæi, quia peccatores erant, talia passi sunt: nam licet peccatores fuerint, nō tamen credere debuerāt, quòd ipsi erant innocentes, quia non puniebantur tali morte.

Matt. 7. Luc. 6. — Deuter. 25. — Apoc. 18. — Prouerb. 2. — Psalm. 143. — Iob 21. — Threm. 4. — Hier. li. 2. con. Iouī. Chry. ser. de Pœn. to. 1.

¶ Docemur hic non contemnere eos, quos hic pœna purificat à culpa: sed magis timendū nobis est, qui maiora scelera quotidie perpetrantes, socordes viuimus quasi iusti, ac si Deus aliquando non sit puniturus peccata nostra. Nunquid quia Deus est bonus, tu eris malus? aut quia tecum agat benigniùs, clementer conuersionem tuam expectans: ideo tu arrogantia, superbiáque flagres, te solùm bonum alios improbos existimans, quos in hoc sæculo puniri vides? Expende etiam quantum placeat Deo vindicta malorum. Christus nanque non damnat sed approbat hanc punitionem. In Numeris quoque legimus, quòd Isr- el promisit delere vrbes Cananęorum, si Deus dedisset illas in manus eius, exaudiuitque dominus preces Israel, & tradidit Cananęum, quem ille interfecit, subuersis vrbibus eius. Multi enim sunt qui falsa ducti pietate timent in impios sæuire, putātes pietatis esse neminem castigare.

¶ Aduerte etiam & vide quàm prudenter respondit Christus, vtpote qui nec Pilati factū damnauit, nec contra vulgi affectionem, qui libertatē optabat, loquutus est. Sic & accusantibus mulierē illam adulteram respondisse videmus, non modo hæc mulier peccato obnoxia est (inquit) sed omnes vos iudicio peccatores estis, quantumuis innocentes appareatis. *Ita etiam dico vobis, nisi pœnitentiā habueritis, omnes simul peribitis.* Afflictio illorum dabit vobis intellectum, pęna illorū non solùm prodest afflictis, sed etiam aliis, qui aliorum afflictione perterriti se à vitiis abstrahunt. Vt enim ignis radius confectus ex terrę exhalationibus in aëre, inter vapores eleuatis, in vnam partem cadit, & ibi solum ferit, & vrit, sed omnes illius regionis incolas perterret: sic vnius hominis calamitas eum solùm affligit, sed multis aliis terrorem incutit, eósque exuscitat, vt à vitiis auocentur. Vide quomodo illis aliorum pœnam ante oculos proponēs minatur. Quoniam repræsentatio pęnarum & suppliciorum impendentiū, ratio est frequentissima, qua Deus peccatores sæpenumerò ad se trahit. Quanuis enim bona bonis promissa, multum alliciant omnes, tamen maiori ex parte, rebus aduersis magis quàm prosperis mouemur: quoniam vt vsu cōperimus, maiori dolore, iniuria, quàm honor, nos afficit voluptate, magisque morbus fatigat, quàm delectat sanitas: atque prosperæ valetudinis suauitatem, ex incommodo aduersæ cognoscere solemus, vt ex re eo notiori, quo magis sensibili. Ita in præsenti Christus peccatores attrahit, pęnæ repræsentatione. Priscis autem temporibus sæpiùs hoc remedio Deus vsus est, vt patet manifestè ex Prophetarum scriptis, quæ omnia timorum, & minarum plena sunt: quibus dominus nitebatur terrere, & cohibere hominum animos, eosque legi subiicere. Iuxta hoc imperauit dominus prophetæ Hieremię, vt librum non scriptū caperet, in eoque omnes minas & calamitates sibi reuelatas conscriberet, & coram populo recitaret: si fortè ea res homines ad pœnitentiam mouere, vitamque eorum corrigere posset, vt ipse etiam sententiam mutaret, qua in eos iracundiam suam ostendere statuerat. Et sic ait scriptura, quod stupebant audientes. Eisdem minis, quibus vtebatur in scripturæ lege Deus, vtitur & in lege gratiæ. Nouit enim hæc, quàm sit pręsens medicina, vt peccatores ad maiorem vitæ frugem, facilius traducan

Num. 1. — Ioan. 8. — vexatio vnius dat intellectū alteri. — Chrysost. Con. 3. de Lazaro. — Hiere. 36

dicatur, sic Ioannes incepit prędicationem suā dicens, *Matth. 3* Iam securis ad radicem arboris posita est, tantam autem valuit terror hic, vt publicani, milites, & peccatores D. Ioannem quid esset pro salute cōsequēda faciendū, interrogare non dubitarint. Expende etiam, quod hæc sententia comminatoria *Ionæ 3* est, sicut illud Ionæ; Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur, idest, si nō egeritis pęnitentiam. *Esaie 14* Et illud Esaiæ de Nabuchodonosor. Detracta est *4. Reg. 20* ad inferos superbia tua, idest, si non egeris pęnitētiam. Et illud etiam quod Ezechiæ dixit. Dispone domui tuæ, quia cras morieris. Et alia plurima scripturę loca, sic interpretanda sunt. Igitur Christus, hos peccatores, & omnes admonet, & pęnitētiam suadet, si perire nolumus: hęc enim est secunda tabula post naufragium. Mundus nanque post Adæ peccatum mari assimulatur, quod omnes intrātes nauem baptismi ascendunt, quæ ob id integra dicitur, quia per ipsum omnia peccata quo ad culpam & pœnam simpliciter condonantur: atque adeò homines per ipsum in summa innocentia nauigant. Qua vtique naui per peccatum mortale, (quod naufragium est) effracta: quia baptismus ex eo, quod characterem imprimit reiterari non potest, restat pœnitentia. Quare pœnitentia non dicitur secunda tabula, respectu primæ tabulæ, sed respectu salutæ nauis: nec debet comparari scaphæ, vt nonnullis placet, quæ ex naui iactatur in vndas, ex naufragio, sed simplici solutæ tabulæ, ex qua nauis erat compacta.

¶ Verùm non silentio prętereūdum puto, quid est cur Deus à peccatoribus pęnitentiam, dolorē, & afflictionem exigat: an non erat satis amorem in Deum & in proximum exigere? Cur Deus contristari vult peccatorem, eius peccatum (si non cōtristetur) non remissurus? Torsit hęc quæstio Lutheranos, adeò, vt dicerent, nō à nobis Deū tristitiam pro commisso crimine requirere, sed solam vitæ nouitatem. Sed stat sententia, nisi pęnitentiam habueritis, &c. Cur ita? Sanè quia tam malum & tam pestilens est peccatum, vt fas non sit, quin tu de te vindictam sumas, doleasque, quod illa pestis animum tuum inuaserit. Est tam grāde vulnus, quod tibi peccatum inflixit, vt nefas sit te non exardescere, & non irasci, doloremque velut gladium arripere, quo peccatum interimas. Secundò: licet Deus misericors sit: ita tamen misericors est vt iu*Eccle. 5. & 16* stus sit, scriptura nanque de ipso ait. Misericordia enim & ira sunt cum ipso. Nunquam igitur voluit Deus ita suæ misericordiæ indulgere, quin suæ iustitiæ rigorem seruarit illæsum. Id tibi persuasum sit: nam ex misericordia pater misertus est generis humani, sed non sine summo rigorę iustitiæ in filij sui passione monstratæ. Ita Deus vult peccatoris misereri, vt rigorem suæ vindictę non prętereat: non præterit tamen cùm ipse peccator sui peccati vindex est.

¶ Tertiò hic est naturæ ordo, & hæc lex, vt nūquam offensum tibi cōcilies, nisi de offensa se dolere asserat: & quia Deus corda videt, ex eadē naturæ lege non tibi patitur conciliari, nisi verè doleas quod Deum offenderis.

¶ Quartò, petit dominus, vt peccator pœniteat: quia cùm sola voluntate Deus offendatur, sola voluntate placatur. Nihil est enim quod Deum offendere possit, si ex volūtate nō procedit: quoniā id quod voluntariū non est, peccatum censeri non potest. Hoc Christus, De corde exeūt quæ coinqui- *Matth. 15* nāt hominem, furta, blasphemiæ, &c. Ac proinde quę ex corde non exeunt nō possunt coinquinare hominē, nec Deū offendere. Vnde Cùm Deus corde offendatur, corde placari vult: Ideò contritionē quærit, vt eodem loco punitio & iustitia exerceatur, vbi crimen perpetratū est. Ideò peccator, qui Deum iratum placare vult, oportet, vt quia cordi suo placuit, posteà eidem displiceat: & sicut priùs lætatū est cor eius, & exultauit in rebus pessimis: ita postmodum faciat planctū amarum, & sic fiet, *Prouerb. 2* vt quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tātum *Hierem. 6* tormentum subeat. Per hanc salutarem pœniten- *Apoca. 18* tiam, primus homo Adam, cōsequutus est miseri- *2. Reg. 12* cordiam: per hāc Dauid, Manasses, Nabuchodono- *Dan. 4* sor, Petrus, Paulus, Mattheus, Magdalena, latro in *Luc. 7* cruce, & plurimi quorum non est numerus saluati *Luc. 23* sunt: quanuis anteà peccatores fuerint. Vide etiam & diligenter considera Dei bonitatem & clementiam: non enim vult Deus mortem peccatoris, sed emendam. Virga Mosi versa est in colubrum, non *Exod. 7* autem in leonem, vel vrsum, nam si leo aut vrsus esset, statim occideret Pharaonem, sed serpens terrę odiosum est animal, voluit eos terrere & non occidere, vt corrigerentur.

¶ Admonet locus iste, non contemnere domini *Esaie 28* comminationes, quoniam verissimæ sunt: neque tota die arabit arans, sed etiam seminabit: neque semper minabitur Deus, sed sequetur pœna comminationes eius. Admonet etiam, vt à peccatis caueant peccatores: quod quàm primum peccauerint, peccati pœna eos è vestigio sequetur, & licet quandoque non statim inueniat, eos tamen tandē *Num. 32* tenebit. Hinc dominus populo suo. Scitote quoniam peccatum vestrum inueniet vos. Tertiò, admonet, vt malè viuentes caueamus: extremę enim dementię est, malè agere, & impunitatem sibi polliceri. Qui malè agūt summè cogitare debēt, quod impuniti non erunt. Admonet etiam & quartò, vt ex aliorum malis nostra caueamus incommoda. *Num. 22* Vnde in libro Numerorū habetur, quod Balac audiuit omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo, & timuit valdè. Quis daret vt impij mala, quæ Deus aliis impiis inflixit attentè considerarēt: ac vera remedia sibi quærerent, relinquendo mala sua? Audi quid dominus dicat. Et vidi, ait dominus, quod viderit, quod secundum omnes causas quibus for- *Hiere. 7* nicata est rebellis Israel, dimisi eā, & dedi illi libellum repudij: & non timuit præuaricatrix Iuda soror eius, sed abiit & fornicata est etiam ipsa. Volebat dominus Iudam, in repudiū Israel, timere suū repudium: & emendare mala sua, quod quia non fecit, periit etiam ipsa, nam hac de causa dominus super peccatores pœnas publicè immittit, & eorū exemplo monet ad pęnitentiā non vt destruat sed vt saluet. Quando iudex vult nocentem aliquem comprehendere & in carcerem conicere non illū terret minis, sed occulte quærit: quando autem illi publicè carcerem minatur, non vult illum punire, imò tacitè illū minis illis iustitiæ hortatur, vt caueat, & à maleficio desistat. Ita Deus minatur hìc suppliciū & interitū, nō vt eos perdat, sed vt ad pęnitentiā vocet: nō enim vult Deus mortē peccato- *Ezech. 18* ris, sed vt conuertatur, & viuat. ¶ Denique vt concludā in ipsis Christi verbis, duo cōsideranda sunt & cōmēdāda. Primū, q. nō dixit, nisi pęnitētiā egeritis, sed nisi pęnitētiā habueritis. Aliqui enim habent

bent pœnitentiam, quia voluntariè & ex amore faciunt opera pœnitentiæ, aliqui autem non habent pœnitẽtiã, sed habentur à pœnitentia, vt illi qui ex coactione aut ex timore, vel pudore pœnitent, sicut illi peccatores, de quibus in Sapiente dicitur. *Sap.5* Pœnitentiam agentes & præ angustia spiritus gementes. Secundò, non dixit, nisi pœnitentiam egeritis per tres vel quatuor dies, vel per annum, sed absolutè nisi pœnitentiam egeritis, ac si diceret. Tota vita vestra pœnitentia sit. An non miserum est Deum offendisse, vt opus sit pœnitentiam agere? Hæc enim vita locus est pœnitentiæ.

Proximorum casibus compatiẽdũ, non lætandũ.

¶ Ad nostram autem eruditionem discamus ex hac litera, nõ lætari in malis proximorum, sed cõpati, & nostra peccata pœnitentia & lachrymis abluere, nè nobis aliquid mali eueniat. Casum Galilæorum Christo narrabant isti, quasi lætantes & se ipsos iustos existimantes. Ammonitæ cùm deberẽt dolore affici, ob Israëlitarum ærumnas, eo quòd descenderent ab Ammone filio Loth, consanguineo Abrahã, similiter Idumæa, quia erant ab Edõ, qui est Esau, frater Iacob: non solùm non opitulabantur eis, sed efferebantur lætitia in eorum damno: quapropter Ezechiel & Abdias prophetauerunt contra eos, & voluit eos vt in Israëlitarũ calamitatibus versarẽtur. Nõ enim debemus in aliorum aduersitatibus lætari. Vnde Iob. *Iob 31* Si gauisus sũ ad ruinã eius, qui me oderat, & exultaui quod venisset in eo malũ. Vbi particula, si, ponitur pro non: vt in Psalmo. *Psalm. 94* Quibus iuraui in ira mea, si introibũt in requiem meã. Hoc est, iuraui impios Iudæos, nõ esse terrã promissionis ingressuros. Cùm Saul grauiter insequeretur Dauidẽ, nõ solùm David in eius *2.Reg.1* morte non est lætatus, sed lachrymas effudit. Vnde in Prouerbiis habetur. *Prouerb.17* Qui in ruina alterius lætatur, non erit impunitus. Et rursum. Cùm ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius, ne exultet cor tuum. Et Ecclesiasticus. *Eccl.27* Laqueo peribũt qui oblectantur casu iustorum: dolor autem cõsumet eos ante quàm moriantur. Et Paulus. *Rom.12* Gaudete cum gaudẽtibus, & flete cũ flẽtibus. Isti qui Christũ nũciabant de Galilæis, gaudebant in interitu eorum, & putabant seipsos multò iustiores: ideò admonentur à Christo Saluatore nostro, vt & ipsi pœnitentiam agant: nè simul & ipsi pereant, sicut & illi perierunt. Sed procedamus.

Sicut illi decem & octo super quos cecidit turris in Siloe & occidit eos. Putatis quod ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Hierusalem? non dico vobis, sed si non pœnitentiã habueritis, omnes simul peribitis. Siloe fons est in Hierusalẽ, vt ex Esaia & Ioanne satis liquet. *Esaie 8* *Ioan. 9* Iuxta hunc fontẽ quidã ex Hierosolymitanis turrim ædificauerũt, quæ vt finita fuit, cadens, occidit decẽ & octo ex illis. Non putetis (ait Christus) quòd illi soli fuerũt digni illa morte, sed multi alij, & vos ipsi peiorẽ mortẽ meremini. Obserua quòd multoties Deus peccata multorũ hic vlciscitur, *Chrysostom. cõ.3 de Laz.* vt suam iustitiã prouidẽtiáq; ostẽdat, atque vt cæteri terreantur, & vitam emendent, vel vt per vltionem vitæ præsentis, à grauioribus futuris eruantur suppliciis. Sic Dauidẽ puniuit gladio, & *2.Reg.24* peste: & quia tulerat vxorem Vriæ Ethæi abscondi- *2.Reg.12* tè, palam ingressus est Absalon ad concubinas pa- *2.Reg.16* tris sui. Vel etiam ne peccatores diutiùs hîc viuendo grauiùs peccent, vt duriora sibi parent tormenta. Quoniam vidit Deus improbos non modo pœnitentiam non agẽtes, iacturámque temporis maximam facientes, sed etiam indies magis datorem Deum offendentes optimo iure ipsis vitam eripit. Temporibus Noë centum & viginti annos *Genes.8* concessit Deus peccatoribus, vt facerent pœnitentiam, Sed quia noluerunt pœnitere, abstulit viginti annos, & misit aquas diluuij anno centesimo. Ideò Psalmista. Posuisti iniquitates nostras in cõspectu *Psalm.89* tuo, & in ira tua defecimus, anni nostri sicut aranea meditabũtur. Aliquando etiam quorũdam peccata quantum grauiora nõ iudicat in præsenti, suam in eis ostendens longanimitatem, patiẽtiam, & pietatem, vt diu tolerati aliquando ad cor reuertantur, quod si facere neglexerint, posteà iustiùs condemnẽtur, grauiúsque æternaliter puniãtur. In quibus omnibus sicut in cæteris multis, apparet, quã incõprehẽsibilia sint iudicia Dei, & inuestigabiles *Rom.11* viæ eius. Scrutator enim maiestatis opprimetur ab *Prouer.25* ea. Occultis enim causis aliquos peccatores repẽtina morte castigat, & alios sinit diu viuere. Vnde docemur quod ea quæ casu euenire videntur, & illa etiam quæ per humanam fiunt iustitiam, in punitionem peccatorum, quod nutu & moderamine prouidentię diuinæ agũtur. Docemur etiam humiliari ex malis aliorum, & pœnam quam patiuntur illam nos etiã nostris malis mereri credamus. Multi enim sunt qui neque à Deo, sicut illi super quos cecidit turris in Siloe, neque ab hominib' sicut illi Galilęi, quos occidit Pilatus, puniũtur in hoc mũdo, tamen pœnam maiorem merentur, & maiora in inferno patientur quàm illi, nisi pœnitẽtiã egerint. Docemur etiam vt semper bene viuamus, nã mors occupat cũ minus eam cauemus. Illi decem & octo super quos cecidit turris, incauti erant, sed subitò cecidit turris, & inopinatò interfecit eos. Sic & tu forsitan morieris sicut illi, & qua hora nõ *Matt.24* putas, ideo semper habere debes animũ præparatum. Vide etiam hominis miseriam & conditionẽ humanã, quæ tot generibus mortis & miseriis subiacet. Et tot discriminibus est obnoxia. Heli sella *1.Reg.4* sua sedẽs ociosus, cum se tutiorem putabat, cecidit *2.Reg.13* & interiit. Sic Amõ filius Dauidis multiq. alij. Hoc quod appe[l]lamus viuere, nihil aliud est quàm mori, tanta est vitæ nostræ cum morte familiaritas, vt sustineri nisi cum morte nullo modo possit. Nam vt viuat homo moriendum est arieti, gallinæ, cæterisque animalibus terrestribus, volatilibus & aquatilibus. Itaq; alia moriũtur, vt ille viuat: vita igitur nostra sine multorũ morte, stare nõ potest. O homo de tot mortibus quasi cõficte, quid mortẽ miraris, cũ morte viuas, morte sustẽteris? Nihil enim aliud homo est quàm phantasma temporis, speculator vitæ, lucis desertio, vitæ consumptio, viator transiens, loci hospes, & mancipium mortis.

¶ Docemur etiam Dei iudicia timere. Hæc supplicia vult De' vt perpetuò in memoria habeamus *Num.16* in nostram vtilitatem & emendam. Hac de causa præcepit dominus Mosi, vt Eleazar filius Aarõ tolleret thuribula Core & ducentorũ quinquaginta virorum quos ignis consumpserat, vt produceret in laminas, & figeret altari, vt cernerent ea pro signo & monumento filij Israel, quibus commonerentur, nè quis alienigena accederet ad offerendũ incensum domino, ne pateretur sicut passus est Core, & omnis congregatio eius. Vide quomodo Deus vult in memoria habere punitiones peccatorum nè ipsi similiter pereamus cum illis, si similia fecerimus. Non meminerunt multi suppliciorum

Dei,& quanta pro peccatis suis pœna digni sint,vt corrigantur, & habent in memoria iniurias, quibus lacessiti sunt,vt vindictam sumant,& crimina quæ aliquando perpetrarunt, vt recordatione eorum voluptate perfundantur,nec recordantur vltionum & iudiciorũ Dei, vt ad sese redeãt,vitamque longè à virtutis via aberrantem corrigant.Sed de his aliàs. ¶ Sequitur in contextu.

Vide Ambr. lib.7. in Luc. cap. de parabola fici 10.5 *Dicebat autem & hanc similitudinem. Arborem fici habebat quis plantatam in vinea sua.* Poterant dicere Iudæi, Si ergo nos maiores peccatores sumus quàm illi Galilæi,& Hierosoymitæ,quare ergo nos non punimur sicut illi? Signum est quòd non sumus peccatores sicut illi, vt tu asseris. Ad hanc tacitam obiectionem respondit Christus in hac parabola: in qua ostendit,hoc non prouenire ex innocentia illorum, sed ex Dei misericordia qui diu expectat
Deuter.7 peccatores ad pœnitentiam. Hæc igitur arbor fici significat synagogam,Sic in Deuteronomio loquitur Moses synagogæ. Te elegit dominus vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis,qui sunt super terrã. Vide autem quàm aptè synagogã comparauit ficui, quia sicut hæc arbor foliis redundãs fluentibus & viridibus,vmbrosa videtur,vmbram autem non faciens dominum suum fallit,sic synagoga dùm doctores eius operibus infæcundi,verbis autem velut foliis redundantibus gloriantur, inani vmbra legis exuberat,spes autẽ falsi prouentus expectata populi vota credentis illudit. Aliæ etiam arbores flores ferunt,antequam fructus,hęc sola ab initio germinat poma pro floribus.In aliis flos discutitur,& poma nascũtur,in hac poma decidunt vt poma succedant, sic in initio synagoga protulit patres, scilicet, Mosen,Aaron,Iosue, Samuel, &c. Quibus mortuis non inuenit nisi folia Christus,successerunt alij vberiores fructus, scilicet,apostoli, & discipuli. Hæc ergo ficus plantata
Esa.5 fuit in Israëlitico populo,qui vinea domini exercituum est, iuxta illud Esaiæ. Vinea domini exerci-
Psalm.79 tuum domus Israel est. Et in Psalmo, etiam habetur, loquens de populo Israel. Vineam de Ægypto transtulisti, *Venit quærens fructum in ea.* Quia
Baruch 3 Dei filius à solio excelso descẽdit,vt visitaret dilectam synagogam,& videret fructus ex ea, Baruch enim ait.Post hæc in terris visus est & cum hominibus conuersatus est. *Et non inuenit.* Folia amabat verborum,& externam sanctimoniam, & cultum habebat,carens fructu virtutum & bonorum operum. Aliqui boni fuerunt, quando dominus venit quærere fructum,vt Zacharias,Simeon,Anna,Ioseph, & alij, sed paucissimi comparatione malorum.Væ etiam tibi quoties dominus visitat animã tuam, quærens fructum,& expectat patientissimè fructus fidei,charitatis,& virtutum,quas Deus tibi dono dedit & deluditur? Tot anni sunt,ex quo vitam corrigere proposuisti,Deoque inseruire,sed nunquam producis nisi folia. Animaduerte vitam tibi à Deo fuisse cõcessam,vt in ea mereretis & cõsequereris fructum gloriæ.Hoc vnum est huius miseræ vitæ summum bonum,quod & malus,bonus: & bonus,melior fieri possunt.Hi autẽ fructus nullo sũnt pretio æstimabiles,nec in alia,præter hanc, regione proueniũt,& hîc à domino nostro ad eos colligendos detinemur.Quare præstaret,vel natos omnino nõ fuisse,vel à natiuitate statim interiisse, quàm datoris Dei,intentioni non respondere, qui nobis vitam & salutem dedit. Vt possimus fructũ ferre Deo,oportet ambabus manibus operam na- Nehem.4
uare,sicut illi,de quibus habetur, quod altera manu ædificabant,& altera gladium tenebãt. Quemadmodum ficus putatione,irrigatione, laboreque indiget vt crescat,& fructum ferat,eodem etiã modo nos,amputare & frænare peruersas animi propensiones,& libidines,nam ad hoc nati sumus,& huic palæstræ insudare debemus, vt cùm venerit dominus ad nos,inueniat in nobis bonorum operum fructum,ne fortè de nobis fiat,quod factũ est de Iudæis,vt iussu eius excisi in ignem sempiternũ detrudamur. ¶ Sequitur. *Dixit autẽ ad cultorẽ vineæ.*
Tractanda sunt cum amicis consilia, neque faciet Amos 3
dominus verbum nisi priùs reuelauerit seruis suis prophetis. Incerta(inquit Dauid)& occulta sapien- Psal.50
tiæ tuæ manifestasti mihi.Et si in omnibus quæ facturi sumus consiliũ capere debemus, maximè tamen cum vindicta exercenda est,ne in ea excedamus.Solet enim ira ita hominem excæcare,vt raro non excedat in verbis aut factis. Sic Deus volens destruere Sodomam & Gomorram priùs cum Abraham arcanum habuit,& dixit,Nunquid celare potero Abraham quæ gesturus sum?Si ergo Deus
quia vindictam excedere nequit, cõsulit amicum, Genes.19
quis tu,qui illum consulere dedigneris?Porrò cul- Grego. Hom. 35. in euang.
tor istius vineæ,cætus apostolorum & discipulorũ Christi significat,quorũ precibus & monitis,assidua plebi Dei cura suggeritur,& non inaniter sub nomine vnius cultoris,tot apostoli & discipuli pronuntur,quia vt in actis noster Lucas ait,multitudo Act.4
credentiũ erat cor vnũ & anima vna. Occultè autem nos docet litera hæc misericordiam Domini. Vt quid enim dixit cultori vineæ quod volebat ficum destruere,nisi vt cultor pro ficu intercederet? Ad quid reuelare etiam voluit Abrahæ Sodomorũ
vindictã,nisi vt pro eis oraret vir sanctus, & quo- Aug. de verbis Domini, ser.31
ad posset prohiberet?Sic Mosi reuelauit peccatum
populi, vt ipse apud Deum pro eo intercederet. Genes.19
Nos autem sine consilio & consideratione præci- Exod.32
pites sumus ad vindictam sumendam, sed ad bonum quid agendum,aut eleemosynam erogandã, vel quid simile,pluribus consiliis vtimur.Sed audiamus quid dixerit cultori vineæ. *Ecce tres anni sunt,quòd venio quærens fructũ in ficulnea hac,& nõ inuenio.* Satis emendationem plebis huius expectaui, quia ante captiuitatem Babylonicam & post reditum Iudæorum de Babylone,& nũc tertiò in meo aduentu,quæsiui opera virtutum in plebe hac.Dicitur autem Christus quærere,& non inuenire,nõ quod sterilitatem malorum ignoret,sed vt suam in nos diligentiam prouidentiámq; demonstret,& vt humanã declaret ignauiam,seque pro nostra salute probet solicitum,& examinatorem totius vitæ no
stræ,iuxta illud Psalmi,Dominus de cœlo prospe- Psal.13
xit super filios hominum,vt videat si est intelligẽs aut requirens Deũ.Dices & tu. O durities Iudæorum,populus rebellis, & ingratus,quẽ tot beneficiis Deus allexerat,qui tãta bona à Deo acceperat. Fuerũt illi omnibus hominibus mũdi peiores,quãdo nõ cõuersi sunt,Deóq; genibus flexis non inseruierũt.Sed & tu quare illi nõ seruis die noctúque, qui maiora dona accepisti,quàm isti Iudæi?Illos e-
duxit Dominus per aquas maris rubri,te aqua ba- Exod.4
ptismi abluit:illos in deserto manna cœlesti pauit: Exod.16
te sacramento altaris.Quãdo hæc illis Christus loquebatur,nõ fuderat pro eis sanguinẽ suũ pretiosũ, pro te autem mortuus est,& vitam tibi dedit.Illis

ante

ante eius mortem clausa fuit cœli porta, nobis autem aperta est. Illos astrinxit Deus multis, difficilibusque præceptis seruandis tibi autem pauca faciliaque proposuit. Illis pauca fuerunt sacramenta in remediũ criminũ suorũ concessa, tibi verò multa, gratiamque maiorem importantia. Illi nullo remedio post peccatum, vna excepta contritione, salutem consequi poterãt, at tu præter eandem contritioné, omnibus in vniuersum permissam, sacramentali confessione, cum attritione simul coniũcta, quorum concursus virtute, verè contritus redderis, veniam peccatorum, sacramenti pœnitentiæ virtute impetras. Sanctiores cõcionatores fuerunt nobis apostoli & discipuli Christi, quã illis antiqui prophetæ. Expende igitur Deum, tua causa plura, quàm illorum fecisse, quare plus illi debes. Ideo si duritiã & contumaciã illorũ reprehendis, teipsum reprehende, qui tã inertibus eũ colis obsequiis. & si eorũ perfidiã miraris, magis teipsum mirari debes, qui cum maiore iure ad Dei cultum tenearis, remissiùs, eum venerraris.

Peccantem fratrem non contemnas sed sustine. ¶ Docemur hinc exemplo Christi Saluatoris nostri, misericordia vti circa peccatores, & misericordes esse, expectãtes patienter eorum conuersionem, siquidem peccatores tam clementer expectat Deus, multis beneficiis eos alliciens. *Luc.9* Eadem mensura qua mensuramur par est, vt fratres nostros metiamur. Hæc enim parabola munificentiam, pietatem, & misericordiam Dei ostendit, quam nos habere debemus erga proximos nostros. Cũ delinquis, velles vt testatim Deus ad inferos detruderet? Si ergo vis à Deo clementer tractari, proximorum tuorum eodem modo miserearis necesse est. Qui enim seuerius aliena plexerit, nunquam suorum criminum veniam merebitur. Neminem quantumuis malum contemnas, nescis enim, quem sit vitæ suæ exitum habiturus, si hodie est malus, cras bonus esse poterit. Quis cogitare posset, latronem, cum viuendi *Luc.23* finem facturum, vt à Christo in gloriam perduceretur? Qui si annum ante mortem opetiisset, tam fortunatum exitum amisisset. Quis aliquo in numero aut gradu quamplurimos peccatores habendos censeret, qui tamen postea ad maximum *Act.9* sanctitatis culmen peruenerunt? Si Deus Saulum cùm Christianos homines persequebatur de medio sustulisset, & eius conuersionem nõ expectasset, non haberemus modo tantum in Ecclesia concionatorem, nec eius epistolarum doctrinæ eximia suauitate frueremur. Si frater tuus peccat, au-*1.Cor.12* di Apostolum dicentem, cum simus alij aliorum membra, par est vt iuxta legé naturæ, aliud membrum alij subueniat. Fer fratrem tuum in minimis, quandoquidem Deus te in maximis perfert, & ne irascatis in fratrem tuum, sed potius Iesum Christum imitare, qui tandiu synagogæ indulgens, eius conuersionem expectauit, perfert, & expectat quotidie animo patientissimo reorum conuersionem. Sed quia plerique Dei misericordia abutuntur, & audent atrocissima crimina committere, ea confidentia, quia existimant se veniam à Deo consecuturos, nec reuocant in memoriam, Deum ita esse pium erga pœnitentes, vt sit etiam iudex inexorabilis in obstinatos reos, audi quid dicat. *Succide ergo illam.* Hoc est, destruendam atque damnandam *Hiere.15* pronũcia. Sic loquitur Dominus per Hieremiam. Eiice eos à facie mea. Id est, eiiciendos pronuncia: *Psalm.80* ita vt de ea dicatur illud Psalmi, Fiat habitatio eius deserta. Atq; ideo apostoli ex parte Dei nun- *Luc.19* ciauerũt excidium Hierosolymitanum, imo & ipse Christus flés super ciuitatem prædixit calami- *Matth.23 Marc.13* tates venturas. Huius rei successionem benè Dominus præfigurauit, cũ maledixit ficulneæ illi, eo quòd fructus non haberet, quæ statim arefacta est, in quo ostendit aliquãdo ob suam sterilitatem, synagogam destruendam fore. Sequitur. *Ad quid etiã terram occupat?* Id est, ad quid inaniter terræ promissionis, quæ est omniũ terrarum opulentissima, immoratur? Ingrata est synagoga tantis beneficiis: quia multis miraculis dedi ei terram fluentem lacte & melle, sed omnia beneficia perdita sunt, quia his omnibus donis abutitur, peccator non est dignus pane quo vescitur, ideò oportet illam eradicare & in dispersionem gentiũ, rapinam & captiuitatem mittere. O bone Deus, si etiam & nunc Dominus omnes ociosos & qui terrã occupant eradicaret, quàm pauci homines essent in orbe. Aduerte ne perperam tempus consumas tibi à Deo cõcessum *Genes.3* ad laborem. Imperauit Deus homini, vt in sudore vultus sui pané comederet, qui labor licet illic molestiæ speciem præferre videatur, maximũ est remediũ & medicina, qua pristinũ malũ sanetur, videlicet, vt laborando recuperet quod ociosus comedendo perdidit. Quod etiamsi tantũmodo sumendi supplicij causa homini esset imperatũ, iniquum esse non posset, præsertim cũ omnia Dei imperio sanctificentur. Dedit itaque laborem Deus velut mediũ ad fruendam terram cœlũmque promeren- *Iob 5* dũ. Et ita ait Iob, quod homo nascitur ad laboré, & Christus magister rectissimumque omniũ exemplar, omnem vitam suam laboribus, ad morté vsq; impendit, virgines dormiẽtes, & ociosos qui sunt *Matth.25* in foro reprehendit. Nihil arduũ sine labore factũ *Matth.20* est, res autem labore partæ iucũdiores videntur, vnde qui laborem tollit, tollit quietem. Defesso & defatigato omnia lauta, & omnia dulcia videntur, nam & cibus sapore, somnus quiete, cęteráq; vitæ humanæ præsidia, maiori multò voluptate homini laborioso commendantur. Qui verò nunquam laborauit, nunquã defatigatus est, quo tandem otio gaudere poterit? Considera omnes creaturas, nullam ociosam inuenies. Cœli orbes, & elemẽta motu operantur assiduo, terra annuis fructibus procreandis finem non facit. Econtrario verò desidia *Desidia vitiorum mater.* est omniũ vitiorũ mater, virtutũ autem sæuissima nouerca. Multã malitiã (ait scriptura) docuit ocio- *Eccle.33 Ezech.16* sitas. Et Ezechiel ait, quod inter peccata propter quæ fuit destructa Sodoma fuit ociositas. Vinum, oleum, omnésq; liquores, ferrum cæteráq; omnia metalla situ citius, quã vsu cõsumuntur. Præterea medicorũ communis verissimáque est sentẽtia, neminé vllo modo sanitaté sine labore & exercitatione conseruare posse. Otiũ equis, aliisque animalibus pedes vitiat, milites otio ignauiores fiunt, in præliis strenuissimũ quenque tutissimũ, tardiores omnibus esse periculis obiectos quis ignorat? quin nec auibus volitantibus, sed morantibus auceps arcũ tendit aut insidias molitur. Vide quantũ labor cõmodi, quantũ incõmodi otiũ omnibus rebus, nedũ hominibus, importet. Diuus Paulus doctor gentiũ, laboré sepissimè cõmendat, cui se esse deditũ gloriatur. Ad Thess. cum scribit ait, illis nõ *1.Thess.4* esse ignotũ quomodo se imitentur, quandoquidé apud illos nũquam fuerit ociosus, nũquam enim panem sumpsit labore non peracto, interdiu verò

& noctu laborando se defatigabat, vt nemini molestus esset, hoc autem, vt aiunt, faciebat, illis normam & exemplum laborandi exhibiturus, & ita illis commendat & persuadet, vt semper in labore
2.Cor.2 persistant, ignauisque victum denegent. Item Corinthiis inculcat, labores suos recensens, multisq; aliis in locis curam eandem ostendit. Aduerte ergo ne sis ficus otiosa, quæ otiosa terram occupat, nec velis hîc quiescere, nam in cœlo est omnis
Matth.20 quies. Hæc vita est vinea Domini, ad quam vocati sunt operarij, in altera autem est soluenda
Apoc.14 merces. Ideò Ioannes. Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo enim iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorũ sequuntur illos. Ne ergo occupes terram otiosè viuendo. Obserua etiam quod ille terram occupat, qui non solum otiosè viuens bonis operibus non exercetur, sed etiam exemplũ prauitatis aliis præstat. ¶ Docemur hîc talentum nobis creditum nõ abscondere, sed in Ecclesiam sanctam Dei vtilitatem afferre scribendo, docendo, laborando, vnusquisque iuxta gratiã sibi datam, alius sic, alius vero sic. Denique quomodocunque poterimus, laboremus non tantum nobis ipsis, sed etiam aliis vti-
Matt.7 litatem, & commodum afferentes, ne tanquam arbores infructuosæ eradicemur, & in ignem mittamur. *At ille respondens dicit illi,* Cultor inquã vineæ, qui vt iam diximus, apostolorum chorus est, dixit domino suo, *Domine dimitte illam, & hoc anno.* Hoc est clementer differ hãc vltionem, quousque tempus prædicationis in Iudæa compleatur, quod per quadraginta & duos annos durauit. *Vsque dum fodiam circa illam.* Orando, docendo, miracula operando, exemplariter viuendo, increpando, & ab amore terrenorum reuocando. Qui enim fodit terram, illam extrahit, & fossam facit, id est, humilitatem ingerit, & solicitudinem terrenarum rerũ ex-
Amb.lib 7.in Luc.cap.de parabola fici. trahit. *Et mittam stercora.* Idest, abominationes peccatorum suorum reducam ad memoriam. Peccata enim stercora dicuntur, propter fœditatem & vilitatem, si tamen ad radicem arboris mittuntur, id est, si ad mentem peccatoris reuocentur, fœcundatur arbor. Vtilis enim est memoria peccatorum, vt peccator caueat in posterũ, & vt humilietur &
Genes.3 timeat. Ideò Deus posuit Adam iuxta paradisum voluptatis, vt vidẽs terram deliciarum, quam per peccatum perdiderat, pœnitentiam ageret, recor-
Psalm.50 datus transgressionis eius. Sic Dauid. Peccatum meum contra me est semper. Petrus qui Christum ter negauerat, in Christi passione interrogatus ab ipso post resurrectionem, an cæteris plus diligeret Christũ, memor fragilitatis suæ, cautè & modestè
Ioan.21 respõdit. Tu scis Domine quia amo te. Hac de causa dicit cultor vineæ, quod mittet stercora ficui, adducens in memoriã fœditatem & abominationem peccatorum, vt detestantes ea & execrantes, afferant fructum. At nunc ita abundauit iniquitas, vt nullus velit, vt memoriam peccatorum reuocent prædicatores, quod si fecerint detrahunt illis, murmurant, & maledicunt. ¶ Secundo exponi potest locus iste de intellectus exercitio & humilitate. Expende stercoris magnam vim, tanta enim est vt de infœcũdis fœcunda, de arentibus virẽtia, & de sterilibus faciat fructuosa. In stercore sedit Iob, cum
Iob 1 tentaretur, & vinci nequiuit, & cũ anteà plura perdidisset posteaquam sedit in stercore, non habuit quod diabolus posset ei auferre. Bonũ est ergo vt terra fodiatur, bonũ vt stercus mittatur in eam, de terra enim Deus suscipit inopem, & de stercore erigit pauperem. Ideóq; cultor per intellectus exer- Psal.112
citium, quod fodere terrã est, & per humilitatis affectum quem per stercora intelligit, credit cultor Iudæos bonum fructũ producere. Excæcati erant ne Christũ, quem præsentẽ cernebãt, cognoscerẽt, superbi autẽ, quia quãuis maiores cognoscerent, nolebant credere, quia illum pauperẽ & humilem cernebant, & vitia eorũ arguebat, quod superbis molestũ est. Quapropter per intellectũ scriptura- Ambr.vt supra.
rũ & cordis humilitatẽ adducendi erant ad Christum. Hoc est fodere terrã, & mittere stercora. De principio dixit Christus. Scrutamini scripturas, Ioan.5
quia illæ testimoniũ perhibent de me. Et de superbia eorum ait Hieremias loquẽs de Christo. Ecce Hiere.49
paruulũ dedi te in gentibus, & cõtemptibilẽ, inter homines. Et cõuertit sermonẽ ad synagogã dicẽs. Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis. Quasi dicat, Qui vidisti illũ humilẽ, & tu superba es, abiecisti eũ. Hæc duo remedia cæperũt sancti Christi discipuli, ad eius irã sedandam, iustitiamq́; longè lateq́; propagandam. Addũt & vltra. *Et si quidem fecerit fructum.* Supplẽdum hic est, non excidetur. Aposiopesis, qui modus est loquendi illorũ, qui vehementi dolore affliguntur. Sic enim apostolorũ cætus loquitur, qui ex dilectione, quã ad synagogã habebant, maximè de eius perditione dolebãt. Sic vnus ex illis Paulus Romanos alloquitur dicens, Tristitia mihi ma- Rom.9
gna est & dolor continuus cordi meo, pro fratribus meis qui sunt Israëlitæ. *Si autem.* Hoc. *In futurum succides illam.* Id est, trades in manus Romanorum. Ex his omnibus satis constat excidiũ Hierosolymitanũ, dilatũ fuisse orationibus, precibus, & meritis apostolorum. Iam hîc aspicis quanti æstimandi sint viri iusti, siquidẽ propter eos multa mala à peccatoribus auertit. Salomoni nimio mulierum amore deprauato, dixit Deus. Scindã regnũ 3.Reg.11
tuum, & dabo illud seruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciã propter Dauid patrem tuum. Et apud Esaiã. Sic faciã, inquit propter seruos meos, Esai.65
vt non disperdã totũ. Hoc voluit scriptura significare cùm ait, abegisse Abrahamũ volucres, super Gen.15
immolata cadauera descendẽtes. Lacerassent, & deuorassent volucres animalia illa mortua, nisi eas sanctus ille pater longè superasset. Sic sanctorũ meritis, & suffragiis, tyrãnorũ potentiã, & impios conatus & studiũ irruẽdi in filios Israel labegit dominus. Sic etiã olim cõmotus dominus, hominũ pec- Propter sanctorum suffragia Deus differt vindictã.
catis dixerat. Delebo hominẽ, quẽ formaui, sed de- Gen.6
lectatus Noë viri iusti sacrificio dixit. Nequaquã vltrà maledicã terræ propter homines, non igitur percutiã omnẽ animã viuentẽ sicut feci. Sic in præsentiarũ dixerat Deus de hac ficu, Succide illam, sed orationibus sanctorum placatus reliquit eam. Habent hoc viri iusti, vt nõ solũ Deũ à malo reuocent, sed factæ punitionis eũ faciãt pœnitere, quẽadmodũ sanctus Moses fecit Deũ non solũ populo Exod.32
parcere, sed punitionis iam factæ pœnitere. Commendat locus iste misericordiã & pietatẽ domini qui in medio iræ suæ recordatur misericordiæ. Eodem modo qui voluerit Deũ imitari vtatur benignitate, beneficientia, & misericordia, & ob aliorũ ingratitudinẽ, misericordiam non derelinquat. Vt enim sol nõ desinit terras suis calidis & fulgentibus

bus radiis illustrare, quamuis illis lutum obdure-
scat: sic vir pius & rectus nō debet à rectè factis &
beneficiis desistere, quamuis illis iniquorū animus
durior & in sua ingratitudine pertinacior in dies
reddatur. Non enim Deus ob synagogæ duritiem
destitit à sua consueta misericordia, vt beneficiis
suis vteretur, & expectaret eorum conuersionem.
¶ Docentur prælati, vt pro muro se gerant coram
Deo pro omnibus cōmissis, sicut apostoli rogabant
dominum vineæ pro ficulnea, vt Deus patiēs & mi
sericors synagogā non destruat. Officiū prælatorū
& sacerdotum est intercedere pro grege, vt Deus
Leuit.5 nō destruat populū. Domin⁹ enim dixit Mosi. Pro
anima, quæ præuaricauerit Dei ceremonias oret
Reg.2 sacerdos. Et in libris regum dicitur. Si peccauerit
vir in virum placari ei poterit Deus, si autē in Deū
Leuit.12 peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et in Leuitico
de purificatione mulieris loquens dominus ait.
Orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur. Aa-
Nume.16 ron inter mortuos & viuentes se posuit corā Deo,
Exod.32 & plaga cessauit. Hoc etiā Mosem fecisse scriptura
cōmemorat. Sed paucos nunc Moses habet Eccle-
sia, qui videntes Deū iratum contra populū suum
intercedant apud Deum dicentes. Dimitte eis hāc
noxam, aut dele me de libro vitæ. Sed nunc præla-
ti aliqui quos pro muro contra Dei iram oppone-
re se oportebat, ad defendendum oues peccantes,
absentes sunt, & deliciis vacant, de quibus conque
Iere.49 ritur Dominus per Hieremiā. Quis est pastor, qui
Zachar.11 resistat vultui meo? Audi, quid ad te Dominus di-
cat. O pastor & idolū derelinquēs gregē. Idolo est
similis, qui more idoli se habet, nam idola habent
Psal.119 manus & non palpant, habent pedes & nō ambu-
lant, oculos & nō vident, nares & nō odorant. Sic
isti oculos habent ad videndā egestatē proximi, &
non subueniunt, habent pedes vt in eius adiutoriū
procedant, & cessant, habent manus ad elargien-
dum eleemosynam, & illas pauperi non extendūt,
&c. Sed velut idola adorari cupiūt, & vt omnes ge
nu flectant. dominationis nomine adulantes eis, il
li vero quasi idola nullo labore, nullo negotio oc-
cupati sedeant. Atque vtinam iam multi prælati i-
dola essent, & hoc minus malum esset, quia idolū,
licet nullū bonum faciat, tamē nihil agit mali. Sed
plurimi prælati tanquam serpentes non solū bo-
num non faciunt, imò deuorant carnes subditorū,
fiunt lupi, destruunt, dissipant, & dilacerant gregē
excōmunicationibus, censuris, spoliātes pauperes
agricolas. Vtinam Deus respiciat de cœlo, & visi-
Psal.78 tet vineam istam, quam plātauit dextera eius. Sed
de his satis. Igitur postquam Christus hanc ficul-
neæ parabolam populo prædicauit, sicut mos illi
erat ex quacunque occasione longam protrahere
doctrinam, & hanc miraculis confirmare, prędicat
in synagogis eorum, & hanc mulierem infirmam
sanat, sic ergo prosequitur D. Lucas suā narratio-
nem dicens. *Erat autem docens in synagoga eorum sab-
bathis.* Quia Christus dixerat infœcundam & steri-
lem esse synagogam, non facit nisi irrigare illā sua
Lege Chrys. hom.49. in im perf. Matth. doctrina. Vide quomodo Christus ex tam leui oc-
casione, vt erat narrare ei, quod Pilatus interfece-
rat illos, sumpsit occasionem docendi eos, frequē-
ter enim ex occasione carnali incipiebant prophe-
tæ in Dei laudes & prophetias. Dauid ex persecu-
tione filij Absalon incepit Psalmum tertium, Do-
mine quid multiplicati sunt, qui tribulant me, vbi
multa de Christo vaticinatur. Hoc enim quod di-
cit, Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant *Psalm.3*
me, secundū tristitiā qua erat afflictus accipiendū
est, quia multi iungebantur Absaloni, verū illa quę
dicit. Ego dormiui, & soporatus sum, & multa alia,
de Christo ad literam sunt intelligenda, vt Petrus
apostolorum princeps repletus Spiritu sancto in *Act.2*
actis interpretatur. Sicut enim boni ex quacunque
occasione in laudes Dei erumpunt, ita impij ma-
ledictiones & conuicia dicunt. Sicut Semei, qui ex
eo quod vidit sanctum Dauidem excalciatū extra *2. Reg.16*
Hierusalem ire, iam credidit nō reuersurum ad re-
gnū, & multa maledicta & cōuicia dixit illi, quod
etiā & nunc passim videmus contingere. Docebat
autem Christus in sabbathis, quia eo die Iudæi fre
quentiùs conueniebant ad synagogā, quia dies fe-
stus erat, & etiā propter vitandam doctrinæ suæ su
spicionem. Sic Annæ pontifici insidiosè quęrēti de *Ioan.18*
sua doctrina fatetur Ioannes respondisse. Ego palā
locutus sum mundo, ego semper docui in tēplo &
in synagoga, vbi omnes Iudæi conueniūt, & in oc-
culto locutus sum nihil. Veritas non quærit angu-
los. In istis cōuenticulis muliercularū, pseudopro-
phetæ specie religionis, pileo ad oculos depresso,
voce submissa & modesta, docēt hæreses, quasi no-
ctuæ, & bubones cōuēticula faciētes. Deniq; Chri
stus qui nō solū sicut synagoga folia verborū habe
bat, sed opera charitatis, non solū verbo sed etiam
operibus docet, quid agendū sit, ideò postquā pu-
blicè in synagoga prædicauerat, opere cōplet, quæ
verbo docuerat, salutē tribuens mulieri cuidā infir
mitate incurabili grauatæ. Ait ergo Euāgelista. *Ec-
ce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis, annis decem,
& octo.* Habebat infirmitatem à spiritu diabolico
præparatā, vel inflictā, sicut de sancto Iob legimus, *Iob.1*
quod egressus satan à facie Domini percussit Iob
vlcere pessimo. Et apostolus ait. Datus est mihi an- *2.Cor.12*
gelus satanæ. Ideò Christus dixit posteà de hac mu
liere, quod alligauit eam satanas siue ex culpa sua
sicut Saulem, vel vt manifestaretur gloria Dei in *1. Reg.16*
illa, vel alia quauis causa nobis ignota. Decem & *Ioan.9*
octo annos erat in infirmitate, cuius ex sua natura
videbatur difficilior curatio & salus. veruntamen
Deo nihil est difficile, qui omnia aquè faciliter
operatur. Ostendit autem Lucas grauitatē infirmi-
tatis dicens. *Et erat inclinata, nec omnino poterat sursū
respicere.* Vultu & corpore versus terram depressa &
incuruata ad modum brutorum, cùm Deus homi-
ni rationali os dederit sublime, cœlumque videre
iusserit, & erectos ad sidera tollere vultus. Vtinam
omnes, qui cœlum contemnentes & inclinati ver-
sus terrā mūdana appetū, & quærūt, qui auerten-
tes sensum suū, declinauerūt oculos & nō viderūt
cœlum, statuerunt oculos suos declinare in terrā.
Dominus etiam dignetur curare, vt iam intelligāt
se non tanquam bruta animalia ad terrena esse
creatos, sed ad fruēdum bonis, quæ nec oculus vi-
dit, nec auris audiuit, quæ Deus illis præparauit, si *1.Cor.2*
hæc cōtēnentes super omnia Deū dilexerint. Sed
ad cōtextum. *Quam cùm vidisset Iesus.* Non tantum
oculis corporalibus, sed etiā miserationis affectu.
Nūquā nos videt Deus, nisi vt aliquid nobis boni *Eccle.32*
impartiatur. Si rex transiens oculos in aliquē cō-
uertit, eumque lætiori vultu intuetur. statim is gra-
tiosus apud eum putatur, & aliquod beneficiū cō-
secuturus, quanto maiore ratione hęc Deo tribui
possunt q propterea oculis suis sole splēdidiorib⁹,
aliquē intuetur, vt eū maximo bono afficiat? Ideò

sequitur aliud maius beneficiũ. Siquidem nõ modo eam aspicit, sed etiam alloquitur, & non solum alloquitur, verumetiam sibi coniungit, & eã vt ad se veniat solicitat, in quo notatur maxima saluatoris mundi clementia & bonitas. Ideò sequitur, *Vocauit eam ad se.* Benè poterat illam curare, absque eo quòd appropinquaret ad se, sed voluit, vt miraculũ omnibus esset manifestũ ad Dei honorẽ, populique ædificationem. ❡ Obseruandũ est, quòd sanauit socrũ Simonis Petri, rogatus ab apostolis, quandoque etiam non rogatus curat, vt hãc mulierem, vt ostendat volũtatem quam habet ad sanandum nostras infirmitates & auxiliandum, & adiuuandum nos, si velimus inuocare eum, nam si tanta est eius dilectio, & ita appetit commodum & bonum nostrum, quod non rogatus ipsemet amore tantum tractus, vocat & sanat nostras infirmitates, quid si vocaretur. Quid aget, si inuocatus fuerit? Nonne exaudiet? nonne veniet? Maximè commendat locus iste Dei infinitam misericordiam, cũ ipse quærit, vocat, & rogat peccatorem Deum contemnentem. Immensa & ineffabilis Dei clementia hæc est. Noli ergo dilectissime contemnere auxiliatorem tuum, noli desperare, quantumcũque peccator sis. Hæc igitur tanta bonitas durissima corda labefactare poterit, nec vlli tam rigida præcordia esse possunt, licet adamante duriora sint, qui hac tam mirabili saluatoris nostri clementia, non molliatur. Vide illum in cruce tuam salutem sitientẽ, & brachiis apertis vt te amplectatur. Vtere tam bono ad tuam salutem saluatore, ne talem occasionem huius vitæ præsentis amittas, in qua semper te vocat, semper te rogat, teq; libentissimo animo quotiescunque ad eum confugies accipit. ❡ Sed his omissis, quærendum hic nobis est, cur hæc mulier non vocauit Christum, & non quæsiuit à medico sanitatem, sicut Cananæa, cæci in via, leprosi, & multi alij? Quia infirmitas inueterata despicit medicum & non curat de illo, quia desperat sanare. Sustinẽs peccator graue onus peccatorum humeris suis in terram respicit, sicut hæc mulier, quæ cælum non poterat aspicere, quia inueterata erat infirmitas decem & octo annorum. Et tu auxilium à Deo qui in cœlis est, non petis, nec desiderium cœli habes inueteratus peccatis. Ne desperes de Dei benignitate, nec differas de die in diem conuersionẽ tuam. Nam si non potes leuare onus peccatorum, quando minus est, quomodo leuabis illud quando maius erit? quo magis cessas, incommodiùs facis, auges enim onus, & habes vas minus idoneum, vt dominus infundat balsamum gratiæ suæ, vas enim sordidũ, quo diutius peccati sordes habuit, est minus idoneũ ad gratiã suscipiẽdam. Nullius libenter infundit balsamum in vase, quod diu continuit lutum, ideò ne differas pœnitere, nec inueterascas in peccatis, nam tanto difficiliùs ad Deum venies. Sequitur in contextu. *Et ait illi, Mulier dimissa es ab infirmitate tua.* Obserua, quod multi habẽt infirmitatem & non suam, quia non suo merito sibi inflictam, aut quia non bene vtuntur ea, aut quia murmurant, & impatientes sunt. Ait, tua, quia bene vtebatur ea. Similiter & Ioãnes de illo paralytico qui erat in piscina expectans aquæ motum, locutus est dicens, Erat ibi homo triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Nouus est modus loquendi, nã anni non tenentur, cùm de tempore nõ habeamus nisi nũc, sed ille annos habet infirmitatis, qui patienter suffert infirmitates, nam illi anni sui sunt, quos ad suũ meritum conuertit. *Et imposuit illi manum.* Non quia sine tactu non poterat sanare, sed ad ostendendũ beneuolentiã, charitatẽ, & humilitatẽ suã ad pauperes & infirmos, quos nõ dedignabatur tangere. Mira Christi bonitas est, qui non tantũ propter nos homo fieri non dedignatus est, sed etiã nõ abhorret à nostris miseriis & infirmitatibus. Sed quid actũ est ad Christi tactũ? *Et confestim erecta est.* In quo patet, quàm imperialiter Christus egit miracula, siquidem omnes creaturæ sunt in potẽtia obedientiali, & nutu Dei reguntur. Non aliter poterat esse Christo volente & iubẽte, qui dominus est salutis & infirmitatis. Verùm quid ipsa fecerit audiamus. *Et glorificabat Deum.* Læto animo gratias Deo retulit, eiusq. potestatẽ cognouit, cõfessa est & exultauit corde, & verbo gratias egit, pro tã magnifica eius curatione. Gratitudinẽ docet locus iste, vult enim Deus, vt illi gratias referamus pro beneficiis nobis collatis, sicut hęc mulier fecit. Nõ quod Deo aliquid accrescit honoris, aut gloriæ, sed vt in nobis crescenti merito efficiamur digni ampliori dono & beneficio. Gratus fuit Ietro sacerdos Madiã cũ Mose, qui quia eripuit filias eius à pastoribus, interrogauit & dixit, Quare dimisistis hominẽ? vocate eũ vt comedat panẽ, deditq; postea filiã ei in vxorẽ. Dauid quoq; reddidit gratias Berzelai, ex eo quòd cibaria præbuit ei, & viris, qui cum ipso erãt, quando fugit à facie Absalon filij sui, & iam morti appropinquans præcepit Salomoni, vt filij eius comederẽt in eius mensa. Si Deus vult, vt hominibus grati simus, quãtò magis Deo reddere tenemur gratias à quo semper tot bona recipimus? Illi nouẽ leprosi ingrati, qui recepta sanitate gratias non reddiderũt Christo domino, à Christo reprehensi sunt. Dignũ enim est, vt pro tãtis beneficiis ingẽtes Deo reddamus gratias. Hoc admonet egregius Psaltes dicens, Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Sic & Paulus Ephesios hortatur dicens, Gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi, Deo, & patri. Et ad Colossenses. Et grati estote. Thessalonicẽsibus quoq; ait, In omnibus gratias agite, omnia enim referenda sunt in Christũ salutis nostræ autorẽ, maiora enim tibi contulit Deus beneficia, quã huic mulieri, quare eius exẽplo in gratiarũ actione continuo maneamus, cũ laudãtes, dignus est enim omni laude. Verùm cùm hæc mulier Deo gloriam redderet pro accepto beneficio salutis, vide quid agat homo inuidus & arrogans. *Respondens archisynagogus indignans quod sabbatho curasset. Iesus dicebat turba.* Hic Archisynagogus respõdere dicitur nõ ad quæstionẽ quæ nulla præcessit, sed multoties in scriptura respondere accipitur pro dicere. Sic apud Marcũ legimus, quòd cũ dominus habẽs famẽ accessisset ad ficulneã, nõ inueniẽs ficus, respõdens dixit, Nõ nascãtur ex te fructus. Clarũ est, quod neq; ad verba, neq; ad cogitationes respõdit, quia ficulnea nõ cogitabat, aut loquebatur, sed respõdere ibi, pro dicere sumitur. Sic etiã apud Matthæũ legimus. Respõdẽs Iesus dixit. Cõfiteor tibi Pater domine cœli & terræ. Expẽde huius Archisynagogi ingeniũ. Nõ dedigãbatur hic nebulo, ob sabbathi violationem, sed propter Christi glorificationẽ. Fingit se de sabbathi violatione turbari, cũ torqueretur inuidia. Iã & nunc plurimos huius similes inuenies, qui

Luc. 4
Christus aliquando curat rogatus, aliquãdo non rogatus.
Ioan. 19
Matth. 15
Luc. 18
Luc. 17
Ioan. 5
Exod. 2
3. Reg. 2
Luc. 17
Psal. 102
Ephes. 5
Coloss. 3
1. Thess. 4
Matth. 11
Prelatorum zelus fictus.

qui sub prætextu iustitiæ fingentes zelum vindicant suas iniurias,& illum,qui in aliquo eos offendit persecuntur vsque ad destructionẽ. Si prælatũ aut iudicem in aliquo minimo verbo aut facto offendisti,caue ne aliquam legem transgrediaris, nã si peccatum veniale commiseris,tunc furit,insanit, seipsum vindicat,& ait quod opus est & condecẽs æquitati,vt delicta puniãtur,quoniã vel solis splendorem pedibus proculcasti, vel in templo expuisti, culpam tuam exaggerat, & de culice elephantum facit. Et nunquam ignoscunt aut finem faciũt donec te funditùs perdant. Et quod multò impudentius est se hoc iustitiæ,cultúsque Dei causa facere mentiũtur,cùm reuera faciant vt iniurias sibi illatas vlciscantur. Et si laudaueris eorũ vitia, & tyrannidem,& amicus fueris eorum,quamuis homo facinorosus sis,laudant te,& honorant,& si in aliquo fueris lapsus peccato,licet cõuictus sis,& probetur delictum,tunc nulla vel leuis pœnitantia te abluet,ac dicunt,quod non rectè probatũ fuit peccatum,& quod Christus misericordiam prædicauit,ac fecit cũ publicanis & peccatoribus,& sic dissimulant amicorũ delicta. In aulis regũ, principũ, & prælatorũ & in omni republica inuenies potentes, suas iniurias vindicare sub typo iustitiæ, & quod vitia vocãtur virtutes, & è cõtra,& inopes, innocẽtes multa incõmoda patiũtur. Et vtinã hæc pestis per sacros etiam monachorum ordines non grassaretur. Ecce hic Archisynagogus liuore inuidiæ stimulatus innocentẽ persequitur,& cõtra iustũ indignatur fingens se sabbathi zelatorẽ & Dei honoris defensorẽ. Nõ est hic adeò amicus Dei, vt Deũ esse offensum doleat,nec sabbathi curat violationem,nã si esset Dei honoris studiosus,nõ molestè ferret honorẽ à populo domino deferri,quia Deus summa bonitas & summa charitas est. Ideò grauissimè inuidia offenditur,quæ repugnat & ex diametro charitati opponitur. Verum cum rationẽ nõ habeat offensionis Dei,sed tantũ suæ cupiditatis,fingit se legis studiosum, vt possit Christum quasi trãsgressorẽ notare. ❡ Porrò turbæ loquebatur sycophanta iste,quia Christũ arguere nõ audebat,timẽs cõfundi. Ignaui sunt peccatores, exiguæ sunt vires malitiæ,siquidem non audent hostẽ suũ facie ad faciem inuadere. Vide autẽ quid turbis dicat. *Sex dies sunt in quibus operari oportet, in his ergo venite & curamini & non in die sabbathi.* Bone Deus, quomodo malitia cor excæcat & oculos mentis. Quid inuidia non dicet? si ægrotaret iste Archisynagogus,diceretne nolo hodie curari? Si in sabbatho cecidisset in foueam,& crus, brachiũ, vel caput fregisset,non vocaret chirurgum, vt se curaret? certè sic. Ergo quod tibi vis fieri,alteri nè prohibeas. Nõ enim omnia opera Deus in sabbatho fieri prohibuit,sed tantum seruilia,alioquin non liceret in sabbatho comedere,bibere,loqui, cibaria scindere, potũ effundere. Nunquã opera charitatis,& necessitatis fuerunt illo die illicita. Sed quia in capitulo sequenti Deo annuẽte aliqua de sabbathi obseruatione disseremus,nolo hic diutius immorari.

Super illud an licet sabbatho curare.

❡ Vide autem hominis stultitiam. Vocat alios, vt in sex diebus veniant ad curandum, quasi ipse possit curare. Sicut canis qui nec olera comedit, nec alios sinit comedere, alios etiam inficit detractor iste, vt contra Saluatorem insurgant. Vnde egregius Psaltes. Sepulchrum patens,linguæ eorũ. Sepulchrum non clausum fætorem suũ aliis expan- *Psal.5*

dit,& omnes appropinquãtes inficit. Ita detractor, cuius os est sine ostio,omnes proximos inficit. In veteri lege vas,quod non habebat operimentum, immundum erat. Sic immundus & abominabilis est coram Deo,qui apertũ habet os ad virus euomendum. Hi detractores qui carnes proximorum deuorant non oportet, vt impuniti maneant,sed respondere illis opus est,& eos confundere, ne alios sua lingua inficiant,iuxta illud Sapientis. Responde stulto iuxta stultitiam suam. Ideò Christus ne populum hac detractione damnaret, respõdit illi. Vnde sequitur. *Respondit ad illud Dominus & dixit.* Archisynagogus non fuit ausus Christum directè arguere sed populum alloquendo,quasi indirectè redarguit eum,sed Christus Dei iniuriã non sustinens nec populi deceptionem ferens, apertissimè redarguit archisynagogum dicens. Hypocrita, qui te simulas iustum & zelatorem legis Dei te ostendis coram populo rudi, cum plenus sis inuidia & superbia. *Nume.19* *Prouerb.26*

Vnusquisque vestrum in sabbatho non soluit bouem suum aut asinum,& ducit ad aquare? Quasi dicat. hoc facitis, cum tamen hoc sit opus magis manuale, quàm infirmum manu tangere, aut verbo curare. Non est melior homo quàm bestia? Coram oculis vestris quia estis auari, non ita est: nam auari magis volunt asinum, aut bouem, aut possessionem suam, quàm bonum proximi, & sic videmus, quod magis curant de mula, aut equo si infirmus sit, quàm de paupere vidua, & infirma,quæ non habet qui curet eam. Sed isti pharisæi, quia auari erant cũrabant in sabbatho de boue & asino, nolebant proximorum salutem. *Hanc autem filiam Abrahæ.* Tam carnis propagatione,quàm fidei,ac virtutũ imitatione,quæ non solũ rationalis creatura est, & multò nobilior omni irrationali creatura,sed etiam fidelis,& filia Abrahæ. *Quam alligauit satanas.* Et vinculo infirmitatis cõstrinxit,non tantũ per breue tẽpus,sed decẽ, & octo annis,ab impiissimo inimico patiebatur. *Nõ oportebat solui à vinculo isto die sabbathi.* Certè oportebat,& expediebat,tùm quia homo nobilior est iumento,tùm etiam quia alligatio ista erat miserabilior. Vos autem pharisæi zelatis legẽ Dei, cum tota lex ex dilectione Dei,& proximi pẽdeat,curam geritis die sabbathi iumẽtorũ,& dilectionẽ proximi prætermittitis. Destruitis legem Dei,& præceptũ dilectionis proximi quod est principium & fundamentum mandatorum secũdæ tabulæ, quia pœnitet vos, eò quòd salutem tribuo infirmis die sabbathi,& cùm in cordibus vestris sitis præuaricatores legis Dei,tanquam hypocritę sanctitatẽ simulantes,iustos coram plebe vos ostẽdere vultis. ❡ Obserua,quòd Christus de hac muliere dicit,quod eã satanas habebat alligatam, vt insinuet quod funibus peccatorum soleat diabolus alligare captiuas animas. Sic quidam dixit. Funes peccatorum complexi sunt me. Vitula indomita plus se iactat,& excutit cũ tenetur,nec acquiescit imperio,nec astringitur vinculo,sed magis cũ loro retrahitur exasperatur, itaq; nec coacta se subiicit, nec tamẽ libera vinculorũ est. Sicut ergo trahit vincula lorũ iugi quę si non tenetur è proximo,tenetur tamen,nec se explicat & absoluitur,ita trahitur vnusquisq; peccator ab iniquitatibus suis,quãuis putet se liberũ,qui nõ est iugo subditus,subiectusq; iudicio, & nescit quòd non sit exutus,sed magis vt illa vitula se im- *Matth.22* *Psal.118*

plicat suorũ nexibus peccatorũ. Hi sunt funes delictorũ nostrorũ, quibus inuoluimur & ligamur. Ligat nos diabol' vinculis fornicationis & auaritię,
Genes.10 & 14 & ambitionis, sicut Nemroth, & Esau, qui feras laqueis alligabãt. Dirũpamus ergo nos vincula ipso-
Psalm.2 rũ. Sed opus est Dei auxilio, nam sola diuina misericordia nos absoluere nequit, atque ideo hanc mulierẽ, quã satanas alligatã habebat diuina maiestas quæriuit, respexit, vocauit, & sanauit. Sed de his alias, sequitur in cõtextu. *Et cùm hæc diceret erubescebant omnes aduersarij eius.* Quia conuicerat eos, optimo & insolubili argumẽto & derisione dignos es-
Act.7 se monstrauit. Nã si de beato Stephano ait noster Lucas in Actis, quod aduersarij nõ poterãt resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur, quid dicendũ est de Christo redẽptore nostro, qui fons est sa-
Luc.21 piẽtiæ? nam suis dixit. Ego dabo vobis os & sapiẽtiam, cui non poterunt resistere, nec contradicere omnes aduersarij vestri. Quãtò magis ipsemet Christus? Vide quomodo sapientia Dei confundit mũdi
Roman.1 sapientiã. Sapientiæ diuinæ omnia se subijciũt. Dicentes enim se esse sapientes, ait Paulus, stulti facti sunt. Bene possunt impij aliquo tẽporis spatio veritati resistere, eamq; opprimere, veruntamẽ veritas vt oleum, quod omnes liquores supernatat, omne
3.Esdr.3 mẽdacium vincit, & superabit. Super omnia enim vincit veritas. Hi autẽ cõfusi erubuerũt, cum se vi veritatis victos cernerent, quæ illos obmutescere fecit. Erubescebãt inquã omnes aduersarij eius, nõ enim amat vir pestilens corripientẽ se. Odiosa est
Prou.15 lux oculis infirmis. Si leoni ostẽdas pratum viride, non excitatur eius appetitus, quia ex natura sua nõ est comedere herbas virentes sed carnes. Similiter si luxurioso peccatori prædicaueris amœnitates cœlestes non accenditur ad eas desiderandas: quia non est moris sui desiderare spiritualia, sed carnalia, & voluptuosa. Animalis homo non percipit ea,
1.Cor.2 quæ sunt spiritus Dei. Sic isti quia inimici erãt veritatis, & mendaciis pascebantur, confunduntur, & torquentur audita veritate. ¶ Docemur ex hoc, nũquã resistere veritati, siquidẽ eo nomine nihil nisi
Num.12 confusionẽ & pudorẽ captare possumus. Aaron & Maria quãdo restiterũt, & maledixerũt Mosi fratri suo, cõfusi sunt & reprehensi à Deo. Omnes enim illi, qui nũc Deo contradicũt in operibus suis, si in hac vita nõ fuerint cõfusi, saltẽ in cõspectu omniũ in iudicij die maximè cõfundentur, iuxta illud Hie-
Hierem.17 remiæ Omnes qui te derelinquunt, confundentur.

¶ Obserua autẽ quod Christus multipliciter cõ-
Luc.5 fundebat & conuincebat Iudæos. Miraculis, vt suprà ostẽdimus cũ eis dixit, quid est faciliùs dicere, remittuntur tibi peccata tua, aut dicere, surge & ambula? vt autẽ sciatis, &c. Aliquãdo scripturis sa-
Matth.21 cris, vt in Matthæo legimus, quod dicebat illis, Nũquã legistis quod ex ore infantiũ & lactentium perfecisti laudẽ? Aliquãdo rationibus, vt cùm dixit,
Matt.22 cuius est imago hæc? & subdidit, Reddite ergo quę sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Nonnũ-
Ioan.5 quã testimoniis, vt cùm dixit, Vos misistis ad Ioannem, & ille testimonium perhibuit de me. At nũc ratione confundit suos aduersarios, & ipsi erubescebant, quia ex sola inuidia aduersabantur. Cõfusi autem quia non poterant veritati contradicere, nec propter inuidiam credere volebant, plebs tamen aliter sentit, dicit enim beatus Lucas.

Et omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriosè
Exod.15 *fiebãt ab eo.* Sic in Exodo habetur, quod filij Israel videntes Aegyptios mortuos in mari, & mirabilia quæ fecerat Deus, cecinerunt carmen Domino dicentes, Cãtemus Domino, gloriosè enim magnificatus est. Aduerte tamẽ quod aliud est glorificari, & aliud gloriosè glorificari Cùm carnẽ. Christus ex virgine suscepit, in passione etiã & in cruce glorificatus est, nõ tamen gloriosè glorificatus est, ibi enim vidimus eũ, & nõ erat aspectus, vnde nec reputauimus eũ. Erat ei gloria passio crucis, tamẽ hęc gloria non erat gloriosa, sed humilis. glorificatus est Dominus in his, nõ tamen gloriosè, sed humiliter. Sed cũ venerit in gloria maiestatis suæ cum angelis ad iudicandũ, tũc enim nõ solùm glorificabi- Matth.25
tur Domin', sed gloriosè glorificabitur. Hoc enim in maracutis factũ esse credimus, atq; ideò in subuersione Pharaonis atque exercitus eius, cecinerũt Exod.15
filij Israel, gloriosè glorificatus, seu magnificatus est. Eadẽ igitur ratione vidẽs populus miracula & mirabilia, doctrinãq; Christi Saluatoris nostri gaudebat in his quæ gloriosè fiebant ab eo. ¶ Obser- Virtus impugnata vincit.
ua etiã quòd quãuis virtus ab impiis & iniquis hominibus impugnetur, in fine tamen laudabitur, & obtinebit victoriam. Sic castitas Susannæ impu- Dan.13
gnata est, sed tandẽ gloriam consecuta est. Cœlum primũ mobile appellatu vehementi suo motu alios globos rapit & facit, vt alij cęli moueãtur violenter & per accidens, ab Oriente in Occidentem. Nihilominus tamẽ hi cœli inferiores inuito primo mobili mouentur suapte natura proprio motu ab Occidente in Orientẽ. Sic quãuis impij suis maledictis viros iustos labefactare & ad occasum ducere conentur, tamẽ velint nolint virtutes habent suũ cursum in sphera laudis & gloriæ. Obscurare conãtur Christi potentiã pharisæi, verùm ipsi confundũtur, & vt hîc dicitur aduersarij Christi erubescebãt, populus verò gaudebat, & virtus Christi extollitur. ¶ Expende etiã, quã verũ illud sit, quod actus actiuorũ sunt in patiente disposito. Pharisæi inuidi doctrina Domini, deteriores & duriores fiebant, & populus simplex & syncerus gaudebat, & lætabatur in his, quę gloriosè fiebant ab eo. Vtinã & tibi non contingat, quod pharisæis contigit, vt miraculis Christi, quæ te conuertere, corrigere & meliorem reddere deberent, causam prauitatis capias. Nõ est opus mirabile quod ferat Deus peccatorem mille peccata admittentem, & cùm sit ab eo offensus tamẽ nihilominus eum expectet, & vocet, in eum multa millia misericordiarum effundens. Sed sunt multi qui ex hoc quod eos inuitare, & ad virtutem excitare deberet, causam peccandi capiunt, Dicẽtes peccemus, Deus enim omnia remittit. Audi Paulum. An diuitias bonitatis eius, & pa- Rom.2
tientiæ, & longanimitatis cõtemnis? Ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Abuteris Dei bonitate & clementia, nam illud quod (vt ait Apostolus) oportebat, vt adduceret ad pœnitẽtiam, te peiorem reddit, & tam improbus es, vt bono patientiáque Dei abutens statuas indies esse nequior, ex eo enim durescis, quo molliri deberes. Docemur hinc vt nobis vtilitatem ex beneficiis Dei cõparemus, ne in nobis eius miracula, passio, & crux sanctissima, pereant, imò potiùs illi toto animo inseruiamus, & eius mirabilia & benignitatem, quam in nos ostendit considerantes. Huius populi exemplo ad Deum conuertamur, eum laudemus, magnas illi gratias pro omnibus eius mirandis beneficiis agentes. ¶ Igitur Christus re-

demptor noster dimissis illis obstinatis pharisæis, in quibus sua miracula & doctrina nihil operabãtur, propter malam eorum voluntatem, & dispositionem, docens nos ne margaritas mittamus ante porcos, nec sanctum demus canibus, ad populum syncerum vertit sermonem, docens illos.

Dicebat ergo. Cui simile est regnum Dei? Et cui simile esse æstimabo illud? Interrogat & interrogationẽ sub aliis resumit, vt attentos redderet auditores. Aduersarij eius erubescebant, populus autem gaudebat. Vidẽs ergo dominus eos gloriosis operibus congaudentes, ad eorũ instructionem subdit parabolã de grano sinapis, quod vile est, modicum & contemptibile, sed cùm seminatur in arborem magnã crescit & dilatatur in ramos, ita vt in eis requiescant aues. Ait ergo. *Simile est grano sinapis quod acceptum misit homo in hortum suum, & creuit & factum est in arborem magnam, & volucres cœli requieuerunt in ramis eius.* Obserua quod regnum Dei, regnum Christi, & regnum cœlorũ, idem sunt. Dicitur enim regnum Dei, quòd Deus illic exercet suam iustitiam, potentiam, misericordiam, sapientiam. Item quòd in eo Dei bona & diuitiæ continentur. Dicitur au-

Matth.28.

tem regnum Christi, quia Christus super hoc regnum constitutus est rex, & dux, & ipsi data est potestas in cœlo & in terra. Dicitur autem regnum cœlorum, vt scias non esse mundanum, aut externum regnum, sed spirituale aut cœleste. Regnum

Ioan.19

meum non est de hoc mundo. Sicut igitur ad regnũ externum plura requiruntur, scilicet, rex siue princeps: populus, siue ciues, & externa, vtpote diuitiæ, potentia, &c. Sic in regno Dei, Christus rex est, ciues omnes Christiani, diuitiæ regni, iustitia, pax, fides, &c. Ob hanc igitur causam regnum Dei in scriptura, aliquando Christus dicitur, tanquam rex in hoc regno, & aliquando regnũ Dei est Ecclesia fidelium. Qualitercunque igitur hîc accipias regnum Dei, vera est sententia, quod simile est grano sinapis, quod vt planũ fiat per singula declarabimus. Primum si regnum pro ipso rege accipias,

Ambr.lib.7. in Luc.cap. de curatione mulieris.

verissima est sententia, quod simile est grano sinapis. quid enim abiectius Christo erat? Quid humilius antequam in terrã seminaretur per mortem?

Philip.2

Exinaniuit semetipsum factus obediens vsque ad

Esa.53

mortem. Et Esaias. Vidimus eum & non erat ei a-

Ioan.12

spectus. Vnde & filium fabri vocabant, & peccatorem & dæmoniacum. Paruum istud granum proiectum in terram & mortuum & sepultum, adeò

Philip.2

creuit, vt Paulus dicat, Dedit ei nomẽ quod est super omne nomen. Extendit ramos suos vsque ad terminos terræ, & volucres cœli sub vmbra eius habitant, factus est enim nobis iustitia & sanctifica-

Esaie 4

tio. De hac exaltatione Esaias dicit. Erit germen domini in iucunditatem & gloriam, & fructus terræ sublimis. ❡ Secundò si regnũ accipias pro Ec-

Beda in cap. Luc.13.ca.57

clesia hoc est pro populo Christiano, & congregatione fideliũ, idem videbis, & quod est simile grano sinapis. Videte (inquit Paulus) vocationem ve-

1.Cor.1

strã, quia non multi potentes, &c. Vide autem & nunc quantum creuerit, vt omnes velint sub huius ramis habitare, idest, filij Ecclesiæ esse, & propagata est ecclesia & extensam in omnibus mũdi partibus. Et isto secũdo modo credo quod hîc accipiẽdũ est regnum Dei, videlicet pro ecclesia, & sic coadunatur litera hæc cum præcedentibus Conabãtur illi inuidi gloriã Christi obscurare, sed hac de causa magis gloria Christi elucebat. Nè autem aliquis putaret hoc inopinato fieri, & sine Christi voluntate, adducit parabolã hanc vbi docet, nõ ideò Euangeliũ esse contemnendũ, eo quòd tũc pauculos haberet discipulos, sed omnia suo ordine peragẽda, nam tempus adueniet, in quo dilatabitur ecclesia, quam hîc per regnum Dei intelligimus, ita vt verè de illa dicatur, Dilataberis ab Oriẽte in Oc- Genes.28

cidentem, Septentrionem, & Meridiem. ❡ Obseruanda autem hîc duo sunt. Primum, quod non dicit grana, sed granum, quia licet plures simus Christiani, omnes vnam fidem, & dominum habemus Christum. De fidelibus etiam primitiuę ecclesię in Actis habetur, quod erat cor vnum & anima vna. Act.4

Vnus est nobis Deus, vna fides, vnum baptisma, & Ephe.4

speciatim calor charitatis, seu Spiritus sancti qui granũ aliàs mortuũ in naturam sinapis vertit. Hic calor vnus est, & ideò sicut vnus spiritus vitalis mẽbra multa cogit in vnum, ita multò vehementius calor spiritualis multa grana reddit in vnum.

❡ Obseruandũ secundo quantũ sit discrimen inter opera Dei & opera mundi. Opera enim mundi splendidũ habent exordiũ, sed malo fine claudun- *Principia diuinarum rerum & humanarum vt diuersa, ita & finis.*

tur. Econtra, Dei opera humili principio oriũtur, sed splendidũ & gloriosum habent finẽ. Ideo Dominus per Esaiam. Nõ sunt viæ meæ, viæ vestræ, & Esa.55

cogitationes meæ cogitationes vestræ. nã sicut exaltantur cœli, &c. Ecce hîc granum sinapis paruum creuit in arborẽ magnã, & humilis ecclesia nimis exaltata est. Mũdus verò omnia sua splendidè incipit, sed in fine deficit. Exemplũ sit turris Babel, quã si quis secundũ exordiũ iudicaret, affirmaret vtiq; neque Deũ, neque mũdũ illã turrim subuersurum, Genes.11

sed cõfusæ sunt linguę, & omnia ad nihilũ redacta. Nabuchodonosor omnium gentiũ victor, qui Iudæis præcepto suo obedire nolẽtib⁹ dicebat, Quis Dani.3

est Deus, qui vos liberare possit de manibus meis? vt Deum se adorari volebat, sed vt bos pascebat herbas. Alteri Nabuchodonosori regi Assyriorũ, Dan.4

qui omnes deos terræ exterminari pręcepit, vt ipse solus Deus haberetur, prosperè successit hoc negotiũ in initio, sed vna mulier Hebræa confudit Iudith 14

eũ, & Holofernẽ principẽ exercitus trucidauit, & exercitus periit. Sed quid multis moror? Mundana vita splendidum habet exordium, potentiam videlicet, voluptatem, diuitias, gloriam, & hæc omnia ad tempus prosperè succedũt: sed finis eorũ mors, & perditio est. Econtra verò opera Dei tam humile habent initium, vt vix credi possit aliquid boni secuturum, sed finem habent splendidissimum. Ex- Genes.37

emplum est in Ioseph filio Iacob. Vide quàm humile habuit initium, à fratribus est venditus, in exilium ductus, ibidem infamatus & incarceratus. Quis hunc crederet futurum Aegypti dominum? Liberatio quoque Israëlis de Aegypto humile ha- Exod.3

buit exordium. Mittitur vnus Moses inermis cõtra regem potentissimum. Quis hunc crederet aliquid boni consecuturũ? tamẽ finis gloriosus fuit. Sed vt ad nostrum propositum veniam, regnum Christi grano sinapis assimilatur, grano certè humili & paruo inter grana. Vide Christi initium, in natiuitate, in vita, & in morte. Vide etiam ecclesiæ nascentis exordium. Prædicatur Euangelium à pauperculis & humilibus hominibus, sed iam nũc in toto orbe diffusum esse cernimus, & omnẽ terram verbo Dei repletam videmus. Hoc enim propriũ Dei est, humili exordio sua incipere, sed semper ascendere vsque in finem gloriosissimum.

Hoc

Act.5 Hoc sciens Gamaliel dixit in concilio. Si ex hominibus est consilium hoc, dissoluetur. Ac si diceret, In hoc differunt opera Dei & hominũ, quod cùm opera hominũ quotidie decrescant & deficiãt qualecunque exordium habeant, opera Dei in immensum crescunt & augentur. ¶ Admonet locus iste ne quis mundi prosperitate decipiatur, aut aduersitate terreatur. Considera semper finem. Sic enim Eccle.27 Salomon ait, vt in Hebræo legitur. Melior est finis alicuius rei, quàm principium. Omnibus in rebus considerãdus est finis, nullã enim rem secũdũ principium iudices, sed secũdũ finem. Ad idẽ facit pa-Luc.14 rabola illa de ædificante turrim, qui priùs computat sumptus, imò antequam incipiat cogitat finẽ, qui enim rem non secundum finem cogitat, facile decipitur, plerũque enim vsu venit, vt quæ splẽdidum habent exordium, malo fine claudantur, sicut omnia mundana. Sed quia de his multa disseruimus in libro nostro de vanitate sæculi, sit iam nũc satis. ¶ Secundò admonet locus iste, ne contem-Humiles non contemnenda. namus paruulos, & pauperes quos videmus, quanuis nobis ignoti sint, & in oculis mũdi parui videãtur. Granum sinapis paruum est, tamẽ crescit in arborem magnam, & qui modo humiles sunt, forsitan sunt à Deo prædestinati ad magnũ gloriæ cul-1.Reg.16 men. Quis putaret pastorem Dauidem in deserto pascentem pauculas oues, minimum inter fratres suos ad regni fastigium ascensurum, & gloriosum fore, non solũ in regno Israel, sed in omni Eccle-Exod.3 sia? Quis hominem exulem Mosen pascentem gregem soceri sui sacerdotis Madian non contemneret? Qui tamen in tanta multitudine filiorum Israel Gen.39 principatum obtinuit. Quis Iosephum venditum & incarceratum in Aegyptum non parui faceret? Sed ad contextum. *Cui simile æstimabo regnũ Dei? Simile est fermento: quod acceptum mulier abscõdit in farina tria sata.* Idest, miscuit in tres mensuras farinæ aqua aspersæ. Dicitur tamen abscõdi: quia cùm fermentum respectu massæ sit paruum, ponitur intra massam, & fermentat eam: & cùm sit ocultũ operatur. Satum vero nõ est vox Latina sed Syria: quę apud illos genus est mensuræ, vnum modium & dimidium capiens: & sic tria sata faciunt aliqualem Gene.18 massam. Sic dixit Abraham Saræ quãdo venerunt Angeli, quos voluit inuitare cùm non haberet panes. Dixit autẽ Iesus tria sata & non plura vel pauciora, quia in terra Canaam vbi Christus loquebatur, erat vsus frequẽtior fermentare tria sata. Interdum autem maior, vel minor massa fiebat: Christus tamẽ loquutus est de eo quòd cõmunius erat. Hæc parabola idem significat quod prima de grano sinapis, & ad idem tendit: tamen quia Christus cupiebat, vt omnes vtilitatem caperent ex eius doctrina, & ab omnibus intelligi volebat, similitudines duplicabat, quia similitudinẽ sumptã ex agricultura nõ intelligit miles, nec rusticus illam, quæ ex militia trahitur. Itaque ne aliqua mulier ignoraret, ea quæ per parabolam sinapis voluit docere: addidit hanc ex farina & massa quæ ab omnibus Matth.13 mulieribus intelligi poterat: hac de causa Christus, sæpè idem sub diuersis parabolis aliquãdo prædicabat: quia vbi congregatio est magna populi varia sunt officia. Vnum hic aduertendum moneo, quòd quãdo multis modis res similes rebus apparent, nõ putemus, ait Diuus Augustinus, quod vbique eodem modo accipiantur. Nam suprà fermen-Aug.3. doc. Christ. cap.24 Luc.12 tum in malam partem sumpsit Christus cùm dixit, Cauete à fermento pharisæorum quod est hypocrisis, at nũc in bonam partem. Multa enim in scriptura accipiuntur in bonam partem, & in malam. Sic leo significat Christũ vt in Apocalypsi, & etiam Apoc.5 significat diabolum. Serpens etiam in bonam partem sumitur, vt cùm Christus dixit, Estote pruden-Matth.10 tes sicut serpentes, & etiam in malam, vt cum Paulus dixit suis Corinthiis. Timeo nẽ sicut serpẽs se-2.Cor.11 duxit Euã astutia sua. Et vt exẽplo vtar Beati Gre-Greg.lib.18. mor.cap.20 gorij, lapides in bonam & in malam sumuntur in scripturis sacris. In malam pro duritie, vt illud po-Matth.3 tẽs est Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. In bonam autem vt cùm Petrus dixit, Vos tan-1.Pet.2 quam lapides viui superædificamini domos spirituales. Itaque quamuis fermentum accipiatur pro falsa doctrina & hypocrisi, hîc tamẽ in bonam sumitur partem. Sequitur. *Donec fermentaretur totum.* Hoc est donec tota massa virtutem à fermento accipiat. Ita Ecclesia sicut illud paruum fermentum totam massam fermentat, creuit in totum orbem dilatata, ita vt iuxta Malachiæ vaticinium à solis Mala.1 ortu vsque ad occasum, offeratur sacrificium mũdum in nomine Christi. Sed quia hæc parabola ad idem tendit, vt iam diximus, quod præterita, hoc vnum dicam & statim ad reliquã huius capitis explanationem accedemus. Vide enim quod in omni rerum genere, id in conspicuo minus est, quod magis est præclarum. Excellentissimum in omnibus rebus, occultissimum est. Arbor habet foris folia, flores & fructus, sed radicẽ quæ pretiosior est, habet absconditam. In homine corpus videtur nõ anima. In omnibus rebus accidentia vidẽtur, non forma, aut rerum substantia. Sic Ecclesia bonum absconditum. Psalmus. Omnis gloria filiæ regis ab Psal.44 intus. fermentum enim habet absconditum, & granum sinapis paruum est exteriùs in visu, sed intùs virtute calet. Iusti exteriùs nullius momenti sunt, interiùs verò plurimis bonis abũdant. Et in Ecclesia vides. foris oleum, aquam, albedinem, misericordiam videlicet sacramentorum, intùs verò plena est virtute & gratia. Sic absconditum est fermentum, quod massam eleuat.

¶ Sed ad contextum. *Et ibat Iesus per ciuitates & castella docens.* Quia per illas similitudines Christus Pauperes nõ contemnendi. de fide & Ecclesiæ ampliatione locutus fuerat, cõsequẽter operibus & factis verba sua verificat. Ibat enim per ciuitates & castella Iudææ & Galilææ, tã vrbanos quàm rusticos, sine personarum acceptione, per loca parua & magna, tam potẽtes, quã pauperculos, omnibus seminando verbũ Dei, & quãtũ in se fuit, tam doctos quàm indoctos adducens ad salutem. Docemur exemplo Christi redemptoris nostri omnibus prædicare, pauperes non contemnere, pro omnibus enim Christus passus est, omnibus sanguinem fudit, ipsa denique summa sapiẽtia & bonitas non dedignatur in paruis castellis paucis auditoribus euangelizare verbum Dei. Saluator mundi pro omnibus venit, omnes quęrit: & tam magnas, quàm paruas ciuitates circuit prædicando. Seminator non stat immobilis in vno & eodem loco, sed hac & illac ambulat. Sic prædicator verbi Dei nõ debet vno loco semper stare, quã quam vbi iam sunt noti, & habẽt honorem & amicos semper manere volũt. Non sic illa sancta qua-Ezech.1. tuor animalia, quæ vbi erat impetus spiritus illuc gradiebãtur, nec reuertebantur cũ ambularent. In Psalmo de apostolis legimus, quod Christũ Domi-Psal.125 num

num imitantes, euntes ibant & flebant, mittentes sua semina. Lege in Actis eorum quot prouincias Paulus peragrauit, cæterique apostoli & discipuli Domini, relinquentes patriā & genus suum, nihil aliud præter salutem animarum quærebant, non timuerunt barbaras accedere nationes, vt verbum Dei seminarent. Sequitur.

Et iter faciens in Hierusalem.

Appropinquat ad locum suæ passionis, iam cupiens genus humanum liberare. Feræ defatigatæ & lassatæ teneriores sunt, sic Christus lassatur & fatigatur, quia cibus noster est, & vt meliùs nobis sapiat. Vide quomodo defatigetur Deus, & quot ambitus propter salutem tuam faciat, quot itinera, villas, & pagos, vt animam tuā lucretur, perlustret. Tu autem nihil eius lucri causa facere vis. Perpende etiam quantum defatigetur, vt remedium tuum finitum & conclusum videat. Ipse enim ait. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur. Quid autem in hoc itinere acciderit audi.

Luc.12

Quæstiones curiosæ euitandæ.

Ait autem illi quidam, Domine si pauci sunt qui saluantur? Quia audierat Christum de regno Dei prædicantem & ardua documenta tradere pro acquirenda vita æterna, hac sumpta occasione hoc illum interrogauit. Inutilis profectò quæstio scire numerum reproborum & electorum, vel an sint plurimi vel pauci. Sic etiam & nūc multos videbis populares, & aliquas mulieres interrogantes, quæ non ad vtilitatem sed ad curiositatem pertinēt. Nōnnè quæres, vt ille legis doctor optimè quæsiuit dicēs, Quid faciendo vitam æternam possidebo? Interroga peritos sacerdotes, quid facias, vt salueris, an talis, vel talis contractus sit licitus necnè? an hoc vel illud sit peccatum necnè? & horum similia quæ ad salutem animæ tuæ concernūt. Ne animum tuum inducas nimis curiosa & inutilia inuestigare, aut numerū eorū qui saluandi sunt quærere, tibi enim satis est scire id quod ad salutem tuā spectat, quod si feceris proculdubio inter electos numeraberis. Ideò Christus non respōdit huic ad ea quæ interrogabat, nullius enim erat momenti eius interrogatio, paruiq. intererat scire, essent nè multi vel pauci saluandi, docuit tamen eum, quid vt saluaretur faceret. Non respondit illi ad ea, quæ quęsierat, sed ea quæ quærere debuerat. Sic Petro interroganti, Hic autem quid? non respondit Dominus ad interrogationem Petri, quę inutilis erat. Sed dixit, quid ad te? Tu me sequere. Admonet locus iste, nè inutilia quæramus, aut in vanis scientiis consumamus tempus, vt multi in Astronomia iudiciaria, & magicis artibus, & aliis, quę potiùs ad damnationem, quàm ad animę salutē conferūt. Sed iā Christū audiamus. *Ipse autem dixit ad illos. Contendite intrare per angustam portam.* Nihil aliud esse censeo, quàm Dei præceptū inuiolabiliter seruare. Hæc est porta angusta de qua apud Matthæum apertius loquitur Christus. Intrate per angustam portam, quia lata & spaciosa est via quę ducit ad perditionem, & multi inueniunt eam. Vocatur hęc via angusta metaphoricè, quia sicut per angustum locum difficile est intrare, ita difficile est homini carnali per obseruantiam præceptorum ambulare. Omnes enim appetunt delectabilia & fugiūt labores & difficultates. Operari autem secundum virtutem est valde difficile, quia virtus consistit in medio, quod medium inuenire nō est facile, & multò difficiliùs circa medium inuentum operari. Ideò porta hęc angusta & difficilis est, via autē & porta peditionis lata: quia operari vitiosè est valde facile propter duo. Primò quia nulla difficultas est in inueniendo viam, quia non est aliquis modus certus operandi ad malè agendum, sed qualitercunque velimus possumus malè facere. Secus est de bono, quia non possumus bonum facere nisi vno modo, videlicet, obseruando omnes circunstantias secundū rectā rationem. Malū autē fit ex defectu cuiuscūq; circunstantiæ, ideo peccare contingit infinitis modis, benè autē agere solū vno modo. Exemplū est in sagittariis quia difficile est percutere signum, eo quod ad percutiendum in medio signi non est nisi vna via, ad deficiendū autem sunt infinitæ, quia totus mūdus via est. Secūdò, quia operari malū non habet difficultatem, cū sit secundū inclinationē naturæ nostræ deprauatæ, virtus autē semper est contra hāc inclinationē, ideò operari circa virtutē est difficile, propter difficultates repugnātiæ ad deprauatā inclinationē. Per hāc difficultatē ait Christus. Contendite intrare, idest, cū magno conatu parate vos ad hoc, quia regnū cœlorū vim patitur. Sed videtur his repugnare quod in Matthæo dicitur vbi Dominus vocat mūdi seruitores laborātes & oneratos, vt veniāt ad illū & reficiantur. Et posteà addidit. Iugū meū suaue est, & onus meū leue. Videtur enim ex his quod seruire mūdo onus sit, & seruire Christo iugū, suaue, & quod vitiū difficile & onerosum sit, & virtus facilis & suauis. Respōdendū tamen est, quod Christi lex est leuis tū propter cōsideratione præmij, quia dat Christus vitā æternā, qua considerata vilescunt terrena, sicut Iacob amāti Rachelē septem anni videbantur dies pauci propter præmij magnitudinē. Tū etiā propter adiutoriū gratiæ & charitatis, atque ideò vocatur lex Christi iugū, quia à duobus portatur animalibus, & vnū adiuuat alterū. Ita à Christo adiuuamur, sine cuius gratia nemo potest legē Christi obseruare, etiam proposito sibi fine beatitudinis. Gratia enim res asperas, molles facit, ita vt nō solū præcepta, sed etiā consilia obseruare leue fit. Igitur licet virtus sit circa difficile, & porta cœli, quia carni & sanguini, & naturæ corruptæ repugnat, angusta sit, tamē cū Dei adiutorio considerata, præmij magnitudine, dulcis est virtus, & lex Christi, dulcis atque suauis. Cōtende ergò & tu intrare per hāc angustā portā. Vincens te ipsum, & negās, sensualitatē subiiciens rationi, & fortiter legē Christi amplectēdo. Quis autem quantuncunque stultus sit non faciet hanc vim carni suæ, vt mortem ęternam euadat, & vitam consequatur perpetuam? Si quis magnorum criminum conuictus, & in carcerem cōiectus certus esset se postridie moriturum ab amicisque solicitaretur, vt per aliquod parietis cauum euadens, morti iamiam impendenti se subtraheret, nonne prorsus amens esset, si ne perderet, aut ne exueret pallium, tunicam vel thoracem tanta occasione sibi consulere negaret? certè hunc omnes iudicio parum valere crederent. Nemo est quantumuis excors qui videns, vt mortem ante oculos propositam effugiat, necessariò aliquo angustissimo loco esse transeundum, non modo vestem omnem abiiciat, sed etiam cutem corpúsque ipsum scindere non dubitet, vita enim omnibus rebus anteponitur. Attende igitur ô Christiane, eoque modo animum tuum præpara, vt quoties

Luc.10
Matth.22
Ioan.21
Matth.7
Matth.11
Chrysost. hom. 24. in Matt. tom.2
Genes.29

quoties

quotiescunque opus fuerit rem familiarem contẽnas, victũ corpori neges, & si saluti tuæ expedierit religionẽ ingrediaris, & de duobus beneficiis, alterum, si viam cœlestem impediant, resignes. Angusta est cœli porta, qua oneratus intrare non poteris, præstat nudum saluari, quam vestimentis & calceamentis ornatum in ignẽ æternum damnari.
Gen.39 Religiosus & castus adolescẽs Ioseph, in manibus dominæ suæ turpissimæ fœminæ pallium reliquit, & seminudus, ne libidini ei⁹ acquiesceret, aufugit. Eo modo omnia relinquenda sunt nẽ Deum offendas, & vt quod debes, facias, quare si oportet propter Deum persecutiones & labores ferre, quamuis insufficiens tibi videaris, ferenda sunt omnia. Qui enim à carcere morti, abductus fugit, si sapit, non modo vestem deponit, verumetiam quæcunque vulnera in corpore suo admittet, vt expeditius euolet. Considera Christum laceris in cruce membris constitutum, quibus angustiis ad Patrem transierit, eisdẽ enim discipulos suos trãsire vult, vt qua via caput, eadem membra euadant. Sed multi sunt hodierna die qui vestem anteponunt vitæ: & malunt vestibus ornati in ignem descendere sempiternum, quàm nudi in regno cœlorũ collocari. Pluris faciunt rem familiarem, gaudia, & delicias huius vitæ, quàm voluptates nũquam interituras. Malunt perfrui huius sæculi bonis, ea conditione, vt morte obita igne infero torqueantur, quàm renũtiantes omnibus rebus, quæ fugam mortis impediunt, infera supplicia vitare, & angustiis cœli portæ superatis, æternum cum Christo gaudium adipisci. Quamuis sit ingens labor mũdum contemnere, te ipsum negare, & portã angustã ingredi, vita tamẽ multò maioris est pretij, quare omnes has difficultates ferre debes, vt posteà viuas, beatúsq; dici possis. Sed multi iam nũc abiecto Christi documento contendunt non quomodo intrent per angustam portam, sed quomodo lautè viuant, & contentio eorum est, quomodo abũdent diuitiis, & quod periculosissimum est, quomodo pluribus beneficiis adeptis carnalem vitam ducant, & per amplam portam ingrediantur, quomodo ad ecclesiasticas dignitates ascendere possint, & honores adipiscantur. Hæc est contentio Christiana? hæc Christi disciplina? Contendite, contendite, intrare per angustam portam. Sed de his satis. Expende etiam ad tuum solatium quòd licet Christus dixerit angustam portam, non tamen dixit angustissimam portam, alioquin, si tãtæ essent angustiæ frustra dominus in mundum venisset vt saluos nos faceret. Iam ad contextum reuertamur, & audiamus Christum vlteriùs dicentem.

Quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt. Multi quærunt, imò omnes quærunt & appetunt esse beati, sed quærunt non omnes, quia multi nihil faciũt pro beatitudine. Sed alij Deũ agnoscentes quærũt intrare, & clamabunt sed non poterunt, quia tardè & insufficienter quærũt. Insufficienter, quia non amore Dei super omnia magis dilecti, sed timore pœnæ mortis vel inferni, amore
Matth.25 inquam quodam seruili ducuntur. Tardè autem quemadmodum virgines fatuæ quæsierunt dominum, cùm esset clausa ianua, quando iam non erat
Osea.5 tẽpus pœnitentiæ. Oseas enim inquit. In gregibus & armentis suis vadunt ad quærendũ dominum,
Esai.55 & non inuenient. Quærite ergo dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est.

¶ Obserua autem quod Christus non dixit hic, quòd non poterunt cõuerti hora mortis, quia omnis quantũcunq; peccator sit, in statu vitæ præsentis saluari potest, etiam in vltimo instanti vitæ: sed mos est scripturæ, opera, quæ cũ magna difficultate fiunt vocare impossibilia. Sic dominus de pharisæis. Propterea non poterant credere, quia Esaias Ioan.12
dixit. Excæcauit oculos eorũ & indurauit cor eorum. Et in Hieremia legimus. Si mutare potest Æ- Hiere.13
thiops pellẽ suã, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cũ didiceritis malũ. Tamẽ impossibile est quod mutet Æthiops pellẽ suam, aut pardus varietates suas, sed impossibile non est, vt assuefactus vitiis non possit esse bonus. Sic etiam pharisæi, absolutè loquendo, benè poterant credere, sed difficillimè credere poterant, quia non ex ignorãtia sed ex malitia peccabant, dixit quod credere nõ poterant. Similiter quia illi, qui ex praua & veteri consuetudine vitiorum difficillimè cõuertuntur. Hanc maximam difficultatem dixit dominus impossibilitatẽ, vt illæ similitudines æthiopis & pardi insinuant. Sic in præsentiarum qui in vitiis sunt immersi, & ferè totam vitam in peccatis consumunt, benè possunt hora mortis conuerti & saluari, sed quia hoc difficillimum est & rarò contingit, ideò hãc maximam difficultatem impossibilitatẽ Christus vocat. Volent ipsi saluari sed non poterunt, quoniam contritio ad eorum salutem in primis necessaria ab amore Dei procedit. Quam difficillimè ille poterit habere, qui vitam suã Deũ offendendo consumpsit. Docemur hîc, in hac vita pœnitentiam agere, nè cùm voluerimus illam facere iam non detur nobis locus. Esaias enim dicit, Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis ad- Esai.49
iuui te. Ecce ergo tẽpus acceptabile, ecce nũc dies 2.Cor.6
salutis. Nunc ergo pœnitentiam age, ne præoccupatus die mortis quæras locum quando inuenire non possis. Sequitur,

Cum autem intrauerit paterfamilias. Beda in cap. Luc.13.cap.

Hoc est, Christus Iesus, qui omnium dominus, 57.To.5
& pater est, & venerit die iudicij ad iudicandũ omnes, oportet enim nos ante tribunal eius præsenta- 2.Corint.5
ri, vt vnusquisque reddat rationem de his quæ gessit in corpore, siue bonum siue malum. Rom.14

Et clauserit ostium. Id est, aditum regni cœlestis. Ostium regni cælest. in quibus
Quando finita vita fuerit, finitúmque tempus merendi, & demerendi, illud ostium claudetur pietatis & misericordiæ Christi. Illud inquam ostium, & quando claudetur.
quod nũc lachrymis, gemitibus, & precibus pœnitentium, facilè aperitur. Illud ostium quod nunc Matth.8 Ioan.6
aperitur venientibus ab Oriente & Occidente. Illud ostium quod nũc ait, omne quod venit ad me non eiiciam foras. Illud quod nunc patet meretricibus, adulteris, & peccatoribus. Denique illud ostium quod Aaron post idololatriam, Dauid post Exod.32
adulterium, & homicidium, mulierem post adulte- 2.Reg.12
rium, Magdalenam post peccata, Matthæum post Ioan.8 Luc.7
thelonarium, Petrum post trinam negationem, & Matth.9
Paulum post ecclesiæ persecutionem admisit, hoc Marc.14
inquam ostium tunc claudetur. Nullius etiam tũc Act.8
pœnitentia, nullius oratio, nullius gemitus, admittetur, nullius clamor audietur, omnes sancti, quorum intercessionibus hîc adiuuatur peccator, tunc erunt surdi. Durus hic sermo est, Et clauserit ostiũ. Peccatori hæc tãtum via patet, hoc illi est refugiũ, misericordia inquam Dei, qua nisi in hac vita sibi commodet, posteà nihil proderit, quia iam non est locus

locus pœnitẽdi,nec manet via salutis. Vnũ solum asylum habebat,videlicet misericordiã Dei, si hoc autem deficit,quod remedium habebit? Certè nullum.Nũc verò antequam tibi porta claudatur pulsa, nunc dum tempus est misericordiæ, ea vtere. Memento ergo creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent,antequam tenebrescat sol & luna,&c. Sed quid erit postquam clauserit ostium? Eccles.12

Et incipietis foris stare.

Hæc maxima pœna erit paccatorum, pœna inquam damni, quia exclusi ab illo beatitudinis regno,qui finis vltimus est animæ nostræ,exiliũ æternum patietur priuatus diuina visione & fruitione summi boni. Maxima omniũ pœna erit foris stare, & regno cœlesti in æternum excludi. Auertisti(inquit Dauid)faciem tuam à me. Sequitur. Et factus sum conturbatus,omnia ossa mea contremuerunt. Et ego plenus sum doloribus,quia faciem tuam auertisti à me,in me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Quanto timore corripiẽtur peccatores cùm viderint Deũ faciem suam ab eis auertẽtẽ,seq; æternũ,omni desperato remedio, à cœli gloria exclusos,cum demonibus, supplicijs condemnatos esse perpetuis? Quãtis lachrymis & gemitibus,quantaque inuidia,suspiciẽt alios supra cœli sidera eleuatos,qui in sæculo æqualib⁹ vel fortè maioribus fuerunt criminibus immersi? Et quid vltra? *Et pulsare ostium.* Hoc est,incipietis ingressum deposcere,sed serò medicina paratur. Propter frigus(inquit Salomon) piger arare non vult,mendicabit ergo in æstate,& nõ dabitur ei. Noluit vocare Deum, cùm illi aperire ostium parabat,cumque vt veniret rogabat,noluit affligere corpus suum & pœnitentiã agere,dum tempus agendi habuit,nũc verò postquam vitæ hyems præteriit in qua operari noluit,mendicat, & velut insanus ostium pulsat dicens, *Domine aperi nobis.* Dominũ vocant,cui nũquam obedire voluerunt. Habuerũt in vita diabolum dominum,fecerunt omnia quæ diabolus illis imposuit,obedierunt mũdo & carni morigerãtes eis,nunc verò vocant Christũ dominũ,cuius præcepta non obseruarunt. De his loquitur Esaias. Populus hic labiis me honorat,sed cor eorum,&c. Si labiis sine corde honorare facit hypocritas,vt Christ⁹ dicit,quid iurare,blasphemare,mẽtiri, &c. Hęc isti sola bona verba habẽt cùm intus sint vacui virtute. De his conqueritur dominus dicens, Si ego dominus,vbi est timor meus? Verũ responsum pro meritis eorum fuit. *Nescio vos vnde sitis.* Hoc est,nõ approbo vos. Cognoscit enim Deus omnia, nulla enim inscitia cadere potest in intellectũ diuinũ,cũ omnia sint nuda,& aperta oculis eius. Impossibilia enim & ea,quæ nunquã erũt cognoscit sciẽtia simplicis intelligentiæ,eorũ verò quæ non sunt,sed aliquando erunt,habet scientiam visionis,prædestinatorum autem habet scientiam approbationis, quam quia non habet de reprobis,quia eorũ mala opera non approbat,dicitur,nescire illos,sciẽtia inquam approbationis. Isto modo dicitur quod Deus facit omnia, quia nihil fit nisi eo agente & cooperante, sine ipso factum est nihil, & quidam non facere nec scire,quia non placẽt ei. Hoc patet de principatu & potestate, quia omnis potestas à domino Deo est,& ab eo sunt reges & duces,vt in Prouerbiis dicitur,per me principes imperant, &

Psalm.29 — Psalm.27 — Prou.20 — Esai.29 — Matth.15 — Malach.1 — Hebr.4 — In Deo est scientia simplicis intelligentiæ visionis & approbationis. — Ioan.1 — Rom.13 — 1.Pet.2 — Prouer.8

potentes discernunt iustitiam. In Osæa autem oppositum legimus,vbi dominus ait, de quibusdam principib⁹ Israelitici populi. Ipsi regnauerũt,& nõ ex me,principes steterũt & nõ cognoui. Quia Deus non approbabat opera eorum, dixit quòd nõ cognoscebat eos,neque regnabant ex ipso, id est, eo iuuante,aut cõcurrente,cum operibus eorum malis. Ideo quibusdã placuit ponere in Deo notitiam hominũ,quã habet practicã seu approbationis, & speculatiuam. Notitiam habet omnium speculatiuam,quia omnia cognoscit, & scit,approbationis autem solum prædestinatorum,quia ad bona illorum opera Deus concurrit, imò operatur ipso testãte, qui ait, Sine me nihil potestis facere. Et Paulus. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis,tanquã ex nobis,sed sufficientia nostra ex Deo est. Secundum hunc sensum locum istũ intelligendum esse censeo sic. Nescio vos,idest,scientia practica,quia speculatiua omnia cognosco. Similia verba narrat Matthæus,quod Christus dixit illis quinque fatuis virginibus. Expẽde quod Deus non cognoscit eos,qui eũ non cognoscunt. nam vt inquit Paulus,ignorãs ignorabitur. Multi cognoscunt tẽporalia,tenent gemmarum valorem,& earum virtutes, gradus autem, pretium panni,proprietates herbarum & arborum callent, optimè pauperem decipere,diuitias & dignitates consequi sciũt, sed Deum ignorant & multa peccata committũt, quæ si scirent esse peccata non facerent. Ignorantia autem hæc non excusat coram Deo, quia corda habent immersa negotiis sæcularibus, & nube mentem offuscatam habent,ne diuina cognoscant, & sunt negligentes circa salutem animarum suarum: quia nolunt theologos sapientes interrogare, & sua pereunt stultitia,quia ignorantia eorũ non est inuincibilis,sed culpabilis. Vnde domin⁹. Propter ea captiuus ductus est populus meus,quia non habuit scientiam. Vis vt te dominus agnoscat hora mortis tuæ,cum eum vocaueris, & vt tibi ostium aperiat? necesse est, vt tu eum in vita cognoscas & voces. Cognoscit eos qui eũ nouerunt,& respõdet illis,qui eũ hîc vocãt. Quid tibi prodest motũ cęli, omnes scientias,& quæcũque scripta sunt nouisse, si notitiã Dei non habes? nec debes satis esse putare,eum cognoscere esse Deũ, vt omnes cognoscũt Christiani,sed oportet dare operam,vt specialiter eum scias esse seuerum & potẽtem vt eum timeas: bonum,vt eum ames,misericordem, ne desperes, &c. Qui huic libro non nauat operam,& hãc scientiam ignorat,inanes literas,doctrinam futilem didicit. Diuina enim sapientia ait, Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest sciẽtia Dei. Sed procedamus.

Tunc incipietis dicere.

Tunc emphasim habet. Tunc,quando opera loquentur & ora tacebunt. Tunc, cùm plus valebit bona conscientia omnibus mũdi thesauris. Tunc, quãdo nec nobilitas sanguinis,nec cognati aut amici,nec regũ,aut principum fauores, nobis prodesse poterũt. Tunc,quãdo in iudicij die, vitæ examinabuntur,& aperientur libri nostrarũ conscientiarum. Tũc,quando venerit dominus in lucernis ardentibus scrutari Hierusalem,& reuoluerit omnia scrinia nostrorum cordium. Tũc,quando ante supremum iudicem fueris constitutus, à quo appellare non poteris. Tunc, quãdo orbis cõbustus fuerit,& consumptus, quando iam non erit locus

Osea 8 — Ioan.15 — 2.Cor.3 — Matth.25 — 1.Cor 14 — Esai.5 — Sapien.13 — Apoca 21 — Sopho.1

pænitentiæ, quãdo, vt inquit Paulus, illuminabit Deus abscondita tenebrarũ & manifestabit obscura cordium. Tunc, inquam, quando iam non proderit quidquam, incipietis dicere.

Manducauimus coram te & bibimus & in plateis nostris docuisti.

Hoc cõmuniter exponitur de Iudæis, inter quos Christus corporaliter conuersabatur, qui cum ipso sæpè cibum sumpserũt, & in eorum prædicauit sinagogis & locis. Sed si de illis hoc verificari potest, multò magis de nobis. Nam hoc non modo ad eorum instructionem & morum correctionem dictũ est, sed etiã ad nos, qui maiora illis suscepimus, & maiorem familiaritatem nobiscum habet, & comedimus, & bibimus nos sacerdotes ferè quotidie in vna mensa cum illo, & illum mãducamus & familiariter tractamus. Væ nobis qui tam familiariter manducamus & bibimus cum illo in altari, si tales non fuerimus quales oportet esse, maiorem damnationem patiemur. Sed omnes Christi fideles illũ manducant, & audiunt suos ministros prædicãtes & populũ docentes in ecclesiis & in plateis, & vocat illos Deus per inspirationem internam, sed ipsi aduertere aut parere recusant. Aduerte autẽ quòd in hoc quod ait, Mãducauimus & bibimus coram te, cultus exterior in sacrificiis, iuxta morem illius temporis significatur. Sacrificantes autem manducabant & bibebant coram domino, hoc est, in loco dicato ad diuinum cultum & secundum legis ritum.

¶ Præterea ad nostram eruditionem, duo hîc obseruanda sunt. Primum quod illi eiecti sunt à consortio beatorum, qui in plateis dominũ audiũt, non autem in corde prædicãtem & vocantem. Sic tecum fiet si illum nõ audieris, in angusto, trito, & compuncto corde. Plurimi audiunt Christum, publicè in ecclesiis per ministros suos prædicantem, sed quia interiùs in cordis secreto non audiunt illum, sed tantum in plateis, graui pœna plectentur. Secundò disce ex isto loco non gloriari de donis Dei, quantumlibet eximiis, nisi ex fide & charitate obtineantur, & ad Dei gloriam exigantur. Nihil enim proficit ad salutem cum Christo manducare, illum audire, prophetare, aut miracula facere, sed Dei præcepta seruare, atque Christo obedire. Vn-
Matth.7 de dominus clarius in Matthæo in nomine istorũ dicit, quod clamabunt dicentes, Nõnè in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus & virtutes multas fecimus? & tũc confitebor illis quia nõ no-
1.Cor.13 ui vos. Et Paulus Corinthiis suis. Si habuero prophetiam & nouerim mysteria omnia, &c. Spiritus enim prophetiæ & hæc dona gratiarum sæpè dantur hominibus qui sunt lõgè à charitate & dilectione Dei, quare in his gloriari vanum & stultum est.
Nume.23 Balam propheta fuit, quemadmodum apud Aegyptios Mercurius Trismegistus, & Sibyllę apud alias nationes, ideò nõ oportet, vt in his glorieris. Quis omnium mortalium, æquiparet dæmonis sciẽtiam? Qui tamen omni sua sapientia, pœnas infernas effugere nequit, nec alia vlla arte aut industria niti debes, aut gloriari, omnia enim vana sunt. Sed quid vltra dicit illis?

Et dicet vobis, Nescio vos vnde sitis?

Lege Hiero. super Dan.9 Deus nihil ignorare potest, sed dicitur ignorare ea, quæ indigna sunt notitia, sicut dicitur inclinare aurem, aperire, videre, quando exaudimur, & nos aspicere dignatur, & auertit faciem, quãdo illo sumus indigni, dicitur autem dormire, quia his videtur dormire quos deserit, & quãdo propter peccata nostra corripimur, vigilat super nos Deus. Sed quia hoc iã paulò ante expositũ est, procedamus.

Discedite a me operarij iniquitatis.

Magna miseria discedere à Deo vsque in sęculũ, & ab illa æterna beatitudine excludi, iuxta illud Psalmi. Nec habitabit iuxta te malignus, nec per- Psal.5
manebunt iniusti ante oculos tuos: Nã cùm Christus sit omne bonum, pax, & deliciæ, sit vt discedẽtes illi à Christo, incidant in omne malũ, inquietudinem, & anxietatem. Equidem non tantum omne bonũ est, sed etiam omne esse. Ita dixit Mosi, Ego sum, qui sum. Est igitur Christus esse. Dices, si Chri- Exod.3
stus est esse, & iubet damnatos à se discedere, ergo iubet eos non esse, nã si discedere iubet ab esse, iubet eos non esse. Non iubet eos non esse, sed iubet peius quàm non esse, nam quãuis generaliter loquendo melius est esse in quocunque esse quàm non esse, nã esse habet aliquam bonitatem, quæ est esse, quã non habet non esse, tamen esse cũ isto onere & grauitate pœnæ, melius est non esse quàm sic esse. Ideo de damnatis habetur. Desiderabũt mor- Apoc.9
tem, & mors fugiet ab eis. Quod est appetere non esse, nam certum est quod damnati tantis cruciatibus afflicti appetunt non esse.

¶ Expende igitur impiorum miseriam, iubentur proruere in maius malũ quàm sit non esse, & sicut esse supernaturale deitatis, quod Deus piis dat, exuperat omne esse naturale animaliũ, cœlorũ, & angelorum, bonumque illud omne bonũ excedit, ita & non esse damnatorum est non esse supernaturale, quod omne malũ & omne non esse transcẽdit. Optimè autem dicit, discedite, nam omnes qui hãc sentẽtiam audituri sunt, discesserũt à Deo per peccatũ, in hac vita. Benè ergo pœna respondet delicto, sunt nanq; in quolibet peccato duo mala, iuxta illud Hieremiæ. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt, fontem aquæ viuæ, & foderũt sibi cisternas dissipatas. Auerti à Deo est derelinquere summã Dei bonitatem, estq; primũ omnium & maximum malũ. Alterum ad creaturas, easque caducas conuersio, & deflexio, quæ nunquam sine Dei contemptu fieri potest. Atque ideo addit operarij iniquitatis, nam Deum dereliquerũt & mala operati sunt. Itaque hi sibi cisternas putridas fodiunt, qui æternis bonis tẽporarias voluptates pręferunt. Eoque magis abalienati à Deo, quo magis istis rebus dediti sunt, eisque immersi. Iustè igitur qui dũ vixerũt longiùs abierunt per peccata, nunc merentur audire quam commeruerunt sentẽtiam à iusto iudice. Discedite à me. O vocem seueram, ô irretractabilem sententiã. Anteà audire neglexerũt blanditer allicientem, venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Nũc secus, discedite à me, audiẽt discedite procul hinc execrati, à Deóque proscripti, nihil mihi vobiscum præter christianismi nomen commune, & id quidem inanissimum est. Certè horrendum erit tunc incidere in manus Dei viuẽtis. Caue ergo tu à Deo hîc per peccatũ discedas, nã postea dominus vsq; in æternum discedet à te, quod ita magnum malũ est, vt ipse dominus compatiens dicat, Væ eis cũ recessero ab eis. Atque ideo Susãna potiùs voluit in famiam pati, & mortem quã per peccatum à Deo recedere. Et Iosue dixerũt filij Israel. Absit à nobis vt relinquamus dominũ, & seruiamus diis alienis.

Vide

Discessus à Deo summa miseria.
Hierem.2
Matth.11
Heb.12
Osea 9
Dan.13
Iosue 24

Vide in quāta mala incidit ille filius prodigus, quia
Luca.15 recessit à facie Dei. Quapropter quia ille dū adhuc
viueret, antequā ostium misericordiæ clauderetur
reuersus est ad patrem & inuenit gratiā, ita & vos
Dan.3 si per peccatum recessistis reuertimini, & dicite cū
Daniele. Peccauimus, iniquè egimus, recedentes à
te. Et sicut pater ille, multa bona filio reuertēti dē-
dit, sic Deus nobiscū faciet. Nam sicut peccatori-
Psal.139 bus damnationem minatur, & eiicit illos à se, sic è
contra, de bonis egregius psaltes canit Veruntamē
iusti confitebuntur nomini tuo, & habitabūt recti
Matth.25 cū vultu tuo. In Matthæo hoc clariùs legimus. Nā
bonis dicitur, venite, & malis ite. Bonū complecti-
uū consistit in appropinquatione hominis ad Deū.
Malis autē dicitur, discedite quia opposita eis con-
petunt. Præterea operarij iniquitatis vocātur, quia
in peccatis mortalibus deprehensi sunt, & similiter
non pœnituerunt. Obserua etiam hîc & diligenter
aduersus Lutheranam perfidiam, quod isti damna-
Opera non ti sunt, non quia Christū non audierūt, & credide-
saluant cōtra rūt, sed quia operati sunt iniquitatem. Vides quod
lutheranos. ex eo, quod opera bona nō habuerūt dānati sunt? fides
Iaco.2 enim vt Iacobus ait, sine operibus mortua est. Quo
modo fides viua est quæ charitate caret? Illa fides
Galat.5 viua est: quæ vt ait diuus Paulus per charitatē ope-
ratur, illā verò quæ sine charitate est non prodesse
ad æternam vitā consequendam apertissimè ostē-
1.Cor.13 dit locus iste, & Paulus Corinthiis scribens. Si ha-
buero omnē fidem ita vt montes transferā, charita
tem autē non habuero nihil sum. Quid ad hęc res-
pondebunt Lutherani qui sola fide gloriātur, ope
ra autem charitatis reiiciunt nō esse necessaria af-
firmātes? Quî fieri potest, vt nō sint necessaria ope-
ra, si nos Deus secundum ea iudicaturus est? Vide
Rom.2 quid dicat Paulus in epistola ad Romanos. Deus
reddit vnicuique secūdum opera sua. Quid potest
esse clarius? Præterea si sola fides satis est, cur dixit
Iacob.1 Iacobus, estote factores verbi, & nō auditores tā-
tum, fallētes vosmetipsos, quia si quis auditor ver-
Rom.2 bi est & non factor, &c. Et paulus. Nō auditores le
gis sunt iusti apud Deum, sed factores legis iustifi-
cabuntur. Lege scripturam, vbique inuenies opera
Matth.20 commēdari. Apud Matthæum Christus nos ad o-
perandum in vineam mittit. Et alibi sic inquit. Lu-
ceat lux vestra coram hominibus, vt videāt opera
Matth.5 vestra bona, & glorificent patrem vestrum. Et alibi
reddens rationem quare producturus est iustos in
regnum sempiternū, opera charitatis commemo-
rat nulla facta mentione de fide, sine qua tamen vt
ait Paulus, impossibile est placere Deo. Diuus quo-
Matth.24 que Petrus princeps apostolorum in epistola secū-
Hebr.11 da ita ait, Satagite vt per bona opera certā vestram
2.Pet.1 vocationē & electionē faciatis. Et diuus Paulus in
secūda ad Corinthios testatur, ituros nos esse an-
te tribunal Christi & ibi manifestandos, vt referat
vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bo-
num siue malum. O insipientes Lutherani, cur Lu-
2.Cor.5 thero creditis homini perditissimo, potiùs quā di
uo Paulo doctori gētium, potiùs quàm diuo Petro
apostolorum principi, & potiùs quàm Christo cœ-
lesti atque summo doctori, qui ideo humanam na-
turam copulauit, vt hominum genus doceret, & à
tenebris vindicaret, & viam veræ salutis cōsequen
dæ aperiret? Sed iam ad contextum reuertamur.

Ibi erit fletus.

Pœna sensus Dicit Christus de pœna damni quæ est carentia
in damnatis. diuinæ visionis, in eo quod dixit, discedite à me: nā
nunc agit de pœna sensus dicēs quod ibi, hoc est,
in inferno erit fletus. Prius de maiori malo loqu-
tus fuit, nunc autem de secundo agit. Porrò fletus
erit in damnatis, sed non vt nos vocamus fletū, id
est, resolutionem lachrymarū, quia non potest esse
lachrymarum fluxus, sine alteratione reali, quæ est
quædam calefactio interiorum, vt possit resolui &
destillare id quod prius nō erat fluidū, nihil enim
istorum potest esse die iudicij, cessante motu cœli,
qui est principium omnium motuum naturalium.
Sed erit fletus in damnatis, tanquam aliquid quod
est in fletu corporali, & illud est non resolutio la-
chrymarū, quia sic, hoc est cū pœna sit æterna, esset
infinita, & sic excederet quātitatem maris, sed erit
commotio capitis, & turbatio vultus & oculorū,
& obnubilatio. Erit autem in anima summa tristi-
tia, quæ erit maior, quàm omnis voluptas quæ præ
cessit in peccato, in corpore autē erit dolor sum-
mus ab igne & aliis tormentis, quæ verè & acriter
sentiuntur, & erit turbatio quædā vultus, & offu-
scatio, qualem solent facere qui flent, quamuis la-
chrymas non emittant. Sed tristitia & pœna secun
dum corpus ita erit, ac si verè lachrymas funderēt,
quia ille lachrymarum fluxus non auget pœnam,
cùm sequatur ex motu præcedente corpore. Et vl-
tra hoc etiam erit.

Et stridor dentium.

Verè erit in damnatis stridor, sicut & fletus. Sed
non ab igne & fumo & frigore, à quibus nobis so
let causari, sed gignuntur à causa intrinseca, id est,
motu indignationis & displicentiæ. Aduerte tamē
quòd pœnæ inferni significantur, in tristitia animi
causa fletus, & in cōcussione totius corporis vsque
ad stridorem dentium, vt pœna animi & corporis
comprehendatur. Sequitur,

Cum videritis Abraham. Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei.

Ex hoc sequitur quod damnati videbunt gloriā Videre dam-
beatorum, nam damnati habebunt omnem modū natorum non
pœnę, & erit maxima vt Christus hîc ait, quod vide erit sensuale
bunt Abrahā & sanctos in regno Dei, & ipsos ex- sed intelle-
pelli foras. Aduerte autem, quod hæc visio nō erit ctuale.
corporalis, sed intellectiua ad quam nō requiritur
sensus neque propinquitas, aut proportio medij,
aut lux corporalis, quia nō est visio sensitiua. Hoc
tamen sciēt damnati naturali cognitione, nā si po-
nerētur scire gloriam sanctorum, id est, quod vide
rent quæ esset gloria eorum & quāta, necesse erat
poni reuelationem fieri damnatis & quodāmodo
beatificari eos, & hoc non scient, sed scient beato-
rum gloriam in quodam confuso & generali, vide
licet, sciēt esse in quodā bono ineffabili, sed nesciēt
quale illud sit, quia nihil experti sunt de illo sicut
nos cognoscimus gloriam beatorum, sed delecta-
tionem illius gloriæ nescimus, quia nondū exper-
ti sumus. Ratio autem huius cognitionis prouenit
quia anima separata cognoscit aliam, cum cogno-
scat quālibet substantiā separatam, tamen qui co-
gnoscit substantiam alicuius rei actu existentis, vt
actu existit, necesse est vt cognoscat aliquid de cō-
ditione eius, ideo damnati qui beatos cognoscūt,
sciūt positos in magno bono, & hæc est magna eo-
rum afflictio. Dari autem eis interiorem cognitio-
nem de bono beatorum non expedit, quia nō po-
terat fieri sine quadam participatione beatitudinis
in damnatis, cùm cognitio nō possit fieri sine simi
litudine quadam, ideo ad cognoscendū illam glo-

riam & quanta sit, necesse erat tātum de gloria habere, & tūc esset cognitio per assimilationem vniuocam, aut eleuari intellectum eorū per aliquid excellentius, repræsentatiuum ad illam gloriā cognoscēdam, sicut intellectus cognoscit ea, quę sensus, non quidem vniuoce, idest, per speciem talem, qualem sensus, & facta tali passione qualis sit in sensu, sed per excellentiam repræsentatiuū, idest, per speciem immaterialem, & tunc esset excellentior cognitio damnatorum, quàm beatorum, quod est inconueniens. Ideo non possunt damnati, neque etiā dęmones scire determinatè gloriam beatorum, sed solùm in confuso.

¶ Sequitur in contextu.

Vos autem expelli foras.

Matth.25 Matth.13 Sic in Matthæo dicitur. Inutilem seruum proiicite in tenebras exteriores. Et alio in loco dominus ait, Exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.

¶ *Et venient ab Oriente & Occidente & Aquilone, & mari & accumbent in regno Dei.*

Psalm.86 Vocatio gentium. Hoc intuens Dauid aiebat, Memor ero Raab, & Babylonis sciētium me. Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Aethiopū, hi fuerūt illic. Per Raab intelligitur Aegyptus ab Aegypto rege fratre Danai, ita denomināte, vt ait Manethon Aegyptius in libro de regibus Assyriorum. Per Babylonem vrbs illa celebris, quā Semiramis incredibili magnitudine extruxit, vt ait Archilosus in libro de temporibus, quæ euersa fuit per Cyrū, & Dariū, qui annis duobus simul regnauerunt, deinde solus Cyrus, vt asserit Metasthenes Persa in libro de iudicio tēporū. Per alienigenas possūt intelligi cultores Italię, fuit enim regio illa possessa in initio à gente Phœnicia & Saga sub Iano, vt ait Porcius Cato in originib[us], & posteà coluerūt eam & Archades alienigenæ, vt ait Marsilius Lesbius in libro de origine Italię. Possunt etiā per alienigenas intelligi Philistęi, quoniā sic eos Hebręi vocare solebāt. Est loci illius sensus. Intra ecclesiam meam, dicit Deus, nō solùm gentē vnā cōcludam, sed multas & varias, memor enim ero Aegyptiorum & Babyloniorum, quos afferam ad Ecclesiam meam, qui me scient, cum me anteà non cognouissent, & non solum hi, sed etiā Palæstini, Tyrij & Aethiopes, hi in Ecclesia mea inuenientur, quam ex omnibus gentibus, linguis & populis

Esai.49 congregabo. Vnde Esaias primitiuam Ecclesiam in hunc modum alloquitur. Leua in circuitu oculo tuos, & vide. Omnes isti cōgregati sunt, venerūt tibi. Filij tui de lōgè venient, & filiæ tuæ de latere surgent, &c. Quibus verbis hominū multitudinē ad Ecclesiam concursuram prædixit. Hoc autem videmus impletum, eo quod per quatuor mūdi partes Euangelium prædicatum sit, & ex omni natione sanctissimos habet viros Ecclesia, vt nūc habet fideles & iustos, cùm adhuc multitudo Iudæorum maneat in sua perfidia. Maximus enim erit dolor Iudęorum. Videmus enim ipsos, qui ex populo Dei erant & filij Abrahæ & sanctorum patriarcharum expelli foras, & alienigenas gaudentes, & fœliciter requiescentes cum eorum patribus in regno Dei.

Matth.25 Hinc apud Matthæum loquitur Christus de semetipso. Mittet angelos suos in tuba & voce magna, & congregabit electos à quatuor vētis, & accūbēt in regno Dei. Magis torquebuntur Iudæi, videntes gentiles gaudentes cum patribus, & ipsos expelli. Qui temoriores videntur, & quos minùs credimus sæpenumero illos, qui propiores loco sunt virtute, & religione anteuertunt. Propiùs habitabāt Bethleemitæ cum Christus in lucem est editus, codemque modo Iudæi, qui omnes non cognouerūt eū. Multi etiā extiterunt, qui viginti passuū spacio cōfecto, si voluissent Christū adorare potuissent, & tamen eum non viderunt. At ecce Magi ab Orientis extremis regionibus lōgo itinere, magnis sumptibus & laboribus veniūt. Sic videmus pagos quàm plurimos tria aut quatuor milliaria à Compostella distantes, quorum habitatores nunquam sanctissimum Iacobi apostoli templum inuiserunt, cùm ibi Germani, Theutonici, Galli, Flandri, aliæque inauditæ nationes, visitantes celeberrimam basilicā reperiantur. Sic etiam sæpè videbis simplices sæculares & mulierculas Eucharistiā suscipientes in magnis festiuitatibus maxima cū deuotione & lachrymis, sacerdotes verò ferè quotidie communicātes tepidos & indeuotos videbis. Qui propinquiores sunt sæpè peiores sunt, & de longè veniūt qui nō sæpè religione antecedunt, vt ego vidi ex partibus Indiarū homines barbaros & simplices multò meliores christicolas, quàm nos qui habemus antiquā fidē. Ita qui foris veniūt, illos qui intus sunt, sæpè numero excedunt. Vtinam in die iudicij, multi milites, sacerdotes & religiosos non præcedant, neu sint meretrices, quæ castissimis fæminis præferantur, sicut multi gentiles, iudæos antecesserunt, vt Christus hîc fatetur.

Proximus ecclesiæ, semper vult vltimus esse.

Matth.2

¶ Discamus non inaniter de statu religionis aut perfectionis gloriari, sed iuxta nostram vocationē piè & iustè viuere. Nos enim, qui maiora à Deo suscipimus ad maiora tenemur & strictiorem rationem reddemus ante tribunal iudicantis, Væ nobis cum viderimus milites & publicanos cū patribus nostris Augustino, Benedicto, Dominico & Francisco, in regno Dei, nos autem expelli foras, Væ etiā nobis cum viderimus publicanos, & meretrices venientes ab Oriente & Occidente intrātes in regnū Dei, & accipiētes beatitudinis denariū, & nos qui summo mane vocati sumus ad vineam domini, expelli foras à præmio æterno. Sed ad contextum veniamus. Matth.20

Ecce sunt nouissimi, qui erant primi, & sunt primi qui erant nouissimi.

Fuerunt Israëlitæ, primi cultores Dei, ad extremum autem Christo prædicante venerunt gētiles, & ideo ipsi credebāt, quòd essent potiores & priores in regno Dei quàm gētiles, sed reuera aliter eis euenit, nam publicani & peccatores præcedēt vos in regno Dei. Interdum etiam & apud nos accidit, vt qui sunt perfectiores in virtutib[us] & gratia, quia socordes viuunt, & negligentes, tepescunt, & fiunt nouissimi, vt videmus in religionib[us], in quib[us] multi tyrones qui Deum culturi, mundo se subtrahūt, maiori feruore & spiritu, quàm veterani religiosi, Deo inseruiūt, qui cùm longiùs in virtute & perfectiores multorum annorum exercitatione, & gymnasio diuturniori esse deberent: remissiores sunt, & ad omnia diuina exequenda postremi. Ideo Paulus monet. Qui stat, videlicet in altitudine perfectionis, videat nè cadat, & retrò reuertatur. Sed vnusquisq; cū timore & tremore seruiat Deo. Nemo enim scit verū sit Deo acceptus, nec etiā quantū in bono incœpto perseuerabit, quapropter Christus Saluator noster, qui nō vult mortē peccatoris, nec lætatur in perditione moriētium, hortatur & monet nos

Matth.8

1. Cor.10 Vide Bedā in cap.13. cap.57

Ezec.8

net nos ne confidamus in eo, quòd sumus veteres christiani, aut filij sanctorum, sed vt contendamus operibus bonis fidem nostram ostendere, & conemur per angustá portam intrare seruátes Dei præcepta, dum adhuc tempus & locus est pœnitendi, quia in futuro non est tempus aut locus intrandi, claudetur enim porta misericordiæ deinceps non aperienda, &c. Igitur postquam hæc Christus populo prædicauit, ait noster Lucas.

In ipsa die accesserunt quidam pharisæorum dicentes illi, Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.

Iesu bone, vnde pharisæis tecum tanta amicitia? Molestè ferebant, quod Christus gentiles illis prætulisset, & cùm ob inuidiam suam, miracula, cóciones, & honorem Christi apud populú pati nó possent, veluti vespertiliones solis radios auersantes, hanc astutiam excogitarunt, vt Christum à Galilæa vbi tunc erat eiicerent. Id enim vi satis tutò facere non poterant, nec eum comprehédere aut vexare audebant, nam ab vniuerso populo Christus diligebatur, quare proditores hunc dolum fabricarunt, vt eum illinc relegarét. Sic etiá & hodie multi similia faciunt, qui posteaquam vident nó posse valentioré expugnare qui viribus & dignitate potentior est, nituntur eum apud principem vel prælatú dolis & cauillationibus infamare, blandis nihilominus mollibusq; verbis proximum, qué prodiderunt compellantes. Hic est aulicorum hominú mos, hoc vsurpant homines in principú aulis, benè loquentes & malè volentes, coram te laudant, clam vituperantes, ostendunt se amicos, & mutant vestem, quemadmodum fecerút Gabaonitæ Iosue calceos vestésque attritas induentes, amici apparebant, cùm reuera hostes, & aduersarij essent, populi Israel. Sic etiá multi te conueniunt domi tuæ, prætextu amicorum, mutata veste, ludunt tecú, qué tamen mortuum vellent. Dant tibi cósilium vt hi versipelles pharisæi Christo dederunt, quod quanquam foris bonum & vtile videtur exitium tibi, & à rege alienationem molitur. Hoc quod Christo perfidi Iudæi consulebant, primo aspectu salutare videbatur, verum illum à Galilæa in exiliú officij nomine mittere tentabant. Hoc est osculum Iudæ, caue ab his scorpionibus, qui ore blandiuntur & cauda pungunt. Ne multitudine miraculorum turbas sibi conciliaret, & virtute verbi ad se alliceret, fingunt se saluatoris curam gerere.

Iosue 9

Matth. 26

¶ Expende etiam hominú malignorum stultitiam. Videbis alios, qui se amicos tuos profitentur, & semper molestiis te afficiunt, sunt quamplurimi stulti amici, qui nihil aliud agút, nisi vt núciis solicitis amicos suos conficiút. Nuntius in ore hominis loquacis, est sicut triticum loco humido consitum, quod præter modum luxuriat, sed statim corrumpitur. Ita isti loquaces & fabulatores, nuncios sibi commissos corrumpunt, & omnia quę dicunt, licet in se bona sint, suo malo animo peruertút. Sed audiamus Christi respósú. *Et ait illis, Ite & dicite vulpi illi.* Sicut Paulus ob crudelitatem Neronem vocat leonem, sic Christus, ob calliditatem vocat Herodé vulpem, propter hypocrisim & simulationé, Vt pellis vulpis in pretio est, caro auté nihil valet, sic exteriora hypocritæ magni æstimantur, interiora autem paruipenduntur. Volens Carbo prudens homo Syllam crudelem & fallacem vocare, aiebat vt refert Plutarchus, cum leoné esse & vulpé. Ideo veteres hominé versipellem, & dolos sub virtutú

2. Tim. 4
Beda in Luc. 13. cap. 58

tegumento confiantem, vulpem appellabant. Vnde fluxit vetus prouerbium, vulpes annosa haud capitur laqueo. Si Satanas, vt Paulus ait, trásfigurat se in angelum lucis, quid mirum si idem faciant mébra eius qui sunt homines impij? De his ait Apostolus Timotheo. Specié pietatis habentes, virtuté autem eius abnegantes. Igitur sicut vulpes se in terram prosternit & mortuá esse simulat, vt auiculas decipiat, & comedat, sic Herodes hic, Ioánem Baptistam occidit sub specie sanctimonię, simulás religionem, & se velle seruare iuramétum, fingés exteriùs tristitiam cùm intus gauderet. Sic in Ecclesiastico habetur. Interiora eius plena sunt dolo. Docet hîc locus, homines impios, nó homines, sed feras appellandos esse. Ea enim scelera concipiút, vt bruta animalia, ferocitate, stoliditate, & maleficio superent. Pharisæos appellauit Ioánes Baptista progeniem viperarum, quibus etiá Christus dixit, Progenies viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennę? Libidini deditos appellat Hieremias equos amatores, voluptuosi appellantur porci, impudentes verò canes, iuxta illud quod Christ' ait, Nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos. Ait itaque Christus. Fallimini, si creditis vos aut Herodes, quod versutia humana possit aliquid cótra potentiá Dei, & eius volútaté.

2. Cor. 11

2. Tim. 3

Eccle. 19

Matth. 3

Hiere. 5

Matth. 23

Ecce eiicio dæmonia & sanitates perficio.

Vide Christi sapientiam. Non tátum respondet verbis quantum animo, quo loquebantur. Dolentes náque pharisæi quod Christus táta faceret miracula, dixerunt, quod Herodes volebat eum interficere, vt discederet ab eis, ideo Christus de miraculis loquitur, vt inimicos torqueat, acsi diceret, Si pęnitet vos eo quod miracula facio, audite. Ego eiicio dęmonia & sanitates perficio. Quia illi propter sanitates inuidebát, idcirco ipse dixit, quod credebat illos potissimum dolere. O quantum tormenti inuidi sua sponte capiút, nemo alteri tá sæuus carnifex est, quàm inuidus sibi ipsi. *Hodie & cras, & tertia die cósumor.* Hodie & cras, plures dies significát: queadmodum & nos familiari sermone consueuimus dicere hodie & cras fit hoc. Nó omnino intra tam breue temporis internallum rem circunscribentes, sed statim fieri significantes. Sic etiam cras in scripturis accipitur pro tempore propinquo, sicut in Genesi Iacob ait, Cras respondebit mihi iustitia mea. Nec etiam significare voluit, quod tertio die esset consumédus, idest, moriturus. Sed in breui mortem suam esse futuram declarauit, & nó diu apud eos mansurum: quasi dicat. Quid meditamini meam mortem? Ecce cito ipsamet veniet. Vos dicitis, quod Herodes mortem mihi molitur, & vos non molestè fertis, sed inanis est deliberatio eius, quia nó est in manu eius mors mea, quia nemo tollet animam meam à me, potestatem enim habeo ponendi animam meam, & sic cum voluero poná eam & moriar. Volo nunc per aliquod tempus miracula facere & prædicare, quia nó expedit tam citò tolli, ideo nunc hodie & cras dæmonia eiicio, & sanitates perficio, sed post breue tempus moriar cum voluero, non tamé iuxta voluntatem Herodis & vestram, nec cuiusquam hominis. Docet hîc locus voluntariè Christum passum esse pro nobis. Expediebat enim vt opus tá insigne redéptionis nostræ ostenderent euangelistæ, non coactú & inuitum, sed merè opus amoris & dilectionis fuisse, ex fonte diuinæ volútatis, & dulcedine amoris proce

Matth. 7

Theophy. in hoc loco.

Gene. 30

Ioan. 10

Passio & mors Christi spontanea fuit.

dens. Sequitur. *Veruntamen oportet me hodie & cras, & sequenti die ambulare.* Hoc est oportet me aliquibus diebus immorari, docendo, & miracula faciendo, & operando hominum salutem, & posteà in Hierusalē proficisci, vt impleātur quæ prophetæ scripserunt de me. Obserua autem quod dicit, oportet me. Non te oportet domine Iesu, sed nos oportet. Expende Christi bonitatem & clemētiam, bonum nostrum suum vocat, commodum nostrum & vtilitatem nostram, suam reputat. Tanta enim est vis amoris in eo, & sic diligit nostrā salutē, quod omnia nostra sua reputat, & tristatur, cùm videt nos tristari, & gaudet in nostro profectu. Atque ideo detentus, vt prædicet & vt doceat cōtemnere terrena & amare cælestia, & occupatus in curandis leprosis, cæcis, claudis, paralyticis, aliisq; infirmis, dicit quod eū oportet ambulare & viuere aliquātulum. Me oportet domine, non te, quando omnem vitam tuam consumis in meū commodū, & omnes gressus tui in meū bonum diriguntur, & ista vita non est tua sed mea, siquidem tu ea nō frueris sed ego. Mea refert audire doctrinā tuam, & miracula tua eo tendunt, vt nos credamus, &c. Ambulat Iesus benefaciendo & operando salutem nostram, deinde vt consumentur in eo omnia quæ scripta sunt per prophetas, vadit in Hierusalē. *Quia non capit.* Hoc est capacitatem, seu congruentiam non habet. *Prophetam perire extra Hierusalem.* Hoc est occidi extra Hierusalē. Hiperbole est, quia non omnes prophetæ occisi sunt in Hierusalem. Cùm Ieremias in Aegypto. Et Ezechiel in Galilæa, & Amos in terra decē tribuū legantur occisi, sed quia copiosiùs in Hierusalem sanguis prophetarū effusus est, quia ibi regnabant reges Israel & summi sacerdotes, sicut etiā in vrbe Roma fuit maior occisio sanctorum Martyrum, quia ibi sicut in mundi capite Cæsares imperabant. Sed considerans peccatū grande Hierusalē, & mala quæ super ipsam erant ventura, dolet eius miseriā pater misericordiarū, & Deus totius cōsolationis, & gemitu altiùs emisso, animoq; tenerrimo, sic inquit, *Hierusalē, Hierusalē, qui occidis prophetas & lapidas eos, qui mittuntur ad te.* Per Hierusalē nō ligna & lapides, sed homines intelligūtur, vt apud Esaiā. Vlulate naues maris. Hoc est qui nauibus per mare cursum facitis. Et in Ezechiele, dominus ait, Pone faciē tuam ad mōtes Israël. Figura est Metonymia, cum continēs pro cōtento vsurpamus. Cùm ait, Hierusalem, Hierusalem intellige, ac si diceret. O Iudæi Hierosolymæ habitātes, qui cędem sanctis Prophetis infertis. Sic etiam Ezechiel. Ecce ego ad te mons Seir. Et Esaias. Audite cœli & auribus percipe terra. Aduerte autem quòd nō dicit in præterito occidisti & lapidasti, sed in præsenti occidis & lapidas, quia perseuerabat in statu occidēdi & lapidandi, & prius quidem repleta fuerat sanguine prophetarum, posteà autē occidit dominū prophetarū. Præterea geminatio verbi affectum diligentis & miserentis exprimit. Sic Dauid geminabat. Absalon fili mi, fili mi Absalō, cōmota enim erant viscera patris super filio. At patre & matre multò magis misericors est Deus. Dolet piissimus Iesus eò quòd multoties voluerit populū durę ceruicis reducere ad salutē, sed frustra. Reuocat in memoriā ingratæ synagogę beneficia accepta, quorū maximū est, sanctos homines ad eā misisse. Misi ad te Esaiam, & serra secasti eum: misi Hieremiam, & hunc lapidasti, misi Ezechielem, & eum excecebrasti, & alios plures occidisti. Quid facere debui, quod tibi non fecerim? Quomodo sanabo te, qui medicos omnes persequeris? Sanctis meis nō peperci, vt tibi parcerem peccatrici, illorum vitam neglexi, vt mortem tuam non viderem, si tuam voluissem mortē, non misissem ad te prophetas. Rursus in hac geminatione verborum, videlicet Hierusalem, Hierusalem, duplicem pœnam ciuitatis plāgit Christus, duplici nanque pœna plectetur, expulsione videlicet à regno temporali, & damnationem patietur æternam.

Theophylact. in ca.13.Luc. — 2.Cor.1 — Beda in cap. 13.Luc.ca. 58 — Esai.23 — Eze.6 — Eze.35 — Esai.1 — Chrysost. quā citat D.S. in catena. — 2.Reg.18 — Esaias

¶ Aduerte etiam quòd Christus non saxa & lapides ciuitatis lamentatur, sed eius habitatores. Animabus peccatricibus condolendū erat, & tristandum de bonis animæ spiritualibus, non de perditione bonorum temporalium.

Obseruandum quoque est quòd non solùm ad illam ciuitatem loquitur Christus, sed ad totum regnum Iudæorū, quia omnes incolæ illius regni occupati fuerunt & consenserunt in Christi morte, quia in die Azymorum Christus mortuus est, vbi omnes conueniebant, & tenebantur interesse ex omni parte regni, & tota turba exclamauit, Non hunc sed Barabbam. Et de discipulis Christi nō est dubium, qui vexati sunt de ciuitate in ciuitatem, & ideo communis culpa fuit omnis gentis Iudæorū, & sic in punitione non solum deleta est Hierusalē sed etiam tota Iudæa. Sed loquitur de toto regno sub nomine tantum Hierusalem, quia sic est consuetudo Dei loqui in prophetis, vt non solùm per vnam ciuitatem designet vnam gentem, sed etiam per vnam mulierē. In Ezechiele ponit Oollam & Olibam, & per Oollam intelligit gentem Israel siue Samaritanos, & per Olibam gentem Iudæorum. Rursus obseruandum, quod lapidatio hæc, de qua loquitur Christus non distinguitur contra occisionem, sicut species contra genus: quia communiter apud Iudæos idololatræ & blasphemi lapidabantur. Cum enim volebant prophetam aut sanctum occidere, imponebant, quod contra legē egisset, & lapidabant. Sic lapidauerunt Stephanum. Christū tamen, quamuis de blasphemia accusatus esset, nō lapidauerunt, quia iudicatus fuit à Pilato qui gentilis erat. Vel meliùs quia Deus verterat voluntatem iudicis, & Iudæorum vt eū crucifigerēt, quia prophetatū fuerat per prophetas, vt crucifigeretur. Et ideò prophetatum, quia Christus id genus mortis elegit, quod vilius & magis infame fuit, & abiectius, vt humilitatem ostēderet, & altiùs nos exaltaret, quia secundū legem maledictus erat, qui pēdebat in ligno. Admonet locus iste super animā rebellem & obstinatam plorare, vt Christus dolet cæcitatem & duritiem Hierusalem. Docemur hoc etiam Christi exemplo nō lætari in damno nostrorum proximorum, sed potius condoleamus miseriam eorum. Sed ad textum.

Hierusalem nomine totū regnum complectitur. Theoph. vt supra. — Matth.27 — Eze.23 — Deut.13.& 17 — Leui.24 — Act.7 — Deuter.21

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluisti?

Mira Dei bonitas, non obstantibus occisionibus sanctorum, non desiit eos vocare, semel, sed multoties, atque ideo dixit, quoties, ac si diceret. Non semel aut bis, sed sæpè, quo etiam verbo indicat omnes retrò prophetas à se missos. Magna certè durities fuit habitantium Hierosolymis, sed vtinam & tu durior ne sis, contemnens Christum tam benignè quotidie vocantem, semper enim Deus vocat peccatorem, & pronior est ad parcendum

Non vna vice sed pluribus vocat peccatores Deus.

Gen.3 cendum, quàm ad puniendum, Adam postquam peccauit punitus quidem est, sed attende quam humaniter se habuerit cum illo iudex clementissimus. Non misit ad illum angelum aut archangelum, sed ipsemet venit. Nec ei dixit, O sceleratissime, cui tot contuli beneficia, quid fecisti? sed dixit. Adam vbi es? non oblitus est nominis eius, quanquam ille Dei oblitus sit. Nos odio habemus nomina inimicorũ nostrorum, & eorum, qui nobis iniuriam fecerũt, & nolumus eos propriis nominibus vocare. *1.Reg.20* Saul, qui Dauidem oderat cũ proprio nomine non appellauit, cũ de eo percontaretur, sed potius dixit, Vbi est filius Isai? Et Iudæi, de Christo dicunt, vbi est ille, & non dicunt vbi est Iesus. *Ioan.9* At Deus vt ostendat per peccatum hominis non esse suã dilectionẽ extinctã ait, nomine proprio, Adam vbi es? Bene illud sciebat Deus, sed vt cũ oculos ad se conuertere faceret, vt [illegible] esset à peccato constitutus videret, inquit, Vbi es. *Hiere.5* *Apoc.2* Alibi te reliqui, & alibi te inuenio, in honore eras & gloria, & nunc in confusione, vide vbi prostratus sis, memento vnde excideris, nolo mandare iudicium alij qui minus te diligat, quàm ego, per me ipsum te volo iudicare, & relinquere. Alij forsitan punient, sed non corrigent. Iudices cùm fures quærunt & capiunt, non laborãt quomodo illi latrones meliores fiant, sed quo pacto puniantur pœnis. *Ezec.18* Sed ego cùm peccatores arguo, non expecto, vt supplicium quæram, sed vt corripiam, nolo mortem peccatorũ. sed vt magis conuertantur & viuant. Volui ô Hierusalem non occidere te, sed congregare. *Psal.72* O quàm bonus Israël Deus, non tantum his qui recto sunt corde, sed etiam nefandissimis peccatoribus. Cùm hæc maledicta ciuitas mereretur in barathrum mergi, nõ vult illam destruere, sed saluare, & ideo multoties suauiter vocat illã, & illa rebellis & inobediẽs semper extitit diuinæ vocationi. Malitia enim eius cum Dei bonitate certabat.

¶ Volui, inquit, congregare sicut auis congregat nidum sub pennis. Vide quod cõgregare opus Dei est, & propriũ eius, dispergere vero opus diaboli, & alienum à Deo. *Esai.28* Sic viri iusti inter discordes amicitias tractant, impij vero, discordias seminãt. Porro quod vnus euangelista tacet, alius dicit, nã *Matth.23* Matthæus dicit, sicut gallina, quæ quidẽ auis magno affectu nutrit pullos, fouet eos, & propter illos infirmatur, & à miluis defẽdit, quæ omnia Christus solerter cũ synagoga fecit, & nobiscũ agit. *1.Pet.5* Væ pullis non fugientibus sub Christi alis, cùm diabolus tanquam miluus circumeat quærens quẽ deuoret. *Psal.16* Sic Dauid in persequutione inuocabat dominum protectorem suum, dicens, Sub vmbra alarũ tuarum protege me. Aperit inquam gallina alas suas sub quas pullos admittit, apertura si liceret, & corpus, vt eos intrò reciperet. *Ioan.9* *Rom.12* Ita Christus aperuit in cruce brachia sua, vt nos omnes susciperet, & quia ei fas fuit corpus & cor aperire, idcirco latus aperuit, vt nos intrò ingrederemur. Nec hoc cõtentus sua nos mẽbra esse voluit, vnũq; sibi nos effecit. *Ioan.17* Ita enim ille habet. Volo pater vt vnũ sint, sicut ego & tu vnũ sumus. Adeoque voluit sui cordis penetralia omnibus patere, vt pullis suis dicat. *Matt.25* Intra in gaudiũ domini tui. Sed in gaudiũ Dei planè nemo penetrare potest, nisi ad intima & vltima cordis admissus. Præterea vt pulli sub alis sunt velut in abscõdito, ac ideo in silẽtio sunt, ita & Christiani sub alis Christi sileant, vnicum illud præsidium sibi ipsi putantes esse. Cur ergo christiani in laboribus murmuramus, cùm simus protecti sub talibus alis? Sumus enim nos de quibus Dauid dixit. *Psalm.16* Abscondisti eos in abscondito faciei tuæ, proteges eos in abscondito tabernaculi tui. Denique sicut contra miluos, nullum pullis remedium est, nisi gallina, ita nec sub cœlo est datum hominibus contra dæmones aliud præsidium nisi Christus. *Act.4* Demum si pulli æquales ferè sint sub alis matris suæ, & non odia gerunt, non rixantur, non pugnãt, cur nos sub alis Christi pugnamus? Certè in ventre Rebeccæ fratres pugnant, & in ventre Thamar fratres corrixantur, sed sub alis Christi id minimè licet. *Gen.25* *Gen.38* Sed his missis ad alia properemus. Quid fecit Hierusalem, ad tantã Dei bonitatẽ? *Et noluisti.* Dubium est, cum Deus omnia quæcunque voluit fecerit in cœlo & in terra, & in omnibus abyssis, quid est quod Hierusalem non est saluata? *Psal.134* Quia noluit. Deus voluit illam saluare, vult etiã omnes peccatores saluos facere, tamen ipsa non est saluata, quia noluit, nec alia ratio danda est. *1.Timot.2* Non compellit Deus liberum hominis arbitrium, reliquit enim hominem ab initio in manu consilij sui. *Eccles.15* Neminem cogit, sed in sua voluntate relinquit, nec virtus esset virtus si homo cogeretur recipere eã, aut peccatum non esset culpabile, si inuitus faceret. Potest quidẽ Deus de nolente facere volẽtem, nolentem tamen non cogit. *Volũtas Dei duplex, antecedens, & cõsequens.* Voluit nanque Deus saluare Hierusalẽ voluntate antecedenti, quæ non semper impletur, quia non est voluntas absoluta, & plena, sed voluntas Dei consequens semper impletur. Voluntas antecedẽs est, cum Deus omnia necessaria dat homini, vt consequatur vitam æternam, & sic intelligendus est Paulus cùm dicit Timotheo, Deus vult omnes homines saluos fieri. *1.Tim.2* Voluntate inquam antecedente. quia Deus nemini negat suum auxilium. Si quispiam pater paruo filio gladiolum in manus traderet suspicaremur hunc velle, vt filius se interficeret, quando illi vti nescienti, ferrum concessit, ad hunc effectum medium satis accommodatum. Sic etiam est mos loquendi, si aliquis in manibus palam portaret thesaurum suum, qua multi latrones grassarentur, diceremus hunc spoliationem suam affectare. Eodẽ modo si quæras quare Turca non saluatur? quia non vult. Nihil aliud aut certius aut breuius respõderi potest. Nõ vult vti donis Dei, & secundũ legẽ naturæ viuere, ideo damnatur. Non quod lex naturæ satis sit ad salutẽ, nemo enim sine lege Christi & baptismate potest saluari, sed si Turca aut Maurus, aut infidelis viuerent iuxta dictamen rationis, Deus illorum mentes illuminaret, eosque ad fidem catholicam & sanctum baptisma, vt saluarentur adduceret. Neminem faciẽtem quod in se est Deus deserit, sed quia infideles legem naturalem non seruant, non illuminantur à Deo. Omnes enim carnem & sanguinem sequũtur, & vitiis se tradunt, libidines suas beluinas sectantes, & pleni sunt execrabilibus peccatis, quibus ostium Deo claudunt, ne ad animas eorum ingrediatur. De his ita Paulus loquitur, ita vt sint inexcusabiles. Quia cũ cognouissent Deũ, scilicet lumine naturali, non sicut Deũ glorificauerũt, aut gratias egerunt, sed euanuerũt in cogitationibus suis, & obscuratũ est insipiens cor eorũ, &c. *Rom.1* Sequitur quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorũ, & in immũditiã vt contumeliis afficiant corpora sua, in semetipsis,

qui commutauerunt veritatem Dei in mendaciũ, & coluerunt creaturam, potiùs quàm creatorem. Omnia itaque media necessaria ad consequendam vitam æternam dedit Deus omnibus, atque ideo si non saluantur, non est ex defectu Dei, nec quod illis omnia necessaria non suppeditauerit, si illi sibi vtiles esse velint. Ideo propria eorũ culpa fuit. De hoc etiam accusabat Deus olim populũ suum
Hiere.8 Israel per sanctum prophetam suum Hieremiam, dicens, Transit messis, finita est æstas, & nos liberati non sumus, super contritione filiæ populi mei, contritus sum, contristatus, stupor obtinuit me. Nunquid resina nõ est in Galaad aut medicus non est ibi? Quare ergo nõ est ibi obducta cicatrix filiæ populi mei? Vide quomodo nõ ex defectu medici aut medicinæ, nõ est sanata synagoga, sed quia noluit sanari. Cũ Deus perfectè omnibus sufficiẽtibus remediis prouiderit Hierusalem, non solùm communia auxilia, sed etiam multa particularia dedit, particularem legem illi tribuens, ad eámque quamplurimos prophetas mittens, quorum prædicatione, monitu, & reprehensione à vitiis suis auocaretur, donec idem filius Dei, per se ad eos missus est, vt illis Euangelium prædicaret, & tamẽ noluerũt venire ad illum. Et noluisti ait dominus, omnis culpa est in te. Et ita quantò maiori obligatione tenebaris tu, quàm aliæ nationes, vt esses bona, siquidem maiora beneficia acceperas, ita etiam pateris maiora supplicia, quia maiorem culpam habes. Et si vis cognoscere quanta si culpa, vide quanta sit pœna. Sed qualis est pœna? Audi.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

Iudæorum reprobatio. Relinquetur inquam vobis, idest, ad vestram confusionem, vestrarumque culparum vindictam, domus vestra deserta, quod factum est, quando Romani destruxerunt Hierusalem, & vendiderunt ac disperserunt plurimos Iudæorum, vt olim prædi-
Dan.9 xerat Daniel. Ciuitatem & sanctuarium dissipauit
Psal.68 populus cum duce venturo. Et Psalmista. Fiat habitatio eorum deserta. Obstinati adhuc & cæci Iudæi in sua adhuc perfidia permanentes, nolunt cõcedere, (vt ego ipse cum eis disputando audiui) quod Deus dereliquerit populum suum dilectum Israël, atque quod eiecerit synagogam. Sed au-
Esai.2 diãt quid propheta suus Esaias prædixerat. Venite ascendamus ad montem domini, & ad domum Dei Iacob & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum domini de Hierusalẽ. Hoc de Christo loquutus est atque eorũ Messia, cuius lex exiuit de Sion:
Exod.16 nam lex euangelica exiuit & incepit Hierosolymis, quæ ciuitas est in monte Sion. Lex tamen Mosi incœpit à monte Sina, vbi data fuit. Et etiam lex Mosi iam erat data tempore Esaiæ, & nunc vaticinatur quomodo Christus docturus esset gentes & populos: quapropter de nullo alio loquitur Esaias hîc, nisi de Christo rege Messia. Sed quod Deus aliquando expulerit & à se abiecerit synagogam & domus eius maneret deserta, in eodem capite post pauca subiungit Esaias. Dereliquisti domine populum tuum domus Iacob. Ecce ibi propheta
4.Reg.2 dicit eos derelinquendos à domino Deo suo. Nũquam tamen nec sub Nabuchodosor, aut Antiocho, aut alio principe, tãto tempore derelicti sunt, nam plus fluxerunt, quàm mille, & quingenti anni quòd expulsi sunt à templo & Hierosolymis, & nũquam redierunt. Expende ergo & diligenter considera: quod Iudæi propter Idololatriæ crimẽ exules facti sunt: & ducti captiui. Manasses enim rex Iuda posuit idola in templo domini & fecit populum adorare, vt habetur in quarto volumine Regum: propter quod dixit dominus, Delebo Israëlem sicut deleri solent tabulæ, &c. Fuerunt autem captiui in Babylonia septuaginta annos vt dixit dominus, per Hieremiam. Et seruient omnes gen- Hiere.25
tes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Et nunc videmus quod plusquam mille quingentis annis, sunt extra patriam suam dispersi per omnes orbis nationes: igitur propter aliquod peccatum maius quàm idololatria. Deus enim maiora peccata maioribus pœnis plectitur: hoc autem peccatũ aliud non est quàm Christum occidisse. Vnde sequitur Christum Deum & hominem esse. Nam si homo purus esset, quanquã ab illis occideretur, non esset hoc tantum peccatum, quoniam occisio hominis non est maius peccatum quàm idololatria. Videmus autem quod propter hanc occisionem Iudæi grauiore pœna plectuntur, quia perpetuò dãnantur exilio, ergo ille homo iustus quem suspendentes in ligno, occiderunt, aliquid maius habebat, quàm humanitatem. Igitur quia Deum & hominem suum verum Messiam occiderũt, domus eius vsque nunc manet deserta, & ipsi exules & profugi, quod maius peccatum fuit, quàm Idololatria, atque ideo nõ septuagenario, sed perpetuo exilio damnantur. Ecce ergo quia volui cõgregare filios tuos, sicut auis nidum suum sub pennis, & noluisti, relinquetur domus vestra deserta.

¶ Ad nostrã autem eruditionem monet locus iste, vt Deum timeas ne te deserat, sicut istos Iudæos deseruit. Bonum erit ex aliis periculum facere. Considera diligenter populum tam charum & acceptum Deo, quippe qui genus ducebat ab illis sanctissimis patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob, Exod.14
quẽ tãtis miraculis eduxit dominus de Aegypto, cui tantum in deserto, & posteà in terra promissionis indulsit, in qua tot reges & prophetas esse voluit. Denique de quo idem Deus carnem sumere dignatus est, & ad quem (vt Cananæa dixit) potissimum saluandum venit. Videbis illum anteà Matth.15
dilectissimum & charissimum omnium populorũ, nunc ita à domino destitutum, vt nulla sit in toto orbe terrarum natio vilior & abiectior gente Iudæorum. Ab omnibus contemnuntur, omnibus odio sunt, sed quamobrem à tanto honore ad tantam vtilitatem deuenerunt? propter peccatum. Fuge igitur peccatum, nam vbi est peccatũ non considerat Deus vtrum sis cognatus, vel amicus. Aduerte quantum Deus de Iudæis supplicium sumat, quos eorum culpa reliquit, & se cognoscendum & colendum gentibus exhibuit. Sic Paulus & Barnabas dixerunt illis eorum duritiem improperantes & incredulitatem, Oportebat vobis primũ loqui Act.13
verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Caue ne tecum Deus sic faciat vt te derelinquat, si non audieris eum vocantem, time ergo ne simile tibi accidat. Sic Adam audiuit vocem Dei deambulantis, & timuit, & abscondit Gen.3
se. Cur? Quia deambulabat. Qui deambulat non moratur, graditur de loco in locum, deserit hunc & capit illum. Hoc est valde timendum, vt Deus te deserat & transeat ad proximum tuum, vt fecit Sauli, quem reliquit, & ad Dauidem migrauit. 1.Reg.16

Sic

1.Reg.28 Sic dixit Samuel Sauli. Quid interrogas me, cùm dominus recesserit à te, & transierit ad æmulum tuum? Ideo multum debes timere, ne à te transeat ad alium. Ideo in Apocalypsi habetur, quod illi qui vicerũt bestiam & imaginem eius, per quos iustos intelligit, dicebant Quis non timebit te domine, & magnificabit nomen tuum, qui solus pius es, quoniã omnes gentes adorabunt in conspectu tuo. Mirabile est quod dicunt iusti, quod timẽt Deum, quia pius est. Si dixissent, quòd potens est, vindex aut seuerus, &c. non mirum si timerẽt, sed dicunt, quia pius es. Quare pius? Quoniam veniẽt gentes, & adorabunt in conspectu tuo, Acsi dicerent. Ideò ego te timeo, quia cum pius & misericors es, omnes suscipis & gentes veniẽt ad te, ideo ego timeo ne derelinquas me, sicut dereliquisti Hierusalem, & mansit deserta & conuersus es ad nationes. Hoc etiam & ego timeo ne accidat mihi, ne cùm sis pius suscipiens peccatores obliuiscaris mei. Caue ergo, & time, ne propter scelera tua, de relinquaris à Deo, sicut misera Hierusalem. Et vltra hoc, addidit etiam dominus,

Apoc.15

Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis, benedictus qui venit in nomine domini.

Dico autem vobis incredulis & ingratis non videbitis me, idest, in vestra cæcitate relinquemini iusto Dei iudicio, propter vestras iniquitates, ita quòd non cognoscatis me esse Christum filiũ Dei, donec veniat cùm dicetis, id est, vsque ad diem iudicij, quando corporaliter videbitis, & Christũ esse scietis me, quem confixistis. Tũc dicetis, seu cõfitebimini, benedictus qui venit in nomine domini, quia in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestiũ, terrestriũ, & infernorũ. ¶ Obserua autem quod locus iste intelligi non potest de generatione Iudæorum quæ tunc erat præsens, cùm Christus hoc dicebat, nam illa in suis peccatis mortua est. Nec intelligit de generatione Iudæorum damnanda in die iudicij, nã nullus istorum dicit, Benedictus qui venit in nomine domini. Intelligitur ergo de generatione Iudæorum ante iudicij diem aliquantulũ, de qua D. Paulus. Cùm plenitudo gentium intrauerit, tũc Israel saluus fiet. Hi igitur qui prope finem mundi conuertentur, dicent. Benedictus qui venit in nomine domini. Sẽsus ergo huius loci est, Generatio Iudaica hactenus fui maritus vester, hactenus vos in humeris meis portaui, hactenus salutem vestram quæsiui, prophetas, sapientes, & scribas mandaui, iã à modo libellum repudij vobis trado, à modo vos desero, non maiorem vestri quàm aliorum infidelium curam habẽs. Ad generationem quippe meliorem me confero, nec licebit iã me in vestra generatione videre, donec proxime ad iudicium, ad me conuertamini, & videatis me in spiritu per fidem. Bonum ergo erit, vt ex aliorum incommodis tua compares cõmoda, quia vt Paulus ait, quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Ideò euãgelistæ hoc scripserunt, vt nos ne simus ingrati Deo sicut Iudæi fuerunt, quandoquidem tanta beneficia à Deo accepimus quanta illi, aut etiam maiora: sed potiùs si forte conscientiam aliquo peccato grauatam senserimus, aut labores & tentationes patimur, fugiamus sub alas huius Gallinæ, vt nos protegat, defendat, atque tueatur. Et hæc super decimumtertium caput beati Lucæ satis sint dicta, nunc autem ad decimiquarti capitis explanationem accedamus.

Philip.2

Rom.11

Rom.15

CAPVT XIIII.

CVM Christus in mundum veniret, & prædicare, & miracula facere inciperet, omnes pontifices, sacerdotes, scribæ & pharisæi, quod erant tunc sine vlla animi perturbatione, eũ esse Mesiam cognouerunt. Examinabant inter se scripturas dicentes. Hæc prophetia iam est impleta, prophetiæ, & figuræ, debito tempore consummantur, omnia con ueniunt, & hic homo magna signa facit, se esse Christum ostẽdit. Certè Christus est. Ita ait Euangelium eos dixisse. Hic est hæres. Posteà verò animum mutauerunt, quia erant improbissimi, & se videbant ab illo reprehendi, & quia se supra modum amabant: nam quo quis peior est, eo plus se, minus Deum amat. Igitur cùm viderent Christum viderunt esse Mesiam, Mesiam autem mentiri non posse, qui illos ob malam vitam eorum via perditionis incedere prædicabat, illi autem grauissimum putabant malum viuendi morem relinquere, grauiùs tamen in æternum damnari, nam quo quis peior est plus se amat, & quo plus se amat, plus odit pœnas inferni. Nemo beatorũ tantum se amat, quantum quilibet damnatus, & ita si aliquo casu Diuus Petrus, vel Diuus Paulus apud inferos esse possent, minus pœnarum sanctitate sua quàm Iudas sentirent, sancti enim acquiescerent diuinæ voluntati & dolorem patientius ferrent, Iudas autem, quoniam se plusquam Deum amat, sibi ab illo eius crimina plectente, iniuriam fieri putat, quare nõ fert patienter, sed blasphemando & execrãdo Deum, eiusque bonitatem. Prætereà cùm considerarent se agere vitam non ferendam, dicebant inter se. Hic verus est Mesias. Et asseuerat nos esse execrabiles, & hoc modo viuendi proculdubio esse perituros. Corrigi, durum est: perire tamen in æternum, durius. Quid nam remedij potest in hoc negotio inueniri? Nos existimamus nos esse sanctos, vt ille dixit qui in tẽplo orabat, non sum sicut cæteri hominum. Alius verò dixit, se custodisse à iuuentute sua legẽ Dei, non possumus ferre, tã acriter ab hoc Iesu reprehendi, duorum alterum faciendum est. Aut mali mores vitæ nostræ sunt relinquẽdi, quod est difficillimum, aut illum non esse Mesiam, defendere debemus. Denique statuerunt illi nõ credere, ad hoc autem opus fuit credere ipsum non esse Mesiam, in quo maiorem laborem existimo ipsos suscepisse, quã in credendo. Nam ad credendum habebãt maxima documenta, verùm ad negandum defatigabantur in ueniendis argumentis, quibus fallaciam suam probarent. Quærebãt igitur multa media nè Christus Mesias videretur. Maximum autem erat eorum medium, quo intellectui suo persuaderent, Christũ non esse Mesiam, peccatum in Christo quærere, vt inuento in Christo peccato probatur ipsum non esse Mesiam. Quo probato non adhiberent fidem eius dictis aut reprehẽsionibus, & sic, eo modo quo viuebãt viuere possent, & ab inferno liberari, licet Christus contradiceret. Quærunt igitur in Christo peccatũ ad eũ negãdũ, nã Mesias peccatũ habere non poterat, iuxta illud Esaiæ. Iniquitatẽ non fecit nec dolus inuẽtus est in ore eius, in quo toto capitulo, si rectè attẽderis, Esaiã de Mesia, & nõ de alio loqui inuenies, quoniam si Christus peccasset, non modo

Matth.21 Luc.20

Luc.18

Matth.19

Esai.53

modo mortaliter, sed etiam venialiter, hac de causa quod inuentum esset in Christo peccatum licet paruum, non tenerentur illi credere illũ esse Mes-Ioan.8 siam. Quare innocentiam suam ostendit Christus tũc, cùm dixit eis, Quis ex vobis arguet me de peccato, ne vllam excusationem haberent. Quærunt igitur in Christo peccatum, & hoc argumentum faciũt. Hic homo cum publicanis & peccatoribus semper versatur, ergo peccator & similis eorũ est. Et vt videbimus in sequenti capite, murmurantes scribæ & pharisæi dixerunt. Hic peccatores recipit & manducat cum illis. Murmurant etiam quando Matth.9 Christus cum Matthæo publicano manducauit, & Luc.19 cum locutus est cum Zachæo, & manducauit cum illo. Quibus omnibus concludere tentabant Christum esse peccatorem, quia cum peccatoribus agebat. Huic argumento respondens Christus dixit, Nõ veni vocare iustos, sed peccatores, & quod sa-Ioan.10 ni non indigent medico, sed ægroti.

¶ Aliud erat argumentum. Cur tu cùm homo sis, facis te ipsum Deum? soluit hoc dicens, Nonnè in lege vestra scriptum est. Ego dixi, dij estis vos? Afferebant & aliud dicentes. Hic homo non est à Deo, qui sabbathum non custodit. Hoc autem dixerunt cum cæcum à natiuitate Chistus videre Ioan.9 Ioan.5 fecit, & cùm sanauit eũ qui erat in piscina. Et in capite præcedenti vidimus archisynagogũ indignatum fuisse, quod Christus in sabbatho mulierem Luc.9 illam curauerat quæ decem & octo annos, recto corpore incedere non poterat. Idem etiam fecerunt, cùm in sabbatho hominem manum aridam habentem curauit. Cùm igitur pharisæi, sacerdotes, & scribæ, Christi essent inimici, & peccatum Psalm.19 in eo quærerẽt, vt affirmare possent ipsum non esse Mesiam, de quo Dauid dixerat, quæretur peccatum illius & non inuenietur: scribit modo Euãgelista noster Lucas dolum & laqueum quendam, quem illi tetenderunt. Nam eũ inuitantes ad manducandum sabbatho, coram hydropicum curandũ proposuerunt, vt si curasset posteà possent illũ quasi sabbathi & legis Mosi transgressorem notare, & ita tanquam peccatorem credentes non esse Messiam contemnerent, non adhibentes fidẽ eius verbis, & reprehẽsionibus, quibus affirmabat, illos nisi vitam corrigerent, in infernum ituros. Sępenumerò Christum falso accusarunt, quod non obseruaret sabbathum, vt patet multis in locis euangelij, & vidimus in capitulo suprà proximo. Nũc scribit hîc noster Lucas, quoddam argumentum Christo ab illis appositum & eius solutionẽ à Christo redditã, qua probat se nõ esse sabbathi aut legis Mosi violatorem. Nam quod facit rectum, & non cõtra Deum aut legem, imò secundum charitatem aut rationem factum esse ostendit, eo quod proximo subueniendum est, etiam in die sabbathi. Ait ergo Euangelista. *Et factum est cùm introisset Iesus in domũ cuiusdã principis pharisæorum sabbatho manducare pa-*Matth.12 *nem, & ipsi obseruabant eum.* Expende Christi bonitatem & clementiam. Dicebant pharisæi de Christo saluatore, quod erat potator vini & comestor carnium, & nihilominus tanta eius dilectio est, vt hydropicũ curet, & homines docet, conuiuiũ pharisæorũ acceptat, sua postponens propter nos, non curat de his, quæ de se ipso dicuntur, vt curet nos. Tantum diligit salutem nostram, vt quamuis sciat illos esse murmuraturos, etiam cum detrimento honoris sui venit ad conuiuiũ, sciens quod obseruabant eum. At tu vis Deo seruire ea cõditione, vt nihil de honore aut iure tuo amittas. Vis ieiunare, sed nõ famem, aut tantillum capitis dolorem perpeti, vis iniuriam tibi illatam condonare, non aliter tamen quàm si tibi nihil de iustitia tua concedenti, plenè satisfactum fuerit. Denique volumus Deũ colere, nullo nostro sumptu, cùm Christus nobis adeò suis impensis inseruierit.

¶ Admonet locus iste, vt iniuriarum obliti, bona proximorũ curemus. Sic Ismael sepeliuit patrẽ Genes.25 suum Abraham, quãuis expulsus esset domo, cum matre & exhæredatus cũ natu maior esset, & Esau Genes.33 iniuriæ immemor cucurrit in occursum Iacob fratris sui. Docemur etiam vt malos nõ ex animo sed dolo nos honorantes nõ statim fugiamus, dũmodo spes sit nos in bono posse vincere malum, si secus exeũdum est de medio eorũ, nec prorsus cõmunicandum operibus tenebrosis, ne cum peruersis ob infirmitatem nostram peruertamur.

¶ Prætereà Christi etiam benignitas attẽdenda Diuitibus & pauperib. indifferẽter euãgeli saudum. est. Acceptat enim cõuiuiũ, vt serui, qui domi manebant, & non ibant in sabbatho ad synagogam, etiam ipsi audiant sermonem. Genus seruorũ solet mane rem diuinam audire, postea autem domi in seruitio, & præparatione prandij, & rerum domesticarum occupari, ita isti saltẽ in Hispania nostra, in toto anno nõ audiunt, neque vnam cõcionem. Sed Christi charitas & bonitas, qui nõ solùm pro diuitibus & magnatibus, sed etiã pro seruis & ancillis venerat, ingreditur in domum principis pharisæorum, vt seruitores mensæ, & ministri, & tota pharisæi familia audiat dominum ibidem concionantem, & gaudeant viso miraculo, & conuertantur. Verbum Dei prædicandum est, non solùm dominis & liberis, sed etiã seruis, & pauperibus, omnibúsque absque personarum acceptione. Sed iam prædicatores nostri aulas regum, & principũ circueũt, diuites quærunt, magnatibus blandiuntur. Quot villagia sunt vbi nunquam verbũ Dei prædicatur, quia steriles terræ sunt, & pauperes ibidẽ habitant? Vbi non magna palatia, & delitias inueniunt, nunquã episcopi, & prædicatores verbi Dei accedunt, ac si Deus pro illis sanguinem suum nõ effuderit, sicut pro diuitibus, in quo facto satis ostẽdunt non animas, sed lucra temporalia, & delicias quęrere. ¶ Cæterum Christus non tam pro consolatione suæ veræ humanitatis, quàm pro vtilitate animarum conuiuia acceptauit, nam semper aliquod spirituale bonũ operabatur. In domo Simonis discubuit & peccatricẽ mulierem absoluit. In Luc.7 domo Zachæi hospes gratissimus ingressus, salutẽ Luc.19 eius domui dedit. Marthæ hospitis fratrem Laza-Luc.10 rum à mortuis suscitauit, in conuiuio à Matthæo Ioan.11 exhibito, ipsum ad apostolatum prouexit. Deni-Matth.9 que inuitatus ab hoc principe pharisæorũ, hydropicum sanauit, & cõuiuas salutari doctrina refecit.

¶ Aduerte etiam ac diligenter considera, quod hunc principem pharisæorum, qui Christum inuitauit, nõ nominauit euangelista Lucas, cũ in superioribus vidimus nominatũ alium pharisæum qui Christũ inuitauit, & murmurauit, eo quod peccatricẽ suscepit, quẽ Lucas dixit fuisse Simonem. De Luc.7 isto autẽ ait, quod intrauit Iesus in domũ cuiusdã principis pharisæorũ. In quo facto expende quantũ Deus odiat peccata quæ non casu & forte fortuna fiũt, sed ex malitia, & proposito malo peccãtiũ. Simon ille casu peccauit, non enim sciebat, quod Magdale

Magdalena esset ventura,& licet arrogans & superbus fuerit,tamen forsitan bona intétione inuitauit Iesum,& si peccauit hoc fuit casu,& sumpta occasione atque inopinato. At iste princeps pharisęorum proposito malo,& malitia inueterata & recocta inuitauit in sabbatho,vt sumeret occasioné accusandi,& hydropicum coram illo posuit,vt calúniari possent. Denique Euangelista ait,quod ille cum aliis qui malignum consilium inierant, quod obseruabant eum. Illorum enim nomen, qui non casu aut fragilitate humana, sed sicut dæmones ex inuidia & malitia & proposito malo peccant,Deus

Psalm.15 obliuiscitur,iuxta illud Psal. Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Cùm aliis autē peccatoribus misericordiùs agit. Nomen scit & eos pacificis verbis,& inspirationibus hortatur.Et aduerte si iam tibi sit peccandum,vt non de industria sed casu peccare videaris,nec odium habeas inueteratum,nec obstinatus viuas in peccatis tuis, nec innocenti retia tendas.Vnde dominus arguit Adá,

Genes.3 & quæsiuit ab eo de peccato, & etiá correxit mulierem,quia peccauerant. Sed serpentem nihil interrogauit: quoniam peccatum quod ex malitia procedit,nihil habet quod illud possit excusare aut suffragari.Vnde dominus in veteri lege dás reme-

Leui.4 dium peccatorum in Leuitici libro, tradit sacrificium pro his,qui ex ignorátia peccant,& quomodo peccatum eorum expiandú sit,similiter de peccatis ex fragilitate & aliis,sed nihil agit de peccatis malitiæ.Nullus enim deberet aduersus tam piú

Lege Orig.ho. 5.super Leui. Nullum est relictum sacrificium. patrem studiosè peccare,ideò nullum sacrificij genus institutum legimus,licet fuerit,pro expiatione illorú, qui sua spóte in vitia prolabebátur,sed illi magistratui puniendi relinquebantur. Sicut enim dominus neminem,vt videtur,sua sponte castigat, sed coactus, ita nemo deberet eum sua voluntate offendere.Qua in re considerandum est quàm grauia sint peccata ex studio cómissa, quibus ante legem nullú ad expiandum institutú legimus sacramentú, aut sacrificiú.Admonendi itaque sunt qui in culpa ex consilio ligátur,quatenus prouida cósideratione perpendant,quia dum mala ex iudicio faciunt,& proposito malo & malitia peccát,quod districtiùs contra se iudiciú accendunt,vt táto eos durior sententia feriat,quantò eos in culpa arctiùs vincula deliberationis ligát.Citiùs fortasse delicta pœnitendo abluerent,si in his sola præcipitatione cecidissent,nam tardiùs peccatú soluitur quod per cósiliú solidatur,nisi enim mens omnimodo æternа despiceret in culpa,ex consilij iudicio,non periret.Hac ergo præcipitatione lapsi,& per consilium pereuntes differunt, quod cum hi à statu iustitiæ peccando concidunt,plerunque simul & in laqueú desperationis cadút,& à radice spei funditùs euel-

Hiere.21 luntur.Hinc est,quod per Hieremiá dominus,non tam præcipitationé prauá, quá delictorum studia reprehédit,dicés, Ne fortè egrediatur vt ignis,indignatio mea,& succendatur,& non sit qui extin-

Hiere.44 guat,propter malitiam studiorú vestrorú.Hinc iterum per eundem prophetam iratus dicit. Visitabo super vos,iuxta fructum studiorum vestrorú Quia ergo à peccatis aliis differunt peccata,quæ per cósilium perpetrantur,nó tam praua facta dominus, quá studia prauitatis insequitur, in factis enim sæpè infirmitate,sæpe negligétia,in studiis vero sem-

Psalm.1 per malitiosa intentione peccatur.Quocirca rectè beati viri expressione per prophetam dicitur.Et in cathedra pestilentiæ nó sedit. Cathedra iudicis vel præsidentis esse solet,in cathedra enim pestilentiæ sedere est,ex ratione mala discernere, & tamen ex deliberatione perpetrare.Lege diuum Gregorium in cura pastorali de hac re disserentem. Gre. de cura pas.3.cap.33

¶ Obserua etiam quod in sabbatho voluerút illum inuitare,quia Iudæi maximè isti pharisæi, qui cæteris sanctiores volebát videri,erant superstitiosissimi in obseruatione sabbathi, & calúniabátur Christum de transgressione festorum. Cùm Deus Exod.20 dixit,memento,vt diem sabbati sanctifices,non dixit,quod recorderis, vt in eo gaudeas, tripudies, aut proximum decipias, sed vt Deo vaces,& proximo charitatem exhibeas, quapropter proximum & infirmum curare,æquú & sanctissimú erat. Sed post pauca hæc latiùs enarrabimus.Porro manducare panem in scriptura,quamuis de pane tantum fiat métio,tamé de omni cibo intellige.Sic in primo libro Regum habetur,quod mulier illa pythonissa ad panem inuitauit Saulem,& dedit ei vitulú pascualem.Et in quarto Regú etiam legimus quod coram Assyriis iussit Heliseus ponere pané,appo sita autem est coram eis ciborum maxima multitudo.Ionathas etiam,qui fauum mellis comedit, præceptú patris fregit,qui dixerat:maledictus, qui comederit panem vsque ad vesperá.Vbi vides nomine panis intelligi etiam fauú mellis,& omné cibum,ná apud Hebræos panis appellatur lechem à verbo lachá,quod significat comedere,vnde quidquid comeditur panis appellatur.Plura autem scripturæ loca hîc in medio afferri possent, breuitatis tamé causa omittimus,clara enim hæc sunt.Igitur iam Christus inuitatus ad mensam sedet, sed quid pharisæi agunt?Audi.

Panis nomine quid veniat. 1.Reg.28 4.Reg.6 1.Reg.14

Et ipsi obseruabant eum.

Princeps iste alios traxit ad malum. Hoc malú vsq; hodie grassátur in orbe:vt omnis malus velit habere consortem:& quod deterius est, etiam amicos.Vtinam sic eos velimus habere ad bonú,sicut ad malum. Hoc autem ex amore, quem erga nos gerimus accidere reor,vt amicos in malo velimus habere consortes: nè si contingat ex hoc malum aliquod sine cósortio & solatio in supplicio sim". Nihil enim est peccatore timidius,sicut neque iusto audacius.Iustus ait sapiens,vt leo cófidit. Ideò Prouer.28 peccator multitudine armat se. Ex pusillanimitate malorum venit,vt vnus vocet alium in socium, vt fortior sit. Sic Eua post peccatum voluit statim Genes.3 habere maritum socium criminis.Sic etiam & filia maior Loth,postquam cum patre dormiuit, soro- Genes.19 rem suam,& filiam Loth minorem, habere voluit sociam incesti.Sic etiá & hic pharisæus volés Christum capere in factis,aut verbis,secum alios duxit: & simul discubuerunt,vt Iesum obseruarent. Iniqui inter se coniuncti animantur,& roborátur,vt capiant aliquid ex ore innocentis: & vt inuadant iustum, ná vnusquisque solus per se nó audet. Est enim virtus fortissima:vitium autem imbecille.

¶ In eo autem quod obseruabant,ostendunt se Christum idcircò inuitasse,non vt aliquod ipsi officium charitatis impenderent, sed vt inter prandendum aliquid deprehenderent, vnde ipsum accusarent, & damnarent. Vtinam non sint plures, qui hos ex sua malitia,quàm Christum in sua charitate exercenda imitari malint.& de facto imitentur.Quotidie hoc videmus,vt illi,quibus magis fidas,te prodant.Propriú hoc est hostibus veritatis,

vt

Psal. 37 Psal. 36 vt dum ratione nihil, dolos (vt inquit Dauid) me ditentur tota die. In alio quoque Psalmo ait, Obseruabit peccator iustum, & stridebit super eũ dentibus suis. Et alibi. Psalm. 33. Aduersus iustum sunt omnes cogitationes eius in malum. Inuitant Christum vt ei insidientur, hoc tamen pestilentissimum est insidiandi genus, vt sub beneficio fraudem occultes, 2. Reg. 13 quomodo hîc domino sub epulis factũ est, & Absalon fratrem suum Ammon ad conuiuiũ vocatũ 1. Mac. 10 occidit. Similem necem Simon Machabæus cum duobus filiis à Ptolomæo duce pertulit, & id insidiatorum genus tantò peius est, quanto difficiliùs euitatur. Nam parum prouidemus, vbi fidem amicitiæ Prouer. 27 præsumimus. Vnde Salomõ, meliora iudicat Psal. 27 vulnera diligentis, quã oscula blandientis. Et egregius Psaltes. Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem cum cordibus eorum.

¶ Vide etiam istorum pharisæorum malitiam: contaminauerunt enim laudabilem conuiuiorum vsum, nam vbi debebant Christo gratulantes con Psal. 2 gaudere, obseruabant eum impletes illud Psalmi. Principes conuenerunt in vnum aduersus dominũ & aduersus Christum eius. Plenus est mundus istorum qui exteriùs inuitant, & ostendũt se diligere, Hiere. 6 interius verò mordent, quod propheta Hieremias deplorat dicens, A propheta vsque ad sacerdotem omnes faciunt dolum. Plures etiam nunc imitantur hos in sua malitia, quàm Christum in sua cha- Habac. 2 ritate. Hos detestatur Abacuch, dicens, Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum & inebrians, Iob 1 vt aspiciat nuditatem eius. Laudatur Iob in scriptura quod fuerit simplex, cui similes perpaucos inuenies.

¶ Sed quid obseruabant? Duo. Primum, quomodo manducabat, obseruantes quoties biberet, vtrum comedat carnem necnè, vt si manducet, helluonem, si non manducet, hypocritam eum vocare possent. Sic etiam & nunc multi, si vident aliquẽ manducantem & cibo affatim affluentem dicunt, Quomodo habuit tantum vnde comedat, fur est, ex vsuris & iniquitate manducat. Si non comedit eũ esse inutilem, & hominem nihili, siquidem victũ quærere nesciuit. Siquis inuitat splendidè omnes, & lautè viuit, dicunt quod prodigus, vanus, & prophanus est, si autem temperatè viuit & modestè, vocant eum auarum & sordidum. Denique & manducando, & abstinendo notatur.

¶ Secundò obseruabant an curaret hydropicũ necne. Tantum erat odium, quo isti maledicti in Christum ardebant, vt etiam miracula & infirmitates ab eo curatas accusarẽt, nam si in sabbatho curabat, dicebãt esse festi violatorem. Si extra sabbathum, miracula humilia esse dicebãt, se autem malle miracula cœlestia videre. Eo modo mali etiam Ioan. 9 Matth. 12 bona iustorum opera reprehendunt, & murmurãt de illis, quæ laudare debuissent. Perpulchrum locũ Esai. 36 scripturæ inuenies apud Esaiam, vbi legitur, quod Rapsaces dux Assyriorum inter alia, quæ improperans Ezechiæ regi dixit. hoc ait, Nonnè ipse est, cuius abstulit Ezechias excelsa & altaria? Considera impudentis & scelerati hominis calumniã. Vertit vitio regi sancto, id propter quod ipse verã laudem fuerat cõsecutus. Sanctè quidem & iuxta Dei legem abstulerat. Ezechias altaria idolorum, vt errore sublato, deleta superstitione, & idololatria, coleretur verus Deus in templo sancto suo. Ex hac calumnia Rapsacis & pharisæorũ, eò quòd Christus sabbathis curabat, colliges quãta cæcitate laborent impij, quantisque tenebris obscuratũ habeant intellectum, hi præsertim, qui te odio prosequuntur, qui non solum te falsis criminibus ad inuidiam vocant, sed etiam virtutis actiones quibus das operam damnãt, & falsis vitiorum nominibus appellant, & quantò maior est tuę integritatis opinio, tantò acriùs eam extinguere conantur. Sed quemadmodum ignis in aquam coniectus statim extinguitur & refrigeratur: sic falsum vitium in vitam integram, & laudabilem protectum, ilico euanescit & extinguitur. Sed procedamus.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

Omne nostrum bonum in hoc consistit, vt nos coram Deo constituamus, quoniam ipse est qui sanat omnes infirmitates nostras. Psal. 37 Quia Adam abscondebat se à medico, vocauit illum Deus, & ad- Gene. 3 duxit coram se, & sanauit eum. Profuit misero hydropico fuisse ante domini præsentiã. Infœlix peccator, qui se subducit ab eius conspectu, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem 1. Timo. 2 veritatis venire.

¶ Obseruandum quod non petebat verbo salutem, sed humili affectu, quod nunquam dominus destitit exaudire. Hinc Dauid, Domine ante te om- Psal. 9 ne desiderium meum, gemitus meus à te non est absconditus, exaudi me domine, quoniam benigna est misericordia tua. Atque ideò Christus, qui paratus est subuenire inopibus & infirmis, sanauit illum, vt statim videbimus: nam, vt Dauid ait, desiderium pauperum exaudiuit dominus, & præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

¶ Docet locus iste, nullum apud Christum locũ aut tempus esse importunum, impartiendo proximis opera misericordiæ, quare nec meliùs vnquã, nec cum maiori merito festa sanctificamus, quàm cũ opera misericordiæ exercemus. Docet insuper omnes Christianos quemadmodum Christũ sint requisituri, vbi primum se ægros cognouerint, fidesque ipsis asseruerit, Christum esse verum & potentem medicum, est illis festinandum, ad ipsumque fugiendum, vt animarum vitia curet. Vbicunque Christus est, ibi est quærendus vel in domo pharisæi, vel in itinere, vel inter turbas sine pudore, sine doctrina, illius opem debemus implorare. Porro crediderim ego non defuturos quamplurimos doctores, qui dicant hunc hydropicum non casu illic affuisse, sed ex malitia pharisæorum illic positum contra Christum, obseruantes quid cum illo ageret, hæc intra seipsos cogitantes, Videamus an curet hunc hydropicum, vel nõ, si illum curat, accusabimus eum, tanquam sabbathi transgressorem, si autem non curat, amittet opinionem, quam apud populum habet: qui eum diligit, & magni facit, quia pius est, & nunquam desistit misericordiã prædicare, & infirmos curare, quare ab hominibus comitatur & amatur. Ille igitur, vt hanc vulgi opinionem conseruet, non committet quin eum curet, & ita eum accusabimus, vt legis transgressorem. Hoc negotium semper dæmoni ex sententia successit, qui quamplurimos coëgit Deum Ambitio quorundam. offendere, ne famam aut opinionem, quam apud homines habebant amitterent. Videbis nobiles multos, qui cum plus debeant, quàm habeant, si ab aliquo forte admonẽtur, ne luxũ, famulos, & sumptus vltra censum extendant, vt quæ debent soluant, respõdent hoc sibi nõ licere, quia sua & suorum

rum maiorum dignitas non patitur aliquid de statu pristino dettahere, ne authoritatem suam imminuant: ità hi nè perdant vulgi opinionem tendunt ad infernum. Alios videbis, qui proximos infamant, & nolunt famam detractam restituere: ne se retractando fidem sibi habitam deinceps amit-
Ioan 12 tant:& malunt in infernum mitti, quàm mundi honorem non habere. Multi ex principibus, ait Ioan-
Mat.27 nes quod crediderunt in Iesu, sed propter pharisæos non confitebantur: dilexerunt magis gloriam
Ioan.19 hominum, quàm gloriam Dei, condemnauit Pilatus Christum innocenté sciens ne fidem & gratiam apud Cæsarem perderet. Sciebat enim sibi inuidia traditum fuisse, quare optabat illum soluere: at accusatores dixerunt. Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris. Et quia timuit gratia Cęsaris priuari, autorem vitæ morte multauit. Voluit conscientiæ suæ vim facere ne in principis despectum caderet. Maluit Deum offendere: quàm aliquid de suo statu & gratia detrahere. Multos hac tétatione expugnauit diabolus. Hæc est hasta illa, qua per ministros suos pharisæos Christum vulnerare voluit. Credidit enim Dominum nè authoritatem & opinionem apud homines perderet, solita pietatis opera non prætermissurum, & hydropicum illum curaturum: quo curato posset vt festi violator accusari. Ad hunc igitur effectum Christo hydropicum proposuerunt de industria: vt quid faceret obseruarent. Colligitur autem hanc illos habuisse intentionem, & hoc in cordibus suis agitasse ex illis, quæ in litera Euangelij statim sequuntur. *Et respondens Iesus*
Beda in c.14 Luc.c.59 *dixit ad legisperitos & pharisæos.* Respondit, non ad verba sed ad cogitationes: & in eo quod eos interrogauit, videlicet an liceret sabbatho curare, insinuat, quod ipsi obseruabant an illum curaret hydropicum die sabbathi: & sic quod habebant illam calumniam præparatam, vt superius diximus.

¶ Docet hic locus cogitationes nostras à Deo
Esai.1 videri: quod cùm ità sit audiamus Esaiam dicenté. Auferte malum cogitationum vestrarum. Demus operam vt omnem animi cogitationem, puram integramque seruemus. Aquila pullos suos quos habet in nido aduersus Solem ponit, & eos qui non
Malach.4 valent Solem intueri, & eius radios non ferunt, è nido tanquam spurios & alienos eiicit. Sic nos paruas adhuc cogitationes versus iustitiæ solem dirigamus: vt ad eum oculos leuantes eum authorem atque dominum cognoscant: eas verò quæ Deum intueri noluerint, nec in eum oculorum aciem dirigere, tanquam extraneas & illegitimas, ab animæ nido eiiciamus: easque dum paruæ sunt ad petram, hoc est ad Christum allidamus, iuxta id quod
Psal.136 dicitur in Psalmo. Beatus qui illidit paruulos ad petram. Itaque cum omnia Deus intueatur, & omnia sint nuda & aperta oculis eius, opus est, vt semper bonas habeas cogitationes, nè oculos tantæ maiestatis offendas. Respondet autem Christus cogitationibus doctorũ & pharisæorũ. Iam hic vides, qui fuerint illi, qui Christum obseruabát, & calumniabantur: nempè legis periti, scribæ inquam & doctores, homines literati, & in lege exercitatissimi: & cum his iunguntur pharisæi, viri religiosi, & separati à communi vita aliorum. Homines literati & qui se sanctos esse præsumunt, sunt omniũ maximi Christi persecutores. Doctores docebant populũ, pharisæi sácti, vt cupiebát, reputabátur: sed cũ Christus meliùs quã doctores prædicaret populus eum relictis illis sequebatur. Præterea quia Christus erat vitæ integerrimæ, & miracula faciebat, quæ non poterát pharisæi, populus sectabatur eum, qué sanctissimũ iudicabat: & pharisæos relinquebat. Vnde orta est in doctoribus & pharisæis æmulatio, & inuidia, potiùs quàm in aliis: quia doctrina & miracula Christi magis eos, quàm alios causa concertationis torquebát. Quis est inimicus tuus? qui arté tuam exercet. Ita quotidie videbis, prædicatorem de prædicatoré, tabellioné de tabellione, medicum de medico, sutoré de sutore: magis quã de alio detrahentem: nam faber fabro inuidet. Cain & Abel germani erant, eodé patre & matre progeniti: probabile est illos anteà se inuicé dilexisse, posteà verò quàm idé munus Deo offerendi sacrificiũ obierũt, statim concertatio & inuidia orta est inter eos. Ita illis, qui se fraterna necessitudine amauerant, causa extitit Abel mortis, Cain autem exilij. Eodem modo etiam iurgium erat inter pastores Abrahami, & pastores Loth, de pascuis ambigentes: quia omnes idem munus exequebantur, & alteri alteris inuidebant. Ioab dux vniuersalis regis Dauidis credens Dauidem velle honorare Amasam & illi locũ suũ cedere, statim Amasam interfecit: tanta est hominum ambitio, vt in omnibus factis suis vnici & ab aliis separati esse velint: Videbis magnum aliquem prædicatorem concionantem à populo admirante eius suauitatem, finita concione laudari: ô magnum concionatorem, beatus venter qui portauit illum: at ille qui eandem exercet arté ait. Mediocré quidé habet leporé: sed quæ dixit cómunia sunt, & trita. Laudas ducem de aliquo magno facinore, si alius dux adest, ait ilicò, Vsus est bona fortuna, nã hostibus erat ventus aduersus. Idé dicendum est de omnibus aliis artificibus. Itaque Christo non inuidebant argentarij, aut sutores, quia non celabat argentum, nec suebat calceos: sed doctores qui populum docebant, quia Christus erat magister, & docebat populũ. Persequebãtur illum pharisæi, quia miracula faciebat, & à populo pluris æstimabatur: & eum vt hominé idé artificiũ exercenté calumniabantur: Sic tu caue ab illo, qui tuum officium facit, & ne fidas illi: quia cũ minus putaueris te prodet: & habe semper suspectos omnes quos videris tui officij esse. Iam nunc audiamus Christum cum illis loquenté: atque eos interrogaté. *Si licet sabbatho curare.* Sabbathum tunc à Iudæis in veteri lege maxima cum religione seruabatur, quam Ecclesia transtulit in diem dominicam: quia dominica dies fuit prima dies sæculi, & in illa creauit Deus cœlum & terram: & Arca Noë quieuit in montibus Armeniæ, & populus Israel eductus est de Ægypto: & pluit manna de cœlo: & Christus natus est de virgine, & effudit sanguinem primò in circuncisione, & signorum suorum fecit initium aquam in vinum cõuertens: satiauit quinque millia hominũ ex quinque panibus: introiuit in Hierusalé cũ honore in ramis palmarũ. In hac die resurrexit, & misit Spiritũ sanctũ in filios adoptionis. Et si aliquis dicat, si sabbathi obseruantia est diuinũ præceptũ morale, quî fieri potuit, vt mutaretur: nã & si ceremonialia ablata sint, moralia tamen auferri nõ poterant? Respondeo quod in sabbathi sanctificatione erat quippiã morale: quippiã verò ceremoniale. Morale est obseruare dié vnũ in hebdomada, & hoc non abstulit Ecclesia: esse auté hũc dié vel illũ, hoc erat ceremoniale, & hoc meritò mutauit, quia mutare po-

Right margin notes: Causa inuidiæ pharisæorum contra Christum. — Gene.4 — Gene.13 — 2.Reg.20 — Gene.1 — Gene.8 — Exod.14 — Exod.16 — Ioan.2 — Ioan.6 — Matth.21 — Mar.16 — Acto.2

terat: imo mutare debebat ob resurrectionis mysterium, & nonnulli Psalmi inscribuntur pro octaua, per quam Diuus Hieronymus diem resurrectionis intelligit. Et ipsa lex vetus innuebat Iudæorum sabbatha esse abroganda, solumque vsque ad Christum duratura. *Osea 2* Oseas Deum in hunc modū inducit loquentem: Cessare faciam sabbathum eius, omnia festa & tempora eius. *Esa. 1* Esaias etiam, Neomeniam & sabbathum, & festiuitates alias non feram. Bona erant festa illa durante lege Mosaica: sed adueniente Euangelio cessatura. Et intuens idem propheta mentis oculis venturum esse Christum, *Esai. 66* qui noua festa institueret dixit, Sicut cœli noui & terra noua stabit semen vestrū corā me. Et erit mensis ex mense: & sabbathum ex sabbatho: & veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea. Apertè fatetur Esaias noua festa instituenda in lege gratiæ. Erant festa illa vetera vmbræ quædam futurorum: quæ erant adueniente sole discessura. Ideo Paulus ad Colossenses. *Coloss. 2* Nemo vos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut sabbathorum, quæ sunt vmbra futurorum. Vult significare Apostolus festa legis Mosaicæ eiusque ceremonias & sacrificia iam cessasse: quoniam adumbrauerunt venturum Christum: qui iam venerat. *Dies dominicus quanta deuotione obseruandus.* Vide & tu quanta obseruantia & deuotione diem dominicam obseruare debeas, & festa Ecclesiæ: quandoquidem Iudæi tanto rigore & obseruantia custodiebant illa sabbatha sua, quæ nihil aliud erant nisi nostrorum festorum vmbræ quædam, adeò vt etiam existimarent in sabbatho mederi esse flagitium. *Num. 28* Apud Iudæos in sabbatho duo agni offerebantur: in aliis verò diebus vnus, præterquam in solennitatibus & calendis: ad significandū in festis diebus Deum abundantiùs esse laudandum. Sed nunc à multis minus honoratur Deus, imo magis offenditur in festis, quā in aliis diebus: nam in hebdomada homines laboribus honestis occupantur, in diebus verò festis ebrietatibus, luxuriis, aliisque criminibus tempus perperam cōsumunt ociosi, & nulla in alia re, quàm in ludis, murmurationibus, & vitiis occupati. In sabbathis Iudæorum & in hac die Dominica, quæ multo sanctior & celebrior est sabbathis Iudæorū licitum est infirmos curare: hæc enim opera nō prohibentur in sabbatho nisi seruilia quæ etiam fieri possunt in diebus festis si necessitas vrgeat, vel si modico tempore occupentur, vel si cōsuetudo fuerit præscripta, vt in aliquibus locis licitè in die festo aliqua aguntur seruilia opera ex immemoriali consuetudine loci. Illud autem quod aliqui existimarunt, quod si non acceperis pretium pro opere seruili, licitè possis operari in die festo, verum nō videtur: quia intentio lucrādi, nō facit vt opus quod nō est de se seruile, seruile sit, formaliter, nec materialiter. *Exod. 20* Alij etiā illud Exodi quod Dominus loquitur de die sabbathi, Omne opus seruile non facietis in eo, perperam interpretati sunt de peccato, cū peccatum omni tempore sit vetitum, & non magis aggrauaret conscientiā illud committere in die festo, quā in alio die, & licet finis præcepti obseruantiæ festi sit vt cessando ab operibus seruilibus Deo vaces, tamen quia finis præcepti non est in præcepto, quanuis sanctissimum sit Deo vacare talibus diebus, tamen nō ex præcepto teneris Deo vacare, nisi tantum opera seruilia non agere tali die.

¶ Hoc itaque in omni præcepto & lege summopere aduertendum est: vt potiùs attendamus mentem & sententiam legislatoris, quàm literam & verba legis. *Mens legislatoris spectanda, non superficies legis.* Sæpè enim euenire solet, vt à litera legum recedendum sit, si non omnino sententia legislatoris labefactari debet. *1. Reg. 21* Sicut sacerdos Abimelech faciebat contra literam legis, cùm Dauidi panes propositionis dedit comedendos, qui tamen solis sacerdotibus debebantur: sed non faciebat contra mentem legislatoris, quandoquidem Deus omnia sua præcepta in charitatem direxit, in qua ea complexus est. *Matth. 12* Et ob hanc causam etiam Christus laudat Abimelech: imo si in litera legis mansisset, & Dauid fame periclitanti panes propositionis denegasset, vtique contra Dei mentem fecisset, *Matth. 12* qui ante omnia, charitatem vult & misericordiam aut sacrificio multo sibi potiorem esse. Sic etiam sacerdotes omnibus sabbathis contra literam legis facere cogebantur, *Osea 6* laborandum illis erat, dùm pecudes mactarent, & holocausta cremarent: veruntamen nihil peccabant contra mentem legislatoris, quia res illa spectabat ad gloriam Dei. Moses per quadraginta annos nullum inter Israelitas circuncidi sinebat: *Iosue 5* id quod apertè erat contra literam legis, quæ iubebat, vt omnes pueri octo dierum circunciderentur: nec tamen Moses faciebat contra mentem legislatoris: necessitas enim illud postulabat, siquidem nunquam de mouendis castris certi erant. *Gene. 17* Ita etiam hic in præcepto de sabbatho, & in omnibus aliis præceptis magis respiciendum est ad mentem, quàm ad literam: magis ad animum eius qui legem dedit quàm ad verba legis. Atqui dicit Christus in his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. *Matth. 22* Hæc demum est mens legislatoris, vt Deum & proximum nostrum diligamus, si facimus quod dilectio Dei & proximi requirit, satisfecimus legi, etiamsi à litera recedamus. Atque ideo sabbathum non est violatū, si quid facis quod ad dilectionē Dei & proximi requiritur. *Exodi 20* Dicit quidem lex in sabbatho non esse opus faciendum: sed mens legislatoris est Deum & proximum esse diligendum. In hoc postremo plus momenti situm est, quàm in litera: ideoque iure permittitur. Idem etiam fit, & fieri debet in omnibus aliis constitutionibus, siue illæ sint ecclesiasticæ, siue monasticæ, vt mens legislatoris magis sit consideranda quàm litera legis, sciamusque nullam legem ligare hominem, si mens legislatoris aliquid aliud, quàm verba legis postulat. *1. Mach. 2* Sic stulti fuerunt illi in Machabæis, qui noluerunt bellare in die sabbathi, ne festum violarent. ¶ His itaque præmissis non dubium est quin licitum sit sabbatho curare, hoc ratio charitatis postulat, & lex non prohibet, sed fauet charitati, nec Christus quasi ignoras quærit, sed vt aduersarios confundat. Quantò magis quòd Christus nec contra literam legis faciebat, nam medici Iudæorum curabant in sabbathis: imò peccassent, si fuisset talis ægritudo, vt languentem non curassent. Et sic Iudæi non prohibebant medicos suos sabbatho curare, & sic Christum arguebant, eo quod faciebat istas curationes in sabbatho, erat, quia non erat tunc necessarium facere illas: nam quanuis Christus differret illas ad alios dies non fuisset periculum: sicut sanando cæcos, claudos, paralyticos, quos poterat in aliis diebus sanare, quia curatio istorum poterat sine periculo differri. Dico quod Christus curabat etiam aliis diebus: scriptura tamen de his, qui fuerunt curati in sabbatho loquitur, in aliis autem curationibus diem non

expri

exprimit: quia de sabbathis tunc erat controuersia, non de aliis diebus. Sed aliquis dubitare potest, si in aliis diebus de quibus non erat calumnia poterat curare necessitate non vrgente, sicut hunc hydropicum, & alios similes, cur curabat in sabbatho? Dicendum quod aliqui ita erant in periculo: quòd nisi statim curarentur perirent, sicut fuit in filio reguli de quo pater dixit: descende, priusquam moriatur filius meus: & vt in socru Simonis quæ tenebatur magnis febribus. Alios verò qui tantam necessitatem non habebant, curabat in sabbatho: propter maiorem gloriam Dei. Nam curationes Christi erant miraculosæ & in instanti sanat: quantò autem coram pluribus ostendebatur diuina virtus erat maior Dei gloria, & in sabbathis conueniebant plurimi propter vacationem operis, & Christus quærebat salutem omnium spiritualem.

Luc. 4

¶ Interrogans autem eos nunc, an liceat sabbatho curare, manifestè irridet eos, vt insipientes: siquidē cum sabbathū Dominus benedixit, ipsi benefacere prohibent. Hoc non ignorabant scribæ & pharisæi, qui doctissimi erant: sed ex inuidia dicebant illicitam curationē sabbathi. Sic etiā & multi hodie inuidia vel auaritia dictante malè interpretantur scripturas, vt alios mordeant, vt vel sua vitia tegant, vel vt aliquod emolumentum acquirant. Interrogat itaque illos Christus vt confundat. Sed quid ad hæc illi? *At illi tacuerunt*. Non tacebant illi cum in suis cōuenticulis murmurabant de Christo, quia sabbatho curabat: nunc verò tacent cùm loqui opus est. O quā multi sunt his similes, qui plus quā alij decem garriunt, murmurāt: & infamāt proximū suum, omnia eius vitia amicis suis manifestātes: at si præstito iuramento veniente prælato rogantur, vt verum dicant de aliquo malè viuente, tunc tacent. Si sciunt vicinum suum esse cōcubinarium, per omnem ciuitatem dicunt: non autem prælato, qui corrigat. Cùm tacere debent, loquuntur: & cum loqui debent, tacent. Cùm ex conscientia teneris dicere, tunc taces, & cùm tacere teneris, tunc loqueris. Vniuersus orbis, nulla alia de causa est, ita vt videmus conquassatus, nisi ob nimiam loquendi licentiam: & sunt non pauci tam rudes, vt existimēt non esse flagitium vxori aut filio peccatum proximi arcanum manifestare: posteà vero dubitant illud prælato interroganti dicere: & tunc cùm loquendum erat, tacent. Eodem modo isti pharisæi, qui cùm essent loquacissimi murmuratores, cùm opus non erat: vt religiosi statuerunt seruare silentium. Maledictum sit tale silentiū: maledictus talis cætus hominum, maledicti qui eos imitantur.

Theophilac. in Luc. ca. 14

¶ Præterea si tacere, respondere est: egregiè responsum est. In turba simplici magnas excitarent tragœdias, sicut hæreticorum mos est: sed præsente Christo non audent, neque mutire. Nā si respondissent, licitū est in sabbatho curare, audissent, Cur ergo me obseruatis? Cur me toties violari sabbathi accusatis? si autem respondissent, non licere: accepissent responsum, quale audiemus, etiā non respōdentibus datū. Quidquid respōderant erat cōtra ipsos, atque ideo tacuerunt. Non latebat hoc regem Dauidē cū dixit de Christo. Rex verò lætabitur in Deo & laudabūtur omnes, qui iurāt in eo: quia obstructū est os loquentium iniqua. ¶ Expende etiam quomodo mundi sapientia muta sit & stulta coram Dei sapiētia. Cū erat Moses in Ægypto, & erudiretur omni sapientia Ægyptiorū, non erat tardus lingua. nec profitetur se esse ineloquentem, erat enim quantū ad Ægyptios sonoræ vocis, & eloquentiæ incomparabilis: sed corā Deo quasi mutus est, & tardā & imperitam suam intelligit esse linguā. Si mutis animalibus comparetur homo, licet rusticus & imperitus sit, videbitur eloquens in comparatione brutorum: si vero eloquentibus & eruditis viris atque in omni sapientia probatissimis conferatur, ineloquens & mutus videbitur. Sic etiam isti legislatores & pharisæi licet sapientes essent inter alios, & præcipuè in populo, & eloquentes & religiosi: sed eorū sapientia posita iuxta diuini verbi sapientiā, stultissimi & insipientes facti sunt, & quasi lapides muti coram ipso tacent, & non audent nec mutire. Sic virga Aaron deuorauit virgas Magorum Pharaonis: quia Dei sapientia consumit & deuorat mundi sapientiam, & stultissimam illam reddit. Quod sanctus Dauid intuens dicebat Deo. Vt iumentum factus sum apud te. Omnes enim homines ad comparationem verbi diuini, non solùm ineloquentes, sed & muti putandi sunt. Obserua etiā quomodo impij confunduntur & cadunt, itā vt verissimū sit illud, quod Psalmista ait. In laqueo isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum. Parauerunt insidias, obseruabant, & modo loqui nesciunt confusi. Sic Pharaoni contingit. Permisit Deus Iudæos quasi deserto & mari concludi, vt animus impij regis excitaretur ad eos persequendos, & corrueret, tam ipse quàm populus eius. Vbi simul erudimur non posse pios vnquam concludi: licet malis hoc videatur: sed semper eis exitū quo à malis exire possint patere, vt filiis Israel contigit: qui sicco pede mare transierunt. Iustus (vt inquit Sapiens) de angustia liberatus est: & tradetur impius pro eo. Sequitur in contextu. *Ipse vero apprehensum sanauit eum ac dimisit*. Expende Christi benignitatē: Poterat vnico verbo hunc sanare: sed propria manu hominē horridū & fœtidum tetigit. Hydropisis enim morbus est aquosus ex vesicæ vitio natus, cum inflatione turgente, & anhelitu fœtido. Non sic faciunt qui proximos infirmos non solùm nō curāt, sed nec tāgere, aut videre volūt, auertentes caput & oculos: ne vllorū vlcera videant. At diuina maiestas vsque vt tangat nostras miserias & infirmitates descendit à sinu patris. ¶ Præterea non obstante quòd pharisæi offendebantur, ægroto & egeno benefaciebat Christus. Demū nullam mercedē pro beneficio dato quærēs, gratis curat infirmū hominē hydropisi laborantē. Denique nec à bono opere propter hominū calūnias cessauit, in quo facto docuit nos. Primò, vt proximorū miserias non fugiamus, nec abhorreamus, sed vbi pauper magis squalidus & vlcerosus est, ibi maiorē impendamus charitatē, sicut exēplo Christi multos sanctos fecisse, legēdæ sanctorū commemorāt. Secūdò, docet hoc factū propter hominū impiorū calumnias, nō desistere à bono. Si quod vis facere est bonum non desistas ob vulgi dictum. Quantumcūque canes tibi allatrent, nihilominus tu rationalis, illi irrationales erunt. Non est lucis vituperium sed potiùs laus, vespertilionibus odio esse. Multi sunt qui bene facere vellent: sed timentes quis sit de illis hominum sermo, bona opera prætermittunt: tanquam pueri, qui per viam transire canum timore nolunt. De his ait Psalmista. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. Nam à quibusdam paruis puerorum arcubus timent. Docemur tertiò nullam

Psal. 61 · Exod. 4 · Exod. 7 · Psal. 72 · Psal. 56 · Exod. 14 · Prouer. 11 · Beda in 14. c. Luc. ca. 59 · Psal. 63

mercedẽ pro beneficio dato quærere: & quod prælati Ecclesiæ pro beneficio collato, aut dispensatione nihil quærant. Apprehẽdit inquit eum, ac dimisit liberum abire. Non quæsiuit ab illo pecunias, vel mercedem pro salute. Gratias conferre indulgentias, & miracula facere à Domino Deo est: & Matth.10 hanc gratis accepistis, gratis date. Sic Eliseus pro- 4.Reg.5 pheta, cum Naaman Syrum mundauit à lepra dimisit illum, non accipiens munera nec dona illius, & liberum abire permisit. Docemur similiter nos facere, de omnibus benè mereri, & non curare hominibus ne id placeat an non: modo Deo placeat. Etiam docemur quod in omni tempore & loco, siue in mensa, siue in foro, siue in die, siue in nocte tempus est benefaciendi proximis: & quod illis impendamus omni tempore charitatem & beneuolentiam. Nullus locus est vbi Deo non possis seruire: in omni etiam tempore & loco poteris proxi- Eccl.12 mis vtilis esse. Vnde Salomon. Quodcunque potest manus tua, instanter operare. Sed procedamus.

¶ Igitur postquam Christus Saluator noster miserabilem illum hominem sanum fecit, vult etiã sicut corpus hydropici curauit, animabus conferre salutem: non solùm inimicis, sed etiam omnibus astantibus prædicat, & docet plura ad mores bonos concernentia. Ideo postquam hydropicum curauit, & dimisit, diuertit primo sermonem ad legisperitos, & pharisæos: vt eorum irrationalem calumniam ostendat. Insuper & doceat, curationem infirmorũ non esse contra sabbathi obseruantiam. ait ergo. *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet & non continuo extrahet illum die sabbathi?* In his verbis & in hac similitudine reddit Christus causam suorum factorum, ostendens nihil contra sabbathi præceptum fecisse: & quanuis indigni erant, vt suarum rerum causas aperiret, attamen docere nos voluit, vt nihil aperiamus, faciamusque in spiritualibus fidei negotiis, cuius ex verbo Dei rationem red- 1.Pet.3 dere non possimus. Quapropter & Petrus vult, vt semper parati simus ad satisfaciendum omni poscenti nos rationem de fide & spe, quæ in nobis est. Poterat sola sua authoritate compescere illos & confundere: sed docuit vt aliquando danda est ratio dictorum, & factorum proximis, etiam si minoris conditionis existant. Non sic multi prælati, qui arrogantia pleni satis esse credũt, & sufficere: quòd ipsi illud iubent, & præcipiunt nec ab illis petenda est ratio. Imo si quæras ab illis rationem factorum superbiunt, rixantur, illud in lingua passim portantes, Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Conuiuiorum aut epularũ ratione Christus nõ neglexit dicere veritatem. ¶ Obserua etiam quòd propter epulas non desinit Christus dicere veritatem. Non fecit more adulatorum (quorum plenus est mundus) qui vt vẽtri consulant, & gulæ satisfaciant, ad placitum loquuntur magnatibus: & sicut canes vlcera, sic ipsi lingua adulatoria lambunt vitia eorum. Admonet locus prædicatores verbi Dei, ne propter conuiuia aut munera principum, desinant principum, & diuitum vitia reprehendere: nec desistant à ve- 4.Reg.8 ritate. Quamuis Benadab rex Syriæ miserit ad Eliseum prophetam quadraginta Camelos omnium bonorum Damasci oneratos, per manum Azael: nõ tacuit veritatem vir sanctus: sed ostendit ei, quod infœlici morte erat moriturus. At nunc multi concionatores verbi Dei carpũt vitia, mordẽt, & reprehendũt peccata: sed si quid eis porrigas, Abbatiã nẽpe aut Episcopatum, vel bonum quid temporale, sicut canes latrones, quibus os, cum carnẽ dederis, desinunt latrare comedendo: sic istos obmutescere facias quodcunque donum illis tribuas: & muti manebunt. Sed de his aliàs.

¶ Aduerte autem quod Christus optimè arguit à minori ad maius. Nam si asino aut boui iacenti succurritur, quantò magis homini? At nunc multi prælati maiorem curam gerũt de equis & mulis, quàm de animabus subditorum. Si mula cadit, leuatur, curatur si infirmatur: & maxima diligentia, & si moritur tristitiam gignit. Verùm quot viduæ pauperes, miserabiles ægrotant: nec de lecto surgunt: quot etiam necessitate & penuria moriuntur: de quibus ipsi nihil curant. Si asinus cadit leuatur: si autẽ proximus cadit, nõ leuatur, nec ei impẽditur auxilium. Iob 1 Iob virum sanctum non legimus scidisse vestimenta: cum perdidit omnes boues, camelos, nec omnes temporales diuitias: at cum mortẽ filiorũ audiuit, surrexit, & scidit vestimenta sua. Et sic tu mortem filiorum tuorum, siue illa temporalis, aut spiritualis sit, sentire, & lugere debes, & pericula & dãna subditorum plorare, & illorum miseriis & calamitatibus compati. Sequitur. *Et non poterant ad hæc respondere illi.* Admirabili artificio, & subtilitate, conficit aranea telam suam, sed in aëre, ex quo efficitur, vt ipsa tela simul cum aranea facile frangantur & pereant. Sic sceleratorum hominũ cogitationes, & consilia licet ingeniosa & subtilia videantur, vana tamen sunt & in aëre constituta: vnde euenit vt dum alios irretire volunt, ipsi irretiti capiantur. Vide quàm fragili rei, sicut telæ aranearũ hominũ vanorũ cogitationes atque consilia cõpararet Esaias propheta: dicens, Telas araneæ texuerunt. Cor hu- Esa.59 manum est textrina, vbi hæ telæ struuntur, sed homo orditur telam: Deus vero illam scindit, & fila tenuissima resecat. Vanum est cor hominis, superbi & impij: & omnia eius consilia euanescunt. Scit inquit Dauid, Dominus cogitationes hominum, Psal.93 quoniam vanæ sunt. Nulla sapientia, nulla scientia nullumque consilium est contra Dominum. Ecce non possunt respondere illi. Et quis poterit ei respondere cùm Dominus ad iudicandum venerit? Quis poterit ei resistere: si nunc in humilitate ita inimicos obmutescere facit? Dic mihi qui tot consilia & pessimas cogitationes in pectore tuo componis contra Dominum: quid respondebis ei cùm venerit in potestate magna, & maiestate iudicare viuos & mortuos? Sed de his inferius suo loco o- Ca.22.de Iud. portunè, Deo dante dicemus.

¶ Præterea admonet locus iste nihil contra nos facere posse sceleratorum consilia: si Deum propitium habeamus. Nihil nocuit Dauidi consilium A- 2.Reg.17 chitophelis: nec Ioseph consilium suorum fratrum Gene.37 neque Christo hoc consilium pharisæorum: vnde enim existimabant eius splendorem maculare, nomenque extinguere, inde confunduntur & tacẽt, & sapientia Christi magis lucescit. Ita quanuis te homines nefarij oppugnent, nequaquam tamen vincent si fueris virtutibus velut muro septus diuinoque præsidio munitus. Ita enim ait Deus apud Hie- Hierem.15 remiam. Bellabunt aduersum te, & non præualebũt, quia ego tecum sum vt liberẽ te. Et Iob, Deus Iob 5 comprehendit sapientes in astutia eorum: & consilia prauorum dissipat. In Prouerbiis etiam Salo- Prouer.21 mon ait. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Et pater eius Dauid.

Psal.32 uid. Dominus (inquit) dissipat consilia hominum. Etsi viri iusti videantur aliquando ab impiis superari: ipsi tamen de iniquis triumphant, vt Christus de pharisæis. Cum Palæstini Hebræos propter corũ 1.Re.5 scelera superarent, Deique arcam in templum Dei sui inferrent, euenit, sacra referente historia, vt surgentes diluculo altero die Azotij inuenerint Dagonem Deum suum, iacentem in terra ante arcam: & alio die scissum & confractum. Quando existimabant arcam Dei esse victam & abiectam, subiectamque idolo suo, inuenerunt illam superantem, idolumque apud se confractum, & ipsam mirabiliter triumphantem. Aspicis hîc gloriam Dei præeminere, etiam cùm abiecta esse creditur: virtutemque victoriam obtinere, etiam cùm victa esse existimatur? Voluit Syria cum Samaria Hierosolymam euertere: sed Hierosolyma euasit superior, & ipsæ fuerunt euersæ, & in summis calamitatibus constitutæ. Vt enim fluctus maris duram ingentemque rupem ferientes ibi illiduntur, nihil aliud efficientes quàm seipsos frangere, & in spumas inanes conuertere, manente rupe immobili & stabili: sic qui iustum ac pium hominem volunt impugnare, spumas suæ iracundiæ & inuidiæ ostendunt: sed nihil aliud efficiunt quàm seipsos frangere & atterere perseuerante viro iusto in virtute & constantia nullam gloriam virtutis atque constantiæ præmium amittente: vnde diminuuntur, rupes autem immobilis & fixa est. Mali confunduntur, bonus triumEsther 7 phat. Superbus Aman, exoriens affligit populum Dei, Israel tamen triumphat: Aman autem cum tota familia sua periit. Maxima pharisæorum turba in Christum conuenit: sed iam vides quomodo omnes taceant, & mutire non audeant. Omnia eorum consilia, consultationes, & astutiæ, quasi spuma euanescunt. Nunc ad contextum reuertamur. *Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos.* Vides cœnæ Christi quales sint, nempè in salutem animarũ, non in satietatem ventris vertuntur. Sanauit hydropicum, docuit pharisæos quod bonum sit in sabbathis benè facere: & videns eos primos accubitus ambientes medetur huic morbo. Ostendit non esse veram gloriam quæ ambitur: sed quæ datur. Sic Hebr.5 Paulus. Nemo sibi assumat honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Verùm nostri sermones inter manducandum ab eis valdè discrepant. Christus super mensam concionatur, sermonem spiritualem, & de ædificatione animarum iniens: illi verò qui legem eius profitentur, & iactant se esse christianos omne suum studium ponunt in eorum moribus arguendis, & posteà quàm plenis stomachis suis incaluerunt, de proximis suis detrahunt, & eorum vitas calumniantur. Hoc est mundi vernaculum, & quod magis in comessationibus & conuiuiis diuitum vsurpatur, post luculẽtam ciborum, Daniel.5 & poculorum satietatem. Non aliud agebat ille Babyloniæ rex Balthasar qui cùm vxoribus suis helluabatur, cùm venit in eum Dei iustitia & scripsit illa manus, Mane, techel, phares. Ità etiam credo Deum iustitia sua venturum super vos: non tantum propter cibi, potusque luxuriam, quantum propter malos sermones quibus in cõuiuiis vtimini. Nam sicut Bathasar cum familiaribus suis Deos suos laudabat, ita vos laudatis vitia vestra quæ vt idola colitis, & pro diis habetis. Aliter Christus hîc facit, qui in conuiuio bonum spiritnale, & doctrinam salutarem tradit inter epulas. Sic etiam faciunt religiosi, & qui vitam monasticam profitentur, vt semper lectionem scripturarum inter cœnandum audiant.

¶ Præterea obseruandus est locus iste à præconibus verbi Dei vt non ilico verbum veritatis subtrahant, vbi vel animo pessimo, vel capiẽdi studio, quosdam sibi auditores senserint adesse: sperantes, vt sicut Christus multos dolo venientes, virtute sui verbi ad pietatem conuertit, ità per suos id posse præcones. Factum fuit Hieremiæ verbum Domini in opprobriũ tota die. Omnes irriserunt eum, quãobrem silere penitùs proposuit, sed audit à Domino. Hiere.20 Noli subtrahere verbum, si fortè audiant, & cõuertantur vnusquisque à via sua mala. Hiere.26 Verùm vbi talibus spes deest, non est canibus proiiciendum sanctum Dei, nec porcis substernendæ margaritæ. Matth.7

¶ Aduerte etiam quòd hîc dicitur, quòd Christus dicebat ad inuitatos parabolam, in quibus prædicabat sæpe sæpiùs quòd fecit, vt declararet se eodem spiritu loqui: quo prophetæ locuti sunt, familiare enim est prophetis vti parabolis, idque cuique legenti libros prophetarum patet. Imo nedum verbis sed plerumque factis parabolas proposuerũt. Sic Hieremias laguneculam coram populo confringens Hiere.19 hoc facto innuebat futuram Iudæorum desolationem. Hiere 27 Idem cathenis ligatus quas in collo gestabat, præfigurabat futuram captiuitatem Iudæorum. Sic Osea 1 Oseas accipiens vxorem fornicariam prædixit gentes in gratiam Dei venturas. Ideo in eodem propheta Dominus dixit, In manibus prophetarum assimilatus sum. Ideo Christus vt declaret se ab eo missum parabolis vtitur more prophetarum. Osea 8 Sed quia de parabolis in superioribus, satis locuti sumus, audiamus iam nunc Christi Saluatoris parabolã. *Cum inuitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco.* Nihil aliud Christus his verbis insinuare vult, nisi contundere arrogantiam & fastum pharisæorum: & nos docet honores fugere, humilia petere, alta contemnere, & humilitatem sectari. Considera autem Christi ingenium. Solet nanque vt benè Chry- Chry.hom.31 in opere imp. Mat. sostomus adnotat, quando de mysterio alicuius rei est locuturus, introducere ante corporaliter facientem ipsum: vt ex eo occasionem inueniens tam corporalem narrationem mysterij, quã rei propositum exequatur. Quia de compescenda pharisæorum iactantia locuturus erat, Luc.11 introducit primo dydropicum, & eum sanat, vt in corporali timore hydropici, iactantiæ pharisæorum præpingeretur inflatio. Sic in superioribus ex ablutione vrceorum, docuit Christus immunditias & sordes pharisæorum, quomodo abluendæ erant. Perpende autem quod Christus in hac metaphora intendit, & sub hac parabola, vel comparatione est, nos docere ne simus ambitiosi procurantes & cupientes honores, & prælaturas & dignitates in hoc sæculo, quod egregiè ostendit ambitionem pharisæorum reprehendens. Igitur sub hac similitudine docet quomodo primos accubitus non eligant: quanuis Christus non damnet primos accubitus, nec eos qui in illis sedent: sed eos qui primos accubitus sibi eligunt. Periculum igitur est in eligendo, & non in sedendo: necesse enim est, vt ex multis, vnus supremum locum habeat. Et si papa, rex, episcopus, aut prælatus sedeat in loco eminentiori, hoc non damnat

Christus: sed hæc appetere, ambire, & eligere condẽnat. Multi enim humiles in loco supremo sedẽt & multi superbi in infimo. Animũ respicit Dominus, nõ externum factum. Ioseph in Ægypto primũ locum habuit, sed non propter hoc accusari potest. Hester cultu regio intrauit ad regem: sed quam longe à fastu & superbia, eius historia abundè testatur. Itaque ambitionem & appetitum dominandi damnat: vt erant illi pharisæi qui appetebant primos accubitus in synagogis, & vocari ab omnibus rabbi, quærere & appetere hæc stultissimum est. Sic Dominus duobus discipulis, qui voluerunt sedere, vnus a dextris, & alius a sinistris respondit, Nescitis quid petatis. Ex tui ignorantia oritur tibi appetitus imperãdi, & præeminentiæ honor est præmium virtutis, si te existimas illo esse dignum, & virtute præditũ, hoc nomine putandus es honore indignissimus. Ambitio est mater hæresis, & difficile est esse in summa dignitate constitutum, & cogitationes non eleuatas habere. Maximum discrimen subis, si prælatus esse vis. Tantum debet præstare prælatus subdito, quantum pastor ouibus suis. Non est ornandus doctoris gradu tyro, & ille qui in primo limine studij literarum est: hac duntaxat causa, quòd indolẽ eruditionis futuræ præferat: sed ille, qui iam de literis est benè meritus. Eodem modo non debet esse prælatus, qui virtutis via ingredi cepit: sed ille, qui iam omnibus suis libidinibus renunciauit & perfectæ virtutis studiosus esse apparet. Prælatura status est perfectorũ, igitur teneris esse aliis perfectior & virtutis studiosior. ¶ Præterea dignitas prælaturæ non est appetenda, nam si peccas grauiùs peccas, scandalum aliis malis tuis moribus præbẽs, tantò etiam est maior ruina, quantò maior est status. Omnibus discipulis in horto dormientibus, solum Petrum reprehendit Dominus: nam licet omnes in eodem sint crimine, cæteris paribus maiori dignus est repræhensione prælatus quàm subditus. Non est dormiendum illi, cui incumbit alios excitare. Omnes oculos habent in te coniectos, quare si à vera via deliras, scandalizantur. Prælatus iniquus, tot mortibus dignus est, quot fragilibus subditis malo suo exemplo, causas delinquendi dedit. Filij Iob, in domo fratris sui maioris interierunt: nam subditi malo exemplo prælati sui, qui locum obtinet maximi fratris intereunt, subditi prælatorum suorum exemplis diriguntur. Cum nubes incedebat, quæ populum Israel ducebat, populus sequebatur: cùm autem cessabat, stabant etiam Iudæi immobiles. Incedente prælato via virtutum, incedunt etiam maxima cum sua vtilitate subditi: sed si prælati ociosam faciunt moram, subditi item ociosè immorantur. Non est appetenda denique dignitas prælaturæ, nam astringis te reddere rationem de aliorum animabus: insanus autẽ est ille, qui se soluturum obligat quod alij cõmiserunt. Cùm venerit hora mortis quæ citiùs fortasse tua cogitatione aderit, satis erit tibi conscientiæ tuæ rationem reddere, non etiam aliorum conscientias præstare: quo in puncto temporis adeò te perplexum inuenies, coram seuero Dei iudicio, vt te liberando parum non facias, nedum in te suscipias aliorum conscientias. Ideoque ne recumbas in primo loco, ne velis aut cupias honores & prælaturas, aliisuè hominibus præferri. Præter has autem, & alias quamplurimas causas, quibus primum locum fugere & postremum eligere debes, quas hîc

Gene. 48

Hester 14

Matth. 23

Ambitio mater hæresis.

Peccat à prælato multo grauius est quã subdito.

Mar. 14

Iob 1

Exod. 13

breuitatis causa prætermitto: ponit in præsenti Christus Dominus noster quoddam maximum inconueniens propter quod quilibet primus esse non debet, dicens, *Ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is qui te, & illum inuitauit, dicat tibi: Da huic locum.*

Tu existimas te esse quacunque dignitate & prælatura dignũ, vel quia literatus aut nobilis es, Deus tamẽ de quo minime cogitas, aliũ elegit ad illam dignitatem, vel prælaturam, te digniorem: & si tu primum locum tyrannica ambitione, sæculariq́ue negociatione occupaueris, aut aliquo principũ fauore, veniet dominus, & tibi non sine magna confusione tua & pudore, prælaturam auferet, & eam alij te præstantiori cõmittet. Et ita præmittit Deus iusto & recto iudicio suo, vt illi qui tyrannicè primo loco abutuntur, & dominari volunt dignitate & honore adepto ante tempus à natura præfinitum decedentes non fruantur. Multa historiarum sæcularium exempla, adducere ad hoc possem. Sed his supersedentes ad diuina veniamus: Vide Abimelech filium Gedeonis qui septuaginta fratres, vt imperaret occidit, quanto labore principatum populi Israëlis tenuerit: & quàm citò, quámque infœlici exitu interierit. Idem accidit Absaloni qui intendens primum locum regni occupare, & esse rex suspensus suis ipsius capillis tribúsque hastis confixus vitam finiuit. Idem etiam successit eius fratri Adoniæ, qui primum etiam locum affectauit: verũ à Domino responsum accepit, da huic locum, & constituit Salomonem. Athalia primum etiam locum obtinuit: sed huic eodem modo Deus dixit, da huic locũ, quare gladio interempta, Ioæ locum reliquit. Posuit Dominus Saulẽ in primo loco: post ea tamen ob eius insolentiam & superbiam audiuit Dominũ dicentẽ, Da huic locum, & ita Dauidi vt honoratiori & præstantiori locũ suum concessit. Potentissima erat Vasthi regina vxor Assueri regis: sed propter suam superbiam de primo loco deiecta est: quem Deus Hester fœminæ præstantissimæ tribuit. Primum locum habebat Aman in aula Assueri: verùm ob suam arrogantiam audiuit Dominum sibi imperantem, da huic locum, qui Mardochæo præstanti viro cessit. *Tunc incipies cum rubore nouissimum locum tenere.* Vide quanto probro & pudore hi superbi tyranni de primis locis descenderint, qui non modo magna cõfusione & contumelia infimis inferorum tenebris sepulti sunt, verumetiam & in hoc sæculo, vitæ finem fecerunt, hastis aut pugionibus confossis, aut sibi ipsis manus inferentes. Hoc idem accidit qui Zambri Helam regis Israëlis occidit, & oppressit regnũ se regem faciẽs, qui tamẽ plus septem diebus non imperauit: nam in prælio cùm se vndiq; circũseptum videret, vrbemq́ue in qua se defendebat, iamiam expugnari, regiam suam ingressus est, admotóque igni spontaneo, se cum tota familia combussit. O bone Deus quanta cõfusione & pudore isti ambitiosi tyranni, qui modo tanta iniuria orbem occupantes, imperant, die iudicij peribũt: in solumq; deiecti & in postremo loco cõstituti apparebunt. At pauperculi & humiles, qui in hoc sæculo in extremo sunt loco, tunc erũt in primo: & tanquã aues in aëre, sic illi in altissimis sedibus corporib. suis gloriosis fulgebũt vt sol in cõspectu Dei. Quãta ignominia & quãtũ opprobriũ iniquos homines corripiet, quã mortiferis doloribus & angustiis torquebuntur potẽtes, qui in

Iud. 9

2. Reg. 18

3. Reg. 2

4. Reg. 11

1. Reg. 9

1. Reg. 15

Hester 8

3. Reg. 16

Matth. 13

qui in hoc sæculo primum locum tenuerunt: cum se viderint proiectos in terram, & in postremo loco, pauperes verò à se toties despectos & contemptos, in summo honore constitutos. Tunc verè incipient cum rubore & confusione nouissimum locum tenere: quia hîc recumbere voluerunt in loco primo. Sed nihilominus non desunt qui honores summa quærât contêtione: omnes volunt in pretio esse, & moriuntur vt sint in hoc sæculo primarij, Deum vt alijs imperêt offendentes. Similis est hic mundus rotæ veloci & mobili super cisternâ positæ, quam cæca fortuna assiduè rotat, miseros homines in honore proscribens qui quasi aquæductes alius post alium incedunt: donec ascendunt ad altissimum honoris gradû, qui quasi aqua de manibus elabitur. Et quemadmodû aquæductus nô omnem aquâ retinêt, sed partim effundunt suam, partim aliorû aquæductuum aquam suscipiût: sic homines ambitiosi cùm nihil illis ex sentêtia succedat antecedentes sequuntur vt eorû honorem, & sanguinem bibât. Rotâtur alij post alios, oribus apertis, quemadmodum Dauid dixit in Psalmo, in circuitu impij ambulant, sed descendentes à summo ad imum locum, omnê aquam effundunt, & cadunt vacui & inanes diuitiis & honoribus in locum postremum. Ita cùm anteà stetissent in primo loco, quasi aquæ ductus: aqua pleni, descendunt proni, & exinaniti extremi fiunt. Ideo sapientissimus Salomon hominû vitam rotæ super cisternam côparauit. Et quemadmodû alij aquæductus implentur, cùm alij exinaniuntur, ita & in mundo, vt alij ditescant, alij pauperes fiunt: nam mundus alij aufert vt alij tribuat: nam vt quis hæreditatê acquirat necesse est vt aliquis moriatur: mundus enim nemini dare nescit, nisi aliquem occiderit. Vnde Boëtius. Hæc est nostra vis, hunc continuo ludum ludimus, rotam volubili ordine versamus: infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Atque ideo in Sapiente dicitur in persona mundanorû. Quid profuit nobis superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquâ vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransiit fluctuantem aquam: aut tanquam auis quæ transoluat, tanquam carduus, quem postquam aruit rapit ventus: tanquâ spuma aquarum, quæ statim euanescit, tanquam fumus qui in aërem eleuatur, quasi hospes transiens, cuius non est memoria. Hoc dixerunt impij, qui cùm se videant in primo loco diuites & honoribus abûdantes, nô animaduertût instabilitatem, & vices mundi: nec aduertunt aut sentiunt quali sint ruina perituri: sentient tamen, cùm se in infimo loco viderint. Sicut ille qui aquam è puteo hauriens hydria plena, onus non sentit donec hydriam altius ab aqua eleuat: ita tu senties naturâ rerum humanarum cum penitùs cor tuum ab illis exemeris. Ideo ne mûdus te sursum deorsum illudat, & ne à summo ad imum decidas: ne sis ambitiosus, ne quæras primum locû, néve honores, & prælaturas, aut dignitates affectes. Sed quid agendum? audi mundi Saluatorem. *Sed cùm vocatus fueris ad nuptias, vade & recumbe in nouissimo loco, vt cùm venerit qui te inuitauit dicat tibi, amice ascende superius.* Quemadmodum qui primum locum occupant honoris à Deo deprimuntur & confunduntur: sic è diuerso humiles extolluntur, & illi qui honorem fugiunt, sicut dixit Virgo sanctissima, in Cantico suo, Deposuit

Psal.11

Eccle.12

Boet. libro 2. pro.1.

Sapien.5

potêtes de sede, & exaltauit humiles. Eos qui sponte sua mundi honores & grandus contemnunt, extollit Deus, & ad honorem vocat, deprimês superbos & ambitiosos. Quare optimè honor assimilatur vmbræ: nam si propriam vmbram sectaris, quo magis properas, magis ipsa fugiet: adeò, vt nunquam eam consequi possis. Eodê modo honor insequêtes fugit: & licet aliquâdo honores, qui quærunt adipiscantur: sed vt dictum est, illis breui tempore magnis laboribus, & defatigationibus fruentur, & denique magno cum malo desinent. Quidnam igitur remedij vt hanc vmbram consequi possimus? proiice te in terram, nam si te prosternas vmbram sub te capies. Eodem modo, si vis honorê adipisci, humilia, & abiice: nam si sponte tua eligis locum humilem & honoribus & dignitatibus huius sæculi renuncies, dominus te extollet, & côstituet in magnis honoris gradibus, quod quamuis in hoc mundo non faciat, faciet in altero: vbi verò honore magno & securo, & qui à te auferri nô poterit frueris. Saul in principio adeò humilis erat vt Samueli dixerit, Nunquid filius Iemini ego sum, & de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin? Tunc Deus illi dixit, ascende superiùs. Et fecit illum caput populi sui, & côstituit illum in primo loco. Idê fecit Dauidi minimo Isai filio humili & paruo ante oculos suos: & quia in postremo loco sedit, & in deserto exiguum ouium gregem custodiebat, vocauit eum Deus dicens, Ascende superiùs, & eum regem fecit. Humili Abrahâ, qui Deo dixerat, Loquar ad Dominum meum cùm sim puluis & cinis, Respondit Dominus. Faciam te in gentê magnam. Et sic re ipsa ostendit, faciens eum magnum & nobilem in hoc seculo, & in altero. Quæritat Dominus assiduo humiles & paruos, vt eos eleuet & honoret: quare cùm in orbem venit nô elegit Dominus, vt ait Apostolus, sapientes & potentes huius sæculi, sed humiles & pauperculos, & idiotas piscatores: infirma enim mundi elegit, vt fortia quæque confunderet. Humilia enim respicit & alta à longe cognoscit. Vide quanto maior te consequetur honor, si in hoc sæculo vitam degês in postremo paupertatis & mêdicationis loco vt Lazarus, & in angustiis plagarum & infirmitatum, postea delatus fueris ab angelis in Abrahami sinum gloriámque sempiternam: quam si diues & magnus cum fueris, postea ad inferos detrudaris. Attende igitur Christiane, quantò securior est humilitatis status, quantóque præstet, in hoc sæculo te esse paruum & humilem, quàm magnum & diuitem. Cras fortè morieris, & tûc nihil tibi proderit regem, imperatorem aut summum Pontificem fuisse. Nô pauci magnorum prælatorum cùm moriuntur, inquiunt, Vtinam & ego pauperculus fuissem sacrista, non prælatus. Et profectò cùm reddenda erit ratio, quod cum minime reris, & seueriùs quàm putas erit, prestabit fuisse pusillum & humilem, quàm magnum doctorê & superbum prælatû, aut potentem in hoc sæculo. Et siquidem de Deo Dauid canit, Quis sicut dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra? Suscitans de terra inopem & de stercore erigês pauperrem. Hic autê ait dominus, se dictorû humili, Ascêde superius. Crede mihi, sede in extremis, vt voceris ad primos: nâ vt in præsenti inquit. *Tûc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.* Non docet Christus quo

Lucæ 1

1.Reg.9

1.Reg.16

Gen.10
Genes.12

1.Cor.1

Luca 16

Psal.112

modo efficiamur gloriosi, sed honestatem atq; vrbanitatem docet: non enim humiliare nos debemus vt gloriam inueniamus, quia hoc hypocritarũ est: sed quod iustum & honestum est, iustè & honestè faciamus. Arguebat Christus pharisæos, quia gloriam nõ solùm indignè, sed etiam stolidè & ineptè quærerent, acsi diceret, Si gloriam hominum quæritis, ineptè agitis custodiẽdo vos in superiori loco: quia maior inde vobis oritur ignominia. Sed si gloriam quæritis, meliùs illam acquiretis humiliter agendo: nam gloria insequitur fugientem: sic agite vt gloria magis quærat vos, quã vos gloriam. Hoc iam ante à sapiẽtissimo Salomone dictum erat sub his verbis, Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris: meliùs est enim vt dicatur tibi, Ascende huc, quàm vt humilieris coram principe. Itaq; non docet Christus hîc quomodo gloriam mundi quæramus, sed quomodo humilitatem studeamus habere, honores huius sæculi fugientes: ea enim, si illa non quæsiuerimus, sponte sua sine vlla nostra opera aut cura nobis in manus veniet. E diuerso qui illam quærunt amittunt, qui verò contẽnunt faciliùs illam inueniunt: atq; ideo humiliemur, sedeamúsq; in extremo loco, vt honorem, & gloriã absq; vlla contentione aut industria nostra adipiscamur. Vis hoc clariùs videre? Attẽde, vt hoc rectè intelligas omnes qui modo in aliquo hnooris & gloriæ sunt gradu, honorẽ contẽpserunt quare in tantam dignitatẽ prouecti sunt: & omnes illi qui modo in primo honoris gradu cõstituti ab vniuerso orbe ingenti laude celebrantur, homines fuerunt mundi eiúsq; gloriæ fugaces: E contra verò qui mundo inseruierunt & summa ambitione & cupidine gloriam & honores captarunt, vt sui perpetua relinquerent monumenta, obliuioni traditi, summísq; tenebris obruti iacẽt. Nam etiamsi dum viuerẽt primum obtinuerunt locum: nunc sunt extremi, & eorum memoria veluti si nunquã fuissent deleta est, hoc tibi apud animum tuum propone, quòd dicturus sum. Si Romam te contuleris, quæ olim totius orbis caput fuit, nulla alia insigniora monimẽta inuenies, quã ea quæ aliquãdo aut pauper piscator Petrus aut Paulus posuerunt. Omnia eorũ nominibus inscripta sunt. At nõ fuerũt in illa ciuitate reges, cõsules, senatores, duces fortissimi, imperatores ditissimi, maximi & potẽtissimi principes? negari nõ potest. Sed omnes quia gloriã huius sæculi quæsierũt, nulla in gloria aut laude sunt: nec vlla sunt illorum monimẽta, & corũ memoria quasi fumus euanuit, nullo sui indicio aut vestigio relicto, cùm sint maxima signa & vestigia eorum qui mundum cõtempserunt & a mundo cõtempti sunt. Honoris igitur gloria & præmium non quærentibus sed fugientibus cõceditur. Quòd si clarius videre vis, aspice imperatores, reges, quid dicam? summos etiam põtifices, ad pedes eorũ deuolutos, qui summis honoribus paupertatẽ & humilitatem antetulerunt. Hic est notãdum quomodo de seruis Dei, mundũ eiúsq; honorẽ & blanditias fugientibus separatísq; ab omni laude, hominúmq; gloria faciat dominus Deus præconiũ per vniuersum orbem terrarũ, omnibus gentibus illorũ laudes nunquam interituras prædicans. Nunquam Diua Maria Ægyptiaca tanta celebritate in orbe coleretur, nisi mundo derelicto se in desertũ recepisset. Si mundo inseruiuisset, iam esset obliuioni tradita: verũ quia mundum fugit, non est à domino Deo nostro eius honos destitutus, qui nomnibus gentibus, laudes, famulæ suæ in eremi latibulis delitescẽtis publicaret. Quare multò plus absens quàm si esset præsens lucrata est, multóq; maioris honoris est particeps, quod illum despexit, quàm esset si quæsiisset. Aduerte quãto in errore viuamus in hoc miserrimo vitæ curriculo. Honorẽ perdimus dum quærimus: quærentes etiam nostri memoriã facere sempiternam, nihil aliud præterquã obliuionem inuenimus. Præterea dum nos volumus magnificare, abiecti manemus. Itaq; ea media quæ ad nostrã conseruationem capimus, sunt efficacissima calamitatũ nostrarum initia: nam vbi nobis profuturos existimamus, ibi ingenti ruina perimus. Maxima igitur est hominum amẽtia & cœcitas, qui tanta libidine honores quærunt: videntes quotidie illos qui magis honores fugiunt, maioribus honoribus perfrui. Nemo est honoratior illo, q honorẽ fugit: nemo est ditior illo, qui paruo contẽtus viuit: nemo est in tanta dignitate cõstitutus, quanta ille qui in exiguo vitæ statu se continet: deniq; nullius ita homines obliuiscuntur, vt eius qui supra modum huius mũdi gloriam affectauit, omnes illos de quibus mundus maximam lætitiam, & alacritatem capit, certũ est mundi acerrimos hostes extitisse. Matathias dixit filiis suis, Date animas vestras pro testamento patrum nostrorum, & accipietis gloriam magnã, & nomen æternum. Itaq; si piis oculis hoc inspicere & considerare vis, cordatè, & sapienter profectò hanc inanem & caducam huius sæculi gloriam contemnes. Esto igitur animo humili permittens Deo tua. Ille enim eam de te curam habebit, vt vias & semitas tuas qua minime existimes dirigat, sine vlla tua industria aut labore. Deus enim diligentia tua nõ indiget vt te ab imo ad supremũ dignitatis gradum ascendere faciat. Verùm humiliare donec tibi dicat ascende superiùs: & hic erit magnus coram Deo honor, & etiam coram hominibus simul discumbentibus. Hãc doctrinã confirmat Christus dominus noster, sigillóq; suo impresso roborat, verámq; esse ostendit. *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Hæc ex superioribus patẽt verissima esse: quoniam superbo qui primum locum occupat, dicitur, da huic locum, & incipit cum rubore nouissimum locum tenere. E contra verò humili, qui sedet in nouissimo ait dominus, Ascende superiùs: quod idem est ac si humiliet eos qui se exaltant: & exaltet humiles qui in loco nouissimo & despecto sedere eligunt.

¶ Aduerte tamen quòd nõ dicit, omnis qui exaltatur, sed omnis qui se exaltat: quia multi sunt exaltati qui iusti sunt. Sed ait, omnis qui se exaltat: id est, exaltat seipsum ambiẽdo honores & dignitates, & negotio humano & ambitione obtinet principatum: nõ enim potestas & status, sed elatio in crimine est. Præterea nõ dicit qui vestes & corpus humiliat, sed qui cor suum, qui se ipsum abiicit, ac dimittit: debet enim humilitas esse vera & non ficta, illorum more, qui animi fingunt submissionẽ vt alios fallant, & mũdi gloriã aucupẽtur. Sicut feræ, prædam inuasuræ se inclinãt & retrahũt, vt fortiori conatu in eam irruãt & insiliãt: sic superbi & callidi se aliquãdo demittunt, vt hac virtutũ simulatione dignitates acquirãt. Sic Psalmista, dixit, Inclinabit se & cadet, cum dominatus fuerit pauperum. Qui non exaltantur à Deo, sed seipsos sic exaltant humiliabuntur: quia Deus mentiri non potest, qui ait,

Marginal notes: Deute. 6 — Prouer. 25 — 1. Mac. 2 — Non exaltatur hypocrita qui nequiter se humiliat.

qui ait, qui se exaltat humiliabitur. Sicut in hyeme
frigore vigēte, & æstate nimio calore omnia inflā-
mante raro cadunt ingentia fulmina, vt ait Plinius
lib. 2. sed verè & autumno, quādo aer est serenus &
trāquillus, tūc maximè adurūt & feriunt: sic ærum-
næ & calamitates, prosperitati insidiātur. Non eos
quærūt qui frigore & æstu in humili statu laborāt:
sed illos repētino vulnerāt impetu & deiiciunt in-
cendioq; comburūt, qui in trāquillo prosperitatis
vere & autūno superbia extolluntur & inani mun-
di gloria insolescunt, & in sublime vanitatis ele-
uātur. Nihil in vita securius, quàm vera humilitas,
Psal. 137 & Christiana animi submissio. Excelsus Dominus
ait Dauid, humilia respicit, & alta à longe cognos-
cit. Ac si diceret, Humiles Deus altissimus diligit,
eósque qui se submissè gerunt, & effert in sublime:
elatos verò & superbos mundi honores & mundi
dignitates sibi assumentes à longè videt, quasi res
detestabiles, nolés eos de propinquo vt charos in-
tueri. Humiliat Deus suos vt exaltet, sicut mundus
eleuat suos, vt deiiciat. Quemadmodum volens vt
parua ignis flāma eleuetur, & in altū feratur eā fla-
belli motu, & veloci agitatione deprimit: sic Deus
nos deprimit vt extollat. Deiicit deorsum vt sur-
sum erigat. Cōtra, vt luctator eum, qui secū conten-
dit amplectēs, fert in sublime, vt eum inde proster-
nat in terrā: sic mūdus ideo nos extollit vt præcipi-
tet: vt ex vertice falsæ & fluxæ gloriæ ruamus ad
Psal. 36 profundū veræ & perpetuæ ignominiæ. Vnde Psal-
mus, Vidi impium exaltatū supra cedros libani, &
ecce iam nō erat. Voce vna Dei cadunt impij iuxta
Psal. 28 illud quod idem Psalmographus ait. Vox Domini
confringēris cedros, & cōfringet Dominus cedros
libani, & cōminuet eas tanquā vitulum libani. In-
telligit per cedros libani potētes & mundi super-
bos: qui fulmine diuini verbi percussi corruunt &
euanescunt instar illius vituli, quē ab Hebræis in
Exod. 32 Oreb fabricatum cōminuit ac dissipauit Dominus
Esai. 2 per Mosen. Esaias etiam, Dies (inquit) Domini su-
per omnes cedros libani sublimes & erectas. Hoc
1. Reg. 2 est super superbos & magnates. Dominus enim
mortificat, & viuificat, humiliat, & subleuat: dixit
Anna mater Samuelis. Non glorietur fumus quia
Psal. 67 ascēdit, nam ascendendo euanescit. Ideo Psalmus
de superbis ait, Sicut deficit fumus ita deficiant, si-
cut fluit, &c. Vis videre quam verum hoc sit, quod
Deus humiliet eos qui se exaltant? Ioseph filius Ia-
cob, prædixerat quod esset adorandus à fratribus:
Genes. 37 vnde illi superbientes dixerūt, Nunquid rex noster
eris, aut subiiciemur ditioni tuæ? sed hos superbos
Genes. 48 quomodo Deus humiliauerit ex Geneseos libro
constat: nam in Ægypto adorauerunt fratrē proni
in terram. Hoc enim malum habēt illi qui nolunt
humiliari & subiici, cū Deus vult illos esse subie-
ctos: vt posteà magis subdantur & humilientur.
Quia isti noluerunt vtcunque subiici, coacti sunt
posteà demissa in terrā facie fratrem dominū ado-
1. Petri 5 rare. Quamobrē dicebat Petrus, Humiliamini sub
potenti manu Dei, vt vos exaltet in tēpore visita-
tionis. Ecōuerso verò qui humiliatur cum Deus
vult eum humilem esse, nunquā tantum deiicitur
Psal. 114 quantū erat deiiciēdus, si se nō humiliaret. Humi-
liatus sum (inquit Dauid) & liberauit me. Sed si
humiliari noluerint superbi, humiliabūtur à Deo.
Stat enim sententia, Qui se exaltat, humiliabitur.
Apoc. 12 Angelos superbientes & exaltantes vsq; ad ima de-
2. Reg. vltim. trusit, Dauidem quia eleuatū fuit cor eius, & iussit
populum numerare, peste puniuit, & septuaginta 1. Par. 21
millia virorū occidit pestis: Senacheribū humilia- 4. Reg. 19 Dan. 4
uit, & postea à filiis occisus est. Nabuchodonosor Esther. 4
à regno deiectus cum bestiis pastus est herbam. 1. Reg. 18
Aman, Goliat, Holofernē, Pharaonem, Chore, Da- Iudith. 13
tan, & Abyron, quibus Moses dixit multū erigimi- Exod. 14
ni filij Leui. Sic humiliauit vt superbū Antiochū, Num. 16
& Nichanorē, Adoniam, Absalonē, Rapsacem, & 2. Mac. 9
Herodem Agrippam, & plures alios. Ecōtra verò 2. Mach. 15
humiles exaltat, sicut superbos humiliat, Saulem in 3. Reg. 2
regno subleuat, quia humilis erat, vt ei dixit Sa- 2. Reg. 18
muel. Cùm erat paruulus in oculis tuis, caput in fi- 4. Reg. 18 Act. 12
liis Israel factus es: & ipse abscōdit se domi dum 1. Reg. 15
quæreretur ad regnū. Dauid minimus inter fratres 1. Reg. 10
suos eligitur ad regnū. Humilē Mosem in princi- 1. Reg. 16
pem populi fecit Deus. Dixit enim Deo humili- Exod. 3
ter, Quis ego sum domine? Et humilis Hieremias
qui dixit, A. A. A. Domine ego nescio loqui, quia Ierem. 1
puer ego sum, constituitur super gentes & regna. Iud. 6
Humilis Gedeon, Ecce familia mea minima est in Psalm. 72
Manasse, & ego minimus in domo patris mei, dux 2. Reg. 7
populi cōstituitur. Nummus enim qui descendit in
statera in thesaurū mittitur, qui verò ascēdit repro-
batur: sic superbi reprobantur à Deo. Et ipsi (inquit
Dauid) de manu tua repulsi sunt: & proiecisti eos
dum alleuarentur. Sed humiles approbantur & in
thesauris cœlestibus recōduntur. Sic Dauid quādo
dominus illi promisit perpetuum regnum retulit
Deum illum ex patris caulis extraxisse: & populo
suo Israëlitico dixit. Si audieris vocē domini Dei
tui, &c. Faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem Deute. 28
cunctis gentibus, quæ versantur in terra. Si ergo
exaltari & alios superare vis, humilia te sub potēti
manu domini Dei tui, obediendo vocibus eius.
Sed filij Adæ genus ambitiosum putant ascensum,
viam esse ad exaltationem, & contra apertā domi-
ni sententiam in digitos super alios se erigunt.

¶ Et vt ad sequētia explananda procedamus: ex-
pende quā ad rem & iuxta ea, quæ antea dixerat,
locutus est hîc Christus: primò in spirituali cōmo-
do, & mali deuitatione: secundò vt bonū sequamur
iuxta illud Psalmi. Diuerte à malo & fac bonū. Et Psal. 33
sic Christus prius dixit, quid esset vitandū, & nega-
tiuam posuit dicēs, Ne recumbas in primo loco: &
posteà quid agendū docuit, dicēs, Recūbe in nouis-
simo loco. Et modò cōsequēter, & ordinatè asserit,
cōtra eos qui recūbunt in primo loco: qui se exal-
tat humiliabitur. Sed iā ad cōtextū reuertamur. *Di-
cebat autem & ei qui se inuitauerat.* Attēde etiā quā Christus sol-
gratus sit Christus, qui nō vult surgere à cœna ante uit prandium sym
cibi potúsq; pretij solutionē, & nō quacūq; pecu- bolum.
nia, sed verbis diuinis & cœlestib. hospitē omnésq;
cōuiuas cœlesti pane refecit, in pretiū illius mate-
rialis cibi quē illi præbuerāt. Semper enim Deus
pro minimis operibus magna nobis confert bene-
ficia: & in solutionē tēporalis prādij cibū spiritua-
lem Pharisæo subministrauit. Ille corpus Christi
refecit, Christus animā illius pauit: & quātò spiri-
tus carnē antecellit, tātò spirituales epulę prestātio
res euadūt corporalibus. Hoc idē tecum fiet in cœ-
lo, si pauperē Christi in terra refeceris, qui Christū
propter pauperē repræsentat. Ille enim sic ait, Quod Matth. 25
vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Sed illū
audiamus docentem Pharisæum, & vide quod etiā
tecum loquitur dicens, *Cum facis prandiū, aut cœnā
noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos neque cogna-
tos, neque vicinos diuites.* Non prohibet Christus pia
conuiuia

conuiuia, nam Abrahã in die ablactationis Isaac, (Genes.21) fecit grande conuiuium: & Laban filiam suam traditurus Iacob, (Genes.29) vocatis amicis fecit magnum conuiuium: & Ioseph fratribus suis in Ægypto, (Genes.43) Iob cum filiis, (Iob 1) & Tobias cum amicis, (Tobiæ) quæ omnia non damnat scriptura. Et Martha Christo parauit cœnam: (Luc.10) & conuiuia fecere illi sancti fratres. Itaque Christus hic docere vult, vt benefaciendo non nos ipsos, sed proximorum necessitatẽ spectemus: nequaquam nos humanos aut benignos arbitrantes si proximis nostris benefecerimus, & si in eos liberales fuerimus, qui possunt nobis vicem rependere. Non damnat conuiuia fratrum, sed ne id misericordiam & liberalitatem arbitremur. Pharisæi isti putabãt satis se esse misericordes, si compharisæos inuitabant: suadet ergo Christus vt liberales & misericordes simus in pauperes, hospitalitatémque commendat, & pollicetur nobis æternam mercedem. Non diuites inquit, sed pauperes sunt inuitandi. (Esaiæ 58) Vnde Esaias. Frange esurienti panem tuum, & egenos nõ diuites introduc in domum tuam. Prohibet Dominus conuiuia diuitum propter superfluitates, detractiones, confabulationes, & cæteras inhonestates, quæ ibi solent fieri. Quapropter in Prouerbiis habetur, (Prouer.23) Noli esse in conuiuiis potatorum, neque in comessationibus, &c.

¶ Quanuis etiam cùm dicit hic, diuites, referri potest ad omnes præfatos, scilicet, ad amicos, ad fratres, & cognatos: nam si hi pauperes sunt meritoriè inuitantur, imò cæteris paribus potiùs essent inuitandi quàm alij: non principaliter, neque duntaxat, quia amici, fratres & cognati, sed quoniam pauperes & egentes, & potissimũ intuitu & amore Christi ad gloriam Dei, qui ita requirit, vt non solùm dilectio, sed & ordo charitatis seruetur: qui exigit vt propinquiores magis amentur, non solùm amore naturali sed spirituali cæteris paribus. Ideo in Canticis sponsa testatur. (Cant.2) Ordinauit in me charitatem. Et Paulus. (1.Tim.5) Si quis suorum non habet curam domesticorũ, &c. Igitur intẽtio Christi & finis est, vt amicos & diuites nõ solum inuitemus: nõ quia malũ est, sed quia præmio caret apud Deũ, si ex charitate non fit. Nam Christus alibi dicit. Si diligitis eos, qui vos diligunt: quam mercedem habebitis? Atq; ideo ipsemet Christus seipsum declarans addidit dicens causam quare cognati & amici & diuites non sunt inuitandi. Ait enim. *Ne forte & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio.* (Elemosyna propter Deũ facienda.) Vult Dominus quòd omnia opera nostra præsertim eleemosynæ in Deũ dirigantur: & ab ipso tantũ expectemus pretium, qui maiora quàm homines potest tribuere. Qui ergo eleemosynam facere vult, rectam habeat intentionem: quia Deus nõ ex operibus tantum iudicat, sed ex intentione & corde. Igitur da pauperibus qui non possunt reinuitare. At non oppositum fit: nemo enim solet aliquid nisi habenti tribuere: At tu multa caponum paria mittis illi qui hesterna cœna refertus, nauseãs cruditate cibum capere non potest: nec memoriam habet pauperis, qui fame & inedia nocte dormire non potest. Omnis charitas inter Christianos iam adeò refriguit, vt nemo sit, qui nisi diuitibus largiri velit: aut illis à quibus vel retributionem, fauorem, aut commodum aliquod expectet. Itaq; quæ ab impiis dantur in hoc sæculo, spe retributionis dantur: nihil propter Deum. Qui autem pauperibus sæpè petentibus, ne assiduas illorum solicitationes perferant, aliquid concedere coguntur, nõ ampliùs quam obolum, aut exiguum frustum panis impertiuntur. Itaq; nõ habenti minima cõceduntur, diuitibus verò, quæque optima maxima & pretiosissima reseruantur. Si autem tantummodo apud sæculares, & eos, qui à religione remotiores viuunt, vsurparetur, ferendum esset: verum hoc idem videmus ab episcopis, cæterisq; prælatis factitari, qui omnia bona sua cognatis diuitibus tribuunt: permittẽtes pauperes inedia interire. Ita videbis cum episcopis & prælatis nõ pauperes debiles & claudos, sed nobiles, equites, comites, marchiones, discumbere: in hos enim pauperculos Ecclesiarum suarum redditus, Christiq; patrimonium perperam insumunt. His omnia quæ habent tribuunt, honorificumq; esse existimant, si eos pro cognatis habeant & apud se discumbere faciant. Verum si pauperes habent cognatos, eos nõ curant nec agnoscunt: non quia cognati, sed quia pauperes sunt. O quam seuero iudicio punientur, quam crudeli cõdemnatione torquebuntur qui se in hoc sæculo eo modo habent. Hoc autem nimium discrepat, ab Euangelicis Christi præceptis, valdeque est contrarium exemplis & vitæ qui ait. *Sed cùm facis conuiuium voca pauperes, claudos, &c.* (Pauperum gratitudo pro beneficio maior quam diuitum.) Vnde etiã quantò meliùs sit dare pauperibus quã diuitibus, nam etiam ad sæculi vsum collatio beneficij in pauperes magis iuuat, quam in diuites: quia diues non est gratus pro beneficio accepto, existimãs omnes sibi officium & obsequium debere: & cum multa possideat, multaq; accipiat, non meminit conferentium beneficia: sed penitùs obliuiscitur cuiusq; rei sibi elargitæ, & ita sæpenumerò diuites narrare audimus. Hæc supellex mihi data est: sed à quo sit, nescio. Quin etiam id quod collatum est sibi meritis suis arrogat: quod velut debitũ acceperit: vel ideo datum sit, eo quod is, qui dedit reddendum sibi à diuite vberiùs existimauerit. Ita accipiendo beneficio, eo ipso quod acceperint diuites dedisse se magis quàm accepisse existimant: pauper verò etsi non habet vnde reddat pecuniam, refert gratiam laudans & honorans te, & tibi esse deuinctus fatetur, in quo certum est quod plus reddit quàm accepit. Pecunia enim nummo soluitur, gratia autem nunquam exinanitur. Reddẽdo vacuatur pecunia: gratia autem & habendo soluitur, & soluendo retinetur. Quare non modo secundum Deum, sed etiam secundum mundum vrbaneque & politè loquendo multò præstat, multoque maioris est lucri pauperi quam diuiti, extraneo quam ciui tribuere: gratiores enim sunt pro beneficiis acceptis extranei, vt plurimum, quam cognati.

¶ Secundò inuitandi sunt pauperes, & non diuites: quia sapiens creditor debitori fideli libentiùs bona sua cõmittit. At Christus fidelior creditor, omni homini est, cui datur quod pauperi confertur, iuxta illud. (Prou.19) Fœneratur domino, qui miseretur pauperis. ¶ Tertiò quia potiùs est acquirenda amicitia eius, qui plus potest prodesse. Diuites nisi in temporalibus remunerant benefactoribus suis beneficia: sed pauperes bonis æternis. Atque ideo dixit Christus. (Luca 16) Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c. ¶ Quartò quia quod das repones in loco tuto. Quod das diuitibus amitti potest, non autem quod das pauperibus. Si inuitas, vt te inuitent falli poteris: sed si pauperem inuitas, de mercede nõ falleris. Ideo Christus, Facite sacculos, qui non veterascunt. Thesaurum non deficientem

tem in cœlis: quo fur non approximat. Temporalia deficiunt: sed data pauperi propter Christum, æternum fructum conferunt in cœlis.

¶ Quintò merces cariùs venditur ad terminum longiorẽ persoluenda: & ideo cũ illud quod mundo impenditur in præsenti remuneratur, quod verò pauperibus futurum præmium expectat: cariùs venditur quod pauperi impẽditur. Et ne existimes te nõ esse adepturum in cœlo mercedem quam in primis attendere debes: vide quid addiderit Christus dominus noster, vt intelligas omni ratione præstare pauperi quàm diuiti tribuere. *Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Non erit opus tuum sine mercede, Deus enim tibi istam in cœlo eleemosynam soluet: vbi certior multò & securior merces te manet. Ideò in Ecclesiastico habetur. Benefac *Ecclesi.12* iusto & inuenies retributionem magnam. Et in Ec- *Eccle.11* clesiaste. Mitte panẽ tuum super transeuntes aquas: post multa tempora inuenies.

Resurrectio iustorum & malorum est. ¶ Obserua autem, quod quanuis omnes tam boni quàm mali resurrecturi simus, tamen nõ fit memoria de resurrectione malorũ sed de resurrectione iustorum, quia mali nõ curant de illa, omnis eorum cura est de rebus huius sæculi, & ita cum nihil nisi de præsenti agant, & nõ de resurrectione cœlesti, ideò Christus nõ loquitur de resurrectione impiorum. Præterea nõ fit etiam mentio de eorum resurrectione, quia impij nõ resurgent ad vitã: iuxta *Psal.1* illud Psalmi. Non resurgẽt impij in iudicio. Resur- *1.Cor.15* gent quidem: nam (vt Paulus ait) omnes quidem resurgemus, sed nõ omnes immutabimur: quia mali nõ mutabuntur in corruptionem, nec resurgent ad gratiam & vitam spiritualem, sed ad mortem æter- *2.Mac.7* nam. Vnde regi Antiocho quidam martyr ex Machabæis dixit, Tibi resurrectio ad vitam non erit.

¶ Docemur hic operibus misericordiæ insistere: non enim sua mercede, & retributione carebunt, *Quatuor in eleemos. spectanda.* Itaq; cum pauper petit à te eleemosynam quatuor debes attendere. Primò quis petat: quoniam Deus ait, quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis. Cogita Christum quando manum pauperi exten- *Matth.25* dis. Secundò cogita quid petat Deus in illo paupere, non petit tuum sed suum: vnde valde ingratus est qui de bonis Dei abundanter habet ad mensam suam, & tamen nõ vult dare modicum panis Deo petenti. Cùm enim pauper petit eleemosynã, Christus est qui dicit tibi, da mihi de eo quod dedi tibi. De meo quæro: & mihi non donas? Da & reddo, habuisti me largitorem, facito debitorem. Tertiò debes cogitare ad quid petit, nõ enim petit ad dandum, sed ad mutuandum, & ad centuplas vsuras. Quod fœneraris homini, fœnerare Deo & centuplum accipies, & vitam æternam posside bis. Mira ingratitudo & stultitia Christianorum qui nolunt fœnerare Deo ad tales vsuras, ad quales commodarent Iudæo & Saraceno. Quartò debet cogitare quod ipse habet petere à Deo regnum æternum: & ille modo petit modicũ panis, & si neget, negabit *Prouer.21* illi Deus regnum suum. Qui obturat (inquit Salomon) aures suas ad clamorẽ pauperis: ipse clamabit, & nõ exaudietur. Igitur ne dubites impendere pauca cum tu ipse magna petas. Sed procedamus.

Et cùm audisset quidam de simul discumbentibus dixit, Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Expende quantæ vtilitatis & commodi sermo Domini sit. Ecce in hoc cõuiuio pharisæus hic, vel quisquis ille fuerit animo mutato ad superna suspirat, hoc conciones faciunt, vt incipiat populus contemptis terrenis superna sapere.

¶ Docemur ne nos pœniteat verbum Dei prædicare, etiam in multitudine derisorum. Nunquam in hac vita desperanda est salus cuiuscunque peccatoris, licet sceleratissimus sit. Sed ad contextum. *Et ipse dixit ei, Homo quidam fecit cœnam magnam.* In primis hæc parabola nõ est illa quæ ponitur à Mat *Matth.22* thæo: quia nõ est idem ordo, nec deducitur ad idem: quia Lucas hîc respondit homini, qui dixerat, Beatus qui manducabit panem in regno Dei, & Matthæus loquitur contra principem sacerdotum. Præterea in Matthæo vocatur conuiuium, & hîc vocatur cœna: & illic vocatur rex, & hîc homo quidam: & illic inuitati quidam noluerunt & alij neglexerunt, hîc autem excusauerunt se. Illic intrauit rex vt videret discumbentes, hîc verò nihil tale dicitur. Igitur secundum expositionem huius parabolæ aduerte, quod sicut ignis ex sua natura, quidquid ei adiungitur in suam substantiam conuertit, eodem modo quidquid homines vident, in suũ amorem & affectum conuertunt: quapropter mali omnia in malam partem transferunt, boni autem in bonam interpretantur, & in omnibus quæ faciunt, aut vident, occasionem capiunt Deum laudandi: & quidquid terrenum apud illos agitur ad superna deducũt, & quia spirituales sunt, omnia spiritualibus referunt. Cùm hanc parabolam Christus pharisæis dixit, erat in domo pharisæi sedens atque manducans: & pulchrè de corporali cibo atque conuiuio ad spirituale & æternum conuiuium sermonem vertit. Similiter & in Ioanne facit, cum *Ioan.6* quinque millia hominũ ex quinque panibus pauisset in deserto, mox de spirituali cibo locutus est: scilicet, de corpore suo & de sanguine. Quæritis me (inquit) quia manducastis ex panibus & saturati estis. Operamini nõ cibum qui perit: sed qui permanet in vitã æternam. Simili modo hîc facit. Tota enim hæc parabola nihil aliud est quàm respondere ad verbum quod ille dixerat, Beatus qui panem mãducabit in regno Dei. Hac parabola seu similitudine ostendit Christus, quod Deus morte vnigeniti iam parauerat conuiuiũ æternũ omnibus & singulis: quia omnes inuitauit, & omnes vocauit per se & suos apostolos & discipulos. Sed hoc non erat satis vt quis esset beatus, vt comederet cibum in cœna æterna, nisi & ipse vocationi respõderet, & mãdatis obediret: quod si multi nõ capiunt cibum in regno, hoc est ob culpam suam, quia propter cupiditates huius sæculi, & amorem terrenorum contemnunt venire ad nuptias. Vocat Deus & nemo audit, & æterna offert, & ipsi temporalia sectantur: quinimo ob temporalium rerum amorem æterna negligunt. Excusationẽ sumunt vbi nulla excusatio est: & impedimentũ fingunt quod per se impedimentũ nullum est. Sed quia multi ex Iudæis noluerũt vocati venire, & tot beneficiis allecti, in hac parabola ostendit Christus vocationem gentium. Nam misit Deus vocare claudos, & cæcos gẽtiles, qui sine lumine & cognitione veritatis errabãt: & sententia cõtra Iudæos prolata est dicẽs, quod nemo illorum Iudæorum, qui vocati fuerunt, & non venerunt, gustabit cœnam in regno Dei, sed pœnas luent æternas. Quod optime Esaias Iudæorũ pro- *Esai.2* pheta prædixerat: nam loquens primò de vocatione eorum dixit, Venite ascendamus ad montem

Domini

Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, &c. Verùm quia ipſi vocati noluerũt venire, adiecit propheta. Proiecisti enim populum tuum domũ Iacob. Sed vt dilecta ſynagoga nullam habeat excuſationem, experitur Dominus priùs omnia media: quibus illam retineat, antequàm penitùs alienet. Ideò in hac parabola primum agit de vocatione Iudæorum: & quia ipſi venire noluerunt agit de vocatione gentium. *Act.14* Sic Paulus & Barnabas dixerunt eis. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quia indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Deniq; concludit cum ſententia contra Iudæos prolata dicens, Dico autem vobis quod nemo illorum virorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam. Et hæc eſt ſumma & ſcopus totius parabolæ: ſed ſingula expendamus.

Homo quidam fecit cœnam magnam.

Benignitas Dei per hominis ſimilitudinem ſignificatur.

Hoc primum verbum cõmendat nobis miſericordiam Dei, nam quando vindicatiuam Dei virtutem ſcriptura ſignificat, pantheram, vrſum: & pardum eum vocat: vt Daniel propheta oſtendit. *Dan.9* Vnde etiam per Oſeam dicit. *Oſea 13* Ego ero eis quaſi leæna, & ſicut pardus in via Aſſyriorum: occurram eis quaſi vrſa captis catulis, &c. Quando autẽ ſcriptura Dei bonitatem oſtendere vult, homini eum comparat. *Dani.9* Vnde in Daniele, vbi gratia noui teſtamenti deſcribitur, Deus pater & filius eius homini comparantur: nam quales nos ſumus, talem ſe nobis exhibet Deus. Si homines ſumus, & viuimus ſicut rationales creaturæ, ipſe etiam Deus homini comparatur: ſin autem belluarum more viuimus, *Pſal.31* ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, fit nobis Deus fera terribilior.

¶ Homo itaque hîc vocatur Deus, quia benignè & miſericorditer, nos vocat & allicit ad epulas vitæ æternæ, vocans nos dulciter & clementer. Multis modis, in hac cœna apponit nobis dilectũ filium ſuum Ieſum Chriſtum. In cuius vera cognitione & amore conſiſtit noſtra beatitudo, dicente *Ioan.17* ipſo. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te. *Ioan. 6* Ipſe enim eſt panis verus cœleſtis qui omnibus nobis proponitur. In hoc Ieſu Chriſto & per hunc donauit nobis pater æternus iuſtitiam, gratiam, remiſſionem peccatorum & vitam æternam, qui ſaluberrimi ſunt animarum cibi.

Cœna magna quia ibi rerũ omnium affluentia.

¶ Porrò cœna eſt, ad quam vocati ſunt omnes, quibus eſt Euangelium prædicatum: & vocantur modo, & vocabuntur perpetuò: iuxta illud Chriſti *Matth.16* præceptum. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Vocatur autem magna, quia magnus eſt ille paterfamilias qui eam parat: *Pſal.144* iuxta illud Pſalmi. Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Atque etiam dicitur magna propter cibum, quem proponit: nempe gloriam diuinæ viſionis. Hinc *Pſal.15* Dauid. Implebis me lætitia cum vultu tuo, delectationess in dextera tua vſque in finem. Et parantur ibi ea, *1.Cor.12* quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. & non præparantur ad horam, diem, vel annum, ſed in æternum. Vnde dicitur cœna magna, quia in æternum durat, & non habet finem ſicut cœnæ mundi.

Quare cœna & non prandium.

¶ Obſerua autem quod hoc cõuiuium Dei, non prandium, ſed cœna vocatur: quia in ſerò paratur, & poſt cœnam nullum conuiuium reſtat. Inuitat mundus ad prandium, & non ad cœnã: ſolet enim in hac vita ſuis amatoribus delicias præparare, ſed hora cœnæ hoc eſt ſero & hora mortis eorum, relinquit illos fame diſſolutos abire. Sic Baruch in perſona mundi, de ſuis dilectoribus ait. *Baruch 4* Nutriui eos cũ iucunditate: dimiſi autem illos cum fletu & luctu. Hîc ſæculi huius amatores prandium faciunt, comedunt & bibunt, lætãtur & exultant, & ad votum illis omnia ſuccedunt: ſed in fine fame peribunt, cũ in morte, nec caro nec mundus, nec delitiæ, quicquam eis proderunt: ſed vili operti ſindone, vermibus deuorandi tradentur ſepulturæ, & animæ in æternum cruciabuntur in inferno. Sed aliter Chriſtus, qui in hoc ſæculo, ad labores & famẽ, & ſitim inuitat, & hîc perſequutiones & famem patiuntur: ſed opulentiſsimum dabit cœnam in fine. In finem ait Ioannes quod Chriſtus dilexit ſuos: *Ioan.13* quia in fine vitæ, & hora mortis maiora ſigna dilectionis, & amoris eis oſtendit, tribuens eis cœnã illam æternam in gloria. Ideóq; hoc tam ſplendidum & magnificum conuiuium cœna & nõ prandium vocatur. Ad hanc verò pinguem & opulentam cœnam omnes vocat nullum excludit venientem, atque ideo ſequitur. *Et vocauit multos.* Conſideranda eſt Dei patris imméſa bonitas. Nõ potuit enim Deus de nobis meliùs mereri, quàm cùm dignatus eſt nos miſeros peccatores ad hãc cœnam vocare. Vocat autem nos cùm primum incipimus vſum rationis habere: nam ſtatim de cœlo lux quædam deſcendit, quæ ad beatitudinem nos naturaliter inſtruit, & inuitat ad hanc glorioſiſsimam cœnam: aſſerens in hac miſerrima vita neminem perfectam gloriam comparare poſſe, cùm ad alia maiora ſit creatus, quæ omnia adipiſcetur facilime ſi malum vitauerit bonum autem: ſequutus fuerit. Hoc autem quilibet infans cùm primùm annos iudicij tãgit cognoſcit, nec eum latet furari aut mentiri malum eſſe: obedire autem, cultúmque debitum præſtare parentibus eſſe bonum. Itaque cùm incipimus homines eſſe, ilico à Domino Deo noſtro inuitamur. Ideo Dauid interrogat, *Pſal.4* Multi dicũt, quis oſtendet nobis bona? reſpondit ipſe, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine. Vltra hanc generalem vocationem vocat nos Deus multoties, multiſque modis: nempè inſpirationibus, prædicationibus, infirmitatibus, tribulationibus, & aliis modis. Et licet omnes vocati & inuitati ſimus ad hanc cœnam à pueritia, non deſinit hos inuitatos vocare in omni vitæ ætate. Quapropter ſequitur in contextu. *Et miſit ſeruum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent.*

Prædicatores ſerui Dei.

Hora cœnæ eſt ſpatiũ vitæ vniuſcuiuſque, qui dominum inſpirantem, vel prædicatorem, vel confeſſorem audit docentem, Euangelium & doctrinam catholicam: quæ nos de his inſtruit, qui nobis dabuntur in illa cœna, quomodo nos oporteat ad illam accedere: quæ media, quæ conditiones, ſint neceſſariæ, &c. Et per hunc ſeruum cætum prædicatorum intellige: ſæpè enim in ſcripturis fit ſermo de tota plebe aut de multitudine, ſub vna perſona. Sic dominus loquitur Pharaoni. *Exod.4* Dixi tibi, dimitte filium meum, ideſt, populum Hebræorum. *Eſai.42* Et in Eſaia. Ecce Iacob puer meus. De toto Iſraël intelligẽs. *Ezec.23* Et in Ezechiele ſub nomine Oollæ Samariam, hoc eſt Iſraelem intelligit: & ſub nomine Oolibæ, intelligit Hieruſalẽ, id eſt, populum Iuda. Itaque apoſtoli & Chriſti diſcipuli in omnẽ terram prædicauerunt, & eius ſucceſſores epiſcopi, prælati ſacerdotes prædicantes verbum Dei.

Quod

quod si aliqui eorum minus digni videantur, quia tamen ad æternas delicias inuitant & ex parte Dei æterna promittũt, audiendi & venerandi sunt, nã dominus dicit. Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Atque ideò prædicatores verbi Dei si ad cœnam cœlestem inuitant audiendi sunt licet ipsi aliquando peccatores sint. Nam si aliquis exularet: & rex mitteret seruum vilem dicens ei, vt veniret ab exilio, & ferret chirographum regis, continens aliquod maximum beneficium, certè iste gauderet & lætaretur cum tali nuntio: quia nõ seruum sed regem & dominum cõsiderat, & mercedem sibi datam. Hoc intelligendum est de prædicatoribus catholicis qui veram & catholicam doctrinam prædicant: non de pseudoprædicatoribus, qui nec à Deo missi, nec ingressi per ostium, sed ascendentes aliunde seminant errores, prædicãt hæreses, schimata suscitant, de quibus per prophetam dicitur. Non mittebam prophetas & ipsi currebant. Et etiam aliqui ex nostris prædicatoribus catholicis solent inter prædicandum faceta dicere, vt populus rideat, & etiam seipsos laudare, aut defendere, vel in reprehensionibus ita immoderatè & impotenter se habere, & ita populũ scãdalizare vt deterior fiat. Hos non misit Dominus, quapropter in eo quod hic dicitur, misit seruum suum, duo considera. Vnum est, quod sit suus seruus ille, idest, catholicus, nam hæretici & schismatici non Dei sed diaboli sunt. Alterum est quod dicit quod misit illum: quia qui inutilia vel faceta prædicat, licet Dei sit & catholicus, nõ tamen missus est à Deo, sed à proprio amore aut passione ductus. Nonnè malus esset seruus, qui dicente domino, voca vicinum ex parte mea, vt veniat ad cœnã, si ille dixisset vicino, dominus meus dicit ne ingrediaris domum eius, mandato præuaricato & inuerso, certè iniquus esset. Sic dominus dicit, vt voces inuitatos ad cœnam gloriæ prædicans pœnitentiam qua itur ad gloriam: officium enim prædicatoris est facere populum plorare, & non ridere.

Luc. 10

Ioannis 10
Hierem. 23
Prædicatores mali.

¶ Præterea venire ad hanc cœnam est integra fide & charitate formata Christum amplecti, qui vitam præstat æternam. Vnde Iudæos dominus reprehendit dicens, Non vultis venire ad me, vt vitam habeatis, eò quod scripturis quæ ipsum testabantur, nec sibi credere vellent. Obserua etiam quod non vult eos compellere, sed tantum vocare vt veniãt si velint. Etsi non velint nõ veniant: ante hominem mors & vita, bonum & malum, quodcunque voluerit dabitur illi. Sequitur.

Ioan. 6
Ioan. 5
Ad cœnã venire quid sit.
Eccle. 15

Quia iam parata sunt omnia. Antequam mundus fieret aut crearetur orbis in initio suæ æternitatis. Præparauit autem illam magnis sumptibus, pretioso videlicet sanguine filij sui vnigeniti illã nobis promeruit. ô quantum gaudium antiqui patres haberent si hoc illis contigisset. Vocabantur quidem illi, sed nondum omnia parata erant, quia passio Christi nondum exhibita erat: quinimo sperabant futuro tempore paratum iri: ô fœlix tempus, ætasque beata, in qua prædicatores dicere possũt, Iam sunt omnia parata: iam Christus mortuus est pro vobis, iam suo sanguine cœlum aperuit, iam cælos ascendit & præparauit vobis mansiones in æterna beatitudine. Venite ergo ad cœnam: quia omnia parata sunt. Ideò Christus apostolis dixit, Beati oculi qui vidẽt quæ vos videtis. Et beatiores certè patribus antiquis, quia iam cœnam præparatam inuenitis. Sed vide hominũ impudentiã & ingratitudinẽ. *Et cœperunt simul omnes excusare.* Omnes dicit non aliqui: ô lachrymabile malum, O miseranda progenies Adami. Ferè omnes cõtemnunt vitam cælestem, omnes quærunt quæ sua sunt: omnes appetunt terrena. Vnde Hieremias, A minimo vsque ad maximum auaritiæ omnes student. Si pauperculus quidam à diuite potente, & honorato inuitaretur ad cœnam, nonnè gaudẽs & lætus præpararet se diligenter, ne alius ad conuiuium potentis priùs occurreret? Quanto gaudio & exultatione Aman iuit ad conuiuiũ Assueri regis, & suam gloriam lætus nuntiabat vxori & amicis. Quanto magis hæc cœna multò pretiosior est conuiuio regis Assueri? Si rex pauperem inuitaret festinaret ad conuiuium, & nos ad Dei inuitamur cœnam & excusamus nos, & ire contemnimus. Mira res: vocat Deus ad cœnã, & venire recusant. Si vocaret ad labores: non mirum si nollẽt venire, sed vocantur ad cœnam, & nolunt. Vocat mundus ad labores, & omnes sequũtur illum, omnis populus sequutus est Sibam filium Bochri, pauci autem Dauid. Vocat mundus vt decipiat, diabolus vt torqueat, & caro vt illudat, & omnes hos sequuntur. Christus autem vocat ad cœnam, vt gaudeas & cœnes cum illo, & læteris, & pauci sequuntur illũ, ô si consideraret peccator quod amittit, & quare amittat. Hæc duo vellẽ in primis cõsiderares optime. Primum quantum amittas, secundum quare amittas. Quod amittis Deus est, nam summum bonum propter peccati vilitatem perdis, & propter fœditatem & turpitudinem vitiorum supernas gloriæ delicias deseris. De hoc conqueritur dominus per prophetam Hieremiam. Me dereliquerũt fontem aquæ viuæ: & foderunt sibi cisternas dissipatas. Me inquam fontem omnium bonorum reliquerunt: ob mundi abominationes. Ea est enim humani iudicij coruptela, ea cæcitas & ignorantia, vt mala pro bonis, obscura pro illustribus, amara pro dulcibus sæpenumerò amplectamur. Prouenit hæc gustus deprauatio ex esu illius pomi funesti primis parentibus prohibiti. Et vt multi morbo aliquo & sensus stupore suauitatem cibi nõ sentiunt, sic improbi homines veræ virtutis gustum non habent. Quia potiùs mortiferas voluptates concupiscunt, Peccatũ dulcissimũ esse existimãt, virtutem verò amarissimam. Sic isti epulas illas diuinas & suauissimas ob eã causam contempserunt: quia deprauatum gustum habentes pro dulcibus amara desiderarunt, durissima mundi & amara, epulis Christi suauissimis anteponunt. In Psalmo Dauid vbi editio vulgata habet, bonitatem & disciplinã & scientiam doce me, vertit quidam, bonum gustum & scientiã doce me. Ita enim potest verti ex Hebræo. Vbi vides sanctissimum vatem à Domino bonum gustum postulare. Acsi diceret. Ita domine mentẽ meam illumina, vt perspiciam quid appetendum sit: & quid vitandum. Talem mihi animi gustũ præbe, vt verorum bonorum suauitatem sentiam, mala verò acerba esse iudicem.

Luc. 10
Hiere. 8
Ester 5
1. Reg. 20
Hierem. 2
Genes. 3
Psalm. 118

¶ Expende etiam hominum malitiam, qui non tantùm amore huius sæculi Deũ contemnunt, sed volunt se excusare à peccatis. Sic multi Deo imponunt peccata excusantque se, dicentes: naturã suã adeò in malum esse procliuem, vt non peccare nõ possint, quantumcunque renitantur, & ita culpam

omnem in Deū naturæ autorem transferunt. Quā grauis autem culpa hęc sit, propheta regius testatur, dum precatur dominum ne in talem errorem incidat dicens, Ne declines cor meū in verba malitię, ad excusandas excusationes in peccatis. Sic Saul, quia à Samuele fuit reprehensus, eò quòd acceperit de spoliis Amalech, sub prætextu sacrificij, inobedientiæ peccatū voluit defendere & excusare. Excusationis & defensionis caussa & origo superbia est, sicut enim ad humiles pertinet confusio peccatorum, ita & excusatio delictorum pertinet ad superbos. Quòd si adeò manifesta sunt eorum crimina, vt excusari, palliariue omnino nō possint: tunc superbia inflati & cæci, vel in Deū, vel in fatū, quod nihil est, vel in stellas, vel in tempus mētientes, imò blasphemantes retorquent. Hoc reprimit dominus per prophetam dicens, Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem. Quoniam nec ab oriēte, nec ab occidente neque à desertis montibus, quoniam Deus iudex est.

Psal.140 *1. Reg.15* *Psalm.74*

¶ Obserua etiam, quòd illa quæ impediunt vocatos ne conuiuio fruantur, non sunt de numero illarum rerum quæ de se malæ & prohibitæ in lege sunt, quemadmodum furta, periuria, adulteria, & alia similia, sed illarum quæ vt plurimum vt bonæ admittuntur, vt est matrimonium contrahere, rē familiarem administrare. Vnde perspicuè infertur, non solùm ea, quę mala esse cognoscimus, verùm etiam & illa, quibus huic mundo indulgemus licet bona videantur, si parce eis non vtimur, nos perpetuò à gloria cęlesti exterminare, & in inferno sepelire, & si verū fateri volumus apud Christianos homines multò maius in his posterioribus quàm in his prioribus periculum versatur. Nā rapinæ, homicidia, adulteria, aliaque similia peccata, cùm aperta facie grassentur, facillimè à nobis cognoscūtur, vt ea vitemus & odio habeamus, verū hæc altera mala, quia operta & palliata incedunt, & sub prætextu boni, multò periculosiora, faciliora que sunt, vt in ea incidamus. Certum est, facilìus quemuis hominem à re aliena se continere posse, quàm suis parcè & moderatè vti: quod de reliquis etiam dicendum videtur. Doctrina igitur huius parabolæ non modo in hoc versatur, vt nobis mala prohibeat, sed & vt insinuet quantum lateat discrimen in illis, quæ primo aspectu nobis bona videntur. Quare expedit rectè hanc doctrinam animaduertere, ita, vt vnusquisque quod sibi obtigerit arripiat, est enim maxime vniuersalis, & omnibus competit. Nam vt ait Diuus Ioannes, omne quod est in mundo concupiscentia oculorum est: concupiscentia carnis, aut superbia vitæ. Quod si his tribus incommodis mundus est plenus, nemo omniū viuentium, aliquod horum periculorum effugere potest. Istæ sunt tres excusationes, quibus inuitati vsi sunt. Sed iam audiamus primum se excusantē.

1. Ioan.2

Primus dixit ei: Villā emi. In emptione villę notatur acquisitio dominij, qui enim villā emit, hominibus appetit pręesse & dominari, quod ex radice superbię procedit. Ac si dicat. Malo dominari in terris, quā venire ad vitā ęternam. Expende etiā quòd nō dicit ciuitatem, aut castrum, aut regnum, sed villā exprimit, vt significet tantā esse ambitionē & cęcitatem, vt pro re vilissima maximū negligat bonū, quod tamen nec pro mundo dare deberet vniuerso. *Et necesse habeo.* Ambitione cogente, quæ non potest coram domino permanere: nec in cœlo habitare. *Exire.* Ab ęternorū contemplatione, à meì consideratione. Omnis enim superbus extra se est qui supra se est. Sic Dauid, Domine non est exaltatū cor meum, nec elati sunt oculi mei: nec ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. *Et videre illam.* Hoc est totum studium ad eam applicare, hoc enim est superborū, toto studio laborare ad hoc, vt dominari possint. Expende etiam hominis stultitiam. Fructus rei, quam tā carè emit, propter quam se ipsum calamitatibus innumeris subdidit & damnauit, non est alius quàm videre illā. Quam vtilitatem habuit, nisi quia eam vidit? Non dicit, gaudebo de ea, vel possidebo, vel satiabor: sed videbo. Infœlix fructus bonorum huius mūdi & potētatus. Dic mihi, si maximam famē haberes, sufficeret tibi tantum cibum videre non comedēdo illum? Certè hoc non modo famem non extingueret, sed magis appetitū excitaret. Vide qui honores ambis & sęculi vanitates quæris: quod non de illis plus habes quàm videre illas. Non enim satiant, nō quierant appetitum: sed magis voluntatem accēdunt. Quid prodest possessori diuitiarum, nisi quod cernit diuitias oculis suis? Nō plus aliis eis vtitur: & quemadmodū Tātalus in mediis aquis sitit. Tantalus à labris sitiens fugientia captat, Flumina: quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur. Tu Tātalus es, qui in medio diuitiarum siti peris.

Psalm.130 *Horatius.*

¶ Obserua etiam huius stultitiam, non solùm in eo, quod rem inutilem tam carè emit: sed etiam in eo quòd priusquam vidisset. Emit enim, & posteà exiuit videre illā. Quomodo autē emeret, si priùs vidisset? Honores, diuitias voluptates, & quęcunque mūdus dare nobis potest, priùs emimus quàm videamus: nā si priùs vidissemus, nullo modo à nobis emerentur. Verùm nos, vt cæci in omnia mundi oblectamenta ruimus, non attendentes, quid faciamus, nosmetipsos vendentes, libertatémque nostram propterea erogantes. Verùm si oculos aperiētes animi ea inspicimus, nos perditos & infortunatos compellamus cognitis mundi abominationibus & incommodis. Obserua igitur, vt anteà quàm res mūdi emas inspicias & cōsideres quales sint: si hoc enim facis, mihi crede, nunquam ea cōparabis. Nam si mundus gladio veritatis scinderetur, palam omnium oculis falsus & inanis appareret. Omnia quę in mūdo sunt, pręterita, pręsentia sunt, aut futura. Præterita iā nō sunt, futura incerta sunt: præsentia verò instabilia & momētanea reputantur. In his bonis externis mūdus bonus esse videtur, cùm reuera doli & mēdacij plenus sit. Viriditas arundinum & amęnitas, aspectum oculorū oblectat suo nitore exteriorique cōspectu: attamē si illas cōfringas, intus inanes & vacuæ apparebūt. Ne te decipiat mūdus, néue oculi tui viriditatis pulchritudine illaqueentur, nam si rectè cōsiderare volueris quid subtus lateat, omnia inania, nihil firmum aut solidū inuenies. Mercator est qui breues ac pestilentes voluptates aliásque mortiferas merces pretio animarum vendit, aut saltem promittit vt nos ad ęterna supplicia deducat. Atque ideo est summa diligētia & cōsideratione aduertēdum, ne cum tali negotiatore cōmercia exerceamus. Ostendit dapes in superficie suaues & appetendas, sed intus funestas & latenti veneno contaminatas. Non est aurum id quod apparet sed scoria, non mel, sed fel, nō vita, sed mors, non fama, sed ignominia, nō bonum

Mundus mercator.

bonum sed malum. Vt enim stultus censetur qui equũ empturus eum nõ inspicit, sed frænum, phaleras, & exteriora ornamenta miratur, sic insanus iudicãdus est qui merces diaboli, carnis, & mũdi, speciem solùm aspicit, interiora vero minime cõtemplatur. Disce ex hoc loco ea, quæ sunt mundi priùs diligenter aspicere quàm emere. Sic de quadam anima sapiente legitur in Prouerbiis. Cõsiderauit agrum, & emit eum. Priùs agrum, considerauit, & quia bonus erat, emit eum. Sic prudens negociator euangelicus priùs inuenit thesaurum, & posteà antequam emeret abiit & vendidit vniuersa, quæ habuit. Sed diues epulo tunc fallaciam vidit, quando oculos eius pœna aperuit. Solent caupones offerre pretiosa vina, pauones indicosque gallos diuersantibus, quibus, ignari homines lætãtur, & se illis ex animi sui sententia satiant, posteà verò cum ad solutionem deueniũt, seuerissimè cũ illis agitur, sępiùs enim plus soluũt, quàm omnia illa quæ apposita sũt cõstare poterãt. Ideo tu facere debes quod cauti & prudẽtes viatores solent, qui quotiescunque à caupone aliquid ad comedendũ cibi offertur, priùs de pretio percunctantur. Vnde si pro re vnum ducatum valente, vident decem ducatos exigi, tangere nolunt, sed potiùs comitibus suis dicunt. Abeamus hinc in aliud diuersorium, hic enim cariùs omnia venduntur. Eodem modo quotiescunque tibi aliquis episcopatus, dignitas aut officium offertur, quanti constet animaduerte: nam si posteà quàm interrogaueris, quantum sit tibi pro ea dignitate & officio persoluendũ, inuenies te esse aliarum animarum rationem redditurum, ea conditione, vt multò melior omnibus aliis esse tenearis, huius indignitatem & honorem repudies. Si conspexeris pulchritudinem mulieris, dic, Quanti emitur carnis delectatio? Igni inferni sempiterno. Inferni? carum est hoc diuersorium comites, aliud quæramus, inseruiamus Deo, nõ carni aut mundo, &c. Fac priùs tecum omnium rationum periculum. Sed procedamus.

Prouer. 31 *Matth. 13* *Luc. 16*

Rogo te habe me excusatum. In superficie verborũ ostendit humilitatem, sed per superbiam venire cõtemnit. Humilitas sonat in voce, sed superbia in actione, vox quidem vox Iacob, manus autem manus Esau. Sic Iudas ait domino, Aue Rabbi, & Ioab osculatus est Amasam, sed alter dominum tradidit, alter Amasam interfecit, fuerunt verba amborum pacifica, actio autem vtriusque proditoria fuit. Perperã hic se humiliauit, cùm interiora eius Deo nota essent, non enim mentitur hominibus sed Deo. Iam alium se excusantem audiamus.

Genes. 27 *Matth. 13* *2. Reg. 20*

Et alter dixit. Iuga boum emi quinque. Hæc est secũda excusatio, quæ spectat ad ea, quæ diuus Ioannes dixit, concupiscentia oculorum quæ auaritia est, nam sicut iugum animalia ligat & constringit, ita auaritia ligat, & illaqueat animas, iuxta illud Apostoli. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli. In Prouerbiis quoq; habetur. Iniquitates suę capient impium, & funibus peccatorum suorum constringetur. De auaro loquitur, nam auarus propriè impius dicitur, quia sine pietate est ad pauperes. Hic funibus auaritiæ detinetur, ideo iuga, quæ boues ligant dicitur emisse pretio animę suę, quam mammonæ tradidit. Vide stultitiam auari. Christus dicit, Tollite iugum meum super vos, iugum enim meũ suaue est, hic autem ne se subiiciat iugo suaui, humeris suis quinque grauissima iuga subit, quorum quodlibet grauius est centum Christi iugis. Diaboli quinque sunt iuga, quia nullus est sensus, quem sibi diabolus subiicere nõ desideret. Dicit etiam quod emit ea. Ego profectò gratis & sine vllo pretio humeris meis non susciperem quinque talia iuga, nedum emerem. Certè sic est, quod emimus cum impendio nostrarum animarũ & conscientiarum, diuitias, honores & delectationes huius mũdi, quę nobis nihil aliud nisi onus, dolorem, ingẽtemque cruciatum afferunt. Magno labore consequitur auarus quod cupit, timore possidet, dolore relinquit. In Apocalypsi scriptum est, eos qui bestiam adorauerant, quietem nullam habere, quam quidem qui cupiditati suæ inseruiunt, assequi nũquam possunt. Quare videbis quàm perpetuo cruciatu & dolore auari, rerumque humanarum cupidi torqueantur. Attende igitur miser, qui ne te subiicias vnico Christi iugo leuissimo & suauissimo, humeris tuis quinque mundi iuga grauissima baiulas: quæ emisti, animam tuam, & te ipsum pro momentanea vitæ laboriosę, quam perfers, delectatione erogans. Hos vocat Christus eis compatiens, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Quæ maior cæcitas, aut quæ maior dementia esse potest: quàm difficile existimare, vnico domino inseruire, qui cultum nostrum ea tantum de causa expectat, vt nos à tãtorũ hostiũ tyrãnide liberet? Facile verò quinque grauissima iuga sustinere? Emi inquit iuga boum. Morbus est omnium cupidorũ, vitiumq; natiuum, nunquam ab emptionibus, rerumque familiarium coaceruationibus desistere. Esaias hic loquebatur dicens, Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? Aduerte q̃ Esaias nõ arguit hic homines, qui coniũgunt diuitias furto acquisitas: causa enim eius reprehensionis fundatur in cupidine coniungẽdi diuitias & hæreditates: & non loquitur de mediis quibus ea coniungi possunt. Quod proculdubio optimo iure deplorat: causa enim quod tot sint in republica pauperes, nulla alia est quàm ingens diuitũ fames in acquirẽdis diuitiis, nã cũ res temporales infinitę nõ sint, sed certis terminis claudantur, perspicuum est luxum aliis cum impendio aliorũ fore. Hoc apud Christianos effusius quàm apud Ethnicos accidit. Ideo scriptura non modo rapinas & furta cõdemnat: sed etiam inexplebilem diuitiarum acquirendarũ cupidinem, adeò, vt Christus dixerit esse impossibile diuitem ingredi in regnum cęlorũ, quod ex tribus incõmodis, quæ diuitias comitãtur, oritur. Primò, quia cum cęlestia comparari non possint, nisi earum desiderium habeas, omne id quod hoc desiderium impedit, rerum cœlestium consequutionem impediat necesse est. Opes autem & diuitię humanę hoc desiderium omnino impediũt, detentis enim omnibus animę cogitationibus in bonis tẽporalibus acquirendis, minima vel nulla pars desiderij relinquitur ad cupienda ęterna. Nõ aliter quàm si quis ad magnum & lautum cõuiuiũ inuitatus morę impatiens, vilibus dapibus se adeò in principio ingurgitaret, vt posteà, omni edẽdi appetitu amisso, reliqua comedere non posset. Iam enim inedię satisfecerat, qua lautioribus cibis fruiturus erat. Hoc contingit quamplurimis, qui naturale desiderium diuinorum bonorum, quod Deus hominibus quasi quandam cœli famem de-

1. Ioan. 2 *1. Timot. 6* *Prouer. 5* *Mat. 11* *Apoca. 4* *Matt. 11* *Esaia 5* *Matth. 19* *Luc. 18*

dit: rebus terrenis tradunt, & ita inebriati bonis té-
poralibus viuunt, vt ęterna cęlorum bona nõ de-
1.Cor.2 siderent. Ideo Paulus, Animalis homo non perci-
pit ea, quę sunt spiritus Dei. Vocat animaliu illos
qui se sensibus tantummodo tradunt, quibus om-
nes bestiarum voluptates definiuntur. Hoc incon-
ueniẽs proponebãt filij Israel, qui inescati olerib⁹
Exod.16 Ægypti adduci non poterant, vt bona terræ pro-
missionis desiderarẽt. Hoc incõueniẽs oritur cõ-
muniter ex omnibus mundi voluptatibus, quę li-
cet legitimè retineri & posideri posint, tamen si
effusius vsurpantur & exercentur, in anima bono-
rum spiritualium fastidiũ generant. Quod est ma-
ximum ad ea consequenda impedimentum. Fit
autem particularis mentio diuitiarum: quia diui-
1.Tim.6 tias reliqua vitia consequuntur. Ideo Paulus Timo
theo, Pręcipe diuitibus huius sęculi, nõ sperare in
incerto diuitiarum, &c. Et in eo quod Christus di
xit de diuite illo qui dicebat, Gaude & lętare ani-
Luc.12 ma mea, habes multa bona, tetigit dominus incõ-
uenientia quæ ex diuitiis oriuntur: specialiter se-
curitatem & confidentiam quam diuitiæ secum
ferunt. Alio etiam in loco non tantum deplorat
Christus diuitiarum possessionem quantum obli-
uionem cœlestium bonorum, quam inducũt. Hac
de causa hic deditus terrenis rebus contemnit cę-
nam cęlestem propter terrenas opes.

¶ Secundum inconueniens quod oritur ex ni-
mia diuitiarum abundantia est: quia homines his
rebus humilibus & caducis prępediti: ad cęlestia,
etsi velint, aspirare non possunt. Nam cum res spi-
rituales tranquillitatem in conscientia & in anima
requirant, bona autem temporalia vagationes &
inquietudines spiritus secum importent: fit vt ho-
mines Deo vacare nõ posint. Ideo Christus supe-
Luc.8 riùs dixit. Hi sunt qui à diuitiis & solicitudinibus
huius sęculi suffocãtur. Qui nimiũ in rebus huius
vitæ occupatur, cum illi deficiat tranquillitas,
qua alterius vita desiderium comparatur, conuiuij
diuini impos efficitur. ideo ait, nõ possum venire,
rogo te habe me excusatum. Duabus in rebus cõ-
sistit omnis imposibilitas: in volũtate & in excu-
satione. Primum ait, Eo probare illa. Non possum,
quia cùm omnẽ voluntatem in temporalibus bo-
nis occupatam habeam, nihil restat expeditum quo
cœlestia desiderem. Secundò hoc facere non pos-
sum, nam licet id valde desiderarem, res tamen
mea familiaris mihi tantum tranquillitatis non
permitit, vt cęlorum bonis animum adiungam.

¶ Tertium inconueniens diuitiarum quare di-
uites in sacra scriptura grauiter à Spiritu sancto re
prehenduntur & accusantur, est maximum peri-
culum, quod in his omnibus inferioribus rebus
versatur: nam qui diuitias etiam benè acquisitas
nimis amat, facile malè acquisitas cupiet. Quan-
uis enim malè parta omnino non desideret: tamẽ
cum magnam animi sui partem diuitiis conce-
dat, in eam forte cupiditatem diuitiarum veniet
vt malè parta, benè parta esse existimet, quod quo-
tidie in mercatoribus experimur. Hoc inconue-
1.Tim.6 niens ostendit Paulus. Habentes alimenta & qui-
bus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt
diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueũ
diaboli, & desideria multa, & inutilia & nociua,
quæ mergũt homines in interitũ & perditionẽ. Ra
dix enim omnium malorũ cupiditas, &c. Laqueus
cuius hic D. Paulus mentionem facit, in hoc con-
sistit, quoniam desiderium opum benè acquisita-
rum illis non contentum eo vecordiæ procedit,
vt etiã malè acquisita desideret. Cùm autem desi-
derium feruidum & vehemens huius sit naturæ vt
mẽtis iudicium hebetet, sequitur necessario vt cũ
aliquid desiderare cupimus, statim nobis cogita-
tio proponat argumenta, quibus id quod de se ma
lum est, nobis bonum esse videatur: & ita pede-
tentim in fraudẽ labimur, vt vbi lucrum sit, nihil
alienũ esse putemus. Eo modo enim rem affecta-
mus, & circumuenimus, vt quod alienum sit, no-
strum esse videatur.

¶ Maxima sunt igitur diuitiarum pericula, ideo
cùm Deus legem dedit Mosi, duo illi ad hoc pręce *Exod.20*
pit, primum non furtum facies, secundũ non con
cupisces rem proximi tui. Quia autem declaratio
horum duorum præceptorum ad hoc propositum
est necessaria: volo secundam excusationem inuita
torum huius enarratione terminare. Quare ad-
uerte quòd in his duobus mandatis nõ debemus
putare duo nobis esse prohibita, in quibus cõsistit
peccatum, videlicet desiderium & exercitium: hęc
enim duo vnico pręcepto non furandi comprehẽ-
duntur. Idem enim qui nobis pręcipit ne alienum
rapiamus, idem eodem præcepto desiderium fu-
randi nobis prohibet. Hoc patet ex Matthęo, vbi *Mat.5*
Christus falsum pharisæorũ ad legem sensum cõ-
demnans, eam declarat, videlicet, vt lex quæ mala
opera prohibet, mala etiã desideria prohibere de-
beat. Quæ ergo est ratio quare si sufficiebat vnum
mandatum, posuit duo, in hac materia? Dicendum
quòd fuit necesse, vt altero sciamus alienum non
esse rapiendum: nec desiderium furandi habendũ.
Altero verò nihil alienum esse procurandum vt
cùm alienum sit, nostrum fiat. Itaque quemadmo-
dum in primo præcepto non furandi habetur, non
furtum facies, nec alienum furari concupisces: ita
& in secũdo, qui desiderium rerum proximi pro-
hibet, habetur ne perperã desideres aut procures,
vt ea quę proximi tui sunt, iniustè tua fiant. Hæc
autem duo mandata necessaria fuerunt, quia his
duobus modis potest quispiam alterum offendere.
Cùm autem lex vniuersa Dei, eo tendat vt Deum
in primis, deinde proximum nostrum amemus,
opus fuit vt separatim etiam prohiberet cupidi-
nes omnes rerũ, in quibus aliquis Deum aut pro-
ximum suum offendere posset.

¶ Sed dices, quomodo possum ego mercaturam
exercere, aut aliqua in re negociari: sine eo quod
cupiam vt alienum meum fiat? Dicendum tamen
est legem Dei, hoc duntaxat prohibere ne proxi-
mos nostros offendamus, ideo qui negociatur sine
alicuius offensione, licitè lucratur. Itaq; seruata in
ter partes iustitia videlicet vt tantum valeat quod
datur quantũ quod accipitur, iusta & licita negocia
tio est Præcipitur ne alienum furemur, atque etiã
ne aliena procuremus aut cupiamus, vt bona pro- *1.Timot.9*
ximi cum eius incommodo ad nos transeãt: quod
Deus tantũmodo primo mandato nobis pręcepit.
Tot sunt doli, & fallaciæ hominũ vt nomina ve-
risimilia, titulosque apparentes adinuenirent, qui
bus proximis suis substantiam eriperent: Expedit
igitur hominibus, vt quantumcunque primũ man
datum seruent secundum etiam non contemnant,
fraudibus & dolis aliena sua reddere procuran-
tes. Exempli gratia, Vicinus tuus iuxta hortum tuũ
vineam habet, quam tu è re tua fore existimas,
si eum

si cum horto tuo illā copulaueris, sed vicinus vendere non vult. Quid facies? furari nō licet, & omnia media quæ excogitas nihil prosunt, cupido autem tua tibi indies magis augetur: quare si fortè ad aures tuas peruenit dominum vineę ęre alieno oppressum esse, eius creditorem adis rogando & pollicitando impellis, vt vicino tuo debitori diem dicat, centúmque aureos sibi debitos nullo ad soluendum spacio relicto postulet, quo ludo miser vicinus tuus adductus: cum aliàs soluere non posset, vineā viliùs tibi vendere cogitur, quàm si esset liber. Hoc autem maximum esse flagitium nemo non videt. At contra quod præceptum admissum? Contra nullum aliud inuenies perpetratum fuisse, quā illud quod desiderium de rebus proximi prohibet. Hoc autem sæpissimè contingit, nostrorum omnium criminum causa, vt de Achab rege legimus, qui vineam Naboth cupiens, quod è re sua videbatur, Naboth occidere iussit. Hoc autem peccatum, quamuis apud magnates & potentes homines sæpenumerò inueniatur, frequentius tamen est apud mercatores qui cum aratoribus aliisque huiusmodi hominibus negotium habent: & quibus plurima ad tempus vtenda permittunt, pannum, frumentúmque vendentes, vel pecuniam mutuantes, eos tamen posteà in eas angustias inducunt, vt à se ipsi pretio dicto, omnia bona vendere compellant. Si autem quis eos impietatis accusat, respondent se sua recuperare. Quare meritò dixit diuus Paulus, qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos diaboli. Emi quinque iuga boum, quo iure quàque iniuria? ideo non possum venire. Quasi diceret, Nimia cura mearum rerum conseruandarū & augendarum mihi locum non concedit eundi ad conuiuium. Quod igitur erit tanti incommodi remedium? Maximum erit remedium, satisque ad salutē sufficiens, si homines contenti rebus à Deo concessis, modestè & moderatè viuant, nihil amplius procurantes. Addidit amplius hîc dicens.

3.Reg.21

Eo probare illa. O homines modicæ fidei, non sufficit vt de sapientia diuina moneamini quam nihil subterfugere potest, non satis est, hoc ab hominibus expertis dictum esse: omnes quotquot mundo inseruiūt asserunt mundi iugum esse intolerabile, è contrario autem omnes qui Deum colunt, iugum domini dulcissimum & suauissimum testātur. Tu tamen nihilominus periculum etiam nunc facere vis. Quinque iuga boū habeo: quæ ego per memetipsum, mea sponte & autoritate comparaui, volo probare illa, ideo non possum venire. *Rogo te habe me excusatum.* Sed audiamus tertiū, & quid dicat videamus. *Et alius dixit, vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Hæc est tertia excusatio quæ ad illud diui Ioannis respōdet, cōcupiscētia carnis. Iste qui duxerat vxorem, renuit ad cœnam venire. Aduerte tamen quòd hîc non damnat Christus nuptias, vt Tacianus impiè credidit & illas negauit, sed vult insinuare nimiū mulierum amorē esse maximum impedimentum ad erigendum spiritum ad diuina cœlorum domicilia. Nam si simplex fornicatio ipso iure naturæ damnata est, nullum aliud patet remedium ad conseruationem generis humani nisi matrimonium, quo quidē multoties malè vtuntur coniugati, de quibus Paulus ait: quod qui nupserint tribulationem carnis habebūt. Cùm tamen hæc humana fragilitas nullo alio remedio conseruari possit, quàm maris & fœminę coniun-

1.Ioan.2

1.Cor.7

ctione, institutū fuit matrimonium vt vir & vxor inuicem inter se licitis voluptatibus intenti, illicita non quęrerent. Sed quid dicemus de malitia humana, quæ eo processit, vt omnia illa, quæ in eius salutis medium & auxiliū concessa sunt: in causas condemnationis suæ conuerterit? O rem duram. O rem absurdam & non ferēdam: vt dicas alicui, cole Deum, ille autem respondeat, non possum, quia vxorem habeo. O magnum malum, vt matrimonium quod institutum fuit ad cultū Dei, malitia humana mille incommodis, in eius offensionē conuerterit sæpenumerò, vxor quæ remedium est multorum incommodorum, alia quamplurima, sæuitia sua, sumptibus, insaniis & cultibus causet. Verùm ad hoc proficiet mariti prudentia vt eam monitis suis corrigat atque emendet: non enim satis est cuipiam mulieri castitatem seruare, nisi etiā habitu & consuetudine, pudicitiam præseferat: maritus debet cohibere vana vxoris suę desideria. Cōcupiuit Eua fructum vetitū comedere, inuitauitque maritum qui comedit & mortuus est, at si nō comedisset neuter interiisset, nā in fortitudine viri sustentaretur mulieris fragilitas. Desiderat vxor tua fastum, cultum, sumptus, & cętera huius sęculi inania, & cùm nō possit sine te libidini suę satisfacere, tu ne eam molestia afficias, eius voluntati acquiescis: & efficeris eius stultitiæ particeps, existēs mortis spiritualis vtriusque causa. Posteà te excusas vxorem duxi, quemadmodum Adam, mulier quā dedisti mihi. Præter has autem insanias & luxus, quæ occasionem prębent hominibus, ne ad cōuiuium gloriæ accedere possint, & in causa sunt huius tam immensi mali, est aliud maximum incōueniens ex parte carnis, quę spiritum Dei suffocat. Cùm Deus dedit legem Mosi, dixit Moses ad vniuersum populū. Ne appropinquetis vxoribus vestris, nam quamquam de se nullum sit peccatum in actu matrimonij: ingens tamen est impedimentum, vt spiritum Deo leuemus, & legem eius recipiamus, esse vxoribus pręceditos. Nunc verò aliqui coniugati sunt tam stupida & hebeti mēte pręditi, vt rarò aut nunquam ab vxorum amplexibus & toro abstineant, & nihilominus frequenter communicant, frequenter cum Deo colloquia miscere præsumunt: nihil inordinatum coniugalem congressum sanctitati obesse credentes. Quibus locus iste obiiciendus est, nam vt de diuitiis dicebamus, impedit amor carnalis desiderium spiritualium & diuinorum, nam amor mulierum spiritum obruit. Deus autem cum omnem munditiam amet, non modo animæ sed etiam corporis puritatem & mūdificationem requirit. Ea enim de causa duntaxat tempore Noë occidit Deus vniuersali eluuione non modo peccatores omnes, sed etiam bestias, quę peccare nō possunt, solis piscibus viuis manētibus. Nam cùm diluuium in peccatum carnis tātummodo inductum sit: in brutis autem animalibus ratione naturalis cōgressus & cōcubitus inueniatur etiam turpitudo & abominatio huius detestandi vitij, ideo dominus aquis diluuij vniuersa animalia terrestria suffocauit. Non sic autē pisces qui alium habēt modum multiplicandi se: neque tam faciles sunt ad huiusmodi commixtiones. In eo autē quod iste dixit, non possum venire, id est, non possum cōtinenter viuere, mentitur, quia quāuis sit castitas donum Dei & à Deo detur, tamē nemini facienti quod in se est Deus illā negauit, qui

Genes.3.

Genes.3

Exod.19

Genes.6

paratus est nobis omnia sua bona largiri,& adiuti
gratia Dei benè possumus castè & continenter vi-
uere,si volumus.

¶ Obserua etiam quod superbus & auarus quã
uis noluerint venire ad cœnam,tamen modestiùs
se habuerunt, quia dixerunt seruo vocanti, habe
me excusatum:hic autem nihil tale dixit, sed tan-
tum non possum venire.Peccatũ carnis hominem
bestiam reddit,in bestia autem modestiam aut vr-
banitatem ne requiras. Hoc vitium intellectum
humanũ adeò hebetat,adeóque vsum rationis of-
fuscat,vt qui in eo obrutus iacuerit, tanquam be-
stia quæ sensibus tantummodo se astringit, omnis
modestiæ humanæque politiæ quam vt homo ra-
tionis particeps obseruare tenetur,prorsus obliuis
catur,tanquam homo inciuilis & inurbanus:hebe
tudine intellectus nihil de vrbanitate curans, nec
aliquod in Deũ officium pręstãs.Sed iam ad con-
textum reuertamur. *Et iam reuersus seruus nunciauit
hæc domino suo.* Deus qui omnia nouit stabiliter at-
que incommutabiliter nõ indiget nũtiis,vt ei ali-
quid innotescat,sed ideò dicitur hic seruus nũcias
se domino, quia Euangelij prædicatores sępè Deo
conqueruntur de cōtumacia & duritia auditorũ.
Num.16 Sic Moses cum Dathan & Abirō:& Core à propo
sito seditionis non posset auertere aliqua ratione
dominũ, ne eorum sacrificia respiceret orauit.Sic
3.Reg.19 & Elias conquerebatur. Altaria tua suffoderunt,
prohetas tuos occiderunt gladio, & derelictus e-
go sum solus,& quærũt animam meam.Benè scie-
bat Deus quod altaria suffoderũt & prophetas oc-
ciderũt,quod non dicit Elias vt ei de nouo aliquid
Psalm.78 innotescat, sed querelam facit.Sic etiam Dauid,
Deus venerũt gentes in hæreditatẽ tuam pollue-
runt templum sanctum tuum,posuerunt Hierusa-
Actor.4 lem in pomorum custodiam. Sic etiam Petrus &
Ioannes ę concilio Iudæorum dimissi, reuersi ad
suos nunciauerunt eis,quanta ad eos principes sa-
cerdotum & seniores dixissent. Vbi post pauca a-
pud Deum querelam depromentes dixerũt, Con-
uenerũt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctũ
puerum tuũ Iesum:quem vnxisti,Herodes & Pila-
tus,&c.Paulus etiam Romanis conqueritur de du
ra ceruice fratrum suorum Iudæorum.Sequitur in
contextu. *Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo.*
Deus non irascitur,nec pęnitet eũ more hominũ,
quia in Deum nullo modo cadere possunt hæ pas-
Orig.li. 4.con tra Celsum. siones, sed scriptura sacra(vt Origenes adnotat)
more humano loquitur,quia hominibus loquitur,
sicut homo senex quando loquitur cum infantulo
Deuter.1 paruulo,puerilia & vt paruulus loqtur.Sic in Deu
teronomio dicitur.Portauit te dominus Deus tu'
vt solet homo gestare paruulum filium suum.Hu-
manos igitur mores Deo scriptura imponit,vt ho
minibus vtilitatem afferat. Itaque per iram & fu-
rorem Dei non perturbationem mentis intellige,
Augustin. in Psalm.2 sed(vt Augustinus ait) vim,qua iustissimè vindicat
subiectam sibi ad ministerium vniuersam creatu-
Psalm.12 ram. Alioquin vt ait Salomõ, tu domine virtutum
Cyril. li.9.super Ioan.c.13. cum trãquillitate iudicas, & cum magna reueren-
& Hie.Zac.8 tia disponis nos.Quanquam etiã vt Cyrillo& Hie
ronymo placet,ira Dei ipsa mentis obscuratio sit,
quæ consequitur eos qui legem Dei transgrediun-
tur,atque ideo in scriptura quando hanc vindicati
uam virtutem significat,vocat Deum pantheram,
Dan.9 & vrsũ & Pardũ:quãdo autẽ misericordiã vult in
sinuare,hominẽ inducit.Similiter quando propter
peccata nostra corripimur,vigilat super nos Deus,
& visitat,quando verò à Deo deserimur & non iu
dicamur,indignique sumus correctione domini,
dormire dicitur. Vnde in Psalmo legitur. Surrexit Psal.77
quasi dormiens dominus,& quasi crapulatus à vi-
no.Malitia enim nostra inebriat Deum, quæ quã-
do in nobis corripitur euigilare dicitur, & de sua
ebrietate cõsurgere,vt nos à peccato ebrios euigi-
lare faciat.Ita hæ passiones dicũtur cadere in Deũ,
secũdũ suos effectus in nobis exhibitos. Sed quid
ait seruo? *Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pau-
peres ac debiles,& cæcos & claudos introduc huc.* Hæc vt
in initio huius parabolę diximus ad literã de præ-
dicatione gentiũ intelligenda sunt. Videns enim Vocatio gentium.
Deus contumaciam & infidelitatem Iudæorum,
vocat prædicatores suos & omnes gentes, quibus
dicit.Ite & prædicate Euangelium omni creaturę.
Et Petrus cum vidit in Ioppe linteamina,& Corne Mar.16
lij conuersionem: dixit,In veritate comperi, quia Act.10
Deus acceptator personarũ non est. Ecclesia quo-
que gauisa est videns,quod etiã inter gẽtes gratia Spi- Act. 11
ritus sancti esset diffusa. Considera etiã Dei clemẽ
tiam & benignitatem in duobus.Primo quòd om
nes recipit debiles,claudos,cæcos pauperes & mi-
serabiles. Neminem despicit:nulli claudit ianuam
suæ misericordiæ.Non cōtemnit dominus Æthio
pem, aut Indum à Mexico vsque delatum, nemo
que est quantũuis miser & abiectus qui illa pietatis
viscera aperta non inueniat.Eoque modo illum in
cruce pẽdentem videbis,passis manibus vt omnes
ad se accedentes suscipiat:latereque aperto,vt om
nes quantumcunque peccatores sint in præcordia
sua introducat. ¶ Secũdò vide eius bonitatẽ, non
enim quomodocumque eos vocat, sed cito & sine
vlla mora.Nunquam Deus piger est vt nobis be-
nefaciat,sed potius diligẽtissimus,valdéque solici
tus,vt nos vocet gratiámque suam concedat.Nul- Ioan.19
lam moram in rebus nobis vtilibus patitur, vult
enim vt statim sine vlla mora,nũcius cõuiuas vo-
catũ exeat,& ita Zachęo vt eum iustificaret, bene-
ficioque secum ad mensam discũbendi afficèret,di
xit,festinãs descende. In quibus omnibus videbis
quàm valde nos Deus amet,qui nos tanta diligen
tia & solicitudine vocat.Sed vide,quã ingratus sis Luc.19
Deo pro his omnibus beneficiis. Ille enim diligẽ
tissimus est ad te vocãdum,tu verò pigerrimus ad
Deum colendum. ¶ Obserua etiã & considera eius
munificentiã & liberalitatẽ. Nos si ingratitudinẽ
in aliquo inuenimus pro accepto beneficio, omni
bus portã occludimus, & propter vnius malitiã,
nemini benefacere volumus. At misericordia diui
na magis se extendit,nam non obstante horũ ho-
minũ ingratitudine & perfidia,qui inuitati & vo
cati venire noluerunt,tamen Deus non vult ostiũ
occludere aliis:sed eos vocatũ mittit. Minimè de
fatigatus priorum ingratitudine,posterioribus,be
nefacere non desistit.Non exhauritur diuina mise
ricordia tam cito vt perfidia & ingratitudo aliquo
rum,beneficia Dei in alios conferenda impediat.

¶ Obserua etiã quòd in hanc cęnã regiã intraue-
runt cæci & claudi,& debiles,sed qui integri erãt:
intrare noluerunt.Impij toti erant corpus, toti in-
dulgebant corpori:& nequid corpori deesset,ani-
nam minuebant. Econtra pij nihil aliud meditan- 1.Thess.4
tur quàm corpus affligere,minuere & deponere,vt Matth.5
integrũ sit in die domini nostri Iesu Christi. Ideo
que Christus impio alibi dicit, Vt totum corpus
tuum

tuũ mittatur in gehẽnam. Totum corpus impiorum integrũ mittitur in gehennã: sed iustorum nõ totum corpus intrat in cęnam gloriæ: nõ enim intrát in cęlũ nisi manibus eruris, vel claudi vel cęci: nã licet in cœlo corpora nostra integra futura sint in membris, non tamen erunt integra quantum ad suas necessitates: nec enim manducabunt aut nubẽt. Est enim nunc corpus animale, tunc erit spirituale, nũc infirmum, tunc erit in virtute, vt Apostolus habet. Sed impij integri hic in corpore sic in inferno erũt: nulla enim erit corporis pars quæ nõ omnium tormentorum corporalium genere torqueatur. Cõtra erit in animabus, animæ enim piorum erũt integerrimę, & omnibus spiritualibus delicijs fruentur, impiorum verò erunt imminutę, nihil enim boni aut cogitare aut velle poterunt. Sequitur, *Et ait seruus, Domine factũ est vt imperasti, & adhuc locus est.* Iã prædicauimus gentibus & nationibus, & adhuc manẽt loca vacua in regno cęlorũ, vbi & alij plurimi possunt esse: non enim numerus hominum prædestinatorum est impletus in cœlis. *Et ait dominus seruo, Exi per vias ad sepes & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* In eo quod dicit cõpelle intrare, modus quodãmodo violẽtus conuertendi istos significatur. Considera conuersionem Pauli, & cõpulsum intrasse illum videbis. Si sciremus quibus viis dominus aliquos conuertit, videremus sæpiùs impleri quod compellũtur intrare: nõ quod compellatur voluntas, sed mutantia volũtatem talia sunt, vt cõpellatur quis mutare volũtatem, vt fecit in Paulo. Et hoc facit dominus dupliciter. Primo ostendendo voluntati nostræ tantum bonum vt ipsa non possit nõ appetere illud. Secũdo remouendo & abscondendo omne malum: & cùm obiectum voluntatis sit bonum, tantũ bonũ potest voluntati repræsentare, vt non possit non amare illud quod videt bonum. Et isto modo liberum hominis arbitrium subiicitur Deo, quod cõpellere voluntatem non est. Nam voluntas naturaliter fertur in bonũ & ex natura sua appetit illud, si autem cogeretur ad diligendum malum, quod est contra suam naturam, tunc diceretur compelli, sed quia in bonũ fertur repręsentatũ, ideo remotis inconuenientibus nõ dicitur cogi, id quod ipsa naturaliter agit. Dicitur tamẽ subiici Deo: quia Deus hoc facere potest. Tribulationibus etiam, aduersitatibus, & calamitatibus trahit ad se multoties, quod compelli quodammodo dicitur. Concludit dominus hãc parabolam dicens. *Dico autem vobis quòd nemo illorum virorum qui vocati sunt gustabit cœnam meã.* Hæc est sententia aduersus illos rebelles, qui venire ad cęnam contempserunt. Expẽde Dei bonitatem & clementiam. Non dicit hic Christus quod illi qui regnũ cęlorũ contempserunt, & cęnam beatitudinis, quod fuerũt homicidę, adulteri, traditores aut quid simile, sed tantũ quod vnus quia duxit vxorem, & alius quia emit villam, & alius quia comparauit iuga boum, non venerunt, quia quanuis impediret ad regnum cœleste: non tamen fuerunt grauia delicta. Nos cùm volumus aliquem qui nos offendit puniri, indignati maximum in eum crimen dicimus omnium quæcũque perpetrauit, vt seuerius puniatur, non sumimus leuius, sed grauius delictum. Christus tamẽ è cõtrario, vt lenius nos castiget, leuiora crimina sumit, vt maiorũ obliuiscatur: & iracũdię suę, atque furori positis antẽ oculos suos modicis criminibus tẽperet atque moderetur. Sic in die iudicij non dicet peccatoribus, Ite maledicti in ignẽ æternum, eo q̃ blasphemi, latrones, & homicidæ fuistis: sed ite quia esuriui & non dedistis mihi manducare: sitiui & nõ dedistis mihi bibere, &c. Ecce quomodo nõ peccata grauia cõmissionis, sed ea quæ sunt omissionis & leuiora cõmemorat, vt rigorem temperet suæ iustitiæ, & sic puniet eos, vt Theologi dicunt, citra condignum. Iratus fuit dominus contra illos rebelles, vt parabola ait: tamẽ quia cum irascitur, vt Abacuc inquit, misericordiæ recordatur, minima eorum peccata commemorat vt misericordiùs puniat. Disce ex hoc loco: vt cùm iudicium feceris de aliquo, non eius delicta extollas, & exaggeres vt impij vindices & crudeles facere solent: sed in quantũ in te est illa minuas. Si peccandũ est altero duorum extremorum præstat lenitate, quàm sæuitia peccare. Sic sanctus ille Ioseph, fratrum peccatum licet ex inuidia & iniquitate peccassent cõtra illum, in quantũ poterat excusabat dicẽs eis quod voluntas Dei fuit vt illud contingeret, sed ad contextum. *Ibant autem multa turba cum eo, & conuersus dixit ad illos.* Proficiscens verò dominus Hierusalẽ ad petitionem principis pharisæorum, qui eum ad cõuiuium inuitauerat, in domum eius declinauit: de conuiuio verò proficiscebatur iter destinatum, videns autem dominus turbas sequẽtes se, instruit eas de modo sequendi: imò in turbis non verè se sequẽtibus instruit veros sequaces qui regia via incedũt passibus corporũ, nõ autem passibus operũ. Instruit ergo dominus generaliter omnes qui sunt in via ad pœnitentiã tendentes, & est hic ordo doctrinæ. Primò docet cauere ea quæ possunt esse impedimenta viam ingredientibus. Secũdò addit de suffragiis quę sunt necessaria venientibus. Tertiò agit de lege, quæ proposita est, & data peruenientibus. Addit adhuc necessarium hæc omnia implẽtibus, videlicet misericordiam Dei, vt iis omnibus impletis dicãt, serui inutiles sumus. Primũ ergo instruit de vitandis impedimentis: quia maximũ est iter facienti nosse impedimẽta multiplicia, idest, interiora & exteriora, quę sunt impedimenta arduæ viæ ducentis ad vitam: nec sufficit abiicere exteriora nisi abiiciãtur interiora: ideo dominus nõ tãtũ dicit, qui odit patrem suum & matrẽ, sed addidit adhuc & animam suam. Et quia multa sunt impedimenta exteriora, hortatur dominus vt abiiciant grauiora, videlicet carnales affectus, qui præcipuè homines retrahũt ab ardua via. Multi enim fuerũt quos non terrebant angustiæ pressurarum, & reuocabat eos à martyrio affectus vxorem & matrum ostendentium eis vbera, & sic parati ad martyrium retinebantur carnali affectu vel cura vxoris vel liberorum. Hæc ergo sunt præcipua impedimẽta exteriora, scilicet carnales affectus: ideo dominus specialiter docet ea amputanda: & similiter interiora, scilicet, desideria carnis. Dixit ergo. *Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem & vxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam non potest esse meus discipulus.* Omnes creaturæ naturaliter centrum suum appetunt, nulloque alio in loco prçterquã in proprijs spheris suis conquiescũt. Scintillã ignis si attenderis, videbis sursũ versus tẽdentẽ: tãto quodãmodo desiderio superiorũ locorum, vt nullibi donec in propriam sedẽ perueniat immoretur. Flumina vniuersæque aquæ, multis variisque flexibus nusquam cessant, do-

Marginal notes: Matth. 22; 1.Cor.15; Act.9; Mat.25; Abac.3; Genes.45; Genes.50; Luc.17; Matt.7; Aug. de vera relig. cap.28

nec in mare fontem omnium aquarum communẽ tanquam in suam pefectissimam quietem perueniant. Quod idem de omnibus aliis rebus dici potest, quarum omnium cũ anima rationalis ad imaginem Dei procreata præcipua & nobilissima sit creatura: ea de causa voluit Deus qui illam creauit, vt visione diuina frueretur, esse illius centrũ sphęráque perfectissima, quo tandem corporeis vinculis soluta deuenerit, plenéque in eius cõspectu conquiesceret, & satiaretur. Vnde magnus ille Augustinus & Ecclesiæ doctor eximius Deũ alloquitur, dicens, Fecisti nos domine propter te: & inquietum est cor nostrũ donec perueniat ad te. Extra Deum, quæcunque in mundo sunt, turbatio, inquietudo, & defatigatio mentis sunt. Filius prodigus extra domum patris sui nunquam nisi famẽ & angustias offendit. Ionas propheta Deum fugiens ab eo separatus, maris procella ingentibusque aliis ærũnis vexatus fuit: sed de vẽtre Balenæ Deo orationem faciens reuersus est ad Deum centrum suum, & statim ab omni labore liberatus est. Iacob in domo Laban soceri sui mille laboribus & defatigationibus semper fuit oppressus, quare à Deo respõsum accepit, vt in patriã suã & in domũ natiuitatis suæ rediret, & ilico vidit angelorũ exercitus, & inuenit pacem & tranquillitatem. Hydria in puteum missa ad hauriendam aquam, dum adhuc aqua plena intra puteum est non grauat educentem, sed facilime eleuatur: posteà verò quàm supra aquę superficiem tollitur, statim eius pondus sentitur. Sed quare cùm est intra aquã hydria non videtur ponderosa, posteà vero cùm aquis eleuata est adeò grauare solet? Quia priùs in elemento suo videlicet in aqua est posteà verò quia extra elemẽtum suũ esse cogitur, proprio pondere quasi quadam innata vi in sedem suam redire cõtendit. Ne mireris igitur, si eos qui extra Deũ sunt mũdo ministrantes & carni, suisque animi perturbationib[us] tam defatigatos & debilitatos videris: sunt enim extra Deum centrum & elementum proprium hominum. Quare semper perturbati, laboriosi, defessi, & anxij incedunt. Multò aliter sese habent Dei cultores, nam cùm in propria sint sphera, veloces sunt in omni probitatis lætitia, & contenti ac alacres viuunt in omnibus suis aduersitatibus. Salomon enim ait, Non contristabit iustum quidquid ei acciderit. Nam ægritudines, ærumnę persecutiones vniuersáque huius vitæ prospera aut aduersa, eos nitidiores, securiores & alacriores indies facere videntur. Hi igitur soli viuũt, cæteri enim nõ viuũt, sed infęlici morte moriũtur suis libidinibus mancipati, portantes humeris suis iugum mundi intolerabile, oneráque proprij amoris, corrupta voluntate sustinentes: Si vis perfectum gaudiũ verámque trãquillitatẽ inuenire, opus est vt ad Deũ reuertaris. Nihil integritatem & perfectionem naturę suę cõsequitur, nisi cõseruetur in genere suo, Quare cùm Deus genus & fons sit omniũ bonorũ à quo omnia bona procedunt, anima nostra rationalis, tam intensè Deũ suum desiderat, nã ad Deũ rediens omnia bona assequitur. Vnde cũ Deus videat optimeque sciat nil extra eum esse, nisi laboris defatigationisq; plenũ & sine eo nos nullũ gaudiũ habere posse, cõpatiẽs nostris laborib. nos mille ærũnis defatigatos, & funditus interẽptos à mediis mortis faucib. euocat, dicẽs, Venite ad me oẽs q laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos, venite igitur & ne timeatis. Colũba, quæ ex arca Noë exiuit nõ inuenit requiẽ vllo in loco vbi requiesceret pes eius, & ita in arcam rediit. Attẽde igitur q eodem modo & tu in omni huius sęculi oceano, extra Dei manum & obsequium, nihil aliud præterquam procellas, pericula, variáque vitæ impedimenta offendes. Nullamque sedem vsquam tranquillitati idoneam inuenies, atque ideo potissimũ remedium est ad Christum verum Noë quasi in arcam redire, vnde egressus es, & à quo separatus tãdiu per huius sęculi immẽsos fluctus iactatus es. Est autem Dei tanta bonitas & clementia vt licet se contemptum & desertum viderit, propter huius mundi fœditatem & immunditiam, nihilominus tamen rogat & inuitat te inquiens, Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Domine placet mihi summopere ad te redire, iam enim huius sęculi sum defatigatus ministerio. Vis tu redire ad Deum? Vis remigrare in centrum tuum? Contemptúsque viuere, discipulus Christi factus, audi illum, *Si quis venit ad me, & non odit, &c.* Hoc modo Christus dominus noster omnium oppressorum confugiũ factus, dum nos vocat docet quid facere debeat qui à mundo expeditus, ad Deum se conferre statuit. Vult autem vt hoc facias videlicet, vt ad Deum tãquam animæ tuę centrum in quo patrem, matrem, filios, fratres, & sorores tuas odio habeas, te conferas. Sed cur domine tu qui charitas es, odium præcipis? Certè sicut Deus simul est amor & odium, amor rerum bonarũ & odium malarum, ita vult quemque nostrum simul habere amorem eorum quæ in proximis aut in nobis bona sunt, odiũ verò eorum quę in proximis aut in nobis mala fuerint. Vult ergo in nobis esse oculos quosdam, qui videant non vasa, sed quod est in vasis. Si in vasis quantumuis inimicis nostris est pietas, eam amemus, contra si, in vasis quãtumuis amicis & cognatis sit malitia, eam detestemur. Si igitur in parente aut amico, aut in te malitia est eam odi, ideóque non simpliciter iubet odio habere parentes, quia hoc iniquum esset, sed si voluerint plusquam Christus diligi, in hoc odio habeantur, nam omnes oportet odire qui in via Dei aduersantur. Parentes nanque debemus honorare & diligere, quia maiora ab eis suscepimus quàm à cæteris hominibus: Deum tamen magis tenemur honorare quàm parẽtes: quia maiora accepimus ab eo. Ideóque parẽtibus obediendum est, quando eorum mandata diuinæ obedientiæ nõ repugnant, quia aliàs absoluimur ab omni debito. vnde Paulus, Filij obedite parentibus vestris in domino. Idest, quãdo mandata eorum consonãt diuinis mãdatis: nam aliàs nõ est eis obediendum, sed odiendi sunt, non homines, aut natura, sed peccatum, sicut Deus odit peccatũ, & possumus eis ostẽdere signa odientis. Nam qui amat complacet amato, qui autem non complacet sed aduersatur, non diligit sed odit: & quia parentibus viam Dei impedientibus complacendũ non est, dicimur eos odisse. Quomodo autẽ pater & mater calcãdi sunt ꝓpter vitæ perfectionẽ de qua hic Christus ad literam loquitur vt statim videbimus, optime disserit D. Hieronymus ad Heliodorum, de vita Eremitica. Quid enim impedimẽti afferat perfectioni paterna domus, patria, & cõsanguinei, satis ostendit dominus cùm Abrahæ præcepit dicẽs, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, &c. Ideo dominus, quem vult in discipulum accipere & cum

Margin notes: Aug. in medita. — Luc. 15 — Ionæ 2 — Genes. 31 — Prouer. 12 — Matth. 11 — Genes. 8 — Vide Hilar. in Psal. 118 — Ephes. 6 — Hie. epist. 1. quamo tẽpore — Genes. 12

& eum docere, præcipit odire parentes, fratres & sorores. Vnde quos dominus erudire vult, segregat ab huiusmodi hominibus. In Osea enim dicit, [Osee 2] Ducam eam in solitudinem & loquar ad cor eius. Et vt in Hebręo habetur, Ecce ego seduco eam, & ire faciam eam in desertum: & loquar ad cor eius. Vbi expende verbum, seduco, & considera quod etiam ad ea quę nobis maxime vtilia sunt, oportet Deū nos seducere. Verùm quia non sufficit extrinseca tantum vitare impedimenta, addidit. *Adhuc autem & animam suam.* Per animam vitam animalem intelligit: quæ secundum apostolū vocatur caro: caro autem concupiscit aduersus [Galat. 5] spiritum, & spiritus aduersus carnem. Et ideo odiēda est. Tūc enim carnem odimus cum eius carnalibus desideriis non acquiescimus: conuenit enim Christi discipulo vt proprium amorem, concupiscentiam & carnis desideria abiiciat, vt Christi discipulus fiat. Si eiicis ab anima tua proprium amorem, crede illam statim amore Dei impletum iri, eius enim bonitas, nō patietur nos amoris proprij vacuos Dei amore nō impleri. Hoc suiipsius odiū quasi cauterium quoddam, omnem veterem hominem abiicit, nósque eo exuit veluti angues, qui inter asperos lapides transeuntes, vetus indumentū deponunt. Hoc exercitium seruare debet, qui vult perfectus & verus Christi esse discipulus nitens exuere se propriis affectionibus, amoreque suiipsius, nam qui se verè abnegat in omnibus rebus, voluntatem suam deponens, is demum verè Deo inseruire potest.

¶ Obserua autem quòd odire parentes & cęteros, atque etiam seipsum secūdum aliquē modum & sensum est præceptum, & aliquo modo est consilium. est enim præceptū quantum ad hoc, vt carnalis affectus prædictarum personarum cōtrarios charitati spirituali abiiciamus, & ita vt prædictas vitemus & odiamus personas, quātū ad hoc quod nos ab impletione præceptorum Dei impedire nituntur. Sed est cōsilium quo ad hoc vt carnales affectus, carnaliterque propinquos siue cōiunctos odiamus, relinquamus & vitemus: quātum ad hoc: quod nos impedire nitūtur, aut possunt à spirituali profectu, ad perfectionem tendente, per actus & opera supererogationis, vt scilicet carnales prædictarum personarum affectus, non illos duntaxat, qui charitati diuinę obuiant directè, sed illos quoque qui charitatis profectum, & ardorē & perfectionem impediunt. Nisi quis hoc egerit, ait Christus, *Non potest meus esse discipulus.* Vide quantum prēmium cōsequeris, si Christi discipulus fueris, sicut nunc dicebamus, Abrahę, qui propter Deum dereliquit domum, cognationem, & patriam contulit meliorem terram: & fecit illum in gentē magnam, & patrem constituit multarum gentium, ita vt pro consanguineis rusticis magnos habeat: & pro patris benedictione consequatur benedictionem Dei. Sic etiam apostolis qui omnia propter [Matt. 19] Christum reliquerunt illos super duodecim sedes sessuros, & iudicaturos duodecim tribus Israel promisit Christus. Expende hic quid lucri sit perdere parentes, cognatos, aut aliquid propter Deum periculo exponere, nam vt ait Bernardus, [Berna. hom. 3. super Missus est.] quia virgo se exposuit propter Deum vouendo castitatem, illo tempore vitio datā, vt ab omnibus mulieribus esset maledicta: dedit illi vt inter mulieres esse benedicta. Sic qui propter Christū hęc terrena & carnalia contemnit, Christum habebit in patrē & dominum & magistrum. Sed procedamus. *Et qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Crucem intellige carnis mortificationem, tribulationes, aduersitates, & mundi afflictiones, & omnia quæ inimica sunt spiritui. Qui hęc omnia patiēter tulerit, dicitur Christi crucē baiulare. Itaque nihil aliud est accipere crucē quam quotidianam mortis carnem sustinere, exponendo se cuicūque labori propter Christum, sine quo Christo placere non possumus. Ideo Paulus, Qui sunt [Galat. 5] Christi, carnem suam crucifixerūt cum vitiis & cō- [Matt. 24] cupiscentiis. Ideo in die iudicij, signum suū ponet Christus in cęlo, idest, crucem: nam signum crucis erit in cœlo cùm dominus ad iudicādum venerit. Et sicut artifex regula pōderat & metitur quis lapis aptus sit ædificio, sic Christus cruce sua videbit quis secundum crucis mortificationem vixerit, & quis sit aptus regno Dei. Præterea ne aliquis pondus crucis retrocedat, non dicit Christus, qui non baiulat crucem meam, sed crucem suam, vt vnusquisque iuxta propriam virtutem faciat: alius plus & alius minus. ¶ Obseruandū etiam, quòd potest esse, vt quis tollat crucem, & quod non sit discipulus Christi: vt est ille qui accipit pęnitētiæ statum, & non ambulat sicut Christus ambulauit sequens illum, si ignem hoc est charitatem, nō habet in corde vt cremetur sacrificium, sine igne enim non fit sacrificium. Duo sunt facienda. Primum accipere crucem, & secundo diligere Christum: & hoc modo sacrificabis Deo te ipsum. Abraham non sacrificat sine igne. [Genes. 12] Vnde Paulus, Si tradidero corpus [1. Cor. 13] meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Debes tu ligna & ignem ponere, vt sacrifices. Hoc est sequi Christum, in cuius pectore tātus ignis ardebat amoris. Vult igitur Christus vt tollas crucem, sed etiam cum amoris flamma: & non inuitamur ad hæc ex viribus nostris, ipse enim pręcedit, & fauet, & præstat auxilium, in quo etiam eius benignitas & bonitas ostenditur. Solent enim serui suos pręcedere dominos, & explorare, & præparare hospitia, iter ostendere, atque ante illos ire: sed Christus hic ante nos vadit & iter ostēdit quasi seruus, & suadet, vt illū sequamur. Sequitur in contextu. *Quis enim ex vobis volēs turrim ædificare.* Discipulos perfectionem vitę profitētes docet duabus parabolis. Ædificatio turris professio est perfectionis vitę, merito turri propter suā celsitudinem comparatę. Sumptus autem vt ipsemet dominus dignatus est declarare, sunt renūciare omnibus quæ homo possidet. Debet antequàm quisque profiteatur perfectioris vitæ statū, sedens perfectè cogitare, & diligenter examinare affectus suos, an sint alieni ab omnibus quæ possidet, an in veritate renunciet nō solùm rebus sed affectibus rerum exteriorum: computādo inter possessa, nō solùm agros sed etiam honores. Sed si deficiunt, melius est non incipere, quàm postquā posuerit fundamentum professionis, carendo sumptibus perfectę renunciationis, non posse perficere ædificiū turris vitę celsioris: fit ludibrio dęmonibus, & hominibus, sicut mūdus irridet religiosos apostatas, qui cęperūt iacto fūdamēto ꝓfessiones, & nō pseuerātes quia defecit in eis virtus finiēdi opus inceptum, ad sęculum reuertuntur, tanquam [1. Petr. 2] canes ad vomitum. ¶ Admonet locus iste perseuerātiā in vita perfectiōis incepta: sine qua nulla vir-

tus

1.Cor.9 tus coronatur, iuxta illud Pauli. Omnes qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brabium. Sic Saul bene incepit, & tandem quia
1.Reg.9 non perseuerauit damnatus est. Docet etiam cautelam quæ pernecessaria est viantibus, ne ardua supra vires aggrediantur: sed pro modulo virium suarum sese intra se metiantur. Alioquin enim minus cauti vitam austeriorem eligunt ad quam sustinendam insufficientes in medio vitæ deficiunt. Expende etiam quàm differens sit ædificium corporale & spirituale: nam ad ædificium materiale necesse est congregare diuitias, sed ad spirituale cõtemnere illas, & parentes odire, & seipsum abiicere. Obserua etiam quod in numero singulari & conditionaliter loquitur dicens, Quis enim ex vobis, vt notet raritatem eorum qui spirituale ędificium & vitam perfectam ædificare volunt. Multi enim ædificãt turrim Babel, & inter tot qui gehẽnã ædificant in suam damnationem: est ne aliquis qui velit turrim vitæ perfectæ ædificare? Si forsitan aliquis est, audiat quid agere ei conueniat. *Nõne prius sedens.* Idest, à mundi tumultibus quiescẽs: qui enim negociis secularibus se implicat, non mi
2.Tim.2 litat Deo. Sedet igitur sequestratus à mundi curis, se ipsum cõsiderans & humilians, vana huius mũdi contemplando. *Computat sumptus qui necessarij sunt.* Idest, considerat diligenter quibus operibus & laboribus possit cõstitui ædificium vitæ perfectioris, & ad illum apicem altissimę turris ascẽdere & peruenire, considerat vires suas verum sufficerę possint ad hoc quod inchoare proponit. Priusquam enim aliquid incipias, cõsulito, & postquam cõsulueris, opus est facto. *Videt prius si vires habeat ad perficiendum, ne postea quàm posuerit fundamentum & non potuerit perficere, omnes qui viderint, incipiant ei illudere dicentes, Quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare.* Hæc ex dictis clara sunt. Expende autem quod in omni opere quod agis, oculos irrisoris considerare debes, nam quando diabolus vidit quod incipis ædificare bonum, expectat, vt relinquas opus inceptum, videns autem quod reuerteris ad vitam pristinam, irridet & exultat, nam sicut fuit ad malum persuasor, ita gaudet videns quod derelinquis bonum inceptum. Ideo Da
Psal.24 uid petens à Deo auxilium perseuerandi ait, Deus meus in te confido non erubescam, nec irrideant me inimici mei: etenim omnes qui te expectant, non confundentur. Omnes enim tam boni quàm mali angeli prospiciunt nos laborantes, boni de bono gratulantur, de malo quasi dolent, mali verò de bono dolent, de malo autem irrident. Spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus. Non solùm angelis & hominibus, sed etiã mundo
1.Cor.4 inquit, idest, amatoribus huius sęculi qui sedulò circunspiciunt viros religiosos, & si in aliquo deprehendunt lapsum eorum, statim insultant & dicunt, Hypocrita erat iste.

¶ Denique vnum hic obseruandum esse censeo quòd non dicit, si possit perficere, sed si habeat ad perficiendum, quia posse perficere est à natura, sed habere ad perficiendum est à gratia. Sic etiam posse credere natura est hominum: credere autẽ gratia fidelium. Bene etiam dixit, computet si habeat, & si non habet procuret & congreget. Sed iam secundam parabolam ad idem tendentẽ audiamus. *Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat si possit cum decẽ millibus occurrere ei qui cũ viginti millibus venit ad se?* Posita similitudine de turri ędificanda supponit hic aliam similitudinem de rege pugnaturo: in qua duo ostẽduntur. Primò quod pugnando oportet peruenire ad regnũ, quia vt Paulus ait, non coronabitur nisi 2.Tim.2
qui legitimè certauerit. Secũdum est quod nullus per sua merita potest peruenire ad regnum, nisi iustitia Dei per misericordiam tẽperetur, nã vt Psalmista ait, non iustificabitur in cõspectu eius omnis Psalm.142
viuens. Et Esaias. Facti sumus vt immũdus omnes Esai.64
nos. Summa ergo totius parabolæ hæc est. Si in rebus externis & corporalibus prudẽtes & prouidi sumus, quare nõ multò magis in spiritualibus? Qui ergo militiæ Christi se addicere vult, priùs perpẽdat vires suas, quas si inuenerit ad id, quod subeũdũ est impares: non temere sese iniciat in periculum, sed potiùs omnia excogitet, vt inuocato Christi auxilio faciliùs agere possit, Cùm ergo necesse sit pugnare cum diabolo, mundo, & carne, qui nobis fortiores sunt, inuocãdus est Deus, cuiꝰ manus abbreuiata non est. Sic Dauid, Domine quid mul- Psal.3
tiplicati sunt qui tribulãt me, &c. Et iterum, Domi Psal.117
nus mihi adiutor, & ego despiciã inimicos meos. Expende autem quod in illo quod dicit habere regem contrarium viginti millia, ostendit mundi duplicatam potentiam, quia maiori conatu hos perfectiores impugnat. Illud autem quod statim sequitur in contextu, scilicet. *Alioquin adhuc illo longè agẽte legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt.* Intelligẽdum est quod sit cõtentus vita & statu communi, nam si in vita perfectiori non potuerit perseuerare, nec habuerit vires ad resistendum maiori mundi potentiæ: sit contentus vita sęculari & cõmuni. Doctrina harum duarum parabolarum est, vt altã turrim ædificemus, & machinas mundi destruamus, vitam inquam perfectam agentes & apicem perfectionis quærentes, hac tamen modificatione, vt prius vires nostras consideremus, ne retroceda
mus, nam meliùs est viam Dei non agnoscere: quã 2.Petr.2
post agnitã retroire. Tunc enim erimus mũdo & angelis in derisum, & victi reuertemur cum cõfusione à fortiori inimico. Ideoque perseuerẽtia opus est ne irrideant nos inimici nostri, & dicãt, Hic homo cępit ædificare, & non potuit consummare. Non enim cępisse virtutis est, sed perfecisse. Cępisse multorum est, ad culmẽ autem venisse, paucorũ. In cassum bonum agitur, si ante vitę terminum deseratur, quia frustra velociter currit, qui priusquã ad metas perueniat deficit. Ideo cursores paulatim in mane procedunt, & semper plus & plus proficiunt: & sic continuando ad terminum optatum perueniunt. Sed quidã sunt sicut leęna, quę in principio parit multos catulos, deinde pauciores, & in fine sterilis efficitur. Sic etiã plurimi in principio operis sunt feruidi, deinde tepescũt, & in fine prorsus infrigidãtur, & deficiũt. Sic turris incępta manet, vel deficit in bello: & victa manet. Hoc autem valde placet diabolo, q̃ super omnia conatur facere ne homo in bono opere pseueret. Vnde in Gen. Genes.3.
dixit dñs serpẽti. Tu insidiaberis calcaneo eius, idest fini, sic enim in omni re finis est pręstãtior, & q̃ destruit finẽ, destruit omne bonũ. Summe autẽ dolet, quãdo videt nos inceptis bonis operibus pseuerare, quia scit, q̃ cũ perseuerãtia obtinemus qdquid petierimus à Deo, sicut ille q̃ petiit tres panes Luc.11
ab amico obtinuit, quia perseuerãter petiit. Sic etiã Magdalena, quia in sepulchro perseuerauit plo

tans

rans meruit Christum priùs videre suscitatum quã discipuli qui recesserunt, & reuersi sunt nõ perseuerantes. Similiter etiam Christus turbam famelicam septem panibus satiauit: quia perseuerauit cũ eo. Misereor, inquit, super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. Sicut enim nulla vtilitas est se minum in principio florentium nisi maturescant, ita nihil valet ad salutem benè incipere si vsque in finem non perseueraueris. Caue ne irridearis. Iam ad contextum reuertamur. *Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus.* Hinc clarè apparet, quod ad professores vitę perfectioris adduxit vtramque parabolam. Renunciare enim omnibus quæ possidẽt nõ mandatur omnibus Christianis: sed tantum his, qui statum perfectionis quærunt: de quibus Christus hîc loquitur, & ad quod propositum adduxit parabolas suprà dictas. Ac si diceret. Ex quo non bene turrim ædificat, qui sumptus non pręparat, nec securè occurrit, qui legatos non præmittit, ergo non potest meus esse discipulus qui omnibus non renunciat, sed volo, vt homo sese totum mihi dedat, nihil mihi proponat, & nihil ardentius diligat quàm me, seipsum non quærat, sua non amet, sed meam voluntatem diligat.

Ioan. 20

Mat. 8

¶ Aduerte autem quod in his verbis excluditur error Anabaptistarum, qui sicut olim Adamitę & Apostolici asseuerabant hominem non posse esse Christianum nisi renunciauerit omnibus. Quare Christus non dixit absolutè, omnis qui non renũciauerit, sed omnis ex vobis, videlicet apostolicis viris, & discipulis meis qui perfectiorem vitam estis professi. Cum istis igitur apostolis loquitur Christus non cum omnibus. Abraham, Dauid, Iob & alij plurimi diuites fuerunt & perfecti. ¶ Obserua etiam quod multùm distat inter renunciare omnibus, & relinquere omnia, quia renũciare omnibus, cõuenit omnibus, qui licitè mundanis vtũtur. Sic tenent quę mundi sunt, vt non teneantur à mundo. Vnde Paulus. Reliquum est, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint, & qui vtuntur hoc mundo tanquam nõ vtantur. Relinquere verò omnia, perfectorum est, qui omnia temporalia abiiciunt propter Deum. Attende autem, vt omnino his mundi vanitatibus renuncies, vt tam sublimi dignitatis gradu Christi discipulus factus fruaris omnẽ amorem tuũ in Deũ conuerte, & renũcia tui ipsius rerumque humanarum amori: perfectus enim Christianus nihil aliud nisi Deum amare debet. Nec debet quispiam credere amorẽ suũ rectè esse collocatum, ob virtutes, & merita illius quem amat. Valde enim interest esse bonum, & esse bonum mihi, nisi quis tam insanus inueniatur, qui dicat ego iudico esse bonum, vt mihi oculi eruãtur, si aureo gladiolo, adamãtino vel smaragdino fiat. Arbor paradisi bona erat: sed Euæ sibi oculos perdidit. Susanna bona erat & sancta: sed illi senes propter eius amorem interierunt. Ioseph bonus erat, sed illum eius domina offendit. Hinc cõiicere potes quantum cauere debeas, ne alterius quàm Dei prudentiæ habenas affectionis tuæ cõmittas, qui solus sufficiens est, vt tranquillitatẽ & quietudinem animi nostri affectionibus tribuere possit. Ideo in Deo solo amorem tuum constitue: separans te ab omnibus rebus, quæ Dei amorem non referunt. Quid existimas te facere: cũ omnia humana contemnis? Opus est cogitare, quas angu

1. Cor. 7

Genes. 3
Dan. 13

Genes. 39

stias relinquas, vt cęli latitudinem consequamur. Vniuersa enim terra respectu totius mundi, punctus est, adeò vt si fingeremus terram locatã esse in cœlo stellato: adeóque perspicuã vt quęlibet aliarum stellarũ redderetur, ex his locis inferioribus discerni non posset, propter eius exiguitatem, sunt enim decem & septem stellæ, quarũ quęlibet maior est toto orbe terrarum centies & septies. Sunt etiam aliæ quadraginta quinque, quarum quęlibet nonagies est tota terra maior, ducentę & octo etiã sunt septuagies bis maiores. Aliæ ducẽtę sexaginta quatuor, quinquagies quatuor maiores esse dicũtur. Itẽ ducentę septẽ tricies quinquies maiores ęstimãtur. Pręterea ducenta quadraginta nouẽ, decies & octies ampliores dicuntur. Sunt autẽ hę postremę minimę, quę quidẽ videãtur, nongentarum quinquaginta nouem stellarũ, quas Astrologi notauerũt, de quibus intelligitur id, quod dictum est: quòd minima stellarum visu notabilium est maior tota terra. Quod si respectu firmamenti, terra punctũ est minimũ, quanto minor respectu Empyrei cœli censebitur? Quid igitur putas te reliquere, dũ mundum contemnis, licet eius dominus esses vniuersalis, nisi angustissimum formicarum nidũ, propter regia & ampla cœli palatia. Rex dominus est quinquagesimæ vnius puncti partis. Tu verò quid relinquere potes, licet omnia tua relinquas? Parũ esse existimares, huius mundi fęditatem relinquere, voluntatique tuę, & amori proprio renũciare, si cõsiderare velles te à Deo vocatũ esse, in Christi discipulum, vt cũ eo simul veris magnisque cœli thesauris fruaris. Sed de his alias, sequitur in cõtextu. *Bonum est sal.* Gustum non habet ille sanum cui sapiunt amara, & cui acida & insulsa dulcia & lauta videntur. Stomacho bili laborãti dulcia omnia quasi amara videntur. Doctrina Christi eiusque lex suauissimus cibus animę est: verũ quotiescũq; stomachus plenus est malorũ humorũ, voluntas, quę assuefacta alliis, porrisq; Ægypti cũ mũdi effrænato amore, carnisq; & sanguinis gustũ percipere non potest. Ex lautis, suauibusque cęli dapibus omnis doctrina eum defatigat, cibusque animæ substãtialis diuinumque nutrimentũ illi nauseã facit, quo pinguescere quasi suo naturali cibo & nutriri in primis deberet, vitia autẽ & peccata dulcia & delectabilia iudicat. Cũ dulce fuerit in ore eius malũ (ait Iob) abscondit illud sub lingua sua, parcet illi, & nõ derelinquet illud, & celabit in gutture suo. Optima est metaphora, qua hic vsus est Iob. Suscipis ore paruũ crustũ alicuius rei, melle illitæ, illud autẽ dẽtibus tãgere nõ audes, imo potius parcẽs illi sub gutture abscõdis, & retines: vt paulatim liquescat, diutiusq; sapor & gustus in ore maneat. O mũdũ perditũ, quot peccatorũ genera homines quęrũt & inueniũt varias peccãdi formulas & modos, quib⁹ sapore peccati moreãtur, & vt delectatio tã citò nõ trãseat? Quot varietates inueniũt homines ciborũ, quot modos ludẽdi seq; oblectãdi omnib⁹ mũdi vanitatib⁹ & turpitudinibus. Ideo benè ait Iob. Cũ dulce fuerit malũ in ore eius, &c. Inescãtur in Dei offensiõe, vt diuti⁹ manẽte peccato in illis maiorẽ capiãt voluptatẽ. Cũ Christus gentibus pręedicabat, tã pfidus erat mũdus, quã nũc est. Hoc autẽ magis exagerare nõ possum. Homines gustũ deprauatum habebant: quibus dulcia amara: amara verò suauia videbãtur. Huic igitur populo Christus prędicat: hasq; animas diuino cibo pascit, cœlestem

Iob 20

stem panem illis tribuens. Prædicauit auté illis vt ait Diuus Matthæus, octo paradoxa in monte, inquiens, Beati pauperes spiritu, beati mites, &c. Hic autem dicit D. Lucas, Dominum dixisse illis, vt renúciarét omnibus bonis suis, post hanc verò doctrinã de paupertatis amore, spiritus, & de diuitiarum despectu affirmant ambo Euangelistæ Dominum statim de sale verba fecisse. Matthæus ait illum dixisse Apostolis, vos estis sal terræ, Lucas verò hîc habet dixisse. Bonum est sal, vtrumque auté in idem recidit, ad idemque propositũ tendit. Homines cupidi & auari & qui gustum deprauatum habent, & qui acquirédis diuitiis inebriãtur, non delectantur audiendo. Beati pauperes spiritu. &c. Vel, Qui non renúciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Prædicatio paupertatis insuauis cibus est auaro & diuitiarũ despectus, eodemque modo, iracundo, patientiæ, crudeli, misericordiæ, mũdanis autem, qui adeò honores huius seculi amant, persecutionum amorem prædicare acerbum est. Itaque hic cibus acerbus illis videbatur, nõ ex defectu euãgelicæ doctrinæ a Christo domino nostro prædicatæ, sed eorum culpa, & propter gustum auditorum deprauatum. Sic Paulus ob suam humilitaté se in illorũ numero comparans dicit. Scimus enim quod lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Culpa est in me inquit Apostolus. ¶ Videns autem vnigenitus Dei filius, quã exiguũ gustum ille populus ex eius prædicatione conciperet, oculos ad discipulos qui iuxta se erát côuertit, & ait. *Vos estis sal terræ*. Attédite discipuli mei. Sal enim omnibus cibis saporem præbet, gens hæc gustum nõ inuenit in doctrina mea, sed eam esse insipidam existimat: quare vos, qui estis sal terræ & sapor, illis saporem date. Tanta bonitate viteque integritate esse debetis, vt videns mundus vitę vestrę sanctitaté & perfectionem, accipiat doctinam & eam amplectatur, licet gustum iuxta libidinem suam in ea nõ inueniat. Boni mores prędicatorum, sal eorum doctrinę est. Sicut Eliseus misit sal in aquas amaras quę dulces factę sunt: prelatus & doctor sua bona vita & exemplo faciet dulcem doctinam, quamuis populus eam pro amara reputet. Et quemadmodum prælati debét esse sal terræ, vt alios doctrina, bonoque exemplo saliant: ita eodem modo Christus sui exemplum dedit qui verus est sal, tanquam sal se comminuens, vt laboribus nostris saporé immitteret. Cum venit Eliseus Hierico dixerũt ei viri ciuitatis. Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse optime nosti, sed aquę pessimę sunt & terra sterilis. Tulit vas cũ sale Eliseus, & misit salé in aquas & factæ sunt dulces Hoc auté modo duo mala in orbe erát ante Christi redemptoris nostri aduentum. Alterum quod labores & tribulationes amarę videbãtur. Alterum quod erat in terris maxima fames & sterilitas. Sterilitati nec Eliseus, nec etiam Christus remediũ adhibuit, vult enim vt famem Dei, desideriumque cœli patiamur. Imò vt cęlestia amemus, in terris nobis famem iniicit, vt anima nostra nusquã satietaté inueniat. Hoc enim pacto cęlum ardétiùs desiderabit, vbi plene satiabitur, iuxta illud. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Illud verò alterũ malũ videlicet aquarũ amaritudiné sustulit, eas dulces reddés, vas quoddã nouũ enim accepit, & in illud salé côiecit. Sic Deus assumens virginé Mariã tanquã nouũ vas in ea filiũ suum vnigenitũ deposuit, qui verus est totius orbis terrarũ sal. Hic sal cum ortus est, statim in aquas tribulationum coniectus fuit: plorans enim nudus exoritur, frigoréque milleque aliis doloribus, & angoribus ita affectus, vt dicatur in Psalm. Saluum me fac Deus quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meã. Quemadmodũ sal in aqua comminuitur, eodé modo Chistus laboribus, passionéque sua se conterit iuxta illud Pauli. Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Liquefactus est tanquã sal in aqua. Hinc procedit nostrorum laborum & passionũ suauitas, sicut de aquis Hierico, factum est: posteaquam Eliseus salé in eas côiecit. Dominus Iesus cum doloribus suis tanquã sal se in aquas coniiciens, vitę mœrores mortemque dulcé reddidit. Antequam hoc sal in aquas cõiiceretur pauci illis vtebantur in potum, quare paucissimi fuerunt in veteri testamento martyres, verùm posteà quàm in eas tribulationum aquas amarissimas Christus Iesus verus sal coniectus est, maxima extitit virginum ad martyrium confluentium multitudo. Sic beato Stephano fuerunt dulces lapides torrentis, crux beato Andrææ, Agatha quoque ibat ad martyrium quasi ad epulas inuitata. Vnde Diuus Paulus: Sicut abundant Christi passiones in nobis: ita per Iesum abundat côsolatio nostra. Sic de apostolis ait noster Lucas in Actis, quod ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Sic denique omnes sancti martyres. Solent viatores cùm sitiunt & per ęstum iter faciunt si nusquam aquam inueniunt nisi in aliqua palude turbidam & insipidam, vt eam bibere possint, quã doquidem aliam non inueniunt, illam per aliquẽ colũ, vel pãnũ trãsmittere, vt ita suauior, & purior efficiatur, & pãnus ille, pręsertim si aromatis, caryophyllis, cynamomo, & zinzibere infectus est, suauioré efficit. Eodem modo dolores, passiones, cęteraq; vitæ mala, quę de se amara & insipida erát post aquam per Christũ trãsierunt colata aromaticis eius diuinitatis odoribus, dulcia & suauia sunt, & ab omnibus maxima cum lætitia & saporé potantur. Tu verò nisi gustum percipis ex his aquis & tribulationibus, & si de illis murmuras & conquereris, fit, quia Deo non appropinquas, eius suauitatem doctrinæ, morũmque integritaté diligenter attendens. Gustate & videte (ait Dauid) quàm suauis est Dominus. Si paulisper in gustu Dei immorari velles, maximam suauitatem inuenires in omnibus illis rebus quas nũc pro insipidis & acerbis reputas. Vnde in Prouerbiis habetur. Anima saturata calcabit fauum: & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet; Voluit itaque Christus tanquam sal terræ coniicere & liquefacere se in aquis amaris tribulationum, & passionis, vt eas dulces redderet, nobis innatam famem relinquens, quam anima nostra assiduè habet desiderans Deo cœlestique beatitudine satiari, vt hæc fames desideriumque glorię appetentiam animæ nostræ exciteт, vt abiecto terræ & mundi amore omnem suam curam in Deo, cœloque côstituat. Hoc idem vult etiam Christus, vt prælati qui locum eius in Ecclesia obtinent, faciant, videlicet tanquam sale comminuant, operamque impendant vt subditi sibi oõmissi saluentur. Sic Matthæus ait quòd dixit eis, Vos estis sal terræ, noster auté Euangelista Lucas, bonum est sal. Adeo adiuuat prælatum, doctorem

Marginalia: Matth. 5 — Rom. 7 — *Sal prædicatorũ doctrina, & boni mores sunt.* — 4. Reg. 2 — Psalm. 16 — Psal. 68 — Phil. 2 — Act. 7 — 2. Cor. 1 — Act. 5 — Psalm. 33 — Prouer. 27

ctorem vel prædicatoré bona de eo audientiũ opinio, vt in cōcione asperrimæ etiam reprehensiones, quæ suaptè natura omnibus odio sunt, libentissimo animo & patientissimo audiātur: si vt diximus bonam cōcipiunt de doctore suo opinionem, cum non modo suasorem, sed etiam authorem omnium quæ dicit esse videntes. Hæc autem verba ad prælatos, sacerdotes & doctores diriguntur: quos Christus sal vocat. Primò quia est res valde communis: vbique enim sal inuenitur. Nulla est vetula quantũuis pauper, quæ vel pugillum salis non habeat. Tam faciles & cōmunes debent esse prælati, vt qui eos quærant statim inueniant: tam comes, vt paupe res sine timore ad eos accedere possint, & egestates suas manifestare. Tanta denique debēt esse benigni tate, vt nemo eorũ conspectum perhorrescat. Nunc tamen aliter fit. Sunt enim aliqui eorũ tam superbi & arrogantes, vt nemo eos conuenire audeat, quòd si eorum opera subditi indigēt ad aliquā subleuandam egestatē vel necessitatē, regus principũ longè à prælaturis suis absunt, vbi propria negotia sua procurant. Si autē præsentes sunt, clausis ianuis viuunt, audientiamq; pauperibus nullam concedunt. Itaque negotia subditorũ quę eorũ magis propria sunt, aliena iudicant, nihil de illis curantes. Nemóque eos audet cōuenire. Hoc deplorabat Ezechiel propheta inquiens: Væ pastoribus Israel qui pascebāt semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascuntur? Quid hoc sibi vult: Iam pastores non pascunt oues suas: sed viceuersa, oues pascunt pastores suos, illósq; pingues & nitidos reddunt, oues verò tam macillentę & exiles sunt, vt vix ossibus hæreant. Cum austeritate imperant eis & cum potentia. *Ezec.34*

¶ Secundò sal liquescit & consumitur, vt carnes su stineat, & præseruet à corruptione. Sic prælatus cōfici & cōsumi debet, geniũmq; defraudare, vt subditis indulgeat: ille laborabit, vt sui otiētur & quiescant: ieiuuabit, vt comedant, humerísq; suis egesta tes & miserias subditorũ supportabit. Optimus enim ille prælatus D. Paulus Corinthiis suis, ita ait: Ego libentissime impendam, & superimpēdar pro animabus vestris. Tanquā sal me liquefaciā, & con ficiam propter animarum vestrarum salutē, & consumar in vestram omnium vtilitatē. Sed vbinam sunt modo prælati qui hoc faciunt? Prouideat Dominus Deus omnis carnis hominē qui sit super &c. *2.Corin.12* *Num.27*

¶ Tertiò sal quanuis cibo saporem tribuit, austeritatem etiam habet. Si ore suscipis micam salis tibi linguam inflammat & adurit. Sic prælatus suauitatem & saporē fragilibus pauperibus peccatoribusq́ue contritis & humilibus ostendere debet, eos piè & comiter suscipiens, séque humilem & du cem illis præbens: superbis verò & potentibus asperum & seuerum se exhibeat, itaque & suauitatem & austeritatem certis, propriísque temporibus habere debet. Heli sacerdos reprobatus fuit in sacerdotio suo infœlicique morte interiit, ob suam nimiam indulgentiam. Sciebat filios suos, malis moribus esse, & nihil amplius dixit quàm nō est bona fama, quam audio, plus enim facere debuit, illos virga ferrea, summáque seueritate corrigens. Eodem modo & tu, si filiam tuam vides fenestram frequentare, non satis est si dicas, hoc deinceps ne facias, sed eam in cubiculum coniice: ibíque summa vigilantia da operam vt custodiatur. Alij vicеuersa, adeò asperi sunt vt pharisæi videantur, qui misero Iudæ peccati sui pœnitenti tam asperè res- *Prælatus nec nimis indulgens nec nimis reg.dus.* *1.Reg.4* *Matth.27*

ponderunt, vt illorum asperitate lacessitus desperarit, séque suspenderit. Quare vtrumque prælatus bonus suo tempore & cum viderit expedire facere debet: quanquam nunc è contrario omnia hæc in mundo transeunt, prælatis maxima potentium peccata dissimulantibus, leuissima verò pusillorum hominum delicta seuerissimè, maximáque cum arrogantia plectentibus. Quarto voluit sali prælatos comparare, vt humiles essent. Cupit enim Deus vt prælatus dignitate illa summa constitutus meminerit quis fuerit antequam ad illum statum peruenisset, vt quidquid boni, aut honoris habeat, Deo acceptum referat: per se enim nihil nisi fragilitatem habet. Sal est quædam aqua salsa, pigra, & cohibita, nam albedinem, & quidquid boni habet à Sole accepit. Sic tu doctor aut prælate nihil aliud es quā quædā aqua suapte natura vilis: dignitatem enim literarúmque cognitionē quā habes, à Christo iustitię sole accepisti, nam omne datum optimũ de sursum est. Vult igitur Deus vt episcopus aut doctor quilibétque alius domus suę minister, nō obliuiscatur quis anteà fuerit quā esset sal coagulatus, id est in tali dignitate cōstitutus. Lucifer nō habuit in memoria cùm se in tāta dignitate vidit positum, quod erat creatura quædā de nihilo creata: & ideo suæ perditionis causa fuit. Meminit dignitatis, & nō meminit essentiæ à Deo datæ. Noluit Deus Adamũ nisi de luto conficere, nec illud quidē de terreno pa radiso sumpsit: vt cùm se aliquando in aliquo hono ris gradu videret, meminisset qua de materia fuisset confictus, nihilominus tamen Dei mandato inobediens fuit. Esaias, Assur virga furoris mei, &c. Dixit autem Assur in fortitudine manus meæ feci. At quoniam minister Dei ab eo missus in illarum gentium vltionē superbiuit, à Deo asperrimè punitus est, vt videre poteris in decimo capitulo Esaiæ. Dauidem autē quia in dignitate cōstitutus regia, eodē modo se extulit conueniens propheta illi in memoriā adduxit, quid anteà quā rex crearetur fuisset, dixítque ex parte Dei. Ego te vnxi in regem super Israël, &c. Non habuit in memoria Saul se fuisse à Deo exaltatum de minima tribu Israël: & ita superbia se extulit, vt Deo non obediret, nolens Amalech occide re. Vt igitur cognoscatur verus prælatus, à Domino Deo nostro sali cōparatur. Si homo literis dignitatéq; ornatus nasceretur, nemini, quæ est eius superbia, auscultaret: ꝙ ne fieret voluit Deus vt lugens, cæcus, & mutus nasceretur, vt humilitatē suam cognosceret. Iacob vidit scalā quandam, altera parte cœlum, altera terrā tangentē. Sic prælatus ecclesiæque minister, per quē quasi per scalā omnes ad cœlum scādunt, partē in cœli cōtēplatione habere debet, secum perpēdens omniũ dignitatũ summitatē & perfectionē Deũ esse: partē verò animi sui in ter ra debet defigere, vt miseriā, exiguitatémq; suā, cognoscat. Sic Paulus. Gratia Dei sum, id quod sum. Ex huius rei autē obliuione multa apud prælatos mala reperiuntur: habent enim rationē sui familiarúmque suarum. Dei autē nec rationē nec curā habent. Ionas sui supra modũ rationē habuit, nimísq; operā dedit, ne eius opinioni apud homines derogaretur: credens ꝙ si Deus misericordia & pietate sua (qua sæpissime vsus est) sentētiā suā reuocasset, se vanum & mendacē habitum iri: quare quia hanc curā, rationémque nimiā suarum rerũ habuit, Deíque honoris oblitus est, omnia illi aduersa fuerunt. Heli etiā maiorē quia habuit rationem filiorũ suō- *Iaco.1* *Gen.2* *Gen.3* *Esai.10* *1.Reg.16* *1.Reg.9* *1.Reg.15* *Gen.28* *1.Cor.15* *Ionæ 1* *1.Reg.2*

tum, quos suprà modum deamabat, quàm officij quod præstare tenebatur, iniquus sacerdos habitus est. *Can. 5* Et in Canticis est. Aperi mihi, &c. Respódit. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, &c. Vt sibi prospiceret, Deo non aperit. Ideo vos estis sal. Mementote vos ex vobis nihil habere: nã quidquid boni habetis, à Domino Deo est. Ideò ne obliuiscamini rerum diuinarum: sed potiùs vestra omnia propter Deum relinquite.

Non molestè ferêda prælati correptio.

¶ Quintò sal cum in vulnus coniicitur aut imponitur, prurítu suo vulnus acerbat, etiam si eius sanitati vtilitatem afferat: parti tamen sanæ integræ carnis nõ nocet, nec vllam molestiam infert. Ità & eodem modo correptio doctrináque prælati, aut prædicatoris non molestat nec fatigat eum qui sanus & integer est, sed iniquum tantummodo. Maximum igitur est indicium te esse malum, quandoquidem de prædicatore murmuras & quereris, eo quòd te reprehendit. O maximum malum. Sunt in animis hominum vulnera infixa adeò corrupta & putrefacta vt salem reprehensionis non patiantur. *2. Tim. 4* Vnde Paulus. Instabunt tépora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, &c. A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Nolunt veritatem audire, nolunt reprehensionem ferre: sed tanquam illi de quibus Esaias ait. *Esa. 30* Dicite nobis placentia. Sed iam huiuscemodi tépus abiit, mundus enim in peius ruit indies: quare etiam si sal tibi molestiam inferat, tamen nihilominus vulneribus tuis est imponendus, quia & temporibus Christi mundus iã corruptus erat, vt diceret Christus. *Matth. 23* Væ vobis, qui estis sicut sepulchra dealbata, & *Matth. 3* Ioannes Baptista vocabat eos genimina viperarum. Nunc verò cùm multò corruptior sit, & deterior: quid vultis dicam vobis, &c. Murmuratis quia reprehensio vos macerat & dolorem infert, sed væ vobis. Sæpenumerò video, optiméque intelligo prædicatorum & religiosorum iniquos mores, vitámque iniustam, murmurationum vestrarum causam existere: quare ait Christus, cùm sal euanuerit ad nihilum valet vltra nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus & ita omnibus despectui sumus, omnésque de nobis detrahunt: sed væ vobis qui hoc facitis. Dominus loquitur per Esaiã. *Isai. 10* Assur virga furoris mei. Deus nos punit, linguarũ vestrarum flagello: sed væ Assur, sicut puluis, &c. Vos estis tanquam scopa, qua nos Deus mundificat: sed væ vobis qui detrahitis prælatis & religiosis, punie mini tanquam Assur, vt Deus hic per Esaiam dicit. Mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem: & subtus gloriam eius succensa ardebit, quasi combustio ignis suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum.

¶ Sextò sal saporem dat: nam olla bulliens sine sale insipida, coniecto sale benè cõdita & lauta redditur. Sic si paupertas amara subdito videatur, cõiice te in illam. Item si ieiunium aut pœnitentia subdito tuo insulsa apparet, coniice te in illã, & fac idem quod alios facere vis, in omnibus rebus omnes antecedens: vt subditi qui te anteire virtute & religione cõspexerint, primúmque labores omnes suscipere, ea quæ anteà amara iudicabant, dulcia deinceps reputét. Ita Ionas iussit se in mare cõiici, *Ionæ 1* tẽpestásque statim sedata est. Ministri Dei, vósque omnes qui munera diuina exercetis coniicite vos in istas laborum omnium vndas, cessabúntq; murmurationum & scandalorũ, quæ subditi vestri propter vestros malos mores capiũt, tempestates. Sed multa sunt in Hispania sine sale salina: quãplurimę ecclesiæ sine rectore. Quærit vidua episcopum, vt egestatẽ suam exponat, remediúmque aliquod sibi imploret, & non inuenit: est enim in aula, aut alibi, & non adest, vt miserorũ necessitatibus subueniat. Quod si eũ inuenit, nõ salsum, aut facilẽ, sed adeò insipidum: acerbum, & superbum, eum esse experitur, tam difficilibúsque moribus, vt coram eo toto corpore contremiscat, nedum aliquid auxilij consequatur. Hoc est maximum malũ: videlicet vt sal non saliat, idest, prælatus, officium suũ saporem tribuendi nõ præstet: atque ideo sequitur in cõtextu.

Non gaudendum propter peccatum prælatorum.

Si autem sal euanuerit, in quo condietur? Intellige in quo cõdietur ipse sal. Si subditus peccauerit, à prælato corripietur: verùm si prælatus peccauerit, quis corripiet illũ? quod remediũ habebit? Nullũ. Quare non debet referri illud in quo cõdietur ad cibum, sed ad ipsum salem. Ideo in Marco habetur quod *Mar. 9* dixit Christus. Habete in vobis sal. Videlicet vt vestrapte natura, vestróque marte & industria illum habeatis. Nemo enim illũ vobis dabit salẽ si peccaueritis, quẽadmodũ subdito peccanti: quia ille accipiet salẽ à pręlato, sed nõ pręlatus ab alio. Pastores salẽ seruãt ad curandas oues suas: prælatúsq; ad curandos subditos suos. Sed si pastor vel prælatus curatione indigent: quis eos curabit? Hoc valde consentaneum est ad illud quod in Ecclesiastico habetur. *Eccle. 12* Quis medebitur incantatori à serpente percusso? Si serpens mordere aliquem intenderit, ab incãtatore incãtabitur: sed si incãtator, antequam serpentem cantare possit, ab ea morsus fuerit, quis serpentẽ incantabit? O magnum malum & inauditum. Medicina iam venenum facta est, illísque qui nobis medicamenta adhibituri erant, ægrotant grauiter, penuriámque medicinarum & curationis patiuntur. & ab aliis curari indigent. Hinc verè dignoscitur & aperitur maxima quædam vulgi amẽtia & insania. Nam si vident homines episcopum, monachum, aut clericum in aliquod crimen incidisse, quod scandali causam dederit, lætantur, fabellámque ad inuicem, inter se, religionibus illudentes commemorant, tanta perfusi lætitia, ac si maximũ aliquod gaudium memorarent, iustiori de causa susceptum. Insani quæso dicite, si hæc ciuitas corrupto aëris spiraculo (quod dominus auertat) laboraret, omnésque tabifica cõtagione tacti iaceretis semianimes: non molestè ferretis, mirúmque in modum doleretis, si vestras ad aures perueniret, medicos & chirurgos, in quibus solis omnium vestrum salus supererat, grauiter ægrotare? Quare ergo in infirmitate sacerdotum & religiosorum tantopere lætamini, qui medici sunt spirituales animarũ vestrarum, cùm aduersa animæ laboratis valetudine? Si saperetis, cùm aliquod audiretis sacerdotis peccatum, lachrymas guttatim deberetis effundere: omne enim illius malum & incommodum in vestrum damnum & præiudicium recidit: Maximum est incommodum, & quod siccis oculis spectari non potest. Locus omnis est serpentum plenus, omnibus incantatoribus qui eas incãtare debuerant, morsi manus curationi adhibere non possunt, prælati & religiosi, qui mederi populi flagitiis multò maioribus criminibus obruti viuunt. Scholasticus qui scientiarum expers est multa audiendo & legẽdo, quotidianásque prælectiones in scholarũ gymnasiis, discens, doctus & peritus omnium facultatũ

euadere

euadere poterit. Verùm qui posteaquam doctoris gradum attingit adhuc ignarus est, eorum quæ tandiu inculcauit: quid remedij vt ea calleat, habebit nihil. Nam doctor creatus non poterit quasi scholasticus lectionibus interesse: & ita semper erit inscius. Eodem modo subditum iniquum prælatus corriget, vitamque eius emendatam reddet: verùm prælatus improbus cũ à nemine corrigi posit, semper in improbitate sua manebit.

¶ Obserua autem quòd non dixit si sal computruerit, aut humectatum fuerit, sed si sal euanuerit, aut insanierit: quia grãde periculũ salis est a vanitate aut insania. Cum enim prælati in gradu sint excelso & videant se esse doctores populi & magistros, ipsa eos celsitudo vanos reddit, ipsaque sua sciẽtia inflatos, & vanos, & fatuos, natura dignitatis loci homines vanos facere solent. Exemplum habemus in Lucifero, Pharaone, Nabuchodonosore, Saule, & Aman: cui gratia regis Assueri euanuit, in aliisque multis. Scientia etiam (vt Paulus dicit) inflat. *1.Cor.8* Graue ergo periculum est si sal infatuatur. Sed nunc quid aliud videmus, nisi prælatos elatissimos & arrogantissimos? Hoc autem malum eò grauiùs est, quòd putant ipsi bonum & licitum esse atque expediens, propter authoritatem & decentiam status: atque ideo irreparabile malũ, quia videtur eis ipsa sæculi altitudo, & elatio, necessaria esse pontificiæ dignitati. Quomodo ergo medebimur malo illi ꝙ qui habet malum credit se habere bonum? Insanus medici manus renuit, quia cùm insanus sit, sanum se esse putat, itaque nunquam curatur. Prædicatores his nunquam prosunt reprehensionibus suis, quia cùm se literis præditos existiment, officiũque suum iugiter præstare, si forte reprehenduntur in aliqua re, queruntur, & in prædicatores tam hi, quàm improbi clerici & episcopi audaciter inuehuntur. Ego quidem mallem in deserto viperis, & scorpiis prædicare, quàm huiusmodi hominibus, qui cùm vitam non emẽdent, persecutionibus suis, prædicatorum doctrinam eleuant, fructũq; impediunt, in aliorum animabus faciendum. Primo libro Esdræ habetur *1.Esdr.7* quod Artaxerxes rex præcepit procuratori domus suæ vt daret ex thesauro suo Esdræ sacerdoti quantitatem quandam argenti, olei, tritici, sed sal præcepit ei vt daretur absque mensura. Sic prælati famulos, argentum, cibum, omniáque parcè & moderatè impendere debent: salem verò sine mensura. Exemplum bonæ vitæ, doctrina, & prædicatio effusissimè, sine vlláque mensura insumi debent: eorum enim debet esse maxima vbertas & abundantia apud prælatos. Verùm nunc multò aliter fit, apparatus, famulorum, equorum dapum & conuiuiorum, nimium, sine ordine, sine limitatione, sine mensura, aut delectu: doctrinæ verò sanctorumque sermonum parum, multa parsimonia, & limitatione, adeo vt non paucis in locis sacra concio semel in anno tantummodo populo exhibeatur. Præcipiebat Deus vt qui in aliquam seruam deperiret, eam *Deut.21* vxorem ducturus, vestẽ illi detraheret, vnguésque, & capillos raderet. Sic & eodẽ modo & tu, vt cum ecclesia vero matrimonio copuleris, quæ de serua Christi redemptione libera effecta est: aduerte te esse episcopum, vt ei vngues, & capillos omniaque superflua, aurum, argentum & famulos, vestes, apparatus & vanitates eripias, eámque nudã in vxorem accipias. Quanquam nunc nemo iam ecclesiam cõcupiscit, sed reddituum, auri, & argenti, & vestimentorum concurrentium causa: quare tam pauci modo pij, sanctique prælati in ecclesia Dei reperiuntur. Hi igitur insani tanquam sal infatuatus & euanescens nullo remedio, in infirmitate sua, & insania curari possunt. Quid igitur de his fiet, quid boni huiusmodi prælatus aut doctor ex sese præstare poterit? Audi Dominum. *Nec in terram nec in sterquilinium vtile est, sed foras mittetur.* Vinum si corrumpatur acetum fiet, ex veste bombicina attrita calcei fabricantur. Equus mancus cisternæ rotæ alligatur, vtiléque præstat ministerium, quin etiam & mortui corium vtile est: Elephantorúmque ossa conducunt. Verùm sal posteaquàm corruptus est prorsus inutilis redditur, & ad nihilum valet. Nihil est inutilius minorísque momenti, quàm sal corruptus & euanescens: ita nihil est deterius aut inutilius malo prælato. Non mihi satis perspicuum est, quæ causa sit, vt talis prælatus à terra sustineatur, in Deóque patientiam inueniat. Si subditus malus est, vnica tantummodo anima deperit, verùm si prælatus est malus, ipse cum aliis quamplurimis, qui malo eius exemplo scandalizantur intereunt. Quare nihil est deterius improbo prælato, aut inutilius. Si quinquaginta suum terga forte comparaueris, tribus item salis, ad ea salienda simul emptis modiis, & acciderit salem non rectè naturam suam in illis saliendis ostendere, vt salis defectu corrumpantur, & in sterquilinium mittantur, quæro, quid amissum est? non saliente sale? Facta est tantummodo iactura trium aut quatuor aureorum, quibus sal emptus est? minime, multo enim maior fuit iactura. Corrupta enim sunt, quinquaginta terga suum, quæ plus centum aureis emuntur. Ita prælato malo existente plura amittuntur, quàm si tantummodo prælatus sui iacturam faceret: nam quòd subditos suos à corruptione non præseruauit bonis exemplis & moribus, ipse in infernum descendet mille animas secum damnatas ducens: vt eum in pœna sequantur ducem, quem in vitiis malísque moribus prælatum imitati sunt. Quare aduertẽdum est quòd eodem modo, quo episcopi arrogantes & superbi maxima famulorum caterua stipante, vicatim incedunt, in infernum nihilo minori turba insequente damnatorum qui ignoranter, & ex defectu doctrinæ peccauerunt, mittentur: sequentibus cognatis, viciosissimis, quibus multa dum viuerent indignis beneficia ecclesiastica abutenda permiserunt: mulierculísque inopiæ reíque familiaris penuria, quæ se prostituerunt, cum à prælatis illis negligentissimis sustentari in virtute & pudicitia, earũ egestate subleuata possent, &c. Maxima igitur turba huiusmodi prælatos comitabitur. Attende igitur quod teneris multarum animarum rationem reddere aliósque vitæ tuæ doctrina & exemplo salire, & meliores facere. Cũ ergo hoc ita sit, quis est tam mentis inops, vt prælaturæ dignitatẽ concupiscat? Quis est qui aliis imperare velit? Diuus Bernardus etsi sanctissimus esset, subditósque religiosissimos atq; optimos haberet, nihilominus tamen labores suos deplorabat dicens in quodã sermone de aduentu. Hei mihi quia vas sanguinis Christi mihi cõmissum est. Quid putas animas esse? pretium sanguinis Christi qui pro illis effusus est: & ita pretij inęstimabilis sunt. Si tibi forte darent vas vitreum Christi plenũ sanguine, in cruce fusi, propter nostrã omniũ salutem: nonnè illud summa diligentia custodires? nonnè illud maxima reuerentia seruares, totóque

Prælati deperdita vita causa damnationis multorum

Bern. sermo.1 aduentus.

Periculosus status prælatorum. corpore contremisceres ne aliqua gutta in terram decideret? Profectò illud in loco tutissimo cōstitueres quo nemo posset appropinquare. Attende igitur prælate, vas Christi sanguinis tibi esse commissum: non vitreum, sed carneū, fragile & corruptibile. Vas vitreū si à nemine tangatur, mille annos poterit durare. Attende igitur istas animas quæ sanguine Christi emptæ sunt, tibi cōmendari, quæ cum sint fragilibus vasis inclusæ adeò, vt nemine etiā tāgente nullo vulnere aut ictu suapte natura corrumpātur, maximum periculum tibi incumbit eas tue- *2. Cor. 4* ri. Paulus, Habemus thesaurum hūc in vasis fictilibus. Si ergo vitreum vas sanguine Christi plenum quod mille annos durare potest, tibi commissum tanta cura asseruares: quantò potiori iure summa diligentia eniti debes, vt tot animæ, tam futilibus vasis inclusæ nulla iactura custodiantur? Veruntamen quot sunt, qui impudentissimè, effusissimáque conscientia prælaturas suscipiunt, & administrant, non animaduertentes quàm astricta obligatione teneantur ad virtutem? Quis esset adeò insanus qui per aliquem montem transiens, pastorem videret verè sub vmbra recumbentem roboris aut quercus & ob illa minima voluptatis momēta cū illo vellet manere pastórque factus equitis habitū deponere non dubitaret? Pastorum vita admodum est *Gen. 31* laboriosa, quæ à Iacob, qui pastor erat depicta est. Die noctuque vrgebar gelu, somnus fugiebat ab oculis meis. Quamplurimi vt ab hominibus dominationis nomine appellentur, ob exiguásque mūdi delicias, officium pastoris laboriosissimum sibi cōparant: vide igitur qualem habeas obligationem: teneris enim esse omnibus aliis perfectior, eo quod omnes oculos in te conuersos habent, actionésque tuas obseruant: peccatáque hominum priuatorum & vulgarium sunt quasi quædam in pede aut manu nota, quæ facillimè occultari possunt. Prælatorum verò crimina tanquam stigmata ori inusta ab omnibus non conspici non possunt. Sed de his satis. Iam vltimum verbum huius capitis audiamus.

Qui habet aures audiendi audiat. Loquebatur Christus de prælatis ecclesiæ, qui ferè nunquam corriguntur, sed potiùs indignantur aduersus prædicatores, eos arguētes, ideo dicit, vt audiant. Rari enim sunt inter ipsos, qui quamuis habeant aures applicent illas ad audiendum verbum Dei, nam putant omnia scire, & quòd ab omnibus tanquam dij sunt adorandi. Ideo propter raritatem dicit, qui habet aures audiendi. Habent aures mentis, sed non ad audiendum Spiritus sancti vocem, vt faciant mandata eius. Sed iam nunc ad explanationem capitis decimiquinti accedamus.

CAPVT XV.

Perpendens D. Paulus causas quare Dominus noster Iesus Christus in tantam humilitatem & abiectionem in mundū venerit, potissimum ait fuisse remediū, salutémque omnium peccatorum. Christus (in- *1. Tim. 1* quit) Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere. Nam nisi Adamus peccasset, quanquàm Christus ad extollendā humanitatem, illámque præmio prædestinationis æternæ beandā nihilominus erat venturus, & vt operibus nostris vigorem daret: tamen in carne passibili non descendisset nec tanta abiectione, variis frigoris, sitis, inediæ, æstus, & mortis aliorúmque incommodorum suppliciis obnoxius. Omnes enim hi labores, quibus Christus dū viueret est affectus, medicinæ præsentissimáque plagarum & peccatorum nostrorum fomenta, extiterunt: quòd si nulla fuissent peccata, opus non esset, vt Christus tantis miseriis se subiiceret. Vnde beatus Augustinus. Tolle morbos, & tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ. Et ideò quia homo peccauerat, expediebat, vt Christus quasi medicus, malorúmque nostrorum reparator descenderet. Et ideò ait ipse. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Et iterum. Venit filius hominis saluum facere quod perierat. Esaias quoque de Messia prophetans ait. Ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederetur contritis corde. Quæ verba in superioribus Euāgelista noster Lucas narrat, quod de seipso fuerant pronunciata. Hoc erat Christi officium, quod Christus exercebat, & ad quod exercendum in mundum venit. Accedit enim ad paralyticum, ante omniáque illi dixit, Remittūtor tibi peccata tua. Magdalenæ etiā dixit, Remittuntur tibi peccata tua. Etiam paralytico, qui erat in piscina, mulieríque adulteræ, aliísque quamplurimis confirmauit. Vidētes igitur publicani & peccatores maximum, quod ex diuina Saluatoris nostri prædicatione commodum perciperent, illáque regalia præcordia quibus omnes peccatores suscipiebat, considerantes eximiámque benignitatem, & amorem, quo medicus ille cœlestis infirmitatibus medebatur, peccatáque remittebat, allecti, ad ductíque tanta bonitate, suauitate & dulcedine, cū quocunque iret insequebātur: vt in salutis veræ via dirigerētur. Hoc est, quod sanctus noster Euangelista ait. *Erant autem ei appropinquantes publicani & peccatores.* Cum taurus carcere, quo detinetur solutus in forum, vel in arenam vi maxima erūpit, nemo propius accedere audet: qui verò prope taurum sunt retorquente tauro caput, statim maximo territi pauore fugiunt, in vallum, seu quæcunque alia receptacula se coniiciunt, vt vim incessentis tauri deuitare possint. Verùm si posteà taurus currui fortiter astringatur vel iugo subiiciatur, quilibet impunè, cominus accedit, vt vel etiā puer cornu audeat tenere. Hoc igitur modo in lege veteri nemo Deo appropinquare audebat: nam quasi taurus ferus temere accedentem interficiebat. Accessit ad Deum Oza, arcámque tetigit, statímque interiit. Accessit Ozias indebitè, & leprosus factus est. Accesserunt etiam Nadab, & Abiu, filij Aaron, offerentes ignem alienum: & statim mortui sunt in cornibus tauri. Et cùm Deus voluit legē dare populo Israël, dixit Moses populo ex parte Dei. Cauete nè ascendatis in montem, neque tāgatis fines eius: omnis qui tetigerit montem morte morietur. Quare non modo proximè accedere non audebant: sed nec etiam vno interposito milliario: nam sicut taurus ferus appropinquantes interficiebat. Ideóque Dauid dicebat in Psalmo, Deus vltionum Deus: Deus vltionum liberè egit. Verū posteàquam amore victus se humanitati tradidit, naturæque humanæ iugum subiit, hominum charitate deuinctus, tanquam agnus mansuetus factus est, adeò vt publicanos, peccatores, meretrices, latrones, claudos, cæcos, & paralyticos, leprosos & médicos, cæterámque miserorum hominum turbam facillimo animo accipiat, summóque amore complectatur. Ita omnes in illo misericordiarum parente auxiliū, & solatium inueniūt. O beata fæliciáque tempora. Quis hoc audire potest, cui non præcordia desiderio

Aug. ser. 9. de verbis Apost. *Mat. 9* *Luc. 9* *Esai. 61* *Luc. 4* *Matth. 9* *Luc. 7* *Ioan. 5* *Ioan. 8* *2. Reg. 6* *2. Par. 26* *Leui. 10* *Exod. 19* *Psal. 93*

rio labefactentur? Quis est adeò durus, vt non tanta bonitate & pietate & misericordia domini emolliatur? Neminẽ filius Dei reiicit, nullius plagæ aut miseriæ illi nauseam mouere possunt: sed cùm sit summa bonitas & munditia, facili, alacríque vultu, luxuriosos, abominabiles, & turpes peccatores accipit, qui ab eo nõ modo morte aut aliquo supplicio non afficiuntur, verùm vitam consequuntur. Anteà in veteri lege nemo audebat appropinqua-

Gene.3 re. Adamus se abscondit & cùm audiuit vocẽ eius fugit: hi autem cum multo sint maiores peccatores audita filij Dei voce non modo non se abscõdunt, sed potius appropinquant, vt audiant illum.

Gene.8 *Gene.19* Nullum confugium reliquit Deus miseris peccatoribus tẽpore diluuij, nec Sodomitis. Pharao etiã

Exod.14 rex Aegypti ita cũ omni exercitu suo aquis maris interclusus fuit, vt nec retrò, nec antè vllũ remediũ inuenerit, quo effugere posset interitum Nunc verò tantum habent asylum & confugium peccatores: quia idem Christus refugium & defensio, medicina, & venia, peccatorum Vide nunc illum ante

Iob 26 quem omnes angeli tremore corripiuntur, uno ad

Phil.2 cuius nutũ columnæ cœli cõtremiscunt, quomodo in tãtum se humiliauerit, vt sublimẽ suã maiestatẽ, seuerámque iustitiã deposuerit, vt etiã publicani,

2.Reg.22 & peccatores ad eum accedere ausi sint. Vide etiam quomodo sicut ad Dauid cõuenerũt omnes olim, qui erãt in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps: sic omnes miserabiles conuenerunt nunc ad Christum, quem videbis vndique circumseptum gentibus miseris, qui factus est eorum princeps, defensio & confugium. Videbant benignitatem illam qua illos accipiebat, illámque familiarem conuersationem Christi considerantes, animosiores & alacriores reddebantur, vt eum quærerent Qui perdices aut coturnices venari intendunt, ilicem earum simulant. Eodem modo Christus cum publicanis & peccatoribus manducans & conuersans illos ea consuetudine quasi quodam ilice Deo venabatur. Quando aliquis princeps venatum procedit, & vel aprum, vel ceruum, aut feram qualemcunque capere vult: cum suis vniuersum montem circũsidet, & vnusquisque separatim suo in tramite locatur,

Christus venator animarũ. qua feram transituram existimat: at dominus locum capit communiorem, quem feris frequentissimum transeuntibus esse existimat, vt cùm transire feram eò senserit, propria manu interficiat. Nõ aliter peccatores huius mundi saltus pererrant, prorsus ab omni intellectu alienati, non intuentes pericula quamplurima nonmodo in altero sæculo sibi parata: sed etiam in hoc ante oculos proposita beluinas libidines suas insectãtur vsum rationis obliti, non vt homines, sed vt bestiæ, sensualitati toto pectore, totísque viribus suis dediti. Descendit Christus Dominus noster gloriæ Rex, à summa cœlorum sede in terram vt peccatores venetur: & ne venanda terreat animalia, colore campi induitur.

Phil.2 Nam vt ait Apostolus venit in similitudinem carnis peccati, & habitu inuentus, vt homo. Venit in habitu peccatoris, & forma peccatoris, ne ab eo fugiãt peccatores. Et quia sunt quamplurimi, operibus pietatis & misericordiæ dediti, cõstituit Do-

Genes.18 minus in quadam statione seu limite Abrahamum quendam, qui eos venetur: est enim huiusmodi venator talibus feris capiendis aptior, qui eò perue-nientes eleemosynis piisque operibus saluentur. Præterea quia sunt nonnulli ieiunatores, pœnitentes, amatorésque solitudinis, in alia statione Ioannem Baptistam locat, vt pœnitẽtia sua & cilicio illius generis peccatores lucretur. Ita circumcirca vniuersum mõtem aliis quamplurimis famulis obsedit, qui pro diuersitate locorum, ingeniorúmque suorum & virium variis modis virtuti operam nauantes, variis moribus homines caperent, vt vnusquisque iuxta naturã suam faciliùs saluaretur. Sed princeps Christus Iesus frequentissimo in loco sedet, quo plures feræ deueniunt, homines scilicet, qui dum in huius vitę saltibus lustrísque vagantur, non iniuria ferarum nomen sortiuntur. Sedet igitur dominus, excubatque in illa frequẽtissima statione, mediocritatis videlicet: nam nec Ioannis Baptistæ austeritatem viuendi in exterioribus actionibus corporis delegit, quia in deserto plusquã quadraginta diebus non est moratus: nec nimiam aliorum sanctorum hominum mollem & delicatã nimis vrbanitatem admisit: sed agens, conuersansque cum peccatoribus cum illis discũbebat, & ambulabat, vt eorum animas Deo lucraretur. Hæc est causa quare doctores dicũt, Christum communiorem vitam elegisse, videlicet vt plures peccatores venaretur doctrinæ suæ facilitate. Nam si D. Paulus dicebat, omnia factus sum omnibus, vt omnes *1.Corint.9* ad me traham: quantò meliùs hoc præstare posset Christus? posuit se in loco communi, & in statione, qua plurimæ feræ transire solebant: & ita eum videbis circunseptum vndique publicanis & peccatoribus, qui ad eius sibilum & ilicem concurrentes in manus illius incidunt: & ita interficit dominus in illis omne id quod est mundus, aut caro, aut peccatum, vt Christo viuant veram gratiæ vitam. Ex omnibus officiis nullum maiorem patientiam postulat, quàm venatio. Opus est enim, vt patientiam habeas, nec te tędeat expectare quantumcunque feræ cessationem faciãt: nam si festinas tempúsque idoneum capiendi expectare nõ vis, nihil vnquam venabere. Si perseueras, manésque expectãs donec fera irrumpat cum minimè putes, tenebitur fera, cum tu iam tædio affectus desperare venationem cœperis. Quæ lingua satis explicare posset Dei patientiam, qua conuersionem peccatoris expectat, vnum aut alterum annum, tertium aut etiam plures clamans, vocans inspirans, diuersísque modis aliis peccatores ad se alliciens? Immensa est igitur Dei patiẽtia, qua erga homines vtitur. Nullus venator est, qui diutiùs venando expectet, quàm Christus peccatores expectat. An diuitias bonitatis *Rom.2* eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Diuitias vocat Paulus, quia cùm tanta mala quotidie faciant peccatores, solem suum oriri facit super bonos & malos: & patienter sustinet, & blandiens multa bona largitur, vt ad pœnitentiam per beneficia prouocet. Diues est & longanimis: quia ad pœnitentiam expectat per multa tempora. Tertullianus librum de Dei patientia elegantissimum scribit, vbi monstrat nihil in eo diuinius aut mirabilius, quàm cùm facta mortalium improborum tolerat, ac miseretur.

¶ Videntes itaque publicani & peccatores hanc

Peccatum nos elõgat à Deo. benignitatem, erant ei appropinquantes. Appropinquemus etiam & nos ad Christum, horum exẽplo, qui tã lõge recessimus ab eo per peccata, sicut admonet Esaias dicens, *Esa.55* Quærite dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. Iacobus quoque Apostolus *Iaco.4* hoc idẽ suadet dicens, Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Quæ res magno indicio est quòd peccata lõge nos à Deo abducunt: quemadmodum Dauid dixit, *Psal.118* Longe à peccatoribus salus. Esaias etiã, *Esa.59* Iniquitates nostræ diuiserunt inter nos & Deum nostrum. Et Paulus *Ephe.2* ad gentes. Aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Verùm qui longè sumus per peccatum, appropinquabimus ei per dilectionem. Duo extrema sunt, inter se maxime distantia, quorum alterũ Deus est, alterum tu: voluntásque media inter vtrumque sedet. Vnde quò magis ad Deũ accedit, eò magis à nobis recedit. & quò magis nobis appropinquat, tanto longiùs à nobis separatur. Quare tantum hæc voluntas ad Deũ accedere potest, vt nos omnino deserat. Rursus tantum ad nos approximari potest, vt prorsus Deum derelinquat. *Galat.2* Tantum accesserat Apostoli volũtas & animus ad Deum, tàmque ab se recesserat, & abalienata erat, vt dixerit, Viuo ego, iam non ego. Homines sancti quia valde Deum amabant, Deó que erant admodum propinqui, longè à se erant: suique obliti, & negligentes, rapti, & eleuati in Deum viuebãt. Sed quoniam mundus eos alienatos esse videbat, & in omnibus externis actionibus sui quasi mortuos, illos insanos iudicabat, vt Apostolus de se & sociis *1.Cor.4* suis ait. Nos stulti propter Christum, vos autem sapientes, &c. Quantò quis magis Deum diligit, tanto minus seipsum amat: & quantò magis se amat, tanto minus Deum diligat necesse est. Quare non pauci sunt peccatores qui ob id, quod voluntatem suam nimis ad se trahunt, funditus in Dei contemptum, sacrarúmque concionum odium incidunt, vt ne quidem vllum de Deo verbum audire velint, *Prouer.8* iuxta illud, Peccator cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit. Hi duo amores sunt illi de *Aug.libr.14 ciui.ca.28* quibus Augustinus ait. Duo amores fecerunt duas ciuitates: amor Dei vsque ad contẽptũ sui, & amor sui vsque ad contemptum Dei. Cum autem amor pedes animæ sint, vt idẽ Augustinus innuit, inquiẽs *Aug.lib.11. ciui.cap.28* Amore feror quocunque feror: si Deum amaueris magis quàm teipsum, propiùs ad Deum accedes.

¶ Accede igitur ad Deum, nõ gressibus corporis, sed mentis: illũ super omnia diligendo. Sic qui non est calidus per charitatem Deo appropinquare non potest. Impius autẽ sicut fluuius, quia quãtò magis recedit à fonte, à quo exiit, tantò magis appropinquat ad mare: sic fluxibiles & deliciosi, quantò plus fluunt viuendo, tantò plus recedunt à Deo fonte viuo & vero, appropinquãtes ad amaritudinem æternam, ita vt eis verè dicatur, *Psal.106* Appropinquauerunt ad portas mortis. Nos verò appropinquemus ei per dilectionẽ, vt ipse appropinquet nobis per suam gratiam. Qui ægrotus est, festinet ad Christum, is enim verus animarum est medicus. *Ioan.4* Si quis sitit & æstu premitur, currat ad Christũ: qui fons est aquæ salientis ad vitã æternam. Qui infirmus & debilis est, ad Christũ veniat, quia lux mundi est. *Ioan.8* Qui famelicus est, ad Christum currat: quia viuus est & substãtialis panis, per quem animæ nostræ ab æterna morte liberãtur. Appropinquemus itaque Deo per amorem & Deus appropinquabit nobis per amorem reciprocum, iuxta illud quod in Prouerbiis dicit. *Prou.8* Ego diligẽtes me diligo. Ferrũ enim quandiu est frigidum nõ potest cum alio vniri, nec ad id perfectè appropinquare: sed quando est calidũ, facilè potest. Sic nec homo frigidus per odium vel malitiã appropinquare potest Deo: sed benè calidus per dilectionem. Sic enim beatus Augustinus dicit, super Psalmos, *Augu super Psal.144* quòd Deo qui vbiq; est, neque per loca appropinquamus, nec ab illo per loca remouemur. Appropinquare illi est similẽ ei fieri, recedere ab illo est dissimilem fieri, fit autẽ homo magis similis Deo per dilectionẽ. Sic isti publicani & peccatores appropinquabant ad Iesum, pharisæi verò & scribæ longe distabant. ¶ Appropinquemus etiã Deo per pœnitentiam, vt Deus appropinquet nobis per gratiã: iuxta illud: *Matth.3* Pœnitẽtiã agite, appropinquabit regnum cœlorum. Si accesseris ad imaginẽ in speculo, accedet ad te: si recesseris, elongabitur. Sic etiã est de Deo, qui est speculum sine macula. *Sap.7* Sicut enim nauis quantò magis accedit ad littus fluminis, tanto magis littus ei propinquum fit: sic quanto magis peccator accedit ad Deum per pœnitentiam, tantò magis Deus cum sit immobilis, fit ei propinquus. Sic isti publicani & peccatores Iesum quærebant pœnitentes, & ei appropinquabant: non tantum illum gressu corporis sequentes, sed etiam per pœnitentiam, & dilectionẽ appropinquantes.

¶ Porrò isti publicani qui fuerint, iam sæpè diximus, quòd erant illi, qui publica vectigalia colligebãt. *Glossa ordina.in hoc loco* Veluti cõductores, portitores, publicani, quæstores & alij similes regum ministri, qui cõmuniter apud populũ infames & abiecti reputabantur Nõ quod omnino hæc ministeria de se sint illicita (vetitum enim non est, conducere, aut recuperare, vel colligere regia vectigalia) sed quia, vt plurimũ qui in huiusmodi negotiationibus versantur, homines sunt tyranni, crassæque conscientiæ: vnde ea munera & officia quæ de se illicita nõ sunt, malitia eorũ, qui ea obtinent, infamia reddũtur. Vide igitur, quomodo debeas optimũ vitę cursum tenere, officiúmque tuum iustè administrare: ne infamia tua officiũ tuum inhonestes, & infames. Verùm tu, qui prælatus, monachus, aut clericus es, malo viuendi exemplo inhonestas & infamas officiũ perfectiõis quod habes. Nullus est status quantumuis sanctus & perfectus sit, cuius autoritas non magna ex parte minuatur si hominibus malè moratis sit cõmissus. Quis est status christianismi dignitate altior? Hic tamen impunè ab Ethnicis & infidelibus ob malam chistianorum vitam & mores vituperatur & contemnitur, nam vt Diuus Chrysostomus ait, *Chry.homil.10 in oper.imper. Matth.* videntes mala opera christianorũ infideles blasphemantes dicunt. Qualis est Deus christianorum, nunquã sustineret eos, qui talia agunt, nisi consentiret malis actibus eorum. Vnde Apostolus ait, *Rom.2* Nomẽ Dei blasphematur per vos inter gẽtes. Corinthios quoque admonet dicens, *2.Cor.6* Adiuuantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: &c. nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Ne impiè viuatis, ne vestra vitæ impietate santissimum christianismum infametis: ansámque infidelibus præbeatis, vt christianos parui faciant. Quapropter Neemias Iudæos reprehendens ait, *Neem.5* Quare non in timore Dei ambulatis, ne exprobretur vobis à gentibus inimicis nostris? Lege D. Augustinum super illud Psalmi, *August.super Psal.25.* In Ecclesiis

clesiis benedicam te Domine. Itaque ministeria, publicisque magistratus reipub. olim infames, & abiecti reputabantur, eò quòd ab iniquis hominibus gerebantur: vnde etiam publicani infames & peccatores putabantur. Hi tamen aliiq; huiusmodi homines licet maximis criminibus immersi essent, moti & inuitati Christi doctrina, proprias domos familiásque deserentes Christum quærebant, vt Christo in omnibus auscultarent. Ideo de istis publicanis & peccatoribus qui Christo appropinquabant, subdit Euangelista.

Vt audirent illum. Verbū Christi traxit illos, sicut pisces capiuntur hamo. Hoc primum argumétum est diuinæ gratiæ, quòd peccatores sua gratia præuenit, & vocat, & etiam trahit dum adhuc in peccato sunt, imo certissimū signum diuinæ gratiæ est, quod nondum cessat nos verbo suo vocare & trahere. Non igitur vlli peccatorū desperádum quandiu adhuc nos vocat Deus, nisi enim misereri nostri vellet, non vocaret nos & traheret verbo suo.

¶ Obserua autem, quòd non omnes quærunt
Matth.26 Christum, vt cupiant ab eo discere, & audire, sed sicut Iudas appropinquauit, vt osculo traderet il-
Mat.22 lum, sic multi appropinquant ad Christum, non vt discant, sed vt tradant: & sicut Iudæi, qui sæpè accedebant ad Christum, nō vt audirent & discerēt ab eo, sed vt caperēt eum in sermone. Isti autem recta intentione audiebāt verbum eius, & ideò conuer-
Ephe.6 tebantur. Docemur simplici oculo accedere ad audiendum sermonem: nam sicut gladius rectus non intrat in vaginā curuam, sic gladius verbi Dei penetrabilior omni gladio ancipiti nō intrabit in ani-
Sapien.7 mam maleuolam, nec Dei sapientia habitabit in corpore subdito peccatis. Erat etiā Christi doctrina cibus suauissimus animæ maximæq; nutritionis, & accedebant isti sicut famelici ad porrigentē cibum. Ab eo enim nusquam recedebant pharisæorum murmurationes contemnentes, quantoque magis Christum audiebant, maiori audiendi desiderio capiebantur. Hoc est enim maximum inter cibum animæ & corporis discrimen: nam cibum corporis cum esurimus optamus, postea verò quàm satiati sumus fastidimus: at cibus animæ cum semper satiet nunquam fastidium parit, & quòd diutiùs sumitur & frequentius, suauior & delectabilior est.

¶ Obserua etiam quàm efficax fuerit Christi sermo, quo tanti ac tales peccatores adducti sint in veram vitæ emendam, morúmque correctionem. Bonum testimonium dederunt de hoc, illi qui di-
Ioan.7 cebant, Nunquam sic locutus est homo. Et rursus
Ioan.6 ille qui ait, Quo ibimus? verba vitæ habes. Hinc
Hierem.23 Dominus ipse per Hieremiam loquitur dicens, Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras? Sed vnum hîc maximè aduertendum esse censeo. Nam cùm verba Christi tam egregius, tamq; efficax essent animæ cibus, vt post se publicanos & peccatores traherent, nihilominus tamen pharisæi illis audiendis non conuertebantur, sed potiùs deteriores fiebant: de Christo, deque eius concionibus sacris murmurantes. Pharisæi & publicani omnes peccatores erant; hoc tamen intercedente discrimine, quod publicani publici, pharisæi verò occulti erant peccatores: nam exterius iusti ac sancti videbantur; cum intus inuidia, superbia, & ambitione essent pleni. Hi igitur, qui exteriori inspectu boni apparebāt, cùm interiùs essent impij, duriores ad conuersionem, tardioresque erant quàm qui palam erant improbi. Sic Di-
uus Augustinus ait, quòd etiamsi peccatum publi- Aug.tract.4. de conflictu
cum grauiùs sit secreto, facilius tamen publicum vitio.
quàm secretum curatur. Nam peccatoré occultum nemo admonet, nemo reprehendit: publicum prælati, prædicatores, multiq; alij accusant, donec eum aliis vitæ moribus immutatū videant, adeò vt non raro huiusmodi homines religiosissimum vitæ finem faciant. Exemplum habemus de hoc in Daui- 2. Reg.12 &
de, qui dum eius peccatum secretum fuit, pœniten- 13.
tiam nullam egit, postea verò quàm diuulgatum est, prophetæ Natham reprehensionibus ductus, pœnitentiam egit. Ideo misericors Deus sæpè permittit, vt occulta peccata publicentur: vt, peccator confusus, & erubescés, infamia & ignominia peccati ad eū conuertatur. Quapropter Dauid in Psal-
mo ait, Imple facies eorū ignominia, & quærēt no- Psal.8
men tuum. Mauult enim Deus vt cū paruo opinionis tuæ impendio salueris: quàm vt secretò cōcubinam habeas, & sub prætextu pudicitiæ apud homines viuens, posteà in infernum mittaris. Quot sunt qui credentes se omnem vitam suam secreta peccata sua habituros: posteà tamen criminibus publicatis & punitis, ipsi authores in carcerem coniecti ad Deum pœnitentes conuersi sunt? Pharisæi tanquam secreti peccatores in peccatis suis manebant: at publicani veluti publicè peccātes, ad audiendū Christi sermonem accurrūt, veluti præsentissimam animarum medicinam, omniumque in terra saluberri-
mam. Nec herba, nec malogranata sanauit eos: sed Sapien.16
sermo tuus, qui sanat vniuersa. Sed quid pharisæi?

Et murmurabant pharisæi & scribæ, dicentes.

Hinc vides quod multoties vt pauperculi sæculares & milites, qui vidētur esse longè à Deo, sunt multis ecclesiasticis viris meliores & perfectiores: & illi qui vidētur esse propè per sapientiā & dignitatem in ecclesia sint remotiores, quod est contra ordinē rerum naturalium. Corpora enim quæ magis appropinquant cœlo & soli, sunt nobiliora & clariora: vt patet de sphera ignis & superiori parte aëris, ad quæ caligines, turbines, & nubes nō ascendunt. Sic ecclesiastici, qui propinquiores sunt firmaméto ecclesiæ, & soli iustitiæ per dignitates ecclesiasticas qui deberēt esse cæteris meliores & clariores in moribus per veram scientiā & sapientiam aliquādo sunt peiores. Sunt enim multi similes istis scribis & pharisæis, similes Saturno, qui est planeta cœlo propinquissimus, atque ideò deberet cœli influentiam cæteris pleniùs participare: & tamen est planeta maleuolus, tardus, terreus, retrogradus, ponderosus, & pallidus. Veniebāt publicani & peccatores deuoti, vt Christum audirent, ecce isti scribæ & pharisæi maleuolentiæ & murmurationi se dedebant: qui secundum rectam rationē sanctiores & perfectiores esse debuerant.

¶ Obserua secundò quàm sint homines de rebus Virtuti inui-
arduis, magnísque agentes, linguis detractorum & dia comes.
murmuratorū subiecti. Vnde Diuus Hieronymus in secundo prologo super librum Iob inquit, Si fiscellam iunco texerem, aut palmarū folia cōplicarem, &c. Sed qui munera ardua exercent, multorū
detractionibus sunt obnoxij. Lege Augustinū. Sic August. de
reges, prælati, & magnates murmuratoribus subie- verbis super
cti sunt. Sic Christus habebat præstantissimū offi- Matth. ser.15
cium, videlicet peccata remittēdi, quod sublimius erat, quàm cœlum ac terram de nihilo creauisse: quomodo igitur effugere posset murmuratorum

linguas? Murmurabant igitur scribæ & pharisæi quia erát legis doctores aliiq; qui eximiam sanctitatem & perfectioné ostendebant: quorũ detractio nó parui faciéda erat. Nam cum detractores ignari & imperiti sunt, pro nihilo est ducéda eorũ reprehensio, nam ineptus, si dicas Deum esse trinum & vnũ, autumat te in aliquá hæresim esse delapsum: quare nihil æstimáda est ineptorum murmuratio. Nec magis debes æstimare si tibi detrahant homines impij: verba enim hominum iniustè viuentium nullam habét autoritatem, omnes enim qui illum audiunt, quæcunq; dicit ex effectu, nó iudicio dicere credunt. Veruntamen quando de te sapientes, & qui sancti putantur, murmurant timendũ est: cogũt enim vulgus, vt credat suæ sanctitati & opinioni, nam partim quod sapiétes & literati sunt, nota illos dicere credunt, partim quia sancti, homines qui iusti reputãtur, longè ab eorũ linguis malitiam & mendaciũ abesse opinátur. Quibus adiunctis adeò confirmata & corroborata redditur illorum detractio, vt omnes illorũ verba oraculo paria iudicent. Tales erant pharisæi & scribæ qui murmurabant contra Christum: nam pharisæi æstimabantur sancti, & scribæ erant viri in lege doctissimi. Sed quid murmurabant audiamus. Dicebant enim.

Hic peccatores recipit & manducat cum illis.

Peccatorum remissio summum fidei nostræ sacramentum.

Hoc autem quòd hi dicebant, vt Christum vituperarent, in maiorem gloriam & honorem Christi redundat: nam dum dicunt Christum peccatores benigniter recipere, saluatoris excellentiã innuunt: qui neminem quantumuis malum & peccatorem reiicit. Moses saluator fuit populi Israel, verùm nó tá perfectus, vt peccatores ad se reciperet: imo manum suam in mare tendens Dei inimicos in aquis rubri maris suffocauit. Prætereà cũ populum Israel vidit vitulum fabricasse ad orandum, rediens tabulas confregit, ingentémq; edidit in illos peccatores stragem. Item Iosue saluator fuit (hoc enim erat nomen eius & officium) sed occidit peccatores, qui erant in terra promissionis, & reges, qui possidebãt eam occidit: Acham etiam qui peccauit furãdo de anathemate Ierico lapidari iussit. Item hi duo iusti fouebant bonos, puniebãt malos. Sed fœlix beatúsque saluator noster Iesus Christus discipulos suos ita fouet & amplectitur, vt etiã peccatores recipiat nedum occidat. Inter omnia Christi mysteria, quæ fidem nostram extollunt, potissimum est illud arcanum quo peccatorum remissioné credimus, & quo speramus nos quantumuis peccatores piè & benigniter à Deo recipiédos. Quid enim prodessent nobis omnia quę credimus, nisi veniæ spé haberemus? Si iniquitates obseruaueris domine: domine, quis sustinebit? Sequitur. Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine. Vnde Beatus Augustinus in ea verba Pauli, Iustificati gratis, per gratiam ipsius: si Deus (inquit) non reciperet confugiétes ad se, esset in eo iniquitas. Si Deus peccatoribus non indulgeret, quid esset de Adam & Eua? quid de Aaron, Dauide, Petro, Paulo, Matthæo, & aliis innumerabilibus? Nullus istorũ regnũ cœlorũ intraret: & ex omni humano genere, Christus Dominus noster tantummodo, beatissimáque eius mater Virgo Maria, qui innocétes fuerunt saluarentur. Quid præterea prodesset sacramenta à Christo instituta: si illis veniam peccatorum nostrorum nó impetraremus? Nisi Deus nos reciperet, cũ ad Deum cõuertimur, multò peior esset viuentium hominum status quàm illorum mortuorum qui in inferno æternis suppliciis torquentur quantum ad hoc. Nam damnati in inferno, quanquam peccant non illis hoc imputatur in nouam pœná quemadmodum nobis peccantibus. Vnde nisi haberemus veniæ futuræ spem, eáq; prorsus, vt illi careremus, manifestum est conditioné nostram viuendi, multò fore quàm illorum deteriorem, miseriámq; nostram maiorem quàm damnatorum in inferno iacentium: quandoquidem maiori pœna esse digni in dies poteramus nullo consequendæ veniæ remedio relicto. Hic igitur est maximus honor & gloria Christi, vt videlicet remittat peccata, peccatorésque iustificet. Vnde in Psalmo habetur in persona peccatoris. Adiutor meus, & susceptor meus es tu. Quia non solùm Deus adiuuat peccatorem vocando, inspirando, auxilium exhibendo, vt à peccato surgat: sed etiam suscipit quem adiuuat. Audiui Domine quia misericors es, & promittis veniam peccatoribus, in hoc verbo, ego supersperaui: non tantum speraui sed supersperaui: quod non dicitur nisi de eo qui semper addit ad sperandum, & cum sperauerit aliquid iterũ sperat, & spe proficit, extendens se semper ad superiora. Hic est maximus Christi honor, quod sæpe & sæpesæpius recipiat peccatores ad se confugiétes: imo vnica nostra spe & fiducia est, quod Christus nullum peccatorem quanuis impium repellat. Omne inquit quod dat mihi Pater ad me veniet, & omne quod venit ad me nó eiiciã foras. O dulce & omni melle suauius verbũ hic peccatores recipit. Nã qui tot peccatis grauati sumus quotidie: quid solatij haberemus, si Christus tantũ reciperet iustos? Atqui nullum certius & clarius argumentum habere possumus gratiæ apud Deũ semper inueniendæ quàm hoc verbum, hic peccatores recipit. Si enim Deus recipit peccatores, benignus & misericors est, apud quem multa & magna misericordia necesse est vt sit. Et nisi Deus peccatores in gratiam reciperet, desperandum nobis foret sicut Dauid confitetur. Si iniquitates obseruaueris domine: domine quis sustinebit? O beata fœliciaque verba, vitæ consolationísque plena, hic peccatores recipit. Hæc me confirmant, hæc me solantur: & secundum peccatorum meorum multitudinem, iam desperarem, in infernóque essem, nisi horum verborum dulcedine confirmatus erigerer, & sustinerer, &c.

Peccatores recipere indiciũ erat Christũ fuisse Mesiã.

¶Obserua autẽ quòd sicut in initio capitis præcedentis cæpimus dicere, scribæ & pharisæi hoc dixerunt, vt sibi persuaderét Christũ non esse verum Mesiã. Mesias enim grauis magnæq; authoritatis esse debet, & cum hominibus honoratis versari: verùm hic peccatores recipit & mãducat cum illis, cũ hominibúsq; infamibus & humilibus agit, quæ omnia sanctitati authoritatísque Mesiæ derogant: ergo hic non est Mesias: quia peccatores recipit & manducat cum illis. Hoc arguméto probare volebant Christum nó esse verum Mesiam, cùm vtique eo ipso probetur esse Mesias: nam Esaias loquitur de Mesia. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo cõgregabit agnos, in sinu suo leuabit fœtas ipsas portabit. Nonne etiã Ezechiel de Mesia dixit, ipsum effusurũ super populũ suum aquã mũdam: & mũdaturum eos ab omnibus inquinamentis. Et in Hieremia Deus promisit tempore fœderis noui

Exo. 14 *Exo. 32* *Iosue 10* *Iosue 7* *Psal. 129* *Rom. 3* *Psal. 58* *Lege Ambr. Psal. 118 serm. 15.* *Ioan. 6* *Psal. 129* *Esa. 40* *Ezec. 37* *Hiere. 38*

noui quod per Meſsiam pacturus erat, propitiaturum ſe omnibus iniquitatibus noſtris. Et Michæas dixit Meſsiam depoſiturum iniquitates noſtras, & proiectur ũ in profundũ maris peccata noſtra. Dauid quoq; in Pſalmo fatetur, populum humilem ſe facturũ ſaluum: & oculos ſuperborũ humiliaturũ. Nonne etiã Zacharias dixit, in die illa fore fontem patentẽ domui Dauid, in ablutionẽ peccatorum? Dominus etiã per Eſaiam, Ego ſum (inquit) ego ſum: qui deleo iniquitates tuas propter me. Et alibi, Verè iniquitates noſtras ipſe tulit, & infirmitates noſtras ipſe portauit. Et quid multis opus eſt? Nihil prophetæ tam dilucidè denunciarũt de Chriſto ſeu Meſsia, quã quod peccatores ad gratiã promoturus eſſet, at phariſæi è cõtra noluerũt Chriſtũ pro Meſsia recipere, eo quod peccatores ad pœnitentiam vocabat, recipiebátq;. Sic excæcauit eos malitia & inuidia cõtra Chriſtũ, vt illum reſpuerẽt, ob illam cauſam qua illum maximè pro vero Meſsia agnouiſſe & recepiſſe debebãt. Itaq; impia eſt hæc murmuratio ex omni parte. Primò ex parte Chriſti iniuſta erat: quia Chriſtus faciebat opus ad quod miſſus fuerat à patre, videlicet quærere ſalutẽ hominũ peccatorũ. De hoc autẽ murmurare eſſet, ac ſi quis murmuraret cõtra ſolem, eo quod radios ſuos & calorẽ quibus omnia creſcunt, & fructificãt diffundit ſuper terrã, & ſi murmuraret quis de aliquo quia quærit opes ſuas perditas. Qui de aliquo murmuraret ea quæ amiſerat quærente nónne eſſet inſanus? Hi igitur peccatores cũ ſint res Chriſti familiares, creaturæq; ipſius quas in gloriam cœleſtem creauit Chriſtus eas perditas quærit, tanquã bona ſua: quare igitur murmuratis phariſæi? Nam ſi dicitis illos eſſe peccatores, eo ipſo debẽt maiori indulgentia & lenitate tractari. Ægrotus plus indiget deliciis quã ſanus, molliorí q; lecto ſuauioribúſque cibis: ita & eodem modo hi quia peccatores ſunt, & infirmi, ſunt molliùs & leniùs tractandi. Quòd ſi dicas infamiã eſſe cum infamibus agere, & Chriſtum cum illis agẽdo ſe perdere: hæc ratio parũ valet. Dominus enim noſter Chriſtus peccatorũ ſocietate, nõ modo nõ deprauaretur, verũ è contrario peccatores Chriſti ſocietate iuſti fierent. In cuius cõfirmationẽ animaduertite quam mutationẽ vitæ morúmq; ſuorũ fecerint Matthæus, Zachæus, Magdalena, Samaritana, Regulus, eo quod ad Chriſtum appropinquauerunt, eius doctrinæ obedientes. Qui imperfectus eſt, & in virtute nõdum conſummatus, rectè iudicat ſi malorũ conſuetudinem deuitet. Sic in Exodo habetur quod dixit Deus. Non inies fœdus cum eis, ne fortè peccare te faciãt in me. Hoc dixit Deus, quia Iudæi idololatriæ dediti erãt: vtpotè in Ægypto educati: quare volebat dominus ne amicitiam cum gentilibus vicinis ſuis haberẽt, ne idola colere adducerẽtur. Et ita dicunt ſancti quod primi qui populum Iſrael idola colere coëgerunt, & illum ad cõflandum & adorãdum vitulum cõpulerunt, fuerunt illi denuo cõuerſi qui cũ Iudæis ab Ægypto venerũt. Qui etiamſi ad verum Deum Iſrael cõuerſi eſſent miraculis mirabilibúſq; Dei inſpectis, quæ in Ægypto fecit, tamen quia à pueritia vſq; ſua, idolis ſeruierant, in idololatriáq; illa educati fuerãt, parua ſumpta occaſione in priſtinos mores recidebãt. De hoc optimum eſt exẽplum in collationibus Caſsianis. Chriſtus cum peccatoribus verſabatur, nullo incõmodo ob ſuam eximiam perfectionẽ, & quia miranda multa faciebat: ideo qui voluerit cũ iniquis verſari & nullo aſfici incõmodo ex eorum conſuetudine, opus eſt vt ſit eiuſmodi vir, qui miracula faciat, aut facere poſſit. Bonum eſt malorum conſuetudinẽ effugere, ne mali eorũ mores nobis officiãt. Verũ Chriſtus quia erat adeò perfectus, vt nõ modo nullum incõmodum caperet ex malorũ ſocietate: imo etiã illos bonos reddebat, maxima pietate & charitate perfungebatur cũ huiuſmodi peccatoribus agẽdo. Medicus ægrotũ tangẽs pulſatilémq; venã contrectãs faciliùs illum ſanare poteſt. Sol etiã per ſterquilinium tranſiens nõ coinquinatur. Sic Chriſtus cũ peccatoribus cõmunicans eos ſanat: & quaſi Sol inter illos verſatus nõ inquinatur. ¶ Prætereà ſi verũ vt eſt veriſsimũ quod Paulus ait, quòd Deus vult omnes homines ſaluos fieri, tenetur eos recipere veniẽtes ad ſe. omnes enim ad beatitudinẽ creauit, & etiam reprobos: quod ſi damnãtur, nõ Dei voluntate, ſed ex propria malicia, & volũtate mala danãtur. Figulus vaſa, quæ facit nõ ea facit, vt frangãtur, ſed vt homines illis vtãtur: nam etiamſi optimè ſcit, illa aliquãdo frangẽda: tamẽ eius intentũ eſt ea facere, vt homines eorũ vſum habeant. Sic Deus quãuis ſciuerit, Iudam eſſe dãnandum, nõ tamen creauit illũ ad gehennã, ſed ad beatitudinẽ: & voluit vt ſaluaretur, dãs illi omnia media neceſſaria ad ſalutẽ cõſequendã. Itaq; cũ Deus velit omnes homines ſaluos fieri tenetur eos recipere, quãuis ſint peccatores, quia illos creauit ad ſuã beatitudinẽ. Hos Chriſtus quærit: hos tantis itineribus, & laboribus fatigatos veſtigat, ad hoc de cœlo venit vt peccatores ſaluos faceret: quomodo veniẽtes ad ſe nõ recipiet?

¶ Ex parte etiam phariſæorum iniqua erat hæc murmuratio: quia nõ ex zelo iuſtitiæ mouebãtur, ſed ex odio & ex mala volũtate. In peccatore enim tria conſideranda ſunt videlicet, natura, peccatũ, & pœnitentia. Naturæ compatiendum eſt, peccatum odio habendum, & de pœnitentia gaudendum. Iſti verò hypocritæ neq; naturã neq; pœnitẽtiam conſiderabãt in peccatoribus, ſed ſolum peccatũ. Non meminerãt illos homines eſſe, nõ videbant, vt illi iam ſeſe corrigerent, & vitã in melius cõmutarent: ſed id ſolum quod peccabãt, reſpiciebant. Præterea iuſtos ſeipſos exiſtimabant, alios contẽnentes: contra quos ſcriptura ait, Dicis quod diues ſum & nullius egeo: & neſcis quod tu es miſer, & miſerabilis & pauper, & cæcus & nudus. Docet nos hoc murmur phariſæorũ ne quis ſuæ probitati fidat: ſecũdò ne peccatores contẽnamus. Quis enim ſcit ſi cõuertatur & viuat? Tu quis es, qui iudicas alienũ ſeruũ? Neminẽ contẽnas, neſcis enim quid Deus de proximo tuo ſtatuerit: quare neminẽ quantũuis iniuſtum deſpicere debes, neſcis enim quem ſit finẽ habiturus. Qui hodie malus eſt, cras bonus eſſe poteſt. Quis crederet latronẽ, qui omnem vitam ſuam prædando tranſegit, eum vitæ finem facturum, vt à Saluatore in gloriam perduci mereretur? Si annum ante interiiſſet, tam fœlicem finem amiſiſſet.

Quis aliquo in numero complurimos peccatores habendos cenſeret, aut putaret illos vnquam reuicturos, qui poſteà tamen ſanctiſsimi euaſerunt? Neminem alium contemnat, etſi peccator ſit, poteſt enim ſanctus euadere: manus enim Domini (vt Eſaias ait) non eſt abbreuiata. Ideo tu, nec intendere, nec velle debes, vt eius gratia exhauriatur, nec diuinã clemẽtiam vllo termino aut limite definiri. Si proximus tuus peccat, audi Apoſtolum dicẽtem.

Omnes

Mich. 7 · Pſal. 17 · Zach. 13 · Eſai. 43 · Eſai. 53 · Matth. 15 · Exo. 23 · Exod. 32 · Cola. 24. c. 8 · 1. Tim. 2 · Tria in peccatore ſpectanda. · Apo. 3 · Iac. 4 · Rom. 14 · Luc. 23 · Eſai. 59

1 Cor.10 Omnes alij aliorum membra sumus, & iuxta legem naturæ par est, vt membrum membro subueniat: quare potius compati, & misericordia moueri debes, quàm indignari, vt pharisæi isti indignabantur, vt ab omni sanctitate & virtute alieni.

¶ Docet tertiò locus iste pharisaicam fugere murmurationem. Quærebat egregius Psaltes dicés,
Psal.33 Quis est homo qui vult vitam, & diligit dies bonos? Et quia omnes hoc desiderant statim respódet dicens, Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Non fecit Deus linguam duram & osseam sed carneã & mollem. Voluit enim vt verba tua mollia & suauia, non aspera aut dura forent. Acerrimè puniuit Dominus murmuratores: adeo vt Mosi dixerit. Omnes qui murmurastis contra me, non habitabitis terram super quam le-
Num.14 uaui manum meam. Quare ex sexcentis millibus hominum qui de Ægypto exierunt, duo tantummodo ingressi sunt terram promissionis. Vnde secundum veritatem in terram cœlestem nobis promissam, nõ intrabunt murmuratores. Docet quartò locus iste quod quamuis peccator maximus sis, ne diffidas de eius misericordia, quandoquidem Deus peccatores suscipit.

Peccatores recipit Deus sed pœnitẽtes. ¶ Aduerte tamen quòd nõ omnes, sed illos tantum suscipit peccatores qui pœnitent. Pœnitentia enim sola est, per quam peccator in gratiam redit: quare si tibi placet, quod Christus peccatores suscipit, placeat etiam tibi quod pœnitentiam vult: imo scito quòd neminem suscipere volet nisi pœnitentiam agenté. Pœnitentes peccatores appropinquabant, tu auté manens in complacẽtia peccati, quotidie elongaris à Deo. Si fugis peccata, gaude, cum audis quòd Christus recipit peccatores, & manducat cum illis: magnam consolationem tibi afferre
Leui.7 debent hæc verba. Ideo habetur in Leuitico, quòd in loco vbi iugulabantur holocausta, ibi etiam fiebat hostia pro peccato. Vide quanta sit benignitas Dei quòd vbi holocaustũ iugulatur, illud quod soli Deo offertur: ibi etiã hostia pro peccato immolari iubetur. Vnde colligitur, quòd peccator pœnitens sociatur cum his quæ pertinent ad Deum: ibi enim immolatur hostia pro peccato, vbi offertur hostia Deo. Hinc videre poteris, quanta sit inter Deum, & contritũ peccatoré amicitia, & familiaritas. In suo sacrificio, sacrificiũ peccatoris est: quia cum peccatoribus Christus sedet & comedit. Sed si in peccatis manes: scito Christũ huiusmodi peccatores nõ recipere, sed in extremo iudicio illis di-
Matth.7 cet. Discedite à me qui operamini iniquitaté. Ideo
Luca 13 inferius ait, gaudium fiet in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, vt intelligas quòd cum istis fit gaudium: non autem cum obstinatis & induratis peccatoribus: sed iam ad contextum.

Et ait ad illos parabolam istam, dicens.

Vide Christi clementiam atque modestiam qua humiliter & modestè adoritur eos, & docet vt sanarentur: poterat enim eos vocare superbos, & quod ipsi erant peccatores & non publicani, qui quãuis fuerint anteà peccatores, iam per pœnitentiã erant conuersi, sed nõ vult nisi parabolarum ratione respõdere eis, & modestè loqui. Docemur hîc mites
Prou.15 & 25. esse cum aduersariis: nam vt inquit Sapiens, sermo mollis frangit iram. Parabola autem talis est.

Quis ex vobis homo qui habet cẽtum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nõne dimittet nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat donec inueniat eam?

Si pastor tanto amore prosequitur oues suas quas non creauit, quod illi plus curæ est de vna perdita, & errabunda, quàm nonaginta nouem incolumibus, maioríq; afficitur gaudio propter vnam ouem nouiter inuentã quàm propter totum gregẽ: quid murmuratis si ego qui natura bonus sum, solicitus sim, ne pereant oues amissæ? Nunquid pastor iugulat aut occidit ouem perditam? Certè nõ, imo lassatã, humeris suis imponit. Hoc auté malum esse, dicere nõ potestis, & quòd malè faciat pastor, ergo multò minus de me potestis murmurare, eò quòd oues perditas quæro, & recipio peccatores, & manduco, & gaudeo in eorum cõuersatione, cũ multò præstantiores sint animæ rationales quàm oues. Si ergo pro inuentione ouis perditæ gaudendum est, pro peccatore multo magis pœnitẽtiam agẽte. Et si de pastore oué trahente & gaudente nõ murmuratis: multò minus debetis murmurare contra me, qui peccatores recipio, & cũ illis cõuersor, & gaudeo. Hoc voluit Christus hac similitudine insinuare. Quapropter mirari satis nõ possum: quare adeò Greg. Homi. 34. in euang. delirauerint aliqui vt per nonaginta noué oues in literali sensu angelos intelligerẽt, & per oué perditam humanã naturam. Pharisæi murmurabãt, non quòd relictis angelis cũ hominibus Christus esset: sed quòd illos qui iusti esse videbantur secundum vulgi opinioné relinquebat, & cum publicanis & peccatoribus agebat. Ideóq; cõparatio hominum ad homines nõ angelorũ ad homines, esse debet. Sed quoniam Christus dixit nonaginta nouem, & hoc numero vtitur, sumpserunt hinc occasioné vt tantum absurdum dicerẽt: cõsiderantes, angelorum choros esse nouem. Quod auté Christus dicat, centum oues, nihil ampliùs habet mysterij quàm si dixisset quinquaginta, ducẽtas aut mille. Voluit pastor ille ostendere quãtum ouem illam diligeret: si quidem omnes aliàs deserebat, vt illam perditam quæreret. Quod autem sint centum aut ducẽtæ: parum ad rem facit. Dixit autem, centũ potiùs quàm alium numerum, quia grex centum ouium cõmunior est, quia plures sunt qui centum oues habeãt, viginti aut quinquaginta gregem nõ faciunt, mille autem pauci habẽt, quare centum potiùs quàm alium numerum posuit. ¶ Igitur in hac parabora Pastor Christus ouis genus humanũ. Christus est pastor, quia in ea pastori Christus se cõparat. Centum oues homines sunt, ouis amissa publicanos & peccatores repræsentat, nonaginta nouẽ scribas & pharisæos, nõ ꝙ essent iusti, sed quòd iusti à populo æstimabãtur, & etiam ipsi seipsos iustos putabãt. Quia hoc post pauca in hoc capite in expositione literali parabolæ filij prodigui dicturi sumus latiùs, nũc supersedeo. Si enim pastor tantũ ponit operæ pro vna oue perdita: mirum non est, si ego vos deseram vt hos peccatores quærã & recipiam, cum illísq; gaudeam. Christus itaque in hac parabola cõparat se pastori: officiũ pastoris est laborare, vt oué perditã quærat. Duo boni pastores fuerũt in veteri testamento Iacob, & Dauid. Iacob Gen.31 dixit, Die noctúq; gelu vrgebar, & somnus fugie- 1.Reg.17 bat ab oculis meis, &c. Dauid etiam dixit Sauli. Pascebat seruus tuus patris sui gregẽ, & veniebat leo vel vrsus, &c. Nam & leoné & vrsum interfeci ego seruus tuus: Verùm neuter horum duorum pastorum tantum enixus est, vt oues suas defenderet: quantũ Christus, qui vt eas protegeret ac tueretur vitam suam posuit. Aduerte etiam quãta diligentia Ioan.10 ouem perditam quærat. Exemplum sit tibi Iudas, quem

quem perditum dominus, vt ad gregem reduceret genibus flexis illi supplicare nō dubitauit, illiúsq;
Matth.26 pedes lauit,& osculatus est:& posteà dedit illi buccellam intinctam in agno manu sua: denique corpus & sanguinē suum illum vt alliceret ad se amicum vocans, tribuit. Tribus etiam diebus dum ab illis abfuit, videlicet ad inferos descēdit, illos omnes patri commendauit, dicens, Sancte pater serua
Ioan.17 illos. Et in cruce dixit, Dimitte illis. O bonum pa-
Lucæ 23 storem, dominū nostrum: quoties tu qui eius ouis es, intra pectus tuum sibilum vocationum inspirationúmque eius sentis, & non aduertis, neque auscultas. Sicut bonus pastor oues suas cohibet ne messes pascāt: sic dominus noster te prohibet a patratis malorū vetitis, animū tuum à peccatis auertens, eorúmque desiderio. Sæpenumero fundam rotat pastor, vt eius stridore oues terreat, sic Christus te terret vicini tui obitu. Aliquando etiam pastor, baculum in oues retorquet, vt eas ad veram viam, aut herbarum locum abundantiorem reducat: sic Christus tibi, vel vxorē, vel liberos, vel bona temporalia eripit, aut morbum tribulationémque infligit: vt ad veram salutis viam conuertaris. Omnes boni pastoris mores quos in Christo inue-
Ezec.34 nies à propheta Ezechièle describuntur dicente, Ego requiram oues meas & visitabo eas, &c. Sed dum nos ouibus cōparat, miseriam nostram, fragilitatem, maximámq; nos habere Christi indigentiam, nobis significat. Ouis per se sola viuere non potest: indiget enim pastoris cura & industria, vt videlicet eam, hyemis tempore in loca deducat aprica, & æstate ab æstu solis eam auertat, pascua pratáq; optima eligens, & à luporum insidiis eam omnibus modis defendēs & custodiens. Sic homo non potest sine suo pastore Christo scilicet viuere. Tanta est enim eius miseria & fragilitas, quibus semper est circunseptus, vt à solo Deo remedium habere debeat. Prætereà, ouis animal est vtile, cuius omnia homini prosunt, lanam enim ad vestimenta conficienda, lāc, carnemq; in cibum, corium in calceamenta ex sese reddit: ipsa deniq; tota ex vsu est. Eodem modo & tu si huius gregis Christi ouis esse vis, cōmodare proximis tuis, & reipublicæ debes.
2.Cor.12 Sic Paulus Corinthiis dixit, Ego autem impendar & superimpendar pro animabus vestris. Nō debes esse contentus hoc tantummodo quod prosis tibi: sed eniti debes, aliis vtilitatem ferre. Deinde ouis vngues vt leo non habet, vt se tueatur, aut dentes more canum vt mordeat: nec item habet tauri cornua, vt feriat vel robusta vrsorum brachia vt interficiat, verùm animal est mansuetum, pacatum, simplex, & syncerum. Sic & tu dentes habere nō debes ad proximi tui famam rodendā, & defraudandam: neuè vngues vt fratri tuo incommodum irroges: sed synceritatem, pacem, & simplicitatem amare: non malum pro malo, sed bonū pro malo reddens. Rursus ouis cum errat magis est omni animali misera & infœlix, canis enim cæteráq; animalia in domum herilem redire callent: quod etsi nesciāt dentibus, vnguibus, aut pedibus, quæ quasi arma habent à natura indita se à periculis tuentur. Verùm ouis errans delectum non habet, vt ad gregem re-
Vide Gregor. vt suprà pag. præcedente. dear, nec arma quibus se defendat: quare inquisitione pastoris indiget. Eodem modo homine in peccatum incidente nihil est omnium rerū miserabilius aut infœlicius. Nam neq; potest, neque nouit redire, nisi à Deo quæratur & in gratiæ statum reducatur. Itaq; peccatum labirinthi imaginem præfert in quod qui semel immersus est, exitum nō inuenit: imo quo magis quærit, magis errat. Eodem modo & peccator in peccatū lapsus se erigere non potest, nisi speciali auxilio Deus illum quærat, & à peccati labirintho ad ostium vsque pœnitentiæ extrahat. Cùm autem arbitrium liberum sine gratia quam peccādo amiserat, nimis fragile, imbecillēque maneat, se ab omnibus tentationibus defendere nō potest. Quare variis animæ periculis, tanquam lupis desertorúmq; feris, vt ouis perdita, obnoxium est, nullis ad defensionē armis relictis. Nō dico hominem coactè peccare, nec omnia opera in peccato facta peccata esse: sed facilè vinci ob defectum viriū gratiæ liberíq; arbitrij infirmitatem. Ideo Dauid perditionē peccatoris ouis errori cō- Psal.118
parauit dicens. Erraui sicut ouis quæ periit: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Adeo à via vera declinaui, vt nisi tu domine me quæras: nullo modo redire possim, sum enim ouis errans. Igitur domine inuestiga seruum tuum. Non autem ait hic dominus in hac parabola, quod ouis pastorem quæsiuit, sed quòd pastor iuit quæsitum ouem. Esaias etiam ait, perditionē peccatoris & er- Esai.53
rores exaggerās, Omnes nos quasi oues errauimus. Nihil enim est errante oue errantius aut miserabilius. Expende autem Christi domini nostri bonitatem aut clemētiam, post tot peccata & scelera ipse quærit, ipse vocat, & propria persona venit clamans per montes & colles & valles, multis lachrymis, laboribus, doloribus, ieiuniis, afflictionibus, quæ sunt vestigia & signa peccati. Pastor ouem per vestigia quærit, relinquit enim ouis in arena impressa vestigia, vel in luto per hyemem. Per ea igitur vestigia & signa eam quærit pastor, & nō cessat donec eam inueniat. Per peccatū errauimus, infirmitates autē, miseriæ, mors, & labores huius vitæ vestigia sunt peccati. Hęc omnia à peccato ortum habuerūt, sunt enim peccati effectus. Christus autem hominum optimus pastor per hæc signa & vestigia nos quæsiuit: & ideo venit defatigatus, labore, frigore, & inedia, siti, morte, multísq; aliis doloribus affectus, eóq; modo nos inuestigauit, suspirans, clamans, & moriēs. Quis pastor vnquam tanto amore ouem errantem quæsiuit, quanto Christus animam tuam quærit? Quod multùm amatur, multo dolore quæritur. Hinc vide peccator quantum Deus te diligat, qui tot cruciatibus te quæsiuit: siquidem nulla consolatio, nulla lætitia in corde eius intrauit, donec animam tuam inuenit & in veram causam cum aliis ouibus reduxit.

¶ Obserua etiam quòd ille qui bonorum nostrorum non indiget Deus dicit se amisisse, sicut pastor ouem cùm potiùs Deum homo amiserit: & damnū sit hominis & nō Dei. Ille enim propriè amisisse dicitur cuius est damnū: sed tanta est Dei bonitas, vt damnum nostrū suum reputet damnū. Vide etiam Christi sedulitatem in quærendo quòd non desinit quærere tātisper dū inuenerit, quod respexit Esaias Esai.40
dū ait, In brachio suo cōgregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. ¶ Ad nostrā autem eruditionē discamus, & nos vicissim erga hūc bonū pastorem, quomodo gerere debeamus. Diligamus 1.Ioan.4
eum, siquidē ipse prior dilexit nos, & vitā suā dedit pro nobis. Discamus illi etiā aliis in rebus fidere, quem

re, quemadmodum illum tam benignum & fidum experti sumus in summa necessitate: Discamus tertio, quomodo ex nobis ipsis nihil simus, aut possimus: nam vt ouis seipsam nec à lupis, nec ab aliis periculis tueri potest, sed opus habet pastore, ita in dubie nos miseri & egeni sumus sine Deo, quare apud nostrum fidum pastorem maneamus eúmque fideliter sequamur. Discamus quartò, ex hoc Christi exẽplo, vt etiam nos alios homines à peccatis abstrahamus: ad bonũ ducamus, & deinde etiã ad salutem ipsorum perducamus: mandauit enim Deus vnicuique de proximo suo. Discamus quintò, ex hac similitudine vt miseriis peccatorũ compatiamur, præsertim iis qui à peccatoribus resipiscunt, quemadmodũ Paulus docet, Suscipite inuicem sicut Christus suscepit nos in honorẽ Dei. Et ad Galatas. Si præoccupatus fuerit aliquis vestrum in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite illum in spiritu lenitatis, &c. Et Thessalonicẽsibus etiam dicit. Corripite inquietos, cõsolamini pusillamines, suscipite infirmos, patiẽtes estote ad omnes. Ad Galatas iterum. Alter alterius onera portate. Discamus sextò, oues esse vt Christum mereamur habere pastorem. Christus nanque non est pastor porcorum, bubalorum, leonum aut similium ferarum, sed pastor est ouium. Vide & tu, vt non sis lupus per voracitatem, leo per rapacitatem, porcus per immũditiam, canis per mordacitatem, sed esto ouis per mansuetudinem & simplicitatem, ac obediẽtiam. Si ouis fueris habebis Christum in pastorem, qui pastor bonus est, & pascit oues pane cœlesti & spirituali cibo. Denique discant ex hoc loco episcopi, prælati, pastores, & qui curam habẽt animarum parochi, & concionatores, quid officium eorum requirat: & legãt Ezechiëlem, & Ioannem. Si pastor pro vna oue errante tantum operæ ponit, vt montes, rupes, & valles percurrat: quantum tu facere debes, qui curam animarũ geris, pro anima ad imaginem & similitudinem Dei creata Christíque sanguine redempta? Vtinam prælati Ecclesiæ oculos ad Christum Iesum optimum pastorẽ conuertant & inspiciant quãto maioris sint pretij animæ, quàm omnia mundi bona: vtinã tantam adhiberent curam in animabus suis redimendis, quantam in augẽdis redditibus ponunt. Videant igitur quales esse debeant, vt multa pericula & labores pro Christo & animarũ salute subeant. Deus enim è manibus eorum requiret sanguinem ouium, quæ per suam negligentiam perierint. Hoc considerare hi possunt, qui magna officia, & magistratus ambiunt. Omnes gaudent dici patres & pastores, nemo tamen curam gerit ouium. Sed de his satis, iam reliquam huius parabolæ partem videamus.

Rom. 15
Galat. 6
1. Tess. 4
Galat. 6
Ezec. 34
Ioan. 10

Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum conuocat amicos, & vicinos, dicens illis.

Esai. 53
Greg. Hom. 34. in euange.

Hoc cõmuniter solet exponi, quia in cruce Christus peccata nostra tulit, & iniquitates nostras ipse portauit: quod verum esse fatemur, de nostris & totius mundi delictis: quia Christi morte & dolore eius sanati sumus, sed in proposito vt Christus respondeat aduersariis, hæc expositio non quadrat. Standum enim est in proposito de quo loquitur: nam Christus tunc tẽporis pro istis publicanis & peccatoribus de quibus est sermo, nondum sanguinem fuderat, nec in humeris portauerat peccata eorũ: sed vt insinuaret laborẽ ex amore procedentem, quæ prædicans tolerabat, vt peccatores reciperet, & ad se alliceret. Dicit quod sicut pastor labore & sudore ducit ouem perditã, sic ipse docens villas & castella prædicans regnum Dei eos conuertebat & trahebat. Et hic mihi videtur germanus huius literæ sensus. In humeris etiam portat cum eorum mores & molestias patienter tolerat. In hunc sensum Paulus loquutus est dicens, Alter alterius onera portate. Hoc facimus patienter ferentes proximorum nostrorum defectus & culpas, eorumque fragilitatem tolerantes: vt Christus his publicanis & peccatoribus faciebat. Audiant hæc põtifices nostri, audiant sacerdotes, & videant quid hic pastor Euangelicus faciat. Super humeros ponit gaudens & amicos & vicinos congregat. Sed quid nunc dicam de pastorum & sacerdotum sæuitia? pro eo ait dominus, quod in latus & humerum impulistis, & cornibus vestris cornu petebatis oues infirmas, donec dispergeretis eas foras, seruabo pecudes meas. Expende quæso, ille super humeros portat: illi humero eas impellunt. Ille cõgregat, isti dispergunt. Præcipiebat dominus quod sacerdos veteris legis nomina filiorũ Israel super humeros portaret: nouæ verò legis, & pastor noster reipsa ouem super humeros portat, vt scias vmbram præcessisse veritatem. Qui autẽ sint isti amici & vicini quos verus pastor Christus vocat, & qui congratulantur, facilè ex literæ cõtextu coniici potest, quod sint angeli: nam subdit Christus, quod gaudiũ fit in cœlo coram angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente. Cõgratulantur enim angeli cum Deo de nostra conuersione, & gaudent in nostro bono profectu. Eos ergo alloquitur Christus dicens.

Galat. 6
Ezec. 34
Exod. 28
Amb. lib. 7 in Lucam.

Congratulamini mihi, quia inueni ouem, quæ perierat.

In hoc autem quòd vicinos & amicos cõuocat, vt eos participes gaudij sui faciat, innuit Christus, quantum in cõuersione peccatoris gaudeat: maximum enim quodque gaudium occultari non potest, quin cum amicis communicetur. Sic Philistini cùm comprehenderunt Sansonem, communicauerũt aliis lætitiam, & omnes simul gaudebãt, & immolauerunt Deo suo. Iudith etiam gaudens de victoria populum inuitauit dicens, Laudate dominũ Deum nostrum, &c. Expende etiam quòd nõ dixit congratulamini oui, sed congratulamini mihi: quia ouis non meritis suis, sed meritis & diligentia pastoris inuenta est. Quare gaudium illius esse debet, qui eam inuenit, & pro ea inuenienda laborauit. Præterea quanquam nos maximè lætari debemus, siquidem nostra interest penes talem pastorẽ esse, tamẽ adeò pastor hic Christus dominus noster nos diligit, vt nostrum gaudium pro suo habeat, & nostrum bonum suum ipsius reputet. Vnde nostris commodis, nimium non lætari non potest, nos liberatos saluos & prosperos videns. Attende igitur homo peccator, quando delinquis, quem offendas: cum enim offendis & iniuria afficis, qui seipsum dedit pro te, salutẽque tua. Nunc iam applicat quæ dixerat loquens scribis & pharisæis.

Iudi. 16
Iudi. 13
Greg. ibidem.

Dico vobis quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

Gaudium beatorũ semper est æquale in eodem subiecto, gaudium tamen accidentale potest intendi & remitti, & esse maius & minus: imo desinere esse circa res aliquas particulares. Gaudium itaque hóc accidentale fit in cœlo magis de conuersione peccato

peccatoris, quàm de salute iustorum: quam quia iam habent non est necesse vt de nouo gaudeant, sicut de infirmo sanato de cuius côualescentia magis est gaudium amicis, quàm prius cùm sanus esset: sicut Iob post multas tribulationes,& ærumnas ad extremum opulentior & cū magno gaudio magnificentior factus est, quàm si miser nunquam fuisset. Similiter & cùm Tobias reuersus est ex Rages maius factus est parenti vtrique gaudiū, quàm si nūquam abiisset: ipsi quoque Tobiæ à cæcitate restituto lætitia maior erat, quàm si cæcus non fuisset. Est itaque noua ratio gaudendi in conuersione peccatorū, quia perierant, & de peccatoribus conuersis tanquā de re nouiter habita gaudēdū est. De iustis autem in quantum huiusmodi nulla ratio est gaudendi de nouo, cùm non superueniat in eis aliqua nouitas, non tantū gaudium sumitur: quia sicut nūc iusti sunt, ita anteà iusti erant, & ideo magis gaudiū fit super vno peccatore pœnitentiā agente quā super nonaginta nouē iustis, quia de peccatore fit nouū gaudium, de iustis autē nullū gaudiū nouum fit. Obserua etiā vltra hoc quod Deus & Angeli eius magis gaudēt de pœnitēte quā de iusto semper benè operāte: quia si loquimur de iustis feruentibus cæteris paribus, magis diligit Deus iustum nunquā cadentem, quàm peccatorem pœnitentem, & maius gaudiū est in cœlo de innocentia feruentis iusti cōseruata, quàm de peccatoris pœnitētia, sed si loquitur de iustis tepidis, magis gaudent Deus & Angeli de peccatore feruenter pœnitentiam agente quā de illis. Dux in prælio magis amat militē, qui post fugā reuersus hostem fortiter ferit: quā illum qui nūquam terga vertit, & nihil vnquā fortiter fecit. Itē arator magis terram, quæ post spinas vberes fructus profert, quàm eam quę nūquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem produxit. Sæpè enim accidit quòd illi qui à maximis peccatis surgunt, per pœnitentiam, postea acquisito habitu opposito feruentiores sint in diuino amore, quàm illi qui nunquam ceciderunt & tepidi sunt. Ferrum enim ignitum feruentius est ligno accenso: quia quantò materia & substantia est magis frigida, & igni contraria, si igne accenditur & ignitur, tantò calidior & feruentior efficitur, & calorē diutiùs conseruat. Eodem modo sæpè fit, licet nō semper de peccatore conuerso & igne charitatis accenso. Sicut patet in Dauide, Petro & Paulo, & in multis aliis, qui in sanctitate quamplurimos qui nunquam ceciderunt antecellunt: Magdalena quoque multis virginibus sanctissimis quæ in cœlo sunt, antestat. De talibus itaque peccatoribus feruentibus conuersis, hanc Christi loquutionem intelligere possumus. Potest etiam hoc intelligi in comparatione illorum, qui tepidè seruiunt Deo: nam isti resurgunt ad maius meritum, & sic maius gaudium fit de istis in cœlo. Ideò non solum quia de nouo fit gaudium, sed etiā quia sæpe ad maiorem gratiam surgunt, fit maius gaudiū. Et istis duobus modis intelligendum puto dictum Christi. Obserua etiam quòd non loquitur hic Christus de pœnitentiam cogitante sed de pœnitentiam agente: multi enim procrastinant pœnitentiam: alij illam prædicant, alij laudant, & ipsi lautè viuunt. Non solùm pœnitentia cogitanda est & prædicanda, sed etiam agenda. Vnde Ioannes, Facite fructus dignos pœnitentiæ. Hoc suprà exposuimus. Sequitur.

Job 42 · *Tob. 11* · *Greg. vt sup. pag. præcedente.* · *Luc. 3*

Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nõne accendit lucernam & euertit domum & quærit diligenter donec inueniat eam? Et cùm inuenerit conuocat amicas & vicinas dicens, Congratulamini mihi, quia inueni drachmā quam perdideram. Hæc parabola clara est, quia eadē est cum illa, quam modo diximus de pastore & oue perdita: nā sicut Pharao qui vidit somnium, quod ascendebant septem vaccæ pinguēs, & postea aliud vidit somniū idem significans, videlicet septem spicas, &c. quæ somnia interpretatus Ioseph, dicit, somnium regis vnū est: sic in præsentiarum hæc parabola & proximè præterita, idem sunt: & sensus vtriusque ad idem tēdit. Si mulier adeò lætatur & gaudet quod inueniat drachmam amissam, vt vniuersam domum suam euerterit, vt eam inueniat, qua inuenta vicinas suas conuocet: quare ego non lætabor daboque operam maxima in his peccatoribus perditis quærendis, vt ex illis inuentis gaudium percipiam. Aduerte autem quod homo in prima sui conditione creatus fuit innocens & sine peccato: atque ideò in prima parabola assimilatur oui quod animal innocēs est & simplex atque māsuetum. Fuit etiam creatus ad Dei imaginem & ideò significatur per drachmam in qua est imago regis impressa: per peccatum autē perdit homo innocentiam, & deformat imaginem Dei, iuxta illud quod Hieremias loquitur animæ peccatrici. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Ideò peccator quales erant isti publicani assimilatur oui & drachmæ perditæ. Accendit lucernam quando sua doctrina hos peccatores traxit: nam vt in initio dixit noster Lucas, erant isti publicani & peccatores appropinquātes ad Iesum vt audirent illum. Illuminauit corda istorum verbo Dei, & sua prædicatione, quæ quidem lucerna dicitur, iuxta illud quod in Prouerbiis habetur. Mandatum lucerna est, & lex lux. Et pater eius Dauid. Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen semitis meis. Et Hieremias in persona domini. Nunquid verba mea non sunt quasi ignis? Hanc lucernam accendit Iesus cum cœpit prædicare verbum Dei: vertit autem domum, quando corda hominum impiorum turbauit prædicando, commutationibus, terroribus, & minis. Côcussit corda, & sic drachmam inuenit, quia publicani & peccatores commoti eius prædicatione appropinquabant ad Iesum.

Gen. 41 · *Homo peccator quare oui & drachmæ comparetur.* · *Thren. 4* · *Lucerna accensa verbum Dei.* · *Prouer. 6* · *Psal. 118* · *Hierem. 23*

¶ Obserua autem quòd diligēter dicit hic, quòd quæsiuit eam: quod maximè commendat Christi bonitatem. O quàm diligens fuit Christus quærendo peccatores, accensa enim face prædicationis mane, meridie, sero, die, ac nocte, quęsiuit nos indefatigabiliter. In sero prædicauerat, & diluculo inquit Ioannes erat in templo, vt populum doceret, & peccatricem illam adulteram liberaret. Sæpè in itineribus prædicabat: in Synagogis & in domibus & in deserto, & in omni loco euangelizans verbū Dei, drachmam perditam quærebat. Diligentissimus enim fuit Saluator noster vt homines peccatores quæreret, & saluaret. At nos pigri & ociosissimi sumus, vt illum quæramus. De die in diem conuersionem differimus, & procrastinamus, & in eius seruitio pigri sumus. Missam quærimus post meridiem, conciones serò: pauperibus non statim eleemosynam damus, denique omnia negligenter agimus cùm in nostris propriis commodis diligentissimi simus. Disce igitur ex hoc loco opera Dei diligenter agere, quandoquidem Christus salutem ani-

Ioan. 8 · *Luc. 4*

mæ tuæ non segniter quæsiuit. Vnde Iosaphat rex 2.Para.19 Iuda, iudicibus Iudeæ dixit. Sit timor domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Quia autẽ negligenter Deum quæris vide quid dominus per Aggei 1 prophetam dicat. Quia domus mea deserta est & vos festinatis, vnusquisq; in domuũ suam, propter hoc prohibiti sunt cœli ne darent rorẽ, terra prohibita est ne daret germen suum, &c. Eandem diligentiam, quam adhibes vt hominibus gratus sis: adhibere debes vt Deo placeas. Vtinam idem faceret mercator pro Dei cultu, quod vt pecuniam lucretur, facit. Si mulier tantum operæ impenderet vt Deo placeret, quantum vt hominibus pulchra videatur grataque sit impendit, nihil minus decoram animæ faciem, quàm corporis redderet. Hester 2 Vxores regis Assueri se diligentissimè lauabant, componebant, & ornabant, vt regi suo placerent: qui rex Assuerus vt primates regni sui splendidius inuitaret, pretiosissimos omnis generis arboribus cõsitos hortos fecit, vasáque auri & argenti ditissima, &c. vtinam & nos propter Deum faceremus quod rex iste mundo placiturus fecit. Sed procedamus. *Ita dico vobis, gaudiũ erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Angeli gaudent pœnitentia & conuersione peccatoris, primò quia eorum officium & ministerium quod ex Dei mandato erga nos exhibent in pœnitente non frustra est. Secundò, quia numerus eorum per hos pœnitentes impletur: etenim quousque in peccatis iacent, in castris diaboli sunt, & si ad pœnitentiam cõuertuntur, sub vexillum Christi cõfugiunt. Hoc verò sanctis Angelis gaudium affert, quòd diabolo regnum eius minuitur, Deo verò adaugetur regnum eius: & quòd etiam ex humano genere quotidie noui veniunt, qui cum illis Dei bonitatem & misericordiam laudent & prædicent.

Gaudium in cælo vniuersale de peccatore pænitente.

¶ Obserua autem quòd non dicit simpliciter quòd Angeli gaudent in nostra pœnitẽtia, sed etiã quòd sit gaudium in cœlo propter peccatorẽ pœnitentem. Ideò dicendum quòd non solùm angeli, sed etiam beatissima Trinitas gaudet in nostra cõuersione & pœnitentia. Gaudet Deus pater quòd per pœnitẽtiam nouos adipiscatur filios: & Dei filius gaudet, eo quòd non frustra sanguinem suum fuderit & passus sit, & spiritussanctus quia acquirit suum templum in quo habitet, & membrum suum quod viuificet, & suum vas quod gratia sua adimpleat. Vide igitur peccator ne Christus pro te frustra sit mortuus. Vide etiã ne sanctos angelos gaudio, téque ipsum salute tua spolies. Quia igitur tã clarè Dei gratiam & bonitatem vides, caue ne ingratus inueniaris: & oblatam misericordiã repellas. Caue abutaris. quo autem nunc misericordiam suam lenius declarat, hoc seueriùs postea suam iustitiam ostendet, si ingrati fuerimus. Discamus etiã vt sicut tota sancta Trinitas & angeli de nostra salute gaudẽt in cœlo, vt nos similiter de salute proximorum gaudeamus: & peccatorum duritiem de- 1.Cor.10 ploremus Multi enim (vt inquit Paulus) vnum corpus sumus: alter enim alterius membrũ, & ita quẽadmodum vnum membrum in alterius salute lętatur, dolorem verò & infirmitatem sentit, & cõpatitur: sic nos de bonis proximorum gaudeamus, & eorum mala sentiamus & deploremus: non sicut impij pharisæi, qui tristabantur & murmurabant, in conuersione & bono proximorum. Obserua secũdò, & vide quanta sit humana malitia & iniquitas. De eo propter quod angeli benedicunt Deo, lætabantur angeli & gaudebant Deum laudantes, cùm videbant, hos peccatores ad Deum conuerti. Luc.7 Pharisæi verò murmurantes inuidia flagrabãt. Laudabant angeli Deum eò quòd Magdalenæ pepercisset summámque capiebant lætitiam lachrymas illius mulieris peccatricis videntes. At Simon Pharisæus murmurabat. Iudæis Christum in cruce pen- Matth.27 dentem deludentibus, lætabantur angeli in cœlis, Deo gratias agentes, & gratulantes quòd esset inuenta ouis perdita, dicentes. Benedictus sit talis ac tantus pastor: nullus vnquam fuit amor, tanta dignus commendatione. Disce ex hoc loco paruifacere hominum de te murmurationes, dummodo id quod debes facias: Angeli enim tibi benedicent in omnibus bonis operibus manuum tuarum. Vnde Paulus. Mihi autẽ pro minimo est, vt à vobis iudi- 1.Cor.4 cer, aut ab humano die, qui autem me iudicat, dominus est. Sic tu in officio tuo permanens, Deúmque tecum ferens, murmurationes, impudentiáque hominum dicta despice: sunt enim quasi quædam apum punctiones, quæ parum incommodi inferre possunt.

¶ Obseruandum denique vltimo est, & diligenter considerandum, qualem quantámque doctrinam dominus noster Christus & redemptor à pharisæorum murmurationibus eliciat: quo enim malitia humana magis crescit & augetur, eo diuina misericordia effusius abundat. Cum Saulus blasphemando persequebatur ecclesiam, tunc Christus ap- Act.9 paruit ei, & conuertit illum. Cùm optimo iure illi apparere poterat non vt saluaret, verum vt occideret in infernúmque detruderet: tunc illum luce cœlesti circundedit, mentéque illius diuina sapientia illustrata eum ad se conuertit. Quando Iudæi mul- Ioan.6 to duriores & infideliores erant adeò vt dicerent: quod signum ostendis vt credamus tibi? tũc pollicitus est Christus illis, se corpus suũ preciosissimũ in cibum daturum. Item per Oseam populo ita de Osee 2 prauato & perdito, vt diceret Deus, ibat post amatores suos & mei obliuiscebatur: pro maximo supplicio quo debuisset afficere vniuersum populum dicens aperiatur terra, & gentem hanc vniuersam peccatricem deuoret, multò aliter se habens inquit, Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam in so- Esa.7 litudinem. Sic per Esaiam eos reprehendit, dicens, Nũquid parum vobis est, quia molesti estis & Deo meo? Vbi eos punire poterat inquit, propter hoc dabit vobis signum, Ecce virgo concipiet & pariet filium, &c. Vides maximam Dei misericordiã, qui numeratis flagitiis populi eius, cum iure eos punire poterat, illis indulget, maioráque beneficia tribuens. Ita & eodem modo hic cum murmurantes malignè & iniustè, scribas & pharisæos iustè puniri posset, eos non modo non punit, verùm etiam pro acerrimo seuerissimóque supplicio, quòd eorum flagitia postulabant, magna æternáque doctrina illos instruit, vt in superioribus parabolis visum est. Nequis cõtentus esset, vt hominibus magis pietatem & misericordiam commendaret, addidit superioribus parabolis & tertiam, adeò dulcem, suauem & lepidam vt in vniuerso omnium quatuor euangelistarum contextu, nulla sit quæ cum hac filij prodigi parabola nec commẽdatione Dei misericordiæ, nec peccati detestatione conferri possit: siquidem misericordiæ abyssus eum qui in miseria maxima culpę erat immersus, ab omnium peccatorum

torum abysso, extraxit. Audiamus ergo Christum dicentem.

Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri, &c. Hæc est tertia parabola, quã Christus ad idem propositum, contra iniquam pharisæorum murmurationem adducit. Parabola certè dulcissima, & tanta suauitate repleta, vt nos valde consolari, & corroborare, omnes quotquot peccatores sumus possit. In ea enim infinita Dei misericordia ante oculos nobis proponitur, benignitásque & amor incredibilis, quo peccatores recipit. Quare in toto euangeliorum volumine nulla tãti solatij parabola mihi occurrit. Et ita existimo nullum esse tantum peccatorẽ, qui ad Deum nõ conuertatur, si attenderit bonitatem, benignitatem & amorem huius clementissimi patris & quẽadmodum obuiam procedat, vt filium perditum accipiat, quomodo eum deosculetur, vestiat, & de vita malè acta non reprehendat, vtq; illi vitulum saginatum occidere iubeat: & cantoribus introductis, cũ eo discumbat & lætetur, fratri murmuranti in omnibus quæ contra eius laudem opponebat satisfaciens. Quis peccator in peccatis suis adeò obstinatus, his omnibus consideratis libentissimo animo ad hunc patrem clementissimum se non trãsferat, licet omnium peccatorum gurgite quantumuis profundo immersus sit? Quis tam durus erit vt hac tanta pietate non molliatur? Quis adeò contumax in iniquitatibus suis, vt tanta bonitate non terreatur visceribus labefactatis quasi cæra: totóq; denique corpore veræ contritionis & pœnitentiæ lachrymis perfuso? illi domine clementissime de te conqueri possent, & murmurare de misericordia tua: qui ad te conuersi præcordia tuæ misericordiæ ad eos suscipiendos non offendissent. Scio nunquam fuisse vllum tantum execrabilem peccatorem, etsi te millies offendderit, qui domum tuã rediens, ianuam misericordiæ tuæ apertam non inueniat, stratámque mensam, vt secum cœnaturus discumbas, tanta suauitate, tali conuersatione & consuetudine familiaritate & gratia, quasi omnem vitam suam te coluerit. Quod autem præter cætera me maximo recreat, solatio est, nomen suauissimum, quo te patrem nostrum iactas, me autem tantillum de nihilo creatum hominem filium vocare non dedignaris. Hoc igitur nomen patris quo nuncuparis, calcaria, acerrimósque stimulos conuersioni meæ iniicit: ori enim meo dulcius est nomen tuum fauo mellis, quæ omnia opus sunt vt cor tam durum & difficile, vtpote tanti peccatoris molliatur. Titulus iudicis timore afficit: nomen Dei: domini magni, terribilis, aut potentis, nemo est quin perhorrescat, præsertim se tantis criminibus humanáque fragilitate, infirmum & caducum vidẽs. Hac de causa nomen patris tibi vendicasti, vt nobis pro timore, quem fortè alio vero nomine iniicere posses, solatium maximum, spémque salutis non exiguam nobis omni tempore præstares. Ingentes igitur tibi gratias ago pater clementissime pro tam dulci facilíque cognomento. Sed his prætermissis posteà proprio loco tractandis, veniamus ante omnia ad verũ literæ huius parabolæ sensum, quæ etsi perspicua primo aspectu intuentibus videatur, adeò tamen obscura & difficilis est, vt omnes interpretes, quos adhuc viderim, tã antiquos, quàm nouos, in vera literæ declaratione allucinentur. Inter quos non parum miror aliquorum nostri temporis incuriam & negligentiam, qui cum literalem sensum sacræ scripturæ in primis profiteantur, in omnibúsque aliis quæ de scriptura sacra eruditè docẽt scopum attigerint, in hac parabola tam turpiter lapsi sint. Vt autem veritas clarius elucescat, videamus priùs illorum errores: qui hanc interpretantur parabolam: qui omnes ad quatuor reduci possunt.

¶ Primus error in sensu literali est illorũ qui dicunt per hunc filium maiorem, populum Iudæorum intelligi, qui in domo patris erat fide, & vnius Dei veri cognitione: per filium autem prodigũ populum gentilium significari. Qui sensus apertè repugnat literæ huius textus, obuiatq; Christi in hac parabola proposito. Vt autem melius intelligatur istorum error verúsque huius parabolę sensus, opus est in memoriam reducere, quod anteà admonui, nec me semel ac iterum, aut etiam sæpè illud tædet dicere: video enim maximè expedire, vt hæc doctrina, qua euangelicæ parabolæ declarantur, semper ob oculos versetur. In quibus summè cõsideranda est semper intentio ad quam parabola dirigitur, & quæ Christum causa mouerit, illius parabolæ dicendæ: denique quòd sit præcipuum intentum Christi, & quid velit cõcludere. Ferè semper respondet dominus, per parabolam illis qui eum de re aliqua interrogant. Quod igitur Christus in hac parabola intendit est, scribis & pharisæis ostẽdere manifestè, iniusta vti murmuratione illos in Christum dum eum reprehendunt, quòd cum peccatoribus manducet, & conuersetur. Si Christi aduersarij dixissent Christum malefacere quòd cum gentilibus versaretur, tunc rectè intelligere possemus, per hunc filium prodigum, populum gentilicum: verùm hi publicani non gentiles, vt nonnullis videbatur, sed Iudæi erant. Nam diuus Matthæus Iudæus & publicanus erat ex tribu Leui. Præterea si publicani essent gentiles, nõ dixisset Christus quòd duo homines ascendebant in templum, vt orarent vnus pharisæus & alter publicanus. Si publicanus gentilis, quare ascendit in templum vt oraret? Et quomodo dicebat vni Deo soli, Deus propitius esto mihi peccatori? Denique si Christus cum gentilibus manducasset, multo acriùs reprehendissent illum pharisæi quia apud illos fuisset maximum scãdalũ, & non dicerẽt, hic peccatores recipit, sed gentiles recipit & manducat cum illis. Demum & diuus Hieronymus in quadam epistola ad Damasum summum pontificem, Tertullianum reprehendit, eo quod dixerit, quod isti publicani erant ex gentilibus. ¶ Igitur publicani Iudæi erant, & vnius veri Dei cultores: nihilominus tamen dediti erant vsuris, rapinis, auaritiæ, & cupiditatibus, atque aliis peccatis: sicut sunt nunc multi mali christiani similes istis. Et cum murmuratio illorum pharisæorum sit eo quòd Iesus hos suscipiebat, & cum illis manducabat, extra propositum est populum gentilicũ hic adducere, nisi velis allegoriam adducere. Scio quaquatuor esse sensus scripturæ, & quos ecclesia suscepit sensus & approbat, ego damnare non possum: tamen asserere supradictum esse sensum literalem, quem Christus contra Pharisæos intendit, vt aliqui autumant, ridiculum est.

¶ Secundus error est eorum, qui exponentes illud quod pater dixit ministris, Date ei annulum, per annulũ intelligunt fidem, quasi Deus restituat peccatori fidem, quam per peccatum perdidit: quòd asserere periculosum est, & fauet hæresi Lu-

Aug. lib. 2. q. euan. ca. 33

Matth. 9

Luc. 18

Hiero. de fil. prod. tom. 4

Amb. lib. 7 in Luc. tom. 5

theranæ, quæ dicit peccatorem perdere fidem per peccatum mortale. Caue tu ne per annulum intelligas fidem, nam homo quantumcunque peccator sit non amittit fidem, nec ei fides restituitur quando conuertitur ad Deum, nisi tantum charitas & gratia & merita, quæ per veram in Deum conuersionem & iustificationem reuiuiscunt & restituuntur ei, vt posteà latiùs suo loco opportuno dicemus. Et si dicas quòd benè per annulum, intelligitur fides: quia iste recessit à domo paterna per peccatum infidelitatis recedens à Deo, & consentiens alicui hęresi, & cùm ait textus quòd accessit vni ciuium regionis illius, intelligitur quod adhæsit hæresiarchæ alicui, & magistro hæresum. Si per infidelitatis peccatum recessit hic à Deo optimè intelligunt per annullum fidem. Sed cùm iam ostenderimus, quòd isti publicani (quorum in rigore literæ, iste filius prodigus typum gerit) non recesserunt à Deo, per infidelitatem nisi per peccata contra bonos mores, auaritiæ præcipuè & luxuriæ: erroneus sensus est intelligere fidem per annulum: maximè cùm Christus apertè dicat hic, quòd iste filius prodigus consumpsit substantiam suam luxuriosè viuendo, & non cum idolis aut hæreticis. Et quis adeò demens est, vt dicere audeat, quòd per peccatum luxuriæ amittitur fides?

Aug. lib. 2. q. euan. quæ. 33. tomo 4 ¶ Tertiò erant (& in hoc ferè omnes) intelligentes per illum vitulum saginatum Christum redemptorem in cruce passum & immolatum pro peccatoribus. Hæc expositio tam longè est à germano sensu huius literæ, quantum distat ortus ab occidente. Faciunt isti Metamorphosim transmutando vnas res in alias, & sicut fingunt Poëtæ, quod Actæon mutatus est in ceruum, quia vidit Dianam se lauantem: sic isti mutant Christum in vitulum saginatum. Nam si per hunc patrem intelligitur Christus: quomodo ipsemet qui est pater, est vitulus? Quòd si dicas quod per hunc patrem intelligitur pater æternus, vt isti intelligunt, patrem, inquã (vt ait Paulus) misericordiæ, & Deum totius cõso-
2. Cor. 1 lationis: & per vitulum saginatum Christum eius vnigenitum filium, qui in cruce pro peccatis nostris mori dignatus est. Ad hoc respódeo quòd hoc stare non potest, & iste sensus corrumpit contextum literæ: nã pharisæi non murmurabant de Deo patre, dicẽtes, quòd Deus recipiebat peccatores, sed murmurabant de Christo quia illos recipiebat. Si vis ergo vt Christus ad propositum respondeat, tãquam vir prudens satisfaciendo murmurationi inimicorum, velis, nolis, oportet vt Christum intelligas per hunc patrem misericordem: nam de ipso est sermo, & murmuratio contra Christũ est, quòd peccatores & publicanos recipiebat, & cum illis manducabat. ¶ Quartò in illa murmuratione & indignatione filij senioris veniẽtis de agro qui conquestus est de patre, multi allucinantur, & excutiũt legẽtes hoc, ac inter semetipsos dicentes. Quomodo potest esse vt beati & iusti qui semper cum domino fuerunt, & nunquam mandatũ domini prætererunt quod murmurẽt de Deo, eo quòd peccatores recipiat & saluos faciat? Quapropter ne ponãt inuidiam aut murmurationem in viris sanctis, hanc literam non intelligentes in maximum quendam errorem incidunt, & eo ignorantiæ perducuntur vt dicant hanc querelam filij senioris non debere literæ conuenire, quia ad ornatum parabolæ ponitur & quòd non opus est vt exponatur, aut adducatur ad propositum. Nam non expedit quòd omnes parabolarum particulæ ad propositum ducãtur, sed attendendus est finis parabolę: quem illi dicunt, quòd in hac parabola non est alius quàm commendatio misericordiæ Dei, quæ satis ostenditur in benigna filij prodigi susceptione & quòd cętera omnia ponuntur ad ornatum & præcipuè hæc filij senioris querela. Alij autem qui omnia volunt exponere dicũt quòd hæc murmuratio, admiratio est: nam iusti mirantur de Dei bonitate, videntes quòd tam benignè Deus peccatores recipiat. Sic etiam exponunt illud, quod in Mathæo legitur de *Matth. 20*
illis agricolis qui murmurantes aduersus patrẽfamilias, dixerunt, Pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus: quòd illa non sit murmuratio, sed admiratio. ¶ Verùm nulla istarum expositionũ mihi placere potest, non quòd displiceat illa regula Chrysostomi quæ ait, quòd in parabolis *Chrys. homili. 48. in Mat.*
aliquando ponuntur aliqua ad ornatum parabolæ, quæ non opus est vt omnino ad propositũ accommodentur: sed quod hæc regula verificatur in hoc loco. Itaque hæc quæ de filio seniore dicuntur, sint ad ornatum, vel quòd hæc murmuratio filij iusti, quæ hic narratur, non sit murmuratio, omnino displicet. Itaque si hæc ita essent, Iesus nihil diceret neque concluderet aliquid, neque responderet calumniatoribus: esset enim sicut parasitus, ac stultus homo sine iudicio & intellectu, qui nihil aliud scit, nisi multa verba sine sensu, & ordine proferre, & nihil concludere, neque ad propositum. Nullus nãq; ita ad propositũ respondit quæsitis sicut Christus Saluator noster, qui non solùm ad interrogata, sicut acutissimi intellectus homo respódebat: sed vt Deus ad cogitationes illorũ. In hac ergo filij senioris murmuratione & patris responsione ad filiũ est tota vis & scopus parabolæ. Potissimum igitur robur & finis magis principalis huius parabolæ responsum est Christi ad pharisæos quo euidenter illos confutat & reprehendit eorum iniustam murmurationem, ergo cum hoc sit in hac parabola in primis spectandum quasi primum in his tribus parabolis a beato Luca conscriptis intentum quibus Christus pharisæis respondit, vt statim videbimus: valde errãt illi, qui rem adeò præcipuam, accessoriã faciunt. ¶ His prælibatis ad plenioré intellectũ hu- *Parab. plicati lit.*
ius parabolæ accedens, vt mentem meã aperiã, dicã quod sentiã, omni qua potero breuitate: de huius parabolę literali & germano sensu. Pater itaque hic qui duos filios habebat Christus est. Filius maior gẽs ipsa pharisæorũ & scribarum murmurantiũ contra Christum, quibus parabolas dicebat. Filius minor qui recessit à domo patris & cõsumpsit substantiam suam luxuriosè viuendo representat illos publicanos & peccatores cum quibus Christus comedebat, postquam receperat eos. Hoc supposito audi nũc. Veniebãt ad Iesum publicani & peccatores vt audirẽt illũ, quos cùm Christus exciperet & benignè tractaret, ac cũ illis comederet, murmurabãt de hoc scribæ & pharisæi qui seipsos iustos existimabant, & alios despiciebant tanquam peccatores & dicebant, Hic peccatores recipit & mãducat cum illis. Sed eos arguit Christus dicens, Quis ex vobis habebit centum oues, &c. Et iterum. Aut quę mulier habens drachmas decem, &c. has duas parabolas iam enarrauimus, addidit tertiam dicẽs, Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior, &c. Ac si diceret. Vos murmuratis contra me, quia

quia vos, qui iusti estis, relinquo (secundū, inquam, vestram æstimationem & populi reputationē, quāuis non secundum rei veritatem) & molestè fertis, quia hos peccatores excipio. Ego optimè possem paucißimis verbis hanc vestram sententiam refellere: qua vos iustos asseritis, hos verò publicanos peccatores esse dicitis: nam etiamsi adhuc fuerint in peccatis suis, & extra meam potestatem & obedientiam, iam nunc conuersi & contriti doctrinam meam audire, salutémque suam quærere gaudent. Sed nullius indignationis vobis ansam præbere, nec hoc modo vestræ calumniæ respondere volo: nam hoc supposito quòd verū sit, vos esse iustißimos, hos autem publicanos peccatores: nihilominus tamen, hoc etiam concesso, (quanuis multò aliter se habet) iniquè agitis mecum dum me reprehenditis, quia vobis relictis, hos publicanos & peccatores excipiam. Quòd si clarius iniquitatem vestram vultis cognoscere, audite. Homo quidam habuit duos filios, &c. narrata parabola applicatio eius hæc est. Dicite pharisęi, pater hic fecit benè an malè, filium errantem benigniter suscipiens, quia ad illum supplex, factúsque pœnitens redibat? Benè proculdubio fecit, erat enim caro de carne eius, & sanguis ab illius præcordiis deriuatus. Vnde æquißimū fuit, vt filij in tanta miseria, & infœlicitate constituti, pater suus misereretur: aliàs enim seuerior æquo, immanißimúsque foret iudicandus. Benè igitur & ego facio istos excipiens peccatores & publicanos, qui ad me criminum suorum pœnitentes veniunt. Quæro item ex vobis, Pater hic nónè bene fecit, filium hunc inedia consumptum, cæso vitulo satians? certè sic. Patre enim adeò diuite, vt serui etiam mercenarij abundarent panibus: indignum erat, vt eius filius fame periret. Sequitur ergo, quod & ego bene facio cum his peccatoribus discumbendo & manducādo. Sed & vlterius interrogo vos pharisæi. Si pater bene fecit filium prodigum excipiens: nónne perperam egit maior filius, cum de patre ob hoc murmurabat? Nemo negare potest malè fecisse, malum enim est de bono opere murmurare. Atsi id quod pater erga filium prodigum fecit, iustum fuit, vt vidimus: perspicuū est murmurationem & indignationem filij maioris esse iniustam. Ergo si maior filius malè fecit cōtra patrem suum murmurans, quòd filium perditū suscepisset, cum eóque discubuisset, malè & vos facitis, qui in me inuehimini, eo quòd peccatores recipio & cum illis manduco. Nam etiamsi optimi, iustißimi, sanctißimíque essetis, vt Dauidē, Samuëlem, Esaiam, & Hieremiam, pietate etiam æquaretis, & quemadmodum hic filius maior, mecū semper fuissetis, mandata mea obseruantes: tamen iniquè ageretis si in me isto modo inueheremini murmurantes. Hic autem est maximè obseruandum, quòd eodem responso, quo pater filio maiori satisfecit, qui se iustū existimabat, refellit Christus pharisæos: quæ responsio totius parabolæ conclusionem continet, qua illam quasi quodam sigillo impresso terminat. Inquit enim pater. Fili tu semper mecū es, & omnia mea bona tua sunt, &c. Acsi diceret, in persona Christi. Filij pharisæi, legísque doctores, ego quotidie vos in templo video, vobísque tanquam intimis familiaribus meis nō solum prædicatio mea, sed etiam omnia alia beneficia mea præsto sunt. Potestis enim à me & doctrinā & cætera quasi vestro iure postulare. Sinite tamen hos pauperculos in summáque miseria constitutos publicanos & peccatores ad me venire. Sūt enim fratres vestri, & ego pater illorum, omniúmque vestrum sum, & omnes à me valde diligimini. Isti salutem suam curantes ad Deum conuertuntur, audiunt sermonem meum vt calleant, quid sibi pro consequenda salute sit faciendum. Epulari igitur & gaudere oportet, quia hic frater vester, hoc est cætus publicanorum & peccatorum mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est. Quare nec vos quantumcunque sancti sitis, dolere debetis, quòd ego hos susceperim benigniter peccatores: sed potius mecum lætari ingentésque gratias Deo agere tenemini.

¶ Iam credo prudens lector quòd intelligis mētem nostram, circa huius parabolæ literalem sensum, à quo in toto hoc opere nunquā discessi: quāuis aliqua etiam quæ sunt in litera condecens est apponere. In primis forsitan scandalum patieris, eo quòd filius, qui dixit, nunquam mandatum præteriui, typum gerat pharisæorum, qui peccatores erant & arrogantes. Nec ex hoc scandalizeris, audies enim in nostro Luca alium pharisæum similia de se ipso arroganter iactare, sicut hic filius senior, Domine (inquit) gratias tibi ago quòd non sum sicut [Luc.18] cæteri hominum, raptores, adulteri, sicut hic publicanus. Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Hoc idē ait iste filius senior, sicut pharisæus dicebat, nunquam mandatum tuū præteriui. Et si replices quòd verò iustus erat, quia pater approbauit sentētiam eius dicēs, fili tu semper mecum es, & semper cum Christo esse iustorū est. Iā dixi tibi quòd Christus nunc non vult exasperare pharisæos, sed supposito hoc falso, videlicet quòd iusti sint, procedit argumentum, arguens eos ratione, ostendens quòd quanuis iusti sint, nihilominus tamen errant murmurantes, quòd Christus peccatores suspiciebat. Cùm dicit, tu semper mecum es, vocat eos iustos: non quòd iusti sint, sed quia iusti existimabantur. Sic etiam loquens [Matth.9] cum eis, & de illis dixit alibi. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Vbi pharisæos vocauit iustos, non veni vocare iustos, id est, confidentes in sua iustitia, sicut pharisæos, quibus Christus hæc dicebat, & quales erant illi de quibus Paulus, ignorātes Dei [Rom.10] iustitiam & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: sed peccatores, desperantes omnibus viribus & conatibus suis, totóque desiderio suspirantes gratiam. Cōfidebant Pharisæi in sua iustitia sicut hic filius senior, qui propter suam ceremoniarum obseruationem & hypocrisim æstimabantur iusti à populo, & ideò Christus vocat illos iustos iuxta populi reputationem. Mos enim scripturæ est vocare res, non ex substantiis earum, sed ex æstimatione, & apparētia. Sic Ezechiel dicit, quòd [Ezec.13] est factus sermo dicens ei. Vaticinare ad prophetas Israel, prophetas falsos vocat prophetas, non [Reg.18] quod essent, sed quia vulgus putabat eos esse prophetas. Isto modo sæpè vocat scriptura prophetas Baal: sicut Paulus appellat prophetam, Epimenidem, [Tit.1] poëtam Cretensem. Sic etiam in euangelio [Luca 2] dicit Lucas de Ioseph, quòd erant pater eius & mater mirantes: vbi Ioseph, vocatur pater Christi. Et Maria dixit filio Iesu: pater tuus & ego, &c. vocans patrem Christi Iosephum, cùm non esset pater verus, [Matth.24] sed quia existimabatur. Sic etiam Christus dicit quòd stellæ de cœlo cadent: quia existimabit

Gen. 18 populus quòd cadent. Similiter in Genesi, illi angeli qui Abrahæ apparuerunt vocantur viri: non quod essent viri, sed quòd viri videbantur. Lucas etiam in Actis loquens de ascensione domini, vocat angelos viros dicens, Ecce duo viri astiterunt *Act. 1* iuxta illos in vestibus albis. Et alia sunt innumera loca horum similia in sacris literis, vbi vocâtur res non secundum existentiam, sed secundum apparentiam, & æstimationem, quæ breuitatis causa nolo hic citare: & quia iam de his disseruimus in capite quinto huius, super illud, nō veni vocare iustos sed peccatores. Isto modo iusti hic vocantur pharisæi, argumentationis gratia: & vt argumentum procedat. Itaque hic frater maior, hoc est cętus pharisęorum & scribarum, eorum more fratrem peccatorē despicit & contemnit: sicut ille qui orans despiciebat publicanum in templo, & sicut isti pharisæi cū quibus Christus loquebatur, despiciebāt eos. Quare hic maior filius, mores pharisæorum expressissimè repræsentat tam cùm dicit nunquam mandatum tuum præterivi, quàm minorem natu fratrem contemnens, patrique suo iniustè succensens.

Quare si rectè animaduertas inuenies profectò in hoc fratre maiori ingenium pharisæorum simillimum: & quod nunc ait Lucas, quòd cōquestus est *Luc. 18.* de patre, & quòd indignatus est, respondet ad illud quod anteà dixerat in initio huius capitis, quòd pharisæi murmurabant de Christo, eo quòd recipiebat peccatores, & ideo hæc murmuratio istius filij senioris non fuit admiratio, vt aliqui putauerunt, sed vera murmuratio ex impietate procedēs, sicut verè murmurabāt scribæ & pharisæi de Christo, eo quòd recipiebat peccatores, confidebāntque in sua iustitia, sicut hic filius maior.

¶ Obseruandum quoque hic est, quòd duo dixerunt hic pharisæi murmurantes de Christo: primū quòd recipiebat peccatores, secundū quòd mâducabat cum illis. Si primum tantummodo dixissent, breuior esset hæc parabola: nam postquam dedit calceamentum filio prodigo, statim diceret, quomodo venit filius senior & murmurauit de patre, hac tantum de causa, quia filium peccatorem recepit. Sed quia Pharisæi addiderant secundū, videlicet, manducat cum illis: hac ratione introducit filium seniorem dicentem, Occidisti vitulum saginatum. Et vt etiam responderet Christus huic secūdæ obiectioni, dixit in parabola, quòd pater fecit conuiuium, quod conuiuium non poneretur in parabola nisi Christus anteà cum peccatoribus manducasset si isti pharisæi non dixissent murmurantes, quòd Christus comedebat cum peccatoribus. Ad hoc igitur secundum de manducatione cū peccatoribus oportebat respondere, idcóque hæc parabola maximam in se habet perfectionem, & nihil superfluum cōtinet, nihilque ad ornatum ponitur: sed omnia principali intento correspondent, & adinuicem connectuntur. Idem autem responsum quod filio maiori dedit, dedit etiam Christus pharisæis illis sub hac metaphora respondens. Et ita his tribus parabolis terminatis & conclusis imponit noster Lucas extremam manum sermoni & capiti. Quòd si nihilominus his non obstantibus quæ diximus, velis instare, filium maiorem verum & iustum esse, asserens, ea quę responsa sunt pharisæis, adfers, quod iniurium est, vt Christus videlicet abs te loquatur: parabolásque proposito quòd intendit non applicet. ¶ Verū si quæras à me quid significet vitulus & quid per vitulum intelligā, breuiter respōdebo dicēs quòd significat vitulū: & nihil aliud respōdebo. Quod si literam inspicias in proposito, quid aliud significet non facilè reperies: sin quid aliud per illud volueris insinuare, opus est vt à literali sensu discedas. Posuit enim Christus in hac parabola vitulū, symphoniam & chorū, vt ostendat magnum gaudium, & quasi tripudium fieri in cœlo in conuersione peccatoris, Christóque esse iucundissimum conuiuium paschâque celeberrimū cum peccatoribus cibum sumere. Pullū gallinaceum, gallinâ vē, hædum, aut arietē occidere, solenne festū non faciebat: erat enim nimis tritum & vulgare. Verū vitulum occidere, præsertim paschalem, & saginatum apud Iudæos solēnissimum erat, quod in pascha illi, aliisque diebus festis maximis faciebant. Sic Abraham cum vidit illos tres angelos, vt eos latius & opulentius hospitio susciperet, gregē adiit, & occidit vitulū tenerrimū. Idē mulier illa fecit pythonissa, quæ cum regē Saulē domi suscipiens suæ, se tanto honore affectam videret, paschalem vitulū occidit. Hi enim vituli, ita molliter educati, & in deliciis habiti: apud Iudæos non nisi solennissimis festiuitatibus mactabātur. Quare nihil aliud Christus dominus noster voluit significare, per hunc vitulū saginatum, symphoniā, & chorum nisi quantum perciperet gaudium cum peccatoribus discumbens & manducans, quod summam festiuitatem, summamque lætitiam, & voluptatē indicabat. Vt autē exaggeraret huius festiuitatis pretiū, & valorem posuit vitulum saginatū & chorū, summâque alacritate dixit, Manducemus & epulemur. ¶ Denique neque prætermittendum silentio arbitror illud quod ait, quòd filius senior erat in agro, & quòd venit ex illo. In hoc insinuat saluator quòd sicut ille erat in villa & in agro occupatus circa terrena & temporalia, & ideò non approbauit ea quæ bonus pater faciebat: sic isti pharisæi, qui erant auari ignorabant quæ sunt spiritus Dei, & nō intelligebant quanta benignitate essent peccatores suscipiendi. Et quia de rebus terrenis tractabant, & erāt occupati & intenti rebus istis corruptibilibus, non intelligebant nescientes Christi officium esse, suscipere peccatores: & ideo murmurabant. Sic etiam alibi cùm Christus dissereret de virtutibus, dicit euangelista quòd audientes hæc pharisæi, qui erant auari deridebant eum.

Confitendo [illegible] in librandum [illegible].

Genes. 18

1. Reg. 28

¶ Hoc est quod pro meo captu ingeniique tenuitate circa sensum huius parabolæ literalem dici posse comperio, ex qua more meo solito, doctrinā eliciam, ad mores instituendos consentaneam, in vero literæ sensu quē hactenus dixi, perpetuò vbique persistens, doctrina tantummodo ex ipsis literæ visceribus, quî potero aptissimè deriuata. Secūdum quam literam minor filius, peccatorē à domo Dei aberrantē, & discedentē propter mortale peccatū, repræsentat, ad publicanósque & peccatores à Christo domino nostro refertur. Hic igitur continetur primū quomodo minor filius accepto patrimonio domo patris sui discesserit. Secundum quod nō solū discesit à paterna domo, sed abiit in regionē lōginquā. Tertiū quomodo dissipauit substātiā suā luxuriosè viuēdo. Quartū fames quā passus est. Quintum quomodo peccator se applicet dæmoni aut vitio in quod natura sua procliuior est. Sextum miseria & turpitudo peccati, cū porcorum gregem custodiret. Septimum mira peccatorum conuersio.

Luca 16 Parabole diuisio.

sio. Octauum infinita Iesu Christi misericordia suscipientis benigniter. Nonum maxima celebritas quam exercet Christus vniuersúsque chorus cœlestis in conuersione peccatoris. Decimū & vltimum quomodo dominus noster peccatorum sit præsentissimus aduocatus, respondeátque constantissimè contra arguentes. Sed iam singula hæc discutiamus. Ait ergo noster Euangelista. *Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri.* Miro ordine hæc parabola filij prodigi ponitur tertio loco. Nam cùm de iustificatione impij, hæ tres parabolæ loquantur, primum & ante omnia vt meritum Christi præcedat necesse est: sine quo omnis nostra actio quàlibet in specie bona, nihil est. Nemo enim venit ad patrem nisi per Christum, qui vnicus mediator est, inquit Paulus, inter Deum & nos. Ideo in similitudine de bono pastore primo loco stat: nam si ianua est ad salutem, merito primo de seipso loquutus est. In prima & secunda parabola multa fecerunt pastor & mulier, & nihil ouis aut drachma. Quia autem nō sufficit Dei voluntas nec passio Christi vt peccator consequatur vitam æternā, si ipse non fecerit aliquid, quia oportet vt & ipse addat operam suam, partésque suas obeat, additur hæc tertia parabola: vbi docemur quòd peccator cum filio prodigo seipsum consideret, seipsum agnoscat, suam miseriam deploret, & de peccatis resurgat: ad Deum patrem suum currat, peccata sua humiliter confiteatur & suppliciter veniam & misericordiam imploret. Hoc peccatorem in iustificationem sui facere necesse est: qui enim creauit illum sine ipso, non iustificabit illum sine ipso. Homo itaque iste Christus est qui duos filios habuit hoc est peccatores pœnitētes, & alios se iustos simulantes, vt iam in literæ expositione ostendimus. Vterque appellatur filius creatione. Per filium adolescentem nō modo cætus ille publicanorum & peccatorum, sed quicunq; peccator intelligitur. In hac enim parabola, satis ostenditur in illis publicanis & peccatoribus, quomodo homo per peccatum à Deo discedens in plurimas incidat miserias & calamitates. Adolescentior itaque peccator hic est, non ætate sed moribus, non annis sed defectu sapiētiæ, & hinc ad insolentiam & peccata procliuior. Optimè igitur dicit adolescentior, nam si erat adolescens in ætate, multò adolescētior erat in iudicio: moribus inquam & leuitate adolescens erat, licet non esset in ætate. Multos enim senes inuenies qui iuuenes sunt in habitu, incessu, in verbis, & in moribus, plerosque videbis amantes, politos, adeoque ornatos, ac si vigesimumquintum agerent ætatis annum. Alios, ædificiis rebúsq; suis administrandis, & ambitionibus, publicísq; reipublicæ muneribus adeò districtis, quasi heri vel nudius tertius in lucem essent editi. Mundus eos repellit & dimittit: ipsi verò nunquam se respiciunt, vt mundum deserāt, & se in Dei cultum recipiant, reliquum temporis, quod sibi est vitæ. Hos vocat propheta Esaias pueros centū annorum. Alij autem sunt iuuenes ætate, sed senes in moribus: vt fuerunt Ioseph, Dauid, Daniel, & Samuel. Vnde Dominus ad Mosen ait, Congrega mihi septuaginta viros, quos tu nosti, quod senes populi sint. In quo puncto senes non vocātur cani, sed religiosi & prudentes. Si enim Deus tantummodo de senibus canis verba faceret non diceret quos tu nosti, quod senes sint: sed absolutè dixisset congrega septuaginta senes ex Israel. Illos voluit Deus eligere quos sciebat Moses, & experiētia cognouerat, viros esse virtuti deditos, sapientes & morigeratos, licet iuuenes essent ætate. Hos Deus vocat senes. Eodem modo Christus redemptor noster hic volens ostendere leuitatē & stultitiam peccatoris, eum adolescentem vocauit: nam vt plurimū adolescentes parum sciunt, quia pauca experti sunt, quare vt eius inscitiam notaret, adolescentiæ nomine vsus est. Nam vt dixi, adolescentes inscij sunt suarū rerum, inopésque consilij. Si hic domum patris sui deseruit, & se iuit perditum, causa stultitiæ suæ id fecit: quare quilibet adolescens, senex sit ætate. Omnis homo qui prudentia, ad vitæ suæ actiones dirigendas, caret, verus adolescens aut puer est. Ex hac iuuenili ætate prouenit inscitia, quæ vna causa est nostri errati. Propterea (dixit Esaias) captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiā. Et Dauid in Psalmo. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant: & mouebuntur fundamenta terræ. Quare Moses cōdolens populo precatur dicens, Vtinam saperent & intelligerēt, & nouissima prouiderent. Hanc autem adolescentiam seu inscitiam peccatorum deplorabat mundi saluator dicens, Quoniam si cognouisses & tu in hac die quæ ad pacem tibi. Pueri futura non curant, tantum enim præsentia considerāt: ideo Paulus passim precatur & optat fidelibus vt cognitione Dei repleātur: nam vbi consilij nulla copia est, facilè in errorem adducitur homo. Eam ob causam promisit Deus in veteri lege daturum, ac missurū se doctorem iustitiæ: iuxta quam sentētiam in persona Dauidis quoq; dicit. Intellectū tibi dabo, & instruante in via hac qua gradieris. Non est igitur mirum si Deus deseratur ab iis, quibus notus non est: qui verbum Dei, nec audiunt nec habent, qui nihil de Deo sciunt. Per ætatem filius prodigus intelligere non poterat, quanta facultas fruendi erat in paternis laboribus, postcà tandem vexatio dedit intellectum, & sensit damnū. Sic nos Deum derelinquimus, & in vitia labimur, quia nō prospicimus quāta mala inde proueniant. Quemadmodum accipiter nisi compede ligatus teneretur opertisq; oculis, cohiberi non posset, quin frequētissimis insultibus superas cœli auras peteret, euolaréque etiam cum pedum iactura & afflictione niteretur: ita & tu nisi oculis opertis huius mundi caligine cæcutiens, libidinibúsque astrictus tenereris, stare non posses, in exosis omnibus mūdi voluptatibus quin velocissimis in cœlum cogitationum, operumque pennis raperesis. Cecidit hirundinum stercus in oculos Tobiæ dormientis, & cæcus factus est: quæ hirundines in veris initio canunt: & statim auolant laténtque. Idem habet & hic mundus ingenium, vt breuissima demōstrata voluptate, quæ miseros homines sui amore præpeditos posteaquam cæcos efficit, suorum bonorum terrenorum stercore, statim auolat & euanescit, vt est apud Diuum Paulum. Omnia enim breuiter transeunt, huius vitæ cōmoda & voluptates: sub quibus qui incauti dormiunt, tandē oculis capti efficiūtur, mentísq; caligine demersi in infernum mittuntur. Omnes enim peccatores in peccatis suis permanentes oculis carent, vt lucem Dei videant tenebrásq; quibus inuoluuntur effugiant. Aperiamus igitur animarū nostrarū oculos, vt ignorantiā teterrimū inferorum monstrum propulsemus. Quanquam enim multa sint pec-

Ioan.14 | 1.Tim.2 | Adolescentior plus quam | Esai.65 | Nume.11 | Senes nō ætate sed cōsilio.

Ignorantia, malorum omnium fundamentum. | Esa.5 | Psal.81 | Deut.32 | Luc.19 | Ioel.2 | Psal.31 | Esa.28 | Tob.2 | Phil.3

cata fragilitatis, multa etiam malitiæ: tamen verissimum est, ignorantiam omnium malorum & flagitiorum esse fundamentum & principium. Ignorato enim Deo maximóque virtutis præmio incredibilíque peccatorum supplicio, facilè omnes in malum labimur. Ergo si consideraret homo quid esset Deus, quantúmq; peccatorum causa amittat, infernísque tormenta & cruciatus horrendos, non peccaret. Verùm quia in iudicio adolescens est, carétque Dei notitia, in peccatum labitur. Ideo Philosophus dicit, quòd omnis malus est ignorãs, quia nullus peccat nisi quia quid perdat nõ videt. Ideo nihil aliud nobis restat nisi vt dominum cum Dauide rogemus. *Psal. 12* Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiã in morte. Et alibi. *Psal. 118* Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Petamus à Deo iudicium, canitiem senectutémque veram, quæ scientia Dei est: ne eum derelinquamus, cum eo permaneamus, domi eius habitemus, illius mandata custodientes, &c.

Confidentia in propriis viribus nos à Deo facit recedere.

¶ Secundum, quod habent iuniores est, quod confidunt præter modum sibiipsis, ingenio, viribúsque suis, existimantes se iam esse tales, vt per se rem suam tenere & administrare possint. Et hac de causa recessit hic a domo patris, confidens in proprio ingenio & virtute. Et putant se omnia scire & posse. Propria confidentia multorum causa est, vt à Deo recedant. Istis loquitur dominus in Apocalypsi. *Apoc. 3* Dicis quòd diues sum & nullius egeo, & nescis quòd miser es, & miserabilis: & tu pauper, & cæcus & nudus. Quàm parum autem possit homo sine Dei gratia & auxilio infrà in isto filio prodigo videbimus. Nos verò in hoc loco discamus in hoc filio prodigo quid auertat nos à Deo, nempè inscitia & confidentia proprij ingenij. Vidisti Petrum in suis viribus præsumentem atque dicentem: etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego autem nunquam scandalizabor. *Matth. 26* Sed quia propriæ confidebat virtuti, a muliercula quadam superatur. Sic etiam & Dauid dixit. *Psal. 29* Ego dixi in excessu meo, non commouebor in æternum. Et subdidit. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Atque ideo posteà vtpote qui in seipso expertus fuerat in illos illudit, qui nõ omnem suam fiduciam in Deo constituunt. *Psal. 51* Ecce homo qui nõ posuit Deum adiutorem suum: ego autem speraui in misericordia Dei, in æternum & in sæculum sæculi. Et alibi de peccatoribus etiam ait, *Psal. 48* Qui confidunt in virtute sua. Sed iam hunc stultum adolescentem patri loquentem audiamus. *Pater da mihi portionem substantiæ, quæ mihi contingit.* Ista substantia rationalitas est; quam arbitrij libertas comitatur. *Libertas conscientiæ amictæ quæ fuit quam tũ mali effeciant.* Sine me pater viuere pro meo arbitrio & libidine, vt quæcunque mihi placita fuerint faciam. Omnia autem mala & incommoda quæ in orbe videmus, ex altero duorum malorum oriuntur, vel ex eo quod volunt homines suo arbitrio cuncta gerere: vel quod præceptis diuinis obtẽperare contemnunt. Petitio autem huius adolescentis adeò peruersa & irrationabilis fuit, vt insanior esse non potuerit. Voluit enim similis esse Deo, *Eccle. 15* initium autem omnis peccati superbia est, & qui illam habuerit, maledictus. Hac inuaserũt omnia peccata mundum. Vult hic proprio arbitrio & iudicio se gubernare, patris liber præceptis. Hic idem amor proprius in nobis, quo contra Deum, eiúsque præcepta vtimur, causa est omnium malorum, amor enim proprius iudicium peruertit, rationem offuscat, intellectum obscurat, voluntatẽm inficit, viámq; salutis obstruit. Homines enim huiusmodi amore implicati nec Deũ agnoscunt, nec proximum diligunt, neve virtutẽ quærunt, sed honoribus tantummodo curandis, mundíque gloriæ peruestigandæ operã nauant: quorũ insania in hoc potissimũ consistit, quòd existiment se proprio iudicio, & arbitrio posse viuere, sine auxilio aut industria patris sui cœlestis. In Pelagianam hæresim incideret ille qui assereret, quemlibet rationis vi, liberóque arbitrio adnitẽte vitam æternam per seipsum sine Dei auxilio posse cõsequi. *Pelagiana hæresis.* Causa autẽ huius effusissimæ libertatis, quam impij homines cupiunt, est vt pro libidine sua à patris sui præceptis liberi viuere possint: nam reuera nemo viribus arbitrij sine Dei gratia saluari potest, nec etiam se ab omnibus tentationibus tueri. Nam etsi per peccatum, liberũ hominis arbitrium nõ tollatur: nihilominus tamen adeò imbecille & infirmum, deprauatúmque mansit, vt paucissimis tentationibus resistere possit, sicut nauis clauo amisso in medio maris constituta, quocũque vel minimo flatu, huc, illuc impellitur. Sic hoc nostrum liberũ arbitrium post peccatum mortale nisi iam per pœnitentiam fuerit confirmatum, adeò infractum, & vacillans efficitur, vt vel leuissimo carnis, mũdi, aut diaboli pulsu nutet & contremiscat. Nam liberũ arbitrium ante lapsum poterat ex gratia accepta benè viuere, & non peccare vnquam, & idcirco non indigebat tunc gratia Christi miserantis, & ad pugnãdum & vincendum adiuuantis. Sed post lapsum factum est miserum, seruituti peccati & damnationis obnoxium, à quibus malis non potest liberari nisi per gratiam Christi redimẽtis. Nec per hoc auferimus ab arbitrio hominis suam libertatem, quia liber est in deliberãdo, in iudicando, & consentiendo. *Homo post peccatum nõ perdit lib. arbitrium deliberandi, iudicandi, & consentiendi, sed potestatẽ bene operandi.* Peccator enim per peccatum perdit vires, & potestatem: non tamen libertatem, quæ consistit non in eo quod possit bonum facere, sed in eo quod consentire vel non consentire aut velle, aut nolle possit bonum vel malum. Vnde saluator, *Ioan. 15* Sine me nihil potestis facere. Potestatẽ hîc tollit, non libertatem, nec etiam quamuis Deo subiiciatur, adimit ab illo Deus aliquam libertatem. Exempli gratia, Nutrix infantem docet ingredi, cúmque quo vult tendere permittit. Sed tamen fragilitati, infirmitatiq; illius diffidens illum manu deprehensum, vsquequaque sustinet progrediẽtem. Dic igitur mihi, infans hic, nonne liber est eundi quo velit? certum est quòd sic. Nutrix dicere non poterit, fili sine me nihil poteris facere? certum est quòd sic. Nam etiamsi nutrix eum incedere quo velit liberè permittat, tamen si manu mitteret illum, profectò infans cum se sustinere ob pedum instabilitatẽ diu non posset, caderet. Eodem modo homo post peccatum, adeò viribus effœtus manet, vt sine Dei auxilio, nec vitam æternã impetrare, nec consistere in virtute possit. Item sicut infans hic, cetera liberè gradiendi libertate, nutrici tamẽ substat, ita & liberũ arbitriũ etsi liberũ, Deo subiectũ est. Rursus, vt infans post ruinam factã habet libertatẽ vel gradiendi vel sedendi: attamen sine auxilio nutricis surgere nõ potest. Eodem modo, & homo, qui in peccatũ lapsus est, libertatem habet se eleuandi à peccato, vel in peccato manendi, admittendi, vel non admittendi Dei inspirationes, dæmonisve suggestiones: caret tamen viribus gratiæ: sine quibus nec erigere se, nec

se, nec viam virtutis ingredi potest: tanquã infans, qui nisi manu ducatur rectà incedere non potest. Præterea quemadmodum posset infans hic, licet manu duceretur nutricis, incedere nolle: ita & peccator potest in peccatis suis immorari, licet diuina manu corripiatur ad salutem. Ex his colligimus primò quòd mala ex nostra tãtum fiunt voluntate: & quod bona fiunt ex nostra voluntate simul, & Dei adiutorio. Hic puer, per se solum, se prosternit humi, sedétq; sine vllo nutricis adiumento: verùm vt incedat, motu pedum nutricisque auxilio indiget. Sic etiam & eodem modo se habet peccator posteaquam semel lapsus est in peccatum mortale. Secundò quòd liberum arbitrium liberum sit, subiectúmq; Deo sine vlla implicatione contradictionis. Tertiò quod homo post lapsum Adæ, filius iræ natus, & in peccato conceptus liberi arbitrij viribus, sine Dei gratia non possit surgere à peccato, nec Dei præcepta adimplere. Et quod magis est, quod quãuis gratiam Dei sit assequutus, & remissionem peccatorum, idoneus non est tamen ad superandas diaboli insidias & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adiutorium, perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. Ex quibus patet quod cùm homo ex seipso tam parum posset, maxima sit temeritas de se ipso nimis præsumere, viribus suis confidere, proprioq; nutu se regere & gubernare velle. Ita hic filius prodigus stulte nimis, puerique more patri suo dixit, vt sibi suo arbitrio viuere liceret, & vt se pro libidine sua vitam agere concederet, siquidem liberum habebat arbitrium. Deus tamen neminem inuitum ad salutem dicit: sed permittit, vt vnusquisq; in libertate viuat, iuxtáq; propriæ rationis dictamen, aut iuxta libidinem suam: quapropter sequitur hîc in literæ contextu. *Et diuisit illis substantiam.* Dat nobis Deus rationem, vt liberè vtamur tanquam nostra substãtia, dat autem omnibus ex æquo, omnes enim ex æquo rationales sunt & æquè liberum habent arbitrium. In hoc enim elucet humani libertas arbitrij: quod pater nec discedere volentem tenuit, nec manere cupienté cogit abscedere. Vnde in
Eccl.15 Ecclesiastico habetur, Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu cõsilij sui: adiecit mandata & præcepta sua. Apposuit illi aquam & ignem ad quod voluerit porriget manum suam. Neminem itaq; cogit, nec vult aliquem astrictum esse quin possit recedere cũ voluerit, donat etiam cum arbitrij libertate alij ingenij splendorem, alij scientiam, alij fortitudinem, &c. *Et non post multos hos dies.* Animus humanus naturalibus suis donis, non potest diu inniti, sed quamprimum labascit, vbi Deus abstrahit manum suam. Prauum cor ho-
Ierem.17 minis, (ait Ieremias) & inscrutabile. Hinc Esaias,
Esa.57 Cor impij quasi mare feruens. Satanas etiam non dormit, vt exponat hominé quem videt Dei auxilio destitutũ. Qui nihil rei vult sibi esse cum Deo, haud diu quietum illum sinit diabolus, quin statim occupatum illum reddit negotio aliquo quod Deo non probatur. In primo nostro parente hoc clarè
Genes.3 verificatum est: quem Deus optimè condiderat, & pulcherrimis donis ornauerat, relictum in manu consilij sui, hostis non cessabat, donec in peccatum præcipitauit. Hoc sibi vult particula hæc, non post multos hos dies. Quid autem facit filius prodigus audi. *Congregatis omnibus.* Donis naturalibus, scientiis, diuitiis, &c. putabat iam sibi opibus ita prospectum esse, vt nulla calamitas animum eius solicitare posset, ac proinde impossibile esset aduersam fortunam in se vllam potestaté habere posse, sibi persuadés facultates istas perpetuo duraturas. Quid autem accidit? Sic superbire incepit potentia elatus, vt dereliquerit domum paternam, & confidens in diuitiis & in proprio ingenio, omnia cœpit consumere. ¶Obserua autem quomodo superbiat *Opes irritamenta malorum.*
congregatis omnibus diuitiis. Sic qui abundãt his donis, & bonis mundi huius, ducũtur in interitum.
Sic Saul qui bonus & humilis erat in domo patris, 1.Reg.9
in statu communi: postquam diuitias obtinuit, & potentatus superbè egit, dominum dereliquit, &
multa mala operatus est. Sic etiam Dauid qui bonus erat, cum erat pastor, & in persecutionibus 1.Reg.15
Saulis: postquam Deus dedit illi requiem ab omnibus inimicis rapuit Bersabeé vxorem Vriæ, & Vriam occidere mandauit. 2.Reg.11
Sic iste filius prodigus, qui anteà sub obedientia patris humilis erat & bonus, postquam se diuitem vidit, & omnia sua congregata, superbire cœpit. Discamus diuitias huius vitæ, honores, & vana contemnere. Hic enim diuitiarũ, honorúmq; status periculosissimus est, præsertim incautè viuẽtibus, nam tantũ est periculum quanta est negligẽtia. Quamplurimos vidimus homines religiosos, Deúmq; timẽtes qui elati in prælaturam vel in alium gradũ dignitatis effusius viuentes superbi facti sunt. Quare huius mundi prosperitaté instar maximæ alicuius calamitatis effugere debet. In montibus Gelboë interierũt nobiles 2.Reg.1
Israel: ita in honoribus & prosperitatibus huius sæculi, virtutes vitã perdunt. Nauigatio multò est periculosior in aquis fluuialibus, quàm marinis. Ita magis salus tua periclitatur, dum in prosperitatibus, delitiis, & opibus versatur quàm in aduersitatibus, & tribulationibus. Prosperitas prima facie sua uissima apparet, & quod peius est, carnis importunissimæ vicinæ auxilio sustentata, animã fortius inuadit. Cum igitur secundam fortunã habueris, cogita aduersam quã primũ reflaturã, & sic prosperitate nó quasi certa, sed quasi cómodata vteris. Hoc auté in hoc filio prodigo apertius videre poteris: qui opibus suis, prosperitate & iuuẽtute nimis lætus paulò post superbia sua in ingenté deuenit egestatem & miseriã: Non ergo fidendũ est huius mundi prosperitati. Fœlix videbatur sibi Aman, cũ Assuero regi gratiosus erat: attamé eo die quo maius
gaudiũ habebat inuitatus à Regina Hester ad sup- Ester 9
pliciũ ductus est, ibíq; suspensus eiúsq; domus di- Exod.14
ruta. Hoc idem accidit Pharaoni, & Senacherib: 4.Reg.19
qui maxima expeditione cũ Hierusalem obsedisset, Tob.1
posteà tamé profligatus, centũ octuagintaquinque suorũ millibus amissis fugit, à filiisq; suis pugionibus cõfossus animã efflauit. Insaniés igitur filius hic prodigus diuitiis & fœlicitate summa in qua se constitutum videbat, libertatis cupidus quid faciat vide. *Adolescẽtior filius peregrè profectus est.* Quis præcepit huic adolescenti, vt discederet? Quis domo eiecit illum? Non eum misit pater in exilium, non expulit domo: sed ipsemet à nemine expulsus sponte sua aut potius leuitate abiit & reliquit domũ paternam. In hoc digressu filij à patre agnosce discessum liberũ & voluntariũ peccatoris à patre cœlesti, & separationem illius ab eo, qui neminem deserit nisi priùs ipse deseratur. Ex quo patet quòd causa peccati est propria voluntas: & non Deus, nec diabolus, aut caro, vt multi peccatores excusantes

cusantes excusationes varias in peccatis solent di-
Psal.140 cere. Non repulit pater hunc filium, sed ipse spon-
Psal.118 te sua abiit. Ideo Dauid in Psalmo. Spreuisti om-
nes discedẽtes à Iudiciis tuis. Iam hic vides quo-
modo mali discesserũt à iustitiis Dei: atq; ide spreti
sunt à Deo. ¶ Præterea obseruandum est quomo-
do iudex & origo totius mali est auersio à Deo:
hoc est, primum & omnium maximum malum, ad
quod etiam maius malum respondet, quod est ca-
rentia diuinæ visionis. Sicut enim peccator ex
malitia voluntatis suæ se auertit à Deo, per malum
culpæ: sic Deus auertit faciem suam ab eo, qui ab
illo auersus est, quod est omnium maximum ma-
lum. Hinc cæteræ pœnæ oriuntur. Proficiscitur pec
cator peregrè, longè à domo paterna se auertẽs ab
incommutabili bono, & adhærens creaturæ: quam
pluris facit quàm Deum, omnis enim peccator
creaturã pluris quàm Deum æstimat, vnde ortum
Psal.61 habẽt omnia peccata. Ideo Dauid in Psalmo dixit,
Mendaces filij hominum in stateris. Filij hominũ,
si iuxta naturam suam considerentur mendaces
sunt in stateris. Quid ais sanctissime Dauid? omnes
ne homines lanij, tabernarijve sunt vt falsa ponde-
ra faciant omnes, quia in ponderibus omnes men-
tiuntur? Nullus in peccato est, qui centies vapulare
dignus non sit pro ponderũ falsitate. Pondus enim
falsum nihil aliud est, quàm libram facere ex eo
quod libra non est. Ponunt enim in statera alia in
parte Deum, alia verò in parte libidines, emolu-
mentáq; sua, Deúmq; in pondere leuiorem faciunt
commodis suis. Hoc demũ est pondus falsum face
re. Hic filius prodigus vniuersiq; peccatores dum
peccant, Deúmq; amore terrenorum relinquunt,
pondus faciunt falsum. Ponis sensualitatem, car-
nísque amorem, in altera stateræ lance, Deum verò
in altera: & dicis quòd pluris pendatur, plurísque
æstimetur sensualitas: carnísque amor quàm Deus.
Et non modo hoc, verumetiam & addis, malo hoc
quàm vitam Dei, cum teneatis Deum super omnia
amare, impudenter ais, cum mortaliter peccas, ma-
lo hoc, quàm vniuersa quæ Deus mea causa fecit.
Eo modo igitur quo pondus fuit falsum, peccatum
mortale committitur: mortale autem peccatum
committere, est a Deo discedere, propria domo re-
Esa.59 licta, vt hic filius prodigus fecit. Vnde Esaias, Ini-
quitates inquit, vestræ, diuiserũt inter vos & Deum
vestrum. Iniquitas autem est pondus falsum face-
re, cum in oculis peccatoris pluris penditur terræ
Prou.11 stercus, quam Deus. Ideo Salomon in Prouerbiis.
Statera dolosa abominatio est apud Deum.
¶ Obserua etiam quòd pondus falsum, altero
duorum modorũ fit: vel quòd celeriter prædatur,
vel quòd altera stateræ lanx grauior sit, aut quòd
examen non sit ab vtraq; parte adæquatum in sta-
tera. Hic filius prodigus despexit domum patris
sui, vitæq; blandimẽta quibus ibi abundabat, quia
nimis celeriter pependit, temerè se accinxit, & vt
adolescens nullius experientiæ non considerauit
quid perderet, & quantũ periculum subiret. Non-
dum enim satis discedere cogitauerat, cum nihil
animaduerteret quot essent in via incommoda,
discessit. Quare eo stultitiæ peruenit vt pondus fal-
sum faceret. Nemo igitur celeriter pendat. Vnde
Prou.19 in Prouerbiis dicitur. Qui festinus est pedibus, sta-
tim ruet. Qui nimis festinè se disponit, posteà pœ-
nitentiam aget. Vnde factum est, vt filij Israel vitu-
lum in deserto post tot beneficia à Deo accepta

Graue malũ à Deo se auertere. Sed omnium maximum quòd diuus se auertat à nobis.

Ad mala lẽtè festinandũ, diúque deliberandũ quod semel est statuendum.

adorarent, nisi ex hoc quod venturum Mosem ex-
pectare noluerunt? Existimauerũt enim eum nimis *Exo.32*
in monte immorari: & ideo expectare noluerunt.
Fuerunt festini, nimisq; cito proposuerunt, & sta-
tuerũt factũ suum, & ideò quia nimis celeriter per-
penderunt, pondus falsum fecerũt: pluris pendẽtes
& æstimãtes vitulum quam Deum. Homo peccat,
quia affectũ suum paulisper cohibere negligit do-
nec exitum peccati consideret, malúmq; successum
non vult. Quod si se cohiberẽt, & nõ tanta festina-
tione raperentur, qua neq; malum, neq; incommo-
dum animarũ suarum respiciunt, non tãta amentia
in peccata incurrerẽt. Ideo Dauid, Cõsideraui vias *Psal.118*
meas, & cõuerti pedes meos in testimonia tua. Ibat
Dauid, vt pẽderet: at quia cõstitit, & prius cõsidera-
uit, quid esset potissimũ factu, noluitq; festinè pen
dere bonũ pondus fecit, & peccauit. Pependerunt
nimis festinãter Betulij, cũ iam de Deo, eiúsq; pie-
tate desperãtes, statuebãt se Holoferni tradere nisi *Iudit.7*
intra quinq; dies sibi subueniretur. Cũ Iudæi adul-
teram illã vt iudicaretur, ad Christũ adduxerũt, in- *Ioan.8*
clinauit se Dominus digitóq; in terra scribere cœ-
pit, innuẽs prius homines negotia omnia iudicatu-
ros, se inclinare debere: digito iudicij considerãtes,
se esse terrã & puluerẽ, eã enim qui habet conside-
rationẽ, peccare nõ audet. Quotiescunq; populus
Israel quærẽs ad Mosem veniebat prisquã respon-
sum reportaret consolebatur Deus à Mose populi *Exod.19*
principe & duce. O si hoc seruaremus quoties vin-
dictæ, honoris vel carnis libidine incesimur, nul-
lum respõsum illis faciẽtes, donec Deũ consulere-
mus. Verũ nos celeriter respõdemus, Deóq; incon-
sulto: & inde facillimè in peccata labimur. Prius-
quam aliquid statuatis de omnibus Deũ consulite:
eiusq; præceptis & cõsiliis obtemperate: ne erretis
perperámq; pendatis. Iosue à Gabaonitis deceptus *Iosue.9*
fuit, quia fidem habuit illorũ mendaciis. Deúmq;
priùs noluit consulere quàm cũ illis negociũ perfi-
ceret. Sic tu cũ nimis citò te disponis mẽdaciis hu-
ius sæculi confidẽs Deo incõsulto, facilè decipiare
necesse est. Ne igitur velociter te alicui rei peragen
dæ accingas: ne effusissimum, quomodo frueris, ri-
sum posteà deplores. Hoc autẽ adeò verum est, vt
etiam bona opera, velit Deus priusquã fiant cogi-
tentur: Ideo Ioannes apostolus ait, Nolite credere *1.Ioan.4*
omni spiritui: sed probate an ex Deo sit. Beata Vir- *Luc.1*
go vt in superioribus adnotauimus, antequam an-
gelo responderet, prudenter considerauit qualis
esset illa salutatio. Immorare igitur ne pondus fal-
sum facias. Ideo in Deuteronomio dicitur. Gens *Deut.32*
absque consilio & sine prudentia, vtinam saperent
& intelligerent, ac nouissima prouiderent. Dauid *2.Reg.19*
quia nimis festinanter mendaciis Sibæ fidem ad-
hibuit, iniustam tulit sententiam contra Miphi-
bosetum. Quãdo aliquis è summa aliqua turri de-
cidit, præcipitauisse se omnes credunt, non tamen
si pedetentim per scalas descendit. Ita & eodem
modo hoc peccatum festinationis præcipitatio di-
ci potest: quoniam altisima hominis pars intelle-
ctus est, infima verò est re præstare quod intelle-
xit. Vnde si tu nulla consideratione præuia re præ-
stare intendis opus quod non excogitasti, & per-
pendisti: nemo dubitat, quin te sis præcipitatu-
rus. Descende igitur gradatim priùs perpendens
semel atque iterum, pedetentímque descendens
per iudicij gradus: ne te præcipites. Hic filius
prodigus, quia non considerauit, à domo patris
sui

sui discessit. Cōsidera ergo peccator quid tibi peccata præsentia & præterita prosint:nihilo enim magis tibi futura proderunt. Reuoca in memoriam te gloriam cœlestem fore impetraturū,si hoc peccatum omiseris,cohibe te,ne celeriter cogites.

¶ Secundum quare homines pondus falsum faciunt est, quia altera lanx trutinæ grauior est magísque onerata quàm altera:& ita inferius propendet obliquo examine. Vnde etiam si quilibet diu pensitando immoretur dum trutina huiusmodi vitio laborauerit,semper pōdus falsum euadet. Cum propria voluntas grauata est & onusta, rerúmque terrenarum amore affecta, facile peccatorem ad se trahit. Achab in bellum proficisci volenti dixit propheta Micheas. Ne facias. Ille verò quadringentos pseudoprophetas conuocauit, qui omnes vno ore illi, vt proficisceretur in bellum persuaserunt:ille autem proficiscens suorum prophetarum monitu, primus omnium interiit. Quando aliquis alicui rei animum addictum & obnoxium habet, eiúsque amori quasi mancipatum, non sufficiunt prædicatorum exhortationes, confessorum monita, vt illum à peccato illo extrahant, ad verámque viam reducant.Habet enim alia ex parte forte non paucos amicos, aliquando etiam doctorem, qui omnes amicitiam vel doctrinā primo aspectu profitentes illum exhortantur vt in proposito crimine,quasi esset virtus maxima,persistat.Si igitur scopum attingere vis, nulláque in re delirare à vera rationis via, depone animi tui perturbationes, & affectiones. Ibat Balam ad maledicendum Dei populum,sed priùs Deum rogauit, iret necne:responsumq; accepit quod sibi venia negabatur, verùm cupidine munerum à Balac oblatorum captus, ire decreuit.Sed tamen asina,qua vehebatur in medio itineris consistens vlteriùs progredi nolebat: ille verò qui eam stimulo,verberibusq; propellere tentabat,angelum vidit, asináque humana voce locuta est. Mirum est hoc affectionis exemplum, quo ostenditur fuisse asinam hero suo sapientiorem. Quoties admoneris ab intellectu ne pecces, ne hac incedas,sicuti Balam ab asina sua admonebatur? At tui intellectum tuum cædis & pulsas. Quoties dictanti tibi intellectui illud, vel illud esse peccatum vt caueas respōdes insolenter illam esse nimis putidam superstitionem,nimiúmque scrupulosam,& ita iudicium tuum verberas,infida contumacia tua. Ideo Ecclesiasticus dicit. Ne vadas post concupiscentias tuas,ne libidinis dictamen sequaris, sed dictamen iudicij & rationis, priùs tamen Deum obseruare debes,dicēs, Deus meus,illumina tenebras meas.Falsa est omnis sententia quæ priùs à voluntate quàm ab intellectu ordinatur. Quia Iudæi dediti erant honoribus & diuitiis, ideo dixerunt, Si hunc dimittimus veniēt Romani,& tollent locum nostrum, & gentem. In iudicio etiam de passione Domini,Christo, & Barabba in bilance cōstitutis, plus pependit Barabbas quàm Christus:quia pluris æstimabatur à Iudæis Barabbæ, quàm Saluatoris nostri vita. Dixisses si ab aliquo fuisses interrogatus Iudæos istos igni sempiterno esse dignissimos:siquidem tam iniquè hominum merita pepēderunt. Si tibi daretur optio vtrum eligeres, Christum an Barabbam? diceres Christum. At si alium Barabbam peiorē elegisses, quid diceres? Atqui hîc vtrū pluris facis Christum an peccatum? Proximo substantiam eripis,animam diabolo tradis, sequitur quod peccatum & dæmonem plusquam Christum amas: sed cum dæmon Barabba multo sit peior,te esse deteriorem multo Iudæis illis, si quidem dæmonem pluris quā Christum facis, necessario concluditur. Cuius mali vera causa & principium est, statera odij vel amoris quæ in voluntate tua constituta pondus adulterinum te facere cogit.Eodem modo & hic filius prodigus pondus falsum fecit, quia huiusmodi lasciuitatibus & luxuriis deditus erat,quæ cum in domo parentis exercere nō posset, maluit libidinem sequi, quàm patri obtemperare, libertatémq; pluris pependit, quàm domus paternæ delicias. Similiter & omnis peccator mauult turpia desideria sua adimplere,carnisq; libidini satisfacere appetitúmque in omnibus sequi quasi subulcus porcos,sic cupidines suas obseruans, quàm amicus Dei factus bonis æternis & nunquam interituris perfrui. Itaq; omnes homines illi qui terrena sectantur, & ea plus diligunt quàm Deum, mendaces sunt in statera.Sed de his hactenus.

3. Reg. 22

Nume. 22

Eccle. 18

Psal. 17

Ioan. 11

Matth. 27

¶ Vsque adhuc de primo principali locuti sumus videlicet quomodo filius hic prodigus discessit à domo paterna per peccatum, pluris æstimans creaturas, quàm creatorem:nunc de secundo principali vt promisimus, nempè quod longè abierit, est disserendum. Secūdo igitur hic filius prodigus non solùm dicessit à domo patris peccans mortaliter, sed longè abiit:quod Euangelista expressit,dicens, *Et abiit in regionem longinquam.* Cùm peccatum nihil aliud sit quàm auersio ab incommutabili bono, & adhæsio ad creaturas:patet quod quilibet peccator se auertit ab eo, atque elongatur, non tamen omnes peccatores qui à Deo absunt, æqualiter distant.Alius enim longiùs est quàm alius,iuxta grauitatem, & magnitudinē, numerúmve criminum. Dum autem hîc dicit Christus, quòd hic abiit in regionem longinquam, significare voluit, illum multis magnísque peccatis se à Deo auertisse. Sic Dominus noster Iesus Christus,de quibusdam peccatoribus, allegans illud Isaiæ prophetæ dixit, Populus hic labiis me honorat,cor autem eorum longè est à me. Non refugiebat eos Christus, qui de cœlo venerat in terra, & præcipuè ad Iudæos,quibus hæc dicebat:sed ipsi voluntate sua se elongauerunt & fugerunt à salute, Venit filius hominis saluū facere quod perierat: sed quia ipsi Barabbam petierunt & Iesum repudiauerunt longè facti sunt à salute.¶ Sed dubium hic oriri videtur,cum Deus dicat. Cœlum & terram ego impleo, & vbique sit per suam essentiam, præsentiam & potentiam: quī fieri potest,vt aliquis longè sit ab eo? Vnde Dauid etiam in Psalmo alloquitur Deum dicens, Quo ibo à spiritu tuo & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descēdero in infernū, ades,si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Igitur si nemo potest Dei conspectū effugere, aut ab eius præsentia distare: quomodo peccator hic procul à Deo est? Dico quod triplex est distantia in omnibus rebus.Prima est distantia localis,qua videlicet decem aut viginti passus distat columna à columna,vel paries à pariete. Hæc igitur distantia localis nō est inter peccatorem & Deum:Deus enim vbiq; est,& ita nihil ita latere potest,vt eius conspectū effugiat: de qua distantia loquutus est Dauid, dicens in Psalmo, Quo ibo à spiritu tuo, &c. Secunda distantia dicitur comparationis vel perfectionis, qua quippiam

Peccatum auersio à Deo, & ad creaturas adhæsio.

Matth. 15

Esa. 29

Matth. 9

Hiere. 23

Psal. 138

piam alio nobilius, doctius, pulchrius, ditius, aut melius est, vt cùm de excessu, quo quis alium excedit dicimus, maxima est inter vtrumque distantia, quia alter alterum longe superet. De hac distantia loquutus est Dominus ad Mosem, Filij qui hodie boni & mali ignorant distantiam ipsi ingredietur, &c. Sapiens quoq; Salomon ait. Non vidit solem, neque cognouit distantiam boni & mali. Ezechiel quoque ait. Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum & prophanum non habuerunt distantiam, & inter pollutum & mundum. De hac secunda distantia, quam vocamus perfectionis, si intelligimus nulla maior dici potest: infinita est enim inter Deum & peccatorem distantia. Verùm hîc nõ agitur de hac distantia, secundum quam tam longè esset bonus à Deo quam malus: Deus enim infinitè omnes creaturas excedit, & omnes creaturæ à perfectione Dei infinitè distant. Verùm est & alia tertia distantia oppositionis, quando videlicet vnum alteri opponitur: vt si sedentibus hic quinque aut sex doctoribus sententiam de quapiam re laturis, & vnus aliquid dicat, cuius cõtrarium affirmet alius: tum demum dicimus, hos inter se distare. Huiusmodi distantia oppositionis est, quia sibi inuicem sententiis suis & voluntatibus contradicunt: nam alter ab altero tam longè est, quantum album à nigro distat: Ita inter duos dissentientes licet corporibus hæreant, dicimus quod magna sit distantia: non inquam distantia localis, sed oppositionis distantia. Hoc modo ergo distat peccator à Deo, per oppositionem, & contrariam voluntatem. Dicit Deus: Honora patrem tuum & matrem tuam. Sed ille respõdet. Non honorabo eos. Dicit Deus, non mœchaberis, respondet autem ille. Volo mœchari, &c. Quando Deus ait, peccator negat: quando autẽ Deus negat, peccator ait. Itaque de præceptis affirmatiuis Dei, facit peccator negatiua, & è conuerso de negatiuis affirmatiua: omnia contra Dei voluntatem gerens, Deóque resistens & contradicens, se eius præceptis opponens. Ideo dicimus illum esse longissimè à Deo. Iuxta Christum erant scribæ & pharisæi illi, dicente Matthæo, Accesserunt ad Iesum scribæ & pharisæi dicentes. Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum: veruntamen de illis ait Christus. Cor eorum longè est à me. Si corpore propè erant, longè voluntatibus distabant: amabant enim quod Christo odio erat, & odio habebant, quod Christus amabat. Cùm autem omne peccatum, vt ait Augustinus sit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei: hinc fit vt omnis peccator à Deo per peccatum discedens hac distantia oppositionis, aut cõtradictionis ab illo distet. Paulus etiam, Peccatum nescirem nisi lex prohiberet. Quia peccator se opponit cõtra legem, à Deo longè distat. Vnde egregius Psaltes ait. Longè à peccatoribus salus. Cur autem longè est ab eis? Reddidit causam alloquẽs Deum. Quia iustificationes tuas non exquisierunt. In eodem quoq; Psalmo dicit, Appropinquauerunt persequẽtes me iniquitati, à lege autem tua longè facti sunt. Recesserunt peccatores à lege Dei, & appropinquauerunt iniquitati: quia cùm vitium & virtus duo extrema sint inter se opposita, inuicémque contraria, quo quis magis recedit ab altero, magis ad alterum extremum accedit: qui autem à lege Dei recedit, quæ voluntas Dei est, necesse est vt à Deo recedat. Vnde iniquitati propinquior fit, quo magis à Deo remotior est: non autem interuallo locorum vt dicimus, à Deo quis elongatur, sed prauitate morum & deformitate gestorum. Vnusquisque enim suis studiis sese adiungit aut separat, ad vtrumuis extremum. Quia peccatores, ait Dauid, iustificationes Dei non exquisierunt, quod longè facti sunt ab eo. ¶ Verùm tria hîc obseruanda sunt. Primò, quid sit à Deo longius distare. Ille enim longius distat, qui maioris præcepti transgressor est, aut maioris alicuius virtutis violator. Longiùs enim recessit à Deo, qui patrem suum iniuria afficit, quàm qui proximũ suum aut vicinum: opponit enim se magis præcipuo mãdato. Plus recedit à Deo, qui proximũ occidit quàm qui vxorem alienam concupiuit: quia maiori præcepto contradicit. Ex hac autem regula, quæ Diui Augustini est, cognoscere facillimè possumus quis longiùs à Deo recedat, si animaduertamus quis contra maiorem aut potiorem virtutem, aut præceptum faciat. Vt si perpendamus, exempli gratia, quis magis peccet, helluo an superbus, considerare debemus vter illorum contra maiorem virtutem faciat: prior contra abstinentiam, posterior contra humilitatem operatur. At istarum virtutum quæ est maior: certum est quod humilitas: ergò plus peccat superbus quàm helluo, & ita à Deo magis recedit superbus helluone, & sic de aliis. ¶ Obserua secundò, quòd quemadmodum qui maiores passus incedendo facit, longiùs recedit ab eo loco, in quo fuit: sic peccator maiora peccata, & sæpiùs comittens remotior fit à Deo. Cùm in gratiæ statu & in Dei amicitia es, si peccas, faciem à Deo ad creaturas auertis, à quo si semel peccas vnum passum ad mundum accedis, si sæpiùs pluribus passibus ad mundum appropinquas. Toties autem peccare potes, aliis peccatis ad alia additis, vt in profundum omnium malorum, vltimúmque Dei contemptum venias: adeò, vt omnium diuinorum sicut missæ, sacræ concionis, diuinarúmque precum tædio capiaris, iuxta illud, Peccator cum in profundum peccatorum venerit contemnit. ¶ Tertiò quamplurimi recedunt peccatores nõ vno ductu, sed pedetentim & paulatim, nam quãuis peccatum in instanti perpetretur, tamẽ quemadmodũ febres, aliæque infirmitates mortem præueniunt: sic peccatum plurimæ animæ ægritudines præcedunt, antequam fiat. Solebas quotidie missæ interesse, sed paulatim ita frigescis, vt paulò post audeas dicere, te ad missam audiendam nisi diebus festis non teneri & ita prætermittis. Vnde fit vt posteà etiam diebus festis audire contemnas, mortaléque peccatum admittas. Paulatim recessit à Deo mater nostra Eua, nam vidit lignum in medio Paradisi quod erat pulchrum visu, & suaue ad vescẽdum: & posteà concupiuit fructum eius, quo decerpto, præceptum Domini trangressa est. Sic Cain, sic filij Iacob, ex parua inuidia quæ in principio nõ poterat esse nisi venialis, tandem paulatim crescente inuidia ad internecionem deuenerunt. Quantum autem malum sit à Deo elongari, testis est hic filius prodigus, qui postquam exiit à domo paterna non inuenit nisi famem & miseriam. Quid habuit Agar extra domum Abraham, nisi laborem? Vnde Psalmista ait, Ecce qui elongant se abs te, peribunt. Sicut pulli incessiti ab accipitre quandiu circumuolant iuxta matrem securi sunt, at si ab ea longè discedant

Marginalia: Deut. 1 · Eccle. 6. · Ezech. 22 · Matth. 15 · Aug. libro. 22 con. Faust. c. 27. · Rom. 7 · Psal. 118 · Prou. 18 · Genes. 3 · Genes. 4 · Genes. 37 · Genes. 16 · Psal. 72

discedant citò capiuntur & pereunt: sic qui à Deo non discedunt custodiuntur ab eo: qui verò lōgius
1.Petr 5 discedunt capiuntur à dæmone, qui circuit, vt Petrus ait, quærens quem deuoret. Ex hac igitur auersione incurrit peccator in multa damna. Ideò de
Gen.4 Cain ait scriptura, quòd egressus à facie Domini habitauit profugus in terra. Inter alia autem mala quinque enumerabimus.

Peccator discedens à Deo Dei magnitudinem nō cognoscit.

¶ Primum est Deum paruifacere, cum procul dubio nihil maius sit, omnia enim illa, quæ eminus videmus quantūcunque magna sint, apparent exigua Radij enim visibiles qui ab oculis nostris procedunt quò longius procedunt angustiores fiunt, donec protinus euanescunt. Si solem intuearis cū sit octies tota terra maior, duorum pedum aut triū mensuram habere tibi videbitur. Quare ergo sol cū tātus sit, tam paruus esse apparet? Nulla alia ratio est, nisi quia longissimè abes ab illo, maxima autē distātia, quæ est inter nos & solem, illius magnitudinem defraudat, eúmque de magno paruum videri facit. Eodem etiam modo ad nostrum propositū, nulla causa est contemptionis tuæ, qua Dei amorē pro nihilo deserere: aut certè pro rebus nullius pōderis & momenti, non dubites, nisi quòd de longè eum aspicis, longéque ab eo immoraris: Pluris enim facis emolumenta tua quàm Deum, cētiésque peierabis, vt mercimonia tua ex animi sententia negotieris: aut etiam vt drachmam vnam lucreris Deum centies prodes & derelinques. Hoc autem fit, quia tam parui Deum facis vt argenteum nummum multo esse maiorem iudices. Bona terrena cùm vilia & abiecta sint, tamē quia ea nimis amamus, nobilia nobis & pulchra vidētur. At Deus quia super omnia huius sæculi bona à nobis vt deceret non amatur, exiguus & quasi inuisus nobis est: verùm multo aliter Paulo Apostolo gentiumque doctori videbatur, qui quoniam procul à mun-
Tit.2 do, proximéque Deum esset, ad Titum scribens dixit, vsque in aduentum gloriæ magni Dei: vbi Deū magnum vocauit. Et alio in loco tam parui mun-
Phil.3 dum duxit, vt diceret Philippensibus. Omnia arbi-
Psal.5 tratus sum sicut stercora. Dauid quoque multis in
Psal.46 locis eius magnitudinē extollit. Et in Psalmo 94.
Psal.88 ait. Quoniam Deus magnus dominus, & rex ma-
Psal.98 gnus super omnes deos. Et alibi. Magnus dominus
Psal.47 Deus noster, & magnitudinis eius nō est numerus.
Psal.95 Et iterū Magnus Dominus & laudabilis nimis, in
Psal.144 ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Ideo om-
Psal.146 nes hi sancti, aliique multi quorum sententiam hic citare nolo, magnitudinem Dei profitebantur, eumque esse maximum & immensum memorabāt, quia illum amabant, & prope se habebant: tu autē illum paruum esse ducis, quia longe abes ab illo. Vnde fit quòd Deum adeò despicias, vt quæcunq; mundi bona quantumuis parua Deo anteponas.

¶ Secundò, quo longius discedis à sole tanto lōgiorem vmbram facis. Vesperi etiam sole occidēte, multò maior corpora omnia vmbra consequitur: ita & eodem modo & tu quo lōgiùs à Deo separaris, maiorem vmbram bonorum huius mundi consequeris: vmbra enim sunt omnia humilia &
Sap.5 terrena, iuxta illud scripturæ. Transierunt omnia illa velut vmbra. Ergo quò quis remotior à Deo fit maiorē vmbrā facit, & maioribus huius sæculi vitiis & voluptatibus implicatur, quæ velut vmbra trāseūt: & ita optimè vmbræ assimilantur. Hos autem peccatores qui magnam habent vmbram de-

plorat Hieremias dicens. Væ vobis quia declina- Hier.6
uit dies. Sed vnde hoc colligis? Quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi. Hæc bona terrena, amplissima sicut vmbræ vespertinæ hominibus videntur, & non animaduertunt, in quantam decidant fraudem, quantámque incurrant fallaciam. De
his loquitur Ecclesiasticus dicens. Quasi qui ap- Eccles.34
prehendit vmbram & sequitur ventum: sic qui ad visa mendacia attendit Qui sequuntur honores, qui diuitias diligunt, non apprehendunt vmbram? sequuntur certè visa mendacia. Aurum enim quod tu plurimi facis, scoria terræ est, honores autem
ventus & fumus. Vnde Dauid in Psalmo, Filij ho- Psal.4
minum, vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium, &c.

Peccator à sole iustitiæ recedens frigidus & sterilis.

¶ Tertium cum Sol ab aliqua regione procul cursus suos dirigit, illam frigidam & sterilem reddit: & è conuerso, cum comminus aliquam regionem radiis suis perlustrat, eam calidam & fertilem efficit: & vt citiùs fructus omnes producat. Vnde vt experientia nouimus, regiones soli propinquiores citius remotioribus fructificant: ita & eodem modo cùm comminus iustitiæ Sol Christus dominus noster caloris sui radiis suæque diuinitatis præsentia animas nostras collustrat, eas multo fertiliores & abundantiores reddit, adeò vt etiā
poculo frigidæ aquæ pleno, cœlum quis emereri Mat.10.
possit. In statu autem gratiæ quocunque opere bono in gratia vitam æternam consequi potes: nam nulla terra fertiliōr aut vberior est anima rationali, si comminus à Deo perlustretur: si verò Sol longius recesserit obscura, tristis, frigida, & sterilis manet. Ideo Paulus, Si distribuero substantias meas
in cibos pauperum. Si tradidero corpus meum ita 1.Cor.13
vt ardeam, &c. Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Terra igitur quæ non calescit Christo supremo sole, sterilis, & infœlix est, vt nihil producere possit de seminibus sibi commissis quod prosit ad vitam æternam. Nullum enim opus absque gratia quantumuis bonum sit, compotes facit homines æterna vita, nisi calore iustitiæ, eiusdémque gratiæ fuerint calefacti. Quiuis pagus, quātumuis sterilis, si in eo rex habitet, omnibus rebus ad victum necessariis abundat & affluit: postea verò tamen si rex discedat, sterilis, vt anteà manet, vt nihil in eo ad victum necessariū inuenias. Eodem igitur modo, quo præsentia regis loci steriles & deserti fertiles & frequentes fiunt, ita præsentia Dei in animabus nostris abundantiā omniū virtutū parit, absentia verò omnibus vitiis ianuā concedit.

¶ Quartò quemadmodum sol præsens vniuersa omnia creata lætificat, absens verò in tenebris & caligine cuncta relinquit, ita Deus cum nobis adest, nos lætos reddit, cùm abest, obscuros & solici-
tos. In omni terra Aegypti erāt tenebræ dēsissimæ, Exod.10
ita vt palpari possent: sed in terra Gessen vbi erāt fi-
lij Israel, erat lux. Ita vbi sunt impij nō sunt nisi te- Lucæ 1
nebræ, sedēt enim ipsi in tenebris & in vmbra mortis, quia cùm primū quis à Deo recedit, ad dęmonum regionem commeat, vbi nō sunt nisi tenebrę, quantum enim distat cœlum à terra, tantum distat gratia à peccato. Ita peccator separatus ab illo claro iustitiæ sole, sedet tristis & infælix, in tristitia miseriáque peccati, & in vmbra mortis, in tenebrísq; densissimis dæmonum

¶ Quintū & vltimū incōmodum quod accipit peccator se à Deo separans est, ꝙ cùm ab eius mi-

sericordia separetur ad rigorem eius iustitiæ appropinquet necesse est. Sicut homo elongans se ab oriente appropinquat ad occidentem, & elongans se ab Austro, appropinquat ad Aquilonẽ: ita ille, qui per peccatum se elongat à misericordia Dei præueniente, appropinquat ad eius iustitiæ vltionem: & qui elongat se ab eius gratia subsequente, appropinquat ad eius iustitiam punientem: in Deo enim quasi eius oriens & occidens sunt eius misericordia & iustitia, & Auster & Aquilo, sunt eius gratia & potentia. Peccator cum recedit à misericordia incidit in manus iustitiæ. Constat hoc ex Iona per
Ionæ 1 spicuè, qui fugiens Deum nauim conscendit, exortaque est tempestas. Fugere voluit Deum præcipientem, & inuenit eum punientem: quanto magis elongatur peccator à gratia Dei, tantò magis ad infernum approximat. Hic filius prodigus tantus fuit peccator vt non solùm obedientiam patris sui reliquerit, verùm etiam è domo discesserit, abiens in regionem longinquam, si filius tuus domi tuę ægrotat, facile curabis illum: si tamen peregrè profectus, & in aliqua regione lõginqua immorans male habet, à te curari nõ poterit. Sic homo quantumuis fragilis & infirmus, licet sæpius cadat restaurari tamen potest quandiu in domo patris permanet: hoc est, quando non multum recedit. Amici enim Dei qui casu & fortè fortuna aliquando peccant, citò à peccato resurgunt: cæterum qui abeunt in regionem longinquam, vt hic filius prodigus, multa ob peccata difficiliter ad patrem redeunt & vt plurimum omnino intereunt. Cu-
Matth.26 ius rei duo insignia sunt exempla, Petri videlicet, & Iudæ proditoris. Petrus ter Dominum negauit & lapsus est: verùm quia non ita longè à Christo abierat, non illi multum obfuit, sed citò reparatus est. Cùm enim ceciderit iustus (inquit Dauid)
Psal.36 non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. Iudas autem seiunctus à Christo, domum Dei egressus maluit inter hostes Dei, quàm cũ Christo inueniri. Quid mirum si in peccatis mortuus sit? Hic à patre discessit, & à domo eius & abiit in regionem longinquam: ideo tot mala inuenit. Vide ergo quàm malum & amarum sit, te dereliquisse Dominum Deum tuum, ait Dominus per Hie-
Hier.2 remiam: ideo vt ad Deum reuertaris: quod facias expeditissimè si eadem via iterata, qua recessisti, redieris cõuersus ad Deum. Ideo Paulus, Depo-
Ephes.4 nentes itaque mendacium loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Qui furabatur iam non furetur, &c. Reuertamur igitur ad humilitatẽ si superbi sumus. ad castitatem, si libidinosi: ad liberalitatem, si auari, &c. Si auersi facti sumus à sole conuertamus faciem iterum ad Deum, illíque vita denuò reformata, moribúsque correctissimis ap-
Ephes.2 propinquemus, vt de nobis dici possit, quod Paulus ad Ephesios, Vos qui eratis lõgè, facti estis propè. Sed quia de hoc reditu & conuersione inferiùs acturi sumus, cùm videlicet hic filius prodigus domum patris sui remigrauerit, nunc interim tertium principale videamus. ¶ Tertiò filius hic prodigus non solum recessit à domo paterna, & abiit in regionem longinquam, sed & omnem substantiam suam cum meretricibus consumpsit: ideo sequitur in contextu. *Et ibi dissipauit substantiam suam cum meretricibus viuendo luxuriosè.* Duo hic dicit. Primò, quòd dissipauit substantiam suam: & secũdò quòd illam dissipauit viuendo luxuriosè. De primo vide quomodo per hanc auersionem à Deo, miserrimus peccator amittit omnia quæ accipit, & quæ illi cõducere poterant ad ipsius salutẽ, scientiam, intelle-ctũ, gratiã, corpus, & animam tã spiritualiter, quàm temporaliter, & æternaliter. Deniq; & omnia bona & merita quæ habuit, in vita sua perdidit, iuxta illud quod Dominus per Ezechiëlem ait, Si auerte- Ezech.18
rit se iustus à iustitia sua & fecerit iniquitatẽ secundũ omnes abominationes, quas operari solet impius, nũquid viuet? omnes iustitiæ eius qua fecerat, non recordabuntur. Hoc mihi velim dicas, si quis per viginti aut triginta annos apud Indos versatus, posteà in Hispania rediens summis diuitiis & opibus, immemor præteritorũ laborũ & periculorũ, quæ ob illa acquirenda subierit, vnica ludi spõsione chartæq; pictæ missione, vniuersa erogaret, nõnè veniret insanus iudicãdus? At qui tu insanior multò es, qui triginta aut quadraginta annis, ieiunã do, orãdo, donando, piaq; exercẽdo, Deo inseruieris, & posteà vno mortali peccato vniuersa hæc amittas. Paruo enim emolumento, breuiq; voluptate, & ferè nihilo, qui quãtũ lucratus est omnẽ vitã suã perdit, insanus est certè: at tu insanior. Ille enim amissa substantia, quam apud Indos peperit redire poterit, vt tantundem lucretur: cæterum peccator, qui vno peccato lucrum, sortémque omnem amisit hoc remedio vti non potest, quia qui facit peccatum seruus est peccati: seruus autẽ omnia quæ lucra tur domino non sibi lucratur, ita peccator tam af- Ioan.8
flictus & perditus manet, in statúque adeo infœlici, vt nullum opus vita æterna dignum facere possit. Duo itaque mala considerare debes quotiescũque peccas, te incurrere. Alterũ quòd omnia bona amittis, quæ anteà feceris. Alterũ quòd in eo statues vt etiam si tantumdem lucrari velis, non possis, & ita nemo est magis infœlix quàm peccator. Meritò igitur insanus vocabere, si vel pro tãtillo emolumento, vel breuissima delectatione non recusas omnia lucra tua dilapidare, quemadmodum hic filius prodigus qui consumpsit substantiam suam. Sed quomodo consumpsit? luxuriosè viuẽdo. Dis- Luxuria incõmoda.
sipauit hic iuuenis imprudens cum scortis & nebulonibus. Id non raro accidere solet iis qui licentius ab ipsis incunabulis educantur: vbi verò adoleuerint, iam iugũ, ferulámque parentũ & magistrorum detrectant, contemnunt proborum virorum consortia, alea & conuiuationibus omnia profundunt etiam quæ parentum cura laboréque multo sunt parta & acquisita. Sed iste omnia bona dissipauit in luxuria, quod quidem vitium consumit omnia bona gratiæ & naturæ: quia naturales vires corporis eneruat, rationem turbat & ingenium hebetat, pecunia, honore, bonis temporalibus & spiritualibus, & quod plus est se ipso spoliat, & defraudat. Prou.29
Ideo Salomon ait. Qui nutrit scortum, perdit substantiam. Et iterum. Qui diligit epulas, in egestate Prou.23
erit. Ideóque igni assimilatur, qui quidem omnia consumit, vt ait sanctus Iob. Ignis est vsque ad cõ- Iob 31
summationem deuorans, & omnia eradicans germina. Non enim solũ his bonis externis homines nudat, sed etiam corporis & animæ multis eripit. Causa huius inuisi peccati demolitus est Deus orbẽ vniuersum terrarũ diluuij aquis, flammísque de Gen.7
cœlo immissis Sodomã & Gomorrã, & quinque Gen.19
alias ciuitates subuertit. Ona repente occisus. Si Gene.38
chem ciuitas vastata, & ferè omnis tribus Benia- Genes.34
min interempta fuit. Hoc vitium immaturæ Am- Iud.20
monis

[1. Reg. 15] monis mortis causa extitit. Salomonem ad idololatriā duxit, [3. Reg. 11] occidit maritos Saræ. [Tob. 8] Samsonem oculis priuauit. [Iud. 16] Dauidi maxima intulit incommoda, & senes Susannę accusatores perdidit. [2. Reg. 12] [Dan. 13] Illius causa Deus vno die viginti quatuor millia hominum populi Israëlis interfecit. [Num. 25] Omnia maiora supplicia quæ legimus Deum hominibus inflixisse in hoc extiterūt peccatū. Vnde colligere poteris, quantū sit hoc vitium odio Deo, quandoquidem ab illo tam acriter punitur, tantùm enim odit Deus hoc vitium, vt Christus saluator noster omnia ferè peccata in suo collegio permiserit, vno excepto videlicet luxuria. [Ioan. 20] [Mar. 16] Permisit Thomam incredulū, & discipuli omnes fuerunt increduli, nam recumbentibus illis Iesus exprobrauit incredulitatem eorum. [Matth. 20] Permisit eorum ambitionem & superbiam, nam duo fratres voluerunt se aliis præferre & alij decem indignati sunt. [Luce 22] Et in vltima cœna facta est contentio, quis eorū videretur esse maior: duo etiā apostoli irati sunt cōtra Samaritanos, & se vlcisci cupierunt dicentes Domino. [Luc. 9] Vis dicamus, vt descendat ignis de cœlo? Inuidiam etiam permisit: nam quidam eorum dixerunt saluatori, Ecce inuenimus quendam dæmonia eiicientē in nomine tuo, & nō sequitur nos. Auaritiam quoque permisit: nam Iudas fur erat, & loculos habēs, simul & traditor: [Ioan. 12] [Mar. 14] & Petrus illum negat: denique omnia permisit Deus in suo collegio vitia, sordes tamen luxuriæ & carnis, ille qui pascitur inter lilia, nunquam permisit, imo Ioānem propter donum virginitatis plus omnibus dilexit. Seruus nanque dæmonis est, qui vitiis cōsentit, & turpibus cogitationibus delectatur. [Cant. 3] De hoc peccato loquitur apostolus dicens, [Galat. 5] quòd qui talia agunt regnum Dei nō possidebūt. Est enim quidā ignis infernalis, cuius gula est materia, turpitudo flamma, immūdicia cinis, infamia fumus, tormentū finis. Illud est corporis perditio, vitæ coarctatio, virtutis corruptio, legis trāsgressio. Alia peccata vnā tantū hominis partē contaminant, animam scilicet: hoc autem omnē hominē, corpus scilicet & animā ipsius vitia. Apostolus ait, [1. Cor. 6] Qui violauerit templum hoc: destruet illū Deus. Nescitis inquit quod corpora vestra templū sunt Spiritus sancti? Non poterit mihi crede seruum Dei supplicium effugere: si impudicè templo Spiritus sancti vsus fuerit. Sed iam hæc maledicta pestis, toto ferè mūdo grassatur. [Gen. 19] Taxantur filiæ Loth: sed credo quod castior fuit illorum incæstus quàm pudicitia multarum, quæ modo castæ reputantur. Non redierūt ad concubitum vltra conceptum, quia tantū generationis desiderio credentes totum orbē igne consumptū accesserunt ad patrē: at vltra nō quæsierunt virū. Discutiāt se & requirāt fœminæ in coniugio positæ, si ob hoc solū adeāt viros vt suscipiant liberos, & si post conceptū desistunt: istæ enim quæ argui videtur de incesto, postquam conceperunt, vltra ad consortiū viri non accesserunt. Nonnullæ verò mulieres (nec enim vniuersas pariter notamus) sunt velut animalia bruta absque vllo iudicio, iugiter libidini inseruiunt, quas ego nec mutis pecoribus comparauerim: pecora enim cum concipiunt, vlterius maribus sui copiā non faciunt. Has notat scriptura diuina cùm dicit. Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus. [Psal. 31] Sed satis sit de hac turpissima materia dictum. ❡ Vincitur hoc peccatum fugiendo, iuxta illud quod Paulus consulit dicens, [1. Cor. 6] Fugite ab omni fornicatione. Alia vitia pugnando vincuntur, hoc verò peccatū fugiendo, quia luxuria peccatum est valde immundū. Et sicut non expediret cū homine lutoso luctari, quia licet cū prosterneres, tamen te inquinaret: sic non est securum, nec oportunum luctari cū vitio isto, vix enim fieri potest, quin homo coinquinetur. Vnde Ecclesiasticus, Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. [Eccles. 13] Tunc etiam, quia non est bonū comminus pugnare cū illo hoste, qui ex propinquitate sumit vires. Talis enim est luxuria, corpus enim nostrum, quod prius erat pro nobis contra nos hostis efficitur. Vnde sicut princeps aliquis eminus pugnat cum hostibus suis, quando credit quod in suo exercitu sunt multi proditores, qui cōmisso prælio, partem contrariā adiuuabunt: sic debet homo contra luxuriam eminus pugnare, ne corpus nostrū tam tetri vitij propinquitate infectum proditor contra nos efficiatur. ❡ Secundum remedium est memoria ignis, vbi in æternum luxuriosi ardebunt. Durum fortasse tibi videbitur tentationi resistere: duriùs tamen mitti in ignem sempiternum videri debet. Qui non cauerit ab igne luxuriæ, ignem inferni cauere non poterit. Sed sicut alius ardor alium ardorem vincit & extinguit: sic ardor ignis sempiterni frequenter in memoriam adductus, carnis ardorē libidinēmque extinguet. ❡ Tertium remedium est pœnitentia, quasi carnem tuam afflixeris, ciliciis, & laboribus, abstinentiámque seruaueris, proculdubio victor euades. Ignis aqua extinguitur: lachrymis carnis desideria & libidines opprimuntur, quæ sunt aqua & ignis, quo omnes virtutes conflagrant.

¶ Expende etiam ad quantam miseriam homo stolidus suam sequens voluntatem redigatur. [*Libertas malesuada.*] Ecce hic adolescens qui diues, integer, sanus & honoratus in domo patris sui fuerat, ad quātam paupertatem, & egestatem venerit: quia voluntatem suam sequutus sit, nemo ignorat: amisit omnia quæ habebat, & de fortunato & diuite, pauper & infœlix factus est. Hæc autem mala omnia incurrit ille qui in omnibus voluntati suæ obtemperat. Vide etiā quod præmium maneat illum, qui Deum derelinquit, & quid lucri ille faciat, quid illi opes, ingenium, & scientiæ sublimitas prosint: qui præter Deum aliud requirit. Rursus aduertendum hinc, quid facere soleat is, qui sibi derelictus est, quomodo videlicet deterior semper fiat & de vno in aliud ruat vitium. Denique perpende, quomodo peccatorum multitudo in homine de die in diem accrescat, & augeatur donec totum hominem opprimat. In summa discimus hinc, quàm sit horribile iudiciū & misera conditio illius qui Deo curæ non est. Nihil maius, nihilque optabilius homini accidere potest, quàm si in Dei tutelam & patrocinium recipiatur, nihil rursus timendum magis quàm si curam ipsius habere Deus recuset. Quid aliud hominem à peccato, à morte, omníque periculo immunem reddit, quàm præsidium Dei. Contra verò si quis fuerit à præsidio Dei destitutus, quid aliud facit, quàm quòd in varia flagitia & mille discrimina se coniicit: sicut iste iuuenis, qui discedens à domo paterna in turpitudine & fætore luxuriæ cōsumpsit substantiam suam. Sed satis sit de tertio.

¶ Quartum consideratione dignum est, fames in quam incidit, vnde subditur in contextu. *Et post quàm omnia consumasset facta est fames valida in regione illa & ipse cœpit egere.* Et merito quidem iste cœpit egere, qui thesauros scientiæ & sapiētiæ Dei, di [Colo. 2]

Nihil stabile in his inferioribus neque quod nostro appetitui satisfaciat.

uitiarúmque cælestium altitudinem dereliquit. Qui recedit à fonte sitit, qui recedit à thesauro eget: & qui recedit à virtute dissoluitur. Egere ergo & famem pati ideò cœpit, quia nihil voluntati prodigæ satis est, sempérque famã patitur sui qui alimentis perpetuis nescit impleri. (*Gen. 41*) Vbicúq; Ioseph in Aegypto erat, copia omnium rerum cõfluebat: vbi verò nõ erat, ingens fames & penuria in dies augebatur. Ita eodem modo vbi Deus est, ibi satietas & abundãtia: vbi verò abest, fame & miseria omnia consumuntur. Quapropter tria hîc cõsideranda & obseruanda sunt. Primũ, quomodo extra Deũ nihil nisi fames sit & penuria: secundum quòd vnus Deus animã nostrã potest satiare, tertium qua de causa in Deo solo & nõ alibi homines satietatẽ, copiámque omniũ rerum inueniant & cæteræ oẽs creaturæ. De primo ait Psalmista. (*Psal. 33*) Diuites eguerũt & esurierunt: quærentes aũt Dominũ non minuẽtur omni bono. Omnia quæ sunt in mũdo, paupertas & fames animæ sunt. Ideo ait Psalmista. (*Psal. 22*) Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. In Græco est, Dominus pascit me & nihil mihi deerit. Non poterunt dicere hoc reges, principésve istius mũdi: qui quo altiori in gradu sunt, eo maioribus egestatibus opprimuntur, eò quòd nimiũ honoribus rebusque familiaribus operę impendũt: & ideo maximos faciunt sumptus quibus vix substare possint. Nam quis rex, imperator, vel etiam summus pontifex affirmare audebit: nihil mihi deest? Vna Christi ouis hoc verè poterit asserere. Illa enim tantũmodo, qui in diuinis pascuis pascitur cõtenta & satiata viuit. Super aquas refectionis educauit me, animam meam conuertit. Dæmon herbas marcidas ouibus suis porrigit inter spinas & carduos pascens illas: aquæ illius venenosæ sunt, & eius herbæ mortem latitãtem secum important. (*Genes. 3*) Dæmon primos generis humani parentes in terreno paradiso pauit, qui cũ comederũt, veneno sunt infecti: cibi enim dæmonis vitam suis eripiunt: nam & honores, voluptates & diuitiæ animarum mundanis & peccatoribus sunt exitium, vitã enim hęc non tribuunt illis sed eripiunt, non satiant, sed fame conficiunt. Quare velut hydropicus siti, faméque æterna cruciabere, quantũcunque bonorũ, diuitiarum, & voluptatũ biberis. (*Psal. 103*) Ideo Psalmista Deo dicit. Omnia à te expectãt vt des illis escam in tẽpore: aperis manum tuam & imples animal benedictione. Vitia famem, & solicitudinem voluptati iniiciunt: quòd non faciunt virtutes, quæ leuamine & consolatione animam recreant. (*Prouer. 23*) Quapropter sapiens dixit: Ne comedas de cibis eius, vbi est panis mendacij. Mentitur mundus, dum ait in viis suis esse nutrimenta, quæ possint satiare. Præstigiatores & necromantici hortum fructibus abundantem ante oculos suis præstigiis apparere faciunt: at si fructum decerpere velis & comedere omnia vanitati similia contrectantis manus effugient. Ita mundus sequacibus suis persuadet se esse alicuius momenti aut valoris: & ea quæ concedit satis habere virium ad restinguendam famem animarum, at in extremo omnia vana, putrida ventóque simillima esse apparent. Hæc est causa verissima, quare peccatores nunquã contenti viuunt, nec sibi aliqua in re satisfaciunt, & iure: anima enim rationalis veluti chamæleon aëre vesci aut sustentari non potest. (*Psal. 118*) Ideo dixit Psalmista in persona impij. Os meum aperui & attraxi spiritum. Aperiebat os suum vt aërem reciperet, sed famem satiare nõ poterat: quia homo non aëre, aut vento vescitur. Impius desiderium aperit suum, extẽdit & dilatat voluntatem, credens se vento posse sustineri. De his propheta Oseas ait. (*Osee 12*) Ephraim ventos pascens. Inane nimium est illud & vanum, quod locum suum, vbi est, nõ occupat & implet. Ergo inania sunt omnia terrena, quæ non modo non implent, aut satiant, verùm animam nostram inflant & esurire faciunt. Nõ putares esse insanissimum hominem qui esuriens os suum aperiret aurasque captaret, vt mediæ satisfaceret, faméḿque extingueret? At non minor est insania tua si verò mũdi vanitatis libidini tuę satisfacere tentas. Considera nihil huius mundi posse inueniri quod animæ desiderio possit satisfacere. Omnia enim terrena sunt quasi quoddam salsamẽtum quod aciditate sua comedendi appetitum excitat. Videbis clericos quamplurimos in initio pauperes ad beneficium aspirantes: quo impetrato, abbatiam, vel canonicatum affectant: posteà verò abbates vel canonici creati archidiaconatum vel episcopatum ambiunt, &c. Nec vnquam vllo adepto dignitatis gradu sibi satisfaciunt aut quiescunt: licet vel episcopi vel summi pontificis obtineant præeminentiam. Quid igitur factum est de illo beneficio quod in initio fuerat consequutus? Quid fuit nisi quoddam salsamentum quod appetitum excitauit plura in dies cupiendi? Ergo nihil est in mundo quod famem non excitet, & irritet nedum extinguat. Vnde in Psalmo habetur. (*Psal. 58*) Famẽ patientur vt canes, & circumibunt ciuitatem. Circundant mundum, & circundant terram, sicut diabolus, qui dixit in libro Iob. (*Iob 10*) Circuiui terram & perambulaui eam. Auari, honorisque cupidi, iugiter diuitias, dignitates, & honores quærunt: quibus impetratis nihilo magis satietatis habent, sed vt canes in dies esuriunt magis. Ideò optimè istos alloquitur propheta. (*Aggæ. 1*) Aggæus dicens, Comedistis & non estis satiati: bibistis & non estis inebriati: operuistis vos & non estis calefacti. Et qui merces congregauit, misit eas in sacculum pertusum. (*3. Reg. 17*) Helię torrens exaruit: (*Iona 4*) Ionæ hedera verme corrosa emarcuit. Ita ex omnibus mundi bonis genitiuus vermis exoritur, qui illa omnia corrodit & consũmit. Quo plus tibi concessum fuerit de huius mundi bonis quæ tu cupis, eò magis ignis cupidinis tuæ flagrabit: non aliter quàm si quis sitim extinguere sale in ore suscepto vellet, aut ignem oleo immisso restinguere. Ne igitur defatigeris inuestigandis huius mundi fallacibus & infidis rebus: licet enim plurima peperceris, nihilominus fame & miseria, vt hic filius prodigus cõficieris. Hoc voluit significare Euãgelista noster dũ dicit, famem esse in illa regione: quia vbi Deus non est, famem patitur anima nostra.

Satietas nostra & refectio solus Deus.

¶ Quapropter videamus secundum, scilicet, quomodo vnus Deus animam nostram satiat. Ita enim hic filius prodigus nunquam satiatus est donec ad domum patris sui rediit. Ex quo disce satietatem, gaudiúmque perfectum in solo Deo quærere. Ille enim est qui per Prophetam regiũ ait, Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. (*Psal. 80*) Posteà enim quàm Dominus populo suo, suorum mandatorum obseruantiam commendauit, in illius præmium ait eidem populo vt os aperiat, &c. Quid tanti momẽti & difficultatis est os implere? Os humanum nuce, panísve buccella nonnè impletur? Hoc non de ore corporali sed de ore animæ spirituali, quod illius de

lius desiderium est, est intelligēdum. Mundus enim vt suprà diximus animi desiderium implere nō potest, sed solus Deus: qui eam ad imaginem suam creauit, & dicit illi, Dilata & extende desiderium tuum, ego enim solus tibi satisfacere: teque satiare possum, & non alius. Nam anima rationalis ad imaginem & similitudinem Dei creata, cùm omnibus aliis rebus possit occupari & impediri, nulla tamen re præterquam Deo impletur. In solo Deo satietatem, lætitiam, & quietem, perfectúmque gaudium inuenit. Quidquid Deus non est, amaritudo, anxietas, & solicitudo animæ est: quæ demum nunquam quiescere poterit, dum in terrenis rebus solatium quæsierit. Impij defessi, & defatigati mundo inseruiendo sunt: & sibiipsis facti sunt graues, quia extra Deum viuūt, animus tamen, qui in Deo est, omnia suauia facilia, & læta experitur: cùm impij in honoribus, diuitiisque & voluptatibus, nihil non laboriosum, nihil non anxietatis, solicitudinisque conscientiæ plenum inueniant. At boni in angustiis, doloribus, & ærumnis, quietem & lætitiam habent: quia in solo Deo est omne cordis gaudiū: extra Deum nec pax, nec iucunditas esse potest. Quemadmodum enim corpus tuum in tenui magisque pro sui mensura stricta sede quiescere non posset: ita nec anima quiescit in omnibus mundi solatiis, & voluptatibus, quę multò sunt animę amplitudine angustiora. Quidquid enim Deus nō est, maiorem non habet opportunitatem vt anima in eo possit quiescere, quàm si quis in tabula trium digitorum vel quatuor latitudinis, corpus prosterneret. Hinc colligere poteris nullam requiem alicubi posse inuenire si terrena amaueris: quare ad Deum conuertere, si vitam habere vis. Cum Deus creauit hominem ait scriptura, quod requieuit ab omni opere quod patrarat, quod non fecit quando cætera creauit: quia cùm solus homo in Deo quiescere possit, meritò dicitur Deus in solo homine quieuisse. Cùm homo quietem capiat in ipso Deo, Deus desiderium tuum bonis implet: ait propheta: nunquam enim appetitus noster quietus est donec in finem suum peruenerit. Nam anima nostra adeò est nobilis, vt nullibi nisi in summo bono possit consistere. Ideo sanctus rex & propheta Dauid ad Deum clamat dicens, Quēadmodū desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quādo veniam & apparebo ei. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus. Aberat longissimè à Deo flebátq; eò quòd sitientem & egentem videbat: Deúmque desiderabat vt perfectam satietatem & gaudium inueniret. Non poterit mundus sitim desiderij tui extinguere, ire igitur ad Christum debes, qui ait, Qui sitit veniat ad me. Si vis omnia quæcunque cupis assequi, cape illius sancti consilium dicentis, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, &c.

Genes.2
Psal.102
Psal.41
Ioan.7
Psal.36
Anima nostra quia immortalis est mortalibus satiari nō possunt.

¶ Hucusque vidimus quemadmodum in mundo nihil nisi fames, summáque omnium rerum penuria sit, at in vno Deo perfecta satietas, gaudiū, & gloria inueniatur: nunc videamus omnium supradictorum rationem, & qua de causa mundus inediam causet, & in Deo tanta satietas tantúmque gaudium animabus nostris offeratur. Hoc enim est quod tertio loco dicturi promisimus, cùm de hoc tractare inciperemus. Primū, quòd in mundo nulla inueniatur satietas, sed in solo Deo est, ob amplissimam animarum nostrarum capacitatem: anima enim quæ ad Deum appetendum creata est, quidquid infra Deum appetit, minorem & angustiorem habeat occasionē diligendi, necesse est. Vas quod capax est vnius aqua mensuræ, certè non poterit alia minori mensura adimpleri. Sic cum omnia mundi bona respectu animæ nostræ amplitudinis sunt velut sinapis granum in elephantis ventre: necessariò consequitur, vt nihil ex hoc mundo animæ nostræ capacitati satisfacere possit, quia vas Dei capax, mundo satis impleri non potest: secundum quemadmodum illa omnia quæ natura sua intus inania sunt, eo modo locum suum occupant, vt semper aliquid inane maneat, quia ipsamet inania sunt. Ita mundi omnia bona quia vana, & nequaquam solida sunt, animam nostram adeò occupare aut implere non possunt, quin plus loci inane & vacuum relinquant. Tertium est, quòd omnia terræ bona animæ nostræ desiderio non possunt satisfacere: quia sunt animæ desideria infinita & interminata. Vnde nullum aliud remedium nobis in hac vita reliquum est, quàm inordinatum animum à bonis huius sæculi amouere: vt possimus aliquando satietatem & quietem in cœlestibus inuenire. Sed quis esset tam insanus, vt vsque in cœlū volare intenderet alis de papyro vel membrana confictis, alióve vllo instrumento humano id tentare præsumeret? Præstaret enim considerare quàm inani & inutili cupidine raperetur quando impossibile viribus naturæ tentat. Hoc modo cohibere debes insatiabiles honores, diuitiarúmque cupidines, persuadens tibi impossibile esse animam tuam satiare: licet omnia quæ sub cœlo sunt consequaris. Vnde nullum aliud remedium tibi restat, nisi inane desiderium abs te remoueas, faciliùs enim est homini, pennis in nubes eleuari quàm animæ nostræ desideria huius vitæ bonis satiare & implere. Bona enim temporalia sunt quasi quidam fomes, quo magis incenduntur & inflāmantur desideria. Quare sicut esset maximus furor, ligna in ignem coniicere ad eum extinguendum: ita nec minor est insania, flammas desideriorum nostrorum arentibus mūdi bonorum lignis extinguere & continuare velle, potissima tamen harum omnium rationum, quare nullo modo his temporalibus rebus satiari possumus, est, quia nihil inter omnia bona huius sæculi potest inueniri, quod in omnibus quadret, consentaneúmve sit animæ nostræ, ingenio & naturæ. Deus enim qui omnia nutrimenta omnibus viuentibus iuxta naturā vniuscuiusque tribuit, sed animarum nostrarum cibum futurū, creaturis cæteris in nutrimentū non concessit. Quemadmodum stultū esset si quis equum carne aut leonem herba pascere vellet, quæ ab eorum naturis abhorrent nec, sunt apta, vt illis supra dicta animalia vescantur: sic & animæ rationabili qui rebus terrenis satisfacere intendit insanus est. Nihil enim ex omnibus quæcunque orbis terrarum fert, cum natura animæ nostræ conuenit. Mundus enim aliis aërem veluti chamæleontibus tribuit, quo arrogantium superbia alitur: sed anima chamæleon non est. Aliis ferrum vt struthio, quo auari viuunt: aliis lutum, vt voluptatibus deditis: aliis venenum suppeditat, vt inuidiosis: sed quia nihil horum animæ nostræ naturæ consonat, nutrimentum illius esse non possunt terrena. Gratia &

dona Spiritus sancti, quia spiritualia sunt nutriunt, & confirmant & corroborant animam nostram. Superbia tamen & inuidia cæteraque vitia, quamuis spiritualia sint, non tamen nutrimentum sunt spiritus: quoniam multa etiam sunt corporalia, quæ corporis nostri non sunt nutrimentum. Genuina autem ratio & vera, quare Deus tantummodo animarum nostrarum sit nutrimentum, ea est: quia tali natura & ingenio animam creauit, vt nihil illam præter illum satiare potest. Si enim quis petat quare panis potius quàm venenum corporis humani sit nutrimentum, nihil aliud aptius poterit responderi, nisi quia panis consonus est naturæ humanæ, venenum verò dissonum. Ita & Deus cibus animę est, non aliam ob causam nisi quòd naturæ illius cõsonat. Quare omnia alia vno excepto Deo mors & famæ animæ sunt. Vnde quidquid animæ concedis in quo Deus non sit, idem est, ac si corpori lapides in nutrimentum concederes.

Collatio ferculorum cælestium cum terrenis. ¶ Obserua etiam hoc vno, cibum animæ cibo corporis in primis antecellere, quod cibus corporalis post satietatem fastidium & tædium parit. in anima autem nostra quantumuis satiata sit diuino conspectu & gloria, satietas & fames eo modo inter se conueniunt eámque habent necessitudinem & coniunctionem, vt nullius nec fastidio nec fame vincendi locus concedatur. Sed hæc duo inter se disiunctissima, fames & satietas, ita cõueniũt, vt non modo altera alterã non expellat, sed ambabus simul vigentibus desiderium fruendi, & gloria consequendi æterna sine vllo fine augeantur. Igitur quemadmodum anima nostra extra Deũ mortua est & esuriens: ita omnia mundi bona, miseria & egestas animæ sunt. Vt autem hoc significaretur, dicitur hic, quòd facta est fames in regione illa: propter quod miser hic cœpit egere, nec fieri potest quin anima nostra fame intereat, extra Deũ, propriámque domum, vt hic filius prodigus immoretur. ¶ Quintum principale, & notandum est, quòd cum se tanta paupertate & inedia oppressum vidisset, operæpretium duxit, si herum, cui inseruiret, quæreret: vnde necessaria ad victum & vitam haberet. Et hoc ait euangelista his verbis, *Et abiit & adhæsit vni ciuium regionis illius.* Hoc est *Rom.6* diabolo, cui obediuit, iuxta illud Pauli, An nescitis quia cui exhibuistis vos seruos ad obediendum: serui estis cui obedistis? Sed singula verba expendamus, Abiit inquit & adhæsit. Abiit sponte: & adhæsit, quasi inuitus. Prius dixit abiit & posteà adhæsit: homo enim ex propria voluntate primo diabolo se subiicit: diabolus enim non habet potestatem vt hominẽ subiiciat nisi homo ex propria sua voluntate laqueo se astringat. Sed postquam laqueo diaboli se astrinxit, quasi inuitus ab eo retrahitur. Postquam enim Diabolus aliquem vinculauit, adhæret ei coactus. Ciuis etiam dicitur regionis illius & nõ peregrinus, aut exul: quia in regione peccati manet irreuocabiliter cui adhærent, qui volunt propriis satisfacere desideriis. Nomen itaq; ciuis & incolæ optimè diabolo competit, quandoquidem in peccatis ita obcæcatus est, vt non ex ignorantia aut ex infirmitate sed ex improbitate aut mala voluntate delinquat. ¶ Obserua autem quod *Homo propter peccatũ fit aduena & exul in terra diaboli.* homo per peccatum in alteram venit regionem, vbi non habitat tanquam ciuis, sed tanquam aduena. Hoc enim differunt peccata hominis à peccatis mali spiritus, quia homo peccat, cadit, & surgit: quapropter hospes est solũ in terra peregrina. Diabolus verò peccat & peccatis immoratur, nec male faciendi finẽ facit, qui idcirco ciuis peregrinæ regionis nõ immerito appellatur. Hospes solũ modo illic transit, non diu in vno loco cunctatur: ciuis autem non mutat regionem suam: quare & tu attendere debes, nihil enim est in quo tantùm dæmoni assimilari possis, quàm in peccati perseuerãtia, & tenacitate. Quare obsecro te, vt in regiõe peccati sis hospes transiens, & si peccas, nitere vt de peccato quamprimum resurgas: humanum est enim peccare, persistere dæmoniacum. Ideò ne fias in peccato ciuis velut diabolus. Hoc deplorabat *Baruc.3* Propheta Baruch in populo Israel dicẽs, Quid est Israel quod in terra inimicorum es? Inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cũ mortuis, deputatus es cũ descendentibus in infernũ. Qui descenderunt in infernũ, sunt veluti dæmones peccati ciues: quoniã æternũ in inferno habitabunt. Quare tu qui in peccatis senescis, & habitas in terra aliena, culpęq; regione importunissima diu permanes: attẽde te simillimũ esse illis inferni dãnatis, parẽq; infælicissimorũ peccatorũ, qui perpetuis suppliciis torquẽtur.

Peccator recedens à Deo in potestate dæmonis traditur. ¶ Obseruandum præterea, quòd cum peccator à Deo recedit, statim in dæmonis potestatem recidit. Solùm enim contra eos qui recesserũt à Deo præualet diabolus, quia eis anteà obesse non poterat, vt in libro Iudith scribitur, quòd dixit A- *Iud.5* chior. Non fuit qui insultaret populo isti, nisi quãdo recessit à cultura Dei. Ideo conqueritur de hoc Moses, reprehendens populum. Deum qui te ge- *Deut.32* nuit dereliquisti, & oblitus es domini creatoris tui. Hieremias quoque ait. Deputatus es cũ descẽ- *Ierem.2* dentibus in infernum: quia dereliquisti fontem sapientiæ. Et Ecclesiasticus. Væ vobis impij, qui dere- *Ecclesi.19* liquistis dominum. Baruch etiam, Væ illis qui re- *Baruch.3* cesserunt à me. Quod maius malum aut incommodum posset inueniri, quàm in manus dæmonis tanti tyranni incidere? Ipse enim dominus lamentatur eos, Væ illis cum recessero ab eis. Qua autem peruenire poterunt nisi in illud Dei terribile iudicium, de quo dicitur, si dereliqueris eum proiiciam te in æternum? Et alibi. Furor eius super omnes, *1.Reg.8* qui dereliquerunt eum. Rursus obserua quod vni *2.Par.15* diabolo dicit non omnibus: quia maligni spiritus certis quibusdam vitiis singuli obsequi credendi sunt. Vsurarij adhærent principi cupiditatis, iracũdi & auari principibus iracundiæ & auaritiæ: & omnis peccator tot principibus adhæret, quot vitiis subiacet. Hic autem adolescens perdens substantiã adhæsit principi luxuriæ & voluptatis, cui tametsi anteà quoque adhæserit statim vt à domo paterna exiit: nũc tamen totum se illi tradidit & peccati factus est mancipium. Neminem posthac veretur, nihil non impietatis exercere audet: ita secum tacitè loquens & cogitans. Edamus & bibamus, *Esai.22* cras enim moriemur. Existimans se percussisse fœ- *Esai.28* dus cum morte, & cum inferno fecisse pactum.

Resipiscere peccator aliquãdo nõ põt, aut quia de Dei bonitate diffidit, aut quia grauis peccatorũ sarcina impeditur. ¶ Denique obseruandum, quòd non ábiit ad patrem fame compellente, quia patris non recordabatur, & si fuit recordatus, pudor tamen vetabat. Famem & exilium maluit sustinere, quàm cõfiteri crimen. Sic etiam & nunc multi peccatores, cũ ad domum patris confugere deberent, malunt in angustiis & egestate viuere, & conscientiæ torqueri miseria, quã corã Deo sese submittere, & peccata sua sacerdoti confiteri. Si contritionẽ haberes

parui

paruipenderes hominum æstimationem, quia con-
tritio dolor est propter Deum, cuius offensam si
præ oculis haberes, non curares quam de te posset
confessor opinionem habere: sed potiùs eligis in
peccato manere & diabolo adhærere, quàm confi-
teri Deo peccata tua qui omnia scit. Quia non ha-
bes peccatorũ tuorum contritionẽ & vis homini-
bus placere, in peccato es, vt hic filius prodigus.
Forsitan putauit patrẽ inexorabilem esse, & nihil
charitatis pristinæ in eius pectore residere: quapro-
pter fame vel etiam desperatione eo redigebatur,
vt adhuc longius à patre disiungeretur, & seipsum
in seruitutem eamq; fœdissimã daret, quia ante li-
ber erat. Sic multi adeò sunt animo abiecto, vt ti-
meãt nihil loci misericordiæ relictũ esse, cum mul-
toties sint confessi peccata sua, vidẽtes se toties re-
lapsos, desperant de correctione & emenda, dicen-
tes intra se. Ego toties proposui abiicere peccata, &
vitam in melius mutare, & toties confessus sacer-
doti statim reuertor ad peccata: iam non possum
nisi in peccato esse, atq; ideo in ipsis volo manere,
& nolo confiteri. O summa stultitia: forsitã tu se-
Matth.18 ptuagies septies es confessus? Nunquid centies mil-
lies? Nunquid infinities? Sed si infinities ad patrem
iueris, & confugeris ad Deum, certe peccata remit-
tet tibi toties. Isti pusillanimes de Dei pietate de-
sperantes, de emenda non confidentes, totos se in
peccata coniiciunt. Desperatione adducti ipsi sese
Exo.1 potestati dæmonis tradunt. Sic Israëliticus popu-
lus quem fames in Ægyptum abire coëgit, deinde
à rege summis grauabatur laboribus in conficien-
dis lateribus: ita peccator tanta vrgetur fame vt
peccatis totum se mancipet: videns nimirum se à
gratia & fauore Dei planè excidisse: & ita quasi de-
sperans ad dæmonem vilissimum & abiectissimum
monstrum accedit. Mauult enim infœlix hic tyran-
nidem seruitutémque miserrimam dæmonis pati,
quàm paululum laboris sustinere dum ad domum
patris sui se conferat, amplissimis diuitiis & socie-
tate fruiturus. Eodẽ modo filij Israël malucrũt in
Num.14 Ægyptum redire, tyrãnidem & persecutionẽ Pha-
raonis laturi, quàm paruum laborẽ in deserto per-
peti, vt terra promissionis fruerẽtur. Ad hunc mo-
dum multi reperiuntur peccatores, quibus magis
probatur, seruitutem & dominationem dæmonis
perferre, quàm aliquid laboris subire aut parũ ru-
boris sustinere, dum peccata sua confiteantur: quo
possint spiritualem Christi consolationem obtine-
re, eiúsq; gratiam & amicitiam impetrare. Sed iam
ad alia procedamus. Sextum itaque principale est
videre miseriam & abiectionem peccati. Hæc osten
ditur in eo quod subdidit Euangelista, dicẽs. *Et mi-*
Porcorũ cura abiectissima seruitus, sed longè abiectissima seruitus peccati. *sit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Nõ patitur
illum esse in ciuitate vbi ciuiliter & honestè viui-
tur: sed in villam ad porcos eum relegat, negotiis
sæcularibus & humilibus eum ita implicans vt ex-
pedire sese ex his ampliùs non posset. Multos eo-
dem modo inuenies, & nunc ita deditos negociis,
mercimoniis, contractibus & officiis huius mundi
vt nullum tempus relinquant Deo vacandi: suffo-
catum enim habent spiritũ, ita vt nihil de Deo sen-
tiant. Sed nihil aliud cogitant, loquuntur, faciunt,
& appetunt, quàm quod terrenum, temporale &
carnale est. Eodem modo tu pastor porcorum verè
dici poteris, si corpus nutriẽs animæ esuriem & de-
fectum propellere non curaris. Quid tunc? Etsi in
pascendis porcis sis diligentissimus, etsi corporis
curam habeas maximã, etsi sensibus externis nul-
lam non concedas voluptatem; tamen nihil aliud
agis quàm porcorũ curam & custodiã exercere; qui
nihil vnquam boni appetunt sed labuntur, moriun-
tur, putrescunt instar pecoris. Quid prodest homini Matth.16
inquit Christus, si mundũ vniuersum lucretur, ani-
mæ verò suæ detrimentũ patiatur? Anima est quæ
nobis curæ in primis esse debebat: & iuxta hanc
homines nuncupamur rationales. Sed si sequimur
sensum & prauas cupiditates, quæ luto semper, &
omnium peccatorũ spurcitia gaudent, porcos pas-
cimus, irrationales sumus: quod abiectissimæ ser-
uitutis conditio est. Misera certè conditio pascere
oculos pulchrioribus visis, tactum illecebris, gustũ
delectabilibus: tota enim cura mũdanorum est ser-
uire ventri, sensibus & carni. Quos sensus pascit his
infirmis rebus in quibus tanquam inter lutum de-
mergitur, vt porcus, & in cœno delectatur: quibus
etiam pascuis diabolus delectatur, de quo in Esaia: Esai.34
Et orientur in domibus eius spinæ & vrticæ, & pa-
liurus in munitionibus eius: & erit cubile draconũ
& pascua, &c. Ex hac Esaiæ autoritate si bene om-
nia legeris, expendes quã miseranda est hominum
conditio si se vitiis tradant, si se hisce immergant.
Non enim homines sed bruta & stercora appella-
buntur. Fatetur id propheta. Putruerunt in sterco- Ioel.1
re suo. In Psalmo etiam, Disperierunt in Endor, fa- Psal.82
cti sunt vt stercus terræ. Quo quid abiectius? Quid
abominabilius? Tales tamen peccando euadimus.
In tantam itaq; miseriam deuenit hic peccator, vt
dicat Euangelista. *Et cupiebat implere ventrẽ suum de*
siliquis quas porci manducabant. Siliqua Græcè κεράτιον, *Vt siliqua grauãt ventrẽ ita peccatum grauat animum.*
Folliculus seu integumentum, vbi grana legumi-
num includũtur, & si quid leguminibus est simile.
Vnde quidam ait, Grãdior vt fœtus siliquis fallaci-
bus esset. Intelligit autem hic per siliquas omnia, Verg.1.georg.
quibus homo extra Deum suis cupiditatibus satis-
facere sese putat. Omne enim quod est in mundo, 1.Ioan.2
concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis,
& superbia vitæ est. Mũdus nihil voluptate præstã-
tius habet. Petulantia, & honorũ & diuitiarũ vani-
tate, nihil sublimius. Ad quæ filij huius mundi cer-
tatim contendunt, propter quæ adeò soliciti sunt,
vt bella nonnunquam suscipiant, cùm tamen aliud
nihil sint quàm siliquæ. Hominẽ enim non satiant,
sed ventrẽ tantum grauãt. Voluptas in cibo & potu
tandiu durat, quandiu guttur cibum & potum ha-
bet. Sed statim vbi illa traiiciuntur in ventrem, non
sunt voluptati sed oneri & veneno: corpori offi-
ciunt, vtpote ex quibus in varia morborum genera
corpus incidit. Sic de omnibus voluptatibus sen-
tiendum est. Siliquæ enim sunt quæ hominẽ mole-
stant magis quàm iuuãt. Expẽde autem quod ven-
trem cupiebat implere, nõ enim alia cura est volu-
ptati deditis, quàm vt ventrem impleant, quem vt
Paulus ait, in deum habent. Sic sicut siliquæ magis Philip.3
sunt oneri quã vsui, sic omnes mũdi deliciæ & vo-
luptates. Ita inutiliter laborant isti, quia vt paulò
ante ostendimus nunquam hæc, circa quæ peccator
delectatur satiant animam, quia cupiditas terreno-
rum non impletur, nam cùm delectatio incipit, sta-
tim finitur. Quod autem magis mirãdum est, tanta
miseria, tyrannísque dæmonis erat, vt etiam harum
siliquarum, carnísque turpitudinum nõ satis illi in-
fœlici & errabũdo filio prodigo cõcederet. Nam vt

supra dictum est in cōtextu, cupiebat implere ventrem suum siliquis, & statim subiicit. *Et nemo illi dabat.* Etiam victis dæmon te satiare non vult, timens ne tædio vitiorum captus ab eius ditione abhorreas, eóque relicto ad dominū Deum tuum te recipias. Constituit tibi ante oculos dæmon cuiusque fœminæ eximiam pulchritudinem, vt illam ames & cupias. Idémque posteaquàm te satis incensum comperit, mulierem, quam anteà tibi præstituerat aufert & abscondit: ne tu eius conspectu aut etiam eius fruitione satiatus, eam adeptam contemnas, peccatúmque deinceps odio habeas, eóque spreto nulla mora sit quin ad Deum cōuertaris. Ideò igitur tantam tyrannidem exercet, sequaces suos esurire faciens absconso cibo: ita vt corā siliquas quæ turpitudines & immūditiæ carnis sunt, adeò parcè tribueret, vt infœlix hic iuuenis, fame fere confectus illis satiari vellet, ne tamen satietate affectus, illas deinceps odio haberet, statuit eius importunissimus dominus parcissimū illarum sumptū facere. O dominū crudelissimum, infœlicissimā peccatoris seruitutem & conditionem, siquidem tam sæuo tyrāno subiectus est. Hoc modo excruciatur à dæmone peccator, cōstituta ante oculos re quam amat, & antequam aliquomodo fruatur ablata, vt multò seueriùs supplicium & tormentum sentiat. Sic deludit diabolus & affligit hominem, qui sibi adhæret: multa promittens, sed nihil vel modicum tribuens. Eodem modo tyrannus ille Pharao, cum populus Israel ei seruiret in opere luti, eidem populo negauit paleas, vt magis illum defatigaret. Sic etiam alter tyrannus Holophernes qui cùm Bethuliam obsideret, omnes aquarum fontes qui in ciuitatem subter terram labebantur interclusit: vnde miser populus Bethulicus tāta vrgebatur aquæ penuria, vt singuli certa mēsura aquam in diem accipientes ob eius exiguitatem potiùs sitim incenderent, quàm sedarent. Non aliter dæmon omnes voluptates tibi eripit, ea tamen ratione partem illatum tibi fruendam relinquit, vt tu nec omnino satiatus, neque omnino desperās misero voluptatum desiderio crucieris. Hoc tamen cruciatu tu dignus es, siquidem prętermisso illo insigni aquæ viuæ fonte, qui Deus est, te cōtulisti, vt ait Hieremias, ad bibendum aquas putridas in cisternis dissipatis. Istæ autem aquæ quibus in potum vteris, malè olent propter vitiorum tuorum immunditiam maléque sapiunt propter tuæ conscientiæ morsus, assiduásque querelas, quibus tute surdis auribus stupidóque corpore insentientem præbes.

Exod. 5 *Iudit. 7* *Hierem. 2*

¶Expende etiam ad quantā miseriam descendit infœlix peccator, vt nemo sit, qui ei det ventris satietatē, nec dare vtiq; possit nisi solus Deus. Vide ergo filia Sion quàm amarū sit dereliquisse dominum Deum tuum. Dereliquisti fontē sapiētiæ: nam si in via Dei ambulasses habitasses vtiq; in pace super terram. Quæ igitur nos homines, nos inquam Christianos demētia cepit tanta: vt veris ac sempiternis bonis posthabitis, paleas, & porcorū pabulum tāti faciamus: præsertim cum nobilissimi conditi simus, & per Christum ad insignes honores simus electi & vocati? Nam quādiu oculis capti sumus, tandiu siliquarū amore tenemur, quas pro magnis deliciis habemus, & cibo præstantissimo, cum tamen nō hominis sed porcorū stomacho naturalis sit & conueniens cibus. Caue igitur ne cū à Christo magno pretio emptus sis, & libertate donatus, teipsum in peccatorū & diaboli seruitutem tradas. Conferte obsecro hunc peccatoris miseri præsentem statum cum illo priori. Anteà patrem habebat, nunc dominum. Quid dico dominum? Imo tyrannum. Anteà liber erat, nūc seruus est: ante omnium rerum copiam habebat, nunc omnium inopia laborat: antea apud filios Dei vixit: nunc apud sues, anteà in domo patris deliciabatur, nunc in villa rusticatur: anteà cibo angelico vescebatur, nunc siliquas vorat, nec eas vsque ad saturitatem. Hæc perpende, & caue à Deo discedere. Sed non desperes si à Deo dicessisti: sed audi quid sequitur in parabola, & ea quæ in consequentibus Saluator dicat.

Baruch 3 *Gala. 6*

In se autem reuersus dixit.

¶Septimò iam hic agitur de conuersione peccatoris, in qua primū est vt seipsum cognoscat, & in se reuertatur. Hinc clarè apparet, quòd à seipso abierat à forma naturalis rectitudinis, procul iuerat in deformitatem naturæ animæ. Et rursus à forma doctrinæ fidei, quam infusam ex diuina habuerat gratia, procul abierat, exercens contraria diuinis præceptis. Reuersio autem ad se per actum intellectus facta describitur, inchoādo à memoria domus paternæ, & relatione sui ad mercenarios, reuersus est ad rectum rationis dictamen, seipsum discutiens & interiora sua considerans, quemadmodum Dominus per Esaiam dicit, Redite præuaricatores ad cor. Nihil enim tam longè à nobis quā nos: quare homines sceleribus implicati & mūdi vanitatibus dediti extra se sunt, & in mūdo vagantur. In se reuertitur, qui à se fuerat alienatus. Exierat extra se, & seipsum relinquēs reliquerat patrē, & reuersus in se inuenit seipsum qui perditus erat. Nō enim poterat ad se redire, nisi qui à seipso abierat, & in se reuersus excitat seipsum, memoria præteritæ fœlicitatis, & in spem veniæ erigitur: & tunc cognoscit, non fuisse cæcū cum se in se videt. Reuertitur autē cogitās statū, in quo fuit, & ad quē venerat per peccatum. Homo enim peccādo extra se viliter euagatur, limitésq; rationis transcendens, terminos sibi à Deo præfixos transcendit. Cum homo ebrius insanus aut obsessus loquitur, quídue facit aliud, dicere solemus, nō esse sui cōpotem: nam tunc multa dicit & facit, quæ si sanæ mentis esset, non faceret. Sed quādo omissis ineptiis, facit aut loquitur vt hominem sanū decet, dicimus, in se reuersus est. Sic qui Deum deserit & diabolo adhæret insanus est, aut dæmoniacus. Sic Christus & post ipsum beatus Stephanus dicit. Nesciunt quid faciunt. Igitur si tu existens in peccato, videris stultū, insanum, au dæmoniacū, extra seipsum furentē, de teipso cogita, quia cū peccator sis, ita ineptus es corā Deo, sicut ille est in oculis tuis. Si res stupēda est corpus hominis à dæmone occupari: quātò horribilius cēseri debet animā in ipsius detineri potestate? Si ridiculum est & indecēs, id quod homo ex ebrietate loquitur aut facit: quantò maiori illi vertitur vitio, qui ex animi cupiditate admittit? Si res dolēda aut miserabilis planè est, homo furiosus & mente captus: quāto infęlicior existimari debet hominē nec secundū rationē, nec secundū verbi diuini eloquiū viuere. Hoc cōsiderandū tibi præbet particula ista, ad se reuersus. Beatus homo qui ex spirituali insania, ebrietate ac potestate diaboli ad se reuertitur. Sed duo erāt quare ad se reuersus est. Primū fames eius & miseria. Secundum paternæ domus abundantia & diuitiæ, quod ipse testatus est cum dixit

Cōuersio peccatoris ad se vnde oriatur. *Esa. 46* *Luc. 23* *Act. 7*

Calamitas aliquādo causa conuersionis. *Quanti mercenarij in domo patris mei abūdāt panibus: ego autem hic fame pereo?* Atque ideo Deus misit illi famem vt illum quæreret:nam alioquin ad meliorem mentem non venisset. Sic Deus multis pœnis solet hic peccatores punire: vt ad illum reuertantur.
Esa.28 Nam vt Esaias ait, vexatio dat intellectum. Sic
Deut.30 in Deuteronomio habetur, quòd postquam Moses plura flagella & pœnas cōminatus est populo Israëlitico, subdidit dicens, Et erit cùm venerint super te omnia hæc, & redieris ad cor tuum. Vides quomodo postquàm multa flagella prædixerat, dixit, quod ad cor esset rediturus Israel? Sic idem po-
3.Reg.18 pulus Israel tēporibus Heliæ fame attritus ad Dominum renouatur. Ideo Ioannes Baptista, terroribus, & comminando peccatoribus gehennam tra-
Matth.3 hebat eos dicens, Iam securis ad radicem arboris
Act.9 posita est. Ita Paulus primo prostratus est in terrā & cæcus factus his flagellis ad fidem venit. Sic Do-
Osea 6 minus per Oseam. In tribulatione sua manè cōsur-
Hierem.2 gent ad me. Et Hieremias. In tempore afflictionis dicēt. Surge & libera nos. In Psalmo etiam scriptū
Psal.82 est. Imple facies eorum ignominia, & quærent no-
Psal.31 men tuum Domine. Et in alio Psalmo, Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Et ite-
Psal.119 rum. Ad dominum cum tribularer clamaui. Mala enim quæ nos hic premunt (vt ait Gregorius) ad
Ezech.7 Deum ire cōpellunt. Vnde Dominus per Ezechiëlem. Afflictio vna ecce venit, venit contritio super te, qui habitas in terra, &c. Sequitur. Et scietis quia ego sum dominus percutiens. Manasses in vincula
2.Par.16 coniectus orauit:& Hebræi à serpētibus ignitis la-
Neem.9 cerati, Deum cognouerunt. Ideo Neemias. In tribulationis tempore clamauerunt ad te domine, & tu de cœlo exaudisti eos. Sicut vinum proferēdum ad torcular defertur, vt prælo comprimatur:ita homo ad calamitatem ducitur, vt mœrore pressus virtutis liquorem producat. Sicut mater volens ablactare filium paruulum, mammillis apponit amaritudinem, vt ea percepta lac deseratur: sic Deus voluptatibus mūdi multa miscet amara, dura & aspera: vt deserantur: quod vtique diuinæ pietatis est.
Osee 2. Ideo in Osea habetur quod dixit insipiens in corde suo, Vadam post amatores meos, qui dāt panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum oleum meum, & potum meum. Verùm attēde misericordiam Dei. Propter hoc dicit Dominus. Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam illam maceria, & semitas suas nō inueniet. Et sequetur amatores suos & non apprehendet eos, & quæret eos & non inueniet, & dicet. Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia melius mihi erat tunc, quàm nunc. Quæ autoritas in tota sacra scriptura magis ad hanc rem faceret quàm ista? sepsit dominus spinis viā animæ, quæ eum dereliquit, quēadmodum & hunc peccatorē qui domum patris sui reliquerat, fame & tribulatione oppressit. Qua de causa ad priorem amicum redire statuit, considerans tunc sibi multo fuisse melius cum apud illum erat, nō aliter quàm hic filius prodigus qui perpendens domus paternæ abundantiam & miseriam in qua absens versabatur rediit. Canibus & suibus hic mos est, cùm esuriunt dominum inspicere, si fortè quid quod edere possint, ex illius manibus decidat, & si quid illis proiicitur tunc oculos suos à domino auertunt, & in ipsum cibum tota intētione vertuntur. Cùm autem totum deuorauerunt cibum, tunc iterum oculos suos ad dominum conuertunt. Sic filius prodigus & multi etiam nunc cum res transitoriæ affluunt Dei obliuiscuntur. Sed his deficientibus tribulatione coacti ad Deum reuertūtur & illius implorant misericordiam qua antea egere non putabant. Cùm Deum & eius immensam bonitatem contemplantur, & se suúmque miserum statum cognoscunt, vident se longißimè à Deo abesse:ac proinde longè à salute, & vitam in melius mutare proponunt. Sic iste cùm habuit patrimonium non recordatus est domus paternæ:modo tamen in miseria positus, patris recordatur.

¶ Hinc discimus optimas esse aliquādo tribulationes & labores: quandoquidem iis fames ingens & extrema, quam perpeßi sunt filij Iacob, in causa fuit vt illi fratrem suum Iosephum inuenirēt:& vt eorum pater maximum perciperet gaudium recuperato filio Ioseph, alijsque facti sui pœnitentibus, & dicentibus. Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, &c. Si herus cuius in domo hic filius prodigus erat, clemēter & leniter cū tractasset, nunquam is de reditu in domum paternā curasset, ibiq; omnes dies vitæ suæ mansisset: fame tamen: miseriaq; cōmotus patrem suum quæsiuit, vitam emēdauit, & ad eum reuersus est. Nam tribulationum amaritudo peccatori oculos aperit, mundificat, & sanat:sicut in Tobia factū est, cuius ocu- Tob.11
los fel cuiusdam piscis illustrauit. Duplex autē visus est, alter naturalis, alter supernaturalis. Cæco Ioan.9
enim à natiuitate duplicē visum cōcessit Christus: naturalem scilicet cùm ipsemet cæcus se in natatoriis Siloë lauit. Supernaturalem, quando cognito Christo vero Meßia, filióq; Dei sempiterni in illum credidit, illúmq; adorauit. Primi oculi naturales nō satis erant vt Deum videre possent:& ita ait diuus Ioannes, quòd nō cognoscebat Iesum: posteà tamen eum cognouit oculis supernaturalibus fidei. Eodem modo huic Dominus oculos liberi arbitrij aperuit, quibus venit in cognitionē, & odium sui peccati:iustificatio enim peccatoris est quidam internus animi motus suam insignē calamitatem & exitium perpēdentis. Hoc autem per liberum arbitrium fit. Vnde illa particula, ad se reuersus, hunc motum explicat. Aperuit etiā Deus illi supernaturales oculos gratiam suam illi cōcedens qua ad se conuerteretur: omnis enim peccator luce quadam supernaturali indiget, qua dona diuina concipiat, animamq; in Deum suscitet atque erigat. Hi duo motus optimè explicantur illis verbis quæ paulò post subiunxit hic filius prodigus, dicens. Surgā & ibo ad patrem meum, &c. qui est supernaturalis fidei:quia oportet accedentē ad Deum credere, cum quadam vitæ anteactæ recognitione & pœnitētia, in posterúmque amplius non peccandi firmißima intentione. Sed de his post pauca latiùs dicemus. Omnia itaq; bene cōsiderauit. Ego filius, illi mercenarij. Ego non solum esurio sed pereo fame. Illi autem abundant panibus, nec est vnus, sed multi.

¶ Obserua autem quòd simul cum hac cognitione & fide indiget peccator spe ne desperet, sed Dei benignitatem respiciat. Nihil enim huic profuisset dicere, fame pereo. Nam ad desperandum potiùs deseruiuisset, si non addidisset, quanti mercenarij, &c. Patris magnificentiam & bonitatem adducit in memoriam, qui tam largus erat, vt etiam mercenarios satiaret. Non enim sufficit videre Conuersio vera cum includit timorē de anteacto peccato & spem de misericordia Dei.
pecca

peccatum & iram Dei: sed sperare de Dei misericordia necesse est, vt per spem diuinæ gratiæ animum sumat. Nam alioquin desperãdum nobis foret. Sic etiam Ioannes Baptista, qui peccatoribus pœnam æternam cõminabatur, ostendebat eis veniam & bonã spem, dicens, Ecce Agnus Dei. Ecce qui tollit peccata mundi. Petrus etiam postquam acriter arguerat Iudæos de Christi morte, cœpit eos consolari dicens. Nunc autem pœnitẽtiam agite, & baptizetur vnusquisque, &c. Paulus etiã qui cæcus cecidit in terram audiuit statim, Surge & ingredere in ciuitatẽm, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Duo hîc cõcurrunt: agnitio peccati, & misericordia Dei, timor inquam, & spes. Vtrunq; enim Deus metum & spem immittit: metu enim nos impellit & spe gratiæ ducit, quanti inquit mercenarij, &c. Mercenarius ille censendus est qui Deo seruit propter huiusmodi diuitias, vel propter commodum proprium æternæ vitæ: attamen beatum se existimaret miserrimus peccator, si modo qua vtitur talis mercenarius, eadem sibi cõmoditate vti liceret. Sibi soli omnium pessimus videtur, & miserrimus, omnium fortunam suæ præfert: neminem non se meliorem iudicat, precatur vt infimum saltem gradum securitatis possit consequi, quæ est in domo Dei. Ingenium putat ad maiora aspicere. Quanti inquit mercenarij, &c. Reliqui Christiani omnes in portu nauigãt, omnes in maiori degunt saturitate, quàm ego: qui licet mercenarij sint, nihil tamen illis deest: nullam panis patiuntur penuriam, consolationem habẽt à Deo, tam spiritualem quàm temporalem, sed ego solus hic fame pereo.

Matth.3 *Ioan.1* *Act.2* *Act.9*

¶Obseruandum hic obiter est, non omnes filios Dei esse qui in domo patris aut permanẽt aut sunt, qui non propter hæreditatẽ sed propter mercedem seruiunt. Citiùs centum inuenies qui Deo propter suum commodum aut formidinẽ pœnæ seruiunt, quàm vnum qui seruiat Deo propter ipsum amore filiali. Exigua gloria est illorũ, qui nõ filiorum sed mercenariorum morẽ habent: nam seruus nõ manebit in domo in æternum, quanuis plures annos seruiat. Nihilominus meliùs est esse seruum, & mercenarium in domo Dei quàm extra: nam mercenarius & seruus habet qui ei victũ suppeditet, cùm alius è contrario egeat, & fame perire cogatur. Obserua iterum si Deus adeò bonus est, qui mercenarios, id est eos qui nõ ex charitate, sed gratia commodi aliquid boni faciunt, sua mercede nõ frustratur: quo pacto filios suos frustrabitur si quid rectè & benè operãtur? Si seruis omnium rerũ copia suppetit: in domo Dei quid putas filiis deesse posse? Sed procedamus. *Surgam & ibo ad patrem meum & dicam ei.* In eo quod dicit surgam, indicat se lapsum esse, cùm non nisi lapsi surgere dicantur. In eo autem quod dicit, ibo, ingenuè fatetur se hactenus iacuisse: aut potiùs terga dedisse. Dicens vero patrem meum, innuit se hactenus in manu tyrãni fuisse. Expende autem quòd peccator transgressor legis Dei & violator præceptorum eius, qui Deum cõtempsit nullum refugium inuenit, nisi in ipso Deo quem offendit. In eo pro cuius amore Deum dereliquit, non inueniens requiem aut vitam: compellitur ei quem contempsit adhærere, sine ipso enim viuere non potest, atque ideo ad illum ire decreuit: quia in ipso solo erat vita & spes sua. Necesse est vt eamus ad Deum. Si vita hominum tantæ esset longitudinis & durationis, vt posset homo omnes creaturas percẽsere & percurrere, ab eisdẽ facillimè perduceretur ad Deum: nulla enim est omniũ illarum quæ perfectè placere possint, & satisfacere. Quare statim esuriens alia atque alia cuperet, quibus non contentus necessario ad Deum perueniret. Signa à sigillo in cera impressa ab ipso sigillo tãtummodo adæquatè impleri possunt. Eodẽ modo Deus impressit nos sigillo imaginis suæ cùm naturã humanam operatus est. Huius sigilli diuini signa nihil huius mundi implere potest, præterquã ipse Deus: tanta est animæ capacitas. Fecisti nos domine ad te: & inquietũ est cor nostrum donec perueniat ad te. Nihil extra Deum satiare aut satisfacere potest. Quicquid extra naturalem cursum suum est, quietum esse non potest: semper enim inuitũ detinetur. Lapidis natura est deorsum versus in centrum tendere, quo postquam peruenit: quiescit: aliàs inuitus est. Ideo Dauid in Psalmo. Quid mihi est in cœlo & à te quid volui super terrã? Helluoni si parum cibi proponitur ait. Quid hoc mihi est? Eodẽ modo ait Dauid sibi nihil esse omnia quæ in mũdo sunt. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Sed quare bona temporalia quando à nobis non habẽtur, tantopere desideramus, adepta verò adeò contemnimus, tædióq; habemus? Rationalis & perspicua est philosophiæ demonstratio, bonorum enim est, lætitiam tribuere hominibus: media tamen quibus illa comparantur, molestiam infligunt. Non aliter infirmus sanitatem desiderat, tanquam finem summúmq; bonum: syrupum tamen aut purgationem fastidit, & ita in finem optatum peruenire vult, sine vlla mensura aut parsimonia cupiẽs sanitatem: media tamen parcè nimium facere vult quibus sanitas comparatur. Vnde aliquando pro liquida purgatione pillulas mauult. Aliquando vice versa pro pillulis, cassiam fistulam, vel reubarbarũ, nonnunquam purgationem modico reubarbaro conditã, & quasi dilutam parcissimè desideret. Cùm igitur diuitiæ & bona temporalia sint quædam media & instrumenta vt ad vitam transeamus, suapte natura solicitudinẽ & molestiam, ærumnásq; secum portant. Et ita esurit anima nostra vsque semper, donec ad Deum perueniat. Ideo Salomon ait. Magnificaui opera mea, ædificaui vineas, &c. Ecce vniuersa vanitas & afflictio spiritus, omnia fames & miseria sunt. Ideo dominus. Qui biberit ex aqua hac sitiet iterum: sed qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, nõ sitiet in æternum. Respice igitur ô peccator teipsum assiduè laborãtem. Nunquam enim quantũuis labores, gaudiũ perfectum, aut quietem vsquã inuenire poteris nisi in solo Deo. Sic hic filius prodigus nunquã quieuit donec rediit ad domum patris sui: nec etiam tu quietem inuenies nisi postquam ad Deum patrem tuum reuersus fueris. Omne tẽpus quo Iacob fuit in domo Laban, variis laboribus & fatigationibus fuit implicatus: sed cũ ab illo dicessit, maximum angelorum exercitum offendit. Nihil perfectam integritatem naturæ suæ obtinet nisi suo se in genere cõtineat & seruet. Cũ igitur Deus sit genus omnium bonorũ à quo omnia bona procedunt, ideo anima nostra adeò desiderat Deum suum vt videlicet ad illum regrediens omnia bona consequatur. Quare attende nusquam gaudium aut quietẽ præterquam in Deo inueniri posse non in mũdi honore, quem Esaias comparat fœno

Ioan.18 *In Deum vt vltimum finẽ omnia tendunt.* *Psal.72.* *Psal.15* *Eccle.2* *Ioan.4* *Genes.30*

fæno agri, nec in diuitiis, sed in solo Deo. Quid
Esa.40 prodesset illi qui manum haberet luxatam, digitos annulis aureis smaragdis, adamantibúsq; exornare? Certè nihil: donec manus & os distortum in locum proprium restitueretur. Attende igitur peccator crimen quod perpetrasti, nihil aliud fuisse nisi quandam manus aut brachij extorsionem qua à Deo Deique amore seiunctus es. Sic dicit dominus per Hieremiam.
Hierem.2 Me dereliquerunt fonté aquæ viuæ & foderunt sibi cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas, &c. Nihil igitur ex omnibus quæ in mundo sunt, te poterit restituere & sanare, nisi in eum locum redeas, vnde discessisti deserens Deum videlicet tuum. Nulla enim creatura, vt iam sæpè diximus perfectũ gaudium aut quietem inuenire potest, donec in terminum suum perueniat, quasi extremam naturæ suæ manum & perfectionem: quò dum nõ peruenerit, necesse est nusquam in via quiescat aut lætetur, vtpote quæ indigens est & inops naturalis sui ingenij, & inclinationis. Vltimus auté finis hominis Deus est: quemadmodum & principium. Theologi enim beatitudinem obiectiuam hominũ Deum vocant: in cuius possessione vniuersa fœlicitas humana consistit. Vnde sicut esset impossibile duo fuisse principia, ita esset absurdũ duos vltimos fines statuere: acsi essent duo dij. Si ergo solus Deus vltimus finis est hominis: vltimáque beatitudo, & est impossibile quòd sint duo fines & duæ vltimæ beatitudines: impossibile est, extra Deum beatitudiné inuenire. Nam proculdubio quemadmodũ chirothecæ manibus, vagina gladio, & nõ ad alium vsum sunt fabricata aut cõueniunt: ita animus humanus Deo & nõ ad aliud creatus, nulla alia in re quiescere potest quàm in Deo. Illo solo cõtentus viuere potest: extra illum egés, & solicitus sit necesse est. Hac duntaxat causa, quia cùm præcipuũ beatitudinis substitutum sint intellectus & volũtas potissimæ hominis potétiæ, dum illæ inquietæ fuerint, nõ potest homo aut eius animus quietus esse donec ad Deũ perueniat, à quo & ad quem creatus fuit vbi tandem perfectũ solatiũ & tranquillitaté adipiscetur. Quemadmodum enim acicula horologij solaris quæ sub vitro latet speculo magnete infecta, nunquã quiescit sed semper mouetur, sempérque rotatur donec cuspidem septentrionem versus dirigat: quo facto statim cessat & consistit, ampliúsque nõ mouetur, ita anima nostra, quæ Deum suum iugiter desiderat, ad illúmque tanquam suum septentrionem & centrum dirigitur, nullo modo aut quiescere, aut consistere potest, donec illum teneat.

Confessio peccati proprij gratissima Deo. ¶ Præterea cognitio proprij peccati compulit hunc filium prodigum vt ad Deum se conuerteret. Tanti enim facit dominus noster hãc propriorum criminum recognitioné & pœnitentiam, vt etiamsi grauissimæ Christo sint lachrymæ in eius passione ab hominibus profusæ, noluerit quãdo crucem humeris portabat, vt filiæ Hierusalem eius passionem
Luc.23 & cruciatus deplorarét, sed potiùs in propriis criminibus deplorandis occuparétur. Hæc autem cognitio maximi fructus est & vtilitatis, si cum humilitate fuerit cõiuncta. Mala enim in bona cõuertuntur sicut apibus moris esse accepimus, quæ de
Luc.18 amaris floribus dulce colligunt mel. Quia non cognouit superbus pharisæus parua peccata sua, amplisima illa facta sunt: at verò publicanus, quia crimina sua magna esse cognouit, illa de magnis parua facta sunt, & ad nihilum potiùs redacta. Vbi enim ægrotauit sanus, suam infirmitatem & ægritudinem nõ cognoscens, sanauit infirmus: qui ægritudinem suam & peccatum suum cognouit. Latro *Luc.23* qui in cruce pendens culpam suam nõ nouit damnatus est: alter autem qui humiliter se subiecit, sui criminis conscius, veniámq; implorans, in cœlum efferri meritus est. Non paruum est leuamen medico, & adiumentũ, quod ægrotus locum doloris assignet, causamq; morbi explicet, vt aptiùs medicaméta possint adhiberi. Deinde mouit hũc filium prodigũ vt ad eum cõuerteretur, cognitio, quã de liberalitate patris sui habebat, boniq; mores quibus in eius domo fuerat educatus. Si in aliquã tabulam antiquam inspiciens in qua sit alicuius ab hinc mille annos depictũ simulacrum adeò vt iam colores, vmbræq; fere euanuerint, vides illic partem diadematis, illic vero clauem depictam extare, licet omnia alia deleta sint, statim dicis. Hæc imago diui Petri erat. Eodem modo animæ sunt plurimæ, quæ quondã pulchræ, lætæ, spirantésque Dei imagines fuerunt. At nunc peccati fœditate, obtusæ, & obscuratæ sunt, adeò vt vix apparere aut extare possint. In prædestinatis tamen ad vitam æternam, semper quædam virtutis manet propésio, quædámq; bonitatis indoles qua quantumuis sint peccatis impliciti, quãdam quasi sanguinis & nobilitatis suæ imaginem præferunt. Quemadmodum aliquando accidere videmus, in puero aliquo qui nobilibus ortus parétibus, leuitatis vel imprudentiæ causa de domo paterna egreditur vt externas videat regiones: qui etsi vagus, pannosusque, despiciendúsq; omnibus videatur, tamé imaginé quandam exemplárque ostendit vrbanitatis & pietatis, generísq; sui non leuia indicia, vt & iniurias facilè sibi illatas condonet, & inimicos non seuerissimè vlciscatur, adeò vt statim se intuentes dicere compellat: Proculdubio hic puer, quem hic perditum errare videmus, nobilibus, clarisq; natalibus exortus videtur. Idem & in prædestinatis euenit, qui etiamsi aliquando in peccata dilabantur, immundóque & contemptibili incedant habitu, retinent tamen quandam in virtute propensionem qua plurimum adiuuãtur, vt de peccato resurgant. Recordatio domus paternæ, generísque claritas hunc filium prodigum adiuuauit, vt à peccato exiret: meminit enim diuitiarum & clementiæ paternæ, quibus admonitus ad patrem suum reuersus est.

Ad nostram verò eruditioné docemur nõ sedere aut quiescere in peccatis, sed surgere aut ambulare vt Christum sequamur. Qui sequitur Christum nõ sedet: sed tanquam filius lucis ambulat. Necesse est *Matth.19* vt surgas & ambules si Christum vis sequi. Negociator ille Euangelicus inuento thesauro, præ gaudio illius vadit & vendidit vniuersa quæ habuit. Et Saluator ait, Filius enim hominis vadit, &c. Ne sedeamus, ne immoremur in vitiis: sed tanquã ceruus *Matth.26* qui canibus obsessus gemit, & implorat (si qué hominé transeunté videt) ab eo auxiliũ, vt illius ope se tueri possit: sic nos tantis laboribus & periculis circumuallati, ploremus & gemamus, quærentes Christum factum pro nobis hominem, &c.

¶ Docemur secundò quòd per peccatum non perditur liberum hominis arbitrium, vt impiissimi Lutherani ausi sunt asserere: voluit namque iste surgere & ad patrem ire, licet non veniret nisi occurreret illi pater & misericordia moueretur. Sed de hac

de hac re nõnihil in superioribus diximus: & multi viri doctisßimi hac nostra tempestate cõtra impudentisßimam Lutheri hæresim scripserunt.

¶Docemur tertiò vt antequam ad confitendum crimina nostra accedamus, sacerdoti qui locũ Dei obtinet, conscientias nostras exactisßimè examinemus quid admiserimus cogitãtes. Hic filius prodigus priusquàm, culpam suam corã patre fateretur, secum meditatus est, quid dicturus esset. Sic dicam ei. Pater peccaui, &c. Priusquã dispensator domus rationes domino suo reddat, prius ipse secum illas computat, librum inspiciens ne fortè erret. Sic tu priusquam confessurus ad confessarium accedas, conscientiam tuam perpendere debes. Sed iam in capite vndecimo de hac re disseruimus. Disce ergo ex hoc filio prodigo qui anteà quàm patri suo crimina exponeret, quid dicendum esset cogitauit, dicens secum. Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei. Quid dices? *Pater peccaui in cœlum, & coram te.* Singula hæc cõsideratione digna sunt. Primò dixit, pater: quia in hoc vocabulo fiduciam totam constituit suam. Ideo Christus in nostra oratione, in initio constituit hoc dulce nomen, vt ad pietatem Deum flectamus dicẽtes, Pater noster qui es in cœlis, &c. vt sic audacius ad Deum accedamus. Ipse enim pater (ait Christus) amat vos. Et iterum. Scit pater vester quia his omnibus indigetis. Vnde quã misericors sit Dominus, qui neque offensus patris nomen non dedignatur audire. Secundò dixit, peccaui, humiliter confitendo suam culpam: nec se excusat, nec culpam in naturam, dæmonẽmue conijcit, aut in carnem & mundum improbisßimos amicos: sed in seipsum tantummodo. Nam reuera omnes cum peccamus, nostra & non aliorum culpa peccamus. Quare Dauid populi sui intuẽs exitium, humiliter dixit, Domine ego sum qui peccaui. Hi qui oues sunt quid fecerũt? Hæc est confessio peccati quam Deus exigit à peccatore: quanuis Deus sciat omnia, attamen vocem tuæ confessionis expectat: ore enim confessio fit ad salutem. Sese accusans peccator, accusatorem confitendo præuenit: alioquin frustra debes occultare quem nihil fallit, & sine periculo prodas, quod scias iam esse cognitum. Expende etiam quas cogitationes Deus ingerat, Pater peccaui, non vulgariter, sed supra quàm credibile est: in cœlum, nõ me ante te purgabo, sed simpliciter confitebor me indignum omni gratia: Istas cogitationes non indidit natura, sed fides & gratia: nam si filius prodigus suum ingenium & naturam sequutus fuisset, ita dicturus erat. Dicam patri meo. Non satis intellexi, non dolo malo feci: quapropter in locum filij me recipe, æquum est vt mihi præ cæteris benefacias, &c. Ratio eius naturalis tale daret consilium: quod si obtemperasset, patrem magis ad vindictam prouocasset, quàm reddidisset eum exorabilem. Ideo Deus aliud suadet. Vide etiam quantum coram Deo valeat humilis confessio. Apud iudicem sæcularem confessio delicti damnat, sed saluat apud Deum, qui ait, Non sunt viæ meæ viæ vestræ, & cogitationes meæ cogitationes vestræ. Humiliter confessus est peccatum suum Dauid. Sic & Manasses Rex Iuda: sic Magdalena, sic & ille publicanus qui ad templum ascendit orare: sic latro in cruce humiliter agnoscens suam culpam dixit, Nos quidem digna factis suscipimus. Et omnes isti misericordiam domini sunt consequuti: humiles enim delicti cõfessio misericordiam peccati remisionem consequitur. Hanc non sunt consequuti Cain, Saul, & Achab, & alij: quia superbè misericordiam domini non similiter petierunt.

Humilis & manifesta cõfessio grata Deo.

Matth.7
Luc.11
Ioan.16
Matth.6

2.Reg.24

Rom.10

Ezec.18

2.Reg.12
2.Par.33
Luc.7
Luc.18
Luc.23

¶Tertiò dixit in cœlum, Peccaui inquam in cœlum, quia terrena & corruptibilia pluris feci, quàm cœlestia: quemadmodum in te peccat ille qui puerum tuum tibi præfert, illũmque maiori prosequitur quàm te honore: sic peccat in cœlũ qui terrena cœlestibus præponit. Præterea cum peccas non modo te proditorẽ Deo facis, sed etiã aliquo modo peccato tuo omnibus creaturis displices: anima enim tua medium est quoddã, quo omnia creata ad Deum suum conuertantur, & redeunt. Deus enim hæc omnia visibilia & corruptibilia propter corpus creauit, corpus autẽ propter animam: animam verò, vt Deũ suum cognosceret, amaret, & coleret, ab eóq; traheretur, quasi à nouisßimo cathenæ orbiculo, qui vniuersam cathenã post se trahit. Itaq; vt omnia ad principiũ suum redigerẽtur siquidem propter hominẽ creata sunt, homo autem propter Deum. Hoc voluit dicere Salomon cùm dixit, vanitas vanitatũ & omnia vanitas. Non quod plantæ aut flumina, suam iuxta naturam à Deo sibi datam perfectionem nõ habent, aut in elemẽtis aliqua sit huius rei culpa: sed quia inanis homo inaniter vtẽs creaturis, nomen illis nouum vanitatis imponit: Quemadmodum enim inutilis, & incõueniens horologij vniuersa structura cẽsetur, quãdo suis temporibus hora nõ sonat, aptisßimũ labentis temporis signum reddens: ita elementa, cœliq; compositi, & fabricati subtiliter diuino artificio cũ rotæ sint, & structura quædam mundi quasi cuiusdam horologij, nisi per hominẽ quasi per vocem quandam horologicam sonẽt, id est Deum pro tãto opere fabricato asßiduo concelebrẽt, inania & inutilia sunt. Ideo Dauid ait, Benedicam dominũ in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Cùm autẽ propter peccatum homo obmutescat, qui quasi quædam vox viua mundi est, laudésque diuinarum rerum intermittantur, sequitur necessariò hominem esse potisßimam causam, qua orbis mundi vniuersus inter se dissonet, & funditus intereat. Ideo ait, peccaui in cœlum, vt intelligas etiã omnia in cœlo clausa, quæ homo cum Deum offendit iniuria maxima afficit. Quartò dicit & corã te, hoc est in ipso interioris conscientiæ conclaui, quod solius Dei valent oculi penetrare. Quapropter hìc (coram te) idem est ac si dixisset te cognoscente. Vnde Dauid Domino ait, Tibi soli peccaui & malum coram te feci. Quanuis Dauid peccauit in Vriam capiendo eius vxorem & posteà illum occidendo: quia solo Deo præsente peccatum commisit, & solus Deus fuit illius peccati cõscius: soli Deo peccasse & malum coram eo fecisse dixit. Certum est enim Dauidem nullis vocatis testibus adulterium perpetrasse: & etiam secretè iussit Ioab vt occideret Vriam. Peccatum etiam quodlibet plus pendet à corde quàm ob opere: Nam hac sola ratione peccatum censetur peccatum, quia ex malitia cordis prodit: de corde enim exeunt adulteria, homicidia, fornicationes, &c. Si enim corde præcipuè peccatur, coram solo Deo peccamus, cum solus ipse sit qui intuetur cor nostrum, adulterium Dauid & peccata huius filij prodigi, qui consumpsit substantiam suam luxuriosè viuendo, quod opus verecundum est: adeò vt coniugalis cõcubitus qui licitus & honestus est, secreta loca requirat. Et vt scias quòd Dauid

In cœlũ peccamus quia præsente & cognoscẽte Deo peccamus.

Eccle.1

Psal.33

Psal.50

2.Reg.11

Matth.15

Dauid occultè peccauit, audi quid dixerit ei Natha. 2.Reg.12 Tu fecisti in occulto, ego autem faciam in cōspectu totius Israel. Et hic modus loquēdi satis vsitatus est in sacris literis, vt ille dicatur peccare Deo qui peccat coram eo: & ille dicatur peccare in hominem qui peccat coram homine. Nā propheta Baruch.1 Baruch peccata filiorum Israel, sub eorum nomine deplorans ait, Peccauimus domino Deo nostro. Et paucis interiectis eandem cantilenam repetens ait, Peccauimus ante dominum Deum nostrū. Matth.18 Et in euāgelio. Si peccauerit in te frater tuus, id est, te sciente. Sic hic, peccaui coram te, id est, te sciente, & teste, peccaui. Non erubui patrem tuā præsentiam. Feci corā te quod non auderem facere coram principe aut rege terreno. O domine Deus quàm parui te feci, quam nihili te pepēdi equidem considerare debuissem me in tua esse præsentia, vt etiamsi multum diuque à carne sollicitatus & interpellatus essem, tamen præsentia tua memoriaque tuæ autoritatis qui præsens aderas confirmatus me à peccato continerem. Nunquid domine tu cæcus eras, vt flagitia mea non videres? miseranda hominum cæcitas, qui cùm se inuicem reuereātur cùm peccant, & coram aliis non audeant peccare. Dei tamen præsentiam nunquam formidant: aut ignorāt diuinos illos lynceosq́; oculos omnia prospicere, nihil esse tam occultum quod eos latere possit. Etsi Deum cuncta scire credunt, suspicantur fortè illū peccatis nostris non offendi aut illum adeò iniustum credunt, vt peccata impunita esse velit: aut forte impotentem qui etiam cùm velit punire nō posset existimant? Si credunt diuinos oculos posse frustrari, audiāt scripturam. Homines iudicāt quæ 1.Reg.16 foris sunt, Deus autē intuetur cor. Psalm.7 Et Dauid. Scrutans corda & renes Deus. Scrutātem dixit, vt eum minutissima quæque cognoscere innueret, prout facit is qui rem quāpiam cū diligentia scrutatur: cui nihil est etiam quantumlibet paruum quod nō Eccles.24 sit exploratum. Et diuina sapientia clamat se in profundum abyssi penetrasse: vt ostendat nihil esse tā occultum quod non sit illi manifestum. Nemo putet peccatum esse secretum, nec dicat cum illo maledicto sene. Dan.13 Ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt. Videt te Deus, videt te iudex ille, ad cuius tribunal te assistere oportet. Multi enim sunt sicut perdix quę dū caput abscōdit, & non videt videntē se, putat à nemine videri. Ita quāuis nos Deū non videamus, tamen ipse nos optimè videt. Qui Sap.8 fingit oculum (ait sapiens) ipse cōsiderat, & omnia Hebr.4 (vt Paulus fatetur) sunt nuda & aperta oculis eius. Sic Dominus tulit propheta Ezechiel & dixit ei. Fode parietem, & cum fodissem parietē apparuit Ezech.8 ostiū & dixit ad me. Ingredere & vide abominationes pessimas. Vidisti quę faciūt seniores domus Israel in tenebris vnusquisque in abscōdito cubilis sui? Dicūt enim: nō videt nos dominus, dereliquit dominus terram. Sed de his satis. Meritò ergo ait filius hic prodigus, peccaui coram te. Acsi diceret. Adeò effrōs & inuerecundus fui, vt te præsēte & coram oculis tuis peccare non erubuerim: nam etsi hominibus peccatum meum latuerit, tibi autem qui omnia occulta nosti, latere non potest. Peccaui ergo coram te: quoniam tu solus secretorū scrutator me peccantem videbas. Obserua etiam quòd quando peccauit, quasi non esset corā Deo peccauit. Sic enim se habet peccator, vt si Deus nō haberet oculos. Sed iā modo qui oculos aperuerat, & ad se fuerat reuersus sentit & videt, quod coram Deo peccauit.

Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.

Indignus inquā sum vocari filius tuus: quia imaginem tuam in me peccādo multipliciter deturpaui, mèque tibi valde dissimilem feci. Item quia peccādo feci meipsum seruū diaboli & peccati, a quo enim vt ait Petrus, quis superatus est, huius & seruus est: 2.Petr.2 atque ideo ad gratiam & nomen filij me recipi fateor indignum, idcirco humiliter precor, talem inter mercenarios cōputari. Sic & Abigail prudentissima fęmina cognito quod Dauid vellet eā in cōiugem sumere dixit: ecce famula tua sit sicut 1.Reg.25 ancilla, vt lauet pedes seruorum Domini mei. Matt.8 Hoc etiam Centurio dixit, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meū. Sed propter hanc humilē confessionem meruit salutem puero, & vt à Christo tam magnificè laudaretur fides eius. Sic & ille propter hanc humilem confessionem veniam est assequutus. Igitur sicut hęc in animo proposuerat, ita fecit & opere compleuit: quapropter sequitur in contextu.

Et surgens venit ad patrem suum.

Vtinam nos sic surgeremus à peccatis cum proponimus surgere, sed tota vita transit in bonis desideriis, nunquam opere desideria bona exequēdo. Prouer.26 Multi enim sæpè detestantur fęditatem peccatorū, sed sunt sicut ostium in cardine, quod voluitur nō tamen exit à loco suo. Quid enim prodest proponere, si opere nō facis quę proponis? Ambulate dū Ioan.8 lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendāt. Dū enim tempus habemus operemur bonum, ait Paulus: Galat.6 quia iuxta Ioannis sententiam nouissima hora 1.Ioan.2 hęc est. Ideo admonet Esaias dicens, Quærite dominum dum inueniri potest: inuocate eū dum prope est. Esai.55 Multum te deberet monere ad accelerationē cōuersionis, quia tot homines defuncti sunt q̄ benè proponebant se quandoque facturos pœnitētiam, & præocupati morte non fecerunt. Nec de cætero vnquam facient. Ista procrastinatio multos decepit: & vt in Ecclesiastico habet, repromissio nequissima multos perdidit. Eccle.29 Repromissio qua peccator promittit sibi tempus & longam vitā nequam est: quia vsurpat quod est proprium Dei, videlicet disponere tempus de futuro. Non est vestrū nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, ait Christus. Acto.1 Tēpore Noë sustulit dominus Genes.6 viginti annos ex illis, quos hominibus vt agerent pęnitentiā permiserat, quia tempore concesso sibi commodare nolebant. Si igitur Deus tempus promissum nolētibus pęnitere abstulit, quid faciet de his quibus nullū tempus promisit? Quinimo quāuis scires multum tempus te victurū, statim deberes conuerti: nam officium eorum qui citò cōuertuntur gratius est Deo, nam offerunt ei de flore & vigore vitæ suæ. Sed qui tardè conuertuntur, fæces Deo reseruāt, qui timere possunt ne & ipsi etiā fęces calicis domini bibāt: & eius indignationē, fæx Psalm.74 enim eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Bonum de vita sua offerunt mundo, & fęces Deo: cū ea quę offeruntur Deo bona & optima debeant esse & electa. Vnde in Ecclesiastico dicitur. Eccle.14 Fili si habes bene fac tecū: & dignas Deo oblationes offer. Num.18 Et in Numeris præcepit Deus meliora ei offerre, dicens, Omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria domini separabitis. Optima &

Malac.1 electa erũt. De malis verò ait propheta Malachias. Maledictus qui habet in grege suo masculũ,& votũ faciẽs immolat debile domino qui rex magnus est dicit dominus exercituum. Sed quare tu vis impendere optimos vitæ tuæ annos in mundo, iuuẽtutis tuæ omne tempus illi concedis, fęcibus, peioréque vitę tuę tẽpore Deo reseruas? Pręterea stultissimus esset ille, qui cadens in aquam profundã & adhuc supernatat, & si subueniatur dicat. Nolo adiuuari vsque ad annum, cùm statim submergatur & suffocetur. Qui in peccato mortali est cecidit in aquam profundam incertus quãdo ad profundum inferni descensurus sit:& cùm ad pœnitentiam moneatur, quasi quædam tabula ei porrigitur, vt in ea euadat à naufragio. Ideóq; fatuus est peccator, si differt tabulam pœnitentiæ arripere quæ est secunda tabula post naufragium, dicens, postea me adiuuabo, cùm iam aquæ veniant super caput eius. Attende igitur ne tibi vita nequicquam transeat, bonis propositis contenta, quæ nisi opere pręstiteris à peccato exire nõ poteris, priusquã à morte occuperis, post mortem enim etiam si pœnitentiã agere velis nullo modo poteris. Hic filius prodigus consideràs miseriam peccati altissimúmque grat ę statum vnde decidit, statuit peccati mansionẽ relinquere, & ad Deum suum redire, quod quẽadmodum proposuit opere impleuit, & surgẽs venit ad patrem suum. Idẽ & tu facere debes statim à criminibus tuis surgens, crastinum diem nõ expectans: nescis enim vtrum sis in diem crastinum peruenturus necne.

¶ Obserua autem quòd si ad patrem venit, non ex suis viribus, sed Dei auxilio venit, & nõ quocunque auxilio, sed Dei auxilio speciali. Aduerte autẽ quòd duplex est auxilium speciale, quo Deus adiuuat peccatorem ad pœnitentiam. Quædam enim sunt auxilia antecedentia, & præuia ad ipsum actũ pœnitentię: alia illum comitãtia & ei inseparabiliter coniuncta. Prioris generis sunt prædicationes, inspirationes sãctę, admonitiones amicorũ, timor gehennę, spes regni cęlestis, tribulationes, miracula, exẽpla aliorum & similia. His nanque omnibus trahit Deus & allicit misericoditer peccatores ad pęnitentiam. Et huiusmodi auxilia à plerisque inefficacia auxilia dicuntur, quia non semper habẽt suum effectum, sed plerunque à pecccatoribus propter suæ mentis obstinationem frustrantur, & obfirmato animo in suis peccatis perseuerant. Posterioris autem generis auxilia sunt, concursus quidam specialis, quibus Deus peculiariter & immediate nostras rebelles, ad se conuertit voluntates, cõiungens se & intimo quodam & benignissimo modo vniẽs seipsis, & potentiores eas ad operandũ reddẽs. Atque vt doleant de peccatis suis, & vitam bonam in malam commutent inflectens. Et auxilia efficacia dicuntur communiter, & simultanea, & sine comitãtia aut cõiũcta ipsis operationibus possunt appellari: quia comitantur actum pęnitẽtię, & inseparabiliter sunt cõiuncta, & simul sunt cum ipso: neque vnquam frustrantur aut frustrari possunt à nobis, & omnes & soli ea habẽt, quos suorum peccatorum pęnitet. Quanuis autẽ hęc secundi generis auxilia necessaria sint & sufficere possint fidelibus ad pęnitentiam, & primi generis auxilia fine istis non sufficiant, tamen & priorum aliqua moraliter vidẽtur necessaria, homines enim nõ nisi multis allecti ocasionibus & impulsionibus ad operã dum trahimur. Habuit hic filius prodigus auxilia prima, vt fuit tribulatio, paupertas, fames & miseria: quę eum alliciebant ad conuersionem & contẽptum peccati. Habuit & memoriam domus paternæ quam Deus illi præstitit, vt recordatus fęlicitatis quam perdiderat appeteret domũ patris. Habuit & cognitionẽ sui quã Deus illi infudit, vt ad seipsum reuerteretur. His auxiliis adiutus oculos suæ mentis aperuit: quapropter ad seipsum reuersus est, & surgens venit ad patrem suum. Obseruãdum rursus gradus esse quosdam ad Deum redeũdi. Primum ad se ipsum reuerti, séque ipsum arguere ac obiurgare delinquentię: id quod hic fecit, nã ad se est reuersus, nimirum per miserandi status cõsiderationem, in quem suapte sponte ac voluntate inciderat. Hoc est quod Esaias hortatur. Memento te istud, & confundimini: redite præuaricatores ad Esai.46 cor, & recordamini prioris sęculi. Hieremias etiã Hier.18 Reuertatur vnusquisque à via sua mala. Eadẽ Ioel Ioel.2 & alij præcipiunt.

Secundus gradus est comparare damnum & lucrum, bona inquam quæ perdidimus, & mala in quæ incidimus: ideo dixit, Quanti mercenarij in domo patris, &c.

Tertius gradus est, vt surgas & erigas te, firmóque proposito vadas ad patrem, & delicta tua illi confitearis: quod hic fecit surgens & veniens ad patrem suum, &c.

Octauum principale iam nunc videamus quomodo Christus Iesus peccatorem recipit, de quo sequitur in contextu.

Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est.

Hic notatur ordo quo Deus venit ad peccatorẽ, secũdum proprietatem & similitudinem vulturis, qui primo vidit cadauer à lõgè: deinde aduolat, & postea insidet, & tandem incorporat. Sic facit hic Christus, cùm adhuc lõgè esset in regione peccati, quia longè à peccatoribus salus, vidit illum oculis Psal.118 pietatis & misericordię, sicut Petrum post trinã ne Matt.26 gationem. Et misericordia motus est, quia eius misericordia vt Hieremias inquit, non sumus cõsumpti. Pręterea in eo quod ait, quod lõge erat, insinuatur quod non erat contritus, sed attritus, qui dolor est imperfectus, per quẽ aliqualiter se disposuit ad gratiam. Nam si verè cõtritus esset, & propter Deũ summe dilectum pęniteret, nõ esset longè sed propè. Sed posteà cùm amplexatus est illum pater, ex attrito factus est contritus, vel iuxta aliquorum sententiã, actus attritionis perfectionatus est, per charitatis formam & in contritionem mutatus. Itaque quia nondum per charitatem infusam & verã cõtritionem, & virtutum adeptionem fuit Deo adiũctus lõgè erat, videt autẽ illũ oculis misericordię: vidit aspectu illo quem petebat Dauid dicẽs, Aspice in me & miserere mei. Vidit quẽ nihil fallere potest, quiq; solicitudinem filiorum suorũ, etiã cum ab eo errãt nõ prorsus abiicit. Vidit in se reuersũ & ad eũ reuerti deliberantem. Nec enim ille ad se reuerti nec tã sancta vota concipere potuisset: nisi eum ille prius aspexisset. Imago quæ in speculo est oculos sursum attollere nõ potest, nisi ille cuius est similitudo illos priùs attollat. Attẽde igitur peccator te oculos tuos in terram deprimere affectionib[9] tuis in mũdi bona deiectis. Sic Dauid in Psalmo de quibusdam peccatoribus dixit, Oculos suos statuerũt declinare in terram. Et Daniel de illis senibus

Thren.3 (margin)
Psal.24 (margin)
Psal.6 (margin)
Dan.13 (margin)

nibus impudicis dicit, Auerterunt sensum suum, declinauerunt oculos, & non viderunt cœlum. Vt igitur oculos tuos ad cęlū eleues opus est, vt Deus cuius tu es imago, priùs te de cęlo aspiciat, oculósque misericordię in te dirigat: vt tu respicias aspiciētem te. Nam nisi ille prior speciali auxilio te cōspexerit, nequaquam tu eum respicere aut ad eum conuerti poteris. Non poteris ire ad eum nisi Deo mouente, ducente, aut impellente, aut trahente. Vnde Saluator. Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum. (Ioan. 6) Propter quod sponsa hanc suam omnipotentiam agnoscens orabat dicēs, (Cant. 1) Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Si tu non traxeris, ego ire non potero. Sic prophetæ Ezechieli præcipienti Deus vt surgeret & staret supra pedes suos, (Ezech. 2) ingressus est spiritus domini in eūdem prophetam, & statuit illum supra pedes suos: quia nisi spiritus domini adiuuaret eū, ille stare per se non poterat. (Thren. 5) Ideò in Threnis dicitur. Conuerte nos domine, & conuertemur. (Matth. 26) Sic priùs respicit Petrum, & posteà fleuit amare. (Psalm. 103) Vnde egregius Psaltes de Deo loquitur dicens, Qui respicit terrā, & facit eam tremere. Hic est qui ouem perditam perducit ad caulam: qui solus sanat omnes infirmitates nostras & propiciatur omnibus iniquitatibus nostris. (Iob. 23) Hic solus est de quo ait Iob. Deus molliuit cor meū & omnipotens conturbauit me. Solus enim Deus pęnitentiam donat, nam beatus Paulus ait, pęnitētiam esse donū Dei, (2. Tim. 2) cū in posteriori ad Timotheū Epistola ait, vt cum modestia corripiamus eos qui resistunt veritati, ne quando det illis Deus pęnitentiam ad cognoscendū veritatē. Ex quo loco Augustinus colligit, quod non solùm cùm agitur pęnitentia, sed etiā vt agatur necessaria est Dei misericordia, (Psalm. 58) & est illa misericordia de qua in Psalmo, Misericordia eius pręueniet me. Ante ergo quàm peccator pęniteat, misericordia Dei præuenit eū. Non enim sufficiūt omnes conatus nostri vt nos iustificent & Deo cōcilient: verùm quod deest nobis ipse benignissimè supplet. Quanuis enim aliqua opera spectātia ad nostrā iustificationem à solo Deo sine nostro concursu fiant: nō ideo tamen & idem licet colligere de omnibus operibus ad eā requisitis. Triplicia enim sunt opera Dei cōcurrentia ad iustificationem peccatoris. Primi generis sunt illa quæ antecedunt etiam tempore nostram iustificationem, & sic Deo sunt propria, vt nullā in eis partem libertas nostra habeat, scilicet, neque consensum, neque cooperationem. Et talia sunt prædestinatio, electio, seu vocatio: pulsare ad ostiū, & aliquando admonitio, & inspiratio. Secundi generis opera sunt productiones qualitatum supernaturalium, gratię, scilicet, & virtutum, quibus cōpletur nostra iustificatio, & formaliter iustificamur. Et quia ad producendum tam pręcellētes qualitates natura nostra pertingere non potest, habet se homo respectu earum passiuè: sicut aër respectu luminis cùm illuminatur à Sole. Sunt tamen inter hæc opera quibus incipitur & perficitur nostra iustificatio, alia media opera tertij generis, quæ Deus in nobis nō exercet nisi nos assensū præbeamus. Cuius generis sūt fides, spes, dilectio, pęnitētia, & omnia breuiter opera cōcurrentia ad nostam iustificationem, quæ affectum liberum cordis nostri desiderant, & hęc sunt requisita ad cooperationem nostram, & hęc à nobis requiruntur. Quanuis enim iustificatio nostra, per infusa dona & virtutes à Deo solo fit, & solius Dei munera sunt gratia & virtutes infusæ: hoc tamē fit nobis consentiētibus, & cooperātibus. Deus enim hęc munera non elargitur, nisi ope sua dispositis, & vocationi suæ sanctæ libenter obtemperantibus. Vide quomodo antequā verbum loqueretur hic filius prodigus, imo priusquā ad patrem veniret, cum adhuc logè esset à domo paterna pater illi obuiauit, atque ideo iustificationem nostram, & peccatorū remissionem gratiæ Dei ascribere cogimur. Et vt videas quam prōptus sit Deus, vt peccatori succurrat, & faueat: vide quid sequatur in contextu. (Gratia præueniens.)

Et accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. In occursu præsentia, & in amplexu clemētia demonstratur. Accurrens notatur gratia coadiuuans siue cooperans, quæ non patitur moram siue dilationem. Sicut enim nutrix videns puerum inualidum conātem ad ambulandū, statim occurrit ne cadat: ita Deus cùm aliquis nititur per liberum arbitrium ambulare ad eum, statim Deus occurrit per gratiam. Ideo Iob. (Iob. 14) Operi manuum tuarū porriges dexteram. Quando enim facit quis quod in se est præparando se ad gratiam, Deus mox subuenit, gratiámque infundit.

¶ Expende autē quomodo non sit lenta neque tarda diuina misericordia ad subueniendum compūctis corde. Mox vt tacti dolore de peccatis illū innocamus exaudit, & sinum suæ misericordiæ aperit, vt recipiat confugiētes ad se, & redeat in gratiā nobiscum & recociliet nos sibi. Verùm cum Deus tā diligens sit vt nobis det bona: nos per oppositū diligentes sumus ad malum & pigri ad bonū. Filij Israel nondum Aaron verba finierat, quādo dederunt ei iocalia, inaures ad idolum fabricādū. (Exod. 32) Quis homo vt pauperem subueniat tam facilè daret annullum aut aurum? Quod sunt hodie in mūdo qui cùm meretricibus preciosa consumunt: & cum sorore aut nepote, nec obolum consumerēt? Imperat vitus & dormimus, imperat vitium & currimus. Faciles sumus ad vitia & desides ad opera virtutum, &c. ¶ Secundò dicitur hic quòd cecidit super collum eius: in quo notatur gratia cōseruans, (Gratia conseruans.) quæ fouet & amplectitur pœnitentem duobus brachiis charitatis. Læua est dimisio culpę, & dextra promisio gloriæ. Vnde dominus per Oseam. Ego quasi nutricius Ephraim, in brachiis meis portabo eum. (Osee 11) Amplexus cum osculo ipsa gratia reconcilians est his signis descripta, ad significandum magnitudinem affectus, & effectus diuinæ benignitatis erga pęnitētem. Multò enim maior est quàm amplexus & oscula significēt, sed spiritualia per hęc sensibilia significātur. Pręterea in osculo notatur gratia cōsumās seu perficiēs: (Gratia perficiens.) quia osculū est signum perfectæ recōciliationis, & pacis & dilectionis. Et ideò vltimo ponitur, quia nō habebitur nisi post tres gratias prędictas. Mira certè diuinę potestatis dignatio: qui à sanctissimis etiā districtè valet eos coarguere inueniret quod dānaret. Sed clemētissimus dominus peccantes conseruat, fugientes reuocat, dispersos congregat, pereūntes liberat, mortuos viuificat, impios iustificat, negligentes increpat, torpentes excitat, lapsos erigit, ignorātes instruit, deuios reducit, redeūtes suscipit, & susceptos custodit. Quisquis ergo diuinā clementiā considerat, de venia nullatenus diffidat. Quare igitur peccator, à peccato nō exis? Siquidē optimè intelligis quàm parata sit diuina clemētia, vt te benigni-

ter suscipiat, sũmoque afficiat honore. Cuniculus in cauo suo cubilique inclusus, vociferãte venatore non est mirũ si exire nolit. Non enim ignorat si exierit in rete peruenturum, quo preditus proculdubio interimetur: quare sæpenumero ne in tantũ incurrat discrimen exiẽs, se toto corpore discindi & dilaniari à viuerra patitur. Verùm tu qui optimè tenes, si exieris à peccato à Deo apertis vlnis molliter & suauiter te esse suscipiendum, & denique in cęlestem æternamque gloriam vbi omnibus cęlicolis maximę sis voluptati peruenturum: quare te à peccato non eximis? Quare immoraris in peccato? Qure in manus tam begnigni patris venire negligis? Aliquis esset pater qui hic multò secius se habẽs filio suo prodigo diceret, He⁹ veterator adesdũ, vbi res mea? vbi bona sunt, quę perperã consumpsisti vbi tãdiu vagus & errabundus es moratus? Expẽde obsecro hãc infinitã clementiã. Nõ petit ab illo rationẽ vbinã fuerit nec illum reprehendit iniuriavè afficit: sed vultu lætissimo illi obuiã procedit, eum suscepturus vlnis suis, molliter brachiis, oculis, summáque indulgentia, fauore, & tripudio illum excipiens. O in æstimabilẽ amorem, charitatem infinitam, bonitatem ineffabilem. Quis est animus qui lachrymis non liquescat? quæ viscera vllius peccatoris quantumuis obstinati, etiamsi adamante duriora sint, hac tanta pietate non molliantur? Attende igitur peccator, & ad dominũ tuũ

Ezech.18 te recipe qui nihil aliud quàm conuersionem tuã & vitam desiderat, nec mortem peccatoris. Respice ad Deum vt peccandi finem facias: nam cùm tu nocte diéq; nihil aliud facias aut cogites quã creatorem tuum mille modis offendere, ille nocte diéque multa misericordiarũ millia super te profundens conuersionem tuã expectat. Sed de his satis, Iam ad contextum reuertamur. Dixitque ei filius.

Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.

1.Cor.15 Simile dixit Paulus Corinthiis scribens. Nõ sum dignus vocari apostolus, quoniã persequutus sum Ecclesiam Dei. Quanto enim Deus hominem peccatorem gratiosiùs visitat & illustrat, tantò se illi profundiùs humiliat grauiúsque illum accusat: nẽpe quòd Dei pietatem euidentiùs circa se experitur, & maiestatem ac sanctitatem ipsius clariùs cõtemplatur, eo propriam ingratitudinem, peruersitatem, & prauitatem lucidiùs intuetur: acriùs detestatur, & pleniùs confitetur. Hinc Esaias post cõtẽ-

Esai.6 plationem illam sublimẽ vbi vidit dominũ super solium excelsum & eleuatum testatus est, Væ mihi,

Iob.42 quia vir pollutis labiis ego sum. Et Iob etiam. Oculus meus vidit te, idcirco in cinere & fauilla pęnitẽtiã ago. ¶ Obserua autem ꝙ quãuis fateatur nõ esse dignum filio, non tamen addidit quod anteà dixerat & proposuerat dicens, Fac me sicut vnũ ex mercenariis, quia iam nunc non est in illo statu, in quo erat, quando proposuit hoc petere. Nam tunc cogente fame anhelabat ad panem: hoc est, cognita miseria proprij status mouebatur affectu ad proprium bonum: nunc autem amplexus & osculatus, à patre occurrente ad ipsum, quia cõtritus erat, & dilectionem habebat, non vult Deo seruire propter pręmium, sed propter Deum ipsum amore filiali. Anteà timens supplicia & horrẽs immũditiã porcorum, quasi seruus timore declinauit à malo, & desiderauit statum mercenarij. Sed iam nũc postquam patris osculantis & amplexantis charitatem attendit, oblitus conditionẽ serui de sola charitate cogitat, vt iam nõ mercenarius, sed filius esse cupiat: quia non mercedis intuitu sed virtutis amore quę placita sũt patri perfectur⁹. Sed procedamus.

Dixit autem pater ad seruos, Citò proferte stolam primam & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius.

Pater nõ dirigit verba ad filium, sed seruos alloquitur: quia qui pęnitet, orat, sed responsum verbo non accipit, misericordiam tamen consequitur in effectu. Serui isti ministri sunt ecclesię, qui sacramẽta ministrant, & maximè sacerdotes absoluentes à peccatis: & cùm Christus hanc parabolam dicebat, erant apostoli & alij eius discipuli, quorum ministerio vtebatur Christus, & eorum prædicatione, vt gratiam quæ à charitate non distinguitur cõferret publicanis illis, sicut nunc ministerio sacerdotum & prædicatorum confert illam. Per stolam primam, gratiam intelligit quæ datur peccatori cõtrito, quam antequam peccaret habuerat. De hac enim Paulus. Charitas operit multitudinẽ pecca- 1.Cor.13
torũ. Atque ideo hic vocatur vestis seu stola. Hanc vestem habuit homo primus cùm conditus fuit, & nobis datur in baptismo & eam ille perdidit male persuasus, & nos per quodcũque peccatum mortale: restituitur tamen per pęnitentiã. Sed duo sunt hic aduertenda. Primò quod cito iussit illã afferri: nam res nõ patitur moram, vbi enim peccator adhunc modum flagitia sua & conscientię tormenta ita complexus est, maturo opus habet auxilio, ne desperando periclitetur. Nulla enim mora est inter remissionem culpę & receptionẽ gratię, quod quidem tamen citò fit vt in eodẽ instãti fiat: ita quod nulla prioritas temporis sit inter collationem gratiæ & remissionẽ culpæ. Corporis bona valetudo non impetratur nisi paulatim, quia non est magni momenti, quare sensim conualescit infirmus, & salutem consequitur. Salus verò animæ in puncto temporis comparatur, quia nõ volt Deus, vt quod tanti monmenti est adeóque necessarium differatur: sed vt in instanti impetretur. At nos è diuerso facimus, qui ad consequendam corporis salutem diligentissimi sumus & celerrimi: adeo vt quocunque etiã minimo capitis dolore, summámque curã & diligentiam ad valetudinem adhibemus, vndique conuocatis medicis, ne morbus vlla negligentiæ culpa differri videatur. Animam verò facilè patimur ægrotare, vsque ad quadragesimam confessionem expectantes, religioni potius sanctę hebdomadæ, illiúsque religiosissimi temporis, quàm pęnitentiæ nostræ confidentes.

¶ Discamus hoc loco statim post peccatum surgere per pęnitẽtiam & confessionem quærere. Si dicis pęnitẽtiam peccati sufficere tibi, & vt propositum confitendi in quadragesima habeas: respondeo, verũ esse te vlterius non teneri, sed nihilominus statim confiteri debes. Primò quia cõfessio de attrito cõtritum facit. Dolor autẽ quẽ pro peccato habes fortè contritio non est, sed tantummodo attritio: id enim sæpiùs vsu venit, nã rarissimè homines tam sublimem doloris habent actum, vt est contritio cum omnibus circunstãtiis quæ requirũtur, pręcipuè si homines sęculares negotiísque prophanis immersi sint. Quare si non satis tenes qualis quantúsque dolor sit quem habes de peccatis, nõnè præstabit, vt consiliũ eligas securius, statimque cõfitearis sine eo quod expectes quadragesimam?

Secun

Secũdò dum es in gratię ſtatu vitam æternam bonis operibus quę facis mereris: quare igitur amittere vis bonorum operum pręmium quę ab hinc quadragelimã vſq; facturus ſis? Nonne melius erit, vt te Deo reconcilies, ſiquidem confitendo peccata tua, cõſcientiam reddis ſecuram, cœlumque bonis operibus quę facis conſequeris? Tertiò quia neſcis verũ ſubita & improuiſa morte ſis moriturus: aut aliqua infirmitas ſuperuentura tibi ſit, quę tibi loquẽdi vſum confitendique facultatẽ eripiat. Quartò confeſsio non modo culpam remittit, ſed etiam magnam partem pœnæ condonat, & dat gratiam ex vi ſacramenti, quæ animam noſtram confirmat ad reſiſtendum tentationibus: pudor autem quem ibi pateris, maxima eſt ſatisfactionis pars. Vnde ſequitur quod etiam ſi verè contritus eſſes ſtatim tamen confiteri deberes, vt hæc tanta cõmoda lucri faceres. *Eccle.17* Quintò nemo aperire arcana ſua vult homini loquaci & futili, quia vt Eccleſiaſticus ait, qui denudat arcana, amici fidẽ perdit. Vnde ſi dæmon viderit te ſtatim omnes eius tentationes tibi ab illo factas cõfeſſori dicere, te tanquã loquacem deinceps relinquet, & tam ſępè tentare te nõ curabit. Sextò qui differt confiteri multa tradit obliuioni, & illa nõ obliuiſcitur Diabolus nec etiã ipſe Deus: quare ſi frequẽter confitearis, omnia peccata confitebere nullo excepto, & poſteà ſecura & trãquilla conſcientia eſſe poteris nec timere verũ ſufficiẽter memoriam examinaueris necne. Nam quomodo quis tantorum peccatorum vtpote quæ per annum commiſerit poteſt meminiſſe, ita facilè vt quotieſcunque voluerit ea in prõptu habeat, ſine maxima aut memoria aut meditatione? Septimò confeſsio partem pœnę remitit: quare cauſa tãtum modo huius tanti commodi etiamſi tunc cõtritus eſſes, tamẽ nihilominus confiteri deberes. Octauò quia difficillimè confitebere, ſi cõfeſsioni aſſuetus non fueris, quod paſsim videmus in illis qui ſummopere torquentur, ſummáque afficiuntur moleſtia, quotieſcunque ad confeſſorem accedendũ eſt. Hoc autem illis tantummodo cõtingit, qui rarius *1.Reg.17* & non frequenter cõfiteri ſolent. Nõ aliter Dauid arma Saulis tentauit, eáque ſtatim reiecit, quia illis indutus propter diſſuetudinem, quam habebat armorum, incedere nõ poterat, cum tamẽ illa eſſent præſtantiſsima, & nõ ſolùm ad reſiſtendũ, ſed etiã ad vincẽdum duritiæ & roboris pręſentiſsimi. Sic & arma confeſsionis, quibus dęmonem, mũdum, & carnem propulſamus illis quadrare nõ poſſunt, qui non ſunt aſſueti armis pœnitentię. Paſtor aut ruſticus qui caput ſemel in anno tantummodo pectere ſolet, quotieſcunque ad pectendum accedit ſummo dolore & moleſtia pectendo afficitur, è diuerſo ille q quotidie pectit, leniter nullóque labore id facit. Nonò, hoc ſacramentũ frequentare debes, vt meliùs animam tuã abluas, & bona propoſita renoues. Solent mulieres ſtamina quæ ſatis cãdida nõ redduntur vnica decoctione ſemel, bis atque etiam tertio decoquere, donec eum niuis candore cõtendere poſſe videãtur. Propheta Heliſęus *4.Reg.5* ſepties præcepit Naamam vt ſe in Iordane fluuio ablueret: quo facto à lepra mundatus eſt & conualuit. Lauamini, mũdi eſtote: ait dominus per Eſaiã) *Eſai.1* Vt autẽ intelligas quod nõ loquebatur de lauacro aut munditia corporali, ſed tantummodo de ablutione animæ, ſubdidit, Auferte malũ cogitationũ veſtrarum, &c. Decimò & vltimò, ſacerdos, imò potius vniuerſa Eccleſia tibi ſuffragiis ſuis auxiliabitur, ſacroſanctiſque conſiliis & monitionibus. Ne igitur tantum bonũ amittas negligentia tua, & ſalutem animæ differas, quæ confeſsionem cõſequitur: quãdoquidem tantum in curando corpore diligẽtiã adhibes. Si * ſotularis luto tibi inficitur ſtatim abſterges. ** Al.calceus.* Singulos dies vis ſotulares tuos tergere, ne ſi lutum in eis fuerit deſiccatum poſteà de facili id remouere non poſsis, & à teipſo nõ vis remouere ſordes vitiorum, per dimidiũ anni vel amplius? Ergo ne diu in anima tua tam tetrum & fędũ hoſpitem dæmonem habitare ſinas, ſed quam primum illum domo tua expelle, & ſi te in huius truculẽtiſsimi lupi ritu detentũ videris, implora Chriſti Ieſu paſtoris acerrimi auxilium. Sicut qui cùm primum vidẽt gladium rubigine aliqua affectum, illũ ſtatim exacuunt & poliunt, & alij ſemel in anno: alij nunquam niſi ſit ſumma neceſsitas, & tunc accidit ſæpè vt non poſsint gladium è vagina educere, ex quo efficitur, vt enſis cũ vagina in ſterquilinium mittatur: ſic ſunt multi qui ſtatim mundant animam per ſacramentum pęnitentię. Alij ita ſunt pleni rubigine, vt iam aſſueti peccatis indurati ſine ſapientia in inferni ſterquilinium mittãtur. Igitur vt intelligas ſalutem animę nõ eſſe differendã, ſed ſtatim ſumma diligentia & celeritate eſſe curandã ait, Citò afferte ſtolam primam.

¶ Obſerua ſecũdò, quòd non dixit, date ei ſtolam ſed proferte: quia ex arca Dei debet ſumi & accipi: nam homo nõ poteſt dare homini gratiã, charitatem, iuſtitiam, aut remiſsionem peccatorũ, ſolus enim Deus habet poteſtatem remittendi peccata. Hæc ſtola domini erat. Et is illam filio prodigo conceſsit, verũ iuſsit afferri per famulos ſuos. Eodem modo Deus ſolus eſt qui gratiam & remiſſionem peccatorum concedit, per manus tamẽ miniſtrorum ſuorũ, qui à peccatis abſoluunt, gratiamque miniſtraliter concedunt. Apud Deũ (vt inquit *Pſalm.129* Dauid) propitiatio eſt, & copioſa apud eum redemptio. Quem donat pius pater filio reuertenti, famuli autem illum proferunt ex theſauro Dei & meritorum Chriſti.

¶ Secundò dedit ei annulum, per quem iam diximus in ſuperioribus quod non poteſt intelligi fides, quę nõ perditur per peccatum mortale niſi ſit infidelitatis, & hic non diſceſsit à domo patris per infidelitatem: ideóque per annulum qui manũ ornat, opera bona intelligimus, quia ſicut per peccatum perditur gratia, & omnia opera bona quę peccator fecit cùm erat in charitate, hęc omnia ſũma Dei bonitas reſtituit dãs ei ſtolam primam & annulum, hoc eſt gratiam & priſtinam amicitiam & omnia meritoria quę in ſtatu gratiæ operatus fuerat. Quod quidem quantum Dei miſericordiã exaltet, quantúmque extollat non poteſt homo narrare. Mirabile certè dictu eſt quòd peccatori, qui exẽpli gratia, habet decẽ gradus demeriti, & pęnæ, iuxta exigentiã delictorum, qui ſi diſceſsiſſet, in tali gradu pœnę eſſet in inferno intenſiuè puniẽdus: ſi hic conuertatur totum debitum Deus remittit. *2.Petr.2* Sed ſi poſteà rediens ad peccata ſicut canis ad vomitũ deceſſerit, non punietur in decem grauibus, ſed tantum iuxta pœnam debitam nouo peccato in quo mortuus eſt: quia Deus quod ſemel dimiſit nunquam repetit, nec in recidiuante redeũt prima peccata, licet redeat quædam macula ingratitudinis ratione præteritorum, quæ iam dimiſerat. Sed

miſericors Deus qui ponit citra condignum, reſtituit pœnitẽti omnia bona quæ per peccatum perdiderat, non reſtituens recidiuanti mala quæ per pœnitentiam ablata fuerant. Sic huic peccatori pœnitenti reſtituit veſtem innocentię & gratię,& etiã omnia opera bona & merita quæ fecerat in ſtatu gratiæ antequam ab illa excidiſſet.

❡ Tertiò dedit in pedes calceamenta, quia affectus animæ qui per pedes ſignificantur, facit agiles & promptos ad bene operandum, quod prouenit ex gratia Dei vt hoc dono gaudeat Dei amicus, vt ea quæ ſunt bona facilius operetur.

Triplex gratia. ❡ Obſerua autem quòd triplici gratia adiutus fuit hic: gratia videlicet præueniente, cooperante, ſiue ſubſequente, & gratia conſumationem prȩſtãte. *Gala.1* De his tribus gratiis loquitur Paulus. De prima ait, Cùm autẽ placuit ei qui me ſegregauit de vtero matris meæ, & vocauit me per gratiam ſuã. Hãc expertus eſt iſte filius prodigus cũ hic dicitur quòd pater vidit illum à longè & miſericordia motus occurrit ei. Niſi enim Deus videret, vocaret, & occurreret, nos ad Deũ venire non poſſemus. De ſecũda gratia ſubſequẽte ſeu cooperãte dicit Paulus. *1.Cor.15* Plus omnibus laboraui. Non ego ſed gratia Dei mecũ. Quapropter dedit pater huic calceamenta, vt per via mandatorũ Dei incederet. De tertia gratia videlicet *Philip.2* cõſummationis dicit Paulus, ꝙ ſicut Deus operatur in nobis velle: ita & perficere. Hic etiam ad familiaritatẽ & menſam patris receptus eſt, vt ſtatim dicemus. Prima gratia eſt quæ peccata cõſumit, & eadẽ eſt que iuſtificat, & ideo ait Paulus. *Rom.3* Iuſtificati gratis per gratiã Dei. Secunda dat vires ad bene operandũ: ſed tertia recipit ad familiaritatẽ & conſuetudinem. Nam non ſequitur vt ij quibus peccata dimiſſa ſunt, ſint ipſo iure in familiaritatẽ recepti: poſſet nanque Deus vnum ab altero ſeparare ita videlicet, vt peccata dimittat nec tamẽ gratiam concedat. Hoc etiam homines facere ſolent. *2.Reg.14* Dauid enim Abſaloni filio delictũ homicidij hac lege dimiſit, vt faciẽ illius nõ videret, nec ad illius cõſpectum veniret. Deus autẽ ex magna eius miſericordia peccatori pȩnitenti non tantum peccata condonat, ſed gratiam largiens in domo ſua recipit, & ad menſam ſedere facit. Propter hoc Paulus *2.Cor.1* cùm Deum appellauit patrem miſericordiarũ, addidit & Deus totius cõſolationis, quibus verbis Paulus aliquid diuinę miſericordię addere voluit: effuſiſſimam Dei in peccatores miſericordiam explicare. Nã ad miſericordiam ſolum pertinere videtur iniurias condonare. Verùm Deus nõ ſolùm hoc contentus ex vltore fit conſolator, non ſolùm peccata dimittens, ſed & gratiam qua deinceps in futurum cauere valeat prȩſtãs. Expende etiam Dei infinitam miſericordiam, qui nõ ſolùm parcit peccatori, ſed etiã donaria multa tribuit quę in libro *Iob 22* Iob numerantur, his verbis, Si reuerſus fueris ad omnipotentẽ, ædificaueris, & lõgè facies iniquitatẽ à tabernaculo tuo, dabit pro terra ſilicẽ, & pro ſilice torrentes aureos. Hoc eſt dabit pro infirmitate fortitudinem & pro ſilice torrẽtes aureos. Hoc eſt pro ignorantia & cæcitate ex peccato cõtracta aquam ſapientiæ ſalutaris. Præterea ſolet etiam inter homines aliquando contingere, vt is qui ignoſcit ex metu cõdonet iniuriam: aliquando etiamſi velit vlciſci poteſt: Deus autẽ qui ſolo nutu poteſt perdere quẽ velit, quoties à nobis offenſus eſt, ſpretus & abnegatus toties tolerat, inuitat, recipit, & amplectitur. Hanc eximiam gratiam & prȩſtãtiſſimam miſericordiã declarat piiſſimus pater in hoc quod miniſtris dixit:

Adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & mãducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit perierat & inuentus eſt, & cœperunt epulari.

Hoc reprȩſentat maximam lætitiã quam capiebat Chriſtus ex conuerſione illorum peccatorum & publicanorum, quãtumque lætaretur quod cũ illis manducabat: quod idem angeli in conuerſione peccatoris in cȩlo faciunt.

❡ Hoc eſt nonum principale quod promiſimus nos dicturos. Inſinuare vult quod non ſolùm angeli, & tota eccleſia lætatur ſed etiam ipſe Deus, atq; ideo in numero plurali locutus eſt. Obſerua autẽ & vide quàm benè locutus ſit Dauid cùm domino *Pſalm.75* dixit. Quoniã cogitatio hominis cõfitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diẽ feſtũ agent tibi. Prima cogitatio peccatoris eſt de peccati fȩditate, de turpitudine & de malitia illius, & ex hac cogitatione ſunt ſemper quædam reliquię, videlicet odium, deteſtatio, & diſplicentia peccati. Nã vt eſt apud quẽdam prophetam, Omnis qui viderit te reſiliet à te, *Nahum 3* quiſquis enim probè vt decet peccati malitiam cognouerit, niſi mentis inops ſit, ab illo tanquã à profundo puteo reſiliet, & veluti à poculo venenato abſtinebit. Reliquię ergo quę de peccati cogitatione ſunt, odiũ & diſplicẽtia, hæc feſtum agunt Deo: vel vt alia tranſlatio habet, ſolennia celebrãt Deo. Rectè colligitur ex his verbis Euãgeliſtæ hic, quod in peccatoris conuerſione tanta agitur celebritas, & lætitia.

❡ Obſeruandum rurſus quòd in hoc feſto non ſolùm reprȩſentatur gaudium illud quo Deus vniuerſaque cȩleſtis curia afficitur in cõuerſione peccatoris, ſed etiam illa oſtenditûr lætitia ipſius peccatoris quȩ ipſi peccatori exhibetur, ſimulatque peccatis relictis recta virtutis via incedens Deum colere incipit. Dubium enim non modo patrem domeſticóſque & familiares in reditu filij prodigi gauiſos fuiſſe, ſed etiam ipſum filium ſumma lȩtitia perfuſum eſſe, dum famem ex longo collectã, ſumma copia, varietatéque ciborum extingueret. Lætatus eſt etiam pater cũ omni familia, atque itẽ filius prodigus gauiſus eſt. Nulla lingua eſt quæ dicere poſsit, quantas delicias, gaudiáque Deus cõcedat animabus, quæ relictis peccatis ad Deũ conuertuntur. Etiamſi poſt hanc vitam nulla eſſet bonis gloria, tamẽ nihilominus propter ingẽs ſolatiũ ſpirituale, quod hic capiunt qui ad Deum conuertuntur, deberes miſer peccator hæc vitia in quibus obrutus viuis, relinquere. Vide quantũ diſtet à cuſtodia porcorũ hæc tam opulẽta & copioſa patris menſa. Quid aliud in peccatis prȩter famẽ, turpitudinẽ & immũditiem inuenis? At in virtute nihil niſi copia, muſica, ſummáque indulgẽtia inueniri poteſt. Verũ hoc vernaculum nõ percipitur ab omnibus nec omnibus eſt iſta doctrina præcipienda. Nulla in re lõgius falluntur peccatores quàm dum exiſtimãt in virtute nõ poſſe tantũ ſolatiũ, tantáve voluptatẽ inueniri, quantam in ſuis luxuriis inueniunt, & hac de cauſa in vitiis immorãtur. Videbis pauperẽ mulierẽ quȩ diuitis alicuius cõcubina cũ ſit: à peccatis cõſcientia quotidie querẽte & exprobrãte exire cupiens: quãuis velit, timens inopiam

ſuam

suam, qua necessaria ad vsum victúmque quotidianum statim deficient. Alij etiam sunt qui ex peccatis summam capiunt voluptatem, existimant in virtute, non tantam se suauitatem inuenturos. O cæci & infelices, attẽdite errorẽ vestrum, procul enim dubio fallimini, nã multò maior iucunditas & voluptas virtutis est, quàm illa, quam nõ modo quis inuenit, sed ne inuenire posse in vitiis vnquam suspicatus est. Relinquite igitur peccata vestra, paupertatẽ contemnite, Deóque credite, qui per prophetam ait, Non vidi iustum derelictum nec semẽ
Psalm.36 eius quærens panẽ. Deus qui prouidet auibus cœli quæ non nent neque seminant, non prouidebit filiis suis qui ad Deum cõuertuntur? Vide quomo-
Matth.6 do huic filio prodigo prouisit, qui cùm exiit à peccato, mensam stratam & paratam inuenit, & sym-
Exod.15 phoniam & musicã. Similiter cùm filij Israel exie-
Exod.16 runt de Ægypto, statim cantum, musicam, & lætitiam offenderunt, & nunquam illis defecit cœleste mãna, donec terrã promissionis ingressi sunt. Sic iste dæmonis tenebrarum principis tyrannidem euadens illico mensam paratam & musicam inuenit. Eodem modo Deus illis qui relicto hoc mũdo iter per deserta huius vitæ faciunt Deũ colentes, dum cęlestem gloriam quæ per terram promissionis figuratur non cõcedit, delicias alias quamplurimas, solatiáq; spiritualia tribuit, quibus illos quasi quodam cęlesti mãna, sustinet, & interpellat ne defatigentur. In Ægypto, alliis, porrísque vescebãtur filij Israel, in deserto verò dapibus lautissimis & cęlestibus. Ita hic non comedebat nisi siliquas porcorum, at nunc comedit vitulum saginatum.

¶ Obserua etiam quod statim in ipso initio cõuersionis solet aliquando Deus tribuere maiores voluptates spirituales denuo conuersis, quẽadmodum fecit huic filio prodigo peruenienti, & populo Israel egredienti de Ægypto. Hoc autem facit pater clementissimus quia nouit illorum fragilitatem, qui recenter ad illum conuertuntur. Vnde particulari indigent auxilio & solatio. Qui etiam si iugiter cœlesti illo manna à Deo sustinentur, tamen nihilominus Dei permissione labores quam plurimos & tentationes patiuntur sicut populus Israel in deserto passus est. Nõ tamen in illis laboribus & tentationibus deseruntur à Deo optimo maximo sicut nec desertus est Israel, sed potius ei
Exod.17 cõfirmati auxilio vicerũt Iudæi Amalech, & Amor-
Num.21 rhæos, &c. Sed in principio illos summa lætitia & alacritate excipit, & in fine cum illis gloriam sempiternam daturus est. Hoc voluit insinuare quãdo in illis festiuitatibus veteris testamẽti pręcipiebat, vt primus & extremus quisq; dies essent maximæ solẽnitatis. Reliqui verò dies quasi de medio hebdomadę sumpti erant nulla celebratione exercendi. Sed hæc duo extrema insignia & solennia erãt. Docet quod in principio conuersionis & fine perfectionis summa prosequitur lætitia dominus seruos suos, in aliis meritum perpendens, in alios iustitiam suam, in alios vero gratiam ostẽdens: vnde aliis gratiam propter egestatem suam, aliis gloriã causa suorum meritorum tribuit. Arbores dũ florent fructúsque dũ maturescunt, multò sunt visu pulchriora, dies nuptialis diésque coniugalis insigniores sunt. Quãdo dominus despõsatur animę, quia illam omnibus rebus exutã & vacuam accipit, sumptúmque facit, tãquam pater clementissimus filio suo, nec rem gerit ex meritis sponsæ: sed iuxta diuitias, & opulentiam sponsi, quia omnia à se sumit, & nihil ab illa. Et ideo ait ipse, Soror mea Cant.8
paruula est, & vbera non habet. Iuxta quod alieno lacte infantem lactabit. Ideo ipsa sponsa ait spõso. Adolescẽtulę dilexerunt te. Non ait mulieres quæ
Cant.1 sunt animæ in virtute cõfirmatæ, sed adolescentulæ, quæ sunt animæ nunc primum oculos aperientes & ad illam nouam lucem aspirãtes, istæ adolescentulæ dilexerunt te: quia solent in initio maximos habere amoris motus. Parentes etiamsi omnes filios summopere diligant, paríque amore prosequãtur, paruulos tamen in vlnis suis portant, illísque multo magis indulgent. Sic Deus denuò cõuersis, & illis, qui ad eius cultũ vt hic filius prodigus tunc primum accedunt, magis fauet: eósque maiori indulgentia prosequi videtur.

¶ Vsque adhuc vidimus duo quæ huic filio prodigo pater fecerit. Primum quòd eum benigniter suscepit, secundum quod cum eo ad mẽsam discubuit, quæ duo fuerunt quæ Christus cum publicanis & peccatoribus fecit, quando illos excipiebat, & cum illis manducabat. Videamus modo Pharisęorum murmurationem, quam hic filius maior repræsentat, & quomodo Christus, pro peccatoribus respondeat, quod decimo loco & vltimo dicẽdum promisimus. In eo autem concluditur & terminatur hæc parabola. Dicit itaque,

Erat autem filius senior in agro, & cum veniret & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum: & vocauit vnũ de seruis quid hæc essent. Isque dixit illi, Frater tuus venit & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit: indignatus est autem & nolebat introire.

Hæc clara sunt si aduertas ad ea quæ in initio huius parabolæ diximus suprà. Nihil aliud vult significare Christus nisi indignationẽ scribarũ & pharisæorum, ex eo quod Christus publicanos & peccatores recipiebat: & cum illis mãducabat. Quod ait vocauit vnum seruorum, quid hęc essent: hæc enarratio iuxta Chrysostomi doctrinam ad ornatũ Chrys.ho. 64. in Matth.
parabolæ ponitur, & ad eius elegantiam, licet etiã si vis vt omnia quadrent, possit intelligi per hunc nuntium & seruum, qui hæc filio seniori narrabat, fama illa quam pharisæi audierunt, quod Christus cùm publicanis manducaret. Nam audientes quod Christus hæc faceret, indignati sunt & murmurabant aduersus Christum. Indignabantur enim scribæ & pharisæi, eo quòd Christus cum istis comederet, cùm magis esset gaudendum & congratulandũ de bono proximorũ & peccatorũ conuersione, & ideo nolebat hic introire, hoc est aliis cõgaudere. Intrare enim in domũ gaudij, est gaudio aliorũ communicare, quod ex superbia facere nolebant Luc.7
pharisæi, sicut ille Simon murmurabat, quia Christus Magdalenam suscepit. Multi etiam & nũc sunt similes istis, qui de bono proximorum tristantur, & inuident, eo quòd Deus bonus sit, & hominibus benefaciat, qui quodãmodo peccare videntur in spiritũ sanctũ, quia contra bonitatem Dei peccãt. & à bonitate Dei quę infinita est, ipsorũ impia volũtate in causa existente, colligunt malitiam, & ex misericordia Dei thesaurizant sibi iram. Opponũt Rom.2
enim se isti cõtra charitatẽ, quæ regina est virtutũ, in quo grauitas istius peccati satis apparet. Nec etiã est aliud peccatum in quo assimiletur ita diabolo

Sap.2.5 peccator sicut in isto peccato: quia vt sapiens ait, inuidia diaboli intrauit mors in orbem terrarum. Nam statim inuidit parentibus nostris. Denique in sola malitia fundatur, sicut diaboli peccatum Iob.5 quod ex malitia procedit. De his loquitur Beatus Iob. Per diem incurrent tenebras, quasi sic palpabunt in meridie. Cùm enim alieno bono inuidus Genes.4 affligitur inde radio lucis obseratur. Ideo Cainus Gen.37 1.Re.18 occidit Abelem fratrem, & filij Iacob vēdiderunt Matth.27 Iosephum, Saul persequebatur Dauidem & Iudæi Christum crucifixerunt. Fera pessima & maledicta, quę fratres proprios odit & bonitatem persequitur, & mortem dedit vitæ autori, & tantis eum murmurationibus afflixit, vt in hoc contextu videmus, & multis aliis in locis Euangeliorum.

Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum.

Vide patris benignitatem, qui nihil improperat respondenti filio: sed ipse vadit ad illū & rogat nihilque aliud laborat, imo se in omnia vertit, vt fratrē fratri cōciliet. Poterat enim dicere seruis si recuset esse conuiua, maneat foris: si non vult epulari & gaudere, famem patiatur & mœrore pereat. Quis prohibet me expendere mea vt lubet? Sed nihil horum ait pater, imo egreditur & rogat filiū. Sic Christus blandè alloquitur pharisæos quos cùm posset vocare inuidos & superbos, eo quòd seipsos iustos existimabant, cum peccatores essent, & proximos contemnebant, & inuidebant: non tamen exasperat eos: sed leniter respondit Simonis ratione conuinçens eum, & nunc his parabolis respondet, nō conuicians eis, sicut pater hic blande & ratione respōdit huic filio, & nō iniuria. Discamus & nos leniter respōdere conuiciantibus, iuxta illud quod Prouer.15 in Prouerbiis legitur. Respōsio mollis frāgit iram, sermo durus suscitat furorem. Posses tu sapienter, & patienter respōdens iracundiā inimici tui sedare, quo facto quamplurimę contentiones & quæstiones interciderentur. Sic & Paulus docet. Non litigiosos esse sed modestos: omnem ostendentes mansuetudinem, ad omnes homines, &c. Sequitur in contextu.

Tit.3 *At ille respōdens dixit patri suo. Ecce tot annis seruio tibi & nunquam mādatum tuum præterui, & nunquam dedisti mihi hædum vt cū amicis meis epularer. Sed postquam filius hic tuus qui deuorauit substātiam suam cum meretricibus venit, occidisti illi vitulum saginatum.*

Ecce pharisæus quid dicat. Non ait tot annis educasti me, tot dolores tot curas meo nomine sum passisti, vnde nunquam potero reddere æquiualēs: sed dicit, tot annis seruio tibi, sicut alter qui dixit, Luc.18. ieiuno bis in sabbatho, decimas do, &c. Præterea quid arrogantius quàm dicere nunquam mandatum tuum præterijui? Quis hæc dicere potuit nisi vnigenitus patris? Solus ipse verè ait. Ego quæ placita sunt ei facio semper. De cæteris autem dicitur, Ioan.8 Omnes declinauerūt, simul inutiles facti sunt. Nō Psalm.13 est qui faciat bonum. Et si aliud peccatum non fecisset nisi hoc, contra charitatem magis, inuidens fratri & non compatiens eius miserię. Grçci legūt substantiam tuam, vt sit odiosius. ὁ καταφαγών σου τὸν Lib.7.in Luc. ca. de duobus filiis. βίον. Et sic legit Diuus Ambrosius. Impius inquit qui accusabat fratrem quod cum meretricibus paternam substantiam prodegisset. Non enim dixit suam substantiam, sed paternam. Nec dicit, frater meus, sed filius tuus. Noluit enim illum vocare fratrem ex superbia indignans, sicut pharisæi contra publicanos. Denique in summa omnia quę iste hic dicit murmurans, dixerunt superiùs pharisæi. Hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Hic tanquam tyrannus omnia sibi assumere volebat: sicut pharisęi, qui molestè ferebant Christum cum aliis versari, & nō cum illis. Sed attēde quęso quā molliter Christus respondit pharisæis, non irritās aut prouocans eos ad iracundiam, sed inquiens,

Fili tu semper mecum es: & omnia mea tua sunt. Epulari autē & gaudere oportebat: quia frater hic tuus mortuus erat & reuixit, perierat, & inuentus est.

Hoc est responsum & conclusio vltima omnium trium parabolarum, quibus Christus pharisæis respondit ipsósque tacitè accusat, quod de ipso murmurarent, asserens illos publicanos & peccatores fratres esse illorum, qua de causa æquissimum erat vt piè & benigniter susciperētur. Præterea ait pharisæis facillimum esse, & expeditissimum, cū ipso vel in templo vel vbiq; colloqui, publicanis verò reliquísque peccatoribus nō ita facile erat, qua de causa nemo iustè potuit moleste ferre, si illos suscepit, cum illísque discubuit. Obserua autem quod pater non dixit, hic filius meus, sed frater tuus, vt alliciat ad commune gaudium: quia frater de bono fratris gaudere debet. Sic vos pharisæi cùm isti sint fratres vestri, quippe ab vno patre, & ex vno populo geniti nō debetis indignari. Sic dixit Dominus Mosi, descēde, peccauit populus tuus. Et Moses ad Exod.32 Dominum, Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum? Sic vterque vtrunque ad compassionem populi inuitabat.

¶ Obserua iterum quod in eo quod dixit, mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est, ostendit quòd peccatum est mors & perditio. De primo ait Paulus. Stipendium peccati mors. De secūdo Rom.6 verò dixit Oseas. Perditio tua ex te Israel. Deniq; Osee.13 ex his omnibus expende Christi bonitatem & clementiā. Substantiam diuisit petenti, & recedentem remanere non compulit, reuertenti compassus occurrit, amplexus & oscula dedit, vestē corpori, ornamentum manui, monimētum pedibus exhibuit. Oblitus damni prioris adduxit vitulum, & occidit & edendum tribuit. Præterea fratrem seniorem benignè placauit, rogauit, vt pœnitenti fratri cōmunicaret, vtrumque filium reconciliare curauit, non est prouocatus inuidentis indignatione, nec arrogantis commendatione: sed reprehensionem æquanimiter tolerauit, & cūcta sua bona dare promisit. Blandè locutus est iracundo, adolescētis oblitus est culpas, & maius sibi dicit inuenisse luctum de inuentione filij, quàm sit damnū substantię perditæ. Sic respōdit pro peccatoribus Christus, & factus est eorū patronus & defensor & pharisęis blādè locutus est, & respōdit his parabolis, vt tu discas cum peccatoribus esse humilis, cum omnibus benignus, modestus, affabilis, vrbanus, & benè institutus, etiam in inimicos tuos & in illos qui de te murmurāt. Quod si ita feceris, hic viues in pace, & ab omnibus diligere, postea verò in cœlis gloriam sempiternam adeptus regnabis. Amen.

CAPVT XVI.

IN PRÆCEDENTI capite tribus similitudinibus ouis videlicet perditæ, drachmæ, & filij prodigi, Dei ineffabilem bonitatem & misericordiam

diam erga nos miſeros peccatores clarè oſtéderat
Chriſtus:nunc autem nequis neglectis bonis ope-
ribus huiuſmodi gratiæ fidat,& hac ſumpta occa-
ſione vt multi ſolent peccatores ſegnior aliquis
fiat,in initio ſtatim huius capituli addit parabolã,
in qua docet omnes Chriſtianos,& monet,vt om-
nibus modis ſtudeant proximis benefacere,quem-
admodum Deus illis benefecit.Docet ſecundò,in
hac ſimilitudine eiuſmodi beneficia quæ proximo
exhibemus non petere:ſed in futurũ vitam nobis
ſeruare.Docet tertiò Chriſtus in pac parabola ve-
rum vſum temporalium bonorum , & quomodo
illa vtilia facere poſsimus:id quod potiſsimũ fit, ſi
illa liberaliter in pauperes erogemus. Imo hic ve-
rus vſus eſt omnium bonorum ſpiritualiũ & tem
poralium,ſi ea in vtilitatem proximi noſtri confe-
ramus.Sed iam ſingula hæc expendamus.Ait ergo
Euangeliſta.

Dicebat autem & ad diſcipulos ſuos.

Quibus præ cæteris datum eſt noſſe myſterium
Luc.8 regni Dei,& tanquam ad fontes ex quibus deriuã
da erat aqua doctrinæ in mundum vniuerſum.

Homo quidam erat diues.

Deus,hic homo eſt:mos nanque ſcripturę ſacrę
eſt,vt quando Dei indignationem, iram & iudiciũ
vult oſtendere,comparet illum terribili cuidam ac
feræ beſtiæ.Sic Eſaias ait. Rugitus eius vt leonis:
Eſai.5 rugiet vt catuli leonum:& frendet & tenebit præ-
dam,& amplexabitur,& nõ erit qui eruat. Sic etiã
Thren.3 Hieremias de eo dicit,Factus eſt mihi ſicut leo ; in
abſcondito.In Oſea quoque dicit ipſe,Ego ero eis
Oſea 13 quaſi leæna,ſicut pardus in via Aſſyriorum:occur-
ram eis quaſi vrſa,&c.Verum quando Dei bonita
tem indicare vult comparat illũ homini,vt in Da-
Dan.7 niële vbi gratia noui teſtamenti deſcribitur, Deus
pater,& filius eius vnigenitus homini cõparantur.
Nã quales nos ſumus talé ſe nobis exhibet Deus.
Si homines ſumus & viuimus ſicut rationales crea
Pſalm.31 turæ,ipſe etiam Deus homini comparatur.Sin au-
tẽ beluarum more viuimus , vt equus & mulus in
quibus non eſt intellectus,fit nobis Deus fera ter-
ribilior.

¶ Adeóque Deus diues eſt , vt omnem paſcat
carnem:& aperiés manum ſuam repleat omne ani
Pſalm.144 mal benedictione.Tã diues,vt nos ſua benedictio
Prou.10 ne diuites faciat:imò adeò diues eſt,vt iam per ſex
millia annorum omnes homines & creaturas pa-
uerit. Nec tamen arca eius adhuc exhauſta eſt , &
Prouer.3 vacua facta.Sed quid verbis opus eſt? Longitudo
dierũ in dextera eius,& in ſiniſtra illius diuitiæ &
gloria.Omnes enim vno ore fatemur , illum tã di
uitem eſſe vt noſtris bonis non indigeat. Si enim
Deus creatura aliqua indigeret infinitus non eſſet:
nam ſi aliquod emolumentum ex creatura aliqua
capere poſſet,fieret inde quod non eſſet neceſſa-
riũ & æternum quidquid in Deo eſſet.Et ſi neceſ-
ſarium & æternum non eſt quidquid in Deo eſt,
oportet vt Deus mutabilis ſit,cum illi aliquid ad-
uenire poſsit.Deus autem mutabilis non eſt. Ne-
ceſſarium ergo & æternũ eſt, quidquid in illo eſt,
perinde ac ille eſt.Præterea ſi neceſſarium & æter-
num eſt quidquid in ſe continet Deus, conſequẽs
eſt,vt nullam vtilitatem ex omnibus creaturis ca-
pere poſsit:cum illæ contingentes ſint,& tempora
riæ. Sed quid de iſto homine diuite Euangeliſta
dicat audiamus.

Habebat villicum.

Poterat etiam interpres dicere gubernatorem
domus:nam in Græco originali in qua lingua Lu-
cas ſcripſit habetur οἰκονόμον ab οἶκος domus,& νέμειν Gloſſa ordi-
quod eſt diſtribuere quæ ad rem domeſticam per- nar.in cap.16.
tinent.Nam villicus villæ gubernator eſt, & de re Luc.
ruſtica agit,& cauſa colendi agrum conſtituitur,
ideoque gubernator domus ſeu diſpéſator magis
quadrat quàm villicus. Vide autem in hoc verbo
quo nomine Chriſtus ſuos appellet.Auarus homo
dicit.Diues ſum,& nullius egeo,mea ſunt quæ ha- Apoc.3
beo, quemadmodum Rex Babyloniæ, ait Nonnè Dan.4
hæc eſt Babylon magna,quam ego ædificaui in ro
bore fortitudinis meæ , & in gloria decoris mei?
Chriſtus autem lõgè aliter loquitur , homo inquit
quidam habebat villicum.Quo docet nos bonorũ
quæ in hac vita accepimus à Deo,nõ dominos, ſed
diſpenſatores eſſe:ſiquidem Deus ſolus eorum do
minus eſt.Meus(inquit ipſe)eſt orbis terræ,& ple- Theophilact.
nitudo eius. De nobis autem dicit Paulus. Quid Pſal.46
habes ô homo quod non accepiſti?Si verò accepi- 1.Cor.4
ſti,quid gloriaris quaſi non acceperis?Sunt diuites
huius mundi,quaſi nouæ nuptæ pauperes, quæ ad
diem nuptialem ſi non habent veſtem,omnem cõ
modatam accipiũt à vicinis ſuis,ab alia pallam,ab
alia endromidem,ab alia mitram petentes,&c.Ve-
rùm die nuptiali trãſacto,vnaquęque vicina quod
commodauit repetit, ipſę nudatę & ſpoliatæ om-
nibus ornamentis manent. Omnes diuites huius
mundi œconomi Dei ſunt , qui quãplurima à Deo
accipiunt beneficia, vt ea inter pauperes & egẽtes
diuidant.Illi verò bonis à Deo conceſsis ornantur
& fruũtur in hoc ſæculo quaſi in die nuptiali.Cæ-
terùm cum ad mortem iudiciumque extremum
peruenerint,tunc omnibus bonis ſuis ſpoliabũtur
& cogẽtur rationem reddere:quemadmodum hic
villicus à domino ſuo coactus eſt.Tũc repetet pau
per pallium , quod maluiſti tinea conſumi quàm
pauperi erogare:mulierque egens,veſtem efflagita
bit,quam de multis quæ tibi ſuperabant,concede-
re illi noluiſti,&c.Si duobus hominib⁹ aliqua via
incedentibus canis inſequitur, non facile iudicare
poteris vter illorum dominus eius ſit.Cæterum ſi
alter ab altero diſcedat, ſtatim apparet , clariſsimè
quis dominus:canis enim ignoto relicto ad notũ
accedit,eumque dominum eſſe ſuum clarè oſten-
dit.Sic modo temporales diuitię cuius ſint digno-
ſci non poſſunt.Sed aduentante morte cum tibi à
mundo neceſſariò diſcedendum eſt, tum demum
qs ſit diuitiarũ dominus cognoſcetur. Bona enim
temporalia hic manebũt,tu verò ſolus nemine co
mitãte ab hoc mundo exibis villiſsima ſindone in
dutus.O ſi diuites ſibi iam perſuadere vellẽt ſe nõ
eſſe dominos ſed villicos & diſpẽſatores bonorũ
Dei,quæ Deus voluit,vt ſemper in mundo mane-
rent.Nullus cogitet,ſibi ipſi ſoli viuere, ſed curam
habere proximi ſui,quem adiuuet bonis tempora-
libus,doctrina,exemplo,& extrema ſubminiſtratio
ne:quę pia villicatio eſt.Diſpenſatorem te eſſe co-
gnoſce nõ dominum eorum,quę habes,ſed tãtum
tẽporalis fructus participem. Abiice faſtum & ar-
rogantiam diuitiarum, atque modeſtiam ſerua di-
ſpẽſatoris.Sed nũc iã multi ſunt ſicut ſatanas , qui
in deſerto Chriſto dicebat,quòd omnia mundi bo Matth.4
na ſua erãt. Sic multi mentientes ſicut pater ſuus
diabolus putant ſua eſſe hæc terrena,& nõ eſſe di

ſpenſato

spensatores: ideo ad libitum exoluūt meretricibus & scurris, &c. quasi non sit de illis reddenda ratio, & strictissime exigenda. Hoc verbum meū, omnes homines fallit, regnū meū, episcopatus meus, ecclesia mea, villa mea, negociatio mea, plena deceptionis sunt verba. Possessores enim sumus, nō proprietarij. Villa quā possides hodie tua est, cras filij tui vel alterius hæredis erit, cuius nec per somniū meministi. Nabuchodonosor rex Babylonis dixerat, Nonnè hæc est ciuitas mea quam ego ædificaui in robore meo? Et ideo in beluam conuersus est. Donec scias, inquit Daniel, quod dominatur Dominus in regno hominū, & cuicūq; voluerit dat illū. Nulla igitur ratio suppetit vt dicamus quicquam esse nostrum. Scito igitur te dispensatoré esse. Vnde Paulus, Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispēsatores ministeriorum Dei. Bonus dispensator & sufficiens pauperum suorum est archiepiscopus Toletanus: cui quotannis plus ducētorum millium ducatorum vectigalia redduntur. Item bonus dispēsator est episcopus huius, illius, vel illius loci: omnes enim hi dispēsatores diuites pauperum sunt, qui bona sua à Deo hac conditione acceperunt, vt illa fideliter & prudēter pauperibus dispensarēt. Sed iam quęritur, vt inquit Paulus inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Omnes quærunt quę sua sunt: non quæ Iesu Christi. Parum fidei inuenitur in prælatis ecclesiæ, multóque minus in diuitibus huius sęculi charitatis & veritatis. Dic mihi, si dominus quis œconomo suo iuberet, vt certam portionem pueris à pedibus ceteramque aliis famulis in diem impēderet, hic autē œconomus dimidiū vniuscuiusq; portionis furaretur adeò vt pro decem quatuor aut quinque tantummodo solueret, & ea de causa famuli omnes, fame & siti vrgerētur, in quem esset culpa potissimum conijcienda? In dominum nullo modo: ille enim sufficiēter prouidet omnibus necessariis. In œconomum ergo cōijcienda est, qui aliorum præmia sibi arrogat, & mercedes: bona domini sui defraudans, quę illi data sunt, vt domesticis imparti rentur. Ita nec pauperes in Deum culpam conijcient, cum illóue expostulabunt de mercede sibi negata. Diuites enim dispensatores & œconomi à Deo constituti sunt: quare si pauperes necessitate, & penuria vrgentur, culpa œconomorum est, qui bonis abutuntur Dei, & infidi sunt dispensatores. Miseriæ & paupertates extremæ pauperculorum hominum clamant, & vociferantur corā Deo: non secus quàm sanguis iusti Abelis clamauit, vltionē crudelis sui interfectoris implorans. Idcóque sequitur in contextu.

Dan.4

1.Cor.4

Philip.2

Genes.4

Et hic diffamatus est apud illum.

Non debet procedi contra aliquem donec is priùs de crimine sit infamatus. Oportet enim vt infamia precedat, & vocatur infamia nō frequēs vox discolorum, sed frequens vox talis vt apud probos & prouidos viros reddatur pſona de crimine tali rationabiliter suspecta. Nec inquisitio fieri debet nisi tantū de crimine quo infamatus est & non de aliis. Primò enim hic fuit infamatus, & posteà processerunt contra illum, quanuis multi præsides & ciuitatum iudices propter simplicem suspicionem accipiunt iuramentum ab illo, quem existimant reum, & posteà quærunt testes, & faciūt inquisitionem & processum, in quo grauissimè peccāt. Nec illi tenentur eis propalare veritatem, cùm infamati nō sint, & exponunt illos in periculum se infamādi. Quod si tunc nō dicunt delictum quod non tenentur dicere, sed posteà testibus conuincuntur, puniunt illos contra ius tanquam periuros: cùm reuera non fuerint periuri, quia antequam infamia præcederet, non tenebantur occultum manifestare, delictum. Hunc pessimum modum procedendi tā ego in causis aliquoties vidi, & ingemui. Discant enim ex hoc loco iudices, & prælati etiam ecclesiastici & qui monasticam vitam profitentur, antequā de aliquo crimine inquirant vt priùs præcedat infamia: & non propter quancūque infamiam leuē, vel suspicionem inquirant, quæ non eis licet. Vide quomodo hic priùs fuit infamatus, ac posteà requisitus & interrogatus.

¶ Obserua etiā, quod hoc verbo indicatur, quod Deum nihil lateat. Omnia enim, vt inquit Paulus, sunt nuda & aperta oculis eius. Præterea nō solum videt Deus quomodo donis eius abuteris, sed alij etiā sunt qui te diffamant, & accusant. Infamant te pauperes & clamant, eo quòd iniustis rationibus premis & fraude & dolis circumuenis, & tua immisericordia fame perire sinis. Clamant contra te, & clamor eorum in Dei aures intrat: sicut clamor filiorum Israel ascendit in Ægypto, & venit ad Dominum. Hinc Dominus per Mosem loquitur. Aduenam non contristabis, viduæ & pupillo non nocebis. Si læseris eos, vociferabunt ad me, & ego exaudiam clamorem, eorum, quia misericors sum. Vide ergo quid agas, non enim proderunt diuitiæ in die vltionis, non honores: non potentia tuebitur: neque Deus timet humanum fastum vel etiā humanam potentiam. Iam nunc videamus de quo infamatus sit.

Hebr.4

Exod.3

Exod.22

Quasi dissipasset bona ipsius.

Accepta bona dissipamus quando his neque ad ipsius honorem, nec ad propriam salutem: sed magis ad Dei offensam, ad proximorum iniuriam & scandalum aut propriam perniciem abutimur. Dissipauit hic villicus bona animę: quando omne ingenij acumen, animi industriam, artem, scientiam, memoriam, cogitationes, desideria, trāsfert ad vana, aut perpetrandis accomodat sceleribus. Dissipat bona corporis dum fortitudine ad vim alteri inferendam, sanitate ad turpia, pulchritudine ad vana abutitur: exhibens per hæc & similia mēbra sua arma iniquitatis peccato. Dissipat etiam hic villicus bona temporalia non solùm illicitè in comessationibus, ebrietatibus, luxuriis, pompis & vanitatibus, in vestibus, in sumptuosis ædificiis, in equis, in canibus nutriendis, in alea, & similibus consumendo, sed etiā cum proximorum iniuria per furta, fraudes rapinas, vsuras, & per alias nefarias artes hæc acquirendo.

Abusus donorum & bonorum Dei.

¶ Expende autem quod dicit, quasi dissipasset bona ipsius, non autem absolutè, quod dissipasset; quia quantumlibet impij malè donis concessis vtantur, & dissipent, nihilominus tamen ad aliquē bonitatis ordinem dilapidationem istam reducit Deus. Nunquam enim sic destruitur humana natura in hac vita, quin per Dei clementiam reparari possit, quod angelis peccātibus & bona sua dilapidantibus non contigit. Quantumcunque enim malus sis saluari potes, & hoc est quasi dissipare: & quāuis nō sis omnino pditus sicut dęmō, qui remediū nō habet, & sic dissipauit substātiā: homo autē quasi dissipauit, q̄a licet sit omni flagitio repletus, poterit

terit dum viuit, saluari. Sed quid ad hæc dominus? *Et vocauit illum, & ait illi.* Hæc verba non pertinent ad illam vocationē, qua quilibet tempore mortis suæ, vel etiā in extremo die, tribunali Dei sistitur, sed ad eam potiùs vocationem quę in hac vita fit, cum quis per internam inspirationem, vel per externam prædicationem & exhortationem, vel per beneficia, aut flagella diuinitus cōmouetur, vt cogitet quomodo suo tempore rationē reddere possit. Expēde hic quot modis te Deus vocet & tuam studeat salutem, nempe blanditiis & flagellis & innumerabilibus modis: Tu autem tanquam aspis obturans aures suas surdus es ne audias vocem incantātis sapienter: quapropter thesaurizas in diem iræ, & quia hic misericordiam vocātem nō audis, audies posteà iudicem dicentem. Ite maledicti in ignem æternum. Aduerte autem quod antequam condemnet vocat ad iudicium peccatorem, quia vult Deus iustificare sententiam suam, & non damnare peccatorem illo inaudito. Vnus enim omniū quotquot extiterūt in mūdo iudices, iniquissimus fuit Pilatus: quoniam cōtra hominē, quem iustum cognoscebat & sanctum sententiam tulit, & super omnia voluit se iustificare lauando manus suas. Innocens ego (inquit) sum, à sanguine iusti huius. Cū secundum rei veritatem Pilati conscientiam totus oceanus non sufficeret ad lauandum. Quare si iste Pilatus cùm tamen improbissimus alias esset, sententiam suam iustificare voluit: quantò maiore ratione hoc faciet Deus, siquidem ait Dauid, Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa? Nō vult Deus hunc inauditum condemnare, vt eius causa magis iustificetur. Sæpenumerò solet absens absque vlla culpa condemnari. Sic Caiphas Christum cōdemnauit in absentia in consilio suo. Nec illum accersiuit vt sui rationem redderet. Quare apud iurecōsultos omnia quæ contra absentem nō contumacem fiunt irrita sunt. Vnde nullus maior defectus, aut nullitas cuicunque processui opponi potest, quàm si dicamus partem non fuisse citatam. Malè fecit Assuerus, cùm dānauit populum Dei ductus malo consilio sine audientia partium. Itaque iste quāuis infamatus esset & sciret illum dignum pęna: nihilominus tamen antequam remoueretur ab officio vocatur vt respondeat pro se, & reddat rationem. Vtinā reges & prælati sic facerent, vt nunquam obliuiscerentur huius doctrinæ: etiam non sicut Dauid, ita faciant, qui credidit Sibę narranti de Miphiboset, & innocentem absentem damnauit, antequam redderet rationem sui: & Sibæ susurroni dedit possessiones Miphiboset filij sui maximi amici Ionathæ. O reges iniqui & mūdi principes qui sæpe nullam fidem & iustitiam in iudicādo seruatis. Et quod pessimum omnium est, tantum valet prima informatio & inquisitio, vt etiā si Dauid posteà sciuerit Miphiboset innocentem fuisse, tamen nihilo magis sententiam reuocauit: sed potius possessiones diuidi iussit.

Psalm. 57 Rom. 2 Matth. 25 Matth. 27 Psalm. 18 Ioan. 18. Hester 3 2. Reg. 29 2. Reg. 19

Discant ex hoc loco principes & prælati, vt infamatum & accusatum vocent, & quęrāt, antequā iudicent: vt pro seipso respondeat, & sui rationem reddat. Sic Deus antequam Sodomam & Gomorrham damnaret, clamor inquit Sodomorū & Gomorrhęorum multiplicatus est, & peccatum eorū grauatum est nimis. Vide etiam infamiam Sodomæ & Gomorrhæ, sed audi eorum inquisitionem. Descendam, ait, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me opere cōpleuerint an nō: ita vt sciā. Non dixit hæc Deus quod aliquid eum latere posset: sed vt nos doceat humano more loqtur. Priùs enim probare voluit missis eo duobus angelis vt explorarent impietatem: antequam iudicaret, & ciuitates subuerteret. Sic etiam antequam Adam puniret, vocauit ad iudicium, dicens, Adam vbi es? vt sui rationem redderet. Sic etiam Cain interrogauit de fratre & antequam puniret ad rationem vocauit: & similiter antequam confunderet turrim Babel descēdit, vt videret ædificium. Sed iam nūc damnātur absentes inauditi. Sic Nicodemus dixit Pharisæis. Nunquid lex nostra iudicat hominem nisi priùs audierit ab ipso & cognouerit quid faciat? Festus quoque in Actis, dixit. Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur locum defendendi accipiat. At nunc aliqui prælati Christiani & espicopi, qui maiorē sanctitatem profitentur faciunt quod illi gentiles Romani idololatrę facere non audebant, homines innoxios persequentes: nō dantes locum excusationi nec defensioni, &c. Discant secūdò ne peccata subditorum dissimulent & impunita relinquāt: sicut Heli sacerdos, qui sciens peccata filiorū non corripuit nec correxit: atque ideo mala morte mortuus est, & reprobatus à sacerdotio. Imo per quirant voce subditum, moneāt, & diligenter officium pastorale exerceant, & solicitè atque charitatiuè & benignè corrigāt, vt hic fecit hic homo diues, qui postquam infamiā proximi sciuit non dormiuit, neque segniter se habuit; sed vocauit illum ad se. Discant tertiò ne accusatorum, visitatorum, aut testium nomina prodant. Hoc enim est maximum incendere ignem & odia & discordias seminare, vt aliqui ex leuitate, aut imperitia facere solent. Iste enim non dixit, talis, vel talis, mihi dixit quod male gerebas tuum officium, sed tantum dixit, quid hoc audio de te? Docentur & quartò vt articulū, de quo quis infamatur, specificent. Meliùs enim potest se homo corrigere cùm ei exponitur de quo infamatur aut se excusare si innocens sit, cū speciatim dicitur, hoc audio de te, quàm si diceret ei in genere vnum malū de te audiui, sic iste dicit villico exprimens malum, quod audierat. Redde rationem villicationis tuę: de infidelitate enim villicationis accusaris. Ideóque vocatus hic corā domino suo dixit ei.

Genes. 19 Genes. 3 Genes. 4. Genes. 11 Lex. Chry. ho. 32. in Genes. Ioan. 7 Act. 25. 1. Reg. 4

Quid audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.

Ait dominus villico. Imò sic loquitur ad vnumquenque nostrum. Homo cogita quis status tuus sit. Christianum te vocas, sed viuis gentiliter, vita tua non respondet vocationi tuæ. Deum cōfiteris ore: sed operibus negas. Dominum tuum me vocas, nec tamē voluntatem meam facis. Non dominum sed dispensatorem domus meæ te constitui. Quare ergo nō dedisti pecuniam meam ad vsurā? Abscondisti talentum tibi creditum. Quare non pauperibus fęnerasti & dedisti bona, quę mea sūt, indigentibus? constitui enim te vt aleres pauperculos seruos meos. Quid hoc audio de te? Seuera profecto accusatio, & percūctatio. At vbi permutatio illa re agitur ipsa, obmutescat oportet homo: & cogitur confiteri cum Diuo Iob, se coram Deo pro mille vnum respōdere non posse. Vtinam hæc vox & querimonia in auribus tuis semper personet. In

Tit. 3 Matth. 25 Iob 9

Liber conscientiæ inspiciendus.

¶ In eo autem quòd rationem quęrit admonet, vt semper parati simus, vt bonam rationem reddamus hora mortis. Mirum valde est, quod nolis propter Deum idem facere quod villicus propter herum suum facere non prætermittit: cùm tibi perpetua animę tuę salus proponatur, vel lucrifaciéda, vel amittenda, illi opinio quædam tantummodo quam apud dominum suũ habet. Si esses alicuius viri præclarissimi dispensator à quo tibi esset imperatum, vt primo vesperi illi redderes rationem certorum millium ducatorum quæ tibi ad sumptum faciendum dedisset: nónne priusquam illi rationes ostédere properares, libros priùs inspiceres vt rectam tuorum gestorum rationem reddere posses? Nam etiamsi omnia optimè dispensata habuisses saltem ne coram Domino rationem reddens post eà titubares, re multo ante non prouisa nec meditata libros inspicere omniaque ad amussim pri⁹ perpédere deberes, vt rectam rationem redderes. Attende igitur te vel spontè, vel inuitum aliquando rationem redditurũ non domino terreno, sed Deo: non de impensis sed de bonis animę bonisq; corporalibus, quę tibi à Deo Opti. Maxi. concessa sunt. Tunc dicetur tibi, redde rationem villicationis tuæ: quod fortè hodie ante Solis occasum audies. Et hanc rationem seuerissimam Deus à te exiget. Oportet igitur vt vnusquisque dum viuit reputet se post mortem horum omnium rationem redditurum. Quis homo est qui Christianus, aut esse, aut dici vult, qui quotidie conscientiam suam non examinat, vitam suam respiciens, malámque & peruersam viuendi rationem in bonam conuertens, præparánsque se ad omnia euenta quæcunque accidere possint? Cùm enim minus cogitat, tunc illi discedendũ erit: quia nemo scit vtrum in diem crastinum sit peruenturus, necne. Ita igitur viuere debes quasi statim sit moriturus: & si sapis nó minus inspectam rationem habere debes, ac si statim illã esses redditurus. Quare interiora arcana tua optimè cognita habeas, conscientiam tuam examines oportet, vt si aliquid inueneris in cóscientiæ libello, quod iure reprehédi possit, vel moribus immutatis deinceps corrigas, vel lachrymis & suspiriis deleas, vt veniente Domino, & dicente, redde rationem villicationis tuæ, apparere possis nulla ignominia notatus, nullosq; rubore suffusus: vt poteq rectam rationem omnium beneficiorum, quę accepisti reddideris. Hæc debet esse Christianorum in hac vita exercitatio, videlicet, vt dent operam libris suis inspiciendis, & vt optimam reddam rationem. Quare si mors de improuiso ipsos occupauerit, turbati & confusi nihil habebunt, quod summo iudici respódere possint: & ideo maxima cum ignominia in infernum detrudentur.

Vita nostra propria reddéda ratio non aliena.

¶ Obserua etiam diligenter quòd hic non dicit Dominus, redde rationem villicationis alienæ, vel redde rationem villicationis alterius, sed villicationis tuæ. Proprię enim vitę tuæ, factorúmque tuorũ non alienorum, redditurus es rationem Deo. Vnusquisque enim redditurus est de factis propriis rationem. Cùm igitur tanta beneficia à Deo acceperis, totque res habes de quibus reddere rationem debes, vt vitam emendes, tempúsque breuissimum vitæ tibi ad agendum cóceßum ne inaniter abire pretermittas, quod vix satis esse potest ob negotiorum magnitudinem, otiosus nequaquam esse debes neque dum alienas vitas obseruas & examinas propriæ vitæ emendandæ corrigendæ obliuiscaris. Quid enim ad te aliena attinent? Redde rationé villicationis tuæ. Tuæ villicationis propriæ redditurus es rationem, non alienæ. Ideoque tibi cósule, teipsum cura, ne sis de aliorum vita curiosus nimium censor, néve facta aliorum iudicare velis. Visus enim in primis tibi à Deo hac de causa datus fuit, vt teipsum præcipuè inspiceres. Ideo Dauid in Psalmo. Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum ipsum non est mecum. Nó ait se esse cæcum, aut lumen oculorũ perdidisse, sed inquit, lumen oculorum suorũ non esse secum. Erat enim errans, & ociosum lumen illi oculorum, dũ aliorum facta intuédo occupabatur. Nó erat mecum lumen oculorum meorum: sed cùm aliis. Si igitur vis progressus maximos facere in Dei cultu & sec uitio maxima cura vitare debes ne de aliorũ vita nimis curiosè inquiras. Nũquam enim quietus, & tranquillus esse poteris: si curiosus factorum alienorum scrutator fueris. Nũquam pacem in corde, aut spiritu tuo habebis, si te ad inspiciendas proximorũ tuorum vitas profuderis, sed potius omnes homines in odium tui inflammabis, nisi ab hoc vitio caueris. Ideo Dauid postquam dixit lumé oculorũ meorum non est mecũ, statim addidit. Amici mei, & proximi mei recesserunt à me: quia quicunque aliorum vitas calumniatur & mores, omnibus odio est: etiã vt amici, familiares, ac fratres, omnésque propinqui ab eius consuetudine abhorreant. Ab hoc vitio oritur murmuratio, quæ fons & principium est superbiæ. Ideo enim alios despicis: quia teipsum non cognoscis, quod maximum est superbiæ fundamentum. Fluuius extra alueum suum exundans fluctibus suis ripas mũdificat, ipse tamen cum omnes immunditias, paleas, & stercora riparum secum ferat immundus, pallidus, & turbidus fluit. Eodem modo homo extra suiipsius notitiam & cognitionem, quia aliorum immũditias extrą se egressus aliorúmque facta rimatur, fluuio superabundanti rectè comparari potest. Tota autem iactura illius tantummodo est, qui hoc facit. turbidam enim conscientiam & immundam habet malitia & superbia. Alios verò mundat dum illos sua loquacitate & murmuratione monet, vt vitã emédent & corrigant. Itaque alij commodum consequuntur ex monitis tuis, quibus dum corrigũtur, molestiámque patiuntur iniquæ detractionis tuæ magis apud Deũ merentur. At tu sicut fluuius turbidus & immũdus cóscientia coinquinata, indies tibi ipsi deterior fluis in omnes vitiorum vndas, & in extremũ inferni mare. Culpa est homini immiscere se rei ad se non pertinenti. Tu iacturam pateris, alij lucrantur. Si quis mercator negotium aliquod tractat, in quo non modò nullum futurum commodum sperat, sed etiã incommodum timet: illud proculdubio deponit. Attende igitur & tu quòd nullum aliud negotium magis inutile gerere poteris, quàm si aliorum facta scruteris. Relinque igitur hoc officium ne pereas, neu tempus perperã consumas: obseruando quid ille vicinus tuus, aut ille faciant, quid habeant vnde viuant, aut quomodo viuant. Nó enim exiget Deus à te rationem villicationis alienæ sed tuæ propriæ. Satis argumenti est, te paruam curam conscientiæ tuę gerere, siquidem tantum de aliis curas, nimia enim cura quam aliorũ geris indicat te esse oblitũ tui. Nemo enim tot rebus animum intendere potest: quare facile colligi

Psalm. 37.

collligitur quòd teipsum negligis, qui aliorum curam habes. Hæc maxima stultitia est. Vnde Sapiēs. *Eccle.9* Pes fatui facilis in domum proximi. Quando dominus domi est: omnes famuli officium suum faciunt. Eodem modo quando aliquod ædificium fit, si dominus operis adest, omnes ministri laborāt & officium suum exequuntur: verùm si tantisper abest, alius sedet, alius garrit, alius ludit, nemóque operam nauat. Ita & eodem modo cum tu intra teipsum es per tui notitiam ratio recta est, cogitationes cohibitæ, sensus recepti, cæteræque affectiones animi æquè & iustè operantur. Econtrario verò si propria relicta domo, domos alienas percurris, non possunt cogitationes tuæ, non esse ociosæ & errantes, milléque vanitatibus obnoxiæ. Esau *Gen.27* semper in agro viuebat, Iacob autē domi semper erat: proprium enim bonorum est intra domum conscientiæ suæ se continere, malorum autem, & otiosorum proprium est extra se errare, aliorum vitas obseruando. Ne igitur tam iniquum officium subeas. Si enim proximus tuus malus fuerit, ipse actionum suarum rationem domino reddet: tibi satis erit si tui curam habueris perfectè. Es enim rationem redditurus exactissimam, & citiùs fortasse, quàm existimas, &c. Sed iam ad contextum reuertamur. *Iam enim non poteris villicare.* Hæc quamuis de hora mortis & de vltimo vitæ instanti intelligenda sint, quia deinceps nullū erit tempus villicandi, hoc est merendi, nec demerendi: tamen in hac vita inspirationibus adducit Deus hæc nobis ad memoriam: vt habentes præ oculis nostris hoc vltimum tempus constitutum, quo cum vita simul nostra finito & terminato, amplius villicare nequibimus. Hinc statim villicare summa cura studeamus, boníisque operibus mansionem in cœlis quæramus, tempus enim erit aliquando quo etiamsi velimus, nullo modo nobis prodesse possimus vt malè acti temporis pœnitentia ducti, ea quæ facere noluimus facta lucremur. Constitue igitur ante oculos tuos tempus & horam mortis: quo vbi perueneris Deum dicentem audias: redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. Quare nunc dum tempus ad villicandum habes, talia opera facere debes, vt nullus vnquam temporis defectus tibi nocere posit: cùm ad horam mortis perueneris. Operemur igitur bonum dum tempus habemus, ait Paulus. Hæc vita est dies in qua villicare & operari licet: nam veniet nox (inquit Christus) in qua nemo poterit operari. Tempus enim veniet, in quo nō poteris villicare, atque ideo modo sicut hic vllicus fecit, eleemosynis & bonis actionibus amicos quære: qui te in æterna tabernacula recipiant. Fælix dies vitæ hominis in quo villicare & mereri licet vitam æternam: infœlix etiam tempus post mortem peccatoris in quo nihil villicare, aut mereri poterit. Sic Paulus suis Corinthiis dicit, Omnes nos oportet præsentari ante tribunal Christi: vt vnusquisque reddat rationem de his, quę gessit in corpore. De his inquit, quæ gessit in corpore: quia non reddet rationem de his quæ gessit extra corpus. Nam morte obita nullum erit tempus villicandi. Vnde etiamsi opera sanctorum, quæ in gloria cœlesti fiunt suapte natura bona sint: & è diuerso opera damnatorum sint mala, neutra tamen à Deo præmio, aut supplicio afficiuntur, propter illa ipsa opera, quæ post mortem fecerunt, sed ob illa tantummodo quæ viuentes hîc

Rationes cōscientiæ nostræ m[illegible]tur, vnde propter incertitudinem horæ mortis.

Gala.

Ioan.9

2. Corin.5

& in carne mortali constituti præstiterunt, cuius rei nulla alia causa reddi potest præter Dei supremam voluntatem. Vult enim Deus hæc opera bona accipere, vt illorum autores præmiis quamplurimis afficiat: illa verò non accipit, quia omne meritum dependet à diuina acceptatione, tempore huius præsentis vitæ durante paruo multa comparare potes multáque minimis sumptibus mereri. Paupertate, videlicet, diuitias semper duraturas, lachrymis lætitiam perpetuam, fame satietatem eximiam, paruísque persecutionibus regnum cœleste consequeris. Non esset ille insanissimus, qui cū posset in aliquo emporio frequentissimo frumentum, drachma in annum emere, tanta opportunitate vti nollet emptionem in tale tempus differēs: quo nec si mille aureos numeret paululum frumēti, aut etiam frustum panis inuenire posit? Nō minus igitur insani sunt, qui sinunt vitæ suæ tempus inane præterire, quando paruo sumptu paruóque labore, gloriam cœlestem mereri poterant, vitam otiosam nullo negotio transigentes: quare posteà in inferno doloribus suppliciísque inauditis torquebuntur, lachrymísq; & suspiriis, nullum leuamen merentes conficientur: cum hîc vel paruo frusto panis, quod inopi cuiuis tribuerent, vel cælorum gloriam possent cōparare, quæ vna post mortem in pretio est hominibus, alia enim parum prodesse poterunt. Hic pœnitentia, quam propter tua peccata susceperis, quibus dominum tuum offendisti, remittuntur tibi omnia delicta tua: quod nisi feceris posteà in inferno suppliciis doloribúsque horrendis cruciabere: quæ tibi tamen nihil ad veniam prodesse poterunt. Ille caminus ignis quem incēdit Nabuchodonosor in Babylonia, cum in tā- *Dan.3* tum exardesceret, vt quadraginta nouem cubitos flammas sursum extolleret, vno tamen cubito deficiente non peruenit ad numerum quinquagenarium, qui quidem numerus annum Iubilæi facit, vt intelligas flammam illam ignis sempiterni confusionisque Babylonicæ inferni, etiamsi tantum exardescit, vt grauissimè iniquos torqueat, non tamē illis remissionem peccatorum cōcedere posse, nec Iubilæum gratiæ aut veniæ. Ideo opus est vt festines, negotiaque tua villices, summáque cura conficere enitaris, antequam tibi dicatur, iam non poteris villicare, iam negotiandi tempus elapsum est: nullum deinceps tibi mercaturam exercendi tempus concedetur. Quare quandoquidem nescis quando tibi dicetur, iam non est tempus villicandi, habe hoc in memoria, vt summopere festines, laborando, benè operando, & denique merendo, vt aduentante morte, quæ fortasse, vel perendie aderit, & tibi facultas deinceps dispensandi erepta fuerit, negotiandíque potestas, iam tunc mereri poteris tuis bonis operibus mansionem in cœlis, vbi perpetuo beatus dici possis. Cogita igitur & induc in animum tuum Deum tibi modo dicere iam non poteris villicare. Vt quod futurum est in hora mortis, statim futurum existimans, quid faciendum potissimum sit, consideres. Idémque facias quod villicus hîc fecit. Cui cùm Dominus dixisset redde rationem villicationis tuæ, iam non poteris villicare: afflictus, mœroréque summo oppressus est, adeo vt dicat Euangelista. *Ait autem villicus intra se.* Relinque negotia huius mundi: relinque externa, scrutare conscientiam tuam intra te. Ab ea enim summa tui ipsius accusatrice si

obtemperare volueris audies quid tibi faciendum ſit. Solus nanque hic villicus curat de ſalute animæ: quia nullus eſt amicus: omnes quæ ſua ſunt quærunt, *Philip.2* non ſalutem animæ, ſed bona temporalia ſequuntur. Ideò omnia exteriora relinquens intra teipſum habita, cogitáque cras tibi eſſe moriendum, quãdo nihil tibi honores, diuitiæ, amici, amicorumve conſuetudines, quibus omnibus abundas prodeſſe poterunt. Vix enim mortuus eris cum ab omnibus deſertus, obliuioniq; traditus eris. Adeò vt etiamſi totus orbis tui memoriam coleret, tamen tibi parum prodeſſet. Solus tu & Deus eſtis rationem vitæ tuæ confecturi: quare iuſtum eſt, vt tu etiam ſolus in hanc vitam ingrediaris, tecumq; ritè ſolo rationem benè viuendi perpendas, omnia alia quæ aliquando à te relinquenda ſunt deſpiciẽs & contemnens. Quare ſi ſolus manſurus es, meritò omnes illos relinques, à quibus aliquando es relinquendus. Solus igitur tecum age, ſolus qui ſis conſidera: vitam præteritam corrige, nouum rationum tuarum librum conficiens: ſiquidem ſolus tui, actionúmque tuarum rationem es redditurus. Omnia enim externa (mihi crede) hanc internam conſcientiæ rationem impediunt. ¶ Obſerua etiam timorem in cauſa fuiſſe vt hic ſe reciperet, ſibiq; cõſuleret, & ad ſe rediens nouum viuendi modũ quæreret: iure enim timuit, ſi aliter ſeſe haberet ne in æternum periret. Sic timor multos induxit ad meliora. *4. Reg. 20* Sic Rex Ezechias timore huius iudicij conuerſus ad parietem fleuit, &c. Sed quid conſuluit iſte? Dixit enim intra ſe. *Quid faciam, quia dominus aufert à me villicationem?* Non dixit quid dicam, ſed quid faciam, ſciens quia apud Deum plus valent opera virtutis quàm verba facunda, iuxta illud Apoſtoli, *1. Cor. 4* Non in ſermone eſt regnum Dei. Quaſi diceret, Regnum cœlorum non verbis ſed operibus emitur. *Pſal. 23* Quærebat Dauid in Pſalmo, dicens, Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? ſibi ipſique reſpondens ſtatim ſubiicit, Innocens manibus & mundo corde. Dum dixit innocens manibus inſinuauit ad conſequendam gloriam ſempiternam, verba non ſufficere, nec etiam ipſam fidem ſolam: neceſſaria enim eſt manuum innocentiæ: opera videlicet candida & ſancta. *Ezec. 3* Vnde ſequitur manifeſtè neminem poſſe cœleſtem gloriam conſequi, verbis tantummodo: niſi ea opera fecerit, quibus dignus tanto præmio iure videri poſsit. *Iaco. 2* *Gen. 27* Non enim ſatis eſt credere, ſed operari oportet. Quemadmodum enim ille, qui in fluuium cadit niſi manus pedéſque moueat, mergitur, nec ſupereminere poteſt, ſi tamen natet, ad terrámque peruenire conetur, omni periculo liber & incolumis euadet: eodem modo ille, qui nullam operam nauat ad ſalutem conſequendam, & vt ad gloriam cœleſtem ab hoc mundo quaſi à quodam naufragio enatare poſsit, & bonis operibus omiſsis, ſoli fidei confidit, proculdubio in profundum inferni pelagus immergetur. Si tamen cum fide operetur in bonísque operibus perſiſtens, fidem viuificet: profectò in terra incolumis euadet, ſalutíſq; portũ conſequetur. *Ezech. 8* Vnde Ezechiel propheta. Emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincino capitis mei. Bona enim opera ſunt quæ nos apprehendunt, & rapiunt in cœlum, viámq; muniũt ad gloriam immortalem conſequendam. Non ſufficit ſola fides, *Iaco. 2* cum Iacobus dicat, quòd fides ſine operibus mortua eſt. *Gen. 27.* Non fidit Iſaac verbis Iacob, vt ideo eius manus tangeret, quando illi ſuam benedictionem concedere voluit, ſed operibus rebúſque ipſis: eius enim collum & manus priùs pertentauit, quàm illi benediceret. Eodem modo nihilo magis tibi benedictionem gloriæ concedet Dominus, licet quãplurimis verbis illam contendas: niſi priùs manus, quæ bona opera ſunt pertentaueris. Illæ quinque virgines fatuæ fidem habebant, *Matth. 25* propterea quòd virgines erant, & lampades habebant: reprobatæ tamen ſunt, quia oleum in lampadibus non habebant, per quod in ſacra ſcriptura charitas ſignificatur. Nam quemadmodum oleum omnes alios liquores ſupernatat: ita charitas omnes alias virtutes excedit. Quare Diuus Paulus illam *1. Cor 12* ſupereminentem ſcientiam vocat: ſine charitate fides mortua eſt. Vnde multoties in ſacra ſcriptura multa legis miracula effectúſque ſummæ admirationis, fidei virtute fuiſſe præſtitos, intelligere debes hoc de viua fide, & nõ de mortua: quia vt Dialectici aſſerunt, analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato. Si enim dicas in hac vel in illa via hominem eſſe, omnes profectò intelligent te de reali ac viuo homine, non de picto ſimulatóve, aut mortuo loqui: nam ſi mortuus eſſet, non ſufficeret dicere tantummodo, homo eſt, ſed addendum eſſet, homo mortuus eſt: quia abſolutè loquendo, homo ſupponit pro homine viuo. *Hebræ. 11* *Rom. 3* *Ioan. 3* *Act. 6.* *Galat. 5* Sic cùm ſcriptura dicit ſancti per fidem vicerũt regna, vel fides iuſtificat, aut crede, & ſaluus eris, & alia huiuſmodi ſemper intelligit de fide viua formata charitate: Fides enim, vt Paulus ait, per charitatẽ operatur. Vnde quemadmodum ille inſanus iudicari poſſet, qui cùm nullius eſſet meriti, aut gratiæ apud regem, quippe qui nec aliquod prælium viciſſet nec alia laude digna facinora edidiſſet: tamen nihilominus audaciæ ſuæ confidens à rege contenderet, vt ſibi ciuitatem, vel ampliſsimum aliud beneficium cõcederet: ſic inſanus inuerecundus ille iudicandus eſt, qui more illarum virginum fatuarum *Matth. 25* nullis operibus tanto præmio dignis à Deo ſumma petit contentione, vt ſibi cœleſtis gloriæ oſtium aperiat. Nam ſi rectè & cõſideratè tecũ reputare velis quo ore poteris à Deo contendere gloriam, cùm nihil tanto nomine dignum feceris? Non ſufficit ergo ſola fides, ſed opera ſunt neceſſaria. ¶ Hic tamen aduertendum magnopere cenſeo: *Fidẽ iactare ſine operatiõe reprobationis ſignum.* quod etiamſi fide carere euidens ſignum eſt & præſagium æternæ damnationis in eis qui ſine fide decedunt: non tamen è diuerſo Euangelio credere euidens eſt argumentum aut indicium, quo quis putari poſsit prædeſtinatus. Pannus enim vt verè mundus dicatur omni nota & macula vacare debet: vt autem immundus dici poſsit, quæcunque labes ſufficit. Hoc pacto vt intelligamus aliquem eſſe reprobatum, ſatis eſt fidem non habere: verum vt is ſibi prædeſtinationis bonum ineffabile arroget, opera tanto præmio digna operari debet. Fidem habere, & ferè nunquam operari iuxta dictamen fidei, magnum eſt reprobationis indicium. Diutina in peccato mora, perſiſtentiáque continua, argumentum eſt reprobationis: licèt non ita vrgens, vt omnino infallibile ſit. Quia plurimos videmus, qui cùm omnem vitam ſuam in criminibus fuerint periclitati, in finem tamen gloriam meriti ſunt: vt in bono latrone in cruce pendente videre eſt. *Luc. 23.* Alij etiã è diuerſo extiterunt qui cùm partem vitæ ſuæ bene agendo tranſegiſſent, exitu infælici deceſſerunt: ſicut

Iudas

Non dicere ſed facere & operari oportet.

Matth.27 Iudas. Sed tandem qui rectè mandata Dei seruat bonísque dùm viuit semper operibus occupatur, computandus est merito in prædestinatorũ & electorũ Dei numero, nullum enim aliud præsentius mediũ ad consequendã gloriã est quã seruare mandata. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Si ali-
Luc.18 quem videres viam versus Valentiã facere, reputares vtique ipsum Valentiã ire: non tamen iureiurãdo te astringeres ipsum Valentiã ingressurum: quia libertatem habet licet ambagẽ aliquam faciat, anteaquam Valentiã perueniat, viam aliorsum dirigere. E diuerso si aliquem videres Valentiam euntẽ viã tamen Granatam versus facientem, meritò suspicateris illum nõ habere animũ Valentiã eundi: tamen nec iurare nec affirmare auderes illum non esse Valentiam peruenturum, quia potest viam alio inflectere, cùm liber eundi & non eundi sit. Sic in proposito, qui bona opera facit viam facit ad gloriam, existimatúrque ad gloriã peruẽturus: benè tamen potest antequã ad finẽ vitæ, quasi cuiusdam itineris veniat, viã inflectere, & ad dãnationẽ peruenire. Similiter qui malè viuit ad infernum tẽdit: benè tamen potest vitæ & moribus in melius mutatis in extremo cursu saluari. Attamen qui bona opera operatur facilè creditur salutem consecuturus. Nemo enim adultorum in cœlo est qui prius bona opera non fuerit operatus. Hæc enim media sunt & via qua gloria comparatur: sola enim fides non sufficit, quia sine operibus mortua est. Quod si hîc (vt ait Christus) dixit, quid faciã ad salutem consequendam: quo supplicio dignos esse impiissimos Lutheranos dicam, dùm asserunt solam fidem satis esse etiam sine operibus ad consequendam vi-
Matth.7 tam æternam? Non omnis, qui dicit mihi, Domine, ait Christus, intrabit in regnum cœlorũ: sed qui
Hebr.11 fecerit voluntatem patris mei. Et Paulus ait, Sancti per fidem vicerunt regna. Sequitur, operati sunt iustitiã & adepti sunt repromissiones. Non ergo sola fide, sed operibus iustitiæ adiũctis ingressi sunt terram promissionis. Sic & tu nihilomagis cœlũ. Et si operibus iustitiæ, quomodo ergo sola fide? Sed de his aliàs. ¶ Quid faciã, ait, exercebat officium aliquod domi regis, quòd cum sibi ereptũ videat, non
Cap.20 satis exploratũ habet quid sibi faciendũ sit. Seneca de breuitate vitæ meminit cuiusdã senatoris: cui cũ esset concessum à Caio Cæsare quoniam nonagesimũ annum ætatis agebat, vt quiesceret à publicísque muneribus vacaret, tam solicito deinceps fuit animo, se procul à negotiis suis separatũ vidẽs, vt mortem iamiam sibi imminere credens, sibi tanquam mortuo supremũ funus fieri imperaret, vt ab omnibus familiaribus domesticísque suis in phaeretro collocatus deploraretur. Eo autẽ modo vniuersa eius familia senis ocium eluxit, vacationémque à publicis muneribus. donec beneficio eiusdẽ Cæsaris restitutus, officio suo ad mortem vsq; perfunctus est. Nõ aliter plurimi reperiuntur, qui sine munere negocióve aliquo viuere nesciunt: nec vllã in vita priuata iucunditatem inueniunt. In principum aulis huiusmodi homines sæpissimè reperiuntur, qui multitudine negotiorum delectantur, cliẽtúmque amant frequentiam, ante ostium negociorum suorum expeditionem expectantium. Sic veneno officiorum & negociorum educati eo tantũmodo aluntur, vt nulla alia in re suauitatem inueniant. ¶ Sed his prætermissis in literali sensu persistendo in quo Christus hanc parabolã dicit. Obserua quòd iste nõ dixit, Dominus auferet villicationẽ, loquẽs *Aufert & nõ auferet; mutu significat propinquitatem.* de futuro, sed de præsenti loquitur dicẽs, Dominus aufert villicationẽ. Quod enim proximè sequitur, certúmque est, tanquam si esset præsens reputatur. Cùm igitur mors, quæ nobis omnẽm facultatẽ merendi & negotiandi erreptura est: adeò propinqua sit, vt nesciamus an ab hinc horã vnam simus morituri: statuamus nobis iam esse præsentẽ. Sic Paulus Philippenses vocat mortuos. Et nos mortui su- Philip.3
mus, quia morti appropinquamus. Stultum est de morte tãquam de re futura, sed quasi iam præsenti agere. Sic illa sapiẽs mulier dixit Dauidi regi, Omnes morimur & quasi aqua dilabimur super terrã. 2.Reg.14
Non ait moriemur, sed morimur: quemadmodum enim fluuius iugi perrenníque flumine currit, nunquam aquæ iam elapsæ retro redeũt: ita dies nostri incessantes ad mortem fluunt: & die diem trudẽte nunquã idẽ ætatis flumen ad nos redit. Dies enim hesternus præcedentem trudit, hodiernus verò hesternum: & ita alij alios mutuo se expellũt & excludunt, nósque ad mortem citissimo volatu rapiunt. Sic aliis euntibus aliis redeuntibus diebus, nũquã id, quod præteriit in eundem statũ redit: more aquarum labentium, quæ nunquam refluunt. Alij quidẽ vadunt, & alij veniunt: verùm attende omnes breui tempore ad finem peruenturos. Atque ideo Ioan- 1.Ioan.2
nes, Filioli nouissima hora hæc est. Meritò igitur dixit, quid faciã. Si homo cogitare vellet quid defuturum esset, semper animo angeretur, diceretque, quid faciam? O me infœlicem qui tot peccata commisi, quid de me fiet, quo perueniam, quid faciam, quid consilij capiam? Si hoc, qui faciam, homines sæpenumero secum meditarentur, meminissentque illius sollicitudinis, qua hora mortis afficiũtur, profecto vitam suam corrigerẽt, melioremque in dies facerent. Cùm autem nemo sit qui dubitare possit, esse mortem, alterámque post obitum vitam restare omnes credimus: quis adeò insanus est, qui secũ ipse non dicit, quid faciam: & ea quæ ad salutem pertinent operatur? Fœlix qui de fine cogitat, fœlix qui quotidie cogitat se propediem moriturum: fœlices quibus vitæ finis viuendi confert initium.
Dic ergo illud Iob. Quid faciam cùm surrexerit ad Iob 31
iudicandum Deus: cum quæsierit quid respondebo illi? Ita hic villicus afflictus & angustiatus dixit. *Fodere non valeo.* Hoc est, dura pœnitentiæ opera exercere nequeo, abstinendo, flendo, ieiunando, & alia huiusmodi operando. Quãuis enim hæc opera sint viris perfectis dulcia atque facilia, qui consuetudine exercitatos sensus habent, & omni virtutum actione spiritualiter delectantur: mihi tamẽ qui educatus sum in deliciis & libertate, durum & rigidũ videtur virtuti operam nauare.

Mendicare erubesco.

Id est, Deum orare, seu alios vt pro me intercedant, pudet. Quia perseuerare in oratione non possum: corã autem Deo qui peccata mea cognoscit apparere non audeo, præ confusione & verecũdia delictorum meorum. Expende quòd negotia harũ duarum viarũ viuendi, scilicet, vel labore, vel mendicitate, significat consiliũ hominis de æterna vita non quærenda, labore ieiuniorum, nec mendicitate orationum. Multi enim nobiles & lauti delicisque assuefacti sunt, qui sacerdoti dum fatentur respondent, Pater, ieiunia, flagella, aut preces faciendas ne mihi imponas: non enim potero substare: aliud quiduis mihi impera. His igitur talibus homi-

Delicatè nutritis ieiunia & orationes graues, sed nõ eleemosynæ.

nibus iniungere debes in peccatorum suorum satisfactionē vt faciāt eleemosynas. (*Dan. 4*) Sic Daniel regi Nabuchodonosor qui nimium lautus & delicatus erat, adeò vt nollet opera magnæ perfectionis obire, dixit: Peccata tua eleemosynis redime. (*Luc. 3*) Sic Ioannes Baptista debilibus & imperfectis peccatoribus & publicanis non dixit, ieiunate, flagellate, cilicia portate: sed qui habet duas tunicas det vnam non habenti. (*Act. 26*) Et Paulus in Actis cupiebat Agrippā Regem Christianū fieri, & esse sicut ipse Paulus erat; demptis, dixit, cathenis his: quia nondum Agrippa erat perfectus vt posset acerba tolerare. Iste etiam delicatus villicus non poterat fodere nec mendicare: id est opera supererogationis & magni laboris facere, & martyrium tolerare: atque ideo ad eleemosynarum largitionem se conuertit. Sequitur.

Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione recipiant me in domos suas.

Quanuis in spirituali sensu, in quem Christus inducit hanc parabolam, hoc nihil aliud insinuet, nisi, vt de bonis nostris (omnia enim nostra sua sunt) pauperibus largiamur, facientes eos amicos de mámona iniquitatis, tamen vt litera sonat, multi sunt similes huius, qui malunt furari quàm operari, meliúsque esse ducunt in ocio & deliciis viuere, alienis bonis fruentes, quàm aliquod addiscere artificium, vnde sibi licito & honesto vultus sui sudore victum quærant. Nam si alicui domino inseruiunt eius bona ita diripiunt vt politi & elegantes, vicatim incedere posśint, senatorióque apparatu viuere. At hi, vt patet, præstare existimant otium negotio, quo honestè, & sanctè homines viuunt occupati. ¶ Verùm in doctrina quam Christus prætendit in hac parabola admonet, qui misericordiam vult inuenire apud Deum & veniam suorum peccatorum, misericordiam faciat cum pauperibus, & eis eleemosynas elargiatur de bonis temporalibus, quæ bona non quidem nostra, sed Dei sunt. (*Matth. 5*) Beati (ait Christus) sunt misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui dicebat primo, Quantum debes domino meo? at ille dixit, centum cados olei. Dixitque illi: accipe cautionem tuam & sede citò, scribe quinquaginta. Deinde alij dixit. Tu verò quātum debes? Qui ait, Centum coros tritici. Ait illi. Accipe literas tuas & scribe octoginta.* Quatuor hîc consideranda sunt pro eleemosynarum largitione. (*Eleemosyna vltro danda est & non rogati.*) Primum quod non dedit eis eleemosynam vocatus à pauperibus aut rogatus, sed iste vocauit illos: largitus est enim liberaliter nō vocatus, nec rogatus, nec coactus: sed spōte & gratis quærens ipsemet illos. Itaque pauperibus antequā ipsi petant danda est eleemosyna: imo & aliquādo cogēdi & solicitandi sunt pauperes, vt factum est ab illis duobus discipulis, qui ibāt in castellum Emaus erga Christum, quem (*Luca. 24*) peregrinum & ignotum esse putabant: coëgerunt (*Gene. 18*) enim illum, vt apud se maneret. Sic Abraham in itineribus expectabat sedens, & pauperes transeuntes solicitabat, & angelos obnixè precabatur, vt apud se aduerterent, & cum eo manerent & comederent. (*Gene. 19*) Idem & Loth fecisse legimus, (*Tob. 2*) Tobiámque multósque alios sanctos patres. Quanquàm modo non solùm non petētibus negatur eleemosyna: sed etiam tanta est diuitum nostri tēporis auaritia, vt ne clamantibus quidem, faméque pereuntibus pauperibus aures præbeant, &c. Secundò docet quòd eleemosyna non segniter, sed diligenter est facienda: atque ideo dixit, sede citò. Celeriter sunt agenda bona, maximè opera misericordiæ. Sicut enim hilarem (*1. Cor. 9*) ita & celerem datorem diligit Deus. (*Prouer. 3*) Ideo Salomō ait, Ne dicas vade, cras dabo tibi: cùm statim posśis dare.

¶ Tertiò docet, quòd non vni soli, sed multis (*Non vni sed plurimis danda eleemosyna & abundanter.*) est danda eleemosyna: quod secus faciūt multi prælati & diuites, qui non nisi consanguineis pauperibus elargiuntur: alij amicis, alij verò ciuibus suis tantummodo. Sed hic villicus multis benefecit, nā singulos debitores vocauit. Denique & quartò abūdanter eleemosynam dedit. Dimidium enim olei alij concesśit, alij quintam partem tritici donauit: iuxta illud Tobiæ. (*Tob. 4*) Si multum tibi fuerit abundanter tribue, quomodocunque potueris. Aliter multi faciunt, qui pauperibus nō tribuunt nisi ea, quæ sibi vtilia fore non existimant. Carnes enim iā corruptas, & à quibus etiam canes abstinerent, pauperibus largiuntur: quæ potiùs in sterquiliniū erant mittendæ. Panem item mucidum, duritiámque inutilem propter Christum se concedere asserunt, & iactant: cùm ipsi in summis deliciis, vitæque blādimentis agant. Sed dices. Improba videtur illa esse eleemosyna, quæ de alieno conceditur. Quod hic villicus fecisse videtur dum bonis domini sui liberalis haberi vellet. Ad hoc respondēdum est statim in verbo sequenti. Porrò vbi dicitur cētum cados, in Græco est, ἑκατὸν βάτους id est, centum batos non cados: Hebraicè בת bath siue batos mensura erat liquidorum, & corus aridorum mensura, modios triginta complectens: quæ est onus cameli. Sequitur,

Et laudauit dominus villicum iniquitatis eo quod prudenter fecisset. Non tamen laudatur modus quem habuit, nec media, accipiens alienum. Perinde acsi concionator auditores suos vt prouocet ad orationem & bona opera, hortetur dicens, Ecce fures & latrones vigilant tota nocte, vt furentur & prædentur cum periculo vitæ suæ: cur ergo tu nō vigilabis ad orationem & bona opera spe æternæ mercedis? Talis laudat fures & latrones nō propter furtū sed ob solertiā: quod etiā opera sua mali ita prouidè instituūt, vt impigri ad ea sint. Similiter si dicatę ad quēpiā. Impudica mulier ornat se, vt alios ad obscænos mores alliciat: te ipsum nō etiā ornares fide viua, & Christo cōformibus virtutibus, vt Deo placeres? His verbis certè non laudat impudicitiam mulieris, sed diligentiam tantum illius: qua ad flagitia abutitur. Sic etiam hoc loco dispensator iste, ob solertiam tātum laudatur, eo quod vtilitatem suam tam benè perpendere potuit, vt eodē modo animabus nostris prospiciamus largiendo facultates nostras pauperibus, atque ita thesaurum congregemus ad vitam futuram. Nam vt Chrysostomus ait in parabolis explicādis, attendere oportet ad quem scopum dirigantur, vt in illo immoremur: reliqua quæ assumpta sunt ad illa contexenda negligentes. (*Chry. homil. 65. in Mat.*) Lege si placuerit Augustinum, Origenē, & Theophilactū. (*Aug. super psal. 57. & li. 7. quæst. in li. Iudicū q. 30. Origenes. Matth. 13 Theophilact. Ioan. 16*) ¶ Non itaque hęc parabola nobis proponitur vt dispensatorē in omnibus sequamur: sed in eo duntaxat, ꝙ tēpore officij sui & blādientis fortunæ futuram inopiā cōsiderauit & anteuertit. Quia prudēter se habuit laudatur: & quia furatus est, vocatur iniquitatis. ¶ Obserua aūt & diligēter cōsidera, quod si Dominus huius mali villici qui

qui eius bona dissipauit & reliqua sit furatus, nihilominus illius prudentiam laudat quoniam prudenter egerit: quantò magis laudabit eos qui in sibi creditis, concessis, & datis misericordes fuerint? Si enim laudatus est qui cum fraude prudenter egit: multò magis laudem & gloriam merebitur apud Deum, qui de sua substantia, & rebus sibi creditis honorat dominum in pauperibus.

Parabola intentio.

¶ Secundò locus iste & hæc parabola intelligi potest, & exponi hoc pacto, videlicet si dicamus hunc villicum rectè fecisse, tam prouidendo in posterum sibi quàm in modo, quem in danda eleemosyna seruauit. Nam vt iam suprà latiùs dictum est, si per hunc diuitem Deum intelligimus, per villicũ autem huius mundi diuites homines, qui veluti dispensatores & villici à Deo acceperunt diuitias quas in pauperes dispensarent: sequitur quotiescunque cùm aliquis diues huius sæculi eleemosynam pauperi concedit, de domini Dei bonis non de suis opibus concedere, siquidem omnia quæ habemus tanquam dispensatores possidemus, eaque accepta Deo referre tenemur. *Matth. 25* Hoc autem est quod Christus voluit significare circa hæc bona nobis concessa, cùm illam parabolam proposuit, quæ de talentis agit, famulis ad negotiandum concessis. Hunc autem sensum tenentes non dicemus hunc fuisse furatum bona Dei, quorum dispensator erat, sed ea pauperibus impartisse: vt fecerunt Abrahã, Loth, Iob, aliíque viri sanctissimi, faciẽdique eleemosynas studiosissimi: quibus vt fideles dispensatores non tanquam suis sed tanquam domini Dei bonis vtentes gloriam cœlestem compararunt. Sed dices. Quando hunc sensum defendo, si res ita se habet vt affirmem hunc villicum tam in vitæ remedio inueniendo, quàm in modo dispensandi rectè fecisse: quare hic vocatus est villicus iniquitatis? Respondeo. Illum vocatum fuisse villicum iniquitatis, non quod eleemosynam fecisset: sed quia in initio nõ benè se habuit bona domini sui dissipãdo & dilapidando. Posteà tamen quàm ad se reuersus iniquitatem vitæ suæ cognouit, quanquam iam demum nec fodere, nec arare poterat, hoc est magnas pœnitentias & preces agere, in omnibus tamen reliquis optimè se gessit, adeò vt dandis eleemosynis de bonis Dei quorum dispensator erat: iustissimus & fidelissimus villicus iudicari debeat. Christus autem in hac parabola si rigorem literæ inspiciamus, cum diuitibus tãtummodo loquitur, eósque hortatur ad dandam eleemosynam de bonis Dei quorum dispensatores sunt. Quod si rectè fecerint, posteà in cœlo æternam inuenient mansionem. Hos duos sensus in omni parabola tanquã magis verisimiles sequutus sum vt supradictum est.

Filij lucis & filij huius sæculi qui.

¶ Expende etiam quod in eo quod ait villicus iniquitatis, & laudauit dominus villicum iniquitatis, phrasis Hebræa est, & modus loquendi Hebræorũ, vbi genitiuus ponitur loco nominatiui. Vt illud quod in prima epistola Petri habetur, populus acquisitionis: id est, populus acquisitus. *1. Petr. 2* Et in Psalmo, *Psal. 44* Virga æquitatis pro virga æquã. Vas electionis, *Act. 9* id est, vas electũ. Et in Esaia, *Esaia 40* vox clamantis: pro vox clamans. Sic in præsentiarũ laudauit dominus villicum iniquitatis, id est villicum iniquũ: quia prudenter fecisset. Sequitur. *Quia filij huius seculi prudẽtiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Hoc dixit non quod impiis sit vera prudentia, cùm dicat Paulus *Rom. 8* quòd prudentia carnis mors est, & solis bonis insit prudẽtia, sed ideo Christus sic loquitur, quia mundani homines diligentiores sunt, & agiliores circa mundana, quàm boni circa diuina. Et ideò nõ simpliciter dixit prudentiores esse filiis lucis, sed in generatione sua: hoc est in negotiis & rebus sæcularibus pertractandis, quia in his multò prudentiores sunt filij huius sæculi quàm filij lucis, attamen in rebus spiritualibus prudentiores sunt filij lucis. Nam licet bufones & noctuæ melius noctu videãt, quàm homines: simpliciter tamẽ melior & acutior est visus hominum quàm illorum. Illæ enim aues noctu vident vt prædam capiant, sic etiam mundani. Vnde Dauid, Insidiatur vt rapiat pauperem, *Psal. 9* rapere pauperem dum attrahit eum. Sunt diligentes & tyranni in recipiendis & recuperandis debitis suis, astuti in fallendo pauperes, &c. In his quæ ad generationem carnalem pertinent prudentiores & sapientiores sunt. Sic cattus clarius videt homine non ad legendum literas sed ad capiendum mures. Prudentia huius mundi eo tendit vt decipiat pauperem. Hæc est prudentia vsurariorũ & raptorum, quorũ quisq; in nocte & in tenebris peccatorum absente sole iustitiæ, suæ voluptati quasi cuidam prædæ rapiendæ intentus est. Præterea vocantur filij huius sæculi quia hunc mundũ pro patria habent & amant, cupientes solùm suam hæreditatem, & diuitias in temporalibus. *1. Ioan. 4* De mũdo, ait Ioannes, *Ioan. 1* sunt: & de mundo loquuntur, & mundus audit illos. Electi autem vocantur filij lucis, quia per fidẽ & charitatem filij sunt Dei: quia vera lux est, & nullas patitur tenebras, & veram lucem, quæ Deus est super omnia diligũt. Vnde Paulus. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Cautiores enim sunt & diligentiores filij huius sæculi in acquirendo temporalia, quàm filij lucis spiritualia. Experientia docet: nam quæ ad lucrũ pertinent, quanuis cum periculo sint vltro facimus: ad spiritualia verò neque admonitionibus neque minis venimus. Igitur in hac parabola sumite argumentum quod sicut iste ne priuatus officio fame perisset, sic prouidit ad tempus futurum: ita vos date eleemosynam, & præparate in æternis tabernaculis domos, his bonis domini vestri quæ dedit, vt lucremini vitam æternam. Propterea ad hoc similitudo ista dicta est, vt discamus futura considerare: vt in Deuteronomio dicitur. *Deut. 32* Vtinam saperẽt ac intelligerent, & nouissima prouiderent. Vult etiam Christus docere in hac parabola quod cùm breuis vita sit, satagamus facere bona opera, vt cùm mors aduenerit maneat domus & refugium in cœlo, vnde in æternum quiescamus. Quapropter applicando hanc parabolam consequenter dicit Christus. *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Μαμμωνᾶς, non Hebræorum, sed Syrorum lingua vt Hieronymus ait, *Lib. 1. com. in Matth. c. 6.* diuitiæ nũcupantur. Vocantur hic à Christo diuitiæ iniquitatis non tantum iniustè acquisitæ, sed etiam licitè partæ: quoniam repugnat diuinis præceptis, eleemosynæ sacrificia offerre de rapina. *Vide Aug. li. 2. quæst. euan. capitu. 34 & Amb lib. 7. in Luc. & Theo. in hoc loco.* Vocantur autem iniquitatis, id est, inæqualitatis, eò quòd inæqualiter sint diuisæ, vel etiam quia aliquo peccato suorum vel proauorum partæ sunt, & acquisitæ. Diuitiæ enim ex se bonæ sunt, nostra tamen peruersitas & malitia facit illas iniquas. Si vinũ fundas in cadũ aliquẽ immundũ, statim insuauitatem vasis sapit: adeo vt dicas quotiescunque ad bibendum accesseris, hoc vi-

Quare diuitiæ iniquæ. numanteà cũ esset bonũ cado illoto diffusum insipiditatem attraxit. Sic diuitiæ bonæ sunt: verùm si in cor cupidum incidant, malæ redduntur, & ita vocantur iniquæ: quia plerunq; causa sunt iniquitatis. *Ephe.5* Hunc in modum Paulus diem & tempus malũ vocat. Redimentes (inquit) tempus, quoniam dies mali sunt. Non quod malus sit dies & tempus, sed quia homines mali tempore abutũtur ad malum: sic propter diuitias sæpe oriuntur iurgia, bella, furta, homicidia, &c. Quapropter Paulus auaritiam *1.Tim.6* & cupiditatem temporalium nominat radicem totius mali. ¶ Obserua primo quòd Christus, volens loqui de his diuitiis terrenis, locutus est de illis cum hoc additamento, videlicet iniquitatis. Nam si absolutè diuitias dixisset, vtique intelligendum non esset nisi de veris diuitiis cœlestibus. Sic Paulus scribens Timotheo charissimo nõ absolutè dixit præcipe diuitibus, sed præcipe diuitibus huius sæculi, nam absolutè loquendo, diuitiæ huius sæculi, diuitiæ vocari non debent. Quemadmodum enim cũ aliquem album secundum dentes dicimus, idẽ est, acsi diceremus ipsum esse nigrum: ita cùm Diuus Paulus dixit diuitias huius sæculi, idem est acsi diceret paupertatem huius sæculi. Veræ enim diuitiæ *Psal.111* in cœlo sunt: vt ait Psalmus. Gloria & diuitiæ in domo eius. Prudentiam sapientis etiam diuitias esse *Prou.14* testatus est Salomon dicens, Corona sapientium diuitiæ eorum. Vt autem per diuitias non metalla terrena, sed prudentiam se intellexisse ostenderet, ilico per contrarium subdidit. Fatuitas stultorum imprudentia. Si enim coronam sapientium terrenas diuitias dicere voluisset, profectò fatuitatem stultorum paupertatem potiùs, quàm imprudentiam dixisset. Sed dum fatuitatem stultorum appellauit imprudentiã, quod sapientiũ diuitias prudentiam dixerit, satis apertè innuit. Vnde colligimus aliam esse mãmonam bonitatis, illæ enim diuitiæ, quas soli iusti putant esse diuitias, vt virtus & superna illa bona, verè diuitiæ sunt: nã hæc terrena paupertas est. Ditior est arca tua, quam multis opibus refertam habes, teipso: siquidem eas non possides, sed ab ipsis possideris. ¶ Expẽde secũdo, quod mortem vocat defectionem. Cum defeceritis inquit, à præsenti vita per mortem. Homo enim cũ moritur deficit à vita. Deficit mundus, deficiunt amici & consanguinei: deficiunt opes & deliciæ, deficit tempus gratiæ & benè operandi: sola misericordia est comes defunctorum. Sicut enim vmbra insequitur corpus: ita bona opera sequuntur mor- *Apoc.14* tuos, vt Ioannes ait. Obseruandum quoque est tertiò & diligenter, quòd non singulariter dixit in æ- *Præmiorũ & meritorum in æterna beatitudine inæqualitas.* ternum tabernaculum se in æterna tabernacula: vt intelligas multa esse præmia in cœlo, & nõ omnes æqualiter esse beatos. Gloria enim respondet gratiæ, quæ illius est seminarium & arrha. Non autem omnes iusti sunt pari modo grati Deo, nec eundem apud ipsum habent locum, quia non omnes *1.Cor.15* de Deo æqualiter benè merentur, nam vt Paulus ait: sicut stella differt à stella in claritate, sic resurrectio mortuorum. Quemadmodum astra omnia lumen à sole secundum cuiusque naturã accipiũt, ita beati in Dei præsentia eius gloria secundum di- *Ioan.14* uersa merita promicant. Et Christus ipse. In domo, inquit, patris mei mansiones multæ sunt. Loquitur tamen de gloria beatorum, nam statim subiunxit. Quia vado parare vobis locum. Ibat autem per mortem ad patrem, & cœlum per metaphoram vocauit domum sicut nunc tabernacula. Domus nanque & tabernaculum distinguuntur à diuersorio: quam in diuersorio in transitu peregrini recipiunt: tabernaculum autẽ est, in quo permanenter habitatur. Et ideo Petrus in monte petebat fieri tria tabernacula, vt perpetuò esset beatus. *Matth.17* Vnde Paulus. Scimus quod si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus. *2.Cor.5* Igitur qua ratione receptaculum illud, quo vniuersi beati recipiuntur ob id dicitur vna domus, eo quod omnes sub eodem patrefamilias vnius Dei visione & hæreditate fruuntur: ita propter diuersos gradus beatitudinis dicitur apud Ioannem in eadem domo multas esse mansiones, sicut hîc in nostro Luca, pluraliter dicuntur tabernacula. *Ioan.14* Destruit hic locus Lutheranorum hæresim, qui putant nullam nobis inesse iustitiam, sed per solam Christi iustitiam nos iustificari, quæ vna est, atque ideo colligunt omnes esse Deo æquè gratos, pariterq; amicos, atque omnes æquali sanctitate pollere. Expende eorum insaniã. Quamuis Christus quod ad sufficientiam omnibus plenissimè satisfecerit, applicatur tamen nobis illa satisfactio, & meritum quo ad efficaciam per sacramenta, per quæ nostra opera liberi arbitrij eius ope & fauore suffulta sunt. Quapropter licet infantes ante vsum rationis ex fonte baptismatis eius efficiuntur membra, & gratia æquali consurgant: tamen postmodum rationis luce adueniente tanquam Dei filij per eius gratiam merita nostra accumulamus, plus minúsve secundum curam & diligentiam, quam eius cultui impedimus, iuxta illud Apocalypsis, Iustus iustificetur adhuc. *Apo.22* *Roman.2* Si enim Deus, vt Paulus ait, reddet vnicuique secundum opera eius, opera autem non sunt æqualia neque in viris probis, neque in reprobis: ergo sicut aliis inæqualia supplicia, ita iustis imparem gloriam est redditurus. Si autem quis obiiciat illam parabolam Matthæi vbi æqualiter illi, qui in *Matth.20* vinea laborauerunt præmiati sunt denario beatitudinis, qui tamen non æqualiter laborauerunt: quorum quidam à summo mane, quidam hora vndecima. Dicendum quod obiectiuè omnes sunt æquales, nam omnes vident Deum, omnésque perpetuò erunt beati: in hoc æquales sunt. Non tamen subiectiuè, nam alius plus vel minus iuxta merita erit beatus. Docet enim Christus per illam parabolam, quod in Dei cultu tantum solertissimus quisque potest in breui tempore proficere, quantũ segnis in maiori. Docet etiam quod omnia nostra merita ex sua voluntate & gratia valorem sortiantur. Et ideo dixit, quia huic volo dare. Cæterùm in suprema retributione gloriæ, quamuis cunctis idẽ conferatur beatitudinis denarius, nihilominus visio illa essentiæ diuinæ non erit in omnibus æqualis. Atque adeò licet Deus in se denarius sit infinitæ æstimationis, non tamen in omnibus erit eiusdem pretij.

¶ Præterea ad nostram etiam eruditionẽ docemur hîc mundum non futurum æternum, sed temporalem, contra quosdam philosophos. Secundò, quod post hanc vitam erunt futura tabernacula æterna contra Ethnicos. Tertiò quòd erit iudicium futurum, cõtra Mauros & Turcas. Quartò quod opera examinãda sunt, non tantũ fides: cõtra Lutheranos.

nos. Quintò, pauperes sanctos quos in hac vita fouimus nobis fore in alia amicos. Sextò, quòd eleemosynis aliísq; operibus eorũ fauorẽ in hac vita imploremus. Arbor enim quæ nõ amputatur in superfluis ramorũ germinibus horrida & syluestris euadit. Ita & eodem modo opus est vt diues sese quotidie exploret superflua amputando, pauperibúsq; elargiendo. Et quãdo Christus locutus est de operibus misericordiæ quater repetiuit opera misericordiæ dicens. *Matth.25* Esuriui, & dedistis mãducare, sitiui, &c. Vt sciamus vtilissima esse, ea quæ toties à Christo repetuntur. ¶ Consolatur etiã nos hæc parabola in duobus. Primò quòd in breui possimus mereri vitã æternam: nam hic villicus in hora vna quid manducaret, parauit, per totã vitam. Latro in cruce in paruo tẽpore vitam æternã meruit. *Luc.23* Alterũ solatium est quòd nõ solum in breui tempore, sed pro paruis rebus temporalibus, æterna bona & immensa præparare volumus. De mammona inquit, iniquitatis. Quid vilius istis terrenis rebus? Tamen illis cœlestia possumus emere: & amicos in æterna beatitudine cõparare. Sed nos omnẽ curam adhibemus in amicitiis potentiũ & diuitũ conciliandis. Christus tamen oppositũ docet, videlicet, vt pauperũ amicitias quæramus: plus enim emolumenti poteris habere ex pauperibus, quàm ex diuitibus. Verũ hoc non credit mũdus, licet in hoc dispensatore sit optimè probatũ. Non enim dubiũ est quin amicos habuerit diuites & potẽtes: sed cùm amouendus esset à munere nullus illorũ succurrit: quare ad pauperes se cõuertit: in quibus inuenit cõmodum. Res eodẽ modo se nunc habet quia qui diuitibus fidit sepenumerò decipitur. *Luca 16* Nihil enim amici in altero sæculo nobis proderũt, quia nihil habent. Quid diues in inferno positus fratribus prodesse potuit, qui guttã aquæ petiit? *Psal.145* Vnde Psalmista. Nolite confidere in principibus, &c. Econtrario verò pauperes in cœlo retribuẽt: quòd si nõ retribuerint, quia sint peccatores, Deus retribuet pro illis. *Matth.25* Venite benedicti patris mei: Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. *Prou.19* In Prouerbiis etiã dicitur. Qui miseretur pauperũ, Deo fœneratur. Qualis fueris circa proximũ, talis erit tibi Deus. Docemur etiã ex hac parabola quod nulla potẽtia, nec diuitiæ sunt, quin ad finẽ aliquando nõ perueniãt: & quod nihil aliud expectandũ nobis est, aut potiùs timendum in futura vita, quàm seuerũ iudicium & æterna fames: nisi nobis in hac vita facultatibus nostris pauperes amicos conciliemus.

Plus nobis proderũt pauperes in futuro sæculo omnibus diuitibus.

¶ Igitur quod Christus redẽptor noster in hac parabola nos in primis docet, nihil aliud est, quàm si quidem hæc vita, velimus, nolimus, breui terminãda est, qua finita æternum victuri sumus, vt demus operam eo modo vt viuamus ne alterius sæculi commoda amittamus. Hanc enim vitã commodatã habemus, illáq; conditione nobis cõcessam, vt dum viuimus, æternam beatitudinẽ vitámq; perpetuo duraturã comparemus: Nullum enim aliud prudẽtiæ opus magis elucet, quã omnia futura tẽpestiuè prospicere & prouidere. Hanc autẽ prudentiam laudat Dominus in hoc dispensatore iniquitatis, qui adeò prudenter se habuit, vt tempore prosperitatis & abundantiæ in tempus aduersitatis & penuriæ venturæ se optimè præparauit. Hac cautione inuenit sibi commodum ille prudens & sapiens iuuenis Ioseph, *Genes.41* quem ait scriptura septem annis pane abundantibus summam frumẽti in Ægypto horreis inclusisse, ad hoc fabricatis vt septem aliis annis sequentibus temporis iniuria deficiente frumento, esset vnde populo subuenire posset. Sic tu tempore huius vitæ præsentis, quæ abundans est, vt paruis laboribus & impensis cœlum mereri potes eniti debes, vt plurimas diuitias meritorúmq; thesauros, bonorúmq; operum frumentũ congeras: vt quando venerint steriles alterius vitæ anni quibus nullum dabitur ad merendum vel demerendum tempus, quod fortasse cras aderit, & citius quàm putas, habeas vnde tibi vitam conserues, emeritísque in hoc sæculo stipendiis, domo, & nutrimẽto posteà in altero quietem, satietatem & diuitias inuenias. Sed hoc qui fieri poterit? dando eleemosynas pauperibus, partiendo has diuitias iniquitatis inopibus & egenis. Nullam moram igitur facere debes quin terræ paleis cœlestes thesauros quàm primum compares. Quo quid esset nobilius, stercore videlicet & puluere terreni soli, pretiosas & inæstimabiles margaritas emere? *Facite inquit vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, &c.* In literæ rigore, si hæc verba perpendantur nihil aliud Christus nobis hîc innuere voluit nisi vt bona nostra pauperibus impartiamur: vt cùm à vita excesserimus in æternis habitaculis recipiamur.

Quomodo dãda sit eleemosyna & quibus.

Hoc idem nos admonet propheta regius Dauid quando in Psalmo inquit. *Psal.111* Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio. Singula enim hæc verba suam emphasim habẽt. Quare opus est hanc autoritatem acutius tractemus & discutiamus, & verbatim explicemus, loquitur enim in hac parte propheta mysticè & obscurè. Primum inquit, iucundus homo: vt nos doceat eleemosynã esse cum lætitia faciendam, hilarémq; vultum & iucundum pauperi ostendendum. Hoc idem docet Ecclesiasticus dicens. *Ecclesi.35* In omni dato hilarẽ fac vultum tuum. Et Apostolus in secunda epistola quam ad Corinthios scripsit ait. *2.Cor.9* Non ex tristitia aut ex necessitate: hilarẽ enim datorem diligit Deus. Cum benignitate itaque fieri debet eleemosyna, & nõ cum asperitate, scriptum est enim. *Eccle.4* Inclina pauperi aurem tuam sine tristitia. *Ibidem.* Et iterum. Congregationi pauperum affabilem te facito. Sed hoc multò te[r]riùs faciunt illi, qui priùs quàm eleemosynam pauperi erogent, miserum sexcentis quæstionibus solicitãt, illum ociosum, vagabundum, perditũ appellantes. Posteà verò quàm illum mille confectum plagis, iniuriis quamplurimis affecerunt, quia illum inermen & abiectum iniuriæque paratissimum viderunt, dignúmque æstimarunt, in quem arrogãtiæ & superbiæ suæ virus effunderent, vt virtutis causa se illud fecisse existimentur, & zelo iustitiæ, exiguum panis frustum impertiuntur. Contra hos loquitur Ecclesiasticus dicẽs. *Eccle.20* Datum insipientis nõ erit vtile tibi. Exigua dabit & multũ improperabit: & apertio oris illius inflammatio est. Si tibi non placet eleemosynã pauperi facere, noli illum molestia afficere: satis enim miseriæ illi est, qui nudus etiã hyeme ostiatim mẽdicat. Quòd si otium pauperis culpas, asserísq; te hoc virtutis zelo & iustitiæ reprehendere, quare nõ quàm plurimos alios in otio viuentes respicis, qui lectis mollissimis cubantes ad medium vsque diem dormiunt, dapibúsque lautissimis fruentes, pretiosissimísque vestibus ornati, toto diei spatio nulla alia in re occupantur, quàm vt vicatim huc illuc deambulent, nihil boni operis præstantes? A quibus omnibus ita alienus

est pauperis status vt nihil remotius esse posit: humi enim dormit, ostiatim victum quærit, faméque conficitur. Quare igitur pauperem tantummodo reprehendis iustitiæ amator, cùm tot ignauos in ciuitate relinquas? Quia hic pauper est, alij verò diuites. Quod diuites ense accinguntur, & ornantur, in vitiis suis laudandi sunt: pauper verò, quod nihil aliud præter fragilem arundinem habet, in quam infirmum vlcerosúmque corpus inclinet, ideò pro quocunque vel minimo peccato quasi pro maximo delicto reprehendendus, & puniendus est? O summam mortalium præuaricationem, ô mundum funditus perditum & insanum. O hostis diuini nominis, tuiq; proprij sanguinis & naturæ quid furis? Tantane existimas Deum esse patientia vt ferre posit te, qui caponibus dapibúsque aliis lautisimis ad nauseam satiatus ante ostium tuum egressus ad digestionem, & exercitium molliter incedas, veste, pretiosisimis martium pellibus suffulta, lingua effrenata tua & proterua miserum pauperem reprehendere, qui à te nihil aliud quàm exiguum duri panis frustum proposito IESV nomine contendat? Si tanto iustitiæ zelo & amore teneris, quare prius teipsum non reprehendis & emendas, vt posteà iustè posis errabundos & ociosos quosuis populi accusare? Nam pauperis nulla ratio te mouere debet, quare accuses: illis enim satis est miseriarum, vt & pro peccatis si quæ habent, sufficientem pœnitentiam agere posint. Tu enim qui multis maioribus criminibus infectus & coinquinatus viuis more Epicuræorum, Sardanapalique & eorum, quibus, vt Apostolus ait, Deus venter est, viuens, nullámque pœnitentiam agens: quo iure pœnitétiam agentibus pauperibus téque melioribus insultabis? Ideò Dauid in hac autoritate, quam interpretamur, coniunxit hominem cùm iucundo dicés. Iucundus homo: vt tibi in memoriam adducat te esse hominem, quem decet humanitatem & suauitatem in pauperibus ostendere. Nec existimes te qui diuitias & nobilitatem maiorem paupere sortitus es, ideo de auro vel argento vel alia nobiliori, quam pauperem materia fuisse formatum. De eadem enim humo, eaque vili & abiecta massa omnes pauperes & diuites surreximus. Memento præterea te esse mortalé, corruptibilem, fragilem, tantísq; miseriis subiectum quàtis quilibet alius, quantumuis pauper sit: quem si humaniter receperis, benigniter allocutus fueris, te omnibus miseris multò meliorem iudicarim. In quo audi Esaiam dicentem. Si videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. At pauper caro tua est, quare igitur carnem tuam despicies? quare tui ipsius hostis eris? Ideo exclamat Dauid dicens, Filij hominum vsquequo graui corde? filij hominum non leonum, aut luporum, quare non seruatis inuicem humanitatem inter vos, si filij hominum estis? Quare corda plumbea habetis cum carnei sitis, &c. Vt autem iam tandem hæc duo Psalmistæ dicta concludamus, vide quid dicat scriptura. Non exasperes pauperem in inopia sua, & cor inopis ne affixeris. Danda est igitur eleemosyna summa cùm lætitia: qui miseretur in hilaritate, vt ait Paulus. Ideo in scriptura per oleum, per quod significatur misericordia, significatur etiam hilaritas. Ideo in Psalmo habetur. Vt exhilaret faciem in oleo. Et alibi. Præterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ. Hoc Christus insinuare voluit cùm dixit. Cùm ieiunas

Philip.3 *Esai.58* *Psalm.4* *Eccle.4* *Rom.12* *Psal.103.* *Psal.44* *Matth.6*

vnge caput tuum. Hoc est, hilarem te ostende; & ne sis sicut hypocrita tristis.

¶Verùm vt ostendat egregius Psaltes, qua intentione & quibus facienda sit eleemosyna, addidit dicens: Qui miseretur. Eleemosyna enim à visceribus misericordiæ in pauperem procedere debet, vbi omnia merita fundantur: & omne bonum opus prius radices agere debet quàm re ipsa appareat. Pluris facit Deus viscera charitatis à quibus omnia pietatis opera procedunt, quacunque boni operis magnitudine. Respexit enim dominus ad Abel & ad munera eius: priùs ad personam & deinde ad munera respexisse dicitur.

Deus prius cor dantis quàm datum ipsum respicit. *Gene.4*

¶Qui miseretur etiam inquit, vt doceat non diuitibus, aut huius mundi potentibus erogandam esse eleemosynam, sed pauperibus solum. Misericordia enim miseriam denotat: vnde obiectum misericordiæ proprium, miseria est. Quare illius nunquam miseremur: qui nulla in miseria constitutus est. Insanus enim esset, qui diceret se beatorum cœlesti gloria fruentium misereri. Nam cùm beati omni prorsus miseria & incommodo vacẽt, in tam sublimi fœlicitatis gradu constituti: summa esset amentia si aliquis putaret eorum fortunã esse miseratione dignam. Cuius igitur te misereri debet? Cuius incommoda compati? diuitis ne? Minimè profectò: verùm miseri pauperis, afflicti, infirmi, soliciti illiúsque denique qui aliquam patitur fortunæ iniuriam. Statuit igitur hic propheta regius Dauid, pauperibus tantummodo & nõ diuitibus, qui nullius indigent, faciendam esse eleemosynam. Hoc idem est quod dominus superius cõsuluit dicens, Cùm facis prandium aut cœnam noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque diuites, &c. Sed cùm facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos. Hoc idem admonet sapiens dicens, Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies illum. Hæc autẽ locutio metaphorica est: vtitur enim scriptura sæpenumerò metaphoris, aliísque tropis & figuris. Nam certũ est Salomonẽ hæc non intelligere de aquis materialibus, sed de afflictionibus, angustiis, doloribus, & aduersitatibus. Eodem modo loquebatur sanctus pater eius Dauid dicens, Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Quis adeò demens est, vt audeat dicere, quòd loquutus est hic Dauid, de aquis elementaribus: cùm anima spiritus sit, aquæ istæ materiales in illam ingredi nullatenus possunt? Germanus igitur huius literæ sensus est: quòd Christus cuius anima sacratisima pasionis eius tempore repleta erat malis, vt alio in Psalmo fatetur Propheta regius, hoc est, angustiis, tristitia, doloribus & pœnis, ait nunc æterno patri, orans patrem, cuius vnigenitus iuxta naturam assumptam minor erat. Saluum (inquit) me fac Deus: quoniam tristitiæ & afflictiones intrauerunt vsque ad animam meam: ita vt tristis sit anima mea vsque ad mortem. Habes ergo quod per aquas intelligit sapiens dolores, angustias, aduersitates, & alia huiusmodi. Mitte panem tuum, ait, super transeuntes aquas: hoc est, super pauperes. Soli enim pauperes, afflictionibus & laboribus afficiũtur. Soli pauperes, famẽ, sitim frigus animíq; iniuriã sentiunt. In pauperes tantummodo conditæ sunt leges & statuta humana, pœnæ & supplicia excogitata. Si frigus est, nihil nocumenti diuites capiunt: quibus vesti

Pauperũ neglectus & cõtemptus. *Luc.14* *Eccle.11* *Psal.68* *Psal.87* *Matth.26*

vestimentorum copia, caminiſq; luculenti ad calefaciendum, domúſque ſuperius inferiúſque stratæ affatim ſunt. Si ſolis æſtus eſt eodem modo diuitibus nihil nocere poteſt. Præterea, ſi fruméti ob annı ſterilitatem reſpublica laborat penuria, lætantur diuites, quia frumentũ ſuum pro libidine ſua tunc temporis vendere poſſunt. At pauper multò ſecius ſe habet: quippe qui hyeme frigore, æſtate, æſtu cōficitur tempeſtatúmque iniuria: ingruente fame ſolus fame mpatitur. Ruſus concubinarij diuitis crimina & delicta publica, magiſtratus Eccleſiaſtici facilè diſsimulant, & conniuent: pauperé verò anathematis eccleſiaſticiſque cenſuris grauiter vrgent, vehementérque conſtictant. Quinetiam ſi pauper in extrema cōſtitutus neceſsitate fortè ne fame interiret, agnũ vel hædum à vicini ſui grege abſtulit centies vapulabitur: potens verò & diues, qui orbẽ vniuerſum terrarum compilauit, rapiníſq; & ſpolijs vaſtauit ab omnibus honoratur, & animoſi fortiſque viri nomine cōdecoratur. Quare optimè dixiſſe habetur piratã illum Alexandro magno. Ego quia piraticam per mare exerceo vnica tantum naui ab omnibus prędo increpor, & tanquam prædo ad ſupplicium ducor: at tu qui inſtructiſsima, celeberrimáque expeditione omnem terrarum orbem diripis & ſpolias ſumma cùm iniuria aliena regna occupãs, ab omnibus magnus nuncuparis Alexander. Hinc notare poteris Chriſtum dominũ & ſaluatorem noſtrum, cùm de pauperibus loquebatur ritè dixiſſe. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorũ eſt regnum cœlorum, cùm etiam de afflictis verba faceret, dixit, Beati qui perſecutionem patiuntur, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Vnde aduerte quòd cùm de aliorum fœlicitate loquutus eſt adiectiuo vſus eſt: de pauperibus verò & perſecutionẽ patientibus loquẽs ſubſtantiuo. Eadem autẽ oratione vtitur pro pauperibus & afflictis cũ hoc verbo, eſt, & regnum cœlorum: quia proculdubio & pauperes & afflicti, vnũ & idẽ ſunt. Et ideo meritò à Chriſto domino noſtro in vna eadem oratione coniuncti fuerunt. Quis enim perſecutionem patitur? pauper. Diues enim ab omnibus colitur & laudatur, adeò, vt etiã ſi aliquid ineptiſsimũ dicat, tamen omnes circunſtantes nihilominus affirment nihil ſubtilius Ariſtotelẽ dicere potuiſſe. At ſi pauper dum loquitur aliquid etiam grauiſsimum Salomonéque digniſsimum efferat ab omnibus interturbatur, reprehẽditur & deluditur. Vnde in Eccleſiaſtico habetur, Diues loquutus eſt, & omnes tacuerunt & verbum illius vſq; ad nubes perducunt: pauper loquutus eſt, & dicũt, Quis eſt hic? Et ſi offenderit, ſubuertẽt illum. Eò autem vecordiæ euaſit hoc malum, vt iam vulgò vſurpari ſoleat loco prouerbij, Concilia mihi fauorẽ, ego tibi iuſtitiam concedã, &c. Horũ igitur pauperũ afflictorum, variiſque incōmodis merentium, miſericordia debes moueri: iiſque facienda eſt eleemoſyna, qui afflictionum & laborum aquas pertranſeunt. In vacuo enim vaſe liquorẽ funde, & non in pleno. Heliſeus enim vaſa vacua impleuit oleo infuſo. Ita etiam tu in pauperem opibus, omníque domeſtica ſupellectile vacuum & egentem, animaque omni conſolatione deſtituta afflictum, oleum miſericordiæ infundere debes: non in diuitem, qui quamplurimis bonis opibúſque abundat. Nunc verò nihil ſolet niſi habenti cōcedi. Non enim mittũtur caponum paria niſi ad illum qui centena in pœnore ſuo habet. Tu autem ceruum ad eum mittis, qui cum viginti millia nummũ quotannis redditũ ſuorum colligat, domũ habet auibus, vitulina, ceruina, aliſque carnibus adeò repletam, ſtomachúmq; ab heſterna nocte ciborũ multitudine & diuerſitate ita affectũ, vt magis videatur fame ad digerendũ cibum, quàm cibo ad nutriẽdum corpus indigere. Quibus nihilominus ita conſtitutis, pauper, qui incœnatus accubuit, capitis laborat heſterna fame confecti atq; exinaniti dolore, ſolúſq; excruciatur nemine conſolante, nec verbo quidem opem ferente. Ergo veriſsimum eſt ferè neminẽ iam hac noſtra eſſe tempeſtate, qui aliqui faciat niſi ſpe cōmodi temporalis. Das diuiti, vt retribuat: colis regis intimos, vt pro te intercedant: veneraris potentes, vt gratiam eorum ineas. Qui omnes quàm parum poſsint tibi omnibus opibus ſuis prodeſſe, optimè perſpicies, cùm tibi vita cum morte fuerit cōmutanda. Quantò ergo præſtitiſſet pauperibus & egentibus benefacere, qui te poſteà in cœlorum domiciliis recipere poterunt, vt hîc continet ſacrum Euangelium. Sed inquies. Quomodo me poterit beatitudinis hoſpitio accipere pauper, qui criminibus dum vixit coinquinatus fuit poſteà verò moriens in infernum eſt detruſus? Pauper quidem nõ te recipiet: verùm eleemoſyna, quam illi feciſti ante diuini cōſpectus præſentiam clamabit. Audi Eccleſiaſticum. Claude eleemoſynã in ſinu pauperis, & ipſa orabit pro te. Vides hîc quomodo paupere non orante, ipſa eleemoſyna Deum ſolicitet? Ideò nihil ad te attinet examinare vtrum bonus vel malus pauper ſit: ſufficit enim tibi quẽlibet eſſe pauperẽ vt meritò adiuuandus & fouẽdus ſit. Ideò admonet ſapiens dicens, De primitiis frugum tuarum da pauperibus. Pauperibus, ait, non diuitibus. Eſaias quoque ait, Cùm effuderis eſurienti animam tuam & animam afflictam repleueris: orietur in tenebris lux tua. &c.

Expende quòd nõ dicit, da, ſed mitte. Non enim ait, da panem tuum tranſeuntibus aquas, ſed mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: vt intelligas pauperes curſores Dei eſſe, qui portant eleemoſynam, vt præſentent illam Deo. Sic beatiſsimus ille martyr Laurentius, qui theſauros, quos Sixtus ei reliquerat, pauperibus diſtribuit, Decio Cæſari reſpondit, Facultates Eccleſiæ, quas requiris, in cœleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt. Ideò & tu ſi frumentum, oleum, & vinum, veſtes, pecunias, vel quid ſimile volueris recondere: vbi latrones non furentur nec tinea conſumet, mitte hæc in cœlum per manus pauperum: ſecurum enim illic habebis theſaurum. Obſeruandum etiam hic eſt quod ait, mitte panem tuum: non inquam alienum, ſed tuum. Contra illos qui porcum, furari exiſtimant ſe conſcientiæ ſuæ ſatisfacere poſſe, pedibus pecudis pauperibus propter Deum erogatis. Eleemoſyna enim ex propriis bonis facienda eſt. Sic ſanctus ille Tobias dixit, Ex ſubſtantia tua eleemoſynam fac. In prouerbiis quoque habetur. Honora dominum de ſubſtantia tua. Non inquam de aliena ſed de tua, ait, ſubſtantia. Eſaias etiam. Frange eſurienti panem tuum. Beatus ille qui cum Zachæo dicere poterit Chriſto Saluatori noſtro. Dimidium bonorum meorum domine do pauperibus. O Deus bone quot ſunt qui cũ anteà pauperrimi eſſent, furtis, rapiníſq; poſteaquam diuites & poten

Matth.5 Eccle.13 4.Reg.4 Eccleſ.29 Prou.3 Eſai.58 Eccle.11 Matth.6 Eleemoſyna ex propriis danda. Tob.4 Prou.3 Eſaia 58 Luca 19

potentes facti sunt, hospitia & monasteria ædificanda sacellàq; dotanda curāt, vt mundo satisfaciant, fidémq; faciant se integerrimam vitam egisse: cum reuera aliis pauperibus tribuant, quod aliis eripuerunt. Horum autē sacrificium & eleemosyna inuisa sunt ante diuinum cōspectum: illa enim vera commiseratio est, quæ in primis aliena docet restituere, deinde debita soluere, postremò verò de propriis
Ecclesi.34 bonis eleemosynam facere. Vnde in Ecclesiastico habetur. Immolantis ex iniquo, maculata est obla-
Ibidem. tio eius. Et iterum. Qui offert sacrificiū de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Sed videamus quid amplius dicat Salomon, subtexens quòd eius Dauid pater in autoritate dixit quam interpretamur. Quia post multa tem-
Eccle.11 pora inuenies illum. Quod idem est cum eo quod
Eleemosynæ præmia. dixit Dauid inquiens, & commodat. Non ait quod dat, sed quòd commodat: vt sibi post multum tempus reddatur. Quare non debes existimare te perdere quod pauperi tribuis: illud enim fœneraris domino vt tibi cum summo fœnere posteà reddatur.
Prouer.19 Vnde Salomon. Fœneratur domino, qui miseretur pauperis. Vicissitudinē suam reddet ei. Quod si dicis, hoc lucrum velim ego statim videre. Nam quod in mortē differtur, serius venit, nec dignū est ideo vt in tanto pretio habeatur. Audi insane, fœneratorúmque exemplum sume: qui quò tardius solutio fit, eò magis lætantur, crescit enim tempore fœnus, ac subinde lucrum. Quare tu eleemosynā pauperi cōcedens Deo fœneraris, ǽréque alieno illum obstringis, qua ratione molestè fers tibi in hoc mūdo si debita tua non soluantur quorum potius curare deberes, vt differretur solutio si saperes: quandoquidem pro parua eleemosyna, quam in hoc sæculo fecisti, tanta in cœlo prǽmia te manent? Plurimum te consolari & corroborare hoc sapientis dictum debet, post multa tēpora inuenies panē quem pauperi das. Multi existimant se æs alienum cōtrahere eò tantummodo quod eleemosynam faciunt. Quamplurimos nobiles & diuites videbis qui ad ea quæ mundi sunt sibíque iucunda videntur, videlicet ad cibum & potum, cæteráq; huiusmodi præparanda, quantumuis magno ære alieno oppressi sint, tamen nihilominus largissimo animo vtūtur, effusissimásq; faciunt impensas: at verò pauperi si eleemosynam vt faciant rogētur, debita sua statim recensere incipiunt. Hoc autem inde prouenit quoniam ea tantummodo quæ in pauperes religiosos honestásque viduas & egentes insumunt perire, familiæ domúsq; suæ exitium existere putant. Vnde in omnibus quæ ad Dei cultum pertinēt auari, parci, sordidíque sunt: cum effusissimi sint in omnibus quæ ad honores reliquásque mundi stultitias attinent. Hæc autem labes communis est, & hæreditaria cōtagio in plerisq; nostræ Hispaniæ nobilibus. Attendant igitur illi qui existimāt bona sua defraudari, si qua opera pia faciunt, illúdq; diligēter animaduertant quod in tertio Regum libro scriptum
3.Reg.17 est. Accessit propheta Helias, esuriens ad pauperculam quandā viduam in Sarepta Sydoniorum: quæ cùm nihil præter pugillū farinæ in fundo ollæ, oleique parum in lechyto haberet, tamen tanta extitit eius fides, vt ex illis panem subcineritium cōfecerit, Heliæq; dederit, quod sibi filióq; suo reseruaret, ne fame interirent. Quare merita est prophetam audire dicentem. Hidria farinæ nō deficiet, nec lechytus olei minuetur. Eóq; modo ab eo impletum est, nam adeò multiplicata sunt oleum & farina vt diues facta sit illa muliercula quæ antea pauper erat pro eleemosyna, quā sancto fecerat prophetæ. Sed dices, Ostēde mihi pauperes tam integra piáq; vita vt cum Helia possint cōferri: ego illis eleemosynā faciam: vinosis enim pauperibus ganeonibúsque quorum vitam nescio, bona mea erogare non placet. Falleris opinione tua: qui enim pauperi propter Deum eleemosynā petenti non concedit, nec Heliæ prophetæ cōcederet: nemo enim seruo daret quod domino petenti negat. Vnde tu si Christianus es, Euāgelio credere debes, in quo tamen Christus asserit, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fe- Matth.25
cistis. Patet ergo si Christo in persona cuiuslibet pauperis petēti eleemosynam nō cōcedis, te nihilo magis Heliæ petenti cōcessurum: sed potius multò minus. Quin etiam ausim affirmare eum qui tam duro & obstinato animo sit, vt pauperi extremè in- Christo donat quod diues pauperi impendit.
digenti & petenti eleemosynā, si potest nō eroget: non eleemosynam facturum, etiam ipsi Christo de cœlo vt peteret descendenti. Dic mihi obsecro si rex domum tuam veniens se tibi ignotum offerret causámque itineris exponeret se venando aberrasse à téque hospitium petēs, fidem suam obstringeret, dicens, polliceor tibi coram omnibus regni mei principibus, te apud me summā gratiam beneficia consecuturum: nonne hoc summæ fœlicitati tuæ tribueres, illíque pro opibus tuis lautissimum conuiuium facere studeres, vxor, liberíque tui huc illuc concursarent, vt illi in omnibus morem gererent? Dubium minimè est, hoc te facturum, aliáq; complura summo cum gaudio & studio. Dic igitur ô homo Christiane, audebis Christo gloriæ regi domum tuam se conferēti sub pauperculi imagine nō conuiuium aut hospitium petenti, sed paruum frustum panis tritámve subuculam quæ tibi vsui non est, pro quibus pollicetur se cùm venerit in potestate magna corā omni curia cœlesti tibi gratiā relaturum, inquiens, esuriui & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, &c. Audebis inquam si hoc ita futurum credis tam fido, liberalíque regi ostium claudere quod aperires infido, inopíq; huius mūdi domino? Hoc autem hinc prouenit quòd nullo modo boni Christiani dici possumus: si enim tanto nomine essemus digni, & vt decet eos qui tam sanctam religionem colunt, pauperes nō modo hospitio benignè susciperemus, sed etiam illis pedes ablueremus, mensam sterneremus, genibúsque flexis faceremus ministerium, Christum dominum nostrum in illis contemplantes: cuius causa omnia quæ pauperibus facimus, facienda sunt, vt æternam beatitudinem non huius sæculi gloriam consequamur. O quantus est in pauperibus thesaurus. Felix enim illa regio dici potest, in qua multi sunt pauperes, multò etiam fœliciores, & beatiores illi dici possunt qui hoc summum Dei beneficium agnoscunt in se esse collatum, quotiescunq; Deus
manu pauperis eorū pulsat ostium, ipsi verò sum- Lucæ 19
ma cum diligentia & spiritu charitatis eodem, quo Zachæus hunc amplissimum dominum domo sua suscepit, eum accipiunt. Eleemosyna tantum in se bonum continet, tantísque laudibus omnibus hominibus commendatur, vt facilius initium quàm dicendi finem inuenire possit ille, qui eam laudare intenderit. Verùm vt concludamus psalterium

Pſal.111 teriũ beatiſsimi regis noſtri Dauidis audiamus:qui proſequens canticum ſuum poſteà quã dixit, eleemoſynæ faciendæ largitorem debere eſſe hilarem, humanum, miſericordem, in omnes miſeros & afflictos, hac potiſsimum de cauſa, quia omnia quæcunq; pauperibus erogaret, non donaret, ſed commodaret poſteà ſibi cum magno fœnore ſoluenda: ait modo idem diuinus ſpiritus ſancti cãtor, Diſponet ſermones ſuos in iudicio. Parabit quid reſpondeat in die iudicij. Quãdo omnes gentes vniuerſique orbis terrarum populi coram iuſti iudicis tribunali conſiſtent. Quibus ita ordine diſpoſitis rogabit dominus miſericordes dicens, Eſuriui, dediſtis mihi manducare? Illi reſpondebunt. Etiam domine. Sitiui, dediſtis mihi bibere? Reſpõdebunt liberales. Etiam domine. Rogabit item. Fui hoſpes & peregrinus:& recepiſtis me? Reſpõdebunt etiam domine. Et ſic de aliis operibus miſericordiæ. Quare ô quàm præclarè ait propheta regius Dauid. In die iudicij facilè inuenient homines pij quid ſummo iudici reſpondeant. Diſponet inquam ſermones in iudicio. Qui eleemoſynã faciunt in hoc ſeculo ſermones ſuos diſponunt in iudicio:in his enim operibus vt ait dominus, ſumus examinãdi & rogandi in illo terribili & horrendo iudicij extremo
Pſal.40 die. Beatus qui intelligit ſuper egenũ, & pauperem
Sopho.1 in die mala liberabit eum dominus. In die inquam illa amara calamitatis & miſeriæ liberabit illũ dominus. Summum profectò conſequeris honorem, tunc cum ante omnium gentium conſpectum, diuinámque ſanctiſsimæ Trinitatis maieſtatem conſequutus liberè, nulláque perturbatione affectus poteris Dei beneficio reſpondere: cùm vel in hoc ſæculo vix aliquis poſsit coram rege vel principe aliquo aut publicè verba facere, quin ſummo interturbetur pudore. Impij autem & immiſericordes præ nimia confuſione turbati, tacebunt. Et quando fuerint rogati, eſuriui non dediſtis mihi manducare, nullum verbum facere audebunt, quia in pauperes crudeles extiterunt, & ideo nihil reſpõdere po-
Eccle.9 terunt. Sicut piſces capiũtur hamo, ſic iniqui tempore malo. O ſummum bonum eleemoſyna, quæ te tanta perturbatione & opprobrio liberare poterit. Verùm in hoc ſummè eſt conſideranda bonitas & clementia domini, qui in hac vita nobis reuelat de quo in examine & iudicio rogãdi ſumus:vt deinceps ſtatim incipias idoneum excogitare reſponſum, quo diuinis quæſtionibus ſatisfacias. Si ille qui licẽtiati aut doctoris gradũ petit quem vt conſequatur ab omnibus illius facultatis doctoribus & magiſtris examinandus eſt, antequam tam ſeuerum ſubeat diſcrimen & iudicium, aliquis illorum doctorum argumenta publicè poſteà proponenda ſecretò reuelaſſet:nónne ſummum in eum beneficium eſſe collatum omnes exiſtimarent? Nemo dubitat. Ille enim qui ſe examinandum obtulit cum argumenta neſciat, non paruum ſubit honoris ſui periculum. Qui enim aptè propoſitis argumentis non reſpondet, ſæpenumerò gradus honore priuatur: quod illis euenire non poteſt qui multo antè argumenta, quàm proponãtur callent. Attende igitur quàm bonus ſit Deus quantáque in omnes homines facilitate, qui cum in die iudicij nos ſeueriſsimis quæſtionibus ſit interrogaturus, æquiſsimóque examine mores noſtros perpenſurus: tamen nihilominus tantum apud illum in humanum genus valet amor, vt nos priùs de omnibus rebus quas rogandi ſumus, certiores faciat: vt cognitis illis de quibus ſumus rationem reddituri, faciliùs excogitemus quid nobis reſpondendum ſit. Non vult nos incautos præuenire, cupit enim ſalutem noſtram & vt argumentis ſatisfaciamus: ideò nos deinceps admonet omnium quorum cura nobis incumbit & adminiſtratio. Vnde colligitur quantum gaudeat, quantamque capiat lætitiam dominus ſi rectè quis ad interrogata reſpõdeat:cùm nihil aliud intendat in hoc ſæculo nihilq; magis ſtudeat, quàm vt nos officij noſtri admoneat. In quo ſummè eſt conſideranda Dei bonitas. Quare nulla alia re magis lætabitur quàm ſi rectè reſponderimus, ſalutémque fuerimus conſecuti. Quod omninò penes noſtram eſt poteſtatem & arbitrium ſi in pauperes miſericordes eſſe voluerimus. Sed dicet aliquis. Ergo nihil aliud opus eſt ad conſequẽdam beatitudinem præter miſericordiam in pauperes? Nam ſi quis ambitioſus, luxurioſuſque ſit, omnia miſericordiæ opera in pauperes præſtiterit: conſequetur beatitudinem? Patet nullo modo illam poſſe conſequi. Paulus enim ait, Si diſtribuero ſub- 1.Cor.13
ſtantias meas in cibos pauperum, & tradidero corpus meum, &c. Charitatem autem non habeam nihil mihi prodeſt. Reſpondeo tamen crudeles & immites homines potius quàm alios à Deo fore examinandos:quia in hoc crimine datur pars læſa, quæ merito de ſibi debitis queritur, non ſolutis ab illis qui maximè ſoluere tenerentur, verbi gratia. Si hîc homine aliquo interfecto nulla inuenitur pars, quæ illius mortem expoſtulet, magiſtratus de officio ſuo interfectorem punire poteſt. Veruntamen ſi interfector, illo priori iuris impetu euitato, veniam ab rege impetrarit qui illud liberè vel concedere vel negare poteſt, nulla parte expoſtulante, deinceps omni iudicij inſtantia ſolutus manet. Hoc autem minimè fit ſi aliquis inuenitur læſus, filius, vel nepos, vel vxor, vel parens defuncti. Rex enim nec alius princeps non poteſt pro libidine ſua ſententiam ferre, niſi partibus pleniſsimè reſtituatur. Sic Matth.12
in die extremo iudicij quemadmodum Niniuitæ in Iudæos, ſic pauperes in diuites conſurgẽt. Tunc autem demum apparebit coram diuina maieſtate vidua, quam tu fame perire paſſus es, dicẽs, Domine iuſtitiam tuam imploro in hunc diuitem, qui mihi fame, omniũmque rerum penuria periclitanti ſubuenire noluit. Attende igitur ô infœliciſsime auariſsiméque homo vt videas miſerorum pauperum egeſtates, coram ſupremo Dei tribunali clamantes iuſtitiam implorare. Sic ait dominus, Vi- Exod.22
duæ & pupillo non nocebitis:ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum. Deus enim nec ſurdus eſt, nec aliquo laborat auditus vitio: quominus omnes pauperes clamantes exaudiat, vt idem hîc ait, O homo flagitioſiſsime, quare non aduertis te flagitiis tuis diuinam liberalitatem abſterrere: & iuſtitiam prouocare? Horrendum etenim iudicium illos manet, qui in pauperes in hoc ſæculo immites fuerunt. Quod ſi mihi non credis, audi Iacobum dicentem, Iacob.2
Iudicium fiet ſine miſericordia, ei qui non fecerit miſericordiam. Illud etiam infortunatiſsime hominum iudicium ſubire audes Dei ſeueriſsimum, cùm tu prius impietate tua eius miſericordiæ oſtium obſtruxeris, præſertim cum omnia illa quæ pauperibus donas centupla in altero ſæculo ſis cõſecuturus. Da altiſsimo, ait Eccleſiaſticus, ſecũdum

Crudelitas in pauperes & inhumanitas in iudicio maxime punienda.

dum datum eius: vt magis, ac magis multiplicet tibi dona sua. Siquidem igitur & in hoc sæculo, & in Eccle.35 altero omnia quæ pauperibus concedis cum multo fœnere tibi reddentur: ne in pauperem immitis sis, & immisericors. In quo Ioannem audi di- 1.Ioan.3 centem, Qui habuerit substantiam mundi huius & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit ab eo viscera eius: quomodo charitas Dei manet in illo? Stude igitur nunc vt pauperes tunc amicos habeas & patronos: Deus enim eleemosynarum intercessione tui miserebitur. Nam misericor- Matth.5 des (teste Christo) misericordiam consequentur: è Matth.18 cõtrario verò immisericordes in tenebras exteriores eiicientur, sicut ille iniquus seruus qui proximo suo immisericors fuit, & crudelis. Sed tempus est vt ad contextum beati Lucæ iam reuertamur. Et audiamus quid Saluator noster Iesus Christus vlterius dicat.

Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, in maiori iniquus erit. Alterum documentum elicit ex parabola, de pœna inquã mali dispẽsatoris facultatũ temporalium: propter quod ponit duas regulas. Prima, Fidelis in minimo, est quoq; fidelis in multo, iniquus in minimo, est quoque iniquus in multo. Et ambæ sunt veræ per se intellectæ. Hoc est. Qui ex fide rectè se habet in dispensatione rerũ quantumcunq; paruarum, multò rectiùs se habet ex eadem fide dispensando res magnas. Et similiter, qui ex iniquitate malè se habet dispensando minima, multò peius se haberet ex eadem iniquitate dispensando maiora. Res minimæ sunt terrena, maiores autem spiritualia: vt prædicatio, administratio sacramẽtorum, quæ ad prædica- 1.Cor.4 tores, & Ecclesiæ prælatos pertinent. Vnde Paulus ait. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Vnusquisque videat quomodo dispensat. Auari qui in temporalibus infideles sunt, nõ erunt fideles in spiritualibus: è contrario qui fidelis est in minimo, erit in maiori. Itaque qui fidelis est in minimo remuneratur, cùm in maius committitur. Et qui infidelis est in maiori punitur, cùm ei modicum aufertur.

Deus vnũ bonũ bono r. cõpensat, ita peccatum peccato punit.

¶ Quapropter ex hoc loco ad tuam eruditionẽ disce quòd sicut Deus opus bonũ alio bono opere remunerat dans in temporalibus fideli bona spiritualia: sic è diuerso peccatum peccato punit. Vis horum exempla videre: quomodo Deus vnum bo- Genes.12 num opus, alio bono opere muneret? Exemplum habes in Abraham, nam cum primũ iussioni diuinæ obtemperasset cognationem suam relinquẽdo, Rom.4 semper maiora dona gratiæ percepit: donec tantam fidem acquireret vt in spem contra spem crederet. Propter quod & meritò pater omnium credentium & pater fidei appellari meruit, & omni- Rom.1 bus in exẽplum proponi. È contra, philosophi cum naturali dono intellectus abusi sunt, traditi sunt in reprobum sensum, vt facerent mala. Sicque Deus peccatum peccato puniuit. Hæc eo tendunt, vt discamus bene vti Dei donis: ne mereamur illa amittere. *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis.* Hoc est, si in temporalibus diuitiis dispensandis nõ fuistis fideles, fidelitate inquit, ad iustitiam pertinente, ea erogando pauperibus & Ecclesiis, secundum quòd iustum est, spernendo temporalia pro spiritualibus. *Quod verum est, quis credet vobis?* Hoc est, Bona spiritualia & interna vobis diuinitus præparata, quis committet & tribuet vobis? Quasi dicat: Indigni estis huiusmodi bonis, imo & prælatura, spiritualiúmque dispensatione. Auari, ambitiosi, & immundi, qui in temporalibus infideles sunt: non erunt fideles in spiritualibus, nec boni prælati esse poterunt: quia ad sua cõmoda, ad temporales honores, carnalésque delicias, impiè reflectuntur. Sed misericors & compatiens in pauperes, & proximorum quærẽs salutem, dignus est, vt ei credatur maiora, sicut Paulus Timotheum hortatur. Esto in- 1.Tim.4 quit fidelium exemplum, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Et ad Titum. Tit.2 In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina & integritate, &c. Sequitur.

Et si in alieno fideles nõ fuistis. Idem sub alia ratione repetitur. Quod priùs dixit iniquum mammona, modo appellat alienũ: quia quidquid sæculare est, alienũ est à perfectione animi. Et propterea si in alieno, hoc est in rebus temporalibus quæ minima sunt, fideles nõ fuistis. *Quod vestrum est.* Genus spiritualium quod vestrum est, quod non potest à vobis inuitis auferri, quod ad perfectionem vestri animi spectat, quod multò maius est toto genere sæcularium. *Quis dabit vobis?* Quasi dicat. Nemo vtique. Vnde Paulus ait. Si autem domui suæ præesse 1.Tim.3 nescit: quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Pro maiori autem huius literæ explanatione aduerte, quòd bona temporalia hîc Christus alie- Vide Ambr. lib.7. in Luc. tom.4. na vocat, quia propria nostra non sunt: illud enim nostrum esse dicitur quod est in plana nostra potestate & libertate, & quod inuitis nobis auferri à nobis non potest. Quapropter cùm bona temporalia, corpus nostrum, & vita, & quidquid habere videmur, possint à nobis auferri etiam nolentibus, non nostra sed aliena esse dicũtur. Hanc credo esse causam, cur Deus præcipit vt eum diligamus: quia ni- Nihil nostrũ nisi nostra voluntas. hil nostrum est nisi voluntas, quæ in nostra plena est potestate, & libertate. Et cùm homo non possit dare nisi illud cuius dominus est, & nihil sit nisi voluntas, in eius libertate & dominio, hanc à nobis exigit, vt diligẽdo eum tribuamus, solo enim amore potes Deo soluere quod illi debes, propriam voluntatem tuam negando, animúmque tuum illius tradẽdo amori: hæc enim terrena valdè aliena sunt à nobis. Vnde Democrates dicere solebat. Qui ani- Leg. Aug. li. 2. quæst. euangel. c. 35. mum curat seipsum curat, qui verò corpus, non se, sed sua curat: qui autem pecuniam non se, nec sua, sed valde aliena curat. Ideóque migrantes de hoc sæculo, nihil rerum temporalium ferre nobiscum poterimus. Quapropter in Psalmo habetur. Ho- Psal.48 mo cùm interierit, non sumet secum omnia. Aqua fluuij transeuntis non est alicuius propria, transit enim per ciuitates, vt vnusquisque sumat quod satis sit. Sic diuitiæ non sunt tuæ, quæ per tot hominum manus transierunt. Hac ratione dicit Dauid. Psal.61 Diuitiæ si affluant nolite cor apponere. Diuitiæ in modum fluuij ita vt fluunt defluunt, non est aqua fluuij illius ciuitatis, apud quam fluuius trãsit, sed ad necessitatem suam potest vnusquisque inde sumere. Sic licet bonis temporalibus vti possimus ad necessitatem nostram, nostra tamen non sunt: quia si nostra essent mors ea à nobis auferre non posset. Quando aliquis sedet ad mensam alicuius potentis, ponuntur ei multa fercula in patinis aureis & argenteis, in quibus ille solùm vsum habet. Si verò aliquis per simplicitatem crederet discos & vasa illa esse sua, & vellet ea secum auferre, ianitor ad ostium resisteret, & ostenderet illi non esse

esse

esse sua. Ita multi diuites stulti putant hæc temporalia sua esse, mors tamē contrarium ostendit cùm dicit. Nihil intulistis in hūc mundum, nec quicquā auferre potestis. Vnde satis cognosci non potest cuius sint, modo bona quæ tu & mundus posidetis, mors tamen veniens cum tibi ab hoc mundo discedēdum erit, omnia bona tibi eripiet, téque in sepulchro, tenui amictū sindone relinquet. Quod satis magnum argumentum est omnia quæ in hac vita posides tua non esse, siquidem tibi inuito eripi possunt, tu autem ea moriēs auferre tecum non potes. Expēde etiam quòd cum loquitur de bonis viæ dicitur, quis credet, id est, committet, sed de bonis spiritualibus dicit quis dabit, quia bona viæ dicuntur committi homini quia de eis redditurus est rationem.

Obseruandum præterea, quod contra iniquum mammona, hoc est diuitias temporales, è regione posuit quod verum est, significans per hoc non esse vera bona, sed apparentia, & instrumenta quædam veri boni temporales diuitias. Et similiter cōtra alienum posuit è cōtra, quod vestrum est, significans per hoc, quòd tantum spirituale bonum est nostrum proprium.

¶Denique obseruandum quoque est, quòd hæc parabola ad duo inducta est. Primò, vt homo his rebus tēporalibus eleemosynis & operibus misericordiæ amicos pauperes sibi conciliet, qui post mortem eum recipient in æterna tabernacula. Secundò, vt sciant benè dispensare, nam aliàs incurrunt pœnam, quia Deus videlicet bona spiritualia nō dabit illis qui negligētes fuerint circa terrena, & temporalia. Docet igitur ne pauipendamus administrationem rerū temporalium, nam abusus in hoc indignum reddunt hominem vt illi spiritualia dentur dona, quod satis clarè ex hoc contextu elicitur. Sed procedamus. *Nemo seruus potest duobus dominis seruire.* Dixerat de eleemosyna eroganda pauperibus, & contra auaritiam prædicauerat, modo autem ostendit, non posse auaritiæ, & Deo quē quā simul seruire. Intellige quòd nemo potest seruire duobus dominis contraria præcipientibus, nā si eadem imperent ac velint, iam non duo domini, sed vnus censendus est, quia vna est amborum voluntas. Et quia diuitiarum abundantia sæpè inimica est Deo, qui huiusmodi vanitatibus seruit, nequaquam Deo seruire potest. Cōtrariæ enim sunt leges mūdi & leges Dei inter se, carnis & spiritus, terrenarum rerum & cœlestium bonorum. Vnde Paulus ait. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate, & quæ societas lucis ad tenebras? quæ autē conuentio Christi ad Belial? Quapropter cùm hæc tam diuersa & contraria sint non poteris simul his duobus dominis seruire, vt idē Paulus alio loco fatetur dicens. Non potestis mensæ domini participes esse & mēsæ dæmoniorū. Vnde quemadmodū impossibile est altero oculo terram, altero verò cœlū simul aspicere, ita etiam fieri nō potest, vt Deum simúlque huius vitæ bona inordinatè diligas. De Samaritanis ait scriptura rem admiratione dignā risúque dignisimā, quod Samaritani dominū colebant & vnà diis suis seruiebāt, iuxta consuetudinem gentiū. Hoc idem quāplurimi facere volunt, qui Deū colere simulātes, huius mundi idola relinquere nolunt. Prætendūt castitatem sed nolunt visitationes & cōsuetudines periculosas vitare. Volūt haberi sancti, sed nihilominus in delicijs voluptatibúsq; esse cupiunt. Asserunt se omnia quæcūque debent, velle restituere, iuxtáque christianam pietatem viuere, eleemosynam pauperibus facientes, cū tamen mundi fastū, vitæque luxū non deserant. Istis loquitur Esaias dicēs, Pallium breue est, vtrumque operire non potest. Quasi dicat, Non est tantus redditucum tuorū prouentus, vt tantam familiam alere posit, tātóque luxui sufficere, & præterea æs alienū quo deuinctus teneris soluere. Alter igitur duorū dominorum tibi est destituēdus. Præstat igitur, vt mundū destituas falsum & proditorem, antequā ab eo cras aut perēdie destituaris. Quòd si feceris officiúmque boni Christiani præstiteris, siquidem vtrique Deo & mundo simul seruire est imposibile, te recipias mores corriges, vitámque deinceps reformabis. Philistæi in templo cuiusdam idoli, quod vocabatur Dagon arcam fœderis Israëlis cōprehensam collocarūt, surgentésque primò mane, die crastino inuenerunt idolum ante arcam deiectū, qui licet sæpe sæpiùs enixi sint idolū cum arca coniūgere, nunquā potuerūt. Hoc autem nihil aliud significat nisi Deū nullo modo perpeti, se idem templū & altare cum dæmone habere. Non vult enim Deus esse vbi vitiorū tuorum idola sunt, que tu veneraris. Si igitur vis vt Deus in cordis tui templo habitet, opus est vt vitia prostrata & deiecta ante illum iaceant. Tunc tamen stetit in altare idolū erectum, posteaquam arca foras extracta est. Eodem modo si tu arcam Dei de corde tuo eieceris, idest, eius religionem & pietatem, ilico vitia tua summam in te obtinebunt potestatē, verùm si arca religionis & pietatis diuinæ in te constiterit, nulla erit mora quin mundus, caro, & dæmon, omniáque vitia ante pedes tuos quasi victa prosternantur, & à te penitus recedant, quia vt iā sæpè diximus vtrique inseruire domino imposibile est. Nō fuit datum populo Israël cœleste māna, donec consumpta est farina quam ab Aegypto secum portauerant, nec tu etiā poteris diuina fœlicitate frui, donec omnino omnis mūdi amor, in te fuerit consumptus, & à te penitùs recesserit. Quēadmodū enim manna & farina Ægyptiaca simul nō comeduntur: sic tu his duabus voluptatibus & saporibus Dei & spiritus, mundi & carnis frui non poteris. In hoc autē perspicuè videbis quàm vilis nulliúsque pretij sit consolatio humana, siquidem diuinam impedit. Sicut stomachus illius, qui aduersa laborat valetudine, si malis humoribꝰ oppressus sit, cibi suauitatem nō sentit, sic illi qui alliorū, cucumerum, & cæparū Ægypti voluptate capiuntur, cœlestis cibi dulcedinē percipere nō possunt. Si ergo Deo planè perfrui, illiúsque suauitatē sentire vis, oportet vt omni genere mūdanæ & libidinosæ cōsolationis vacuus sis. Nā quemadmodū filiis Israel non fuit mannā in deserto cōcessum, nisi deficiēte Ægypti farina, qua finita deinceps nūquam illis illud cæleste māna defuit donec de fructibus terræ promisionis comedere potuerūt, ita & tibi non se Deus exhibebit tanquam cœlestē cibum, nisi deficientibus in te vitiis quibus omnino abs te separatis, huiusque vitæ peregrinatione cōfecta, cœlestis gloriæ, quæ vera promisionis terra est, largisimi tibi fructus porrigentur. Præterea. si relicto mundo diuinam fœlicitatem es adeptus, & relicto Deo in summam huius mundi miseriam, æternáque supplicia necessariò recides ne cōmittas vt tantillæ voluptatis pretio æterna priueris beati-

Marginalia: 2.Cor.6; 1.Cor.10; 4.Reg.17 Vide Augu. lib. 2. quæst. euang.cap.34; Esai.28; 1.Reg.5; Exod.16; Exod.16 Iosue.5

tudine. Suauis enim est diuina cõsolatio, ea tamen non cõceditur illis, qui alienã & peregrinã consolationem admittunt. Quanquam multi sunt qui vtramque consolationem Dei, scilicet, & mundi habere velint. Hos alloquitur propheta Sophonias, ex parte Dei dicens. Disperdam qui iurant in Melchon, & iurant in domino. Per idolum & per Deum iurabant, & vtrique seruire conabãtur, sicut illi Samaritani de quibus modo loquebamur. De his condolet & miseretur Ecclesiasticus dicens. Væ duplici corde, &c. Et peccatori terram ingredienti duabus viis. Ingrederis duabus viis Deo inseruire & mundo inseruire intendens simul. Quid igitur itineris facere potes cũ duabus viis ingrediaris? Isti claudicant duabus viis more illorum quibus Helias dixit. Vsquequo claudicatis in duas partes? Si dominus est Deus sequimini eum, si autem Baal sequimini eum vel Deum, vel Baal, nam impossibile est ambobus simul inseruire. Cùm Pharao permitteret Hebræis vt Deo in Aegypto victimas immolarent, respondit Moses. Non potest ita fieri. Abominationes enim Ægyptiorũ immolabimus Deo nostro? Fieri non potest, vt Pharaoni, hoc est, vt diabolo, & Deo simul seruiamus. Cùm ingrederetur Iesus in templũ eiecit vendentes & ementes, quia non possumus seruire Deo & mammonæ. Nã neque ignis & aqua simul esse possunt, nec item duobus dominis tã diuersis seruire possibile erit. Sed quare non possumus his duobus dominis simul seruire? Audi quod sit inconueniens.

Sophon.3 · Eccle.2 · 3. Reg. 18 · Exod. 8 · Ioan. 2

Aut enim vnum odio habebit & alterum diliget, aut vni adhærebit, & alterum contemnet.

Christus dicit, Qui non est mecũ contra me est. quapropter si Christũ diligis, diabolũ odio habebis, qui cõtrarius illi est. At si diabolo adhæres per conformitatem affectus, ea videlicet cupiendo & amplectendo quæ diabolo placent, vt sunt opera vitiosa, Deum contemnes. Impij enim adhærent diabolo sicut membra capiti, quia diabolus caput est omnium impiorum, & ipse sua suggestione pestifera influit in eis, vitam iniquam, vitiorúmque motum. Contemnet autem Deum, eius præcepta paruipendendo, & transgrediendo, & vana ac vilia ei præferendo.

Luca 11

Obserua autem quòd cùm locutus fuit de diabolo non dixit, diliget, sed adhærebit, quia peccator non amat diabolum quamuis ei consentiat. Et de Deo non dixit odio habebit, sed cõtẽnet, quia nullus potest odisse Deum quatenus Deus est, sub ratione deitatis, quia secundum se cum sit summa bonitas, odiri nullatenus potest. De diabolo etiam dicit, quod si qui Deum diligunt, illum odiunt, sed impij qui Deum contemnunt ei adhærẽt, sed non dicit quod diligunt. Quia cum obiectum voluntatis sit bonum, diabolus qui malus est, diligi non potest.

Vide August. de quæst. euãg. lib. 2. cap. 36

Expende etiam quòd in Euangelio Matthæi de illo qui diabolo seruit, non dicit quod adhærebit, sed quod sustinebit quod idem est, nã qui Diabolo adhæret, illum sustinet, & portat maximũ onus super humeros suos. O maxima & absurdissima peccatorum stultitia, vt Deum, qui illos portat cõtemnant, & diabolo seu mundo & vitiis adhæreãt, De hoc dominus per Esaiam conqueritur dicens. Audite me domus Iacob, & omne residuũ domus Israel, qui portamini à meo vtero, & gestamini à mea vulua. Vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo, &c. Lege quæ sequuntur in ipso Esaiæ capite quadragesimo sexto, vbi Deus constituit differentiam inter se & idola, quæ ab illis colebantur, quam differentiã hîc repetit noster Euangelista. Attende ô Israel differentiam, quæ inter me est & idola à te adorata. Ego te humeris porto, tu autẽ idola tua. Ego te in visceribus meis gesto, tu autẽ adoras, humerísque tuis baiulas deos tuos, quos de auro & argento confecisti. Ego tibi leuissimum onus impono, tu grauissimè grauatus es mundo inseruiens humerósque oneris magnitudine attritos & vlceratos habes. Si peccator attenderet quotiescunque Deum deserit & mundo appropinquat se illũ relinquere à quo in vlnis portatur in summisque deliciis habetur, peccatisque grauissimum cùm subeat onus intolerabile humeris, suis suscipere nullo modo auderet, tam suauẽ, benignum & magnificum Deum relinquere, qui onere leuat laborantes omniáque peccati intolerabilia pondera suscipiens, humeros peccatorum reficit & recreat. Tu autem cur idem non facis quod arenarij in foro facere solent? Qui antequàm onus humeris suis suscipiant, aut de pretio vnum verbum tecum faciant, sarcinam baiulandam manibus pertentant, vt si eam portare non potuerint iacturam temporis non faciant, nequidquam de pretio, aut de via conuenientes. Eodem modo tu si sapias facere debes. Priùs enim quàm cũ dæmone aut mundo conuenias, perspicere diligenter opus est vtrum possis sustinere onus peccati humeris tuis imponendum. Quod si feceris, non dubiũ est quin subiturus non sis tantum onus humeris tuis, etiam si vel mundus vel dæmon tibi pro eo sustinendo centum mundorum millia cõcederent. Nõ ignorabat quã graue onus esset hoc ille qui dixit. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Eiice ergo onus graue diaboli quod sustines, & Christũ dilige, cuius onus leue est & iugũ suaue, siquidem vtrique simul inseruire impossibile est. Vnde in sequentibus dominus ait. *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ.* Dixerat priùs, nemo potest duobus dominis seruire, & nunc declarat se dicẽs, quod isti domini sunt Deus & diuitiæ. Sed diuitiæ nonne ad seruitium hominis creatæ sunt? Quis mammonam fecit dominũ? Nos fecimus diuitias dominas quia obedientiam dedimus eis. Rex cùm homo sit quemadmodum cæteri homines eiusdẽque conditionis, quis eum dominum fecit? obedientia à ciuibus suis præstita. Sic nos diuitias quæ ancillæ nostræ sunt, facimus dominas eis obediẽtes. Pecuniæ enim omnia obediũt. Sed de his aliàs.

Matth. 6 · Esai. 46 · Psal. 37 · Matth. 11 · Eccle. 10

¶ Expende quòd Christus non dixit, Non potestis Deum & temporalia bona simul habere, sed non potestis Deo seruire & mammonæ. Aliud enim est habere bona temporalia, & aliud illis inseruire. Diuitias enim habere per se malum non est, quinimo benedictio est Dei, vt in prouerbiis Salomon dicit. Benedictio, inquit, Dei diuites facit. Abrahã, Isaac, Iacob, Dauid, Loth, Iob, & multi alij diuitias habuerũt plurimas, & perfecti fuerũt, & amici Dei appellati sunt. Seruire autem eis ita, vt nõ illis vtatur, vt auari qui serui sunt diuitiarũ, hoc iniquũ & abominabile est. Dormierũt inquit Dauid somnũ suum, & nihil inuenerũt viri diuitiarũ in manibus suis. Itaque istis terrenis rebus seruire, & Deo qui cor nostrũ totum & liberũ quærit, nullatenus fieri

Prouer. 10 · Psal. 75

fieri potest. Præterea aduertendum est, quod cùm
ait, non potest, intelligẽdum est in sensu composi-
to, non tamen in sensu diuiso, sicut quod anteà di-
xerat. Nemo potest duobus dominis seruire. Po-
test enim quis duobus dominis seruire in sensu di
uiso, hoc est pro diuersis temporibus, diuidendo
tempora, sed in sensu composito & simul impossi-
bile est. Sic Turcã nõ posse saluari, verũ est in sen-
su composito, si viuat, scilicet vt modo viuit, sed in
sensu diuiso falsum est, quia si cõuertatur ad Chri-
stum & bene vixerit saluabitur. Vnde quicunque
infidelis & impius in hac vita saluari potest in sen-
su diuiso, quia potest in melius mutari. Sic in sensu
1.Ioan.3 composito intelligendum est, id quod Ioannes ait
in sua prima Canonica. Omnis qui natus est ex
Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in
eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo
Rom.8 natus est. Sic & illud Pauli ad Romanos. Sapiẽtia
carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est sub-
iecta, nec enim potest. Quandiu enim est inimica
Deo, manente hac inimicitia legi Dei subiici non
potest, sed in sensu diuiso potest non esse inimica
Deo, & tũc subiici. Sic etiã intelligendum est illud
1.Cor.10 eiusdẽ Pauli. Nõ potestis mẽsæ domini esse parti-
cipes, & mensæ dæmoniorum, in sensu cõposito,
non tamen in sensu diuiso. Multæ etiam sunt pro-
positiones in scriptura his similes. ¶ Igitur cũ vtri-
que domino seruire non possimus, cui istorum
seruiendum est? Vsque adhuc ostendimus, quod
duobus dominis seruire non possumus, mammo-
næ, scilicet, & Deo, diabolo & Christo, carni, & spi
ritui, nec mundo & regno cœlesti, quia isti domini
contrarij inter se sunt, & quod vnus præcipit agen
dum, alius iubet non esse faciendum. Nũc operæ-
pretium est scire cui potiùs seruiendum sit. Videa-
mus horum dominorum conditiones. Primò dia-
bolus præcipit difficilia, Christus è contra facilia
& iucunda. Secundò diabolus non dat suis cibum,
nec eos alit, at Christus cibum optimũ suis dat, &
eos reficit pane dulcedinis. Tertiò, diabolus non
dat stipendiũ nec præmiũ suis, sed Christus seruis
suis dat vitã æternam, & cœlestem beatitudinem.
Vtri igitur æquius est vt inseruias? Domino qui ser
uos suos laborare cogit noctu diéque vsque ad fel
lis eiectionem, nec illis vestitũ, cibum, aut præmiũ
vllum pro tanto seruitio præbet, sed potiùs illos
grauissimis pœnis afficit, an potius illi domino,
qui seruis suis nihil nisi facillimũ imperat, illisque
omnia necessaria suppeditat, in finéque perpetuã
requiem & beatitudinem, amplissimáque præmia
concedet? Non dubium est, quin si sapis malis po-
tius Deo inseruire seruituti diaboli renuncians, si
quidem Deo inseruiens in hoc sæculo iucundè, in
altero verò fœliciter viuere poteris. Mũdo verò si
inseruias cùm summis hic afficieris laboribus, tum
post mortem æternis suppliciis conficieris. Sed
singula hæc expendamus.

¶ Primò quod diabolus vel mundus difficilli-
ma præcipiant clarissimũ est. Etiãsi omnes homi-
nes quotquot antehac vita functi sunt, nũc resur-
gerẽt, nemo illorũ omniũ esset qui affirmare pos-
set, se in hac vita vel semel lætitiã sine tristitia, pro-
speritatem sine aduersitate habuisse. Præterea tam
graue est dæmonis seruitiũ, vt Deus per prophetã
Hiere.6 Hieremiã dixerit. Seruietis diis alienis, qui nõ da-
bunt vobis requiem die ac nocte. In cuius confir-
mationẽ duo hîc adducam testimonia, eorundem
hominum mundo inseruientium. Alterum viuorũ,
alterum verò mortuorum. Viuorum tale est testi-
moniũ ditissimi & sapientissimi Salomonis dicẽ- Eccle.2
tis, Aedificaui mihi domos, plãtaui vineas, feci hor
tos & pomaria, &c. Et vidi in omnibus afflictionẽ
animi. Testimonium mortuorũ est in libro Sapien
tiæ, vbi impij positi in inferno dixerunt. Lassati su- cap.5
mus, in via iniquitatis & perditionis, & ambulaui
mus vias difficiles, viam autem domini ignoraui-
mus. Quid profuit nobis superbia, &c. Falsæ Dali-
dæ illecebræ ad mortẽ fortem Sansonem prodide Iudi.16
runt, quem Philistæi obcæcatum, pistrino molitu-
rum alligarũt. Eodem modo tu dùm inseruis huic
mundo, respice te quasi alterũ Samsonẽ gyros fa-
cere, honores, diuitias & voluptates huius sæculi
quærentem, animóque miserrimo & abiectissimo
libidini tuæ incestisque voluptatibus obtempera-
re. In circuitu impij ambulant, ait Psalmista. Nam Psal.11
qui passionibus suis seruiũt, nõ recta via incedũt, Sapien.10
vt ait Sapiẽs de iustis, sed in circuitu & in gyro mul Prou.23
to cum labore, more ianuæ, quæ in cardine volui-
tur, & à termino & statione suorum peccatorũ nõ
exeunt. Vnde gyro rationéque assidua, quam in va-
nitatibus suis faciunt capite obtuso, insani, omnẽ-
que sapientiam procul assiduo honores & diuitias
huius mundi quærentes, vitam inutilem & inanẽ
agunt. O graue & intolerabile iugum Satanæ. Ma- Satanæ & mundi iugum intolerabile.
gno labore ea, quæ cupiunt impij quærũt, timore
possident, dolore relinquũt. In Apocalypsi scriptũ Apoc.14
est, quod illi, qui adorauerũt bestiã requiẽ nõ ha-
bebant. Quam etiam nunquã adipiscẽtur qui be-
luinos appetitus suos adorant. Ipsum peccatũ tor-
mentũ & supplicium est grauissimum peccatoris.
Omnia peccatori sunt doloris plena, nã si prospe-
ra vtitur fortuna, timore fœlicitatis suę amittendæ
iugiter conficitur, si verò aduersam fortunã pati-
tur, in dolore & mœrore assiduo viuẽs interno quo
dam cruciatu, qui semper pungit, sempérque ex-
cruciat miseram animam, nullo pũcto, aut momen
to temporis quiescunt. O infœlicissimam miserri-
mamque vitam hominis libidinibus suis deseruiẽ-
tis. Attende eius importunitatem. Nam si quis im-
pius iniuria ab aliquo afficitur, videre est quanta
insania domũ se cõferat, cibo potúque abstineat,
dormire aut quiescere recuset, armatus amicos
suos vndecunque congregat, vt se vlciscatur. At a-
lia ex parte quanto maiori potiantur solatio & re-
quie Dei cultores, qui etiam plurimis acceptis in-
iuriis minimè irascuntur, dormiũt, quiescunt, gau-
dent, quamplurimisque laboribus vacãt. Nã quẽ-
admodum diabolus, & mũdus intolerabili in hoc
sæculo etiam tormento afficiũt sequaces suos, ita è
diuerso Christus dominus noster sua iucũditate &
voluptatẽ prosequitur eos, qui ipsum colũt. Mun-
dus vindictam de iniuriis sumẽdam esse pręcipit,
Christus omnia condonanda. Vter autem maior
labor est, remittere iniurias, an vindictam sumere?
Vide quàm facilia sint omnia quæ à Deo imperan Matth.5
tur. Sed dices, durissimum præceptum est inimicũ
diligere, vt teneamur. At ego tibi facillimè proba-
bo multò esse difficilius mundo, quàm Deo inser-
uire. Quæro à luxurioso quis sit maior labor, serui
re castitati an luxuriæ? Magis luxuriæ, nam vt gra-
tum facias mulieri illi quam amas, bona tua impẽ-
dis, honoris iacturã facis, amoris causa vigiliis, in
firmitatibúsque corporis, aliisque laboribus innu-
meris affligeris, & non rarò capitis discrimẽ subis.

Idem dicẽdum est de amore inimici, aliisque præceptis diuinis, quę multis de causis facillima sunt. Primum quia iuxta rationem sunt, vitia verò laboriosa, quia contra omne rationis dictamẽ, virtutes enim suapte natura innatæ hominibus, humanoque ingenio consentaneæ sunt. At vitia repugnantia. Si quis peteret vtrum sit corpori nostro laboriosius pane aut lapidibus vesci, certè quilibet respõdere posset, esum panis delectabilem esse, quia secundum naturam, lapidũ verò inauditum & acerbum, quia omni animalium naturæ repugnat. Ascendere accliua via laboriosum est, quia contra naturam corporis grauis est, descendere verò per decliuia, quia naturæ est conforme (nam omne graue deorsum tendit) facile & suaue est. Cùm igitur virtutes sint hominibus naturales, vitia verò contra naturam, sequitur necessario maximè rationi consentaneum esse mandatum diuinum, quo & inimicum amare, & bona aliena restituere teneris.

Psal 93 Quod si durum esse existimas, te esse hominem negas. Nam dic mihi tu qui fingis laborem in præcepto, nonne summè insauiret qui cum alio litigãs, contẽneret, vt eiusdẽ litis iudex existeret? Solemus enim iudicem recusare quotiescunque in negotio suspectus est, aut partis vicem gerit contrariæ. Tu verò nihilo minori insania cum pars sis, iudicẽ te facis in causa propria, vt vindictam de inimico tuo capias. Permitte Deo vltionẽ, ille enim iustissimus

Matth.5 iudex erit inter te & omnes inimicos tuos. Quòd si legem Dei etiam inimicam putas, quod malas etiam cogitationes damnat, veluti cum ait, qui viderit mulierem ad concupiscẽdum eam, &c. animaduertere debes omnia incommoda à malis cogitationibus initium sumere. Bonum igitur olitorẽ age, qui mala gramina radicitus euellit ne mitibus noceat frugibus. A malis cogitationibus oritur cõsensus, & à cõsensu opus existit. Vnde in psalmo dici-

Psal.7 tur. Ecce parturit iniustitiam, concepit dolorem,

Gene.3 & peperit iniquitatẽ. Omnia mala Adamo, & Euæ à mala cogitatione processerunt. Vidit mulier lignum, & cogitans cupiuit, cupiens comedit, maritóque suo dedit. Immoratus Cainus in malis cogi-

Gene.4 tationibus suis fratrem suum interfecit. Eo modo

2.Reg.11 etiã Dauid, Bersabee videns peccauit. Præter hoc autem quod & virtutes iuxta naturã nostrã sunt, vnde iustissimum est, vt malæ cogitationes radicitus extirpentur, tot sunt fauores & beneficia, quibus Deus legũ suarum obseruatores efficit, vt nemo existimare debeat, quin multo maiora præmia præcepta Dei obseruantibus tribuãt, quàm supplicia violatoribus irrogẽt. Si illi qui & arte & exercitio venator est, venationique deditus rex imperaret, vt venaretur, præstitis ad hoc falconibus, equis, & canibus, non esset hoc leuissimum præceptum iudicandum? Esset profectò. Non igitur tibi difficilia debẽt videri Dei præcepta, cum secundũ virtutem sint: virtus autem humanæ naturæ sit cõsentanea. Cùm præsertim baptismum, pœnitentiã, eucharistiam, reliquáque sacramenta tibi suppeditet, quæ omnia ex virtute sua causant gratiam, facilémque virtutum exercitationem faciũt. Et quod pluris æstimandum est ipse Christus cultores suos comitatur, illos adiuuans, illisque in omnibus opẽ

Matth.11 ferens laboribus. Vnde ipse ait, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugũ meum super vos, iugũ enim meũ suaue est. Lex verò Dei iugum vocatur, quia quem admodum iugum à duobus animalibus simul vnitis & copulatis fertur, ita q̃ se subiicit Dei iugo & legibus cum Christo simul vnitus, & cõiũctus, eius auxilio & virtute iugi pondus & laborem faciliùs sustinet. Quod adeò perspicuum est, vt non indigeat explicatione, quoniã in omnibus laboribus, quoscunque subieris propter Deum, Christum socium coadiutorémque inuenies, qui tanquam bos inferior, cui maior pars ponderis sæpè solet incũbere, ita ipse humilitate sua, omnium mortalium minimum se faciens potissimam partem tuorum laborum, cæterorúmque mortalium humeris suis sustinet, tu verò expeditus incedis. Ideo enim tu christianæ religionis iugũ leue sentis, quia omnẽ eius difficultatem & põdus Christus dominus noster in se suscipiens ab humeris tuis sustulit, quod quidem iugũ ea de causa non modo nõ grauat, verùm homines mobiliores & expeditiores facit. Nã quemadmodum auis alarum, plumarúmque suarum nõ grauatur, sed potius leuatur põdere, quod posito pennarum adiumento non consequeretur, sic christianæ religionis iugum depositum tardos sumptum leues, & mobiles homines facit ad virtutis viam. Nã etsi pœnitentia laboriosa, vitáque virtutis aspera videatur, dulcis & iucũda redditur, comitatu consuetudineque Christi stipata, atque adiuta. Suaue igitur est iugũ domini & delectabile, q̃ si tibi nec dulce nec suaue videtur, inde fit, quia illud inuersa ratione & ordine subis. Vestis aspera & rustica pretiosis pellibus & suauibus sociata, si facie versus carnem asperiori induatur, intoleranda est, si tamẽ inuertatur rursúsque pellibus intro spectãtibus suscipiatur, lenissima & suauissima esse apparet. Sic lex Christi difficilis & insuauis videtur, quia asperitatem illius contra rationẽ constituis, nec rationem perpendis, sed carnis tantummodò iudicium subis. Si Deus diuiti præcipiat, vt de bonis suis eleemosynam faciat, pauperes bonũ & æquum præceptum esse asserunt, qui si essent diuites aliter dixissent, vt quotidie experimur. Nulla enim lex aspera videtur hominibus, nisi quę contra illorum libidinem fertur. Similiter si aliquem iniuria afficis statim vis, vt tibi ignoscatur, qui si affectus esses iniuria, ignoscere nolles. Et sic de aliis dicendum est. Sic etiã onus eius leue est, quod tu tamen graue esse existimas, quia peccata tua atque animi perturbationes humeris tuis portas. Plumarũ sarcina leuis per se est, sed si metalli alicuius põdus accipiat tã grauis efficitur, vt portari vix possit. Eodem modo onus Dei leue est nisi tuorũ peccatorum amorísque proprij pondere, legem Dei grauẽ faciẽtis deprimatur. Iniquitates meæ super gressæ sunt caput meum, & sicut onus graue, grauatæ sunt super me. Et Augustinus ait, amor meus põdus meum, amore feror quocunque feror. Fecit Christus iugum suum suaue, & onus leue, quia cõtriuit graue iugum diaboli, quod erat ceruicibus hominũ impositũ, & loco eius iugũ imposuit nobis suaue. Id prædixerat his verbis Esaias. Iugũ oneris eius, & virgã humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti. Ac si diceret, cùm veneris ô domine Iesu, & assumpta humanitate viam ad gloriã immortalẽ munieris, eripies homines à graui dæmonis iugo, quo ipse dæmon eorũ colla deprimit, & à virga qua eos percutit, & à sceptro quo imperat, & diaboli denique tyrãnidem delebis. Ideo dominus ait, Venite ad me qui laboratis & onerati, estis,

Psal 37 Lu.11.ci.ca.18

Esai 9

Matth.11

Hierem. 6 estis,&c. Per Hieremiam ait ita Deus. Ambulate in via bona, & inuenietis refrigerium animabus vestris, & dixerunt, Non ambulauimus. Impij homines dixerunt, durum esse & laboribus plenũ, cũ 1. Ioan. 5 eadẽ veritas Christus dicat suaue. Et Ioãnes. Psal. 93 Mandata inquit Dei grauia non sunt. Et egregius psaltes. Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? Ac si dicat, Tu qui fingis Dei præcepta dura esse, nonne sedes in flagitiis? sedes quidem. Dicis laboriosam esse legem Dei, non quod hoc ita sit, sed quia tu sedes in tuis iniquitatibus, ex quibus surgere non vis. Dũ lignum viride est, potest esse graue iugum ex illo factum, sed longũ tempus reddit lignũ siccum & leue. Priusquam Dei filius super se iugũ ferret, poterat illud graue esse, sed postquam illud Christus collo suo imposuit, effectum est siccum & leue. Vt enim currus etsi grauis sit efficit vt onus aliàs intolerandum boues ferant, sic iugum Christi quanuis onus sit, efficit tamen, vt Christi seruus vitæ onera sustineat, & ferat. Nõ omnino Christus subtrahit iugũ & onus, non nobis laborẽ penitus aufert, sed commutat, pro aspero mundi iugo tribuit suaue, & pro Zacha. 5 graui onere leue, vt in hac vita animæ tribuat quietem, & in altera gloriam sempiternã. Graue onus est iniquitas sedens super talẽtum plumbi, quo il- Psal. 54 le premebatur, qui aiebat, Iniquitates meæ super gressæ sunt caput meũ, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Sed Deus tunc nos onerat, cũ à peccati pondere exonerat. Onerat beneficio, cùm exonerat peccato. Onera nostra super se portauit, vt Psal. 54 nos mundi leuaret impedimentis. Ideo canebat Dauid. Iacta super dominũ curã tuam, velut verti potest ex Hebræo. Iacta pondus tuũ, & ipse te enutriet, seu vt alij vertunt, subleuabit.

¶ Denique suauissimum est seruire Christo, & laboriosum seruire mundo. Tu enim mũdo inseruiens ipsum humeris portas, Deo verò inseruiens ab ipso portaris. Præterea mundus difficilia & turpia imperat, Deus facilia & honesta.

Diabolus & mundus suos ministros non reficiũt aut nutrit. ¶ Deinde diabolus & mũdus & caro etiamsi laboriosa suis præcipiunt & quæ aliquo præmio remuneranda videbantur, nullo tamen pacto illos alit, aut sustẽtat, sed potiùs inedia, atque inopia omnium rerum eos confici patitur. Respice auari hominis famem & inopiam, qui nunquã satiatur, cui nihil satis est, cupidinem ambitiosi, qui in dies plura desiderat pluribusque rebus comparatis multò pauperior redditur. Qui omnes aliiq; id genus improbi, & vitiosi homines, mirum non est si vllã in suis actionibus vnquam satietatem inueniant iugiterque esuriãt, quia satietatem in rebus huius mũ- Luc. 15 di, vbi non est, quærunt. Quod Christus optimè significauit per illam parabolam filij prodigi, quando facta est fames in regione illa, & quãdo ipse peccator cœpit egere, & cupiebat saturari de siliquis porcorum, & nemo illi dabat. Peccatores enim dapibus iuxta os appositis nunquam satiantur, quia libidini, quæ suapte natura rerum cupitarum acquisitione augetur nihil satisfacere potest. Simile fingunt poetæ esse apud inferos Tantali tormentũ Horatius. de quo quidam sic ait. Tantalus à labiis sitiens fugientia captat, Flumina, Quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur. At è diuerso Christus refectos & contẽtos rebus suis omnes suos adeò habet, vt nemo illorũ esurire posit. Et quia de hac fame peccatorũ & de seruorũ Dei satietate in præcedẽti capite in parabola filij prodigi plura diximus, nunc videamus tertium.

Stipendia diaboli, mundi, & carnis mors est. Iudic. 16 ¶ Tertiò, diabolus non dat præmiũ nec stipendiũ suis, verũ Christus suis & vitam æternã & cœlestem beatitudinẽ tribuit. Philistæi Sãsonem nullo præmio affecerunt pro illius laboribus, sed potiùs obcæcatum illum molæ astrinxerunt: nec itẽ tu aliud maius præmiũ, aut melius à mundo cui deseruis expectes. Quemadmodum autẽ (mihi crede) fides temeraria Samsonis, quam amori confictõ dolis, mẽdaciisque Dalilæ adhibebat, ipsum in cæcitatẽ, seruitutẽmque miseram, in mortẽmque denique induxit: sic fidẽ adhibere mũdi fallaciis, à quo expectas te pro seruitio præmium consecuturũ, excæcitatis fœdissimo vitiorum carcere existentem, te haud dubiè nisi caueris ad mortem cõpellet. Post- Exod. 5 eà quàm filij Israel intentissimi esse cœperũt cogendis paleis, fingẽdisque lateribus quotidie insudantes nullũ aliud præmiũ præter verbera ab imperatore suo Pharaone capiebãt. Similis est demonis, mundi, & carnis merces, quã ministris suis impendunt. Quod si clariùs videre vis, audi Apostolũ Rom. 6 dicentem. Quem fructum habuistis, de his, de quibus nunc erubescitis? Stipẽdiũ enim peccati mors est, &c. Præmia malorũ sunt crudelia conscientiæ supplicia, mors, corruptio, fœditas, abominatio, infernus, æternique cruciatus. O misera, & infœlicia præmia: ô infortunatam impiorum conditionem, qui magnos in vita labores sustinentes, maximos in morte, multo maiores post mortẽ subeunt. Diu summóque cum labore seruiuit Iacob Laban, de- Gene. 31 ciesque ab eo deceptus est, debita mercede abnegata. Non aliud præmium est, quod mundus in ministros suos cõfert. Onus grauissimũ, labor infructuosus, qui mũdi causa sustinetur, semper est. Nec sunt ioci Laban cum iocis conferẽdi, quibus mũdus ministros suos deludit. Retribuebant mihi ma- Psalm. 34 la pro bonis, & sterilitatem animæ meæ. Sic optimum ministerium improbissimum præmiũ cõsequitur. Quibus tamẽ nõ obstantibus plurimi sunt, qui mũdo inseruire nõ dubitant, & animo ineptissimo huius vitę, & alterius iacturam faciũt. Maluerunt quamplurimi Iudæorum crudelem Pharao- Numer. 11. & 14 nis tyrannidem in Ægypto perpeti, quàm paruo suscepto labore posteà terra promissionis frui. Attende quantum laboris suscipias mũdo inseruiẽs, pro quo posteà tam iniquo præmio ab ipso afficiẽris. Pueri sæpè toto die defatigãtur plumam vẽtilantes, vel aliquid aliud nullius momenti agẽtes, pro quo sępenumero corruũt, & vulnerantur. Illis tamẽ facile ignoscitur, quia & pueri sũt & iudicio carent. Tu tamen qui & vir es, iudiciúmque perfectum ad agendũ habes, quid causæ afferre potes, quare vanitatem, honorúmque & diuitiarum ventum sequaris? Siquidem transacto huius vitæ tempore & labore, quam mundo seruiens cõsumpsisti, nullum aliud pręmiũ pręter acerrimos & atrocissimos dolores habebis. Qui aliquam ciuitatem oppugnare intendit priùs secũ reputat vtrũ expensæ, vtilitatẽ & cõmoda excedant, sic tu si diligẽter cõsideraueris quanto mundi ministeriũ cõstet, haud dubium est, quin eius seruitiũ relinquas. Christus Iesus domin[9] noster suis, quos in hac vita spiritualibus consolationibus quãplurimis fouet, in altera perpetuam fœlicitatem concedit. Ita qui mũdo inseruit, cum duplicem infernũ timeat, sic qui Christum colit, duplicem gloriam consequitur. Si eun-

dem laborem, quem pro mundo subis sponte tua propter Christum suscipere velles, in hoc sæculo lætus viueres & in altero fœlix esses. Nemo tã stultus est, qui alicui velit ministrare nulla proposita mercede. Qua de causa omnes, qui in dominũ aut patronum aliquem accipiunt, cui sint administraturi, priùs de mercede agunt & paciscũtur, ne frustra laborent. Ita & tu priùs à dæmone, mundo, & carne, quærere debes quod sit tibi pro officiis tuis præmium ab illis expectandum, quãdo cœli iacturam facere non recusas ob illorum ministeriũ, nec magnum præmium pro alio minori relinquas. De carne enim ait Apostolus non colliges nisi corruptionem. Dæmonis præmium tormentum est, nam mũdus suos relinquit, obliuioniq; penitus tradit, quare mihi crede omnia incõmoda tua inde proueniunt, quia cum his dominis rationem non confers, qui cũ multa promittant, pauca tribuũt. Qua de causa priùs perpendere debes, quanta & qualis sit eorum merces, nec præmio priùs non constituto illis vllo modo inseruias. Qui mũdo inseruit durissimis mandatis obnoxius est, assiduáque dũ viuit fame vrgetur, posteáque mittetur in infernum, at qui Deum colunt, mandata suauia exequuntur, viuunt in satietate & voluptate, posteáque æternã fœlicitatem adipiscuntur. Vtri igitur horum mauis inseruire? Siquidem vtrique simul impossibile est. Nisi omni humano intellectu & iudicio cares, Christo domino nostro inseruias, cui qui seruiunt. imperant & non seruiunt. Oculos igitur mẽtis tuę explica, statueque soli Deo inseruire, & ab humeris tuis grauissimum Satanæ iugum proiice.

Galat.6

Matth.4
Deut.6

¶ Certũ igitur & indubitabile est, quod omnes vni Deo inseruire tenemur, iuxta illud Deuteronomij quo Christus tentatori respondit, Dominum Deum tuũ adorabis, & illi soli seruies. Sed quoniã iam satis explicatum & perspectum habemus vni Deo esse inseruiẽdum, operæpretium esset etiã hîc agere, quo ordine & modo Deo esset cultus præstandus. Sed quia de hoc prolixiùs in libro nostro de Vanitate sęculi tractauimus, hoc supersedentes vlteriùs progrediamur ad textum Euangelistæ nostri, & illum audiamus dicentem.

3.Par.c.7

Audiebant autem omnia hæc pharisæi, qui erãt auari, & deridebant illum.

1.Cor.2
Superbi irrisores. vide Bedam in ca.16 Luc.cap.65

Carnalis homo, dicit Paulus, nõ percipit, ea, quę sunt spiritus Dei. Ideo deridebant quia in veteri lege temporalium abundantia promittebatur, quia Abraham & multi sancti diuites fuerũt. Quia pharisæi verba Christi non intellexerũt. Nõ enim simpliciter opulentiam rerum, sed auaritiam seu seruire diuitiis Christus reprobauit. Abrahã, Loth, Iob, Dauid, & alij diuites fuerunt, tamen non seruierũt diuitiis, iuxta illud Psalmi. Diuitiæ si affluãt nolite cor apponere illis. Sed cùm verba Christi non intelligebant deridebant illum, quod proprium est superborum hominum, qui ne ignorantiam suam fateantur meliùs ducunt illud quod non intelligũt deridere, quàm dicere. Nõ satis percepi, dic iterũ, aut clarius explica, vt intelligere possimus. Hoc genus hominum derisorum perniciosissimũ est, ecclesiæque maximè incommodũ, sæpè enim numero, hi derisores solent eos, qui denuo Deo inseruire incipiunt, in virtutéque adhuc teneri existunt, à virtutis via auertere, & diabolus per irrisores filios Dei suffocat dum paruuli sunt. Hæc enim est vna de astutiis diaboli suffocare bonum inceptũ, per

Psal.61

hos irrisores, &c. Ratio autẽ cur isti irridebãt Christum erat, quia auari erant, & Christus cõtra auaritiam disputauerat. Sic etiam & nunc multi cùm reprehenduntur à concionatoribus irrident eos, & murmurant dicentes. Illud dixit, quia oblitus materiæ, quam ad prædicandum didicerat, aliud nõ inuenit, quod vel faciliùs vel meliùs dicere posset, aut quid simile. Non amat pestilens eum, qui se corripit, nec ad sapientes graditur. Respondendũ est istis derisoribus, quia & magnum scãdalum in populo causant, qui illos irridentes prædicatorum doctrinam molestè fert, atque etiam, vt intelligant se esse stultissimos iuxta illud, Respõde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. Atque ideo sequitur in contextu.

Prouerb.15

Prouerb.26

Et ait illis. Vos estis qui iustificatis vos corã hominibus, Deus autem nouit corda vestra.

Sensus est, homines, quos vident externam habere sanctimoniam, verbisque & factis neminem offendere, eos sanctos ac iustos iudicant, quidquid in corde celent. Sed Deus externam illam sanctimoniam nisi in corde radices egerit abominatur, nec quidquã abominabile est magis apud Deum, quàm hypocrisis & impia illa simulatio. Hinc Iob ait, Simulatores & callidi, prouocãt irã Dei. Deus enim corda intuetur, iuxta illud quod Samuel dixit, cum vellet vngere vnum ex filiis Isai in regem. Non iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor. Is itaque diues est, qui apud Deum diues est. Ille iustus qui apud Deum iustus est. Ex his discimus quæ sit vera iustitia, nempe interna, hoc est cordis, quam impij simulare non possunt, nec habent. Externam autem iustitiam impij, infideles, Iudæi, imò simiæ imitari possunt. Prosequitur vltra dicens.

Hypocrisis Deo exosa Theop. in hoc loco.

Iob 36

1.Reg.16

Quia quod hominibus altũ est, abominatio est apud Deũ.

Hoc est quod ab hominibus altum reputatur & magnum vt simulata iustitia, opulentia rerum, ornatus exterior, pompa atque prosperitas mundi, abominatio est apud Deum, & coram Deo vanum & detestabile reputatur, quia impedit beatitudinẽ. Ideo alia sunt iudicia Dei, & alia iudicia hominum. Quapropter ipse dominus per Esaiã ait. Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Iephte cõtẽnebatur à populo suo, quia ex legitimo matrimonio susceptus nõ erat, adeò vt etiã à fratribus suis domo eiiceretur quasi homo vilis nulliúsq; momenti. Hũc tamen quem mundus ferè pro nihilo reputabat elegit dominus, vt populum suũ liberaret. Mũdus enim plurimi facit nobilitatem generis, eósq; solet semper magni pẽdere, qui à claris natalibus orti sunt, verùm Deus hæc omnia contẽnit, nisi quis per se virtutéq; suam clarus & nobilis euadat, vt ex Iephte colligitur qui cũ esset spurius & filius mulieris meretricis, erat fortissimus atq; pugnator, & percussit Ammonitas & liberauit dominus per illum Israëlem. Quis videre posset fortissimũ illum gigantem Goliath quin eũ magnificaret, quẽ tamẽ humilis & abiectus pastor à Deo in singulare certamẽ deductus facilè superauit? Saul etiã cũ esset de minima tribu Israel, humillimáq; familia, ab omnibus pro nihilo habitus est, dicentibus, nũquid saluare nos poterit iste, & despexerunt eum, sed dominus percussit per illum Philistæos, & elegit illum in principem populi sui. Et

Esai.55

Iudi.11

1.Reg.17

1.Reg.9

1.Reg.10

Et quando in hūc mundū venit Christus non elegit diuites,principes,vel sapientes: sed piscatores, & viros infirmos secundum sæculū. Optimè intelligebat Apostolus hanc diuinam ordinationem & ritum,cum dixit ad Corinthios. Quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles:sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus,vt confundat sapientes.

1. Cor. 1

Non gloriandum in diuitiis.

¶ Discamus non gloriari in diuitiis , potentia, sapientia,neque in sæculi honore,vt multi superbi & stulti opinantur , existimantes in his consistere fœlicitatem, & tunc beatos ac felices esse , & charos Deo esse cum terrenis gaudent , & omnia sibi ad votum succedunt. Cùm populus te honorat, miratur & lætatur,& laudibus te extollit: humilia te in corde tuo coram Deo,& dic quod dicit dominus hic.Quod hominibus altum est, abominatio est coram Deo. His autem verbis & hac consideratione,sic in corde tuo facta, superbiam humiliabis,considerans te fortasis in Dei cōspectu sanctorumque suorum vltimum & abiectisimum esse, licet in oculis mundi summa dignitate præfulgeas.Discamus sæculi diuitias & mundi pompam contemnere.Illa enim verè magna sunt quæ corā Deo talia esse iudicantur,& illa exigua & minima, quæ ante illum parua existimantur. Ergo si parua despectu digna sunt:& hæc,quæ mundus alta iudicat minima sunt,cur illa non despicis ? Si christianus es,quare Christo non credis dicēti omnia quę mundus maxima esse existimat , minima sunt in conspectu Dei? Si autem ea exigua esse credis, quare amas illa?Si verò non credis esse exigua,sed maxima esse putas , cur non credis Christo ipsa esse parua asserenti? Certè Christianus esse non potes, si quidem Christo fidem non habes. Nam si christianus esses Christóque perfectè crederes,omnia hæc quæ Christus exigua esse affirmat,parui duceres , téque rursus magni penderes , vtpote quem Deus ad imaginem & similitudinē suam creauit, participémq; æternę beatitudinis fecit.Pro nihilo putat omnia hæc Apostolus ille sanctus cum dicebat,Omnia arbitratus sum vt stercora. Sed audiamus Christum vltra dicentem. *Lex & prophetæ vsque ad Ioannem.* Deridebant Iudæi eò quòd Christus temporalia contēnenda prædicaret.Cùm promissiones veteris testamenti essent de temporalibus , ideo ad hoc propositum ostēdit modo quod illud vsque ad Ioannem durauit. Lex enim Euangelica paupertatem docet & contemptum diuitiarum & regnum cœleste , quod Ioannes tanquam vir Euangelicus prædicauit , & diuitias & honores & domum paternam contempsit. Ioannes enim non inchoauit legem nouam , nec fuit legislator sed dispositor nouæ legis,nam ritus ille baptizandi nullatenus ad antiquam legem pertinebat sed ad Euangelicam , & fuit ille ritus medius inter sacramenta noua & vetera.In materia siquidem conueniebat cum nostro baptismo , cum antiquis verò in hoc quod gratiam non conferebat. Fuit ita finis veteris legis , quia terminum posuit legi & Prophetis , quia omnes Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetarunt,quia sub Ioanne completum est quidquid lex & Prophetæ dixerant, quia tunc venit Messias,qui ab eis fuerat prænuntiatus.Ipse nanque clausit omnem Prophetiam, ostendés illum in quo tota prophetia complebatur, & cœlorum regnum prædicauit, quapropter consequenter subdidit dicens, *Ex eo regnum Dei Euangelizatur.* Hoc est à tempore quo Ioannes exorsus est prædicare,cœperunt bona cœlestia apertè aperiri & promitti,& vita æterna doceri,atque Euangelica perfectio prædicari , quæ amore cœlestium & spiritualium bonorum docuit temporalia contemnere. Obserua autem quod cum dicit , lex & Prophetæ vsque ad Ioannē, intellige quod nō abiicienda sint lex & Prophetæ,post Ioannis aduentum , sed quod lex & Prophetæ fuerunt vsque ad Ioannem tanquam præparatoria, & prænuntia ad uentus Christi,quo adueniente præparatio & prænuntiatio eorum cessat, vtraque tamen remanent ad prænuntiatorum confirmationem , vt sciamus aduentum Christi ab eis diuina dispositione prænuntiatum longè antequam aduenisset.Remanent etiam ad conseruandam animi nostri gratitudinē vt eis gratias habeamus, qui nobis tā fœlicē Christi aduentum prænuntiarunt. Quemadmodum enim si quis pædagogum haberet, (vel vt etiam Apostolus dicit legem nobis pædagogum ad Christi aduentum)vbi peruenerit ad ætatem,& acceperit perfectionem non omnino reiicit pædagogum velut inimicū, sic & nos cùm educati simus in lege,& Prophetis vsque ad Christi aduentum,reperto præceptore non reprobamus pædagogum , sed gratiam ipsi confitemur,quòd pueritiam nostram deduxit,& ad perfectiores disciplinas extulit. Igitur à diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum euāgelizatur,ipse enim primus omnium cæpit dicere,pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum. *Et omnis in illud vim facit.* Ad tacitas Pharisæorum cogitationes videtur esse responsio. Cogitarunt nimirum,Prædicet Ioannes quandiu velit de pœnitentia & de regno cœlorum,certè habebit paucos discipulos. Nec enim sic stupidus est populus,vt spem pretio emat & inuisibilia visibilibus præponat,&c. Ad hoc ergo Christ' ait.Ne putetis ô Pharisæi Ioannis prædicationem frustra fieri,nec esse qui regnum Dei quærāt.Quilibet enim audita Ioannis concione vim facit in regnū Dei, cum vi acquiritur. Certè magna violentia est semetipsum negare, animam suam propter Christū odio habere, parentes, filios, vxorem pro Christo contemnere,inimicos diligere, & pro eis intercedere.Nam homo assuetus,& nutritus in amore bonorum temporalium,difficulter talia contemneret propter Deum nisi sibi quandam violentiam faciat,quia consuetudo quasi quædam natura est.Illa autem,quæ contra naturam fiunt , sunt aliquo modo violenta. ¶ Obserua autem quod regnum cœlorum alij rapiunt,alij inueniunt,alij furantur, aliqui merentur, nonnulli trahuntur vi , his enim quinque modis possidetur regnum cœlorum.Qui inueniunt paruuli sunt , qui baptizati decedunt, ante vsum rationis,hi enim statim gloriam consequuntur.Propter quod stulti sunt patres,qui mortem paruulorum suorum deflent, non minus quā esset ille stultus,qui filium suum deploraret in regiam aulam acceptum. Ideo Dominus ait , Sinite paruulos venire ad me , istorum est enim regnum cœlorum.Hi igitur inueniunt cui absque labore & merito consequuntur illud alieno studio, & opere Iesu Christi. Alij sunt qui furantur , qui tanquam imperfecti abscondunt sua bona, ne laude hominum perdant meritum. De his Christus ait,Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram

Philip. 3

Vide Ambr. lib. 8. in Luc. tom. 5.

Matth. 11

Ioan. 1

Ambr. vt supra.

Gala. 3

Matth. 3

Ambr. vt supra. & Aug. lib. 2. quæst. Euang. cap. 37. tom. 4

Quinque modi perueniendi ad regnū cœlorum.

Matth. 19

Matth. 5 hom inib᷑, vt videamini ab eis. Multi enim sunt qui exterius nõ bona fama aut laude, sed interiùs contritione & lachrymis furãtur cœlum, sicut latro in cruce, qui hominib᷑ nequã videbatur, sed corã Deo bonus & sanctus fuit. Sicut illa hæmorrhoissa, quę *Luca 23* tangens clam vestem Christi sanitatẽ obtinuit. Sic isti clam rapiunt cœlum oculis hominum non videntibus. Alij merentur, quippe qui viuentes in hoc sęculo eleemosynis & bonis operibus inten- *Luc. 8* ti cœlum consequuntur. De his Christus ait suprà, *Luca. 16* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt &c. Alij compelluntur intrare, sicut illi, qui pressuris & calamitatibus oppresi, coguntur, necessariũ pro iucundo ducentes. De his autem dicit Domi- *Luc 14* nus, Adduc cæcos, claudos, & debiles, cõpelle intrare eos. Vltimi sunt, qui rapiunt, qui hæc omnia terrena contemnentes seipsos totos Deo, & obsequiis eius impendunt, & hi fortes sunt & violenti, qui victores sunt in certamine spirituali, quo quidem certamine mali vincuntur, & boni vincũt carnem, obedientiã, paupertatem, & castitatem vouentes, & sic hostes superant. Hi violenti rapiũt illud, sed hoc est à diebus Ioannis Baptistæ, nam anteà inueniebant & furabantur, &c. Sed à diebus Ioannis Baptistæ incepit ista perfectio in noua lege. Apostoli & discipuli Christi cœperunt relinquentes omnia, &c. Hoc autem multi faciunt, ita vt quod Ioannes Euãgelizat accipere possint. Sed dicere poterant Pharisæi. Ergo & tu præuaricator *Vide Bedam in ca. 16. Luc. cap. 68* es legis? Ad hoc respondet, *Facilius est autem cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* Quidquid in lege & Prophetis scriptum est implebitur, qui enim facit quod lex faciendum præscripsit, is non potest legis transgressor dici. Vnde in *Matth. 5* Matthæo ait, Non veni legem soluere, sed adimplere. Itaque faciliùs est cœlum & terram præterire desinendo esse, quæ tamen non possunt præterire nec desinere esse, quàm vt non impleatur quod in lege scriptum est. Dicit apicẽ, vt intelligas quod nec minima pars legis præteribit, apex enim non est litera, sed pũctus positus supra literam, qui dat aliquid significare literis. Inter Hebræos tantum sunt quinque apices siue puncti, qui habent locũ quinq; vocalium, quia nulla litera apud Hebræos habet determinatum sonum, & vim vocalis, sicut apud Latinos. Illa puncta siue apices ponuntur supra, vel infra literas, & per hoc redditur sonus vocalium, & sine illis positis, vel subintellectis esset impossibile aliquid sonare apud Hebræos, sicut apud nos nulla litera præter vocales sonum habet. Illi apices sunt minus quàm literæ, eo quod Iudæi interdum sine illis legunt, eos facile subintelligentes. Quare nihil potest esse magis exiguum in Hebræorum scriptura quàm apices. Dum igitur dicit Christus, nec apex transibit, innuit nihil de lege quantumuis paruum casurum, sed omnia indubitanter implenda, nam postquã factum fuerit id quod in lege promittitur, nõ potest præterire. Pręterire enim dicitur aliqua promissio, quãdo nõ adimpletur, præterire autem & cadere pro eodem accipiuntur. Postquam tamen impletum est promissum, non potest non esse completum, ideo iam non potest præterire. Et vt ostenderet Pharisæis quanti faceret legem, noluit illam negligi vel contemni, sed potiùs perfectè adimpleri, & sic legem de coniugio attulit dicens, *Omnis qui dimittit vxorẽ suam & alteram ducit, mœchatur.* Quod vt pleniùs in- *Beda vt supra.* telligas, nota sensum perpetuitatis legis & Prophetarum etiam in minimo apice esse, quod Christus nõ soluit sed implet legẽ & Prophetas. Quod quantum ad promissiones in dubio non vertitur, quantum verò ad præcepta, de quibus potest dubitari declaratur modo in hoc cõtextu, quòd tũc implentur cùm sublatis imperfectionibus ad perfectionem reducuntur. Hoc est enim quod in hoc vno præcepto de dimittente vxore significatur.

¶ Obserua secundò quòd in lege concessus e- *Deut. 24* rat libellus repudij, ac per hoc præcepta circa coniugium imperfectionem huiusmodi habebant annexam. Iesus autem noui testamenti autor hanc imperfectionem tollit à præceptis circa coniugiũ, & sic non soluit legem, sed perfecit illam. Et quòd dicitur in hoc præcepto, intellige de vniuersis aliis præceptis legis. Significat ergo Christus subiũgendo hoc exemplum, quòd præcepta legis omnino implenda sunt, quemadmodum istud, hoc est sublatis imperfectionibus. Permittebat enim lex libellum repudij Iudæis imbecillibus, imperfectis & infirmis, & hũc tollit Christus christianis, quia status christianorum perfectior est, & oportebat carere criminibus, & ideo excepta causa fornicationis, vt in Matthæo habetur, non potest homo *Matth. 5. & 19* dimittere vxorem. Propter fornicationem tamen potest illam dimittere quo ad thorum, quia matrimonium est contractus, & dant sibi inuicem fidẽ coniuges, ergo altero frangente alius remanebit liber. Obserua autem quòd maritus in sex casibus *In sex casibus vir non potest dimittere vxorem adulteram.* non poterit relinquere vxorem adulteram, & sic intellige & limita Christi dictum. Primò quando ambo commiserint adulterium, quia iam est ibi recompensatio. Secundò si maritus propriam vxo- *Primus. 23. q. 6. per totam.* rem prostituerit pro pecunia, vel alia re. Idem est *Secundus. c. Discretioni. de eo qui cognouit cõsanguineam vxoris suæ.* etiam iudicium, si ipse maritus viderit & non prohibuerit. Tertiò si vxor putans se cum viro cõgredi decepta est ignoranter, aut contraxit putans esse *Tertius in c. cum per bellicam. 34. q. 1. & 2* mortuum. Quartò si fuerit vi oppressa. Quintò si *Quartus in c. proposito. 32. quæst. 5* vir postquam reconciliatus est vxori cognouerit eam, nam tunc non poterit eam relinquere. Sextò *Quintus. 32. q. 4. c. 2.* si vxor infidelis ab eo repudiata, contraxerit cum aliquo, & postea ambo fidem suscipiant, debent *Sextus c. gaudemus, §. vlt. extra de diuortiis.* iterum conuenire. Isti sex casus in quibus vir non potest dimittere vxorem fornicariam sunt expressi in iure Canonico.

¶ Expende autẽ quod licet vir possit in aliis casibus præter istos sex dimittere vxorem causa fornicationis, tamen non tenetur illã dimittere, potest enim parcere ei, & retinere si voluerit & cũ ea manere, nisi vxor sit adeò incorrigibilis vt ratione scãdali maritus ei consentire videatur. Nã tunc propter scandalũ tenetur ab ea separari. Hæc verò separatio ab vxore adultera quo ad thorũ potest fieri sine iudicio Ecclesiæ, sed nõ quo ad habitationẽ. Hoc tamẽ intellige quãdo adulteriũ est occultũ, si verò sit notũ quod adultera illa cũ mœcho plures dies habitauerit, tũc sine licẽtia Ecclesiæ potest ab ea separari, etiã quo ad habitationẽ, vt habetur in ca. Significasti. de diuortiis. Cæterũ quãuis illã fornicariã iure dimittat, si viuente illa aliã duxerit, apertè dicit hic Christus quòd mœchatur. *Et qui dimissam à viro ducit mœchatur.* Nam sicut vir aliã non potest ducere vxorẽ, ita nec vxor alium virũ, qua propter qui sic nupserit cum relicta à viro mœchatur. Ex

tur. Ex his Christi verbis apertissimè cõstat quòd matrimonium ratum & consummatum nunquam dissoluitur, quoad vinculum, quia licet causa fornicationis dimittatur à viro, tamen non potest alius illam ducere, iuxta Christi Saluatoris nostri sentētiam. Et ideo cùm dixit quod propter fornicationem potest vir dimittere vxorem, intelligitur quantum ad torum & habitationem mutuam, non tamen quantum ad vinculum, quia matrimonium quod semper verum fuit semper manet, nec licet alicui coniugum transire ad alias nuptias viuente altero. Cum tamen hæc ita sese habeant, nõ defuerunt olim qui contrarium asserere ausi sint, & nũc nostris temporibus hæresim sepultam quidam suscitauerunt dicentes, quod coniux innocens potest nubere viuente adhuc altero, contra Christi Saluatoris nostri sententiam. Paulus quoque Corinthiis suis sic ait. His verò, qui matrimonio coniũcti sunt, præcipio non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere inuptam, aut viro suo recõciliari. Sed discedere nequit nisi ob fornicationem, ergo fornicaria innupta maneat, quia virum habet. Et similiter vir manere debet, quia vxorem habet. Rursus Apostolus ad Romanos. Mulier viuente viro alligata est lege viri. Hanc sententiam diffinit tota Ecclesia. Et meritò quidem, nã si matrimonij vinculum per adulterium rumperetur, omnino nullus esset coniux qui vbi coniugem vellet repudiare, ilico non fornicaretur, videlicet paratum hac ratione habens remedium, vt à coniuge dimitteretur. Quod vt esset omnia matrimonia dissoluere, ita esset via ad multas fornicationes perpetrandas. Cur ergo qui accipit dimissam à viro mœchatur? quia alienam accipit.

Erasm. in annot. 1. Corint. 7. & Caiet. in Matt. 19. & 1. Corint. 7. & Matth. 19. allegat pro se Ambros. in cõmen. 1. Cor. 7. quē Magister sen. in 4 dist. 35. ait commēt. Ambros. in eodem loco à falsario esse corruptum. Amb. Catharinus etiam tenet idem 1. Cor. 7

Rom. 7

Lege Alphonsum Castro, lib. 11. aduersus hære. hære. 5.

¶ Denique vt concludam, aduertendum hic est, quod magna differentia est inter libellum repudij veteris legis, & dimisionẽ vxoris noui testamenti, quia mulier repudiata accipiebat alium virum, & vir aliam vxorem, vt videre licet in Deuteronomio. In nouo autem testamento non accipit vxor dimissa alium virum, & ideo in lege gratiæ non dicitur dari libellum repudij, etiam pro fornicatione. Sed dicitur fieri diuortium, idest separatio quantum ad torum, eo quod dare libellũ dicit fornicationem simpliciter, diuortium autem non dicit matrimonij dissolutionem, sed coniugatorum separationem. Sed satis sit iam de hjs, nunc autem Christum audiamus dicentem. *Homo quidã erat diues & induebatur purpura & bysso & epulabatur quotidie splendidè.* Quemadmodum in præcedentibus Dominus admonuerat homines, vt facerent amicos de mammona iniquitatis, quo audito Pharisæi deridebant eum, sic nunc tale exemplũ, eamque historiam horridam atque admirabilem nobis ante oculos constituit, vt eius consideratione sanguis ipse in corpore frigescere atq; cõcrescere videatur. Ostẽdit enim diuitẽ purpuratũ nullũ expectantẽ remediũ apud inferos torqueri, eò quòd pauperẽ Lazarũ, à quo in æterna tabernacula tunc posse recipi amicum sibi dũ viueret facere neglexisset. Adducit igitur hoc exemplum Christus cõtra irrisionem auaritiámque pharisæorum persuadens illis ne facere eleemosynam cunctarētur, proposito huius auari supplicio quod apud inferos subiuit, quia in Lazarum immisericordẽ se præstitit.

Deut. 24.

Lege Irenæũ lib. 4. ca. 4. & Aug. de tempore. ser. 117

Hoc autem anteà verbis tantummodo monuerat inquiens, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula, nunc verò re ipsa adducens hoc exemplum, illis persuadere nititur ne facere eleemosynam contemnant, eósque omnibus modis, quibus potest mouere laborat. Quem enim non moueret & concuteret illa vox: Recepisti bona in vita tua, nunc autem cruciaris in inferno sepultus? Grandis permutatio & rerum vicissitudo miseranda esset, si quem paulo anteà splendidè epulantem vidisses, eum postea sitientem, nudum, omnibus bonis spoliatum videres. Vnde rectè Dauid ait, Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Duo hic genera hominum ponit sanctus rex Dauid. Vnum quidem in bonis externis diuitem & gloriosum, cuius vxor, proles, familia adaucta plurimũ sunt, quorum filij (vt ait ipse Dauid) sicut nouellæ plantationes, &c. Et Iob, Semen eorum permanet coram eis propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est ira Dei super illos. Bos eorum concepit, & non abortiuit, vacca peperit, & non est priuata fœtu suo. Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum & citharam, &c. Hi sunt qui luxuriantur in conuiuiis suis (vt apostolus Iudas ait) in epulis suis malè conuiuantes, &c. Pauper verò omnia per oppositum. Sed qualis vtriusque sit finis, hæc historia docet. Docet inquam, statum vitæ præsentis & futuræ, & quàm distantes gradus perfectionis sint adepturi iusti, & peccatores damnationis in altero seculo. Nam in cœlo, qui beatifica Dei visione fruuntur adeò in omni figura sua ab hac huius vitæ mortalitate & figura mutabuntur, vt innouati in Deumque penitùs transformati, & in illa dignitate amplissima cõstituti, quæ illos mirum in modum differre faciet vt à nemine cognosci possint. Quare antiqui patres volentes significare quanta sit hominũ mutatio, illam carbonis anteaquam incendatur & posteaquam incensus est, simillimam esse affirmant, vel ferri posteaquam igne incanduit. Quemadmodum enim qui anteà ferrum non vidisset si illud postea candens videret à prunis illud difficile distinguere posset, sic hominis anima, post diuinæ naturæ in illam influentiam adeò diuersa redditur à pristino aspectu, & moribus, Dei communicatione, vt carboni incenso similis & alia multo diuersior à se ipsa dici possit. Nam carbo adeò habet in se ignis substantiam admissam, vt nullo modo possit distingui ignis materia, à materia carbonis. Hoc igitur & eodem modo intelligere debes animam sese habere postquã incenso illo beatitudinis camino carpitur, vnde quilibet regni cœlestis possessione fruẽs, in æternisque fœlicitatis summi boni constitutus, adeò difficilis cognitu reddetur, vt nemo sit qui eum videat, quin eum ob eximium gloriæ splendorem non hominem sed quasi Deũ existimet. Ita enim habebit in visceribus Deũ inclusum, vt nihil mortale habere videatur. Vnde regius Propheta, Dauid hanc animam tanta diuinitate circũseptam intuens meritò dixit. Ego dixi, dij estis vos. Hanc igitur gloriam bonis reseruatam, & hoc suppliciũ improbis præfinitũ nos docet præsens historia. Do-

Diuitum conditiones & pauperum diuersa in præsenti & futuro.

Psal. 143. Psal. 72 Iob 21.

Psal. 81

cet etiam

cet etiam aliam vitam post hanc vitam esse, & animæ immortalitatem. Nam si Deus iustus est, necessario bonis est donaturus gloriã, improbos verò inferno puniturus, quòd si aliter per impossibile fecisset, iustus nó esset, & si nõ esset iustus non esset Deus. Sed cùm hæc iustitia in hoc sęculo minimè pręstetur, videmus enim impios, diuites, pingues, & validos, omnibus ex sententia rebus illis succedentibus, è diuerso verò probos afflictos, & mille incómodis oppressos: patet aliam vitam esse iniquam, Deus tanquam iustus præmiat bonos, & punit malos. Hoc autem elegantissimè in hac historia depingitur, vbi diuiti improbo omnia prospera succedebant. Lazarus verò, qui pius erat & bonus malè habebat. Verùm posteaquam vterque huius vitæ tempore elapso ad iudicium constitit, tum demum diuiti improbo supplicium, Lazaro verò, omnium laborum requies cócessa est. Nam si post hanc vitam nihil esset aliud expectandum, aut timendum, quid esset vilius Lazari virtute? quid honorificentiùs diuitis crudelitate? Et hac de causa constituit Deus Optimus maximus in altero sæculo alteram vitam alterámque bonorum operum & malorum retributionem, vbi omnia recta indicabũtur via. Ideò Paulus ait. Si in hac vita

1.Cor.15

tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Quid esset viliùs aut miserabiliùs Christi apostolis pauperibus, & mendicis, & afflictis nisi altera esset vita? Vnde hæc historia mirum est, quantum pios homines consoletur, vitiosos verò & improbos terreat. Docet enim bonos vt in paupertate sua plagis & infirmitatibus forti constantique animo sint. Pro vita enim breui exiguóque vitæ perlato labore summa expectantur præmia. Docet Christus in hoc paradoxo necessitatem bonorum operum, & quòd fides sola sufficiens non est ad vitam æternam consequendam. Docet & præcipuè ea quæ sunt pietatis & misericordiæ. Iudas baptizatus fuit, & sacramétum communionis accepit, & tamen damnatus est. Et Israëlitæ omnes in Mose baptizati sunt, & in

1.Cor.10

nube & in mari (vtinquit Paulus) & omnes de spirituali petra, qui est Christus, biberunt, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto & perierũt ex ipsis. Hic enim diues epulo non ex incredulis gentibus fuit, quia Abraham patrem suum nominauit, & eius fratres habebant Mosen & prophetas, & ex Iudæis credétibus erat, tamen damnatus est, non propter incredulitatem, sed ob duritiem eius, & immisericordiam erga egenum Lazarum. Diues hic pro exemplo, & admonitione ponitur, ne eueniat nobis quod huic diuiti euenit. Caue ne deditus sis voluptatibus huius mundi, & præsentis vitæ. Vide ne pauperum obliuiscaris, qui ad ianuam tuam iacet, famem & inopiam patientes. Non quia diues erat damnatus est, poterat enim diuitiis benè vti, nam Abraham, Loth, Isaac, Iacob, Dauid, & multi alij diuites fuerunt & iusti, sed damnatus hic est, quia diuitiis abutebatur.

Epulo tribus modis diuitiis abutebatur.

¶ Abutebatur autem tripliciter. Primò, quia induebatur purpura & bysso. Secundò quia epulabatur quotidie splendidè. Tertiò quia non aperiebat manum suam ad pauperem Lazarum. Non dubito multos nunc esse christianam religioné profitentes, qui comedunt multò plus, quàm iste comedebat, & qui multò magis pretiosis vestibus vtantur, in pauperésque immaniores sint, & tamen gaudent, lætantur, & inaniter sibi promittũt vitam æternam. Væ illis, quia manet eos æterna damnatio. Nullis vnquam temporibus maiores sumptus, superfluitates, maiorve vanitas aut iactantia fuit in cultu, quàm nunc. Prætereà nunquam duritia maior aut immisericordia vt quisquis non immerito admirari possit, vnde tanta incómoda in christianos nunc irruerint, cùm Christus summo studio, vbique humilitatem, temperantiam, contemptum temporalium, & charitatem, verbis & operibus simul doceat? Sed hanc zizaniam hostis salutis nostrę diabolus cum pastores dormirét, super-

Matth.13

seminauit in medio tritici. Discat enim hinc quisquis christianus est, & esse vult, hæc tria ex hac historia, vt ea fugiat, ni velit in tormentis huic diuiti associari. Discat igitur primò, quòd non ad fastum, luxum, pompam, vanitatem, aut ad vestium magnificentiam vocati sumus, sed ad crucem. Sed singula hæc tria discutiamus. De primo sic ait Euãgelista. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso.* Omnia ac singula verba obseruatione digna sunt. Hominem illum vocat nó virum, vt intelligamus radicem omnis impietatis in mala voluntate & natura corrupta inhærere. Postquam

Gene.6

primus homo peccauit, omnes cogitationes hominis, ad malum tendunt omni tempore, etiam à tenera ætate. Vnde non immeritò Dauid ait, om-

Psal.13

nes homines inutiles factos, & non esse qui faciat bonum. ¶ Quidam dixit, insinuans eius singularitatem, diues enim auarus solus est, & à nemine

Singularitas diuitis epulonis.

amatur, cum omnibus sit aduersus. Nam auarus visceribus charitatis caret, patrem nescit, fratres ignorat, & propinquos velut extraneos abiicit, vnde nemini vtilis est. Quia alij peccatores licet sibi incomodi sint, aliis nó inutiles sunt. Exempli gratia. Superbus & arrogans, qui plurimis stipatus famulis, amplissimas ædificat domos, & ita ædificatores famulósque alat necesse est. Helluo verò pistoribus, venatoribus, & cauponibus, edacitate sua prodest, &c. Et sic aliis emolumento sunt alij peccatores, quod in diuitibus auaris multò aliter se habet. Nam præter hoc quòd nemini ex vsu sunt, reipublicæ summè nocere solent, frumẽtum, reliquaque necessaria asseruantes, & in tempora cariora reponentes, pauperes affligétes, omnésque summis incommodis afficientes. Quia & noxij sunt tenuioribus, eos mille modis opprimentes, & cùm se videant in tantã diuitiarum amplitudinem euectos ab omnibus obseruari, & tanquã dij adorari volunt. Eodem modo volebat ab omnibus adorari Amã, molestè ferés Mardochæi (vt ipse putabat)

Hester.3

inobedientiam, qui illi nullũ exhiberet cultũ. Hãc autem singularitaté & superbiam diuitis notauit Christus hîc dum dixit, quidam. Arbores huc illuc sese propagantes rámosq; profundentes in latera solent vmbra sua frondiumq; densitate alia arbuscula emergentia suffocare, sibiq; inuicé nocumentũ inferre, adeò vt sæpenumero necessariò amputãdæ sint, vt sursum tantũmodo surgãt, relicto aliis crescétibus spatio. Eodé modo & diuites sese cohibere & amputare debẽt, sursumq; ad vnũ Deum cogitationes suas attollere, ne proximis sint impediméto, nã qui se nimis extédit, superbiáq; eleuat, aliis circa se positis nocumento est, quare solus esse debet, si quidem neminem socium compatitur.

¶ Erat, inquit, veluti res, quæ fuit & transiuit: & tãquam

quã aër qui desinit esse. Heri fuit, hodie nõ est. Sic *Psal.36* Dauid. Vidi impium superexaltatum supra cedros libani, & ecce iam non erat. Et ipsi positi in *Sapien.5* inferno dixerunt. Quid profuit nobis superbia & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra & tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis quæ pertransiit. Eodem modo enim transierunt reges & imperatores huius sæculi principésque terreni, & diuites sicut velocissimi nuntij, & aues volantes, quę nullum relinquunt vestigium, aut sagittæ, quæ maximo impetu torquentur.

Epulo quare nomine proprio à Christo nominatus nõ sit. ¶ Obserua etiam, quòd illum non nominauit Christus suo nomine proprio. Primò, quia per ea, quæ quis peccat per eadem punitur. Impij desiderant suum nomen perpetuum facere in terra, iuxta illud Psalmi. *Psal.48* Vocauerunt nomina sua in terris. *Gene.11* Sic illi, qui ædificauerunt turrim Senaar, dixerunt, Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomẽ nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras. Verùm Deus eorum sermone cõfuso illos dissipauit, memoriámque eorũ penitùs deleuit. Quidam homo vilis cõditionis, vt nominis sui memoriam posteritati relinqueret templũ Dianæ Ephesi incendit, sed tamen iussu magistratuum, nemine illum nominãte obliuioni penitùs traditus est, Nõ aliter destruit Deus nomina illorũ qui in terra volunt celebrari. Non quæramus memoriam nostram in terris cùm videamus nomina illorum oblita esse, qui celebritatem in sæculo affectarunt, nomina autem iustorum vbique maximis bonori *Eccle.49* bus coli & celebrari. De sancto rege Iosia habet diuina scriptura. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini. A *Gene.12* brahæ dixit Deus, Magnificabo nomen tuum in terra. Quia sanctus Abraham gloriam huius mundi non quærebat, sed tantummodo Deo inseruire studebat, & ideo eius nomen in omnibus sæculis magnificatum est. Sic memoriam illorum imminuit Deus, qui nomen & famam in orbe affectãt. Cùm enim pauperes multis modis spolient, amplissima monimenta ædificant, maioratus instituunt, vt summi nominis & famæ laudem apud homines habeant, qui tamen Dei permissione cum moriuntur, omnibus ignoti & inauditi efficiũtur. Quoniam sicut Herostratus incẽso Dianæ templo famam quæsiuit, sic isti incensis & inflammatis cõscientiis suis per mille flagitia & scelera, gloriam mundi captant. Deus tamen eorum memoriam *Exod.17* destruet, sicut destruxit memoriam Amalech de super terram, & nomina iustorum in cœlo & in terra perpetuo celebrauit.

Psal.15 ¶ Secundo non nominatur iste diues, quia dignus odio erat. Scriptum est enim, Nec memor ero nominum eorum per labia mea, peccatores enim nomen in conspectu Dei non habẽt. Sic egre*Psalm.68* gius Psaltes ait de peccatoribus. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Impij enim & peccatores, vt hic diues nomen nõ habent in libro vitę, quia cum nullum commercium habeant cum Deo, nomẽ in conspectu Dei nõ habẽt. Si cum aliquo loqueris, & alius vicinus vel amicus tuus transit, ilico quærit abs te. Amice quis est ille cum quo loqueris? Tu verò respondes, nomen illius nescio, quia nulla est mihi cum illo cõsuetudo. Sic iste cùm nullam cum Deo possessionẽ haberet, nullum apud Deum nomen sortiebatur. Deum enim bonorum tantummodo qualis Lazarus erat, nomen tantummodo nouit, & ita amico *Exod.33* suo Mosi dixit, Noui te ex nomine.

Peccatorum nomina sileda ad euitandam illorum infamiam. ¶ Tertio non nominat illũ, quia vitia sua & peccata, quibus in infernum tendat commemorat. In quo docet, ne quotiescunque vitia alicuius narramus, autorem nominemus, ne aliqua infamia inde illi sequatur. Iosephus maluit in carcerẽ detrudi, *Gene.39* persecutionémque sustinere quamcunque, quàm dominam suam infamare, illius peccati accusator existens. Cum dixit pincernæ Pharaonis vt sui me *Gene.40* minisset, non enunciauit, se à fratribus suis venditum fuisse, nec peccatum mulieris adulteræ exposuit, sed tantum furtim sublatus sum, & innocens in lacum missus sum. Innocẽtiam suam proposuit, neminem infamans, nullius peccatum arguẽs. Ita Christus ab Anna interrogatus de discipulis suis *Ioan.18* & de doctrina respõdit quoad doctrinã inquiens, Ego palam locutus sum mundo. Et nullum verbũ fecit de discipulis suis, ne detegeret illorum peccatum quod commiserant, quando illũ reliquerunt, & scandalizati sunt in ipso. Quanquam iam hæc Christi doctrina apud Christianos obliuioni tradita est, qui proximos suos infamant illorúmq; peccata palam dicunt, & deficiunt, vt huius vitij dici possit omnẽ orbẽ esse labe coinquinatũ. Vnde in *Eccl.28* Ecclesiastico habetur. Multi ceciderunt in ore gladij, sed nõ sic quasi interierũt per linguam. Manus enim absentibus parcunt, lingua verò iniusta nemini parcit. Nam cùm sis in Hispania eum qui Romæ est occidere potes, illi famam & honorem eripiens. Eò autẽ magis nocere posset proximo, qui lingua persequitur illum quàm qui manibus, quo bona animi corporis bonis sunt præstantiora. Sed de his multis iam locis diximus. Videamus nunc huius diuitis primũ abusum suarum diuitiarum.

Vestium luxu *Induebatur purpura & bysso* Purpuram regis habitũ esse colore marinis conchiliis tinctum sanguineo nemo est qui dubitet. Nã conchilia ferro circũcisa lachrymas purpurei coloris, quibus lana tingitur remittunt. Byssus vero genus est quoddã lini candidissimi & mollissimi. Itaque purpura desuper ad iactantiæ põpam, subtus autem ad mollitiem induebatur. Cinerem, terram, & puluerẽ purpura se *Exod.26* rico & bysso tegebat. Arca testamenti quanquam intus & foris tota erat inaurata, sacco tamen pannoque vilissimo tegebatur. At tu qui puluis & cinis es bombycina, auréaque intertexta veste, amiciri vis. Da operam vt interiora animæ tuæ auro cõtegas pretioso amoris Dei. Exteriora enim quomodocunq; amicta esse possunt. Hinc autẽ rectè cõncere possumus vitium esse non exiguum vestibus pretiosis vti, quod à Christo Redemptore nostro vitia huius diuitis taxante, vestiũ deliciæ sint enumeratæ. Disce hunc fastum igitur & pompã mun*Hebr.11* di contemnere. Apostolus ait de sanctis veteris testamenti, quod circuierũt in melotis & in pellibus caprinis. Homines erãt sicut nos, sed agnoscentes quòd nudi egressi essent de vtero matris, & quòd nudi erãt illuc reuersuri, sicut pauperes peregrini *Iob 1* ambulauerũt in hoc mũdo. Ante peccatũ opus nõ erat homini vestibus quia quemadmodũ sol lumine, sic homo gratia induebatur, & veluti albũ liliũ exornabatur innocẽtia. Verũ postea quã innocẽtia amissa est, puduit hominẽ se esse nudũ, vnde manib' diuinis tunicæ ex animaliũ pilis cõfectę sũt, quibus primi

Genes.3 bus primi parentes nostri induerentur. Itaque homo per peccatum saucius veste indiguit qua corpus velaret, plagasque suas tegeret. Vnde qui de vestib⁹ suis gloriatur, similis dici potest illi, qui de pannis quibus vulnera sua inuoluta & astricta habet, se iactat, quod summa est ignominia. Insanus enim esset putandus qui fragilitatem suam & vulnera iactaret. Vili induebatur Iob vestimento, siquidem dicebat, Saccum cōsui super cutem meā, & operui cinere carnem meam. Nec mollior erat vestis illius sanctissimi regis, qui dicebat. Posui vestimentum meum cilicium. Illis autem qui huiusmodi vestimenta magni faciunt, ait Dominus per Esaiam. Operimentum tuum erūt vermes. Irritas Deū vanitatibus tuis, quas Deo odiosas esse Psalmista afirmat. Ne igitur in mundum inducas noua vestimentorū genera, timéque seuera Dei supplicia, qui per prophetam Sophoniam ait, Visitabo super principes & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina, & visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen, in die illa. Præconium de te ipso facis, cōspicientibus te, defectusque tuos manifestas illis, qui te anteà prudentem esse putabant, iuxta illud Ecclesiastici. Amictus corporis & risus dentiū, & ingressus hominis enunciant de illo. Ita tu bonam de te conceptam opinionem verbis tuis, cultu & gestu corporis, apud homines dilues. Interrogauit Ocozias eos, quos miserat ad consulendum Deum Acharon dicens, Cuius figuræ & habitus est vir, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc? Et illi dixerunt. Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renib⁹. Qui dixit, Helias Thesbites est. Cognouit Heliā ex vestitu, sic tu si tumide incedis & cultè summóque cum ornatu, vt inquit Amos propheta, iudicaberis ab omnibus homo vanus, arrogans & leuis. Nō te cognoscent esse aliū Heliam, sed stultum, inani veste coopertum. Exterior enim luxus indicium est luxus & vanitatis interioris, vestiúque mollities, animi fragilitatem & mollitudinē arguunt. Fieri enim non potest, vt aliquis tanta cura corporis cultū quærat, qui animā virtutibus nudatam squalere patiatur. Pauperes enim spolias vestibus rebúsq; necessariis, vt te superfluis indumentis exornes. Vnde Petrus docet in prima sua Canonica, ne christianæ mulieris ornamentū sit in externa capillatura, aut circundatione auri, aut vestimentorū cultu, sed in corruptibilitate quieti & modesti spiritus, imo in casta & pura cōuersatione & timore Dei. Sed dices, Nonne gēmæ sunt dona Dei? Verū est, sed nō ad hoc data, vt illis abutamur ad peccatū & superbiam. Quantū verò hæc Deo displiceant, audi quid Dominus dicat per Esaiā, & intelliges, Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerūt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebāt & ambulabant, & pedibus suis cōposito gradu incedebāt, decaluabit Domin⁹ verticē filiarū Siō, & Dominus crinem earū nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentū calceamētorū, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gēmas in fronte pendētes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & teristra. Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitiū, & pro fascia pectorali cilicium. Romani gentiles ditissimi, qui toti orbi imperatūt publicè statuerunt, ne cuiuspiam vxor, plus semuncia auri ad vestium suarum ornatum adhiberet. Denique vt concludam, respice Christum Iesum orbis Dominum atque Imperatorem in cruce nudum pendētem propter te, vt ea consideratione, si verè christianus es, de cogitatione & animo tuo omnem luxum stultitiámq; humanam deponas. Quid enim inanius? Hic cùm esset, dùm viueret, ditissimus, moriens nihil secum abstulit, præter vilissimam sindonē, qua inhumatus est. Nec tu aliquid amplius ex hoc mūdo asportabis cùm discesseris, quod vel cras fortasse, vel citiùs quā putas eueniet. Sed hæc sufficiant. Iam secundū abusum diuitiarum istius audiamus.

Job.16 · Psal.68 · Esaia 14 · Psal.5 · Sophon.1 · Eccle.19 · 4. Reg.1 · Amos 6 · 1. Petri 3 · Esai.3

Et epulabatur quotidie splendidè. Abominabilis idololatria est hæc, quia vilissimam creaturam deificat, & peior in hoc quàm idololatria paganorum. Nam illi auro & argento, & marmoribus diuinos honores tribuunt, at isti epulones ventrem pro Deo honorant, qui est quasi latrina. Ideo Paulus de hac maledicta idololatria dicit, Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorū, qui terrena sapiunt. Quia sicut Deum summo honore venerari deberēt, & omnia meliora de rebus suis illi offerre, sic ventrem suum venerantur, offerentes ei pretiosa, & summo studio præparata ciborum genera, sempérque dediti sunt ventris seruitio, illū quasi Deum colentes. Et quod peius est, gloria eorum est in cōfusione ipsorum, quia iam amissa peccandi verecundia, gloriantur ex his operibus nequitiæ, de quibus erubescere deberent. Terrena enim tantum sapiunt, & nihil nisi quod vidēt, intelligunt. O infœlices qui velut illi, qui conuiuiū aliquod splendidum facturi, priùs volatilia, cæteráq; animalia saginant, sic isti corpora sua nutriunt, vt ex illis deliciosisque carnibus suis posteà in sepulchro opiparum exhibeant vermibus conuiuium. Dic mihi quæso nonne esset ille insanus, qui latronem cras suspendendum pretiosis dapibus pasceret, vt pinguis efficeretur? Sic nos cum capitali sententia simus condēnati, stultissimi essemus si corpus morti damnatū in deliciis pasceremus. Hinc naturalis ratio nos admonet, vt abstinentiam seruemus, omnémque ingluuiem ciborúmq; superfluitatem fugiamus, quod euidētiùs tibi ante oculos proponam. Primo siquis homo sapiēs stipēdiarius esset, quotánisque certū vectigal soluere teneretur, si secundū rationem se gereret non ampliùs solueret, quā illud quod teneretur, & hoc etiā inuitus & coactus, ab his enim qui tributū aliquod soluere tenentur. omnia quæ possunt per fas & nefas eripiūtur. Dic ergo mihi, hæc nimis curiosa lectorū, cortinarū in hyemē conquisitio, guadamisiliū, pannorúmque bombicinorū, culcitrarū ad æstum: illi præterea diuersorū ciborum apparatus, tēporúmque electio ad voluptatem, quid aliud sunt quàm quoddā durissimū vectigal quo teneris? Sæuissimū quidem est hoc filiorum Adam tributum, quare quemadmodum nobiliores cæteris sunt, qui omni tributo & vectigali soluūtur, eodem modo eximia corporis censenda est nobilitas, quod nec esui, nec potui, aut quieti, cæterisque mortalitatibus subiectū est, vt nihil aliud studeat. Sācti in cœlo nobiles & ingenui sunt, in quorum similitudinem omnes resurrectionis die claris generosisque corporibus omni mortali seruitio & tributo exempti stabimus. Sic Paulus inquit Romanis. Va

Philip.3

nis. Vanitati creatura subiecta est, sed ipsa liberabitur à seruitute corruptionis in libertaté gloriæ filiorũ Dei. Tempus aderit scilicet quãdo creaturæ liberæ stipendio & ingenuæ erunt, quia nec cibo nec potu indigebunt, &c. Habebunt libertatem filiorum Dei, Angelorum videlicet, nam sicut ingenui sunt in cœlo, liberi omni stipendio & tributo viuunt, similiter & nos viuemus. Ergo si stipendiũ est, corpori cibum impendere, stipendium auté soluere, nulla est nobilitas, sed potius summa vilitas, non ad luxum, sed ad necessariam sustentationem tantum, corpori nutrimentũ concedamus. Et hoc tributum, quod soluere tenemur tanta soluamus consideratione, vt vix illud soluamus, quod nullo modo nõ soluere possumus. Quod etiam soluétes molesto animo & tristi & quasi coacti soluere deberemus, summus enim labor est, homines tributũ soluere. ¶ Præterea si cum rege aliquo loquereris de his rebus agens, quæ nimiũ tua interesse putares, non molestè ferres summumque dispendium existimares esse, si aliquis te ad ostium vocaret ad quem necessario rege relicto esset tibi accedendũ? Certè negari non potest. Sic homo quotiescũque à rebus terrenis interpellatur, quominus diuina consuetudine fruatur stipẽdium se soluere & libertatem amittere, cogitare debet. Nam vt Diuus Augustinus, ait, creauit Deus hominem, vt summũ bonum intelligeret, intelligendo amaret, & amando frueretur. Ideo Dauid inquit, Venite & narrabo quanta fecit Deus animæ meæ. Quæ beneficia sunt hæc sanctissime propheta? Ad ipsum ore meo clamaui. Dignatus est me tanto honore vt cũ illo loquerer, eiúsque consuetudinis diuinæ particeps fierem. Quod beneficium quo quis ad consuetudiné diuinam admittitur particepsq́; fit per sacras preces arcanorũ Dei, tantũ est, vt nihil maius dici possit. Summa est voluptas, quam percipiũt illi tantũmodo qui se contemplationi tradunt diuinarum rerum, quæ nemo præter ipsos quanta sit vnquam nouit. Hi igitur omnes molestissimè ferunt, relicta Dei dulcissima consuetudine tributis vectigalibus corporis soluẽdis intendere. Cur igitur tu Deũ relinquis, vt corpus nutrias? Si quispiam rex famulum sibi in primis gratiosum haberet, secretorũmque omnium præfectum, posteáque illũ equis scalpendis & pascendis præficeret, profecto summa illũ ignominia notaret. Huiusmodi enim famulus nõ mediocriter doleret se à tam alto dignitatis & gratiæ loco in tam vile, & ignominiosum officium esse detrusum. Non aliter tu quotiescunque precibus diuinisq́; operibus relictis sensus tuos pascis, & libidines, nihil aliud agis, acsi Dei domini tui cõsuetudine prætermissa equos scalperes. Nõ sunt sensus nisi bestiæ, qui cõmunes sunt illis & nobis. Seneca cũ esset gentilis, tamen de hoc tributo quærebatur inquiẽs. Maior sum, & ad maiora genitus, quàm vt corporis mei mancipiũ siam. Grande seruitiũ est, summáque miseria, vt sit aliquis mácipiũ corporis sui, cogatúrque sæpenumerò illi potum, cibum, cæteráque subministrare. Si essemus qui esse deberemus, summpore dolendum esset nobis quotiescũque hoc tributum solueremus. Sed nullam molestiam capimus, quia id tributum, non tributum putamus. Hoc auté ex eo prouenit, quia parũ de diuina consuetudine contéplatione & precibus curamus. Educatus es, & institutus in hoc sæculo, corporique alendo semper operam dedisti, & ita hanc operam vsu laborandi, iam minimè laboriosam sentis. Sentiebat tamẽ Dauid qui Dei familiaritate vtebatur, quare inquit: de necessitatibus meis erue me. Dic mihi ô Dauid, necessitates istæ sunt necessariæ, an non? Si necessariæ, quare petis vt ab illis eruaris? Si voluntariæ & non necessariæ sunt, tu illas facillimo negocio tollere potes. In terra, inquit ille, impossibile est eas non habere, sed vellem ab hoc sæculo discedere, ad Deúmque peruenire, vt illis vacarem. Et hoc est quod Paulus petebat, Infælix ego, quis me liberabit à corpore mortis hujus? Cupiebat Paulus se videre liberũ à corpore mille necessitatib᷑ subiecto, vt illud immune deinceps habere posset. Sic sanctus ille Bernadus, religionis apex, lux mundi, & laus monachorũ, ducebatur ad cibum, quasi ad tormentũ. Sicut enim medicamentũ ad purgationẽ acerbũ sumeres non voluptate sed necessitate ductus, sic hoc stipẽdium corpus tuum pascendi, inuitus & necessitate coactus, subire debes, iuxta illud Apostoli. Curam carnis ne feceritis in desideriis. Non prohibet Paulus tibi ne comedas, sed ne tanta cura & voluptate cibo & potui indulgeas. Non tollit ædificia, sed præcipit ne tantis sumptibus, & impensis ædifices. Nõ reprobat vestimentorum vsum, sed vestium superfluitatem & luxuriã, &c. ¶ Habete igitur corporis, vt par est curam, eo tamen modo, vt cura nõ libido dici possit. Omniaque desideria vestra in hoc cõstituite, vt ab omnibus his curis liberari cupiatis. Hinc præcipiebat domin᷑ in lege veteri, vt qui turturẽ esset oblaturus, illius caput prius eo modo torqueret, vt nec omnino auulsum, nec rursus penitùs vt anteà fixũ pẽderet, innuẽs huiusmodi sacrificio & ceremonia curã corporis nullo modo penitùs esse deponendam, quia omnes hoc tributum soluere tenemur. ¶ Secundò aduerte hanc esse maximam differentiã inter diuites & pauperes quod pauperes, vestibus decisis incedunt, calceisque pertusis, at diuites multò aliter recentibus vestibus & calceis vtuntur. Hoc autem corpus nostrum nihil aliud est quàm quoddam animæ vestimentũ, sicut Iob dicebat Deo. Pelle & carnibus vestisti me. Nã quemadmodum nullum vestimentum sine corpore moueretur per se, ita nec hoc corpus tuum sine anima aliquid posset agere. Cùm igitur in hoc sæculo quidam pauperes pannosi & vestibus decisis vtentes simus, nisi quotidie potu cibóque corpus quod vestimenti vicem subit resarciamus, subsistere nõ poterit vitæ laboribus. Vnde somnus, cibus, potus, singula resarcimina sunt quibus hoc vestimentum suimus. In cœlo recẽtissima inueniemus vt homines diuites, vestimenta, quia vt Paulus dicit, Christus reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Attẽdite quã recẽtia nos maneant vestimenta, quibus fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei. Hic verò hoc vestimento corporis adeò trito & veteri vtimur, vt nisi illud quotidie resarciamus, impossibile sit nobiscum permanere. Sed etiamsi nullo modo illud resarcire non possimus hãc perpetuò prudentiã adhibe, vt vbicunque vnũ satis erit sarcimen duo non congeras. Nã iuxta scissuræ magnitudinem, est sarcimen insuendum, & iuxta caloris innati coctionẽ & vim, irrogandus est corpori cibus. Sed modo multò aliter se res habet, pro parua enim corporis rimula mille farcimina inducuntur, incredibile est quàm variæ missionum dapúmque formæ in vno

Margin notes: *De diligen. Deo. cap. 2.* — *Psalm. 65* — *Psal. 24* — *Rom. 7* — *Rom. 13* — *Leuit. 9* — *Maior hodie corporis quã anima habetur ratio.* — *Iob 10* — *Philip. 3* — *Matt. 13*

conuiuio, vel cęna congerantur. Hoc autem nonne summa insania est? vt videlicet magnifaciat homines vestes mille locis nulla vrgente necessitate resarcitas, id est, corpus pluribus quàm satis est dapibus pastũ summámque amplitudinem & nobilitatẽ existimẽt Epicuro & Sardanapalo similes fieri? Qui vt etiã multò deformiores & viliores videantur, discoloribus vtuntur sarciminibus. Si pallium pulli coloris resarcire vis, pullo vteris pãno, ne sarcimen à reliquo pallio discrepet. Si enim esset viride aut purpureum, omnibus ridiculũ videretur. Quãta igitur deformitas vestimẽto illi inerit quod nõ vno sed plurimis discoloribus pannis cõsutum fuerit? Eodem modo tu tempore quadragesimali necessitate affectata carnẽ prima mensa comedis, extrema verò pastinaca, lampetra, recentibúsque piscib' vesceris, quę inter se cùm dissimillima sint fictam, & caussatã mendosè necessitatem tuam arguunt, téque pro vna scissura corporis vestimenti, simplicique egestate, vario, multiplicísque sarcimine vsum esse. Iuuenalis poëta satyricus, luxũ in cibo & potu nimiũ Romanorũ reprehendens, dicebat, Quis fercula septẽ, secreto cœnauit auus? Qua si diceret. Quis antiquorũ Romanorũ septem missiones cænauit? Exi ô Iuuenalis ab inferno, vt visas Christianorum regias in quibus inuenies non modo qui septẽ, sed etiã qui septuaginta fercula vnica cæna ingurgitet. Sed poterit respondere Iuuenalis & meritò, mihi opus non est isthæc ab inferno inuisere, qui enim ea perpetrant aliquãdo ad infernum peruenientes mihi nullo meo labore nũciabunt. Si ergo poëta ille tam molestè & iniquo animo, illorum Romanorũ, gentilium virorum luxui iã ferebat in cibo & potu, cæteróque humano cultu, quid faceret, quid diceret, aut scriberet, si profusiones christianorum videret? Immutesceret credo, nihilque præ dolore dicere posset. Quis enim adeò verbosus est, vt sermone comprehendere possit, quot gulæ irritamẽta Christianis in vsu sint? &c. Hinc tantummodo factum credo vt diues hîc immanem & immisericordem se in Lazarum ostẽderet, quia plus nimio ventri deditus, nihil sibi super esse arbitrabatur. Sunt autem aliqua peccata, quæ aliorum causa quodammodo sunt, animam enim adeò opprimunt, vt ferè non in alia crimina quotidiè incidat. Huius generis fuit inuidia Caini, quæ causa Abelis extitit homicidij. Eò enim quod inuidus erat fratrem suum occidit, & ita inuidia fratricidiũ peperit in Caino, sicut in Iuda auaritia proditionem. Sic dicimus septem esse peccata capitalia, non quod non sint plura, sed quia hæc sunt caussæ & genimina aliorum. Diues hic in infernũ missus est, in primis quia se immisericordẽ erga pauperes præcipuè Lazarum, quẽ quotidie ante ostiũ suum videbat, præstitit. Euangelista tamen noster, antequam ad hoc peccatum perueniret immisericordiæ, alia illius diuitis vitia explicauit, vestium videlicet luxũ, & quod comedebat quotidie splendidè tanquam crimina immisericordiam præcurrentia, qui enim nimis splendidè comedit & vestitur, maiori ex parte æs alienum contrahit, mutuo accipit, quæ soluere nõ potest, & ita aliena diripit, aliáque plurima scelera perpetrat. Hic est processus, quẽ contra huiusmodi diuites Christus dominus noster facit. In primis vestiũ ciborúmque luxũ notans, qui enim huiusmodi conditione viuẽdi astringuntur, ad faciendam eleemosynam impotentes redduntur. ¶ Discamus abstinentiam & sobrietatem, iuxta illud Apostoli, Si secũdum carnem vixeritis, moriemini, si autẽ spiritu vitia carnis mortificaueritis, viuetis. Nauis quæ supra modum onere premitur, mergatur in profundum, necesse est. Eodem modo tu si pluribus cibis corpus tuũ onerraueris, animã tuã in profundũ culpę pessundabis. Diabolus cibo primos parẽtes nostros sup. rauit, & Iob filiorum suorum conuiuio primum tẽtauit. Deus verò vt nobis significaret exiguam esse homini de cibo curam habendam priùs brutorum victum quàm hominum stabiliuit. Paulus vas electionis multis modis corpus suum macerabat, tu autem qui palam profiteri debes te esse peccatorem, in delicijs viuis vitamque cibo & potu sumẽdo cõsumis? Daniel vt paratior esset ad diuinas cõsolationes accipiẽdas tres hebdomadas ieiunauit pane, carne, & vino omnino abstinẽs, quare posteà quamplurimas visiones cœlestes, reuelationésque vidit. Nulla alia dæmon habet arma quibus te oppugnet præter carnem tuam propriam, ergo si inimico sine periculo resistere vis, armorum vigorem infringe priùs corpusque tuum macera. Nam qui se tradiderit delicijs corporeis, carniq; indulserit, in ditionem dæmonis veniet. Priùs destruxit Daniel idolum Baal, & posteà draconem in eo latitãtem. Sic tu afflige idolum carnis tuæ vigilijs, abstinentijs, & precibus, & triumphabis de dæmone. Nihil enim est quod tanto terrori dæmoni sit, quã vitæ asperitas, nihil rursus quod illum audaciorem faciat ad tentandum, aggrediendumque homines, quàm nimia cibi & potus copia, deliciarúmque corporis mollities. Sed de his aliàs.

¶ Obserua etiam quòd non solùm dixit euangelista, quòd epulabatur splendidè, sed quòd hoc faciebat quotidie. Vitio tribuendum non est alicui quòd interdum splendidè comedat, ludat, vel lætetur, homines enim prorsus humanitati renũciare non possunt, aliter quis huius vitæ onus sustinere posset? Sed quòd quotidie splendidè comedas, semper ludas, & otieris, maximum vitium censendum est. Iacob, qui virum spiritualem & perfectum repræsentat, à Mesopotamia in regionem suam veniens, Esau fratrem suum per quem caro significatur adorauit. Fratres enim sunt corpus & anima, sociique coniunctissimi, tunc autem demùm spiritus carnem adorat, quotiescunque vir spiritualis cibo & potui cæterisque corporis necessitatibus se interdum subijcit. Sed audi quid Esau ad Iacob dicat. Gradiamur simul: eróque socius itineris tui. Corpus enim quotidie splẽdidè affectat comedere & gaudere, & quia semel te perpulit, vt in agrum te conferres, ientaculum duceres, splendidè conuiuareris, orat te vt semper facias. Sed attende ad Iacob qui societatem Esau recusauit, aliáque via digressus regionem suam peruenit, vbi altare ad inuocandum Dei nomen ædificant. Sic tu vno vel altero die lætari cum amicis tuis potes, eo tamen modo, ne morem tuum orandi, contemplandi, abstinentéque & seuerè viuendi relinquas. Sed tunc multò magis Dei nomen inuoces, laudisque altaria ædifices. Hic miser & infœlix diues quasi sus ventri deditus, omnem curam corpori impendebat, splendidè quotidie comedẽs. Sed nõ multò aliter videmus hoc nostris temporibus à quamplurimis improbis christianis factitari, quorum omnis cura & cogitatio de ventre est, fœda ciborum varietate resarciendo.

Iuue. Sat. Marc. 14 Gene. 4 Roma. 8 Gene. 3 Iob. 1 1 Cor. 9 Dan. 10 Dan. 14 Gen. 33

resarciendo. ¶ Obseruandum denique est Deum dominum nostrum nihilominus huiusmodi peccatoribus & diuitibus improbis salutem, vitam diuitiasque omnes & bona elargiri, si posfit, his illecebris & beneficiis eorum animos ad se trahere & à mundi erroribus auocare. Nemo est qui aucupādi artem calleat, qui falconem errantem quotiescunque ad dominum suum redire non vult, minis aut ostenso fuste vocet, sed carne ostentata suauique cōpellatione eū alliciēs. Eodem modo Deus improbos qui extra manum eius aberrant plurima beneficia confert, diuitiisque multis pane, vino & carnibus eos affatim implet, vt his deliciis allecti in manū & voluntatem Dei redire gaudeāt. Expectat item peccatorū conuersionem, vt videntes peccatores quantū Deo debeant, iam tandem aliquando conuertātur. Sed nō pauci sunt, qui velut falcones feri & fugaces, nec etiam his tantis beneficiis allecti in manum Dei venire nolūt, beneficiisque diuinis, huius auari diuitis more abutuntur. Qui cum à Deo quamplurimas diuitias accepisset, non modo non veniebat ad Deum gratias agens, verùm abutebatur eis primo in luxu vestiū, secūdò in cibis, tertiò quia inopi Lazaro eleemosynam non dabat. De his tribus abusionibus diuitiarum ait Ezechiel Propheta. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis & abūdantia & otium, & manum egeno & pauperi non porrigebant. Vsque adhuc de duabus primis abusionibus huius diuitis disseruimus. Iam tertium videamus. Sed antequā crudelitatē huius diuitis dicat euangelista, priùs quis ille pauper fuerit explicat, dicēs.

Ezech.16

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus. Apud mūdanos nomina diuitum sciuntur, & cùm de eis verba fiunt nominatim explicantur, pauperū autē nomina nesciūtur, nec si sciantur digna existimantur aliqua appellatione. Quod si de aliquo eorum sermo fiat, dicitur quidam pauper. Verùm secūdū ordinem spiritus oppositū obseruatur, vt nos hîc Christus docet, qui diuitem non nominauit & nominauit pauperem. Docet præsertim prælatos vt nomina pauperum sciant, & visitent eos, & tanquā filios diligant, & curam illorum gerant. Obserua hîc contra quosdam qui ausi sunt dicere in veteri lege pauperes non mendicare, dicentes mendicationem à Deo prohibitam esse. Quod si verum esset, Lazarus contra legē fecisset, & si contra legē fecisset nō deductus esset ab angelis in sinū Abrahæ. Helias quoque mendicauit. Et Paulus ad Hebræos ait, de sanctis veteris testamenti, Erant angustiati, afflicti, & egentes. Egentes, id est mēdici. Ad illud autem quod potest obiici ex Deuteronomio, vbi Dominus ait, non erit mēdicus inter vos, non est præceptum pauperibus impositum ne mendicent, sed diuitibus vt illis necessaria suppeditent. Acsi diceret diuitibus. Eā liberalitatē in pauperes ostēdite, vt nulla vrgeantur necessitate mendicandi, nihil enim cariùs emitur, quàm quod petitur. Quare si diuites tales essent quales esse deberent, nemo mendicus esset nullúsque pauper ostiatim peteret. Quin etiā & Diuus Thomas ait, illud quod Deus in Deuteronomio dixit, non esse præceptum sed consilium.

3. Reg.17
Hebr.11
Deut.15
S Thom.2.2. q.187. artic.5. ad.3

¶ Obserua autem & diligenter expende mirabilem diuinorum operum conuenientiam & ordinem. Multi sunt qui mirātur dicentes, Quare Deus illi diuiti improbo, tot bona & diuitias concesserit, è diuerso vero misero Lazaro homini iustissimo tot incommoda, tot ærūnas & plagas inflixit? Qua in quæstione adeò irretiūtur & turbantur sæpenumerò, vt nullam solutionem satis idoneam inuenire possint. Hos autē ego freneticis & insanis simillimos iudico, quibus omnia circumcirca posita, nulla in sede morari, sed gyris & volutionibus assiduis rotari videntur. Illa tamē inuersio & turbatio non in rebus extra positis sed in iudicij, capitisque moderamine posita est. Eodē modo opera diuina summo ordine & compositione procedunt, quòd si aliquid secus esse videatur, culpa in delirium iudiciorum nostrorum, non in diuinam sapientiam coniicienda est. In quo idem nobis accidit, quod illis accidere solet qui opus aliquod inceptum inspiciunt, cuius artificium cum ignorent, admodū solent admirari, cùm ordinem, tùm etiam partes operis, magnitudine, materia, figura adeò distātes, vt nihil ad rem facere videantur, nisi artificis accedat documentum & explicatio, aut operi summa manus imponatur, postcà vero quā opus iam perfici & omnia locis suis quadrare incipiunt, tum demum apparet quantum cuiusque partis in magnitudine, materia, & figura diuersitas cōuenerit. Ita & nos cum partes huius diuini operis & ecclesiæ simus, mirum non est, si alicui admirationem moueamus cōditionum nostrarū diuersitate. Deus enim summus, sapientissimusq; artifex, vt partes huius operis suis locis congruentes faceret, nos alios diuites, pauperes alios, alios nobiles, alios verò humiles esse voluit, cuius rei perfectio & causa opere demum finito exactè cognoscetur, quando viuos & mortuos iudicaturus dominus in potestate magna, formamque cuiusque partis recogniturus in opus suum gloriæ sempiternæ aderit. Nonnullas tamen possumus huius diuersitatis causas, licet hoc in iudicij die multo perfectiùs sit cognoscēdū, assignare. Prima est vt iustificetur Deus coram hominibus. Cùm enim sint nō pauci, qui iniquum esse iudicant diuitias à Deo & bona temporalia illis hominibus cōcedi, qui iustè illis maiori ex parte non vtūtur, quia & superflua sibi arrogāt, & necessaria pauperibus non impēdunt, vt Deus hanc de se impiam hominum opinionē diluat, causāmque suam apud homines defendat, pauperes esse voluit, qui domesticatim eleemosynam petentes, diuites elargiri compellant, quo facto diuites sint misericordes. Et Deus illorum diuitiarum elargitor iniquus nō censeatur, eò quòd diuitias illis cōcesserit, qui illis peruersam abutuntur, sed potiùs laudetur, & iustificetur, eleemosynæ faciendæ diuitibus primus omnium autor existens. In scriptura autem eleemosyna vocatur iustitia, nō alia vt puto ratione, nisi quia & Deus diuitiarum largitor, & diuites per eam iustificātur. Dispersit (inquit Paulus) & dedit pauperibus, & iustitia eius manet in sæculū, sæculi. Eleemosyna igitur iustitia vocatur, quia eleemosynam faciens Deum iustificat, ne iniquus aut casus prouidentia videatur. Etiamsi enim pauperi diuitias non dedit: satis est diuiti daturo pauperi dedisse. Vnde quotiescunque eleemosynam facis, duplex bonum operaris. Gratum te ostēdis & Deum iustificas, quatenus eum rectè omnibus creaturis prouidisse eleemosyna tua confirmas. Quia autē abundantia tuarum diuitiarum & pauperis egestas adeo publica sunt, vt omnibus pateant; ea de causa gaudet etiā Deus publica iusti-

Pauperum inopia non à Deo semper sed à diuitibus procedit.

Psalm.111
2.Cor.9

ficationē, quare pauperes publicè mittit, vt publicè eleemosynam facias, publicéque Deum iustifices. Ideo pauperes nequaquam de Dei liberalitate queri possunt, ille enim omnibus satis cōsuluit, diuitibus bonis quampluriniis, pauperibus diuitum eleemosynis, quòd si secus fiat, culpa malorū est dispensatorum, non domini, cuius est indefessa liberalitas. Quemadmodum enim qui simul diuertunt ob multitudinem diuertentium deficientibus lectis, singulatim solēt bini & terni accumbere, vnde sæpenumerò accidit, vt socius qui in altera spōda cubat, vniuersa in somnis stragula ad se rapiat, sociósque frigori expositos relinquat, nulla hospitis culpa, quæ omnia necessaria optimè prouidit, & ad sternendum lectum, & ad cuitandum frigus, ita nihilo magis culpanda est diuina prouidentia, quę omnia necessaria non solùm hominibus, sed etiam aliis creaturis in mundi principio ordinauit. Quare si secus aliquando accidat, mortalium non diuinæ prouidentiæ culpa est, qui vel superbia, vel auaritia, aliorum hominum bona, quasi quoddam stragulum plusquam satis est sibi adrogant. Quare si pauper necessitate vrgetur, diuitis accusanda est nequitia non Dei, qui sufficiēter pane & vino omnibus prouisit. Plurimos enim inuenies, qui numerosa palliorum, aliorumque supellectilium copia abundant, alij verò è diuerso non pauci sunt, qui nec necessaria ad vitam sustentandā habent, quod si homines aliter sese gererent, quod in medio est omnib[9] esset satis, diuitibus pauperibus de his quę habent, impertientibus. Ergo pauperes ne de Deo queramini, sed vnusquisque pauper de vicino suo queratur, qui bona aliena, malè quæ à Deo accepit dispensando sibi arrogat. Deus enim constituit diuites quasi nutrices indigentiū, nam quemadmodum nutrici optimus cibus datur, vt pinguiori lacte infantem regium nutriat, sic Deus te fecit vberiorem, vt tu proximos tuos vberiori lacte à necessitatibus vindicares. Verùm multi diuites sunt qui Deum sæuitia sua infamant, præsertim apud vanos stultósque sæculi homines, Deum iniustum credentes, eò quòd pauperum necessitatibus non consuluerit. Deus tamen aliquando pro honore suo pugnabit, causámque suam in finali iudicio iustificabit, cum dicet, Esuriui & non dedistis mihi manducare, Sitiui, &c. Matth.25 Tamen pauperum famem suā vocat, quia famē suam eiusque culpam Deo pauperes imputare solent. At quoniam me non iustificastis (dicet Deus diuitibus) coram illis, qui me vt iniustum notabant propter plurima bona, quæ vobis tribui, ego me iustificabo cum vestro magno malo vosque in infernum detrudam. Ego enim si aliis e largitus sum diuitias, eo feci ne putarēt homines nullam mihi in temporalibus esse potestatē. Aliis verò negaui, quia eorum saluti expediebat. Certè vt studiosiores religionis & nō cupidi efficerētur. Nam si Deus omnia rogata cōcedere vellet, quis illi non magis mercedis causa, quàm amore inseruiret. ¶ Atque ideo secunda ratio cur Deus fecit pauperes hæc fuit, vt scilicet essent qui Deum amore & deuotione, & non ambitione colerent.

Pauperib. aliquādo Deus diuitias negat, ne in deteriores fiant.

¶ Tertiò facit Deus pauperes, ne mali vsqueadeò diuitias & bona temporalia magnifaciant, intuentes bonos quamplurimos homines Deique amicissimos illa non esse adeptos, & cōtrario boni paruipendant omnia bona temporalia, quæ mali consequuntur, si bona dicenda sunt. Quartò facit Deus pauperes ipsorum causa. Nam quasi medicus sapiens inedia ægrotum conficit vt à morbo liberetur. Sic Deus penuria rerum necessariarū sibi dilectos corrigit, ne in vitia labantur. Arescerent proculdubio pinus, funditusque interirent, nisi quotannis superflua amputarentur, illi enim luxuries spiritus earū vitales obturaret & occluderet ad exitiumque pinus perduceret. Sic diuitiæ animam oppilant adeò, vt non pauci in conscientiis suis rectè instituendis periclitarentur, si bona temporalia pro animi sui libidine retinerent. Vnde non parua est diuina cura, quæ hominibus inutilia & nociua negat, ne illis causa ruinæ sint. Quemadmodum enim auibus pennas secare solemus, ne auolent, sic multis tollit Deus diuitias ne superbiant & extollantur in perditionem suam. Alios verò facit Deus pauperes, vt eorum patientiam exerceat ad meritum.

¶ Quintò non solùm propter vtilitatem pauperum tantummodo fecit Deus pauperes, sed etiam propter diuites, pauperibus enim medetur Deus vicerosis diuitum conscientiis. Vnde vtiliùs est diuitibus esse pauperes, quā pauperibus esse diuites, maiúsque officium est in diuites eleemosynam accipere, quàm in pauperes tribuere. Rom.15 Sic Paulus ait. Obsecro vt adiuuetis me in orationibus vestris, vt obsequij mei oblatio accepta fiat in Hierusalē sanctis. Ex quibus verbis colligitur plus lucrari dātes quàm accipientes eleemosynam, siquidem opus est Deum precari vt accipiatur eleemosyna. Christus autem domum Marthæ petiuit cœnaturus ibi, non quod non haberet aliàs vnde cœnaret. Luca 10 Angeli enim affatim illi ministrare potuissent, cœnam, sed propter illius & sororis vtilitatem. Eodem modo Helias ad viduam Sareptanam iuit ob viduæ ipsius commodum. 3.Reg.17 Maius enim beneficium cōsequuta est vidua Heliam pascendo, quàm Elias ab illa pastus accepit. Idem dicendum est de duobus discipulis euntibus in Emaus, Christo sub pauperis peregrini figura, & habitu accepto. Luca 24 Hoc igitur summum remedium est diuitis ad salutem eleemosynam scilicet pauperi facere. Siquidem paupertas ea potissimum de causa permissa est à Deo in terris vt sit diuitiarum veneni tiriaca quædam præsentissima. Quod videre clariùs possumus in hoc diuite, cui in salutem datus est pauper Lazarus: Lazarum verò pauperem esse voluit Deus, vt patientia sua cęlum mereretur. Hanc autem medicinam non clàm, sed adeò in promptu porrexit Deus illi diuiti vt dicat euangelista de Lazaro loquens.

Epuloni nullum excusandi refugium.

Qui iacebat ad ianuam eius. Vt maius meritum accumularet, videns fœlicitatem diuitis, & è contra pœna diuitis augeretur, quia videns pauperem nō est compassus illi, & etiam vt non ignoraret quod non vidisset illum, nihil enim est in hoc diuite, quod possit patrocinari. Nam omnia argumenta defensionis hîc diluuntur, omnesque viæ præcluduntur, ita vt nihil prorsus sit reliqui quod possit diues in excusationem adducere. Nam si dixerit quòd tanta fuit multitudo mendicorum vt non potuerit omnibus auxiliari, euangelista contrarium affirmat, inquiens, Erat quidam mendicus, non multi, sed vnus. Si dixerit non noui eum, nec illū vidi, & forsitan accepisset eleemosynā si ab alio non recepisset, euangelista contra ait, iacebat ad ianuam eius. Si dixerit diues, non adeò ægrotus fuit

fuit, potuisset manibus operando victum quærere, euangelista ait. Erat vlceribus plenus. Denique si dixerit, non magna premebatur fame, respondebit euangelista. Cupiebat saturari de micis cadentibus de mensa diuitis. Sic omnes purgandi rationes tollit euangelista, diuitémque facinorosum conuictum damnat, vt hominem impiū & ab omni humanitate alienū. Iudicabuntur in die iudicij mali tanta seueritate, vt vel minimæ defensioni nō sit locus futurus, iudicia enim Dei adeò iustificata sunt, vt Dauid in Psalmo dicat. *Psal. 18* Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Obmutescent peccatores omnes non habentes quid respondere aut allegare possint coram iustissimo Dei iudice, &c. Non poterat itaque dicere diues hic se non vidisse illū, qui ante eius ianuam iacebat, denique quomodo daret absenti, si præsenti non dabat? Sed prosequamur historiam. *Vlceribus plenus.* Tot habebat ora clamantia, quot vulnera, quorum tamen nihil impiissimum illum diuitem mouet.

¶ Expende autem quod quamuis Lazarus multis malis affligeretur, nullam contra homines querelam, nullam in Deum contumeliam effudit, nec vllum impatientiæ indicium extulit. Sic faciunt electi qui gloriantur in tribulationibus suis, voluntatem bonam patris sui scientes sibi æternum regnum daturi. Discamus ergo hoc exemplo miseriam nostram pœnitentiam , & crucem patienter ferre. Breui res mutabuntur cum Lazaro, atque ita vt crux in æternum gaudium mutetur. *Cupiēs saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis.* Quemadmodum mundus diuiti quantū potuit liberalissime omnia concessit pretiosa vestium supellectile, ciborúmque varia abundantia illum locupletem faciens, omniáque in illum bona quæcūque potest impendit, sic è diuerso huic Lazaro quæcunque eripere potuit, abstulit, adeò vt etiam veste & victu ad vitam necessariis eū priuaret, innumerísque plagis affecerit. O ingentem ignorantiam, omnibúsque hominibus meritò deplorandam, quā paruis de rebus condemnētur mortales, ne videlicet exigua sibi à Deo imposita præcepta adimpleāt. Deus verò adeò in omnibus rebus suis se iustum ostendit, vt neminem quod implere facile nō possit efflagitet, contentumque se forte profitetur, si illum tēporis, rei familiaris, ciborúmque superfluis pauperibus erogatis colamus. Quot enim pauperes possent sustentari reliquiis illis, quæ ludētibus aut comedentibus sæpenumero redundāt, qui micas de mensa tua cadentes tātummodo petunt, vt possis in die iudicij extremo iustificari, si nūc cum tēpus habes illis subueneris? Ille sanctus vir Booz vidēs pauperē mulierē Ruth spicas à messoribus, relictas colligentem, dixit messoribus, De vestris manipulis proiicite de industria, *Ruth 2* & remanere permittite, vt absq; rubore colligat, & colligētē nemo prohibeat. Eodē modo deberēt & diuites facere, multas de mensis suis de industria pauperibus relinquentes, quib. sustētarentur, reliquias. Nā quod incōmodū tibi videtur, superflua quæ tibi prodesse nequeunt pauperibus erogare? De hoc autem iniquissimo diuite ait hîc euangelista, tāta illum auaritia fuisse infectum, vt licet summa omnium rerū copia abundaret, extremæ tamen Lazari necessitati succurrere nollet. Vnde sequitur in contextu.

Et nemo illi dabat. O crudelitatem horū temporum eximiam. Siquidem nemo iam inter christianos inuenitur, qui pauperum misereatur. *Non ex super fluis facienda eleemosyna, sed etiam ex necessariis.* In illa enim ecclesia primitiua tāta in pauperes vigebat liberalitas, vt satis non esse vili christiano videretur si ea, quæ poterat tribueret, nisi etiam de necessariis ad vitam suam largiretur. Hac de causa laudātur à Diu. Paulo *2. Cor. 8* Achaiæ & Macedoniæ habitatores, qui cum summa premerētur inopia, tamen vltra facultates suas pauperibus consulebant, rebus etiam necessariis ad vitam propter Deum erogatis, multis lachrymis testantes apostolos, vt ea acciperent pauperibusq; pro arbitrio dispensarent. Quare non potest nō esse Deo gratissima eleemosyna puro & pio animo facta, etiāsi vltra vires cuiusque facta sit. Siquidem Diuus Paulus in simili casu tantopere Macedonum pietatem laudat. Nam etiamsi polititica liberalitas in eo quod quisque sine suo dispendio erogare potest versatur infusa, tamen hoc medium non seruat, quippe quæ necessaria etiam propter Deum solet elargiri. Sic temperantia infusa non tantum abstinet à voluptatibus, quæ animam & vsum rationis impediunt, sed etiam radicitus omnia humanarum fomenta libidinū euellere tētat, quo facto spiritui corpus subiiciat. Pulcherrima liberalitas est pauperibus etiā vltra vires opem ferre, præstat enim nimiæ accusari misericordiæ, quàm impietatis. Abdiæ prophetæ *4. Reg. 4* tanta fuit pietas, vt se maximo ære alieno astrinxerit, quo prophetas egestatis tempore sustentaret, quo tamen ære illius vxor posteà liberata fuit aucto Helisei opera, oleo. Huius autē diuitis tanta extitit auaritia, vt non modo sibi necessaria, sed nec etiam superflua pauperi daret. Qua de causa optime ait Diu. Chrysostom. *Chry. Matth. cap. 8* malle se cum mille dæmoniacis quàm cum auaro vno versari. Nam ille, qui à dæmone vexatur vestem discindens corpusq; dilanians, sibi soli incōmodum infert, at auarus proximis in primis nocet. Procul enim dubio quotiescunque pauperi fame oppresso rebus tuis si potes non opitularis, illum propriis bonis spolias, quia tunc bona tua, non tua, sed pauperum sunt, quibus nisi subuenias extreme indigentibus manifestum furtum committis. Hinc Diuus Augustinus ostendit *August. de verbis Domini ser. 29* auaros feris esse multò immaniores, illæ nāque nisi ingruente fame venari non solent, qua sublata cæteris animalibus pacem concedunt. Diues verò auarus semper aliena diripit, plura indies cupit, nec quantumuis sit omnium rerum copia plenus satiatur, & tantum abest, vt pauperi summè indigenti subueniat, vt etiam illum quomodocunque potest expoliet.

¶ Obserua autem in hoc quòd non solùm damnat euangelista diuitis huius auaritiam & crudelitatem, sed etiam seruorum eius & familiæ: nō modo enim Dominus, sed nec seruus, aut familiaris quispiam extitit qui misericordia motus Lazaro de dimēso suo ferret opem. Qualis dominus, tales famuli sunt. Si enim dominus crudelis est, familiares misericordes esse qui possunt. *Eccle. 10* Vnde in Ecclesiastico habetur. Secūdum iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Domino aleatore, vniuersa familia ludo indulgēt. Si autem dominus libidinosus sit, eodem modo & famuli censentur, & è contrario, domini boni cōtinentis & misericordis, misericordes continentes, bonísque sunt familiares. Vnde quotidie videmus in domo diuitis liberalis in pauperes, famulum quemque viso paupere ad ostiū cū elee-

mosyna accurrere. Hinc videmus filios patrē, parentes, famulos dominos suos in omnibus sibi æmulādos proponere. Sic in domo huius diuitis cōstat omnes pro domini sui libidine in Lazarū fuisse animatos, quippe qui cum non modò nō aliqua eleemosyna solabatur, sed etiam frequentibus iniuriis afficiebant & molestabant. At quid opus est verbis? similes erant domini sui. Ideo ait Euangelista. Nemo illi dabat. Discant ex hoc domini & parentes, vt tales ipsi sint, quales suos esse volunt: minores nanque natura duce, maiorum exempla Gene.18 sequuntur. Abrahami famulos bonos fuisse certum est, legimus enim vnum ex illis celeriter ad gregem cucurrisse, vt inde aliquid afferret in Angelorum hospitium, qui sub peregrinorum forma ad Abrahamum diuertebant. Idem fecit Sara eius vxor, vt intelligas omnes illius familiares, qui diligenter Deum colit, eodem modo ad Dei cultum esse diligentissimos. Loth etiam, qui nutritus erat in domo Abrahę, hospitalis fuit & misericors, Item Ioseph, quia bonus erat, bonum habuit ser- Genes.43 uum, qui cæteris filiis Iacob dixit, Pax vobis. Deus patris vestri reddidit vobis pecuniam. Econtra 2.Reg.13 verò Absalon, qui erat impius, famulos habuit impios, quippe qui Amon fratrem domini sui interficientes nefarium scelus perpetrarunt. Non poterant enim ab Absalon melioribus viuendi exemplis instrui. Discant ergo patresfamilias suos docere non tantū verbis sed operibus, præclarisque actionibus. Hoc autem quantò secus nunc eueniat, nemo non videt, si eos attendat, qui aulicum viuendi statū secuti, pro bonis moribus omne vitiorum genus contrahunt, cùm tamen à maioribus suis magnatum & potentum virorum seruitio sint addicti, vt vrbanitatē vitæque cultum addiscant, quæ illi omnia in ludum desidiámque transferunt. Sic fortasse plerisque Iudæorum visum est, qui filios suos pharisæorum seruitio mancipant, existimantes eos apud dominos suos summa morum integritate instituendos fore, à quibus tamen miseri iuuenes hoc duntaxat edocti sunt, quomodo scilicet Iesum dolo accusarēt, omniúmque Saluatorem morti traderent. Ideo ait Ioannes, quòd Ioan.7 miserunt Pharisæi ministros vt apprehenderēt Iesum. Sed tu non multò aliter facis: quippe qui famulos tuos citiùs ad inhonesta munera subeunda, quàm vel ad sacrum audiendum, vel ad confessionem annuam peragendam compellis. Igitur mira nemini videri debent seruientium flagitia, qui dominorum suorum nutus omnes & voluntates obseruantes eorum similes euadunt. Sed de his satis.

¶ Expende etiam idem nunc vulgò passim factitari, quod hunc diuitem fecisse conquerimur. Illi nanque non defuerunt opes, quas in vestium ciborúmque luxum, ludum, & istius genera vitia insumeret, sed quibus inopiæ Lazari subueniret. Sic modo magnates huius sæculi vana vestium supellectile affluentes, conuiuiorum, libidinúmque luxuria corrupti, egestatem affectatam quærūt, qua possint largiori se indies cibo potúq; ingurgitare, at veræ miserorū inopiæ succurrere se non posse causantur. Et quod nequius est, quantumuis magno ære alieno oppressi sint, nihilominus dolis, fallaciis, fœdissimisq; versutiis sumptus facere nituntur, vbi de opum, aut cuiusuis vanitatis æstimatione agitur, ne illorū opinio apud homines defraudetur, vel eo minus humanæ stultitiæ sit inseruitū. Verùm si rogantur, aut in virginis orphanæ matrimonio locandæ dotem, aut aliud pietatis opus, tunc demum apparet ingens æris alieni vinculū, tunc illa inueterata inter auaros formula. Dominus tibi opem ferat. Hinc videbis hospitia, monasteriaque non pauca, ab istorum maioribus, melioris notæ hominibus cœpta, nequaquam ad debitum finem perduci, quia huiusmodi est eorū auaritia, vt omnia quæ in Deum, à quo bona vniuersa sunt, erogent pro amicis reputent causamque suæ paupertatis fore in posterum existiment. Hos autem qui sic erga Deum parci, erga mundum effusi & prodigi sunt, lepori simillimos ego iudico, quòd quadrupes anteriores pedes cùm breuissimos habeat, posteriores habet prælongos, in quos minima corporis videbatur necessitas incumbere. In mundum sunt liberales, parci & auari erga pauperes. Non aliter se habuerunt filij Israel qui se au- Exod.32 ro argentoque domesticatim spoliarunt, vt vitulū illum nefandum conflarent, cui velut Deo cultum exhiberent. Sic isti nefarij diuites faciunt in cōcubinas, libidines, variaque crimina perpetranda, liberaliter omnes opes suas prodigentes, sed in pia perparcè nimium, aut nihil erogātes, quod in hoc diuite manifestè nobis proponit Euangelista. Cuius, cùm esset in vita effusissimus, auaritiam erga Lazarum iustè miramur. Scurræ non grauabatur, vestem bombycinam, aureámue largiri. Christo impartiri nolebat vel paruum panis frustum. Hac de causa præcipiebat Deus in lege veteri vt paupe- Leuit.14 res etiam agnum Deo offerrent, videns multos, fictam erga Deum ministrósque eius inopiam causari, quare noluit eum, qui ad vouenda vitia diues est, esse inopem ad sustentandū eius ministros. Ergo cùm diuites, tum verò pauperes iubet Dominus offerant in templo diuitum munera. Nam quo ad Deum, Deíve cultum nemo inops esse aut videri debet. Attamen heu quantis hodierna die malis est deprauatus orbis terrarū, in quo nemo pauperem amat, nemo propter Deum solatur, nemo nec videt quidē. Quot hodie Lazaros vident mūdi amatores & animarum suarum hostes & peremptores, & sunt mágis soliciti de phaleris equorum, & canibus venaticis, & scurris, quā de Christi pauperibus. Vnde Dominus per prophetā conqueritur Amos 6 dicēs, Bibentes vinū in phialis, & optimo vnguento delibuti nihil compatiebantur super cōtritione Ioseph. Diues hic bibens & comedens non cōpatiebatur super paupertate, & Lazari vlceribus. Sed vt diuitem hunc & omnem domum eius confundat Dominus, audi quod sequitur. *Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* O crudeles homines, qui sinitis canes, quod vobis incūbit, officium exequi pietatis, pudeat vos miseros sic crudeles esse. Canum est latrare, peregrinos mordere, abigere hospitales, nō recipere hospitio aduenas & ignotos. Atqui vicit brutorum natura hominum duritiem, dum miseret languentis hominis humi confidentis. Humaniores fuerunt canes hominibus.

¶ Hæc ait euangelista Christum de diuitis, paupérisque vita dixisse, alterum cum altero conferendo. Diues enim crudelitate laborabat, mollibus vestibus torpebat, luxúq; corrumpebatur nimio, pauper verò è contra, fame, nuditate, inopiáque summa

ma omnium rerum vrgebatur. Ille geniali stertebat lecto, hic in nuda cubabat humo. Sed sicut in viuendo, sic in moriendo dissimillimi extiterunt. Eccle.2 Nam omnes morimur & quasi aqua dilabimur. Pauper & diues, nobilis aut ignobilis, doctus vel indoctus, omnes simul mortem oppetunt, vnde moritur doctus simul & indoctus. Cùm igitur horum duorum vitæ adeò fuissent distantes, vt iam vidimus, modò Euangelista de vtriusque exitu & priùs de Lazaro ait.

Factum est autem cùm moreretur mendicus. Misera huius sæculi vita, cùm sit vndique multis circumuallata periculis, & incommodis, non immeritò ab omnibus iustis hominibus maximè habetur odio, ne ius beatitudinis amittant aliquo modo, quia nulla est peior viuendi conditio, quàm in ea vita versari, in qua facilè sit cœli iacturam facere. Et ita omnes sancti summè cupiebant, se mortem cum vita commutare, renuentes eam vitam viuere, in qua nulla sit tam antiqua virtus, quæ non arescere, & corrumpi possit. Quare postquam iustus superauit maris tempestates in portum tutissimum ab angelis summa lætitia excipitur, dicentibus, Factum est iam, consummatum est, nullum deinceps periculum, aut timor sit tibi, quare hoc verbum factum est, suam emphasim habet. Factum est iam & consummatum. O factum iusto suauissimum, impositus est laboribus finis, iam desinent dolores & miseriæ. O bonam fortunam, magnam fœlicitatem, nemo poterit iustum inde vlla vi interturbare, nihil est ampliùs timendum, iam factum est. Pari verò ratione iniquus viuẽdo iudicium quod subiturus est prorogat, cui diuina liberalitas viuendi vsuram largitur, vt pœnitenti conuertatur iudicium in melius. Et ne fortè hoc tan- Ezech.18 tum aliquem lateret beneficium, publicare fecit Deus apud omnes ditionis suæ agẽtes, quotiescũque ingemuerit peccator. Semper enim nos Deus vocat, & inuitat in cœlum. Vnde an ignoras quod Rom.2 benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Si hoc nõ nouisti, in diem iræ thesaurizas. Eodem modo omnis infernus mortem impij expectat, timens quia quilibet peccator dum viuit vitam corrigere potest, quantumcunque incorrigibilis videatur. Sed si in iniquitatibus suis ad mortem vsq; persistit, ilico dæmones alacritate furibunda exclamãt & miseri mortalis spolio gaudentes, inquiunt. Iam factum est, nihil amplius restat, noster, noster eris, iam non potes vitam corrigere, quam in æternum perdidisti, te nobis nemo eripiet, secludite curas, factum est. Aduertat dominus tam diram ab auribus nostris vocem. Quando ergo omnipotens Deus peccatori, coram omnibus angelorum sanctorumque ordinibus dixerit, factum est, erit ille in æternum hæreditate cœlesti priuatus, quam tamen dum viuit recuperare, licet millies amissam, potest, quod tamen si non fecerit veniens ad illud seuerissimum tribunal, audiet illud verbum terribile, factum est. Clausa est cœli ianua, nullo deinde nec expectando remedio relicto salutis. Ideò si sapis, nunc dum tempus datur clama, nunc lachrymarum effunde riuos, criminum tuorum pœnitẽs, 2.Cor.6 quoniam ecce nunc tempus acceptabile, ecce nũc dies salutis.

¶ Verùm aliqua hîc obseruanda sunt. Primum horum est, qualis sit ordo narrationis de superbo diuite, & de paupere Lazaro. Dum enim de viuentibus loquitur humano more, de diuite primo locutus est & posteà de Lazaro, nam primo dixit vitam diuitis, & posteà vitam pauperis. Præposuit diuitem pauperi differens de vita vtriusque, quia in hac vita diuites præponuntur pauperibus, & sedent primò in theatris, in foro, in conuiuiis & in omni honore & loco pauperibus præferuntur. Sed dum de his iam vita functis narrationem incipit, narratio pauperis præponitur, quia pauperes diuitibus in alia vita præponuntur, & ideò cùm de alia vita agitur, primò fit mentio de paupere, & diuiti præfertur. Ideo priùs loquitur de morte & retributione pauperis, quàm diuitis.

¶ Obserua iterum quod quando dicit de paupere dicit, vt moreretur mendicus, non dicit mortuus est mendicus sicut dixit de diuite, mortuus est diues. Non posuit præteritum perfectum in mendico, quia Lazarus non perfectè mortuus est, quia si corpore mortuus est, non tamen anima quæ viuit Deo, & nihil perfectũ habuit in morte, quam moriendo euasit. De diuite autẽ dixit, quod mortuus est vsus præterito perfecto, quia verè & perfectè mortuus est, morte animæ per culpam & morte corporis.

¶ Denique obseruãdum quod gloria sanctorum à morte incipit, sicut gloria impiorum, morte finitur. Calamitas & miseria Lazari morte finitur, nã quem homines viuum despexerant, hunc in morte portant angeli. Et quis credidisset hunc inopem & à toto mundo despectum hominem: Deo in cœlis tam charum & acceptum esse? verùm longè alia sunt Dei iudicia quàm hominum. Vnde dominus per Esaiam dicit, Non sunt viæ meæ viæ vestræ, & cogitationes meæ, cogitationes vestræ, nam sicut exaltantur, &c. Quomodo autem dominus honoret suos in morte, audi Euangelistam de mendico dicentem.

Piorũ gloria in morte incipit, impiorum verò finitur. *Esai.55*

Et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Ex quo intelligimus angelos adesse morituris, quod videlicet suo fungantur officio in quod designati sunt. Vnde Paulus. Nonne omnes administratorij sunt spiritus, propter eos qui hæreditatẽ capiunt salutis? & Dauid. Angelis suis Deus mandauit de te vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Fœlix anima quæ hîc à nemine nisi à canibus visitabatur, nunc verò non vnus sufficit angelus, sed Angeli occurrerunt multi, qui portent eũ. Docemur sanctorum Angelorum fidei, tutelæ atque custodiæ, nostras animas in vita pariter & in morte assiduis precibus commendare, quatenus ab incursu spirituum malignorum (vti rugiẽtium præparatorum ad escam) defensas in lucis ac pacis loca deducant. Petereà ex hoc loco satis constat dæmones nullam habuisse potestatem in animas iustorum, ante Christi aduentum in sinum Abrahæ, sicut nec habent modò super animas purgatorij neque tunc habebant. Nã si detinuissent sanctos in sinu Abrahę, habuissent ius ibidem deportandi. Dæmon enim nullam habet potestatem nisi in existentibus in peccato originali vel mortali, & non vtcunque, sed taliter vt vasa etiam & arma ipsius & possessio eius meritò dicantur. Iusti autem quamdiu perseuerant in iustitia, neque in hoc sæculo, neque in futuro in

Chrysost. de diuite epulone tom.2 *Hebr.1* *Psal.9* *Angeli piis morituris assistunt.* *Eccle.38* *Luca 11*

potestate eius fuerunt.

Vide Augu. lib. 4. de Orig. animæ cap. 15. 10. 7

¶Porro sinus dicuntur loca maris à procellis & ventorum turbine libertima. Et quidem mundus iste velut mare fluctuat, & ventis tentationum agitatur maxime. Ante verò Christi aduentum iustorum animæ à corporibus libere egredientes non perducebantur ad portum cœlestis patriæ, sed interim in regione quietis manebant, qui patrũ limbus appellabatur, qui propter sui trãquillitaté etiá sinus dicitur, & creditur supra locum pœnarũ esse. Dicitur tamen sinus Abrahæ non quod illic primò venerit Abraham, cùm multi iusti ante ipsum vita functi essent, sed quia pater dicitur credentiũ in Christo, quibus locus ilic seruatus est. In hoc sinu detinebantur patres ante Christi aduentũ, vbi moriens Christus descendit, quæ infera vocabantur loca superiora ab inferno vbi cruciantur damnati, à quo eduxit sanctas animas ad portum cœlestis patriæ, & mansit sinus ille vacuus, nam post Christi mortem iusti perfecti moriétes statim euolant in cœlum, imperfecti verò sicut tũc ita & nũc igne purgatorij purgantur. *Iob. 17* De hoc sinu ait Iob. In profundissimum infernum descédẽt omnia mea. putasne saltem eueniet requies mihi? Merito auté portatus fuit Lazarus in sinum Abrahæ, vt inhos- *Gene. 19* pitalitatem illius diuitis auari patriarcha sanctissimus reprehéderet, qui refugium pauperum fuerat, & apud quem primũ cœpit vigere pietatis schola, & cuius doctrina Loth pietatem edoctus est. Sed de diuite iam audiamus. *Mortuus est autem diues.* Igitur sic moritur diues vt pauper. *Mors fatalis omnib.* Hoc si animaduerterent reges, principes, diuites & potentes huius sæculi, superbiam, arrogantiãque dediscerent, qua putant se vermibus, vt pauperes corpora sua non pascere, quasi subliniori materia formata, quam aliorum, cum reuera omnia nata intereant & aucta corrumpãtur. Meminerint igitur superbi huius sæculi tyranni vermes eorũ corporibus non parciturus, quæ postmodum in puluerẽ vilissimũ conuertentur, vt saltem hac consideratione aliqua ex parte arrogantiam suam diminuant. Nihil sunt diuitiæ, nihil generis nobilitas, vt morté omnibus certam auferant. Quare si opibus aut nobilitate, quibus ab Adã hæres es institutus, morbos, mortem, aut aliqua incommoda vitæ effugere posses, magnum esset quamplurimas possidere diuitias, clarisque esse ortum natalibus. Sed cùm diues, pauper, nobilis. & ignobilis, rex vel pastor, omnes simili modo moriũtur, quid absurdius, quàm in huiusmodi vanitatibus spem ponere? Ergo cùm omnes homines simus eadem conditione nati, meritò eisdem vitæ incommodis nemo nostrũ est, quin sit subditus. Si rex aut imperator liber esset à morte & omni alia infirmitate, res esset profecto excellentissima regis aut imperatoris conditio, sed nemo potest esse rex aut imperator quin sit homo. *Matth. 18* Hoc innuit Saluator noster, cùm dixit, Simile est regnum cœlorum homini regi. Non satis fuit dicere regi, siquidem qui rex est homo est. Sed sin- *Mors non respicit personá.* gulari consilio, regi, addidit homini, vt videntes reges & potétes se esse homines vt pauperes morti reliquisque vitæ incommodis subiectos desinát superbire, sibiq́ue persuadeant eadem mala in quæ nati sunt omnibus esse communia, nisi forte diuites cũ morte aut inferno aliquid pacti sunt, vt ait *Esai. 28* Esaias, ne illis noceat. O insane tunc mortem vidisti? scis quomodo se habeat, qui cum ea tam facilè quæuis pacisceris? nouisti illam de facie? aut quo colore figuraue sit? Expertus verò es inferni cruciatus, aut publicam accepisti à Deo fidem te nunquam moriturum? Considera igitur, licet sis ma- *Finis gaudij mundani.* gnus aut potens, vt hic diues fuit, te esse mortalem, & sic facilè honores, diuitias, & cætera inania sęculi despicies. Nam quid prosunt vniuersa blandimenta, deliciæ, aut voluptates carni morituræ? Ideo Dauid ait. Quæ vtilitas in sanguine meo *Psalm. 29* dum descendero in corruptionem? Attende ad hunc diuitem, quem omnes fortunæ suæ à morte liberare non potuerunt. Vnde Ecclesiasticus ex- *Eccle. 10* clamat dicens. Quid superbis terra & cinis? Perpende diligenter suam conditionem & naturam, & in quam dissoluendus eris materiam, & omniũ tuarum vanitatum finem cito impones. Arbores cognoscuntur quædam ob truncorum differentiam, quædam ob frondium, fructuúmque proprietatem, sed traditæ igni & in cinerem redactæ, cognosci nequeunt. Non cognosces mixtis cineribus proceram pinum, aut excelsam populum ab humili myrtho. Sic homines dum viuũt & degũt in sylua mundi huius cognoscuntur, ob maiorem stipitem, quidam ob verborum folia, hic in flore pulchritudinis ille in altitudine principatus, sed cùm mors venerit, in cineres redacti cognosci non poterunt. Mistis cineribus quid interest inter principem & colonum? Quid profuerunt istis aurum, argentum, vestes, diuitię, famuli, cognati, aut familiares? Omnia hæc nihil valuerunt, nec superbia aut gloria vana sæculi fuerunt tanti vt sectatorem suum morti eriperent, aut à vermibus corporum custodibus fidissimis carnem, aut denique ab inferno animam vindicarent. Ea propter clamabat *Baruch. 3* Propheta Baruch, dicens, Vbi sunt principes gentium & qui dominantur super bestias quæ sunt super terram, qui ludunt in auibus cœli, qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, &c. Exterminati sunt & ad inferos descéderunt, & alij loco eorum surrexerunt. *Iob 21* Iob etiam, Moritur, inquit, diues & fœlix. Non enim possunt locupletes se suis nummis à morte redimere, vel aliquam secum certam deferre pecuniam. Ideò in Psalmo habetur. Ne timueris cùm diues factus fue- *Psal. 49* rit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria, &c. Et iterum. Relinquet alienis diuitias suas, & sepul- *Ibidem.* chra eorũ domus eorum in æternum. O stulta diuitum scriptura, pessimúmque testamentum: Relinquunt animam diabolo, corpus vermibus, & diuitias mundo. Vnde in persona eorum ait Sanctus *Iob 16* Iob. Ego ille quondam opulentus repente contritus sum. Hic finis est mundani periturique gaudij, cuius extrema luctus occupat, & omnia importuna mors sub sua iuga mittit. Vidi (inquit Dauid) *Psal. 36* impium exaltatum supra cedros Libani, & ecce *Psal. 72* iam non erat. In labore hominum non sunt, ideo tenuit eos superbia, &c. Mors dura omnia æquat, omnia ex imis euertit fundamentis.

Quanquam Lazarus, & diues hic dùm viuerent essent dissimiles, quia alter opulentus, alter verò mendicus erat, attamen in morte similes fuerunt, quoniam neuter illorũ, illius aciem potuit effugere. At in præmio etiam diuersi extitere. Aqua saporem contrahit terræ, qua transit, nam si venam salis aut sulphuris offendit salsa, sulphureáue fluit,

& calida,

2.Reg.14 & calida, si terram bonam, dulcis manat. Omnes morimur & quasi aqua dilabimur. Mors autẽ saporem vitæ contrahit, vnde quoties vita bona est, mors etiam suauis est, vitam verò malam, mors acerba & amara consequetur. Qualis ergo fuit vita horum duorum talis extidit vtriusque exitus. Vbi nunc diuitis diuitiæ, vbi splendor, vbi mundi gloria? Seipsos infœlices homines seducunt, non
Prou.11 enim diuitiæ liberant homines à morte, nec pecu-
1.Tim.6 niis potuit iste redimere mortem. Quare Paulus non abs re scribit discipulo suo Timotheo. Præcipe diuitibus huius sæculi, ne sublime sapiant, nec
1.Ioan.2 sperent in incerto diuitiarũ, sed in Deo vero. Mundus enim transit, & concupiscentia eius. Hoc tecũ reputa vana esse omnia & transitoria. Non enim
Hebr.9 multum erat, diuitem mori, quia statutum est omnibus hominibus semel mori. Verùm id quod sequitur est perpendendũ. *Et sepultus est in infernum.* Vsitatũ est vnicuique, vt in sua parochia post obitum sepeliatur. Ius suum diabolus districtè sibi defendit, nec patitur eum qui suæ debetur parochiæ alio loco sepeliri. Vide si in vita parochianus eius sis, si aqua cõcupiscentiæ ab eo baptizatus sis. Parochiani enim eius sunt qui suorum operum & initia & consummationem quasi primitias soluunt & decimas, qui lasciuiis, cantilenis, dictaminibus, impudicitiis, carminibus vanis, aut verbis detractoribus, vel dicendis vel audiendis intendentes parocho suo diabolo student adesse. Ij in sua infernali parochia sepelientur.

Cura diuitũ maior de cadauere suo est quàm de anima.

¶ Obserua autem quòd cùm de morte pauperis loquebatur, non dixit vbi esset sepultus, nec nomine sepulturæ vsus est, aut de supultura egit, sed loquens de diuite dixit, quod esset sepultus. Omnis superbi diuitis cura magnificè cõstruendo corpori sepulchro cernitur, nec moriens recordatur animæ suæ, sed omnes cogitationes & conatus in rebus terrenis collocans, insignia gentis suæ summa contentione sibi adfabre insculpta superimponi iubet, cæterorúmque vel in pace vel in bello facinorum similitudinem, ne apud homines illius nomen intereat.

Greg. Ho.40 in euange.

¶ Rursus obseruandum hîc est maximè quæ culpa diues hic damnatus fuerit, non enim legimus illum aut fœneratorem aut furem fuisse, sed quod de bonis suis (quæ fortè iustè quæsierat) pauperi non impertierit. Expende qua pœna mulctandi erunt raptores, vsurarij, fures, qui aliena retinentes pauperes spoliant, cum æterna damnatione puniatur hic, qui non abstulit aliena, sed quia de propriis & superfluis pauperibus non erogauerit. Timeant vsurarij, timeant illi, qui aliena retinent, cum hic tam diro torqueatur supplicio quod propria non sit elargitus. Sed historiam prosequamur.

Eleuans autem oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu eius.

Ex naturalibus non patet quomodo iste cognouit Abraham, quoniam si anima diuitis vidit alias animas, quomodo cognouit illam fuisse animam Abrahæ, & illam Lazari? Itaque eleuatio oculorũ ordinatio est intellectus ad Abraham & Lazarum, & hoc intelligi potest diuinitùs factum, & per hunc modum cognouit Lazarum & Abraham. Ordinatio siquidem diuina effectrix fuit istius discretionis. Ad maiorem autem sui pœnam vidit Lazarũ in sinu Abrahæ, hoc est, in certa & quieta æternæ beatitudinis spe quiescere. Iustum enim erat oculos illos immisericordes puniri, in hoc quod hic noluerunt misereri. Sed frustrà in suppliciis oculos aperit, quos olim inopi & mẽdico crudeliter clausit. Hinc rectè vir iustus nos instruens ait. Non auer- Eccl.4
tas faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies domini. Sicut talpa, quæ cæca est in vita, sic iste non vidit seipsum nec Deũ, sed terrenas cupiditates, veluti talpa sub terra degens, quæ dicitur in morte aperire oculos suos. Sic isti in morte aperiunt oculos, & vident vanitatem, quam anteà diligebant, dicentes, Quid profuit nobis superbia aut diuitiarum iactantia, quid contu-
lit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra Sapien.5
& tanquam nuntius præcurrens, & tanquam na- Psal.118
uis quæ pertransit, &c. Optime dictum, sed sero dictum.

¶ Expende autem quod à longè vidit Abrahã, vt scias quàm longè sit à peccatoribus salus. Tam longè enim erat diues iste à paupere, quantũ gratia Dei à peccato, & à vitio virtus, & ab inferno beatitudo, tam distantes post obitum fuerunt ambo, quantum distabant eorum corda in vita. Ad-
uerte etiam ad quadruplicem commutationem, *Quadrup. lex mutatio in paupere & diuite.*
quæ fuit inter diuitem hunc & mendicum Lazarum. Primò diues, qui in aula magnifica & in sublimi cathedra sedebat, abiectus in ima iacet, & pauper qui ad ianuam diuitis omni solatio destitutus
fuit in sinu Abrahæ recipitur & honoratur. Sic per Prouerb.14
Salomonem dicitur. Iacebunt mali ante bonos & impij ante portas iustorum. Secundò diues in deliciis, & pauper in laboribus vixerat & doloribus, nunc vice versa diues cruciatur, & Lazarus exul-
tat. Vnde per Esaiã Dominus dicit. Ecce serui mei Esai.65
comedent & vos esurietis, ecce serui mei bibent & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini, ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis & vos præ dolore cordis clamabitis, & præ cordis contritione vlulabitis. Tertiò Lazarus in hac vita à diuite mendicabat, sed postea diues mendicabit à Lazaro, & sicut diues non exaudiuit Lazarum in hac vita, ita posteà non est exauditus, iuxta illud, Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit & non exaudietur. Quartò sicut pauperi dum viueret grauiorem faciebat pœnã iacere ante ianuam diuitis, & alia bona prospicere, sic diuiti mortuo augebat pœnam in gehennam prospectus delectationis Lazari. Sicut enim
dominus eiectum Adam è regione paradisi collo- Gene.3
cauit, vt videns illum sentiret à quantis bonis ex-
cidisset, sic ante oculos diuitis posuit Lazari fœlici- Sapien.5
tatem, vt magis torqueretur. Stabũt iusti in magna constãtia aduersus eos, qui se angustiauerũt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili & mirabũtur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spiritus dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam & finem illorũ sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem domini ignorauimus. Hæc dixerunt impij positi in inferno. ¶ Obseruandum est etiam quòd non dicitur hîc tantum, quòd erat

in tor

Tormēta inferni multiplicia. in tormento sed in tormētis, vt scias multa esse in inferno tormentorum genera. Ibi enim est pœna damni, hoc est carentia diuinæ visionis, quæ maior est omnium pœnarum, quia quanuis damnati non appetant videre Deum propter amorem suæ bonitatis, tamen vehementisimè appetunt hoc propter desiderium propriæ delectationis, eo quod credere firmiter compellūtur ex illa visione maximam in vidente delectationem causari, & ideo carentia visionis illius apprehensa vt ex actuali malitia propriæ voluntatis prouenien, maior est pœna quàm pœna sensus. Est etiam multiplex pœna sensus, vt pœna ignis acerbisima, vt noster hic materialis ignis respectu illius atrocisimi quasi depicta flamma videatur. Erit vermis, hoc est remorsus propriæ cōscientiæ, & culpæ commissæ in Deum, quæ maior pœna erit quàm pœna ignis, de qua in Ecclesiastico habetur. *Eccl.7* Vindicta carnis impij, ignis & vermis. *Iudith.16* Et Iudith etiam. Dabit (inquit) ignem & vermes in carnes eorum. Erūt & tenebrę corporales densisimę, multò magis quàm illæ tenebræ Aegypti. *Exod.10* Fætor horrendisimus, dæmonum visiones, & innumerabilia alia tormentorū genera, quorum minimum, omnium tormentorum maximum est, quæ in vita pati, vel fingi possunt. Quare cùm appetere non esse sit contra omnem volūtatem, deliberatamque naturam, apperūt tamen non esse, inquantū ad non esse sequitur carentia pœnę quam per se appetunt. Et super omnes eorum dolores accedit illa in sempiternos dies detentio in illo cęco carcere, à quo nulla vis, nullaque potentia poterit vnquam eripere. Cuius perpetuæ māsionis memoriam habebunt damnati sine fine, nam recordatio perpetuo manendi in inferno, damnatis est maxima pœna & supplicium. Quæ certisima remedij desperatio, qua impij planè cognoscunt à tantis malis nūquam emersuros, illis omniū summū suppliciorū est. Quare nihil tam difficile nobis à Deo imperatū videri deberet, quod non libentisimo animo susciperemus, ne dum facilia & suauia eius præcepta, quibus summū bonum assequimur, ne in eam miseriam & infœlicitatem vnquam deueniremus. Heu miserrimos peccatores, quare non ante oculos constituitis gemitus, planctúsque illos, & dolores sempiternos, quos breuisima voluptatis delectatione emitis? Si ferre nō potes paulisper digitū in igne, quo animo, feres igne illo sæuisimo æternum torqueri? *Eccle.43* Quis enim poterit (vt inquit sapiens) habitare cum ardoribus sempiternis? *Deinde ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei.* Ex magna pœna, magnam vocem emittebat. *Chrysost. Ho. de diuite epulone. to.2* Patrem autem illum vocat, quem in operibus noluit imitari, præcipuè in hospitalitate. Abraham non solùm reliquias mensæ suę pauperibus dabat, *Gene.18* sed & vitulos saginatos occidebat, simulque cum vxore & reliqua familia pauperibus ministrabat, nec eo contentus, sæpenumerò in vias exiens prætergrediens sistebat, in suámque domum pertrahebat. Hic ergo diues quid simile cum Abraham? Abrahamus vitulis pascebat pauperes, diues verò hic nec de micis è mensa sua cadentibus sustinebat inopū miseriæ subuenire. Abrahamus pauperibus prætereuntibus etiam inuitis hospitium benignè præbebat, diues Lazarum, quem domi habebat fame cruciatum eiiciebat, & audet nunc illum patrem vocare, cui tam immisericordem & immanem se præstitit. Benè autem dixit Christus, aliis similibus hominibus. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. *Ioan.8*

¶ Discamus & nos qui christiani sumus, & de nomine Christi gloriamur, vt verè christiani vita & moribus videamur, perfectio enim Christiana non verbis sed operibus constat. Nihil iste verbis suis egit, quoniam operibus suis hunc sanctum patriarcham imitatus non fuerat, quare sicut illi nihil conduxit patrem vocare, sic nobis nihil proderit Christum patrem aut dominum clamare, nisi eo modo vixerimus vt dignè eū sic appellare possimus. Vnde (vt ait Euangelista) dicit dominus, *Matt.7* Multi dicēt in illa die, domine domine, &c. Et ego dicam, nescio vos. Sicuti virgines illæ fatuæ, quæ verbis rem agere tentarūt, cùm viderent Deū sibi defuisse dicētes, Domine domine aperi nobis. *Matth.25* Quare illis pro meritis responsum est. Nescio vos.

¶ Præterea dixit, miserere mei, seróque misericordiam petitum venit, qui misericors in proximum nunquam extitit. Iudicium enim fiet sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam. *Iacob.2*

¶ Hinc duo discamus. Primum horum est, vt faciamus cum proximo nostro misericordiam, si volumus à Deo obtinere misericordiam. Ille cui rex condonauit decem mille talenta quia postea proximo suo exiguum condonare noluit, acriter punitus fuit. *Matth.5 Matth.18* Itaque secūdò sicut primo misericordiam consequi non potuit, immanitate enim sua indignus effectus est, cui bis condonaretur aut ignosceretur. Vnde in Ecclesiastico habetur. Relinque proximo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. *Eccle.28* Eadem mensura mensuraberis, qua mensus fueris. Da igitur operam, vt semper erga pauperes pius & misericors appareas, vt etiam misericordiam inuenias. Secundò discamus, veniam peccatorum nostrorum in hoc sæculo petere, nec in aliud expectemus. Iste diues nunquam eius fuit prudentiæ vt hîc à Domino misericordiam peteret, vt dicit Dauid, domine miserere mei, nunc verò in inferno vbi nulla est redemptio frustra implorat. *Psal.50* Anteà quidem veniam petere debuisset & non morte obita, quando nullus pœnitentiæ locus est. Eum tamen iam non pœnitebat quod Deum offendisset, sed quia se crudelisimis pœnis vndiq; circumuallatum videbat. Quapropter audi Salomonem dicentem. Quodcunque potest facere manus tua instāter operare, quia nec opus nec ratio, nec sapientia, nec scientia erūt apud inferos, quo tu properas. *Eccles.9* Non dolebat diues iste de culpa; quia obstinatus erat, sed dolet de pœna quam cupiebat mitigari. Ideo rogabat vt sui misereretur Abrahā, nō pœnitēs de suis patratis sceleribus, sed de cōparatis suppliciis, nec Deū offendisse, sed semetipsum læsisse dolebat. Si ergo in inferno quo in tot tantisq; sceleribus viuens tendis, nullus est misericordiæ, nec pœnitētiæ, aut rationi, sapientiæue locus, proiice ab te hoc vitiorum onus, humilisque ad Deum conuertere, dum tempus habēs, dicens, Domine miserere mei, certus hanc vocem nihil tibi postea profuturam, quemadmodum nec huic diuiti profuit, qui dum vixit, onus peccatorū non sensit. Dum stipes aliquis quamuis grauisimus per fluuium transit, léuis, tractabilisque videtur quoniam mobilitate, & incōnstantia aquæ, illius pondus non sentitur. At postea quàm ab aqua extrahitur, ilico grauitatem suam & pondus ostendit.

Sic eodem modo peccatorum tum demum onus

nus comperies, cum finita vitæ huius vsura coram rectissimo tribunali constitueris. Hic enim diues criminibus oneratus, dum viueret pondus nō sentiebat, & ideo à Deo misericordiam non petebat, nunc verò tanto onere pressus, quippe quo ad ima inferni detrusus est, clamat vt subleuetur. Nos tamen in hoc sæculo, si sapimus, pondus peccatorū nostrorum sentiamus, quod tantum est, vt ne à cœlo quidem potuerit teneri, tunc sanè quando impios angelorum ordines ad sedes compulit inferorum, simúlue animæ faciet, quæ tempestiuam

Psal. 37 non fecerit pœnitentiam. Bene hoc sensit Dauid cùm dixit, Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Onus repudiat qui illius grauitatem sentit. At nos in hoc sæculo pondus perferamus, & Christū dominum nostrum audiamus dicentem.

Matth. 11 Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Stultus iste cùm poterat onus deponere noluit, nūc verò quia plagas sarcinæ non facilè sustinet, remedium petit. Demū

Theophi. in hæc verba. hoc etiam consideratione dignum est. Cur Abraham orat & non Lazarum? putauit Lazarum vindictæ auidum, & ex suis causis iudicabat illū. Si ego in tanta fœlicitate positus contempsi illum in sua angustia derelictum, multo magis ipse contemptus vindicabit iniuriam, & non veniet ad me. Et ideò Abraham orat, putauit enim ignorare Abraham quæ cōtigissent. Sed quid orat audi. *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquā, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* O quā

Grego. Hom. 40. in euang. ta est subtilitas iudiciorum Dei, infinitumq; sapientiæ eius pelagus, quàm districtè agitur, bonorū actuum, malorúmue retributio. Diues qui Lazarū in hac vita misereri noluit, in suo supplicio positus patronum quærit. Ad tantam inopiam redactus est, vt qui minima negauerat, scilicet micas panis ad petenda minima perductus est, quæ illi quoque negata sunt sicut ipse negauerat micas Lazaro.

Gene. 42 Nemo itaque spernat ne forsitan ipse iusto Dei iudicio rebus aliquando mutatis pauperem deprecari cogatur. Filij Iacob venerunt in manus & in potestatem Ioseph, quem antea puerum, despexerant, & vendiderant. Fortè aliquando recides tu in manus illius quem nunc contemnis & persequeris, & eius auxilio & ope indigebis, cui nunc illudis, Deus enim illum conscendere faciet, téque

1. Reg. 24 subditum illius constituet. Sic persequebatur Saul Dauidem à quo bis fuerat interficiendus, nisi plus valuisset viri sanctissimi pietas, quàm crudelissimi

2. Reg. 16 tyranni nequitia. Idem Semei fecit, qui cùm lapidibus maledictisque eūtem incessebat, existimans ipsum nunquam regnaturum, postea tamen coactus fuit, ad illius pedes abiectus veniā petere. Igitur neminē affligas. Dominus enim solet affligentes sæpenumerò pedibus afflictorum subdere, malósque punire, eo modo vt quibus minimè vellent quosque odio habeant inseruiant. Sic euenit Amā, qui Mardochæo infestus cùm esset, in regiámque Assueri regis iret, vt inimico suo incommodaret, iusto Dei iudicio ab Assuero iussus est tenere Mardochæi equum, pedésque ante illū incedere, regalibus vestibus indutum, diadematéque ornatum, clamabátque miser Aman, dicēs, Sic honorabitur quemcunque rex voluerit honorare. Hoc autem quod filiis Iacob, Sauli, Semei, Amā, & multis aliis contigit, diuiti huic plurimísque aliis quotidie accidit. Quare etiam si hodie constitutus sis in aliquo dignitatis gradu amplissimo, ne ideo superbias, esse enim potest, vt ille quem modo contemnis, propediem altiorem te consequatur vitæ conditionem, qua tibi par pari possit referre.

Vide August. lib. 4. de Origine animæ cap. 15 ¶ Sed aliqua in hoc textu obseruatione digna sunt. Primum horum est quòd lingua, manus, & digiti, & horū similia in animabus metaphoricè dicuntur. Sicut enim in Deo manus ipsius operatiua virtus dicitur, sic & ea quæ hic de membris animarum dicuntur, non corporaliter sed mentaliter seu spiritualiter exponenda sunt. Animæ enim huiusmodi membra non habent, quia spiritus sunt. Nihilominus tamen in membris ideo pati dicuntur, quod exutę à corporibus tales pro peccatis suis affectus sentiunt, acsi etiam corpore paterentur in membris.

Greg. Hom. 40 in euang. Chryso. de diuite. Aug. lib. 2. de quæstio. euang. cap. 38 ¶ Secundò obseruandum est hunc diuitem magis de linguæ quàm alio membri dolore cōqueri, nā etsi nihil in toto corpore habebat immune summorum cruciatuum, tamen quia quo quis peccat, punitur, lingua eius præcipuè torquebatur. Dixerat euangelista quòd epulabatur iste quotidie splendidè, quare cùm qui eo modo gulæ indulgent, soleant, post nimium cibi & potus haustum de fama & honore aliorum detrahere, verisimile est hunc diuitem maledicum extitisse, & ea de causa lingua peccasse, eadem, & fuisse mulctatum. Non aliter Balthasar Babyloniæ rex finito opulentissimo conuiuio, in quo satis súperque deuorauerat, cœpit in Dei contumeliam Deos suos aureos, argenteos, æreosque iactare & de populo Israel ait scriptura. Sedit manducare & bibere & surrexerūt ludere. Quod est idololatrare. Vnde postquā lautè pransi sunt, maledicta linguarum suarum verba distrinxerunt dicentes, Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerūt de terra Aegypti. Commune ergo est inter epulandum, de aliorum vita & moribus agere, quod cùm optimè nosset beatus Augustinus, vt fœdissimum abusum cōpesceret, hos duos versus in mēsa sua inscriptos habebat. Quisquis amat dictis absentum carpere vitam, Hanc mēsam indignam nouerit esse sibi. Sic diues iste cùm esset ventri obedientissimus, nimirum post cōuiuium alienam notare famam solitus, nunc merito in ipsa lingua peccatrice in primis cruciatur, nam peccātes eodem modo plectuntur, quo peccant. Pharao Aegypti rex aquis filios Israel Rubri maris suffocare tentans, optimo iure eodem mortis genere quod in alios conatus fuerat, interiit, ibíque in omnis potestatis memoriam submersus, insigne contumaciæ suæ documentum reliquit. Sic & improbus Nicanor, qui Deū blasphemare, malignáque lingua perstringere ausus fuerat, iactans se Dei templum in idolorum suorum cultum redacturum, fœdissimè pulsus & interfectus, pœnas tantæ temeritatis persoluit. Iudas enim eius linguā euulsam auibus minutatim cōscissam dari iussit. Eo igitur modo sontes, qui linguæ loquacitate & vitio deliquerūt, lingua puniūtur, quoniā Dei permissu nec in morte sermonis habebūt facultatē, quo vel peccata sua fateri, vel veniā illorū implorare, aut saltim sacramēta petere possint, & posteà in inferno, hui⁹ diuitis exēplo sæuissimè cruciabūtur. Iste cruciatus exprimitur à Ioāne in suo diuinarū reuelationū libro dicēte, Māducauerūt linguas suas prę dolore, & blasphemauerūt Deū cœli præ dolorib⁹ & vulneribus suis. Non enim dicit, manducarunt manus suas, sed

Marginal notes (right column): *Dan. 5* (beside "Non aliter Balthasar"); *Exod. 32* (beside "argenteos, æreosque"); *Exod. 14* (beside "modo plectuntur"); *2. Mac. 14 & 15.* (beside "suæ documentum reliquit"); *Apoc. 16* (beside "exprimitur à Ioāne").

Rom.15 sed linguas suas, quia per linguam peccauerant.

Linguæ refrenandæ. ¶ Discamus ex hoc loco nostræ linguæ frænum imponere, quia vt Paulus ait, Quæcunque scripta sunt, ad nostra salutẽ scripta sunt. Atque ideo hæc spiritus sanctus per Lucam scripsit, vt nos ex huius diuitis pœna discamus linguam frænare, non dilacerantes fratrum nostrorũ vitas. Beatus enim (ait Eccle.14 Ecclesiasticus) qui non est lapsus verbo ex ore suo. Ecõtra verò infœlices sunt illi, qui in verbo labũtur. Acto.2 Ideo Spiritus sanctus in discipulos in linguis igneis apparuit, potiùs quàm in manibus & aliis membris, vt ostenderetur quòd membrum illud maximè inflammatum erat igne infernali. Vnde necessarium erat multum, vt igne cælesti inflammaretur. Nocet lingua quasi ignis, ideo comburitur Iacob.3 igne. Iacobus Apostolus linguam ignem vocat, quia ignis inter omnia elementa potentior est ad destruendum, & hanc potestatem insinuat ipse Iacobus cum dicit, quod lingua inflammat rotã natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna. Multo magis nocet lingua quàm manus, quia manus parcũt absenti, sed non lingua, quæ nocet absenti, & etiam mortuis, & in secreto, & etiam bonis & probis viris. Et nocet in honore & fama, quæ sunt bona potiora hominis. Et sibi ipsi maledico nocet, & tantum nocet, vt dicat scriptura sacra, Eccle.28 Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam. Salutare igitur fuit vt spiritus sanctus in igneis linguis descenderet, quo vitiosum linguarum nostrarum ignem exureret. Hæc tamen lingua quæ diuino illo igne exusta & purificata non fuit, sempiterno inferni igne torquetur.

Quare Lazari opem diues requirat & non alterius. ¶ Tertiò obseruandum est hunc diuitem non rogasse, vt sibi mitterentur in auxilium Isaac, Iacob, Ioseph, Iob, Dauid, aut alius ex veteri testamento electus, optimè enim nouerat pauperes gratia diuitum esse à Deo productos, vt eorum paupertate subleuanda, quasi quadam præstantissima medicina, diuites auaritiæ suæ reliquisque vitiis mederentur. Et hac de causa potissimum opposuit Deus diuitibus paupertatem vbique obuiam, vt vel inuiti sibi per pauperes consulerent. Inuocabat igitur Lazari & non alterius diues hic & merito auxilium. Sed dicet aliquis. Cur potius Lazari quam aliorum idoneum inuentum est auxilium, cùm præsertim inter alios iustos pauperes essent, Helias, Heliseus, Abdias, Hieremias, Amos, & Michæas, qui iustiùs multò possent inuocari? Sed ad hanc obiectionem facilè respondebit, qui secum cogitarit Lazarum diuiti illi in specialem animæ salutem iniunctum fuisse, quod diues quanquam igne æterno detinebatur secum reputans non ab re in morte, quod in vita amiserat, egregium salutis suæ iuuamen exoptabat.

¶ Quartò obserua, quod in hoc quod dicit, cruciatur in flamma, ostendit quod animæ separatæ licet spiritus sint, tamen ab igne corporeo crucian-
Aug. lib. 21. Ciui. cap. 10 Greg. 4. dialo. cap. 29 tur in inferno, vt Augustinus & Gregorius & tota Theologorum schola fatetur in quarto Sententiarium libro, quadragesimaquarta distinctione.

Nam licet ignis sit corporeus, est tamen in eo naturalis quædã vis & aptitudo, vt eius species recipiatur in intellectu spiritus separati, & sic in eo imprimitur, vt ad se cõuertat ipsius spiritus intẽtionẽ, vt per hoc notabiliter impediat in aliarũ cõsideratione cõtra suã volũtatẽ, quod quidẽ impedimẽtum & detentio sibi sit pro graui onere, hoc est per virtutem iustitiæ increatæ. In illo etiã igne est aptitudo naturalis, vt in ipso sit spiritus separatus, sicut in loco diffinitiuè, qui quidem locus per diuinitatem omnipotentis Dei virtutem non solũ detinet animas, sed etiam efficit, & agit in eas, quod separatum spiritum detineat contra voluntatem suam hoc conuenit ei in virtute iustitiæ increatæ. Illa enim inuoluntaria detẽtio est ipsi reprobo spiritui incredibilis cruciatus. Quãuis etiam ille ignis sua virtute naturali tantum non posset in spiritu separato causare dispositionem naturalem repugnantem illi dispositioni, quæ cõuenit essentiæ spiritus secundum debitum statum suæ naturæ, tamen in eius consideratione, cooperatur virtute increatæ iustitiæ, in quantum est instrumentum eius. Sicut videmus quod quanuis phantasma per se non possit aliquid educere de potentia intellectus possibilis, vel ipsum mouere motu intellectionis, alterum tamen eorum potest in virtute intellectus agentis, ipse enim intellectus per suũ actũ mouet seipsum vt est possibilis mediante phantasmate tanquam instrumentali agente. Ex apprehensione autem prædictæ dispositionis, quæ contraria est bono statui naturæ generatur in ipso reprobo spiritu cruciatus experimentalis. Vnde Gregorius ait, quod Greg. vbi suprà. anima non solùm viuendo sed etiam experiẽdo incẽdium patitur, per peccatum autem est in spiritu dispositio vt igni infernali modo prædicto patiendo subdatur. Expẽde etiam quod damnati nõ pœnitent de peccatis in quantum sunt Dei offensiua, Chryso. Ho. de diuite. to. 2 turpia, & iniusta, sed vt sunt eis causa tanti supplicij, vnde nõ ait, miserere mei quia peccaui, vel quia Deum offendi, sed quia crucior in hac flamma, &c. Sed ad contextum. *Et dixit illi Abrahã, Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic cõsolatur, tu verò cruciaris.* In memoriam adducit ei bona præterita, vt illum magis torqueat, nã infœlicissimũ infortunij genus est, fuisse fœlicem. Vnde quidam dixit, Dura satis miseris memoratio prisca bonorum. Præterea, in vita inquit tua, acsi diceret. Tibi vixisti, non Deo, in tuis propriis cupiditatibus te occupasti, non in Dei obsequio, tui corporis curã habuisti, & non proximi.

¶ Expende autem quod solet Deus in hac præsenti vita multa temporalia bona peccatoribus elargiri, vt aliqua bona quæ in illis sunt remuneret, Chry. conc. 3. de Lazaro. Aug. lib. 2. quæst. euang. cap. 38 è contra verò solet iustis mala inferre, vt aliqua mala quæ fecerunt purget & castiget. Sed peccatoribus vita functis omnem pœnã infliget, iustis verò suorũ laborũ præmiũ lætissimũ dabit. Sic ait Diuus Augustinus quod Romanis propter egregias eorum virtutes morales, contulit Deus maxima imperia & mundi principatus, Augu. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 12 & aduersus Romani nominis hostes ingentes strages, opulentaque regna. Scriptura etiam hoc testatur de Nabuchodonosore, qui mandatum domini impleuit aduersus Tyrum & exercitum suũ, nec aliquã inde accepisset mercedem, ideo dominus dixit per Hieremiam prophetam de illo, Hiere. 29 Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor serui mei, insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant illi. Ecce dominus promittit hostium suorum ingentem victoriam Nabuchodonosori regi Babylonis, & spolia ampla referre de Edom, Moab, & Amon. Hæc est ratio quare boni nec murmurare, admirariue debẽt, cũ viderint malis omnia ex sententia succedere, sibique nihil ex vero euenire. Quis arcana Dei intelle-

xit

Quare Deus malis bona & bonis mala donet in hac vita. xit aliquando. Quis consiliarius eius fuit? Recepisti, inquit, bona in vita tua. Vide ne & tu similiter retribuaris in hoc mundo, & postea æterna careas retributione. Sententia enim ista Abrahæ terret: ita vt magis pauore quàm expositione indigeat. Nam si bona agimus timendum nobis est, ne nobis prosperè & fœliciter omnibus succedentibus, in his *Greg. Homi. 40. in euang.* remuneremur. Abundantia rerum & fœlicitas vitæ transeuntis remunerauit in diuite aliquod bonum quod fecit: & Lazarum ignis inopiæ purgauit defectus. Sed nunc diues pro superbis ædibus, habet tartarum: pro deliciis, cruciatum æternum: pro iocis & cantionibus perennem eiulatum: & Lazarus pro tribulationibus patienter toleratis, refocillatur. *Esai. 65* Ideò Esaias ait: Hæc dicit dominus. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis pre dolore cordis, & pre cōtritione spiritus vlulabitis. Si ergo ægrotamus, si pauperes sumus, gaudeamus: accipiamus mala in vita nostra, vt posteà bona cō- *Hebr. 11* sequamur æterna. Eligamus potius nunc cum Mose & populo Dei affligi, magis quàm temporalis *Rom. 8* peccati habere iucunditatem. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriā quæ reuelabitur in nobis. Qui in hoc sæculo lætātur, in altero tristabuntur. Cum Iacob vellet benedicere filiis Ioseph, posuit Ioseph Ephraim, vt maiorem natu à dextra, Manassem autem natu minorem à sinistra aui sui: verum Iacob, manibus trans- *Genes. 48* positis, dextrā quidem super Manassem, sinistram autē super Ephraim firmauit. In hoc sæculo diuites à dextra honoris & glorię sedent, pauperes verò à sinistra ignominiæ & infamię: at in futuro secus fiet. Tunc enim quanquam mundus potentiores maioribus afficere honoribus & laudibus solebat, Deus hac honorandi consuetudine versa atque immutata deponet potentes de sede & exaltabit *Luca 1* humiles. Cuius rei facilè occurrit in hoc diuite exemplum, qui tot tātisque viuens honoribus fuerat perfunctus, vt nihil ad veram gloriam status & dignitatis sibi defuisse posset arbitrari, nisi vita functus, contrariam esset exorsus viuendi, vel potius moriendi normam & rationem: Lazaróque à dextra sedente, se à sinistra abiectum videt. Cui Abraham. Fili recordare quod accepisti bona in vita *Exod. 12* tua, &c. Cúm dominus eduxit filios Israel de Aegypto, occidit omnes primogenitos Aegypti, & tunc plorabant mulieres Aegypti filios suos, & mulieres *Exod. 15* Iudææ cantabant dicentes. Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est, &c. Verùm cum Hero- *Matth. 2* des occidit pueros Bethleemiticos fuit vice versa: nam mulieres Iudææ plorabant filios suos paruulos, & Aegyptiæ multæ fortè exultauerunt, quando dominus ingressus est Aegyptum. Ita plorante Lazaro gaudebat diues: sed postea rebus cōuersis diues gaudium suum in lachrymas conuertit. Dentes quandiu locum suum tenent, & integra sunt valetudine, summa solemus cura & solicitudine excolere atque fouere: verum cum primum computrescere cœperunt, ilicò nulla pristinæ seruitutis habita ratione, illos extorquemus foràsque proiicimus. E contrario pedes sanos quidem & beneualentes, laboribus, assiduóque incessu, nullo locorum habito discrimine exercemus, quin sæpè sæpiùs in mediis cœni aut pulueris obsidiis transilire cunctemur: eorum ad fœdissima ministeria officiū requirentes. Attamen si casu aliquo aut deficiunt, aut debilitantur, quominus munus suum possint obire: non minori diligentia, medicamur, fouemus, & recreamus, quàm si ad delicias non ad laborem producti fuissent. Sic ergo diuites qui in mundo quasi quidam dentes optimum dignitatis locum tenent, delicatissima peragunt officia, & summa dum viuunt & valent obseruantur ab omnibus superstitione: at postquā computrescunt, id est, casu aliquo opes amittunt, ab omnibus despiciuntur, quod si vita excidunt, criminum suorum impœnitētes ad æternā fœlicitatē pelluntur. At nō ita pauperes, qui in sæculo pedes omnium sunt abiecti, & ad labores expositi: attamen si infirmantur à Deo cœlestibus recreantur solatiis, & si moriuntur beatorum gaudent consortio Quod ne longius abeamus intueri licet in hoc paupere Lazaro, cuius opē diues implorabat. Discamus itaque ex hoc loco, ne pauperes, inopes, infirmos & debiles contemnamus, cùm dominus sæpè iustos hîc præmat, vt purget aliquam imperfectionem, vel vt mereantur patientiam habentes, sicut sanct m Iob percussit: nec è contra diuites & principes iudicemus fœlices, aut illos qui nunquam persecutionem aut aduersa patiuntur. Addit vltra sanctus patriarcha. *Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.* Expende prudens Abrahæ respon- *Vide Theop. in hoc lo co. Amb. ... in Luc... de diu. purpurato.* sum. Primùm enim rationem reddidit diuiti, cur illum adiuuare non debeat: quoniam videlicet receperit bona in vita sua. Deinde quod etiamsi velit iuuare illum prorsus nequeat, propter immensum chaos inter vtrumque. Prætereà chaos nomine significatur impossibilitas citro vltro remigrādi, inuisendíque: Græce χάσμα, quam vocem si reddamus Latinè, idem est quod hiatus, scissura, seu terræ vorago interiacens, qua fit vt illi succurrere non possint merita citro vltróque impensa.

Sic in Exodo habetur. Ego dominus qui ponam diuisionem inter populum meum & populum tuū. *Exod. 14* Et Esaias. Introibunt in speluncas petrarum & vo- *Esa. 2* ragines terræ, à facie formidinis domini. Significa- *vide Aug. li. 2. de quaestio. euang. ... 38* tur itaque per hoc chaos, vel magnus hiatus seu vorago, illa magna distantia quæ instat inter reprobos & iustos & inæqualitas meritorū, quod rigore diuinæ iustitiæ immutabiliter firmatum est: vt electi maneant in bono cōfirmati, & reprobi obstinati in mala. ¶ Sed dubium hic oriri videtur. Quo- *Greg. Homi. 40. in euāge.* modo dicit hic Abraham, quod quanuis hinc velint ad vos transire nō possunt? De reprobis nō dubium est quin damnati velint ad gloriam beatorū venire: sed quomodo beati possunt velle ire ad illos? Aduerte quòd sicut reprobi vellent ire ad beatos, ita beati transire mente per misericordiā, eosque velle liberare, sed non possunt: quia beatorum animæ quanuis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, autoris tamen sui tanta iustitiæ rectitudine constringuntur, vt nulla ad reprobos compassione moueantur: quin potius lætabitur iustus cùm viderit vindictam. Non enim beati aut iusti es- *Psal. 57* sent, si beatificantis iustitiæ non approbarent iudicium: videlicet diuinæ iustitiæ, cui beati adhærent immobiliter & cui nullo modo cōsentiunt dānati. Vnde inter castra Israel & castra Aegyptiorum erat *Exod. 14* nubes tenebrosa illuminans noctem vt ad se inuicē toto noctis tempore accedere non valerent: nec se promiscuè commiscerent. Sic iudicium diuinæ iu-

stitiæ, quemadmodum nubis refrigerat iustos & fulminat peccatores, quæ dicitur tenebrosa & illuminans, damnatis quidem horrida tenebris, beatis verò est amabilis claritate, cuius interpositione fit, vt ad se mutuo Aegyptij damnati, & Israel electus non possint accedere. Sequitur, *Et ait, Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ex hoc patet quòd damnati vt... apud inferos notitia quam habuerũt hic in vita: & Abraham dixit huic diuiti recordare. Recordare quod accepisti bona in vita tua. Ergo poterat diues recordari, nam aliàs non diceret Abrahã quod recordaretur. Hoc patet quia in anima separata manent species intelligibiles acceptæ in vita, quia non corrumpuntur, sed per illas potest exire in actum intelligendi quandocunque voluerit, se conuertere ad illas, & sic manebit notitia acquisita in vita, & vsus eius. Nam habitualiter manent species, quæ cum semel fuerint actu intellectæ, quãdo cunque se conuertat intellectus ad illas nullam habebit difficultatem in intelligẽdo: sicut qui operatur per habitum. Ex hoc etiam patet, quòd anima separata cognoscit singularia: nam aliàs non posset recordari eorum, quæ gessit aut passa est dũ esset in corpore: & diues iste cognouit Lazarum & recordabatur fratrum. Hæc autem cognitio & recordatio damnatorum est illis necessaria ad illorũ pœnam: quia si non recordarentur de peccatis, quæ commiserunt, & nescirent an aliqua peccata commisissent, cessaret vermis conscientiæ, qui est quidã stimulus pungens insurgens ex recordatione peccati, quæ pœna est grauissima, & ablata recordatione tolleretur ista pœna. Et si hæc recordatio tolleretur ab eis, tolleretur ista pœna, ergo ad Dei prouidẽtiam pertinet seruare in damnatis istam recordationem: quæ non potest esse nisi maneat in illis recordatio particularium, atque ideo manet in eis, tam cognitio particularium quàm recordatio eorum. ¶ Expende autem quod noluit fratrum cõuersionẽ ex dilectione Dei, nec ex dilectione proximi. Quod non ex dilectione Dei, satis patet, quia non dixit, vt mitteret Lazarum ad fratres meos ne meo exemplo & more viuentes offendant Deum, sed tantum ne veniant in locum istorum tormẽtorum, atque ideo non faciebat hæc ne Deus offenderetur, nec in eius laudem & gloriam. Nec ex proximi dilectione hoc dicebat: quia in inferno non est charitas ad proximũ. Corruperat iste diues fratres suos malo exemplo, & timebat ne supplicium (quod sibi minus exoptabat, Lazarum rogans vt intingeret digitum in aqua & linguam eius infrigidaret) magis augeretur aduentu fratrum suorum in infernum, & sic ex timore, & non ex amore erat solicitus. Nam quemadmodum in cœlo ex omni theologorum sententia doctores sancti qui in seculo exemplo & doctrina homines ad Deum cõuerterunt, præter commune præmium beatorum, alio accumulantur accidẽtali, quod aureola corona dicitur: ita è conuerso in inferno damnati qui alios, dùm viuerent suasu vel facto ad peccatũ pepulerunt, speciali, vltra generales pœnas, tormento excruciabuntur, vnde tantum doloris damnatis accumulatur aduentu illorum quibus occasio fuerunt peccandi, quantum voluptatis electis accrescit sequacium suorum salute. Ideò dixit beatus Augustinus quod pœna Arrij indies augebatur: quia suo pessimo dogmate plures corruperat, & quicunque hæreticus in infernum intrans, est illi singulare tormentum. Nam licet pœna essentialis iuxta vniuscuiusque demerita detur vnicuique dãnato statim post mortem, & hæc non augeatur, sicut nec præmium & gloria beatorum essentialis: tamen accidentalis gloria aut pœna augetur & accrescit in vtrisque. ¶ Igitur diues hic quod sibi augeretur pœna in aduentu fratrum timens, volebat ne in infernum irent non salutẽ fratrũ considerans, sed suũ proprium incommodum euitare volens, & damnum. Sicut enim mali dum hic viuunt quærunt quæ sua sunt, & non quæ Iesu Christi, & salutem proximorum negligunt, nec Dei honorem zelãt: sic in inferno positi, sua tantum curant. Verùm non damnati tantum, hoc modo affecti sunt, cum in mũdo multi viuentes inueniantur, qui suiipsorum duntaxat curã gerant aliorum salutem pro nihilo ducentes. Quid ardet in inferno (ait Bernardus) nisi propria voluntas? Quid etiam destruxit mundum nisi propria voluntas? Igitur contra propriam voluntatem exardescit infernus ignis præcipuè, quia nihil est quod maiora reipublicæ inferat detrimenta omnibus sua præter modum procurantibus. Sed audiamus Abrahæ responsum. *Et ait illi Abraham, Habent Mosẽ & prophetas, audiant illos.* Nõ sint tibi magis curæ fratres tui quàm Deo qui eos creauit, & statuit eis doctores qui eos commonerent, & solicitarent. Vocat autẽ Mosem & prophetas, Mosaicã legem, scripturam propheticam, per legem instrui poterãt de operibus, & per prophetas de fide. Prophetæ dixerunt quid credendum, & lex quid faciẽdum. Sufficienter igitur prouidit Deus de his quæ ad salutem pertinent. Malis nullũ responsum quãtumuis bonum satisfacit, nihil denique placet, nihil sufficit, vnde diues Lazari responso non contẽtus, iterum replicat. Quare ait Euangelista.

At ille dixit. Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Mentitur diues iste: nam Lazaro suscitato non crediderunt, imo vt Ioãnes ait, voluerunt illum interficere: neque Christo suscitato crediderunt: sed pecunias dederunt militibus, vt tacerent resurrectionem Christi. Sic & illi meritò reijciendi sunt, qui Christo non credunt, nec assensui concordi euangelistarum, & sacrosanctæ Ecclesiæ. Qui istis non credũt, nec mortuis credent, quamuis resurgant. Damnãtur hic qui curiosius miracula requirunt à mortuis, aduersus illud quod in Deuteronomio habetur. Nõ inueniatur qui lustret filium suum, &c. & quærat à mortuis veritatem. Damnantur etiam qui portentis volunt patefacere diuinam voluntatem, quando adsunt doctores ecclesiæ, pontificum decreta, & sanctiones legitimæ: ad quarum amussim nostros mores, fidem, vitámq; corrigere & emendare debemus. Neq; enim semper edenda sunt miracula neque ad cuiuslibet importunas preces, sed cum id communis expostulat reipublicę necessitas, & fidelium consolatio ac vtilitas. Quando enim humana nos præsidia destituunt, ad miracula est confugiendum. ¶ Obserua autem quàm importunus sit hic diues, qui tot verbis inaniter & frustra sanctum patrem Abraham defatigare nõ sit veritus. Deinde vide hominis iniquitatem, quoniam qui anteà cum fratribus suis recusauerat mendico Lazaro micas aliquas ex mensa lauta præbere: nunc illum requiem suam cupit amittere, sinumque Abrahæ deserere, & rursus ad istos

In animabus separatis manet rerum memoria.

Vt premia essentialia & accidentalia, ita pœnæ essentiales & accidentaria.

Philip. 2

Ber. ser. 3. de resurrect. domini.

Chrys. hom. 4 de Lazaro.

Ioan. 11
Matth. 28

Deute. 18

istos in mundum venire. Mali nihil nisi de propriis commodis agunt, & ideo proximorum iacturas paruifaciunt. ¶ Expende etiam hîc non placuisse diuiti Abrahami dictum, dum de fratribus illius dixit, vt audirent Euangelium: quia diuites & potentes sæculi, rarò prædicatorum solent frequentare conciones: nisi fortè vt boni videantur. Cubant non tantum noctem sed etiam ad medium vsque diem: & ita nec sacris concionibus intersunt, neque sacrarum literarum lectioni student, in tanta morum peruersitate. At non causari possunt temporis penuriam ob negociorum magnitudinem, quibus enim ad aleam, luxuriam, & profanarum, lasciuarúmque scripturarum lectionem satis abũdè vacat, nulla temporis angustia ad salutem esse deberet. Ideò dicebat fratres suos, non audituros scripturas: sed nec mortuis, si surrexerint, credituros.

¶ Prætereà vide hominem temerarium quî ipsum sanctum patriarcham docere tentat. Sic etiam & nunc multi peccatores impœnitentes, confessarios docere volunt: non monita eorum implentes sed repellentes, vel arguentes. Vanè igitur hic mortuos compellat: sibi persuadens fratres suos mortuis magis quàm viuis credituros. *1. Reg. 28* Sic etiam & Saul optauit audire Samuelem mortuum, quem viuentem audire neglexerat. Quapropter Abrahã finem loquẽdi facit, diuite petitionis suæ repulsam patiẽte, & iure quidem: nam quemadmodum in hoc sæculo diuites voluntatem Dei rarò aut nunquam faciunt, sic in altero suorum votorum impotes semper erunt. Ideò sequitur. *Ait autem illi, Si Mosen & Prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.* *Matth. 27* *Magis scriptura credendum quã angelis & mortuis resurgentib.* Quando mortuus est Christus multa corpora sanctorum surrexerunt, & introierunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Sed nũquid propter hoc emendati sunt Iudæi? Imò peiores effecti sunt. Qui adeo induratus est quod scripturæ non credit: nec mortuis resurgentibus credet. Potiùs enim adhibẽda est fides scripturis quàm reuiuiscentibus mortuis. *Galat. 1* Paulus enim angelis descẽdentibus de cœlo præponit scripturas: & id certè valdè congruenter. Angeli enim quanuis magni sint: tamẽ ministri sunt altissimi: sed scripturæ omnes non à seruis sed ab vniuersorum domino Deo venerunt ad nos. Admonet locus iste vt fidem habeamus ex scriptura & ei credamus non quærentes miracula, nec rationem petentes, in his quæ nobis tradit sacrosancta mater Ecclesia. *Deute. 18* Vnde in Deuteronomio habetur. Non inueniatur qui consulat pythonem & diuinos: & quærat à mortuis veritatem. Debent enim christiani credere scripturis sacris, & catholicis concionatoribus. Nemo enim gloriam consequi potest ad quem creatus est, nisi fidem habeat. Creauit Deus hominem, vt ipso Deo frueretur in gloria, quæ quidem est supra naturam, & quòd excedit humanum intellectũ. Vt homines hæc mysteria in altero sæculo cognoscant, oportet in hac vita fide cognoscere incipiant, quasi quibusdam ad tantam scientiam rudimentis: quoniam notitia diuinorum tanta est, vt nemo repentè possit cõprehendere. Vnde expedit multo studio & præmeditatione excolamus intellectum, obediẽtémq; *2. Cor. 10* eum faciamus in obsequium fidei: vt posteà aptus euadat diuinæ scientiæ. Primum enim boni discipuli requisitum est, vt præceptori obediat & credat. Vnde illud Aristotelicum fluxit prouerbiũ, Oportet addiscentem credere. Quare si puero prima elementa à præceptore audienti incesseret cupiditas vlteriùs præceptorem rogandi, velletq; scire singularum literarum causas & vires, nihil prorsus vnquam proficeret, quia nec ætati nec captui conuenientia quæreret. Valde igitur addiscentis interest præceptorem, christianæ fidei obseruare: qui quasi dum viuit discipulus est diuinæ scientiæ, & puer in virtute, & Dei cognitione. Ideò Paulus ait, *1. Cor. 3* Tanquam paruulis dedi vobis lac, non escam: nondũ enim poteratis. Ad hanc ergo tã sublimem scientiam, sublimia principia requiruntur, vt fide teneantur: dum carnis ruditate intelligi non possunt. Hæc autem sunt duodecim articuli fidei. Hæc est prima charta alphabetica: qui hanc nescit, nihil vnquam in hac scientia proficiet. Ideò dominus. Si non credideritis, non intelligetis. *Ioan. 12* Sed dices, Iam video opus esse magistro credere, ad discendũ. Verùm vt ego animum applicem ad fidem christianámque doctrinam addiscendam, sunt ne aliqua signa aut argumenta quibus illorum necessitatem aut vtilitatem percipiam? Sunt quidem & plurima. Nam Iudæus aut Saracenus qui nullã sectarum suarum rationem possunt reddere, nisi fortè se maiorum suorum errore excusare contendant: nõ est mirum sit interrogantibus obmutescant, quoties ad disputationem sit deueniendum. At christiani non modo in virtute operandi, sed etiam in veritate credendi fundati, nihil est quòd vel humani iudicij viribus, vel diuinarum reuelationum autoritate non possint comprobare. *Fides christiana fundamentum & demonstrationis.* Primum enim in ecclesia sunt quamplurima miracula, quæ non modo numero & magnitudine excellunt, sed etiã quia nemini non christiano quantumuis in naturalibus bonus appareat conceduntur: & ita miraculis quasi quodam certissimo sigillo discernũtur fideles ab infidelibus. Secundò orbis vniuersi cõuersio non sapientium, sed piscatorum & rudiũ hominum opera, quod nunquam nec magni alicuius imperatoris exercitu nec philosophi doctrina factum fuisse lectitamus. At quomodo conuersus? Mahometi ne, aut hæreticorũ more qui voluptuaria suadentes, mundíque delicias proponentes mortalium infirmissimos in suos pepulerunt errores? Absit: in fide catholica, nihil non sanctum, non purum, non diuinum, non nisi humanæ rationi consentaneum est, si mallent nobiscum infideles ratione quàm cõtumacia pugnare. Sed de his quia superiùs diximus in capite vndecimo, finem faciam. Nec enim qui Romanæ ecclesiæ & euangelistarum autoritati non credit, miraculis credet. Vnde infideles si aut mortuum suscitari, aut aliud mirabile fieri videant, (quæ illorũ est nõ intellectus, sed morum peruersitas) non verebuntur id dæmonis potestate fuisse factũ dicere: præstigatorem aut necromanticũ vocãtes operantem, persistentes in malitia & incredulitate sua. ¶ Igitur ex hac historia (quæ quidem historia est, nã hîc nominatur Lazarus: quod Christus in parabolis facere non solet) aliqua ad nostram eruditionem expendemus. præter illa quæ in initio huius historiæ in summa annotauimus. Itaque hæc euangelica historia depingit nobis mirabilem mundi cursum, variámque filiorum hominum fortunã: quorum alij sunt diuites, alij mendici, alij viuunt in omni rerum copia, alij squalescunt inopia: alius ridet, alius flet: alius gaudet: & alius luget. Hæc est mundi rota, & quasi alter Protheus in diuersas mutatus figuras. Sed neque illi sunt dicendi fœlices,

neque isti miseri: quo adusque veniat dies illa vbi il *1.Cor.4* luminabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur obscura cordium. Docet vana mundi contemnere, eiúsque inanem gloriam pro nihilo ducere. Si enim ostéderētur tibi duo viri, vnus potens, purpuratus, & magna comitante caterua: & alius egens, mendicus, vlceribus plenus, & daretur tibi optio vter istorū velles esse? Credo quod velles esse diues, nam omnes cupiunt diuites esse, & propter diuitias, mare, terrásque inuisunt. Sed quàm debile sit hominum iudicium hæc historia ostendit apertè. Vidisti diuitem purpuratum sepultum in inferno, & quòd cruciatur in flāma: & pauperē mēdicum in sinu Abrahæ quiescentem. Quem ergo eliges ex his duobus diuitē cum suis opibus, in inferno flammis & tormētis æternaliter cruciandum: an pauperem plenum vlceribus, æternaliter gaudentem? Certè si mente sanus es, potius eligères pauperem mendicum & vlcerosum esse. Quis enim *Hiero. in fine vita Pauli.* dubitat Hieronymum maluisse fragilem Pauli primi eremitæ vestem ex frondibus palmæ contextam cum eius præmio: quàm bombycina, pretiosáque regum supellectilia, cum eorum suppliciis? Mirum est quantum hæc historia mortales doceat, & excitet huius diuitis documento: quem nihil opes morientem nihil voluptates dolentem iuuare po- *Psal.48* tuerunt. Vnde Psalmographus ait. Ne timueris cū diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cum interierit non sumet secum omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Mos est in magnis festiuitatibus, monilibus & mūdo vndique conquisito simulacrum aliquod in sancti memoriam ita componere, vt non modo viuus sed & gloriosus videatur: at confecto ludo & festiuitatis die transacto, detractis ornamentis, eo humilitatis redigitur simulacrum, vt nec humanam referat similitudinem: & ita abiectū in tenebris latet. Non aliter diuitibus euenit: Quidam viuunt ex commodato, ornantur, poliuntur, coluntur honoribus, opibus, & bonis alienis: quæ etiam ante ipsum vitæ finem sæpenumero dominos deserunt, quod si diutissima sint, tamē in morte deficiunt. At domini in tenebras reiiciuntur inferni, vbi pro temporalibus voluptatibus æternis suppliciis puniuntur, quia temporalia æternis prætulerunt. Tunc sicut vetus & blaterosum simulacrū à templi custodibus, tāquam inutile, omnibus spoliatum ornamentis solet comburi. Ita diuites in infernum vita & voluptatibus suis priuati cōburentur, qui dum vixerunt tanto culti fuerunt omnium cōsensu. Ergo nemo pauper semper pauper, nec diues. Respice Lazarum æterna gaudentem fœlicitate, diuitem æterna omnium bonorum inopia pressum. In hoc recidunt honores opésque terrenæ, hic est exitus voluptatum & deliciarum sæculi. ¶ Docet etiam hæc historia sanctos inuocandos, sed in hac vita: nam si eos hic inuocauerimus iuuare po- *Exod.32* terunt nos, quemadmodum patet in Mose cùm dixit Deo, Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum. Sic orabat Azarias in fornace *Dan.3* ignis. Ne quæsumus tradas nos in perpetuum propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruū tuū, *2.Mac.15* & Israel sanctum tuum. Sic visi sunt Iudæ Machabæo Hieremias & Onias orantes pro populo Dei. Poterunt itaque nos iuuare sancti, si eos in hac vita inuocamus: non tamē si eos inuocauerimus post mortē nostram. Tunc enim claudent aures & non audient nos, sicut nec Abrahā exaudiuit diuitem: quia sero cepit illum in aduocatū. ¶ Docet denique quod pius & catholicus homo siue pauper siue diues debet summum studiū adhibere vt bonis operibus promereatur, & æternā damnationem euadat: datur enim æterna vita in mercedē operibus bonis in proximum ex charitate collatis: redditur verò æterna dānatio malis. Opera enim in die iudicij requisiturus est Christus Iesus iudex, vt ipsemet ait in Matthæo. ¶ Docet etiam ne animo cadamus aut *Mat.16 & 25* scandalo assumpto aduersus Deum aliquid cogitemus, cùm videmus impios plenos diuitiis & impunitos esse in hoc sæculo, pios verò abiectos & pauperes: vt videre fas est in hoc diuite & Lazaro. Solet dominus pro sua pietate diuturnam concedere impunitatē, non tamen ea relinquet impunita: sed differt æternis cruciatibus punienda, solet enim ex impiorū malis multa bona depromere. Vt qui pulchram aurificis officinam preciosis monilibus ornatam ingreditur, non debet ægrè ferre carbones, & fornacem, quæ ibi videt, quoniam ad annulos & cætera auri monilia conficienda opus est igne, & carbonibus. Sic si in Dei ecclesia, vbi sunt viri sancti & docti videris impios, carbones nefarios, & diuites tyrannos, ne scandalizeris: quia nō essent martyres nisi essent tyranni. Vnde D. Augustinus dicit, quòd Deus nō crearet homines neq; angelos quos *Augu. lib. 22 ciu. cap. 1* sciebat malos futuros: nisi posset ex illis bonū aliquod elicere. Et vt idem Augustinus ait, ad hoc vi- *August. super Psal. 54* uunt mali vt per ipsos boni exerceantur. Non ergo scandalizemur cùm viderimus bonos tribulationi expositos, & malos lætos & fœlices: quia modo sic fieri expedit, sed posteà aliter fiet in alio sæculo.

¶ Demum docet diuites pauperibus bona elargiri, & timere æternum supplicium: secundum illud *Iacob.5* Iacobi, ne superbiant in diuitiis suis. Agite nūc diuites, plorate, vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Vtinam sic in aliorum incommodis periculum facientes caueamus, vt ritè & exactè huius diuitis inspecta, & perpensa historia simile viuendi institutum vitemus, Lazarumq; in paupertate & patientia & morum integritate imitemur: vt confecto huius vitæ curriculo miserrimo cœlestes illas diuitias consequamur, & beatorum consortio digni efficiamur in suprema illa & æterna fœlicitate: ad quā Dominus nos perducere dignetur. Amē.

CAPVT XVII.

CVM in capite superiori Christus contra auaritiam disputaret, pharisæi (vt audisti) deridebant eum: quoniam molestissimo patiebantur animo, se tam publicè vitiorum accusari, quæ abditissima esse putabant. Nec pharisæi solùm contra Christum insurgebant: sed etiam cum minores malorum exempla sequantur, reliqui Iudei doctrinā Domini contemnebant, tantum potest superiorum & prælatorum ad inferiores bonum vel malum exemplum. Quare sicut laudandi sunt doctores, qui virtutem suadentes viam cœlorum patefaciunt: sic & multo magis execrandi sunt perfidi prauitatis magistri, qui cùm cæci sint, miserorum in pœnas sempiternas duces existunt. Quod malum ô vtinam in nostri temporis prælatis non inueniretur, qui sicut in hac vita luxuriosè viuentes multos vitiorū suorum comites & stipatores habent: sic in altera nisi

domi

dominus sua pietate anteuertat, iisdem ad infernũ commilitonibus circunsepti descendent, vt per eosdem supplicium instigatur, per quos fuit inducta occasio peccandi.

¶ Igitur quia pharisæi aliis erant in scandalum, rectè Lucas post derisionem pharisæorum, de scãdalo loquitur & de pœna qua mulctandi sunt scãdalizatores, quales isti Pharisæi erant. Modestè tamen arguit pharisæos loquens de eis ad discipulos, quod etiam generaliter ad omnes dicit hanc doctrinam, de scandalo pharisæorum sumpta occasione. *Ait ergo ad discipulos suos. Impossibile est vt nõ veniant scandala.* Quasi dicat. Licet infirmi scandalizẽtur, vos autem ne turbemini, si derisores moueant scandala, quia necesse est ita fieri. Necesse est inquã vt veniant scandala, sicut ait Paulus de hæresibus quòd oportet quòd hæreses sint, vt qui probati sũt manifesti fiant. Aduertendum tamen quòd hæc necessitas non est absoluta sed conditionata. Primò ex Dei prædestinatione: sicut dicimus, quòd necesse est hoc esse, si illud Deus præuidit.

Scandala necessario venire, nõ absolute sed conditionaliter. 1. Cor. 11

¶ Secũdò ex inclinatione fomitis: sicut dicimus quòd necesse est peccare venialiter, quanuis sit possibile quòd singula peccata venalia vitemus. Nam secundum statum vitæ præsentis, cùm iam tam corrupta sit natura, & homines ad malum propensi, cũ omnes quærant quæ sua sunt, & amor proprius tãtũ vigeat in eis: necesse est vt veniant scãdala, sicut est necesse ex putrefactione aëris pestem generari.

¶ Tertiò ex vtilitate cõsequentiæ, quã Deus ex scãdalis elicit: & sic omnia dicuntur necessaria. Nõ tamen necesse est absolutè & simpliciter, nam si sic fuisset necesse non dixisset dominus, væ illi per quẽ scandalum venit. Necesse est lupum in caulã descẽdere: sed si vigilauerit pastor, non necessarium est perire oues. Igitur cùm ait necesse est, non destruit libertatẽ arbitrij, nec necessitati aliquarũ rerũ supponit: sed ꝙ omnibus futurum est prædicit. Neque enim quia prædixit propter hoc futurũ est: sed quia futurum erat propter hoc prædixit. Et ita Christus noluit ponere necessitatẽ eueniendi ex parte causę, quasi nihil aliud vel cõtrarium agere posset, sed voluit ponere certitudinẽ ꝙ verè euẽturũ esset, quòd scandala fierent: ita quòd impossibile sit vt nõ veniãt. Est autẽ hæc certitudo vel necessitas euenĩẽdi necessitate consequentiæ, quia quilibet vult viuere ad libitum suum, & inclinatio hominis ad malum est, & licet rarò possit emẽdare coercẽdo desideria affectus nostri: tamen tolli omnino ista desideria est impossibile ex cõditione naturæ. Sic diuus Hieronymus ait, quòd vbi ponitur impossibile nõ impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur, vt est illud. Sicut camelus non potest per foramẽ acus transire, &c. & Paulus ad Hebræos. Impossibile est eos qui semel illuminati sunt & gustarũt donũ cœleste, &c. Sequitur. *Væ autem illi per quem veniunt.* Vę cõminatio æterna est, quæ pœna non datur nisi pro mortali peccato. Quapropter scandalum ex suo genere peccatum mortale est. Ideo aduertendum quòd scandalum nihil aliud est, quàm dictũ vel factum minus rectum præbens occasionem ruinę. Pro maiori autem intelligentia horum, vt scias quando scandalum mortale sit, vel veniale peccatum: aduertendum quòd scandalum duplex est: actiuũ scilicet, & passiuum. Actiuum est facere aliquod malũ intendendo aliquem incitare ad peccãdum, vel facere saltim malum publicè aut manifestè ex quo possunt videntes ad peccandum induci, licet agens non intenderit aliquem ad peccatũ inducere. Scandalum passiuum est spiritualis ruina, scilicet cùm quis cadit à bono quod agebat, motus malo exemplo alicuius. Scandalum passiuum semper est peccatum in eo qui patitur: quia non scandalizatur nisi quia ruit spirituali ruina, quæ est peccatum: & in via Dei gradiebatur & ductus exemplo alterius recedit ab illa: & hoc mortale est. Ideo scandalũ passiuum mortale est, interdum tamen veniale est, vt si quis tendebat ad perfectionem, & scandalizatus defecit ab illa, vel committit aliquod leue malum, quod veniale dicimus. Ideo semper est mortale vel veniale scandalum passiuum in patiente: quia est ruina spiritualis, quæ peccatum est. Scandalum autem actiuum semper est mortale vel veniale. Nam in eo qui intendit alium inducere ad peccatũ semper est mortale, in eo verò qui talia facit, ex quibus alij iustè scandalizari possunt, erit mortale vel veniale, si illa quæ facit sunt verè mala aut habentia speciem mali. Si sunt verè mala, si illa agit peccat mortaliter scandalizando proximũ, quanuis nõ intenderit scandalizare. Sed si facit quæ verè mala non sunt sed habentia speciem mali, interdum mortaliter peccat, & interdũ venialiter. Quia quæ speciem mali habent, licet mala non sint, dimittenda sunt propter salutẽ proximi, quã tenemur procurare: cum vnicuique mandauerit Deus de proximo suo, & contrarium facientes contra charitatem militamus. Sic Apostolus suadet talia dimitti scribens ad Romanos. Et etiam Corinthiis ait. Si caro scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. Et ita ait de manducantibus idolotita: id est cibos consecratos idolis. Nam non est malum per se comedere ista, cũ idolũ nihil sit, & cibi sic cõsecrati, nihil contrahant ex cõsecratione ipsa: & tamẽ quia videntes putabant per hoc honorẽ impẽdi idolis, obligamur illa vitare corã infirmis. Illa autẽ quæ nec mala sunt neque mali speciẽ habẽt, dimittenda non sunt, propter scandalũ incidorũ: sicut pharisæi scandalizabantur de bonis Christi operibus, de quorũ scandalo non est curandũ, vt Christus dixit discipulis. Sinite illos quia cæci sunt, & duces cæcorũ: quia Christus nõ præstabat eis causam scandali. Ideo dubium est an veritas sit relinquenda propter alicuius scandalum? In primis clarum est, quòd hîc nõ loquimur de scandalo actiuo, quia hoc nunquam agendum est, cùm sit peccatum ipsius facientis: imò nunquam poterit sequi scandalum actiuum secundum veritatem, cùm scandalum actiuum sit factum minus rectum, & sequi veritatem semper est rectum. Intelligitur autẽ de scãdalo passiuo. Vnde nihil aliud est, quàm quærere, an aliquod bonum sit dimittendum, ne alius peccet. Ad quod dicendum, quòd cùm homo circa spiritualia bona teneatur magis seipsum diligere, quàm quemcunque alium, nullo modo tenetur peccare, vt peccatum alterius euitet: quicunque autem veritatem prætermittit, peccat. Veritas autem consistit in hoc, quòd homo in dictis & factis suis rectitudinem diuinæ legis siue diuinæ regulæ seruet, & illi se conformari tenetur. Et ista veritas partim consistit in his quæ ad cognitionem pertinẽt, & illa vocatur veritas doctrinæ. Partim consistit in his quæ pertinent ad actiones, & tunc dupliciter, quia aut circa ea quę ipse per se agere debet, & ista est veritas vitę, aut circa ea quæ aliis agenda promulgare debet

Matth. 18 *Hie. in Matt. cap. 19* *Hebr. 6* *Scandalum quid.* *Scandalum duplex actiuum & passiuum.* *Eccle. 17* *Rom. 14* *1. Co. 11* *Matth. 15*

aut cogere alios ad agendū, & ista est veritas iustitiæ. Circa hoc tamen cōsiderandum quòd licet veritas sit conformando se circa omnia diuinæ regulæ vel legi, non tamen est necesse quòd conformet se homo in omnibus in quibus potest, quia aliqua conformitas esse potest, qua omissa non agitur contra veritatem vel legem Dei, quia adhuc veritas manet. Vnde sicut nullus obligatur ad quodlibet bonum agendum, obligatur tamen ad nunquā agendum malum: ita non obligatur ad conformandū se diuinæ regulæ in omnibus in quibus potest, & tamen nunquam debet quis agere, cōtra diuinam regulam vel legem. Potest enim quis cōformare se diuinæ regulæ per opera consiliorum, sed non peccat non se conformando huic regulæ: quia non sequendo regulam consiliorum potest se conformare regulæ præceptorum, quæ est diuina. Tunc autem dicitur relinqui veritas quando veritas nullo modo manet: id est, non manet homo conformatus diuinæ legi, taliter autem dimittere veritatē est semper peccatum mortale, quia est agere contra legem Dei. Ideo propriè loquendo veritas nunquā dimittenda est propter scandalum passiuum, cùm dimitti sic veritatem sit peccatum mortale: & nunquam committendum est peccatum mortale vt caueamus scandalum proximi, ita vt nullus teneatur peccatum committere veniale, vt euitet mortale alterius: si illum euitare aliter non potest nisi committendo veniale. Quia nullus debet offendere Deum saltem parum, vt alius non offendat multū: quia homo in infinitum tenetur, plus diligere Deū quàm proximum, ideo nullus debet facere peccatum veniale, vt euitet scandalum proximorum. Opera autem bona quæ sunt ex consilio ad quæ non tenetur homo per votum, nec illi ex aliqua lege sunt obligatoria non tenetur dimittere si scandalū passiuum procedat ex malitia, secus autem si procedat ex ignorantia: nam aliqui ignorantes scandalizantur si viderint facere ea, quæ sunt perfectionis, & hoc dicitur scandalum pusillorum. Sic Christus dixit Petro. Vt non scandalizemus eos, vade, & solue pro me & pro te. Nam licet Christus esset liber à tributo, quia Rex regum erat: nesciebāt tamen hoc qui colligebant didragma. Propter hoc scandalum ab operibus consiliorum cessandum est vel occultè facienda sunt opera, ne ignorantes, quorum mens infirma est turbetur. Sed si illis reddatur ratio, & non cessat scandalum, iam tunc ex malitia est, & contemnendum: & non cessandum à bono perfectionis. Sed de his satis. Sequitur pœna scandalizantium.

Nō sunt facienda mala vt eueniant bona. — *Vide Bed. ca. 67. in Lucam tom. 5* — *Scandalum pusillorū.* — *Matth. 17*

Vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proijciatur in mare.

Multò melius pro culpa esset breuem recipere pœnam: quàm æternam cruciatibus seruari: nam de duobus malis minus tolerandum est, vnusquisque enim anteà debet mortem subire corporalem, quā vitam animæ perdere propter peccatum mortale: vt fit proximum scandalizando, cùm anima nobilior sit quàm corpus, ita perniciosior est mors animæ quàm corporis. Ideo vtilius esset illi vt mortē subiret corporalem, qualis est proiectio in mare lapide magno posito ad collum. Porro lapis molaris idem est, quòd mola asinaria, vt inquit Mathæus. In originali Græco Diui Lucæ habetur μύλος ὀνικὸς, id est mola asinaria: nam Græci ὄνον, id est asinum vocant, & saxum substractū in mola, quod accipit frumentum. *Quàm vt scādalizet vnum de pusillis istis.* Pusilli vocantur hic vel ætate paruuli vel perfectione. Et si nefas est pusillum scandalizare, grauius erit perfectum in scandalum esse. Loquitur enim Christus hic tam de pusillis, quā de perfectis. Hinc dicimus si tam grauis erit pœna illius, qui pusillum vnum scandalizauerit: quod melius esset occidi quàm scandalizari vnum istorum, quid erit de illis quos Deus tanquam mundi lucem posuit super candelabra vt omnibus lucerent: qui iam episcopatus, dignitates, & principatus obtinent: non vt populum ædificent exemplo & verbo, sed in scandalum sunt multorum & in ruinam populi totius, videntes eorum potentiam, delicias, auaritiā, superbiam, qui ouibus suis sunt in scandalū. Discāt à Christo saluatore nostro, cuius vices in terris gerunt, qui vt scandalum vitaret, licet ad legem non teneretur, in templo voluit præsentari, & didragma soluit, & plura alia fecit in exemplū nostrum. Corpus etiam Mosi Dominus occultauit, vt doceret occultare ea quæ sunt scandali. Nam Iudæi si haberent corpus Mosi darent illi diuinos honores. Quia si serpenti æneo dederunt honorē Dei, multo magis corpori Mosi dedissent, pronus enim erat ille populus ad idololatriam. Sic etiam Deus puniuit morte miserabili exploratores illos, qui terræ promissionis detraxerunt, & fuerunt in scandale Israëli. Sic etiam vos puniet mulieres, qui vestris fucis & compositionibus, & ornamentis estis aliis in ruinam, & scandalum. Si mihi non creditis audite Deum per Ezechielem dicentem, Quicunque scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, ponam faciem meam super hominem illum in exemplum & in prouerbium: & disperdam illum de medio populi mei. Sic perdidit Iezabelem & Acham, eo quod turbauit Israëlem, vt Helias ei dixerat. Acham lapidatus est à populo. Isti enim quia plebem scandalizauerant miserrimè interierunt: qua pœna digni sunt, qui suis prauis operibus & sermonibus populum scādalizant, & plebem. Maximè prælati qui lux mundi sunt, & ad ædificandum, & gubernandum populum Dei, positi sunt in Ecclesia sancta. Lege in tertio volumine Regum, quantum Deus puniuit Hieroboam filium Nabath, & Regem Israël, eo quòd fecerit vitulos aureos, & peccare fecit Israel. Omnem domum eius subuertit, & aliorum peccata illi impingit scriptura, dicés, quòd peccare fecit Israel: quia in scandalum fuit toti populo. Quapropter Diuus Gregorius ait, quòd tantis mortibus prælatus dignus est, quantis subditis scandalum præbuit suo malo exemplo. O si prælati, populique magnates, & principes secum reputare vellēt, quomodo sint omnibus hominibus quasi in quadā specula constituti, vnde eorum vitia neminem latere possunt æstimarēntque grauissima supplicia quæ malo exemplo suo merentur, secus quàm viuunt, viuerent, cautiùsque peccare attenderent: nec Ecclesia Christiana tantis subiaceret incommodis: Ideo subditur.

Matth. 5 — *Luc. 8* — *Matth. 17* — *Deut. 34* — *4. Reg. 18* — *Num. 14* — *Ezech. 14* — *4. Reg. 9* — *3. Reg. 12* — *Greg. in cura pastor. p. 3 cap. 5*

Attendite vobis. Id est, diligenter cauete ne proximum scandalizetis, proximo enim debemus famam bonam, & ædificationem. Specialiter tamen monet discipulos de non scandalizando, quoniam figuram gerebant prælatorum, doctorum, prædicatorum: & religiosorum: quorum scandalum actiuum periculosius est, & magis ad exempla

exempla trahuntur. Et quoniam aliorum scandalo læsi, sunt piè recuperandi, subdit Saluator.

Si peccauerit in te frater tuus increpa illum, & si pœnitentiam egerit dimitte illi.

Quia latè hæc de correctione fraterna exponit Matthæus, Lucas vt dicta à Matthæo silentio præteriit. Sensus igitur est, Si peccauerit in te, id est, te sciente peccatum alterius: nam non scita non teneris corripere. *Increpa illum.* Aduertendum quòd vel proximus est iam à peccato alienus & emendatus, vel non est. Si est, non teneris ad correctioné, quia vana & ociosa est medicina sano. Correctio autem fraterna est in medicinam peccati: quando res, & ratio postulauerit. Sed multi fratrum peccata antiqua & iam emendata corrigunt, certiorésque faciunt prælatos, & iudices, maxima cum animarum suarum iactura, proximorúmque infamia. Igitur si peccator permanens in peccato publicè peccat, publicè arguendus est, iuxta illud Pauli, Peccantem coram omnibus argue: quia prouidendum est de scandalo multitudinis. De emendatis aut de publicè & notoriè peccantibus, non loquitur hîc Christus nec de his duobus generibus peccatorum: sed tantum de illo peccatore qui actualiter est in peccato, & nõ est notus peccator. De isto tamé distinguendum est. Nam si est capax correctionis & probabiliter credis quòd audiet te & emédabitur, teneris eum corrigere occultè, ea forma qua tradidit Christus in Matthæo, scilicet vt corripias eum inter te & ipsum solum. Qui si te nõ audierit, secundò corripias adhibens vnum vel duos testes: qui si etiam illos non audierit, dicas Ecclesiæ, id est, prælatis Ecclesiasticis: quos si nõ audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Rectè hæc ordinata sunt: quia proximus duo bona habet, famam scilicet & conscientiam: quæ duo seruanda sunt inquantum fieri potest. Sed si poteris curare conscientiam seruando famã teneris facere, ideò occultè corripiendus est. Sed si occultè monitus noluerit emendari, tunc quia conscientia est maius bonum quàm fama, necesse est fama periclitetur vt conscientia non pereat. Et sic etiam si cum famæ dispendio fiat prouidendum est, nihilominus cum animæ, salutísque remedio, quæ cæteris omnibus rebus anteponenda sunt: ideo adhibe duos testes, & dic Ecclesiæ. Verùm si peccator correctionis capax non est, quo pacto non pauci inueniuntur adeò superbi, morosi, & intemperantes, vt verbum vnum duriusculum, etsi vtilissimum ferre non possint, prætermittendus est. Cum his enim hic ordo seruandus non est: sed ne eius salus, si ab omni admonitione destituatur grauiùs periclitetur, Deúsq; in dies licentiùs offendatur, is qui nullam fraternam correctionem admittit, prælato denunciandus est: vt ab eo non tanquam iudice, sed patre & pastore piissimo, ad veram virtutis viam reducatur. Prælatus tamen peccatum isto modo scitum non potest tanquam iudex punire, sed tanquam pater corrigere, & occultè monere, nisi iam publicum sit: cùm tamen est occultum debet prælatus occultare illud. Sic Deus cum peccatum Dauidis erat occultum celauit: sed cum fuit manifestum misit ad illum Nathã, qui dixit. Quia blasphemare fecisti nomen Dei, &c. Ex quo patet, quòd iam erat publicum. In Exodo etiam habetur, quod vidit Moses populum quòd detectus esset, & tunc congregauit filios Leui vt puniret eos. Igitur cùm prælatus scit subditi peccatum occultum, nõ tanquam iudex, sed sicut pater nõ poterit illud punire: sed tantum occultè monere. Nam multò melius accipiet correctionem fraternam à prælato qui habet autoritatem, quàm à socio: nam multoties subditus ita erubescit audire verba prelati sui, vt vellet potiùs pœnam grauem tolerare quàm peccatum eius cognosci à prælato. Si auté prelatus habet odium erga subditum, non est ei reuelandum crimen subditi. In his deniq; regula certa dari non potest, quando licebit statim dicere prelato, & quãdo nõ. Sed quia omnia hæc propter charitatem fiunt, debet esse charitas regula horum. Et ideò si prudẽs iudicauerit melius ad salutem proximi conuenire denunciare statim prelato peccata eius, licebit detegere pro rei grauitate & exigẽtia. Si verò contrarium crediderit, contrarium tutò facere poterit. Et vbi fuerit dubium potiùs debet cessare denunciare prælato conformãdo se ordini tradito à Christo de secreto admonendo. Et in his omnibus debet intelligi quod dicens prælato peccatum alterius dicat bono animo, nam si ex malitia dicat vt proximus confundatur & erubescat in conspectu prelati, etiamsi ex hoc credat futuram magnam vtilitatem, peccat mortaliter qui sic denunciat prælato peccatum alterius.

Correctio fraterna quomodo fieri debeat. — *1.Cor.15* — *Matth.18* — *2.Reg.12* — *Exod.32*

¶ Obseruandum tamen quòd hæreticos & infideles alios non tenemur corrigere, sed statim dicere prelato, iudici, aut inquisitori hereticæ prauitatis non seruando hunc ordinem correctionis. Ideò Christus dixit, Si peccauerit in te frater tuus. Heretici tamen non sunt fratres nostri: quia ipsi habent diabolum in patrem, nos tamen dominum Iesum Christum. Non ergo sumus fratres. Sunt tamen aliqui qui decepti ex ignorantia labuntur in heresim, qui heretici non sunt censendi: quia omnis hereticus contumax est, isti simplices & populares benè possunt corrigi, & moneri occultè, qui si in prima correctione non resipuerint, imò in sua heresi permanserint, tunc iam heretici contumaces sunt, & iudex est admonendus.

Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi.

Vt iam ostendimus hæc correctio proximorũ à charitate procedere debet, oportet vt ex charitate, & in charitate fiat, ideo iniuriæ dimittendæ sunt. Porro hîc numerus finitus pro infinito ponitur, nã non tantum septies sed vsque septuagies septies, & millies si oportuerit condonabis ei. Aduerte tamen quòd etiam non petenti neque roganti ignoscendum est: quantum ad culpæ & odij remissionem: quanuis maior sit ratio dimittendi petenti veniam, quàm non petenti illam. Sed væ quot quantáque odia, factiones, bella, dissidia, lites, inimicitiæ, grauissimæque inter Christianos offensiones reperiuntur. Longum esset recensere: qui solo baptismo, fidéque semimortua contenti, omni prorsus pietate, charitatéque vacant more Ethnicorum, Saracenorúmque viuunt. Pauci sunt qui sponte sua, totóque animo iniurias condonent. Sed audi quid Paulus dicat. Non vosmetipsos vlciscentes, sed date locum iræ. Dare locum iræ est permittere Domino iudicandi facultatem, quam Deo eripiunt qui seipsos vlciscuntur. Si quis occupato regni imperio iurisdictionem, autoritatémque regiam vsurparet inuito Rege, Principe,

Fratri peccanti ignoscendũ. — *Rom.12*

vel imperatore: nonne esset diminutæ maiestatis reus? dubium non est. Atqui Deus inquit, Mihi vindictam, & ego retribuam. Quare existimare debes quandocunque ab aliquo læderis, non tibi sed Deo iniuriam factam fuisse. Ne proprium munus iniurias vindicandi, illi autoritatem & iurisdictionem suam eripias. At non modo iniuriarũ punitio propriè Deo incumbit, sed etiam & venia. Ne simus difficiles ad parcendũ, nec tardi ad ignoscendum, nec proni ad vltionem, nec memores illatæ nobis iniuriæ, pensantes quod in Genesi Patriarcha Iacob, affirmat. Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio quia dura. In Leuitico quoq; ait Dominus. Non quæras vltionem nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Hinc Apostolus iubet. Deponite iram, & indignationem, supportãtes inuicem, & donantes vobismetipsis: siquis aduersus aliquem habet querelã. Sic & in Marco Christus hortatur. Quum stabitis ad orandum dimittite si quid habetis aduersus aliquem: quod si non dimiseritis nec pater vester qui in cœlis est dimittet vobis debita vestra. Vbi obseruandum quod si ille qui offensus non dimittit iniuriam incassum orat: quomodo orabat ille qui offendens alios opprimit pauperes & iniuriam facit vicinis & proximis? Frustra igitur orat qui proximo non dimittit iniuriam. Ideo Sapiens ait. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Quum autem tanto grauior sit offensa, quanto maior est honorabilitas & excellentia eius: nonne immensa & irrationalis dementia est, vt homo vas putridum petat sibi à Deo ignosci, cùm ipse proximo suo non velit ignoscere? Ideo in Ecclesiastico scribitur. Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam. In hominem sibi similem non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur altissimum. Quis exorabit pro peccatis illius? Quamuis autem remittere iniurias iustissimum & æquissimum sit: caro tamen recusat: grauatúrque remittere: ideo exhortatione opus est, gloriæque æternæ recordatione illam excitare. Fideíque non parum ad hoc conduxerit robur: quoties in memoriam reuocabitur diuina misericordia: quæ neutiquam iis negabitur, qui fratribus suis misericordiam fecerint iniuriarum veniam nõ negarint. Ideo non immeritò cùm hæc loqueretur dixerunt Apostoli. *Adauge nobis fidem.* Quasi dicant. Iubes vt condonemus iniurias, hoc non potest esse nisi credentes quod habebimus thesaurum in cœlo, confidentes de præmio futuro: ideo adauge nobis fidem. Perfice & corrobora fidem nostram, vt possimus hæc ardua tua præcepta & documenta supernaturalia adimplere. Hoc petierunt Apostoli, quoniam tam incessanter iniurianti ignoscere, & scandala euitare, delinquentémque corripere, procedunt ex magna fide, qua quis firmiter ac lucidè credit prouidentiam ac iudicium Dei præmiúmque beatum pro actibus bonis. *Dixit autem Dominus. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis.* Morus arbor est sui generis peculiaris Syriæ, quéadmodum indicat Diuus Hieronymus, Græcè *συκάμινον*. Sed quia granũ sinapis sicut Christus dixit, est minimum omnium seminum: voluit hîc Saluator noster designare minimã fidem. Vult ostendere quòd non solum fides magna potest impetrare petita: sed etiã fides minima impetrabit quidquid petierimus, etiamsi postulauerimus montes arborésque transferri: & loquitur modo vulgari vt intelligi possit. Nam fides est aliquid purè spirituale, spiritualia tamen nõ habent aliquam quantitatem magnitudinis: in qua communicent cum corporibus, ideo fides nec est maior, aut minor quantitate, nec æqualis grano sinapis: quia granum sinapis est alicuius quantitatis, fides autem nullius. Sed est quædã qualiscũque similitudo, scilicet, quod sicut granum sinapis in corporibus habentibus quantitatem est aliquid minimum, ita accipiatur in fide id quod est minimum: dum tamẽ sit fides, quia sufficit illud ad obtinendum omnia petita, in fide autem est accipere maius & minus eo modo quo accipitur in spiritualibus perfectionibus.

¶ Præterea diligenter obseruandum est, quòd fides accipitur dupliciter, primò pro virtute theologica, quæ nihil aliud est quàm habitus quo assentimus credibilibus, credendo ita esse sicut asserit Ecclesia orthodoxa: secundum quam fides efficimur: & est principium omnium virtutum, & bonorum, & ista est sine qua impossibile est placere Deo. Secundò, fides accipitur pro dono quodam, & ponitur ab Apostolo inter dona gratis data. Diuisiones inquit gratiarum, &c. Sequitur, alij datur sermo scientiæ, alij sermo sapientiæ, alij fides in eodem spiritu. Fides autem prout est virtus theologica non vocatur propriè donum. Largè quippe potest vocari donum omnis virtus theologica, quia sunt in nobis per infusionem, & ita sunt per diuinam collationem: & tamen non vocantur propriè dona: quia dona vocantur gratiæ gratis datæ, quæ secundum se non gratificant hominem Deo. Charitas tamen per seipsam reddit hominem gratum etiam nondum existente actu: sed sólo habitu charitatis: ideo non vocatur ipsa donum eo modo quo vocamus dona illas gratias, quas Apostolus ponit. De hac fide quæ donum est, quæ proprio vocabulo confidentia vocatur, ait Iacobus, Si quis indiget sapientia petat à Deo, postulet autem in fide nihil hæsitans. De Centurione dixit Christus: non inueni tantam fidem in Israël. Et mulieri Cananææ. O mulier magna est fides tua. Et illud. Habete fiduciam, ego sum: nolite timere. Et illud, Modicæ fidei quare dubitasti? Et illud. Quid timidi estis modicæ fidei? Omnes istæ autoritates crediderim quòd de hac confidentia loquuntur. Et etiam illud, Videns Iesus fidem illorum dixit paralytico. Confide fili: Sic & in præsentiarum de hac confidentia loquitur hîc Christus: nam innuebat Christus quod discipuli non habebant illam talem fidem, & tamen certum est quòd habebant fidem theologicam, qua credebant omnia quæ Christus eis credere iusserat, & omnia quæ ex veteri testamento credere tenebantur. Ideo non loquebatur de fide prout virtus Theologica est. Et patet etiam: quia Christus dedit discipulis istam fidem: quando dedit eis potestatem faciendi miracula: & non habebant istam fidem quæ est donum, constat tamen quod habebant fidem. Theologicam virtutem, quia fideles erant ante Apostolatum in lege Mosi: postea Christo credebant: nam aliàs essent infideles, & in magno peccato mortali. ¶ Igitur qui habuerit talem fidem, id est, confidentiam super re quam petit,

Marginalia: Deut. 32 / Ezech. 9 / Rom. 12 / Non quærenda vindicta. / Genes. 49 / Leuit. 19 / Coloss. 3 / Marc. 11 / Eccle. 28 / Eccle. 28 / Theop. in hoc loco. / Matth. 21 / Chrys. Hom. 58. in Matth. to. 2 / Fides duplex. / Hebr. 11 / 1. Corint. 12 / Iacob. 1 / Matth. 8 / Matth. 15 / Matth. 14 / Matth. 9 / Matth. 10 / Fides pro confidentia.

petit, ita vt nullo modo hæsitet obtinebit. Et quia Deus vult quod in quibusdam rebus obtineamus, dat nobis desiderium petendi, & confidentiam certissimam obtinendi: & tunc obtinemus infallibiliter, id quod petebamus. Cum autem non dignatur concedere quod petimus, etiamsi concedat desiderium petendi, non donat fiduciam obtinendi: & tunc cum petamus sine fide quia hæsitamus non obtinebimus. Et ita fides quæ est fiducia obtinendi est donum Dei, & dat eam cui vult, & quando vult, & aliis non. Et ideo ille, qui interdum solebat confidenter petere, volens posteà petere relaxatur animo suo, & deficit aliqualiter hæsitans, & tunc non obtinebit, quia hæsitat. Sic apostoli non potuerunt curare lunaticum, dæmonium habentem: & interrogauerunt Dominũ secreto, dicentes. Quare nos non potuimus eiicere illum? *Matth. 17* Quibus respondit Dominus, Propter incredulitatem vestram. Sequitur. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & diceretis monti huic, transi hinc, transibit. Est ergo fides quæ est virtus ad credendum in potestate nostra, sed fides quæ est ad obtinendum non est in potestate nostra, sed sicut à Deo nobis donatur, qui interdum donat illam, & interdum non donat, & aliquando paruam, & aliquando magnam. Et sic verum manet, quod quicunque habuerit confidentiam istam in petendo quæ fides vocatur, quod obtinebit omnia, etiamsi velit montes transferre, & arbores eradicare & transplantare in mare. Potest etiam hæc postulatio apostolorum cùm dicunt, adauge nobis fidem, referri ad vtranque partem fidei: nempe, vt eis intellectum aperiat lumine cœlesti, quo plura idque perspicacius de Deo intelligant per fidem, vtque affectum roboret, & confirmet, quo constantiùs & immobiliùs persistant in his quæ mente intellexerunt, sitque illorum fides theologica virtus vti debet, hac confidentia perfecta. De fide autem vtraque sui *1. Cor. 13* parte perfecta insinuat apostolus se loqui cum dicit. Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, &c. Significat primò per hoc quod dicit omnem, idest, perfectam, nempe vtraq; sui parte absolutam, nam omne & perfectum vnum sunt secundum Aristotelem primo de cœlo. Secundo per hoc quod adiungit dicens, ita vt montes transferam. Nam miraculorũ operatio præcipuè spectat hanc secundam fidei partem. Et de hac acceptione fidei scilicet confidẽtia credo quòd potiùs loquitur hîc Christus, dicens, Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c. Vt iam in præcedentibus ostendimus, quamuis etiam de vtraque fide possit exponi.

¶ Præterea quia Saluator suis electis excellentissima gratiarum charismata promisit & contulit præstaturúsque est tam in donis gratiæ gratum facientis, quàm gratiæ gratis datæ, idem post prædicta salubertimè instruit eos de profunda & inconcussa humilitate semper in omnibus conseruanda, vt omne bonũ omnipotenti creatori iugiter asscribatur, & tanto plus ei agamus gratias, quanto copiosiora gratiæ dona ab ipso sortiti fuerimus. Ad hoc igitur persuadendum aptissimam, atque planissimam introducit parabolam. *Quis autẽ vestrum habens seruum arãtem, aut bouem pascentem, qui regresso de agro dicat illi, Statim trãsi recumbe, & nõ dicit para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & posthæc tu manducabis, & bibes. Nunquid gratiam habet seruo illi?* Id est, nunquid dominus debet agere gratias illi suo ministro.

Quia fecit quod ei imperauerat? non puto. Seruus enim tenetur ad hoc, & post laborem in agro habet etiam laborare in domo: vt sit assiduè in labore ne insolescat, iuxta illud Ecclesiastici, Cibaria & *Eccle. 33* virga & onus asino, panis & disciplina, & opus seruo. Itémque seruum inclinant operationes assiduæ: Nam seruus quamuis bona fide suo fungatur officio in agro, & domi reuersus fecerit imperata, non tenetur dominus illi reddere gratiam: quia pœnam exacturus erat nisi id fecisset. Quam ob rem? Non ob aliud nisi quod seruus est, & omnem operam debet domino, cuius est ipse. Seruus nõ in agro solum, sed etiam domi, domino suo seruire animo libentissimo debet: æquum enim non est, quoniam gregem pauit, aut fundum coluit, ideo securus ad mensam discumbat, omnium aliorum ministeriorum expers, quæ domino nihilominus exhibere tenetur. Ita & vos quantuncunque iam satis supérque vobis videamini mundum despexisse, iniurias condonasse, aut etiam mirabilia fecisse, arbores transtulisse, & omnem legem implesse, ne superbiatis: sed modestissimo animo cogitate plures esse ad perfectæ virtutis culmen ascendendum labores subeundi, & opera facienda. Ideo pergit in expositione parabolæ, seipsum declarans.

Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis.

A Deo, ab Ecclesia, à recta dictáte ratione. *Dicite.* Ex toto corde, cũ plena humilitate. *Serui inutiles* *Vana gloria vitanda.* *sumus.* Id est, nostra seruitute nihil vtilitatis aut perfectionis Deo attulimus, qui bonorum nostrorum *Psal. 15* non eget. Vnde in Iob habetur. Si peccaueris, quid *Iob 35* ei nocebis: & si iustè egeris quid ei donabis? *Quod debuimus facere fecimus.* Implendo præcepta. Docemur hîc omnem præsumptionem & vanã gloriam vitare. Si enim hi se seruos inutiles reputare debẽt, qui omnia impleuerunt præcepta: quid nobis incumbit, qui in tam multis offendimus: & ea ipsa *Iacob. 3* quæ forsan implemus præcepta, tam imperfectè implemus, ita vt iuxta Esaiam, vniuersæ iustitiæ *Esaia 64* nostræ sint quasi pannus menstruatæ? Si parentibus & magistris non potest reddi æquale, quomodo omnipotenti Deo poterimus condignum rependere? Quidquid sumus habemus, & quicquid boni agimus ab ipso est, & ipsius est: ipsíque ascribendum tanquam datori, & supremo conseruatori. Vnde Paulus apostolus Corinthiis scribens ait, *1. Corint. 4* Quid habes quod non accepisti? & si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? Itaque eo ipso quod totum quod habemus, & sumus, à Deo suscepimus, obligamur totum hoc eius obsequio mancipare ad eius honorẽ, & gloriam ordinare atq; conuertere, totúmque ei subiicere: & quo plura nobis dona contulerit, eo ad regratiandum, obediendum, & obsequendum obligatiores consistimus. Hinc viri sancti, quo perfectiores, & sanctiores, eo humiliores fuerunt, & de seipsis nihil boni existimabant. Sic beatissimus ille pater Franciscus post tot insignia, & præclara opera in vltimo vitæ fine suis dicere solebat. Laboremus, & Domino seruiamus: nam vsque adhuc parum, aut nihil fecimus. Hos ergo nos imperfectionibus pleni sequi conemur, istud Christi sapientissimum documentum iugi memoria recolentes. ¶ Sed cum alibi dicat Christus, Seruum inutilem proiicite in tene- *Matth. 25* bras

bras exteriores: quomodo iusti verè se dicunt seruos inutiles? dicuntur hic inutiles serui respectu Dei secundum sensum pręhabitū: alibi verò respectu sui, vel proximi qui nec propriam salutem sunt operati, nec exēplares fuerunt. Nostrū igitur similiter est sentire de nobis: & Dei erit dicere. Euge serue bone & fidelis. Videât ergo & cōtremiscant, qui peccantes, & mandata Dei prætergradientes extolluntur, quum omnia facientes nihil magni de

Prou. 3

nobis sentire nos velit vt præcipit Deus. Timeant illi, humilientur, & ne extollantur, qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas, qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: quorum viæ peruersæ & infames gressus

1. Pet. 5

eorum. Ideo ait Petrus. Humiliamini sub potenti manu Dei: vt vos exaltet in tempore visitationis. Ergo in hoc positum est negocium nostrum, ne de benefactis nostris gloriemur, nobísque plus æquo

Opera nostrā mediante gratia Dei merentur vitam æternam.

placeamus. ¶ Præterea, obseruandum est hic diligenter ne erres, aut Martini Lutheri hęresiarchæ pessimi nostri temporis doctrinæ adhæreas. Docuit enim ille qui semper operibus humanis detrahit, quod nullum opus humanū quantumlibet bonum est vitæ æternæ meritorium, neque ad vitam æternam assequendam necessarium. Nam dicit ille: si inutiles sumus, ergo impletione mandatorum vitam æternam non meremur: quoniam si tali impletione mandatorum vitam æternam meremur, nō solùm vtiles sed vtilissimi meritò censendi sumus. Est enim ipsa vita æterna supremum bonum & vtilissimū, quod nobis contingere potest. Deinde si quod debuissemus facere fecimus: consequēs est, vt sic faciēdo nihil mereamur. Nam qui reddit quod debet, satis habet quod per hoc liberetur à debito, & à pœna quæ ab illo foret merito exigenda si debitum non redidisset. Fatemur quidem nos omnes etiam postquam omnia mandata exequimur, debere existimare nos esse inutiles ex natura nostra, & ex propria natura eorum quæ fecimus: quia nec ipsa mandatorum impletio ex sua natura est tanti valoris, vt sit digna præmio vitæ æternæ: neque nos tot tantásque vires habemus, vt per nos solos sine speciali Dei adminiculo mandata illius omnia exequi valeamus. Nam de mādatorum Dei executione Dominus loquebatur, cùm dixit,

Ioan. 15

Sine me nihil potestis facere. Ex sola igitur misericordia diuina prouenit nobis vtrumque, videlicet diuinum auxilium ad exequendum mandata Dei, & liberalitas ipsius Dei, qua promisit se nobis daturum vitam æternam si mandata eius seruauerimus. Et quia hæc omnia non ex nobis, sed ex Dei misericordia procedunt: ideo Christus omnium

Lege Greg. li. 35. mor. ca. 11. in fi.

nostrum magister docet nos, ne superbiamus ex bonis quæ facimus: sed dicamus nos esse seruos inutiles, existimando nosipsos nihil eorū sine speciali Dei adiutorio facere potuisse. Gratia tamen eius adiuti vtiles esse possumus. Hedera herba vilis, fragilis & inutilis, cum primum se arbori applicat, ad cacumen vsque solet ascendere. Sic opera nostra quāmuis vilia & inutilia sint ex natura sua: tamen si Christo fuerint innixa, & ipsius meritis coniuncta, magni meriti & eximij sunt valoris. Atque ideo licet ex se inutilia sint, tamen ex Christi gratia vitam æternam merentur, & possumus om-

4. Reg. 13

nia præcepta adimplere. In quarto volumine Regum habetur, quod Heliseus supposuit manus suas manibus Regis Ioas, & eiecit sagittā salutis Israël: sic Deus supponit auxilium suum, & gratiam nostris operibus, cuius adiutorio & fauore salutis sagittam mittimus, & Dei præcepta adimplemus & vitam æternam meremur. Parum valent opera nostra: sed cum gratia Dei multum. In Exodo præce-

Exod. 25

pit Dominus offerri aurum & argentum, & pilos caprarum. Viles sunt pili caprarum, sed cum auro & argento multum valent. Sic opera nostra vilia sunt, sed cum gratia Dei, & eius adiutorio multum valent. Operemur itaq; & adimpleamus Dei mandata, vt gloriam mereamur, quam postulare possumus, & Deus tenetur illam nobis dare ex debito, vt diffinit Augustinus. Quapropter Paulus illam

Aug. epi. 105. & lib. de gratia & libero arb. c. 8 & li. 4. contra Iulia. cap. 1. 2. Tim. 4

coronam iustitiæ vocauit, scribens Timotheo discipulo: debetur enim ex rigore iustitiæ seruanti mandata Dei: quia ille ex mera sua liberalitate promisit beatitudinem his qui mādata Dei custodierint. Si rex quispiam in stadium descensuris equitibus suis præmium proponeret, vt qui pręclariùs se præstitisset in equitandi certamine, ciuitatem quasi sui laboris & victoria brauium ferret, esset quidem liberalitate mirabili. Attamen impleta conditione promissis nihilominus stare teneretur, licet pro tā exiguo opere tantam esset mercedem pollicitus. Sic opera nostra de se exigua, humilia, & ferè nihil sunt: quia vt Paulus ait, Non sunt cōdignæ pas-

Ro. 8

siones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Sed tanta est largitas, misericordiáque patris æterni, vt fidem suam astringere non dubitarit: sed iis qui pręcepta eius seruarint, summam fœlicitatem elargiturum. Sic iuueni illi dixit Dominus, Si vis ad vitam ingredi serua manda-

Matth. 19 Matt. 20

ta. Et cum operariis fecit conuentionem ex denario diurno, & misit illos in vineam suam dicens, Quod iustum fuerit dabo vobis. Ergo ex iustitiæ debito tenebatur dare beatitudinem, quam intelligit in denario. Quoniam verba regis quātumcunque sit exiguus, irrita esse non possunt, nedum tanti regis. ¶ Igitur possumus mereri beatitudinem & opera vtilia, & meritoria gloriæ operari: non in-

2. Cor. 3

quam ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, vt ait Paulus. In quantum in nobis est inutiles serui sumus: sed adiuti diuina gratia, quam Christus non negabit facienti quod in se est, vtiles serui erimus, vtentes nanque bene libero arbitrio erimus serui vtiles & merebimur vitam æternam. ¶ Super illud autem quod ait arantē seruum, aut pascentem, obserua, quod priùs dixit arantem & postea pascentem: quia non poteris esse bonus prælatus si priùs non fueris bonus subditus. Priùs oportet vt labores, & ares, & obedire scias, quàm

1. Tim. 3

aliis imperare. Qui enim domui suæ nescit præesse vt oportet, quomodo Ecclesiæ Dei curam geret? Et qui subditus malus est, bonus pręlatus non poterit esse. Magnates minus sibi imperant, impotentioréſque sunt ad omnes affectus: & maioribus solicitudinibus sunt obnoxij, quā alij homines. Prælati tamen in hoc negocio omnium maximis deuinciuntur obligationibus, & officiis: non enim modo suarum illis rerum incumbit, sed etiam alienarum cura: Quapropter qui priuatus & liber omni externo negocio domesticis non sufficit actionibus: quid speret prælaturæ pondus se posse sustinere? Aut quomodo magno oneri substabit, qui exiguo succumbit? Animus verò qui paucis numero curis ab oratione cæterísque piis operibus tam facilè auertitur: quid faciet tot vndique

quæ præpeditus negociorum compedibus? Oportet ergo vt priùs pascas & ares: hoc est, ministres & obedias, & humilitatem discas, si perfecti prælati officium præstare vis. Sed procedamus. ¶ Consequenter describitur à Christo miraculum peractũ, vel potius plura miracula, quibus ipsius confirmabatur supernaturalis doctrina. Quemadmodùm enim naturalis scientia probatur per argumenta, atque principia naturali ratione patentia: sic supernaturalis sapientia Christi in Euangelio tradita per supernaturalia, solísque Deo possibilia roborata est opera, per quæ Deus testimoniũ perhibuit Euangelicæ veritati. *Et factum est dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam.* Hæc vt ex omnibus circunstantiis colligi potest vltima eius profectio fuit à Capharnaum Hierosolymam versus: vbi iam certò decreuerat voluntatem patris sui implere, atq; electos suos morte omnium vilissima ab æterno exitio liberare. In hoc itinere Christus decem leprosos mundauit, insinuans quòd sacratissima eius morte & passione, vulnera nostra & morbos sanare vellet: sicut reipsa factum est, quia sanguine suo nos à peccatis no-
Apoc.1 stris lauit. Quia ad purgandam animæ nostræ lepram sanguinis sui effusione Hierosolymam ibat. Non reformidat gentẽ quamlibet atrocem, quamlibet effusionem sui sanguinis auidè sitientem, pertransiit Galilæam priùs, qua peragrata intrauit Samariam, quæ interiacet Iudæam & Galilæam, vt
Ioan.4 patet in Ioanne. Itinera autem Domini plena erãt miraculis & mysteriis: ambulabat enim de loco in locum, vt omnibus subueniret, omnibus adesset, occurreret singulis, occurreret vniuersis, hos mira-
Peregrinatio ni Christi laboriosa. culis, illos præmiis ad fidem alliciens. Vt omnes ad sa traheret, non rectà Hierosolymam petebat: sed per mediam Samariã & Galilæam, vt multis Euangelium suum prædicaret, multis ægrotis auxiliaretur, multos ad pœnitentiam inuitare posset, & vndequaque pateret ad eum accessus ad audiendum eum, tanquam verum, & præcipuum doctorem salutis: necnon ad petendum ab eo auxilium & consilium. Inter Iudæos & Gẽtiles transiit, quia de cœlo pro omnibus venit, vt per seipsum omnes mortales Deo reconciliaret, sine respectu personarum.
Gala.3 Apud eum enim non est Iudæus, neq; Græcus, non masculus, neque fœmina: non seruus, neque liber: communis Redemptor, propiciator, & Saluator est, & esse vult omnium verè in se credentiũ. Transiens autem ibat in Hierusalem, vt pro nobis sanguinem funderet: docens nos ne rebus huius sæculi, ad beatitudinem iter facientes immoremur. Hac enim de causa cursim Dominus per Samariam, & Galilæam ad patrem transiens festinabat: vt videlicet significaret, nullam esse moram in huius sæculi diuersorio faciendam, quin præcipitatis omnibus negotiis, & oblectamentis terrenis cœlum antelucano rapiamus itinere. Sic mittebant filij Israël ad Edom cùm transirent per desertum, dicentes, Hæc mandat frater tuus Israël. Nosti laborem qui apprehendit nos, &c. Per tritam gradiemur viam, & si biberimus aquas tuas, nos & pecora nostra, dabimus quod iustum est: nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus. Eodem modo faciendum nobis est, ad supremam illam, quasi ad promissionis terrã, fœlicitatem festinantibus, sic vt necessariis tantummodo pro viatico sumptis, reliquis neglectis, nihil sane impedimento nobis pos-

sit esse, quo minus ad optata perueniamus habitacula, ideo Paulus ait, Tempus breue est: reliquum *1.Cor.7*
est, vt qui habent vxores sint tanquam non habentes: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudẽt tanquam non gaudentes: & qui emunt tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtãtur. Præterit enim figura huius mundi. Non est substantia sed accidens: non res, sed figura & similitudo rei. Verùm multi sunt qui sicut *Iosue 13.*
Ruben, Galaad, & Manasses pecorum pascẽdorum causà vltra Iordanem manere voluerunt: nec quicquam de sibi tantis laboribus quæsita terra curabant. Ita inquã sunt plurimi qui bonis terrenis intenti, diuitiarúmq; contenti vlt ra, fructúq; breuissimo ad cœlestia regna aspirare contemnunt: quæ (si saperẽt,) tam celeri cursu rapere deberẽt, quanta in voluptatibus suis desidia torpent. Sed de his aliàs. Nos verò cum Christo trãseamus: & ad cœlestem festinemus patriam. ¶ Obserua vlterius quòd Christus transibat per Samariam qui idololatræ & Gentiles erant, docens nos quod non diu morandum est inter malos, ideo transibat ne videretur approbare eorum idololatriam. Sic tu ne miscea- *Prou.1*
ris peccatoribus: pedes enim illorum ad malum currunt. Ideo Iosaphat Rex reprehensus fuit à Ie- *2.Para.19*
hu, eò quòd præberet auxilium impio Regi Achab, dicens, Impio præbes auxilium: & his qui oderunt Dominum amicitia coniungeris: idcirco iram Domini mereberis. Necnon & ipse Iosaphat penè fue- *3.Reg.22*
rat occisus descendens cum Achab in prælium: & Petrus apostolus inter ministros pontificum, Chri- *Mat.24*
stum negauit. Ideo in Ecclesiastico habetur. Qui *Eccl.13*
tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo induet superbiam. Nulla est in omnibus morbis contagio, quæ sic tactum sequatur, vt mali mores consuetudine sese insinuantes: quare fugienda est malorũ conuersatio, si vis Christo inseruire. Sunt enim multi dæmonis ministri ab eo huic negotio præfecti, vt bonos decipiant incautósque venentur, amicitiæ, consuetudinísq; nomine. Ab istis ergo cauendum est magis quàm ab ipsis latronibus: latro enim bona corporis tãtum auferre potest, at illi bona animæ auferunt: id est, bonos mores corrumpunt, malos inducũt: virtutes eradicant, vitia seminant, & ad interitum viam pandunt. Quo igitur potiores sunt diuitiæ internæ animi externis corporis bonis: eo diligentius vitãda est malorum, quàm infirmorũ consuetudo. Malus consuetudine sua ita lenis primo aspectu videtur, vt difficile cognoscatur, nisi virtutis æstimatione vniuersa eius opera perpendantur. Malus consuetudine sua ita animos debilitat, inquietat, & ad vitia impellit: vt difficiliùs sit in cursu retinere quàm in initio resistere. Malorũ igitur summopere vitanda est conuersatio: quoniam licet nó omnino impiorũ conuersatione cogamur, ne eorũ vitia despicientes in medio quasi flagitiorũ incendio, integerrimam (si volumus) vitam viuamus: tamen summum est periculum, temeritasque insignis malle potiùs tanto hosti cum discrimine resistere, quã tuto subterfugere. Cùm præsertim tantum possit in omni negocio imitatio, vt sæpenumerò homines videamus anteà moribus maximè distantes in eandem deuenire & voluntatem, & viuendi rationem, assiduo cõgressu & vitæ consuetudine. At cùm natura humana procliuior sit in malum, fit vt sæpiùs boni à malis corrumpantur, quàm mali à bonis corrigantur.

Pro

1.Cor.15 Citius mali bonos corrumpunt, quàm malos corrigant. Pro quo facit egregium illud Pauli dictum. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Hoc autem multis non solum exemplis, sed etiam sacræ scripturæ testimoniis probari potest. Præcipiebat lex Israëlitis ne contraherent cum gentibus matri- *Exod.34.* monium: hac de causa videlicet ne malis illorum *Genes.6* moribus, & institutis corrumperentur. Filij Seth optimi quidem fuerunt antequam filias Cain vxores ducerent: posteà verò illarum consortio in tanta sese effuderũt scelera, vt causa extiterint diluuij *3.Reg.13* vniuersalis. Pius ille propheta à Deo in Samariam missus in itinere à leone fuit interfectus: quia cum falso propheta cibum sumpsit. Hebræorum populus Deo dilectus ex omnibus nationibus, quia cum gentibus conuersabatur, acerrimè ab Esaia obiurgatus est, dicente. Vinum tuum mistum est aqua. Vinum enim aqua mistum, vim magna ex parte amittit. Sic & bonus qui cum malis agit paulatim virtutem perdit: deuotionísq; feruorem diminuit. Quod si quis adeò animosus inueniatur, vt & virtutem integram seruare etiam in mediis sociorum vitiis possit, certè aut in dies magis magísq; ad bona opera frigescit: aut si hoc minus (quod fere impossibile videtur) malam apud homines de se excitabit opinioné, sicut vinum quod aqua dilutum etiam si vim non amittat, amittit tamen calorem. Sic tu opinionis tuæ apud homines iacturã facies, si cum vitiosis hominibus vbiq; verseris: talis enim quis æstimatur quales sunt, cum quibus viuit, homines. Vnde nullo alio iudicio cuiusque animus perspicitur exploratius, quàm ex amicorum, cum quibus viuere in primis lætatur moribus: omne nanque animal suum simile diligit, neque est difficile ex duobus amicis altero cognito, alterũ etiam ignotum cognoscere. Hac de causa incusabat Heliu Iob inquiens. *Iob 34* Quis est vir vt est Iob: qui bibit subsannationem quasi aquam? Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis? Magnam igitur de integritate sua dubitationem inducit, qui ita viuit vt malorum consortia vitanda non curet. Nam virtutem inter media seruare vitia par est, ac si quis aduerso amne cymbam remigando vrgeat, quorum vtrum difficilius sit non *Genes.19* facilè dixerim. Pauci autẽ reperiuntur, sicut Loth, qui inter Sodomorum iniquitates integer permansit: quem, ne fortè aliquando periret malo ciuium suorum exemplo, Angelus eduxit extra ciuitatem vrbémque incendio deleuit. Laudanda etiam est *Iob 1* Iob constantia, qui cum peccatoribus viuens iusti- *Philip.2* tiam ad finem vsque seruauit. Sic Apostolus Philippensium virtutem commendat, qui inter malorum cætus, vt clarissima luminaria resplendebant. Ecclesia etiam laudatur quoniam tanquam lilium *Cantic.2* inter spinas efflorescit. Difficile vt lilium molle, *Ezech.2* & tenerum illæsum inter spinas permaneat. Ezechiëli dixit Deus. Increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Ideo Christi exemplo, ne maneas, néve habites cum hominibus vitiosis, vsqueadeò vt tanquã vnus ex illis aut fias, aut existimeris. ¶ Obseruatio etiam quod transibat per mediam Samariam, ne Iudæos scandalizaret, multum cum gentibus conuersans. Quantum autem malum sit scandalum, & de ipso scãdalo satis abundè superiùs dictum est. ¶ Obseruandum etiam est Dominũ transeunté in ipso itinere decem leprosos mundasse, vt significaret virtuté tam frequenter esse faciendam vt etiam in itinere, & obiter sese occasio obtulerit benè operemur, quod cõsuerudo facilè præstiterit si nos in gymnasio bonorum operum tandiu exercuerimus, quousq; virtutem ipsam perfectè habeamus: quæ habitus quidam est multis actibus constans. Sed quàm parum probitatis & virtutis in hominibus inuenitur, qui nũquam benè operantur, nisi animo inuito & summa cum molestia. Siue enim ad confessionem deueniendum sit extrema Quadragesima, atq; ipso Sabbatho sancto: nec satis sponte sua accedunt, siue ad sacrorum celebrationem tardiùs veniunt, quàm aut familiarum patiẽtia, aut ministrorum dignitas, aut sacrificij conditio, aut temporis opportunitas ferre possit. Quid dicã de eleemosyna, quoties publicè petita satis verecundè negari nõ potest, quanto tædio, quanta superbia, quanta indignatione fit?

¶ Obserua rursus & vide quanto studio semper Dominus bonis nostris inseruiat, qui quacunque iter facit, nihil aliud cogitet nisi quo pacto cõmoda nostra quàm locupletissima sint. *Et cum ingrederetur quoddam castellum.* Quatuor milliaria intra Galilæam: ad oppidum quod vocabatur Iannin. *Occurrerũt ei decem viri leprosi.* Nam cùm audissent ipsum illac transiturum, illi obuiam venerũt: quia occurrere, prodire obuiam est. Nemo autem ad Deum vadit, nisi Deus priùs ad eum veniat. In quo summè considerãda est Dei misericordia. Ipse eos quærit, ipse illis occurrit: sed omnia hæc Deus ea de causa fecit, quia nemo surgit nisi ab illo subleuetur: nemo ad eum vadit, nisi Deus ad illum priùs veniat. Sic Dominus respexit Petrũ, & fleuit amare. *Matth.26* Ideoque Dauid clamabat. Deus Deus meus respice in me. *Psal.21* Quemadmodum habena ligatus canis audita domini voce prosilit, ne quiescit donec fractis vinculis illi obuiam procedit: sic isti leprosi audito Domino, à quo salutem infirmitati suæ sperabant, vocibus, precibúsque non destiterunt, donec fuerunt Domino occurrentes fœdissimo morbo liberati. ¶ Quorum exemplo (si fortè, aut nimis molesti, qui tantis Dominum vrgerent precibus, aut parum vrbani qui illi ferè abeundi eriperent facultatem videbantur.) docemur, summam diligentiam & solicitudiné circa salutem nostram adhibere, ne remedium differentes occasionem salutis consequendæ amittamus. Regem allocuturi solent omnia temporis, & locorum media seruare, quibus faciliùs & commodiùs rem possint impetrare: quoniam reges, & principes, cæteríque huius conditionis homines cum crebris præmantur solicitudinibus, non semper cuiusque arbitrio vacant. At qui Deum quærit nulla istarum obseruationum indiget, quoniam Deus omni tẽpore, omnísq; loco paratus est inuocantibus se. Quare si sapis ne differas salutem tuam, quæ modo impetrare potes, ne forte cum velis nõ possis. Qui ostium pulsat arcis alicuius aut castri, eo tempore quo stratis pontibus periculi minus est, facilè cum facultate custodis admittitur. At si idem noctu, vel aliàs tempore periculoso, aut postquam sublati pontes aditum negant, ingredi velit, nullatenus quantumcunque fores ictibus lacessat exaudietur. Hoc pacto tu si vis ad æternam admitti beatitudinem dum viuis pulsa & aperietur tibi: nam postquam sublato benefaciendi ponte, clausóque viæ ostio mortis nox, merendi potestatem tibi eripuerit, frustra clamabis, Domine aperi nobis. Pulsa igitur sine intermissione, dum pons diuinæ misericordiæ paratus est

est omnibus ingressuris:nè aliquando te negligentiæ frustra incuses,cùm nulla ratione eiectioni tuæ *Matth.25* possis mederi. Quid putas causæ fuit vt illæ quinque virgines fatuæ damnarentur? Dum habuerunt tempus idoneum ad sumendum oleum noluerunt: & posteà cùm maximè vellent, tempus non inuenerunt *Periculum in mora.* Dixerant autem, sponsus noctu vt noctua aut vespertilio non veniet:satis temporis nobis est, dormiamus interim paulisper: sed veniente sponso non audierunt, & ita exclusæ sunt. O quàm multi in inferno modo cruciantur, qui dum viuerent propositum habuerunt pœnitendi, nisi morte præuenti irrita redderetur eorum expectata pœnitentia. *Eccles.5* Ideò consulit Ecclesiasticus dicens, Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in *Ezec.18* diem:subitò enim veniet ira illius, & in die vindictæ disperdet te. Deus dicit, Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Veniam pœnitenti Deus promittit, non diem crastinum: tu autẽ pœnitentiam differs in tempus, quod nescis an visurus sis.Nescis an sis hora victurus:& expectas annum ad pœnitendum tempus? *Act.1* Nõ est vestrum nosse tempora aut momenta, quæ pater posuit in sua potestate: non enim in tua potestate,sed in suo arbitrio tempus constituit *Act.8* Ille Eunuchus Candacis Reginæ in itinere legebat Esaiam. Quid faceret si domi esset? *Veniam promittit Deus pœnitenti,sed non diẽ crastinum.* Si nõ intelligens legebat, multo magis legeret si intelligeret. Ille Philippo confessus est ignorantiam,isti lepram:tu confitere culpam.Si diligens fueris in animæ tuæ salute quærenda:nõ tibi diuinum auxilium deerit: quod si negligentius te *Iudi.19* habueris,incommoda patieris grauissima:sicut Leuita ille fecit,qui precibus soceri motus,serius domum profectus est,quo cum eadem non posset nocte peruenire,summè læsus est. Debes ergo horum leprosorum exemplo statim pœnitentiam tuorum criminum agere, neque audire eos qui te interpellare & ab incæpto reuocare nitũtur, ne te fortè opprimat lentiùs euntem tenebrosa mortis nox & caligo antequam ad cœli, quo tendis, hospitiũ possis peruenire:& sic coactus sis in inferno infœlicissimo, æternóque omnium malorum habitaculo infœlix manere. Igitur euigila, in omnibus labora, viámque arripe dum datur tibi pœnitentiæ locus, *Eccl.12* vt possis domi tuæ:id est, beatorum consortio adueniente quiescere. Ideo memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ,& appropinquent anni, &c. Si senseris Dominum per animam tuam transeuntem ne eum permittas abire,detine eum,& obsecra vt apud te maneat:nè omissa occasione optima posteà frustra eius exoptes aduentum. Ego (inquit ipse) vado, & quæretis me, & in peccato vestro *Ioan.8* moriemini. quia vbi ego sum vos non potestis venire.Ideo Christus post parabolam quinque virgi- *Matth.25* num dixit. Vigilate itaque, quia nescitis diem nec *Ioan.12* horam Et in Ioanne, Ambulate dum lucem habetis,nè tenebræ vos comprehendant.Et Paulus Ga- *Gala.6* latis ait. Dum tempus habemus operemur bonũ. *Rom.13* Et ad Romanos. Hora est iam nos de somno surgere,nunc autem propior est nostra salus quàm quum *Hebra.4* credidimus. Et iterum. Festinemus ingredi in requiem nobis promissam.

¶ Obseruandum præterea quàm se ostenderint sapientes in procuranda sua salute.Nõ modo enim diligentiam adhibuerunt nè Christus abiret, sed etiam prudentes fuerunt, & callidi salutem ab illo implorantes,qui solus dare poterat.Docemur hinc in necessitatibus ad Deum confugiendum. *Ad Deum confugiend. in necessitatib.* Ipse enim est qui sanat omnes infirmitates nostras, qui redimit de interitu vitã nostrã. *Psal.102* Ideóq; Dauid aiebat,Ad Dominum cum tribularer clamaui,& exau *Psal.119.* diuit me.Cum ipso enim(inquit Dominus)sum in *Psal.90* tribulatione,eripiam eum, & glorificabo eũ.Filius prodigus ad patrem iuit. Sed multi Ochoziæ Re- *4.Reg.1* gis Israël exemplũ imitantur:qui in infirmitate positus cõsuluit Beelzebub Deum Accaron:propterea audire meruit ex parte Dei,Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël, à quo posses interrogare sermonem : ideò de lectulo super quem ascendisti, non descendes,sed morte morieris. Huic proh dolor,quamplurimos similes inuenies,qui in infirmitatibus,& tribulationibus suis,amicorum filiorum que interitu contra Deum loquũtur:quidam blasphemantes,quidam de omnipotentis Dei sapientia & iustitia malè sentientes,de sanctis querũtur. Missam nõ audiunt, omniáque bona opera prætermittunt,quæ anteà facere solebant, soláque libidine, nihil aliud aduertentes,brutorum more ducuntur: quàm in omnibus actionibus suis consulunt, quasi non esset Deus in Israël. Alios etiam inuenies qui vno verbo indignantur,neque dormiunt, aut cibũ capiunt,suscipiunt labores maximos, stipati amicis incedunt, vt iniuriam illatam vlciscantur : qui tamẽ si animaduertere voluissent Christum in cruce pendentem pro nostra omniũ salute, & pro inimicis orantẽ:Pater dimitte illis,quia nesciunt quid *Luc.23* faciunt, quãto moderatius & prudentius agerent. Sed quia in laboribus,& tentationibus suis,nõ Dei consilia sequuntur,sed sæculi,cuius est ad omne vitium parata nequitia, ideò non merentur leprosorum exemplo sanari, aut exaudiri à Christo, licet adeò misericors & pius sit, vt nunquam clamandi, & vocandi nos finem faciat, dicens, Venite ad me *Matt.11* omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Qui steterunt à longe.

Propter reuerentiam Christi non accesserunt ad *Luc.18* eum,de sua immunditia erubescentes:sicut ille humilis publicanus qui à longè stans oculos non audebat ad cœlum leuare,putãtes etiam se fore Christo,quemadmodum & aliis odiosos. Leprosi enim *Leu.13* in lege veteri extra consortium hominum viuebãt & à populo seperati : nè sanos contagiosa infirmitate interficerent. Non sunt ergo ausi ad Christum cominus accedere : quia erat eis prohibitum hominum consortium. Quòd si tanta diligentia Mosaica lege cauebatur in corporali lepra, quid nos Euangelicam legem seruantes facere debemus? Verùm contra fit in multis ciuitatibus, quarũ tanta est morum effusio, vt meretrices aliaque vitiorum fomenta in medio permittantur populo habitare. *Prostibula & lustra nõ permittenda.* Vnde mirum nemini videri debet,si in huiusmodi viuendi consortio, quotidie coniugatarũ adulteria,virginum raptus, & stupra viderit. At secùs fit in ciuitatibus benè institutis, in quibus huiusmodi monstra quasi fœdissima cadauera in exquilias extra ciuitatem deportantur:vt in suburbio sibi non in vrbe omnibus cõtagione sua, malo exẽplo & vitæ sordibus noceant.Nec minus periculosum est,quod plurimis in locis factitari video, vbi non iam scorta,quæ vt apertè scandalizant longius vitari possunt:sed aliæ mulierculæ non coniugatæ, matresfamilias interseruntur, honestissimatũ fœ-

minarum domibus, quæ vt est mulierum fragilitas sæpè huius, aut illius amore captæ aut pretio victę, (1.Cor.5) vt paruum fermentum totam massam, sic illæ totam ciuitatem corrumpunt. Quod autem hæc animi cõtagia tam parum ab hominibus sentiantur, cùm corporalia tanta solicitudine etiam futura pellantur, causa est, quoniam viuimus ab anima adeò seiuncti, & corporalibus desideriis coniuncti, vt spiritus eiulatus, nõ sentiamus, corporis verò etiam tenuissimos anhelitus percipiamus. Igitur quẽadmodũ infirmus à circunstãtibus, vel gemat, vel doleat, aut suspiret facile auditur, ab aliis qui lõgè sunt nõ item: sic anima exaudiri non potest ab illis, qui ab eius distãt miseriis, exauditur verò à bonis qui corporales sensus animæ non spirituales corpori impendunt. Non est ergo mirandum eos, qui ita corpori sunt dediti, morbos reipublicæ impendentes prospicere, animæ præsentia damna nõ videre: permittentes teterrimis meretricum, lenonum, scurrarum, & vitiosorum moribus ciuitates suas inquinari. Timeo ne veniat iudicium Dei, & punitio super nos. Hoc erat maximum olim malũ in Israël, quod (Esa.5) Esaias deflebat, dicens, Morticinia eorũ quasi stercus in medio platearum. Quòd si dicas prophetam de cadaueribus intellexisse, non erat tali viro ea corporum cura, vt eorum fœditatem, & eiectionem animæ incommodis legendam præferret, vidítque in spiritu peccatorum abominationem, per morticinia figuratam, quam plagam Deus misit in pœ- (Leui.26) nam peccatorum populi sui in medio eorum. Mittam pestilentiam in medio vestri. Sed ad hos leprosos reuertamur: audiamus enim eos & videamus quid fecerint.

Et leuauerunt vocem suam dicentes.

Ore simul & corde clamabant: sed clamor cordis eorũ longè maior erat, quàm clamor oris. Magna cupiditas, & flagrans desiderium veræ sanitatis clamor erat cordis eorum. Talem clamorem, talia vota pij cordis audit Deus libenter. Hoc vidimus in Mose. Is adeo coangustiabatur ad consolandum populum suum in necessitate, vt verbis ad Deum (Exod.14) orare non posset. Attamen Deus desiderium eius respiciebat & dicebat. Quid ad me clamas? Ac si dicat. Noui desideriũ tuum: illud iam exaudiui, perge tãtummodo, percute aquam & mare, & dabit vobis locum transeundi, &c. Idem videmus in Iona, (Iona 2) qui in profundo maris in ventre ceti nõ multa verba proferre poterat: attamen dicebat, Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me. Clamor prophetæ magis fuit ingens desideriũ cordis, quàm vocis. Susanna sancta fœmina, neque cla- (Dan.13) morem, neque verba faciebat in sua tribulatione. Cor autem eius (inquit Daniel) erat fiduciam habens in Domino. De tali etiã clamore loquitur Da- (Psal.9) uid. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Et (Rom.8) Paulus scribẽs credentibus ait: quòd spiritum adoptionis filiorum Dei acceperint gemitibus inenarralibus ad Deum clamantem. Quisquis ergo à Deo aliquid impetrare vult, is clamet oportet, non tam alta & clara voce, quæ sola non sufficit, quàm magno desiderio: imò magna charitate & spe. Externus enim clamor sine viua fide & desiderio Deo non admodum acceptus est, quemadmodũ in Esaia (Esai.29) dicit, Populus hic labiis me honorat, cor autẽ eorum longè est à me. Igitur ex vehementi corporalis sanationis affectu isti leprosi leuauerunt vocem

Clamandum ad Deum ore & corde simul.

suam: quos nos spirituali lepra infecti, & vitiorum varietate contaminati sectari debemus, dicendo ex ardentissimo cordis optatu quod illi dixerunt.

Iesu præceptor miserere nostri.

Præcipere præcipue, præsertim, ac propriissimè competit Christo secundum quod Deus est: sed secundum naturam assumptam competit ei participatiuè & ministerialiter quantum ad Deum, excellenter tamen respectu aliorum Dei seruorum, omnis nanque creatura etiam Christi humanitati est subiecta. Miserere, inquiunt, nostri. Obserua quòd non vnusquisque sigillatim pro seipso ait, Miserere mei, sed Miserere nostri: charitas enim nõ quærit quæ sua sunt. Ideo Paulus. Quis infirmatur, & ego (1.Cor.13) non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror? (2.Cor.11) Declaratur his verbis alterum pro alterius salute solicitum fuisse, iuxta illud beati Iacobi? Orate pro inuicem vt saluemini. (Iaco.5) Sed iam nunc omnes quærũt quæ sua sunt: de salute proximorum non curant, & (Philip.2) boni alterius obliuiscuntur. Videbis passim non solùm in hospitiis publicis, sed etiam in domibus priuatis pauperes inopia, & miseria summa confici: quia nullus proximorum miseretur: tantum circa sua propria occupantur, ea tamen quæ proximorum sunt obliuiscentes. Præterea, vt eis misereatur curans lepram eorum, clamant, & nos vt tollat Agnus Dei peccata nostra clamemus. Quia quanto ratio mali ampliùs competit malo culpæ quã malo pœnæ: tantò plus exoremus tolli à nobis peccata, quàm corporalia incõmoda, morbos, siue aduersa. Sed multi plus dolent, ac deflẽt mala exteriora, corporalia, ac caduca: quàm interiora, spiritualia, & æterna: quorum valde obturatus est interior oculus.

Iesu (inquiunt) præceptor miserere nostri.

Breuis sed tamen pulchra & pia oratio. Optandum foret eam semper nobis in ore esse. Etenim non audis hîc longas verborum ambages quibus vtuntur quidam absque vlla animi intentione & amore erga Deum, persuadentes sibi ob verborum prolixitatem se tantò citius exaudiri, sed breuibus, & quidem electis verbis cõfitentur. Hi leprosi pariter omnes Dei potentiam atque etiam bonitatem Christi, necessitatem suam ostendunt, & misericordiam petunt. Hæ verè sunt partes ad orationem pertinentes. Vocant illũ Iesum, vt declarent se credere illum verum & vnicum Saluatorem esse, qui absolutam potestatem habeat in vitam & in mortem: cui salus, ægritudóque omnis obediat. Præceptor, dicunt, vt declarent se paratos esse ei obtemperare: subest enim tibi cum volueris posse. Tu pręcepisti ventis & mari, & obedierunt. (Matt.8) Tu præcepisti (Luc.7) adolescẽti mortuo vt resurgeret, & statim surrexit: præcepisti filiæ Archisynagogi dicens, Puella surge, & statim surrexit. Sic præcipe lepræ nostræ, & mundabitur per te fontem viuum.

Breuis sed pia oratio.

¶ Dicunt tertiò, miserere nostri: vt testentur se vltrò agnoscere suam miseriam, ideóque misericordiam à Domino exposcunt: & qui nulla habebãt, (Luc.8) quæ possent allegare merita, ad misericordiam cõfugiunt: vt dicebat Dauid. Non intres in iudicio cũ seruo tuo domine, &c. (Psal.142.) Et rursum, Si iniquitates ob (Psal.129.) seruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et alibi. (Psal.50.) Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Sic orat Daniel in captiuitate Ba- (Dan.9) bylonica suam & populi sui deplorans necessitatẽ cõfitẽs & accusans populi sui peccata, ait, Domine non

non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Sic isti misericordiam petebant. Nam vt ex Euangeliis patet, huiusmodi plagæ vt plurimum pœnæ sunt peccatorum. Nos quoque ex his capiamus exemplum: quoties in varias incidetimus infirmitates, ne murmuremus contra Dominum, sed potius cogitemus Deum pro misericordia sua sic nos visitare exigentibus peccatis nostris, vt nobis ad se rursum per pœnitentiam conuersis, & peccata nostra condonare, & in perpetuum benefacere possit. Præterea non dubitemus quin omnes tribulationes & angustias, calamitates, & afflictiones nostras nobis possit auferri: si modo velit. Deinde firmiter credamus Deum hauddubiè ex mera, & liberali sua gratia velle auxiliari & subuenire, quando nouerit hoc in rem nostram fore. Postremo si volumus quod Deus nostri misereatur, opus est, vt sicut præceptor est Christus: sic nos ei obediamus. Infirmi oportet vt medicis obediant: quia aliàs nõ consequentur salutem. Sic si tu miseriam tuam cognoscis, & huius medici misericordiam & auxilium imploras, opus est ei obtemperes. Peccatores enim in suis peccatis complacentes non exaudiet Dominus: sed si quis cultor Dei est, hunc exaudiet Deus. *Ioan. 9*

¶ Sed vnde istis leprosis hæc fides? Ex auditu & rumore: quia qui portas ciuitatis ingrediebantur prædicabant Christi potentiam & misericordiam, & inde crediderunt eundem esse potentem & beneuolum ad sanitatem conferendam. Hinc damnãtur sacerdotes, & pharisæi, qui viuam eius vocem audiebant, & miracula videbant, & credere nolebant. Damnamur & nos qui non minus reprehensione digni sumus quàm Iudæi, atque vtinam non leprosorum testimonio condemnemur: si quotidie audimus Euangelia & miracula Christi, non tamẽ ei obtemperamus neque eius mandata exequimur. Sed de his satis. Sequitur in contextu.

Quos vt vidit dixit.

Oculi Christi fenestra salutis. Non solùm exteriori aspectu, sed interno cõpassiònis affectu, respexit Dominus leprosos quorum cùm vidit infirmitatem statim medicinam voluit adhibere. O quantum est mortalibus bonum Domini aspectus: quo omnia mala sanantur. Oculi enim Christi fenestræ sunt salutis, ianua misericordiæ, & in eo omne bonum nostrum residet. Hinc sponsa in Canticis. Oculi eius sicut columbæ desuper riuos aquarum: quæ lotæ sunt & resident iuxta fluẽta plenissima. Assimilantur oculis columbarũ, quoniam simplicissimi sunt atque purissimi, & ab omni malitia remotissimi. Vnde in forma columbæ Spiritus sanctus voluit apparere. Super fluenta aquarum sedent, vbi vident imagines rapacium auium. Sic Christus imagines peccatorum, & miserias nostras videt, compatitur & miseretur. Nunquam Deus oculos suos leuauit ad videndum hominum necessitates, quin in nostrum redundaret cõmodum. Aspexit Deus homines de summo cœlo, & inde illis contulit maxima bona, iuxta illud prophetæ. De cœlo respexit dominus & vidit omnes filios hominum de præparato habitaculo suo, &c. Sequitur. Vt eruat à morte animas eorũ, & alat eos in fame. Anima nostra sustine Dominum, quia mediator * & protector noster est. Respiciẽs igitur Deus de cœlo humani generis ruinam misertus est hominum infirmitatibus: quas vt sanaret, animásque a morte redimeret, statuit carnem sumere, vt sic factus homo, hominum patronus existeret. Hinc iam vides beneficium incarcationis ineffabilis verbi Dei, ea potissimum euenisse de causa, quia respexit Dominus de cœlo miserias nostras, laborum nostrorũ misertus. Et sic intelliges omne bonum inde ortum habuisse & originem, quod oculos misericordiæ suæ Dominus ad nos conuertit: vnde omnia beneficia postea nobis collata prouenerunt. Considerauit Dominus infirmitatẽ nostrã, & statuit remedium adhibere, quia nihil ex nobis possumus, nihil sine illo sumus. Quare sicut nobis omne bonum importat conuersio oculorum eius, sic omne malum auersio. Vnde Dauid, Omnia a te expectant, &c. Auertente autem te faciem tuam turbabuntur, auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suũ reuertẽtur. Et iterum, Auertisti faciẽ tuam à me, & factus sum conturbatus. Ora igitur Deum vt oculos suos ad te cõuertat, neque vnquã auertat, quemadmodum auertit ab illis Israëlitis, de quibus ait. Et cùm extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis. Postquã misericorditer videt mox in effectum misericordiæ ostendẽdo dixit. *Ite & ostendite vos sacerdotibus.* O benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei.

Cant. 5 · *Matth. 3* · *Psal. 32* · ** al. adiutor.* · *Psal. 103* · *Psal. 29* · *Esai. 1* · *Tit. 3*

¶ Expende quàm promptus sit Deus ad subueniendum, & quam celeriter medeatur. Non promittit eis salutem tanquam daturus illis munditiam lepræ, vel facturus quod optant & petunt: sed ita habet circa illos quasi iam factũ sit. Loquitur enim perinde acsi iam petitionem illorum fuisset executus. Nã post expiationẽ lepræ secundũ legẽ ostendebãt se sacerdotibus: & nunc loquitur eis acsi iam essent mundati. Non enim dicit miserebor vestri, curabo vos, mũdabimini: sed simpliciter ait, Ite & ostẽdite vos sacerdotibus. Putate vos iã esse mũdos & sanatos. Nihil restat, nisi vt vos ostendatis sacerdotibus: qui sanitatis & munditiæ vestræ testimoniũ ferant. Non opus est multa verborũ ambage: iã consecuti estis quod petitis. Corã me iã mũdi estis: quandoquidẽ de me piã fiduciã habetis, & spẽ. Nec aliud iam vobis restat nisi vt eatis, & munditiam vestrã sacerdotibus significetis: quales ego vos iudico, & quẽadmodũ ego sentio, tales estis, tales reperiemini. ¶ Hic vides iam quã bene dixerit Hieremias. Bonus Dominus sperantibus in eũ, & animæ quærenti illũ. Ergo accedite (inquit Dauid) ad eũ, & illuminabimini, & facies vestræ nõ cõfundẽtur. Gustate & videte quoniã suauis est Dominus. Beatus vir qui sperat in eo. Hæc omnia ad nostram doctrinam & cõsolationẽ scripta sunt, vt videamus vbi, & apud quem auxilium, & salutẽ potissimum quærere debeamus: & quomodo accedere ad eum debeamus. ¶ Porrò sacerdotes Iudaici poterant ad aliquẽ dicere, Tu leprosus es, proinde excluderis. Contra autem dicere non poterant. Mundus esto, aut mundare Lepram cognoscere poterant, sed non pellere. Et quid solùm dico lepram? Nec aliis quidẽ in rebus omnibus lex potuit per se quicquam, nisi peccatũ ostendere & manifestare: sed nullum peccatũ tollere. Cœlũ potuit homini claudere, sed nõ aperire. Illa nanque veteris legis sacrificia & ceremoniæ erant per se momẽtaneæ, nec vnquam propter se à Deo præcepta: vt ostendit Diuus Augustinus contra Faustum Manichæum: non enim mundabat leprosum: sed sacerdotes ostendebant illum esse mundatum. Sed longè aliter Christus, qui potuit leproso dicere, mundare. Et mox verbum res

Non expectat Deus vt misereatur. · *Leui. 14.* · *Threm. 3.* · *Psalm. 33* · *Rom. 15* · *Deute. 27* · *Matth. 8* · *Matth. 9*

ſecuta eſt. Potuit peccatori dicere, remittuntur tibi peccata tua:& protinus ita factum eſt. Is adoleſcenti defuncto dicere potuit. Adoleſcens tibi dico, ſurge:& extemplo factum eſt. Is ad latronem dicere potuit, Hodie mecum eris in paradiſo, & mittere illum in paradiſum. Nô ergo mirum quod ægroti peccatores & infirmi plus & cupidius ad Chriſtũ côcurrerint quàm ad Iudaicos ſacerdotes: qui quidem dicere alicui poterant, quod ægrotus & peccator eſſet: ſed ſola lege ſua illum iuuare non poterât, *Levi. 7* *Levi. 13* neq; ſanare, aut illi peccata remittere. Sed ad Chriſtum nemo verè & fide viua accedit: cui non auxi- *Matth. 11* lietur. Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Ideo multo magis de nobis mirandum eſt, cùm non feruentiores ſimus, cùm tamen nemo meliora & maiora audiat & ſciat quàm nos. Id autem aliunde non fit quàm quod arida fide contenti, peccata noſtra non agnoſcimus, non plangimus, atque emẽdamus. Nô horremus ſpiritualem lepram: quinimo non credimus nos per peccata à regno Dei excludi, cum Paulus *2. Cor. 6* toties in ſuis Epiſtolis dicat, qui hoc vel hoc faciũt *Gala. 5* (intellige peccatum, dedecora, & iniuſtitiam) regnũ *1. Cor. 4* Dei non poſsidebunt.

❡ Sed nunc operæpretium eſt ſcire quare cùm ſacerdotes nô poterant eos curare à lepra, miſit illos ad ſacerdotes? Ipſi enim in itinere mũdati ſunt, Dei virtute operante: ſuperfluum ergo videtur & inane mittere eos vt oſtẽderent ſe ſacerdotibus, qui nihil facere poterant. Reſpondendum eſt quòd mittit illos & præcepit vt oſtenderent ſe ſacerdotibus: primo, vt veteris legis mores ſeruarentur, & ne vi- *Levit. 13* deretur ipſe legis tranſgreſſor. Præceperat enim Moſes quod leproſus ſepararetur à conſortio aliorum: qui ſi ſanaretur, non admitteretur ad conuerſationem hominũ, niſi teſtimonium ferret ſacerdotũ, quòd iam erat mundus. Docet Chriſtus ſanctas conſuetudines antiquorum venerari & ſeruare, & quod inimici ſimus nouitatũ & nouæ doctrinæ. Quid ergo iſti noui Lutherani nouarum rerũ amatores contrà ſanctas conſuetudines Eccleſiæ Catholicæ moliũntur antiquas conditiones ab Apoſtolis traditas deſtruere? Pontificem Romanum verum Chriſti Domini vicarium, & Beati Petri ſucceſſorem paruipendentes: omnes bonas ac pias côſuetudines deſtruentes, ſanctiſsimo domino noſtro Papæ, & ſacris Conciliis non obediẽtes, & nouitatibus ſuis totum populum Chriſtianum in ſcandali- *Gene. 3* zantes? Tu verò caue à ſibilo ſerpẽtis, qui totum genus humanum infecit, & ſanctorum patrum veſtigiis inhærendo, antiquas orthodoxæ Eccleſiæ conſuetudines ſerues.

Conſuetudinibus antiquis & receptis obediendum.

❡ Docuit etiam Chriſtus hoc facto non tantum antiquos mores ab Eccleſia vſitatos, ſed etiam humiliter legibus, ordinationibus, moribus, & côſuetudinibus in republica receptis & vſitatis nos ſubiiciamus, conformemúſque, etiamſi iure obligati non ſimus. Nã ſi Chriſtus qui dominus eſt in cœlo, & in terra, & ab omnibus legibus liber: imo verus & vnicus legiſlator eſt, ſeipſum tamẽ ſubmiſit: cur nos miſeri homines grauamur tale exemplum Domini noſtri, & Dei imitari, & quod ad communem pacem & tranquillitatem ſeruire poteſt nollemus ſeruare & ferre ne cui offendiculo ſimus? Cer- *1. Cor. 9* te Diuus Paulus exemplum Ieſu Chriſti grauiter, & fortiter imitatus eſt. Cũ liber eſſem (inquit) omniũ me ſeruũ feci, vt plures lucrifacerẽ: factus ſum his qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, vt eos qui ſub lege erât lucrifacerẽ. Iudæis factus ſum tãquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem: iis qui ſine lege erant tanquam ſine lege eſſem (cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti) vt lucrifacerem eos qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerẽ: omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Sic & tu quãuis ſub aliquibus legibus nô tenearis & exemptus ſis ab aliquibus, non tamen opus eſt ſemper priuilegio & exẽptione vti: ſed propter bonum exemplũ ſubiici legi, quamuis ad illam ſeruandã nô tenearis.

❡ Secundò præcepit, vt oſtenderent ſe ſacerdotibus, vt etiam ipſi leproſi cooperarentur ad ſuam ſalutem, & aliquid facerent, vt mererentur ſanitatẽ obtinere. Voluit Dominus illos probare, & vt ſalutem ſuã proprio labore, obedientia, & merito conſequerentur. Potuiſſent enim leproſi dicere, Quid ad ſacerdotes ibimus: qui nec mundare nos poſſunt, neque ſanitatis noſtræ teſtes eſſe, quoniã immundi ſumus? Siquidem non potuit præſens nobis medicari, quid faceret abſens. Inutilis eſt labor, ne eamus. Sic Naaman ille Syrus dicebat: Putabam *4. Reg. 5* quod egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me. Hæc omnia potuiſſent leproſi dicere. At fides vera & ſimplex, non diſputat, nô ratiocinatur, ſed humiliter rationem myſteriis ſubiicit: captiuãtes intellectum (vt inquit Paulus) in obſequium fi- *2. Corint. 3* dei. Vera obediẽtia nullis obiectis argumentis mãdata exequitur. Veritatem mandantis non inquirit: non diſcurrit, non petit cauſam, ſed obedit. Solus Deus leprã peccatorum mundat, & mirabilia operatur: attamen, atteſtante Paulo, vt coadiutores illius ſimus, vult enim ad ſuum auxiliũ labor accedat noſter. Ille gratiam nobis concedit ad operandum, cupiens ne ſis ocioſus, ſed quàm diligẽtiſsimè poſsis iter cœleſte arripias: non tamen liberum tibi arbitriũ tollit, quominus omnia vt volueris facias. Iſti leproſi propter fidem quam habuerunt Chriſto credentes, aut opus quod præſtiterunt, ſe oſtendentes ſacerdotibus non meruerunt de condigno ſalutem à Domino, ſed de congruo ſecundum legẽ ordinatam à Deo, vt conſequerentur ſalutem ſuppoſita bonitate & miſericordia diuina. Qui ſi ire recuſaſſent aut contradicendo, aut non obtemperando præcepto Domini? Nunquã ab infirmitate fuiſſent mundati. Vides ergo planè Dei voluntatẽ eſſe vt omnes laboremus quantum in nobis ſit: ne eius auxilium, quo quotidie nobis ſubuenit, caſſum reddamus? Eſt Deus diligentiſsimus ad iuuandum omnes, qui ſtrenuè laborant, & ita non libenter ad opera ſua admittit ignauos, qui ſola fide mortua contenti nihil laude dignum operantur: ſed illos duntaxat fideles miniſtros, qui vbique laborant, viámque virtutis moliuntur.

Fides quæ obedit meretur ſalutem.

Iuuat Deus ſed ſeipſos adiuuantes.

Legitur in libro Iudicum exercitu côparato ad expugnandum Madiam, dixiſſe Deum Gedeoni. Magnus eſt numerus copia- *Iudi. 7* rum tuarum, aduoca concionem: & præconis voce impera, vt qui formidoloſus & timidus eſt reuertatur. Quo facto reuerſi ſunt viginti duo millia, manentibus non amplius decem millibus. Iterum tamen Deus ait Gedeoni. Adhuc populus multus eſt: ideo qui manu linguâ lambuerint aquas, ſeparabis eos ſeorum, qui vero curuatis genibus biberint, in altera parte erunt. Trecenti igitur tantum inuenti ſunt, qui manu aquas ſuſcipientes biberunt, quibus

Dominus

Dominus castra Madianitarum profligauit, tubas in manibus habentibus, lagenásque vacuas, ac lampades in medio lagenarum. Sed videamus modo qua de causa iussit Dominus dimitti tantas copias, retentis trecentis tantum viris: siquidem nec armis bellum gesserunt, nec cum hoste pugnarût, aut aliquem interfecerunt? Nonnè melius fuisset, vt omnibus simul euntibus armis Madianitarum vires frangerentur, quo Dei nomen vbique magnificaretur? Quid enim profuit tercentum fortes eligere, reliquis dimissis, si pugnandum non fuit? Hoc quidē magnum fuit mirabile. Deus enim pro populo suo pugnauit: nō tamē vacat mysterio. Elegit Deus trecentos viros fortes & strenuos quoniam quanquam pugnaturi non erant: sic tamen erant affecti, vt si opus esset pro domino Deo suo mori non dubitarent. Cæteros dimisit, quia nec ignauos, nec socordes vllo modo Deus admittit. Eodem modo Deus concedit hominibus vires & gratiā, qua tentationes possint superare, mūdum, carnem, dæmonésque ipsos. Omnis nanque hæc victoria propriissimè Deo tribuitur. Non ego sed gratia Dei mecū, *Philip.3* ait Paulus: posteaquam recensuit victorias, quas de mundo reportauerat. Verùm hoc diuo Paulo, similibúsque in fortitudine & animo viris succedit, nō pigris & imbellibus: qui nihil animi, nihil roboris ad pugnandum habent. Ideo Deus etiam si ipsius adminiculo & potētia res propriè agatur, victoriáque nobis eueniat: nihilominus diligētiam nostrā, laborémque desiderat, magis vt mereamur, quá vt miraculum operemur. Quia nos non sumus suffi- *2.Corint.3* cientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Hæc igitur est ratio & causa quare dominus leprosos mūdaturus illos prius ad sacerdotes misit. Poterat sanè statim infirmitatē illorum curare: sed noluit illorum operam & officium expectans, gratis salutem concedere: sicut nec tibi concedet, nisi sic laboraueris & obedieris, vt salutem animæ cōsequaris, & demum vitam æternam.

Ad sacerdotes mittuntur à Christo, propter euitandas lites. ¶ Præterea misit illos ad sacerdotes, vt eorū sanationem clariorem & expeditiorē faceret: ne postea vicinus aut affinis obiiciat. Vos leprosi estis nec potestis in hac vrbe habitare. Quod si responderent jam sumus mundati, dicerent, vbi est sacerdotum chirographum, quo id scire possimus, aliàs vt violatores legis pœnas dabitis. Quare ad has lites, & molestias vitandas breuius fuit prius ad sacerdotes ire, vt sic eorū testimonio leprosi sanitatem suā comprobarēt. Adeò semper intēdit Deus omnem negotiorum breuitatem & expeditionem. Sumant hinc documentum reges & iudices, qui iura populis dicūt, ne pauperes & humiles conficiant lites nimis diu producentes, dum iustitiam luculētius sic appariturá credunt. Tempore enim, vt patet experientia, indies maiores emergunt in causis doli & fraudes grauiorésque excogitantur calumniæ. Ergo si rex, si iudex, vel iuriscōsultus es, ne differas in finem eius quod statim in litis principio legitimè nosti, sed reiecta omni fallacia & mora sententiam fer, aut clientes moli sermone dimitte, vt sic Deo tuo sis simillimus: nec eleemosynā, quam statim pauperi potes facere benè monēdo in aliud tempus reiicias: nam qui cito dat, bis dat. Ait scriptura. Ne dicas amico tuo: Vade & reuertere, cum *Prouer.3* statim possis dare. At amicus tuus verè pauper est, cuius causa maiora tibi dantur beneficia quàm tu illi possis dare. Nō produxit dominus latronis spē, dicentis, Memēto mei, cùm veneris in regnū tuū. sed illā statim confirmauit verbo suo inquiēs, Hodie mecum eris in paradiso. Sic etiam statim filios Zebedæi dimisit rogatum negās, quia iniustū erat, *Luca 23. Matth.20* respōdens, Sedere ad dexteram meam non est meū dare vobis.

¶ Quartò præcepit, vt irent & ostenderent se sa- *Sacerdotum munus.* cerdotibus, vt sacerdotibus deferrent hunc honorem & reuerentiam. Etenim quanuis mali sint, tamen debetur eis honor & reuerentia propter offi- *Ioan.11* cium. Sic Caipham honorauit dominus: & prophetauit quanuis malus esset, quia pontifex erat anni illius. Sapiēs enim ait. In tota anima tua time Deū, *Ecclesi.7* & sacerdotes illius sanctifica. Ad istos pertinebat distinguere inter lepram & lepram sicut dominus dixit. Si difficile est, & ambiguum apud te iudicium *Deut.17.* esse prospexeris, inter sanguinem & sanguinē, causam & causam, lepram, & non lepram, & iudicium intra portas tuas vides verba variari: surge & ascēde ad locum quem elegerit dominus Deus tuus, veniésque ad sacerdotes, leuitici generis, &c. Et alibi. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem *Mala.2* requirent ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. Sicut ad hos pertinebat legem scire & distinguere inter lepram & lepram, ita & nūc sacerdotibus interest Theologiam vel sacros Canones scire, & inter peccatum & peccatū distinguere. Sed multi iam sunt sicut Ophni & Phinees filij Belial nescientes dominum, neque officium sacerdotum, *1.Reg.2* quos dominus interemit infœliciter. Vtinam ad sacros ordines non promouerētur nisi digni & literati: & vtinam etiam ministri Ecclesiæ dignitatem suā cogitarent, vt sic cauerent, ne indigna suæ dignitati agerent, & ne ei qui eos honorauit contumeliā inferrent, & vt manus spiritu sancto delibutas ab inquinatione studiosè seruarent. Aliter enim seruandus est calix vásque sanctum Ecclesiæ, quàm vasa communia. Sic aliter seruare se debent ministri Ecclesiæ, quā laici. In Exodo eadem vnctione iubētur *Exod 30* sanctificari Aaron & filij eius, & vasa tabernaculi. Sed de hoc aliàs. *Et factū est dū irent mundati sunt.* Iā hîc vides quòd sola fides non sufficit vt Christo placeamus: & eius gratiam cōsequamur. Hi leprosi fidem habebāt, qua credebant Christum posse eos sanare, firmitérque statuebant, quòd hoc essent cōsecuturi: atque ideo clamauerunt ad illū, non tamē fuerunt sanati, nec fuissent vnquā, nisi fidei obediē- *Meritum obedientiæ.* tia accessisset. Non fuerunt liberati à lepra quando crediderunt tantum, sed quando credentes obtemperarunt, vt intelligamus quod animā nō mundat sola fides, sed fides quæ obedientiā cōiunctā habet. Ostenditur enim hic meritū obedientiæ. Discamus ex hoc loco in omnibus obedire, melior est enim *1.Reg.15* obedientia quā victima. Si quis Christo obtemperat, mundabitur à quacūque infirmitate. Magnopere laudatur in sacro eloquio Abrahami obedientia. *Gene.22* Quoniā cùm Deus illi promisisset plurimos populos fore ab Isaac filio eius prouenturos, non refragatus est Dei præcepto iubentis, vt ei filium sacrificaret. Sanè dicere poterat, Domine quid vis? Quare promissorum tuorū fidem frangis? Sed maluit tacere & sapienter obedire, permittens omnia diuinæ prouidentiæ. Quo facto docuit omnes nos, vt simus prælatis nostris in omnibus obedientes: dummodo eorū præceptū sine peccato fieri possit. Nam prælatus locum Dei tenet, sibique eodē mo-

do postulat obedire: iudiciúmque submittere, quasi ipsi præcipienti Deo. Nec sit subditus curiosus præceptorum disputator, sicut Eua quæ hac de causa omnium hominũ fuit exitium. Dixit illi serpẽs. Quare præcepit vobis Deus, vt nõ comederetis ex omni ligno paradisi? Cui si sapiens fuisset respondisset vtique. Scio hoc nobis fuisse à Deo præceptũ, seruandum est, nõ est nostrum quærere causam: sed patienter obedire creatori nostro ac domino.

¶ Discamus præterea ingratis etiam præstare beneficia: siquidem Christus nouem leprosos, quos sciebat fore ingratos mundauit. At nos etiam gratis propter ingratos nolumus benefacere. Sæpè enim quia aliqui ingrati sunt erga nos, in eos bonũ conferre negligimus; nec proximis etiam gratis & benemeritis: Olim Deus propter decem iustos pe- Genes.19 percit Sodomitis, nos verò bonos detestamur & bona opera negamus eis, propter paucos impios. Sed de his aliàs. Porro in via mundati sunt antequam ad sacerdotes accederent: ne virtute legis, sacrificiíve legalis, aut sacerdotum putarentur mundati, sed sola potestate diuina. Sequitur. *Vnus autẽ ex illis, vt vidit quia mundatus est.* Nõ dixit quia mundus esset, sed quia mundatus est, suæ mundationis recognoscens autorẽ Iesum: & quod nõ à se ipso, sed à Deo Prouer.20 habuisset mũditiẽ. Sic in Prouerbiis legimus. Quis potest dicere mũdũ est cor meũ? quasi dicat, nullus.

¶ Obserua quòd decem mundati sunt, sed vnus tantum cognouit se mundatum, & gratias dedit: vt intelligas quanti sunt qui multa beneficia quotidie recipiũt à Deo, & quàm pauci qui gratias Deo red- Matth.20 dant. Vide quàm verum sit quod Saluator dixit. Multi sunt vocati, pauci verò electi. Multi beneficia consequuntur, pauci grati sunt. Multi incipiũt; pauci perseuerãt: & multi sunt qui currũt, sed vnus 1.Cor.9 accipit brauiũ. *Hic ergo regressus est cũ magna voce magnificãs Deum.* Vnus inquit, non multi. Si eundũ fuisset ad torneamentorũ, taurorũ, aut ludorum secularíumque tragœdiarũ spectacula, nõ vnus sed plures inuenirentur deprecatores. Verùm ad agendas Deo gratias vnus tantum inuenitur impiger. Plurimos habet diabolus, mundus & caro ministros: Deus verò paucissimos. Nõ est igitur mirũ si vnus tantum gratus numeretur. Porro quatuor hic indicat Euãgelista vnde gratitudinẽ huius Samaritani intelligimus. Reuersus est enim, & magnificauit dominum magna voce, cecidit in faciem ante pedes, & gratias egit. Quod regressus est magna voce, magnum ipsius gaudium declarauit, quod ex misericordia Christi susceperit, per quam ex magna miseria liberatus est: & ideo magnificauit dominum, cæterísque hominibus idem faciendi dedit occasionem, Psal.33 velut illud prophetæ. Magnificate dominum mecũ Eccle.43 & exaltemus nomen eius in ipsum. Certè hic fecit iuxta consilium sapientis. Glorificantes dominum quantumcunque potueritis superualebit, & adhuc admirabilis magnificẽtia eius. Et quod procedit in faciẽ argumentum de se præbuit euidens quod dominum cognouerit Deum suum: dum adorauit di- 1.Reg.4 uinitatem ipsius hoc modo confessus. Mali autem non procidũt in faciẽ sed retrorsum, sicut Heli, qui retrorsum à sella cecidit, & fractis ceruicibus animã egit. Et Iudæi in Christi captione retrorsum cecide- Ioan.18 runt. Magnam itaque gratiam adeptus est hic Samaritanus, quando sic se humiliauit corã domino, cuius pedibus qui appropinquant accipient de doctrina ipsius.

¶ Docemur pro tantis Dei beneficiis Deo im- Deute.32 mensas agere gratias Hoc admonet egregius Psal- Psal.102 tes dicẽs, Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Sic & Paulus Ephe- Ephes.5 sios hortatur dicens, Gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini Iesu Christi Deo & patri. Et ad Colossenses: Et grati estote. Thessalonicẽ- Colo.3 1.Thess.5 sibus quoque ait, In omnibus gratias agite. Omnia enim referenda sunt in Christum salutis nostræ autorem. Sicut illi viginti quatuor senes, de quibus legimus in Apocalypsi, qui accipientes coronas suas Apoc.4 posuerunt ante sedem Dei, & agni, Deo gratias referentes. Tu quoque tribue illi grates, & dic animæ tuæ Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Psal.114 dominus benefecit tibi. Quid boni mihi fecit vt ad Deum reuertar gratias agendo? Eripuit animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Triã sunt genera beneficiorum. Quæ- Tria genera beneficiorum. dam beneficia sunt in dando, alia in promittendo, alia verò in liberando à periculis. Quo ad primum igitur vix numerari possunt quæ tibi Deus concessit. Creauit enim te de nihilo, sui similem, hominẽ non brutum, Christianum nõ infidelem, inspirationes salutares, innumerabilia bona donauit tibi, mori denique pro salute tua non recusauit; & crimina quotidie cõmissa benigniter remittit. Ideo ait Psalmista. Quia Deus benefecit tibi. Secundò à malis quamplurimis liberauit te. Nam nisi prohibuisset in ventre matris tuæ à dæmone communi omnium aduersario fuisses suffocatus, vt Dei beata visione priuareris, sustinuit te in peccato mortali existentẽ vt aliquando pœnitentiam ageres. Eripuit te sæpenumero à morte eo tẽpore quo proculdubio fuisses damnatus, nisi tanto præsidio conuersatus esses. Ideo sequitur, Eripuit animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, nisi enim eius insignis intercessisset misericordia, iam diu in numero arsisses damnatorum. Tertiò pro tam exiguis laboribus, quanta tibi pollicetur post obitum bona? Immortalitatem qua nihil diuinius, summam beatitudinem qua nihil fœlicius: consortium denique suum cum omnium bonorum & voluptatum perpetua, & secura abundantia, quæ amitti nunquam poterunt: Ideo ait, pedes meos à lapsu Ideo iustum est, quod pro tantis, & tam innumeris beneficiis Deo gratias agas, velut hic Samaritanus. Maiora enim tibi Deus contulit bona quàm huic Samaritano: à maiori lepra peccatorum te mundauit, & lauit sanguine suo. Ideo humiliter gratias Deo age: Quapropter sequitur in textu,

Et cecidit in faciem suam ante pedes eius.

Scilicet Christo gratias agendo, séque illi totis viribus humiliãdo, cuius beneficio gratioso tã clementer ac mirabiliter fuit curatus. Fœlix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum in quo omnis est plenitudo gratiarum, & dum pro acceptis non ingratum se exhibet: locum in se facit gratiæ amplioris. ¶ Obserua autem quòd non solùm gratus fuit hic Samaritanus, sed etiam modestus, quia venit suo functurus officio, non accusaturus alios. Nam nõ accusauit socios neque pharisæos qui eos deceperant: sed pro se gratias egit, nihilque de aliorum ingratitudine locutus est. Ne de absentibus malum, etiamsi verum sit, loquamur. Ia- Iaco.4 cobus enim ait. Nolite detrahere alterutrum fratres, qui detrahit fratri suo, aut qui iudicat fratrem suum detrahit legi, & iudicat legem: si autem iudicas

cas legem, non es factor legis; sed iudex. Vnus est enim legislator qui potest perdere & saluare: nam *Prou.24* vt in Prouerbiis habetur, Abominatio hominum est detractor. Nam imitator est diaboli, qui Deo *Genes.3* detrahit, mendacij ipsum incusans. Dixit enim. Nequaquam moriemini. Scit enim Deus quia in quacunque die comederitis ex eo aperiẽtur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum.

Et hic erat Samaritanus.

Assyrij erãt Samaritani, & quasi perditi à Iudæis reputabãtur, vt gentiles: quos Salmanasar (vt quar- *4.Reg.17* *Samaritani in tribus virtutibus celebrati.* to Regum narrat historia) translatis decem tribubus constituit pro illis in terra Samariæ gentiles. Per hoc autem quod dicitur Samaritanum fuisse, insinuat alios nouem fuisse Iudæos. Illi Iudæi, qui religiosiores & sanctiores videbãtur, fuerũt ingrati: hic tamẽ Samaritanus gratus fuit. Ita accidit, vt sæpenumerò vbi multã putamus esse sciẽtiæ & virtutis ornamẽta nihil nisi hypocrisis sit: & è conuerso (vt aiunt) sub sordido palliolo lateat sapiẽtia. Quo in loco attẽde quàm diuersa sint Dei & hominum inter se iudicia. Homines, Samaritanos quasi perditos & infames despiciebant, Iudæos verò magnæ religionis & pietatis studiosos putabãt: at in oculis Dei multo aliter erat: quippe qui cũ animos intuetur nõ signa exteriora, Samaritanorũ plurimos ob humilitatẽ diligebat: Iudæos verò superbos, & ingratos detestabatur, quæ vitia Hebræi valde percal- *Psal.77* luerãt. Quare Dauid postquã in Psalmo multa beneficia populo Israëlitico exhibita narrauerat, & Deum memoriæ commẽdauerat, ita vt filij qui nascerentur narrarent filiis suis: vt non obliuiscerẽtur beneficiorum Dei: nihilominus tamẽ dixit, Et obliti sunt benefactorum eius & mirabilium eius, quæ ostendit eis. Et idem ferè ostendit in Psalmo cente- *Osea 13* simo quinto. Dominus quoq; per Osæam, ait, Ego cognoui te in deserto, in terra solitudinis: iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt, & eleuauerũt cor suum, & obliti sunt mei. Populus hic à Deo dilectus Deo à quo tot & tanta accepit beneficia immemor & ingratus factus est: cùm Samaritanus & Ethnicus benefactorẽ suum cognouerit, & gratias egerit. Nemo ergo desperare debet cuiuscunque nationis sit, modo corde toto se conuertat ad dominum: sicut & reliqui nouẽ nihilo erãt meliores quòd ex bonis nati fuerunt Iudæis. Samaritanus siquidem ille illuminatus nõ fuerat per scripturas prophetarum, & pauca miracula de Christo viderat. Si autem percurramus Euangelium totum inueniemus Samaritanos ex tribus virtutibus laudatissimos. Quod facilè crediderint sicut illa mu- *Ioan.4* lier Samaritana iuxta puteum Sichar, & totus populus in illa ciuitate. Quod misericordiam proxi- *Luc.10.* mis suis adhibuerint: sicut ille qui vulneratũ iumento suo imposuit. Et quod grati fuerint, vt hic & nũc loquimur. Docemur hic non gloriari de parẽtibus & progenitoribus, aut natalium origine, quando- *Matth.8* quidem vt Christus Iudæis qui gloriabantur ex semine Abrahæ descendisse, dixit, multi venient ab Oriente & Occidẽte, & recumbẽt cum Abraham, Isaac, & Iacob, filij autem regni eiicientur foras. Huiusmodi sunt quamplurimi qui facinora maiorum suorum magnopere iactant, cùm tamẽ ipsi pusillanimes & ignaui sint, in nullo sunt apud homines pretio. *Respondens autem Iesus dixit. Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?*

Non est mos Dei exhibita beneficia improperare, quæ dat omnibus affluenter & non improperat: *Ingratitudo vitium.* sed ingratitudo nostra illum quodammodo cogit. *Deut.29* Sic in Deuteronomio refert beneficia. Nõ veterauerunt vestimenta vestra. *2.Reg.12* Et Dauidi. Ego te tuli de pascuis ouium, &c. Dubitabit tamẽ aliquis. Si Christus curauit eos omnes ab infirmitate, non tantum corporis sed animæ: quomodo isti nouẽ leprosi arguũtur de ingratitudine si cõuersi sunt, quia putandum est quòd mortaliter peccauerũt: nam pro veniali peccato nõ credendum est quod ita arguerentur. Dicendum quòd omnes in fide petierunt sanitatem & sanati fuerũt in corpore & anima: nouem verò Iudæi à sacerdotibus existimo quod decepti sunt, & suasi ab ipsis sacerdotibus ne crederẽt quòd à Christo erãt mundati, sed à Deo propter legis obseruationem. Inuidebant enim sacerdotes Christo, & doctrinæ: & vbicunq; poterãt detrahebant. Horum suasionibus decepti exciderunt à fide. Curatio autem Christi & si præstaret salutem animæ, nõ tamen cõfirmabat eos in gratia, ita vt nõ possint iterum labi in peccatum, vt isti fecerunt: & vt accidit etiam Petro, qui post conuersionem & gratiam iterum lapsus est in peccatum, ter negans Christum. *Marc.14*

¶ Ad nostram autem instructionem tria nobis *Opera bona sine perseuerantia merce de carent.* documenta colligere possumus. Primum ne sicut isti leprosi ad vomitum vt canes reuertamur: sed in Dei gratia perseueremus, sicut Samaritanus ille, qui proficiebat à bono in melius, *2.Petr.2* Sic pater noster Adam in bono perparum temporis perseuerauit. *Gene.3* Dominus enim ait, Qui perseuerauerit vsq; in finẽ, *Matth.10* hic saluus erit. Multorum est incipere, paucorum perseuerare. Opera bona sine perseuerãtia mercede carent: quin sæpe accidit vt benefaciens in initio, in fine dignior sit supplicio quàm præmio, eo quod non perfecit inceptũ, inconstãsq; fuit. Amici Iob *Iob 3* in principio optimi & amantissimi animi signa ostenderunt, quoniam per septẽ dies cum Iob fuerunt flentes, illiúsq; ægritudinẽ & fortunã, quoad potuerunt officio subleuãtes: at posteà ipsum crudeliter deseruerunt. Sic Saul præclarè regni impe- *1.Reg.9* rium suscepit: quòd posteà culpa sua turpiter amisit. Idem testatur vxoris Loth supplicium, quæ So- *Genes.19* domam respiciens in statuam salis fuit conuersa. Multi sunt in inferno qui supplices Deum exorarunt, & à lepra peccatorũ suorum mundari cœperunt viã virtutis intrare, & præceptis diuinis obedire, sicut isti leprosi: verùm posteà recidiuãtes omnem gratiam perdiderũt. Quare nihil est quod minus diabolus curet quàm bona principia, nisi bono etiam fine copulentur. Quapropter non modo incipiendum est virtutis iter, sed etiam perficiendum: si volumus omnes anteactos labores non amittere. Sit igitur constans & fidelis, qui beatitudinis coronam expectat. In fimbriis vestium suarum sole- *Apo.3* bant sacerdotes in lege veteri appendere malogra- *Exo.28* nata inter aurea tintinabula: quæ ideo non in principio neque in medio vestimenti, sed in extremitate figebant: vt significarent mercedem non deberi in principio, sed in fine, illis nempe, qui prius vitæ quàm virtutis finem faciunt,

¶ Secundò docemur ex hoc loco quantum pro- *Afflictiones salutares.* sit animæ saluti omnis fortunæ aduersitas, quantũ verò obsit prosperitas. Sic enim leprosi dum infirmitate detinebãtur orabant Deum, & clamabant. At posteà quàm sanitatem consecuti, Dei auxilio amplius non indigere sibi visi sunt: statim dolorem cum memoria beneficij simul deposuerunt.

Deut. 32 Incrassatus est dilectus & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus. Sed vide quid sequatur. De reliquit Deum factore suum, & recessit à Deo salutari suo. Hinc etiam & nos quàm anxij sumus quádo infortunium & periculum pro foribus est: tam dissoluti & leues sumus infortunio liberati. Vtinam & nos deteriores non essemus quàm isti nouem leprosi, qui maiora beneficia accepimus, & peccata maiora perpetramus. In angustiis Deũ inuocamus & eum propicium habere volumus, sed statim obliuiscimur illius. Igitur potiores sunt infirmitates, & labores corporis, salute & prosperitate: in persecutionibus enim Deus inuenitur, in gaudiis amittitur. David dum periculis & incómodis vrgebatur Deo adhærebat, Psalmos componebat, in tantúmq; virtuti & pietati studebat, vt cum bis Saulem interficere potuisset noluerit: at posteà quã pacatis populis, tantóq; imperio securus regnare cœpit, effudit se in vitia, rapuit Bersabee, interfecit Vriã: & ita ille qui in malis etiam hosti pepercit, in bonis familiari & innocenti parcere noluit. Vnde ipsemet Psalmista ait, Multiplicatæ sunt infirmitates eorũ, posteà accelerauerunt. Sed in prosperitate citò obliuiscuntur Dei. Obliuio, prosperitatis est comes. Quod hoc exemplo patebit manifestè. Rogauit Ioseph, Pharaonis procuratoré, vt meminisset illius cum benè haberet: at procurator egressus carcere (ait diuina scriptura) oblitus est interpretis sui. Ideò Ioseph, in recessu dixit ei. Meméto mei dum bene tibi fuerit: non ignorans homines in prosperitate superbire, & obliuisci solere amicorum. Qua de causa nemo sit qui labores & aduersitates incuset: voluptates verò ita amet vt nihil existimet præferendũ, quoniam mala Deus sæpenumerò nobis euenire permittit, ne luxuria & vitiis corrumpamur vt his leprosorum & Ægyptij exemplis patet.

Obliuio est prosperitatis. — *1. Reg. 24 & 26* — *2. Reg. 11* — *Psal. 15* — *Gen. c. 40*

¶ Tertiò docemur ne horũ exemplo ingrati Deo simus, multi enim inueniuntur, qui quo plura accipiunt beneficia peiores fiunt: & ita bonis insolescũt & incommoda capiunt. Primum quòd Deus Esaiæ prædicãdum imperauit fuit ingratorum accusatio: qui cum alia multa potuisset in illo populo vitia reprehẽdere, maluit ab hoc exordium sumere tanquam ab ima radice & fonte omnium vitiorũ. Audite cœli & auribus percipe terra, quoniã Deus locutus est, filios enutriui & exaltaui ipsi auté spreuerunt me, cognouit bos possessorem suum & asinus præsepe domini sui: Israël autem me non cognouit & populus meus non intellexit. Cœlos & terrã in testes vocat, vt iustissimè querétem audiant, hominésque ingratitudinis notat, inquiens, peiores brutis facti sunt. Vide igitur quãtum sit ingratorũ crimen, in cuius confirmationé hoc solùm sufficeret siquis vellet expédere, nullam esse omnium virtutum firmioré quàm beneficiorũ memoriam. Huius vitij notatur Pharao, qui Iosephi genus est insecutus, à quo summis fuerat officiis affectus: Iosephi nanque opera eximiam adeptus est opum abúdantiam, conseruato in summa egestate regno. Verùm quemadmodum hedera, quæ parietis ope & infirmitate nixa paulatim ascẽdit & diffunditur, donec aëris & lucis potita, totúmque parietem complexa ipsum destruit: sic multi sunt, ea animi peruersitate vt illis non modo nõ gratias agant à quibus beneficiũ acceperunt, sed etiam quacúque ratione possint noceant, hoc autem non rarum aut inusitatum est, quotidie videmus improbos homines diuites euadere, cum illorum detrimento, quorum auxilio sæpenumerò steterunt: quod si rebus conuersis fortunáq; immutata, paululum minari ruinam cæperis, non modo deserueris, sed etiã impelleris ab illis, quos maioribus beneficiis affecisti, præsertim si ignobiles sint. Quare ne ab amicis decipiaris, bonis & generosis viris stude: degeneres & improbos vita: qui hederæ plantæ humillimæ & caducæ similes sunt, ne te posteà tuo ipsius (vt aiunt) gladio iugulent. Vult igitur Deus vt grati simus & tépore necessitatis eum inuocemus: in prosperitate verò gratias agamus illi, præceptísque illius obtemperãtes. Ea igitur sit gratitudo constantiáque nostra, vt nulla humanorum bonorũ æstimatio nos à Deo summo bono certissimóque nostrorum bonorum fine diuellat: cùm præsertim omnia sine Deo bona, falsa, & fallacia, non bona sed mala dicenda sint.

Ingratitudo radix & fons vitiorum. — *Esai. 1* — *Exo. 1* — *Genes. 41*

¶ Sed nunc ad literam reuertendo: quare dominus ab istis leprosis inquirit vnde sint, siquidem omnia antequam fiant nouit. Respódendum. Bene sciebat dominus vnde essent, rogabat tamen in detestationem vitij ingratitudinis. Et vt magis attenderetur ratio ingratitudinis, ostendit etiam quantum nos à Deo separet ingratitudinis vitium, nemo enim solet eum quærere qui adest, sed absentem. Vnde sequitur nullum malorum hominum genus tam esse à Deo separatum, quàm ingratos, quia omne peccatum ingratitudo est, nullúmque vitium itidem grauiùs quàm ingratitudo: siquidem absentiam à Deo causat, quæ grauissimum est damnatorum præ cæteris supplicium.

Ingratitudo nos elongat à Deo.

¶ Præterea sciens vbi essent, quæsiuit de nouem leprosis ex more scripturæ, vbi multoties dicitur Deus aliquos nescire, quos non approbat, & qui sibi non placent. Sic nescire profitetur illas quinque virgines fatuas: scientia nimirum approbationis. Ita hic quia displicebat domino ingratitudo istorum nouem, quærit de eis tanquam de ignotis: Sic Adam postquam peccauit quæsiuit, Adam vbi es? Nouit enim dominus (vt inquit Paulus) qui sunt eius.

Matth. 25 — *Gene. 3* — *2. Tim. 2*

¶ Obserua autem quantum malum sit ingratitudo, quòd Christus ita scandalizari videtur cum scandalum pati non possit, quod ad modum admirantis se habet in hac interrogatione. Certè nihil ita admirari debemus. Nemo hominem, equum, aut canem videns miratur, quia hæc animalia sæpenumero vidit: miraremur tamen si monstrum videremus, Centaurum, aut Satyrum, hominémve quadrimanũ aut monoculum, quoniam hæc rara sunt, & naturæ repugnantia. Sic sunt quædam vitia in vsu posita & naturali carnis libidini adeo indita, vt nemo miretur iam edacitaté, ebrietatem, iracundiam aut luxuriam: ob naturæ in hæc vitia pronitatem. At ingratitudinem omnes non modo mirantur, sed etiam detestantur & accusant vt inuisum, ignotúmque vitium & naturæ maximè repugnans: & meritò, Nihil enim est minus ferendum, & pœna grauiori vindicandum, quàm accepti beneficij obliuio. Et hac de causa apud Romanos libertas seruo concessa posteà ingratitudinis culpa reuocari poterat, Nihil ergo homini absurdius est, & nequius, quàm nó esse erga Deum quamgratissimum, à quo constitutus fuit super omnia opera eius in hoc sæculo Quid dicam in altero? summam ei promisit beatitudinem qua nihil potest maius excogitari. At quo pretio comparatam? Sanguine vnige

vnigeniti ſui in omnium noſtrorũ ſalutem effuſo. Quis erit ergo tam ferus, tam immanis, vt feras ipſas ſæuitia vincat? Nam leo & vrſus beneficiis ita deuinciuntur, vt mitiſsimo ſoleant ante dominorũ ſuorum menſas vultu ſedere. Et inuenitur inter homines, qui benefactori ſuo ſit ingratus. Hoc igitur merito Chriſtus admiratur, quia nullum peccatum eſt adeo immane, adeo indignum venia, vt ingratitudo: quę ianuã diuinæ miſericordiæ claudit, & fontem Dei pietatis reſtringit, & autorem ſuum omni beneficio deinceps reddit indignũ, & quaſi quidam ventus adurens bona pręterita extinguit: peccata iam remiſſa aggrauãdo reuocat, omnium denique *2.Reg.25* malorum eſt radix. Sic Dauid grauiter ob Nabalis ingratitudinem affectus deſcẽdit de monte, eo animo, vt illum cũ tota familia traderet exitio: & etiã *2.Reg.10.* grauiter puniuit ingratitudinẽ Regis Ammon nũ- *Prouer.17* cios ſuos deturpãs. Ideò ſapiẽs ait, Qui reddit mala pro bonis, non recedet malũ de domo eius. Ideò de ingratis conqueritur dominus per Hieremiam *Hier.18* dicens, Nunquid redditur pro bono malũ, quia foderunt foueã animæ meæ? Sic & modo de iſtis conqueritur dicens, *Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena*. Vide quomodo vult Deus vt illi gratias agamus, nõ ſolũ pro maximis, ſed etiam pro minimis beneficiis: ſi quod minimũ *Ioan.6* in diuinis beneficium poteſt inueniri. Hac de cauſa iuſsit dominus aſſeruari panum fragmenta, quæ ſuperauerãt in deſerto, ſignificans Dei beneficia ſemper in memoria habenda eſſe, vt ſic aſsiduò gratias *Gene.8* illi reddamus. Sic Noë exiens de arca fecit altare domino, & ſacrificia obtulit, gratias agẽs Deo. Vn- *Leui.7* de in Leuitico, holocauſtum quod offerebatur pro gratiarum actione, & caro victimæ non erat in craſtinum reſeruãda, quia gratiarũ actiones non ſunt differendæ. Quare vt grati ſimus, opus eſt vt ſcia- *Ioan.4* mus quis nobis benefecerit. Sic ille regulus quæſiuit à ſeruis de hora, qua filius melius habuerit, vt Chriſto gratias ageret, & crederet, ſciens illum benefactorem. Sed ſi iniuriam patimur, non curemus ſcire quis iniuriã facit, ne illum odiamus. Deus di- *Geneſ.15* xit Abrahæ, quòd ſemen ſuũ eſſet paſſurus mala in terra non ſua, & non nominauit Ægyptũ, ne Ægyptios odiret. Et Deus in paſsione alapis cæſus faciẽ cooperiri permiſit, vt doceret ne ſciamus percuſſores, ſed tantũ benefactores, & eis gratiam agamus.

❡ Obſerua autem, quòd non vult Deus vt grati ſimus propter ſe: nam propter noſtram gratitudinem vel ingratitudinem, bonitatem, vel malitiam, non acquirit, nec deperdit ipſe aliquid: ſed vult gratos eſſe, vt ſic capaces ſimus maiorũ beneficiorum. Nam qui beneficiis gratus eſt, maiora indies meretur accipere munera. Ideò cùm nos adeò diligat, vt eximiam habeat ſemper nobis benefaciẽdi voluntatem, ingratitudinem odio habet, non ſua cauſa, ſed noſtra: quoniã huiuſmodi vitium quodammodo beneficia de manibus extorquet. Sed dices. Cur non puniuit ergo hos nouem leproſos lepræ reuocatione, ſiquidem tanto beneficio ingrati extiterunt? Quia ſi Deus ſine diſcrimine ingratos omnes eo modo puniret, pauci euaderent punientis Dei vindictam: quin & nos omnes iam diu pœnas ſoluiſſemus. Si illos vt ingratos domino lepræ reuocatione dignos iudicas: quod ſupplicium te cenſes meruiſſe cùm multò maiora quàm leproſi acceperis, minúſque gratus extiteris.

❡ Docemur hoc Chriſti exemplo, primo vt manſueti ſimus erga ingratos, qui etiam ſi multi ſint nobis, multò plures ſunt Deo, & ab illo perferuntur. Secundò, ne nos pœniteat benefactorum noſtrorum, quæ tunc optima ſunt, cùm retributionem non expectant: quoniam nec Chriſtus eo animo in leproſis beneficus extitit.

❡ Docemur tertiò genus aut perſonarum dignitatem nihil prorſus facere ad iuſtificationem, aut ad Chriſti amicitiam conciliandam: cùm Iſraëlitæ mali & ingrati ſint, Samaritanus autem bonus. *Matth.20*

❡ Docemur quartò, verum eſſe illud quod Chriſtus dixit, multi ſunt vocati, pauci verò electi. *Matth.22*

❡ Quintò, Regnum Dei Iudæis propter ingratitudinem ereptum eſſe, & gentibus ex gratia traditum & conceſſum. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

❡ Expende etiam, quòd non dixit Chriſtus, non eſt qui rediret & daret laudem mihi: ſed nõ eſt qui rediret, & daret laudem Deo. Docet omnia opera noſtra Deo adſcribẽda eſſe: & pro omnibus bonis quæ operamur Deo gratias referre. Ne tibi arroges gratias eorũ quæ Deus in te, & per te fecit. Ideò puniuit dominus Moſem ad aquas contradictionis. Ideò humiliauit Nabuchodonoſor ſe iactantẽ & in hæc verba prorumpentem. Nonne hæc eſt Babylon *Dani.4* ciuitas magna, quam ego ædificaui in domũ regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Ideò extra hominũ cætum & cõmercia eiectus cum feris animãtibus in ſyluis agere & paſcere coactus eſt. Sed potiùs dic cũ Eſaia. Omnia opera no- *Eſaie 26* ſtra operatus es domine. Quid autẽ dominus grato Samaritano dicat audi. *Surge, vade: quia fides tua te ſaluum fecit.* Magna fuit fides iſtius, quia nec ſuaſione ſacerdotũ neq; exẽplo Iudæorum ſociorũ ſuorũ minui potuit. Iacet ante pedes Ieſu, nõ audet ſurgere dubitátq; quibus vocibus, laudes Chriſti ex- tollat. Iubetur ergo ſurgere & cùm nollet relinque- *Luc.1* re Chriſtũ, ſed in perpetuo illius eſſe cõſortio, audit. Vade, quia fides tua te ſaluũ fecit. ❡ Surge etiã & tu ex impuritate peccatorum tuorum & ambula in lege domini in ſanctitate & iuſtitia corã domino omnibus diebus vitæ tuæ. Sic enim fides vera te ſal- *Fides curati nõ fuit ſine operibus.* uabit: ſcilicet, ſi ambulaueris in Dei mãdatis & pręceptis. Quam ergo fidem laudat hic dominus? Non certè prauorum hominum nudam & mortuam: ſed illam quæ per dilectionem operatur, quam habuit hic Samaritanus. Nam domino credens non ſtetit, ſed Dei præceptum impleuit: & mandatis obtemperauit. Et poſteà ad dominum reuerſus eſt, & cecidit in faciem & gratias egit. Vide ergo quomodo multa operatus eſt. Non enim nobis Deus dedit mandata, vt illa tantum ſciamus, aut illum præcepta dediſſe credamus: ſed vt præcepta eius implendo obediamus eius voluntati. De operibus miſericordiæ in die iudicij diſceptabit: non ſi credimus, ſed ſi opere compleuimus ea. Si enim tantum fides ſola ſufficeret ſine operibus ad ſalutem: vanum fuit quod adoleſcẽti interrogãti quid facturus eſſet, vt regnum Dei poſsideret, Chriſtus reſpõdit. Si vis ad *Matth.19* vitam ingredi ſerua mandata. Si verò nulla ſunt opera bona: quid quæſo Baptiſta Chriſti Ioannes *Luc.1* pro ſeruãda innocentia puer ad eremũ fugiens pœnitentia tam dira ſe afflixit? Neceſſarium eſt quòd fides per dilectionem operetur. Nam de fide ſine charitate loquitur Chriſtus, quando multos in nouiſsimo die venturos prænunciat, atque dicturos, *Matth.7* Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in

& in nomine tuo dæmonia eiecimus,& in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc cófitebor illis: nunquam noui vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Habuerunt quidem hi fidem: ideo prophetauerũt,& signa fecerũt. Sed quid illis profuit hæc fides? Quid sine charitate & bono opere profuit? Neque enim fides illa si esset viua: nec charitas ipsa esse sine bono potuisset. Charitas enim ostenditur si non ociosa est: si gaudet bene operari, si opere exprimit quanti faciat suum conditorem: cuius præcepta amat, quia ipsum qui præcipit amat. Talem ergo fidem à nobis exigit.

¶Igitur hæc tria exépla ante oculos habeamus. Primum vt fidem & obedientiam discamus ab istis leprosis. Secũdò vt opera bona quæ necessaria sunt ad salutem, à Christo discamus. Et tertio gratitudinem à Samaritano. Et si ingrati fuerint nobis homines quibus benefecimus, imitemur in hoc casu exéplum Dei patris, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Atq; hoc exemplo Christi, qui non denegat sua beneficia his, quos sciebat fore ingratos, mercedem & gratiam quarũ ingrati nullam habent rationem, Christus nobis in libro vitæ rependendam scribit. Deinde cùm nos lepra animæ, hoc est, peccatis infecti simus, debemus leprosorũ exemplo Christo occurrere: firma fide procul cum istis leprosis & cum publicano stare: atq; agnoscentes nostra peccata clamare. Iesu præceptor miserere nostri. Consecuti auxiliũ debemus rursus de beneficiis acceptis Deo gratias agere. Si id fecerimus non dubitemus quin cum Samaritano audituri simus, Surge & vade: fides tua te saluum fecit, id est, vade & exulta, nam per fidem cósecutus es corporis salutem, & per eandem impetrabis charitatem & alias virtutes, quibus non tantum anima tua iustificata à lepra peccatorũ liberabitur: verùm etiam in æternum in cœlis corona iustitiæ decorata lætabitur. Sed satis sit de hac historia leprosorum: nunc ad explanationem sequentium procedamus.

Matth. 5

¶Post hæc cum naturale sit omnibus hominibus appetere libertatem, & horrescere seruitutem, cum Deus hominem liberum, & totius creaturæ dominum fecerit, Iudæi Romanorũ subditi maximo affectu appetebant liberari à iugo Romanorum: cùm captiuitas etiam à brutis animalibus abominetur. Expectabant suum Messiam, cuius ope liberandos fore putabant à mundana seruitute. Ideo ait Euangelista. *Interrogatus autem a Pharisæis*. Vel ex curiositate, vel ex derisione. *Quãdo veniet regnũ Dei*. Non erat parua non solùm Pharisæorum, verùm etiam omnium Iudæorum solicitudo de Messiæ aduẽtu. Putabant enim quod regia potestate & apparatu esset venturus restituere regnum Israël, cógregans omnes tribus quæ per alias nationes erãt dispersæ. Sic etiam hac ignorátia ducti illi discipuli interrogauerunt dominũ in die suæ ascensionis. Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? Et etiam in die resurrectionis illi duo, qui ibant in castellum Emaus dixerunt. Nos sperabamus quòd redempturus esset Israël. Igitur cum Pharisæi hactenus frequentissimam mentioné audiuissent à Christo fieri de regno Dei, quod scilicet per Messiam auspicandum esset in terris: accedũt ad Christũ eúmq; alloquuntur rogantes, quãdo veniret regnum Dei. Videntur autem hoc velle dicere. Audiuimus iam sæpenumerò te de regno Dei disserentem, & populo quasi persuasum te esse Messiam Christũ illum domini. Si itaq; tu ille es quẽ hactenus expectamus: quando tandem incipies regnare? Nihil enim regis præ te fers. Dic ergo nobis quando veniet regnum Dei? Quãdo tandẽ Deus promissionis suæ memor erit, & restituet nobis regnum Israël? Ægrè ferebant corporum captiuitatem & exilium, nihil curantes de animarũ suarum remedio & scelera sceleribus addẽdo inuidebant Christum, parua magnifacientes, dissimulantes maxima. Ideò Christus illis dixerat. Duces cæci, colantes culicem, camelum autem glucientes. Sic multi in ceremoniis, & in rebus quæ sunt parui momenti totam fœlicitatem constituunt: non curantes de auaritia, ambitione, multisq; spiritualibus vitiis, in quibus quasi suffocati viuunt. Respondens eis dixit. *Non veniet regnũ Dei cum obseruatione*. Id est, nõ veniet cum apparatu aut pompa mũdana, ita vt obseruari possit tempus vel locus, *Neque dicent, Ecce hic, ecce illic*. Neque poteritis dicere: ecce hic habet thronũ, illic habet regiam aulam, hic circunstant famuli, illic regius apparatus, hic aurea nitet corona, illic sceptra micantia fulgent, his populis dominatur, illam subegit ciuitatem. *Ecce regnũ Dei intra vos est*. Tripliciter hoc exponi potest. Primo sic. Quasi dicat, Regnum in quo regnabit Messias non est temporale sed spirituale. Non dominabitur (vt falso putatis) rebus terrenis: nec liberabit Israël de Romano imperio, non enim venit regnum facere temporale, vt fecit tempore Dauidis & Salomonis. Sed regnum spiritale erit, & regnabit super animas vestras, quæ quidem intra vos sunt: interiora enim quæret Messias, & quæ intra vos sunt: nõ tamen externa. Cum anima legibus Dei obedit, regnum Dei est. O verè rem admirabilem: totus mundus regnum Dei est. At verò ita cupit Deus animæ imperium, vt vni animæ imperare regnum sibi esse putet. Et quidem multò pulcriùs regnum Dei est vnica anima, quam totus hic visibilis orbis: siquidem corporeus mundus subiectus est animæ, & propter animam factus est hic mundus totus. Quis igitur non stupeat animi capacitatem, intra quam regnum Dei est? Imo quis non admirabitur, animam ipsius Dei esse capacem? Demum aduerte quod per solam fidem licet in peccato simus dicitur Deus, quãquam non plene in nobis regnare: regnum siquidem non solùm ex bonis constat, sed ex malis: dummodo fideles sint. Igitur per fidem subiicimus colla Deo, volumúsque Deum super nos regnare: & ita ad regnum Christi & Dei spectamus.

Phariseorum & Iudæorũ vana de Messia expectatio.

Act. 1

Luca 24

Matth. 23

Regnum Messiæ spirituale & enomasticum est.

¶ Secundò exponitur locus iste. Regnum Dei intra vos est, quasi dicat, Soliciti estis de vestro Messia, & cùm in medio vestrum sit, & intra vos, id est, vestram ciuitatem, templum, & Synagogam non vultis cognoscere eum.

¶ Tertiò exponitur locus iste, quia credere vel non credere in potestate est nostri liberi arbitrij. Intra vos est, hoc est, in vobisipsis est regnum Dei & in vestra potestate: quia si vultis accipietis illud, & si non, eritis absq; illo. Idem est, quod in Deuteronomio dixit Deus. Ecce dedi ante faciem tuam vitam & morté, bonũ & malum: elige vitã & viues. Item apud Esaiã. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comederis: si autẽ nolueritis & nõ audieritis me, gladius vos cõsumet. Os enim domini locutũ est. Et in Ecclesiastico. Ante hominẽ mors & vita, bonũ & malũ: quodcũq; voluerit dabitur illi. Ita regnũ Dei intra vos est, hoc est in vestra potestate. Sed

Deut. 30

Esa. 1

Eccle. 15

Sed de his satis. Deinde vt prudentiores, & magis cautos redderet discipulos: dixit.

Venient dies, quando desiderabitis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis.

Iam diximus quod Pharisæi & discipuli putabāt regnum Christi temporale & non poterant intelligere quomodo Messias in tanta humilitate venisset: quia potiùs carnalia sapiebāt & amabant. Ideò noluit Dominus multa narrare de mysterio primi aduentus (contentus affirmasse regnum Dei iam in terris esse, hoc est, Messiam à Deo missum.) Sed orationem vertit ad vltimum aduentum, quando venturus est, non humilis, pauper, & incognitus: sed sicut fulgur, qui ab omnibus videtur, non vt humanum iterum subeat iudicium, sed vt ipse iudicet mundum vniuersum. Non enim tunc erant capaces, vt mysterium primi aduentus caperēt, ideo diuertit loquelam ad secundum aduentum. Quod autem hîc discipulis dicit omnibus nobis dictum esse putemus. Venient dies quando desideretis videre vnum diem filij hominis, & nō videbitis. Sensus est. Quoniam multi cōtemnunt tanquam contemptissimum hominem, olim sentient terribilem iudicem. Illi, qui Christum hîc noluerunt in sua paupertate & humilitate videre, videbunt eum in nubibus cœli venientem ad iudicādum cum potestate magna & maiestate. Et illi, qui noluerunt audire prædicātem, audient dicentem. Ite maledicti in ignem æternum. Et qui noluerunt ad ipsum venire inuitātem eos atque dicētem. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: quando voluerint ad illum accedere, expellentur ab eo. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Nunc tempus cognoscendi Christum nobis datur, & adipiscendæ gratiæ: non enim venit condemnare, sed omnibus vitam & salutem præbere. Et tunc desiderabitis videre vnum diem gratiæ & misericordiæ, & non videbitis. *Matth. 25* *Matth. 11* *Matth. 7*

¶ Multi etiam nunc sicut olim Pharisæi, horrent Christi paupertatem, improperium, & crucē. Ideò ab istis non cognoscitur Deus nec amatur, quia vt dicit Paulus, Crux Christi Iudæis scādalum est: gentibus autem stultitia. Sed vexatio dabit intellectū, & cognoscent tempore maximæ angustiæ & calamitatis quando nihil eis proderit. Ergo & nunc Christum humilem in primo aduentu cognosce & amplectere paupertatem suam, nuditatem, crucem, & passionem: vt postea securè venienti ad iudicium obuiam exeas. Caueant etiam ne post Christum alium expectent Messiam. Ideo ait. *1. Cor. 1* *Esai. 28*

Et dicent vobis, Ecce hic, Ecce illic: nolite ire, neque sectemini. Docet hic non expectandū alium Messiam. Alibi etiā Iudæis dixit. Ego veni in nomine patris mei, & nō accepistis me. Si alius venerit in nomine suo illum accipietis. Hoc multoties fecerūt Iudæi. Acceperūt Iudam quendā Galilæum, & Theodam aliósq; quamplurimos. Sic etiam tēporibus Theodosij iunioris apud Cretam insulam, diabolus in figura Mosi Iudæis apparuit, & dicēs se Mosen esse promisit ducere eos in terrā promissionis, & ostendere Messiam. Illi verò Iudæi, qui illū secuti sunt, & ab eo decepti, aquis suffocati sunt: reliqui verò Christiani effecti. In Hispania in regno Portugalliæ in oppido quodā, qui Sutuual appellatur, quidam nostro tempore surrexit dicens se esse Messiam, cui aliqui Iudæi crediderūt, & adhęserūt. Quo cognito ab hęreticæ prauitatis inquisitoribus apprehensi in vrbe Vlyssea, quæ Vlyssipo appellatur (Lusitanorū enim est maxima & potētissima ciuitas) omnes cōbusti sunt publica sententia. Nec nos etiam credamus omni spiritui. Quia Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum Lucis. Nam si Messiam nō expectamus sicut perfidi Iudæi, tamē multi pseudoprophetæ quotidie surgūt in Ecclesia sancta Dei dicētes, se à Deo missos, Euāgelicos se nuncupātes, sed sub pelle ouis, qua incautos decipiunt latent lupi, qui nomen Christi in ore quotidie habentes, Christum eiúsq; Ecclesiam persequuntur, hęreses seminant sacram scripturam deprauant, deniq; membra dæmonis sunt ad omne vitium impudenter perpetrandum. Ideò caue à Lutheranis. Si dixerint tibi, ecce hic est, ecce illic manet noli credere. Hac de causa beatus Ioannes admonet dicens, Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate an ex Deo sit. Quia multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In Lutheri tamen moribus & vita nihil opus est probatione: nam ex omni hæreticorū grege, nemo credo extitit, qui sic palam à Christiana nō solùm fide, verū etiam doctrina & moribus deuiauerit. Cuius insaniam, superbiam, luxuriā, auaritiam, & ad omne vitium inuerecundissimū animum exponere pudet, tædétque. In promptu igitur est doctrinam illius ex moribus perspicere. Aliter Christus venit, aliter beatissimi Apostoli Euangelium prædicauerunt, casti, pauperes, nudi, patientes, ieiunantes, & orantes: ita vt in vitæ sanctimonia & miraculorum multitudine clarè videntes organa esse viua Spiritussancti. Sed ad rem. Postquam Christus docuit cauendū esse ab istis falsis Prophetis, ostendit quomodo in secundo aduentu Saluator ipse manifestè venturus sit: iuxta illud Psalmi, Deus manifestè veniet, & non silebit, ait ergo, *Iudæorum insania.* *Ioan. 5* *Act. 5* *2. Cor. 11* *1. Ioan. 4* *Psal. 49*

Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt fulget, ita erit filius hominis in die illa.

Primus aduētus, qui erat in carne occultabatur aliquandiu & solùm primis illis innotuit hominibus. Vnde Magi illi venientes Hierosolymā, inquirunt, vbi est qui natus est Rex Iudæorū. Non sic occultabitur secūdus Christi aduētus. Nam sicut fulgur licet moueatur per aëra, nō apparet successiuè, sed subito super Orizontē illuminat, illius saltem hemispherij, in quo gignitur: sic Christus cùm venerit ad iudicandū, erit omnibus hominibus notus: quia veniet cum magna gloria & maiestate. Posuit autē Christus similitudinē de fulgore potiùs quàm de sole, & luna, quia aduētus eius erit terribilis, & fulgur exterret homines: sol verò & luna & cætera omnia nō exterrent, sed potiùs cuncta fouent suo lumine. In primo aduētu descendit sicut ros in vellus, cuius signū in vellere Gedeonis præcessit. Rorem enim quando cadit à cœlo nullus sentit: quia nec sonitum, nec aspectum vllum sui præbet. Quare mirum non est si intuentes etiam oculatissimos fallit. Sic silenter venit Christus tunc: sed in secundo aduentu manifestus omnibus apparebit. Ideóque secunda ratio, quare Christus suum secundum aduentum comparauit fulguri, est non tantū propter terrorem vt diximus: sed secundo & magis principaliter: quia manifesta & subita erit apparitio eius. Nam Christus vult hîc ostendere quod apparitio eius erit subita, vt patet in sequentibus exemplis, quæ adduxit Noë & Iob. Et ad hoc magis conuenit cōditio in fulguris apparitione, quàm solis, & lunæ. Quia sol semper circuit cœlum, & per *Matth. 2* *Primus Christi aduentus occultus, secūdus manifestus.* *Luc. 21* *Psal. 71* *Iudic. 6*

& per motum suum aliquando est supra Orizontem, aliquando infra: & cùm est in vna mundi parte non videtur ab aliis, qui sunt in Orizonte. Et ad hoc quod videatur ab his à quibus non videbatur venit ad eos per motum, & ita successiuè facit se videri ab hominibus. Fulgur autem nõ circuit cœlum, sed in parte cœli in qua gignitur apparet, & dum ibi est videtur simul ab oriente & occidente, id est, super totum Orizontem, etiam si nõ moueatur. Ideò apparitio fulguris magis assimilatur apparitioni Christi ad iudicium venientis, quàm apparitio solis vel stellarum.

¶ Obserua autem quòd dicit, quòd sic erit apparitio filij hominis in die sua. Diẽ iudicij vocat diem suum, quia tunc accipiet tempus, quo puniet peccatores vt ipsemet ait, Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo. Nunc poteris pœnitere peccatorum tuorum, nũc dum tempori damnaris, tibi prospice: nunc est tempus acceptabile, nunc dies salutis & misericordiæ quem si præterire sinis excluderis, sicut virgines illæ fatuæ regno cœlorum, cùm ratio reddenda erit.

Psal. 47 — 2. Cor. 6 — Matth. 25

Primùm autem oportet illum multa pati & reprobari à generatione hac.

Expẽde quomodo nunc de gloria, nũc de ignominia loquitur Christus. Loquebatur de gloria, in qua venit ad iudicãdum, & statim loquitur de passione, in qua lapis angularis reprobatus est ab ædificantibus, & latro Barabbas approbatus. Vide quã permistus sit Christi sermo, partim in tribulationũ recordatione: partim fœlicitatis & gloriæ, vt ideò ex exemplo discamus nunquam sic lætitiæ adhęrere, vt luctus prorsus obliuiscamur nec rursus ita mœrori, & solicitudini animũ tradamus, vt omnẽ deseramus spem melioris fortunæ, quantum enim alterum sine altero nocet, tantum vtrumque simul coniunctum prodest ad bene agendi, beneque sperandi rationem. Deus enim, qui omnia in pondere & mensura disposuit congruè, etiam voluit, ne dolores consolatione sua carerẽt, nec rursus voluptates sine vllo aduersitatis vinculo debaccharentur, & insanirent, quorũ primum humanos animos debilitaret, postremum corrumperet. Ideò à prudentia se gerit in rebus omnibus, prosperitates aduersitatibus corrigẽs: vt in bonis simus humiles, in malis animosi venturæ fœlicitatis memores. Quod si rectè animaduerteremus, sapientius nos gereremus in omni negocio, audaces pariter & timidi, ex quorum societate & commistione magnanimitas oritur. Quia misericors Deus mœstis rebus iucundaquæque permiscuit: quod in omnibus sanctis fecit, quos neque iucunditates neque iubilationes sinit habere continuas: sed tum ex prosperis tum ex aduersis sanctorum vitam mirabili quadam varietate contexuit. Vide Dauidẽ nunc Goliæ victoria gloriosum, nunc Saulis persecutionibus miserũ & errabũdum. Quo superato & interfecto, regno potitus pristinam fœlicitatẽ adeptus est, sed paulo post Ammonis morte affectus ingemuit. Cui dolori dũ solatium quærit, ecce Absalonis insurgit perfidum in patrem suum bellum. Consequutus quidem est victoriam pater, iamque in pace deinceps futurus sibi videbatur nisi Sibæ, posteà verò Adoniæ perfidia rumperetur. Vide etiam Ioseph, filium Iacob, quanta vixerit fortunæ varietate. Primum quidem apud parẽtes in deliciis habitus, postmodum venditus est exteris, deinde domino valde gratiosus,

Psal. 117 — Matth. 27 — Sapien. 11. — Rerum omnium vicissitudo. — 1. Reg. 17 — 1. Reg. 23 — 2. Reg. 16 — 2. Reg. 20 — 3. Reg. 1 — Genes. 36 — Genes. 41

posteà autem accusatus & in vincula coniectus: demum absolutus, totius Ægypti imperio potitus est. Et sic de aliis.

¶ Obserua secundò Christum dicẽtem, primum oportet pati & reprobari à generatione hac, quàm veniat vt dixit, sicut fulgur ad iudicandum in honore & maiestate: quia primò tolerauit passionem, crucem & ignominiam, deinde honorẽ & gloriam. Priùs Iacob seruiuit Laban socero suo quàm pecore potiretur: priùs Israël mille laboribus fuit in Ægypto & in deserto vexatus, quàm terram promissionis ingrederetur. Nam quemadmodum fictile tunditur, rotatur, ignibúsque, & solibus exuritur, vt sic formam accipiat, & in mensa domino ministrare mereatur: sic nos opus est multa hic patiamur mala, vt æterna dignitate digni simus. Non alia ratione confessores, non alia martyres beatitudinis coronam adepti sunt. Et Paulus ait de Christo saluatore nostro. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Ideò sequitur, Propter quod exaltauit illum Deus & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Aduerte iterum, quòd cum locutus est de honore, dixit quòd sicut fulgur, quia gloria huius mundi citò transit, sed de passione & ignominia multa dixit, quòd oportebat pati: nam maxima & ferè innumera passus est. Perpende rursus quod à generatione hac dixit, quòd passurus erat & reprobandus, à generatione inquam hac peruersa, vt non fiat determinatio substantiæ, sed qualitatis: quia non tantum Christus reprobatur à perfidis Iudæis, sed ab omnibus peccatoribus à quibus quotidie patitur Christus in suo corpore: quia semper vsq; ad tempus iudicij ecclesia inter malleum, & incudem. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, Et adhuc fabricant, & fabricabunt.

Primum non oportet pati & postea regnare. — Genes. 30 — Exo. 1 — Philip. 2 — Psal. 128

Et sicut factum est in diebus Noë.

Id est, tempore quo vixit, & Deo iubente arcam construxit, diluuiúmque futurum prædixit.

Ita erit in diebus filij hominis,

Id est, circa secundum Christi aduentum: in quo suam potentiam mirabiliter declarabit, propter quòd illud tempus dicitur spiritualiter esse ipsius.

Edebant, & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias vsque in diem qua intrauit Noe in arcam.

Non enim crediderunt prædicationibus, & comminationibus eius: sed laudis, & vanitatibus, & carnalitatibus intendebant.

Et venit diluuium.

Sicut in Genesi legitur. Anno sexcẽtesimo vitæ Noë, mense secundo, septimo die mensis venit diluuium, apertiq; sunt omnes fontes abyssi, & cataractæ cœli apertæ sunt, & multiplicatæ sunt aquæ, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & eleuauerunt aquæ arcam in sublime, quindecim cubitis altior fuit arca montibus excelsis: obtinuerúntque aquæ diluuij terram centum quinquaginta diebus, & requieuit arca super montes Armeniæ.

Genes. 7

Et tulit omnes. Id est, vniuersos qui erãt extra arcã submersit, pręter octo homines, qui erant in arca. Hoc exemplum Noë adduxit Christus, vt ostenderet quod repentè veniet & inopinatè & pluribus lasciuiẽtibus. Hoc enim & Paulus dixit. Cùm dixerint, pax, & securitas, repẽtinus superueniet interitus. Sic etiam tempore quo Christus venerit, erunt homines bibentes & comedentes, & lætantes. Sed dices,

1. Thes. 5

dicet? Nonne priùs multa superuenient signa in sole, luna & stellis & terremotus qui præcedent diẽ iudicij? Verùm est, nihilominus obstinati in pecca 2.Tim. 4 tis voluptatibus vacabunt, boni autem non. In nouissimis, inquit, diebus instabunt tempora periculosa: & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores, magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem tamen eius abnegantes. His vitiis irretiti 2.Petr.2 & iustitiæ præconem pium Noë, vt ait Petrus non audierunt. Ideo exemplum posuit conueniens, nã in nouissimis diebus cùm dominus ad iudicãdum venerit, ita inueniet homines his vitiis deditos & induratos. Noë pœnitentiam docuit futura prædicens mala, mali autem non credentes lasciuiis vacabant. ¶ Obserua tamen quod dicitur, comedebant, & bibebant, & vxores ducebant, ad ostendendum securitatem hominum: ideo ponũtur ea quæ homines exercent, quando securi sunt, & de longa vita sperant, scilicet, comedere, & bibere, & accipere vxores, & ad nuptias tradere, & plantare & ædificare. Talia autem inuenientur homines facientes in die iudicij in quo inuenitur quod securi erunt nullum malum timẽtes. Ideo Christus non dicit, erunt furantes, occidẽtes, &c. quia quãquam vitiosissimi futuri sunt, nõ tamen sermo de vitiis nunc est, sed de viuẽdi securitate & negligẽtia, quoniam diutissimè se victuros existimabunt. Quare malè exponitur locus hic ab illis, qui dicũt vxorem ducentes, idest propter voluptatem magis quàm propter bonum prolis, quia ducent vxores non recta intentione: quoniam benè possunt comedere, & bibere, & nubere sine peccato: tamẽ plerunque fit quadam securitate & quasi certitudine qua longum viuendi sibi spacium promittãt. Vide Chryso. Hom.78.in Matth. Nam qui sic securi sunt, vt plurimum effusiùs in voluptatibus, & temporalibus bonis se gerunt. Non ergo intelligit dominus in hoc loco de peccatis, sed de viuendi incuria, quæ tanta erit vt nullis signis, quæ multa iudicium finale præcedẽt, eorum animus moueatur, aut animaduertat, rationem esse iamiam de singulis operibus reddendam. Sic accidit tẽpore Noë quando immisso in terras aquarũ diluuio homines negligentissimã vitã degentes, brutis ipsis imprudentiores videbãtur. Ascendentibus enim paulatim aquis & summa montium cacumina operientibus, se inuicem exhortabantur, dicentes, Natabimus, donec isthęc pluuia pertranseat: quod si perstiterit, aut in arboribus aut in tabulis vitam tuebimur, posteà recedent aquæ, & reuertemur in patriam. O præclaram fiduciam, nisi eos nimia fefellisset securitas. Non aliter ergo in vltimo, igneóque aduentu accidet: quando mala hominum securitas, homines male perdet, quia signa in sole & luna apparentia astrologorum arbitrio interpretabuntur causis naturalibus omnia reddentes, nec priùs errores aduertẽt suos, quàm à subito & improuisio igne correpti sint. Ponit Christus aliud exemplum simile præcedenti. *Similiter sicut factum est in diebus Loth.* Ita fiet in secundo aduentu filij hominis. *Edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & edificabant.* Cùm falsa securitate vacabant: & quasi diu victuri, coniugia ædificiaque agentes. *Qua die exiit Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo & omnes perdidit: secundum hæc erit qua die filius hominis reuelabitur.* Arguitur hic tacitis verbis stultitia hominum mundi huius, qui omne studium collocant in rebus temporalibus, spiritualia verò & perpetua nihil faciunt. Exempla enim à Christo adducta satis arguũnt quàm improuiso finis vitæ huius venturus sit. Sed Galat.6 cùm omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinã scripta sunt, hanc geminam historiam tempori nostro accõmodabimus. Si enim statum nostri temporis accomodare voluerimus, in nullo dissimilem esse temporibus Noë & Loth sanctorum virorum reperiemus. Quid enim obsecro de illo tempore dicitur, quod de nostro rectiùs non dicatur? Edebant & bibebant, dicit Christus, vxores ducebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant. Hoc est, sic vitam suam instituebant, sic rebus caducis intẽti erant, ac si perpetuò hic se victuros sperarent. Sed quid homines in hac nostra tẽpestate faciunt? Respice orbem mortalibus quàm frequentissimum, considera ciuitates refertissimas vsque ad habitantium fastidium, inuenies pro artificibus deceptores, fures, homicidas pro ciuibus, ganeones, lusores, & fœneratores, pro magnatibus delitiosos, prædones, & tyrannos. Quare mirum non est si in talibus vitæ moribus sit, qui pro lignorum aut palearum fasce audeat centies mentiri, centies periurare, in lucro omnem vtilitatem & honestatem cõstituens. Quid dicam de illis qui altiorem nacti status conditionem adhuc habeant & inuident: de quibus illud Horatij prouerbium verè dici potest, Nemo sua sorte contentus est. Qua de causa quo iure quaq; iniuria hac illac cursitant, quęrunt, accumulant opibus opes. Alius vt filiã præclaro locet viro & nobili: alius vt filio maioratum reliquat: alius quod peius est, nobilissimorum virorum ritu molliter viuat, & vitiosè. Ea autem omnibus multò etiã peioribus mediis quærunt, adeò vt nec virtutis nec mortis, nec æterni supplicij memoriam vllam habere videamus. Siquidem omnem vitam suam, tam imprudenter in vitiis transigunt, quasi nunquam essent ad finem peruenturi. Hoc Esaias olim probat super popu- Esai.5 lo Israel quod nunc rectiùs plorare poterat. Væ (inquit) qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperã, vt vino ęstuetis. Cithara & lyra, & tympanum, & tibia in conuiuiis vestris: & opus domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Nam si oculos conuerteris ad hominum curas, miseraberis, proculdubio illorũ labores & solicitudines: omnis enim illorum laborum negotiatio in rebus terrenis inanibusque consistit, acsi nunquàm essent morituri & reddituri rationem. Ideò dictum est. Hanc Eccle.1 occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparẽtur in ea. Dominus enim scit co- Psalm.93 gitationes hominum quoniam vanæ sunt. Quoniam his occupationibus erant dediti Sodomitæ comedentes & bibẽtes, ementes & vendentes, perdidit illos Deus: quia ebrietatibus sicut modo & luxuriis vacabant. Ideóque in Ezechiële habetur, Eze.16 Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia & ocium illius, & filiorum eius, & egeno, & pauperi manum non porrigebant. Ideo si nos illis peiores sumus, audi quid Mat.11

Christus dicat, Tolerabiliùs erit Sodomæ & Gomorrę in die iudicij, quàm nobis. Igitur illæ duæ grauissimæ historiæ non solùm ad tempora extremi diei referédę sunt, sed ad omnia nostra tempora, vt ex earum admonitione nunquam ita securè agamus, quin semper cogitemus dominum nos expectare ad pœnitētiam: Neque multò post hinc nos vocandos esse. Quàm bonū est sumere in alieno capite periculum. Fęlix quem faciunt aliena pericula cautum. *In illa hora*, scilicet parùm ante iudicium: nō in illa iudicij hora in qua omnes domus erunt destructæ. *Qui fuerit in tecto & vasa eius in domo: ne descendat tollere illa.* Tantum enim erit periculū, horror, & acceleratio illius iudicij, quod tūc non vacabit, neque expediet alicui circa temporalia occupari, quæ tunc penitùs auferentur ab eo, & ipsum protinùs oportebit ad tribunal Christi deduci. Tunc curādum non erit de minimis, cùm instabit maxima & incomparabilis illa causa discriminis infiniti. Quia vbi maxima surgit solicitudo, minimæ non apparent curæ: sicut fluctuante & periclitante nauigio, multa solent nautæ sociorū delicta perpeti, & perferre, quæ pacato mari non paterentur. *Et qui in agro similiter non redeat retrò.* Non curet ad sua terrena reuerti, quia iam non erit tempus neque locus, sed solùm prouideat sibi, quomodo iudici metuendo præsentetur saluandus. Hæc similitudo clara est & eadem cum præterita. Sed vnum hoc aduertendum puto, quod idem dicit *Matth. 24* Matthęus sed ad aliud propositum. Nam in Matthęo ad demonstrandam celeritatem fugæ *Theop. in hoc loco.* necessariæ volentibus euadere ab excidio Hierusalem: hic verò de tempore ante aduentum Christi loquitur ad significandum non celeritatem fugę, sed celeritatem affectus necessarij ad spiritualia. Intendit enim per hæc aperire quòd tunc non erit commoditas temporis differendi affectum ad spiritualia: sed quàm celerrimè absque quacunque minima dilatione etiam prætextu cuiuscunque occupationis, adhibendus est animus ad spiritualem vitam. Hunc autem esse literalem sensum testantur subiuncta verba. *Memores estote vxoris Loth.* Quæ cum vertisset se retrò non habuit tempus vertendi se ad ante. Quocirca monet quòd neque prætextu tam paruæ morulæ, quæ occupatur ad tolerandum ea, quę domi seu retrò relicta sunt, differenda est spiritualis vita. Ideóque non ames hæc terrena: sed statim transi ad cœlestia & spiritualia, nunc quando tempus habes, cogita quæ fœminæ illi acciderint: pręcaue inordinatam ad temporalia affectionem, ne simul cum illa tangat te plaga Dei. Nam sicut illa contra præceptum Dei retrò respiciendo, conuersa est subito in statuam salis: qui immoderanter ad carnalia & terrena se *Luc. 9* vertunt, peribunt. Vnde alibi asserit Christus. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei. Sic multi ex Israelitis qui ad Ægyptum redire cupiebant, in deserto perie- *Num. 16* runt. Neemias, & Esdras constantissimi fuerunt in ædificatione templi à cuius operis consummatione nec minis nec terroribus, nec vllis obstaculis deterreri potuerunt, quin perficerent. Ideo memento vxoris Loth: eiusque exemplo prospice tibi, ne à bono incepto desistas. *Quicunque voluerit a-* *Anima quid.* *nimam suam saluam facere.* Anima hic pro vita accipitur corporali: nam illa est quæ informat, cum sit actus corporis physici organici. Sic clarè hoc ostēditur in libro Iob, vbi Deus Satanę dixit loquēs de *capit. 2* sancto Iob. Verùm animā eius serua. Vbi satis apparet, quòd de vita & non de anima rationali loquebatur. Nā diabolus non quęrit nostra sed nos, nō indiget nec appetit res nostras, sed animas quęrit, vt secum in infernū ducat: & cū tollit nostra intētio eius est, vt animas nostras acquirat. Ideo frustra loqueretur Deus Satanę de anima, cū dixit, Animam eius serua. Nam diabolus respōderet. At quid aliud nisi animam quæro? Sensus ergo illius loci est. Do tibi facultatem vt omnia bona quęcūque habet Iob, destruas pro libidine tua, eiusque corpus plagis conficias, dummodo nō extinguas, néue illius vitam adimas. Itaque qui voluerit hic suam vitā seruare & à persequutionibus & à nece liberare, malens Christum negare, seu æquitatem relinquere, quàm seipsum morti & persequutionibus exponere. *Perdet illam.* Id est, ad ęternam dam- *Theo. in hæc verba.* nationem perducet. Ad quod propositum nūc dominus Iesus Christus, hæc quæ ad martyrium pertinent inter ea, quæ de suo vltimo iudicio loquebatur admiscuit. Videntur hæc verba nō cohærere cum superioribus, & cū his quæ post hęc immediatè sequuntur. Sed si benè tribulationem illorū dierum in memoriam adducas, & persquutionem Antichristi in Ecclesiam, nō extra propositum hęc dicta putabis. Ipse enim filius perditionis multos faciet martyres, aliósque blandiciis, tū terroribus à fide auertet, & erit persecutio magna & tribulatio tunc temporis, qualis nunquam fuit ex quo homines esse cœperunt. Ideóque admonet Christus, ne hanc vitā carnalem ita diligamus, vt timeamus perdere illā pro Christo: nā qui voluerit illā saluā facere & liberare eam à tormentis, quæ Antichristus fidelibus dabit, consentiens illius suasionibus *Matth. 24* amore huius temporalis vitæ, hic profecto illā perdet. *Et qui perdiderit illam.* Hoc est vitam suam morti & tribulationibus exposuerit propter Deum atque iustitiam. *Viuificabit illam.* Vitam gloriæ sibi acquiret meritò fortitudinis & constantiæ suæ. Huic cōsonat quod in Ioanne dominus loquitur. Qui *Ioan. 12* odit animā suam in hoc mūdo, in vitā ęternam cu- *Matth. 16* stodit eam. Et iterū Christus. Qui perdiderit animā suam propter me inueniet eā. Qui enim pluris facit hāc vitā, quàm pietaté, quàm Christū, etiamsi videatur ad tempus lucrifacere vitā: tamen reuera perdit eā. Nullus enim hic vitā suam vltra præscriptū diem valet prorogare, & post hāc vitā, quæ nulli non breuissima est addicitur æternæ morti. Porro quisquis amore Christi, vitā suam posuerit in discrimē mortis, saluā faciet. Oportet nos enim omnino imitari Christū qui passus, nobis reliquit imitandi exemplū. Nō pudeat discipulū sequi prę- *Luc. 24* ceptorem, nō pudeat seruum sequi dominū. Oportebat pati Christū, & sic intrare in gloriā suam: ergo oportet & nos per multas tribulationes intrare in gloriam alienam. *Dico vobis in illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus assumetur & alter relinquetur.* *Ambro. lib. 8. in Lucam.* Hora iudicij etiam quę hic proximè copulantur sibi inuicé, diuidentur abinuicem: ita quod vnus erit lectus, & propter suas virtutes assumetur ad numerum electorū, occurrétq; Christo in aëra, sicut ait Apostol⁹. Nos qui viuimus qui residui sumus, *1. Thess. 4* simul rapiemur cū illis in nubibus obuiam Christo in aëra. Alius reprobus erit, & ob sua demerita relinquetur inter damnandos in terra cum corpore graui. In omni statu sunt boni & mali, atque in omni

Genes.4 omni conditione & gradu optimis admixti sunt
Genes.27 pessimi. Sic Abel cum Cain, Isaac cum Ismael, Ia
1.Reg.1 cob cum Esau, Sem cum Cam, Dauid cũ Saul An-
3.Reg.18 na, cum Fenena, & Helias cum Iezabel ad exerci-
Prouer.28 tationem & meritum bonorum. Tunc diuidentur & mali relinquentur in terra: & boni assumẽtur in aëre. Nullus ergo præsumat aut stultam sibi securitatẽ promittat: imò beatus homo qui semper est pauidus, tunc erunt securi, qui modo nõ sunt securi. *Duæ erunt molentes in vnum: vna assumetur & altera relinquetur.* Quod erit de viris idem de mulieribus: quia de vtroque sexu & de omni statu lingua & natione assumentur & relinquẽtur: vna tanquã bona erit saluanda, altera autem tanquam iniqua condemnanda. *Duo erunt in agro: vnus assumetur, & alter relinquetur.* Diuinę electionis gratia describitur dicendo, assumetur: descripta pręsertim paritate status quietis in lecto, & laboris in molendo. Similiter quoque meritum reprobationis significatur: dicendo relinquetur. Non potest qui relinquitur sibi ipsi imputari relinquenti nisi negationem gratię, sed suis imputet meritis, quidquid sibi euenerit. ¶ Obserua autem quod de duobus vnus dicit, quod assumetur & alius quod relinquetur. O vtinam media pars hominum saluaretur, optandum illud esset: & non tantopere formidaremus tremendum illud, quod ex quatuor seminis
Luc.8 partibus sola quarta profecit. Vigilandum ergo nobis erit, si ex duobus vnus est relinquendus. Prętereà, assumetur dicit, & relinquetur: sed tacetur quò assumetur, & vbi relinquetur: neutrum enim humanus animus capere potest. Assumetur inquam, ad gloriam, & relinquetur ad pœnam.
1.Cor.2 Quanta autem hęc beatitudo ad quam boni assumentur sit, dici non potest: quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec &c. Similiter dicendum est de pœna. ¶ Aduertendum est vlterius, quod quãuis bonos posuerit vnum in lecto, vnũ in mola & vnũ in agro, quòd voluit dominus significare numerum electorum parem futurum cum numero reproborum. Nam alibi legimus multos fuisse vocatos, paucos verò electos: & paucos ingressuros
Matth.10 arctam viam, plurimos autem latam viam, quę du-
Marc.9 cit ad perditionem. Non ergo hic de numero electorum sermo est, sed de hoc quod nec res, nec locus, nec vitæ genus nobis causa est mortis aut vitæ: quia ex eodem lecto vnus assumetur alter relinquetur: ex eodem lecto vnus saluabitur, alter damnabitur: ex eodẽ agro vnus eligetur ad regnum, alter ibit in æternum supplicium. Quare hoc? Quia diuersis vtimur affectibus in hac vita, vnus est deditus terrenis rebus, alius cœlestibus: diuersæ volũtates & amores diuersa habebunt loca. Dixit ergo quòd ex eodem lecto, mola & agro vnus assumetur, & alter relinquetur: ad designandum, quòd de omnibus statibus aut modis viuendi saluantur aliqui: & per istos tres modos signat alios omnes modos. Nam hominum quidã sunt ociosi, & inuenietur ociosi in die iudicij, alij sunt occupati. Ociosos significauit per eos qui in lecto sunt, quia lectus est locus quietis. Occupati autem sunt dupliciter, quidam sunt occupati in rebus domesticis, quidã in rebus forẽsibus: primos occupatos per molentes significauit, quia molere ad molã manualẽ intra domũ est: secundos significauit per existentes in agro. ¶ Docemur hic non confidere in statu, honore, nobilitate: quia locus aut status cuiuscunque perfectionis aut dignitatis sit, erit bonus & malus. Nihilominus bonus assumetur & malus relinquetur, & vnus frater saluabitur, & alius dãnabitur. Tunc enim nihil valebit nisi bona conscientia. Tempore enim iudicij separabũtur boni & ma- 1.Thess.4
li. Nam adueniente illo igne cõflagrationis omnia peribunt, & omnes homines morientur & qui viuentes inuenti fuerint, subitò morientur & subitò resurgent, sed boni ab angelis rapiẽtur: & in ipso raptu suo dicũtur morituri, & simul resurrecturi, & educentur tunc ad aërem altum vt ibi sint simul cum Christo iudicantes, vel saltem audiẽtes: mali verò non rapientur, sed manebunt in terra, & ibi iudicabuntur. ¶ Obserua etiam quòd priùs dixit Christus, vnus assumetur, & postea, alius relinquetur: priùs enim locutus est de pręmio, postea de tormẽto: quia facilior est dominus ad pręmiandũ pios, quàm ad puniẽdum impios. *Respondentes dicunt illi, vbi domine?* Audientes discipuli dominum multa dicentem de regno Dei, quod tamen ipsi nõ intelligebant prę carnali illa opinione de regno mũdano Mesiæ, interrogãt vbi sit locus in quo assumẽdi sunt aliqui, & aliqui relinquendi. Christus verò cognoscens eorum imbecillitatẽ, similitudine quadam respõdit, qua subindicare voluit nõ esse multũ cogitandum de his curiosè, vnusquisq; enim ad suum locũ perueniet. Imbecillitas & ruditas discipulorũ non ferebat vt hæc tã alta mysteria eis panderentur, quare vsq; ad suum tempus Christus differre voluit, sed pro nũc aliqua similitudine respõdens dicit. *Vbicunque fuerit corpus, illic congregabũtur & aquilæ.* Vbi fuerit Christus homo verè corporeus, qui in hac humanitate glorificata iudicabit ibi congregabuntur ante ipsum omnes gentes. Dixerat quod apparebit subitò omnibus hominibus sicut fulgur apparet, & hoc poterit esse quia in loco vbi Christus apparuerit erunt omnes homines simul. Nam vbi corpus fuerit, ibi immobiliter stat, aquilæ verò ad illũ mouentur: ita Christus in loco vno immobiliter apparebit, & omnes homines cõgregabuntur ad illum. Locutus est tamen de aquilis & nõ de coruis aut de vulturibus, quanuis omnia ista tria genera auium venire solent ad cadauera: quia aquilæ à longissimis regionibus per odorem percipiunt vbi iaceant cadauera, quod nõ cõuenit coruis, quia non è longinquo apprehendũt cadauera, sicut aquilæ & vultures. De vulturibus tamen quãuis odoratus eorum forte perspicacior sit quàm aquilarum, non tamen locutus est Christus de illis: quia Christus volebat ponere conditionem sui aduentus quantum ad modum congregationis hominum. Et ista cõgregatio duas habet conditiones. Prima, quia de quacunque parte terrarum vbi fuerint mortui resurgent & cõuenient ad locum, in quo Christus fuerit. Secũda quia ista congregatio fiet in momẽto, in ictu oculi, vt Apo- 1.Cor.15
stolus ait. Quantum ad primam benè conueniunt aquilæ & vultures, quia vultures acutissimi sunt in odoratu, & de longinquioribus mouẽtur ad veniendum. Secunda autem conditio, quæ præcipua est, deest vulturibus, quoniam sunt tardi volatus, & pigrè veniunt. Aquilæ verò valdè conuenit ad hoc, quia est impetuosi, celeris & fortis volatus: & subitò transuolat magnam regionem. Sed non placet hanc rem iam pluribus tractare. Sufficiat iam huic capiti imposuisse finẽ: gratia & benignitate domini Iesu Christi. Amen.

CAPVT. XVIII.

MVLTA in superioribus dominus docuit, & præcipuè nūc in fine capitis immediatè præcedentis, quomodo fugiēda sint mala, præsertim sententiam illā terribile, quā contra peccatores in die iudicij pronūciabit. (Psalm.13) Sed cùm non satis sit vt ait Psaltes egregius, diuertere à malo nisi etiā bonū faciamus, nūc iam de oratione disserit, quæ quidem si exactè fiat, omnia bona opera antecellit. Eleuat enim mētem nostrā in Deum, & animā Christo spōso suo vnit, & in eius dilectionem accendit, & arripit. In quo exercitio assiduo occupantur angeli beatorumque animæ in cœlo, quos nos etiam dum viuimus quotiescunque oramus imitamur: oratione siquidem possumus inimicitias tollere, quę inter nos & Deum subinde fiunt, prohibere malum & obtinere bonum, si modo perseueranter orauerimus non desistentes, etiamsi quod petimus statim non detur. Sed persuasum habentes Deum quod magis expedierit daturum, aut quod volumus, aut quod malumus. Hanc nobis Christus nunc commendat, cum qua etiam omnia mala quæ dixerat in pręcedēti capite vincere poterimus. Ait itaque sanctus Euangelista Lucas loquens de Saluatore nostro. *Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere, dicens.* Antequam videamus parabolam hanc, de qua Christus hic loquitur, opus est hæc verba exponere: nam multa multi dixerunt de continua oratione. Igitur hoc quod Christus hic dicit, quòd oportet semper orare & nunquam deficere, hyperbole est. Nam non possumus incessanter semper orare cùm necessarium sit dormire, quo tempore nemo orare potest: quia tunc nullus est mentis vsus, qui maximè in oratione exigitur, nullus enim nisi solus Christus verè dicere potest. (Cant.5) Ego dormio, & cor meū vigilat. Oportet enim comedere & bibere, & pro his acquirendis laborem aliquem moderatum non tamen solicitudinem adhibere. Oportet etiam curam rei familiaris habere, quoniam beatus Paulus de viduis loquens ait, (1.Tim.5) Si qua vidua filios aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. Et paucis interiectis subiungit, Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit. Et quòd hoc nō solùm secularibus hominibus, sed etiam Ecclesiasticis viris necessarium sit apertè insinuat Paulus. (1.Tim.3) Si quis, inquit, domi suę pręesse nescit, quomodo Ecclesię Dei diligentiā habebit? Igitur multa sunt necessaria, vt faciamus, vbi nec vocaliter nec mentaliter orare possumus: & quamuis hunc locum multi sic & alij sic interpretentur, mihi tamen verior expositio videtur, quòd hyperbolicè locutus est hîc Christus ad rem exaggerandam. Quæ quidem figura à Cicerone dicitur superlatio, ab aliis excessus, cum sententia aliqua fidem excedit augendę rei gratia, vt cum dicimus esse aliquid niue candidius, hæc autem sæpè in sacris literis reperitur. Quoniā sacra scriptura, quę instar est communis locutionis scripta, eisdem etiam vtitur tropis & figuris, quibus communis modus loquendi vtitur. Et vt res sit apertior aliqua exempla proferam ex sacris literis, in quibus hęc hyperbole inuenitur. (Actor.2) In Actis Apostolorum describens noster Lucas illā historiam aduentus Spiritus sancti, volens innuere multitudinem gentium & nationum, quę tunc erant Hierosolymis, ait. Erant autem in Hierusalem habitantes viri religiosi ex omni natione, quę sub cœlo est. Quod nisi hic admittatur hyperbole, erit necessarium fateri tūc fuisse Hierosolymæ Hispanos, Gallos, Anglos, Scotos, Indos, Æthiopes, Siculos, Sarmatas, Scythas, aliásque nationes, quas vix Niniue, (Ionæ 3) quę ciuitas erat maxima itinere trium dierum, capere potuisset, nedum Hierolyma quę oppidū erat mediocre. Similiter & Christus, (Matth.6) suadere nobis volens, vt eleemosyna secreto & absque iactantia fieret, dixit Te autem faciente eleemoynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. At cùm eadem anima in vtraque manu sit fieri non potest vt sinistra nesciat quid faciat dextera: quare quędam ibi est hyperbole, siue quidam excessus ad rem magis commendandam. Similiter & apud Matthęum legimus Christum dixisse. (Matth.19) Facilius est camelum per foramen acus trāsire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. In veteri etiam testamento volentes exploratores à Mose missi magnitudinem vrbiū, terræ promissionis significare, (Deuter.1) & murorum altitudinem dixerunt. Vrbes sunt magnæ & ad cœlum vsque munitæ. (Ezech.31) Ezechiel etiam volens significare nullū fuisse regem similem Assyrio, qui tantis diuitiis tantáque potentia floreret dixit. Cedri non fuerunt altiores in illo paradiso Dei. Ita & nunc Christus vt magis nobis rationem commendaret frequentem, dixit, Oportet semper orare, pro frequenter, Vbi hyperbolica locutione vsus est. Eadem etiam figura vtitur Paulus dū dicit, Sine intermissione orare. (1.Thess.5) Et Ioannes Sunt autem, & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula nec ipsum arbitror mundum capere posse, eos qui scribendi sunt, libros. Sed parabolam audiamus. *Iudex erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & homines non reuerebatur.* Hæc parabola est, & parabolicè loquebatur Christus, quæ vtinam etiam & nunc esset parabola, & pro historia non posset recenseri. Quosdā enim iudices à malo solet retrahere aut timor Dei, aut pudor sęculi. Primi sunt boni: sęcūdi occultè mali. Sed iste erat apertè malus, quia neutrū istū retrahebat. Quoniā nec Deū timebat, quo ad primum, nec homines reuerebatur, quo ad secundum. Hæc enim impietas ex auaritia communiter prouenire solet, iuxta illud Ecclesiastici. (Eccle.20) Xenia & dona excęcāt oculos iudicis. Hęc enim dona & hęc libido habēdi & excellēdi ac imperādi, iustitiā peruertūt, & reipublicę gubernationē funditùs destruūt. (Esai.5) Quod lamentabatur propheta Esaias dicens, Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Mores autem boni iudicis expressit Ietro cum dixit Mosi. (Exod.18) Prouide de omni plebe viros sapiētes & timentes Deum, in quibus sit veritas, qui oderint auaritiā, &c. qui iudicēt populum. Ecce quales iudices esse debent, Primò, sint viri & nō pueri sensu, & moribus. Nolite (inquit Paulus) pueri effici sensibus. (1.Cor.14) Etiamsi canicie vacent, sint tamen robore & virtute validi, iuxta illud, (Ecclesi.7) Noli quærere fieri esse iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, &c. Daniel licet ætate esset iuuenis, (Dan.13) senes tamen impudicos iudicabat. Secundò, dicit sapientes. Hanc sapientiam postulabat

3.Reg.3 ftulabat Salomon vt populum Iſraeliticum iudi-
Deut.34 caret. Sic Ioſue fuit repletus ſpiritu ſapientiæ : qui
Prouerb.12 populum erat iudicaturus. Quapropter in Prouerbiis dicitur. Via ſtulti recta in oculis eius : qui autem ſapiés eſt audit conſilia. Tertiò, timentes Deú.
2.Paralip.19 Vnde rex Ioſaphat, ait iudicibus. Videte quid faciatis. Non enim hominis exerceris iudicium, ſed
Deuter.1 Dei. Quartò, in quibus, ſit veritas iuſtitiæ & vitæ. Vnde in Deuteronomio habetur. Quorum conuerſatio ſit probata in tribubus veſtris. Quintò, non cupidi munerum, imò qui oderũt auaritiam, hoc enim eſt quod in primis nocet iuſtitiæ iudicũ que omnium corrumpere æquitatem valet. Nam ſicut piſcatore arundine piſces decipiente quãdiu nullus piſcis hamum apprehendit, arundo recta permanet: poſteà verò quàm apprehenſa in hamo eſca, filum trahit, inclinatur arundo piſcis pondere, & torquetur, ſic multi iudices iuſtitiæ virgam rectam tenent dum pondere donorum non tẽtatur, cùm autem cliẽs aliquis accedit precium pro iudicio pollicens, inclinatur, ſæpè etiam frangitur
Exod.3 iuſtitiæ ſacroſancta æquitas. Cùm Deus miſit Moſem ad Pharaonem habebat virgam in manu, quoniã facturus erat iudicia in Ægyptios : cuius quidem iuſtitiæ virga cum Moſes caput apprehenderet ſerpens erat, cum verò caudam, in virgam vertebatur. Quia hoc habet iuſtitia, vt ſi quis principium aſpiciat, mordere videatur reum: ſed ſi finem inſpexeris, virga eſt æquans inęqualia. Verùm virga in terram proiecta in ſerpentem vertitur. Quoniam iudex terrena cupiens omnia veluti ſerpens deuorat, ſed ſi iudex finem cõſiderauerit accipiens illam cauda, & finẽ iudiciúmque futurum perpenderit, videlicet quomodo ipſe etiam à Deo iuſto iudice ſit iudicandus, iam tũc non ſerpens ſed vir-
Deut.16 ga æqua erit. Ideò Dominus Moſi præcepit dicẽs. Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populo iuſto iudicio: nec in alteram partem declinent. Talis erat ipſe Moſes de
Exod.18 quo habetur in Exod. Stetit populus iuxta Moſem de mane vſque ad veſperam. Audiant hęc noſtri iudices, qui vix ad vnam horam ferunt litigantium importunitatem. Expende etiam quod dicit iuxta aut ſupra Moſem, noſtros verò nemo audet tangere, nec pauperes ſine ſummo timore acce-
Esai.1 dunt. Quos Dominus accuſat per Eſaiam, Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequũtur retributiones, pupillo nõ iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos. Talis erat iſte, de quo nunc eſt ſermo, ad quem cauſa viduæ non ingrediebatur: atque ideo ſubditur.

Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum dicens, vindica me de aduerſario meo, & nolebat per multum tempus. Poſuit exemplum in vidua vt in fęmina, quæ natura ſua fragilis & viribus, vtrique auxilio deſtituta eſt. Sic notantur iniqui iudices qui humillima quæque ſeueriùs puniũt, nec ius dicũt niſi potentibus. Huic viduæ fragili & deſertę viri auxilio iniuria facta eſt: habebat enim aduerſarium potentem, ſiquidem eum aduerſarium nominat. Potuit autem eſſe, quantum coniicere poſſumus, aut mercator, aut publicanus, aut exactor, quorum officium eſt, non modò debita, ſed etiam plura quàm debita ſint exigere. Aut fortè habebat hæc fęmina aliquem fundum aut prædiũ iuxta alicuius diuitis limitem, qui viduæ iniuriam inferre quacũque ratione poſſet, ea de cauſa cupiebat, vt aut partem aut totum prædium viduæ illius arrogaret ſibi, & adiungeret. Vtcunq; ſit hoc, conſtat veriſsimè fœminam hanc iniuria eſſe affectam, quo in caſu iudicem nullum inueniebat iuſtitiæ amatorem, quoniam potente aduerſario exiſtente, rariſsimè iuſtitia exhibetur fragiliori. Quare nihil vnquam profecit, nec precibus, nec querelis quibus ſępenumerò crudelem ſolicitauit iudicem. Quod ô vtinam noſtris temporibus adeò frequens non eſſet, vt potiùs de iniuria huic viduæ illata querentes omnem in hac materia ſermonem conſumeremus, quàm ad tempora hæc noſtra præſentia oculos conuertentes in tot iniurias innocẽtũ incurreremus. Nam quis eſt qui regum curias, ciuitatũ iudicia, ſiccis oculis poſsit intueri: quibus in locis tot viduarum cateruas aliorúmque hominũ miſerrimorum, eiectas & oppreſſas paſsim videmus : quibus non modò non patent iuſtitiæ, ſed nec etiam portarum aditus à quibus per immanes iniquitatis miniſtros ſumma cum ignominia ſubmouentur? Non ſic faciebat ille ſanctus vir, qui Iob 31.
dixit, Oculos viduæ expectare non feci.

Poſt hæc autem dixit intra ſe. Et ſi Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouiſsimo veniens ſugillet me. Ecce quod ſaltẽ iſte licet iniquus eſſet, tamen pro vitanda moleſtia iuſtitiam facit, & vindicat illam. Sed iam nũc multos iudices inuenies peiores iſto, qui nec ob Dei timorem, nec propter hominum pudorem, nec aliqua importunitate volunt iuſtitiam facere: de quibus poteſt dici illud Zachariæ, Zach.7
Cor ſuum poſuerunt, vt adamantem : ne audirent legem. Porro ſugillare eſt carnem maculare ex percuſſo, à ſugendo, quod ſuccus id eſt liuor deducatur. Græce verbum eſt ὑπωπιάζω: Solet etiam accipi pro accuſare, damnare, & reprehendere, ſicut accipitur hic. Ille enim dicitur ſugillare, qui cogitur vi rationis obmuteſcere : vel qui tędio clamorum ſuffocatur. Timebat hic iudex ne poſteà ab hac muliere coram ſuperiori iudice accuſaretur, & vt ſe hac moleſtia & periculo liberaret, ſtatuit iuſtitiam illi facere, licet animo inuito.

¶ Diſcant ex hoc loco iudices ſupremi, à quibus Iudicium iudicium iuſtum & rectum.
non eſt appellatio, quales eſſe debeant : nempe vt eorum iudicium rectum ſit. Cum enim Dominus vellet ciuitates Sodomorum ſubuertere, occurrit ei ſanctus ſenex Abraham dicens, Abſit hoc à te, Genes.19
vt perdas iuſtum cum impio, qui iudicas omnem terram. Ac ſi diceret, Tu qui iudicem ſuperiorem non habes, à quo poſsit appellari, vide quid facias quia ſupremus es iudex : & iudicas omnem terrã. Diſcant ergo ſupremi iudices, vt ſummè aduertãt ne quid iniuſtũ faciant, cùm non habeant, qui eorũ ſententias corrigãt. Diſcant etiã omnes prælati, diuites, & potentes, ac principes nõ opprimere pauperes, ne in nouiſsimo ſugillẽt eos, quia in die iudicij importunis clamoribus corã Deo ſupremo iudice cœli & terrę accuſabunt eos. Vnde Sapiens Sapien.5
ait. Tũc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Venient enim tunc ante tribunal Chriſti diuites, tyranni, & iniqui iudices pupillorum & viduarum oppreſſores, vbi erit pupillorum accuſatio grauis, & allegatio dura. Suffocabuntur enim ita, vt non poſsint reſpõdere: ſicut ille, de quo euãgeliſta Matthęus ait, At ille obmutuit. Applicat Matth.22
iam nunc Chriſtus ad propoſitum parabolam.

Ait autem Dominus, Audite quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte: & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Concludit parabolam arguẽdo, Quod si iudex iniquus victus precibus viduæ disposuit tandẽ vindicare viduã: quantò magis Deus iustissimus faciet vindictam electorũ suorum clamantium ad se? Quapropter Deũ oremus, petitionésq; nostras coram illo constituamus. Hoc enim hic docet Christus vt in tribulationibus nostris nomen illius inuocantes, omnésq; dolores, & labores in manibus eius deponentes, deinceps de salute simus securi. Ipse nãque cùm opus fuerit nos auxilio solabitur suo: quod si statim non exaudierit preces nostras ne diffidamus, sed potiùs in oratione perseueremus. Nam si iudex ille iniquus viduæ iustitiam fecit ab illa sollicitatus: quid faciet Dominus iudex iustissimus? Non poterit certè precibus nostris non acquiescere, si perstiterimus. Hoc igitur Dominus in tota hac parabola præcipuè intendit: nempe vt perseuerantes simus in oratione. Cum enim dixisset, oportet semper orare & non deficere, statim adduxit parabolam: vt nobis orationis assiduitatem, & perseuerantiam suaderet. Eandem doctrinam scripsit noster Lucas in capite vndecimo, vbi Dominus etiam frequentem orationem commẽdat, in cuius rei confirmationem adducit parabolam de eo, qui ab amico tres panes commodatos petiuit: facta hac consideratione, si non dederit, eo quòd amicus est, saltem propter importunitatem dabit, quoquot habet necessarios. Eodem modo hîc dicitur, si iudex iste noluerit iustitiam ob virtutem facere, saltem ob importunitatem faciet: quare multò faciliùs Dominus si eum solicitaueris, preces tuas, motus exaudiet. Et hic est huius parabolæ sensus. ¶ Verùm pro maiori explicatione aliquorum verborum contextus, obserua quòd iste clamor cõtinuus electorum non est formaliter petitio vindictæ (quanuis vindicta iustitia sit punitiua, vt sanctè possit desiderari) sed est formaliter petitio quod adueniat regnum Dei. Est formaliter desideriũ beatitudinis perfectæ (in anima, scilicet & corpore) cùm aduenerit regnum Dei, & quia regni Dei aduentus annexam habet vindictam, hoc est iustitiam punitiuam iniuriarum illatarum electis Dei, ideo clamor iste est virtualiter petens vindictam. Et quoniam electi continuè suspirant ad regnum Dei: ideo quotidie dicuntur petere vindictam clamando die ac nocte. Et conformis est hęc sententia clamori martyrum: iuxta illud Apocalypsis. Sub altare Dei vidi animas interfectorũ propter verbum Dei, & clamabant dicentes, Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum, &c. Obserua etiam quod dicit Deum vindictã sumere nomine electorum, non reproborum, quorum condemnatio hic incipit. Sed procedamus. *Veruntamen filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?* Post orationẽ optimè nunc agit de fide: quia vbi fides nõ est, deficiet oratio. Sic Paulus ait. Quomodo inuocabũt in quẽ non crediderũt? Nulla erit orationis vis vbi fides defecerit. Quoniã autem oratio animam optimè præparat ad expectãdũ iudicij supremi aduentum, qui veniet, vt faciat vindictam electorum suorũ, priùs locutus est Dominus de oratione, nunc verò de aduentu suo loquitur, quando veniet, vt vlciscatur & puniat illos qui seruos illius iniuriis & incõmodis afficere non verentur. Et tunc cũ venerit, putas quòd inueniet fidẽ super terrã? Quanuis Deus sic zeletur pro suis electis, tanta tamen erit tũc malorũ multitudo, vt apud paucos vera fides inueniatur. Et si nunc veniret, vbi inueniret fidẽ? Quot videmus in pręsenti sęculo schismata, quot hæreses, quot impias opiniones. Non loquor de Turcis, non de Iudæis, non de hęreticis, sed de his etiã qui sibi vidẽtur, & ab aliis existimantur Christianissimi. O miseram & infirmã fidem. Pręterea si loquamur de fide, qua homo homini fidem vel habet, vel seruat, neq; illa suo loco habetur: sed tãta est hominũ huius seculi vanitas, vt merito illud ethnici locũ habeat. Nusquam tuta fides. Quocũq; enim te verteris vix inuenies, cui tuto fidas: nec qui sibi fidere ausit. Sicut enim Deo neq; fidimus neque fidẽ seruamus, ita & homines aliquando nec nobis fidẽ seruãt vel habẽt: vt sic par pari reddatur. Iã synceritas antiqua periit, abierunt aurea illa sęcula: modo enim nemini fidere audemus. Quoniã olim omne æs alienũ sine testibus: & sine chirographo probatissimũ erat. Nunc è cõuerso cũ testibus & chirographo ipso fidem facientibus audent debitores debitum negare creditoribus. Tãta est in hominibus perfidia & nequitia. Qua de causa, nec amicissimis & notissimis iam fidẽ facimus sine iactura. Olim Gabaonitæ venerunt ad Iosue, & credidit eis: vbi duo cõsidera, de illius temporis bonitate & synceritate. Primò quàm sancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos posse non crederetur. Sancti qui cæteros de suo affectu esse existimabant: quia ipsis amica est veritas & nõ mentiuntur: ita mentiri neminẽ putãt, & quia ipsi alios fallere nesciũt, nõ putant quòd alij fallãt eos. Hinc Salomon ait, Innocens credit omni verbo. Non est in Iosue & in suis vituperãda facilitas: sed laudanda bonitas. Arguẽdi sunt quia Deũ non consuluerunt: & cõmendãda animi synceritas & bonitas mentis, qui Gabaonitas mentiri non crediderunt, sed benè de proximis iudicabant. Hoc est innocentem esse, ignorare quod nocet: & si circunscribitur ab aliquo, de omnibus tamen benè iudicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur. Hac igitur mẽtis suæ deuotione inclinatus, vt crederet testamentum disposuit, pacem dedit, & confirmauit societatem. Secundò expẽde, quod vbi ad terras eorum ventum est deprehensa fraude, nihilominus tamen fidem seruauit, & reuocandum non censuit ne fidem suam solueret: quanuis alienã perfidiam apprehenderet, sed nunc nec fides, nec iuramenta seruãtur. Mirabile exemplum de fide seruanda narrat Diuus Augustinus de M. Regulo, qui captus in primo bello Punico à Pœnis cum esset Romam missus ad captiuos cõmutandos, iurassétque se rediturum, rediit quidem non commutatis captiuis, quanuis ab amicis retineretur Romæ: maluit tamen redire ad hostes ad exquisita supplicia quàm fidem hostibus crudelissimis datã nõ seruare: & sic Carthaginem reuersus est. Paucos nunc M. Regulos inuenies vbi iã nulla fides aut promissio seruatur. Sed de his iã satis. ¶ Igitur quia Christus hactenus fuerat locutus de necessitate orationis: modo docet qualis oratio debeat esse, nẽpe humilis & modesta. Erant etiã ibi pharisæi qui orationes longas faciebãt, & putabant magnã se habere fidẽ, & quod non essent ipsi de numero illorũ, in quibus non inueniretur

Theophi. in hoc loco.
Apocalyp. 6
Aug. de verb. domini ser. 56
Rom. 10
Iosue 9
Prouer. 14
Augu. lib. 1. ciuit. cap. 15.

niretur fides:& de se magna cōfidebāt. Docēs itaque hos quomodo nihil de se sit præsumendum,& quomodo oratio humilis esse debeat,subdit euāgelista,dicens. *Dixit autem ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti & aspernabantur cæteros parabolam istam dicens: Duo homines ascendebant in templum vt orarent,vnus pharisæus & alter publicanus.* Vulgò dici solet nullū est malum cui aliquando non subsequatur bonum. Prouerbium quidem verissimum est : quoniam tanta est Dei misericordia, vt non solùm ex bonis,sed etiam ex malis occasionē benefaciendi capiat. Peccauerunt Angeli in cœlo contra suum creatorem:peccauerunt certè & grauissimè. Quapropter omnipotens Deus hominē creauit: vt enim ait Diuus Augustinus. Homo ea de causa creatus est à Deo,vt implerentur Angelorum sedes, quæ vacuæ manserant. Creato autem homine ad illam supremam fœlicitatem, accidit aliud flagitium: peccauit enim ille homo recenter creatus contra Deum, & inobedientia sua iustitiā originalem perdidit, simul cum gratia & amicitia Dei. Ex hoc tamen malo, ingens consecutum est bonum: nam Deus vt hominem quem ad similitudinem suam formauerat in pristinum statum restitueret,homo factus est. Venit enim filius hominis saluū facere quod perierat. Verū bonum hoc ingēti scelere contaminatum fuit. Perfidi enim mortales Christum Redemptorum suum cruci affixerunt : non tamen tanto crimine tardior facta est Dei misericordia, quin ipsa Christi morte salutem hominū cogitauit. Ex summo igitur omniū mortalium malo,summū effecit Deus omnium bonorum bonum. O quàm bonus est Deus qui (vt ait Moses in Cantico suo) sicut educit mel de petra, oleūque de saxo durissimo: ita educit ex duro peccatoris animo mel deuotionis & suauitatis, & oleum misericordiæ. Sic etiam iusti sæpè post peccatum feruentius seruiunt Deo.

Aug. enchi. cap. 9. *Genes. 3* *Matth. 9* *Deut. 32*

Dei & diaboli contraria studia.

¶ At diabolus è diuerso, ex bono elicit malū: quoniam quēadmodum Deus adeò bonus est, vt ex malis etiam possit creare bona : sic diabolus adeo est malus vt ex bonis etiā possit conficere mala. Nam cum Deum creatorem æmulari velit in operibus, cōtrario modo omnia operatur, nec ampliùs assequitur, quàm apparentiam quandā bonitatis: velut simia naturæ humanæ imitatrix. Vt ergo Deus ex eleemosyna pietatem, ex oratione deuotionem, ex ieiunio continentiam, ex decimarū solutione iustitiam,&c. educit: sic è contrario diabolus ex his omnibus arrogantiam, superbiam, & ad cæteras virtutes ignauiā quandam extrahit. Mirùm tamen non est: si sint cōtrariæ voluntates Dei & dæmonis, quorum opera tā opposita sunt. Quid magis oppositum quàm arrogantia & humilitas? At arrogātiā diabolus ex virtute educit: Deus verò ex peccato humilitatem procreat. Vtrūque autem in hac parabola licet intueri. Poteris considerare opera Dei in illo publicano, qui peccatū suū cognoscens, humilitate meruit salutem, diaboli verò in pharisæo, qui legē obseruans superbia sua omnia bona opera inquinauit. Hoc summatim dictum sufficit, posteà cum de vtraque persona tractabimus fusiùs agemus. Nūc singula verba huius parabolæ explicemus. Ait itaque Euangelista.

Dixit ad quosdā ex quis in se confidebant tanquam iusti,& cæteros aspernabantur. Ad quosdam videlicet arrogātissimos & vanos, qui cum per se nihil sint, plus æquo sibi tribuūt & vendicant. Hoc vanissimū est. Primò quia incertum est homini quādo iustè operatur: falsa enim iustitia multos decipit. Vnde Paulus, Nihil mihi conscius sum,sed nō in hoc iustificatus sum. Ideo hic non inaniter dicit tanquam iusti, vt doceat non verè fuisse iustos, nam si verè iusti fuissent, iustitiam suam non sibi, sed Deo retulissent acceptam. Vanum itaque est confidere in sua iustitia: cū nesciat homo an iustus sit. Secundò nō est confidendum in propria iustitia, quia iustitiæ nostræ nō sunt puræ: iuxta illud Esaię Facti sumus vt inmūdi omnes nos: & quasi pannus mēstruatæ omnes iustitiæ nostræ. Tertiò non est confidendū in propria iustitia, quia nō est stabilis: homo enim quantūcunque magni meriti sit labi potest, vt Dauid, Petrus & multi alij? Adā cecidit,& etiā Angeli qui eminentis erant naturę. Vnde Iob. Ecce qui seruiūt ei nō sunt stabiles,& in angelis suis reperit prauitatem. Quis Sāsone fortior, Dauide sanctior, Nabuchodonosore potētior, & Petro feruentior? Sed omnes isti propter præsumptionē corruerūt. Sennacherib omnem fiduciam suam constituebat in magnitudine sui exercitus: at sanctus Rex Ezechias Deo tātūmodo fidens victoriā obtinuit, Hierusalē liberata ab hostibus: occidit enim Dominus centū octuaginta quinque millia illorū, & posteà Sennacherib ipse à filiis suis fuit occisus. Ita prostigauit Dominus Holophernem cū omni Assyriorū exercitu: de quibus ait Iudith loquens de Deo, Qui cōfidunt in multitudine sua & gloriantur,&c. Quapropter istis, qui sibiipsis confidunt non Domino ait propheta Amos. Væ vobis qui opulenti estis in Sion & confiditis in monte Samariæ optimates capita populorū, ingredientes pōpaticè domū Israel. Discamus ex hoc loco nihil nobis confidere. Ne confidas in diuitiis : quoniam scriptura ait, Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestrā. Ne confidas in viribus, multi enim fortissimi fuerunt duces in sęculo, quorum nomina prorsus ignoramus: ait enim scriptura, Potentes, potenter tormenta patientur. Ne glorieris in ædificiis, aut equis mundique luxu : quoniam inquit Hieremias. Vę qui ædificatis iniustitiam. Ne confidas in nobilitate generis, aut corporis pulchritudine : scriptum enim est, Vana pulchritudo. Ne multum tribuas velocitati, reliquisve artibus humanis, quibus bruta sunt hominibus præstantiora. Asael, qui erat velocitate par capreis, quæ morantur in syluis, occisus fuit, quia Abner sequebatur. Ne iactes literarum cognitionem, siquidem nemo adhuc extitit æqualis dæmonibus scientia, qui tamen omni scientia sua inferni pœnas euadere nō possunt. Non adhibeas fidem fauori, aut gratiæ principum. Aman enim regi Assuero gratissimus eo die quo cum rege suo cęnauerat, ab illo suspensus est. Ideo Dauid. Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominū: in quibus nō est salus. Hos ergo qui virtute sua, & viribus confidunt, alloquitur Christus dicens.

1. Cor. 4 *Esai. 64* *Iob. 4* *Iudi. 16.* *2. Reg. 11* *Dan. 4* *Matth. 26* *4. Reg. 18* *Tob. 1* *Iudith 9* *Amos 4* *Luc. 6* *Sap. 6* *Hierem. 22* *Prouer. 31* *2. Reg. 2* *Hester 7* *Psalm. 14*

Duo homines ascendebant in templum, vt orarent, vnus pharisæus & alter publicanus.

Ad orationem ascenderunt. Ad hoc enim factū est templū: iuxta illud Saluatoris, Domus mea, domus orationis est. Et Salomon orans Domino dixit in tēplo. Exaudies deprecationē,& quodcunque orauerit in loco isto. Quanquam multi sunt, qui templis vtuntur nō ad orandum sed ad negocian-

Ioan. 2 *3. Reg. 8* *Templorum abusus cauendus.*

dum aut (quod turpius est) ad peccãdum: quibus multò esset melius, si nunquam templum ingrederentur, vt huic pharisæo accidit, qui in templum intrans arrogantia & superbia perdidit quidquid anteà virtutis habebat. Sanius igitur fecisset si se domi continuisset. Iuerat ad orandum, & pro oratione peccatum admisit: cuius exemplo omnes caueant sibi, nequid aliud in templo faciãt quã preces effundere animúmque totum Deo tradere. De Hier.11 tis enim qui contra faciunt conqueritur Dominus inquiens. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Qui in via affectus est iniuria, leuius ferre solet quàm si in propria domo fuisset iniuriam passus. Vnde illud vulgò celebratur exaggerationis argumentum, Vim mihi intulit etiã in domo mea. Quare rex Assuerus vt Amã Hester 7 grauius peccasse probaret, dixit, Etiam Reginam vult opprimere me pręsente in domo mea. Ita etiã offendunt Deum qui in templo peccant: quoniam adeò impudentes sunt vt Deum in propria illius domo non vereantur offendere. Ita nũquam legimus Dominum adeò indignatum fuisse, quàm cũ Ioan.2 vendentes & ementes in templo inuenit, quo in casu ille qui omnibus aliis peccatoribus sẽper pepercit, tã grauiter succenset hominibus, innuens quàm sibi displiceat templorũ violatio. Oportet vt in loco sancto sanctus sis, nã quid prodest quod locus sanctus sit, si tu sanctus nõ es? Hic pharisęus in templo erat, sed in eo superbè egit: locus enim non iustificat hominem. Quapropter disce in loco sancto Dei orare, psallere, & verba diuina attẽtè & deuotè audire, &c. *Pharisæus stans hæc apud se orabat.* Cùm enim preces eius debuissent ad cęlum ascẽdere, gloria tamen inanis meritorum suorum hoc faciebat vt orans apud se esset: & tamen vera oratio extra se rapit orantem. Prætereà, statio hæc indicium præbebat inflati animi, quã Deus semper Psalm.50 odit. Contra verò cor contritum & humiliatum Eccles.35 nunquam despicit. Vnde in Ecclesiastico habetur quod hominis seipsum humiliantis oratio nubes penetrat. E diuerso autem quæ oratio illa erit, vbi humilitas non est: imo in qua nos humilitatis pu-3.Reg.8 det? Salomon erat omnium ditissimus & gloriosissimus rex, quem Iudęi vnquam habuerunt, attamẽ non pudebat eum corã omni populo genibus fle-Dan.8 xis orare. Daniel in die ter cadebat in genua in ora-Num.16 tione. Moses cadebat in facie in sua oratione. Et ip-Luc.22 se Christus cœlorum rex procidens in horto ora-Apoc.7 bat Patrem. Et quid solùm hos cõmemoro? In Apocalypsi Ioannes videbat non solùm vigintiquatuor seniores, sed etiam omnes Angelos in cœlo Iob 26 in faciem procidere ante Dei thronũ. In Iob quoque scriptum est, quòd etiam columnæ cœli ante Deum contremiscunt: denique obstupescunt omnes creaturæ ad diuinã maiestatẽ, & hic superbus pharisæus peccator & impurus homo in terris, erecto collo & capite, coram Deo audebit stare & cõparere? Sed non solus est hic pharisęus, qui superbè & arroganter est in templo. Nam nostris temporibus videmus etiã mulieres pulcherrimis stragulis cubantes, missæ, sacrísque cõcionibus interesse. Et existimo breui fore, (ea sunt stultitiæ incrementa) vt ceruicalia, ipsósque lectos in templo transferant vt mollius cubent. Sed quia in capite secundo huius, cum Simeon venit in spiritu in templum, de his locuti sumus: nunc duo obseruamus hic. Primum horum est, quod hæ cæremoniæ Ecclesiæ quanuis de essentia non sint, tamen maximam animi superbiam ostendunt qui eas omittunt. Quanquam enim potissimum omnium sacrificium & maximè acceptabile sit cor contritum, humile & mundum: corporis tamẽ humilitas sicuti genuũ flexio, &c. multũ adiuuat ipsius cordis humilitatem, sensualitatem frangens, animamque erga Deum disponens. Quare cum Christus & Apostoli has externas cæremonias non modò docuerint, sed etiam commendarint, stupenda videri debet eorum impudẽtia, qui hæc in missa, & reliquis diuinis officiis audent contemnere.

¶ Secundò obserua quàm difficile & atrox sit superbiæ vitium, omnia enim alia non semper apparent, latent interdum, quia nonnunquam occultari possunt, nõnunquam etiam acquiescunt. Nam vorator si domi peccat, foris non item, libidinosus etiam nõ semper nec in omni loco flagrat, friget aliquãdo, vel naturæ fragilitate, vel vitij tædio. At superbus in lecto in mensa, in foro, in templo, in omni denique loco & tempore, domi, forísque indicia ostendit tumoris sui, vt in hoc Pharisæo videmus. Qui vbi arrogantiam suam in primis cohibere & occultare debuisset (siquidẽ in cõspectu Dei constitutus nihil aliud non modò velle, sed nec cogitare quidem debet nisi quod pium sanctumque sit) ibi superbissimus fuit: sed nec veritus est illum offendere, à quo multa petitum venerat. Sed iam eius orationem audiamus. *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut hic publicanus.* Iustus in principio accusator Prouer.18 est sui, & sic oportebat, vt iste faceret: tamen à suis laudibus incipit. Abraham rogans pro Sodomitis Genes.19 coram Deo se humiliabat. Quia, inquit, semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis. Acsi diceret, Ne irascaris mihi, quòd pro aliis oro, qui tamen ipse peccator sum. Sic faciebat Iacob dicẽs, Domine Deus minor sum omnibus mi- Genes.32 serationibus tuis, &c. Si etiã Dauid. Quis ego sum (ait) Domine Deus, & quæ domus mea quia addu- 2.Reg.7 xisti me huc vsque? Sic etiam faciebant socij Danielis dicentes. Domine Deus iustus es, in omni- Dan.3. bus quæ fecisti nobis. Sic & ipse Daniel dicebat. Dan.9 Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio, & cę. Hunc in modum confitentur probi omni tempore in sua oratione propria sua peccata: è cõtra autem impij à suis laudibus incipiunt, sicut iste qui gratias dabat, quia non erat sicut cæteri.

¶ Sed cur iste malè egit dando gratias Deo, & numerans bona sua, cum Paulus dicat quod in om- Ephes.5 nibus gratias agamus? Dauid etiã & Ezechias, Paulus quoque & Zachęus, & alij bona sua narrauerunt. Cur ergo iste dãnatur? Aliud est gratias agere cognoscendo Deũ autorem bonorum, & aliud est bona habere reputando quòd à seipso vel suis meritis Deus illa dederit, & proximum cõtemnendo. Quapropter aduerte quòd triplex est genus superborum. Quidam sunt quod ea quæ habent nõ putant à Deo se habere: sed quòd suis viribus, inge- Dan.4 nio, aut solicitudine illa acquisierint. Talis fuit Nabuchodonosor qui dicebat iactanter. Nonne hæc est ciuitas magna Babylon quã ego ædificaui, &c. Et sic Sãson hac tactus vanitate dixit. In mãdibula Iudi.15 asini percussi eos. Quos Dominus percusserat dixit ꝙ ille percussisset. Quapropter statim Deus illũ magna siti pcussit: ita vt penè moreretur. Sicut etiã vox dixit de cœlo Nabuchodonosor regi. Regnũ tuum

tuum transibit à te. Est enim Deus honoris sui Zelator, solétque æstimationem suam tueri, quotiescunque ab hominibus vsurpatur. Aduersus hos lo-
Esai.10 quitur Esaias dicens, Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantē se, & exaltetur baculus qui vtique lignum est. Et videas quomodo Deus zelat suum honorem, statim subdit pœnam. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituū in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succē-
1.Cor.4 sa ardebit quasi combustio ignis. Et Paulus etiam cōtra istos, Quid habes quod nō accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.
Iacob.1 Iacobus apostolus etiam ait, Omne datum opti-
2.Cor.3 mum, & omne donum perfectum de sursum est à Patre luminum. & rursus Paulus. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tāquam ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est. Si homo ex se sufficiens non est ad cogitādum bonum, quod est minimum inter bona opera: quid poterit ad agen-
Ioan.6 dum? Vnde Dominus. Nemo venit ad me nisi Pa-
Ose.13 ter meus traxerit eum. Et per Oseam, Perditio tua (inquit) ex te Israel: & auxilium tuum ex me. Per se vadit homo ad peccatum, sed nō redit: per se nauis descendit in rapida aqua, sed non ascendit. Terra spinas & tribulos per se profert, sed non per se triticum: mater enim est herbarū, & nouerca tritici. Sic homo per se potest facere malum, sed nō bo-
Ioan.15 num meritorium vitæ æternæ sine gratia Dei. Ideo Dominus. Sine me nihil potestis facere. Omnia bona tua tā corporalia, quàm spritualia à Deo sūt. Cur igitur superbis? Multi adeo arrogantes sunt, vt si audiant se ab omnibus amari, statim respondeāt vrbanitatem suam, liberalitatem, & bonū ingenium amoris illius esse causam. Si verò audiant valetudinem, virésque suas in pretio esse glorientur, & dicunt: cōtinentia mea, vitæque moderatio hæc mihi præstitit bona. Quorū quanta sit superbia: nemo nō videt, quādo ea bona quæ Deo sunt, vt autori suo referenda, sibi tribuunt. Alios inuenies nihilo meliores, à quibus si petas, qua ope diuitias cōpararunt: iactant industriam suam, dicentes. Indos petiui, inauditas nationes penetraui, ibi que ingenio meo hæc omnia mihi confeci, quę vides. O insane. Nonnè alij in eisdē locis quibus tu versati ditescere nunquam potuerunt? Nonnè etiā alij multi te ditiores effecti, in mari cum omnibus diuitiis suis perierunt? Igitur, ô amētissime cur magis Deo ingratus, quàm Deo omnia quæ habes accepta referre, siquidem & qui non habuerunt Dei auxilio consequuntur, & qui habent Dei patrocinio opes suas à mille periculis tuētur. Quod si opponas, pro hærede omnia bona mea possideo, nihil hic ad cōparandum, aut casus aut auxilium vllū promouit, pater mihi reliquit. At patri quis dedit? auus, auo? atauus. Fateor: sed si perstitero omnino deueniendum est ad illum, qui habuit à maioribus suis nihil. Sed sint ita sanè omnia bona tua hæreditaria, qua ope cōseruas, quę mille modis diligentissimos dominos deserunt? quo auxilio denique vales (quod præstantius est) & spiritum ducis ad illa perfruenda? Nullam ergo excusationem afferre potes tuæ ingratitudinis: nisi Deum datorem omnium bonorum cognoscas: at si cognoueris quot bona consequantur, inde gratus eris, & plura indies beneficia cōsequeris. ¶ Aliud genus superborum est, qui etsi omnia beneficia à Deo fateantur accepta, non gratis tamen sed meritis suis sibi concessa autumant. Habent in memoria aliqua pietatis opuscula: quæ aliquando fecerūt: & ideo valetudinem suam, bona temporalia, & etiam animi tranquillitatem iam pridem sibi debitam, & ita nihil accipiunt de manu Dei vt gratuitum, sed vt debitum. Horum tamen nō modo superbia, sed etiam stultitia est mirabilis, nā quæ habemus, non quia boni sumus habemus, sed qa bonus est Deus. Vnde Christus Apostolis dixit, Non vos me elegi- Ioan.15
stis, sed ego elegi vos vt eatis & fructum afferatis. Quasi diceret, Hæc omnia quæ facitis, mea opera sunt. Nihil enim quis conari potest nisi præuia gratia diuina, quæ dormiētes excitat, pigros strenuos facit. Nō quia boni eramus futuri, elegit nos De^9, sed quia elegit nos Deus, boni sumus. Quare gratia Dei gratis dari dicitur, quoniam sola Dei bonitas in causa est, vt hominibus detur. Ideo Paulus, Si gratia ex operibus, gratia nō est gratia. Vnde in Rom.11
capite immediatè præcedenti Dominus dixit, Cū feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Et quia ibi satis diximus, in hoc loco de merito nostrarum operationū supersedendum puto. ¶ Nunc tertium genus superborum videamus: illos, nempe qui licet sciant bona quæ habent esse à Deo & non ex meritis suis data, tamen in illis gloriantur acsi sua essent: gloriam Dei vsurpantes: vt fecit hic pharisæus, de quo nos loquimur. Propter hoc pec- Num.20
catum non peruenerunt Moses & Aaron in terrā promissionis: quia non retulerūt honorē Deo pro fonte de lapide excusso. Quare ait Paulus. Regi sę- 1.Tim.1
culorum immortali, & inuisibili, soli Deo honor, & gloria. Quod testati sunt angeli in Christi natiuitate, dicentes, Gloria in excelsis Deo: & in terra Luc.2
pax hominibus. Hoc iam in superioribus exposuimus. Seipsum extollit stultus hic & laudat inaniter. Sicut lanx trutinæ quāto leuior est, tātò amplius sursum ascendit: sic quantò homo vanior est, & inutilior & iniustior, tāto sublimiùs se extollit. & cùm sit impius iustitiam sibi iactabundus assumit: & iusti nomen impudenter vsurpat. Cōtra verò quemadmodum lanx plenior & grauior se deprimit deorsum: sic vir virtute clarus & honestate insignis se abiicit & inclinat, & quantò est apud alios virtutibus onustior, tantò apud seipsum iudicatur imperfectior. Hæc est enim magna perfectio suæ imperfectionis cognitio.

¶ Sed expende hominis arrogātissimi verba. Non sum (inquit) sicut cæteri hominum. Cùm se solùm bonum credit: quodammodo malè de Deo sentit, quia credit quod Deus in vno solo loco diuitias posuerit, & quòd aliis non sit bonus nisi sibi, vel quòd aliis sit parū bonus, in quo Deo derogat. Amā qui credebat, quòd solus ipse esset hono- Hester 5
rādus à rege, cùm interrogauit eū, quid faceret rex quem voluerit honorare, cogitans Aman & reputans quòd nullū alium rex nisi se vellet honorare respōdit, Homo quem rex honorare cupit debet indui vestibus regiis, &c. Quod cū fecisset Mardochęo lugens & operto capite abiit tristis in domū suā, & etiā suspendio interiit. Et sicut Mardochęus est exaltatus, quem despiciebat & odiebat Aman, & ipse Aman suspensus & damnatus: sic iste pharisæus, qui solus se dignum honore putabat, est cōdemnatus, & publicanus despectus, à Deo iustificatus

catus & honoratus. Solùm inter omnes hic pharisæus se putabat esse. Ideo superbia vento comparatur: quia nihil sustinet: ita superbus nihil sustinet aut patitur: solus esse vult & ab omnibus præ cęteris obseruari. Alia vitia consortio gaudent, vt libido, ludus, edacitas, auaritia: verũ superbia solitudinem quærit, societatẽ non patitur, tanta est huius teterrimi vitij importunitas omnia sibi defert, se solam in pretio esse habẽdam putat: omnes humiliat, vt se exaltet. Et in hoc videmus, quia dixit: Alij raptores, &c. Cùm reuera ipse esset raptor & iniustus, quia rapiebat gloriam Dei, de qua ipse dixit, quod alteri illã nõ esset daturus. Iniustus quippe erat, quoniam proximum non auditum prius nullis testibus, nullis indicijs temere dãnabat: digitoque ostendens publicanũ trahebat in exemplũ accusationis suæ, in quo istius perspicuè cernitur impietas, qui non modo se iactabat, sed etiã alios vituperabat. *Matth.7* O quot habet iste in sęculo imitatores, qui festucam in oculo fratris vident, trabẽ autem in oculo suo non considerant. *Rom.14* Vnde Paulus ait, Tu quis es, qui iudicas alienũ seruum? suo domino stat aut cadit: Certè si iste sapuisset, vel in hoc cognouisset improbitatem suam quod perperam de alijs iudicaret, verùm nemo improbus sapit. Ignis omnia in se conuertit, quemadmodum & fluuius omnes torrentes in se recipit, & immutat: sic & homines qui boni sunt, quæcũque aut audiunt, aut aliqua ratione accipiũt, secundũ naturã suam optima reddunt. Mali autem etiam bona in mala conuertunt. Quare nullum est certius argumentum, quo quis se discutiat, moresque suos exactius exploret: quàm si sibi persuadeat se esse talem, qualem proximum esse iudicat. Quod si animaduertisset pharisæus iste, cognouisset vtique suam iniquitatem.

Causa cõtemptus proximi. ¶ Obserua autem hic, nullam aliam causam esse quare proximos cõtemnamus, nos verò magnifaciamus, nisi quia acutius vitia illorum quàm nostra intuemur. Cum autem nemo sit, quin aliquo defectu peccet, fit necessariò, vt proximorum mores & vitam nostris semper postponamus. Verumtamen diuerso se habet modo in huiusmodi æstimandi negocio superbus & humilis: nã superbus qui malè omnia perpendit, in altera parte trutinæ mala proximi sui constituit, in altera verò bona, si quæ habet sua: & ita non est mirum si digniorẽ se inueniat cæteris. At humilis & modestus è diuerso se habet, mala sua semper præ oculis gestans, nihil in proximis dignius supplicio, quã in se intuetur: quia bona opera sua qui bonus est non perspicit. Mala sua intuetur, & bona aliorum cõsiderat. *Exod.34* Moses cùm haberet faciem splendidam, ita vt filij Israel non possent in faciem eius intẽdere: solus ipse nesciebat, sic tu si bona proximorum tuorum animaduertere velles, mala autẽ tua ob oculos semper gestares, pluris proximos tuos quàm te ipsum faceres. Quare periculosissimum est se bonum putare. *Matt.23* Infirmus enim qui se morbo oppressum non sentit, medicinam non quęrit. Sic pharisæus iste, quia vitia sua non attendebat, innocentissimum se iudicabat, reliquos verò iniquissimos, quorũ etiã minima peccata notabat. Ideo Dominus ait istis, publicani & peccatores præcedent vos in regno Dei. Quoniã se iudicantes infirmos remediũ quærũt. *Apoc.3* Sic intelligẽda sunt verba illa seuerissima Apocalypsis. Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es incipiam te euomere de ore meo. Quomodo fieri potest, vt homo frigidus Deo sit gratus, tepidus autẽ qui calido propinquior est, peioris sit conditionis? facilis respõsio est. Calidus dicitur ille qui igne charitatis flagrãs, virtutes omnes interius & exterius possidet. Frigidus qui charitate destitutus, procul ab omni virtute moratur. Tepidus verò qui nec charitate calet, nec etiã omnino friget, saltem in exteriori apparentia. Dicitur ergo tepidus peioris esse cõditionis quàm frigidus, non quòd pluriũ peccatorũ sit reus, sed quia in eo statu est, in quo difficilius sanari potest. Negligit enim medicinã qui morbi sui cõscius nõ est. Sic iste cum se infirmum nõ putet, remedium nõ curat. Et quod iste sit sensus germanus huius autoritatis patet, quia immediatè subdidit Dominus dans causam quare tepidus sit peioris conditionis, dicẽs, Quia dicis, diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Sic iste pharisæus cũ pauper esset & cæcus & nudus, putabat se esse diuitem: & iactabat opera sua dicendo. *Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo.* Iste ascendit vt oraret, & cũ oratio sit petitio, expende quàm stultus sit, quòd bona opera sua ostendit Deo quem orat. Ineptus esset ille, qui eleemosynam petiturus, se priùs annulis, torquibus aureis, & vestibus pretiosis ornaret, credens id sibi adiumento fore. Nam pauperes vlcera sua ostendere solẽt, vt sic facilius intuentiũ animos moueãt. Eodem ergo modo nos in oratione si volumus Dei misericordiã flectere, non virtutes, vt pharisæus hic ostentemus, sed potius cũ publicano peccata fateamur: *Quomodo pharisæi ieiunent, & dent decimas. vide Apoph. lib. 5. c.16.tom.1.* Nam quemadmodum ægrotus qui à medico ictus puriorem sanguinem emittit, grossiorem retinet, deficit, ille verò qui puriori retento inutiliorem foras proiicit conualescit: sic peccator qui bona sua prædicat, & mala tacet salute caret, ille autẽ viuit qui bonis non emissis, quidquid mali habet, humiliter corã Deo medico sapientissimo exponit. Sic Balac rex Sydoniorum dicebat, Septem altaria ordinaui. *Num.23* Vide quid impij Deo offerant, & quæ sint illorũ præparationes, nẽpe iactare si quæ fecerint bona: quasi Deus non viderit illa aut esset cęcus. Optimè Deus hęc omnia nouit, & scit opus bonũ quod facis, & nõ solùm opus ipsum, sed omnes circunstantias boni operis. Videas quantum Deus consideret omnia opera nostra. *Genes.22.* Obtulit Abraham holocaustum, & Deus omnes circunstantias considerauit, dicens, Quia non pepercisti filio tuo vnigenito, &c. Non solùm dixit filium, sed vnigenitum: & omnia optime considerauit & laudauit, Quia fecisti, inquit, hanc rẽ. Quã rem Domine? Non inuenio nomen opere dignũ. Vide quomodo omnia ponderat. Sic etiã in domo Simonis pharisęi fecit cũ Magdalena, *Luc.19* põderans omnia eius bona opera, & circũstantias. Osculũ mihi nõ dedisti, hæc autem, & cæ. Igitur si Deus ita videt & põderat omnia opera & eius circũstantias, & omnia videt, & scit: nequaquam tua enarras opera? Celauit hic pharisæus peccata quæ cõfiteri debuerat, & bona si quę fecerat patefecit. Qui enim sana mẽbra medico ostẽdit, & vulnera tegit, nunquã curari poterit, imo potius quotidie peius habebit. Tales sunt multi qui quoniã iusti magis haberi quàm esse appetũt, cum bona aliqua faciunt nõ in secreto sed publicè illa facere satagũt. Et postquã facta sunt, illis quos latere putãt, illa referunt

ferũt vt inde ab illis quibus illa referunt ęstimentur. *Matth.7* Thrasonem agunt, suas canunt laudes, suorum gestorum historiographi fiunt. Ne tamẽ ita faciãt docet hæc parabola. Hæc alibi Saluator dicit. Cũ facis eleemosynã nesciat sinistra tua quid faciat dextera. Et iterum. Noli tuba canere ante te. Tuba canit qui bona sua aliis iactat: qui seipsum de bonis quæ fecerat laudat. Hinc est quod præcepit *Deut.15* Deus filiis Israel ne tonderent primogenita ouiũ. Cùm virtutis initium & bonum quod fecerat aliis enarrat primogenita ouis tondet. quia sublato secreto quo quasi quodam vellere virtus ipsa tegebatur, tõsa postmodum virtus manet. Quàm graue autem hoc sit peccatum, *Iob.31* Iob apertè pronunciat dicẽs, Si osculatus sum manum meam quæ est iniquitas maxima. Ille manum suam ore proprio osculatur qui opera sua bona laudat: quod dicit esse *Iactantia peccatum.* iniquitatem maximam. Nec solùm iniquitas est, sed meo quidem iudicio stultitia maxima: quod inde censeri potest, quia quod maximè optant nõ assequuntur. Nam ideò bona sua narrant, sperantes hoc medio futurum, vt ab aliis maiori æstimatione digni censeantur. Sed longè aliter quàm sperabant euenit, nam qui audiunt ob hanc solũ causam illos contemnũt: & quod fortè iustos & cordatos putabant, & velut tales venerabantur, posteà tanquam peccatores & stultos æstimant, & quasi iactabundos dedignantur. Et si fortè vnus aut alter illius dictis assentiens illum ob hoc veneratur & suspicit, is è vulgi erit fęce, quod iuxta solum rerum faciem iudicare solet, & interiora minimè scrutatur. At dementia est maxima rem tam leuem qualis est vulgi opinio, tã caro pretio emere, vt à viris bonis & doctis cõtemnatur. Hi enim similes sunt gallinis qui cũ oua excusserint statim clamant, atque adeò importunę vt auditoribus sint molestiæ, qui autem illarum importunos clamores audiunt illas peperisse hoc signo intelligũt, & ob hanc causam excitantur vt oua perquirant, & rapiant: quod fortè non facturi essent, nisi illarũ clamoribus ad hoc faciendum excitarẽtur. Sic iactabundis contingit. Nam dæmon illos sua bona iactantes auscultat, & ad illorum bonorum deprędationem inuitatur. Suggerit enim illis arrogantiam, & inanem de bonis quæ habent gloriã: quæ bona omnia destruit: & sicut ventus vrens omnia consumit. Ideo Psamista ait, *Psal.77* Tradidit in captiuitatem virtutem illorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici, quia deuorantur & captiuantur eorum bona. Deprædari desiderat qui thesaurum publicè portat: atque ideo Ezechias rex punitus *4.Reg.20* fuit quia thesauros suos ostendit nũciis regis Babylonis. Nullus ponit amico poma quæ à vẽto impelluntur ab arbore: sed quæ manu colligũtur. Sic Deo non sunt danda opera quæ vẽto vanæ gloriæ eiiciuntur.

❡ Discamus hinc hanc pestem vanæ glorię fugere: & bona nostra non inaniter propalare. Si enim adeo Deus indignatur quod bona sua temporalia nobis arrogamus, quid si spiritualia? Esset quidem dux supplicio dignus si oppidũ regi suo vsurparet: multo maiori tamen si regnũ. Sic Deo magis displicet arrogantia in rebus spiritualibus. Ne igitur bona & virtutes nostras prædicemus. Nam Amygdalus quia pręcoces nimium producit flores, sæpiùs fructu caret. At morus semper retinet fructũ suũ quoniam serius floret. Stomachus etiã validius hyeme quàm verè cibũ cõcoquit: quoniã calor qui in ęstate exteriùs grassatur, hyeme latet in corpore. Sic aratores sato frumento gelido tempore gaudent, calidum detestantur: quia gelu terra erumpentia frumenti gramina cohibet, donec altius radices agat. At calor statim malè hærentes herbas euocat, & tenuiores ac minus fructuosas reddit: Eodem modo accidit illis, qui bona opera quæ faciunt non continent. Sicut enim *Actor.28* apud Miletum vipera inuasit manum Pauli, dum sarmenta in ignem mitteret: sic dum opera bona mittimus in Deum, qui ignis dicitur in scriptura, *Deut.14* statim nobiscum est gloria inanis: quæ ideo difficilè vitatur: quia omnia alia vitia à malis eruũtur, hæc autem à bonis. Vnde quantum reliquæ virtutes extinguntur, tantum gloria inanis crescit: sicut ignis sulphureus qui aqua iniecta roboratur, præbente materiam, cui hæret alimentum. Est tandem hoc vitium adeò in omnibus virtuti simile: adeò virtutis personam gerit, vt nunquam nisi bonis tendat insidias. Non enim blasphemus, homicida, aut latro inani gloria peccat, qui in quo sit gloriosus non habet. Quare cauere debent iusti, ne ab hoc vitio fallacissimo operum suorum bonitas destruatur. Edidisset Elezarus præclarum facinus *2.Mach.6* occiso elephanto, nisi illato vulnere imperitia sua ab eodem etiam fuisset interfectus. Sic tu quoties vitio resistis, aut opus bonum operaris, elephantem occidis, mundum, vel diabolum, periclitaberis, tamen nisi telum anceps vanæ gloriæ caueris. Tunc igitur strenuissimum te ostendere debes cum viceris, nè à te ipso vincaris, blandiente laudis tuæ memoriæ: quę vniuersam victoriam destruet humilitatem omnium virtutum velut columnam & fundamentum euertens. Nam cętera vitia singula singulas perdunt virtutes: auaritia liberalitatem, libido castitatem, iracundia beneuolentiam: at hæc pestis omni bono opponitur. Sed de his satis. ❡ Nunc verba huius pharisæi discutiamus. Sabbathum hic pro hebdomada sumitur, quia duos dies hebdomadę ieiunans abstinebat à carnibus, tamẽ nõ abstinebat à vento vanę glorię quo pascebatur, à quo etiã melius illi fuisset vt abstinuisset. Cũ ait, decimas do, rectius diceret reddo, cũ Dei sint omnia. Obserua etiã, quòd licet superbus esset & arrogãs tamẽ optimo ordine ꝓcessit. Priùs enim dixit mala quę nõ fecit: qa priùs eradicãda sunt mala, deinde facienda bona, iuxta illud Psalmi, Diuerte à malo, & fac bonũ. *Psalm.33* Nã queadmonũ impossibile est aliquẽ ad sanitatẽ restitui nisi priùs à morbo liberetur: ita etiã impossibile est aliquem bene operari, nisi priùs recesserit à vitiis. Sic Dominus Hieremię dixit. *Hier.1* Ecce constitui te super regna, vt euellas & destruas: ędifices, & plãtes. Non poterat ædificare bona nisi priùs destrueret mala, neq; plãtare optima, nisi priùs eradicẽtur pessima: atq; ideo priùs dixit vt euellas & destruas mala: & *Psal.1* postea ædifices & plantes bona. Sic etiam Dauid prius dixit, Beatus vir qui nõ abiit in consilio impiorum, & in via peccatorũ non stetit & in cathedra pestilentię nõ sedit: & postea dixit, Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte. Christus in Ioanne ait, *Ioa. 10* Amen dico vobis qui nõ intrat per ostiũ in ouile ouium, sed ascẽdit aliunde, ille fur & latro. Et posteà dixit, Qui autem intrat per ostium pastor est ouium: priùs po*Exod.20*nit indicia mali pastoris, & postea boni. Et in Decalogo

3 Tim.3 Tit.1 calogo priùs ponūtur præcepta negatiua, & postea affirmatiua. Et Paulus idem fecit scribens ad Timotheum & ad Titum. Sic & iste prius numerat mala quæ non egit dicens, quod non erat raptor nec adulter, nec iniustus:& posteà subiungit bona dicens, Ieiuno bis in sabbatho, & decimas do omnium, quæ possideo.

¶ Obserua rursus in hoc superbo pharisæo quod has duas partes iustitiæ, scilicet, euitationem mali, & perfectionem boni sibiipsi ascribit. Quapropter non dicit gratias ago tibi Deus, quod me gratia tua à malo abstraxisti, & per spiritum tuum ad bona agenda permouisti & adiuuisti, sed simpliciter dixit. Gratias tibi ago quia non sum sicut cæteri hominum: imo tot bona ego solus feci, quando alij malis rebus studuerunt. Stultus non legerat, Esai.43 quod dominus dicit. Ego sum qui deleo iniquita- Ezech.37 tes tuas, propter me. Et in Ezechiele. Ego sum san- Philip.2 ctificator tui. Et Paulus apertè dicit, Deum opera- Ioan.15 ri in nobis bonum velle, & perficere. Et quemadmodum palmes non potest fructum ferre: nisi manserit in vite: sic nos fructum ferre non possumus nisi manserimus in Christo. Discamus omnē spem nostram & fiduciam in Christo ponere. Et quidem necessaria sunt opera bona ad salutem, sed sciamus sine Dei gratia nos vitam æternā non posse mereri: atque adeò illi qui nos adiuuat gratias tribuamus: non nobis qui sine ipso nihil facere possumus. Reiicit Christus hunc pharisæum hypocritam cū sua oratione licet caueret à malis, & bona fecisset: quia gloriam Dei sibiipsi vsurpauit. Fideles Christi serui gloriam tribuūt Deo omnium operationum suarum. In publicano è contra lętatur Christus, non quod peccata placerent sed quia peccata confitetur & veniam petiit contrito corde. In pharisæo erat bonum & malū, & in publicano etiam bonum & malū: eligamus bona vtriusq; & mala odiamus. Diligamus bona opera pharisęi, & humilitatē publicani, & peccata publicani, atq; arrogantiā & superbiā pharisęi odiam⁹. Discamus cū multis operib⁹ posse dānari, si humiles nō fuerimus. Discamus licet peccatores simus nō desperare de Dei misericordia, quam obtinebimus cū publicano si pœnitentiam egerimus.

¶ Denique obserua sicut in initio dicebamus quomodo diabolus ex bonis operibus elicit mala & gloriam inanem. Sed vt videas apertè Dei bonitatem, qui tam bonus est quod etiam ex malis nostris bona eliceat, iam audiamus Euangelistam & videamus quæ narrat de publicano. *Et publicanus à longè stans nolebat oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori.* Expende Dei bonitatem, atque sapientiā Qui de peccato quo nihil peius esse potest, humilitatem educit. Ille quidē artifex esset admiratione dignus, qui nō modò aurū vel argentum optimè omnium cęlaret: sed etiam scoriam ipsam in aliquod opus eleganter conuerteret. Eodem igitur modo Deus se habet in animarum nostrarum salute fabricanda, siquidem non tantum virtutum metallo, verūetiam peccatorum nostrorum scoria nos illustrare contendit. Scoria enim in sacra scriptura aptissimè pro peccato sumitur. Sic dixit dominus Eze- Ezech.22 chieli. Versa est mihi domus Israel in scoriam. Omnes isti æs, stannum, ferrum & plumbum in medio Esai.1 fornacis scoria argēti facti sunt. Idem dixit Esaias propheta populo Israel. Argentum tuum versum est in scoriam. De hac igitur tam vili criminū nostrorum scoria, nititur Dominus supremam fœlicitatem nobis conficere. Vnde ait Diuus Augusti- Aug. super Psalm.144 nus: Deum non permissurū fore peccata, nisi ab il- Rom.5 lis aliqua essent bona prouētura, iuxta illud Pauli, Vbi abūdauit delictū, superabūdet & gratia. Quare nullo satis pacto potest Dei sapientia commendari, quàm quod à peccato ipso virtutem, à malo bonum, ab inferno denique gloriam suscitat. Qua de causa nemo desperare debet, si diu in peccato permanens nullum diuinum sensit auxilium. Deus enim sæpenumerò electos suos diu in peccato esse permittit, vt in virtute radicitùs hæreant, humilitatemque suam cognoscentes, vere humiles fiant. Sicut enim qui domū firmiorem ædificaturus post parietum antiquorum ruinam multùm in iaciendis fundamentis immoratur, vt sic stabilius & diuturnius ædificium euadat, sic Deus peccatorem quotiescunque fragilitate sua cadit non statim excitat, sed iacere patitur, vt ille cognoscens suā imbecillitatem omnia bona sua Deo accepta referat, altiúsque fundamenta humilitatis & virtutis iaciat. Huiusce rei nobis proponit exemplum sacra scriptura in Dauide, qui postquam per prophetam 2.Reg.12 Nathan reprehēsus est, humilior posteà fuit & cautior. Non dubito Dauidem multò meliorem & do- Psalm.37 ctiorem post pœnitentiam fuisse quàm ante peccatum. Sic ipse. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis. At humilitas intelligentiam parit, vt ipsemet Psalm.118 ait: Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Sic etiam profuit Petro, nam ex lapsu didicit nunquam de suis viribus pręsumēdum, nec alios contemnendos. Et ideò post resur- Ioan.21 rectionē Domini interrogatus à Christo, an plus cæteris diligeret eum, modestiùs respōdit. Tu scis Domine quia amo te. Sic & Paulus cùm vas esset 1.Cor.15 electū a Domino, recordatus quod peccator erat dixit. Ego sum minimus Apostolorū qui non sum dignus vocari apostolus, quoniā persecutus sum Ecclesiam Dei. Certè cùm dignissimus esset Apostolus tantam humilitatem decerpsit, vt nō se putauerit dignum. Et alibi etiam dicit. Christus Ie- 1.Tim.1 sus venit in hunc mundum peccatores saluos facere: quorum primus ego sum. ¶ Secundò non solū humilitatis fructū parit peccati ruina, verū & prudentiā in posterū: nam sicut auiculę laqueos vitare cautissimè solēt, quibus aliquādo pręceditę alarū & corporis iactatione se explicuerunt: sic peccatores diaboli cōpedes formidāt, in quibus semel aut bis detenti sunt rursus, quemadmodū spinæ inter vineas noxiæ sunt, verùm si eleuātur, & circuncirca pro sepe ducātur, alia noxia prohibēt, sic peccata in anima quidem valde nocēt virtutis fructum impedientia, si eradicentur, tamen & in memoriæ vallo statuantur, ad omnia vitia firmissimū erunt propugnaculum: peccati nanque memoria, pec- Psalm.150 catorem deinceps reddit cautiorem. Sic Dauid, Peccatum (inquit) meum contra me est semper.

¶ Tertiò, surgens peccator à peccato, sæpè feruentior incedit & velocior in via Dei, sicut viator solet qui comitibus pręcedentibus festinat, vt illos consequatur, ne fortè aut erret, aut solus viam faciat. Hinc ergo poteris Dei perspicere bonitatē, quandoquidem tot cōmoda ab ipso peccato nobis conficit, vt in hoc publicano videmus, qui de superbo humilis factus, procul in angulo templi pudibundus cōsedit, culpam suam fassus, illiúsque

veniam

veniam implorans humiliter?Singula autem cõsideremus. Primò à longe stabat, quia conscius scelerum suorum se indignum veniæ reputans nõ audebat Deo appropinquare. A longe stabat quem sua peccata longe eum à Deo posuerunt. Hoc est vnũ veræ conuersionis principiũ, cùm peccator cognoscit quod longe à Deo recesserit. Tale fuit filij prodigi conuersionis initium, cognitio videlicet elongationis à domo paterna. Quanti (inquit) mercenarij in domo patris mei, &c. Surgam & ibo ad patrẽ meum. (Luc.15) Iuxta exemplum hoc, qui gratiã apud Deũ inuenire & cõsequi volumus à lõge stare debemus in humilitate, nos, nostraque peccata considerãtes nobis ipsis displicere, nos ipsos corripere, & dignã agere pœnitentiam. Præterea à lõge publicanus stabat, sed Dominus illum de propinquo intuebatur. Sic quo magis quis se humiliat magis accedit Dominus, quo verò magis se extollit, magis recedit ab eo. (Psalm.63) Vnde Dauid. Accedet homo ad cor altũ, & exaltabitur Deus. Fugit nanque Dominus superbos, & illos qui se ope sua eleuare nituntur, qua de causa humilibus quo propinquior est, eò ab arrogãtibus remotior. (Pudor publicani de peccatis commissis.) Secundò nolebat oculos ad cœlũ leuare præ pudore suorum scelerum. Pre pudore reformidabat maiestatis diuinæ conspectum. Hæc est vera cordis humilitas, hæc vera animi submissio, vbi homo ex consideratione suorũ peccatorũ ad considerationem maiestatis diuinæ ascendit, & coram eo totis artubus contremiscit. (Esdr.9) Quemadmodum in Esdra videmus, qui cũ pro populo oraret, dicebat. Deus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrũ, & delicta nostra creuerunt vsque ad cœlum. (Luc.7) Sic etiã Magdalena indignam se reputauit coram Christo apparere, atque pudibũda stetit retro, & ad pedes eius sese abiecit atque ibi perseuerauit cũ lachrymis, tergẽdo, osculando, & vngẽdo, & erigere se nõ audebat, vt Christum aut quemquam alium intueretur, donec verbum consolatorium audiret. Remittuntur tibi peccata tua. Talis spiritus exigitur ad pœnitentiam, & vbi Deus pro remissione peccatorum rogatur. Et sanè quidẽ peccator indignus est qui cælũ intueatur, qui Dominum cœli offendit, atque ideo debet peccator faciem Dei vereri postquã peccauit sicut mulier adultera, quæ virũ grauiter læsit, & vir misericors parcens ei, apparet illa confusa & verecunda ante maritum. Tu autẽ ô anima peccatrix quanto maiore pudore apparebis in conspectu Christi, cui per sacramenta Ecclesiæ & fidem fuisti desponsata? (Ierem.3) Quoniam fornicata es (vt inquit propheta) cũ amatoribus multis. Non cum vno sed cum multis, nõ semel sed sæpissimè. Cur igitur nõ mœstissimo & non turbatissimo vultu ante oculos spõsi tui venire audebis, quem tam graui iniuria affecisti? (2.Par.36) Rex Manasses in sua oratiõe dicebat se indignũ esse vt cœlum videret. Discat igitur peccator quanta cum humilitate & verecundia Deum precari debeat, ita videlicet vt culpam suam agnoscens præ verecundia non audeat apparere corã Deo, sicut hic publicanus qui oculos nõ audebat leuare. (Psal.50) Hoc etiã Dauid fecisse scriptura cõmemorat, quia dixit, Miserere mei Deus, nõ audẽs nomẽ suũ prodere præ verecundia & pudore. Nõ enim cum veniam petebat dixit, miserere Dauid, sicut alibi dixit, (Psal.131) Memẽto Domine Dauid, aut sicut alibi blãdiens dicit, filius ancillæ tuæ, aut puero tuo. (Psal.115, Psal.68) Quia hæc nomina familiaritatis sunt, & ideò magis occasionem cumulandi culpã, quàm minuendi tribuerẽt. Denique vt Paulus orationẽ deferre præcipit cum verecũdia & sobrietate. (1.Tim.2) Tertiò percutiebat pectus suum. Percutiebat pectus vbi erat cor, ex quo omnia peccata pullulant, iuxta illud Saluatoris, De corde exeunt quæ coinquinãt hominem, nẽpe furta, homicidia, &c. (Matt.15) Hanc ergo voluntatem nostram, propriũmque cor percutere debemus, iuxta illud, Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. (Ioel.2) Arbor quæ radicitus euellitur, terram in qua hærebat deiicit. Sic peccatũ quod radicitùs & omnino euellitur, cor commotũ & afflictum relinquere debet. Pectus igitur percutiendum est à quo culparum emanarunt libidines. Theseus rex Herculi qui vxorẽ suam & liberos interfecerat, dicebat, Percute, percute ictu valido pectus istud, non enim debet blandè tractari ea pectora quæ tantis sceleribus conscia extiterunt. (Confessio publicani.) Quartò, ore simul & corde dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori. Breuis oratio & efficax. Primò confitetur Deum tanquam misericordẽ, qui solus ipse, & non alius potest peccata dimittere, iuxta illud quod ipsemet inquit per Esaiam, Ego sum qui deleo iniquitates tuas. (Esai.43) Quis enim potest peccata dimittere, nisi qui sine peccato est? (Iob 14) Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? Nõne tu qui solus es? Deinde seipsum fatetur peccatorẽ qui neque bona opera, neque merita habeat, quæ possit pretexere, sed quòd omnis sua spes precipuè in misericordia Dei posita sit. Præterea nõ accusat alios, non satan, non astra, non carnis amicos, sed seipsum, & ideò dixit, Mihi peccatori. Atque hac de causa dicitur etiam hîc quòd suũ pectus percutiebat, quia sciebat, quòd peccati causa erat ipsa voluntas. Sic Dauid, Miserere mei Deus, &c. Et sequitur, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. (Psal.50) Iterum quoque dixit, Confitebor aduersum me iniustitiam meam domino. (Psal.31)

¶ Ad nostram autem eruditionem discamus ex humili huius publicani cõfessione culpam nostrã cognoscere, & proprium pectus nostrum tundere, & nobis ipsis veniam petere, non defendẽtes peccata nostra, nec aliquẽ accusantes, sicut patres nostri Adam & Eua fecerunt. (Gene.3) Adam traiecit culpam in mulierem, & in ipsum Deum qui illam dederat tam molestam, & mulier accusauit serpentem. Ad excusandas (vt inquit Dauid) excusatiões in peccato. (Psalm.14) Vnde Paulus cõsulit dicens, Non vos defendẽtes charissimi. (Rom.12) Iudas filius Iacob licet innocẽs esset propter cyphum inuentum in sacco Bẽiamin, seipsum accusauit dicens, Quid respondebimus Domino nostro? (Gene.44) Deus inuenit iniquitatem seruorũ suorũ. Et ille qui peccatũ nõ fecit nec inuẽtus est dolus in ore ei9, signa peccatoris habere voluit, voluit circuncidi, & cũ iniquis reputari. (1.Pet.2, Luca 2, Esai.53) Quare ergo nos tãtis criminibus obruti, nõ humiliter culpas nostras fatebimur? Iacob quia lenis erat, nuda colli & manus pellibus hædi texit, in signum vt vir iustus & innocens peccatorem se debeat reputare, nã quo humiliùs & liberaliùs professus fueris peccata tua, eo faciliorẽ Dei erga te misericordiã reddis, quanto verò pertinaciorẽ te præstiteris in peccatis tuis defendẽdis, tantò indignior venia efficieris. (Gene.27) Quod si clariùs volumus videre, conuertamus oculos in hũc pharisæum, cuius superbæ orationi prælata est publicani humilis confessio, quod etiam ex iis quę in textu sunt elucescunt quæ Dominus dixit, para-

bolam applicans.

Dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.

Hoc est, magis quã ille pharisæus, qui sanctitaté sibi vendicabat. Hebræi enim sua côticiũ nt côparatiua, per propositionem, mé, quæ est, ab, quam interpretes vertunt, quàm, positiuis subiunctam. Vt bonus sum ego a patribus meis, id est, melior quã patres mei. Et Esaias. Multæ filiæ desertæ, &c. Et in Psalmo. Bonum est côfidere in Domino quàm côfidere in homine. Idest, melius est confidere in Domino, quã in homine, & melius est côfidere in Domino, quã in principibus. Vnde Beatus Ambrosius in libro de fuga seculi, allegãs illud, quod Domin' dixit serpenti. Maledictus eris inter omnia animãtia & bestias terræ, & cũ in codicibus septuaginta interpretum legisset maledictus tu ab omnibus pecoribus terræ, ait ipse quod serpẽs esset maledicẽdus ab omnibus animãtibus terræ, eò quòd omniũ malorum nostrorum causa & origo fuit. Sed salua pace tanti doctoris nescio an hũc Hebraismũ exacte percalluerit vir sanctissimus, & Ecclesię doctor eximius, nam septuaginta transtulerũt maledictus tu ab omnibus animãtibus, intellige præ omnibus & magis quàm omnes. Similiter hîc descẽdit iustificatus ab illo, idest, magis quàm ille. Et ne quis existimet interpretationem nostram reiiciendã, Diuus Hieronymus aduersus Pelagianos citat iustificatus plusquam ille, & Augustinus epistola octuagesimasexta ad Cassulanum ita scribit, Non dixit damnatum Pharisæum, sed magis iustificatum dixit publicanum.

3. Reg. 19 Esai. 54 Psal. 117 Amb. de fuga seculi. c. p. 7 Gen. 3

¶Ad nostram autem eruditionem duo hîc obseruanda sunt. Primum obserua. Si humilitas cum peccatis tantum valet, vt etiam pharisæi sanctitaté superet, quid effecisset eadem humilitas cùm pieta te coniuncta? Rursus. Si arrogantia adeò mala est vt sanctitatem vincat, si fuisset cũ peccatis aliis copulata, quid egisset? Secũdò si Christ' dãnat eos qui gratias sibiipsis tribuunt de bonis quę ipsi faciũt, & in quibus habent partem, quantò magis damnabit eos qui se iactant de bonis in quibus ipsi nihil fecerũt: In ieiunio enim & eleemosyna & aliis operibus virtutis homo aliquid habet, & ipse operatur cum Dei auxilio, nihilominus tamen detestatur dominus eos, qui gloriam Deo non tribuũt, vt in hoc pharisęo. Sed in corporis pulchritudine, nobilitate sanguinis, virium fortitudine, & diuitiis quas ex parentibus hæreditasti, in his non habes partem, nec aliquid tu egisti, vt nobilis esses, aut pulcher.

¶Igitur si de bonis quæ nos facimus gloriari nõ licet, quantò magis abominabitur Deus illos, qui de diuitiis aut generis nobilitate, vel corporis fortitudine seu pulchritudine se iactant, & gloriantur. Abominabiliores & stultiores sunt isti, quàm illi qui de his quæ fecerũt gloriantur. Tertiò discamus bonorum nostrorũ obliuisci, & peccata recolere, memoria enim bonorum sæpè superbiam generat: vt licet videre in hoc pharisæo. Lege de hoc Gregorium. Sed Christus concludit dicens,

Gre. lib. 22. mor. capit. 7

Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

Regulariter loquẽdo nõ intelligitur hoc de hac vita in qua multi extolluntur & eleuantur supra se ipsos, & superbiunt, & nunquam abiiciũtur in hoc sæculo, sed reuera humiliabũtur in inferno. Solet tamen Deus in hoc mũdo eos superbos humiliare, ad exemplum & correctionem eorum, vt humiliauit Pharaonem, Goliath, Saulem, Holophernem, Aman, Senacheribum, Nabuchodonosoré, Antiochum, Herodem, & alios. Porrò hîc, humiliabitur, non pro humilitatis virtute sumitur nisi pro abiectione & vilipẽdio. Sic sumitur illud quod Beata virgo dixit, Respexit humilitatem ancillæ suæ. Hoc est paruitatem, seu exiguitatem, vt in expositione huius cãtici annotauimus. Sic etiã illud quod in Exodo habetur intelligẽdum est cum de virgine vitiata dicitur, Si humiliauerit eã, quia post perditam virginitaté non est tanti valoris aut existimationis. Scit enim dominus hos superbos humiliare. Vnde serpẽti dixit Deus. Super pectus tuum gradieris. In hoc videbis quid pariat excellétiæ appetitus, nẽpe deiectioné, & qui supra se sine Deo extollitur, infra se deiicitur. Serpẽs voluit esse vt homo, & effectus est omni bestiæ agri inferior. Sic etiam quia homo voluit ad Deum ascendere, ab bestias descendit. Luca 1 Exod. 22 Gen. 3

¶Obserua etiam quòd hæc sententia ter legitur in Euangelio. Vna in euangelio Matthæi, & bis in nostro Luca, hîc, & in capite quartodecimo, ad innuẽdum triplicem humilitaté, cordis, scilicet, oris, & operis. Et quia in quartodecimo capite huius superiùs iam hæc verba interpretati sumus, nũc nolo amplius in his verbis demorari. Verùm pro côclusione huius doctrinæ, quam Christus in hac parabola docet, aliqua sunt obseruanda. Matth. 23

¶Primum est, quantum sit arrogantia ac vana gloria, vel quæcunque superbia fugienda. Hoc est quod in primis Christus hîc docet, videlicet, vt omnem superbiam fugiamus, quãtum autem sit flagitium superbia, vel ex hoc poteris cognoscere, quòd permittit dominus alia multa peccata curandę superbiæ causa. Dixit Dauid in Psalmo, Ego dixi in abundantia mea, nõ mouebor in æternum. Cui arrogãtiæ vt posit medicina adhiberi, permisit De' vt homicidium & adulterium, vitia teterrima committeret. Quare dixit idem propheta, Auertisti faciem tuam a me, & factus sum côturbatus? Nec minus Diuus Petrus viribus suis plus nimio fidés, dixit, Si omnes scandalizati fuerint in te, ego autem nunquam scandalizabor. Posteà verò hãc arrogantiam tuã periurio confutauit. Vide igitur quantum sit superbia flagitium Siquidem (vt iam dictũ est) permisit Deus in Dauide & in Petro alia peccata: hac de causa scilicet, vt arrogantiam deponerent. Nunquam enim permittuntur vitia, nisi ad alia maiora delicta euitanda. Cùm autem dominus, vt superbiam exterminet, alia peccata permittat, patet superbiam esse omnium flagitiorũ maximũ. Hinc intelligitur maxima illa difficultas, quare Deus permittat iustos sępenumerò in hoc sęculo variis laboribus & calamitatib' torqueri. Cùm impij è diuerso voluptatibus affluant, quoniam adeò exoptat à nobis superbię telum declinare, vt etiam amicissimis multa eripiat vitæ bona, incommodaque obiiciat, ne rerũ prosperitate extollantur & superbiãt. Vnde Paulus, Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi spiritus Satanæ qui me colaphizet. Ecce charissimo sibi & electissimo viro nõ dubitat Deus spiritum Satanæ iniũgere, vt nõ perdat, sed vt admoneat, ne vnquam suæ fragilitatis obliuiscatur. Secũdò obserua superbiæ mirabilem pertinaciam, quæ omnium vitiorum exercitu profligato, sola in campo audet manere, virtutique per totam hominis vitam repugnare. Arma autem virtutis

Psal. 29 Matt. 28 2. Cor. 12

tutis non modo nõ timet,sed etiam virtutis vulneribus,magis magísque roboratur,humanæ fragilitati tribuens, quòd gratia diuina operatur. Quare quemadmodū vmbra corpus, nisi vndequaque illustretur,consequitur,sic superbia virtutē,nisi quis ita effulgeat luce probitatis, vt nihil loci tenebris vitiorū relinquat.Oportet igitur dum viuimus,iugiter cum superbia pugnemus,quoniam cæteris vitiis debellatis fortiùs in pectore solet radicari, à quo nisi penitùs eradicetur,omnis victoria pro nihilo reputāda est.Quantū autem superatis vitiis superbiā exturbare debemus,tantū humilitatem amplecti virtutibus receptis.Quando igitur non modo innocens,sed etiam misericors,fidus,& religiosus euaseris, memēto semper humilitatis, vt nihil superbiæ loci relinquatur, quæ perpetuò pugnat. Nunquam defatigatur,& interdū sola sine aliorum vitiorum adiumento expugnat cordis humani propugnacula,vt in hoc pharisæo videm',qui omnia alia vitia superauerat,& à superbia miserrimè captus est. ¶ Discamus etiam non confidere de nobisipsis, tanquam iustis, sed semper nos miseros fragiles, & ad nihilum existimemus. Ad quosdam enim qui se tanquam iustos existimabant, locutus est Christus hanc parabolam.Docet enim hæc parabola quantum Deus odiat arrogātiam, & superbiam,& quantum diligat humilitatem.Nam superbiam Deus nūquam potuit aut voluit pati,aut impunitam relinquere.Experti sunt hoc angelus qui Genes.3 cecidit de cœlo, & Adā qui eiectus est de paradiso,& alij innumerabiles quorum nomina longum Psal.35 esset recensere.Ideò Dauid orabat.Domine nō veniat mihi pes superbiæ, ibi enim ceciderunt, qui operantur iniquitatem. Iudith quoque, Superbi Iud.9 non placuerunt sibi ab initio.

¶ Docet etiā hæc parabola ne in nobis fidamus, sed quantumcunque exaltati fuerimus, habeamus humile cor, & casum timeamus, cōstituamus omnem fiduciam in Deo nō in nobisipsis.Nihil perniciosius quā si quis propriis suis glorietur,nimiūque fidat,quippe super arenam is ædificat virginibus fatuis similis,qui lampades habebant,sed non Luca 6 Matth.25 in illis oleum. Speciem solùm boni habebant corā hominibus,placebant sibiipsis sed veniente spōso lampades extinguebantur,& cogebantur præ foribus stare & frustrà pulsare.Sed de his satis. Sequitur in contextu.

Afferebant autem ad illum infantes vt eos tangeret.

Turbæ hoc faciebant,vt dicitur in Matthæo,cre- Matt.19 dentes per manuū impositionem dari eis aliquam virtutem.Videbant enim per manus Christi multa miracula fieri,quia mox vt aliquid tāgebat volens sanare sanabat,sicut leprosum cùm descenderet de Matth.8 monte.Ideò Iairus rogabat eum vt imponeret ma- Luc.8 num super filiam suam,vt viueret,& sic tetigit eā, Matth.26 & duos cæcos quos illuminauit tetigit,& cæcū na- Ioan.9 tum,& cùm suscitauit adolescētem tetigit loculū. Luc.7 Et ideo credentes Iudæi quod illi quos tangeret liberarentur ab incursibus dæmonū,& ab aliis malis,offerebant ei paruulos tangendos.Parentes tamen non erant frustrati à desiderio suo,nam suscipiebant quod parentes vel offerentes desiderabāt consequi paruulos per illum tactum,nam si nihil consequeretur inutilis esset tactus & deluderet offerentes.Quod autem esset bonum quòd eis Christus conferebat tangendo eos nemo sufficiēter dicere potest,quia nemo scire potest quantæ virtutis esset tactus manus Saluatoris, vnde aliquibus ma- *Tactus manuum Christi eximia.* gna & aliquibus minora cōferebātur, secūdū quod Christus eos ad inæqualia bona disposuerat peruēturos. Paruulos nostros sacerdotibus offeramus, qui locū Christi habent in terris,vt benedicāt eos, nam ex benedictione sacerdotum imponēdo manus super eos,magna bona consequūtur. Nō enim sunt illi qui benedicunt,sed Deus qui effectum benedictionis infundit, sacerdotibus benedicētibus nos,idest,bona petentibus. Et ita dixit Deus sacerdotibus legis Mosi,vbi Deus tradidit formā bene- Num.6 dicendi,dicens Mosi.Loquere Aaron,& filiis eius. Sic benedicetis filios Israel,& dicetis ad eos.Benedicat tibi Dominus,&c.Sequitur.Inuocabunt nomen meum super filios Israel,& ego benedicā eis. Et tamen sacerdotes noui testamenti sunt multò excellentiores sacerdotibus veteris testamēti,sacrificium nostrum est excellentius illo sacrificio vmbratili, ideo multo perfectiùs benedicere poterūt sacerdotes nostri quàm sacerdotes veteris testamenti, & licet omnes possunt benedicere, sed sacerdotibus magis conuenit quàm aliis,quia istis est data talis potestas à Deo in veteri lege,& non aliis, ideo ab istis est benedictio expectanda. Sed ad contextum.

Quod cùm viderent discipuli increpabant illos.

Non faciebant per contemptū neque per inuidiam hoc,sed potiùs per ignorantiam,putabant enim apostoli infantes nulla vtilitate Christo offerri,& etiam vt importunitatem offerētium vitarēt. Pia intentione hoc faciebāt, licet nō secundū sciētiam,& ideo Christus monuit eos. Vnde sequitur.

Iesus autē conuocans illos dixit. Sinite paruulos venire ad me,& nolite vetare eos,talium est enim regnum Dei.

Non dixit istorum, sed talium, vt ostendat non considerare ætatem,sed mores. Atque ideo subdidit dicens.

Amen dico vobis quicunque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

Opus est,vt simus paruuli nō sensu(vt inquit Pau- Ephe.4 lus)sed moribus. Paruuli enim non sunt ambitiosi nec honores appetunt,& in puluere sedēt,nec ambiunt cathedras primas.Sic nos oportet esse humiles despicientes hæc vana mūdi,& nos ipsos humiliātes.Vnde per Esa.dicitur.Descēde & sede in pul- Esai.47 uere.Secundò sunt sine malitia.Sic nos iuxta illud Pauli.Malitia paruuli estote.Tertiò non seruāt irā, 1.Cor.14 sed facilè placantur.Ideò Apostolus. Sol nō occidat super iracundiam vestram. Quartò sunt casti. Ephe.4 Quapropter Paulus admonet Timot.Teipsum ca- 1.Tim.5 stum custodi. Denique vt lachrymæ arma infantū sunt,quas si ab aliquo læduntur statim effundunt. Ita piorum arma sint fletus & dolor, quibus infernos hostes profligare,& arcē cœlorum capere possimus,in qua posteà lōga æternitatis serie lætemur, querelas autē omnes Deo nostro exponamus, qui ait:Mihi vindictam, & ego retribuā.Sed de his sa- Rom.12 tis.Vnum hîc tamen obseruandum est,quanti pretij sint paruuli ante Deum.Fleuit Agar in solitudi- Genes.21 ne,& dominus non quidem vocem matris,sed vocem pueri audisse dicitur.Vt ex hoc discamus quāti faciat Deus infantes & eorum fletus, lachrymas & orationes. Vnde solemus in necessitatibus innocentū lachrymas ad Deum mittere. Sic etiam rex Niniuitarum etiam paruulos ieiunio afflixit, Iona 3 quemadmodum apud Ionam legimus,Sed procedamus. *Et interrogauit eum quidā princeps dicens, Ma-*

gister bone quid faciens vitam æternam possidebo?

Solebant Hebræi per prophetas ea quærere, de *1.Reg.9* quibus dubitabant. Saul quærens asinas pergit ad *3.Reg.14* videntem, ita enim prophetam appellabant. Aegrotante filio Ieroboam mittitur vxor eius in Silo ad *2.Reg.7* Abiam prophetam. Dauid etiam consulit prophe- *Iosue 9* tam Natham, vt templũ ædificet. Cùm Gabaonitæ fraudulẽter locuti essent filiis Israel, ait diuina scriptura eos deceptos fuisse, quia os domini nõ interrogauerunt, vbi per os domini intelligitur diuinus vates, per quem Deus loqui solebat, quem interrogare deberẽt. Itaque cùm mos esset Hebræis diuinos vates cõsulere & interrogare, ideo hic princeps Christum dominum interrogat quid sit acturus, vt vitam æternam possideat. Audierat Christũ dicentem, qui non fuerit sicut puer nõ intrabit in regnũ Dei, & ideo sũpta hac occasione quæsiuit, quid esset facturus, vt illud regnũ possideret. Expẽde autem adolescentem diuitem, & principẽ qui cũ tot afflueret diuitiis & honoribus non de rebus externis aut vanis quærit, sed de cœlo & de vita beata. Profectò sat hoc est viri probi signũ, sed paucis nũc est hæc solicitudo, omnes quærũt quomodo principum fauores venẽtur, quomodo prælati, fiãt aut quomodo bona terrena, aut honores adipiscantur. *Matth.6* Cur nos etiam hæc nõ tãgit cura? Vita hæc nostra fugax, sed ex hac vita pendet æterna. Cur ergo hæc cura non vehementer nos angit? Docuit ergo hîc adolescẽs primũ quærere regnum Dei, & iustitiam *Rom.6* eius. Docuit primum exhibere membra nostra ar- *2.Cor.5* ma iustitiæ in sanctificationem. Docuit ita habere terrena, ac si ea non possideremus. Qui enim diuitias habens anxius est de vita æterna, ita eas habet *Lege Aug. ad* ac si non haberet. *Dixit ei Iesus, Quid me dicis bonum?* *Mar. epist. 52.* *Nemo bonus nisi solus Deus.* Homines & cæteræ res vocantur bonæ cum limitatione, bonum tamen absolutè non dicuntur, quia hoc non competit, nisi ei qui habet totam naturã bonitatis qui est Deus. Quia sicut in eo est tota natura entitatis, ita & tota bonitatis natura. Sicut ergo accipiendo propriè esse, nemo est nisi Deus, ita accipiẽdo bonitatem absolutè, nemo est bonus nisi ipse solus. De suo esse *Exod.3* dixit Moyses. Qui est, misit me ad vos, quasi ipse solus esset. Idem dicendum est de bonitate. Tamen limitatè vocatur homo, bonus homo, bonus miles, vel bonus geometra, &c.

¶ Secundò potest intelligi quòd solus Deus est bonus, .i. de seipso bonitatem habens suã, & non accipiens ab extrinseco, cætera autẽ non habent bonitatem nisi communicatam eis à Deo, & ideo datur eis pars bonitatis, & nõ tota natura boni. Ideoque homo vocatur bonus participatiuè, non tamẽ absolutè, nec bonitatem habẽs à seipso, sicut Deus. Docemur hinc primò Deũ super omnia diligere. Quia si obiectum voluntatis est bonum verum, vel bonum apparens, ita vt volũtas nihil diligere possit nisi sit sub ratione boni, si adeò creaturã amas, in qua tantillum bonitatis apparet, cum aliàs mille sit defectibus vitiata, cur Deum totum bonum, totum perfectũ non amas, à quo quidquid in mũdo est bonitatis & perfectionis emanauit? Præterea si tantopere creaturarũ amori indulges, cur non potiùs amores omnes ad Deum conuertis? in quo omnis bonitas, omnis perfectio est, quo non modo voluptatem in hoc sæculo, sed etiam beatitudinem in altero consequeris? Sed quia de hac re multa disseruimus in libro quẽ nuper ædidimus meditationũ dilectionis Dei, præsertim meditatione tertia, nunc ad alia gradum faciamus. Docemur itaq; secundo ex hac Christi respõsione, vt cùm laudamur reflectamus oculos mẽtis nostræ ad defectum nostrũ, & ad eius quod in nobis laudatur depẽdentiã à Deo, & sic laudem nobis exhibitam in Deũ cui debetur retorqueamus, dicendo. Nemo bonus nisi solus Deus. Quid me dicis bonum, iustũ, aut sapiẽtem? Mea non sunt, nisi quæ ad defectum spectãt. Deus autem solus est, cuius sunt, quæ ad perfectionem quæcũq; spectant. Sic sancti solent cum laudantur Deo laudes referre. Sic Iudith, fecisse legi- *Iudi.16* mus, quæ cam magnis præconiis à populo laudaretur, ipsa in Deum laudẽ referẽs, ipsum cantico solemni celebrauit: Incipite domino in tympanis, canite domino in cymbalis, &c. Sic beatissima virgo cũ laudaretur ab Elisabeth, ipsa laudes omnes Deo *Luca 1* retulit dicens, Magnificat anima mea dominũ. Sciamus nos quod Deus ipse solus bonus est, à quo si quid boni habemus est nobis communicatum, atq; ipsi tantum sit pro omnibus honor & gloria in sæcula *1.Tim.1* sæculorum. Sed Christum audiamus. *Mãdata nosti? Non occides.* Via cœli est obseruatio mandatorum. Obserua autem hic, quòd Christus non posuit hîc præcepta primæ tabulæ, quæ ad Deum pertinent, sed solùm posuit præcepta secundę tabulę ad proximum pertinentia, quia in præceptis secũdæ tabulæ includũtur præcepta primę tabulæ, quia in dilectione proximi includitur dilectio Dei. Deus enim diligitur ex charitate propter seipsum, & proximus propter Deum, & ideo non potest aliquis diligere proximum, quin diligat Deũ si dilectio est ex charitate, secus est de dilectione naturali, aut carnali, aut vtili. Itaque ponendo præcepta secundę tabulę omnem legem posuit, cũ omnis lex sit in dilectione proximi vel præsupponatur ab ea. Ideo Paulus ait, Qui diligit proximum, legem impleuit. Et iterũ, *Rom.13* Si quod aliud præceptũ, est in hoc verbo instaura- *Gala.5* tur, diliges proximum tuum sicut teipsum. Charitas enim proximi præsupponit necessario charitatem Dei. Est tamẽ prior dilectio Dei ratione & natura, in quantum secundũ ordinem charitatis diligitur proximus nõ propter se, sed propter Deum, & ideo Deus priùs diligitur. Ait itaque dominus. Non occides. Tantum enim Deus homicidium detestatur, vt eum etiam qui per errorẽ occiderit hominem exilio relegandum putet, vt in Numeris le- *Num.35* gimus. Fugiet homicida in vrbem manebitque ibi donec sacerdos magnus qui oleo sancto vnctus est moriatur. Et si homicidia qui sine culpa occidit, sic à domino castigatur, quid faciet illis qui insidiosè & malitiosè hominem occidunt? Ideo si aliquando voluntas aut animus occidendi occurrerit, cogita hominem esse ad imaginem & similitudinem creatoris tui, & quemadmodum nõ auderes in Deum malum illatum vindicare, aut in eum manum mittere, ita eam extendere in eius imaginem time, quę ad viuum refert ipsum Deum.

¶ Aduerte autem quòd potest quis sine peccato *Homicidium* occidere hominẽ in quatuor casibus, s. in bello iu- *quando licit.* sto, pro iustitia publica, vt iudices, & eorũ ministri: defendẽdo bona sua, & defendẽdo seipsum & propriam vitam. Omnibus autẽ aliis casibus mortaliter peccat, qui hominem occiderit, & etiã in trib. primis casib. quamuis homo nõ peccet occidẽdo, tamen irregularis est, sed defendẽdo seipsum, occidendo inuasorem, nõ solùm nõ peccat, sed nec est

irregularis.

¶ Obserua etiam quòd tantū est hoc peccatum maximum, vt de isto peccato dicat scriptura, quòd clamat ad Deum, iuxta illud quod dominus dixit
Genes.4 ad Cain. Sanguis fratris tui clamat ad me, &c. Quatuor enim sunt peccata quæ clamāt ante Deum, & petūt vindictam. Primum est homicidiū sicut sanguis Abel clamat. Secundū est oppresśio innocen-
Exod.2 tum, iuxta illud quod in Exodo habetur. Ascendit clamor filiorum Israel ante Deum. Tertiū est pec-
Gene.19 catum Sodomiticū, quia in Genesi dicitur, Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus est.
Iacob.5 Quartum est detentio mercedis mercenariorum. Ideo Iacobus Apostolus ait. Ecce merces operariorum vestrorum quæ fraudata est à vobis clamat, & clamor eorum in aures domini Sabaoth introiuit. Hæc tria vltima peccata clamant ad modum homicidij, quia sunt quasi homicidiū. In peccato Sodomitico perditur quod potuit esse materia corporis humani, ideo quasi homicidiū. In oppresśione verò innocentū & retentione mercedis aufertur pauperibus vita eorum, & ideo à Deo quasi homicidiū
Eccle.34 reputantur. Vnde in Ecclesiastico habetur. Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illū, homo sanguinis est. Et ibidē. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Puniūtur etiam homicidę irregularitate, etiā illi qui sine culpa occidūt in casibus in quibus diximus, & qui cū culpa occidunt licet pœnitentiam agāt. Sic domi-
1 Para.28 nus dixit Dauidi regi, Non ædificabis domum nomini meo, eò quòd sis vir bellator, & sanguinē fuderis. Vide quantum Deus abhorreat homicidiū, & illud detestetur. Impiisśimum enim est hominē occidere pro cuius vita Deus ipse mori dignatus est. Sed aliud præceptū videamus. *Non mœchaberis.* Prohibet Christus hîc non solùm adulterium, sed etiam omnem simplicem fornicationem: nam qui accedit ad non suam mœchatur, omnis autē mulier quam non copulauit coniugio nō est sua, cum qua mœchatur. Omnem nanque fornicationē prohibet hic dominus. Quapropter simplex fornicatio contra legem diuinam est, & cōtra naturalem. Cōtra legem diuinam non est dubium, cum Christus
Matt.15 in Matthæo loquēs de his quæ coinquinant hominem, inter alia nominauit adulteria & fornicatio-
Galat.5 1.Cor.6 nes. Et Paul⁹ ad Gala. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt adulteria, fornicatio, &c. Et ad Cor. ait. Nolite errare, neq; fornicarij, neq; idolis seruiētes, &c. Quod autem sit contra legem naturalem euidens est, nā si simplex fornicatio liceret, nullus duceret vxorem vt perpetuo iugo esset coniūctus. Secundò, quænam esset filiorum educatio, vbi nullus vir fœtum crederet esse suum? Tertiò, quis esset qui filios vellet sanctè instituere & erudire si existimare posset alienos esse quos instruere parabat? Quartò vbi esset illa hominū sācta & firma amicitia, quę ex matrimonio per consanguinitatē & affinitatem germinat, & firma perseuerat? Quintò, zelo, iniuriis & cædib⁹ totus orbis macularetur, si viri quas amare cœpissent ab aliis viderent amari, quærētes duo vel tres viri vnam pulchram fœminā, inter eos essent maximæ discordiæ & rixæ. Sextò, viris senio cōfectis, quis filius præsēs remediū afferret, si patrē esse dubitaret, quem senio pręmi videret? Septimò, sane de pudore & verecundia actū esset, si fornicādi libido impunè per homines grassari posset. Octauò pulchris fœminis fornicariis parata essent cōuiuia, sed castis & iā vetulis quis prouideret? Nonò, si fornicari liceret, nullas futuras domos, nullas ciuitates, nullamque politiam fore. Quod enim domos firmat est matrimonij indissolubilis nexus, ex domibus enim firmis firmantur & vrbes. Decimò, tolleres etiam regnorum legitimas successiones, quia rex reginæ partum non crederet esse suum, sed forsan pastoris aut vilis personæ, &c. *Non furtum facies.* Hoc præcepto prohibetur non modo nequis rei alienæ proprietatem retineat inuito domino, sed etiā nequis vsum & possessionē vsurpet. Est autem maximum & saluberrimū præceptū quo in primis respublicæ conseruātur. Nulla namq; vnquam fuit tam barbara ciuitas, aut imperium, quòd furta acerrimo iudicio plectenda nō censuerit, quin etiam vt autor est Pius Papa II. in sua cosmographia, & Mar. Ant. Sabel. li. 5. Aeneadis decimæ prope finem: Carinthiæ & Austriæ habitatores, in quadam parte quę Age furmi vocatur, legem sanxerunt, vt qui in furti patrandi suspicionē venisset, ilico suspenderetur. Dracon etiam Atheniensium legislator præcepit, vt pro quocūque furto latrones occiderentur. Quod ea de causa apud has nationes fuit statutum, quoniam nihil est paci inimicitius, aut magis cōtrariū quàm latrones, qui ideo legib. humanis & ciuilibus tā acriter puniuntur. Nam omnes alij scelerati homines nocēt quidem reipublicæ, minus tamen latronibus, qui nisi punirētur, nemo res suas posset tuto posśidere, pro quibus defendēdis committerentur quotidie homicidia, seditiones, & scādala, orbisque in interitū rueret. Quare sapientisśimè hoc præcepto, sicut & reliquis consuluit Dominus humanę fragilitati, nō modo furta prohibens sed & latrones capitali pœna plectendos esse censens. Sic enim fecit Acham quem cum tota familia lapidari iussit, eò quòd ve- Iosue.7
stem auream que regulam Hierico rapuerat.

Non falsum testimonium dices. Multò nequiores meo iudicio sunt hi quàm superiores, illi enim bona corporis furātur, at isti animi. Quare quò anim⁹ corpore præstantior est, eò animi bona corporeis præstā̄t, & sic quia animo nocet dignior est supplicio. Vnde lege talionis merito damnantur calumniatores, eandem pœnam subeūntes quam illi erāt subituri, quos infamarunt si verū fuisset crimē. Sic in Prouerbiis dicitur. Testis falsus nō erit impuni- Prouer.19
tus. Atque ideo illi senes, qui falsum testimonium Dan.13
contra Susanā dixerunt, noluit dominus vt impuniti manerent, sed à populo interficerentur.

Honora patrem tuum & matrem. Sed cur è diuerso, non præcepit etiam Deus vt parentes filios diligerent? facilè respondetur, Quoniam id naturę humanæ ingenium est, vt nulla regio sit tam barbara vbi filij parentibus nō sint charisśimi. Nemo enim carnem suam odio habet. Quomodo esse potest, vt pater filio indigēti si potest non subueniat? Cuius rei etiam in brutis exēpla habemus. Nam gallina pro pullis suis nō dubitat se omni periculo opponere, multuóque, fragilitatem suam non considerās resistere. Idem in fele, cane, suéque videmus. In cæteris autē que mansuetiora sunt, licet non pugnent, mærent tamen in filiorum periculis, & raptorē flebilibus vocibus insequuntur. Superuacuū ergo esset de diligendis filiis præceptū, siquidem natura duce etiam bruta filios amāt suos. Quod autē ad propositum attinet nisi tanta esset hominum peruersitas, nihilo magis necessarium foret de honorādis

Præceptum Dei est honorare parentes & è diuerso vt parētes filios diligant. Ephe.5

parentibus præceptum. Quoniam filius magis est
obnoxius parenti suo quàm parés filio. Casu enim
quo pater tuus simul & filius essent captiui tenere
ris pręetermisso filio patrem liberare. Pręetereà cùm
iuxta æquitaté debita antiquiora in solutione sint
recensioribus præferenda: parentum auté cura er-
ga filios antiquior sit filiorum erga parentes obser
uantia, sequitur manifestè prius esse parenti quàm
filius subueniendum. Verum est morũ corruptela:
vt paucissimi reperiantur, qui morte parentũ suo
rum non lætentur. Si diuites sunt vt hęreditentur,
si pauperes vt cura liberétur & sumptu. Nam vt ad
2. Reg. 16 sacras literas reuertamur. Quid aliud mouit Absa
loné contra Dauidem patrem suum bellum gere-
re, nisi regnandi libido? Non tamen mansit impu-
nitũ hoc flagitium, quoniam telis miserrimè trás-
fixus immortale nobis reliquit documentum,
qualem vitæ finem sortiantur qui parentibus in-
obedientes existunt. Meritò ergo Deus præceptũ
dedit de diligendis parentibus non filiis, siquidé,
2. Reg. 18 in superiori exéplo Dauid interfecto præter suam
voluntatem filio, quem incolumen seruari iusserat
acerbissimè fleuit, quod si rectè iudico, nunquam
Absalon parente extincto fecisset.

¶ Obserua autem quòd solùm inter omnia alia
præcepta in hoc solo præcepto posuit Deus præ-
Exod. 20 mium dicens, Honora patrem tuũ & matrem tuã,
vt sis longæuus super terram. Cur posuit præmiũ
in hoc præcepto, potiùs quã in aliis? Ne fortè quis
existimaret amorem in parentes nihil promereri,
quoniam in iis quæ à natura insunt, nec laudamur,
nec vituperamur. Cùm verò adeò sit rationi cõsen
taneum vt filij parentes suos diligãt, superuacaneũ
videbatur præmium iniũgere, posuit tamé vt mul-
to melior esset bonorum filiorũ conditio. Secũdò,
quia cùm amor velut aqua res sit procliuis, & ita
faciliùs descendat quàm ascẽdat, oportuit præmiũ
quasi quoddam artificium excogitare, vt retrogra-
dè filiorum dilectio ad parentes ascenderet. Nam
quemadmodum aqua quæ in hydria est ascendere
non potest nisi quis iniecto lapide aut alia re pon-
derosa aquas eleuari cogat, ita amor hominũ sur-
sum versus non aspirat nisi spe præmiorum eriga-
tur. Meritò igitur & sapienter dominus longam vi
tam promittens parentum obseruatoribus arte ro-
borauit amorem, qui natura erat imbecillior. Illis
verò qui sacrosanctum maiorum suorum ius au-
dent violare calamitatesque plures, & immaturum
vitæ finem minatus est. Quod si veterum historias
euoluere non pigritemur, non solùm autoritate di
uina, sed etiam experientia passim impleri videbi-
mus. Nam præter Absalonem, quem constat in flo-
re ætatis interiisse, alia extra sacram scripturam, ve-
rissima tamen exempla adducere possem, quibus
constat filios in parentes impios miserrimum fe-
cisse vitæ finem. Quis enim nesciat? Orestes ma-
trẽ Clytemnestram interfecit, Nero Agrippinam,
Ninus Semiramidem, Ptolomæus Euergetem, He-
raclius imperator Phocã patrem suum. Mithrida-
tes item in matrem sæuit. Tullia fœmina crudelis-
sima in patrẽ, cuius cadauer à Tarquinio superbo
extinctum quadrigis, recusantibus equis calcauit.
Isti omnes tamen & alij parricidæ quos breuitatis
causa omitto, varia sed paria pro scelere subierunt
supplicia, luctuosissimum vitæ finem facientes.
Vult enim Deus, vt huiusmodi flagitia, præter pœ-
nas, quas in altero sæculo ferent, etiam in hoc in-
cipiant puniri, ne mortales lateat, quantum sit fi-
liorum impiorum scelus, & quanta piorum virtus.
Huius autem præcepti, nec in lege veteri, quæ cùm
euangelica nullatenus in perfectione comparari
potest, oblitus est Deus, ita vt filius inobediens oc-
cideretur, quamuis pater pepercisset ei. Mirabile
est etiam patribus parcentibus, nihilominus filius Exod. 21
inobediens lapidabatur. Cham etiam maledictus Deut. 21
fuit & omnis posteritas eius, quia inhonorauit pa- Gene. 9
trem suum Noë. Per oppositum filij obedientes
multo tempore vixerunt: vt patet de Sẽ, filio Noë:
qui operuit verenda patris, vixit sexcentis annis, vt
dicitur in Genesi, ædificauitque Hierusalem, & fuit Genes. 11
ibi rex, vt ait Isidorus, & erat trecentorum & nouẽ Isido. libr. 5.
annorum cùm obtulit Abrahæ panem & vinũ. Io- etymo.
seph etiam filius Iacob, patrem suum qui famẽ pa- Gene. 14
tiebatur in terra Chanaã sustentauit in Aegypto, Gene. 45
& honorauit, cùm sese ostendit fratribus qui esset
statim vt dixit, Ego sum frater vester Ioseph, inter-
rogauit de patre dicens, Adhuc pater meus viuit?
Ideò benedictus fuit à patre, & dedit illi pater hæ- Gene. 48
reditaté extra fratres suos, & dixit illi. Filius accres- Gene. 49
cens Ioseph, filius crescens & decorus aspectu, &c. Gene. 50
Vixitque Ioseph centum & decem annos. Tobias Tob. 3
etiam iunior cùm pater eius Tobias iussisset eum Tob. 14
peregrinari, obediens & patrem honorans respon-
dit. Omnia quæ præcepisti mihi faciam pater. Et
ideo tot annos vixit in prosperitate & senectute
bona, quòd vidit quintam generationem, & filios
filiorum suorum, &c. Sed hæc sufficiant.

¶ Verùm circa ordinem quem Christus habuit
in his præceptis obserua quòd cœpit à facilioribus
vadens ad difficiliora. Primò ait, nõ occides, id ve-
ro à natura videtur insitum, nullius sanguinẽ fun-
dere. Aliquãtò difficiliùs à pulchra alterius vxore
temperare, ideo secundo loco dixit, Nõ mœchabe
ris. Et difficiliùs à rebus abstinere. Et ideo dixit,
nõ furtum facies. Quartò difficillimum est os mo-
derari, & ideo dixit, nõ dices falsum testimonium.
Porro difficillimum est patrem odire, quapropter
addidit, honora patrem tuum, &c. Sequitur in
contextu. *Qui ait, Hæc omnia custodiui à iuuentute mea.*
Hæc respondit Iesu ille princeps. Non desunt qui
putét quod iste fuerit mentitus, sed re vera verum
dixit. Nam aliàs Christus qui veritatem nouerat,
eum tanquam mendacem argueret, non dando si-
bi regulam de perfectione. Et etiam quia vt dicitur
in Marco, videns Christus istum ita dicentem dile
xit eum. Christus tamen non diligit mendacium,
sed detestatur.

¶ Expende etiam quòd Matthæus dicit hũc esse
adolescentem, videtur ergo cõtradictio quòd ado-
lescens dicat quòd seruauit hæc à iuuentute sua,
accipitur hic iuuentus largè, nam priùs est adoles-
centia quàm iuuentus. Quòd si non attigerat vige-
simumprimũ, annũ non æquè benè poterat dice-
re, quòd seruauit præcepta à iuuentute sua. Dicen-
dum ergo quòd adolescentia & iuuentus in scrip-
tura largè sumuntur & non secundum taxationem
annorum, quam nos ponimus. Nã hîc qui princeps
erat pharisæorum credendum est quòd transierit
statum adolescentiæ, quia homines in tali ætate,
non solent ad talia aspirare. Sic etiam in scriptura
adolescentia solet sumi pro quacunque ætate pra-
ua, imò pro principio cuiuscunque ætatis quæ
non sit infantia. Sic in Genesi dicitur. Omnis ætas Gene. 7
ab adolescentia sua prona est ad malum. Hoc est
à prin

à principio cuiuſcúque ætatis prona eſt ad malum. Et ita in præſenti iuuentus & adoleſcentia accipiũtur largè, ita quòd adoleſcẽtia accipiatur pro iuuẽtute vel à principio virilitatis, iuuentus autem accipiatur pro parua ætate, ſcilicet pueritia. *Quo audito Ieſus ait ei. Adhuc vnum tibi deeſt, omnia quæcunque habes vẽde, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Et veni & ſequere me.* Videtur quòd hæc non ad propoſitũ dicta ſint, nã ipſe nõ quærebat niſi quid faceret, vt vitam æterna poſsideret, ad quam poſsidendã ſatis erat præcepta decalogi ſeruare. Nihil ergo illi deerat, vt vitam haberet. Sed quod Lucas

Matth.19 hic dimiſit Matthæus dixit, quod dixerat adoleſcẽs, quid mihi deeſt? Ideo dixit Chriſtus quòd poſſet bonum facere vltra decalogum, & quod reſtabat perfectionem eſſe faciẽdo opera ſupererogationis vltra iuſtitiam ſufficientem quam fecerat. Quanuis haberet perfectionẽ ſimpliciter voluit illũ Chriſtus iuxta deſiderium ſuum & petitionem ducere ad ſtatum maioris perfectionis. Pro quo obſeruandũ primo, quòd perfectio chriſtiana non conſiſtit in renunciatione temporalium rerum, ſed in charitate. Abdicatio rerum temporalium eſt perfectionis diſpoſitio & inſtrumentum, nã tollũtur per hęc impedimenta ad actus perfectæ charitatis. Et ideo cũ Chriſtus dixit huic, vt in Matthæo habetur, ſi vis perfectus eſſe, vade & vẽde omnia, &c. intellige ac ſi dixiſſet, Si vis eſſe diſpoſitus ad perfectionẽ, quia cura rerum temporalium multum ſolet homines

Perfectio Chriſtiana. diſtrahere. ❡ Aduerte ſecundò, quòd non poſuit Chriſtus perfectionẽ in vẽdẽdo omnia, quia multi philoſophi hoc fecerunt, ſed in ſequẽdo illum, ideo ait, Sequere me. Propoſuit priùs vendere, quę eſt diſpoſitio. Expende rurſus, quòd nõ eſt tota diſpoſitio ad perfectionem vẽdere omnia, ſed aliqua etiam ſunt neceſſaria, ſcilicet, non vti matrimonio, & non habere conuerſationẽ ſecularẽ. Tamen poſuit Chriſtus de vẽditione poſſeſsionũ. Primò quia iſtud eſt efficacius remedium & potior diſpoſitio inter omnes ad perfectionem. Non eſt enim aliqua tam extenſa, tam quotidiana ſolicitudo, ſicut cura bonorum poſſeſſorũ, quæ totum hominẽ implicat, & iſta magis diſtrahit, quã omnia alia impedimẽta ſimul ſumpta, & ita qui ab iſta abſtinet faciliter poterit vacare perfectioni, quaſi ſit omnino diſpoſitus. Secundò, quia quantũ ad iuuenem iſtum nihil erat quod magis impediret peruenire ad perfectionem quàm cura poſſeſsionum, nam erat diues valde, & amans poſſeſſa, quod patet, quia triſtis receſſit à Chriſto. Et ideo hunc nihil tantũ impediebat quàm poſſeſsio diuitiarum, quamobrem Chriſtus hoc tetigit tanquã magis neceſſarium iuueni. Apoſtolis etiam non dixit, quod abſtinerent à venereis vt perfectionẽ ſectarẽtur. Primò propter magnam difficultatem, quã maiorem difficultatẽ ſatis oſtẽdit Chriſtus, quia in renunciatione bonorum non dixit per aliqua verba quòd eſſet difficile, ſed abſtinendo à venereis oſtendit difficultatem magnã cũ dixit. Non omnes hoc capiunt, ſed quibus datum eſt. Chriſtus autem noluit ſuadere ſtatim ad conſilia maximè ardua, ſcilicet ad abſtinendum à venereis, ſed induxit ad minora ſcilicet, ad vendendum omnia. Secunda ratio. Cur non præcepit Chriſtus vt abſtinerent à venereis? Quia plurimi eorum erant cõiugati quãdo vocati ſunt à Chriſto, & ſi abſtinerent ab iſtis, neceſſariũ erat vt repudiarẽt vxores, vel ꝙ indiceretur vxoribus perpetua caſtitas. Primum non conueniebat, quia Chriſtus vetuit libellum repudij, ſecũdum etiam non conueniebat, quia caſtitas eſt res voti, & non præcepti.

❡ Ad noſtrã tamen eruditionem diſcamus hinc ne ſuperbiamus, etiam ſi ad ſupremũ virtutis culmen perueniſſe exiſtimemus. Quoniã præter mandatorum obſeruantiã, quæ neceſſaria eſt ad ſalutẽ, ſunt alia multa, ſine quibus nemo poteſt eſſe perfectus, ideo noluit dominus, vt homo ſciret quãdo eſt in ſtatu gratiæ ne ſuperbiret. Et Paulus dixit. Nihil mihi conſcius ſum. *1.Cor.4* Hoc autẽ fecit dominus, vt ſemper timẽtes & humiles ſimus, quare ſi ſapimus ſemper cogitare debemus, quòd quemadmodum vas fictile in quo eſt ruptura aliqua liquorem cõtinere non poteſt, ſic etiam in nobis ſit aliquod vitium quo apud nos gratia diuina permanere non poſsit. Hic diues ea de cauſa conceperat opinionẽ, vt crederet ſibi nihil deeſſe ad ſummam perfectionem. Attamen Chriſtus qui penitus animos hominum intuebatur eius arrogantiam confutauit dicẽs. Vnum tibi deeſt. Sic etiam alij dixit, dicis quia diues es & nullius egeo, & neſcis, &c. *Apoc.3*

❡ Diſcamus ea quæ magis amamus deſpicere, hæc enim eſt via perfectionis & meritũ, vt quæ magis amamus deſpiciamus propter Chriſtum, graue opus Chriſtus adoleſcẽti præcepit. Graue opus *Gen.22* fuit Abrahæ poſitum, quẽ vnicè diligebat ſuis manibus occideret. An non multi teneriùs amãt diuitias quàm filios? Illa quæ magis amas, & teneriùs diligis abiice propter Chriſtum, vt corde à terrenorũ amore euacuato, fœlici cõmutatiõe Deus impleat cor, & fœlix ſis in eo qui eſt vera fœlicitas.

❡ Diſcamus gratia Dei non abuti. ſed ſemper cũ ea in meliùs prodeſſe, vt Deus augeat in nobis dona ſua. Conabatur Chriſtus trahere hũc adoleſcentem ad chriſtianam perfectionem: certè quia quem ab ineũte ætate amauerat, cuſtodierat, & gratiam dederat, vt mandata cuſtodiret, nunc gratię perfectione ornaret, & illuſtraret.

❡ Diſcamus etiã Dei mãdata cuſtodire: hos enim Deus amat, qui ſua mandata cuſtodiunt. Amauit etiam ſignis exterioribus hunc adoleſcentem, vt teſtatur Marcus: ex quo intellige, quantum doleat *Matt.c.10* de mandatorum violatione. Certè tangitur dolore *Gene.6* cordis intrinſecus: & doleret ſi poſſet.

❡ Diſcamus præterea in cœlo vbi diuitiæ ſecuræ ſunt theſaurizare, dando noſtra bona pauperibus: nam huic adoleſcenti dominus dixit vt daret ſua pauperibus & inueniret in cœlo theſaurũ. Mirabilis modus theſaurizandi, ſcilicet diſpergẽdo, cùm alij ſoleant congregando theſaurizare. Theſauriza in cœlo: vbi theſaurum nec fures rapere, neque incendium conſumere poterit.

❡ Denique diſcamus ex Chriſto ſaluatore noſtro curam habere pauperum, & memores illorum *Matth.6* eſſe. Ille enim pater eſt pauperum & protector, & ne inopia conſumantur præcepit non modo huic, ſed omnibus diuitibus vt pauperes in neceſsitatibus ſuis adiuuent, cuius pietatis non pauca ſunt in *Gene.3* ſacris literis exempla. Propria enim manu non eſt dedignatus dominus primos parentes noſtros veſtire, qui ante in paradiſo nudi incedebant. Poſtea verò ſummopere Iudæis pauperũ curam cõmendauit multa ſtatuens in eorũ fauorem. Nam & de- *Deut.15* cimãdi ius induxit quo pars aliqua cederet pauperib. & ſtatuit vt debita ſeptimo anno cõdonarẽtur: cui pietati aliã nõ minorẽ addidit, Iubilæum exco- *Leuit.25*

gitans quo possessiones vēditę ad pristinos dominos redire solebāt. Præterea iussit vt in agris & vineis, messiū & vuarū reliquiæ manerēt, & fasciculi aut corbis obliuione fortè relictus esset ne quæreretur, vt his alerentur pauperes. Permisit etiam Iu- *Deut. 24* dæis, vt latius & splendidius in festiuitatibus con- *Leuit. 19* uiuarentur vt pauperes. At in lege Euangelica non *Neem. 8* solum pollicetur pauxillum aquæ pauperi datum, *Matt. 10* sed tanquam sibi esset datum benigniter accepturum, sed etiam pauperibus regnum cœlorum lar- *Luc. 16* gitur, inquiens vt faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis. Itaque si exactè sacram scripturam quis perscrutari voluerit, comperiet proculdubio eximiam habuisse dominum omnium pauperum curā, quod etiā ex hoc loco constat, vbi Christus huic diuiti pauperes commendat. Verū multi sunt qui hanc domini cōmendationem paruipendentes, nec viduæ in paupertate sua subueniunt in eadem vicinia moranti, nec pupillo omni auxilio destituto opem ferunt, nec considerant Christianū impium esse qui Christum non audit & imitatur.

¶ Demum discamus ex hoc loco, quòd melius est dare omnia simul pauperibus quàm manere in sæculo ministrando res possessas, & dādo quotidie eleemosynas, quia qui eleemosynas dat, fructū dat rerum, tamen qui totū dat spoliat se à fructu & à possessione. Et etiā in possidendo delectatio quædam manet, caret qui totum simul dat. Verùm vt rectè daretur pauperibus, oportebat prius vendere vt daretur moderatè, nam si non venderentur quædā darentur integrè, vt magna domus vel ager qui est magni valoris, & hoc nō esset releuare inopiam pauperis, sed eum ditare. Reductæ tamen diuitiæ in pecuniā possunt diuidi inter plurimos, & moderatè dari. Sed iam ad contextū reuertamur, vt videamus quid egerit diues iste. Ait itaq; Euangelista. *His ille auditis cōtristatus est, quia diues erat valde.* Mirum videtur, quòd iste qui omnia præcepta seruabat tanto tenebatur diuitiarum ardore, quod non poterat ad perfectionem venire. Vide ergo ꝙ amare diuitias immoderatè semper impedit perfectionem, quomodocunque cōsideratur ipsamet perfectio, aut instrumentum perfectionis. Si instrumentum, tunc obseruatio consiliorum est necessaria, quia sunt instrumenta quædam quorum præcipuum est renunciare omnibus possessis, sed ad renunciandum nihil est quod magis impediat quàm amor immoderatus possessorum, sicut fuit in isto iuuene. Ideo iste amor impedit perfectionē. Si autem consideretur ista perfectio in seipsa, etiam impedit amor diuitiarum perfectionem, quia cōsistit perfectio in charitate, & vt nos accipimus cōsistit perfectio in actu excellenti amoris, sed conditio animi nostri est, vt non possit fieri intense ad multa, nam si ad vnū fit intense, fit ad alia remisse. At ideo si quis diligit Deum intense dilectione excellenti, non potest diligere aliam rem intēse, quod si illam diligat intense minuitur dilectio Dei. Minus enim Deum diligit, qui cū eo aliud diligit, ideóque amor immoderatus diuitiarum impedit perfectionem.

¶ Igitur quanuis amare inordinatè diuitias impediat perfectionem, non tamen obseruantiā præceptorum, quod illud obstat præceptis, in præceptisque vetatur, & amor ad res proprias non vetatur in pręceptis, sed cupiditas rei alienę. Potest etiā amor inordinatus ad res possessas esse contra præceptum cum diliguntur diuitiæ plusquā Deus. Et tunc agit contra præceptum & mortaliter peccat, quādo ita amat quod potius vellet offendere Deū quàm illis carere, & committere potius aliquod peccatum mortale quàm priuari velle rebus possessis. Nam quantuncunque feruenter amet, si potius vellet carere illis quàm Deum offendere non peccat mortaliter amando possessa, & tunc seruat præcepta, & tamen non attingit actum excellentē amoris Dei, in quo est perfectio. Talis erat iste iuuenis de quo nunc est sermo, quia præcepta seruabat, verùm quia diuitias feruēter amabat, impeditus erat à perfectione. Et hac de causa recessit à Christo, vt dicunt Matthæus & Marcus, & contri- *Matth. 19* status est. Contemptum diuitiarum diuites audire *Mar. 10* nō possunt. Habēt enim clausas aures, & sono æris obtusas, & nummus magis illis sonat quàm diuina verba, & ita æris tinnitu verbū Dei audire nō possunt, sicut molitores qui aquarum fragore vocantes nō audiunt. Quare sicut sapiens molitor aquas compesceret, vt possit audire vocantes, ita diuites si sapiunt diuitiarum fremitum, & terrenorum cupidinem coercere debent, vt vocationes & inspirationes cœlestes percipiant.

¶ Nos verò discamus hæc omnia terrena despicere & derelinquere ne animus noster amore caducarum rerum depressus, & præpeditus ad perfectionis vitam & diuinū amorē aspirare nō possit, ad quem Deus omnes electos suos tanquā ad scopum summi boni intēdere voluit. Vt enim auibus pennas alarum resecamus ne longiùs auolent quā oportet, sic dominus vult vt diuitiarum luxum abscindamus, ne plus nimio cor nostrū à diuino amore elōgetur. Quòd si putatores arborum circumcirca superflua demunt, ne ascendere impediātur, quid nos facere debemus, quorum maius agitur commodum, nisi falce diuini amoris omnia terrena & caduca amputare, quo facilior nobis pateat ad cœlum ascensus?

¶ Expēde etiā ad tuā eruditionē, quod cùm iste *A Deo recedere triste est.* recessisset à Christo abiit tristis. Profectò nulla vera tristitia est nisi à Deo recedere, nā ille qui à Deo non recessit nō habet cur tristetur. Imò si in te, qui à Deo nō recessisti irruāt tristitiarū agmina, dic. Po- *Iob 7* ne me domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Et illud Psalmi. Dominus protector vi- *Psalm. 26* tæ meæ, à quo trepidabo? Et illud. Si ambulauero *Psal. 22* in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniā tu mecū es. Esaias quoque. Non sum confusus, te *Esa. 50* pastorem sequēs. Et qui recedit à domino cùm ab omni bono discedat, verè veram causam habet tristandi. Vnde Dauid in Psalmo. Fuerunt (inquit) la- *Psal. 41* chrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus, &c. Sed procedamus.

Videns autem Iesus illum tristem factum dixit. Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. Benè possunt pecuniam habentes regnum Dei intrare, sicut Abraham, Dauid, & multi alij, sed loquitur de illis qui pecunias diligunt immoderate, & ideo cupiditas, & volūtas immoderata damnatur hic à Christo. Hoc dixit propter istum adolescentem. Sed dubium est. Quomodo hic difficiliter intrabit in regnum Dei, cùm præcepta Dei seruabat? Nonne, vt diximus vir bonus erat, & Christus dilexit eum? Pro maiori explicatione istorum quæ diximus, & huius difficultatis obserua, quòd diuitiæ tripliciter possunt haberi. Primò quando earum amor omni alij non modo humano, sed etiam diuino

uino

uino amori antefertur. Cuiusmodi eas posidebat
Luc.16 diues ille vorator, qui Lazaro malè consuluit. Secundò quando magni quidē fiunt, nō tamen adeò vt omnino amorē Dei superent, quo pacto ab hoc adolescente possessæ sunt. Tertiò haberi possunt diuitiæ, ita vt nullatenus earum cura impedire diuinorum exercitium, aut cum Dei amore in contentionem venire posit. Et hoc modo Abraham, Iob, Dauid, aliique viri sanctisimi & ditisimi extiterunt. Ex his autem diuitum conditionibus, prima quidem malorum est, secunda bonorum, tertia perfectorum. Christus ergo hic loquitur de illis diuitibus, qui secūdum locum tenent, quorum possibilis est, difficilis tamē salus, propter periculum, in quo versantur. Ea enim est humanæ naturæ fragilitas, vt qui nimis diuitiarum amore tenetur, sæpenumerò amorem Dei posthabeat, quo facto in impiorum numero esse incipit. Cōsiderent igitur qui hunc secundum locum tenent, quāto sint periculo expositi, & vigilantes ne vnquā obdormiāt,
1.Tim.6 & cadāt in laqueum diaboli, vt Paulus dicit. Et periculum istorum patet, in duobus. Primò quia qui diuites sunt isto modo, vt non perdant quæ posident committunt quæcunque mala, amant enim tam ardenter possessa, quod etiā si aliena non ambiant, ne perdant quod amant faciles sunt ad peccatum mortale. Secundò, quia impediuntur ad bonum, & cessant facere bona quia diuitias habent. Sicut iste iuuenis qui Christū non est secutus, quia diues erat, nam quia diuitias relinquere oportebat cessauit sequi, & ideo diuites difficile intrant in regnum Dei, propter magnum periculum in quo viuunt. Si quis autem posideret illas non amans, in nullo esset periculo, sed quia hoc rarò fit cōsultius
Eccle.31 est eas relinquere. Vnde in Ecclesiastico habetur. Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, neque sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic & laudabimus eum? Quasi dicat, Rarus aut vnus est. Fuit quidem vnus Abraham, alter Iacob, Loth, & Dauid. Sed tamen pauci sunt, ita vt digito monstrari posint. Quare, quia raro euenit, vt quis diues & perfectus esse simul posit potiúsque semper eligēdum sit, præsertim in re tam graui in qua salus & vita hominum vertitur, suadet Christus diuitiarum derelictionem propter periculū. Quia difficile est posidere & possessa nō amare, securiùs est non posidere. Et sic apostolus de solis diuitiis dixit, quòd pararēt laqueos. Ex istis patet declaratio istius quod sequitur immediatè dicēs Christus. *Facilius est enim camelum per foramen acus transire quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Maximam difficultatem, imposibilitatem vocat. Quædam enim in scriptura dicuntur imposibilia moraliter, alia autem logicè seu metaphysicè. Moraliter ea dicuntur posibilia quæ sæpe & sine magna difficultate fieri possunt. Cōtra verò imposibilia moraliter dicuntur, quæ fieri non possunt nisi rarisimè & cum magna difficultate. Et sic hic dixit
Matt.19 similitudinem imposibilitatis. Et clariùs in Matthæo imposibile esse dixit, diuitem intrare in regnum cœlorum. Logicè verò seu metaphysicè posibilia dicuntur quæ vtcūque fieri possunt, & è cōtra imposibilia quę nullo modo. Hic autem loqui
Iere.13 tur Christus de imposibili morali. Sic etiā in Ieremia habetur. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malū. Et dominus in euangelio de pharisæis. Propterea non poterant Ioan.12
credere, quia Esaias dixit. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. Nunquid peccator assuetus peccatis, non potest saluari? Absit. Omnis enim peccator quantūuis sit scelerosus dum viuit cōuerti potest, vnde & ipsi pharisæi si saluti suæ cōsuluissent credēdo saluari potuissent. Ieremias autem imposibilibus comparauit istorum salutionem, & item Christus dixit illos nullo posse credere modo: nō quod simpliciter non posint saluari huiusmodi peccatores, sed moraliter quia maiori ex parte euenit, vt qui tam duro & pharisaico sunt animo non conuertantur, non quod non posint, sed quod nolint, pari modo diuites qui bona temporalia nimis amant, quoniam nimius amor diuitiarum ad peccādum valde incitat, vt iam dictum est. Qua de causa hæc propositio & illa Ieremiæ superior comparatio non sunt interpretandæ rigore dialectico, aut physicè, sed moraliter loquēdo, qui loquendi modus omnibus etiam nobis familiaris est, vt vulgo dici solet exaggerationis gratia imposibile quod non est factu facile. Optimè autē colligitur hoc sic intelligendum esse, quoniam immediatè antea dixerat hoc Christus interrogatiuè. Quàm difficile qui diuitias habent in regnum Dei introibunt? quam difficultatem statim exposuit cameli comparatione, quòd videtur imposibilis saluatio diuitum, nulla tamen ibi oritur inde imposibilitas, sed exaggeratio tantummodo difficultatis. Hier. in cap.
Sic etiam D. Hieronymus, ait quod non imposibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur. Matt. 19

¶ Sunt qui dicant quòd hoc intelligendum est de diuitibus qui totam spem suam ponunt in diuitiis, & diligūt eas plusquam Deum, & si de istis loquitur Christus, certè etiam metaphysicè loquendo imposibile est quòd isti ingrediantur regnum Dei. Sed Christus quantum existimo non loquebatur de istis diuitibus, nisi de illis qui amant Deum plusquam diuitias, sed nihilominus ardenter diligūt diuitias, qualis erat ille iuuenis. Oportet enim attendere quorsum Christus hoc dixerit, quoniam hoc dixerat loquens de illo adolescente qui mandata seruabat diuitiis non obstātibus, qui quidem nō erat de illorum numero qui diuitias plusquam Deum amant, sed aliorum secundi gradus, scilicet quibus vt suprà diximus dilectio Dei omnib⁹ aliis rebus etiam charisimis non videtur postponēda. Quare de his nō de primis intelligit Christus propter periculum in quo versantur illi qui etiāsi Deū plusquam alia diligunt, tamen bonorum temporalium alia ex parte nimio amore detinentur. Itaque de hoc adolescente & similibus loquens intentum persequitur, aliàs si de diuitibus primi gradus qui in peccato mortali sunt, esset intelligendus, absurdum videretur, quippe quia nulla est dubitatio huiusmodi diuites qui diuitias plus amāt quàm Deū saluari non posse, dum sic diuites fuerint & diuitias hoc modo dilexerint.

¶ Si autē quæras quid intelligat Christus per camelū, ego non possum aliud intelligere nisi funem nauticū, assentiēs expositioni Theophilacti, qui sic Theo. super
hūc locū interpretatur. Comparationes enim debent fieri iuxta rationem & cū iudicio, vnde cum Matt.c.19
funis videatur habere quandam similitudinem & proportionē cū filo, quia vtrūque netur & torquetur, de fune intelligēdum videtur non de animali. Aliàs ridicula esset cōparatio, quemadmodum si quis

quis diceret se melius in equo quã in lapide equitare, quia lapis nihil cum equo habet similitudinis. At si diceret, equum esse equitatui aptiorem quàm mulam, rectè & aptè loqueretur, quia vterque eidẽ ministerio conueniunt. Ita etiam Christus reprehendẽs iudicia temeraria aptam à rebus similibus duxit comparationem inquiens, Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras? Quæ ambo inter se longitudine saltem & impediendi modo similia sunt, licet trabs multo sit maior. Sic etiam agens de illis rebus, quæ per foramẽ acus ingredi possunt, vtitur rudentis comparatione, qui quanquã per acus foramẽ ingredi nõ possit, ministerium tamen habet simile, quoniam per anchorarũ foramina trãsmittitur, & sic quoad acum se haberet nisi obstitisset crassities. In Græco autem est κάμηλον, quod significat funis nauticus. Quod si quis dicat tam impossibile est, vt funis nauticus transeat per foramẽ acus quàm animal, ergo quid refert potius de fune quàm de animali intelligere? Respõdetur funis habet, vt iam diximus, maiorem proportionem cum filo, quod solet transmitti per acuũ foramina quã animal, & de animali esset nimis longè petita cõparatio. Et præterea funis transitus non est impossibilis quemadmodum animalis, licet sit difficilis, quia licet rudens crassitia sua integer non possit ingredi acus foramen, poterit tamen filatim, si scindatur in tenues fibras, ex quibus confectus est. Vnde etiam aptior & sapientior existit comparatio, nã si diues qui more rudentis incrassatus & impinguatus est, se minutatim consciderit, pauperibusque bona sua erogans luxum & opes attenuauerit, proculdubio ianuam cœlorum ingredi poterit: secus si auarus extiterit, opes opibus quasi fila filis accumulans. Sequitur in contextu. *Et dixerunt qui audiebant. Et quis potest saluus fieri?* Existimabant discipuli vix quempiã posse inueniri qui amplas possessiones subitò profusurus esset ob regnũ Dei, quãquam ipsi paucula quædam reliquissent, vnde non pro seipsis interrogant quum pauperes essent, sed pro omnib', quia misericordes erãt. Quotus enim quisque est mortalium, qui aut abiicere potest diuitias quas habet aut non optare si non habet? Soliciti enim erant discipuli de pusillo saluandorum numero. *Ait illis. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Nihil aliud vult insinuare: nisi quod opus sit diuina gratia, vt cum diuitiis regnum Dei acquiramus, nam Dei adiutorio suffulti ea quæ difficilia videntur, & sunt secundum naturam ferè impossiblia, perficiemus cum gratia Dei. Impossibile ferè est homini diuiti ne immoderato amore diuitias diligat, & ita vt spẽ suam in eas ponat, Deo tamen possibile est diuitis animum mutare, ita vt rectè eis vtatur. Ideo Dauid qui rex erat, & diues hoc auxilium petebat Domino dicens, Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiã Humanarum enim virium non est vt quis habitis diuitiis, cor non apponat, Deo autem possibile est vt in nobis creet cor nouũ & spiritũ nouum creatorque apud nos in multis præponderet.

Luc. 23

Psalm. 118

¶ Disce in hoc loco in omnibus rebus tuis, tam prosperis quã aduersis semper ponas ante oculos hanc domini sententiam, quod apud Deum omnia sunt possibilia. Si enim tibi fortuna iã arridet, potest Deus dulce hoc in amarũ reddere. Lætus erat Dauid in Sicelech diuidens Amalechitarũ spolia equitibus suis, quæ lætitia accepto nuncio de morte Saulis & Ionathæ Israelisq; calamitate, in luctũ conuersa est. Lætus accubuerat Holophernes bene cœnatus & potus, sed crastinũ mane habuit in inferno. Lætus erat Aman ab Hester regina inuitatus, eodem tamẽ die inimicum suum per ciuitatem honoris causa comitatus est pedes, cũ magno dedecore & tristitia sua. Nemo igitur lætitiã huius seculi æstimet, quando multi hodie læti sunt qui cras erunt mœstissimi, è cõtrario autẽ si fortuna se tibi nouercam ostenderit, potens est Deus fugatis nebulis incõmodorum lucem salutis reuocare. Mœstissimus erat patriarcha Iacob propter communem regionis famem filiorúmque absentiam, præsertim Beniamin, quando accepit nuncium de Iosephi prosperitate, quo summo est affectus gaudio. Dominus enim (iuxta canticum Annæ) mortificat & viuificat, deducit ad infernos & reducit.

2. Reg. 1

Iudit. 13

Hester 6

Genes. 45

1. Reg. 2

¶ Docet etiam locus iste non humana infirmitate metiendam salutem, sed virtute diuina. Sed ad contextum. *Ait autem Petrus, Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.* Quid reliquit Petrus? Cimbã cum duabus retibus paupérque tugurium? Nõ attenditur id quod relinquitur, sed voluntas qua reliquerunt, quare qui Christum secuti sunt tãta reliquerunt, quanta relinquere potuerunt, qui eum secuti nõ sunt. Ea enim est humanæ libidinis in cupiẽdo insatiabilitas, vt qui illam teneat nunquam sibi satisfacit, & qui relinquat, omnia relinquere videatur. Quare tantum reliquit Petrus, quantũ potuit affectare Alexander. Nam taliter fuit erga dominum Petrus animatus, vt sicut tenues opes habebat, opulentissimum haberet imperium, nihilo secius imperium vnum & quinquaginta imperia reliquisset. Hæc est Deo grata & acceptabilis voluntas, vnde videre potes quã expeditum velit animum vniuscuiusque esse ab omni humano impedimento, quãdo apostolis exiguas etiam opes relinquere præcepit. Vt Christum sequerentur apostoli, expediens erat vt omnia relinquerẽt. Cùm Christus curreret exultauit vt gigas ad currendã viam & necesse erat vt currerẽt discipuli, quod non poterant ita expeditè currere nisi essent exonerati, eam ob causam omnia reliquerũt, ne diuitiarum pondere grauarẽtur. In Genesi vbi cõmunis editio habet, Erat Abrahã diues valde, habet versio græca βαρὺς σφόδρα hoc est, grauis vehementer. Pondere Aegypti grauabatur, licet enim diuitiæ leues videantur, tamen quia Aegyptiæ sunt, viris sanctis graues sunt. Ideóque omnia reliquerunt apostoli, vt nudi nudum sequerentur.

Non quantũ sed ex quanto respicit Deus.

Psal. 18

Gene. 13

¶ Deinde vt mundum cognoscerent quem oppugnaturi erant, necesse erat vt eum viderent. Circunfusi mundi confusioné minime intuentur. Sicut in ludo calculorum euenit sæpè vt ipsi ludentes veluti oculis capti ob nimiam confusionem non videant quomodo latrunculos mouere debeant, cùm illi qui extra ludum sedent, foris id cõsiderantes rectè inspiciant. Sic qui in mundi negotiis implicantur cæcutiunt mentis acie tenebris cooperta, cùm illi qui animum à mundo separarunt seque in solitariam requiem receperunt, mundi dolos, labores, & vanitates, acutè tamen intueantur. Vt aliquid videamus necesse est vt sit aliquod interuallum inter oculos & obiectũ. Sic vt mundum intueamur necesse est esse aliquam distantiam inter nos & illum. Oculi palpebras suas

prospicere

prospicere nō valent, quia nullum est medium interiectū. Sic mundani non vident quæ sunt mūdi.

¶ Tertiò qui cum aliquo vult negotium agere, illum expeditum ab omni cura desiderat habere, quia pluribus intētus, minor est ad singula sensus.
Gene.12 Sic cùm dominus voluit tractare cum Abraham, dixit ei, Egredere de terra tua & de cognatiōe tua. Viri perfecti ligno dom° extruēdę similes sunt qui iuxta locum in quo ponendus est dolatur & excauatur, nam tugurio aptatur rudiùs & planiùs, atrio verò axactiùs. Eodem modo apostoli quia in ecclesia in præstātissimo erāt loco cōstituendi in omnium mortalium cōspectu, ideo Christus voluit, vt omni non solùm vitio sed etiam imperfectione carerent, quare eos decorticauit & mundauit priùs ab omni mortali affectu, vt posset illis à negotiis sæcularibus separatis tutò diuina mysteria communicare. Vnde Paulus, Mulier innupta & virgo cogi
1.Cor.7 tat quę domini sunt, alia diuisa est. Hinc in Deute-
Deuter.18 ronomio præcepit Deus ne homines diuino cultui deputati haberent possessiones, aut prædia vlla, ne
Leuit.21 distraherentur ab officio. Et in Leuitico præcepit ne sibi in templo gibbosus ministraret, in figuram, quoniam sicut gibbosus oculos corporis vitio leuare ad cœlum non potest, sic sæcularibus negotiis implicati minus idonei supernis redduntur. Hanc ergo seruauit dominus in electione apostolorum rationem, vt si quidem erant cœlestium consiliorum participes futuri, nudarentur prius omni carnali affectu.

¶ Quartò bene poterant apostoli saluari Deoq; bonis suis inseruire, Abrahamus enim, Isaac, Iacob, Iob, & alij antiqui patres diuites fuerūt simúlque perfectissimi, Deóque amicissimi. Verum est. Sed tempestate illa quia simpliciùs & puriùs viuebant homines & poterant diuitiæ externæ cum interna paupertate copulari, non fuit impedimento rerum affluētia quo minus boni ad perfectionem euaderent, posteà verò ingruēte acquirendi & cōgregādi libidine, merito negauit dominus apostolis rerum tēporalium possessionē, ne impedirentur & vt temporalibus illis exemplū conueniens præberent. Tranquillo, & pacato mari tuto nauigant nautæ mercimoniáque retinēt, si vero aliqua exurgat tempestas, vndęque nauim iactare incipiant, cū sint in periculo omnium iacturā faciunt, mallentes nudi euadere quā ornati interire. Sic priscis tēporibus ea erat sæculi tranquillitas vt nihil humanum videretur viam perfectionis impedire posse. Vnde
Gene.14 Abrahā cùm esset tanta opū præditus abundantia vt cum domesticis duntaxat quatuor simul reges prælio vicerit, ea erat etiam humilitate vt nō erubesceret hospitū suorū pedes lauare, Sara eius vxo
Gene.18 re officium coci & pastoris subeunte. Verùm tunc frugaliùs conuiuabantur homines parciúsque ornabantur diuitias paruipendentes quibus non ad luxum, sed ad naturæ necessitatē vtebātur. At nūc vsque adeò creuit vitiorum tēpestas, & tantū exurgit honorum & diuitiarum pondus, vt nisi his proiectis nemo possit tuto nauigium vitæ gubernare. Verùm enim verò si conseruandæ vitæ corporeæ caussa, auarus mercator non dubitat merces suas iactare, quid nos facere debemus, vt æternam non amittamus? Nihilominus tamen multi sunt qui profitentur se quicquid grauissimum propter Deū subituros, & tamen bonis temporalibus inuigilāt cum salutis suæ detrimento, qui si reputare vellent quod non minori sunt bona temporalia periculo viuentibus quàm sarcinæ fluctuantibus, paucioribus essent contenti. Nam quoniam quo est maioris pretij vita æterna quàm temporalis, eò debet maior in illa quàm in hac conseruanda sumptus fieri, furor est ingens cum animæ detrimento opes retinere quas propter corporis discrimen proiicimus, sanus igitur non præfert temporalia æternis exemplum secutus Petri aliorúmque apostolorum vt vitæ pericula declinet. Per hoc enim pelagus tot tempestatibus obnoxium in quo tāta occurrūt discrimina cautius est nauigandum vt perueniamus ad illam promissionis terram quo tendimus, neu sicut Pharao rex Aegypti in transitu intereamus. Exod.14
Illi autem summo cum discrimine viuūt qui Petro in pręmio pares esse volunt, opes tamen nec relinquunt nec contemnunt. Diuitiæ de se malæ non sunt, nimia tamen diuitiarum solicitudo non potest non intercludere supernorum cogitationes. Quia sicut qui duabus acubus simul sueret aut simul duobus cœlis cœlaret, minùs & peiùs ageret quàm si vno, ita qui non contentus rerum terrenarum simplicitate bona bonis accumulat, non potest viuendi finem consequi. In primo libro Ma- 1.Mac.4
chabæorum legitur quòd venit Gorgias contra Iudam & populum Israël, & cùm Iudas exisset ad eos in campum, dixit suis. Non cōcupiscatis spolia eorum, sed state contra inimicos nostros & sumetis postea spolia securi. Si enim motam feceritis eorum diuitias & spolia cupientes, vincemini. At post victoriam omnia erunt in vestra potestate. Sic nos qui pugnamus in hoc mundo, quia militia Iob 14
est vita hominis super terram, ne cupiamus bona temporalia, quoniam parta victoria, abundè diuites erimus in cœlo. Nunc autem cōtemnamus has diuitias, quia non sunt nisi laquei quibus misera anima detinetur. Vnde Paulus. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli. Posuit diabolus 1.Timo.6
laqueū diuitiarum Iudæ cum quo strangulauit eū, qui miser cū esset illaqueatus, vt proderet dominū, Matth.27
postea laqueo se suspēdit. Disrumpamus nos sicut Psal.2
isti sancti apostoli fecerunt vincula eorū, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Dedit tibi Deus vt non solum caueas laqueos diaboli, sed etiā vt cū Dei adiutorio vincula disrūpas. Nō capit laqueus, nisi ante esca te cœperit. Dùm escam petis laqueo ipso te nectis. Esca laquei est auaritia, quæ nos vult capere, non pascere. Non dat venator escam aui, vt illa comedat escam, sed vt ipsa fiat esca venatoris. Ita venatus est primos parentes nostros esca ligni Gene.3
vitę, quare siquidem diuitiæ mundanis esca diaboli sunt quibus eorum animas pessumdat, optimū erit factu illas non concupiscere, ne laqueis diaboli capiamur. Ideo Paulus admonet dicens, Ne teti- Colo.2
geritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis, quæ sunt omnibus in interitum ipso vsu. Bene possemus & vti & frui diuitiis in hoc sæculo licitè, nisi ipse vsus animū in illarū amorē propelleret, animáq; proinde ad interitum duceret. Benè posset quis escam diuitiarum gustare ab illarum laqueo euadens incolumis, verùtamen hoc aut raro continget. Quare quemadmodū auibus tutius est ad escam non accedere, ita hominibus diuitiarum nō attingere blandimenta, & si iam captus es amore diuitiarum & es diues & diuitias amas, frange hos laqueos dimittens illas vt possis dicere cū Petro, Ecce nos dimisimus omnia, hoc est, anima no-

stra

Psal.123 stra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Hoc autem nō fecerunt apostoli virtute sua, sed cum Dei auxilio & fauore. Ita & tu tantum opus diuitias nempe contemnere solus facere non poteris, nisi à Deo adiuueris. Ideo nō est in Psalmo. Ego me erui à laqueo venantium, ego contriui laqueum, sed dixit, Anima nostra erepta est à laqueo venantium & laqueus contritus est. Cum quo adiutorio? Subdidit. Adiutorium nostrū in nomine domini, qui fecit cœlum & terram. In hoc ostendit egregius psaltes cuius auxilio sit liberatus à laqueis diaboli. Auis per seipsam cadit in retibus, sed nō potest nisi auxilio alterius eripi à laqueis. Ideo roga Deum vt te eripiat à laqueis diaboli, & tūc liberaberis quando terrena hæc dimiseris.

¶ Verùm quia non satis est, vt ab vno laqueo libereris nisi omnes laqueos diripias, subdidit Petrus dicens, quod omnia dereliquerūt. Opus est, vt nō partem sed vt omnia dimittas propter Christū. Act.5 Ananias & Sapphira mala morte perierunt, quia partem agri sibi reseruarunt nō relinquentes omnia, sed partē seruantes sibi, & partem contempserunt. Sed quia de his in superioribus locuti sumus, cætera cōsideremus. Non est contentus Petrus reliquisse sua & non tantum partem, sed omnia, verū & tertium dixit scilicet & sequuti sumus te. Primò dereliquit sua, secūdo dereliquit omnia. Tertiò secutus est dominū. Sed duo priora nihil profuissēt, nisi adderet & tertiū, scilicet, secuti sumus te. Duo priora multi ex Ethnicis strenuè præstiterunt, sicut Socrates, Diogenes, Bias, Thales Milesius, Crates Thebanus, qui etiam aurum proiecit in mare, Fabricius Romanus & plerique alij: sequi autem dominū christianæ perfectionis est & ad bonos fidelésque tātum pertinet. Sic Iob. Viam eius custodiui & nō declinaui ex ea. Sic sequuti sunt dominum tres illi pueri in fornace ignis in captiuitate Babylonica, quum dixerunt. Sequimur in toto corde & timemus te, & quærimus faciem tuam. Sequi Christum est eius vitam imitari, quod nemo potest facere nisi priùs mundum reliquerit. Quanquā multi sunt hodierna die qui libidines suas non Christū sequentes ad supremam illam promissionis terrā ascēdere præsumunt, at longè fallūtur, vt enim ad illam perueniamus, per desertum laborum, viam facere debemus ab Aegypto vitiorum emergētes. Helíseus etiam derelinquēs boues secutus est Heliam, stat sententia, Nemo potest duobus dominis seruire.

(Cap.1. incedentes in omnibus mandatis. — Iob 23 — Dan.3 — 3. Reg.19 — Matth.6)

¶ Expende etiam quòd Christus non præcipiebat hæc duo, scilicet, relinquere omnia & illum sequi, quasi æqualiter essent bona, sed vnum propter alterum, sequi enim se directè tāquam bonum suadebat, dimittere autem omnia non ob aliā causam nisi quia erat dispositio ad sequendum Christum, & principium operis debet esse à dispositione. Sequuti sunt itaque apostoli Christum corporaliter & spiritualiter euntes post Christum, & credentes in illum & eum imitantes. Corporalis enim sequela, satis non erat cum & Iudas secutus sit illum corporaliter & patrem & matrē dereliquit, sed Christum filium Dei esse non credit, nec mores eius est imitatus. Quapropter potius Christus sequendus est gressibus mentis quàm corporis.

(Christus sequendus est non corpore sed mente. — Lege supra ca. 9. ibi sequatur me.)

¶ Obserua etiā quantum animi & audaciæ præstet bona conscientia. Attende qua grauitate & fiducia dicat Petrus. Ecce nos reliquimus omnia, quasi par cum pari loqueretur. Sic rex Ezechias dixit Deo. Memēto domine quoniam ambulauerim coram te in corde perfecto. Non aliter loquutus est quàm si Deum esset in ius vocaturus. Nullius delicti erat sibi conscius Ezechias, quippe qui omnia mandata Dei impleuerat, & ideo tanta fiducia loquutus est. Eodem modo Christus ligatus & coram Anna adductus, summa autoritate respondit pontifici, Ego palam loquutus sum mundo. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audierūt. Hęc autem tunc tam audacter dixit dominus, non tantum quia Deus, sed quia iustitia sua nixus. Veritus non est liberrimè loqui pontifici, cui aliàs in quantum homo volens vt iudici erat subiectus. Nos verò ea de causa ad omnia timidi & pusillanimes sumus, qui anteactæ vitæ memoria peccatorúmque conscientia nihil audemus aut dicere aut facere, etiā si oportet. At Petrus nullius improbi facti nec dicti conscius, summo animo non modò allegauit quæ fecerat, sed etiam (vt inquit Matthæus) ausus est dicere Christo, Quid erit nobis? Possemus equidem in hoc casu cū Petro expostulare his verbis, Vnde tibi, ô vir modestissime tāta denuò creuit arrogantia? reliquisti nauim cum retibus? Fateor magnum fuit opus & laudabile, nullo tamē modo cū illis beneficiis, quæ à domino accepisti conferendum. Nam pro naui, ecclesiam, pro retibus, doctrinam, pro piscibus homines, pro arte deniq; piscādi, summum pontificatum consequutus es. Quid ampliùs animus potest humanus quærere? Respōderet Petrus. Ista quidem quæ memoras magna sunt, & meritis meis superiora, verùm votis meis non satisfaciunt, quæ humanis dignitatibus etiam iustis non terminantur. Qui diuitias, honores, aut voluptates huius sæculi quasi scopum & finē omnium suarum contentionum proponunt, his comparatis nihil amplius quærant, quiescant, fruantur partis. At illi, qui humanis student, nō vt supremis bonis, sed vt quibusdam mediis quibus æterna cōsequantur contenti esse non possunt donec ad beatam illam deueniant fœlicitatem. Quarè etiamsi Petro totum orbem terrarum Christus cōcessisset immortaléque sæculi imperium, nihilominus diceret domino, quid erit nobis? Id est, post hāc vitam quid fiet de nobis? Saluabimurne vt cœlorū sedibus, Deíque fruamur conspectu? Nō quærunt iusti sæcularia bona in præmium operum suorum, sed æterna. Ideo Petrus immemor tantorū beneficiorum quæ à domino acceperat, ad cœlestia aspirat interrogando. Domine quid erit nobis? Erat Maria Magdalena plorans ad monumentū & interrogauit illam dominus quem ipsa tunc non cognoscebat. Mulier quid ploras? Et illa respōdit. Quia tulerunt dominum meum, & nescio vbi posuerūt eū. At non satis est tibi quod angelos præsentes habes vt illorum conspectu omnem deponas mœrorem? minime, nihil enim sine Deo meo mihi potest esse iucundū. Cum ipso mihi placeo, sine ipso ipsamet mihi sum grauis & molesta. Vnde Dauid etiam cū esset Rex & propheta Deóque charissimus dicebat. Satiabor cùm apparuerit gloria tua, quoniam omnia humana misera & exigua reputabat. Quibus exemplis manifestū est nihil esse, quòd iustis satis sit præter Deum. Nos igitur illorum doctrinā imitantes eo animo nos in hoc sæculo geramus, & in fluxis rebus medium actionum nostrarum nō finē col

(4. Reg.20 — Ioan.18 — Matth.4 [sic] — Ioan.20 — Psal.16)

Coloss.3 collocantes, ad cœlestia semper aspiremus ad quæ creati sumus. Quæ sursum sunt quæramus, non quæ super terram, &c. Sed iam Christi respõsum audiamus qui non solùm Petro, sed omnibus apostolis respondit: quia Petrus (qui erat os totius collegij apostolici) non solùm pro se sed pro omnibus locutus est. Ideo Christus Petro simul & omnibus respondit. Sequitur in contextu. *Qui dixit eis, Amē dico vobis nemo est qui reliquerit domum aut parentes, aut fratres aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & nō recipiat multo plura in hoc tempore & in sæculo futuro vitam æternam.* Mos est euãgelistarũ vt quod vnus prætermittit alius suppleat, & dicat. Antequã Chri- *Matth.19* stus hoc dixisset Beatus Matthæus ait, Apostolis enarrasse. Vos qui secuti estis me in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis vos super sedes duodecim iudicãtes duodecim tribus Israel. Post hæc autem verba subdidit hæc quæ Lucas dicit: quòd omnis qui reliquerit domum aut parentes, &c. Promittit Apostolis, quòd *Act.4* ipsi erũt iudices super omnes tribus Israel. In Actis apostolorũ legimus quòd Iudæi flagellarunt Apostolos, & in carceribus coniecerunt: & eos sunt persecuti. Vide iam quomodo omnia mutentur & versa vice conuertantur. Apostoli qui adeo à Iudæis iniuriis & suppliciis affecti sunt, illorum in iudicio iudices existent: quare caueant diuites & potentes qui pauperculos in hoc sæculo persequũtur: nã for- *Luca 16* tasse in altero accidet illis quod auaro diuiti cum Lazaro euenit cui mortuo iustissimo Dei iudicio Lazarus merito guttulam aquæ denegauit, à quo viuo nihil in suæ paupertatis remedium impetrare poterat. Exaltabit dominus humiles & pauperes, vt sint impiorum iudices & tunc comprobabitur *Iaco.2* illud quod ait scriptura. Iudicium fiet sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam, &c.

Iudicare quid. ¶ Obserua autem quòd iudicare propriè est sententiam in alium ferre, quod bifariam contingit. Vno modo per propriam autoritatem, & hæc est propria Christi functio. Sed alio modo contingit sententiam proferre autoritate illius qui id munus ministro committit. Et hoc modo iudicabunt Apostoli & Apostolici viri sententiã, scilicet Christi autoritate latam in notitiam iudicandorum proferendo. Quod est quasi illam pronunciare: hoc eos docere vt cuiq; iustitia Dei pro suis meritis retribuat. Expende autẽ quòd honorificũ hoc iudicandi munus non quibuslibet sanctis ob quæcunque merita, sed solis Apostolis eorúmque sequacibus propter statum perfectionis concedendum est. De illa autẽ paupertate loquimur de qua Christus hîc loquitur, videlicet cùm qui cuncta quę habet vt Christum sequatur reliquit & trino voto religionem profitetur: firmitas enim voti status dicitur, istis tantum dicit in regeneratione sedebitis &c. Hoc est non stabitis inter eos qui iudicandi sunt: sed sedebitis iuxta sedẽ maiestatis meæ. Et quod mea ego autoritate facturus sum: id vos tanquam mei ministri facietis. Et huic altissimo paupertatis statui datur hæc facultas iudicandi, propter duo. Primò propter congruitatem. Nam qui de rebus cuiuslibet est iudicaturus, oportet vt sit purus ab illis. Ideo iudices rerum ab omni affectione debent esse puri & alieni: quapropter statui paupertatis iudicandi potestas accõmodatur, quia alieni sunt à rebus. Secundò quia in iudicio de operibus misericordię erit disceptatio. Esuriui & nõ dedistis mihi mãducare, &c. Illi qui per erogationẽ ō- *Matth 25* mnium bonorum statũ paupertatis elegerunt (quia manifestũ est vno religionis actu & voto cuncta misericordiæ opera exoluisse) non iudicabuntur, sed alios iudicabunt qui partem dederunt & partem retinuerunt: atque eos præcipuè qui nihil dederunt. Denique hoc etiam eius conuenit ratione meriti. Abiectio enim & contẽptus mundi, excelsæ humilitatis indicium est, præmium autem humilitatis est exaltatio, iuxta illud, Qui se humiliat, exal- *Luca 14* tabitur. Quũ ergo qui statũ paupertatis profitentur ab omnibus suppeditentur despectíque à cunctis habeantur: æquissima sapientia diuina est, vt super omnes exaltentur. Nulla verò est exaltatio maior quàm alios iudicare. In hoc etiam iudicantium ordine includuntur omnes paupertatis euangelicæ professores vtriusque sexus, licet catalogo sanctorum non sint adscripti, dummodo saluentur, & in sua professione vitam absoluant. Nam sicut singulariter datur aureola martyribus, virginibus & doctoribus, sic istis euangelicis pauperibus datur hæc singularis prærogatiua iudicandi alios.

¶ Præterea, per duodecim sedes vniuersitatem iudicantium intelligit: & per duodecim tribus totam iudicandorum vniuersitatem: sed nominauit tantùm populum Israëliticum: quia Christus peculiariter huic populo erat promissus. Sed iam ad nostrum Lucam reuertamur. *Exod.3*

¶ Qui reliquerit inquit domum, parentes, aut fratres, aut vxorem, &c. Impedit enim vxor obsequium Dei. Cùm dominus apparuit Mosi & eduxit Israel de Aegypto, nõ legimus quæsiuisse vxorem aut filios: & quod fortiùs est nec meminisse quidem. Didicit enim vir Dei propter Deũ relinquere patrẽ Ietro, vxorem, filios, domum: sicut ecõtra homines mũdani & carnales derelinquunt Deũ propter vxorem & propter filios & domum: sicut illi qui ad regni cælestis cœnam nõ venerunt, quia vnus duxerat vxorem: alius villam emerat, & alius iuga boum, &c. Verùm vt sciamus quòd omnia relinquere non facit homines beatos, sed animus dũtaxat quo id fit pręcipit Christus hîc vt fiat propter regnũ Dei. Si mundũ contemnis, si vxorẽ deseris, *Luca 14* aut filios negligis, & quicquid egeris, propter Deũ facito. Multi philosophi contempserunt mundum, sed perfectio Christiana & meritum cuiuscunque boni operis cõsistit vt hæc sint & fiãt propter Deũ. Si vis scire an opus aliquod sit perfectum, considera eius finẽ ad quẽ dirigitur, & vide quid sit Deus. Ob eam causam asserunt Mathematici circulum esse perfectam figuram: quia principiũ & finis idẽ est in illo. Cùm autẽ Deus sit principium, & prima causa, apertè cõcluditur tunc opera nostra esse perfecta si eorum finis est Deus qui est principium: & ad illum sint dicata. Quod autem sit principium *Ioan.8* ipsemet ait, Ego principium qui & loquor vobis. *Rom.11* Et Paulus ad Romanos ait, Ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Quapropter Christus in suis actionibus sæpè oculos eleuabat in cælum vt nos doceret, vt quidquid agimus sit propter Deum. Per oculum enim intentionem intelligit scriptura, de qua loquens dixit dominus, Si oculus tuus simplex fuerit: intẽtionem & finem operis intelligens. Hãc vult deus vt in ipsum dirigas, & eam in cælum eleues, vt eum cõsideres. Faber ferrarius cùm aliquod *Matth.6* opus facit aut cudit, debet tenere in memoria eum à quo ex pacto accepit magnitudinem & formam

Relinquere omnia non beatificat nisi propter Deũ fiat.

& modum : vt iuxta eius voluntatem opus faciat. Sic in omnibus quę Deus tibi pręcipit, vt facias Dei voluntatem in tua memoria habe : vt iuxta eius voluntatem bonum opus facias. Sic faciebat *Psal.15* sanctus ille Rex qui dixit. *Exod.25* Prouidebam dominum in cóspectu meo semper. Hac de causa voluit Deus vt duo Cherubin expansis alis tegerent propitiatorium, vbi Deus responsa eius dabat. Deus benefactor rectus vult esse & coopertus : vt nos doceat bene facere, & nolle ab hominibus videri. Vnde beatus Paulus. Siue manducatis, siue bibitis, siue *1.Cor.10* quid aliud facitis : omnia in gloriam Dei facite. Illa sancta quatuor animalia habebant facies & pennas extensas desuper, *Greg. homi.4 super Ezech.* quia (vt Gregorius dicit) omnis contemplatio sanctorum super se tendit : vt illud possit adipisci, quòd in cœlestibus appetit. Siue verò bono operi, siue verò vigilet contemplationi, tunc veraciter hoc quod agit bonum est, quando ei complacere concupiscit à quo est. Nam qui bona agit & hoc non propter Deum: sed propter homines facit, intentionis suæ faciem deorsum premit. *Ezec.9* Etiam in Ezechiele habetur, quod illi iusti qui non sunt occisi ab Angelo, habebant signum thau, in frontibus suis. Hoc signũ habebant etiam animę *Apoc.7* impressum illi quos vidit in gloria Ioannes. Litera thau est vltima Hebraici alphabeti, velut Omega Alphabeti Græci, & quia ω est finis literarum, solét Græci per hanc literam finem significare. Vnde dominus ait in Apocalypsi. Ego sum, α, & ω, principiũ *Apoc.1* & finis. Sic apud Hebræos thau, significat finem. Accedit ad hoc quod ipsa litera thau significat finem & consummationem : quia omnes literæ Hebraicæ habent suas significationes, vt ait Hieronymus in libro de nominibus Hebraicis. Cum ergo Christus sit finis, vt ostendimus in loco ex Apocalypsi citato, debemus ipsum in omni actione nostra ante oculos habere, iuxta id quod ipsemet ait. Pone *Cant.8* me vt signaculum super cor tuum. Fige me tanquam scopum in corde tuo, quo tendant omnia tela tuarum cogitationum, verborum, & operum. Omnia itaque propter Christum faciamus : ipse sit finis noster, & causa, & intentio propter ipsum solum terrena contemnamus. Atqui ne fortè putes ea quæ propter Deum feceris donanda non fore, vt cognoscas Dei in seruos suos liberalitatem, audi quid dicat hic Euangelista: quia non solùm in altera vita præmium virtutum suarum reportabũt, sed etiam in hac laborum mercedem cósequentur. Recipiet inquit Christus multo plura in hoc tempore, & in futuro vitam æternam.

Duplex merces apostolicorum virorũ.

¶ Obserua quomodo Christus præmiat suos nó solùm in alia, sed etiam in præsenti vita, & in hac vita dupliciter: primò in temporalibus : secundò in spiritualibus. Cum enim Christus suaderet hominibus dimittere omnia, & nihil posteà possidere: & quia ad sustentationem nostram sunt temporalia necessaria, putarent quidem quòd dimissis omnibus non haberent, vnde possent sustentari, & hoc multùm distraheret eos ab eo quod Christus illis suadebat, scilicet dimittere omnia. Ideo Christus voluit certos reddere homines, quòd nihil illis deesset in hoc sæculo, licet omnia dimitterent : quia multò plura inuenirent in hoc sæculo, & centuplicata, vt dicitur in Matthæo, quantum ad vsum, & communicationem, licet nihil haberent quantum ad possessionem. Hæc autem temporalia noluit esse pro mercede, aut retributione : sed ad sustentationem. Hoc quod hîc Apostolis factum est, videmus quotidie viris Apostolicis fieri : *Vitæ monasticæ commoditates, & diuitiæ.* qui domum, cognatos, & bona temporalia propter Christum relinquunt. Quia religiosus, præsertim ex ordinibus mendicantium qui dimisit vnum agrum de cuius fructibus sustentabatur, inueniet centum agros, quia de fructibus agrorum fidelium inueniet sustẽtationem. Relinquit vnum patrem, & inuenit multos patres & prælatos habentes ad eum viscera paterna & materna, & inueniet plures fratres vt sunt omnes religiosi sui ordinis. Pro vna domo inueniet plures domos. Sæcularis quantũcunque apud se sit opulẽtus, lógiùs iter facturus, pauper est, quoniam hospitiũ & diuersorium auaritiæ nullius sunt tantæ opes, quæ diu satisfaciãt. At monachus quocũque velit tendere, præstò habet hospitia religionis suæ, quibus gratis accipitur, cœna, lecto, & aliis ad quiescẽdũ rebus necessariis. Adsunt fratres, summoque amore fatigati pedes lauant, illisque non secus ac si in propria domo esset ministrãt. Quis tã diues aut potens est qui vbique terrarum fuerit, sic recipiatur? Præterea nemo sæcularium tantus est qui ministros habeat, quibus mercedem pro seruitio non impendat, aliter ab omnibus destitueretur. At monachus qui in sæculo forsan vnum aut duos ministros alere non posset in monasterio plurimos habet famulos, alium cocum, alium pistorẽ, aut fullonem, alium sartorem, &c. quibus nihil pro mercede tenetur. Omnes enim gratis & propter Deum famulãtur, & ita religiosus, quasi esset princeps potentissimus famulos habet, distinctis fugẽtes muneribus, quibus nihil soluit, & etiã cum dormit custodem habet, cui incumbit quietis & silentij cura, ne aliquo motu excitetur. Et ita omnia relinquẽs: quę habebat in sęculo: plura etiam in hoc sæculo consequutus est, quàm si in sęculo mãsisset, & magna solicitudine diuitias quęreret. Hoc enim dominus prouisit, vt qui propter illum omnia reliquisset, omniũ bonis frueretur, iuxta illud apostoli. Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. *2.Corint.7* Quare ne fallãtur sæculares, qui insectari religiosos nunquam desistunt : sciantque certò nihil vnquam illis defuturum, qui omnia propter Christũ reliquerunt. Deus enim qui cordibus dominatur hominum, efficiet semper in illis pręsentissimam voluntatem, vt religionibus prouideant : sicut fecit in vidua, quę Helię esurienti opem tulit. *3.Reg.17* Quin etiã principes & potestates huius sęculi, diuina (vt credo) inspiratione tam maioribus honoribus accipiunt & prosequuntur religiosos, quàm sæculares: multo maioris dignitatis quã illi si in sæculo mansissent, futuri fuissent. Hoc optimè disserit Beatus Ambrosius super Psalmum, Beati immaculati. *Amb. se.8 in Psal.118.* Adducit autem in mediũ Mosen qui potuit esse quasi Pharao, quia nutritus à filia Pharaonis, sed noluit esse rex quamuis potuisset, & opprobriũ Christi præferendum arbitratus est thesauris Aegypti: *Hebr.11* dimisit diuitias & delicias propter Christum, & aulam regiam contempsit : sed fugiendo potentiam (inquit Ambrosius) potentior factus est, in Deum Pharaonis. Rex erat Pharao, sed Deus non erat : sed Mosi dixit. Ecce constitui te Deum Pharaonis, *Exod.7* hoc est, regi ipsi terribilem quem rex timeret. Sic tu, si vis peccatoribus esse in terrorem, regibus in reuerentiam, & vt omnes tãquam Deo sint tibi subiecti, contemne quæ sæculi sunt, & relinque diuitias. Vide Petrum, & audi illum claudo dicentem

Act.3 tem. Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Iesu Christi surge & ambula. Reliquit aurum, & accepit facultatem sanandi claudum. Non tibi videtur quod accepit Petrus multò plura in hoc tempore quàm reliquit? Non potest mentiri ipsa veritas quæ ait, Qui reliquerit agros, fratres, &c. multò plura recipiet in hoc tempore. ¶ Secundò in hac vita præmiantur non solùm vt diximus honore, vt his rebus externis, sed quod principalius & multò excellentius est spiritualibus cōsolationibus fruātur. Ratio potissima, quare homines virtutis viam reformidant est, quoniam nō percipiunt virtutis suauitatem: in qua multò sunt maiores, quā in vitiis voluptates. Existimāt enim quia nos qui virtutis studio incumbimus pauperes & infirmos videant, nihil in nobis esse cōsolatiōis spiritualis, & ita vidēt nostras cruces, & nō vident nostras cōsolationes. Et quemadmodum simiæ quæ nucem proiiciūt corticis amaritudine deterritæ: ita homines carnales quia virtutē tenus corticee tantum gustant illius suauitatem non sentiunt: qui si penitus experirentur, virtutis saporem perciperent: qua de causa vitam monasticā & religiosam asperam & acerbā reputant. Verùm longe fallūtur. Nihil enim est in sæculo voluptatis, quod cū suauitate vitæ spiritualis possit cōferri. Nemóq; religiosus est (dūmodo verè sit religiosus) qui malit in sęculo māsisse, etiā cū Regis aut imperatoris dignitate. Plus enim habet pauper religiosus quàm reliquit. Cuius ditissimæ paupertatis figura extitit nobis Christus. Nā sicut Dominus exterius pauper & tenuis apparens interna æstuabat dignitate & gloria, ita religiosi in tenuitate & humilitate sua lætabūdi & gloriosi incedunt. Vnde Paulus, Mortui (inquit) estis, & vita vestra abscōdita est cū Christo in Deo. Similes sunt qui seruiūt Deo Alcibiadis Silenis, de quibus scribēs Plato ait esse quædam simulacra exteriùs rudia, interius politissima. Hæc enim est bonorum figura, vt scilicet virtutis rosetū humilitatis maceria septū habeant. Vnde idem Paulus. Cōuersatio nostra in cœlis est. Quasi dicat, Ne vos moueat extrinseca apparentia, qua pauperes, abiecti, & miseri videmur: quoniam intrinsecis gaudiis, & cœlestibus voluptatibus affluimus. Et meritò. Nam si mundus & dæmon tot voluptatibus se afficere sequaces suos iactant: quid faciet Deus penes quem omne syncerę voluptatis est imperiū? Etenim non debuit vitij quàm virtutis peior esse cōditio: & impij meliorem elegisse viuendi rationem quàm pios existimarent. Ideo Dauid in Psalmo inquit, Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti, &c. Quod nisi experientia ipsa compertum habuissemus, fides (si quidē Christiani sumus) nobis persuadere potuisset. Ait enim Dominus seruos suos etiam in hoc sæculo centuplum accepturos. Quod si minus aliquando videmus, id tribus de causis euenire potest. Aut quia non animaduertimus, aut quia peccando diuinis beneficiis resistimus, aut quia præmia temporalia nobis in æterna transferuntur. Non enim fieri potest quin Deus fidem suam seruet. Aperti sunt oculi Helisei famulo, quibus exercitus Angelorū vidit plurimos, vt significaretur pios in solitudine non viuere, nec sine voluptate esse. Sic ait Dauid, In via mandatorū tuorum delectatus sum: sicut in omnibus diuitiis.

Apostolicorum virorum in hac vita spiritualis cōsolatio.

Colo.3

Plat. in conu. amoris.

Phi.3

Psal.30

4. Reg.6

Psal.118

¶ Hæc autem bona propria sunt eorum qui sæculum contemnunt: quoniam in temporalibus, & spiritualibus ea beneficia consequuntur quæ cētuplam contineant quantitatem eorū quæ dereliquerunt: & post hanc, vitam æternam. Ait enim Christus, recipiet in sæculo futuro vitam eternā. Quoniam sicut peccatores duplici sunt obnoxij supplicio, morsui conscientiæ in hac vita: & igni æterno in altera: sic iusti duplex retinent præmium, trāquillitatem conscientiæ, & vitam sempiternam. Cuius laudes nemo est qui satis explicare, aut attingere possit, superant nanque omnem humanam cogitationem bona, quæ Dominus illis concedit, qui sæcularibus renunciant oblectamentis, pro mundi stercore margaritas elargiens. Quinimo quanuis nihil aliud mercedis pro bonis operibus reportaremus: quàm spirituales consolationes, deberemus vtique omni studio virtuti incumbere: ne dum vt supremam fœlicitatem consequamur. Quare ne detinearis his inferioribus bonis, & sic superiora & æterna impetrabis.

Insuper post hanc vitam domini premium.

¶ Sed hæc suffecerint: iam nunc ad contextū veniamus in quo Euangelista Lucas de ascensu Christi in Hierusalem, & de his quæ in itinere dixit & egit mundi Saluator incipit tractare dicens,

Assumpsit autem Iesus duodecim & ait illis, Ecce ascēdimus Hierosolymam, & cōsummabuntur, &c.

Apud homines probos & sapiētes pluris fit animus quo beneficium confertur quàm ipsum beneficium: quoniam non tam attendere solemus munera, quàm facilitatem quandam in donando, quæ beneuolentiæ medium præfert. Vnde quantumcunque quis sit in te magnificus, si id animo faciat inuito, gratiam habere non teneris. Cùm ergo omniū beneficiorum, quæ plurima Deus Optimus Maximus in nos contulit, maximus sit eiusdem mors in peccatorum nostrorum remedium, qua ianuam cæli aperuit, & honorem suum periclitari passus est, non satis esse duxit id libentissimè facere, nisi nobis impenderet se nō inuitum mortem subiisse. Aliàs enim magna pars huius beneficij imminueretur, quippe quòd homines crederent non sponte à domino fuisse concessum, ne propter amorē quo nos summè prosecutus est, sed coacto Iudæorum iniuria. Quare & quia magni fuit momenti huius voluntatis apud homines expositio futura, vt melius & suauius religionem Christianam amplecterentur, ostendit se Christus multoties suam passionem in euitanda morte potentem & liberum: vt intelligeremus sic fuisse facturum si voluisset ne occideretur, cùm ab impiis Iudæis comprehensus est. Nam si rogamus Matthæū, qua de causa Christus in Aegyptum Herodem fugit? respondebit, quia nondum tempus aderat quo vellet mori. Si Marcum rogamus, cur non potuerunt principes, sacerdotes, & scribæ comprehendere Christum, & occidere? respondebit quia nondū tempus aderat quo vellet. Si Lucam rogamus, cur quando in Nazareth voluerunt Iudæi Dominum præcipitare, elapsus Dominus ibat per medium illorum? respondebit eodem modo. Quod si Ioannem rogamus cur non potuerunt turbæ Iudæorum Christum tenere: cùm id maximè optarent? respondebit, quia nondum venerat hora eius. Omnes denique quatuor Euāgelistæ affirmāt Domini nostri Iesu Christi moriēdo libertatem: vnde si nunquam mori voluisset, nō fuisset vnquam à Iudæis comprehensus:

Matth.2

Mar.11

Luca 4

Ioan.13

Ioan.10 *Passio Christi voluntaria non coacta.* etiamsi contra hoc admitteretur omnis infernarũ potestas tenebrarum. Vnde illud, Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Quin etiam præter Euágelistarum autoritatem asserentium Christum sponte sua obiisse, patet hac ratione: quia cũ Dominus multò antea quæ e- erant euentura cognouisset, noluit periculum effugere, imo spõte in Hierusalẽ se cõtulit: vbi sibi insidias parari videbat. Ait enim Ioánes *Ioan.13* Sciẽs Iesus q̃ venit hora eius vt tráseat ex hoc mundo ad Patrẽ. *Matth.20* *Mar.10* Et Matthæus, Marcus, & Lucas exponunt quomodo Christus mortem suam futuram Apostolis prænunciarit, vt omnium quatuor Euangelistarum testimonio constet Dominum sponte sua fuisse passum: quod ideo factum est vt homines nõ inuiti illum colerent, & amarent, qui non inuitus pro illorum salute morti se obtulerat. Hoc igitur nobis hic insinuat noster Lucas, siquidem Christus in Hierusalem iter faciens, vbi erat passurus de passione sua cum discipulis agebat, ait enim Euangelista.

Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis.

Locuturus Dominus de passione sua, conuocauit omnes discipulos, vt intelligas passionem Domini esse sufficientem medicinam in omnium salutem: & redemptionem, quippe quæ pro omnibus prolata fuit. *Matth.17* At verò se in mõte Thabor transfiguraturus tres tantum assumpsit, innuens non omnes vitam æternam consecuturos: quoniam pauci sunt qui Christum in monte gloriæ transfiguratum sint visuri, & fructum passionis eius percepturi. Quod ita fore planum videtur ex eo: quoniam cùm totus orbis, tot Iudæis, Gentilibus, Saracenis, & hæreticis, sit adeò refertus, vt vix decima terræ pars Christianis cedat: mirum non est si exiguus videatur saluandorum numerus. Quot enim sunt Christiani & fideles, qui in hoc numero non computabuntur? Nam si Euangelica documenta inspicias, & cum illis morem multorum Christianorum componas, videbis quàm longè aliter viuant, quàm in baptis- *Hiere.6 & 8* mo suo polliciti sunt. Vbique fiunt vsuræ, vbique *Num.16* fraudes: omnes à minimo vsque ad maximum auaritiæ student, honores, delicias, & voluptates huius vitæ quærentes. Sic de sexcentis Iudæorum millibus qui ab Aegypto egressi sunt, duo tantum terram promissionis viderunt. Nihil erat, quòd magis doleret, Christus Dominus noster quàm quòd videbat quàm plurimos fore qui ab eius passione nullum fructum perciperent.

¶ Obserua etiam inter hos duodecim quos Dominus à reliqua multitudine, vt iustiores elegit, etiam iudam Iscariotem fuisse, quibus omnibus suæ passionis mysterium patefecit. Sed nunquid in tanta multitudine nemo extitit Iuda melior: qui in illius locum subrogaretur? Verisimile non est. Videtur igitur Christum causam mali exempli dedisse: siquidem contemptis melioribus improbum Iudam in consilium asciuit. Verùm non est ita. Christus enim Iudam aliis multis iustis hominibus prætulit: hac de causa: quia etiamsi tanto honore dignus non esset, tamen quia Apostolus & in suprema dignitate constitutus, non debuit posthaberi. Quo facto non modo iniustus non fuit, quin etiam nos docuit vt prælatis & superioribus dignitatem, non hominem attendentes obsequium & honorem exhibeamus. Nam cùm prælati superiores, ab ecclesia sint præfecti reipublicæ, locum Dei tenentes iustitiá conseruẽt, omnes subditi tenemur dum ipsa Ecclesia contrarium non disponit, illis obtemperare ratione officij sui: quanuis aliàs vita sint nõ laudabili. Sic Dauid obseruauit Saulem, li- *1.Reg.24. & 26.* cet malum Regem, tamen, quem cùm bis potuisset interficere noluit, dicens. Absit vt mittam manum meam in Christum Domini. Et quia semel ex insidiis abscidit illius vestem (vt ait scriptura) percussit Dominus cor Dauid eo quòd abscidit oram chlamidis Saul. Paulus etiam cùm à sacerdotibus insimularetur, quòd Ananiam principem sacerdotum reprehenderat, respondit, Nesciebam fratres, quòd princeps esset sacerdotum. Quin etiá *Act.23* Christus de scribis & pharisæis dixit, audiendos nõ *Matth.23* imitandos esse. Sequitur ergo: subditus etiam optimus prælato, in iis quæ benè præcipit quanuis alias pessimus sit obedire tenetur: quia ratione officij prælati sunt subditis digniores, cum Dei locum obtineant. Vnde in superioribus dixit Dominus. Qui vos audit me audit: & qui vos spernit me spernit. *Luc.10* Quod non modo Apostolis: sed etiam omnibus aliis Ecclesiæ prælatis Apostolorũ successoribus dictum est, vt in hunc locum vidimus, & suprà exposuimus, &c.

¶ Expende etiam Christi benignitatem & clementiam, quam cum Iuda habuit. Nõ destitit Dominus agere circa illum omnia quæ ad eius salutem pertinebant, vtendo sua magna potestate paterna illum reuocare a malo, & quidquid honestè poterat agebat omnẽ operá solicitando, ne ille periret. Et specialiter tractauit hic de morte sua, & de venditione propter Iudam, vt illum reuocaret à proposito malo, quod etiam posteà sæpè fecit, & etiam cum osculatus est eum. *Matth.26* Omnem medicinam experitur Dominus quotidie vt nos ab inferno liberet: & tamen nihilominus multi sunt Iudæ similes, in peccatis suis adeò obstinati: vt quo magis à Domino vocantur, duriores fiant, sicut incus ictibus mallei, diuinis vocationibus resistentes. Hoc quòd hic Christus dixit eo tendit vt Iudas saluaretur: ille tamen noluit, & damnatus est. Quare ò vtinam tu diuinis inspirationibus nõ resistas, ne similiter more Iudæ intereas, qui diuinas opes quibus sibi potuit consulere neglexit. An diuitias (inquit Paulus) bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? *Rom.2* Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram, &c. ¶ Denique obseruandum est quòd hoc dicit secreto, clausum testamentum condens ante mortem suam ad illam appropinquans, vt testes illo viuente tacerent: mortuo autem Domino testamentum aperirent, & Euangelium vbique prædicarent, ne populus in illo scandalizaretur, sicut scandalizatus est: dicente Domino, oportet exaltari filium *Ioan.10* hominis, respondit, Nos audiuimus ex lege, quòd Christus manet in æternũ, quomodo ergo, &c. Multò autem magis scandalizaretur, si audisset quòd hic Christus dixit. *1.Cor.1* Erat enim crux (vt ait Paulus) Iudæis scandalũ, gentibus stultitia: ideo expediẽs erat vt nunc celaretur, vt totus postea crederet orbis. Multi tamẽ, sunt hodierna die homines improbissimi, qui arcana eo ipso, quòd secreta sunt gaudent patefacere, quasi præclarum & inauditum opus facientes, pleni sunt rimarum: hac illac perfluunt, & nihil difficilius putant, quàm tacere: quare quo magis

gis tacere iubetur, loqui cupiunt. Nec animaduertunt quantorum malorũ loquacitas causa semper
2. Reg.13 extiterit. Quod ne longius abeamus in Thamar videre possumus, quæ exponens Absaloni ea quæ secreto cũ Ammone sibi euenerãt, causa fuit vt Ammõ cõfossus interiret, ob cuius interitũ Dauid ad mortem vsq; Absalonem persecutus est, quorũ nihil profecto fuisset si Thamar silẽtio honestare voluisset factum inhonestissimum. ¶ Secundo, secretò locutus est Christus, quia non omnes crucis mysterij sunt capaces, non omnes possunt thesauros Do-
Matth.7 minicæ passionis haurire, & non licet mittere margaritas ante porcos, & sanctum nõ est dandũ canibus, sicut Iudæis & Gentibus: quibus erat scãdalũ & stultitia. Quare Apostolicis viris, qui capaces sũt tanti mysterij, & non aliis dicendum est. Nullum in orbe fuit facinus tãti valoris, aut dignitatis, ac Domini passio. Primũ ex parte authoris, qui cũ Deus sit, cõmendatione nõ indiget. Secũdò ex parte aduersarij, peccatum enim profligauit, cuius in orbe longè latèque inualuerat potestas. Tertiò, ex parte illorum pro quibus pugnauit, hominum videlicet qui per Christũ non modo liberati sumus à peccato sed etiam æternæ gloriæ effecti participes. Quod bonum omne bonum superat: ideo mirum non est, si Christus de re tanti momenti secretò secreta egerit. Quoniam & in monte coram Helia, Mose, Pe-
Matth.17 tro, Iacobo, & Ioanne transfigurauit se, ostendens gloriam suam: exemplum principibus præbens, qui negocia sua cum paucis peragant, quos sapientissimos & fidissimos esse nouerint. Qua de causa etiã E-
Esai.24. saiæ multis ante sæculis reuelauerat Deus mysteriũ incarnationis: & redẽptionẽ generis humani, gẽtiliũ conuersionẽ, & Iudæorũ interitũ. Propheta autẽ intelligens, quanti hoc negocium esset momenti dixit, Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Cũ igitur tot testimoniis pateat crucis mysterium summæ esse dignitatis non modo secretum esse debet, & dignis tantum esse communicandũ: sed etiã in secreto tractandũ & pensitãdum intra pectus & animum, vt eo modo eius suauitas sentiatur, omnia enim quæcunque Dominus acerba tulit salutis nostræ causa, non imbecillitatis suæ pertulit fortissimus: quare nihil Christianis suauius debet esse Chri-
Cantic.1 sto, & eius passione. Sic sponsa alloquitur dicens, Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur. Fasciculum myrrhæ vocauit passionem Domini. Nam quemadmodum fasciculus multis floribus cõficitur, ita passio Christi multis tormentis cõstitit. Vbera autem vocauit secretũ animæ quod est intellectus & voluntas.

¶ Tertiò agit Dominus de morte sua cum Apostolis vt solicitudinem subleuet, qua inquantũ homo afficiebatur. Ad hoc enim laudabilis est amicorum consuetudo, videlicet ad extinguendum dolorum morsus: non vt multi amicitia abutũtur, ad vitiorum tutelam, & pœnitentiæ de peccatis acumen retundendum: qua de causa nec sunt admittendi nec eorum consilia: quasi salutaria publicè nec secretò
Iud.3 audienda, ne fortè accidat tibi vt Egloni Moabitæ cui dixit Aioth, verbum secretum habeo ad te rex: quo eum interfecit. Assumit ergo Christus Apostolos secreto, & ait illis,

Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis.

Aduerbium Ecce, in scriptura emphasim habet, & attentionem postulat, non enim adhibetur nisi ad rem aliquam magnam & insignem significandam, & ita Esaias facturus de incarnationis myste- Esaie 9
rio orsus est. Ecce virgo concipiet, &c. Vagao etiã Iudith.14
Holophernis cubicularius vt significaret Iudith fortitudinem, postquam dixit vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor, addit facinoris magnitudinem exaggerãs, Ecce Holophernes iacet in terra, & caput eius non est in illo. Quin & in incarnatione dixit Maria, Ec- Luc.1
ce ancilla Domini: fiat mihi secũdum verbum tuũ. In nullo tamen horum locorum hoc aduerbium maioris est admirationis nota, quàm hîc. Audite omnes quicunque in orbe habitatis. Hoc esse vo- Psalm.
bis vtilissimum, & saluberrimum Ecce salutis, & Esaia
redemptionis nostræ. Ecce ille Deus vltionis, qui antea similis erat leoni: Ecce tanquam agnus mansuetus se luporum ferocitati traditurus venit. Ecce impassibilis Deus factus homo passibilis, ad Hierusalem accedit: sanguinem suum pro nobis fu- Luc.13
surus. Ecce appropinquat redemptio vestra. Ecce Psal.101
venit tempus, quo Deus oblitus indignationis quã in genus humanum conceperat: proprium filium morte tradere pro nobis non dubitauit. Ecce, aduertite diligenter peccatores quomodo Christus Hierosolymam ascendat, vt vos à peccato liberet, salutémque restituat qua ab hinc quinque annorum millia caruistis, exules à beatorum sedibus. Ecce iam in patriam restituimini. Ecce restituimur antea hostes Dei in eius amicitiam, virtute vnigeniti sui passionis. Ecce quomodo venit Christus vt impleat quod prædictum est per prophetas de morte eius & redemptione tua. Vide igitur & diligenter considera ascensum hunc, quoniam ex eo pendet salus tua. Est enim res summa attentione dignissima, quòd ascendat ille, quo nihil est altius: vt vitam suam pro vita tua non corporea sed æterna ponat. Videamus ergo quomodo ascendit Hierusalem vt occidatur, quia ipse dixit, non capit prophetam perire extra Hierusalem.

¶ Summè expendũt sancti doctores, quare Christus Hierosolymæ potius quàm alibi voluerit mori, cuius rei duæ rationes sunt. Prior quia nusquam tanta inueniri potuit malitia, que satis esset ad occidendum Saluatorem nostrum nisi Hierosolymæ: vbi Iudæorum insignis erat inuidia, cuius vitij est natura, vt nunquam inter eos oriatur qui summo ab inuicem interuallo distant: sed inter illos qui se esse æquales, aut credunt aut sperant. Cùm igitur Iudæi Hierosolymitani se esse sanctissimos præsumerent, viderẽntque Christum miraculis & sanctitate clarũ, vsq; adeo inuidia exarserũt vt oculis animi obcæcatis illum occidere non dubitarint. Vnde quoniam nullo alio loco præter Hierosolymam in Christum erat inuidia, maluit Dominus ibi quã aliàs pati. Reges terræ conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Se- Psal.2
cunda ratio cur Dominus maluerit Hierosolymæ pati, fuit vt patientiæ suæ eo maior esset victoria, quo maior iniuria foret in loco celebri quàm obscuro. Quare cùm Hierusalem in illa regione omnium ciuitatum esset celeberrima, eam elegit ad mortẽ suam: vt ex summo dedecore summam gloriam reportaret.

¶ Præterea hic ascensus in Hierusalẽ eo fit vt nos etiam nitamur cœlestem Hierusalẽ ascendere. Ideo

Ascensus Christi ad terrenam nobis aperuit viam ad caelestem. ascendit Dominus terrenam & materialem Hierusalem, vt nos immortalem & immaterialem ascendamus. De qua dixit Apostolus. Illa autẽ quæ sursum est Hierusalẽ libera est, quæ est mater nostra. Gala. 4 Qui verò hanc Hierusalem ire parat, non oportet vt quærat sibi aliam viam, quàm Christus ipse mẽsus est: & ibit nimirum per crucem & afflictiones. Per hanc viam introiuit Christus in gloriam suam. Est quidem via difficilis, quoniam omnis ascensus Act. 14 Matth. 10 laboriosus est, sed scriptum est, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Deinde cum animo nostro reputemus Christum Dominũ & Regem nostrum primum omnium hanc crucis viam triuisse: atqui non est discipulus supra magistrum, nec illius, quàm magistri debet potior esse conditio. Omnes autem hi labores suaues nobis viderentur si in cordibus nostris arderet religionis amor. Quando anima Deo vnita est per omnia iucundissimè peragit: si verò à Deo est separata, nihil est quod non æstimet graue & laboriosum. Nam quemadmodum vestis dum corpori induta hæret, quantumcunque onerosa sit, grauis non videtur propter decentem incorporationem & facilitatem, si verò exuatur & in fascem ligetur vix humeris potest sustineri: ita Deus eiusque præcepta si decenter & cùm suauitate induantur facillimè feruntur, aliàs grauissima esse videntur. Ideo Paulus Rom. 3 admonet Romanos dicens, Induimini Dominum Iesum Christum. Nulla enim alia est causa quare molestissimum nobis sit Deo inseruire: & persecutiones perpeti: nisi quoniam non induimur Deo. Ascendamus igitur Hierusalem in hac vita cum Christo, vt in altera illum habeamus ducem in gloriam.

¶ Obserua autem quòd Christus vt doceat hu- Matth. 17 militatem suam, coram paucis in monte Thabor se transfigurauit: sed crucem & ignominiam in ciuitate celeberrima coram Græcis, Latinis, & multis aliis nationibus ostendit.

¶ Præterea consummabuntur ait in hac ciuitate omnia quæ scripta sunt per Prophetas. Est autem mysterium nostræ salutis picturæ simile: nam quemadmodum pictor imaginem picturus illam prius carbone, vt certa delineat, & distinguit dũtaxat loca, quæ vmbra quæque purpura, aliisve coloribus sunt ornanda, quo facto tum demum supremam illi manum imponit perfectissimamque reddit: sic Deus in lege veteri salutem nostram præfigurauit & quasi delineauit, vt posteà mitteret Christum Dominum pictorem egregium qui omnia ad viuum duceret purpura sanguinis sui, quo opere perfecto & finito, dixit in cruce, consummatum est. Erat ille locus imaginis imperfectus adhuc, de quo dixerat Dauid in Psalmo. Qui edebat panes Psal. 40 meos magnificauit super me supplãtationem. Et de Zacha. 11 quo Zacharias. Appenderunt mercedẽ meã triginta argenteis. Hoc autem consummatum est quando Iudas, vnus de duodecim Christum triginta argenteis vendidit, cuius panibus vescebatur, pane doctrinæ, & pane materiali in mensa. Dixerat etiam Psal. 87 Dauid, longè fecisti notos meos à me: hoc autem tũc impletũ est quãdo diffugiẽtibus discipulis Christus solus relictus est. Dixerat etiam Esaias, faciem Esa. 50 meã non auerti ab increpantibus & cõspuẽtibus in me: & impletum est hoc cum conspuebant in eum Psal. 68 in domo Caiphæ. Dixerat Dauid, factus sum illis in parabolam: hoc adimpletum est cùm illudebant bant ei cædentes & colaphizantes eũ. Dixerat etiã: Psal. 26 in me surrexerunt testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi: quod impletum est in domo Caiphæ & Psal. 72 corã Pilato, & Herode. Dixerat Dauid, fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis, & Esaias etiam, disciplina pacis nostræ super eũ: cu- Esaie 53 ius liuore sanati sumus, quod impletum est in prætorio Pilati cùm flagellatus fuit Christus. Dixerat Esaias, vidimus eum, & nõ erat aspectus, vnde nec Esai. 9 reputauimus eum: quod impletũ est cùm flagellatus & spinis coronatus ostendit illum omni populo deformem, vulneratum, & exulceratum. Dixerat etiam Esaias, principatum eius super humerum eius: quod est impletum quãdo portans crucẽ & lignum suæ victoriæ exiuit in mõtem Caluariæ. Dixerat Dauid, Foderũt manus meas, & pedes meos, Psal. 21 dinumerauerunt omnia ossa mea: quod impletum est in crucifixione Christi. Dixerat etiã, partiti sunt Psal. 68 vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem: quod in vestibus Christi factum est, vt refert Ioannes. Dixerat præterea, dederunt in escam Ioan. 9 meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto: quòd Psal. 68. Christo dederunt in cruce. Dixit etiam Esaias, & Esa. 53 cũ iniquis reputatus est: quod quis dubitat i[illegible]tum in Christo, quia inter duos latrones cruc[illegible]us est? Dixerat etiam idem Esaias, & pro transgressoribus orauit vt non perirẽt: quod impleuit Christus Ibidem. cum in cruce orans pro crucifixoribus dixit, Pater dimitte illis quia nesciunt quid faciunt. Dauid quoque dicit, Factus sum opprobriũ illis: viderunt me Psal. 30 & mouerunt capita sua. Et alio loco Deo patri dicit. Exprobauerunt inimici tui Domine: exprobra- Psal. 88 uerunt faciem Christi tui. Hoc impletum est cùm principes sacerdotum & scribæ mouẽtes capita sua illudebãt ei, & deridebant dicẽtes, Vah qui destruis templum Dei: &c. Dixerat etiam Dauid in persona Psal. 88 Domini, ponetur anima mea in inferno inferiori: quod Christus fecit descendẽs ad inferos. Et Esaias Esai. 11 quoque, erit sepulchrum eius gloriosum: quia positus est in sepulchro optimo & nouo in quo nondũ quisquam positus fuerat. Et Dauid prædixit etiam, non dabis sanctum tuum videre corruptionẽ: quia Psal. 15 corpus Christi incorruptum permãsit in sepulchro. Denique Prophetauit Dauid dicens, Ego dormiui Psal. 3 & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me, quod Christus victor resurgens à mortuis impleuit. Vides ergo quàm verè dixerit Christus: consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, seipsum exposuit, & quę essẽt adimplẽda expressit cùm dixit: tradetur gẽtibus ad illudendum, flagellandum, conspuendum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Hæc erãt in summa dicta à Prophetis quæ omnia in Christi passione consummata sunt, vt hîc latè ostendimus: Aduerte autem ne erres quod nõ hæc ideo passus est Christus quia Prophetæ prædixerunt, sed è contrario ideo Prophetæ dixerunt quia Christus hæc erat passurus. Nã prophetia non est causa operis: sed è diuerso opus est causa prophetiæ: quare, quia Christus erat vinciendus, vendendus, deludendus, cõspuendus, flagellãdus, & crucifigendus, dixerunt de hoc Prophetæ. Nam aliàs sequeretur quòd testamentum nouum esset ordinatum ad perfectionem veteris instrumẽti, quod erroneum esset asserere: sed oppositum verum est, quia omnia veteris instrumenti ad perfectionem noui ordinantur, sicut in illa similitudine imaginis ostendebamus: quia lex antiqua

fuit

fuit quædam ad nouam delineatio quæ erat veteris perfectio non interitus. Ideo ait Christus. Non veni soluere legem sed adimplere. Quasi dicat, Non veni delere delineationes prophetarum & figurarum, sed illas perficere colore sanguinis & passionis meæ. ¶ Expende etiam quòd Christus Dei filius vocat hîc seipsum filium hominis, quia totus ipse est hominis magis quàm sui ipsius, & totus est deditus homini, nam ad hoc venit vt hominẽ saluaret, & seipsum daret in redemptionem pro homine, quod est nomen naturæ humanæ. Sicut Hebræo modo loquendi filij nuptiarum dicútur dediti nuptiis, filij sponsi, dediti his quæ sunt sponsi: & filij mortis, obnoxij morti. Propter hoc Dominus noster Iesus Christus appropriauit sibi ipsi hoc nomen filius hominis, quia totum se dedit homini. Dic etiam, & tu, cur nõ dabis aliquid Christo cùm ipse seipsum totum dederit tibi? Ipse vitam & sanguinem seipsum totum dat tibi. Nonne par esset vt vel horæ dimidium in nocte illi concederes, siquidem totum diei tempus in mundi occupationibus perperam consumis? nonne de substantia, quam ludo, cõuiuiis & vanitatibus dilapidas: fas erat vt pauperi subuenires? Omnes proditores dici possunt, qui diuites cùm sint bona Dei occupant, nec ea distribuunt iuxta datoris voluntatem, qui nobis non modo temporalia verumetiam æterna pretio vnigeniti sui sanguinis empta cõcessit. Igitur postquam Christus dixit discipulis quòd passurus erat in Hierusalem declarans seipsum sigillatim declarat suam passionem dicens.

Matth. 5

Christus filius hominis dicitur, quia hominibus se totum dedit.

Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & post quam flagellauerint occident eum.

Dixit passionem suam non solùm generaliter, sed etiam specialiter pertractans sigillatim passionis momenta. Primum, vt sapientiam suam ostenderet, quia omnia non confuso tantum, verùm distinctissimè futura nouisset. Secundò vt palam faceret quantum nos amaret quantúque faceret salutem nostram, quando sic in doloribus perferendis gloriabatur, quos omnes speciatim explicans manifestauit se non modò mortem, sed mortem omnium dolorum refertissimam perpessurum. Et cùm multi sint, qui malint semel: & simpliciter mori, quàm tormẽta, & cruciatus qui mortem præcedunt perpeti: Dominus noster recensuit mortis suæ circunstantias, vt innueret se non quocunque modo moriturũ, sed miserrima omnium mortalium conditione. At tanta est pro tanto beneficio hominum ingratitudo, vt nihil, nec minimum quidem velint propter Deum facere. Audiamus igitur Petrum dicentem: Charissimi, Christus pro nobis mortuus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vias eius, &c. Sed aliqua hîc obseruanda sunt.

1. Pet. 2

¶ Primum horum est, quòd Christus ante passionem voluit discipulis mortem suam dicere, vt multò ante parati essent ne scandalizarentur. Nam si discipuli omnibus sigillatim præcognitis nihilominus scandalizati sunt: quid fuisset si nihil prorsus futurorum sciuissent? Hæc autem quæ in passione erant euentura omnia patefecit Dominus illis, vt faciliùs mysterium resurrectionis crederent cogitãtes: Dominus dixit se esse tradendum in manus peccatorum. Et ecce traditus est. Dixit se esse deridendum, derisus est. Dixit præterea se esse flagellandum, flagellatus est vtique. Ergo & eodem modo ea, quæ de resurrectione sua nobis dixit, vera sunt. Hac igitur de causa Christus de omnibus præmonuit, vt per ea, quæ oculis erant visuri, etiam inuisibilia crederent.

Chry. ho. 35 in op. imp. Mat. Prædixit passionẽ. s. Christus ad cauendum discipulorũ scandalum.

¶ Secundò obserua, quòd non semel tantum, sed sæpiùs locutus est Dominus discipulis suis de passione sua, multísque in locis. Primum in regione Cæsareæ, quando Petrus dixit quòd erat filius Dei. Secundò cùm esset circa Capharnaum in Galilæa cum discipulis, nam dicitur in Matthæo quod conuersantibus discipulis in Galilæa dixit illis Iesus. Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget. Tertiò dixit, hoc vnum Christus inter Iordanem & Hierico ascendens Hierusalem, & vadens ad Hierico. Quarta vice dictum est in Hierusalem ipsa nocte vltima, qua cum discipulis cœnauit. Toties autem dixit de passione, & locutus est de ea, vt inquit Diuus Hieronymus, vt magis illam commendaret memoriæ: & ne de memoria elabi possit, toties passionem suam repetiuit eis. Vnde cùm prima vice locutus est de hac passione sua in partes Cæsareæ Philippi, ait suprà noster Lucas quòd dixit discipulis. Ponite sermones istos in cordibus vestris, filius hominis futurum est vt tradatur in manus hominum. Tradite hoc memoriæ: & seruate ne obliuiscamini. Quare Ecclesia memor huius commendationis Dominicæ, ne locum obliuioni relinquat non modo in Dominica Quinquagesimæ, sed etiam feria quarta post Dominicam secundam Quadragesimæ, ante vigesimum diem: eadem verba dignissima memoria repetit.

Matth. 16

Matth. 26 Passio Christi quoties toties prædicta & inculcata.

Ioan. 13

Libr. 3. com. Matth. c. 20.

Luca 9

In libro Hæster habetur, quòd Mardochæus liberauit Regem Assuerum à morte detectis insidiis, quas famuli ipsius Regis in dominum suum tetenderant, quos Rex in annalibus iussit conscribi. Quod ô vtinam Christiani principes facerent: qui siquidem principes religiosos in virtute non imitantur, saltem Ethnicum imitarentur Regem: & sic labores, & virtutem clientum, famulorúmque suorum remunerarent. Sed his prætermissis, quæ extra rem sunt, cùm olim Assuerus vigilia laborans non posset somnũ capere, iussit adduci historiam suorum gestorum, in qua cùm fortè legeretur quomodo fuisset Mardochæi opera à morte liberatus, interrogauit an fuisset Mardochæus aliquo, pro virtute affectus beneficio, & cùm comperisset indõnatum, summum illi & honorem & dignitatem concessit. Si igitur Assuerus vsqueadeò se Mardochæo gratum præbuit pro vitæ parua mora: quanto gratiori animo debent erga Deum Christiani esse, à quo non vitam mortalem, sed æternam sanguine eius emptam acceperunt? Liberatus est Assuerus à morte corporis, at nos ab animæ interitu, liberati sumus. Non effudit Mardochæus sanguinem pro Rege suo: at Christus pro populo suo sanguinem suum exhausit. O quanta diligentia deberemus in annalibus animæ nostræ imprimere tãtum Dei beneficium: nam cum ad æternam mortem essemus damnati, aperuit nobis Dominus passione sua cœlorũ ianuam, quam aliàs nulla virtus humana aperire posset. Insomnes deberemus noctẽ traducere: sicut Assuerus historiã redemptionis nostræ legentes, beneficiúmq; recolentes à Christo nobis collatum: qui verus Mardochæus noster fuit, cuius ope à morte æterna reducti sumus. Hoc deberet esse nostrum exercitium, hæc meditatio, hæc lectio, vt eo vsque exardesceret animis nostris amor diuinus

Hest. 6

Psal.38 ne vel martyrium pati cúctaremur iuxta illud Psalmi in meditatione mea exardescet ignis. Vt ignis flatu accenditur crebro: ita amor diuinus assidua meditatione in mentibus nostris accenditur. Nam quemadmodum Sol speculum obiectũ radiis suis illustrans ex radiorum reflexione ignem vel in papyro, aut qualibet festuca excitat sic radiis iudicij nostri in speculum passionis Dominicæ intentis, ignis amoris diuini ingẽs in cordibus nostris orietur. Ideo Christus Iesus passim repetit passionis suæ memoriam discipulis suis, sicut bonus magister qui si quod punctũ in primis necessarium offendit non cessat discipulis inculcare, donec radicitus percipiant. *Hebræ.12* Sic Paulus hortatur ad perpetuam memoriam passionis Christi cum ad Hebræos ait. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionẽ. *Passionis Christi continua memoria.* Non solùm dixit cogitate, sed recogitate: hoc est iterum atque iterũ cogitate. Igitur Saluator noster huius considerationis vim cognoscens sæpissimè admonet ne obliuiscamur passionis suæ. Quare res est indignissima, Christianorum negligentiã videre, qui cùm se Christianos iactent, nihil magis oblitum habent, quã rationem & causam salutis suæ. Multi enim sunt qui per totam vitã immemores cũ fuerint in articulo mortis tandem in memoriã reuocãt quid sint, qua ope saluati: tunc demũ amplexantur Christi crucifixi imaginem, vt criminũ suorum pœniteant. Qui, queãdmodum ille verè insanus esset iudicãdus qui accepto à Rege literarum fasciculo, in quo certo sciret inclusum deferri Regium chirographũ quo sibi concederet ingentẽ reddituum quantitatẽ, statim legere negliret ad mortémq; vsque differret. Sic procul dubio furiosus ille est qui beneficia diuina ad vitæ finẽ differt, nec statim cũ possit fruitur. Memento igitur passionis Christi, in qua omnium bonorum abundantiã inuenies, charitatem, humilitatem, patientiã, omnésq; virtutes, dum viuis: nam in morte satis efficẽs si dolores tuos perferre possis, nedum vt dolorum Domini recorderis. *Exod.12* Educturus Deus Israëlem de Ægypto misit Angelũ, qui domesticatim omnes primogenitos extingueret Ægyptiorũ: & ne fortè simul Iudæi necarentur præcepit illi ne intraret in domos, quarũ postes agni sanguine essent peruncti. Nó aliter Saluator noster nobiscum aget, quorũ omnes qui memoria sanguinis sui non fuerint muniti, æterna morte damnabit. Sic habetur etiam in Ezechiële *Ezech.9* quòd præcepit Dominus interficere omnes qui signũ Tau in frõtibus impressum nó haberent, qui autẽ, T, habebant nó occidebantur, nec minus ergo digni sunt morte qui, T, passionis & crucis Domini in frontibus & cogitatione sua nó gestant.

Christus loquitur in tertia persona, quia sua passio non pro se sed pro aliis fuit.

¶ Obserua tertiò, quòd Dominus dum hic loquitur, nó in sua, sed in tertia persona loquitur, nec enim dicit tradar: illudar, flagellabor, aut crucifigar: sed filius hominis tradetur, illudetur, conspuetur, &c. tanquã si de alio nó de se intelligeret. Cuius ratio est, quia etiamsi Dominus in persona sua nó in aliena passionem tulerit, eam tamen nó pro se, sed pro genere humano pertulit: quare per personã alienam, quam inducit, alienam innuit fuisse culpam & causam mortis suæ. *Rom.12* Traditus est (ait Paulus) propter delicta nostra. E diuerso prophetæ passionis Christi mentionem facientes de illa in propria persona loquebantur, quoniam videbant Christum ob eorum culpam esse moriturum. *Psal.68* Sic Dauid sæpè ait. Partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meam miserũt sortem. Et foderunt manus meas: & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, &c. *Psal.21* *Hier.15* Id genus & Hieremias inquit. Sustinui propter te opprobrium, &c. Nostra erat culpa, sua fuit pœna, magis enim reus est qui delinquit, quàm qui plectitur. Meritò igitur de Christo in persona aliorum, alij verò in persona sua loquebantur: vt scilicet innuerent omne genus humanum in morte Domini fuisse culpatum.

¶ Quartò obseruandũ ingentem Domini nostri per totam vitã solicitudinem. Enimverò si ad mortem damnati, eousq; de sua celantur morte donec iamiam ad supplicium sunt educẽdi, ne tandiu futuri agonis memoria excrucientur: quid sensisse putamus illũ qui ob diuinitatem suam à tẽpore conceptionis vniuersam semper ante oculos gestauit passionis figurã? Ea de causa Abrahã filium Isaac postmodum sacrificandũ celauit, quæ esset victima futura. Constructo enim igne: dicentéque filio, vbi est victima? *Gen.22* Respõdit, oculis largissimas effundentibus lachrymas. Ne quære fili mi: Dominus prouidebit. Quid est hoc, ô Abrahã? cur filium falsã spe producis? Nõne multò præstitisset statim rem exponere, vt cõstantiùs mortẽ ferret? Nequaquã. In morte nanq; nullus esset penitus dolor, nisi animi internũtio excitaretur sensus ad dolendum: quòd in dormiẽtibus planũ est, qui nihil dolent donec doloris stimulo excitantur. Qua de causa qui mortem iamiã credũt imminere, nó minorẽ interius sustinẽt dolorem, quàm si in ipso mortis agone versarẽtur: vnde sequitur, mitissimũ fuisse Abrahã erga filiũ suum, homines verò in suum Saluatorẽ crudelissimos, qui tam diuturnæ mortis supplicio illum affecerunt, pro peccatis nostris libenter morientem. Quare tota Christi vita quædã passio fuit. Sic modo in particulari dicit. Illudetur & occidetur. Vide & tu, quomodo mortales vitã damnãt ad nostram abolendam mortẽ, iuxta illud, De manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos. Præterea omnia in passione Domini plena sunt illusionibus, vt scias summam ignominiam peccatũ esse. Non enim tot opprobriis redimeremur si peccata ipsa non essent ignominia, opprobriis & illusionibus plena. Sic Hieremias de eo dixit. Saturabitur opprobriis. *Threno.3* Quibus verbis magnitudinẽ & molẽ cruciatuũ ingentẽ significat. Vt enim vẽtres saturati, nihil ampliùs capere possunt: sic dominus saturatus dolorũ nihil ampliùs habuit, quòd dolere posset. Dictum est enim: A planta pedis vsq; ad verticem nó est in eo sanitas. *Esaia.1* Ergo saturabitur opprobriis. At quibus venditus, vt seruus, delusus, vt mẽte captus: cõsputus, vt infamis, flagellatus, vt fur, occisus denique tanquã proditor. Quod nihilo seciùs hoc tempore peccatores faciunt à quibus diuersimodè Deus offenditur: nam à simoniacis venditur, illuditur ab hypocritis: flagellatur à tyrannis, conspuitur à blasphemis: & occiditur ab apostatis, iterũ crucifigentibus, vt ait Paulus, Iesum Christum. *Heb.6*

Christi ineffabilis erga nos amor.

¶ Quintò obserua, & attende diligenter quãtum Deus te amauerit, vt rem fermè impossibilem propter te fecerit. Quid impossibilius videtur, quàm Deum æternũ, mortalem fieri & mori? cuius morte mortis acerbitas, & acies retusa & superata est, adeo, vt pro amaritudine summam in morte pij suauitatem sentiant: quippe ab æterno interitu liberati facilè vitæ immutationem ferunt. Deleuit chirographum (ait Paulus) quod aduersus *Colo.2*

nos

nos erat, affigens illud cruci: vt quemadmodū hæreticæ prauitatis inquisitores, si forte reos nancisci nō possunt, eorū simulacra ignibus exurere solēt, vt sic etiā supplicio ficto sceleratos homines plectant: eodem modo pro Adam scelere, eius simulacrū & *Philip.2* imago supplicium tulit iuxta illud Apostoli. In similitudinē carnis peccati. Non enim fuit peccator sicut Adā sed similis illi: & sic innocēs punitus est, *Psal.68* quemadmodū rex Dauid in persona eius ait. Quæ non rapui tunc exoluebā. Quia chirographū, quod contra nos diabolus habebat, sanguine & cruce Christi deletum est. Quare quando confessarius te à peccatis absoluit cogita vberrimū super te fluuiū descēdere de vulneribus Domini quibus omnia delicta tua lauātur. Crux igitur Dominica, & eius mors viuificat peccatores. Præcepit Dominus Mo- *Exod.14* si, vt educeret filios Israël ab Ægypto, quo facto secus orā Rubri maris iter facerēt, & iam ad aquas accederent, respicientes Ægyptiorum copias insequentium maximo timore correpti clamauerunt ad Mosen: qui respondens dixit illis, Nolite timere Ægyptios, quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis. E vestigio enim locutus est Dominus ad Mosen, dicens, quid clamas ad me? Eleua virgam & extende manum tuam supra mare: & apertū est mare, &c. Non aliter peccator viā faciens ad illam cœlestem promissionis terram, quoties se conuertit, & videt peccata quæ in vita commisit insequentia, quasi quoddam Ægyptiorum agmen non potest non cōtremiscere & exanimari, nisi à Deo confirmetur. Verùm ait Dominus eleua virgam: quod non sine mysterio dictum est. Nam antequā Christus pateretur virga crucis abiecta & vilis latronū mansio, & ignominiæ erat argumentum: at posteaquam à Domino assumpta stetit corporis sacratissimi fulcrum, miraculis claruit, & peccatorū fuit ad gloriā ductrix. Vnde sicut filij Israël de mari exeūtes Ægyptios viderunt mortuos, tamen virgæ illius medio: sic virtute crucis peccata nostra per pœnitentiæ aquas demortua videmus: quorū non modo non pertimescimus aspectum, sed etiam gratias *Exo.15* agimus Deo, dicentes, Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascēsorem, &c. Sic nos gratias agamus Deo, quia nostra peccata suffocauit sanguine suo: & nos flagellis, opprobriis, clauis, spinis, cruce, & passione redemit.

¶ Ad nostram autem eruditionē discamus pro Christo dura & acerba subire, quādoquidem tanta & tam dura pro nobis pati non dubitauit. Omnes enim tantæ sumus imbecillitatis & incōstantiæ, vt etiam ea quæ vel coacti facere tenemur, quantum possumus fugiamus, partimq; eorum laborē declinemus. Religiosus iuxta votum suum non potest paupertatem effugere: ac aliis exercitiis, quæ paupertati sunt annexa, quantum potest se subtrahit, & ita sitim, famem, frigus, & vilipendium nō fert. Et quemadmodum pillulas purgandi solēt melle circumlinire quo amaræ non sint: ita nos ob nostram fragilitatem, virtutē multis modis condimus, eam ad arbitrium nostrum fingētes, ne amara videatur. Hoc autem ab amore proprio proficiscitur, quo seducti omne dulce virtuti consentaneū iudicamus. Volumus sine labore virtutem sequi, & eius suauitate frui, qua sequaces suos afficit, sine vllo voluptatis corporis dispendio. Filius verò Dei è conuerso, asperam non dulcē virtutis partē arripit, & ita moritur ab amicis destitutus summa cum ignominia.

Quæ igitur amētia est? Volumus ocioli gloriā consequi quam gloriæ dominus tantis exaustis ærūnis ascendit? Rapiamus ergo crucis vexillum, & fortiter omnes incommodorum huius sæculi salebras transileamus: earum verò timorem consolemur iis verbis quæ statim subiiciūtur in textu. *Et tertia die resurget.* Iam hîc vides quomodo Christi labores *Miscentur tristia lætis* requie, & tranquillitate finiuntur: quod idem accidit illis, qui propter Christum incōmoda patiuntur in hoc sæculo. Trāsactis enim & finitis vnà cùm vita mortali laboribus, non mediocris imo maxima est consolatio ad illa æterna gaudia fruenda ascendere. At è diuerso impiis accidit, qui multa in alio sæculo supplicia sustinebunt, quippe qui obita morte temporali, æterna cruciabuntur. Sapiens ergo pœnas illas timebit, has contemnet, quæ morte finiūtur, & medium sunt ad gloriam consequendā: quòd cuiuis erit facillimū, qui voluerit secum perpendere in mediis clauorū, ignium, & cruciatuum doloribus, quāta sunt præmia victoribus, proposita, & cōtra in voluptatum blandimentis meminerit suppliciorum inferni, quæ victos miserrimè affligent. Qui hæc fecerit proculdubio victor euadet. Nec enim vsque adeò à domino deseretur, qui non vniuersos labores simul nobis immittit, sed paulatim. Nā (vt Hieronymi verbis vtar) Dominus pro- *Hier. super Matth.7* speris admiscet tristia, vt cùm repente venerint non terreāt, sed à præmeditatis ferātur animis. Si enim contristabat apostolos quòd occidēdus esset Christus, decebat eos lætificare quòd die tertio erat resurrecturus. Sæpenumerò enim vt optimè adnotat Ioannes Chrysostomus ponitur in scripturis simul *Chry. hom.67. in Ioan.* passio. & resurrectio. Esaias vtrunque simul ponit. *Esa.53* Tanquam ouis, inquit, ad occisionem ductus est, & tanquam agnus, &c. Subdidit autē de resurrectione dicens. De angustia, & de iudicio sublatus est. Et Dauid in Psal. tertio, & in aliis Psalmis sæpè cōiungit hæc duo, Dormiui, inquit, & soporatus sum: & surrexi, quia dominus suscepit me. Et anteà prædixerat de passione dicens. Astiterunt reges terræ, & *Psal.2* Principes cōuenerunt in vnum aduersus dominum & aduersus Christum eius. Sequitur. Postula à me & dabo tibi gentes in hæreditatē tuam, &c. Iacob *Genes.49* etiam patriarcha, Dormiuit (inquit) vt leo. Deinde addidit. Et vt catulus leonis excitauit eum. Simul passionem & resurrectionem ostendit. Iam hîc vides quomodo Christi iugum suaue sit, si quidem inter tristia, gaudia admiscet, & læta. Mos enim scripturæ est, vt Diuus Hieronymus disserit aduer- *Hier. super Amos 5* sis læta subiūgere: vt postquā tristibus dominus fuerit cōminatus, lætis rebus, & prosperis subleuet, & extollat. Sic Esaias postquam terrores & mala di- *Esai.1* xerat, vt dicens, Væ genti peccatrici, populo graui, &c. terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ sunt igne, regiones vestræ coram vobis alieni deuorant: loquitur deinde ad eos, meliora promittens, & ait, Lauamini, mundi estote, &cet. & venite & arguite me, dicit dominus. Item Amos qui- *Amos 5* bus dixerat, cecidit domus Israël, non adiiciet, vt resurgat virgo Israël, errauit in vtero, nō est qui suscitet eam, post loquitur dicens, Quærite me & viuetis: & nolite quęrere Bethel in Galgala. Hoc *Hierem.30* idem Hieremias agit, Vocem terroris audiuimus, formido & non est pax. Ecce ego saluo te, &cet. Vult primò humiliare nos in rebus tristibus, & posteà consolatur: atque ideo Esaias & reliqui prophetæ qui vaticinati sunt ad populum Domini

mini post onera consolantur populum afflictum & mœstum. Sed Nahum & Abacuch post onera nullam subdunt consolationem, quia eorum vaticinia erant cōtra gentes, quæ idola colebant, & Messiam non expectabāt. Fidelibus tamē Israëlitis consolatio futura post calamitatem promittitur: & nobis etiam post flagella & crucem resurrectio nūciatur. Primò tamen ponit tristitiam deinde hilariora: vt scias per flagella & dolores ad resurrectionē venire. ¶ Expende etiam fructū passionis Christi, qui est resurrectio vitæ: à morte enim exiit vita. Ideo ipsemet de seipso ait, vt Diuus Augustinus exponit, nisi granum frumenti cadens in terrā mortuum fuerit, &c. Magnum ergo fructum adduxit secum Christi mors propter saluandorum multitudinem, quorum numerū Esaias miratur dicens, Generationem eius quis enarrabit? Putauit quidam, quod de æterna Christi generatione locutus sit Esaias. Et certè si antecedētia & consequētia inspexeris, inuenies quoniā de fructu passionis Christi locutus sit propheta. Habuit enim innumerabiles animas, quæ per sanguinē Christi & eius passionem saluæ factæ sunt: sicut & ipse Christus dixit, Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum. Lege totum caput quinquagesimū tertium Esaiæ: & apertè videbis, quòd ad literā loquitur propheta de Christi domini nostri passione: & mirās fructum passionis: & spiritualem Christi generationē, quā acquisiuit sanguine suo. Admirans ait, Generationē eius quis enarrabit? Quis dicere poterit quā magnā generationē acquisiuit sanguine suo? Et subdit, Si posuerit animā suam videbit semen longæuum. Ac si diceret. Anteà erat Deus solus in cœlo: sed si mortuus fuerit & posuerit vitā suam, multos filios habebit, quia totus mūdus veniet ad Christū, & cœlum replebitur filiis. Sic etiam cùm Ioseph viuebat pauci erāt filij Israë: sed post mortē eius creuerunt nimis. Ita Christum pauci secuti sunt in vita: sed post mortem eius omnis orbis credidit in eum. Sic etiam vt Theophilactus interpretatur, intelligēdum esse puto illud, quòd Simeon dixit, Positus est Christus in ruinam, & in resurrectionē multorū. Multos, cum dixit, de fructu passionis fuit locutus. Mortuus est Christus, sed ex hac ruina & Christi morte multi resurgēt ad vitam, quia post mortē eius multi crediderunt in eum. Sic etiam intelligendū puto illud Pauli, cū ait, Christus Iesus humiliauit semetipsum factus obediēs vsq; ad mortē, mortem autē crucis, propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c. Dedit illi famā: & honorē: vt quia anteà ignotus erat, notissimus factus à principibus terrarum coleretur. Hunc itaq; fructū ostendit Christus docens resurrectionē post mortem suam, mortuus quidē est, sed resurrexit, & vitā ex morte elicit, quia morte sua vitā nobis præstitit: & mortuos in peccatis resurgere fecit. Tenebamur vinculo mortis: at Christus morte sua à morte liberauit & reuocauit genus humanū ad vitam. Eius enim morte saluati sumus, & vt Paulus ait, Iustificati gratia ipsius.

Fructus resurrectionis Dominicæ.
Aug. tract. 51. sup. Ioan.
Esaie 53
Hier. super. c. 2. Matth.
Ioan. 12
Esa. 53
Exod. 1
Luc. 2
Philip. 2
Tit. 3

Præterea, nō solū mors Christi animarū nostrarum vitā amplificauit, verùm etiā corporis debilitata mors est, nō secus quàm apis, quæ si carnē demortuam pungit incolumis manet & acrior: si verò ad corpus viuēs peruenit, amisso aculeo interit. Sic mors ab Adamo vsq; in genus humanum, tanquam in morticiniū sæuiens, asperiùs in dies sæuiebat: posteà verò quā in domini nostri viuidissimū corpus arma obtrudit sua, victrix illa iam diu superata est. Vnde meritò illam Apostolus spoliatam irridens ait, Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum. Anteà morti victoria cedebat: at nunc postquàm à Christo superata est, victoria nostra est: vnde illam mortem formidabiliter domini viribus infractam, nec pueri timent, nec puellæ, quia resurgente Christo ad vitam mors vita est. Denique nō dicit suscitabitur, quasi ab alio esset Christus suscitādus, sed resurget: quia seipsum suscitabit: & Christus sua propria virtute surrexit à mortuis. Sed iam Lucam audiamus.

1. Cor. 15

Et ipsi nihil horū intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

Non quòd verba Iesu nō intelligebāt, sed quia sensum verborū existimabāt esse parabolicum, aut quòd loqueretur per metaphorā. Pueri cum incipiunt legere cognoscunt quæ sit litera A, quæ sit B, & C, quibus cognitis nō tamen adhuc legere sciūt: nam etiam si singularum literarū potestatem proferre possint, coniunctionē ignorant. Quòd tradetur, illudetur, & cōspuetur, vnūquodq; horū sigillatim facilè fuit intellectu: at omnia simul coniuncta tanquā pueri rudes, adhuc nō poterunt percipere. Cuius præcipua causa fuit amor, quo Christum prosequebantur: vnde sibi non persuadebant dominum occidendum esse. Loquens olim dominus de passione sua dixit, Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Quorū verborum sensus prǽterquam quòd erat obscurissimus ad multa posset detorqueri, aut accommodari: aut ad dominum concionantem, vt virtute sermonis sui omnia ad se pulpitū ascendentem traheret, & ad alia multa. Nihilominus tamē multi ex illa turba, quæ Christum oderant, intellexerunt, & ideo responderunt, Nos audiuimus ex lege, quòd Christus manet in æternū: & tu dicis, oportet exaltari filiū hominis? Vide quomodo nō intelligentibus discipulis Christi clara verba, alij circunstantes intellexerūt, etiam si erāt obscurissima. Cuius causa est, quoniā vt dixi, cū discipuli Christum tenerrimè amarent: nullo modo sibi persuadebant ea, quæ euenire nolebant, at reliqui maleuoli id quod obtabāt in Christo, statim animaduerterunt. Sic dicimus apud nos, nulla est surditas peior, quā eius qui audire nō vult. Enim uerò tanta est intellectus nostri autoritas, vt nihil penitus non modo scire, sed ne amare quidem sine eius facultate possimus. Nam ea quæ scimus, nisi essent tanquā vera ab intellectu iudicata, scire non possent, ita ea quæ amamus, nisi esse bona intellectus affirmaret, nunquam amaremus. Sed tanta est intellectus nostri erga voluptatem indulgentia, vt sæpenumerò, quæ bona non sunt mille rationibus iustificet, vt voluntati gratum faciat: & quodammodo assentitur, quòd omnium malorum in orbe est causa. Nemo enim tam perditus est qui delinqueret si à iudicio suo deceptus, peccatū esse appetibile sub specie boni crederet.

Carnalis affectio impedit intellectū euangelij.
Ioan. 12

Sic igitur discipuli iudicio ob amorem perturbato, nullo modo intelligebant Christum fore moriturum: at Iudæi statim intellexerunt. Idem dici potest, de fide, quam discipuli nequaquam adhibebant Christo loquenti de passione sua, quia illum amabant, cùm Iudæi vtique crederent illum esse occidendum. Exemplum habemus de hoc in Herode Ascalonita, qui cùm audisset Christum

Matth. 2

ſtum natum eſſe:ex prophetarum & magorum ſententia,& eſſe regnaturum:quæ veritas nulla humana vi vitiari poterat,obcæcatus tamen libidine non credidit ea, quæ aliàs nihil dubitationis habebant:
Mich.5 quare quidé credidit ſcripturæ, quatenus ait Chriſtum eſſe natum, non tamen credidit regnaturum. Et ita teterrimum flagitium adorſus, innocétes iubet interfici, exiſtimans ſe poſſe eo modo natum Regem occidere. Hæc autem omnia (vt diximus) ex eo fiunt, quoniam plus nimio cócupiſcentiæ indulgens intellectus multa aliter quàm re vera ſunt
1.Reg.20 iudicat. Saul ſimiliter ſciebat ſicut Herodes quòd
1.Reg.24 Dauid eſſet regnaturus in Iſraël,nam Ionathas dicit Dauidi:& pater meus ſcit hoc.Et Saul etiam dixit Dauidi. Scio quod certiſsimè regnaturus ſis,& habiturus in manu tua regnum Iſraël. Cùm ſciret itaq; Saul Dauid regnaturũ & electum à Domino. cuius voluntas immobilis eſt, nihilominus quærebat illum occidere, ne regnaret: quia ſuadere ſibi non poterat quòd eſſet regnaturus, eò quòd nole-
3.Reg.22 bat vt regnaret. Hac de cauſa nolebat Achab credere Michææ prophetæ veraci:quia non iuxta regis
Ioan.9 beneplacitũ prophetabat. Et in Euangelio Ioannis habetur, quod Iudæi qui cæcum natum interrogabant de modo quo viderat, putantes quod ad libitum eorum aliquid loqueretur, poſtquam laudauit Chriſtum quem ipſi oderant,ait Euangeliſta,quod non crediderunt ei, cui certè credidiſſent, ſi quid contra Chriſtum loqueretur. Nec ſolus Herodes, Saul,& Achab hoc faciunt: qui enim experiri voluerit, quanta ſit modò morum corruptio, videbit nunquam virtuti eſſe locum. Quod ſi quis contra renitatur,velitq; ea,quæ iuſtitiæ ſunt ſuadere,inſanire exiſtimabitur. Ille verò ſapiet, ingentíque applauſu excipietur, qui vel vectigaliũ veterũ incrementum vel nouorũ extorquendorum artem inuenerit. Nec minora ſunt inter ciues,domóſq; priuatas incómoda.Quis nanq; mercator eſt turpi lucro mercimonia augens ſua, qui doctorem quãtumuis doctum iuſtitiam ſuadentem audiat? At is imperitum quemuis attentiſsimo audiet animo ſi ex illius ſententia loquatur. Cur? Quia iucunda loquitur. Similiter peccator ſi audiat ſe cras moriturum non credit,quoniam nollet: & videns alios ſeniores,& imbecilliores facilè ſibi longinquitatem vitæ arrogat. Eidem tamen ſi pollicearis grandem annorum ſeriem habebit fidem,& ad credendum nõ deerunt argumenta. Dicet,iuuenis ſum corpore ſalubri,integróque, alij imbecilliores longius vixerunt. Ex dictis manet ea quæ iucunda ſunt facilè non modò voluntati, ſed etiam intellectui probari. Ne quis fortè miretur Apoſtolorum ſimplicitatem, qui Chriſto de paſsione non credebant.

¶Sed dubium hîc eſt.Si Chriſtus, qui cũ omnia noſcet diſcipulorũ videbat ignorantiam: quare ea quæ dixerat, iterum atque iterum nõ inculcauit,vt crederent? Ratio eſt quia voluit paulatim, eos inſtruere, vt eorũ ignorantiam tunc tolerans poſt reſurrectionem maturiùs quæ nõ intellexiſſent reue-
Nemo repentè fit ſummus. Matth.4 laret. Sic Apoſtolis piſcantibus non dixit, Faciam vos piſcatores hominum, ſed faciam vos fieri piſcatores hominum. Poterat enim continuò illos facere piſcatores hominũ, voluit tamé paulatim diſponere,vt cognoſcãt quid à ſe ſint,& quid à Chriſto efficiantur. Vides tu nunc Apoſtolos rudes, & poſteà doctiſsimos: totum hoc tribue gratiæ Dei. Docet nos locus iſte, ne repente velimus aſcendere in arcem virtutis:ſed vt lento greſſu,& quaſi per Chryſo.ho.42 in opere imp. Matth.
quoſdam gradus. Sic beatus Chryſoſtomus illum legis illudit doctoré, qui Chriſtũ rogauerat quod eſſet mandatum magnum in lege,dicés, De magno mandato quærit, qui minimum non obſeruat. Tales ſunt plurimi tyrones in virtute:qui cùm vix attigerint prima caſtrorũ munimina, cum veteranis certare præſumunt. Quare ſæpenumerò deficiunt aut cedunt.Iſtos autem ego ſimillimos iudico cantoribus imperitis:qui dum carminum facilitas patitur, ſpontè ſuauitérque canunt, vt etiam certare cum peritioribus non timeant: poſtquàm verò locus occurrit difficilior & maiori arte tractandus, labuntur miſerè. Opus eſt igitur vt calleat qui ad virtutis ſuprema certamina peruenire cótendit:nec ſicut inexpertus miles, aut imperitus cantor irrideatur. Nam quid aliud Petrum deiecit feruentiſſimum Chriſti comitem & diſcipulum,niſi præcox quædam & immatura fiducia,qua martyrium ſummum perfectionis gradum ſibi arrogabat? Veruntamen turpiter lapſus eſt ille qui paulò antè dixerat. Si oportuerit me mori tecum non te negabo.
Qua de cauſa Chriſtus cùm iam ſibi manus inijci Matth.26
videret,dixit Iudæis.Si ergo me quæritis,ſinite hos
abire. Quaſi diceret. Permittite eos viuere dum in Ioan.18
virtute teneriores ſunt, quàm vt poſsint ſubſtare martyrio,me ſolùm comprehédite. Illos firmiores iam factos poſteà ad mortem,& ſupplicium quærite. Valde igitur aduertendum eſt, ne in cultu Dei priùs magiſtri quàm diſcipuli eſſe velimus. Attendamus ad diſcipulos Domini:quos ipſe quacũque hora ſummos facere poterat: quod tamen noluit: ſed paulatim eos inſtruxit vſquequo per aduẽtum Spiritus ſancti conſummati fuere & confirmati. Atque ideo modò noluit eos docere paſsionis ſuæ myſteria, quæ non intelligebant: ſed in poſterum ſuo tempore ſeruauit inſtruendos. Sed iam ad textum reuertamur:& proſequamur huius itineris myſteria. Dicit itaque Euangeliſta.

Factum eſt autem cùm appropinquaret Hierico, cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans.

Quemadmodum homini aſſueto peccatis, diabolus offert ſemper occaſionem peccandi, vt nefanda poſsit ſua explere deſideria:ita volenti facere bonum Deus materiam obijcit, qua bonam voluntatem poſsit perficere. Si quis ebrietati ſtudet, in qualibet domo vinum propinatur: ſi luſor, vbique luſui paratus eſt: ſi incontinens, & lubricus vbique fœminæ, quas malè concupiſcat ſe impudicè ingerunt. Econtra ſi bonus eſt, & iuſtus, cupit Deo ſeruire: Deus offert illi occaſionem vbi virtutes poſsit exercere. Quapropter ſi miſericors eſt, omni loco & tempore videbis pauperes ei occurrere. Cùm enim pius, & miſericors Abraham Gen.18.
ſteriſſet ad oſtium tabernaculi ſui expectans peregrinos, vt charitatem eis exhiberet: ecce tres Angeli in habitu peregrinorum venerunt. Cùm etiam ſanctus ac pius Dauid interrogaret ſeruos ſuos an de domo Saulis aliquis eſſet relictus, cum quo miſericordia Domini vteretur, ſtatim audiuit. Eſt filius Ionathæ debilis pedibus. Et fecit Dauid cum eo miſericordiam Domini. Su- 2.Reg.9
per quo etiam aduerte, quòd miſericordiam, quam in domum Saulis volebat exercere, vocauit miſericordiam Domini, nam noſtra in hoc à diuina videtur diſtare miſericordia: quod noſtra ad noſtros tantum ſe extendit, diligimus enim tantùm

Matth. 5 *Misericordia domini quae.* tantum eos: qui nos diligunt amicos, non tamen inimicos. Misericordia verò Domini ad amicos est & ad inimicos, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Itaque sicut Abrahæ & Dauidi, & iustis ac piis hominibus cùm misericordiam, & pia opera volunt facere statim illis Deus offert materiam faciendi illam, sic & Christo Saluatori nostro, quoniam pius & misericors erat, vbiq; cæci, leprosi, paralytici, infirmi, ac miserabiles personæ sese offerebant. Ecce nunc cùm appropinquaret Hierico in ipso itinere cæcus quidam occurrit clamans, & misericordiã petens, ac statim post hæc venit & Zachæus alius *Luca 19* cæcus mente & auarus. Ita Domino, qui semper eo animo erat vt vbicunque esset benefaceret, oblatæ sunt virtutis occasiones. Docet vt semper & vbique & apud omnes vtiles simus, & non ignaui: obiter enim in via miraculum hoc operatus est Christus. Oculos autem cæci aperuit, quia de ipso Christo Mesia prophetauerat olim Esaias. Tunc *Esa. 35* aperientur oculi cæcorum, & addidit, redempti à Domino conuertentur, &c.

Matth. 20 *Concordia euangelica.* ¶ Obserua autem quòd Lucas hîc dicit, cæcus quidam sedebat, &c. Sed Matthæus dicit quòd erãt duo cæci. Ad quod potest responderi, quòd non sit eadem illuminatio, quam Lucas & alij Euangelistæ narrant, sed duæ. Nam antequam Christus ingrederetur Hierico, in via illuminauit hunc cæcum cum appropinquaret Hierico: sed cum egrederetur illuminauit duos alios, de quibus loquitur Matthæus & Marcus: & ideo dicunt ipsi. Egrediente Domino de Hierico: sed Lucas dicit, appropinquante Domino Hierico. Lucas loquitur de primo, & vnico cæco, quem Christus illuminauit, antequam ingrederetur Hierico, vt hîc dicitur: sed *Matt. 20* Matthæus & Marcus tractãt de aliis, quos illuminauit cum egrederetur ab vrbe. Expende etiam quòd Marcus cùm scriberet quomodo Christus illuminauit illos duos cæcos, proficiscens, vt ipse ait, de Hierico, cùm duo fuerint, vt ait Matthæus, tamen Marcus vnum dicit, quem nominat proprio nomine vocans illum Bartimæum: quia iste insignior erat. Nam vsus est scripturæ sacræ, per personam: quæ insignior est, etiã intelligere quæ minus nota *Hiero super Dan. 11* est, vt egregiè Diuus Hieronymus annotat. Sic in *Genes. 27* Genesi habetur. Curre ad oues & accipe duos hædos. Simul enim pascebantur oues, & hædi: sed quia potiores sunt oues, earum nomine caprinum pecus complexus est. Abraham etiam cùm loquitur cum illis Angelis aliquando ad vnum, aliquan- *Genes. 18* do ad plures sermonem dirigit. Et Sodoma dici- *Deut. 29* tur euersa, cum ex Deuteronomio constet quin- *Genes. 8* que vrbes esse euersas. Et in Genesi etiam dicitur. Recordatus est Dominus Noë & cunctorum animantium. Sub Noë nomine intelligũtur octo animæ quæ in arca erant. Et eodem modo intelligendus est catalogus illorum regum qui fuerunt in *Genes. 36* Edon. Alioquin in tanto temporis interuallo tam pauci nõ fuissent numerati, sed posuit insigniores. *Aug lib. 1. Q. in Genes. 107* Denique vt ait Augustinus: cùm in Genesi legitur *Genes. 37* Simeon & Leui interfecisse Sichimitas, intelligit Augustinus secum habuisse multam familiarium societatem. Ioseph etiam dixit. Vidi per somnium Solem & Lunam & Stellas adorare me. Sed mater non adorauit illum in Ægypto: quia iam obierat: sed in patre, quia caput est vxoris, Rachel intelli- *1. Cor. 16* gitur. Paulus etiam: Patres inquit nostri mare transierunt. In patribus intelligit matres, & pueros. Sic Marcus in hoc cæco qui insignior erat intelligit duos. Sed procedamus.

Et cùm audiret turbã prætereuntẽ, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autẽ ei, quòd Iesus Nazarenus transiret: & clamauit dicens, Iesu fili Dauid miserere mei.

Licet Deus sciat necessitates nostras, volt tamen orari. Poterat Christus hunc cæcum illuminare, quanuis non clamasset, sicut potest etiam nobis auxiliari citra nostras preces: sed rogari vult, quò melius palam fiat omnia nobis ab illo solo proficisci. Ita *Exod. 3* cũ Israëlitas ab Ægyptiis oneribus liberari decreuisset, tali illorum animos desiderio inflammabat, vt ipse dicat, Audiui clamorem filiorũ Israël, &c. Similem affectũ quoq; in hoc cæco accendebat, vt clamare inciperet, nec desineret, donec quòd petebat impetrasset: tametsi turba silentium illi indiceret. Itidem fecit Iacob cũ ad Angelum dixit, Non *Genes. 32* dimittam te nisi benedixeris mihi. Ita Dauid sub *Psal. 49* persona populi fidelis, Domine (inquit) non discedimus à te: viuificabis nos & nomen tuum inuocabimus. Quia tanta fiducia & contentione ad Christum clamat, profectò euenit, quòd Christus dicit, *Luca 1* Amẽ dico vobis, si perseuerauerit pulsans, aperietur *Psal. 33* ei. Quod testatur Dauid dicẽs, Exquisiui Dominũ, & exaudiuit me. Et mox subiicit, vt nos eadem faciamus. Accedite ad eum & illuminamini, & cæte. Quanquam scit Deus indigentiam nostram, tamen nihilominus vult eius imploremus auxilium: vt maius beneficium mereamur. Non tamen satis est eum voce vocare, nisi etiam corde vocemus, sicuti *Psal. 118* hic cæcus hîc faciebat. Sic Dauid in Psalmo. Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine. Persecutus Dauid ab iniquis & filiis vexatus & à dæ- *Ephe. 6* monibus, quia nõ solùm est sanctis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduersus principatus & potestates, &c. Ad Deum confugit & clama- *Exod. 42* bat in toto corde suo. Hunc cordis clamorẽ attendit Deus. Sic tacens clamabat Moses in corde suo: *1. Reg. 1* ita vt Dominus diceret ei. Quid clamas ad me? Sic Anna mater Samuelis clamabat effundẽs cor suum coram Domino, cum penitus vox eius non audiretur. Hanc vocem Deus exigebat cum dixit. Popu- *Matth. 15* lus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè *Gregor. li. 22. mor. ca. 18.* est à me. Vnde Diuus Gregorius in Moralibus dixit. Æternam vitam si ore petimus, corde autem non desideramus: clamantes tacemus.

¶ Obserua autem quòd non solùm dicit Dauid quòd clamabat ad Deũ corde, sed in toto corde. Sicut enim tunc corporaliter verè clamamus: cùm toto ore clamamus: ita spiritualiter toto est clamãdum corde, si volumus à Domino quæ poscimus impetrare. Docet locus iste vt in angustiis, tribulationibus, & pressuris ad Deũ confugiamus ipsumque inuocemus, atque vt illi omnes necessitudines *4. Reg. 1* nostras pandamus. Sic sanctus faciebat Dauid, sic Tobias, Iudith, Hester, Ezechias & omnes Dei electi. Ne ad huius sæculi auxilia confugias, neu illius viribus confidas, quemadmodum Iudas & infœlix Ochozias fecerunt, ne funditùs intereas. Sed quia in septimo capite huius, de his diximus: nunc orationem breuem, & multis mysteriis plenam, quam obtulit cæcus iste audiamus.

¶ Iesu, inquit, fili Dauid miserere mei. Vtranque enim Christi naturam fatetur, vocans illum Iesum hoc est, mundi Saluatorem, & Redemptorem, atque filium Dauid secundum carnem Iesu, inquit, mundi Redemptor. Ideo descendisti è cœlo: ideo carnem

carnem suscepisti, vt ego loquar ad te, vt cum fiducia petam. Filium Dauid dixit potius quàm Abrahæ, aut Iacob, vt illum ad misericordiã prouocet. *1.Reg.24 & 26.* Petit vt ei misereatur, & compatiatur, & adducit in memoriã patrem Dauid qui clementissimus & misericors admodum fuit nec solùm in Saulem *2.Reg.9* clementiam ostendit suam: sed etiam in vniuersam eius familiam: tantũ abest: vt sæuierit, quinimo *2.Reg.16* quæsiuit, an remansisset aliquis de domo Saulis, vt *2.Reg.18* faceret misericordiam cum eo. Misericors etiã fuit cũ Semei, à cuius occisione Abisai gladium prohibuit. Quid dicam de Absalone quem pius pater multum diúque luxit dicens, Absalõ fili mi, fili mi *Esai.55* Absalon? Ideo dicitur in Esaia. Misericordias Dauid fidelis. *Fili Dauid miserere mei.* *Iesus filius Dauid imitatione clementia.* Si tu ô naturæ artifex sapientissime cum etiam brutis animalibus instinctum indidisti, vt vel ceruus qui natura separatissimus est ab humano commercio, quoties grauiùs à canibus premitur, ad hominem confugere soleat, malens ab eo occidi, in quo nouit esse clementiam: quanto potiori iure homo ratione præditus ad te tutissimum & clementissimum asylum confugiet? Verumenimuerò, vt mercatores qui in emporium difficile incidunt, in quo nummorum penuria nihil vendere possunt, solent quouis pretio, quę adduxere, distrahere: sic tu ô fili Dauid in emporium huius sęculi gratiam & misericordiam adduxisti, quæ deficientibus meritis publicanis, & peccatoribus erogasti. Quare si tã vili pretio tua emuntur, miserere mei. Memento fili Dauid arboris naturæ, in qua rami radicum virtutem sequuntur, & in se referunt: vnde tu si filium Dauid te iactas, oportet pari ratione patri tuo in clementia assimilari. Ideò fili Dauid miserere mei.

Nobilitas sine virtute nulla est. ¶ Discant ex hoc loco nobiles maiorum suorũ virtutem sequi. Nam qui generosus est, non modò cauet ne degenerẽ animum ostendat: sed etiã summopere nititur auorum suorum facinora imitari, & amplificare. Hæc enim vera nobilitas est: hic verus maioratus à virtute nunquam discedere, qui aliter faciunt non nobiles, sed nobilitatis portenta sunt. Quoniam sicut inter homines, qui distortis membris, capite canino, corpore humano, nascuntur, homines non sunt: cùm tamẽ hominibus sint similes: sic inter nobiles, flagitiosi nobiles non sunt, licet nobilibus sint similes. Vnde quidam di- *Iuue.sat.8* xit. Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice lõgo Sanguine censeri pictosque ostẽdere vultus Maiorum & stantes in curribus Æmilianos? Nobilitas sola est atque vnica virtus. Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis Aeacide similis vulcaniaque arma capessas, Quàm te Thersitæ similem producat Achilles. Age ergo vt moribus sis nobilis. ¶ Præterea cum audis Iesum filium esse Dauid, gaude, lætare, gratias ingentes Deo reddens, qui æternus cum esset, mortalis propter te factus est. Considera filium Dei filium Dauid factũ. Fecit se Deus hominem vt hominem Deum faceret. Illeq; qui absque tempore ante omnia sęcula à patre est genitus, in tempore voluit nasci: vt homines sine vllo tẽporis termino in cęlis regnarent. Hinc planè colligitur quanti sit peccati malitia, siquidem ad eã purgandã oportuit Deum ipsum in carnem mortalem descẽdere passibilémque fieri, vt sic copulata diuinitate quasi quoddam fomentum faceret ad naturam humanam sanandam. Ideo quoties peccas attende quantam incurras infirmitatẽ, ad cuius curationem oportuit filium Dei mori. Attende etiam quàm mãsuetus & mitis factus sit ille Deus, ad quem anteà nemo audebat accedere, vt paralyticos, cęcos, claudos, benigniter recipiat. Ille autem quem Cherubim tremunt in cælo: tamen in terra mendicus quidam & cæcus pauper eius aspectum non formidat. Angeli tremunt ante eum in excelsis & miserabilis cęcus fiducialiter accedit in terris. ¶ Absolutè tamẽ vocat illum filium Dauid, in quo innuit illũ esse Messiã in lege promissum: quem expectabant. Nã quamuis Dauid plures habuerit filios, vnus tamẽ solus dicitur filius Dauid: *Filius Dauid promissus Messias.* secundum promissionem: sicut solus Isaac dicitur filius Abrahæ. Filius autem secundum promissionem Messias est: de quo dicitur. De fructu ventris *Psalm.131* tui, ponam super sedem tuam. Hic solus est Christus, de quo angelus ad virginem, Dabit illi Domi- *Luc.1* nus sedem Dauid patris eius. Ideo vocãs hic Christum filium Dauid, confitetur illum esse Messiam in lege promissum. Præterea quia miserum se esse sciebat non competit: quia misericordia solis miseris est necessaria. Nullus est enim adeò demens vt fœlicium & beatorum misereatur. Sicut pauperes eleemosynam petentes, vilissimas induunt vestes, easque partes corporis denudant, quæ vulnere aliquo sunt affectæ, vt sic facilius diuitum animos ad misericordiam flectere valeant: sic iste miseriam *Psalm.50* suam ostendebat. Sic Dauid misericordiam postulabat dicens. Miserere mei Deus secundum magnã misericordiam tuã. Miserere inquit mei. Hoc vno fretus nempe misericordia Christi, & nihil fidẽs in suis meritis: nam suis meritis tantum consequi nõ potuisset, quantum ex gratia & misericordia Christi consecutus est. Igitur cùm ita deuotè & tam sapienter oraret, audi quid Euangelista dicat. *Et qui præibant increpabant eum, vt taceret.* Accedit hic ad Dominum salutem nõ solùm corporalem, sed spiritualem adepturus, quam impetrauit Christum vocans: quam ob rem mundus & diabolus in eum insurgunt. Hæc est enim vna de astutiis diaboli suffocare bonum semen in germine. Vnde per serpẽ- *Gene.3* tem religionem inchoatam in paradiso suffoca- *Exod.1* uit, & per Pharaonem populũ Israeliticum destrue- *Matth.2* re voluit submersione paruulorũ, & per Herodẽ Christum paruulum occidere voluit, & vt illũ occideret paruulos innocẽtes occidit. Sic & nũc per hanc turbam vult bonum inceptum suffocare, in hoc homine cæco. Disce ex hoc loco in bono incepto perseuerare, nec à virtute deficere, ob vllas sęculi perturbationes, quę multæ statim opponuntur illis qui viam ineunt salutis. Sunt multi iusti & sancti ambulantes in viis Domini, qui scandalum patiuntur cùm aliquid sinistri eis acciderit: arbitrãtes cuncta ad vota sibi euẽtura postquam pręcepta Dei sequi cœperunt: quod non ita sæpè accidere locus iste demonstrat. Sic filiis Israel profectis *Exod.17* iuxta sermonem Domini defecit aqua, & multa aduersa passi sunt. Sic etiam in libro Iudicũ habetur, *Iud.11* quòd vndecim tribus ex imperio Domini susceperunt bellũ aduersus Beniamin, & bis, aut ter hostibus succubuerunt, nempe vt discas quòd cùm Domino famulari inceperis pares animam tuam ad tẽtationem, vt Ecclesiasticus clarè ostendit dicẽs, *Eccle.2* Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & in timore: & prępara animam tuam ad tentationem. Nam sicut leo, siquam videt prædam fortiorem è manibus eius resilire nitentem, vnguibus fortius

stringit, sic dæmon quem videt è manibus elabi incipientem vnguibus tétationum infigit fortius, ne *Genes.31* amittat iam elabentem. Sic Laban persecutus est *Exod.5* Iacob cùm voluit proficisci ab eius domo. Sic Pharao filios Israel grauius persecutus est, & addidit opus, & paleas nó dabat. Cùm ad Dominū ire voluerunt, eos tāquam vnguibus suis arctius cōstringebat: vidēs eos velle discedere. Et eo modo impediebat populum Israelis ad Deum ire cupientem, quo turba cæcum istum ad Dominum clamantem perterrebat. Quemadmodum enim venator, qui feram sponte in retia incurrentem tacitus obseruat, neq; vlla vtitur vociferatione: si verò diuersam abire videt viā sese illi opponit, cogitque terroribus & minis in laqueos redire: sic diabolus quos sponte videt perire, non molestat: illos verò qui tutioré elegerunt viam omnibus modis ab incępto terrere conatur. Tantum autem valent huiusmodi terrores mundi & dęmonis, vt plurimi sint de virtute optimè meriti ab incæpto deterriti, de quibus ait *Matth.10* Dominus. Qui me erubuerit coram hominibus, *Luc.9* erubescā ego eū corā Patre meo. Pusillanimes qui hominum opprobria non sustinentes retrò miser- *Act.6.* rimè cadūt, sicut Nicolaus vnus ex septem diaconibus ab apostolis electus: qui cū pręclarè in principio se haberet, posteà aliquorū verbis commotus, qui dicebāt illū esse zelotypum, vxoré prostituit, & hæresiarcha factus est, vnde Nicolaitæ hęretici vocati: de quibus in Apocalypsi dicitur. Hoc habes *Apoc.2* bonum quòd odisti facta Nicolaitarū, quę ego odi. Enimverò non parua dignum est admiratione, cū tot sint in sęculo, quę homines ad peccandum moueant, esse tamen pauca quæ illos à peccatis eruant & ad virtutem ducant. Sed antiquū est in orbe hoc *1.Reg.17* vitium. Audiens Dauid Goliam blasphemasse, ibat *2.Reg.6* vt honorem Dei propugnaret: quod vidēs Heliab frater eius arguebat eum. Eodem modo Michol Dauidem maritum deludebat ante arcā Domini saltantem dicens. Quàm gloriosus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorū suorū, &c. Deus tamen hæc impiorū opprobria non reliquit impunita: nam Micolem sterilitate mulctauit, quod olim probrosissimum suppliciū fuit. Ita pri- *1.Esdr.4* mo Esdrę scribitur quòd populus terrę impediebat populum Iudę in ędificādo: quia moris est populi terreni iustorum omnes conatus impedire. Nō modo autem inueniuntur, qui viam virtutis impediant, sed etiam multi sunt qui viam inferorū pate- *3.Reg.22* faciunt, sicuti faciebant quadringenti prophetę Achab regi suo. Si virtutem sequeris mirātur, quasi nouum aliquid & inauditū ridentque: & quasi hypocritam cōtemnunt: si verò vitiorum sectaris partes, dicunt te esse comem, suauisque consuetudinis: malum factum bonis pręteġentes verbis. Si alicui te succensere sentiunt, nō placant, sed potius magis irritare conantur dicentes, Sūmum opprobriū & non ferendum. Equidē si mihi factū fuisset, non quiescerem donec abūdè vltus essem. Quę omnia cùm malorum sint consilia, flagitiorum nō virtutū causa sunt. Vastantibus Caldęis Hierosolymā Idu- *Psalm.136* męi inuitabant illos, & dicebant. Exinanite, exinanite vsque ad fundamentū in ea. Et ita illi qui dicere debuissent satis est, abundè sanguiné effudistis, addebant calcaria, vt crudeliùs & atrociùs victoria exerceretur. Sic multi faciunt, qui nō modo viam virtutis impediunt: sed etiam omne virtutis fundamentum eruūt. Ideo in omni cōtentione hęc obstacula fuge. Hac de causa Nicodemus venit ad Ie- *Ioan.3* sum nocte, ne à pharisæis interpellaretur, quòd cum Christo loqueretur. Et Abraham de nocte surrexit, fugiens impedimenta, quæ vel ab vxo- *Genes.20* re, vel à familia opponi possent. Discamus ex hoc loco non impedire eos, qui virtutem sectantur. *Ruth.3* Præclare se gessit Booz erga Ruth Moabitem, quā non modo non impediebat, sed etiam adiuuabat, tam verbis quàm operibus. Ita decet adiuuare eos, *Luc.23* qui Deum colere incipiunt. Latro ille in cruce cum Christianus est factus, statim cæpit admonere socium suum. Sic Philippus postquam Christū inuenit, Nathanaelē adduxit: vt ambo simul domi- *Ioann.1* no fruerentur. Idem fecit diuus Andræas cum diuo Petro: vt nos docerent esse in proximo nostros beneficos, scilicet, eos viam virtutis docentes, non perditionis: sicut plurimi nunc faciunt perfidi monitores. Discamus constantiam in virtute seruare, hominum nihil curantes impedimēta. Sic faciebat cæcus hic de quo ait Euangelista. *Ipse verò magis clamabat, Fili Dauid miserere mei.* Ignis paruus, quouis afflatu extinguitur: at magnus eo magis accenditur: capit enim vires à contrario. Sic amor exiguus quolibet obstaculo frigescit, ingens indies augescit atque inflammatur, vt videmus quotidie & experimur in hoc cæco, qui ad voces maleuolorum altius vociferabatur. Ex quo pulcherrimum nobis resultat documentum: ne deficiamus vnquam ob improborum calumnias à via virtutis. Offerebat Abraham sacrificium *Genes.15* Deo, & quāuis descendebant volucres & impediebant, ipse abigebat eas, & perseuerauit vsque ad solis occasum. Similiter populus Iudæ quamuis impe- *1.Esd.4* diretur à populo terræ, tamen non dimittebat opus: sed cum vna manu se deffendebant, & cum altera ædificabant. Saulus quoque qui & Paulus, cū *Act.9* contradicebatur Damasci, non solùm nō cessauit à prædicatione, sed multo magis confortabatur, & confundebat Iudæos qui erant Damasci, affirmans quia hic est Christus. Sic tu debes facere quod quandocunque maiorem contradictionem *Exod.14* habueris, magis perseueres in bono incępto & ampliùs accédaris. Sic dominus dixit Moisi, Loquere filiis Israel, vt proficiscantur. Hoc solùm debent curare pij, vt proficiscantur ac properent ad virtutes & ad cælum, quæ est terra eis promissa: non curantes de pręliis, quę excitant aduersus eos Satanas, mundus, & caro. Quamuis videant Ægyptios super se armatos, proficiscantur ad terram promissam. Contra hos mūdi insultus & machinationes optimum remedium est, cōtemptus dictorum hominum impiorum vt inuocent dominum cum Da- *Psalm.119* uide dicente, Domine libera me à labiis iniquis & à lingua dolosa. ¶ Obseruandū pręterea. Multi sūt similes his: qui pauperes nec ope aliqua solantur, nec etiam petētes audire volunt, quod impiissimū est, siquidem non modo Deo, sed etiam sibi crudeles sunt, tantum à Deo beneficium oblatum despiciētes: quo summā illam fœlicitatē consequi possent: in quo non minus stulti sunt, quā qui medicū aut chirurgū ægrotus & vulneratus domo excluderet. ¶ Postremò, expende candé esse inter fidem viuā & mortuā differentiam, quæ est inter ignem naturalem & violentū: nā ignis naturalis flatu magis, magisque augescit: at ignis violentus vt est ferri, flatu extinguitur. Sic fides mortua persecutione aliquando euanescit per infidelitatis peccatū.

Differentia inter fidē viuam & mortuam.

Verùm

Verùm cæcus hic qui fidem viuam habebat, quo magis interpellabatur magis clamabat. Sic sancti martyres, vt Laurentius, Stephanus & alij, quorum fides virtutum innixa viribus ingentia leuauit cha
Act. 7. ritatis incendia. *Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se.* Stat Deus cùm ad auxiliandum se parat. Sic protomartyr Stephanus videt Iesum stantem: id est, ad subueniẽdum paratum. O quàm misericors
Psalm. 144 dominus est, quàm facilis petentibus, propè enim est dominus omnibus inuocantibus eum. Opportunum est omnibus necessitatibus nostris Dei auxilium, qui sicut medicus diligens & beneuolus nunquã longiùs ab infirmo recedit, quinimo prope illum cubat, comedit & versatur nocte, diéque. Ita Deus nunquam adeò longè à nobis recedit, quin orationes non possit nostras exaudire. Non
Deut. 4 est alia natio tam grandis quæ habeat Deos appro
Exod. 2. pinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Pręcepit Deus, vt fieret propiciatoriũ iuxta arcam testamenti, in qua legis tabulæ seruabãtur: vt significaret, legis transgressores omni remedio non carere. Non enim tam cito peccat peccator, quàm citò à peccato domino remissionem consequitur, dicens, Miserere mei domine, quia peccaui, & doleo tibi me ingratũ extitisse pro tantis beneficiis tuis. Propè nanque est propitiatorium diuinæ misericordiæ pœnitentibus.

¶ Obserua etiam Christi pietatem qui non solũ benigniter admisit cæci illius petitionem, sed etiã constitit, vt quiescente turbæ incedẽtis strepitu placatiùs hominis miserrimi audiret lachrymas. Poterat præstare beneficium non aduocando illo: sed pietatem & benignitatem piissimi Iesu considera. Docet enim quãta benignitate, & mansuetudine pauperes & miseri suscipiendi sunt. Hoc est mirabile diuitibus exemplum, qui tanquam surdi transeũt, nihil voces pauperum clamantium curantes. Quare qui sic miserias miserorum prætereunt: audiant
Eccle. 4 Sapientem: Inclina pauperi aurem tuam sine tristitia: & redde debitum: & respõde illi pacificè in mãsuetudine. Discant etiã reges, principes, prælati, & horum ministri pauperibus negociantibus locum dare: qui (proh dolor) sępenumerò omnes humanitatis obliti, eos à curiarum & iudiciorũ sedibus eiiciũt. quòd si fortè qui sunt, qui pauci sunt, aliquãto humaniores, mille excusationibus pauperẽ protrahunt querelas, nec eorum expeditioni manum vnquam ponant. Discite ex Christo diuites & potentes vt eius exemplo misericordes in pauperes sitis, qui eiusdem vobiscum conditionis sunt pretiosóque item Christi sanguine redẽpti. Dixit quædam mulier Adriano imperatori, vel me audi vel imperatoris dignitatem depone. Sed iam nũc adest tempus de quo olim prædixerat Paulus. In-
2. Tim. 3 stabunt tempora periculosa, erunt homines seipsos amantes: cupidi, elati, superbi, blasphemi, parẽtibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, &c. Omnes quærunt quæ sua sunt, negocia tractant sua, emolumentum quærunt, nec officiis publicis fungũtur vt reipublicæ commendent, sed potiùs vt sibi
Esai. 1 quo iure quaque iniuria vtiles sint. Hoc deplorabat Esaias propheta, in cuius rei aggrauationem testimonia cœli & terræ conuocat dicens, Audiat cœlum & terra, vt videant vix ferendum malum. Principes tui infideles, socij furum: omnes diligũt munera, sequũtur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduę nõ ingreditur ad eos. Sed atẽ de suppliciũ. Propter quod ait dominus exercituũ. Deus Israel. Vindicabor de inimicis meis, &c. Nõ minus clamat coram Deo sanguis pauperis spreti quã sanguis iusti Abelis. Audi ergo tu illum, quia Genes. 4
frater tuus est: nã nisi eum audias, a Deo non exaudieris: iuxta illud quod in Prouerbiis scribitur. Qui obturat aurẽ suã ad clamorem pauperis, ipse Prouer. 21
clamabit & non exaudietur. Comitabantur Christum homines diuites & potẽtes, & etiam inferioris conditionis, in quorum omnium ædificationẽ audito clamore pauperis constitit, eũq; ad se vocatum rogat, quid velit, magna cum familiaritate.

¶ Expẽde etiam quod cõsueuit dominus beneficia sua differre, vt fides misericordia & miraculorũ gloria magis manifestetur. Sic non statim exaudiuit Cananæam illam quę filiam habebat dęmo- Matth. 15
niacam. Sed laudans eius fidem: & cum maiori honore illam dimisit. Sic nunc aliquando dissimulat clamorem cæci, vt fides eius crescat, sed cùm multiplicat clamorem, stat & iubet illum ad se adduci. Sic etiam ad clamores nostros stat Christus, & audit vota nostra, & paratus est ad opitulandum nobis. Tu autem firma fide & sancta humilitate implora opem illius: & omnia ex voto tibi succedẽt. Sequitur in contextu. *Et cum appropinquasset interrogauit illum dicens: Quid tibi vis faciam?* Sed quæret aliquis. Si Christus sciebat quid cæcus vellet quare rogat quid vis vt faciã tibi? Respõdetur, quòd tribus de causis. Primũ vt fides illius manifestaretur: nam quanquam domino non erat abscondita, voluit tamen omnibus aliis patefieri. Quod multi malè imitantur proximorũ virtutes tacentes: vitia verò palam enunciantes: nec putant se fore culpãdos, si vera sint quę de proximis dicunt, cũ, procul dubio ignorãtibus proximi vitiũ nullo modo sit patefaciendum, nisi superioribus qui possunt peccatores ex officio corrigere. Hos detractores grauiter reprehendit Psalmista inquiens, Acuerũt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorũ. Psalm. 139
¶ Secundò interrogauit pauperẽ, vt nos doceret quomodo sit pauperi faciẽda eleemosyna. Nõ enim esuriẽti potus nec sitiẽti cibus dãdus: sed vnicuiq; iuxta indigentiã suã. Adam & Eua primi omniũ mortaliũ experti sunt paupertatem: qui Genes. 3
bus Deus non cibum aut potũ præstitit, sed vestitum: quo ob nuditatẽ maximè indigebãt. Fecit itaque illis tunicas pelliceas, quibus induerẽtur, & tegerẽtur. Pauperi ægrotanti aliter prouidẽdum est, quàm benè valẽti: non enim satis est illi, nisi vt medicum voces, & medicamenta quæras in proximi salutẽ. Abraham peregrinis hospitio susceptis me- Genes. 8
lioribus obsoniis impertiuit, nam vitulũ tenerrimum occidit & optimum, & panes siligineos apposuit: quod nunc multò aliter faciũt nostri tẽporis diuites, qui pauperes acribus insectantur vocibus, grauibus vrgent maledictis: canũque sæpenumero in eos morsus incitant. ¶ Tertiò vt pulchrè adnotat diuus Chrysostomus. Christus maiorẽ ge- Chry. hom. 33. in Mat.
rebat animarum, quàm corporum curam, neminẽ enim ægrotantẽ curabat: nisi priùs propriã culpã cognouisset. Nam dominus vult vt vnusquisque se ipsũ cognoscat & declaret: & sic incẽdatur desiderũ nostrũ, vt bene adnotat Augustinus. Ideò domi- Aug. Epist. 191. cap. 8
nus ab omnib[9] infirmis quærebat suę infirmitatis causas, vt seipsos agnoscerent & peccata sua proprio ore confiterentur. Ita quęsiuit à languido. Vis

Interrogat Christus ea quæ nouit vt fidem cæci manifestet.

ſanus fieri? Quęſiuit & olim ab Agar. Quid agis *Ioan.5* *Geneſ.21* Agar? Hæc videtur cauſa fuiſſe quare dominus neminẽ furioſum curauit. De inſanorũ curatione nihil legimus, quia inſani ſeipſos non agnoſcunt eſſe mẽte captos: ſed potius ſe iudicãt ſapientiſsimos. *Quare dominus nõ ſanauerit ſaluos.* Vult dominus vt vnuſquiſq; defectus ſuos humiliter agnoſcat, & ꝓprio ore fateatur. Sic Dauid tanquã prudẽs petẽs à domino miſericordiã & veniã ſuorũ delictorũ allegat cognitionẽ ſui peccati dicens. *Pſalm.50* Quoniã iniquitatẽ meam ego cognoſco. Sapiens etiã dicit. *Prouerb.28.* Qui abſcõderit ſcelera ſua nõ dirigetur, qui autẽ cõfeſſus fuerit ea, miſericordiã cõſequetur. Primus gradus ad corporis ſanitatẽ recuperandã eſt, vt æger ſuã infirmitatẽ cognoſcat: quia quo magis ſe rectè valere putat, eo minus auxilia medicorũ requiret. Ille enim periculoſiſsimè ęgrotat, qui ſe ęgrotare ignorat. Sic etiã qui ſe peccaſſe nõ agnoſcunt ſalutẽ animæ aſſequi nõ poſſunt: nũquã enim pęnitebit facti, niſi priùs ſe malè egiſſe intellexerit, quia nunquam dicet confeſſori quod nõ putat eſſe peccatum. Sunt enim multi qui cum malè agunt, nõ putant malum feciſſe, ſed quaſi de virtute aliqua gloriantur, vt Salomon de illis ait. *Prouerb.2* Lętãtur cũ malè fecerint, & exultãt in rebus peſsimis. Frenetici cùm laborant morbo grauiſsimo, putãt ſe benè valere: & congaudent, rident & lætantur, in medicos furiunt, & nõ ſe curare permittunt, & ſęuiũt in illos, qui illis ſeruiunt. Hæc omnia faciũt peccatores qui ſe non cognoſcunt: nam ridẽt, exultant, & in prędicatores ſęuiunt, & ſic ſemper manẽt infirmi. Ideo Dauid, *Pſalm.37* Corruptæ ſunt cicatrices meę, à facie inſipiẽtię meæ. Quaſi diceret, Quia inſipiẽs fui, vt cicatrices peccatorum meorũ nõ agnoſcerem, addidi pręteritis noua peccata: & ideo putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices peccatorum meorum. *Luc.19* Ideo dominus fleuit ſuper ciuitatẽ Hieruſalẽ, quia nõ cognoſcebat peccata, quæ cõmiſerat, nec tẽpus ſuę viſitationis. Miſeretur piiſsimus dominus tãquã frenetici illius, qui ſui nõ miſeretur, eo quod morbũ ſuũ non agnoſcit. Et vt hos ad ſui cognitionem adducat, interrogat ſicut illum cæcũ vt veniant in confeſsionem peccati. Ob hanc cauſam Cain interrogat. *Geneſ.4* Vbi eſt frater tuus Abel? Vt confiteatur ſuum delictum, ſed ſuperbè occultare illud voluit dicẽs: Neſcio. Nũquid ego cuſtos ſum fratris mei? Si peccatum ſuum cognouiſſet, & illud coram Deo qui omnia nouit fuiſſet confeſſus, cõdonaſſet illi dominus illam noxam, quantũuis crudeliſsimam. *Ioan.21* Sed Petrus qui cognouit crimen abiuratæ veritatis, paſtor ouiũ inſtituitur. *1.Tim.1* Paulus agnoſcit crimen blaſphemiæ, & inſtituitur vas electionis. *Luc.7* *Luc.23* Magdalena agnoſcens peccatum quia præ verecundia retrò ſe poſuit, audiuit, Remittuntur tibi peccata tua. Sic latro in cruce dixit, Nos quidem digna factis ſuſcipimus, & veniam obtinuit. Tu ergo agnoſce peccatum vt veniam cõſequaris. Expẽde etiam quòd non ſatis eſt vt ore cõfitearis peccatum ſi opere negas: ſed opus eſt, vt ſis paratus condignam ſubire pœnam. *1.Reg.15* Saul cognouit peccatũ, & dixit, peccaui, tamen quia pœnã ſubire noluit, ſed voluit ſe in regno conſeruare ſi potuiſſet, non eſt conſecutus veniam. Igitur diligit Deus cognitionem peccatorum noſtrorum, vt veniam pręſtet: & ideò hunc interrogat quid velit.

¶ Obſerua etiam quid cõfeſsio proprij delicti pariat. Nam in Dei iudicio confitens peccatum abſoluitur, qui in hominũ iudicio damnatur. Si quis hominem occidit, ſi aliena rapit, ſtatim vt fatetur crimen, ſuſpenditur, ſi negat nec adſint criminis teſtes, abſoluitur. Sed in Dei iudicio aliter fit: nam ſi coram illo neges, damnaberis: & ſi peccata confeſſus fueris, abſolueris. Confeſsio delicti, abſolutionem præſtat. Sed de his ſatis. Sequitur,

At ille dixit, Domine vt videam. Modo nõ dicit filius Dauid. Sed domine: ac ſi diceret, filius Dauid poteſt miſereri, ſed non cæcos illuminare: filius autẽ Dei, qui eſt dominus poteſt. Vnde quandiu dixit, fili Dauid miſerere mei, ſuſpenſa eſt ſanitas, ſed cum dixit domine infuſa eſt. Nec mirũ, ipſe enim eſt dominus de quo in Pſal. Dominus illuminat cæcos. *Pſalm.145* Vide etiam quomodo dona Dei non repentè ſint ſumma: ſed creſcant paulatim. Primo vocat filium Dauid, & nunc dominum, Nemo enim repentè fit ſummus.

Et Ieſus dixit illi, Reſpice. Imperatiuo modo ſanauit illum & pręcepit ſicut Deus, vt viſum haberet. Expende etiam quòd quando fideliter & benè petimus, non alia nos petimus & alia dat Chriſtus: ſed illa ipſa quæ petimus. Atque ita quoties vnum petimus & aliud accipimus: manifeſtum eſt quòd non benè neque fiducialiter petimus. Vnde Iacobus: *Iaco.4* Petitis & non accipitis, eo quòd malè petatis. Iſte magna cum fiducia petiit, & quia dixit, Domine vt videam, conſequenter reſpondit Chriſtus dans quod petebat, & dicens, Reſpice. *Fides tua te ſaluum fecit.* Ex quo patet diuinam diſpenſationem & operationem ex noſtra diſpoſitione & præparatione diſpenſari. Impleuit mulier illa ſub Heliſeo *4.Reg.4* multa vaſa ex oleo, tantum vero olei: quoduis vas accepit, quantum erat vas ipſum: ſed capacitas vaſorum diuerſa, diuerſitatem plenitudinis fecit.

¶ Obſerua autem quòd in principio dominus non ſtatim cæco clamanti reſpondit, vt illius diutiùs in petitione perſeuerantis fidem laudaret. Quẽadmodum enim cantores ſolent, vnam vel alteram vocem modo intendere, modo remittere, vt cantico ſuauior fiat, ita dicente cęco, fili Dauid miſerere mei, tacebat Chriſtus: ea videlicet de cauſa vt poſteà ſuauius poſſet dicere, fides tua te ſaluum fecit. *Matth.15* Hoc idem cum illa muliere Cananæa fecit Chriſtus. Clamat illa, miſerere mei, & tacet Chriſtus, clamat iterum, domine adiuua me: & non reſpondit ei verbum. Denique ait illa: catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Tũc Chriſtus extollens vocem ait, O mulier magna eſt fides tua. Tacuit Chriſtus, vt poſteà Cananæę fidem altiùs decantaret.

¶ Sed dubium hic eſt, Si Chriſtus autor extitit illius cæci curandi, quare dixit, fides tua te ſaluum fecit? & Cananæę, ò mulier magna eſt fides tua? *Luc.7* Magdalenæ etiam dixit. Fides tua te ſaluam fecit? *Hebr.11* Præterea Apoſtolus ad Hebręos omnia miracula quibus antiqui patres in lege veteri claruerunt fidei attribuit, *Quomodo fides ſaluet.* Sancti (inquit) per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones. Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerũt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello. Caſtra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Alij autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: &c. Nonnè Deus omnia iſta fecit? peccata remittit, mirabilia operatur?

operatur? Cur igitur illa fidei attribuit? Nunquid Deus fideiussor est: Est certè. Nam sicut qui pro ali quo fideiubet si creditor debitũ à fideiussore accipit, ait sibi iam satisfactum à debitore, licet per alium: ita Christus fidei fideiussor, omnia miracula faciens asfirmat fidem ea omnia fecisse, cuius ipse fideiussor est. Vnde nõ pro omnibus solet mirabilia facere, sed pro illis tantum qui fidem habent, quod à priuatione ad habitum erat possibilis regressus. Meritũ fidei est, vt credamus de Deo ea, quæ supra nos sunt. Ideo fides assimilatur specillis, quia cùm illis videmus ea quę naturali lumine non possumus videre. vt qui breuem visum habẽt, specillisque indigent, vt à longè ea quæ naturaliter non poterant videre penetrent, sic quod naturali ratione non possumus cognoscere, attingimus lumine fidei. Sequitur.

Virtus miraculorum in instanti.

Et confestim vidit, & sequebatur eũ magnific ins Deũ. Confestim vidit, quia omnis operatio miraculosa fit in instanti, quia est operatio diuina & nõ habet resistentiam aliquam ex parte patientis, & ideò quomodocunque faceret Christus miracula, semper operatio sua in miraculo erat in instanti. Sed operatio exterior dispositiua ad miraculum non semper fiebat in instanti, sed aliquando in instanti, & aliquando secundum successionem, sicut illuminatio cæci nati, & etiam cùm sanauit hominem surdum & mutum, inter medios fines Decapoleos

Ioan.9 Mar.7 semper Christus in instanti faciebat miracula. sed illos effectus successiuè aliquando ostendit. In cęco nato, vt fidẽ eius probaret, & in surdo & muto, vt ostenderet, quòd mutum sanare volebat, spuit & tetigit, & ad ostendendum quòd surdum volebat sanare, misit digitos in aures eius. Et alia miracula successiuè fecit propter diuersas rationes, tamen in instanti operabatur, quod pertinet ad operationem miraculi.

¶ Gratitudinem etiam admonet locus iste. Hic enim cæcus, postquam illuminatus est, statim vt vidit, sequebatur benefactorem suum beneficij memor. Sic nobis nõ licet obliuisci benefactores nostros, nec Dei beneficia. Ob hoc enim instituit dominus Pasca & festa, & neomænias. Ob hoc enim

Exod.12 Exod.16 seruare præcepit manna in arca, nihil ob aliud nisi vt populus Israel esset memor beneficiorum Dei, & cibi, quo pauit patres eorum in deserto. Cómemoratio enim beneficiorum Dei accẽdit eius amorem in corde nostro. ¶ Dicamus etiam Christum sequi oculos aperientes, quos peccatorũ caligine offuscatos habemus, vt mundi cognoscamus vanitatem, accedamus ad Christum fide viua, rę præstãtes quod credimus. Hoc enim intendit fides, scilicet, vt eum, in quem credimus, imitemur. Vt enim nihil refert clauim bene asseruare, nisi ea vtamur: ita fides mortua est, & prorsus inutilis, nisi ad finem suum applicetur. Finis fidei est vitam moderare, vt ad possessionem æternorum bonorum deuenire possimus, quæ fides latenter nobis prædicat. Non enim Deus permittebat, vt sancta sanctorum per desertum detecta à Leuitis portarentur. Vita autẽ nostra quoties à fide gubernatur, implemus illud

Num.4 Apostoli & prophetę dicentium. Iustus ex fide viuit. Obserua autem quòd non dixit qui credit, viuit ex fide: sed iustus viuit ex fide, vt ostenderet ad vitam spiritualem solam fidem sine operibus non

Apoc.2 Rom.1 sufficere. Dicit autem iustus ex fide viuit, vt omnia quæ fides præcipit faciat, & ab omnibus quæ vetat abstineat. Si videmus sequamur Christum. Idest, si fide vt christiani cognoscimus eum operibus imitemur, virtute & sanctitate. Sed ad contextum. *Et omnis plebs, vt vidit dedit laudem Deo.* Narremus etiã & nos laudes Dei videntes, quomodo quotidie cęcos, auaros, & peccatores illuminat, & Deum laudemus, & enarremus, omnia mirabilia eius, iuxta illud Tobiæ. Cõfitemini domino filij Israel, &c. At Tob.13 vos enarretis mirabilia eius. Ad nostram autem eruditionẽ discamus ex hac historia à Christo Saluatore nostro semper bona agere, & vsq; ad mortem nõ cessare: enim Christus vadens Hierosolymam & morti appropinquans cæcum hunc illuminauit, in quo facto docere voluit, vt nõ desistamus in benefaciẽdo proximis vsq; ad mortẽ. Discamus etiã à cæco primo nostrã agnoscere cæcitatẽ & illuminationẽ petere. Hic primus ad illuminationẽ gradus est. Secundò quando audis turbæ pretereũtis strepitum: hoc est, vbi te foris quid mouet, si Christum videre nequis, saltem ex aliis roga, quid rei sit, ex illis quære qui Christum viderunt. Scripturam lege, verbum Dei audi, experieris ad Christum dirigi quidquid hac præterit. Tertiò quando audis Christum præsto esse incipe clamare, hoc est feruenter orate. Fili Dauid miserere mei, & veniã precari. Quartò cùm tibi populus obstrepit, & silẽtium imperat, hoc est quando te tua conscientia reprehẽdit, & à precatione dehortatur, has & similes cogitationes tibi suggerens. Quid tibi rei cum hoc Iesu, qui vitiorũ sordibus mades, nec gratia aliqua dignus frustra clamas. Deus enim nõ audit Ioan.9 peccatores, &c. Eiusmodi cogitationes quando tibi obstrepunt, tuámque precationem interturbare conantur: ne mouearis, nec propter ea ab orando desiste, imo tanto validiùs clama. Quintò cùm ad Christũ veneris, hoc potissimũ pete, vt videas. Hoc opus est, videamus nẽpe quid Deus sit, quid mundus, & quid peccatum, &c. istud rogare nos ante omnia decet. Postremò vbi iam visum à Christo adeptus es, & illuminatus es: vide vt illũ quoque æmuleris gratias agendo, & voluntati ipsius morem gerendo. Sequamur igitur illum eius vestigiis inhęrẽdo, vt tandem ad cęlestem illam beatitudinem vbi ipse dominus IESVS regnat peruenire mereamur, vt cum ipso vsque in æternum semper maneamus, Amen.

CAPVT XIX.

REGIVS ille vates Dauid inter præclara & diuina opera quæ de Christo redemptore nostro mirabili eloquio cõcinit, illud etiam in Psalmis non obli- Psalm.145 uiscitur, Dominus illuminat cæcos. Quam sententiam alibi prædixerat Esaias: scilicet in aduentu Messiæ eos qui cæcitate laborabant illuminandos esse tali lumine & splẽdore, vt & externi corporis oculi, & internæ mentis hebetudo penitùs tolleretur. Quod diuinum operis artificium, sic placuit Christo in terris fieri, vt non solùm in hoc miraculo, verùm in omnibus aliis, quę sua virtute, dum in hac lachymarum valle vitam degens, operatus fuit, non tantum corporis morbos expellẽdos curauit, quantum spirituali animę medelę maximo suo consilio consultum ire. Quocirca Salua-

tor noster si quod miraculum aut signum erat fa-
cturus, tum potissimùm homines ab infidelitate re
mouebat, & ad diuini numinis cognitioné eos ad
ducere conabatur. Itaque semper is fuit Saluatoris
nostri scopus, hominum animas pestifero languo-
re affectas sanare: desiderans diuino amoris & cha-
ritatis glutino tanquam proprio capiti copulari.

¶ In fine capitis superioris diuus Lucas scribit
Redemptorem nostrum mendico cuidam & cæco
iuxta viam Hierico salutem tribuisse. Cum quo e-
tiam nec te fugiat velim, eundem nobis ad cæcita-
tem animæ sanandam venisse. Protinus verò sacer
Euangelista postquam narrauit salutem restitutam
homini illi corporeo lumine priuato, alium nobis
proponit periculosiori & grauiori mentis cæcitate
ægrotâté. Quid obsecro peius, miserius, infœlicius
aut magis miseratione dignû inueniri potest, quàm
qui tenebrosus & cæcus spiritu est? Nanque quan-
to spiritualia visibilibus præstantiora sunt: tantò
spirituales morbi, & interiora mala periculosiora
experiuntur. Etenim auaro nullus cæcior est: quia
propter humanas cupiditates quibus rapidus & in
trepidus fertur oculos terreos habet: nec aspicere
potest, cuius conditionis sint hæc vilia quæ summo
1.Cor.2 amore prosequitur, nec etiam altitudinem & diui
tias summi illius & abditissimi thesauri, qué nec
oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis
ascendit. Cum igitur D. Lucas nobis dixisset Chri-
stum dominû sanasse hominem corporali visu ca-
rentem, nunc etiam subiungit quo pacto alij cęco
visum restituerit. Quiquidem cæcus Zachæus erat,
qui cùm multis pecuniis & terrenarum rerum su-
pellectile abundaret, diuina cognitione & virtuti-
bus quæ hominem ad cęlestem patriam perducût
carebat. Vt ex his eundem cognoscamus & confi-
teamur humani generis Saluatorem: qui non solû
ægritudines corporis, verùm & animę, sua virtute
compos est sanare. Ad historiæ igitur veritatem &
personę nomen: & vbi singula acciderût cómemo
Iosue 6 rat. *Et ingressus perambulabat Hierico.* Hęc est ciuitas il
la vetustissima inter Iordanem & Hierusalem sita,
quam olim Iosue & vniuersus populus sibi subie-
ctam fecerunt, cùm illius muros & turres fortissi-
mas subuerterût: ita vt nemini in populo illo com
moranti pepercerint, pręter Raab & suos: quá qui-
dem ciuitatem post ruinam Ahiel construxit. Nûc
verò (veluti tépore Iosue) nec peccatores scelera-
3.Reg.16 tissimi desunt, qui vitá ibi degétes, grádi animad-
uersione sunt digni. Tamen quemadmodum Io-
sue dux Israel septies Hierico obsedit, vt caperet il
lam, & penitus subuerteret, ita & nûc Redemptor
noster illam obsidet. Et perambulabat Hierico vt
saluam & incolumem eam efficeret, nam Christus
salus est peccatoribus, nec venit vt illos interimat.
O quàm magnus, quàm potens, quàm iustus, quàm
rectus, quàm misericors & pius pro temporis mu-
tatione & rerû varietate nobis dominus efficitur,
Deus quidé iustitiæ. Deus timoris & vindictę quô
dam hominibus erat nunc autem factus est (vt in-
2.Cor.1 quit beatissimus Paulus) pater misericordiarû &
Deus totius consolationis, clemétissimus enim do
minus recordatus est hoc tépore grauissimę illius
punitionis quam huic ciuitati miserat, eandé volés
modò in gratiam & amorem suum conciliare, diui
ni sui corporis pręsentia, & suę tátę doctrinę bene
ficio, vt vel ita exponeret animaduersioné illam &
punitioné pręteriti temporis in eorum saluté côtu
lisse. Christus non miles armatus incedit, sed ama-
tor quietis, non accedit ad perdendos habitatores
Hierico, sed vt saluos illos faciat: non venit ad per
dendum peccatores, sed vt eos resarciat & restau-
ret. O si tu vidisses humani generis Redemptoré
hinc inde totam ciuitatem perlustrantem, vbi es-
sent magis ferina móstra, & ferociora animalia suá
sensualitatem & vanos appetitus sequentia, vt ea
capere posset, & ad suam societatem adducere. *Per
ambulabat Hierico.* Ipse nobis occurrit: & nos ipse
quærit. Zachæus minimè Christo occurrisset nisi
prius ipse dominus illum quęreret. Vnde diuinus
ille vates huius misericordię nô immemor inquit,
Misericordia eius pręueniet me. Perambulabat in Psalm.58
quam, sicut diues sua misericordia qui cùm gratia
diuinis donis abundet, ea nobis cómunicare & im
partiri cupit. Circuit vt medicus animas nostras
à languoribus curare cupiens, & omnes contri-
tiones alligare. Perambulabat sicut peritus & do- Psal.145
ctus magister viá salutis docere expectás: & sicut
pater pijssimus qui cum filios suos ardenti amore
diligat, cupit eos ab omnibus malis & periculis
liberare. Namq; cùm video Christû dominû per-
ambulantem Hierico, ipsius viscera pietatis & mi-
sericordię plena erga nos esse intelligo: immenso
amoris igne ipsius cor inflammatum esse credo,
quo nostram salutem mille modis & viis inuestiga
bat. Perindéque intelligo maximam necessitatem
& extremum periculû nostræ infirmitatis & ægri-
tudinis. Ná cùm medicus frequenter & multoties
infirmum visitat, & eius domum ingreditur: signû
euidens est, vel ægrotum in extremum periculum
abire, vel ad ipsam mortem celeri cursu propera-
re. Tertio itidem loco memor sum diabolû ipsum
tanquam leonem rugientem perpetuo quęrere, 1.Petr.5
quem sua canina rabie deuoret in ouili Christi. Id Ioann.10
circo necesse est vt Christus táquam bonus pastor
circumeat & perambulet ouile suum. Ille circuit,
vt deuoret: hic vt tueatur & medeatur. Et quarto
loco cùm Christum video perambulantem Hieri-
co, neque mula, nec equo vehi, mirari satis nequeo
hominem inbecillem, ieiuniis, & laboribus cófe-
ctum, tam ardenti in nos amore inflammari. Scie-
bat enim nos ita adamantino & lapideo corde esse
natos, vt nec ad nostras oues curádas: hoc mirabi-
li exemplo induceremur. Videbis quippe multos
prælatos, qui aut nunquam ouile suum visitant, aut
tanta pompa & gloria incedunt, vt si illos cû Chri
sto velis conferre: non facilè diiudicabis an sint ser
ui vel discipuli Christi. Præterea cùm video illum
perambulantem Hierico, in memoriá subit fortis Luc.11
ille armatus qui multo iam tempore in pace suum
atrium possidebat, ciuitates scilicet & castella, par
uos & magnos. Quid igitur faciendû vt fortis hic
cùm tyrannus sit à regno suo expellatur & propul
setur? certè vt alius fortior adueniat, qui in circui-
tu obsidionem ponat & buccinam clágore & soni
tu iuuabat Hierico. Vt autem hunc laborem non
existimes frustraneum esse, nec in vanum Hierico
perambulasse, subditur in contextu, *Et ecce vir no-
mine Zachæus.* O vtiná tu quando Dominus te pro-
pugnaturus accedit, & priùs clamans teipsum fue-
rit aggressus, vt alter Zachæus Christo occurras.
Quáplurimi enim sunt quos Deus vocat, inflámat
& expergiscitur (vt Zachæo contigit) ipsi verò tan
quá inobediétes eius voces côténunt, & in vtrâuis
auré dormientes eius clamoribus aures obturatas
habent

habent. Ipse enim est qui inquit. Ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi ianuã intrabo ad illum & cœnabo cum illo & ipse mecum. Tamẽ qui scelerum & flagitiorum laqueis est irretitus, Deo ad ostium pulsanti aperire nequit, cùm dulciter ad misericordiam illum prouocet. Vnde Zachæus tibi in exemplum datur, vt dubio procul existimes pernecessarium esse, vt tu domino Deo occurras, & ante eum teipsum constituas: ne vitiis & sceleribus sepultus diuinę obliuionis immotus persistas. Pręterea peccator hic qui obuiam Christo factus est ab Euangelista Zachęus nominatur: cuius nomen expresśit, tum propter conuersionis eius facilitatem, & propter conuersi perfectionem: tũ præterea quoniam in libro vitæ scriptum erat nomen eius. Sed iam munus & conditionem eius scribit noster Lucas dicens,

Apoc.3

Zachæi nomẽ quare expressum.

Et hic princeps publicanorum. Publicani erant & sunt qui respublicas sua cura administrant, in quibus pauperes plus iusto grauantur & spoliantur, vt sunt illi qui publica vectigalia exigunt & extorquent. Neque isti ideo dicũtur infames quòd peccatũ sit hæc munera exercerę, sed quia multoties cõtingit hos esse grauissimis peccatis inquinatos tyrannide scilicet, crudelitate, latrociniis, & oppressione pauperũ: vulgo enim odiosi, & omnibus infesti dicuntur. Quorum sane hac nostra tempestate multi similes sunt; nemo tamen propterea vellet dici publicanus. Verùm aliud est esse, aliud dici: distat nanque plurimum inter dictum & factum. Nouit enim dominus, qui sint digni vt nominẽtur publicani, quamuis isti à nobis maximo honore haberi & æstimari velint.

Et ipse diues. Tale scilicet munus exequebatur, vt nullatenus fieri posset diues. Facile enim est quẽlibet sine cõscientia, sine anima, & sine timore domini diuitem esse. Quare obsecro rex pauper est, vtiq; quia Zachæus diuitiis abundat. Nam cũ mare crescit, alteram ripam euacuando pauperẽ reddit, alteram verò implendo ditat. Quia hic diues est: ipse rex pauper viuit. Videmus nanque illos qui ad aures regibus cantant quotidie magis diuites fieri, ipsum verò regem indies pauperiorẽ. Nec ob aliam causam id scias contingere, nisi quia isti non tam ad regis ærarium, quàm ad proprium lucrum pecunias à populo exigunt. Nõ sic fidelis & sanctus Ioseph qui pecuniam intulit in domũ Pharaonis. Nam tu qui paucis ab hinc diebus vilibus indutus pannis incedebas, nũc verò superbũ exaltas ædificium, magnificas domos ædificas, luteas iam patinas vilipendis, auro verò & argento confectas ad tuum ministeriũ paras, phaleratos equos ascendis, ingenti famulitio comitatus nemora, mõtes in animi recreationẽ emis: rogo vnde tibi hæc? Ex quibus maiorũ redditibus tibi cõparasti? cum nec thesauros fodiens hæc inueneris, nec ad Indorum nauigaueris insulas. *Et ipse diues.* Horũ nemo vnquam pauper. Potius enim illum egenũ & mẽdicum videbis qui virtutibus est imbutus, qui literis per totum vitę spacium nauauit operam, & qui in sacra theologia vel põtificio iure laureatus est. Potius nudum eum videbis, qui semper militiam secutus, dura arma humeris gestauit: potius ille pauper erit, qui cùm probus est regiæ adulationis vitam fugit: illi verò diuites & opulenti viuunt, qui pecunias mutuantes auaritiam & vsuram sectantur. Sed de his alibi.

Reges paupe-res sunt pro-pter suos Za-chæos.

Genes.47

¶ Præterea Lucas Euangelista ista de Zachæo narrauit, scilicet quòd diues esset, & publicanorũ princeps, vt eius conuersio mirabilior & alacrior videretur. Quia quanto morbus grauior est, tanto periculosior, & periude maiori diligentia curãdus: vnde medici peritia & excellentia maioribus laudibus commendanda venit. Tamen vt Euangelista excellentiam Christi medici præstantissimi cõmẽdet & extollat pestiferas ægritudines & ferè incurabiles morbos quibus Zachęus vexabatur cõmemorat. Vt nemo quantumuis pelago scelerum & flagitiorum profundo fuerit submersus, de diuina pietate & misericordia desperet: sed potius Zachæi sequutus exemplum ad dominum conuertatur. Sed quòmodo hæc facta sunt? Vtique si alienum restituas, si propria bona tanquam alter Zachæus pauperibus erogaueris. Sed dolendum est quòd tot tantiq; sint, qui Zachęi peccata & priora vitia sectentur: at conuersionẽ & eleemosynas Zachæi posteriori manticæ commendant. Exempla sanctorum, hominibus imprudentibus & sceleratis, qui prius fuerunt peccatores, solum deseruiunt vt audaciores fiant ad offendendum Deũ. Sequuntur enim eos in prioribus criminibus, rigidam autem pœnitentiam quam pro delictis debent, cane peius & angue fugiunt. Multi adulteria perpetrant Dauidem sequuti, at postea id non lachrymis lamentantur vt ipse Dauid, nec patientiam habent in calamitatibus & afflictionibus, quę illi posteà cõtigerunt. Odia & inimicitias sectantur, vindictã ab inimicis reposcunt: non verò exemplum Dauidis animaduertunt, qui cum Saulem inimicũ suũ mortis pœna plectere posset, semel & iterum vitã illi condonauit, nec quidquam mali intulit, quinpotius in eius morte lachrymis & mœrore confectus est. Sic in periuriis, in iuramentis alios imitãtur. Magdalenam alij, & latronem coram oculis proponunt non vt pęnitentiam eximiam & animi promptitudinem in Deum imitentur, sed mala quibus se priùs contaminarunt. Nõ admodum isti dissimiles sunt suibus, qui cum amœnum locum floribus amœnis & pulchris virgultis cõsitum ingrediantur, nihil dubitant vilia stercora & immũditias quę ibi sunt floribus anteponere. Quapropter si deteriùs & peiùs sequutus aliquem hucvsque imitatus es, retrouertas modo & sanctis vitæ institutis eiusdem candidos mores & virtutes sapias. Obserua etiam quod Lucas (qui & pictor fuisse dicitur) hucusque Zachæum depinxit: non aliter ac pictores, qui suscipientes carbones imperfectam imaginem depingunt: postea verò eandem variis coloribu adhibitis pulchram & formosam reddunt. Depinxerat enim Lucas nobis imaginem rudi quadã minerua, delineamẽtis imperfectis, modo autẽ tantã colorũ varietatẽ illi adhibet, vt difficile valeas iudicare sit ne eadẽ imago, an diuersa. *Quærebat videre Iesum, quis esset.* Perpaucos Zachęos his nostris tẽporibus inuenies, plures autẽ qui vniuersas vias ciuitatis circũdẽt vt equos suos currẽtes videant, taurorũ agitationẽ, comœdias, & alias huiusmodi vanitates sequũtur: quos tamen difficile in sanctũ Dei tẽplum adduces, vt rebus sacris intersint, etiãsi concionatorũ vocibus & clamoribus eorũ aures discrucientur. Sunt autẽ nõ pauci qui noctu diúque vigiles, sunt taxillorum & alearum ludum exercentes, in conuiuiis ebrietatibus, luxuriis consumentes tempus, ita vt vix possint postea ad

Zachæi imitatores multi in peccato nõ in conuersione.

2.Reg.11

1.Reg.24
1.Reg.26
2.Reg.1.
Luc.7
Luc.23

templum domini conuenire, atque ita (quod maxime dolendũ est) propriis domibus post dimidiã diem sacrum iubent celebrari. ¶ Sedd dices fortassis, Omnes volumus videre Iesum: quia naturaliter omnes appetunt esse beati. Hoc verum est: tamen quid prodest Deum voluisse videre, nisi in eo vidẽdo diligentiam adhibueris? Optabat nanque Hero
Matth.17 des (vt inquit Euangelista) videre Iesum, quod idẽ & mali exoptant, sed hoc nihil cõducit, cùm id sa-
Hierem.29 no & integro animo nõ fiat: Dicit enim dominus, cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis. Herodes inanis curiositatis gratia Iesum videre expectabat, & hac de causa illum quærebat, tu tamen si Iesum videre cupias, si eo perfrui, si diuina eius cõuersatione lætari, esto similis Zachæo, qui tantã diligentiã & solicitudinem adhibuit vt videret Christũ, vt nõ dubitauerit sũmitatẽ arboris ascendere, vt compos euaderet propositi. Vides iã quo pacto bona desideria sine ipsis operibus nihil proficiant vt æternam salutem possis consequi? Si enim rectam intentionem: sancta desideria & animum promptum in ministerium domini habes, his omnibus bona opera cõiungas, quę tanquam mar
Genes.12 garitæ pretiosę auro copulatæ erunt. Egredere igi-
Psalm.44 tur de domo tua, & de cognatione tua, & obliuiscere populũ tuum, & domum patris tui: eleemosynã pauperibus tribue, & suscipe hospitio peregrinos. Esto humilis, castus, clemens, benignus, & misericors tũcque dominus seipsum tibi in cęlis ostẽdet, tuis votis & desideriis annuẽs, si viuens ad iusta & fidelia opera tuam cogitationem traduxeris. Ideo desideriũ Zachęi Christus dominus adimpleuit, quia recto corde illum videre cupiebat, ita vt relicta domo rapidus arborẽ ascendit. Nec solũ habuit animi rectitudinem, sed etiam laboris onus suscepit: nam licet mũdanis negotiis intẽtus esset, seipsum vincens omnia reliquit, vt Christũ dominum sequeretur: ob quam causam compos euasit propositi. Sed quia Christum sequi volentibus nũquam grauissima impedimenta desunt, prosequitur Euangelista dicens. *Et non poterat præ turba.* Vide quàm præsto sunt obstacula & impedimenta illis qui recto animo Deum diligũt, & vestigia eius sequi conantur. Turba enim multis fuit impedimẽto quo minus desideria sua & salutem consequerẽtur. Hæc languidum à sanitate impediuit, hæc illũ cæcum qui dominũ inuocabat increpat vt taceat,
Luc.18 hęc paralyticum impediebat ne ante Christum cõ
Luc.5 stitueretur, hęc matrẽ domini, & discipulos exclu-
Matth.12 sit, ne cũ Christo loqui possent: hęc resurrectionẽ
Matth.9 puellę retardauit, & Iesum cõprimebat. Hæc Christum comprehendit & contra dominũ murmurat, hęc Deum non nouit. Non igitur mirandum est, si Zachęum impediebat, vt Christum non videret. O quàm multis modò turba impedimento est, ne Christũ sequi & videre possint. Nã vel ex ipso experimento cognouimus, mundum maxima impedimenta parare his qui se cultui diuino obtulerũt, qui eiusmodi cõditionis est vt neminem sequatur nisi illum qui ipsius mũdani tumultus oblitus est. Sicut diximus cęco cõtigisse, qui Christũ clamans viam vocibus impleuerat, quem turba increpauit vt taceret, de cuius impedimentis illic abundè diximus. Zachęus autem non solùm à turba impeditus fuit, sed etiam in semetipso impedimentum habuit. *Quia statura pusillus erat.* Iã hic vides quomodo mundus despicit pusillos, & honore magnates prosequitur. Hoc est hominum ingenium vt plurimi magnos faciat, facie & vultu pulchros laudat, & etiam eos qui bona corporis habitudine præstant. Ita Samuel Bethlehem diuino mandato profectus, vt vngeret aliquem filiorum Isai in regem, præsentauit illi Isai pater Eliab filium suum maiorem natu, adolescẽtem magnum corpore, de quo prophetę Deus dixerat. Ne respicias vultum eius nec altitudinem staturæ eius, quoniam abieci
eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Ho- 1.Reg.16
mo enim videt ea quę apparent, dominus autem intuetur cor. Dauid autem filiorum natu minorem, quem pater despexerat, pręcepto Dei in regem vnxit. Adhuc (inquit) paruulus est reliquus, & pascit oues. Saul autem quem corpore pręstantem appellat scriptura, ab humeris vsque excedebat populum, dixit enim dominus Samuel. Vsquequo tu
lugebis Saul quem ego proieci à facie mea? Sciun- 1.Reg.9
xit dominus oculos à Saul cõsque in Zachęum cõ 1.Reg.15
iicit. Cum Hebręi templum domino ditissimum & opulentum ædificassent, hoc ideo gratum & iucundum domino esse credebant: quibus ipse per Esaiam inquit. Quæ est ista domus quam ædifica-
tis mihi, & quis est iste locus requietionis meæ? Esai.66
Omnia hęc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista dicit dominus. Ad quem ego respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Mũdus spernit pusillos & paruos: potentes & magnos honore afficit. Nam existimat mundus magnos & superbos solùm esse amicitia Deo coniunctos: minimos verò & humiles propter eorum paupertatem, à domino esse derelictos, cùm contrarium omnino ipse dominus solitus sit efficere. Non humiles contemnas, quia pauperculos Deus respicit: non corporis eleganti forma pręstãtes, cùm hęc omnia, nisi cæcus sis, facilè cognoscas, parui fieri à domino. Quid enim obsecro coma illa Absalonis rubicunda & aurea il
li profuit, nisi mortem asciscere? Nam si corporis 2.Reg.18
specie cõspicuus es, nonne hęc pulchritudo à dotibus internis animę proficiscitur? fac igitur (si hæc nõ credis) vt animam ab ipso corpore diuellas, & statim videbis hanc pulchritudinem in nihilum conuerti. Nam ipsa anima est quę vires pulchras corpori pręstat. Si corpus propter pulchritudinem diligis, à fortiori & animam diligere debes, illius pulchritudinis instrumentum. Vera pulchritudo, in anima consistit: reliquę naturę dotes in momento temporis arescunt. Interiorem animæ pulchritudinem ama, vtpote quam, & non aliam dominus vult. Hanc pauperculam, hanc deuotam esse desiderat, quanquã ipse mũdus qui cæcus & amens est, magnos ducat esse honore dignos, humiles verò vituperio & contemptu.

Et præcurrens. Qui Iesum videre cupit, necessũm est, vt turbaam fugiat, vt eam præcurrat, quia qui sęcularibus negotiis & affectibus disturbatur, Iesum non videt. Nec tibi molestũ sit vt domino coniũgaris, familiaritatem amicorum & consanguineorum fugere: nanque isti sępiùs viam cœli impedire intẽdũt. Vt enim chirurgus vulneri medeatur infirmũ ab omni gẽtis tumultu amouet, fenestras claudit, & cum nemine loqui sinit, tuncque medicamẽta necessaria infirmo curãdo accõmodat, nec dicit illũ curandũ in magna gentis multudine vbi omnes

nes præsentes adsunt. Sic opus est, si sanus fieri cupis à vulneribus animæ vt præcurras turbam & ciuitatis tumultus fugias. Cõsilium enim hoc domini est, qui cum animæ cuidam multa secreta pan-
Osee 2. dere in animo esset, dixit: Ducam eam in solitudi-
3. Reg. 16 nem, & loquar ad cor eius. Sic Angelus loquutus
3. Reg. 19 est Agar in deserto & solitudine. Et Helias cœlesti pane pastus, est cùm priùs in grandi gentis multitudine nec fragmentum panis inuenire potuisset. Mihi credas rogo, quòd si istius sęculi legibus vitã tuam composueris, vt nobiles & campsores, facilli-
1. Ioann. 5 mo cursu in infernum descendes. Mundus quippe in maligno positus est, & idcirco oportet vt turbã pertranseas, nec homines respicias diuersa sequentes, quin potius hæc mundana fugiens, aliud sanctius & rectius viuendi institutum eligas. *Ascendit in arborem Sycomorum, vt videret illum.* In omni loco & tempore præuenit nos dominus vt alacres nos inueniat. Porro sicomorus caprificus est quæ ficus fatua dicitur, eo quòd inanes ficus generet. Vnde ficus Ægyptiaca dicitur, quia in Ægypto iuxta Nilum fluuiũ συκόμορος præcipue nascitur, suis foliis morum referens. In hanc igitur arborem ascendit: vt quod natura negauit, ipsa arbor suppleat. Atq; ideo merito benedictionem dominicę susceptionis quam desiderabat meruit videre. Expende modo Zachæi humilitatem, & mundi contemptũ quẽ habuit: nam cùm diues & ex optimatibus Ierico esset, personæ suæ grauitatem & autoritatem deponens per arborem repit, ascendens in sublime, ita vt vel omnes ad risum prouocaret, & cui aliàs magna fides & autoritas tribuebatur, videbant puerilia facientem. Tamen hoc nihil refert, cùm ipsum
Vide Gr. 27. Moralium ad finem. Christum videre cuperet. Captus enim desiderio videndi Christũ, seipsum propter Deũ contemnit. Tamẽ his nostris tẽporibus tãta hominũ vana gloria & vanitas creuit, tãtũ elatio animi, vt si Deo seruiant contẽptu digni videãtur. Tãtas inuenies mulierculas vanitatis mundi plenas, vt propter vnius famulæ defectũ facile à sacris desistãt: sempérque domibus præsunt ne ob defectum ancillarũ amittant grauitatem & honorem. Sara licet ditissima
Genes. 18 esset, propriis manibus humilia officia domi suę
Genes. 24 peragebat. Rebbeca etiã vxor Isaac magni Abrahæ hæres desumens vrnam fontem petebat vt hauriret aquam. Nunc autem quælibet muliercula facile hæc officia contemnit. Humilitas illa antiqua propter temporis angustiam obliuioni tradita est, & à memoria cecidit, quia hoc tempore omnes homines glorię cupiditati maximè student: putãt nanq; dedecori esse tribuendũ sibi, si infirmos inuisant, & eorũ infirmitatibus cõsulant putántque pudorẽ amittere, si pro pauperibus eleemosynas efflagitent hostiatim, & per totam ciuitatem, nec in aliis virtutis operibus seipsos volunt exercere, arbitrantes huiusmodi sancta munera esse illis detrimento. Hæc enim tumiditas adeò mentibus hominum sita est, vt multos Deum colere volentes non permittat: & hac de causa multa facere dimittunt ne parui fiant, quæ aliàs exequerentur, & ita hæc opera Dei contemnunt ne dictis hominũ eorum honos labefactetur. Scias autẽ id hominibus honorem auferre scilicet mendacia dicere, superfluè viuere, vel alia facere quæ factu minimè digna sunt. Nam propter Christum humilia facere magnus honor est: nec à sua autoritate & grauitate labitur ille, qui seipsum propter Iesum contemnit, etiamsi mundus in contrariam sententiam pedibus & manibus eat. Itaque cum arborem ascendit Zachæus magnum honorem sibi consequutus est, etiamsi autoritatis & grauitatis suæ detrimentum videretur pati. Omnia hæc verus Christianus facilè pro Christo cõtemnere debet: nam cùm verum desiderium domini adest, facillimũ est per hæc omnia celeri cursu transire. Ita Zachæus omnem mũdi abusum, & hominum dicta cõtemnens nihil nisi videre Christum magni facit: vt autẽ id quod desiderat consequi valeat, ne à turbis impediatur, de creuit arborem ascendere. ¶ Vbi obseruandum tibi & maximè quod Ambrosius inquit. Nemo po- Amb. lib. 4 in Luc.
test videre Iesum constitutus in terra. Si Deum videre cupis, huius sęculi affectiones contemne. Quã- Genes. 32
do Iacob cum angelo per totam noctem luctabatur, mane angelus eius femur tetigit, & tunc pede claudus mansit, vt inquit scriptura. Tunc temporis dixit Angelus ad Iacob. Nequaquam vocabitur nomen tuum Iacob sed Israel, quod est videns Deum, & ita vocauit nomen loci illius Phanuel, dicens, vidi Dominum. Aduerte quòd Iacob quando videt dominũ, & vocatur Israel, pede vno clau- Aug. lib. 2. de ci. cap. 28
dicat. Anima mea (inquit egregius Augustinus) amore fertur, quocũque fertur: & sicut propagatũ corpus duos habet pedes, ita anima duas habet vel affectiones, vel amorem duplicem, amorem videlicet mundi & amorem Dei. Quando mundum perfecto amore diligit, amorem Dei contemnit: præfert amorem mundi amori Dei, & dilectioni, quando autem diligit Deũ in terreno amore claudicat, mundi charitatem spernit. Ideóque Iacob quia Deum viderat claudicabat pede dilectionis mundi quapropter tu si Deum cupis videre atque diligere necesse est, vt hęc terrena & teipsum odio prosequaris. Tamen in hoc malum adest & consistit iniquitàs, quòd licet omnes videre Deum concupiscant & appetant esse beati, tamen pauci Zachæi sunt qui ad humana hæc non conicientes oculos bona hęc temporalia æquo animo contemnant: Cùm & illa sentẽtia Christi sæpè auribus nostris repetatur. Nemo potest duobus dominis ser- Matth. 6
uire. Sunt autem quamplurimi qui vtrique seruire conantur, sed frustra quidem, admodum similes illis Samaritanis de quibus ait scriptura. Fuerunt 4. Reg. 17
isti timentes dominum, sed tamen idolis suis seruientes. Quocirca si Christũ videre cupis, terrenis spretis, ascende vt Zachæus in arborem, & elige locum ex quo aptiùs & faciliùs ipsum dominũ possis aspicere. Et ideo subdit Euangelista. *Quia inde erat transiturus.* Zacheus Christum videre meruit, Christus vbi quaerendus & inueniendus.
quem cognoscere mirum in modum desiderabat: quia in talem se constituerat locum, quo Christus erat transiturus. Quare si Christum inuenire cupis in loco vbi ipse est, eum quæras. Quod consilium Esai. 55
sanctissimi vatis Esaiæ est, nempe, Quærite dominum dum inueniri potest. Vbi obsecro illum reperit Moses? Inuenit sane illum inter vepres & Exod. 3
spinas, ita tu illum inuenire poteris inter spinas afflictionis vitæ, & pœnitentię: inter dolores & angustias, illum crucifixum inuenies, spinatum corona ornatum, ligno ligatum, durissimis clauis transfixum, in medio latronum constitutum: non inter res delectabiles huius mundi, nec inter saltatrices mulieres, non in ludis & conuiuiis: sed in alto loco & sublimi vbi illum possis conspicere. Inuenitur enim dominus in templis, & in religiosorum

ſorum cōuerſationibus: vbi ſunt lachrymę, vbi ieiunia & orationes. Denique in ſolitudine eremi apptè dominus conſpicitur. Ibi illum expecta, nam il lac tranſiturus eſt. Non illum quæras inter hortos voluptatum & deliciarum huius ſęculi, ſed potiùs inter amatos pœnitentiæ labores. At quia multi licet Chriſtum cognoſcere & videre cupiant, in voluptates huius ſęculi aſcendunt & cubilia blãda vbi illum videre exiſtimãt: quapropter in his locis arduum & difficile ſit illos eum alloqui aut inueni-
3. Reg. 19 re poſſe. Sed in hac re agẽda, maximè vellẽ vt Heliam conſiderares, qui familiaritatẽ mũdi fugiens, in deſerto cùm eſſet ſolus ad ſpeluncæ portam dominum iacens expectauit, quem mirabiliter vidit. Nam cùm per illum locum trãſiret dominus eum ibi inuenit & alloquutus eſt. Quęſiuit nãque aptũ locũ in quo dominus ei apparere poſſet. Solẽt homines cùm agitantur tauri meliorem locum ſibi eligere, vt aptius poſſint gaudere: & idem faciunt ad alia ſpectacula cõſpicienda. Quid ad hęc dices? Ad videndum Deum nonne contrarium facis? Zachæus aſcendit locum per quem dominus tranſiturus erat. Aſcende igitur tu loca ſancta & deuota: ſit tibi cũ hominibus religioſis familiaritas, neque iuſtos & bonos contemnas: quia ſi cum his ſermones & colloquia inſtitueris, facile Deum inuenies, qui diligẽtes & quęrẽtes ſe nõ ſpernit. Quod vt verbis meis fidẽ adhibeas, aſpice rogo Zachæũ, qui cum locum aptum quęſiuiſſet, Chriſtũ dominũ videre meruit. *Et cùm veniſſet ad locum.* Vbi iam vides quomodo dominus omnem facientẽ quòd in ſe eſt nõ deſerit. Omnibus opem fert, omnes aſpicit, nec illis ſe abſcõdit qui iuſto corde illũ quærũt. Spera in Deo qui ſuũ auxiliũ non tibi negabit, nemo nanque illũ ſyncero corde quæſiuit, qui eũ nõ inuenerit. Ipſe enim fuit, q Zachęo occurrit qui ſe ante illius oculos conſtituit. Quis vnquam eum
Ionæ 4 vocauit, cui non reſponderit? Deus exaudiuit Ionã
Dan. 14 à profundo maris, à vẽtre ceti vbi abſcõditus erat.
Dan. 13 Exaudiuit Danielem inter leonum vngues poſitũ. Suſannam inter anguſtias & dolores mortis conſtitutam, nec aures ſuas eius clamoribus obturauit. Illi enim clamoribus & vocibus conquerantur de diuina pietate & miſericordia, quos tribulationis tẽpore illũ vocantes nõ exaudierit. Ipſe ſoluit cõpeditos, illuminat cæcos, erigit eliſos, & iuſtos diligit. Dominus cuſtodit aduenas, pupillum & viduã ſuſcipit. Vbi animaduertas obſecro, quomodo omnia proſpera & fęlicia contingant illis: qui rectam intentionem & animum habent: iuxta illud Pauli:
Rom. 8 Diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum. Tantum enim fauet dominus illorum ſanctis & rectis inſtitutis, quorum etiamſi opus non ſit rectum illud adducit ad rectitudinis viam, cùm intelligat eos nullatenus aberrare velle. Quocirca Paulus
Actor. 9 qui Eccleſiã Domini perſequebatur, miſericordiã
1. Tim. 1 fuit conſequutus, vt ipſemet fatetur, quia ignorãs id faciebat, exiſtimans legem Moſi præſtantiorem eſſe. Cupiebat videre Chriſtum Zachęus: nec à deſiderio ſuo defraudatus fuit: inuenit enim ꝙ quęrebat. Æquum eſt & iuſtum vt nos ea faciamus, ad quę tenemur, ſi animi noſtri deſideriũ voluerimus conſequi. Multi nanque à domino tẽporalia bona efflagitant: filios, diuitias & alia huiuſmodi, quę tamen minimè dominus illis concedit, cùm ſcelerata vita & peccatorum nota coram omnibus inurã tur. Neceſſum eſt vt domino ſatisfacias, ſi vis à domino ſatisfieri. Nam ſi tu diuinam voluntatẽ contemnis: quid eſt quod velis vt tuã dominus adimpleat? Vnde dominus meritò per Eſaiam inquit, Eſai. 59.
Me de die in diem quęrunt: Et ſequitur. Omnes debitores veſtros repetitis Et rurſus. Cum extenderitis manus veſtras, auertã oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam. Et huius tantæ aſperitatis ſubdit dominus cauſam. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Prope eſt dominus inuocantibus eũ, omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. Nec eo ſolùm Chriſtus contẽtus fuit ſcilicet ſeipſum Zachęo oſtendere, ſed maiori illum proſequitur beneficio: nam ſiſtens gradum in media via illum alloquitur, & conſpicit, vt videre licet in ſacro Euãgeliſta.

Et ſuſpiciens Ieſus vidit illum. Ex duplicatis verbis, ſuſcipiens & vidit, inſinuat nobis ſacer Euangeliſta nõ velut in tranſcurſu & celeri quodam motu, ſed maximo amore dominum in eum oculos con ieciſſe. Præterea reſpicere ad externos oculos ſpectat: videre autem ad miſericordiam. Sic dixit Da- Pſalm. 85
uid domino: Reſpice in me, & miſerere mei. Reſpice inquam, in meã calamitatem, & in afflictionem meam videndo, & miſerere mei auxiliando. Sic itaque Chriſtus reſpexit & vidit: quia reſpiciens illum, diuina ſua benignitate & pietate cum illo fuit vſus. Ex quibus colligo, videre Chriſtum bonũ & fœlix eſſe: ſed à Chriſto videri optimum & fœliciſſimum. Videt Deus videntem, & diligit diligentem ſe. Videt inquam, illum diuinæ ſuæ gratiæ lumen illi infundens. Sic vidit Petrum in atrio, Matthęũ Mar. 14
in Teloneo, latronem in cruce, & filium prodigũ Matth. 9
à longè, cuius miſertus eſt. Etenim oculi domini Luc. 23
ſunt ſuper iuſtos, cum pater ſit miſericordiarum & Luc. 15
Deus totius conſolationis, Hinc eſt illud Eſaiæ, Pſal. 33
Nũquid poteſt mater obliuiſci infantem ſuum, vt 2. Cor. 1
nõ miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, Eſai. 49
ego autem non obliuiſcar tui. Ecce in manibus Eſai. 66
meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper. Et iterũ, Eris tu velut filius altiſsimi obediẽs, & miſerebitur tui magis quàm mater. Et rurſus Ad quem reſpiciam oculo miſericordiæ, vt manſionem apud eum faciam, niſi ad pauperculum, id eſt humilem ſpiritu, contra ſuperbiam vitæ quantum ad præſentia: humilem & vilem in oculis ſuis? Sic vidit cordis Zachæi deſiderium, & ad omnia eſſe paratum, quæ illi dicturus erat. Eſai. ibidem.

¶ Sed modo operæpretium erit videre, quis priùs incipit, aut quis priùs ad alterum loquitur. Iuſtum enim eſſet, vt priùs ſermonem ſuum inſtitueret Zachęus, quem maior vrgebat neceſsitas. Zachęus potius indiget Chriſto, quàm Chriſtus Zachæo. Chriſtus ſine Zachæo, tamen Zachæus ſine Chriſto viuere nequit. Nihilominus cum hæc omnia vera ſint, is ad alterum priùs loquitur qui maiori amoris igne incendebatur. Non enim adeò te ipſum amas ſicut Dominus te diligit. Nec tanta tibi propriç ſalutis cura eſt: quanta ipſi Ieſu Chriſto. Etenim Zachæo non tantum inerat deſiderium videndi Ieſum Chriſtum, quantum ipſe Chriſtus habebat, vt illum ad cœleſtem illam patriam perduceret. Ideo Dominus prius noſtræ ſalutis opera incipit. O quàm diligens eſt Dominus in operibus ſalutis noſtræ: nec mirum cùm fõs ſit & origo totius boni noſtri. Idcirco licet Zachæus

chæus taceret, ipse Christus ad eum inquit, *Zachæe.* Ecce benignitas domini erga illum ostenditur, cū proprio nomine eū appellet. Christus est qui priùs Zachæum vocat, nec Zachæus in arborem ascendisset ad videndum Christum, nisi Christus diuina sua misericordia Zachæi cor tangeret & moueret. Nam cum homines à peccati morte in iustitiæ vitam resipiscunt, hoc solùm diuinæ misericordię tribuitur, qui gratiam suam largitur peccatori, non ex propriis meritis, sed ex vocante Deo & miserente. Opera enim nostra cùm in peccato mortali manemus, quantumuis heroica & excellentia sint, nō merentur, ex condigno nec ex congruo gratiam illam qua iusti efficimur & grati Deo. Id quod catholici dicunt opera nostra non mereri primam iustificationem. Si enim gratia est, iam non ex operibus: alioqui vt Paulus inquit, gratia nō esset gratia. Et alibi, Non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Est tamen necesse vt huius mundi iustificationi accedat motus liberi arbitrij, quia hæc iustificatio non fit absque bono opere & motu voluntatis acceptante diuinam gratiam. Verùm recta opera primam iustitiam præcedentia, & si iustificationem ipsam non mereantur, prouocant tamen ipsam diuinam misericordiam, & hominem ad ipsam suscipiendam disponunt. At post iustificationem cum gratia gratum faciente in bona opera & virtutum actiones incumbentes beatitudinem meremur. At meriti nostri fundamentum est in diuina misericordia collocatum. Quemadmodum enim plumbeus annulus pretiosissimo adamante ornatus summi valoris est, non quidem propter valorem plumbi, sed propter gemmam pretiosam ipsi annulo insertam, sic bona opera nostra facta in gratia vitam æternam merentur: nō quòd nostra sint, quia propterea nullius sunt valoris aut pretij, sed quia in gratia siūt, & corroborata sunt inęstimabili adamāte meriti mortis & passionis Christi, cui per gratiam adhæremus, qui suis meritis nobis facientibus bona opera (dum in gratia perstiterimus) vitam æternam promisit. Quo factum est vt in Euangelio vita ęterna, merces iustorum appelletur, eo quod suis bonis operibus illa digni inueniātur. Vnde diuus Paulus connumeratis suis operibus. Timotheo scribens subdit. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus, &c. Vitam æternam (quæ pręmiū est suorum operum) appellat coronam iustitiæ, quod eā meruit: quam daturū illi dominum dicit, eo quòd iudex sit iustus. Aduertas tamen non dixisse, quam dabit, sed quā reddet: reddere enim est dare quod debetur. Vnde idem ad Romanos, inquit. Reddite omnibus debita. Vnde cùm Christus dominus filius hominis venerit in gloria sua cum angelis suis reddet tunc vnicuique secundum opera sua. Et laborantibus in vinea dixit. Voca operarios, & redde illis mercedem. Merces est id quod debetur ex merito. Igitur Zachæum non ex merito, sed ex gratia & misericordia vocauit: & deinde bonis actibus intentus meruit filius Abrahę appellari. Sed quia plus iusto digressi sumus, ad institutum reuertamur. Dixit itaque Zachęo. *Festinans descende.* Si Deum cupis in domum tuam ducere, teipsum proiice ab arbore: descende, vt tecum comedat. Nam melius dominum suscipies si humilis atque subiectus illi fueris. Cùm dicit festināter, ostēditur quā tam dominus habeat voluntatem, afficiendi & ornandi nos suis beneficiis: ne autem aliquod obstaculum nobis opponatur, præcipit vt festināter & citò bonis incumbamus operibus. Sic credendum est nos ab eo diligi, vt donaturus nobis suam misericordiam, nullam moram patiatur. Volebat citò Zachæum iustum efficere, maximis beneficiis illum cumulare, & tantopere saluti eius consulit, vt cum festinatione iubeat ex arbore descēdre. Quā quidem doctrinam non aliundè quàm ex sacris musis tibi comprobabo. Nam cùm dominus alloquutus est Iudam inter cœnandum, cùm iam tempus mortis appropinquabat dicit: Quod facturus es, fac citiùs. Proditorem Iudam monet, quia iam cruci affixum esse summopere cupiebat, vt animas nostras à tyrannide & captiuitate eriperet. Et dominus ipse nondum natus profectus est in domum Ioannis Baptistæ, vt illum iustificaret, vt dictum est in superioribus, virginem ascendisse in montana cum festinatione. Et tandem considerare debes quanto animi ardore & desiderio cupit dominus salutem tuam, vt vel inde intelligas non æquum esse tepido & frigido animo illum quærere, qui festinanti corde nostram exoptat salutem. Subdit protinùs Euangelista descensus causam dicēs. *Quia in domo tua oportet me manere.* Zachæe dilecte mi, ego te prior dilexi: ideo misertus tui, te traxi. Ego ostendā tibi omne bonum. Hoc manifestabo meipsum tibi, eo quod diligens fuisti, vt me videres: inuenisti enim gratiam coram me.

¶ Animaduerte obsecro quomodo dominus sanctus & bonus sit & in cōdonādis suis muneribus liberalis: nam non cōsueuit parua reddere, cū seipsum respiciat, plus petitis semper petentibus concedit. Zachæus quippe nihil aliud quàm videre Christum cupiebat, solùm hoc desiderabat, & hoc solùm contentus erat, & tandem si hoc consequeretur fœlicem & beatum se existimaret: tamen diuina clementia cum non parcè, non strictè, sed liberaliter sua munera impartiat, plus illi dedit, quā expectabat. eū nanque amicè & suauiter fuit alloquutus & ingressus sui splendore domū illustrare decreuit: & de potestate tenebrarum eūdem in claram animi lucem asseruit. Nec ad nostrum propositum illud memorandum exemplum boni latronis memoria excidat: qui cum ardentibus præcibus à domino peteret, vt ipsius memor esset, plus illi concessit, quàm petiuit. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. ¶ Vbi etiam est obseruandū quo pacto dominus conuiuam se obtulerit in domum Zachæi, cùm nec inuitatus, nec rogatus ab eo duceretur. Nunquid nouum est, dominum conuiuam se ipsum obtulisse? Sed quomodo (cùm inurbanum hoc videatur) se Christus in cōuiuam obtulit ei, quē nō frequētauerat? Nec vellem te arbitrari se Christū cōuiuio obtulisse, priusquam à Zachęo inuitaretur. Quando Petrus cum domino loquebatur, dicens, exi à me domine, quia homo peccator sū: nō existimes hoc Petrū fecisse, vt Christum à se amoueret, nam hoc faciēs Petrus propinquior Christo fiebat. Eodem pacto cùm dixit Cēturio: Domine nō sū dignus vt intres sub tectū meū: nō existimes ob hoc Cēturionē, domus suę ianuas domino claudere, nā próptiori volūtate tū temporis Christo portas patentes esse sentiebat. Lautū & opiparū conuiuiū Christo parat, is qui humilitate doctus seipsū indignū iudicat, vt eū in domū susci-

piat

Rom.11 Tit.3 Matth.25 2.Tim.4 Rom.13 Matt.13 Matt.20

Christus festinus ad peccatorū iustificationem.

Ioan.13 Luc.1 Hierem.31 Exod.33

Christus peccatori resipiscenti plus donat quā sperauerat.

Luc.23 Luc.5 Matth.8

Deus nullum abiicit peccatorem, dummodo bona sit voluntatis.

piat. Zachæus nanque singulari quodam obsequio internis animi visceribus dominū inuitauit. Nam supra arborem constitutus dicebat. O qui tam fœlix esset, vt hunc sanctissimum virū videre mereretur. Et quantò beatior & fœlicior, si vel digito cōcederetur illum tangere. Crederem equidem nihil fęlicius, aut præter spem vnquam mihi euenturū, si fimbriam vestimenti eius tangerem. O fœlix hic populus Israeliticus, qui tantum virū à se oriūdū meruit, ego verò gentilis & peccator tantis scelerisbus implicitus, eum adire minimè audebo. Satis mihi erit si hisce oculis illum videro, indignus vt illum alloquar. Fœlix ille nuncupandus erit qui talem hospitem susceperit. O vtinam ortū ab hoc populo ducerem, vt possem ab eo precibus contēdere, vt meus vellet esse conuiua. His atque aliis huiusmodi cogitationibus detentus Zachæus, Christum ad manducandum inuitauerat. Nam cùm se tanto hospite indignum iudicat, iam dignus efficitur. Nemo enim ita propinquus & cōiunctus Deo est, quàm is qui humilitatis veste induitur. Sicut circunferentia circuli quanto minor est, tantò magis appropinquat centro: sic quanto quis humilior tāto propinquior est Deo: qui centrū est in quod voluitur intellectualis spiritus. Quapropter cùm seipsum indignum duceret, iam dignus & propinquus efficitur. Vbi attendas rogo Christi benignitatem & clementiam, qui non solùm peccatorem respicit & parcit, sed cum illo prādere nō dedignatur. Nō aspernatur peccatorem, modo sit bonæ voluntatis & pœnitentiam agat. Et quanuis Redemptor noster minimè solicitus esset de dono Zachæi, voluit tamen nouiter conuerso seipsum familiarem exhibere, & , plusquā desiderauerat præstare. Quando enim Zachęus suorū delictorum cōscius ausus fuit sanctū Dei, quē venerabatur inuitare? Nouit certè dominus Zachęi desiderium quanuis, Zachęus seipsum cōsiderās, nihil tale præsumere audebat, vt Christū inuitaret. Iesus verò vt pius & misericors, quę nec cogitare audebat præter spem obtulit: vt certo crederet iam eum in amicitiam suam recepisse. Sed nunquid hæc omnia propter solum Zachæum fecit? Minime: sed ostendit, quòd Zachæo contigit, singulis nobis euenturū si modo toto corde illum quæramus. Vt discas & fiduciam habeas, semper se Christū vltroneū nobis offerre. Ex quo etiam loco docemur, eundem semper paratissimū esse, vt ad nos veniat, vt habitet in conscientia nostra, dummodo nos illi obtulerimus promptam voluntatem & feruentem deuotionem.

Obserua etiam diligenter, nunquam Christum Zachæo dixisse, oportet te hodie meipsum in hospitem recipere, sed dixit oportet me manere. Cui enim expedit introire in domum Zachæi tibi an Zachęo? Cui commodius aut vtilius est? Quis maiorem vtilitatem consequitur? Clarum & manifestū est Zachæo fore vtilius, vide Christi eximiā charitatē & amorē. Hoc enim operabatur amor, cuius officium erat amantem vel bonum aliquando, vel bonorum participem fieri. Nam cùm alterum diligis, si illum tristem vides, tu etiam tristis es: si verò iucundum & lętum, tu etiā lętus incedis: quia cum inter veros amatores sit vnum velle & idem nolle, consonum etiam rationi est, vt vterque eūdem habeat animum. Hoc enim in hac re potissimum obseruare debes, quanto scilicet amore dominus teipsum prosequatur, qui tuis rebus nō aliter ac suis consulit. Illius enim lætitia & gaudium tuum est, vtilitatem item & indigentiam tuam propriam iudicat. Et cùm amicorum omnia sint communia, oportet igitur vt dominus in domo sua maneat, quod commodum proprium ipse dominus appellat, & inquit, oportet me in domo tua manere. Efficit nanque ille antiquus & maximus amor, quod dominus Zachęum diligit: vt bona Zachęi, ipsius Christi bona appellentur.

Amicorum vnum velle, idemq; nolle est & omnia communia.

Et festinans descendit & excepit illum gaudens. Vbi aliqua diligēter obseruabis. Et in primis aduertere oportet quanta iucunditate & lætitia Zachæus in domo sua Christum exceperit. Sic Abraham cùm Angelos suscepit in hospitio diligens fuit: non solùm ipse, sed omnes qui in domo erant. Abraham nanque occurrit in occursum Angelorum (vt inquit scriptura) & festinauit in tabernaculum ad Saram, & cucurrit ad armentum, & tulit inde vitulū tenerrimum & optimum. Sara verò accelerauit & fecit subcineritios panes: puer verò festinauit & coxit vitulum. An non consideras in domo Abraham omnes fuisse diligentes in obsequio domini? Obserua Zachęum ad imitationem Abrahæ in domum suam diligenter Christum suscepisse. Quo factum est vt dominus vocauerit illum filiū Abraham, vt inferius suo loco dicemus. Secundò non solùm diligenter sed etiam gaudēs excepit illum. Etenim non libenter accipit dominus tristia ministeria, sed hilarem diligit ministrum. Sic legimus Aaron respondisse Mosi. Quomodo potui comedere panem aut placere in ceremoniis, mente lugubri? Qua de causa noluit dominus vt Israeliticus populus in Ægypto festa illi celebraret: quia cùm captiuus esset & in persequutione constitutus non potuit cū hilaritate festis interesse, & ei inseruire. Vnde dominus per Mosem dixit Pharaoni. Dimitte populum meum, vt mihi festa celebret in deserto. Vnde Dauid in Psalmo inquit, Iubilate Deo omnis terra, seruite domino in lætitia. Et apostolus Paulus. Hilarem (inquit) datorem diligit Deus. Vnde non est mirum quod Zachæus ita gaudens Dominū susceperit: nam cum ipse sit summum bonum, sine ingenti animi lætitia suscipi nō potest. Tertio loco obseruabis in hoc Zachęi facto promptam illius obedientiam, quia protinus vt præceptum domini audiuit, statim obtemperauit, & obedientiam quam debuit præstitit. Primò nanque festinandum est in obedientia, cuiusmodi fuit diuus Paulus: nam statim vt audiuit, Saule Saule cur me persequeris? respondit dicens, Domine quid me vis facere? Sic Abraham statim vt audiuit præceptum de præputio, adimpleuit, quanuis id operis graue nimis esset. Sic legitur de Ioseph, quod cum pater eius Iacob dixisset ei, Veni & mittam te ad fratres tuos, mox respondit dicens, Pręsto sum. Sic discipuli etiā ei obtēperarunt, qui cum piscantes essent & audirent dominum dicentem, venite post me: & faciam vos fieri piscatores hominum, mox relictis retibus & naui sequuti sunt dominū. Denique ostēditur in sanctissimo Ioseph admirabilis obedientiæ exemplum, qui cum mandatum accepisset ab Angelo dormiēs, vt iret in Ægyptū, ait Euangelista, quòd consurgens accepit puerum & matrē eius nocte. Nec primā lucē expectauit, sed excitatus sermone Angeli, eius prę̨ceptū adimpleuit.

Conuersio ad quam desideranda.

Genes.18

Leui.10

Exod.5

Psalm.99

2.Cor.9

Actor.9

Genes.17

Genes.37

Matth.4

Matth.2

Secundò

Secundò obedientia debet esse humilis & voluntaria: [Luc.4] non sicut multi qui exteriùs obediunt, interiùs verò superbiunt murmurátes in cordibus suis. Quorũ obedientia nihilo differt ab obedientia dæmonum: qui inuiti & murmurantes exibant à corporibus obsessorum. Nec sic Zachæus qui gaudens & hilaris domino obediuit.

¶ Verùm quia quidquid scriptum est (vt inquit [Rom.15] [Zachæi prōpta obedientia.] Paulus) ad nostram eruditionem scriptũ est, discamus ex facto Zachæi promptam, humilem & hilaré obedientiã domino semper præstare. Secúdò discamus non segniter & tepidè Deo seruire, sed festinanter ac diligenter. Vnde in Exodo habetur pręcepisse dominũ [Exod.25] Mosi, vt faceret Cherubinos duos aureos & productiles ex vtraque parte oraculi vnũ ad alterum latus, alium verò in aliud latus. Delectatur dominus Cherubin figuris, quæ sunt maximæ velocitatis: vt ostendat quantum delectatur cũ illis qui summa diligentia adimplent verbũ eius. [Rom.12] Vnde Apostolus Romanis suis inquit, vt in solicitudine non sint pigri, sed spiritu feruenti domino seruiamus. Pluris nanque ducit spiritum diligenté quo ei inseruimus, quàm tempus consumptum in suo ministerio. Nam quilibet homo famulum diligentem pluris facit qui bono studio & solicitudine illi ministrat, quàm illum qui tepidè & ignauè suo fungitur officio: etiamsi per maximi temporis [Luca 2] spatiũ in eius obsequio ambulauerit. Pastores nanque in nocte natiuitatis domini festinantes venerũt ad Bethleem, vt Christum natum adorarent. De quorum iam feruore suo loco diximus.

¶ Tertiò hospitalitatis simus semper amatores, & non solùm hospitalitatis: verùm pauperes & peregrinos suscipiamus cum hilaritate, iuxta illud A- [2.Cor.9] postoli. Qui ministrat in hilaritate. Et Petrus. Ho- [1.Pet.4] spitales inuicem sine murmuratione. Per hospitalitatem enim Abraham & Loth Deo placuerunt An- [Hebr.13] gelis hospitio receptis, inquit Paulus: in ea epistola quam ad Hebræos scripsit. Vt enim piscatores reiectis in mare retibus ad pisces trahendos colligunt aliquando vniones & margaritas: sic isti accipiétes homines, piscati sunt Angelos. Sed iã hodie periit hospitalitas: multi nanque pauperes peregrinos nolunt recipere, timentes ne aliquid furétur aut quoduis aliud malum eueniat. Timẽt enim furem sub paupere, aut lubricum sub hospite. Nón- [Luca 10] nè inter Christi discipulos Iudas fur erat & latro, & forsitan lubricus? Sed nunquid Martha Iudam venientem cum Christo exclusit? Et expendas obsecro, an deterius sit, hospitem recipiendo furem, qui rapiat argenteum, vel aureũ vas, charitatem amittere, vel vas? Times vilia amittere, nec times virtutem perdere, quæ longè pretiosior est cunctis mundi rebus. Aduerte etiam quòd nullum beneficiũ in pauperem confers, illum hospitio recipiendo: sed po- [Fælicior est hospes recipiēs quã receptus.] tiùs tu maius & gradius bonum ab ipso paupere suscipis: si ipse permittat, vt eum recipias. Pauper à te obolum accipit: tu verò quia donasti, vitam consequeris æternam, iuxta illud: Dispersit, dedit [Psal.112] pauperibus, iustitia eius manet in sæculum seculi. [Genes.18] Vnde sanctus Patriarcha Abraham hospitibus dicebat. Si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ & lauentur pedes vestri. Intellexit vir sanctus & pius in proprium commodum resultare sibi, si illi peregrini in domo sua manere vellẽt. Et quia dominus [3.Reg.17] volebat viduam Sareptanam ditare, Heliã ad ipsam misit accepturũ eleemosynam: cũ reuera domũ viduæ ingrederetur, vt farinæ copiam & oleũ tribueret. Sed de his aliàs. Tamen cum antiquus mundi mos sit: bonis maledicere & eisdem mille obstacula ponere, animaduertite quid dicat euangelista de his qui ibi aderant. *Murmurabant dicẽtes, quod ad hominem peccatorem diuertisset.* Qui, obsecro sunt isti murmuratores & detractores qui huius rei Christũ insimulabant & reprehendebant? Pharisæi qui de seipsis præsumebant & confidebant tanquam iusti, cæteros verò aspernabantur: qui sæpius id faciebãt, se iustos & sanctos existimantes, alios verò peccatores. Murmurabant eo quòd ad publicanũ respice- [Luca 18] ret, & quia dicebat se cũ illo in domo sua pransurũ esse. In quo facto duplex peccatum incurrebant: primo temerè iudicando, quia peccatorem iudicabant Zachæum, qui iam iustus effectus erat. Sed audiant isti quid Paulus dicat. Deus qui iustificat, quis est qui condénet? Et dominus superius ait. Nolite [Rom.8] [Luca 6] iudicare, & non iudicabimini. Et iterum. Nolite iu- [Ioan.7] dicare secundũ faciẽ, sed iustum iudicium iudicate. Malè isti iudicabant, iudicátes Zachæum peccatorem, cũ iam effectus esset amicus Dei. Vides quàm incertum & periculosum sit hominem iudicare? Tu igitur neminé in terra iudices, sed spera & crede vnumquenque propriæ salutis semper esse memoré: ita vt qui heri peccator fuit, hodie possit diuina benignitate iustus effici. Ideo Paulus. Nolite ante tempus iudicare. Et iterum. Tu quis es, qui iudicas alienum seruũ? suo enim domino, non tibi cópetit. [1.Cor.4] [Rom.2] Vera nanque iustitia indignationem non habet: sed cópassionem. Sic Paulus admonet dicens. Si præ- [Beda in ca. 19. Lucæ.] occupatus fuerit aliquis vestrum in aliquo delicto, [Galat.6] vos qui spirituales estis instruite illum in spiritu lenitatis: considerans ne & tu tenteris, téque ipsum respice: nam si te cognoueris, non defectus alienos iudicabis, carpens aliorum mores.

¶ Secundò non solùm temerè iudicando peccabant, sed etiam inuidia. Ad hominem (inquiunt) [Phariseorum iudicium temere, cõstam habebat inuidiam.] peccatorem diuertit. Quasi non sit graue peccatum proximo inuidere, & quasi bonus esse possit, qui fratris saluti inuideat. O contaminatã & deprauatã impiorũ iustitiã, quæ mauult fastidire, quã sanari: mauult inuidere proximo, quã cum illo cómunicare. Dupliciter enim quis cómunicat cum peccatore, vel vt illum à peccato suo corrigat & hoc sanctũ & piũ est: (sic medicus cómunicat cũ ægroto) vel vt in peccato foueat & hoc pessimum est. Sed isti gloriam Christo detrahentes murmurabant, acsi particeps esset publicanorum & peccatorũ, quasi eorum peccatis faueret. Ideo Dauid in Psalmis de detra- [Psal.13] ctoribus inquit, Sepulchrũ patens est guttur eorũ: linguis suis dolosè agebãt. Duo sunt sepulchrorũ genera. Quædam bene ornata & tecta: ita vt etiamsi variis corporibus & cadaueribus sint impleta, non ideo malum aliquem odorem ex se emittunt. Talia sunt syncera hominum studiosorum corda, qui proximorũ gloriã & eorum bonum nomen non reprehendunt aut mordent: quorum detractationes (si aliquæ erant) cooperire maluerunt, quàm detegere. Hæc certe sepulchra sunt duro bitumine obtusa. Alia sunt quæ panduntur monumenta: & hæc sunt quæ mala proximi in publicum produnt. Quorum ora infecta sunt & coinquinata maleuolentia proximi, quia proximi famam & bonum nomen nihil perdere dubitant, quia sepulchrum patens est guttur eorum. Habebatur enim in lege tanquam im-

Num.16 mundũ vas illud quod operculo carebat. Sed qua de causa putatis horum ora ita fœtida esse? Certè quia carnẽ viuã & crudã edere non verentur. Naturales philosophi dicere consueuerunt ea animãtia, quibus crudas carnes vesci cõtingit fętida esse ore. Lib.8.de animal.c.4 Isti sanè Hiæna peiores sunt, de quo inquit Philosophus: edendi carnes humanas sibi tantam cupidinem esse, vt multoties contingat humana sepulchra violare, vt mortuorum carnibus vescatur. Quã similes sunt isti homines huic bruto animanti qui non solùm viuis detrahunt, verùm etiam propriis dentibus sepulta corpora sepulchris tradita mordicus euellunt. Huius vitij iniquitatem & abominationem verbis exprimere nequeo, nisi dixero isto pessimo & canino more Deum grauissimè offendi. Nihil remedij huic crimini superest, nisi tacere. Hoc enim facit Deus cũ istis murmuratoribus, vt Psal.49 ipsemet ait. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti, & tacui. Certè Domini patien- Psal.139 tia miranda est. De istis etiam egregius psaltes loquebatur, dicens. Acuerunt linguas tanquam serpẽtes, venenum aspidũ sub linguis eorũ. Serpentes enim edunt terrã, & de vilioribus terræ comedũt. La- Dan.2 pis qui ex mõte cecidit contra statuã Nabuchodonosor in aureum caput tetigit nec in argentea brachia: sed in luteos pedes. Nam qui detrahunt, solùm proximi defectus pandunt: bona verò & eorũ virtutes silentio prætereunt. Et quidẽ isti nõ prædicauerunt obedientiam Zachæi animum & ardorem videndi Christũ, aut charitatẽ qua illũ excipere volebat: sed potius præterita illius crimina in memoriã reuocarunt. Velut vitreæ cucurbitæ deprauatam infirmam carnem ad se trahunt, sanã verò relinquũt. Luc.7 Sic Simon ille Pharisæus Christum insimulabat: eo quod Magdalenã in hospitẽ suscipiebat. Quod etiã Matth.9 Luca 15 factũ esse cõstat de Matthæo publicano quando in Christi hospitiũ fuit receptus. Ita etiã illi in Christum peccauerunt dicentes. Hic peccatores recipit & manducat cum illis. De quibus omnibus suis locis superius habuimus sermonem. Præterea tã grauiter animaduertit Dominus in hos detractores Num.14 vt dixerit Moſi: Omnes qui murmurastis contra me, non intrabitis terrã super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem. Quo factum est vt ex sexcentis millibus filiorum Israel solus Iosue & Caleb ingressi sint terrã promissionis. Cùm certũ etiam sit, istius modi detractores regnum cælorum nobis promissum nunquam ingressuros. Verùm vt scias quòd propter prauorum hominum & scandalum & murmurationem à via veritatis & virtutis non esse deflectendum, sed potius persistere tanquã bonus miles in iustitia & timore Dei, abundans in omni opere Domini semper, vide obsecro quid Zachæus fecerit.

Stans autem Zachæus.

Stabilis & immobilis in spe & in fidei veritate. Sic oportet viros iustos in virtute stare, & nõ retro cedere propter maleuolos murmuratores. Porro rectitudo corporis mentis rectitudinẽ significat & intentionis. Stabat autẽ qui diu in ipsis peccatorũ inquinamentis iacuerat, & obrutus erat. Sedit diu Matth.9 Matth.7 terrenis lucris cũ Leui inhians: sed nunc stetit in cõspectu Dei fundatus supra firmã petrã. Ideóq; nec flãtes murmuratorũ venti nec cupiditatũ vndæ eũ propellere potuerunt: sed potius hæc ferendo propter iustitiã Dei, & secundum eius voluntatẽ, fideli suo creatori causam & animã suam cõmendabat in bonis operibus dicens, Redime me à calumniis Psal.118 hominum vt custodiã mandata tua. Et ita dixit ad Iesum. *Ecce dimidiũ bonorũ meorũ Domine do pauperibus.* Duo dixit iste nouus Christi miles: alterum eleemosynæ largitionẽ, per quã omnium malorũ radix cupiditas extirpatur, & peccata cõdonãtur. Alterum est acquisitorum iniustè restitutio secundum ordinem iustitiæ: & hoc requiritur ad proximi læsi acquisitionẽ & recõciliationẽ. Expende autẽ quãtum in Christi cõuersatiõe profecerit. Anteà quippe aliena rapiebat: iã verò dimidium bonorum tribuit. Tali equidẽ viro adhærebat, vt liberalis non esset & charitatis amator, talem susceperat hospitẽ: fieri enim non poterat quin maximum incremẽtum acciperet Zachæus ex Christi conuersatione, & familiaritate. Hinc manifestò liquet, quòd si cupimus in virtutibus proficere, adhærere oportebit viris bonis & probis. Nã Zachæus in medio Hiericho inter peccatores, & ipse peccator habebatur: Christo autẽ cõiunctus, christianus & iustus efficitur. Saul cum erat inter prophetas prophetabat: in 1.Reg.16 1.Reg.19 ter stultos verò videbatur stultus. Et Petrus familiaritati & consuetudini Apostolorum coniunctus, Matth.16 Christum confessus est esse filium Dei: quem posteà Matth.26 cum peccatoribus incedens in domo Caiphæ negauit. Ex his omnibus videre licet, quantũ lucri & cõmodi sibi reportauit Zachæus ex Christi coniũctione & amicitia. ¶ Sed iã singula discutiamus verba: bonorum (inquit) meorum, & nõ alienorũ: quia de bonis tuis, nõ verò de alienis eleemosynã erogare debes. Sic enim habetur in Prouerbiis. Honora Prouerb.3 Deum de tua substãtia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus: & implebũtur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt. Et Iob. De Iob 31 velleribus ouium mearum calefactus est pauper. Et Paulus Ephesiis inquit. Qui furabatur iã nõ fu- Ephes.4 retur, magis autẽ laboret, operando manibus suis quod bonum est. Et in Ecclesiastico habetur. Qui Eccle.34 offert eleemosynã de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in cõspectu patris sui. Quẽadmodum aqua si munda est mundat & lauat, si immunda coinquinat: sic eleemosyna quæ fit de re iniustè acquisita, non mundat à peccato. Igitur ex propriis bonis eleemosyna facienda est: non autem ex furto, vsura, aut rapina. Videmus namque plurimos campsores largientes eleemosynas, ædificantes monasteria, ex multis diuitiis quæ quotidie iniquitate sua compararunt.

¶ Secundò obseruandum est non dixisse dabo: sed do pauperibus. Nam eleemosyna non est de die in diem procrastinanda, aut bonum opus quod facturus es: & audi Salomonem dicentem, Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi: cùm statim possis dare. Et in Ecclesiastico dicitur, Cor Prouer.3 inopis ne affligas: & ne protrahas datum angustiã Eccle.4 ti. O quot quantíque homines ab hæredibus decipiuntur. Quis enim fidelis erit illi, qui sibi infidelis est? Ideo ne vnquã dicas, dabo, sed protinus in vita tua cum paupere liberalis esto: quia nec opus, nec Ecclesi.9 sapientia, nec ratio, aut scientia erunt apud inferos quo tu properanter curris. ¶ Discamus etiam opera Qui non est hodie, cras minus aptus erit. bona statim à nobis esse adimplenda, nec dilatanda esse in aliud tempus: quod forsitã nunquã videbis. Quando alicui titulus est & spes sibi aliquos magnos redditus & maioratum comparandi, nihil mirum, si aliqua bona mobilia consumat: at is cui solũ sunt

ſunt operæ & labores quotidiani,quorum forſitan domino ſuo rationē redditurus eſt, quid eſt quòd magnus ſumptus facit? Certè vnius ſolius diei poſſeſsionē aut titulū non habes,nec noſti an peruenturus ſis in craſtinum:& omittis bona opera in vēturos annos? Et quidē tā arctū & anguſtum tibi tēpus eſt,vt nec vnā horam tuam habeas:tu verò ſatis liberaliter tibi ipſi multum tēpus vitæ promittis. Ne obſecro excedas in promiſsione temporis: pauper enim es & indigens tēporis. Fieri enim poterit vt hodie ab hac vita diſcedas. Scriptura enim inquit. Repromiſsio nequiſsima multos perdidit:& nō eſt veſtrum noſſe tempora & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Non enim Deus in manu tua poſuit tēpus:ſed potiùs in ſua. Vnde pſalmographus inquit. Tēpus faciendi Domine, diſsipauerunt legē tuā. Sed cū hodie poſsis pęnitentiā agere & ad Deū te conuertere,& aliena reſtituere,& tuū teſtamentū condere:& animam tuam cū Deo cōponere:nō obſecro hæc omnia in futuros annos relinquas. Multos nanq; his noſtris tēporibus videmus, qui cum nullam mortis curam habeant,in maximo vitæ ſuæ diſcrimine ſunt cōſtituti. Quibus etiam cōtingit infecto teſtamento diſcedere:vel ſi id faciūt, ita properanter vt nō iubeant ſolui debita debitoribus ſuis, qui & maximas rixas, lites, diſcordias, & contentiones inter famulos & hæredes relinquūt. Et ita quaſi bruta animantia diſcedunt, eam vitam ſibi promittentes quæ nullatenus illis conceditur. Itaq; fugiēdū tibi eſt tanquam à peſte ab his, dabo, reſtituam, faciam:ſed potiùs dicito, do, reſtituo, facio, ſicut Zachæus. Obſeruandū etiā eſt tertio loco nō dixiſſe, do diuitibus conſanguineis, aut amicis: ſed pauperibus. Vtinā epiſcopi noſtri tēporis & pręlati hæc obſeruarent. Tribuunt nanq; amicis & cōſanguineis ſuis beneficia & alias dignitates:pauperes verò fame pereuntes relinquunt. Tribuunt iſti principū & regū familiaribus gemmas incredibilis valoris vt vel ſic à regibus in altiores dignitates & pinguiores aſſumantur. At pauperes Chriſti cōtemnunt:quorum neceſsitatibus ſubuenire non curant. Inuenies plurimos maioratus in noſtra Hiſpania, qui ab epiſcopis conſtituti ſunt & creati:plurimas tiam domos opulentas erectas videmus ipſis patrimoniis eccleſiaſticis, & ex bonis quæ pauperibus fuerūt oblata. Pinguiora domus ſuæ propinquis elargiri nō dubitant:virginibus verò & mulierculis pauperibus, obolū tribuere plurimi faciunt:quibus certe neceſſum eſt ſubuenire, ne ab inceptis propoſitis neceſsitatis cauſa deſiſtant. Zachæus ſurget in reſurrectione in die iudicij, & cōdēnabit generationē hāc: cū ipſe nouiter conuerſus, dimidiā bonorū partem pauperibus erogauerit. Sed iam videamus quid vlterius Zachæus noſter dicat. *Et ſi quid aliquē defraudaui, reddo quadruplum.* Ex quibus verbis cōiicitur parū aut nihil defraudaſſe, quia ſub conditiōe fuit loquutus: ſi quid: ideſt ſi forte aliquid defraudaui. Tamē licet Zachæus haberetur peccatorū princeps, & talis à Iudæis nūcuparetur: tamē multi alij huiuſmodi erant cōditionis, & ipſe ſolus hoc nomē erat conſequutus. Alij nanque ſunt qui latronum nomine inuruntur, alij verò ſunt qui ſcelus latrocinij perpetrāt. Contigit etiā multos ſuſpendi: alios verò eſſe præſentes ſpectaculum videntes, qui certè maiori ſupplicio ſunt digni. Et vtinā horū numerū (quòd abſit) non ingrediantur ipſi pręſides & ſatellites, qui ad ſuſpendium alios ferunt. Sed de his aliàs. Quadruplū dixit ſe reddere: forſitan quia audierat à Iudæis inter quos habitabat legem præcipere, quatuor oues pro vna debere reſtitui. Vel dicendum eſt voluiſſe Zachæum facere opera ſupererogationis, ad quæ ex lege non tenebatur. ¶ Et expēdas itidē quàm differentes ſunt homines in rei veritate ab eo quod de eis vulgus iudicat: & ab eo quod exterius apparet. Phariſæi in exterioribus habebantur ſancti & iuſti. Erant (vt illis ait Chriſtus) pleni omni dolo & rapina, Zachæus gentilis & diues, & publicanorū princeps, abominabilis in conſpectu Iudęorum videbatur: vide illū liberalē & iuſtū, coram Domino. Hunc reſpicit Deus, quem homines paruifaciunt. Phariſæos verò ſuperbos Dominus contēnit. Nā Dominus non ſicut homines externa tantū reſpicit, mentē enim intuetur, & ex factis vnūquemq; iudicat, quæ à fide & charitate procedūt. Obſerua etiā ꝙ Zachæus non hęc de ſe pręedicabat, quēadmodū ille alter phariſæus ſuæ iuſtitiæ buccinator, & publicani deriſor, qui ſuam iuſtitiam alienę pręferebat: ſed vt homo peccator & ſimplex ſtudium ſuū pandit, vt videat, an quid aliud ſuperſit agēdum, vt vitam æternā cōſequatur. At ſi diceret, Iam hæc feci, ſi aliud reſtat, tu mihi qui magiſter es omniū dicito. Hæc vox Zachæi expediebat, vt audiretur ab impiis Iudæis, & à Chriſto eiſdē audiētibus probaretur. Nō enim efficaciùs poterit exprobrare illorū fraudē, auaritiam, & rapacitatē: qui nō ſolum nihil largiebantur egenti proximo, verū etiam prę textu pietatis parentes defraudabant ſubſidio à filiis debito. Sed iam Chriſti reſpōſum audiamus. *Quia hodie ſalus huic domui facta eſt.* Hodie ergo: in tēpore gratiæ, & in die ſalutis. Salus ideſt gratia ſaluans à peccato & cuſtodiens à gehēna. Huic domui, ideſt Zachæo domino domus per dæmonis expulſionē, Zachæi ob conuerſionem, & dignos fructus pœnitētiæ: & per Chriſti ingreſſum qui participē eū fecit bonorū ſuorū, & ſalutē tribuit, quam anteà nō habebat: & hoc pacto ſalus facta eſt. Huius mutatiōis ratio in ipſo Zachæo eſt, nō in Chriſto: ex Chriſti præſentia: quia domū ſuam materialē intrauit, tantū fructus produxit, nō ſolū in Zachęo, ſed etiam in tota eius familia. Vide obſecro quantum vtilitatis, quantū lucri præſentia Domini afferat. Sed dices, Deus in omni loco eſt. Id benè, ſed alio modo fuit in domo Zachæi, & alio modo in aliis domibus: nā Chriſtus Zachæo ſuam præſentiam oſtēdit, quo factū eſt vt multis cumularetur beneficiis. Aliter etiā eſt in eccleſia: & aliter in foro. In tēplo nāq; ſacramētaliter adeſt verū corpus Chriſti, ita magnū & integrū ſicut in domo Zachæi: & ita meritò poſſumus dicere tantā ſalutē nobis eſſe in tēplo, quanta olim fuit in domo Zachæi. Quia quāuis lapides ædificij vel tēpli ſalutē noſtris animabus nō tribuāt, tamen in hoc loco copioſiorē Dominus ſalutē pręſtat, quā in alio mediantibus ſacramētis. Hoc in tēplo ex infidelibus facti ſumus fideles: & cohæredes gloriæ Chriſti. Hîc enim pęnitentiæ ſacramētum miniſtratur quo Deo reconciliamur, quando poſt baptiſmū ſuſceptū in miſera labimur peccata. Hîc adeſt verū Chriſti corpus in hoſtia conſecrata: quod quidē & animas noſtras alit, & diuites efficit. Hîc verbum Dei noſtræ ſalutis cibus miniſtratur. Hîc certè ſanctiſsimum Dei templum eſt, vbi multos dæmō perdit, Dominus autem lucrifacit. Alia etiam grandiora beneficia Dominus nobis cōmunicat in hoc ſanctiſmo tēplo, præter ſeipſum qui ibi eſt, & pręter a-

Eccleſi. 19 *Act. 1* *Pſal. 118*

Incommoda procraſtinationis vitæ meliorum.

Matth. 12 *Exod. 22* *Matth. 23* *Lucæ 18* *Matth. 15*

Tantundem ſalutis nobis Chriſtus communicat in templo quàm ipſe præſens Zachæo in ſua domo.

lia sacraméta quæ in eo nobis ministrantur. Sed vt consideres quanto cultu & obseruantia digna sint ea loca sacra vbi Dominus habitat: videas quid fecerit Dominus cum Mose quando ex rubo illum al- Exod.3 locutus est dicés. Ne appropinques huc. Solue calceamétum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. Noluit Dominus locum illum qué Dominus sua præsentia sanctificauerat pedibus Exod.40 Mosi conteri: eo modo quo reliqua illius montis loca. Idcirco Dominus Aaroni sacerdoti & filiis suis præcipiebat, ne illotis manibus & pedibus sanctuarium Domini ingrederentur, vt vel inde intelligas qué cultum velit Dominus locis suis præstari. Nam si Leuiticum legeris passim inuenies multas cæremonias & lotiones quæ fieri præcipiebantur eis qui téplum erant ingressuri, ne sanctum locum Num.16 pollluerent. Et in Numeris. Quicunq; accesserit ad tabernaculú Domini, morietur. Ex quibus omnibus locis ex aliis quæ breuitatis causa omittimus, liquido constat, quanto cultu tractanda sint loca sacra. In cuius rei signum audi pulchrum exemplum ex sacra pagina petitum. Nam cum Philistim capta 1.Reg.5 arca Domini, illam collocassent in téplum Dagonis idoli sui, reuertentes mane inuenerunt in limine templi caput idoli sui & duas etiam manus. Qua de causa sacerdotes Dagon ingredientes templum limen eius non tangebant, tanta enim reuerentia & cultu venerabantur locum, quem Dagon tetigerat, existimantes omnem locum à Dagone tactum esse sacrú. Et quamuis iste Philistinorum error nó laudetur: tamen reprehendere possumus prælatorum audaciam, qui verum Dominum in ecclesiis haben- Templorum violatio iniuria Deo facta. tes, easdem petulantia pessima violare nó dubitát. Et vt aduertas quantum Deus offenditur iniuria illorum qui templum Domini violant: vide quid Ioan.2 Dominus fecerit, quando eiecit ementes & vendétes de templo, mensas eorú deiecit dicens, Domus mea domus orationis est. Expende etiam Christum Dominum, qui misericordiæ instrumentum est, iustitiæ etiam fieri obseruatorem, & hoc vt puniat templi violatores. Nam cum primum Christus humanam carnem suscepit, non venit ad puniendum, sed ad condonandum, nec iustitia, sed sua misericordia fungi, & ad cóponendam pacem inter Deú & homines. Huius pacis & misericordiæ instrumétum Christus erat: qui tanto odio violatores tépli prosequitur, vt misericordiæ officiú ad quod venerat obliuiscatur, & iustitiæ munus exerceat. Is enim qui adulteris, latronibus, & sceleratissimis hominibus venerat, vt parceret, in templi violatores grauiter animaduertit. Alia multa punitionis exépla adducere possem aduersus eos qui téplum Domini violant facta, quæ ne molestus videar silentio prætereo. Sed hoc solú (vt finem imponam) te latere nó permittam, quòd isti nunquam sui temporis rectú fecerint, præsertim cum Deus in hac vita in eos a- 1.Mach.9 nimaduertere voluerit. Hoc enim ab Antiocho & 2.Mach.15 Nicanore, & Balthasare rege Babyloniæ roga: qui Dan.5 cùm vasculis templi Hierusalem ipsi & eius pellices inuerecundè bibebant. Sed quia templú Dei & ecclesia est hominibus saluti per Christi præsentiá sicut salus in domo Zachæi data est: quapropter templi has dedicationes cum loca sancta sint, vbi tantis ornati sumus beneficiis & muneribus venerari & colere necesse est. Verùm vt vlterius procedamus, iam Christus causam assignat, cur Zachæo tanta salus data sit, dicens. *Eo quòd sit filius Abrahæ.*

Non vtique quia de eius stirpe aut sanguine sit pro- Bed. in Luc. 19. c. 77. Theo. in hac verba. creatus, sed quia fidem & opera eius imitatus fuerit. Non filius sobole, sed merito: non stirpe aut semine, sed deuotione. Sed vide similitudiné Zachæi cum Abraham. Abraham desiderauit videre diem Ioan.8 Domini. Zachæus cupiebat Iesum videre, & quis ille esset. Abrahá vidit & gauisus est. Zachæus vidit illum & excepit gaudens. Abraham Dominum recepit in hospitio cum Angelis, & Zachæus cú Apostolis. Ille pergentem in Sodomam, hic transeunté Gen.18 per Iudæam. Abraham festinans currit & parat cóuiuium, hic festinans & parauit conuiuium. Abrahá stabat coram Deo, & Zacheus stans coram Christo ei loquutus est. Abrahæ dedit Dominus benedictionem filij, & Zachæi familiæ Christus benedixit: nam salus eius domui facta est. Rectè ergo Zachæus filius Abrahæ nuncupatur, dum morum similitudo in vtroque ostenditur. Iudæi qui ex sanguine eius erant, degenerabant ab Abrahá: & hic alienigena imitationem morú factus est filius eius. Melius enim est virtutibus esse plenum, quàm ab illustri prosapia ortum ducere. Potiùs nanque appellandus erit Zachæus filius Abrahæ, quàm Iudæi, cú suis operibus malis ab ipso parente Abraham degenerarét. Ideo Dominus eis dixit. Si filij Abrahæ estis opera Abrahæ facite. Ex quo loco disce vt Ioan.8 si teipsum laudas de maiorum stemmatis, imitari etiam te oportebit maiorum tuorum facta: vt vel sic similis illis fias, ex quorum sanguine originé ducere affirmas. Si autem generis natalibus obscurus es, talia facito opera, vt id nomen consequaris quo tui maiores claruerunt: nam hæc certè melior nobilitas est, quàm ea quæ à maioribus duci potest. Sed quia de his in tertio capite diximus, alia modo Supra capi.3. consideremus. His igitur verbis quæ Christus lo- Vocatio gentium vide Bed. vt suprà. quutus fuit Zachæo, soluitur illa magna quæstio quæ Apostolorum tempore orta fuit: an ad gentes Act.10 etiam pertineret salus. Christus nanque in hoc loco breuissimis verbis ostédit illos solú filios Abrahæ nuncupari, qui eius fidem & pia opera sectantur: sicut Paulus & Iacobus qui ob hanc causam veri filij Dei ascribuntur. Paulus enim ad Roma- Rom.9 nos inquit: Nó omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ: nec qui semen sunt Abrahæ, hi omnes filij (sed in Isaac vocabitur semen) id est non qui filij carnis, sed tamé filij Dei. Sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine, hoc est qui ex promissione facta Abrahæ regenerantur in Christo. Et ite- Rom.4 rum ait Abraham pater eorum est, non solùm qui sunt ex circuncisione, sed etiam eorum qui sectantur vestigia fidei Abrahæ, & eius fidei, quam hic habuit nondum circuncisus. Sicut enim Abrahá non circuncisus credidit in venturum Christum: ita & Zachæus non circuncisus credidit in præsentem Christum. Quoniam Iudæi hæc non intelligebant, sed omnem iustitiam externis metiebantur cultibus. Zachæum fratrem suum non agnoscebant: sed potius indignú illum reputabant, cum quo vir bonus aliquod commercium habere posset. Nec mirum nobis videatur hæc fieri à pharisæis & Iudæorum vulgo, quando videmus Apostolos post acceptum Spiritum sanctum difficulter & grauiter gétiles ad consortium fidelium admittere, vt in Actis Act.10 Apostolorum habetur.

Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

Hæc dixit Christus vt seipsum & Zachæú excusaret.

saret. Ex parte Zachæi iam responderat, dicens filium esse Abrahæ: ex parte verò suiipsius, dicēs hoc esse suum munus, nam ad hoc venit vt saluū faceret quod perierat. Est igitur literæ sensus. Vos Iudæi mihi calumniam paratis, eo quòd ad publicanum & ethnicum diuerterim: sed ethnicus non est qui fidem Abrahæ habet: & qui fidem suam sanctis operibus confirmat, Zachæus talis est, ergo immeritò accusor, quòd ad ipsum diuerterim. Quod si hoc vobis persuasum non est, & existimatis eum improbum esse: sciatis igitur me ad hoc venisse, vt saluum facerem quod perierat. Et non solùm in hoc loco, sed sæpe alibi Christus seipsum excusauit, vt in conuersione Matthæi, & quando murmurabant Pharisei, quòd Christus suscipiebat publicanos, & peccatores. [Matth.9] [Luc.15]

¶ Vide ergo & tu, quòd quemadmodum Zachæum, ita teipsum Dominus quærit & vocat, si tu volueris salutem cōsequi: nam Zachæus ita potuit, quia voluit, & alius idcirco non potuit, quia noluit. Ita enim velle efficit posse: vt efficit nolle nō posse. Maxima est volūtatis vis, quæ efficit, nō posse quod volumus: & non posse, quæ nolumus. Idcirco nemo poterit excusari, quasi voluerit & non potuerit: Cum constet eum idcirco non potuisse quia noluit: vt nolens volentis exemplo damnetur, & volens voluntate propria, quia impleuit quæ voluit remuneretur. Quæramus igitur eum, qui tanta solicitudine & diligentia nos quæsiuit. Quærite Dominum (ait Esaias) dū inueniri potest, & inuocate eum dum prope est. Et Psalmista. Quærite dominum & viuet anima vestra: quærite faciem eius semper. Exeamus à domibus nostris, hoc est ab amore proprio cum Zachæo, & fugientes turbam & strepitum mundi, terrena omnia contemnamus. [Esaie 55] [Psal.68]

Hæc illis audientibus adiciens dixit parabolam, eo quòd esset prope Hierusalem & quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur. Putabant Iudæi regnum Christi esse tēporale, & Messiam in lege promissum temporaliter esse regnaturum. Legerant enim in Esaia. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsque in sempiternum. Et in Hieremia. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustū. In diebus illis saluabitur Iuda: & Israel habitabit confidenter. Sed has prophetias non intelligebant, nec interpretabātur de regno Christi spirituali, qui regnat in cordibus fidelium: sed de regno tēporali, quale habuit Dauid, Salomon, & alij reges Iuda. Sperabāt enim suum Messiam, solium locaturum in regia ciuitate Hierusalem Hæc si rectè obseruaueris facilè intelliges quare Lucas noster tam diligenter scripserit, quo loco & tempore Christus sequentem parabolam dixerit. Nam si negotium altius alta mente cōtemplari volumus tria inquit. Primum dicit Christum venisse ad saluandum quod perierat. Non autem loquitur de ciuitatibus, oppidis, aut castris Iudæorum recuperandis: sed de animabus redimendis. Secundò erat Iesus prope Hierusalem, non vt inde fugaret Herodem aut Pilatum, non vt ibi solium suum cōstitueret: sed vt ibi post multa opprobria & flagella, turpissimā, & ignominiosam mortem subiret Tertiò Iudæi putabant Christum in breui manifestaturū regnum suum, vt qui per miracula & signa in dies magnificentius suam potestatem ostenderet, iámque ascenderet ad ciuitatem regiam. Quod si Iudæi adhuc cæci manifestationē regni Christi quærunt, aperiant oculos cordis sui, & fide videant, quomodo potentissimus iste rex in cruce moriens, cum vicit, qui mortis habebat imperium. Et de tali sui regni manifestatione inquit, Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Et ipse Christus iterū. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad meipsum. De huiusmodi manifestatione regni Christi etiam loquitur Paulus ad Colossenses scribens: quod Christus delens quod aduersus nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci: & spolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans eos in semetipso. Hactenus Lucas, nunc verò Christum Dominum audiamus. [Esaie 9] [Hierem.23] [Error Iudæorū de Christo regno. vide Theoph. in hoc loco.] [Hebre.2] [Ioan.8] [Ioan.12] [Colo.2]

Homo quidā nobilis abiit in regionem longinquam. Sciens Dominus quàm præposterè & stultè sentirent de regno eius, voluit hac parabola indicare, se non venisse in carnem, vt aliquem condemnet, vel vt vi opprimat: nō enim misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Sed in fine se vēturū & sumpturū rationē factorum nostrorū, & de omnibus bonis in nos collatis insinuat. Tūcq; instare tēpus in quo serui inutiles & pigri suppliciis sūt afficiēdi, frugi verò remunerādi. Interim tamē admonet vt omnes & singuli munus suum rectè exequantur, & acceptis beneficiis vtantur cōmodè & in vtilitatem proximi. Itaque hæc parabola duas partes continet, prior est de Iudæis pertinacibus, & incredulis, qualem scilicet reportauerint pœnam propter Messiæ contemptum, minimè cognitū nec susceptum. Altera pars huic inserta per occasionem de seruis bonæ vel malæ fidei, quam scilicet mercedem vtrique reportaturi sint à Domino. Hic igitur scopus est totius parabolæ. Igitur homo Christus est. Nobilis autem est siue diuinam, siue humanam naturam attenderis. Iuxta diuinā quidē, æternus Deus est: iuxta humanam verò ex regali progenie Dauid. Dicitur autem in regionem longinquā, per corporalem absentiam proficisci. Fuit enim aliquando inter homines conuersatus, & prædicauit: posteà verò resurgens à mortuis, in cœlum, quod nobis regio longinqua est euolauit. Hoc conuenit Christo secundum naturam assumptam: quia secūdum deitatem vbique est, & discipulis dixit, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Sed ad quid abiit. [Scopus parabola.] [Ioan.3] [Matth.28]

Accipere sibi regnum & reuerti.

Quale rogo regnum? Regnum sanè cœleste ac æternum: quia super omnes Angelorū choros ascēdit. Dicitur verò reuerti propter secundum aduentum, quia in die nouissimo reuertetur, & in hora mortis cuiuscunque etiam vt vnicuique iuxta opera sua mercedem reddat, vt in Apocalypsi habetur: Ecce venio citò, & merces mea mecum est dare vnicuique secundum opera sua. [Apoc.22]

Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas.

Vnicuique enim secundum sua merita, seu capacitatem tribuit. Hinc ait Paulus. Aliis per spiritum datur sermo sapientiæ, aliis sermo sciētiæ: aliis gratia sanitatum, aliis operatio virtutum, &c. Porrò mna dictio est Græca, Latinè verò dicitur mina, pondus duodecim vnciarum & dimidiæ significās: centum enim drachmis appenditur. Per has sanè euangelicas mnas bona quæ nobis largitur Deus, [Ephe.4] [Beda c.78. in Luc.cap.19.]

intelligenda veniunt: quæ quidem bona quintuplicia sunt. Externa primo, vt opes, honores, amici, corporis, &c. Secundò, vt nobilitas, valetudo, decor, & id genus alia. tertiò verò animi bona qualia sunt scientiæ, quæ quidem naturalia bona vocantur.
1.Cor.12 Quartò autem gratiæ sunt gratis datæ, quę recensentur à Paulo dicente ipso. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem: alij quidem per spiritũ datur sermo sapientię, alij autem sermo sciẽtiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in eodem spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituũ, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Quintò demum gratia iustificans est cum omnibus virtutibus infusis. Hęc duo vltima bonorum genera (vt planè constat) supernaturalia sunt: tria verò priora non propriè Christi bona appellanda existimo: quapropter cum ipse Dominus Optimus & Maximus regnum suum ex hoc mũdo nõ esse apertè asserat, nec opes mundi huius inter sua bona cõputã-
Ioan.19 tur. Propriè igitur mnarum nomine non hic temporalia bona significantur: licet ad prædicandũ populo nihil erit incõmodi si talenti nomine talia nũcupentur. Quintum deinde gratiarũ genus mna dici non debet: quia gratia iustificãs cũ virtutibus infusis non datur in aliorum vtilitatem, sed in illius solùm qui accipit commodũ. Et licet in his vti nomine mna liceat: propriè tamen loquendo, nomine mna ad quartum genus bonorum arctandũ est. Cũ igitur pateat Dominum seruos suos vocasse eisque bona sua contulisse, facilè intelliges omnes seruos vocatos, omnibúsque talentum aliquod concessum fuisse. Nullus est sanè Christianorũ cui mna aliqua data non sit: sicut nullus est qui seruus non sit. Vide ergo quod id quod accepisti, domini bonum est: & talentũ est. Si autem domini bonum est, nõ potuit non esse preciosum. Huius sæculi principes, vilia inter bona sua nuncupare ægrè ferũt. Si verò aliquid ipsis delectabile habent, id quidẽ pluris faciunt: & de eo ipso quod suum est magnũ ac preciosum existimant. Itaque diuisis mnis inter seruos.

Ait illis, Negotiamini dum venio.

Negotiatio nostra spiritualis & vtilis. Negotiatio hæc spiritualis est, & bona quidem. Quanto enim his Dei bonis laboramus, cui etiam seruimus: proficimus proximis, illis seruientes eis beneficiis quæ nobis à Deo data sunt. Negociari, operari est: finis enim moralis philosophiæ & ad quod ipsa tendit, potiùs est facere, quã scire. Quid tibi prodest rogo diffinitionem virtutis percipere, nisi ipsam prorsum virtutem sequaris? Non in ser-
1.Cor.4 mone regnum Dei est, ait Apostolus, sed in virtute.
Ethic.2 Et Aristoteles. De virtute (inquit) scire, sat non est: sed enitendum est ipsam habere. Ideo. Dominus non dicit hic discite dum venio, sed negotiamini dum venio. Bona quidem scientia, sed debet esse cũ virtute copulata. Malum enim limeum per se nec comeditur, nec vtile est: sed cum perdice aut alio huiusmodi cibo. Similiter scientia per se sola absq; virtute inquã sciẽtia inutilis est: sed virtuti admixta magnã habet vtilitatem, & virtutem ipsam reddit suauiorẽ, ac illustriorẽ. Negotia sanè ad quæ Deus nos inuitat, dum ait negotiamini dum venio, opera sunt honesta: & actiones virtutum. Tempus autẽ quo viuimus, tempus inquam vitę præsentis: vsque ad secundũ Christi aduentum, tẽpus negociationis est, & tempus merendi. Hinc habes quòd secundus Christi aduentus finem imponit statui meritorio: ideò dixit negotiamini dũ venio, nã postea nullum erit tempus negociandi aut merendi. *Tempus nostræ mercaturæ.*
Post mortem enim non erit locus merendi, nec demerendi. Ioseph in Aegypto, diuitiarũ & abundantiæ tẽpore, in recondito ad famis tempus, panẽ tũ aggregauit, tũ verò seruauit: quod quidẽ Aegyptij facere nescierunt, cuius rei gratia ob nimiam ac vrgentem famẽ bona sua vendiderunt, & seipsos etiam regis imperio in seruos tradiderunt. Si autem Aegyptij illi prudẽter se gessissent, considerare debuerant non sine causa œconomos illos Pharaonis tantam tritici copiam tanta cura ac studio congregasse, idque in locis ad obseruandum consuetis reposuisse: quorũ exemplo moniti hoc ipsum facere debuissent. Tamen tunc temporis Aegyptij penuriæ venturæ ignari vacui remansere, postea verò necessitate famis perire cogebantur. Quapropter age ergo modo & considera totum huius vitæ spatium tempus esse opportunum satis ad augendum opes & diuitias congregandas, in quo etiã quilibet fidelis ditari ac locupletari poterit, & in vitã perennem thesaurisare atque mereri. Quòd si modo prætermiseris & tempus in aduersum consumpseris, famis tempus adueniet quo quidẽ nihil nec aggregare, nec mereri valebis. Quocirca diligenter modo labora, ne fortè cum velis, iã non liceat. Vnde Paulus suis Corinthiis ait, Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies salutis: in omnibus exhibeamus non sicut Dei ministros, in multa patiẽtia, in ieiuniis, in tribulationibus, in vigiliis, &c. Fidelium quippe hominũ vita nihil aliud, nisi perpetuus labor & continuum negotium ad consequendã vitam æternam existimanda est. Soliciti verò emptores & mercatores non in vno atque eodem viuunt loco: sed vbique terrarum soliciti, atque solertes de suis agunt mercibus atque negociis. Ita tu non sine magno labore putes salutẽ te consecuturum. Ne ociosus sis, cùm te saluum esse oporteat: idipsum sanè lachrymis, orationibus, gemitibus, vigiliis & aliis muneribus & gratiis quæ accepisti à Deo contendere debes: quæ si in seruiendo Deo secundum ingenium & gratiam tuam, & in vtilitate proximi exercueris, optatissimum quidem exitum impetrabis. Tempus autem hoc negotiationis huius vitæ in quo laborandum est, breue esse concernitur. Volat enim ætas, tempus verò venturæ gloriæ accedet, quando perpetuò requiesces. Huius vitæ autem tempus totum in labore ac negotiatione dicta positum est: cùm in venturum tempus, nec merendi, nec demerendi vti diximus, oportunitas concedatur. Sic Paulus Corinthios monet dicens. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum. Expende quòd non dicit extra corpus, sed in corpore: quia quilibet factorũ suorũ rationẽ redditurus est prout gessit in corpore. Beatis quidẽ in cœlo propter amorẽ quem erga Deum habent, gloria non augetur: nec condẽnatis similiter propter offensas Deo illatas pœna augetur. Nullus quippe istorum, nec in merendi, nec in demerendi statu est. Duo equidem si benè considerauerís, Christus hîc nos docet. Alterũ quòd negociemur: alterum verò dũ ipse venerit. Ponit enim mẽsurã & metã tẽpori negotiationis quã in hac vita agere debemus: quod quidem arctat ad tempus huius

Genes.41 *2.Cor.6* *1.Cor.5* *Terminus negotiationis & meta.*

huius vitæ. Ideóq; in vita præsenti negotiare, cùm in futura nec mereri quidem posśis. Sed cur Dominus post huius vitæ cursum præmio nõ donat: nisi ea opera quæ à nobis viuentibus facta probantur? Quia diuinæ prouidentiæ placuit huius vitæ opera esse donanda nõ tamen quæ in futuro sæculo fiant. Non quia opera eius sæculi præferri debeant illis quæ in futura gloria fiunt: sed quia vt diximus diuinæ placuit prouidẽtiæ, quòd appositiśsimo exemplo ostendam. Nonnulla reperies oppida, loca, & castella, eaque vilia & infima, in quibus ex beneplacito regio mercatus & nundinæ à certo in certum tempus celebrantur. Concesso tamen priuilegio & libertate de solutione vectigalis quòd ratione emptionis & venditionis debetur (sunt certæ aliquæ huiusmodi nundinæ in nostra Hispania) multi tam emptores quàm venditores vndique ad cõmercium (vt tanto gaudeãt priuilegio) libentiśsimè côueniunt & affluunt: quibus durãtibus quicquid de mercaturis & supellectilibus volueris facile inuenies. Finitisq; nũdinis, & finito priuilegio, nihil prorsus simili precio in oppido parui momẽti inuenies. Quæ rogo causa est? Nũquid pecunia minoris est valoris, quàm antea? Nõ sanè, sed eiusdem. Ergo nõ ex eo sed ex defectu mercium, atq; mercatus id prouenit: quia mercato confecto sterilitas & inopia oppidi subsecuta est. Sic sanè anima nostra,
Psal.143 sicut sterilis est vicus, iuxta illud prophetæ. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Sed ea est Dei bonitas & misericordia quod nobis à primo vsu rationis ad mortis vsq; tempus & vltimum instans vitæ nostræ priuilegium emẽdi & vendendi & negotiandi, ad futurã gloriam cõparandam cõceśsit. In hoc autem ratio aliqua reddenda nõ est, nisi quod diuinæ voluntati bona huius vitæ opera acceptare & in futura gloria huiusmodi bona opera remunerari placuerit. Facta verò illorum qui diuino regno intersunt, minimè dono affici Deo placuit: quemadmodum diximus regi tẽporali visum est hoc mercati priuilegium huic loco & vico tanto tempore esse concedendum. Quamobrem post hunc vitæ cursum nihil mereberis: nõ propter defectum bonorum operum: sed quia mercati tempus præteriit. Antea verò quàm prætereat & finiatur dum lucem habes diligẽs esto mercator: & quoniam regnũ cœlorum vendibile est, mercatorũ & agentium more agẽdum est. Mutuabis hîc si lucrum in futurũ exoptas facultates & opes tuas, pro paupertate: risum pro lachrymis: gloriã & requiem, pro persecutionibus: voluptates, pro laboribus: & saturitatẽ, pro fame & ieiunio. Finito enim huius vitæ spatio etiamsi instar maris lachrymeris, nihil gloriæ plus ideo impetrabis: & quanuis dolores inferni maiores sine modo huius vitæ doloribus sunt, tamen illic nec demerito nec merito locus relinquitur. Quo fit vt si in hac vita, centesima parte minus laborũ sustinueris propter Christum quàm damnatus, credere placet te vitam celestem hoc dolore esse consecuturum. O fœlix vitæ tẽpus, in quo sine magno labore possumus vitam æternã obtinere. In hac autem vita paucis laboribus pro Christo susceptis, multũ sanè mereri poteris. At plus eligis in infernũ descendere, quàm propter Christũ moderatos aliquos hic ferre labores: nam ipsis confectis de facili ad optatã metam peruenies. Hic enim paucis eleemosynis erogatis, & exigua tolerata fame, paucisque vigiliis & ærũnis, negotiari, & cœleste regnum mereri potest. Quapropter animaduertas velim, Christũ dicere, negotiamini dum venio, quia postea negotiandi tẽmpus nõ est. Si tanta quæso tritici copia in foro daretur, vt argẽteo vno viginti tritici modios emere potuisset, & post octo dies tanta esset penuria, vt si centum pro singulis granis dares, inuẽtu essent difficillima: stultum quippe esset emptionem illam viliorem tempore congruo non præuenisse. Idem serua ô tu quicunque fidelis in vitæ æternæ acquisitione & negotiatione: ne tibi tempus ad hoc deficiat, & in tantas venias angustias, vbi nec precibus posteà vllus locus detur: cum modo in hac vita quæ meritis abundat, vili pretio, hoc est, exiguis lachrymis & paucis laboribus posśis æternam vitam emere & mereri. Vnde sanctus propheta Esaias clamat dicẽs, Venite & emite absque auro & argento: & absque vlla cõmutatione. Esaie 55
Ideò propera, & te laboribus accõmoda, vt futurã vitam negotieris & consequaris: cum aduentũ Domini ignores, nec scias quãdo mors sit vẽtura. Exẽplum enim præbent volatilia, aquilæ, accipitres & similia: quæ accelerato cursu & volatu ad prædã se præparant ac discurrunt, id quidem antequam dies euanescat. Considera tandem huius mortalis vitæ tempus esse breue: ideo gemitibus, lachrymis, & orationibus tibi regnum cœleste captes necesse est. Væ illis qui nõ considerant & tempus pœnitentiæ, & dies salutis præterire. Properãter certè ad sepulchrum tendis: ridiculum ideo est tuæ saluti nõ prouidere. Ociosus es, & salutis propriæ contemptor videris: age iam laborẽ ne differas, statim imo sine negligẽtia vigila, negotiare tibi regnũ promissum: nam si in laborando & vitam æternam acquirendo negligens fueris, eueniet tibi forsan quod Leuitæ cuidam cõtigit qui vesperi è Bethlehem profectus, precibus soceri detentus, ad propriam domũ non peruenit, sed iuxta Gabaa in tribu Beniamin in hospitiũ fuit exceptus, & ibi graui iniuria laceśsitus. Ideo statim proficisci tibi necesse est: ne precibus mundi & dæmonis, aut carnis detentus, ad domum cœlestem peruenire nequeas. Quapropter pœnitentiam opportuno tempore agito, & viam cœlestis patriæ tibi munire intende: ne tenebrosa te nocte, mortis inquam occupante, in hospitium tartareum excipiaris potius quàm ad domum optatam (quæ cœlum est) accedas. Negotiamini itaq; dum venio, dicit Christus. Sed quia in superioribus capite 12. super illud, estote parati quia nescitis, &c. plura de his diximus, nunc supersedendum est, vt historiam prosequamur. Ait ergo Euangelista. *Ciues autem eius oderant eum.* In his sane verbis malitia Iudæorum insinuatur, odio enim prosequebantur Christum Dominum, sicut ipsemet fatetur dicens. Odio habuerunt me gratis. Tanto Ioan.15
odio detinebantur aduersus Christum, vt cruci affixerunt eum: & præterea etiam post mortem Pilato dixerunt, Domine, recordati sumus quòd seductor ille dixit adhuc viuens. Ecce post mortem Matth.27
seductorẽ vocant: qui nec mortuo Domino odium & iram nondum deposuerãt qua illum iniquè prosequebantur. Nondum enim ira & insanus furor eorum placatus erat. Quis rogo tam immanis & acer est, quis tandẽ tantum inimicum odit, quòd si viderit illum mortuum, & in patibulo affixũ non compatiatur & flectatur: ita vt ira & odium in ipso prorsus extinguatur? Sed isti nõ ita, imo post mortẽ ignominiosam Christo Domino illatã nõ quio-

scunt, sed vocant eum seductorem, in quo apertè ostendunt vindicatos adhuc nõ fuisse. ¶ Perpende etiam quòd homines mali & damnati, atque etiam dæmones ipsi nõ possunt Deum tanto odio prosequi quin potius cum naturali quodã amore etiam plusquã seipsos diligere. Odio tamen habẽt ipsum, vt hic dicitur in quantũ punit peccata: pharisæi verò filium Dei oderant, quia eorũ peccata arguebat. Odium quippe quidã motus est appetitiuæ potentiæ, qui nõ mouetur nisi ab aliquo obiecto apprehenso: Deus autem dupliciter cognosci, & apprehendi potest. Vno quidem modo secũdum seipsum cùm per essentiam videtur & cognoscitur, secũdum quam cùm sit ipsa bonitas etiam in abstracto à nullo potest odio haberi: quia de ratione boni est quod naturaliter diligatur. Alio modo cognoscitur Deus per suos effectus cum punit vel cùm benefacit: & sic vt benefactor nõ potest naturaliter odio haberi. In quantum verò Dei effectus repugnãt inordinatæ voluntati humanæ per peccatum deprauatæ sicut inflictio pœnæ & castigatio peccatorũ & huiusmodi, potest Deus ab improbis odio haberi. Fur enim & latro nõ odit iudicem in quantum est homo, quia hoc est contra naturam: sed odit eum in quantũ est iudex, & pœnæ inflictor. Sic isti mundi Saluatorẽ oderant, quia eorũ peccata puniebat: & pœnam pro illis comminabatur æternam.

¶ Porrò Iudæi vocantur hîc ciues, quia Christus
Rom.1 ex eis natus est, & factus est (vt Paulus ait) ex semine Dauid secundum carnẽ, & sub eadem lege Mosi viuebat, & in vno eodẽmq; templo cõmunicabat, & in eadẽ patria habitabat: & propter has ciuium conditiones erant Iudæi ciues eius. De istis etiam ciuibus qui tantopere illum odiebant dicit Euangelista. *Et miserunt legationem post illum, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos.* Miserunt legationem: quia post Christi ascensionem fidem Christi, Euangelicamq; doctrinã conati sunt destruere, & de orbe delere. Vnus eorũ legatus fuit aliquando Diuus Paulus, cùm acceptis epistolis in Damascum proficiscebatur Christianos persecuturus. Sic etiam in Actis legimus quòd adductis apostolis in concilio denunciatum est eis, ne omnino in nomine Iesu loquerentur. Nolumus inquiunt regnare hunc super nos. Sic Pilato dixerunt. Non habemus Regem nisi Cæsarem. Et cùm causam mortis eius posuisset scriptam in cruce, dixerunt: Noli dicere Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. O infelicissimi & cæci Iudæi. Maluerunt enim tyrannidem Cæsaris & Herodis tolerare: quàm Regem Christum, benignum & misericordem suscipere. Similiter & olim patres eorum maluerunt tyrãnidem Pharaonis sufferre & superbissimo regi inseruire, quàm parum quid propter Deum in deserto pati, & gaudere de optima terra promissionis & dominos esse. Vnde Mosi & Aaron dixerũt: Vtinam mortui essemus per manũ Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate. Et timẽtes Ægyptios dixerũt, Melius erat nobis seruire Ægyptiis. Multi etiam non dissimiles sunt istis, qui præferunt officia dæmonis, & eius vitia, officiis debitis Christo domino omnium rerum opifici: & sic si nõ voce, tacitè verò in cordibus suis dicunt. Nolumus hunc regnare super nos, sed auaritiam, luxuriam, iram, superbiam, & alia id genus. Maluerunt enim peruersi illi Iudæi dæmonis tyrannidem ferre, &

Iudæi conciues Christi. Card. citatus in cate. in hoc loco. Euseb. ibidem.

Act.9. *Act.4* *Ioan.19* *Exod.16* *Exod.14*

grauissimũ Satanæ & mundi iugum tolerare: quàm parum laboris pro Christo sufferre. Stultũ quidem est viribus totis virtutẽ non aggredi, & postea dulcissima Christi conuersatione & regno frui. Renuẽtes autem virtutẽ & bonitatem, laqueis peccatorum subiecti sunt: qui si seipsos deuincerent, familiaritate & dulci Christi cõuersatione gauderẽt. Nolunt ergo vt Christus fons vitæ regnet super illos: quinimo turpitudo, libido, immũdicia, & peccata, &c. Nolumus (inquiunt) hunc regnare super nos. Ex eo quòd dicũt nolumus, perpende quòd si Christus recedit ab anima, illud sanè est quia tu recedis ab eo. Malitia enim voluntatis expellitur dominus. Quod si eum vocaueris & bono corde & simplici quæsieris eum, præsto erit: si verò à te discedat, non id ex animo facit, sed quia tuipse illum discedere cogis. Si volueris quòd Christus regnet super te, ipse regnabit: si autẽ nolueris recedet: homo certè suæ voluntatis dominus est. Si malus es, tua ipsius culpa es: túque ipse malignitatis autor es, & si Christus tui gubernator non est, id in causa est quia te reluctantẽ nouit. Iure ergo dicitur: Ante hominem mors & vita, bonum & malum: quodcunq; voluerit dabitur illi. Tuæ damnationis causa es, quia tu saluus esse non vis: si autem dominus tuæ animæ non præest, id fit propter contrariam quam opponis voluntatem. Ex quibus deducitur manifestè causam peccati voluntatem quidem esse: sine cuius vel tacito vel expresso consensu perpetrari maculam peccati, impossibile est. Hoc insinuatur cùm isti dicunt nolumus. Sequitur in contextu. *Et factum est vt rediret accepto regno.* Rediret inquit: ad generale iudiciũ, intellige, ad quod in fine sæculi veniet Christus accepto regno: quia ante finem sæculi totus mundus cõuertetur, iuxta illud Danielis. Dedit ei, scilicet pater Christo potestatem, regnum, & honorem: & omnes populi, tribus, & regna seruient ei. Sic angeli apostolis in die resurrectionis dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quẽadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum. Dicit accepto regno: quia iam erat suum, sed non acceperat eius possessionem: quoniam regni possessionẽ morte meruit, iuxta illud, Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam. Dicitur etiam quòd rediit vt seruos videret & examinaret: vt doceat operarios esse videndos, nam vt in plurimum mercenarij ad oculum experientia testante seruiunt. Sed mirum valde est quòd omnes seruiamus ad oculum hominis, & paucissimi ad oculum Dei. Hoc etiam inter Ecclesiasticos videbis: vt si prælatus diuinis officiis intersit, cæteri omnes adsunt & comparent: sin minus, chorus vacuus & Ecclesia deserta existit. Nonne Deus ibi est? Num oculi hominum perspicaciores sunt oculis Dei? Cum verò nullum ferè virtutis opus exerceant, nisi à prælatis videri se priùs cognoscant: ideò sæpius prælatos ad eos accedere, eósque visitare necesse est, vt propriis oculis subditorũ ministeria videãt, vt dicitur in præsenti hominẽ hunc accepto regno rediisse, vt rationẽ à seruis suis sumeret, eorũ quippe quæ eo absente fecerãt. Verum licet Deus nos sæpè visitet & præsto sit, vt opera nostra intueatur: tamen hæc reuersio de die iudicij, vel de morte vniuscuiusq; intelligenda est.

¶ Expende quod non exprimit quanto tempore nobilis ille aduentũ suum distulerit: quia filius hominis

Eccle.15 *Reditus Christi est aduentus ad iudicium.* *Dan.7* *Act.1* *Luc.24* *Reditus Christi incertus.*

minis hora qua nescimus & qua nõ putamus aduenier:& ideo B.Paulus ad Thessalonicẽses scribit dicens. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte veniet:Hoc est inopinato: quod clarius in superioribus Dominus dixit. Et vos (inquit) estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Præterea hoc in loco obseruãdum vlterius censeo, videlicet verbum illud rediit. Rediit dicit, quia in morte siue in iudicio, non potest homo ire ad Deum, sed Deus venit ad illum:nam mors non est in potestate hominis, sed Dei: ipse enim posuit animã in corpore nostro, aufert etiam quando vult,& ideo in iudicio potius dicitur Deũ venire ad hominem, quàm hominẽ ad Deum. Sic de Ioãne dicit Christus. Sic eum volo manere donec veniam. Id est, donec veniam ad eum, per mortem ipsius. Neq; enim est in potestate nostra Deo adhærere:sed ipse potest nos sibi propinquos facere,& hoc est ad nos venire. Recte ergo Dominus seruorum rediit,& venit ad seruos. Sequitur.

1.Thess.5 Luc.12 Ioan.21

Et iussit vocare seruos, quibus dedit pecuniam. Omnes enim adducentur ad ipsum, in iudicio. Omnes (inquit Paulus) oportet nos stare ante tribunal Christi. Constat ergo neminem à Deo condemnari nisi prius illum vocet, cuius seruus sibi redditurus est rationem, vt vnusquisq; pro se respondeat. Non sic nostri tẽporis iudices nec prælati, qui innocẽtem inauditum damnãt: & facile detractoribus & murmuratoribus credunt, quorũ officium est maledicere absentibus:hoc quidem Romani gentiles suis temporibus minimè fecerũt, quod Christiani nunc faciũt. Festus quidẽ ausus est dicere Agrippæ Regi. Non est Romanis consuetudo damnare aliquẽ hominem priusquã is qui accusatur præsentes habeat accusatores locũmq; defendẽdi accipiat ad abluenda crimina quæ obiiciuntur. Ad iudicium itaq; vocat seruos suos dominus. Ad quid? Attẽde causam. *Vt sciret quantum quisque negotiatus esset.* Hoc est, vt alios sciret faceret præiudicialem suam sententiam. Sic scriptũ habetur in Exodo. Dixit Dominus ad filios Israël, Iam nunc depone ornatũm tuum, vt sciam quid faciam tibi. Præterea hæc ratio in morte à quolibet exigetur, ideo ibi sententiã aut damnationis, aut salutis æternæ accipiet:in die autẽ iudicij ab omnibus generaliter exigetur. Dicitur autẽ vocare seruos & reddere rationem, vt sciret quantum quisq; negotiatus esset, ad normam hominum, quia sæpè homines qui aliquid seruis suis ad ministrandum cõmittunt, ignorant euentũ rei illis cõmissæ: ideò rationem petunt per quam constet an res sua profecerit vel detrimentũ passa fuerit. Deus autem omnia nostra nouit:ideóq; nulla indigent inquisitione nec oportet exigere rationẽ ab aliquo:& non solum nouit qui damnandus, & quis gloria dignus sit, sed etiam quanta gloria, vel quãta damnatione, & iuxta hoc quòd de singulis nouit iudicat eos, & hæc est ratio quã ponit cum eis. Vnde nullam rationem serui hîc reddunt, sed recipiunt conclusionem rationibus suis, conuenientẽ damnationẽ, vel gloriam. Ista autẽ ratio redditur de libris cõmissis: & quia nullus est à quo in iudicio non exigatur ratio, nullus est qui mnam aliquã non acceperit: hoc autem de illis qui ad discretionis annos peruenerũt intelligitur. Nam his saltẽ donum rationis cõmissum est,& tenetur omnes actus suos secundum rationem dirigere. Quod si ab ea quis deuiauerit, mnam suam amittit:licet hîc magis signatur efflagitatio rationis quantum ad ea quæ sunt in mala cõmissione. De illis autẽ qui nõ peruenerũt ad rationis vsum, alius modus rationis est:nam illi nihil potuerunt omittere, cùm agere minimè valuerint: etiam nec committere aliquid mali potuerunt: sed damnãtur aut saluãtur ex alia radice, nempe ex peccato contracto, vel ex gratia collata in sacramento baptismi. Sed ad contextũ. *Venit autem primus dicẽs, Domine mna tua decem mnas acquisiuit.* Per hunc seruum intelligitur bonus seruus qui multa à Deo recepit, vt sunt doctores, prælati, & prædicatores, qui maiora à Deo receperunt munera: ideóque maiores tenentur reddere rationes, quàm populares & simplices: qui non tanta à Deo susceperunt dona. Itaq; primus dixit, Domine mna tua, idest, gratia mihi à te præstita, decem mnas acquisiuit: hoc est, copiosum fructum produxit, sicut Apostolus protestatur. Gratia Dei in me vacua nõ fuit. Obserua autem quòd non dixit, Domine ego cum mna tua decem mnas acquisiui: sed mna tua decẽ mnas acquisiuit:nimirũ omne lucrum in dominũ referens, à quo gratiam benefaciendi acceperat. Gratiæ enim Dei vir sanctus totum attribuit lucrũ, iuxta Apostolum alibi fatentem. Deus autem incrementum dedit. Hominis siquidem est rigare & plantare, & vniuersaliter operas proprias adhibere: ex diuina autem gratia fructus procreari & incrementũ subsequi est. Docemur profecto in hoc à nostris operibus ostentationem vanam separare, & in solum Deum fontẽ perennem à quo dimanant reducere. Expẽde etiam quòd hoc quod seruus iste dixit, dicitur ad modũ parabolæ:nam in rationibus humanis bene poterat scire seruus quidquid acceperat, quid deindéq; lucratus esset:ideo poterat sic determinatè loqui. Circa spiritualia verò nemo scit quãtum acceperit:quia Deus solus qui bona tribuit est mensurator illorũ. Etiam lucrom suum nemo nouit, quia nescimus quantum profecerimus apud proximum ex talentis nobis creditis, & nihilominus quanta fuerit erga Deum operatio nostra. Ideo nemo potest determinatè dicere Deo, tantum accepi à te, & tãtum reddo tibi. Item quia in iudicio nouissimo nõ est cur dicat homo: Domine hoc est quod accepi, hoc verò egi, cùm Deus multò euidentius id nouerit:sed dicitur hic ad modũ humanarum rationum, in quibus qui accipit & expendit tam refert quantitatem acceptorum quàm expensarum & lucratorum. Sed videamus quid huic bono & fideli seruo Dominus responderit. *Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates.* Euge illud in hoc loco interiectio est, designans affectum commendantis, non insultantis: sicut etiam est in Psalmo. Ferant confestim confusionem, qui dicunt mihi, euge euge. Bonus autem seruus vocatur quia mnas sibi commissas multiplicauerit & communicauerit. Bonum enim suapte natura diffusiuum est & communicabile. Præterea in modico ait fuisse fidelem:quia omnia præsentis vitæ bona pauca & perexigua sunt cõparatione futurorum. Demum in eo quod ait eris supra decem ciuitates, insinuat quòd in gloria & fœlicissima illa beatitudine erit in beatis ordo dignitatis: quilibet enim iuxta meritum accipiet præmium. Qua ratione hîc qui decem talenta lucratus est super decem ciuitates constituitur, ille verò qui quinque mnas acquisiuit, super quinque ciuitates, vt statim videbimus. Itaque per has

1.Cor.5 Act.25 Exod.33 Beda c.78. in ca.19.Luc. 1.Cor.15 1.Corin.3 Premium beatorum. Psal.39

na decem ciuitates spirituale præmium ignotum nobis similitudine sensibilium significatur. Cùm enim cœlestia præmia atq; præcelsæ dignitates nostris sensibus remotissima sint, per sensibilia & nobis nota designãtur. Perpende autẽ hic quod laudatur seruus iste, & honoratur positus super decẽ ciuitates: quia in gloria & beatitudine nõ solùm boni glorificabũtur, sed etiã laudabũtur à Deo, eósq; Dominus bonos & fideles vocat. Duplici deinde gloria præmiabũtur, scilicet, laude & honore. Sic
1. Cor. 10 dicit Paulus. Itaq; nolite ante tẽpus iudicare quoadusq; veniat Dominus qui reuelabit abscondita tenebrarũ & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Sed quid de alio seruo? *Et alter venit dicẽs: Domine mna tua fecit quinq; mnas. Et isti ait. Et tu esto super quinque ciuitates.* Per hunc etiam seruũ viri boni & fideles homines intelliguntur: qui susceptis à Deo beneficiis, huiusmodi munera Deo in seruiẽdo accõmodant. Tot talenta posteriores isti nõ acceperunt, & ita tantũ muneris vt priores nõ meruerunt. Tamẽ hi quòd in se fuerat & potẽtiæ & virtutis effecerũt, & ita Deo placuerunt, & talenta illis credita auxerũt: ita etiam secũdum vniuscuiusq; merita quilibet corona donatur. Præmia enim hîc respondent meritis: qui verò plus laboris adhibuit, super decem ciuitates collocatur: quia decẽ mnas Domino acquisiuit, hi verò posteriores serui ideò super quinq; præficiũtur ciuitates, quia quinque mnas Domino lucrifecerunt.

¶ Expende etiã quòd omnes isti boni serui constituuntur super ciuitates, quia in regno illo cœlesti omnes sunt domini, omnes reges, & dominantur. Sicut in inferno è diuerso omnes sunt miseri, serui, & abiecti; ita per oppositũ in cœlo omnes sunt reges, principes & domini. Et merito quidẽ illi qui fuerunt subiecti peccatis, vitiis, & cõcupiscentiis, semper subditi & captiui sunt: illi autẽ qui in hac vita passiones suas, & illicitos motus coërcuerunt, aliasq; propensiones nociuas frænarũt, pari ratione dicẽdum est eos in gloria dominos & principes futuros esse, qui viuẽtes in mortali carne seipsos subditos fecerunt. Præterea ex loco colligitur, ex fidelium numero plures saluari quàm damnari: nam vnus hic est qui malam reddit rationẽ ex mna sibi cõmissa, duo verò bonã reddiderũt & salutẽ ex eo
Luc. 15 obtinuerũt. Vna etiam ouis ex centũ inuenitur per-
Matth. 25 dita: ita ex decẽ talentis, vt vnum etiam perditum
Matth. 22 fuit: vnus tandẽ qui suæ mnæ malam rationẽ reddidit. Sed ad malum: iam seruum deueniamus. *Et tertius venit dicens, Domine ecce mna tua quam repositam in sudario habui, timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti.*
Pigrorum typus. Tertius hic relatus imbecilles atque pusillanimes seruos repræsentat, qui sese valdè imperitè de rebus sibi cõmisis gerunt. Eligũt potiùs tales abstinere ab omni opere, quàm aliquid efficere: quod plerunq; circa donũ ingenij & alia dona accidit. Qui dum possint proximis cũ donis suis prodesse, id efficere reluctantur, timentes euentum fœlicem non obtenturi. Et hoc malum est: nec accidit sicut in mna, aut talento pecuniæ, quia in illa si quis abstinuerit à negotiatione, seruat illam integram. In donis verò spiritualibus secus est: quia cùm sint ad opus in seipsis deficiunt, si nihil per ea fecerimus: sicut apparet in habitibus, quos per operationem acquirimus, quia si omnino ab operatione cessemus, per consuetudinem habitus delentur. Itaque quantum ad parabolam sensus clarus est: sed quomodo verificatur in proposito, non satis apparet. Nam hæc duo cõiungere difficile est, scilicet, vt donum Dei abscondatur, & quod reddendum Deo integrum seruetur. Sed vtrunque stat simul, nam velut integrũ donum Dei se seruare, arbitratur qui illud à cõtrariis actionibus custodit, præcepta negatiua seruãdo, nulli etiam iniuriam inferẽdo, & à reliquis actionibus abstinẽdo, quæ præcepta negatiua dicũtur. Quãuis secundum rei veritatem Dei donum integrũ non seruetur, nisi etiam affirmatiua præcepta de vsu donorum Dei seruentur: quia dono Dei non solùm contrariatur actio contraria, sed etiam negatio vsus quando vbi & sicut oportet non fit. Non autem sic est in argento mna, quæ non minui per non vsum, sed integra manere clarũ est. Ad similitudinẽ ergo mna pusillanimis seruus existimat donũ Dei esse seruãdum, si à malis actionibus abstinet, quãuis donis Dei nõ vtatur faciendo bonũ iuxta suum ingenium à Deo datum. Ideo ait. Ecce mna tua, &c. Quando autem dicit metis vbi non seminasti, nõ est quærẽdum quomodo hoc de Deo verificetur, cum falsæ tales æstimationes sint. Obseruãdum tamen est quòd pusillanimis, de Deo huiusmodi cogitationes occurrunt, scilicet quòd de affirmatiuis præceptis exactæ rigorem iustitiæ requirat: hoc est de cura animarum, de prædicatione, de audientia confessionum, & huiusmodi quæ ad bona spiritualia sunt pertinentia: & quòd omne periculũ perditionis in huiusmodi præceptis occurrit, quòd tutum sit has negationes nõ subire. Repræsentat iste illos qui cum defectus suos cognoscere deberẽt & ex eis veniam petere in Deum culpas suas retorquent: quasi Deus præcepta dura dederit & seruatu difficillima, & proinde putant (sed falsò quidem) Deum exigere ab homine quod præstare nequit: sicut circa aliqua mandata aliqui calumniantur. Sed mentiuntur quidem, quia Deus minimè præcepit quòd homo præstare non valet, præsertim diuina gratia auxilióq; particulari adiutus, quod certè dominus libentissimè petenti confert. Secundò autem ponitur hic dictum serui huius ad ostendendum maiora atque grauiora peccata esse eorum qui Deum calumniãtur. Non enim hi suis peccatis contenti sunt, sed peccatorum suorum causas in Deum transferunt: hoc certè manifesta blasphemia est, & peccatum deinde valdè aggrauatur, cum peccati excusatio per peccatum fiat: quia peccatum excusando, committitur peccatum.

Soluitur difficultas.

Blasphemi in Deum qui existimant Dei præcepta esse importabilia.

¶ Vocat autẽ hîc malus iste seruus dominũ suum austerũ, cum sit dulcis & pius, & ex eo quòd præcepit malis quæ dura & difficilia sibiipsis apparẽt, & quia prohibet quæ eis delectabilia extant & complacent. Præterea dicit, tollis quæ non posuisti, hoc est, plus requiris quàm cõtulisti: & metis quod non seminasti, id est, quod nos facimus tibi adscribis: ideóque nolui negotiari. Istæ sunt applicationes morales. Intentio enim Christi est contra illos qui pigri existentes nihil operantur & ad excusationem suæ inertiæ Deum calumniantur, quia si ille iniustus sit petens ab eis quod non est rationabile, & volens ab illis talia cõpleri ad quæ sufficienda gratiam & virtutes nõ dederit. Mira huius stultitia qui cum supplex esse deberet & pigritiã propriam fateri & ab ea veniam precibus impetrare: nõ sic, sed peruersè fecit calumniam patrifamilias imponens, & putat prudenti consilio fecisse. Sed quid ad hæc dominus?

dominus? Audi. *Dicit ei dominus. De ore tuo te iudico serue nequã.* Hoc est, tuo te gladio iugulas. Retorsit enim argumẽtum paterfamilias in malum seruum excusatiõnẽ ab eo pro iusta allatã in culpã vertit, iniustámq; ostendit, Se nequã hic seruus certo persuasum haberet dominũ sic austerum esse nó talentum abscõdisset nec ociosè gessisset: sed omnem impendisset operã, vt vel tantillum lucraretur: cur timor illum à negotiãdo cohibuit? Torpor & ignauia. Sic nos nonnunquã prætexere nescio quas causas solemus, cũ mens etiã nostra certò sciat rem aliter se habere: fieri autẽ aliquando potest, vt sic homines decipiãtur, Deus verò nequaquã. Talis quorundam Christianorũ prætextus esse solet. Sed dicet aliquis. Ego quidem tardo ac agresti sum ingenio, nesciòq; diiudicare cuinam parti adhærere debeam. Talibus Christi verbis facilè ego respõdebo, De ore tuo te iudicio serue nequã. Si rudior es, vt certo iudicare possis, fiet vt neglectis alteris ad alteros inclines. Quo fiet vt veteribus cõtemptis sectaris noua. Hanc appello conscientiam quæ spiritum domini non latet, non malitia potiùs causa est quàm inscitia: nó sectaris quæ tibi vera videtur, sed quæ ingenio tuo grata esse noscũtur. Vide ergo imo caue, ne dum peccatũ tuum excusare procuras, potius peccatũ accumules: causa enim nõ bona, patrocinio redditur peior. Huic concordat illud Prouer-
Prouer.6 biorum. Illaqueatus es verbis oris tui. Et illud, Ex
Matth.10 verbis tuis iudicaberis, & ex verbis tuis cõdemna-
Iob.15 beris. Vnde apud Iob legitur. Os tuum cõdemnabit te, & nõ ego: & labia tua respõdebunt tibi. Præterea sic etiam & nunc multi illaqueantur propriis verbis. Nõne in baptismo promisisti Domino præcepta custodire, & satanæ renũtiare? Sed quomodo seruas rogo? Proprio sane te gladio iugulas: & Dominus ex dictis tuis te iure cõdemnat. In oratione etiam Dominica quotidie dicis: dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris. Nõ tamen vis proximo in te peccãti ignoscere: sed potius odio atque iniuria, & vindicta illum prosequeris. Ore ergo tuo te cõdemnas: illaqueatus enim es verbis oris tui. Ita etiã proprio ore sacerdotes & religiosi dãnantur qui promissa vota in professione nõ obseruant: in qua quidẽ obedientiam, paupertatem, & castitatem promiserunt, nõ tamen promissa custodiunt. Tuo ore te cõdemnas, tu ipse in teipsum sententiam promulgas: & ita Dominus tempore mortis tuæ in te insurget dicens, Serue ne-
2.Reg.1 quam, ore tuo te iudico. Et ita propheta Regius Amalechitam illum damnauit, qui Saulem Regem interfectum à se laudauit: cui ad mortem damnatus
3.Reg.2 dixit Dauid. Os tuum aduersum te locutum est dicens, ego interfeci Christum Domini. Sic Salomon præcepit, vt Semei occideretur, qui cùm dixisset, bonus est sermo Regis, quo præceperat ne exiret de Hierusalem, cõtra ea quæ ipse dixerat & approbauerat fecit. Sed de his aliàs. Addit Dominus vltra. *Sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui: & metens quod non seminaui.* Hoc est, si durum & austerum me putabas: quare hæc cogitatio non te excitauit, ad hoc vt cautius, fructuosius, ac diligentius viueres: & traditam pecuniam augeres? Expende autem quòd repetit Dominus verba serui pigri, vt ex eis eum condemnet: & est fortis argumentatio, scilicet vt ex illo ex quo seruus se excusabat directè damnetur. Et rectè concluditur aduersus eum, quia si Dominus metebat, vbi non seminabat: ex hoc sequabatur illum expectare lucrũ suarum pecuniarum, hoc enim est metere absque seminatione: vt si quis dederit decem, & nullo labore adhibito expectet viginti. Sic etiam erat de domino isto, teste eius seruo: quanto enim magis sciebat seruus dominum cupidum lucrorum, tanto magis ad lucra domino acquirenda omni cura & diligentia tenebatur. Sequitur. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris exegissem eam?* Hoc est, cur donum gratiæ tibi concessum non expendisti ad aliorũ spiritualem refectionem, instructionem, seu ædificationem: & ego veniens tecum ad iudicium merita & progressus in bono exegissem? Obserua autem quòd diximus dare pecuniam ad mensam & lucrifacere quandocunque per aliquod donum nostrũ proximis proficimus: quia ex eo ab eis quandam quasi vsuram accipimus & augmentum pecuniæ: bonum enim quod nunc proximis impendimus, duplicatum in vita æterna inueniemus, duplicísque vsura nobis reddetur. In illo enim examine, in maiestate terribili inter Angelorum & Archangelorum choros videbitur Dominus: ibíque electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & ostendetur quid vnusquisq; fuerit operatus. Ideo Petrus cum Iudæa conuersa apparebit, & Paulus ferè totum mundum ducens: ibi Andreas Achaiam, Ioannes Asiam, Matthæus Æthiopiam, Thomas Indiam, Matth.25
in conspectu tanti iudicis conuersa præsentabunt? Ibi serui boni & vtiles cum animarum lucris apparebunt: illi (inquam) qui in vinea Domini diligenter laborarũt orationibus & prædicationibus sanctis Dominicum gregem docuerunt: per viásque rectas deduxerunt. Cùm igitur tot pastores cum gregibus suis in cõspectu æterni pastoris steterint: nos miseri & inutiles serui quid dicturi sumus qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus: qui pastorum & doctorum nomen habuimus, & oues nostras traditas nõ vt boni & probi pastores, imo malè & negligenter pauimus? Ideóq; redargutio ista acriter & acerbè satis fiet contra omnes qui operati non sunt iuxta dona eis tradita: nam omne lucrum ex donis Dei promanans veluti quædam vsura est: & ideo omnes habentes dona illa admonentur ne in vanum accipiant, imo verò ad mensam & quæstum conferant, id est, communicent proximis, qui etiam per illa operentur. Et tunc sine periculo domi poterunt lucrum facere: quia nullum lucrum est quod operando amittatur, sed potius non operando. ¶ Rursus obseruandum etiam est quòd si tam strictè dominus iudicat & arguit seruum hunc qui vno talento accepto abusus est, quantò strictius & seuerius arguet & damnabit illos qui plura dona acceperint, nẽpe sciẽtiam, gratiam prædicandi, consulendi, regendi, & gubernandi: qui vt rationales imò veluti animalia quædam in somno, accidia, comessationibus, & ebrietatibus vitam transigunt? Proh dolor, quàm multi nostri temporis prælati qui cum literis & ingenio præditi sint, & ex officio lucescere, & proficere teneantur, non sic faciunt: malunt enim suis deliciis & pro voluntate oblectamentis perfrui, quàm laborantes prædictis muneribus fungi. Habent enim oculos & lumen scientiæ, & subditorum mala non vident: os habent, & non prædicant: manus, & non palpant: pedes, & non ambulant: de quibus ad literam Zacharias propheta in hunc mundum al- Zach.11
loquitur

loquitur, O pastor & idolū, derelinquēs gregē: gladius super brachiū eius: & super oculum dextrum eius. Brachium eius ariditate siccabitur: & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. Quænā ratio seu excusatio afferri poterit ab istis eorū munerū & dignitatū, quæ sibi à domino tradita sunt ad eius munus subeundū: si ita asperè seruus iste pauperculus fuit in examen deductus (vt videmus) & etiā ob malam redditā rationē acriter punitus, qui talentum vnicū suscepit. Et vt animaduersionē in eum consideres quid vltra dixerit dominus audire necesse est. *Et astantibus dixit.* Hoc est, angelis, qui Deo astant ad contēplandum, fruendū, & ministrā-
Dan.7 dum, iuxta illud Danielis. Millia millium ministrabant ei, & decies millia cētena assistebāt ei. *Auferte ab illo mnā, & date illi qui habet decem mnas.* Aufertur sanè ab illo donū gratiæ sibi collatū, Angeli verò hoc auferūt, quia nō impendunt hominibus suam administrationē post hanc vitā: vel ostendendo quod homo iustè priuatur gratia sibi à Deo data. Datur autē habēti decē mnas, quia quāto quis in spiritualibus bonis plus quotidie proficit, tantò ampliùs gratia eius augetur, & cūctæ eius virtutes perficiuntur. Nā gratia, bono ipsius vsu meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici. Aduertendū tamen quod talentum nō datur quo ad vsum, quia iam nō erit tēpus merēdi nec demerēdi, sed quo ad gaudiū: gaudebūt enim iusti in cœlesti patria nō solùm de bonis Dei in seipsis, sed etiā de bonis Dei aliis collatis, iuxta
Apoc.3 illud, Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Præterea hæc mna ab illo ablata datur nō solum habenti decē, sed etiam habēti quinque, & verè sic est quod ita datur vni quod datur omnibus. Cōmunio enim gaudij de vno & eodē, non minuit gaudia singulis demū gratia ab vno auferri, & alteri dari asseritur, nō quòd eadē numero sic tollatur & detur: cū accidens ab vno subiecto in aliud migrare nō queat: sed quia in specie similis sit confertur, & fructū gratiæ quē vnus si bene vixisset consequeretur, consequitur alter. Angeli verò dant talem gratiā alicui disponēdo, & cooperando, seu illuminando vel impetrādo. ¶ Duo tamen hic obseruanda sunt. Primò quid accidia homini auferat: aufert quidē bona gratiæ homini pigro, & bona glo-
Luca 12 riæ. Bona gloriæ, quia illa solum promittūtur viris strenuis & vigilantibus: beati enim sunt serui illi
Mat.b.11 quos cū venerit dominus inuenerit vigilantes: quia regnū cœlorū iuxta saluatoris sententiā vim patitur, & violēti rapiūt illud. Sic iste qui laborare renuit iuxta gratiā sibi à domino datā, à regno cœlorum excluditur. Paulus quidē istorum pigritiā detestatus seruum diligentē sese præstitit, qui dixit de
1.Cor.15 se: Gratia Dei in me vacua non fuit. Imo ipsa mouente diligenter operabatur: atq; ideo addidit statim. Sed gratia eius semper in me manet. Ideo si vis quòd gratia Dei in te maneat, & quòd nō auferatur sicut à seruo pigro, operare, & omnibus modis
Lucra negotiationis non tā Dei quàm nostra sunt. vtere ea. ¶ Secundò expende, si à Deo dura ratio ponitur cum eo qui nō duplicauit quod acceperat vnicum talentū, quantò durior ratio erit cum his qui non decem mnas multiplicauerunt? Et quantò durior cum eo qui aliena aufert, si tam strictè iudicatur qui cum mna vel mina sibi data aliam sibi lucratus nō exhibet. Deniq; vt cōcludam hoc vnum summoperè est aduertēdum. Videmur quidem nos domino negotiari: sed certè nobis cedunt negotiationis lucra: & domino hostias offerre videmur, sed tamen nobis offerētibus tribuuntur. Deus enim nullo indiget: sed nos diuites esse vult, & nostrum desiderat per singula quæque profectum. Obtulit Deo Abraham filium suum gaudens: sed illum accipit incolumen, & multam plebem & reges cum Genes.22
illo. Sic Iob propter Deum perdidit omnia sua, Iob 1
cùm diues esset: sed postmodum dupla ex eo recuperauit: Ita si obtuleris quinq; multiplicata in decem tibi ipsi donantur, & tibi conceduntur. Iob 42
Negotiando enim cum donis à Deo collatis, non Deo, sed nobis ipsis negotiamur: omnis quippe quæstus in nostrum cedit cōmodum. Quapropter sequitur vlterius in contextu. *Dico autem vobis quòd omni habenti dabitur, ab eo autem qui non habet auferetur ab eo.* Charitas exercitia meretur augeri.
Dabitur inquit omni habēti, nam ei qui habet circa bona accepta operationem adduntur alia: eis verò qui nullum habent exercitium aut lucrum, auferuntur ea quæ habent, qui per negligentiā quantum ad præmium illa perdunt. Clarum igitur est quòd qui habet donum aliquod, & in illo se exercet proximis proficiendo, donum ipsum ei Dominus auget, vel alia dona quæ non erant illi conferuntur: & hæc exercitatio prodest dupliciter ad bona seu ad dona per modum dispositionis, & per modum meriti. De primo quidē quia omnis actus alicuius habitus, facit ipsius augmentum: & si gignatur ex operatione sicut sunt morales, augebitur effectiuè per actus, scilicet quòd actus augeret habitum & non poneretur aliud extrinsecū agens. Si autem non gignatur per actus, sed infundatur à Deo, erit etiam augmentum à Deo effectiuè, sicut est de charitate. Est tamen actus dispositiuè se habens ad agendum illam. In aliis autem donis Dei, si per infusionē sunt sic erit: & tunc augmētum per actum non est, nisi respectu illius doni cuius est actus. De secundo patet, quia per operationē bonorum meremur: & tunc nō meremur solùm vitam æternam, sed etiam augmentū donorum. Sicut charitas nutrita meretur augeri, & aucta meremur augmentum illius doni, & etiam acquisitionem aliorum donorū, vel augmētum aliorum existentium. Illud verò quòd dicit, ab eo autem qui non habet, quod habet auferetur: sic intelligendum esse puto. Ab eo qui nō habet, scilicet charitatē, nec gratiam Dei gratum facientē, quod habet auferetur: id est, multa bona quæ gessit extra charitatem, nam mali bona aliquando faciunt. Itaq; impius habet & non habet. Habet multa bona opera: & non habet charitatem nec meritum. Si quis viuens multa bona opera exercuit, & moriens non habet aliquas, quia viuendo perdidit illas per contrariam operationem, auferetur quod habet. Idest omnia illa non computantur ei ad vitam æternam, ac si nunquam habuisset: & ita videntur transire in vtilitatem sanctorum & gloriam, agentibus autem minimè prosunt. ¶ Dicitur, auferetur, quia Deus aufert quasi violenter quædam bona quæ mali fecerunt, vt cedant in gloriam suam: multa enim bona faciunt infideles, & existentes sine charitate Christicolæ, quæ nunquam illis profutura sunt ad beatitudinem consequendam: sed Deus illa conuertit in gloriam suam, sicut auctor & dator talium donorum. Sicut laudamus Deum qui talia ingenia dedit qualia habuerunt Philosophi, qui tam copiosam doctrinam inuenerūt, etiam Ecclesiæ Dei profuturam: illis autem labores sui nihil profuerunt si in tartara descenderunt, abstulit verò Deus fructus

illos siue

illis sue dona ab eis vt nobis seruis suis prosint, & propterea ipsum laudemus.

Veruntamen inimicos meos, illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.

Hoc ad Iudæos pertinet qui dixerunt suprà, nolumus hunc regnare super nos: vt ibidem vidimus. Et Pilato dixerunt, Non habemus regem nisi Cęsarem. De his loquens Hieremias ait: Præuaricatione præuaricata est in me domus Israel, domus Iuda ait Dominus. Negauerũt Dominũ & dixerũt. Non est ipse. Hos Dominus adduci iubet ad se, hoc est ad suũ tribunal: nã in die iudicij adducẽtur ibi ab Angelis omnes reprobi, quia in cõsummatione sęculi (vt Matthæus scribit) exibunt Angeli, & separabũt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminũ ignis. Morte etiam pœnæ æternæ atque miseriæ plectẽtur. Faxit autẽ Deus ne etiã nobis hoc quod de perfidis Iudæis hic iubetur contingat, qui etiam ore dicimus orantes: Pater noster qui es in cœlis, adueniat regnum tuum. & hoc petentes nolumus Christum regnare in nostro mortali corpore, sed regnat sathanas, regnat mũdus, regnat caro, regnat denique in nobis innumera scelerum multitudo. Nec ignoramus certè Christũ dixisse nemo põt duobus dominis seruire. Similiter & Paulũ, nõ potestis mẽsę Domini participes esse & mẽsæ dæmoniorũ. Caueamus ergo ne nobis suppliciũ hoc à Domino iussũ infligatur, ita vt mortẽ desideremus & fugiat à nobis, iuxta illud, Desiderabunt mortẽ, & mors fugiet ab eis. Mors enim (vt inquit Psalmista) depascet eos. Mors despascet miseros, in æternũ duraturos.

Et his dictis præcedebat ascendens Hierosolymam.

His dictis, hoc est, parabolis peractis pręcedebat discipulos Hierosolymam, in qua statim se passurũ prædixerat: in quo docet prælatos se volũtariè ituros, atque oblaturos ad mortem pro salute gregis sibi commissi: prout in secundo libro Machabęorũ de quodã viro strenuo dicitur. Eleazarus ætate prouectus gloriosissimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium. Ita nunc Christus Dominus.

Et factum est cum appropinquasset Iesus ad Bethphage, & Bethaniam ad montem qui vocatur Oliueti.

Describit nunc Euangelista noster Lucas quomodo Christus cùm ingrederetur Hierusalẽ processerunt obuiam ei cũ ramis palmarũ cantãtes, Osanna in excelsis: pro cuius historiæ introductiõe & ad contẽplandam mundi mutabilitatem & leuitatem, aduerte quòd Salomon ille sapiens, Sapientiam & diuinam ordinationẽ considerans, & quãta cũ mẽsura & cõpositione creauerit, & disposuerit altissimus cuncta quæ fecerat, sic miratus cũ Deo loquẽs inquit: Omnia in mẽsura & numero, & põdere disposuisti. Quod cũ ita sit & diuinæ bonitati placuerit tam irrationabilia, quàm insensibilia ordine & mẽsura constare: multò credibilius est eidem placuisse rationabiles creaturas & homines ad sui similitudinem sacto ordine & numero debere cõsistere. Cognouit quidem dominus hominis cõditionẽ eumq́ue in prosperis superbire, in aduersis verò desperare: & ita omnia quę sub cœlo sũt laboribus, fœlicitatibus, & infortuniis, subdita esse voluit: & in pondere atque mensura collocauit. Ideò D. Ioãnes Chrysostomus super Matthæum ait, Enimuerò misericors Deus mœstis rebus iucũda quæque permiscuit, quod in omnibus sanctis apertè fecisse cõstat, quibus neque tribulationes, neq; iucunditates per misit habere continuas, sed tum ex prosperis, tũ ex aduersis sanctorum vitam mirabili quadã varietate contexuit. Hanc certè veritatem non solũ Chrysostomus, & alij sancti verum etiã nonnulli ethnicorum & gentilium cõsecuti fuerunt. Nam cũ Philippus Macedo tres eodem tempore fęlices nũcios accepisset, duos de victoria parta, & tertium de filio nato, sciens quòd triste aliquid lætis intercenire solet, Deus rogabat vt alicuius moderati casus tẽperamẽto fortunæ inuidiam minueret. Ex quo magnum nobis documentum exoritur ad vitã nostrã regendam & moderandam: ne fortè in nobis fortunæ prosperis superbia & gloria efferamur, imo hodie lætos & cras tristes de facili posse fieri cõsideremus. Quocirca vir probus & circunspectus ista perpẽdere debet, & suam viuendi normam pondere & mensura librabit: ita vt neque in prosperis se extollat, nec in aduersis deficiat: imo vitam hanc & quæ in ea sunt, incerta, caduca, & breuia esse putet. Sic quædam sapiens mulier Dauidi Regi dixit, Sic est dominus meus rex sicut angelus domini: qui nec maledictione nec benedictione mutatur. Labores certè ita sentimus, quia nos imparatos offendunt: & prospera perpetuo duratura putamus. Ideò sapiens ait, In die bonorum, memor esto malorum. Quid nostra hac vita instabilius? Omnia mutabilia & momentanea sunt. Amã ille satis in scriptura notus prospetè viuebat & Regi Assuero propinquus assistebat, qui quidẽ se nimis efferebat & laudabat cùm solus reginæ Hester conuiua esset, cui quidem eodem die accidit vt suspenderetur. Holofernes etiam Assyriorum ille fortissimus dux cũ lætus dormitum iret, mane apparuit iugulatus. Ecõtrario autem Ioseph missus in exilium, à fratribus venditus & in carceribus detentus: præter opinionem ad magnos effertur honores, & ad vniuersum Pharaonis imperium moderandũ pręses constituitur. Quæ & similes historiæ nihil aliud nobis significant, nisi omnes huius vitæ labores cito finiri: & omnes vitę fælicitates, deliciæ & voluptates per breue tempus durare. Nostram tandem vitam apertè indicant tum prosperis tum aduersis euẽtibus esse subditam.

¶ Hoc enim quod diximus miro ordine Euãgelista noster in præsenti declarat historia. Describit enim honorem illum & gloriã qua dominus à populo Hierosolymitano fuit exceptus. Exierũt enim ei obuiam cum appropinquaret Hierosolymis cum lætitia & gaudio: sed paulo post ab eisdem interfectus. Sic etiam in torneamentis & mundi spectaculis euenire solet. Omnis enim turba ducem & inuasorem tubis & aliis musicorum instrumentis comitari assuescit: sed posteà ab hoste superatus & vulneratus, mœrens & tristis reuertitur. Ita enim hodie canticis & ramis & lætitia Christus in Hierusalem fuit receptus: tamen posteà omnes illum percutiendum, & blasphemandum relinquunt, & miles lãcea latus eius aperuit.

¶ Quadrupliciter autem beatus Lucas à Iudæis Christum dominum honestatũ, totidẽq́ue ei ab eis illatas ignominias apertè testatur. Primò quidem obuiam Iudæi Christo exierunt: quem posteà quinque peractis diebus crucifixerunt. Secundò propter Christum omnia Iudæorum vestimenta fuerunt in terra prostrata: & ab hinc quinque diebus dominũ propriis expoliauerunt, vt nudus crudelissimis flagellis vapularet. Tertiò autẽ viridibus ramis ei occurrerunt: & paulo post caput eius siccis arundini-

Ioan. 19
Hier. 5
Aug. li. 2. de quæst. euang. c. 49. Theoph. in hoc loco.
Matth. 13
Mat. 6
Matth. 6
2. Cor. 10
Apoc. 9
Psal. 48
2. Mach. 6
Sap. 11
Chrys. hom. 8. in Matth.
Vita nostra nihil tranquillum habet.
1. Reg. 14
Eccle. 11
Hester 7
Iudit. 13
Genes. 41
Ioann. 19

bus plectebant. Quartò deniq; cantāt Iudæi, Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine domini: & quinque post dies clamoribus magnis dicunt, crucifige, crucifige eum. Quid hoc aliud significat, nisi variam & instabilem mortalium cōditionem, nec aliquid firmum aut stabile in vita reperiri posse? Hanc certè temporis mutationem Ecclesia in Dominica in ramis nobis significare conatur. Vide bis tunc sacerdotes pulchris indumentis vestitos, albis certè & festiuis palliis indutos: processionibus autem finitis nigris vestimentis amictos, lamētabilem Christi mortem incipere. Quamobrem has mundi vanitates contemnere nobis necesse est: cum clarè constet homines vniuersos & eius honores & falsos & mutabiles esse. Si ab artifice perito de domus tuæ ruina monearis, nonne ab ea recedes? Sed dominus præstātissimus ac cœlestis opifex nos quotidie hortatur dicēs, Cœlum & terra transibūt. Et Ioannes. Transiit (inquit) mundus & cōcupiscētia eius. Quæ quidem tria omnium malorū fundamenta & colūnas esse dicit carnis concupiscentiā, oculorū & vitæ superbiā: quæ cum falsa & casura sint, securiùs quidē est ab his recedere & ad stabilē Christi viuendi normam confugere. Caue ergo ne mudi machina ruat, & te imparatū offendat & conterat. Ne credas præsentibus his rebus, cum reuera præsentes appellari illæ nō debant, quia variabilia sunt omnia huius vitæ siue bona siue mala caduca sunt, nec vllam firmitatem præstare possunt, asserēte philosopho. Res nō est stabilis quæ cū fluxu huius temporis est fluxibilis. Illum præterea hominē incapacē esse dicimus qui varius & mutabilis est, à cuius consortio omnes ferè recedunt. Talis certè mundus iste videtur, & ideo iure paruipendendus est. Si nunc ridet & ludit mundus, ne te ob hoc moueat: alias cito ingemisces, si ei consenseris. In naturalibus etiam varietas hæc vidēda est: nam sol aliquando mane pulcher & rutilans oritur, paulo verò post insurgunt nubila, obscurescit cœlum, tēpestates ingruunt, ita vt totus orbis in ruina, & casu positus videatur. Quid aliud est hoc nisi testimoniū certum de incertitudine firmitatis & prosperitatis huius vitæ? Nōdum eius voluptates prælibasti, quādo planctus & tristitiæ ex eo subsecuta sunt. Christus dominus locupletissimus est testis. Ab eo disce quopacto mundus tantorum beneficiorū gratiam domino retulerit, pro salute quidem mortem acerrimam reddidit. Mutabilis ergo est mundus, & quos nunc laudat, statim vituperat: & posteà extollit. Est certè veluti arenæ horologium quod singulis voluitur horis. Sic mūdus singulis horis mutatur. Et quemadmodū superior pars horologij quæ plena erat euacuatur, & cū eadē arena pars inferior vacua impletur, & statim inferior fit superior, & ea quæ altiorem locum occupabat descēdit deorsum, nec potest vna impleri quin euacuetur, & altera: sic qui antea erant in honore & dignitate constituti, opibus & honoribus abundantes atque oblectationibus, omnia amittunt & remanent vacui: & iterū vel alij ad diuitias & honores efferuntur, & hoc alternatim fieri solet. Hanc tandem vitæ huius varietatem hancque gloriam fugacem, ostendit præsens historia. Nunc iam singula expendamus.

Luca 21
1. Ioan. 2
Mundus fallax & variabilis.

Et factum est cū appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam ad montem qui vocatur Oliueti.

Bethphage nomē loci est, & est paruulus viculus iuxta montem Oliueti: & ideo dicitur in litera cum appropinquasset Bethphage ad motem Oliueti. Est enim mons ille ex parte Orientali Hierusalē, & venientibus de Ierico versus ciuitatem occurrebat mons iste in medio circa Hierusalē, & quia Ierico sita est ad orientalem plagā terræ promissionis circa Iordanem quæ est in parte orientali, cùm veniret nunc Iesus de Ierico erat transiturus per montem Oliueti per Bethaniam quæ distabat per tria millia passuū ab Hierusalē, & posteà per Bethphage quæ distabat per vnum miliare ab Hierusalem. Non desunt qui dicāt quòd Bethphage erat viculus sacerdotum, qui completo officio suo in tēplo illuc diuertebant ad manendum, sed hoc nunquā mihi placere potuit. Primò, quia sacerdotes ministrabāt distinctè per vigintiquatuor sortes vel partes, & quęlibet sors ministrabat per vnam hebdomadā, quia intrabant sabbatho ad ministerium, & exibant in alio sabbatho, vt colligitur ex quarto libro Regum & secundo Paralipomenō. Et ita in vigintiquatuor hebdomadis, id est, in dimidio anni mutabātur omnes sacerdotum vices, quia finiebatur omnium ministerium. Quando autem illi vice vna finiebant ministerium, erāt cessaturi per dimidium annum, & non erat necesse redire in Hierusalem, nec ad illud munus quousque transirent vigintiquatuor hebdomadæ. Ergo non diuertebant Bethphage, quia hoc esset si vna die vel parte ibi essent mansuri.

Beda. ca. 78 & 79 supra Luc. 9
1. Para. 24. & 25
4. Reg. 11
2 Para. 23

¶ Secundò cùm sacerdotes essent diuisi per vigintiquatuor partes, & in qualibet parte essēt multi viri, cū Bethphage esset paruulus vicus, si illuc diuerterent sacerdotes cōpleto officio suo oēs diuerterent: sed impossibile erat vt eos caperet Bethphage nec plures similes viculi. Tertiò patet, quia hoc modo sacerdotes non irent in ciuitates suas: nam eo tempore quo ministrabant manebant in templo, nec discedebant de circuitu eius, erāt enim in exedris, & contiguis, vt colligitur ex libris Paralipomenon & Regū: & hoc erat ne sacerdotes diuerterent ad alias occupationes, & potissimè, vt à propriis vxoribus abstinerent. Zacharias autem pater Ioannis cum sua obtingeret sors & ministraret, apparuit illi Angelus, & completa hebdomada abiit in domum suam: ex quo patet quòd quandiu ministrabant non poterant exire de templo. Si autem completo ministerio diuerterēt in Bethphage, vt ibi manerent: quousque iterum ministrarent, nullum esset tempus ad redeundum in propria, & ita superuacaneum esset proprias habere ciuitates. Sed hæc falsa sunt, quia leuitis & sacerdotibus datæ erant octo & quadraginta ciuitates siue oppida: & ex istis erant tredecim quæ pertinebant ad solos sacerdotes, cæteræ autem ad Leuitas, & illæ tredecim (vt habetur in Iosue) erant in tribu Iuda & Simeon. Et in eodem libro Iosue dicitur, quòd Elezazar summus sacerdos filius Aarō sepultus est in Gaas ciuitate quę data erat ei in monte Ephraim. Cùm autem haberent sacerdotes ciuitates & suburbia in quibus manebant, consonū non est quòd finito ministerio reuerterentur in Bethphage.

1. Par. 9. & 2. Par. 21. & 23 & 4. Reg. 11
Luca 1.
Num. 35
Iosue 21.
Iosue 24

¶ Quartò Zacharias completo ministerio officij sui abiit in domū suam quæ nō erat in Bethphage, sed in mōtana Iudæ, quia ibi salutauit virgo Elisabeth: Bethphage autem nō erat in terra Iudæ, sed Beniamin, quia distabat miliario vno ab Hierusalem,

lem, & Hierusalem (vt habetur in libro Iosue) est *Iosu.18* terra Beniamin:nec Bethphage est ciuitas, sed viculus paruus, nec erat in montana, sed in latere montis Olíueti. Ergo Zacharias nõ habitabat Bethphage, nec sacerdotes illic diuertebant, nec ad sacerdotes pertinebat Bethphage cùm nõ esset de tribu Iuda & Simeon. Sed de his satis.

❡ Nunc vide. sicut enim ille agnus cuius immolatione Aegyptus tandem periit, & Israel liberatus fuit: decima die tollebatur à grege, seruandus vsque ad quartamdecimam diem, in cuius vespera immolabatur: sic verus ille agnus Christus qui sua im *Exod.12* molatione præstitit quod Moses hactenus non potuerat, sicut quartadecima die immolari cœpit, sic decima die locum passionis intrauit. In hoc Christi magno ingressu & spectaculo, credendum est agricolas plurimos iuxta Hierusalem habitantes in vicis, & castellis obtulisse ista die agnos decimaquarta sacrificandos luna. Considera etiam Christum dominum agnum verum ad sacrificium festinanté: oblatus enim est, quia ipse voluit, cuius san- *Esa.53* guine pretioso à seruitute dæmonis erepti sumus. Igitur cùm accessisset Bethphage, vide quid dicat Euangelista. *Misit duos discipulos suos dicens. Ite in castellum, quod contra vos est: in quod introeuntes inuenietis pullũ asinæ alligatum, cui nemo vnquã hominum sedit. soluite illum & adducite.* Apostolis & sacerdotibus incumbit soluere peccatores, brutorũ more suis sceleribus alligatos: nec enim velut ratiõales & à Deo ad ipsius imaginem & similitudinem procreati ratione vtuntur, sed appetitibus suis irrationabiliter gubernantur. Hos igitur soluere sacerdotis est offi- *Ioan.20* cium, iuxta illud. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Nunc autem quibus alios soluere demandatum erat, iidem arctius scelerum vinculis constringuntur. Quid igitur? Nec enim bruta quædam extricare & enodare rectè possunt aliorum brutorum nexus: sed manus & digiti hominum ad nodos & filiorum implicationes soluendas requiruntur. Ma- 2 ximè expedit vt præter merita, virtutes, & sanctitatem quibus optimi sacerdotes & ornari & commendari debent, acre habeant iudicium, acutam mentis aciem, non mediocrem literarum peritiam: quibus quos ligare quos soluere debeant, facilè dignoscant. Quot tamen horum inopes & pene nudi in Dei Ecclesia sunt sacerdotes? Cæterum de his aliàs.

❡ Qui fuerint hi duo discipuli, sacræ literæ nõ exprimunt, ac proinde non liquido constat. Quod tamen per castellum in quod mittebatur nõ intelligi tur Hierusalem certissimum est: cum quia Hierusalem conspici nequit à Bethphage, in qua Christus erat: est enim Hierusalé in medio oliuarum monte: at Bethphage ad latus meridianum eiusdem mõtis sita est. Deinde qui castellum nõ munitum locum, non muros, non turres, sed rus, vicum, seu pagũ significat, vt iam sæpe diximus. Prædicabat Iesus per *Matth.4* ciuitates & castella. Id est, per ciuitates & vicos. Erat itaque quidam pagus, qui ab illo loco, in quo Christus erat, conspici & digito poterat cómonstrari. Ait ergo Dominus. Ite in Castellum, quod cótra vos est. Hoc est, quod coram vobis est: contra enim raro significat coram, id est, è regione, seu ex oppo- *Vir.1. Aenei.* sito. Vnde Poëta. Vrbs antiqua fuit Tyrij tenuere *Psal.50* coloni, Carthago, Italiá contra. Et regius propheta. Peccatum meum contra me est semper, id est, corã me est semper. Hoc ex multis constat translationibus: sic etiam Augustinus legit. Igitur Dauid semper cogitabat & ante oculos statutũ habebat qualiter Deum offendisset, vt ex ipsa cogitatione summissionis fructum perciperet. Ita in Ezechiele legimus. Ponam contra te abominationes tuas. *Ezec.7* Et in Ecclesiaste. *Eccle.6* Si humiliauerit se contra te. Et apud *Matth.27* Matthæum. Sedentes contra sepulchrum. In psal- *Psal.49* mis etiam Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Quasi dicat, Ostendã tibi flagitia tua, & statuam coram te: vt ipsa possis cernere. Duos verò *Luc.10* discipulos mittit sicut ad prædicandum binos miserat, vt societatem & proximi dilectionem magis commendaret. Porro Lucas hic solius pulli métio- *Concordia euangelistarũ* nem facit, in cuius sententiam subscribunt Marcus Ioannes, Matthæus tamen asinæ & pulli meminit: inter quos nulla est repugnantia: ambo enim fuerũt adducti. At tres Euangelistæ solius pulli meminere, quia Christus in pullo tantum equitauit, vt hi Euãgelistæ apertè testantur. Cæterum Matthæus de asi- *Mar.11* na mentionem fecit, quia allegauit Zachariam pro- *Ioan.1* phetã qui meminit: vtriusque. Si igitur Matthæus *Matth.21* vtrumque non poneret, allegatio narrationi dissonaret. Tres ergo Euãgelistæ narrationis: Matthæus autem prophetiæ rationem habuit. Aduertendum *Zach.9* vero Zachariam à solo Matthæo & nõ ab aliis fuisse allegatum, quia solus ille Iudæis Euangeliũ hebraicè scribebat, vt illi Messiam sibi, per prophetas promissum expectantes, ac nil aliud quàm quod in scripturis, quibus multum fidei tribuebant, cõsiderantes eum cui illi cõsonarent, in Messiam recipiẽdum arbitrarentur. Quam ob causam Christus ipse citabat etiam nõ raro scripturas in testimonium contra Iudæos, illísque dictabat, vt viderent num scripturæ ipsius factis concordarent: vt videre est apud Ioanné. Scrutamini (inquit) scripturas, in qui- *Ioan.5* bus vos putatis habere vitam æternam: quia ipsæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Hanc igitur ob rationem citabat Matthæus scripturæ testimonia quoties ad Christi gesta faciebant: vt sic Iudæi, quibus scribebat, facilius ad credendum inducerentur. Cæteri autem Euangelistæ nõ Iudæis, sed aliis gentibus ad Christianæ religionis cultum cõuersis fidei doctrinam Græcis literis prodiderunt: qua de causa non magnopere curarunt afferre in medium scripturæ testimonia ad probandas res à Christo gestas, nisi forte ad id scripturæ facere viderentur.

❡ Ad doctrinam autem nostrã tria hic sunt notanda. Primum, Christum vltro accessisse ad locum in quo pro nobis acerbissimam mortis crucé subiret. Vnde nos tanti magistri ducti exéplo crucem nostris humeris impositam: idest labores, & aduersa omnia sponte & patienter ferre discamus. Deinde ex hoc contextu scimus euidenter nihil eorum quæ aguntur Christum latere. Quamobrem ita nostram viuendi rationem instituamus, & nostros effingamus mores, vt eius oculos minime offendamus. Si enim cogitaremus nos vel minimarum cogitationum dictorum & factorum Deum ipsum testem habere oculatum, proculdubio nihil vnquam vel in Deum, vel in proximum impiè moliremur. Apud Esaiã scriptum legimus. Quare dicis Iacob, & loqueris Israël, abscõdita est vita mea à domino? *Esai.40* Omnia (inquit Apostolus) nuda, & aperta sunt ocu- *Hebr.4* lis eius. Ita propheta ille regius. Quo ibo à spiritu *Psal.138* tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœ-

lum tu illic es, si descendero in infernũ ades. Sciebat itaque Christus quòd esset ibi pullus & asina alligata, licet absens esset: scit etiã cogitatus nostros & opera. [*Psal.15*] Tertiò videmus hic verbo Dei nihil posse resistere: vnde colligamus nobis non coactè, sed spontè Deo esse seruiendum, qui & si bonorum nostrorum non indigeat: ministerium tamen, & officium nostrum desiderat. Potest ille quidem pedes adire Hierosolymã, iubet tamẽ sibi adduci iumentum. *Et si quis vos interrogauerit quare soluitis, sic dicetis ei. Quia dominus operam eius desiderat.* Probe tenebat Christus aliquem dicipulis fore obstiturũ: noluit tamen illis dicere, cum vos interrogauerit dicetis, quia dominus operam eius desiderat, ne videretur sub necessitate ponere actum opponentis cum quisque ad agendum liber sit. Vel dicemus ꝙ propositio illa conditionalis resoluitur in simplicẽ temporalẽ: scilicet si quis vos interrogauerit, id est, quando vos aliquis interrogauerit, respondebitis, Dominus operam eius desiderat. Protulit Christus verba ab Apostolis respondenda, vt iumẽtorũ domino significarent quis esset qui iumenta peteret. [*Exod.11*] Quemadmodum enim quando filij Israël petierunt ab Aegyptiis vasa mutua, dominus posuit virtutẽ in verbis petentium, ita vt moueret Deus cor Aegyptiorum, vt darent vasa: sic huic responsioni eam indidit virtutem, vt facilè audito, quod iis opus esset domino, concederẽtur à possessore suo, cui Christus erat notus: quapropter cum intellexisset à Iesu iumenta peti, danda censeret. In eo autem quod dicit, dominus eorum operã desiderat, innuit quis esset. [*Ioan.13*] [*Ioan.21*] Christus communiter apud notos præcipuè & amicos dominus vocabatur & magister, vnde cum septem discipuli piscarentur in mari Tiberiadis post Christi resurrectionẽ & Ioannes intellexisset dominũ in litore stare, dixit Petro. [*Ioan.11*] Dominus est. Et Martha. Domine si fuisses hic, frater meus nõ fuisset mortuus. Quod autem magister etiam vocitaretur patet ex verbis eiusdem Marthæ dicentis ad sororem. Magister adest, & vocat te. Deinde mittẽs duos discipulos ad parandã cœnam, & locum petendum, dixit illis Christus. [*Matth.26*] Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio pascha. Cum itaque his duobus nominibus ab amicis & notis vocaretur, cum volebat aliquid suo nomine fieri, altero illorũ nominum se vocabat. Quare nunc, dicite (inquit) quia dominus his opus habet. Idest dicite, ꝙ ego Iesus, quem illi dominum vocant, operam eius desidero. Obserua autem Deo nihil esse opus. [*Psal.15*] Vnde egregius Psaltes. Deus meus tu es, quoniam bonorum meorum non indiges. Sed vt bona sua creaturis communicaret, necessitatem pati voluit. [*2.Cor.8*] Vnde Paulus Corinthiis ait. Scitis enim gratiam domini nostri Iesu Christi, quoniã propter nos egenus factus est, cũ esset diues: vt illius inopia vos diuites essetis. [*Philip.2*] [*Psal.64*] [*Ioan.10*] [*Psal.144*] [*2.Cor.8*] Hoc tamẽ mirum nõ debet videri: nã propter nimiã charitatem, qua nos dilexit ille, de quo est apud Dauid, aperiente te manũ tuã omnia implebũtur vbertate, quippe qui diues est in oẽs qui inuocãt, eũ, asina nunc vili animali indiget. Quæ omnia testante Apostolo eo spectarũt, vt eius necessitate, & indigentia nos diuites essemus. *Abierunt qui missi erant & inuenerunt sicut dixit illis stantẽ pullũ.* Hoc in loco discipulorũ ponderanda est obediẽtia: etenim Christi dictis minimè diffidentes eius mandatũ illico sunt impigrè exequuti: quippe qui sibi persuadebant fieri non posse, vt aliter quã Christus dixisset, res eueniret. Vnde nobis saluberrimũ sumimus exemplum: nec enim est opus, vt Dei præcepta exequamur, scrutari priùs qualia, aut quæ sint ab eo imperata: non nos suorum præceptorum statuit examinatores, sed impigros exequutores esse vult. Alioqui iure optimo curiosius illa excutientibus nobis, vt Petro obiicietur. [*Ioan.21*] Quid ad te? Si ergo inculpatissimi Christi discipuli esse volumus, velis & remis, vt aiunt, imitemur oportet obedientissimos illos filios Israel, qui Mosi dixerunt. [*Exo.24*] Omnia quæ locutus est Dominus faciemus. Expendendum etiam iterũ certitudinem mandatorum Dei, quippe qui falli nunquam nec fallere potest: quamobrem necessum erat, vt sicut illi dictum fuerat, res euenire. Miser & infœlix peccator, in cogitationibusq; tuis maxime obcæcate, à Deo te falli arbitraris: cum per os Dauid inquit, nisi conuersi fueritis: [*Psal.7*] arcum suum vibrauit & tetendit illũ, & in eo parauit vasa mortis, & sagitas suas ardentibus effecit? A Deo te falli arbitraris cum inquit, [*Luca 13*] nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis? Qui pœnitentiam non egerint, ij dictum domini verissimum experientur, hoc est in perditionem, sulfurem, & gladium, & pestem incident. Oportet igitur Dei timore corripiamur, ac eius dictis indubitanter acquiescamus: certissimum enim est nos simul omnes perituros, nisi suppliciter conuersi pœnitentiam egerimus. Si autem caro & mundus aliud suadere conabuntur, eorum suasiones veluti prophetarum falsorum reiiciamus. *Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos, Quid soluitis pullum?* Hinc patet errare eos qui putant asinam esse communem: nam domini eius, vt hîc ait Lucas, ad Apostolos dixerunt, cur soluebant eam. Si errauerunt qui arbitrabãtur asinam illam fuisse in Hierusalem, cum tamen id falsum esse suprà ostenderimus: erat enim in oppidulo quodam non longè ab Hierusalem. Chrysostomus etiã [*Hom.37.in opr.imper. Matth.*] affirmat asinam illam (quod de pullo dictum intellige) post Christi ingressum in Hierusalẽ ad dominũ suum reuersam fuisse. quod si esset cõmunis, nõ dixisset. Adde, quod si esset cõmunis, cito periisset: cum nulli præcipuè curæ esset. Dubiũ tamẽ exoritur hoc loco vtrũ videlicet discipuli solã asinã vel solũ pullũ soluerint, an ambos simul: dicendũ puto ambos fuisse solutos, allatos & necessarios. Necessarios inquam non ad tolerandum laborẽ equitationis, cũ pullus ad hoc solus sufficeret, sed ad mysterium. Nec enim Christus illo vehebatur, quasi de itinere defatigatus, sed ad aliquid significandum. Vtrumque itaque iussit sibi afferri: tũ ob dictã rationem, tum etiam, vt impleretur prophetia Zachariæ recolentis vtriusque, vt suprà diximus. *At illi dixerunt. Quia dominus eũ necessarium habet.* Quæ verba tanti ponderis ac virtutis fuerunt, vt statim pulli dominus eum solui sine vlla controuersia permiserit. Vnde constat à Christo domino duo hîc fuisse ostensa: puta sapientiam, & potentiam. Sapientiam quidem cum prædixit fore ipsos interrogandos, vt reuera fuerunt interrogati. Potentiã autẽ cum illis dixit, verba, quibus facillimè pulli dominus acquiesceret. Atqui quoniam quo aliqua virtus citius æqualia operatur, eo fortior est: ac nulla operatio citius fit quã quæ in instanti: ideo dictũ est à Matthæo, confestim dimittet eos. *Et duxerunt illum ad Iesum.* Expẽde discipulorũ Christi summissionẽ & humilitatẽ. Nã cũ asinos agere vilissimũ sit: Apostoli tamen ætate prouecti asellos agere de Christi mãdato

dato non recusarunt. Etenim nullum tã vile & ab-
iectum officium est, vt si ob obedientiam fiat, non
facillimè præstetur: nec enim officium illud aut la-
bor illis est habendus, quo vita illa æterna cõsequi-
tur. Nos verò non obsequimur nisi illis quæ nobis
honori fore arbitramur: abiecta verò opera, etiam
propter Christũ operari verecundamur. Hanc igi-
tur verecundiam seu vanitatem nostram discipu-
lorum humilitas & obedientia nunc & accusat, &
damnat: etenim eo miseriarũ deuentum est, vt pau-
peri, & infimo necessaria & vera aliquando monẽ-
ti acquiescere nolimus, id nobis dedecori futurum
2. Reg. 6 existimantes. At non Propheta ille regius sibi per-
suadebat cum humiliũ & pauperum ritu corã arca
domini saltitaret: quã ob causam ab vxore sua Mi-
chol cœpit contemni. Nec mirum id videri debet:
mundus enim humilitatem ignominiæ loco ponit.
Hinc oritur, vt arrogantes homines & vtriũ instar
inflati tunc se suumque nomen cõtemptum iri pu-
tant, cum summissi propter Christũ effecti vulga-
1. Reg. 9 ria opera exercuerint. Saul vir corporis robore
1. Reg. 15 præstantissimus patri suo Cis est obsecutus in quæ-
rẽdis asinis velut ille præceperat: quãobrem regnũ
est adeptus: sicut dixit ei Samuel. Cùm esses paruu-
lus in oculis tuis caput in filiis Israel factus es. Eo-
dem prorsus modo nos si humilitatẽ propter Chri-
stum non aspernati, sed amplexati fuerimus, procul
dubio regno æterno potiemur. Cæterùm de hoc
aliàs.

Prædicatorũ munus. ¶ Admonentur hoc loco concionatores quo-
modo sese habere debeant. Quemadmodum enim
hi Apostoli, qui veri erant concionatores hæc iu-
menta ad Christum duxerunt, sic illi Christianum
populum non ad mundum, nõ ad teterrimũ gentiũ
hostem, non denique ad seipsos, sed ad Christum
ducãt: in hoc dissimillimos sese exhibentes impu-
dentissimis hæreticorum concionatoribus, qui non
ad Christum, sed ad cacodæmonem fideliũ animos
attrahere conantur. Porro hoc non solùm impro-
bissimi hæretici, sed caholici nonnunquã efficiũt,
licet enim orthodoxi & boni alioqui sint concio-
natores, non tamen fidelium saluti & emolumẽto,
sed humanæ gloriæ, & auræ populari plerumque in
seruiunt: vnde efficitur, vt non ad Christum, sed ad
seipsos populũ Christianum alliciant. Tu verò, qui
ad optimi concionatoris munus aspiras, integerri-
mè exequendum enitere, vt ad Iesum qui est vera
salus, & omne bonũ audiẽtes tuos pelliceas: quod
tunc cumulatissimè præstabis cum in cõcionibus
tuis clamitaueris, oraueris, obsecraueris flagitiis in-
quinatos homines, vt sese in meliorem frugẽ reci-
piant ad Christumque ex animo cõuertant, ipsúm-
que omissis vitiis omnibus & peccandi occasioni-
bus quæritent. Quod cùm feceris tunc te non tuæ
gloriæ, sed Christo seruisse arbitrare. *Et iactantes ve-*
Cærimoniæ ecclesiæ non contemnẽdæ. *stimẽta sua super illum imposuerunt Iesum.* Cooperue-
runt Apostoli pullum vestibus ad decentiã & or-
natum. Respondeant nunc qui dicunt Ecclesiæ ce-
remonias esse adinuentionem humanam & nihil
Deo placere, nisi quod ipse præcipit: non solum hi
discipuli asinã & pullum adduxerunt, vt iussum fue
rat: verùm vestibus ornarunt quod præceptum ne-
quaquã erat, Deo tamen non displicuit, imò ap-
probatum fuit. Vide etiam veros Christi discipulos
seipsos vestibus suis nudare, vt Deo seruiãt, Deũq;
id ad exemplum discipulos permisisse: & in eo vo-
luit Deus discipulos seruire, in quo seruierant, at-
que ideò permisit vt illi qui Christum excipiebant
seipsos suis vestibus exuerent, & viã qua discipuli
erant transituri vestibus ornarẽt. In eo enim voluit
dominus discipulis esse seruiendum, in quo discipu-
li Christo seruierant. Sic se habuit Deus cũ obste- *Exo. 1*
tricibus Aegyptiis, quæ quia timẽtes Deũ paruulos
Israël non occiderunt: domibus, id est, posteritate
dignæ extiterunt. Loth quia misericordia erga pe- *Genes. 19*
regrinos vsus est, à maximo illo Sodomæ incendio
liberatus fuit. Raab quia excepit exploratores, à *Iosue. 6*
subuersione Hierico erepta est. Verissima est sen-
tentia. Beati misericordes, quoniam ipsi misericor- *Matth. 5*
diam consequentur. Et alibi. Prout vultis, vt faciãt *Luca 6*
vobis homines, sic facite illis.

¶ Porro in hoc facto adimpleta est prophetia
Zachariæ, quam refert Matthæus dicens, Ecce Rex *Matth. 21*
tuus venit tibi, mansuetus, &c. Exulta satis, inquit, *Zach. 9*
filia Sion, & iubila filia Hierusalẽ. Ecce Rex tuus
venit tibi mansuetus sedens super asinam & pullũ
filium subiugalis. Merito & optimo iure Sioni erat
tripudiandum: nullus enim nuncius solidiori gau-
dio erat celebrandus ab Hierusalẽ quàm ille, quo
Regem suum aduentare intelligebat: quandoqui-
dem per illum ab omni malo erat liberanda. Quã-
obrem non modo erat exultandum, sed satis, id
est, abundanter exultandum filiæ Sion, per quam
Hierusalem intelligitur, quæ erat ciuitas posita sub
monte Sion, & quia illi monti erat subdita dicitur
filia Siõ: quia filia matri subiicitur. Iubila filia Hie
rusalem ad eandem sententiã pertinet: etenim ea-
dem est filia Sion, & filia Hierusalem, sed est repeti
tio quædam qualis est in carminibus, & in modo
loquendi prophetarum, iuxta illud Psalmi. Qui do-
cet manus meas ad prælium, & digitos meos ad *Psal. 143*
bellum. Bellum & prælium idem sunt, sicut idem
est manus & digitos mouere cum neuter sine alte-
ro moueatur. In secundo Regum volumine etiam *2. Reg. 20*
dicitur. Quæ pars nobis in Dauid: aut quæ hæredi-
tas in filio Isai? Idem enim Dauid & filius Isai: &
idem est habere partẽm in Dauid, & habere hære-
ditatem in filio Isai. Aduertendum particulam de-
monstratiuam ecce, conuenire illi qui se oculis vi-
dendum offert: hîc vero conuenire ei qui se intelle-
ctui offerebat. Cognosce, id est, vide illum in carne:
intuere illum realiter ad te venientem, sed crede il-
lum tuum redemptorem & regem esse. Præterea
obseruandum est etiam quòd licet tres personæ di-
uinæ regnent super nos, Christus tamen peculiari-
ter dicitur Rex, quia factus est homo, ac incarnatio
ad illum est terminata Vnde Psalmographus de
tribus diuinis personis loquens. Benedicat (inquit) *Psal. 66*
nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus: quia tri
nus est Deus in personis, dixit ter Deus: addidit au-
tem, noster propter incarnationem verbi, quia no-
stram assumpsit naturam. Vt autem ostenderet tres
illas personas vnum esse Deum in essentia, addidit,
& metuant eum omnes fines terræ. Sic etiã in Deu-
teronomio habetur. Deus Deus tuus, Deus vnus *Deut. 6*
est. Positum est tuus in secunda trinitatis persona,
nec ab re, quia filius Dei naturam assumpsit huma-
nam, & nobis natus & datus, pro nobis mori non
dubitauit: quapropter ait Zacharias. Ecce rex tuus
venit tibi. Exulta Sion quia rex tuus venit tibi. Nõ
potest enim non esse tuus, ô homo, ille qui corpus,
animum, vitam, sanguinem, se denique totum tibi
dedit. Merito igitur, ille Deus tuus dicitur, quando
quidẽ sibi nihil retinuit. Nõne aliquid te dare ei æ-

quum esse putas, qui se totum tibi dedit? Aequissimum profectò erit, vt ex multis horis, diebus, mẽsibus, & annis, diem saltem vnũ in meditandis sceleribus & peccatis, quibus Deum autorem & protectorem tuum grauiter offendisti consumas. Aequissimum profectò erit, vt ex tot sumptibus, quibus mundo seruis, frustum saltem panis ob Christũ omnium datorem eroges ipsius pauperculis. Insitum à natura est omnibus, vt quisque sua diligat. Quare igitur veluti domum, vineam, fundúmque, quia tua hæc sunt, amas: Deum verò tuum nõ amabis? Etenim Deus optimus maximus cum vidisset homines tanto amore sua prosequi, se nostrum facere statuit, vt sic eum amare quodammodo compelleremur. O charitatem eximiam. O semper memorandum amorem. O clementiam admirandam. O benignitatem incomprehensibilẽ. Mirabile, imo mirabilissimum videri debet hoc. Nã cum tot Angeli, Archangeli, tanta denique cœlestium spirituũ multitudo Deum ardentissimo prosequãtur amore: ipse hoc posthabito à nobis homunculis terrenis, abiectis, & ingratissimis, amari expectat. Expetit à nobis amari, vt nostræ familiaritatis & amicitiæ ineundæ gratia se quoque hominem facere non dubitarit. Omnibus nostris miseriis obnoxius ipse ad homines accedit: illis se vltro offert ad ipsorum vtilitatem & commodum. Quod multo maioris amoris est indicium, quàm si ad ipsum venientes reciperet. Quare admiratus Dauid inquit. *Psal. 8* Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Ipse peccatores quærit, ad eos venit quem iniuria grauiter affecerunt. Sed quia de hac re multa disseruimus in libello nostro meditationum dilectionis Dei, ad alia gradum faciamus. Igitur, ne aufugiant, ne se occultent tremore metúque correpti, audiant attentè quod sequitur. Mansuetus & humilis: sedens super pullum. Non adest in rigore iustitiæ, aut potentiæ mittẽs ignea fulmina, aut ardentes flammas, qualiter super Sodomam *Genes. 19* & Gomorram factum fuisse memoriæ est proditũ, non qualiter, super legatos Ochoziæ, testantur hi- *4. Reg. 1* storiæ sacræ gestum: non aquarum diluuio peccato- *Genes. 8* res puniturus adest, veluti tempore Noë accidit. Mansuetus & humilis ad homines accedit: non vectus generoso equo, non hasta armatus per medios homines irruit: sed vili asello, & inermis hominibus sese immiscet. Si ergo peccatorẽ te esse intelligis ne ideo timeas: imo illi aduentanti, obuiã procede. Exoptauit illum videre Abraham, quo viso, *Ioan. 8* incredibili gaudio exultauit. Ecce venit tibi mãsuetus & humilis. Quo ergo fugis ô miser peccator? Quorsum vitam tuam & salutem fugis? Si lucẽ fu- *Psal. 101* gis, quomodo videbis? Si vitam quo pacto viues? Venit iam tempus miserendi, quia venit tẽpus. Nõ solùm dominus exoratus nobis ignoscit: sed ipse rogat, vt oremus, & veniam ab ipso petamus. Porrò ab hac humilitate & mansuetudine Christi animi submissionem, mansuetudinem, humanitatem deniq; docemur. Turpe profectò est, & quod nobis non mediocrem pudorem inijcere deberet, videre Christum rerum omnium opificem tanta humanitate & mansuetudine, vehi asello quodam vili: nos verò phaleratis equis & curribus maximo alicui triumpho accommodatis incedere. Etenim eo vanitas & superbia deuenit, vt non solũ fœminæ ingenuæ, sed viri ipsi curribus inauratis vehãtur. Quẽ fastum, stultitiam & amentiã, animo præsagiens propheta ille Amos deplorabat dicens, *Amos 6* Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in montem Samariæ optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël. Sed de his alias.

Triumphus Christi. ¶ Aduerte autem honorabiliorem & longè maiorem fuisse pompam & maiestatem Christi in humili & vili asello vehi, quàm eorum Imperatorum, qui superbi & arrogantes in ciuitates suas ingrediẽtes opulentissimum triumphum egerunt. Cæsar est Romam ingressus cum maximo triumpho, cuius triumphalis currus à quadraginta elephantibus ducebatur. Pompeius ille magnus etiam de Africa elephantis inuectus Romæ triumphauit. Marci Antonij currum leones. Aureliani vehebant cerui, quæ quidem magna videbuntur. Cæterùm si cum Christi triumpho conferantur, vilia & inania habentur hæc trophæa. Etenim Cæsares illi, Pompei, Antonij & reliqui omnes mundi huius Principes & imperatores superbissimi cum nullas diuitias à natura sua haberent, imò nudi & pauperrimi veluti quilibet mendicus nascerentur: aurum, diuitias triumphos ab hominibus mendicorum ritu petebant, vt illa omnia sibi in honorẽ, quo à natura priuabãtur, redundarent. Quẽadmodũ enim mulier deformi facie & vitio aliquo corporis facta à natura, fucos, medicamina & alios corporis ornatus quærit, quibus pulchra videri possit: cõtra verò illa, quẽ benigna natura egregiis & faciei & corporis dotibus locupletauit, licet inornata incedat, gratior & amabilior omnibus est, quã cornicula illa superior variis & alienis induta plumis: eodem prorsus modo imperatores & principes illi, cùm nihil diuitiarũ nihil honorũ sibi à natura cõpararint, externa hæc, aurum videlicet, diuitias, triumphos, currus deauratos & alia id genus quærebant: vt sic elati gloria hac mundana & honore digni viderentur. At in Christo domino longè aliter sese res habet: quippe qui ex sua natura diues & potens non deauratis curribus non gemmis, non auro, nec aliis hominũ gazis indiguit: in illo enim asello sublimior, potentior, & gloriosior omnibus mundi Imperatoribus triumphauit. Innumeræ causæ triumphum hũc longè solenniorem omnibus aliis efficiunt: sed quatuor præcipuas id præstare comperies, duas scilicet, ex parte ipsius saluatoris, & totidem ex parte recipientium ipsum Christum. Ex parte enim Christi redemptoris, nostri hic triumphus clarissimus extitit. Primò quia in eius ingressu, & modo ingrediendi, Christus suæ diuinitatis omnipotentiã manifestauit. Cùm enim sacerdotum Principes cõtra ipsum coniurassent, hodie Hierusalẽ publicè & palam ingressus, templum adit, & in conspectu omnium inimicorum suorum ementes & vendentes ab illo imperiosè eiecit: nec tamẽ quisquam ei restitit, aut aduersus eum vocem ne vnam quidem emisit. In quo quidem luce clarius patuit illum esse verum Deum, cordáque & voluntates hominum in sua potestate habere: & quamuis eo vsque in Ephren iuxta desertum delitescere voluerit, nunc autem in ingressu Hierusalem verissi- *Ioan. 11* mum se esse Deum demonstrauit. Porrò tanta erant peruersitate & malitia obcæcati illi pharisæi, vt hoc tam ingenti miraculo viso clarissimè & cognito non conuerterentur: imo singulis diebus magis ac magis eorum odium, & incredulitas inualescebat. Quamobrem maximis & longissimis, vt par est, pertinaciæ & cæcitatis suæ nunc

nunc pœnis excruciātur. Sancti non rarò suam debilitatem & humanitatem & agnoscunt & fatentur: constanter tamen & viriliter se erigunt cùm opus est. *Exod.2* Moses ab Ægypto fugit: sed posteà Pharaoni nequissimo & arrogantissimo regi restitit. *Exod.5* Helias à muliere aufugit: at cum opus fuit rediit, & grauiter Achab Regem reprehendit. *3.Reg.19* Paulus submissus in sporta, Damascum aufugit, fracto autem carcere cùm vinctus teneretur, aufugere noluit. *Act.9 Act.16* Christus ipse in Efrem sese contulit, quia videlicet nondum hora eius venerat: nūc autem palam prodiit, & se inimicis suis immiscet, quos ipsius ingressui adesse fecit.

Manifestatio diuinitatis Christi in ingressu.

¶ Secundò in hoc ingressu suam diuinitatem ostendit cum triumphum egit ante ipsam victoriam, præter omnem Imperatorum & reliquorum morem, qui non nisi deuicto hoste & capta præda triumphant. Cuius rei ratio est, quia licet bellum certū habeant, victoria tamen incerta est. Fœminæ illæ Israëlis Dauidi obuiam processerunt cantātes: *1.Reg.18* Saul percussit mille, Dauid autem decem millia. Sed hoc obtruncato iam Goliath gigante factum est. Christus autem verus Deus ante pugnam celebrauit victoriam, quam habebat certissimam: quia nimirum longè aliter, ac mūdi huius duces, & Imperatores, quia teterrimū hostem erat superaturus. Illi nanque salui & incolumes suis inimicis occisis de hoste triūphant: at Christus moriens, victoriam erat acturus. Qua de causa post mortem, id est, post ipsam victoriam non erat triumphandi locus: quapropter necesse erat, vt ante concertationem, & victoriam celebraret triumphum.

¶ Ex parte autem recipientium hic triumphus fuit solennissimus duas ob res: scilicet, ob ea quæ fecerunt, & ob ea, quæ dixerunt. Ob facta inquam, quia cum ramis palmarum, & oliuarum Christo tripudiantes occurrerunt: eíque non tanquam puro homini, sed tanquam Deo gestientes, cum ramis obuiam exierunt: quæ ceremonia Deo duntaxat, non verò hominibus fieri solebat. Quando enim Deus tabernaculorum festum instituit hac ceremonia voluit illud celebrari dicens, Sumetis vobis de *Leuit.23* primo fructu arboris pulcherrimæ, spatulásq; palmarum & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente: & lætabimini coram Domino Deo vestro, celebrabitísq; solennitaté eius septem diebus per annum. Iudæi igitur Hierosolymitani, qui ceremoniis dediti erant, honorem hunc Deo solummodo dicatum Christo domino tribuunt veluti vero Deo, quod nunquam mundus suis Imperatoribus & principibus exhibuit, vt thura aut cultum suis Diis dicatum eis offert.

¶ Ob ea etiam, quæ isti dixerunt, diuinitas Christi celebrata est: nam illum Osanna in excelsis vocarunt, Hoc est, tu es Saluator mundi, peccatorum Redemptor, & peccatorum remissor. Mesias, filius Dauid, & Rex Israël. Itaque factis & dictis Christum filium Dei, & mundi Redemptorem confessi sunt: ideóque triumphum hunc honorabiliorem, & præstantiorem fuisse quàm omnium mūdi principum perspicuum est.

¶ At dices. Si Christus nos doctrinæ & humilitatis exēplum relinquere, & honores despicere docuit: quare hunc triumphum & honoré acceptauit? Dicendum est hunc honorem sibi deferri permisisse, vt omnes intelligerent ipsum esse filium Dei & verū Messiam, qui solus honore hoc recipiēdus erat. Alioqui hanc pompam & fastum proculdubio aspernatus fuisset: tanta enim humilitate erat, vt ne miracula quidé quæ faciebat diuulgari vellet. Surdo nanque & muto præcepit, vt taceret, dicens, nemini dixeris: Iairi etiam filiæ resurrectioné, & Apostolis transfigurationé tacendam voluit. *Matth.7 Matth.9 Matth.17* Nunc igitur hanc triumphi gloriam non contēnendam duxit, eò quòd vrgeret necessitas: necessum enim erat, vt nostra redéptio omnibus innotesceret, ac proinde vt se filium Deo ostenderet, de quo apud Zachariam prędictū erat. *Zacha.9* Exulta filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi. Sion auté, id est, populus qui Christum excipit: Regé Israël illum vocat dicens, Benedictus qui venit in nomine domini. Etiam si surdi essent pharisæi & templi sacerdotes, signū hoc & vocem populi potuissent cognoscere. Certè optimè intelxerūt propheciá illam in Christo domino verè fuisse verificatá & adimpletam: cæterum quia malitia sunt obcæcati credere noluerūt. *Ioann.12* Igitur voluit Christus hoc honore insigniri nostræ vtilitatis causa: vt scilicet illū cognosceremus. Deinde vt nobis exēplar quoddá in recipiendis honoribus imitandū relinqueret. Quid est enim aliud illum asello quodá vili in tanto triūpho vectum fuisse: nisi nos verè doceri humilitaté quæ inter honores & pompam maximè periclitatur? Quemadmodum enim ille, qui fastigium excelsi alicuius ædificij est ascensurus, nisi plurimum habeat cerebri & mentis compos fuerit, cadet & animá exhalabit: eo prorsus modo qui ad dignitatum & honorum fastigium euehitur, nisi sanæ mentis & intelligétiæ compos fuerit, humilitatémq; prę oculis amplexandá habuerit, facillimè decidens in profundissimas impiorū sedes dilabetur. Quamobrem maxima in dignitatibus moderatio est habenda & humilitas: alioqui & honorū & animæ iactura fiet. Vnde Ecclesiasticus, In die honoris tui, ne extollaris. *Eccle.11* Humilis erat Saul quando Rex Israël creatus est, quod ipse probè tenés dicebat, *1.Reg.9* Nunquid nō filius Iemini ego sum, de minima tribu Israël: & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin? At verò posteaquā regno potitus est & Israël dominio, prorsus euanuit: & ex humili arrogás rex effectus, ad inferos est præcipitatus. Humilitas inter honores rara auis: & ideo paucissimi in alto dignitatum gradu collocati, à superbia sibi temperant. Quocirca à Deo obnoxiè est nobis cótendendum, vt in rebus secundis nos tueatur humilésq; efficiat: quòd non ignorans propheta ille regius à Domino cum esset Rex humilitatem petiuit, quàm meruit impetrare. *Psal.118* Idem etiam præstitit sacrosancta illa virgo ac Deipara Maria in angelica salutatione, cùm ab angelo se laudari videret. *Luc.1* Ita se gessit præcursor Domini Ioannes quando honore Messiæ salutatus, dixit. *Ioan.1* Non sum dignus soluere corrigiam calciamenti.

¶ Tertio Christus hunc honoré & triumphum nō lentè, sed raptim sibi voluit exhiberi, vt scilicet nos doceret modū, quo in dignitatibus nostris terrestribus & caducis honoribus nos habere debeamus: fluxiles enim & momētanei sunt, milléq; periculis & casib. obnoxij. Quamobré in illis imitari debemus Ægypti canes, qui siti compellente aquā Nili hausturi properanter quidem, nec omnem simul, sed raptim per littus decurrentes ex interuallis illam degustant: ne videlicet si lentè & parum circunspecti ebibāt in medio potu à crocodilis capiantur & deuorētur: vnde dicī solet. Ito, sicut canis

per Nilum. Hoc est, properãter. Quot diuites, quot principes, quot Reges & Imperatores è viuis demigrarunt: quorũ sepulchra teruntur pedibus eorum, quos in vita ne videre quidem voluerunt? Vbi illa arrogantia? Vbi illorũ omnium despectus? Vbi honores, dignitates, & regna? Omnia illa iam vt fumus transierunt, eorúmq; memoria est consepulta.

Gaudia vana trahunt incommoda maxima secum.

¶Quartò Christus in medio triumphi in lachrymas prorumpit, innuens mundanas has dignitates potius tristitia & fletu quã gaudio & risu esse prosequendas. Si huiusmodi honores quemadmodum Christus recepit nos susceperimus, nobis detrimento minimè fuissent: verũ quia elato animo suscipimus, nos perdunt & occidunt. Testis nobis esse poterit Aman, quem nõ aduersa, sed secunda miserrimũ fecit fortuna: quippe quæ nõ solùm illum Assueri regis familiaritate, verũ vita ipsa per summũ dedecus denudauit. Quamobrem soli humiles inter ipsos dignitatum cumulos prudenter à lachrymis sibi non temperant: qua de causa potens illa regina Hester lachrymis tota distillans, Domino dicebat. Tu scis quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ: quòd est super caput meum, &c. Sed ad contextum reuertamur. Igitur cùm sic humilis Iesus in asello incederet versus Hierusalem per montem Oliuarum, audi quid Euangelista dicat.

Hester 7

Hester 14

Eunte autem illo, substernebant omnia vestimenta sua in via. Quæ nõ solùm à discipulis verùm ab omnibus illis, qui Christũ sequebantur ab Hierico & ab omni populo Hierusalem, & vicinis, vt Christum honorarẽt proprias vestes asello terẽdas extenderunt ad nullum illarũ damnũ attendentes: & vestimenta quibus honorari solent homines sibi detraxerunt, ac illius subiecerũt pedibus. Perpende præterea discrimen inter hanc Christi exceptionem, & aliorũ huius sæculi regum & imperatorũ. Hi nanq; vrbem aliquã solenniter ingressuri excipi solẽt sub precioso aliquo peripetasmate ad aëris iniurias euitãdas, & solennitatem ac apparatum ostendendum. Itaq; ingrediuntur tecto cœlo & discooperta terra: vt scilicet non illud, sed hanc possint intueri, innuentes se nõ cœlestes, sed terrenos esse reges & Imperatores. At cùm Christus dominus dicat regnum meum nõ est de hoc mundo, ingreditur cooperta terra: cùm autem sit rex cœlestis discooperto cœlo. Exceptus igitur est strata terra nõ solùm vestibus verùm etiam ramis, tum oliuarum tum palmarum. Oliuarum quidem ramos afferebant illi, qui Iesum ab Ierico sequebãtur: palmarum ramos illi, qui ab Hierusalem egrediẽtes Christo obuij facti sunt, vt testatur Ioannes. Motæ verò hæ turbæ sunt ad hunc honorem Christo exhibẽdum, tum à quodam gaudio spirituali quod conceperãt ex miraculis, & signis quæ viderant: quod expressè affirmat noster Lucas cùm inquit, laudabant eum super virtutibus, quas viderant: tum etiam specialius ob miraculum suscitationis Lazari vt ait Ioannes. Testimonium (inquit) perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea & obuiam venit ei turba, quia audierũt eum fecisse hoc signũ. Et cùm nunc primũ post miraculum illud editum Hierosolymã ingrederetur, omnis populus ei obuius factus est. Sed præcipua ratio, quare hæ gentes motæ sunt vt Christũ sic honorificè exciperent est, quia Deus mouit corda earum, vt hæc facerent, & illum cum honore prosequerẽtur. Et ideo dicentibus Iudæis, vt increparet gentes illas ob ea quæ faciebant respondit. Si hi tacuerint, lapides clamabunt. Quasi diceret. Fieri non potest, vt aliter fiat: est enim hoc, in eorum animis insitum. Vnde apud Matthæum inquit. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Hoc est, Deus laudem in ore puerorum perficit: atqui illa quam Deus perficit, est ad quam exhibendam ipse incitat, qualis fuit hæc præsens harum turbarum.

Ioan. 19

Ioan. 12

Matth. 21

¶Obseruandum quoque hîc est, nõ exisse Christo obuiam diuites, non magnates, non principes, hi enim de gloria Dei non admodum sunt soliciti: sed turbam, hoc est populum ipsum & abiectos ac pauperculos homines: in his enim quæ ad Dei cultum attinent, longè promptiores pauperculi, quàm opulenti reperiuntur.

¶Porrò ex diligẽtia & feruore, quo hæ turbæ excipiunt ramis & vestibus Christũ, exemplũ possumus capere & modũ, studium & animi ardorẽ, quo nobis Deus est colendus. Hoc sanè modo patriarcha ille Abrahã Deum excepit hospitio suo. Confestim ipse ad armenta cucurrit, iubet adduci vitulum, & Sara eius vxor panes festinanter coxit. Vnde aduertendũ relinquitur in domo iusti, ad cultum Deo exhibendũ esse omnes egregiè diligẽtes. At in domibus impiorũ omnes inuenies Deo negligentes, cacodæmoni vero diligentissimos. Vnde apud Hieremiam de impiis loquẽs dicit dominus. Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem: vt faciant placentas reginæ cœli & libent diis alienis, vt me ad iracundiã prouocent. In Hebræo est placentas opere cœli: & appellat panes latos & rotundos ex farre & melle, cum stellulis quibusdam depictis qui offerri solebant idolis: & quia stellati erant, ideo dicuntur facti opere cœli. Quemadmodum igitur probi homines Deo seruituri non quiescunt, vt dicebamus de Abraham, & de hac turba, quia alij scindebant ramos de arboribus, & alij vestes suas in via prosternebant: sic etiam improbi in dæmone colendo omnes suas adhibent vires, ac inquieti nihil intentatũ relinquũt. Balac maximè occupabatur in construendis altaribus, vt Balam populo Dei malediceret. Summa diligentia & studio quærebat Herodes à Magis quo in loco Christus esset natus: vt illum è medio tolleret. Impigrum etiam se exhibebat nefarius ille Iudas, vt Christum venderet ac traderet: cùm cæteri discipuli in horto obdormirẽt. Erubescamus ergo videntes tam diligentes in dæmone seruiendo esse impios: nos verò in Christo omnium autore colendo tam pigros & tardos esse. Quinimo deinceps nõ solum ipsi verùm tota nostra domus, & familia in Dei cultu & obseruantia occupetur, velut Abraham & hasce turbas occupari conspicimus. Sequitur de laude vocali.

Genes. 18

Hiere. 7

Num. 23

Matth. 2

Matth. 26

Et cùm appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant virtutibus.

Ex quo loco clarè patet priùs vias fuisse instratas & omnem apparatum exhibitum: deinde verò accessisse laudes. Hîc autem maximè est obseruandum cõuinci ex hoc textu errorem impiissimorum hæreticorum nostri temporis: qui vestigiis nefarij Lutheri insistentes falsò damnant orationes vocales & laudes quas sacrosancta mater Ecclesia Romana Spiritu sancto ducta celebrare consueuit.

Nonne

Nonne magna voce Christum efferebant ipso id approbante, imo eos defendente coram pharisæis *Matth.21* hoc faciebant? Hæretici verè filij & discipuli sunt pharisæorum, quădoquidem prohibent laudes vocales domino reddi: cum tamen ipse maximè probet has laudes, quia cùm pharisæi dixissent, magister increpa illos: respódit dominus, Si hi tacuerint *Luc.19* lapides clamabunt. Constat etiam ex superioribus angelos in Christi natiuitate cócinuisse magna voce, gloria in excelsis Deo. Cùm igitur cantĕt Angeli, & cantĕt turbæ hæ: audĕt tamen hæretici impudentissimè has laudes & cantilenas improbare, & claudunt os laudantium Deū. Et ipse Christus (ait *Marc.14* Marcus) quod hymno dicto exiit in mótem Oliua- *Ephe.5* rum. Et Paulus quoque Ephesiis ait, Cantantes & psallentes in cordibus vestris domino. Dixit in cordibus vestris vt moneat, quòd quando psallimus & cantamus attentionem habeamus: ne vnum dicat os vocale, & aliud cor nostrum cogitet. Idem dicit *Colos.3* ad Colossenses. Et Ioánes affirmat in fœlicissimis *Apoc.4* illis cœlitum sedibus nihil aliud personare quă vocalem Dei laudĕ & quatuor animalia incessanter noctu, & interdiu proclamare, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotĕs, qui erat, & qui est, *Apoc.5* & qui venturus est. Addidit deinde quatuor illa animalia cum quatuor & viginti senioribus quòd cătabant canticum nouum dicĕtes, Dignus es domi- *Apoc.7* ne, aperire librum, &c. Et rursus, turba ingens ma- *Apoc.19* gna voce personabat, Salus Deo nostro. Deinde, audiui (inquit) quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicĕtium, alleluia. Obmutescant ergo & meritò obmutescant impij & proterui hæretici, videntes nimirum toties repetitam, & celebratam vocalem laudem. Intelligant iure optimo Ecclesiam in laudando vocaliter domino verè imitari cœlestes illos ciues qui nihil aliud curant quàm creatorem *Tobia 13* suum vocaliter laudare. Tobiam quoque audiant prædicentem, per vicos Hierusalem cantădum alleluia. Attendant ad id quod Moses fecit cum filiis *Exod.15* Israël, qui cùm vidissent Ægyptios mortuos in căticum proruperunt, dicentes. Cantemus domino: gloriose enim, &c. Videant factum Dauid & totius *2.Reg.6* Israël, qui cum arcam deferrent ex domo Obededon, in citharis, lyris, & tympanis colludebăt. Ad- *1.Para.15* uertăt ad illud primi libri Paralipomenon, vbi dicitur. Isti sunt quos constituit Dauid super cătores domus domini. Item secŭdo eiusdĕ, cum Iosaphat pugnaturus esset contra filios Moab factus est spiritus domini super Iaziel Leuitam de filiis Asaph, & dedit consiliŭ populo, & statuit cătores domini, vt *2.Para.20* laudarent eum in turmis suis & antecederent exercitum & voce consona dicerĕt. Confitemini domino, quoniam in sæculum misericordia eius. Et cùm cœpissent laudes canere vertit dominus insidias *Eccle.47* eorŭ in semetipsos. Et Ecclesiasticus laudăs Dauid inquit. Et stare fecit cătores cótra altare, & in som- *Esaia 6* no eorum dulces fecit modos. Esaias etiam vidit duos Seraphines clamătes alterum ad alterum, dicĕtes. Sanctus, sanctus, sanctus dominus exercituŭ. plena est omnis terra gloria eius. Et de Sion inquit *Esa.51* idem Esaias. Gaudiŭ & lætitia inuenietur in ea: gratiarum actio & vox laudis. Et cùm Dauid, choro, *Psal.150* chordis, organo, laudemus Deum in tympanis. Ait etiam Tertullianus in Apologet. 2. aduersus gĕtes, Plinium secundum cum prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, corúmq; multitudine perturbatus, Traianum Imperatorem consuluisse quid de cætero ageret: cui allegauit præter obstinationem nó sacrificandi, nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo & Deo. Hinc igitur constat vocalem laudem semper esse Deo à Christianis redditam, ab ipso primæuo ortu Ecclesiæ. Cæterum de his satis. Nunc quid voce magna laudabant isti, atque dicebant audiamus.

Benedictus qui venit Rex in nomine domini: pax in cœlo, & gloria in excelsis.

Sit laudatus qui venit in virtute Dei, & secundum voluntatem ipsius, atque ad gloriam eius. In eo autem quòd dicunt pax in cœlo, significatur recóciliatio generis humani cum Deo & angelis facta per Christum: de quo dixit Apostolus. Pacifi- *Colos.1* cans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris sunt siue quæ in cœlis. Matthæus testatur quod dixerunt Osanna, quæ Hebraicè est, salua vel saluifica. Et in Psalmo cĕtesimo decimoseptimo, qui manifestè de aduentu saluatoris scriptus est, inter cætera hoc quoq; legimus. O domine saluum me fac, ô domine benè prosperare: benedictus qui venit in nomine domini. Pro eo quod habetur ô domine saluum me fac, in Hebræo legimus Ana, Adonay, Osanna, quod manifestius interpretatus est Simachus dicens, Obsecro, ô domine saluum me fac. Lege diuum Hieronymum. *Hiero. sup. Matth.21 & in epistol. ad Damas.*

¶Obseruădum verò est nó esse verisimile quod omnis hæc multitudo intelligeret quæ de Christo canebătur: licet omnes tam præcedentes quàm insequentes hæc canerent: magnorum tamen erat illa intelligere. Vnde Chrysostomus ait, quod non *Chrys. hom.38 in op. imperf. Matth.* omnes intelligebant. Cæterum impulsi à Spiritu sancto huiusmodi cantilenis hunc triumphum celebrabant: qua de causa saluator dixit pharisæis. Num legistis illud, ex ore infantium & lactentium *Psal.8* perfecisti laudem? Non dixit infantes & lactentes perfectam reddiderŭt laudem, sed ex ore infantium & lactentium: quia Deus per os illorum loquebatur, ipsis non intelligentibus quæ dicerent. Etenim si ipsi intelligerent quæ dicebant, nó Deus per eos, sed ipsi à Deo illuminati loqui dicerentur. Perpende hîc diuinam potĕtiam: nam Deus ipse suum honorem & gloriam custodit & tuetur, & tunc magis procurat augmentum eius cum magis periclitatur: tunc enim altius effertur: altius eleuatur, & longè gloriosior redditur. Cùm iam Christus morti esset addictus per nepharium illud cócilium & impiam Iudæorum congregationĕ, tunc prædicabant ipsius gloriam & ei occurrebant obuiam. Item cùm glo- *Ioan.11* ria miraculorum Christi obscurior videbatur ob dicta pharisæorum blasphemantium & dicentium in Beelzebub dæmoniorum principe eiicit dæmonia, tunc Deus suam gloriam maiorem ostendit, & rediit per mulierem magna voce clamantem, Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti. *Luca 11* Præterea cùm gloria Christi in cruce morientis extingui videbatur, Christum verum Deum confessus est Centurio dicens: Verè hic filius Dei erat. Et non solùm in ipso mortis articulo à Centurione *Marc.15* hoc rationali, sed etiă à sole, luna & stellis & lapidibus irrationabilibus voluit glorificari. Adde etiă quòd Azoti putantes arcam Dei esse victam suóq; idolo subiectam inuenerŭt eam superantem ido- *1.Reg.5* lúmq; ipsum Dagon confractum, ipsa mirabiliter triumphăte. Nec pro se tantummodo suóq; honore stat Deus, sed pro omnibus ipsi morigerantibus. Cùm

Cùm enim Israëliticus populus esset depressus, & à Rege Assuero morti addictus ob insidias & odium Aman: tunc per Mardochæum in domo regia magnum effectum, populus ille liberatus, & exaltatus est: Iudæis enim noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium. Sic iustum Ioseph in carcere abiectum, honoribus affecit: & Susannam morti adiudicatam. In nostris ergo angustiis & tribulationibus ne animum contrahamus, Dei potius clementiam & misericordiam inuocantes: nostrarum miseriarũ remedium fidenter expectemus. Sic enim omnipotens ille Deus, immensum benignitatis pelagus nos à malo eripiet & glorificabit. Sic enim Israël ab Ægypto seruitutis iugo liberauit: sic per magnanimam illam Iudith, squalore iacenté, mœrore confectum, ac prope desperátem de salute populum suum erexit, exhilarauit, in mentem deniq; ac spem meliorem restituens vendicauit.

Hest. 8 · Genes. 41 · Dan. 13 · Exod. 14 · Iudit. 14

Et quidem pharisæorum de turbis dixerunt ad illum, Magister increpa discipulos tuos.

Putabant enim regis nomen ad seditionem, domini verò nomen ad blasphemiam facere. Vbi notandum quàm tetrum, quàm pestilens & detestandum malum sit inuidia. Si nanq; cum auaritia cõferatur, superior euadet inuidia: etenim auarus si non vult cõmunicare aliis bona sua, vult tamen, vt alij sua communicent: inuidus autem neutrum vult. Si comparetur cum ira, superabit inuidia: ira enim & maleuolentia percitus male quidem cupit aliis: hoc tamen odium & iracundia à proximi offendiculo ortum habeat necesse est, ac proinde nõ in iratum, sed in alios culpa conijci debet. At inuidus à nullo offensus torquetur ob aliorum res prosperas: quod in cæteris etiam vitiis facile erit perspicere.

Inuidia grauissimum peccatum.

Quibus ipse ait, Dico vobis quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Sciebat nanq; Christus tempus illud definitum esse à diuina prouidentia ad contestandum publicè ipsum esse verũ Messiam, & adimplendá necessario diuinam prædestinationem: quam ob causam non solùm rationales creaturæ verùm irrationales & insensibiles, vtpote lapides clamassent. Dixit autem hoc vt intelligerét fieri nullo modo posse, imo esse omnino impossibile, vt ipsi tacerent.

¶ Aduertendum autem scripturam sacram (vt Chrysostomus annotat) ita de insensibilibus loqui solere ac si sensu ac voluntate prędita essent. Vnde illud, Spiritus vbi vult spirat & vocé eius audis & nescis vnde veniat, aut quo vadat: significás liberũ à natura impetũ venti. Sic Esaias. Erubesce Sidon dixit mare. Et in Psalmo. Cœli enarrát gloriã Dei. Et Abacuc ait, Lapis ex pariete clamabit, & lignũ quod inter iuncturas ædificiorum est respondebit. Hoc est. Si extruxeris domum ex alienis opibus, ipsa ligna fatebũtur te esse furem. Et iterũ in Psalmo. Mare vidit & fugit. & Abacuc iterũ. Inanimatæ creaturæ clamant. Loquitur de tyrannis & vsurariis qui mala cõscientia ædificant, & est figura prosopopœia. Impossibile igitur est quin gloria Dei prędicetur ab irrationabilibus creaturis quãdo rationales tacuerint. Clariùs hoc videre possumus in passione domini: nam cũ eo crucifixo starét à longè omnes noti & amici eius, nec præ timore auderent cõfiteri verũ esse Deum, qué in crucem sublatum intuebantur, ac proinde meticulosi tacerent, ecce irrationalia rerum omnium autoré pati significarunt: emisso enim Christi spiritu terra commota est, lapides se collidentes scissi sunt, mortuorum sepulchra omnibus stupescentibus patuerunt.

Chrys. hom. 25 super Ioan. · Ioan. 3 · Esaie 23 · Psal. 18 · Abacuc. 2 · Psal. 113 · Abacuc. 3 · Matth. 27

¶ Aduertendum prætera multifariam Christi dispensationem. Alibi enim ab iis quibus benefecerat se laudari vetat, nunc verò suos laudatores defendit: illud modestiæ, hoc auté necessitati tribuédum est, non enim in præsentia oportebat vt negaret se verum esse Deum. Nunquam igitur cessemus in eius laudibus, ei nanque gratissimum id semper erit, quod optimè intelligebat & pręstabat regius propheta cùm dicebat. Benedicam dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.

Lucæ 8 · Psal. 33

Et vt appropinquauit vidés ciuitaté fleuit super illam.

Sæpissimè in veteri testaméto prophetæ calamitates & infortunia populo Israëlitico euẽtura prædixerunt: nõ verbis solũ sed operibus & aliis signis exterioribus. Samuel prophetauit regnum Israël Sauli futurum obnoxium cùm in manibus tenens pallium Sauli scidit medium. Sic Achaias propheta cùm scidit pallium Hieroboam in decé partes innuit ipsum regem futurũ decem tribuũ. Hieremias etiam arripuit vrceum & corá populo fregit, pręsagiens ita omnes fore frangendos. Deinde cathenis vinctus coram populo stetit demonstrans eius futuram seruitutem & captiuitatem apud Babylonios. Ezechiel quoque assumpta nouacula capillos sibi per partes tres abrasit: quarum vnam combussit, aliam scidit, & tertiam per aërem sparsit. Per primã partem innuit populum peste & fame laboraturum: per secundam, gladio percutiendum: per tertiam captiuum fore dispergendum. Sic in pręsentia Christus intuens ciuitatem Hierusalem pręsagit non sine lachrymis mala, & euersionem illius ostendit per has lachrymas aliquando fore, vt Hierosolymitani licet nunc rideát, nõ mediocriter defleant. Tria hîc dicuntur notatu digna. Primum quòd appropinquauit Hierusalem. Secundum quòd illam vidit. Tertiũ quòd super illam fleuit. Itaque quod ad primum attinet, hoc idem profectò accidit singulis diebus: etenim Deus ad peccatores appropinquat in vitiis & sceleribus obstinatos, ac suæ gloriæ lumine irradiat eos: cùm tamé miserrimi & obcæcati homines inspirátem & saluberrimè hortantem non recipiant. Ideo Salomon admonet dicens. Appropinqua vt audias: multò enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ. Lachrymis prosequebatur Sophonias propheta, hanc hominum obstinatorum iniuriam dicens. Væ prouocatrix & redépta ciuitas columba. Non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam: in domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquauit. Cũ igitur Christus videat se ad nos accedere, nos verò ad eum minimè: in lachrymis prorumpit. Non tãtum ciuitati appropinquabat pedibus, sed compassione. Vnde diuites sibi exemplum petant, vt se exhibeát veros Christi imitatores appropinquantes hoc modo ad pauperes & ad infirmos: cõmiseratione videlicet Christiana, ac eorum inopiam subleuent, afflictos consolentur, iacentes erigant, humano denique auxilio propè destitutos confirment. Sed prôh dolor non ita sese gerunt: appropinquant quidem illi ad egenos in viis stipem demandantes corporaliter: at si ad commiserationem spectemus, potiùs ab illis recedunt. Intuentur illos corporeis oculis, pedibus proculcát, cum tædio & nausea prætereunt: tantum abest vt eorum miseriis condoleant, leuaméque aliquod afferant.

1. Reg. 15 · 3. Reg. 11 · Hiere. 19 · Hiere. 28 · Eze. 5 · Deus se appropinquat peccatori vt ipse appropinquet Deo. · Eccle. 4 · Soph. 3

afferant. Sibi tamen persuadent si nunc oculos à pauperculis auertunt, fore aliquando vt Deus ipse egenorũ pater, suos à diuitibus auertat: & iure optimo audiêt in illa die in qua totius vitæ nostræ rationẽ sumus reddituri. Ite maledicti in ignẽ ęternũ. Esuriui & nõ dedistis mihi manducare. Sitiui, &c.

Matth.25

Dei videre est misereri.

¶ Deinde vidit Deus ciuitatẽ. Fœlix illa quidẽ si hac visione nõ fuisset abusa: nõ enim solet ex Dei intuitu sequi perditio, sed salus. Sic enim oculos côiecit in Petrũ, Zachæũ, Matthæũ, & misertus est eis: & tandẽ eos cõuertit. Sic vidit Agar ancillam Abrahæ, quę dixit, Tu Deus, qui vidisti me. Ex Dei igitur intuitu nostra procedit salus: è cõtrario verò ex auersione oculorũ eius, perditio. Quamobrem dicebat Dauid. Auertente te faciem tuam omnia turbabuntur: auferes spiritũ eorũ & deficient. Cæterũ cùm Christus hunc intuitũ nihil ciuitati profuturum videret, super eam misericordia commotus, lachrymatus est. Vidit Deus mundũ & miseratione impulsus eius redimendi gratia carnem hanc nostrã sibi copulauit, & miseriis humanis subiecit se. Nobis igitur à Deo est petendum, vt nos dignetur aspicere ac tandem nostri misereri, quemadmodum intuitus est Petrũ & misertus, quando apud Pontificẽ negauit ipsum. Dignetur prętereà super nostra scelera flere nósque sua miseratione intueri, vt culpas deleat. Vnde egregius psaltes dominũ deprecabatur dicens, Respice in me, & miserere mei: quia vnicus & pauper sum ego. ¶ Porro quod ad tertiũ attinet fleuit super illam: nõ diruendos quidẽ muros, nõ subuertẽda ædificia Hierusalẽ deplorat dominus: sed cæcitatẽ ciuiũ eius, & animarũ interitũ & iacturam. Licet ergo modo aliquo, & minus principaliter per has lachrymas prędicet euersionẽ murorũ & turriũ. non deflet nisi peccata, quę tantæ vastationis causa fuerũt, quam causam subdit ipse Christus dicens, Eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Docet prętereà lachrymis esse eluenda peccata, quippe quę scelerum vulneribus aptissima sint medicamenta, & nihil aliud pręstent quàm cõmissa peccata abolere. Licet enim natos, parentes, amicos, vita defunctos, licet bona amissa lachrymis prosequaris: nunquam tamen quidquam illorũ recuperabis. At si Deum grauiter offendisti, lachrymis offensum tibi reconciliabis, obliteratísque peccatis omnibus amissam recuperabis gratiam. Hic est lachrymarũ vsus, hic scopus, ad quem sunt dirigendæ. Vnde dominus per Ezechielem. In quacunq; hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor. Ne ergo in temporalibus lamentandis tempus teramus, sed potius ad abluendas animorum sordes fletum, & lachrymas conuertamus. Si enim approbatissima nobis esset aqua, aut alius liquor ad lippitudinem, & omnem oculorum morbum curandum: & nos eo abutentes pedes lauaremus, nonne iure optimo irrideremur? Eodem prorsus modo lachrymæ peccatis nõ autem aliis rebus medentur: si verò ad huius sæculi bona recuperanda applicentur vanæ sunt. Lachrymæ itaque ad nihilum omnino prosunt nisi ad vulnera animæ curanda: ad alia autem medicamenta nullius esse momenti, perspicuum est. Quapropter viri prudentia & sapientia exculti nõ lachrymantur nisi pro Deo allatis iniuriis: insanum nanq; existimant pedes aqua abluere, quæ ad medelam oculorum solummodo vtilis est. Quamobrem cùm mulieres illæ tempore passionis Christi super ipsum flerent, nolite (inquit ille) filiæ Hierusalem flere super me: sed super vos ipsas: quia venient dies, &c. Ratio autem quare Christus hæc dixerit est: quia lachrymæ peccatis adhibẽtur, ipse verò absq; peccatis erat: ob idq; nolite flere super me, quia peccator non sum, sed super vos & super peccatores filios vestros. Hanc enim lachrymarum medicinam Christus prudens medicus ad peccata delenda solùm esse applicanda dicebat. Hæc etiam est causa quare super Lazarum fuit lachrymatus, quia scilicet mors introducta fuerat per peccatum: contra quod tunc infremuit spiritu. Et in cruce testante Paulo ob nostra flagitia lachrymis orauit clamore magno, & exauditus est pro sua reuerentia. Pręterea cùm sanasset aridam manũ cuiusdam, vt ait Marcus, contristatus est super cęcitatem cordis eorum. Quam cęcitatem nunc etiam deplorat, atque ideo dicit. Si cognouisses & tu. Vsum lachrymarum probè tenebat regius ille propheta Dauid: nam cùm aliquando filius puer ex Bersabee moreretur mortémque eius audisset ex strato surrexit, & mensæ lætabundus indulsit, ac Bersabee nõ mediocriter est consolatus. Quod ideò fecit, quia fletus suscitare nequit vita defunctos, & puer ille innocẽs & absque peccatis erat. At quãdo impius Absalon fuit interemptus damnationẽ eius timens, lachrymis mortem eius lamẽtabatur dicens: Absalon fili mi, fili mi Absalon. Quis mihi daret, vt moriar pro te? Intelligebat enim sanctus vir filium flagitiis immersum diem obiisse. Eodem modo Christus dominus nũc, crimina, scelera, & cęcitatẽ Hierusalem lamentãs ait, O Hierusalem, Hierusalem, quis mihi daret, vt morerer pro te. Si Dauid Absalonis mortem deflebat, amore quo eum diligebat in causa existente dicens, quis mihi daret, vt moriar pro te: quanto iustiori ratione hoc facere Christus poterat & plorare, quis mihi det Hierusalem vt moriar pro te? Maiori certè dilectione prosequebatur Christus Hierusalem, quàm Dauid filiũ suum Absalon: quo fit vt Christus pro Hierusalem mortem susceperit, nõ verò Dauid pro Absalone. Quis mihi daret ô Hierusalem dilectissima vt moriar pro te? Itaque ego, vsquequo pro te mortem suscipiam, non quiescã. Lachrymæ certè Dauid nihil fieri debent, si lachrymis quas emisit & effudit Christus æquipatentur. Vterque itaque super peccata defleuit. Flebilia verba super Hierusalem Christus proferebat, quam abundare peccatis sciebat. Si Christus hoc tempore è cœlo in terram delaberetur, vt olim carne passibili, conspiceretque tot ciuitates, regna, & imperia innumeris flagitiis inquinata & immersa, non se posset à lachrymis tẽperare. Etenim si super Hierusalem vnicam ciuitatem tot lachrymas profudit, quid super tot regiones & ciuitates facturum fuisse arbitrãdum est? Certè incessabilibus lachrymis super hanc potius ploraret ciuitatem, quàm olim super Hierusalem fleuit. Ampliora enim beneficia quàm Hierosolymitani illi accepimus à domino: sceleráque nostra & ingratitudo maiora certè sunt sceleribus ciuium Hierusalem, &c.

¶ Adnotandum pręterea quòd in hoc maximè ostenditur Dei sapientia: nam quid animi sordes potius elueret, quã id quod ex intimis defluit partibus? nempe lachrymæ? Peccatũ duo in mundum inuexit: mortem scilicet & tristitiam. De primo ait diuus Paulus, Per vnum hominem peccatũ, & per peccatum mors. De secundo fecit mentionem ipse dominus

Marginalia: Matth.26 / Luc.19 / Matth.9 / Genes.16 / Psalm 103 / Marc.14 / Psal.103 / Ezech.18 / Luc.23 / Ioan.11 / Hebr.5 / Marc.3 / 2.Reg.12 / 2.Reg.18 / Collatio fletus Christi cũ Dauidis fletu. / Peccatũ duo secum fert.

Genes.3 dominus cùm dixit Euæ. In dolore paries filios. Cæterum his etiam duobus à se inuectis deletur peccatum. Voluit dominus vt filiis peccati aboleretur peccatū. Quemadmodum enim vt philosophi naturales tradunt & refert Lactantius cineres & pul-
Lact. li. de ira Dei c.13 ueres combustæ viperæ, ad ipsius morsum venenosum sunt presentissimum remedium, ac vt tinea ex ligno nata ipsum consumit: ita ex peccato nascuntur hæc duo ipsum penitus delentia. Quod autem mors peccatū deleat, patet in martyribus, quorum mors & martyrium in causa sunt quare illis peccatum remittatur. Deinde Christi Redēptoris mors animarum nostrarum mortem destruxit. Deinde
Rom.7 Paulus, vos (inquit) moriemini, vt morte peccata
Ezec.18 soluantur. Secundum innuit dominus per Ezechielem dicens. In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum, &c. Lachrymis, dolore, tristitia, delentur peccata: & animarum nostrarum vulnera curātur. Vnde Petrus Spiritu sancto afflatus peccatoribus quibusdam dixit. Pœnitentiam agite in remissionem peccatorum. Ex dictis itaque
Act.2 patet Christum nō mœnia, non turres Hierusalem: sed flagitia eius lachrymis fuisse prosecutū. Restat nunc videre: quæ flagitia illa fuerint. Fuerūt autem duo præcipua. Primū, quod Hierusalem, nullam futurorum malorū rationem habebat. Secundū, quia
Securitas nimia dānabilis. nolebat suscipere dona Dei. ¶Quo ad primū aduerte turpissimū esse & homine indignissimū non omnino preuidere mala futura. Vnde inquit dominus. Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo. Cùm igitur ciuitas illa iam multis calamitatibus & infortuniis esset destinata & gaudio exiliens rediret futurorū malorū immemor, Christus hoc intelligens lachrymas præ dolore & commiseratione cohibere non potuit. Freneticus quanto infirmior & proximior sepulturæ est, magis ridet: eius tamen consanguinei maiores extendūt fletus cum freneticus feruentius ridet & lætatur. Ciuitas hæc velut frenetica cùm morti, vastationi, & excidio esset exposita, ridebat & lætabatur: Christus verò flet, quod nequaquā fecisset si Hierusalem pœnitentia nō eguisset. Maximè enim est deplorādum videre homines in præsentibus ita occupatos, vt de futuris minimè cogitent. Prudentes non ita se gerunt: nam si prospera adest fortuna aduersæ memi-
Ecclesi.11 nerunt, præ oculis habentes illud Sapientiæ. In die
Psal.48 malorum memor esto bonorū. Ideo Dauid in Psalmo. Homo (inquit) cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus: & similis factus est illis. Bruta enim solummodo ad id quod adest quódq; præsens est se accommodant. Cordati igitur homines à brutis longo interuallo distantes in principio tentationis, & peccati finem
Genes.25 consecuturum considerent. De Iacob legitur quòd quando natus est Esau, per plantā pedis illum cœpit Iacob. Inter iustos & flagitiosos homines hoc interest, quòd iusti per plantam pedis, hoc est, per finem vitia apprehendunt, semper enim ad peccati finem aduertunt: flagitiosi verò per caput, hoc est, per principium apprehendunt Esau, hoc est vitia, nulla finis habita ratione. Mala Hierusalem futura nunc Christus plorat: quod olim Hieremiam fecis-
Thren.1 se scriptura commemorat. Sordes eius in pedibus eius, non est recordata finis illius. Apprehende igitur Esau per plantam pedis. Vnde Hebraicè idem nomen עקב significat plantam pedis & finem. Itaque si in numero prudentium haberi volumus ad finem semper attendamus: atque ità qui sanitate
fruitur, se aliquando ægrotaturum recordetur: qui diuitiis affluens est, se aliquando ipsis spoliatum iri cogitet, qui viuit, se aliquando diem obiturum consideret: qui denique risui & voluptati indulget, sibi aliquando plorādum omniúmq; vel minimarum cogitationum reddendam fore rationem animaduertat. Hanc igitur inaduertentiam deflet nunc summus ille rerum omnium opifex Christus. Nec immeritò: nihil tam multis lachrymis dignum est, quàm videre miseros homines mortis & fortunæ talis obnoxios ita viuere quasi nunquā quidquam horum sint degustaturi. Hanc incuriam appositissimo exemplo declarandam arbitror. Æstiuo tempore solent defatigati viatores ad vmbram arboris alicuius sese recipere, ac tandem somno corripi. Cæterū cùm à somno excitantur se ad solis radios expositos vident opprimente caput dolore, febre plerumque corpus vexante, sudore vndecunque copiosissimè manāti: atque ita qui ad vmbrā illam fugacem releuandi sui causa aufugerāt, delusi grauius vexantur. Eodem prorsus modo, qui fidunt secundis rebus, voluptatibus se dedunt, genio indulgent, seq; in his omnibus quæ fugacissimæ vmbræ instar sunt releuandos arbitrantur: cùm tandem aliquādo expergesiunt in morte, illarum fallaciam, & inconstantiam experiuntur. Peccatores (inquit
Iob) sub vmbra requiescunt. Ne igitur nostræ salutis & animarum immemores fallacibus huius miserrimæ vitæ rebus fidamus: ne principū fauoribus, ne honoribus, ne dignitatibus, fidem adhibeamus: qui enim fidit fauori principis, qui diuitiis & opibus, qui voluptatibus, qui denique dignitatibus, is proculdubio sub vmbra dormit. Vnde fit, vt hæc prętereant: & ipse se ad solem, hoc est, ad inferni calorem & ignem expositū comperiat. Quamobrem ne vanè & stultè fluxiles huius sæculi res suspiciamus sed despiciamus potius, & nostrarū actionum principium, illarū verò fines contēplemur: etenim hominū viuere conferri solet fluminibus. Vt enim eorum aquæ dulces quidem sunt, sed ad salsum & amarum mare semper tendunt: sic hominum vita dulcis est, tendit tamen in amaritudines sepulturæ. Vocauit aliquando Deus prophetam Hieremiam
& adduxit in domum figuli cuiusdam, vt ibi prophetam edoceret, cùm vbicunq; id pręstare potuisset: innuens domum illam esse sepulturam, vbi veræ sapientiæ schola est, in qua Deus admirabilem doctrinam suos edocere consueuit: ibi quidem de natiuitate huius vitæ informantur, & qui sint considerant, & quem finem sint habituri ponderant. Iezabel ad fenestram ornato stetit capite, putans se
decepturam Iehu: & tandem dilacerata est à canibus: nihilque præter capitis caluaria, & pedum & manuum extremitates superfuit. Mundus principia instar capitis Iezabel habet composita: sed tamen finis huius compositionis pessimus est. Extremitates eius solùm in memoria supersunt, quia Deus nos vult hæc recordari: & finem vitæ nostræ meditari. Flet itaque Christus, quia Hierusalem gaudebat & reficiebatur pręsenti prosperitate: non autem futura mala præuidebat.

¶ Denique plorat Christus hominum væsaniam, quippe qui periculosissimè ægrotantes nolunt curari. Non enim miratur homines peccare, cùm probè teneat carnis nostræ fragilitatem, ipse namque (vt Psalmographus ait) cognouit figmentum Psal.102

Prouerb. ... in finem. — Iob 40 — Hiere.18 — 4.Reg.9

figmentum nostrum,sed miratur quod præsentissimum remedium aspernétur,& cùm infirmi sint curari nolint.Peccatis te coinquinasti, infirmitatem ex culpa contraxisti.Christus cœlestis medicus domum tuam curandi tui causa venit,imo vt te cures inspirationibus incitat,vltrò & gratis medelam facturus adest. Sed prôh dolor,ita nequã & væsanus es,ita perditus,vt in vitiis tuis persistere quàm purgari malis?Peccare fragilitati humanæ condonandú est,sed nolle sanari & in flagitiis obstinatè persistere,dæmonis est,ne dicam hominis. Ter Christum negauit Petrus,à Domino tamen,nec à Christo incusatus,nec reprehensus legitur, obiurgauit tamen eum in vltima cœna quando pedes ipsi lauare parabat, & Petrus renuebat. Non ita acerbè ipsum ter negantem increpauit,tamen acriter pœnas se Petro daturum promisit, ni lotioni pedum acquiesceret. Adiit Christus,vt ciuitatem hanc infirmã inuiseret & curaret, illa tamen nec Christũ verũ medicum, nec tẽpus visitationis suæ cognouit, imo ipsum illius redimendi causa venientem eiecit,nec eum excipere voluit,nec aduentum eius in suam vtilitatem conuertere, quocirca ipse lachrymas nequiuit cohibere. Cupit Christus eã sanare,& ipsa curari recusat. Sic se habet super animam infirmã peccatisque grauatam. Nec solũ flet Dominus propter flagitia peccatorũ, sed propter multos annos quos sceleribus immersi consumũt, nec peccatum expellere volunt, nec Christi inspirationibus,nec concionibus,nec aliis conuersionũ mille modis acquiescere. Quæ mala,quam obstinationem Christus nunc deflet.

Matth. 26 / Ioan. 13

Peccata aliorum lugenda exemplo Christi.

¶ Ad nostram autem eruditionem ex hoc Christi facto discamus primò quantum propria scelera plorare debeamus,cùm ille ita deploret aliena. Flet Christus nostra peccata, flet hominum stoliditatẽ & risum. Nam conspiciebat Hierosolymitanos ridentes,& tripudio in rebus pessimis(vt inquit Salomõ)exultãtes,laudatur enim peccator in desideriis animæ suę,& iniquus benedicitur. Flebat eorũ fletum euestigio subsecuturũ,& ideo dicebat illis, Væ vobis qui ridetis,quia flebitis. Discamus etiam nos lachrymas Christi magnificare,& cũ illo nunc flere,vt cum illo rideamus. Discamus flere mala,& damna proximorum nostrorum, & de ipsorũ miseriis condolere. Flenda enim sunt aliorum peccata,vt Christus exemplo docet non ridenda. Vnde in libro Numerorũ dicitur, quòd Moses & filij Israel flebant peccata sociorum,& fratrum filiorum suorũ,ante fores tabernaculi. Sic flebat Paulus super quosdam qui peccauerant, & nullam agebant pœnitentiam. Et alibi flebat super eos,qui ex fidelibus facti erãt infideles & crucis Christi hostes teterrimi, ventrem suum pro Deo habentes. Et iterum Corinthiis ait, Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur,& ego non vror? Et Iob sanctissimus. Flebam(inquit)super eo qui afflictus erat,& compatiebatur anima mea pauperi. At nunc prôh dolor, Christiani quamplurimi in eorũ casibus,& infœlicibus aduentis impudẽtissimè lætantur. Gaudio exiliunt, & proximorũ peccata aliis detegunt & diuulgant,præsertim sęculares homines exhausto omni rubore clericorũ vel monachorum infortunia(si quę illis accidunt)iterum ac sæpiùs aliis eaignorãtibus narrare solent,cùm potiùs id obtegere multas ob causas tenerentur. Nõ attendũt hi miseri ad illud Ezechielis vbi viri alio-

Prouerb. 2 / Psalm. 9 — Luca 6 — Num. 25 — 2.Cor. 12 / Philip. 3 — 2.Cor. 11 / Iob 30 — Ezech. 9

rum peccata gementes signari iubentur à domino, vt illis in die furoris Domini parcatur. Hoc debet esse piorum munus,nempe flere,& pro peccatoribus orare. Sic faciebat Dauid. Ego autem (inquit) orabam. Discamus igitur mãsuetudinem,& inimicis & calũniatoribus peccãtibúsque omnibus cõdoleamus. Sic erimus boni Christiani, Christi etenim ineffabilis est amor erga populum perditioni jam proximum,& ideo illorũ væsaniam & interitum vehementer dolet. Nonnè est maximum amoris argumentum,nullius vnquã vindictę meminisse,cùm tamẽ toties tam ignominiosè fuerit tractatus? Imò verò ingenti misericordia cõmotus illorum cæcitatem,& futurum malum deplorat. Si iudex es sententiam iustitia impulsus contra reũ profer,eamque officio,non odio,non maleuolẽtia ductus exequere. Propone tibi ob oculos Christũ qui in inferẽda pœna tardus est,& illam lachrymis manantibus pronũciat,& quasi coactus ingerit. Vnde in Esaia. Heu(inquit)cõsolabor super hostib9 meis: & vindicabor de inimicis meis. Hoc est,quia nullũ aliud remedium est,puniam oportet. Et in Ezechiele. Quare moriemini? Nolo enim mortem peccatoris,sed magis vt cõuertatur & viuat. Et quia nos inuitos punit,ideo ob animaduersionẽ qua erat vsurus in ciuitatem Hierusalem lachrymatur. Si enim illam puniret hilaris,in eius perditione lætari videretur,hoc à Deo est valde absonũ. Discim9 etiã ex hac historia Deũ misericordem esse & iustũ. Nam si nostræ imbecillitati omnia cõdonaret, & nostra scelera impunita relinqueret,nequaquã esset Deus iustus. Iã verò si omnes lapsus nostros ita castigaret vt nihil remitteret,nõ esset De9 misericors. At scriptura sacra hæc duo attributa Deo cõgruere affirmat. Misericordiam inquit Dauid & iudiciũ cantabo tibi Domine. Et Deus ipse dicit, Ego sum Dominus Deus tuus,& fortis & Zelotes,visitãs iniquitates patrum in filios in tertiam & quartã generationem eorũ qui oderũt me, & faciens misericordiam in millia his qui diligũt me & custodiũt pręcepta mea. Hæc duo ostendit hîc Christus. Primũ quia flet per misericordiam,secũdũ quia ingressus templum cœpit eiicere vendentes & ementes. Per fletum intelligere possumus spem & fiduciã misericordiæ Dei, per seueritatem autẽ qua in templo vsus est,metum nobis incuti intelligimus,ne tã temerè contra Deum agamus. Hinc etiam miseriam nostram discamus lamentari. Si enim flet qui nullã debuit sentire miseriam, quanto iustiorem flendi causã habet ille,qui innumeris miseriis & necessitatibus est immersus? Ad hoc possem accõmodare ꝙ Christus in passione sua dicit. Si in viridi ligno fit hoc,quid erit in sicco? Hoc est. Si boni & insõtes lachrymis nequeũt tẽperare, improbis & peccatoribus quid accidet? Hãc ob causam peccatrix illa mulier tam ardenter & abundè flebat, vt pedes Christi rigarẽtur. Sic etiam flebat Dauid cùm dicebat, Lauabo per singulas noctes lectũ meũ,lachrymis meis stratum meum rigabo. Et iterum. Fuerũt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Discamus hinc etiam vanã huius mundi lætitiã & risum cõtemnere. Vnde per Sapiẽtem dicitur. Risum reputaui errorẽ,& gaudio dixi, quid frustra deciperis? Et iterum, Melius est tibi ire ad domum luctus,quã ad domum conuiuij. Apertè ostendit hîc Christus quàm vanus sit huius mundi risus,quem talis finis consequi debet,nam inter fastum,pompam,hono-

Psal. 108 — Esa. 1 — Ezech. 18 — Duo Dei attributa nominata: misericordia & iudicium. — Psal. 100 — Exod. 20 — Luca 23 / Luca 7 — Psalm. 6 / Psal. 41 — Eccle. 2 — Eccle. 7

rē & risum huius sæculi, ipse in lachrymas prorūpit. Ob idque ait, Væ vobis qui nūc ridetis, quia flebitis. Et Iacobus. Risus vester in luctum conuertetur. Si magnifacimus aquas florum aut herbarum quia abluunt oculos aut vulneribus medentur: cur non magni facimus lachrymas, quæ animæ sordes abluūt, eiúsq; vlcera saluberrimè sanāt? Hic liquor est omni balsamo preciosior, vtilior, & salutatior: quod significare voluit Salomon cum mare fusile, & lateres in templo constituit. Cùm domus aliqua incendio flagrat qui ei succurrere volūt ad aquam accurrunt. Sic nos cū videmus animas nostras flāmis impiarum cupiditatum correptas & incensas ad lachrymas statim sumus recursuri, vt illis incendium extingamus. Vt in pelui numus nō potest videri à certo quodam aliquantulúmque distante loco, sed si peluis aqua impleatur statim ab eodē loco numus cernitur. Eodem prorsus modo anima nostra in vasa huius corporis delitescens vt pote numus preciosissimus imaginéque Dei insignitus, non videtur, vnde fit vt nos ipsos ignoremus, nisi iniecta aqua, hoc est, profusis lachrymis, quibus pestiferas eius labes abluamus. Vana verò mūdi lætitia excæcat, & perdit homines. Hanc igitur lætitiā contemnendam putemus. Maluit Moses affligi cū populo Dei, quàm gaudere in risu, & mūdi prosperitate apud Pharaonem, quamobrem negauit se esse filium filiæ Pharaonis. Sed de his satis. Nūc autem quid flens dicat Christus super ciuitatem Hierusalem audiamus.

Lucæ 6 *Iacob. 4* *3. Reg. 6* *Hebr. 11*

Quia si cognouisses & tu: & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

Hæc verba animum compatientē indicāt, quasi dicat Christus. O Siō & Hierosolyma, ecce venio rex tuus & Saluator, quemadmodum Prophetæ de me dixerunt, sed venio māsuetus & pauper, ideo me non cognoscis, sed contēnis me à quo vno vitā & æternam salutē habere possis. O si cognosceres quid ad pacem tuā inseruire tibi possit, nec ita insensibilis esses in tuo proprio damno. O si nūc cognosceres in hac die tua tot tantásque promotiones ad eiusmodi cognitionem habere possis. Etenim nūc dum me habes qui tibi regnū cœlorum annūcio, orta est tibi dies salutis & diuinæ visitationis, id quod iam pridē ex mea doctrina & vita, ex tot denique & tā euidētibus miraculis didiscisse debebas. Sed ô popule infelicissime, qui hæc nec videre nec cognoscere vis, & ideo sæuis in me, & me quæris occidere, quem merito iuxta exemplum totius populi toto animo accipere debebas. Verùm quòd nunc non vides, id magno tuo malo in posterum videbis.

¶ Aduerte autem quòd Christus cùm hæc verba scissa, & absq; perfecto integræ orationis sensu protulit, nobis significauit ingētem animi dolorē, ob quē vox hæsit faucibus & lingua perfectè pronunciare & exprimere sensum suū non potuit. Etenim fletus à tristitia oritur, & sicut gaudiū dilatat cor, ita tristitia cōstringit, corde verò constricto, & congelato, vix potest quod intus est exire. Vnde in Psalmo, Statuit quasi in vtre, à quo nihil potest exire. Igitur quia cor Domini cōstrictū erat magnitudine doloris pro peccatis populi Israel, nō potuit tunc integrum explicare sermonem, ideo ait, Si cognouisses & tu, & in hac die quæ ad pacem tibi. Est Aposiopesis figura, sicut illud Comici. Ego ne illā quæ illum, quæ me, quæ non? Flet pater ob mortuū filium, quem vnicè diligebat, & cùm rogaretur vt velit causam tanti fletus exponere, non potest eius mortem exprimere, & ita abrupto sermone, filius (inquit) solus, habilis & pollēs ingenio, adolescēs. Nec filij obitum explicat, nec dolor & tristitia id rogātibus narrare permittit. Sic loquitur hîc Dominus, quare supplēda sunt quæ desiderantur. Ait igitur. Si cognouisses, s. ruinam quæ imminet, vel me Redemptorem tuū. Et tu, scilicet fleuisses, quæ modo exultas. Et quidē in hac die tua, scilicet, quæ lætaris & gaudes, & tibi, & nō Deo viuis, quare tua dicitur dies & non Dei. Quæ ad pacem tibi temporalem, & nō transitoriam faciunt: pœnitentiam faceres in hoc tempore vitæ tuæ, & me Saluatorē cognosceres Nunc autem tēpore lætitiæ tuæ abscōdita sunt ab oculis tuis mala tibi imminētia, certè non rideres vt modo rides, sed potiùs lugeres. Nō solū hoc in loco sed in aliis scripturæ supplenda sunt verba, ex quibus aliqua adiiciemus. In secūdo Regū dicitur, Et Dauidi annūciauit, vbi nullus qui nunciaret exprimitur, & sic subaudiēdus est nuncius. Et in primo Regum dicitur, & secūdum tempus quòd Samuel, scilicet prædixerat. Et in eodem libro habetur etiam. Et tibi pepercit, scilicet anima mea. Et de Oza etiā legitur quod misit ad arcam. scilicet, manum suam. Et Zacharias ait, Salutem ex inimicis nostris. scilicet, vt daret.

Aposiopesis Christi vehementem eius indicans dolorem. *Psalm. 32* *Greg. Hom. 39. in Euang.* *2. Regum 16* *1. Reg. 13* *1. Reg. 24* *2. Reg. 6* *Lucæ 1*

¶ Sed hic aliqua obseruāda sunt. Primum quòd Christus ante omnia ciuitati Hierosolymorū precatur agnitionē præsentis boni & futuri mali: quādoquidem ignorantia causa est totius mali. Vnde Moses ad populū suum dicit. Popule stulte & insipiens hæccine reddis Domino? Vtinam saperēt atque intelligerēt, & nouissima prouiderēt. Sed Domine te rogo cur inquis, quod illi te nō nouerunt? Nonne tibi obuiam gestantes manibus ramos occurrunt? Nonne viam vestibus suis instrauerūt. Nōne omnium ore & voce vocaris mundi Saluator, filius Dauid, & rex Israel? Nō denique te veluti verum Messiam venerantur? In hoc cognosces Christū nihil de cęremoniis curare, quando cor ab illis dissonat. Hi enim diuina præcepta nō obseruabāt, & cæremoniis exterioribus solùmodo Christo satisfacere se arbitrabantur. Ecclesiæ cęremonię optimæ & sanctissimæ sunt, nonnulli tamen nō solum pias & sanctas putant, verùm etiā omnē perfectionem in illis collocant, & quod longè peius est cū auersum à proximis suis habent animū. Itaque caput demissum, manus coniunctas pectorique adhærētes, inclinationes corporis, & alia huiusmodi parua illa quidem magnifaciunt, at animorū mille scelerібus inquinatorum penitùs obliuiscuntur. Cæremonias ergo huiusmodi aspernatur Christùs, & ideo Hierosolymitanorum (qui toti in cæremonis erant occupati) miseriam & cæcitatem nūc deflet.

Ignorantia causa omnis mali. *Deute. 32* *Cærimonia vana quæ.*

¶ Obserua etiam quòd hæc dies, vitæ huius data est nobis ad pacē, vt sic possimus pacē æternā, gaudiumque nobis comparare. Expectemus item diē aliā in qua Christus in tribunali sedebit & puniet quod nūc in die gratiæ & pacis dissimulat. Hi igitur duo dies attētissimis animis sunt considerādi. Horum dierum alter Dei, alter verò hominis est. In die quidem hominis, poterit homo quodcūq; sibi placebit operari, tacēte domino. Poterit Sedechias Dei prophetam præcipitare in foueam, & illū fame enecare, alimenta per vncias suppeditans, & Dominus tacebit. At cùm altera illa dies venerit, capiet

Duo dies: vnus Dei & alter hominis. Hiere. 37

Dominus Sedechiam,& captũ priuabit regno:coram Hierusalẽ affligẽtabit,in præsentia regis Babyloniæ Sedechiam vinculis constrictum in carcerẽ abripiet,& tandem rex ipse Babyloniç Sedechia inspectante ipsos filios obtruncabit.Itaque quemadmodum homo in die suo viuens adhuc quodcunque libuit effecit:ita Deus in die suo iustitiã exercens vnicuique pro meritis præmiũ reddet. Vnde illud.Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.Inter iustũ & flagitiosum hominẽ hoc maximè interest:nam dies & vita tota hominis probi, dies est Dei:etenim per totum vitç curriculũ,Dei operibus intentus est.At improbi & scelerati hominis dies ipsius solummodo dies est:per totam nanque vitam gulæ,palato,& genio indulgens libidinibus sese dedit.Quapropter ipse iã transacto die inquit. Dies mei sicut vmbra transierunt.Vmbræ cõparatur homo,quia vt vmbra in omnibus similis homini est:ita mundanus homo omnes mũdi motus,& cursus exequitur,nam vmbra est,& mundum insectatur.Ergo age ô homo,& in hac tua die,dum vita tempusque sinunt ad rectè operandum accingere,dum non occidit hic dies tibi necessaria compara,nam cum nox illa tenebricosa mortis aderit, iã tunc rectè operari nõ erit in manu tua.Qua de causa angeris animo,laborib⁹ cõflictabere & miseriis, quibus totus vndique ita tenebris oppressus,vt ex illis ad pœnitentiæ meritiuç portum emergere nõ liceat.Quamobrem si sapis præsentis vitæ tempore ad sanitatem,salutem,& pœnitentiam vtere.

Hierem.39 *4.Reg.25* *Psalm.74* *Iob.8*

¶ Tertiò hæc mala ventura abscondita dicit ab oculis tuis.Quapropter multi securiùs peccant,& patientia Dei ita abutũtur,vt multò peiores in dies effecti in consuetudinem peccãdi dilabãtur.Vnde in Ecclesiastico dicitur.Quia nõ cito profertur cõtra malos iudicium,absque vllo timore,filij hominum perpetrant mala.Item.Sunt impij cogitantes non rectè.Venite inquiũt,fruamur bonis quç sunt, & vtamur creatura,tanquam in iuuẽtute celeriter. *Quia venient dies in te.* Idest,contra te.Aduerte quòd quando loquebatur Christus de pace peccatorũ, & de tempore vitæ præsentis,in numero singulari dixit in hac die,sed quando locutus est de pœna & calamitate ventura dixit, dies in numero plurali. Hinc intelliges quàm breuis sit fœlicitas mũdana. quàm breui transeat præsens delectatio, quã verò lõgus cruciatus vtpote sempiternus,fineq; cariturus.Breue enim est quod delectat,& æternũ quod cruciat.Voluptas nondum venit,quando finita est: at cruciatus,tormẽta & afflictio ob illam breuissimam voluptatem in perpetuũ durabunt.Hoc certè peccatoribus erat valde considerãdum,ad quod si diligẽter attenderent rebus his mũdanis nequaquam sese implicarent,sed quia incauti se gerũt,& inconsideratè,facilè irretiuntur. Et sunt simillimi adolescentibus nobilibus & opulentium filiis,qui licet apud parẽtes in deliciis & voluptatibus delicatè educentur,rerum tamen nõ sunt experti, & si quãdo iter aliquod faciunt ad diuersoriũmque appellunt,in quo diuersorij dominũ,hoc est cauponam egregia facie hilarique offendunt,per iactãtiã omnes pecunias quas deferunt consumere non dubitãt.Quapropter exinaniti è diuersorio ipso egrediuntur nõ sine magno plerũque dolore.Hoc exẽplum ante oculos tibi statue,atque intime meditare,nam hæc vita diuersoriũ est,res verò illius & deliciç veluti diuersorij huius dominç,ac ita cùm ob ipsas omnem substantiam cõsumamus,vacui omnino ex hoc diuersorio egrediemur.Veniet inexorabilis falláxque caupona nempe mors, & omnes nimios sumptus quos in taberna huius vitæ fecisti tibi annumerabit, & apud inferos omniũ epularũ pretium solues.Venient enim dies in te,in quibus omniũ risuum,& cachinnorum pœnas pẽdes.Porrò causa ob quã minatur Dominus,& hos dies tribulationis in memoriã reuocat,alia nõ est nisi, vt cõuertamur, & nos in meliorem frugem mentémque recipiamus. Repente inquit apud Hieremiam loquar aduersus gentem,& aduersus regnũ,vt eradicem,destruam,& disperdam illud.Si pœnitentiã egerit gẽs illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam agam & ego pœnitentiã super malo quod cogitaui,vt facerẽ ei. Sic Christus nihil aliud desiderabat quàm pœnitentiam,& satis tempus ad eã agendã concedebat. Niniuitæ quadraginta tãtum dies habebãt ad faciendã pœnitẽtiã, hi verò quadraginta annos,quia post quadraginta annos subuersa est à Tito Hierusalẽ.Verùm his quadraginta annis nõ tantũ efficiebãt quantũ Niniuitæ tribus diebus,quare cũ iudiciũ Dei incipiebat abscindere hãc arborẽ nullum erat refugiũ,nec clamor vllus proderat.Auxiliatorẽ quidẽ exoptabãt, sed nullus erat. Propterea Christus illis prædixerat. Venient dies quãdo desiderabitis videre vnũ diem filij hominis,& nõ videbitis.Et iterũ.Ego vado, & quæretis me,& in peccato vestro moriemini.Hoc modo Deus punit hominum ingratitudinem,Vocaui (inquit)& renuistis,ego verò in interitu quoq; vestro ridebo,& subsannabo cũ vobis id quod timebatis aduenerit. Tunc vocabunt me,& non exaudiam. Hoc nobis dictũ putemus.Differt enim Deus pœnam,vt peccatores cõuertantur.Sic expectat Hierusalem,& expectauit Cain,quem post fratris inuidiam,post homicidium,post perditionem, & post impietatẽ non puniuit ilico,sed dedit tempus pœnitentiæ. Quamobrem multi censent illum vsque ad septem generationes fuisse dilatum, vt saltem malis ipsis,& lõgo vitæ mœrore compulsus tandẽ aliquando resipiscens pœnitentiam ageret, & veniam mereretur.Sed quæres,Cur Deus non expectauit Adam, sed statim puniuit,Cain autem non statim?Quia inter patris, & filij peccatum interposita est agni innocentis mors,id est Christi passio, cuius causa extitit Adæ peccatum,nisi enim Adam peccaret Christ⁹ moritu⁹ nõ fuisset,& propter eius meritum hanc misericordiam cõsecutus est Cain, vt ad pœnitentiam sibi prorogaretur tẽpus,locusque daretur. Hoc etiam modo se cum multis peccantibus habet.Omnium miseretur,& dissimulat peccata hominum, propter pœnitentiam, & sic Hierosolymorum excidiũ per quadraginta annos distulit vt resipiscerent, & pœnitentiam agerent. Sic se habet tecum,qui postquam te peccatis coinquinasti,vitam immerenti concedit,vt pœnitentiã agas.Ideo Paulus. An ignoras quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Sed prôh dolor, permulti scelera sceleribus cumulantes trahũt iniquitates in funiculis vanitatis, (vt ait Esaias) & quasi vinculum plaustri peccatum. De talib. dicitur in libro Iob.Dedit illi Deus locum pœnitentiæ,& ille abutitur in superbiam.Nonne abusus es cùm id quod tibi concessum est ad emendationem,tu vertis in damnationem tuam?Sed vt scias quòd sicut Deus peccatores expectat,ita obstinatos sæuissimè

Eccles.8 *Breue quod delectat, at æternum quod cruciat.* *Hiere.18* *Iona 3* *Vide Grego. Hom. 39. in Euang.* *Luca.17* *Ioan.8* *Prouer.1* *Gene.4* *Gene.3* *Rom.2* *Esai.5* *Iob.24*

Rom 2 punit, subiungit Paulus. Secũdum duritiam tuam & impœnitẽs cor tuum thesaurizas in diẽ iræ, &c. Hæc duo in hoc loco, maximè sunt perpendenda. Primum, Dei misericordia, qui tot annis expectauit Hierusalem. Secundum seueritas iudicij. Quæ duo colliges ex Paulo dicente Dei misericordiam patienter expectare, & quòd irã peccator obstinatus thesaurizat, ideo postquam Deus expectauit Hierusalem, vide quid dicat.

Et circundabũt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram posternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.

Iosep. lib. 6. & 7. de bello Iuda. Egesippus lib. 5. cap. 20. Maxima omnium populorum fuit Iudæorũ calamitas & euersio, vt testatur Ioseph⁹ testis oculatus, & Egesippus cõtemporaneus Apostolorum, & ad hanc vsque diem eorũ disseminatio, & per vniuersum terræ orbẽ dispersio durat. Vnde infertur eos grauissimè peccasse, quippe qui Prophetas cognouerũt, & Christũ ac ipsius sectatores per summam crudelitatem occiderunt, & eorum saluberrimas conciones omnino sunt aspernati, quæ omnia grauissimo & atrocissimo corporũ supplicio animorumque damnatione sempiterna solet Deus castigare. Alienis ergo malis edocti discamus Christi Prophetas, cõcionatores, pastores, & episcopos nõ persequi, sed eorum monitis & doctrinis saluberrimis acquiescentes ipsos amemus, ad eorum viuẽdi rationem instituamus, ne æternis afficiamur suppliciis. Hinc præterea colligimus à Deo familias, oppida, ciuitates, regna denique solere pœna mulctari, quãdo peccata publicè cõmissa impunita relinquũtur, & delinquentes non solùm castigantur, verum omnium suffragiis & defenduntur, & liberan-

Gene. 8 Gene. 19 tur. Sic mundus diluuio periit, sic nephandæ illæ ciuitates Sodoma & Gomorra incendio cõflagrarũt, sic Hierusalem à Romanis funditùs excisa est. Hoc idem timeant sibi quicũque simili scelerũ genere Deũ offenderint. Hinc discamus proximis iniurias non esse faciendas, nam si mortẽ filij sui ita vltus est Deus, eadem proculdubio ratione vlturus est iniurias illatas proximis nostris, cùm ipsius sint

Gen. 3 2. Reg. 24 Genes. 19 etiam filij, puniuit olim omne genus humanũ propter Adæ peccatum, populum Israeliticũ propter Dauid, Sodomam & Gomorram propter suorũ ciuium scelera. Pœna mulctabit profectò nos nisi cũ Christo fleuerimus & cognouerimus tẽpus visitationis nostræ. Discamus hinc alieno sapere periculo & ex alienis malis nostram vitam cõponamus,

Hebr. 10 nec abutamur Dei misericordia, ne incidamus in manus Dei viuentis. Ne dicamus, maximè misericors est Dominus, ipse nostri miserebitur, quapropter nunc fidenter peccare poterimus. Meminerimus potiùs hanc Dei misericordiã comitẽ esse iustitiæ, ac ita nisi pœnitentiæ operibus Dei irã præoccupauerimus nos fore grauiter, & in sempiternũ puniendos ob nostra flagitia. Meminerimus præpotenti Deo neminẽ posse resistere quantumuis fortem. Iactabant se Iudæi in tẽplo illo & cultu externo credentes propter magnificentiam tãti templi nũquam fore, vt Deus permitteret vrbem erui, solóque penitus æquari, cum tamen ipsi flagitiis sese

Hiere. 7 dederent, sed sua longè falsi sunt opinione, nã legimus apud Hieremiã. Hæc dicit Dominus Deus exercituũ, Deus Israel. Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacij dicentes. Templũ Domini, templum Domini, templum Domini est. Propter templum & diuinum cultum solummodo se fore defendendos arbitrabantur Iudæi, cùm impiis essent animis, & peccatis irretiti. Nec nos putemus fore liberandos tatum propter ordines quos accepimus, tonsuras, religionis habitus, & clausurã ab ira Dei, nisi tales interiùs fuerimus, quales esse debemus. Nec filiatio & origo ab Abrahã, nec tẽplum nec aliqua religio Iudæos liberauit, erãt ipsi peccatores, quare iustissimis pœnis afficiebantur. Vnde sequitur. *Eo quod nõ cognoueris tẽpus visitationis tuæ.* Quemadmodum cæci si aliquibus prætereũtibus obuiant & concurrunt statim illis irascuntur, & eos cæcos vocant, ita nos de propria nostra fortuna querimur si mali aliquid vel infortunij cõtigit, non intelligentes id nostra culpa euenisse. Propter ipsius peccata suppliciis affecit Dominus Hierusalem quia visitationis suæ tempora non cognouit. Sic Deus ob detestabilia nostra scelera, nos affligit & castigat. Nihil est quod magis irritet in nos quàm ingrati animi crimẽ, etenim Deus visitare in hac vita non cupit in ira sua & virga, sed benigna potius miseratiõe. Visitauit nos homo factus, tãquã creator creaturã suam, tanquã redemptor captiuũ: at tantum est nostri animi ingrati crimen, vt si lux in mundum venit magis tamen tenebras iniquitatis quàm iustitiæ diligamus. Deus in mũdo est, & il- Ioan. 1
lum creauit, sed mundus eũ non cognouit. In propria venit, & sui nõ receperũt, quare in nobis impletũ cernimus illud Esaiæ. Filios nutriui & exal- Esa. 1
taui, ipsi autẽ spreuerũt me. Cognouit bos possessorem suũ, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me nõ cognouit. Et Hieremias. Miluus in cœ- Hiere. 8
lo cognouit tempus suum, populus autẽ meus nõ intelligit iudiciũ Domini sui. Sed historiã ꝓsequamur. *Et ingressus in templum cœpit eiicere ementes & vẽdentes, dicens illis, Scriptum est. Quia domus mea domus orationis est.* Ante omnia ad tẽplũ it, & ibi vult indicare se illorum iram nõ timere, nec crucẽ & passionem velle fugere, sed sponte sua se illis cõmittere excruciandum. Secũdò voluit indicare regnum suum non in foro & mũdo, sed in tẽplo, & in domo Dei fore, idcirco nullibi frequẽtius cõspiciebatur, quã in tẽplo. Nesciebatis (inquit) quod in his Luce. 2 Matth. 6
quæ patris mei sunt oportet me esse? Tertiò voluit docere omnes homines, primũ esse quærẽdum regnum Dei. Præcipuè autem voluit omnes pastores admonere, vt summam suam curam eo conferant, vt nõ thesauros accumulent, sed vt domũ Dei sibi commissam, puram & mundã seruent. Aduerte autem illos fuisse inuẽtos vendentes & emẽtes. Iam Deus per prophetas illos obiurgauerat, quòd tẽpla prophanarent huiusmodi rebus. Quid est (inquit apud Hieremiã) quod dilectus me⁹ in domo mea Hiere. 11
facit scelera multa? Et Apud Esaiã. In terra sancto- Esai. 26
rum iniqua gessit, & non videbit gloriã Domini. Negabant id quidem, sed Deus poterat eos cõuincere. Vnde inquit, Quid niteris bonã ostẽdere viã Hiere. 2
tuam? Ecce ego in iudicio contendã tecum. Et iterum. Ego sum, ego vidi, dicit Dominus. Sed iã res Hiere. 9
ipsa docet, Inuenit emẽtes & vendẽtes in templo, dicit Euangelista. Acsi diceret, De quo toties questus fuerat & ipsi negabant, nũc re fuit cõfirmatũ, nec enim tunc negare poterãt se in templo illicita fecisse, cùm à Christo fuerint comprehẽsi. Væ autẽ homini illi, quem sæpesæpiùs præmonitũ, Deus in peccatis deprehẽdit. Sic enim Christus discipulos Matth. 26
suos

suos increpauit quia solummodo dormiebát, quid credimus esse facturum illis, quos peccatis immer- sos inuenerit? Huc spectat illud Christi. Malus ser- uus dicit in corde suo, morá faciet Dominus meus venire, & ob id cœpit percutere conseruos, veniet Dominus in die qua nō sperat. Cùm dixerint pax & securitas, repentinus superueniet interitus. Erát ipsi inscij ementes & vendentes cùm repente Do- minus iratus eos expellere cœpit. In húc ergo mo- dū solet visitare impios & flagitiosos homines. In operibus manuum suarū comprehēsus est pecca- tor. Quamobrem oportet diligenter aduertere ne Dominus nos ita imparatos inueniat. Cùm enim diem aduētus Domini ignoremus, statim sine mo- ra de conuersione nostra in melioremque frugem receptione cogitemus. Fieri enim potest, vt hodier no die adūt Christus cum flagello nosq; in medijs voluptatibus reperiat, ac ita nulla excusatione ad- missa grauiter castiget.

Matth. 24
1. Thess. 5
Psalm. 9

¶ Scire tamen operæpretiū erit vnde fuerit in troducta huiusmodi consuetudo vt in tēplo colū- bæ & alia id genus venderētur & emerētur? Quia in illo templo innumerabiles (vt ait Hieronymus) immolabātur hostiæ, taurorum, & arietum, & hir- corum: & ne pauperes absque sacrificio manerent offerebant pullos columbarum & turtures. Adde quod illi qui à longè distātibus locis veniebát nō habebant victimas: quapropter excogitarāt sacer- dotes emolumēti causa, vt omnia animalia quibus opus erat sacrificiū in templo venalia haberentur, vt venderent non habētibus, & ipsi rursus accipe- rent. Hæc ab initio quidem poterant sana mente & bona institui, ne deessent hostiæ ad cultum Dei vo lētibus eas offerre. At posteà pietas illa versa est in quæstum, & pia deuotio in auaritiam commutata est, ideò Dominus noluit ferre domus suæ propha nationem, sed flagello eos eiecit de templo.

Quæstus non est pietas.
Hiero. libr. 3. com. in Matt. cap. 21

¶ Expēde hîc Christi modestiam. Poterat enim iure optimo eos scorpionibus cędere, sed funiculo ad modum flagelli eiecit, ne ex verberibus sanguis sequeretur. Ita supplicia huius vitæ sunt pietate & misericordia plena. Quamobrem ex hoc Christi fa cto exemplum sumamus ne crudeles ne tyranni ne asperi nimis simus in eos, qui nos offendūt, sed po- tiùs in sumēda de illis pœna moderati. De Mose di cit scriptura quòd erat mitissimus omniū habitan- tiū in terra, & ita legitur quòd cùm contemnere- tur nec obseruaretur à Core, Dathan, & Abirō, & aliis ad Dominum caput flexit dicēs. Ne respicias sacrificia eorum. Non dicit, vt absorbeat eos terra quamuis hoc meruerint, nec vt igne corripiantur, & cōsumātur, sed tantū ne respicias sacrificia eo- rum. Similiter sanctus propheta Oseas cum enar- rasset scelera populi Israelitici & dixisset profun- dè peccasse, conuertit sermonem ad Dominum di cens, Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vuluā sine liberis: & vbera arentia.

Numer. 12
Numer. 16
Osea 9

¶ Obserua autem quòd bis Christus ingressus in templū ementes, & vendentes eiecit. Primò in ini tio prædicationis suæ, cuius eiectionis meminit Io- annes. Secūdò in die Palmarum, vt testatur Mat- thęus, & hîc noster Lucas, & hoc fuit quinq; dieb⁹ ante mortē suā & post suscitationem Lazari teste Ioanne. Patet hoc ita esse, quia in eiectione illa de qua loquitur Ioānes petierūt signū Iudæi, & dixit eis, soluite templū hoc, sed hîc nullū signū petiit: ergo bis hoc fecit. Ita tenent Augustinus, & Chry- sostomus. In quo maior est Iudæorum culpa, quia cum bis hoc esset factum, in sua tamen demētia te- naciter perseuerabant.

Theoph. in hoc loco.
Ioan. 2
Matt. 21
Ioan. 12
Aug. lib. 2. de quæst. Euāg. cap. 48
Aug. lib. 3. de con. euang. ... Chrys. ... in Matth.

¶ Aduerte etiam quòd licet subuerteret mensas, nihil tamen inde Christus abstulit, sed permisit do minus, vt omnia auferrent, & alibi venderent, nec enim res ipsę venales erāt illicitæ sed locus, & ideo de loco fuerunt eiecti à Domino dicente, Domus mea, domus orationis est. Secūdò peccabant quia iniusto desiderio & fine lucri illud efficiebát. Licet enim non darent pecuniam ad vsuram, munera ta men accipiebant pro mutatione, & ideo Diuus Hie ronym⁹ collybistas eos vocat. Prędixerat enim Eze chiel. Vsuram & superabūdantiam non accipietis. Pertinebat autē ad Christum hoc facere, & prohi- bere eos, quia peccabant tam in verbo quā in ope re. Porrò in prima eiectione dixit, auferte ista hinc: in secunda autem nihil tale protulit, sed euertit ca- thedras & mensas. In prima etiam dixit, nolite face re domū patris mei domū negotiationis, in secun- da verò dixit, domus mea domus orationis vocabi tur, at vos fecistis eam spelūcam latronum, & mul- tò asperiùs est dicere speluncam latronum, quā do- mū negotiationis, teste Chrysostomo. Ratio verò est quia primū signū de eiectione fuit, vt diximus in principio prædicationis Christi, quo tēpore non tantum sese ostendebat, & ideo blādiùs cum illis egit. Deinde quia in secunda erant in peccatis de quibus iam fuerāt obiurgati, & ideo asperiùs illos est allocutus. Posteriora enim errata maiori pœna digna cēsentur quàm priora, quod etiā in legibus humanis conspicitur. Nā fur qui primò abstulit fla gellis plectitur, quod si incidit in idem crimē, auri bus priuatur, quod si tertio perseuerat, in crucē tol- litur. Si igitur semel peccata tua fuisti cōfessus, ca- ue ne iterum labare, quia iam grauiùs punieris. Apta tibi illud serui nequam qui cum ei decē mil- lia talentorum fuissent à Domino cōdonata, & ip- se nihilominus à peccatis nō abstinuisset, sed in ea dē reincidisset, grauissimis fuit pœnis mulctatus.

Hiero. lib. 3. com. in Matth. cap. 21
Ezec. 18
Chrys. ho. 68. super Matth.
Matth. 18

¶ Aduerte autem quòd licet Christus abegisset eos, reuersi tamen sunt ad vomitum. Nam post su- scitationem Lazari pōtifices aduersus Christū cō- cilium inierunt, & mandatum dederūt, vt inuētus comprehenderetur, cuius nepharij mandati causa aufugit in ciuitatē Effren iuxta desertum. Quapro- pter sacerdotes putabant illum non esse reuersurū, vel si reuerteretur propter illud mādatū in se pro latum non posse venditores excludere de templo, & ideo ausi sunt proponere res venales in tēplo, quod non fecerant præcedenti tempore ex princi- pio prædicationis Christi. Nec vulgus putabat ad illud festū esse venturum, quapropter quærebatur, vt ait Ioānes. At Christus inopinatè venit, & depre hendit eos & eiecit, vt dictum est. Sed dubium exo ritur. Quomodo non restiterunt ei sacerdotes, qui erant in templo in prima, nec in secūda eiectione, & maximè in hac secunda, cùm eum comprehēde- re à summis sacerdotibus potestatem haberent. Di co hoc fuisse vnum ex ingētibus miraculis à Chri sto factis. Miraculosè enim tantam multitudinem eiecit vnus homo pauper & inermis tanta maiesta te & autoritate quāta ne numerosus quidem exer- citus auderet. Incussit eis timorem maximum, ostē dēs aliquid terribile in vultu suo ex diuina virtute procedens, & ita omnes exierunt, vt ne mutire qui dem auderent, nec faciem eius intueri. Atque ita

Prouer. 26
2. Pet. 2
Ioan. 11
Ioan. 11

Christus ostendit hic suæ diuinitatis imperium eo modo quo quando fuit comprehēsus suam etiam potestatem indicauit, cùm ad cohortem conuersus dixit, ego sum. Quo solo verbo ipsi in terram sunt prolapsi, licet illi armati, ipse verò inermis esset. Ne mo enim suo virtutis verbo resistere valuit: & ita ne vllus quidem ei respondit vel illum respexit qui magna autoritate inquit.

Ioann. 18

Scriptum est, quia domus mea domus orationis est, vos autem fecistis eam speluncam latronum.

Hoc scriptum est apud Esaiā in persona Dei dicentis, Domus mea domus orationis vocabitur cū ctis populis. Ex hoc loco colligitur grauissimū esse scelus in loco sacro peccare, cùm Christus peccantes in tēplo sic puniuit. Locus enim misericordiæ in quo hominum miseretur, eorū sceleribus ignoscit in quo peccatores cū Deo reconciliantur, & cū illo gratiam ineunt, templum est. Cùm igitur hi sacerdotes inexplebili auaritia misericordiæ locum impedirent, iustissimè fuerunt exclusi. Nec tantum Deus peccatis fuerat offensus, quantum auaritia sacerdotum. Intuebatur enim medicinas ad salutem & remedium traditas, in perniciem & interitū esse cōuersas. Acriter profectò puniendus esset ille qui fontem vnde tota ciuitas aquam potādam haurit veneno inficeret. Cùm ergo è templo aquam gratiæ pij christianæ religionis cultores hauriant, hoc est, cum in templo sacramenta vera animarū medela & remedium administrētur, quis dubitet graui esse pœna mulctādum illum qui templum prophanarit flagitiorumque veneno polluerit & contaminarit? Huius classis & farinę sunt fœminę permultæ, quæ domi quidem vestitu sunt quotidiano contentæ, profecturæ tamen in Ecclesiam vano fuco & ornatu componūtur, vt visæ miseros homines illaqueēt & irretiant, ita festa, templa, & sacrificia Deo placando nostrique miserēdo instituta, cū magis in nos irritando conuertimus in nostrā perniciem. At de veneratione templorum, iā hoc capite dictū est in historia Zachæi. Ex hoc verò Christi facto licet colligere quantum detrimentū prælatorū & antistitū auaritia Christianæ ecclesiæ allatura sit, nā vbi pecuniæ studium est, nihil purum, nihil sanctum manet. Non solùm autē Christus ita se seuerum exhibebat erga prophanatores templi, sed etiam verbis eos increpabat, cum latronibus similes esse dicebat. Auaritia enim radix & origo latrocinij, & veluti latro in spelunca delitescēs prædam expectat, sic hi in templo sedebant, prædā cū populo exercētes. Sed vide quàm benè eos hîc depingat Christus, imo quā benè illis laruam seu personam detrahat. Illi se præferūt aliis hominibus, at Christus non præfert, sed deteriores etiam ipsis latronibus appellat. Nec immeritò, nam lōgè peius & deterius est animā quàm corpus occidere, & aliquē spiritualibus quā corporalibus bonis defraudare. Hoc sibi dictū putent illi, qui sibi ipsis ob externa opera nimiū placent, cùm interius nec fidē nec charitatem habeant. Præterea sacra loca & id genus, aliquando homicidarum iam nunc spelūcæ facta sunt. Quid nūc vtilitatis ecclesiæ minores ordines afferūt? Dic quis lectorum quis acolytorum, quis ianitorum officio suo satisfacit? Ad id res deducta est, vt sacri ordines in priuilegia facinorosorum hominum versi sint, quare meo quidem iudicio ecclesiæ consultum esse (quoniam hac de causa cædes in immensum multiplicari videmus) si minores ordines non nisi cum maioribus traderentur. Demum considera quod quemadmodum cuculla monachum no facit, ita nec sacra loca sanctos efficiunt homines. Adam in paradiso peccauit, Iob in sterquilinio Deo placuit. Illi etiam tres in ardenti camino ignis, Deo seruiebant, & laudabant. Lege Chrysostomum. Sequitur vlteriùs. *Et erat docens quotidie in templo.*

Esai. 58
Prophanatio templorū grauiss. peccatū.
2. Tim. 6
Vide Grego. 39. in Euang.
Gene. 3
Iob. 2
Dan. 3
Chrysl. hom. 4. ad popu. Antioch.
Greg. Hom. 39. in euang.

Cur docet illos quibus tam dira comminatus fuerat? Nimirum vt illos ad resipiscentiam adducat, si quę possint iram Dei à se auertere. Ita enim Dominus apud Prophetam loquitur. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos domus Israel in manu mea. Repentè loquor aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, &c. Et iterū. Dominus misit me, vt prophetarem ad domum istam, & ad ciuitatem hanc omnia verba quæ audistis. Nunc ergo bonas facite vias vestras & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri, & pœnitebit Dominum mali quod locutus est aduersus vos. Similiter Christus prædixit quæ pœna contemptores Dei manet. Interim tamen docet, prædicat, hortatur ad pœnitentiam, vt si qui volent, iram Dei placare possint. Sic Hieremias tria præstabat. Primò comminabatur Iudæorum populo innumera mala, quæ cogitauerat Dominus illis immittere, nisi maturè resipiscerēt. Secundò affirmabat iram Dei emendatione vitæ posse placari. Tertiò seipsum interponebat mediatorem inter Deum & populum. Recordare inquit ô Domine quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterē indignationem tuā ab eis. Sic hæc omnia frustra facta sunt à propheta, quoniam Iudæi nolebant prophetæ acquiescere, imo in carcerem cōiecerunt, hoc quod non abhorret à præsenti historia, nam continenter sequitur in contextu.

Hiere. 18.
Hiere. 26
Hierem. 38

Principes autem sacerdotum & scribæ & principes plebis quærebant illum perdere, & non inueniebant quid facerent illi. Non degenerāt Iudæi à maioribus suis homicidis, qui prophetas maluerunt occidere quàm audire. Omnis malitia (vt ait Chrysostomus) sæpè confunditur ratione veritatis, corrigitur verò nūquam, maximè eorum qui proposito malo & nō ex ignorantia peccant. Hi qui ex malitia peccabant & obstinati erant, peiores indies reddebantur. Vide etiam quantum abhorreant homines ab audienda veritate, cùm hos veritas ipsa longè deteriores redderet. Est enim sententia, Obsequium amicos, veritas odium parit.

Chrysost. hom. 42. in opere imper. Matt.

Omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

Hinc docemur modum quo nobis est audiendū Dei verbū. Non enim potest Christus frequēs esse in concionando, & cor tuū conuertere, nisi tu frequens etiam & diligens sis in audiendo. Dulce & delectabile est Dei verbum. Vnde regius Propheta. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Dixit quod erāt melle dulciora, quia mel apum, si tempore eo vtamur delectat, sed cito sapor eius vanescit, & plerumque viscera vitiosa reddit. At verba Dei delectant & nutriunt, & quod maius est, vitam animæ præstant. Vnde Beatus Petrus dixit Iesu. Verba vitæ habes. Hoc suauissimo cibo sustentatus est Moses quadraginta diebus. Præstet ergo nobis immensum illud & infinitum dulcedinis pelagus, vt ita audiamus verba vitæ, vt in æternum viuamus cum ipso, in sæculorum sæcula. Amen.

Psalm. 118
Ioan. 6
Exod. 24

CAPVT

CAPVT. XX.

DICI minimè poteſt qualia fecerat inuidia corda ſacerdotum & ſcribarum, Aegrè ferebant honorem quem Saluatori dederat populus exiens obuiã ei in die Palmarum, nec pati poterant tantã ſaluatoris autoritatem qua expulit de templo vendentes, & ementes. Itaque cæci hac tanta luce quærebant occaſionem, vt Chriſti Saluatoris honorem & gloriam obſcurarent, nam inuidi immunditiis ſatiantur quemadmodum ciconiæ, hoc eſt, proximorum miſeriis. Non poterant veſpertiliones ſolis claritatem ſufferre, imo vt in Prouerbiis legitur, per diẽ incurrunt tenebras, & ſicut nocte ſic palpabũt in meridie. Peiores itaque quotidie effecti omnem mouent lapidem, vt Chriſtũ morti tradant, & quia hoc timore populi apertè non audent facere, ne fortè populus ſeditionem conciter, quærunt inde occaſiones quæ ſibi iuſtæ viſæ ſunt, ne hoc feciſſe videantur odio, imò propter iuſtitiam, ita vt cum occidant, ac intelligat populus ſe legis zelo legiſq; cauſa eum occidiſſe. Hac occaſione inuenta conuenerunt in vnum, vt eum interrogarent qua autoritate verbum Dei profiteretur, quaue poteſtate eiiceret de templo vendentes & ementes. Ait itaque noſter Lucas, — Prouerb. 5

Et factum eſt in vna dierum docente illo populum in templo & euangelizante conuenerunt principes ſacerdotum & ſcribæ cum ſenioribus, & veniunt dicentes ad illum, Dic nobis in qua poteſtate hæc facis, aut quis dedit tibi hanc poteſtatem?

In vna, inquit, dierum. Hoc eſt die tertia poſt ramos palmarum, ſcilicet die martis, nam Chriſtus die dominica in ramis palmarum receptus eſt in Hieruſalem & introiuit in templum & eiecit vendentes & ementes, & eadem die ad veſperã diſceſſit Hieroſolyma. Tunc eſuriuit & acceſsit ad arborem ficum, maledixitque ei & aruit & iuit ſequenti die in Hieruſalem, & veſpere rediit. Docebat autem populum in templo, in quo videre eſt quod Chriſtus in tẽplo docet nec à doctrina ceſſat quãquã inſidientur qui primas in populo obtinebant. Cui Deus tantum munus delegauit, is neceſſe eſt ad mortem vſque ſuam obire functionem, decretum habens capillos capitis ſui iam numeratos eſſe. Secundò animaduertendum eſt quòd Lucas ſcribit Chriſtum euangelizaſſe in templo, hoc eſt bona, ac fauſta nunciaſſe. Nunciabat enim haud dubiè tempus eſſe acceptabile, & quemadmodum Paulus teſtatur dies ſalutis, dies inquam in quibus Deus ſtatuerat cum hominibus gratiam priſtinam inchoare. Nunciabat etiam Chriſtus tempus eſſe noui fœderis quod iam olim Deus fuerat pollicitus per prophetam Hieremiam ſe pacturum cum hominibus, vt iam peccatorum obliuiſcatur, imò potiùs legem in cordibus ſcribendam daturum. Quemadmodũ lucerna cùm vult extingui maiorẽ emittit ſplẽdorẽ, ſic Chriſtus iã morti propinquus maiora ſigna oſtendebat, crebriſque concionibus id docebat. Prætereà cõuenerunt inquã principes ſacerdotũ. Principes ſacerdotũ vocãtur illi qui præcipui erant inter ſacerdotes. Cum ſenioribus ait, qui erant iudices magnæ autoritatis in populo, quorum ſententiam ſequebatur populus: & erant ex illis ſeptuaginta ſeniorib⁹ quos dederat Moſes in ſocios ad ſupportanda onera negotiorum, & ſemper ſeruatus eſt numerus illorum ſeptuaginta, ſuccedẽtibus aliis loco mortuorum. Seniores qui alios corrigere debebant iſti ſunt peiores, & adunantur cum impiis ſacerdotibus, ſicut olim, venerunt ad Ezechielem oſtendentes immũditias ſuas, egreſſa eſt enim iniquitas à ſenioribus Iſraël, qui videbantur regere populum. Pari gradu ſceleſtus eſt peccatum ſenis quàm iuuenis, quoniam ſenex rerum experientia & ſapientia præſtat, & debet alios non ſolùm conſilio ſed vita & exemplo inſtituere. cùm autem impius eſt, plus nocet. Vnde in Eccleſiaſtico habetur. Tres ſpecies odiuit anima mea. Pauperem ſuperbum, diuitem mendacem, & ſenem fatuum & luxurioſum. Quemadmodum in veteribus ædificiis periculoſius eſt incendiũ quàm in nouis, ita peccatũ ſenis plus nocet quàm iuuenis. Senes itaque qui alios corrigere debuerãt peiores effecti conuenerunt cùm ſcribis qui erant legis doctores, aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius Sed nihil humana ſapientia cõtra diuinam facere poteſt. Vnde Dauid in pſalmo in perſona domini ait, Protexiſti me Deus à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Quærebant autem ab illo in qua poteſtate hæc faceret, vt confunderent doctrinam eius: ac ſi nullius eſſet valoris, nec ab aliquo acceptanda, quia non habebat legitimam poteſtatem. Nec enim poterant admiranda eius facta damnare, quę tam multa & præclara populo teſte geſſerat, nec poterant doctrinam refellere, quæ cum lege diuinàque voluntate conſentiebat. In autoritate ergo venantur cauſam calumniandi. Si enim Dominus (quem non niſi tantum hominem eſſe credebant) ſibi vendicaſſet autoritatem Dei, parata erat blaſphemiæ calumnia, ſi minus in promptu erat calumnia ſeditionis quod abſque autoritate ſacerdotum & ſeniorum, hoc auderet in templo. Ambitionis cauſa qua ipſi erant ſcelerati, Chriſtum illis ſimilem iudicabant. Nam omnis homo, (vt egregiè differit Chryſoſtomus) ſecundum ſe exiſtimat alium. Fornicarius neminem caſtum putat eſſe, caſtus non facilè de fornicatione ſuſpicatur, ſuperbus neminem putat humilem. Sic qui non eſt ex Deo ſacerdos, nullum ſacerdotem putat ex Deo. Vnde credis fieri, vt contendant inuicem ſacerdotes, niſi quòd ambitioſi facti omnes tales quales ſunt ipſi exiſtimant? Videmus inquiunt, tuis concionibus te diſcipulos conuocare, & nos volumus teipſum audire & ſequi, ſed priùs dic nobis in qua poteſtate hæc facis? Quamuis iſti mali eſſent & hoc vt calumniarentur interrogarẽt, nihilominus vtinam noſtri prælati hoc feciſſent annis præteritis, non tot ſeminati eſſent errores, nec tot idiotæ prædicantes populo publicè concionem facerent. Quia homines dormiebant qui ſunt eccleſiæ prælati, quorum officium eſt vigilare. Venit inimicus, & ſuperſeminauit zizaniam. Sed de his aliàs.

¶ Vide igitur, quod non dicũt in qua poteſtate hæc dicis doces aut prædicas, ſed facis, quia de autoritate faciendi quærunt. Duo enim operũ genera fecit Chriſtus. Alterũ miraculorum, quia tunc ſanauit in tẽplo cæcos, & claudos, vt ait Matthæus, alterum eiectionis vendentium, & ementium, & euerſionis mẽſarũ. Quærũt igitur in qua poteſtate hæc facis, ideſt, eiicis ementes & vendentes, & de

Marginalia: Marc. 11; Matth. 10; 2. Corin. 6; Hiere. 31; Numer. 11; Peccatum ſenum grauius quàm iuuenum, & præſertim ſubditorum. Ezec. 8; Dan. 13; Eccle. 25; Pſal. 2; Pſal. 63; Ambitioſos temerarios iudices. Homi. 3. de Dauid, & Saule. tom. 2; Matth. 13; Matth. 21

hoc principaliter quærunt, quia non erat nouum Christum miracula facere. Denique omnia volunt examinare, doctrinam videlicet, & miracula, licet hoc principaliter non quærunt. *Respondens autem Iesus dixit ad illos, Interrogo vos & ego vnum verbum, respõdete mihi. Baptismus Ioannis de cœlo erat, an ex hominibus?* Visus est Christus hoc argumento, vt doceat nos ne illicitum arbitremur, vti quibus interdum vti expediens & vtile est, attamen non ita putaremus licitum esse nisi Christũ videremus sic vsum.
Act. 23 Sic etiam Paulus vsus est quando omnes Iudæi concitati erant contra eum vnanimiter dedit operam, vt disceptatio fieret inter eos adhærens pharisæorum sectæ cõtra sadducæorum doctrinam dicens. Pharisæus ego sum, & filius pharisæorum, de spe & resurrectione ego iudicor. Et cùm hæc dixisset facta est dissensio magna inter pharisæos &
Act. 25 sadduceos, & soluta est multitudo. Iterum cũ Paulus sciret, quòd Iudæi insidiabãtur vitæ eius, & Festus proconsul vellet causam Pauli in Hierusalem audiri, vbi non erat Paulo securũ, vt audiretur, appellauit ad Cæsarem, ad quem est missus. Et rursus
Act. 22 Paulus cùm Tribunus iuberet eum flagellis cædi, iam alligatus ait. Si hominem Romanum indemnatum licet vobis flagellare? Et iussit statim eũ solui Tribunus. Et iterum cùm fuisset iniustè incarceratus & cæsus, occultéque principes & magistratus iubebãt illum & Syilam dimitti, quod ad verecundiam eorum cedebat quasi ipsi fugerent à carcere, vel si pecunia aut precibus occultam haberẽt liberationem, dolẽs Paulus se sic eiici dixit. Cæsos nos publicè indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eiiciunt: Ita nos licet vti eisdẽ cautelis, & ingeniis in nostram vtilitatem cùm non cedant in iuris alicuius præiudiciũ, vel non includant in seipsis aliquod illicitũ, scilicet, quod expressè sit lege vetitum. Sic in præsentiarũ vsus est Christus. Posuit hãc potiùs quæstionem quàm aliam, quia neutra pars respõsionis poterat esse secura. *At illi cogitabant intra se dicẽtes. Quia si dixerimus è cœlo, dicet, Quare ergo nõ credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, plebs vniuersa lapidabit nos.* Promptum erat põtificibus & senioribus respondere, quod ipsi credebant, nam putabãt baptismum Ioannis esse ab hominibus, nolebant tamen hoc respondere, quia videbant prima facie quæstionem inuoluere difficultatem arduam, atqueideo cogitabant. Sic accidit impiis qui conuitio probos insequuntur, seipsos maiori supplicio
Psalm. 9 afficiunt. Vnde psalmographus ait. In laqueo isto quem abscõderunt, comprehensus est pes eorum. Dum alios illaqueare volunt, sibi ipsis inextricabiles laqueos machinantur. Christus sua quæstione illos sic concusserat, vt nullam amplius elabendi viam haberent, quod in sua ipsorum conscientia sentiebant. Vnde autem Deum non verentur, nec iudicium propriæ conscientiæ, sed tantum populum timent, & malunt ignorantiæ, quàm impietatis accusari. Sed ô miseros & plusquam infœlices homines, qui dum externa ope fallunt homines, in sua ipsorum conscientia sentiunt Dei maximam offensionem. Si reprehenderit nos cor nostrum
1. Ioan. 3 (ait Ioannes) maior est Deus corde nostro, & nouit omnia. Proinde caue ne quid cõmittas cõtra conscientiam, quæ apud Deum mille testium loco est. Porro baptismus Ioãnis è cœlo erat, & à Deo erat, ipse enim ait. Qui misit me baptizare ipse mihi dixit, &c. Et in superioribus dixit noster Lucas. Omnis populus & publicani iustificauerunt Deum baptizati baptismo Ioannis, pharisæi autem & legis Ioan. 1 Luc. 7
periti spreuerunt consilium Dei in semetipsis non baptizati ab eo. Quia ipsi spreuerunt baptismum Ioannis non audebant dicere ex Deo, ne cõfunderentur, neque ex hominibus, ne lapidarentur à plebe quam timebant, quia populus venerabatur Ioannem, ideo addiderunt.

Certi sunt enim Iohannem prophetam esse. Hoc est, missum à Deo, & non ab hominibus. Vide quomodo non erat eis curæ, vt verum responderent, sed quòd ipsis erat commodũ. Formidabãtque homines qui Dei timorẽ eiecerãt, atque ideo Pharisæi hodierni potentes scilicet hæretici.
respondent se nescire. Sequitur enim. *Et responderunt se nescire vnde esset.* Vide humani cordis malitiã. Non confitentur culpam impij, tametsi deprehẽsi Iosu. 7
sint, sed aut excusant quemadmodum Acham, & 1. Reg. 15
Saul, aut omnino negant sicut Cain. Sed nihil his Gene. 4
versutiis proficiunt coram iudicio Dei. Apud homines excusatio vel negatio criminis nonnunquã liberat, apud Deum autem, cõfessio. Multum enim differt iudicium Dei & hominum, nam quod apud homines condemnat, apud Deum saluat. Multos etiam inuenies modo his pharisæis peiores, ac superbiores. Nam isti licet superbissimi, nihilominus suam confitentur ignorantiam, sed nũc quamplurimi magis amant suam commendare opinionem quamuis ab aliis vincãtur, quàm ignorantiam cõfiteri. Hoc autem est omnibus hæreticis commune, quibus quãuis scripturæ testimoniis purissimis probes falsam, & hæreticam eorum doctrinam, nõ tamen poteris vlla ratione euellere à doctrina quã semel tuendam acceperũt, & malunt superbia ducti hæreses defendere, quàm humiliter ab errore deuiare. *Et Iesus ait illis, Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.* Si Christus nõ dicit nobis quis ipse Act. 9
sit, verè perimus, prima enim salus est ipsum audire sese manifestãtem. Audit Saulus, Cur me persequeris? At ille. Quis es Domine? Tota Sauli vita inde pendebat, vt Dominus diceret. Ego sum Iesus. Diuina est mihi potestas, nõ ex hominibus. Audit cæcus ille ego sum filius Dei: vt corde etiam vide- Ioan. 9
ret. Quæ verò alia salus est Samaritanæ neque Sa- Ioan. 4
maritanis nisi Christus diceret quis esset? Vigerent densissimę tenebrę in mũdo, nisi diceret Iesus quis esset. Si fides ex auditu, auditus autem per verbum Rom. 10
Christi: vbi Christus nõ loquitur, caret anima verbo vitæ & vita. Pete ergo ab eo vt tibi se declaret, nec patiatur abscõdi sicut à pharisæis quibus ostẽdit Dominus eos Spiritu sancto ꝗ inobedientes esse, Ioannique Baptistæ viro sanctissimo non credidisse, & de Iesu dixerunt se nescire vnde esset, obidque par pari referẽs ait si vos nescitis, nec ego dico in qua potestate hæc facio. Quæ facio cõferte facta mea cum factis illius & expendite an si non dubitatum est de autoritate illius conueniat Ioan. 9
de mea dubitare: siquidem ille crebris cõcionibus annunciauit regnum Dei, & de me testimonium perhibuit. Vide etiam dicentem non ego scio, sed non vobis dico. Nouerat enim se autoritate pa- Ioan. 14
tris cuncta gerere. Vnde ipse Pater in me manens facit opera.

¶ Nota duabus de causis veritatẽ esse abscõdendã quærẽtibus. Prima, quia capaces nõ sunt ad intelligẽdũ. Ideo dñs discipulis ait, Multa habeo vo- Ioan. 16
bis dicere: sed nõ potestis portare modo. Altera ꝙ

do

do ex odio aut contẽptu quæritur veritas, sicut hîc occultauit Christus veritatem suæ potentiæ: nec dixit se hæc facere diuina potestate: quia ipsi nolebant hoc scire, nisi vt calumniis afficerẽt eum. Matth.7 Vnde Dominus dixit. Nolite sanctũ dare canibus, nec mittatis margaritas ante porcos. Demũ noluit dicere quis esset: quia nondũ venerat hora suæ mortis, & hoc vsque ad vltimũ vitæ seruabit: quia sciebat illos dicturos blasphemasse & reum esse mortis. Sequitur. *Cœpit autem ad plebem dicere hanc parabolam.* Mar.14 Gratanter eum plebs audiebat, & maiores iam confutauerat: & ideo sermonem suum ad populum vertit ostendens quales fuerint illi sacerdotes & scribæ & seniores populi: in parabola quam Psal. 77 proponit. Scriptũ est enim de illo. Aperiã os meũ in parabolis, loquar propositiones ab initio. Ait itaque. *Homo quidam plãtauit vineam, & locauit eã agricolis.* Ho.65.in Matth. Aduerte quòd in Christi responsionibus, vt Chrysostomus annotat, duo cõsideranda sunt. Primum quòd Christus non tam verbis interrogantium respondet, quàm intentioni qua interrogant. Luc.9 Vnde cuidam dicenti, magister sequar te quocunque ieris, respondit, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autẽ hominis nõ habet vbi caput suum reclinet. Quid attinet Domine hęc respondere? Erat ille auarus, & vt diues esset sequi eũ optabat, & Christus menti eius respondit dicens, vulpes foueas habent. Acsi diceret, Quamobrem cum diuitem te esse velis, sequi vis hominem adeo pauperem, vt vulpes foueas habeant & volucres cœli nidos, & ipse non habeat vbi caput reclinet. Matth.19 Respondit non verbis eius sed menti. Alij etiã dicenti magister bone, putans solum Christum hominem esse dixit. Quid me vocas bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. Si bonum me confiteris, crede Luc.10 me esse Deum. Et discipulis dicentibus, dæmonia subiiciuntur nobis, respondit. Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadẽtem. Quasi dicat, Ne insolẽtes sitis quia dæmones vestræ ditioni sunt subiecti, ne vt satanas è cœlo, ita vos à me depellamini. Ioan.13 Et Petro dicenti, quo abis? respondit. Quo ego nũc abeo non potes me sequi sequeris autẽ posteà. Nõ dixit quo abiret, sed nõ potes me sequi, quia Petr[us] interrogabat, vt sequeretur Iesum, Lege Cirillum. Li.2. Thes. c. 2. & li.3. super Ioan. capit.3

¶ Secundò ostendebat Christus suam diuinam sapientiam cùm responderet interrogantibus ita vt ipsimet inimici eius seipsos respondẽdo damnarẽt. In hac parabola hoc apparet, in qua cũ Christus responderet interrogationibus sacerdotum, eos fecit iudices responsionum, & ipsimet seipsos damnant. Hac in re apparet præclarissima Christi doctrina & sapientia. Sensus parabolæ est. Dixerãt Christo principes sacerdotũ in qua potestate hæc facis? Hoc est, qua gratia ementes & vẽdentes eiicis de templo? Respondet huic interrogationi hac parabola in qua inquit, ꝙ hęc autoritas perscrutãdi, & examinandi concionatores, necnon licentia qua vsi erant eum interrogantes in qua potestate id faceret, iam venisse tempus in quo hac autoritate erant priuandi suis peccatis in causa existentibus, & ab eis ad Gentiles hæc potestas transferenda. Hoc insinuare vult in hac parabola dicens illis, Homo quidam plantauit vineam, &c. Sub hoc homine intelligitur De[us], vinea est ecclesia & populus Israëliticus, in quo notus erat Deus. Agricolę sacerdotes templi, cũ quibus Christus hæc loquebatur in templo. His locata est vinea hæc, vt redderẽt doctrina ac exemplis singulis annis fructus Domino, scilicet animarum quarum curam habebant. Cùm enim ad eos mitteret multos ex prophetis seruis suis non solũ non præstiterunt pactũ, quin potius eos occiderunt, necnon suum vnicum filium Christum Dominum quem crucifixerunt, quamobrem iustissimè ecclesia & Euangelica concio translata est ad gentes, iuxta illud quod Paulus & Barnabas Act.13 dixerunt Iudæis, Vobis oportebat primum prædicari verbum Dei, sed quoniã illud repellitis & indignos vos iudicatis æternę vitę, ecce cõuertimur ad gẽtes. Sic enim præcepit nobis Dominus. Ideo Christus concludit hic dicens, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Qua de causa nõ est vestrũ interrogare in qua potestate hæc facio, cum perspicuum sit hæc potestas à vobis vestris demeritis esse ablata, & aliis cõcessa. Hic sensus est parabolæ, sed singula exponamus, elicientes more nostro ex ipsius literali sensu doctrinam ad mores componendos, vitamque corrigendã. Ait itaque. *Homo quidã plantauit vineã.* Deus vocatur homo, quod faciat homines.

Homo iste Deus est Optimus & Maximus. Pater videlicet æternus. Non quia ipse sit homo, imò ab effectu eo quòd ipse facit homines. Vocatur quidã sutor, nempe quia facit calceos, & alius faber argẽtarius, ab eo quia argentea facit opera. In scriptura etiam vsitato modo loquendi causæ vocantur sæpè ex effectus nomine. Sic noster Lucas in superioribus vocauit quendam dæmonem mutũ, quia Luca 11 hominem in quo erat faciebat mutum. Sic Pater æternus dicitur homo, nempe quia est hominum conditor, denique hominum causa efficiẽs, vt ipsi homines sint. Secũdò dicitur homo, vt placet Origeni: nõ quòd reuera ipse sit homo, cùm natura humana ad verbum sit terminata & non ad Patrem, Orig. hom. 19. in Matth. sed dicitur homo, quia conuersatur cum hominibus, & eis declarat quæ conducunt ad mores componendos. *Plantauit vineam.*

De hac vinea plenissimè per canticum loquitur Esaias describens omnem commoditatem vineæ Esai 5 Vinea Domini quæ. sic excultæ, vt nihil supra. Vinea Domini Sabbaoth domus Israël est. Attamen videamus vnde portauit radices, quouè loco eas plantauit. Hoc docuit Dauid cùm loquitur cum Deo inquiens: Vineam Psal.79 de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes & plantasti eã, dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleuit terrã. Operuit mõtes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei. Extẽdit palmites suos, &c. Quẽadmodũ bonus cultor si in terra sterili habet optimas radices viuas, & eas in aliam bonam mutat: nihilominus inquit Dauid transtulisti vineam tuam, quæ est populus Israeliticus, qui sicuti vinea intenderat ramos suos, & extẽderat se ac creuerat ab Aegypto loco seruitutis, & afflictionis & tenebrarũ, vt eam plantares in terram bonã, quã patribus eorum promiseras, quæ manat lacte & melle. Eiecisti gẽtes. Vulsisti ab hac vinea omnes sentes, quæ poterant officere, eiiciens à terra propria, Amorræos, Cananæos, Iebusæos, aliosq; idolorum cultores, qui colebãt terram promissionis, fecistique populũ tuum habitare, & fructibus terrę frui. Nõ solùm egregius Psaltes, vnde Dominus vineam transtulit, & vbi plantauit enarrat, quin etiã quid eius causa fecerit in vinea dicit, Dux fuisti itineris. Exod.14 Præcessisti populũ tuũ in die colũna nubis, ne sol eos offenderet, & in nocte colũna ignis, vt viã viderent. Eduxisti à terra Aegypti faciẽs mirabilia

bilia eiecisti è terra electa,& optima gentes immanes & truculentas:& terras eorum dedisti populo
1.Reg.5 tuo. Et occupauit hæc vinea omnem terrã quam in possessionẽ accepit:& eiusmodi creuit populus, vt extenderet se à Dan vsque Bersabee. Et operuit montes vmbra eius: quare tantam amplexa est celsitudinem hæc vinea, vt sub vmbra eius absconderent se magni montes: nẽpe quia sub eius imperio erant regna,& imperia: nam huius vineæ propagines extiterunt Dauid, Salomõ, Ezechias, Iosaphat, Iosias,& alij quãplurimi, qui fuère non solùm excellẽtes principes, sed etiam integerrimi duces, vt omnes cedri eos circundarent. Et ne fortè ignorarent quantum se dilatauerãt implicat dicens,& extendit palmites suos vsque ad mare. Hoc est, Mediterraneum:& vsque ad flumen, scilicet, Eufratem.

Ecclesia quare vinea similis. ¶ Videre est etiam quomodo Deus hãc vineã amauerit,& quam illius habuerit curam, vt electis propaginibus eã plantarit. Quomodo elegit De° Abraham,& Isaac reprobato Ismaele, Iacob reprobato Esau,& seruauit Mosen incolumem, eò quòd vidit eum esse plantam optimam huic vineæ. Sed hæc satis sint de vineæ plantatione. At nũc operæ precium est scire: cur ecclesia assimilitur potius vineæ, quàm alicui rei aliæ. Hoc est propter duo. Primum: nam radix viua in exteriori aspectu apparet vilior cæteris plantis ac arboribus: attamẽ fructus est dulcissimus. Nec non radix viua est: maximè vtilis: nam ex ea decerpimus vuas dulces ad edẽdũ vinum, acetum & sapam: vuas etiam passas, botrũ, denique cinerem optimum, vt mundentur linteamina nobis præbet, postremo lixiuium, vt mulierũ capilli deaurentur. Ita & iusti qui sunt huius vineę propagines quales fuerunt Moses, Iosue, Samuël, Dauid, Esaias, Hieremias, &c. & modo apostoli, Martyres,& confessores, & omnes iusti veteris ac noui testamenti (nam vinea vna eademque est Ecclesia) omnes in exteriore parte visi sunt homines impoliti, pauperes, spreti, infames, cùm introrsum sint virtutibus abundantes, diuites,& hominibus commundum afferentes. Omnis gloria filiæ regis
Psal.44 abintus. Attamen extrorsum visi sunt flagitiis, infames, idiotæ, gens denique inutilis. De principe hu-
Esai.53 ius vineæ dixit Esaias. Vidimus eum,& non erat aspectus, vnde nec reputauimus eum. De aliis verò
Sapien.5 iustis inquit diuina Sapientia, quod mali dixerunt cum essent apud inferos, Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinẽ improperij, nos vitam illorum æstimabamus insaniam,&c. Tanquam purgamenta huius mundi (ait Paulus)
1.Cor.4 facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. Hæ propagines quæ extrorsum apparebant viles, fœdæ, ac inutiles, nõ potest facilè explicari quàm sint vtiles optimæ accommodæ, quam denique vtilitatem attulerint Ecclesiæ Dei. Lege Acta Apostolorum vbi inuenies commodum Pauli. Mirũ in modũ profuerunt Ecclesiæ Augustinus, Hieronymus, Basilius, Athanasius, Chrysostomus,&c. Sed quid dices de Benedicto, Bernardo, Francisco, Dominico,& reliquis fundatoribus sanctarum religionũ, qui tanquam inutiles vineæ radices erãt ab hominibus spreti, cõsputi: quia videbãt eos pauperes & deformes? Sed certè in Christi Ecclesia commodũ maximum attulerunt: nã plurimorum animæ istorum doctrina & exemplis saluæ factæ sunt. Diuites & potentes huius sęculi velut populi & salices inutiles sunt virides, vmbrosi,& olentes suis diuitiis, quibus vmbris cooperiunt lenones & scurras: sed & ipsi scindẽtur vt inutiles plãtę infrugiferę, vt ait dominus:& mittentur in ignem tartareum. Matth.7

¶ Secundò Ecclesia assimilatur vineæ, nam in vinea semper est, quod agant per totũ annum ferè, & quid decerpant: nam fodiunt, putant, spargunt fimo pingui, mundant, vindemiant,&c. Nihilominus ecclesia in hac vita,& radices viuæ, qui sũt eius filij dum hoc exiliũ currunt,& labores patiuntur & persecutiones,& denique in doloribus & patiẽtia exercitantur. Respice ergo Christiane quàm sit opus, vt à Deo puteris qui est optimus cultor, si vis fructificare. Qui tũc te putat cùm te orbat vxore, filio, amico, vel salute, diuitiis etiam: nã hoc Deus ita vt cultor sapiens facit, nã in hoc tua res agitur, vt maiorem fructum afferas: ac maiorem denique commodum. Vnde dominus, Palmitẽ qui fert fructum, purgabit eum: vt fructum plus afferat. Cum Ioan.15
te vides à Domino putatũ in tribulationibus: scito te tunc amari, nam hoc facit, vt possit commodare tibi: quia corrigit omnem filium, quem accipit. Heb.12
Sic etiam multoties Israëlitas putauit manibus Philistinorum ac Caldæorum: quibus permisit eos occidere,& in captiuitatem ducere. Hodie postremò eiusmodi ecclesiã suam putat, vt eam pati patiatur persecutiones, ac vt deniq; Turcæ & infidelium gentes cum hæreticis eã putent. Inscij & parui momenti homines malum & turpe ducunt Deũ suam vineã putare & affligere, sed nec hoc intelligunt nec sciunt. Ideo Dauid in persona ecclesiæ. Psalm.38
Opprobrium insipientium dedisti me, sed obmutui,& non aperui os meum. Eo oportet nos pati iniurias patienter, quo etiã scire & reminisci nos esse huius vineæ plantas, & inimicum instrumẽtum quo nos Deus putat. Sic cum Semei persequebatur Dauid ac maledicebat, necnõ iaciebat in eum 2.Reg.16
lapides, non hoc ægrè ferebat Dauid, quin potiùs dicebat, Sinite. Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid. Deus in eo magno bono me putat, vt maiorem fructum afferam,& Semei est instrumentũ. Sed procedamus. *Et locauit eam colonis.* Coloni seu agricolę, maiores populi sunt, quales erant illi pharisæi & sacerdotes ad quos Christus loquebatur, nam infrà dicit concludens parabolam. Auferetur à vobis, idest, principibus sacerdotũ, scribis & pharisæis regnum Dei, idest fides,& cognitio Dei, & potestas,& vineam suam, idest ecclesiam dabit gentib. Tũc (ait Chrysostomus) dari ac locari cum Chry.hom.40 imper.Matt.
secundum legem constituti sunt sacerdotes,& leuitę & ipsis est curę ministrare populo. Prælati,& episcopi ecclesiæ, aduertant, audiant ac videant, vineam non dari agricolis seu colonis, sed locari, vt reddant fructus Domino. Aduerte ergo te non dominum sed villicum domini, non ideo oportet vt optimates fiant ex Christi patrimonio. Non tibi episcope siue abbas sis, data est ecclesia vt domino, sed vt villico, non ergo es dominus, sed dispensator. Deus est animarum dominus, qui non te fecit dominum, sed rectorem,& pastorem, vt eas reges, acgubernes doctrina,& sustẽtes eleemosynis. Prôh dolor, quanti hodie prælati extãt, qui tanquam hi Coloni facti sunt domini & principes.
coloni surripiunt vineam & tyrannide opprimũt subditos, pauperumque eleemosynas vsurpant, nec se esse villicos & non dominos vident. Iã homines nõ espiscopatus accipiũt, vt in vinea Domini laborẽt, quin potiùs vt ipsi sint domini ac principes,& vt deniq; surripiant Christi primogeniturã. Expẽde etiam

de etiam hanc vineam nõ nisi colonis locari, scientibus officium. Sic ecclesia non est danda nisi colonis scientibus officium, hoc est, his qui literis sunt exculti, virtutibus ornati ac prudentia, vt possint esse prælati. Prius est homo colonus, & post tradũt ei vineam, nõ enim ait locauit eam hominibus sed agricolis. Non satis est te esse hominem, imo necesse est, vt sis agricola, vt huius vineæ possis habere curam, hoc est, vt ornatus sis virtutibus, sensu, iudicio, prouidẽtia, habilitate & literis bonis imbutus: vt sis optimus sacerdos & prælatus. Non ad curandum infirmum corpus, quemuis medicorum quęris, nec quia est probus homo, sed quia esse doctum & in arte medicinæ peritum ferunt. Sic non oportet prælatum solummodo esse hominem bonum, quin etiam optimum opificem, & ad gubernandũ & regendum ecclesiam literis præstet & prudẽtia.

Deus quare dicitur peregrinari & abesse. Ambr. li. 6. in Lucam.

Et ipse peregrè fuit multis temporibus. Primò hoc dicitur tam propter rationem metaphorę, quàm propter significationem. Quantũ ad rationem significatiõis, quòd Domin⁹ sit absens vel peregrinetur, quia dominus vineę De⁹ est qui peregrinatur à nobis, non quidem per localem absentiam, cùm vbique verè sit, sed quia non hîc se nobis ostendit per omnia sicut aliquando ostensurus est, ipse quippe iudex est omnium quæ rectè vel prauè aguntur. Et quia pro bonis non statim retributionẽ reddit nec pro malis pœnã, videtur quasi absens esse. Erit autem præsens quando omnia adducet in iudicium, & pro omnibus retribuet. Et verũ est quòd Deo absente ista fiũt, quia si ipse quasi præsens pro peccatis statim pœnam inferret, non fierent tot mala, sed quia rarò pro peccato pœnã hîc infligit, audẽt

Eccle. 8

impij committere quæcunque grauia. Secũdò dicitur absens & peregrè proficisci, quia reliquit illos colonos in manu consilij sui, & dedit spatium & tempus benè operandi. Tertiò abire est longè abstrahere ab eis ob eorum peccata, fauorem adiutorium negando quod illis benignè largitus erat, & quo eos liberauit à malo. Nam quemadmodũ solẽ ferunt nobis appropinquari cùm eius radij nos ambiũt, & contra discedere cũ eius radij discedũt, ita metaphoricè dicimus Deũ appropinquari vel discedere cùm nobis radios sui fauoris ostẽdit, vel peccatorũ causam aufert. Quartò dicimus Deum proficisci, quia talem se dominus ostẽdit, qualẽ de eo opinionẽ habemus. Hortulanus visus est Marię

Ioan. 20

Magdalenæ, quia nondum illa de Christo deitatis opinionẽ conceperat, sed eum horti dominũ credebat. Peregrinus visus est eũtibus in Emaus, quia

Luc. 24

illum in vita esse non credebant, sed à vita peregrinum. Ita nunc longè profectus dictus & visus est: quia vt à colonorũ animo longè discesserat, & illi eum velut longè distantem arbitrati sunt. An non prælatorum quidam ita viuunt ac si nullum Deũ esse crederent: aut nunquid lõgè abesse eum existimant? Rectè de anima meretrice dictum est. Non

Prouerb. 7

est vir in domo sua, abiit via longissima. Ita enim

Psal. 9

misera credit anima. Sic etiam in Psalmo de peccatore loquens ait egregius Psaltes. Non est Deus in cõspectu eius, inquinatæ sunt viæ eius in omni tẽpore, auferuntur iudicia tua à facie eius. Seruus ille malus cœpit inebriari, quia credidit dominũ eius longè abesse, atque ideo longam facturum morã. Itaque cùm videas Deum adeo malorum dissimulatorem, cùm videas nequitiam ita vigere, an non

Luc. 12

videtur Deus longè profectus? Si enim mala nõ sustineret, abesse nõ videretur, cùm verò ita turpiter nos agentes sustineat & dissimulet, longè videtur esse. Vtinam prælati ecclesiæ quibus Dominus tradidit vineam excolendam, quemadmodum putãt Dominum abesse intelligerent prope esse, & fideliter laborarent. Sequitur. *Et in tempore misit ad cultores seruum, vt de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eũ inanem.*

Beda in cap. 20. Luc. cap. 81.

Moses seruus Dei.

Per hunc primũ seruum intellige Mosen, qui quadraginta annos continuos fructum aliquem legis quam dederat cultoribus exigebat, sed cæsum eum dimiserunt vacuum. Irritauerunt enim Mosen in castris, & Aarõ sanctum do-

Psal. 105

mini, & vexatus est Moses propter eos, quia exacerbauerũt spiritum eius. Quin & ipse seruus quid de fructu huius vineæ sentiat palã carmine declarat dicens, Ex vinea enim Sodomorũ vitis eorũ, &

Deut. 32

propago eorum ex Gomorra. Vua eorum vua fellis & botrus amaritudinis in ipsis. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.

¶ Animaduertendum, quod hîc dominus misit ad cultores vineæ tẽpore fructus, nã vt Matthæus,

Matth. 21

cùm tẽpus fructus appropinquasset, &c. Attende, dominus exigit à te fruct⁹ quos legisti, & tu ab agricola exigis triticum, quẽ nõ metit. Quo pacto reddet tibi redditum si ager sterilis est, qui nihil dedit? Vis fortè colonum fieri creatorẽ ac Deo similem, qui de nihilo metat triticum, si ager infrugifer est? Si ager respõdet nihil vetat quin tibi debitã partẽ accipias, nã hæreditas tua est, sed tu veluti tyrãnus in carcerẽ pauperem agricolã coniicis, & permittis eius vxorem & filios fame perire, nec solùm boues eius vẽdis, verùm etiam destruis eum, eo quod non reddit tibi quod nec potest nec terra dedit. Magna multorum diuitum iniquitas esse solet & tyrannis, qua pauperes innoxios persequuntur. Venatio leonis (ait Ecclesiasticus) onager in eremo,

Eccl. 13

sic & pascua diuitum sunt pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas, & sic execratio diuitis pauper. Itaque quemadmodũ non repetit Dominus ab agricolis fructus nisi cum decerpserũt, nec tu velle debes fructus, nisi cum ager dedit.

¶ Videre est etiam quòd Deus nõ petit fructus,

Theophila. in hæc verba.

quia his opus habeat, sed vt tu laborem adhibeas, sciens hoc à se tibi repetendum, & quòd venturus est quærere fructus. Tui commodi causa hoc facit, non verò sui. Vult Deus te in hac vita laborare, vt bonorum operum fructum reddas: ac etiã vt hanc vineam Domini fodias, & vt scias te rationem redditurum iubet à te exigere fructum. *Et addidit alterum seruum mittere: illi autem hunc quoque cædentes & afficientes contumelia dimiserunt inanem.* Hic seruus

Dauid missus à Deo. Beda vt supra.

Dauid regem & prophetam cęterosque significat qui post Mosen missi sunt, vt post edicta legalia, psalmodia, modulatione & dulcedine citharę, colonos ad exercitium boni operis excitarent. Sed & hunc contumeliis affecerunt dicentes, Quæ nobis

2. Reg. 20

pars in Dauid, aut quę hæreditas in filio Isai? Attamen ipsi pro hac vinea quæ de Aegypto translata Palestinæ montes sua obumbratione protexerat ne radicitus exterminaretur orabat. Domine Deus

Psalm. 79

virtutum conuertere nunc: respice de cœlo & vide & visita vineam istam, & dirige eam quam plantauit dextera tua. Præterea obseruandum hîc est quã

Greg. lib. 25. mor. cap. 12

verum sit illud Diui Gregorij, peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Quid verius? Primos inquit hîc noster Lucas cecidisse, secundos verò non solùm

cæciderunt

ceciderunt, sed etiã contumeliis affecerunt, quod est grauare delictum. Ita demum peccata peccatis cumularunt, vt magno incremento iniquitatũ perfricata facie ipsum Dei filium hæredem occiderẽt. Hucusque veniunt qui peccatis perseuerant, qui culpas suas tantum multiplicant, vt multo deteriora committant facinora. Si malum est peccare, peius est in peccatis perseuerare. Hæc enim cõtumacia & perfidia multa alia peccata & grauiora parit. Sed quia de his multa in superioribus diximus, nolo nunc eadem repetere. Sequitur in contextu.

Capi. 3. Herodes adducit ad hac.

Et addidit tertium mittere, qui & illum vulnerantes eiecerunt. Per hunc tertium intellige prophetarum chorum qui continuis attestationibus populũ cõuenerunt, & quæ huic vineæ ventura imminerent mala prædixerunt. Sed quem prophetarũ non sunt persequuti & occiderunt eos qui denũciabant aduentum Saluatoris? Serra sciderunt Esaiam, Hieremiã lapidibus obruerunt, Michæas in maxilla percussus & in carcerem coniectus, Amos per tẽpora securi est percussus, & Ezechiel & ferè omnes sancti prophetæ & ministri Dei vulnerati sunt & eiecti, & hi omnes multa dixerũt de sterilitate huius, vineæ: sed sufficiat Hieremiæ audire plãctũ. Ego te plantaui (inquit) vineã electam, omne semen verũ, quomodo conuersa es in prauum vinea aliena? Et in Esaiæ Cantico. Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem labruscas. Valde dolendum quo magis augebatur Dei misericordia mittẽs ad eos viros sanctos & iustos, qui populum docerent, monerent ac denique conuerterent, eò augebatur eorum malitia. Sic nunc multi quo Deus est magis misericors, vt illis remittat peccata, eo ipsi deteriores effecti dicunt. Incidamus in peccata, nã Deus misericors est, omnia nanque remittit. Sed obsecro quo Deus est melior *al.* optim⁹, eò es tu peior *al.* pessim⁹? Dei misericordia & bonitas immẽsa, quæ te ad odium tui ipsius excitare ac flectere debebat, ab hac sumis argumentum grauiùs peccandi. Necesse est, vt eius iustitia veniat tibi in mentem. Quia his non veneratin mentem Dei iustitia, ideo abutebantur sua misericordia immensa. Sic factũ est quò Deus erat melior & benignior, eo ipsi peiores fierent. Eò magis ipsorum malitia visa est, quò misericordia Dei crescebat, malitia enim hominũ (vt Chrysostomus ait) contra Dei bonitatẽ certabat. Virtus paulatim deficit hominibus propter ingratos, nã cùm homo quanuis probus cõfert beneficium in ingratũ, cessat ab opere bono nec curat, quia ingratus durescit iusti bonitate. Sed hîc erat contrariũ, nã quo erat populus Iudæorũ Deo magis ingratus & rebellis, eò magis erat Deus misericors, benignus & pius, & maiora in eos conferebat beneficia. Quo maiora committebant peccata, eo sanctiores viros ad illos mittendos destinabat, quousque ad eos suum vnigenitum filium mitteret. Mira Dei misericordia, quam ad exitum perducere nulla malitia humana valet. O quoties his vsus est tecum dominus. Sæpesępiùs Deus nuntiis te admonet, assiduis concionibus, vt cõuertaris, sanctis inspirationibus quæ cor tuum pulsant, vt velis à via iniquitatis deuiare, & non vis. Vide ab hinc quot annos manes, in peccato & Deus sæpesępiùs vocat, & tu indies durior, & Dei nuntiis sic respondes quemadmodũ Iudæi & in grauissimã diuini numinis offensionẽ incidis, ac denuò duplicas peccata. At misericordia Dei omnia sustinet: ipse enim ait, Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israël. Qui portamini ab vtero meo & gestamini à vulua mea, Vsque ad senectam ego ipse & vsque ad canos ego portabo. Ego feci & ego feram, ego portabo, & saluabo. Et apud Hieremiam. Si dimiserit vxorẽ suã & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eum vltra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamẽ reuertere ad me, dicit dominus. Si dominus eiicit à domo sua seruũ qui fuit traditor domino, & posteà parcit illi & eũ iterum conciliat, si hic seruus iterum peccauerit in dominum & hoc bis fecerit, nonne eum in æternũ dimittet. Attamen Dei misericordia & bonitas immensa est res mirãda, nã si millies & vltra peccaueris semper misericordiæ suæ ianuam apertam inuenies, si cõuersus toto corde fueris. Quos acciuit vt in vinea laborarent, etiam si erãt ociosi in foro, nihilominus eos vocauit & misit in vineam suam quãuis serò, & reddidit illis mercedem. Vide ergo Dei misericordiã. Licet sis senex & morti propinquus, si Deum quęsieris, quemadmodum latroni in cruce pendenti dabit tibi beatitudinis mercedem. Non desiuit Deus vti his misericordiis cum Iuda traditore, quem semper monebat & vocauit illum amicum, quod fecisse cum Saule rege iniquo sacris literis est mandatum, ille qui locutus est in forma Samuelis dixit ei se moriturum sequenti die, vt cõuerteretur & pœnitentiam ageret, ne fortè mors eũ insperato ac inermem occuparet.[4] Sic nũc vsus est cum his agricolis toties misericorditer vocans. Sed de his iam satis.

Beda & Theophi. ac locus iopra citatus. Prophetæ legati Dei. Act. 7. 3. Reg. 21. Hiere. 2. Esai. 5. Homi. 40. in imperf. opere Matth. Esaia 46. Hiere. 3. Matth. 20. Luc. 23. Matth. 26. 1. Reg. 28.

❡ Vide ergo Christiane, nam sicut ab his repetit dominus vineæ fructus, ita à te repetet fructus salutis & ingenij, quæ omnia tibi dedit. Si à domino accepisti dona, vt illi inseruires & cõmodũ faceres, ergo fac des illi redditum, & proficias ac domino inseruias cũ his quæ de manu domini accepisti. vt denique possis cum seruo fideli dicere, domine quinque talẽta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Vt ergo Dei bonitatem videas scito se à te hos redditus nõ exigere sui commodi causa nisi tui, non sibi sed tibi, vt te diuitem faciat. Quando fratres Ioseph profecti in Aegyptũ quærebant triticum, iussit Ioseph vt ad ora saccorum ligarent pecuniam, quã illi dederant. Cùm facis Dei mandata, ipse Deus reddit tibi tuum argẽtum & duplicat vim vt possis beatitudinem adipisci. Pium opus est cum Deus repetit ab hominibus redditum. Misericordia eius præueniet me. Pręueniet inquam, vt redditus soluam. Quid cogitas cõciones esse quas quotidie audis, inspirationes, & labores quos suffers, nisi redditus à te repetitos. Nõ igitur afficias iniuriis hos nũcios, quemadmodum isti agricolæ impiissimi fecerunt.

Reddenda ratio de singulis Dei donis. Matth. 25. Genes. 42. Psal. 26.

❡ Demum docet locus iste, vt ingratis beneficia faciamus, nam Deus ingratissimis agricolis plures seruos misit. Sol non desinit micare radiis, etiamsi nubes velint eius lumen obscurare. Sic & nos non debemus à beneficiis desistere etiam erga eos, qui nostrorum benefactorum splendorem maculare voluerunt. Vt enim nux & oliuæ notissimæ plantę etsi virgis cædantur, vberrimos tamẽ fructus producunt, sic nos etiam ob præclaras virtutis actiones obiurgati, maledictis læsi, ingratis & impiis nõ sinamus bona facere. Ita Deus ingratis colonis nõ sinit nuncios mittere, vt eos tam crebris beneficiis demulceat,

Ingratis etiã benefaciendũ.

demulceat, alliceat, & trahat. Et vt videas, quanta sit Dei misericordia audi.

Dixit autē dominus vineæ, Quid faciam? Mittā filium meū dilectum. Hoc est quòd Paulus ait. Postquā venit plenitudo temporis misit Deus filium suum vnigenitum natum ex muliere, factum sub lege. Et Ioannes. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suū vnigenitum daret. Vide obsecro quemadmodum in istos ingratos agricolas mundumque etiam perditum non solum non animaduertit sed filiū vnigenitum dat. Moris est Deo non rarò peccatores bonis operib. punire. Ita discipulorum incredulitatem castigauit ingens miraculum operans, cū ex quinque panib. & duobus piscibus maximā multitudinem satiauit. Quod maius supplicium iis qui non credebāt, quàm videre magistrum suum tam inauditum miraculum operari? Pro certo tenendū est quòd suæ præteritæ incredulitatis cōfusi remanebant. Vnde Hieremias, Metuamus dominū Deū nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam, &c. *Forsitā cùm hunc viderint verebuntur.* Quomodo dixit forsitan verebuntur filiū meum, cum sciret quod non erant eum verituri? Dicendū iuxta Hieronymi sentētiā, quod hoc dixit non ex ignorātia: sed propter hominis liberā volūtatē & arbitrij libertatē. Poterāt enim velle cōtrariū & vertere arbitriū quocūq; voluissent. Chrysostom⁹ verò ait quòd dixerunt non ad significandū id quod illi erant facturi, sed vt insinuaret id quod vt facerēt iustum erat. Iustū erat vt filium meum vererentur, & quis est animaduerterēt. *Quē cū vidissent coloni cogitauerunt intra se dicentes. Hic est hæres, occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas.* Singula hæc obseruatione digna sunt. Primò ait quòd coloni videntes filium intra se cogitauerunt. Secundò dixerūt, Hic est hæres. Tertiò occidamus eum. Quartò & vltimò, vt nostra fiat hæreditas. Expendamus hæc. Primò cogitauerūt. Sic prædixerat Hieremias. Cogitauerunt super me consilia dicentes. Mittamus lignum in panem eius & eradamus eū de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Et Sapiens. Morte turpissima cōdemnemus eum, erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitauerunt, & impias cogitationes opere adimplerunt. De his olim Esaias. Oua aspidis ruperunt. Hoc est, iniqui aperuerūt cogitationes suas, ex quibus non nisi venenum prouehitur. Comparat iniquorum prauas cogitationes & consilia ouis aspidum, quæ tunc rūpuntur cùm operibus perpetrantur. Oua aspidum foris sunt alba, oculis grata & pulchra, intus autem veneno plena. Sic flagitiosorum hominū consilia, prima specie apparent ipsis vtilia, sunt tamen eis valde nociua, sicut qui oua, aspidū frangunt seipsos occidunt: ex ipsis namque ouis venenum fractores inficiens erūpitur. Ita quidam qui flagitiosas cogitationes, cōsiliaq; tetra in effectum producunt, sibi ipsis perniciē machinantur. Sic agricolis istis contigit, qui occidētes Christum, vt haberent hæreditatem, hanc amiserunt. Itaq; quia ex iniquis cogitationibus mala opera oriuntur, à prauis cogitationibus recedere cauerēque nos oportet. Molimen (vt Anselmi similitudine vtar) secundum triticum quod in area eius proiicitur, farinam eiicit. Imaginatio enim tanquam moliminis rota reuoluitur, & ita si bonos cogitatus in id proieceris, bonorum operum farinam emittet, sin autem prauos, opera ipsis consona reddet. Nunquam ex hordeo, tritici farina, nec ex turpib⁹ cogitationibus, bona dimanarūt opera. Si in succēsum fornacē ligna arida, incēdio apta cōieceris, resplendebit ignis, purā viuamq; flammam emittens, sin autē viridia inieceris ligna, & iuncos palustres indubiè ardebunt, sed totus fornax erit fumo repletus, & denigratus nec ex turpib. & ob caliginē & fumi densitatē productā. Sic cor nostrū fornax est semper ardēs. Si illud diuini amoris cogitationibus nutrieris, charitatis flāma resplēdebit, sin autē impiis foueris totū fumabit, eritq; obscuritate circūfusū. Euanuerūt in cogitationibus suis, ait Paulus, & obscuratū est insipiens cor eorū. Caueamus ergo impias cogitationes, cogitatio enim veluti radix arboris abscōdita est quæ quidē si viridis & bona extiterit, fructū bonorum operū proiiciet: si verò arida, nullū prorsus fructū præbebit. Si cogitatio bona est, statim volūtas ab illa capitur, & intellectus bona desideria cōcipit, bonaq; opera parit. Quibusdā qui turpibus cogitationib⁹ nauabāt, dixit dominus per Hieremiā, Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Nō cōqueritur Deus, quòd habeāt cogitationes iniquas, sed quòd in eis morātur. Cùm Gētiles simul cū populo Israelitico cōmorabātur, Deus à populo suo recedebat, & eos minimè alloquebatur. Simili modo & tu derelinqueris à Deo, si locū cōcesseris cogitationibus iniquis. Tecū est Deus, quādo in te prauæ cogitationes nō habitant, ceditq; à te si cōsensus locū eis tribuis. Iudæis licitū erat gentiles per iter relinquere, sed in culpa erat eos habitatores facere. Ne aspires in malā cogitationē velut in scintillas, si nō vis vt ignis crescat & teipsum cōburat, & demū in inferis ardeas. Coloni isti cogitauerūt inter se, & ex hac turpi cogitatione euenit vt dicerēt venite, occidamus eū, quē posteà executioni mādauerūt.

¶ Secūdò quid dicant audiamus. Hic est hæres, dixerunt. Iam literis mandauimus quòd loco istorū colonorū sacerdotes tēpli, scribæ & pharisæi, principésq; populi intelligūtur. De his hîc agitur, & hi dixerūt. hic est hæres, licet enim simplex populus Christū minimè nouisset esse Messiam, sacerdotes tamen isti & legis periti benè quidē ipsum nouēre, sed quia populus eū sequebatur vitiáq; pharisæorū arguebat, odio eū prosequebātur, malitia nāq; eorū reddit cæcos, sicq; nullā Christi doctrinæ fidē adhibentes, eū in iniquorū flagitiosorūq; hominū numero cōputauēre. In principio priusquā eorū animos odiū aduersus Christū occuparet, tāquā sapientia præstantes oēs prophetias in Christo adimplere cernebāt, eūq; cognouerūt, ducti tamen malitia nō esse Christū dixerunt, & sic excæcati ipsum minimè cognouerunt. Vnde dominus de istis alloquens ait. Excæcauit eos malitia eorū. Sed huic videtur cōtradicere quòd Apostolus ait. Si dominū gloriæ cognouissent nō vtiq; crucifixissent. Ad hoc potest respōderi primò, quod quādo eū crucifixerūt tunc eū haud cognoscebant nec esse Christū existimabāt, quoniā erāt cæci, quāuis in principio eum cognouissent. Secūdò dici potest quòd nō cognouissent eū tanquā dominū gloriæ, tametsi cognouissent eū tanquā Messiam. Paulus enim exponit seipsum dicēs. Si dominū gloriæ cognouissent, idest, tanquā dominū gloriæ. Cognouerunt eū Messiā, ideò dixerūt, hic est heres, sed non cognouerūt esse filiū Dei, & gloriæ dominū. Sed ignorātia hæc nequaquā erat illis excusationi, mi-

Galat.4 — Ioan.3 — Ioan. 6 — Hiere.5 — Lib.3.com. in Matth.c.21 — Chry.hom.69. in Matt. — Hiere. 11 — Sapien.2 — Esaiæ 59 Cogitationes iniquæ similes oua aspidum. — Ansel. lib. de similitu. ca.4 — Rom.1 — Hierem.4 — Ignorātia Iudæorum inexcusabilis. — Ioan.12 — 1.Cor.2

racula enim quæ Christus vniuersaliter operabatur, apertè eius diuinitatem declarabant, quia fateri Christum esse Deū miraculaque agere, in huius doctrinæ ostēsione proculdubio illum esse Deum probabant. Quapropter eum verè filium Dei esse credere facile erat, modo voluissent: sed magnopere eorum malitia vt iam diximus eos excæcauit. Lege Diuū Thomam Aquinatem. ¶ Igitur principes sacerdotū quorū typum isti gerebant agricolæ, non ex ignorantia aut fragilitate, sed ex malitia peccauere, veniáque ita minimè digni fuēre, nā ex arbitrij libertate cū omne pendeat peccatum, ita quidem opus aliquod quo magis libertate caret, eò minus peccatum dici meretur. Et inde euenit, vt quòd ab ignorantia ortum est inuincibili peccatū non sit, eo quòd liberum nō fuit, quandoquidē voluntas præter id quòd intellectus obiicit appetat. Quod autē ex fragilitate aut ex carnis infirmitate prouenit, nō habet plenam arbitrij libertatem eò quòd ipsa carnis concupiscentia quodā modo minuit iudiciū, & vim intellectiuā hebetat. Sic illi senes, qui exarserūt in cōcupiscentiā Susannæ auerterunt sensum suum ait scriptura, & declinauerūt oculos. Itaq; si vim intellectiuā innuit carnis cōcupiscentia, necesse est, vt illa ipsa etiam arbitrij libertate aliquid deroget, præsertim cùm arbitrij pars quædā non parua sit intellectus. Leuiùs ergo peccatur cùm ex ignorantia aut fragilitate peccatur, quā ex malitia, ideo isti grauissimè peccauēre, pro istísque Christus minimè suas ad patrē fudit preces, sed pro illis duntaxat qui nesciebant quid faciebant, & ex ignorantia peccabant. ¶ Tertiò dicunt. Occidamus eum. In Matthæo habetur quòd dixerūt, venite occidamus eū. Et Hieremias. Venite eradamus eum de terra viuentium. Congregati sunt coloni conciliūque fecerunt, & omnes vnanimiter dixerūt. Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit. Et quod in cōcilio dixerunt, omnes in eum credent, idem est quod hic dixerūt sub hac parabola hic est hæres, nihil aliud est Christū esse hæredē vineę Israeliticæ, nisi quòd oēs in eum credent. Venite verbum est quidē quo alter alterum inuitat, & ita in illo concilio Caiphas inuitauit, incitauitque alios dicens, Vos nescitis quidquā neque cogitatis. Expedit, &c. Vide etiam impiorū pusillanimitatem, & imbecillitatem, & quomodo inter sese coadunarunt ad persequēdum iustū. Est tam vile & pusillanime peccatū, quòd non audeat peccator persequi iustū, timēs virtutis vires. Et ita coloni isti coadunārut simul, & seipsos hortādo dicunt, Venite occidamus eum. Filij Iacob robustissimi erant & ausi sunt arreptis gladiis ingredi Sichem & destruere Sichimitas, sed aduersus Ioseph fratrem innocentem & puerum sedecim annorū omnes conuenerunt, & mutuo sese exhortantes, dicebant. Venite occidamus eum. Certè vnus sufficeret ad hoc, sed vitium quod intētare conabantur adeò erat ignauum, vt vnus minimè fuerit ausus aduersus huiusmodi virtutē, itaque contra hāc animam virésque quærit. Sic in Prouerbiis vocant se impij mutuo ad mala perpetranda opera & turpia facinora, dicentes. Insidiemur sanguini, abscōdamus tendiculas contra insontem, frustra deglutiamus eum. Ita Dauid in Psalmo alloquitur Deū dicens, Quoniam inimici tui sonuerūt, & qui oderunt te extulerunt caput. Super populum tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos. Dixerunt, venite & disperdamus eos de gente, & nō memoretur nomē Isræël vltra. Quoniam cogitauerunt vnanimiter simul aduersum te: testamentū disposuerunt tabernacula Idumeorum & Ismaelitarum Moab & Agareni, Gebal & Amon & Amalech, alienigenæ cū habitātibus Tyrum. Etenim Assur venit cum illis, facta sunt in adiutorium filiis Loth. Non audis hic innumerabiles malos aduersus paucos bonos cōuenisse? Decem nationes sceleratorum hominum contra populum Dei cōuenerunt. Quàm primum coadunātur mali ad persequendos bonos: ita modo quàm primum conueniunt mali ad furandum, ad ludendum & ad omnia mala, sed ad bonum minimè. Si dixeris, congregemur in alicuius domo ad videndum testamentum alicuius qui naturæ concessit, vt quid quod cō:inet ac iubet te præstetur, vix quidem licet tibi eos congregare. Ad malum tamen quodcunque omnes parati sunt. ¶ Quartò dicunt, Habebimus hæreditatem. A quo Christum esse occisum putas? Ab ambitione & auaritia. Sic dixerūt in concilio isti coloni, Si dimittimus eū sic, veniēt Romani & tollent locum nostrum & gentem. Sed quid remedij nobis superest vt nostrum sit dominium & potestas? Occidatur hæres & hæreditas erit nostra. Volebant isti vineæ se esse dominos eiusque possessionem obtinerē, atque in isto statu vt securi esse queant hæredem interimere decernunt. Quot sunt qui hoc ipsum hodierno tempore operantur? Plurimi, ne à sua hæreditate excludantur suámque amittant autoritatem, Christum Iesum mortaliter peccando cruci affigunt. Non restituunt aliena, ne honores & diuitias opinionemq; in qua sunt constituti perdant. Proximum opprobrio afficiunt, noluntque honorem ei restituere, ne sibi ipsis contradicendo opinionem in qua habebantur amittant. Malunt potiùs in vmbras perpetuas adigi quàm huius sæculi gloria priuari. Multi ex principibus (ait Ioannes) in Christū crediderunt, sed propter pharisæos non confitebantur, vt non è synagoga eiicerentur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum quàm gloriam Dei. Ipsa diuitiarum honorūque nimia cupiditas, haud mediocrem virorum multitudinem ad inferos ducere, Christíque immemorem reddere cogit, siquidem coloni isti, vt sibi illius vineæ possessionem adscriberent, Christum occidere, è medióque tollere intentauerunt. Qui suos oculos animum ac mentem totam in huius vitæ opibus coniiciūt citra dubium in maximum suæ vitæ discrimen grauéque periculum deueniunt, siquidem sempiternę animæ felicitatem huius mundi gloriæ præferūt. Sicut enim ex luna maris æstus perpetuique fluctus & procellæ procedūt, sic quidē ex deprauata affectione animi cōmotiones, mors animæ, & impietates. Isti diuitias & honores effrenatè diligebant, & Christum dominum interfecerūt propter ambitionem, existimantes ab illis substentiam rerum abstrahi. Iosue iussit solem stare, & stetit, præcepit tamē stare auaritiā, quādo Hierico expugnauit, sed stare minimè quiuit, quia Achā furatus est ex spoliis Hierico. Igitur quia auaritia stare noluit, fuit quidē de Iudæis actū Christū occidēdo. Fabulātur poëtę quòd Midas qui auaritiā amabat animo effrenato, deos oratos habuit vt facerent quidquid ipse tāgeret aurū fieret, atq; illi eius volūtati fecēre ita satis, vt cibus quē sumere volebat, in aurum statim cōuerteretur, ita nimia fame tortus periit. Nō erant gentiles adeò imprudentes & ignari, vt adducerentur

[Marginal notes: S.Tho.3.pa.q. 43 art.4.&5. — Peccatū pharisæorum non ex ignorantia sed malitia. — Beda cap.82. in Luc.20.5 — Dan.13 — Luca.23 — Matth.2 — Hiere.11 — Ioan.11 — Genes.34 — Genes.39 — Prouer.1 — Psal.82 — Ambitio & auaritia occidit Christum. — Ioan.12 — Iosue.10 — Iosu.7]

ducerentur vnquam ad id ita esse vt crederét, sed huius mentionem fecerunt idcirco, vt nos certiores redderent homines huius tempestatis ob diuitiarum ambitionem efficiunt se iacere in inferno, ad hæc nonnunquam vidisse sæpenumero contigit truncari. Appetitus igitur honoris, diuitiarum, & status, homines occidunt. Quare existimas Pilatum, Christum morti tradidisse? Cùm sciret illum innocentem, vt honoris, laudis, & bonorum detrimentum in quibus erat maximis constitutus, non pateretur, ad mortem iustum damnauit. Sciebat quòd propter inuidiã tradidissent eũ, & mortis esse indemnem, ob idque voluit liberũ abire, maneretq; impunitum. Tunc inimici eius infestissimi clamores edere cœperunt dicentes. Si hunc dimittis, nõ es amicus Cæsaris. Cùm esset Pilatus honoris & diuitiarũ sitientissimus magnopere verebatur ne ab his priuaretur, neuè à Iudæis coram imperatore accusaretur, & ob id vitæ autorem morti tradidit. Maluit quidem veritati rationiq; repugnare, quàm ex principis honore quidquam perdere, & Deum potiùs voluit offendere, quàm aliquid sui status relinquere. Etiam Hieroboam Israeliticus rex ne à regno exterminaretur in eóque necessaria, vt ei suppeditarentur secum reputans, quòd si populus ibat Hierusalem Deum adoraturus, se in dedecus magnum summamque inopiam indubiè venturum, decreuit & constituit improbè, vt populus idololatraret, duósque fecit vitulos aureos, posuitque vnũ in Dan, & alterũ in Bethel dicẽs, Isti sunt Dij tui Israel, qui te eduxerũt de terra Aegypti. Hac de causa Herodes Ascalonita gladio innocentes pueros interemit, vt ipse solus regno Israël potiretur. Et coloni isti, Habebimus (inquiunt) hæreditatem. Quid ergo remedij? Interficiamus hæredẽ. Vt sustentarentur in honore, innocentẽ occidũt. Magna quidẽ horum colonorũ fuit ambitio, sed maior eorum obstinatio & duritia, siquidẽ tantis misericordiis abusi sunt, & eorũ auaritia ita eos captiuos tenebat, quia ad hoc vt nõ amitterẽt ista temporalia & inanes huius seculi honores pro nihilo habuerũt æterna bona & hæredẽ occiderunt. Heu quot sunt & hodie viuentes qui cũ sint à Deo vocati inspirationibus, & prædicationibus ita viuunt, ac si nõ esset Deus. Et propter hanc hæreditatẽ coloni isti floccifecerũt cœlum, gloriã, & requiem nullo æuo interituram, atque omnia alia æterna bona. Similiter multi incredibili amore prosequuntur vxores suas, & liberos & diuitias, & ita in his intenti sunt & occupantur, ac si non esset beatitudo alia fœlicior, & sic videntur aspernari æternã, iuxta illud Sapientiæ de impiis loquẽtis. Dixerunt inter se nõ rectè cogitãtes. Exiguum & cum tædio tempus vitæ nostræ. Venite perfruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tãquam in iuuẽtute celeriter. Vino pretioso & vnguẽtis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequã marcescant, nullum pratum sit quòd non pertranseat luxuria nostra, &c. Sic coloni illi improbi hæredẽ occidunt existimantes quòd sic conseruarentur. Sed expẽde obsecro quã magna est Dei omnipotentis sapientia, quamq; iniqua sunt improborum hominũ iudicia. Putant enim tales sibi optata adepturi ex mediis pro suo libito ordinatis, se quidẽ ipsos extollẽdos, & alios opprimendos. Sed Deus vana eorũ iudicia è diuerso mutat, vt planè videre est in filiis Iacob, qui quidem adorare renuentes fratrem suum Ioseph vẽdiderunt eũ Aegyptiis, sed existimãtes ipsum opprimere & inhonorare, extulerunt eũ. Media quæ illi elegerunt ad deturbandũ & perdendum fratrẽ, assumpsit Deus ad extollendũ eum. Similiter & Saul cupiẽs Dauidis interitũ iussit vt afferret centũ Philistinorũ præputia, quod quidẽ aiebat, vt in tanto periculo interficeretur, secũ dicẽs. Nõ sit manus mea in eũ, sit autem manus Philistiim. Cogitabat Saul tradere Dauid in manus Philistiim. Sed quo Saul conabatur Dauid ignominia afficere, eo certè honore efferebat, quia reuersus est Dauid magna cũ victoria, & occidit ducentos Philistæos, quod quidem maximum honorem Dauid attulit, mœrorẽ verò & ignominiam Sauli. Sic Aman parauit crucem Mardochæo, & populo Iudæorum necẽ, in quo facto sibi ipsi parauit crucem, in qua idem ipse suspensus fuit, & omnis domus eius abolita, & Mardochæus & populus Iudæorum exaltati. Et nunc in præsentiarum quid dicunt agricolæ? Occidamus eum, & habebimus hæreditatẽ. Sed aliter illis præter spem euenit, quia Christi mors causa fuit vt illi hæreditatem perderent & terrã, & vt Hierusalem totumque regnum Iudeæ exterminaretur. Vide quid Caiphas consulendo dicat. Si hunc dimittimus venient Romani & tollent locum nostrum & gentem. Hoc quo illi pro medio acceperũt, nempe, vt Christus occideretur ne Romani venirent, causa fuit vt Romani venirent & eos destruerent & prosternerent. Qui malis artibus temporalia quærunt, diu nequeunt ea possidere, nam vt optimè disserit D. Ambrosius: id quod turpe est nõ potest esse vtile, nec quod honestum est inutile, quia complex honestatis est vtilitas, & vtilitatis honestas. Memorabile illud ferunt rhetores (ait Ambrosius) quòd dux Romanorum, cùm ad eum medicus regis aduersarij venisset, pollicẽs se daturum regi venenũ, vinctum eum ad hostem remiserit. Et reuera præclarum, vt qui virtutis certamẽ susceperat, nollet fraude vincere. Victoriam enim turpẽ putabat, nisi honestate partã. Quid verò Heliseus secutus est nisi honestatem, cum exercitum regis Syriæ qui ad obsidẽdum venerat captiuum duxit in Samariam, cuius oculos cæcitate obduxerat, & dixit, Domine aperi oculos eorum vt videant, & viderũt? Cùm autem rex Israël vellet eos percutere, eãmque sibi facultatem posceret à propheta, respondit non percutiendos, imo subsidio alimentorum iuuandos. Maluit honestè confundere, quàm turpiter vincere eos. Beata quoque illa Susanna denuntiato falsi testimonij terrore, & tanto opprobrio & periculo exposita, maluit honesta morte vitare opprobriũ, quàm studio salutis, turpem vitam sustinere. Itaque dum honestati intendit, etiam vitam seruauit, quæ si quod sibi videbatur ad vitam vtile optauisset, non tantam reportasset gloriam, imo etiam id quod non solum inutile, sed etiã periculosum foret, pœnam criminis forsitan non euasisset, quia adultera aliquando incideret in manus viri & legis, & Deus eam non liberaret. Adde etiam de Tobia qui non solùm adorare vitulos aureos renuit, sed omnia sua fratribus pauperibus, & concaptiuis largiebatur, nec diuitias aliquas fraudulenter acquisiuit, quapropter Deus illũ ditauit & visum restituit, quia virtutem & misericordiam amplectebatur. Patet igitur id quod decorũ est, semper

Ambitio causa homicidiorum. Ioan. 19 3. Reg. 12 Matth. 2 Sapien. 2 Genes. 37 Genes. 42 1. Reg. 18 Hest. 7 Ioan. 11 Amb. lib. 3. offic. cap. 15 4. Reg. 6 Dan. 13 Tobi. 1

Honestū semper est vtile, & non econuerso.

esse vtile, è cōtra autem inhonestū, semper est inutile. Pharao rex Aegypti vt vitam suam & suorum seruaret persequebatur Israël, credens vtile esse regno Aegypti, sed valde inutile fuit. nam periit ipse & sui, & totum regnū sterilitate varijsq; calamitatibus est percussum. *Exod.* Sic Abimelech filius Gedeon qui septuaginta fratres occidit dempto vno Ionatha, vt regno potiretur, morte acerba interiit, & perdidit quod malè acquisierat. *Iudi. 9* Deniq; vt iam ab exemplis abstineamus, ex hac parabola patet qualiter sacerdotes tēpli tam graue crimē aggrediuntur, mortē videlicet hęredis, cupiūt enim hæreditatem possidere, & redditibus tēpli & oblationibus frui. Sed lōgè aliter eis euenit, nā eo ipso quo putauerunt cōsequi hæreditatem, prorsus illam perdiderūt. Igitur nihil nos quæramus nisi medijs honestis adhibitis, nihil nisi ex virtute, cùm omne quod malis artibus acquiritur, durabile non sit: Sed iam ad contextū. *Et eiectum eum extra vineam occiderunt.* Hoc ad literam adimpletum esse scimus cùm Christus dominus extra vineā passus est. Hoc est, extra populum Israël, quia vt diximus, populus Israeliticus vinea Domini exercituum est. Principes autem sacerdotum & pharisæi tradiderūt eum gentibus, & posuerunt in potestate Pilati gentilis, quem impij Iudæi eiicientes extra vineam, occiderunt suspendentes in ligno. ¶ Finita igitur parabola. in qua prædixerat dominus quid patres eorum fecerāt erga prophetas, & quid ipsi facturi erant contra Christū, nunc vertit sermonem ad ipsos sacerdotes, scribas, & pharisæos, dicēs ad illos. *Quid ergo faciet illis Dominus vineæ? Veniet & perdet colonos istos, & dabit vineam alijs. Quo audito, dixerunt illi, Absit.* In Matthæo dicitur, quòd ipsi pharisæi responderunt hanc sententiam dicentes, malos malè perdet & vineā suā alijs locabit agricolis, sed hic dicitur quòd Christus illam protulerit. Nec est in hoc contradictio, nam quidam illorum responderunt malos malè perdet, vt Ait Matthęus, alij verò vt scribæ qui erant literis exculti intelligentes parabolā, & quod de ipsis loquebatur, dixerūt, Absit.

Matth. 21
Theoph. in hoc loco vide August. lib. 2. de cons. euang. cap. 70

Sed circa ista à pharisæis primo dicta & postea à Christo domino relata, nonnulla annotatione digna insurgunt. Primò quidem quàm iusta sint altissimi iudicia, idemque dominus in suis causis iustus, siquidem aduersarios suos in propria eorum causa iudices instituit, ipsósque proprijs ab eis sententia prolata, & ab eorum ore conuincit. Tā iustè & rectè se habet Deus in suis causis & in damnando peccatore, vt non modò condemnatus sententiam non recuset, imo apertè cognoscat, & fiteatur iustissimam damnationem sibi impositam iustissiméq; mereri in tartara descendere. Hac similitudine vsus est Nathā spiritu Dei ductus cū proposuit Dauidi regi parabolam illā hominis diuitis qui plures oues habebat. *2. Reg. 12* Vnde Dauid cognita causa & delinquentis crimine examinato, ignorās tamen quòd ad eum parabola tenderet, idem contra seipsum sententiā iustam protulit. Ita Christus in hoc loco eosdē pharisæos contra seipsos in propria causa iudices constituit, & in parabola reuocat ad eorum mentes beneficia accepta, vt viderent illi quā iustè proiicerētur à vinea, & ab eo punirentur, & sic cōuicti, à seipsis iudicētur. Sed vide quid dicat dominus erga suam iustificationem per Esaiam prophetam. *Esai. 5* Nunc ergo habitatores Hierusalem & viri Iuda, iudicate inter me, & vineā meā. Quid est quod debui vltra facere vineæ, & nō feci ei? An quòd expectaui, &c. Verū sicut improbi seipsos dānarunt dicentes malos malè perdet, eodem modo erit in nouissimo die quando mali etiamsi inuiti confitebuntur iustissimè à Deo damnari. Age ergo ò homo quicunque es expergiscere, aures arrige, & ad rationem reddendam de vinea tua & fructu te præpara. Accepisti enim animam, baptismum, virtutem, valetudinem, & cætera bona tam spiritualia quā corporalia, & ista quidē nec frustra data sunt, imo vt tantis auxilijs & instrumētis operando fructum cum fœnore reddas, sin minus ad iustitiam & iram mouebis dominum vineæ sicut isti impij coloni, & sic etiam perdet te sicut & illos. Hoc enim proterui peccatores faciunt, tantáque eorum nequitia est, vt ad supplicium potiùs quàm ad misericordiam rectissimum iudicem irritent, & sic quia misericordia abutuntur, iustitia plectentur.

Dupliciter homo perditur malè & benè.

¶ Secundò obseruandum quòd dupliciter potest homo perdi, malè videlicet & benè. Iusti enim benè perduntur dū hîc viuūt, quia mūdo, carni, hominibus & semetipsis perditi & mortui sunt, quæ perditio vtilis est & bona, quia per ea saluantur. Vnde dominus, Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. *Matth. 10* Mali autem homines malè perdūtur, cū dānātur: quia perditio est irreuocabilis. Vnde in Psalmo habetur. *Psal. 33* Vultus autē domini super faciētes mala, vt perdat de terra memoriā eorū. Ita Iudæi in sua malitia perseuerātes malè perdūtur, quia sic à Deo alienātur, vt nunquam inueniantur ab ipso. Ab hac perditione liberat pœnitētia, quæ perdit hominem, ne perdatur: Perdit enim peccatum, ne perdat salutē, & perdit culpam, ne inueniat pœnā: in qua perditur omnis dānatus. Nisi pœnitentiā egeritis omnes simul peribitis. *Luca 13* Præterea potest etiam dici quòd omnis qui peccat perditur: verùm est differentia inter hos perditos, quia quidam bene perdūtur, alij male. Bene perditur qui ad bonū perditur, & bonum elicit de peccato exiens ab illo. Malè autē qui semper manet obstinatus in peccato, & in eo pertinax inuenitur. Sunt quædā oua quæ perdita vocantur: quæ cū sint assa abstrahimus ab igne & comedimus, sed si manent in prunis quoad omnino cōburantur ita perdūtur, vt nihil valeāt. Sic peccator quamuis per peccatū perdatur, si tamen à peccati flāmis exeat bene perdi dicitur, nec secus quā perditum ouū. Sic Dauid quia multa præclara gesserat superbiēs quod ipse dixerat refert. *Psal. 29* Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Sed vt eius superbiæ dominus mederetur auertit se paululū ab eo & cecidit, quapropter ipse dixit. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. *Ibidem.* Et alibi. Bonum mihi quia humiliasti me, vt discā iustificationes tuas. *Psalm. 118* Elegit bona ex peccato nēpè humilitatē, & vt in posterū caueret prudentiā elicuit, & didicit nihil fidere in proprijs bonis. Similiter & Petrus qui anteà superbiēs & nimiū sibi vēdicās dixerat, si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor, *Marc. 14* postquā cecidit in ignē peccati & exiit ab eo, modestiùs & humilius locutus est dicens, cùm esset interrogatus à Christo an plus cæteris eum diligeret, Tu scis domine, quia amo te. *Ioan. 21* Iam nō contēnit alios, sicut anteà solebat. Hi porro viri sanctissimi quāuis perditis ouis fuerint assimiles, benè tamen sunt perditi cùm citò ab igne peccati exierint, & humilitatem sint edocti. Sic Petrus ab

Matth.26 trus ab igne, qui erat in domo Caiphæ exiit iã assatus interiùs ab igne peccati, & exiens foras fleuit amarè, & à peccato fructus excerpsit vberrimos. Sed non sic impij & obstinati peccatores faciunt, qui non bene, sed malè perduntur, vt ait Christus, quia semper existentes in igne peccati indurati, & efficiũtur carbones in ignem inferni destinati, cũque male perdantur, erunt perditi in æternũ, quẽadmodũ isti impij & obstinati sacerdotes & pharisæi quibus dominus loquebatur, malè perditi erũt in sæculum sæculi. ¶ Tertiò expende quòd licet Deus perdat hominem peccatorem, vt dicitur hic quia perdet dominus vineæ colonos illos, attamẽ nõ perdet illos dominus, nec cõteret eos nisi priùs ipsi se per peccatum perdiderint. Præcessit ingratitudinis peccatum, præcessit & cruẽta inspiratio, & veritatis odium, & Dei exterminiũ, oderant enim filium, & extra vineam eiecerũt, hinc ira Dei, hinc comitata est vindicta in improbos. Nũquam enim Deus vasis iræ pararet incendium, nisi homo inueniretur habere spõtaneum peccatũ. Hoc Psalmographus testatur dicẽs, Perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Deus non perdit peccatorẽ sed peccatum.

Psal.5

¶ Præcessit mendacium iudicium Dei. Non perdet iustum cum impio, sicut Abraham testatus est, sed eos perdet qui malè agunt. Vnde in prouerbiis habetur. Impij verò de terra perdentur, & prosperitas stultorum perdet illos. Ecclesiastes etiam. Qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Sic sua pte culpa Iudas interiit, ideóque Saluator, Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. Sic etiã Oseas. Perditio tua ex te Israël. Cùm sit igitur peccatum genuina nostræ perditionis origo, admonet hic locus vt peccata fugiamus, non enim in hora mortis perdet nos Deus, nisi nos per peccatum perditos inuenerit. ¶ Perpende etiam quòd non solùm perdidit hos impios colonos, sed vineam aliis locauit agricolis, ex quo manifestè colligimus ob incredulitatem & ingratitudinẽ reuocati beneficiũ, & nõ modo rescindi pacta priora, sed etiã in alios digniores potiora conferri. Receperunt Iudæi legem, digni habiti sunt prophetarum oraculis, sunt quoque illis diuina cõcredita promissa, verùm ob suam incredulitatem & cæcitatem regno priuari meruerũt, nempe Euãgelij gratia & dignitate. Cupio vt intelligas quàm terribilis ad hos iudicãdos colonos venturus sit dominus. Hoc Daniel declarat dicens. Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, & vestimentũ eius candidũ sicut nix, & capilli capitis eius quasi lana mũda, thronus eius flãma ignis, rotæ eius ignis accẽsus. Dicit alba vt nix, quia ex omnibus partibus alba est. Nõ sicut paries qui cùm foris sit albus, interius tamẽ est niger, vt denotet quòd ex sua natura Deus innocentiam habet, & ita nihil impunitũ relinquet. Erat thronus ignis, quia cũ ipso peccatores incendet & mundum cremabit. Tota hæc pœna grauéq; supplicium veniet super istos peccatores colonos. Quòd si tu forsitan dixeris. O quàm impij fuerunt illi Iudæi, quàm ingrati, quamq; rebelles, aduerte quã eis tu sis deterior, qui cũ à Deo longè maiora acceperis beneficia, sis & longè Iudæis ingratior. Non tot ac tanta in Iudæos contulit, ac in te beneficia. Esset planè lõgũ quibus es à Deo affectus hic recensere beneficia, quibus tamẽ haudquaquã Iudæos affecerit. Illos enim eripuit à iugo & captiuitate Pharaonis, & inimici eorum

Gene.18
Prouerb.2
Eccl.9
Ioan.17
Osea.13
Dan.7
Exod.14

submersi sunt in mari, sed cũ tu captiuus in Aegypto & in tenebris peccati, propter originale peccatum in vtero matris teneretis, ab hac te captiuitate liberauit. Exeũtem ab vtero matris statim te dæmonis incursus persequitur, vult tamẽ Deus vt ad baptismi aquas peruenias, ex quibus anima tua sole clarior, lunáque rubicundior exeat. Cũ velit te cacodæmon vsquequaq; persequi & in peccatum attrahere, in profundum tamen aquarũ submergitur. Incepit populus Israel maximis laudibus Deũ extollere, dicẽs, Cantemus domino: gloriosè enim magnificatus est, &c. Canta tu etiã domino, nullis siquidẽ tuis meritis adiutus factus es christianus. Quis igitur beneficium incarnationis & redemptionis commemoret? Si vt suspenderetis essesiudicatus capitisue dãnatus discrimine, & cũ fieret in te iudiciũ, quidã tibi amicissim⁹ tuis indutus vestibus suum in caput eiusmodi trãsferret periculum, nõne & salutẽ & quidquid haberes ab eo accepisse fateteris? Aduerte igitur quid tecũ Deus egerit, siquidem cũ sis peccator pœnisq; inferni condemnatus, tuis se vestibus Deus induit, & ad capitis discrimen cruci affigẽdus ducitur innocens, te verò qui eiusmodi merebaris supplicium, saluo & incolumi. Ille te creauit, redemit ac pauit, vitámque concessit. Nõ dico Deo, sed vel Aethiopi cuipiam qui tot ac tanta in te contulisset beneficia gratus esse tenebaris, quã verò magis Deo, in quo summa est bonitas? Sed tu loco istorum beneficiorum his colonis ingratior peiorque Iudæis eiicis à te dominũ, & quãtum in te est eum iterum crucifigis grauiter peccãdo, vt ait Apostol⁹, & crucifigeres eum in carne, si modo esset mortalis & passibilis vtrũc erat. Igitur si tam acerbè Deus Iudæos acceptis à Deo beneficiis abutẽtes puniuit, quàm nos grauioribus afficiet suppliciis si ingrati fuerimus, qui multò grauioribus ab eo sumus affecti beneficiis? Paulum attende. Irritam quis faciẽs legẽ Mosi sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quãto magis putatis acerbiores eum mereri pœnas qui filium Dei cõculcauerit, & sanguinem testamenti pollutũ duxerit? Auferetur (inquit) à vobis regnum Dei, quæ est hæc vinea, & dabitur Gẽtibus. Si à Iudæis qui erãt filij regni & à Deo dilecti propter eorũ nequitiã sublata est vinea Domini, & propter nimiã ingratitudinẽ missi sunt in tenebras exteriores, quid iã de nobis fieri oportebit? Certè Deus acceptor personarũ non est, sed omnis gens, quæ dominũ pertimescat ei est grata. Ob hãc etiã ingratitudinẽ Germani, Angli, Scoti, & aliæ nationes regnũ amiserunt. Discãt catholici animum gratum Deo exhibere, ne ab ipsis auferatur regnum Christi, quod penè cõpleri videmus, cũ ad Indos iam migrare videatur Ecclesia. Sed vlteriùs progrediamur. *Ille autẽ aspiciens eos ait, Quid est ergo hoc quod scriptum est, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Vult in hoc Deus illis ostendere, quòd quãuis eũ occidere conentur, vt priuetur hæreditate, id tamẽ eis aliter quàm cogitant eueniet. Nam sua cum hæreditate morte priuari non oportebat, & vt eos experiretur adducit Dauid prophetam dicentem. Lapidem quẽ reprobauerunt ædificantes, &c. Hic lapis Christus est, iuxta illud Apostoli. Petra autẽ erat Christus. Aedificatores sunt ipsi pharisæi & scribæ & sacerdotes ad quos est sermo, & ædificatores appellantur quia propter officium teneban-

Exod.15
Similitudo.
Hebr.10
Act.10
Psal.117
1.Cor.10

tur ædificare domum viuam, in qua Deus habitaret, ad docendum videlicet, atque instruendũ populum exemplo & verbis, & vt tali modo huc venirẽt, vt dignaretur dominus cohabitare inter eos. Reprobatus est non solùm inutilis, sed etiã ædificio odiosus à dicentibus eum esse fallacem, seditiosum, mandatorumque Dei transgressorem, & vt talis proiectus est ab ædificio. Sed hic lapis reprobatus collocatus fuit in ædificio in capite anguli, vt ad vnam concordiam duo parietes Ecclesiæ redigerentur, qui erant populus Iudaicus & gentilicus. Sed lapis hic non fuit manibus ædificatorum collocatus, sed manu Domini, atq; subdidit. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hoc preclarè declarat diuus Paulus, quomodo hic lapis positus sit in summitate capitis anguli, dicens, Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnũ, & medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua legem mandatorũ decretis euacuãs, vt duos condat in semetipso, &c. Obserua autem quòd non dicit colonos ædificatores arte, sed ædificantes actu, non artifices officio, sed exercitio. Vbi sunt ergo qui dicunt prælatos non debere residere? Si Dominus dicit quòd manus admotas operi ecclesiæ habeant, quid tum fiet si manus habeant ecclesiæ admotas, non ad ædificandum verbo & exẽplo, sed ad dissipãdum verbo & exemplo? Vide etiam an nostri ædificantes lapidem approbent, an reprobent. Iacuit humi lapis, à plurimis conculcatus, frigorique & æstui, imbribus & gelu expositus. Vide nunc an ita prælati approbent Christi frigus & ęstum, vide an humilitatem sectentur & crucem. Forsitan prælatus nõ reprobat, imò approbat & laudat lapidis vtilitatem, & prædicat Christi humilitatem, crucẽ, mortem, & eius paupertatem, sed si quod verbo probat & laudat, id reprobat exemplo, quid hic ædificabit? Videtur is altera manu ædificare, altera destruere, altera telam contruere, altera textum retexere, vt Ecclesiasticus ait. *Omnis qui ceciderit super illum lapidem conquassabitur, supra quem autem ceciderit comminuet illum.* Hîc ostenditur non hic agi simpliciter de lapide, sed de lapide signato qui est ipsemet Christus, nam lapis de quo scriptura loquitur in templo Salomonis fuit, super quẽ nemo caderet, sed loquitur Christus de seipso, qui lapis est per metaphorã. Et ille non est sensus mysticus, sed literalis, quia literalis sensus est ille, quem intendit signare per literam conditor eius. Christus tamen loquens hæc noluit intelligere per lapidem istum aliquã petram, sed seipsum, ergo in literali sensu semetipsum significat. Ait ergo. Si lapis ille ceciderit super aliquem cõminuet eũ in partes minutas: & ea est maxima læsio. Est enim ea lapidis natura, vt si quis super eum ceciderit, læditur, & tamen si lapis magnus super aliquem ceciderit, multò magis lædetur, & designatur ista differentia per conquassare & comminuere, quia comminuere designat partes minutissimas, & conquassatio solam læsionem. Et est sensus. Ille supra lapidem Christũ cadit, qui supra illum est, qui autem supra illum est fundatur supra eũ, & ita designantur per hoc credentes, qui pro fundamento Christum habent. Fundamentum enim aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Cadit autem supra Christum quicunque non

Ephes. 2

Eccle. 24

Minus periculosum cadere super Christum, quàm sub Christo.

1. Cor. 3

perdita fide peccat in actione, cuiuscunque generis sit. Et iste confringitur, idest, læditur, qui peccat mortaliter, & est dignus morte ęterna, & tamẽ nõ est manifestum vulnus, sed sola cõfractio, eò quòd cùm fides maneat potest faci iter peccatum tolli, cum quis ad Christum ingemuerit. Super illum autem cadit lapis, idest, Christus, qui sub se non habet Christum, idest, nõ credit in eum, & ita non habet eum pro fundamẽto. Et quia non habet eũ sub se, necesse est vt habeat supra se, idest vt eum, quem non tenet vt fundamentum timeat supra se vt dominũ, & paueat vt vltorem. Tunc lapis cadit supra hominem quando peccat in fide, quia tale peccatum est immedicabile manente infidelitate, quia cùm non credat non potest inuocare clemẽtiam pro delicto ab eo quem Deum nõ esse putat, & ideo dicitur eum qui non credit iam esse iudicatum. Dico quòd iam iudicatus est, quia manente infidelitate, non potest eius peccatum remitti, & damnatus est. Et ideo iste conteritur, quia pœnæ æternæ irreuocabiliter adiudicatur, quæ maxima est læsio, cùm nulla maior sit pœna. Hac comparatione vult Deus ostendere grauissimas pœnas, qui bus Iudæi sunt puniẽdi, vt potè infideles & increduli, qui non modò suum agnoscere noluerint redemptorem, sed & illum persequentes ac extra vineam eiicientes occiderunt. Caueamus & nos ne in Christum incidamus multòque magis caueamus ne ipse cadat super nos, propter infidelitatis peccatum. Dicas mihi nequissime peccator quomodo sis laturus graue illud iustitiæ diuinæ pondus, cum super te ceciderit? Deduxit dominus Hieremiam Prophetam in domum figuli, & ipse faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas quod ipse faciebat è luto manibus suis, &c. Dixit Dominus. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israël. In hac visione comparat homines vasi terræ, quod facit figulus, qui Deus est, cumque nos simus vasa terrea, debilia, & ex puluere confecta. Talem se sanctus ille reputabat, qui Deo dixit. Memento domine quòd sicut lutum feceris me, & in puluerẽ reduces me. Aduerte posse figulum si dum vas facit id in rota frãgatur denuo in id efficere, vel etiam si sit opus ad meliorem formam reducere: sed si vas frãgatur eductum à rota & soli expositum iam sit in fornace decoctum, nullùm prorsus habebit remedium. Si fractã ollam postquam sit decocta figulo perferas reparandam, non dubium est quin ab eo sis deridendus. Mundus iste est tanquam rota quæ semper inuoluitur, nunquam cessat. Dum itaque hoc in mundo vitam agimus, & in hac vita quæ est ceu rota figuli commoramur, licet frangamur & semel atque iterum in peccatum incidamus, remedium habemus, & cum pœnitentia possumus iterum ad figulum reuerti à quo reparemur, & meliores forte fiamus, ac perfectiores quã anteà eramus. Peccauit Dauid, & tanquam vas figuli confractus est, sed cum ad dominum cõfugisset, ita per pœnitẽtiam purgatus est, vt longè candidior, longéque sanctior quàm anteà fuerat sit inde reuersus. Idem beato Petro accidit, idem Paulo, ac Magdalenæ, aliisque quamplurimis peccatoribus. qui cùm in huiusce vitæ rota confracti, à Deo petiissent auxilium, ita sunt eorum preces exauditæ, vt effecti sint à Domino potiùs puritatis vasa

Ioan. 3

Hierem. 18

Iob 10

2. Reg. 12

vasa præclarissima. Sed caueas ne extra rotã frangaris, quia si ab hac vita in peccato mortali decesseris, in eo vsque in æternum permanebis. Si concoctus iam in hora mortis in petram cecideris: quæ est Christus, conquassaberis, nec minus manebis diminutus quàm si supra te petra caderet. Terribile iudiciũ veniet super te, & pertimescẽdum supplicium, cùm iustitia diuina super te aduenerit, si mors te in peccato mortali corripuerit. Vnde Dauid de his peccatoribus alloquitur Deum. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. *Psal. 2* Animaduerte quid de luteo fieret vase, si grauibus ictibus à brachio gigantis virga ferrea concuteretur. Sic quidẽ ait Dauid, quod tu eris ante dominũ. Quid faciet miser, & debilis peccator coram illo omnipotenti gigante, qui cum ad iudicandum est venturus, vt sua eum infinita potestate conterat? Quid faciet, & quomodo non contremiscet? Non percutiet virga ferrea diuinæ iustitię vasa integra, quæ iustorum sunt sed vasa iam multa peccatorum multitudine fracta. Quibusnã rebus terrum illud inferni chaos refertu esse existimas? Cõtritis abundat vasis, testis quam plurimis, & ollis. Et quemadmodũ vas, quod fractum est extra rotam in æternum fractum, & irreparabile permanet, ita ille, qui in infernum cadit nullum prorsus habet remediũ, cùm nulla sit in inferno redẽptio. Quòd si à me sciscitaris cuinã vsui fracta vrna sit vtilis, nulli planè dixero, nisi tantum ad ignẽ fractis testis hac atque illuc deferendum. Contingit sæpè vt veniens mane vetula ferat à domo vicinæ prunas in testa fracta, nec secus circunferũt diaboli damnatos, vt ignem (ceu conquassatæ vrnæ) cùm nulli possint alij prodesse ministerio, apportent. Sed si adeò sit vas figuli diminutum, vt iã nec igni ferẽdo minutissimæ partes sint vtiles, ad quid prodesse dicentur? Proderũt quidem ad calculos. Solent enim lusores cum eis calculi desunt ad connumerandas pecunias, terrenum vas confringere altero lapide. Partes autẽ quæ remanent primo fractæ sunt quæ ceciderũt in petrã, cuiusmodi sunt illi, qui cũ christiani sint, fideq; habeãt, lapidem offendũt, qui est Christus, & in peccato mortali confringuntur. Sed supra istos infideles, & gẽtiles cecidit lapis, & comminuit eos, vt hic ait Saluator, & cum adeò sint diminuti quid iam poterũt prodesse? Proderunt vsui calculorum, quibus nũmi connumerentur. *Vasa intra fuerunt Cęsares imperatores ethnici.* Quid iam præstabit Alexander Magnus? Quid Cyrus? Quid Codrus Atheniẽsium rex, qui sponte se morti obtulit? Quid Curtius, qui se libenter in hiatum terræ proiecit? Quid Annibales? Quid Scipiones? Quid denique Cæsares, & Prompeij, qui tanto studio & diligentia gloriam, famam, & mũdi honorem sunt fouere conati? Sunt hi omnes in infernis sedibus collocati, nec vlli alij rei vtiles quàm calculis ad pecunias numerandas. Reliquerunt hoc in mundo perennem de se memoriam, scribunt de eis Historiographi, canunt Poëtę, loquuntur homines, at iacẽt ipsi in inferno ardentibus vndique flammis circũsepti. Fuit præcipuus istorum finis, vt eximiis laudibus vsq; ad astra ab hominibus extollerentur, & sui nominis immortalem posteris memoriam relinquerẽt. Quid tamẽ hæc omnia prodesse existimamus? Sũt miseri in profundo illo barathro, tartareisq; sedibus cõstituti, flãmisq; perpetuo ardore flagrãtibus admoti. Cùm sint Cæsar, atque Pompeius in inferno, canit tamen Lucanus, Bella per Aemathios plusquam ciuilia campos. Iacet miser Aeneas in Orco, & tamen sic Maro, Arma virumq; te cano. Cadit super hos ingẽs ille lapis, eosque comminuit. De his ait Propheta Esaias. *Esai. 30* Subitò dum nõ speratur veniet contritio eius, & cõminuetur, sicut cõteritur lagena figuli contritione præualida, & non inuenietur de fragmẽtis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. O vtinã inter christianos non inueniantur etiam multi istis gentilibus peiores, quorum spiritus nullus alius est, quàm sui ipsius memoriã relinquere in hoc mundo, famamque & æternum nomen absque domini vlla recordatione quærere, qui non aliter nunc viuunt, quàm si nullam vitam post hanc futurã existimarẽt. Attende igitur & vide, vt si fortè cecideris, cadas super petram, quæ Christus est, vt possis inde cõsurgere, ne sic fractus & comminutus in æternum absque auxilij spe maneas. Caue ne lapis super te cadat, & irruat. Et si cecidisti, moneo vt quàm citissimè resurgas, dum in huius mundi rota es, antequam morte correptus, omni sis auxilio destitutus, & gehennalibus flammis, cruciatibusque æternis plectaris. Sed de his plus satis. Iam nunc videamus quæ sequuntur.

Et quærebant principes sacerdotum, & scribæ mittere in illum manus in illa hora, & timuerunt populum. cognouerunt enim quod ad ipsos dixerat similitudinem hanc.

Obstinatam contra Christum malitiam declarant. *Oderunt peccare ma' formidine pœnæ.* Nam quamuis à veri notitia plus nimio abalienati essent, multis tamẽ coniecturis colligebãt domini sententiã cõtra se dirigi, atq; ideo in insaniam ferè coniecti, eum tenere, & capere cõtendebant. Nec quicquam illorum impios conatus impedit, nisi timor populi, hoc est quia verẽtur ne impunè ferant tantam crudelitatem. Non timuerunt legem Dei quæ dicit, innocentem & iustũ nõ occides, *Exod. 23* sed timuerunt homines, adhuc enim memoria habebant quàm honorificè fuit Christus à turbis in die palmarum exceptus, ideo timebant ne turba insurgeret contra eos. Quot modo sunt, qui grauia crimina committerent, si illis non esset supplicium? Plus coërcet à malo timor hominum, quã timor Dei. Cras veniet mors, & tũc videbis, quãto melius tibi fuisset Deum vereri, quàm homines, &c. Vide quàm verum sit prouerbium illud, Veritas odium parit. *Prouerb. 9* Hinc Salomon. Qui erudit derisorem, ipse sibi iniuriã facit, & qui arguit impiũ, sibi maculã generat. *Amos 5* At Amos. Odio habuerũt in porta corripientem, & loquentem perfectè abominati sunt. Id quod euenit Christo, sępè accidit probatissimis Dei ministris, si quãdo acriùs flagitiosos quosque obiurgant. Verùm etsi nolint, triũphabit veritas, & melius est, pro veritate supplicium, quã pro adulatione consequi beneficium. Igitur scribæ & pharisæi sacerdotúmque principes primas non deferunt veritati, & quamquam audiant iudicium diuinum, tamen nihil sibi metuunt, imo in assueta persistentes perfidia & inuidia consilia captant renuẽtes domino. Sic & hactenus apud multos fieri videmus, qui cùm apertam veritatem negare nõ possunt, veritatis tamen præcones, & autores plusquam nouercali prosequũtur odio. Ideò ait textus.

Et obseruantes miserunt insidiatores qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone. Sed

Matth. 22 prius, vt inquit Matthęus, consilium inierunt, vt ca-
1. Reg. 23 perent Iesum in sermone. Dauid cùm aliquid ar-
duum facere cupiebat, consulebat dominum vt il-
1. Reg. 30 lud, Vtrũ tradent me Ciphęi? Respondit dominus.
Leui. 24 Tradent. Et illud, persequar latrunculos hos? Mo-
Num. 15 ses etiam cum apprehēdit blasphemum consulit dominum, & etiam cùm inuenerũt hominem colligentẽ ligna in sabbatho. Et sanctis viris qui cõsulebant priùs dominum omnia ad votum succedebãt. Sed impij pharisæi cùm consilium faciunt, non dominum consulunt, sed diabolum, & quomodo dominum capiant in sermone student: & ideo maledicti & damnati, sicut Saul rex eorum,
1. Para. 10 de quo scriptura ait, quod interfectus est propter iniquitates suas, & inter alia facinora obiicit ei, eo quòd pythonissam cõsuluerit. Væ, qui profundo estis corde, vt à domino abscõdatis cõsiliũ, de istis
Esaia 29 ait Esaias. Vide, & in omnibus quæ agis, dominum verere, totam tuam spem in eo pone, aliàs omnia in malum cedent. Quia multi in his, quæ ad vitam spectant, carnem suam, mundum, & sanguinẽ con-
4. Reg. 1 sulunt, ob id contra omnia illis contingunt. Ideo
2. Par. 16 periit Ochozias rex Israel, qui misit vt consuleret Beelzebub Deum Accaron. Asa etiam rex Iuda mortuus est dolore pedum vehementissimo, quia in infirmitate sua Dominũ nõ quęsiuit. De hoc cõ-
Psalm. 25 silio ait Dauid, Consiliũ malignantiũ obsedit me.
Impii sibi ipsis nocent nõ aliis. ¶ Vide etiam pusillanimitatem impiorum qui parum, aut nihil virtuti resistere possunt. Simul cũ Herodianis tentant inuadere iustũ. Principes conuenerunt in vnum aduersus dominũ, & aduersus Christum eius. Sicut viri sancti sunt vnũ, vt faciãt bonum, nam, vt ait noster Lucas de sanctis primi-
Act. 4 tiuæ Ecclesiæ, multitudo credẽtium erat cor vnũ, & anima vna: ita impij sunt vnum, vt faciant ma-
Iudi. 15 lum: & persequantur iustum. Samson vulpium caudas ad caudas iunxit, vt Philistinorum segetes succenderet & consumeret. Sic impij, astuti, & dolosi sicut vulpes cõiunguntur adinuicem, vt faciant malum proximis, & in eos damnum ingerant. Sed vide quo pacto vulpes illæ, etsi damnũ intulerint, & ipsæ concrematæ sunt. Sic mali, & peccatores, non tantum aliis, sed sibi nocẽt, quia se interimũt sibi ipsis inferentes malum, proximos in caducis solùm præmunt.

Sed ad quid congregant concilium? Vt capiant Iesum in sermone. Erat enim tunc quæstio, an tributum deberet dari Cæsari, an non, quibusdam dicentibus, quòd debebat exigi tributum, quia Romani pro omnib. militabant: aliis contra affirmantibus non debere populũ Dei, qui decimas solueret, & primitias daret, humanis legibus subiacere. Cæsar Augustus Herodem filium Antipatri regẽ Iudæis constituerat, qui tributis præesset, & Romano pareret imperio. Super his mittunt ad dominum: eo consilio, quod parabolam illam de vinea intellexerant ad seipsos dictam. Malitia huius legationis sistit in hoc. Christus apud populum erat vir maximæ æstimationis, & quia populũ pigebat tributũ persoluere (libertas enim naturaliter ab homine expetitur) ideo visum est illis, Christũ non ausurum proferre tributum debere persolui, ne nomen, & honorẽ perderet, vt sic Herodes eum interficeret, tanquã seditiosum, ac Cæsari infestũ. Ideò insidiatores hos vocat euãgelista discipulos, & iustitiæ simulatores. Quales magistri, tales & discipuli. Si serpentes veneno inficiũt, & filij eorũ: & sic dissimulantes, vti hypocritæ conantur Chri-
stum tentare. Sic dęmon tentauit Christum in de- Matt. 4
serto. Sic vxor Hieroboam voluit decipere prophe- 3. Reg. 14
tam Ahiam dissimulans se esse. Sed frustra tacitur rete ante oculos pẽnatorum. (Deus falli non po-
test) sed ipse patefecit machinã vxoris Hieroboã, Prouer. 1
& suo nomine vocauit eam, nec enim malitia horum Christo abscõdi poterat. Sic etiam Rachel se-
dit super absconditã idola, & sereno vultu dixit. Se- Gene. 31
cundum consuetudinem mulierum accidit mihi.
Sed isti veniunt in vestimentis ouium, cùm intrin- Matt. 7
secus sint lupi rapaces. Sepulchra dealbata erant Matth. 23
foris, intus verò plena erant ossibus mortuorum. O, quot etiam habet mundus nunc similes istis. Totus mũdus plenus est falsis amicis, & hominib[9]
fictis duplici corde, facitéq;. Vix inuenies, cui fide- Matth. 23
re possis, nec qui simplici corde tecum agat, & cùm te esse tutum putaueris, deceptũ te inuenies ab a-
micis. Væ duplici corde (ait Ecclesiasticus) labiis Eccle. 2
scelestis, manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Abominatur enim altissimus hos simulatos, & fratrum deceptores.
Arca Noë interius & exterius illita erat bitumine. Gene. 7
Vult Deus vt interius, & exterius ornati simus sanctitate, & cor linguæ consonet, & sic intus sicut foris nos simus, vt omnia in numero sint. Vnde in Prouerbiis habetur, Simulator ore, decipit amicũ suum. Nõ mittebãt pharisæi discipulos, vt Christi sermones audirent, sed mittunt, vt capiant illum in sermone. Hęc est doctrina, quam à pharisæis discũt.
Alio etiam in loco ait Ioannes, quòd miserũt pha- Ioan. 7
risæi ministros, vt apprehenderent Iesum. Videbatur horum patribus filios quos à pharisæis docendos susceperant futuros sanctos, tamen perpendite, quam discant doctrinam. Sic contingit nũc patribus, quibus filij magnæ sunt curæ vt eos in ministerium nobilium tradant, vt inde educti & bonæ indolis virtutisque studiosi euadant, ipsi verò ludo solùm vacant, officioque internuncij fungũtur. Quot sunt parentes etiam filios in academias mittentes, vt literis operam nauent, qui tamen vagantes vanitati potiùs student? Videbatur illis filiũ à pharisæis edocendum susceptum per triennium futurum alium Esdram in lege peritum, ac sanctũ, illi tamen docent eos omnem dolum, vt audientes tributum non debere persolui, coram Herode, & Pilato Christum accusent, & tandem morti tradant. Quapropter insinuat euangelista causam simulationis, *Vt traderent illum principatui, & potestati præsidis.* Per principatum intelligit Herodem, & per potestatem Pilatum. Differt enim principatus à potestate in hoc, quod principatus pertinet ad dignitatem, & potestas ad iurisdictionem. Habebat Pilatus potestatem traditam à Romanis, quia procurator erat in Iudæa. Hoc enim factum est quatuor diebus ante Christi mortem, & tunc aderat Hierosolymis Herodes, qui venerat ad diem festum. Quod timore populi isti non audebant facere, manibus præsidis efficere volunt, vt velut immunes videantur à morte ipsius. Sed iam hos impios versipelles, & simulatores audiamus. *Et interrogauerunt eum dicentes, scimus quia rectè dicis, & doces, & non accipis personam: sed viam Dei in veritate doces.*

¶ Iam audis exploratores, qui tanquam scorpiones ore suo blandiuntur, sed cauda pungunt: quoniam post hæc verba calumniatoriam

quæstio

Adulatorum proprietas, studium & munus. quæstionem proposuerunt interrogantes, an liceret tributú dari Cæsari. Imitantur hos pharisæos, omnes, qui proximis suis bládo sermone imponere contendunt, adeunt quidem pacificis verbis, cú interiora plena sint dolo, fraude, & hypocrisi. Tales sunt, qui probas quasq; virgines decipiút multis promissionibus, vt suam libidiné expleát. Quales etiá sunt, qui fictis sermonibus cócionatorem aggredientes periculum facturi, si quid expiscari valeant, quo hunc subinde apud vulgus traducere queát. Cuius rei periculum fecit Dauid, qui dixit,
Psalm.34 Qui loquuntur pacem proximo suo, mala auté in
Psal.139 cordibus eorum. Et iterum. Sepulchrú patens est guttur eorum linguis suis dolosè agebant, venenú aspidum sub labiis eorú. Vno ore flare, & sorbere volút. In vna manu ferunt lapidem, & in altera panem ostentant. Vt hirundines verno tempore adsunt, sed hyeme recedunt, sic adulatores amicorú personam induentes, quales erant isti pharisæi, in rebus prosperis præsto sút, sed in hyeme, idest tépore calamitatis euolant. Vt apis ore portat florem, sed retrò aculeo ferit, sic multi blandè loquúntur, sed intus malitiam gerút. De his aiebat regius
Psal.117 vates. Circundederunt me sicut apes, & exarserút sicut ignis in spinis. Habent se isti sicut caupones, qui quidé cibaria delecta hospitibus largiútur, sibi despecta vendicantes. O quàm isthæc simulata gés, hypocrisi plena, & Deo inuisa, foris, quę bona apparent mundo ostédens, intus verò in humili conscientiæ prauæ morans loco. Omnia in fictione, & mendacio consistunt. Diues se pauperem esse, nummisque carere ait, ne à paupere procaci, & postulanti vexetur. Pauper fingit diuitiis affluere, vt pluris fiat. Inimicus te bládis alloquitur verbis timore perterritus, amicus veritatem conticet, ne te molestia afficiat. Alter se tibi amicum prædicat, alter tibi deuinctus. Tandem omnia dura, & veneno mixta sunt. Credo quòd si Deus hac ætate múdo appareret, etiam ingenti pretio emptam verita
Leui.11 tem vix inueniret. Ideò Deus populo Iudaico pro
Deut.14 hibuit esum cygni, quia pęnę eius sunt cádidiores niue, caro auté ipsa nigredine nigrior. Vnde Sa
Sap.1 piés. Spiritus domini effugiet fictú. Aliud enim isti adulatores gestant in animo, nimirum venenú, & aliud in ore, scilicet pacem, & salutem. Ideo domi
Leuit.2 nus præcipit in Leuitico dicés. Nihil mellis adolebitur in sacrificio Domini. Odit enim Deus adulatores verbis dulcibus imponentes. Ideo dominus
Esai.3 per Esaiam, Populé meus, qui te beatum dicút, ipsi te decipiút. Sicut de cameleonte legitur semper reddere coloré eius rei cui est propinquior, sic adulatores, ac illi, quibus adulantur, & assentantur, se habent. Commendant, quæ ipsi commendát, & vi
August. in tuperant, quæ vituperát. Vnde Beatus Augustinus
Psalm. 69 super illud Psalmi, Deus in adiutoriú meum intende, ait: quòd plus nocet lingua adulatoris, quá ma
2. Reg.20 nus persequutoris. Sic Ioab osculo percussit Ama
Prouer.23 sam. Ne iudices vinum propter dulcedinem, nam in potu suaue est, & posteà mordebit, vt coluber, &
Exod.4 sicut regulus venena diffundet. Manus Mosi extra erant múdæ: positæ verò in sinu, erant leprosæ, sic isti foris mundi apparent, intus autem sordibus pleni sunt. Ne credas adulatoribus qui sub amicorú personis, sunt inimici, & hostes acerrimi, vt speculum, quod res ipsas omnes, & intuétium imagines repræsentat, sed aliter quàm sunt à parte rei, quia dextrum repræsentat sinistrum, sinistrum verò dextrum, & respicientem versus Orientem, refert ad Occidétem. Sic adulator voce, & vultu est speculum, ná si rides, ridet, si ploras lacrymas fundit, si d[e]traxeris de aliquo, eundem ille vulnerat maledictis, si te laudas mirificis teipsum laudibus effert. Sed omnia versat & molitur, quia si Orientem intueris, te repræsentat ad occasum intuentem, si te præsenté laudat, absenté irridet. De his Psalmista. *Psal.27*
Qu[i] loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Et Iacobus. Ex ipso ore *Iacob.3*
procedit maledictio, & benedictio. Qué corá prędicant, retrò vituperant. Vnde Paulus. Nec aliquá *1.Thess.4*
do fuimus in sermone adulationis. Hi detestandi sunt, vt Christus hic egit, ná, qui falsis laudibus ducútur, adulatores suos muneribus fouent, illi verò eos spoliant & diripiunt. Sicut ligna igné nutriút, ignis autem ea incendio deuorat, sic adulati sustétant adulatorem, adulator autem eos absumit. Sicut Actæon (vt poëtæ fingunt) à canibus quos alebat fuit deuoratus, sic adulati ab adulatorib' quos alunt, donis consumuntur, & quid acquirunt, nisi paruam, & flexam hominum apparentem laudé. Sed de his infrà nónihil dicemus, núc veró verba adulatorum expendamus. ¶ Primò dicút quòd re- *Adulator laudat quos odit.*
ctè dicit, docet, & quòd in veritate docet, sú quòd non respicit personam. Commendant eum, & propter veritatem doctrinæ, & propter vitæ eius integritatem. Omnis homo laudatus benignior fit, & placabilior eis, qui eum laudant, qui auté beneuolus est alicui, non abscódit secreta cordis sui ab eo sicut ab hoste abscondimus, ob id voluerunt ergo facere Christum sibi placatum suis verbis dolosis vt planè veritatem aperiret. Et istud est primú munus hypocritarum laudare eos, quos oderunt, vt sic eos securos de seipsis reddétes perdant. Laudat itaque primò de veritate doctrinæ. Nihil enim pernitiosius iudice, aut doctore mendace. Ideo maximè cauendum docet Deus, Non suscipies vocem *Exod.23*
mendacem. ¶ Nota autem quod varia hæc vox, *Veritas quid.*
veritas, in scriptura sacra significare consueuit. Ná solet significare conformitatem illá, quæ est inter signa, & res illas significatas cùm videlicet ita res se habent, vt signa enunciare videntur. Et hoc est commune eius vocis significatum, & ita potest hic accipi, quia Christus veritatem docebat, & illá proferebat. Omnis homo médax, ait Dauid. Quod *Psal.115*
intelligédum est, non iuxta naturam, sed iuxta naturæ conditionem, & qualitatem, ita vt illum solú hic hominem dixerit, qui humanos sequitur affectus: quia Paulus Corinthiis scribés ait. Cùm enim *1.Cor.3*
inter vos sit zelus, & contétio, nónne carnales estis & secundum hominé ambulatis? At contrà de his, qui spiritui & non carni obtemperant dicitur. Ego *Psal.81*
dixi, Dij estis vos, & filij excelsi omnes. Dauid ergo cùm ostenderet tunc nó esse mentitum, præmisit dicens. Ego dixi in excessu meo, vt innueret se hominum à statu excessisse, & non secundum hominem ambulasse, vt nó hominis lege iudicaretur, ne mendax sicut cæteri iudicaretur. Quòd si homo esset, oportebat, vt mendax ipse esset, & quòd mentiebatur dicens, omnis homo mendax, vt autem ostenderet se à mendacio immunem, dixit, Ego dixi in excessu meo, omnis homo médax. Ac si diceret, Quamuis omnis homo mendax dicatur eo iure, quo homo est, & viuit, ego autem dicens

dicens hæc, de mendacio notari non debeo, quia non vt homo hæc prædico, sed in excessu meo. Secundum hunc modũ Christus veritatem loquebatur, tanquam vir spiritualis, & de hac veritate hîc laudatur.

Accipitur veritas secũdo modo pro iustitia. Sic enim accepisse videtur Salomon cum dixit, Misericordia & veritas custodiant regem. In eadem etiam significatione accepit Dauid, cùm ait, Misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Et ita etiam potest hic sumi, &c.

Prouer. 20

Psal. 84

¶Laudatur secundò Christus ab istis, eo quòd non sit acceptor personarum, dicentibus eis, quòd nõ est acceptor personarum. Iuxta quòd perpende, quòd acceptio personarum opponitur iustitiæ distributiuæ. Est autem iustitia distributiua particularis habitus versans circa æqualitatem in distribuendo, & est ista æqualitas, nõ secundum magnitudinem, vel quantitatem, sed secundum proportionem in quãtũ diuersis personis damus diuersa præmia vel pœnas, secundum merita, vel demerita personarum. Et ex eo tempore dicitur dare æqualiter secundum proportionẽ. Vt si bonitas vnius est dupla ad bonitatem alterius, honor illi collatus debet esse in duplo, & ita debet etiam cõparari pœna secundum proportionem. Quando autem consideratur solùm persona, & non meritum acceptio est personarum. Aduerte etiam quòd potest quis esse faciens officium, & mercedem propter cõditionẽ personæ, & quòd non sit acceptor personarum. Nam si conditio illa, quam inspicimus, facit debitum est personæ, vel cõpetens id ei quod damus, nõ est acceptio personarum, quia hoc nõ est inspicere personam, sed meritum, vel rationem, ob quam conditio illa facit illam personam dignã ea re, quam ei tribuimus. Sed propriè accipere personã, est quando ita damus vni personæ rem quã nõ daremus alteri magis merenti. Et tamen si æqualitatem inspicimus, dabimus vnicuique iuxta meritum suum. Ergo nõ accipitur ibi persona, sed causa, & ita non est acceptio personarum. Si autẽ conditio illa, quã respicimus non facit debitũ esse personæ, vt competens id, quod ei tribuimus, est acceptio personarum. Igitur, postquàm isti adulatores de veritate doctrinæ, & rectitudine iustitię dominum laudarant, euomunt venenum dicentes. *Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?* Iste cẽsus erat tributũ annuũ, quod Iudæi soluebant Romanis. Modus autem erat, quia Iudæi fuerũt liberi temporibus prioribus, quando habebant reges, quia non dabant tributa gentibus aliis, sed principibus suis, etiam post captiuitatem Babylonicam, & liberationem eorũ Iudæi fuerunt liberi, & potissimum tẽpore Machabæorũ, qui liberauerunt gentem illam de manibus hostium. Et eo tempore facti sunt Iudæi socij, & amici Romanorum, nam Iudas Machabæus misit legatos, & factæ sunt amicitiæ inter eos, & post Iudã renouauit has amicitias Ionathas frater eius. Et manserunt sic vsque ad tẽpora Aristoboli, & Hircani, qui fuerũt vltimi duo fratres principes de genere Machabæorũ, & ꝓpter discordias eorum Romani se intromiserunt, & cùm ipsi non seruarẽt Romanis legẽ amicitiæ, pugnarũt Romani cõtra illos, & intrauit Põpeius vrbẽ, & succẽdit tẽplũ, atq; prophanauit. Et ex tũc Iudæi qui primo fuerant amici Romanorum, facti sunt eorum tributarij, & sic manserunt vsque ad totalem subuersionem vrbis, & gentis. Vnde tempore Christi tributarij erant, & soluebatur tributum istud Cæsari, qui præerat Romanis. Iudæi autem (cum hominibus congenita sit libertatis cupiditas, quod & brutis animalibus competit) hãc subiectionem ægrè ferebãt, & ideo inuiti huiusmodi tributũ soluebant, & seditiones inter illos fuerũt. Sed expende stultitiam, & dementiam istorũ. Renuunt tributum soluere, nihilominus persequuntur insontem Christum Iesum, & congregant concilium aduersus eum. Si molestè ferebãt subiectionẽ illam, deberẽt aduertere causam, propter quam in eam deuenerant, vt ea sublata de medio effectus ipse auferretur. Ratio enim captiuitatis, erãt eorum ingẽtia flagitia, & scelera, vt à Deo acceperãt, & audierant per manus Mosi. Vide Deuteronomiũ, vbi dominus promittit multa bona Iudæis, si seruauerint eius præcepta, & cõtra verò multa mala, si trãsgressi fuerint ea. Hoc idẽ fatetur dominus, & cõminatur in Leuitico. Sic Hieremias videns desolatam Hierusalẽ, flens ait. Fecit dominus quæ cogitauit, compleuit sermonẽ suum, quem prædixerat. Hoc idem comminatus est dominus populo Israelitico per Malachiam prophetam. Vnde in Baruch legitur dixisse Hebræis, peccauimus ante dominũ Deum nostrum, &c. Sequitur. Ideò adhæserũt nobis multa mala, & maledictiones, quæ cõstituit dominus Mosi seruo suo. Igitur cũ in hanc seruitutẽ venerit populus Hebræorum ob peccata, ob quæ eos torquebat, deberent se remouere ab eis, & renouare vitam, vt abolitis peccatis, aboleretur seruitus, subiectio, & ira Dei. Sed quid remedij adhibẽt? Addunt inquam peccata peccatis, & conantur de medio tollere Iesum innocentem in remediũ suorum scelerum. Latet malos iactura, in qua sunt interclusi, & cæci, quia nesciunt properare ad principium, & causam, vt illa remota obsistatur malo inde sequuto. Imo sæpè, ac sæpius remedia quæ adhibent, vt à malis liberentur, maiora attrahunt. Addere peccata peccatis non est conueniẽs antidotum, vt à tribulationibus, & angustiis, in quibus sumus, & quę nos premũt, eripiamur. Multi sũt, his Iudæis similes, qui volũt laboribus liberari quando deteriores sunt & efficiũtur. Si regẽ iniquum, principem, vel prælatum habent, qui tyrannicè se gerit cùm illis & eos torquet, quod adiiciũt est detrahere & conuitiari atque despicere, quod medicamentũ pessimũ est, nam ratio propter quam huiusmodi prælatos Deus mittit, est subditi praui & mali peccatũ quod benigniores præsules nõ merentur. Diuina sapiẽtia, quæ mendaciũ proferre nõ potest, sic testatur. Et erit sicut populus sic sacerdos, & sicut seruus, sic dominus eius. Idẽ etiam Oseas testatur. Si ergo prælatus iniquus est, quare tu iniquè agis? Esto tu bonus, & talem tibi Deus mittet pastorem, auferens malum, vel potius corripiens. Ex quo sequitur, quòd vera, & necessaria medicina fugiẽdi à laboribus, & tribulationibus est renouare vitã. Disce ergo detrahentem nõ persequi, sed nouã inchoare vitã. Dicũt te collusorẽ esse, si à ludo desistas omnium obturabis ora, nec de hoc ampliùs detraheris. Quamplurimi tamen huius tẽporis prælati, & nobiles non curant de emenda, & abutũtur hac doctrina, causam autẽ detractationis nõ è medio tollũt, sed potius augẽt. Quia cõpertũ est, quòd si quis nõ persequitur te detrahit, quid improbus maiori ratione faciet cũ te emendatũ non viderit

1. Mach. 8

1. Mac. 12

Causa seruitutis iudaica peccatum.

Deu. 28

Leui. 28

Hiere. 1

Mala. 2

Bar. 1

Esaia 24

Osea 4

viderit etsi à te iniuria affectum. Corrige tu vitam, nemini noceas, & omnium dictis obstabis, quod est præstantissimum omnium remedium, nam aliter tuum augebis dolorem, cùm sint plures, qui tibi detrahunt, & de pluribus quàm ante, te eos persequente. Ad rem est paratissimum exemplũ gentilium. Cum regi Philippo Macedoniæ magni Alexandri patri nunciatum esset, quẽdam nomine Nicanorem ei nimium detrahere, non solùm nõ sue censuit, nec persequutus est, quanuis vt rex & potens de eo posset supplicium sumere, sed respõdit Smicitho, à quo audierat, se experiri velle vtrũ in officio esset, necne. & æquè ei detraxisset. Quod cùm clam opere adimplesset, comperit Nicanorẽ iusta causa detraxisse, eo quod ei strenue, accuratéque inseruierat, & tandem in inuisam pauperiem deuenerat, quapropter loco supplicij beneficio prosequutus est. His factis posteà labente tempore ab eodem Smicitho dictum est regi Nicanorẽ magna, & mirabilia de ipso canere. Igitur dilucidè constat remedium malorum esse causam eorũ auferre. Non sic Iudęi, qui cũ malè eos tractaret tributũ soluere, ad quem statum deuenerãt propter sua peccata, persequebantur Christum, vt ab hac seruitute liberarẽtur. Sed de his iam satis. ¶ Præter eà vltra hæc obseruanda sunt hîc aliqua. Primò quòd isti impij pharisæi non considerabant conscientiam suam, nec legem, sed suæ auaritiæ tantum, & superbiæ consulebant. Secundò eo quòd maiori curæ erãt illis terrena, quã spiritualia & Cęlestia. Non quærunt legis interpretationẽ, nõ quomodo melius seruiant Deo, nõ saluti animæ consulunt, sed an debeant soluere tributũ. Et tẽpestate hac de quo multi christiani soliciti sunt, nisi de rebus temporalibus, & externis? Solùm de cibo, potu, vestitu, honoribus, diuitiis, & rebus transitoriis. Hæc est cura christianorum, & circa hæc diebus,
Matth.6 ac noctibus versantur. Vnde dominus. Nolite soliciti esse quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Primũ quærite regnum Dei, & iustitiã eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Tertiò imago Cæsaris notior erat istis, quã imago Dei in propriis suis animabus. Vnde sępenumero accidebat, vt cũ eos Christus de rebus spiritualibus interrogaret, eorum digiti ori adhærerẽt. Sed hic in procinctu responsum habebant, (de moneta nimirum interrogati) nam statim responderunt dicentes quòd imago esset Cæsaris. Quibus nunc multos habet populus Christianus similes, qui in rebus externis solicitissimi, prudẽtissimi sunt, qui mille modos habent, vt pecunias ab aliis tollãt, & proximos spolient, sed in rebus spiritualibus hebetes sunt, nec sua peccata confiteri sciunt, nec vllũ probũ loqui, &c. Filij huius sæculi in generatione sua
Luc.16 prudẽtiores sũt quã filij lucis. Sed Lucã audiamus. *Considerans autem dolũ illorũ dixit ad eos, Quid me tẽtatis?*
Matth.22 Hypocritas illos vocauit, vt refert Matthæus, quia fictis verbis dominũ decipere optabãt, aliud in ore, & aliud in corde gerentes. Impiissimi sunt
Hypocrisis quid. hi hypocritæ, qui homines suis simulationibus decipiunt. Sicut paries foris dealbatus nõ cognoscitur, an ex luto, vel lapide sit cõstructus, nisi malleo cõteratur exteriùs, sic hypocritæ foris vidẽtur iusti, sed malleo tribulationis percussi cognoscũtur.
Act.23 Vnde Paulus cuidam hypocritæ dixit. Percutiat te
Ezec.13 Deus paries dealbate. De his etiã Ezechiel, quòd sũt quasi vulpes in deserto. Vt pellis vulpis in pretio est, caro autem nihil valet, sic exteriora hypocritæ bona sunt, interiora autẽ nihil valent. Et Apostolus. 2.Tim.3
Speciem quidem pietatis habẽtes, virtutẽ autem eius abnegantes. Sicut, qui ficto boue perdices aucupatur, nõ est ille bos, sed sub specie bouis simplices auiculas decipit, capit, & occidit. Sic hypocritæ, & adulatores decipiunt simplices homines, qui eorum laudibus delectantur. Magi Pharaonis suis incãtationibus opera, & miracula Mosis imitabantur, sed virga Mosis deuorauit virgas eorum: sic hypocritæ imitantur opera iustorum, verbaque eorum, verùm sapientia Dei confundit illos, sicut isti confusi sunt à Christo, eorum machinationes ad nihil redactæ, & à Christo Dei sapientia detectæ. Vnde propheta. Imaginem eorum ad nihilum rediges. Non est consilium, non est scientia, non est sapientia contra Dominũ. Quanuis isti leniter & blandè accesserunt, tamen Christus qui corda hominũ nouit, durè loquutus est. (Exod.7; Psal.72; Prouerb.21)

¶ Hinc admonemur primò, ne inimicis fidamus, nec illis credamus, quos non synceros habemus. Hinc Ecclesiasticus sapienter consuluit dicens, Nõ credas inimico tuo in æternũ, sicut enim æramentũ æruginat nequitia illius. Et si humiliatus vadat curuus, abiice animum tuum, & custodi te ab illo. Non statuas illum penes te, &c. Et si tibi esse amicũ dicat, caue ab illo, nã te fallere vult. Hæc sunt, propter quæ Christus eis dixit in parabola vineæ, & modo simulãt esse illi amicos, vt eum decipiãt, sed Christus illos redarguit, & nos monet, ne eis adhibeamus fidem, quanuis blandè loquantur. Sic Iacob prudens nõ adhibuit fidẽ Esau inimico, licet blandè loqueretur, ac diceret ei, gradiamur simul eróque socius itineris tui, sed dixit quòd non poterat eum sequi. Sic etiam Dauid, quãuis Saul se reconciliauerat cum eo, attamen non stabilem habuit eius amicitiam, & ideò dixit. Aliquando incidam in manus Saul. Et abiit ad Achis regẽ Geth. Stultus nimis fuit Sichem, qui cùm tam grauiter offendisset Iacob, & Dinam filiam eius oppressisset, adhibuit fidem verbis fratrum eius, eo quod eorum verba apud ipsum Sichẽ de dolo suspecta non fuerunt, & quia offensis fidit, ideò ab eis fuit interfectus. Indè Abner confossus fuit à Ioab, quoniam fidit illi, cùm ille priùs occidisset Asael fratrẽ Ioab. Sic Ammon occisus ab Absalone in cõuiuio, quia fidit illi cùm antea eum affecisset iniuria, & sororem oppressisset. Sed Christus nõ credidit istis, sed cauet ab eis, quia inimicos esse sciebat, vt doceat nos, qua cautione, & animo debeamus incedere inter inimicos nostros, vt non omnibus eorum dictis fidem adhibeamus. (Eccl.12; Gene.33; 1.Reg.27; Gene.34; 2.Reg.3; 2.Reg.13)

Secundò docet Christus in hoc facto, adulatores esse fugiendos, tanquam hostes animæ truculentissimos, eósque non audiendos, sed abiiciendos, deteriores enim sunt, quàm manifesti persecutores. Agricola clamãs ad passeres, qui per eius fundum incedunt, & lapidibus petẽs, nullũ capit, venator autem plures, quando illice vocat. Ita dæmon, non tot persequutoribus venatur, & capit quot adulatoribus, qui dulcè nos alloquuntur. Interrogatus Diogenes philosophus inter animalia quod esset venenosius, respõdit, inter feras tyrannus, & inter mansueta adulator, quia vitiorum nutritor est. Sunt isti similes vmbræ, quæ si stas, stat, si sedes, sedet, si ambulas, ambulat, denique & omnia, quæ agis imitatur, sic adulatores laudant, quæ (Hypocritæ adulatores fugiendi.)

dant quæ laudas, vituperant, quę vituperas, & omnia imitantur, vt applaudant & decipiant. Et sicut crescẽte vmbra, aut diminuta corpus non minuitur: sic laus licet sit magna vel parua crescit aut nõ te facit crescere, vel minuere de virtute. Sic bonis
Iudi.4 verbis, & adulationibus interfecit Iael Sisarã. Blã de loquuta est, illi petenti aquam dedit lac, & fecit illum dormire & sic occidit. Hoc modo adulatores faciũt adulationibus dormire sensus hominis
Psalm.140 hebetantes eos, vt iugulẽt & occidãt. Ideò Dauid ait. Corripiet me iustus in iustitia sua: oleum autẽ peccatoris non impinguet caput meũ. Hos igitur hostes animę fuge, & abiice abs te: nam sirenæ suo dulci cantu obdormire faciunt homines, vt suffocent & perdant. Hos igitur Christus docet hîc fugere, increpare, & expellere, sicut expulit istos: qui pleni iniquitate blãdis verbis illum salutabant, & laudabant. Quos postquam arguerat addidit, di-
Cap.1.cogitabat Maria qualis salutatio esset. cẽs. *Ostendite mihi denariũ.* Qui ad imperatoris præceptum soluitur pro tributo. Docemur non præcipitare sententiam, sed omnia priùs maturè considerare, sed de his, quia multa in superioribus diximus, nunc ad alia. Cumque ostendissent Christo, interrogauit eos. *Cuius habet imaginem, & inscriptionem?* Simulat se monetam nescire, quo responsum ex eis eliceret, in quo eos caperet. Quamquam etiam hoc nomine monetam agnoscere nolebat, vt insinuaret quòd munus, & officium suum esset, non temporalibus, sed spiritualibus rebus vacare. Voluitque hoc docere, quòd hi, quibus spirituale regimen commissum est, temporalium rerũ vsum pluris non faciant, sed sint tanquam aduenæ & peregrini in terris, suasque cogitationes, & habita-
1.Pet.2 tiones in cœlo faciant. Ita enim mortui debent
Philip.3 esse sæculo, vt non agnoscant quæ sit imago auri, aut argenti. Licet hæc ignorantia iam abest à multis hominibus ecclesiasticis, & pastoribus huius temporis, siquidem experientia patet, eos maiore scientia nummorum, contractuum, esse præditos, & vectigalium incrementi, quàm indigentiæ & egestatis pauperum, & earum rerum inopiæ, quas in conscientia facere tenentur pro munere. ¶ Sed his omissis si proponeretur aliquibus, & interrogaretur, cuius est imago hæc? quid responderent? Certè multæ mulieres sunt, quę adeò fucis, & multis aliis ita facies mutant atque ora quæ à Deo acceperunt: vt eas Christus posset interrogare, quod hos modo interrogat & diceret, Cuius est imago hæc? Certè nunquam fecit Deus, sed quam ipsa fecit. Deus te nigram fecit, & tu alba fieri curas, Deus te exiguæ frontis creauit, & magnam conaris. Sic mutas imaginem Dei, vt non cognoscas
Matth.25 per faciem, quam tibi dedit. Maximè cauere debes ne eo quod mutaris, Deo ignota reddaris, vt quãdo eum vocare volueris respondeat tibi quod fatuis virginibus, nescio vos. Non noui te, quia non habes vultum, quem dedi tibi. Dicito mihi, si ostenderetur tibi quædam imago, quam Apelles depinxit, Zeuxis vel alius maximus pictor, quæ imago esset præstantissima, si rusticus pastor qui non nouit nisi hædos, aut armenta pascere videns vellet ei addere, vel auferre ab ea, nonne haberetur stultus & fatuus? Si ergo cœlestis pictor te depinxit, aut fecit qualis es, quare vis tuo rudi ingenio opus Dei corrigere? Quando faciẽ fuco tingis, quid te facere existimas & dicere? Deus quando creauit me nesciuit quid faceret, vel saltẽ dormiebat, non me sic sed aliter facere deberet? Quisnam tu es qui opus Dei corrigere, seu mutare velis? Deus sumet de tua audacia supplicium. Lege
de hac re Beatum Ambrosium. Iam quid ad hanc lib.6.Exa. cap.8
interrogationem Pharisæi respondeant videamus.

Respondentes, dixerunt ei, Cæsaris.

Tiberij inquam Cæsaris, qui tunc imperabat, sub quo passus est Christus, anno imperij eius decimo octauo. *Et ait illis. Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ac si diceret. Hactenus detraxistis Deo honorem, nunc etiam præsumitis Cæsari præripere tributum, estisque autores seditionum maximarum, peccantes in Deum, & in Cæsarem, digni, vt crudelibus vtriusque suppliciis afficiamini. Hinc apparet, quòd prætextu Dei fiebat illa quæstio tanquam cederet in dedecus Dei dare tributum Cæsari, & ad hoc excludẽdũ addit Christus. Et Dei Deo. Et docuit per hoc, quod soluere tributa, census, vectigalia, & quæcunque
huiusmodi, non contrariantur ad reddẽdum quæ Matth.17
sunt Dei Deo, vtrunque potest fieri simul. Vnde
ipse Dominus soluit pro se & Petro. Et Paulus do Rom.13
cet, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal. Prius de Cæsare loquutus est, & postea de Deo, quia quęstio erat de debitis reddẽdis Cęsari, & nõ de debitis Deo. Debita Dei non inducũtur hic principaliter, sed accessoriè, ideò de illis erat posteriùs dicendum, nã pharisæi non quærebant, an aliquid esset dandum Deo, sed Cæsari, & ideò respondens dixit, reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Addidit autem, quæ sunt Dei, Deo, vt responderet quæstioni Pharisæorũ, scilicet, quomodo staret, quod homo esset tributarius Deo & homini, nam vt diximus, hæc non contrariantur, quoniam poterant vtrumque facere reddentes Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo. Deinde optimus modus procedendi erat, vt priùs poneret, quæ sunt Cæsari red-
denda, & posteà, quæ sunt Deo, vt Paulus ait. Priùs 1.Cor.15
quod animale est, & deinde quod spiritale est. Natura etiam in suis actionibus ab imperfectiori ad perfectiùs procedit. Hoc in hominis generatione videmus, nam priùs est corpus hominis sub forma embrionis, & deinde sub forma corporis organica, ac perfectiori, ac demum sub forma hominis, & sic etiàm gradatim in pueritia procedit, vsque ad virilitatem, quo ordine etiam arbores, & plantæ ab imperfectiori, vsque ad statum perfectiorem procedunt. Hic idem ordo seruandus est, in spiritualibus rebus, quod ex minimis paulatim ad maiora opus est, vt crescamus. Sic priùs agendum est de corporis mortificatione, & de vita actiua,
quàm de contemplatiua. Priùs enim Iacob acce- Gene.29
pit vxorem Liam, quàm Rachelem. Hac ratione opinor, quòd priùs voluit Christus, vt homo pro-
ximo reconciliaretur, quàm Deo. Vnde ait, Si Matt.5
offers munus tuũ ante altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuũ ante altare, & recõciliare prius fratri tuo. Demũ benè, quæ sunt Cæsaris, prius red dẽda discernit, quia nemo potest esse Domini, nisi priùs renũciauerit quæ sunt mũdi. Relinque priùs temporalia mũdi, vt possis Deo vacare. Non appa
ruit Deus Mosi vsq; adeo nisi quando ab Ægypto Exod.3
exiuit. Nec tu frueris diuinis cõsolationibus, nisi Theop. in hoc loco.
priùs despicias terrenas, &c. ¶ Expẽde etiam, quòd nõ dixit date, sed reddite, quia dare est donare, vel spõ

te dare

re dare, reddere autem est soluere, & dare quod accepit. In omni enim debito soluendo est reddere: quia nullum debitum causatur, nisi ex accepto. Deo enim debemus aliquid, quia ab eo suscepimus omne bonum: principibus debemus tributa, quia ab eis recipimus defensionem, tranquillitatem: & alia bona. Propter hanc autem obligationem potius dixit, reddite quã date. Nec dicit reddite Cæsari, quæ petit: sed reddite, quæ illius sunt. Nam vbi potestas aliquid à nobis petit per ꝙ offendi Deum necesse esset: id non esset Cæsaris, sed diaboli tributum: quamobrem nec facere illud debemus, oportet enim magis obedire Deo, quàm hominibus.
Act.4 Proinde Christus mox subiecit, reddite quæ sunt Dei Deo. Quare nos docere vult Christiano nõ satis esse, si Cæsari & potestati obedientiam præstet: nisi Deo obediens sit. Vult etiam regum, principũ, magnatum per hoc indicare seruis, quòd coram Deo non erunt excusati, si propter dominorũ suorum negotia negligunt, & omittunt quæ Deus exigit, aut ob rationem suorum dominorum aliquos homines iniquis modis grauant. Domino tuo fidelis esse debes, sed scito intereà Deo te plus debere. Docet etiam Christus ecclesiæ auctoritatem & regnum: diuersa esse à regno, & auctoritate mundi: sic tamen, vt neutrum reiiciat, sed potius confir-
Principes sua possunt exigere non omnia. met. Ad regnum mundi pertinent census, tributa, & vectigalia: pertinet & ius effundendi sanguinis humani, quando res postulat. Ad regnũ Dei pertinet in suis causis ius dicere, filios rebelles punire, ac supplicium dignum de eis sumere. Docet quòd magistratus non debet exercere tyrannidem in subditos, nec diripere quæ possident: sed debent esse contenti tributis debitis. Nam non dicit, reddite Cæsari omnia, sed quæ sunt Cæsaris. Non constituit Deus magistratum, vt pro suo arbitrio & libidine expilaret subditos: sed vt ab illis moderatè exigeret, quæ ad rempub. honestè gubernandam spectarent. Docet quòd sicut Deus auctoritatem regendi populum præstitit magistratui, & semper promouet: ita magistratus debet Deo, & ecclesiæ
Rom.13 Romanæ ipsius sponsæ omnem obedientiam. Et sicut Romana ecclesia docet populum magistratui esse subiectum: ita & ipse (qui non sine causa gladiũ portat) debet ecclesiam defendere, ac subditos suos ad eius obedientiam, reuerentiámque compellere, quòd ex diuino iure profanus magistratus debet ecclesiastico: & sic adimplebunt præceptum Domini dicentis: Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Docet censum, tributa, vectigal, decimas, & si quæ istius modi plura sunt, nõ solùm Cæsari: sed etiam legatis eius, & non modo probis sed improbis etiam porrigenda, pendendaque esse. Atque hoc egregiè ex hoc verbo Christi conuincitur, si consideremus quo tempore Christus talia verba loquutus sit. Nimirum tempore Cæsaris Tiberij, qui nõ solùm ethnicus & idololatra erat, sed etiam impius & crudelis tyrannus: ex quo manifestè demonstratum est omnia prædicta non solùm probo, sed etiam malo Cæsari: & nõ solùm illi, sed etiam legatis ipsius porrigenda esse, & reddenda, qualiacunque illa sint. Hoc etiam docet
1.Pet.2 Petrus seruos subditos esse debere in omni timore dominis: non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Paulus omnis (inquit) anima potestati sit
Rom.13 subdita. Dicit omnem potestatem esse à Deo, & qui resistit potestati, eum facere contra Dei ordinatio-

nem. Per me (inquit Sapientia Dei) Reges imperant, & potentes discernunt iustitiam. Quapropter Prouer.8
Iosaphat suis iudicibus, & præfectis denunciabat, 2.Para.19
vt bona fide agerent: siquidem officium eorum, non hominis est, sed Dei mandatum. Et quod magis est, dicit Deus per Dauid ad iudices, & potentes. Dixi Dij estis vos. Hoc est ordinaui & commi- Psal.81
si, vt diuina munera obeatis: nimirum pacem, disciplinam, iustitiam, honestatem, & bonos mores colatis, peccata arguatis, &c. Quæ omnia diuina sunt. Igitur Dei præcepto vt ex hac litera constat, tenemur Regi dare: qui per Samuelem iura regni mon- 1.Reg.8
strauit. Ius enim Regis est, vt alatur à regno in põpa regali, & vt ei regnum subministret omnia quæ necessaria fuerint, tum ad bella gerenda, tum ad pacem conseruandam. Ideo Cæsari, qui tributum exigebat ad iustitiam exequendam, pacem tuendam, bellum gerendum, & splendorem seruandum iussit reddenda: sed de hoc dicta sufficiant. Non est opus amplius ostendere populum teneri ad tributum soluendum Regibus: nam ipsis eiúsque ministris curæ maximæ est illud exigere adeò, vt non solùm de hoc siquidem tot publica vectigalia & tributa subditis imponunt, vt potius prædiari dicantur, quàm exigere: quare in his non plus perdamus olei, & operis. Sed quia pauci sunt qui ea quæ Dei sunt Deo reddant, non ab re esse duxi de his aliquid dicere, nouum enim apparet hoc, quod est dare Deo, quæ sunt Dei. Nonne cœlum, terra, & quicquid in nobis est sunt Dei? Omnia enim per ipsum facta sunt. Quanuis verum sit, quòd omnia Psal.148
sint Dei immortalis, tamen quædam sunt, quæ maiori ratione dicuntur esse eius, quàm alia. Sicut verbi gratia, Si te ad domũ regiam conferas, inuenies hoc cubiculum, & cellam Regis esse quia in eo Rex residet, atque habitat: aliud verò reginæ, principísve, quòd ipse in eo residet. Tota nãque domus Regis est: sed hæc vel illa pars illius esse dicitur quòd in ea habitet. Eodem modo, quamuis omnia Dei Optimi Maximi sunt, & in eis habitet per essentiã, præsentiam, & potentiam, tamen excellentiori modo in anima residet cum per gratiam in ea habitat, quàm in reliquis. Ideo in scriptura dicitur. Anima iusti est sedes sapiẽtiæ Dei, quia in ea Deus habitat, & quiescit: sicut tu quando in tuo sedili sedes. Sap.7
Ideo sigillatim Dei creatura vocatur, domúsque eius. Vnde & si omnia Dei sunt, speciali modo anima Dei esse dicitur, propterea quod in ea per gratiam habitat, secundum quem modum in aliis rebus Deus non est. Præterea dicitur anima nostra Dei, quia hãc ipsam ex nihilo immediatè ipse Deus ad imaginem & similitudinem suam creauit. Habet literatus in suo archiuo, seu bibliotheca plurimos libros, inter eos quendam habet, quem ipse edidit, & cõposuit: de quo dicit, liber iste meus est. Nonne cęteri illius etiam sunt? maximè: sed illum quem ipse composuit, specialius suũ vocat, eo quod proprio marte composuit. Et anima Dei esse dicitur, quia est illius imago. De aliis creaturis dixit. Producat terra herbam virentem. Producant aquæ re- Gen.1
ptile, &c. Nam licet omnia Deus creauit, tamẽ aliæ creaturæ deductæ sunt ex potentia materiæ, sed non anima, quæ ab ipso immediatè ex nihilo creatur. Non dixit Deus producãt aquæ animam, vt de piscibus, nec dixit, producat terra animam viuentem, in genere suo, iumẽta, reptilia, & bestias terræ, sed faciamus hominem ad imaginem & similitudinem

Anima reddenda Deo, quia sua.

nostram: sic se habet anima sicut liber eductus ab illo ingenio, imagine & similitudine Dei: ideo illa præcipuè res, & creatura Dei dicitur: & non cæteræ creaturæ. Hanc animam vult Deus vt illi des, & de illa dicit Dominus. Reddite quæ sũt Dei Deo. Quo modo redditur? Amore. Officium amoris est, & munus eius, vendere amantẽ pro re amata. Anima nostra præstantiori modo ibi est, vbi amat, quam vbi animat. Qui aliũ amat, amore datur ei, quẽ amat, & ita magis est eius, quẽ amat. Cũ ergo amor trãsformet amantem in amatum, in eumque transfundat, tũc quis dari Deo dicetur, quando eũ amat. Ideo in sacris literis viri iusti, & amantes Deũ vocantur viri Dei.

1.Reg.9 Sic puer Saul vocauit sanctum prophetam Samuelem dicens, Ecce vir Dei est in ciuitate hac. Et Saul etiam dixit, Quid feremus ad virum Dei? Panis deficit in cistarciis nostris: & sportulam non habemus, vt demus homini Dei.

3.Reg.17 4.Reg.1 Mulier etiã Sareptana dixit Heliæ, In hoc cognoui, quoniã vir Dei es tu. Et nuncij Regis Ochoziæ dixerũt Heliæ. Homo Dei rex præcepit, vt descendas. Mulier etiam illa Sunamitis loquens ad virum suum dixit de Heliseo propheta.

4.Reg.4 Animaduerto ꝙ vir Dei sanctus est iste. Et econuerso quando quis mũdum amat dicitur vir mundanus: Sic de diuitibus auaris

Psal.75 dicit Psalmista, Nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis. De viro religioso, qui sanctè viuit: cũ in contemplatione arripitur, dicimus quòd datur Deo. Tu ergo vide quòd des Deo, quæ Dei sunt: eo modo des animam, te ipsum, totúmque diliges eum super omnia, & plusquam te ipsum. Vnde Da-

Psal.23 uid in psalmo quærit dicens, Quis ascendet in mõtem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Et respondet. Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam. In vano accipit animam, qui Deum non redamat, cùm Deus eam sibi ipsi creauerit. Sed iam modo omnes mun-

2.Tim.4 do dantur, carni, vitiis, & peccatis. Instabunt tempora periculosa: & erunt homines seipsos amantes, cupidi, &c. Quid aliud iam in mundo regnat nisi amor suiipsius. Quid diligũt homines, nisi seipsos, &c. Attendamus igitur, ne rem Dei nobis vendicemus, sed reddamus ei, quæ ipse dedit nobis ad hoc, vt redderemus: cognoscamus eum: nam participes intellectus nos fecit, vt eum cognosceremus. Memores simus Dei: siquidem memoriam contulit, vt recordaremur beneficiorum eius erga nos. Diligamus eum, si quidem volũtatem dedit: vt ipsum diligeremus: tandem demus illi animam, & nosmetipsos, quandoquidem creaturæ eius sumus, & fecit nos, vt ei redderemur. Sed ad alia. *Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in responso eius tacuerunt.* Optimè enim Salomon di-

Prou.21 xit. Non est sapientia, non est sciencia, non est con-

Iob 5 silium contra Dominum. De ipso etiã ait Iob. Qui cõprehendit sapientes in astutia eorum, & consiliũ prauorum dissipat. Non potuerunt isti sapientiam Christi concludere: imò quò amplius eum interrogabant: eò plus glorificabant eum, & confundebãt seipsos. Itaque mirabantur, quòd tam irreprehensibiliter mox respondit: quòd insidiandi, calumniãdíque locum non repererunt. Prosequitur nũc Lucas historiam suam: & agit de quadam quæstione proposita Christo à Sadducæis, per quam voluerũt Christi sapientiam explorare.

Accesserunt autem quidam Sadducæorum qui negãt resurrectionem, & interrogauerunt eum dicentes.

Secta Iudæorum. *Li.b.18. c.2*

Sadducæorum quædam secta erat apud Iudæos: qui vt hîc dicitur, negabant resurrectionem. Ideo notandum, quòd, (vt Iosephus decimooctauo antiquitatum enarrat) quatuor fuerunt apud Iudæos opiniones vel sectæ. Pharisæorum scilicet Sadducæorum, Essęorum, & Iudæ Galilæi. De Pharisæis, & Sadducæis tantum faciunt mentionem Euangelistæ, quia isti soli Christo aduersabantur: & ipse de multis eos arguebat: præcipuè Pharisæos. De secta Essæorum nihil narrãt Euangelistæ, quia erãt viri boni: & fortassis nunquam contigit eos Christo aduersari, vel concurrere cum eo ad aliquid. De secta autem Iudæ Galilæi nõ fit mentio in Euãgelio, quia minor erat. Istarum verò duarum scilicet Pharisæorum, & Sadducæorum Euangelista ponit differentiam, quæ erat præcipuè in credendo: quia Pharisæi erant catholici, credebant animas esse immortales, resurrectionem futuram, & Angelos esse spiritus. Sadducæi autem negabant resurrectionem, animæ immortalitatem: & dicebant non esse Angelos: nec alios spiritus, sed sola entia corporalia: propter quod erant sæpè multæ controuersiæ: & quæstiones inter Pharisæos, & Sadducæos. Ideo Paulus, cũ ab hominibus accusaretur Iudæis:

vt faceret discordiam inter eos dixit, Viri fratres, Act.23 Ego Pharisæus sum & filius Pharisæorũ, de spe, & resurrectione mortuorum ego iudicor. Et cũ hoc dixisset facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos: & soluta est multitudo. Aduerte nũc, ꝙ quã-

uis Sadducæi & Pharisæi essent inter se diuisi, & cõ- Matth.27 trarij, tamen vt Christum persequantur, coniuncti erant, & vnamines. Sic Herodes, & Pilatus in passione Christi facti sunt amici vt Christum eluderẽt: cũ antea inimici essent inuicem. Sic solent impij coniũgi, & coadunari, vt bonos persequãtur. Sed quid dicant, audiam .s. *Magister, Moses scripsit nobis si frater alicuius mortuus fuerit habens vxorem, & hic sine liberis fuerit, vt accipiat eam frater eius vxorem, & suscitet semen fratri suo.* Hoc præcepisse Mosen habetur

in Deuteronomio: sed scripsit hoc, non tanquam Deut.25 mandatũ nouum, sed tanquam vetus, & approbatũ propter antiquos patres, vt patet in filiis Iudæ, &

Thamar. Nam vt in Genesi habetur, dixit Iudas ad Genes.38 Onam filium suum, Ingredere ad vxorem fratris tui & sociare illi, vt suscites semen fratris tui. Ratio huius mãdati prima fuit obseruatio distinctionis tribuum familiarúmque illius populi. Secunda multiplicatio fidelium ad cultũ Dei. Magistrum etiam illum vocant, quod nomen est honoris: vt illũ facilius decipiant: more adulatorum. Sed ponũt causam dicentes Domino. *Septem ergo fratres erant, & primus accepit vxorem, & mortuus est sine liberis, & sequens accepit illam similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt: nouissimè omnium mortua est mulier. In resurrectione ergo cuius eorũ erit vxor? siquidem septem habuerunt eam vxorem.* Vide qua astutia historiam hanc (si modo historia est) narrauerunt Pharisæi. Primò ne quis diceret impiè factum, quòd vnica mulier septem maritos succedẽtes habeat, illi adducunt legis præceptum, & vt res absurdior appareret, non duos aut tres, sed septem ponunt viros. Tertiò nullus est illorũ, qui tenuerit illam accipere in cõiugem. Quartò nullus ex illa sustulit filium, vt nulli eorum aliqua concederetur prærogatiua, qua fretus in futura vita eam haberet vxorem. Quintò non vacat astutia, quòd aiunt mulierem superuixisse adhuc etiã illis septem defun-

ctis

ctis mariris. Si enim postremus maritus post vxoris mortem superstes fuisset, videretur forte, & ipsi deberi vxor. Cùm itaq; sic sese habeat, mirari se fingunt Sadducæi, quis nã illius vxoris in alio mũdo maritus sit, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio. *Et ait illis Iesus, Filij huius sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi verò, qui digni habẽtur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, nec ducẽt vxores, nec vltra mori poterunt.* In alia vita non erunt nuptiæ sicut in terra: nã in hac vita necessariæ sunt nuptiæ ad conseruationem speciei, & cùm homines pereãt si corruptis aliis non succederẽt, actum esset de generatione humana. At verò in cœlo nec est mors, nec ergo erit opus generatione nec nuptiis: quia nihil defficit ibi, quid ergo est opus generante? Aequales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Angelos dixit beatos ad tollendũ errorẽ, qui poterat suboriri: nam putaret forte, quis quòd abstinerẽt ibi homines à venereis quasi ex mandato Dei, sicut hic abstinent, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Nam si hoc esset cum dispositio ex parte corporis ad venerea appetitus ad illa non desit, consequenter quædam pœnalis afflictio in cohibendo illas concupiscentias esset. Christus autem abstulit hæc, ostendens quòd ex cõditione huius status, homini illud proueniet: quia ex conditione status competit nunc homini venerea exercere, & delectabiliter exercere, & cum tristitia abstinet, eodem modo tunc ex conditione status competit homini non exercere venerea, & delectabiliter carebit illis, quoniam erit tunc sibi quasi naturale ab eis abstinere. Sicut enim Angelis naturale est non exercere venerea, nec concupiscere, ideo non indigent virtute aliqua moderante ad cohibendum voluptatum venerearum concupiscentias, cùm hæc nec eis accidere possint. Igitur erit hominibus tunc, vt Angelis, ex conditione status non concupiscere, quamobrem non erit eis pœnale abstinere, sicut nobis. Præterea dixit hoc Christus ad specialiter reiiciendam, & explodẽdam opinionem Sadducæorum: nam ipsi non solùm resurrectionem, sed etiam Angelos, & spiritus esse negabant: & ideo Dominus contra totam protulit in medio positionẽ. Tertiò dixit hoc Christus, vt ostẽderet perfectionem abstinentiæ à venereis: nam licet sint alia opera magis meritoria, & perfectiora apud Deum, quàm abstinere à venereis, tamẽ nihil est, quod magis hominem spiritualem reddat. Ideo quando Christus loquitur de aliis actionibus virtutum, non dicit homines futuros sicut Angelos: sed solũ quãdo de abstinentia à venereis. quoniã nihil est quod magis carnalem, bestialem, animalẽ, & à spiritualitate remotum faciat, quàm exercitium venereorum. Expende tamen, quod hîc non dicit Christus erũt Angelis meritis æquales: nam multi homines sunt sanctiores multis Angelis, & alij inferiores: nec omnes Angeli sunt eiusdem meriti, nec eiusdẽ gradus gloriæ, sed quidam maioris gloriæ, & alij minoris, nec inter homines sunt omnes æqualis gloriæ. Ideo hæc æqualitas intelligenda est conditionibus, quæ pertinent ad incorruptibilitatem: ideo omnis alteratio, corruptio, imperfectióque æqualiter auferuntur ab Angelis, & ab hominibus in resurrectione: nam quantum ad hoc omnes homines & omnes Angeli erunt æquales, licet Angelis conueniat hoc secundum naturam, hominibus autem secundum gratiam. Matthæus clarius expresit dicens, quòd erunt sicut Angeli Dei, hoc est, incorruptibiles, immortales, & gloriosi, sicut illi spiritus beati, sed Christus postquam eorum argumẽtum soluit, contra illorum errorem de animarum immortalitate, & resurrectione mortuorum loquitur dicens,

Nuptiarum necessitas vnde. Vide Aug. lib. 2. q. euan. ca. 49.

Matth. 19

Theop. in hũc locum.

Matth. 22

Quòd verò resurgant mortui & Moses ostendit secus rubum sicut dicit, Dominum Deum Abraham & Deum Isaac, & Deum Iacob.

Poterat Christus allegare ad hoc propositum plures alias scripturas: vt illud Danielis. Multi qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt. In Ezechiele apertior scriptura est de ossibus aridis, super quæ inducta est caro, & introiuit in ea spiritus. Iob clarissimè. In nouissima die de terra surrecturus sum: & in carne mea videbo Deũ. Et etiã in libris Machabæorum. Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, &c. Allegauit autem hãc auctoritatẽ, quæ parum videbatur agere, nisi in argumentum, & nonnullas quæ clariores erant: alias nanque non recipiebant Sadducæi, eo quod aliæ erant in libris Prophetarũ, & Sadducæi nõ recipiebant, nisi quinque libros Mosi, vt ait Hieronymus: & ideo ex Exodo adduxit hanc auctoritatem. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Ex hac igitur auctoritate probat Christus resurrectionem mortuorum dicens, *Deus autem non est mortuorum, sed viuorum, omnes enim viuunt ei.* Accipiuntur hîc Abraham, Isaac, & Iacob non pro animabus, sed pro personis, quæ simul corpus, & animam habent: & isti dicuntur viuentes, non quòd realiter viuerent, nam mortui erant, sed quia viuebant in Dei dispositione. Ipse enim disposuerat de illis quod viuerẽt, potens erat viuificare eos quandocunque vellet, & tunc valet ratio magis apertè. Abraham, Isaac, & Iacob viuunt, ergo resurrecturi sunt. Quia non est aliud, eos sic viuere nisi viuere in Dei dispositione: id est, quod disposuit Deus eos viuificare aliquando. Tamen quando Deus hoc dixit Mosi, isti iam obierant, nam Deus vocauit se Deum eorum, ergo viuebant: quia nõ entis, nec vllus est Deus, nec Dominus. Ergo Abraham, Isaac, & Iacob viuebant, quamuis essent mortui, si Deus erat Deus eorum.

Iob 19

Ezec. 37
Dan. 12

2. Mach. 12

Libro 3. com. Matth. c. 22.
Exo. 3

¶Sed obiiciet aliquis dicens, quòd malè concludat Christus istos viuere: eo quòd non probat eos simpliciter viuere: sed viuere in Deo. Vnde hîc clare ait Lucas. Omnes enim viuunt ei. Et quantum ad vitam, quæ est in Deo non distinguntur viuentia à non viuentibus, quia non viuunt Deo. Dicendum, quòd aliud est viuere in Deo: & aliud viuere Deo. Viuere in Deo est, habere exemplar in Deo, quòd si vita vel viuens viuere Deo est, habere vitã in spe secundum quod Deus disposuit: licet in præsenti nõ habeat. Primum competit omnibus entibus, secundum competit solis hominibus. De primo patet: quia omnia quæ fiunt à Deo sunt: & prodierunt, tanquam à causa prima, quia ipse non est agens à casu, sed agens propter finem, & secundum præconceptionem oportet poni cuiuslibet rei ab ipso faciẽte exemplar, vt speculum, seu ideam quãdam in eo, sicut est in cæteris artificibus. Illa autem idea seu similitudo rei faciendæ est aliquid viuens, cùm sit ipse Deus: quia in Deo nõ est aliquid absolutum distinctum ab ipso. Et quia res dicuntur esse in mente artificis eo modo quo species illarũ sunt

Viuere Deo & in Deum differunt.

in eo:sic in Deo res quælibet est eo modo quo exéplar eius est. Sed illud exemplar est aliquid viuens in Deo, ergo quælibet creatura est aliquid viuens in Deo. Imo vita, sicut Ioannes ait. *Ioan.1* Quod factum est in ipso vita erat. Melius dixit vita, quam viuens, quia si diceret viuens, significaretur aliquid ab eo distinctum:& tamen nihil est in Deo: quod ab eo distinguatur, sed quod est, ipse est Deus, Deus auté est vita: ideo quod in ipso est, vita est, quæ ipse est. Sed ista prædicatio non est formalis, vel denominatiua:sed magis per causam, scilicet id quod est, vita in Deo est:id est à vita quę est Deus, per ideá, seu formam exemplarem, quæ non est aliud quàm ipse Deus.

Viuere Deo quid. ¶ Aliud est autem viuere Deo, talia nanque viuunt formaliter, & non per causam:sed imperfectè: quia viuũt in spe, vel dispositione. Et ita homo qui fuit, & iam non est, & de quo Deus dispoſuit:vt rediret aliquando ad vitam: viuit Deo, quales sunt, qui resurgent & qui nondum nati sunt:& Deus disposuit, quòd nascerentur, viuunt Deo, id est iuxta Dei dispositionem, qua præordinauit, quòd eos aliquando viuere faceret. Quamobrem cum plus sit viuere Deo, quàm in Deo, quid quòd viuit Deo, viuit in Deo:non tamen è contrario, quia omnia entia viuunt in Deo, & soli homines, qui nõ sunt, vel qui iam fuerunt viuunt Deo. Ergo quicunque viuit Deo, viuit in Deo, sed non econtra. Et scriptura distinguit istos duos modos loquendi, quia quando loquitur de omnibus entibus: prout habent in Deo exemplaria, dixit, quod factum est in ipso vita erat: quando autem de mortuis resurrecturis dicit hic noster Lucas, quod omnes viuunt ei. Et talem modum loquendi secuta est Ecclesia, cum orat pro defunctis dicens, Regem cui omnia viuunt, venite adoremus. Non dixit, in quo omnia viuunt, quia non orat pro omnibus entibus: sed tãtum pro omnibus mortuis, qui Deo viuunt. Sed ad rem.

Respondentes autem quidam scribarum, dixerunt ei. Magister bene dixisti. Et amplius nõ audebant quicquã interrogare. Per duos, vel tres dies ante passionem, hoc fuit scilicet, die martis post Dominicam Palmarum, non fit mentio de resipiscentia, sed tantum de timore, quod deterriti timebant. Ecce quomodo in istis perduntur opera Dei, & eius prædicatio. Vtinam tu nõ desinas à malo nõ voluntate, sed coactus, &c. *Dixit autem ad illos, Quomodo dicunt Christũ filiũ esse Dauid, & ipse Dauid dicit in libro psalmorũ, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Dauid ergo dominum illum vocat, & quomodo filius eius est?* Interrogauit Christus eos:vt Matthæus enarrat cuius filius *Matth.22* esset Christus:illi responderũt, & bene q erat filius Dauid. Sic enim scriptũ est in psalmo. *Psal.88* Semel iuraui *Psal.13* in sancto meo si Dauid mẽtiar, semẽ eius in æternũ *Christi diuinitas, diuinaque natura.* manebit, & thronus eius sicut sol in cõspectu meo. Et alibi, Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum:de fructu vẽtris tui ponã super sedẽ tuã. *Hiere.23* Ecce dies venient (ait Hieremias) & suscitabo Dauid germen iustum:& regnabit Rex, & sapiẽs erit, &c. Contra hanc responsionem argumentatur Christus ex auctoritate psalmi, nõ quod velit probare quod Christus non erat filius Dauid, quia certè erat filius eius secundũ carnem, vt ipsi bene responderant:sed voluit probare:quòd Christus esset Deus, in quo maior erat Dauid, & hanc excellentiam Christi insinuat argumentum quod tale est. Nullus est maior Dauid, nisi Deus, sed Christus est maior Dauid:ergo est Deus. Minor huius syllogismi probatur, quia Dauid Christũ vocat Dominũ, vt illud, Dixit Dominus domino meo, sede à *Psal.109* dextris meis. Et si dicatis, Dauid homo erat, & poterat errare. Certũ est q Dauid & quilibet Propheta potuerit errare, & mentiri extra actum prophetiæ:sed in actu prophetiæ impossibile est mentiri, sicut nec Deus, qui loquitur per os Prophetæ. Et ideo Christus hic notãter dixit in Psalmis, & Matthæus dicit quòd dixit in spiritu, hoc est, in spiritu prophetico. Igitur si Dauid in spiritu vocat illũ dominum, in quo actu prophetico errare non poterat, quomodo filius eius est? Sed certum est, quòd est filius eius. ergo aliquid est in Christo plusquam esse hominem. Maior autem syllogismi probatur *Dauid maior omnibus Regibus.* eo quod apud Iudæos nullus erat maior Dauid, quia Dauid omnibus excellentior fuit. Primò ex dignitate, nam ipse fuit Rex, & nemo poterat esse maior Rege. Et non solum fuit Rex: sed etiam ex- *2.Reg.7* cellentior omnibus Regibus:cum ipse primus fue- *1.Para.17* rit omnium qui regnauerunt ex Iuda, & primus omnium Regum sanctorum, ratione cuius datum est regnum successoribus eius, etiamsi ob ipsorũ peccata auferre voluerat deinceps Deus sæpè regnum de stirpe illa, sed propter ipsũ Dauid reliquit duas tribus in quibus regnaret eius posteritas. Secundò *3.Reg.11. & 12.* Dauid excessit illos in sanctitate, nam de eo dixit Deus. Inueni virum secundum cor meum, quod de *Act.13* alio non dixit in toto veteri testamento. Tertiò in illo fuerũt tres dignitates, quæ in nullo viro Iudæo inuentę sunt: nisi in eo: nam erat Rex, Patriarcha, & propheta. De regno & prophetia notum est:sed de patriarchatu dixit Petrus. Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de patriarcha Dauid. *Act.2* Moses fuit propheta, & magnus, sed non fuit rex, nec Patriarcha. Isaac fuit Patriarcha, sed nõ Rex, nec Propheta. Abraham verò & Iacob fuerunt patriarchæ, & prophetæ:sed non fuerũt Reges. De patriarchatu vtriusque manifestum est, & de prophetia patet, quia Deus vocauit Abraham prophetam: & vidit *Genes.20* in spiritu Christi incarnationem. *Ioan.8* Et Iacob spiritu *Gen.49* prophetico nunciauit filiis suis ventura. Dauid autem omnia tria simul habuit, & non solùm habuit, sed etiam omnia per excellentiam habuit, siquidem propheta fuit, & maximus prophetarum, ideo per antonomasiam vocamus eum prophetam. Excellentior etiam fuit omnibus Regibus, ex quo etiam sequitur quòd fuerit potentissimus in patriarchatu ex eo quod pater fuit omnium Regum Iudæ. Igitur cum nullus purus homo excellentior fuerit in veteri testamento Dauid, & ille Christum vocat dominum, sequitur quòd Christus aliud quid habeat excellentius homine.

¶ Hoc autem, quod dicit, sede à dextris meis, potest referri ad diuinam, seu humanam naturam. Si ad humanam, tunc dicendum est secundum August. in libro de Symbolo, quod non est intelligendum, quòd Deus pater humanitaté Christi ad dexteram suam collocauerit: quia Deus membra non habet, vt possit dici dextera, vel sinistra in eo, sed est sermo metaphoricus, quia sicut in dignitatibus humanis, nullus apud regem, vel aliquem dominũ dicitur præstantior, & dignior, quàm qui ad dexteram eius sedet:sic etiam Deo esse gratior, & sublimior

minor dicitur qui est ad dexteram virtutis Dei patris. Sic illa humanitas Christi est apud Deũ exaltata quantum est possibile aliquam naturam exaltari: ita quod nunquam alia sic exaltabitur: quoniã vt Psalmista ait, Deus pater gloria & honore coronauit dilectum filium suum, & cõstituit eum super opera manuum suarum, vt Stephanus cum lapidaretur aiebat. Ecce video Iesum stãtem à dextris virtutis Dei. Et Christus. Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. Verùm si dextera refertur ad diuinam naturam, tunc per dexteram intelligitur æqualitas patris & filij, nequis crederet Dei filium propter assumptam humanitatem esse minorem patre secundum diuinitatem: ideo filius dicitur sedere ad dexteram patris id est, ad æqualitatem patris. Ideo Paulus ad Colossenses. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. Et ad Hebræos. Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, &c. Et adorent eum omnes Angeli eius. Itaque sedere ad dexteram quantum ad diuinitatem est esse æqualem Deo: sed sedere secundum humanitatẽ est frui potioribus bonis Dei præ cæteris creaturis, id est in maiori beatitudine.

Psal.8 *Act.7* *Matth.27* *Colos.3* *Hebr.1* *Psal.109*

¶ Aduerte quòd sicut Deus pater alloquitur filium dicens, sede à dextris meis donec ponam, &c. Sic nos hoc ipsum Christo dicamus, sede ad dexteram nostram, donec inimicos tuos ponamus sub pedibus tuis. Sede inquam, ad dexteram: hoc est in loco nostro meliori, in nostris melioribus bonis. Qui solam fidem habet, sicut malus Christianus, qui est in peccato mortali, habet Christum in intellectu per solam fidem informem, quia Christũ cognoscit: sed non habet illũ sedentem in meliori loco, hoc est, in voluntate per charitatem, & dilectionem Dei. Et quoniam Christus vult sedere non tãtum in intellectu per fidem, sed in voluntate per dilectionem Dei, ideo nõ dixit, sede in dextera, sed sede in dextris: quia in vtraq; potentia sedere oportet per fidem viuam. Præterea, qui frequẽter cadit in vitia, & inde resurgit, nõ habet Christum sedentem, sed discurrentem. Dic ergo ei. Sede fixus in melioribus meis bonis.

Hostes Christi qui.

¶ Sequitur vlterius. Donec ponã inimicos tuos sub pedibus tuis. Inimici Christi, & eius hostes sũt appetitus noster inordinatus, caro rebellis, voluntas carnis, & mundi illecebræ. An nõ prudentia carnis inimica est Deo? An nõ lex carnis repugnat legi Dei? Age tu, vt hi inimici sub pedibus Christi sint. Fælix anima, vbi hostes Christi sũt Christo subiecti, & vbi solus Christus imperat, & regnat, vbi anima liberata de manibus suorum inimicorũ seruit ei in sanctitate, & iustitia corã ipso. Vide etiam ꝙ sicut pater in cœlo non solus, sed merito Christi Christo subiicit hostes: ita nec nos soli, sed ex meritorum Christi efficacia, suos illi hostes subiicimus. Vt enim factus est Christus nobis sapientia à Deo, ita factus est victoria: vt qui gloriatur in Domino glorietur. Sed væ illis qui eum, quem pater cælestis ad dexteram collocat, illi non ad dexteram, sed sub pedes inimicorum suorum deiiciũt. Tu, qui peccas nonne Christus est sub pedibus luxuriæ tuæ, auaritiæ tuæ, aut superbiæ tuæ? De hoc scelere, & de hac impietate conqueritur Christus per Prophetam Esaiam dicens. Seruire me fecistis in peccatis vestris. Facis enim Christum seruum iniquitatum tuarum. Flebat Hieremias quòd hostes animæ facti essent in capite: si hostes in capite: vbinam Christum collocasti? Cecidit (inquit) corona capitis nostri. Christus, qui corona est capitis nostri, cecidit sub pedibus impiorũ. De hoc per Dauidẽ queritur Christus coram patre. Miserere mei, quoniam conculcauit me homo: conculcauerunt me inimici mei. Et Paulus etiam. Quanto (inquit) putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit? Vides ergo quomodo iniqui Christum pedibus calcant, quem pater posuit ad dexterã suam super omne nomen, quod nominatur in hoc sæculo & futuro, vt Paulus ait: cum impiissimi peccatores sub pedibus dæmonum, & peccatorum statuunt? Expende etiam quòd non solùm est filius Dauid, quia factus ex semine illius secundum carnem: sed etiam Dominus est eius secundũ diuinitatem. Sed inquis, quid prodest nobis, quod Christus sit Dauid Dominus? Audi quod ad te attinet. Christus ille est ad quem Deus dixit. Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos, &c. Talis Rex est Christus, qui à dextris dominatur: hoc est, cuius regnũ spirituale est. Sinistra enim significat temporale. Rex est & victor non solùm in seipso, sed etiam in nobis. Quapropter ad nos dicit, Confidite ego vici mundum. Sed audi iam quomodo in nobis regnet, & vincat: Dominare in medio inimicorum tuorum: dicit Dominus ad eũ. Nõ dicit annihillabis inimicos tuos. vt amplius nullus eorum sit: sed inter medios hostes eris, vbique ab illis affligeris, sed tamẽ Dominus, & Rex manebis. Non enim penitus tollit à nobis malum Christus: sed dat virtutem, ac fortitudinem, vt vincamus. Huc spectat, quòd Salomon dicit. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quapropter contenti esse debemus, & gnauiter vt illius gratia, si non vult auferre à nobis, quod nos premit: sicuti ad Paulum dicit, Inter ea tempora etiam nos cum Christo regnare oportet inter medios hostes, donec nobis Deus tãdem etiam inimicos nostros pedibus nostris subiiciat, vt verè possimus dicere, O mors vbi est victoria tua? Deo autem gratias, qui nobis victoriam dedit, & dat, per Iesum Christum Dominum nostrum. Postremo etiam talis Rex est, cui omnes inimicos eius subiici oportet, idq; duabus viis. Alij vltrò se illi dedunt, & agnoscunt eum pro Domino suo, vti Paulus: qui postquã diu hostis, & persequutor Christi fuerat, postremò conuertebatur, vt diceret, Domine quid vis faciam? Ita fiebat scabellum pedũ Christi: imo fiebat vas electum, vt nomen Christi portaret ante Reges, & præsides. Talem in modum etiã illa peccatrix subiiciebat se pedibus Christi & rigabat eos suis lachrymis. Ita & nos aliquãdo inimici eramus, nunc autem agnoscimus Christum pro nostro Domino. Beati homines, qui hoc modo, & volentes scabellum Christi fiunt. Verùm qui nõ vltro se dedunt Christo, ij, vel inuiti æterno ipsorum damno, illi subiici cognoscuntur.

Rom.8 *Rom.7* *Luca 1* *1.Cor.10* *Esaie 43* *Thren.1* *Thren.5* *Psal.55* *Hebr.10* *Ephe.1* *Rom.1* *Psal.109* *1.Ioan.5* *Cantic.2* *2.Cor.12* *1.Cor.15* *Act.9*

¶ Igitur ex hoc textu colligimus quod Christus Deus sit, & homo. Filius nanque Dauid, & Dominus eius. Quia homo est, humanus est, benignus, misericors, & clemẽs: ita vt audeamus, quãuis peccatores simus ad hominẽ humilem accedere: Deus verò est vt possit dimittere peccata, regna æterna donare, & gloriam perpetuam. Solatium nobis est quòd homo sit filius Dauid, vt ad eũ accedamus: & quod sit filius Dei, vt possit ditare nos bonis æternis. Sed hæc suffecerint. Sequitur in contextu.

Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis. At-

tendite ab scribis qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiuijs, qui deuorant domos viduarum simulantes longam orationem. Hi accipient dănationem maiorem.

O quã multi etiam nunc in ecclesia horum scribarum, & pharisæorum vitia imitantur, non Dei honorem & gloriam, sed proprium commodum, venerationem, laudem & famam quærentes: carni deseruientes, ambitiosi & simulatores, ac spiritualia propter temporalia exhibentes: vt quidam presbyteri propter oblationes multiplicant missas. Væ ambitiosis prælatis, carnalibus cupidísque doctoribus, & vniuersis superbiæ filiis. Hi certè maiorem damnationem accipient: quia maiora bona acceperunt à Christo quã cæteri. Dum enim crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum.

Sed cur Christus hos sacerdotes Iudæorum coram populo increpauit? Primo quia eorum vitia publica erant. Secundo quod scandalizatiua fuerant plebis. Tertio pro doctrina discipulorum, vt exemplo eius illi maiores increparent, & eorum peccata patefacerent. Docet etiam fugiendum esse consortium & conspectum impiorum. Isti enim erant peruersi, & facinorosi: ne autem coinquinarent totum pecus monet populum, vt caueant ab eis & fugiãt, dicens: Attendite ab scribis, cauete ab eis, ne suo prauo exemplo ducant vos in interitum. Scriptum
Eccle.13 est enim, Qui tangit picem inquinabitur ab ea. Nulla infirmitas corporalis magis inficit, quàm homo prauis morib. corruptus alios suo malo exemplo.
3. Reg. 22 Iosaphat Rex Iudæ, qui bonus erat, vix mortem euasit in quodã bello, eo quòd se impio sociauit & ex parte Dei à quodam propheta sancto reprehen-
2. Par. 9 sus est dicente. Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum amicitia coniungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris. Sed iam colligẽda sunt vela, & huic capiti imponẽdus finis: gra-
Philip. 2 tia Domini nostri Iesu Christi, qui in nobis operatur velle, & perficere.

CAPVT XXI.

IN fine proximi capitis accusauit Dominus scribas, eo quod deuorarent domos viduarum, & hoc sub specie religionis, facientes longam, & ornatam orationem: nunc autem ne quis existimet illa à Domino in odium scribarum, & pharisæorum confecta: ostẽdit præsens historia quàm faciles fuerint homines ad conferendum munera sua in Gazophylaciũ tẽpli. Ait nanque Euangelista.

Respiciens autẽ Iesus videbat eos, qui mittebant munera sua in Gazophylacium diuites. Cõsiderabat Dominus populum, suas oblationes in templo facientẽ. Expende & tu, quàm libenter attendat Dominus eos qui bonis operibus sunt intenti, & quomodo eorum deuotioni congratulatur.

Maximum tibi debet esse solatium hoc quòd sicut in illo tẽpore Christus oculis corporeis respiciebat, & intuebatur eos qui in templo offerebant:
Heb. 4 / Vide Bedam ca. 86. in Luc. ita & in eodem modo à cœlo, vbi ipse residet, respicit, & videt ille, cui omnia sunt aperta, labores, afflictiones, mœrores, & omnia quæ pro eo in hac vita sitiṫines: lachrymas quas fundis, persecutionem,
Ecclesi. 23 quam pateris, &c. omnia ope ra quæ in occulto facis. Quare ergo te laudas, & de rumore curas? Deus enim omnia videt, non solum opus, quod exerces, sed etiam intẽtionem, & cor, quo facis. Oculi enim eius nitidiores sunt sole: & ipse reddet vnicuiq; iuxta opera sua. Matth. 14 Porro Gazophylacium nomen compositum est ex dictione Persica, & Græca φυλάττω quod est custodio, quia sic locus dicitur esse vbi opes reconduntur γαζοφυλάκιον: erátque Gazophylacium triplex. Vnum in quo ponebãtur oblationes, & donaria Regum: quod in libris Regũ musac sab- 4. Reg. 16
bathi vocatur. Secũdum in quo ponebantur obla- Matth. 27
tiones sacerdotum, vocabatúrq; corbona. Tertium, in quo vulgi oblationes reponebantur, quod communi nomine Gazophylaciũ nominabatur: quod erat arca, in qua ponebantur oblationes ad sustentationem templi, ad reparationémque ædificiorum ipsius. Interdum quoque gazophilacium dicitur locus in quo erat huiusmodi arca, iuxta illud
Ioannis. Hæc verba locutus est Iesus in Gazophy- Ioan. 8
lacio docens in templo. Vtinam diuitibus huius temporis curæ esset (horum exemplo) templorum, & pauperum indigentia. Sed iam adest tempus, de quo beatus Paulus Timotheo suo dicebat. In- 2. Tim. 4
nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, erunt homines seipsos amantes, cupidi, &c. Nos sumus in quos fines seculorum deuenerunt: & iam oculis nostris hoc vaticinium Pauli cernimus adimpletum. Nam multæ sunt ecclesiæ, vbi in plumbeo calice sanguis Christi consecratur, ornamentis egentes, atque ædificiis, mappísque altaribus consignatis.

Si tamen forte domos diuitum huius sæculi intraueris, inuenies mirificia ædificia, abacumq́ue aureum & argenteum ad vescendum paratum: qui solum mũdo magnifici, & liberales sunt, ecclesiis autem parci nimis & auari, quandoquidem nunquam nisi paruas & exiguas eleemosynas eis largiuntur. Et quod peius, in multis locis non solum non cõferunt templis eleemosynas, sed potius eorum bona prædãtur, eísq; spoliant. Vide in Germania quot templa, abbatiæ atque monasteria spoliata & dirupta sint: & in Hispania quot modo equites religiosi & commendatarij sunt, qui cum rerum ecclesiasticarum possessores sint, nullę curæ eis est de necessariis prouidere, calicibus scilicet & ornamentis: qui tantum student & consulunt proprię sustentationi, sumptibus, deliciis, necnon vanitatibus, tẽplorum vectigalia consumentes in equis, phaleris, canibusq́ue venatoriis: attamen templa quotidie deuastari sinunt, omníque veste sacra carent, quæ ipsi minime curant. Videant isti Antiochum qui templum
Domini spoliare tẽtauerat, quomodo percussit il- 2. Mach. 9
lum Dominus insanabili & inuisibili plaga. Apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta. Lisias quoque qui existimauit tẽ-
plum habere in pecuniæ quæstum, turpiter fugatus 2. Mach
est, & Heliodorus flagellis cæsus. Sed ad contextũ. 3. Reg. 3

Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo.

Hoc est, parum: quia nomina numeralia in sacris literis ab vno vsque ad quinque significant diminutionem.

Vnde in tertio Regum volumine habetur, quod 3. Reg. 17
vidua illa Sareptana dixit Heliæ. En colligo duo ligna. Hoc est pauca ligna. Esaias quoque. Erit sicut Esai. 17
quærens spicas in valle Raphaim, &c. sicut excussio duarum vel trium oliuarum. Paulus etiam. Ma- 1. Cor. 14
lo in ecclesia quinq; verba meo sensu loqui. Id est,

pauca verba. A quinque verò vsque ad decem solent nomina significare incrementum: vt septies, in
Prou.24 die cadit iustus. Idest, multoties. Et Iob. Ecce decē
Iob 19 vicibus confudistis me. Volens etiam Esaias significare tam admirabilem futuram esse Hierosolymæ virorum paucitatem ob cladem Iudæorū, vt multæ viduæ apprehenderent virum vnum quem vix
Esai.4 possent inuenire, dixit. Apprehendent septem mu-
Esai.50 lieres virum vnum. Vbi septem mulieres pro multis ponuntur. Et rursus. Lux solis erat septempliciter
Hier.15 sicut lux septem dierum. Explicans etiam Hieremias Hierosolymæ calamitatem & Hebræorum interitū, infirmata est (inquit) quę peperit septem. Acsi diceret, Oppressa est Hierosolyma mater multorum virorum qui in prælio corruerunt. Et illud
Genes.4 Genesis. Omnis qui occiderit Cain septuplum punietur: hunc habet sensum. Qui Cain interfecerit, multiplici plena mulctabitur: & perfectè punietur. Non quod septies puniatur, cùm Deus non puniat
Nahum.1 bis in idipsum: sed perfectè castigabitur. Sic in Psal-
Psal.11 mo. Argentum igne examinatum, purgatum septuplum. In oratione Annæ vbi communis versio habet, sterilis peperit plurimos, est in Hebręo. Sterilis
1.Reg.2 peperit septem. Septem itaque pro plurimis solet capi: sicut duo pro paucis. Ideóque hîc non restrictè pro duobus minutis accipienda est litera: sed quia pauper erat pauca misit minuta quędam quæ non ex argento erant nec auro sed ex ære, & valebant quartam partem vsualis denarij.

Et dixit, Verè dico vobis quia vidua hæc pauper plus quàm omnes misit.

Beda vt supra. Plus enim cæteris obtulit. Plus inquam non per respectum ad magnitudinem rei oblatæ in se, sed per respectum ad deuotionem interiorem, & animi promptitudinem: diuinam acceptationem, & muneris qualitatem: quia de necessariis sibi dedit. Ideo subditur.

Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt munera.

Hoc est, diuites hi omnes ex copiosa sua substantia posuerūt aliquid in Gazophylacium, inter oblata quæ dicuntur munera sua. Primò, quia à Deo ho-
Psal.134 minibus sunt collata: quemadmodum Dauid Domino ait. Tua sunt omnia: & quę de manu tua accepimus dedimus tibi. Secundò, quia Deo ab hominibus offeruntur. Quapropter meliora sunt Deo offe-
Genes.4 rēda: sicut Abel qui obtulit de primogenitis gregis sui adipibúsque eorum. Cain verò de fructibus ter-
Mala.1 ræ. Ideóque apud Malachiam habetur. Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum & votum, faciens imolat debile Domino.

Hæc autem de eo quod deest illi omnem victum suum quem habuit misit.

Id est. Hæc vidua ex terrena substantia quā non habet obtulit modicum quod habuit, ex quo se aliquātulum sustentare potuit. Et quod ait omnem victum suum, intelligi potest, siue simpliciter: ita quod de numismate nihil sibi retinuit: aut per modum hyperbolicæ locutionis quo aliquid dicitur per excessum.

¶ Admonet locus iste, primo quòd Deus plus respicit animum & intentionem in omnibus actibus nostris quàm opus ipsum. Credibile est diuites hîc non omnes eadem ratione obtulisse: sed quia Christus eos non accusat, cōmittendi sunt eius iudicio qui nouit abscondita cordium. Deus enim pluris
2.Reg.7 facit voluntatē bonam. Vis de hoc scripturæ exemplum? Cogitabat Dauid construere Domino templum, iudicans indignum arcam Dei sub pellibus esse: sed Dominus per Nathan monuit vt nō ædificaret illi templum. Laudauit autem Dominus animum & voluntatem Dauid, eò quòd voluerit ei ædificare domū, vt filius suus Salomō refert dicēs, Fuit in corde patris mei Dauid vt ædificaret domū nomini Domini Dei Israël: & dixit Dominus 2.Para.8
ad eum. Quia hæc fuit volūtas tua vt ædificares domum nomini meo, bene quidem fecisti huiusmodi habere voluntatem. Vbi vides quanti Deus fecerit voluntatem ædificādi domum in Dauide: pro qua domū ædificauit illi Deus stabilem, scilicet regnū Israël. Maxime respicit Deus voluntatē cuiusque: & hæc est illi maximæ curæ. Est Deus adeò bonus, liberalis & magnificus, vt nihil velit a nobis quin prius ei nostram offeramus voluntatem. Sic dona Abel acceptauit, non autem Cain. Item Abraham Gen.4
& Sara riserunt: risus tamen Saræ reprehensus fuit; Genes.18
Abrahæ vero maximè laudatus. Dauid atque Saul 1.Reg.15
fleuerūt, & peccatorum pœnituit eos: at Deus Da- 2.Reg.12
uidi ignouit, & non Sauli, quia voluntates eorum nimium distantes erant. Illi ducenti quinquaginta Leuit.16
viri qui Deo thus offerebant, bonum quidem opus exercere videbātur: nihilominus tamen ignis egressus à facie Domini omnes illos interfecit, q̄a Deus 1.Reg.16
pręcipuè intuetur cor. Mirabilia fecerunt Moses & Exod.7
Magi coram Pharaone: sed Magi fuerūt Deo inuisi. Grata erat durante lege festorum obseruatio: sed impiis Iudęis dixit Dominus per Esaiam. Calēdas Esai.1
vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea. Offerebāt alij in tēpli Gazophylacio munera magna, sed vidua hæc paupercula diuitib. pręponitur.

¶ Secundo vide quantum distent humana iudicia à diuinis. Si eos qui in templo erant interrogares, quis plus obtulerit vidua an diuites? Certū ac compertum est quòd omnes responderent plus diuites obtulisse: sed aliter iudicat Deus qui ait quòd plus hæc vidua. Sic Isai obtulit filium suum Eliab 1.Reg.16
maiorē prophetæ Samueli vt vngeret eum in Regem, at Dominus illum non elegit sed Dauidē qui oues in deserto pascebat. Existimabant homines filios Isai maiores digniores esse coram Deo: sed aliter Deus iudicauit. Impij etiam positi in inferno dixerūt de iustis. Hi sunt quos aliquādo habuimus in derisum & in similitudinē improperij. Ecce quo Sapien.5
modo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Sic etiam amici Iob putabant Iob 4
quod vir sanctus iniquus coram Domino esset: & reuera aliter erat. Nunc etiā homines sæpe falluntur alios iustos existimātes: paruipendentésque eos qui forsan corā Deo longè præstantiores sunt. Ideo Paulus ait, Nolite ante tempus iudicare, quousque 1.Corint.4
veniat Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarū, & manifestabit obscura cordium: Tunc erit vnicuique laus à Deo: Quia cum operis meritum tantum secundum charitatem æstimandum sit, & hæc à solo Deo dignosci possit, qui videt cuiusque intentionem, hinc est quod ipse tantummodo quis nam alio sanctior & melior sit iudicare potest.

¶ Tertio obseruandum hîc est Deum nostros cogitatus, verba & actus respicere: vt vidit oblationem simul & charitatem viduæ huius. Erimus enim cautiores in actibus nostris, si meminerimus quòd Deus omnia quæ agimus intuetur, & etiam cordis nostri secreta. Non enim solùm corporeis oculis eos qui mittebant munera in templi Gazophylacium respiciebat: sed etiam mentis ocu-

lis eorum cogitationes intuebantur: ob ídque hanc viduam plura misisse dixit. Vtinam peccatores hæc aduerterent: qui in occulto peccantes putant à nemine videri. Sed de his alibi plura diximus.

Ca.11. vident cogitationes eorum. ¶ Quartò consolatur locus iste pauperes, qui videntes ingentes diuitum oblationes, se infœlices existimarent: qui talia obsequia non possunt Deo præstare. Etenim si minima obtuleris, poteris plus quàm diuites mereri. Ita parum sicut multũ Deus Matth.10 acceptat, si æqua voluntate & pia intentione offeratur. Acceptat Deus duo minuta, acceptat calicem aquæ frigidæ: acceptat etiam laudat, & coronat promptam voluntatem, si faciendi desit facultas. 2.Cor.8 Hanc rem multis tractat Diuus Paulus ad Corinthios scribens in hæc verba, Si voluntas (inquit) prompta est, secundum id quod habet accepta est: Matth.19 non secundum id quod non habet. Vnde Dominus nõ iubet relinquere multa sed omnia. Nam si multa iuberet relinquere, quid relinqueret pauper, qui 2.Corin.9 pauca habet. Paulus etiam non dicit quòd copio- 1.Corint.13 sum datorẽ diligit Deus, sed hilarem datorem: qui ex corde optimo & voluntate bona offert quod habet. Itaque Dominus non attẽdit quantum das, sed quo animo das. Hæc enim est vera & Christiana charitas quæ non quærit quod suum est, sed quod aliorum: quæ etiam cum suo incommodo aliorum promouere curat commoda. Optimè senior ille Tob.4 Tobias filium suum docebat dicens, Si multum tibi fuerit abundanter tribue: si exiguum etiam hoc libenter impartiri stude.

¶ Quintò colligitur ex hac litera maiorem perfectionis gradum esse omnia propter Christum dimittere & ingredi religionem, quàm alere pauperes in sæculóq; manere: quia plus elargitur, qui nihil sibi vendicans omnia relinquit: quàm qui sibi aliquid retinet. Adolescenti Christum interroganti quid facere deberet, vt vitam æternam consequere- Matth.19 tur, respondit Dominus, vt omnia dimitteret.

¶ Sextò & vltimò aduertẽdum quòd hæc quod de vidua hac Christus dixit sub iuramẽto narrauit dicens, Verè dico vobis, in quo innuit quãtum cupiat in animos nostros hoc inducere: quandoquidem ille iurat, cui sine iureiurando fidem adhibere debemus. Maximo etiam conatu voluit cõmendare Christus huius paupercula viduæ eleemosynam: vt intelligamus quanto ipse amore pauperes afficiat & prosequatur, nec non & ipsam paupertatem & indigentiam. Non quidem allectus est ab oculis diuitum & potentium, vel ab eorum maximis muneribus: nec diuitias vllo modo poterũt Christi linguam mouere, vt eos laudaret: pauperies tamen viduæ omnia hæc operata est. Iam ad contextum reuertamur. *Et quibusdam dicentibus de tẽplo quod bonis lapidibus & donis ornatum esset.* Apostoli fuerunt isti, Matth.24 vt patet ex Euangelio Matthæi. Sæpesæpius Christus in tẽplum fuerat ingressus, & illud viderat: cur ergo modo ostendũt templi structurã, & ad quid? quia Christus dixerat destruendam Hierosolymam & quòd de tota illa non mansurus erat lapis super lapidem: discipuli miseratione moti vt narrat Matthæus, ostenderunt ei templi structuram, operis excellentiam cariorem facientes: vt Christus eius pietate motus non dirueret, & destrueret. Ac si dicerent. Ne obsecro patiaris, vt tam nobile ædificium Orig. hom. 27 in Matth. pereat. Lege Origenem super Matthæum. Aut fortasis discipuli nihil aut parum super hominẽ sentientes putãt vix possibile esse vt tam vasta & munitissima ciuitas, & tam ingens hominum multitudo expugnari possit. Mirabantur ergo discipuli lapides templi, & eius ornatum quod ex lapidibus esset constructum, preciosis vtensilibus seu donariis decoratũ, & pulchrè formatum. Multos etiam tempestate hac inuenies Christi discipulis similes: qui tantum exterius ædificium curant: & illud solummodo extollunt & magni faciunt. In Exodo Exod.20 præcepit Dominus dicens: altare terreum facietis mihi, neque ex lapidibus excisis. Vult Dominus altare terreum, nos autem marmoreum construimus, non quòd malum sit altare marmoreum, & ampla ecclesiarum ædificia construere: sed quia externis rebus delectamur, neglectis interioribus. Præcipit etiam vt esset ex lapidibus impolitis. Nũc Templa Christianorũ polita, & Christianis polluta. verò cuncta polita, ne dicam polluta sunt, ita vt opus materiam superet. Arbitramur enim Deum nostris vanitatibus delectari. At nunc tota cura est de ædificiis & externo ornatu. Sicut nihil verò de interiori munditia mẽtis. Sicut rudes discipuli magis respiciunt ornatum ecclesiæ corporalem quàm spiritualem, & ad ædificiorum pulchritudinẽ quàm administrantium sanctimoniam: eodem modo plurimos inuenies, qui admirãtes aurea ecclesiæ ædificia, & picturas quæ ibi detinentur, ea contemplantes: qui etiã exterioribus templi imbuti non exhibent debitum honorẽ, & cultum sanctissimæ Eucharistiæ. Non hoc dico vt ædificia templorum, reditus ecclesiarum, ornatus, honorem, & imaginum adorationem damnem: sed eos arguo qui sic mirantur externa, vt non erigant cor ad orandum quem illa imago & pictura repræsentat.

¶ Præterea multis etiam prælatis maiori curæ est parietum, vectigalium, bonorúmque temporalium studium quàm clericorum, optimorúmque ministrorum templi morum. Sunt maximè soliciti in recipiendis vectigalibus molestéque se gerunt cùm pauperibus agricolis cõductoribus: qui etiam maxima instantia de furibus & latronibus necnon de his qui ecclesia domina inuita aliquid alienum retinent supplicium sumunt, obliti concubinariorum peccatorúmque ecclesiasticorum hominum: nec student mores in modum redigere, sed tantum illustrium domorum erectioni in quibus maiorum suorum stemmata designent: consanguineísque relinquant, vt perpetuò eorum memoria in sæculo extet, & maneat. In tantum sistit hæc consuetudo seu corruptio, quòd in ecclesiis (& vtinam non sit in monasteriis etiam monachorum) non eligitur præsul studiosior, nec qui plus prodesse religioni potest, vt antiqui religionis mores semper sint stabiles: sed potius ille, qui plus monasterij vectigalia cumulat. Et si contigerit vt munere suo functus fuerit, & reddiderit rationem suæ industriæ in qua diligens exactor inuenitur, quia omnia bona auxit, etiam domus ædificia & maiora dimittit quàm inuenit, iste iterum posteà eligitur, bonus semper antistes habetur, & maximè ab omnibus commendatur & laudatur, vt homo qui rei communi consulit, & prouidet quo ad temporalia: & si aliàs sit moribus corruptus, & peccatis irretitus. At Christus Dominus abominatur ædificia vana: quãdo sacerdotes praui sunt, & habitatores templi impiè viuunt. Ideóque quamuis templum Hierosolymitanum erat, ipsæ diuitiæ & pulchritudo: tamen quia sacerdotes vitiis dediti erant, vide quid Dominus discipulis respondeat.

Hæc

Hæc quæ videtis venient dies, in quibus nõ relinquetur lapis super lapidem qui nõ destruatur. Nihil est horum omnium tam munitum, & pulchrum, aut sanctum quod non sit demoliendum: adeóque disipandum vt nec lapis vnus lapidi cohæreat. Docemnr ex his verbis non placere Deo splendidum & externum cultum, si frigeat animi pietas: quod quidem sic se habere nemo sanæ mentis cõtradicere potest, nam ipse aperte per Esaiam dicit. Quæ est ista domus quam ædificastis mihi? Et quis est iste locus requietionis meæ? Subdidit. Ad quem ego respiciam nisi ad pauperculum, contritũ, & trementem sermones meos? ¶Præterea cur Deus voluit quòd templum Dei cultui dicatum funditus deuastaretur? Dicendum primo quòd volebat Deus destruere gentem Iudæorum, & manente templo manebat id quod precipuum erat de Iudæorum statu: quia ibi fiebãt omnes cęremoniæ cultus diuini, in quibus populus ille Hebræorum distinguebatur ab aliis gentibus, ideóque manere non debuit. Secundò quia superuacaneum essent templum, nam nõ erat nisi ad cæremonias exercendas gentis Iudæorum, quæ iam erant oblitæ, & cultus ille antiquus Mosaicæ legis finem erat sortitus: ob ídque voluit templum destrui. Tertio fuit in causa quia templum illud erat Iudæis arx munitissima in Hierusalem & quãuis Iudæi expugnati essent, tamen quandiu templum illud maneret haberent spem redeundi & cõtinuandi ibidem ritum veterem, vt ergo omnia illa cessarent placuit Deo vt euerteretur templum. Quartò fuit ne daretur occasio paruulis errandi. Voluit Deus vt cęremoniæ legis & obseruationes penitus extinguerẽtur & nouus ritus colendi ipsum introduceretur, stante autem templo Hierosolymitano cum illud egregium & perpulchrum esset vt nunc discipuli mirarentur aliqui iam Christo dediti maiestatem templi illius respicientes, forte ad pristinas & assuetas cęremonias redirent. Ob ídque voluit Deus vt occasio e medio omnino tolleretur, ita vt lapis super lapidem non maneret, quia post sufficienté Euangelij promulgationem ad Christi legis obseruationem homines astringebantur, & cessauẽre legalia, ideóque oportuit, quòd lex vetus cum suo templo Hierosolymitano caderet. Quapropter permissione diuina quadragesimo secũdo anno, ab orbe redẽpto, cùm iam obligabat Euãgelium, finẽ sortita est synagoga, & à Tito imperatore templum illud funditus fuit euersum: quod à die primæ ædificationis per Salomonem ad diem, vsq; vltimæ euersionis transierant anni mille centum, & duo. Habuit enim se Deus cum populo Iudæorum in hac templi subuersione sicut medicus cum infirmo, qui graui febre laborat. Permittit enim illi gelidam aquam bibere ad maius malum vitandum: deinceps cùm opus esse intelligit pręcipit illi vt à tali aqua abstineat. Et nolente ægroto à tali aqua desistere, vrceum frãgit. Sic Deus permisit populo Iudæorum carnes in templo immolare, vt illum ab idolorum cultu auerteret: si enim Deo non sacrificaret sacrificasset idolis. Sed veniente tempore cœlestis medicus in cruce pendens dixit. Consummatum est. His verbis indicauit veteris legis sacrificia cessasse. Et nolente Iudaico populo à sacrificiis abstinere seu ab illa aqua gelida desistere, coram illo vrceum fregit: tẽplum euertit, & destruxit, ne amplius sacrificarent. Erat enim templum veluti omnium sacrificiorum vas. Vnde fracto templo apertissimè constat esse antiquæ legis sacrificia abrogata. Vt enim lapis in cacumine templi est clauis totius domus, & ruente illo lapide fuit tota templi fabrica & structura: sic euerso templo Hierosolymæ, quod erat clauis totius Iudaismi, pręcipuè ostẽditur totam Iudæorum Synagogam esse euersam & funditus conuulsam. Sed Iudæi cęca malitia ducti, hoc perpendere nolunt. His rationibus iustum fuit & æquum vt templum illud destrueretur: ita vt nõ remaneret ex eo lapis super lapidem. Nos verò videntes iam oculis nostris illud preclarissimum templum euersum & destructum, discãmus domos nostras in cœlo fabricare, ibíque memoriam nostram constituere: quia terrena hæc cito pereunt, & transeunt omnia mũdi tempora, pereũt enim omnia quę sub cœlo sunt, quicquid & orbis habet. Quid enim firmum & stabile sub sole? Si hoc tam magnificum templum corruit, & muri Babyloniæ: templum Dianæ Ephesinum, & septem mundi mirabilia: quid poteris hic operari vt permaneat? Omnia mũdi huius mutabilia sunt, & nullum habent esse permanens. Quę hodie sunt, cras desinunt esse: ideóq; cor tuum in eis perfectè quiescere nequaquam poterit. Si adeò fuit Salomonis templum, periit solium & sceptrum Dauid, vt si modo regnum illud adeo celebre & insigne Iudeæ videres, depopulatum, sterile, demolitúmque inuenires. Ita omnia regna & mundi principatus cadũt & subuertuntur. Mundi monarchia exordium habuit apud Assyrios, & post sex & triginta Reges defecit in Sardanapalo, & posteà viribus Arbacis in Medos est translata: & cum mũdus vicissitudini sit obnoxius, per Regem Cyrum transiuit ad Persas, post obitum Astiagis & octo Medorum Reges. Item etiam Persarum regnũ quod incepit Cyro Rege, in Dario est finitum post Reges quatuordecim, & tandem literis est mandatum translatum fuisse vi Alexandri Magni ad Macedonios. Etiam vigintinouem Macedonum, tredecim Argiuorum: quatuordecim Atheniensium; duodecim Corinthiorum, viginti & vnum Latinorũ, nouem Lidorum, septem Romanorum, & tredecim Ægyptiorum cum suo regno in Cleopatra finẽ sortita sunt. Sic pereunt omnia mundi regna: sic regnum Israël, omnis mundi principatus & potestas. Si ergo nihil est in mundo quod tempus non terat & consummat, ne glorieris in diuitiis, honoribus, aut potestatibus: siquidem etsi vniuersi orbis dominus esses, cras perire deberes: cum omnibus his. Illa itaque quęre quæ nunquam marcescunt, nec temporis iniuria desinunt esse. Sed ad contextum.

Interrogauerũt autem illum dicẽtes: Preceptor quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui cùm fieri incipient? Hoc in monte Oliuarum discipuli Christum Dominum interrogauerunt. Consueuerat enim Christus egressus vrbe Hierosolymorum vt in hoc loco patrẽ secretius oraret: & discipulos suos seorsum doceret. Cum ergo Christus sederet in monte Oliuarũ vbi tẽplum erat in cõspectu venit in mentem discipulis sermo quẽ prędixerat; fore vt templum funditus dirueretur. Et vt Marcus ait, discipuli qui hæc interrogauerũt fuerunt quatuor, Petrus scilicet, Iacobus, Ioannes, & Andræas. Secretò tamen ait Matthæus quod ad Christum accesserũt in monte Oliueti, vt quærerent de hac quæstione.

Aduerte autem, quòd Christi aduentus accipitur hoc loco pro aduentu ad regnandum temporaliter,

Marginal notes: *Esa. 66* — *Beda ca. 87 in Luc.* — *Tempus euersionis templi Iudaici.* — *Matth. 27* — [illegible] de templi destructi. — *Eccle. 1* — *Marc. 13*

raliter, & de regno temporali est sermo. Existimabant enim discipuli quemadmodum & alij quamplurimi Christum regnaturum temporaliter, sicut Dauid & Salomon olim regnauere: quòd esset in maiori prosperitate & potestate futurus: & quòd cōgregaret dispersos Israël, & sic omnes ferè Iudæi credebant: ob idque quando cœlos ascendere voluit qui conuenerant interrogabant eum dicentes: Domine si in tēpore hoc restitues regnum Israël? *Act.1* Eo modo non intelligebant quòd eis dixerat, sunt *Matth.16* quidam de hîc stantibus qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientē in regno suo. Et illud, Sedebitis super duodecim sedes *Matth.19* iudicantes duodecim tribus Israël. Credebāt Apostoli Iesum esse Christum: sed putabāt quòd supra singulas tribus constitueret singulos Apostolos, sicut Salomō habebat duodecim præpositos in duodecim tribus Israël. *3.Reg.4* *1.Para.27* Christus autē docet talem aduentum nunquam futurum qualem ipsi opinabantur, sed alium esse quem ipsi non putabant. Quapropter: primo abstulit ab eorum mentibus primum aduentum quem illi falso credebant fore, qui erat aduentus pseudoprophetarum, & deinde agit de vero Christi aduentu quem illi nondum sciebant, nec de illo cogitabant. Hic erat aduentus ad iudicium. Ait ergo, *Videte ne seducamini.* Duo quæsierunt discipuli: alterum de subuersione Hierusalem, & alterum de Christi aduentu. Dominus autem respondit secundæ quæstioni in eo quod ait, erunt signa in sole & luna. Et respōdet ad primam quæstionem dicens: Cum audieritis prelia & seditiones, nolite terreri: vbi agit de subuersione Hierusalem, vsque dum dicit. Erunt signa in sole & luna, & stellis. Nam tunc ilicò reuertitur ad secundam quæstionem loquens de suo aduentu ad iudicium. Cùm autem dicit non præteribit generatio hæc, reuertitur ad primò quæsitum de vastatione Hierusalem. Et ex inanimaduersione huius mixtionis responsionum atque quæstionum Christo Domino obiectarum, multi in huius literæ sensu hallucinantur & decipiuntur. Audiui sæpè concionatores ad populum verba facientes super illud Matthæi, cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele propheta, intelligētes per illam abominationem Antichristū, & omnia quæ Matthæus *Matth.24* ibidem enarrat, interpretantur de vltimo die iudicij. Et cùm hæc de excidio Hierosolymitano, intelligi necessum sit, illi perperam de iudicio vltimo interpretantur. Alij verò oppositum dicunt, omnia de subuersione Hierosolymæ intelligentes, & sic omnes isti maximè aberrant: nam aliquando ad vnam & aliquando ad aliam questionem respōdet Christus. Nunc autem indirectè tollit Christus errorem quem discipuli conceperant de regno temporali: deinde verò declarat quando ad iudicium sit venturus. Videte ne seducamini ait, faciendo satis secundæ questioni de suo aduentu. Multi post meam in cœlos ascensionem venient ante subuersionem Hierusalem in nomine meo dicentes se ad regnandum venire. *Christi regnū spirituale.* Regnum enim meum nō temporale sed spirituale est futurum: super animas. His verbis insinuare vult ipsum nō venturum vt tēporaliter regnet, veluti Dauid, Salomon, & alij Reges Iudæorū. Sed quomodo domine venies? Huic questioni posteà Christus respōdebit, cum prima questio de subuersione Hierusalē fuerit absoluta. Sed quomodo seduci poterāt Apostoli post aduentum Spiritus sancti qui eos docuit omnia ad salutē necessaria? Dixerat enim eis Iesus. Spiritussanctus *Ioan.14* quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Post aduentum Spiritus sancti surrexerunt multi pseudoprophetæ, quomodo ergo seduci poterant Christi apostoli & discipuli? Dicta fuerūt hęc discipulis non vt eis prodessent: sed vt aliis ipsi prędicarent. Omnia enim quę Dominus Iesus reuelauit apostolis quantumcunque ea in secreto diceret, publicè prędicare debebant: ipsi nanq; erant carnales per quos aqua doctrinę quā Christus fons viuus ille prędicabat, ad cęteros perueniret ecclesiæ fideles. Vnde ipse Dominus. Quod dico vobis in *Matth.10* tenebris dicite in lumine, & quod in aure audistis, prędicate super tecta. Videte ergo ne seducamini. Hoc est illi quibus loquimini videant ne seducantur. Quasi Christus sermones suos dirigeret ad eos. Sed quomodo poterunt seduci? Reddit causam. *Multi enim venient in nomine meo.* Voluit dicere apostolos non expectare eum isto modo temporaliter *Error discipulorum erat nō hæresis.* venturum: quia non sic veniet. Sed dices. Non poterat Christus eis clarè dicere, non sum ego regnaturus temporaliter, vt vos putatis? Nam si apertè cum eis loqueretur, tolleret omne dubiū, nec oporteret circa pseudoprophetas vigilare. Noluit Christus tollere hunc errorem, quia illi nō credidissent imò forsitan recessissent ab eo scādalizati, eo quòd locutus fuisset cōtra omnium iam probatā sententiam: Sic cū Christus dixit, nisi mā ducaueritis car- *Ioan.6* nem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitā in vobis: audiētes hoc discipuli dixerūt: Durus est hic sermo: & quis poterit eū audire? Ex hoc multi discipulorū eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. Multomagis ab eo recederent si regnum non temporale, sed spirituale audirent, crederéntq; se deceptos fuisse omni tēpore quo eū fuerāt secuti. Et quāuis discipuli possent Christo adhibere fidē propter illius autoritatē, tamen forsan hęc expectare molestum illis esset, eo ꝙ vltra certitudinē fidei, quę est in intellectu requiritur quędā confortatio appetitus, per donum spei siue virtutē ad sperandum arduum, ꝙ supra hominem est. Ideóq; non sufficiebat discipulis credere ad hoc ꝙ sequerentur doctrinam eius in re tam ardua: sed etiā vt perficeretur desiderium eorum, vt possint se eleuare à rebus tēporalibus ad merè spiritualia, & quoniam nunquā tales fuerunt discipuli ante Spiritus sancti aduentum vt capere possent hanc doctrinam, ideo nunquā voluit Christus tollere hunc errorem. Verùm in Spiritus sancti aduentu ablatus est hic error: nam non se morti exponerent apostoli si crederēt ꝙ in hac vita essent cum Christo tēporaliter regnaturi. Sed quia credebant regnum Messiæ æternū & spirituale esse & nō temporale, libenter se iugulo tradiderunt: nec quando hunc errorem habuerunt, existimandum est discipulos infideles fuisse in peccato mortali detentos, quia oppositum credere, scilicet de regno spirituali Messiæ non erat determinatum ab Ecclesia, nec erat notum per se, nec ex principiis naturæ, nec erat in scriptura traditum, sicut articuli fidei de humanitate Christi: sed potiùs contrarium putabatur accipi ex scriptura sacra. Et hæc Apostolorum opinio communis erat omnium Iudæorum, & sic eorum rabini sacram scripturam interpretabantur: quapropter non erat infidelitas aut hæresis hoc tenere. Non ergo modo quo discipuli putabāt

Christus

Christus erat venturus: quanuis multi ambitiosi hoc errore dicti veniét ante excidium Hierusalem. *Dicētes, quia ego sum, &c. Tempus appropinquauit.* Dicunt enim, ego sum Christus ego Mesśias qué expectatis. Iam appropinquauit & est nunc tempus aduentus Mesśiæ, & cópletæ sunt prophetiæ. Ecce ego veni qui sum vobis promissus in lege. Vita functo Iesu saluatore nostro & mundi redéptore tempore Tyberij Cæsaris surrexit quidam in Samaria, qui Christum se esse dixit. Et sub Claudio surrexit Theodas. Et anno tertiodecimo Claudij Cæsaris & vigesimosecúdo post Christi morté surrexit quidam Ægyptius. Eo etiam tépore sub Fœlice præside ad finem imperij Claudij & in principio Neronis & consequéter vsq; ad excidium Hierosolymitanú multi surrexerút pseudoprophetæ & pseudochristi, qui omnes cótra Romanos rebellare suadebant. Et sub regno Neronis & sub Festo pręside Iudęi quidá alij Magi steterút qui se prophetas dicerét, quos Festus occidit. Ante hos etiá fuit Simon Magus, de quo in Actis legimus, qui se virtuté Dei dicebat, qui posteà Romæ sub Neronis Imperio infœliciter periit. Lege de hac re Iosephi historiam. Tanto enim desiderio libertatis tenebantur Iudæi, vt cuicunq; promittenti libertaté credebant. Admonet Christus ne his fidem adhibeamus, dicens. *Nolite ire post eos.* Sed iam nunc multi sequútur hos pseudoprophetas deserentes Christú propter auaritiam, aut ambitionem, sequentes, quiq; sua vitia, quibus tanquá Deo cultum adhibent. Quot sunt, qui sicut Iudæi Christú deserebant sequétes Theodam, ipsi etiam Christum deserunt cùm sint Christiani, & ambulant post mulierculas meretrices, quibus sicuti Deo honoré, & cultú tribuunt quásque recipiunt loco Christi domini? Quanti clerici sequuntur Simonem Magum? pauci enim sunt beneficiati nisi aut prece, aut precio, aut temporali seruitio, vel ratione sanguinis vel amore. Christus in vna persona habuit tres substantias: corpus scilicet, animá & deitatem, isti verò in vna subsistentia plures congregent personatus siue prębendas, &c. Sed nunc iam Christus postquam monuit discipulos à quibus esset cauendum, ostendit modo signa, quæ euenient ante destructioné Hierusalem, & ea quæ pręcedent ante eius desolationem. Ideo ait. *Cum audieritis prælia & seditiones nolite terreri.* In primis quòd hîc Christus non loquitur de die iudicij vt multi falsò putauerunt, ex his quæ iam hîc diximus clarisśimum est. Loquitur enim Christus, vt satis ostendimus de euersione Hierusalem, quia ista dicuntur Apostolis personaliter, quasi in eis euentura essent, qui tamen non durarunt vsq; in finem sæculi. Preterea hîc dicitur quod qui in Iudæa sunt fugiant ad montes: sed quid proderit in die iudicij fugere ad montes? Et patet etiam quod in Matthæo dicitur. Tunc tradent vos & occident. Ergo tempore quo bella fierent: & fames, occidendi erant Apostoli. Euidens ergo est quod de subuersione Hierusalem dicit, quo tempore consulit vt relinquentes Iudæam ad montes fugiant discipuli Christi, vt infrà suo loco dicemus. Vult Christus eos paratos esse, vt fugiant & in custodia ponátur minúsque premantur laboribus venturis: cùm sint priùs de hac re edocti. Præterea solet Deus ostédere seruis suis mala à quibus eos liberauit, vt dona Dei cognoscant & ei obsequium præstét pro beneficiis eis collatis. Sic in Numeris habetur quòd antequá filij Israël ingrederentur terrá promissionis, ostendit eis Deus habitatores terræ: & exploratores dixerunt. Vidimus monstra quædam filiorum Enach, de genere gigantæo, quibus comparati quasi locustæ videbamur. Sic etiam & nunc discipulis tribulationes & mala futura pędicit, vt videát à quibus eos liberauit periculis. Solent matres cum pueris suis metum incutere volunt, laruas ostendere, & si viderint plus iusto timere phantasmata ostendút facta sua, & coram illis laniant. Sic Christus mala aspectu terribili offert: sed postquam videt timore percussos, mortua esse ostendit nec mala esse, sed malorú figuras. Sed cur in tantis periculis Christus suos nó terreri iubet: nunquid marmorea sunt: aut pectora habent ænea, aut cor ferreum: nonne patres antiqui hæc mala timuerunt: timuit Hieremias bellum, doluit famen, fugit etiam Helias Iezabelem, quorum præ molestia fastidiuit vitam. Cur ergo Christus iubet eos esse securos, quia hæc mala naturalia sunt: sed fides in Christum viua supra naturam est, sola enim illa mala timenda sunt, quæ à Christo diuellunt, reliqua verò non sunt timenda. Vnde dominus in superioribus dixit. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animá autem non possunt occidere. Quæ iam exposuimus, & diximus cur hæc mala mundi nó sunt timéda, sed tantum mors animæ: quæ quidé omnia quia in capite duodecimo huius laté exposuimus, nûc cætera cósiderare oportet. Prælia dicit & seditiones, eo quòd prælia quæ sunt inter hostes, & seditiones quæ erát inter ciues: fuerút in Hierusalem ante eius subuersioné. Ciues enim inter se erát seditiosi & singulariter certabát. Et hinc totum est ortum & profluit malum miseræ Hierusalem. Stat enim sentétia Christi. Omne regnum in se diuisum desolabitur: & domus supra domum cadet. Concordia nanq; (vt Sallustius ait) paruæ res crescunt: & discordia maximæ dilabútur. Plura super hoc Christi verbú, omne regnum in se diuisum desolabitur, enarrauimus in capite vndecimo huius. Homines nanque mundo dediti non possunt vera pace gaudere, variis flagrát cupiditatibus: quæ innumeras vitiorú perturbationes excitant. Hinc oriuntur bella & seditiones, quæ omnia cessarent si seipsos vincerent. Sed vt Esaias ait, cor impij quasi mare feruens: & sic nunquam quiescit sicut vndæ maris quæ semper agitantur.

¶ Disce hic si vis quieté & pacificé viuere, non tuis seruire desideriis, & cócupiscentiis, quia si eis morem gesseris, nullam vnquam quietem habebis. Nulla maior inquies, quàm obedire voluptatibus. Si mundo deditus fueris nunquam quiesces, sicut horologij rotæ, sed semper in crebris curis & solicitis cogitationibus versaberis, propter amoris huius mundi pondera, quæ à tua pendent voluntate. Iste tuas mouet rotas, iste te vita inquieta prosequitur: ille te quiescere vetat, facitq; cótinuo moueri, tandé vbi amor proprius, ibi requié abesse necesse est. Iste excitauit bella & seditiones in Hierosolymam. Iste deiecit & ruere fecit nobilé illam, & antiquá ciuitaté. Sed procedamus: Postquá dixit Christus seditiones & bella, quæ erát vétura super Hierusalem subdidit, *Oportet hac primum fieri.* Ante destructioné Hierusalem necesse est euenire, nó absoluta & fatali necesśitate: sed necesśitate conditionata consequétiæ, in quantum à Deo præuisa sunt: quanuis in seipsis sint contingentia, oportet enim ea accidere non Deo cogente, sed hominum malitia exig

Marginalia: Antichristi multi. — Act.8 — Act.8 — Ioseph. li.20 antiqui. — Num.13 — Hiere.14 — 3.Reg.19 — Luce 12. Matth.10 — Luc.11 — Esaie 57 — Voluptatibus nostris nõ acquiescendum.

tia exigente. *Sed nondum statim finis.* Id est eis euenientibus non determinatè cognosci valebit tẽpus & hora vastitatis Hierusalẽ. *Tunc dicebat eis.* Signa prętacta magis in speciali exprimendo. *Surget gens contra gentẽ, & regnum aduersus regnum.* Denunciat bella, calamitates & dissensiones quæ vẽturæ erant super Hierusalem, ante eius euersionẽ. Obserua autem, quòd Matthæus sermonem destructionis Hierusalem, & nõ Ioannes Euangelista, qui nullam in suo Euãgelio de his calamitatibus mentionẽ fecit: quia Ioãnes scribẽdo hæc aliquo modo videbatur suspectus, quod nõ erat in aliis Euãgelistis. Et causa est, quoniam Christus prędixit hæc de euersione Hierusalem per modum prophetiæ, quæ nõ fuerũt facta statim: sed quasi annis quadraginta duobus post mortẽ Christi. Ideo Euãgelista debebat illud describere per modũ prophetiæ. Euãgelistæ autem tres scripserunt antequã illa implerentur, imo ante destructionẽ Hierusalem obierunt. Ioannes autem Euangelista vixit multo tẽpore post destructionem Hierusalem, scilicet vsq; ad Imperiũ Traiani Cæsaris: & post destructionẽ Hierusalem scripsit Euangelium. Si ergo Ioannes hanc destructionẽ scriberet, magis videretur historiam narrare, quã prophetiam scribere: ideo sancti spiritus inspiratione nihil horum scripsit. *Et terræ motus magni erunt per loca, & pestilentia, & fames, terroresque & signa magna erunt.* Voluit dominus narrare discipulis tam particulariter omnia euentura ante destructionẽ Hierusalem, quia voluit quòd discipuli non recederent de Iudæa, sed ibi prędicarent & cõuerterentur omnes qui erant pręordinati ad credendum: quod fieri nõ poterat nisi per discipulorum prędicationem. Ideò oportebat, vt manerent in Iudæa vsq; ad sufficientem Euãgelij prędicationem. Scientes tamen Hierusalem destruẽdam, vt Christus prędixerat, videntes aliqua bella ilicò fugerent, putantes futuram esse tunc euersionem Hierusalem & relinqueretur prędicatio: ideo Christus instruit eos dicens, quæ inducerent euersionem Hierusalem, & quæ non: vt scirent quando esset fugiendum, & quando non. Propter quod quando prenunciauit primas tribulationes, scilicet surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, dixit nolite terreri. Sed posteà cùm dixit, cum videritis circundari ab exercitu Hierusalem, addidit, Scitote quoniam appropinquat desolatio eius. Docuit quando esset manendum & non timendum, & quando fugiendum. Ideóq; non sufficiebat dicere, destrueretur Hierusalem: nisi narrasset mala intermedia ante eius euersionem vt per hæc signa scirent discipuli quando esset fugiendum. ¶ Expende hîc Christi Saluatoris nostri clemẽtiam, & infinitam eius misericordiam, & bonitatem qui quadraginta annis expectauit homicidas illos & perfidos Iudæos vt conuerterentur, & pœnitẽtiam agerent. Maxima & absq; mensura fuit patientia qua cũ ista iniqua ciuitate Christus vsus est, & cum habitatoribus eius. Vide quanta sit misericordia Dei: quæ vnquam lingua eius infinitas misericordias cantabit? Vnde ipse dominus per Ezechielem ait. Et quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis dicit dominus Deus. Reuertimini & viuite. Audi etiam illum per Esaiam. Audite me domus Iacob: & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua. Vsque ad senectam ego ipse: & vsque ad canos ego portabo. Ego feci

Patiẽtia Dei in tolerando peccatores.

Ezec. 18

Esai. 9

& ego feram: ego portabo & saluabo. Quo meliori modo amor erga homines carior fieri à Deo potuit, quandoquidem dicit quòd sicut mater filium suum in vulua gestat, ita nos Deus in sinu suo & visceribus portat? Nunquid obliuisci potest infantem suum mulier? Et si illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar. Dices, Quare Deus non statim illos Iudæos morti tradidit, si tam impij erant? Ego enim mox interficerem. Non tanti emisti tu illas animas sicut Christus. Si tanti enim tu emisses, vt pro earum redemptione sanguinẽ tradidisses, non destrueres. Ideo dixit. Ego feci & ego feram. Ipse fecit, & ipse redemit: pro illisque sanguinem effudit. Ipse sperat & sustinet eas gloriæq; promissione exorat. Aduerte quanta bona Deus Iudæis contulit & eos delicatè tractauit postquam morti tradiderunt. Eos enim melioribus mundi concionatoribus prosequutus est: quibus pręcepit, vt illis priusquam aliis nationibus regnum Dei annũciarent, & multa mirabilia & miracula facerẽt coram ipsis: quorum fuerunt multi, qui morti Christi consenserunt, & quia conuersi sunt. Deus illis pepercit propter quod tandem vitam æternam consequuti sunt: illis qui plus persequuti sunt maiora Christus beneficia contulit, & prius pepercit. Quis ergo de infinita Dei misericordia desperabit? Cuinam suam gloriam nõ concedet, quandoquidẽ crucifixoribus donauit? Misereris omnium domine, quia omnia potes: & dissimulas hominum peccata propter pœnitẽtiam. Tu ergo qui tuis iniquitatibus Christum crucifixisti toties, age pœnitentiam, & reuertere ad illum, quia tibi etiam sicut illis veniam concedet. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, & inde misericordiam consequemur. ¶ Multi tamen sunt qui cùm sciant Deum adeo pauperum misereri: audent offendere in vitiisque diu morari, sicut multo illorum Iudæorum impij facere ausi sunt: qui discipulos redemptoris persequebantur, vt morti traderẽt, qui vt eorum commodis inseruirent, missi erant. Abutuntur Dei misericordia: optimam medicinam pro veneno mutantes, ita vt Dei maxima misericordia & benignitas, quæ eos terrere debebat, corda liquefacere & ad pœnitentiam adducere, est illis maior occasio ruinæ, cùm peccata peccatis adiiciant, audacioresque fiant. Audiant ergo isti, quid per Esaiam Deus loquitur. Tacui, nunquid semper tacebo? Existimas ne quòd quia Deus modo taceat, semper tacebit? & quia modo dissimulet, ratum habebit? Crede mihi, quòd dum magis Deus tacet, supplicium differt, atque dissimulat, acrius posteà plecteris. Et si meis non adhibes fidem verbis, adhibe Euangelistæ, de cuius historia agimus: in qua duo debes considerare. Primum ingentem Dei patientiam & benignitatem, qua cum ista perfida gente vsus est: siquidem expectauit eos quadraginta & plures annos: cùm tam peccatores essent: interea delicatè tractans suis miraculis & sermonibus semper accuratè tractans de vita & cõuersione illorum qui cruci eum affixerunt. Secundum, quòd attendere debes, est rigida Dei iustitia, quàm scilicet acriter Deus se habeat cum obstinatis, quandoquidem nõ omnium maximum supplicium, quod de peccatoribus sumpsit, fuit Hierusalem euersio atq; destructio. Disce ex hoc loco, quòd sicut Deus est misericors in parcendo, & sperando, ita est terribilis

Esai. 9

Sapien. 11

Hebre. 5

Hebr. 4

Esa. 48

tibilis iudex contra obstinatos peccatores, qui sua
Ezech.1 misericordia abutuntur. Ezechiel inquit quod facies hominis & facies leonis super ipsorum quatuor. Deus duas habet facies, habet faciem hominis, quia humanus, & benignus est cum peccatoribus qui recipiscunt: habet etiam faciem leonis ferocissimi, quia rigidè sumit suppliciũ de obstinatis peccatoribus. Vide quid Iudæis cõtigit, siquidem cum nollent gradũ reuocare nec conuerti ad Deũ, Deus misit illis terræmotus, bella, pestes, fames, occisiones, tribulationes, flagella, & supplicia: ita vt non mãserit lapis super lapidem, vt ex hoc ꝙ imago & figura futuri est intelligas, & inferas quod quãti erũt cruciatus, inferni, & mala, quæ ibi Deus obstinatis inferet. Si ergo Deus dilectũ sibi populũ quẽ eduxit de terra Ægypti tot miraculis, quẽ-
Exod.14
Exod.16 q; cibauit atq; nutriuit in deserto quadraginta annis mãna cęlesti necnõ fuit prosequutus tot victoriis: regibus sanctis, patriachis, prophetis, & tandẽ filij sui incarnatione, sic tribulationibus affecit, & pressit vt in exilium, & captiuitatem miserit, fecitque contẽptibilem, & opprobrium omnium mundi gentiũ: quid faciet de te si fueris peccator? Quid in tantam miseriam & calamitatem fecit venire Israel nisi peccatũ? Quia subiecit pedib. Deus populum quem capiti & oculis imposuerat. Caue ne pecces, & iam quod peccaueris ne diu permaneas in peccato. Quę enim scripta sunt ad nostrã
Rom.15 doctrinã scripta sunt: & ideo tã solicitè & accuratè Euangelistæ quæ Deus gesserit cũ Hierusalẽ, quantum dilexerit & quod de illa suppliciũ sumpserit, scripserunt: vt tu hinc sumas doctrinã & periculũ facias in alieno, nec tardes ad eum conuerti: siquidẽ te expectat apertis vlnis, antequã ad eius acerrimã iustitiã deuenias. Ne sicco pede hæc prætereas, sed cura habeas bonã cõscientiã. Nam satis so-
Dan.5 lutis curis erat Balthasar Babyloniæ rex epulans & bibens cum regni sui optimatibus, quando apparuit manus in pariete scribens, quod erat sibi paratum suppliciũ. Ne tẽpus risibus & vanitatibus teras, nã Deus qui electo & dilecto sibi populo non pepercit: nec tibi parcet, & si modo taceat & dissimulet dum magis supplicium distulerit, peius tibi erit. Audi quid dicat Paulus. An diuitias bonitatis
Rom.2 eius & pœnitentiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quia benignitas Dei ad pęnitentiã te adducit, secundum autem duritiam & impęnitẽs cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Sed de his satis. Iam nunc Saluatorẽ Iesum audiamus. *Sed ante hæc omnia inicient vobis manus suas, & persequentur tradẽtes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides.* Antequam hæc omnia cõpleantur persequutionẽ patiemini vsq; ad sanguinẽ. Voluit Christus prædicare discipulis mala quę passuri erãt, quãuis de hoc nõ interrogauerint, primo vt mala quæ erãt passuri essent eis tolerabiliora. Nã hęc quę euẽtura erant, si non præuiderẽtur valde affligerent ipsos: cùm autẽ pręuidentur tolerabilia efficiũtur. Secũdò quia si ista euenirẽt & nõ essent prænunciata, quando venirẽt putarent discipuli, quod non præuidisset illa Christus quia ventura nesciebat, cũ alia prædiceret & nõ ista: ideoque maximè turbarẽtur. Tertiò prædixit ad ostendendũ sapientiã suã, quia quanto plura prædiceret & particularius, tanto amplius cognosceretur sapiẽtia eius. Et ideo pędixit ea quæ ad discipulos specialiter pertinebant, quia nihil poterat vtilius prædici. Et nulli erant corã quibus potius se deberet Christus ostendere sapientissimũ, quàm corã discipulis. Verè litera ista intelligitur de discipulis Christi, & de statu Ecclesiæ eius a morte vsq; ad euersionẽ Hierusalẽ. Quãta autẽ mala passi sũt Act.7 Apostoli, post Christi ad cęlos ascensionem vsque ad destructionẽ Hierusalẽ, satis ostẽdit liber Actuũ Apostolorum. Nã mox post Christi ascensionem Stephanus fuit lapidatus, & tã magna fuit persequutio Ecclesiæ: quod omnes discipuli fugerũt ab Hierusalẽ, præter Apostolos, & dispersi sunt per regio- Act.4 nes Iudæę & Samariæ, & apostoli positi in vinculis & flagellati, ne in nomine Iesu prædicarent & Act.5 eiecti extra Iudęã. Iudęi qui erãt Damasci & in Syria insidiabãtur Paulo. Et in Pãphilia concitauerũt potentiores ciuitatis & expulerunt Paulum & Barnabã de finibus suis. Iacobus ab Herode decapita- Act.12 tus, & Petrus incarceratus, & multa alia Apostoli & Christi discipuli passi sunt, quę longũ esset recẽsere. Sed quia multũ eos consolari debebat, quod hæc omnia paterentur propter Christũ, subdidit dicens, *Propter nomẽ meũ.* Hoc est propter prædicationem, cõfessionẽ, & cultũ nominis mei, & legis ac fidei christianæ. Oderũt carnales homines veritatem & prædicationem verbi Dei, & ea quæ sunt spiritus eius: quapropter qui Christum amplectũtur, necesse est, vt ab hominibus persequãtur. Coruus cũ videt pullos suos in initio plumescere & albos esse non cognoscit eos. Sed posteà videns eos nigros nutrit, & fouet. Sic mundus iustos nõ agnoscit, quia nõ nigri sunt sicut ipse: sed vestiti sunt albedine innocentię. Ideòque persequitur iustos, fouet autem peccatores, iustos inquã si mali efficiantur, malos vè ipsos quia nigri sunt & impij sicut ipsi. *Continget autem vobis in testimonium.* Hoc est vni- Greg. hom.35 in Euan. uersa persequutio per inducta eueniet vobis in signũ & attestationem quòd verè discipuli mei fidelissimi estis: & quòd illi impiè cõtra vos egerũt, & iustè damnentur: quia spreuerunt & afflixerũt vos, nec credere voluerũt prædicationibus vestris, per diuina miracula confirmatis. Et sic nõ potuerunt causam suæ damnationis in vos trãsferre. Quod be- Philip.1 nè & ad rem Paulus ad Philippẽses ait. Scire volo vos fratres quod quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt Euãgelij, ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prętorio & in cęteris omnibus, & plures è fratribus in domino cõfidentes in vinculis meis abũdantiùs auderẽt sine omni timore verbũ Dei palam loqui. Sed possent discipuli dicere. Quoniã sumus in quos totus mũdus insurget? Idiotę sumus, facilè à pharisæis & viris doctis superabimur. Respondit Christus. *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis.* Solent homines ad iudiciũ vocati ante omnia peritum vt Demosthenem adhibere ducẽ, adulari iudicibus, supplices prouoluere ad genua, fauorẽ redimere pecunia, sed nihil horũ opus erat apostolis. Ponite inquit in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis. Quasi dicat. Si verbum Dei habetis in corde quomodo deesse poterunt verba in ore? Deinde ipsa veritas quam vos profitemini, non eget externo lenocinio verborum, non eget fuco: nam ipsa satis pulchra est, & satis sana. Falsitas tamen fuco eget, ne ipsa deprehendatur. Hinc est quòd homines sua mendacia in primis verborum lenocinio hominibus venditare conantur, sacra autem scrip-

tura quę veritas est simplicibus & verissimis verbis tradita est. ¶ Aduerte quòd non inhibuit piam in lege domini meditationem & studium: quo nihil Psalm. 1 vtilius, & beatiùs: iuxta illud, Beatus vir qui in lege 2. Tim. 3 domini meditatur die ac nocte. Omnis enim scriptura diuinitùs inspirata (ait Paulus) vtilis est ad 1. Petr. 3 docédum. Hinc Petrus, vult nos esse paratos omni poscenti rationem reddere de ea, quæ in nobis est spe. Non ergo vt diximus prohibetur pia domini meditatio: sed anxia & diffidens solicitudo. Admonemur hic ne res diuinas, qualis est euágelica prædicatio, humanis viribus aggrediamur, alioqui frustra laboratur: nec mirum cum nec externa ipsa, si nostris viribus tantum innitamur, fœliciter succe- Num. 4 dát. Sic enim filij Israel sine verbo Dei suis viribus confidentes, infœliciter pugnauerút contra Cana- Iudic. 20 næos. Sic vndecim tribus contra tribum Béiamin semel & iterum infœliciter pugnauerunt, confidentes in multitudine. Sic idem populus cótra Phi 1. Reg. 4 listhæos, infœliciter pugnauit, cófidens in arca, sine Esai. 30 fide ad Deum, charitate formata. Hinc per Esaiam dicitur. Vę filij desertores, vt faceretis consiliũ & non ex me, confidentes in fortitudine Ægypti. Sequitur pęna. Ob id erit vobis Ægypti fortitudo in confusionem. Nec aliam ob causam nostra cósilia irrita nobis fiunt, quàm quòd ea tantum in nostris viribus aggredimur: non Dei auxilio confidentes. Sic & nonnúquã maximis mœroribus fatigamur: vix tamé vitæ necessaria cóquirere possumus: quia solis nostris laboribus confidimus, non attendentes quòd non tam labor noster quam benedictio Prouer. 10 domini diuites facit. Hinc est quòd patres testamé Exod. 17 ti veteris aliquid factum magnum, ab oratione in- 4. Reg. 19 cipiebant. Sic Moses pugnaturus contra Amalech 2. Par. 20 orauit. Ezechias rex ad orationem cófugit, videns exercitum Assyriorum: & Iosaphat audiés irruisse hostes orás dixit: In nobis (inquit) nó est tanta fortitudo vt possimus huic multitudini resistere quæ irruit sup nos, &c. Si hęc in externis necessaria sút, multo magis in prædicatione Euangelij: quòd quia non facimus, inutiliter clamabimus nec tamé fructum facimus: imo quoniam hoc opus nonnúquam propriis viribus aggredimur in errores inci Prouer. 12 dimus. Scriptum est enim Qui sequitur cogitationes suas impiè agit. Hinc Paulus in suis Epistolis orare pro se postulabat. *Ego enim dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere & cótradicere omnes vestri aduersarij.* Putant se iusti à domino in mediis tribulationũ vndis derelictos, dominus tamé illis auxilio est in tempore opportuno. Quare si aliquã do ab eo te putaueris derelictũ, recole nondũ esse Genes. 8 tépus vbi egeas eius auxilio: quod cùm fuerit non defuturum scito. Sic recordatus est dominus Noë, quando videbatur ei quod esset oblitus. Recorda- Genes. 14 tus Ioseph in Ægypto in carcere humiliati, Daniel Dan. 14 in lacu leonum. Sic denique & omnium iustorum in suis tribulationibus. Ita nunc hac consolatione lętificat & cófortat corda discipulorum: quos scire opportebat Christum in suis necessitatibus nó defuturũ promittit enim illos non deserturum, cũ opus fuerit, & indiguerint eius auxilio in tempore opportuno. Dabit enim os & sapientiam cui non poterút eius aduersarij contradicere. Ad idem facit illud. Dabitur enim vobis in illa hora quid lo- Matth. 10 quamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Victoriam Apostolis promittit Christus, dummodo ipsis curę sit vt vita externa bona sit, qua munita stet veritas. Id quod Christiano, etiam propria vita charius esse deberet. Magis enim gaudendum esset si videret crescere iustitiam, religionem, timorem Dei, & veritatem, quàm propria bona. Si quis hæc propriis commodis non anteponit, probus Christianus non est. Dabo inquam vobis os, & sapientiam. Deus enim est qui docet & in corde ipsorum scripsit legem suam, & linguas infantiũ fecit disertas. Dauid. Da mihi intellectum vt discam Psal. 8. & 118 iustificationes tuas. Et iterum, Beatus quem tu erudieris domine. Sic tanta fuit sapientia & vis verborum Deo cum Apostolis loquente, quod vt in Actis legimus videntes Iudæi & magistratus Petri & Ioannis constantiam, comperto quod homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur: & cognoscebant eos quoniam cum Iesu fuerant. Et Act. 4 de Stephano etiam protomartyre dicitur: surrexerunt quidam de synagoga quæ appellabatur libertinorum, &c. & non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. Super omnia nanque vin- Veritas omnia vincit. cit veritas, cuius vires sunt tot ac tantæ vt nihil ei possit resistere. Paulus adeò potens & validus e- Act. 6 rat vt diceret quòd omnia potest: & in epistola 3. Esdr. 3 etiam ad Romanos vocet ad duellum mortem, vi- Rom. 8 tam, & omnes mundi vires. Nihilominus ad Co- 2. Cor. 13 rinthios scribens dicit. Nihil possumus aduersus veritatem. Quod nihil veritati obsistere possit certum est, & ideo non mireris Apostolorum aduersarios non posse vincere veritatem, quam ipsi prędicabant, nec ei resistere, cum ipsamet veritas pro eis loqueretur.

¶ Præterea isti aduersarij Apostolorum Iudæi sunt hæretici, & pagani, qui in Apocalypsi designã Apoc. 16 tur per illos tres spiritus immũdos, qui in modũ ranarum de ore bestiæ exierunt. Denique adiunxit dominus persequutiones huiusmodi discipulis non tantum expectandas esse ab extraneis, sed etiam ab amicis, & cognatis. Quapropter subdidit,

Trademini autem a parétibus, fratribus, cognatis, amicis, & morte afficient ex vobis. Hoc maximè torquebat quod à tam propinquis, tam amicabilibus tractabantur, & occidebantur. Molestiùs enim feruntur aduersa, quæ à propinquis & familiaribus de quorum præsumebatur amicitia, infliguntur: quia vltra corporalem tribulationem inflictam, mens de amissa charitate, propinquorum, & amicorum infidelitate affligitur. Hic enim natura vim quandã patitur, & in visceribus torquetur. Ideò dominus proditoris sui iniquitatem tanto ferabat grauius quantò Iudas erat ei familiarior, & in aposto lorum numeratus collegio. Ideò per Dauid ait: Si- Psal. 54 inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Tu verò homo vnanimis, &c. Docemur hic consolari, quando à nostris persequutionem patimur, adducentes ad memoriam quæ hic Christus dicit suis. Et quomodo ipsemet dominus traditus sit à suo discipulo. A nullis etiam beatus Paulus tãtas persequutiones tulit quàm à suis Iudæis, vt fas est videre, qui librum, qui Acta Apostolorũ inscribitur legerit. Contra Stephanum etiam insurrexerunt quidam de synagoga, sui enim illum accusabant, & morti tradiderunt. Pilatus etiam Chri- Act. 7 sto Saluatori dixit, gens tua, & pontifices tui, tra- Ioann. 19 diderunt te mihi. Vnde perniciosissimus inimicus est

est domesticus, eo cõmuniter propinquiores sunt qui magis inuident & stomachantur: quia cum simul educati sunt, & in eodem studio versati, atque ludo non possunt æquo animo ferre: vt vnus præstet alteri: & ideo homines potius gaudent ab extraneis imperari, quàm à conciuibus.

¶ Vt in exordio Ecclesiç, Iudæi, & gentiles passim conuertebantur ad Christum, parentibus cæterisque cognatis inuitis & ita tradebantur ab eis, & sæpè occidebantur. Ita dominus in Mattheo dicit, Tradet frater fratrem in mortem, & surgent filij in parentes, & morte eos afficient. Et rursus. Nolite arbitrari quoniam veni pacem mittere in terram: non enim veni mittere pacem, sed gladiũ. (Matt.10, Luc.9)

Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrũ suam, & inimici hominis domestici eius: quia erant dispari cultu, insurgebat frater in fratrem, & filij in parentes. Sicut beata Lucia nobilis Romana, à filio accusata quod esset Christiana, occisa est.

Et eritis odio omnibus hominibus. Facinorosum malum & ingens erat profectò ab omnibus odio haberi: nam nihil est vitæ hominum adeo naturale, necessarium, iucundum, & vtile, quàm hominum amicitia. Quis ergo ferret ea carere? Vide quantis se obiiciat periculis, qui legatione vult fungi pro Christo. Fronte ænea opus est & facie ferrea. Et profectò non nisi summum miraculum esse poterit quòd prædicatores hi euaderent victores, contra quos totus mundus arma suscepit. Quomodo totius mundi sibi præriperent amorẽ, quos totus mundus tanto odio habuit?

¶ Permisit autem Deus vt tanta esset contradictio doctrinæ suæ, vt ferè totus mundus coniuraret aduersus Euangeliũ, & quod sancti prædicatores essent omnibus odibiles, primò vt ostenderet virtutẽ diuinam, vt nihil humanitus factum videatur in introductione legis Christi, quia illud per homines fit quod fauore hominum fit. Qui autem alicui odiosus est, nullum in eo fauorem habet, sed professores nominis Christi, erãt propter hoc omnibus hominibus odiosi, ergo nõ introducebatur Christi lex fauore hominum, sed eis renuentibus & contradicentibus.

¶ Secundò erant Apostoli hominibus infesti, quia putabant homines quòd Christiani destruebant illum cultum, per quem status hominum cõseruabatur & quia apud omnes homines erat aliquis cultus cui repugnaret Christi doctrina, necesse erat quòd Christiani essent omnibus hominib. odiosi. Nã si Christiani voluissent Christum colere non curantes destruere idolorum cultum, faciliter fuisset introducta Christi religio in orbem sed quia præcipuum erat in hac vera religione falsç diuinitatis cultum excludere, & non poterat Christiana religio introduci nisi idololatriam extirpãdo, ideo fuit difficillimũ introduci. Ritui etiam Iudaico lex Christi repugnabat: quia Apostoli prædicabant, si circuncidimini, Christus nihil vobis proderit. Insuper vitia carnis, ac malos mores excludebat, & ideo fuit toti orbi odiosa. ¶ Tertiò fuit quia diabolus concitabat omnes homines valde cõtra christianos. Videbat enim cultũ suum per Christi doctrinam destrui in toto orbe, & animas hominum de suis vinculis liberari: de quo summè (Galat.5) dolebat, ideò toto furore suo cõcitabat principes & terrarum dominos aduersus Christi professores. Et ista etiam erat causa vrgens, quia diabolus grauissimas tentationes poterat cõtra christianos cõcitare nisi à Christo prohiberetur. ¶ Quarta ratio erat & causa odij dissimilitudo quæ est inter christianos & infideles. Nam sicut similitudo est causa amoris, ita dissimilitudo est causa odij quæ est inter Christi seruos & huius mũdi famulos: inter ciues Hierusalem, & Babylonis. Propter quod in Ioanne aiebat Christus Apostolis. Si de mũdo essetis mundus quod suum est diligeret: quia verò de mũdo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propter ea odit vos mundus. Mundus enim amat diuitias honores, & delicias, quæ omnia discipuli Christi contemnebant, & contemnenda prædicabant, vnde in contemptum, & abiectionem habebantur. (Ioan.15)

¶ Solatur nos locus iste, vt quando ab hominibus odio habemur patientiam habeamus, siquidẽ Apostoli odio habiti sunt ab omnib⁹ hominibus. Licet aliqui de te falso detrahant, patiens esto: quamuis enim sis innocens circa culpam quam tibi imponunt, non tamen es circa alias plurimas. Nec iniquo animo feras apud homines male audire, si bene apud Deum audis: imo potiùs maximè debes lçtari videns ad metam optatam hac via discipulos & amicos Dei peruenisse. Non debes vexari quòd ab aliquibus hominibus contemptibilis fias, quia non laus sed potiùs vituperium est à malis, & impiis laudari. Pari passu ambulant ab iniquis commendari, & de rebus iniquis: etiam ab eisdem iniuria affici, & propter virtutẽ laudari, propter quod stultum est magnifacere ab ignominiosis infamari, quia cum isti de vita nostra detrahũt, verè tunc approbare videntur, nam vita illa recta & sancta est quã mali euertere conantur. Nõ vergit in lucis defectum, si noctua ad eam oculos erigere nõ possit, sed potius in laudem, & perfectionem: quia cùm recedunt ab ea, laudant. Vos estis filij lucis dicit S. Paulus Thessalonicẽsibus. Et rursus ait. Quæ conuentio lucis ad tenebras? Viri lucis nõ debent molestia affici, quod à filiis tenebrarum detrahantur, & persequantur. Sapientia enim ab ignorãtibus solet persequi: & stulti sapientiam despiciunt. Si cæci malè iudicant de coloribus, defectus eis inest: non colorum pulchritudini. Ideo Paulus cui solum curæ erat à Deo laudari, & diligi, dicebat. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer aut ab humano die. Qui iudicat me dominus est, &c. Verùm vt scias hos labores, maledictiones, & hominũ contemptus, nõ plus meriti habere quã habet causa & finis propter quẽ patiuntur, vt Christus discipulis ostẽderet mercedẽ eis paratã in cœlo eosque cõsolaretur, ostendit persequutionis causam, dicẽs, *Propter nomen meum.* Hoc dixit primo ad consolationem ipsorũ: scilicet patiemini & infesti omnibus eritis: sed non propter scelera vestra: sed propter me solùm Hic est scopus meriti, & causa martyrij. Omne meritum bonorum quæ agimus: & mala quæ patimur est ipse De⁹: qui nostris operibus reddet prçmium. Vnde in superioribus cum loquebatur dominus de beatitudinibus dixit, Beati eritis cùm eiecerint nomen vestrum, tanquam malum, propter filium hominis. Sed de fine, & causa persequutionum, & martyrij iam super hçc verba in capite sexto suprà disseruimus. ¶ Secundò (1.Thess.5, Prouerb.8, 1.Cor.4, Luc.6)

hoc dixit ad dandũ bonã ſpem de ſe. Nam quando dixit eis, quod propter ſe hæc erant paſſuri & non propter ſeipſos, oſtẽdit ꝙ multa eis deberet: vel ſaltẽ quod multa propter hæc bona eſſet eis daturus.

¶ Tertiò quia in hoc oſtendebat eos glorioſos toti mundo, ſcilicet quia pœnam non pro aliquo ſcelere tolerarẽt ſed pro optimis virtutibus, id eſt pro confeſsione nominis Chriſti.

¶ Nota quæ ſit cauſa laudabilis paſsionis. Non enim quælibet afflictio virtuoſa eſt: ſiquidẽ & diabolus patitur, & malefactores dãnantur ſuppliciis. Illa autem afflictio bona eſt & meritoria quam patimur propter nomen Chriſti, quod eſt iuſtitia, veritas, innocentia, & probitas. *Matt. 5 Luc. 6* De his dicitur, Beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam, quia ipſorum eſt regnum cœlorum. Verùm vt conſoleris in afflictionibus, quas propter tua peccata ſuſtines, ſcito etiam ꝙ in ſuppliciis quæ de te Deus propter cõmiſſa peccata ſumit, ſi patiens es, & humilis, in Deum ipſum referẽs maximũ meritũ habebis: quod etiam eſt pati propter iuſtitiã & Chriſti nomen, licet tua peccata afflictionis ſint cauſa. Ita Dauid de quo Deus ſupplicium ſumpſerat, (vt *2. Reg. 12* Nathã ei nũciauerat) propter peccata, dixit Deo. *Pſalm. 68* Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, confuſio operuit faciem meam. Sed de his ſatis.

¶ Monet etiam hic Chriſtianũ hominem ita debere viuere vt ſolus Chriſtus cauſa ſit odij ſui: hęc enim eſt gratia ſi propter Deum ſuſtinet quis triſtitiam patiens iniuſtè. Magnũ tibi eſſe deberet pro Chriſti nomine pati. Quid hominem cõtriſtabit, vbi animus ſibi conſcius eſt? Chriſtus (ait Paulus) *Hebr. 12* propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucẽ propter nos. Quis nõ cõtra gaudeat ſe pro Chriſto aliquid pati? *Act. 4* Hinc Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu cõcilij, quõniã digni habiti ſunt pro nomine Ieſu cõ- *2. Cor. 12* tumeliam pati. Hinc Paulus gloriatur in afflictio- *Phil. 1* nibus. Hinc & dicit: Vobis datum eſt non ſolũ vt in Chriſtũ credatis, ſed etiã vt pro illo patiamini. Addidit poſtremo conſolationem dicens. *Et capillus de capite veſtro non peribit.* Nõ putetis quòd Deo non eſtis vos curę, & ꝙ aliquid poſsit perire, Deo *Vid. Gre. ho. 35. in Euan.* neſciente vel non aduertente, quia etiam de rebus veſtris minimis cogitat. Nam & capilli omnes veſtri, qui multi ſunt, & nullius valoris, nec vnus peribit, à fortiori verò non peribunt vita & mors veſtra quę ſunt magnę res: Vult enim dicere. Tã atrox odium totus mundus concipiet in vos, ob mei nominis profeſsionẽ, proinde quicquid in vos fecerint, hoc in meam cõtumeliam factum accipiam. Quare nõ ſit vobis cura de vindicta. Ego lędar, ego occidar in vobis. Meum erit & vobis conſulere, & illorum vlciſci malitiam. Quantumuis autem deſæuierint in vos perſequutionum humanarum procellæ, non eſt ꝙ timeatis me protectore. Nõ enim permittam vt capillus capitis veſtri pereat: tantum abeſt, vt vobis ſim defuturus. Docet autem Chriſtus hic quam nihil lateat illum eorũ quę circa nos vel fiũt vel ſunt, & cùm ſciat omnia nõ poteſt ignorare mundi erga nos malitiam, & quòd illius nomine omnia ſuſtineamus. At cùm hoc ſciat quî permitteret eos perire, qui illum tãti faciũt vt etiã nõ dubitẽt animas ſuas pro illo ponere? Sequitur, *In patientia veſtra poſsidebitis animas veſtras.* Eximiũ animũ poſsidẽdi nõ agros, non domos, nõ regna efficit ſed quod maius eſt ſeipſum virtute patientiæ. Nã impatiens ſeipſum perdit, & nõ eſt ſui cõpos. Ideo Iob ait. Quid perdis animã tuã in furore tuo? Qui patiens eſt, dominus eſt ſuipſius, impatiens autem ſuæ ſubditur cholerę & paſsionib⁹, & odium quod habet excæcat rationem. Vnde Salomõ. Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. *Prouer. 16.* Hoc dominium attenditur in eo quod patientia cohibet hominem interiorem ab illicito appetitu vindictæ; cohibet ſimiliter exteriorem, quia linguam cohibet à cõtumelia, & manum à violentia. Vnde ſicut dicitur de garrulo, quòd non poteſt tenere linguã ſuam: ſic patiens poteſt ſeipſum cohibere interius & exterius, ab his quæ pertinent ad vindictam. Et quantum ad hoc dicitur patiens animam ſuã poſſidere. In homine impatiente dominatur ira & furor, & eum poſsident. Hanc autem virtutem pluſquam aliam commendat hic Chriſtus Apoſtolis, *Greg. ho. 35. in Euang.* cũ loquebatur illis de perſequutionibus, quas paſſuri erant & ſatis ad propoſitum accommodatè, quia ad ſuſtinendum aduerſa: multum neceſſaria eſt. Nec melius expiriri poteſt homo, an ſit verè humilis, charitatiuus, & manſuetus, quàm per patiẽtiam in aduerſis. Ideóque in Eccleſiaſtico. Vaſa *Eccl. 27* figuli probat fornax, & homines iuſtos tẽtatio tribulationis. Vir patiens quamuis perdat diuitias, delicias, & externa, nõ perdit ſeipſum: imò poſsidet, vt hic dicitur, animam ſuam. Sicut fulmẽ, vt ait Plinius, quicquid inuenit in terra ferit præter laurũ, *Pli. li. 2. c. 55.* ſic magna calamitas omnia poteſt auferre & euertere, præter firmam virtutem. Eſt enim cõſtans virtus pulchra laurus: ſemper virens, nullo igne nubibus erumpente, nullo impetu tormentorum, & ærumnarum exuſta, aut labefactata. Ad hanc patien- *1. Cor. 15* tiam & animi firmitatem hortatur Paulus dicens, Fratres mei dilecti: ſtabiles eſtote, & immobiles, abũdãtes in omni opere domini ſemper. Arma ſũt in tribulationib⁹ patiẽtiã habere. Vnde Paulus, per *Heb. 12* patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. Dauid quoque ait Deo: Et præcinxiſti me vir- *Pſalm. 17* tute ad bellũ, & ſupplãtaſti inſurgentes in me ſubtus me. Decipiuntur enim inimici noſtri, qui per tribulationes credunt nos debellare: quando per patientiam noſtram qua nos præcingit Deus, vident ſe eſſe confuſos & ſuperatos.

¶ Obſerua autem tres eſſe patientiæ gradus. Primus eſt iniurias diſsimulare, quãuis vindicare poſſis. *1. Reg. 10* Sic Saul in principio ſui regni, quando probus erat nolebat iniurias vindicare, diſsimulabat enim ſe audire. Secũdus eſt non ſolum patientia iniurias pati præſentes: ſed etiam habere paratam voluntatem ad omnia mala, quæ poſſunt euenire. *Iob. 1* Hunc habuit Iob: ſiquidem non ſolum flagella à Deo inflicta tulit, ſed etiam in animi præparatione alia multa ferebat. De hoc patientiæ ſecundo gradu loquebatur Chriſtus quando dixit. Qui te percuſſerit *Matt. 5* in vnam maxillam, præbe ei alteram. Quod intelligitur de animi præparatione quam debet habere Chriſtianus in patiẽtia iniuriarum: quæ imminere ſolent. Tertius gradus heroicus patientiæ eſt non ſolùm patienter iniurias pati, ſed etiam afficere beneficiis, & muneribus inimicum, vt ad Deũ cõuertatur, laudando, & honore proſequendo illũ: Hanc *Geneſ. 42* habuit Ioſeph in Ægypto, quando nõ ſolùm fratribus qui vendiderunt eũ pepercit volũtatate recta, & pura, ſed etiam multa, & magna bona dedit. Hunc etiã gradum volebat dominus ſuos diſcipulos habere, ducerẽque cupiebat eos ad hũc perfectionis

ctionis statum. Denique vt concludam & procedamus ad alia, vnum hic aduertendum esse censeo, quòd animas dixit Christus possidendas per patiẽtiam, & non dixit manus nec linguam: quia benè stat quod manus & lingua vltioni parcant, & quòd in corde maneat appetitus vindictæ. Sed iam sequentia videamus. Itaque postquam Christus prędixerat discipulis signa quæ ventura erant & calamitates, ante destructionem Hierusalem, pariterque tribulationes, quas ipsi passuri erant: nunc narrat, & prędicit quæ essent tribulationes imminentes, cum iamiam desolatio Hierosolymæ immineret, in quibus oportebat Iudæam relinquere, & fugere, & ad montes. Post prędicta ergo addidit dicens,

Cum autem videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quoniam appropinquauit desolatio eius. Nullus melior modus exponẽdi vnũ locum sacræ scripturę, quàm adducere alium ex eadem scriptura. Et sic quando vnus Euangelista alium declarat, illa est habenda tanquam verissima expositio, falsa Matt.24 autem erit illa, quę fuerit huic contraria. Matthęus Mar.13 & Marcus scribũt hęc eadem, quę Christus in hoc loco dixit suis Apostolis. Dicunt enim: Cùm videritis abominationem. Quę autem sit hęc abominatio stans in loco sancto templi, Lucas noster exponit dicens: Quod est exercitus circundans Hierusalem. Pro huius vera & germana literę expositione scias quis exercitus sit iste, & quare abominatio vocetur. Aduerte quòd Christus hic non de suo aduentu ad iudiciũ loquatur: cõstat enim luce meridiana clarius; nec Christum hic loqui metaphoricè, sed clarè, & apertè dicit hęc de obsidione Hierusalem, & cętera quę statim dicit, vsque ad illud, erũt signa in sole & luna, loquitur de Hierusalem. Nam postquam euersa & conculcata à gentibus fuerit Hierusalem, ait quod captiui ducentur eius habitatores: & in die iudicij non ducentur aliqui captiui quia omnes morientur. Matthęus etiã & Marcus postquam dicunt cùm videritis abominationem, eadem verba dicunt quæ noster Lucas hic ait: quia eadem sunt quę tractantur. Ex quo sequitur valde errare illos, qui in Matthęo illã abominationem interpretantur Antichristum esse, cũ hic nihil de Antichristi aduentu agatur, sed de vastatione Hierusalẽ. Aliqui autem qui rectius Matthæi verba intelligunt, eum interpretantur & benè de destructione Hierusalem, tamen per hãc abominationem (& malè quidem) intelligunt Cęsaris statuam, quã aiunt quod Pilatus posuit in templo. Cum Pilatus multò ante vastationem Hierusalem esset officio depositus. Alij autem Titum Romanorum ducem intelligunt. Et miror quomodo tanta varietas orta sit, cum Lucas hic tam apertè quod Matthęus & Marcus dixerũt abominationem, vocet exercitum. Cur ergo hunc, quem vocat Lucas exercitum, vocant Matthęus & Marcus abominationem? Et quis exercitus est iste. Itaque pro intelligentia vera istorũ aduerte quod Iudęi post Christi ascensionem sępè rebellarunt contra Romanos propter tyrannides quas exercebant pręsides Iudęæ dati à Romanis. Et pręcipuè duo, scilicet Albinus, & Florus, qui tyrannide & crudelitate similes fuerunt Neroni, qui eos misit, quia cõmuniter famuli & subditi solent suos imitari principes. Nolo torquere te candide lector in enarratione tot laborum & tribulationum, quas in tempore horum

Opiniones de abominatione desolationis.

duorum pręsidum misera Hierusalem passa est & sustinuit, & etiam occisionum, seditionũ, incẽdiorum, bellorum, quę omnia Christus prędixit, in superioribus, ciuitatem passuram ante vniuersalem eius destructionem. Lege si placuerit Iosephum. Inter multa mala accidit, quod Eleazarus filius Ananię pontificis iuuenis audacissimus cum aliis seditiosis respuerunt hostias, quæ pro salute imperatoris offerri solebant, contradicentibus aliis pontificibus & sacerdotibus. Nulla autem prece aut suasione cõpescuerunt eos, quin potius non ad sacrificia sed ad bellum ministri altaris accingebantur. Videntes pontifices, & cæteri nobiles, seditionem, eorum autoritate non possẽ compesci, ad Florum & Agrippam nũcios destinarunt orantes, vt cum exercitibus ciuitatem ascenderent, antequam seditio intolerabilis fieret. Florus qui inimicus pacis, & totius boni, qui vt maior fieret seditio noluit respondere. Agrippa autem misit duo millia equitũ, qui venientes cum his, qui in ciuitate pacem optabant, ascenderunt superiorem ciuitatis partem, & ibi contra seditiosos, qui templum cum interiori parte ciuitatis tenebant, pugnauerunt dies septem: a die scilicet, septimo mẽsis Augusti vsque ad quartumdecimum eiusdem mensis, anno duodecimo imperij Neronis, & facta est magna cędes ex vtraque parte. Iudęa turbata est & in omni loco cædes operabantur. Eodem anno à Cestio duce Romano expugnata est, & quia infœliciter se habuit in omnibus Cestius contra Iudæam rebellantem? tunc iussu Neronis missus est Vespasianus, qui tũc in Gręcia erat, & venit cum filio Tito. Cõuertit se Vespasianus contra Galilęam & Iudæam, volens postremum esse bellum contra Hierusalem. Qui audita morte Neronis parum à bello se continuit. Mortuis etiam Galba, & Ottone imperatoribus, cùm audisset Vitellium imperare, indignatus & à suo exercitu imperator pronunciatus, relicto filio suo Tito in Iudæa, ipse nauigauit in Italiam. Titus autem in festo Azymorum Hierosolymam inuasit ad quam innumerabilis multitudo Iudęorum cõuenerat, quia eo tẽpore omne masculinũ de genere Iudęorum tenebatur Hierosolymam ascendere. Cùm tota gens velut in carcerem in ciuitatẽ se inclusisset festiuitatis desiderio. Titus superueniens omnes obsidiones cinxit. Et dignè actũ est, vt sicut in festo Azymorũ quod dicitur Pascha Christum crucifixerunt: ita in eodem omnes collecti ad occisionem clauderentur. Sex ferè mensibus obsessa est, & cepit eam in fine mensis Martij in festo Azymorum, & finita est die octaua mẽsis Septembris. Et ideo si benè computaueris tempora, quę regnauerunt Nero Galba, Otto, & Vitellius, inuenies quod quasi septem anni fuerunt à principio belli Iudaici vsque ad finem. Nam anno vndecimo Neronis incepit bellum, & finitum est anno secundo Vespasiani. Itaque cùm hic ait Lucas, cùm videritis circundari ab exercitu Hierusalẽ, scitote quia appropinquat desolatio eius, licet verum sit de obsidione Titi, tamen intelligitur de obsidione facta ab Agrippa, & à Romanis sub Cestio. Hanc obsidionem vocant Matthæus & Marcus abominationem quæ fuit hominũ impiorum in tẽplo, & profanatio eius. Nam in templo sub Eleazaro multus sanguis fusus est, multusque per loca sancta decurrebat, & accedentes ad sacrificium super ipsum altare occidebantur. Et vt Egesippus ait, sacræ vestes

Ios. li. 4. anti. & 4. de bello Iud.

Le. Tostatum c. 98. super 24. Matt.

Ege. lib. 4

quas non licebat nisi cum summo honore contingere, & ad sola mysteria sacra accipi, ad tergenda turpissima vlcera & fluentem sanguinem sumebantur. Deteriora his narrat Iosephus de libidinibus, quæ intra sacra exercebantur. Propter quæ omnia dicit templum profanatum & abominabile effectum. Cùm hæc sub Cestio agebantur erat signum credentibus, vt fugerent antequã Titus veniret cum suo potentissimo exercitu. Nã Titus ita circundedit eam, vt non esset exitus ad fugiẽdum, Ideo Christus nõ dixit est desolatio eius, sed appropinquat desolatio eius. Sub Cestio appropinquabat: & sub Tito facta est & finita. Hanc etiã explicationem amplectuntur Augustinus & Chrysostomus. Tunc ait dominus. Cũ videritis abominationẽ in templo fieri ab Eleazaro & seditiosis, & circũdari Hierusalem ab exercitu Romanorum duce Cestio. *Qui in Iudaa sunt fugiant ad montes, & qui in medio eius discedant.*

Ioss.li.5.de bello Iudai.

Aug. ad Hesichium epi. 80. Chry. ho. 49. in imper. Matt.

Beda cap. 88. in Luc. to. 5.

Vocantur hic montes terra montuosa quæ erat habitata extra Iudæã, quæ erat terra regis Agrippæ vltra Iordanem ad Orientem, quæ est magis orientalis, quàm Hierusalem, & est terra montuosa, nam terra Iudęæ planior est. Et ibi tunc habitauerunt in ciuitate quæ dicitur Pellas sub dominio regis Agrippæ: qui Iudęus quoque erat & magnam partem Iudæorum in subditos quoque habebat. Ipse autem erat confederatus Romanis: & præstabat auxilia Vespasiano contra Iudæos: & ideo tota terra eius secura mansit à tumultu & incommodis belli, & sic ipsi christiani tunc tuti manserunt. Poterat quidem Deus multis modis liberare suos ab exercitu Romanorum, sed non sunt facienda miracula sine necessitate, & poterant isto modo liberari cum iã de signis omnibus edocti essent. Et etiã diuino oraculo fuerunt admoniti. Et ideo appropinquante Romano exercitu omnes Christiani, qui in prouincia erant recesserunt: relinquentes incredulã Iudęam solã in medio inimicorũ suorum.

¶ Expende Dei bonitatem & clementiam. Cùm enim parat iustis tentationem, statim parat quæ leniter eos excipiant. Sic Iosepho filio Iacob cum fratres eius illum vendiderunt Ismaelitis, statim parauit Putifarem, qui eum diligeret: & totã domũ illi traderet. Sic etiam Ionas cùm in tribulationem & tempestatem incidit, statim parauit illi dominus cete grande, vt illum exciperet, & custodiret. Vnde Dauid. Non vidi iustum derelictum, &c. Habent se iusti sicut corpora rotunda, quæ cũ sint figurę sphęricę in omni loco sedem, & positionem habent. Ita iustus quocunque se conferat omnia in bonum cedũt, & benè valet: quia Deum coram se fert qui ponit manum, vt sedem faciat illi. Vnde Psalmista de iusto ait. Cùm ceciderit, nõ collidetur, quia dominus supponit manum suam. Quocunque se vertit Deus manũ imponit, & sic statim inuenit auxiliũ. Sed tamen mali habent se ad modũ lapidum quadratorum qui versus vnam partem iacere possunt, ex altera non: mali enim & impij benè in hoc loco se habent, renuunt autem ad alium accedere. Hic sunt cõtenti, illic verò esse displicet illis. Iusto etiã ait propheta Esaias. Dicite iusto quoniã bene. Si iustus in exiliũ mittitur dicite quoniã bene: si in carcerẽ detrudũt, dicite quoniam bene: si ægrotat, si persequitur, si eget, si despicitur ab hominib. dicite quoniam bene: quia illi omnia in bonum cedunt, habetque Deum semper pergentẽ secum, & adeò

Gene. 37

Iona 1

Psalm. 36

Psal. 36

Esai. 3

contentus incedit, &c. Ita hic cũ Deo curæ magnę sit prouidentia suorum secundum eius bonitatem & misericordiam cùm vult sumere de infidelibus & peccatoribus supplicium, statim suppeditat fidelibus & seruis suis remedia necessaria, vt tu intelligas quàm fidelis amicus Deus est, & quãta est illi cura suorũ. Serui Deo, & ipse tibi cõsulet. Ideo Psalmista. Iacta cogitatum tuum in domino, & ipse te enutriet. Sed ad contextũ. *Et qui in regionibus.* Hoc est habitantes in Iudęa, Galilæa, & Samaria. *Non intrent in eam.* Idest in Hierusalem, vt in ea tanquã fortiori ab hostibus defendantur. Multi enim audientes famam bellorum videntésque iam Romanorum exercitum, fùgerũt ad Hierusalem, putantes ibi saluari tanquam in arce munitissima, qui ibidem perierunt. Ideo Christus admonet suos, vt fugiant à regionibus Iudæę, & quod nõ intrent in Hierusalem. Quare domine fugient ab his locis? *Quia dies vltionis hi sunt.* Dies sunt in quibus Deus decreuit punire Hierusalem ex sua iustitia propter peccata, & vindicare sanguinem Christi, ac discipulorum suorum in Hierusalem & in Iudæa iniustè effusum. Ideo vos fugite de medio generationis prauæ. Sic Angeli præceperunt Loth vt exiret à Sodoma, ne periret in incendio. Moses præcepit iustis dicens: Recedite à tabernaculis hominũ impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent: ne inuoluamini in eorum peccatis. Saul Cinęo dixit. Recede ab Amalech, ne inuoluam te cum eo. Dies itaque vltionis Iudæę, & Hierusalem venerunt & sunt isti: ergo recedite ab eis. Obserua quàm ægrè & miserè dilectissimum populum suum Israel Dominus puniuit. Tanta enim fuit eius calamitas, & miseria, vt ipse Titus qui acerrimus hostis erat Iudæorum, fleuerit & doluerit ex cõpassione, videns eorum calamitatem, cruciatus & famẽ. Hoc velim inspicerent omnes nunc qui sine pudore vitiis, & peccatis habenas porrigunt. Meminerint esse tempus vltionis, & quod sicut ciuitati Hierusalem imminuit, imminet etiam nobis vltionis, & vindictæ dies: memores etiam sint diei illius quãdo non manebit lapis super lapidẽ in domibus suis, quia corpus quod foues, tradet Deus vermibus, animã verò dęmoniis. Semper reuolue tecum diẽ, ac Deum vltionis esse, quòd subito tibi imminebit, & forsan cras. *Vt impleantur omnia quæ scripta sunt.* De vastatione Hierusalẽ & de punitione Iudæorum per prophetas est prænunciatũ: quia de hac vltima, & finali maxima Iudæorum deiectione, desolatione ac derelictione in Esaia, Dauide, Osea, & in Hieremia, aliisque prophetis, præcipuè in Daniele, multa sunt vaticinia. Sicut est illud, Ciuitatem & sanctuarium dissipauit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & vsque ad finem perseuerauit desolatio. Et in Psalmo, Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. In Hieremia quoque dicitur. Reliqui domum meam, & dimisi hæreditatem meam.

Psal. 54

Gene. 19

Nume. 16

1. Reg. 15

Dan. 9

Psal. 68

Hiere. 12

Væ antè prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Quæ enim prægnantes sunt lactantes, & sugentes habent pueros, quomodo fugient? Quia lactantes parum sunt ad fugam accinctæ quòd prædilecta sua pignora tenerius habent vita propria. Dominus ait. Nunquid mater poterit obliuisci infantem suum vt nõ misereatur filij vteri sui? pręgnantes verò fœtus suos nõ possunt veluti alia impedimẽta abiicere, & relictis omnibus, se fugę cõcredere

Esai. 49

credere. Possunt etiam referri hęc ad ea quę historiographi scribũt de incredibili illa fame qua quędam coactæ fuere filios in cibos suos vertere.

Et erit pressura magna super terrã, & ira populo huic.

cap.24 Tam magna erit tribulatio vt in Matthæo dicit Christus quòd erit qualis nunquam fuit ab initio mundi vsque ad illud tẽpus. Cuius occasione hãc literam aliqui de Antichristo exponunt, expositio quorum ridicula est, cùm Lucas dicat hic statim quòd captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur à gentibus. Manifestũ ergo est & euidens quòd de malis veniẽtibus Iudęis & Hierusalem loquatur Christus in tempore euersionis Hierusalem. Dixit itaque dominus magnitudinem præssurę & tribulationis vt diligentius fugerẽt. Nũquam tamen in aliqua historia legimus tantam calamitatem passam Hierusalem, nec erit aliqua sicut illa. Iustum enim fuit vt pro maximo peccato maxima daretur pœna, & grauissima. Nam iuxta *Deut.25* mẽsuram delicti erit & plagarum modus, & nullum peccatum fuit adeò graue sicut occisio Christi, discipulorum eius & credentium. Ideò decens fuit vt pro illo omnium maximo peccato, maxima daretur pœna. De pręcedentibus non dubium est quin fuerit maior, sed tãtum difficultas manet quãtum ad futuras tribulationes, inter quas erit tribulatio Antichristi: nam illa videtur quòd sit maior omnibus tribulationibus. Sed absolutè dicẽdum est quòd tribulatio Iudęorum in euersione Hierusalem fuit maior quàm illa quę erit sub Antichristo: quia Christus absolutè dixit quod erit tribulatio magna qualis nunquam fuit ab initio mundi, *Matth.24* nec fiet. Sic etiã dicit Matthæus & apertius Marcus. Nullum etiam motiuum est quare debeamus dicere tribulationem sub Antichristo maiorem esse quàm illam quam passa est Iudæa & Hierusalem. Nam tanta mala ait Iosephus (qui illa vidit) acciderunt populo Iudęorum, vt vix credibilia videãtur. Sequitur.

Cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum. Quatuor ex ordine prædicit Christus, primum quod Iudęi casuri sunt ore gladij, hoc est ab hostibus interficiendi. Secũdũ fuit quod illi qui gladium effugerint captiui sint ducẽdi in omnes gentes. Multa enim millia Iudęorum à Romanis fuerunt occisa, multa millia fame perempta, multa quoque millia vendita, & ex eis fuerunt alij hincinde per omnia regna & climata mũdi dispersi. Præterea dispersio hæc Iudæorum, Deo ordinante, facta est ad confirmationem fidei Christianæ & maiorem memoriã nominis Christi, dũ conuersi ex gentibus aduersarios suos inter se videant viuentes, ex quorum libris probant quæ credunt, & in quorum tam longa, & graui captiuitate & desolatione, vident ad oculum esse impleta quę de eorundem captiuitate & dipersione prædixerant prophetæ, atque incredulos intuẽdo Iudęos memores fiũt dominicę passionis. Ideò Psal. Deus *Psalm.58* ostẽdit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, & depone eos. Tertiò addit quòd Hierusalem cõculcabitur à gentibus. Hoc est, hæc opulẽtissima, ditissima & pulcherrima vrbs ad quã vniuersæ gentes hactenus confluxerunt, in eũ venit contemptum, vt pedibus gentilium, & idololatrarum conculcetur. Quartò addit quòd Iudæorũ populus non sit sic perpetuo permansurus in tãtis miseriis, à facie scilicet Dei proiectus: sed quòd restituẽdus sit suo tempore: quãdo Christus oues suas ex populo gentium acceperit. Hac de re Paulus ad Romanos ait. Nolo vos ignorare fratres my- *Rom.11* sterium hoc: quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptũ est. Veniet ex Sion *Esai.59* qui eripiet & auertet impietatem à Iacob. Et hoc illis à me testamentum cum abstulero peccata eorum. Ideo Christus hic dicit, donec impleantur tempora nationum. Secundo etiam potest hoc intelligi quod Hierusalem & terra sanctaà gẽtibus nõ cõuersis, vtpote Saracenis inhabitabitur quousque tempora nationum impleantur: hoc est quousque veniat tempus debellationis seu expulsionis Saracenorum à terra sancta, & ipsa reddatur cultui Christiano.

¶Iam nũc Christus agit de suo vniuersali & admirabili aduentu & de fine huius sęculi: nam discipuli de subuersione Hierusalem, & de eius aduẽtu interrogauerunt. Hactenus ad vnam quæstionem respondit, ostendens signa destructionis Hierusalem. Nũc autem respondens ad illam de suo aduẽtu sicut pręmisit terorres & bella ante vrbis desolationẽ vt possent cauere mala electi, sic etiam ante suum aduentũ multa pręmittit signa. Ait ergo,

Erunt signa in sole, & luna & stellis.

Ea est Dei bonitas, & benignitas, vt nunquam de nobis suppliciũ sumat quin prius moneat. Sed tamẽ humana fragilitas & miseria cùm maxima sit, nõ pręsentiens homo monitus prius à Deo percutitur quàm ad nouam vitam accingatur. Tonitruũ præcedit fulmen: sed nos prius fulmen quàm tonitruum videmus. Prius enim Deus nobis tonitrua mittit, acsi dicat, caue ne te fulmen interimat: nos tamen vt negligentes prius à fulmine diuinæ iustitiæ ferimur, quàm eius sentiamus exhortationes. Priusquã Deus mũdum aquis diluuij destrueret, prædicauit Noë gentibus, vt ad Deum cõuerterentur pœnitentiã agentes. Hæc est diuina misericor- *Genes.6* dia. Sed inspice malitiam humanam. Nunquã voluerunt adhibere fidem Noë, adeò vt ingruẽte diluuio inuenti sunt gaudentes, comedentes & bibẽtes, multisque vitiis irretiti. Loth Sodomitis exci- *Genes.19* dium illarum ciuitatum nunciauit. Ecce Dei misericordiam Sed ipsis videbatur quasi ludens loqui. Antequam Deus de Pharaone suppliciũ sumpsisset per Mosem suasit. Hortatur prius Deus peccatorem vt conuertatur, ex quo dilucidè perficitur in *Exod.5* suppliciis Deum potius emendæ peccatoris consulere quã pęnæ. Verùm si in aliis suppliciis priusquam Deus puniret, misit prædicatores qui peccatores docerent: credis tu quòd cùm Deus venerit ad iudicandum peccatores in vltimo die, non erũt iam præmoniti? Certè iam erũt. Mittet enim Deus prædicatores de cęlo, & de terra. Sol, luna, stellæ, mare, pisces, &c. Animalia aduentum iudicis annũciabunt: vt homines viam domino parẽt, & recipiant eum: ideo præmittet multa signa. Cæterum multis obstinatis peccatoribus hæc signa parũ proderunt: & sic sicut diebus Noë, in vitiis suis cõprehendẽtur. Hanc diuinam misericordiam simul & nostram negligentiam optimè significauit regius *Psal.59* vates, cũ dixit, Dedisti metuentib. significationẽ: vt fugiant à facie arcus. Venator nõ minatur leporẽ; sed potius expectat donec quiescat vt sagittã pro-

iiciat:& tandem transfigat. At Deus qui non vult mortem peccatoris, nisi vt conuertatur & viuat, non sic facit, tenens enim arcum manu ad percutiendum, clamat vt caueamus:& intentat vt fugiamus. In die iudicij proiiciet sagittas huiusmodi ar- Psal.7
cu contra peccatores, & in eo parabit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Modo arcus pacis in manu Dei est, corda eius ad nos versa in signū fœderis: at verò in die iudicij contra nos vertetur. Sed prius dabit significationem vt fugiant à facie arcus, & liberentur, significationem autem dabit in signis, quæ erunt in sole, luna & stellis, &c. Cū videritis solem, lunā, & stellas luce carere, intelligite regem appropinquare. Sæpè ac sæpiùs dicere auditis in locis vbi rex, & curia habitant, regē cū sua curia ad alium locum proficisci velle: non vultis fidem adhibere quia dicitis esse rumores aduectitios: cæterum si domum alicuius nobilis ingrediamini, œconomive aut maioris cubicularij regis, & videritis iam omnia aulæa tollere, in custodiā ponere, compertū vobis est regem proficisci. Dicitur iudicium appropinquare, Christū venire & curiā bonorum mutari nullus vult credere, tūc autem quando sol obscuratus fuerit, aulæaque claritatis lunæ, & stellarum sublata, scitote quoniam rex gloriæ Christus cum sua curia proficiscitur, & venit. Hoc certissimum signum habete.

¶ Sed domine quod patrarunt malum sol, & luna, quod ita punias, & luce eos priues? Dico quòd quamuis isti planetæ non peccauerint, tamen punientur quia peccatoribus seruierunt. Vide tu peccator, ac considera quanto odio Deus prosequatur peccatum: nam non solùm peccatorem punit, sed etiam omnia quæ peccato seruierunt licet inanimata, & insensibilia sint. Peccatum enim dānat & etiam instrumentum peccati. Vnde in Deuterono-
Deut.20 nomio præcipit dominus Mosi vt quādo expugnarent filij Israel aliquam ciuitatem inimicorum de-
Exod.21 struerēt, ligna, arbores, & syluas:& etiam iussit dominus, vt qui cum iumento peccauerit moriatur ipse & iumentum, quod quidem nō peccauit sicut nec arbores: sed quia instrumentū fuit peccati destruere voluit Deus. Sic Sauli regi præcipit domi-
1.Reg.15 nus vt destrueret boues, oues & omnia quæ erant Amalech, quę quidem non peccauerunt sicut nec
Iosu.6 muri Hierico, & lapides ciuitatis quos Iosue de-
Genes.3 struxit. Quapropter Deus serpentem qui Euā decepit puniuit, dicēs, Super pectus tuum gradieris. Qui quidem serpens culpam nō habebat, quia diabolus loquebatur in illo, sed quia instrumentū fuit peccati, & peccato seruiuit punitus fuit, & super pectus suum graditur. Vide tu peccator, quòd luna quę te nocte illuminat quando ad peccandum, furandum, aut adulterandum te confers, & Sol, qui te calefacit quando inique agis, luce priuātur, quia non insurrexerunt contra te cùm Deum creatorē tuum, & etiam eorum offendebas, ideoq; terra etiā combureretur, quod noluit te consumere quādo te peccantem substentabat. Hæc omnia facit Deus in tuorum peccatorum detestationem, & vt metum peccatori incutiat, videatque quid Deus faciet de illo, & quomodo suppliciū sumet, cum ipse autor peccati sit, quandoquidem sic insensibiles creaturas punit, quia peccato seruierunt. In libro Iu-
Iudith.2 dith legitur quòd cùm Holofernes vastasset, & subiugasset terram Madian descendit in campos Damasci in diebus messis, & succēdit omnia sata omnésque arbores & vineas fecit incēdi. Et cecidit timor illius super omnes habitantes terram. Simili modo vt incidat timor super peccatores, sicut Holofernes arbores: ita Deus succendet terram, solem, lunam, & stellas obscurabit, vt videns hęc peccator timeat, tremat, & pœnitentiam agat.

Itaque primo vult Deus obscurari solem, & lunam in detestationem peccati, vt destruat, & damnet quæ seruiunt peccato. Secūdo vt timorem incutiat peccatoribus vt impij compuncti videntes tot signa, ad pœnitentiam veniāt, & pij siquid dignum pœnæ fecerunt, defleant erratum. Nam si cœlum iram descendentis iudicis ferre nequit, sed obtenebratur: quid tunc peccator ferre poterit? Filij Israel pauore ducti vidētes tonitrua & fulgura dixerunt Mosi, Loquere tu nobis, ne loquatur nobis Deus. Quid ergo dicet, aut faciet peccator cum tot signa viderit? Hæc enim signa admonebūt omnes, vt de peccatis suis cōterātur:& pœniteat, ne æternaliter damnentur. Maximamque incurrent formidinem quicunque etiam audacissimi viri cum hæc contigerint signa. Si ergo timent homines insolitam solis obscuritatem, si timent non consuetas tenebras, sicut Aegyptij de quibus dicitur in Exodo, quod factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra, & tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat, si timent terræmotum, ventorum vehementiam, fortunas maris, nocturnos strepitus, ac serpentum & draconum sibilos, leonúmque rugitus: quanto magis timebunt illa horibilia signa? Nam sicut in die passionis quādo Christus filius naturalis Dei passus est propter hominum peccata sol obscuratus est, & factæ sunt tenebræ per vniuersam terrā, sic quando fiet iustitia filij Dei adoptiui qui homo est, erunt ista signa, vt timore incussus pœnitentiā agat, vt Centurio egit, & multi eorum qui aderant passioni Christi videntes huiusmodi signa, & terręmotus.

Astrorū mutatio quod designet.

Exod.20

Exod.10

Matth.27

¶ Terriò hęc signa euenient, vt videas iuxta id quod ait Esaias, quàm alienū est à Deo punire: nā proprium illi est misereri semper & parcere. Nam si tantis tenebris mundus tegitur, vbi iudex venit iratus: non id opus est iudicis, non est opus suum irasci, condemnare, & punire, alienum opus eius & peregrinū est. Alioqui si ludens, & gaudens venisset ad pœnam, rideret orbis, plenáque cuncta gaudio essent, attamen in tristitia quam creaturæ ostēdunt conuincitur, Deo proprium non esse, sumere supplicium de homine, nec in tali opere lætari. Sūt iudices adeò pij, qui etsi contra aliquē crucis sententiam proferant, priùs lachrymantur, & flent. Sic Deus quando destruxit mundum tēpore Noë, priùs plorauit. Tactus dolore intrinsecus, delebo (inquit) hominē quem formaui. Super Hierusalem etiam prius fleuit antequam eā destrueret. Quemadmodum pictor qui molestia affectus delet imaginem quam depinxit, quia defectuosa. Adeò ægrè hoc exercet Deus munus, vt priusquam executioni mandet deflet. Ideo per Esaiam ait. Heu consolabor de hostibus meis. Ergo Christiane vide te cogere Deū tuis vitiis, & peccatis, vt te puniat: quod est contra eius naturam, & munus. Ideò ipse per Esaiā ait. Laborare me fecisti in peccatis tuis. Carnifex si natura sua benignus est, fert iniquo animo manus delinquentium scindere, suspendere & iugulare, & præcipuè quando qui deliquit est amicus

Propriū Dei est misereri.

Genes.7

Luc.19

Esai.1

Esai.43

tus, aut cōsanguineus, & multo magis, si filius est. Sic se habet Deus nobiscum: qui plus nos diligit quàm pater suum filium, aut sponsus spōsam. Ne creaturam quam Deus maximè diligebat puniret, elegit potiùs mortem obire. Ergo si lubens & gaudens veniret contra peccatores, non obscuraret solem, lunam & stellas, sed ex tristitia quā istæ creaturæ ostendunt colligitur quòd non gaudens venit vt puniat peccatores.

eclipsis quid. ¶ Porro eclipsari solem & lunam, pro eodem tempore impossibile est, cùm eclipsis solis fiat per interpositionem lunæ inter terram & solē, & eclipsis lunæ per interpositionem terræ inter solem & lunam. Item sol erit tunc in Oriente, & luna in Occidēte. Vnde etsi obscuratio illa fiat in toto orbe, tamen eclipsis nō potest esse vniuersalis. Circa huiusmodi obscuritatem solis scilicet, lunæ & stellarum nolo tempus consumere in recensendis opinionibus multorum. Solùm dico quod melius mihi videtur, videlicet quod obscuritas hæc cōsurget ex hoc quod Deus cooperiet solem quadam nube caliginosa, ita vt oriantur tenebræ in vniuerso, Ægypti tenebris obscuriores & nigriores. Hoc videtur dicere Ezechiel. Minatur enim ibi Deus mun- Ezech.32 dum, narrans stragem, quam in die iudicij inferet, & dicit, Et operiam cum extincti fuerint cœli, & nigrescere faciam stellas eius. Et ponit modum. Solem nube tegam, & luna non dabit lumen suū. Potest secundò dici quòd hoc fiet per radiorum subtractionem: nimirum per hoc quod Deus concursum generalē suspendet, ne cùm illis luminaribus ad lucendum concurrat. Et hoc modo sole nondū mittente radios, luna, & reliqua astra, quæ solo fulgore solis lucent obscurabuntur. Et ideo dicuntur Matt.24 stellæ cadere: quia à suo cessabunt lucendi officio: Stellæ quomodo cadant. iuxta illud Ioëlis, qui de eadem die loquēs ait. Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splēdorem suum. Potest etiam dici quòd stella quę hic cadere dicuntur sunt cometæ, qui est vapor accensus in viscosa materia, & adustibili, inflammatus ab igne sphæræ superioris, qui durat quousque illa materia finiatur, & sic insipientibus videtur stellę cadere quando illud fit. De istis autē Cometis multæ tunc erunt. Has Christus vocat stellas casuras, quia humano more loquitur: nam multa dicuntur in sacris literis secundum hominum opinionē, & non iuxta id quod veritas continebat. Planetę etiā & stellæ verę quæ sunt in firmamento omnes obscurabūtur, & nō erit tunc qualiscunque obscuritas, vt in noctis crepusculo aut in eclipsi: sed omnimoda absque vllo prorsus splendore, ac si nulla essēt astra in cęlo. Tu itaque quoties lumē solis lunæ aut stellarum videris, recordare certo venturum tempus, in quo sub aduentu iudicis mirabilis in illis luminibus sit mutatio futura. Et dum adhuc illa pretiosa lumina tibi lucent, sic vtere illorum lumine, vt his deficientibus lætus expectare possis Christum iudicem iustum. Sed quia vltima tribulatio hæc multis tribulationibus præuenitur non solùm in cœlo, sed etiam in terra erunt signa, & in omnibus elementis. Ideo sequitur in textu.

Et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris. Ex pauore quem habebunt homines propter fragores horribiles & impetuosas commotiones ac sonitus aquarum maris, & aliorum fluminum: certum est enim quòd extra omnem ęstimationē, & consuetudinem erunt procellosissimæ inundationes, sonitus, & fragores in mari, & aquis. Non mirum quod tanta commotio fiat in astris in terra & in mari: quia cùm dominus perit tota familia turbatur: omnes enim domestici flent & tristes incedunt ac mœsti sine vllo ordine. Sic omnes res fuerūt creatæ vt homini inseruirent, ideò si homo mortem subibit, æquum & iustum erit, vt omnes turbentur, quandoquidem earum dominus peribit. *Arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi.* Primò quia deficiēte solis lumine quod in hęc influit terrestria, viuentium virtus deficit. Secundò, ob nimiam animi angustiam, ac mœrorem malorum præsentium. Tertiò propter timorem futurorum, quæ pręsens calamitas comminabitur. Spiritus enim tristis exiccat ossa. Erunt enim sensibus absorpti, pauoréque & stupore attoniti, quod arescentium nomine designatur. Obserua autem quòd hoc interest inter bonos & malos, quòd boni sicut viride lignum, quod nō facile comburitur, & inflammatur, mali verò sicca sunt ligna, quæ ignis tribulatio in momento deuorat. Quod autē boni ligno viridi assimilentur, saluator ipse testatur, qui conuersus ad Luc.23 fęminas plorātes in sua passione dixit, Si in ligno viridi fit hoc, quid erit in sicco? id est, si in me q iustus sum, & viride lignū, sic ardet ignis passionis in vos qui estis aridi quid fiet? Ardet in sanctis flāma, & nonnunquam grauis, ipsi tamen non solùm non consumuntur ab igne, sed suā semper retinēt viriditatem. Quapropter cū dies iudicij appropinquauerit, Deus inueniet impios aridos, & sicut pa- Matth.13 leæ siccæ, vt ait Mattheus, igne inextinguibili comburentur. De bonis etiam egregius Psaltes ait. Et Psal.1 erit tanquam lignum quod plantatū est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Mali verò aridi, infructuosi: & sicci assimi- Luc.13 lantur ficulneæ quam maledixit Deus, & siccata est. Sententia ergo contra aridam, & infructuosam ficulneam dedit Deus, dicens cultori vineę. Succide illā. Præterea videbis in hyeme ficulneas, & arbores, foliis carentes, & exterius deformes, quę siccæ apparent à quibus nullus potest expectari fructus, igni idoneæ atque scissioni. attamen etiamsi sic oculis videantur intus propriā virtutem in radicibus abscondità habent, vt postea tēpore æstatis folia, flores, & fructū eructare possint pulchra quę appareant. Econtra autem tempore verno appropinquante siccatur herba fitque pallida, & marcida. Ita & eodē modo in hyeme tristi, & obscura vitæ præsentis, iusti qui se habēt sicut arbores virides nō ostendunt suam virtutem, apparent quidē arbores siccę, quę ab hominibus inutiles ad quancunque rem iudicantur, cum pauperes & egentes sint, latet enim eos dictum Psalm. Omnis gloria fi- Psal.44 liæ regis ab intus. Virtus enim intus abscōdita est, sicut arboris vis hyemali tēpore, Quid iudicares de Christo in cruce pēdente, nisi quòd erat quædam arbor sicca. Aduerte quod postea in sua gloriosa resurrectione exiuit sicut in vere floribus exornatus, mirabiles fructus nobis donans. Similis erat il- 2.Cor.4 le, qui pro se cæteris sibi cōiunctis dicebat. Tāquā purgamēta huius mūdi facti sumus, omniū peripsema, &c. Sic martyres sancti, despecti, & stulti habebātur inutilesq;. Diuites autē, & potentes mūdus maximis afficit honorib. qui quidē vt herba in pręsēti vita virescūt: hos maximi facit, quia nō vidēt nisi externa, & nō cōsiderāt iusti latētē virtutē. Cū autem

tem dies iudicij venerit qui alterius sæculi ver est, vide quid dicit euangelium, quòd arescent peccatores, & siccabuntur, iusti autem florebunt sicut lilium in conspectu domini. Apparebũt iusti, & sancti onusti fructibus bonorum operum quibus dicet Deus. Iam hyens trãsijt, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, ficus protulit grossos suos. Tũc cõsummata lachrymarũ hyeme, absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, (iusti enim hyemem huius vitæ frigus, & labores effuderunt.) Iam enim non erit vltra clamor, nec dolor quia priora abierunt. Orietur Sol iustitiæ Christus, quemadmodũ sol orietur pulchrior micans in veris primordio, canent angeli cælestia cantica, sicut auiculę, lucinia scilicet, & alię similes huius generis. Tunc iusti, qui hic latitabãt apparebũt sicut arbores pulcherrimæ & lucẽtes. Sed quid fiet de arida herba? mittetur in ignem vt fornax inferni incẽdatur. Exibũt angeli, qui separabunt malos de medio iustorũ, & mittent eos in caminum ignis. Dominus enim in Mattheo ait. Tunc dicam messoribus. Colligite zizaniam, & alligate eã fasciculis ad comburendum. Permittit Deus zizaniã crescere quando viridis est, quia sustinet hic Deus malos, & expectat, vt pœnitentiam agant. Quãdo autem venerit ver tempúsque merendi, quando iã aridi fuerint, & pallidi, præcipiet Deus messoribus scilicet, angelis aridam herbam secare in ignẽque inferni proiicere. In fasciculos inquit, quia cũ mali & impij simul in consortio incedant ad peccãdum, hoc eodem modo simul in infernum proiicientur. Episcopus cũ cõsobrinis, & cõsanguineis: quos ex Christi patrimonio ditauit. Prætor cum suis exequutoribus qui prædabantur terram. Vsurarius cũ vxore, filiis, famulis, & seruis qui vsuræ ministrabãt. Mercator & scriba simul cũ suis ministris in fasciculos cõburẽtur. Audi tu peccator maledicte qui tuo vẽtri, deliciis, & voluptatibus seruis. Audi Esaiam dicentẽ, Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Omnis gloria, & peccatorũ vita assimilatur malæ herbæ, quæ hodie viridis est & floret, cras autem arescit. Licet tu modo floreas & viridis sis, vide quid Esaias dixit. Exiccatum est fœnum & cecidit flos. Ad quid enim fęnum aridũ deseruit, nisi vt ex eo ignis incendatur? Hoc ergo est quod debent expectare mali, qui sicut fœnũ viride florẽt in hac vita: cum autem dies iudicij venerit arescent, iudexque accedẽs inueniet eos siccos, propter quod mittet statim in infernum. Hãc ergo siccitatem quam tunc mali, & miseri peccatores habebũt, qui videntes huiusmodi signa aduẽtus Domini arescent, significauit optimè Euangelista, dicens. Arescẽtibus hominibus præ timore, & expectatione. Timor iste adeò magnus erit, quòd quanuis iusti sint tuti propria conscientia, maximè timebunt, atque horrescent tot videntes signa, terremotus, maximámque maiestatem iudicis, iram contra iniquos & peccatores. Et vt Euangelista magnitudinem terræmotuum, & terrorum magis in animos nostros induceret, inquit, quòd nõ solùm homines sed etiã angeli contremiscent. Vnde sequitur. *Nam virtutes cœlorum mouebuntur*, Hoc est angelici spiritus. Vocantur tamen virtutes cœlorum, & vt Marcus ait, virtutes quæ sunt in cœlo: quia sunt substantiæ spirituales quæ non habent molem, sed virtutem, sicut dicimus angelos esse intelligentias, vel substantias separatas, quia nõ sunt spiritus vniti materiæ sicut animę, sed absoluti. Possunt etiam accipi istæ virtutes cœlorum pro vno de nouem ordinibus Angelorum, & quilibet Angelus illius ordinis vocatur virtus, & illi Angeli vocantur virtutes. Mouentur tamen operatione insolita: nam ante hoc operabantur, id quod ordinarium erat, & erat naturale non miraculosum, quia nunc agunt operationes suas solitas, sed tunc mouebuntur ad faciendum operationes maiores & inconsuetas, & sic oportebit sol obscurari, & luna, & cadere stellæ. Nam cum spiritibus specialiter his qui sunt de secunda hierarchia pertineat operari miracula quæ fiunt super res sensibiles: ideo mouebuntur ad faciendum has operationes maiores, & inconsuetas, obscurando solem, &c. Vel mouebũtur obstupescentes, & trementes videntes Dei irã aduersus peccatores.

Eccles. 39 | Cant. 3 | Mala. 4 | Matt. 13 | Esai. 40 | Greg. ho. 1. in euan. Theoph. in hoc loco. | Mar. 13

¶ Considera iam nunc tu qui in hac breuissima vita tuis desideriis, & concupiscentiis seruis, qualis erit ille dies, vbi homines arescent. Angeli mouebuntur præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Quãta & quam terribilis sit illa dies, perpendi potest, primò in miseriis, & laboribus, quos hic iusti patiuntur, & sustinent? Quia si iusti vt sunt Apostoli, martyres, & amici Dei, tot afficiũtur calamitatibus, paupertate, scilicet fame, carcere, persequuntúrque, & accipiuntur miseris modis, quid malis est expectandum? Ecce inquit Hieremias quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent, & tu quasi innocens relinqueris. Non eris innocẽs, sed bibens bibes. Putant impij flagella, ignes, & scorpios, bonis paratos esse: cum secundum veritatem, non nisi malis, & peccatoribus, qui & si in hoc sęculo cũ mali, & impij sint non patiantur, hoc habeant pro comperto enormia, & terribilia tormenta eos expectare, quod ipsi credere debẽt, siquidẽ Diuus Petrus, Andræas, & Laurentius, necnõ Ioãnes Baptista cũ tanta essent sanctitate præditi, & perfectione vitæ, tot tantósque cruciatus sustinuerunt. Hiere. 49

¶ Secundò aduertendum quàm terribile iudicium erit illud, siquidem tam patienter, & benignè se gerit Deus cũ peccatoribus in hac vita. Si quis furatur, plagis multis vapulat: si regem prodit, pœna capitali punitur, &c. Deus ergo qui quotidie singulis horis videt, & suffert blasphemias, furta, abominationes & maxima peccata, nonne de his supplicium sumet? Qui maximi facit honorẽ proprium, ita vt eum minimum dedecus, & contumelia maximè torquet, & ita æstimat, qui cum adeo sit magnificus & liberalis, vt seipsum nobis donet, nihilominus dicit, gloriam meam alteri non dabo: si ergo sic se res habeat, quid facturum aut pœnas sumpturum de tot iniuriis, cõtumeliis, & alapis, quibus ab iniquis peccatoribus prosequitur, putas? Sic Deum dedecus, & contẽptus vexat, vt quod prius Esaias dixit, fuit expostulare cum hominibus dicẽs, Audite cęli, auribus percipe terra, quoniam dominus locutus est. Filios enutriui: & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Maxima Deus iniuria afficitur propter contemptum, siquidem cœlos & terrã vocat. Si ergo hæc in præsenti statu non punit: pro comperto habere potes te thesaurizare iram in die iræ, & vindictæ, simulque pœnas daturum in illo die. Et ex maxima Dei patientia, & benignitate, qua cum peccatoribus se gerit Deus, cũ sit adeò honoris proprij cupidus, hinc

Esai. 43 | Esai. 1 | Rom. 2

hinc tu collige quàm magna erũt diei iudicij supplicia. *1.Petr.4* Adeo magna erunt, vt dicat sanctus Petrus *Psal.142* de illo die loquens, quod iustus vix saluabitur. Quod Dauid cõsiderans dicebat Deo, Non intres in iudiciũ cũ seruo tuo Domine. Nã quod ait cum seruo tuo: Quid Dauid ais? nonne iustus, & seruus Dei es? quare ergo non gaudebis Deo rationem reddendo? Quia sentiebat Dauid Domini iudiciũ sic arctũ esse, ꝙ vix iustus saluari poterat, timebat, quãuis iustus: in iudicio Deo reddere rationẽ. Si ergo qui Deo seruit hoc refugit iudicium, quid faciet qui tantũ carni, mundo, & voluptatibus inseruiuit? Si seruus Dei renuit intrare in iudiciũ: quomodo intrabit seruus dæmonis. Sed quid est quod qui tantũ bene egerunt timent huiusmodi rationẽ reddere? Quoniam etiam opera bona maximo rigore examinabuntur. *Psal.74* Vnde Dominus, Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Tempus omne Dei est: sed tamen in hac vita Deus illius nos constituit dominos, vt cùm nostrum sit in eo mereri possimus. Postea tamen cum dies iudicij accesserit, accipiet Deus tempus suum nobis commodatum, quando erimus extra omnem statum merendi, & resipiscendi, tunc iustitias iudicabit. Non dicit furta, homicidia, adulteria, &c. sed iustitias, id est opera iusta & bona: nam etiam bona quæ gessimus examinabuntur, appendentúrque in statera recti iudicij Dei, vbi cognoscetur an propter inanem mundi gloriam fuerint facta, vel proprium amorem, propter Deumve: quamobrem quàm plurima opera quæ nobis hic supererogationis, & heroica esse videntur, coram iudicio Dei parui momenti erunt. *Genes.1* In mundi creatione non mirũ quòd examinaret Deus animalia, pisces, & alia, sed mirum valde est quòd examinaret lucem. Vidit enim Deus lucem, quòd esset bona. Sic etiam in fine mũdi sicut in eius creatione examinabit Deus opera nostra lucida & bona: tunc enim apparebunt tenebræ, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. *Psal.142* Non quod Lutherani asserunt, iustum in omni opere suo peccare: sed operum nostrorũ imperfectionem volo indicare, si ad examen diuini iudicij conferantur. Ideo diuus Petrus dicebat, *1.Petr.4* quod iustus vix saluabitur: si Dauid qui seruus Dei erat, adeò timebat in hoc intrare iudicium. Quid faciet ergo peccator plenus vitiis, *Genes.45* Si fratres Ioseph perterriti sunt valde, audientes dicentem: Ego sum Ioseph, eo quòd memores erant iniquitatis præteritæ, de qua iam pœnituerant, quid facient peccatores illi qui toties Deum vendiderunt, cum vident Christum, non solùm in regno Ægypti dominantem, sed super omnem mundum in tãta gloria & maiestate, cũ ipsi sint onusti tot vitiis, & peccatis, quorum nunquam pœnitentiam egerunt. *Hest.14* Si Hester corruit, & exanimata est in aspectu regis *Dan.9.* Assueri, Daniel viso Angelo tremuit: *Matth.28* custodes sepulchri in Christi resurrectione sunt territi, factiq; velut mortui, *Ioan.18* & Iudęi in horto veniẽtes armati vt Christum iamiam moriturum caperent audientes ego sum: ceciderunt retrorsum: quid faciet peccator cum viderit Christum in nubibus cum potestate magna, & maiestate venientem, vt puniat peccatores. *Exod.19* Si tantum territi sunt filij Israel cùm venerũt audire legẽ, vt dicerẽt, ne loquatur nobis Deus ne forte moriamur: quis accedet tunc ad Christum non legem dantem, sed eius transgressores puniẽtem? Non ibi sonabit buccina, sicut cùm dabatur lex, sed vehemens tuba. Si Hierusalem tunc vt dicit propheta Sophonias scrutabitur lucernis ardẽtibus, *Sophon.1.* cũ sit ciuitas sancta: quid erit de Babylone? Nulla ibi proderit philosophia Aristotelis, eloquẽtia Ciceronis, rethorica Quintiliani. Nulla ibi sciẽtia, diuitiæ, mundi fauor, potentia, aut hypocrisis proderit, nisi solùm bona conscientia. Non erit locus fugiendi: nam vbique apprehẽderis, & corã iudice ad iudicium traheris. Abscõdit se Adam in Paradiso, *Genes.3* cùm ad iudiciũ vocabatur, sed tunc non inuenies siluam vbi abscondaris: sed ligna erũt nõ ad refugium, sed ad tormentum, quia illis combureris. Habent hic peccatores lignum crucis ad quod se conferant, vt illud amplectentes virtute illius Christi quę meritis saluentur, & misericordiã *Matt.24* consequantur. Sed in iudicio crux Christi, quæ hic est refugium, apparebit in nubibus, non ad solatium, aut refugium, sed ad tormentum. Ligna syluarum erunt ardentia, vt ibi non se abscondat filius Adam, nisi vt crĕmetur: & lignum crucis erit tunc in cœlo ad terrorem. In Numeris enim habetur quod dixit Dominus Mosi. *Nume.17* Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi in signũ rebellionis filiorum Israel. Sicut crux Christi summi sacerdotis seruabitur in iudicio in testimonium rebellionis peccatorum. Nam sicut recta regula metimur obliquũ lapidis, ita crucis virga apparebit in iudicij die, vt illa tãquam regula mẽsuretur vita nostra, cruce ipsa Christi vitę nostrę moribusq; applicata rectę, siue obliquę iudicẽtur. Obliqua illa opera, & mala dicentur, quæ huic regulæ cõsona & proportionata non fuerint: ecõtra autem, bona & sancta. Nec tũc Christus veniet deambulans ad auram post meridiem sicut cũ puniuit Adam, conferens spatium atque tempus intra quod abscondi posset, aut (vt meliùs loquamur) *Genes.3* agere pœnitentiam posset. Sed tunc in iudicio illo non erit pœnitentiæ locus: quia non deambulans sed cito veniet, & ideo in Euangelio eius aduẽtus *Matt.24* fulguri comparatur. In diluuio cũ Deus destruxit mundum aquis, habuerũt illi octo refugium in arca: sed hic nullũ erit refugium. *Genes.8;* Cum subuertit Dominus Sodomã & Gomorrã nõ omnes perierunt, quia Loth in monte saluatus est: sed in iudicio dicent mali: Montes cooperite nos. *Gene.19* Quid ergo speratis? quid statis? cur non agitis pœnitentiam? Veniet tunc tempus quando non arare, nec metere poterunt, & qui ex pręcedentibus annis non cõgregãt, tunc esurient. *Genes.24.* *Esai.65* Vnde Dominus per Prophetã Serui mei comedent, & vos esurietis. O quanta est stultitia nostra qui scientes quod non erit tũc panis, sed sterilitas, nolumus hic laborare. Nõ sic spreuit cõsilium Ioseph princeps Ægypti, *Genes.42* *Gene.19* quãuis nunc multi sunt generi Loth qui consilium salutare spernunt. Non vacabit tunc tempus latendi, nec merendi. O quàm angustę erunt viæ reproborum, superiùs erit iudex iratus, inferius horrendum chaos: à dextris peccata accusantia, à sinistris dęmoinia ad supplicium trahentia: intus consciẽtia mordens, foris mũdus ardens. Vide quàm iure, & merito Christus dicit quod arescent homines præ timore, expectatione, & quod virtutes cœlorũ mouebuntur quãdoquidẽ Iob cùm sanctus & iustus esset, & nõ oculis, *Iob.31* sed tantũ cogitatione cerneret hoc iudiciũ, tremebat, & timore pculsus dicebat. Sẽper enim quasi

tremen-

Iob 31 trementes super me fluctus timui Deum,& pódus eius ferre non potui. Iudicium enim erit quædam inundatio qua totus mundus, & omnia bona eius subuertentur. Extat modo mundus, sordidus ac fœtidus sunt homines onusti officiis, & magistratibus, sed naufragium faciunt, cum propriis mercibus. Cósule Beatum Gregoriú in Moralibus super hoc quod ait Iob, pulchrè differentem. Propheta quoque Amos: Reuelabitur inquit quasi aqua iudicium,& iustitia quasi torrens. Sicuti quando inundat, magnaque diluuies ingruit, rapit omnia quæ cursui obstare videntur & secum fert. Vnde & Beatus, Iob loquens cum Eliphath. Nunquid semitam sęculorum custodire cupis quam calcauerunt viri iniqui, qui sublati sunt,& fluuius euertit fundamétum eorum? Lege etiam sextum caput libri sextidecimi Gregorij in Moralibus super sanctum Iob: cuius doctrina, quæ optima est breuitatis causa nunc omittimus. Diuus quoque Bernardus statim in initio primi sermonis aduentus assimilat múdi amatores nauigantibus, qui quidem ingruente tempestate nauique tracta & comminuta pro viribus tétant manibus capere herbam, seu tabulam cupientes in ea incolumes euadere: crescente autem tempestate nauis cum contentis naufragium facit. Sic se habent impij qui vt pauperiem fugiant diuitias amplectuntur, vtque tamé deuitent cibos capiút, &c. Sed in iudicij die omnia peribunt: quia fluuius iustitiæ diuinæ subuertet omnia. Ideo Iob quasi fluctus timebat Domini iustitiá, iudicium eius & pódus. Vide Greg. Quod ergo restat remedium, vt tot, tantáque fugiamus pericula? Quid faciemus, ne submergamur tot ingruentibus tempestatibus? Alleuare nauem animæ ab omni onere, & omnia abiicere, vt sunt diuitię, deliciæ, negocia sęcularia, honores,& his similia: & quod magis faciat nauem submergere, vt sunt peccata, iuxta illud. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meú: & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Sed de his satis. Verú scias quanta autoritate & maiestate Dominus veniet suos iudicare post hæc, signa, & terrores qui præuenient diem iudicij, vide quid Euangelista dicat. *Tunc videbunt*. Tunc, in hoc loco magnam emphasim habet. Tunc quando bona conscientia præstabit totius vniuersi regimini. Túc quando satiùs erit fuisse pauperculum despectum & deiectú, quá maximum prælatum, diuitem potétem in hoc múdo. Túc quando deliciæ, voluptates, honores, humanæ amicitiæ peribunt. Tunc quando amici, cognati, regum studium, eorumque præcipuum esse amicum, nihil proderunt, Túc quádo mundus succensus & consummatus fuerit. Tunc quádo tu cú Deo solus sedebis ad rationem tui reddendá, examinandamque conscientiam finali incéso. Et quádo eueniet hoc túc? De illa die nemo scit, nec filius eius quatenus homo est ex natura sua nisi ex vnione ad verbum: nec sciri potest ab aliquo mortali seclusa Dei reuelatione. Verùm possumus scire aliquem citò finiendum,& moriturum quando iá senex: & decrepitus est, quanuis dié ignoremus mortis eius, ná vt Paulus ait, quod antiquatur & senescit, propè interitum est. De hac sexta & vltima ætate, ait Apostolus. Nos sumus in quos fines sęculorum deuenerunt. Et Ioannes etiam. Filioli nouissima hora est. Apostolus etiam Paulus, iterum ait Tempus enim breue est. Ergo iam mundus interitum minatur. Signum etiam est ægroti iamiá morituri, quando videris lecti lodices, & stragula manu tenere, & ad se vi trahere. Iam nunc videmus principes capere stragula, expoliare & exuere ecclesias,& monasteria hospitaliáque, quartam partem vectigalium vendicantes sibi, faciétes Dei ecclesiam ignobilem tributóque obnoxiam. Nec desunt theologi qui consulant regibus, & laudent illorum auaritiam. Sicut nec defuerút Abimelech serui, qui laudarent pulchritudinem Sarę. Semper enim principes habent iuxta se qui laudét ea, quæ ipsi diligút,& astát oculis acutis inspiciétes quid regi charius quidq; cú magis allicit, vt ipsi approbét, & cómendét, quáuis re malum sit,& vituperabile. Itaq; rapina principú diuitum,& potentum, signú euidens est mundum iam cito moriturum.

¶ Aliud etiam signum morituri in proximú est frigiditas corporis: túc enim medicus dicit, Actú est de eo. Sic Dauid quia senuerat habebátque ætatis plurimos dies, cúmque operiretur vestibus nó calescebat, & sic deficiente calore mortuus est. Sic quando quis incipit mori frigescút pedes, manus, nasus,& omnia membra. Quando náq; in mundo tá parum charitatis fuit sicut nunc? Iam amor non est, nec de virtute agitur, nec veritas præualet, nec pietas seu misericordia erga proximos egentes, & miseros. Conciones fere nunquam audiuntur, res sacra breuis desideratur: quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum, mendacium, homicidium, & adulterium inúdauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra,& omnes in ea. Omnia hęc oculis nostris videmus, quapropter mundus iam infirmatur,& in extremis laborat. Vnde Dominus. Cùm venerit filius hominis, putas quòd inueniet fidem super terram? Non stant homines promissis, fidem non seruant, debitum pernegant, non est cui fidere possit homo: homines secretum nó tacét, omnia garrulationes & proditiones sunt. Principes & rectores populorú, nó rectores, sed oppressores eorum sunt: non domini, sed tyranni, non legum obseruatores, sed omnis iustitiæ,& honestatis violatores. Vbi nunc in mercatoribus, & officialibus mechanicis veritas? Non est fidelitas: nec inuenies amicum: Omnes quærút quæ sua sunt non quę Iesu Christi. Vbique vsuræ, periuria, deceptiones, mendacia, vbique fraudes. Múdus iam in maligno positus est, & iam adimpletum cernimus illud Esaiæ. Et relinquetur sicut excussio oleæ duarum vel trium oliuarum, in sumitate, rami, siue quatuor aut quinque. Quando virgis cędút & quatiunt oliuam videbis foliis expoliatam ramisque carentem, hic vnum, ibi alium cernes in arboris summitate. Sic nunc ecclesia videtur excussa, & expoliata esse tota illustribus viris & sanctis quibus florebat elapsis temporibus, non inuenies iam nisi vnum aut alterum in abdytis, audies quendam virum sanctum Toleti habitare, alium Hispali, alium Parisiis, alium Barchinonæ, alium Neapoli: cętera orbis plena sunt perditorum hominum,& vitiosorum. Qui ergo memoria pręterita tenet,& videt Ecclesiam Dei sicut oliuam excussam, viribus sanctis egentem: nonne dicet mundum constitutum esse in vltimo agone finémque subire? Igitur finem hunc quotidie expectemus, iudicisque aduentum qui veniet nobiscum rationem facere. Tunc enim satiùs erit pauperem

Marginalia: Iob 31 — Lib.28. Mor. cap.16 — Amos 5 — Iob.22 — Ser.1. de aduen. Domini. — Greg.lib 20. Mor.c.33 — Psalm.37 — Matt.13 Hebr.8 — 1.Cor.10 — 1.Ioan.2 — 1.Cor.7 — Regum auaritia signum induq. — Genes.20 — 3.Reg.1 — Matth.24 — Osee 4 — Luc.17 — Philip.2 — 1.Ioan.5 — Esai.16

rem mendicum fuisse, amare, propter peccata fleuisse, quàm magnas diuitias habuisse, & tempus vitæ vanitatibus tribuisse. Tunc enim de quolibet verbo otioso, & cogitatione, rationē reddes. Quid erit tunc?

Videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate.

Tria hic maximè consideranda sunt. Primò quis sit qui venit. Secundò, ad quid venit. Tertio, quomodo venit. De primo ait, quod videbunt filium hominis venientem. Christo enim homini tradita Matth. 28 est à Sanctissima Trinitate potestas iudicādi viuos & mortuos. Hoc est quod ipsemet ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et iterum. Pa- Ioan. 5 ter omne iudicium dedit filio. Et rursus. Et potestatem dedit ei iudicium facere: quia filius hominis est. In Actis quoque Petrus Apostolorum princeps ait de Christo. Hic est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum. Christus enim in illa forma secundum quam est Dominus humani generis, ad iudicandum veniet. Obtinuit enim in quantum homo iure redemptionis dominium in Rom. 14 totum humanum genus. Ideo Paulus. In hoc Christus mortuus est, & resurrexit: vt viuorum & mortuorum dominetur. Non tamen erunt damnati beati, licet Christum videant: quia quanuis ab omnibus sit videndus, & ostendatur illa forma serui tam bonis quàm malis: forma tamē Dei solis bonis seruabitur. Nam requiritur ad videndam diuinā essentiam lumen gloriæ, quo eleuetur potentia, vt ad id fiat idonea. Et licet aliqui negent illud lumen gloriæ exigi: saltem fatentur concursum aliquem diuinum supra naturam, quod non dabitur damnatis. Videbunt damnati corporis Christi gloriosi dotes, vt claritatem, & alias: quia videbunt Christi humanitatem quæ apparebit dotibus gloriosis. Cognoscent autem illum esse filium Dei per excellentiam claritatis corporis, per maiestatē imperandi: promptitudinem in Angelis, & sanctis obsequendi, per tam euidentia & perspicua signa, vt illis conuicti negare non valeant. Cognoscent enim per signa certissima effectúsque manifestos, quòd Christus est Deus, ac omnipotens, & videbunt humanitatem eius gloriosam: de qua visione non solùm non delectabuntur, sed recipient dolorem maximum & pœnam, quia oculus infirmus offenditur videndo lumen maximum. Itē quia erunt obdurati in odiū Christi: inimicus autem tristatur videndo gloriam illius quem odit, vel inuidet. Ideo videbunt eū cum maximo dolore atque pudore: quod videbunt quē oderant, vt inimicum maxima gloria, honore exal- Genes. 37 tatum. Sic filij Iacob sunt maximo mœrore pressi, videntes Ioseph maximo honore & deliciis à patre Iacob affici: qui illis erat exosus nimis. Sic torquebatur Saul, quia videbat Dauidē quem ipse o- 1. Reg. 19 derat laudari & venerari à populo. Sic Hieremias Threno. 1. non tam vexatus est videns Hierusalem euersam, & quasi viduam, quàm quod inimici eius facti sunt ei in capite. Malos vocat Paulus inimicos Christi Phi. 3 Iesu. Quorum finis interitus: videbunt enim quem ipsi oderant honoratum maximè, quod quidem cedet in nimium dolorem. Sic mali cruciabuntur, & in eorum pœnam veniet Christus, cum tāta maiestate, ibi videbunt illum tam terribilem vt eligerent potius quod infernus eos absorberet: quàm il- Esai. 26 lius vultum intueri, & sententiā expectare. Esaias enim dixit, Impius non videbit gloriam Domini. Hoc dixit de visione diuinitatis, quia de humanitate dicit in eodem capite. Videant & confundantur, & ignis hostes tuos deuoret. E contra autem apparebit electis vultu placabili, & iucundissimo: quia beati videbunt eum oculo mentali, diuinitatē eius in propria forma, etiam gloriam animæ ipsius, oculo corporali gloriam & splendorem corporis eius, cum maximo gaudio, & lætitia. Ideo Esaias. Regē Esai. 33 in decore suo videbunt.

¶ Nota autem quòd Christo datur iudicium, vt Ioan. 5 ipse ait, quia filius hominis est: quod in maiorē gloriam beatorum redundat: & in maius præiudicium damnatorum, malorúmque tormentū. Sicut enim Luc. 2 cum in carne passibili venit, fuit in ruinam & in resurrectionem multorum: sic erit in secundo aduentu. Mali specialiter punientur videntes quòd ille, cuius moribus ipsi contradixerunt, sit eorū iudex. Nonne erit maxima confusio auari, quod erit eius iudex homo qui fuit pauperrimus & diuitiarū contemptor, ita vt diceret, vulpes foueas habēt, & vo- Luca 9 lucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet? Quid dicent superbi cum viderint iudicem illum, qui portans in humeris suis crucem crucifigi voluit? Quid ambitiosi, videntes Ioan. 6 iudicem qui fugit cum voluerunt eum facere regē? Matth. 27 Quid gulosi dicent coram felle & aceto potato? Quid denique omnes mūdi amatores, coram mundi, & deliciarum contemptore dicturi sunt? Maximum supplicium erit malis Christum eorum iudicem esse: nam confusio diuitis est pauperem iudicē ei constitui: superbo humilem dari, impudico, continentem: potenti, & magnati, pauperem Christum Iesum. Si in curiam regis proficisceretis, vt vicinū tuum apud iudices conuenires de lite, & tibi in via occurrisset obuiam quidam patrius homo de eadē curia veniens, cúmque de lite certiorem faceres, & ipse responderet te omni carere iure, quia ceteri in simili casu condemnari solent: nōne domum tuam redires, vt cum opposita parte conuenires: desisteréque ab incepto? Certe sic. Auare ergo quo vades? Ad iudicium vado. Ibis quidē velis nolis. Dic mihi quæ res tua agitur? Nummos atque diuitias multas congregare, siue per fas, aut nefas. O quàm iniqua res agitur. Similem litem iam Christus Dominus gloriæ iudex condemnauit, quando in præsepio natus est, fuitque pauper, mendicus in vita sua, & tandem post mortem sepultus est in alieno sepulchro. Idē dicere possumus de furibundis, gulosis, superbis, & de cæteris vitiis deditis. Damnauit Christus qui tuus erit iudex auaritiam, luxuriam, gulam, iram, inuidiā, cæteráque vitia & peccata, sua vita & exemplo reprehensionibúsque, & hoc toto triginta trium annorum discursu quo in sæculo vixit. Iste ergo tā vitiis oppositus datur, vt sit iudex vitiis deditis in eorum dedecus, & ignominiam. Ibi non excusabitur iracundus, quod iniuriam condonare non potuit: siquidem iudex quem alloquitur cum ab inimicis suis quamplurimis obsessus, & cir- Luca 23 cundatus esset sustinebat, & orabat Patrem pro illis etiam quando cruci affixerunt. Non dicet gulosus ieiunare nō posse: quia continentissimus & maximus ieiunator iudicabit eum, &c. & sic de aliis. Contra autē maximū erit solatiū bonis & gaudiū, iudicē Christū habere potius quàm aliā diuinā personā: tunc habebunt iudicē apud quē opus nō erit maximo conatu & labore, vt persuasus fiat quantū sit opus, ignoscere inimico, ieiunare, perpeti famē,

frigus, sitim, martyrium pati, pro eo flagellari & crucifigi, nam horum omnium iudex scientiam habet experimentalem. & sic maxima erit iustis gloria videre suum iudicem eosdé sustinuisse labores, quos ipsi: ideóque non erit iustitiam commendare opus. Dic mihi si litem intenderes & iuris peritus qui tibi patrocinatur nouitque te iure agere, in tua causa iudex constitueretur: nonne maxima afficereris lætitia? Considera ergo quòd iusti & pij in præsenti vita, Christum habēt patronum in cœlo, iuxta illud quod ait Ioannes. Aduocatum habemus apud Patrem Dominum Iesum Christum. Gaudium itaque speciale erit bonis & sanctis viris iudicem habere, qui & aduocatus est: nouitque cuiusque iustitiam, & iniuriam quam mundo persequēte passi sunt. Disce ergo æquo animo pati labores, & angustias: paruique face. e hominum iudicia. Nam quando quis damnatur a iudice ignaro, sua parum refert, nec sententia ab eo lata angit: sed ad alium peritum iudicem prouocat, qui superior est, & suæ iustitiæ ignarus, qui irreuocabilem sententiam in proprium fauorem proferet. Sic se habent iusti in hoc sæculo, contra quos mundus sententiam vt stultus & ignorans fert, vilipendens eum, qui facilè parcit, iudicánsque magnum esse dedecus iniuriam non vindicare, esse humilem, pauperem, & stultitiam maximam propria bona dimittere: Sic mali dixerunt de bonis. Hi sunt quos aliquādo habuimus in derisum, & in similitudiné improperij. Nos insensati vitam illorum putabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Hoc est iudicium, & sententia iniusta quam mundus ignarus fert contra iustos: & sic in hoc statu, iustorum causa semper damnatur. Sed tamen non ægrè ferant, quia via & aditus patet ad prouocandū, vt à iudice supremo Christo Iesu audiantur optimo iurisperito, qui dicet hominū sententiā vanā fuisse, nullamque esse, aliam pro bonis proferens, malos condemnās, à qua nemo fugere, aut appellare poterit. Sic propheta Hieremias cum ab hominibus iniustè damnari videret ad Deum conuertitur dicens, Tu auté Domine Deus Sabaoth, qui iudicas iustè, probas renes & corda, videam vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui causam meam, Domine Deus meus, Itaque in gratiam iustorum, & pœnam malorum Christus Deus & homo veniet ad iudicium. Nam boni & sancti lætabuntur maximè videntes aduocatum, iudicem super eos constitutum: mali verò confundentur cum viderint inimicū cum tanto honore exaltatum, vt iudicet qui in hoc sæculo verbo & exemplo eorum facta damnauit.

1. Ioan. 2 — *Sap. 5* — *Hiere. 11*

¶ Secundò ad quid Christus sit venturus, notū est: nam veniet iudicare viuos & mortuos. Sed videtur maximè dignitati & auctoritati Christi derogare cum homine intrare in iudicium, videtur iniquam pusillanimitas & deiectio. Si Rex cum suo obsonatore cōsideret, vt ab eo rationem sumeret, vir certè parui ponderis, & momenti haberetur: qui item si in pœnuarium vel culinam intraret, vilio ris æstimaretur. Vir qui à formicis exigere vellet qua causa ductæ grana in foramina, & specus cōdunt: iste homo nonne stultus iudicaretur? Plus nimium maiestati, & excellentiæ Dei derogat rationem ab homine exigere: quia respectu Dei homo minoris, quàm formica respectu hominis sit. Item quia coquus ita homo est sicut rex: homines aút coram Deo sunt tanquam si non essent, inquit Esaias

Iudicium duplex: particulare & generale. — *Esai. 40*

Et Dauid in Psalmo. Substantia mea quasi nihilum coram te. Coram homine aliquid siue multum valet alius homo, & si alter sit Cesar, alter verò subulcus: sed coram Deo omnes sunt quasi non essent. Ideo Abraham: Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis. Esaias quoque. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Et in Psalmo. Omnes sicut vestimentum veterascent, tu auté idem ipse es, &c. Itaque si minus corā Deo sumus quàm coram Rege pœnuarius, & quàm coràm homine formica, videtur indignū Deo cum homine in iudicium intrare. Hoc dicebat Iob. Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Et dignū ducis super huiusmodi oculos aperire, & ducere eū tecū in iudicium? Præterea quā exegisti Domine rationē in mortis hora, optima fuit quidem & falli nullo modo potuit: ad quid ergo conducit iudicium vniuersale facere, ad iterū exigendam? Deinde propheta tuus ait, quod non punis bis in idipsum. Semel enim Deus peccatum punit, & tunc maxima misericordia & benignitate. Misericordiam & iudicium, (ait Dauid) cantabo tibi domine. Ergo si hominem in morte iudicas, ad quid iterum iudicium facis & iterum damnas? Respondetur ad hoc, quòd conuenit, vt Deus faciat iudiciū generale: expedit enim ex parte Dei, & ex parte nostra. Ex parte Dei: quia iustus est, & iustitia est constans ac perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuēs: & si vnicuique tribuendum est secundum proprium meritum, secundum rationem naturalem constat virtuti præmium, vitio autem supplicium deberi. Hoc non facit Deus in hac vita, siquidem multi boni & iusti ad maximam paupertatem deueniunt, infirmitatem, persecutiones, & afflictiones patiuntur: malis autem multa secunda euenire ab omnibúsque extolli videmus. Quā rem multi mirantur, vt Dauid. Mei auté penè moti sūt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui super inimicos pacē peccatorum videns, &c. Vide totum illum Psalmum: vbi Dauid inquit, quod penè moti sunt pedes eius videntes prosperitaté malorum, & quòd boni parui fiant, vt nō sit respectus morti eorum. Et tandem huius causam non penetrans, inquit, in hac vita huiusmodi iudicium Dei nos latere, & quod in die vltimo iudicij in alia vita, cognoscetur. Ideo dixit. Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. Abacuc etiam clamat, & vociferatur dicens. Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se, &c. Dauid. Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur? Iob etiā de quæstione hac miratur: & multi alij, quos longum esset recensere. Plurimos etiam & nunc turbat hæc quæstio, videntes malorum fœlicitatem, & bonorum contēptum. Vt ergo ad hos omnes respondeat honoríque satisfaciat Deus, operæpretium duxit iudicium generale fieri, vt omnibus satisfaciat, vt Dauid inquit. Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cū iudicaris. Est Deus adeo bonus, quod cùm sit maximus & omnipotens, nos autem adeo minimi, non dedignatur nobis rationem reddere, humiliari: suámque coram hominibus defendere causam: vt suam ostendat iustitiam, & quomodo quæ facit, rectè & iustissimè facit. Hoc perspicuum est, quod in instanti quo anima corpus deserit, datur ei pœna secundum suum meritum: sed quia hoc cæteros latet, cum iudicium occultum sit: ex

Psal. 38 — *Genes. 18* — *Esai. 40* — *Psal. 101* — *Iob 14* — *Nahum 1* — *Psal. 100* — *Psal. 72* — *Abac. 1* — *Psal. 93* — *Psal. 50*

sit : ex parte Dei conuenit iudicium aliud esse vniuersale, vt omnes iustitiæ Dei certiores fiant. Vult Deus omnes homines intelligere quã iustè se gesserit cum singulis in mortis hora, malo, scilicet, & bono. Ideo Esaias ait, Reuelabunt cœli iniquitatem Iudææ, & terra aduersus eum insurget : & notũ erit peccatum illius cum his qui dixerunt Deo, recede à nobis.

¶ Secundò iudicij dies necessarius est ex parte nostra: quia virtus nõ solùm præmio, sed digna honoris est: & vitium nõ solùm supplicium, sed etiam confusionem, & dedecus meretur. Et sic oportet bonos non solùm in morte præmio donari, sed etiã æquum, & iustum est, vt coram omnibus honore afficiantur. Peccatores quoque publicè dedecore affici maximè conuenit: quia peccatum cùm malum sit, obligat non solùm ad pœnam, sed etiam ad confusionem, & pudorem. Ideo leges præcipiunt, vt latrones publicè puniantur, propter confusionem, & verecundiam quam patiuntur: vnde si iudex latronem secretò in carcere vapulare iuberet, non esset in officio, nec iustitiam faceret: quia abstulit aliquam partem pœnæ culpæ debitæ, quæ pudor est, qua maior homini inferri non potest. Hinc est, quòd homo proprij honoris zelotypus eliget potius maximam pœnam pati, quàm quodlibet publicum dedecus etsi paruum sit. Ne ergo dimittat Deus quæ ad rectam iustitiam pertinent opus est palam crimen obiicere peccatoris. Quare damnati mallent esse in inferno & pati illas pœnas, quàm dedecus illud pati. Mundi iudices tam sæculares quàm ecclesiastici supplicium delictorum differũt in dies feriales quibus multi comparent. Ita Deus reseruauit multa delicta, vt in illa die coram omni-
1.Cor.4 bus sumeret supplicium de illis. Vnde Paulus. Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et dominus per Prophetam Naũ
Naum.3 minatur dicens, Reuelabo pudenda tua in facie tua & ostendam in gentibus nuditatem tuam: & regnis, ignominiam tuam. Nam si mulier honesta, & verecunda nudaretur coram omni regno, moreretur pre verecundia. Quid ergo faciet tunc peccator cum coram toto mundo legetur eius vita, turpitudines, & abominabiles cogitationes? Huc obsecro oculos tuos attolle, considera maximè futuram tuam confusionem & ignominiam, quanto maior erit tunc delictorum tuorum cognitio: & quanto plures & dignitates maiores erunt ij coram quibus in iudicio pudenda reuelabuntur. Tunc enim non tantum opera, sed etiam cogitata coram Deo apparebunt, Angelis, & hominibus. Inuocabit etiam contra te cœlum, & terram: iuxta illud Deuterono-
Deut.32 mij. Inuocabo contra vos cœlum & terram. Testimonium dabunt coram te Angeli & dæmones, vt exemplo sanctorum confundaris: quia poteras facere, quod ipsi fecerunt, sed potentior erit læsis cõscientia propria, quæ arguet te sicut Paulus dicit:
Rom.2 Testimonium illis reddente conscientia eorum. Et hæc sola satis erit ad illum conuincendum.

¶ Sed hic vnum dubitandum est, an peccata iustorum apparebunt in cœlo? Ad quod respondeo quòd sic: sed non cedet in eorum pœnam & confusionem: sed honorẽ ac gloriam. Eueniet illis quod solet euenire his, quorum tunicæ manica in clauo fixo capitur & comprehenditur, ex quo eius ruptio seu scissura sequitur: cui postea ne videatur limbus cooperiẽs additur, & adiicitur: quo facto adeo pulchra ruptura manet, vt data opera scissa videatur propter decorem. Sic scissuræ peccatorum pænitentia pro illis facta exornatæ, non solùm nõ malæ apparebunt: sed maximè lucidæ. Mali vero rupti apparebunt, & abominabiles quorum omnia peccata publica erunt ad eorum confusionem, dolorem, & pœnam. Sed his omnibus multo maius & horribilius est cum se viderint peccatores velut hædos, à sinistris iudicis statui: iustos autem ad dexteram Matth.25
collocatos, & ad regnum vocari, se autem dæmonibus tradi torquendos. Quãta tunc erit angustia, quantus gemitus? quantus planctus? Maiora quidẽ & plura hæc omnia erunt quàm lingua explicare: aut intellectus capere sufficiat. Videntes enim tur- Sapien.5
babuntur timore horribili dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hoc dedecus pudor, & confusio, quę omnia ibi mali patientur, erit eis cruciatus maximus: sicut honor & gloria bonis quòd eorũ corpora gloriosa & lucida exeant sicut sol, triumphantes de malis. Cæterùm in vniuscuiusque morte corpus minimè luit pœnas: ob idque necessum est, vt impij resurgentes corpore simul & anima damnentur, iusti autem vtraque stolla gloriæ decorentur, vt integra & omnibus partibus absoluta sit summa Dei nostri iustitia. Ideóque ex parte Dei conuenit, vt faciat iudicium generale, vt iustificet suã causam: & ostendat quàm bonus sit. Secundò etiam expedit, vt iudiciũ fiat ex parte nostra, ad consummationem tam bonorum quàm malorum.

¶ Tertiò, & principaliter agendum modo est, quomodo filius hominis Christus iudex viuorum, & mortuorum venturus sit. De hoc enim ait nunc Euangelista quod veniet cum potestate magna & maiestate. Sic Angeli cum ascendit Christus in cœlum, & nubes suscepit ab oculis Apostolorum, dixe- Act.1
runt. Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælũ sic veniet quemadmodum vidistis eum eũtem in cælum. Veniet enim super nubem candidam, tota Angelorum curia comitatus, toto sanctorum agmine stipatus. Veniet cum luce immensa, & cũ incredibili clangore tubarum: vt videant impij quem contempserunt. Ideo Ioãnes in Apocalypsi: Ecce veniet in nubibus cœli, & videbit eum omnis oculus, & qui Apoc.1
eum pupugerunt. Porro hæc nubes non erit naturalis, nam in momento resurrectionis motus cœli cessabunt: vnde vapores eleuari nõ poterunt. Quare supernaturalis erit, & credimus condensari virtute diuina & supernaturali, vt virtus diuina filij Dei euidentius appareat: & maiori sit spectantibus admirationi. Sic etiam illa nubes, quæ in transfigu- Matth.17
ratione obũbrauit eos, & quæ Christum suscepit in transfiguratione supernaturalis erat, siue ex nimio splendore corporis Christi fuerit genita, siue ministerio Angelorum. Veniet autem cum tanta maiestate, peccatoribus metum incutiendo. Vnde Esaias de hoc aduentu loquens ait, Dominus sicut Esa.42
fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum: vociferabitur & clamabit, super inimicos suos confortabitur. Tacui, semper silui, patiens fui: sicut parturiens loquar. Aduerte ad hanc Esaiæ auctoritatem, quia illam per singulas partes exponere statui: quia optimè hoc iudicium, & aduentum filij Dei declarat. Primò ait, quòd Dominus vt iam di-

ximus zelás suũ honoré veniet ad iudiciũ: quia peccatores quantũ in se erat sustulerũt eum suis culpis & nequitiis. Veniet enim suscitans zelum quasi vir præliator. Quando rex regni ciuitatem ingreditur veste togali indutus, vt vxorem ducat vel ad festa celebranda, ipse cum suis equitibus purpuratis lætus ambulat ac festatus, incolis pacificè loquitur omnésque salutat: si autem volens arma & bellum gerere venit ad vrbem deuastandam, & dirumpendam, quia contra ipsum insurrexit, incedit armatis stipatus: quia eo animo commotus est, vt veniret supplicium sumpturus de subditis pro delictis. Sic cum Christus Rex gloriæ venit in mundum in suo primo aduentu in die Natiuitatis eius: quia pacificus, humilis, & mansuetus veniebat, illius equites itidem & famuli læti ingrediebantur ac pacifici, canentes, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus: [Lucæ 2] & incolas salutauerunt, bona & grata nũciantes pastoribus, in quibus clementiam ac benignitatem, qua Christus Dominus intrabat ostenderunt. Sed in secundo aduentu dicit hic Esaias, quòd veniet quasi vir præliator armatus, in potestate magna & maiestate, vt peccatores duri pœnas luant. Sic coram ipso equites armati præcedẽt, peccatores minantes: & ita in habitu & vultu quem præ se sol, luna, stellæ, cœlum, terra, mare, & elemẽta ferent, ostendetur quòd venit sicut fortis, & quasi vir præliator. Ait vltra propheta. Tacui, silui, patiens fui: sed quasi parturiẽs loquar: Nimium Deus modo tacet, & suffert, cum peccatoribúsque simulat. Quot peccata, adulteria, homicidia, & abominationes, permittit modo Deus? Maximè miror quòd mundus non subuertatur, cœlum ruat, nec aperiatur terra, tótque iniquos degluriat peccatores. Sed existimatis vos quòd quia modo tacet, tacebit semper? Ecce ait, quasi parturiens loquar. [Ioan. 8] Quando pharisæi mulierem adulteram conspectui Christi obiecerunt tacebat: sed videte quòd scribebat. Tu peccator aduerte quòd quãuis tacet Deus, scribit nihilominus. Dissimulat sed vitã & processum cumulat: ideo etsi non loquitur, ne dormire existimes: propter quod cum ad culmen perueneris peccatorum exonerabit iram super te, simúlque omnes pœnas lues. Quãdo filij Israël profecti sunt ex Aegypto, per desertum in terram promissionis, [Exo. 16] exiuit obuiam Amalech animo dimicandi contra Dei populum: post quadringentos autem annos dixit Sauli Deus per Prophetam Samuelem. [1. Reg. 15] Recensui quæcunque fecit Amalech Israëli, quomodo restitit in via quando ascendebat de Aegypto. Nunc ergo vade & percute Amalech & demolire vniuersa eius. Bene existimabant Amalechitæ Deum iam esse oblitum peccatorum suorum, & eo quòd tacebat eos impunitos abituros: sed decepti sunt: sicut tu quando existimas Deum non sumpturum supplicium de tuis iniquitatibus, quia tacet. Tacet, vt postea grauius puniat. Thesaurizas enim in diẽ irę, [Rom. 2] vt Paulus ait. Sicut enim venit super eos ira Dei: ita super te veniet: nisi à via tua mala destiteris. Qui tacet dissimulat, & qui patiens est, vide quid dicat, & horresce audiens. Ecce ego quasi parturiens loquar. Clamabit Deus & vociferabit, sicut parturiẽs mulier. Quando mulier aliqua grauida fit laborat aliquando leui dolore capitis, seu stomachi cibósque fastidit: hoc autẽ totum nihil est si comparetur cum doloribus quos in partu sustinet. Tunc enim verè dolebit, quando clamabit gemitibus animam ipsam attingentibus. Ita & eodem modo si cótemplari vis mundi supplicia, inuenies esse quosdam leues dolores: qui nihil esse videntur, si ad diem iudicij comparentur. Nam omnia præterita supplicia habent se, vt dolores mulieris, quæ grauida esse incipit. Diei autem iudicij dolores erunt sicut mulieris iam partui propinquæ, qui ad cœlũ vsque peruenient, terrámque ad fundum ire facient. Vide punitiones quas in sacra scriptura legimus Deũ mundo intulisse: & reperies apicem esse respectu earum, quas in vltimo die inferet. Angeli cum primũ peccauerunt, è cœlo eiecti sunt in infernum absque vllo medio. Adam è paradiso terrestri. [Gen. 3] Noë temporibus destruxit Deus mundum diluuij aquis. [Gen. 7] Misit ignem de cœlo super Sodomam, Gomorram, [Gen. 19] Adoniam, Sabaim, & Losam. Interemit primogenita Ægyptiorum. Puniuit Pharaonem tot plagis: [Exod. 12] & posteà in mari submersus periit, simul cũ suo exercitu. [Exod. 14] Deleuit memoriam Amalech de superficie [Exod. 17] terræ. Interfecit Og regem Basan, & omnes princi- [Nume. 21] pes Canaam: cum cæteris, qui terram promissionis [Leuit. 10] obtinebant. Combussit Aaron filios: fecit blasphe- [Leuit. 24] mum lapidibus obrui: cooperuit lepra Mariam so- [Num. 12] rorem Mosi. Crepuit terra & deglutiuit Dathan, & [Nume. 16] [Num. 20] Abiron cum omnibus suis domibus: igne succensit ducentos quinquaginta viros. Mosem & Aaron vetuit ne terram promissionis ingrederentur, & de sexcentis millibus virorum qui è terra Ægypti egressi sunt, [Nume. 20] duo tantum terram promissionis digni habiti sunt intrare. Serpentes ignei gentem enecant. Acham quia vestem Hierico furatus est iussus [Iosu. 7] est lapidari. Heli subito obiit. Saul fuit reprobatus, [1. Reg. 4] & præscitus. Dauid cum Dei amicus esset fuit pu- [2. Reg. 24] nitus mirum in modum: Oza occisus, quia arcam [2. Reg. 6] tetigit. Propheta quia contra Dei voluntatem co- [3. Reg. 13] medit à leone fuit dilaceratus: centum octoginta- [4. Reg. 19] quinque millia Assyriorum quadam nocte ange- [4. Reg. 2] lus Domini interfecit: duo & quadraginta occisi [4. Reg. 5] sunt pueri ab vrsis, quia prophetã Heliseum irride- [2. Par. 26] bant. Giezi factus est leprosus propter simoniam: [4. Reg. 25] & Ozias etiam, quia vti voluit sacerdotali officio [1. Reg. 17] cum suum non esset. Dei populus ductus est in captiuitatem viribus Nabuzardã. Golias occisus per manum cuiusdam pastoris. Holofernes iugulatus [Iud. 13] per mulierem: Antiochus tristis & doloribus ple- [1. Mach. 9] nus miserè mortuus. Nicanor interfectus, & in fru- [2. Mach. 15] sta comminutus. Ananias & Sapphira repentina [Act. 5] morte pœnam dederunt, & Herodes à vermibus [Act. 12] fuit consumptus. Omnia ergo ista maxima quæ audiuisti supplicia non possunt æquari cum minimo quod peccatores in die tremendo iudicij patientur, non si suppliciis inferni cóparentur: quia huius vitę dolores, afflictiones, & flagella sunt deliciæ. In die iudicij vera flagella erunt & supplicia. Puniuntur hiç peccatores, vt corrigantur misericorditer: sed in iudicio, vt cruciẽtur sine remedio. Quod ostenditur in Hieremia, cui dixit Dominus. Quid vides Hieremia? [Hiere. 1] Et respondit. Virgam vigilãtem ego video. Et infrà. Quid tu vides? Ollam succensam ego video. Præsentis vitæ correctio assimilatur virgæ: sed futuræ vitæ supplicium assimilatur ollæ. Verè enim vt virga est punitio vitæ præsentis: quia percutit non ad occidendũ, sed ad corrigẽdum. Vnde Salomon, Si percusseris eum virga non morietur. Vnde percussio hæc non est odij, sed amoris. Sic in Prouerbiis

Prouer.13 biis habetur. Qui parcit virgæ, odit filiũ. Et in Ec-
Eccles.30 clesiastico Qui diligit filiũ, aſsiduat illi flagella. Et
Psal.22 in pſalmo. Virga tua & baculus tuus: ipſa me con-
ſolata ſunt. Ad hoc enim in hoc mundo corripit
Deus, vt emendet. Erat hæc virga vigilans: quia ex-
citat peccatorem à peccati ſomno, & iuſtum à tor-
pore acidiæ. Sic angelus excitauit Petrum, percuſ-
Act.12 ſo latere eius. At in iudicio non ſic punientur pec-
catores: quia illi qui non emendantur virga præſen-
tis flagelli, cruciabũtur ardore æterni incendij: ideo
ait: in ſecunda viſione. Ollam ſuccenſam ego video.
In olla carnes includuntur, & ſignificat locum in-
ferni, in quo includuntur damnati propter peccata
quæ in carne viuentes commiſerunt: quapropter
ollæ ſuccenſio ſignificat gehennæ incendium. Vnde
Iob 41 Iob: De naribus eius procedit fumus ſicut ollæ ſuc-
cenſæ atque feruentis. Et ideo quando Chriſtus
templum eſt ingreſſus puniuítque illos qui in eo
emebant, vendebant, & domum Dei profanabant,
Ioan.2 inquit euangeliſta quòd fecit Chriſtus quaſi flagel-
lum. Nõ inquit, fecit flagellum, ſed quaſi flagellum:
quia flagella quæ Deus hominibus in hac vita in-
fert, non verè flagella ſunt, ſed quaſi flagella: non
ſunt ſupplicia, ſed quaſi ſupplicia: quia ſolùm typũ,
figuram, & ſimilitudinẽ ſupplicij habent. Attamen
in iudicij die non faciet Chriſtus quaſi flagellum,
ſed flagellum: quia illius diei ſupplicia atque cru-
ciatus, non quicunque erunt: ſed veri: quorum tan-
tam ſimilitudinem & vmbram huius vitæ flagella
obtinebunt. Deus enim manifeſtè veniet, & ignis
Psal.49 ante faciem eius exardeſcet, & in circuitu eius tem-
peſtas valida. Tunc non ſilebit vt olim: loquetur
enim tunc, & vociferabit quaſi parturiẽs. Et quo in
hoc ſæculo patientior fuit peccata diſsimulans: eo
tunc in iudicio ſeuerior erit, & durior ad miſericor-
diam. Quis tũc tam ferreus auditor, vt tonitrui ma-
gnitudinem poſsit audire? De hoc tonitruo dicitur
Psalm 103 in pſalmo. A voce tonitrui tui formidabũt. Tantus
erit iudicis alioquin mitiſsimi furor, tãtúſque ſeue-
rus vultus: vt ſancti etiã illius aſpectum formident.
Iob 14 Sanctus erat Iob & ait. Quis mihi det, vt in inferno
protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat
furor tuus: & cõſtituas mihi tempus, in quo recor-
Iob 31 deris mei? Dicito mihi Iob, nõne tu es: qui dicis, cor
meum nõ reprehẽdit me, &c. Nõne tu pater orbato
es, ſolatiúmque viduæ præſtas? Timeo quoniã dies
ille futurus eſt terribilis ſolíque iuſtitiæ deputatus.
1.Corint.4 Beatus Paulus ſanctus & iuſtus erat, tamen in hæc
verba prorũpit. Nihil mihi conſcius ſum. Ratio eſt:
quia qui me iudicat Dominus eſt: quem decipere
non potero etſi velim. Stat me non inuenire pecca-
tum: ſi tamen aliquod fuerit, inueniet Deus. Indo-
ctus pictor pictura, quam ipſe fecit contentus eſt:
notiſsimus autem fama, educet quamplurimos de-
fectus ex eadem pictura. Si ergo in illo die quia dies
iuſtitiæ eſt electi tremunt: quid peccatores facient?
Malach.3 Vnde & Malachias. Et quis poterit cogitare diem
aduentus eius? Et quis ſtabit ad videndum eum?
Hebr.10 Horrendum enim erit (vt Paulus inquit) incidere
in manus Dei viuẽtis. Incidere in manus Dei mor-
tui, gaudium maximum eſt. Nam ſi Deum in cruce
pendentem & mortuum vides, inuenies eius ma-
nus eſſe fixas, ita vt te percutere nõ poſsit. Sed val-
de timendum eſt incidere in manus Dei viuentis.
Omnes qui in hac vita punientur incidunt in ma-
nus Dei mortui. Caſtigans caſtigauit me Dominus,
& morti non tradidit me. Supplicium huius vitæ ſi Psal.117
ad ſupplicium diei iudicij comparetur & referatur
habet ſe ſicut taurorum tentatio, aut probatio, qui
in arenam ducendi ſunt: quos duabus fuſtibus, &
ſudibus cædi tantum permittitur: quando tamen
in arenam deſcenderunt non ſolùm fuſtibus ſed ha-
ſtis, gladiis percuti, & traiici integrum eſt, vſque ad
crurium ſectionem. Huius vitæ ſupplicia fuſtes, &
virgæ quædam ſunt amoris plenæ, diei autem iudi-
cij, lancearum ictus mortiferi erunt. Ligatis mani-
bus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Matth.22
Ad alligandos reges eorum in compedibus, & no- Psal.149
biles eorum in manicis ferreis. Nunc ſoluti pedibus
ſumus, vt ad Deum gradiamur, manibúſque vt be-
ne operemur: in die verò iudicij, manus & pedes
vincti erunt, vt in infernum in æternum proiicia-
mur. Ideò Ioel propheta. Conturbentur omnes ha- Ioel.2
bitatores terræ: quia venit dies Domini dies tene-
brarum & caliginis, &c. Lege caput ſecundum Ioë-
lis prophetæ. Miratur Ioël hunc diẽ, & meritò: quia
ſi iudicem, & iudicij locum conſiderauerimus iure
mirabimur. Hoc dicebat Iob, quod ſcilicet cauſis Iob 9
quas peccator dederit, nec vni reſpondebit. Si vo-
luerit contendere mecum, non reſpondebo vnum
de mille. Super omnia hæc quæ cum illa autoritate
Eſaiæ explicuimus, audi nunc vnũ ſcripturæ exem-
plum. Noë iuſtus iacuit nudus in tabernaculo ſuo: Genes.9
ſed Cham nunciauit fratribus, quod patris ſui ve-
renda eſſent diſcooperta. Sem autẽ & Iaphet coo-
peruerunt ea. Similiter ſicut Cham in hoc ſæculo
impij peccatores irrident ignominiam, & deiectio-
nem patris ſui Chriſti Domini, quem vt Deum &
patrem habent. Debile, exile, & imbecille ignomi-
nioſúmque in Chriſto eſt paupertas eius, humili-
tas, mortalitas, debilitas, crux, atque paſsio apud
peccatores. Hæc omnia filij huius ſæculi, & carna-
les irrident: quibus euangelica mendicatio eſt de-
decori, crúxque Chriſti ignominiæ, & humilitas
ſtultitiæ: dicunt etiam eos miſeros eſſe, qui propter
Chriſtum perſequutionem patiuntur. Noë autem
quem irrident dormit. Sic ſe habere videtur Chri-
ſtus cũ peccatoribus ac ſi ſomno vacaret, eo quod
diſsimulat omnia hæc tanquam non videns nec in-
telligens, nec ſciẽs. Hoc eſt illud Eſaiæ. Tacui, ſilui,
patiens fui. O quanta Deus ſuſtinet, & nihilominus
tacet. Quis dicere valet, & explicare quæ Deus ſuf-
fert? Tot fornicarios homines, adulteros, blaſphe-
mos, &c. Sed tacui. Nunquid ſemper tacebo? Exi-
ſtimatis miſeri peccatores, quia nunc dormit, ſem-
per eum dormiturũ? Nunquid nõ vigilabit, qui cu- Psal.125
ſtodit Iſraël? Euigilans de ſomno Noë, cũ didiciſ-
ſet, quod fecerat filius ſuus minor, ait: Maledictus
Chanaam ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Vigil
namque vt Daniel ait clamauit de cœlo. Succidite Dan.4
arborem. Vigilabit Deus in iudicij die, qui cùm
ſciens ſit conuitiorum omnium, irriſionum ac de-
tractionum, quæ omnia à peccatoribus illi illata
fuerunt, quaſi parturiens loquetur ille qui tacebat,
ſilebat, & patiens erat, vt malediceret Chanam &
ſemini eius, & benediceret Sem & Iaphet. Itaque
ſicut Noë filio impio maledixit, quia inhonorauit
eum, & benedixit Sem: ſic Chriſtus benedictio-
nem mittet ſuper bonos: quia iſti cooperuerunt vi-
rilia patris, iſti enim honorauerunt paupertatem,
humilitatem, abiectionem, & crucem Chriſti: am-
plexíque ſunt omnia iſta in hac vita, & dilexerunt.

Matth. 25 Istis dicet, Venite benedicti Patris mei. Impiis autem. Ite maledicti in ignem æternum. Tunc enim ille qui dormierat, siluerat, & patiens fuerat, quasi parturiens loquetur aduersus peccatores, maximo clamore dicens. Ite maledicti in ignem æternum. Discedite ilico à me impij peccatores. Tunc dicent illi. Domine quandoquidem à tuo conspectu proiicis nos, benedictionem tamen nobis largire, & cum ea dimitte. Addidit Maledicti. Benedictio erit maledictio. Domine (dicent illi) iam quod nos cum maledictione dimittis, iube nos in locum quietis abire. Respódet. In ignem. Iam ergo Domine quòd à tuo conspectu tolli sinis cum maledictione, & in ignem conicis: ne obsecro in æternum, ibi detineri cogas nos, sed sic facere digneris, vt aliquando nostri memineris. Addidit æternum. Quando ergo Domine proiicis nos, cũ maledictione & in ignem vbi in æternum nobis est commorandum, tribue saltem bonam societatem quæ consoletur nos. Ad quod addit. Qui paratus est diabolo & angelis eius. Simul cum istis carnificibus, atque tortoribus in æternum futuri estis. Improbi spiritus, & sordidi vobiscum erunt, quorũ aspectu societatéque vestri dolores, & cruciatus augeantur. Sed omnes istæ pœnæ, & singula verba huius maledictionis discutiantur à nobis breuiter.

¶ In primis aduertendum, quòd quamuis resurrectio mortuorum erit (vt sanctus Paulus ait) in nictu oculi: 1. Cor. 15 tamen hæc disceptatio bonorum, & malorum non erit nisi in tempore: nam istæ voces vocales erunt, quæ nisi in tempore fieri nequeunt, non tamen ad singulos hæc verba dicentur: nam sic immensi temporis spatium requireretur: sed ad chorum malorum totum simul dicit: Ite maledicti, & ad omnes bonos simul dicet: Venite benedicti. Quamuis accusatio & examinatio, quæ ad conuincendum iniquos & præmiandum iustos mentaliter solùm sit facienda, & omnibus cóscientiæ omnium sint manifestæ, sententia verò debet maiestatem iudicis secundum humanam vocem repræsentare. Expende igitur super hæc verba, quod in eo quod ait, ite, ostendit pœnam damni, quæ carentia diuinæ visionis est, ad quam fuit homo conditus: quæ pœna impiis maior erit omnium malorũ. Sic Cain Genes. 4 hoc sentiẽs dixit Deo. Ecce proiicis me à facie tua. Sequitur. Omnis qui inuenerit me occidet me. Idest, Omnia mala me inuenient: & mors ipsa, quæ omnium malorum maximum malum est, inueniet me, eo quod à te discedo. Absalon quoque succendit segetes Ioab, cui dixit Absalon. Melius esset, mihi mori, quàm faciem regis non videre. Vltimum 2. Reg. 14 omnium malorum quod est mors elegit, potiùs quàm faciem patris non videre. Sic damnati omnia mala magis vellent sustinere, quàm à diuina visione frustrari: vt potius vellent mori, quã esse sine visione Dei. At cùm mori sit impossibile, faciem Dei nunquam videbũt: & mors nunquam inueniet eos. O quàm durum erit discedere à Christo, qui est vita, spes, dulcedo, solatium, salus, & ipsum principium, & finis, in quo omnia. Quid ergo erit nisi mors, desperatio, amaritudo, dolor, infirmitas, & omne malum? Vide hæc tu qui pro breui, & exigua voluptate tanto te malo astringis, & subiicis, à patriáque cœlesti exul, & extorris sis. Si Apostoli Ioan. 16 pro illo breui temporis spatio quo à Christo Iesu fuerunt separati, & ab eius præsentia remoti, tam tristes, & mœsti incededãt, ita vt cum illis exponeret quæ dixerat, modicum, & iam nó videbitis me, dixit, tristitia implebit cor vestrum, & assimilauit dolorem, quo afficiendi erant domini absentia, dolori maximo parturientis mulieris. Quid erit igitur de te peccator improbe, & quid senties quando nó per modicũ, sed imperpetuum separaberis à Dei tui conspectu? Si diuus Petrus cui dixit Christus: Si nó Ioan. 13 lauero te, non habebis parté meũ, tã iniquo animo tulit absentiam, & recessum à Deo, vt responderet, non tantum pedes, sed manus, & caput. Quid facies quando à facie Dei ita elongatus fueris, vt nulla tibi spes reliqua sit iterum videndi? &c. Obserua autẽ Orig. Homil. 34. in Mat. quòd sanctis, vt Origenes ait, non solùm dictum est, benedicti, sed cum additamento, Patris mei, dicens, Venite benedicti Patris mei. Malis autem non dixit, Ite maledicti Patris mei, sed absolutè dixit, ite maledicti. Cur hoc? Quia benedictionis auctor, & largitor est Deus atque ministrator, non tamen maledictionis. Boni cum Dei gratia, & adiutorio vitam metuerunt, & boni facti sunt: & eius benedictio beatos facit. Impij verò ex sua malitia, & iniqua voluntate mali effecti sunt: nam Deus non est Leg. August. epist. 49. q. 4 & lib. 21. ciuit. ca. 18. & 19. & in Enchir. ca. 112. auctor mali culpæ, nec maledictionis eorum. Maledictionis nanque vnusquisque sibi est auctor, &c.

¶ Sed cùm Deus sit summè misericors, cur punit perpetuò peccatum, quod fit per instans? Videtur eius misericordię derogare. Quæro à te, quare domus tuæ ignis extinguitur? Quia desunt combustibilia applicanda: quæ si non deessent, nec ignis finiretur. Ligna in inferno ardentia, & quæ animam torquent est mala cuiusque voluptas, & desiderium peccandi, hoc autem nunquam extinguitur: quia deest facti dolor, & pœnitentia, ibi enim nemo respicere potest, nam quotquot sunt semper Deum odio prosequuntur, & cum Luca 16 nunquam ista ligna prauæ voluntatis desinant, sic nec deest pœna, nec culpa cui talis respondet pœna. Et si inferni ignis extingueretur, hoc esset tantum propter diuinam gratiam: quia aqua illuc nunquam ingredietur, nec hucusque est ingressa. Vnde diuiti auaro quamuis guttam aquæ petiuit, ei non concessa est: nec cóceditur vnquam. Supposito ergo inferno, ligna (hoc est malam voluntatem) nunquam finienda, itidem aquam gratiæ illuc minimè ingressuram: sequitur necessariò pœnam nunquam defuturam. Cùm semper in ipsis culpa duret, æquum & iustum est, vt etiam pœna permaneat. Certum est illum qui ad vltimum iam peruenit finem, gradum reuocare non posse, vt contra eundemmet finem agat: & cum finis vltimus damnatorum infernus sit, constat eos operari non posse ad vitæ æternæ consequutionem, & sic peccatum illis nunquam remittitur: quo non remisso, pœnam quæ peccato respondet, manere necesse est. Peccatores sunt velut hi qui chartarum ludo vacant, vsque ad dimidium noctis, qui cum iam illi parcere volunt, non propter desiderij defectum parcunt, sed potius lucernæ quæ illos illuminabat: si enim vsque ad crastinum diem lucerna durasset, & lusores in ludo perstitissent. Peccatores enim nisi naturæ concederent, peccandi desiderium nunquam extingueretur: & cum Deus noster pœnas secundum desideria, sicut & secundum opera meritus est, sequitur do-

side

ſiderio æterno male operandi deberi æternam pœnam de rigore iuſtitiæ. Sicut merito præmium, ita culpæ pœna debetur: & cùm merito æterno, præmium & merces æterna debeatur, ita culpæ mortali æternæ, pœna æterna reſpondet. Præterea ſi filius grauiter patrem offendit, nonne pater illum abdicat: & reſpublica nonne traditorem in in exilium perpetuũ mittit,& hoc ſecundum iuſtitiam? Itaque ſicut illa traditio, & inobedientia, quæ delicta momẽtanea fuerunt,puniuntur pœna æterna, quia filius in perpetuum abdicatus à patria hæreditate manet, & traditor in exilium miſſus:ſic iuſtè pro peccato momentaneo, peccator æternaliter damnabitur.

Corpora damnatorum non ſunt exuſtibilia.

¶ Sed vt concludam, vnum poteris hic dubitare. Quomodo tormenta & mors, non deſtruent & conſument damnatos? Quomodo non morientur & finientur? Quia conſtituet Deus quandam legem & conditionem in corporibus damnatorum, vt poſsint pati: non autem corrumpi, vel mori. Si quis vngeret ſe ſalamandrę pinguedine metiri poſſet pedibus ardentem maſſam abſque vlla aduſtione. Et piſcis aceto conditus decoquitur abſque eo quod emolliatur & diuidatur, ita vt integer exeat: quia acetum durum reddit, & ad frigendum aptum. Si piſcis iſte ſenſum haberet,non dubium quin hoc modo plus pateretur, & abſque emollitione. Et ſi circa res iſtas,quæ parui momenti ſunt, tantum poſſunt homines: plus poterit Deus circa maiores, qui vt diximus talem diſpoſitionem in corporibus damnatorum collocat,qua ſemper poſſint manere abſque vlla corruptione. Deſiderabunt *(Apoc.6)* enim mori, & mors fugiet ab eis. Et in Pſalmo. *(Pſal.48)* Mors depaſcet eos. Non dicit quod interficiet, ſed quòd depaſcet: nam ouis quando paſcitur ſcindit herbam, & radicem dimittit, quæ mox germinat, & pullulat. Sic cum mors paſcat malos: continuo morientes, nunquam morientur. Sed hæc ſuffecerint:vt ergo ad literam Euangelij redeamus, poſtquam Chriſtus diſcipulis dixit autoritatem, & maieſtatem, qua erat venturus mundúmque iudicaturus, conuertit ſe ad Apoſtolos, qui hæc audientes triſtes erant,& conſolans eos dicit.

His autem fieri incipientibus,reſpicite & leuate capita veſtra,quia appropinquat redemptio veſtra.

Conſidera Chriſti bonitatem, & clementiam: qui cum peccatoribus minetur terrores, pœnas & iudicia: iuſtos tamen conſolatur. O Chriſte quanta eſt, & quàm immenſa tuæ pietatis magnitudo: qui inter præconia tuæ iuſtitiæ, non es oblitus miſericordiam. Sic Eſaias. *(Eſai.42)* Hi leuabunt vocem ſuam, atque laudabunt. Porrò in hoc quod dicit, leuate capita veſtra, ſignificatur eos humilia ſolóque fixa habere. Qui ſubmiſsis oculis reſpiciunt ſeipſos, & quæ iuxta ſe ſunt reſpiciunt, & quæ deorſum. *(Pſal.16)* Hi ſunt de quibus Dauid ait, Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Sic ſeipſos intuentur quòd Dei amorem obliuiſcũtur, & creaturas ipſas diligunt, cum Dei iniuria: qui autem vultus tollunt,cœlum intuentur: de quibus dicit Dauid. *(Pſal.120)* Leuaui oculos meos in montes,vnde veniet auxilium mihi. Et iterum. *(Pſal.122)* Ad te leuaui oculòs meos,qui habitas in cœlis. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ,ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum. Canis quando dominus ad menſam ſedet, illum reſpicit: ſi tamen dominus aliquod mittit os ad ipſum canis ſe conuertit, vt rodat,quo roſo, iterum ad herum reuertitur. Sic Deus bona huius ſæculi dedit nobis, vt ad ipſum conuertamur. Quid tu homo videre potes iuxta te,aut ſubtus te: vel in te? Dimitte viſum iſtarum rerum caducarum, in altúmque tolle, & in diem iſtum iudicij reſpice:in quo mali æterna pœna afficiẽtur,& boni præmio. Quando aliquem abiectum videmus, & omni auxilio deſtitutum, eíque aliquid præter ſententiam eueniſſe, de ipſo dicere ſolemus nunquam leuabit caput. Boni in hac vita humiles capite incedunt,cõfuſa facie, & perſequuti. Vſquequò Domine hæc durabit abiectio, perſequutio, & exploſio? Mũdus exiſtimat eos nunquã erecturos caput. Sed in die iudicij erigent,& illis Deus dicet. Leuate capita veſtra. Soli iuſti in illo die leuabunt. Mali in hoc ſæculo læti atq; erecti maximè ambulant,& ab omnibus ad ſidera vſq; extolluntur:tunc autem erunt ſummiſſo capite, abiecti, & humiles. Ideò Dauid in Pſalmo de peccatoribus ait, *(Pſal.1)* Non reſurgẽt impij in iudicio. Propter quos ergo iudicium erit niſi propter malos, ſi mali in iudicio non reſurgent? Ita eſt. Dauid ſolùm dicit quod non erigent, nec tollent caput. Soli boni & iuſti tollẽt,ſic quòd iterum nõ humiliabunt. Boni ergo modicum ſuſtinete,nam etſi in hac vita ſitis abiecti,tẽpus veniet, quando capita veſtra leuetis:& hæc abiectio cauſa erit exaltationis veſtræ. In Chriſto capite noſtro exaltationis eius cauſa fuit propria deiectio:ſecundum illud Apoſtoli. *(Phili.2)* Factus eſt obediens vſque ad mortem,mortem autem crucis:propter quod exaltauit illum Deus,& dedit illi nomen,&c. Sic ſe res habet in Chriſti membris, qui iuſti ſunt, deiectioni exaltatio reſpondet. Quam benè Dauid hunc loquendi modum nouerat quando Semei illum irridebat maledictionibúſq; conuitiabatur:quem cum famulus Dauid interficere vellet, Dauid dixit. Dimitte illum, vt maledicat. *(2.Reg.16)* Quare ô Rex? Si forte reſpiciat Dominus afflictionẽ meam, & reddat mihi Dominus benedictionem pro maledictione. Nemo illi noceat, hoc enim verget in meã exaltationem. Iſte me leuare faciet caput. Et ita idem Dauid ait *(Pſal.89)* nomine iuſtorum omnium. Lęti ſumus pro diebus,quibus nos humiliaſti: annis, quibus vidimus mala. Hoc idem teſtatur diuina Sapiẽtia, *(Sapien.5)* quòd ſcilicet, impij mirantes bonum ſtatum iuſtorũ dicẽt, Hi ſunt quos aliquãdo habuimus in deriſum,& in ſimilitudinem improperij, nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei. Cùm abiectos atque contemptos videbamus, exiſtimabamus nunquam ad optatam metam perventuros:ſed videte modo quantum ſupereminent,& extolluntur contentíque viuant. Hanc nobis ſpem tribuit Diuus Ioannes in ſua Canonica dicens, *(1.Ioan.3)* Chariſsimi nunc filij Dei ſumus, ſed nõdum apparuit quid erimus:quando autem apparuerit ſimiles ei erimus. Triſtitia noſtra vertetur in gaudium, labores in quietẽ:depoſitio in celſitudinem. Sic in Exodo habetur, *(Exod.24)* quod ſub pedibus Dei erat ſicut opus lateris ſapphyri. Premebantur filij Iſraël operibus duris, luti & lateris: poſteà verò lateres, quibus anxiè premebantur pretioſos vident ſplendere ſub pedibus Dei. Vt diſcas quòd ſudores, labores, & quæcunque mala propter Deum perpeſſa, luctuoſa, lateritia & immunda videntur tibi, & his qui terrena ſapiunt: ſed apud Deum pretioſi lapides ſunt, quibus ſedes eius de-

coratur. Putabant insani peccatores vitam illorum ignobilem, & infœlicem: sed illi in pace sunt, & lutum laboris illorum in sapphyrum versum est, & margaritam. Cuncta opera abiectionis humilitatis, vilia inutilia, & penè nullius momenti esse videntur: sed nihil apud Deum æstimabilius, & pretiosius. Et non tantum sicut sapphyri opus, sed sicut corpus cœli in mũditia: ait scriptura, quod erãt illi lateres. Quid quæso luto immũdius & latere? Quid verò mundius & pulchrius cœlo? Non sat fuit domino lateres terrenos in sapphyrum mutasse cœlestem: nisi etiam in cœlum lutũ mutet. Nec in quodcunque cœlum, sed in mundissimum. O beata vilitas, humiliantis se propter Deum: quæ in cœlestem munditiam tam facilè commutatur. Eius gemitus conuertet Deus in cœlestia cantica, lachrymas in vniones, & margaritas pretij inæstimabilis: nuditatem & pauperiem, in auro intextũ exactimq; coccum: tandem eiectionem atque humilitatem, in excelsam gloriam coronamq; cœlestem. Iusti in hoc sæculo sunt serui, atque captiui, vt filij Israël quando in Ægypto commorabantur: sed in die iudicij non solum caput erigent, sed redimentur. Ideò hîc dixit, appropinquat redemptio vestra. Non enim est redemptio, nisi vbi fuit captiuitas. Cùm ergo in fine mundi sit redemptio iustorum: patet quod hic mundus est captiuitas eorum, & carcer. Hoc Dauid ait, Conuerte Domine captiuitatem nostram: sicut torrens in austro. Tunc erunt liberi, in maxima nobilitate, & pompa constituti: gaudebunt videntes impios qui in hac vita erecti nimis incedebant, abiectos iam esse, iuxta illud. Lætabitur iustus cum viderit vindictam impiorum. Intellige tamen quod lætabitur, quòd ipse euaserit, & quod impij puniantur: nec ob id sunt vindicatiui. Lætabuntur enim iusti coram Domino: & exultabunt in cubilibus suis. In præsenti sæculo cum iusti virtus lateat tristis incedit: tunc autem redempti erunt iniuriis, quas in modo sustinẽt, & quibus afficiũtur, erúntque ad maximum honorem euecti. Tunc caput leuabunt, tunc erunt similes imaginis filij Dei. Labores & afflictiones mutabit Deus in quietẽ, maledictiones in benedictiones. Vnde Paulus. Mortui estis: & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autem apparuerit Christus vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Modo mortui apparent quia in mundo sunt: tunc autem in cœlo gloriosi apparebunt. Et ideo ad hanc rem adduxit Dominus quandam similitudinem optimam arboris, quæ hyemali tempore virtutem absconditam subtus terram habet, ita, vt non appareat, æstatis autem tempore appropinquante, folia, & flores producit. Dixit eis similitudinem.

Psal. 57 *Psal. 149* *Rom. 8* *Colos. 3*

Videte si ulneas & omnes arbores, cum producũt iam ex se fructus, scitis quoniam prope est æstas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.

Hic virtus iustorum latet sicut virtus arborum in hyeme: cum autem venerit vel alterius vitæ, florebunt iusti in conspectu Dei. Et si modo despecti iudicemini, inutiles atque perditi: tunc omnium vestrum virtus lucescet. In regeneratione cùm venerit filius hominis sedebitis & vos iudicãtes duodecim tribus Israël. Nunc pedestres inceditis, tunc verò sedebitis, tunc florebitis, plaudetis, & leuabitis capita vestra, quan\[illegible\]is modo inutiles prædicemini. Sic Iob. Cunctis diebus, quibus nunc milito expecto, donec veniat immutatio mea. Fiet quædam insignis immutatio, ita quòd qui hîc florent, tunc siccabuntur marcidique erunt: & qui modo sicci sunt, tunc in die iudicij florebunt, contemplamini captiuum sentientem redemptorem, & compedum ereptorem, exeuntémque ab ergastulo. Sic & vos leuate capita vestra: quia appropinquat redemptio vestra. Ne autem eis aliquid dubium orireur, circa hæc quæ dicebat: sed potius in animum inducerent, vt consolarentur, & assumerent vires addidit dicens:

Matth. 19 *Iob 14*

Amen dico vobis quòd non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

Amen venit à verbo Hebræo Aman, quod est stabilire & firmare. Et ita amen est stabilitum & firmum. Itaque cùm Romana Ecclesia pariter ex Iudæis & Græcis conflata sit: oportuit vt vtriusque gẽtis memoria apud nos perpetuo duraret. Et ideo ipsorum vocabula crebro ab Ecclesia inculcantur, absque vllis interpretationibus. Et ideo non licuit hoc nomen Amen, in aliam linguam trãsferre: sicut nec Alleluia, Kyrieeleison, Raca, & Osanna, & si quæ sunt alia. Ad hæc generatio hæc, quæ non est transitura, Ecclesia est quæ est generatio fidelium. Timebant enim discipuli quòd doctrina, quã Christus dederat erat momentanea, eo quòd multi aduersabantur ei: ipse verò ostendit, quòd multũ durabit. Quia prius accident omnia quæ dicta sunt suprà: tam de euersione Hierusalem, quam de aduentu ad iudicium: quam designat esse gens quæ Christum colat, & amplectatur doctrinam eius.

Generatio ecclesia est.

¶ Præterea hæc litera quantum existimo potius intelligenda est de euersione Hierusalem quàm de die iudicij licet præcedens litera intelligatur de aduentu ad iudicium. Et non est inconueniens, vt fiat iste transitus: quia vt suprà ostẽdimus, duabus quæstionibus respondet Christus, scilicet quæstioni de destructione Hierusalem, & quæstioni de suo aduẽtu: quas duas quæstiones discipuli interrogauerunt. Dixerat prius de signis præcedentibus euersionem Hierusalem, & posteà de signis præcedentibus aduentum ad iudicium: & iam nõ erat plura de his dicturus. Sed quoniam euersio Hierusalem aderat ferè, ideo redit ad dicẽdum de illa, vt ostenderet quã breue tempus restabat vsque ad illam. Ait ergo, nõ præteribit generatio hæc. Antequam moriantur omnes, qui nunc viuunt euertetur Hierusalem. Et multi qui nunc viuunt, videbunt eam euersam: imo & qui nunc viuunt, euertẽt eam: nam Vespasianus, qui fuit primus princeps qui cœpit destruere Iudæam, senex erat quãdo pugnabat contra Hierusalem, viuebat, & natus erat quãdo hæc Christus dixit, nam dicta sunt quadraginta annis ante euersionem Hierusalem. Et verum est quod immediatè præcedentia dicta sunt de suo aduẽtu: & hinc trãsit ad dicendum de euersione Hierusalem, quia de illa poterat magis certificari quàm de aduentu ad iudicium: quia illud propinquum erat, & aduentus magis distabat. Præterea iureiurãdo confirmat illa quæ hactenus dixerat tam de euersione Hierosolymorum, quàm de mundi consummatione, & de extremo ad iudicium Domini aduentu: ne putarent vanas, & inflatas esse minas. Ideò subdit dicens:

Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

Id est, facilius est cœlum & terram corrumpi, quàm verbum meum falsum esse. Cœlum & terra in hoc rerum statu non perseuerabunt, sed mutabun

Apoc. 21

mutabuntur, ſicut Ioannes ait, in cœlos nouos &
in terram nouam. Nihil enim ſtabile, nihil alienum
ab omni vanitate niſi verbum Dei apud quem non
Hier.33 habet locum, eſt, & non: ſed eſt eſt & nó non. Vnde
apud prophetam dicit dominus de certitudine &
firmitate verbi ſui. Si diſſoluere poteſtis pactum
meum cum die irritum, & fœdus meum cum no-
cte, vt nó ſit dies & nox tempore ſuo: ecce pactum
meum diſſoluetur cum Dauide ſeruo meo. Diſca-
mus hinc verbo Dei perpetuo inhærere, memores
Pſal.115 illius prophetæ. Omnis homo mendax. Sed Deus,
Rom.3 vt inquit Paulus, verax eſt. Sciamus verú eſſe, quod
Chriſtus hîc dixit, tam de ſubuerſione Hieruſalem,
quàm de extremo illo iudicio: & ſicut ſubuerſa eſt
Hieruſalem, ſic mundus peribit. Et propterea dixit
hæc Chriſtus antequam fiant, vt ſimus parati. Si
domum conduceres, cuius tremerent fundamenta,
totáque minaretur ruinam: nonne dares operam ab
ea exeundi ante illius occaſum? Docet te Deus di-
cens mundum finiendum eſſe, omnéſque creaturas
perituras: quare ergo domum in cœlis non ædifi-
cas? Caue tibi domum ruinam minantem, tectúm-
Hebr.13 que in cœlo ædifica. Non enim habemus hîc ciui-
tatem manentem, ſed futuram inquirimus. Habea-
mus etiam hoc terribile iudicium ante oculos no-
ſtros: ſiue comedamus & bibamus, ſiue quid facia-
1.Theſſ.4 mus aliud. Sonet in nobis illa tuba in auribus, ſci-
licet noſtris, quæ clamabit. Surgite mortui, venite
ad iudicium. Pereat cœlum & terra, hæc autem ver-
2.Cor.5 ba nó decident. Omnes oportet nos præſentari an-
te tribunal Chriſti: vt vnuſquiſque reddat rationem
de his quæ geſsit in corpore. Summa hominis ſtul-
titia eſt diem iudicij non meminiſſe: ſummaq; pru-
dentia ſemper ob oculos ferre rationem Deo vitæ
reddendam. Filij ſæculi hanc vitam memoriæ man-
dant, iudicium verò obliuioni. Beatus ille qui ta-
lem ſe in vita gerit, qualem ſe in morte vellet. Sed
de his ſatis. Iam nunc vlteriora videamus.

Attendite autem vobis ne grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ.

Dixerat Dominus in ſuperioribus de tempore
Luc.17 Noë & Loth quòd ſedebant, & bibebant, & vxo-
res ducebant: & venit ignis de cœlo tempore Loth,
& pluuia tempore Noë, & perdidit illos. Sic & vos
cauete ab ebrietate, & crapula & curis huius ſæcu-
li: ne cum dies iudicij aduenerit, inueniat vos Do-
minus iſtis rebus deditos, quæ nihil vobis prode-
runt tunc. Crapula autem cruda epula eſt: quando
tantum de cibo ſumitur, quòd naturalis calor non
ſufficit ad decoctionem eius. Adeò enim grauatur
ſpiritus nimietate cibi & potus, vt ſit quaſi ſepul-
Oſeæ 9 tus. Vnde Oſeas. Memphis ſepeliet eos. Hoc eſt, ex
ore vitium homines ſepelit: quia quanto corpus
impletur, tanto anima minoratur. Qui luxuriatur
enim, viuens mortuus eſt: ſed qui inebriatur mor-
tuus eſt & ſepultus, & in vili ſepulchro. Non ve-
tat homines Chriſtus comedere & bibere, ſiqui-
dem nemo ſine hoc agere poteſt vitam: ſed vetat
grauare corda onerando ſtomachum contra vires
caloris naturalis. Vitium & exceſſum vetat Deus.
Dic mihi ſi peritus & ſapiens medicus diceret: At-
tédite ne quis de illius herbæ ſucco auidius ſumat,
quod ſi fecerit ſubitus veniet ei interitus: non du-
bito quin vnuſquiſque propriæ ſalutis intuitu, præ-
monétis medici præcepta ſeruaret. Nunc verò ani-
marum & corporum medicus, ſimúlque Dominus
iubet ebrietatem, & crapulæ herbam vitandam:
atqui nemo eſt qui abſtineat. Certè multa ſunt quæ
luxum illum nobis odioſum debebant reddere
etiam ſi non ſubeſſet exitium animarum, nullúm-
que Dei præceptum de illo eſſet. Ipſa enim ebrie-
tas dat introitum ad omne malum perpetrandum,
& ſic eſt ianua omnium vitiorum. Nam ebrietas
aufert vſum rationis quæ dirigit hominem & oſten
dit ei quid ſit faciendum, quid dimittendum: &
præſtat occaſionem perpetrandi quodlibet malum.
Sic Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate Iudith 13
ſopitus: & à muliere occiſus eſt. Et quid miramur
de ſuperbiſsimo & ethnico Holoferne: cum Loth Gen.19
qui iuſtus erat & Dei amicus propter ebrietatem
commiſit inceſtum cum filiabus propriis? Abſti-
nentia eripuit eum Sodomæ ingéti ciuitatis incen-
dio, & fuit poſteà inceſtuoſus: quia iſtam non ſer-
uauit virtutem. Iam vides quomodo ebrietas eſt
cauſa multorum vitiorum. Si aliqui latrocinandi
intuitu domum ingrederentur qui arcarum ſeras
clauſas inuenirent, puerúmque domeſticum ibi
ſtantem interrogarent dicentes, Dic nobis puer
vbinam mater tua claues dimiſit? Si puer oſten-
deret, & ipſi caperent quæ in domo ſunt, nonne
totius damni cauſa eſſet? Siquidem numorum ar-
cas & claues oſtendit. Puer iſte nec fur eſt nec vn-
quá furatus, fuit tamé cauſa damni illati. Sic cùm
hominem occidit ebrius cùm adulterat aut aliud
flagitium perpetrat non peccat mortaliter, quia vſu
caret rationis: tamen in ſuo fonte peccat inebrians
ſe: quæ ebrietas eſt cauſa tantorum malorum. Ipſa
enim pacem ſeparat, iuxta illud. Tumultuoſa ebrie Prou.20
tas ſecretum manifeſtat. Et in Prouerbiis habetur. Prou.r.31
Nullum ſecretú eſt vbi regnat ebrietas. Gula enim
& ebrietate peior beſtia factus eſt homo. Tranſis
per flumen equum ducens eúmque potas, qui vſ-
que ad ſitim extinguendam bibit. Cui etſi poſteà
habenas porrigas non iterum bibere coges: nec gut-
tam, etſi totus mundus ſtimulet. O homines peio-
res beſtiis: quádoquidem beſtiæ extra neceſsitatem
bibere nolunt, & ſunt homines adeò incontinentes
qui iterum atque iterum bibunt vſq; ad vomitum
vini & etiam cibi. Caue ergo tu qui homo rationa-
lis & Chriſtianus es, ne tali vitio deditus vſum ra-
tionis, per quam à brutis diſtingueris, amittas: &
legem Dei tranſgrediens præuaricator ſis diuini
præcepti. Sed abſtinens eſto, vt ſic poſsis Deum
contemplari. Daniel vt præſto eſſet diuinis ſolatiis Dan.10
recipiendis, tres hebdomadas ieiunauit abſtinens ſe
ab eſu panis, carnium, & vini potu: quo factum eſt
vt poſteà multas videret viſiones & reuelationes
Dei. Confuſio magna tibi eſt cum tam magnus
princeps ſis, quem Deus paulominus ab Angelis Pſal.8
minuit, quòd vino propriæq; carni obtemperes, hu-
iuſq; ſæculi curis, qui ad cœlum códitus es. Quádo
neſcis horam, in qua te vocabit Deus ne eſui & po
tui operam naues. *Et superueniat in vos repentina dies illa, tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.* Quando minus putant
rapiet illos dominus ad terribile iſtud tribunal, vt
dignam mercedem accipiant. Quanuis nó videant
pericula in quibus ſunt, tamen extremú illud iudi-
ciíq; diem fugere nó poterút. De improuiſo ac ſu-
bito dies illa inuoluet omnes. Hoc eſt quod in Ec- Eccleſi.9
cleſiaſtico legimus, Neſcit homo finé ſuum: ſed ſi-
cut piſces capiútur hamo & aues laqueo, ſic capiun
tur iniqui tempore malo. Similitudiné autem hanc
de laqueo venatoris poſuit Chriſtus ad ſignifican-
dum

dum diem illum fore repẽtino sicut hamo capiuntur aues & animalia de improuiso. Et dixit hæc ne erraremus in parabola prima germinantium arborum, monstrantium æstatem: ne scilicet intelligeremus determinatum tempus (puta trium mensium) inter alia signa antecedentia aduentum Christi: quemadmodum determinatum est tempus inter germinantes arbores & æstatem. Ad tollendum ergo hunc errorem dicit, quòd superueniet dies ille repentinus non respectu alioquorum: sed respectu omnium habitantium in terra. Obserua autẽ quòd dicit laqueus iste veniet super in terra sedentes. Isti sunt amatores sæculi, quin in terra sedere dicuntur, quia plusquam patriã diligunt eam: nec ita se habent sicut peregrini & exules, sed sicut habitatores. Boni enim non fruũtur hoc mũdo, sed vtuntur eo. Contrarium autem faciunt mali, de quibus diuina
Sap.2 sapientia loquitur, quòd impij apud se dicebant, Venite fruamur bonis quæ sunt: & vtamur creatura tanquam in iuuentute: vino pretioso & vnguentis. Boni in hoc sæculo etiam edunt ac bibũt. Nam etsi sancti, homines quoque sunt: & ideo quæ necessaria sunt sumunt. Mali autem sicut milites Ge-
Iudi.7 deon præcipites se coniiciunt in aquas ad bibendum ex vino voluptatum & mundi vanitatum.
Genes.1 Quando primò Deus mundum condidit non benedixit quadrupedi animali in terra degẽti: sed benedixit auibus quæ ex aëre in terram descendunt, vt cibum qui suppetit, sumant, earúmque perpetua habitatio in aëre est. Sic tu per aërem volitare debes sicut auis: ad orationem & contemplationem, solúmque ad solum descendere sumendi necessarij cibi gratia: reminiscens te peregrinum esse & aduenam ad cœlúmque tendere, mansionem tibi perpetuam. His qui in terra sedentes & non stantes habitant, quia in voluptatibus morari volunt, dicit
1.Thess.5 Deus quòd superueniet in eos repentina dies illa, & quòd sicut laqueus capiet in terra sedẽtes. Vnde sanctus Apostolus protestatur. Cùm dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet in-
Rom.13 teritus. Abiiciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis: sic vt in die honestè ambulemus. Non in comessationibus & in ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, nõ in contentione, & æmulatione, sed induimini dominum Iesum Christum, & carnis curam non feceritis in desideriis, &c. *Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.* Iubet vigilare & paratos esse, vt fugiamus mala iudicij venturi, de quo suprà dixerat. Quòd verò ait, omni tẽpore referri potest ad verbum vigilate, vel ad participium orantes; sicut dixerat suprà, oportet semper orare, & non deficere. Quod quomodo sit intelligendum, vt semper ore-
Luc.18 mus non deficientes ibidem explicauimus. Adiungit autem hic vigiliam orationi, vt doceat quòd hæc duo adiungere debemus & his armis simus induti contra mala futura. Omni ergo tempore opportuno & quantum id fragilitati humanæ extat possibile vigilare & orare debemus: sicut & pas-
Matth.26 sione instante dixit discipulis. Vigilate, & orate, ne intretis in tẽtationem. Noctis vigilia paratissimum tempus est nimis opportunum ad orationem: nam corde quiescente, solitario & libero curis, negotiis occupationibus, & diei strepitibus, illuminatur intellectus ad cognoscendum Deum in oratione. Sic
Psal.118 Dauid, Nox illuminatio mea in deliciis meis. In animæ deliciis ac voluptatibus diuinis adiuuabat me noctis vigilia, in qua plus quàm die videbam. Oratio quoque ad euitanda mala futura optimum remedium est. Vnde Petrus, Sobrij estote & vigila- 1.Pet.5
te: quia aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. His armis munierunt se Iudith, Hester, Ezechias, Iosaphat, & plurimi alij in suis aduersitatibus: & victores exierunt castrorum inimicorum suorum. Non solùm orare, sed & vigilare præcepit: quia somnus superfluus indecens est homini Christiano, & corpori ac animæ est nociuus: nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat. Scriptura quoque admonet dicens, Noli diligere som- Prouer.20
num, ne te egestas opprimat. Igitur si vigilauerimus, id est, si semper armati fuerimus contra inuisibiles & visibiles hostes nostros, & per deuotam & piam orationem nos Deo commiserimus, fiet vt temporalia mala nobis nihil noceant: & æterna timere nõ sit necesse. Poteris & stare ante filium hominis, id est, coram supremi iudicis tribunali securus: sicut Sapiens ait, Stabũt iusti in magna cõstan- Sapien.5
tia aduersus eos qui se angustiauerũt, & qui abstulerunt labores eorum, &c. qui enim quod suum est fideliter agit & pia precatione defectus suos à Deo resarciri precatur, dignus est quod omnia huius mundi mala fugiat & in futuro intrepidus ante filium hominis stans coronam perpetuam expectet. Sed de his hactenus: quia ad passionis domini nostri Iesu Christi expositionem properamus.

Erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliueti.

Respice duram vitam, & labores domini. Toto die prędicat, & miracula edit: nocte autẽ quando ei quiescendum erat à præterito diei labore, in blando lecto & molli, in montem vadit oraturus. Aspice qualiter doctor iste maximus quæ prędicat, facit. Hortatus fuerat nos, vt vigiles essemus in orationibus: & ipse est in monte orás per totam noctem. Tota Christi vita quidam labor fuit, sicut ipse dixit per os Dauid. Labor est ante me, donec intrem Psal.72
in sanctuarium tuum Domine. Tota illius vita fuit quædam crux acerba: vt tibi æternam vitam largiretur. Hæc maxima confusio est his, qui se nomine Christiano magnificantes se voluptatibus & deliciis dedunt: in mollibus lectis iacent, etiam vsque ad meridiem. Præthereà respice, Christũ quàm bene tempus transigit, diémque & noctem consumit in tuo obsequio. O quanto conatu Deo inseruire deberemus, qui tanto feruore nostris seruimus commodis. Hoc vitæ exemplum domini nostri taxat maximè delicias hominum, & ignauiam qua ei seruimus. Die docebat in templo, nocte verò in montibus moratur, nimirum orationibus vacans, sicut & alibi scribit de eo noster Lucas. Exiit IESVS in montem orare, & erat pernoctans in ora- Luca 6
tione. Multi vigilant & nunc diu noctúque: quibus certè melius esset, vt dormirent. Vigilant enim non Christo sed Satanæ: non vt animæ prosint, sed vt hanc citiùs perdant. Non sic isti, de quibus subditur. *Et omnis populus manè ibat ad eum in templo audire eum.* Quia re vera non solum delectabile erat audire Dei sapientiam, verbum patris æterni, vnigenitum Dei Deum, verum incarnatum, in persona propria prædicantem, propter doctrinæ suæ profunditatem, saluberrimam autoritatem, & propter suæ eloquentiæ grauissimam venustatem, sed & propter

propter præclara ac copiosa miracula eius prædicationem comprobantia. Rectè populus hic Iudaicus agit qui non plus æquo indulget somno nec medium vsque in diem stertit, sicut modo contingere videmus: vacant enim somno vsque ad dimidium diei, quo transacto rem sacram facientem quærunt, annus verò labitur illis nulla audita concione, consumunt maiorem noctis partem in ludis & epulis, posteà defessi mundi & carnis obsequio prope diluculum iacent, è somnoque suscitantur circa meridiem, magis ad exemplar ethnicorum quàm Christianorum hominúmque spiritualium. Duo sunt hic obseruanda. Primum feruor huius gentis & conatus: siquidem tanto calore, spiritu, cura Christum sequebantur, & mox mane diluculabant ad eius doctrinam audiendam. Disce ex hoc loco horum exemplo mane surgere: & audi Salomonem dicentem. Vsquequo piger dormis, & quando cõsurges de somno tuo? Et rursus. Sicut ostium vertitur in cardine: sic piger in lectulo suo. O quàm multa negligunt bona, & quàm damnabiliter tempus suum expendunt somnolenti, pigri, & qui serò in vitiis & deliciis vigilias protrahũt: propter quod tardè surgunt. Non est hæc arcta via salutis, nec conuersatio pœnitentialis, nec cordis custodia: nec coram Deo diligentia vera. Secundum quod hic obseruandum esse censeo est, quòd nõ surgunt mane, vt propheta dicit, ad ebrietates sectandas, aut ad aliquid simile: sed ad audiendum verbum Dei. Sic multi mane surgunt, sed ad comedẽdum, & bibendum, vel decipiendum proximum fraude sue faciendas: nec benè dies appropinquauit quãdo iam certant, & clamãt de quibus agunt, vt homines insipientes. Et quod prius faciunt statim vt surgunt est mulierem, filios, & domesticos obiurgare. Non sic isti qui non solùm mane surgunt, sed etiam surgunt, vt audiant verbum Dei: iuxta illud Saluatoris, Primum quærite regnum Dei: & hæc omnia adiicientur vobis. Vtinam sic Deo vigilemus orationibus instantes & vigiliis, vt securi veniente Iesu iudice ei obuiam exeamus intrepidi: vt perpetuò cum ipso in æterna beatitudine maneamus. Amen.

Prouer. 6 — Prouerb. 6 — Esa. 5 — Matth. 6

PRAE

PRAEFATIO

IN DOMINI PASSIONEM SECVNDVM LVCAM.

Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Philippen. 2.

HOC testatur Apostolus cupiens admodum in cordibus fideliũ radicare assiduam lamentandæ ac flebilis passionis vnigeniti filij Dei memoriã : sicq; animis nostris figere, vt ab eis nunquã aboleretur. Non dixit contemplemini, nec intelligatis: sed sentiatis volo. Habete Christi passionis considerationẽ, quæ viua sensibilitate doloris & spiritu sit. Passionẽ hanc iniquus & peccator cogitat & intelligit, corde autẽ non sentit: propter quod nec lachrymis veris seu viuis defleт, & inde est quod diu in peccatis moratur. Quod ergo sentiendum nobis est Christum infinitum, æternum, immensum, cœliq; & terræ creatorẽ, semetipsum humiliasse, obedientẽ factum vsq; ad mortem: mortẽ autẽ crucis. Quod cùm ita sit, æquum & iustum est, sentiamus compatiamúrq; in his quæ ipse pro nobis passus est. Et in huius monitu & exhortatione cũ sit res, quã ab oculis abigendã non eruditus & doctus censebit, carpit Apostolus incuriã & negligẽtiam nostram: siquidẽ tam insensibiles & bestiis similes sumus vt rem tam sensu dignã non sentiamus. Quando de aliquo quod sentiendũ est nos monent ex duplici potest oriri causa: vel quia illud in se adeò paruum est, vt attentis auribus & arrectis egeat, vt sentiri possit: vel quia sensus adeò hebes est, quòd quãuis abiecta res magna sit, indiget tamen suscitante aliquo quo reuiuiscat, vt attendere possit. Non mirũ si in pede lenticula lædaris quod nõ sentias: si tamen in capite læsus lapide, adhuc non sentias incuriosus maximè iudicaberis. Videamus ergo num Christi passio sentiri nõ possit quia parua res, vel quia sensus nostri adeò hebetes & ignaui sunt, vt id attingere nõ possint. Certũ est primũ locum nõ habere: quia Christi passione nihil insignius, præclarius, & excellẽtius fuit in vniuerso : nec vbi magis magnitudo diuinæ potentiæ & virtutis ostendi potuit. Et si diuina virtus in creaturis conspicitur & relucet: nõ tamen in omnibus etiam simul sumptis ita intuetur, sicut in sola Christi passione : quia in mundi creatione & eius conseruatione Deus nullam inuenit resistentiam seu reluctantiam: quam nec inueniret etiamsi infinitos creasset mundos : inuenit tamen maximã in hominis conuersione, sicut Iudæis Stephanus dixit. Vos Spiritui sancto restitistis. Propter quod in redemptione hominis per Christi passionẽ magis suam virtutẽ Deus ostendit, quàm in eiusdẽ & etiam totius mũdi creatione. Hoc videbimus si contemplemur Deum hominẽ lapsum redemisse, eiq; salutem in Christo crucifixo, paupere, humili, contempto, mundi viribus destituto, fallaciis, atq; humanis artibus carente, contulisse. Et nõ solùm in his, sed etiam cum facie confusus esset in crimẽmq; adductus ab omnibus hominibus, cùm ipsi variis & magnis essent irretiti atq; implicati vitiis & peccatis, voluit in ipso, & per ipsum Deus tot eripere malis hominem, & à profundo inferni deducere vniens ipsius naturam. Quod totum factum est, mundo suis diuitiis, honoribus, & voluptatibus, dæmone, fallaciis & cauillationibus, humana sapientia atq; prudentia sua calliditate, & versutia, sensualitate, deliciis suis, & propria voluntate, iniquis & malis inclinationibus reluctantibus. Nonne ergo tibi videtur Deus suam immensam & omnipotentem virtutẽ optimo & singulari modo extra totum cursum ordinarium ostendisse? Maximè igitur Christi passio ob suam magnitudinem sentiri debet: & sic tota sensit mũdi huius machina. Senserunt cœli cùm obscurati sunt. Sol & Luna quãdo eclipsati sunt, terra cũ tremuit, cúmq; petræ scissæ sunt, & velum templi in duas scissum partes à summo vsq; deorsum, sepulchra mortuorũ aperta fuerunt, &c. Vide ergo an ex hac parte sit necessariũ hortari nos, vt sentiamus Christi domini nostri passionẽ. Reliquum erit defectum nobis inesse: quia ignaui nimis & incuriosi sumus atq; duri corde, adeò vt quod totus mũdus sensit nos minimè sentiamus. Omnes creaturæ in Christi morte cõpatiuntur: solus miser homo, pro quo Christus moritur, cõpati dedignatur. Andronicus datis dextris iureiurãdo sanctum sacerdotẽ Oniam peremit, quòd cum ad Antiochi aures peruenisset, cùm Rex Gentilis & idololatra esset, molestè tulit & indignatus est, lachrymásq; fudit ad misericordiam flexus, propter Oniam defunctũ. O popule Christiane quàm optimus tibi excitator est iste. Quid facis, cur lachrymis parcis, mortem sanctissimi & summi sacerdotis Christi Redemptoris tui, recordatus? Quare non è somno te excitas vt te depiles capillósq; vellas, & clamoribus ad cœlum ductis eum deiicias? Mors illius, à quo magnis est aliquis affectus muneribus maximè sentiri solet. His Dauid conabatur filias Hierusalem ad planctum flectere propter Saulis mortem dicens, Filiæ Israël flete super Saul qui vestiebat vos coccino in deliciis : qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. O munera & dona Saulis, quàm exigua & parui momẽti estis, simul posita cum his, quæ Christus mundo cõtulit. Ideò mortẽ nostri veri Saulis sentire & flere debemus: siquidem creauit, redemit, & alit nos. Sentite ergo quæ Christus pro vobis passus est doloris sensilitate quæ animã ipsam attingat, insolubili nexu eius cum corde: sentite etiam in visceribus eius ignominias, dolores, labores, angustias, tristémque & deflebilem mortem. Si cruciatus & tormẽta Redemptoris tui vis exactè sentire vt sentiri debent, existima & considera omnia esse propter tua scelera perpessa : nam quanuis nullus alius in mundo esset præter te

Conuersio peccatoris maius miraculum quam mundi creatio.

Act. 7

2. Mach. 4

3. Reg. 1

præter te peccator, omniáque sustinere voluit pro genere humano redimendo, pro te sustinuisset vtique. Propter quod supplex veniam à domino exorare teneris: quando audes ante diuinum eius conspectũ apparere, cum ei in causa sis tot cruciatuum? Ionas laboris nautarum quem ob suam causam patiebantur, misertus est, & dixit, Mittite me in mare, quia propter me hæc tempestas orta est. Quare ergo tu tempestatem quam dominus patitur non sentis: siquidem propter te orta est? Mitti debes in mare amarũ tribulationum, vt domini tui subleues pœnam Sicut quando delinquis, eum iterum crucifigis, vulneráque innouas: ita quando resipiscis pœnitentiã agens, sentis, deflésque eius passionem: de nouo vngis atque linis pretioso vnguento illius vulnera. ¶ Sustinuit itaque Christus ingenteis dolores corporales & spirituales, propter dehonorationes, infamias iniquas, falsas accusationes & contemptus, quibus sumus Christũ prosequuti. Passus est in loco vilissimo, nefandissimo, in die Paschatis, & coram ingenti hominũ multitudine, mortemq; maximæ infamiæ & dedecoris omnibúsq; viliorem. Passus etiã ab omni hominũ statu: nã mulieres, homines, Iudæi, Gentiles, Domini, Principes, Sacerdotes, & vulgi gens ad eius mortẽ conuenerunt, eiq; adfuerunt. Passus est à sæcularibus Deo dicatis Pharisæis scilicet & à domesticis, siquidem vnus eorum negauit, & alter vendidit. Ab omnibus enim fuit Christus vexatus, & derisus. Planè animo meo illud insedit, dæmones per totam Christi vitam eum diligentissimè inuestigasse, cùmque eum vidissent tam insigni sanctitate pollentem, in passione eius totam armasse inferni ferocitatem, totam inferorũ rabiem instigasse: vt quibus artibus, quibus machinis possent sanctitatis quam in Christo videbant arcem expugnarent, vt vel ad iracundiam vel tantillam illum prouocarent. Quis enim credat tantam in hominibus inueniri crudelitatem: vt contra innocentem sic sæuirent? Non erat hæc impietas humana, sed dæmoniorum. Totius ergo inferni erat illa sæuitia, & crudelitas. Sed nõ demonstrat hic miracula consueta? Grande miraculum profectò est, quòd tanta in humana carne splendeat patientia: vt nec minimum in maximis & summis opprobiis commoueatur. Quis enim mortalium tam sereno, tam tranquillo, tã immoto fuit pectore, vt tam furentibus procellis, tam nefandis furiis agitatus, tam quietus ipse & tam placidus perseueraret? Totus infernus, tota synagoga, summo nixu, summa vi quatit, percutit, impellit, & proruit in Christum: ipse verò adeò pacatus perstat ac si nihil illi truculenti niterentur. An non hoc miraculum est? an non hæc patientia diuina potius quàm humana? Gaudet igitur Deus patientiæ spectator: admirantur Angeli, stupent dæmones, attoniti lassati cessant Iudæi, & exemplum ad similia ferenda Christianis exhibetur. Ne imparem Deo gratiam referamus pro doloribus, quos propter nos ferre dignatus est. Et si saluatorem tantum angit, nos ingratos, & beneficiorum in nos collatorum immemores videre sentiamus aliquid ex nimio, quod ipse sensit & passus est propter nos. Omnia enim membra corporis, lãguente capite dolent, & nos si membra Christi sumus, non possumus non dolere ipso dolente: non possumus non compati, ipso patiente. Maximè cùm non pro se, sed pro nostra salute patitur: quicquid patitur. Si ergo vicem non eius dolemus signum est, quòd membra eius nõ sumus, nec de spiritu eius vegetamur. Cogitet vnusquisque. Si ego fecissem malum, propter quod pater meus occisus esset, nonne [illegible] morte eius merito dolerem? Et si non dolerem simili morte dignus essem. Verùm iam malum feci ego, propter quod non solũ pater meus, sed Deus meus occisus est. Quomodo ergo non dolebo? Omnis anima (dicit dominus) quæ afflicta non fuerit die hac: peribit de populo meo. Si enim lapides commoti sunt & suum dolorem propria fractione mõstrarunt, si terra conceptũ dolorem ferre non valens tremore manifestauit, si sol luctum suum radiorum amissione hominibus ostendit: cur homo duriora habet viscera saxo? In morte enim Christi sicut saxa scindebantur, ita piè credi potest, quòd arbores virore deposito, marcida folia demittebant. Aues volatus suos amittebant, animalia nõ pascebant, pisces natare fastidiebant, flumina grauata, & velut dolenter fluebãt: nihilque erat quod vt poterat dolorem interiorem, exterius non manifestaret. Omnes creaturæ eum, qui ex nihilo eas fecerat lamentabantur. Omnes prædicant lamẽtum: & inuitant, vt Christo cõpatiaris, qui tibi compatiens, mori pro te voluit ¶ Consideremus ergo Christũ Redẽptorem nostrum in cruce pendentem, omnibus destitutum, patientẽ incredibiles cruciatus in corpore, & anima, soluentem debitum pro peccatis nostris, extensas habentem vlnas ad recipiendum & amplectendum nos, latus eius perforatum, vt ibi in corde & visceribus peccatores recondat: & caput inclinantem, vt querelas & preces fusas à nobis audiat. Et si moritur tam feruenti calore charitatis, vt vestes proprias sustinere non valens in cruce extet nudus: accedamus ad eum, ploremus coram eo qui fecit nos, vt lachrymis & gemitibus iuxta crucem fusis, mereamur passionis fructum consequi, qui est peccatorum remissio, & postea cum Christo in cœlo resurrectionis eius gloria fruamur.

Amen.

Ionæ 1 — *Patientia Christi in passione sua magnum miraculum.* — *Levi. 23* — *Psal. 95*

CAPVT XXII.

APPROPINQVABAT autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha. Et quærebant principes sacerdotum, & scribæ, quomodo Iesum dolo tenerent & occiderent.

Iam tempus appropinquabat in quo Deus sua infinita misericordia decreuerat ab Ægypto nos Exod.12 eripere atque à tyrannide, & crudeli dæmonis principe tenebrarum seruitute educere sanguine immaculati agni Christi filij sui vnigeniti. Iā tempus appropinquabat, vbi postquam Deus misit filium Galat.4 suum natum ex muliere, factum sub lege, vt redi- Matth.21 meret eos qui sub lege erant sanguine suo. Iā agricolæ incipiunt dicere: Hic est hæres venite occida- Dan.13 mus eū. Egressa est enim iniquitas, à senioribus Israël, qui videbantur regere populum. Principes náque sacerdotū, & scribæ simul cum Pharisæis odio contra Christum concepto ob præclara ipsius miracula, & constantē doctrinam, populum ab eo auertere studuerunt: & tandē vitam & memoriā ipsius à terra cogitauerunt delere dicentes, Eradamus eum de terra viuentium: & nomen eius non memoretur Hierē.11 amplius. Plus certè temeritatis fuit in hoc hominū genere, quàm in satana. Hic enim sæpe confessus est Christum esse filium Dei, eiúsque potestatē timuit: & præcipienti obediuit. Nunquā ausus fuit mitte- Luc.4 re manum suam in Christum Domini, nec in de- 1.Reg.1 serto, nec in monte, nec in pinnaculo, sed isti prin- Matth.4 cipes sacerdotum & scribæ peiores effecti patre suo Ioan.8 diabolo, diu noctúque insidiantur, & apertè calumniantur, & volunt eum de medio tollere. Non sunt Christi hostes Gentiles sed Iudæi: & non vulgares & qualescunque Iudæi, sed sacerdotum principes, & scribæ. Illi quidem qui quotidie ex sacris scripturis populo Iudæorum venturum Mesśiam cōmendare solebant. Isti quærebant quomodo Iesum interficerent. Quem iure accusare non poterant do- Matth.26 lo volebant eum, vt inquit Matthæus & occidere. Tales sacerdotes & scribæ apud hoc sæculum inuenire est: qui innocentes opprimunt, & blasphe- Esa.1 mos defendunt. De his Esaias. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, & sequūtur retributiones. Sed qua de causa illum occidere volunt? Quibusuè improbè aut impiè factis cōmeruit? Audiamus ipsum loquentem. Multa opera bo- Ioan.10 na ostendi vobis, propter quod horum me lapida- Ioan.8 tis? Et iterum, quis ex vobis arguet me de peccato? Innocentem ergo nocentisśimi interficere quærūt. Sed hîc factum est piorū, & hic genus est impiorū. Gen.4 Abel occisus est à Cain vterino fratre suo. Noë illu- Gen.9 sus à proprio filio. Ismael prosequitur Isaac, Esau Gen.17 Iacob. Dalida maritum morti tradit. Absalon san- Gen.21 ctisśimum patrem persequitur: & impiisśima & in- 2.Reg.16 credula synagoga sponsum suum diu expectatum Iudi.16 morti tradidit. O incredibilis, & demonis rabies, nefandáque mortalium peruersitas. Non eos nec Saluatoris innocentia, nec magna & mirabilia bona, quibus eos erat prosequutus, nec timor Dei, nec sanctisśimus dies paschæ, & religio tantæ festiuitatis illos vnquam mouere potuerunt vt ab incepto Matth.10 desisterent. Non impedit eos gehennæ timor, nec diuina lex. Sed quid?

Timebant verò plebem.

Et cur non potius carnificem suum dæmonē. Imò cur non eum, qui potestatem habet corpus simul & animam mittere in gehennam? Qui timet Deum (inquit sapiens) faciet bona. Eccle.15 Sed quoniam principes sacerdotum, & scribę omnem Dei timorem ex corde excusserant, non est mirum quod plebē timeāt. Non timent dominum, qui potens est iugulare, cōdemnare, de medio tollere, in æternósq; cruciatus conicere: & timent populum, adeò timore incusśi semper peccatores incedunt, vt de illis sapiens di- Prou.28 xerit. Fugit impius nemine persequente: iustus autē quasi leo confidens, absque terrore erit. Qui Deum non timet, necesse est, vt omnia timeat.

¶ Plebem timebant & profectò non plebs sed qui passurus erat impediebat illorum conatus. Ipse enim potestatem habebat ponendi animā suam & iterum sumendi eam. Ingens certè fuit istorū facinorosūm ac pesśimorum hominū malitia aduersum Christum. Sed maior multo proculdubio fuit patientia, qua mundi Saluator se gesśit, in tot ærū- Ioan.10 nis, blasphemiis, & persequutionibus constitutus. Nōne posset terram crepare cogere, ac omnes statim deglutire, corporéque & anima vnitis desilire ad inferos? Nonne posset in nihilum vertere? Sed Esaia 53 mansuetisśimus agnus coram tondente se non aperuit os suum.

¶ Tu ergo si iniuriam pateris ab his, qui tibi multas deberent gratias agere, patienter fer: in propriáque tuam mentem veniat quàm iniquè ab impiisśimis hominibus Saluator tuus fuerit tractatus, in quos ingentes beneficiorum thesauros contulerat. Sequitur in litera.

Intrauit autem Satanas in Iudam qui cognominabatur Iscariothes, vnum de duodecim, & abiit & loquutus est cum principibus sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.

Intrauit diabolus in Iudam, hoc est in mentem seu animam eius, non ei essentialiter illabēdo, quia solus Deus creator & immensus essentiis rerum illabitur, qui omnia implet, penetrat, & excedit: sed intrauit per effectum suggerēdo Christi venditionem: nec hac vice solùm intrauit hoc modo in eū, sed & antea sæpè, vtpote quotiescunque illum ad mortale induxit peccatum. Vnde apud Ioannem legitur. Et cœna facta cum diabolus iam misisset in Ioan.13 cor Iudæ, &c. Aduerte qualiter inimicus Satanas vires assumit, vt quòd Deus in nobis ipse operetur: nam sicut Deus iusti animæ illabitur, in cordéque concluditur: ita dæmon accuratè in eam intrare atque in corde recipi tentat. Quando Deus in aliqua residet anima facit ne rei, quæ Deus non sit, pateat aditus, & cuicunque rei, quæ Deum sapit, pandatur. Sic Anna illa sanctisśima mater Samue- 1.Reg.2 lis ait, Dilatatum est cor meum in domino, dilatatum est cor meum in Deo meo. Econtra quando diabolus in anima moratur, cuius rei mundi patet, Deo autem clauditur. Quodlibet offendiculum est illi occasio casus: quia dæmoni tradidit cor, quandoquidem Deo atque rationi resistit. Quid plus rationi absonū quàm Christum Iesum, qui eū tot af- Matth.26 fecerat bonis, vendere? Non ait, vt venderet, sed vt Marc.10 traderet: quod idem est quòd traditione vendere. Si pro animabus mutaret Christū, ipse huius mercis pretium factus est: nam venit ad dandam animā suam redemptionem pro multis, sed iniquus pecuniis mutat. Itaque hunc intrauit diabolus vas suum plenius posśidendo, & hoc etiam modo intrat corda eorum qui eius tentationibus & suggestionibus consentiunt. Non intrat cogendo, aut necesśitando ad culpam, sed suggerendo, & alliciendo ad eam:

nos

nos verò voluntariè ianuam aperimus præbendo suggestioni diabolicæ consensum. Cótra quos Paulus. Nolite locum dare diabolo. Iacobus. Resistite (inquit) diabolo: & fugiet à vobis. Omni ergo impiæ cogitationi, affectioni, & suggestioni peruersæ, iugiter ac viriliter reluctemur: Deo atque eius mandatis, & testimoniis fortiter adhærentes: & quicquid veritati ac æquitati contrarium est respuentes.

Eph. 4
Iaco. 4

¶ Expende autem quàm optimè dicat Euangelista quòd abiit: quia à Christo recessit, non solùm quidem secundum corpus: sed etiam animam, minime Christum esse filium Dei confitens & credēs, contulitque se vt infidelis Apostata, ad Pharisæos Deum abnegans, non poterat nó in manus dæmonis incidere: nam qui Christum deserit, opera Iudæ operibus simillima faciet. Egressus est Cain à facie Domini ait scriptura, & statim subdidit. Habitauit profugus in terra. Sic ille de quo in Mattheo Egressus à facie domini, cœpit suffocare fratrem suum, vt redderet, quòd debebat. Malum enim, & amarum est te reliquisse Deum tuum. Exiens ergo Iudas à Christi conspectu abiit vbi principes sacerdotū & scribæ conuenerant: quia sciebat quod volebāt eū interficere, & dixit eis. Quid vultis mihi dare: & ego eum vobis tradā? Ac si diceret. Ego certus sum, cordi vobis inesse huius hominis vitam tollere, populíque metu non audere eum adoriri. Ne timeatis: ego eum vobis tradā: ita vt sine strepitu possitis in eū manus coniicere. Iudas proculdubio mortem Christi accelerauit: nam iam Iudæi timore populi cópulsi, captionem eius in aliud tempus, post pascha scilicet differre statuerant. Iniquus tamen ac traditor in eorum peruersos animos induxerat vt eum statim tenerent. Vendidit Iudas veritatem. nā dominus ait, Ego sum via, veritas & vita. Et etiam nunc in sæculo nostro vendita est veritas: nam nullibi comparet: licet valdè sit necessaria ad regimen totius orbis. Ne quis incuset Reges, Prælatos, religiosos: cum ex suis aliquod proderit monstrū. Duodecim erant in societatē Christi asciti, sed vnus illorū traditor fuit. Respice ergo tu quo pacto sanctus Ioseph à fratribus diuenditur illudque Zachariæ adimpletur. Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit dominus ad me. Proiice illud ad statuariū, &c. Psalmista. Homo pacis meæ in quo sperabam: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Considera ergo, ô anima mea quanta debeas Deo: siquidem magnus ille dominus & filius Dei, sicut seruus & captiuus, vendi non dedignatur: & hoc propter amorē, quo te prosequitur. Iam pro peccato venibas: & vt te redimeret voluit ipsemet pro te vendi, ne à teipsa liceas, plurísque te facias, ne adeò vili pretio vendaris, quale rerū terrestrium est, siquidem tam ingenti pretio emptus es. Audi Paulum dicentem, Empti estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro. Gaude ergo Christiane: nam tu solus lucrator euasisti ex huiusmodi conuentu, atque contractu. Itaque quod Iudas vendidit & Iudæi emerunt tu lucratus es. Noster certè est Christus: Iudæorum autem emptorum, minimè.

Gen. 4
Matth. 18
Hic ...
Ioan. 14
Genes. 37
Zach. 11
Psalm. 40
... Corint. 6

¶ Vide qualis sit effectus auaritiæ: si quando cor hominis occupauerit. Iudas enim ductus auaritia, dominum tradidit. Victus enim cupiditate fœdissima Satanicúmque recipiens consilium neglexit omnem amicitiam, exuit omnem humanitatem, oblitus est omnium beneficiorum: deseruit saluatorem, contulit se ad pessimos Dei inimicos, & Dei filiū vendidit auaritia ductus. Hoc debebat omnibus auaris metum incutere, atque terrorem: & auaritiam exosam habere. Hoc propheta clamat, Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & nō in auaritiam. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Bene dicit radix: quia ex ea oriūtur latrocinia, furta, prædationes, odia, vsuræ, innumerabilia mēdacia, fraudes, falsaque iuramenta ementium, & vendentium.

Psal. 118
1. Timot. 6

Et gauisi sunt & pacti sunt pecuniam illi dare, & spopondit.

Gauisi sunt principes sacerdotum, & magistratus populi quòd scilicet, iam haberent vnū cuius ope & auxilio, Deum perdere possent Sic Salomon de impiis ait. Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Lætantur inquam quòd non solùm sint ipsi impij: sed quòd habeant malitiæ suæ complices. Huius generis habet mundus plurimos: qui gratulantur si viderint numerum malorū augeri. Sed gaudent isti in malitia sua, nos autem in domino gaudeamus: illi gaudent quod morti dominum tradunt, sed nos gaudeamus quòd mortē hanc pro nobis voluntariè subierit: illi in morte Christi eius quærebant interitum, nos in ipsius morte nostram expectamus vitam & salutem. Gaudent illi eo quòd moritur: sed nos gaudemus quia resurget. Spopondit autem Iudas, id est promisit & obligauit se illū tradere eis. O stulta promissio. Quomodo potest se obligare homo tradere filiū Dei? Dæmones contremiscūt ad vocem filij Dei, & hic traditor instinctu dæmonis adductus pollicetur se illum traditurum, sed hæc omnia frustra pollicetur, & conatur, cum nihil aliud agere potuit præter id ad quod spōte se obtulit Christus. Qui etiam ideò ad mundū hunc venerat, vt pro iniustis & peccatoribus sese daret morti: hoc quod iam antea sæpissimè testatus est. Verū ne putes Iudam per iocum tā impium nefas pollicitum, audi quid Euāgelista dicat. *Et quærebat opportunitatē, vt traderet eū sine turbis.* Vtinam sic opportunitatem boni captarent ad bonum, sicut mali. Cain volens occidere fratrem Abel eduxit illum in agrum, vt sine testibus, & non habens qui illum prohiberet, posset illū interficere. Vxor quoque Putifar, vt vidit quod Ioseph esset sine socio aliquo opportunum elegit tempus, vt illū moneret ad opus nefandum peragendum. Sciunt enim mali opera sua iniqua in tempore opportuno exercere: & illud tempus quærere, & expectare. Vnde Iob ait, Oculus adulteri obseruat caliginem. In pœnam peccati hanc Deus ab iniquis experit vltionem, vt eo loco & tempore mala faciant quibus non sit qui prohibeat: & sic plurimis laqueis peccatorum illaqueati, demum in inferno demergantur. Nos verò quæramus tempus opportunum, vt Deo seruiamus, & virtutibus studeamus. Abraham virmisericors, & hospitalitati deditus in meridie erat in hostio tabernaculi sui expectans in hora prandij an aliquis peregrinus transiret. Loth quoque vespere cum viatores hospitium & cœnam quærunt, in foribus Sodomæ sedebat, vt peregrinos transeuntes in domo sua susciperet. Horum patrum exemplo, discamus & nos opportunitatem captare, vt proximis subueniamus. Nam sicut Iudas, & impij omnes sciunt tempus furandi, adulterandi, & peccandi: profecto magis consonum est & æquum, vt nos Deo seruiēdo tempus opportunum quæramus,

Prouer. 2
Iaco. 2
Genes. 4
Genes. 39
Iob 24
Genes. 18
Genes. 19

Sed de his satis. *Venit autem dies Azymorũ in quo necesse erat occidi pascha.*

Venit dies Azymorum, hoc est dies ille in quã non licebat Iudæis, nec etiam alienigenis, qui cum ipsis erãt vesci panibus fermentatis, sed solis Azymis: & in qua die necesse erat occidi pascha. Quare erat necesse? quia tanto verborum pondere a domino per Mosem præceptum fuerat sicut accipimus ex ipsa lege, sic enim legimus. Mentis iste vobis principium mensium erit in mensibus anni. Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, &c. Lege caput duodecimum Exodi. Igitur necesse erat occidi pascha, hoc est agnum paschalem. Primũ quidem Iudaicum, hoc est typicum, & vmbratilem. Sed multò magis, & summè necessarium erat occidi agnum immaculatum quem ille præfigurabat, hoc est, Christum. Quanto enim maiori opprimebamur iugo, quàm Iudæi in Ægypto, tanto magis necessarium erat nobis vt agnus noster Iesus Christus immolaretur, & occideretur pro nostra libertate. Illos opprimebat Pharao, sed nos Satanas: & illi in sanguine illius agni liberati sunt à iugo Pharaonis, sed nos Christi sanguine à seruitute, & peccati iugo.

Beda in Luc. c. 91. Eusebius citatus in catena ca. 22 ¶ Venit ergo dies Azymorum, hoc est paschalis celebritas: quæ dicitur Azymorum, id est panũ non fermẽtatorum, quia in tota illa solennitate quæ septem durabat diebus vescebantur Iudæi Azymis panibus. Incipiebat paschalis solennitas in sero feriæ quintæ ad vesperam in qua Iudæi edebant agnũ paschalem cum Azymis panibus. Certum est enim quòd hoc quod Lucas dicit, in quo necesse erat occidi pascha, quòd loquitur de feria quinta in qua agnus paschalis occidebatur. Christus nanque in Azymo consecrauit, nam celebrauit cœnã die Iouis, hoc est, luna tertiadecima noctu quando iam incipiebat quartadecima luna, vt habetur in Leuitico. Leui. 23. Quoniam à vespera in vesperam celebrabant Iudæi sabbatha, seu festa sua: & in die quando durabat luna adhuc quartadecima, mortuus est Christus. Ioan. 13 Et hoc est quod Ioannes dicit quod ante diem festum paschæ Christus lauit pedes discipulorum suorum: & idem ait capite decimooctauo quòd Iudæi non introierunt in prætorium Pilati, vt nõ contaminarentur, sed vt manducarent pascha, scilicet die sequenti, vbi pascha accipitur pro cibis paschalibus, in die festo comedendis. Et si obiicias Christum prima die Azymorum agnum comedisse paschalem, verum est: sed prima dies Azymorum incipiebat à vespera tertiædecimæ lunæ, vt diximus. Nec etiam valet obiectio, Christus quartadecima luna comedit agnum paschalẽ, & die sequenti passus est, ergo in luna quintadecima passus est. Negatur consequentia: quia vt diximus incipiente luna quartadecima cœnauit quæ nocte præcedenti incipiebat, & sequenti die, idest eadem quartadecima luna adhuc durante, passus est.

¶ Vide autem quòd pascha idem est quod saltus, nam verbum pasach, significat saltare, & nomẽ pasach saltum: quia nocte, qua eduxit dominus filios Israel de Ægypto occidens primogenita Ægyptiorum saltauerit domos Israelitarum, nec occiderit ex eis quenquam. Nostri transitum interpretantur, sed ferè idem est.

¶ Accipitur autem hoc nomen pascha multipliciter: primò accipitur pro agno paschali, vt hic accipit Lucas. Necesse erat occidi pascha, id est agnũ. Secundò accipitur pro tota hebdomada Azymorum seu solennitatis paschalis: sicut in actibus Apostolorũ scribitur de Herode quòd voluit post pascha producere Petrum populo. Act. 12 Tertiò accipitur pro celebritate paschali existente in feria sexta prædicta. Quartò pro hora immolationis & comestionis agni paschalis: prout in Marco scriptum est. Erat pascha & Azyma post biduum. Marc. 14 Quintò pro quocunque cibo vel pane quo vescebãtur Iudæi durãte festiuitate paschali, sicut in Ioanne legimus. Iudæi non introierunt in prætorium, vt manducarent pascha: id est, Azymos panes. Ioan 19 Sextò pro figurato agni illius, puta pro Christo: de quo Paulus ait. Pascha nostrum immolatus est Christus. 1. Cor. 5 Septimò pro festiuitate epularum paschalium: vnde in secundo libro Paralipomenon dicitur. Non fuit tale Phase à diebus iudicum, quale fecit Iosias. 2. Par. 35 Sed ad contextum.

Et misit Petrum & Ioannem dicens, Euntes parate nobis pascha, vt manducemus. At illi dixerunt, Vbi vis paremus?

Ostendit in hoc Christus redẽptor noster se noluisse contraríare legi: sed potius parere, vsque ad vitæ vltimum. Ipse enim ait, Nõ veni soluere legem sed adimplere. Matth. 5 Hic pascha pro agno paschali sumitur. Misit autem illos à Bethania vbi erat in quinta feria, vt præpararent agnum paschalẽ. Quare Petrus & Ioannes missi sunt à Christo. Binos etiam sicut mos illi erat eos mittit, propter mutuæ societatis solatium & socialis vitæ commendationem. Frater enim, vt inquit Salomon, qui adiuuatur a fratre, quasi ciuitas munita. Prouer. 18 Sed dices. Quare Petro & Ioanni instructionem mensæ præcipit & non potius Iudæ procuratori suo? Quia Iudas iam alia meditabatur, quàm parare domino ad diem festum legalia fercula: nam exitium parabat domino suo. Imò ignorans parabat ecclesiæ sanctissimam illam cœnam: quam omnia superiora veterum sacrificia præfigurabant. Talem item parabat cœnam domino suo qualem olim Absalon fratri suo Ammon parauerat: in qua ipsum fecerat occidi. 2. Reg. 13 Sed in hoc differunt, quia Ammon nõ omnino iniustè (vitiauerat enim ac vi oppresserat sororem suã) Christus verò ab impio Iuda, innocentissimè impiorum mactationi oblatus est. Ergo absente Iuda procuratore, Christus Petro & Ioãni præcipit vt vadant, & præparent ea, quæ ad manducandum pascha pertinebant. Tu etiam sicut Petrus & Ioannes agnum præparauerunt paschalem: ita per actionem studiõ iam & contemplationem mysteriorum beneficiorumque Christi, præpara cor tuum ad sacram communionem. Sed cum dicunt, vbi vis paremus, de ciuitate non dubitant, sed de domicilio, nã secundum legẽ non licebat alibi, quã in eo loco vbi stabat tabernaculum constitutionis, celebrare pascha. Is locus à tẽporibus Dauid & Salomonis erat vrbs Hierusalem. Ea verò lege præfigurabatur verum agnum tollentem peccata mundi immolandum fore Hierosolymis. Ioan. 1 Hoc non ignorabant discipuli, vt pote nati, & educati in lege. Quid ergo dicunt interrogantes vbi vis paremus? Hunc sensum habet. Scimus, ô bone Iesu tempus instare, quo iussi sumus agnum paschalẽ manducare: scimus quod non alibi nisi Hierosolymis licet hunc festum diem celebrare, scimus etiam quòd male tecum conueniat cum Hierosolymis. Maior pars te odio prosequitur: & si qui sunt tuorum præ timore non audebunt se tuo nomine dare in periculum: vbi igitur vis paremus?

remus? *Et dixit ad eos. Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus, Dicit tibi magister, Vbi est diuersorium vbi pascha cum discipulis meis manducem?*

Aperta est hæc historia: nihilominus tamen multis doctrinis, & cõsolationibus referta. Eliezer seruus Abrahæ occurrit Rebeccæ amphoram aquæ portanti: quam sequutus, ibidem hospitatus est. Dixit enim. Est apud nos locus spatiosus ad manendum. Sic hic hospes ostendit Apostolis stratum, & cœnaculum magnũ. Sic etiam & Sauli, puellæ quæ portabant lagenam aquæ indicauerũt vbi esset Samuel, & ibi solenne epulum illo die celebrauit. Samaritana quoque lagenam aquæ baiulans, Christo in Samaria locum parat, vbi Christus panem spiritualem, hoc est animas Samaritanorum dulcissimè comedit. Nunc verò Christo cœnaturo cum discipulis, & dispensationem cum ecclesia celebraturo (vt Isaac cum Rebecca) & sui regni spiritualis primordia initiaturo, vt alter Saul: homo lagenam aquæ portans, locum vbi hæc festa celebrentur ostẽdit. Nunc ergo anima mea vade, & interroga tuum dulcissimum sponsum. Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post gregem sodalium meorũ, vt vadam post sensus, & delicias, & vagas meas cogitationes? Hic quiesce, & eius pedes amplectere. Tota enim vita tua est scire vbi dilectus sponsus tuus sit: vbi cubes & teneas eum.

Gen.24 · 1.Reg.9 · Cant.1

Bela.c.91. in Luc. ¶ Sed his dimissis nota primò quàm ingens sit Christi domini penuria, atque paupertas: siquidem domo seu vili habitaculo carebat quod eum capere posset: deerant etiam quæ opus erant ei ad tantum mysterium cõficiendum: & propter hoc discipuli petebant: vbi vis paremus tibi pascha tanquam proprio hospitio carenti. Attentas ergo præbeant aures quibus maxima cura, & studium thesauros congregandi, erigendíque illustres domos, & palatia excelsa. Christum dominum omnium intueantur loco vbi posset cœnare egentem: nec habentem vbi caput reclinare posset, nec nũmos ad victũ necessarios. Videant isti quàm parum à gentibus distant idolorum cultoribus, qui operibus manuum suarum cultum, & honorẽ deferunt. Nam studio operum manuum suarum teneri, vacaréque pulcherrimis ædificiis erigendis ad summa fastigia ductis, & thesauris congregandis: quidnã aliud est nisi cultum lignis, lapidibus, argento, & auro exhibere, sicut gentes faciunt?

Luc.9

¶ Expende etiam Christi increatam sapientiam. Naturali enim ratione non poterat scire quòd occurreret eis homo amphoram aquæ portans: quia futurorum purè contingentium non est determinata præcognitio, nisi diuinitus reueletur. Christus tamen hoc præsciuit tam per increatam suam scientiam, secundum quod Deus: quàm per creatã scientiam inditam, & per gratiam prophetiæ, quam habebat plenissimè secundum naturã humanam. Non solùm ex his verbis ostenditur quòd Christus Iesus omnia sciat, sed quòd omnia possit. Ostendit omnia scire: quia nouerat quis in vrbe Hierusalem ambularet, & quod inuenirent discipuli illum hominem. Omnipotentem autem se ostendit, quia nemo iussis illius repugnare ausus fuit: omniúmque voluntates, quando & quo vult impellit. Voluit in his suos docere verum esse, filium Dei scientẽ omnia, & omnipotentem: etiamsi tradatur in manus peccatorum. In hoc deberẽt maximè Christi discipuli foueri, & exhortari ne fidem amitterent, nec post habitam retroirent, quanuis illa nocte capi eũ viderent: considerantes illius sapientiam, & potestatem, in hominum corda.

¶ Ad hæc docet hic Christus omnes cultores suos habere verum timorem Dei. Si enim absens videt quid in vrbe fiat: non ignorat nunc in cœlis, ad patris dexteram sedens quid in terra fiat. Videt enim sobrios, ebrios, hydriam & pretiosi vini lagenam baiulantes, quibus pro suo merito vnicuique rependet.

¶ Notandum quoque est quòd Christus quanuis pauper esset habuit tamen amicos fideles: qui bona sua cum eo communicauerant. Docemur non desperare de prouidentia & solicitudine fidelissimi patris. Quanuis grauis nos premat paupertas si Deũ timuerimus, non deseret nos, illius prouidentia excitabit opulentum, & diuitũ animos: vt liberali beneficentia, nostram subleuent indigentiam. Habebimus enim multa bona (vt Tobias ait) si timuerimus Deum. Sed ad contextum. Tob.4

Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum: & ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt pascha.

Litera hæc nullam habet difficultatem. Ad nostram verò eruditionem hic notandum quomodo dominum nihil lateat. Cognouit quomodo paterfamilias esset pariturus suis præceptis: & quòd esset ostensurus eis magnum stratum. Duo hinc discimus. Primũ vt domino nostro sine omni cunctatione obtemperemus. Sic enim vir ille statim domino obediuit: & quod Christus præceperat, adimpleuit. Docemur etiam vt Deo demus potiora, vt iste qui stratum magnũ, optimúmque dedit Christo, & bene præparatum. Sic Abel potiora Deo obtulit, & iste optimam domus suæ cellam. Tu etiam da Christo ac suis pauperibus, & peregrinis meliorem domus tuæ partem. Non sicut quiescentes in lectis & cubiculis aureis atq; diuitibus qui pauperem ac peregrinum Christi, in loco infimo domus, stabulo scilicet hospitari sinunt atque præcipiunt, temporum iniuriis gelu, & frigori obnoxium: sicut Bethlehemitæ fecerunt quando dominus mũdo apparuit: quia cum Maria & Ioseph idoneum hospitium non inuenirent, præ ingenti inopia qua tenebantur cõpulsi sunt in diuersorio manere. O fœlices Christiani in quorum domibus & aulis Christus delectatur cũ discipulis suis. Multi quidẽ multa, & magnifica cõstruũt ædificia: sed hæc nec Christo nec eius amicis patent. Sed hæc aliàs ¶ Aduerte quòd domus huius patrisfamilias fuit prope montem Sion iuxta tẽplum, in qua domo fuit cœnaculum iam pręfatum, in quo Apostoli post Christi resurrectionem foribus clausis latebant, vsque ad Pentecosten: ibíque Christus in die resurrectionis apparuit, & ibi Spiritussanctus in linguis igneis descendit super eos. Fuit etiam vir hic discipulus Christi occultus, nobilis, diues, ac potens: adeò quòd non obstante prohibitione pontificum, spreto timore principalium Iudæorum ausus fuit Christum, & eius discipulos in domum suam suscipere, atque post Christi passionem tandiu eius discipulos excipere hospitio quasi Iudæos non metuens. Habuit nanque Christus aliquos discipulos diuites à quibus voluit refici: nam in Ioanne scriptum est, quòd ex principibus multi crediderunt in eum, in-

Ædificia nobiliũ meliora non patent Christo nec eius pauperibus.

Gen.4 · Luc.2 · Ioan.20 · Act.2 · Ioan.12

ſtante hac cœna. ¶ Igitur appropinquãte iá veſpere intrauit Ieſus ciuitatem, & peruenit ad locum vbi parabatur paſcha. Aſpice nunc dominum in aliqua parte domus ſedentem, & ſalubria cum diſcipulis loquentem, interim quod parauerunt paſcha. Veſpere autem facto cùm parata eſſent omnia intrauerunt cœnaculum dominus Ieſus, Apoſtoli, & etiam alij ſeptuaginta duo diſcipuli minores. Omnes lauabant manus, & affertur illis agnus paſchalis aſſus, panis Azymus, & lactucæ agreſtes: nam hæc erant neceſſaria ad eſum agni ſicut Moſes præceperat in lege. *Et cu facta eſſet hora diſcubuit: & duodecim Apoſtoli cum eo.* Quid Euangeliſta dicit dominum diſcubuiſſe: id eſt ſediſſe ad menſam: cùm lex præcipiat quod erecti, & ſtantes comederent agnum? Dicendum quòd primo ſtantes comederunt agnum: deinde ſedentes alium, & alios cibos comederunt. Et hoc videtur ita eſſe vt Ioannes dicit & cœna facta ſurgit à cœna: hoc eſt, poſt eſum agni paſchalis ſecundum legis ceremoniam, & incipiens cœnam paratam quanuis non finitam: ſurrexit & pedes diſcipulorum lauit: & poſt lotionem iterum ad menſam ſedit dicens: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum: poſt hæc omnia, inſtituit ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum. Diuus Lucas omittens tractationem agni paſchalis, lotionìſque pedũ quam Ioãnes ſcribit: procedit vlterius dicens, *Cùm facta eſſet hora diſcubuit, & omnes Apoſtoli cum eo.* Pulchrè Chriſtus à figura incepit, vt ad veritatem perueniat. Legalem agnum prius comedit, deinde ſuam nouam cęnã inchoat, ſeque manducandum ſuis præbet. Ad illam veterẽ cœnam requirebatur agnus aſſus: ad hanc autem nihil niſi panis & vinum. Pulchrè tamẽ inter vtrãque cœnam quædam verba interpoſuit: quibus ſignificabat vetus teſtamentum terminari, & nouum incipere velle. Aduerte quòd hic ait Euangeliſta quod duodecim Apoſtoli ſederunt cum eo, vt etiã ſcias quòd Iudas ſedit ad menſam. Attendant hoc quorum corda hic liuor, & odium poſsidet: quique fratribus offenſam hic relinquere nolunt. Chriſtus proditorem ſuum nõ repulit à ſua menſa: & tu eos qui vel verbo tantum te læſerunt vix viſu vel alloquio dignaris? Chriſtus hoc fecit: quid ergo tu cinis puluis, & terræ vermiculus ſuperbis? Sed quid? Tu perpetuo & ſingulis momentis Chriſtum offendis, nec tamen ille reddit talionem: & tu non vereris tã pertinaci odio fratrem inſectari? Sequitur. *Et ait illis, Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Multoties Chriſtus cum diſcipulis agnum aſſum legalem cœnauerat, & non dixit hæc verba: ſed loquitur de ſeipſo: hoc eſt de cibo quem ipſe diſcipulis ſuis cito daturus erat. Ipſe inquam Chriſtus tantæ cœnæ hoſpes, cibus & cõuiua erat: & hanc cœnam erat facturus antequam pateretur, hoc eſt, ante mortem ſuam. Currit poſt nos dominus noſter Ieſus Chriſtus omnibus diebus vitæ ſuæ in ſiti feruentiſsimi deſiderij ſalutis noſtræ: & iſta ſitis ſiue deſiderium fuit prolatum ad triginta tres annos. Diſcamus & nos patientiam habere: ſi bona noſtra deſideria aliquando prolongẽtur apud Deũ: nam qui fecit nos deſiderare & velle bonum, ſcit quomodo debeat exaudire, & quãdo expediat nobis. Vide etiam quomodo benignus & miſericors Dominus non deſinit nos inſequi omnibus diebus vitæ noſtræ feruenter deſiderans, ac ſitiens ſalutem noſtram: quapropter ſi aliquando nobis pia ac ſancta deſideria defuerint, nec habere voluerimus, diſcamus ſaltem ea concupiſcere, iuxta illud prophetæ. Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Et tunc dominus, quæ eius bonitas eſt, tuam acceptabit voluntatem, tanquam obſequium. Præterea dixit hoc, vt oſtenderet quòd propria voluntate patiebatur: cuius paſſionem ſignificabat illud Iſraeliticũ paſcha & agni ſacrificium: tum etiam vt oſtenderet amorẽ, & affectionem quam habebant vt ceſſarent iam legis ceremoniæ: & ſuccederet loco illarum euangelica veritas: quamobrem poſtquam filij Iſrael comederunt fructus terræ promiſsionis ceſſauit manna quo illos Deus pauit in deſerto: ſic etiam poſtquã mundus potitus eſt hoc cœleſti cibo, vetus lex ceſſauit. Ait itaq; dominus. Deſiderio deſideraui, &c. Ac ſi diceret. Singulis annis vt ſcitis paſcha celebraui: ſed nullum eorum tanto deſiderio ſicut hoc præſens. Nunc ergo tempus eſt vt ego vobis talem cibum, & potum præſtem, qualem ante nunquam guſtaſtis, tempore Iudaici feſti. Et gaudeo quòd tempus aduenerit, nec aliud cupiebam. Cras mihi amariſsima patienda ſunt, atque ideò cœnam meã hac nocte abſoluere me oportet. Hoc iam vltimo vobis commendo, nunquam poſthac ſuper terram comeſturus: eo videlicet modo quo nũc ſimul veſcimur. Vnde ſtatim ſubdidit.

Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud.

Quibus verbis clarè oſtendit ſe moriturum, quia mortuus nec comedit nec bibit. Ne tamen diſcipuli ex inſolita hac locutione plus æquo triſtarentur addidit pro ipſorum conſolatione. *Donec impleatur in regno Dei* Hoc ad Chriſti reſurrectionẽ pertinet. Cum enim Chriſtus à mortuis reſurrexiſſet iam completum erat paſcha. Omnia enim priora feſta imperfecta fuerunt: nam vſque ad illud tempus tantum vmbra & figura paſchatis fuerunt ſicut omnia ſub Moſe. Chriſto autem reſurgente, verum paſcha incipiebat: quandoquidem iam omnia erant impleta, quæ ad paſcha implenda erant. Et hoc inquit complebitur in regno Dei. Tunc enim regnũ Dei omnibus modis aderit. De quo prius dictum fuerat, quòd appropinquaret. Acſi diceret, Quandiu mortuus non fuero, & reſurrexero, nondum ad eſt regnum Dei: tunc autem diuinum meum, & ſpirituale regnum in omni mundo potenter incipiet, cum pro peccatis hominum mortuus fuero: & propter iuſtificationem eorum reſurrexero, tunc inquam totus mundus manifeſtè videbit & cognoſcet per verbum & ſpiritum quod filius Dei Rex ſit, dominetúrque ſuper animas & conſcientias, quod regnum eius nunc ſub cruce occultatur. Et hoc quod ſtatim hîc ſubdidit, dicens, Dico vobis quòd non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat: eundem habet ſenſum. Quod dupliciter poteſt exponi. Primò vt diximus de corporali manducatione qua poſt reſurrectionem coram diſcipulis comedit, vt infrà capite vigeſimoquarto videbimus. Tunc enim comedit corporaliter quanuis alio modo quàm prius: vt ibi videbimus. Aliter autem & melius intelligitur verbum hoc de ſpirituali manducatione & potu: quia poſt hanc Iudaici feſti obſeruationem, nunquam amplius Chriſtus eſu paſchalis agni vſus eſt. Nouum tamen paſcha vel agnum nobiſcum edit, & nouum vinum nobiſcum bibit in regno Dei in Eccleſia dum nos ipſi & ipſe nobis incorporatur per fidem

& ſum

Exod. 12. *Theophil in hoc loco.* *Ioan. 13* *Pſal. 118* *Ioſue 5* *Theophila. in hæc verba.* *Rom. 4* *Beda in Luc. ca. 91.*

& ſumptionem ſacramenti:id autem nõ ſemel tantum fit, ſed perpetuò quandiu regnum Chriſti in Eccleſia durabit. Per hoc igitur ſubindicauit quòd corporalis mãducatio agni ceſſare deberet: & ſuccedere ſpiritualis manducatio veri agni. Nec enim agnus ille prior ideo iuſſus fuerat afferri & manducari, vt perpetuò & ſemper ſic fieret. Dixerat enim *Exod.12* Moiſes hoc ſeruandum eſſe cultu ſempiterno, ſed addidit in generationibus veſtris: hoc eſt quamdiu permanebit hoc generatio, hic rerum ſtatus, hoc teſtamentum, nempe vetus, & quamdiu vos populi Dei eritis permanebit hic ritus. Poſt Chriſtum autem alia generatio eſt & aliud teſtamentum: nec amplius Iudæi ſunt populus Dei. Et ideo ceſſauit agni illius paſchalis immolatio. Hoc prædixit Hie- *Hiere.16* remias dicens, Ecce venient dies cùm non amplius dicetur. Viuit dominus qui eduxit filios Iſraël de Ægypto, &c. Et infrà. Ad te venient gentes ab extremis terræ: & dicent, Verè mendacium poſſederunt patres noſtri vanitatem, quæ eis non profuit. In ſumma ergo quinque in verbis præmiſsis dixit. Primum quãtum deſideret cum ſuis diſcipulis cœnam hanc vltimam ſumere, quo certè voluit illos attentiores reddere ad futuram actionem. Diſcipuli enim ex his verbis facile coniicere poterant aliquid noui & alicuius ponderis ſequuturum. Secundò teſtatur paſsionem ſuam iam inſtare. Tertiò declarat paſsionem ſuam & mortem non diu duraturam: ſed ſe rurſum reuicturũ: ſic vt etiam manducare poſsit. Quartò teſtatur ſe cum diſcipulis ſuis comeſturum de hoc paſchate, quod iam illis ſit daturus. Quintò oſtendit mortem ſuam facere ad illuſtrationem regni Dei. Chriſtus enim morte ſua diabolum vicit & regnum patris cœleſtis ampliari fecit. Sed procedamus.

Et accepto calice gratias egit & dixit. Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat. Non loquitur hîc Chriſtus de calice ſui pretioſiſsimi ſanguinis, ſed de calice & potu figuratiuo: & totũ hoc quod ad potum attinet debes intelligere, vt ſuprà diximus quãdo de eſu locutus eſt: donec regnum Dei *Vide Bedã in c.91.in Luc.* veniat. Nam ſicut diximus dixiſſe dominum non amplius comeſturũ cæremonialem agnum: ſic modo teſtatur non bibiturum poſthac de illo figuratiuo vino paſchatis, donec oſtenſa reſurrectionis gloria, luceat in mundo fides regni Dei, vt per illas duas ſupremas figuras adeò in lege communes: agnum ſcilicet myſticum, & vinum ceremoniale, in ſpirituale ſacramentum iam verſas, intelligeres omnia ſacramenta & legis mandata, quæ ad obſeruantias carnales aſtringere videbantur, mutanda in adimpletionem ſpiritualem, & ideo diuus Lucas meminit duorum calicum. Primus calix eſt iſte, de quo modo loquitur de Hebræorum paſchate agens: acturus poſtea de pretioſiſsimi ſanguinis calice. Ex dictis apparet legis paſcha ceſſaſſe iam, eſſeque adimpletum in regno Eccleſiæ: quomodo ſcilicet diuina ſapientia inſtituit menſam noui ſacramenti, cui impoſuit ſuum corpus miſcuitque proprium ſanguinem. Tamen legis cæremoniæ obligabant ad earundem obſeruationem quoadusque Chriſtus dominus paſſus eſt, qui fuit ſacrificium, & oblatio quædam perfectiſsima perfectionem cauſans, extirpatrix omnium illarum cæremoniarum & ſacrificiorum legis. Propter quòd res illius legis tantum fuerunt viuæ, & habuerunt vim vſque ad paſsionem Chriſti, quæ poſt Euangelium mortuæ manſerunt, noſtra verò ſacramenta ſemper extiterunt in ſua vi, & ad finem ſæculi extabunt.

¶ Præterea quòd Chriſtus hîc gratias egit, ſuo more fecit: nũquam enim ſolebat cibum & potum ſumere, niſi præmiſſa gratiarum actione. In hoc autem nobis propoſuit exemplum vt ante ciborum ſumptionem primum conſideremus, vndenam victus ille nobis ſuppetatur, nõ quidem nobis ex induſtria, & laboribus noſtris tantum ſuppetit ſed ex beneficio Dei qui iuxta Pſalmographũ dat eſcam *Pſal.135* omni carni: vnde illi innumeras debemus gratias. Sed iam veniamus ad illam magnã & nouam noui agni cœnam: quam Chriſtus tanto deſiderio concupiuit cum diſcipulis ſuis facere. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens*, Benè antequam tantum ac tam magnum Sacramentum inſtitueret gratias egit. Nam ſi ſuſcitaturus Lazarum gratias *Ioan.11* egit dicens, Pater gratias tibi ago quoniam exaudiſti me: quãto nunc potius gratias egit per ſacram Euchariſtiam non vnum ſed multos mortuos excitaturus?

¶ Porro Chriſtus in hac benedictione ſeruauit modum vſitatũ apud Hebræos: qui talis erat. Cum enim in ſolenni conuiuio paterfamilias menſæ accumbit poculum vino refertũ dextra manu apprehendit, mòxq; orare incipit, Benedictus ſis tu Domine Deus noſter Rex mundi qui creas fructum vitis. Quo dicto vinum guſtat, & poſteà alijs porrigit. Poſt calicis benedictioné panem accipit, quem integrum eſſe oportet: & eum tenendo vtraq; manu his verbis benedicit. Benedictus ſis domine Deus noſter qui educis panem de terra. Quo dicto diſtribuit circunſtantibus. Hunc modum Chriſtum ſeruaſſe ſatis patet ex hac litera: ſi bene illam inſpexeris. Itaq; poſt hanc benedictionem & gratiarum actionem diſtribuit Saluator mundi pané diſcumbentibus dicens, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* O gratia nec audita nec viſa vnquam. O mirifica verba quorum virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti conuertitur, daturque Deus homini peccatori in cibum vitæ, & animæ nutrimentum. Non legitur in Euangelio Chriſtum dominum, rem aliquam adeò excogitatam & tanta præparatione feciſſe, ſicut hoc ſanctiſsimum ſacramentum euchariſtiæ. Inſtituit autem illud, primo vt cor noſtrum firmius adhærere poſſet verbis & promiſsionibus Dei. Promiſit prophetæ futurum vt Deus in nobis habitaret, & quod Chriſtus morte ſua peccata noſtra auferret. Omnes has promiſsiones, & conſimiles confirmat hoc ſacramentum. Secundò in monimentum charitatis ſuæ nunquam nos de bona ipſius erga nos voluntate dubitemus. Tertiò inſtitutum eſt in æternam memoriam & repræſentationem vnici illius ſacrificij in cruce pro nobis facti. Fructus autem huius ſacramenti ex verbis *1.Cor.10* Pauli ſumitur cùm dicit. Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt? Quæ verba indicant quod ſacramentũ hoc omnium bonorum Chriſtianos participes facit. Alius fructus quod etiam nos vnus panis & vnum corpus efficimur: omnes qui de vno pane & vno calice participamus. Admonet hoc ſacramentum nos vnum cibum & vnum potum factos, totóſq; proximorum vſibus paratos eſſe debere: aliorum paupertatem noſtram eſſe, & aliorum errata noſtra ducere, &c.

¶ Expende etiam quanta ostenderit nobis Deus in hoc sacratissimo eucharistiæ sacramento. Ostendit nanque (inter multa, quæ longum esset recensere) suam magnificentiam, suam sapientiam, & maximam dilectionem.

¶ Primò itaque ostendit Christus in hoc sacramento mirabili, suam eximiam magnificentiam. In hoc quòd Christus suum sacratissimum corpus in cibum nobis dedit, fecit suæ potentiæ maximū, contulit etiam quòd cōferre potuit, totū inquam. Quia si diligēter aduertere volumus, in nullo omnium, quæ Deus operatus est adeò magnificum liberalem se exhibuit, vsque adeo suum hoc modo nobis corpus contulit. Ad hoc enim vt opus aliquod liberale sit & dicatur, sat est vt fiat secūdum mensuram & proportionē tale opus exercentis: vnde egenus & pauper liberalis esse potest: ex minimo quod habet conferens. Vt autem magnificum sit duo requiruntur. Alterum quòd opus secūdum se magnum sit & circa magnos sumptus, alterum verò quod adaptetur potestati ipsius operantis: Ex quo sequitur, quòd aliquod opus potest esse magnificum respectu ducis seu comitis, quod tamen in rege deficiet à vera ratione actus magnifici, quia non consonat cum dignitate regali. Ad hoc ergo vt opus magnificum sit, primum necessarium est, vt sit magnum: secundum verò vt commensuretur potestati & dignitati agentis. Secundum hoc nunquam Deus se magnificū exhibuit nobis: quoadusque hoc tantum sacramentum instituit. Magnum & mirabile opus fuit: Deum mundum, solem scilicet cœlum, lunam, terram, stellas, aues, animalia, homines & Angelos, ex nihilo condidisse: quanuis hoc opus magnum sit, si Deus in eo sistere vellet, nec maius facere, non posset magnificus vocari: nam si animum conuertas in qua potestate hæc faciat, reperies hæc nihil esse, quàm eius virtus & potestas. Apud Deum enim minimum quid est cœlum & terram creare. Quæso dicas mihi, diceretur ne rex magnificus, quòd nummum coronatum alicui impenderet? Certè nō. Sed scito plus esse apud regem vnum nummum cōferre, quàm apud Deum cœlum & terram creare: nam tot nummos potest donare rex vt pauper euadat: Deus autem etiamsi infinitos creet mundos tam infinitus & omnipotens erit sicut ante eorundem creationem. Manus enim domini non est abbreuiata. Sicut igitur tu non magnificum regem duces, quòd parem conferat: ita nec Deum quod cœlum & terram condiderit. Siquidem vt ait Dauid, Vox domini in magnificentia. Non loquitur de voce qua Deus dixit in principio, fiat lux, nec qua dixit, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, sed qua suis discipulis dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc opus adeò magnum est, vt quod datur Deus sit: si potestatem contempleris inuenies maximum quod potuit dedisse, nec plus quàm dedit habuisse. Dedit totum quod potuit Deus: & etiam quod facere potuit, fecit. Est ne aliquid Deo maius? Scito quòd ipsemet Deus viuus, æternus, omnipotēnsque se tibi dat sub humilibus accidentibus panis & vini. De tali opere non dubiū, nisi quòd pleno ore dicere possumus. Quod vox domini in magnificentia. In nulla re earum, quas Deus condidit aliquid dicitur absumpsisse, solum enim verbo omnia operatus est dominus: ipse enim dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. At verò hic de eius vita, honore, sanguine actum fuit. Vide ergo quàm magnificum & potentem se Deus exhibuerit in sacramenti huius institutione. Quid amplius dare potuit? Quid plus pro homine perpeti quàm mori, perpetuamque memoriam sacratissimæ passionis relinquere: & antidotum animæ salutare in hoc sanctissimo sacramento adhibere, &c.

Aristotel. 4 Ethico.

Esai. 59

Psal. 28
Genes. 1
Eucharistia donū Dei est ter maximū.

Psal. 148

¶ Secundò ostendit suam infinitam sapientiam: inter nos verè & realiter manens in hoc sanctissimo sacramento. Duo amores adinuicem oppositi Christi cor expugnabant. Vnus eorum abire hortabatur: alter manere. Maximus autem amor quem erga nos habebat, abire accumbētem agitabat: quandoquidem mors eius in nostram vitam & redemptionem cedebat: & sic discipulis dixit, Expedit vobis vt ego vadam. Necessarius enim nobis erat eius transitus, siquidem ipso nos redemit, sine quo salutem consequi non poteramus supposita diuina præordinatione. Itaque vnus amor dicebat vt abiret, & redimeret nos. Sed erat alius maximus amor quo nos prosequebatur, qui suadebat manere. Cùm enim nos maximo persequeretur amore, à nobis abesse renuebat: nam qui multum diligit, semper rem sibi amatam præsentem esse, in cōspectúmq; dari maximè desiderat: ita quòd acriter ferat recessum ab ea. Vtrique amori Christus Redemptor noster sapiētissimè satisfecit: nam abiit, & nobiscum mansit. Ambo operatus est dominus. Abiit & recessit propter nostram vtilitatem, & amorem quem erga nos habebat, moriēs, & in cœlum conscendens nobis sedem paraturus. Mansit enim nobiscum in hoc sacramento ineffabili. Ideo ipse dixit, Ecce ego vobiscum sum vsq; ad seculi cōsummationem. Et si abiens alia nobis sacramenta relinqueret, aliisque nos muneribus afficeret, minimè nobis satisfaceret: si ipsemet in propria persona nobiscum non esset. Sponsa pluris facit & diligit sponsi personam quam munera eius: propter quod nec quiescit seu sentiatur in eius absentia, quãuis multis & maximis sit ab eo affecta donis & muneribus: nihil tanti facit quanti sponsum suum. Sic Christus abiens licet Ecclesiæ suæ magna dona relinqueret, nihilominus maneret tristis sponsi absentia, nisi cum ea esset. Quare vtrique vt diximus amori satisfecit: quia recessit ipsam redimēs, locúmque in cœlis parans: et etiam adest in perpetuum, in hoc sacramento existens. Pulcherrimis illam prosequutus fuerat supellectilibus: baptismū, confirmationem, extremam vnctionem, & cætera alia sacramenta relinquens, quibus nobis Deus suam gratiam confert & communicat: his tamen Ecclesia & sponsa Christi donis, contenta non esset nisi Christus seipsum illi daret. Hîc autē in hoc mirabili sacramento semetipsum tribuit Ecclesiæ, qui gratiæ fons est. In aliis sacramētis fons gratiæ communicatur, quasi per canales. Hic tamen datur fons, largitórque gratiæ recipitur. Itaque ad patrem ipse vadens, per suam passionē & crucem, & Ecclesiam suo sanguine redimens, cum ea permansit verè atque realiter in hostia, tam diuinus, tam magnus, potens, & dominus, sicut in cœlo residet, quisnā similem edere sciret modellum? Quis talem modum posset inuenire? Voluit certè infinita sapientia sua ineffabili modo, nec vnquā audito, nec viso, hic cum homine conuersari, & manere, in cœlo existens. Et non solum eius altitudo sapientiæ osten

Christi infinita sapientia.
Ioan. 16

Matth. 28

Matth. 28
Christus quomodo absens & præsens.

tiæ ostensa est per hoc quòd cum homine mansit: sed etiam per modum, quo id facere excogitauit: nam eo modo quo mors in mundum intrauit, voluit dominus, vt eodẽ intraret vita. Per esum ligni *Gen.3* vetiti intrauit mors: per esum etiam intrauit vita. Medicus enim infirmo qui venenũ gustauit inquit: non incolumis euades, ni hac medecina vescaris. Ita modo, per hos quo genus humanum toxicum *Ioan.6* imbibit, eodem illi vita præstetur. Ideo Christus, Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem: non habebitis vitam in vobis. Euæ dæmon dixit, Eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Quodnam diuinitatis signum erat in arbore? certè nullum. Quod ille mentiens dixit, hic Christus summam veritatem loquens affatur. Hoc est corpus meum. Vbi verè & realiter corpus Christi viuum cum diuinitate continetur. Ille dixit, nequaquam moriemini: Christus autem dicit, Qui manducat hũc panem viuet in æternum. Siquidem ergo mẽdaci fidem adhibuisti: adhibe etiam veraci. Credens lapsus es, & etiam credens salutem consequeris. Si credidisti fallaci, crede etiam Saluatori. Ibi non visum, & absq; ratione duce, in illa arbore scilicet, Dei virtutem contineri, qua homines fieri poterant Deo similes, creditum est: crede ergo tu similem huic cibo inesse virtutem. Sed expende quantum vnus ab altero differat. Ille erat serpens, & iste agnus. Ille peccator, iste creator. Serpens per terram repsit: iste de cœlo venit. Ille spiritu diaboli falsum sibilans, hic spiritu Dei verũ euangelizans. Ille ad peccandum induxit, iste iustitiam docet. Ille ex ligno quod suum nõ erat, obtulit quod fatatus est: iste corpus & sanguinem proprium magnificè suis præbuit. Et nihilominus illi fallaci nefandissimo fuit fides adhibita potius, quàm Deo ipsi. Credamus ergo nos ipsi: si tam facile credidimus mendaci, credamus etiam veraci. Et sicut ille fructum vetitæ arboris contulit ad mortem inferendam: Christus dat carnem, & sanguinẽ propter nostram salutem, atque vitam. In quibus omnibus vide & intuere maximam Dei sapientiam, siquidem mundum redemit quo amissus fuerat.

Christi ineffabilis amor in Eucharistia spectatur. ¶ Tertiò super omnia ostendit Christus suam ineffabilem dilectionem, seipsum in cibum dans. O mirabilis amor, & charitas inaudita. Proficiscitur amicus ab amico, in cuius memoriam, corpus & sanguinem in pignus relinquit. Maximus fuit cer- *1.Reg.18* tè amor, quo Ionathas prosequebatur Dauid, siquidem diligebat eum quasi animam suam, in cuius signum digredi volens tunica qua erat indutus expoliatus est, & dedit eam Dauid, & cætera vestimenta, vsque ad gladium & arcum suum. Sed quæ conuentio Christi amoris cum amore Ionathæ: si quidem cum à nobis digrederetur propriam carnem cum sanguine contulit in signum nimiæ charitatis: quam erga nos habebat? Helias cum vellet *4.Reg.2* è terra discedere, atque ab eius discipulo Helisæo, reliquit ei pallium, quasi carens aliis ex qua eum hæredem posset constituere. Sic Christus Redemptor noster in cœlum conscendere volens, suum nobis sacratissimum corpus dimisit in hoc sacramento: nos tanquam filios hæredes constituens omnium thesaurorum & meritorum contentorum in eo. Heliæ pallio transiuit Helisæus Iordanem per siccum, nec submersus est: ita virtute & gratia huius sacramenti fideles transeunt per aquas tribulationum & vanitatum vitæ præsentis absque vllo labore & periculo. Quæ maiora signa amoris excogitari possunt, quàm Deum nobis in cibum dari? Nam quamuis Christus non conuerteret panem in corpus, & vinum in sanguinem suum: sed simpliciter ex suo nobis pane & calice participasset, id esset plenissimum suæ dilectionis testimonium. Cum enim Nathan Dauidi indicare voluisset quanto *2.Reg.12* pauper ille amore prosequeretur suam ouem, non potuit illum amorem maiori ratione demonstrare, quàm dicere, quòd ouis illa de pane sui domini manducabat: & de calice bibebat. Vehemẽtissimum ergo amoris sui argumentum nobis Christus monstrasset, si suum nobis panem, & vinum dedisset. Quanto igitur vehemẽtius quòd vltra id suum sacratissimum corpus, & sanguinem præbuit? Cum Ioseph fratres suos inuitauit, nihil aliud dicitur eis apposuisse quàm panem, sub quo omnis cibus intelligitur, & sederũt seorsum Ioseph, seorsum fratres, & seorsum Ægyptij. Dicitur tamẽ ibidẽ quòd *Genes.43* biberant, & inebriati sunt. Sic in hoc conuiuio licet solus nominetur panis sicut in cõuiuio Ioseph: tamen omne delectamentum in se habet panis iste *Sapien.16* cœlestis. Quare qui hunc panem dicit, omnem cibum dicit. Verùm quia sumunt boni, & mali: forte tamẽ inæquali vitæ vel meritus adeo dicitur quòd seorsum Ioseph, seorsum fratribus, & Ægyptus, panis appositus est. Nec Ioseph fratribus dedit corpus suum & sanguinẽ: nec mater aliqua dilectissimo filio dedit suam carnem. Quarto libro Regum, *4.Reg.6* multisque aliis historiis legimus quàm plurimas matres ingenti penuria coactas, nimiasque fame arctas haud horruisse dilectos filios edere, neci atque igni coquendos tradentes vt aptum fieret condimentum. Hoc sæpè ac sæpius legimus. Sed quis vnquam legit aliquam matrem proprias carnes filio comedendas contulisse? O mirabile, & horrendum amoris facinus. Matres amore vitæ filios è viuis auferebant, vt ipse incolumes euaderent. Quæ vnquam mater scidit, & secauit brachia vt filium enutriret? Quæ etiam adeò sibi infesta atque crudelis, vt filio pia atque blanda redderetur? Non est vlla mater quæ tale fecerit. Ille tamen plusquam mater, videns te in extremis famèque perire, & tibi misero non aliud superesse ad vitam seruandam, tibi propriam carnem comedendam dabat, tradi carnificibus permittit: vt tu hoc cibo pastus viuere posses. Sed hæc suffecerint: nam ego potius expositor Diui Lucæ quàm concionator sum. Ideóque hæc verba Christi exponamus, & singula expendamus ac consideremus.

¶ Quid demonstratur per pronomen, hoc? Nam tunc certum est quòd non est corpus Christi, cum Christus dixit, & sacerdos loco eius, hoc est corpus meum. Monstrabat Christus illam rem, seu illam *Matth.9* substantiam iacentem. Nam cùm Christus puellæ *Luc.8* mortuæ manum accepit, & dixit, puella tibi dico surge, illud pronomen, tibi, nõ demonstrabat puellam viuam, nam tunc non viuebat. Si mortuam monstrat, mortua ergo surgit. Quòd si monstratur illa res, siue illa substantia iacens: cur non permittis vt idem dicamus de illo pronomine hoc? Similiter cum dixit: Lazare exi foras. Cum illo no- *Ioan.11* mine Lazare vocauit mortuum, qui viuus prodiit: ita dicam ego tibi panem esse in primo instanti verborum mortuum: sed in vltimo instãti panem, prodire viuum. Si verò dicas nomen illud Lazare, vocasse Lazarũ viuum, licet illo puncto quo verbum proferri

proferri cœpit, mortuus esset: cur igitur non hoc ipsum de pane existimas, quòd licet eo temporis puncto sit panis mortuus, vocari tamé vt viuus sit? Audi etiam in similitudiné. Aliqua sunt vina apud nos in Hispania quæ hic vilia sunt, & austera: sed vbi per maris vndas transuehuntur ad Indos, generosissima sunt & suauissima. Nunc ergo si tu ex Hispali amico tuo apud Indos in nouo orbe commoranti mittas tale vinum, non rectè scribes, mitto tibi vinum generosissimum? Rectè profecto. Sed demonstratio non est vini pro tempore quo mittis: sed pro tempore quo est accipiendum. Sic Christus. Accipite, hoc quòd à vobis suscipietur, cum suscipietur corpus meum est. *Genes.19* Sic Abraham dixit. Loquar ad Dominum meum cum sim puluis, & cinis. Tunc non erat puluis: sed dicebat id, quod erat futurus. Sic dicitur hic corpus, quia in vltimo instanti prolationis corpus erit. *Hier.22* Hieremias etiam. Terra, terra, terra: audi verbum Domini. Homines vocat terram, quia erant in terram conuertendi. Sic Christus panem vocat corpus: quia in corpus suum erat conuertendus.

¶ Sed quia vita hominis non tantum cibo, sed etiam potu sustentatur, ideo post corporis consecrationem adiecit Dominus dicens,

Similiter & calicem postquam cœnauit dicens, Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Collatio sanguinis vet. testa. cũ sanguine Christi.

Vocatur sanguis noui testamenti, quia sanguis Domini nostri Iesu Christi in cruce effusus quasi arrabo, & sigillum fuit noui fœderis quod Christus nobiscum pepigit. Pepigerat olim Deus pactum cum filiis Israël, quòd esset illos introducturus in terram fluentem lac & mel: modò in suis mandatis, & iustificationibus permanerent. Sic legimus *Exod.24* quòd Moses hoc narrauit populo. Responditque populus: Omnia verba quæ loquutus est Dominus faciemus. Scripsit autem Moses vniuersos Domini sermones, & mane consurgens ædificauit altare, & obtulerũt holocausta & victimas Domino. Tulítque Moses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras, partem residuam fudit super altare: assuménsque volumen fœderis legit audiente populo. Qui dixerunt, Omnia quæcunque præceperit Dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum & ait, Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. Ad hunc ergo sanguiné, & ad hæc Mosi verba respexit Dominus, cùm dixit. Hic est sanguis meus noui testamenti qui pro vobis fundetur. Acsi diceret. Veteri testamento succedit nouum: & sicut hoc illo melius & pretiosius est, ita & nouum honorificentius roborabitur, & consignabitur quàm vetus. Vetus habebat sanguinem vitulorum, cui non erat possibile vt peccata aboleret: nouum autem iam habebit meum sanguinem, & talem sanguinem qui valet ad abolitioné omnium peccatorum. *Hebr.9* Hoc Beatus Paulus declarat dicens, Si sanguis taurorum & hircorum, si cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immolandum Deo, emũdabit conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti? Sicut brutorum sanguis olim sanctificabat, hoc est mundabat tantum in carne: quãto magis sanguis Christi conscientias nostras mundabit in spiritu? Sed sanctificatio nó potest esse sine peccatorum (quoad culpam) remissione. Quod etiam Ioannes dixit: Qui dilexit nos & lauit nos in sanguine suo. Et Paulus. Quem posuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, &c. *Apoc.1* *Rom.3*

¶ Aduertendum quòd Iudæis non sufficiebat aspersos esse sanguine vt probarentur Deo: sed necessarium illis erat mandatis Domini obtemperare. Vnde inquiebant, Omnia mandata quæ loquutus est Dominus faciemus. Sic & nobis non sufficit, de corpore, & sanguine Christi participare, nisi seruauerimus verba pacti, siue noui testamenti, & mãdatis Christi obtemperauerimus. *1.Cor.11* Fœdus autem illud nouum vult vt inter partes sit idem velle & idem nolle: vt quod ille amat, nos idem amemus: & quæ ille odit, nobis odiosa sint. Ideo iudicium sibi manducat & bibit, qui calicem Domini accipit sine præuia contritione, & peccatorum confessione.

¶ Rursus notabis quòd testamentum morte testatoris, vt Paulus ait, confirmatur. *Heb.9* Testamentum fecerat Deus Israëlitis promissionis, eis se daturũ, cum autem Deus mori non posset, vitulum iussit immolari vt diximus, cuiúsq; sanguine hoc suum testamentum confirmauit. Testamentum verò nihil aliud est quàm notificatio seu designatio bonorum: siue id scripto, siue viua voce fiat. Sic Christus bona sua nobis testamento legauit: nempe remissionem peccatorum. Sed vt testamentum firmum esset, & irreuocabile mortuus est: cuius mortis, vt memores essemus sigilla duo affixit, scilicet, sacramentũ corporis, & sanguinis sui. Cum ergo dicit, accipite ex eo omnes: hoc est enim, &c. Id est. En promitto vobis omnia bona, eáque confero vobis. Primum testamentum quia morte mea nó fuit firmatum, reuocabile est: nam testator in via potest testamentum reuocare, & aliud condere: hoc autem vt firmum, ratum, & irreuocabile sit, iam moriturus sum, atque in eius signum, & cõtestationem sanguinem meum vobis relinquo. Testamenti autem meminit non cum agit de corpore, sed cum agit de sanguine: quia sanguis effusus signum mortis est: qua morte confirmatur testamentum. *Testamenti mētio in sanguinis consecratione fit.* Præterea, addidit, qui pro vobis effundetur, & alij Euãgelistæ qui pro multis effundetur: quia quãuis sanguis Christi pro omnibus effusus sit, quoad sufficientiam, non tamen pro omnibus quoad efficaciam. Item multò plura Christus de sanguine, quã de corpore explicauit: de corpore enim non dixit, nisi, hoc est corpus meum, sed de sanguine longè plura: scilicet, calix noui, & æterni testamenti. Huius causam esse existimo, quia cũ in sanguine anima sit (vt Moses dixit) loquens Christus de sanguine suo, loquitur de anima sua, & vita sua, quæ quia multo pretiosior est corpore: idcirco multo sublimius de ea quã de corpore nos intelligere voluit. *Leui.17*

¶ Deniq; aduertendũ quòd consecratio sanguinis Christi fit in particulari & distinctè à corporis consecratione, & ideo consecratio corporis à consecratione sanguinis distincta, sicut hic Christus fecit: vt hac distinctione & separatione, ducamur ad cognoscendũ sacratissimũ Christi sanguiné in passione fuisse à corpore seiunctũ & separatũ, in hoc enim sacramento mirabilis passionis Christi memoria recolitur. Ad hoc ergo significandũ cõsecratio corporis, & calicis fit sub speciebus distinctis, licet in vtraque totus Christus contineatur. Nam

quamuis

quamuis non vno, ſed alio, & alio modo ſit in hoſtia, atque calice, non tamen ſecundum diuerſum eſſendi modum, ſed potiùs eundem:licet diſtinctio & differentia ſit in ordine qui in ipſa conuerſione contingit. Quia ſub ſpecie & albedine panis corpus Chriſti exiſtit ex vi ipſius conuerſionis, & ſecundum quòd conſecrationis verba ipſum corpus exprimunt:quæ tanquam ad finem præcipuum extenduntur, vt ſubſtantia panis conuertatur in verum Chriſti corpus:attamen ſanguis, anima, atque diuinitas ſunt tantum per quandam realem & inſeparabilem, concomitantiam. Sanguis enim adeſt concomitáter ac inſolubiliter tanquam vera ſedes animæ, anima verò per naturalem coniunctionem: tandem Deitas per vnionem indiuiſibilem. Sed procedamus. Poſt præmiſſa enim conſecrationis verba continenter inquit Chriſtus.

Veruntamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa. Et quidẽ filius hominis vadit, ſecundũ quod definitum eſt: veruntamen væ homini illi per quem tradetur.

Proditores amici hodie in menſa domini.

Vnus ex duodecim qui mecum ad menſam ſedetis, cuius ego pedes laui, cuiq; tot beneficia contuli:me morti traditurus eſt. Quàm imparem gratiam retulit Iudas, & qui ad menſam ſuam ſe receperat. Hæc eadem verba poteſt Dominus de multis ſacerdotibus dicere, qui indignè ad altare Dei accedere præſumunt, manus tradentis me mecum eſt in menſa:ſiquidem illi Chriſtum ipſum peccando vendunt:& vtinam non vilioris vendant, quàm Iudas vendidit. Simile patrauit ſcelus Abſalon, qui cum Ammon fratrem inuitaſſet, interficere auſus eſt tanquam iniquus, & traditor.

¶ Aduerte quod voluit Chriſtus manifeſtare quòd morti tradendus eſſet per manum traditoris antequam traderetur: triplici ex cauſa. Primò vt oſtenderet ſe Deum eſſe: qui cognoſcebat ventura antequam fierent. Secundò vt oſtenderet quòd voluntariè patiebatur:quia ſciens mortem, ſe abſcondit. Tertiò vt traditor cõfunderetur, & ſic pœniteret cùm audiſſet quòd [illegible] erat illi occulta traditio. Noluit autem eum nominare, ne eius faciem confunderet:ſi publicè argueretur:ſed peccatum in generali dixit & in communi, vt ille qui viſibilem culpam habebat, ſecretam faceret pœnitentiam.

¶ Nota etiam quòd ſolent homines deſiſtere à malo propoſito quatuor modis: quibus omnibus iuxta ineffabilem Chriſti miſericordiã voluit Dominus conuertere traditorem ſuum, vt à peccato deſiſteret. Primò ſolent homines deſiſtere à malo, propter verecundiam. Ideo dixit, Ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Secundò ſolent à malo deſiſtere ex metu & timore pœnæ. Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Ita Dominus hac medicina vſus eſt cum traditore minando illum pœna & ſupplicio dicẽs, Væ homini illi per quem tradetur. Hoc addidit vt ille qui ex verecundia non corrigebatur ſaltem ex timore corriperetur. Tertiò ſolent homines corripi liberalitate beneficiorum: quod Chriſtus fecit dum cum recumbere ſecum fecit, & porrigendo ei manu propria buccellam panis tinctam, & lauans illi pedes. Hoc notauit hîc cùm dixit, Mecum eſt in menſa. Quartò corripiuntur homines, & emendantur declaratione affectionis, & amoris: quod Dominus oſtendit Iudæ cum dixit, Amice, ad quid veniſti? Hinc aliqua ad noſtram eruditionem eliciamus. Ioan. 13

¶ Diſcant primò prælati exemplo Chriſti Ieſu, bona facere ſubditis ſuis licet mali ſint, vt in quantum in ſeipſis eſt à ſua mala vita auertere conentur. Quia non adeò erunt duri corde quin charitatem, & bonitatem, ſui prælati videntes ipſi gradum non reuocent & corripiãtur. O quam mirifica fuit hæc Chriſti benignitas, qua erga illum duræ ceruicis vſus eſt. Sed nec hæc Saluatoris benignitas, nec ſuprà dicti quatuor modi, quibus ſe Chriſtus cum illo geſsit, vt à mala vita reuocaret, & ad pœnitentiam duceret, ſat fuerũt ad cor mollificandum huius diſcipuli obſtinati, & indurati traditoris. Vtinam & nunc non ſint multi obſtinati, ſicut Iudas, quos nec amore ductos, nec timore concuſſos, & beneficiis affectos ad ſe Deus conuertere poſsit: Imo quàm plurimi ſunt, qui quò eos Deus magis permittit, & ſuſtinet, eò peiores fiunt & impudentiores ad peccãdum audacioréſque ad maiora mala perpetranda. Matth. 25

¶ Diſcamus ſecundò non detegere crimina, atque defectus noſtrorum proximorum, vt ea ignorantibus nota fiant. Reſpice qualiter Chriſtus honori Iudæ conſulit, non nominans, nec dicẽs, quis eſſet traditor coram illis quos latebat:in quo tempus tereret, quídque machinaretur. O quam malè multi hodie hac abutuntur doctrina. Siquidem multi qui Chriſtum profitẽtur ſæpè ac ſæpius proximorũ quoſlibet defectus in publicum deferunt, & detegunt, quamuis lateant: & hoc maxima conſcientiæ propria libertate atque animæ clade: inuidia etiam, & odio fœlicitatis alienæ, quàm plurima opera bona conticent eorundem proximorum &c.

¶ Diſcamus etiam vt ad ſacram Euchariſtiam acceſſuri nos probemus & examinemus: quod poſteà Paulus dixit. Probet autem ſeipſum homo, &c. Nam omnes Apoſtoli audito hoc mentis ſuæ latibula perquirunt, vt videant ſi quid proditionis in ſe reperiant. Vides nunc anima mea, quomodo Dauid anguſtiatus, & perſequutus ab illo cui multa bona præſtiterat, paſcitur ab Abimelech panibus propoſitionis? Tamẽ ibi ſimulatus aderat traditor Doeg, potentiſsimus paſtorum Saulis, qui prodidit Dauidem. Ita in hoc ſanè conuiuio aſtitit Iudas potentiſsimus paſtorũ (erat enim inter Eccleſiæ paſtores ditior) & prodidit Chriſtum. Sed hiſtoriam proſequamur. Audientes enim Apoſtoli hæc, quæ dixerat Chriſtus, audi quid Euangeliſta dicat. *Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis qui hoc eſſet facturus.* Hoc quod Chriſtus dixerat omnium corda penetrauit ſicuti quodam gladio acuto:& ſic ſtatim totum Apoſtolorum collegium ad lachrymas, & triſtitiam flexum eſt:cùm enim ſcirent Chriſtum mentiri nullo modo poſſe, eorumque conſcientias mundas eſſe, erãt maximè turbati, atque perterriti. Vide iam nunc diſcipulos triſtes nõ ſolum ob magiſtri dilectiſsimi diſceſſum, ſed etiam quia ſibi ſuaſerãt adeò iniquam traditionem excitandam eſſe qualem nunquã viderant, quapropter ſtupebant. At vide quomodo traditor ille, vt ſatius diſsimularet, non ideo cibo pepercit ne ad ipſum verba dirigi viderentur: ſed potius cum cæteri ad ſe reciperentur à ciboq; abſtinerent, & ora ab eſu interdicerent præ nimio terrore, perditiſsimus Iudas perfricata fronte ſtultáque audacia, qua magiſtrum ſuum traditurus erat, vt bonam habere con 1. Corint. 11 1. Reg. 21

re conscientiam fingeret, cum ipso ad eandẽ mensam sedens simul vescebatur. Aduerte hîc quòd si Apostoli cùm adeò sancti, mũdo corde, & cõscientiis essent, sunt metu cõcussi, ac perterriti, verbum Christi audientes: quid facies quando propria & accusatrice conscientia, iustus iudex venerit cui arcana cordis inuestigaturus? Matth.25 O quantum deberent peccatores horrescere, atque timere verbum illud iudicij, Ite maledicti in ignem æternum: si iusti timuerunt Christum quando in carne passibili existens dixit, vnus vestrum me traditurus est. Sed vide quid ex hoc sit sequutum. Ait nanque Euangelista. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Hi sunt affectus eorũ qui in aulis principum viuunt. Sibi quisque placet, sibi quisq; pollicetur honores & vnus alteri inuidet. Habes autem hic ex quo fonte bella & dissidia oriantur: nempe ex ambitione. Inter superbos enim, vt Salomon Prou.13 ait, semper sunt iurgia. Hæc fuit causa quòd Romani totum orbem macularunt sanguine humano: nec alia causa nunc bella excitat, quàm principum ambitio, quibus leuius videtur plurimum Christiani sanguinis fundere, quàm leuem aliquam iacturam externorum facere. Apostoli itaque non solùm suspicione traditoris turbati sunt, sed ex turbatione ad illas contentiones veniunt. Inciderunt autem in hanc litem: quia verisimile est quòd inter se dixit vnus alteri. Tu proditurus es. Et alius alteri, tu proditurus es. Et inde peruenerũt, vt dicerent. Ego sum melior, ego sum maior.

¶ Alij autem putant, quòd cum Christum audissent moriturum, ideo eos de primatu contendisse: quando vnusquisque cupiebat esse prior, sicut & Matth.20 duo filij Zebedæi petierunt esse primi in regno, & Christo proximi, vnde reliquorum exorta est indignatio. Est adeò detestabile vitium ipsa ambitio, vt ex eius cupiditate, quoduis malum possit præsumi. Nullum est flagitium, quod ambitiosus facere non tentet. Non poterãt discipuli excogitare, nec credere in eorum gremio esse aliquem, qui tam flagitiosum scelus aggredi auderet, vendere scilicet magistrum ac tradere: nisi tantum illum, qui maior omnibus esse vellet. Nam casu quo quis primatum tenere cuperet, ex consequenti de morte Christi Iudic.9 agere deberet, vt cæteris præesset. Hoc idem pàtrauit Abimelech Gedeonis filius morti septuaginta fratres tradens: vt filij Israël eum populo præfice-4.Reg.11 rent. Et Athalia omne semen regium occidi iussit: vt ipsa domina ac regina existens sola regnaret. 2.Reg.16 Absalon etiam iniuit aduersum patrem bellum, persequutúsque est eum, regnãdi & imperandi cupidus. Tandem communiter, ambitiosi homicidæ sunt: quòd si opere non compleant, animo tamen adimplere desiderant ad hæreditatẽ obtinendam, siue vt in magistratibus, & officiis aliorum succedant. Ideóq; discipuli cõtendunt de primatu, vt ex hoc discant, quisnam sit tanti facinoris autor. Huiusmodi ambitiosi, atque honoris cupidi, sunt dæmonis martyres: magnas patiuntur calamitates, ingentes itidem labores sustinent: vt tandem dignitates, atque magistratus consequantur: qui etsi eis omnia non ex sententia eueniant, inter se comminuũtur propriaque ad inuicem viscera rodunt. Sicuti cani os rodenti quandoque contingere solet ex nimia collisione sanguinem ab ore, & dentibus educere, quem rursus rodit atque sugit: sic isti se ipsos interimunt, comminuunt, viuósque rodunt. Et ideo quia huiusmodi tot patiuntur atque sustinent: eorum arrogantia atque ambitio comparatur simulatæ, fictæ, ac personatæ charitati. Charitas (inquit Paulus) patiens est. 1.Corint.13 Sic isti omnia patienter sustinent dum non possunt euadere voti compotes: vsque adeo aliquid boni vacet. Charitas benigna est. Sic ambitiosus omnibus placere amicabilísque reddi studet, omnibus caput aperit, vt tandem cùm apud omnes bene audiat, ad metam optatam perueniat. Charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet. Omnia hæc ambitiosus facit, quia multa suffert propter propriam ambitionem: credit omnia, quòd possit scilicet esse Archiespiscopus, Rex, Papa, & quicquid de se imaginatur. Et omnia sustinet. Calorem, frigus, vigilias, iniustam & aduersam vitam, iniurias, quibus afficitur, vt Regi, & principi placeat, à quibus omne bonum intentum adepturum existimat. Sicut simia hominem imitatur: ita ambitiosus charitatẽ ipsam æmulari videtur, viróque iusto assimilari. Maximè tamen ab eo distat: nam quod bonus & iustus amore Dei ductus operatur: idem ille propter semetipsum facere studet. Et est hæc adeò magna distantia, magnúmque discrimen vt propter finem, quem quisque respicit, alter inter filios Dei, alter verò inter dæmones computatur.

¶ Oritur hæc ambitio, quia non cognoscunt homines breuitatem honoris: nec attendere volunt finem rerum. Absalon, & Adonias, filij Da-3.Reg.1 uid, regnum patris viuente adhuc rege vsurpare voluerũt: sed vide exitum ambitionis, & honoris. vterque sui criminis pœnas dedit, vitam cum miserabili morte commutare coactus. Abimelech quoque filius Ieroboal, de quo diximus, & Athalia qui 4.Reg.18 ambitiosissimi fuerunt, miserabili morte interierũt. Iudic.9 Hic est finis ambientium honores, quòd omnes ambitiosi cõsiderare debent. Est & consimilis honor, cuidam formicarum generi, quas cum in altum pueri alarum remigio efferri vident, captant, tendiculísque apponunt [illegible] culis escam. Quæ sanè formicæ si alis caruissent non efferrentur in altum: nec à pueris appeterentur, denique nec alicuius darentur in escam. Triste spectaculum est, quem hodie vidisti hominem in sublime euectum, atque omnium oculos in se conuertentem, iam breuissimo momẽto temporis adeò deiectum videbis esse, vt illum suo consortio nemo arbitretur dignum. Hæc enim sunt testimonia mũdi, hi & honores quibus suos afficit. Quapropter veri honores de manu Dei expectandi sunt: Qui licet per homines conferantur: tunc verè de manu Dei conferuntur, cum quis non quærit eos nec ambit: sed soli Deo innixus, firmus incommutabili Deo manet. A varietate quippe desideriorum, manet varietas conquisitorum. Varietas autem desideriorum originem habet ab ægritudine animæ. Qui enim infirmus est plurima cupit: nunc fontes, nunc frondes, nunc istos, nunc illos cibos, nunc flumina, nunc pisces, & nunc impossibilia quæuis imaginatur. Hæc omnia facit honorum varietas. Qui ergo cupit, non angi nec distrahi peccatorum humoribus, his euacuatis, soli Deo placere contendat.

¶ Vide etiam quòd sancti Apostoli non solùm nunc in hac cœna: sed sæpè de ambitione tentati sunt, & turbati. Quãdo Apostoli cum Christo ibãt Matth.18 Capharnaum, in itinere de primatu disputauerũt: Marc.9 & filij Zebedæi sedere voluerũt vnus ad dexteram, Matth.20 alius ad

alius ad sinistrā, propter quod alij scādalizati sunt. Lucas noster vt in capite nono narrat (super quod in superioribus de ambitione scripsimus) etiā ait apostolos de primatu contendisse. Hoc vnum hic vt concludam notandum est, quod non ait Euāgelista quòd erat contentio, quis eorum esset maior: sed solum quis eorum videretur esse maior. Quia certè in hoc mundo vnus non est maior alio, quāuis vnus alio maior videatur. Ille oculis nostris videtur esse maior, secundū tamen rei veritatē, minimus, æger, pauper, egenus, miseriis, laboribuq; plenus, potius existit. Omnia mundi magnifica, atque sublimia apparent: cū verè parua & humilia sint. Aurū mundi omnia sceptra imperatorum, Regum anademata, diademata atque thiaræ, & totius orbis status ad sidera ducti, quāuis magna & nobilia appareant, atque videantur, omnia helcisma & scoria sunt terrę ipsius: cū in se caduca, momētanea, & vilia sint. Cuncta mundi regna atque potētatus habent se veluti comœdię, in quibus vnus egreditur gerens & agens regis personam, alius cuiusdā dominæ, alius tandem pastoris: quibus finitis, vestibusque exutis nemo actorum rex, siue imperator extat, sed vir infimę sortis, & status sicut anteà. Sed de his aliàs.

¶ Expende etiā Christi Redemptoris benignitatem, & patientiam, erga discipulos: qui debuerāt considerare tempus ab omni contentione alienissimum. Tunc enim instabat dies Dominicę passionis & cōcionis præceptoris sui de regno spirituali inchoando: non de mundana exercenda potentia. Non tamen eos Dominus reiecit, sed familiariter increpat, & amicissimè erudit: & tribus argumētis eam ambitionem sedare voluit. Primum quòd ambitio vitium sit gentilium: deinde exēplo suo, quā uis enim ipse sit altissimus, formam tamē seruare voluit humilitatis. Postremò iubet eos de honore nihil esse solicitos, quòd ipse prę paraturus sit eis regnum. Sed nunc Christum audiamus. Chry. à D. scitatus in hoc loco.

Dixit autem eis. Reges gentium dominantur earum, & qui potestatem habent super eas benefici vocantur.

Dominatio coactionem, & contemptum habet hoc loco. Siquidem gentiles nonnunquam abusi sunt magistratu, & potestate: dū subditos suos prę superbia & fastu contemnunt. Christanus autē qui cogitare debet omnes homines patrem vnum habere in cœlis: non ita superbire debet elatus erga suos. sed potius animo concipere, quod si hic temporaliter dominetur illis, fortè tamen futurum sit, vt multis nominibus superior eo fiat aliquis ex subditis suis in æterna patria.

¶ Vide autem quòd Christus his verbis nō voluit inter christianos alios aliis non debere esse superiores, episcopos, principes, reges, aut dominos: sed fastum tantum vetuit, & inordinatā dominādi libidinem, & ambitionē. Hoc ita esse ex Christi verbis patet, cum ait, reges gentium dominantur earum. Ita enim moris gentiū esse prima quæque appetere, tyrānica hęc passio est, & nonnunquam etiam viros eximios perturbat. Quod autem hic Dominus, magistratum non prohibuerit ecclesiasticum, verbis eius, & exemplo probatur. Exemplū enim proposuit seipsum. Ego in medio vestrū sum tanquam qui ministrat. Cōstat ergo, quòd quāuis omnium maximè se humiliauerit, supremus tamē fuit ecclesię prę latus & caput, & licet ministrauerit eis, magister tamen fuit eorum, & dominus. Docemur hic quòd si quis in potestate sit constitutus, non ideo superbiat, sed subditis inseruiat: maximè quòd ad officij sui rationem pertinet. Nō ergo prę sidentem extollat eius dignitas, ne ab humilitatis beatitudine corruat. Habeat ob oculos semper rationem quam Deo redditurus est omniū subditorum: & sic vitā aget in timore, & humilitate, expectans quotidie arctum & rectum iudicium Dei. At principes mūdi, prælati, nunc adorari volūt à suis, magnificis titulis honorari, & diuina nomina vsurpare, & vocari patres patriæ. Sed væ quia interdū dominantur in malū suū, vt ait Salomon: & cō dunt leges in eorum cōmodum, cōtra quos Esaias ait. Væ qui condunt leges iniquas. Talem quoque comminationem dedit Deus Ioachim filio Iosiæ Regis Iuda. Hæc principes mundi faciunt, tu verò qui christianus es, humiliare, humilitas enim vera ministerium plurium est. Sicut enim, qui pluribus ministrat vulneratis abstergens cuilibet vulnerū saniem, nō sumit ex ministerio illo causam elationis: sic multo minus cui commissę sunt curę fraternorum languorum, vt omnium minister redditurus pro omnibus rationem, humilis esse debet atq; solicitus. Scriptum est enim. Rectorem te posuerunt noli extolli: esto in illis quasi vnus ex eis. Vnde summus pontifex se seruum seruorū appellat. Propter quod, quales oportet, vt prę lati Ecclesię sint, subdidit Dominus docens eos, & dicens, Prouer. 8 Esai. 10 Hier. 22 Eccles. 32

Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator.

Qui aliquam artem profiteri, & discere vult, conatur prius quærere magistrum in illa arte peritum quem imitetur: & si rectè scribere vult assumit imaginem, vt exemplar ingens, cōpos euadat. Sic vos ne sitis gentilium imitatores, quia iniqua gens est, semperque tyrānidi student, nec cognoscūt Deū, non enim vos sicut reges gentium faciatis: quoniam illi legibus carentes, impiis subiacēt morib. vestrum verò culmē in vera humilitate fundatur, & est. Ideo qui sapiētior & studiosior est inter vos, prę cæteris humiliorem se præbeat, & tāto sit Deo subiectior & proximis in omni virtute exēplarior, quanto maiorem à Deo adeptus est gratiā & obligatiorem se conspicit ad reddēdam altissimo rationem. Propter quod in Ecclesiastico legimus. Quanto maior es humilia te in omnibus, & corā Deo inuenies gratiam. Si hoc animo ambitiosi caperēt, atque considerarent quòd quo magis ad honores, & dignitates extolluntur, eo magis ad virtutem sectādam tenentur: non esset tanta cura & solicitudo in illis inuestigandis, prę cipuè viris Ecclesiasticis. Plurimos sub specie virtutis & sanctitatis decipit, dæmon suadens ad credendum maius obsequiū Deo prę staturos vberioraque bona largituros si in prælatos episcoposve creentur, quod tamen maximū mendacium & falsitas est. Nam honores excæcāt, & in dignitatibus constituti, vt prę lati, episcopi, atque magnates, minus sibiipsis dominantur magis quę sunt adstricti ac deuincti. Cū ergo tu liber sis, tuisque iuris, non vales ea ad quę teneris implere: quomodo in maioribus constitutus compos adimpletionis euades cùm non plenè liber existas? Si enim paruo oneri succumbis: maiori succūbere necesse erit. Qui officio subditi bene nō fūgitur nec etiam prælati fungi poterit. Hanc discipulorū ambitionem carpit Christus & docet humilitatē, cōtemptum honorum, & dignitatum: quæ quanuis Eccle. 3

mala non sint, tamen non sunt à nobis appetenda, propter periculũ quod ex eis imminere solet. Sic discipulis petentibus primatũ respondit Christus. Nescitis quid petatis. Ambitio hæresis mater est. Difficile enim est ad maximos honores euehi, & cogitationibus ad summa fastigia nõ attingere. In maximo versaris periculo, si esse prelatus ceterisque præcipere atque præesse vis. Ne Christũ crucifixũ humilem & abiectum à conspectu abigas, qui cùm esset summus sacerdos, rex & Dominus, voluit ad mortem humiliari. Hanc humilitatem docens, dicens,

Matth.20

Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.

Leges meę legibus mundi oppositæ sunt, in quo qui maior est sedet, & cæteri deseruiũt ei: ego autẽ qui maior sum in medio vestrum sum, tãquam ministrãs. Nã in cœna hac lauit pedes discipulorum suorum, vt suo exemplo discerent humilitatem: & etiam quanuis scriptum non sit, tamen cõiicitur solitum fuisse Iesum in mensa officium ministri exercere frangẽdo eis panem. Et ex hoc textu habetur solitum fuisse ministrare apostolis, & ideo dicit in medio vestrũ. Vniuersæ Christi actiones sicut prædicare, miracula facere, & infirmos tangere, ac curare ministrare fuerũt. Ex his verbis Dominus cõcludere intẽdit, illum aptiorem ad gradum pontificalem obtinendum, & in loco Christi successurũ esse qui maiora virtutis humilitatis fundamenta iecerit: nam ad medelã nostri appetitus voluit supremus Dominus à maiestatis suæ cacumine descendere, humilisque in terra fieri: ipso opere ostendẽs quàm merito homo humiliari atque deiici debeat eius vestigia sequens.

Humilis ad prælaturã magis aptus.

¶ Hanc tam eximiam humilitatis doctrinam Christus iamiam moriturus dedit, vt magis humilitatem commendaret: nam quę amici nostri cùm peregrè proficisci volũt, vltimis verbis nobis indicant, semper fortius memorię hęrent. Admonendi etiã sunt à suis parẽtibus filij quando eis mors appropinquat. Sic Iacob fecisse filiis suis scriptura docet. Audite filij Iacob, &c. Sic & Ioseph in capite vltimo libri Geneseos. Hoc etiã Dauid quãdo morti appropinquãs monuit filiũ suũ Salomonem regni successorem, & præcepit, vt legem Dei custodiret, & cęremonias legis seruaret. Hoc idem Tobias fecit, cùm cogitauit prope esse finem obitus sui, atque diem: multa pręcepta, & consilia suo Tobiæ dedit, &c. Igitur Dominus dicipulos suos ad pacẽ, concordiam, & vnitatem perducere conatur, simulque ad humilitatem propter eorum vocationem: & quòd ipsos omnes facturus esset reges dicens,

Genes.46

3.Reg.2

Tob.4

Vos autem qui permansistis mecum in tentationibus meis.

Id est, considerate tanti temporis laborem perseuerando mecum, qui patiens & humilis fui in tẽtationibus meis: quia Nazareitę voluerunt me pręcipitare, & lapidare Iudæi, & hinc perpẽdite quòd non oportet vos esse ambitiosos. Commendat etiã hic Dominus apostolos de perseuerãtia. Bonus est ille amicus, qui in tentatione perseuerat: boni amici est non peccare propter amicum: & libenter pœnas ferre propter ipsum. Multos inuenies qui propter te cõmittent multa peccata: qui si te viderint indigentem, nec vnum obolum darent. Adam non fuit bonus amicus erga cõiugem suam, qui voluit peccare propter ipsam, & tamen noluit pęnas sub ire propter eam, sed trãstulit in eam culpam dicẽs, Mulier quam dedisti mihi, &c. Bonus autẽ amicus in tentationibus dignoscitur: quia subleuare adiuuat pœnas atque onera amici tribulati, & afflicti. Sic Apostoli quãdo Christus loquutus est de manducatione sui corporis, & multi scandalisati in his verbis abierunt, ipsi cum eo perseuerauerunt. Hinc liquet nõ esse satis bene incipere nisi perseueres in bono incepto. Iudas etiam incepit, & non perseuerauit. Ideò Dominus. Qui perseuerauerit vsq; in finẽ hic saluus erit. Quę perseuerãtia alio nomine cõstantia vocatur robur quoddam & fortitudo mẽtis, cunctarumque (vt ita dixerim) est columna virtutum: nam cum primò illabitur corruunt omnia animæ bona. Quia ergo immoti firmiter & inconcussi permãserunt apostoli in tentationibus Christi, facti sunt columnæ totius Ecclesię sicut & Paulus cognouit quando ad Galatas scripsit, qui videbantur esse columnæ. Vnde Dauid. Ego cõfirmaui columnas eius. Hoc est, Apostolos Ecclesię columnas in terra. Et quia fortiter perstiterunt sicut colũnæ tantam apud Deum inuenerunt dignitatẽ: iuxta illud Iacobi. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronã vitæ. Quod autem dicit permansistis in tẽtationibus meis, non tantum de tentationibus Christi accipiẽdum est, sed etiam de tentationibus ipsorum Apostolorum: nam tentationes apostolorũ ipsius Christi erant, iuxta illud, Qui tãgit vos, tangit pupillam oculi mei. Et Dominus Saulo persequutori, Saule cur me persequeris? Cui affine est, quòd Dominus promittit quicquid minimo ex suis impendatur, id sibi impensum agnoscat.

Luc.4
Ioan.8.& 10.

Psalm.3

Matt.10

Galat.2
Psalm.74

Iacob.1

Zach.2
Act.9
Matt.25

¶ Aduerte quòd discipuli non solùm cum Christo perseuerauerũt, sed dicit hic quòd perseuerauerunt in tentationibus suis. Multos habet Christus socios resurrectionis, & gaudij, paucos tamẽ habet socios passionis & crucis. Etiam tu cùm Christus tibi indulget, solatiisque spiritualibus afficit te, orationi atq; contẽplationi vaca, & beatã vitã agis, si tamen contingit Deum tibi deficere atque deesse, nec tibi sicut antea solatiis spiritualibus pręsto sit, statim gradum reuocas, & mundo studes, necnon rebus quibus iam terga dederas. Propter quam causam quàplurimi sunt qui incipiunt, pauci verò qui nunquam ab incepto desistunt: nam perpauci sunt qui nudi, omnique indulgentia destituti tam temporali, quàm spirituali, Christum destitutum & in cruce pendẽtem amplecti volunt. Sunt sibiipsis amici, nec vitam absque proprio solatio agere nesciunt: quibus cũ ob oculos spirituale solatium datur, eorumque gustui plus dulcedinis infert quàm temporale, hoc pro illo commutant. Deficiẽtibus autem spiritualibus donis ad mundũ redeunt: quia non satiantur Christo, vnicóque essentiali amore Dei: sed etiam volunt propria dona, & delicias amplecti. In quibus omnibus referũt se mercenarios esse atque seruos, non autem amicos: quandoquidem plus Dei donis reuerentur, quàm ipsi Deo donanti, quo solo satis deberẽt. Quãdo dona desunt, & munera, quis verus amicus sit dignoscitur, per seuerãtia etiam in tentatione indicat, quis fidelis falsusve sit. Et quoniam perseuerantia est, quæ meretur, & consequitur præmium: ideo ait Apostolis,

Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum. Regnum se eis paraturum Dominus pollicetur

Amb. lib.10. in Luc.

Matth.10 liceret non temporale, quale ipsi sperabant, & iam
Ioann.19 anteà mater Zebedæi petierat, siquidé regnú eius non est de hoc múdo: sed tale regnum ait se eis di
Matth.6 sponere, quale sibi paratum fuerit a Patre suo, vita nimirum æterna, quæ vt ei secúdum humanitatem est parata, ita verè regnum est, iuxta illud quod pe timus quotidie, adueniat regnum tuum. Et sic bea
Apoc.1 ti omnes reges sunt coronati à Christo in æternú sicut ipsi continentur apud Ioannem. Quia ipse dile xit nos, & lauit nos in sanguine suo à peccatis nostris, & fecit nos regnú. &c. Nec tamen hoc perfecto modo intelligendum est, sed per imitationem. Multò enim inferiores sunt apostoli in gloria & corona fęlicitatis ęternę. Vnde & Paulus certus e-
2.Tim.4 rat, coronã inde se reportaturum quando dicebat, Reposita est mihi corona iustitię: quã reddet mihi Dominus in illa die iustùs iudex. Hinc liquet verba illa Christi eadem esse cú eis quæ deinceps di-
Ioan.14 xit ad eos. Vado parare vobis locú. Nam & locus
Sapien.5 ille regnum erat, teste Sapiente, qui ait. Accipiens regnum decoris, & diadema spei de manu Domini. Præterea hoc etiam referri potest ad personam filij, & túc est sensus. Sicut Deus Pater disposuit mi hi regnum per naturam: ita ego dispono vobis regnum per gratiam. Adhuc amplius declarat Domi nus gaudia quæ sunt habituri, & ait,

Vt edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. Hoc etiam nõ secundú rudem, & crudum sensum intelligendum est quasi multum cibi & potus sit in
Matth.22 illo regno cœlorum. Conuersatio enim cœli ange
Rom.4 lica est, & ibi erimus sicut angeli Dei. Paulus quo que manifestè testatur quia regnú Dei nõ est esca & potus. Ideo mensa hæc erit illa cęlestis beatitu do: vbi cum electi cõtemplantur essentiam Dei in sua maiestate ipsamq; summè diligunt, sic deinde satiabuntur, quoniam animę illę secundum omnes suas vires gaudio voluptatis perfundẽtur, quod &
Psal.16 Dauid agnouit, dicens, Satiabor cú apparuerit glo ria tua. Tunc habebis satietatem: quam cùm habebis nemo tollet à te: cuius comparatione omnis lætitia tristitia est, omnis suauitas dolor, omnis dulce do amaritudo: omnia quæ delectationem inferre possunt, molesta sunt. Hoc est quod de edẽdo & bi bẽdo dixit Dominus: quod habebút quicquid delectare potest, & satiabuntur, ita vt nihil possint ap petere quod non inueniant, & habẽtes possideant. Insuper adhuc adiungit Dominus dicens.

Vt sedeatis super thronos.

His verbis ostendit Christus sanctos nõ solùm
1.Cor.9 regni Christi, sed glorię participes futuros. Si enim
Luc.23 compatimur, & conregnabimus. Quis sæcularis honor huic comparari potest? Quid enim excellen tius quàm sedere cum Christo, præsidere cú ipso, ac necdú homines, sed & angelos iudicare? Nolite ergo timere pusillus grex. quia complacuit Patri
Ioan.5 vestro dare vobis regnú. Infęlices filij Adæ, qui
Psal.36 nunc præsidere & iudicare volunt: qui gloriam ad
Luca 14 inuicem accipiunt, & gloriam quæ à Deo est non
Psal.57 quærunt. Quid autem fiet? Transiui, & ecce iam nõ erat. Caueant qui primas cathedras amant, ne con tingat carere secundis: & qui primos accubitus nunc eligunt, incipiant cum rubore nouissimum locum tenere. Nam omnis qui se exaltat humiliabitur. Sequitur.

Iudicantes duodecim tribus Israel.

En aliud pręmium. lætabitur enim iustus cú viderit vindictam. An nõ ingens gaudium videre se à damnatione securum: in qua aduersarij iacẽt per petuo cruciandi? Quomodo autẽ iudicabút filios Israel? Népe sicut regina Saba, & Niniuitæ condẽ 3.Reg.10
nabunt eosdem. Sic apostoli condemnabút filios Israel: quia de eadem stirpe geniti, eiusdem legis pe riti eisdem beneficiis & miraculis prouocati, tamẽ nulla ratione adduci potuerunt, vt crederent, cùm vos literis destituti, sequuti sitis me, & fuistis mecú permanentes in tentationibus meis. Præterea sicut nunc cum Christo dominãtur electi in medio ini Psal.109
micorú: ita tunc cum Christo dominabuntur super inimicos suos ac ipsos iudicabút. Perpẽde autem quòd hæc verba quãuis præcipuè ad Aposto- Theophilac. in hoc loco.
los spectent, nihilominus tamẽ ad omnes sanctos, qui mundi gloriam & diuitias cõtempserunt propter Christum etiam competunt.

Ait autem Dominus Simoni, Simon ecce satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autẽ rogaui pro te ne deficiat fides tua. Et tu aliquando cõuersus confirma fratres tuos.

Quia Petrus feruentior erat cęteris, & principa Theoph. in hæc verba. Beda cap.22. in Luc.
lior, ad Petrum dirigit Christus suum sermonẽ. Sa tanas iam sentit quòd vestra prædicatione regnú eius destructur: quam ipse eradicare vult, vt in sua tyrannide conseruetur si poterit. Et cum cœpit Iudam vires assumpsit, ita vt vellet sicuti ad se traxit & lucratus est filiú illum perditionis, & vos ipsos adducere, vt pęniteat sequutos fuisse me & meã do ctrinam, & conuincamini credere fieri nullo modo posse, hominem à proprio discipulo venditum, tã que miseris acceptum modis, filium esse Dei, vt ex fidelibus infideles fiatis. Attamen non euadet voti compos: quia ego rogaui pro te Petre, vt non defi ciat fides tua. Propter quod mihi gratiam referre debes: nam vt inimicus potens est, omnibúsque vi ribus semper nititur & conatur, etiam teipsum superasset & vinceret, nisi ego in quãtum homo qui minor Patre sum, pro te non orassem, cuius auxilio tu & sodales tui estis amici mihi atque fideles. Et hãc à me audi & accipe doctrinã. Quod sicut ego te in hac tribulatione adiuui: sic & tu cú sis potẽs & fortis meo auxilio, confirma, robora, adiuua cõsule fratribus tuis, qui subditi tui sunt: quia quod ego tecum feci, æquum & iustum est, te cum aliis facere.

¶ Expende quomodo. Christus miscuit vinum cú oleo, & dulci amarum admiscet: ita quod non semper molestis, nec semper iucúda loquitur suis: quia hæc vita ex cõtrariis & prosperis, ex dulcibus & amaris aspersa est. Carpsit Apostolos propter ambitionem: & statim laudat, commendat, exaltat, dicens qualiter in laboribus tentationibúsque per manserunt, & se eis regnum cœlorum largiturum, quo maximo illos gaudio affecit, & consolatus est. Ne autem ipsi ob hæc nimium exaltarentur incipit eos humiliare, referens tentationes quibus erant obsessi, tot adeóque eminentes, vt auxilio speciali Dei, & maximo egerent, quale erat pro ipsis Christum Iesum orare ad Patrem.

¶ Præterea locus iste vbi hic Christus ait Petro, Ego rogaui pro te vt nõ defficiat fides tua, exponi tur, vt hic Christus pollicitus fuerit fidem Ecclesię Romanę, cuius pontifex Petrus fuit, nunquam defuturam, & rectè quidem, quia fides Romanę Eccle się, quam in ea Petrus plãtauit, vsque in finẽ sęculi durabit. Benè potest Petri nauicula fluctibus perse Matth.16
quutionum hæreticorú angi, & concuti, núquam

tamen corruet aut subuertetur. Portę enim inferi non prævalebunt aduersus eam. Hoc enim verbum non dixit Christus Petro, tanquam personæ priuatę, quia Petrus peccauit post hæc verba & fides in eo defecit, & multi pontifices Romani errauerūt, sicut Marcellin⁹ qui idolis sacrificauit, & Liberius Papa qui Arrianis consensit, Anastasius quoque secundus propter hæresis crimē repudiatus fuit ab Ecclesia: & alij etiam plurimi contra catholicam fidem tenuerūt, vt Ioannes vigesimus secūdus qui asseruit, quod animæ sanctorum nō videbūt Deū, vsq; ad vltimum sęculi diem, & quod Filius Dei sit maior Patre & spiritu sancto, & plures alios habuit errores. Sed in quantum est caput Ecclesię nullatenus errare potest, & tunc est caput Ecclesię, cùm facit quod in se est, nempe cum consilio cardinaliū & doctissimorū virorū definiendo, vbi errare non potest. Ecclesia enim Antiochena, Alexandrina & Constantinopolitana sæpè defecerunt à fide: nunquam tamen Ecclesia Romana defecit, quia Christus ait Petro, Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Hinc discimus tentationē vtilē esse. Sic Christus, sic eius discipuli tentati sunt, & denique omnes electi tentationes sunt passi. Tentatio enim multum prodest electis, videlicet vt propriā infirmitatem agnoscant, Deum feruentius inuocent, cautiores resurgant, aliis compati discant,
Eccle.34 sicque coronam glorię adipiscantur. Hinc in Eccle
Iacob.1 siastico habetur. Qui non est tentatus, quid scit? Et Iacobus, Beatus vir qui suffert tentationem, &c.

¶ Discimus secundò ex hac Christi oratione
1.Corin.12 pro Petro, neminem suis viribus posse aduersus sa
Sufficiētia nostra ex Deo est. tanæ malitiā: nisi Christi pręsidio fulciatur. Sic Paulo qui maximam tentationem patiebatur dixit Do
2.Cor.12 minus. Sufficit tibi gratia mea. Ex quo discimus nihil nobis, sed gratiæ Dei adscribamus. Ideóq; Apostolus postquā multa pręclara narrauerat quæ gessit addidit. Nō ego, sed gratia Dei mecum. Propter quod nihil habes vnde glorieris, sed pro omnib⁹, vt fidelis Christi seruus, Deo gratias age, cuius ope, & auxilio vincis, atque omnia bona facis.

Satana odiū contra nos. ¶ Tertiò quanto odio prosequatur ille Satanas hominū genus, & eos maximè homines, quos singulari quodam modo Christus ad se perducere conatur, quosque Christus ad propagandū suū euangelium pręcipuè selegit. Illos qui chariores Deo sunt fortius tentat, hoc idem facit hic cum Apostolis, itidē eos qui Deo dicati sunt similiter tentat.
Tob.12 Angelus Raphael Tobię dixit. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te. Quartò quod Christus electos suos subinde labi patiatur, vt suę infirmitatis conscij, ac memores erga alios ad misericordiam sint faciliores. Ideò Petro dixit,

Tu conuersus confirma fratres tuos.

Acsi diceret. Sicut tu à me specialem misericordiam cōsequeris, & post lapsum erigeris, & firmaberis, sic tu conuersus perfectè misericordiam impende proximis tuis, robora ac subleua eos. Vnde hæc fuit pręcipua causa cur Christus futurū Ecclesiæ suę pastorem cęteris electis Apostolis grauius labi permisit: vt in pprię fragilitatis culpa, & pijssima reparatione disceret quomodo aliis compateretur ac subueniret. De ipso quoque Saluatore no
Hebr.4 stro Paulus ait, Non habemus pontificem: qui non possit compati infirmitatibus nostris tētatum per omnia, &c. Sed procedamus.

Qui dixit ei.

Petrus scilicet cū quo dominus loquebatur respondit non metuens à tentatore vinci, aut propria fragilitate succumbere.

Domine tecum paratus sum, & in carcerem & in mortem ire. Ex feruore dilectionis hoc dixit, quanuis indiscretè loquutus sit: nimium de sua virtute confidens: Magnifica quidem hæc verba fuerunt: sed sine prudentia. Non enim docet hominē plus ęquo cōfidere, sed in Deum qui operatur in nobis velle, Philip.2
& perficere pro bona voluntate. Perpende quanta sit Christi charitas erga Petrū, quod pro huius cōstantia patrem cęlestē peculiariter orauit. Imò obseruandum quātus sit Christi erga omne genus humanum amor: qui & adhuc nō cessat pro nobis patrē interpellare, donec nos ad se receperit. Sed sin Rom.8
gula verba discutiamus. Domine inquit, Si dominus tuus est ô Petre cur illum mēdacij arguis? cur preces illius reiicis, ac si illarum nō egeas? Paratus sum inquit tecum & in carcerem & in mortē ire. Paratus erat Petrus & sic secū cōstituerat, vt verba sonant, sed vt verbis adderet facta in se non habebat. Paratus erat cum extra omne periculum esset, sed vt posteà audiemus, cum necessitas postulauit non expectauit donec vētum esset ad carcerē, vel ad mortem, sed vnius mulieris voce sic concussus est, vt statim dominum abnegaret. Rursus aduertendum, quod hoc quod Petrus dixit falsum fuit materialiter, quia aliter accidit: non tamen formaliter, quia sicut dicebat, ita intendebat. Mētiri quippe formaliter est contra mentem ire, seu cum intentione fallendi, vel scienter falsum profari.

Et ille dixit,

Reprimendo incautam Petri loquutionem. Vide Aug. li. 3. de consen. euang. c.2
Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.
Hinc discimus, quo magis in fidei ardore cōfisi fuerimus, eo plus exilitatem & imbecillitatem carnis timeamus. Obserua autem quòd hoc verbum dodomini de Petri negatione fusius explicuit Diuus Marc.14
Marcus, quā cæteri euangelistæ. Ex cuius verbis cōstat quod cū primò Petrus Christū negauit, statim gallus cecinit: & priusquam secunda vice gallus cātaret, bis iterum negauit. Et sic tres apostoli Petri negationes inceperunt ante primi galli cantum, & finierunt ante secundi galli cantum. Et quāuis hic Lucas dicat quòd dominus dixit Petro, non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me, intelligendum est de principio trium negationum: ita quod cùm dixit, non cantabit gallus donec ter abneges nosse me. Idem est acsi diceret. Antequam gallus cantet, me ter abnegare incipies. Quod beatus Marcus clarius cęteris scripsit dicens, Prius quàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus, & sic contigit, nam ante quàm secundo canet, ter Christum completè negauit.

¶ Aduerte permisisse Deum Petrū cadere à sua præsumptuosa firmitate, vt Christum negaret, primò ne aliquis sibi multum tribuat, & cōfidat. Secūdò, vt vnusquisq; Christo potius quàm proprio iudicio fidem adhibeat. Tertiò ad reprimendā, & domandam imprudentem audaciam. Quartò vt cęteri omnes Petri casu edocerentur non propriis viribus confidere: cōsiderantes quàm parui sit momēti humana fragilitas, quantique ponderis & valoris sit verbum quod procedit ab ore diuinæ veritatis. Quintò vt beatus Petrus & cęteri prælati experientia nossent, & discerent, qualiter debeāt subditorum suorum compati cū peccauerint. Præterea solent

Negatio Petri voluntaria non coacta. solẽt hic dialectici capita cõfringere,& disputare, an ad præteritum sit potentia,& verum Petrus potuerit non negare, postquam Christus ei dixit, ter me negabis, stando in illo medio tempore postquã Christus hæc prædixit antequam caperetur. Sed ne his immorer quia res est ad scholas pertinens vbi hæc quæstio est trita, breuiter respondemus, quòd Petrus poterat non negare, nam præsciẽtia Dei nõ ponit necessitatẽ rebus,& Petrus liberũ habebat arbitrium,& eligere poterat quicquid voluisset: nã si necessario negauit, ita quod eligere oppositũ nõ poterat, tũc non peccasset negando: nam (vt Augustinus ait) peccatum adeò est volũtarium, quòd si non est voluntarium non est peccatum. Aug. 3. de lib. arbi. Itaq; poterat non negare, quod si fecisset, nũquã Christus dixisset, ter me negabis: quia non negauit Petrus, quia Christus dixit, me negabis: sed ecõtrario ideo Christus dixit, ter me negabis, quia Petrus erat negaturus: quòd si non esset negaturus, nunquã Christus tale dixisset. Prophetia enim non est causa facti: sed per oppositum factum est causa prophetiæ. Cũ enim in Deo nihil est futurum aut præteritũ, quia omnia illi sunt præsentia, præsens erat Christo Petri negatio, ideóque dixit quòd esset illũ negaturus: quia certum erat illum negandum. Sed de his satis iam quæ sequuntur videamus:

Et dixit eis. Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt. Nihil.

Memoria diuinę potentię satis lenire potest exempla infirmitatis humanæ. Ideò Christus adducit in memoriam Apostolis, quomodo eis prouidit in necessariis,& amputauit,& defendit: vt spem suã in illo collocent,& erecto sint animo hac confidẽtia ad tolerandum quancũque tribulationẽ,& aduersitatem, siquidẽ iam instabat tempus quo percutiendus erat pastor & oues dispergẽdę. Zach. 13 Dicit itaque. Quando misi vos prædicare Iudæis per diuersa, præcipiens vobis ire, sine alimentis,& pecuniis: vt in solo Deo esset spes vestra, nec exteriora adminicula portaretis vobiscũ, nunquid defuit necessarium victui? Respõderunt quod nihil defuit. Christus enim concessit Apostolis: vt alimenta susciperent ab his quibus euangelizabant: à quibus competentia vitæ susceperunt.

¶ Vide hinc quomodo sequentibus Saluatorem nihil deest. Psal. 22. Sic Dauid, Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Hæc mũdi principes atq; potentes dicere non poterũt. Siquidem quo potiorem gradum celsitudinis habent, eo pluribus indigẽt: est illis maior honos seruandus, ampliorem domum cui consulant. Solus Christi seruus proferre potest, nihil sibi deesse: nã qui Deum possidet, omnia vtique possidet. Solus ille, qui à Deo nutritur & pascitur refectus viuit atque contentus, non enim permittet Deus seruos suos fame perire. Non defuit Heliæ victus cũ esset in deserto, cui corui necessaria suppeditabãt: 1. Reg. 17 & tẽpore famis iussit Deus viduæ Sareptanæ vt eũ aleret,& Apostoli hic nihil eis defuisse responderũt. Sed audiamus quid eis vltra Christus dicat.

Dixit ergo eis. Sed nũc qui habet sacculum tollat, similiter & peram,& qui non habet vendat tunicam suam & emat gladium. Apostoli priusquam à Christo vocarentur quilibet sibi solito munere vtebatur, Matth. 4 eorum verò plures piscatoriam artem exercẽtes vitã exercebant. Sed cùm Christus ad Apostolatũ vocauit, hęc omnia missa facere præcepit, & sic de prędicatione viuebãt: quia hospites & populi quibus verbũ Dei annũciabant, eis ministrabãt alimẽta, adeò Beda fere hæc verba, cap. 92 vt nihil deesset de congrua sustentatione ad vitam ducendam. Cùm autẽ Christi passio appropinquaret, omnes in ipso scãdalizati sũt, vnde paucis illis diebus quousque resurrectioni fides esset adhibita, nõ licebat aut expediebat Apostolis populo prędicare, hominem crucifixum in medio duorum latronum, esse Messiam in lege promissum. Ideóque cessandum erat illis à prædicatione,& propter eandem causam oportebat, vt sibi succurrerent, quandoquidem de illo remedio iam actum erat, iterum sacculum & peram capere,& ad solita piscandi munera redire. Ideò postquam dixit, nunquid aliquid defuit vobis,& ipsi responderũt, nihil: statim addidit. Sed nũc qui habet sacculum tollat, similiter & peram. Hoc est. Vsque adhuc, quando totus mũdus me sequebatur,& honorẽ deferebat, miracula mea atque doctrinam intuens, vobis omnia suppeditabat necessaria & alimentis cõgruis prosequebatur, & hoc quia mei discipuli eratis: modo tamen quãdo tempus passionis meę instat,& qui me commẽdare & laudare solebant iam detrahunt, opus erit vobis proprio labore,& industria alitérque sustentari: quia tempore hoc cessabit prædicatio qua mediante necessariis abundabatis. Itaque ciuili modo & iure viuere, quia iam non est tempus euangelico negotio incũbere. Ideóque arma parate, & qui nõ habet gladium vendat tunicam,& emat illũ. Quia licitum est patrifamilias rem domesticam defendere, pugnare pro iustitia, pro patria,& etiam seipsum defendere, quia vim vi repellere licet. Quod autem discipuli ad officia præterita redierint, ex euangelica patet historia, vbi piscantes eos Christus inuenit post resurrectionẽ ad mare Tiberiadis, Ioann. 21 quod non fecerunt cùm euangelium prædicabant. Hic videtur sensus germanus huius literæ.

¶ Vide quàm prouidus sit Deus, & quomodo omnibus prouideat, cùm mortuus esset Ioseph creuerũt filij Israel, Exod. 1 quod scriptura non dicit de eis viuente Ioseph. Quãdo erant pauci, erat illis in adiutoriũ Ioseph & poterat illos defendere: quibus & auxilium pręstabat. Sed postquam mortuus est defecit eis fauor,& defensio, creuerũntque filij Israel: ita quòd ipsi se poterant defendere, iuuare viribus suis,& multitudine, Exod. 19 quia creuerũt nimis, fortitudine, poterãtque se protegere. Sic etiam cum filij isti Israel ambulabãt in desertum, & quãdo eis defuit farina Ægypti, sustentauit illos Deus manna de cęlo: sed quãdo ingressi sunt terrã promissionis, vbi Iosu. 5 cibi erant terræ, manna defecit, quia sine illo poterant sustẽtari &c. Admonet etiam locus iste quod licita sit defensio suiipsius moderata, etiam amicorum,& suarum rerum. Imò licitũ est hominẽ occidere in defensionẽ sui & suarum rerũ: & in bello iusto, atque etiã pro iustitia cũ quis rector, iudex, aut magistratus habet officium, impios morti damnandi. Docet etiam apostolos habere animum præ paratum ad sui magistri defensionem, ex zelo amoris atque iustitiæ. Denique admonet per gladiorũ pręsentiam non defuisse discipulis facultatem resistendi hostibus. Sed ad literam. Causa autẽ cur dederit eis licentiam portandi peram, sacculum, gladios,& dispẽsauerit nunc cum eis, subdidit dicẽs.

Dico enim vobis quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me, & cũ iniquis reputatus est. Etenim

ea qua sunt de me finem habent.

Acsi diceret. Leges mutādæ sunt dum necessitas exigit: ideo nunc aliter vobis viuēdū est: quia tem- *Esai.54* pus instat, in quo illud quod Esaias de me prophetauit dicens, & cum iniquis reputatus est, oporteat adimpleri in me. Oportet inquā necessitate conditionata. Quapropter non est nunc tempus, vt eatis & euangelium prædicetis. Nam Christus post verba hęc in ipsa nocte captus est tanquā latro, & die *Eccle.3* sequēti inter latrones suspensus. Ea enim quę sunt de me, id est, quæ prophetæ prædixerūt de me, nūc complebuntur. Mors enim mea, dolores, angustię, passio, & tristitia, cito finientur: nam post tres dies resurgam, immortalis, & impassibilis in perpetuū regnaturus.

¶ Animaduerte, quomodo ea quæ de Christo tormenta dicūtur finem habent. Bonorum & eorum qui pro Christo patiuntur, labores finiri debent. *2.Mac.7* Peccatorum autem tormenta in æternum durant. Sic ille beatus martyr Machabęus Antiocho tyranno dixit. Fratres mei modico nunc dolore sustentato sub testamento ęternę vitę effecti sunt: tu verò iudicio Dei iustas superbię tuę pœnas exolues. Iustorum labores in hac vita breues sunt, & tandem posteà premium est ęternum, & è contrario impij gloria etiam breuis est, quę statim cadit, & euanescit. *Psal.35* Vnde Psalmista ait, Vidi impium exaltatum super cedros Libani, trāsiui, & ecce iā non erat. Hoc exclamat Baruc. *Baruc 3* Vbi sunt principes gentiū, & qui dominātur super bestias, quæ sunt super terrā? Qui ludunt, &c. Exterminati sunt, & ad inferos descēderunt, & alij loco eorum surrexerūt. Tota mūdi gloria deuenit in perpetuum cruciatum: totus autem Christi labor, & seruorū Dei in gloriam, & requiē perennem, quę nunquam habebit finem.

Ne ergo timeas, huius vitę labores, & pericula: nam quod cito labitur, nomen laboris retinere nō potest, nec est verè labor ille qui cum vita simul perit. Illi autem erunt, & qui tibi metum debēt incutere, qui in ęternum durāt, cuiusmodi sunt inferni cruciatus. Plurimi tamen sunt qui, quod nullo modo timendum est, timent, videlicet huius sęculi afflictiones, & angustias, non verētur tamen quod vereri debent, pœnam scilicet, æternam, & permanentem. Qui timet pruinam (ait Iob) super eum *Iob 6* veniet nix. Hęc ergo Christi verba apprimè memorię fige, & cum in infirmitatem seu persequutionem incideris, vires assume, animúmque tibi adde & intuere gloriam quā tibi Deus concedet, & quę te expectat, repetésque in interiori cordis hęc Christi verba. Etenim ea quę sunt de me finem habent. Sequitur.

At illi dixerunt, Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit. Satis est.

Timor Apost. Tantus inuasit timor discipulos audientes Christum quòd inter inimicos esset reputādus, quibus licet iam dixerat, vt tollerent sacculum & peram: nihilominus maximo tremore quo premebātur obliti sunt, nulliúsque alterius rei meminerunt pręter quàm amoris. Ideóque de solis gladiis tractauerūt, & positis duobus dixerūt. Ecce duo gladij hîc. Duos gladios in promptu habemus parati ad tuā defensionē. Parū armati sumus, cū nos omnes non nisi duos tantum gladios habeamus. Quonam pacto nos his armis defendere poterimus? Non indigebat Christus armis, siquidem propria voluntate patiebatur, quę tamē si capere vellet, magna nimis, & fortia in sua diuinitate habebat, cuius atque virtute posset, in instanti omnes inimicos annihilare: ideoque respondit, Satis est. Noluit tunc Christus Dominus mysteriū suæ sacratissimæ passionis eis plus adaperire, quia nondum discipuli erant tanti capaces sacramenti: & sic cum cognosceret eos nō illum intellexisse, simulat dicēs, satis est: haud significans, ipsum illis, aut aliis armis non egere, sed tātum Satanam, & mortem vincere sufferens, tacens, atque patiens: his ergo armis tyrannum armatum, fortē qui nos opprimebat, & captiuos tenebat, erat victurus: non armis materialibus quæ ab apostolis offerebantur. Multi in hoc loco interpretātur istos duos gladios, de spiritualibus ecclesiæ gladiis, ecclesiastico scilicet, & sęculari, & alij de verbo Dei, sed quia hęc nō sunt ad rē: ne immoremur in interpatione expositionis adeò huic loco dissonę, & tortæ, transeamus ad ea quæ in contextu sequuntur.

Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem oliuarum. Sequuti sunt autem illum & discipuli.

Assueuerat totum diem consumere Christus, populo prædicando, & infirmos sanando, nocte verò in montem Oliueti proficisci, qui parum à ciuitate distabat: & ibi erat pernoctās in oratione. Abiit vt preces funderet, vsque Iudas eum inuenire posset, qui rectè nouerat locum illum, siquidem sæpè aliàs in eo cum Christo fuerat. In hoc significatur se sponte mori, quandoquidem locum iniquo Iudæ notissimum elegit, vt sic inuentus, & captus, pro nobis pateretur.

¶ Nota etiam quòd in montem Oliuarum iam iam moriturus vadit: nam secundum suam misericordiam saluos nos fecit. *Titum 3* Misericordia enim per oliuā designatur. Docet etiā vt is qui Eucharistiā accipit non illico ad negotia sęcularia se cōuertat sed ad solitudinem accedat orationis, & cōtemplationis, orans, & psallens. Denique docet quòd quādo orare voluerimus recedamus in locum abditū sicut Christus fecit, cùm ciuitatē omiserit, & in mōtem oraturus venerit. Sed historiā prosequamur.

¶ Abiit inquam in montem Oliuarū: & vt Ioannes inquit, *Ioan 18* trans torrentē Cedron, qui est trans vallem Iosaphat, & inter Hierusalem, & montem Olieti, iuxta Gethsemani: & hortum est ingressus. Vade & tu cum illo: ne deseras, ne ipse te deserat. Cōtemplare ergo Deum tuum in illa noctis caligine, mortem timentem vt homo verus, tremens, & à pauperibus discipulis deductus, & absque vllo solatio, in mōtem incedit, deduc ergo tu eum in hoc itinere. *Genes.3* Memento homo quoniam in horto lapsus es, & in hortum te quæsitum Christus vadit. Et propter amorem quo te prosequitur, tristis est: quia te deiectum videt: ideo tristis incedens te quęrit: nā amatum, dolore emitur, & quæritur. Vnde quantum te dilexit siquidem tristitia premitur, vt te inueniat, quòd dicat. Tristis est anima mea vsque ad *Matth.26* mortem. Intensiuè quantum quis potest in hac vita tristari: & extensiuè, vsque ad mortem. Interroga ergo anima mea Dominum: cur mœstus incedat. Tanta est tristitia quam patitur, vt passione fauces obturare cogat, vocémque illis adhęrere, vt nec respōdere nec loqui valeat, quare opus erit veniat fidelis eius seruus Dauid qui pro eo respondeat, dicatque in persona Christi, Conturbatus, & contristatus: cōturbatus sum in exercitatione mea. *Psalm.54* A voce, (inquit) inimici, à voce quærentis animam meam. Iam ex loco vbi erat, vēditoris Iudę vocem audie-

audie

audiebat, itidem & Iudæorum conuentionem parantium se vt Christum caperent: iam hoc adeò Christi animam attingit, vt per eius viscera gelida tristitia decurrat. Dic mihi ergo Domine, in hoc dolore atque tristitia non est qui te sequatur comes?
Psal.68 Respōdit Dauid pro eo, dicens, Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit. Solus adest amicis destitutus. Discipuli qui cum eo sunt, adeò sunt mœsti, & victi somno, vt indigeat quærere aliquē qui in tribulationibus comitetur, & assectetur: quæsiuit, sed non inuenit. Forsan Domine deest qui tibi solatium præstet? Consolantē me quæsiui, & nō inueni. O quàm solus Christus relinquitur in tristitiis, angustiis, & passiōe, ab his qui Christi nomine, magnificantes se delicijs, risibus & adulationibus dant operā, & in quo solo tempus terūt: de memoria eradicantes quæ dominus, vt gemitibus æternis eriperet, & gloriam sempiternam concederet pati
Luca 6 dignatus est. Vę vobis (inquit ipse) qui ridetis, quia
Gen.32 flebitis. Hęc est tristitia, atque metus, quo fuit Iacob concussus ab Esau. Hoc eodē fuit timore pres-
3.Reg.19 sus Helias ab impia Iezabel. Hic sanctum regē Dauid videbis tristem, mæstum, ac collachrymantem
2.Reg.16 Hierusalem egredientem à proprio filio coactum capite cooperto, necnō pedibus nudis incedentē.
3.Reg.2 Videbis etiam & audies Semei dictum. In quacunque hora transieris torrentē Cedron, scito te mori
4.Reg.18 turum. Videbis serpentem æneum in ipso torrēte comminutum. ¶ Discamus Christi exemplo refrenare timores & tristitias & cætera quæ aduersus rationem insurgere sæpè solent, ne animas nostras seducāt: sed potius in inferiori eius parte sedētur, sensualitate, scilicet offerente, sicut Christus redēptor noster fecit. Discimus etiam hîc suo exemplo nunquā de eius gratia desperare, si forsan aliquando in aliquam tristitiam subitam, timorem, vel cordis debilitatem, inciderimus: cum seruituti atque amori diuinę maiestatis dediti fuerimus. Hinc etiā discimus nostrorum fratrum misereri, dolerēque de eorum necessitatibus: nam Christus hic nō propter se, sed propter nos tristatus est. Discimus etiā Christi domini nostri exemplar intuētes, tristitias, & tribulationes Deo offerre, flexi ad feruentem, & deuotam orationem, sicut ipse fecit: nam statim cū dixit, tristis est anima mea vsque ad mortem, oraturus abiit, &c. Sequitur.

Et cum peruenisset ad locum, dixit eis. Orate ne intretis in tentationem.

Cœnaculum ex quo Christus redemptor noster profectus est, à loco vbi ipse orauit duobus distat miliaribus trecentisque & triginta passibus cum aliis septem, quoniam pons quidam vnico tantum cōtentus arcu, qua torrens Cedron interfluit à cœnaculo miliare & non gentos quinquaginta passus recedit, à quo ponte vsque ad locum vbi Apostoli octo à domino sūt relicti, ducēti intersunt passus: qui itidem locus ab alio in quo alij tres sunt mane re iussi, centum & octoginta septem distat, qui tandē sinúsque in quo Christus orauit iactu solùm lapidis complectuntur, vt ipse narrat Euāgelista. Respice ergo longam viam qua Christus postquā captus, ductus est. Et quod notatu & inspectu dignū est, quod à ponte vsque ad domum Annę quædam
Beda c.9. in Luc. interest accliuis via ardua & recta nimis: qua propter magnā angustiā oppressus ascēdit. Dixit ergo eis, orate ne intretis, &c. Hoc solūmodo octo apostolis dixit, quoniam Iudas iam ab hoc sancto comitatu migrarat: diuum autem Petrum Iacobū, & Ioannem secum duxerat. Porro tentari non est malum sed bonum, & meritum administrat: sed esse à tentatione victos est malū, ideoque nō dixit orate ne tentemini: sed orate ne intretis in tentationem, ei consentientes, quia tentatio proprias vires non excedit. Docet hic Christus orationem potissimū esse remedium aduersus omnes mūdi tentationes. Nam sicut fur clamorem vicinorum, qui subuentu ri instanter veniunt, audiens fugit: sic orationis clamor Satanam fugere cogit, & sanctos probósque suscitat in auxilium. Sic Dominus in oratione quā docuit dixit, vt peteremus Et ne nos inducas in tē Matt.6
tationem. Mirabile antidotum est ad tentationes superādas oratio ipsa. Cum nihil nos sufficiamus, sed sufficiētia nostra ex Deo sit: nuntium ad ipsum 2.Cor.3
mittamus auxilium atque opem petentes. Oratio enim quidam nuntius est Deo nostram aperiēs indigentiam, secundum illud prophetæ. Intret oratio Psalm.87
mea in conspectu tuo.

Et ipse auulsus est ab eis, quantum est iactus lapidis, & positis genibus orabat dicens.

In quo relucet excellentia orationis Christi: quę Orationis bona cōditiones.
omnes fuit cōplexa circunstātias, vt perfecta esset. Primò quidē quia erat solitaria: nam cum oratio sit eleuatio mentis in Deū: tunc rectius fit quādo qui orat recedit, & separat se à mundi strepitu. Secundo hęc oratio humilis fuit, quia genibus flexis orabat. Videtur hūc apud priscos fuisse orandi modū, præsertim cum erant in aliqua magna tribulatione constituti: vt scilicet se corā domino prosternerēt, Sic in Numeris legimus quòd proiecerūt se super Nume.20
faciem suam Moses & Aaron proni in terrā, orantes pro aqua. Matthęus & Marcus dicūt quòd pro Math.26 Marc.14
iecit se super terrā: vt ea quæ retro sunt obliuiscēs in anteriora progrediaris, & vt intelligas qua humilitate coram Deo orare debeas. Et in hoc non differt inter Euangelistas, nā cū ter orasset, semel genibus orauit flexis, & iterum in terra pronus. Vel potius omnia simul contigerunt: nā cœpit positis genibus, orare, vt noster ait Lucas: quæ autē eius erat delicata, & tenera complexio necnon debilitas ob timorē, & mortis imminentis tristitiam, pronus in terrā cadere coactus est, deficientibus viribus, propter agoniā qua premebatur. O Rex glorię, quàm deberent mundi nobiles, & potentes cōfundi qui tot delicijs, ac mollibus stragulis auro intextis, & sericis genua in tēplis curuāt, imo ægrè ferunt sic
genibus flexis preces fundere. Expende quod Salo 3.Reg.8
mō orauit in tēplo positis genibus. Moses in mōte Exod.17
stans orabat, cū vicit Amalech, & Helisęus vt filiū 4.Reg.4
Sunamitis suscitaret, orās deambulabat. Christus autē omnia isthæc in summam redegit: nam orauit sicut Moses in cruce stans, orauit sicuti Helisęus deambulans quando ter Apostolos in hoc horto visitans orauit etiā sicut Salomon genibus, & tandem sicuti Dauid in terra deiectus. Sequere ergo anima mea quando oras hunc orādi modū genua flectēdo in terram nudam: in quo significas humilitatē, & obedientiam, quam Deo exhibere debes. Tertio hæc oratio iusta erat & recta: quia propriam volūtatem diuinæ voluntati subiecit. Quarto erat charitate plena: quia sæpe ac sæpius discipulos suos in eius interstitiis visitabat. ¶ Aduerte autē quòd dixit, quòd auulsus est ab eis: quo modo loquendi ostenditur amor quo Christus suos prosequebatur. Nam hoc verbum auulsus, propriè significat diuel

lere, sicut quando maxima vi quis aliquam arborẽ radicitus euellere tentat simul cum ambiente terra. Adeò Christi cor erat stricto nexu amoris vnitum cum Apostolis, vt fermè viscera dimittẽs per modum euulsus ab eis recesserit. O magna amoris vis, quæ nec per spatium iactus lapidis seu distantiam absentiam absque dolore patitur. Et tu, ô anima mea à tuo Deo extorris es tot annis: & nihil sentis? non potes negare quin hoc ex defectu amoris Dei oriatur. Hæc maxima charitas haud tulit recessum semileucę, sed tantum iactum lapidis: vt prælati intelligant manifestè per longum tempus à suis sedibus, & episcopatibus abesse, habere ortum à minima qua præditi sunt charitate, & zelo erga subditorum animas. Pręterea à discipulis orationi vacantibus recessit, sed non multum: vt sciant qui orationibus indulgent Iesum ab ipsis parum distare, vt primo emisso gemitu statim audiantur, & ope
Psal. 90 iuuentur. Vnde in Psalmo. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum. Duxit autem secum Petrum, Iaco-
Matth. 17 bum, & Ioannem, vt testes adessent humanæ suæ naturæ, fragilitatis, & tremoris mortis, sicut & antea testes extiterant glorię suæ transfigurationis: vt qui gloriã suæ diuinitatis viderant, viderent etiã carnis suæ exilitatem, ac fragilitatem. Non sic nos, siquidem excellentiæ propriæ appetitu desideramus nostra bona ab omnium oculis videri, celantes quæ defectus speciem habent, vt sic eis imponamus. Orabat autem in quantum homo: nam secundum humanam naturã minor est Patre. Ipsam autem orationem audiamus. *Pater si vis transfer calicem istum à me.* Pater si possibile est, salua tamen humana redemptione me incolumi manẽte, vt mors deuincatur, & pereat, transfer calicem istum à me: experientiam, scilicet, & amaritudinem passionis, quæ mihi modo obiicitur, quamque timeo. Tanquam verus homo mortem refugiebat, & secundũ inferiorem portionem renuebat mori, si secundum iustitiã fieri poterat. Iustitia tamẽ æterni Patris statuerat filiũ eius insontẽ debere mori, sicuti hoc nostræ salutis sacramentum ostensum olim fuerat variis figuris, & scripturis ab eodem Patre, à mundi cõstitutione. Hinc ergo sequitur tristitiam mortis angustiámque, necnõ passionem, minimè Christo Domino placere propter se, nec propter mortis acerbitatem, tanquam finem principaliorem. Quare alia omissa cõsideratione ipsam mortem amplecti renuebat: obedientia tamen Patris humaníque generis salutem quasi compulsus æquo animo mortẽ ipsam oppetere annuebat, veluti ægrotus qui voluntariè potionem amaram gustat, non propter ipsam, sed vt per ipsam salutem optatam cõsequatur. Hæc libera voluntas mortẽ pro Christo sustinendi martyres ipsos ad astra vehit, & gloriosos facit, nam carnis appetitus illum tantum naturaliter desiderat quod delectationem ingerit, vnde si mori martyribus absque vllo dolore cõtingeret, non appareret quę in eo esset meriti causa. Quoniam tamen hanc viuendi voluntatem, atque desiderium Deo subiiciunt atque tradunt, amplectuntúrque eius amore ducti, quod viribus tãtum naturalibus pulsi refugiunt, ideo donari coronis laudis, & gloriæ merentur. Et hoc est quod Dominus in sua oratione prosequitur dicens. *Veruntamen non mea*
In Christo duæ voluntates. *voluntas sed tua fiat.* Non secundum humanam affectionem, sed tuam voluntatem. Hinc apparet quòd id quod Christus Redemptor noster naturali timore oppressus, qui conditioni, & fragilitati humanæ annectitur, desiderabat: modo ad se conuersus amplectitur, & confirmat, obedientia, cordísque fortitudine victus. Nam nõ inquit, pater fiat hoc quod loquor secũdum carnis naturalem inclinationem: sed inquit, fiat id propter quod me misisti, redemptio scilicet, humani generis, ob quam ego à tuo excelso sinu in hoc solũ descẽdi. Hoc est quod idẽ Christus in alio loco Euãgelij antequam passionis eius tempus immineret, dixit, Non veni facere vo- Ioan. 6
luntatẽ meã: sed voluntatem eius qui misit me. Nõ voluntatem temporalem secundũ carnem, sed illã quæ quidem eadem cum voluntate æterni patris est. Si ergo vnigenitus Dei filius inquit, quòd volũtas eius non fiat, sed potius patris: quanto maiori iure inobedientes habebimur, atque iudicabimur, si proprias sequuti fuerimus voluntates? Ad finem vsque vitæ docuit nos Christus, Dei tantũ non nostram exequendam voluntatem, parentũ etiã, prælatorúmque sectandam, eorundem præceptis parẽtes & obtemperantes. Docemur hic, si quando vo- Voluntas nostra diuinæ debet eis conformari.
ti & orationis ad Deum fusæ cõpotes nõ euadere contigerit, voluntati diuinæ cõformari, gaudereque voluntatem diuinã adimpleri: quãuis in detrimentum proprij appetitus, & desiderij cedat. Nam sicuti non debemus in periculis, & aduersitatibus propriis fidere viribus, ne vanitatis amatores, propriæque fortitudinis præcones esse videamur, sic nec de cęlesti auxilio vnquam diffidẽdum, ne itidẽ Dei nostri infallibilis auxiliatoris impotentiam deferre videamur. Aduerte autem quòd hîc Christus vocauit se filium Dei naturalem, & nõ adoptiuũ, quia dixit pater mi, & non pater noster, vt quod per Ioannem dixerat manifestaret, ego & pater v- Ioan. 10
num sumus. Eadẽ res, eadem essentia, vnus Deus, & vnum posse, minimè diuisum. *Apparuit autẽ illi Angelus de cœlo confortans illum.* Vt intelligas aliam Matth. 4
fuisse istam tribulationem ab ea, quam in deserto passus est: quia ibi Angeli non cõfortauerunt illũ, sed ei potius seruierunt: hic tamen adeò fuit ingẽs debilitas, & afflictio qua fuit oppressus, vt fuerit coactus à sua creatura confortari. Verum est aliam trãslationem habere: ei Angelum apparuisse illum exaltantem ac glorificantem. Hoc est fructum passionis annunciantem necnon mirabilem suæ resurrectionis gloriam: per quam omnes Adã filij erant extollendi, & glorificandi.

¶ Præterea Angelus ei apparuit, vt intelligas precem humilitate atque perseuerantia fusam, nũquam responso carere.

¶ Angelus autem hic erat beatus Michaël qui afflictionem, & tristitiam quam eius rex ex parte sensualitatis patiebatur, confortabat, secundũ quã paulo minus ab Angelis minutus est. Hæc autem alteratio partis sensitiuæ erat, qua refutabat mortémque pati renuebat. Recipit Redemptor humilis solatium hoc à creatura considerans se paulominus ab Angelis secũdum carnem factum, dum in hac lachrymarum valle morabatur: & sicut velut homo tristis reddebatur, sic huiusmodi Angelicis verbis, vt homo confortatus est.

Michaël angelus confortat Christum.

Psal. 8

¶ Expende autẽ quod mox, vt filius Dei se volũtati æterni patris subiecit, & subdidit, Angelus solatiũ pręstitit, vt hinc excipias si quãdo contigerit nõ euadere orantẽ voti compotẽ: quia forsan sic fieri oportet, nõ ideo à conspectu Dei ope destitutus recedit, imò potius solatio afficitur spirituali. Item

Itē nemo existimet hunc vel alium angelum Christi custodiæ delectum fuisse: nam qui omnium angelorum custos erat, angelo custode non eguit. Matt.4

¶ Rursus aduertendum quòd in hoc quòd Angeli cum Christo gesserunt, dilucidè perspicitur in eo duas esse naturas, diuinam scilicet, & humanā, nam ei tanquam ipsi Deo inseruierunt in deserto, & hic sicut hominem Angelus confortauit. Apparuit Angelus iste in humana specie Christo solatiū præbens, ad serui modum qui dominum suū consolatur, & etiam, vt doceat nos, Angelos cum ad Deum preces fundimus nobis adesse, inuisibilique quodam modo animum & solatium addere ne ab incepta oratione desistamus. Secūdò, vt discamus his qui amore Dei ducti tristitias, & tribulationes sustinent, cęlestē opem nunquā deesse, iuxta illud
Psalm.93 Psalmi. Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuę lætificauerunt animā meā.
Genes.16 Sic Angelus domini apparuit Agar in solitudine, cùm sola tristis, & affecta dolore existeret, quā fuit consolatus. Sic etiam Heliæ in deserto, à cōspectu,
3.Reg.19 & persequutione Iezabel fugiēti, & dixit, Surge & comede, grandis enim tibi restat via. Sume ergo mundi Redemptor vires, confortare domine mi, grandis enim tibi restat via, ne te hæc terreat tristitia, nec metus concutiat, restant enim adhuc tibi, flagella, vulnera, alapæ, spinarum corona, claui, crux, & tandem lancea, &c. Sed ad contextum.

Agonia quid. *Et factus in agonia prolixius orabat.* Significare volens, quod quoties agonia vel alia graui necessitate oppressi fuerimus, absq; vlla mora ad orationis remedium debemus confugere, & dum in maiori periculo cōstituti fuerimus, maiori cura, & instantius orationi indulgeamus. Agonia hæc, erat prælium quoddam inter dominicam carnem, & mortem: caro enim naturaliter viuere desiderabat. Vel potest dici hanc agoniam esse angustiam mortis quam imminere cernebat, iamque ferè in conspectum dari & ideo dicitur in agonia factus. Quo etiam modo cum infirmi sunt iam in extremis constituti ita vt iam sensus deficere videantur ne possint discernere, dicuntur esse in agonia & cōflictu. Vel potest dici quòd agonia hæc nihil aliud erat quàm quidam agon, & certamen, in ipso Christo, inter rationem & sensualitatem, quia certabat & contendebat in eo ad instar & modum cuiusdam pertinacis, mirifici prælij & agonis, sensualitas ex vna parte, quę quidem naturali ingenio fulta timebat, renuebat, & horrebat mortē: ratio ex alia quæ nimirum diuinæ voluntati obtemperans mortem oppetere volebat, honorem Dei zelans, remediū, opem, & salutem generis humani desiderans. Nam virtute diuina, atque cœlesti harum quælibet partiū facere seu pati quod cuique naturale erat, permittebatur. Sed iamiam Redemptor suo corde mortem vincebat, & superabat cum in animum mori inducebat: quam tandem posteà ipso opere vicit quādo resurrexit. Sed nunc pauci sunt qui in hoc agone & certamine constituantur, nam mox sensualitati herbam porrigunt carnémque ipsam insequūtur. ¶ Nota hîc quod erunt terrores, agones, metus, & angustiæ in tuæ mortis vltima hora, cum tot in vita sis irretitus peccatis, si sola eius memoria tam acerba fuit Christo cum adeò innocēs culpǽque expers esset. Nam si Christus omni peccato liber, sic mortē timuit, vt sola eius memoria, & consideratione in agonia fieret: quid tu facies peccatis onustus cum medici vitæ tuæ spē tollant, erectúmque pectus fuerit tibi, oculi comminui cœperint, sensus operari destiterint & obsessus à doloribus mortísque angustiis fueris? O quantum deberet hic strictus mortis status peccatoribus metum incutere, siquidem adeo magnū Christo incussit. Voluit dominus in his quæ in eo gesta sunt nostræ animæ contentionem & certamē significare: nam omnes nos mirabilem ac terribilem patiemur terrorem, in quo vsque ad verba otiosa in reddendo Deo rationem nobis deueniendum erit. Et vt videas quàm magnus fuit agon iste & certamen attende Euangelistæ verba.

Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Sudor iste feruens erat nimis & maximus: qui ex omnibus partibus corporis & poris manabat ad modum sanguinis affluentis in huiusmodi agone & certamine per vestes desilientis, & in terram abundanter cadentis. Emisit autem hūc sudorem sanguineum Christus, ob maximum conatum orationis eius, necnō, omnium terribilium mortis memoriam maximā qua vexabatur, & premebatur, imminentísque & obiecti periculi, & ingentem angustiam qua à propria sensualitate torquebatur, quę quidē Dei iussu facere & pati ei naturale & congenitum permittebatur. Quare cùm cor eius esset inflammatum, omnes pori aperiri cœperunt, influeréque & emittere per omnes illius corporis sanctissimi, & passibilis partes, sudorem sanguineum, purum, nimísque coloratum, ita vt redundaret. Sanguis iste fuit verus, naturalísque quantum ad suum esse & substantiam, fuit tamen miraculosus, & non naturalis, quoad modum emanationis & emissionis qua à venis emissus fuit: nā præter totum ordinem, & cursum naturalem est sanguineum effundere sudorem. Hoc idē dicamus oportet de sanguine & aqua, quæ à latere Christi domini iam defuncti fluxerūt, sanguis enim verus fuit, & aqua itidem vera, miraculosè tamē: quia mirabili Dei prouidentia, & supernaturali ratione ab inanimi corpore manarunt. Voluit autem dominus sudare sanguinem in terrámque cadere: quia patiebatur, & propriū sanguinē effundebat, nō pro Angelorū sed potius hominū terrenorū, & in terra degentiū salute. Isti tantū redempti sunt & mūdi, sanguinis domini nostri effusione. Secundò ne dominus tantū oculis pro nostris peccatis lachrymas funderet, sed etiā toto corpore, cū nimirū ab oculis aqua à cæteris verò corporis partibus sanguis manabant. Prætereà in sudore Christi feruor & conatus dilucidè perspicitur, in sanguine, mūdi pretiū, influxu verò eius, liberalis abundātia copiosissimę redēptionis elucescit: guttę tandē euidēs signū fuerūt singularis efficacię, cōmodiq; quod passio ipsa intulit, siquidē virtus illis vniuersalis erat, & omnibus sufficiēs, ne eorū malitia, & prauitas indignos redderet. Tu ergo ô anima mea nihil morare, sed properatim tende in hoc pretiosum balsamū odoriferum, vt redimi, & sana fieri merearis, quantuuis paruulæ guttæ particeps sis, eáque aspergaris. Considera quàm intensus ignis amoris cordi Christi affuit: siquidē viuū sanguinē per corporis poros distillare coëgit, sicut ignis facit aquā è rosis manare: vt reddat odorem suauitatis sacrificio æterno patri pro nobis offerēdo. Considera anima mea quā periculosa est infirmitas tua, siquidē tā ingenti sudoris copia nondū perfectè humanorū tuorū peccatorum

Sudor sanguineus partim naturalis, partim miraculosus.

1.Ioan.19

catorum

Ezech.24 Sudor Christi abluendo peccatis nostris necessarius.

catorum fæces purgasti, vtipsemet dominus de te conquerens dixit, Multo labore sudatū est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius. Vide etiam quàm noceat frigus homini in sudore constituto. Pro cō perto igitur habere debes nullum tā nociuum frigus esse sicut ingratitudinis frigiditas. Hęc tua frigiditas & ingratitudo vexat maximè Saluatorem, sanguinē pro te insudantem. Orat æternum patrē & non exauditur, expectat solatium lachrymarum tuarū, vt à pœna quæ ipsum torquet subleues. Respice qualiter ab oratione consurgens proprio sanguine mersus, eum extergit: intuere ipsum solum angustia oppressum, & afflictum: considera quanta fuit tunc eius animæ angustia, cuius testes guttæ sanguinis vestem penetrantes & in terram cadentes, existunt: illiúsque miserere & compatere, nam absque ingenti dolore, hoc minimè potuit contingere. Ad mortalium animos nunquā peruenit, nec est auditum, nec visum aliquem terrore mortis sanguinem sudore emisisse, quapropter apparet similem dolorem sensum nunquam fuisse. Hinc etiam percipitur quāta fuerit amaritudo passionis Christi: siquidem sola eius cogitatio illum sic turbauit, & torsit, vt sanguinem sudare cogeretur. Sudor faciem Adami nimimè ad culpam abluendam con- Genes.3 Gene.8 duxit nec vniuersæ diluuij aquę sufficere potuerūt ad mundi tollenda peccata. Sufficit tamen sudor salutifer sacratissimi Redemptoris: fuit nanque antidotum & lauacrum sufficiens ad mundandas animas ab omni labe peccati.

¶ Disce cum ægrotas vel multū orare, vel alios apud te orantes habere: cum videas hîc Christum positum in agonia orantem, & in cruce iamiā moriturum pro crucifixoribus orasse, animámque suā in manus paternas commendasse. Disce imminente mortis articulo voluntatem tuam voluntati diuinæ conformare. Disce verò tu peccator de propriis dolere peccatis: cum videas Christum tantopere afflictum ex alienis. Disce pios animi tui affectus eleuare, excitare, & exercere, coram Christo in monte Oliueti prostrato, & ibi ora, lachrymas funde, deducque Christum in angustiis, siquidem tuo amore impulsus hanc patitur pœnam. Sed procedamus. *Et cum surrexisset ab oratione & venisset ad discipulos suos inuenit eos dormientes præ tristitia.* Venit de loco vbi orabat ad discipulos. Videlicet ad Petrum, Iacobum, & Ioannem, & dormiebant: nam cum certamen eis appropinquaret, oculi eorū somno victi, languere cœperūt: nā huiusmodi somnus erat veluti quidā typus & figura negationis & effugij, quod erant paraturi. Dormiebant prę tristitia & afflictione, ita vt oculi interiores grauiter angustiam, & tristitiam ferrent: corporales etiam vexabantur propter prolixitatem vigiliarum. Nam ob tristitiæ magnitudinem qua erāt affecti, ex quo Christum dicentē audierant. Tristis est anima mea vsque ad mortem: non poterant vincere somnum, interdum magistro interdum verò sibiipsis timentes. Vt autem dormiant sicut & anima, sic & corpore, nam sæpè ac sæpiùs contingit ex animi contractione, & tepiditate oculos somno teneri. Vide ter Christum discessisse ad orādum, terque itidē oues suas visitasse, intendens ad orationem flectere: nā non solū prælatus vitam ducere debet contemplatiuam, sed etiam aliquādo actiuā. Sic in Ezechiele Ezech.10 legimus quòd illa sancta quatuor animalia volabant, incedebant & habebant alas, sub qualibet autem earum erat manus veluti hominis. Habebant alas ad volandum per contemplationem, manus verò ad inseruiendum proximi commoditati. Discant contemplatiui propter proximorum salutem suis temporibus relinquere orationem. Moses cū Exod.32 esset cum Deo in monte orās iussu Dei dereliquit Dei conuersationem: & descendit ad populum peccatorem, vt ei subueniret. *Et ait illis. Quid dormitis? Surgite orate, ne intretis in tentationem.* Quare cum in tot sitis constituti periculis, dormitis, cùm modo tempus potius vigilandi sit, ob maximam pressurā tentationis quę ferè imminet? Surgite ab ignauia, & pigritia, vigilatéque, & orate, ne intretis in tentationem illi cōsentientes: quia tentatio vos superare non potest. Contemplare ergo modo Saluatoris piam mansuetudinem, qui quo magis mors illi imminebat & appropinquabat, eo magis cordis suauitatem & lenitatem ostendebat, & vide quomodo bonus pastor vigilat in custodia pusilli gregis. O ingens amor. Verè bonus est talis pastor. Be- Ioan.10 ne de illo dixit Euangelista, quòd in finem dilexit Ioan.13 eos, siquidem in tali constitutus agonia, non cessabat vitam pro illis exponere, salutémq; conari, intra illud exiguum tempus quod restabat. Non sic multi prępositi modo faciunt, qui cùm subditi vigilent, componant lites, & tam corporis quàm animæ laboribus, penuria, & necessitatibus opprimātur, quibus remedium adhibere difficile est, dormiunt, & requiescunt in blandis & delicatis lectis, otio, & voluptati mūdíque sumptibus dediti, exultantes, curis laborum, & indigentiæ suarū ouium liberi. Maxima certè erat charitas atque benignitas huius pastoris, siquidem discipulis suis dixerat, (vt Mattheus & Marcus scribunt) vt dormirent & Matth.26 Marc.14 quiescerent, noluitque eos à somno excitare quoadusque iam Iudæorum cum Iuda venientium laternis, fustibus, & armis, agmen agnouit, eum capiendi desiderio: eos inquam somno vacare nō ve tuit, cùm ipsemet pastor bonus proprio esset sanguine immersus earumdem ouium amore. Somno autem parcere pepulit, cùm iamiam inimici imminerent & instarēt: in quo docet seruos Dei nō diu somno indulgere debere. Surgite: ne nos inimici nostri abditos, & receptos inueniāt sicut timidos, exhibeamus nos illis facie lęta, ne terga demus, nec mortem timeamus. Hoc voluit dominus facere, vt populi intelligerent agni qui passurus erat confidentiam, & constantiam vtque sciremus passionē eius voluntariā omnino non violētam fuisse. Hinc patet feruens desiderium domini, nostrę redēptionis, siquidem non solùm ipsum traditorem simul cum pharisæis venientem mansit, sed & ipse eos excipere voluit. O mira Christi bonitas. Quando vo- Ioan.6 luerunt illum facere regem fugit, nunc autem exit obuiam eis? Docemur hic primò si opus fuerit aliquam tribulationem pati, gaudio & confidentia sustinere. Secundò ad tentationes perpetiēdas parari, ideo inquit eis, surgite. Tertiò orationem tanquam scutū in tentationibus ipsis capere: ideo ait, orate ne intretis in tentationē. Sequitur. *Adhuc eo loquēte ecce turba, & qui vocabatur Iudas vnus de duodecim antecedebat eos, & appropinquabat Iesu, vt oscularetur eum.* Sancta & pia Susanna cū in pomario domus suę se lauaret ab iniquis presbyteris inuasa est, Dan.13 capta, & ad mortē traducta. Sic dominus Iesus cū in horto mersus & balneat⁹ in ꝓprio sāguine: subitò ab inimicis & iniquis Iudęis missis à principib. sacerdotum

cerdotum fuit obsessus, captus, & delatus falso, & cum innocens esset ad mortem traditus. Quibus exiuit obuiam dominus. Sæpè ac sæpius lupum obuiam oui exire & eam inuadere vidi: oppositū autem nisi modo videre mihi nunquam contigit: & tu cum innocentissimus agnus sis excepturus lupos istos rapaces exis. Tu thesaurus paradisi in manus prædonum te exponis. Tu hæreditas promissa patribus in manibus prodigorum: sapientia æterna stultorum regimini te obiicis.

¶ Vnus autem de duodecim Iudas antecedebat eos. In quo nota quod pessimus iste mercator, fuit vnus de duodecim nō quidem merito, sed potius numero. Quod Euangelista dixit, vt huius traditoris malitiam ostenderet, qui in crimē læsæ maiestatis à dignitate apostolica ceciderat. Præcedebat autem eos sicut signifer nequissimus: & appropinquabat Iesu, ait noster Lucas, vt oscularetur eū. Appropinquabat, vt domesticus, sed fur erat: salutauit, vt discipulus, sed tamen insidias parabat: tandem osculatus est eum: nihilominus infestus & inimicus erat. Iam diu inoleuerat consuetudo apud Hebræos & nunc etiam apud varias & diuersas nationes, se adinuicem osculari cum in aliquē se conferunt locum, vt ostēdant ingressum pacificum: & sic Christo idem erat mos suos recipiendi discipulos, cum eos in aliquem locum mittebat, osculo pudici amoris & pacis cùm redibāt, quapropter perfidus iste Iudas in signū osculum dedit. Sicut Ioab olim osculans Amasam & salutans sermone pacifico in dolo, occidit eū: sic accessit traditor iste, & salutans verbis pacificis dominum, morti tradidit. O verus traditor non minus ad mortem æternā damnatus, quàm temporali cupiditate victus. Quomodo iā oblitus es mirabiliū magistri tui: & notitiæ quam tibi & cæteris suæ diuinitatis contulit? Sic intima cordis celerare putas, ac si nō esset q̄ scrutetur? Huic similes sunt quamplurimi pontifices & prælati qui cùm subditis verbis & operibus præbeant occasionem ruinæ, suoque exemplo labi cogant, negare nō possunt Iudæ similitudinem, & exemplar ferre, siquidem ad iniquitatem cæteros præcedunt, ex quo sequitur eos etiam præcedere, vt omnes in infernum prolabantur. Iudas abutens beneficiis acceptis, reddebat mala pro bonis: cui etiam similes sunt ingrati homines.

2. Reg. 20

¶ Perpende quantum distent osculum Iudæ, & Magdalenæ. Iudas in facie osculatus est Saluatorē & periit: Magdalena verò in pedib' & incolumis, & voti compos euasit. Humiles ad Deum accedentes iustificantur: damnantur autem, elati superbia.

Luc. 8

Iesus autē dixit illi. Iuda osculo filium hominis tradis? Sub forma amici, & charitatis specie, me tradis, & mortem machinaris? O nefandum & iniquum signum, ex quo vicē osculi & pacis gerente, discordia & mors sequitur. Obserua autem Christū, proprio nomine Iudam fuisse alloquutū: quod quidē potiùs vim verbi doloris pleni optinere videbatur: quo aduersarium ab ira & furore auertere nixus est quā ad iracundiam ducentis. Similes maximè sunt Iudę hypocritę qui amicitiā & pacē cū Christo simulantes iniquis operibus tradūt & vendūt, itē & illi quibus maximæ curę est bona verba profari, nomēq; Dei sæpè assumere, cū in rei veritate traditores & inhonestę vitæ sint. Itē sicut Iudas ad dominū accedit osculo pacis osculans, sic & eodē modo qui ad Eucharistiā habentes malā conscientiā accedunt.

Iudaistæ multi.

Sed ad contextum. *Videntes autem hi qui circa ipsum erant quod futurum erat dixerunt ei, Domine si percutimus in gladio?* Apostoli fuerunt isti, qui petentes licentiam dixerunt domino, vt permitteret, vt percuterent gladio. Aduertēdū est hic quòd quanuis Christus dixerat discipulis, si aliquis percusserit te in vnam maxillam præbe ei alteram: nihilominus tamen post concionem istam factā in cęna adeo in eis seruor & amor inoleuerat, vt illius obliti præcepti solū de defendendo magistro curabāt. Sed quia Christus erat magister māsuetudinis nō dominus crudelitatis: non competenter petierunt ab eo licentiam exercendæ seueritatis, vnde nec eis licentiam vllam dedit, nec huic quæstioni statim respondit, sed posteà respondit, ibi, sinite vsque huc, &c. Sed Petrus quia cæteris feruentior erat, non expectata responsione, euaginato gladio percussit seruum pōtificis. Sequitur enim, *Et percussit vnus ex illis seruū pōtificis sacerdotū, & amputauit auriculam eius dexteram.* Nomen huic seruo, vt alius narrat Euangelista, erat Malchus. Hunc Petrus percussit, quia cæteris accuratius se inseruerat, vel quia ipse primus fuit, qui manus iniquas ad capiendum dominum extendit. Petrus itaque caput eius scindere volēs, eique plus nocere, perficere nequiuit. Considera autem quòd Petrus in hoc non peccauit, nam bona intentione & zelo sancto fecit, sicut Phinees qui zelo Dei occidit illū Iudęū simul cū muliere Madianitide: quapropter meruit habere summum sacerdotiū, sic & Petrus post hęc habuit summum pontificatum. Sic etiā Moses occidit Ægyptiū rixantē cum Iudęo: & non peccauit, q̄a zelo fecit. Vidēs enim Petrus q̄ Christi captio iniusta erat, quia sciebat Christū iustum, & sanctū: licitum erat ei defendere innocentē. Sed quanuis Petri zelus & intētio esset bona, quia tamen tunc nō tēpus defensionis, sed potius patiētię instabat, coërcuit eum clemētissimus dominus, ne amplius læderet: & ideo sequitur in textu. *Respōdēs Iesus ait, Sinite vsque huc.* Vt patientiā, non vltionē, & vindictam doceret. Conueniens quippe erat quòd gratiæ autor atque largitor fidelis patientiā suo exemplo doceret, diligentiùsque instrueret, vt æquiori animo aduersitates ferrent, quàm de eisdem vindictā sumerent. Docentur hic ecclesiastici nullo modo præsumere corporali telo certare. Arma enim militiæ nostræ (inquit Paulus) non carnalia sunt. Tua arma lachrymæ debent esse, & orationes: quæ quidem non parui momenti sunt, siquidem Moses tam magnum inferebat bellum Amalech, sic quòd cum Iosue materialibus armis dimicaret, interea dum Moses orabat superabat Iosue, cūque ab oratione desistebat superabatur ab Amalech. *Et cùm tetigisset auriculā eius sanauit eum.* O mira & ineffabilis Dei nostri bonitas. Quænam patientia, & humana virtus, nisi Christi domini, sufficeret, ad tā iniqui hominis iniurię ignoscendū? Nō quidē dominus, sed seruus erat, cui autē audacter iniuriam inferebat, vnigenitus Dei filius, creator cœli & terræ. Optimè hic adimpleuit dominus quod antea præceperat dicens, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderūt vos. In quod etiā gratia, charitas, & clementia, liberalisque virtus Christi domini relucet: quia sanauit eum qui in eū manus coniecit, in hoc nos exhortās ad fidē, persequutores alliciēs, discipulos & nos etiā in sua firma & stabili doctrina cōfirmans: quia noluit aliquem sua causa damnum

Matth. 5 · *Ioan. 18* · *Num. 25* · *Exod. 2* · *2. Cor. 10* · *Exod. 17* · *Matt. 5*

num

num perpeti, voluit etiam docere inimicis benefacere. Reuelat etiam & ostendit per hoc suã immensam virtutem: siquidem non necessitate, sed potius propria voluntate captus fuit. O diuitiæ charitatis infinitæ. Nõ obliuiscitur Dominus suę eximię pietatis, benignitatis & clementię: siquidem non patitur inimicos vulnera accipere, quanuis mereantur. Ipsi agunt de iusti morte, & ipse vulnera persequutorum sanat, docens per hoc omnes euadere saluos posse, si ad Deú conuertantur, & resipiscãt, quaritumuis saucij, quod in eius morte consenserint, exultant. Sed dicetis quare isti maligni non cõuersi sunt? Quonam pacto videntes hoc tam patés miraculum nõ dimiserunt Christũ? Quid istorum corda non emollita sunt, cum bonitatem Saluatoris viderunt inimico consulentis? Iam certè isti in proprijs erant venditi peccatis: iam eorum animabus dæmon dominabatur, nec erant sui compotes: sed vt duri lapides Spiritui sancto obsistebant, ita vt eius digitus in eis nihil imprimeret, nec eorum corda obstinata & malitia plena signaret. Vtinã & simile tibi non contingat, vt scilicet miracula quę Deus in te operatur, & beneficia ab eodem in te collata cedant tibi in ruinam, ita vt in maiora & grauiora prolabaris peccata. Sed ad contextum.

Esa.53

Dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se principes sacerdotum & magistratus templi & seniores.

Principes sacerdotum & magistratus non venerant ad Iesum, sed miserunt ministros, vt caperent eum: ipsi enim in domo Caiphę qui erat pontifex anni illius sedebant. Sed quia consilio eorũ, & imperio totum hoc gerebatur volens Euangelista exprimere eorum nequitiam, dixit eos venisse ad cõprehendendũ Iesum: quia illud nos facimus, quod per alios facimus. Nunquam isti nequissimi sacerdotes ministros suos ad Christi doctrinam audiendam & capessendam miserant: nunc autem cum laternis facibus & armis vt capiant mittunt. Huiusmodi doctrinam & mores discunt qui impijs dominis inseruiũt. Paucos hodierna die inuenies, quibus cura est, vt domestici, & familia rem sacrã, & conciones audiant, peccata confiteantur, & communicent, quando Ecclesia pręcipit: quibus tamen ipsi vt perfidi, vt enecent inimicos præcipiunt comittenturque in luxurijs, & sint vitiorum propriorum participes. Hanc docent doctrinam domini quamplurimi seruos suos, & famulos. Pręterea ait Euãgelista quòd Christus loquebatur senioribus, & magistratibus, cùm non loqueretur, nisi cum ministris ab eis missis, quia à sacerdotibus, & senioribus mittebantur. Simili modo cum Salome petijt à Christo Saluatore nostro, vt sederent duo filij sui vnus ad dexteram, alius ad sinistram: non cum matre, sed cũ filiis loquutus est, & eis respondit: quia legatio ex eis veniebat. Sic modo non cũ ministris sed populi senioribus loquitur: quia captio hęc ex eis veniebat. Multos etiã episcopos, magistratus, & sacerdotes inuenies nunc similes istis, veniunt ad capiendum Iesum, qui deberent illum seruare, & defendere. Apud Danielem habetur: Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus & iudicib⁹ qui videbantur regere populum. In Hieremia. A prophetia Hierusalem egressa est pollutio super omnem terram. Simile in Esdr. Manus principum, & magistratuũ fuit in transgresione hac prima. Sic & modo omniũ pessimi ac perditissimi sunt prælati, & qui in aliqua sunt dignitate cõstituti, quæ ad maiorem perfectionem seruandam obligat: in religionibus etiam qui seipsos delicatius tractant, corporisque commoditatibus indulgẽt & inseruiũt, vbi regnat ambitio, qui lautius viuũt, & tandem regulam frangunt, & transgrediuntur, prælati, literati, magistri, & prædicatores sunt. Sicut in Iudæorum populo principes sacerdotũ pharisæi & legis periti erant maiores Christi inimici, & omnibus peiores. Illi qui tenebãtur populum instruere, docere, & ad Christum adducere: isti persuadebant populo, vt interficeretur innocens, & mittũt ministros, vt capiant eum. Cũ isti sint viri frugi, & in hoc sæculo nunquam soli incedant, sed magna comitãte caterna: sic nec ad inferna soli dscendere volunt: sed multis stipati, quibus quidem suo malo exemplo occasionem ruinę prębẽt. Sed videamus quid Christus eis dicat.

Matth.20

Dan.13

Hiere.24

1.Esdr.9

Tanquã ad latronem exijstis cum gladiis & fustibus. Cum quotidie vobiscum fuerim in tẽplo, non extendistis manus in me. Stultitiã simul & malitiã sacerdotum reprehendit hic dominus: quia pręsentem semper habuerunt eum, & modo quasi fugitiuũ quęrunt. Sępè inquit, erã inter vos pacificè loquens in templo, absq; armis, disputans, seu in tẽplo prędicans, locus vbi vos ius dicere potestis, vbi etiam me capere possetis absque vi armorum: nõ autem in me manus coniecistis, quia ego nolebam, nec modo faceretis nisi permitterem, méque ipsum manibus vestris immitterem. Quasi ad latronẽ inquit: quia munus & officium latronum est malum patrare & posteà abscondi, sed ego neminem vnquam offendi, & læsi: imo potius quamplurimos sanaui & in templo docui. Stultum est enim hastis, & gladiis quęrere, & adoriri se vltrò quotidie in templo offerentẽ manibus vestris. Non sunt ista arma sacerdotum, magistrorúmque, sed quę dicit Paulus, Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo: state succincti lumbos vestros in veritate, induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutũ fidei, in quo possitis extinguere omnia tela ignea nequissimi, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu. Sed aduertendum quod non tenuerunt eũ in templo, quia non audebant eum adoriri præ timore populi: quapropter egressus est Dominus à ciuitate, vt locũ daret captioni. Expende hic Christi benignitatem quámque blandè persequutores suos alloquutus est: siquidem adeò suauibus verbis carpsit eorum nequitiam: quod quidem deberet sufficere ad eorum malitiam coercendam, & nos inuitare similitudine, & exemplo amicabilis eius cõuersationis. Et subdidit dominus.

Arma sacerdotum. B. Ad c.91. in Luc.

Ephes.6

Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Hæc est hora in qua permittitur vobis in me manus cõiicere: modo potestas tenebrarum regnat. Hoc dixit quia dæmon qui princeps tenebrarũ est, ad hoc instigabat, & vt aduersus Christum domini insurgerent: & propter hoc congregamini contra me in tenebris, & omnis vestra potestas qua lucẽ aggrediminí & inuaditis sũt tenebrę. Finitis verbis quę quidẽ separare possent Iudæos ab huiusmodi horrendo peccato, permisit tunc dominus in manus peccatorum tradi se ori & vngulis luporum exponens innocens, & mansuetissimus agnus. Quare sequitur in textu. *Comprehendentes autem eum duxerunt*

in domum principis sacerdotum. Cogita & considera hic, si cuilibet molestū est captiuum duci, nā propter hoc homo propria priuatur libertate cū propter liberam conditionem, quia secundum leges ciuiles redditur seruus ducentis in captiuitatem, tum etiam propter opera quæ exercet, nā non est seruo integrum ad libitum operari. Considera ergo inquam quàm acriter tulit Christus, qui dominus erat cœli & terræ, quéque sæculi orbis capere non posset, se captum duci à violētis & iniquis occisoribus absque vlla libertate quantum in se erat. Docemur hinc propter Christū qui voluit captiuari propter nos, sic & nos sensus in obsequium eius captiuare, oculos coërcere, ne vana & deordinata intueantur, linguam, ne inania loquatur, pedes ne ad peccata conferantur. Captiuetur etiam cor, vt libertas desit ad prauas cogitationes, intellectus etiam in obsequium Christi & fidei ne errare possit, voluntas etiam ne à Dei voluntate deuiet. Propter quod ait Paulus. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Cū ergo iam mundi Saluatorē tenerent vinxerunt eum mirabiléque eius manus immensis viribus, funibus compresserūt, maximo dedecore, ac si latro, & mortis reus esset, à quo tamen debebant salutem postulare, vt delicta tolleret, & solueret, siquidem ad soluenda peccati, mortis, & inferni, vincula venerat. Sicuti canes feram insequentes quidam ictu tangebant, alij infligebāt vulnera, maximo conatu, impetu, & clamore, in eum conuitia, & opprobria cōiicientes, dominum Deum tuum, & Redemptorem semiraptatum & pulsum trahebant. Quod domine cōmisisti scelus? cur pateris? Quid nō respicis, quid te tā miseris modis tractāt? video, & scio, te pietate teneri, tuáque intima zelo ardere. Sed tu anima mea nihil mereris, oro pati sinas, siquidem propter te patitur. Quare his succenses, & plecti desideras? Ne indigneris, licet omniū horum auriculas secares (sicut Petrus vnius tātū secuit) pedésque & manus, comminueres, qui creauit te mox in statum pristinum redigeret, quæ eius est patientia, & amor quo hæc mala sustinet. Et si forsan amore quo eum prosequeris ductus aliquem confoderes, & interimeres, proculdubio ipsemet statim suscitaret.

Captiuandi sensus nostri in obsequium Christi.

2.Cor.10

¶ Inspice ergo quomodo potens, & fortis viribus Samson vinctus est propter amicam synagogam, respice etiam quo pacto arca fœderis domini capta est, quapropter hanc captionem sicuti alius Heli maximè debes sentire sic adeò vt animā tuā penetret, & pertranseat, vt si fuerit opus, sicut Christus mortuus est, tu etiam mori proponas, & ad lachrymas flectaris viuas, vidēs vinctum illum qui tua venit soluturus peccata, liberaturúsque te à vinculis mortis & dæmonis, in vinculis cōiectū ne fugeret, vt omnes intelligerēt reum mortis esse. Mos enim Iudæis erat, iudici, quē morte dignū inuenirent vinctum obiicere, inter has angustias, nō minus ea, vendi & à proprio discipulo tradi cæterísque destitui, Christū vexauit, nā hæc omnia videntes, relicto eo omnes fugerunt, sicuti eis ipse dixerat. Omnes vos scandalū patiemini in me in hac nocte. Scriptum est enim. Percutiā pastorē, & dispergentur oues gregis. Impletū quoq; hic est illud Psalmi. Longe fecisti notos meos à me. Et iterum. Amici mei, & proximi mei recesserūt à me. Et per Esaiā. Torcular ego calcaui solus, & de gētibus nō

Iudi.16 — *1.Reg.4* — *Matth.26* — *Zach.13* — *Psalm.87* — *Psal.37* — *Esai.63*

est vir mecum. Ioannes inquit, se vinctū dedisse in conspectū Annæ, non quidē quia esset pontifex anni illius, sed vt ei honorē deferrent, cum Caiphæ socer esset illius anni pōtificis, post hoc dicit noster Lucas quod duxerunt illū in domum principis sacerdotum, scilicet Caiphæ, qui concilium aduersus Dominum congregauerat, dixeratque oportere Christum mori. *Petrus vero sequebatur eum a longe.* Maximis excellentem viribus se in cœna ostenderat cùm dixit, tecū paratus sū, in carcerē, & in mortem ire, & cùm dixit, si oportuerit me mori tecum non te negabo. Et etiam quando in horto cùm Iesum tenere voluissent gladio districto defendere tentauit. Sed modò videns magistrum captum duci, timore concussus sequebatur eū à longè. In hoc experiri potes, quid res à verbo differat, & distet. Facile est magna polliceri, pollicitis autem stare, difficile nimis. Iam fortis, & nobilis qui se cōmendabat, & se validum magnificabat. Nec etiam ausus est Iudæorum metu, vbi magister aderat ingredi, sed foris in atrio mansit calefaciens se simul cū seruis. Vide quo pacto Petrus vt imperfectus, & infirmus Christū à logè sequitur, vbi nota, quòd qui Dominū sequūtur tepidè, parū admodum distant quin dimittāt, & prolabātur, nā huiusmodi citò in frigiditatis extremū deuenient. Hoc Petro contigit qui cum tepidè, & à longè Christum sequeretur, tandem in hanc deuenit insaniam vt non ab re esse duxerit illum negare, cuidam dixit Deus. Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es incipiam te euomere de ore meo. Cū tepidus sis cito frigidus fies, ideo ait, incipiā te euomere. Tu incipis dimittere me, ego autem euomere, & cum tu omnino effectu fueris frigidus propter peccatum mortale, sic etiam ego te euomam. Disce non à longe sequi Christū, sed propè, nō tepidè, sed cū feruore, nec dignū, & æquum est, tepiditate sequi illū, qui tanto te amore, conatu, & feruore quæsiuit, siquidem obuiam vltrò exit delatoribus. Non tantū Deus tempus quo ei obsequium præstamus, respicit, sed quo feruore, atque conatu sequimur. Sed procedamus. Cùm ergo Petrus paulatim à vero sole iustitiæ recedere inciperet, intùs etiam & foris frigescebat. Quare inquit euangelista,

Ioan.18 — *Ioan.13* — *Apoc.3*

Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Accessit ad ignē qui erat exterius, nam verus calor charitatis interior extinguebatur, & sic ter magistrum negauit timore nimio concussus. Nemini autem mirū esse debet, à Christo elongatum tentationi cedere.

Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumē & eum fuisset intuita, dixit, Et hic cū illo erat. At ille negauit eum dicens, Mulier non noui illum. Claritati immissum Petrum ancilla agnouit, de quo cum aliis ibi astātibus diceret digito ostēdens, hic erat Christi discipulus, se nosse negauit, vnius voce mulieris perculsus. Obserua quòd primò voluit Christus Petrū ab hac ancilla detegi, & nō ab aliis, vt omnino superbia, & iactātia, qua se in cœna exaltarat, correcta & abolita esset, non à viro sed muliere, non à feroci gigante nec equite validis excellente viribus, sed à debili ianitrice, se superatū, & deuictum cernens. Non à manu, & corona militum obsidetur, nondum ei gladium ceruici subdunt, non aggrediuntur nec inuadunt armati homines. sed muliercula quædam quæ quidem non libera, sed ancilla potiùs est, non excellenti fungens offi-

Petrus quare ab ancilla superari permisus.

Deus permittit nos vinci à minimis propter superbiā. 1.Cor.1

cio,sed ianitricis tantum.Sic sæpè solet Deus nostram præsumptionē confundere, & supplicium de superbia sumere.Quare vt nos humiles reddat debilia eligit quibus deucit,&euincit.Benè posset Deus leones,vrsos,& pantheras, in Aegyptū mittere, qui de Pharaonis populo suppliciū sumerēt, itidémque de Dei insolenti,& duræ ceruicis populo,noluit tamen sic rebus fortibus,& magnis punire,sed paruis,& debilibus ciniphibus,ranis,& muscis,vt Pharao suam miseriam agnosceret, siquidē tam minimæ res sufficiebant eum molestia afficere. Sic superbia Goliath à Dauide iuuene subacta fuit,quem ipse Goliath contemnebat, & parui faciebat. Sic Holofernis arrogantiam, & insolētiam Deus deiicere voluit, vt princeps ille insolentissimus iugulatus per mulierem interiret. Ideóque etiam multoties vult Deus paucis nos torqueri,affligi laboribus & tribulationibus,quæ somnū impediant,vtque muscæ,pulices,&leues dolores nos experiri cogant ingenium nostrum, conditionem atque naturam,quod quidem permittit Dominus vt humiliemur,& cognoscamus quid valeamus,& simus,& vt videamus,quàm parum,sine Deo possumus & eo duce multū,nam sine ipso quodlibet sufficit deiicere nos. Vides Petrum debilē,lapsum, quia adeò prolongatus est? Respice ergo fortem, atque potentem , postquam ad Deum conuerti in mora non stetit. Postquam spiritum sanctū accepit in die Pentecostes fit cōcilium Hierosolymis, & adductus Petrus coram summis sacerdotibus, senioribus,& magistratib' iussus est ne in nomine Christi prædicaret, vbi maxima cum autoritate respondit.Si iustum est in conspectu Dei vos potiùs audire quàm Deum,iudicate. Nō enim possumus quæ audiuimus & vidimus nō loqui.Sic Petrus & cæteri apostoli , qui in passione domini pusillanimes steterunt,posteà adueniente Spiritu sancto,tā fortiter & constanter se gesserunt,adeò vt concilij patres,Petri firmitatem,& animi robur mirarētur. Vnde collige ad tuam instructionem,& disce semper Deo adhærere,& nō à longè sequi, nam aliter tentationibus quantūuis leuibus succūbes , quod si adhæseris illi semper victor euades. Secūdò aduerte quod voluit Christ' ab hac ancilla hostiaria tentatum esse Petrum , & victum, vt ostenderetur omne hominum genus,cuiuscūque status in Christi morte conuenisse, omnésque redēptos eius passione. Sequitur iam secunda tentatio. *Et post pusillum alius vidēs eum dixit,Et tu de illis es. Petrus verò ait.O homo non sum.* Hæc secūda obiectio aiunt Matthæus, & Marcus,fuit à muliere facta, quare ergo hîc ait Lucas,quòd fuerit ab homine facta? Fieri enim non potest euangelistas cōtrariari. Ideò dico, quòd hoc quæsitum seu tētatio Petri facta fuit nō à muliere sola,sed ab homine &muliere.Ipsa enim incepit,cæteri tunc simul accesserunt , qui ibi aderāt idē interrogantes. Ideóque Ioannes ait,quòd à plurimis facta fuit,quia à multis fuit Petrus tentatus.Et quia mulier incepit, & magis de hoc erat solicita dixerunt Matthæus , & Marcus, quòd fuit facta à muliere, sed quia vnus hominū vehementiùs quærebat,& instabat, ait noster Lucas , quòd homo quidam dixit,quod ex illis esset,cui Petrus, vt ait Lucas, respondit , simul & mulieri , vt Matthæus,& Marcus,& respondit simul circunstantibus & quærentibus,vt Ioannes dixit.

Exod.8 — 1.Reg.7 — Iudit.13 — Act.4 — Matth.26 Marc.14 — Ioan.18 — Leg. August. lib.3. de cons. Euang.cap.6

¶ Animaduerte quomodo vnū peccatum aliud trahit,& ducit. Per peccatum non amittitur arbitrij libertas,vt mentiens dixit maledictus ille Lutherus,amittit tamen homo gratiā,(quæ vires animæ est,)qua quidem mediante tentationibus resistere valet.Item etiam , quamuis nō perdat liberū arbitrium , manet tamen propter peccatum adeò debile,ægrum & infirmū,vt facili negocio in peccatum lapsus tentationi succumbat, quare ex vno peccato in alterum deuenit, ducitúrque peccator à concupiscentia sua abstractus & illectus.Hoc in Petro adimpletum videmus , qui quia resipiscere renuit post negationem primam, in secundam, & tandem in tertiā incidit.Ideo sequitur.*Et interuallo facto quasi hora vnius, alius quidam affirmabat dicens, Verè hic cum illo erat,nam & Galilæus est.* Cognouit eum in sermone,nam quamuis Galilæi essent etiā Iudæi,quotidie tamen contingit,non solum in regno eodem,sed in eadem prouincia aliquo modo differre sermones. *Et dixit Petrus.homo nescio quid dicis.* Nō solùm vt diximus peccatum,quod per pœnitentiam non deletur,ad aliud trahit, verùm etiā omnia magis grauitate augentur & crescūt.Primò enim vt omnes testantur euangelistæ simpliciter negauit,secundò autem,vt Matthæus inquit,iuramento negauit. Tertiò tandem iuramento addidit maledictionē,& anathematizauit. Docemur parua vitare peccata ne ad maiora veniamus.Vna plagarum Aegypti ciniphes fuerunt,qui quidam parui culices sunt qui verno tempore nos acriter vexant , & sanguinem bibunt. Non fuit ista maxima plaga,sed tamē posteà subortæ sunt plurimæ muscæ,quæ crudeliter Aegyptios torquebant. Plagæ enim,paruæ plaga maior succedit.Ni à prima seruas,sicut Pharao secunda opprimeris , quæ aliam, & aliā ducit,sicut Petro cōtigit.Docemur etiā fugere à comitatu,& cætu malorū, nā vt ait Paulus, colloquia praua corrūpunt bonos mores.Petrus qui in apostolorum , & discipulorum Christi cætu filium Dei redemptorem nostrum fuerat confessus,modo peccatoribus adhærens ter negat. Ideoque præcipiebat Deus,vt Israelitæ cum gentilibus matrimonium nullo modo contraherent,ne cum illis conuersantes , prauos eorum mores addiscerēt.Filij Seth,qui boni & iusti erāt,quia filij Cain filiabus quæ vitiis erant deditæ,adhæserunt, misit Deus diluuij aquas, quibus omnes submersi sunt. Sanctus ille propheta, quem Deus in Samariam miserat,fuit in via à leone occisus,quia fuit Domino inobediēs,quod cum falso propheta comedit. Iosaphat rex Iuda, quia ad præliandū descendit simul cū Achab rege impio Israël,parū abfuit,quin etiam occumberet sicut rex Israël , ideóque obiurgatus fuit à propheta Dei , quod impio auxiliū præbuisset.Nam impius suis deprauatis moribus, cor quietum allicit,vt vitia sequatur. Et licet suis operibus minimè inducere,aut cogere possit,tentat nihilominus,vt post eadem vadat , nam videns iniquè,& peruersè agere , facillimo negotio labitur.Sed ad contextum.

Iacob.1 — Beda in Lucam in hæc verba. — Exod.8 — 1.Cor.15 — Exod.34 — Gene.6 — 3.Reg.13 — 3.Reg.22 2.Par.19

Et continuò adhuc illo loquente cantauit gallus.

Expende quòd hæc cantatio galli post trinam negationem fuit secunda cātatio. Nam vt Marcus ait , post primam negationem foras se cōtulit Petrus,& tunc cantauit gallus,& iterum ad ignē rediit,non enim poterat deserere domū,vbi Dominus eius aderat,& quia timor,& amor ad inuicem contendebāt,& alter alteri obstabat , manere atq; abire

Vide Aug. lib.3. de consen.euan.ca.6 Marc.14

abire vicissim desiderabat, vt quælibet harum passionum in eo victrix euaserat, tunc vnus circũstãtium, eademmet verba, quæ ancilla, protulit, ideo secundo negauit. Timore autem concussus Petrus iterum foras exiuit, transacto spatio quasi vnius horæ accesserunt ad eum qui aderant dicentes, cũ esse Christi discipulum, quia Galilæus erat, vnde tertio negauit, & statim secundo cantauit gallus. Et sic semel tãtum ante primum gallum negauit, bis autem ante secundum. Et vt in concordiam redigamus euangelistas circa tertiam negationem dico, quòd & si Diuus Lucas hîc in tertia negatione asserat vnicum hominem Petrum interrogasse, cæteri verò dicant plurimos, nihilominus iste est mos, & stylus euangelistarum, multi enim aderant ibi detrahentes, & clamantes, qui hoc Petro dixerunt. Vel potest dici vni in nomine omnium interrogasse, quare Petrus vni tantum respondit, & ex consequenti omnibus nomine huius.

Negationes Petri in vno ac in diuersis locis factæ sunt. ❡ Aliqui dicunt has tres negationes factas fuisse apud Annam, cætera verò, quæ euãgelistæ scripserunt postquam in domum Caiphæ ductus est Iesus, per modum collectionis scripsisse, nõ quod re vera ita contigissent. Alij tamen dicunt Petrum in domo Caiphæ ter dominum negauisse. Verior tamen & quæ communior opinio est, quòd hæc trina negatio apud Annam cœpit, habuit autem finem in atrio Caiphæ. Et hoc manifestè constat ex textu Ioannis, qui cum mentionem non faciat Caiphæ, sed solius Annę, cõstituit priùs vnicã negationem, deinde prosequitur cætera, quæ Annas Christum interrogauit, demum alias duas negationes adhibet, quæ postea in domo Caiphæ contigerũt. Patet etiam has tres negationes in domo Annæ contingere nõ potuisse, quia inter secũdã & tertiã negationem inquit hîc Lucas, interfuit ferè hora, & in domo Annæ parum temporis consumpsit Christus, quia nõ erat põtifex anni illius, vnde ad eum tulerunt Christum solũ vt placerent illi. Itaque nõ dubitamus, quin tentatio prima fuit apud Annam, aliæ autem duæ apud Caipham.

❡ Nota autẽ, quòd voluit Deus tam præclarum Apostolum in hoc peccatum ruere, primo ne quis de se nimis cõfidat. Quia Petrus plus omnibus in suis viribus propriaque virtute confidit, dicens, si omnes scandalizati fuerint in te, ego autem nunquam scãdalizabor. Et rursus, Tecũ paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. Et iterum. Et si oportuerit me mori tecum, nõ te negabo. Ad hãc triplicem confessionem præsumptuosam, triplici negationi respondit. Tandem posteà post pœnitẽtiam triplici dilectionis confessione Deum honorauit, vt patet in Ioãne, vbi Petrus post saluatoris resurrectionem mirabilem ad mare Tiberiadis littus ter à Domino interrogatus cõfessus est dicens: Tu scis Domine quia amo te. *Ioan.21*

Causa quare Christus permisit Petrum labi. ❡ Secundò permisit Deus vt tantus apostolus sic caderet, vt nullus desperet de Dei misericordia, cùm Deus optimus maximus tanta beneficia contulit in Petrum post lapsum, cui nõ solum pepercit, sed etiam principem, dominum apostolorum, & vicarium summumque pontificem fecit. Insuper ipsi soli, vt maiori honore afficeret, apparere voluit, post suam resurrectionem. Et Angelus cùm loquutus est mulieribus vt resurrectionem Domini discipulis nunciarent, particularem fecit mẽtionem Petri, plus honoris exhibens, quàm aliis, dicens eis, Ite & dicite discipulis eius, & Petro, &c. *Marc.16*

❡ Tertiò permisit, vt hic electus Dei Apostolus, ita caderet vt aliis peccatoribus compateretur, qui futurus erat pontifex. Oportebat vt Petrus sciret experimento quòd & ipse circundatus erat infirmitate, & compateretur infirmitatibus subditorum. De tali enim pontifice consuluit Deus, & prouidit ecclesiæ suæ sanctæ. *Hebr.4 Rom.15*

Et conuersus Dominus respexit Petrum. Respexit sua infinita benignitate, & clementia, dilectum discipulum & vicarium quãdo tertiò negauit, intuitu pietatis, & gratiæ, respicere enim Dei allicit, & prouocat ad pœnitentiam peccatores, eique est maximè necessaria. Aliter Dominus respexit Petrum, aliter Sodomam, quando descendit, vt videret quæ opere compleuerant. Primum respexit oculo misericordiæ, secundum oculo iustitiæ. Primo respectu facit tremere Petrum, secundo Sodomam absorbet. De primo habetur in Psalmo. Qui respicit terram, & facit eam tremere. Tremere autem facit terram cordis, dum per flagella erudit eos, quos gratuita bonitate dignatur respicere, & flagello interueniente ad cor redire coguntur, vt patuit in fratribus Ioseph, quos ille argumentando constrinxit, vt territi confiterentur. Meritò hęc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum. Hinc beatus Iob ait quasi confitendo. Loquar in tribulatione spiritus mei. Petrus autem ex solo respectu diuino, & consideratione elongationis suæ à tanta bonitate, quo nullum maius flagellũ, nulla maior turbatio, separari à pio domino contremuit. Aduerte tamen, quòd intuitus Christi ad Petrum non fuit (vt Augustinus inquit) exterior nec corporalis, sed potiùs spiritualis, & interior. Nam dominus intus erat in altiori, & superiori auditorio, cum principibus sacerdotum. Petrus autem foris in atrio cum seruis, vnde alter alterum oculis corporis videre non poterat. De hoc modo spirituali, & interiori respiciendi, inquit psaltes, Respice in me, & miserere mei. Sic Petrum respiciẽs statim sanctus apostolus diuina pietate culpa fuit exceptus. *Et recordatus est Petrus verbi domini, sicut dixerat, Quia priusquã gallus cantet ter me negabis.* Hæc recordatio initium pœnitentiæ fuit. *Et egressus foras Petrus fleuit amarè.* Qui sanctitatem aliquando coluerũt, citò ad eam reuertuntur. Sic filij Leui licet peccassent, sicut alij adorantes vitulum, tamen citiùs reuersi sunt, & iunxerunt se Mosi. Sic respiciẽs dominus Petrum, statim ad se redijt, & mundauit culpam negationis pœnitentię lachrymis, nam nõ solùm est necessaria Dei misericordia, quando homo resurgit, & pœnitẽtiam agit, sed etiam ea peccator indiget, vt facere possit. Ideo propheta ait, Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Respice, & exaudi me, Domine Deus meus. Nam si Deus peccatorem non respiciat, fieri non potest, quòd ipse suis viribus resurgat. Sicuti grex Rachel, bibere non posset, nisi Iacob lapidẽ de puteo amoueret, ita si Deus nõ auferat prius de corde nostro obstinationis lapidẽ, flere, nec respicere valebim⁹. Tulit quidem lapidem Christus & Petrum respexit, & sequitur, Fleuit Petrus amarè. Obsecra Deũ, vt te intueatur & misereatur tui, animæque tuæ compatiatur, quia sine ipso factum est nihil. Fleuit beatissimus apostolus peccatum suum amarissimè. Et posteà per totum fœlicis vitæ circulum pio apostolo mos fuit singulis noctibus orationi vaca

Respicere Dei duplex. — *Gene.19* — *Psalm.103* — *Genes.42* — *Iob 7* — *August. lib.3. de cons.euan. cap.6* — *Psal.85* — *Exod.32* — *Psal.12* — *Gene.29* — *Ioan.1*

re à primi galli cantu vsque mane, sicq; in lachrymis,& planctu noctem peragere, vt facies eius, ingentia nimius lachrymis qui ex oculis manabant & defluebant, adusta videretur. Flebat non propter pœnam quam verebatur, sed propter angustiā animi quam patiebatur, hoc enim acriùs ferebat, quā quécunque alium cruciatum. O quantò maiora flagitia, & scelera nos quotidie patramus, & minus deploramus. Iniquitates nostræ iam in cœlum conscendunt, & expostulant a Deo iustitiam velu
Genes.19 ti Sodomæ & Gomorræ peccata, iam nos terra ferre nullo modo potest, iam Auerni aditus patet, vt deglutiat nos, nos autem vitam tenemus edentes, bibentes, exultantes, & gaudentes, mortis atque iustitiæ Dei obliti, acsi semper sanctè, & legem Dei custodientes vixissemus, necnon cōfidentes simul cum illo in cœlo vitam beatam acturos. Væ nobis quoniā sancti Petri lachrymæ in vltimo die, risum nostrum condemnabunt, & à Deo iusto iudice iniquitatum nostrarum ius postulabūt. Quid autem interim cum Christo Saluatore nostro agatur videamus. *Et viri, qui tenebant illum illudebant ei caedentes.* Considera tu si non habes cor lapideum hanc Christi redemptoris nostri cōtumeliam. Colaphis enim eum cędebant. Solent enim in collo percuti fatui, & despectibiles personæ. Vnde in hoc quòd Iudæi Christum cædebant, & colaphizabant non tam attenditur læsio percussionis, quam maxima contumelia despectionis. Adimpletur scriptura,
Leuit.4 quæ dicit. Applicabis vitulum coram tabernaculo testimonij, imponentque Aaron, & filij eius manus super caput illius & mactabis eum coram domino. Sic isti imponūt in caput Christi manus sacrilegas percutientes caput illius, & cædentes. In faciem quoque eius, quam Angeli videre desiderant conspuebant. Quid ergo abominabilius quā spuere in illam faciem desideratam ab omnibus
Psal.79 prophetis, & gentibus, de qua in psalmo, ostende nobis domine faciem tuam, & salui erimus? Et tamen eis ostendit mittens filium suū in quo pater notificatur sicut in facie filij sui, & tamen cùm magnis execrationibus cædebant, & vi ab intra sputa trahentes spuebant in eum, ita quòd eius facies
Esaia 53 leprosa apparebat, & tunc impletum est illud. Nō est ei species nec decor, & vidimus eum, & nō erat aspectus, & nos reputauimus eū quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Et iterum, in
Esai.50 persona Saluatoris. Faciem meā non auerti ab increpantibus, & cōspuentibus in me. Abominabi-
Deu.25 le enim erat hoc apud Iudæos, ita quòd in lege præceptū erat, quòd si pater alicuius puellæ spuisset in faciē eius, ita abominabilis reddebatur, quòd ad minus septem diebus oportebat illam esse sequestratam à consortio hominum. Quanto magis abominabile erat spuere in faciem Christi?

¶ Sed quia sputis pulchritudinē faciei eius obscurare, aut deturpare nō poterant, ideo vide quid
Iudæi quare faciem Christi velauerunt. euāgelista noster dicat. *Et velauerunt eū, & percutiebant faciem eius, & interrogabant eum dicentes. Prophetiza, quis est qui te percussit?* Velauerunt faciem eius, quia erat ita pia, & reuerentiæ digna, quòd omnes eam aspicientes ad pietatem, & reuerentiam commouebātur. Ideò vt meliùs irriderent velauerunt eum. Nec est mirum si non potuerunt eum intue-
Exod.34 ri, quia nec faciem Mosi potuerunt intueri nisi velamen super faciem eius poneretur. Sed ecce plusquam Moses, cui facies splendidior sole, vt patuit in transfiguratione. Vnde aliqua vis gloriæ eius resplenduit ex facie eius, Iudæorum oculos ita reuerberans, vt faciem illam æquo animo tolerare non possent. Nam non valuerunt nocturæ tenebrarum amicæ lucem solis ferre. Et hoc fecit Christus vt eis ostenderet quòd nec sputis eorum pulchritudinem faciei eius obscurare possent. Vnde & velamen istud vsque hodie manet super corda eorum, quia ab eis faciem suam abscōdit. O in- 2.Cor.3
sana cæcitas, & cæca insania infelicium Iudæorum, quia illam desiderabilem faciem quā aduenturam patres eorum, & prophetæ maximè desiderabant, ipsi infælices cum præsentem habuerūt, tam ignominiosè velauerunt, non vt ipse illorū scelera non videat, sed vt à se ipsis faciem, & gratiam cognitionis eius absconderent.

¶ Porrò percutiebant faciem eius, ex qua percussione nimis affligitur homo, nam in facie sunt omnes sensus, & sunt ibi mēbra tenera facile læsibilia. Vnde verisimile est, quòd ex tali passione fluxerit sanguis per nares, & os, licet hoc ab euangelistis non scribatur. O quàm horrendum scelus impiissimorum Iudæorum, quòd faciē tā formosam, quam Salomon tantum cupiebat videre, quòd diceret, ostende mihi faciem tuam, facies enim tua Can.6
decora, verberibus affecerunt. Percutiebāt autem eum velata facie, aliqui in capite, alij in collo, alij in faciem, alij in maxillas, & percutientes interrogabant, eum dicentes, Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Hoc derisoriè dicebāt, qua Beda in Luc. in haec verba 22.
si in contumeliam eius qui se prophetam à populo haberi volebat, & quem populus magnum prophetā reputabat, per hoc enim designabant quòd falsus propheta esset, & quòd ignoraret, quis eum percussisset.

¶ Dabant ei alapas vocando illum falsum prophetam, qui est Dominus prophetarum, alij manu reuersa dulcissimum os eius percutiebant, alij pugnis, alij verò barbam eius euellebant, alij tandem per capillos trahebāt, & in medio eorum positus ab eis sicut homo fatuus, & stultus illudebatur. Et ex vtraque parte cędebāt, & irridebant eū, & contumeliis afficiebāt. Sicut castellū, quod direptioni traditur, & volūtati militū, vnus dirumpit, alter cōminuit, & demolitur, alter verò prædatur, sic Christus traditur istis, vt alter cōspuat, alter colaphis cædat, &c. *Et alia multa blasphemantes dicebāt in eum.* Aduerte quòd iniurię Christo illatę blasphemiæ ab euangelista vocantur, quod vtique non faceret, nisi Dominus noster Deus non esset. Christi iniquisita non.

¶ Expende etiā quòd euangelista summa diligentia ea quæ videntur exprobratissima exponit nihil occultans, nec omittēs, sed potiùs gloriā existimans maximū dominatorē orbis terrarū pro nobis talia sustinere. Gloria enim nostra hæc est innumera opprobria, iniurias, afflictionésque sustinere pro Christi nomine. Si gloriari oportet (inquit Paulus) in infirmitatib' meis gloriabor. Hæc oportet 1.Cor.12
continuo legere, memoriæ mandare, & menti inscribere, in his tandē gloriari. Verū si talia patiebatur Christ' pro peccatis alienis, quid putas quod tu patieris pro peccatis propriis, si in hac vita pœnitentiā non feceris? Igitur multas blasphemias in Christū dicebant, quas euangelista non exprimit, quia longum esset recensere. ¶ Fatigati principes Vide Aug. lib. 3. de con. cap.6.
Iudæorū, & ministri iniquitatis, & cæteri Iudæi recesserunt euntes ad dormiendū, & mittentes Dominum

minũ Iesum in quendam carcerem, ibi subtus solatium, ligauerunt eum ad quandam columnam lapideam, & dimiserunt cum eo aliquos armatos ad tutiorem custodiam, qui eum vexauerunt per noctẽ illam totam residuam, quasi nõ sufficeret dies ad complendum malitiam suam, derisionibus maledictionibúsque vacantes: flagellabant, percutiebant, illudebant, expuebant, multáque blasphemãtes conuiciabantur ei dicentes. Putabas esse prudentior principibus, & melior pharisæis? Nunc tua stultitia apparet: modo stas vt conuenit, & morte crudelissima cito morieris. Populo insipienti & rudi tuis fallaciis imponere curabas, nobis autẽ minimè: nam nouimus te. Si Propheta eras, quomodo nõ prænosti in nostras manus casurum? Iamiam quidẽ tuæ prophetiæ somnium atque inania verba fuisse relucent, atque videntur, siquidẽ scire nullo modo valuisti te capiendum esse à nobis. Multa his similia maledicti illi domino dicebant. Nox in somnis tota ducebatur: nulla prorsus requies Iesu præstabatur. Stabat autem dominus ad istam columnam rectus, ligatus, verecundus, patiẽs, ad omnia tacens, & saturatus opprobriis, vsque mane afflictus frigore, & labore. O animæ meæ Redemptor, quænam parasti scelera, propter quæ puniris? Vbi mater tua, vt tui misereatur? Quid de discipulis qui te deducant, Maria Magdalena, quæ vnguenta pretiosa præbeat, & Martha, quæ recipiat. Te solum ab amicis relictum cerno, destitutũ, obsessum à tortoribus te intueor, qui in iniuriis non
Psal. 27 deficiunt. Nunc ergo tu quisquis amator Christi fueris respice in faciẽ Christi tui: & considera quãta propter te passus est, & inquire à domino Deo tuo, quomodò circa eum agatur, & respondebit,
Psal. 21 Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Sed quomodo domine, fa-
Iob 30 ctus es in opprobrium? Dicet illud sancti Iob. Faciem meam conspuere nõ verentur. Et illud. To-
Psal. 43 ta die verecundia contra me est, & confusio faciei
Esai. 50 meæ cooperuit me. Sed cur non auertebas faciem tuam? Respondebit. Faciem meam non auerti ab
Psalm. 68 increpantibus, & cõspuentibus in me. Opprobria exprobrãtium ceciderunt super me. Circundede-
Psal. 21 runt enim me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rugiens. Dixerunt enim impij inter se. Venite circumueniamus iustum, contrarius est enim operi-
Hierem. 11 bus nostris, mittamus lignum in panẽ eius, eradamus eum de terra, & nomen eius non memoretur
Psalm. 68 amplius. Propter ꝙ operui cilicio carnem meam, & humiliaui in ieiunio animam meam. ¶ Disce patienter sustinere opprobria, & illusiones à peccatoribus tibi factas, amore Christi Iesu, qui similia opprobria, & multo maiora propter te pati dignatus est. Disce contra Christum non blasphemare,
Iud. 1 aut alicui maledictum dicere: nam beatus Iudas Apostolus ait, quòd cum Michael Archangelus cũ altercaretur cũ diabolo de Mosi corpore, non est ausus iudiciũ blasphemię inferre diabolo, sed dixit: Imperet tibi dominus. Quapropter si Michael nõ fuit ausus diabolo maledictionis dignissimo iudiciũ inferre blasphemię: quãto magis nos ab omni maledicto liberi esse debemus? Caue etiam ne cõspuas in Christi faciẽ, indignè eucharistiam sumendo: Caue etiam ne ponas velamen ante eius faciẽ, quale ponunt illi qui secretè peccant, quasi Deus eos non videat, ideóque ne illudas Christum percutiendo illũ tuis peccatis manu praui operis, putans nõ videre aut cognoscere culpas tuas. Disce etiam indignis nõ effundere donũ Dei. Vnde licet Christus esset verus propheta: noluit tamẽ prophetizare irrisoribus suis. Sic verbũ Dei & dona eius retrahenda sunt pro loco, & tempore, auditoribus indignis: Sed procedamus. *Et vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum & scribæ, & duxerunt illum in concilium suum dicentes, Si tu es Christus dic nobis palam.* Animalia venenosa conueniunt ad lumen candelæ vel cerei si in horto ponatur, & hoc non faciunt vt luminentur, aut vt lumen diligant, cùm eorum vita naturalis sit in tenebris. Imo videtur potius, ꝙ ipsum odio habeãt: quia ei sic appropinquãt quòd ipsum extinguant. Sic contra Christũ qui vera lux est, conuenerũt Iudęi in domo Caiphæ pontificis, non quod lucem dilexerint, quia lux venit in mundũ, & dilexerunt Ioan. 3
homines magis tenebras quã lucem. Sed in eo conuenerũt, vt illũ extinguerent. Sic legimus in Psal. In eo dum conuenirent simul aduersum me, acci- Psalm. 30
pere animam meã conciliati sunt. Obserua autem quòd duo fuerũt cõcilia, alterum nocte, alterũ verò mane: illud ad examen Iesu, istud ad modũ quo tradendus esset Pilato, vt occideretur Iesus. Lucas autem matutini tantũ concilij meminit, Matthęus autẽ vtrunque narrat conciliũ. Ita quòd Iesus bis fuit ductus ad conciliũ. Primum nocte quãdo aduenerunt tot falsi testes, & tandẽ adiuratus à principe sacerdotum apertè confessus est se esse Messiã Marc. 14
(vt Marcus explicat) & sũmus sacerdos scidit vestimenta sua, &c. Et hoc fuit ante illusionẽ, ita quòd illusio confessionẽ, quòd esset Christus, subsequuta est. Et propterea dixerunt prophetiza nobis, Christe quis est qui te percussit? Et hoc conciliũ penitus tacetur à Luca. Secundò autẽ ductus est in conciliũ mane facto, quia in hoc secũdo cõcilio affuit vniuersus senatus, quorũ aliqui tantũ adfuerant in primo concilio: & æquũ videbatur, vt vniuerso senatui præsentaretur. Et huius concilij meminit tã Matthæus, quã Marcus quo ad tractatum de modo tradendi Iesu Pilato, vt occideretur. Sed Lucas diffusè illud narrat quoad præfationẽ Iesu tacitã ab aliis euangelistis. Vnde in hoc concilio nulla est mẽtio testiũ nec loquitur aut adiurat sũmus sacerdos, sed cõciliũ loquitur. Ideo ait hic noster Lucas, quòd conuenerũt seniores plebis: nã in nocturno cõcilio quanuis seniores affuerint, nõ tamen congregatus est cætus seniorũ plebis, hora enim inepta erat ad hoc: sed mane congregatus est senatus seniorũ plebis ad hoc simul cũ principibus sacerdotũ, & scribis dicentes, Si tu es Christus dic nobis palã? Audierat senatus ab his qui interfuerant cõcilio nocturno quòd Iesus confessus fuerat se esse Christum, & volẽtes hoc ex proprio ore audire interrogabant Iesum vt ipse dicat, si est Christus nec ne, vt calumniã capiãt ex eius responsione quicquid dixerit. Nam si dixerit quòd est Christus, accusent eũ corã Pilato & si dixerit quod non, obiiciant, quòd in illa nocte in primo cõcilio dixerat quod esset Christus. ¶ Præterea nõ interrogant an sit filius Dei, quia Pilatus ad quẽ pertinebat in causa sanguinis iudicare gẽtilis erat, & ad illũ non spectabat, quòd essent multi Dij. Tamẽ quia Christus vnctũ significat hoc est regẽ, quia reges Iudęorum vngebantur, de hoc interrogant, vt possint accusare de crimine læsæ maiestatis: eo quòd contra im-

peratoré se regem Iudæorum faceret, quod incumbebat Pilato iudicare, & condénare. Scribæ etiá congregati sunt, vt videretur quòd iuxta legis tenorem iudicabatur, scribæ enim sapiétes erant in lege doctissimi. In hoc verò cócilio præses erat Satanas, & consultores auaritia & ambitio. Vide tu quid cum tali præsidente & consulibus, an immunis exire poterat iustus. Sic etiá & nunc plura concilia fiunt contra innocétes, vbi consultores seipsos quærunt, &c. De hoc cócilio dixerat egregius

Psalm. 2. Psaltes. Principes cóuenerút in vnú aduersus Do-

Psalm. 21 minum & aduersus Christú eius. Et iterum. Cócilium malignantium obsedit me. Ab hoc enim có-

Genes. 49 cilio appellabat Iacob dicens. In concilio eorum non intrat anima mea. Sequitur. *Et ait illis, Si vobis dixero, non credetis mihi. Si autem & interrogauero non respódebitis mihi neque dimittetis. Ex hoc auté erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Multoties, vt ex Euangelistarum contextu apparet, dixerat illis dominus q esset Christus, bene credere poterant, tá ex Christi assertione, quàm ex scripturæ testimo-

Rom. 1 niis, & prophetiis sed induratú erat insipiens cor eorú, & cæci facti in sua nequitia permanere ma-

Marc. 12. luerunt quàm Christú, qui eorum peccata argue-

Luca 14 bat in regem suum & Mesiam suscipere. Ait etiá,

Matth. 22 si interrogauero non respondebitis mihi. Interrogauerat eos sæpè, vt de baptismo Ioannis, & cùm dixit an liceret sabbato curare, de filio, domino Dauidis, & alibi, sed nec voluerunt, nec potuerunt rectè illi respondere. Quod autem addit, neque dimitteris, ostendit se non latere quę ipsum maneát. Deinde apertè fatetur se filium Dei esse dicens. Ex hoc auté erit filius hominis sedés à dextris virtutis Dei, quasi dicat, Perueni vinctus in manus vestras, nec me liberú dimitteris siue loquar, siue taceam, siue negé me filium Dei esse, siue affirmé: sed me crucifigi curabitis, sicque vobis metipsis videbimini vestrú officium egregiè perfecisse, videbor que vobis penitus periisse, sed rex lógè alium sortietur euentum. Nec enim subscribet Deus sententiæ vestræ, vt abneget propter vos filium suú, sed videbitis me non in cruce inter duos latrones pédere, sed sedere ad dexteram virtutis Dei, hoc est æquali honore cú Deo patre meo affici. Ideoque ait, ex hoc autem erit filius hominis &c. Idest quia vos me despicitis, & paruipéditis, adeò vt licet dicam vobis quisnam sum, mihi fidé non adhibebitis, & quanuis interrogé non respondebitis, hinc ego eliciá maximum honoré, atq; maiestatem, ita vt humanitas mea sedeat ad Dei dexterá. Sic Pau-

Philip. 2 lus ait de Christo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod exaltauit illum, &c. Tunc pedi-

Psal. 109 bus impiorum conculcabatur, sed sessurus erat in breui in gloria patris, impios habens in scabellum pedú suorú. Tunc per infirmitaté sacerdotibus ludibrio erat, sed idé per virtuté Dei mox in cœlos erat transferédus, vbi in dextera patris verus rex & sacerdos adoraretur ab omnibus super terrá habitátibus. Nunc vinculis inexus sicut facinorosus stabat in medio collegij sacerdotali omniú expositus, iniuriis atq; cótumeliis: idé tamé iudex vniuersorú stabit in medio angelorú suorú veniens in nubib[9] cęli suppliciú sumpturus de facinorosis sacerdotib[9]. ¶ Docemur hic in aduersis & persequutionibus humiliari, persequutorésque & inimicos diligere: ná quo magis depositi & humiles in hac vita extiterimus, eo erimus in cœlis magis exaltati, & ad maiora fastigia ducti, persequutores enim atq; inimici, corona quá nobis Deus in gloria sua reddet, & capitibus nostris imponet, colút, exercét, plumant, atq; dolant, vnde si celsitudo & exaltatio venturi sæculi, pręsenti correspondęre debet abiectioni & humalitati, persequutiones quantumuis maxima amplectemur, vt maior honos nobis deferatur. Sed de his hactenus. *Dixerút ergo omnes, Tu es ergo filius Dei?* Quid est dixerunt omnes? Nulla ratione modestiæ, iuris, vel æqui habita, confusè & importunè respondét, clamant & vociferát. Tu ergo es filius Dei. Tu magnam habet emphasim, magnumque secum fert contemptum, tu fabri filius, tu amicus publicanorum, tu dæmoniacus, tu Samaritanus, tu legis Dei temerarius contemptor, es tu inquam filius Dei? Sedebis tu ad dexteram virtutis Dei? Videbimus ne te in nubibus? In patibulo te videre cupimus, non in nubibus: in medio latronum pendebis, non ad dexteram Dei sedebis. Tu ne es filius Dei? Sed quid ad hęc Christus? *Vos dicitis quia ego sum.* Vos dicitis, supple verú quia ego sum. Veritaté eis respondit, vt inexcusabiles essent, & ne nomé Dei spernere videretur. Sua enim sententia Iudæi condemnantur, ipsi nanque dixerunt Christum filium esse Dei. Vos enim dicitis, & verum dicitis quia ego sum filius Dei. Docemur quòd propter nullum temporale periculum veritatem deseramus, sed in ea vsque ad mortem constanter perseueremus, sic namque Christus in mortis discrimine in hoc concilio veritatem non deseruit, sed in ea vsque in mortem constanter perstitit. Hác tamen responsionem ipsi blasphemiam reputantes, dixerunt, *Quid adhuc desideramus testimonium?* Scilicet ad probandum quòd se Christum dicat & Dei filium? Hæc duo grauius ponderabát, scilicet quod Christú se, & Dei filium dicebat, eo quòd vnú videbatur esse cótra Deú, reliquum contra Romanú Imperium. Cęterú verum dicunt dicentes: quid adhuc desideramus testimonium? *Ipsi enim audiuimus de ore eius.* Quia post Christi testimo Theop. in suo to. c. 22. Luc.
nium nullo alio opus est nobis: nam dignus est cui omnes fidé adhibeamus. Omnes enim viæ eius iustitia & veritas. Habet enim Christus multa suę diuinitatis testimonia. Habet Patrem, habet Spiritú sanctú, habet Mosem, habet Prophetas, Apostolos & Euangelistas, habet & vniuersam Ecclesiá. Vnde nobis alia testimonia nó sunt necessaria. Sed Iudęi excæcati in sua malitia, quanuis ex ore eius audiút non sufficit, nec aliud quodcunque testimonium vt in Christú credant, & vnicú eis sufficit, vt eundé perdát. Quid adhuc desideramus testimoniú, inquiunt. Ipsi enim audiuimus ex ore eius. Verum certè est, quòd non opus est alio testimonio', cum ex ore illius, qui súma veritas est audistis, quod ipse sit filius Dei. Cur ergo nó creditis ei? Aut cur nó probatis illú maledixisse? Nó est alia senteútia expectanda à talibus senatoribus. Christus illis molestus est & de medio tollendus, siue iure, siue iniuria hoc fieri posit. Sic impiis & malis ansa nunquam deest ad bonos & iustos persequendos, quam quidem quęrút, & sermones quotidie in quibus eos capiant, adhibentque laqueos ad perdendum, propriam malitiam tegere volentes, aliqua apparentia & zelo iustitię. Sed de his satis. Nos tamé ad sequétis capitis explanationé accedamus: in quo diuus Lucas historiá pasionis dominicæ psequitur.

CAP

CAPVT XXIII.

SPECIALITER huic ingratissi-
mo populo Israel fuit datus Christus,
quia ex eodem populo natus, inter eos
educatus, apud eos Saluator prædica-
uerat & miracula fecerat. Quod idem testatus est
Matt.15 dicens. Non sum missus nisi ad oues, quæ perierũt
Matth.21 domus Israel. Sed ipsi rebelles & ingratissimi do-
no accepto se expoliauerunt, & omnium hominũ
stultissimi facti: gentibus dederunt. Non certè ini
quus Iudæorum populus dignus erat tanto bene-
ficio, ideoque ablatum est ab eis, & datum genti-
bus fructum facientibus. Ideò sequitur in contex-
tu, *Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt illũ ad*
Pilatum. Pilatus hic erat gentilis, & vt aliqui volunt
Ioseph. lib. 18 antiq. cap. 2. ex Lugdunẽsi ciuitate ortus, & post Valeriũ Grac-
chum à Tiberio Cæsare anno eius tertiodecimo
Iudææ procurator constitutus est. Duxerunt inquã
illum à domo Caiphæ pontificis ad domum Pila-
ti præsidis Romanæ potestatis, ad quem pertine-
bat iudicium in causa sanguinis, vt Pilato totũ im
poneretur, & ipsi immunes reputarentur. Hoc fa-
cto ostendebant sacerdotum eorum potestatem,
euangelij prædicationem, & ecclesiam ad Gentes
esse transferendã. Duxerunt inquam illum vinctũ,
manibúsque post terga ligatis, catena in collo eius
posita: cum multis conuitiis, & contumeliis. Iam
hîc vides filios Israel surgẽtes cõtra suum fratrem
Genes.37 Ioseph, ponentes illum in manibus Ismaëlitarum,
Iud.16 Dalidam fortissimum Samsonem tradentem Phili
2.Reg.16 stęis, Absalonem insurgentem contra suum sanctũ
4.Reg.11 patrem Dauid, & Athaliam sæuientem in semen re
gium, vt morti tradat: atque incredulam, & peruer
sissimam synagogam suum regem tradentem in
manibus Gentium, vt morte damnẽt. Tu autẽ hic
cogita cum quanto opprobrio ducitur per mediũ
ciuitatis Hierusalem conuitiantibus principibus
sacerdotũ & pharisęis, atque dicentibus. Veni no-
biscum populi deceptor, nunc tua maleficia finem
habebunt, nunc apparebit quis sis, vt iuxta demeri
ta soluas pœnas. Horrenda prorsus impietas quæ
tantis iniuriis satiari non potuit, quin potius fera-
li rabie fremens impio iudici tanquam rabido ca-
ni animam iusti deglutiendam exposuit. *Cœperunt*
autem illum accusare dicentes. Sicut vxor Putipharis
Genes.39 contra Ioseph, & sacerdotes aduersus Susannam
Dan.13 insurgebant falso accusantes, sed non erat conue-
Psalm.26 niens testimoniũ. Vnde Dauid in persona eius ait,
Insurrexerunt in me testes iniqui, & mẽtita est ini
quitas sibi. Disce ex hoc loco hominum accusatio-
nes, & improperia patienter tolerare, siquidem ip-
sa veritas diuina ab iniquis accusata est, & impu-
gnata. Si mali discunt improperare, & accusare: tu
disce patientiam, aduersa sicut & prospera, æqua-
nimiter sufferre. Accusabãt illum in multis, de qui
bus solùm tria exprimuntur, quæ Lucas noster po-
nit dicens,

Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram. Scili-
cet Iudæorum, à cultu legis, falsam doctrinam se-
minando.

Et prohibentem tributa dari Cæsari. Et sic contra ip-
Theop. in hũc locum. sum seditionem faciendo. *Et dicentem se Christum re*
gem esse. Quasi volens sibi regnum Iudæorum vsur
pare, nomine Christi reges Iudæorum vocabãtur:
propter vnctionem, sed addebant regem dicendo
Christum regẽ, gratia explanationis: quia Pilatus
gentilis erat. Gentiles verò reges suos non vnge-
bant sicut Iudæi, ideóque si ei quod est Christum,
id est, vnctum non addidissent regem, Pilatus non
vtique intellexisset. Sed falsæ erãt accusationes, vn
de bene dicebãt, inuenimus, quia quod ei impone
bant nõ erat rei veritas, sed humana fictio & adin- Matth.5
uentio. Non enim subuertit gentem à lege, quia nõ
venit ipse soluere legẽ, sed adimplere. Nec subuer Matth.22
tit, sed conuertit, quos docuit in veritate. Nec pro Matt.17
hibuit, tributa dari Cæsari, sed dixit, reddite quæ Ioan.6
sunt Cęsaris Cæsari. Et soluit tributũ pro se, & pro
Petro, ne scandalisaret, quanuis liber esset à tribu-
to: fugitque cum eum voluerunt facere regem, &
regnum respuit. Igitur arguuntur impietate Iudęi
accusantes Saluatorẽ: nec aliquid verisimile quod
ei obiicere possint inueniunt.

¶De prima igitur accusatione tanquam friuo- Beda c.92 in Lucam.
la, & ad eum non spectãte, Pilatus parum curabat,
quia ipse cum esset gentilis non curabat de obser-
uatione, seu violatione legis Mosaicæ. Et secundã
tanquam falsam, & mendosam paruipendens nul-
lam reputabat: quia fortè per relationem ab aliqui-
bus audierat Iesum dixisse aliquãdo, Reddite quæ Matt.22
sunt Cęsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Ideò trã
sit ad tertiam, quæ magis pertinebat ad Romanũ
imperium, & videbatur contra Imperatoris hono
rem, quia dicebat se esse Christum, idest, vnctum si
ue regem: nam directè cõtra Imperatorem erat,
quòd aliquis esset rex Iudæorum. Imperatores e-
nim Romani nomen regium ab eis abstulerant, vt
eorum superbiam frangerent, & rebellãdi occasio
nem tollerent, & in signum subiectionis sub tribu
to eos habebant. Ideò Pilatus de hac tertia accu-
satione quæsiuit. Intrauit ergo in prætoriũ, qui lo-
cus erat, vbi sedes iudicis seu prætoris erat vbi cau
sas iudicabat, vt Christum magis pacificè & exqui
sitè examinaret extra tumultum, & strepitum Iu-
dæorum: qui non audebant intrare pretorium, ne
contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. *In*
terrogauit eum Pilatus dicẽs, Tu es rex Iudæorum? Qua- Ioann.19
si dicat. Est ne hoc verum quod tibi imponitur,
quòd velis tibi regnum vsurpare, vel quòd sis rex
Iudæorum, secundum quod te accusant? Quære-
bat vtrum esset rex Iudæorum de iure, nam de Theop. in hæc verba.
facto constabat eum non esse. vel iuxta aliquorum
sententiam interrogauit Pilatus subsannando: qua
si dicat, Tu pauper, humilis, nudus, cui nullus ad-
iutor, accusaris de regni ambitione: ad quod opus Ioan.19
est multorum adiutorium, & sumptus?

At ille respondens ait, Tu dicis.

Quasi dicat, Ego non nego, neque affirmo, sed
tu dicis, non tamen asserendo, sed interrogando.
Eodem verbo pręsidi, quo & principibus sacerdo-
tum respondit, vt propria sententia condemnen-
tur. Noluit dicere, nõ sum, ne falsum diceret: noluit
etiam dicere ego sum, ne calumniæ occasionem
daret. Vnde sic temperauit responsionem, vt & ve
rum diceret, & sermo eius calumniam non patere
tur, & penitus nulla culpa in eo cognosceretur.
Exiuit ergo foras Pilatus ad principes sacerdotũ,
& turbas, vt pro Domini innocentia loqueretur.
Ideò sequitur,

Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & tur-
bas. Nihil inuenio causa in hoc homine.

Considera hîc, quomodo Christi Iesu inno-
centia ex omnibus partibus lucet. Maximum ve-
ritatis testimonium est, quando inimici eius-

dem de illa testimonium perhibent: nam tantam vim habet veritas quòd etiam à malis confiteatur. Talem oportebat habere redemptorem, vt ait Pau-*Hebr.7* lus, iustum, sanctum, bonum, innocentem, & segregatũ à peccatoribus: ideo in Christi passione multi etiam illi, qui eum morti tradiderunt Christi in-*Matth.27 Innocentia Iesu.* nocẽtiam confessi sunt. Iudas enim dixit principibus sacerdotum. Peccaui tradens sanguinem iusti. Principes sacerdotum non negarunt Christum esse virum iustum, nec Iudæ contradixerunt: nã conscientia ipsorum idem eis asserebat. Vxor quoque Pilati misit ad virum suum dicens. Nihil tibi, & iusto illi. Et latro pendens in cruce socio suo dixit. Hic nihil mali gessit. Denique & ipse Pilatus ingenuè fatetur nõ inuenire in eo causam mortis. Qua-*Ioan.8* re & ipse Dominus aduersariis loquitur. Quis ex vobis arguet me de peccato? Vniuersa aqua maris certè non sufficit mundare Pilati conscientiam: quando quidem proprio ore Christum innocentem esse confitens, nihilominus morti tradidit.

¶ Aduerte etiam quòd à Pilato iudice sęculari iudicatur Christus innocens: & à summis sacerdotibus accusatur: iudicatúrque reũ illũ esse mortis. Sic etiam & nunc multoties fit: nam iustius agitur in laicali curia quàm clericali. Nam malefactores qui in curia sęculari punirentur, tuentur per viros ecclesiasticos in magnum populi scandalum, multi etiam initiantur, & promouentur ad primam tõsuram, vt munere, & priuilegio clericali gaudentes audaciores fiant, & maiora adoriantur mala, certè plerumque melius iustitiam, & æqualitatem in sæculariũ tribunalibus exerceri inuenies, quã (proh dolor) Ecclesiasticorum. Sed hæc aliàs. Iudæi verò vidẽtes quòd nihil facerent eorũ calumniæ, recurrebãt ad subsidia clamorum. Vnde quia deficiebãt rationibus, inualescebant viribus, dicentes, *Commouit populum docens per vniuersam Iudæã, incipiens à Galilæa vsque huc.*

Theoph. in hæc verba. & Be. c.93. in Luc. Peruertit (inquit) populum, & turbauit pacem cõmunem: nec in vna parte tãtum, sed à Galilæa incepit, & huc vsque peruenit. Expende quòd hic accusantium sermo magis, & eum qui accusatur reddit innoxium: & eos qui accusant docet esse peruersos. Docuisse enim populum non criminis, sed virtutis constat esse iudicium, nec commouit populum qui pacis condidit testamentum. Igitur clamoribus inualescebant qui in rei veritate deficiebant, vt sic clamorosa, non iusta sit accusatio, quia per clamorem voluerunt obtinere quod nõ poterãt per rationem habere. Sic faciunt maligni quærentes obtinere per verba, & contentionem, quod non possunt per iustitiam, & veritatẽ. Nunc considera in quãtum se humiliauit iudex totius creaturæ constitutus à Patre, vt acquiesceret & staret ante iudicium terræ Iudęæ.

¶ Docet hic Christus omnem mansuetudinem, & patientiam, cum ante præsidem stetit, vt sic verus Christi imitator non murmuret, aut reclamet, aut contradicat: cum indebitè ab æmulis lęditur, aut impugnatur. Sequitur. *Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eũ ad Herodẽ qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus.* Quia Christus in Galilæa fuit conceptus, nutritus, & cõuersatus Galilæus est habitus. Pilatus verò occasionẽ quærebat dimittendi eum, quia sciebat eum iustum, & innocentem, ideò misit illum ad Herodem Tetracham, & præpositum Galilææ. Nam vt ait Euangelista, Hierosolymis erat Herodes in illis diebus propter solennitatem Paschalem, quia Iudæus natus erat. Pater enim suus amore vxoris suæ, quę Iudęa erat transiens ad ritum Iudaismi se circuncidi fecerat. Misit inquam illum volens Herodi honorẽ de-*Beda c.93. in Luc. tom.5* ferre vt ipse Dominus Galilææ hominem Galilęũ vel absolueret, vel damnaret. Credebat etiã Pilatus quod Herodes hominem de terra sua, & maximè innocentem libenti animo liberaret: & ne cõtra eum, quem insontem, & per inuidiam traditũ cognouerat, sententiam dare coactus esset. Vide quod cùm Christus mane venisset de domo Caiphę in Pilati prætorium, quod ab illa septingentis quinquagintaquatuor passibus distat, modo gradum reuocat & remittitur ad Herodem per viam acrem nimis, & accliuem, ductus, quæ nimirum viginti & ducentos passus complectitur. Nemo falcẽ in messem alienam & potestatem alterius immittat, quanuis inimicus sit. Vnde ergo hodierna die tot pullulant quæstiones, oriuntur interdicta & excommunicationes, nisi ex eo, quia sęculares iudices de personis ecclesiasticis suppliciũ sumere volunt? Vnde tot iurgia, odia, & inimicitię in mũdo: nisi quia quilibet immitti vult muneri alteri iniũcto? Culpa est immiscere se rei ad se nõ pertinẽti. Sed ad contextum. *Herodes autem viso Iesu gauisus est valdè: erat enim cupiens ex multo tempore videre eũ, eo quòd audiret multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Desiderabat hic Herodes Antipas filius Ascalonitæ, qui innocẽtes necauit, videre Ie-*Matth.2 Marc.6* sum à tempore, quo Ioannem decollauerat, non, vt aliquid saluti animę suæ consuleret, sed propter curiositatem, quia putabat illum magum, vel histrionem aliquem esse. Nam si crederet illum sanctum prophetam, non sic eum videre desideraret. Mali enim nõ desiderant bonos aut iustos: sed scurras & histriones. Hi sunt quos reges & principes diligunt, hi in palatiis, & domibus magnatum degunt, hi tãdem sunt, qui anteeunt, & præsunt, plus mẽdaciis, quàm virtutibus onusti. Satius enim fuit Dauidi coram Achis furere, vt apud eum aliquid *1. Reg.21* valeret, quàm se sanctum & prophetam prædicare sicut erat. Nam si bonus & iustus homoque sanæ mentis haberetur, ingressus ei proculdubio prohiberetur. Itaque vt hominibus in domibus regum. & magnatum aditus pateat, se furere, atque insanire simulent opus habent, sicuti scurræ facere consueuerunt, qui quidem plus cum mentis compotes sint, quàm domini qui eis attentas præbent aures, insanos fieri, & scurras non ab re cẽsent, vt sic ipsismet insaniores dominos scilicet, domus melioribus, & delectis priuent, & expolient. Hæc sunt deliciæ regum, cum his conuersari, eosdẽmque videre desiderant. Et quoniam Herodes credidit: & ratus est Christum aliqua esse editurum exercitia magica, aut manuum habilitates, eum maximè videre cupiebat, quare eius aduentu valde gauisus est.

Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil ei respondebat.

Stans siquidem Iesus sicut agnus mansuetissimus ligatus coram tondente, inquisitus tacuit, & expectatus miracula edere contempsit, quia Herodis incredulitas, & curiositas, diuina non merebatur videre, vel audire: non enim sunt *Matt.7* mittendæ margaritæ ante porcos. Inutile esse coram

ram Herode miracula facere, aut aliquod diuinum arcanum proferre. Præterea respondit Christus Caphæ & Pilato, non autem Herodi, quia Herodes ei vocem, quæ Ioannes erat Baptista, sustulerat, vox verbi, ideò coram Herode obmutescere dignatus est. *Ioan. 1* *Marc. 6*

§ Docemur hic nullū otiosum opus facere aut dicere, nam de omni verbo otioso sumus rationē reddituri. Iustus enim tempus, locum, rationem, & intentionem considerat, vt quid agat, aut loquatur, & omnia suo tempore, vt commodum & vtilitatem proximorum acquirat, facit. Non sic garruli, otiosi, impij, mundani, qui garrulant, derident, & faciunt plurima in scandalum, & damnum proximorum; & suipsius damnationem. Præterea Dominus noluit illi respōdere, aut miraculū aliquod facere, quia declinabat omnem iactantiam & ostētationem. Docemur etiam ex hoc loco, quòd quoties auditores nostri, nostra volunt quasi laudanda cognoscere non autem sua peruersa mutare, omnino taceamus, ne si ostentationis studio verbū Dei loquimur, & eorum, quæ erat culpa esse non desinat, & nostra quæ non erat, fiat. Multa enim sunt, quæ audientis animum produnt, maximè, si auditores nostri & semper laudant quæ audiunt, & nunquam quod laudant sequuntur. *Matth. 20* *Greg. lib. 22. moral. cap. 12*

Stabāt autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum.

Timebant principes sacerdotū & scribæ videntes Herodem cum gaudio, videre Iesum, & pulsare multis quæstionibus ne Iesus sapienter respondendo euaderet. Sed vbi vidēt Iesum tacere, & Herodem æstimare illum fatuum transeunt in alium timorem, ne scilicet Iesus tanquam fatuus euadat. Ideò instant acriùs accusando, tendentes ad hoc vt ne tanquam fatuus absolueretur. De quibus verò ibi accusauerunt euangelistæ non exprimunt, sed fortè de eisdem tribus, de quibus corā Pilato accusauerant, maximè hoc coram Herode aggrauantes, quomodo commouisset vniuersam Galilæam, quæ erat ex dominio ipsius Herodis, vt ex hoc magis sibi animum assumeret. Vnde ad istas accusationes Christus nihil respondit, nec Herodi nec accusatoribus, sed tacuit non concedendo eorum accusationes taciturnitate, sed despiciēdo tāquam indignas responsione. Sic Psaltes in persona Saluatoris. Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Esaias quoque ait. Quasi agnus coram tondente se, obmutescet. Docemur hic quòd omni loco, tempore, & coram quibuslibet, veritas est manifestanda (sed plerumque silentium diuinum est.) Videns itaque Herodes quod Christus nullum signū faceret, nec verbum aliquod ad interrogata responderet, nec cōtra accusatores suos aliquibus respōsionibus se defenderet, reputauit eum idiotam, ac fatuum, & insanæ mentis, ideoque. *Spreuit eum Herodes cum exercitu suo.* Vt omnes in eadem culpa monstrarētur esse pares. Sic hodie sectatores Christi à malis hominibus spernūtur, & ab eis fatui reputantur. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij, nos insensati vitā illorū æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Sic etiā & hodie multi cum Herode spernūt Christum qui signa quærunt, conquerētes quod modo miracula ab eo non fiant, cū modo non sit opus signorum, sed operū. Habent (dixit Abraham) Mosem, & prophetas, audiant illos. Modo autem præter hæc habemus euangeliū, epistolas Pauli, & adhuc signa quærimus. *Mel. lacia manifesta non merentur responsionem.* *Psal. 37* *Esai. 53* *Sap. 5* *Luc. 16*

§ Porrò quis dicere poterit quot iniuriis blasphemiis, irrisionibus Christum affecerunt ministri iniquitatis? Bene dixit illud Psalmi. Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominū, & abiectio plebis. Sicuti enim vermiculi mortui recēter, nemo miseretur cum res vilis, & parui momenti sit, adeò vt etsi cōculcet quis nihil refert, sic Christi Saluatoris vita tanquam si esset alicuius vilis vermiculi despecta est, ipseque adeò conculcatus, contemptus, abiectus & intercemptus, ac si verè homo non esset, sed vermis. Miserere ergo tu, & compatere si christianus es, sintque tibi humana viscera, cōpatere inquam ob ingentē abiectionem, pudeatque te honores, & prospera diligere, videntem propter te Deū in profundo miseriæ, & calamitatis constitutum. Hic videbis sanctū prophetam Dauidem, factum insanum, & furiosum habitum coram rege Achis. Audi ergo Esaiā in persona Dei in hæc verba loquentem. Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. In Psalmo quoque habetur. Factus sum illis in parabolā. Etiā nūc sunt multi similes Herodi, qui primo gauisus est, postea spreuit Christum. Sic etiam & plurimi fimulant se esse sapiētię diuinæ amatores, & saluatores veritatis inquisitores, non vt secundum eā viuāt, sed vt in eius profundis & mirabilibus delectētur. Qui dum circa eius documenta laborant, & vitiis seruiunt, quid aliud est nisi quòd Iesum cōtēnunt? Melius fuisset Herodi Iesum nō videre quàm videre, & contemnere. Melius (inquit Beatus Petrus) esset viam veritatis non agnoscere, quàm post agnitam retrorsum conuerti. Illi verò gentiles viderūt Iesum, sed ad bonum suum. Cupiebāt enim in eū credere, vt habetur in Ioanne. Sic & Simeō, sic Zachæus, sic & tu desiderare debes amplius Iesum videre, hoc est maiorem quotidie agnitionem habere, non vt contemnas, sed vt in eius dilectione accrescas. § Præterea hoc Christi exemplo docemur, vt nos potius velle debeamus à malis despici, quā ab adulatoribus laudari. Secundò quòd tempore, & loco expedit aliquādo sapientiam dissimulare. Vnde quòd Dominus ipse fons sapientiæ, corā Herode pro stulto habere se permisit ex incōprehensibili sua sapiētia processit, quia si sapientē se verbis, & factis ostendisset, vtique passionē suā impediuisset. Tertiò, quòd homo nihil quærat in vestibus, non ornatū, non pretiositatē, sed solū necessitatem, quia Saluator in veste velut fatuus est illusus. Et ideò sequitur in contextu. *Et illusit indutum veste alba.* Et hoc in derisionem signúmque illusionis, sicut fatui solēt aliqua ludricra veste indui, qua cognoscantur ab aliis, & tunc derisorium erat portare desuper vestē albam, eò quòd sic illudebatur tūc fatuus. Sic itaque vides qualiter Dominus nō solū malefactor, sed etiā stultus est reputatus, ipse autē omnia patiētissimè tolerabat. Patientiā ergo habe si tu malefactor, & stultus iniustè fueris reputat'. Nā sicut diuina sapiētia tāquā fatua spernitur, & irridetur, sic omnes irrisiones, quę solēt à variis mūdi hui' hominib. Deū prę oculis nō habētib', homini spirituali irrogari debēt patiēter ferre. Vide q omnes qui piè & innocēter volūt vitā ducere, secundū nouū hominē, ab his qui viuūt secūdum hominem veterem illuduntur, & ab eis fatui habentur. *Videre Christum non suspexit, sed honorare & amare contemnit.* *Psalm. 22* *1. Reg. 21* *Esai. 1* *Psal. 68* *2. Pet. 2* *Ioan. 12* *Luc. 2* *Luc. 19* *Colos. 3*

bentur. Sed propter hoc nō debēt turbari viri spirituales, imo potiùs gaudere, quia Christus indutus veste alba quæ innocētiam significat illusus, & derisus est à filiis huius sęculi, apud quos alba vestis exprobrabilis est. Sed sicut crux ante passionē Christi exprobrabilis erat, quæ posteà facta est honorabilis, ita vt etiam in coronis regū portetur, ita alba vestis post Christi passionē facta est valde honorabilis, & innocentiæ signum. Vnde quilibet post baptismum renouatus induitur veste alba in signum innocētiæ, quā cōfert baptismus. In cuius etiam signum Christo passo Angeli in vestimentis albis apparuerunt in eius resurrectione, sed ad cōtextum. *Et remisit ad Pilatum.* Non enim est bonorum iudicum illudere in iudicio constituto, sed aut damnare criminis cōuictum, aut absoluere innocentem. Vtrumque negligit Herodes: innocentem irridet, & vinctū remittit ad alium iudicem. Sic Dominus cum nota illusionis portando vestē albam redit, & Herodis consensum de sua nece secum detulit. Hic autem cōsensus apparuit signo, & facto, signo quidem in vestis albæ illusione, facto in amicitiæ confęderatione. Quapropter sequitur in textu. *Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die, nam anteà inimici erant ad inuicem.* Iam petra angularis coniungit duos illos parietes adeò separatos, Iudæos, scilicet, & gētiles. Christus enim est pax nostra, qui ex vtroque populo fecit vnum. Impletum illud Psalmi. Cùm his, qui oderunt pacem erā pacificus. Hos duos adeò discordes iudices, in concordiam redegit. Si tu odio habes proximum, & propter Christum in cruce mortuum veniā non concedis, peior es certe Pilato, & scelestior Herode, qui quidem adinuicem amicitiam inierūt, Christo Domino nostro, qui vera pax est intercedente. Vide ergo quàm sancta vestigia, & tempora teris, quando contrahendis amicitiis, & concordiis indulges, siquidem maximum, & præcipuum, quod Deus veniens mundo intulit, fuit pax ipsa. Inimicitias autem habebāt anteà Herodes, & Pilatus, propter necem Galilæorum qui de Herodis præpositura, & dominio erant, quos Pilatus occiderat miscēs sanguinem eorum cum sacrificiis, quæ offerebant. Sed nunc super hoc recōciliatus est Pilatus Herodi, quia pro bono habuit Herodes quòd Pilatus sibi detulerat, mittendo sibi hominē suæ iurisdictionis, & præsertim talem hominem, quem ipse videre diu desiderauerat. Sic multi frequenter amici, & concordes in condemnatione, & nocumento innocentum fiunt, qui antea sibi inuicem cōtrarij fuerant. Hæc autem amicitia Pilati & Herodis fuit signum quod Iudæi & gentiles cōuenitent in persequutione Christianorū. De hac habetur in Psalmo. Quare fremuerunt gentes: & populi meditati sunt inania? Astiterūt reges terræ, & principes cōuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Prætereà hanc missionem & remissionem Deus fieri voluit, ad maiorem & euidentiorem suæ innocentiæ ostensionem.

Marc. 16 / Act. 1 / Herodis consensus in mortem Christi. / Psal. 117 Conciliare inimicitias opus gratiss. Deo. / Psalm. 19 / Luc. 23 / Psalm. 2

Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos, Obtulistis mihi hūc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego corā vobis interrogans nullam causam inuenio in homine isto ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes. Nam remisi vos ad illum & ecce nihil dignum morte actū est ei.

Historia clara est, nec aliqua indiget expositione, sed tantum considerandum quòd Christus Dominus Iudæos suos sibi magis offensos habet, quā gētiles. Pilatus omnia conatur, & omnem mouet lapidem, vt Iesum absoluat, & eius innocentiā palam ostendit, quem sola pontificum inuidia traditum nouerat, in quo neque ipse, nec Herodes, causam mortis inuenire poterat. Sed Iudæi clamant, vt morte damnet Christum. Filij naturales, magis persequuntur. Inimici enim hominis (ait Iesus) domestici eius. Prætereà Pilatus omnes conuocat tā principes sacerdotum, quàm turbam, vt inter tantos saltim aliquē inueniat qui veritati, & innocentię Christi patrocinari velit. Obtulistis inquit, mihi hunc hominem quasi cōtrarium legi diuinæ, & humanæ, sed non tantū ego, sed nec Herodes, vt vos ipsi testes estis, inuenit in eo causam aliquam mortis. Et ne existimetis me clam conuicisse eū, vt veritatem celet, & delicta propria nō confiteatur, coram vobis clarè, & manifestè interrogaui & non inuenio in eo causam mortis. Atqui Herodes sub cuius conditione natus, & conuersatus est, & cui plus iuris est in hunc hominem quā mihi, nihil dignum morte in ipso deprehendit. Quid igitur faciam?

Theophi. in hoc loco. / Matth. 10

Emendatum ergo illum dimittam.

Mira Pilati stultitia, si ipse fatetur, quòd innocēs est, quid in innocente emēdari quærit? Et si emēdabit, quid in innocentem toties proclamabit? Nam qui innocēs est, nec leuissima pœna puniri debet. Sed Pilatus hac castigatione iubens eum flagellari, volebat mitigare odium Iudęorū aduersus Christū, quod vtique facere non debebat, sed continuo absoluere Christum innocentem. Vtcunque tamē sit, Pilatus multo melior erat quàm Iudæorum pōtifices, nam hi totis viribus conantur innocentem occidere, Pilatus autem quærit modum vt eum absoluat. Emendatum ergo eum, scilicet flagellando, vt si qua in vestris cerimoniis commisit, vel in aliquo deliquit, pro ipsis correctus emendetur, & sic emendatum & disciplinatum, dimittam à morte liberum. Flagris, & ludibriis eum afficiam quantum ipsi iusseritis, dummodo innoxium sanguinē non sitiatis vel fundatis, videns enim ex clamore eorū quod nullo modo poterat dimittere Iesum omnino liberum cum pace ipsorum, & ex altera parte durum sibi videbatur interficere innocētem, ideò ad satisfaciendum eis fecit Christum flagellari, & illudi, vt videntes eum sic punitū & illusum vltra condignum pœnis eius & opprobriis, ipsi & crudelitas eorum satiaretur, & mitigaretur, mortémque eius non sitirent, nam naturale est vt ira quiescat, si eum contra quem irascitur humiliatum, & punitum videat. O Pilate tu vis Dominum castigare? Nescis, quòd nec flagella meretur, sicut nec pœnam mortis? Rectiùs ageres si teipsum ad suum nutum corrigeres. Vnde intentio non excusat Pilatum in totum, quia nullum per se malum potest propter bonam intentionem effici totaliter bonum, nec facienda sunt mala vt eueniant bona. Affligere tamen innocentem, & maximè filium Dei, de se malum erat, ideò nullam habet Pilatus excusationem. Sed nunc, ô christiane tu quisquis es, considera quòd nudatur ille qui nudos vestit, & ligatur qui soluit compeditos, à dæmonibusque vinctos, & flagellatur ille qui nos eruit à flagellis. Flagellari enim Christus voluit, vt nos à perpetuis flagellis liberaret. Sicut pia mater videns quòd pater vult flagellare aliquem de filiis suis

Beda in Luc. ca. 93. in 10. 5 / Rom. 3 / Psal. 98

liis suis,extensis occurrit brachiis , & eũ protegit, exponẽs se pro eo flagellis.Ideò Christus sicut pia mater,flagella nostra suscepit.Quapropter dicitur
Esai.53 in Esaia.Disciplina pacis nostræ super eum, cuius liuore sanati sumus.In sano membro oportet face- re cauterium,vt infirma membra sanẽtur.Ideo ha-
Psal.17 betur in Psalmo , Disciplina tua correxit me in finem.

Christus pœnas luit alienas. ¶ Vide etiam quòd si Christus tam grauiter flagellatus est innocens,pro peccatis alienis,quã grauiter putas noxios(nisi se correxerint)esse flagellãdos pro peccatis propriis ? Disce patienter flagel-
Prouerb.3 *Hebr.12* la Dei sufferre,ipse enim vt ait Sapiens,quem diligit castigat,& flagellat omnem filium quem recipit.Fluit itaque regius & pretiosissimus sanguis de omnibus partibus corporis,& eius corpus candidissimum cruore eius roseo rubricatur per totum. Superadditur , reiteratur , & spissatur plaga super plagam,liuor super liuorem,fractura super fracturam,sanguis super sanguinem,quousque tam tortoribus,quàm inspectorib9 fatigatis solui iubetur à colũna cui fuit ligatus.Innumerabiles enim fue runt plagæ eius.Nam cùm pro mensura peccati sit
Deu.25 plagarum modus,Christus flagellatus fuit pro pec
Esaia 1 catus nostris,quæ innumerabilia fuerũt.Et hoc est quod dicitur in Esaia.A plãta pedis vsque ad ver-
Esai.53 ticem non est in eo sanitas.Et iterũ.Non est ei species,neque decor,& vidimus eũ,& non erat aspectus,& quasi abscõditus vultus eius.& despectus, & reputauimus eum quasi leprosum percussum à
Iob.2 Deo,& humiliatum.Iam vides hîc beatũ Iob, per-
Iudi.5 cussum à planta pedis vlcere pessimo, & Achioré
Figura Christi ligati & flagellati. quia gloriam Dei celauerat & veritatem corã impio Holoferne dixerat,ligatum.Hic quoque imple tum cernimus illud,Fui flagellatus tota die, & ca-
Psalm.72 stigatio in matutinis.Sed nũquid his omnibus,perfidorum Iudæorum rabies quieuit?Non est satiata eorum crudelitas. Quapropter aliam viam quærit Pilatus vt eum soluat & liberet à morte. Ideóque sequitur in cõtextu. *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum vnum.* Mos erat Iudæorum vnũ vinctum dimittere populo in die sancto paschæ tãtũ,quẽ populus voluisset,& alij vincti digni morte qui tunc custodiebantur occidebantur. Quod faciebant in memoriam quando Angelus Domini saluauit Hebræos,& percusit primogenita Aegyptiorum.Ideo ad hoc repræsentãdum,& in me moriam huius beneficij, saluabãt vnũ morti propinquum, & alios interficiebãt.Et hanc consuetu dinẽ obseruari impetrarunt ab imperatore Romanorum sicut fuerat obseruata antequam Iudæa esset Romanis subiecta.Pilatus itaque sciens illos cupidos de obseruanda illa cõsuetudine,& ex alia parte quod Barabbas erat pessim9,&populo odiosus proposuit eis,sub distinctione optionẽ dicẽs, quod ad honorem festi liberarent vnũ ex duobus Iesum,vel Barabbam, credens quòd Iesum liberarent,nam non putabat quòd peterent liberationẽ Barabbę qui erat homicidia,ac seditiosus, & insignis famositate sui criminis,sed quòd Iesum liberarẽt.Ipsi verò nimio odio contra Christũ moti , & obstinato corde in malitia perdurãtes ne Christus liberaretur petierunt Barabbam dimitti,& liberari,Christum verò innocẽtem tolli de medio & crucifigi.Ideo sequitur. *Exclamauit simul vniuersa turba dicẽs,tolle hũc & dimitte nobis Barabbã,qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidiũ missus in carcerem.* Próh Deum atque hominũ fidem. quã iniqua est hæc collatio;innocentissimum cum sceleratissimo,principem pacis cũ autore seditionis conferre.Ligna,vt legitur in libro Iudicũ,ele- *Iud.9*
gerunt Rhamnum,& dimiserunt vitem,hunc autem eligendo perdiderũt animæ libertatẽ, & corporis.Vermem enim Christum non hominem reputauerunt.Vnde in Psalmo dicitur.Ego sum ver- *Psal.21*
mis & non homo.In Osea.Ego tinea Ephraim, & *Osea 5*
quasi putredo domui Iuda.Sicut enim tinea de veste nascitur,& ipsam consumit, sic Christus de Iudæis secundũ carnem natus est,& eos meritò peccatorum suorum destruxit,quia homicidam autori vitæ prætulerũt.Quod increpans Beatus Petrus posteà dicebat.Vos sanctum,& iustum negastis, & *Act.3*
petistis virum homicidam donari vobis, autorem verò vitę interfecistis.Sed quomodo populus tam facile persuasus est à principibus sacerdotũ, vt Barabbam peterẽt? Sciebat enim populus Christũ beneficentissimum,eius enim beneficia quotidie receperat. Sciebat sapiẽtissimum, eius enim doctrinam suspensus audiebat, sciebat diuinũ,eius enim miracula continenter spectabat. Vnde igitur tam facilè Barabbam vult dimitti,& Christũ virũ tantum crucifigi?Profecto argumentum est Christum *Ioan.14*
non esse de terra,sed de cœlo,nõ de mũdo, sed de Deo.Si enim de mundo fuisset,mũdus quod suum est, diligeret, nunc autem quia non est de mundo odit eum mundus.Quia non erat de mundo,petit mundus,vt crucifigatur. ¶ Nota quòd duos homines in sua passione,liberauit Christus à morte,hũc Barabbam à morte corporis,& latronem à morte animæ,vt ostenderet quòd suo sanguine nos liberauit à morte animæ, & corporis. Sed ad cõtextũ. *Iterum autem Pilatus loquutus est ad eos,volẽs dimittere Iesum.* Suprà tentabat eum dimittere,sed ex eo tẽpore omnino & constanti animo quærebat hoc facere.Iudæi autem non valẽtes per falsas accusationes circumuenire iudicẽ, vocibus magnis insistebant,quapropter ait Lucas. *At illi succlamabant di-* *Crucifige quare bis repetitum.*
centes Crucifige,crucifige eum. Quasi dicat.Hæc pœna nullo modo nobis sufficit,sed petim9,vt moriatur. Videntes eum magis commouebantur,quia ex aspectu eius qui odio habetur magis cõtra eum cor odientis inflammatur. Illa meretrix coram iudice Salomone clamabat inuerecundè.Nec mihi nec ti *3.Reg.3*
bi,sed diuidatur. Sic nunc inuerecunda synagoga quia iam adulterauerat & recesserat à vero spõso suo Christo,coram Pilato iudice vociferatur.Crucifige,crucifige eum. Ingeminãt autem crucifige, propter desiderij vehementiam, & quia voluntate & opere crucifixerunt eũ.Moses bis virga percus-
sit silicem,& Iudæo bis clamante crucifige,crucifi *Num.20*
ge,de percussa silice crucifixi fluxerũt aquę largissimæ,quæ totum mundum doctrina, & baptismo abluerunt,sic populum iumentáque,idest, doctos indoctosque salutaris verbi longa siti deficientes refecit.

¶ Præterea magna fuit horum crudelitas, quia eis non sufficit videre eum sic flagellatum & sanguine perfusum,sed volunt occidere,& non quacunque morte, sed turpissima & abiectissima. Clauis affigi ad lignum quærunt , ne dolor citiùs finiatur,sed morte producta moriatur, vt in cruce diutiùs videatur , & modo mortis diffametur. Verùm Iudæi de morte pessima cogitabant , sed à Domino eis non intelligentibus electa est.

Crux

Beda cap.93. in Luc. Crux enim erat trophæum, quo diabolus erat superandus, vt ille qui in ligno parentes nostros vicerat, à Domino vinceretur. Suis enim armis diabolus Gene.3 Hester.7 1.Reg.17 Iudit.13 victus & suspēsus est, sicut Amā in patibulo quod parauerat Mardochæo. Hic est gladius Goliath Philistæi, & ensis Holofernis quibus decollati sunt. Arma fuit diaboli lignum in quo protoplastū vicit. Hunc Christo parauit, & in eo mortua est mors, & diabolus victus. Si hic esset aliquis adeò in gladiatoria arte peritus vt inter omnes peritissimè enie inimici ictus repelleret & clypeo exciperet, quem si altius superueniret, qui eisdem armis in quibus ille strenuus est vinceret & superaret, nōne vir maximæ frugi haberetur? Diabolus quidē optimè fudem & fustē vibrare sciebat, offendere, & ictū defendere, quo armorū genere Adamum deiecerat, & superauerat, & vt peritus & strenuus in huiusmodi exercitio crucem elegit, & parauit suis ministris Iudæis scilicet eorundem ope quidem, qui tandē modo eorum linguis illapsus est vt eis tāquam instrumentis Pilatum alloquatur dicens. Crucifige, crucifige eum. Sed tamen ei contra euenit, nā eadem cruce victus fuit, & regnum illius desolatum. Vide hîc quod non refert ad culpæ intentionē occidere hominem lingua, vel gladio, quia non sunt hîc attendendæ manus inermes, sed os armatum. vnde gladius processit quo Christus occideretur.
Psal.56 Ideò in Psalmo habetur. Lingua eorum gladius acutus. Caueant ergo sibi detractores & proximorum infamatores ne exacuant vt gladios linguas suas, quia sicut gladio corpus, sic lingua fama hominis perimitur, vt in Prouerbiis dicitur. Mors & Prouer.18 vita in manibus linguæ. Talibus cōuitiis & iniuriis respondendum non est. Christus enim sicut agnus innocēs eis non respōdebat. Sed procedamus. *Ille autem tertiò dixit ad illos. Quid mali fecit iste? Nullā causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum & dimittam.* Si bene, quæ in superioribus dixit Lucas legeris, iam nūc tertiò dixit Pilatus Christum innocentem esse. Nam primò postquam Christum interrogauit an esset Rex Iudæorum, dixit Pilatus ad principes sacerdotum & ad turbas. Nihil inuenio causæ in hoc homine. Secūdò postquā venit Christus ad Pilatum de domo Herodis, dixit Pilatus ad illos. Obtulistis mihi hunc hominē quasi auertentem populum & ecce ego corā vobis interrogans nullam causam inuenio in homine isto. Et nūc tertiò, ait. Nullam causam mortis inuenio in eo. Benè ergo euangelista noster ait quod hoc tertiò dixit Pilatus ad illos. Non inuenio inquit causam mortis in eo. Verùm dixit Pilatus quia Christus pecca-
1.Petr.2 tum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, vnde bene dicit in eo, quia causam mortis Christi nō fuit in eo, sed in nobis. Et vidēs quod quanuis ostendit eis flagellatū, & sic illusum. & vt alij euangelistæ volunt spinis coronatum, clamabant quòd crucifigeretur, addidit & adhuc vt eorum iram aliquantulum placaret dicens. Corripiam ergo illum, & dimittam, volens aliquod ei supplicium inferre ne crucifigeretur.

Quinque modis tentauit Pilatus Christum liberare. ¶ Voluit Pilatus quinque modis liberare Christum. Primo iudicis mutatione, quando misit eum ad Herodem. Secundò criminis purgatione dicēs, ego in eo non inuenio causam mortis. Tertiò pœnæ illatione, quando ait, Corripiam ergo illum, & dimittam. Quartò personarum collatione, conferēdo Barabbam latronē innocenti Christo. Quin

tò ex sententiæ dilatione, eos sæpè interrogando quid vellent facere de Iesu. Vtinam iudices nostri ita curiosi essent pro pauperibus absoluendis in causa iusta. Sed quid ad hæc obstinata Iudæorum iniquitas?

At illi instabant vocibus magnis postulantes, vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum. Instabant voci- Iudæi iudicem clamoribus vincunt ob rationē. bus magnis sicut canes rabidi non sustinentes sibi auferri cadauer, ad quod lacerandum, & deuorandum dentibus, & totis faucibus inhiant solo latratu cum dentibus non possint amplius insequētes. Quantò enim plùs audiebant quòd Pilatus vellet liberare eum, tantò magis clamabant in contrariū vt qui criminando, & ratiocinando nequiuerant, iam vociferādo perficiant, sed Pilatus timore mox vincitur, & à tramite veritatis, iustitiæque detorquetur. Petente enim tota Iudæorum multitudine vocibus magnis vt crucifigeretur, tamen miser iudex Pilatus motus timore imperatoris, fauori Iudaici populi, cui ipse præerat, & à quibus pecunias sperabat accipere contra iustitiam, & conscientiā, quia Christum innocētem nouerat, & in quo nulla causa mortis erat, tulit sententiam crudelissimā de morte innocentis. Ideò sequitur in contextu. *Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorū.* Pilatus ambitiosus nolens amittere principatum, quanquā pronuntiasset Christum innocentem, volens tamē magis clamoribus populi satisfacere, quàm Deo, & iustitiæ, timensque ne accusaretur de Cæsaris rebellione, cùm hoc, nullum suspicās periculum, etsi innocentem pauperem morti adiudicaret (maximè quia contradictor aliquis non apparebat) protulit sententiam, & iudicauit eum ob culpam affectati regni esse crucifigendum. Quia enim Iudæi Cæsarem regem, & dominū professi sunt, vidēs quod sic se potestati Romanorum subiecerunt condemnauit Iesum quasi vsurpantem Cæsaris potestatē. Præterea Pilatus Christum quem innocētem sciebat damnauit sequens multitudinis opinionē: ita vt non auderet absoluere, quem omnes cupiebant damnare. Disce non sequi omniū votum, si tu sentis iustè iudicandum. Vnde in Exodo. Nō eris post Exod.23 multos ad mala. Ambitiosus itaque fuit Pilatus, & pusillanimis, timore enim Iudæorum, non ex malitia damnauit innocentem. Non tamē propter hoc excusatur Pilatus, quia cùm iudex esset, tenebatur ex officio seruare iustitiam, & nec timore credere debuit nec amore, vt faceret contra eā, qui si omnino voluisset quem iustum pronūciauerat eripere potuisset. Minus tamē peccauit quàm Iudæi, institit enim vt eū ab eius manibus liberaret, & eius motiuum fuit minus malū, quia Iudæi ad occidendum Christum moti sunt per odium, Pilatus verò propter Cæsaris fauorem, & Iudæorum timorem. Sic ergo eis consensit, quia cum effectu furori eorum obuiare potuit. Consentit enim qui cum potest arguere non arguit. Sicut enim tūc Pilatus sic hodie faciūt multi iudices timore vel fauore à veritate iudicij declinantes, & iustitiam subuertētes. Ecce quomodo innocētissimus agnus vt te à iudicio, & lamento iustæ & æternę damnationis eriperet, iniustè propter te iudicio dānari prælegit, ecce quæ non rapuit pro te soluit, & tu nec deuotionis soluis pinguedinem nec cōpassionis refundis Psalm.68 affectum. Cogita quantum amici eius clamauerūt quando illam sententiam audierunt. Sed maledicti gaudent exultāntque quòd intētum suum prauum ha

uum habent eum, qui est verus & æternus Deus, deridēt, & eius mortem quantum possunt accelerāt, nec beneficiorum & operum eius recordantur, nec propter innocentiam eius mouentur: & quòd crudelius videtur, nec propter afflictionem quam in eo vident se retrahunt.

¶ Admonemur hic quod: sicut Saluator noster, sustinuit pro nobis iniquam sententiam ab homine contra se ferri: sic & nos pro Deo, curare nó debemus iniqua hominum iudicia. Vnde Apostolus Corinthiis suis dicebat: Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer aut ab humano die. Sed procedamus.

1. Cor. 4

Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuit in carcerem quē petebant. Iesum verò tradidit voluntati eorum.

Dat veniam coruis Pilatus, & vexat censura columbas: quod etiam & nunc quotidie fieri cernimus: nam scelerati soluuntur quasi essent innocentes, & pauperes grauibus pœnis plectuntur. Si innocentia tanta, sicut Christi non erat in orbe tuta, & sub tantis iudicibus, & in tanta ciuitate: quid in mūdo erit de pauperum innocentia, quæ non est tāta sicut illa quæ declarata erat virtutibus, miraculis, & doctrina? propterea solatium hic accipiat innocentia læsa à iudicibus. Non est autem hoc mirādum: quia propter innocentiam ouium nō dimittit lupus eas deuorare: & maximè cū sint in syluis, vel prope syluas, ciuitates, & vrbes. Syluæ sunt vbi habitant multi bestiales homines, & tanto maiores syluæ quanto maiores ciuitates. O, quàm ingēs fuit lætitia illius nequissimæ gentis, quando autoritate iudicis, innocentissimus agnus illis fuit traditus illudendus, & pro libito tractandus. Vestierunt eum vestimentis suis, vt magis agnosceretur in propria veste, quàm in aliena, & ductus est foras citius ne mortem eius differant, & ligantes fune manus, & colum ipsius, ponentes lignum magnum crucis, super delicatissimos humeros suos, extra propriam ciuitatem eiiciunt. Ecce nunc Rex noster portat sceptrum in signum gloriæ, portat trophæum in signum victoriæ: quo principatu, & potestate spoliādo triumphauit. Vide nunc summum sacerdotem intrantem in sancta sanctorum, tanquam paradisi clauem super humerum portantem. Ecce Abel educitur in agrū à fratre, vt ab eo perimatur: & Isaac ligna holocausti portat. Et sicut Isaac non est occisus sed aries: ita Christus non quatenus Deus, sed quatenus homo est mortuus. Nā sicut si quis ignito ferro aquam superinfundat extinguitur ignis, qui natus est pati ab aqua, ferrum autē manet incolume: sic humanitas passa est quæ pati poterat, nō diuinitas. Vide etiam & Mosem cum virga cuius percussione apertum est mare, per quod filij Israel in terram promissionis transierunt. Vide hic Helisæū cum ligno ad quærendum securim, quæ in imo demersa erat, vt in hoc salutifero ligno Christus suscitaret genus humanum in imo iacens. Hic adimpletū cernimus illud, quod olim prædixerat Esaias. Principatum eius super humerum eius. Eduxerunt autem illum extra ciuitatem, quorum enim animalium sanguis inferebatur in sancta sanctorum horū corpora educebantur extra castra, cum cremabantur, & immolabantur. Sic Christus extra castra passus est, & immolatus pro nobis, vt nos Deo conciliaret. Baiulans verò crucem, per hoc inducit ad sui sequelam sicut antea dixit. Si quis vult venire post me abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. Si verus Christi imitator seipsum abneget, crucem suam tollendo & extra castra secum improperia eius portando, tanquam purgamenti in huius mundi factus, semper mortificationem Iesu in corpore suo circumferat, vt & vita Iesu in corpore suo tandem manifesta fiat. *Et cum ducerent eū apprehenderunt Simonem quendam Cirenensem venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum.*

Leuit. 16
Gen. 4
Genes. 22
Exod. 14
4. Reg. 6
Esai. 9
Leuit. 8
Matth. 16
Hebr. 13
1. Cor. 4

Lento gradu incedente Christo, imponunt crucem Simoni, qui de Cirene ciuitate Libyæ erat, & pater Alexandri, & Russi. Hoc fecerunt nō ex cōpassione: sed timentes ne Pilatus sententiam reuocaret, quia voluntatem dimittendi eum ostenderat, & timebant ne antequam crucifigeretur, reuocaret sententiam. Ideo mortem Christi accelerare volentes hunc Simonem angariauerunt, vel etiā quia isti Iudæi volebant, vt Christus non solum moreretur: sed, vt moreretur morte maledicta crucis, nam maledictus erat secundum legem qui suspendebatur in ligno: timentes verò ne sic fatigatus pondere crucis post flagella & vulnera in via deficeret, accelerare voluerunt crucifixionem, vt sic ignominiosius moreretur.

Vale Chrysost. citatum in Catena à S. Tho. super illud.
Tradidit voluntati.
Deut. 21

¶ Expende etiam quod Pilati domus à Caluario monte distat mille octingentos septuaginta duob. passibus, vt videas quàm longa via Christus Dominus cruce onustus incessit, post tot præcipue labores, & angustias.

¶ Præterea hæc Beati Lucæ verba dupliciter solent exponi. Vno modo vt illa particula, post, dicat posterioritaten temporis: & iste intellectus est magis cōmunis: ita vt deposita cruce de humeris Christi postmodum Simon portauerit eam solus. Alio modo vt dicat posterioritatem loci: ita quod Christus præcesserit portando crucem in parte anteriori, & Simon sit subsequutus portando partem posteriorem, quia solus non poterat portare: ita quod ambo portabant, Simon adiuuando, & simul cum Christo post ipsum portanda: & hic secundus sensus mihi melior & verior videtur, & literæ magis cōsonans beati Lucæ, & in antiquis picturis ita depingitur, Simon hic eādem crucem simul cū Christo portando. Sequitur. *Sequebatur autem eum multa turba populi: & mulierum, quæ plangebant eum & lamentabantur eum.* Non dubium quin ibi fuerint viri flētes: quia credibile est ibi fuisse Ioseph ab Arimathia, Gamalielem & Nicodemum: sed quia fœmineus sexus tanquam contemptibilior liberius poterat principibus sacerdotum præsentibus, quid cōtra eorum malitiam senserit ostentare: ideo præcipuè dicuntur mulieres hic fleuisse. Quadruplex autem turba eum sequebatur. Prima carnificum quæ eum trahebant, & premebant. Secunda Iudæorum, quæ eum irridebant. Tertia eorum, qui ad videndū spectaculum veniebant. Quarta amicorum, qui anxiè lugebant. Tu etiamsi Christi passionē non doles, nec luges, sed in hac vita dies trāsis risu, deliciisque, signum maximum est, quòd non es de turba amicorum Christi: qui quidem vnà cum deuotis mulieribus lamentabantur, & sequebantur lugentes. Sed quia nouit Dominus qui sunt eius, prætermissa furentis populi turba, ad amantes & plangentes se fœminas, oculos & ora cōuertit: quia suos libenter respicit Dominus, & dixit eis. *Filiæ Hierusalem nolite flere super me.* Nunc lamentamini me, moriturum, cuius cito resurrectio soluere mortē potest:

Aug. lib. 3. de consensu Euang. c. 10
Vide Amb. li. 10. in Luc. c. de cruce portat.
Beda vt supra. c. 93
Beda vt supra.

cuius mors, omnémque mortem & ipsum mortis autorem destruet. Non enim oportet flere eum, qui propria patitur sponte: sed magis ei applaudere, nā mors mea vita est. Non oportet mortem iustorum flere, quia isti mutantur in melius, & ab hoc exilio in patriam morte interueniente transeunt.

Luc.8 Beda c.93. in Lucam. ¶ Aduerte quòd cum filias Hierusalem appellat, significatur quòd non solum mulieres de Galilæa eum sequutę sunt, sed etiam aliæ mulieres eiusdem vrbis eum sequutæ sunt, & ei adhæserunt. Præterea istæ mulieres typum gerebant eorum qui aliorum compatiūtur & miserentur sed non sibi, aliorumque peccata deplorant & accusant, sed de suis moribus non curant: contra quod dicitur in Ecclesiastico, Miserere animæ tuæ, placens Deo. Non ergo prohibet Dominus compaßionem: sed prædicit aliam luctus causam. Ideo subiungitur. Eccles.30

Sed super vos ipsas flete & super filios vestros.

Hoc dicit propter miseriam, quæ erat ventura à Romanis in obsidione & vastatione Hierusalem. Super vos & super filios vestros flete, & super imminenti excidio vrbis & gentis vestræ: vósque ipsas & vestram progeniem dignis lachrymarum fletib. abluite, ne vltione meæ mortis damnemini, etiam cum perfidis.

Beda vt sup. *Quoniam ecce dies venient.* Scilicet quadragesimo anno post meam paßionem.

In quibus dicent. Præ angustia & dolore maximo & amaritudine cordis gemētes & vlulātes, *Beatæ steriles, & vētres q̄ nō genuerūt, & vbera, quæ nō lactauerūt.*

Quia agiliores ad fugiendum quā grauidæ, & etiam quia pro se solùm erūt anxiæ, & nō pro filiis: nā matres duplici dolore concutientur: vno ex partu sua, alio ex dolore filiorū. Nam vastatione Hierusalem matres filios iugulabant & comedebant. Ideo illæ, quæ filios non habebant aut nutriebant beatæ erant præ illis.

Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus operite nos. Quia multi tunc dicent, Vtinam montes caderent super nos, & colles operirēt nos. His verbis explicat Christus mala, quæ vētura sunt super Iudæam & Hierusalem in vltionem mortis suæ, quæ erit talis, qualis nunquam fuit tribulatio ex qua homines esse cœperunt.

Greg.12.moral.ca.4.& Theop. in hoc loco. *Quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Nam si Christo omniū virtutū authore tot tormēta inferūt: in peccatore ab omni humore gratiæ destituto & arefacto, quid fiet? Certè grauius punietur. Quasi omnibus diceret. Si ego qui peccatū non feci & fructuosus sum sine igne paßionis de mundo non exeo: quæ tormenta manent peccatoribus, & impiis, qui fructib. sunt vacui? Christus hîc dicitur lignum viride faciens fructum & per consequens indignum abscißione per mortem. Viride etiam lignum & fructiferum sunt iusti & electi, sed aridū & infructiferum sunt peccatores & impij.

¶ Vide tu qui peccata multa contra Deum fecisti, & modo nihil pateris aduersi, aut infirmitatis vel tribulationis: quantum æterna tormenta timere debeas. Putant enim mali quod flagella, ignes, carceres, exilia, & horū similia, q̄ non propter ipsos facta sint, sed pro bonis & iustis: quia has pœnas tātū in bonis vidēt, & quòd ipsi immunes erūt. Sed fallūtur nimis, nam pœnæ propter culpam factæ sunt: & propriæ malorum sunt, & non bonorum. Quod si viderint bonos hic pati, iustos affligi, & audierint Stephanum lapidatum, Laurentium crematum, Sebastianum sagittis confossum: reliquos Dei amicos diuersis suppliciis, & tormentis interemptos, denique ipsum dominū, ac redemptorem nostrum crucis patibulum subire: doleant ipsi peccatores, & timeant, quam graue tormentum, suppliciúmque illis paratum sit, qui quotidie peccant: cum talia passi sunt innocentes, & Dei amici. Ideo apud Ieremiā habetur. Ecce quibus non erat iudicium, vt biberēt calicem, libenter bibent: & tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes. Certè domine Iesu verū est: quia si tu arbor sancta, lignū vitæ fructuosum & benedictum, tanta pateris, & ramis tuis spoliaris: quid erit de nobis miseris, qui sumus lignum infructuosum & siccum: aptum pro igne & gehēnæ incēdiis? Si ergo incipit iudiciū de domo Dei, & omnes qui piè viuere volūt in Christo persequutionem patiuntur: quis finis eorū qui non credunt euangelio, & impiè viuunt? Cruciatus æternos, in quibus mali in perpetuū detinēdi sunt. Nā huius vitæ tribulationes, deliciæ certè sunt: quibus Deus amicos suos afficit. Illi inquā tibi timorē debent incutere: nā quæ hîc mala patimur, malorum nomen non merentur, siquidem adeo momentanea sunt, vt simul cum breuitate vitæ finiantur. Igitur ex his omnib. vt concludam, considerare debes quanta passuri sunt illi, quos Deus reprobat, si tanta paßi sunt, quos amat. *Ducebātur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur.* Hoc procuratū est per Iudæorum principes, vt Christus infamaretur societate latronum, & à vulgaribus, videretur in criminib. eorum participasse: & sic viderētur mortem eorum iustè procurasse. Hic adimpletum esse cernimus quod Esaias dixerat: Et cum iniquis reputatus est. Aduerte autem quod Christus redemptor noster cum captus fuit in horto dixit Iudæis. Tanquā ad latronem existis cum gladiis cōprehendere me. Propterea Christus cōqueritur, quod iam quod ipsum comprehendere vellent, ne vt latronibus cum eo tunc se haberent: quia enim vir maximi nominis habebatur, hoc multum dedecus sensit. Et quoniam ad eorum animos peruenerat Christum hoc supra modum vexasse, ad parte plus læsam iacula mittere statuerūt. Et ideo inter duos latrones eum crucifigi fecerunt: quasi dicerent. Qui ægrè tulit, vt latro comprehendi, acrius feret se inter latrones crucifixum videre. *Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluaria, ibi crucifixerūt eum: & latrones, vnum à dextris, alterum à sinistris.* Præcone clamante, vituperabiliter ductus extra portā Hierusalem, peruenit ad locum Caluariæ vtique fœtidum, Hebraicæ Golgotha dictum: vbi malefactores puniebātur. Idcirco dominus Iesus, pro omnium salute in loco peccatorum est passus, vt ostēderetur pati pro peccatorib. & vbi prius erat area damnatorum, ibi erigeretur vexillum martyrum, vt vbi abūdauit peccātum, superabundaret gratia Dei: & in hoc ostēderetur quòd per tolerantiam supplicij peruenitur ad coronam martyrij. Et sic patet mortis Christi turpitudo ex conditione loci: quia passus est in loco, vbi puniebātur malefactores, & rei. Patet etiam ex modo mortis: quia crucifixio erat turpißimum genus mortis. Ex ratione societatis: quia inter duos malefactores quasi noxius est crucifixus. Et fuit turpis, ratione temporis: nam fuit in die primo Paschæ solenni, vbi plurimæ erant nationes: & cōuenerant ex omnib. Iudææ locis ad celebrādum Pascha in Hierusalem ad sanctum Dei templum: & sic fuit multum

Vide Bedā c.93. in Lucam.

Iere.49.

1.Ti.4

Theop. in hæc verba.

Esaias 53

Rom.5

cum infamatus,& per consequens maior fuit dolor tantam crudelitatem & afflictionem tali tempore sustinere.

Christus quare extra vrbem passus. ¶ Præterea extra portam passus est ciuitatis. Primò vt ostenderet virtutem passionis suæ nō esse includendam intra terminos Iudaicæ gentis. Secundò vt ostenderet quòd quicunque consequi volunt passionis fructum, debent exire mundum: saltem per affectum. Rursus in medio terræ habitabilis salutem operatus est, vt omnibus esset æqualis: non enim acceptor personarum est Deus. *Psal.57 Psal.10* Item sanctificauerat Christus terram, pedibus sanctissimis suis eam conculcando: aquam super eam ambulando: & ignem, quia sanctificandus erat in specie eius spiritum paracletū mittendo discipulis: *Act.2* sed nunc aërem sanctificat in aëre eleuatus, vbi mori dignatus est. Secundò in aëre etiam mori voluit, quia commune est elementum:& sic mors eius pro omnibus æqualiter offerebatur:ex parte sua, quo ad sufficiētiam. Cætera enim elementa suos dominos habēt, ita quod terra vnius, non sit alterius:nec fluuius vnius,aut ignis, non sit alterius:sed aër omnium est, & tantum habet aëris pauper sicut diues, agricola sicut literatus. Sic etiam Christi passio,pro omnib. fuit. Nudus etiam crucifigitur, vt videas quanto igne charitatis & dilectionis ardet:qui vestes in hyeme habere non potest.

¶ In monte crucifigi voluit:quia apud antiquos mos erat pro reformanda pace inter aliquos potentes, quòd ipsi montem aliquem ascendebant & ibi ducebatur agnus, cuius sanguis fundebatur: in signum quòd sic fieret frangenti fidem. Magni domini & potentes fuerunt Deus & homo, inter quos fuit contentio & bellum:sed tandem reformata est pax:pro cuius reformatione ductus est in montem agnus immaculatus, vbi fusus est eius sanguis in signum quod grauis iustitia facienda est de illis, qui hanc pacem per peccatum confringunt.

Manus Christi quare extēta. ¶ Hac morte crucifixionis voluit mori extensus in cruce apertis manibus, vt tibi regnum cœlorum concederet, vlnis explicitis, vt te amplecteretur, & ad suam amicitiam reuocaret: quantumuis peccator fueris, latere perforato, vt te in visceribus, & corde conderet: & cum spiritum emittit caput inclinat, quasi signum faciens vocationis, vt ad eum te conferre properes. Denique pedes habet affixos: nam ire ad sumendum de tuis iniquitatibus supplicium renuit.

¶ Cōsidera nunc quomodo suis vestibus nudatur,& super lignum crucis, quod in terra positum erat dirè proiectus & strictissimè in modū pellis hinc inde est extensus. Foramina priùs fecerunt in cruce:quia brachia,& pedes Christi non poterant foramina attingere, ideo ligatis funibus in manibus & pedibus tantum traxerunt & dulces manus, & pedes, ita atrociter extenderunt, quod omnes iuncturæ ossium dinumerari poterant, iuxta illud Psalmi, Dinumerauerunt omnia ossa mea: quia dinumerabilia ea fecerunt. Hæc autem extensio nimis acerba fuit:& maximā pœnam Christo intulit. Hic etiam adimpletum cernimus illud Psalmi. *Psal.21* Foderunt manus meas & pedes meos. Extensis ergo neruis,& venis,ac portentis iuncturis violenta extensione, affixus est cruci in manib. & pedibus durissimè perforatis & sauciatis:cum clauis magnis & durissimis, cutem,carnem,neruos,& venas,ac compages ossiū dissipantibus. Quorum stimulis excita & tu manus & pedes tuos ad omne opus bonum:quia enim primus homo ad lignum præuaricationis manibus ex tendendo,& pedibus accedendo chirographū damnationis nostræ diabolo confecerat: *Gen.3* ideò Saluator noster vt chirographum illud deleret, manibus, & pedib. ligno salutifero crucis affigi voluit,clauis inuictissimæ charitatis,delens per hoc chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci. *Colo.2* O, quàm libēter crucem ascēdit,& quanto amore omnia pro nobis sustulit. O,quantæ voces,ac tristes vlulatus, & gemitus, ibi ab amicis suis & præcipuè à matre sua mæstissima audiuntur, cùm sic crudeliter extenditur, clauatur,& foditur,& toto corpore dissipatur. Cū ergo crucifixio facta esset cruce in terra iacēte,post hæc Christum crucifixum leuauerunt cum cruce, quæ quidem eleuatio non dubiū quin maximi doloris fuerit,eo quod tunc lacerabātur vulnera manuū & pedū, ex ponderositate corporis, profluxeruntque copiosi riui sanguinis vndique ex illis magnis scissuris,& fontibus Saluatoris. Hic siste tu quisquis es,Christi sanguine redemptus. *Figura Christi crucifixi.* Ecce Abel occisus à fratre, ecce Isaac ligatus à patre, ecce serpens æneus exaltatus in deserto à Mose, ecce scala Iacob,quæ cœlum tangebat, per quam ascendere nos oportet in cœlū,& Dominus Iesus innixus scalæ. *Gen.4 Genes.22 Num.21 Genes.28* Ecce Deus occisus ab homine, & Iesus crucifixus in carne,ecce Rex tuus suspēsus in cruce,& Dominus tuus condemnatus morte,& homo mitis,innocēsq; proprio inuolutus sanguine. Claui ferri sustinent totū pōdus totius corporis eius. Dolores acerrimos tolerat,& vltra quā dici vel cogitari possit affligitur. Vide quanto dolore & labore Dominus stat in cruce, & nō tædeat te in seruitio suo stare. Stat nudus corpore,sed vestitus amore, & amoris calore inflammatus. Fixis ergo in illa vulnera oculis, interna pietate considera illud corpus tenerū corpus illud innocens,corpus immaculatum, graui crucis extensione grauiter laceratum. Attende & vide si est dolor sicut dolor eius. *Thren.1 Esai.53* Sed vide quomodo agnus innocens qui non aperuit os suum ductus ad victimam,nouissimè verbum benedictionis quale à sæculo non est auditum super inimicos effudit. Arrige aures,& audi sequentia.

Iesus autem dicebat, Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.

Christi erga inimicos & peccatores patientia. O verbum magnæ patientiæ, magnæ dulcedinis, amoris & ineffabilis charitatis. O dulcissimum pectus,non suam attendit iniuriam, non pœnā reputat, non sentit contumelias, non obliuiscitur misereri Deus, sed eorum, potius à quibus vulneratur ipse medetur, & vitam procurat à quibus occiditur, orat pro eis nec vltionem appetit. Quid hoc verbo mansuetius? Quid benignius audiri potuit? Cur ergo formica, festuca, puluis, & cinis, vindictam expetis, & remissionem protrahis, cū videas Regem gloriæ remittentem contumelias? Iam hic vide summum Pontificem Aaron inter mortuos,& viuentes pro populo interpellātem, & plaga cessauit. *Num.16 Psal.109* Sic summus sacerdos Christus secundum ordinem Melchisedech positus inter Deū, & homines, pro peccatoribus orat,& dicit, dimitte illis,&c. In cuius persona egregius Psaltes ait, Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. *Psal.108 Iob 16* Iob quoque ait, Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas apud Deum preces. Sed quid tibi & crucifigentibus te Domine Ie-

Ioan.9 *Esa.59* su, vt pro eis dicas. Pater ignosce? Scit enim iustitia tua quia peccatores non exaudis, ergo maxima iniquitas maximè claudit aditũ ad aures paternæ pietatis. Quod autem peccatum maius, quàm innocẽtissimum Dei filium occidere, post tot mirabilia, & tu nihilominus clamas Pater ignosce? Præterea accusant te summi sacerdotes, deponunt cõtra innocentiam tuam falsi testes, flagellaris, iniquè iudicaris, scelle potaris: & tu innocens cum Patre tuo tractas de eorum salute, Pater ignosce? Et vltra *Gen.4* nonne sanguis Abel vindictam clamat de terra non misericordiam? cum ergo multo maius fuerit peccatum hoc quàm illud: videtur quod vindicare deberetas, non tantum misereri? *Exod.21* *Matth.5* Item lex clamat oculum pro oculo, dentem pro dẽte: & ecce quasi præuaricator legis tu pro occidentibus clamas, Pater ignosce? Si proprio filio non pepercit innocenti: quomodo parcet tantæ impietati? Quomodo igitur à Patre petis, pater ignosce illis? Mirabilis res si bene perspexeris. *Psal.54* Molliti sunt sermones eius, scilicet Christi super oleum: hoc est super omnem misericordiam, & tamen ipsi ei sunt iacula mortis. Rursus si sic condonas inimicis tuis, si sic pro eis ex corde patrem efflagitas: quid Domine Iesu amplius facturus es amicis tuis? Sed quãuis hæc ita esse videãtur, non mireris quòd patrem oras: quia maior est misericordia crucifixi: quàm iniquitas crucifigentium. *Psal.62* Melior est misericordia eius super vitas: etiã si mille ei auferantur. Quòd si volueris testimonium, *Rom.5* audi Apostolum. Sed non sicut delictum ita & donum. plus enim potest salus, quã perditio, vita quã mors, gratia quàm peccatum: vt vbi abũdauit delictum superabundet & gratia. Quod si fel ei dederunt: quid parum fellis immixtum immenso dolio mellis? Nonne fel absorbebit, & totũ fel in mellis dulcedinem conuertet? Quid ergo miraris si se cõtinere non possit fons misericordiæ, si ex abundantia calcatã dissoluat & effluat super inimicos suos? Allegas legem Talionis, & non audis Apostolũ dicentem: Neminem ad perfectum adduxit lex? Dicis sanguinem Abel clamare vindictam, & non audis *Hebr.7* *Gen.4* Apostolum dicentẽ sanguinem Christi melius clamare quã Abel: quia sanguis illius vindictã, Christi autem sanguis misericordiam requirit? Et si peccatum crucifigentium fuit maximum: nonne didicisti *Psa.41.* quod abyssus miseriarũ inuocet abyssum misericordiarum: & vbi maior est miseria, maiori opus *Psal.41* est misericordia? Denique miraris si sic ex affectu indulget inimicis, quid amplius sit facturus amicis? Sed certè fons abyssalis olim signatus, nũc apertus patet, amicis, & inimicis, vt inde hauriant, de inimicis amicos facit, & vult huic nouissimo dare sicut tibi. Ideò ait, pater ignosce illis.

¶ Magis Christus peccata hominũ dolebat, quã pœnas quibus torquebatur: nam vulnus quod aliquis vulneratus præ cæteris sentit, de illo cõqueritur primò, illúdque primum sanari desiderat, postulatque Sed primum verbum quod Christus dicit in cruce, est dolor de peccatis hominum quib. peccatis facere medicinam desiderat: igitur magis de nostris peccatis dolet. Secundò maius malum maiori dolore prosequendum est: cùm autem culpa sit maius malum quàm pœna quæcunque, maiori dolore culpa sentiẽda est: ideo Christus prius de culpa peccatorum conqueritur, quàm de pœna, quam patitur. Sed verba orationis expendamus.

¶ Primò paternum allegauit affectũ: cum enim omnium generalem patrem appellat, cum enim in horto oraret dixit pater mi: nũc verò ignosce illis. Ac si diceret. Non sicut olim te Deum vltionum, & dominum exercituum appello, sed patrẽ pietatis, & misericordiæ: cui proprium est misereri semper, & parcere, *Psal.93* pater enim illorum tu es: ideo eorũ oportet misereri. Secũdò allegat suæ voluntatis cõformitatem ad patrem cũ dicit, ignosce illis. Ad eius tendit affectus quòd cum lachrymis, & clamore rogat. Ac si diceret patri, pater ego & tu vnum sumus, vna voluntas, & vna bonitas, iam quod in me perpetrant eis indulgeo, quapropter pater indulge illis. *Ioan.10* Aduerte quòd non dicit, ego condono illis aut ignosco, ne aliquis in suum animũ induceret Christum, eos tanquam infestos sibi, & inimicos habere: nam quamuis ipsi erant inimici crudeles, non erat opus, vt Christus eis ignosceret, quandoquidem iã ignouerat. Quod quidẽ apertè ostendebat per hoc quod vt verus amicus pro ipsis orabat. Ideo à patre postulat, vt cõdonet sicut ipse iam cõdonauit. Tertiò allegat eorum ignorantiam, quia nesciunt quid cogitauerunt contra me: nesciunt inquam quid faciunt, ideo pater indulge illis.

¶ Sed dubium hîc oritur, an hæc Christi oratio fuerit à patre exaudita: nã videmus quòd multi ex persequutoribus Christi manserunt in infidelitate sua, & finaliter fuerunt damnati. Dicendum quòd Christi oratio fuit exaudita pro omnib. pro quibus orauit, non tamen orauit pro omnib crucifixorib. *Vide Beda c. 94. in Lucã.* suis vt fuerunt hi qui propter inuidiam, & superbiã scientes illum Messiam & filium Dei, negãtes crucifixerunt eum: vt fuerunt Caiphas, ac scribæ in lege doctissimi, summíque sacerdotes, qui ex malitia peccabant. Sed pro illis orauit, qui ex ignorãtia zelum Dei habentes, sed non secundum scientiã, *Rom.10* nescierunt qui fecerunt: ideo in oratione addidit, quia nesciunt quid faciunt. Erant enim ibi multi simplices, & illiterati de turba, qui seducti à sacerdotibus *Act.2.&4* Iudæorum persequebantur Christum zelo legis: & pro istis orauit Christus, & nõ frustra: quia vno die ex istis conuersi sunt tria millia, alio die quinque millia: & vt infrà euangelista noster Lucas ait cum Christus expirauit, multi hoc videntes, reuertebantur percutientes pectora sua.

¶ Docemur hîc primò vt cum aliorũ mala narramus nunquam ipsa aggrauemus, exemplo Christi qui peccatum tam grande excusat apud Patrem. Contra autẽ multi faciunt sua scelera minima, peccata autem aliorum aggrauãt, sic accusati possunt dicere illud psalmi. *Psal.118* Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores: & prolongauerunt iniquitatem *Iob.16* suam. Iob quoque ait. Ostendam vos fabricatores *Zach.5* mendacij. Talentum plumbi ponitur super ollam in qua erat iniquitas.

¶ Secundo iniurias nobis factas, propter nomen Christi cito remittere, & vltionem pro eis non expectare contra multos, qui odia sua tenent in mente, similes cani, qui cum non potest lædentem se mordere, lapidem sibi proiectum conatur dentibus rodere, & portare. Vox enim carnificum est, sicut peccauit sic puniatur: vox christianorum, sicut cecidit, sic releuetur, sicut dolet, sic curetur.

¶ Tertiò quòd nemo desperare debet de salute sua quandiu viator est, quantumcunque graue peccatum commiserit, siquidem nunc videt dominum orantem pro suis persequutoribus. Quid enim, cõuerso, & contrito, non ignoscetur, si sanguis Christi

fusus

ignoſcitur?Quis homicida deſperet, ſi in ſpé venit à quo etiã Deus occiſus eſt? ¶ Quartò quod in nobis Chriſti exemplo, ſic debet charitas abundare, vt inimicos diligamus: & pro ipſis oremus ſicut & Chriſtus orauit.Emolliatur ergo cor noſtrum,iux- *Pſal.94* ta illud prophetæ, Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Chriſtus enim flagellis cæſus,ſpinis coronatus, clauis confoſſus, affixus patibulo,opprobriis ſatiatus, omnium tamen *Ioan.19* dolorũ immemor, ignoſce ait illis. Sed ad contextum *Diuidentes vero veſtimenta eius miſerunt ſortes.* Sorté miſerunt ſuper illã tunicam quæ inconſutilis erat:& deſuper contexta per totũ. Et ideo ne ſcinderetur ad vnum eã integram peruenire ſorte maluerũt,alia autem veſtiméta inter ſe diuiſerũt:quòd *Pſal.21* olim eximius prophetarum Dauid prædixerat in Pſalmo.Partiti ſunt veſtimenta mea: & ſuper veſté meã miſerũt ſortem. Ex quo apparet Chriſti paſſionis ignominia,eo ꝙ nudum eũ crucifixerunt, ꝙ nõ fit niſi vilibus perſonis. Oſtéditur etiã crucifigẽtium auaritia,quia veſtes Chriſti quãuis parũ valerent: omnes tamen ſibi rapuerunt. *Vide Ambr. lib.10 in Luc.* ¶ Voluit autem Dominus ſic nudari, vt veſtiret nos veſte immortalitatis in gloria cœleſti:nã ſicut Ionathas dedit Da- *1.Reg.18* uid veſtimenta ſua vſq; ad baltheum in ſignũ amoris, ſic Chriſtus vt oſtenderet charitatis ardorem ſpoliari non dedignatur, vt nos dilectiſsimos ſuos ſtola gloriæ veſtiret. *Stabat populus expectãs & deridebant eum principes cum eis dicentes, Alios ſaluos fecit,ſe ſaluũ faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus.* Illuſus fuit Chriſtus in domo Caiphæ,in domo Herodis,in domo Pilati à militibus Romanis: & nunc in cruce à *Eſaie 1* turbis, principibus, & militibus:vnde dicere poterat. Filios enutriui & exaltaui, illi auté ſpreuerunt *2.Reg.16* me. Sicut enim illa Michol quia Dauid nudus ſaltabat corã arca Domini in ſpiritu & humilitate, & illa illudebat ei:ſic hæc maledicta ſynagoga, Chriſtum nudũ illudit in ſua humilitate. Hæc enim eſt illa mulier Iob, qui cũ nudus plenus vlceribus eſſet ſubſannabat dicẽs,Adhuc permanes in ſimplicitate tua? &c.Sic hęc Chriſtũ ſubſannabat. Saluum *Iob.2* fac temetipſum.Sed quid Iob?Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc in cruce affixus. ¶Præterea ſenſerat diabolus crucis virtuté, *Matth.4* & poſitus in linguis iſtorũ, ſicut in deſerto Domino dixerat,Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiãt:ita & nunc ait,ſe ſaluũ faciat ſi hic eſt Chriſtus Dei electus.Iam quidẽ dæmoné pœnitebat crucem elegiſſe. Intellexit enim fractas eſſe vires ſuas: & hoc agit, vt de cruce deſcendat ne faceret ſalutem quam inchoarat.Cõſidera modo quid in aliorũ exitu dæmon facit: qui contra ipſum mundi Saluatoré & dominũ venire præſumpſit.In cruce ergo tanquã in muſcipula captus eſt diabolus & victus,muſcipula enim diaboli crux Chriſti fuit & eſca, qua caperetur,mors Domini. *Item illudebant ei & milites accedentes,& acetũ offerentes ei,& dicentes, Si tu es Rex Iudæorũ ſaluum te fac.* Nullus mortalium adeo deriſus eſt,ſicut Chriſtus. Deridebat enim eũ populus qui aderat:deridebant eũ principes, qui facinus perpetrarunt:milites,qui crucifixerant,& prætereuntes per viam,& latrones qui cũ eo erant crucifixi. Im- *Pſal.21* pletam cernimus prophetiam, quæ ait, Omnes vidẽtes me deriſerunt me. Et illud, Ego ſum vermis & nõ homo,opprobriũ hominũ & abiectio plebis. *Eſaie 53* Et alibi. Deſiderauimus eũ deſpectũ& nouiſſimũ virorũ.Et rurſus.Quaſi abſcõditus vultus eius, vnde nec reputauimus eũ.Et in Pſal.Ego ſum factus op- *Pſal.108* probrium illis:viderunt me,& mouerũt capita ſua. Et illud,Propter te obtinui opprobriũ:operuit cõ- *Pſal.68* fuſio faciẽ meam. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.Iam hic vide *Iud.16* Samſoné,in ludibriũ infidelium adductũ. Vides Se *2.Reg.16* mei ſanctum Regé Dauid exprobrãtem,& maledicentem:poſtquã à filio eius eſt eiectus à Hieruſalẽ. Vide Patriarchã Noë nudatũ iacere in tabernaculo *Geneſ.9* ſuo:& à filio deriſum. Sed ſi Chã deridebat illum, filij boni venerabantur.Sic ſanè quẽ impij Hebræi & gẽtiles derident, nos veneremur proni adorantes. ¶ Sed putas ꝙ tantũ tunc eſt Chriſtus deriſus? A quo nunc Chriſtus crucifixus nõ irridetur? Quis nunc amat iniurias,opprobria, tormenta, & crucẽ? Chriſtũ adoramus glorioſum: quẽ contẽnimus, & irridemus crucifixũ. Vbi eſt qui nunc cũ Paulo di- *Galat.6* cat.Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti? Illudebãt itaque iſti milites cũ aliis:& accedentes offerebant acetũ. Accedebãt iſti corpore,ſed lõge erant mente. Miſeri & cæci debẽt ſupplicare. Saluos fac nos qui indigemus, & non ſaluum te fac:cũ ipſe eſſet ipſa ſalus.Sed Dominus Ieſus nõ acquieuit,docẽs nos in tribulatione habere perſeuerantiã. ¶ At vt Iudæis nõ ſuffecit,ꝙ Chriſtũ crucifigerent: ſed etiã crucifixũ eum diuerſimodè deriſerunt.Ita & multis nõ ſufficit Chriſtũ crucifigere nunc peccando,ſed etiã deridẽt crucifixum peccata iterãdo,vel de peccatis ſe iactando. Magna iniquitas fuit deridere ſic afflictum.In Eccleſiaſtico enim habetur. Ne irrideas hominem in amaritudi- *Eccle.7* ne animæ ſuæ. Sicut enim Noë quem nudatum, & *Geneſ.9* inebriatum deriſit iunior filius,propter quod maledictus eſt:ſic Chriſtũ in cruce nudatũ, & vino charitatis inebriatũ,irriſit Iudaicus populus:propter ꝙ in toto mundo eſt maledictus, & ſterilis, & filiorũ ſpirituali procreatione omnino caret, ſicut Michol *2.Reg.6* quia Dauid deriſit. Admonet locus iſte ꝙ quando fuerimus in ſublimi contemplationis, vel ſacræ actionis aut ſanctæ religionis poſiti non debemus ad verba ſubſannantium deſcendere, nec ad mundanas occupationes: ſed potius ſuſtinere peruerſorum ſubſannationes:ſicut Chriſtus ad Iudæorũ inſultationé,& tẽtationé,exprobrationé de cruce deſcendere noluit,ſed ibi vſque ad mortem perſeuerauit. Vnde dicebat viris, Nunquid poſſum deſerere vinũ meum ꝙ lætificat Deum,& homines, & inter *Iudith 9* cætera ligna promoueri?Sed multi pro minima cõtumelia deſcẽdunt de cruce patientiæ, alij de crucæ pœnitentiæ. Secundò ne acquieſcamus diaboli ſuggeſtionibus.Multis ſuadet diabolus per ſua mẽbra:vt deſcendant de cruce pœnitentiæ vel religionis,vel boni propoſiti: & conſentiunt ſuggeſtioni. Multos enim videmus qui in ſancto die paraſceues cũ Chriſto domino crucé aſcẽdunt:ſed in ipſo ſancto die paſchæ ab ea per infirmitatem, vel per malã conſuetudinem deſcendunt. ¶Tertiò quòd illi, qui cruci pœnitentiæ,inſeruiunt, aut qui bene operantur in lege Dei, ne propterea deſiſtant, aut deſperent. ¶ Aduertendum quoque hic eſt,quòd iſti irriſores acetũ Chriſto offerebant, & dabant ei bibere, vt hic Lucas noſter narrat. Dixerat enim Chriſtus quòd ſitiebat hominum ſaluté, dicens, ſitio:& illi *Ioan.19* ſpongiam aceto plenam mixtam cum felle circumponentes obtulerunt ori eius. Cogita crudelitatem eorũ qui aſſiſtebãt.Acetum offerunt vt in omnibus ſenſibus ipſum amaritudine replerent. Iam enim

velatus fuerat oculis, contra ligni vetiti procacem
visioné. Iam maxillas eius pugnis attriuerant, con-
tra pomi vetiti masticationem. Iam collum eius
alapis cęciderant, contra cibi vetiti tractionem, so-
lū restabat os, & nares affligere, & ideo nares Chri
sti affligebāt aceti odore, & os affligebant eius a-
maritudine. *Erat autē & superscriptio scripta super eū
literis græcis, latinis, & hebraicis: Hic est Rex Iudæorum.*
Hūc titulū scripsit Pilatus, in quo exprimitur cau-
sa mortis eius, quasi dicat. Ideo crucifixus est, quia
erat Rex Iudæorū. Mos enim erat Romanorū super
lignum crucis ponere causam mortis crucifixorū.
Ipse autem accusatus fuerat quòd sibi regnum Iu-
dæorum vsurpare volebat. Pro hac enim causa Iu-
dæi eum Pilato tradiderunt, & Pilatus cum morte
damnauerat crucis. Et quia Iudæi contra volunta-
tem Pilati petierunt Christum ad crucifigendum
volens se vindicare de eis per talem modum, ideo
scripsit titulum, vt redundaret in verecundiam ip-
sorum. Scripsit autem titulum illum non in vna
lingua, sed in tribus famosis linguis: scilicet, He-
braicè, Grecè, & Latinè, & in qualibet lingua inte-
grè: vt diuersarum linguarum homines qui ad Dei
Philip.3 festum conuenerant legere, & intelligere possent
causam mortis, & vt omnis lingua cōfiteretur quòd
dominus Iesus Christus est Rex regū, & dominus
dominantium in gloria Dei patris: & vt omnis lin-
gua commemoraret perfidiam Iudæorum, & ad o-
stendendum ipsum pati pro populo omnis linguæ,
& eis dominari in perpetuū. Sequitur. *Vnus autem
de his, qui pendebant latronibus blasphemabat eū dicens.
Si tu es Christus, saluum fac temetipsum & nos.* Id est
salutem corporalem nobis tribuendo, & à morte
liberando: non enim curabat de animæ salute, sed
corporis: & hanc etiam salutem deridendo & blas-
phemando dicebat. Sed dubium hîc maximum ori-
Matth.27 ri videtur: nam Matthæus dicit, q latrones qui cru-
Mar.15 cifixi erant cū eo, improperabant ei, & Marcus di-
cit, qui crucifixi erant cum eo conuiciabantur ei?
Sed quomodo ait Lucas q vnus tantum deridebat
Aug lib.3. de consen euāg. ca.15. eum? Ad hæc diuus Augustinus optime respondet,
q Matthæus, & Marcus pluralem numerū pro sin-
Hebr.11 gulari posuerūt, vt sæpè cōtingit in scriptura. Vnde
Paulus cum ait, concluserunt ora leonum, de solo
Daniele intelligit: & secti sunt, de solo Esaia intel-
Psal.2 ligit. Et in Psalmo. Astiterūt reges terræ, & princi-
pes conuenerunt in vnum, pluralem numerum po-
suit pro singulari, vt in actis Apostolorum exponi-
Act.4 tur. Nam reges propter Herodem, principes pro-
pter Pilatum intellexerunt, qui testimonium eius-
dem Psalmi adhibuerunt. Sic etiam more loquen-
di dicimus. Hi Annibales, isti Scipiones, atque Me-
telli: cum singuli fuerint. Vsitatus est enim modus
loquendi. Quid vsitatius est quàm dicere, & rustici
mihi insultant, licet, vnus tantum insultet? Si dice-
ret Matthæus ambos latrones insultasse, cōtrarium
diceret: sed cum dicit latrones, & non dicit ambos,
potest dici quòd vnus hoc fecit vsitato loquutio-
nis modo per pluralem singularem intelligens: sic
Exod.32 etiam plurale pro singulari accipitur: vt in Exodo
Dani.3 de illo vitulo aureo dicitur. Hi sunt Dij tui Israel.
Et in Daniele, Sidrac Misac, & Abdenago Deos no
stros non colitis, dicitur pro statua aurea. Et in li-
Iudic.12 bro Iudicum habetur quòd sepultus est in vrbibus
Galaad. Id est, in vna vrbiū. Considera nunc quàm
magni despectus fuit illusio latronis: eo quòd tam
vilis & sceleratus homo, & etiam ad mortē damna-
tus, & mox pro suis sceleribus moriturus, insulta-
uit vitæ autori. Discamus Christi exemplo calum-
nias etiam à vilibus personis patienter supportare:
quandoquidē Christus talia patitur à vili latrone.
*Respondens autem alter increpabat eum dicens, Neque
tu times Deum, qui in eadem dānatione es, & nos quidem
iustè, nam digna factis recipimus, hic autem nihil mali
gessit. Et dicebat ad Iesum, Domine memento mei, dum
veneris in regnum tuum.* Duo in hoc latrone sunt
miranda. Primum quidem quàm doctè verba pro-
nunciet. Culpā enim suā agnoscit: vt in Prouerbiis Prouer.18
habetur. Iustus prior accusator est sui. Ait nanque, 2.Reg.12
Nos quidem iustè digna factis recipimus. Sic Da- 2.Reg.24
uid, bis est indulgentiam consequutus in adulterio, Luca 18
& in populi numeratione. Sic publicanus percu-
tiens pectus suum iustificatur. Alterum est, quomo-
do innocentiā Domini intrepidè confitetur dicens,
Nihil mali gessit. Omnes discipuli Domini fuge-
runt, & nullus, nec coram seruis pōtificis ausus est
confiteri se esse Christi discipulū: & tu coram prin-
cipibus, & magnis inimicis, publicè innocētiā eius
cōfiteris? Adsunt siquidem scribæ, pharisæi, & senio-
res populi. Nō vides quòd accusas principes sacer-
dotū & Pilatum? Non times Cēturionē, & milites?
Nō vides quod lanceis te possunt transfigere? Vehe-
mēter miror quomodo sis ausus illum prædicare, &
Pilatum iniustū iudicem fateri, &c. ¶ Domine, in
quit, ad Christum. Quomodo illū Dominū vocas
videns eum, nudum, cruentatum, & cruci affixū?
Sed nihil mirū. Interiori enim fide illustratus, Do-
minū cōsiderabat. Memēto mei. Quomodo credis
memorē tui esse, de quo nunc audis, alios saluos fe-
cit, seipsum autē nō potest saluare? Vbi insignia Re-
gis? Vbi purpura, & vbi aurū? Alij crediderunt vidē
tes illum mortuos suscitantē, sed tu credis vidēs il-
lum morientē. Fide Saluatorē agnoscit, spe postu-
lat regnū quod eius pœnitētia & charitas merentur.
Habuit nāq; hæc latronis cōfessio tres conditiones
veri pœnitentis. Prima est vera suorum peccatorū
confessio, qua fatetur se iustè quæ patitur meruisse:
sibi ipsi culpā nō carni, mundo, aut diabolo tribuē-
do: nā tua culpa peccas cū peccas. Secunda est om-
nis occasionis peccati remotio. Increpauit enim al-
terum, & ab eius amicitia recessit, dicens, Neque tu
times Deum, &c. Quod tu etiam fac, fugiens pecca
torum occasiones, & à peccatis. Tertiò spē & ma-
ximā habuit fiduciā veniam consequendi: quæ qui-
dem maximè peccatoribus necessaria est. Ideo dicit
Memento mei. Confidit enim per merita passionis
Christi posse saluari. Præterea, nō de regno tēporali
agebat, sed de æterno: non de præsenti, sed de futu-
ro. Item credidit Abraham Deo non in cruce posi- Genes.12
to, sed de cœlo loquenti. Credidit Esaias, sed sedēti Esaia 6
super solium excelsum: & credidit Moises, sed de
medio ignis loquenti. Iste vidit Dominum, non in
regali throno sedentē: sed in pœna sociatum latro-
nibus. Vidit in cruce pendentē, & orat quasi in cœ-
lis sedentē: vidit condemnatum, & inuocat regem.
Iudęi crucifigūt, qui nouerūt leges, & prophetas: &
tu latro vnde talia philosopharis? Magna fuit itaq;
fides, & deuotio istius latronis: atque ideo fuit abso
lutus à culpa, & à pœna totali. ¶ Docemur hîc exē-
plo huius latronis, quòd iniurias Dei nullatenus
tolerare debemus, sed reprehendere sicut fecit la-
tro iste. Secundò vt quantumcunque simus scele-
rati peccatores: de Dei tamen misericordia nulla-
tenus desperemus: exemplo istius peccatoris, qui
per

per vnum verbum factus est hæres paradisi. Sed iam nunc videamus quid ad talem tantamq; confessionem Dominus respondeat. *Et dixit illi Iesus. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Quid hoc bone Deus, latroni vitam æternam polliceris? Matrem dilectissimá, charos amicos in hoc sæculo relinquis: & latroné tecum fers, cum scriptũ sit quod nõ habitabit lupus cum agno? O magnũ mirabile. Nonne videtis quoniam sic æternus pater præcepit, qui exiit primo mane cõducere operarios in vineá suam: & quòd Christus Redemptor noster munere œconomi fungitur, cui iussit soluere incipiés à nouissimis, vsque ad primos. O, bonus latro omnium quidem operariorum nouissimus, qui nõdum per horæ vnius spatium labori operam dederat. Vndecima enim vocatus es, Apostoli verò prima hora: & tamen cum in vocatione nouissimus sis, primus, certe in solutione es. Dignum est beneficium hoc à Deo exhibitum, cuius maximè mirandum sit: attamen Christus dicit nobis, ne nimium miremur, quandoquidem enim Deus diues cum latrone inopi ad crucis mensam sedet pro eo symbolum det. Primò latroni Adam parẽti nostro, qui de cibo vetito ad mensam comesturus sedit, quid dixisti? Terra es & in terram ibis. Sed huic alteri qui in tua arbore etiam comedit, quid inquis? Cœlum es, & in cœlum ibis. O quantũ prodest opportunè petere. Si tunc cum Ioãnes Baptista obiit Christus in manu clauem sicut modo tenet teneret, non dubium, quin sicut charissimo amico aditũ patere illi præciperet. Sed tamen intempestiuè ad ostium appropinquauit, nõ sicut latro qui fores sibi aperiri exorauit, & petiit: quare cum primo cœpit verti clauis quasi in semiuersione, quãdo scilicet inclinato capite tradidit spiritũ ianua paradisi illi patuit omnino. Hodie inquit mecum eris in paradiso. O vox suauis solatiúmque peccatorum: quod scilicet rex gloriæ latroni regnum concedat. Potẽtiori quidem maiora conferre expedit maximè. Cum ergo titulus iussu Pilati cruci impositus: magni principis signum præ se ferret, nõ ab re erat, vt sicut rex maxima beneficia seruo conferret. Beatus es siquidem sic prædicari non te præteriit, nihil enim minus quàm regnum æternum tibi vendicasti. Magna liberalitas, & amor fuit in Assuero quando promisit Hesther medietaté regni sui. Quãto magis iste Rex noster ex ineffabili largitate sua totum regnum suum largitur cuilibet amico suo fideli, & sibi fideliter seruienti? Nam si latroni liberaliter, & cito dedit regnum, quomodo negabit ei qui fideliter ei obsequitur? Vnde Paulus. Ambuletis digne Deo, qui vos vocauit in regnum suum & gloriam.

Latro nouissimus in labore, proximus in solutione.

Eccl.13
Matth.20
Gen.3
Hesther 7
1.Thess.2

¶ Aduerte autem quòd nõ promisit regnum nisi existenti in cruce: quia qui non cõpatitur, non conregnabit. Ideò Ioãnes. Particeps & socius in tribulatione, & regno. Ideò si tu cupis, & vis regno Dei cum Christo frui: esto hic suorum laborum particeps & eius crucis socius. Hodie mecum eris in paradiso. Hoc est quia mecum es in cruce, mecum eris in paradiso. Quamplurimi volunt esse cum Christo in paradiso: sed renuunt esse in cruce cum illo.

Rom.8
Apo.1

¶ Expende etiam quòd paradisus nõ capitur hic pro cœlo empyreo, quia nullus in illo ante Christi ascensionem intrauit. Sed per paradisum intelligit statum beatitudinis, qué habent beati vbicunque sint, quia Deum vident, & diuina fruuntur essentia. Et quia latro ipso die mortuus est statímque vidit Christũ gloriosum, & animá eius deitate plenam, beatus fuit: & in paradiso fuit cum Christo. Prætera huic promissioni assertionem suam adduxit dicens, amen dico tibi. Primò quia grãdi peccatori & tam vili personæ difficile videbatur sine præcedentibus meritis dari regnum: & ideò per Amen, patuit sibi regnum irreuocabile. Secundò vt ostenderet dominus viris Ecclesiasticis, quæ eis cura debeat esse animarũ pretio sui sanguinis emptarum: maximè quando morti appropinquant, tunc debẽt eas allicere misericordia Dei, & spe gloriæ, & præmij cœlestis, ne in mortis articulo desperet: quemadmodum hic derelicta matre, & amicis suis huic pauperi morienti & de sua salute solicito intendit, & cum regni promissione allicit. Matré enim suam in curam dedit Ioanni, animam verò latronis, suæ curæ reseruauit. ¶ Rursus aduertendum est, quòd in Christi cruce est omnis salus, ita vt in ea primò palam fecerit salutem. Per lignum enim Adam latro expulsus est de paradiso: sed post Christum, per lignum crucis primus intrat latro paradisum. Huius exemplo habemus veram fidem. Regnaturum enim credidit quem secum morientem vidit & veram spem habuit remissionis peccatorum. Non est tamen securum expectare vsque ad finem, ad pœnitendum: quia priuilegia paucorum non faciunt legem communem. Pauci enim sunt, qui in morte verè pœniteant. Sicut enim monstrum esset, quod lupus habeat caudam ouis: sic monstrum est quod vita rapacis vsurarij habeat bonum finem. Vide etiam quòd Christus multũ desiderat peccatorum salutem. Nam quia propter peccatores de cœlo vbi nullus erat peccator, venit ad terram vbi erãt peccatores, & viuendo eis se familiarem exhibuit: nam multi peccatores, & publicani venientes discumbebant cum Iesu: & sicut in vita hac mortali societatem cum eis habuit, sic & in morte latrones socios habuit, & tãtum vni eorum regnum Dei promisit. Iam ad contextum. *Erat autem ferè hora sexta & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam. Et obscuratus est sol, & velum tẽpli scissum est medium.* De hora qua dominus crucifixus est multa senserunt sancti doctores, ex eo quod Marcus dicit illum crucifixum hora tertia, cæteri verò hora sexta. Aliqui dixerunt, quòd linguis Iudæorum crucifixus est hora tertia: & manibus hora sexta. Verùm si Marci verba spectes, longè abest hoc à vero: nam postquam dixit hora tertia crucifixerunt eum, subiungit, hora sexta tenebræ factæ sunt super vniuersam terram: ideò alia hora quàm sexta crucifixus est. Alij autem alio modo interpretantur. Nos autem alio modo interpretari cogimur. Itaque sicut nox, vt Hieronymus notat, in quatuor vigilias diuidebatur, sic dies in quatuor partes siue horas: hoc est in primam, tertiam, sextam, nonam: ita vt singulis horis tres horas nostrarũ tribuamus, quare conficiunt duodecim horas diei artificialis. Itaque hora prima erat ab ortu solis secundum horologium nostrum, quod est ab hora sexta mane per tres horas sequẽtes: idest, vsq; ad nonam. Hora tertia ab hora nona vsq; meridiẽ. Hora sexta ab hora duodecima meridiana, vsq; ad horam tertiam post meridiem. Hora nona ab hora tertia post meridiem vsque ad sextam in qua dies finitur. Christus igitur crucifixus est parum ante meridiem: atque ideò crucifixus est hora tertia, hoc est in toto illo spacio, quod horæ tertiæ assignatur, scilicet trium

Paradisus statum beatitudinis significat.

Ioan.19
Gen.3
Conciliatio Euangelistarũ de crucifixione Christi.
Hier. epistola ad Cypria.

horarum, & quia hoc fuit parum ante horã sextam, & intra horam tertiam, dixerunt alij Euangelistæ, erat hora quasi sexta, nõ hora sed ferè, & quasi sexta & intra horam tertiam, vt Marcus ait. *Mar.15* Et etiam quoad sæcularia diuidebãt diem in duodecim horas artificiales, quarũ prima erat in ortu diei & meridies sexta, & duodecima in occasum solis, & decimaoctaua in media nocte. Sic Christus dixit, nõne duodecim horæ sunt in die? *Ioan.11* Et iterum. Hora septima reliquit eum febris. *Ioan.4* Hoc est, hora prima post meridiem. Et alibi. Erat hora quasi decima. Itaque cum Marcus dicit, Christum crucifixum hora tertia: *Mar.15* hoc est, in illo spatio trium horarũ secularium: & vnius sacræ versus finem eius. Et hoc est quod reliqui Euangelistæ dixerunt, hora fere sexta.

Solis deliquiũ supernaturale in passione Domini.

¶ De his autẽ tenebris & solis eclypsatione sciẽdum quòd ista eclypsis, & obscuritas nõ fuit naturalis sicuti est, quam modo fieri videmus ex cõiunctione solis & lunæ: nam ista eclypsis miraculosa fuit & præter totum naturalem cursum. Quoniam naturaliter solis eclypsis accidere minimè potest, nisi in cõiunctione solis & lunæ, quia scilicet, luna interponitur oculis nostris, & soli ipsi. Quæ autem in Christi passione obtigit fuit in oppositione, in plenilunio, scilicet, & cum à sole centũ octoginta gradus distaret, in alio hemisphærio inferiori ciuitati Hierusalẽ. *Exod.12 Leui.23* Quod ita esse patet, nã agnus paschalis non immolabatur nisi luna quatuordecima, quẽ quidem comedit Christus pridie mortis eius cum discipulis suis, sicut erat in lege præceptum: & postridie quando erat solennitas azymorũ, & incipiebat luna quintadecima quando Christus spiritum emisit, necessario dicendum est lunam esse iam plenam, & in solis oppositione: quare sic solẽ eclypsare non poterat, siquidem scimus ipsam solã, & nullum alium planetam ipsum valere eclypsare. Ideò ista eclypsis fuit miraculosa, & præter ordinem, & cursum naturalem. Solus ergo Deus facere potuit sua omnipotenti virtute, vt sol sua luce priuaretur. Præterea quod inquit in vniuersam terrã: sol eclypsari nõ poterat nisi in dimidio terræ, in qua solum lucet, quoniam alia quæ superest medietas est vmbra eiusdẽmet terræ. Sed sciendum est, quòd cum luna tunc esset plena, & cum lumẽ quod ipsa emittit, à luce solis oriatur, essetq; ea in inferiori hemisphærio, sequitur ipsius etiam eclypsim contigisse: quare amisit lucem & obscurata est, vnde necessario dicendum erit, quod fuit eclypsis vniuersalis, & obscuritas in vniuerso orbe, nam stellæ & luna, lumen emittere nõ poterãt, cum illis deesset propter solis defectũ. Congruum enim erat & rationi consonum, vt sol obscuraretur. Quia enim verus sol iustitiæ eclypsim patiebatur: sol iste visibilis clarissimum mundi lumen factori suo compatiens lucis suæ radios retraxit, & occultauit non valens intueri dominum pendentem, mortis eius vtilitatem & acerbitatem. Hoc autem factum fuit, primo vt natura sensibilis Christo compatiens corda lapidea ad Christi compassionem emolliret: & ideò petræ etiam scissæ sunt. Secundò, vt lumins eclypsatio subtractionẽ veri luminis in cordibus Iudæorum, & militum, Christum crucifigentium ostenderet. Tertiò ne corpus Christi nudum in cruce, & mortem eius exprobratissimam ab impiis cum gaudio videri, vel eos sua luce frui permitteret.

¶ Velum etiam templi scissum est, non intelligas quod sit scissum illud velũ quod erat intra sancta, & sancta sanctorũ. Duo enim vela erãt in tẽplo, vnũ quod velabat sancta sanctorũ, & alterum exterius siue tabernaculi, siue tẽpli. In passione ergo Saluatoris velum quod erat foris conscissum est à superiori parte vsq; ad inferiorẽ, quod quidem erat pretiosissimum, purpura, bysso, cocco, auro, & serico contextũ hyacinthóque, ꝙ in diebus celeberrimis suspendebatur & tunc in paschate positũ fuit. Hoc ergo signo insinuabatur reuelata esse mysteria, & secreta sacramentorũ legis, quæ anteà velata erant vt vniuersis proderentur, ad gentésq; transirent, & impleram esse veritatem, quæ in figuris latebat, & cœlum apertũ quod ante clausum erat. Præterea si Dauid Saulis, & Ionathæ mortẽ audiens, sua scidit vestiméta (eo argumento indignitatẽ mortis illu- *2.Reg.1* strium virorũ exhorrens) quanto potius pater æternus mortem filij sui indignissimã indignissimè ferens, vestes suas quæ velum templi erãt, rescindere debuit? Sed procedamus. *Et clamãs voce magna Iesus ait.* Fuit, vt hîc dicitur, validus & magnus clamor iste qui vsq; in infernũ auditus fuit, cœlúmq; & terram tremere fecit. Vox ergo illa nõ fuit naturalis sed miraculosa, quia homo magno & longo cruciatu afflictus, & ex tali afflictione morti sic proximus, non posset sic clamare virtute naturæ: ideò sequitur quòd vox illa formata fuit virtute Dei. Voluit autẽ edere hanc magnã vocem iamiam moriturus, vt nos desides, iacentes, somniculosos, imò & mortuos ad tam incredibile miraculũ aspiciendũ excitaret, quale erat quòd vita moreretur, & Deus pateretur. Clamat etiam cũ moritur, vt attendamus eam mortẽ quæ mortem nostrã destru- *Osee 13* xit, eam mortẽ, quæ fuit mortis mors & morsus in- *1.Cor.15* ferni. Clamat vt attendamus eum, qui moriebatur pro peccatis nostris, resurrecturũ propter nostram iustificationem. Clamat iterũ, vt voce sua illa terribili prædam infernus dimitteret, quã tot anteà sæculis tenacissimè in faucibus tenebat. Clamauit *Ioan.11* enim dominus voce magna quãdo Lazari animam ab inferni dentibus euocabat. Quanto ergo maiori voce erat necesse clamare, vt fera illa truculentissima, terribili clamore deterrita, vinctos quos in lacu premebat liberos esse permitteret. Demum & voce magna clamat: quasi dicat, O surdi mortales, hactenus vos docui, hactenus prædicaui: hactenus clamaui, iam me nõ estis amplius audituri, nec prædicantem nec clamantẽ, clamans nunc morior, vt vnicus hic clamor in auribus vestris perseueret, qui vos scilicet admoneat, vt caueatis peccata. Ad hũc *Luc.2* clamorem monumenta aperta sunt, terra tremuit, lapides sese cõciderunt, dæmones obstupuerunt, & infernus contremuit. Nunquam enim similis vox audita fuerat in orbe. Transuerberauit vox illa cor matris piisimæ, quæ tunc iuxta crucem stabat, & eius memoriæ tunc illud Simeonis verbum reuocauit, qui dixit. Tuam ipsius animam pertransibit doloris gladius. Sed quid dixit sic clamans?

Vox Christi morientis miraculosa.

Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

In tua potestate commendo spiritum meum, quo nobis declarare voluit quod sanctorum animæ ex eo tempore in manus Dei ascendunt: nam prius ab inferis omnium animæ tenebantur, donec venit qui captiuis redemptionem prædicauit. Non tamen hæc loquitur, quasi quid timeat animæ suæ: sed patri rursum reddit animam, quasi depositum quòd ab illo acceperat ante. Vnde alibi *Ioan.10* ait. Potestatem habeo ponendi animam meam: & potestar

potestatem habeo iterum sumendi eam.

¶ Vide Christi Saluatoris nostri magnificétiam. In vita sua magnificus fuit, sed multò magis in morte: nihil enim sibi retinuit sed aliis omnia donauit. Nam Petro Ecclesiam dedit, Ioanni matrem suam charissimam. Patri dedit animam suam preciosissimam, latroni dedit paradisum. Nicodemo, & Ioseph dedit corpus proprium, nobis omnibus dedit suam carnem sacratissimam & preciosissimum sanguinem in cibum & potum, & his qui eum crucifixerunt, vestimenta.

¶ Prætereà quilibet moriens desinit per mortem ipsemet, ac per hoc non potest asserere quod ipsemet deponit spiritũ suum in manus alterius. Christus autem solus per mortem non desinit esse ipsemet: quia hypostasis eadem perseuerauit post mortem: & propterea solus potuit verè dicere vt in Græco habetur. Commendabo spiritum meum.

Spiritus nomine rationalis anima intelligitur.

¶ Aduerte autem quòd animá suam rationalem spiritum vocat, quia quãdo est in corpore: officium agit animæ animando, & informando corpus: sed excepta anima nostra à carne transit in statum spiritus, quoniam existit illo modo quo puræ substãtiæ spirituales existunt. Iterum obserua quòd Euãgelista noster Lucas primũ verbum, quod Christũ protulisse dicit, in mortali corpore fuit. Nesciebatis quòd in his, quæ patris mei sunt oportebat me esse? Sic etiam vltimum verbũ fuit: pater in manus tuas: nã statim expirauit post hæc verba: vt intelligas ab extremis media verba tendere ad declarandam, & propagandam fidẽ æternæ processionis suæ à patre. *Luca 2*

¶ Vide quid in articulo tentationis, & specialiter in mortis agone agere debeas. Tunc enim pater inuocãdus est, & ei spiritus comendandus: quia tunc maximè dæmones versantur circa nos, sicut leones rugientes præparati ad escam. Sed dices. Quomodo patrem inuocabo qui nunquam vixi vt filius? Pius pater à quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, peccatorem non respuit, nec dedignatur à peccatore vocari pater: imò docet peccatorem, vt sic eum vocet. Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere: ergo saltem voca me, amabo, pater meus es tu. *Et hæc dicens expirauit.* *Matth. 6* *Hiere. 3*

Christus eadẽ hora mortuus qua Adam peccauit. Gen. 3 7

Hic fuit maximus Christi dolor, & eximius, nam vltimũ terribilium est mors. Eadem hora qua Adã peccauit Christus expirauit. Nam primus Adã post meridiem peccauit, quia mox vt peccauit, vocem domini audiuit deambulantis ad auram post meridiem, & tunc circa horã nonam secũdus Adam expirauit. Vnde qua hora primus Adam peccando induxit mortem huic mundo, eadem hora secundus Adam mortem moriendo destruxit: & qua hora illi paradisus est clausus, eadẽ hora iste paradisum aperuit: quia ordo poscebat, vt eodem temporis articulo, quo Adæ obcluserat paradisi ianuam, pateret latroni pœnitenti. Verùm dum beatissima virgo eadémq; piissima mater filium suum expirasse conspexit: continere se nõ potuit, quin piis lachrymis laxaret habenas. Cœpit fluenta lachrymarũ effundere: cœpit ex intimis visceribus luctuosissima trahere suspiria. Cœpit ex acutissimo dolore, maternos ac ideò acerbissimos expromere gemitus: illud tacita, sed miserabili oratione subinde repetẽs. Fili mi Iesu: Iesu fili mi. Quis mihi daret, vt moriar pro te? Vbi verò fœminæ circũstantes Christum vident defunctum, & matrem aspiciunt tam iustis lachrymis terram irrigantem, cœperunt ipsæ lachrymare, cœperunt plangere, clamoribúsq; aërem, & cœlum concutere. Id verò dum viri cuncti conspiciunt, temperare sibi nõ potuerunt, quin lachrymis vultus irrigarent, & ex barba vbertim lachrymæ defluerent. Factus ergo illic planctus magnus luctuosior, quàm fecerunt Ægyptij super defuncto Iacob patre Ioseph, factus est planctus magnus qualis fieri solet in morte primogeniti: vt Zacharias dixit. Aspicient in eum, quem confixerunt, & plangent eum planctu, quasi super vnigenitum: & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Hierusalem, sicut planctus Adadremon in campo Maggedon. Non habuit propheta alium planctum cum quo planctum crucis compararet, nisi funestissimum planctum, quo totus populus planxit Iosiam Regem sanctum, patriæ patrem, reipublicæ reparatorem & legis zelantissimum. Hic occisus fuerat in campo Maggedon, qua causa vniuersus Iuda, & Hierusalem luxerũt illum, Hieremias maximè. Cuius omnes cantores, & cantatrices lamẽtationes super Iosiam replicant. Quæ verba scripta sunt, vt lamentationes super Iesu vero Iosia nos etiam replicemus, & threnos illos & lamenta repetamus, &c. *2. Reg. 18* *Gen. 50* *Zach. 12*

¶ En seriem dominicæ passionis audisti, quomodo dominus noster Iesus Christus post multos labores, post multas passiones, pœnas, opprobria, vulnera, & post crucẽ, & omnẽ sui sanguinis effusionẽ, clamore valido tradidit spiritũ. Studeamus commori Christo, idest, mori in mũdo vitiis, & peccatis, id est non permittamus ea in nobis viuere, si cum Christo volumus viuere. Secundò studeamus mori dum viuimus. Iam enim nobis de morte cogitandum est, dum sani sumus curandum nobis est, ne inueniatur in nobis propter quod mori formidemus: Nam si mori formidas, teipsum interroga, & scrutare quid in te sit: quare mori formides. Si amor alicuius rei quæ Deus non est, vel aliud in causa est, quare mori metuis, illum abiicias à te: téq; liberũ facito, à causa huius timoris, & in illum statũ mentis te ipsum constitue, quo nõ formides mori. Tertiò multum tenemur amare Christum, qui pro nobis animam suam posuit. Poterat nos aliis multis modis saluare sine morte filij sui: sed hunc modum elegit, vt ostenderet dilectionẽ erga hominem pro quo mori dignatus est. Sic Paulus, cõmendat charitatem suam in nobis Deus, quoniam cùm peccatores essemus, pro nobis mori dignatus est. Vide ergo quantũ tenearis diligere illum qui proprium sanguinẽ, & vitam dedit. Demũ quilibet Christianus moriens debet illa seruare quæ Christus seruauit in sua morte. In extremis positi debemus orare, clamare saltem corde, plorare pro peccatis per veram pœnitentiam, animã Deo cõmendare, & spiritum tradere voluntariè, scilicet in morte voluntatẽ nostram diuinæ voluntati tradendo. Sed quid post hæc actum sit audiamus. *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum dicẽs, Verè hic homo iustus erat.* Si annulus aureus tibi sit, pulchrum ac preciosum lapidem celatum desuper habẽs quémque si aceto immittas, fiet vt aurum illustretur ac perficiatur: lapis autẽ frangatur & in frusta comminuatur. Ita & eodẽ modo pulcherrimus humanitatis Christi lapis, auro diuinitatis purissimo celatus, cum se amaritudini passionis inseruit cõminutus est, sed diuinitas apprimè perlustrata, quia nota est diuinitas & hominib. manifesta, nam vidẽs *Rom. 5*

Centurio cognouit Christum hominem, Deum & iustum.

Centurio

Centurio quod fuerat factum confessus est Christi diuinitaté. Erat autem Centurio hic Gentilis à Pilato præside Romano missus cum suis militibus vt Christum custodiret, ne tumultus oriretur. Videns itaq; hic Centurio quod factum fuerat, scilicet tenebras & terræ motus, & quòd clamans expirasset, glorificauit Deum fidei cõfessione, ac potestatem, diuinitatem, humanitatem, & innocentiam Christi confessus est, tam ipse quàm milites illi qui cum ipso erant. Nam Matthæus ait, quòd dixit, Verè filius Dei erat iste. Et Marcus. Verè homo hic filius Dei erat. Et Lucas ait quòd dixit. Verè hic homo iustus erat. Totum enim hoc dixit Centurio affirmans hæc & replicans & vocans illum Deum, & hominem, & iustum. Ac si diceret. Quid aliis videatur nescio: ego autem credo quòd hic nõ est populi seductor, aut latro, aut aliud simile, vt Iudæi & principes sacerdotum & pharisæi dicunt & illum accusant. Sed verè iustus est, innocens, & bonus, & homo Deus. Principes & scribæ docti in lege suum Messiam nõ cognouerunt, imo occiderunt: & hic Gentilis fatetur quòd sit homo & iustus & Deus. Hæc tria necessaria fuerunt ad redemptioné hominis perditi, vt illum redimeret. Homo inquã oportet vt esset qui deberet. Deus qui valeret: & iustus qui congrueret. Ex istis aggrauatur scelus Iudæorũ, quia occiditur Deus à seruis, homo à bestiis caninis, & iustus, ab iniustis. Multũ quidem istos ad fidem diuinitatis disposuit, quòd cũ clamore magno sic potéter, & dominatiuè spiritũ dimisit. Videbant enim quòd clamor ille supernaturalis & miraculosus fuit: quia propter defectũ sanguinis & effusum spiritum talis clamor fieri non potuit, ab homine sic morti propinquo: & ideo concluserũt quòd esset factus virtute diuina supernaturali, & per cõsequens, quòd ipse esset filius Dei. Vide tamé hic cæcitaté & duritiem Iudæorũ. Omnia hæc Christi miracula viderũt Iudæi, & multo maiora antea viderant, sed credere respuerũt, & insensibiliores gentibus, Deum nõ crediderunt. Sic etiã & multi Christianorum, & vtinã etiam illi, qui maioré perfectionis vitam profitẽtur: nõ sint deteriores illis militibus & bellatoribus: sed de his satis. Monemur hîc, vt nos, qui plus aliis recepimus: ne grauius & districtius postea iudicemur. Sed ad contextum. *Et omnis turba eorũ qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebãt, percutientes pectora sua reuertebãtur.*

Matth. 27
Mar. 15

Tria ad redemptionem necessaria.

Ex his patet quòd nõ tantum Centurio aduertit ad miracula: sed & alij quidam huic miserrimo spectaculo adstantes, visis his quæ contigerãt reuertebantur percutiẽtes pectora sua: partim præ dolore, quod homo tam innocẽs ac beneficus tam indigna passus esset, partim metu vindictæ diuinæ, quia sibi malè conscij ex ostentis conspectis suspicabantur imminere. Condolens ergo & tu plora si piam habes animam & viscera pietatis. Lapides in Christi morte fracti & cõminuti sunt, & sunt corda lapide adamãtino duriora, adeò vt nec signi mica passionis Christi in eis appareat. Non est durities adamãtini lapidis, quæ hirci sanguine nõ molleſiat, atque apta cultui non efficiatur: & tamen quamplurima corda sunt, in quibus Christi sanguis effectu careat. Hos iam deceptos à principibus sacerdotũ & pharisæis passioniſq; Christi consentientes facti pœnitebat: fuit enim fructus orationis domini, cum dixit, dimitte illis quia nesciunt quid faciunt.

Tundere pectus sine conuersione vanum est.

¶ Vide quòd non sufficit tundere pectus nisi etiã homo reuertatur à via sua mala, vt isti faciebant: nã percutientes pectora sua reuertebantur. Nam qui pectus suum tundit, & se nõ corrigit peccata sua solidat & non tollit. Hanc autem percussioné repræsentat sacerdos in missa quãdo post commemorationem dominicæ passionis dicit percutiendo pectus. Nobis quoque peccatoribus.

¶ Obseruandũ hîc est, quòd Christus clarificatus est & glorificatus est in cruce à septem. Primò à corporibus cœlestib. quando retraxerunt radios suos. Secundò ab elementis, quãdo terra concussa est & aër tenebrosus factus est in clara die. In natiuitate enim Christi nox in diem versa est. Vnde dixerunt Angeli: Natus est vobis hodie, cũ tamen esset nox. Tunc impletũ est illud. Nox sicut dies illuminabitur. Sed passio Christi licet fuerit in meridie, tamẽ dies conuersus est in nocté. Iuxta illud. In die illa occidet sol in meridie. Tertiò à corporibus mixtis, quia velum templi scissum est à summo vsq; deorsum, & monumẽta aperta sunt & scissæ petræ. Quartò clarificatus est à mortuis. Nam vt in Matthæo dicitur, multa corpora sanctorum surrexerũt, & ingressa sunt in sanctã ciuitatem, & apparuerũt multis. Quintò à viuis nobilibus, vt à Cẽturione. Sextò à simplicibus, vt ab his qui reuertebãtur percutientes pectora sua. Septimò à mulieribus, quæ stabant longè non dimittentes eum. Vnde subditur.

Innocentia Christi septem testimonia.

Luc. 2
Psal. 138
Amos 8

Matth. 27

Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres quæ sequutæ erant eum à Galilæa.

Habuit dominus mortis suæ spectatores nõ tantum ignotos & hostes, sed etiam familiares suos & intimos amicos: nequid scilicet deesset passionis acerbitati. Solent enim illæ contumeliæ iniuriæq; acutius pungere quæ spectantibus nostris amicis nobis inferũtur. Vnde aliquãdo solemus parẽtibus liberos, aut è contrario his illos offerre vt ex eorũ conspectu facilius & citius quòd volumus ab illis impetremus. Præterea iuxta crucem erant, vt sicut erant participes doloris Christi, essent hæredes gloriæ, & sicut habuerunt maximũ dolorem, haberent maximũ præmium. Et ideo quia has mulieres erat maximè coronaturus in gloria, iuxta crucẽ eas maxima affecit tristitia. Aduerte autem, quòd nullus eorum, qui iuxta crucem steterunt gladio martyrij percussus est. Nam virgo Maria & Ioannes, & aliæ mulieres nõ sumpserunt posteà martyrium. Adeo enim vehemens fuit ille crucis gladius, adeóq; piarum animarum teneritudinem transuerberauit: vt fuerit illis pro martyrio computatum. Quæ autem mulieres istæ fuerunt, quæ eum sequutæ fuerant à Galilæa: iam Euangelista noster Lucas in superioribus ostẽderat, cum in capite octauo dixit. Factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, &c. Maria Magdalena de qua septẽ dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ sequutæ eum fuerant à Galilæa, & ministrabãt ei de facultatibus suis. Hæ autem mulieres considerabant quæ gerebantur, & quæ sequebantur ministrantes vsque ad pericula, quia dum discipuli fugerũt ipsæ affuerũt.

¶ Iam iuxta solis occasum, tota illa turba corpus Iesu in cruce pendens, destitutũ relinquens in ciuitatem se cõtulit: sola autẽ virgo mater cum Ioanne & sanctis mulieribus indefessa permanebat, tota lacrymis perfusa, maximíſq; abundãs, lugens vitam, quam propriis oculis obiisse videbat, inscia quòd captaret consilium. Quoniam absq; iudicis licentiã non lice

non licebat condemnatos sepelire, & ipsa à Pilato petere non audebat, quia nec esset illi integrum ad eum ingredi nec tandem cōcederet. Sic afflicta varijsq; plena doloribus ad patrē æternum se conuertebat, supplex petēs gemitibus auxilium & fauorē quo affecta modū conuenientē inueniret ad corpus filij vnigeniti sui sepeliendū. Interea dum ista agerētur ecce venit Ioseph ab Abarimathia cum Nicodemo licentia à Pilato obtēta ad corpus Christi sepeliendū, quibus nō defuit malleus nec scala, munda sindon, qua Christum inuoluerent. Nicodemus item ferebat quasi centum libras myrrhæ & aloēs.

Ioan. 19

Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio vir bonus & iustus, hic nō consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathia ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnū Dei. Hic accessit ad Pilatum & petijt corpus Iesu.

Canti. 8

Amicus cognoscitur tempore necessitatis.

Fortis est vt mors dilectio. Amor omnia superat pericula & vincit, & sic aurum, in tribulatione & angustia probatur. Verus amicus nubilo tempore dignoscitur. Multis amicis abundauit Christus in die Palmarum, & quo cœna celebrata est: itidem & Apostoli gloriabantur & seipsos magnificabant, quod Christum comitarentur & doctorē ac magistrum haberent. Tribulatio tamen apertè ostendit amicitiam non firmiter contractam, quādoquidem videntes dominum in inimicorum manus incidisse, relicto eo omnes fugerunt. O verus amicus Ioseph: siquidem Christi meminit in proprio labore existentis. Et cum ab omnibus principibus Hierusalem condemnatus esset, ipse audacter accessit ad Pilatum & petiit corpus Iesu.

Ioan. 19

¶ Aduerte hic diligēter quòd Ioannes ait, quòd Ioseph iste erat discipulus quidam occultus Iesu propter metum Iudæorum, similitérque ait quòd venit Nicodemus, ille inquam, qui venit ad Iesum nocte & attulit centum libras myrrhæ & aloēs. De vno ait quod erat discipulus occultus propter metum Iudæorum: & de alio quòd venit ad Iesum nocte, nam interdiu nō audebat, quia dedecori erat ei, notus discipulus Christi esse, & timebat persequutionē & expulsionē à synagoga. De ambobus ergo inquit, quòd sicut fortes, in alios mutati homines omnib. se ostenderūt tanquā publici Christi discipuli, & sic eius corpus sepelierunt. Quæ necessitas vrgebat, vt nobis Ioannes notum faceret hos esse Christi occultos discipulos? Diceret saltē esse discipulos Christi eiúsq; corpus sepeliisse: & nō diceret de Ioseph quòd erat discipulus occultus propter metum Iudæorum: de alio verò quod venit ad Iesum nocte: siquidem hoc parum referre videbatur ad connexionem historiæ. Vult enim Ioannes passionis Christi efficaciam & vim ostendere, qualitérq; sanguis eius sacratissimus incipit mirabiles edere effectus. Iam virtus agni innocentissimi sanguinis pro nostris peccatis effusi, maximo amoris igne incipit horum duorum corda frigida adurere: quare ex occultis publicos & notos facit, ex debilibus fortes, ex timidis & pusillanimis (quæ valor & virtus sanguinis effusi Saluatoris mundi est) validissimi fiunt. Tuo sanguine domine Iesu lapides sunt scissi: & igne amoris corda frigidissima Ioseph & Nicodemi arsecūt. Hæc mutatio est dexteræ Dei excelsi. Ex his cernere possumus mirabiles effectus, quos in nobis passio Christi operatur.

1. Reg. 1

¶ Præterea Arimathia olim Ramatha erat, vnde fuerunt oriundi Helcana & Anna parentes Samuēlis, cuius erat Ioseph: iste enim vir sanctus simul cum natura, bonitatem prophetæ Samuēlis duxit. Nobilis erat decurio, idest de ordine curiæ, & officia curiæ imperij Romanorum administrans: vel vt Marcus ait, honestus senator. Fuit vir bonus & iustus. Talem esse enim senatorem decuit. Et hic non consenserat iudicio & actibus Iudæorum, & hoc boni senatoris est non consentire in factum aut consilium vllum prauum, sed positis affectibus semper iudicare iustè. De isto Ioseph dicunt aliqui quòd ad literam loquutus est regius propheta dicens. Beatus vir qui nō abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum nō stetit nec in cathedra, &c. Addit Lucas Iosephum expectasse regnum Dei, hoc est, spem suam posuisse in Christo.

Marc. 15
Beda c. 94. in Lucam.
Psal. 1

¶ Hic accessit ad Pilatum & petiit corpus Iesu, & permisit Pilatus: tum propter petentis reuerentiam, tum propter Christi innocentiam sibi notam, & quia plura in morte eius viderat miracula. Docemur huius exemplo propter Christum quodcūque subire periculum, siquidem iste non excogitauit; à diuitiis decidam, expellar à Iudæis & persequutionem patiar: sed omnem calumniam & rei temporalis incommodum contempsit, vt Christo seruiret. Igitur venientes Ioseph & Nicodemus prope locū vbi crucifixus est, flectentes adorauerūt dominum. Quos dum vidit mater quasi de morte consurgens paululum reuixit spiritus eius. Et applicantes recepti fuerunt per eam reuerenter: & parauerunt se ad deponendum eum, quibus ipsa quod poterat ministrabat adiutoriū. Vnus clauos de manibus trahebat, alius ne corpus caderet exanime sustinebat. Stabat virgo Maria leuans brachia in altum, & dum tangere eum valuit caput & manus eius depēdentia trahebat supra triste pectus suum: & ruēs in amplexus & oscula dilecto suo satiari nō poterat: nec quis ipsam desuper corpus attrahere poterat. Corpore igitur domini in terram deposito domina suscepit caput cum scapulis in gremio. Magdalena verò pedes, apud quos olim tantam gratiam meruerat: alij autem circunstant & omnes planctum magnū faciunt, quasi super vnigenitū. Maria verò tum cum capite, tum cum quolibet membro loquebatur & lachrymabat. Propriis oculis vitam suam mortuam videbat in vlnis: in gremióq; sustentabat exanime corpus illius, quem maximè diligebat: corde transuerberato gladio ingentis doloris oculi lachrymis inundabant. O Nicodeme ne torquearis in Christi corporis domini tui lotione. Nam virginis lachrymæ tot ac tantæ sunt, vt valeant quantumuis squalidum & sanguine plenum mundare, & niue candidius reddere. Flebat enim illa lachrymis inenarrabilibus. Ipsius lachrymarum tanta vbertas fluebat, vt caro cum spiritu in lachrymas resolui putaretur. Post aliquam vero moram rogat Ioseph dominam vt permittat corpus domini perungi ac linteaminibus inuolui & sepeliri. Nihil minus sensit, corpus ab ea auferri, quàm si anima à proprio corpore recederet, vel si cor eius tridenti à visceribus diuelleretur. Ideóque Euangelista ait de Iosepho:

Pro Christo omnia contemnenda.

Luc. 7

Et depositum inuoluit sindone, & posuit illud in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Contemplare ergo tu quisquis es hāc deuotam processionem: & vide quomodo ferunt dominum tuum à monte caluario vsque ad monumentum, cantus in his obsequiis erant gemitus & suspiria: vnde tempus triste & obscurum duplicabat illorum amicorum domini tristitiam, & luctum.

Exequiæ Christi luctuosissimæ.

Nec

Nec auis volabat, nec animal pascebat: sol, luna, planetæ, & stellæ, lugubri veste induta sunt, omnes creaturæ quælibet suo modo, mortem creatoris lugebat. Sola terra gaudebat: quandoquidem meruit in se eum qui eam sustentat & cõtinet, recipere. Sequere etiam & tu cum his sanctis cœli, terráq; thesaurum corde puro & deuoto sicut Dauid feretrum Abner à Ioab fraudulenter interfecti plorãs sequebatur. Reuerenter & deuotè, flexis genibus & magnis singultibus & suspiriis, sepelierunt vitæ dominum in monumento ipsius Ioseph sumptuosè facto, & in petra exciso, idest, in vno lapide concauato secundum quantitatem hominis. *2. Reg. 3*

¶Obserua autem quòd in horto dominus sepeliri voluit sicut rex Manasses: vt sicut ex horto mors exiit, ex eodem vita exiret. Ex hortis enim terreni paradisi propter primorum parentum peccata manauit mors: & modo etiam ex hortis exiit victrix vita. In sepulchro alieno sepeliri voluit: quia vt ait Ambr. aliena culpa mortem passus est. Alienum fuit peccatum, aliena culpa: ita non ab re aliena sepultura sepeliri voluit. Rursus in monumento, in quo nullus positus fuerat sepeliri voluit, ne perfidi Iudæi dicerent quòd alius, qui ibi sepultus erat surrexit à mortuis. *4. Reg. 21 Gen. 3* *Ambr. ser. 57 de tempo. Beda c. 94 in Luc.*

¶Vide quàm pauper Christus fuit, quòd in natiuitate non in sua: sed in domo aliena nasci voluit, & viuens in hoc mundo nõ habuit vbi caput suum reclinaret: nec moriens vbi nuditatem suam tegeret: nec mortuus vbi inuolueretur, nec sepulchrum aut locum vbi corpus suum poneretur. Sed dices, Cur Christus, qui in paupere domo natus est, & voluit in paupere domo habitare dum vixit, & pauper semper fuit in natiuitate, in vita, & in morte: cur post mortem habere voluit sepulchrum magnum, honoratum, & solenne, quale erat illud Ioseph: qui diues & nobilis & potens erat, & sibi ipsi parauerat? Dicendum quòd filius Dei assumpsit paupertatem nostram, vt ex pauperib. diuites faceret: fragilitatem, vt fortes faceret: humilitatem, vt exaltaret: denique & mortalitatem, vt vitam daret. Ista ergo quæ vt nos redimeret assumpsit in carnem: postquam redemit nos, & opus nostræ redemptionis consummauerat in sua morte, necesse erat vt cessarent finita iam redemptione. Ideóque post redemptionem, quæ acta fuit in morte, iam non erat opus paupertate, humilitate, abiectione, nec ignominia aut morte: sed omnia fuerunt prospera, fœlicia, iucunda, & præclara: ideo sepulchrum habuit optimum, gloriosè surrexit, immortalitatem induit, & diuitiis plenus fuit & honore.

Præterea gloriosam voluit habere sepulturam iuxta illud Esaiæ, & erit sepulchrũ eius gloriosum: vt intelligas à morte incipere iustorum gloriam, vbi superborum, & potentium gloria finitur. In sepulchro extinguitur & euanescit potentia, in qua vani homines, studio inanis laudis concitati gloriam constituunt, qui hominum cæcam & falsam opinionem splendori virtutis anteponunt, & in sepulchro incipit piorum gloria, qui iustitiam & pietatem colentes ab hominibus improbis pro nihilo putabantur. *Esai. 11*

¶Præterea docet hic Christus curam pro mortuis agendam, & opus esse virtutis mortuos sepelire: sicut & ipse, qui pauper semper fuerat, optimo in loco sepeliri voluit. Maxima cura fuit patribus antiquis de sepultura suorum sicut Abrahæ, Isaac, Iacob, Ioseph, Mosi. Et Tobias placuit Deo sepeliendo mortuos, & Dauid viris Iabes Galaad benedixit, eò quòd sepelissent cadauer Saulis: denique & ipse Christus corpori suo exanimi sepulchrum dari instituit. Sed ad contextum. *Tob. 1 Gen. 23* *Gen. 48 2. Reg. 2*

Erat autem dies parasceues, & sabbathũ illucescebat. Subsequutæ ergo mulieres quæ cum eo venerat de Galilea, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. Et reuerẽtes parauerũt aromata & vnguẽta: & sabbatho quidem siluerunt secundũ mandatum.

Parasceue Græcè, Latinè præparatio interpretatur. Quo nomine Iudæi, qui inter Græcos côuersabantur, sextã sabbathi, quæ nunc à nobis feria sexta vocatur appellabãt: eo quod in illo ab opere suo requieuit Deus. In feria igitur sexta, quæ parasceue erat, præparabãt Iudæi illa quæ in sabbatho comedi debebant: quod sabbathum erat duplex solennitas, magnúsq; dies sabbathi vocabatur. Dicitur autem hic quòd sabbathũ illucescebat, quia vesper ad sabbathum pertinens instabat, à quo solénitas magni sabbathi incipiebat. Vnde sicut homo sexta feria creatus est & peccauit: sic Christus sexta feria pro homine mortuus est, & satisfecit. Mulieres porro deuotæ, quæ erant Christum sequutæ diligenter curauerunt respicere & notare in quo loco corpus domini poneretur, vt posteà ei tempore congruo munus suæ deuotionis possent offerre, & officium funeri impendere ac corpus eius inungere. Magna hæc fuit pietas, magna etiam fortitudo sanctarum mulierum quæ circa Christum viuum fuerunt officiosæ, ita & in morte non otiosæ esse cupiunt. Sic tamen nequid peccent in lege Mosi. Pietas suadebat ocyus vngere corpus domini: at Moses prohibebat aliquid operis in sabbatho facere. Bonæ itaque mulieres, ne in aliquam partem peccarẽt quantum datum est in die parasceues accesserunt ad sepulchrum domini, & côtemplantur quomodo positum sit corpus domini. Deinde reuertũtur & parant aromata, vt summo mane prima sabbathi paratiores sint ad vnctionem dominici corporis. *Beda in Luc. in hæc verba.*

Aduerte tamen quòd hæ mulieres bis parauerũt aromata, semel ipsa die veneris ante solis occasum cuius noster Lucas meminit, & alia vice transacto sabbatho hora vespertina cuius meminit Marcus. Et ratio secundæ parationis fuit aut quia non inuenerunt in promptu illa hora occidente die veneris ad sufficientiam, vel quia putauerunt sufficere quæ posteà censuerunt non sufficere: nam amor quem ad Christum habebant non sinebat eas nisi superabundanter vngerent corpus eius. Et sabbatho quidem siluerunt, idest, quieuerunt, vtrunque enim significat ἡσυχάζω Secundùm mandatum, id est, iuxta legis præscriptum, noluerunt quicquam operis facere. Vnde discimus quàm constantes fuerint mulieres illæ in obseruatione legis, nôdum enim tempus erat vt lex illa Mosi publicè proscriberetur. *Beda c. 94. in Luc.*

¶Itaque exemplo sanctarum harum mulierum omnia quæ in Christi passione, eiúsque sepultura gesta sunt, sedulò ac diligenter scrutemur, contemplemur: ipsúmque dominũ in corde nostro sepeliamus, adhibentes illi custodiam visus, odoratus, tactus, & sensuum: ne scilicet falsa mundi lætitia inanéque gaudium huius seculi, veram compunctionem cordis, ac deuotionem, furetur, vt tandem mereamur Christum gloriosum & regnantem videre in cœlis, ipsóque frui. Quod faxit, qui pro salute nostra mortuus est. Amen.

CAPVT

CAPVT XXIIII.

Cant. 8 FORTIS (inquit scriptura) est, vt mors dilectio. Verus amor in arenam descendit cum morte & vita omniáque despicit anima amore imbuta. Paulus prouocat in certamen, omnes mundi labores in epistola Rom. 8 quam ad Romanos scripsit dicens. Quis separabit nos à charitate Christi? an angustia? an fames, &c. concludit dicens. Scio quod nec mors, nec vita. Et sic Apostolum nec vita, nec mors ab ea recedere coëgit: quãdoquidem vitam ipsam amisit, ne amorem, quo Christũ prosequebatur perderet. Quod autẽ Paulus cum esset homo & à natura vir fortis non timeret mortem diuina gratia & auxilio adiutus, nihil mirum, admiratione tamen dignum est amoris vires tantas esse, vt sitæ in pictoribus fęmineis, ea tam virilia ac fortia reddat, vt valeant omnia pericula contemnere, vitam paruifacere illius amore, quam plus seipsis diligunt. Consurgũt quædam mulieres noctu, parant vnguenta, atque ante dilucidum ad monumentum se conferunt, Iudæorum insidias respuentes. Non verẽtur noctem, nec concutiuntur metu corporis iacentis in sepulchro, non se nouerunt debiles esse, impotentes lapidi leuando: omnia tandem parui faciunt, nam vero 1. Ioan. 4 amanti nihil est quod leue & facile non appareat: perfecta charitas foras mittit timorem. Vis experiri quo sunt amore & fidelitate hæ mulieres Christum prosequutę. Audi Euangelistam.

Vna autem sabbathi valde diluculo venerunt ad monumentum portantes quæ parauerunt aromata.

Non dicit hîc Lucas quę fuerunt personæ, quæ venerunt ad monumẽtum, quia in fine capitis pręcedẽtis dixerat. Subsequutæ sunt autem mulieres, quæ cũ eo venerant de Galilæa, & viderunt monumẽtum, & quomodo positum erat corpus eius, & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta. Sed quę fuerunt istæ mulieres, quæ venerunt à Galilęa? Superius noster Lucas eas nominarat in capi Marc. 15 te octauo euangelij sui dicens, Maria Magdalena, Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna & aliæ multæ, scilicet, Maria Iacobi & Salome, vt Marcus dicit, parauerunt aromata. Aduerte autem quòd cum ait, vna sabbathi, intellige, prima die sabbathi, hoc est hebdomadę. Hebręi enim solent pro prima die dicere, vna die. Sic in Genesi di Genes. 1 citur. Factum est vespere & mane dies vnus. Idest Matth. 28 primus. Venerunt etiam non tres Mariæ vt multi opinati sunt, & populus communiter credit: quia Salome non vocabatur Maria, sed solum Salome, nec Marcus vocat eam Mariam sed tãtum Salome. Matthęus etiam dicit quòd venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum. Si essent tres Marię non diceret Matthæus Maria Magdalena, & altera Maria: quia altera nõ dicitur nisi inter duas. Venit enim Maria Magdalena, & altera Maria, scilicet Maria Iacobi, & Salome, & Ioanna, & Susanna, de quibus inferius, post pauca latius videbimus.

¶ Vide quomodo sexus hic deuotus mulierum commẽdetur. Primò quia domi residentibus viris valde mane ad domini sepulchrum se contulerũt, nam quia ardentius cæteris amabant, valde diluculo venerunt ad monumentum. Nescit enim tarda molimina spiritus sancti gratia. Mirandus mulierũ feruor cum naturale sit cum horrore videre mortuum etiamsi mater filij cadauer conspiciat: istæ tamen iam per diem & duas noctes sepultũ vngere, & contrectare quęrunt. Secundò expende etiã qualiter amor naturæ diffidit. Non est contentus qui verè amat his, quę alij faciunt, nisi ipsemet manum imponat, sicut mater quæ dilectissimum filiũ habet infirmum, nihil fieri erga eum censet, nisi ipsamet visitet, & obsequatur. Ita illa mulier Sunamitis paruifecit per alium Elisęum vocare: quare ipsamet ad eum se contulit orans, vt veniret filium 4. Reg. 4 suum suscitaturus, nemini alteri fidẽs. Viderãt istæ quòd Nicodemus attulerat centum libras myrrhæ Ioan. 19 & aloës, quodque non parcè se habuerat erga corporis Christi vnctionem, quod quidem sufficientissimè erat vnctum. Hoc tamen parum est eis visum: ideóq; pręter ea, quę Ioseph & Nicodemus gesserãt portant & ipsa aromata, vt suæ dilectioni satisfaciãt. Tertiò dilexerunt istę mulieres Christũ Luc. 8 in vita, quia vt Lucas ait suprà, derelinquentes domos, patriam, & delicias, sequebantur Christum à Galilæa ministrantes ei de facultatibus suis. Dilexerunt autem illũ in morte, quia affuerunt iuxta crucem, vt in pręcedenti capite Lucas commemorat. Dilexerunt etiam illum: post mortem, vt ex hac historia constat. Vbinam modo inuenies tantam fidelitatem & amicitiam, vt hæc est? Plurimos inuenies de illis, de quibus ait scriptura. Est amicus se- Eccles. 6 cũdum tempus suum: non permanebit in die tribulationis. Paucos enim inuenies, qui post mortẽ fidem pręstent, & amicitiam obseruent. Vnde Dominus conqueritur in Psalm. dicens, Obliuioni da Psalm. 30 tus sum tãquam mortuus à corde. Non hæc protulit propter has sanctas mulieres sed potius propter discipulos, & quamplurimos amicos, quos Christus habebat, qui eum in passione dereliquerunt. Denique mirari non desino istarum mulierum fortitudinem, auidissimum pectus. Per medios irrũpunt custodes, per ianuam intrant sepulchri, ad ipsam ingrediuntur mortem. Facinus fuit quod fortissimi illi sitiente Dauide per hostes medios irruẽtes aquam ex Bethlehemitico fonte suo regi detu- 2. Reg. 23 lerunt. Sed quis non videt maius, aut certè plus, facinus fuisse fęminarum, quę nihil veritę custodum efferatum furorem inter eos irruunt, vt ad monumentum perueniant, propriã mortem contemnentes, propriam vitam periculo obiiciunt, vt ad Christum veniant?

¶ Admonemur primò quòd talis debet esse animus noster, certè talis vt propria morte, Christi mortem adoremus, vt proprio periculo vitæ quæ Christus est securitatem participemus. Non facio inquit Paulus animam meam pretiosiorem quàm Act. 20 me. Et iterum. Ego non solum alligari, sed & mori paratus sum propter nomen domini Iesu Christi.

¶ Secundò ne interitu beneficiorum collatoris, intereant & beneficia collata in mentibus nostris, ne moriatur Christus mortuus, in cordibus nostris. Et si amici nostri naturæ cõcedant, ne eorum obliuiscamur, istarum mulierum exemplo. Sic de Booz ait scriptura. Benedictus sit à Domino: quoniam eandem gratiam quàm præbuerat viuis ser- Ruth 2 uauit & mortuis.

¶ Tertiò beneficia pręstare mortuis: non solùm memoria aut lachrymis sed operibus bonis. Ecce istæ mulieres veniunt ad monumentum, sed nõ vacuę, quia aromata portabant. Misericordia in paupere est exercenda, eique subuenire debemus necessitatis tempore, cum possumus. Misereri paupe-

ris, cui nō subuenis cùm tamen possis? Luges mortuum, & tamen illi res fieri sacras nō præcipis, nec Deo commendas? Maiora enim ei obsequia pręsta bis pro eo Deo orans quàm lugens.

Rom.8. ¶ Docemur quartò Christi mortem sentire & plorare, vt Christum videamus suscitatū & regnātem in cælis. Si compatimur & conregnabimus inquit Paulus. Si volueris Christū videre gloriosum, vide illum nunc in terris patientem in cruce. Etenim Mariæ istę primo de Christi resurrectione exultant: quia maximè in eius passione doluerunt.

Ierem.31 Mentiri enim non potest ille qui dixit. Quiescat vox tua à ploratu: & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo. Est enim ploratus, & lacrymæ pro ploratu dignum opus, vt gaudij merces tribuatur ex resurrectione.

¶ Quintò non gaudere nec confidere in fortitudine, potentia, aut mundi sapientia quādoquidem Dominus mulieribus fragilibus apparuit primo suscitatus. Stulta enim mundi elegit Deus vt fortia quæque confundat, vt non glorietur sapiens in sapiētia sua, nec diues in diuitiis suis. Est verò quod gaudeat & glorietur infirmus, ita enim facilius in eo inhabitabit virtus Christi. Itaque mulieribus fragilibus, non viris aut principibus primo omniū apparet Christus suscitatus, & à mulieribus primo apostolis & Ecclesiæ toti prædicatur Christi resurrectio.

1.Cor.1 Hier.9 2.Cor.12

Gen.18.& 19 ¶ Docemur sextò opera misericordiæ esse certam viam ad inueniendum Deum, & conuersandū cum angelis. Sic Abraham & Loth, quia intendebant peregrinorum hospitiis, meruerunt angelos

Tob.12 hospites recipere. Tobias quia Niniues operā nauabat in sepeliendis corporibus mortuorū, meruit videre angelum Raphaëlem. Cornelius quia eleemosynis vacabat, meruit angelum loquentem audire, & tandem ad fidem veram conuerti. Sic istæ mulieres cum misericordiæ operam darent, defuncti scilicet vnctioni, adeptę sunt angelos sanctos videre, & cum illis conuersari: tandem Christum suscitatum. Hoc est exercitiū veri Christiani, in quo deberemus semper immorari: nam his operibus mediantibus Deū videbimus, erimúsque angelorum comites. Et si Sapiens vt nos humiliet, adducit formicam, cuius intuitu discamus ad operandum: non mirum si has mulieres adeamus exemplum capturi: vtque operari misericorditer, ac piè discamus, quo studio, & desiderio sit Christus quærendus.

Act.10

Prouerb.6

¶ Verùm, vt ad alia procedamus, licet istæ deuotę mulieres tanto affectu & diligentia Christū quærerent, tamen quasi adhuc non illuminatæ in fide defecerunt in ea putantes quòd aromatibus indigeret corpus Iesu, vt præseruaretur à corruptione. Vnctum enim erat corpus Christi vnguento diuinitatis, & corrumpi non poterat tali vnguento vnctum, etiamsi mille annos esset in sepulchro: nā quod semel Deus assumpsit nūquam dimisit. Vniętat diuinitas corpus & animam, quod quanuis in Christi morte adinuicem separarentur, diuinitas tamen cum vtroque fuit, cum corpore scilicet in cruce mortuo, & cum anima ad inferos descendente, & sic quanuis nunquam Christus resurgeret, tamē corpus eius corrumpi non poterat tali vnguento

Psal.15 delibutum, iuxta illud Psalmi. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Finge te arcum tenere in manu, tantumque flectere, vt in comminutionem deueniat ea parte qua sustines: quare & si duo arcus latera adinuicem recedant, in corda nihilominus nectuntur ambo. Sic in Christo considera animam eius & corpus tanquā duo brachia arcus, & corda per quam diuinitatem eius intelligimus, vtrunque brachium tenebat. In cruce arcum suum tetendit & parauit illum, & in eo parauit sagittas mortis à cruce infernum torquens, tantum arcum istum flexit, vt comminui coēgerit, vsque ad animi & corporis separationem, sed diuinitas vtrunque brachium tenuit, & propterea corpus Christi balsamo diuinitatis vnctum, aromatibus non indigebat. Sed procedamus. Psalm.7

Et inuenerunt reuolutum lapidem à monumento.

In eo quod lapidem reuolutum inuenerunt, fructus resurrectionis Christi insinuatur. Per ipsam enim nostra monumenta aperta sunt, & certa spes resurgendi, nobis data. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormie runt per Iesum adducet cum eo. 1.Thess.4

¶ Obseruandum præterea quòd Christus sepulchro clauso prodiit & exiit à monumento, quia surrexit corpore glorioso, & sic dote agilitatis & subtilitatis exiit clauso sepulchro: sicut etiam ianuis clausis egressus est ad discipulos. Sed Angelus domini post Christi resurrectionem descendit de cœlo, & reuoluit lapidem propter mulieres, quæ erāt ventura videre sepulchrum, vt crederent quoniam resurrexit, videntes sepulchrum vacuum. Quapropter sequitur in contextu.

Et ingressæ non inuenerunt corpus domini Iesu.

Quia iam surrexerat antequam ipsę venirent: quia eius resurrectionē non credebāt, voluit Deus eas punire per hoc quod non inuenirent statim quod quærebant, quia tamen perseueranter quęsierunt meruerunt Christum suscitatum illis ostendi. Sed interea nec omnino eas Christus destituit: nam eis angelos suos mittit alloquentes consolātésque: ideo sequitur,

Et factum est dum mente consternatæ essent de ipso, ecce duo viri steterunt iuxta illas in veste fulgenti.

Sic Matthæus de primo Angelo quem viderunt dixit quod erat aspectus eius sicut fulgur & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Sed quomodo Ioannes dicit quòd erāt sedentes, & Matthæus & Marcus quòd erat tantum vnus angelus? Omnia ista post pauca videbimus. In præsentia autem obserua quomodo solet Deus angelos suos mittere quoties aliquod magnum operari vult. Quando suam iustitiam ostēdere voluit misit angelum gladio districto volens tamen ostendere se iam leuasse manum & iustitiam vsúmque misericordia fuisse, pręcepit angelo eidem ensem in vagina condi: sicuti Dauidis tempore contigit. Modò vult docere nos quomodo de sepulchro surrexit, & ad hoc angelos pulchros & decoros veste fulgēti indutos misit, vt ostendat sic nos omnes cum Christo esse resurrecturos in carne sole ipso fulgentiore & pulchriore crystallóque splendidiore. Tunc enim fulgebūt iusti sicut sol, in regno patris eorum. Nescit enim illa futura resurrectio tenebras nec ætatem senectutis: erit nāque semper robur, pulchritudo, incolumitas, claritas, & impassibilitas. Hāc pulchritudinem & splendorē deberemus hîc consequi conari in posterum pœnitentiam agentes. Si aquam mulieribus pręcipuè cōferrem, qua lotę tribus diebus deformes apparerent, quibus tamen peractis, Matt.28 Ioan.20 Marc.16 Deus operaturus magnum aliquod, angelos mittit. Genes.3 2.Par.21 Matt.13

adeò

adeò prodesset aqua, vt sicut angeli pulcherrimæ efficerentur, quænam sunt quæ pro viribus nō sumere curarent? In pulchritudine ergo, in qua isti Angeli apparuerunt innuunt & docent tribus huius vitæ diebus senes, & deformes, nos fieri, vt postea in alia iuuenes & speciosi simus in perpetuū. Ideò renouamini spiritu mentis vestræ, & induite hominem, qui secundum Deum, creatus est, &c. Si modo laboratis, ieiunatis, & pœnitentiam agitis, posteà bonam peragetis vitam. Qui lignis ludūt, si contingat globos non æquè perfectos esse, cui duorum sorte accidit globum defectuosum primo tetre, secūdo perfectum eligit. Sic qui in hac vita bono globo ludit, in alia malo ludere continget, & econtra. Ideo curate in hac vita quod abiectius est eligere, vt in alia quod bonum est consequamini. Sequitur in contextu.

Ephes.4

Cùm timerent autem & declinarent vultum in terra.

Præ timore declinauerunt vultum ex angelorū visione. Nos autem ex hoc loco discamus, quoties ecclesiam ingressi fuerimus ad mysteriaq; diuina accesserimus, ingredi cū omni humilitate & timore, vt istæ sanctæ mulieres, sic propter angelorū ibi astantium intuitum, vt etiam ob reuerētiam oblationis sacratissimi corporis Christi redemptoris nostri. Et tunc declinemus vultū in terra in angelorum conspectu, quando contemplantes quæ & quanta sint gaudia æterna ciuium paradisi, meminerimus, quia puluis & cinis sumus, in hoc sequentes humilitatem sancti patriarchæ Abraham qui Deo dixit, Loquar ad dominum meum cùm sim puluis & cinis. Angeli autem abstulerunt omnem timorem ab his mulieribus, dicentes.

Gen.18

Quid quæritis viuentem, cum mortuis? Nolite quærere cum mortuis, nec in monumento qui proprius locus est mortuorum, illū, qui resurrexit in vita immortali & perpetua. Obserua autem, quāplurimos nūc inter mortuos, triūphantē regē gloriæ qui viuit & regnat inter viuos, ac si esset mortuus quærere. Hoc faciūt qui cum boni sunt, participes sunt cum malis, quibus quidem potest dici illud Euangelij. Sine mortuos sepelire mortuos suos. Iosaphat rex Iuda, qui bonus erat, iniuit amicitiā cum Achab rege Israël, qui quidē impius erat, quapropter in quodā prælio parū defuit quin occubuisset, ideo quidā propheta increpauit eū dicens, Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominū amicitia iungeris, & idcirco irā Domini merebere, &c. Addunt vltra angeli. *Surrexit non est hic.* Surrexit inquā mane diluculo, iā die dominica radiante. Sic canit ecclesia. Aurora lucis rutilat. &c. Cum rex ille fortissimus mortis cōfractis viribus, victor surgit de funere. Sic pater dicit illi in Psalmo. Exurge Psalteriū & cithara. Respondit Christus. Exurgā diluculo. Ideo Zacharias vocat illū oriēs. Cùm enim ex matre nascitur, nocte nascitur, quia ad mortis tenebras properabat, sed cùm de sepulchro surgit manè surgit, quia iam nunquā erat tenebras visurus. Christus enim surgens ex mortuis iam nō moritur, mors illi vltra nō dominabitur. Sicut enim Iacob manè surrexit à somno, ita Christ⁹ manè resurgere debuit. Surrexit autē Dominus non aliena, sed propria virtute, sicut dormientes qui somno expleto surgūt, non alterius sed sua sibi infidente virtute. Mors enim Christi & omniū fidelium morientiū in Christo simillima est sopori dormientiū. Hinc dormire dicūtur in Christo. Et Christus de se per os prophetæ. Ego dormiui & soporatus sum, & surrexi, quia Dominus suscepit me. In Epiro ait Solinus fontē esse admirabilem in quem immersæ faces ardētes extinguuntur, extinctæq; vero inflammantur, vbi facem mortuam proiiciens exit viua. Si hoc, vt Solinus refert, ita est nescimus. Hoc autem benè scimus & confitemur, Christum mortuum surrexisse. Sed dicunt vltra angeli.

Beda cap.95. in Luc.

Matth.8

2.Para.19

Christus nocte nascitur, & mane surgit.

Psal.56

Zachar.6

Rom.6

Gen.28

Psal.3

De mirab. mun.cap.13

Recordamini qualiter loquutus est vobis cū adhuc in Galilæa esset, dicens, quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum & crucifigi, & die tertia resurgere. Oportebat enim Christum resurgere, nam aliter omnem passionis fructum amitteret, si post eā non sequeretur veritas resurrectionis mortuorū. Oportuit enim, vt Christus resurgeret, vt fides nostra per eius resurrectionem confirmaretur, circa diuinitatem eius, quia si non resurrexisset, non crederent homines illum esse Deū. Vnde ipse in psalmo loquitur dicēs, Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionē? Si corruptus fuerit sanguis meus, & non resurrexero, nullum lucrabor, quia verò resurrexit cognouerunt homines quod verè erat Deus. Nam omnis effectus naturaliter est demonstratiuus suæ causæ, sed cùm causa primaria resurrectionis mortuorum sit diuinitas, Christus qui virtute propria resurrexit, ostendit quòd erat De⁹, & sic cōfirmauit nos in fide diuinitatis suę. Secūdò sua resurrectione cōfirmauit nos in spe. Vnde Paulus. Si Christus nō resurrexit, inanis est fides nostra, inanis est prędicatio nostra. Hęc duo tetigit Petrus dicens. Deus suscitauit illum à mortuis, vt fides nostra, & spes essent in Deum. Sed de his latiùs inferiùs opportunius dicemus.

Christi resurrectio, diuinitatis testimonium.

Psalm.29

1.Cor.15

1.Pet.1

Et recordatæ sunt verborum eius.

Cùm Christus prædixit suam mortem & resurrectionē, non intelligebant mulieres istæ nec apostoli, sed cùm iam adimpleta esse viderunt, quæ dixerat, intellexerunt ea quæ anteà audierant. Vnde in Ioanne habetur, quòd cùm dixisset Dominus, soluite templū hoc & in tribus diebus ædificabo illud. Subiungit euangelista. Cū surrexisset à mortuis recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat: & crediderunt scripturæ & sermoni, quē dixit Iesus. Item in eodem Ioanne habetur quòd inuenit Iesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptū est, Noli timere Sion, &c. Hæc non intellexerūt discipuli eius primò, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo. Hac de causa prophetiæ obscuræ erant antiquis, quia ea ætate nondum erāt adimpletæ, nec ad finē suum peruenerant prophetiæ illæ. Et sicut ea, quæ præterierūt, quę antiquis obscura erāt, nobis clara sunt, ita quæ vētura sunt nobis obscura reddūtur, & ideo Apocalypsis obscurissimus liber est. Omnis enim prophetia, vt ait Irenæus priusquā habeat efficaciā obscura est, postquā verò euenerit quod prophetatum est, tunc prophetiæ habent certam & liquidam expositionē. Propter quod in Daniele dicitur. Claude sermones & signa librū, vsque ad tempus consummationis, quoadusque discāt multi & impleatur cognitio. Et Hieremias. In nouissimis diebus intelligent ea.

Prophetiæ euentu ipso clariores euadūt.

Ioan.2

Ioan.12

Iren.cō.Here.li.4.cap.43

Dan.12

Hierem.23

Et regressæ à monumento nunciauerunt hæc omnia illis vndecim & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalena & Ioanna & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc.

Sic illi dixerunt leprosi. Dies boni nuncij hæc

4.Reg.7

est, si tacuerimus sceleris arguemur. Venite eamus & nunciemus in aula regis. Venite & nunc nunciemus in ecclesia Christi, quæ est veri regis aula, tam insigne mysterium. Certe illud Esaiæ nũc esse adimpletum cernimus. Supra montem ascende qui euãgelizas Sion, qui euangelizas Hierusalẽ. Exalta in fortitudine tua, &c. Vnde illa verba, qui euãgelizas Sion, qui euãgelizas Hierusalem, apud Hebræos fœminina sunt, ita vt ad fœminas non ad viros referãtur, vt vel primum limẽ Hebrææ linguæ ingressis cõstat. Igitur Maria Magdalena exalta vocem tuam, dic omnibus Christum non iã in infirmitate, sed in fortitudine venisse, non iam inclinato capite daturum spiritum, sed in brachio extento in mundo dominaturum.

Esai. 40

Nota. Vide August. lib. 3. cap. 24

¶Porro aduertendum maximè est pro intelligentia istarum apparitionũ, & concordia quatuor euangelistarum, quia nemo eorum integrè narrat harum mulierum apparitiones, sed vnus hoc, alter illud, imo repugnare & contradici videbuntur si non attentè legantur. Sed priusquam hanc breui enarrem historiam & euangelistas in concordiam redigã, pro maiori expositione huius literæ scito, quod Marc' dicit, quod istæ mulieres nemini quicquam dixerunt præ timore, quia inuaserat eas tremor, & pauor, sed Lucas hic dixit, quòd nunciauerunt hæc apostolis. Dico quòd cum Marcus dicit, quòd nemini dixerunt, intellige eorum quos inuenerunt per viam reuertentes in ciuitatem, quia timebant hæc illis loqui, ideo tacuerunt vsque dum ad apostolos venerunt, & tunc illis dixerunt, vt ait Lucas. Quot mulieres erant istæ, quæ venerunt ad monumentũ, & quæ? Dico ad minus fuerunt quinque, scilicet, Maria Magdalena, Maria Iacobi, Salome, Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna. Matthæus nominat Mariam Magdalenã, & alteram Mariã. Marcus verò nominat duas Marias, Lucas autem dicit hic quòd erant Maria Magdalene & Ioanna & Maria Iacobi, & postquam nominauit has tres dixit in numero plurali, & cæterę, quæ cum eis erant, ex quo manifestè apparet, quod ad minus erant aliæ duæ, & sic erãt quinq;. Quæ autem fuerint istæ duæ non est dubium quin erant Salome, quia Marcus illam expressit, & alia erat Susanna quam Lucas nominauit in octauo capite huius euangelij, & in fine capitis præcedentis dixit quòd istæ mulieres, quæ sequebãtur Christum à Galilæa parauerunt aromata, & in initio huius capitis dixit, quòd venerunt ad monumentũ, & quamuis nunc illas nõ nominasset, satis declarauerat Lucas in initio capitis præcedẽtis quòd erat Maria Magdalena, & Ioanna, & Susanna. Igitur istę quinque mulieres cœperunt ire ad monumentum cùm adhuc essent tenebræ, sed venerunt ad monumentum orto iam sole, & intrãtes in horto, siue in sepe, qua vallatum erat sepulchrum distincta à macerie horti viderũt ad ostium sepulchri ad dexteram partem lapidem reuolutum, & Angelũ sedentem super eũ, vt dicũt Matthæus & Marcus, qui dixit eis. Iesum quæritis Nazarenum, &c. Et ipsæ introeuntes in domũculam, vbi sepulchrum erat, viderunt alios duos angelos non sedentes sicut primum, sed stantes qui dixerũt eis eadem verba, quę primus dixerat, & hoc narrat hic noster Lucas. Tunc reuersæ omnes istæ venerunt ad Apostolos dicentes vidisse visionem angelorum qui dicunt eum viuere, vt dicit hic Lucas, tamen in itinere nihil dixerunt aliis ex timore, vt dicit Marcus. Apostoli autem non crediderunt eis, sed visa sunt quasi deliramenta, vt dicit Lucas. Nihilominus tamẽ vt scirent an hoc ita esset, venerunt Petrus & Ioãnes ad monumentum, & simul cũ eis omnes istæ mulieres, iam secunda vice, nam prima vice venerũt ipsæ solæ quãdo angelos illos tres viderũt, & nũc veniunt secundo cum apostolis. Apostoli autẽ videntes vacuum sepulchrum, vt mulieres dixerant, mirati sunt, & reuersi sunt, vt Ioannes ait. Maria autem Magdalena stabat ad monumentum foris plorans, scilicet, extra domunculam sepulchri iuxta ostium, aliæ autem mulieres separatæ, ipsa autem sola vehementiùs plorabat, quia ardentiùs diligebat. Tunc (vt Ioãnes ait) inclinauit se & vidit duos angelos sedentes, non inquam illos quos Lucas dixit stantes, quia hæc est alia apparitio. Apparuit illi soli Christus, & dixit Maria, &c. vt narrat Ioannes. Post hæc iam secundò venerũt ad discipulos omnes istæ quinque mulieres, & cùm irẽt, apparuit simul omnibus Christus in via & dixit eis, Auete, & illæ tenuerunt pedes eius, &c. Hanc apparitionẽ, enarrat solus Matthæus sicut apparitionem, quæ facta est Mariæ Magdalenæ enarrat solus Ioannes. Ex quo collige quòd duabus vicibus apparuit Dominus Magdalenę in die resurrectionis. Primò ipsi soli intra claustra sepulchri, secundò simul cũ aliis mulieribus. Et venientes nunciauerunt hæc discipulis. Si hæc in mente habueris, cõcordiã inuenies inter euangelistas. Hoc tamen aduertendũ est non solùm hic sed in aliis pluribus locis quòd id quod vnus euangelista tacet, alius loquitur & supplet, & sic ex omnibus quatuor contexes hanc historiam ita vt enarrauimus. Nec quia Ioannes dixit, quòd venit Maria Magdalena ad monumentũ sequitur quòd venit sola, imo ex eodem Ioannis contextu sequitur quòd venit cum aliis, nã dixit apostolis. Tulerunt Dominũ meum, & nescimus vbi posuerunt eum. Non ita nescio sed nescimus, ex quo elicitur omnes illas mulieres simul adfuisse. Sequitur etiam quòd Magdalena in illa die quinq; angelos vidit. Vnum qui erat sedens super lapidẽ ad ostiũ monumenti, & alios duos intus stantes, quos tres etiam aliæ mulieres viderunt. Sed cùm venerunt secunda vice, sola ipsa vidit duos angelos sedentes vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positũ fuerat corpus Iesũ. Hos duos aduentus Magdalenæ scribit Ioannes, quamuis in vtroque aduentu tacet quod venerũt etiã alię mulieres. Magdalena principalior erat, & ideo ab omnibus quatuor Euangelistis nominatur, & prima omnium. Sic ergo accipienda sunt hæc, & omnia in concordiam & vnam narrationem diriguntur. Sed ad contextum reuertamur.

Marc. 16

Nota. Mulieres quot ierint ad monumentum, vide Bedam in hæc verba.

Ioan. 20

Matth. 28

Et visa sunt ante illos sicut deliramentum omnia ista, & non crediderunt illis.

De primo aduẽtu agit Lucas cùm primo reuersæ à monumento narrauerũt apostolis quòd viderunt angelos, qui dixerant eis Christum surrexisse, sed tamen apostoli irriserunt eas, nec fidem verbis earum adhibuerunt, sed tanquam fabulosa reputauerunt, aut somnium, & mulierum dictũ. Videtur hac ratione, Pontifices, Annam, & Caiphã & Phariseos, & scribas maiorem fidem habuisse de Christi resurrectione, quàm apostolos, nam crediderũt custodibus sepulchri dicentibus Christum surrexisse, dederãntque illis pecunias vt dicerent, quòd discipuli

Matth.28 discipuli corpus essét furati nocte, quod profectò nûquam fecissent nisi adhibuissent fidem custodibus affirmantibus Christum surrexisse à mortuis. Sed apostoli nó crediderût mulieribus nec Petro, nec discipulis duobus, quibus apparuit euntibus Marc.16 in Emaus, vt dicit Marcus, & quod magis mirandû Ioann.20 est, quòd Thomas ita incredulus fuit, vt omnibus apostolis nó crederet. Diuina tamen dispensatione permissum est, vt apostoli vndecim cû reliquis discipulis existimarent mulieres tanquam deliras, ad firmitatem fidei nostræ, vt hinc perpendamus non faciles eos fuisse ad credêdum, & quàm verû sit Christum surrexisse à mortuis, cùm hoc crediderint homines & prædicauerint, animo obstinato ad credendum.

Resurrectio difficilis creditu. ¶ Resurrectio non solùm apostolis verùm omnibus etiam aliis fuit quidá articulus difficillimus Iob 19 creditu. Iob vt de ea loquatur stylo vtitur nouo ad eam commendandam, quare primò dixit. Quis mihi tribuat, vt scribátur sermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro, stylo ferreo & sculpâtur in silice. Nó vult verbis teri, sed scribi ad perpetuá rei memoriam, non quidem in papyro ruptioni obnoxia, sed potiùs in silice stylo ferreo. Post quod inquit, Scio quòd redéptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, &c. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quæ custodiæ commisisti, seruatáque habes, soles dicere in sinu recódita Act.17 esse, quia certissima sunt. Paulus etiam cùm Atheniensibus prædicabat Dei vnitatem & cætera nostræ fidei sacramenta, attentè illum audiebant, sed cùm loquutus fuit de mysterio resurrectionis irridebant, & quidam dixerunt. Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse, quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis. Sciebant illi sapientes ex sua philosophia, quòd à priuatione ad habitum impossibilis est regressus, & sic si fides nó adiuuat ad articulos resurrectionis credendos, ratio naturalis nó sufficit. Ex puteo profundo, aqua minimè potest exhauriri fune longitudinis trium cubitorum, quare si prolixè quis conetur aquam haurire tandem in puteum cadet, & peribit. Itaque quod corpus nostrum in cineres conuersum, illud etiam quod piscibus maris esca fuit, idemmet redeat, mysterium profundissimum est. Ratio naturalis debi Theop.in Luc. in hæc verba lis est, & id penetrare nó valés. Est opus adeò difficile, quòd & si Deus, iuxta suum proprium corpus animam poneret, cui copiá faceret illud ingrediêdi, anima ipsa cum maximę virtutis sit & naturaliter inclinata & propensa ad sui corporis vnioné, nihilominus propria virtute corpus informare nó valeret, absque auxilio diuino speciali & particulari. Cuius ratio est quia si anima propria sua virtute corpus informare posset eique vitam cóferre, sequeretur effectum esse maiorem & principaliorem sua causa, quia melior & perfectior est homo integer, sola anima, quæ pars huius indiuidui est, quádoquidem totû sua parte melius est. Si ergo anima posset esse causa vnionis totius, sequeretur effectum esse meliorem causa, quod contra rationem est. Et ideo resurrectio est opus solius Dei, qui est Ezech.37 supra naturá. In Ezechiele habetur quòd duxit illum Dominus in campû plenum ossibus mortuorum & dixit, Putas ne viuent ossa ista? Et quamuis propheta vaticinabatur, non surrexerût donec venit spiritus Dei, &c. Igitur si aliquos potuit Christus suscitare, cur non poterit suscitare seipsum? Ipse enim ait. Ego qui alios plorare facio, & ipse nó Esai.30 plorabo? Ipse qui alios parere facio, sterilis ero? Vt ostenderet Deus quod habebat potestatem suscitandi mortuos, voluit in veteri lege suscitare aliquos vt fecit téporibus Heliæ & Helisęi vt disceret 3.Reg.17 4.Reg.4 mûdus quod poterat filiû suum vnigenitû suscitare, ille qui alios suscitabat. Christus filiá Archisynagogi, & filium viduæ, & Lazarû suscitauit: vt insinuaret quod imperium habebat supra mortem ipse mortis destructor: & secum poterat sua diuina Matth.9 Luc.7 Ioan.11 potentia idem facere, quotiescunque voluisset. Atque ideo dixit. Potestatem habeo ponendi animá Ioan.10 meam, & iterum sumendi illam. Nullus enim faciliùs tunicá exuit, & illam vestit, sicut Christus suû corpus dimisit moriens, & iterum reassumpsit surgens à morte. Sed procedamus.

Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat.

Non solus Petrus, sed cum eo simul Ioánes, venerunt ambo simul, & ipse Ioánes expresiùs enarrat, quæ hîc Lucas breui sermone cóplectitur. Solum autem Petrum nominat Lucas tanquá seniorem, feruentiorem, & principaliorem, cuius exéplo cucurrit & Ioánes. Venerunt periculum facturi, an ita essent ea, quæ à mulieribus dicebantur. Et abiit Petrus secum mirans quomodo corpore sublato essent relicta linteamina, veluti per otiû subtracta corpori, quæ sine negotio non poterant euelli eaque non temere disiecta, sed commodè in suû repo Ioan.20 August.lib.3. de cons.cap.25 Theophil.in hæc verba. sita locum, semoto ab his sudario, quo tectû fuerat corpus Iesu. Sed hoc angelico ministerio factû fuit, ad declarandum, quod corpus Saluatoris non fuit ab eius discipulis furtiuè sublatum, quoniam totis viribus, festinassent hoc faciendo timore custodum præsentium, nec tandiu, aut curiosè se occupassent in compositione lineorum illorum, sed vna eos cum corpore abstulissent. Exeuntes à monumento stupefactus Petrus discessit à Ioanne cogitans hæc secum & admirans, cui dominus apparuit, & peccato pepercit trinæ negationis, & consolatus est eum, & blandè, ac leniter loquutus est. Sed audiamus iam Lucam aliam apparitioné pulchrè differentem, in hunc modum.

Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellû, quod erat in spatio stadiorû sexaginta ab Hierusalé nomine Emaus.

Defectus prudentiæ est res magni momenti relinquere, atque obliuisci ne parû diligentiæ adhibeatur. Nam pulchrum & quod magni pretij est absque labore seruari non potest, quod si forsan amittitur, diligentia & solicitudine quęrendû est. Adeò carè Christus redemptor noster illos suos apostolos emit atque discipulos, vt nó solùm laborauerit illos docés & fouens lacte suę sacratissimæ doctrinæ, sed etiam quod plus est, sanguinem proprium dedit in redemptionis pretium, & eorum amore vitam amisit. Nó enim decens erat eos, quos Christus tam magno pretio emerat, videns destitutos, incredulos, & adinuicem separatos relinquere, & pati persistere in suo errore, vt fructum eorû amitteretur, quemque ipse in eis effecerat, pro modico labore & diligentia, quam adhibere debebat post eius resurrectioné eis viuus & gloriosus apparés, vt ad seipsum redirent. Cùm ergo Christus manè resurrectionis surgeret victor, & gloriosus, stragé quam in grege electo suo fecerat edax ille & fame licus deuoratórque lupus videns, decreuit vt bo-

nus pastor gregem recipere ad fidémque adducere & ad charitatis viá. In hac historia scribit Lucas qualiter duæ oues errátes, duo scilicet Christi discipuli inuij in quoddam oppidum se conferebant, quod vocabatur Emaus, quibus cùm appareret curiosus ac solicitus pastor, incedit cum eis loquens, à quibus minimè fuit cognitus, tádem eos illuminat & docet eisque seipsum ostédit oculos intellectus aperiens & in intellectum veritatis adducés, quos etiam ad gregem reddit lætos, & solatij plenos. Ait itaque quod duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum Emaus. Fugiunt ciuitaté sanguinolentam effundentem sanguinem innoxium. Etiam sanguis Christi recés erat, & recedunt à populo vbi tot & tanti habitabant peccatores. Extorres fiunt à ciuitate, vbi tot patrantur delicta, & statim offendút Christum. Mox vt se à dæmonio, cóuersatione, & múdi deliciis auertunt: à Deo visitantur, & consolantur. Nó ergo pœniteat nos múdú, eiúsq; honores, & vanitates fugere ac deserere, siquidem in maius nobis solatiú cedit. Helias fugiés à consortio Iezabel prophetarum Dei interfectricis, ab angelo fuit visitatus. Quàm vtile tibi esset ô anima mea mundi cósolationem destituere, vt dulci Christo solatio frui valeres. Tristes ambulabant illa via, mortis & passionis sui charissimi magistri memores, diffidentes iam de resurrectione.

3. Reg.19

Desperãdum minimè, licet in afflictionib. statim Deus nõ succurrat.

¶Obserua autem quòd in ipsa die resurrectionis, iam isti discipuli diffidebát, & ideo dicit euangelista quòd ipsa die ibát in Emaus. Si dies ille tránsisset aduenissétque iam quartus aut quintus, nihil mirum si ambigerét & diffiderét, mirabile autem nimiú est, quàm increduli erant discipuli isti, siquidem eadem die, nondum enim transierat, dubitabant iam. Siquis sponderet se daturum tibi cétum aureos certo die Ioannis, scilicet Baptistę. & eodémet die mane, ante meridiem quæreres, & diceres, te iniuria affici ab sponsore, proferrésque illú iniquè egisse, nec promissis stetisse, nóne hoc malè audiret? Omnes dicerent. Amice, quid quereris? nondum abiit dies, nec vesperascit, vesperi enim si cóferat quod tibi pollicitus est non fráget promissionem, tempus etiam restat. Ipsa inquit die. Nódum enim aduesperascit, & iá diffidút. Iá queri incipiút existimantes actum esse de re, nec iam magistrum resurrecturum. O hominum & corde debiliú, paruam fiduciam. Si magister vester est vobis pollicitus se die tertia resurrecturum, nódum transiit nec nox venit, videte si promissis stat, quídque hodie facit, intereà ne diffidatis ne animo linquamini. Quamplurimi se habent cum Deo, sicut isti discipuli, quoniam tunc cum Deum sequi incipiunt, si mox auxilia non confert nec fauoribus spiritualibus fouet, diffidere eligunt tristésque reddi, putátes Deum iam esse eorum oblitum, & aliquando à sancto & bono exercitio desistunt, ad mundú quē reliquerát se conuertentes. Sic fecerút filij Israël, quando postquam ex Aegypto profecti sunt incedebant per desertum in terram promissionis, qui cùm cernerent Mosem in monte detineri & morari, nec ad eos tam citò, vt sperabant, venit, diffiderunt, & vitulum cui cultum & reuerentiam exhiberent construxerunt. Quot hodie sunt qui Deo non tribuenti ab eis petita diffidút? Videtur virgini nulla etiam patere concubia, quamobrem decernit mundo inseruire atque carni, Dei & mandatorum eius oblita. Multi enim terminum Deo statuere volunt, circa ea, quæ ab eo agenda sunt. Vis tu docere Deum quid facere debeat? Ne animo linquaris, & si Deus non tibi statim, vt petis subueniat. Sæpè enim ac sæpiùs solet Deus aliquid largiri, quádo iá tu diffidis nec cósequuturum quod petis speras, vt scias Deú melius scire dare, quàm repetere. Quisnam existimaret Abrahamo gladiú in altum sublatum habenti, dicturum esse Deum ne extendas manum tuam super eum? Quis diceret quòd Deus optimus sanctum Iob ad duplicatam gloriá, cum adeò esset abiectus veheret, & Ionam de ventre ceti educeret, necnó Susannam iam morti traditam, illique proximam eriperet? Constituit Deus homines in conflictu vt propriam sapiétiam despiciát, eámque constituant in Deo. Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. Sic Dauid cùm iá desperabat posse euadere manus Saul, Dominus liberauit eú. Ne desperem° ergo de misericordia Dei, ná & si moratur ipse opportunè adiuuabit nos, in maiori scilicet, angustia. Cùm Holofernes obsidebat Bethuliam, cœperút Hebræi Deú ipsum vocare, à quo cùm nó exaudirétur diffidentes, dixerút Oziæ sacerdoti: Iudicet Deus inter nos & inter te, &c. quoniam fecisti in nos mala nolés loqui pacificè cú Assyriis, & propter hoc reddidit nos Deus in manibus corú. Quia statim eos Dominus nó exaudiuit, eligunt pacem constituere cum Assyriis, cum dæmonio videlicet, mundo & carne. Ideo reprehendit illos Iudith, dicés. Qui estis vos qui tentatis Dominum? O gens debilis, & pusillanimis, quid de Deo diffiditis? Si moram fecerit expecta eum, veniens enim veniet, & non tardabit. Esaias etiam ait. Qui crediderit non festinet. Hoc est, qui Christum expectat, non existimet citò venturú. Adimplet promissum licet videatur differre. Promisit Dauid regnum, & vnctus est à Samuele, sed antequam ad regnum veniret multa mala passus est, ita vt videretur, quòd nunquam perueniret ad regnum. Sic etiá dixit Ioseph Israëli, quòd Deus illos visitaturus esset, sed priùs multa incommoda passi sunt in Aegypto. Sic Paulus ad Hebræos ait. Nolite abiicere confidentiam vestam, quæ magnam habet remunerationem. Deus enim stat pollicitis, veluti his, quæ suis est pollicitus cùm dixit se resurrecturum tertio die. Quanuis paululum ipse moratur, ne ob id diffidamus sicuti isti discipuli fecerunt, qui die eadé diffidere cœperunt, sed in Deo speremus, qui verbum suum non franget, nec fregit vnquam, &c.

Exod.32

Genes.22

Iob.42

Ion.3.

Dan.13

1. Reg.2

1. Reg.23

Iudi.7

Abac.2

Esai.28

1. Reg.16

Genes.50

Hebr.10

¶Præterea qui fuerint isti duo discipuli, graues doctores senserút, quòd fuit vnus illorum Lucas, & alter Cleophas. De Cleopha nemini dubiú est, quia Euangelista eum nominat, de Luca verò dubium est. Hieronymus enim ait, quòd Lucas Dominum non vidit in carne.

Vide Ambr. lib.10. in Luc. Gre. in præfa. mor. ca.1. Nicepho. li.1. ca.24. Theop. in proin. Luc. & Luc.24.

¶Porrò in hoc quod dicit sexaginta stadiis distare, significare voluit quatuor leucas, ná decé & sex stadiis leuca conficitur, vnde cum Ioánes dixit Bethaniam ab Hierusalem quindecim stadia distare, voluit dicere minus spatium, quá leucam integrá intercedere, quare si inter Hierusalé & Emaus quatuor & sexaginta stadia intercedere Lucas diceret, diceret consequenter quatuor intercedere leucas integras. Cum ergo tantú sexaginta stadia sint, manifestè constat quatuor leucas esse, quarta parte leucæ vnius excepta. Quod sufficiat de istis stadiis. Nunc sequitur in contextu.

Ioan.11

Vide Bedam ca.36 in Luc.

Et

Et ipsi loquebantur adinuicem de his omnibus quæ acciderant.

Vidistíne frater (dicebat alter ad alterum) crudelitatem & impietatem, & nequitiam quam gesserunt isti pharisæi circa nostrum magistrum cùm adeò bonus & sanctus esset? Iurarem vtiq; filiũ esse Dei, sed modo non credo, nec affirmare auderem. Nam si filius Dei esset: nõ permitteret æternus pater filium suum tam acerbè tractari, nam Deus nũquam suorũ obliuiscitur. Sed quod me magis torquet est videre quomodo Lazarũ quarto die mortis suæ suscitauit. Quonã modo (ait alter) hũc posset edere effectum nisi esset Deus? Respondit ipsemet. Hæc etiam fecerunt miracula sancti, sicuti Helias, Heliseus & alij. Verum est (ait alter) alios hęc fecisse miracula, sed nõ ea autoritate & dominio, qua magister noster Lazaro præcepit exire à monumẽto. Bona ratio ista, sed tamen si Mesias venturus erat magna autoritate & maiestate, vt Israel redimere posset, quare pauper venit? Quęnã fuit maiestas, vapulare, atque crucifigi? Respondit alter. Nonne vides esse opus labore, vt quis gloriam adipisci valeat? Quanuis non intelligo quomodo moriens, & nõ resurgens, poterit nos à morte eripere, qui seipsum ab ea eripere nõ potest? Quomodo enim quis victor euadere potest, cùm victus sit? Cùm hæc inter se agerent, accedit Christus ad eos in forma & figura peregrini baculum & galerum gerẽs, dicẽs, Vnde nam amici? Conferimus nos (inquiũt illi) Emaus. Ait illis. Itidem ego, quanuis illinc sum discessurus. Ideò ait Euangelista.

Ioan. 18

Et factũ est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.

Expende Christi bonitatem & clementiam, qui vt duos saluet discipulos non quidem de apostolorum numero, sed de minoribus alijs, non dedignatur eis apparere, & cum illis incedere tam longam viam prædicans docẽs, & adducẽs tot prophetias & testimonia, vt in veram Dei cognitionẽ peruenire faciat. Quanuis modo multi ex maioribus & prælatis contemnunt paruulos docere, nec volunt scientiã exercere, nisi corã regibus, & principibus.

Vide etiam prudentiam & charitatem Saluatoris nostri. Paulus enim dicebat, Omnia factus sum omnibus, vt omnes ad me trahã. Si ergo Paulus auxilio Christi adiutus hoc faciebat, quãtò meliùs ipse Christus faceret? Apparet Deus vnicuique secũdum dignitatem suam, & conditionem. Cùm paruulis fit paruulus, magnus & potens cum magnis, & potẽtibus. Ideò Dauid in Psal. loquẽs Domino ait, Cũ sancto sanctus eris, & cũ viro innocẽti innocẽs eris. Et cũ electo elect⁹ eris. Et cũ peruerso peruerteris. Hoc multi putãt quòd dictũ sit vt homines caueãt societatẽ impiorum: quasi diceret egregius Psaltes. Fuge à malorum consortio, nam si cum bonis agis, eris & tu bonus, si cum malis, malus, nam ex colloquiis prauis vel bonis boni, vel mali mores efficiuntur. Sed certe si benè literam inspexeris, nõ tale vult Dauid dicere, sed de Deo ait quod ipsemet Deus est humilis cũ humilibus, potẽs cum potẽtibus, paruus cũ paruulis, magnus cũ magnis. Cũ sanctis sanctus est, & cum peruersis puniẽs eos, est eis quasi si esset peruersus, potentes enim potẽter tormenta patiuntur. Quapropter antequã hæc diceret, Psalmista dixit, Et retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum, in conspectu oculorum eius. Sequitur cum sancto sanctus eris, &c. Hoc est, cũ quolibet te habes secundum conditionem eius. Et subdit. Quoniam tu populum humilem saluũ facies, & oculos superborũ humiliabis. Cùm humilibus eris humilis, cum potente & superbo, eris fortis, & potens. Athanasius etiam & Theodoretus asserunt voluisse Dauidẽ his verbis significare, qualẽ quis se ostenderit, talem aduersus eum se Deum ostẽdere. Vt speculum quicquid obiicias refert, si te placidum & benignum illi ostẽdis, placidũ & benignũ se tibi ostẽdit, si verò iratus & similiter vultũ speculi sentis furore cõmotum. Sic Deus speculũ sine macula vt dicitur in libro sapiẽtię, modo vultũ iratum ostendit tibi, modo mãsuetũ: ostẽdit enim se misericordẽ misericordibus, & crudelibus seuerum. Ideò in euãgelio modo se comparat pastori, modo agricolæ, modo regi ponenti rationem cum seruis suis. Sic fecit in sua resurrectione cũ his quibus apparuit. Quibusdã fortis apparet & terribilis, sicut armatis qui erant iuxta sepulchrum: quia armati erãt. Alijs verò humilis, sicuti his discipulis humilibus. Si te ad aliquẽ hortũ conferres, & hortulanus siue olitor tibi obuiam occurreret, qui nouit optimè locum herbæ, quã quæris, eamque tibi offerret: certè fortunatus habereris. Itẽ si iter ageres, in quo se tibi offerret alius idem agẽs iter qui non solùm tibi iter ostenderet, sed etiam tecũ cõuersans incederet, gauderes vtique propter hoc. Vide ergo qualiter se Christus cũ omnibus habeat, vt omnes lucretur. Magdalenæ apparet in horto vt hortulanus, quia in horto pulchram quærebat herbam, & odoriferum florẽ, his discipulis iter agẽtibus apparet, vt peregrinus, custodibus sepulchri qui armati erant, apparet, vt fortis & potens.

1. Cor. 9
Christus omnibus omnia factus, vt omnes lucaretur.

Psal. 17

Sapien. 6

Sapien. 7

Ioan 6
Ioan. 5
Matth. 18

Ioan 20

¶ Discant hinc prelati tractare subditos, exẽplo ipsius Christi ostendentes se graues & seueros cũ seueris & superbis subditis, benignos & humiles, cum paruis, humilibus, & pauperibus. Modo tamẽ è contra omnia fiunt. Cùm paupere subdito se habent superbè, magna cum maiestate, nec honorem deferunt nisi tantum potenti, & fauoribus abũdanti, quem. s. mundus magnifacit. Si subditus amicis abundat, & eum mundus magni æstimat, & reueretur, de eius vitiis nõ curant, licet stimulãte cõsciẽtia nouerint egere correctiõe, atque supplicio, quoniam potentis autoritas eos reddit inermes & debiles. Tantum abiectis se seueri præbẽt, qui quidẽ sic coram prælatis tremunt & palpitant, ac si argẽto viuo essent imbuti, nec loqui audent. Isti enim prælati aliter se habẽt, quã Christus ipse, qui quidẽ potentibus, se præbẽt humiles, humilibus verò insolentes, in his tantum leges maximè obseruari volunt, & subditus qui curiæ fauoribus abũdat, voti cõpos semper euadit. Christus nõ veretur armatos nec corã eis tremit, sed potiùs deponit, & deiicit, & in terrã cõiicit cũ suis clypeis, ensibus, & hastis. His se acrẽ ostẽdit, maxima cum autoritate. Cũ his tamẽ duob⁹ humilibus discipulis incedit Christus humilis comes factus, pedester iter agẽs cũ ipsis, seque ipsis cõformans. Hoc semper fecisse videbis si euangelium legeris. Vide autoritatem & seueritatẽ qua increpabat superbos pharisæos, & scribas, quãq; acerbè eos tractabat, dicens. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, &c. Et vide humilitatẽ, qua tractabat pauperes, mẽdicos, cæcos, & miserabiles. Vni dixit filiũ vocãs, Fili remittũtur tibi peccata tua. Illi qui mẽdicabat in itinere Hierico dixit,

Matth. 23

Matth. 9

Luc.18 Ioan.5 Quid vis vt faciam tibi? Idem paralytico piscinæ aliisque plurimis. Mundi saluator qui tam acerbè tractabat diuites, potẽtes, & superbos Hierusalem tractabat etiam, vt pia mater humiles & abiectos. Sic prælatus humili dicere debet. Fili mi est ne tibi aliquo opus? Eges fauore meo? Possum ne tibi in aliquo inseruire? Sed audiãt quod propheta lamẽ-

Ezech.34 tatur de eis. Væ pastoribus, &c. Qui cùm autoritate imperabatis eis, & cũ potentia. Sed de his satis.

¶ Monemur & nos quãdo iter agimus & in cõmunibus colloquiis de Deo loqui de ipsoque agere. Si hæc fecerimus ducem semper Christũ in via habebimus, comesque noster fiet, sicuti factus est his, quia colloquia eorum erant sancta, & honesta. Sic promisit ipse dicens, Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorũ. Sed hoc idẽ modo diabolus inquit. Vbi fuerint duo vel tres congregati, &c. Cùm colloquia nostra ad dæmonis obsequiũ pertineant, murmurationibus, scilicet, luxuriis, & ambitionibus, nõ dubium quin in medio eorum dæmõ sit colloquium ipsum iterum atque iterum accendens, &c.

¶ Prætereà Christus cum istis vadit, nec ab illis cognoscitur, in quo insinuatur quòd Dominus Iesus sæpe nobiscum est, & nobiscum loquitur, etiam si nos ignoremus. Quotiescũque enim ad aliquod bonum admonemur, vel in cordibus nostris, vel à fratribus nostris, toties à Domino ipso admonemur. Et si cogitaremus perpetuo omnes bonos cogitatus ex Deo esse, cautiores certè essemus in rebus gerendis. Sed ibat Iesus cum eis.

Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent.

In potestate animæ glorificatæ est prohibere lucẽ sui corporis, ne agat in visum, sicut & quælibet alia actio corporis, erit in potestate eius, potestq; per suam volũtatem occultare lumẽ sui corporis, nam in corpore glorioso est summa obedientia ad animam suam, sic videbatur eis quasi nõ esset gloriosus, nec etiam oculi discipulorum illum cogno-

Marc.16 scebant. Nec putandum est quòd dispositio faciei Christi sit mutata, quia verè fuit glorificatus, nec alia effigies fuit subiectiuè in facie Christi. Et cùm Marc⁹ dixit, quòd apparuit eis in alia effigie, intellige quòd alia effigies fuit subiectiuè solùm in oculis discipulorum vel in aëre. Potuit enim Christus visum discipulorũ diuersimodè immutare per solam impressionem, talium aut talium visualiũ spe-

Act.12 cierum, seu radiorum. Simile accidit Petro cũ eductus de carcere Herodis ab angelo, non discernebat, nec cognoscebat quod in veritate ambularet, sed existimabat se visum videre: & nobis quotidie hoc accidit, qui cùm Christum ob oculos habeamus, quí tot nobis beneficia confert, & nobiscum incedit, ducens, & à dæmonio eripiẽs, morte, & in-

Gen.42 ferno, & tamẽ cognoscere nolumus. Filij Iacob fratrem Ioseph cùm præsentem haberent, qui quidẽ eis triticum dabat, & nũmos, quos ipsimet tulerãt, & tandem eis magnam mensam parauit, quibus beneficiis non obstantibus minimè eũ cognouerũt. Oculi cæci mundi splendore, non nouerunt Deũ & si obiectũ habeant. Quare homines dum magis sunt mundo intenti, minus Deum nouerunt, &c.

Obserua etiã quòd cũ isti oculis corporis Christum non cognoscebant, ita Christus nõ cognoscitur humanis rationibus, sed sola fide & ex scriptu-

Ioan.5 ris sanctis. Scrutamini (inquit Christ⁹ Iudæis) scripturas, in quibus vos putatis habere vitã, illæ enim de me testificantur. Cùm igitur Christus cum his duobus discipulis iter agere inciperet, interrogat eos dicens,

Qui sunt hi sermones quos confertis adinuicem ambulantes & estis tristes?

Videbamini (inquit) antequam ego accederem loqui adinuicem ad modum disputantiũ. Qui ergo cõferebatis inter vos? Expẽde qualiter in operib⁹ nostræ salutis priùs Christus incipit, & primo aggreditur. Incedit Christus cum his duobus discipulis, tacet ipse, tacẽt & ipsi. Experiri volo quis nã prius ordiatur, qui enim magis nos diligit, priùs incipit. Paralyticus, qui erat in piscina curã propriæ Ioan.5
salutis dimiserat, qui cum medicũ coram se haberet, nec orabat eum pro salute propria, sed tamen minimè exoratus qui amoris igne ardet, maximè cupidus nobis benefacere, interrogauit nihil loquẽtẽ, vis sanus fieri? Mulieri illi, quę decẽ & octo Luca 13
annis habebat spiritum infirmitatis, & erat inclinata, cùm adeò nihil peteret, cœlestis medicus perfectam salutem contulit. Videte quo pacto Christus ad hos venit discipulos, non vocatus, nec exoratus: quomodo etiam nemine interrogãte loquelam suscitat. Prætereà cernite modos & ambages Christi, quibus se habet, vt ansam illis prædicandi sumat. Quare de quæsito in quæsitum, vult notus fieri ab his. Quod idẽ fecisse dicitur iuxta fontẽ Sicar cùm Ioan.4
muliere illa Samaritana, cùm potum aquæ ab ea peteret, cui posteà cùm diceret voca virum tuũ, venit in peccati detestationem, propter quòd remissa sunt ei peccata. Eadem in nobis quotidie, pietas diuina operatur, adducens nos variis modis & ambagibus à nobis minimè cognitis, quandoque verò minis, & huiusmodi similibus. Ipse nos orat, nihil intentatum relinquit, cum ipsemet sit offensus.

¶ Aduerte etiam hos duos discipulos tristes incedere per viã, non ob aliud, nisi quia dilectissimo Absentia Christi quid faciat.
suo carebant. Nihil adeò christianum debet tristẽ reddere, quàm Christi Domini absentia. Hoc solùm Dauidẽ ad tristitiã cogebat quando dixit. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum Psal.42
dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus? Et iterum, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Et Psalm.119
ideo Christus loquẽs de sua absentia dixit discipulis. Tristitia impleuit cor vestrum, nã cum gloria, Ioan.15
vt ait Paulus, sit cõscientiæ bonus testis, & hãc si- 2.Cor.1
ne Deo nemo consequi potest, sequitur nullã posse esse veram lætitiam, vbi Deus non est, sine quo omne gaudiũ falsum est, lætitia quoq; vana & momẽtanea. Solent homines lugere propter amissam pecuniam, fratres, aut amicos mortuos, & tamẽ nõ meminerũt Deum amisisse. Hoc solùm deberet eos tristes reddere & solicitos, siquidẽ, cùm Deus summum bonum sit, eo carere necessariò summa miseria erit. Sed ad contextum.

Et respondens vnus cui nomen Cleophas dixit ei, tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? Certè cũ quis tristis est, nec ad quæsita respondere scit, nec plenè respõdet, sed confusè, & tardè. Existimant enim qui tristes sunt omnes suæ tristitiæ gnaros esse, ac si tenerẽtur alij suæ tristitiæ causam & rationem præsagire. Habet enim hoc propriũ humanus affectus, vt quòd cuique valde cordi est, putet nemini ignotũ esse, & nemini nõ esse curę. Sic spõsa in Cãticis quęrit à filia- Cant.5
bus Hierusalem. Nũquid quem diligit anima mea vidistis? Et Magdalena in horto. Si tu sustulisti eũ. Ioan.20

Putabant

Christus peregrinus in multorum cordibus.

Putabant istæ quòd omnes sciebát quid ipsæ quærerent. Sic isti existimabant quòd omnes scirent quod ipsi tractabát. Vnde Cleophas. Tu solus peregrinus, &c. Res est (inquit) omnibus notissima, qui cunque versantur Hierosolymis. Habet duplicem sensum. Tu sol⁹ hospes Hierosolymitanus es ignorans ea, quæ nemo nescit quátumuis aduena? Aut, tu adeò peregrinus es, vt hæc ignores? Meritò potest dicere Christum esse peregrinum in mũdo, apud plurimorum corda, siquidẽ tractatur, ac si peregrinus esset. Peregrinus enim semper hospes est, ná hodie accedit, & cras migrat, propter quod semper amicis caret. Sic Christus habet amicos in hoc sęculo perpaucos, nec ad plurimorum corda ascédit, quando iam ab eis expellitur. Quamplurimi sua peccata confitentur in Quadragesima, qui iam de sua agant correctione, & in die Paschatis Corpus Christi recipiunt, qui posteà à se illũ expellũt ad antiqua peccata reuertẽtes. Adueniéte die Paschæ, tẽpus terũt in gaudiis, obsoniis, ludis, & similibus. Propter hoc cõqueritur Deus, dicens, Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Resurrexitne Christus, vt vos peiores efficeremini? Scitote quoniam festũ Paschæ nõ factũ vt dimitteretis vitiis habenas, sed vt homines meliores fierent. Et Paulus inquit quòd Christus resurrexit propter iustificationẽ nostram. Nõ resurrexit Christus, vt peccatores simus, sed vt iusti efficiamur. Non resurrexit, vt portas mortis aperiret, sed vt nos ad vitam repararet. Hi autem insensati peruersè agentes, tanquam si Christi resurrectio sit mortis porta, statim Christo resurgente, in mortem se coniiciunt peccantes. Non sic impij nõ sic, sed qui hucusque planxistis peccata vestra, nunc iá de remissione lętamini. Qui hucusque doluistis cũ Christo, nũc lætamini in Domino, & exultate iusti. Qui peccatis vestris mortui estis, & cum illo estis crucifixi, nunc cum illo etiam sic surgite, tanquam iterum non morituri, quoniam Christus resurgẽs ex mortuis iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Sic vos à peccatis surgite, vt non vltra in ea labamini. Cauete ne Christus peregrinus sit in vestris cordibus, sed facite eum perpetuum incolam, non reuertentes ad præterita peccata.

Psal.68 — *Rom.4* — *Psal.1* — *Psalm.31* — *Rom.6*

Quibus ille dixit, quæ?

Corporis gloriosi præstantia.

Vt Christus suos discipulos in planum deducat finxit se nihil scire: ideo interrogat. Quæ? Domine quid sibi vult, quę? Vapulasti multum, & coronatus fuisti, crucique affixus & interrogas, quæ? Sunt ne hæc obliuione dignæ? tá parui facis quæ nudiustertius passus es, quæ nemo in hoc sæculo perpeti potuit aliquo tempore, & modo tanquam si ea vili faceres, & irrideres quęris, quę? In hoc experieris pręstantiam corporis gloriosi, & quá nobilis est beatitudinis status. Esto: patiatur quis in hac vita omnes labores, & cruciatus inferni, si cum ex hac vita migrat Deo fruitur, nõ ampliùs meminit præteritorum, magis quàm si nunquam forent. Est tá fœlix status ille, vt absorptis animabus nostris in visione Dei, ex eiusdem redũdantia, gloriæ, corpori cõmunicatur, qui factus iam gloriosus nihil facit cruciatus, & labores huius vitæ. Si modo à Laurentio quæreres, passus es ne incẽdia, incessisti per ignes? Diceret ipse. Ego ne? Quid quæritis? Loquimini mecum? Quæ flagella, aut ignes? Non teneo modum istum loquendi. Est tam præstás bonũ, quòd possideo, & gloria qua fruor, vt cogát ista & maiora obliuioni darè. Omnia mala vitæ præsentis obliuioni tradit status beatitudinis. Ioseph, qui multa aduersa pertulit à fratribus à domina sua & ab aliis, cùm natũ vidit filium vocauit illum Manassen, eò quòd obliuisci fecerat illũ Deus omniũ laborum suorũ. Quantò magis ille status beatitudinis obliuisci faciet omniũ laborũ vitæ huius? Ideò Diuus Augustinus dixit, quòd si vnica tantũ gutta cœlestis beatitudinis in damnatorum pœna deflueret, tanta dulcedine repleret gehennam, vt nullum dolorem, aut tormentum paterentur. Contra autem damnati in inferno, nullarum delectationum seu deliciarum vitæ præteritæ meminerũt, nec vlla res harum eos solatur, quare constituti sunt in pura tristitia & cruciatu. Sic in libro Sapientiæ habetur quod damnati positi in inferno dixerũt, Quid profuit nobis superbia, & diuitiarũ iactantia quid cõtulit nobis? Transierunt omnia táquam vmbra, & tanquam nũtius præcurrens. Itaque deliciæ & voluptates, quas mali hîc sunt adepti, cũ ad inferos perueniunt sunt tanquam si non essent. Sicuti labores, quos hîc iusti patiuntur, sunt cùm Deum vidẽt tanquam si non fuissent, quare eos contemnunt, & parui faciunt. Est hæc ergo prior ratio, quare Christus interrogat dicens, Quæ? Est tam fœlix status quem Christi corpus possidet, post eius beatificam resurrectionem, vt labores præteritos irrideat, & quasi per contemptum dicit. Quæ?

Gene.41 — *August. ser. de beati. vita.* — *Sapien.5*

Amor Christi erga nos extenuat magnitudinem passionis suæ.

¶ Secundò in hac interrogatione ostẽdit Christus infinitũ amorẽ, quo nos prosequitur. Sic nos Christus diligit, vt totum quod pro nobis fecit, & passus est parum ei videatur, si cũ amore, quo nos afficit appenderetur. Ideò dicit. Quæ? parum enim idest, præcipuè cum pro vobis sustinuerim parum facio, siquidem si opus esset iterum mori pro vobis: equidem morerer. Magnũ quid videtur vobis mea passio, ex se enim verum est, est quidẽ adeò terribilis, vt nullus vnquam talem sustinuit. Sed tamen cùm video eam me propter vos sustinuisse, nihil de ea ago, nam maiora sustinerẽ pro vobis si opus fuerit, qui amor meus erga vos est. Seruiuit Iacob Laban propter Rachel septẽ annos, & inquit scriptura, quod videbantur ei dies pauci, præ amoris magnitudine. Sic Christo cùm tanta pro nobis sustinuit apparet parũm, adeò vt interroget, quę? Respice ergo ô homo quantum debeas huic Domino, siquidẽ cùm hîc pro te fecerit cum magnũ sit, parum ei videtur, quia nos magno afficit amore. Ideò quærit, quæ? Sed nos ecõtra facimus, qui cùm parum pro illo sustineamus videtur multum nos fecisse. Deumque de rigore iustitiæ debere cœlũ, & nobismet iudicamur sancti. Sic existimabat ille pharisæus, qui cum in templo oraret dicebat. Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo, &c. Totum hoc oritur ex minimo amore, quem erga Deum nos habemus. Nam sicut Deo multa pro bonis facienti pauca esse videbantur, propter magnum amorem, quo nos prosequitur, sic nobis cum parum faciamus multum fecisse videmur, quia eum parum diligimus. Sequitur in contextu.

Gene.29 — *Lucæ 18*

Et dixerunt. De Iesu Nazareno, qui fuit Propheta potens in opere, & sermone coram Deo & omni populo.

Saluator

Saluator noster hoc nomine Iesus appellatus est in circuncisione sicut ab Angelo fuerat prædictũ, vt iam in superioribus vidimus. Nazarenus autem dictus est, quia in Nazareth educatus fuit. In Matthæo enim legimus de Iesu, quòd veniẽs habitauerit in ciuitatẽ, quæ vocatur Nazareth, vt impleretur quod dictum est per prophetam, quoniam Nazaræus vocabitur. Præterea dixerũt illũ prophetam, & non filium Dei, vel quia non credebãt eius deitatem, vel si credebant illum esse filium Dei, nõ audebant illum confiteri coram homine ignoto. Nesciebant enim quis ille esset quem peregrinum existimabant, & ideo non audebãt diuinitatẽ eius propalare, ne traderentur ab illo peregrino, cui minimè fidebant, qui cũ essent timidi & pusillanimes non audebant loqui de Christi deitate, quã forsan ipsi interius confitebantur. Quæ etiam addũt testimonia, magna quidem sunt, sed nõ sufficiẽtia, quia non solùm fuit potẽs corã Deo, sed fuit ipse Deus, Omnipotens nomen eius, ait Moses. Quàm potens porro fuerit Christus percurre totum euangeliorũ corpus, & expẽde singula eius miracula, & videbis quãta cum potestate & maiestate illa operatus sit. Quod fuerit potens in sermone testantur populi apud euãgelistas, admirabantur enim turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos (ait Matthæus) sicut potestatem habens: & nõ sicut Scribæ eorum & Pharisei. Sequitur.

Matth.2 *Beda cap 96. in Luc. in hæc verba.* *Exod.15* *Matth.7*

Et quomo lo tradiderũt eum summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redẽpturus Israel. Et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt.

Iudæis culpa mortis Christi tribuitur, & non Pilato.

Sperabãt isti discipuli sicut & plures alij Iudæorum non intelligẽtes scripturas, quòd Christus esset redempturus Israel temporaliter à iugo seruitutis, & Romanorũ imperio, & ideo interrogauerũt eum quidam, cùm ad cœlos vellet ascẽdere, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Sed quia de hac re in superioribus in capite vigesimo primo scripsimus, nunc cætera cõsideremus. Culpam mortis Christi nõ Pilato, aut gentibus tradũt sed Iudæis & eorum principibus & sacerdotibus: quia isti iudicauerunt Christum reum esse mortis, & tradiderunt illum Pilato, & suis clamoribus, & vocibus fecerunt, vt Pilatus illũ damnaret morte, iudicãs illũ dimitti. Ex hoc facto duo obserua. Primum quàm impium sit aliquod malum inchoare, si quidem à Iudæis mors Christi petitur, quia ab eis initium habuit, quanuis ab ipso Pilato finẽ. In tertio & quarto libro Regũ sæpè repetit scriptura peccatum Ieroboam, quia fuit primus qui vitulos aureos obtulit à populo adorãdos, cuius iniquo exẽplo successerunt alij reges, qui illum cẽsuerũt imitari non ab re esse, sed tamen semper scriptura tribuit culpam Ieroboam, quia initiũ mali fuit. Hinc videbis quã acerbè sumet Deus supliciũ de his, qui nouitatum inuẽtores sunt circa vestes, & alias dissolutiones & vanitates. Secundò licet gentiles Christum manibus crucifixerunt, tamen Iudæi linguis accusauerunt, diffamauerunt, & falsa testimonia, & blasphemias cõtra Christum dixerũt, atque ideo isti multo grauiori pœna puniti, & abiecti sunt ab omni natione, ita vt posuerit illos Deus in derisum & opprobrium omni nationi. Cernite populũ quẽ Deus elegit, quem tãti semper fecit, quẽque Deus tot miraculis eduxit de Aegypto, cui tot cõtulit beneficia, quę inuenies in toto veteri testamẽto, & tandem filius Dei ex eo carnem assumere nõ dedignatus est, modo tamẽ abiectior proculdubio, & vilior cæteris omnibus mũdi nationibus est, nã inter christianos, gentiles, saracenos, & alias mũdi nationes sunt in contemptum redditi. Hæc tota fuit eis inflicta pœna propter eorum linguam iniquam, siquidem insontem Iesum cõdemnauerunt, Barabbam incolumẽ manere clamãtes, quare sanguis Christi cadit super eos, & filios suos, sicuti à Pilato ipsi petierant. Multũ solet Deus punire impias, & malas linguas, infamatores, & detractores proximorũ, necnon alienatũ vitarũ indagatores. Propter hoc peccatũ, & scelus fuit lepra percussa Maria soror Mosi. Propter hoc scelus Dathã & Abiron fuerunt à terra absorpti. Core igne cõsumptus est, & propter istud peccatũ maior pars filiorum Israël in deserto periit, vt dixit illis Dominus. Omnes qui numerati estis à quindecim annis & suprà, & murmurastis cõtra me, nõ intrabitis terrã super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, propter Caleb filiũ Iephonæ, & Iosue filium Nun. Murmurante etiam populo cõtra Dominum de labore, ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem. Et vt breuiter dicã in nulla re Deum magis offendisse dictus est populus ille quàm murmurando.

3.Reg.12 *Act.2* *Matth.27* *Num.12* *Num.16*

¶ Obserua etiam quòd non dicunt illi discipuli nos speramus, sed sperabamus. Loquũtur vt homines qui ante habebant spem, sed modo eã amiserint, quare omnino diffidebant, dicẽtes, Tertia dies est hodie quod hęc facta sunt. Existimabamus eum hodie resurrecturum, & redempturum Israël, sed iã non est quid speremus. Ex omnibus horũ verbis colligitur quàm tristes, & diffidentes discipuli isti incedebant.

Sed & mulieres quædam ex nostris terruerũt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere.

Suis dictis semetipsos cõdemnãt, nam inquiũt. Istæ mulieres erant ex nostris, erãt enim Christianæ & studiosæ, quare æquum erat eis fidẽ adhibere. Secundò testimonium angeli vnius sufficiebat, vt crederent ipsi Christum Dominũ viuere, quantò magis quia certum est mulieres tres vidisse Angelos vt iã suprà vidimus, quæ quidem nunciauerũt apostolis quæ eis angeli dixerant. Aduerte autem quòd istæ mulieres, non tantum terruerũt apostolos eo quòd Christi resurrectionẽ narrabãt, sed potiùs terruerunt eos, eo quòd nõ inuenerunt corpus Domini, de quo discipuli vehementer erãt stupefacti & territi.

Et abierunt quidã ex nostris ad monumentũ, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerũt.

Ioan.20

Audientes mulieres, Petrus & Ioãnes, abierunt ad monumentum, vt Ioannes enarrat, & viderunt linteamina posita, & sudariũ quod fuit super caput eius. Mulieres ergo nihil finxerunt, nec erãt verba illarum deliramenta, sicut illi putauerũt. Hæc omnia isti duo discipuli Christo, suum iter agentes dicebant, sed Saluator tacuit, & audiuit, maxima cum patientia, vsque ad finem, nec eis plus restitit quòd dicerent, in quo considerare debes Redemptoris nostri bonitatem, quanta scilicet, patientia audiebat vnam diffidentiam & incredulitatem post aliam, vnam stultitiam & alteram.

Sed

Sed tu adeò impatiens es, vt cum tibiipsi videaris bonæ indolis,& fœlicis intellectus cæteróſq; ingenio pręſtare,renuis proximum tuum audire,& auſcultare, nec permittis finẽ verbis ſuis imponere: ſed ſtatim fis obuiam ſuis loquelis,dicẽs te iã moleſtia affici,& tandẽ eum relinquis. Diſce hoc Chriſti exemplo patienter audire pauperes & humiles, vſque ad finem: nã & ſi tu magno ingenio polleas, non eris tam præſtans, ſicut Chriſtus qui tacens pręebat aures attentas horum ſtultitiis. ſic Moſes audiebat populi querelas,à mane vſque ad veſperam,maxima cum patientia. Exod.18

¶ Diſcant etiam ſacerdotes,qui confeſsiones audiunt, & peccata pœnitentium non occurere ſtatim quòd primum peccatum audiunt,ſed audiant, interrogent,expectent,& dicentẽ auſcultent,vſque dum confeſsionem perficiat,ſicut Chriſtus cũ iſtis fecit. Nam ſi confeſſor primo audito peccato ſcandalizatur,& carpere incipit, poterit contingere ꝙ pecator metu concuſſus alia ſimilia, aut grauiora peccata ſubticeat. Si quis retia ad capiendas colũbas paraſſet, qui earum manũ videret,ſi ſtatim ſentiens aliquam in laqueum incidiſſe rete reciperet, aut manum congeſtam inuadaret, ſeu lapide peteret,nullam proculdubio caperet: perterritę enim in alas ſe protinus cóiiciunt,quare neceſſe eſt ſilẽtio,& patientia expectare,vt omnes capiantur. Sic vos debetis gerere cũ peccatore,& expectare,vt cõfeſsioni imponat finem: poſt enim reſtat tẽpus ad corripiendum,& monendum,vulneraque peccatorum curãdum. Sic Chriſtus audit hos & pręebet aures attẽtas, vt omnino proferãt ſuas incredulitates: poſt hæc autem opportunè dicere orditur,

O ſtulti & tardi corde ad credẽdum, in omnibus quæ loquuti ſunt prophetæ.

Iniuria aliquãdo licita. Hucvſque cõticuit, vt medico vulnera ſua detegerent,iã Chriſtus modo curare incipit,& medelam adhibere, fungitúrq; officio medici, qui ſanguinem emitti præcipit, & medicamina expulſiua confert:& ſicut chirurgus qui igne carnes ſecat,& vulnerato paſsionem infert, vt tandem incolumis euadat. Sic Chriſtus modo incipit ſtultos vocare, dicẽs, O ſtulti & tardi corde ad credendum. Quid hoc eſt? Domine quare eos ſic tractas? nonne doces neminem alios iniuria afficere poſſe? In Euangelio enim Matthęi dicis maximè inculcans. Qui dixerit fratri ſuo fatue,reus erit gehennæ ignis. Vide Matth.5 deris ergo Domine aliud nobis præcipere,& aliud ipſe facere. Scitote quoniam hoc aliter Deus facere poteſt quàm nos. Habet argentarius vas argenteũ,quod dolat: qui ſi è domo abeat,ſuis dicit, nemo veſtrũ capiat hoc opus nec attingat,poſteà autẽ cùm venit,malleum capit,& incipit ictibus vas cõtũdere adeò,vt in quoddã planũ reddat. Dic modo tu,qui odiſti alios ad tuum opus accedere, & pertingere,cur ſic tractas,vt perdere videaris? Quia alij ſi dolare volentes attingunt,perdent eum,ego tamen ſic faciens perficio. Sic nos nec accedamus ad proximum,nec eum tangamus, neſcimus enim quid faciamus,& tandẽ perdemus opus. Chriſtus autẽ vt bonus artifex nouit quid faciat: poteſt punire,& corripere,cõtunderéque,quandoquidẽ totum hoc in cõmodum & vtilitatẽ perſequuti, vergit,quia perfectior euadit. Sic afflixit Dauid, Iob, 2.Cor.12 Tobiam,& alios multos ſeruos ſuos, & Paulo datus eſt Angelus ſatanæ,vt eum colophizaret. Itaq; propter vtilitatem eorum facit.

¶ Aduerte autem quòd cor in ſcriptura ſacra ſumitur pro parte animæ ſuperiori,in qua volũtas eſt & intellectus. Nec enim cor eſt aut voluntas ſola, aut mẽs ſola,ſed vtrũque ſimul. Et ideo Paulus dicit, quòd corde creditur ad iuſtitiã,non autẽ crederet ſi ſola volũtas eſſet. Et alibi dicit. Det vobis Deus illuminatos oculos cordis veſtri,vt ſciatis quid ſit ſpes,ſed voluntas non habet oculos, nec voluntas ſcit. Et Eſaias. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorũ: vt non videant oculis, & intelligant corde. Cùm ergo cor intelligat & dilligat: neceſſario ſit,vt ſimul intellectũ complectatur,& voluntatem. Sic cũ fides ſit in intellectu & voluntate: ideo Chriſtus hic dixit iſtis quòd erant tardi corde ad credendum. Eſt ergo cor,quia credimus, pars animæ ſuprema,quam Gręci ἡγεμονικὸν dicunt. Rom.10 Ephes.1 Esai.6

¶ Diſcamus proximorum noſtrorum defectus non palam, ſed occultè arguere, atque corrigere. Chriſtus enim in itinere, ſolus iſtos diſcipulos arguit,& eos monet & docet,eorúmque incredulitatem carpit. Et pręſertim aduertant prælati, vt cum arguere voluerint ſubditos priùs eiiciant eos qui ſcãdalizari,aut malã opinionẽ de eis. quos corrigere volunt,habere poſſunt. Debebat Ioſeph oſtẽdere ſe fratribus,quod non poterat facere,niſi ad memoriam reuocaret illis peccatũ, quod in ipſum cõmiſerant,& ne eorum peccata apud exteros diuulgarentur,omnem extraneum à ſe eiecit. Sic etiam cum Dominus voluit arguere Iob, ſolùm illum cõuenit, quem cũ arguiſſet ſeorſum apud amicos in publico commendauit. Non (inquit) loquuti eſtis rectum ſicut ſeruus meus Iob. Sic etiã cùm voluit arguere Mariam,& Aarõ murmurantes in Moſem eos ad fęderis tabernaculum ſeorſum pręcepit ire cum fratre. Sic Chriſtus Samaritanam ſolam,& ſecreto arguit, & diſcipulos miſerat, vt cibos emerent. Sic Chriſtus nunc ſeparat hos ab aliorum ſocietate,vt ſeorſum in vita carpat. O vtinam multi ex prælatis hanc doctrinam ſuſciperent, qui ita in publico ſubditorum peccata corripiũt, & in reprehenſionibus ita ira accẽduntur,vt quicquid nouerunt in publicum,& palam effundãt,imo & quod cogitant, ita vt videantur furere & inſanire. Sed Chriſtum audiamus. Genes.45 Iob 42 Numer.12 Ioan 14

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?

Quia ſic placuit Deo, & fuit æternaliter ordinatum, per ſtultitiam crucis ſaluos facere credentes, & Chriſtum per paſsionem ſuam cœlum aſcendere. & corpore glorificari, gloriámque cœleſtem plenariè poſsidere: Chriſtus quippe ſua humiliatione, paſsione, & morte promeruit ſibi ipſi præmium accidentale,atque dominum omnis creaturæ, dicente Apoſtolo. Humiliauit ſemetipſum,factus obediens vſq; ad mortẽ,propter quod Deus exaltauit illum. Anima Chriſti in ipſo inſtãti conceptionis habuit gloriam hanc,quæ redũdabat indeſinẽter in corpus eius, & impoſsibile illud fuiſſet,niſi Deo diſpenſante redundãtia illa fuiſſet vſque ad reſurrectionem dilata. Expende nunc ſi Chriſtum oportuit per paſsionem, multiplicem gloriam ingredi: nos quid ſumus, qui abſque tribulationibus, & laboribus gloriam ingredi volumus alienam? Suntnè membra capite meliora? Exiſtimamus ne nos præſtantiores eſſe Ieſu, aut beata matre eius aut Apoſtolis? Duobus diſcipulis, qui inter alios gloriam & honorem petebant, dixit Philip.2

Matth.20 dixit Dominus, an possent bibere calicem suum: vt intelligas passionis calicem, & tribulationis amaritudinem esse viam gloriæ, & tandem hoc inquit infallibilis veritas, quod oportuit Christum pati, vt sic intraret in gloriã suam. Sed nos comedentes & bibentes, & gaudentes volumus in eam intrare, cum nostra non sit: in quam Christus Dominus intrauit patiens mortem & passionem, & per sanguinis effusionem, cuius tamen ipsa erat. Si homini facinoroso & latroni, q̃ mille mortes merebatur, nõ alia inferretur pœna, quàm per tres tantum dies in carcerem detrudi: si hic crudelem regem esse prædicaret, & de carcere quæreretur dices magna iniuria affici, nõne haberetur stultus, & fatuus? intellige ergo quòd propter tua ingẽtia scelera merebaris in infernum detrudi, plurimosq́ue illic iã esse, quibus dignior eras, qui eorum tormenta patereris. Si ergo tu scelera patrasti, propter quæ inferno dignus eras, deóque in perpetuum carere: cur quereris propter istos modicos labores, quibus à Deo affiiceris, cùm maiora merearis tormenta pati? Sentis quod pateris, non autem quod mereris: si enim cõtra faceres, diceres te à Deo delicatè tractari, & si tu solus omnes cruciatus & tormenta omnium martyrum, solus sustineres. Quia enim tuorum peccatorum & pęnę, qua propterea dignus es, es oblitus, quereris propter minima, quæ pateris. Sic Ruben dixit fratribus suis cum tribularentur in Ægy-
Genes.42 pto. Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, & non audiuimus eum. Sic patiẽter debes ferre tribulationes, cõsiderans quid tua peccata mereãtur. Considera quot sunt modo in inferno, quibus tu peior es, quibus si à Deo daretur copia, & esset integrum potiri luce, aura & salute, quibus tu potiris, proculdubio à semetipsis beati iudicarentur, licet omnes mundi homines in proprias facies spuerent, vapularent, & in clibanos mitterentur. Væ nobis cæcis & miseris, sub quorũ pedibus infernus ardet, cuiusque guttura patent ad deuorandum & deglutiendum nos, qui cum non simus memores demeritorum nostrorum conquerimur, & murmure abiicimus pauca quæ patimur, cùm æterno cruciatu digni simus. Cum digni inquã hastarum ictibus simus iniuria afficimur propter pueriles sagittas secundum illud Psalm. Sagittæ paruulo-
Psalm.63 rum factę sunt plagæ eorum. Si autem considerare non vis, quid propter tua peccata merearis, considera quod fuisti creatus ad fruendũ Deo, & ęterna eius beatitudine: & quod homo hęc cõsequitur laborib⁹, passionibus, & persequutionib⁹, pro Christo Redẽptore nostro. Stat sentẽtia. Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persequutionẽ patiuntur.
2.Tim.3 Dormis negligẽs, Dei oblitus, vt ergo à somno excitêris, & eũ cognoscas aufert tibi Deus delicias, & res in quibus confidis. Sic fecit Dauid cũ Saul,
1.Reg.26 qui quidem hastam eius cępit, & aquę scyphum, vnde postquam à somno surrexit, nouit peccatũ suũ. Sic aufert hominibus Deus vites, delicias. & prosperitates, in quibus viuunt, tribulationes autẽ confert, vt ad eum cõuertantur. Cum taurus in arenã deducitur, qui per eam gaudentes incedũt, si taurũ venientem vident, in pedes se statim coniiciunt, & in custodia se ponunt, qui prius negligẽtes erant. Infert tibi Deus labores, quia incuriosus es, quib⁹ edoceris, & te seruas, & ad eum conuerteris eligẽs Deum tanquam refugium, ad quod omnes confu-
Psal.15 giunt. Ideò dixit Psalmista. Multiplicatę sunt infirmitates eorũ, & postea accelerauerũt. Igitur si Christus filius Dei dicit quod ad intrandũ in gloriam conueniebat pati, conare tu, & statue multos labores perpeti si vis frui gloria, quam Christus sui sanguinis effusione tibi lucratus est. Sed historiam prosequamur.

Et incipiens à Mose & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.

Incipiens à Mose, hoc est à quinque libris Mosi & prophetis. Expẽde Christi Saluatoris nostri bonitatẽ & clementiam. Primò quoniam maximus eius amor pati non potuit, suos tristes esse, nec in tali errore. Verè amicus fidelis est & benignus Dominus: siquidem accessit ad eos, & causam suę tristitię interrogauit, cordáque eorum inflamans exposuit illis scripturas. Hoc & nobiscum agit quotidie: nam si de Christo loquimur, si aliqua tristitia & calamitate concutimur statim adest in spiritu confortans, illminans, & inflammans corda nostra in sui dilectionem. Ideóque optimum remedium est, vt de Christo loquamur in omni tribulatione nostra: & in itineris labore.

¶ Secundò expende Christi clementiam, in eius non solùm dilectione, vt dictũ est, sed in profunda eius humilitate. Ita vide quanta humilitatę incedit Rex cœli, cũ his duobus discipulis pauperculis, ac si esset quasi vnus eis. Non tibi videtur quòd reuersus est ad assuetam eius humilitatem? Nõ dedignatur cum duobus tantum discipulis, ex minori gradu existentibus ostendere familiarem dilectionem, & colloquium. Ille, de quo Dauid inquit, Do- Psal.23
minus potẽs in prœlio, incedit modo humilis cum duobus discipulis. Nõ sic superbi & fastu pręsumẽtes, & homines arrogantissimi: qui nolũt nisi cum principibus huius sęculi seriò agere, aut quicquam loqui. Maximáque arcana, & secreta immẽsa Christi benignitas tantum duobus pauperculis discipulis prędicat, & manifestat. Quid tu superbis, qui verba tua non nisi coram multis stãtibus iisque nobilibus hiisque magnatibus vis prędicare & ostendere? &c. Interpretabatur autem eis scripturas, quæ erãt de Christo. De eius aduentu & tempore, quo Genes.49
erat venturus, dixit Iacob. Nõ auferetur sceptrum de tribu Iuda, &c. De cõceptione Esaias prędixit. Esai.7
Ecce virgo concipiet, & pariet filium, &c. De loco Mich.5
natiuitatis Micheas. Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millib⁹ Iuda, ex te mihi egredietur qui sit dominator⁹ in Israel. De natiuitate dixit Esaias. Esai.9
Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerũ eius. De nominis impositione in circũcisione ait Esaias, Et vo- Esai.7
cabitur nomen eius Emanuel. De aduentu regum Psal.71
ait Dauid. Reges Tharsis & Insulę munera offerẽt. Reges Arabum & Sabba dona adducent. Et adorabũt eum, &c. De subiectione sub legis iugo & obediẽtia, Esaias prophetauit. Dominus iudex noster: Esai.33 & 53
ipse saluauit nos. Verè lãguores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. De fuga Ægypti prędixit Oseas, Ex Ægypto vocaui filium meũ. De innocẽtum interfectione dixit Hieremias. Vox Osea 11
in Rama audita est ploratus & vlulatus, &c. De e- Hiere.31
ius predicatione ait Esaias. Spiritus Domini super me, ad annunciandum pauperibus misit me. De mi- Esai.61
raculis eius Esaias dixit, Deus ipse veniet, & saluabit nos, tũc aperientur oculi cæcorum, & aures sur- Esai.35
dorum patebunt. Tũc scilicet, sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. De Ioanne pręcursore

Mala.3 ſore dixit Malachias. Ecce ego mitto Angelũ meũ,
qui præparabit viam ante faciẽ tuam. De prædica-
Psal.77 tione parabolarum ait Dauid, Aperiam os meum
in parabolis: loquar propoſitiones ab initio. De im
Psal.119 pugnatione doctrinæ, ait Pſalmus. Cùm loquebar
illis impugnabant me gratis. De odio phariſæorũ,
Psal.62 & ſcribarum dixit Regius Propheta. Odio habue-
runt me gratis. Quomodo rationibus confunde-
bat eos ita vt nec mutire poſsint, dixit Pſalmiſta.
Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes
qui iurant in eo: quia obſtructũ eſt os loquentium
iniqua: de ingreſſu triumphali in Hieruſalem di-
xit Zacharias. Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus
Zach.9 & humilis. De traditione Iudæ. Homo pacis meæ
Psal.40 in quo ſperabam, qui edebat panes meos magnifi-
cauit ſuper me ſupplantationem. Quomodo dere-
Psal.55 lictus eſt à diſcipulis & ab amicis. Amici mei &
proximi receſſerunt à me. Extraneus factus ſum
Psal.26 fratribus meis, &c. De accuſatione. Inſurrexerunt
Psal.68 in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Ad
nerſum me loquebantur qui ſedebant in porta, &
in me pſallebant qui bibebant vinum. De velatio-
ne oculorum eius & irriſione. Faciem meam non
auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.
Esai.50 De eius ſilentio dixit Eſaias. Tanquam agnus corã
Esaia 53 tondente non aperuit os ſuum. Et Dauid. Et factus
Psal.68 ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore
ſuo redargutiones. De flagellatione Pſalmiſta præ-
Psal.72 dixit. Fui flagelatus tota die. De deſpectu & oppro
Threno.1 briis, ait Hieremias. Saturabitur opprobriis. De ba-
Esaia 9 iulatione Crucis. Eſaias. Principatus eius ſuper
Psal.21 humerum eius, De crucifixione. Foderunt manus
meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa
mea. De partitione veſtium. Partiti ſunt veſtimen-
ta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſorté. Quo-
Esaia 53 modo inter latrones crucifixus, ait Eſaias. Et cum
ſceleratis reputatus eſt. De exclamatione in Cru-
Psal.21 ce dixit Dauid, Deus Deus meus quare me dereli-
Esaia 53 quiſti? Quomodo orauit pro eis qui eum crucifixe-
runt dixit Eſaias. Et pro tranſgreſſoribus orauit, vt
Dani.9 non perirent. De morte eius ſcripſit Daniel. Poſt
hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus.
Psal.85 De deſcenſu ad inferos ait Dauid. Ponetur anima
Esaia 11 mea in inferno inferiori. De ſepultura Eſaias. Erit
ſepulchrũ eius glorioſum. De ſpoliatione inferni.
Osea 13 O mors ero mors tua, ero morſus tuus ô inferne.
Psa 3 De Reſurrectione prædixit Pſalmiſta in perſona
2.Reg.9 Chriſti dicens, Reſurrexi, quia dominus ſuſcepit
me. Non eſt cur plus temporis teramus in enarran-
dis ſcripturis. Sufficit quòd hodie Rex Dauid victis
ſuis inimicis redit ad regnandum in Hieruſalem in
pace: maxima cum lætitia, gloria & maieſtate. Ho-
die propheta Daniel educitur à lacu leonem. Ho-
Daniel.14 die arca teſtaméti eſt collocata in nouo curru triũ-
2.Reg.6 phali. Hodie columba Noë redit in arcam cum ra-
Gen.8 mo oliuæ, ſiccis iã diluuij aquis. Hodie Ionas pro-
Iona 3 pheta egreditur de ventre Ceti viuus & ſanus. Ho-
die Hieremias educitur è puteo: quo ab inimicis
Hiere.38 fuit proiectus. Hodie floret virga ſicca Aaron. Ho-
Num.17 die nouis veſtibus induitur Sacerdos Ieſus, vt Za-
Zach.3 charias inquit, Hodie auis Phœnix reuiuiſcit calo-
re ſolis mediante. Hodie reſurgit magiſter veſter
immortalis, impaſsibilis, & glorioſus. Iſto modo
ibat Chriſtus cùm illis interpretando ſcripturas, &
adducendo eas ad Chriſtum, prædicens mortem, &
ſepulturam, denique & reſurrectionem, vt crede-
rent reſurrectionem eius, poſtquã omnia alia, quæ
prædicta fuerant à prophetis viderant adimpleta
eſſe in Chriſto, & in his ſermonibus conſummaue-
runt totum iter, in quo illi duo diſcipuli incedebãt,
ſuſpenſi ab ore eius, mirati literas & ſapientiam il-
lius peregrini ignoti ab illis.

Et appropinquauerunt caſtello, quò ibant: & ipſe ſe finxit longius ire.

Sermo Domini Ieſu non tantũ feriens aures diſ- Fictio quãdo licita.
cipulorum, verùm etiam in animos penetrans, ſic
illos occupauit, vt nec viæ ſentirent laborem, nec
faciem loquentis agnoſcerent, nec veniret ipſis in
mentem, vt apud ſeſe cogitarẽt quis eſt iſte, cui ſic Lege Aug. li.2.q. Euan.c.51
in promptu eſſent ſcripturæ ſacræ doctrina tanta,
vt eos tam efficaci ſermone ſuſpenderet, & affice-
ret. Ieſus autem, vt eorum deſiderium magis accẽ-
deret, fingit ſe longius ire: hoc eſt diſsimulauit lon-
gius ire: quia ſimulatio facti licita eſt, & commẽda-
bilis quando fit ex rationabili cauſa, & bono fine.
Vnde Ioſue cum filiis Iſrael ſimulauit fugam quã- Ioſue 8
do ceperunt ciuitatem Hai.

¶ Vide Saluatoris mundi bonitatem, & anſas,
quas quærit vt mereri nos poſsimus. Millia facit, vt
incendat deſideria noſtra in ſuum amorem. Benè
ſciebat Chriſtus, quando illa mulier Chananæa Matth.15
clamabat poſt illum petens ſalutem filiæ ſuæ, quid
ipſe eſſet facturus: ſed diſsimulauit, & diſtulit bene-
ficium, vt eius deſiderium accẽderet, & perſeuerãs,
& clamans efficeretur dignior, vt maiorem gratiã,
conſequeretur, & ſic maiori affecta eſt honore, &
digna vt à Chriſto laudaretur, & eius fides exalta-
retur. Sic cũ iſtis fecit. Voluit Chriſtus ſeipſum illis
apertè oſtendere, & fingit ſe longius ire: vt ipſi exci-
tarentur in deſiderium ſui, & inuitarent eum quem
peregrinum exiſtimabant. Sic nobiſcũ multoties
agit, qui aliquãtulum ſe abſcondit, vt noſtræ virtu-
tis experimentum capiat. Quapropter tu inuita il-
lum ſuſpiriis, & interiori affectu inuoca Ieſum: deti
ne illum & amplectere, & dic cum ſponſa, quę ait
in Canticis, Tenui eum nec dimittam donec intro- Can.3
ducam eum in domum genitricis meæ. Sic fecerũt
iſti duo diſcipuli, de quibus ait Euangeliſta. *Et coegerunt illum dicentes. Mane nobiſcum, quoniã aduesperaſcit & inclinata eſt iam dies.*

De tempore quo illum inuitauerũt, vt ſecũ ma-
neret multi decepti ſunt putantes, quòd hoc con- Veſper quot modis accipiatur in ſcripturis.
tigit iam in ſolis occaſu: ſed certe non fuit, niſi ſta-
tim poſt meridiẽ. Quapropter aduerte quòd in E-
uangelio veſpera aliquãdo accipitur pro prima par
te diei: & aliquando pro illa parte diei, quæ eſt im-
mediatè poſt ſolis declinationem, id eſt, immediatè
poſt meridiem: aliquando pro ſolis occaſu, aliquã-
do pro tempore, quod eſt immediatè poſt ſolis oc-
caſum, vel per noctem, & aliquando etiã pro tota
nocte. De primo, ſcilicet, de prima parte diei dixit
Matthæus. Veſpere autem ſabbathi, quæ luceſcit
in prima Sabbathi venit Maria Magdalena, &c. Veſ Matth.28
pere Sabbathi, ideſt in veſpere ſabbathi: quia poni-
tur ibi genitiuus pro ablatiuo. Et tamẽ accipitur ibi
veſpera ſabbathi pro prima parte diei primæ ſabba-
thi, id eſt, dominicæ. Quod patet ex Marco, qui di- Marc.16
xit, quod valde mane vna ſabbathorum veniũt ad mo-
numentum orto iam ſole. Et ſic neceſſe eſt quòd ac-
cipiatur ibi veſpera pro parte illa diei, quæ eſt ali-
quantulum ante ſolis ortum, ſcilicet crepuſculum
matutinum: quo tempore mulieres receſſerunt de
Hieruſalem, vt venirent ad monumentum.

¶ Secundò accipitur veſpera, pro illa parte diei

quæ est immediatè post solis declinationem, id est, post meridiem immediatè. Sic accepit Matthæus cum dixit, Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli, &c. Cũ Christus satiauit quinque millia hominum ex quinque panibus, & duobus piscibus. Et sic Lucas etiam in superioribus accepit, cum dixit. Dies autem cœperat declinare. Lucas interpretatur Matthæum. Nam verè illud miraculũ, vt clarè ait Lucas, factum fuit statim post meridiẽ, quod tempus vesperam vocat Matthæus. Sic etiam accipitur hîc. Nam isti Christum inuitauerunt ad comedendum: & statim vt illũ cognouerunt reuersi sunt in Hierusalem, quæ distabat quatuor leucis. Sic loquens de hoc tempore in hymno Nonæ sumit Ecclesia vespera cum dicit: Largire clarum vespere, &c. & secundum consuetudinem ecclesiæ tempus statim post meridiem ad Nonam pertinet.

Matth.14 *Luc.9*

¶ Tertiò sumitur vespera pro solis occasu, vt patet ex cõmuni modo loquẽdi, & ita scriptura communius accipit, vt in Exodo dixit Dominus: quòd Phase immolabitur quartadecima die ad vesperã: & tamen Phase immolabatur in ipso solis occasu, vt in Deuteronomio habetur. Immolabis Phase vesperi ad solis occasum. Iudæi enim, vt habetur in Leuitico, ex Domini præcepto à vespere ad vesperam: hoc est, à solis occasu vsque ad eundem punctum alterius diei sua festa celebrabant.

Exod.12 *Deute.16* *Leui.23*

Quartò accipi solet vesper pro tempore quod est post solis occasum immediatè, vel per noctem, vt dicitur in Numeris de sacrificio matutino & & vespertino: & tamen sacrificium vespertinum, post solis occasum cremabatur: sed dicitur vespertinum, quòd cremabatur ad vesperam in initio noctis. Sic etiam accipitur in Exodo, vbi dicitur quòd quando collocat Aaron lucernas ad vesperum, vret thymiama: & tamen lucernæ incẽdebantur post solis occasum. Sic etiam accipitur in Matthæo cum dixit. Vespere autem facto erat Iesus solus ibi. Id est, solus erat in terra quando cœperat esse nox, nam loco huius dicitur in Ioanne, quòd tenebræ factæ erant, & non venerat ad eos Iesus. Et sic vesper significat tempus, in quo incipiunt tenebræ. Et hoc modo vocant Astrologi crepusculum vespertinum totum tempus, quod est à puncto occasus solis vsque ad horam, & quartam partem horæ ferè, scilicet quando mouetur sol per decem & nouem gradus æquinoctialis. Sic etiã dicitur in libro Iudicum: quod apparuit homo reuertens de agro vespere, & ibi ante hoc dicitur, quòd iam occubuerat sol: ergo tempus post solis occasum est vesper.

Num.28 *Exod.30* *Matth.14* *Ioan.6* *Iudi.19*

¶ Quintò accipitur, in scriptura vesper pro tota nocte ipsa, vt in Genesi dicitur, Factum est vespere & mane dies vnus. Idest, dies & nox faciunt vnam diem. Et sic mane accipitur ibi pro toto tempore, quo sol erat super terram, & vespere pro tota nocte, sicut etiam potest accipi, quod dicitur de sacrificio vespertino, quod fiet ad vesperũ vel ad vesperam. Et tamen in Leuitico dicitur, quòd sacrificiũ vespertinum cremabatur tota nocte in altari vsque mane, scilicet quia ab occasu solis vsque ad ortum dici debebat durare crematio illius sacrificij: ergo vespera, vel vesper est tota nox. Igitur quia inclinata erat dies, quæ incipit declinare statim post punctũ meridiei, & iam non erat tempus vltra progrediendi ad comedendum, rogauerunt, & coëgerunt isti discipuli Saluatorem, vt apud illos maneret, & ne vltra progrederetur. Quod autẽ hoc contigerit post meridiem patet: quia isti duo discipuli eadem hora reuersi sunt Hierosolymam, vt hic dicitur, & cùm hæc narrarẽt apostolis, stetit Iesus in medio eorum, & dixit eis, pax vobis. Hæc autem apparitio fuit eadem die resurrectionis vesperi: vt Ioannes dicit: ergo in sero eadem die resurrectionis iam isti discipuli redierant ab Emaus, & erant cum Apostolis in Hierusalem. Si ergo illud iter ab Emaus in Hierusalem egerunt quatuor leucarum postquam Christum viderunt in Emaus in sero: sequitur eos profectos esse ab Emaus vnica hora post meridiem. Quod tempus hic vocatur vespera.

Num.28 *Leui.6* *Ioan.20*

¶ Admonet locus iste, vt hospitales simus, ita, vt non solùm hospites inuitemus, sed & cogamus eos. Nam vt Beatus Gregorius ait, hospites non solùm sunt inuitandi, sed & trahẽdi. Sanctus ille Patriarcha Abraham in meridiei hora, scilicet comedendi sedebat ad portam domus suæ oculos in viam coniiciens, si forsan viator aliquis trãsiret, ad inuitandum eum, & recipiendum in domum suam. Tunc enim fœlicibus illis temporibus egrediebãtur homines ad vias, & cogebant peregrinos & viatores charitatis & hospitij iure iungi ipsis: quãobrem digni fuerunt Angelos hospites habere. Ab Abrahamo didicerat Loth: siquidem quando hospites vidit (inquit scriptura) compulit eos, quod est idem, quod hic dicitur, coëgerunt eum. Modo tamẽ humana solicitudo & cura est, magnas diuitias cõgregare: ac si nulla alia vita præter hanc superesset. Mulier illa nomine Raab, quia recepit in domum suam exploratores Israel, qui peregrini erãt & alienigenæ, meruit ipsa cum cæteris de cognatione sua à morte eripi, & postea nupsit Salmoni principi de tribu Iuda, & tandem meruit vt Christus Redemptor noster ex ea descenderet secundum carnem. Ideo Paulus admonet dicens, Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim quidam placuerũt angelis hospitio receptis.

Hospites non solù inuitãdi sed cogendi. *Greg. Homi. 23. in Euan.* *Gen.19* *Iosue 6* *Hebr.13*

¶ Secundò vide quanto maioris valoris sunt apud Deum bona opera, quàm ornata, dulcia, & elegantia verba. Non nouerunt isti discipuli dominũ quando de lege ipsa loquebatur; nouerunt tamen quando opere adimpleuerunt quæ lex eadem fieri iubebat. Pluris enim æstimantur opera charitatis & misericordiæ (vt diximus) coram Deo, quàm pluribus verba ambagibus plena: nam cœlum bonis operibus extorquetur, minimè autem verbis. Hoc eleganter dixit Regius Propheta in psalmo. A mandatis tuis intellexi. Intellexi te Domine, & noui ex mandatis tuis. Quare minime est credendũ verè custodientem & obseruantem mandata Dei vnquam lapsurum in hæreses aut errores: nam legis Dei obseruatio, ducit nos in cognitionem eius maiorem & clariorem, non verò in errores. Homines tamen impios absque misericordia, superbos, & ambitiosos mirari non debemus, qui cum prius tam vitiosi sint, deueniant postea in tot errores, & falsa dogmata. Vnde Psalmo habetur. Intellectus bonus omnibus facientibus. Qui legem Dei seruãt bonam eius cognitionem consequentur. Quia isti discipuli Christum pauperem, & habitu peregrinũ inuitauerunt, & ignotum proximum charitate receperunt, & meruerunt eum agnoscere. In via quidem quando de lege Dei loquebantur eos latuit, non autem quando erga eum piè se gesserunt. Nam vt Iacobus inquit, non auditores verbi iustificabũtur: sed

Psal.118 *Psal.118*

Iacob.1 tur: sed factores verbi iusti sunt apud Deum. Et in die iudicij de operibus sumus rationem reddituri, & ratio à Deo de illis est sumenda quando dicet. E
Matth.25 suriui, & dedistis mihi mãducare: sitiui, & dedistis mihi, &c.

¶ Tertiò, iam isti erant experti commodũ, quod erant consequuti ex Christi societate: nam posthæc adinuicem dixerunt. Nonne cor nostrum ardens erat in via, &c. Ideò volunt secum illum habere. Sic & tu age, vt tecum semper habeas viros probos, & sapientes. Vides quantum commodum isti consequuti sunt ex Christi consorcio? Crede hoc commodum quotidie accrescere in corde tuo: si adhæ-
Eccl.13 seris optimis viris. In Ecclesiastico habetur, Pondus super se tollit, qui honestiori se communicat. Videbis equos quosdam nouos, indomitos, atque crebro salientes, adeò vt vix eos poteris subiicere, nunquam enim quiescunt, sed semper saltant. Quid tamen remedij adest? Imponunt illis quatuordecim amphoras, aut quindecim ponderis, vt gradum mutent, & bene gradiantur. Sic quatuor aut quinque iuuenes inuenies, sicuti iuuencos, stultos, & insipientes, semper inhoneste loqui: absentes alios detrahentes: ad quos si grauis homo & studiosus accedat mox tacent, & verba & colloquia mutant: ne ab eo carpantur: vnde totum tẽpus quod cũ eis consumit apparet illis pondus graue, quare bonus cogit illos sensum capere, & gradum componere: quia nunquam mali se cum studiosis communicant, nam coram bono, boni sunt & in officio. Propter quod dicitur bene in Ecclesiastico. Onus sibi imponere, qui cum bono conuersatur. Non te pœniteat ferre super humeros hoc iugum: siquidẽ tuæ saluti conducit. Vt tuam Deus animam lucretur bonum tibi mittit, vt suis bonis operibus & exemplis ad eum conuertaris, tẽque illuminet. Sic Tobias
Tob.13 dixit. Confitemini Domino filij Israël, & in cõspectu gentium laudate eum: quoniam ideò dispersit vos inter gentes, quæ ignorant Deum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos: quia non est alius Deus omnipotens præter eum. Sic isti discipuli experientia sciebant iam quantum profuerat illis & Christi conuersatio: quare etiam atque etiam petebant ab eo, cum eis quiescere: quare inquit hîc Lucas quod coëgerunt eũ. O si Deum tu gustares, & aliquantulum suæ dulcis cõuersationis sentires, proculdubio nihil est, quod ab eo te posset separa-
Psal.33 re. Gustate (inquit Dauid) & videte: quoniam suauis est Dominus, &c.

Prædicatores alendi. ¶ Denique gratitudinem docet locus iste. Docuerat illos Christus per viam, prædicauerat, exposuerat sacram scripturam, non ergo erat decens ieiunum dimittere illũ, qui tot bonis operibus & beneficiis eos affecerat: quia esset ingratitudo & inur-
4.Reg.4 banitas. Ex quo discamus cibare prædicatores, & alere nos, verbum Dei docentes, & sacras scripturas. Sic fecit mulier cum propheta Heliseo sibi iure
Luc.10 hospitij adiungens omni charitate. Hanc dedit Dominus copiam suis prædicatoribus, quando præcipiens eis prędicare dixit. In eadem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Et hospites qui eos recipere nolebant nec cibare minatur dicens. Sodomis in die illa remissius erit quàm illi
1.Cor.9 ciuitati. Et Paulus Corinthiis ait, Si nos vobis spiritualia seminamus: magnum est si nos carnalia vestra metamus? Sed iam ad contextum reuertamur.

Et intrauit cum illis.

Videte quomodo manet, quanuis antea videbatur abire velle. Sic sæpe ac sæpius nobis contingit, quibus quando abire apparet, tunc manet: cùm apud nos vult requiescere, signa profectionis ostendit: fingit se ire, vt tandem maneat. Sentis te tristẽ & absque vllo solatio tepidum postquam te deuotum vidisti: iam adeò destitui tibi videris, & quod tui iam non meminit. Scito tamen tunc Deum vel le manere, maioriq; amore te afficere: nam ea asperitate nos solet Deus tractare, quando nos diligit. Videbatur Deus recedere à populo Israelitico, illúmque relinquere quando Pharao eius labores duplicabat, tributáque & vectigalia augebat: & tamen secundum veritatem, tũc magis ad eos appropinquabat & statuebat eos ab Aegypto eruere atque educere. — *Deus quando recedere videtur maximè nobiscũ est.* — *Exo.5*

¶ Expende etiam quàm bonus est Deus in concedendis petitionibus eorum, qui fidei & deuotioni vacant. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet: & deprecationem eorum exaudiret. Vult Deus à nobis vocari & exorari, vt hac humilitate eius gratia digni efficiamur: in bonitate tamen eius confide, nam si perstiteris petens, vt isti duo fecerunt, non vtique tibi quod petis denegabitur: sicut nec istis. *Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panẽ ac benedixit & fregit & porrigebat illis: & aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Quatuor actiones Iesu circa panem describuntur, acceptio, benedictio, fractio, & porrectio: & tamen in sola fractione est agnitus, vt intelligamus fractionem fuisse miraculosam: hoc est quia frangebat panem manibus suis sicut alij incidunt gladio. Solitum hunc frangendi modum fuisse credimus: & propterea discipuli ex consueto Iesu modo cognouerunt eum. Nam si hic modus frangendi panem non fuisset illi consuetus, nullum agnitionis testimonium afferrent dicendo, quomodo agnitus fuisset ab eis in fractione panis? — *Psal.144* — *Osea 10*

¶ Obserua autem quomodo inuitantes ignotum peregrinum, cognouerunt illum. Ideò scriptura, Seminate vobis iustitiã, vindemiate ad fructum vitæ: & illuminate vobis lumen cognitionis. Prius dicit, seminate, & postea illuminate, vt optimè dissérit diuus Ambrosius: quia opera bona præstant, vt mereamur à Deo illuminati. Sic Cornelius faciebat eleemosynas & opera misericordię, & illuminatus est, & venit ad fidem & cognitionem Dei. Vnde in Ecclesiastico habetur. Qui timetis Dominũ diligite illum, & illuminabũtur corda vestra. Aperuit autem Dominus oculos istorum, sicut aperuit oculos Agar, & vidit puteũ aquæ viuentis. Heliseus etiam dixit. Aperi domine oculos pueri, vt videat quod plures nobiscum sunt quàm cum aduersariis. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit montem plenum equitibus. ¶ Rursus aduertendum, quòd tunc oculos aperiri dicitur in scripturis, quando clarè aliquid cognoscimus (vt ait Augustinus) quod ante ignorabamus. Scriptum est de Adam & Eua quòd aperti sunt oculi eorum. Non enim erant cæci parentes nostri ante peccatum, nec Agar clausis oculis sedebat prius: nec isti discipuli ambulabant per viam clausis oculis. Lege si placet Augustinũ & Origenem. Præterea nisi Iesus aperiat nobis oculos nemo videt, ideò in Psalmo dicit Dauid. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Si turbatus est oculus, facilè dolor omnis seda — *Amb. sermo.8 super Psal.118* — *Act.10* — *Eccle.2* — *Gen.21* — *4.Reg.6* — *Aug.li.2.loc. in Gẽ. in prin.* — *Gen.3* — *Aug.lib.11.in Gene.ad litte rã c.31. Orig. hõ.17.Num.*

tur collirio: sin verò acies eius humoris suffusione prætexitur, maiora remedia quæruntur. Est ergo sicut in oculis corporis, ita in oculis animæ huiusmodi quædam passio, quæ ingrauescat necesse est, nisi bonus medicus velamē illud abstulerit. Sic medicus Christus, qui de cœlo venit vt sanaret, iuxta
Psal. 106 illud Psalmi, misit verbum suum, & sanauit eos: ape
Act. 9 ruit oculos nostros, sicut oculos Pauli, de quibus ceciderunt squamæ, & aperuit oculos corporis, & animæ. Sic aperuit oculos istorum discipulorum, non solùm corporis, vt visu corporeo illū cognoscerent: sed & animæ, vt eius crederent resurrectionem. Aperti inquam sunt oculi eorum, & cognouerunt illum.

¶ Expende etiam, quòd in fractione panis illum cognouerunt: sic etiam cognoscitur à nobis Deus
Psal. 18 per suos effectus, iuxta illud Prophetæ. Cœli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Duplex enim est demonstratio, vna, quæ est per causam, & dicitur propter quid: & hæc est per priora simpliciter: alia est per effectum, & dicitur demonstratio quia, & hæc est per ea, quæ sunt priora quo ad nos. Cùm enim effectus aliquis nobis est manifestior, quā sua causa, per effectum procedimus ad cognitionē causæ. Ex quolibet autem effectu potest demonstrari, propriam causam eius esse: tamen eius effectus sunt magis noti quo ad nos: quia cùm effectus dependeat à causa: posito effectu, necesse est causam præexistere. Vnde Deum esse, secundum quod non est per se notum quoad nos: tamen demonstrabile est per effectus nobis notos. Et ita in qualibet creatura ex eius origine & productione, iuxta illud Pauli. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intel-
Rom. 1 lecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, atque diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Si cælum, terram, elementa, cæteraque, quæ terra germinat, & omnia tibi obiecta, conspicias, te in Deum ducent, & in eiusdem cognitionem per suos effectus: sicut isti discipuli in fractione panis cognouerunt. Cœli quidem lumen, solis claritas: atque lunæ, stellarum, & planetarū splendor, viriditas pratorum, & herbarum, torrentes aquarum, & cætera quæ Dei manus fabricauerunt tibi indicant quis nam Deus sit. Sed quia de his latè disseruimus in libro meditationum dilectionis Dei, meditatione prima, nunc ad alia gradum faciamus.

Et ipse euanuit ex oculis eorum. Statim, cum Deus in hac vita solatia tribuit suis, aufert, ne in eorum deueniant, & vergant detrimentum. Sicuti pater, qui non vult largiri nūmos paruulo filio: ne ludat, & inde in perditionem deueniat, vsque adeò crescat, & consumere sciat. Inuitat Deus his solatiis, & aufert, vt eis refecti homines in cœlum tollantur. Cùm accipiter sublimipeta ardeam in terram præcipitem agit, mox aucupes properant, vt vngulis eripiant, cum tantum ipsa reficientes, permittuntque bis, aut ter refici ardea, & statim auferunt: nam si saciaretur, & ventrē impleret, nihil postea capere valeret. Voluit tamen Christus redemptor noster, hos duos discipulos sua præsentia reficere, propter quod sunt illi gauisi: post cognitionem autem eius euanescit ex oculis eorum, vt corda in Deum ipsum tollant, ne scilicet, nimium corporali præsentia Christi afficiantur. Hoc idē sæpe operatur Deus nobiscum, auferens nobis ea, quæ amore prosequimur, vt in Deum nos ducat. Porrò in eo, quod repētè & quasi imperceptibiliter, ac velocissime per dotem agilitatis ab eorum aspectu disparuit, mōstrauit se corpus glorificatum habere.

Et dixerunt adinuicem. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?

Dimisit Christus hos discipulos gaudio, & solatio plenos: vt facere cōsueuit, quoties dignatur nobis manifestari. Peccatum sicuti vinum acetosum infestum gustū in fine habet, quare relinquit hominem tristem & insipidum, econtra autem Christus facit, qui latens relinquit discipulos exultantes, & roboratos circa fidem: quamobrem lætitia pleni ad inuicem dicebant. Nonne cor nostrum, &c. O cæci quid tunc non nouimus, siquidem in corde signa suæ præsentiæ experiebamur? Cur non coram illo statim procubuimus? Cur non detinuimus: veniamque incredulitatis præteritæ non petiuimus? Adeamus ergo, & Hierusalem statim proficiscamur, hæc Apostolis nunciaturi, & cæteris, q. i cum eis morantur.

¶ Vide & tu quàm verè dixerit Dauid loquens Deo de eius eloquio. Ignitum eloquium tuum vehementer. Sic per Hieremiam ait Dominus. Nun- Psal. 118 Hiere. 23
quid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus: & quasi malleus conterens petras? Sic isti ex Domini confabulatione magis ac magis accendebantur amore ad Christum. Sic tu quotiescunque verbum Dei audis, & nihil mutationis in corde tuo sentis, toties scito te non audire verbum Dei, sed hominis: qualiscunque tandem sit ille minister verbi Dei. Contra quotiescunque senseris, pios aliquos motus sese in te exardere, certo scias Christū, & huius spiritum tibi loqui qualiscunq; tādem sit is, qui concionatur. ¶ Cæterùm hæc interrogatio in scriptura quanuis certa sint quæ interrogantur, dupliciter fieri solet. Primò, vt vehementius moueant: vt illud Genes. Nonne tota terra coram te est? Hoc est Genes. 13
certè ex tota hac regione, quam conspicis eligēdo tibi potestatem, vt vbi velis habitationi locum eligas. Et in libris regum & Paralipomenō crebro inculcatur. Nonne hæc scripta sunt in lib. verborū regum Israel? Secundò interrogationis forma solet in scriptura vim habere admirationis: vt apud Esai. Quis est iste qui venit de Edō tinctis vestibus Esai. 63
de Bosra? Nā quis est nisi demēs, qui arbitretur angelos, quorū ministerio diuinæ reuelationes ad nos perferuntur, ignorasse illā incarnationē in qua ipsi vel maximè internuntij fuerunt? Nec placet quòd Chrys. in prologo super Euang. Ioan.
multi ex scholasticis doctoribus asserunt, quòd in resurrectione illa, aliqui nouerunt quod antea ignorabāt, non intelligentes Paulum qui ait, vt innotescat principibus & potestatibus multiformis gratia Dei: cum Paulus loquatur de dæmonibus qui principes sunt tenebrarum harum habitantes in hoc caliginoso aere, qui incarnationem, quam antea ignorabant ex prædicatione Apostolorum cognouerant. Hoc modo intelliges aliquos sanctos doctores qui dicunt quòd prædicante Paulo & Euangelista Ioāne Angeli didicerunt. Cœlum verò pro aëre in scripturis accipi, in cōfesso est apud omnes. Itaque illa interrogatio Esaiæ sanctorū Angelorū non ex ignorātia fuit, sed est quædā admiratio. Vtroq; modo interrogāt isti, vt hæc interrogatio nō dubitāriū sit, sed vt vehementius mouerēt, & vt magis admirarentur. *Et surgentes eadem hora regressi sunt in Hierusalem.* Iam non timentes Iudæos festinanter venerunt

nerunt ad Apostolos nunciantes eis Christi resurrectioné, portantes bonum nunciũ: nec eis videbatur dignũ, vsq; in alterũ diem tã lętam nunciationé
4. Reg. 7 differre. Sic illi quatuor leprosi inuenientes castra Syriæ, & diuitias & cibos in eis, dixerunt. Hæc dies boni nuncij est. Si tacuerimus & noluerimus nũciare, sceleris arguemur. Venite eamus, & nũciemus in aula regis. Vnde constat prædicationé non debere differri in longum tempus. Quare quę in plurimorũ vergũt vtilitatem differri non debent nec taceri. Vn
Tob. 12 de Angelus Raphael dixit, Opera Dei reuelare & confiteri, honorificũ est. ¶ Expende etiam feruoris & spiritus illorũ magnitudinem, qui tempore primitiuæ ecclesiæ vixerunt. In eadem hora dicit, cum iam peragrassent, quatuor illas leucas illo die, redierunt eadé in Hierusalem: & iterum illud iter egerunt nunciantes Apostolis & toti Ecclesiæ quomodo eum nouerant, quídque actum esset. Talis spiritus ac feruor deberet nobis inesse: qué etiam Pau
Rom. 12 lus optabat Romanis cum eis dixit. Solicitudine nõ pigri, spiritu feruétes, domino seruiétes. Vult Deus
Gene. 4 feruorem in obsequiis illi præstitis. Cain inquit scriptura, sero & impiè Deo obtulit ea, quæ obtulit. Factũ est, vt post multos dies offerret coram domino
Gen. 22 de fructibus terræ. Non sic Abrahã, nec morã fecit in filij sui sacrificio: nam statim Deo præcipiente, noctu surrexit absque vlla mora, & in montem cũ sacrificaturus se contulit. Feruor iste nostram ignauiam capit. Vincat ergo carné istam amor Dei, cor dibúsque nostris resideat & in eo fortis efficiatur, non solum ad incedendum per viam Dei: sed etiam per eandé currendum: ita vt verè dicere possimus
Psal. 118 quod propheta Dauid in Psal. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

¶ Præterea obserua quàm nobilis & illustris est amor Dei, quàm vilis & parui momenti amor mũdanus. Amor enim mũdi & carnis adeò est ignobilis, & infamis, vt aliquod cõsortium non admittat: si quis carnaliter mulierem diligit: tenuit alios eadem dilectione eã prosequi: adeò vt nec cerni permittat, vult solus in amore esse: quare societatem in eo non admittit: quod quidem est maximus amoris
Rica. de Tri. defectus. Nam vt Ricardus ille victorius dixit: grãdis est proculdubio charitatis defectus, non posse pati consortium amoris. Amor autem Dei est nobilis, qui enim Deũ amat cupit & desiderat omnes alios eum amare. Si quis patronum & aduocatũ habet Ioanné Baptistã, optat cæteros habere, & quod eum amore & dilectione prosequantur. Dauid qui
Psal. 30 plenus erat amoris Dei, dicebat omnes inuitãs. Di
Psal. 140 ligite dominũ omnes sancti eius. Et in alio psalmo non solum Angelos & homines vocat ad laudem Dei: sed etiã creaturas irrationales, bestias, & creaturas insensibiles, sicuti grandinem, igné, niué, glaciem, serpentes, dracones, aues, & tandem omnes creaturas. Quando enim amor Dei conditur in alicuius hominis pectore, desiderat maximè omnes venas, neruos, & cæteras corporis partes conuerti in linguas: vt laudes diuinas efferant. Lætitia quidé spiritualis statim sese communicat: in quo videbis verum esse bonum, quia de natura boni est, esse cõmunicatiuũ suiipsius. Sic isti discipuli nõ fuerunt parci gaudij proprij: sed pleni amore Dei, & spirituali solatio, voluerunt socios eiusdé participes esse: quare statim ad eos se contulerunt bonũ nunciũ portãtes. Et vt Paulus ait. Quia diligentibus Deum
Rom. 8 omnia cooperãtur in bonũ, hinc est vt inuenerint vndecim Apostolos simul, quibus quæ gesta sunt narrauerũt. Quapropter sequitur in contextu. *Et inuenerunt vndecim congregatos, & eos qui cum illis erant, dicẽtes quod surrexit Dominus verè.* Oportebat Christũ resurgere, vt fides nostra, sua resurrectione cõfirmaretur, eiúsque diuinitas ostẽderetur: nã si propria virtute nõ resurgeret, nõ crederét homines, Deũ
esse. Sic dicebat ipse per Prophetã. Quæ vtilitas in Psal. 29
sanguine meo, dũ descẽdero in corruptioné? Si sanguis meus fuerit corruptus, quænã ex eo poterit educi vtilitas? & ex effusione eius nemo hominũ veniã consequeretur. Cũ auté resurrexit nouerũt omnes hominé illũ mortuũ, verũ esse Deũ: nã omnis effectus naturaliter demõstrat suã causam, & cũ causa principalis, & prima resurrectionis mortuorũ sit diuinitas, ostẽdit Christus, resurgés sua propria virtute se esse verũ Deũ: quòd quidé si nos nõ crederemus, saluté cõsequi minimè possemus. Ideò Paulus,
traditus est propter delicta nostra: & resurrexit pro Rom. 4
pter iustificationé nostrã. In cruce soluit pro nobis, & in ea deleuit chirographũ, quod cõtra nos ipsos dęmõ habebat, vt alio loco idé Paulus ait. Sed quid Colo. 2
illud nobis prodesset, si nos nõ crederemus hãc satisfactioné, quã Christus soluit Patri pro nostris peccatis? Etsi enim morte ipsius solutũ erat debitũ, nõ sat erat tamé ad nostrã iustificationé. Ideò dixit Paulus, quod resurrexit propter iustificationé nostrã. Moriendo quidem nobis vitã cõtulit ad morté dãnatis & resurgédo nos iustificauit. Non quod resurrectione mereretur nobis gratiã & gloriã, hęc enim iã meruerat passione sua & morte: ista enim fuimus redẽpti, nõ resurrectióe: sed, inquit Paulus, quod resurrexit propter iustificationé nostrã: quia eius resurrectio fuit via ad credẽdã passioné eiusdéq; mysteriũ. Fecit enim resurrectio iustificationé in cordibus hominũ, qui in passione scãdalizati fuerãt: & mediãte resurrectione fuerũt iustificati per passioné. Nã si Christus non resurgeret effectu, frustraretur eius passio: propter nostrã incredulitaté: nã nũquã crederemus hominé illũ qui mortuus est, esse Deũ nisi resurge-
ret. Et sicut sine fide impossibile est placere Deo, si Hebr. 11
resurrectio nõ esset, deesset vtiq; passionis fides: quare resurrectio traxit passionis fidé, & fides viua iustificationé, resurrectióe ergo fuimus iustificati, ita
vt dixerit Apostolus Corinthiis, Si Christus nõ re- 1. Cor. 15
surrexit, vana est fides nostra. ¶ Surrexit ergo dominus verè, & sua gloriosissima resurrectione vitã animabus contulit, vt diximus, quia resurrexit propter nostrã iustificationé, & dedit vitã corporibus, quia eius resurrectio est causa resurrectionis nostræ, vt ait Paulus. Si mortui non resurgũt, nec Christus re-
surrexit. Nũc aũt Christus resurrexit à mortuis pri- Ibidem.
mitiæ dormiẽtiũ, quoniã quidé, &c. Si Christus no resurrexit miserabiliores essemus omnibus hominibus. Si Christus nõ resurrexisset, quomodo solueret Deus corporibus sanctorũ, qui in hoc mũdo passi sunt tot labores? Si Christus solus resurgeret, daretur monstrũ, cuius caput esset viuũ, & corpus mortuũ. Et è diuerso si Christo nõ resurgéte nos resurgeremus, esset corpus viuũ, caput verò mortuũ. Inquit ergo Paulus, resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ: & mortui resurgét, ipse ergo resurrexit. Quod auté mortui resurgãt, & sit resurrectio patet: quia si resurrectio mortuorũ nõ est, misserabiliores sumus omnibus hominibus, sed nõ sumus miserabiliores omnibus hominibus cũ virtuti studeamus: ergo resurrectio mortuorũ est. Si igitur

resurrectio mortuorũ est, & Christi resurrectio est causa resurrectionis nostrę: ergo Christus resurrexit. Itaq; Paulus ex resurrectiõe nostra probat Christi resurrectioné quę causa est resurrectionis nostrę. ¶ Sed dubiũ est qũo resurrectio Christi sit cã resurrectionis nostrę, an sit causa efficiés, formalis, materialis, aut finalis. Si enim Christũ mediteris quatenus Deus est, causa est prima efficiés nostræ resurrectionis per suã infinitã virtuté. Sed tũc est causa æquiuoca, id est, altioris rationis & generis sicut est causa cæterarũ rerũ creatarum. Si verò cõsideretur ceu Deus humanitati cõiũctus in qua resurrexit: tũc est causa proxima per virtuté diuinitus susceptã, & vniuoca, scilicet eiusdé rationis cũ nostra resurrectiõe, vt ipse testatur dicés. Sicut pater suscitat mortuos & viuificat: sic filius quos vult viuificat. Vnde quia causa efficiés vniuoca producit effectũ sibi similé, vt ignis igné, est etiã causa exemplaris & formalis, quia corpora nostra instar sui corporis suscitãda sunt, & dotibus similiter dotãda, iuxta verbũ Pauli ad Philip. Saluatoré expectámus dominũ nostrũ Iesũ Christũ: qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ. Est nãque ipse caput nostrũ, nos aũt eius mẽbra: & ideò omnia eius dona in nos redũdãt. Vnde Pau. Deus qui diues est in misericordia propter nimiam charitaté, &c. ¶ Si auté quęras vtrũ humanitas ipsa sit aliquo modo causa efficiés nostrę resurrectiõis: dico quod si de causa agéti & principali percõteris, nõ est nisi virtus Christi ei diuinitùs impartita. Eadé enim causa resurrectionis Christi erit & nostræ: & clarum est ꝙ humanitas quę in triduo non habuit partes coniunctas, nõ fuit causa suæ resurrectionis, sed diuina virtus, Christo communicata: qui & animam habebat diuinitati coniunctã, simul & corpus. Quare eadé virtute easdé partes simul aggregauit, eadémq; virtute nos quoque suscitabit. Et hoc est quod ait Paulus. Qui suscitauit Christũ à mortuis, viuificabit mortalia corpora nostra. Si verò de causa instrumentali fiat sermo: resurrectio ipsa Christi, hoc est, coniunctio corporis & animæ suæ est instrumentum coniunctum eius diuinitati, quo mediante erit causa resurrectionis nostræ: sicut tactu corporali mundauit leprosum, & linitione aperuit oculos cæci nati. Itaque sicut Christi resurrectio propinquior erat virtuti diuinitatis, quàm nostra: ideò per propriam suam virtutem absque alio instrumento resurrexit. Nostram autem resurrectionem mediante sua operatus est. ¶ Itaque tenebamur sub vinculo mortis & seruitutis: sed liberauit nos Christus sua gloriosa & benedicta resurrectione. Vnde Psalmista in persona domini. Propter miseriam inopũ, & gemitum pauperũ nũc exurgã. Tenebamur captiui ab hoste crudelissi. in fortissimo carcere, & fracto carcere, & hoste deuicto per Christũ liberè sumus educti & liberati sanguine ipsius. Quemadmodum enim in quibusdam animalibus contingit, quod sic stringunt aliquid intra se conclusum, vt nisi fractum fuerit à se non diuidatur nec dimittunt illud quod intrinsecus clausum tenent, si autem missum fuerit oleum, statim dissoluitur. Hoc enim in polypo me expertum aliquando memini. Sic enim petræ alicui hæret, & rem quam capit ita fortiter stringit: vt etiamsi in partes scindatur, nunquam tamen ab eo quod simul comprehendit diuellatur. Ad hunc modum diabolus humanum genus tenebat, nec volebat dimittere. Tanta enim auiditate illud possidebat, quòd potius se scindi permitteret, quàm genus humanum quod captiuum tenebat liberum abire sineret. Sed dominus Iesus, piissimus Saluator noster sanguinem suum pretiosissimũ fudit, quasi oleum misericordiæ: & per ipsum nos liberauit. Sic ergo liberatos omnes lætos nos esse oportet: & tanto magis exultare: quanto magis acerbo & duro carcere tenebamur inclusi, & quanto magis à crudeli hoste tenebamur captiui. Sic enim Pharaone mortuo, cum toto exercitu suo, populus Israel videns se liberatum à tyrannide Pharaonis & captiuitate Ægyptiaca magna cũ lætitia cantare cœpit & dicere. Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est: equum, &c. Et Maria Prophetissa Soror Aaron sumpsit tympanum in manu sua, egressǽque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus pręcinebat dicens, Cantemus domino, gloriosè, &c. Propter quod Dauid in Psalmo ad hanc lætitiam inuitat dicens, Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Vniuersa terra & omnis orbis, qui antea erat sub dominio & tyrannide diaboli: nunc deuicto dæmone, & nobis ab eius tyrannide liberatis Deo subiicitur creatori, vt iam dæmone eiecto solus Deus in homine regnet. Exultet terra illa cælestis, de qua in Psalmo. Portio mea in terra viuentiũ. Lætétur insulæ multæ, hoc est terra nostra, quæ fluctibus tentationum in via concutitur. Verùm cum de cęlesti patria loquebatur absolutè dixit, terra: quia ibidé exultant de Christi resurrectione. Sed de terrestri habitatione nõ dicit omnes insulæ sed multæ: quia non omnes insulæ lætabantur, sed multæ, quia multi peccatores non lætantur. Multas insulas ad lætandũ inuitat, nõ omnes, quia multi nõ credũt euãgelio, nec ei obediũt: quo fit vt qui victoriã non cognoscũt, de eius triumpho gloriari non possunt. Sic erãt sancti vndecim Apostoli, & omnis cõgregatio fideliũ gaudentes atque lætantes, cũ superuenerunt hi duo discipuli, & omnes lætitia incredibili dicebant. Surrexit dominus verè. *Et apparuit Simoni.* Postquam apparuerat Mariæ Magdalenæ, & aliis mulieribus, apparuit Petro Apostolo. Vnde in die resurrectionis quinquies apparuisse dominum narratur ab Euãgelista. Primò apparuit Marię Magdalenæ, vt Marcus ait, & hanc apparitionem scribit Ioannes. Secundò apparuit illis quinque mulieribus in itinere, cũ reuerterétur de sepulchro: vt Matthæus ait. Tertiò apparuit Petro, vt hîc dicitur. Quartò apparuit duobus discipulis euntibus in Emaus, vt hîc videmus. Quintò & vltimò apparuit omnibus simul vno excepto Thoma, qui non erat cum eis: quando in sero cum essent ianuæ clausæ, stetit Iesus in medio discipulorum. Hanc apparitionem scribunt duo Euangelistæ. Scribit illam Lucas hic statim post istam apparitionem. Et Ioannes in capite vigesimo sui euãgelij. Alias autem quinque vices narrant euangelistæ quod apparuit dominus in aliis diebus. Primò cum apparuit in die octaua resurrectionis omnibus simul, cum Thomas esset præsens, vt Ioannes narrat. Secundò ad mare Tiberiadis cum iuerant ad piscandum Apostoli simul cũ Nathanaele. Tertiò cũ conuenerũt omnes in Galilæa, vt Matthæus dicit. Quartò apparuit Iacobo minori: q vocabatur frater domini, vt Paulus scribit Corinthiis. Quintò apparuit omnibus in Bethania in die ascẽsionis eius, & benedixit eis: vt scribit Lucas in fine huius capitis, & li. actuũ Apostolorum

Marginal references, in order: Ioan.5 — Cap.3 — Hebr.3 — Rom.7 — Psal.11 — Exod.15 — Psal.96 — Psal.141 — Mar.16 — Ioan.20 — Matth.28 — Ioan.21 — Matth.28 — 1.Cor.15

rum. Præter has autem apparitiones, quas expressè scripserunt Euangelistæ apparuit aliis multis vicibus: nam Lucas ait quòd in multis argumentis per dies quadraginta apparuit eis loquens de regno Dei: hoc est de suæ Ecclesiæ regimine & gubernatione, & sacramentorum administratione: de pontificum ordinibus, de curatorum gubernatione, déque aliis ad Ecclesiam spectantibus. Certè modus & ordo quem sancta Ecclesia seruat ab Apostolis traditus est, & ipsi ab ore Christi didicerunt. Sicut institutio ieiunij, quadragesimæ, & alia multa: quæ Apostoli tradiderunt. De quadragesima Ignatius martyr discipulus Ioánis Apostoli in quadam epistola ad Philippenses, quadragesimam & hebdomadam passionis Christi commendat. Et Theophilus Alexandrinus ait: quòd habemus quadragesimam ab Apostolis institutam & ordinatam. Et Hieronymus ad Marcellam aduersus Montanum ait: Nos quadragesimā secundum traditionem Apostolorum ieiunamus. Etsi ex horum testimoniis nō constet fuisse à Christo institutam sub præcepto, constat tamen ad Christi exemplum fuisse ab Apostolis obseruatam. Multa enim fecit Christus & multis apparuit post resurrectionem. Nam nemini dubium quòd apparuerit beatissimæ matri suæ Mariæ, quod nullus Euāgelista scripsit: nam si non apparuit nisi tantum illis vicibus quas Euangelistæ dixerunt, sequeretur quòd nunquam matri suæ apparuit, quod absurdissimum erit, quòd apparens discipulis: matri, quæ tantum doluit in cruce nunquam apparuerit. Cùm enim Euangelistæ non scriberent nisi tantum res necessarias, ideo scribere noluerunt quomodo matri suæ apparuerit: nam virgo non indigebat Christi apparitione, vt eius resurrectionem crederet: quandoquidem maximè credebat, quare non ei apparuit aliqua compulsus necessitate, sed tantum vt lætitia afficeret. Aliis autem tanquam incredulis apparere voluit, vt crederent: ideo tanquam rem apprimè necessariam fidei eorum, Euangelistæ scripserunt. Apparuit ergo virgini priusquam aliis. Quādo enim sol oritur, montiū excelsa prius pertingere solet lucis eius radiis. Quis ergo tunc erat, aut erit vnquam adeo sanctitate præstans & excellens sicuti beata Maria virgo? Ideo iustitiæ sole orto Christo, & de sepulchro egresso, claritate maxima & pulchritudine, cū iam crucis eclipsis cessasset, & obscuræ vestes mortis essent expulsæ, sepulchrique & feralis amictus, claritas eius virgini est patefacta, quàm aliis prius sicut excelso monti.

Act. 1 · *Igna. ep. 4*

¶ Præterea in particulari apparuit Petro priusquam aliis Apostolis & discipulis, eum pluris quā alios faciens: quia erat prælatus & Ecclesiæ pastor: in quo docuit nos quantum prælatos venerari debeamus, & plusquam alios, & sic Angelus eum demonstrauit, & in particulari nominauit, cum mulieribus loquens, & eum pluris fecit, cum dixit. Ite & dicite discipulis eius & Petro. Secundò nominauit Angelus in particulari Petrum, & cum Christus magnificauit ei apparens tantum, & prius, vt experiri possis, quot Deus beneficiis solatiisque & fauoribus afficiat peccatores qui ad eum conuertuntur & pœnitentiam agunt. Ter negauit Christum Petrus, & post peccatum fleuit. Deo autem & vniuersæ curiæ cœlesti peccatoris pœnitentia tantum placet, vt maius gaudium in ea fiat pro peccatore pœnitentiam agente quàm pro nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia. Hæc omnia stimuli sunt vt ad Deum conuertaris & pœnitētiam agas tu qui tot ab hinc dies in peccato moraris manu Dei destitutus: sed quia de his satis in superioribus diximus: nunc historiam prosequamur. *Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.* Lætantes erant Apostoli confitentes quomodo apparuit Simoni, & tunc ingredientes hi duo discipuli & narrantes quomodo Christus eis apparuerat, duplicatū est gaudium. Super tristitiam duplicem, quam habuerāt de morte, & de passione Christi, nunc consolatur eos addens lætitiam super lætitiam. Vnde egregius Psaltes. Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Leg. Greg. de cura pasto. admoni. 5. prope fin. · *Marc. 16* · *Luc. 15* · *Cap. 15* · *Psal. 93*

¶ Aduerte autem quòd quamuis Christus appareat omnibus discipulis simul, vespere in cœnaculo Hierosolymis, à mane tamen semper misit ad eos suæ resurrectionis nuncios, qui quidem eos solarentur & lætificarent, vt hoc bono nuncio manerent. Misit ergo mane ad mulieres, postea ad diuum Petrum, deinde ad hos discipulos, & tandem venit ipsemet. Eodem modo Christus facit nobiscum qui in vesperum præmium ipsum differt, mortis scilicet tempus, quo omnes iusti cum glorificatum intuentur atq; beatum: interea tamen eos detinet variis solatiis spiritualibus: quibus adiuti, & roborati labores huius vitæ præsentis ferre valent. Ne existimes tu bonos quantumuis sint in hoc seculo abiecti, non visitari à Deo, & interea consolatione affici. Moratur quidē Deus in premio reddēdo, interea tamē multis fruūtur bonis, quæ si peccatores nossent, æquo animo contēnerent omnes voluptates & delicias, quibus sunt dediti. Et ne forsan putes iustos destitutos esse, vnum eorū audi dicentē: Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi: qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt per exhortationē, qua exhortamur & ipsi à Deo: quoniam sicut abūdant Christi passiones in nobis, ita & per Christū abundat cōsolatio nostra. Sic Deus in hac vita etsi suis labores inferat, suam gloriosam visionē differens: detinet tamē eos variis spiritualibus solatiis. Sic se habuit cū iustis & sanctis, qui erāt in Hierusalem: quibus etsi differt suā visionem in vesperū, vt eorum desideria magis accendat, nō tamen deserit eos nec obliuiscitur, siquidem inquit hic Euāgelista, quòd accesserūt isti duo discipuli, & narrauerunt Apostolis, & qui cum eis erant, quæ gesta erant in via & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Verū ne in tuis tribulationibus, & aduersitatibus desperes, sed potius in Deo confidas qui licet moratur veniet tamen: ideo audi quod sequitur. *Dum autē hæc loquuntur stetit Iesus in medio eorū, & dixit, pax vobis.* In primis nemini dubiū sit, quòd hæc apparitio fuerit eadem quam Ioannes scribit dicens. Cùm sero esset die illo vna sabbathorū, &c. In die enim resurrectionis sero cū essent cōgregati omnibus ianuis clausis, stetit Iesus in medio discipulorū suorū & dixit eis, Pax vobis. Hanc apparitionē scribunt Ioānes & noster Lucas in præsentia. Non desunt aliqui neoterici qui dicūt quòd etiam scripsit hanc apparitionē Marcus cum dixit, Recumbētibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatē eorū, &c. Et reuera falluntur isti, quia in hac apparitione nō fuerūt, nisi decē apostoli: quia Ioannes ait quod Thomas

2. Cor. 1

Marc.16 non erat cum eis quando venit Iesus: & Marcus dicit quòd recumbebāt vndecim: ergo alia & alia est apparitio. Quapropter crediderim quòd illa apparitio Marci fuit in die ascensionis domini in cœnaculo in Hierusalem in meridie recūbentibus vndecim, quos eduxit in Bethaniā ad montē Oliueti, & ibi apparens secūda vice assumptus est in cœlum. Lucas igitur & Ioannes tantum scribūt hanc apparitionem ad decē Apostolos, & ad alios Christi discipulos. In hac apparitione insufflauit in eis & dedit eis Spiritū sanctum, potestatémq; contulit absoluendi, & confessiones audiendi, vt Ioannes inquit. Et in hac eadem apparitione comedit partē piscis assi, & acta sunt, quæ hîc dicit noster Lucas.

Aug.lib.3. de consen.euan. ca.vltimo. ¶ Sed dubium hîc oriri videtur. Quomodo dicit Ioannes quòd nō erant nisi decē Apostoli, quia dicit quòd Thomas non erat cum eis, & Lucas dicit hîc quòd inuenerunt vndecim cōgregatos, & quod erant vndecim Apostoli: Dicendum quòd quando venerunt isti duo discipuli, qui fuerant in Emaus, erant vndecim Apostoli congregati: sed Thomas incredulus verbis discipulorum, qui venerant de Emaus, & eorum qui enarrabant quomodo apparuit Petro: exiit foras cùm hæc narrabantur: & cùm esset absens, tunc venit Christus, & apparuit decem Apostolis, & aliis qui erant cum illis & tunc Thomas non erat cum eis quando venit Iesus: & cùm exisset Ioannes & Lucas dicunt, quòd stetit in Exod.8 medio eorum. Sic dixit olim dominus Mosi. Vt scias quia ego sum dominus in medio terræ. Metaphora sumpta est à Regibus & principibus, qui sunt in mediis prouinciarum, vt gubernent, &c. Ad similitudinem humani cordis quòd in medio corporis humani cōstitutum esse videtur: vt ex eo veluti in fonte spiritus vitalis quo totum viuificatur corpus cōmodius in omnia membra diffundi possit. Sic prælatus in medio subditorū debet esse non solum corpore sed animo: ita vt non partialis acceptator personarum sit, sed potius in medio constituatur sicut libræ examen, ne in vnam partē magis quàm in aliam propendeat, seu odio siue amore affectus. Christus enim in medio est quòd virtus est, fugiens semper ab extremis, in quibus vita consistit. Columna in medio domus sustinet eius pondus, si autē in alteram partem declinat, ruit totum ædificium. Sol est in medio astrorum errantium, & centrū in medio sphetæ. Ideo Arist. in quarto libro Politicorum, ait, quòd quantò magis aliquid accedit ad medium, tantò melius est. Ideo Christus nūc in medio discipulorum stetit. Sic etiam cùm duodecim esset annorum stetit in medio doctorum in templo: de quo iam vidimus in superioribus. Dixit autem eis. *Pax vobis.* Primum verbū, quo Christus Apostolos salutat est, pax vobis: merito quidem: quoniam victoriæ fructus & meta, pax est: siquidem ergo Christus victor euaserat, eripuerátque nos dæmonio & morti, æquum erat pax publico præconio denunciaretur cum iam bellum esset finitum & omnes inimici deiecti & victi victoriáque consequuta. Quod vt intelligas te prius nosse oportet, quòd ex primi parentis peccato totum est ortum damnum mundo. Si Adam in innocentia perseuerasset, multis essemus liberi malis: ipso autē cadente, incidimus & nos in manus duorum fortiū inimicorū, dæmonis scilicet & mortis. Tetendit manū primus parens fructui vetito, vesci cupidus. Sed anima eius fuit imperatrix. Corpus

Pax victoriæ meta.

Gene.3

quidem comedit, sed anima sic fieri voluit, propter quòd vterq; fuit punitus, anima succumbens dæmoni, corpus verò captiuum & subiectum manēs morti. Paulus, Per vnum hominē peccatum, & per peccatū mors. Et iterum. Regnauit mors ab Adam vsque ad Mosen, sed per tyrannidem, & nō ex lege & imperio: quamuis bene ex eius permissione. Et ideo dicitur, Deus mortem nō fecit, nec lætatur in perditione morientium. Sed impij suis manibus illam quæsierunt. Regnabat etiam tanquam vice regis mortis, constitutus Lucifer. Dæmonium enim & mors sicuti duo potentes inimici tyrannide genus humanum subiectum tenebant. Quantumuis enim quis sanctus & bonus esset, corpus eius moriebatur: & anima illius ad abyssum descendebat, quare in gloriam intrare non poterat. Nullæ humanæ vires hos duos deuincere poterant: descendit autem filius Dei de cœlo in terram, eos victurus, nósque in priscam libertatem redigere, à dæmonis tyrannide eripiens, à mortísque seruitute educens. Vnde beatus Ioannes. Ad hoc venit filius Dei vt dissoluat opera diaboli. Decreuit prius Christus dominus dæmonē destruere, tanquam nostri damni autorem, & fortiorem inimicum. Dæmon enim in terrestri paradiso peccatum persuadere cœpit, ex quo orta est mors: quæ culpa non fuit, sed potius illius pœna. Quare Christus in certamen prouocat dæmonem. Et sicut prouocans solet campum eligere, prouocatus autem arma: sic Christus hîc campum eligit, mōtis scilicet Caluariæ locum, dæmon autem arma: crucem videlicet, his vtiq; armis primum hominem superarat. Sed tamen illi non ex sentētia euenit: quia qui in ligno vincebat in ligno fuit victus per Christum dominum nostrum. Sicuti Aman, qui fuit suspēsus in furca quam Mardochæo parauerat. Dæmon crucē parauit, qui tamen posteà crucis virtutem sentiens, illa arma cœpisse pœnitens, ea mutare cupiuit, propter quod in ore Pharisæorum residens dixit. Descende nunc de cruce: & in hoc bello alia arma sumamus. Sed noluit Christus redemptor noster: nam erat celebrior victoria armis in quibus eius inimicus strenuus erat vincere: ideo in cruce fuit victus, & moriens Christus victor euasit. Ideo Paulus: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium. Vnde idem dominus morti appropinquans dixit. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et iterum. Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Sed mortuo Christo, & apparente gloria diuinitatis eius, fugit Lucifer in infernum, quem Christus insequens, properat. Et sicut fortis dux descendit ad dirumpēdum infernum cúmque spoliandum, secundum illud Apostoli, Spolians principatus & potestates confidenter. Descendit Christus ad inferos, & omnes diuitias & supellectilia arripit, captiuans & vinciens dæmonum principem igneis catenis, vt dicitur in Apocalypsi. Apprehendit draconem, serpentē antiquum qui est diabolus, & Satanas, & alligauit eum, & misit eum in abyssum. Ingreditur Christus gloria indutus triste illud ac tenebrosum regnū, quod mirantes lucis inimici dicebāt. Quis est iste tam splendidus, facie rutilans, veste coruscans. Nunquā tale lumen nostra viderūt tartara, &c. Vide diuum Augustinum egregiè hæc disserentē in sermonibus de tempore, sermone cuius titulus est, de descensu Christi ad inferos. Terra est obscura: & resplendet infernus? Sol & luna eclipsantur:

Rom.5

Sapien.1

1.Ioan.3

Hester.7

Matth.27

Hebr.2

Ioan.12

Ioan.14

Colo.2

Apoc.20

Aug.tom.10 ser.127

psantur: & infernus lucet? Quid hoc? Si Deus est,
quid illi cum nostro inferno? Si homo, vndenam
illi tanta collata autoritas? Captiuos quidem sol-
uit,&c. Exiuit pater Adam. Fœlix culpa, quæ tan-
Psal.115 tum ac talem meruit habere redemptorem. Dauid.
Psal.21 Dirupisti domine vincula mea. Et omnes dixerũt.
In te sperauerunt patres nostri, in te sperauerunt &
non sunt confusi. Parta iam victoria, victo inimi-
co, dirupto campo tollunt signa & vexilla victoris
Christi ducis. Quapropter sacerdos sicut signifer
Christi die veneris sancto, die inquam huius glo-
riosi triumphi & victoriæ, in altum crucem tollit,
& inquit. Ecce lignum crucis. Ecce signum nostri
fortissimi ducis Christi Redemptoris: qui sua mor-
Hebr.2 te destruxit eum, qui mortis habebat imperium.
Christus mo-riendo victor euadit de dia bolo. ¶ Obserua autem in hac prima victoria, quòd
etsi Christus dominus moritur, nõ tamen vincitur,
quòd alter in mundo contingit, in quo qui petit
vincitur. Christus autem moriens, fuit victor, mi-
nimè autem victus. Maioré quàm adeptus est Sam-
son, victoriã fuit adeptus morte sua: nam de eo ait
scriptura quòd plures occidit moriens, quàm occi-
Iud.16 derat viuens. Moritur Samson, qui nihilominus ab
inimicis victoriam reportat. Sic etiam de Eleazaro
1.Mach.6 scribitur Machabæorum primo, magnã victoriam
fuisse consequutum in elephãtis interruptione, in
qua etiam ipse cùm esset victor interiit. Similis est
Plini.li.8.ca.11. hæc victoria illi, quã narrat Plinius, quæ agitur in-
ter draconem & elephantem. Draco enim natura
calidissimus ac siccus est: quare sitit maximè: cuius
contrarium in elephãte inuenitur, habet enim san-
guinem frigidissimum: quòd cum draconẽ naturali
instinctu non lateat, non ab re quærere ipsum ele-
phantem ducit, quem cùm ad arborem astantem
inueniat, inuadit ipsum vt omnium venarum san-
guinem sugat, & sitim extinguat. Elephans autem
sine viribus ac morti propinquus ne victus suc-
cumbat, sui ruinã patitur & super draconem cade-
re permittit vt eius corporis onere draco ipse op-
pressus eum interficiat, & tandem victoriam conse-
quatur. In sacris literis dæmon draconi compara-
Psal.103 tur: & sic loquebatur de ipso Dauid quando dixit.
Draco iste quem formasti ad illudendum ei. Diuus
etiam Augustinus de dæmone intelligit illud quod
Psal.90 dixit Dauid in alio Psalmo, Cõculcabis leonem &
draconem. Tanta est eius sitis, vt de eo loquens Iob
Iob 40 dixerit. Ecce absorbebit fluuium & nõ mirabitur:
& spem habet vt Iordanis influat in os eius. Genti-
lium flumen per fauces eius fluit quòd nõ miratur:
aliud etiam maximum Saracenorũ fluit, & parui-
facit. Est autem eius sitis tanta vt desideret baptiza-
torum flumen per eius fauces fluere. Vide beatum
Greg.libro 33 mora.c.7 Gregorium in Moralibus hæc explanantem. Draco
iste sitibundus Christi sanguinem ad crucis arbo-
rem stantis sugit, manus, pedes & latus, cum exan-
guem dimittere cupiens, Christus autem caput in-
clinans emisit spiritum, & moriens draconem in-
terficit, & tandem perfectam ab eo victoriam con-
sequitur, & sicut victor castra eius diripit.
Christus resurgens vicit & triumphauit mortem. ¶ Secunda autẽ victoria est mortis quæ ad bel-
landũ sepulturã eligit, & sic mors & vita in arenã
descendunt, ꝙ si corpus non resurgẽs in sepulchro
mansisset, mors euasisset victrix, & superata vita:
exurgens autem vita vincit, mors autẽ victa iacet.
Mors & vita duello conflixere mirando: Dux vitæ
mortuus: regnat viuus. In hoc duello inquit Eccle-
sia, mors & vita in arena descenderũt: sed tandẽ vi-
cit vita, & gloriosè exiit de sepulchro, de morte ipsa
triũphans. Irrideamus ergo mortẽ, & cũ Apostolo *1.Cor 15*
dicamus. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors
stimulus tuus? Absorpta est mors in victoria. Surgẽs
Christus in vita immortali trũphauit de morte: &
obtinuit victoriam de illa, & sic absorpta est mors.
Quid ergo ô mors actũ est de tuis triumphis, & vi-
ctoriis? Tu quæ tam superba incedere solebas, cui
totus obtemperabat mundus: quia modo vinceris?
Olim antequã dominus mortẽ vinceret eam, fuerat
minatus dicens: O mors ero mors tua, ero morsus *Osea 13*
tuus, ô inferne. Acsi de putrido pomo, cuius aliqua
pars est sana, buccellam educeres morsu, parte putri
da relicta, sic morsu infernum petiit, bonum & sa-
num, societatẽ videlicet illam iustorum educens,
condemnatos autem relinquens. Egreditur ergo de
sepulchro gloriosus, & his insignibus duabus vi-
ctoriis de inimicis triumphãs, secundũ illud Apo- *Colo.2*
stoli. Palam triumphans eos in semetipso. Et ideo
Angeli maximo cũ gaudio & lætitia illum ex arena
deducunt. Quando duo ad singulare certamen vo-
cantur & in arenam descendunt, mos est amicis ad
certamẽ congredientiũ eos ad statutũ locũ musicæ
instrumentis ferre: tubis, scilicet tympanis, & aliis.
Si igitur cùm quis in arenã descendit, in eam amici
deducunt quantũuis de eius victoria dubitẽt, nihi-
lominus illum illuc deferũt, maxima cũ musica &
lætitia. Si euadit victor: nonne maiori triumpho &
exultatione in propriam domum deducẽt? Clarum
enim est quòd sic: hoc idem contigit quando Chri- *Angeli gratulantur victoriæ Christi.*
stus die natiuitatis in huius mundi arenã descendit
ad certandũ cum dæmonio (nam etsi in Caluario
monte vltimũ certamen initum est, tamen in vitæ
discursu semper adinuicẽ singularia sunt inita cer-
tamina) tunc inquã Angeli in eum locum eum de-
duxerũt, maxima cum lætitia & harmonia canẽtes,
gloria in excelsis Deo. Si ergo tũc quãdo veniebat *Luc.2*
passurus tot labores, passionẽ, & tandem mortem,
tanta lætitia eum tulerũt: maiori certè iubilo & læ-
titia in eius resurrectione illum prosecuti sunt, si-
quidẽ victor & incolumis euadebat, omnibus suis
inimicis superatis, quando iam nõ passurus sed re-
gnaturus venit: Christus resurgens ex mortuis iam
nõ moritur, mors illi vltra nõ dominabitur. In na- *1.Cor.15*
tiuitate multi Angeli eum adorauerũt, sed in sacra-
tissima eius resurrectione non fuit Angelus qui ei
non cultũ deferret. Ideo Paulus dixit. Et cum iterũ *Hebr.1*
introducit primogenitũ in orbem terræ dicit, Ado-
rent eum omnes Angeli eius. Hoc de natiuitate in-
telligi nõ potest sed de resurrectione: quia inquit:
Et cum iterum. Prima enim vice ingressus est die
natiuitatis in orbem terræ: sed cùm iterũ, hoc est se-
cũda vice introducit primogenitũ in orbem terræ,
in sua resurrectione dicit. Adorẽt eum omnes An-
geli eius. Non poterit humana vlla lingua referre
quãto gaudio, & lætitia victorẽ principẽ sui equi-
tes nobiles, & amici ab arena eduxerũt. Innumera
musicæ instrumenta sonuerũt in illo sancto sepul-
chro: canẽtia alleluia: omnes millies benedixerũt ei
infinitas gratias habẽtes & agentes. Tantũ enim ei
exhibuerũt honorẽ & iubilationẽ, vt terra tremere
fuerit coacta. Ecce terræ motus factus est magnus. *Matth.28*
Etenim (vt ait Psalmista) terra tremuit & quieuit, *Psal.75*
dum resurgeret in iudicio Deus. Terra quidem suo
modo, & vt ei possibile fuit saltauit coram Deo
suo: & incredibili gaudio & lætitia celebrauit hanc
triumphantem & gloriosam resurrectionem.

¶ Modo

Christi pax duplex.

¶ Modo supersunt duo. Primũ quòd dux victor suos ad signum recipiat: quapropter occurrit prius vbi fidei signum mãserat, & apparet prius virgini ipsi. Et quia bonus dux tenetur spolia impartiri secundum cuiusque meritum: ideo statim apparuit Magdalenæ: quia plus fleuit & magis in sepulchro perseuerauit. Postcà autem Petro, & euntibus in Emaus: & cæteris aliis. Secundum: Parta victoria præconio denunciatur pax, bonum enim bellum lætam pacem adducere solet: & bellum contra pacem impediẽtes iniri cõsueuit. Ideo Christus quod

Ioan.20 eis prius dicit est, pax vobis. Bis inquit Ioannes dixit eis pax vobis. Et dixit eis iterum, pax vobis. Et

Esaia 26 Esaias bis dicit pacem cùm ait. Vetus error abiit, seruabis pacem pacem. Pax vobis primò, quia vici diabolum, pax vobis secundò, quia vici mortem,

Ioan.14 Pax vobis in anima & pax vobis in corpore: quia duplicem pacem nunc nuncio mũdo, quia duplex bellum gessi & vici. Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Hanc vobis commendo, hanc vobis trado: huius vos hæredes relinquo in meo testamento: hæc est dilecta mihi sponsa, magnificate eam, siquidem sanguine, & propria vita emi: & vt vobis eam conferrem & mundo mortẽ crucis sum passus. Vide ergo tu peccator quanti Christus emit pacem, tu autem eam transgrederis, destruis, quia superbus & rixosus es, & linguæ iniquæ. Hæc pax est quam Christus lucratus est effundens proprium sanguinem lanceæ cuspide, quam tantopere commendat, cuius etiam suos hæredes facit. Multi sunt præsules qui gloriantur, eo quòd relinquunt suis diuitias, magnas domos, possessiones, agros, pecuniæ magnam quantitatem, sed Christus non hæc sed pacem reliquit suis. Potius deberent præsules gloriari pacem reliquisse quàm hæc bona quæ quidem sæpè ac sæpius ad nihil aliud cõducunt, quàm ad lites excitandas: inter ipsos hæredes. Cum dominus diceret Mosi quòd esset moriturus, dixit vir

Num.27 sanctus: Prouideat dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem, &c. Nõ sollicitatur pro vxore, pro filiis: sed de pastore digno, & vtilitatẽ animarum curat, cùm maximum haberet principatum. Sed vltra Saluatorem audiamus, *Ego sum, nolite timere.* Quia vbi ipse est nihil

Iob 17 est timendum. Vnde Iob. Pone me domine iuxta te:

Psal.22 & cuiusuis manus pugnet cõtra me. Dauid. Si ambulauero in medio vmbræ mortis nõ timebo mala quoniam tu mecum es. Et Paulus hoc adiutus præ-

Rom.8 sidio dixit scribens Romanis, Quis separabit nos à charitate Christi? An angustia? an fames? an nudi-

Matth.10 tas? an tribulatio, &c. Dominus etiam, vt timorem à discipulis expelleret atq; pusillanimitatem, cum misit illos ad prædicandum dixit. Ecce ego mitto vos sicut oues inter lupos. In eo quòd dixit, ego mitto vos, ostẽdit quòd virtus illius, qui eos mittebat protegeret eos: quod satis in decimo capite huius super hæc verba enarrauimus in superioribus.

¶ Porro vnum hîc aduertendum esse censeo: quòd annuncians Christus resurrectionem suam prius expellit timorem à discipulis. Super omnia timent homines mortem, quia vltimũ terribilium est mors: vbi autem resurrectio nunciatur, non est mors timenda: quia & granum moriens si cognosceret se in maiorem resurgere frugem non time-

1.Cor.15 ret mori cadens in terra. Nostra verò corpora seminata in corruptionis ignobilitate, resurgent incorruptionis gloria, vt dicit Apostolus. Ideóque non est mors timenda sperantibus resurrectionem.

1 Thess.4 Vnde Paulus. Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non cõtristemini, sicuti & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita & eos, &c. In Psalmo quo-

Psal.77 que habetur. Deduxit eos in spe, & non timuerunt. Sequitur. *Conturbati verò & conterriti existimabant se spiritum videre.* Possunt enim fieri apparitiones spi-

Spirituũ apparitiones. Aug.li.de cura pro mortuis agẽda.c.11.& libro de spiritu & anima.c.19.& lib.12.de Gene.ad lite. cap.13

rituum humanorum è corporibus defunctorũ Dei permissione vt videre est apud Augustinum. Verùm sicut naturale est fragilitati humanæ, defunctorum apparitionem horrere & insolitas expauescere visiones: & timebant quòd eos illuderet spiritus aliquis nequam. Et causa maioris admirationis erat, quia ianuis clausis ingressus sit ad eos: & ipsi intelligere non poterant, quomodo verum & palpabile corpus per clausas ianuas ingredi potuerit. Sed mirum videtur quomodo, cum paulò ante dixissent quòd surrexit dominus verè, nunc non credebant. Dico quòd Petrus & Iacobus cui iam apparuerat & duo discipuli, qui erant ad Emaus de resurectione Christi non dubitabant, quanuis virtutem & dotes corporis glorificati nondum cognoscerent. Sed non est passus Christus animos suorum discipulorum longius hæsitare aut timere. Vnde sequitur. *Et dixit eis. Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?* Sed quæ cogitationes ascendebant? Primò manebat apud corda discipulorum implacabile cum Iudæis bellum: & timebant ne qua fraude deciperentur. Secundò collidebat eos fidei perfidiæque conflictus: quia non sic terram sicut eorum corda turba passionis cõcusserat. Tertiò inter spem metúmque erant constituti: cum de resurrectione Christi hæsitarent: & nunc miracula eius, nunc carnis infirma reuoluebant, nunc eorum spiritus tollebatur in cœlum, nũc collidebatur in terra: vt procella in intimis eorum sæuiente nullum quietis portum inuenirent. Quod videns qui procellis imperat dixit, Vt quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Ego sum: nolite timere. Ego sum qui mortem fugaui, & cui tremunt inferna. Nolite timere.

¶ Expende quòd sunt cogitationes quæ ascendunt, & aliæ quæ descendunt ad cor. Cogitationes quæ descẽdunt & de alto decidunt, hæ cor nostrum non turbant. Nam de Deo cogitationes & celestes non solum non conturbant animam nostram, sed potius quietant & consolantur. Cogitationes autem quæ ascendunt, & consurgunt ab amore mundi & carnis, hæ quidem animam nostram turbant quemadmodum discipulorum corda turbabant. Ideo Christus postquam dixit, quid turbati estis, statim dixit, & cogitationes ascendunt in corda vestra. Acsi diceret. Vestræ turbationis causa est, quòd cogitationes in corda vestra ascendunt. Sic de aqua diximus quòd turbatur quãdo terra & limus, quæ sedem in profundo eius habent in superficiem surgunt. Quod si quiescere sinas & sordes in profundum labantur, desuper aqua clara & munda redditur. Quare tu odio & ira concitaris, turbatus, & inquietus incedis? quia iniurias quas tenebaris obliuioni tradere, & pedibus succumberent cogere, ob oculos ponis, & memoriæ obiicis, propter quod inquietus & turbatus incedis. Quare tam solicitè honores, diuitias, & mundum quæris? Quia amorem proprium, qui subtus te esse deberet, iuxta oculos ponis. Amor mundi & carnis

carnis, quem despicere deberes, in altum conscẽdit: ideo turbaris. Si cœlestes cogitationes ad te descenderent, & intuereris quæ pro te Christus passus est, & bonum maximum, quo te inimici tui prosequuntur, quidq; pro tuis peccatis merearis: proculdubio non conturbareris, sed potius quiesceres & plenus solatio viueres. Aqua quieta non est turbida. Anima quiescendo & sedendo, fit sapiens. *Luca 10* Beata Maria Magdelena sedens ad pedes Christi audiebat verbum illius: & in cor eius descendebãt cœlestes cogitationes, ideo erat quieta: Martha autem, quæ solicita erat & satagebat circa frequens ministerium, turbabatur erga plurima. Curæ & solicitudines variæ huius sæculi cor ipsum conturbant: cœlestes autem cogitationes minimè. *Act. 2* Apostoli enim sedentes erant quando super eos venit Spiritussanctus in linguis igneis. *Gen. 18* Sic dominus apparuit Abrahæ sedenti in ostia tabernaculi sui. Esto ergo vt aqua quieta, quæ non conturbatur.

Res cœlestes turbãt hominem quando eas ratione naturali inuestigare studet.

¶Obserua etiam ꝙ quanuis res diuinæ & cœlestes cor nostrũ non turbẽt, sed potiùs quiescere faciant, quãdo tamẽ intellectus noster curiosè altiora petit, & considerare quærit, ratione naturali volens nostræ fidei mysteria penetrare, & cõprehendere, turbatur, & perditur. Hac ratione turbantur discipuli, quia suis humanis intellectibus articulũ resurrectionis metiri tentant, cùm opus Dei sit & infinitæ eius potẽtiæ. *Apoc. 1* Ioãnes in Apocalypsi inquit, quòd fuit ei Christus ostensus in visione quadam, cuius facies lucebat sicut sol in sua vi & fortitudine, quã cùm videret, cecidit in terrã quasi mortuus. Excellens enim sensibile corrũpit sensum: quòd experientia cõpertum est, nam si sonitus aliquis fortiter impellatur, solet audientẽ surdum reddere organum auditus corrũpens. Et si attẽtè solẽ ipsum intueamur excæcabit nos sensum visus corrumpens, qꝛ in se clarissimus est. Eodẽ modo in spiritualibus sunt aliquæ reuelationes & altæ cognitiones Dei, ab ipso infusæ in suorũ sanctorũ animas, quæ quantum in se, conãtur nostrũ intellectũ corrũpere: sed cũ ipse incorruptibilis sit semianimẽ reddũt, ipsũq; deiiciunt, cogẽtes eum à sua operatione cessare. Ideò Ioãnes videns faciem lucentẽ sicut sol, in terrã semianimis occidit. Quoniã etiam ad res minimas contẽplandas Dei, quę in pedibus figurãtur: vires desunt fragilitati humanæ. Et sic sicut solis introitu oculi nostri turbãtur, sic etiã volẽtes, dum à patria cœlesti extorres sumus, res Dei solicitè cõtemplari, in intellectu turbamur, quoniã solo vsu corporali & terrena cogitatione, Dei mysteria consequi & transcẽdere volumus. *Exod. 20* Præcepit Deus Mosi vt faceret ei altare lapideũ & dixit. Nõ leuabis cultrum tuum super eo. Non permittit Deus cultrum super altari suo ascendere: quia nõ vult fidei mysteria & arcana Dei scrutari nostri ingenij acumine. Sic Apostoli turbãtur in Christi præsentia, sicut coram sole cœlesti & diuino, cũ adhuc essẽt terreni: & cogitationes humanæ & terrenæ ascenderẽt in corda eorũ. Sed Christus, vt has turbationes expelleret, dixit eis. *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum.* Retinuit cicatrices, vt resurrectionẽ probaret. *Chry. hom. 49 in imperfect. Matth.* Et vt diuus Chrysostomus ait, vt in die iudicij proferant cõtra Iudæos testimoniũ passionis. *Beda c. 97. in Lucam.* Hoc totũ facit Christus vt eum discipuli cognoscant & eius resurrectionem credant. Dixit eis pax vobis: & quoniam operibus non verbis dignoscitur homo, ideo ostendit eis manus. Mundus plenus est verbis, & fallax, & mendax operibus. *Mũdus abundat verbis, sed fallit in operibus.* Quamplurimos tecum bona verba loquentes videbis, & dicentes pax vobis, pax vobis: quibus tamen si indigeas nec assem dabunt. Multi paschatis tempore bonum illud tibi nunciant & dulciter canunt, qui tuis commodis inseruituros se tibi offerunt: cum tamen opus sunt, eorum nemo apparet. Bonus amicus est Christus, qui operibus & verbis abundat. Bonis verbis, in hoc quod dicit pax vobis: bonis operibus in hoc quòd ostendit manus cruci affixas propter eos. Sic nos deberemus habere erga Christum: eiq; tales esse amici, vt non solum verbis sed etiam operibus contẽti essemus. *Matth. 7* Multi dicent mihi in illa die, Domine domine: nonne in nomine tuo prophetauimus, &c. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, dicente, Videte manus.

¶Tu ergo peccator manus Christi intuere, & ad eas conuerte oculos: quòd si feceris, duo in eis inuenies. Primum quidem perforatas esse, in quo eius maxima bonitas & magnificentia ostenditur. De homine liberali & magnifico sermone vernaculo dicere solemus (es vn manirroto.) Huiusmodi enim Christus est, adeò vt latronem dicentem, domine memento mei, ideo statim regno donauit: *Luc. 23* *Matth. 10* pro potu enim aquæ frigidæ quam in nomine eius des, gloriam tibi concedet. In manibus ergo Christi liberalitatem eius cognosces, & amorem maximum: siquidem tanto te est amore prosequutus, vt sanguinem proprium pro te effuderit, & voluerit manus eius sacratissimas duris clauis fuisse affixas. Tãtum quidem te dilexit, vt per quendam, prophetam dixerit: *Esaia 49* In manibus meis scripsi te. Hoc cõducet maximè ne vnquam, quantumuis peccator sis, desperes: sed potius in eius infinita bonitate & misericordia confidas, vt qui gloriam latroni concessit, concedet & tibi, si ad eum verè conuertaris.

Præsumptuosi abutũtur gratia & misericordia Dei.

¶Sed quoniã multi sunt, qui Dei misericordia abutuntur, & ansam accipiunt, vt peiores efficiantur, & peccata multiplicent, dicẽtes Deũ esse misericordẽ, & in omnibus parcere, eius iustitiæ obliti: audi: secundũ quod in manibus Christi inuenitur, esse, scilicet sanguine perfusas sicut manus carnificis. Pharaonẽ interroga quid illi cõtigerit: inuenies enim in sacris literis, Israëlitas vidisse Ægyptios *Exod. 14* mortuos & manũ magnam, quam exercuerat super eos. Si misericordiã eius contemplaris, contẽplare etiam iustitiam: quoniã vtrumq; in manibus Christi inuenies, tui amore esse perforatas, apertas, vt gloriam tibi donet, sanguine autẽ perfusas, vt vitã tibi auferat. Peccatoribus qui ad Deum cõuertuntur, habet dominus manus apertas, vt eos recipiat, & beneficiis afficiat: duris autem & obstinatis in malo habet manus sanguinolentas, qui acerbè de illis supplicium sumet. Debemus ergo eius misericordiam considerare ad confidendum: iustitiam etiam, ne audeamus in peccato morari & detineri. Vis hanc manũ sanguinolentam, & carnificem videre? *Dan. 5* Lege Danielem prophetã. Sedebat Balthasar Rex Babyloniæ ad mensam cum suis mulieribus, vasa tẽpli Dei prophanans, cui subito digiti quasi manus hominis scribẽtis apparuerũt, quod rex aspiciens facies eius cõmutata est, & cogitationes eius conturbabãt eum, & cõpages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebãtur. Venit Daniel & ei scripturam exposuit, hæc enim erat, Mane, Thechel, Phares. Hoc est, Mane numerauit Deus regnum tuum, & cõpleuit illud. Thechel, appensus

pensus es in statera & inuentus es minus habens: Phares diuisum est regnũ tuum : & datũ est Medis & Persis. Sic tu qui Dei & salutis tuæ animæ es oblitus, considera quoniã sic manus iustitiæ Dei veniet super te, quæ dinumerauit omnia peccata tua : melius enim te ipso nouit numerũ tuorũ peccatorũ, hoc enim est, Mane, Thechel, quoniam appendet, Deus eorũ circunstantias & qualitates in statera & maximo rigore examinabũtur. Phares, diuisum est regnum tuum : nam mors cras veniet & corpus diuidet ab anima : & animã ipsam præcipitẽ dabit in infernum, & corpus in sepulturam. Vtinam manus hæc iustitiæ Dei quotidie ob oculos esset posita: vt Deum ipsum timere sciremus: ne vnquã illum offendere auderemus. Sed sunt multi qui solùm intuentur qualiter Christus gloriã in cruce latroni est pollicitus : nõ autem quomodo Pharaonẽ in infernum proiecit, Core etiam, Dathan, Abiron, Senacherib, Holofernẽ, Goliam & quãplurimos alios.

2. Petr. 2 *2 Reg. 6* *1. Reg. 6*

Angelos etiam (vt inquit Petrus) misit in barathrũ pœna æterna cruciandos, & Ozam quia arcam tetigit statim interfecit. Bethsamitarũ etiam quia ad testamẽti arcam oculos curiositate cõpulsi conuerterunt, quinquaginta millia hominum interemit: cùm septuaginta viris de electis. Hos & alios inspicere debes, & videns hanc manũ sanguinolentam Dei, illum timeas ne offendere in aliquo audeas. Multi manus Christi amabiles considerãt, minimè autem iudices, quibus videtur quòd sicut latro in cruce hora mortis saluus factus est, sic ipsa eadem hora, pœnitentiã agent. Propter hos enim verè dici potest, quòd vnus latronis gratia cæteri hospitio priuantur, quare prouerbium hoc de latrone crucis verificari potest, & intelligi, quia propter istum à cœlesti hospitio multi destruuntur: siquidẽ propter Dimas latronem, qui in patibulo crucis passus est cum Christo pœnitẽtiam in mortis horã differunt: & tunc sæpè cœlestem patriam amittunt. Has ergo manus videamus & audiamus Christum vltra dicẽtem discipulis. *Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa nõ habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset ostendit eis manus & pedes.*

Corpus gloriosum non est palpabile nisi per miraculũ. Lege Grego. 14. Mora. c. 19

Hoc quod Euangelista dicit, quod reddidit se palpabilẽ Dominus Apostolis, vt ad eum possent accedere, & tangere, potius opere miraculoso quàm naturali proprietate aliqua contigit: nam corpus dominicum quod iam incorruptibile & immortale erat, naturali ratione, manibus eorum qui nódum erãt incorruptibiles, tangi nullo modo poterat. Modo tamẽ quodam ineffabili se palpabilem præbuit, vt Apostolos firmos in fide redderet: vt clarè & manifestè viderent, & palparent verum corpus, & resurrectionem crederent. Vide ergo quot argumẽtis probat se verè resurrexisse. Primum ad cogitationes illorũ respondet: hoc quòd sæpissimè ante passionẽ suam fecerat. Secundò manus & pedes ostẽdit. Tertiò totum corpus suum palpandum exhibet. Sic vt ex voce eius, ex cogitatione eius, ex omni statura corporis agnosci potuerit. ¶ Sed quare tam multis argumentis probauit se verè suo corpore resurrexisse? Quia discipuli posteà Christi resurrectionẽ erant prædicaturi: & ideo oportebat, vt firmiter crederent &

Act. 10

hæc posteà nunciarent. Vnde Petrus prædicans dixit, quòd apparuit post resurrectionem suam non omnibus, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum eo, postquam resurrexit à mortuis. Et Ioannes etiam ait. Quod fuit ab initio, quod audiuimus & vidimus oculis nostris quod prospeximus, & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ. *1. Ioan. 1*

Honores mutant mores.

¶ Expẽde etiam Christi humilitatem & charitatem, qui cum Rex esset gloriæ, tam humiliter se præbuit tractandum discipulis pauperculis: vt fidem resurrectionis ostenderet, & ad credendum coralliceret. Licet enim iam non erat mortalis, nec passibilis, ascẽderat quidem ad altiorẽ statum & dignitatem : nam erat gloriosus & immortalis, nihilominus non obliuiscitur antiquæ humilitatis & solitæ. Non sic multi faciũt, qui cùm se vident ad sidera ductos, & in dignitatibus magistratibusque constitutos, quæ prius nouerant non agnoscunt : quia honores mutant mores, contemnunt etiam amicos cùm domini efficiuntur. Non sic Ioseph, qui cùm vidisset fratres ad se *Genes. 45* venientes humili & sordido habitu & asinis, quibus triticum asportarent, & ouium essent pastores, ipse autem Ægypti præfectus, eos nouit, quibus & honorem detulit, maximéque fecit. Sed hostoriam prosequamur. *Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit.* Ioannes clarius dixit, gauisi sunt discipuli viso Domino. *Ioan. 16* Iam hîc vides quàm verè dixerit Dominus. Tristitia implebit cor vestrum: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Tristitia fuerunt repleti in eius passione, & in illo triduo: vnde Dominus dixit discipulis euntibus in Emaus. Qui sunt hi sermones, quos confertis adinuicem ambulantes, & estis tristes? At nunc iam gaudent in Christi præsentia : & omnes illæ lachrymæ absorptæ fuerunt in præsentia Christi. Vides etiam hîc, quàm verè dictum sit de Deo, Post tempestatem tranquillum facis: & post fletum *Tob. 13* gaudium inducis.

¶ Sed mirabile est quod hîc ait, quòd non credentes discipuli gaudebant. Quomodo nõ credentes gaudebant? Sed simul stare poterat, vt ad præsentiam Domini gauisi sint: nihilominus tamen nõ perfectè crediderint, sed timuerint ne fortasse Dominus non esset qui appareret. Gaudij enim magnitudo causa fuit timẽdi. Sic nobis quotidie contingit, vt ad quod maximè gaudemus, & quod maximè optamus metuimus, ne aut non sit, aut non eueniat, aut ne fallamur. Sed audiamus, iam quid Christus dixerit discipulis gaudentibus in ipso. *Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis sumens reliquias, dedit eis.* Poterat indignè ferre, tarditatem eorum: sed vt matres solent fouere paruulos suos, ita Christus infirmos discipulorum animos, summa lenitate & ineffabili suauitate tractauit. O quanta est erga nos omnipotentis Dei charitas: vbi Dominus maiestatis cum rudibus & pauperculis piscatoribus etiam post resurrectionem, tam familiariter & suauiter conuersabatur, edens, & bibens cum illis.

¶ Obseruandum autem quòd hos discipulos, ad prædicandum mittit per totum vniuersum, & ad sustinendum labores & persequutiones, sed tamen prius vult dulciter cum eis comedere. Sic cum sciat labores vtilitatem hominibus afferre, ostendit eis prius dulcia solatia, vt eis homines inuitet, & tandem fortiter tentationibus resistant: sicuti iter acturi, prius cibos parant, ne in viæ laboribus desint. Sic Christus fecit cum istis Apostolis & discipulis. Columbæ in terram longinquam mittendæ prius tritico melle misto cibãtur, vt semper co-

nentur ad locum quo delicatius tractatas fuisse meminerunt redire. Filij Israel prius cibati fuerũt manna cœlesti in deserto, & posteà dimicarunt cũ gigantibus terræ promissionis. Similiter fecit Christus cum istis comedens cum eis familiariter, & posteà misit illos, vt pugnarent aduersus totum orbem.

Exod.16 Iosue 9

¶ Porrò comestio Christi fuit vera comestio, & non ficta, sicut comedebant Angeli, qui apparuerunt Abraham, & Raphael, qui sociauit Tobiam. Sed Christus nõ sicut illi Angeli, sed verè comedit: quia dentibus attritus est cibus & in stomacho receptus: & sic fuit vera comestio. Sed quantum ad diuisionem cibi & traiectionem in ventrem nõ inuenitur in Christo finis humanæ comestionis: quia virtute diuina quicquid erat ibi cõuertebatur in aërem aut vaporem: sicut virtute solis aqua resoluitur in vaporẽ subtilem, & consumitur. Manducauit igitur Christus post resurrectionem non quasi cibo indigens (sed vt Chrysostomus ait) vt eo modo naturam corporis resurgentis astrueret. Verùm licet comestio non fuerit per se sufficiens argumentum ad probandum veritatem naturæ humanæ in ipso: tamen cum aliis argumentis, visu, voce, & auditu, cum scripturis sacris erat sufficiẽs argumentum ad probandum Christum verè resurrexisse à mortuis. Sed ad contextum.

Genes.18 Tob.12 Chry.hom. 28 sup.Ioan.

Et dixit ad eos, Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi, & prophetis, & Psalmis de me.

Reducit ad memoriam ea, quæ dixit ante mortem. Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur ad illudendum, flagellandum, &c. Sicut omnia, quę vobis prædixi de morte mea iam vidistis impleta: credite quòd etiã vera dixi vobis, cum resurrectionẽ meam prædixi. Sicut in aliis verum inuenerunt magistrũ: sic in hoc oportebat, vt illum crederent verũ. Sed necesse fuit illa adimpleri necessitate conditionata non absoluta: hoc est, necessitate consequentiæ: non cõsequentis, seu in sensu composito, nõ autem diuiso: non necessitate coactionis liberi arbitrij, sed præordinationis diuini decreti. Cæterùm in lege Mosi multa de Christo scripta sunt, vt quòd Deus dixit Abrahã, Isaac, & Iacob, in semine tuo benedicẽtur omnes familię terræ. Et illud Deuteronomij, Prophetã suscitabit vobis Dominus. In Psalmis etiã passim inuenies de Christo. Prophetauit nanque incarnationẽ, natiuitatem, aduentum Regum, prædicationem, passionem, & crucem: denique resurrectionẽ, & in cælos ascensionẽ, egregius Psaltes, vt in superioribus iam vidimus. Præterea in his verbis ostendit Christus vetus testamentũ ad fidei nostræ firmitatem, & certitudinem esse necessariũ, aduersus Valentinianos & Manichæos, qui vetus testamentũ damnarunt. Quia Christus hic de veteri testamento loquitur, quia nihil de nouo tunc erat scriptum.

Genes.12 Ge.26. & 28 Deute.18

Tunc aperuit illis sensus vt intelligerent scripturas.

Hoc est intellectũ eorum illuminauit. Hactenus manifestauerat se esse verũ eundẽ hominẽ (scilicet Iesum) ab humanis, modo manifestat à diuinis agẽdo & operando in eorũ mentes: hoc enim diuinũ est opus, aperire scilicet, mentes eorum vt intelligerent scripturas, & donare piscatoribus statim intelligẽtiam Prophetarum. Obserua autem quòd Prophetæ bene intellexerũt suas scripturas, & sciebãt quod loquebantur, nam non fuerunt sicut Mõtanus somniauit, qui (vt ait Hieronymus) dixit, quòd Prophetæ more pecudum loquebantur, nõ intelligebant vtque, nam aliàs prophetę non essent. Sic fuit Propheta Ioseph, qui interpretatus est somniũ Pharaonis, & nõ Pharao qui vidit vaccas & spicas. Sic etiam non fuit Propheta Nabucodonosor, qui statuam vidit: bene autem Daniel qui interpretatus est euentum regni Chaldæorum, per statuam signatum. Atque ideo quanuis Caiphas prophetauit, tamen non fuit propheta: quia nõ intendit quid Spiritus sanctus per os eius voluerit insinuare. Cũ tamẽ intelligerent scriptores sacræ scripturæ, & voluminum sanctorum ea, quæ dicebãt, & scribebãt: cur non loquuti sunt clarè: cur ita obscurè loquuti sunt, vt necesse fuerit, vt Christus aperiret sensum, vt intelligerẽt Apostoli scripturas? Scriptura sacra obscura est. Primò ne Iudæi sacros libros, qui tractabãt de ruina Israëlis, & de vocatione Gentiũ ex inuidia comburerent. Non enim sustinuissent tãta aduersus se testimonia. Hoc Esaias ex persona Domini ad Iudæorũ gẽtem ait, Neque credidisti, nec à principio aperui tibi aures tuas: noueram enim quod inobediens non pareres. Secũdò obscuritatis alia ratio est idioma videlicet Hebraicę linguę diuersũ à Græca & Latina. Pręterea ob incredulitatem etiam auditorum multa obscura dixerunt: quę tamẽ paucioribus & sanctis viris reuelata sũt. Obscura sunt, quia hyperbolis frequenter vtũtur propter velocitatem sermonũ suorum, & propter impetum spiritus qui inerat scriptoribus sanctis. Hoc de Paulo dixit Irenęus, quòd de omnibus scriptoribus sacrorũ voluminum fas est dicere. Quintò obscuræ sunt scripturæ, quia pleraque figuratè protenduntur, per ænigmata & allegorias & parabolas, aliter intelligenda quàm sonare videantur. Nam terram lacte & melle manantem legimus, & montes stillabant dulcedinem, & de gẽtibus ait, Benedicent me bestiæ agri. Nam scripturæ proprius character est per translationẽ loqui. Sic Esaias, Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silẽtio, id est, noluerunt decem tribus parere domui Dauid, & assumpsit magis Rasim & filiũ Romeliæ. Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regẽ Assyriorũ. Et de vocatione gentium loquens idẽ Propheta ait, Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus, & pinus, &c. Sextò obscuræ sunt, quia solẽt superioris intellectus consequentiã non tenere, maximè prophetæ, qui (vt D. Hieronymus adnotat) solẽt repente propositum mutare. Vnde Naũ ait, Celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua, quia non adiiciet vltra, vt pertranseat ad te Belial, &c. Et sermonem conuertens ait, Ascendit qui dispergat in facie tua, custodiens obsidionem. Et in Psalmo cum dixit Propheta, Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob, subito persona mutatur. Nam in persona Domini statim loquitur ad populũ. In tribulatione inuocasti me, & exaudiui te. Et multa alia sunt loca, in quibus propositum statim mutatur, quæ omnia breuitati consulentes dimittimus. Ex his & aliis causis scriptura sacra difficilis redditur, quã dificultatẽ submouit Christus ab Apostolis, vt sensus scripturæ sit illis clarus. Oscuræ autẽ erant scripturæ quod ipse Deus voluit significare, cum veniens ad Mosem legem laturus montẽ Orebũ nube dẽsa cooperuit, & Salomonis templũ ob

Hier.lib 1.cõmen.i sa c.1 Genes 41 Dan.2 Ioan.11 Esai.4 Ire. lib.3. aduer. Hær. c.7 Exod. 3 Ioel.3 Esai.8 Esai.60 Naum 1. Psalm.80. Exod.32

scura nebula impleuit, & arcam fœderis velo iussit cooperire. At Christus Dei filius splẽdor gloriæ, & figura substãtiæ eius ipsas diuinas literas explanauit. Cùm Elias ascendit in cælum pallium suum discipulo suo Eliseo reliquit, quo profundas Iordanis aquas pertransiuit. Sic Christus ascendens in cœlum cœlestem sapientiam dedit discipulis, qua possent sacram scripturam intelligere, eiusque profundas aquas penetrare. Sequitur.

3. Reg. 8 Exod. 26 Hebr. 1 4. Reg. 2

Et dixit eis. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die.

Sæpe iam in multis locis diximus, quomodo oportebat Christũ pati, & de hoc termino & vocabulo, necessarium. Nihilominus tamẽ expedit hic aliquid enarrare. Quapropter aduerte, quod si necessarium hic accipiatur secundũ sui naturam, ita vt impossibile sit aliter se habere, sic manifestum est quòd non fuit necessarium Christum pati: nec ex parte Dei, nec ex parte hominis. Si verò necessarium accipiatur ex aliquo exteriori, ita vt faciat necessitatem coactionis, vt cum aliquis nõ potest ire propter violentiam detinentis illum, non fuit hoc modo necessarium pati, nec ex parte Dei, qui Christum definiuit pati, nec ex parte Christi, qui volũtariè passus est. Verùm si necessariũ accipiatur ex suppositione finis, ita vt finis nullo modo possit esse aut non possit cõuenienter nisi tali fine præsupposito: isto modo Christũ pati necessariũ fuit necessitate finis, & sic oportebat pati tam ex parte patris & filij, sicuti nostra. Hæc tria insinuãtur in hoc Lucæ contextu. Primò ex parte patris: quia sic scriptum est, vt promissis staret ordinatis, institutis, firmatis, iuratis, atque scriptis. Regũ enim interest promissa adimplere, contrariũ autẽ defectus maximus est. Deus promiserat hoc in Psalmis, in scripturis, & in prophetis, quapropter ex parte patris necesse erat Christũ pati, quia sic scriptũ erat. Vnde Ecclesiasticus ait Deo, Da mercedẽ sustinentibus te: vt prophetæ tui fideles inueniantur. Ideò Christus superius dixit, filius hominis secundum quod definitum est vadit.

Eccl. 36 Luc. 22

❡ Secundò ex parte filij, ideo ait consequenter, Oportebat Christum pati. Bonorum quidem filiorum interest maximè patrum promissis stare, Christus autem ita hoc negotium suscepit, vt nec vnus apex nec vnũ iota præteriuit à lege, donec omnia fierẽt. Ideò ipse Christus, patrẽ alloquitur dicens, Ego te clarificaui super terram: hoc est, ego ostẽdi pater te, verbum tuũ & promissum magnificare. Et etiam fuit necesse ex parte Christi, quia per humilitatem passionis meruit gloriam & exaltationem resurrectionis.

Matt. 5 Ioan. 17

❡ Tertiò fuit necesse ex parte nostra, quia per eius passionem liberati sumus à diaboli seruitute, vt ex Ioanne Saluator dixit, Oportet exaltari filiũ hominis, vt omnis qui credit in eũ non pereat, sed habeat vitam æternam. Et hoc est quod ait consequenter.

Ioan. 3

Et prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.

Quare in nomine Christi? Quia hic solus est qui pœnitentiam & pœnitentibus veniam promeruit. Nec solum prædicandum est, vt homines pœnitentiam agant de malefactis suis, sed etiam quòd verè pœnitentes consequuturi sint per Christum remissionem peccatorum.

❡ Verũ hic aliqua oseruanda sunt. Primò quòd Christi passio dat virtutẽ pœnitẽtiæ & ideo prius dixit Oportuit Christum pati, & deinde eius virtutem ostendit addens in remissionem peccatorũ. Hæc enim Christi passionis vtilitas est, vt peccata remittãtur, & hoc tripliciter. Primò per modũ prouocantis ad charitatem, quia vt ait Apostolus, cõmendat Deus suam charitatem in nobis, quoniã cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est, per charitatem autem consequimur veniã peccatorum. Secũdò passio Christi causat remissionẽ peccatorum per modum redemptionis, quia enim ipse est caput nostrum, per passionem suam quam ex charitate, & obedientia sustinuit, liberauit nos tanquam membra sua à peccatis per pretium suæ passionis. Tertiò per modum efficientiæ in quantum caro, secundum quam Christus passionem sustinuit, est instrumẽtũ deitatis ex quo eius passiones, & actiones operantur in virtute diuina ad expellendum peccatum.

Rom. 5

❡ Aduertendũ secundò quòd cum dicit, oportebat prædicari, præteritum oportebat nõ respicit prædicationem præteritã (cum de futuro sit sermo) sed respicit dispositionẽ prædicationis futuræ per Apostolos. Etenim sensus quod oportebat sic: id est, talem dispositionem & ordinem ac modũ ad prædicandum efficere, qualis modus, qualis ordo, qualis dispositio effecta est, vt scilicet, colligeret Iesus discipulos testes miraculorum vitæ, prædicationis, passionis, & resurrectionis suæ.

❡ Tertiò post Christi mortem dicit prædicandã esse pœnitentiam, vt intelligas quòd oportet, vt pœnitentiam agas quãuis pro te sit mortuus Christus: vt effectum mortis eius, scilicet gratiã & remissionem peccatorum consequaris. Nemo in sola Christi satisfactione securus consistat, vt impiissimi docẽt Lutherani: nam opus est, vt tu labores, doleas, & pœnitentiam agas vt gratiam & remissionẽ peccatorũ consequaris. Hæc enim iubet Christus prædicari ad remissionem peccatorum, postquam sanguinem suum fudit, & pro nobis satisfecit.

Ioan. 12

❡ Quartò prædicandum iubet in omnes gẽtes vt videas quantum sint multiplicati fideles post Christi passionem & ex merito passionis suæ. Ipse enim dixit, Nisi granum frumenti cadẽs in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, &c. Solus erat Christus in cælo, nullis animabus sanctis sociatus antequam moreretur: sed postquam granum hoc frumenti mortuũ est, attulit multum fructum, quia cælum repletum est sanctis hominibus. Sic etiam ait scriptura, quod post mortem Ioseph multiplicati sunt filij Israel, & creuerunt nimis. Similiter pauci erãt filij regni in vita Christi, & pauci credentes, sed postquam Christus qui vt alter Ioseph fuit venditus à Iuda, & mortuus est, creuerunt filij Israel, hoc est Christi coleæ: quia omnis orbis venit ad Christum & in omnem terram exiuit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Exod. 1 Genes. 36 Rom. 10 Psal. 18

❡ Sed dubium hic maximum oriri videtur. An Apostoli prædicauerint Euangelium omnibus gẽtibus? ad quod breuiter respondeo, quod sic: nam hoc præceptum fuit personale & in sua persona dictũ est apostolis & discipulis Christi, & quicquid Christus mandabat est possibile, & quanuis esset aliàs impossibile, per eius virtutẽ faceret illud possibile, & sic impletũ est ab ipsis apostolis & discipulis. Et vt Marcus expressiùs ait, dixit Christus. Ite & præ

Act. 2 Mar. 16

& prædicate euãgeliũ omni creaturæ. Et actuũ primo habetur, quod in die ascensionis dixit, Et eritis mihi testes in Iudęa & in Hierusalẽ: & vsq; ad vltimũ terrę. Ipsimet Christi discipuli qui fuerãt eius testes postquã inducti sunt virtute ex alto & acceperunt Spiritum sanctum, qui fuerunt testes in Iudęa & in Samaria fuerunt etiam testes vsque ad vl-
Marc.16 timum terræ. Et Marcus clarè dixit quòd profecti prędicauerunt vbique. Et Christus in Matthæo di-
Matt.24 xit loquens de destructione Hierusalem: Prędicabitur hoc euangeliũ in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio. Ergo ante excidium Hierosolymitanum fuit prædicatum euangelium, in vniuerso mũ-
Chr.ho.1.epist. ad Ro. & ho. 8. sup. 1. Cor. cap.4 do, & Chrysostomus latè probat hoc ex illo, quod Paulus adducit, dicens, quòd in omnem terrã exiuit sonus eorum, & in fines, &c. Nam si vnus Paulus tanquam sol ab oriente vsque in occidentẽ venit in Hispaniam, & tot prouincijs prędicauit, vt videre est in actis Apostolorum: quid alij facerent? Nec intelligas Apostolos in vita sua omnibus prouincijs prædicasse saltẽ præcipuis prouincijs & ciuitatibus. Itaque etiamsi discipuli Christi prædicatione non omnia loca tetigerunt, sufficit quod prædicationis euangelij fama per omnes partes celebris fuit. Et sic debes intelligere diuum Augustinũ
Aug. epist. ad Esichiũ in li. fine epi. de vnitate eccles. cõtra Petiliani donatistæ epi. cap.14. in fine & c.15. & li. 1. de ser. domini in monte c. 10. Ori. ho. 28. super Mat. dicẽtem cum Esichio scribit, quòd erant in Africa gentes Barbarę, ad quas non peruenit prędicatio euangelij: quia Barbari illi propter aliquã accidẽtalem separationẽ commercij ab alijs hominibus vel gentibus nõ audiunt vocem Christianitatis, & nesciunt doctrinam Christi: & tamen in primis tẽporibus statim post Christi mortem prædicatum est ibi aliquid, vel in prouincijs finitimis, ita vt fama nominis Christiani perueneritad eos. Et ita Augustinus & Origenes qui dicũt, per Apostolos nõ esse in totum orbem prædicatum euangeliũ intelligendi sunt de prædicatione quãtum ad totalem fructum: & quod Christus hic dixit intelligitur de prædicatione facta & publicatione, etiam si nemo conuerteretur. Si enim intelligatur hoc quantum ad fructum prædicationis qui est, vt singulis gentibus fundetur ecclesia credentium in Christo, hoc complebitur ante diem iudicij, vt Augustinus exponit: non tamen fuit completum ante euersionẽ Hierusalẽ. Sed si loquamur de fama prędicationis, hoc ante euersionem Hierusalem fuit completum:
Hier. com. in Mat. c.24. in vita Apostolorũ Christi. Vnde beatus Hieronymus putat non mansisse aliquam gẽtem, quę Christi nomen ignoret: & quãquam nõ habuit prædicatorem, tamen ex vicinis gentibus opinionem fidei non potest ignorare. Verba sunt hæc diui Hieronymi. Et sic Augustinus & Origenes possunt cũ alijs concordari. Sed satis sit de hac quæstione. Verùm vbi incipienda esset hęc euãgelij prędicatio in omnes gentes ostendit Christus dicens,

Incipientibus ab Hierosolyma.

Siquidem remissionem peccatorũ prædicabãt, congruũ erat, vt inciperent ab illa ciuitate, vbi patratum est maximum omnium scelus, vt videntes Gentiles hanc infinitam misericordiã qualis erat ignoscere huic ciuitati: sed quid dico ignoscere? imò quod voluit Christus prius euangeliũ ei denũciari, vbi fuit mortuus nefando scelere & nõ viso, vt vidẽtes inquã Gentiles hoc Christo maximè afficerentur ne desperarẽt de misericordia ipsius, siquidẽ adeò bonus & misericors fuit, vt nõ solùm parcere huic ciuitati Hierusalem voluerit, sed etiã eã omnibus alijs mundi prçferre. Quis ergo diffidet misericordię Dei, quando tanta liberalitate veniam concedit his qui proprium filium crucifixerunt? Secũdò voluit, vt ab Hierosolymis inciperet prędicatio, vt ex Iudæorum credulitate, Gentiles animarentur ad amplexandam fidem Cristianam. Si enim in Christum credere non dubitarunt illi à quibus in cruce suspensus est: quare nõ crederẽt in eum Gentiles qui tantum nefas contra Christũ non perpetrarũt? Et si Iudæi homicidæ post tot flagitia simulatq; resipuerunt, tantæ gratiæ facti sunt participes, qui non possunt Gentiles bonam spem concipere veniæ? Sed de his hactenus.

Vos autem estis testes horum, & ego mittam promissum patris mei in vos.

Apostoli erãt testes vitæ, miraculorũ, & prædicationis Christi, debebant vniuerso orbi de his testimoniũ perhibere, sed quoniã testis firmus, & constans in dictis esse debet, ideo postquam dixit eos futuros testes, adiecit missurum se Spiritum sanctũ qui eos virtute & fortitudine maximè reficeret. Figulus postquam vasa in rota confecit sunt blãda, mollia, atque debilia: quę si tangas, comminuuntur statim. Si tamen in camino ignis reponas vt coquãtur, dura educi & fortia. Vasibus luteis sãctus Iob Iob 10.
nos comparauit, cũ dixit, Memẽto domine quòd sicut lutum feceris me. Erãt Apostoli sicuti & nos Matt.14
vasa debilia & delicata, adeò vt eorum principem qui se vt fortiorem magnificabat quædam vicerit muliercula. Non eius collo gladium subdiderunt, non Gigantes & homines fortes obsederunt armati, sed quædam mulier debilis sexu, ignobilis cõditione & officio, erat enim ianuaria, fuit tãta Petri pusillanimitas, vt timore cõcussus magistrum negauerit, nec habuit vim nec pectus ad reddendum de illo testimonium. Sed tamen hęc lutea vasa igni immissa ex Spiritus sancti fornace euaserunt fortissima & validissima: sic vt diuus Petrus, qui ante Act.4.
mulierẽ verebatur non timuit magistratus posteà, Act.5
pontifices & principes synagogę, corã quibus maxima autoritate in concilio respondit dicens, Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Hac ra- Ioan.14
tione inter alias, Spiritus sanctus venit super Apostolos in linguis igneis, quia sicut vasa lutea coquere volebat igne, vt de Christo testimonium redderent.

¶ Possent etiam dicere, Quoniam sumus nos homines idiotę illiteratique ad disputandum cum doctoribus & legis peritis & de Deo testimonium reddendum? Ad hoc respõdet Christus se missurũ Spiritum sanctũ, qui eos omnia doceat. Ideò in Ioãne habetur, quòd promittẽs Spiritum paracletum, dixit, Ille vos docebit omnia. Et quia ignis illuminat, venit in linguis igneis, ad illuminandũ eorum intellectus, conscientia, literis & maxima sapiẽtia. Futuri erant testes Apostoli, & testimoniũ de Christo reddituri coram potentatibus & terrę principibus, ad hoc autem indigebant robore ac fortitudine. Reddituri etiam erant testimonium coram sapientibus mundi, & ad hoc indigebãt etiã sapientia & peritia, & quoniam duo hęc Spiritus sanctus erat eis largiturus per donũ fortitudinis, & sapiẽtię, cum dixit, eos futuros testes, ideo adiecit, Spiritum sanctum ad eos mittendum cuius aduentu erant futuri fortes & sapientes testes.

¶ Prętereà ex hoc colligunt Theologi autoritatẽ originis respectu Spiritus sancti in filio insinua

ri, dum dicit filius, ego mittã. Missio enim in diuinis importat processioné ab alio. Ideò solus pater nunquam missus dicitur, quia nõ procedit ab alio, filius autem dicitur missus à patre, quia ab ipso procedit. Paulus, Misit Deus filium suum. Et Christus, Quem pater misit. Sed Spiritus Sanctus à patre dicitur mitti & à filio. A patre mittitur, quia dixit Christus, Spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo. Et mittitur à filio quia hic dicit Christus, Et ego mittam promissum patris mei in vos. Ergo à patre & filio procedit, nam ab vtroque dicitur missus. Conuincitur ex hoc loco antiquus error Græcorum qui dixerunt, Spiritum sanctum à filio non procedere, sed solum à patre. Ideò caue cum Theophilactum legis, qui more Græcorum dixit super Ioannem, Spiritum sanctum à patre tãtum procedere, & non à filio. Sed de his aliàs.

Ioan. 15 Ioan. 10 Galat. 4

Theop. in Euang. Ioann. cap. 3.

Vos autem sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto.

Necessarium enim erat Apostolos impleri Spiritu sancto & indui virtute ex alto, nã vela ventis dare contra aquæ torrentem, vela adimpleri debent vento, & quoniam Apostoli erant per mundũ nauigaturi contra torrentem, hoc est, contra suas inclinationes repleti sunt prius Spiritu sancto. Accipiter sublimipeta manũ tenentis cum fugiẽs tam saturatus ac repletus potest recidere, vt nunquam amplius ad eundẽ redire cupiat. Volens ergo Deus Apostolos dimittere, & catenis metus & amoris mundani eripere, repleti sunt Spiritu sancto, quo sunt adeò refecti, vt nũquam indiguerint amplius ad mundum redire. Vas igni appositum cito cõminuitur si vacuum sit, quod tamẽ si plenum sit conseruatur, & quoniam apostolica vasa debebant cõiici in ignem maximarum tribulationum, prius repleta sunt Spiritu sancto ne comminuerẽtur, quapropter expediebat eis maximè in ciuitate morari vsque à Deo hac virtute & Spiritus sancti fortitudine induerentur, & posteà exire ad prædicandum sustinendumq; labores absque vllo defectu & diminutione. Aduerte autẽ quòd virtus in hoc loco pro fortitudine accipitur, sicut & supra in initio huius Euangelij cũ Angelus dixit Zachariæ loquẽs de Ioanne Baptista. Ipse præibit ante illũ in spiritu & virtute Heliæ. Hoc est, in fortitudine. Iã diximus quod Apostoli fuerũt pusillanimes in Christi passione, quia omnes metu & timore agitati relicto magistro fugerũt, & Petrus qui se aliis fortiorẽ esse putabat, illũ ter negauerit. Ideoque opus erat vt isti, qui futuri erant testes Christi in Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimũ terræ induerentur cõstantia, & fortitudine & viribus ex alto, vt testimonium darent Christi, & Euangeliũ constanter prędicarent corã Regibus & principibus & potestatibus huius mundi. Hanc fortitudinem acceperũt ex alto, ex aduẽtu Spiritus sancti. Erant enim Apostoli & Christi discipuli viua instrumẽta & organa Spiritus sancti, quibus Spiritus Dei loquebatur in hominum cordibus, in quo quidem experiri poterant omnia quæ faciebant Dei esse opera, non autẽ ipsis propria. Hoc idẽ modo operatur Spiritus sanctus per prædicatores Apostolicos, & Catholicos qui prædicant secundum doctrinam sanctę Romanæ Ecclesiæ, quibus inquit Christus. Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Si hoc ergo ita est, quid gloriaris in his quæ pro te Deus facit? Nũquid gloriabitur securis (ait Esaias) contra eũ qui secat in ea, aut exaltabitur serra cotra eum a quo trahitur? Fidelis seruus Dei erat Paulus, siquidẽ postquã omnes suos labores narrauit, eorum autorem Deum cognoscens dixit, Non ego sed gratia Dei mecum.

Luc. 1

Act. 1

Esai. 10

1. Cor. 1

Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis.

Vsque adhuc scripsit Lucas apparitionem, quæ facta est in vespere diei resurrectionis dominicę, & nunc iam agit de Ascẽsione domini, prætermittẽs omnes apparitiones, & omnia, quę Christus gessit in illis quadraginta diebus. Hãc verò Christi Ascẽsionem perpulchrè scribit noster Lucas in primo capite libri, qui Actus Apostolorũ pręnotatur. Locus autem ascensionis non fuit in Bethania, sed in monte Oliueti prope Bethaniã. Quapropter cum dicit hic, quod eduxit eos in Bethaniã, intellige exclusiuè iuxta Bethaniam. Porrò benedicere est bona imprecari, dicere autem Dei semper efficax est. Dixit enim & facta sunt, quare & benedicere eius non potest non esse efficax. An verò Christus benedicendo, & bona illis imprecãdo visus est signo crucis tacet euangelium. In veteri lege eleuabant manum cum benedicebãt, & sic in Leuitico habetur, quòd Aaron extendens manum ad populũ benedixit ei. Crediderim ego quòd Christus eleuauit manum & facto super eos signo Crucis benedixerit eis. Hoc tamen certum est hanc antiquissimam consuetudinem benedicendi per signũ crucis Ecclesiam retinuisse vsu publico à temporibus Apostolorum, quare verisimile est Apostolos didicisse à magistro suo Christo, maximè tunc post triũphum victoriæ per agonem crucis, ad declarãdum Deũ patrem nos benedicere omni benedictione in cœlestibus per triumphum Crucis.

Psal. 148

Leuit. 9

Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis & ferebatur in cœlum.

Mirabile certè hoc est in sacris literis quàm paucis verbis multa atque ea magna complectantur. Gloriosissimã illam Ascensionẽ, & tam mirabilem & gaudium discipulorum matrisque eius sanctissimæ videntis Christum ascendere tanta maiestate, & Angelorum apparitionem significare volens inquit, recessit ab eis & ferebatur in cælũ. Cùm etiã in hoc mundo conuersatus esset cũ Apostolis quibus, vt amicis omnia quæ maximi erant momenti nota fecerat, ita vt omnia quæ audiuit à patre suo nota faceret eis, inquit Marcus, quòd postquã loquutus est eis assumptus est in cœlum. Vide ergo excellentiam sacræ scripturæ, quæ tã paucis verbis tanta complectitur. Mundus vt fabulam narret, mirabile est quibus vtatur verbis, quàm ostentatione plenis, & ornatis, quantũ conetur pulchrè ea intexere, & multiplicare, & tãdem nihil. Arma virumque cano, Troię qui primus ab oris, &c. Et post magnum verborum tumultũ vnica veritate prolata mille mendacia emittit. Pulchra mulier quomodo cũque exornetur placet, vili enim pãno inuoluta visum reficit. Deformis autẽ maximo ornatu & fuco indiget, onerarique auro & sericis vestibus, vt aliquid apparere possit. Veritas ipsa est quid pulcherrimũ adeò, vt quouis modo se habeat, placeat, nõ enim indiget Quintiliani rhetorica, nec Tullij eloquẽtia, non solis nec fuco aliquo, nã de se pulcherrima est. Veritas Euãgelica nõ opus habet apparatu aliquo, nec verborũ tumultu, nam simpliciter omni remota ostentatione profert quid sit rei.

Ioan. 15

Marc. 16

Recessit

Recessit ab eis & ferebatur in cœlum, inquit, & tacet. Mundi tamen mendacium & fallacia his omnibus ornatibus indiget, vt alicuius momēti esse videatur. Respice euangelistam & vide quàm succinctè tam mirabilē nobis describit ascēsionem. Recessit Christus à matre, & discipulis nō quidem sine magno dolore & tristitia eorū, nam ex vna parte sentiebant solitudinem & defectum quo afficiebantur ex Christi absētia, ex alia autē parte erant eorum corda maximo quodam gaudio, & ineffabili repleta, videntium magistrum intenta gloria & maiestate in cœlum conscendere. Recessit eos singulatim amplectēs & maximo amore osculās, verba ad solatium ducētia dicens. Ipsi autem veniam petebant supplices propter incredulitatem præteritam resurrectionis. Benignus magister excusabat eos & dulciter respondebat, & amplexabatur, pia mater exorabat, vt secum duceret quādo eius pręsentia destituta viuere non poterat, nec per multās: filius respondebat orans quod si ipsa intelligebat quanto pretio Ecclesiam ipsam redemerat, pateretur propter eius vtilitatem & incrementū, in mundo commorari, ad solatium nouiter credentiū, qui ad eam erāt venturi, pollicens tamen secundū meritum eius post in cœlum ferendam. Húc ergo recessum tam mirabilem complectitur Euangelista hoc verbo, recessit ab eis.

¶ Post hæc autem Christus dominus propria virtute cōsurgit de terra, & per aërem paulatim incedit, vt credentes illi eo fruerētur, quòd sequuta est nubes sole ipso clarior sub eius pedib⁹ posita, quæ eum operuit, & sic tandem euanuit ex oculis eorū. Eia nūc & tu rex Dauid, qui in omnibus mysteriis fidei nostræ tantum loqueris, modo nōne aliquid proferes de ista gloriosa ascēsione, in qua tu etiam fuisti cum Christo in cœlum ascendens? Psallat ergo hic tuum instrumentum, & dicat. Exaltare domine in virtute tua. Et iterum Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, sicut deficit fumus, &c. Cātate Deo: psalmum dicite nomini eius, iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Currus Dei decem millibus. Ascēdisti in altū, cæpisti captiuitatem, dedisti dona Spiritus sancti hominibus. Viderunt ingressus tuos Deus. Principes Iuda, principes Zabulō, principes Nepthalim. Erāt enim apostoli horum tribuum. In medio iuuencularum tympanistriarum, hæ erant discipuli teneri. Ibi Beniamin, filius dextrę sedit ad patris dextram ascendens in mentis excessu super omnes choros Angelorū. Ideoque regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo qui ascendit super cœlū cœli ad orientem, &c. Hanc igitur gloriā & maiestatem qua ascendit supra cœlos & sedit ad dexteram patris, complectitur euangelista dicēs, & ferebatur in cœlum. Ascēdit eleuatis manibus sicut aquila prouocans pullos ad volādum, & super eos volitans, vt discipuli eius tanquam pulli sui ipsum sequi affectibus studerent, thesaurū in cęlo quęrerent eoque cor subleuarent, dicentes illud, Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorū tuorū. Ascendebat Deus in iubilo, & dominus in voce tubæ. Gauisi sunt angeli, quibus gaudium est super vno peccatore pænitētiam agente, oue errante, iam reperta & inuēta. Gauisi sunt etiam iusti. Si enim Abraham exultauit, vt videret diē domini, quantum in eius Ascēsione cum omnibus lætatus est sanctis? Nam ascendens in altū captiuam duxit captiuitatem, suscepit eum nubēs ab oculis apostolorū. Non quod indigebat subsidio nubis, sed voluit eius vti seruitio, virtus enim eius in nubibus. Sic enim prædictum erat. Qui ponis nubē ascensum tuū, qui ambulas super pennas ventorū. Non itaq; fuit assumptus in nube vt Enoch, nō in curru igneo vt Helias, sed ascēdit propria virtute ille, qui præstat virtutem nobis, vt ascendamus præparans nobis viam, tollens de medio prædones animarum, diabolum, scilicet, mortem, infernum & peccatum, vt securum ac tutum ad patrem habeamus aditum.

Psal.20 · Psal.67 · Deut.32 · Cant.1 · Psal.46 · Luca 15 · Ioan.8 · Ephe.4 · Psal.67 · Psal.103 · Gene.5 · 4.Reg.2

¶ Expende etiā quòd sacra scriptura humilia, & quæ ad opprobriū, & confusionē attinent minutatim scribit, & ad longū, quare omnes euangelistæ nimis extēsè passionē & mortem domini scribūt, alapas, tormenta, & flagella, & Ioānes quomodo fatigat⁹ ex itinere sedebat sic supra fontē in Samaria iuxta Sichē. Et noster Lucas ter nominat præsepiū & paupertatē natiuitatis Christi. Sic etiā Matthęus paupertatem discipulorū scribit dicens, quòd parabāt retia. Quid autem est honoris & gloriæ breui complent, & sic euangelista modò vnico verbo gloriosissimā Christi ascensionem supra cælos resumit, quo quidem condemnatur nostra superbia & insolentia, qui cùm de honore nostro ac laude agimus verbis omnia obtūdimus, & aliquādo plus vero narramus, vitia autem nostra atque defectus tacemus, nec vllū verbū de eis esse volumus. Admonet locus iste, vt quemadmodū Christus ascēdit in cęlum in corpore & anima postquam volūtatem patris sui fecit, ita & nos si perseuerantes in facie æterni patris eius voluntatem fecerimus, sperabimus nos assumendos in vitam ęternam, quam nostris operibus retribuet Deus iustus iudex. Non ascēdet in cælum cū Christo per solam fidem, sed per charitatem, quæ verè dignos nos facit cælesti illa ascēsione. Et ideo à mōte Oliueti ascēdit, quia ex operibus misericordiæ & charitatis ascendimus in cælum. Vnde Dauid. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? subdit. Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Sed quid post ascensionem fecerint discipuli audi.

Ioan.4 · Luca.2 · Matth.4 · Psal.23

Et ipsi adorantes ingressi sunt in Hierusalem, cū gaudio magno, & erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum.

Iam enim certa fides excusserat omnem mærorem, & certa spes promissorum addebat alacritatē. Interea frequentes erant in templo iam tunc euāgelicas victimas immolantes, laudibus ferentes, & gratias agentes ei, qui tanta beneficia decreuisset per filium suum gratis largiri mortalibus. Sic etiā & noster Lucas ait in Actis, quòd omnes illi fideles statim post Christi ascensionem, reuersi sunt in Hierusalem & introierunt in cœnaculum, & erāt ibi vnanimiter perseuerantes in oratione & obseruatione cum mulieribus & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Actu.1

¶ Docet nos locus iste, vt perseueremus in orationibus & bonis operibus, si volumus spiritū sanctum suscipere. Perseuerantia enim informat meritum, & corroborat propositū boni, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad brauium, & conducit euntes ad portum. Hæc est perseuerātia, qua laureantur martyres, & virgines coronantur. Quid prodest, quòd martyr pro fide dimicet, si nō

Apoc. 1 perseuerat. Illa sancta quatuor animalia quæ erant plena oculis ante & retro non habebant requiem die ac nocte, sed iugiter clamabant, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus omnipotens, qui est, qui erat, & qui venturus est. Ita quilibet Dei verus amator non debet habere requiem die ac nocte in operibus studiosis vsque in finem vitæ suæ. Licet enim cœli inferiores iugiter diuersis motibus agitētur, cœlum tamē supremum, quod nos dicimus Empyreum in nullo mouetur, nec à sua quiete perturbatur, sed semper in sua immobilitate perseueranter persistit. Sic etiam quamuis potentiæ inferiores sensitiuè perturbentur vel inordinatè moueantur & agitentur ad bona sensitiua capessenda, tamen ratio cauere debet, ne vnquam moueatur, & discedat à desiderio supernorum, & operibus studiosis, quin potius in eis vsque ad mortem perseueret. Nā quamuis faceret aliquis in oratione optimum exordium, optimam inuentionem, dispositionem, eloquentem narrationem, ac pronunciationem, si non haberet solidam & bonam conclusionem, talis oratio omnino priuatur laudis humanæ merito, quia conclusio, quæ ars vetus dicitur, est totus orationis exitus oratio, determinatio, & perfectio. Sic ergo quāuis quis haberet omnes virtutes, & nō haberet finem perseuerātiæ, priuaretur sine dubio
2.Tim.4 merito cęlestis gloriæ. Audi Paulum, Bonum inquit certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de cætero reposita est mihi corona, &c. Vide dominum Iesum Christum, qui triginta tribus annis noluit vnquam desistere à perseuerantia nostræ redemptionis, nec cessauit, propter diabolicam tentationem, nec propter Iudæorum exhortationem, qui dicebant, vt descenderet de Cruce. Matth. 4 Matth. 27 Non enim voluit cessare propter animæ & corporis omnimodam afflictionem, non denique propter Crucis passionem, sed perseuerauit vsque ad mortem, donec diceret, consummatum est, & tunc emisit spiritum dicens, In manus tuas domine commendo spiritum meum. Ioan. 19 Matth. 27 Quo exemplo significatur quòd solùm pater cælestis illorum animas suscipit in regnum vitæ æternæ, qui perseuerant vsque ad mortem in eius amore, & bonis operibus. Vnde Paulus. Nescitis quòd hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? 1.Cor.9 Sic currite, vt comprehendatis igitur & nos curramus cum Paulo ad propositum nobis certamen non deficientes, tempus enim (vt ille ait) breue est. Hebr.12 1 Cor.7 Merces autem nostra, Saluator ait, quod multa est in cœlis, considerantes non quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna. Matth.5 2.Cor.4 Coloss.3 Vtinam sic curramus in hac breui vita spoliantes veterem hominem, & nudi terrenis affectionibus, accipiamus brauium æternæ retributionis, quod nobis præstare dignetur dominus Iesus, qui opus hoc in diuum Lucam incepit: & ipse qui auctor totius boni est, ad finem vsque consummauit. Cui summus honor sit & gloria in sempiterna secula seculorum. Amen.

Secundi tomi enarrationum in beati Lucæ Euangelium & totius operis finis.

INDEX

INDEX
AVTHORITATVM SACRAE SCRIPTVRAE IN HOC OPERE EXPOSITARVM SPARSIM, SEcundum ordinem librorum veteris ac noui teſtamenti digeſtus.

Geneſis.

34 Pauper

Inclinaui

28.Multi

Marci.

Et val

5 Videte

INDEX OMNIVM QVAE INSIGNITER IN HOC OPERE DICTA SVNT, IVXTA ORDInem literarum studiosè digestus.

Prior numerus Tomum, posterior verò Paginam denotat.

A

Boni læ

Christum

D

Diabolum

E

Elect.

F

G

H

Ioannes

L

Labores

M

N

Necessitas

O

P

Potentes

Q

R

Similitudo

V

Verbum

FINIS.

Series chartarum.

† a b c d e f g h i k l m n o p q r s t v x y z. A B C D E F G H I K L M N O P Q. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz. aA bB.

Omnes ternæ,exceptis Q duerna,& bB quaterna.